Patrologia Latina. Vol. 100

PATROLOGIAE CURSUS COMPLETUS SIVE BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA, OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM QUI AB AEVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT; RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUAE EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICAE TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIAE SAECULA, JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUAE TRIBUS NOVISSIMIS SAECULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURAE SACRAE, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURAE TEXTUS COMMENTATI SINT. EDITIO ACCURATISSIMA, CAETERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTAE QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRAESERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES AETATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINAE A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III. ACCURANTE J.-P. MIGNE, BIBLIOTHECAE CLERI UNIVERSAE, SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIAE ECCLESIASTICAE RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRAECO-LATINA.---VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINAE; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRAECO-LATINAE.---MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIAE TOMUS C.
BEATI FLACCI ALBINI SEU ALCUINI
TOMUS PRIMUS.
EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM, IN VIA DICTA *D'AMBOISE,* PROPE PORTAM LUTETIAE PARISIORUM VULGO *D'ENFER NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.* 1851

SAECULUM IX.
B. FLACCI ALBINI SEU ALCUINI ABBATIS ET CAROLI MAGNI IMPERATORIS MAGISTRI OPERA OMNIA JUXTA EDITIONEM FROBENII, ABBATIS AD SANCTUM EMMERAMUM RATISBONAE, NOVISSIME AD PRELUM REVOCATA ET VARIIS MONUMENTIS AUCTA. ACCURANTE J.-P. MIGNE, BIBLIOTHECAE CLERI UNIVERSAE, SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIAE ECCLESIASTICAE RAMOS EDITORE.
TOMUS PRIMUS.
VENEUNT 2 VOLUMINA 15 FRANCIS GALLICIS. EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM, IN VIA DICTA *D'AMBOISE,* PROPE PORTAM LUTETIAE PARISIORUM VULGO *D'ENFER NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.* 1851

ELENCHUS AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO C CONTINENTUR.

ANNO DOMINI DCCCIV.

B. FLACCI ALBINI SEU ALCUINI ABBATIS, CAROLI MAGNI REGIS AC IMPERATORIS MAGISTRI, OPERA OMNIA

POST PRIMAM EDITIONEM, A VIRO CLARISSIMO D. ANDREA QUERCETANO CURATAM, DE NOVO COLLECTA, MULTIS LOCIS EMENDATA, ET OPUSCULIS PRIMUM REPERTIS PLURIMUM AUCTA, VARIISQUE MODIS ILLUSTRATA CURA AC STUDIO FROBENII, S. R. I. PRINCIPIS ET ABBATIS AD SANCTUM EMMERAMUM RATISBONAE.

PRAEFATIO GENERALIS. (J. Frobenius)

[Col. 0009A] I. Henricus Canisius jurisconsultus, et initio saeculi XVII in Academia Ingolstadiensi sanctorum canonum professor ordinarius, multis laboribus litterariis

celeberrimus, et veterum monumentorum scrutator solertissimus, cum plura beati Alcuini opuscula in bibliothecis delitescentia luci vero publicae a se reddenda, detexisset, recte sentiens, nonnulla alia ejusdem praeclarissimi magistri opuscula aut penitus periisse, aut adhuc bibliothecarum vinculis constricta opem eruditorum exspectare, optabat ut immeritis illis pedicis manicisque exsolvantur, quo tandem in luce versari, et per ora doctorum volitare queant. «Utinam, inquit, existeret, qui Alcuini omnia monumenta in lucem erueret, vel saltem illa quae jam sunt eruta, unum in volumen colligeret, collectaque simul vulgaret.» Tom. II Thesauri Monum. Edit. Basnagii, pag. 484 et 485.

II. Id quod Canisius in votis habuit, primus omnium maxima cura ac diligentia exsequi adlaboravit vir magni pariter inter eruditos nominis D. Andreas [Col. 0009B] Quercetanus Turonensis. Is enim patriae suae amore, prout ipse profitetur initio Praefationis in suam editionem, incitatus, omnia beati Alcuini opuscula seu jam edita, seu ex codd. mss. Pauli Petavii, Augusti Thuani, Puteanorum fratrum, Sirmondi et aliorum conquisita collegit, et partim auctius ac emendatius, partim vero tunc primum detecta de novo edidit Lutetiae Parisiorum anno 1617.

III. Verum haec viri summi qualiscunque diligentia non se protendebat ad exteras Italiae, Hispaniae, Angliae ac Germaniae bibliothecas, in quibus tamen celeberrimi hujus sui temporis scriptoris opuscula varia olim certatim a suis discipulis descripta ac recondita conservabantur: alii tamen viri eruditi, quibus in illa veterum monumentorum reconditoria penetrandi fortuna arrisit, Martenius, Mabillonius, Baluzius, Pezius et alii, plura opuscula mss. beati Alcuini detexerunt, quae priori illi collectioni addi, et ita nova aliquando editio completior ac perfectior fieri posset; in quem [Col. 0010A] finem iidem nova sua reperta suis collectaneis addita et cum aliis opusculis, prout sese quaerentibus fortuito offerebant, commista luci publicae commiserunt. Magnum vero exinde incommodum relictum est, quod eruditi qui de beato Alcuino quaedam suis laboribus apta discere cupiebant, necesse haberent, illius seu epistolas, seu commentationes, tractatus et carmina, per vasta et parum obvia volumina distracta conquirere: quod quidem incommodum nonnisi uno novae collectionis ac editionis auxilio reparandum fuit. Incommodum isthoc magis crevit, postquam exemplaria quoque editionis Quercetanae evasere rarissima, ut nunc in paucissimis plane bibliothecis reperiantur.

IV. Consilium ergo novae editionis procurandae jam initio hujus saeculi in Gallia coeptum, et spes brevi illius obtinendae et absolvendae facta est: hucusque tamen exspectationem fefellit, et effectu caruit. Optabat vir praeclarissimus D. Antonius Rivet de la Grange, Benedictinus congregationis sancti Mauri [Col. 0010B] in aestimatissimo opere Hist. Lit. Franciae, tom. IV, pag. 343, ut labor saltem, quem ipse in recensendis omnibus beati Alcuini tam genuinis quam suppositis operibus impendit, virum aliquem bene eruditum permoveret ad opus tandiu exspectatum exsequendum. His D. Riveti aliorumque virorum eruditorum votis ac desideriis quovis modo satisfaciendi cupido me tunc incessit, cum eorum, a quorum nutu pendebam, voluntate curandae bibliothecae nostrae sancti Emmerami, magnum mss. eximiae vetustatis atque optimae notae numerum continenti, admotus fui. Deprehensis nempe quibusdam codicibus, nongentorum et amplius annorum aetatem indubiis notis praeferentibus, varia beati

Alcuini opuscula continentibus, eadem cum editione D. Quercetani conferens facile adverti, illorum ope plures praedictae editionis hiatus impleri, errata innumera corrigi, et veram multis locis lectionem restitui posse. Praeterea nonnulla etiam opuscula sese obtulere, frustra hucusque quaesita [Col. 0011A] et ex parte ignorata ab eruditis; quorum omnium rationes suis locis proferentur. Manum ergo operi admovere coepi, non eo quidem consilio ut egomet novam illorum operum editionem susciperem, sed ut manum auxiliatricem porrigerem, si vir quispiam eo apparatu eruditionis, quo me destitutum agnoveram, instructus huic se labori serio tandem commodare vellet.

V. Peropportune vero accidit quod a cl. D. Oliverio Legiponte monasterii sancti Martini Coloniae Agrippinae O. S. B. asceta doctissimo, atque, dum viveret, litteraria consuetudine mihi conjunctissimo per litteras edoctus fuerim, virum varia eruditione praeditum D. Ildephonsum Catelinot Benedictinae congreg. sanctorum Vitoni et Hydulphi ad sanctum Michaelem supra Mosam alumnum, dudum huic labori manum admovisse, jamque omnia beati Alcuini opera duobus tomis distincta prelo parata habere: quod ipsum postea ex illustris Calmeti historia litteraria Lotharingiae, [Col. 0011B] atque ex Hist. Lit. Franciae tom. VIII Avertiss., pag. X, amplius et certius didici. Hunc igitur doctissimum virum D. Catelinot per litteras conveni, eidem meam operam spopondi, illiusque arbitrio et usui subsidia, quaecunque ad coeptum a se opus perficiendum ad manus habebam, lubens obtuli; quaedam insuper illi suggerens, quae ad ejus notitiam haud pervenisse existimabam. Viri hujus egregii Responsorias datas 13 Febr. 1754, ex quibus impensum illius in novum hoc opus studium, et causa simul impeditae tandiu editionis discitur, hic subjicere, eruditis, spero, haud fore ingratum: «Pluribus abhinc annis, inquit, novam Operum Alcuini editionem aggressus fui, ac trium annorum spatio, quantum in me fuit, absolvi. Ast, proh dolor! inedita ac sopita remanet ab anno 1745. Nec non bibliotheca Benedictina, quam ad umbilicum quoque perduxi. In regionibus enim nostris opera non nisi Gallico idiomate scripta sub prelo sudant, Latina vero in forulis et pulvere bibliothecarum jacent. Huc accedit gravis [Col. 0011C] penuria mss. codicum, quorum ope et opera novae editiones adornantur. Tanta est illa inopia in Gallia nostra et Lotharingia, ut in decursu laboris unum duntaxat detegere potuerimus, nempe tractatum de Processione sancti Spiritus ab Alcuino nostro inscriptum Carolo Magno imperatori coronato anno 800. Qualis et quantus ille sit tractatus, annuntiat Antonius Rivetus in Admonitione ad tom. VIII Galliae Litterariae, pag. X, XI et XII . . . . . . Precare pro peccatore annorum octoginta trium et mensium decem, qui nullo indiget adminiculo ad ambulandum, ad videndum, ad audiendum; sed mens sana in corpore sano, quod Dei donum est, et ei reddo corde et animo.» Hucusque Senecio venerabilis.

VI. Acceptis hisce viri egregii litteris facile animadverti, editionem illam Operum beati Alcuini diu adhuc fore protrahendam, aut per obitum senis hujus tot jam annis gravati penitus deserendam, aut non nisi cum multorum monumentorum huc pertinentium, [Col. 0011D] in variis bibliothecis etiamnum latentium defectu prodituram. Per integrum ergo annum, debilitatis virium mearum conscius, deliberans, num difficili huic labori manum ipse admoverem, tandem opus tentare mecum statui. Hoc meum propositum eidem D. Catelinot initio anni 1755 per epistolam significavi, confisus tunc, quod a nova, quam animo et calamo conceperat et parturire moliebatur clariss. D. Legipontius

supra laudatus, societate litteraria Benedictina, auxilium atque subsidia majora ad hoc opus facilius exsequendum conducentia essem adepturus. De hoc enim instituto idem D. Legipontius rev. D. Calmetum per litteras edocuit, doctosque sodales congregationis Lotharingicae, cui is tunc praefecturam gerebat, ut huic societati sese adjungi paterentur, invitavit: singulariter vero D. Catelinot eo permovit, ut collectanea sua, pro nova editione operum [Col. 0012A] B. Alcuini parata, mihi cederet, nomine ejusdem societatis completius et emendatius vulganda. Assensit vir optimus D. Legipontii postulationi, et sine dilatione, propriae suae gloriae prope oblitus, cum maxima benevolentia, quod petitum fuerat, praestitit. Is ergo mense Aprili ejusdem anni totum suum apparatum cum quibusdam praeliminaribus, cum notis variis et observationibus doctissimis ad me direxit, magna simul cum humilitate deprecatus, «ut si quid aliquando ex Operibus tanti viri (beati Alcuini) vel omnia edenda sint, suo parcatur nomini. Multo praeclarius est, inquit, et dignius nomen societatis litterariae, quod tam magnificae editioni praeponatur.

VII. Verum institutum illud societatis litterariae Benedictinae, quod D. Legipontius maximo cum fervore promovere laboravit, ad optatum effectum illo vivente perduci haud potuit; ipso vero ad coelestes sedes abeunte penitus, quod dolens refero, et in cunis exspiravit, commercio litterario, quo prolem [Col. 0012B] conceptam animari oportebat, simul abrupto. Totum igitur pondus propositi laboris, in adornanda nova Operum beati Alcuini editione, in debiles humeros meos recidit: quos tamen subtrahere nolui; sed recogitans difficultates non fugiendas esse, sed superandas, et omnia nos posse in eo qui nos confortat, credensque simul hunc laborem cessurum ad Dei gloriam et aliquem Ecclesiae profectum, vel etiam ad rei litterariae commodum et quodcunque incrementum, memet ad opus cordate aggrediendum excitavi. Divini ergo auxilii spe fretus, virorum etiam doctorum, eorum maxime qui ubivis locorum thesauris veterum monumentorum custodiendis praesunt, adjumenta quaerere, et bibliothecarum tam vicinarum quam dissitarum, in quibus codices huc pertinentes latere noveram aut suspicabar, fores pulsare constitui. Scripsi ad doctos illarum bibliothecarum custodes, ad alios eruditos magni nominis magnaeque auctoritatis viros, ut thesauros latentes aut aperirent, aut aperiri juberent; atque ad meum usum primo [Col. 0012C] operum ab ipsis servatorum catalogos, deinde ipsa opera me delecta, vel variantes lectiones inde excerptas mecum communicari facerent. Quae quidem res felicius quam sperare poteram, cessit, ita, ut Alcuinus meus longe ditior quam in collectione D. Quercetani aut D. Catelinoti fuit evaserit: quorum id ope, quibusque mediis id perfecerim, nunc paucis enarrabo.

VIII. Prima subsidia mihi venere e bibliothecis illustrissimorum capitulorum cathedralium Salisburgensis et Frisingensis, opitulantibus illarum ecclesiarum reverendissimis canon. capitularibus, praeprimis D. comite de Saurau, eo tempore rev. archiepiscopi ac principis Salisburgensis ad comitia imperii hic Ratisbonae legato plenipotentiario; et D. barone de Wertenstein, serenissimi ac eminentissimi cardinalis Bavari, episcopi Frisingensis, etc., etc., consiliario intimo, utroque bonorum omnium luctu satis nuper erepto. Ambo summa cum benevolentia plures, quos [Col. 0012D] inspicere cupiebam, codices e pretiosissimis illis vetustatis reconditoriis subministrarunt, quorum ope varia anecdota obtinui, quorum aliqua ad edita emendanda, alia ad defectus

maxime notabiles supplendos, alia denique ad opus novis opusculis augendum adhibere potui, prout suis semper locis notavi.

IX. Non minus benevolum, nec minus ad studia mea juvanda propensum expertus fui eminentissimum D. cardinalem Passioneum, jam antea de beato Alcuino, cujus epistolam ad Eanbaldum, nunc ordine quinquagesimam
@ Secundum hujusce novae editionis recensionem, quinquagesimam sextam. EDIT. tom. I, pag. 63, notis varia eruditione refertis illustraverat, optime meritum: hic ergo vir summus, fama eruditionis clarus et, dum viveret, litteratorum Maecenas optimus a me imploratus, primo indicem omnium opusculorum ad Alcuinum pertinentium, in praedivite bibliotheca Vaticana cujus ille tunc praefecturam cum maxima sui nominis [Col. 0013A] laude gerebat, servatorum ad me mitti curavit; deinceps vero ejusdem bibliothecae custodibus, ut quae ex eodem indice selegeram, descripta ad me dirigerent, mandavit. Inde ergo accepi: 1o libellum beati Alcuini ad monachos Gothiae contra haeresin Felicis, hucusque desideratum, editum a nobis cum praefatione cl. D. Foggini; 2o libellum de Antichristo Alcuino suppositum; 3o libellum de Partibus orationis, de quo videatur monitum praevium ad part. V Operum Alcuini; 4o chartulas calculationis cursus lunaris et bissextilis praeparationis. Demum variantes quasdam et meliores lectiones, quas suis locis addidi.

X. His eminentissimi cardinalis beneficiis cumulatus, et fiducia tam promptae benevolentiae animatus ejusdem quoque consilium expetere non verebar, de edendis inter Opera beati Alcuini vel omittendis libris illis famosis, quos Carolinos appellant, *de non adorandis imaginibus, quos quidam scriptores eidem Alcuino nostro tribuere volebant.* Simul vero rogavi [Col. 0013B] ut eosdem libros cum cod. mss. bibl. Vaticanae, quem litteris Longobardicis scriptum ibidem servari scripserat Aug. Steuchus de falsa Donat. Constantini contra Laurentium Vallam, lib. II, pag. 111, conferri jubeat, eum praecipue in finem, ut constare possit, an capitulum ultimum illorum librorum, quale in editione Severini Binii reperitur, genuinum sit, an, quod Goldastus adversus Binium contendit, spurium et confictum? Non reticuit eruditissimus cardinalis suam, quam mente tenebat sententiam, eamque mihi aperire dignatus est per epistolam Roma ad me scriptam IV Kal. Febr. 1759, in haec verba: «In bibliotheca Vaticana nullus reperitur ms. cod. libros illos continens quos Carolinos de non adorandis imaginibus vocare solent. Quod pertinet ad eorum confutationem ab Adriano I compositam et Carolo Magno inscriptam, exstat illa in duobus mss. Codd., nempe Regio Vat. 1041 et 1062. Sed uterque Codex chartaceus est et admodum recens. Etsi vero ex forma litterarum aperte constet, in Gallia utrumque [Col. 0013C] exaratum fuisse, neuter tamen indicat, ex quo vetustiore Codice, et in qua bibliotheca descriptus fuerit. Caeterum nihil dubito, Codicem 1062 illum ipsum esse, quem ad Gregorium XIII fuisse missum ex Gallia tradit Severinus Binius. Cum autem enixe postules, utrum bonum censeam dare his quoque locum in appendice Operum Alcuini, candide dicam: non censere; nullam enim esse video alicujus ponderis conjecturam, quae suadeat Carolum Magnum Alcuini opera usum fuisse in iis condendis libris, quos Carolinos appellant.» Hactenus sapientissimus cardinalis, cujus consilium eo libentius secutus sum, quod revera nulla ratio, quae alicujus ponderis haberi possit, succurrat pro opinione contraria, multae vero et graves rationes prorsus persuadeant, beatum Alcuinum illorum librorum

auctorem non fuisse, quas protuli infra in praefatione ad opuscula supposita.

XI. Hoc primum tentamen cum tam feliciter mihi cessisset, alias insuper vias explorare constitui, minime [Col. 0013D] haesitans, per illas me reperturum ampliora adhuc subsidia, et viros eruditos aeque ad studiis meis succurrendum faciles. Quod ut promptius fieret, conspectum omnium opusculorum, quae et quo ordine in nova editione comparere deberent, anno 1760 typis Montagianis vulgari feci: addito indice aliquorum codd. mss. in variis bibliothecis latentium: atque ita una quasi generali epistola viros doctos ad symbola sua huc conferenda invitavi ac provocavi; nec sane frustra; spe enim citius viri quidam et eruditione et libris editis celeberrimi ultro nec singulariter implorati suam operam obtulerunt. Inter quos primi fuere illustris D. Christ. Ludov. Scheidius serenissimae familiae Guelficae historiographus, operis laudatissimi: Origines Guelficae aliorumque plurium scriptor. Cl. D. Christ. Adolphus Klotzius in universitate Halensi eloquentiae et philosophiae professor variis lucubrationibus et litterariis pugnis clarus; deinde illustris D. Christ. Fridericus [Col. 0014A] Temlerus regiae Danicae majestati a secretis. A. D. Scheidio ocius accepi epistolam humanitate plenam, qua mihi propensissima voluntate omnem operam suam addixit, et ad similem benevolentiam doctos Danos et Anglos, misso ad eos conspectu a me edito, persuadere velle promisit. Majora praestitit D. Klotzius, qui ut eumdem conspectum noviter vulgatum toti orbi litterario notum redderet, illum cum magna commendatione in Actis eruditorum Lipsiensibus anni 1760 pag. 233, recensuit, ac postea per epistolam ad strenue in coepto opere pergendum, me animavit, oblatis quibusvis, quae in illius potestate essent, subsidiis, donatoque libello paucis apud nos cognito et rarae eruditionis, in quo de eruditione Saxonis Carolini Alcuini discipuli, Vitembergae sub praesidio D. Joannis Guilielmi de Berger disseritur.

XII. Porro illustris D. Temleri propensionem insolitam et ardorem pro laboribus meis juvandis prorsus [Col. 0014B] singularem, quo vocis praeconio exornem vix habeo. Vir iste praeclarus, nunquam antea mihi cognitus, ex Actibus Lipsiensibus de consilio meo edoctus, paulo post lectiones quasdam variantes epistolarum ac librorum de Trinitate, ex veteri editione Homiliarii Doctorum descriptas et a cel. Baluzio olim notatas, ad me misit, et ut opera sua pro libitu uterer, me cohortatus est. Hac viri optimi benevolentia fretus ipsum rogavi, ut si quos doctos viros in Anglia nosset, eos mihi conciliaret; ut beati Alcuini scripta, quae in illius regionis bibliothecis servari ex catalogis librorum mss. Angliae et Hiberniae, atque ex aliis eruditorum recensionibus noveram, perquirerent, et ea quae expetieram pro gloria conterranei sui ad me destinarent. Non defuit petitis vir illustris; illius tamen conatus ibidem fuere frustranei. Responsum enimvero ex Anglia tulit doctis viris profecto indignum, nobisque ingratum: exspectare nos jusserunt ultra anni spatium, donec desiderata describi possent; simul vero pro scriptura [Col. 0014C] ac labore unius hebdomadae, mercedem pacisci voluere centum et ultra librarum sterlings. Et primam quidem conditionem in acceptis ferre voluissem; alteram vero, quae turpis nobis visa est (et cui non videretur?), repudiare debui. Neque tamen fortuna, quae in Anglia minus fuit propitia, me penitus deseruit; beneficio enim viri clarissimi D. de Brequigny, regiae inscrip. et hum. lit. Academiae socii, epistolas, quas maxime obtinere desiderabam, ab eodem, dum Christianissimi regis mandato anno 1764 Angliae bibliothecas perscrutaretur, ex cod. ms. bibliothecae Harleianae

descriptas accepi. Hujus ergo viri egregii benevolentiae thesaurus iste litterarius ab omnibus eruditis in acceptis referendus est, ut prolixius narravi in Monito praevio ad Mantissam.

XIII. Aliam rursus viam labores meos juvandi causa in Hispania nempe, tentavit praelaudatus D. Temlerus Optabam ex illius regionis bibliothecis, praesertim [Col. 0014D] Escuriali et Toletana, nonnulla monumenta ibi, quod sciebam, servata adipisci, ad historiam erroris Adoptianorum, cujus Alcuinus maxima pars fuit, illustrandam conducentia: epistolam nimirum ineditam episcoporum Hispaniae, sectatorum Elipanti archiepiscopi Toletani, ad episcopos Galliae, Aquitaniae et Austriae scriptam, cujus potissimum causa convocatum fuit concilium Francofordiense anni 794, cujus ob detritos, ut praetendebatur, characteres non nisi initium et conclusionem dederat D. Henricus Floresius in sua Espa˝a Sagrada, tom. V, pag. 557. Cupiebam pariter, libros Etherii ac Beati adversus ingruentem errorem Adoptianorum scriptos, et primum a Petro Stevartio cum aliis veteribus scriptoribus Ingolstadii anno 1616 editos, cum cod. ms. conferri et inde emendari posse, eo quod editio illa in nonnullis locis manca et imperfecta esse videbatur; statueram siquidem aliquando libros illos correctiores in appendicem operum beati Alcuini referre, [Col. 0015A] sicut in illorum conspectu typis vulgato significavi. Huic meo desiderio ut satisfieri posset, laudatus Temlerus amicum in Hispania degentem, eadem promptitudine ac zelo ad litteratorum labores juvandos affectum, convenit, nempe D. Carolum Christophorum Pluer regiae legationis Danicae Madriti ecclesiasten; qui vir praeclarissimus ocius omnem lapidem movit, viasque omnes tentavit, atque viros doctos, quos in hunc finem quidpiam conferre posse credebat, infatigabiliter sollicitavit, ut hisce votis meis obsecundarent. Verum conatus illius plurima reperere obstacula: fores enim bibliothecarum illarum tantopere obseratae sunt, ut nemini exterorum ad illas accessus pateat, aut codices mss. ibidem reconditos ulla ratione cuiquam pedicis ac manicis suis solvere in aliorum usum liceat. Reperit tamen laudatus D. Pluer virum magni apud Hispanos et apud exteros quoque nominis, D. Gregorium Majansium generosum Valentinum, a quo, ob gestam aliquando praefecturam bibliothecae regiae, quaecunque [Col. 0015B] votis meis expetita obtineri posse spes magna affulsit. De hoc D. Majansio laudatus D. Pluer in litteris e *Portugo ad aquas minerales in montibus Granatensibus d.* d. X Jun. 1765, ita ad me scripsit: «Non omnino desunt (in Hispania) viri sapientia et eruditione praestantes, quorum dux et antesignanus celeberrimus Greg. Majansius sine dubio censendus est. Vir enim iste una cum doctissimo fratre Antonio sese unice litteris consecravit. Regi cum esset a bibliotheca Gregorius, ut invidiae cederet, se hoc munere sponte sua abdicavit. Tantum vero abfuit ut ista rerum mutatio virum a litterarum amore avocaret, ut calcar potius ipsi addidisse videatur. Verum certe est, qui cum solida eruditionis laude aequale inserviendi studium conjungat, excepto Gregorio, in universa Hispania reperiri neminem.» Viro igitur huic tantopere mihi laudato desiderium meum per epistolam aperui, atque adjutorium illius, si quod mihi impendere valeret, expetii, eo eventu felici, [Col. 0015C] ut ab amicis suis tandem illam magni momenti epistolam episcoporum Elipanti sectatorum ineditam extorserit, quam is e cod. ms. Toletano descriptam ocius ad me deferri curavit, addita epistola, quam ad fidem rei conciliandam impressam exhibui. Codicem tamen, in quo continetur memoratus Apologeticus Etherii et Beati, quo cum editio Stevartii non satis accurata conferri potuisset, nulla industria obtinere potuit vir

optimus, cui in hunc finem ejusdem Stevartii volumen typis impressum direxeram; prout mihi significavit in epistola altera ibidem a me exhibita. Quae causa fuit mutati a me consilii, quod etiam D. Catelinot placuerat, eosdem libros his operibus jungendi, ut initio proposueram in conspectu operum istorum superius memorato. Quaenam alia idem D. Majansius, studiis meis summopere affectus, pro illustrandis Adoptianorum scriptis et actis suggesserit, et humanissimis atque eruditissimis illius epistolis intelligi potest, in Appendice II [Col. 0015D] a me relatis.

XIV. His viis, ad terminum mihi propositum felicius pertingendi, in Lotharingia, Italia, Anglia et Hispania haud omnino frustra tentatis, committere haud potui, quin etiam insigniores bibliothecas Galliae consulerem, in quibus tam praeclare versati sunt sodales celeberrimae Benedictinae congregationis sancti Mauri: quamvis ab hoc proposito me avertere potuisset D. Catelinot supra laudatus, ad me scribens quod in Gallia et Lotharingia tanta sit mss. codd. inopia, ut in decursu laboris sui unum duntaxat detegere potuerit, nempe libellum de Processione Spiritus sancti. Nihilominus idipsum per memet experiri etiam volui. Scripsi igitur ad rev. D. Boudier, ejusdem congregationis tunc superiorem generalem, rogans ut quosdam suorum sodalium ad operam suam mihi commodandam permoveret. Non defuit meis [Col. 0016A] petitis vir humanissimus, cujus posthac benevolentiam in aliis quoque rebus, quod aeterna apud nos memoria celebrabitur, utilissimam expertus fui. Ejus ergo jussu doctissimus D. Philippus Ludovicus Lieble in abbatia sancti Germani a Pratis bibliothecarius, primo catalogum omnium opusculorum mss. ad Alcuinum pertinentium, quae in bibliotheca regia Parisiensi servantur; deinceps vero variantes lectiones summa diligentia inde excerptas, et quaedam anecdota ad me misit, nimirum epistolam Alcuini ad Georgium patriarcham Jerosolymitanum; et opusculum de Orthographia. Hujus viri industriae pariter debeo notitiam illarum epistolarum quas, tandiu in bibliothecis Angliae conclusas, nuper suis vinculis solvit vir illustris D. de Brequigny, cujus supra memini, et amplius memoravi in Monito praevio ad Mantissam epistolarum
@ Quod vide post Monitum in hancce editionem novam. EDIT. ubi tota detecti hujus thesauri historia ipsis hujus celeberrimi Academici verbis narratur.

[Col. 0016B] XV. Alter quoque ejusdem congregationis sodalis eruditissimus D. Jacques-Claude Vincent bibliothecarius abbatiae sancti Remigii Rhemensis ab amico mihi addictissimo D. Joanne Francisco monasterii sancti Symphoriani Metensis monacho Benedictino, historiae novae ejusdem civitatis scriptore, excitatus opem non modicam mihi tulit, conferendo opuscula Alcuini mss. in bibliotheca sancti Remigii, et altera sancti Theodorici prope Rhemos servata, quorum differentes lectiones ad me missae apprime servierunt ad veram lectionem multis locis restituendam. Cupiebam equidem simul conferri potuisse vitam beati Alcuini antiquam cum cod. mss. Rhemis quoque in bibliotheca monasterii sanctae Mariae servato, quo usus est D. Quercetanus, cujus nihilominus editio alicubi mendosa mihi videbatur. Verum idem mihi accidit quod olim D. Mabillonio, qui, ut ipse narrat in observationibus praeviis in Vitam beati Alcuini, num. 3, codicem illum aliquando visum, ac postea, ut cum editis conferri posset, perquisitum, nancisci [Col. 0016C] non potuit: etiamnum enim neque in praedicta bibliotheca, neque in ejusdem catalogo manuscriptorum hujus Vitae ullum vestigium reperitur, prout edoctus fui ex litteris amicissimi D. Caroli Lanceloti die 10 Martii 1776

ad me exaratis, cujus viri laboribus et industriae singulari monasterium nostrum sancti Emmerami in acceptis fert sacrarum linguarum et elegantioris litteraturae pleniorem eruditionem.

XVI. Grata demum mente recolenda est beneficentia reverendissimi ac dignitate simul atque multiplici eruditione illustrissimi S. R. I. principis et abbatis sancti Blasii D. Martini Gerbert. Ei in acceptis ferendum, quod nunc publicam lucem adeptae sint epistolae quaedam ad Amalarium episcopum Trevirensem et Petrum Nonantulae abbatem pertinentes. Unde etiam controversia de auctore epistolae de Caeremoniis baptismi, quam Canisius et Quercetanus Alcuini esse arbitrabantur, in luce collocata est, Sirmondique sententia pro eodem Amalario confirmata. [Col. 0016D] Neque sine laude praetereundi sunt duumviri in republica litteraria optime meriti et diffusa eruditione, quam praeclaris suis operibus probarunt, celeberrimi; nempe D. Oefelius bibliothecae electoralis Monacensis; et D. Kollarius, Caesareae Vindobonensis, custodes et cultores solertissimi. Primus excusso ditissimo suae curae concredito thesauro, quidquid usibus meis aptum reperit, mihi tradidit, ac praeterea multa laboribus meis accommodatissima consilia suggessit. Alter indicem omnium codd. mss. ad Alcuinum pertinentium in amplissima Caesarea bibliotheca servatorum mihi benevole indulsit, et posthac lectiones variantes inde extrahi, easque una cum epistola inedita ad Aquilam, quae nunc ordine 121 [Edit. nov. 161] est, ad me deferri curavit.

XVII. Haec fere sunt subsidia, quae pro explendis, augendis corrigendisque beati Alcuini Operibus ope [Col. 0017A] virorum eruditorum obtinui. Porro in reliquis commemorandis, quae ab aliis quibusdam bibliothecis ad me pervenerunt, minoris momenti, non est, cur diutius lectorem detineam. Omnium enim opusculorum, quae mihi usui fuere, mentionem semper feci in Monitis praeviis. Nunc ergo, quid in hac editione praeterea praestitum a me sit, breviter enarrandum, ad ea, compendii gratia, lectorem referendo, quae in iisdem Monitis ad singulas Partes additis, praenotavi.

XVIII. Ope nimirum codicum mss. vetustorum, imo majorem partem coaevorum ac optimae notae; opusculorum quoque quorumdam separatim editorum, quorum copiam ex variis, quas laudavi, bibliothecis habui, editionem D. Quercetani prope ubique, praeter libros adversus Felicem et Elipantum scriptos, quorum nulli vetusti codices reperiri potuerunt, correxi; multa loca corrupta suae integritati restitui; monumenta nonnulla, quae ad haec usque tempora condita delituerunt, collegi, iisque hanc meam editionem locupletavi: inter quae praeprimis memorandae [Col. 0017B] sunt epistolae ultra septuaginta, quas prioribus, ante quam illae ad me e bibliotheca Harleiana pervenissent, jam prope prelo absolutis, per modum Mantissae addere oportuit
@ [Col. 0017C] Vide Monitum editoris novi.. Reliqua anecdota et nunc primum in lucem eruta in Elencho operum statim subjiciendo compendii causa signo stellae * notavi. Porro opuscula dubiae auctoritatis, atque omnino spuria et beato Alcuino supposita a genuinis, quibus in priori editione commista fuerunt, separavi: de quibus eruditi legere non gravabuntur Monita praevia unicuique opusculo praefixa. Demum toti huic collectioni triplicem Appendicem adjungere visum est, cujus consilii rationem quoque reddidi in Monito praevio.

XIX. His omnibus prelo pene absolutis forte fortuna ad manus meas delatus est cod. ms. vetustissimus, circa medium saec. IX scriptus, repertus nuper [Col. 0017C] in bibliotheca collegii sancti Pauli hujus urbis nostrae [Col. 0018A] Ratisbonensis, cujus contenta anecdota inter addenda et supplenda dare oportuit ad calcem Operum.

XX. Curam demum meam eo direxi, ut haec editio majori lectorum commoditati servire possit. Quapropter loca quaedam per meas aliorumque notas illustrare studui: sanctorum Patrum sententias et integras nonnunquam commentationes, quas beatus Alcuinus in sua commentaria suosque tractatus retulit, ex optimis editionibus citavi; differentes ac aliquoties meliores lectiones adnotavi, et alia praestiti quae hic commemorare longum esset, et ab attento lectore in ipso opere facile deprehendi possunt.

XXI. Quod ordinem quo singula opuscula in hac collectione disposita fuerunt, concernit, diversus est ab illo quem obtinent in editione D. Qnercetani. Initium coepi ab epistolis, quas collector laudatus penultimo loco dedit, ob hanc potissimum rationem, et quod ab eruditis avidius expetantur, et quod ex illis, tanquam fonte limpidissimo, majorem partem profluxerint, quae de Vita beati Alcuini sum commentatus; [Col. 0018B] et ideo tanquam testimonia fidelissima haberi debeant illorum omnium quae ibi narrantur et critice expenduntur. Epistolas sequuntur secundum dignitatem materiarum opuscula exegetica, dogmatica, liturgica et moralia; historica seu Vitae sanctorum, poetica, grammatica, rhetorica et dialectica; illa demum, quae exstant, astronomica, de cursu et saltu lunae ac bissexto. Idem deinde ordo servatur in opusculis dubiis et supposititiis.

Et haec fere sunt quae in novissima hac Operum beati Alcuini editione pro mea tenuitate inter tot et varia officii mihi incumbentis negotia, quae totum pene hominem sola exposcunt, praestare potui: quod etiam munus impedimento fuit, ne opus, quod in statu majoris quietis coeptum fuit, citius absolveretur, aut accuratius expoliretur. Quod aequi bonique habeant [Col. 0018C] benevoli et eruditi lectores.

COMMENTATIO FROBENII DE VITA BEATI F. ALBINI SEU ALCUINI DE NOVO EX GENUINIS ACTIS ET ILLIUS SCRIPTIS CONCINNATA.

PROOEMIUM.

[Col. 0017C]

Viri eruditi, qui sanctorum Ecclesiae Patrum aliorumque veteris aevi celebrium scriptorum operibus [Col. 0017D] colligendis, aut nova editione vulgandis, operam navarunt, non tantum in illustrandis scriptis, verum etiam in ordinandis gestibus et actibus illorum, suoque tempori assignandis omnem diligentiam adhibuerunt, ut nimirum virorum sua aetate tam illustrium non tantum eruditio et doctrina, hujus nostrae aetatis hominibus ac posteris communicaretur; verum etiam illorum virtutes, quibus quondam praefulserunt, ad imitandum proponerentur. Idem consilium in hac nova beati Alcuini Operum

editione sequi nostri muneris esse credidimus. Quamvis enim vetustus quidam et prope coaetaneus scriptor anonymus Vitam beati viri ex narratione Sigulfi ejus discipuli posteris commendaverit, illius tamen narrationes, solida crisi et nonnunquam veritate destitutas esse, diu conquesti sunt eruditi. Propterea vir illustris D. Andreas Quercetanus correctiones plures illi adhibere, novamque Vitam beati Alcuini ex propriis alius scriptis et Operibus a se vulgatis, concinnare [Col. 0018C] necessum duxit; illamque suae editioni, praefationis loco, praefixit. Quae quidem industria tunc sufficere potuit ad Alcuinum nostrum ex opusculis tunc detectis [Col. 0018D] plenius cognoscendum. Nihilominus cum ex scriptis noviter nunc repertis, quae D. Quercetani notitiam fugerunt, commentationi viri hujus clarissimi novam lucem conciliari, et quae adhuc obscura remanebant, plenius elucidari posse comperimus; operam nostram, in Vita beati viri de novo concinnanda, et quaestionibus quibusdam hinc inde motis enodandis positam, haud importunam aut inutilem fore judicabunt, ut confidimus, eruditi lectores; quorum tamen rationabili desiderio, Vitam nonnunquam primaevam ac ipsius D. Quercetani commentationem inspiciendi et consulendi, deesse noluimus, sed utramque ad finem hujus nostrae elucubrationis exhibebimus.

CAPUT PRIMUM.

De beati Alcuini variis nominibus, patria, parentibus, fratribus, etc.

I. Nomen Alcuini varie in variis scriptis ac codicibus exaratum reperitur. In vetustioribus quidem et [Col. 0019A] correctioribus chartis, in epistolis maxime quas coaevo prope charactere scriptas deprehendimus, nomen suum ipse, ut conjicere licet, frequentius expressit scribendo vel *Albinus* vel *Alchuinus, vel, dum ad Davidem suum, ad Homerum, ad Damoetam,* amicos alios familiarius scribebat, *Flaccus Albinus aut Albinus Flaccus.* Reliquas igitur appellationes, quales a posterioribus scriptoribus exaratae leguntur, ut *Alboinus, Alkoinus, Alchwinus, Alquinus, etc.,* imperitiae scribentium aut durae aspirationi dictantium, credam esse attribuendas. Nimis ergo acute nonnulli hujus nominis originem per fictas prorsus derivationes et vocum compositiones inquirunt cum Heutero, qui in Etymis *Alcwin interpretatur: undique* rem facientem augentemque, a verbo *Gwin, quod apud Germanos lucrum significat.* Caeterum, *Alcuin* seu *Alchuin nomen patrium Germano-Saxonicum fuisse videtur,* quod posthac meliore et Latino vocabulo *Albinus, efferre voluit;* prout fecisse apparet in epistola ad Elipantum scripta, qui in sua Responsoria [Col. 0019B] ad nomen istud alludens insigni scommate ipsum vocat *Albinum nigredine teterrimum.*

II. Pronomen *Flaccus, quod nonnunquam ante vel postposuit, e baptismate hausisse cl.* Quercetano in praefat. num. 2 visum est. Vero tamen similius est, nomen hoc esse ascititium, quo beatus Alcuinus inter familiares, quos in artibus liberalibus ac scientiis excolendis socios habuit, uti consuevit, ex more scilicet sui temporis, de quo in epistola 184 (nunc 125) ad Gundradam, cognomento Eulaliam ita scribit: «Saepe familiaritas nominis immutationem solet facere, sicut ipse Dominus Simeonem mutavit in Petrum, et filios Zebedaei, filios nominavit tonitrui: quod etiam in antiquis vel *his novellis diebus probare poteris.*» Flaccus ergo nomen fuit Alcuino ascititium, vel ab ipso

electum; Alcuinus vero seu Alchuinus primaevum et proprium. Quapropter loco inscriptionis Operum illius, qua cl. Quercetanus, auctoritate Sixti Senensis et aliorum quorumdam deceptus, [Col. 0019C] primo, ut ipse fatetur num. 2 praefat. usus est, ponendo: *Albini Flacci Alchuini, nos ubique posuimus: Flacci Albini seu Alcuini;* in contextu vero nostro semper *Alcuinus scribimus, quod et frequentius fieri ab eruditis comperimus.* Verum in his diutius immorari operae pretium non est.

III. Sollicite vero cavendum est ne hic noster Albinus seu Alcuinus confundatur vel cum Albino abbate Cantuariensi, a ven. Beda in prologo et lib. V Hist. Angl., cap. 21, laudato, et ad quem ejusdem Bedae exstat epistola Analect. Mabillonii novae editionis pag. 398, vel cum Albino Leonis III papae cubiculario, cujus meminit Eginhardus in Annalibus ad annum 799, vel demum cum Albuino monacho Hersfeldensi. De duobus quidem posterioribus pauciores sunt, qui se in errorem hujus confusionis induci passi sunt; de priori vero Albino, cujus ven. Beda meminit, plerique paulo recentioris aetatis scriptores hallucinati sunt: et quidem Clemens Reynerus, [Col. 0019D] vir alias apprime doctus, Apostol. Benedict. in Anglia tract. I, sect. I, pag. 34 seqq., multis contendit, eumdem esse Albinum Bedae, quem vocat, discipulum et Caroli Magni magistrum; hancque ait esse communem historicorum traditionem; nec repugnare existimat aetatem Bedae et Alcuini (quam difficultatem D. Quercetanus obmovebat), quoniam, ut credebat, Alcuinus aetatem centum annorum attigit vel etiam superavit, quippe qui in epist. 38 (nunc 43), ad Carolum, se senem valde annosum esse indicat.

IV. Verum hanc Reyneri opinionem solide reprobat R. P. Michael Alfort Annal. Eccles. Britan. tom. II, ad annum 710, num. 4 et seqq., demonstrans, traditionem historicorum quae praetenditur, nec communem esse, nec talium virorum, qui vetustatis haberent sigillum, sed quorumdam mediae aetatis, qui ad pauca respicientes facile pronuntiant. Istis ergo qui putant Alcuinum Cantianum fuisse, et coenobio [Col. 0020A] sancti Augustini ibidem praefectum, nominis similitudo, et temporum aliqua vicinitas imposuit, ut scribit Harpsfeldius saec. IX, c. 14, apud eumdem Alfortum l. cit. num. 8. Et sane, si scriptores illi narrationem ven. Bedae de Albino suo accuratius expendissent, suum errorem facillime deprehendissent. Narrat enim in libri V cap. 21 Albinum jam anno 710 in regimine monasterii sancti Augustini Cantuariensis Adriano successisse: et in prologo laudat illum tanquam abbatem reverendissimum et doctissimum, non a se, sed a beatae memoriae Theodoro archiepiscopo et ab Adriano abbate in illa ecclesia Cantuariensi, ubi Beda nunquam munus docendi obivit, institutum fuisse. Insuper ven. Beda Albinum illum «sui opusculi Historiae gentis Anglorum auctorem ante omnes et adjutorem» laudat, cujus opera et consilio in illa Historia concinnanda se usum fuisse profitetur. Quae omnia profecto Alcuino nostro convenire haud posse, quisque vel parum attentus facile perspiciet. Consule, si placet, quae contra Reynerum [Col. 0020B] solide disputat Alfortus l. cit. Inferius pariter monstrabimus, beatum Alcuinum nunquam fuisse ven. Bedae discipulum. Anastasius Bibliothecarius in Vita Adriani I papae mentionem facit cujusdam *Albini,* quem vocat regis Caroli *deliciosum, qui cum Georgio episcopo et Gulfardo abbate missus sit a rege bellum Longobardicum suscepturo ad sedem apostolicam anno 773.* Verum hic Albinus deliciosus alius est ab Alcuino nostro, qui illo anno Eboraci adhucdum residens, necdum in Galliam transmigraverat. Vocatur tamen et ipse noster Alcuinus deliciosus regis Caroli a

Sigeberto Gemlacensi, Trithemio et aliis, quorum testimonia suo loco inferius afferemus. Vide Mabil. libr. XXIV Annal., num. 45, pag. 226.

V. De hujus ergo nostri Flacci Albini seu Alcuini nunc patria et parentibus paucis, quantum ex certis monumentis elicere potuimus, disseramus. Illum in Scoticis Britanniae partibus natum fuisse quidam [Col. 0020C] Scotiae historici existimarunt, inter hos Buchananus, lib. V Hist., non a familia, sed a gente Scotorum, qui se Albinos sua lingua vocant, nomen suum traxisse contendit. Alios quoque, ut hic D. Quercetanus notavit, reperire est qui illum in comitatu Midlesexiae, non procul a Londino oriundum dixerunt. Verum nihil est quod in unius alteriusve partis patrocinium ex monumentis vetustatis possit adduci: illorum ergo scriptorum sententia unice probanda est, qui beatum Alcuinum ex proprio ipsius testimonio Eboraci in Northumbriae regno natum fuisse affirmant; ita enim ipsemet scribit in epist. 5 (nunc 6), ad Eboracenses: «Vos fragiles *infantiae meae annos materno fovistis affectu;* et lascivum *pueritiae tempus pia sustinuistis patientia,* et paternae castigationis disciplinis ad perfectam *viri edocuistis aetatem.*» Enimvero an non ibi natus censeatur, ubi non tantum in *virum* excrevit, sed et *pueritiam,* imo et *infantiam exegit? sed crebra forte,* quam beatus Alcuinus [Col. 0020D] in suis epistolis facit, Nordanhumbrorum mentio, qui regiones Scoticas usque ad Edinburgi fretum possidebant, praedictis scriptoribus rerum Scoticarum ansam dedit, inquit D. Quercetanus, ut in Scotia procreatum eum suspicarentur. Legi quoque de hac quaestione meretur Richardus Smitheus Florum Hist. eccles. Anglorum libro II, cap. 12, sect. 3, num. 2.

VI. Non eadem certitudine constat quo genere beatus Alcuinus, aut quibus parentibus fuerit oriundus: quod quidem ipsemet ferme tacuit, et nullus actuum illius aut Vitae scriptorum prodidit. Auctor Vitae ejus initio cap. 1, *nobili* illum *gentis Anglorum prosapia exortum asserit.* Et rursum num. 7 ejusdem cap. indicat, tyrones scholae Eboracensis, inter quos et Alcuinus numerabatur, e classe nobilium fuisse: *erat, inquit Ecgberto praesuli,* cujus disciplinae puer quoque Alcuinus traditus fuerat, *ex nobilium filiis grex scholasticorum.* Haec generis beati Alcuini nobilitas [Col. 0021A] inde maxime elucet, quod stirpi sancti Wiligis, patris sancti Willibrordi cognatione junctus fuerit, ac eo titulo cellam maritimam a sancto Wiligiso in promontoriis, mari Oceano et Humbri fluvio vicinis, constructam, ac deinceps a posteris suis possessam, ipse *legitima* (haereditaria, ut interpretor) successione obtinuerit, prout ipse testatur in epist. ad Beornradum, Vitae sancti Willibrordi in hac editione praefixa, et cap. 1 Vitae ejusdem. Porro de nobilitate generis sanctorum Wiligisi et Willibrordi Alcuinus in elegia, Vitae hujus sancti apposita, seu cap. 33, et de sancto Willibrordo ita canit:

Nobilis iste fuit *magna de gente sacerdos.* De sancto Wiligiso vero:

Vir fuit in populo dignus, cognomine Wilgis,
In Transhumbrana *nobile gente degens.*

Hinc B. Alcuinus Carolo Magno ipsum sub spe amplae mercedis vocanti respondit: *Libenter etiam* [Col. 0021B] paterna in regione mea non modica haereditate ditatus, hac spreta, tibi ut prodessem, hic pauper stare delector. Vitae cap. 2, num. 12.

VII. Et haec quidem pauca, nec plura de beati Alcuini genere; de parentum vero ejus nomine ac conditione nihil nobis aetas indulsit. Fratres tamen et sorores in Anglia habuit, quod ipse satis aperte indicat in epist. 102 (nunc 130), ad Aquilam, in qua huic intimo suo amico singularem, quo ipsum amplectebatur, amorem significans scribit: «Credas velim, Pater dulcissime, quod non tanta suavitate fratrum vel sororum litterulas legere potui ultramarinas, quanta tuae dilectionis transalpinas: nec tale post eos taedium fatigat cor meum, quale post tuae faciei visionem amabilem.» Inter fratres porro illius germanos an censendus sit idem Aquila seu Arno, episcopus primum ac deinde primus archiepiscopus Salisburgensis, quocum beatus Alcuinus per frequentes epistolas omnia sui pectoris arcana communicavit, non concordant scriptores. Viri quidam [Col. 0021C] celebres, Mabillonius, lib. XXIII Annal., pag. 87; et in Elogio hist. ad Vit. beati Alcuini, cap. 1, num. 3; Rivet., Hist Lit. Franc., tom. IV, pag. 296; Ceillier, *Hist.* Gén. des auteurs sacrés, tom. XVIII; Quercetanus in praefat., cap. 1, num 1, D. Catelinot in ms., nihil haesitantes pronuntiant, beatum Alcuinum Arnonis ejusdem fratrem germanum fuisse. Unicum pene, quo illi ad id asserendum moventur, argumentum, ducitur ex epistola 86 (nunc 91), quae inscribitur: *Charissimo germano meo Aquilae antistiti Albinus salutem, et ex epist.* 78 (nunc 83), ad fratres Juvavenses, ubi Aquilam illorum quidem patrem et pastorem, suum vero germanum vocat: «olim, inquit, pio Patri Aquilae pontifici, germano meo, pastori vestro, etc.» Huic nihilominus opinioni contradicunt alii pariter celebres scriptores, Cointius, Pagius, Hansizius et alii, qui vocabula illa fratris ac germani non de sanguinis, sed de animorum conjunctione accipienda esse recte judicant. [Col. 0021D] Legenti enim epistolas Alcuini ad Aquilam, ait Hansizius Germ. Sacrae tom. II, pag. 102, num. 12, satis apparet Alcuinum de industria collegisse titulos omnes exprimendae sincerissimae charitatis et amicitiae qua in Arnonem tanquam alter Pylades ferebatur, quas amoris significationes supervacaneum sane erat fratri consanguineo toties ingerere. Praeterea haud vero simile est, prout D. Mabillonio videbatur, Arnonem in Britannia, quae Alcuini patria fuit, natum; sed potius Saxonem vel Bojum fuisse, et adolevisse in gremio ecclesiae Frisingensis, ut idem vir cl. D. Hansizius argumentis haud contemnendis contendit ibidem, num. 1 et seqq. Committere haud possum quin hujus aliorumque doctorum virorum judicio meum quoque adjungam, cui ex sequentibus insuper rationibus robur addi posse existimo. Etenim in epistolis 76 (nunc 91) et 92 (nunc 108) Alcuinus ipsemet sat aperte declarat quo sensu Aquilam fratrem suum appellet, charitate nimirum, non consanguinitate. [Col. 0022A] In priori enim exoptat ut verba salutationis in chartula per manus currentis viatoris citius veniant ad «filium charitatis meae, qui est pater meritis, frater charitate, filius aetate.» In posteriore quoque Aquilam rogat, ut ne velit oblivisci «patrem senio, filium meritis, fratrem charitate.» Et initio epist. 115 (nunc 154) explicare videtur se potius fideli familiarique consuetudine quam nativa germanitate suo Aquilae conjunctum esse, ait enim: «Solet charitas olim germanitate fideli compacta novis saepius litteris reformari, ut firma agnoscatur in fide, quae est dulcis in consuetudine.» Similiter epistolam 177 (nunc 118) *dilectissimo filio Aquilae inscriptam ita incipit:* «Scio te patrem esse dignitate et meritis, sed ex charitatis dulcedine (filii) tibi nomen imposui, quia nihil debet patri charius esse, quam filius.» In his omnibus plane nihil apparet unde concludi possit beatum Alcuinum Aquilam suum agnovisse fratrem consanguineum, sed semper [Col. 0022B] illum eo affectu appellasse fratrem, quo filium, nimirum ex dulcedine charitatis. Imo ex verbis epist. 102 (nunc 130) paulo ante citatis

potius intelligitur Aquilam a beato Alcuino in fratrum numero non computari; ibi siquidem contestatur *Aquilae dulcissimo Patri quod magis illius epistolis delectetur, quam iis quas a fratribus ac sororibus suis in Britannia relictis acciperet.* Si aeque illum fratrem naturalem habuisset, alio certe stylo usus fuisset, ex quo intelligi possit se Aquilam fratrem inter alios fratres habere chariorem. Si vero cuipiam placuerit, haec ipsa epistolae 102 verba interpretari de fratribus ac sororibus non naturalibus, sed affectu dilectionis ita vocatis, non repugnabo: hoc ipso etenim innotescet, quo sensu beatus Alcuinus alios quoque amicos, et maxime Aquilam suum appellare fratres consueverit.

VIII. Cognitis jam iis quae de patria, parentibus ac fratribus beati Alcuini ex citatis documentis elicere licuit, nullam diligentiam intermisimus, qua [Col. 0022C] vel ex vita ejus primaeva, vel ex Alcuini ipsius scriptis, vel ex aliis vetustis monumentis tempus aut annus nativitatis illius erui ac determinari possit; verum nullibi certi quidpiam ad hoc praestandum subvenit. Celebriores nostrae aetatis scriptores in eo fere conveniunt, beatum Alcuinum ante obitum Ven. Bedae, hoc est, ante annum 735 vix natum fuisse. Mabill. lib. XXI Annal., num. 17, pag. 94, et lib. XXIII, num. 37, pag. 187; Rivet. Hist. Lit. Franc. tom. IV, pag. 295; Ceillier Hist. Gén. des auteurs sacrés, tom. XVIII, pag. 248. Illi ergo annum nativitatis beati Alcuini circa annum 735, quo, ut paulo inferius patebit, Ven. Beda obiit, constituunt; quorum calculum et nos vel idcirco sequimur, quod is cum reliquis actis vitae suae optime conveniat et in nullo dissentiat.

CAPUT II.

Beati Alcuini educatio et magistri.

[Col. 0022D] IX. Beatum Alcuinum Eboraci ut natum, ita et educatum fuisse supra cap. 1, num. 5, ostendimus. Exactis prope in monasterio ibidem annis pueritiae, haustisque primis scientiarum elementis, cum jam psalmorum lectionem memoriter teneret, traditur disciplinae Hechberti seu Egberti illius sedis archiepiscopi, fortioribus jam scientiarum ac pietatis cibis alendus, ut scribit Vitae ejus auctor cap. 1, num. 7. Successerat praesul ille religiosissimus Wilfrido juniori solitudinem petenti in cathedra Eboracensi non anno 735, ut Alfortus ad hunc annum, num. 18, et ad annum 738 num. 1, contendit, sed anno 732, prout testatur vetus scriptor, qui post Bedam historiam Anglorum continuavit et ad hunc annum, quo Cymbertus Lindisfarorum episcopus obiit, etiam ordinationem Ecgberti retulit. Constat porro ex ipso Alcuino in poemate de episcopis Eboracensibus Ecgbertum sedem Eboracensem tenuisse annis triginta quatuor:

[Col. 0023A] Rexit hic ecclesiam triginta et quatuor annis. Ex consensu vero auctorum indubium est, ut ipsemet Alfortus fatetur, Ecgertum obiisse anno 766. Ab hoc anno si illos 34 subtraxeris, remanet annus 732 initi regiminis episcopalis. Hic episcopus Ecgbertus, quem Malmesburiensis omnium artium liberalium armarium vocat, in monasterio suo scholam constituit filiorum nobilium, quorum alii artis grammaticae rudimentis, alii disciplinarum liberalium studiis, alii divinarum Scripturarum scientia instruebantur. Hos omnes condiscipulos suos Alcuinus litterarum ac pietatis studio anteibat; suo vero magistro cum tanta confidentia et fidelitate adhaerebat, ut nihil

ageret quod magistri auctoritas non probasset: adeo ut arcana quoque cordis sui, imo et stimulos libidinis, quibus aliquando impetebatur, eidem aperire non erubesceret, non ignarus illius quod sanctissimus monachorum legislator Benedictus cap. 8 suae regulae suis sectatoribus praescripsit, [Col. 0023B] «ut malas cogitationes cordi suo advenientes abbati non celent suo.» Quod sane praesentissimum remedium est pro domandis tentationibus illis periculosissimis.

X. Ecgberto anno 766 XIII Kal. Decembris mortuo Alcuinus «divino munere Elcbertum seu Aelbertum virum beatum et clarum loco amissi magistrum accepit,» ut scribit auctor Vitae cap. 2, num. 9, quod non ita intelligendum esse censeo, quasi Aelbertus ille modus docendi in schola Eboracensi non obtinuerit vivente adhuc Ecgberto, sed primum post illius obitum. Illum enim magistrum scholae Eboracensis ab Ecgberto adhuc in vivis agente rectorem constitutum fuisse ipse Alcuinus testatur in poemate de Pont. Eborac., ubi postquam narravit Aelbertum, jam sacerdotem ordinatum, suo pontifici semper individuum comitem adhaesisse, addit:

A quo defensor clero decernitur omni, Et simul Euborica praefertur in urbe magister. [Col. 0023C] Quamvis ergo Ecgbertus apostolico zelo ductus nunquam a munere docendi pueros et adolescentes cessaverit, praecipuam tamen scholarum curam, sollicitudine suae ecclesiae plurimum impeditus, Aelberto demandavit, cui etiam maxime tanquam proprio ac praecipuo suo magistro, Alcuinus omnem pene suum in litteris profectum in eodem poemate refert acceptum. Hinc illum a sapientia, doctrina et munere docendi unice depraedicat, ostendens quas ante adeptum episcopatum varii generis disciplinas docuerit; quod exteras etiam regiones adierit:

Sophiae deductus amore; Si quid forte novi librorum seu studiorum Quod secum ferret, terris reperiret in illis. In hac peregrinatione litteraria Aelbertus, opinor, Alcuinum adolescentem comitem habuit; de hac enim interpretor initium epistolae 222 (nunc 53), ubi ait, se olim magistri sui vestigia secutum apud Corbeienses [*An Morbacenses?*] divertisse, illiusque [Col. 0023D] congregationis laudabilem conversationem vidisse et amasse. Vid. notas ad eamdem epistolam. Narrat praeterea Alcuinus in cit. loc. quod Aelbertus ex illo itinere rediens pastoralem quidem curam sumere compulsus sit, nihil tamen in illo munere a studio legendi ac docendi remiserit:

Sed neque decrevit, curarum pondera propter, Scripturas fervens industria prisca legendi, Factus utrumque, sagax doctor, pius atque sacerdo. Demum narrat quod idem Aelbertus praesul plenus dierum ac meritorum ante obitum suum Eanbaldo condiscipulo suo pontificale decus, sibi vero librorum gazas, seu bibliothecae optimis libris refertae curam ipsumque scholae regimen tradiderit. De quo redibit sermo infra cap. 4.

XI. Quoniam de magistris beati Alcuini sermonem coepimus, inquirere porro baud supervacaneum, imo necesse erit, num iis quoque Ven. Beda sit accensendus? quod quidem scriptores anterioris aetatis [Col. 0024A] pene omnes veluti indubitatum supponunt, recentiores vero omnia ad severiorem crisin vocantes refutant, et gravibus rationibus demonstrant Ven. Bedam obiisse prope annum 735 quo beatum Alcuinum vix natum, aut certe disciplinis severioribus minus aptum adhuc fuisse credunt. Certe puer erat

cum primo traditus fuit disciplinae Ecgberti archiepiscopi Eboracensis anno 732, ut paulo ante diximus, ordinati. Obiit vero Ven. Beda primis annis episcopatus ejusdem antistitis, uti constat ex ipsius Alcuini testimonio in fine hujus cap. referendo: nimirum anno 735 triennio post Ecgberti ordinationem, quando Alcuinus lucem vix aspexisse creditur, aut certe, ut primum diximus, puer erat.

XII. Verumenimvero de aetate Ven. Bedae longe aliter sentit celebris scriptor Franciscus Chiffletius in dissertatione, quam novae suae editioni Hist. Eccles. Gentis Anglorum a Ven. Beda compilatae praemisit, ubi pluribus argumentis evincere conatur, vir doctus, Ven. Bedam vitam suam usque ad annum [Col. 0024B] 762 produxisse, ac demum nonagenarium obiisse, ut vitae Alcuini scriptor testatur. Quod si verum sit, tunc sane aetas haud repugnaret, quin Alcuinus potuerit esse Bedae discipulus; eo siquidem anno 762, ipse prope triginta annos aetatis numerasset. Haec ergo Chiffletii singularis sententia absque discussione praeteriri nequit.

XIII. Praecipuum et pene unicum quo haec illius sententia niti videtur fundamentum structum est super testimonio, quod nullam, ut ipse putabat, patitur exceptionem, testis nimirum oculati, qui viro beato in extremis constituto astitit, Cuthberti scilicet ejus discipuli, cujus exstat de transitu Ven. Bedae epistola ad Cuthwinum, edita saepius, et apud Mabillonium Act. SS. saec. III Ben., part. I, pag. 537, et emendatior, ut praetenditur, a Chiffletio cit. opere, cap. 2 dissertationis, pag. 11. Argumentum suum Chiffletius ita instruit cap. 1, p. 4: «Cuthbertus diserte ait Bedam beatam animam exhalasse *quarta* [Col. 0024C] feria ad vesperam, septimo Kal. Junii, sive die mensis Maii 26 accurate. Fuit enim anno Christi 762 Pascha 18 Aprilis, Ascensio Maii 27. Quod ergo praemiserat Cuthbertus, vitam duxisse usque ad diem Ascensionis Dominicae, exclusive intelligendus est, vel accipiendus de die ecclesiastico Ascensionis, qui a primis vesperis, adeoque a feria quarta exeunte incipiebat.» Ita Chiffletius. Ast nescio qua subreptione deceptus vir doctus asserere potuerit Cuthbertum diserte dixisse: *Bedam beatam animam exhalasse* quarta feria ad vesperam, VII *Kalendas Junii.* Feriam quartam enim illo Kalendarum Junii die accidisse, in Cuthberti epistola minime legimus; sed sat aperte ibi dicitur, festum ipsum Ascensionis illo die, VII Kal. Junii, celebratum fuisse. Postquam enim Cuthbertus circa epistolae initium narravit Bedam duabus fere ante Resurrectionis festum hebdomadis morbo correptum vitam duxisse *usque ad diem Ascensionis, id est, septima Kal.* Junii (ita enim ibi verba nectit) [Col. 0024D] post longius intervallum narrat, quod *feria quarta a mane usque ad vesperam diem duxerit,* ac demum decantans *Gloria Patri, etc.,* spiritum e corpore ultimum exhalaverit. Haec profecto narratio sensum quem D. Chiffletius comminiscitur haud insinuat, nimirum Ven. Bedam animam exhalasse *feria quarta ad vesperam* VII *Kal.* Junii; sed hunc unice, ut textus habet, *vitam duxisse usque ad diem Ascensionis Dominicae, id est, septimam Kal.* Junii. Quod idem plane sonat, ac si dixisset: Vitam duxit usque ad diem Ascensionis, id est, usque ad VII Kal. Junii, ita nimirum, ut ex mente Cuthberti eadem fuerit dies septima Kal. Junii et dies Ascensionis Dominicae. Testimonium igitur Cuthberti, in quo D. Chiffletius maximum suae sententiae praesidium collocabat, illi potius refragatur, quia dies Ascensionis ex computi legibus non anno 762, sed anno 735 in diem 26 Maii, hoc est, VII Kal. Junii, incurrit.

XIV. Cum igitur praecipuum argumentum, quo cl. [Col. 0025A] Chiffletius obitum Ven. Bedae ad annum 762 usque producere voluit, illius intentioni minime faveat, sed ex illo Cuthberti testimonio potius relatio auctoris Chronologiae Hist. Gent. Angl. adjectae, Simeonis quoque Dunelmensis seu Turgoti libr. II de Dunelm. eccles. cap. 4. Stubesii Dominicani in Act. Pont. Eborac. atque virorum doctissimorum, Pagii Mabillonii aliorumque recentiorum criticorum sententia, qua obitus Bedae in anno Christi 735 statuitur, confirmetur; reliqua argumenta, quibus D. Chiffletius ex testimonio scriptoris Vitae Alcuini, ex Carthusianorum Coloniensium additione ad Martyrologium, ex epitaphio Bedae a Wione Ligni Vitae libr. V, cap. 101 relato, ac demum ex epistolis quibusdam Lulli archiepiscopi Moguntini, Bedam nonagenarium obiisse probare contendit, omne ad id persuadendum pondus amittunt. Nam additiones illae Carthusianorum Coloniensium ad Usuardi Martyrologium recentiores sunt quam ut fidem contra tot alia antiquiora testimonia facere queant, ut pote factae ac editae primum anno [Col. 0025B] 1521, ut ipsemet Chiffletius fatetur. Similiter recentius est epitaphium illud apud Wionem, in quo legitur incomptus hic versus:

Annos in hac vita ter duxit vitae triginta, quodque sacris reliquiis Bedae inditum fuisse monet Wion, postquam e Girvo, ubi primum sepultae jacebant, Dunelmum translatae fuere circa annum millesimum, trecentis prope annis post ven. viri obitum: nihil vero ejusmodi legitur in altero epitaphio, quod ex cod. Thuanaeo edidit Mabill. ad Vitam Ven. Bedae, pag. 539. Vide etiam Acta SS. Antverpiensia ad diem 27 Maii, not. e. Occasionem erroris de Bedae aetate nonaginta annorum abs dubio praebuit scriptor Vitae beati Alcuini, quem etiam pro sua opinione D. Chiffletius adhibuit, scribens cap 1, num. 7 Bedam *nonagenarium ad Dominum migrasse.* Verum scriptor ille sat clare significat, se de ea re nihil certi habere, [Col. 0025C] sed ex quorumdam narratione id accepisse ait; non ergo a Sigulfo Alcuini discipulo ac socio, a quo reliqua beati Alcuini acta didicerat, eam quoque notitiam de aetate et obitu Ven. Bedae hausit, sed ab aliis quibusdam, quorum fidei id dubius reliquit. Similem fabulam ex aliorum relatione idem scriptor ibi subjunxit de tempore quod Beda in scribendis libris suis insumpsit: «Decimo nono aetatis suae anno, inquit, levita, trigesimo vero sacerdos efficitur, a quo tempore, quae ante per triginta annos didicerat Ecclesiae profutura usque quinquagesimo nono, cum sudore non inerti, dignis memoria libris inserere proprio stylo studuit. Per alios autem triginta annos, ferunt ea, quae scripserat, correxisse.» Figmentum! evilescit sane penitus hoc praefati scriptoris testimonium, dum ibidem scribit, Bedam anno 731, die Ascensionis Dominicae, VII Kal. Junii obiisse, et nonagenarium ad Dominum migrasse, ubi scriptor ille multipliciter allucinatur. Quomodo enim scribitur (verbis utor [Col. 0025D] ipsius D. Chiffletii l. cit. pag. 6) Beda obiisse anno Christi 731 nonagenarius, qui anno eodem testatur, fuisse se annorum non amplius quinquaginta novem? Aut quomodo dici potest, obiisse Beda anno 731, die Ascensionis Dominicae, et VII Kal. Junii, cum ex veteris computi regulis certissimum sit, illo anno 731 Ascensionem Domini non VII Kal. Junii, sed VI Idus Maii evenisse? Allucinationem quidem istam D. Chiffletius non auctoris, sed librarii vitio tribuendam, et idcirco loco 731 legendum existimat 762 prout ipsum auctorem scripsisse non dubitat. Verum quis non palpet hanc Chiffletii conjecturam, nullo adhibito idoneo argumento, ex praecepta semel opinione manasse. Testimonium ergo scriptoris Vitae beati Alcuini tam evidenter allucinantis pro confirmatione opinionis Chiffletianae ineptum et inidoneum est.

XV. Demum haud majoris ponderis est argumentum quod D. Chiffletius ex quibusdam epistolis beati [Col. 0026A] Lulli archiepiscopi Moguntini, quae inter Bonifacianas tom. XIII, Bibl. Patrum ex editione Nicolai Serrarii recensentur, instruit, ex quibus vir doctus evincere contendit, Ven. Bedam non nisi post martyrium sancti Bonifacii e vita migrasse, atque adeo ultra annum 755 in vivis egisse et nonagenarium obiisse. Ita vero ipse loc. cit. pag. 6 et 7 ex epistolis 89, 95, 111 et 150 ratiocinatur: «Epistola 150, in qua Beda *nuper in Ecclesia fulsisse dicitur, male sancto Bonifacio Moguntino in editis ascripta est, cum vere sit Lulli ejus successoris, quod gemina ratione sic ostendo:* prior petitur ex tribus epistolis supra memoratis. Per primam petierat Lullus a Cuthberto omnia Bedae opuscula, e quibus cum pauca obtinuisset, quorum mentio in epistolis 89 et 95, supererat, ut reliqua quae sibi deerant postularet, hoc vero facit epistola illa 150. Altera ratio est quod constet Bedam Bonifacio fuisse superstitem; etenim Bonifacius glorioso martyrio vitam sibi in coelum stravit [Col. 0026B] anno Christi 755. Porro Lullus post Bonifacium jam episcopus misit pallam holosericam ad cohonestandas Bedae recens exstincti reliquias: ejusdem ergo Lulli est epistola illa ad Cuthbertum abbatem, quae est in collectione centesima quinquagesima, in qua Bedae *nuper in Ecclesia lucentis, adeoque tunc vita jam perfuncti, mentionem facit.*» His praemissis ita concludit Chiffletius: «Cum igitur ex his liquido appareat Bedam in vivis fuisse ultra annum Christi 755, examussim aetas ejus nonagenaria quam ex ejus epitaphio aliisque argumentis astruximus, obitum ejus defigit anno 762 qui fuit Lulli post Bonifacium sedentis septimus.»

XVI. Mirum certe est Chiffletium ex rationibus levissimis et pene nullis epistolam 150 collectionis illius, sancto Bonifacio abjudicare, et beato Lullo vindicare voluisse. Prior quidem ratio probat Lullum ita scribere potuisse, uti scripsit auctor epistolae 150, non vero probat Lullum, et non Bonifacium, ita revera scripsisse. Altera ratio est aperta petitio principii. [Col. 0026C] Lullum enim esse epistolae 150 auctorem inde concluditur, quod ipse jam episcopus post sanctum Bonifacium anno 755 martyrio coronatum, illam scripserit, et cum illa miserit pallam holosericam ad cohonestandas Bedae recens exstincti reliquias. Imo Bonifacium Bedae fuisse superstitem ex aliis certe genuinis ejusdem epistolis, in collectione illa saepius memorata 8 et 9, evincitur. In prima siquidem vir sanctus petit ab Egberto archiepiscopo Eboracensi ut sibi ex opusculis Bedae aliquos tractatus conscribere et dirigere dignetur, «quem, inquit, nuper, ut audivimus, divina gratia in vestra provincia fulgere concessit.» In epistola 9 ab Huetberto abbate similiter «rogat, ut aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris Scripturarum Bedan monachi, quem nuper in domo Dei, inquit, apud vos . . . fulsisse audivimus conscripta nobis transmittere dignemini.» Sicut ergo Chiffletius ex verbis epistolae 150, quibus mentio fit Bedae *nuper in Ecclesia lucentis, infert ipsum tunc vita jam defunctum,* [Col. 0026D] ita ex simili mentione, quam facit sanctus Bonifacius in epistolis 8 et 9 recte infertur, Bedam ante martyrium sancti Bonifacii, atque adeo ante annum 755 obiisse: et cum sanctus Bonifacius in praefatis epistolis eodem stylo utatur, quo utitur auctor epistolae centesimae quinquagesimae, nulla causa subest cur haec, de cujus auctore nemo ante D. Chiffletium dubitavit, eidem sancto Germanorum apostolo abjudicetur. Advertendum vero hic esse moneo, epistolam 150 praefatae collectionis, quam Serrarius tanquam ineditam ex Baronio tom. IX Annal. pag. 96 descripsit, non differre ab epist. 9 ejusdem collectionis, sed unam eamdemque esse cum illa, cum hac

solum differentia, quod ubi in priori, nempe 150, legitur: «Rogamus, ut reliqua, etc.» in posteriori nempe 9 legatur: «Rogamus ut aliqua, etc.;» et ubi in ista legitur: «Et si vobis laboriosum non sit, ut cloccam unam transmittatis,» in illa legatur: «ut eorum unum (apud Baronium, partem unam) nobis [Col. 0027A] grande solatium peregrinationis nostrae transmittatis.»

XVII. His quae hucusque adversus D. Chiffletium disputavimus robur accedit insuperabile ex testimonio ipsius Alcuini, qui in Poemate de Pontif. Eborac. scribit Bedam obiisse primis annis episcopatus Egberti illius Ecclesiae archiepiscopi. Ita ibi canit:

Temporibus primis praefati praesulis almi, Presbyter eximius meritis cognomine Beda. Astra petens clausit praesentis lumina vitae. Egbertus, ut supra monstravimus cathedram Eboracensem conscendit anno 732, obiit vero anno 766; Bedae ergo vita attingere non potuit, ut Chiffletio visum est, annum 762, qui non ad primos, sed ad ultimos annos episcopatus Egberti pertinet.

XVIII. Verum longior singularis illius sententiae D. Chiffletii discussio supervacanea fortassis, et ab hoc loco extranea cuiquam videri possit; illam tamen ob ipsam illius singularitatem praeterire non potuimus, [Col. 0027B] ut jam nihil dubii relinquatur beatum Alcuinum circa annum 735 Ven. Bedae, jam anno eodem defuncti, discipulum esse non potuisse.

CAPUT III.

Beati Alcuini professio monastica ex observationibus D. Mabillonii

XIX. Postquam in prioribus capitibus ostensum fuit, beatum Alcuinum in ecclesia Eboracensi sub magisterio Egberti et Aelberti ab infantia educatum, nutritum, ac virtutibus scientiisque excultum fuisse, hoc loco incongruum haud videbitur inquirere, quodnam ibi genus vitae, canonicorum videlicet seu clericorum, an monachorum professus fuerit. Et hoc quidem argumentum Mabillonius a nemine suo tempore tractatum invenit, licet scriptores quidam, praesertim Benedictini, virum beatum suis accenserent, nonnullis recentioribus contradicentibus. Quapropter vir ille celeberrimus et in similibus rebus tractandis [Col. 0027C] exercitatissimus, id argumenti in elogio ad Vitam beati Alcuini accuratius tractandum sibi sumpsit, atque utriusque partis rationes, non quae hactenus prolatae sint, sed quae proferri possint, bona fide in medium adduxit, quas hoc loco in compendium contractas exhibere lectoribus gratius fore duximus, quam si easdem cum omni sua prolixitate, vel nostras, in materia a viro illo celeberrimo pene exhausta, obtrudere voluissemus. Pauca nihilominus, quae firmandae D. Mabillonii sententiae apta fore credidimus, nonnunquam immiscere placuit.

XX. Primo loco Mabillonius invicte probat, Alcuinum in ecclesia Eboracensi non solum educatum, verum etiam illi tanquam membrum incardinatum et astrictum fuisse; quod nemo non concedet, qui epistolas Eboracensibus fratribus ab ipso scriptas perlegerit. In epistola enim alias 7 (nunc 6) illius ecclesiae filium se profitetur, non tantum ob gratiam

educationis aut subjectionis (quo nomine omnes [Col. 0027D] Christiani matris Ecclesiae filii dici possunt) sed adoptionis causa, qua illorum congregationi tanquam membrum et ejusdem ovilis, domus, familiaeque particeps aggregari meruit. In illa communitate continuo vitam duxit, ad illam quandoque peregrinatus obedientia tractus reversus est; ibi bibliothecae custos, ibi scholae moderator fuit, quod officium in communitatibus religiosis extraneis, si domestici ad hoc idonei reperiuntur, rarius committi solet. Inde venit quod Alcuinus, mortuo Eanbaldo seniore archiepiscopo Eboracensi, dum ipse in Gallia versabatur, ad electionem novi praesulis vocatus fuerit: ad quam quo minus accedere potuerit, febrium acerbitatem et tardationem regis in Saxonia impedimento fuisse scribit in epist. 48 et 49 (nunc 54 et 55).

XXI. Haec cum ita se habebant, dubitari jam minime potest quin beatus Alcuinus institutum illud, quod in illa ecclesia et communitate tunc vigebat, professus sit. Institutum vero illud *primo monasticum* [Col. 0028A] fuit. Nam Ven. Beda in epist. ad Egbertum antistitem, Eboracensem congregationem *monasterium vocat:* ibi servabatur *regularis vitae disciplina.* In epistola enim 5 (nunc 6) Alcuinus fratres Eboracenses ad illius observantiam adhortatur: «Regularis, inquit, vitae vos ordinet disciplina.» Quibus verbis ipse monasticam disciplinam intelligit; addit enim: «et ecclesiasticae pietatis moderatio venerabiles efficiat:» ubi differentiam regularis ab ecclesiastica seu clericali disciplina insinuat, et ad utramque hortatur, quia utramque illi fratres profitebantur. Ibi similiter eos, uti alios monachos in aliis epistolis, hortatur ad humilitatem et obedientiam, quae sunt virtutes monachis propriae et monasticae vitae fundamentum. Porro in poemate de Episcopis Eboracensibus Wilfridum juniorem, antequam episcopus ordinatus fuisset, Euboricae *vicedomnum et abbatem fuisse ait, quia nimirum in ecclesiis cathedralibus monachorum, praeter episcopum erat etiam abbas,* qui regularis [Col. 0028B] vitae maxime curam gerebat. Ibidem Aelbertus, Wilfridi post Ecgbertum successor in *monasterio* (nempe Eboracensi) a puerilibus annis traditus, et post exactos annos decem pontificatus eadem monasterii septa, ut Deo soli serviret, repetiisse perhibetur. Demum sanctus Liudgerus Eboraci, Alcuino praeceptore, *in monasterio monachorum eruditus fuisse memoratur in anonymi libello de Vita sancti Liudgeri apud Mab.* Act. SS. saec. IV Bened. part. I, pag. 37, cap. 5. Ergo in Eboracensi congregatione monasticum institutum tunc viguit; et quidem *secundo Benedictinorum.* Nam sanctus Wilfridus I archiepiscopus Eboracensis in sua dioecesi regulam sancti Benedicti invexisse, et ejus ope instituta ecclesiarum meliorasse perhibetur ab Eddio Stephano apud Mabill. ibidem in Vita sancti Wilfridi cap. 14, quem locum idem Mabill. egregie illustrat ibi in observ. praev. num. 10 et 11, pag. 673. Quid, quod Joan. diaconus in Vita sancti Gregorii Magni, lib. IV, cap. 82 testetur, quod «tunc vix poterat in illis partibus [Col. 0028C] monachus aliquis inveniri, a quo non observaretur tam in proposito quam in habitu regula sancti Benedicti. His ratiociniis D. Mabillonii aliud addere liceat ex epist. 58 (nunc 73) ad Calvinum presbyterum, ex qua intelligitur, illum fuisse membrum ecclesiae Eboracensis, concurrens ad electionem episcopi illius sedis; et illum cum monachis in cella sancti Stephani monachum vixisse, ibi enim Alcuinus Calvinum adhortatur, ut praeter virtutes alias, etiam discretioni studeat, «quae, inquit, inter monachos mater virtutum esse dicitur,» nempe in regula sancti Benedicti cap. 64.

XXII. *Repones.* Sigulfum et Fridugisum Alcuini discipulos et in schola ecclesiae Eboracensis educatos, habitu canonico usos fuisse. Respondet D. Mabillonius, 1o non tamen de illis constare vere Eboracensi ecclesiae incardinatos fuisse, sicut id constat de Alcuino; 2o forsan in illa ecclesia fuit congregatio mista ex canonicis seu clericis et monachis; 3o forte [Col. 0028D] ibi clerici, etsi utentes veste canonica, vitam vixere monasticam, ut de ecclesia Bremensi scribit Adamus.

XXIII. Alterum argumentum pro monachatu beati Alcuini inde accipitur, quod is a Carolo Magno delectus sit abbas ad corrigendos mores Turonensium monachorum; ad quod opus nunquam adhibiti aut apti visi sunt abbates saeculares, uti videre est in privilegio Corbeiensibus a Nicolao papa I concesso, et in concilio Trosleiano, cap. 3.

XXIV. Tertium argumentum desumitur ex zelo et sollicitudine promovendi monasticam disciplinam, quam adhibuit beatus Alcuinus, uti testantur plurimae ipsius epistolae ad monachos diversorum monasteriorum, Fuldensis, Corbeiensis, Morbacensis, Salisburgensis, Lirinensis et aliorum scriptae, qui omnes, sicut D. Mabillonius variis in locis demonstrat, regulam sancti Benedicti profitebantur. Quis diaconus his temporibus, quis clericus aut canonicus saecularis, [Col. 0029A] quamvis doctor publicus; imo quis episcopus, nisi e monachis sit assumptus, cum tanto zelo scriberet pro disciplina regulari monachorum? Hic profecto tam ardens zelus, haec tanta sollicitudo reperiri haud poterit, nisi in homine, qui ab unguiculis, ut ita dicam, spiritu monastico imbutus fuerit et innutritus.

XXV. Inde, quod quartum est D. Mabillonii argumentum, filialis ille affectus erga sanctum patrem Benedictum, quem Alcuinus non uno in loco prodit, praecipue in epigrammatibus, CXCVI et CCLIV, ubi simul tam ardenter exoptat gregis paterni augmentum, ac tam fervide cupit sanctissimi parentis gratiam ac opem demereri, ut non majori fervore eo ferri possit quisque sancti Benedicti alumnus.

XXVI. Quintum argumentum petitur ex formulis confessionis, quas beatus Alcuinus composuit; in quibus sanctum Benedictum vocat patrem suum, ejusque exoptat vestigia sequi. *De Psalmorum usu* [Col. 0029B] infra, cap. 4 et 9. Ibidem cap. 11, omnes humilitatis gradus, quos sanctus Benedictus constituit, percurrit: et cap. 3 et alibi, sanctae regulae violatorem se esse humiliter profitetur. At, inquis, ea dicit Alcuinus non in propria, sed in persona monachorum, quibus praefuit, et hasce formulas suggessit. Ita sit sane: ergo religiosi, quibus praefuit, erant monachi Benedictini: ergo et ipse monachus Benedictinus: ergo ea dicit ex propria quoque persona, nisi invicte probetur eum non fuisse monachum.

XXVII. Ultimum argumentum, quod D. Mabillonius pro asserendo beati Alcuini monachatu Benedictino, ex confessione seu professione fidei, a D. Petro Chiffletio sub nomine ejusdem beati viri vulgata et a nobis inter dubiae fidei opuscula relata, depromit, plane demonstrat auctorem praefatae confessionis fuisse monachum, qualem se ibi expressis verbis profitetur; beatos monachos suos agnoscit patres l. cit. part. II, num. 9, monachi veste suscepta dolet, se falsum ferre monachi nomen, nihilque dignum egisse hujus [Col. 0029C] nominis et habitus, etc., ibid. part. IV, num. 16. Enimvero confessionis hujus verum auctorem beatum Alcuinum esse, quamvis quidam id in

dubium revocaverint, idem D. Mabillonius pene evincit in sua disquisitione, quam dedimus loc. cit.; monachus ergo fuit beatus Alcuinus.

XXVIII. Haec argumenta, quae beati Alcuini monasticae vitae professionem astruunt, D. Mabillonius vir acerrimi ingenii adeo gravia esse existimabat, ut omnem objectorum dubitationem tollere viderentur. Neque tamen dissimulat vir aeque doctus ac modestus majoris momenti objecta quaedam ex vita beati Alcuini peti posse. 1o Namque vitae illius scriptor beati Alcuini vestigia comparat vestigiis beati Benedicti abbatis Anianensis: et haec monachis, illa canonicis imitanda proponit. Respondet Mabillonius num. 20 fuisse illo tempore monachos vitae mitioris et laxioris, ac propterea forsan ab hoc auctore canonicos dictos, quales erant Dionysiani et Turonenses, quorum alii [Col. 0029D] monachos, alii canonicos se dicebant. Unde Carolus Magnus in epistola ad Albinum et congregationem monasterii sancti Martini, quam Patrologiae tomo XCVIII, col. 921 dedimus, ait: «Sive canonici dicimini, sive monachi.» Et Ardo in libro de Vita sancti Benedicti Anian. testatur, «fuisse quaedam monasteria, instituta canonica sectantes, regulae autem praecepta ignorantes;» quos beatus Benedictus Anianensis jussu Ludovici Augusti ad regularem formam reduxit. Patres quoque concilii Turonensis, anno 813 celebrati, cap. 25, monachos et abbates vitae solutioris compellunt, ut ad pristinum revertantur statum, praecipue abbates, «qui magis canonice quam monachice inter suos conversari videbantur.» Responderi etiam potest, *canonicorum nomine apud praefatum auctorem intelligi monachos ecclesiarum cathedralium, quales in Anglia et Germania,* atque etiam Romae erant, quos *monachos canonicos vocat vulgatus Anastasius in Gregorio papa IV.* Vita igitur [Col. 0030A] Alcuini, cum plerumque in aula regis et inter aulicos versari coactus esset, magis canonica, seu mitior, quam monastica fuit: quam propterea Vitae scriptor non poterat monachis solitariis, bene tamen canonicis imitandam proponere, quamvis ipsemet regulam monasticam professione teneret, a cujus tamen rigore servando, ob publica officia, praeter suam voluntatem, fuerat impeditus aut dispensatus. His addo, quod ut quondam monachi in aliquibus ecclesiis cathedralibus, ita nunc in principalibus et regalibus quibusdam abbatiis, vel etiam in publicis studiis occupati magis canonicam quam monasticam vitam agunt, quos monachis quibusvis imitandos intempestive proponeres.

XXIX. *Objectio 2.* Laudatus Vitae scriptor cap. 3, Alcuinum vocat *monachum sine monachi voto.* Fuit ergo monachus vita, non professione. Verum facilis est responsio. Illa enim scribuntur de Alcuino, dum adhuc puer erat, cui per aetatem vota monastica profiteri non licebat.

[Col. 0030B] XXX. *Objectio 3.* Repeti potest ex cap. 8 Vitae, ubi auctor refert Alcuinum jam aetate profectum voluisse *saeculum relinquere, ac a Carolo Magno postulasse licentiam ducendi vitam monasticam in monasterio Fuldensi secundum regulam sancti Benedicti;* sed coactum apud Martinianos permansisse, *ubi vita ejus monasticae inferior non fuit.* Non ergo, inquis, fuit Alcuinus revera monachus, sed studio, affectu et moribus. Respondet Mabillonius, Vitae scriptorem illustrandum esse ex ipso Alcuino, et cum ipse scribit Alcuinum voluisse *saeculum* relinquere, vocabulo *saeculi intelligendas esse saeculares occupationes, quibus vir beatus quietem orationi ac*

studiis amicam suspirans continuo distentus erat. De hac enim sua voluntate scribens ad Carolum regem in epist. 101 (nunc. 129) ait: «Nam fere ante hoc quinquennium saeculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi.» Et paulo inferius dicit, se desiderare «inter fratres in ecclesia sancti Martini (non Fuldae) vivere [Col. 0030C] et requiescere.» Qamvis vero Alcuinus in eodem monasterio Turonensi cum fratribus versaretur, eo tempore magis canonice viventibus, vita ejus tamen monasticae, quam nempe a puero didicerat, inferior non fuit, omnemque is conatum adhibuit, ut illos «ad monasterialis vitae honestatem» revocaret, ut ipsemet profitetur in epistola 195 (nunc 149) ad Carolum imperatorem.

XXXI. Haec sunt quae ad probandam monasticam professionem beati Alcuini afferri possunt, quae nihilominus etiam ex iis non leviter confirmari posse videtur, quae Ven. Beda Hist. Gentis Angl. cap. 24 in fine narrat, quod nimirum «arridente pace ac serenitate temporum (nempe dum haec scripserat anno 731) plures in gente Nordanymbrorum (patria Alcuini) tam nobiles quam privati se suosque liberos, depositis armis, satagant magis accepta tonsura *monasterialibus* ascribere *votis, quam bellicis exercere studiis.*» Hunc morem parentes beati Alcuini eodem [Col. 0030D] tempore nati secutos fuisse, filiumque suum monasterialibus seu, ut interpretor, monasticis votis ascribere voluisse credendum est.

XXXII. Haec profecto argumenta, quae maximam partem ex D. Mabillonii observationibus in compendium contraximus, et quae nosmet immiscuimus, nemini non, nisi vehementer fallimur, veritati admodum propinqua videbuntur, nec quemquam eruditorum virorum vidimus qui hanc Mabillonii dissertationem ex proposito impugnet, quamvis nonnulli sint qui eamdem necdum plene demonstratam esse existiment. Obstat nimirum illorum assensui auctoritas scriptoris Vitae, pene coaevi, qui beatum Alcuinum vere et professione monachum fuisse, plane ignorasse videri possit. Vid. Le Cointe anno 802 num. 95. Fortassis vero idem scriptor statum monasterii Turonensis prae oculis habuit, qualis suo tempore, annis prope viginti post obitum beati Alcuini, sub Fridugiso illius successore fuit, quem [Col. 0031A] sanctus Odo abbas apud Joannem monachum in Vitae ipsius libr. III, cap. 1, ita depingit: «Ante hos annos persistente monastica congregatione apud ecclesiam beati Martini quae est Turonis, coeperunt modum suum consuetudinesque relinquere, ac propriis voluntatibus vitam suam propositumque corrumpere. Relictis namque nativis et assuetis vestimentis, coeperunt fucatas atque fluxas pallioque ornatas circumferre cucullas et tunicas, etc. Ista et multa horum similia contra regulae jura faciebant.» Quam rem ita explicat Ademarus Ecolismensis monachus in Chronico, «qua tempestate, inquit, monachi sancti Martini Turonis, nemine cogente, ante corpus ejusdem, abjecto monachi schemate, schema induunt canonicale, etc.» Mutationem hanc contigisse Fridugiso abbate, beati Alcuini successore, probat D. Mabillonius in elogio beati Alcuini cap. 8 num. 41 et 42. Ad haec attendens et ad priorem statum monasterii Turonensis animum non reflectens [Col. 0031B] scriptor Vitae beati Alcuini existimare potuit, ipsum, illius congregationis patrem eamdem quoque vitam canonicam professum fuisse.

XXXIII. Quidquid vero sit, id sibi Benedictinus ordo gloriae merito ducit, virum beatum et celeberrimum in eo ordine fuisse primo educatum, litteris ac virtutibus

instructum; postea vero exstitisse Benedictinorum monachorum magistrum et abbatem; spiritumque sancti Benedicti non tantum usque ad mortem conservasse, verum etiam huic sacro ordini voto ac desiderio conjunctum fuisse, cui adimplendo non nisi major Ecclesiae et boni publici utilitas obstare potuit.

XXXIV. Caeterum hoc loco praetereundum non est quod beatus Alcuinus in epistolis suis nunquam se monachum, sed vel levitam, vel, quod illo tempore idem significabat (Isidorus lib. VII Orig. cap. 12), diaconum inscribat, more nimirum tunc usitato, ut quo quisque ecclesiastici ordinis gradu insignitus esset, ab eodem etiam officio suo appellationem sumeret, [Col. 0031C] monachi vel etiam abbatis titulo saepius omisso. Nullibi etiam se sacerdotem fuisse vel verbo significat, nec ab aliis eo gradu sublimatum fuisse scribitur; quamvis non nemo recentiorum apud Mab. libr. XXVI Annal. pag. 342, num. 90 contendat, illum tunc quando Carolus Magnus cum filiis suis apud Turonos in ecclesia sancti Stephani sacram communionem percepit, sacerdotis officio functum fuisse, assistente eidem Sigulfo diacono, uti narrat Vitae beati Alcuini scriptor num. 18. Enimvero doctissimus Mabillonius ibidem hanc illius critici et aliorum quorumdam opinionem refutat, solide ostendens verborum illorum Vitae scriptoris: «Cum (Alcuinus) post communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret,» sensum non esse, quod Alcuinus communionem corporis et sanguinis Christi Carolo et filiis ejus praebuerit, sed istum, quod Alcuinus Carolo et tribus ejus filiis Carolo, Pippino et Ludovico post perceptam a sacerdote [Col. 0031D] communionem corporis et sanguinis Christi Domini poculum praebuerit, forte in secretario ecclesiae, uti olim fiebat. Et certe nemo, ut recte laudatus Mabillonius ibi discurrit, Alcuinum sacerdotem fuisse dixerit, nisi qui in scriptis et epistolis illius plane hospes fuerit, nemo qui Vitam ejus cum tantilla attentione legerit. Etenim in plerisque epistolis *levita,* et *humilis* levita aut etiam *diaconus, nunquam sacerdos aut presbyter inscribitur.* Eginhardus qui illum a facie noverat, jam mortuum (ne quis putet ante obitum saltem presbyterum fuisse ordinatum) Albinum *diaconum tantum vocat.* In Vita illius dicitur in Franciam venisse diaconum num. 12, missas quotidie cum Sigulfo presbytero suo *levitice celebrasse num.* 26, ac demum diaconum obiisse innuitur num. 28: quippe qui *ministerio levitarum coelestium Stephani et Laurentii in coelum perductus* perhibetur, et in medio illorum *splendidissima indutus dalmatica astitisse.* Haec profecto adeo evidentia [Col. 0032A] sunt, ut pigere quemvis debeat quaestioni tam levis ponderis diutius immorari.

CAPUT IV.

Beati Alcuini schola et discipuli in Britannia.

XXXV. Litterarum tam sacrarum quam profanarum studia in Britannia, a Romanis antiquitus ibi constituta, deinceps vero per incursiones Saxonum et Danorum turbata, postquam nempe curante sancto Gregorio Magno summo pontifice sacra Christiana in illam insulam illata et stabilita fuerunt, refloruisse; scholas pariter publicas Graece et Latinae eruditionis ibidem post adventum Adriani abbatis et Theodori episcopi, hominum omni doctrinae genere praestantium, resuscitatas et ita frequentatas fuisse, ut

deinceps ex illis scholis non tantum episcopi, verum etiam reges et principes doctissimi et sapientissimi prodierint, testem habemus locupletissimum Ven. Bedam in variis capitibus suae Historiae ecclesiasticae [Col. 0032B] gentis Anglorum. Scholis istis Polydorus Vergilius libr. IV Hist. Angl. pag. 68 annumerat Cantabrigiensem, fundatam, ut ipse credit, a Sigeberto rege Anglorum Orientalium, quem Ven. Beda libr. II, cap. 15 «virum per omnia doctissimum et Christianissimum» vocat, et libr. III, cap. 18 de eodem scribit, quod, postquam in Gallia exsul lavacrum baptismi percepit, mox ea quae in Gallia bene disposita vidit imitari cupiens, instituerit scholam in qua pueri litteris erudirentur: juvante se episcopo Felice, quem de Cantia acceperat, eisque paedagogos et magistros juxta morum Cantuariorum praebente.» De Cantabrigia Ven Beda tacet; hinc Vergilii narratio conjecturae tribuenda est. Illud etiam quod idem vir doctus ibidem opinatur, nimirum eidem Sigeberto regi comprimis acceptum referri debere, quod postea Anglia claros semper doctrina viros tulerit, et quod ipse in ea litterarum fundamentum primus jecerit, cum narratione Ven. Bedae combinari minime potest. Hoc enim testante Felix ille episcopus, concilii regis [Col. 0032C] Sigeberti promotor, primos magistros et paedagogos e schola Cantuariensi prius jam fundata accepit.

XXXVI. Illud quoque vero haud simile est quod Joannes Balaeus, cujus fidei etiam alii quidam se commiserunt, ex annalibus Academiae Cantabrigiensis narrat, beatum Alcuinum ibidem artes liberales omnes post Bedam docuisse. Haec siquidem narratio, ex obscuris quibusdam annalibus deprompta, fidem haud meretur, primo quod proficiscatur a scriptore parum accurato qualem viri docti Balaeum depingunt apud Struvium Bibl. Hist. Lit. tom. II, p. 1220, § 20. Secundo quia verosimile non est, Ven. Bedam unquam Cantabrigiae docendi munus obiisse; et de beato Alcuino superius cap. 2 a nobis ostensum est, et posthac comprobabitur illum omnem vitam suam et discendo et docendo in ecclesia seu monasterio Eboracensi, usque dum in Franciam ultimo abiit, transegisse.

XXXVII. Sola igitur schola Eboracensis in Anglia [Col. 0032D] beatum Alcuinum primo discipulum, postea etiam magistrum habere meruit. Fuit illa tunc temporis inter omnes illius insulae scholas, quarum memoria adhucdum exstat, celeberrima. Illam primo ab Ecgberto illius sedis archiepiscopo institutam, deinceps vero ab illius successore Aelberto majore adhuc celebritate donatam fuisse cap. 2 jam insinuavimus. Ex istorum ergo praesulum doctissimorum instituto ibi scientiae pene omnes et artes liberales magna industria et cum multiplici discipulorum profectu docebantur; nimirum grammatica, rhetorica, dialectica, juridica, poesis, astronomia, arithmetica, musica, computus ecclesiasticus, quae omnia Alcuinus ipse recenset in poemate de pontif. Eborac. Maximum vero studium ibidem impendebatur sacrae disciplinae ac divinae Scripturae, ad cujus etiam pleniorem notitiam atque intelligentiam omnia reliqua studia referebantur; cujus etiam gratia linguis sacris Hebraicae et Graecae addiscendis non nulla, quantam nimirum [Col. 0033A] temporis illius ratio ferebat, diligentia adhibita fuit.

XXXVIII. Postquam beatus Alcuinus in hac schola omnes illas studiorum classes maxima cum applicatione nec cum minori profectu emensus est, non tantum a suis condiscipulis tantam eruditionis multiplicis laudem obtinuit, ut ipsum, prout Vitae illius scriptor testatur, tanquam *secundum magistrum colerent, verum et a magistro suo*

Ecgberto archiepiscopo dignus habitus fuit cui munus docendi in eadem schola committeretur, et qui Aelberto in eodem munere socius daretur. Enimvero jam ante annum 766, nempe ante obitum Ecgberti, qui hoc anno accidit, tantam nominis sui famam adeptus fuerat, ut ea permotus beatus Liudgerus eodem anno illius sese disciplinae traderet, atque ab ipso inter alios discipulos spiritualia dogmata hauriret, teste Alfrido in Vita sancti Liudgeri libr. I, num. 9, quod testimonium etiam legitur in altera Vita libr. I, cap. 5. Concordat in his doctissimus Mabillonius, [Col. 0033B] qui beatum Alcuinum sub pontificatu Ecgberti circa annum 758 scholis Eboracensibus praefectum fuisse colligit ex eadem Vita beati Liudgeri libr. XXIII Annal. num. 37.

XXXIX. Ad beatum Alcuinum igitur scholas Eboracenses moderantem magnus undique et ab exteris quoque regionibus erat discentium confluxus. Inter exteros praeprimis nominandus est, de quo jam loqui coepimus, sanctus Liudgerus primus Mimigardefordiensis seu Monasteriensis episcopus, vir sanctitate et apostolico zelo clarus. Is etenim cum aliquando ab abbate suo Gregorio, sancti Bonifacii in ecclesia Trajectensi successore, in Angliam missus, Eboraci moraretur, atque in beati Alcuini notitiam venisset, eruditionis illius eloquio adeo delectabatur, ut Trajectum reversus continuo desiderio teneretur, ad eamdem scholam redeundi. Quapropter assiduis precibus et abbatem et parentem suum Thiadgrimum pro hac licentia obtinenda fatigavit, eosque tandem, ut ejus desiderio consentirent, permovit. Liudgerus [Col. 0033C] igitur voto suo damnatus Eboracum rediit, et ibidem sub disciplina beati Alcuini tribus annis cum dimidio remansit, donec nimirum emergente casu, Anglorum in Frisones odium vitaturus invitus in patriam remeare coactus est, iis jam disciplinis instructus, quae illum dignum reddidere ad munus episcopale et apostolicum cum maxima nominis sui gloria in patria obeundum. Comitem itineris ab Alcuino accepit quemdam diaconum, nomine Putul, Romam perrecturum, qui deinde ordine presbyterii ibidem accepto Eboracum reversus postea cum eodem magistro suo in Galliam venit. Plures alios viros aut juvenes ab exteris nationibus ad Angliae scholas illo tempore fama eruditionis celebratas, maxime ad Eboracensem quam beatus Alcuinus moderabatur, venisse credibile est: quinam vero illi fuerint, monumentis deficientibus, ignoramus.

XL. Inter populares beati Alcuini qui illius fuerunt discipuli, praecipue sequentes innotuerunt, quorum [Col. 0033D] acta quaedam, quae obscuriora videri possint, breviter elucidare conabimur. Primus ex his memorandus Eanbaldus junior cognomento Symeon, senioris Eanbaldi, beati Alcuini in eadem schola quondam condiscipuli, anno 796 IV Kal. Augusti demortui, in cathedra Eboracensi successor: de quo plura notavimus ad epistolas 50, 58, 170, 173, 174 (nunc 56, 64, 73, 114, 115) ad eumdem scriptas; ad quas notas lectorem compendii gratia remittimus.

XLI. Alter beati Alcuini discipulus hic commemorandus fuit, Wizo vel Withso, patrio, ut reor, nomine quo appellatur in epist. 118 (nunc 157), cujus in codice Colbertino, ut in notis ibidem monuimus, inscriptio talis est: *Epistola ad Candidum, id est, Wizonem.* Hunc discipulis beati Alcuini annumerat Vitae scriptor num. 14, atque illi elogium *magnanimi attribuit.* Ipse etiam Alcuinus in epist. 118 (nunc 157), illum suum aliquando fuisse discipulum significat scribens, quod ipsum cum socio Nathanaele, seu [Col. 0034A] Fridugiso «in schola eruditionis de praeceptis divinis admonuerit.» Idipsum

insinuat in praefatione ad Commentaria in Ecclesiasten Oniae et Nathanaeli inscripta, ubi ipse presbyteri appellatione insignitur. Lelandus de Script. Britan. cap. 100, pag. 133, hunc Candidum Lindisfarnensis ecclesiae alumnum recte facit. Is cum quibusdam aliis popularibus et condiscipulis suis magistrum suum Alcuinum in Franciam comitatus est; post aliquod vero temporis spatium, circa annum 796 in Britanniam, cujus negotii causa ignoratur, reversus est, uti memoratur in epist. 39 (nunc 44) ad Damoetam. Cum vero ibi diutius quam Alcuinus volebat, moraretur, tacito studio illum ab Higibaldo Lindisfarnensis ecclesiae episcopo repetiit in epistola ad Lindisfarnenses, cujus fragmentum dedimus in notis ad epist. 8 (nunc 9). Quin desiderio beati Alcuini ab eodem Higibaldo fuerit satisfactum, minime dubitandum est. Is enim ipse, ni apprime fallamur, Candidus fuit, cujus posthac fidelitati et industriae [Col. 0034B] Alcuinus varia negotia apud regem Carolum, apud episcopos quosdam, apud Aulae proceres, et amicos tractanda et expedienda commendavit, uti perspicuum est in epistolis 92, 105, 109, 110, 123 (nunc 108, 133, 145, 146, 162) et aliis. Romam ad apostolorum limina, devotionis, ut videtur, causa, abeuntem Alcuinus carmine hortatus et precatus est, ut ibi sanctorum apostolorum aliorumque sanctorum cineres pie coleret, seque illorum intercessioni commendaret, et non nisi cum munere sacrarum reliquiarum reverteretur, quod carmen infra dabimus. Is ipse fortassis auctor est scripti cujusdam hactenus inediti *De Imagine Dei, quod exstat in appendice 2, de quo conjecturam nostram aperuimus ibid.* in monito praevio. Ab hoc Candido beati Alcuini discipulo distinguendus est alter Candidus Fuldensis monachus et presbyter, proprio nomine non Wizo, sed Bruun nuncupatus; quod suum nomen ipsemet in fine praefationis metricae ad vitam sancti Eigilis abbatis expressit his verbis: *Explicit praefatio Candidi* [Col. 0034C] ad Modestum, qui proprio nomine Bruun et Richeo nuncupatur: quod ipsum facit in fine cap. 17 Vitae ejusdem, scribens:

Quamque egomet quondam hac nutritus in aula Presbyter et monachus *Bruun vilisque magister Depinxi ingenio, etc.*

XLII. Candidi socius ac in schola Eboracensi sub beati Alcuini magisterio condiscipulus fuit Fridugisus teste anonymo Vitae scriptore cap. 8, num. 14. Cognomen inter litteratos sui temporis tulit Nathanael, uti ad epist. 118 (nunc 157) notavi ex inscriptione cod. Colbertini. Ab Alcuino nunc diaconus, praefat. in Eccles., nunc archidiaconus epist. 183 (nunc 124) appellatur. Beati Alcuini popularem illiusque in schola Eboracensi discipulum, ac postea etiam in Galliam comitem exstitisse, praeter praefationem et epistolam mox citatas singularis etiam illa erga ipsum in negotiis suis gerendis confidentia ac familiaritas [Col. 0034D] suadere videtur, quam vir prudens vix indulsisset discipulis peregrinae regionis, quorum ingenium nondum satis exploratum habere potuit. Illum elegit qui sacros libros a se diligentissime emendatos ad Carolum imperiali corona redimendum deferret, epist. 103 et 185 (nunc 131 et 135). Illum in palatio viventem, simul et Candidum, de fratrum Turonensium cum Theodulfo episcopo Aurelianensi disceptatione, pro causae fratrum illorum defensione instruxit in epist. 118 (nunc 157). Illum cum rege in Balneo Aquisgranensi commorantem hortatus est ut discipulas suas, Luciam et Columbam in aula versantes, suae sapientiae decore et floribus exornet epist. 98 et 185 (nunc 126 et 135). Demum infirmitate fractus Alcuinus hunc dilectum suum discipulum prae omnibus dignum aestimavit, qui etsi monasticam

vitam non profiteretur sed canonicam, sibi in regimine monasterii Turonensis succederet. Idem Fridugisus postea etiam abbas Sithiuensis sancti Bertini [Col. 0035A] factus est. Sub ejus vero regimine postea in utroque illo monasterio laxior disciplina canonicorum repullulavit, et sancti Benedicti spiritus penitus exstinctus est. Magnae etiam in aula imperiali auctoritatis fuit; subscripsit enim testamento Caroli Magni, fuitque Ludovici imperatoris cancellarius: et obiit anno 834. Vid. Mab. in elog. beati Alcuini num. 45, et lib. XXVIII Annal. num. 16, et XXIX, num. 32, et XXXI, num. 67. Scripsit nonnulla ex quibus nihil jam superest, quam epistola *de Nihilo et tenebris ad proceres palatii, quae edita exstat tom.* II Miscell. Baluzii, pag. 403. Hic Fridugisus cum philosophico acumine naturam nihili, ex quo Deus mundum creavit, et tenebrarum, *quae erant super faciem abyssi explorat, et contendit nihil esse aliquid, et tenebras esse substantiam.* Verum illius ratiocinia mera sophismata sunt, quamvis de caetero stylus, quo utitur, purus et clarus atque etiam fluidus sit. Mabillonius conjicit Fridugisum scripsisse carmen illud de cella Cormaricensi, quod inter dubia exhibemus, in quo cellam [Col. 0035B] illam, proprio jam gaudentem abbate, nempe Jacobo, et quondam monasterio suo Turonensi annexam, quasi sibi ereptam conqueritur. Scripsit quoque contra Agobardum episcopum Lugdunensem, cujus nonnullos, quos ipsi imputat, errores censura paulo acrius perstringit: quod tamen Fridugisi opusculum adhucdum latet. Agobardus se defendens Fridugisum ob styli acerbitatem et majores quosdam errores contra sanam theologiam reprehendit, tom. I Operum, pag. 165 et 191. Legi merentur quae de Fridugiso habet D. Rivet tom. IV *Hist.* Lit. de la France, pag. 512 seqq.

XLIII. A Candido et Fridugiso separare noluimus Oniam sacerdotem, de cujus vita aut actis pauca innotuerunt. Illum tamen fuisse popularem ac discipulum beati Alcuini, colligi posse videtur ex inscriptione Commentariorum in Ecclesiasten, ubi Onias jungitur Candido et Nathanaeli, et aeque ac hi duo filius *in paternae pietatis nido aliquando educatus et* [Col. 0035C] *sub alis paternae eruditionis edoctus dicitur.* Ex eadem inscriptione ubi sacerdotis titulo insignitur suisque socius praeponitur, satis intelligitur, illum saecularibus etiam negotiis in aula fuisse adhibitum, et beato Alcuino admodum charum fuisse. Illum in epist. 183 (nunc 124) Georgii patriarchae Jerosolymitani memoriae pariter cum Symeone, Martino et Nathanaele commendat. In epist. 227 (nunc 230) tristitiam suam ob ejus absentiam illi significat. In epist. 228 (nunc 231) illum admonet ut Deum amet, ac pauperum, miserorum ac peregrinorum memor sit, atque eleemosynis, defensione et solatio illis succurrat.

XLIV. Inter beati Alcuini discipulos a Vitae scriptore cap. 8, num. 14 numeratur quidam Osulfus, quem pariter in schola Eboracensi ab eodem edoctum fuisse nullus dubitandi locus est: quem etiam beati Alcuini popularem credit D. Mabillonius libr. XXVII Annal. num. 29 quamvis in elogio ad Vitam [Col. 0035D] beati Alcuini cap. 11, num. 66 illum cum aliis, ipsum ex Anglia comitantibus, Onia, Candido, Nathanaele in monasterio quoque Turonensi auditorem fuisse dicat. Certe Osulfum patria Gallum vel Francum non fuisse ex narratione, quam anonymus Vitae beati Alcuini scriptor de illius obitu loc. cit. num. 15 facit, sat aperte intelligitur. Nempe beatus Alcuinus alteri discipulo suo Raganardo de Osulfo ad omnia monita vitae melioris surdo spiritu prophetico praedixit, «quod neque in regione hac (Francia utique, ubi tunc Alcuinus

degebat) neque in qua natus est, morietur. Quod postea probavit eventus; mortuus est enim in Longobardia.» Osulfus ergo fuit abs dubio ille discipulus, ad quem, tanquam ad filium prodigum, initio quidem optimis moribus ac disciplinis liberalibus imbutum sapientiae sale illuminatum, et in Scripturis sacris industrium, postea vero scortorum gregibus, potatorum conviviis ac superbientium vanitatibus junctum, scripsit epistolas [Col. 0036A] 157 et 158 (nunc 206 et 207). «Olim, inquit in epistola priore, te genui, nutrivi, alui, et ad perfectum virum usque perduxi. . . . ita, ut tuam laudem tota decantet regio,» nempe Britannia, ut legitur in codd. mss. Salisburgensibus, prout ibidem notavi. In altera vero epistola exemplum quo ad vitae emendationem animetur illi proponit condiscipulum suum, «qui modo, ait, episcopatu praesidet nobilissimo.» Qui plane non alius fuit, quam Eanbaldus archiepiscopus Eboracensis. Cum hoc ergo Osulfus in Britannia, in schola Eboracensi, sub beati Alcuini magisterio educatus et edoctus fuit. Hunc ipsum Osulfum pariter cum Fridugiso ab eruditione laudat Theodulfus Aurelianensis libr. III, carm. 1 ad Carolum regem, de utroque ita canens vers. 175:

Stet levita decens Fridegis sociatus Osulfo,
Gnarus uterque artis, doctus uterque bene. An hic Osulfus idem sit ac ille, qui multa praeclara [Col. 0036B] de Carolo Juniore narravit epist. 179 (nunc 120), incompertum habemus.

XLV. Verosimile est Osulfum, patrio nomine ita vocatum, postea inter scholasticos Cuculi appellationem obtinuisse, utpote cujus similem lapsum, ob quem Osulfum reprehendit, Alcuinus deplorat carmine 77, quo etiam pertinet additamentum, quod ex cod. ms. Collegii sancti Pauli Ratisbonensis tardius detecto dedimus tom. II, carm. 6. Latet certe sub hoc nomine familiari et ascititio quidam beati Alcuini discipulus, in schola Eboracensi eruditus et magistri sui in Galliam comes: quem aliquando ad Symeonem suum, seu Eanbaldum episcopum direxit cum muneribus, uti intelligitur ex epist. 171 (nunc 65), et cujus etiam opera usus est ad optima consilia eidem Eanbaldo, quibusdam adversitatibus afflicto suggerenda, uti legitur in epistolis 174 (nunc 115) et sequenti.

XLVI. Cuculi socius ac condiscipulus Calwinus fuit [Col. 0036C] presbyter Anglus, quem in epist. 58 (nunc 73) ad ipsum directa saluberrimis doctrinis instruit, et in altera 175 (nunc 116) Cuculo simul inscripta, hortatur ut Symeoni seu Eanbaldo archiepiscopo ea suo nomine suadeant, quae ipsum in adversitatibus solari, et ad vitam muneri suo ac dignitati convenientem degendam permovere valeant. Ex eadem epist. 58 (nunc 73) discimus, Calwinum cellae cuidam sancti Stephani praefuisse, et monachum ac monachorum patrem fuisse, sicut ibidem in notis notavimus. Certe membrum is fuit ecclesiae Eboracensis, suo suffragio concurrens ad archiepiscopi Eanbaldi electionem, uti Alcuinus ibidem insinuat his verbis: «Quem (Symeonem) vos elegistis ad pontificatus honorem.»

XLVII. Discipulorum beati Alcuini nobilissimum ac fidelissimum auctor Vitae anonymus primo loco nominat Sigulfum Vetulum, ex cujus narratione ipse didicit, quae de illo memoriae posterorum commendavit, [Col. 0036D] eo magis fide digna, quod «ipse solus, uti legitur in fine prologi illius Vitae, post discessum sancti Edberti (Aelberti

episcopi puto) ipsius meruit nosse secreta eximia.» Erat is, eodem scriptore testante cap. 5, num. 11, «vir Deo amabilis, animi carnisque nobilitate insignis, presbyter et custos Heboricae civitatis ecclesiae,» qui tam arcta amicitia beato Alcuino junctus fuit, ut propterea perpetuo illi adhaerere cupiens, se eidem, jam scholas in Francia tenenti, sociare voluerit. Antequam vero Sigulfus Alcuinum in Franciam comitatus est, futurus posthac individuus magistri sui comes, jam illuc puer venerat cum avunculo suo Autberto presbytero viro sancto: «A quo Romam ad ecclesiasticum ordinem discendum perductus, et Metas civitatem causa cantus directus fuerat;» inde tamen Sigulfus, avunculo suo per mortem in itinere amisso, «cum multo fructu patriam repedavit propriam.» Sacrae lectionis studiosissimum ipsum laudat [Col. 0037A] Alcuinus in epistola Interrogationibus illius et suis Responsionibus in Librum Genesis praefixa, in qua illius desiderio in enodandis quibusdam difficultatibus illius libri, pro temporis opportunitate, satisfacere studuit: ibi Alcuinus fratrem illum nominat, atque longo tempore individuum et fidelem socium. Ex qua confidentia et familiari conversatione conjicio, Sigulfum sub disciplina beati Alcuini in Anglia jamjam prae aliis suis condiscipulis in virum profecisse, atque inter illos seniorem fuisse, unde fortassis nomen Vetuli tulit; ac propterea illum Alcuinus sibi in ipso docendi munere sociavit, illique curam discipulorum se per alia negotia multoties impedito concredidit. Hac tamen confidentia et existimatione non obstante, ipsum, cum discipulis Adalberto et Aldrico contra mandatum suum lectionem Virgilii poetae clanculo indulsisset, acriter reprehendit. Quamvis enim Alcuinus, ut narrat Vitae scriptor cap. 10, num. 19, juvenis Virgilii [Col. 0037B] lectione delectaretur, postea tamen id a discipulis fieri noluit, «sufficiunt, inquiens, divini poetae vobis, nec egetis luxuriosa Virgilii vos pollui facundia.» Ad Sigulfum ergo hoc mandatum violantem dixit: «Unde te habemus, Virgiliane? Cur coepisti et voluisti contra meam voluntatem et consilium, me ignorante, agere ut Virgilium legeres?» Sigulfus hac ratione admodum confusus humiliter ad magistri sui arcana et occulta penetrantis pedes se projiciens poenituit, et stultissime se egisse confessus est. Suspicor hunc Sigulfum esse *filium illum aegrotum, ad quem scripta est epist.* 231 (nunc 188), qui ab Alcuino edoceri voluit, «an melius esset in canonica veste, sive in monastica sanctitate ultimi diei exspectare spiraculum;» cui vir beatus respondit nihil mutandum esse in praesenti periculo, et in quovis statu ad majorem semper Ecclesiae profectum cogitationis voluntatem esse dirigendam; posse tamen, si convaluerit, monasticam cucullam induere; «orationum enim causa, inquit, et ob [Col. 0037C] fraternae intercessionis solatium cum monachis quies optanda videtur.» Enimvero Sigulfus jam abbas Ferrariensis (hujus enim monasterii regimen Alcuinus, ab exterioribus omnibus negotiis se exsoluturus, illi consignavit) usque ad senium habitu canonico usus est; postea vero sponte abbatiam discipulo suo Adalberto resignavit, assumptaque ex consilio illo, nisi fallar, Alcuini, veste monastica, praedicto suo discipulo ac successori insigni modestiae exemplo se subjecit, uti discimus ex Lupi abbatis epist. 29. Sigulfo schola Ferrariensis suam originem debet, quae posthac sub Lupo abbate multo celebrior evasit. Vide *Hist.* Lit. de la France tom. IV, pag. 242, num. 37. Ab hoc Sigulfo diversus est alius ejusdem nominis, cujus scriptor Vitae Alcuini meminit cap. 11, num. 20, qui fuit sancti Benedicti Anianensis monachus et discipulus; prout recte animadvertit D. Mabillonius in notis ad prologum Vitae Alcuini: neque tamen [Col. 0037D] assentiri possumus ejusdem viri celeberrimi opinioni, dum ibidem Sigulfum presbyterum, Alcuino valde familiarem de quo in eadem Vita mentio fit num.

11 ab hoc qui gesta magistri sui dictavit, distinguit. Nullam enim is suae opinionis rationem affert, neque nos ullam in Vita praedicta vel alibi deprehendimus.

XLVIII. Discipulis demum celebrioribus beati Alcuini, quos Eboraci scientiis et artibus liberalibus imbuit, accensendus est Josephus ille, quem in epistola 132 (nunc 174) ad Remigium episcopum, suum discipulum, et in praecedenti dilectum filium vocat. Josephum hunc Britannum fuisse persuadet fragmentum epistolae ad ipsum ab Alcuino scriptae, quod ex Usserio dedimus in notis ad epist. 3, in qua Alcuinus de Colcu lectore in Scotia scribit his verbis: «Sanus est magister vester Colcu.» Hujus ergo magisterio Josephus ille in Britannia aliquando usus est, postea ob scholae celebritatem scholasticis [Col. 0038A] Eboracensibus sociatus. In Franciam postea cum hoc altero suo magistro Alcuino abiit; certe ibidem circa annum 790 cum eodem morabatur, uti intelligitur ex eadem epistola 3, quam Alcuinus e Francia ad Colcum lectorem in Scotia scripsit, uti ibidem in notis D. Mabillonio assentiente diximus. In illa etenim praefato Colcu significat se cum Josepho in illis terris optima frui sanitate. Celeberrimus Mabillonius in elogio beati Alcuini cap. 11, num. 67, nullus dubitat hunc Josephum esse, qui jubente hoc suo magistro Commentaria sancti Hieronymi in Isaiam compendio redegit; quam epitomen manuscriptam, sub titulo Josephi abbatis, exstare idem testatur, illiusque initium et finem retulit. Opus illud jussu beati Alcuini coeptum atque ejus nomini dicatum ipse auctor profitetur hoc versu:

Sic placet Albino talem nos ferre laborem. Et iterum circa finem carminis:

Sic idcirco tuis parens, charissime, jussis[Col. 0038B] Haec, Albine, tibi strictim collecta dicavi. Demum soluto sermone ita pergit: «Haec brevi, prout potui, sermone . . . sicut, dilectissime magister Albine, jussisti, devotus excerpsi. Ita enim mihi praecipiebas, ut in cunctis pernecessarium tantum sensum et Hebraicae veritatis tramitem sequens . . . incerta et confusa declinarem vestigia.» Unde colligas in schola beati Alcuini studium Hebraicae eruditionis non abfuisse. Obiit Josephus ante suum magistrum, ut pote cujus hic animam precibus Remigii episcopi commendat in citata superius epistola 132 (nunc 174).

XLIX. Hos celebriores beati Alcuini discipulos, multis aliis brevitatis causa dimissis, quos in Britannia docuit, commemorare libuit; quantum nimirum id ad scripta et acta scriptoris celeberrimi illustranda, atque ad famam magisterii illius celebrandam conducere possit. Nihil vero magis ad gloriam viri immortalis facit, quam quod doctrinis ac consiliis illius usi fuerint Angliae reges, principes, [Col. 0038C] reginae regiaeque virgines, episcopi ac sacerdotes, abbates et monachi, aliique homines dignitate civili et ecclesiastica in illa regione fulgentes: cujus rei documenta praebent tot epistolae ad diversas illas personas scriptae, saluberrimis monitis ac doctrinis cuique statui maxime convenientibus refertae.

L. Non possum quin eruditos lectores hoc loco opportuno moneam, scriptores quosdam Anglos, Harpesfeldium, Pitseum, Balaeum, quos Centuriatores Magdeburgenses exscribunt, egregie allucinatos fuisse, dum eruditis Angliae feminis annumerarunt Gislam ac Richtrudem, seu ascititio nomine Luciam et Columbam, quibus beatus Alcuinus Commentarios in sancti Joannis Evangelium dicavit. Horum opinioni, mirum

est, virum eruditum D. Alfortum in Annal. Eccles. Anglo-Saxonicis ad an. 770 calculum suum adjecisse. Enimvero virgines illas non in Anglia sed in Gallia Alcuinum magistrum habuisse ex verbis saltem epistolae virginum illarum, Commentariis [Col. 0038D] illis praefixae, et Parisiis ad illum Turonis existentem scriptae, luce clarius est; ita ibi scribunt: «Multo facilius chartarum portator tuarum de Turonis Parisiacam civitatem . . . . . pervenire poterit.» Verum de his virginibus inferius, ubi de schola palatii agemus, sermo redibit.

CAPUT V.

Beati Alcuini vocatio et accessus in Franciam.

LI. Fama tam praeclari doctoris sicut inter lares Eboracenses non coarctari, ita nec intra fines quidem Britanniae contineri potuit, sed in alias quoque regiones, Franciam maxime et Galliam evulgata fuit, opportuno prorsus tempore, quo nimirum utriusque illius regni amplissimi gubernaculum tenuit Carolus ille, a rebus sapientissime simul et fortissime gestis, Magni nomine, quod postea nunquam deleri potuit, insignitus.

LII. Is enim post obitum Pippini patris et Carlomanni [Col. 0039A] fratris sui solus throno admotus regni sui statum circumspiciens, dolens animadvertit illum tam in politicis quam in ecclesiasticis rebus esse corruptissimum, barbarie horridum et omni morum et litterarum cultura destitutum. Enimvero omnium scriptorum, qui antiquitatis litterariae aliqua notitia pollent, communis sententia est, barbariem et ignorantiam, a quinto saeculo aerae Christianae, quod tanquam prima epocha collapsarum ubique litterarum haberi debet, tam immodicos fecisse progressus, et primis sexaginta aut septuaginta annis saeculi octavi tantopere invaluisse, ut ultimum complementum, quod nullam jam medelam admitteret, adeptae fuisse viderentur. Certe monachus Engolismensis in Vita Caroli Magni ad annum 787 scribit, ante regis illius tempora «nullum in Gallia fuisse studium liberalium artium.» Quod quidem non ita intelligendum est, quasi nullus unquam vetustioribus temporibus saeculum illud quintum antecedentibus, in Gallia litterarum [Col. 0039B] aut artium liberalium cultus viguisset. Diu namque ante illa funesta tempora, quibus Gallia per Barbarorum irruptionem, atque tumultus civiles postea exortos turbata fuit, optima quaeque studia floruisse, scholasque ibi erectas et ordinatas fuisse, ex Tacito, Eunomio, et ex illo Gratiani Aug. rescripto codicis Theodosiani, quo Antonio praetorio Galliarum praefecto mandat, ut in singulis metropolibus studia litterarum constituat, et eisdem idoneos magistros cum congruo supplemento constituat, novimus. At vero sedes illae studiorum postea per barbarorum, ut diximus, assiduas incursiones, ac civilium dissidiorum procellas eversae, et amica musis otia et quies praerepta fuere, ita ut sub regibus Francis Carolum antecedentibus, nullum illis domicilium superesset; quod narrare voluit Engolimensis monachus loc. cit.

LIII. Verum de misero statu quo Carolus regnum suum per diuturnam barbariem penitus deformatum et desolatum conspexit, plura hoc loco commentari [Col. 0039C] haud necesse fuerit, postquam de illo summa cum eruditione egregie disseruit praeclarus scriptor Hist. Lit. Franciae tom. III, pag. 417, et tom. IV, pag. 1 et seqq. Uno tamen

verbo saltem illum tangere et commemorare volui, ut quid res litteraria universa praecipui illius post Carolum Magnum restauratoris Alcuini conatibus, quos hoc et sequenti capitibus recensebimus, debeat, evidentius intelligatur.

LIV. Ad eliminandam ergo e toto regno suo jam plurimam partem seu armis seu prudentia paci et tranquillitati restituto barbariem, summus ille princeps nullum remedium opportunius fore recte existimavit, quam sedulam culturam morum et ingeniorum; cujus tamen prudentissimi consilii exsequendi impedimentum fuit, quod nullos prope in regionibus Francicae suae ditioni subditis reperire esset viros tanta pietate, eruditione et experientia praeditos ut rudes docendi, barbarosque emoliendi munus cum laude et optato profectu obire possent. Ab exteris [Col. 0039D] proinde regionibus, Italia maxime et Britannia, ubi potissimum tunc temporis litterarum studiis moribusque excolendis opera impendebatur, subsidia ejusmodi petere necesse fuit; quod regis sapientissimi consilium Alcuinus apprime laudat in epist. 101 (nunc 129) ad hunc suum Davidem ita scribens: «Vestram sollicitudinem, domine mi David, agnoscebam omnes ad sapientiam discendam exhortari, imo et praemiis honoribusque sollicitare, atque ex diversis mundi partibus amatores illius vestrae bonae voluntatis adjutores convocare studuistis; inter quos me etiam infimum ejusdem sanctae sapientiae vernaculum de ultimis Britanniae finibus adsciscere curastis.»

LV. Primi vero qui Carolo Italiam aliquoties peragranti innotuere, fuerunt Petrus Pisanus Diaconus vir senex, et Paulus Warnefridi Diaconus pariter et monachus Casinensis, viri ob eruditionem variam atque docendi peritiam maxime commendati. Illos [Col. 0040A] Carolus ad aulam suam invitavit, futuros in ipso palatio suo scientiarum professores, et consilii sui in restaurandis litterarum studiis scholisque ordinandis ac instituendis adjutores. Illi mandato principis maximi obtemperantes, post expugnatam ab ipso anno 774 Paviam, uti creditur, cum eodem illo officio functuri in Galliam abiere. De utroque et de variis illorum opusculis, a se noviter detectis egregie disserit doctissimus D. Lebeuf, *Dissert.* sur l'Hist. ecclés. et civile de Paris. tom. I, pag. 370 seqq., ubi pariter pag. 386 animadvertit Carolum Magnum jam ante adventum beati Alcuini de restaurandis in amplissimo regno suo litterarum studiis serio cogitasse. Quod quidem minime inficiari velim, certum nihilominus habeo ex postea dicendis, idque alii pariter eruditi viri absque haesitatione profitentur, praeter beatum Alcuinum neminem majori studio et diligentia regis intentioni collaborasse, ita quidem ut illi potissimum in acceptis referenda sint quae rex [Col. 0040B] maximus postmodum ad studiorum optimorum emolumentum et profectum; imo etiam ad felicem, qui inde profluere solet utriusque reipublicae ecclesiasticae et civilis statum sapientissime constituit. De hujus aulae et totius regni Francici praeceptoris in Franciam vocatione et adventu disserere hoc loco post breve hoc praeambulum incipiamus.

LVI. Venerat beatus Alcuinus, ut jam alibi notavimus, primo in notitiam Caroli regis Francorum, «dum olim a magistro suo ad ipsum directus fuit,» uti legitur in ejus Vita cap. 6, num. 12. Factum id fuisse ante annum 780, quo Alcuinus Romae, accepto pro novo archiepiscopo Eboracensi Eanbaldo seniore, reversus esse ab aliquibus creditur, idem scriptor Vitae ibidem clare commemorat. Certe Alcuinus priori aliquo tempore, dum nempe adhuc adolescens erat, adeoque prope annum aetatis vigesimum septimum,

quem ipse Alcuinus adolescentiae terminum in Disputatione Puerorum, cap. 5, constituit, [Col. 0040C] adeoque circa annum Christi 862 (si calculum nativitatis illius ad annum 735 recte ducimus) Romam per Franciam abs dubio perrexit: tunc nimirum, quando Papiae regali civitate disputationi inter Petrum Pisanum et Julium Judaeum interfuit, uti ex epistola illius 85 (nunc 101) discimus. In illo ergo itinere Alcuino occasio fieri potuit primo perveniendi in notitiam Caroli nondum, ut existimamus, sceptra regni moderantis, seu ante Pippini patris sui obitum. Alio etiam, an eodem tempore beatus Alcuinus in comitatu magistri sui (Aelberti, adeoque ante annum 766 quo is ad episcopatum assumptus fuit) in Franciam venit et apud Corbeienses, (Morbacenses credo) divertit, uti scribit initio epist. 222 (nunc 53). Quibus simul consideratis vero simillimum est Alcuinum nondum adolescentiam egressum ejusdem Aelberti nondum episcopi in exteras regiones peregrinantis ac urbis Romae sacra loca visitantis comitem fuisse: quam hujus magistri sui [Col. 0040D] peregrinationem describit in poemate de Pont. Eborac. ubi addidit hunc Aelbertum in patriam reversurum a regibus et tribunis tanquam doctorem summum honorifice susceptum, tantique habitum fuisse, ut illum apud se retinere omnibus modis conarentur, nempe

Ut sua rura fluens divino rore rigaret. Verum Aelbertus suae magis patriae quam exterae regionis profectui deservire cupiens, retineri se minime passus, iter suum in Angliam et ad propriam ecclesiam, cujus non diu postea pontificatum accepit, prosecutus est.

LVII. Aelberto abeunte Carolus (si ita ex deductis et ex narratione scriptoris anonymi Vitae beati Alcuini conjicere licet) in ejus comitem Alcuinum, cujus etsi adolescentis genium ac litterariam eruditionem ex illa conversatione perspectam habere potuit, oculos et vota conjecit, optans ut ipsum saltem, [Col. 0041A] postquam ejus praeceptor id munus recusaverat, aliquando suae aulae et regni magistrum adipisceretur; quod Caroli desiderium tandem, emergente sequenti occasione, impletum fuit. Anno salutis 780, Aelberto archiepiscopo Eboracensi, qui non diu post reditum ex itinere illo cujus mox mentionem fecimus, in locum Ecgberti electus fuit, anno decimo sui episcopatus pariter defuncto, in ejus locum subrogatus fuit Eanbaldus senior Alcuini condiscipulus. Is pro impetrando sibi a sede apostolica pallio archiepiscopali legatum selegit hunc suum amicissisimum socium, quo forte nullum alium huic negotio feliciter peragendo aptiorem habuit. Paruit Alcuinus, iter aggressus est, et hujus legationis causa Romam venit, ut Vitae ejus scriptor loc. cit. testatur. Hoc jam alterum, nostra quidem opinione, iter est beati Alcuini ad illam civitatem, pontificatum ibi gerente Adriano I. Primi itineris numero praecedente meminimus. Reversus inde accepto pallio, ut praefatus scriptor narrat, Parmae civitate regem Carolum [Col. 0041B] obviam habuit. Nimirum Carolus, testibus annalistis illius temporis, Loiseliano, Tiliano, Eginhardo, Poeta Saxone, etc., circa finem ejusdem anni 780 cum Hildegarde regina in Italiam perrexit, et festa Natalitia Papiae; circa initium vero anni 781 iter suum per Parmam civitatem, uti ex laudato Vitae scriptore intelligitur, prosecutus, Romae Pascha celebravit. In hoc ipso igitur itinere et anno ante tempus paschale beatus Alcuinus Carolum regem Parmae reperit, et ad illius qui ipsum jam antea noverat alloquium admitti meruit.

LVIII. Carolus virum sibi ex priori jam conversatione, et deinceps ex fama eruditionis

illius magis magisque crescente, plurimum commendatum summa cum benevolentia excepit, nihilque non seu suasionibus seu promissis egit, ut illum in regnum suum, futurum scholarum quas tunc animo intentius meditabatur, rectorem pertraheret. Alcuinus tanti regis, maximo zelo pro reipublicae et catholicae Ecclesiae [Col. 0041C] salute flagrantis sollicitationibus sese obstinacius opponere piaculo simile existimans, ea tandem conditione munus sibi oblatum acceptum habuit, si ad illud obeundum, expleta sua legatione, ab episcopo et rege quibus parebat consensum et licentiam impetrare potuerit. Hac ergo conditione, quae sane aequissima haberi debuit, beatus Alcuinus a rege dimissus iter suum in patriam prosecutus est; ubi expleto missatico et reddita coram Eanbaldo archiepiscopo legationis suae ratione, eidem simul Caroli Francorum regis voluntatem ac desiderium exposuit, ab ipsoque quid fieri vellet aut mandaret expetiit. Assensit tam aequis postulationibus Eanbaldus, cui simul rex, cujus ditioni subjectus erat, annuit, ea tamen ab utroque adjecta conditione, ut ne diu nimium in aliena regione moram trahens propriae patriae suae operam suam tam illi proficuam subtraheret, sed constituto tempore ad regnum et ecclesiam cujus servitiis fuit obligatus reverteretur.

[Col. 0041D] LIX. Obtenta hac licentia Alcuinus, omnibus ad iter aggrediendum, et ad novum hoc munus digne in aula regis Francorum obeundum necessariis dispositis et comparatis, selectis etiam et assumptis secum, ut ex Vitae ejus contextu conjicere licet, nonnullis sociis ac familiaribus, suis antea in schola Eboracensi discipulis, qui ipsi in demandata sibi provincia solatio essent et adjutorio, in Franciam nunc tertio profectus est, regique Carolo sua officia et servitia, quaecunque illi et regno suo proficua fore judicaverit, obtulit.

LX. Hunc Alcuini in Franciam reditum D. Rivet *Hist.* Lit. de la France, tom. IV, pag. 296, ad annum 780; et D. Ceillier, *Hist.* Générale des Auteurs sacrés, tom. XVIII, pag. 249, circiter illum annum referunt. Verum serius illum reditum et vix ante annum 782 contigisse ex iis, quae superius num. 57 ex annalibus illorum temporum attulimus, manifestum [Col. 0042A] est. Illis siquidem testibus, Alcuinus primum anno 781 ante festum Paschatis Carolum Parmae obviam habuit, ubi tunc ab eodem rege primum ad permanendum in regno suo invitatus fuit. Si jam itineris quod Alcuino tam in aditu in patriam quam in reditu in Franciam emetiendum fuit, longitudinem et difficultates, negotia varia pariter ante abitum domi expedienda consideremus, vix credibile est haec omnia eodem adhuc anno absolvi potuisse. Adventum ergo beati Alcuini hac vice ad aulam Caroli Magni ad annum praedictum, Christi 782 referri debere existimamus. Et huic nostrae opinioni consentientem habemus celeberrimum collectorem scriptorum Rer. Gallic. D. Bouquet, tom. V, p. 604, not. a in fine.

LXI. Alcuinum ex Anglia reversum Carolus Magnus cum maxima benevolentia excepit, illumque, ut laudatus saepe Vitae scriptor ait, tanquam filius patrem amplexus est; et non multo post duo monasteria [Col. 0042B] illi administranda concessit, Bethleem scilicet, quod alio nomine Ferrarias dicitur in pago Wastinensi, provinciae Senonensis; et sancti Lupi apud Trecas, praeter cellam maritimam sancti Judoci apud Morinos. Per quae beneficia Carolus non tam intendebat, ut novum hunc suum magistrum divitiis cumularet, ait D. Rivet loc. cit. pag. 296, quam ut illius cura et vigilantia in illis

manasteriis regularis disciplina restaurari et per convenientia studia confirmari posset. Et hac demum ratione simul domicilium beati Alcuini in Francia et in aula regia stabiliri coepit: et tunc pariter rex ille magnus ejusdem magistri consiliis, non tantum in restaurandis studiis litterarum, verum etiam in ordinando statu politico et ecclesiastico regni sui uti coepit. Ab illo tempore, inquit laudatus D. Rivet loc. cit., rex Carolus Alcuinum tanquam praeceptorem suum respexit, ac deinceps semper coluit, nihil majoris momenti illo inconsulto aggressus; sed illius manus in quibusvis negotiis difficilioribus, dubiique eventus adhibita fuit: [Col. 0042C] quod similiter factum fuisse in conficiendis illis sapientissimis legibus, quae *Capitularium nomine celebrantur, a Carolo Magno promulgatis, colligere est ex fine praefationis Benedicti Levitae ad lib.* V Capitul. apud Baluzium tom. I, pag. 805. Id saltem nemo, reor, inficiabitur illas constitutiones Caroli Magni quae ad studia litterarum restauranda, et ad scholas ubivis in ecclesiis cathedralibus et in monasteriis erigendas ordinatae sunt, ex consilio et suggestione vel etiam calamo beati Alcuini profluxisse: quas propterea, quod simul ad gesta illius praeclara pertineant, penitus praeterire non possumus, sed eas sequenti capite breviter indicabimus; recensentes simul maximam utilitatem, quae exinde in Ecclesiam et totum regnum Francorum redundavit, cum perenni gloria sui augusti auctoris et illustris magistri.

CAPUT VI.

Constitutiones et remedia pro reparandis litterarum studiis adhibita. [Col. 0042D]

LXII. Post beati Alcuini adventum in palatio Caroli Magni et congregatis ibi aliis quoque viris doctis ex Italia, ut diximus, jam antea advocatis, rex grande opus quod diu magno animo volvebat et revolvebat illorum consilio innixus aggressus est, apertoque, si ita loqui fas est, Marte inveteratam diu barbariem et ignorantiam oppugnare coepit.

LXIII. Ad hanc pugnam primum quasi sonante classico vocavit et excitavit regni sui metropolitas, episcopos, abbates aliosque ad quos pertinebat, missis ad omnes illos litteris, ut vocant, encyclicis seu generalibus, quarum exemplum, ad Baugulfum abbatem Fuldensem directum, et a Sirmondo ex codice monasterii sancti Arnulfi Metensis editum exhibet Baluzius, tom. I Capitul., pag. 201. In hisce litteris Carolus utile sibi cum suis consiliariis visum [Col. 0043A] fuisse asserit, «ut episcopia et monasteria praeter regularis vitae ordinem atque sanctae religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus, secundum uniuscujusque capacitatem, docendi studium impendatur.» Animadvertebat siquidem rex ad omnia attentissimus in scriptis saepius a nonnullis monasteriis ad ipsum directis, «sensus quidem rectos, sermones vero incultos» apparuisse; «quia, inquit, quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat.» Hinc metuebat, «ne sicut minor in scribendo erat prudentia, ita quoque et multo minor in eis, quam recte esse debuisset, esset sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia.» Hac ratione motus hortatur ipsos ut litterarum studia posthac non negligantur, ubique magisteria erigantur, atque «ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi, et desiderium habeant alios [Col. 0043B] instruendi.»

Quo demum haec constitutio collimet, rex religiosissimus his verbis expressit: «Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiae milites et interius devotos, et exterius doctos, castosque bene vivendo et scholasticos bene loquendo: ut quicunque vos propter nomen Domini et sanctae conversationis nobilitatem ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro aedificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.» Mirandus profecto zelus tanti regis pro optimis studiis inter ecclesiasticos viros promovendis, et pro bono in totam Ecclesiam inde redundaturo. Ex eodem zelo in Capitulari Aquisgranensi anni 789, num. 70 apud eumdem Baluzium, tom. I Capitul., pag. 237, studia, quae in scholis tractari debeant, praescribit, «et omnibus sanctae Dei Ecclesiae ordinibus seu saecularis potentiae dignitatibus praecipit, ut scholae legentium puerorum fiant: psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per [Col. 0043C] singula monasteria et episcopia discant: sed et libros catholicos bene emendatos habeant . . . . et pueros suos non sinant eos vel legendo vel scribendo corrumpere; et si opus est Evangelium vel Psalterium et Missale scribere, perfectae aetatis homines scribant cum omni diligentia.»

LXIV. Prima ergo cura Caroli regis et magistrorum aulae, maxime Alcuini, collocata fuit in comparandis qui ad docendum et discendum necessarii censebantur libris, iisque selectis et bene emendatis; quod sane remedium pro excolendis ingeniis ipso naturali ordine caetera praeire debuit; ex libris enim male digestis et imperite scriptis, ipsas doctrinas confundi et ingenia turbari necesse est. Enimvero in tanta temporis illius barbarie difficile fuit reperire libros a lacunis variis, soloecismis, aliisque erroribus multiplicibus immunes: scriptores siquidem aevi Carolum antecedentis, cum ipsimet grammaticae et orthographiae essent ignarissimi, codices [Col. 0043D] quoscunque, quos describendos acceperant ipsosque jam antea quoque corruptos, novis insperserunt erroribus, ita ut multoties vix aliquis sensus inde exprimi potuerit, multoties mentem in contrarium induxerit: cujusmodi codices ex illo aevo etiamnum in vetustis scriniis superesse norunt eruditi ac seduli illorum scrutatores. Dolendum maxime, huic malo ipsos etiam codices ecclesiastico officio servientes, imo ipsius sacrae Scripturae subjacuisse.

LXV. Praeprimis ergo Carolum regem sollicitudo tenuit, ut viri ecclesiastico ministerio destinati habeant libros sacros bene emendatos; hancque curam eosdem corrigendi demandavit Paulo Warnefridi et Alcuino. Paulus a rege mandatum accepit, ut homilias Patrum pro nocturnali officio ordinatas, quae infinitis vitiorum anfractibus seu soloecismis scatebant, elimaret, uti legitur in epistola Caroli Magni illi Homiliario praefixa, quae reperitur in editione Coloniensi anni 1539, a Cel. Baluzio separatim tom. I [Col. 0044A] Capitul., pag. 203, et a D. Mabillonio, lib. XXVI Annal., num. 62, edita, in qua religiosissimus rex ita ad religiosos lectores suae ditioni subjectos scribit: «Quia curae nobis est ut nostrarum ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam pene majorum nostrorum desidia reparare vigilante studio litterarum satagimus officinam, et ad pernoscenda studia liberalium artium nostro etiam, quos possumus, invitamus exemplo . . . . Denique quia ad nocturnale officium compilatas, quorumdam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus lectiones; quippe quae et sine auctorum suorum vocabulis essent positae, et infinitis vitiorum

anfractibus scaterent, non sumus passi nostris diebus in divinis lectionibus inter sacra officia inconsonantes perstrepere soloecismos; atque earumdem lectionum in melius reformare tramitem mentem intendimus. Idque opus Paulo Diacono, familiari clientulo nostro, elimandum injunximus.»

[Col. 0044B] LXVI. Simile opus ac laborem Alcuinum quoque in se suscepisse scriptor Vitae illius tradit cap. 12, num. 24, his verbis: «Collegit multis de Patrum operibus homiliarum duo volumina.» Hanc tamen assertionem in dubium vocat D. Rivet tom. IV, *Hist.* Lit. de la France, pag. 337, num. 5, existimans superfluum futurum fuisse laborem in colligendis iterum homiliis pro usu ecclesiarum Franciae, postquam eodem tempore ejusmodi collectio a Paulo Warnefridi facta est jussu et approbatione regis. Nihilominus D. Mabillonius loc. cit. duo distinguit Homiliaria, unum Pauli et alterum Alcuini.

LXVII. Majore certitudine constat beatum Alcuinum, Carolo praecipiente, emendasse librum qui *Comes appellabatur, alias sancto Hieronymo ascriptus, et epistolas et evangelia per circulum anni singulis festivitatibus legi solita continebat, qualis testante D.* Mabillonio loc. cit. num. 61 habetur in illius temporis codice bibliothecae Carnutensis, in quo circa medium haec leguntur: «Hunc codicem, [Col. 0044C] qui ab ecclesiasticis viris *Comes appellatur, tua, lector, noverit perspicacitas ab eo codice sumptum, quem constat ab Albino eruditissimo viro, Carolo sapientissimo imperatore praecipiente, lima rectitudinis esse politum atque emendatum:* qui codex licet a multis haberetur, a plerisque tamen mendose et non bene distincte legebatur. Ob id studii fuit ejusdem Dei cultoris, ut a praefato viro ad purum corrigeretur, et distinctionibus artis grammaticae, pronuntiandi gratia, distingueretur; ita videlicet ut legentibus ejusdem codicis textus iter planum panderet, et audientium auribus nihil inconsonum afferret; simplices quoque errare non sineret. Nobis autem curae fuit, ita hunc emendate atque distincte transcribere, sicut ab eodem magistro emendatus exstat et distinctus.»

LXVIII. Labor iste rei litterariae summe proficuus tantopere cordi fuit Carolo regi, ut ipsemet illum, vacuus a gravissimis regni negotiis, quibusdam temporis [Col. 0044D] particulis subire haud gravaretur. Exstat siquidem, teste Lambecio libr. VIII Bibl. Vindobonensis, pag. 645, in eadem bibliotheca Caesarea quidam pervetustus ac rarissimus codex ms. membranaceus, olim, judice eodem D. Lambecio, ad bibliothecam cubicularem Caroli Magni pertinens; in quo continetur Explanatio Origeni perperam tributa in sancti Pauli apostoli Epistolam ad Romanos; cujus Scriptura mendis nonnullis respersa propria Caroli manu emendata fuit, quod testantur versiculi sequentes, aeque antiquo charactere ibidem subscripti:

Qui sternit per bella truces fortissimus heros Rex Carolus, nulli cordis fulgore secundus, Non passus sentes mendarum serpere libris, En bene correxit, studio sublimis in omni. Ex quibus manifestissime et sine ulla controversia apparet, ait laudatus D. Lambecius, quaecunque in hoc codice, vel in ipso contextu emendata, vel interlineariter subscripta, vel ad marginem adnotata [Col. 0045A] sunt, propria ipsius Caroli Magni manu scripta, ideoque monumentum hoc litterarium, ob venerationem tanto monarchae debitam fere inaestimabile esse. Tradit deinde idem bibliothecarius celeberrimus varios alios in illa bibliotheca Augusta Vindobonensi codices servari manu ejusdem regis emendatos,

quod ex comparatione scripturae cum emendationibus prioris codicis cognosci possit. Vid. Kollarii Analect. Monum. Vindobon. tom. I, pag. 724, not. a. Quis satis miretur ac depraedicet principis hujus maximi sublimem genium, qui eadem manu, qua tot hostes regni amplissimi devicit, etiam barbariem debellare novit.

LXIX. Praeterea vero rex religiosissimus cordi maxime habuit ut libri sacrae Scripturae, amanuensium oscitantia multipliciter corrupti, suae restituantur puritati: «Universos ergo Veteris et Novi Testamenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo adjuvante, examussim correximus,» uti scribit in epistola cit. Homiliario praefixa. Ad hoc opus perficiendum [Col. 0045B] cum Alcuino neminem magis idoneum existimaret, eidem curam hujus laboris demandavit, uti intelligitur ex epistola ad Gislam et Columbam libro VI Commentarii in Joannem pag. 591 praefixa: scribit enim ibi Alcuinus quod regis mandato, quo ipsi cura emendandi Vetus Novumque Testamentum injuncta fuit, impeditus sit quominus tunc ad praefatas virgines expositionem totius Evangelii sancti Joannis dirigere posset: «Totius forsan, inquit, Evangelii expositionem direxissem vobis, si me non occupasset Domini regis praeceptum in emendatione Veteris Novique Testamenti.» Hunc pernecessarium et perutilem laborem Alcuinus alacriter in se suscepit, et tam constanter continuavit, ut opus jamjam absolutum, die Natalis Domini anno 800, quo Carolus Romae imperatoria corona redimendus erat, eidem imperatori tanquam acceptissimum munus, quo simul laetitiam suam ob adeptam novam illam majestatem, contestaretur, offerre potuerit, uti intelligitur ex [Col. 0045C] epistolis 103 et 185 (nunc 131 et 135).

LXX. «Exstat, teste Baronio tom. IX Annal. Eccles. ad annum 778, codex, Alcuini labor, in Vallicellana bibliotheca, ubi velut ingens thesaurus asservatur, ut pote quod viri eruditi, qui in emendatione Vulgatae iterum nostro tempore laborarunt, eo ut antiquiore usi sunt, cui et plurimum detulerunt.» Ad calcem codicis illius Vallicellani, eodem Baronio referente, versus Alcuinus apposuit per diversa epigrammata distinctos, quos dabimus cum quodam supplemento, carm. 5. Verosimile est hunc ipsum codicem fuisse, quo etiam anno 1236 usi sunt PP. Dominicani, qui mandante generali ipsorum P. Jordano et Hugone de S. Charo conventus Parisiensis priore in emendandis exemplaribus sacrorum Bibliorum laborarunt, de quo videas Le Long., Bibl. Sacrae tom. I, pag. 239.

LXXI. Codicis sacri ita correcti exemplaria brevi per ecclesias et monasteria divulgata, et ab industriis [Col. 0045D] ac peritis librariis descripta fuere: cujus rei testem habemus Angelomum monachum Luxoviensem, Alcuino pene contemporaneum, qui in commentario super Genesin apud Pezium thesauro Anecdot. tom. I, pag. 148, in fine scribit se vidisse sacram illam bibliothecam jussu Caroli Magni correctam, diligenterque inspexisse: et in illa suo calculo probat lectionem vocis *Saraam,* quam alii scribebant per duplex *r* et unum *a.*

LXXII. Nullus dubito quin beatus Alcuinus eamdem industriam quam sacris codicibus emendandis impendit, aliis quoque libris, quibus ad discendas vel docendas artes liberales opus erat, adhibuerit, vel per suos socios aut discipulos adhiberi curaverit. Nobis certe vero admodum simile videtur, quod Alcuinus pro usu scholasticorum librum quoque *De septem artibus, a Quercetano inter illius opera incomplete editum,*

a mendis queis pleraque exemplaria corrupta erant, emendaverit; cujus verus auctor est M. [Col. 0046A] Aurelius Cassiodorus senator, Alcuino suppositus, eidemque in unico veteri codice Jacobi Sirmondi tributus, cujus fortassis nomen praeferebat, ob illi adhibitam ab ipso correctionem. Vide quae diximus in praefatione ad opuscula de Grammatica, Orthographia, etc., ubi rationem reddimus omissionis illius libri in hac nostra collectione.

LXXIII. Laboribus hujuscemodi occupatus Alcuinus, de hoc pariter sollicitus fuit ut libri omnes ad usum ecclesiarum, monasteriorum atque scholarum destinati juxta leges orthographicas recte et absque erroribus describerentur: quod ut felicius succederet, necessum esse judicavit, ut ante omnia scriptores ad hunc laborem adhibendi in arte recte scribendi, seu in orthographia bene informarentur. In hunc finem opusculum composuit de eadem arte, quam ex codd. ms. partim etiam ex Ven. Beda exhibemus, ubi simul rationem reddimus, quare hunc librum genuinum Alcuini foetum esse censeamus.

LXXIV. Hanc pro libris antea depravatis expurgandis [Col. 0046B] et pro novis exemplaribus recte et secundum leges orthographiae scribendis curam ac sollicitudinem, quam rex Carolus suis praeceptis et Alcuinus suo exemplo, doctrina et exhortationibus maximo studio commendarunt, posthac ubique aemulati sunt episcopi et abbates; cujus rei testimonium irrefragabile praebent plurimi codices, opera varia sacrae Scripturae, sanctorum Patrum, conciliorum, legum, et profanorum quoque scriptorum in veteribus bibliothecis etiamnum exstantes, diligentiae illius temporis certissimi testes: quorum magnum numerum prae oculis nostris habemus in bibliotheca nostra sancti Emmerami residuos, initio saec. IX exaratos, eosque absoluta scriptione, ut in quibusdam notatum est, revisos atque a mendis purgatos. Accessere deinceps per industriam hujus celeberrimi magistri scientiarum omnium, tractatus de arte bene loquendi, dicendi et disserendi, cujus regulas ipse postea in Dialogis de grammatica, rhetorica et dialectica [Col. 0046C] complexus est.

LXXV. Arte igitur orthographica restituta, comparatisque libris optimis scholae servientibus, bibliothecis pariter multo apparatu praestantissimorum auctorum instructis, nihil jam obstabat ulteriori progressui scientiarum in publicis privatisque scholis docendarum. Episcopi ergo et abbates ad tam seria mandata sapientissimi regis attenti, et frequentibus quas Alcuinus singulis pene epistolis ad ipsos scriptis intimavit, adhortationibus excitati libris describendis et colligendis, scholisque instituendis omnem navarunt operam. Inter scholas episcopales primae tunc et celebriores, quarum saltem adhuc monumenta exstant memorantur Lugdunensis sub Laidrado, et Aurelianensis sub Theodulfo episcopis enatae. Laidradus a Carolo Magno e Norico patria sua evocatus creditur, in reformanda disciplina et restaurandis scientiarum studiis futurus coadjutor; qui anno 798 episcopus Lugdunensis creatus fuit. [Col. 0046D] Is de schola a se erecta Carolum regem per epistolam, quae exstat tom. XIV Bibl. PP., edit. Lugdunensis, pag. 233, informat quod in ecclesia Lugdunensi essent cantores in illa schola tam eruditi ut etiam alios in cantu instruere possint; nonnulli etiam qui ita in litteris profecerunt, ut sensum spiritualem sancti evangelii bene intelligerent; alii qui libros Prophetarum, Salomonis, Psalmorum, imo et libelli Job, qui sane unus e difficilioribus esset,

interpretari scirent.

LXXVI. Theodulfus, qui praecipuus post Carolum Magnum et Alcuinum studiorum restaurator censetur, ob doctrinae praestantiam ab eodem rege ex Italia circa annum ut quidam volunt 771 evocatus, ac postea circa annum 794 ad episcopatum Aurelianensem promotus fuit. Hunc Alcuinus in epist. 193 (nunc 147) vocat «clari luminis atque affluentis sapientiae lucernam, virumque clarissimum, cujus est aetas florida et vividae virtus sapientiae;» quod [Col. 0047A] praestans elogium Theodulfum promeruisse comprobant varia ab ipso edita monumenta litteraria, apud Sirmondum tom. II Operum pag. 666 seqq. editionis Venetae anni 1728. Is ergo paucis annis post adeptum episcopatum Aurelianensem (circiter an. 794 vel 797 juxta calculum Sirmondi) Capitulare edidit, in cujus capite 19 constituit ut presbyteri qui voluerint nepotes suos aut aliquem consanguineum ad scholas mittere, valeant. Scholae ibi nominantur, una in ecclesia sanctae Crucis, quae cathedralis est; altera in monasterio sancti Aniani Aurelianensi; tertia sancti Benedicti in monasterio Floriacensi; quarta sancti Lifardi in monasterio Magdunensi. Ibidem simul insinuatur scholas in aliis etiam monasteriis quae Theodulfo ad regendum concessa fuerant, fuisse institutas. Scholas tamen illas non publicas, sed privatas fuisse post Cointium ad annum 787, num. 85, existimat Pagius ad an. 735, num. 7. Mabillonius vero in praefat. ad saec. IV Bened. num. 187, publicas illas fuisse contendit. Praeter [Col. 0047B] has scholas majores, alias minores Theodulfus ibidem cap. 20 constituit, ubi presbyteris inculcat ut per villas et vicos infantes et parvulos cum summa charitate doceant, nihil mercedis propterea exigendo vel accipiendo, nisi quod a parentibus charitatis studio sua voluntate oblatum fuerit. Vitam et scripta Theodulfi egregie illustravit Rivetus jam multoties laudatus tom. IV Hist. Lit., pag. 459 seqq.

LXXVII. Capitulare illud Theodulfi Aurelianensis recepit, et in frequenti synodo subjectis sibi clericis, ut illius decreta accurate observarentur, praecepit Hildegarius Meldensis episcopus, prout D. Mabillonius in codice Gemlacensi se legisse refert Analect. novae edit. pag. 412, col. 2. Istorum episcoporum studium egregie alii etiam episcopi aemulati sunt; nec dubitandum censeo ipsos similes constitutiones pro reparandis litterarum studiis in [Col. 0047C] suis dioecesibus fecisse ac promulgasse. Ex variis siquidem illius et subsequentis temporis monumentis constat scholas in omnibus antiquioribus episcopatibus regni Francorum fuisse reformatas, in recens fundatis vero simul cum episcopatibus erectas. Idem dicendum de monasteriis sub regula sancti Benedicti tunc militantibus. De omnibus illis scholis, tam episcopalibus quam monasterialibus, publicis et privatis, majoribus et minoribus, quae ex illis constitutionibus et conatibus enatae sunt, hic singulatim disserere, nimis longum et inopportunum foret: plura de iisdem scire cupientibus abunde satisfacient viri eruditissimi, D. Lanoius in libro De scholis celebrioribus tom. IV Operum part. I, pag. 1 seqq., D. Mabillonius praefat. ad saec. IV Ben. pag. 128, § 8; D. Rivet loc. cit. num. 21 seqq.

LXXVIII. Ne porro studia litterarum optimo jam successu coepta et ordinata rursum apud eos quorum [Col. 0047D] curae illa commissa fuere, tepescerent, sed ut magis magisque efflorescerent, ingeniosissimus rex Carolus medio usus est hactenus insueto,

et vix unquam prioribus temporibus tentato. Ipse siquidem nunc in colloquiis, nunc in epistolis, episcopis, abbatibus, clericis et monachis, maxime vero scholarum rectoribus varias quaestiones, nunc circa textus difficiliores sacrae Scripturae, nunc circa materias ecclesiasticae antiquitatis et veteris disciplinae, nunc de grammaticis ac dialecticis spinetis, nunc de astronomicis apparitionibus earumque calculis proponebat, ut hoc ingenioso artificio adigerentur, ut nunquam ab indagatione veritatis, a tractandis scientiis, a libris excutiendis, volvendis ac evolvendis cessarent, quo aptiores et expeditiores redderentur, ad solide et docte seu calamo seu oratione respondendum propositis difficultatibus a principe eruditissimo studio exquisitis. Profecto stimuli hujusmodi a tanto principe immissi non potuere non esse ad [Col. 0048A] scientias excolendas, promovendas, studiumque illarum stabiliendum utilissimi et efficacissimi. Exstant etiamnum ejusmodi quaestiones ad metropolitas missae de baptismo et caeremoniis illum praecedentibus et concomitantibus: exstant et plures epistolae ad easdem responsoriae: Amalarii Trevirensis tom. II, pag. 520; Odilberti Mediolanensis in Analectis D. Mabillonii nov. edit. pag. 75; Laidradi Lugdunensis ibidem pag. 78; Theodulphi Aurelianensis apud Sirmondum tom. II, Op. edit. Venetae 1728, pag. 679; Magni Senonensis apud Martene De antiquis Ritibus Eccles. libr. I, pag. 158. Alias rursus quaestiones sibi enodari postulavit *de gratia septiformis Spiritus apud Mab.* loc. cit., *de Processione Spiritus sancti a Patre Filioque, uti legitur in praefat.* Theodulfi Aurelianensis ad Carolum Magnum praefixa ejusdem libello de Spiritu sancto, apud Sirmondum loc. cit. pag. 695. De eadem difficultate jam antea etiam beatum Alcuinum consuluit, qui [Col. 0048B] ejus mandato ocius paruit in libello *de Processione Spiritus sancti, quem ex ms.* cod. Laudunensi exhibemus. Praeprimis vero Carolus hunc praeceptorem suum hujusmodi litterariis quaestionibus, de rebus grammaticis, dialecticis, liturgicis, biblicis, astronomicis fatigare solebat, quibus idem in variis epistolis aliisque scriptis satisfecit. De illo interrogandi more Caroli idem in epist. 124 (nunc 163) ita de litteris ab eodem rege ad se missis loquitur: «In quibus laudabilibus vestrae sapientiae apicibus meam, ut soliti estis, segnitiem per interrogationes prudentissimas excitare velle inveni.» Et in epistola 125 (nunc 164) ad alia regis interrogata respondens ita praefatur: «Mirabilis sapientiae vestrae litterarum serie perlecta, invenimus eas eloquentiae nitore splendidas et profunditate sensuum subtilissimas, et inquisitionis gratia jucundissimas. Unde patenter agnosci poterit, non tantum imperatoriam vestrae prudentiae potestatem a Deo ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium et sapientiae decorem collatam: et [Col. 0048C] juvenum mentes quadam inertiae rubigine obductas ad acumen ingenii per vestram sanctissimam solertiam elimandas. Siquidem praeter imperiales et publicas curas, evangelicas quaestiones academicis vestris a nobis enucleandas inquiritis, etc.» Eamdem consuetudinem doctos per varias quaestiones exercendi in Carolo laudat Theodulfus Aurelianensis episcopus in epistola ad Magnum Senonensem apud Sirmondum, tom. II Oper. pag. 679, ubi loquens de quaestionibus circa caeremonias ab eodem rege propositis ait: «Quaestiones istae, ut ego te nosse certus sum, a regali necessitudine non sunt factae necessitate discendi, sed studio docendi; nec ut ipse his absolutis de nescitis valeat imbui, sed ut alii de somno desidiosi torporis ad rerum absolvendarum utilitatem valeant excitari. Quippe cui hoc semper familiare est, ut exerceat praesules ad sanctarum Scripturarum indagationem et sanam sobriamque doctrinam, omnem clerum ad disciplinam, philosophos ad rerum [Col. 0048D] divinarum

humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad sanctitatem, primates ad concilium, judices ad justitiam, etc.»

LXXIX. His demum mediis Francia totumque regnum sceptro Caroli Magni subjectum a pristinis ignorantiae et barbariei tenebris emersit; atque in statu utroque ecclesiastico et civili lumen scientiarum refulsit, diuque postea scholas jam erectas collustravit, et erigendis praeluxit; donec regno, inter plures principes auctoritate, ingenio, prudentia ac magnanimitate parenti multo inferiores, diviso, dissidia inter ipsos exorta, bella intestina, barbararum nationum incursiones, legum bonique ordinis politici neglectus totum illud nunc florentissimum imperium in barathrum prioris confusionis relabi fecerunt. De qua revolutione musis omnibus maxime exitiali, et de misero statu litterarum in Gallia saec. IX erudite disserit D. Rivetus, tom. IV *Hist.* Lit. de la France, pag. 217 et seqq. His ergo, ne actum [Col. 0049A] agamus, praetermissis de magisterio, quod beatus Alcuinus in palatio regio tenuit, disseramus.

CAPUT VII.

Magisterium beati Alcuini in schola Palatii, ejusque in illa discipuli.

LXXX. Caroli Magni amor quo erga musas ferebatur, in dies crescebat, quo magis scilicet ex consuetudine cum Aulae suae magistris et quotidiano ferme experimento didicisset, quantam illae felicitatem regno suo allaturae essent; hinc non contentus, easdem intra septa ecclesiarum ac claustra monasteriorum, quod in praecedentibus constitutionibus praeceperat, concludi, in ipso etiam suo regio palatio illis domicilium statuit, scholamque ibidem publicam erexit, ut illius opportunitate simul regia proles, proceres et aulici, eorumque filii et filiae ingenium mentemque excolendi media in promptu haberent. Illis vero omnibus Carolus suo exemplo, quo [Col. 0049B] magis ad studia litterarum sedulo pertractanda incitarentur, praeire voluit; enimvero majestate sua haud indignum existimavit, si descendens de regio throno propemodum in scholae subselliis virorum doctorum, quos in aulam advocavit, discipulum ageret. Quae quidem regis illius totius Europae potentissimi demissio et solertia nullo eloquio satis valet depraedicari; «cujus mentis miranda est nobilitas,» ait Alcuinus libr. De ratione animae, «dum inter tantas palatii curas et regni occupationes philosophorum pleniter arcana curavit scire mysteria, quod vix otio torpens alius quis modo cognoscere studet.» Certe prodigii instar habendum est, in palatio tanti regis, ubi tot negotia imperii amplissimi tractanda indies occurrebant; ubi toties bellorum atrocissimorum classica insonabant; ubi gravissimae causae cum pontificibus Romanis, cum imperatoribus Orientis, cum Anglis atque Hispanis, missis hinc inde legatis erant expediendae, musis potuisse locum et otium reperiri. His tamen rebus, quae sibi tantopere contrariari [Col. 0049C] videntur, jungendis et conciliandis maximi illius principis ingenium par fuit.

LXXXI. In hac porro schola palatina beatum Alcuinum litteras docuisse, scriptores omnes qui illius gesta recensent, consentiunt, et ex propria ejus epistola 67 (nunc 82) ad domnum Regem evincitur, ubi Turonis relicta jam aula existens, de mutato a magistris quibusdam calculo lunari conqueritur, ita scribens: «Ego imperitus, ego ignarus, nesciens Aegyptiacam scholam in palatio Davidicae versari gloriae: ego abiens

Latinos ibi dimisi; nescio quis introduxit Aegyptiacos.» Ibi ergo docuit, ubi abiens discipulos reliquit. Imo principem is locum ibidem inter reliquos magistros tenuit: nullique alteri Carolus tantum honorem praeterquam Alcuino detulit, ut illum, postquam in sola grammatica discenda Petrum Pisanum audivit, ut Eginhardus in Caroli Magni Vita narrat, in reliquis disciplinis, rhetorica, dialectica ac praecipue astronomia dignaretur habere praeceptorem. [Col. 0049D] Quod ipsum testatur Vitae Alcuini scriptor cap. 2, num. 12, dum asseverat quod Carolus ab Alcuino, postquam is ex Anglia redierat, «artes introductus in liberales refrigerari paululum noverat, sed exsaturari ob fervorem satis nimium nequibat.» De hoc honore sibi a rege delato ipse Alcuinus gloriatur in epigrammate 260 ad fratres suos Eboracenses misso, his versibus:

Talia namque placent vestro quia munera patri, Qui nunc egregias regalibus insonat artes Auribus, et patrum ducit per prata sequentem Praepulchro sophiae regnantem stemmate celsae. Et in epigrammate 231 studia quaedam recenset, quae cum hoc augusto suo discipulo exercuit, ita canens:

O mihi dulcis amor, David, per saecla valeto;
Quam te praesentem semper habere velim! Pierio ut tecum liceat mihi ludere versu,
Scandere vel summi sidera celsa poli;[Col. 0050A] Vel pulchras tecum numerorum discere formas,
Irrepere aut veterum dicta stupenda Patrum: Aut tractare sacra aeternae praecepta salutis,
Quae via te mecum pervehat astra super.

LXXXII. Quando igitur Carolus in epistolae ad Alcuinum scriptae initio, quod refertur in epist. 124 (nunc 163), ipsum «charissimi in Christo praeceptoris» nomine compellat, titulum hunc non solius honoris, uti interpretatur Baronius ad annum 778, num. 15, verum etiam doctrinae causa illi tributum censemus. Enimvero testimonia hactenus allata plane evincunt, *Alcuinum in mathematicis ac philosophicis* non tantum *cum Carolo Magno disseruisse, uti ibidem scribit Baronius, verum etiam in iisdem saltem scientiis ipsum imbuisse.* In sacrarum tamen rerum scientia Carolum adeo imbutum fuisse existimat idem Historiae ecclesiasticae parens loc. cit., ut magistri potius quam discipuli locum teneret; «siquidem, ait, in ea facultate non Carolus Albinum, sed Albinus Carolum consulebat, si quod dubium [Col. 0050B] esse obscurum sibi videretur et arduum,» idque constare credit ex litteris Alcuini ad Carolum de septuagesima, etc., epist. 65 (nunc 80): et ex responsione Caroli epist. 12, Patrologiae tom. XCVIII, col. 911, concludit Baronius quod «Carolus sacrarum rerum scientia multum praecesserit eum, quem magistrum vocat, Albinum.» Quam celeberrimi hujus scriptoris existimationem de Caroli in sacris eruditione, nescio an quispiam eruditorum non censeat nimiam. Certe Carolus in rebus sacris saepius Alcuinum quam hic illum consuluit, uti docent epistolae plures: epist. 123 (nunc 162) de differentia inter aeternum et sempiternum, etc.; ep. 124 (nunc 163) de duobus gladiis; epist. 125 (nunc 164) de hymno post coenam dicto; epist. 126 (nunc 165) de pretio humanae salutis, quas nondum tunc editas Baronius non vidit. Ad confutandos errores Felicis et Elipanti Carolus Alcuini opera indiguit, illumque in hunc finem, ut reditum ex Anglia acceleraret, [Col. 0050C] permovit. Pro illius in fide sanctae et individuae Trinitatis

instructione libellum de eodem dogmate scripsit, illique dedicavit; «quia, inquit, neminem decet vel meliora nosse vel plura, quam imperatorem;» idque se ideo agere ait, ut sui nominis, «quo a quibusdam magister (utique ipsius regis, quem hic instruit) vocatur,» officium impleret. Firmum ergo maneat Alcuinum Caroli Magni tam in sacris quam in profanis litteris praeceptorem seu magistrum exstitisse. Sed cum Baronius aliique passim ultimam tantum profectionem in Franciam, quae anno 792 aut sequentis initio facta est, quando Carolus jam grandaevus fuerat, agnoverint, an et quid Alcuinus Carolum docuerit, explicare non potuerunt, ait Pagius ad annum 782, num. 8 in fine.

LXXXIII. Studiis liberalibus quibus ipse rex operam dabat, teste Eginhardo in Vita num. 19 apud Bouquet tom. V, de Script. Rer. Gallic. etiam liberos suos, tam filios quam filias, institui mandavit. [Col. 0050D] Schola igitur palatii optime jam ordinata et ipsius regis Caroli praesentia saepius frequentata, regii quoque principes Carolus, Pippinus et Ludovicus; viri juvenesque primae nobilitatis, Angilbertus, Adalhardus, Damoeta; regiae etiam virgines, Gisla utraque, soror et filia Caroli; Richtrudis cognomento Columba, cum Guntrada cognomento Eulalia cum multis aliis, parentis ac regis sui vestigia certatim secuti, magisterio ac disciplinae beati Alcuini sese tradiderunt: quos omnes deinceps Alcuinus filiorum ac filiarum nomine compellat, non aliam certe ob causam quam quod illis in palatio commorantibus paternam per varias instructiones in litteris ac moribus curam adhibuerit. Ad illos pariter plures scripsit epistolas variis doctrinis refertas ea styli gravitate, qua uti solent magistri scholares suos instruere volentes.

LXXXIV. Carolum juniorem regis filium, post acceptam a Leone III papa regiam coronam, in epistola [Col. 0051A] 178 (nunc 119) et sequenti hortatur ad justitiam et misericordiam Christiano populo impendendam; ad eligendum consiliarios bonos, non adulatores, pios, prudentes, Deumque timentes; ad imitandum optima totius bonitatis exempla patris sui excellentissimi imperatoris. Ludovico illius germano plures, ejusdem desiderio satisfacere volens, scripsit epistolas commonitorias, prout discimus ex epist. 179 (nunc 120) ad eumdem Carolum, quas omnes intercidisse, aut adhuc ignotas latere dolendum est. Pippinum regalem juvenem in Alcuini schola eruditum fuisse demonstrat *Disputatio illius cum Albino, quam dabimus infra, et epistola ad illum 33* (nunc 38), in qua optima amantissimo huic filio suo suggerit vitae agendae documenta.

LXXXV. Beati Alcuini in eadem schola discipulis annumerandus est Angilbertus, posthac abbas Centulensis, et inter sanctos relatus: cujus illustre genus probant tum singularis familiaritas illius cum [Col. 0051B] Carolo Magno, tum copula cum Berta ipsius Caroli filia; tum denique praeclara quae gessit reipublicae munera. «Is ab ipsis infantiae rudimentis in palatio Caroli enutritus est,» ut legitur in quadam Adriani I epistola ad Carolum pro synodo Nicaena secunda, Patrologiae tom. XCVIII, col. 1247. Beati igitur Alcuini in eodem palatio discipulus fuit; quod eruitur ex pluribus epistolis ad ipsum jam publicis negotiis adhibitum scriptis, paterna monita atque doctrinas continentibus, quas sub numeris 21, 22, 23 et 215 (nunc 25, 26, 27 et 28) exhibemus. De eo plura adnotavimus variis locis: illius elogium et vitam videre est apud Mab. loc. cit.

LXXXVI. Angilberti in palatio condiscipulus fuit Antonius, seu Adalhardus, abbas deinde Corbeiensis, aeque post mortem in sanctorum numerum relatus. Cujus pariter

Vita et elogium habetur apud Mabill. loc. cit. pag. 306 seqq. Hunc Alcuinus magister in epist. 144 (nunc 189), et in alia cujus ibi fit mentio, ut filium monet, ut curam habeat Homeri, seu Angilberti, [Col. 0051C] nimium profanis spectaculis inescati, postea tamen, uti Alcuinus ab ipso Antonio se intellexisse in epist. 213 (nunc 191) meminit, ad meliora conversi. In epistola 112 (nunc 151) Antonio suadet, ut fratri suo Bernario, quem suum etiam filium vocat, ex monasterio insulae Lirinensis in patriam regredienti, apud aulam impetret facultatem revertendi ad suum monasterium: de quo videantur, quae ad eamdem epistolam notavimus. Fuit ergo antea et ipse hic Bernarius, una cum Adalhardo Alcuini discipulus in schola palatii.

LXXXVII. Idem de Flavio Damoeta dicendum esse existimamus, quod liquet ex epist. 39 et 41 (nunc 44 et 46) ad ipsum scriptis, in quibus illum filii, quod idem est ac discipuli, nomine appellat. Fuit is vir saecularis, militiae addictus, quem Alcuinus in hostem, scilicet adversus Saxones anno 796, profecturum in priori epistola hortatur, ut iter suum confessione confirmet, eleemosynis roboret, et orationibus [Col. 0051D] servorum Dei undique se muniri faciat, quatenus cum rege et caeteris commilitonibus suis victor redire possit in patriam. In altera epistola illum precatur, ut inter occupationes saeculi per bona opera etiam pro animae suae salute vigilet, in auditu diversarum causarum justitiam et misericordiam observet. Hunc ergo Damoetam distinguere oportet a Riculfo archiepiscopo Moguntino, cui in epistola 40 (nunc 45) in codice Petavino, quo usus est D. Quercetanus, et in epistolis 181 et 182 (nunc 122 et 123) nuper in bibliotheca Harleiana detectis, cognomen Damoetae tribuitur. Hic enimvero Riculfus jam anno 786 vel sequenti ad sedem Moguntinam promotus post decem annos belli dux esse haud potuit. Hic ipse tamen Riculfus, nisi vehementer fallamur, ante adeptum regimen ecclesiae praedictae, in schola palatii Alcuinum habuit praeceptorem, a quo in epist. 182 (nunc 123) vocatur *desiderantissimus filius:* ubi simul Alcuinus ob [Col. 0052A] illius prosperitatem, laudabilemque conversationem, et veritatis instantiam, juxta monita illi tradita, plurimum gaudere profitetur, usus illis verbis apostoli Joannis: *Majus mihi gaudium non est, quam ut filios meos in fide et veritate audiam ambulare.*

LXXXVIII. Quoniam vero compellatio filii idem valet ac discipuli, prout jam superius num. 84 insinuavimus, et in quo cel. D. Mabillonium lib. XXV Annal., num. 38, pag. 267, consentientem habemus, haud dubitandum censemus, omnes illos, quos beatus Alcuinus in suis epistolis filios aut filias dicit, ipsum coluisse magistrum, sive in litteris amoenioribus, sive in sacris, sive in morum disciplina. Atque hinc absque errandi periculo discipulorum illius palatinorum numero addere possumus Rigbodum, cognomento Macharium, archiepiscopum Trevirensem, ex epist. 129 (nunc 169), ubi in notis, ex codice synchrono coenobii sancti Maximini, ostendimus quod ad illam sedem promotus fuerit anno 791, non [Col. 0052B] vero anno 776, uti ex veteri historia Trevirensi affirmant Carolus Cointius anno 804, num. 34, tom. I Annal. Eccles., et Mabillonius Annal. lib. XXIV, num. 68, ubi consequenter ait: «Si Richbodus ante episcopatum Alcuini discipulus fuit, eo praeceptore in Britannia usus fuisse dicendus est.» Mabillonii sententiam amplexus primum fuit reverendissimus D. de Hontheim, tom. I Hist. Trevirensis, p. 136, not. (*b*), verum certiora edoctus a Codice ms. San-Maximiniano, Caroli Magni aevo exarato, sententiam mutavit in praefatione tomi I, pag. LXIII, in not., ubi codicis illius verba haec refert: «Anno 791, perrexit dominus Carolus cum

Francis et Saxonibus, cum Bajounariis et Alemannis et cum caeteris populis suis in Pannoniam ultra Omundesdorf, et cum triumphi gloria rediit, et hiemavit in Reganesburc. Egilramnus, WIOMADUS, Sinpertus episcopi obierunt.» Wiomadus omnium historicorum consensu in cathedra Trevirensi immediatus antecessor fuit Richbodi: qui propterea Alcuini discipulus ante [Col. 0052C] episcopatum seu ante hunc annum 791 in palatio Caroli Magni esse potuit. Vid. idem D. de Hontheim, tom. III, pag. 1006. Discipulis hisce addi posse existimamus *Aquilam seu Arnonem episcopum primum, deinde archiepiscopum Salisburgensem ex epistolis 30, 54, 55* (nunc 35, 68, 69) et aliis. *Hechstannum seu Altapetram ex epist.* 138 (nunc 182). Illos denique omnes in palatio apud D. imperatorem morantes ipsius in itinere Romano comites, ad quos Alcuinus, tunc in Turonensi monasterio docens, scripsit epist. 130 (nunc 121), in qua ait: «O quam felix dies fuit, quando in laboribus nostris lusimus litteraliter seria; sed nunc omnia mutata sunt. Remansit senior alios generans filios, priores dispersos gemens.»

LXXXIX. Ad feminas nobiles, quas Alcuinus in palatio primum docuit, et deinde per epistolas variis doctrinis nutrivit, veniamus. Inter illas prima est Gisla seu Gisala et Gisela cognomento Lucia, Caroli [Col. 0052D] Magni soror ex Bertrada, «a puellaribus annis, ut Eginhardus scribit loc. cit., num. 18, religiosae conversationi mancipata,» abbatissa deinceps Calensis monasterii, «quam Carolus ut matrem magna coluit pietate.» Haec Gisla est quam spiritualem suam sororem vocat Alcuinus in binis epistolis 98 et 99 (nunc 126, 127) ad ipsam scriptis, et in altera commentariis in Evangelium sancti Joannis praefixa. Magno illa flagrabat desiderio proficiendi ex instructione Alcuini, in sanctae Scripturae cognitione. Ita enim ipsa et Rictrudis cognomento Columba ad illum scribunt: «Postquam, venerande magister, aliquid de melliflua sanctae Scripturae cognitione, vestra sagacitate exponente, hausimus, ardebat nobis, ut fatemur, de die in diem desiderium hujus sacratissimae lectionis, etc.» Duplici deinde dolore se premi aiunt, uno, «quod tardius hujus optimi studii diligentiam habuerint;» altero, «quod modo magnam habentibus devotionem, vestra, inquiunt, longinquitas [Col. 0053A] desiderio nostro obsistit:» Illae nimirum sanctimoniales virgines in suo monasterio Calensi, non longe Parisiis distante, tunc degebant; Alcuinus vero Turonis existens longius ab ipsis aberat, quam ut eas, sicut antehac in palatio, lingua instruere posset; hinc precantur ne eas «litterarum suarum solatio deserat; nam sicut, inquiunt, loquentis lingua in aure audientis, ita scribentis calamus proficit in ore legentis: et ad interiora cordis pervenit sensus dirigentis, sicut verba instruentis.» Petunt demum, ut exemplo beati Hieronymi, qui ad preces nobilium feminarum plurima in propheticas obscuritates opuscula composuit, et de Bethleem castello ad Romanas arces misit, expositionem in sancti Joannis Evangelium suo ingenio accommodatam ad ipsas mittat; «multo, inquiunt, facilius portator chartarum tuarum de Turonis Parisiacam civitatem
@ Inde sole clarius est, scriptores Anglos plerosque errasse, dum illas virgines asserunt ab Alcuino in Anglia fuisse edoctas., quam illius (sancti Hieronymi) de Bethleem Romam pervenire poterit.» Huic desiderio Alcuinus satisfecit, [Col. 0053B] et primo, pro solemnitatis Paschalis tunc instantis circumstantia et opportunitate ad illas eam partem commentarii in sancti Joannis Evangelium direxit, quae continetur duobus ultimis libris, sexto et septimo; anno vero sequenti priores etiam quinque libros submisit, uti

intelligitur ex epistola Luciae et Columbae, quae cognomina erant Gislae et Rictrudis, quae integro illi commentario praemissa est. Ad easdem virgines, ni fallamur, pertinent tres illae epistolae quas ex cod. bibliothecae Harleianae exhibemus sub numeris 188, 189 et 190 (nunc 138, 139 et 140). In priori mentio fit quorumdam tractatuum Ven. Bedae, quos illis ad describendum concessit, inter quos abs dubio erat tractatus ejusdem in Epistolas apostolorum, quem a Gisla haberi Alcuinus scribit in epist. 143 (nunc 187) ad quemdam filium seu discipulum suum. In epist. 190 (nunc 140) postquam eas hortatus est ad servandam in prosperis et adversis aequanimitatem, eisdem suasit, ut si fortassis difficilior in apostolica auctoritate sensus eas fatigaret, [Col. 0053C] fessae mentis acumen levioris lectionis interpositione reficiant, legendo nimirum Vitas Patrum et miracula sanctorum, quae in sancti Gregorii Dialogis reperiuntur, lucidissima, inquit, exarata eloquentia et sententiis sacrae Scripturae confirmata.

XC. A Gisla seu Gisela Caroli regis sorore, distinguendam esse alteram Gislam ejusdem ex Hildegarde filiam bene monet D. Mabillonius Act. SS. saec. IV, part. I, pag. 449, in observatione praevia in hist. translationis sanctae Bathildis, num. 3, et lib. XXV Annal., num. 81, et lib. XXVI, num. 61. Utramque Alcuinus ipse distinguit, seniorem illam sororis; hanc juniorem in epist. 100 (nunc 150) filiae et nobilissimae puellae nomine compellans: quod ipsum D. Mabillonius lib. XXVI Annal., num 93, advertit his verbis: «Alia erat Gisla filia Caroli, itidem sanctimonialis, quam non sororem, sed filiam Alcuinus appellare solet.» Quapropter mirari subit cur idem scriptor celeberrimus eodem loco paulo superius, num. 61, [Col. 0053D] asserat, Gislam hanc Caroli Magni filiam fuisse, «cujus rogatu commentarios in Evangelium Joannis aggressus est Alcuinus, septem libris elaboratos, quorum quinque priores Gislae et Rictrudae nuncupavit, duos alios sorori Gislae et Columbae.» In utraque enim illa epistola Gislam, non filiam, sed sororem, se vero illius fratrem appellat. Gisla ergo, cujus rogatu Alcuinus commentarios illos scripsit, non Caroli Magni filia, sed soror fuit, ut num. praecedenti diximus. Aliud pariter assertum ejusdem viri praeclarissimi lib. XXV Annal., num. 81 et alibi, quo Rictrudem, Gislae seniori professione religiosa et studio sanctae Scripturae junctam, Gislae junioris sororem facit, quo fundamento nitatur ignoramus. Neque enim alicubi Rictrudem inter sorores Gislae seu filias Caroli Magni commemoratam reperimus. Illam [Col. 0054A] pariter Alcuinus non sororem, sicut Gislam, sed filiam semper appellat in illis litteris quas ad utramque cum suis in Joannem commentariis misit. Nihilominus Rictrudem illam cognomento Columbam fuisse genere nobilissimam et ejusdem coenobii Calensis sanctimonialem, ex arctissima consuetudine parique studio cum Gisla seniore abbatissa satis apparet.

XCI. Inter virgines primae nobilitatis in Caroli Magni palatio degentes, beati Alcuini doctrinis imbui desideravit Eulalia, quae etiam petiit, ab eo *De ratione animae, seu de natura, proprietatibus ac virtutibus ejus edoceri:* cui petitioni ipse satisfecit per libellum quem dedimus tomo II. Eulalia nomen ascititium est, seu cognomen *Gundradae, ab Alcuino illi ex familiaritate tributum in epist.* 184 (nunc 134), prout ibidem et alias notavimus, simul observando, hanc Guntradam non aliam esse quam illam quae inter sorores sancti Adalhardi abbatis Corbeiensis [Col. 0054B] recensetur a Paschasio in illius Vita apud Mab., saec. IV Ben., part. I, pag. 321, num. 33. Illam

Carolus prae aliis virginibus maximi habebat; fuit enim, teste eodem Paschasio, regi familiarior, eidemque tam a nobilitate quam a pudicitia summe commendata; quod ipsum Alcuinus in fine libri *De ratione animae insinuat, scribens, ipsam quotidie Caroli sapientissimi imperatoris uti sapientia ac venerandam intueri faciem;* quapropter illius intercessionem apud ipsum implorat in cit. epist. ne sibi irascatur, quod vocatus ad Carolum, infirmitate praepeditus, venire non valuerit. Testatur Alcuinus in cit. libello De ratione animae, cap. 14, quod, cum raro adhuc illam oculis vidisset, tamen famam studiorum illius aliis narrantibus audivisset. Paschasius loc. cit. illius pudicitiam sequentibus verbis commendat: «Virgo nobilium nobilissima, quae inter venereos palatii ardores, et juvenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum et inter omnia libidinis blandimenta, sola meruit, ut credimus, pudicitiae palmam, etc.» Eamdem [Col. 0054C] castitatis et honestatis laudem de illa se audivisse Alcuinus quoque testatur in epistola citata, in qua propterea illam hortatur, «ut caeteris in palatio virginibus totius bonitatis sit exemplar, ut ex tua, inquit, discant sancta conversatione seipsas custodire, vel cadentes resurgere.»

XCII. Antequam praesens capitulum de schola palatii finiamus, breviter tangere libet binam quaestionem inter eruditos aliquando ventilatam: 1. An scholae huic universitas Parisiensis suos natales et Alcuino seu Carolo Magno suam originem debeat? 2. An uni cuidam loco affixa, an vero aulam de loco in locum ambulans secuta sit? Primam quaestionem quod attinet, magnus scriptorum numerus diu pro affirmativa sententia stetit, illamque Caesar Egasius Bulaeus, tom. I Hist. universit. Paris., pag. 91, cum multa eruditione defendit. Praevaluit nihilominus hac nostra aetate negans sententia, quam validis argumentis tuentur scriptores gravissimi, Mabillonius, praefat. [Col. 0054D] ad saec. IV Ben., part. I, § 8; Launoius de scholis celebr. tom. IV Opp., part. I, cap. 1, 2, 59; Claudius Joli, de scholis part. I, cap. 22, quibus calculum suum addidit D. Rivet Hist. lit. Galliae tom. IV, pag. 10, num. 16, ubi ait, affirmativam sententiam sustineri haud posse, nisi eo sensu quod schola palatina, quae aliquoties Parisiis fuerat, civibus Parisiensibus singularem erga litteras amorem inspirare, eoque sequentibus temporibus ad constituendam in urbe scholam publicam incitare potuerit. Universitatis tamen illius omnium orbis celeberrimae originem esse antiquissimam, illiusque vestigia quaedam jam ante finem saec. IX deprehendi probat idem D. Rivetus loc. cit., pag. 250, num. 49. Monet tamen ibidem vir doctissimus, id non de schola suis facultatibus distincta intelligi debere, sed de schola publica permanente, [Col. 0055A] et extra cathedrales ecclesias ac monasteria, intructioni juventutis Parisiensis et quorumvis aliunde adventantium destinata et aperta.

XCIII. Ad alteram quaestionem D. Mab. loc. cit., num. 179, respondet, sibi certum videri, scholam palatii in uno loco constitisse; neque enim, inquit, facile de loco in locum transferri poterat totus ille praeceptorum, scholarium librorumque comitatus et apparatus, si quando rex sedem mutabat, quod frequenter contingebat: similiter amplissimam bibliothecam (ex qua deinceps Ludovicus Augustus copiam librorum Amalario diacono ad excerpendam inde regulam canonicorum suppeditavit, referente Ademaro monacho Egolismensi), non in circumforaneo, sed in fixo palatio servatam fuisse credit vir celeberrimus. Contraria nihilominus opinio vero similior videtur laudato D. Riveto loc. cit., num. 15. Certe ipse D. Mabillonius loc. cit. fatetur, palatinos

scholares cum regio comitatu aliquando de loco in locum migrasse; et Alcuinum scholae palatinae moderatorem fere [Col. 0055B] nunquam a contubernio Caroli Magni abfuisse. Quae vero, ait Rivetus, major difficultas exstitit deferendi ad varias stationes aulae libros scholae exercitiis necessarios, quam res alias, usui totius aulae et totius comitatus servientes? Schola ergo illa una cum aula et aulicis ibi instruendis nunc Aquisgrani fuit; nunc ad Theodonis villam, nunc Wormatiam, nunc Ratisbonam, nunc Herbipolim, nunc Francofortum, nunc Moguntiam, nunc Parisios commigravit; in quibus aliisque locis deinceps, Alcuino abs dubio obstetricante, aliae celebres scholae enatae vel reformatae fuere, quarum plures D. Mabillonius in praefat. cit. a num. 180 seqq. et Launoius in citato opere de scholis celebrioribus enumerant; quae omnes propterea Carolum Magnum et Alcuinum tanquam primos auctores ac restauratores merito venerantur ac celebrant.

CAPUT VIII.

Beati Alcuini reditus e Gallia in Angliam, et inde rursus in Galliam. [Col. 0055C]

XCIV. Postquam beatus Alcuinus per octo prope annos in palatio Caroli Magni versatus, et ibidem in schola ordinanda et variis scientiis docendis fuisset occupatus, memor necessitudinis qua ob natale solum et ecclesiasticos ordines, simul regi proprio et episcopo seu ecclesiae cui se desponderat, erat astrictus, in patriam rursus reverti constituit, atque ut id sibi concederetur, a Carolo rege, cui hactenus sua et officia et servitia consecraverat, instantibus precibus postulavit. Restitit initio Carolus, et aegre tulit, virum tantopere a se aestimatum, consiliarium nempe tam sapientem, et magistrum toti regno suo, quod illius opera moribus et scientiis florentissimum reddere cupiebat, tam utilem et necessarium a se divelli. Quapropter, cum in alienae potestati subditum auctoritate jubendi se destitutum agnosceret, ad blanditias et promissa conversus, referente anonymo [Col. 0055D] Vitae scriptore, cap. 6, num. 12, ita eum alloquitur: «Sunt nobis, magister eximie, terrenae divitiae sufficienter, quibus te ut Patrem honorare gaudemus; tuis nos oramus, diu desideratis et vix aliquando inventis, tua cum pietatis merce, illustrari.» Hac insolita tanti regis benevolentia et gratia, magis quam oblatis sibi divitiis, motus Alcuinus, ejusdem postulationi obsequi promisit, quamprimum ipse Carolus sua intercessione a rege proprio et episcopo suo, quibus parere necesse habebat, licentiam revertendi et perpetuo in Gallia perseverandi impetraverit. «Domine mi rex (haec fuit Alcuini responsio loc. cit.), tuae non dispono voluntati renuere, auctoritate canonum cum firmata fuerit. Libenter etiam paterna in regione mea non modica haereditate ditatus, hac spreta, tibi ut prodesse possim, hic pauper stare delector. Tuum est tantum hoc a meo rege et episcopo impetrare.»

XCV. Carolus petiti hujus aequitatem agnoscens [Col. 0056A] in abitum Alcuini tandem consensit, datis etiam abs dubio, ut Alcuinus rogaverat, ad regem et episcopum, quibus parebat, litteris, dimissionem perpetuam viri tantopere a se desiderati postulantibus. Eadem occasione, creditur Carolum usum fuisse, ut cum Offa rege Merciorum, quorum illi tunc temporis, anno scilicet 790, aliquid dissensionis, diabolico fomento inflammante, evenerat, *ita ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus cessaret, in*

pacem, Alcuino mediatore, rediret. Tunc enim Alcuinus a quibusdam audierat, quod ad componenda illa dissidia foret ad Offam mittendus, ut ipse scribit in epist. ad Colcum lectorem in Scotia, eodem anno, sicut ibidem in notis observavimus, scripta. Equidem Alcuinus, dum hanc ad Colcum epistolam scriberet, adhuc incertus erat an et quando a rege in patriam suam esset dimittendus, et an mandatum acciperet de pace cum Offa rege tractandi, et ideo dona illa quae ex regis Caroli et propria sua largitate inter ecclesias, monasteria et anachoretas Britanniae erant [Col. 0056B] distribuenda, quorum in illa epistola meminit, praemisit; paulo tamen postea, eodemque anno in patriam suam profectum fuisse necesse est, quia revera illo anno, quo Ethelredus in regnum Northumbriae restitutus est, ibi fuit, ut statim dicemus.

XCVI. Magna in regno Northumbriae, postquam Alcuinus illic e Gallia appulit, revolutio facta est. Northumbri namque Osredum regem nuper aversati, Ethelredum, quem ante annos duodecim (anno 778) ejecerant, regem deposcunt, et ad solium evehunt, quod his verbis narrat Hovedenus: «Anno 790 Ethelredus de exsilio liberatus est, et iterum per gratiam Christi regni solio subthronizatus. Osredus autem rex, dolo suorum principum circumventus a regno privatus attonsus est in Eboraca civitate, et postea necessitate coactus exsilium petit.» Haec, ni vehementer fallamur, est illa regni Northumbriae, patriae Alcuini, novitas, quae ipsum, obtenta licet a [Col. 0056C] rege et episcopo suis in Galliam remeandi licentia, in Anglia diutius quam volebat retinuit; de qua novitate ipse scribit in epistola ad amicos quosdam, cujus fragmentum ex Malbesburiensi dedimus in not. ad epist. 2 in haec verba: «Benedictus Deus qui facit mirabilia solus! Nuper Athelredus filius Ethelwoldi de carcere processit in solium, et de miseria in majestatem: cujus regni novitate detenti sumus, ne veniremus ad vos.» Ejusdem novitatis meminit in cit. epist. 2, Aquilae suo scribens: «Novitas regni nostri me retinet adhuc isto anno.» Huic epistolae ascripsimus annum 790, quod non ita velim intelligi, quod non anno sequenti aut paulo tardius dari potuerit, prout in eadem not. insinuavi. Ejusmodi siquidem revolutio totum reipublicae ordinem turbare solet, et longiore consilio opus est, ut ipsa in tranquillum statum redigatur: ad quod efficiendum Alcuini opera et diuturnior in patria mora proficua aut etiam necessaria esse potuit. Quae enim alia necessitas [Col. 0056D] ipsum ibi diutius retinere potuisset, nisi ut ad popularium suorum instantiam suis consiliis in tanta rerum omnium confusione ipsis subveniret?

XCVII. An Alcuinus nunc in Anglia existens revera de pace concilianda cum Offa rege Merciorum ex Caroli Magni mandato tractaverit, et an eidem illa animorum utriusque regis reconciliatio, navigationisque interdictae pristina libertas tribui debeat, non admodum expeditum est. Felix enim illius negotii successus in Chronico Fontanellensi cap. 15 apud Bouquet., Script. Rer. Gall. tom. V, pag. 315, non Alcuino, sed Gervoldo episcopo Ebroicensi et abbati Fontanellensi in acceptis fertur, ubi etiam causa ortae illius dissensionis detegitur. Legitur enim ibidem Gervoldum, qui multis annis per diversos portus et civitates, maxime in Quentawic, tributorum et vectigalium exactor a Carolo Magno constitutus fuerat, ea occasione Offae regis notitiam et amicitiam sibi conciliasse; et multoties jussu Caroli [Col. 0057A] Magni apud praefatum regem legationibus functum fuisse, et novissime quidem ob filiam ejusdem regis, quam in conjugium Carolus junior, filius scilicet Caroli Magni, expetebat: cui conjugio cum rex Offa nollet

acquiescere, nisi Berta Caroli Magni filia, filio ipsius nuptui traderetur, Carolus commotus vetuit, ut nemo de Britannia insula ac gente Anglorum mercimonii causa, littus Oceani maris in Gallia attingeret. «Sed ne hoc fieret, ait scriptor illius Chronici, admonitione ac supplicatione venerandi praedicti Patris Gervoldi inhibitum est.» Verumtamen, quamvis huic narrationi stet sua fides, nihil prohibet quin ipse Alcuinus simul cum Gervoldo ad idem negotium promovendum adhibitus fuerit. Certe Alcuinum de amicitia utriusque regis et de pace gentis suae cum Francis semper sollicitum fuisse, et pro illa, si quando laesa fuit, reparanda feliciter laborasse constat ex epist. 42 (nunc 47), in qua Offae regi contestatur, «quod domnus rex Carolus saepe amicabiliter et fideliter secum locutus sit de ipso, et illius esset [Col. 0057B] fidelissimus amicus;» et ideo ad ipsum et ad episcopales sedes regni ipsius digna munera direxerit. Quae fuerint post amicitiam ita restitutam illa munera, intelligitur ex epistola Caroli Magni ad regem Offam, quam exhibemus tom. II, in qua illum *virum venerandum et fratrem charissimum vocat, atque ad ipsius petitionem concedit peregrinantibus ad limina apostolorum liberum transitum per regnum suum;* negotiatoribus vero lucra sectantibus, solutis statutis teloniis, securitatem et adversus oppressores patrocinium. Dona illa destinata fuerunt alia, et sacrarum quidem rerum, ad sedes episcopales regni Offae Merciorum, alia ad sedes episcopales regni Ethelredi Northanumbrorum; alia humanarum rerum ad sedes metropolitanas; alia pro ipso rege Offa, scilicet balteus, gladius Huniscus et duo pallia serica, tanquam spolia e praelio contra Hunnos reportata. Verum dona illa ad Ethelredum ac episcopales sedes illius regni tunc non pervenerunt; epistolis namque cum donis praedictis in manus missorum datis, ut [Col. 0057C] scribit Alcuinus in cit epist. 47, «supervenit tristis legatio de infidelitate gentis (Northumbrorum) et nece regis Ethelredi,» a suis XIV Kal. Maii anno 796 occisi; quae impietas Carolum ita commovit, «ut donorum largitate retracta, genti huic perfidae, quam vocat, et perversae, dominorumque suorum homicidae,» omnia mala fuerit minitatus: quam commotionem nihilominus a se sedatam fuisse testatur ibidem Alcuinus. Attamen dona pro ipso Offa et sedibus episcopalibus regni sui destinata posthac illuc directa fuisse, existimare pronum est, siquidem illi nec perfidiae illius complices, nec consequenter promeritae indignationis participes fuerunt. Certe ipse Alcuinus, ut scribit in epist. 43 (nunc 48) ad Offam regem, cum Caroli muneribus ad ipsum venire paratus erat anno eodem, ante, puto, quam Turonensem abbatiam administrandam suscepit; melius tamen illi visum in peregrinatione permanere, «nesciens, inquit, [Col. 0057D] quid inter eos fecissem, inter quos nullus securus esse, vel in salubri consilio proficere potest.»

XCVIII. Ex his paulo fusius narratis patet Alcuinum nihil non egisse, ut Gallorum et Merciorum reges amicos redderet, atque in amicitia et pace confirmaret; ut propterea vero simillimum haberi debeat, uti num. praecedente insinuavimus, et praestantissimi quique scriptores consentiunt, quod anno 790 e Gallia in patriam profectus simul a Carolo Magno mandatum acceperit cum rege Offa de pace tractandi, et quod hoc negotium una fortassis cum Gervoldo abbate Fontanellensi susceptum, illi feliciter successerit.

XCIX. Ethelredo in regnum Northumbriae restituto, uti supra num. 96 meminimus, non simul quies restituta fuit. Osredus namque nuper solio dejectus novas res cum

principibus quibusdam sibi adhaerentibus molitur, novasque turbas ad regnum quo pulsus est recuperandum concitat: qui tamen a rege [Col. 0058A] Ethelredo postea, anno 792, XVIII Kal. Octobris, ut scribit cum aliis Hovedenus ad h. a., captus et ipso jubente occisus est. Haec regni novitas, ut superius num. 96 diximus, iter in Franciam aliquandiu retardavit; videns vero, sua opera ac consiliis se in patria sua nihil proficere posse, propterea sicut postea ex hac ratione ad illam redire noluit, prout in epist. 43 Offae contestatus est, ita nunc, obtenta prius a rege et episcopo proprio licentia, eadem abs dubio causa, iter suum in Franciam Carolo Magno, ut dicemus, etiam urgente aggressus est: quod factum fuisse censemus vel circa finem anni 792, fortassis post patratam eodem anno medio mense Septembri necem Osredi, vel circa initium anni sequentis. Eo siquidem tempore, quo Ratisbonae anno 792 synodus adversus Felicem Urgellitanum habita fuit, nondum e Britannia in Franciam redierat, prout ipsemet scribit libro I adversus Elipantum, num. 16. Anno vero 793 eo jam tempore in Francia degebat, quando ecclesia [Col. 0058B] sancti Cuthberti Lindisfarnensis a paganis eversa fuit, uti discimus ex epistolis 9 et seq. In Gallia jam consistens ad dilectissimos suos Eboracensis Ecclesiae fratres, a quibus non sine maximo dolore avulsus est, scripsit epistolam charitate plenam et gratitudine: grata siquidem mente ibi commemorat benefacta ab infantia et pueritia usque ad virilem aetatem in ipsum collata, spondetque perpetuam illorum in suis orationibus memoriam. Aliorum quoque amicorum in patria relictorum haud immemor, scripsit epistolas ad Lindisfarnenses, ad Aedilhardum, ad regem et principes Nordhumbiae, ad Wirenses et Gyrvenses monachos; in quibus deplorat infaustos casus qui ipsis post abitum suum acciderunt; optimisque doctrinis instruit, quibus mediis ipsos oporteat divinam a se avertere vindictam. Propter abitum vero suum in alienam regionem, quorumdam suspicionem aut calumniam in se convertit, quasi simul a fidelitate regis Offae ac gentis suae descivisset; quam suspicionem a se amolitur in epist. [Col. 0058C] ad Beorninum presbyterum, inquiens: «Sicut hos amicos, quos mihi Deus donavit fideliter, quantum valeo, servabo; sic et hos, quos reliqui in patria.» Et ex jam dictis patet, quam iniqua fuerit haec in illum calumnia; e contra quam vere de illo scripserit Malmesburiensis lib. I Reg. Angl., cap. 6, illum in aula Caroli non fuisse suorum compatriotarum immemorem, sed ut imperatorem in amicitia eorum conservaret, allaborasse.

C. Quos interea, dum Alcuinus in patria sua morabatur, tumultus Felicis episcopi Urgellitani nova dogmata in Francia; atque Elipanti, aliorumque episcoporum illi adhaerentium adversus veritatem catholicam molimina in Hispania excitaverint, narrabimus in Dissertatione nostra historica num. 15 seqq. Pro sedandis hisce turbis, compescendisque in ecclesia et regno hisce tumultibus nihil non egit rex Christianissimus Carolus. Consilium ergo in hunc finem cum Adriano summo pontifice, cum episcopis [Col. 0058D] totius regni aliisque viris fama ecclesiasticae eruditionis et a zelo fidei sibi commendatis initurus, nullius quam Alcuini operam in illa controversia exstinguenda utiliorem fore existimavit. Ipsum ergo datis abs dubio litteris, ex Anglia evocavit, hortatusque est ut iter suum, quanto citius fieri possit, in Franciam acceleraret, sibi in expugnanda secta nuper exorta, quae catholicae veritati contraria esse apparebat, auxilio futurus. Vocante siquidem rege maxime catholico, quamvis non sine nutu ac dispensatione divina, in Franciam se venisse Alcuinus ipse testatur in praefat. ad libros adversus Elipantum, et libro I, num. 16. Vide etiam quae de hac re

diximus in cit. Dissertatione nostra, num. 25.

CI. Alcuinus ergo, divinae vocationi et regis voluntati obtemperans, patria relicta, secundo jam in Franciam, nunc perpetuo ibi mansurus rediit. Factum id, postquam Felix in concilio Ratisbonensi fuit erroris damnatus, ibidemque ac postea coram Adriano I [Col. 0059A] summo pontifice ejurata haeresi, iterum ad vomitum rediit. Prima ergo cura Alcuini, post suum in Gallia adventum fuit, ut eumdem Felicem, cujus se olim, tanquam viri fama pietatis et sanctitatis celebris, intercessionibus commendaverat, litteris charitatis stylo exaratis, ab errore ad veritatem catholicam revocaret: cujusmodi litteras postea etiam ad Elipantum scripsit; quos repugnantes deinceps multis libris solidissime confutavit, tam feliciter, ut Alcuini potissimum laboribus in acceptis ferendum sit, quod Ecclesia brevi, sex aut septem annorum spatio, ab illis turbis liberata, pristinaeque tranquillitati restituta fuerit. Verum de his omnibus prolixius egimus in cit. Dissertatione nostra historica, quae hic repetere esset actum agere.

CII. Sicut vero Carolus rex Alcuino initio, dum scholam palatii regeret, duo monasteria, Ferrariense et Trecense, commendavit; ita nunc secundo e Britannia reducem, et posthac in Gallia permansurum [Col. 0059B] monasterio sancti Martini apud Turonos, elapso ab ejus reditu triennio, praefecit, ut discimus ab anonymo vitae scriptore cap. 6, num. 12. Nunc igitur de illius in hoc monasterio praefectura et de schola ibi constituta agamus.

CAPUT IX.

Beati Alcuini praefectura in monasterio Turonensi, et schola ibi constituta.

CIII. Alcuinus ex Anglia reversus adhuc per aliquot annos in aula regis potissimum versabatur, ubi abs dubio scholam ibi antea constitutam iterum moderabatur; simulque tractandis variis regni negotiis a rege adhibitus fuit, uti hoc ultimum ex initio epistolae ad Eboracenses paulo post reditum suum scripta intelligitur, ubi *de secularis angustiae tribulationibus supervenientibus, et de itineribus variis,* aulam fortassis secutus, *per loca sanctorum martyrum vel confessorum Christi, mentionem facit:* praecipuum vero laborem in confutanda, ac si fieri possit, penitus [Col. 0059C] evertenda nova secta Adoptianorum collocavit. Altero deinde circiter anno post suum reditum nimirum 794, convocato adversus Elipantum Francofordiensi concilio cum quibusdam suis conterraneis interfuit, et per ultimum canonem in suffragiorum et orationum communionem adlectus fuit; de quo videas dissertationem nostram priorem, num. 34.

CIV. Demum cum vir ut doctrina ita et pietate praestans senio crescente debilitates frequentes morbosque varios, de quibus saepius in suis ad amicos epistolis conqueritur, experiretur, viresque tam corporis quam animae partim ex itinerum molestia, partim ex laborum litterariorum assiduitate frangi animadverteret, ad solitudinem et quietem suspirare coepit, in qua, a saeculi occupationibus aliisque negotiis animum in plura distrahentibus liber, solius Dei servitio et animae suae saluti vacare posset. Quod suum desiderium cuidam archiepiscopo manifestat in epistola 168 (nunc) 62 his verbis: «Sciat dulcissima paternitatis [Col. 0059D] vestrae dilectio, quod ego filius tuus saeculi

occupationibus depositis soli Deo servire desidero.» Rationem addit: «Quia, inquit, omni homini necesse est vigili cura se praeparare ad occursum Domini Dei sui, quanto magis senioribus, qui sunt annis et infirmitatibus crebris fracti.» Verum hujus desiderii sui ardentissimi scopum diu assequi non potuit, sicut scribit ad dulcissimum suum Homerum Romam, anno 796, puto, abeuntem: «Te abeunte, inquit, tentavi saepius ad portum stabilitatis venire, sed Rector rerum et dispensator animarum necdum concessit quod olim fecit velle.» Reliquum vero vitae suae tempus, si scriptori vitae illius fides adhibeatur, quiete ac tranquille consummare cupiebat in Fuldensi monasterio; ita enim ipse scribit cap. 8, num. 14: «Cum igitur senectute, unaque infirmitate plus solito se sentiret affectum, diu ut secum tractaverat, velle se significavit regi Carolo saeculum relinquere, postulans licentiam apud sanctum Bonifacium monasticam [Col. 0060A] vitam secundum regulam sancti Benedicti ducere.» Hanc narrationem D. Mabillonius in dubium vocat in Elog. beati Alcuini, num. 61, et existimat Alcuinum ad secessum non optasse Fuldense, sed Turonense monasterium, quod ipse indicare videtur in epist. 101 (nunc 129), anno 801, ad Davidem suum scribens: «Inter fratres in ecclesia sancti Martini Deo fideliter servientes vivere ac requiescere, Deo miserante, sine ulta dubitatione desidero.» Nobis tamen videtur haec, quae contraria inter se apparent, combinari posse, si narratio scriptoris Vitae referatur ad illud tempus quo Alcuinus adhuc in aula regia versabatur, nondum abbatiae Turonensi praefectus: verba vero ipsius Alcuini ad tempus posterius, quo regulari disciplina in illo monasterio restituta, et abbatiis inter discipulos, regis permissione, distributis, non jam alio migrare, sed inter fratres ecclesiae sancti Martini, ob eorum laudabilem conversationem, vivere et mori voluit. Idem ergo scriptor Vitae duo [Col. 0060B] quae ad diversa tempora pertinent, nempe desiderium Alcuini Fuldam secedendi, et voluntatem monasteria sibi commissa inter discipulos dividendi, simul in sua narratione complexus est; quod haud infrequens est apud scriptores veteres ad crisin historicam minus attentis. Caeterum ex epistola 192 (nunc 142) ad fratres sancti Bonifacii seu Fuldenses nunc primum detecta, quam ad annum 801 retulimus, constat Alcuinum olim ab illis fratribus magna dilectione et cum gaudio susceptum fuisse, et ipsum ex eorum conversatione laetitiam, atque cum ipsis saepius conversandi desiderium concepisse; quod tamen repugnante rege implere non valuit. Quidquid sit, Alcuinum pariter ad Turonense monasterium aspirasse colligitur ex epist. 19 (nunc 23) ad fratres sancti Martini, in cujus initio profitetur quod optet esse unus ex illis. Votorum tamen suorum determinationem regis voluntati submisit.

CV. Alcuinus ergo senex, infirmitatibus saepius redeuntibus vexatus, et maxime ob taedium quo erga [Col. 0060C] aulicos strepitus et saecularia negotia afficiebatur, non cessavit regis clementiam implorare, ut in quodam loco quieto residuos paucos vitae suae dies agere ipsi permitteretur. Cessit tandem rex precibus instantissimis dilecti sui magistri. Contigit vero ut abbatia sancti Martini, totius regni celeberrima, per obitum Itherii abbatis vacaret: quae regi opportuna fuit occasio Alcuini desideriis utcunque satisfaciendi. Huic igitur monasterio Carolus rex Alcuinum, aulae negotiis exemptum, praefecit. «Evoluto non parvo tempore (ita rem paucis narrat anonymus Vitae scriptor, cap. 6, num. 12), postquam Albinus secundo ad Carolum reversus est, sancti Martini apud Turonos praeficitur pastor monasterio.» Quod anno demum 796 factum fuisse ex his epistolae ad Davidem patrem patriae scriptae verbis eruitur: «Fere, inquit, ante hoc quinquennium saeculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare

cogitavi, sed vestrae piae providentiae consilio translatus sum in [Col. 0060D] servitium sancti Martini, fidei catholicae et ecclesiasticae sanctioni, donante Deo, proficuum.» Scripta est haec epistola anno 801, prout ibi in notis ostendimus. Alcuinus ergo, uti hic legitur, monasterii Turonensis regimini admotus fuit quinquennio ante scriptam hanc epistolam, hoc est anno 796.

CVI. Quamvis vero vir piissimus annos aeternos in mente habens, optaverit non tantum ab aulae negotiis, verum etiam ab omnibus saecularibus occupationibus liberari, voti tamen sui, etiam per hunc secessum in Turonense monasterium, haud omnino compos factus est, novis nunc curis, quae ab administratione rerum temporalium, et regimine animarum abesse non possunt, implicitus. Duo vero praecipua fuere quae Alcuini operam ibi requirebant, et quae ab ipso ex regis voluntate praestanda erant. Primum ut monachos in eodem monasterio laxius viventes ad meliorem frugem revocaret; alterum ut studia litterarum ibidem sicut ubivis propemodum collapsa restauraret. [Col. 0061A] Quod utrumque quomodo praestiterit, nunc videamus.

CVII. Regularis status illius monasterii Alcuino jam antequam illi praeficeretur, cordi erat: monasticae quippe disciplinae in quibusvis monasteriis promovendae zelo ferventissimo semper aestuabat. Ob hanc causam ad illius Ecclesiae fratres scripsit epist. 19 (nunc 23), in qua illo samice hortatur ad vigilias divinae laudis; ad orationes ex corde ad Deum fundendas; ad humilitatem, ut foris appareat quod intus profitentur; ad obedientiam, ut mala prohibita non faciant, ut bona, quae praecipiuntur, faciant; ad charitatem Dei et proximi. «Haec sunt tria praecepta, inquit, quae aperient monachis portas coeli.» Seniores deinde instruit et docet, quid debeant junioribus; juniores demum hortatur, ut senioribus ac magistris suis subditi sint quasi patribus. Enim vero antequam Alcuinus illius monasterii regimen suscepit, de fratrum illorum etsi ex veteri instituto regulae Monachorum astricti fuissent, moribus et conversatione non [Col. 0061B] admodum laudabilia narrabantur; et apud ipsum regem illorum vita adeo diffamata fuit, ut vel ipsimet nescire crederentur, an canonicos se, an monachos, an neutrum profiteri vellent, vel deberent: quod ipsis exprobrat Carolus in epistola inter Alcuinianas 119 (nunc 158) his verbis: «Ipsi quoque nostis qualiter jam crebro vita vestra a multis diffamata est; et non abs re; aliquando enim monachos, aliquando canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis.» Una ergo ex causis ob quas rex Carolus Alcuino abbatiam Turonensem regendam commisit, haec fuit, ut fratres illi doctrina, sapientia et exemplo tam celebris viri permoti ad meliorem frugem reducerentur; quam hujus ordinationis suae causam ipse piissimus princeps prodit, dum in epistola mox citata ita pergit: «Et nos consulendo vobis et ad malam famam abolendam magistrum et rectorem idoneum vobis elegimus, et de longinquis provinciis invitavimus, qui et verbis et admonitionibus rectam [Col. 0061C] viam instruere, et, quia religiosus erat, bono conversationis exemplo potuisset informare.»

CVIII. Regis consilio et intentioni novi hujus abbatis industria et conatus non defuere. Regimen auspicatus reformationis initium exemplo sancti Joannis Baptistae et ipsius Salvatoris nostri a poenitentia coepit, bene gnarus, conversionis initium a poenitentia prioris transgressionis esse capiendum; scripsit ergo ad fratres hos suos epistolam *de Confessione peccatorum, quam reperies tom.* II, quam potissimum ad juniores

religionis plantas direxit, existimans, quod res est, corruptos religiosae et cujusvis communitatis mores et disciplinam via meliori et faciliori emendari haud posse, quam si juvenes ejusmodi corpori sociati pietatis atque virtutis doctrinis optime formentur et excolantur. Seniores tamen simul et magistros deprecatus est, ut suam quoque in hunc finem operam conferrent. Nullus dubito, quin vir beatus, qui aliorum etiam monasteriorum fratribus [Col. 0061D] absentibus per frequentes epistolas, varia alia documenta vitae regularis praescripsit, nunc longe plura propriis suis filiis praesentibus suggesserit, atque etiam scripta tradiderit. Huc pertinere existimo libellum de Usu psalmorum, cui praefatio ad Carolum, quae ad aliud opusculum seu Officia per Ferias pertinet, per errorem assuta est, uti notavimus in monito praevio. Is enim libellus potissimum ad monachos pertinet, in quo docentur, quos psalmos in variis circumstantiis ac necessitatibus, quanta cum devotione, quibusque junctis orationibus, quoque spiritu poenitentiae persolvere oporteat. Certe D. Mabillonius, lib. XXVI Annal., num. 47, ad fratres sancti Martini pertinere verba illa, quae in eodem libello leguntur, judicabat, haec nempe: «Promissiones meas, quibus me sanctam regulam servaturum spopondi, momentis singulis violo,» et illa: «Concede mihi fragilissimo dilecti tui, Patris mei Benedicti, sequi et imitari vestigia.» Illa quoque: «coenobium [Col. 0062A] petii, vitam monasticam suscepi; sed miser ego saepe involvor variis modis in levitatibus, etc.,» et quae sunt alia plura ejusmodi monachorum devotioni convenientia ibidem. «Ex quibus luce clarius apparet, ait D. Mab. loc. cit. monachos etiam tum in ecclesia sancti Martini perstitisse, qui toto Alcuini regimine ibidem perseverarunt. Falsum proinde quod legitur in quodam chronico Turonensi, Carolum regem instituisse canonicos in ecclesia beati Martini, auctoritate Adriani papae, eisque Alcuinum praefecisse.» Id ipsum confirmat Caroli praeceptum, Alcuino prope initium praefecturae suae in favorem *abbatis et monachorum sancti Martini concessum, quod dabimus tom.* II.

CIX. Conatus illi, quos ad reformandam monasterii hujus suae curae commissi disciplinam adhibuit, haud frustranei fuere. Ipse namque fratrum suorum conversationem tam bonam et honestam censuit atque expertus est, ut in epist. 101 (nunc 129) regi contestatus sit, quod inter eos Deo fideliter servientes [Col. 0062B] vivere et requiescere sine ulla dubitatione desideret In Epistola deinde 195 (nunc 149), nunc primum ex cod. ms. bibl. Harleianae edita, illos apud regem adversus injustos delatores defendens, optimum conversationis illorum testimonium, sub divini nominis invocatione praebet his verbis: «Deum invoco, testem conscientiae meae, quod nunquam eos tales intellexi, quales audio illos a quibusdam denotari, qui paratiores sunt accusare quam salvare. In quantum vero videri poterit et cognosci, digne Deo faciunt officia in ecclesias Christi, sicut, verissime testor, perfectius non vidi alios in quolibet loco celebrantes. . . Illorum siquidem vita a viro perfecto et judice incorrupto et misso fideli Widone audiri potest, qui eorum omnia scrutans agnovit, quid egissent vel qualiter vixissent. Nec ego tardus fui eos admonere de honestate monasterialis vitae.» Quo sane testimonio nullum gravius afferri potest pro optima disciplina et conversatione fratrum Turonensium, [Col. 0062C] quae inter ipsos sub regimine Alcuini vigebat.

CX. Alterum, ut diximus, quod Alcuinus, nunc in monasterio suo Turonensi degens,

ibidem boni praestitit, fuit scholae discentium ac docentium institutio et artium liberalium aliorumque studiorum litterariorum continuum exercitium. Optime nimirum noverat vir sapiens ac multa experientia edoctus, nullum pro reformandis moribus religiosae communitatis aptius et efficacius remedium adhiberi posse, quam culturam ingeniorum. Hac enim via et arte ideae virtutum partim per ignorantiam, partim per concupiscentiam suppressae reviviscunt, lumina veritatis fugatis tenebris, quibus humana natura ex peccati corruptione aut voluntaria desidia immersa est, accenduntur: hac via Dei summe boni, omnipotentis, sapientissimi cognitio obtinetur; religio, qua ipse coli vult, addiscitur; et qua ratione ad ipsum, tanquam finem ultimum ac supremam felicitatem perveniri possit, docetur; hac demum etiam via optimi [Col. 0062D] reipublicae cives efformantur, et quid quisque principi, patriae ac proximis debeat, addiscunt.

CXI. Alcuinus id quod sibi animo proposuerat, maxima cum industria perfecit; quibus vero studiis scholares suos informare coeperit, Carolo regi in epist. 38 (nunc 43) his verbis significavit: «Ego Flaccus vester; secundum exhortationem et bonam voluntatem vestram aliis per tecta S. Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago; alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo; alios grammaticae subtilitatis enutrire pomis incipiam; quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnae domus culmine illuminare gestio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctae Dei Ecclesiae et ad decorem imperialis regni vestri erudiam, ne sit vacua omnipotentis in me gratia, nec vestrae bonitatis largitio inanis.» Nihil ergo in hac schola praetermissum est, quod ad excolenda ingenia et ad animos doctrina sacra ac profana imbuendos proficuum esse potuit, [Col. 0063A] Destituebatur vero schola illa noviter erecta sufficiente copia librorum, quorum ope tam amplum institutum debite sustineri, promoveri ac stabiliri posset, et eorum maxime quibus Alcuinus in schola Eboracensi erat assuetus. Quapropter in eadem epistola regem rogavit, ut sibi liceat, aliquos ex pueris (discipulis nempe suis, quos plures, ut supra cap. 5, num. 59, vidimus, et infra, num. 104, videbimus, secum e patria adduxerat) remittere illuc, «qui excipiant inde necessaria quaeque, et revehant in Franciam flores Britanniae: ut, inquit, non sit tantummodo in Euboriaca hortus conclusus, sed in Turonica emissiones paradisi cum pomorum fructibus, ut veniens auster perflaret hortos Ligeri fluminis, etc.» Ex quibus intelligitur, Alcuinum curam habuisse bibliothecae Turonis instruendae ad normam nempe illius, «quam Eboraci habuit per industriam magistri sui ac proprium suum sudorem,» et quam ipse descripsit in carmine de episcopis Eboracensibus, [Col. 0063B] vers. 1535 seqq.

CXII. Eboracum ex regis licentia quosdam Alcuini discipulos abiisse, ad reportandos inde libros desideratos; Eboracenses quoque in iisdem communicandis haud difficiles fuisse credimus. Quia vero tunc temporis ob necessitatem codices quosque singulatim scribendi et ob tarditatem raritatemque scriptorum, exemplaria librorum non ita multiplicia fuere sicut evasere post inventam artem typographicam, ideo existimamus exemplaria ejusmodi Turonensibus non ad custodiendum, sed ad describendum concessa fuisse, postmodum iterum Eboracum remittenda: quem in finem, et ut posthac bibliotheca Turonensis ditior reddi possit, scriptoribus opus erat qui libros charactere, quantum fieri tunc poterat, nitido, et ad regulas grammaticae et orthographiae exarare nossent, quales tunc paucos Turonis et alibi reperire fuit. De qua penuria Alcuinus in

epist. 85 (nunc 135) ad Carolum conqueritur, ita scribens: «Punctorum distinctiones [Col. 0063C] et subdistinctiones, licet ornatum faciant pulcherrimum in sententiis, tamen usus illorum propter rusticitatem pene recessit a scriptoribus . . . Ego itaque, licet parum proficiens, cum Turonica quotidie pugno rusticitate.» Huic igitur incommodo et defectui ut mederetur Alcuinus, sicut antea in palatio, ita nunc in schola Turonensi maximum laborem initio impendit in docendis primis litterarum elementis, regulis grammaticae et orthographiae, recteque et emendate scribendi methodo. In hunc finem ad Musaeum scribentium libros carmen, quod LXVII est nostrae editionis (tom. II), suspendit, quod ipsos continuo, quid in scribendo observare debeant, commonefaceret. Ibi monet, ut sacrae Scripturae vel sanctorum Patrum volumina descripturi caveant ne propria sua verba alicubi assuant ac immisceant, ut librorum describendorum correcta exempla exquirant et,

Per cola distinguant proprios et commata sensus,
Et punctos ponant ordine quosque suo,[Col. 0063D] Ne vel falsa legat, taceat vel forte repente
Ante pios fratres, lector in ecclesia. Curam vero adhibuit vir piissimus et sollicite cavit, ne quorum mores ipse per studia litterarum reformare intendebat, per libros profanorum auctorum corrumperentur; quapropter vetuit ne sui discipuli se darent lectioni veterum poetarum, prae primis Virgilii, uti colligitur ex narratione scriptoris Vitae illius de Sigulfo vetulo cap. 10, num. 19, quem Alcuinus reprehendit quod Adalberto et Aldrico Virgilium ad legendum secrete tradidisset, praecepti sui transgressor, quod suis ipse discipulis dederat, simul eos commonendo, quod ipsis sufficerent «divini poetae, nec egeant luxoriosa pollui sermonis Virgilii facundia.»

CXIII. Librorum optime scriptorum sufficiente copia hac industria jam comparata, facilior fuit discipulorum instructio, inter quos ipse magister pro cujusvis capacitate et classe eosdem distribuit et ita [Col. 0064A] munus docendi omnes illas disciplinas, quas ipse in epistola, supra num. 111 citata, commemorat, prosecutus est. Schola itaque Turonensis brevi posthac tempore tam ubique celebrata fuit, ut ad illam, sicut antea ad Eboracensem, undique concurrerent, qui scientiarum desiderio tenebantur. Ibi edocti fuere viri celeberrimi, qui deinceps per totum, qua late patet et ultra regnum Franciae scientiarum semina, quae Turonis sub magisterio Alcuini excepere, sparserunt; atque ita schola Turonensis mater exstitit tot aliarum scholarum, quae per varia loca fundatae fuerunt. Discipulos hosce beati Alcuini saltem celebriores et magis notos in sequenti capite recenseamus.

CAPUT X.

Beati Alcuini discipuli magis celebres in schola Turonensi.

CXIV. Inter auditores Alcuini in schola Turonensi [Col. 0064B] D. Mabillonius in Elogio, num. 66, numerat etiam *Oniam, Candidum, Nathanaelem, Witsonem, Raganardum, Waldramnum, Osulfum, Simeonem, postea episcopum Wormatiensem, in epistola 73 laudatum,* et *Sigulfum, cujus relatu Vita beati Alcuini scripta est.* Verum hos omnes

non in schola Turonensi in Gallia, sed in Eboracensi in Anglia Alcuinum praeceptorem habuisse superius cap. 4 diximus: credendum potius quosdam illorum, si non omnes, a magistro suo, petente et permittente certe rege Carolo, ex Anglia adductos primo in schola palatii ac postea etiam in Turonensi illius fuisse coadjutores non discipulos; quod de *Sigulfo praeprimis constat, quem Alcuinus aliquando severe castigavit, quod scholaribus ipsius magisterio a se commendatis, contra interdictum suum, Virgilii aliorumque profanorum auctorum lectionem permisisset.* Vitae cap. 10, num. 19, Nathanaelem quoque, seu Fridegisum in instruendis virginibus regiis Lucia et Columba, in palatio, in [Col. 0064C] quo et Nathanael morabatur, versantibus vices suas agere jussit, hortatusque est in epistola 135, «ne illis suae decorem sapientiae abscondat, sed florentes in eis bonae voluntatis areolas irriget.» Witso, quem ibi D. Mabillonius a Candido distinguit, idem est ac Candidus, quod nomen est Witsonis ascititium, ut alibi observamus. Simeon etiam, quem idem vir celeberrimus loc. cit. episcopum Wormatiensem facit, cognomen est Eanbaldi archiepiscopi Eboracensis, sicut ex epistolis in bibliotheca Harleiana nuper detectis didicimus.

CXV. Credibile est, discipulis Alcuini omnes illos magistros, qui Carolo Magno adhuc in vivis agente et sub initium regiminis Ludovici Pii, scholis seu episcopalibus seu monasterialibus, vel reformandis vel noviter erectis praefecti fuere, accensendos esse; majoremque eorum partem Turonis studia sua confecisse. Verum deficientibus monumentis illos solum hic recensebimus, de quibus certa exstant testimonia, et qui inter reliquos magis celebres evasere: nimirum [Col. 0064D] *Rabanum abbatem Fuldensem et postea archiepiscopum Moguntinum; Hattonem, illius in abbatia Fuldensi successorem; Hemmonem seu Haimonem episcopum dein Halberstatensem; Samuelem episcopum Wormatiensem; Adalbertum Sigulfi in abbatia Ferrariensi successorem; Aldricum ex abbate Ferrariensi episcopum Senonensem:* demum *Amalarium diaconum ecclesiae Metensis.*

CXVI. Rabanum una cum Hattone ab abbate suo Turonos ad Albinum magistrum, gratia discendi liberales artes, directum fuisse, Browerus ex pervetusto codice Fuldensi refert in notis ad Rabani poema XIII. Et Rabanus ipse in praefatione commentariis in libros Regum praefixa profitetur, quod cognomen *Maurus a praeceptore suo Alcuino acceperit, ait enim se in iis locis quae per semet exponit,* ad marginem «praenotasse *M.* litteram, Mauri nomen exprimentem, quod magister, inquit, meus beatae memoriae Albinus mihi indidit.» Hinc est quod Alcuinus hoc nomine [Col. 0065A] illum semper compellaverit. Sic in epistolam 111 (nunc 140) ad illum directam inscribit: *Benedicto sancti Benedicti puero Mauro, et carmen 250 ita orditur:*

Hos tibi sancte puer Benedicti *Maure camenos*
Albinus vates versiculis cecinit. Porro scientias quas Rabanus tunc, Alcuino doctore, didicerat, ipse memorat in carmine quod ipse in persona Alcuini sancto Martino obtulit, et praefixum habetur libris De laudibus crucis; quod inter carmina supposita exhibemus tom. II, carm. 17, in quo Alcuinus ita de Rabano canens inducitur:

Nempe ego cum fueram custos humilisque minister
Istius ecclesiae
@ [Col. 0065D] Id est S. Martini., dogmata sacra legens, Hunc puerum docui *divini* famine

verbi
Ethicae monitis et *sophiae studiis, etc.* Abbas namque suus Fuldensis rector ovilis
Illum huc direxit ad tua tecta, Pater: Quo mecum legeret *metri* scholasticus *artem*
Scripturam et sacram rite pararet ovans. [Col. 0065B] Exiguo tamen tempore Rabanus Alcuinum Turonis auscultavit, si D. Mabillonii conjectura non fallit, qui libr. XXVII Annalium, num. 12 censet, Rabanum adolescentem jam et litteris utcunque imbutum, ut pote jam anno priore diaconum ordinatum, a Ratgario abbate, cui Baugulfus anno 802 abbatiam cesserat, fuisse Turonos missum; biennio ante beati Alcuini obitum. Verum nihil obstat quominus priori aliquo tempore ab abbate suo Bausulfo, Ratgarii antecessore, illuc mitti potuerit, ibique perstiterit tanto tempore quod ad discendas artes liberales, philosophiam, ethicam et sacram Scripturam sufficere potuit. Certe ex poemate 13 in quo viro celeberrimo videbatur hanc Rabani missionem Ratgario acceptam referri, nihil aliud discitur quam quod ex bonitate Ratgarii libros habuerit, et quod eosdem a semet compilatos, postea vero sibi ablatos magna cum modestia repetierit; ita enim ibi canit:

Jam mihi concessit bonitas tua discere libros
[Col. 0065C] Sed mea paupertas suffocat ingenii. Me quia quaecunque docuerunt ore magistri,
Ne vaga mens perdat, cuncta dedi foliis. Hinc quoque nunc constant glossae, parvique libelli,
Quos precor indigno reddere praecipias.

CXVII. Studiorum socios Rabanus in Turonensi academia habuit Hattonem, Haimonem et Samuelem, quos supra nominavi. De Hattone, qui inter litteratos Bonosus cognominatus fuit, id constat ex notis Broweri ad poema 13, ut num. priori diximus. De Haimone idem colligi posse videtur ex praefatione operis De universo, quos Rabanus ipsi nuncupavit. «Memor sum, inquit, boni studii, sancte pater, quod habuisti in puerili atque juvenili aetate in litterarum exercitio et sacrarum litterarum meditatione, quando mecum legebas non solum divinos libros et sanctorum Patrum super eos expositiones, sed etiam hujus mundi sapientium de rerum naturis solertes inquisitiones, quas in liberalium artium descriptione et caeterarum rerum investigatione composuerunt.» [Col. 0065D] Et ex hoc quidem testimonio constat Haimonem fuisse Rabani condiscipulum; non alibi sane quam ubi ipse Rabanus sacris scientiis et liberalibus artibus in puerili atque juvenili aetate, ut hic loquitur, exercitatus fuit, quod sub Alcuino magistro factum esse locis num. priore citatis ipse testatur. Igitur easdem scientias et artes Haimo etiam sub eodem magistro, juncto cum Rabano studio, didicit. Nihilominus D. Mab. in Elogio Haimonis Act. SS. saec. IV, part. I, pag. 619, num. 7, verba citata Rabani ad Haimonem intelligit de schola Fuldensi, quamvis deinde existimet verum esse id quod scribit Trithemius, scilicet Haimonem cum Rabano Alcuini auditorem fuisse in monasterio Turonensi. Fuit certe Haimo Rabani in monasterio Fuldensi monasticae professionis socius, abbas deinde Hersfeldensis, ac demum [Col. 0066A] Thiatgrimo in cathedra episcopali Halberstadensi anno 841 suffectus. De Haimone qui inter litteratos more illius cognomen *Praeclarus tulit, illiusque scriptis variis consuli possunt D.* Mabillonius loc. cit, et D. Rivet, *Hist.* Lit. de la France, tom. V, p. 111 seqq.

CXVIII. Eisdem Rabani sociis in schola beati Albini Turonis annumerandus est Samuel, postea factus abbas Lauresheimensis, atque inde anno 838 ad episcopatum Wormatiensem promotus retento regimine sui monasterii, ut tradit D. Mabill. lib. XXXII Annal., num. 3. Amborum namque communem fuisse praeceptorem Albinum ipse Rabanus testatur carm. 21 in his versibus:

Quod quondam docuit Albinus rite magister,
Hoc pectus teneat, hoc opus omne probet. Fuit vero hic Samuel Rabani in schola Fuldensi conlector, sicut antea illius in schola Turonensi condiscipulus, quod ex sequentibus versibus ejusdem carminis patet:

[Col. 0066B] Quondam namque meum gaudebam te esse sodalem,
Inter lectores, frater amate mihi. Subdit vero:

Nunc quoque te gratulor retinere jura magistri,
Crescere virtute, patris habere locum. Quibus innuitur quod Samuel jam abbas et episcopus munus docendi retinuerit et exercuerit *pater simul* et *magister.* Mabill. in Elogio beati Rabani § 3, num. 10. In epistola 143 Alcuinus scribens *ad quemdam filium seu discipulum suum, ait,* quod olim sub ejus nomine et condiscipuli sui *Samuelis composuerit epistolam De benedictione patriarcharum.* Nullus dubito quin hic idem sit Samuel de quo hic agimus; quis vero ille fuerit ejus condiscipulus, ignotum. Laudat Alcuinus illius devotionem, sanctae sapientiae decorem, et eam addiscendi studium; «quod maxime, inquit, tuis modo competit annis vel pro aeternae vitae beatitudine, vel pro saecularis honore.» Fuit igitur hic Alcuini filius homo saecularis; quod impedit, quominus [Col. 0066C] illum Rabanum fuisse certo affirmemus.

CXIX. Vitae beati Alcuini scriptor num. 14 Adalbertum inter illius discipulos abs dubio in schola Turonensi recenset, aitque eum cum Raganardo et Waldramno, ultimo jam vitae illius tempore assidue, quantum illi a Sigulfo, cujus disciplinae suberat, concedebatur, Alcuino adhaesisse. Adalberti socius fuit Aldricus. Ambos Alcuinus Sigulfo sub sua tamen directione erudiendos tradidit; quibus cum idem Sigulfus Virgilium se secretissime legere concessisset, eumdem acrius reprehendit, ut ibidem legitur num. 19. Adalberto Sigulfus cum usque ad senium sub habitu canonico laudabiliter vixisset, cum consensu fratrum, Ludovico imperatore annuente, sponte regimen abbatiae Ferrariensis cessit, monachicam religionem assumpsit, et huic suo discipulo, posthac subjici voluit, ut scribit Lupus in epist. 29. Adalberto post quartum regiminis sui annum demortuo Aldricus unanimi fratrum consensu abbas electus est, cui [Col. 0066D] electioni Ludovicus imp. assensum praebuit et favorem, uti refert anonymus Vitae beati Aldrici scriptor apud Mab. Act. SS. Ben. saec. IV, pag. 570, num. 11. Contigit haec electio anno 822, uti ex litteris Ludovici Augusti probat idem D. Mab. lib. XXIX Annalium, num. 30, pag. 473, quamvis illam, in observationibus praeviis ad eamdem vitam beati Aldrici num. 4, circiter annum 824 contigisse existimaverit. Aldricus iste «sub Alcuino abbate, magistro litterali, uti legitur in ejus Vita num. 4, in monasterio Ferrariensi monachalis disciplinae suscepit insignia.» Illum Ludovicus Aug. ob famam pietatis et eruditionis praeceptorem palatinum constituit. Vero admodum simile est anonymum Vitae Alcuini scriptorem eam lucubrationem aggressum fuisse Aldrico quem tunc superstitem fuisse scribit num. 19 hortante; quae etiam conjectura

est D. Mabillonii, observat. praev. [Col. 0067A] in Vit. beati Alcuini num. 1. Ex quo loco constat Vitam illam scriptam fuisse post annum 822, quo Aldricum monasterii abbatem electum fuisse diximus; sed tamen ante annum 829, quo sublimatus est ad archiepiscopatum Senonensem, uti probat D. Mabillonius in not. ad num. 13, Vitae Adalrici, ubi plura videas de laudabilibus gestis et sanctitate ejusdem.

CXX. Inter celebriores demum discipulos Alcuini collocandus est Amalarius Metensis presbyter et monachus; talem enim ipsemet se profitetur in libro de Ordine Antiphonarii cap. 58, ubi «quando, inquit, videbar puer esse ante Albinum doctissimum magistrum totius regionis nostrae,» an Turonis, an in palatio, incertum. Scholas tamen palatinas Amalarius moderatus est post Alcuinum, Claudio Hispano ad sedem Taurinensem per Ludovicum Augustum promoto, uti ostendit D. Mab. in praefat. ad saec. IV Ben. num. 181 et 182. Hunc Amalarium, qui inter litteratos *Symposius cognominatur, distinguendum esse ab archiepiscopo Trevirensi ejusdem nominis* [Col. 0067B] consentiunt nunc omnes eruditi; de quo et de scriptis Amalarii Metensis legi merentur, quae post D. Mabill. de illis doctissime commentatus est D. Rivet tom. IV Hist. Lit., pag. 531, cui addendus D. Ceiller, *Hist.* des Auteurs sacrés, tom. XVIII, pag. 552 seqq.

CXXI. Exstat inter carmina Alcuini sub num. 268 epitaphium Pauli monachi, qui in monasterio sancti Martini sacris litteris imbutus est, ut ibi legitur; simul vero refertur Paulum vixisse septenas decades seu annos septuaginta; in qua aetate vix credibile est ipsum ab Alcuino annis haud superiore litteris imbutum fuisse; aut dicendum Alcuinum epitaphii illius, quod D. Mabil. valde scabrosum appellat, non fuisse auctorem. Si quis tamen Paulum hunc Alcuini discipulum haberi velit, eo sensu id admitti potest, quod sub Alcuini obedientia et magisterio spirituali in praedicto monasterio vixerit, vir jam annosus, quando Alcuinus illius regimen suscepit. Plures Alcuinum in illa celebri schola discipulos habuisse certissime credendum [Col. 0067C] est, cum illa quasi parens habeatur tot aliarum scholarum, quae postea in toto Francorum regno per Alcuini discipulos institutae vel restauratae fuerunt. Verum non alios hic referre volui quam illos quorum certa exstant documenta, et qui majorem nominis celebritatem apud posteros sunt adepti.

CXXII. Nonnulli scriptores beatum Alcuinum non tantum in palatio et in monasterio Turonensi, verum etiam alibi in Francia, nempe Parisiis, Fuldae, in monasterio sancti Galli, ac apud Suessionas, imo etiam Romae litteras docuisse existimabant. Et quidem Jo. Trithemius lib. II de Viris Illustribus Ord. S. Ben. cap. 26 de Alcuino scribit: «Hic jussu Caroli studium Parisiense a Roma translatum primus instituit, ubi multos etiam ex monachis discipulos insignes educavit.» Et tom. I Chron. Hirsaug. pag. 11 ait, Albinum praeceptorem Caroli Magni imp. in monasterio Fuldensi consuetudinem introduxisse, ut monachis praeficerentur doctissimi praeceptores, qui [Col. 0067D] eos non solum in Scripturis divinis, sed in omni quoque litteratura saecularium studiorum instruerent, etc. Verum utraque haec assertio nullo veteri nititur testimonio; et nec in vita nec in scriptis Alcuini ullum reperitur vestigium, quod ipse per illud tempus quo in Francia moratus est, vel Parisiis vel Fuldae, vel alibi in eodem regno scholas rexerit, praeterquam Turonis et in palatio regio. Schola quidem palatii cum aula non uno loco fixa, sed

inambulans fuit, uti superius notavimus; ab eo tamen tempore quo Alcuinus ex Anglia ad Carolum venit, usque ad illud quo ipse in monasterium sancti Martini translatus est, aula non vel semel apud Parisios videtur constitisse, ut dicit D. Mab. libr. XXV Annal., num. 15. Fratres Fuldenses quidem ipse aliquando invisit et ab iis benignissime cum omni gaudio susceptus est, uti scribit initio epist. 192 (nunc 142), magistrum vero scholae illius fuisse, ne verbo quidem insinuatur. Quo tamen tempore illis varia consilia pro studio litterarum [Col. 0068A] promovendo dare, et auctor illius apud Fuldenses consuetudinis esse potuit, cujus loco cit. meminit Trithemius. Simile quidpiam contingere potuit in monasterio S. Galli, apud Suessionas et alibi. Demum Romae aliquando Alcuinum diutius moratum fuisse, aut scholarum rectorem egisse nullibi legitur. Bina quidem vice illuc profectus est semel cum magistro suo litterarii profectus gratia; et iterum legati munus obiens ad impetrandum pallium pro Eanbaldo Eboracensi nuper electo: his tamen negotiis confectis rursus in patriam rediit, ut alibi diximus.

CAPUT XI.

Alia facta beati Alcuini Turonis.

CXXIII. Postquam beatus Alcuinus scholam monasterii Turonensis, optima docendi discendique methodo instructam, admodum celebrem reddidit, ac plurimos scholares, ab exteris etiam regionibus venientes, studiis litterariis apprime excoluit, fratrumque ibidem degentium animos ab otio ad labores, et [Col. 0068B] a vitae laxitate ad regularem observantiam arctioremque disciplinam adduxit, ad se etiam pertinere existimavit ut operi tam feliciter coepto firmitatem in futura tempora procuraret. Quapropter de bonis quoque temporalibus, sine quibus communitas religiosa, studio litterarum et exercitio pietatis unice intenta, conservari minime potest, sollicitus a regia potestate chartas ac privilegia impetrare curavit, quibus bona, possessiones atque immunitates, vel antea jam concessae, aut imposterum concedendae ita firmarentur, ne fratres ejusdem monasterii in quieto illarum usu unquam a quovis hominum turbari possent.

CXXIV. Confisus igitur solertissimus paterfamilias de summa, quam multoties expertus est, Caroli Magni clementia omnes antiquiores chartas privilegiorum, immunitatum atque donationum pro ecclesia S. Martini, ad alimenta pauperum et ad stipendia monachorum olim traditas, et manibus regum antecessorum, ipsiusque Pippini Caroli Magni genitoris [Col. 0068C] roboratas, conquisivit, easdem regi relegendas exhibuit, et ut ipse easdem sua quoque auctoritate firmare dignaretur, suppliciter petiit. Non defuit rex erga sacras hujusmodi fundationes semper largissimus, piis hisce magistri sui petitis. Amplissimum igitur praeceptum, seu, ut vocant, diploma expediri jussit, quo non tantum quae prius ab antecessoribus suis aliisque benefactoribus pro illo monasterio collata fuere confirmantur, et de novo in regiam tutelam recipiuntur; verum etiam sub gravi mulcta inhibetur, ne vel fiscus regius, vel quaevis alia judiciaria potestas quidpiam adversus illa privilegia et monasterii ejusdem bona ac possessiones attentare praesumat, etc. Exhibemus praecepti hujus exemplum tomo II editionis nostrae, quod Lauduni datum censetur ab aliquibus circa initium adeptae ab Alcuino abbatiae; ab aliis vero anno 800, et ea fortassis occasione impetratum qua Carolus Magnus anno eodem

orationis causa Turonis fuit, prout referunt [Col. 0068D] illius temporis annalistae.

CXXV. Eodem anno, regni scilicet Francici 32, Longobardici vero 27, mense Junio, ad Alcuini instantiam data fuere alia duo praecepta pro monasterio Cormaricensi, cujus pariter regimen Alcuinus, post Itherii primi illius fundatoris obitum, a Carolo accepit. Itherius siquidem anno 791 in pago Turonico ad Angerem (*l'Indre*) fluvium loco amoeno, qui ab antiquis *Cormaricus appellatus est, cellam sancti Pauli condidit,* decrevitque ibi ecclesiam in honorem sanctae Trinitatis construere *cum tribus altaribus, multasque res et possessiones pro stipendio fratrum ibidem Deo servientium et consolatione peregrinorum donavit, uti legitur in charta ejusdem Itherii apud D.* Mab. in appendice tomi II Annal., pag. 714, num. 32. Ibi rogat *successorem mox futurum et post eum succedentes abbates, ut, quae ipse disposuit, et nondum ad perfectum perducere potuit, ipsi ad divinam Omnipotentis laudem,* et incrementum ipsius [Col. 0069A] cellae perficiant atque conservent, et augere potius velint, quam aliquid de rebus illi collatis subtrahere.

CXXVI. Hanc piissimi sui decessoris admonitionem beatus Alcuinus haud negligendam esse censuit. Quapropter adepta abbatiae sancti Martini praefectura, a qua cellam Cormaricensem dependere voluit Itherius, curam suam eo impendit, primo ut omnia bona et possessiones ad illam cellam collatae regia auctoritate in perpetua tempora stabilirentur; secundo ut idem locus traderetur monachis regulam sancti Benedicti professis. De hujus monasterii constructione jam antea ipse rex Carolus egerat per ipsum, puto, Itherium cum Adriano I papa, ac postea etiam cum Leone illius successore per Angilbertum, uti colligitur ex epist. Caroli ad Homerum, quam dedimus tom. II, in Appendice 1. De eadem re aliquoties Alcuinus quid Romae vel in aula ageretur, ab Aquila suo in epist. 52 (nunc 66) et 55 (nunc 69), anno 797 datis instrui desideravit. Alcuinus ergo a Carolo [Col. 0069B] Magno licentiam impetravit in eadem cella S. Pauli constituendi monachos, *qui regulariter secundum sancti Benedicti statuta viverent;* ab eodem rege etiam obtinuit primo, ut idem locus semper monasterio S. Martini Turonensis, ejusque abbatibus unitus et subjectus permanere deberet; secundo, ut bona ad illum locum donata aut imposterum donanda inviolata illi conservarentur. In alio praecepto Carolus ad preces Alcuini privilegium concessit, «ut monachi sub regula sancti Benedicti in illo monasterio degentes libertatem haberent duas naves per Ligerim fluvium, etc., huc illucque pro necessitatibus dirigendi, ita ut nullum teloneum inde solvere tenerentur.» Utrumque hoc praeceptum datum est anno 800, mense Junio, Turonis, quando nempe Carolus, ut supra diximus, orationis gratia ibidem morabatur.

CXXVII. Primos monasterii hujus incolas, qui ibi regulam sancti Benedicti profiterentur, Alcuinus accepit e Gothia beati Benedicti abbatis Anianensis [Col. 0069C] discipulos, quod ipse amicissimo suo Aquilae in epist. 92 (nunc 108) his verbis intimavit: «Noviter congregationem quamdam feci, quasi octavo milliario a monasterio sancti Martini, monachicae vitae et regularis religionis, primo ex fratribus de Gothia, ubi Benedictus abba regularem constituit vitam. At nunc volente Deo aliqui veniunt sancta se devotione mancipantes.» Cujus institutionis etiam Ardo sancti Benedicti Anianensis discipulus in ejus Vita mentionem facit, apud Mabill. Act. SS. Bened., saec. IV, part. I, pag. 205, num. 36, his verbis: «Alcoinus quoque ex genere Anglorum,

ordine levites, sapientia clarus . . . audita expertaque viri Dei sanctitatis fama, inviolabili se illi charitate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei saepe directis aggregatis in unum unus conficeretur libellus. Datis itaque illi muneribus postulat obnixe sibi monachos dari. Cui cum protinus venerabilis Pater assensum praebuisset, equos misit, qui eos ferrent: quos in monasterio, cui nomen Cormarine, [Col. 0069D] quod aedificaverat, collocavit. Fuere et hi, ut reor, viginti cum praelato sibi magistro. Ad quorum bonum conversationis exemplum magna est aggregata multitudo monachorum;» et quidem cum tam celebri augmento, ut anno septimo Ludovici Augusti, Caroli Magni filii jam quinquaginta monachi ibi numerarentur, quibus ab eodem imperatore illo anno 820, primum potestas facta est abbatem ex suis secundum regulam sancti Benedicti eligendi, cum consensu tamen abbatis et congregationis S. Martini: quod deinceps ab Urbano II papa anno 1096 in concilio Turonensi ita confirmatum fuit, ut electus abbas Cormaricensis de beati Martini sepulcro baculum sumere deberet; eoque defuncto idem baculus ad eumdem locum referri, ad perpetuam ejus subjectionis memoriam; prout legitur in pontificiis litteris, tom. I Spicilegii, apud Mab. Elogii beati Alcuini num 57, pag. 176.

CXXVIII. Ex his quae de introductione monachorum [Col. 0070A] Benedictinorum in monasterium Cormaricense retulimus, refellitur conjectura viri celeberrimi D. Caroli le Cointe, qui tom. VI Annal. eccles. Francorum, anno 791, num. 50, scribit: «Sub praeposito (apud S. Martinum) vixerunt canonici; monachi vero, qui relaxari noluerant, sub strictiori regula remanserunt, ita tamen, ut abbate communi uterentur utrique omnes, et uni parerent omnes, pro suo quisque instituto. Inde Itherio abbati occasio data condendae apud Cormaricum cellae, ubi monachos constituit, atque dotavit, ut docet carta superius descripta,» Itherii nempe, cujus supra num. 125 meminimus. Idem vir doctissimus le Cointe ibid., num. 52, postquam optime refellit fabellam de fratrum San-Martinianorum exterminatione facta ab angelo una nocte, subdit: «Caeterum ex quo Cormaricense monasterium constructum ac dotatum fuit, illuc monachi San-Martiniani confluxerunt; et Turonis in aede San-Martiniana soli remanserunt canonici.» Enimvero, etsi largiri velimus D. Cointio (quod ipsum [Col. 0070B] tamen aptis testimoniis destituitur) in monasterio S. Martini sub Itherio abbate simul convixisse monachos atque canonicos; largiri tamen non possumus eumdem abbatem cellam Cormaricensem eum in finem construxisse, ut in illam transferrentur monachi hactenus in monasterio Turonensi sub strictiori regula consistentes; atque his eo translatis solos canonicos ibidem remansisse. Certe etiam post Itherii obitum, Alcuino illius monasterii sancti Martini regimen obtinente, fratres illic degentes pene omnes regulae monasticae fuere addicti, ut jam alibi ex D. Mabillonio ostendimus, et ex praecepto Caroli Magni pro eodem monasterio supra citato, dilucide patet, in quo nulli praepositi vel Canonici, sed solum abbas et monachi memorantur. Deinde ex testimonio Ardonis, atque ex ipsa epistola Alcuini ad Aquilam priori numero exhibitis demonstratur, monachos Cormaricum non ex monasterio S. Martini, sed e schola S. Benedicti Anianensis fuisse assumptos; non ab [Col. 0070C] Itherio, sed ab Alcuino ibi constitutos: «Noviter, inquit Alcuinus, congregationem quamdam feci . . . primo ex fratribus de Gothia, etc.;» non ergo prius eos ab Itherio introductos invenit.

CXXIX. Ex monachis, quos beatus Benedictus abbas Anianensis Cormaricum misit,

unus memoratur *Sigulfus, qui propterea distinguendus est a Sigulfo Alcuini discipulo ex Anglia adducto, ut jam alibi monuimus.* Hujus vero Sigulfi Cormaricensis meminit Vitae Alcuini scriptor cap. 11, num. 20, fraudem referens ductorum et corruptorum vini, ab Alcuino pro fratrum Cormaricensium, quos diligebat, solatio submissi, quam fraudem Alcuinus, usus officio ejusdem Sigulfi, deprehendit et redarguit. Venit posthac beatus Alcuinus identidem ad illud monasterium, scholasque ibi institutas invisit, uti colligitur ex carmine olim inter Alcuiniana sub num. 222 edito, nunc ad dubia rejecto, tom. II nostrae edit., ubi videas nostras notas. In alio carmine, quod inter genuina [Col. 0070D] Alcuini exhibemus sub num. 106, item tom. II, cella Cormaricensis prae magnis urbibus laudatur ob studia litterarum et vitae temperantiam ac sobrietatem. Subsistit hoc monasterium etiamnum sub celeberrima congregatione Benedictina sancti Mauri, ut testatur D. Mabillonius in Elogio beati Alcuini, num. 57. Verum de his plura commentari non est hujus loci.

CXXX. Paulo ante obitum, uti censet D. Mabillonius Annal. lib. XXVII, num. 30, beatus Alcuinus, in celeberrimo loco pagi Tricassini inter duos pontes et duas aquas Sequani, *Duodecim Pontes appellato, xenodochium seu hospitales, ut vocant, domos, in gratiam pauperum, maxime vero peregrinorum instituit ditavitque:* cujus fundationis litteras ab Alcuino confectas exhibet idem Mabillonius in cit. Elogio num. 59, quas, ne quidpiam ad opera ac pietatem tanti viri pertinens desiderari possit, huc referre placuit.

[Col. 0071A] *Litterae donationis beati Alcuini pro xenodochio Duodecim Pontium.*

In nomine Domini, qui regnat in perpetuum.

Ego Alcuinus, licet indignus, rector atque gubernator monasterii rerumque sancti Martini praeclarissimi confessoris Christi, has litteras jussu et decreto Domini Caroli serenissimi imperatoris dictavi, ne in posterum a successoribus meis vel a qualicunque persona partibus subter insertis valeat fieri deinceps ulla inquietudo. Decrevi siquidem Deo Christo inspirante, Dominoque Carolo favente, hospitale in loco celeberrimo, qui vocatur XII Pontes, ad susceptionem peregrinorum ob eleemosynam construere praefati domni imperatoris, prolisque ejus et omnis ejus prosapiae ac statu exercitus Francorum. Quod ita et feci, accipiens a domino meo terrae portiunculam inter duos pontes et duas aquas Sequanae fluminis, sicut in sua auctoritate infra terminationem continetur: [Col. 0071B] in qua construxi oratorium beatissimae Dei genitricis Mariae, hospitalesque domos ad perpetuam peregrinorum susceptionem, ut praefati sumus. Addidit quoque inidem dominus meus cum conscriptione et instrumento litterarum, sanctique nominis sui auctoritate, terram in Rhemense Campania decem manentium, ubi dicitur Marmorico Villa. Sed et Leotardus vir nobilis ex suo proprio tradidit in eleemosynam sibi perpetuam terram et possessiones duobus in locis, id est, in Ferroco et Marniaco. Sed et Frambertus presbyter aliquid tradidit in loco qui dicitur Brituaria. Suus quoque nepos, nomine Marato, sub venditionis titulo in loco, qui dicitur Mariniaco, cui dedi quatuor libras argenti. Deinde per auctoritatem domni imperatoris tradidimus ad eumdem locum, in loco, ubi dicitur Patiaco et villa Dofio et Muerneto, sicut in donatione ordine continetur: et in alio loco, ubi dicitur Patiaco super Igrua seu et in Curcella et in villa Cavanno, quod Sigbertus et ejus parentes sancto Martino

delegaverunt. In [Col. 0071C] villa quoque Collorio et in valle Flaviacense atque Muilliare, quae Adalbertus filius Beringarii ad vicem Germani sui Ermenfredi partibus ejusdem sancti delegaverunt, sicut in legalibus singulis donationibus continetur, ad ea loca aspicientes vel pertinentes, omnia ex omnibus. Alii quoque homines ingenui illis habitantes in partibus dederunt portiunculas terrarum perpetuo jure in locis diversis, ut est in monte Gratiano, etc. Haec omnia legitime possessa atque habita ad praefatam pertinentia Ecclesiam beatae Mariae, ratione infra scripta interposita, perpetuo jure ob eleemosynam Domini nostri atque meam trado ideo Jesu Christo et sancto Martino, ad pauperum perpetuam susceptionem, ut solatia ibi iter agentes habeant perpetua consuetudine, secundum possibilitatem et benedictionem Domini, quam credo per intercessionem beatae Mariae et sancti Martini daturus est loco illi, rebusque ad eum pertinentibus, per eleemosynam Domini mei regis Caroli, ejusque [Col. 0071D] perpetualiter prolis, regumque Francorum, atque in remedium animae meae, et prosperitatem successorum meorum, sanctaeque familiae sancti Martini salutem. Obsecrans per nomen et majestatem sanctae Trinitatis, atque per sanguinem redemptionis nostrae, nec non et per terribile judicium, in quo rationem redditurus est unusquisque fidei suae et omnium operum suorum, ut haec domini mei traditio meaque donatio, atque ibi susceptio peregrinorum fiat aeternaliter firma et inviolabilis perpetuo jure sub defensione et dispensatione abbatum sancti Martini maneat, et haec in beneficio alicui non tradatur, sed fidelibus Deumque timentibus in ministerium sub regimine deputetur. Quem specialiter obtestor per sanctae crucis sanctaeque Trinitatis communionem, ut fideliter provideat, dispensareque faciat pauperibus, quidquid in illis terrarum portiunculis Dei benedictio fecerit fructificare, faciat et omnibus tam praesentibus quam futuris principibus, potestatemque agentibus, [Col. 0072A] ut postquam domini nostri amantissimi imperatoris auctoritatem atque meam legere audierit, ut sine perturbatione nostrae decretum voluntatis stabile faciat permanere: quatenus et ipse particeps mereatur effici hujus benedictionis in aeternum, nobiscum credens, quod crediturus huic assertioni consentiens, sibi aeque per Dei misericordiam in eleemosynam proficere, sicut et mihi, qui haec, auxiliante Deo, primusque omnium disposui fieri. Larga est et benignissima bonitas Domini et Redemptoris Dei nostri, qui unicuique bonae voluntatis et integrae fidei redditurus est mercedem perpetuam. Haec sola chartula in omnibus locis et placitis pro ecclesiasticis donationibus, cessionibus, praestariis et vindicationibus, sufficere potest, tametsi sub praesentia fidelium Deique cultorum perlecta fuerit, quos adjuro per nomen aeterni Dei et suae redemptionis auctoritatem atque baptismi gratiam, quam ab ipsis cunabulis percipere meruerunt, ut quicunque hanc audierit scripturam, assensum praebeat, [Col. 0072B] juxta suam possibilitatem vel potestatem sibi collatam, huic nostrae donationi, ne forte si non fecerit, ratiocinaturus cum sancta Maria et sancto Martino me accusante; sed ad vicem pauperum et peregrinorum, rationem suae damnationis percipiat in judicio futuro, cum venerit Christus in majestate sua judicare omnes actus humanos. Quae charta ut . . . . . . cum suis possessiunculis ab omni comitum, vicariorum, et judicum, totiusque potestatis impedimento et obnoxiatione maneat, et ut robustius credatur, Dominus meus manu sua, meliusque cera annuli sui subterfirmare dignatus est, ne aliquis eam sacrilegus vel temerarius quidquam eorum, quae in ea inserta sunt, irritare praesumat.

CXXXI. Has litteras Mabillonius edidit Act. SS. saec. IV Bened., p. 177, ibique

sequentem notam addidit: «Nulla temporis nota in membrana ex qua hoc exemplum transcriptum est. Xenodochium istud postea Ingelwinus abbas Martinianus attribuit monasterio [Col. 0072C] Cormaricensi, *quo monachi ipsius coenobii et ipsum in pristino statu restituerent, et pauperes ibi juxta priorem praefinitum numerum, vigenarium scilicet, semper in omnibus victualibus et caeteris studiis fulcirent, atque ob paganorum insecutionem inibi perfugium suae salutis habere possent, ut legitur in diplomate Caroli Calvi dato Vermeriis XIII Kal.* Julii, indict. 13, anno 25 regni ejus. Nunc in eo loco, qui Pontes (*Ponte*) dicitur, est prioratus abbatiae Cormaricenae subjectus». Has litteras idem Mabillonius Annal. Bened. lib. XXVII, n. 30, refert ad annum 804, et paulo ante obitum suum ab Alcuino datas fuisse censet.

CXXXII. Demum vir beatus, diligens decorem domus Dei, et sacrarum reliquiarum cultor devotissimus sacris aedibus reficiendis, struendisque oratoriis operam impendit, prout ipse scribit in epigrammate 116, in his versibus:

Haec, tu quam cernis, praeparata domuncula, lector,[Col. 0072D] Relliquias propter sacras jam condita constat, . . Jusserat Albinus vates haec tecta parare. Et in Epigrammate 118 ita canit:

Albinus veniens peregrino vatis ab orbe . . . Hic diruta diu camerarum culmina jussit, Ut cernis, lector, totam renovare per aulam. Hic loca relliquiis statuens aptissima sacris, Sanctorum requies certos ut haberet honores Ut decet in terris venerari sancta piorum Quos Deus in coelis voluit regnare per aevum.

Quae hic de dirutis camerarum culminibus dicuntur, de cameratis basilicae Turonensis oratoriis intelligi vult D. Mabillonius lib. XXVII Annal., pag. 361.

CAPUT XII.

Beati Alcuini corporalis infirmitas et abdicatio praefecturae.

CXXXIII. Quamvis beatus Alcuinus, postquam per [Col. 0073A] indulgentiam augusti sui discipuli ac benefactoris munificentissimi ab aula ad monasterium suum Turonense discessit jam a frequentioribus aulae negotiis et curis saecularibus fuerit liberatus, necdum tamen ibidem illa quiete frui illi licuit, ad quam diu suspirabat, et quam sibi senio gravato necessariam esse existimabat ad negotium omnium maximum animae nempe suae serio tractandum, rationesque vitae suae transactae ineundas, ut sibi viam pararet in occursum Domini, districti Judicis. Enimvero plurimis etiam in hoc suo secessu laboribus occupatus, imo distentus fuit, qui illum de quiete ad quam suspirabat, vix cogitare permittebant. Scholarum studiique litterarii restauratio; variorum tractatuum in sacram Scripturam de Christianis dogmatibus, de doctrinis moralibus, etc., compositio; exemplarium sacrae Scripturae correctio; discipulorum ad ipsum concurrentium instructio; epistolarum in rebus saepe magni momenti ad reges, episcopos, principes, monachos, [Col. 0073B] discipulos, amicos exaratio; disciplinae religiosae apud Turonenses reformatio; ecclesiarum ac reliquorum monasteriorum suae curae creditorum sollicitudo vix horam reliquere vacuam, quam sibimet, suis commodis

ac quieti posset impendere. Insuper a rege Carolo, qui illius consuetudine summopere delectabatur, nunc variis quaestionibus enodandis fatigabatur; nunc pro consiliis ejus exquirendis ad palatium vocabatur: quod tandem viro seni et laboribus fracto, multis corporis infirmitatibus sensim accedentibus, perquam grave accidit; de qua re aliquoties in epistolis suis conqueritur, et ut apud S. Martinum quiete optata frui sibi permittatur, a rege deprecatus est. Sic in epistola 81 (nunc 96), data, ni fallimur, anno 799, supplicat, ne longum ac laboriosum iter, Romam futuro anno a rege ad dissidia Romanorum componenda suscipiendum, quod jam hoc anno rex post Leonis papae adventum ac reditum constituerat; et ad quod ipse quoque a rege invitatus fuerat, subire cogatur. «Nullatenus, inquit, [Col. 0073C] infirmum et quotidianis fractum doloribus corpusculum meae fragilitatis illud iter perficere posse arbitror. Desiderium jam habuissem, si potestas esset peragendi.» Illud ipsum suum desiderium atque aegritudinis impedimentum postea etiam significavit Aquilae seu Arnoni archiepiscopo Salisburgensi in epist. 92 (nunc 105), ubi dolorem suum exprimit, quod ab hoc itinere et ab optata diu occasione Leoni summo pontifici tot modis afflicto suis officiis inserviendi, *corpusculi sui fragilitate, multis molestiarum sarcinulis praegravati, impediatur.*

Deest illa Caroli regis epistola, qua Alcuinum ad iter Romanum, anno 800 secum ineundum, invitavit; deest pariter altera ejusdem, qua Alcuino ab illo itinere sese excusanti exprobrat, quod *fumo sordentia Turonorum tecta Romanorum auratis arcibus praeponeret;* utriusque tamen Alcuinus meminit in epist. 93 (nunc 109). Acquievit nihilominus rex magistri sui precibus, mandans tamen, ut ipso apud S. Martinum [Col. 0073D] quiescente *pueros suos, servos scilicet ac vasallos, uti interpretamur, qui munera ejus deferrent, ad comitatum ejusdem itineris mittat, ad quod Alcuinus magna cum confidentia in regis clementiam respondit ibidem:* «De pueris vero nostris, quos pedibus paternis Romam pergere praecipis, velim scire quando vel ubi vel quibus comitantibus vestrae beatitudini occurrere debeant. . . Fateor quidem, vobis jubentibus et juvantibus laboris mei possunt inire sudorem. Munera vero mea illis necdum concedo, quae vestra frequenter largitate accipere solebam.»

CXXXIV. Alcuinus ergo hac vice in monasterio suo quietus permanere permissus, etiam de adjutoribus in regimine monasteriorum sibi ex discipulis suis eligendis, ac de deponendo penitus onere pastoralis curae consilia iniit, quo nempe liberius ad mortem, quam assidue ante mentis oculos suspectam habebat, se praepararet. Id faciendi licentiam a rege petiit et impetravit. Ea de re amicissimo suo Aquilae in [Col. 0074A] epist. 176 (nunc 159), quae data est anno 800, postquam Felix Urgellitanus in concilio Aquisgranensi anno praeterito haeresis convictus et postea curae ac custodiae Laidradi episcopi Lugdunensis traditus fuit, scripsit his verbis: «Deinde ut scias quanta misericordia mecum a Deo peracta est; nam rebus omnibus, quae habui per loca diversa, adjutores mihi ex meis propriis filiis elegi, annuente per omnia suggestionibus meis domino meo David.» Quod ipsum in epist. 175 (nunc 158) dilectis suis discipulis Calwino et Cuculo intimavit, scribens: «Nos vero, sicut dixi Cuculo, deposito onere pastoralis curae quieti sedemus apud sanctum Martinum, spectans, quando vox veniat: aperi pulsanti, sequere jubentem, exaudi judicantem.» In illa partitione monasteriorum, coenobium San-Martinianum obtigit Fredegiso seu Fridugiso diacono, cognomento

Nathanaeli; monasterium vero Ferrariense Sigulfo vetulo, de quibus supra cap. 4 plura diximus. Mirum vero est, inquit D. Mabillonius [Col. 0074B] in Elogio, cap. 10, num. 62, cur utrumque illud monasterium canonicis duobus commisit. Nam Fridugisus et Sigulfus canonici erant tametsi Sigulfus canonicum habitum postea mutavit, ut scribit Lupus in epist. 29. In cellam S. Judoci successit Alcuino Warembaldus, cui privilegia Leo III papa confirmavit, uti legitur in Gallia Christiana, tom. IV, quae tamen cella deinceps sub Lupo abbate monasterio Ferrariensi restituta et unita fuit, ut ex epist. 61 ejusdem Lupi ad Guigmundum refert D. Mabillon. libro XXXIII Annal., num. 76. Abbatum qui proxime post eumdem Alcuinum monasterio S. Lupi Trecensis praefuerunt, hodie nomina desiderantur, ut ait le Cointe, tom. VII, ad an. 804, num. 66.

CXXXV. Idem vir celeberrimus Cointius l. c., n. 67, scribit a neotericis in controversiam vocari, utrum Alcuinus ad obitum usque functus sit abbatis officio; an vero senio et aegro corpore fatigatus ante hunc 804 annum, quo decessit, inter suos discipulos monasteria sibi commissa diviserit. Ipse D. Cointius [Col. 0074C] illorum opinioni astipulatur qui Alcuinum aiunt usque ad obitum suum monasteriorum illorum regimen retinuisse; quod vir doctus probare conatur ex variis epistolis ab Alcuino annis 800, 801, et serius ad Carolum scriptis, in quibus quidem *a saecularibus negotiis expediri se velle significavit;* de suscipiendo vero monachatu aut abdicandis abbatiis nullum adjecit verbum; imo inter canonicos San-Martinianos et vivere et mori velle desideravit. «Quapropter onera saeculi, pergit Cointius, num 69, quorum partitionem in discipulos post crebras postulationes tandem obtinuit, distinguenda sunt a coenobiorum administratione, quae *saecularibus occupationibus accenseri non debet, nisi facta collatione cum privata tranquillaque monachi vita.*» Addit vir doctus, Sigulfum vetulum, qui post Alcuinum Ferrariensem abbatiam obtinuit, Turonis, unde monasterium illud procul dissitum est, teste Vitae Alcuini scriptore, Alcuino usque ad obitum adfuisse. Monasteria ergo (ita ibi [Col. 0074D] concludit le Cointe) quae commissa fuerant Alcuino ante hujus obitum inter discipulos a Carolo imperatore divisa non existimamus.

CXXXVI. Verum his difficultatibus, quae obmovet celeberrimus hic scriptor, non obstantibus, inhaerendum esse credimus testimoniis superius ex epistolis 175 (nunc 158) et 176 (nunc 159), quas nunc primum editas D. Cointius non vidit, relatis; quibus docemur Alcuinum quatuor aut tribus saltem annis ante obitum suum non tantum ab occupationibus saecularibus, verum etiam *ab onere pastoralis curae, quae certe ab administratione coenobiorum haud distinguenda est, fuisse expeditum, et in electos in adjutorium discipulos curam quoque pastoralem seu directionem animarum transtulisse.* Nec difficultatem habet quod Sigulfus, cui in illa partitione Ferrariensis abbatia procul Turonis distans collata est, ultimis vitae Alcuini annis, atque etiam illo ipso die quo ipse e vita migravit, Turonis commoratus sit; sicut enim Alcuinus [Col. 0075A] eamdem abbatiam multis annis absens administravit, ita idipsum Sigulfus facere, aut saltem aliquoties ad magistrum suum, summopere illi affectum venire ac praesertim in ultimo agone, ipso forte Alcuino postulante, assistere potuit. Nec favet opinioni D. le Cointe, quod Alcuinus in epistolis ad Carolum anno 800 ac serius scriptis nullum verbum de suscipiendo monachatu, aut abdicandis abbatiis adjecerit, sed *inter canonicos San-Martinianos vivere et mori desideraverit:* enimvero ex testimonio

Vitae ipsius scriptoris habemus, quod diu antea desiderium habuerit, quietam et tranquillam vitam inter monachos S. Bonifacii Fuldenses ducendi; et quod monasteriis suis inter discipulos divisis deinceps vitam duxerit «monasticae haud inferiorem, unice jejuniis, orationibus, carnis mortificationi, eleemosynis, psalmorum ac missarum celebrationi, aliisque virtutibus intentus, quibus possibile est humanam ornari naturam.» Vitae cap. 8, num. 14. Nullibi etiam scribit Alcuinus, ut praetendit D. le Cointe, quod desideret et vivere et [Col. 0075B] mori inter *canonicos;* verum inter *fratres S.* Martini, qui, ut alibi saepius insinuavimus, sub illius regimine regulam profitebantur monasticam. Demum etiam epistola 38 (nunc 43) Alcuini ad Carolum non favet opinioni D. Cointii; quamvis enim ex illa epistola colligatur, Alcuinum ex tempore quo scripta est scholam Turonensem rexisse, variisque disciplinis docendis occupatum fuisse, levis tamen est viri docti conjectura, illam epistolam ad annum 801, quo Carolus jam erat imperiali corona redimitus, ex ea solum ratione referentis, quod illius *regnum* ibi *imperiale nominetur:* «Ut plurimos, inquit, ad profectum sanctae Ecclesiae et ad decorem *imperialis regni vestri erudiam.»* Longe enim verosimilius est, ea Alcuinum scripsisse paulo postquam scholam Turonensem regendam suscepit, prout ad eamdem epistolam notavimus, *regnum* vero *imperiale ibi nihil aliud significare videtur, quam regnum amplissimum cum illimitata imperandi potestate:* eodem sensu regnum [Col. 0075C] Caroli aliquoties a scriptoribus, imperium dicitur, antequam ipse imperator fuisset coronatus, sicut Paulinus patriarcha Aquileiensis initio Sacrosyllabi ait, concilium Francofordiense anni 794 *imperii ejus decreto convocatum fuisse.*

CXXXVII. Beatus igitur Alcuinus, ea qua diximus ratione ex regis licentia a saecularibus negotiis simulque a cura pastorali solutus, senii morborumque molestiis crescentibus ferventius sese ab anno 801 ad obitum atque ad rationem supremo judici reddendam disposuit. Carolus nihilominus Augustus illius discipulus adeo ejus doctrinis ac consiliis assuetus et captus fuit, ut omnibus modis virum etsi continuo infirmitates suas corporales praetendentem a sua solitudine avocare, et ad aulam, pro emergentibus abs dubio causis, pertrahere tentaret, quod ex quibusdam epistolis post annum 800 scriptis intelligimus. In epistola 104 (nunc 132), anno 801, ad Carolum scribit: «Ecce Flaccus effeto corpore, militaris cingulo [Col. 0075D] laboris deposito, secundum piissimum domini sui David consilium Deo soli quieta pace servire toto elegit desiderio: quid iterum pugnare cogitur, et sub fasce armorum desudare, quae infirmi corporis denegat fragilitas de terra tantummodo levare.» Et in epist. 106 (nunc 134) eodem, ni fallar, anno vel aliquo posteriori scripta, etsi optasset transactis diebus vel semel adhuc videre posse regis faciem, nunc tamen «supplex suppliciter, humilis humiliter, devotus devote supplicat, ut sibi liceat apud S. Martinum suam instantiam agere, quia, inquit, valde infirmatus corpore nil aliud itineris vel laboris perficere valeo . . . .» De eadem vocatione ad palatium et ad dominum regem, deque corporis infirmitate illud obsequium prohibente, de deposito onere saecularis negotii, deque terrore divini judicii, cui se jam propinquare sentiebat, Aquilam suum certiorem reddit in epistolis 108 (nunc 145) et 109 (nunc 144), et in priore ipsum ad se invitat in domum S. Martini acturus [Col. 0076A] cum ipso consilia de praeparatione animae suae ad mortem et ad divinum judicium; «hisque, inquit, transactis inter nos consiliis (quod sine lacrymis non dico) ultimum vale fiat inter Aquilam et Albinum.» Et in epistola 191 (nunc 161) anno 801 huic suo amico prae aliis dilecto significat, quod per Pascha febrium acerbitate pene ad

desperationem vitae adductus fuerit; «sed, inquit, misertus est mihi Dominus ob preces servorum suorum: sed remanet quotidianus labor ejusdem castigationis, non tamen usque ad periculum vitae, sed usque ad emundationem, ut opto, delictorum meorum.»

CXXXVIII. Demum infirmitatibus sui corporis in dies incrementum accipientibus, dissolutionem sui corporis non procul abesse judicans, sui muneris esse existimavit ut ante obitum maximo suo in terris benefactori Carolo Augusto debitas gratias ageret pro ea pietatis ac benignitatis largitate, qua se a primo adventus sui in Franciam tempore cumulavit: quod et fecit per epist. 106 (nunc 134): «Quid enim, ait [Col. 0076B] ibidem, addi potuit felicitati peregrinationis meae vel vestrae bonitatis judicio super me minus digno his omnibus donorum largitionibus: vel quales gratiarum actiones vestrae misericordiae condignas persolvere possum, nisi perpetua piae orationis sedulitate misericordissimi Dei omnipotentis clementiam deprecari.» Quam deinde gratiarum actionem in carmine eidem epistolae subjuncto repetit, atque ibidem Davidi suo ultimum vale dicit, ita canens:

Multiplici Christus reddat tibi munera mitis
In me quot bonitas contulit ecce tua. Gramina quot tellus habeat, vel littus arenas,
Tot miserante Deo, David! habeto vale.

CXXXIX. Nescio an non huc pertineant versus carminis 6 Caroli ad Alcuinum, quod inter carmina huic suppositare censemus tom. II, in quibus Carolus dilecto suo magistro felicem ex hoc mundo exitum precari videtur:

[Col. 0076C] Doctor amate, . . . volui quapropter in odis O venerande tuam musis solare senectam . . . Inque Dei cultu vigeas virtutibus almis In meliora tenens sanctae vestigia vitae, Donec et aetherei venias ad culmina regni Congaudens sanctis, Christo sociatus in aevum. Meque tuis precibus tecum rape, quaeso magister Ad pia, qua tendis, miserantis culmina Regis.

CAPUT XIII.

Beati Alcuini obitus, tumulus, epitaphium, memoria in fastis.

CXL. Celeberrimus igitur hic potentissimi olim regis ac imperatoris Caroli Magni totiusque nationis Francicae ac Germanicae magister Alcuinus, cujus hucusque gesta ac merita retulimus, ac levi stylo adumbravimus, dies suos demum, postquam inter plurimos labores pro Ecclesia et republica exantlatos consenuit, complevit, metamque illam, ad quam [Col. 0076D] omnes mortales properamus, attigit. Hoc sentiens vir piissimus toto desiderio concupivit dissolvi et esse cum Christo: atque ut hanc quoque metam feliciter attingeret, nihil non egit quo Deum per opera poenitentiae et per sanctorum suffragia sibi redderet placabilem. Quapropter ut mors, quam mente sibi propinquam repraesentabat, etiam ante oculos illius continuo versaretur, locum sibi elegit in quo post obitum requiesceret, ad quem vespertinis horis accedens *Hymnum sanctae Mariae evangelicum,* seu canticum *Magnificat, decantare solebat cum antiphona: O clavis David, etc.,* qua Ecclesia in officio septem diebus ante festa natalia Domini utitur,

suspirans: *Veni et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et in umbra mortis.* Cui devotioni etiam versus quosdam ex psalmis addidit desiderium aeternae beatitudinis suggerentes, qui recensentur in Vita ejus Cap. 14, num. 24.

CXLI. Tempus Quadragesimae, quod semper cum [Col. 0077A] maxima devotione et cum carnis ac spiritus contritione celebrare solebat, maxime etiam nunc opportunum esse judicabat, quo sese non tantum ad paschalem solemnitatem, verum etiam ad aeterna gaudia praepararet. Desiderio vero tenebatur, ut gratia divina adjuvante vitam per totam illam solemnitatem protrahere, ac demum eo die quo totum opus Redemptionis nostrae per adventum Spiritus sancti completum ac confirmatum fuit, ex hac vita migrare posset; quod etiam obtinuit. Nocte igitur festi Ascensionis Domini, ut Vitae illius scriptor testatur loc. cit., num. 28, gravi languore, ita ut etiam loquela destitueretur, fatigatus in lectum decidit, «et accidente paralysi, VII Idus Maii feria V ad vesperam post solis occasum,» uti habent Annales Masciacenses inferius referendi: ipso die Pentecostes, peracto matutinali officio, jam fulgente aurora, ea hora qua alias ad missas cum suo Sigulfo levitice celebrandas ingredi consueverat, ejus anima carne soluta est, XIV Kal. [Col. 0077B] Junii anno ab incarnatione Domini 804, prout diserte testatur Vitae ejus scriptor. cap. 15, num. 29, cui concordant omnes scriptores posteriores, veteresque Annales Lambeccii, Petavii, et alii apud Bouquet tom. V Script. Rer. Gallic., ubi pag. 16, not. (k) ex cod. Masciacensi obitus Alcuini ita refertur: «Obiit Alchuinus XIV Kal. Junii, feria I Pentecostes, inlucescente die, luna VI, anno Incarn. Domini 804, indict. 12, anno 36 regnante domno Carolo; accidente paralysi VII Idus Maii, fer. V, ad vesperum, post solis occasum luna XXV.» Super locum in quo decessit vir beatus, globus igneus visus est Josepho archiepiscopo Turonensi et aliis multis; et cuidam solitario in Italia posito, ipsa exitus ejus hora, ostensus est coelestium levitarum coetus, in quorum medio Alcuinus splendissima indutus dalmatica coelum conscendere conspectus est, uti narrat Vitae scriptor cit. cap. 15, num. 30.

CXLII. Celeberrimus scriptor D. Mabillonius, quamvis diem obitus a Vitae scriptore signatum retinendum [Col. 0077C] esse fateatur, annum tamen ex quibusdam argumentis et conjecturis corrigendum, et Alcuini Vitam ad annum saltem 809 protrahendam esse existimabat in elogio, cap. 13, num. 71. Verum re maturius considerata animadvertit argumenta in favorem suae opinionis ibidem prolata auctoritati apertoque testimonio aequalis Vitae scriptoris ac veterum Annalium non tantum rerum Francicarum, sed etiam Germanicarum praevalere non posse; ac propterea hanc suam opinionem correxit in additionibus et correctionibus ad partem I saec. IV Bened., pag. 767, ubi totum numerum 77 ejus elogii deleri et sequentia reponi voluit: «Quae hactenus retuli de anno quo Alcuinus vita functus est, difficultatem habent quidem; at praeferenda est Vitae ejus auctoritas ab homine aequali profecta, maxime cum ei suffragentur veteres annales, non solum rerum Francicarum, sed etiam Germanicarum. In his plurimum apud me valent Annales Fuldenses veterrimi, quos novos appellat [Col. 0077D] Lambecius in tom. II Bibliothecae Caesareae, ubi typis excusi sunt. Porro Alcuini obitum ad Caroli Magni annum regni 36, qui Christiano 804 respondet, ita referunt isti Annales: «XXXVI *Alcuinus* XIV *Kal.* Maii (leg. *Junii*) obiit. Hoc proinde anno ejus obitus indubitanter collocandus est.» Ita vir modestissimus. Quod si advertere voluissent Bollandi continuatores, inquit D. Mab. lib. XXVII Annal., num. 71, operam non

lusissent in hac opinione refutanda, quod fecerunt tom. IV Maii in Comment. praevio ad Vitam beati Alcuini, num. 5. Ne igitur et nos operam ludamus, in refellendis viri celeberrimi argumentis, quae jam ipsemet deseruit et quae nullum posthac sectatorem repererunt, immorari nullum erit operae pretium.

CXLIII. Josephus tunc archiepiscopus Turonensis, qui, ut diximus, in beati viri obitu globum igneum super ecclesiam sancti Martini fulgentem vidit, audiens ipsum jam esse defunctum, ocius illuc cum clero suo advenit, summaque reverentia viri beati [Col. 0078A] oculos deosculatus est, et propriis rigavit lacrymis: et quamvis beatus Alcuinus sui ipsius et omnis exterioris pompae contemptor, tumulum sibi non in ipsa sancti Martini ecclesia, sed *foris, seu juxta illam praeparari fecerit, ipso suo exemplo id ostendere volens, ad quod alios in epist.* 150 (nunc 199) adhortatus est, ne de sepulcro ornando cogitent; «vanitas haec, inquiens, vanitatum est, et melius est his opibus animam vestire, quam spurcitiam carnis ornare.» Nihilominus praefatus archiepiscopus ob conceptam de viri beati aeterna felicitate opinionem mandavit, «ut infra sancti Martini basilicam honorificentissime sepeliretur, ut quorum in coelis junctae sunt animae, una sint corpora domo in terris posita;» Vitae cap. 15 num. 32. Quo tam aperto aequalis scriptoris testimonio evertitur assertum Wilhelmi Malmesburiensis monachi libr. I de Reg. Angl. cap. 3, scribentis, in monasterio Cormaricensi fuisse sepultum. Ultro etiam corruit error Broweri libr. I [Col. 0078B] Antiquitatum Fuldensium cap. 10 asserentis sepultum jacere in celebri monasterio Hersfeldensi. Errandi occasionem Browero praebuit rude quoddam epitaphium Albini cujusdam, quod nuper in ecclesia Hersfeldensi exstabat, et quod D. Quercetanus postea Vitae beati Alcuini subdidit. Verum epitaphium illud non ad Alcuinum nostrum, sed ad Albinum seu Albuinum abs dubio monachum Hersfeldensem pertinet, de quo in chronico Hersfeldensi ad annum 1034 haec leguntur: «Eidem vero Brunoni in Nienburg Alwinus in philosophica arte eruditissimus Hersfeldiae praepositus, qui fuit antea scholae magister famosissimus, successit.» Postea vero fieri potuit, inquit D. Mab. Elog. num. 77, ut cum monachi Hersfeldenses a majoribus accepissent in ecclesia sua sepultum esse Albuinum, errore nominis putaverint esse Albinum magnum seu Alcuinum, de quo deinde rude illud epitaphium composuerunt. Immerito igitur Hermannus Kirchnerus Orat. vol. II, pag. 62, edit. Marburgensis anno 1607 doctoribus patriae suae Hersfeldiae [Col. 0078C] annumerat Alcuinum nostrum, ex eodem fortassis epitaphio deceptus. Verum ac genuinum beati Alcuini epitaphium quod ipse vivens dictaverat, in aerea lamina scriptum ac prope sepulcrum ipsius parieti infixum fuit; quod Vitae scriptor ad finem addidit, ubi etiam a nobis editum reperiendum est.

CXLIV. Annus aetatis, qua beatus Alcuinus obiit determinari haud potest, quod de anno ejus obitus quidem constet, nullibi vero notatus reperiatur annus nativitatis ejusdem. Communis opinio est, ipsum natum fuisse circa annum Incarnationis 735, prout jam superius cap. 1, num. 8, notavimus. Ex qua opinione consequitur quod attigerit annum vitae septuagesimum. Totum vero vitae suae cursum quibus operibus compleverit, Vitae illius scriptor paucis, quae tamen in compendio multa complectuntur, his verbis describit cap. 13, num. 26: «Otiositatem omnibus modis fugiebat: nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos [Col. 0078D] erudiebat, aut orationi vacabat et psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens

necessitatibus, etc.» Cujus narrationis veritas luculentius ex ipsis ejus scriptis patet, quae virum sane produnt laboribus variis assidue occupatum, et omnia momenta temporis in erudiendis veritatibus, in communicandis scientiis, in dandis consiliis, in instruendis summae et infimae conditionis hominibus, in doctrinis ecclesiasticis ac moralibus ad episcopos, ad sacerdotes, ad monachos, ad comites ac judices dirigendis, adhibentem. Hinc mirum non est quod post obitum suum sanctitatis fama ubique inclaruerit, cujus testes habemus ejus temporis gravissimos. Rhabanus Maurus hujus sui magistri nomen sacris fastis intulit XIV Kal. Junii. tom. VI, Op. pag. 187, his verbis: «Depositio domini Alcwini.» Et in epistola commentariis Regum praefixa tom. III Oper. pag. 45 illum «beatae memoriae magistrum» appellat. Hincmarus Rhemensis episcopus [Col. 0079A] in opusculo De non trina Deitate, tom. I Op. cap. 5, pag. 473, et cap. 11, pag. 507, «sanctum et venerandum Alcuinum;» et in fine epistolae ad Carolum Calvum Libro de Praedestinatione praefixa «virum religiosum et doctum» nominat, eumque inter illos Patres Ecclesiae recenset, «quorum fidem et doctrinam apostolica sedes Romana non solum benignissime acceptavit, verum et multis laudibus extulit. Ardo Smaragdus in Libr. de Vita sancti Benedicti Anianensis num. 36, apud Mab.: «Alcoinum sapientia praeclarum, sanctitatis merito venerabilem» dicit. Annalista Fuldensis ad an. 794 illum hoc elogio commendat: «His temporibus Alcuinus, cognomento Albinus, sanctitate et doctrina clarus habetur,» Apud Bouquet tom. V, pag. 330. Denique in brevi chronico Turonico sanctus appellatur; ita enim ibi legitur: «Anno 804 sanctus Alcoinus obiit.» Apud Mab. in Elogio, num. 78. His testimoniis concordant Elogia scriptorum recentiorum, Mabillonii, [Col. 0079B] Henschenii, et aliorum, qui omnes Alcuinum *Beatum praedicant:* quae quidem testimonia tot gravium scriptorum fide dignissima sunt; testimonium vero ipsius Dei majus est quod ex miraculis habetur, quae Deus per beatum Alcuinum in confirmationem ejus fidei et pietatis tam in vita quam post mortem illius patrare voluit, quae Vitae scriptor ex illorum narratione recenset, qui de visu testari potuerunt. «Nusquam tamen, quod sciam, inquit D. Mabillonius loc. cit., Alcuini diem festum coluit Ecclesia, ne quidem Turonensis,» quae de ejus sanctitate experimentum habuit et exuvias vitae mortalis custodit.

CXLV. Fortassis vero illud in Vita Alcuini alias irreprehensibili male accipiendum est, ut pote legibus Ecclesiae et monasticae humilitati adversum, quod plures in Gallia abbatias, nempe Turonensem cum cella Cormaricensi, Ferrariensem cum cella sancti Jodoci, ac Trecensem sancti Lupi simul tenuerit. Verumtamen, quamvis exemplum istud ejusmodi [Col. 0079C] sit ut nemo facile illud imitari velit aut debeat, nihilominus haec beneficiorum pluralitas ab omni culpa vacasse dicendum est. Is siquidem plures illas abbatias nec ex ambitione quaesivit, nec ex avaritia tenuit, sed praeter suam voluntatem a rege Carolo ipsi pene obtrusas obtinuit: qui idem liberalissimus ac boni publici studiosissimus rex abbatias illas non in alium finem Alcuino commendare voluit quam ut is monachos ad laxiorem vitam prolapsos emendaret, redditusque omnes impenderet in usum fratrum, in eruditionis illorum profectum, in hospitum ac peregrinorum subsidium, ac in itinerum, quae frequenter nunc ad aulam, nunc in Angliam, etc., facienda erant, sumptus. Quam enim ipsius Alcuini animus a cupiditate divitiarum ac a remuneratione laborum suorum alienus fuerit, ex illo responso intelligi potest, quod teste Vitae ejus scriptore cap. 2, num. 12, regi ipsum amplis muneribus ad

se pertrahere conanti, dedit in haec verba: «Domine mi rex, [Col. 0079D] tuae non dispono voluntati renuere . . . libenter etiam paterna in regione mea non modica haereditate ditatus, hac spreta, hic pauper stare delector.» Et quis illius sensus sit de divitiis et paupertate manifestat in psal. CXXXI, v. 15, tom. I, pag. 388, his verbis: «Pauperes Christi sunt qui non amant hoc saeculum, sive habeant divitias, sive non habeant: aliquibus enim datae sunt divitiae ad dispensandum egenis, non autem datae sunt illis ad possidendum; neque spem in illis debent ponere, nec satietatem in illis habere, sed in nomine Christi confidere, et in justitia et in charitate Dei et proximi: haec est saturitas sanctorum, non saeculi divitiae.» Eadae quoque presbytero in epist. 140, quantum ipse a cupiditate divitiarum abfuerit, et quam aegre ferat quod a statu quieto paupertatis quem professus olim fuerat in voraginem divitiarum fuisset dejectus, significat, illumque rogat ut se orationibus suae devotionis ad eumdem paupertatis gradum, in quo ipse Eada, quem monachum [Col. 0080A] inde fuisse satis intelligitur, consistit, reducat: «Tu, inquit, tenes in manibus quod nos olim tenere cogitavimus: sed fluctus hujus saeculi nostram naviculam procellosis ventis in voraginem divitiarum rapuerunt . . . . . tranquilla est paupertas; quae si humilitatis gubernaculo et charitatis velo regatur, flante sancto Spiritu ad aeternae beatitudinis portum perveniet.»

CXLVI. Elipantus episcopus Toletanus in Alcuino praeter multitudinem divitiarum, numerositatem quoque servorum, quorum viginti millia Alcuinum habere dixit, reprehendendam esse censuit tom. I, pag. 869, num. 4, hujus edit. Enimvero ignoravit vel calumniandi studio dissimulavit Elipantus quod servi illi, si tantus tamen illorum numerus fuit, non fuerint famuli ipsius servitio destinati, sed servi ad terras ecclesiarum et monasteriorum quibus praeerat colendas mancipati. Hinc in epistola ad Laidradum ejusque socios, libris adversus Elipantum praefixa [Col. 0080B] protestatur nunquam se aliquem hominem ad suum servitium comparasse, «sed magis, inquit, devota charitate omnibus Christi Dei mei famulis servire desidero.» Quamvis ergo pluralitas beneficiorum aut abbatiarum regulariter legibus ecclesiasticis reprobetur, si nempe ambitione quaeratur, aut avaritia teneatur, culpa tamen vacat, si inde major utilitas ex personae promovendae dignitate et merito in ecclesias redundare posse prudenter et ipso curatorum ecclesiae judicio existimetur. Ea certe fuit tempore Caroli Magni monasteriorum in regno illius conditio, ut plura illorum salubrius ab uno tam sancto ac sapiente abbate regerentur, quam singula a singulis pietate ac doctrina imparibus. Iniquus ergo in Alcuinum est D. Basnagius, quando in historicis suis observationibus circa Felicianam haeresin et Etherii atquae Beati libros, tom. II Thes. Monum. Canisii pag. 290, calumniam Elipanti in Alcuinum probat his verbis: «Tandem Alcuinum servorum numero viginti millium et divitiarum abundantia, [Col. 0080C] quae monachum saeculo renuntiantem non decent, tanquam inflatum merito traducit Elipantus.» Ita cum corvis crocitat Basnagius, quem etiam non in Alcuinum tantum, verum et in alios scriptores, Felicis et Elipanti adversarios, iniquum merito reprehendit D. Madrisius Operum sancti Paulini pag. 226 seqq. in animadversione singulari in Basnagii observationes historicas circa Felicianam haeresin et Etherii atque Beati libros.

CAPUT XIV.

Beati Alcuini eruditio et doctrina.

CXLVII. Neminem nostris etiam temporibus fore existimamus, qui beato Alcuino, cujus hactenus vitam modulo nostro descripsimus, et cujus nunc opera quae post primam editionem reperire potuimus, vulgamus, eruditionis laudem dubiam reddere, aut in controversiam trahere velit aut possit: imo nec quisquam futurus est, qui non censeat illum [Col. 0080D] omnibus aevi illius viris illustribus, qui aliqua doctrinae fama claruerunt, fuisse superiorem. Testimonia multiplicia postea producenda, eorum qui eidem convixerunt, eorum qui prope ipsum secuti sunt, et eorum demum, qui ad nostra usque tempora illius inter viros illustres ac ecclesiasticos scriptores mentionem fecerunt, abunde docent, quam magna semper fuerit de ejus vastissima eruditione et illibata fidei ac morum doctrina existimatio, et quod plus est, ipsa illius opera et varii argumenti lucubrationes, quibus Ecclesiam et litterariam rempublicam locupletavit, apertissime comprobant, nullam pene artem vel scientiam, si solam medicam excipias, esse quam non docuerit, quam non scriptis suis tractaverit, et pro suo aevique sui genio illustrare, felici prorsus conatu, studuerit, Grammaticus, rhetor, poeta, philosophus, theologus, imo etiam, quod nonnulli inficiantur, jurisperitus. Exstant enimvero, secus ac D. Mabillonius praefat. ad [Col. 0081A] saec. IV Bened., part. I, num. 176, sentiebat, quaedam illius etiam de legum jurisque scientia monumenta, ad quae pertinere credimus tum Dialogum de Rhetorica, in quo cum Carolo Augusto suo discipulo de plurimis Romani juris argumentis disserit, tum quaedam capitularia juris Francorum, in quorum collectione idem legislator sapientissimus opera quoque Alcuini usus est, prout testatur Benedictus Levita in praefat. ad libr. V Capitularium tom. I, edit. Baluzii, pag. 806.

CXLVIII. Linguam Latinam magister iste optime calluit, quamvis nonnunquam a regulis artis grammaticae deflectere videatur, cujus tamen defectus causam ipse prodit in epist. 85 ad Davidem suum scribens: «Quod vero in litteris vel distinctionibus non tam scholastice currit quam ordo et regula artis grammaticae postulat, hoc saepius velocitas animi efficere solet, dum legentis intentio oculorum praecurrere festinat officium. Nec ego capitis dolore fatigatus examinare possum, quae subito casu ex ore dictantis [Col. 0081B] evolant.» In Graeca etiam lingua Alcuinum non modice versatum, nec in Hebraica omnino hospitem fuisse, non est cur dubitemus. De Graeca quidem ejus eruditione testimonium praebet epist. 23 (nunc 27) ad Homerum, ubi quasdam linguae Graecae particulas prorsus critice expendit; de peritia vero linguae Hebraicae nihil plane superest, ex quo intelligi possit quantum in illa profecerit. Quae enim in Alcuini favorem ab aliquibus citantur ex quaestionibus et responsionibus in Genesin, aut ex Commentario in Ecclesiasten, aut ex Interpretationibus nominum Hebraicorum progenitorum Christi, non e penu Alcuini veniunt, sed ex D. Hieronymo pene integre descripta sunt; quod etiam animadvertit eruditissimus Vallarsius Veronensis in praefatione ad tom. IX Operum S. Hieron. editionis novissimae anni 1738, ac propterea idem vir doctissimus improbat nuperi cujusdam Alcuini laudatoris Hodyi opinionem, asserentis quod beatus Alcuinus in corrigendis sacrae Scripturae exemplaribus [Col. 0081C] originalium quoque linguarum Hebraicae et Graecae peritiam adhibuerit; minime enim, ait ibidem D. Vallarsius, Alcuinus hoc sibi negotium dedit; sed neque sibi ea mens fuit, ut originales textus consuleret . . . Tota fuit ejus industria in conquirendis undequaque Hieronymianae versionis codicibus, iisque sedulo inter se conferendis, ut quae

probanda sibi esset lectio, ex eorum fide qui melioris emendationis et notae viderentur decerneret. Haec quamvis ita sint, nihilominus vero simillimum est Alcuinum eruditionis cujusvis semper cupidissimum, id omne discere voluisse, cujus discendi in patria sua Anglia ipsi occasio fuit. Certe sacrarum linguarum studium ibi diu et ad Alcuini usque tempora floruisse testem habemus omni exceptione majorem Ven. Bedam, qui lib. IV Hist. Gentis Angl. cap. 2 testatur, suo tempore ex discipulis Theodori episcopi et Adriani abbatis superfuisse, «qui Latinam Graecamque linguam aeque ut propriam in qua nati sunt, norint.» [Col. 0081D] Sacrarum pariter linguarum studium in schola Eboracensi floruisse ex apparatu librorum ibi custoditorum innotescit, quem his versibus describit Alcuinus in poemate de Pontif. Eccles. Eborac.

Illic invenies veterum vestigia Patrum: Quidquid habet pro se Latio Romanus in orbe, Graecia vel quidquid transmisit clara Latinis: Hebraicus vel quod populus bibit imbre superno, Africa lucifluo vel quidquid lumine sparsit. Has ergo linguas calluit ipse Ven. Beda, calluere illius discipuli, calluere beati Alcuini magistri; quidni et ipse illorum discipulus tam industrius eas calluit: quod ipsum ex testimonio Josephi sui discipuli colligitur, cui praecepit, ut in contrahendis in compendium beati Hieronymi Commentariis in Isaiam Hebraicae veritatis tramitem sequeretur, uti diximus supra num. 48. Consentiunt de hac re plerique scriptores Angliae, praeprimis Joannes Balaeus, qui auctoritate Annalium gymnasii Cantabrigiensis nixus [Col. 0082A] dicit, «Alcuinum Latine, Graece et Hebraice peritum fuisse;» quod nec Magdeburgenses diffitentur, cum Cent. VIII, col. 777, aiunt Alcuinum Latinae, Graecae et Hebraicae linguae sibi comparasse notitiam.

CXLIX. De stylo quo beatus Alcuinus in tam multis variisque suis opusculis usus est, difficile accidit aequum ferre judicium; non enim omnium de scriptoris cujusdam stylo eadem semper est opinio: et haec difficultas crescit quando antiqui alicujus auctoris scripta ex vetustis exemplaribus apogryphis, frequenter mendosissime exaratis, eruere oportet, quorum autographa pene omnia periere. Menda namque et lacunae quae in illis reperiuntur, stylum mutant, atque obscurum nonnunquam, difficilem et minus fluidum reddunt. Stylus pariter ejusdem auctoris nonnunquam mutatur secundum materiarum quae tractantur diversitatem. Hinc apud Alcuinum stylum alium notabis in epistolis; alium in tractatibus theologicis, dogmaticis, polemicis; alium in philosophicis: [Col. 0082B] quae diversitas ex eo etiam profluit, quod ipse illorum scriptorum stylo sese accommodet, quorum usus est luminibus, nunc Hieronymi, nunc Augustini, nunc Gregorii Magni, nunc Bedae, nunc aliorum. De stylo igitur proprio illius judicium maxime ferendum esse censeo ex epistolis, ex libris adversus Felicem et Elipantum, et ex poematicis. In epistolis, iis saltem quas emendatas et integras habemus, nescio quid in stylo sit reprehendendum. Adversus Felicem et Elipantum utitur stylo modesto, gravi et ad confutandos et corrigendos adversarios apto. Poemata plura, quibus nempe major diligentia adhibita fuit, ut illud de Pontificibus Eboracensibus, de rerum humanarum vicissitudine, de studiis in aula regis, de Luscinia, de Cuculo etc., non destituuntur ingenio, sapore et quibusdam igniculis poeticis. Neque tamen stylum istorum carminum, epistolarum, et reliquorum scriptorum cum stylo Ciceronis, Virgilii, etc., aut cum illo quo inclaruere Augustinus, [Col. 0082C] Hieronymus, Ambrosius, etc., aequiparandum esse praetendimus. Illud certum habemus Alcuini stylum meliorem esse, quam a quoquam

aevi sui plurimum adhuc obscuri scriptore praetendi possit; et aeque bonum quam stylum multorum scriptorum Latinorum nostrae aetatis, in qua Latinam linguam multis in scholis cum maximo, nisi medela afferatur, rei litterariae damno negligi ac contemni dolemus. Verum de hac re, sicut etiam de Alcuini eruditione litteraria in rebus grammaticis, philosophicis, mathematicis, etc., eruditi ipsimet judicent ex ipsis hisce operibus ante illorum oculos positis. Eruditorum quoque attentioni et legentium cognitioni maximam partem doctrinas illas fidei ac morum, quas beatus Alcuinus ipse mente tenuit et suis discipulis tenendas commendavit, relinquimus, ne in singulis recensendis nimium prolixi simus; praecipuas nihilominus illarum per distinctos paragraphos commemorare juvat, ex quibus intelligi possit, quae illis temporibus cura, [Col. 0082D] quod systema religionis, quanta puritas et integritas moralis disciplinae fuerit.

§ I.

De Canone sacrae Scripturae.

CL. Integrum sacrorum Librorum Canonem, quem in poemate 6 describit, tantae auctoritatis esse judicat,

De quibus et nulli jam dubitare licet; ob rationem, quam mox subjicit his versibus:

His etenim libris vere est coelestis origo
Hos quia dictavit Spiritus ipse Dei. Monendum vero hic lectorem censuimus, ultimos versiculos in cod. Vendobonensi integrum carmen claudentes, in cod. ms. pene coaevo, serius in bibliotheca collegii sancti Pauli Ratisbonensis detecto, subjunctos haberi primae parti ejusdem carminis, ubi post versum:

Ad laudem Christi propriamque in secla salutem, [Col. 0083A] ita sonant:

Codicibus sacris hostili clade perustis
Ezra Deo fervens hoc reparavit opus. D. Lambecius, a quo hoc carmen mutuavimus, loco *Ezra* Deo legit *Et Rado,* facili in lectione veteris scripturae errore, accipiendo nimirum *Ez* pro *Et,* et in ultima syllaba *do negligendo virgulam illi superinductam,* quae indicat loco *do legendum esse Deo.* Hunc neglectum in Lambecio jam notavit cl. Gentilottus in Analectis Vendobonensibus D. Kollarii tom. I, pag. 630, quamvis et ipse vir praeclarus deceptus sit, existimans virgulam illam denotare litteram *n,* et loco *Rado* legendum esse *Radon.* Verum nos minime dubitamus in codice Vendobonensi aeque ac in illo collegii sancti Pauli Ratisb. legendum esse non: *Et Rado, sed: Ezra Deo.* Ezra vero Esdras est, prout patet ex illo hujus carminis versu:

Hinc Ezrae, Nemiae, Judith, Esterque libellus. Enimvero Esdram sacros Libros in captivitate Babylonica [Col. 0083B] olim combustos vel deperditos reparasse a multis creditum est, quam controversiam erudite discussit D. Calmetus in dissert. Commentario in Libros Esdrae praefixa. Hinc ergo suam verisimilitudinem amittit communis quae hucusque invaluit opinio, quod Rado abbas Vedastinus sacrum Codicem opera beati Alcuini pro suo monasterio reparari fecerit; cujus operis etiam

Alcuinus nec in epistola 46 (nunc 51) ad monachos Vedastinos ullam mentionem facit, etsi ibidem titulos ecclesiarum et altarium a se dictatos; missas et homiliam in honorem sancti Vedasti a se pro monachorum Vedastinorum usu compositas commemoret; et in carm. 41, in quo omnia ornamenta ac munera a Radone in ecclesiam et monasterium sancti Vedasti collata recenset, de sacro Codice illius rogatu reparato omnino silet. Credam ergo Alcuinum carmen illud addidisse sacro Codici jussu Caroli Magni a se emendato, et in bibliotheca Vindobonensi, Lambecio judice, adhuc superstiti. [Col. 0083C] Corrigenda ergo est nota quam, nondum viso codice sancti Pauli, dedimus ad idem carmen 6, ad v. *Rado.*

CLI. In priori praedicti carminis parte omittitur *Liber Tobiae, nisi desit ibi versus, scriptoris fortasse incuria intermissus;* in altera siquidem parte, quae in utroque ms. absque novo titulo priori jungitur, idem quoque Liber habetur. Libri *Apocalysis auctorem Alcuinus credit Joannem, qui Evangelium scripsit, et super pectus Domini in Coena recubuit. Librum Ecclesiastici refert inter Scripturas divinitus inspiratas, cap.* 14 de Virtutibus ad Guidonem comitem; et ibidem cap. 17 eumdem laudat tanquam Scripturam sanctam; quamvis lib. I adversus Elipantum n. 18 respondens argumento ex cap. XXXVI, 14, Eccli. adducto subdubitare videatur, num liber ille propheticis sive sacris debeat accenseri, ob auctoritatem sanctorum Hieronymi et Isidori, qui illum apocryphis annumerant. Vide tamen quae ad illum locum loco [Col. 0083D] citato notavimus.

§ II.

De Trinitate et Incarnatione.

CLII. Sicut beatus Alcuinus in Canone librorum sanctae Scripturae, ita et in reliquis fidei dogmatibus semper sanctorum Patrum et primaevae Ecclesiae doctrinam pro norma habuit, a qua praeprimis circa mysteria Trinitatis et Incarnationis nullis haereticorum aut philosophorum subtilitatibus ac ratiociniis averti potuit; sed potius dogmata illa semper in Ecclesia recepta suis discipulis in libris de Trinitate suaviter instillavit; et in libris adversus Felicem et Elipantum fortiter defendit, aperte professus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum, unius substantiae, unius essentiae, unius potestatis: Patrem profitetur a se ipso, Filium a Patre genitum, Spiritum sanctum a Patre et Filio aequaliter procedentem. Lib. I de Trin. Christum simul verum esse Deum et verum hominem in unitate personae. Ibid. lib. III, *cap.* 14; et lib I. adv. Elipant. num. 21. Beatam [Col. 0084A] virginem veram esse Dei genitricem. Ibid. et lib. VI adv. Felicem num. 9. Verum de his plura prolixius huc referre nolim, cum ejus doctrinae de hisce mysteriis copiose prostent in citatis libris de Trinitate et adversus praedictos auctores Adoptianismi.

§ III.

De gratia et libero arbitrio.

CLIII. Libertatem arbitrii simul ac necessitatem gratiae beatus Alcuinus variis in locis docet et propugnat. Sic lib. II de Trinit. cap. 8: «Si, inquit, non est Dei gratia, quomodo salvatur mundus; et si non est liberum arbitrium, quomodo judicabitur mundus? Sine divinae gratiae adjutorio, ait ibidem, liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo.» Pro gratiis praeveniente et subsequente in epist. 55 (nunc. 69) ita orat: «Da velle et perficere; da ut misericordia tua praeveniat nos ad incipiendum, et subsequatur ad perficiendum.» De gratia comitante et perseverantiae in epist. 76 (nunc [Col. 0084B] 91) ita scribit: «In peccatis nascimur, sed gratia renascimur, quae nos in bono opere currentes comitetur, et usque ad finem perseverare faciat.» Demum in cap. 9, v. 11, Comment. in Eccle., Pelagianam sectam illis verbis Apostoli Rom. IX, 16, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, destrui ait, «quia, inquit, sine gratia Dei nec voluntas bona erit in homine, neque cursus boni operis sine Deo fieri valet.*»

§ IV.

De baptismo et confirmatione.

CLIV. De baptismo lib. II adv. Felicem, num. 16, docet neminem in baptismate Joannis adoptionem filiorum Dei aut remissionem peccatorum accipere potuisse. Et libr. II in Joann. cap. 5 baptizatum ab haeretico, schismatico aut quovis facinoroso in confessione sanctae Trinitatis rebaptizari non debere. In epistola de caeremoniis baptismi et in epist 75 (nunc 90) ritus baptismatis et confirmationis secundum Ecclesiae usum et sanctorum Patrum doctrinam [Col. 0084C] describit. In epist. eadem ad Lugdunenses, et in 97 (nunc 113) ad Paulinum Hispanos quosdam reprehendit, qui «contra universalem, inquit, Ecclesiae consuetudinem affirmant, sub invocatione Trinitatis unam esse mersionem in baptismate agendam.» Alios quoque in eadem epist. ad Paulinum erroris arguit, qui trinam volentes facere mersionem, in unaquaque mersione invocationem Trinitatis repetunt, tres personas ter nominando: «Quid opus est, inquit, tertio replicare, quod semel dictum sufficit?» Necessitatem trinae mersionis in cit. epist. ad Lugdunenses probat auctoritate sancti Leonis papae, sancti Hieronymi et sancti Ambrosii: de epistola vero sancti Gregorii Magni ad Leandrum episcopum Hispalensem, quae illi objiciebatur, dubius haesit, an illius sit, an ab aliquo illius sectae auctore sub ejus nomine scripta sit, «quia, inquit, illam in epistolari suo libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus.» Condonandum ergo est Alcuino quod severius judicium [Col. 0084D] tulerit adversus illos Hispanos, unius mersionis assertores. Maximus namque osor omnis in Ecclesia novitatis insistebat consuetudini, quae suo tempore in Ecclesia Romana, in ecclesiis Angliae, Galliae ac Italiae vigebat, simulque doctrinae sanctorum Patrum, quos allegabat, et quibus annumerari possunt Tertulianus Libr. adversus Praxeam et de corona militis; sanctus Cyrillus Hieros. Catechesi II; sanctus Basilius de Spiritu sancto cap. 27 et alii apud Martene de antiq. Eccles. Ritibus tom. I, pag. 129, num. 7; ac demum Paulinus Aquileiensis in dictatu, quem pridem a nobis in bibliotheca Salisburgensi detectum D. Mansi novae Conciliorum editioni inseruit tom. XIII, pag. 921. Haec controversia post Alcuinum aliquandiu duravit, quae deinde in concilio Wormatiensi anni 868 terminata est, ubi can. 5 decernitur, utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habendum esse, unicam scilicet et

trinam mersionem.

[Col. 0085A] CLV. Basnagius tom. II Thesauri Monumentorum Canisii pag. 397 in not. (h) in epist. ad Lugdunenses, ubi Alcuinus scribit tres noctes tresque dies, quibus Jonas fuit in ventre ceti et Christus in corde terrae, synecdotice posse tres mersiones et tres elevationes in baptismo designare, ipsum hac crisi ferit: «Alcuinus, inquit, numeris inhiabat, et inde pueriliter mysteria voluit ad fatuitatem usque elicere.» Non attendit, opinor, Basnagius per acrem hanc censuram simul peti Patres antiquiores, qui certe pueri non erant, et nominatim sanctissimum ac celeberrimum pontificem Leonem hujus nominis primum, eodem modo verba D. Pauli Rom. VI, 3, interpretantem, cujus auctoritate nixus Alcuinus, verba illius ex epist. 17 ad episcopos Siciliae ibi adducit, quae ita sonant: «Sepulturam triduanam imitatur trina demersio, et ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulcro.» Quid in hac interpretatione puerile sit, et an non magis puerilis sit Basnagii censura adversus veteres Ecclesiae doctores, judicent aequi rerum [Col. 0085B] aestimatores.

§ V.

De confessione peccatorum.

CLVI. Baptismo poenitentiam comparat Alcuinus, hancque vocat secundum in Ecclesia baptisma quo per confessionem humilem sacerdotibus factam abluimur a peccatis post primum baptisma perpetratis. «Nonne, inquit in epist. 96 (nunc 112) ad monachos Gothiae, in sacro baptismate sacerdotibus Christi nostrae fidei confessionem dare debemus, et sic sacerdotali ministerio, divina operante gratia, ab omnibus ablui peccatis? Cur etiam in secundo poenitentiae baptismate per confessionem humilitatis nostrae, ab omnibus post primum baptisma peractis, eadem divina miserante gratia, sacerdotali similiter auxilio non debemus absolvi peccatis?» Et in epist. 79 (nunc 94) ad Aquilam, animarum pastoribus inculcat, ut hortentur fideles ad confessionis puritatem et poenitentiae compunctionem, «quia, inquit, hoc [Col. 0085C] secundum baptisma est in Ecclesia, ut qui post primum erraverit in aliquo delicto, in hoc secundo corrigatur.» Porro in citata epist. ad Gothos pravam quae in illa provincia inoleverat consuetudinem reprehendit et confutat, quod laici peccata sua sacerdotibus confiteri nollent, existimantes sufficere illa in occulto Deo confiteri. Necessitatem ergo confessionis sacerdotibus faciendae probat 1o quod Christus sacerdotibus dederit potestatem ligandi et solvendi: «quid solvit, inquit, sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati?» 2o Idem probat exemplo leprosorum, quos sanandos Dominus ad sacerdotes misit; et 3o exemplo Lazari, quem solvi per discipulos jussit: «nunquid, inquit, non fasciamenta mortui eodem verbo solvere poterat, quo mortuum vitae redditum de sepulcro prodire jussit?» 4o Exemplo Davidis qui coram Nathan propheta de peccato suo semet accusavit: «Homini, inquit, patefecit vulnus suum, et a Deo mox remedium accepit.» [Col. 0085D] Idipsum probat ex Sacramentario Ecclesiae, inquiens: «Si peccata sacerdotibus non sunt prodenda, quare in Sacramentario reconciliationis orationes scriptae sunt? Quomodo sacerdos reconciliat, quem peccare non novit?» Demum vero confessionem asserit in iis, qui gravioribus peccatis vel consensu vel opere vel prava consuetudine se

obnoxios fecerunt (quos tribus mortuis a Christo resuscitatis comparat), necessariam esse praeparationem ad digne communicandum de corpore et sanguine Jesu Christi: «Haec, inquit, cogitate, charissimi fratres, et in qualicunque harum trium mortium genere si quis jaceat, citius ad confessionis probatissima medicamenta confugiat . . . ut non ad judicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi.» Similia documenta de necessitate et utilitate confessionis peccatorum facienda sacerdotibus tradit beatus Alcuinus fratribus Turonensibus tom. II, pag. 154. [Col. 0086A] Et in epistola 39 (nunc 44) Flavium Damoetam ad pugnandum cum hoste iter molientem hortatur, ut prius peccata sua confessione expiet, laudato priscis militibus more, inquit Canisius, cujus verba retulimus in notis ad epistolam citatam.

§ VI.

De eucharistia.

CLVII. Quae mens ac sententia beati Alcuini fuerit de mysterio eucharistiae et dogmate transsubstantiationis, ex pluribus illius epistolis, nempe 36, 75, et 124 (nunc 41, 90, 163) innotescit: praeprimis vero illam pandit in epist. 41 Paulinum rogans his verbis: «Ne quaeso obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini, sed in aliquo memoriae gazophylacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno, quo panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecraveris.» Quo sane testimonio nullum pro dogmate transsubstantiationis eo tempore credito illustrius dari potuit. «Haec nostra, haec majorum nostrorum fides (quae observatio in illa [Col. 0086B] verba est doctissimi D. Mabillonii Libr. de Liturgia Gallicana pag. 95, edit. Paris. anni 1729) quam utinam fratres nostri aversi jam tandem vel sero agnoscant, neque nos amplius provocent ad fictitiam illam novationem, quam Paschasio Radberto auctore saec. IX contigisse criminantur. Unius Alcuini auctoritas tam clara et manifesta hanc controversiam dirimere deberet . . . et qui tam perspicuis verbis detrahit fidem, is non veritatis sed contentionis, sed erroris, sed schismatis amator est.» Hanc Alcuini mentem corrumpere nisus est D. Basnage tom. II Hist. Eccles. libr. V, pag. 899 seqq. quem refutavimus animadversione in censuras illius adversus disquisitionem D. Mabillonii de auctore Libelli Confessionis fidei tom. II, pag. 384.

CLVIII. Fuit tunc temporis in Hispania quorumdam opinio, *salem esse in sacrificium, hoc est,* in materiam panis eucharistici *mittendum, seu miscendum, quod improbat beatus Alcuinus in epist.* 75 (nunc 90) [Col. 0086C] contestatus, «quod illam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. Tria sunt, inquit, in sacrificio offerenda, panis, aqua et vinum . . . et panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, et aqua absque omni sorde purissima; et vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aquae, purgatissimum. Ex aqua et farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi: aqua et vinum in sanguinem consecrabitur Christi.» Ex quibus verbis evidentissime demonstratur usum panis azymi in eucharistia tempore Alcuini, atque adeo ante Photii discidium, pene universalem fuisse, non in Britannia tantum, in qua ipse natus est, et in

Gallia ubi diu moratus, verum etiam in Romana et tota occidentali Ecclesia; quod erudite, more suo, ostendit D. Mabill. in Dissert. de Azymo et Fermentato cap. 9 tom. I des ouvrages posthumes pag. 155.

[Col. 0086D] CLIX. Ad hunc locum Alcuini mox a nobis descriptum D. Basnage hanc notam addit: «Hispanos theologos, ait, non fuisse tunc temporis transsubstantiatores facile probaretur, si ex sale mixto pani ducere liceret nobis argumentum.» Mirum! cur argumentum ducere non liceat, quo rei cujusdam veritas facile probari posset? Ex sale pani mixto facile probaretur, si Basnagium recte intelligimus, theologos Hispanos tunc transsubstantiatores non fuisse; verumtamen eo argumento uti illi non licebat. Quid vero prohibebat? Nempe viro docto satis ex aliis fortioribus documentis ac testimoniis notum erat, Hispanos theologos tunc, et antiquioribus temporibus transsubstantiatores fuisse, quibus levissimum argumentum ex quorumdam consuetudine, salem in sacrificium mittendi, opponere non licuit; sicut nec ex usu panis fermentati argumentari licet, Graecos non esse transsubstantiatores. Sapientius ergo vir doctus hanc notam suppressisset.

§ VII.

De sanctorum intercessione, purgatorio et oratione pro mortuis. [Col. 0087A]

CLX. Ad dogmata fidei catholicae etiam pertinent doctrinae beati Alcuini de sanctorum intercessione, de purgatorio et de oratione pro mortuis. Longum esset omnia illa loca hic describere, in quibus mens beati Alcuini de sanctorum, quos Ecclesia tanquam beatos Dei visione in coelo gaudentes colit, invocatione et intercessione declaratur. Duo saltem testimonia huc referre sufficiat; unum, quo aliis fiduciam erga sanctorum preces inspirat; alterum ex quo propria ipsius in illorum intercessione fiducia apparet. Ad fratres Turonenses in epist. 19 (nunc 23) scribit: «O felix familia tali gaudens pastore . . . Habetis enim Dei gratiam auxiliantem vobis, et magnum intercessorem, sanctum scilicet Martinum, deprecantem pro vobis: quia in cujus servitio quotidie statis in domo sua, illum habetis in coelis omni hora suffragatorem.» Pro semetipso ita ad sanctum [Col. 0087B] Willibrordum precatur, tom. II, pag. 195: «O beatissime Christi sacerdos! ne nos derelinquas laborantes in terris; sed precibus tuis de coelis adjuvare non cesses. Vita tua apud homines semper probata fuit pro Deo: sint preces tuae apud Deum semper intentae pro hominibus . . . O felix anima, quae saeculi labores dereliquisti, et coelestem cum multiplicis sudoris tui fructu requiem intrasti . . . Credimus te in praesentia Domini Dei tui omnia posse impetrare, quae poscis, etc.» Ex quibus simul patet, beatum Alcuinum minime dubitasse quin sancti homines ante diem extremi judicii in coelis Dei praesentia et visione fruantur: imo in epist. 97 contrariam foventes opinionem reprehendit tanquam vulnerantes sanctae et catholicae Ecclesiae unitatem ac universalis fidei veritatem.

CLXI. De igne purgatorio quorumdam justorum ita scribit lib. III de fide Trinitatis cap. 21: «Sunt quidam justi minutis quibusdam peccatis obnoxii, [Col. 0087C] qui aedificaverunt supra fundamentum, quod Christus est, fenum, ligna, stipulas, quae illius ignis ardore

purgantur; a quibus mundati aeternae felicitatis digni efficientur gloria.» Hunc ignem Alcuinus depingit in carmine de Pont. Eborac. vers. 905, et vers. 987 seqq. His porro animabus prodesse vivorum suffragia docet in epist. 134 (nunc 178) ad Aedilbertum episcopum Hagulstaldensem his verbis: «Suffragia viventium prosunt morientibus vel ad veniam peccatorum vel ad majoris gloriae augmentum.» Et in epist. 151 (nunc 200) ad Edilthrudam scribit: «Si duo sunt amici, felicior est mors praecedentis, quam subsequentis; habet enim, qui fraterno amore pro se quotidie intercedat, et lacrymis lavat pristinae errores vitae. Nec dubites prodesse piae sollicitudinis curam, quam pro anima illius geris. Tibi proficit et illi: tibi itaque quia in fide facis et dilectione; illi ut vel poena levigetur, vel beatitudo augeatur.»

§ VIII.

De Ecclesia. [Col. 0087D]

CLXII. Ne longiores simus in recensendis beati Alcuini doctrinis circa dogmata fidei, id unum adhuc commemorare sufficiat, doctorem hunc, quo Ecclesia occidentalis illius aetatis majorem vix celebriorem certe non habuit, constanter Ecclesiae catholicae ac Romanae auctoritati adhaesisse, atque ad hanc sequendam suos discipulos, et omnes alios quos proprio suo judicio privataeque scientiae ac spiritui nimium tribuere noverat, adhortatum fuisse. Adrianum I Romanum pontificem, sancti Petri vicarium et mirificae illius potestatis ligandi atque solvendi haeredem agnoscit in epist. 15 (nunc 18). Leonem III vocat pontificem a Deo electum, vicarium apostolorum, haeredem Patrum, Ecclesiae principem, unius immaculatae columbae nutritorem epist. 20 (nunc 24). In epist. 75 (nunc 90) ad fratres Lugdunenses scribit: «Nemo catholicus contra Ecclesiae auctoritatem certare audeat: et ne schismaticus inveniatur et non [Col. 0088A] catholicus, sequatur probatissimam sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem, ut unde catholicae fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostrae semper habeamus; ne membra a capite separentur suo: ne claviger regni coelestis abjiciat, quos a suis deviasse intelligit doctrinis.» Ac propterea lib. I adversus Felicem, num. 6, «Ecclesiam Romanam vocat aliarum ecclesiarum caput.» Et lib. VII, num. 13, docet, «Romanam Ecclesiam a catholicis et recte credentibus esse sequendam.

CLXIII. Haec fuit doctrina celeberrimi hujus totius Galliae, Franciae, Germaniae et Angliae magistri, illustrisque saec. VIII in Ecclesia doctoris, non noviter efficta, sed a tempore apostolorum tradita et inter priores ignorantiae et barbariei nebulas conservata. Haec fuit fides summi ac potentissimi regis ac imperatoris Caroli Magni; haec fuit fides omnium illius temporis pontificum, et orthodoxorum principum, archi et episcoporum, omniumque fidelium Christianorum, [Col. 0088B] ut mirum sit, potuisse recentioribus temporibus, inter viros etiam doctos et eruditos reperiri, qui illis dogmatibus recentiorem originem assignare vel affingere vellent. Verum haec heterodoxorum laboriosa, simul vero frustranea diligentia est, qua novandi spiritum a se emoliri, suisque inventis antiquitatis fucum obducere conantur.

CLXIV. Orthodoxi hujus doctoris nomen Calvinus, exigua litterarum metathesi, initio per summam fraudem et imposturam usurpasse tradit Canisius in praefat. ad lectorem

in Dialecticam Alcuini tom. II Lect. Antiq. Edit. Basnagii pag. 486. Similia habet Spondanus Annal. Eccle. tom. III, edit. Ticini. pag. 61, num. 9, ubi ait: «Ipse (Calvinus) aliquando transpositis litteris Alcuinum sese nominavit, uti in Institutionis suae editione Argentoratensi anni 1539, nomen aemulatus magni illius Alcuini, qui Caroli Magni praeceptor fuit.» In indice quoque expurgatorio, quem D. Basnagius in observatione in eamdem Dialecticam Alcuini pag. 487 citat; et in altero indice [Col. 0088C] librorum prohibitorum Romae anno 1704 edito, quem ipsimet inspeximus, recensentur *Alcuini seu potius Calvini Commentarii in Libros de Trinitate.* Verum D. Basnagius loc. cit. expurgatores, Spondanum et Canisium hac in re vulgari quodam rumore deceptos fuisse credit, et ab aliis credi vult, donec Institutionis Calvini Argentoratensis illa editio appareat, quam memorat Spondanus. Rationes suae opinionis, quas ibi D. Basnagius profert, haud contemnendas censemus; praesertim quod in novissima editione Indicis, jussu Benedicti XIV recogniti et anno 1758 editi, Commentarii illi Alcuini seu Calvini non legantur, sed tribuantur Lucae Lossio his verbis: «Lossius Lucas-Alcuini abbatis Turonensis de fide sanctae et individuae Trinitatis libri tres, commentario illustrati. Index Trid.» Hos commentarios, etsi multum quaesitos, necdum obtinere potuimus.

CLXV. De doctrinis ad mores Christianos pertinentibus, quas beatus Alcuinus hominibus cujusvis [Col. 0088D] status et conditionis, regibus, principibus, judicibus, ducibus exercitus, pontificibus, abbatibus, monachis et sanctimonialibus, viduis et virginibus, atque integris populis cum maximo zelo, cum gravitate et quadam magisterii auctoritate ubique inculcat, prolixius hic disserere, easque singulatim recensere superfluum existimamus. Illas sedulus ac pius lector non tantum in opusculis moralibus, verum etiam in epistolis familiaribus copiosissime reperiet. Optandum profecto foret, ut nostris temporibus inter eos, qui ad publicum munus docendi, ad principum consilia, tanquam conscientiarum arbitri et aularum moderatores vocati sunt, exemplo Alcuini, abjecto timore servili humanoque respectu, modeste quidem verum intrepide summis et infimis veritatem insinuarent, atque ita consilium Alcuini sequerentur ad Beorninum presbyterum in epist. 7 (nunc 8) scribentis: «Ut tibi, charissime frater, tempus vel locus occurrit, semper Dei suade voluntatem sequi omnibus personis, [Col. 0089A] regi suaviter, episcopis honorifice, principibus fiducialiter, omnibus veraciter.» Optandum vero etiam foret, ut principes, aliaeque sublimiores personae hisce doctoribus, consiliariis, ac moderatoribus, exemplo potentissimi regis et imperatoris Caroli, benevolas aures praeberent, eosque adversus malevolos susurratores sua auctoritate foverent atque protegerent.

CLXVI. Ex his, quae de vita beati Flacci Albini seu Alcuini hucusque ex ipsis illius scriptis Operibus commentati sumus, intelligi potest non immeritas esse laudes quas in ipsum contulerunt veteres et recentiores scriptores, quorum testimonia atque elogia, post illius vitam ab anonymo coaevo et a cl. D. Quercetano descriptam, proferemus. Illud vero maxime in tam celebri viro laudandum est, quod cum alii de illius eruditione sublimiter sentirent, ipse scripta sua cum magna humilitate ac modestia censurae aliorum subjiceret. Ita enim scribit in epist. 67 (nunc 82) responsoria [Col. 0089B] ad domnum regem: «Quod vero in fine epistolae familiariter et salubriter me admonere curastis, ut si quid humiliter emendandum sit, corrigatur: nunquam fui, Deo donante, in errore meo pertinax, nec de meis confidens sensibus; nec talis, ut meliori sententiae

facile acquiescere non valerem . . . hoc omnino vestram sentire sapientiam obsecro, non vobis quasi nescienti, sed quasi probanti scribere; nec quasi ignoranti, sed magis corrigenti dirigere [Col. 0090A] parvitatis meae sensus.» Et in epist. 85 (nunc 101): «Gratias agimus venerandae pietati vestrae, quod libellum, secundum vestrae jussionis praeceptum vobis directum, auribus sapientiae vestrae recitari fecistis: et quod notari jussistis errata illius et remisistis ad corrigendum; quamvis a vobis melius emendari potuisset, quia alterius judicium in quolibet opere plus saepissime valet, quam proprii auctoris.» Ita scribit, ita de se humiliter sentit magnus ille scientiarum omnium restaurator, et integrarum nationum primus magister Alcuinus. Utinam hac modestia praediti essent moderni plerique doctores ac scriptores, qui suorum sensuum etiam in materia religionis ac morum, adeo tenaces sunt, ut nec a potestate ecclesiastica, nec a civili se corrigi patiantur. Utinam vero etiam terrarum principes, Caroli Christianissimi regis et imperatoris exemplo incitati, sua a Deo accepta potestate et auctoritate uterentur, ac scriptorum hujusmodi audaciae ac praetensae sentiendi scribendique [Col. 0090B] libertati severis legibus obviarent, libellosque religioni simul ac moribus exitiosos, quibus subditorum mentes corrumpi necesse est, eliminarent, et jam vulgatos supprimi atque exuri juberent!

Haec sunt, quae de vita beati Alcuini commentari nobis libuit, et licuit. Plura alia huc pertinentia industrius lector in monitis praeviis, quae singulis prope opusculis praemisimus, reperiet.

BEATI FLACCI ALCUINI VITA.

Ex vetusto codice ms. sanctae Mariae Rhemensis primum a D. Andrea Quercetano edita.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0089C]

Nomen scriptoris hujus Vitae ignoratur. Quanta illius auctoritas sit, ex aetate qua vixit, et a teste ex cujus relatione beati Alcuini acta didicit, aestimandum est. Opus is aggressus est, cum Aldricus Ferrariensi monasterio praeerat abbas, uti ipse scribit infra cap. 10, num. 19. Ex quo intelligitur hanc Vitam scriptam esse ante annum 829 quo Aldricus ex abbate factus est episcopus Senonensis. Porro acta ac virtutes beati Alcuini se didicisse initio et fine prologi testatur ab ejus discipulo Sigulfo, quem etiam suum institutorem vocat: hinc vero simillimum est, hunc anonymum fuisse monachum Ferrariae, cujus abbas fuit Sigulfus ante Aldricum. Primus hanc Vitam edidit Andreas Quercetanus ex cod. ms. Rhemensi veterrimo, inquit D. Mabillonius, auctoris aetate exarato. Suriana editio ad normam Chesnianae facta est, additis in margine capitulationibus, quas una cum D. Mabillonio retinuimus, quamvis D. Henschenio ad 19 Maii alia divisio placuerit, [Col. 0089D] qui etiam eidem operi nonnullas correctiones in lectoris commodum adhibuit, quas ubique indicabimus.

PROLOGUS AUCTORIS.

I. Superna Christi rorante dextera et juvante gratia, reverendissime Pater aeque et amantissime, jubes, ut tibi de admirandae vitae initio fineque Patris Alcuini, quae ejus nosse potui, narrante fidelissimo Sigulfo discipulo, sermone licet inculto e parvo, tamen veritate referto, scribam aedificationi nonnullorum profutura; asserens te diu super hac re non modicam ferre sitim: non quia calore ignita superno tua viscera sanctorum innumerabilium vita, gestis piis, et studiis nequeant refici, quos sanguine proprio, vel saeculi suarumque abrenuntiatione voluptatum, Agni coelestiumque constat virtutum consortio mercari, quibus una suavi cum canore felicibus fruentes jubilo insatiabili, vestimentis, sive palmarum frondibus (mens quibus luminis ornatur ferax), [Col. 0090C] viaque [*Henschenius, viam quae*] arcta exstat et angusta, Hebraeorum pueris asinaeque terga Christo sessore praebente [*H.,* premente] humili, planam et meabilem reddidere. Sed quoniam mundo fluide cum suis senescente vix admodum pauci reperiri queant, priscorum in omnibus ardua sequi vestigia qui possint (qui capiti summo quanto viciniores, tanto actuum immensitate fuisse probantur illustres, Domini tabernaculum instar columnarum firmissime sustinentes [ut] aquarum inundatione, atque ventorum impulsione nunquam labi, neque moveri possit), ideo necesse valde esse asseris, ut si aliquem nostris temporibus imitatione pia sequendum Christi nobis gratia contulerit, hujusmodi lucerna non sub modio, neque sub lecti quiete, sed supra candelabrum ponatur; ut ingredientes Ecclesiam lumine illustrentur claro. Ipse siquidem familiae Pater, qui prima hora, idem et undecima vineae operarios conduxit, quibus et unam mercedem dare jussit. Neque enim, si manus, aut circa Christi [Col. 0090D] os barba pendens, niveique dentes, qui queant panis crustam parvulis masticare, vel oculi pulchriores vino, quo nutriuntur virgines, esse nequimus; ob hoc a corporis Domini compagine separabimur optabili, in eadem tantum [si] fide, spe et charitate, juxta Apostolum, [simus] radicati et fundati, ut multi unum efficiamur corpus Domini, manente charitatis [unitate in] differentia stellarum.

II. Nempe oculi fuerunt apostoli, solis aeterni splendorem mentis puritate utcumque contemplantes, sicut apostolorum princeps Petrus, virgoque Joannes: quorum alter haeresium plurimarum devitans opiniones, ex duabus consistentem substantiis Flii Dei viventis unam confessus est personam, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi* **(Matth. XII, 16)**. Alter in seipso animam effundens suam, et cuncta creata transcendens, ad eum, per quem sunt omnia facta, conscendit, ac ejus potatus uberibus inauditum saeculis eructavit arcanum, dicendo: *In principio* [Col. 0091A] erat Verbum, etc. Fuere pectus aereum, clare praedicando, martyres beati ferreumque, grassantium ignes persecutorum ferendo, ut Cyprianus, Laurentius, Dionysius, Mauritius: Exstiterunt sancti confessores atque doctores, quo doctrinarum cibi conderentur, venter, Martinus, Hilarius, Benedictus monachorum pater eximius, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, Augustinus. Hi ergo omnesduobus Samaritae munerati denariis, quidquid proprio valuere sudore, intra stabulum vulnerato impenderunt, nunc exspectata gloriose ditati mercede. At modo, abundante iniquitate, apostoli juxta prophetiam, et refrigescente charitate multorum, quasi pupilli absque patre facti, matris residentes in genibus, quae amarissimis hinc inde quatitur fluctibus stans in medio mari, priorum nos Patrum muniri egemus suffragiis, eorumque nutriri vitalibus stipendiis, ne fame periclitemur in via

cursus nostri laboriosa: quin potius relinquamus navem, saeculi onustam mercibus, vero haereamus ut capiti, dicamusque: *Trahe me post te,* curremus in odorem [Col. 0091B] unguentorum tuorum **(Cant. I, 4)**. Qui enim mons cervis amoenus celsa petentibus, dignatus est et herinaciis humilibus refugium patefieri, salvans homines simul et jumenta, noverunt qui se esse apud eum.

III. Ergo quos et aevi nimium et propria gravat valetudo, antiquorum ad plenum quia nequeunt sequi, saltem illorum vestigia sequantur, quos secum convixisse suo in tempore, et evidentibus indiciis Christo placuisse certissime probarunt, Benedicti

@ [Col. 0091D] Abbatis sc. Anianensis. scilicet monachi et Alcuini per omnia canonicis imitatione digna: cujus tuis devote parens, sanctissime Pater, jussis, aggrediar calamo, non saecularis eloquentiae redolente stemmate, sed sicut corporis, ita sensus balbutie scriptitare vitam; testans Deum Jesum non elationis me fastu hoc arripere tentasse, sed multorum animabus prodesse cupisse. Scribam igitur fideliter quae ab ejus fidelissimo tantum didici discipulo, Sigulfo scilicet institutore meo, dilectissimum quem tu quoque habuisti [Col. 0091C] patrem, qui prae cunctis mortalibus, post sancti Edberti

@ [Col. 0091D] Forte legendum *Elchberti ex num.* 11 infra. discessum, solus ipsius meruit nosse secreta eximia. Te ergo, Domine, te deprecor, Pater venerande, tua ut sim hoc in sudore pia fultus intercessione, qui me hactenus ista silentem aperto imperas jam sonare ore.

CAPUT PRIMUM.

Alcuini pueritia ac prima studia.

IV. Vir Domini *Albinus nobili gentis Anglorum exortus prosapia, nobilior Christi Jesu regeneratus undis exstitit vitalibus;* qui cum matris ablactaretur carnalibus, Ecclesiae traditur mysticis imbuendus uberibus. Cujus jam tunc Jesus sua possidens dignatione corpusculum, non hoc foetidis ab antiquo hoste permisit pollui lusibus obscenisque actibus, quippe qui suam, antequam nasceretur, in eo praedestinaverat consecrare sedem.

V. Dumque adhuc esset parvulus, diurna sub [Col. 0091D] luce per canonicas cum aliis saepe frequentabat ecclesiam horas; nocturnis autem perraro temporibus. Cumque alter eum a decimo annus teneret, contigit nocte quadam eum, cum uno simplici et tonsorato rustico, separatim una jacere in domo. Postulaverat siquidem rusticus ille simplex magistrum inlustris pueri, ob suae solitudinis nocturnae solamen, ut una nocte quemlibet ex schola puerum secum sua juberet in cella dormire, eo quod quempiam suorum non haberet ad praesens. Cui, nutu Dei, Virgilii amplius quam psalmorum amator conceditur puer Albinus. Ecce vero circa galli cantum solito more pulsatur a custode signum nocturnarum vigiliarum, debitum a fratribus persolvitur officium; sed rusticus ille simplex latus se vertens in alterum, quippe nimium circa hujusmodi negligens, [Col. 0092A] dormiendo stertebat; cumque jam invitatorius fuisset ex more cantatus cum antiphona psalmus, subito domus illa vere rustici spiritibus repletur tetris, qui ejus cingentes stratum dicunt: *Bene quiescis, frater.* Quo repente expergefacto

inculcant eadem, *cur,* inquiunt, *fratribus in ecclesia vigilantibus tu hic solus stertis? Quid multa? Verberatur utiliter in tantum, ut sua cunctis ex mutatione salubri praestaret cautelam et canticum: Haec mutatio dexterae Excelsi, dum anticiparent oculi ejus nocturnas vigilias.* Dumque is verberaretur, puer nobilis tremiscens, ne sibi eadem fierent, haec, ut ipse post testatus est, corde dicebat imo: «O Domine Jesu, si me nunc istorum eruis manibus cruentis, et post hoc sollicitus erga ecclesiae tuae vigilias ministeriaque laudum non fuero, plusque ultra Virgilium quam psalmorum modulationem amavero; tunc tale sortiar castigationis flagellum. Tantum, obnixe precor, libera me.» Denique arctius menti ut hoc imprimeretur ipsius, posteaquam a verberatione rustici cessatum, [Col. 0092B] jubente Domino, est, spiritus nequam huc illuc oculos vertentes, vident diligentissime corpus et caput pueri omne pannis involutum, penitus inscium anhelitus. Princeps autem illorum interrogat suos: «Quis hic alter quiescit in domo? Est, inquiunt, Albinus hic absconsus puer in lecto.» Puer vero, ubi se latere non posse persensit, lacrymarum nimio perfusus imbre, quanto prius pavore suppressus, tanto magnis ut puer redditur perstrepens clamoribus. Illi vero immisericorditer hunc volentes et non praevalentes [poena] afficere, pertractant quid super eo agere debeant. Sed sententia Domini constricti, ne voto satisfacerent suo, aiunt imprudentes, prudenter tamen: «Non istum verberibus, quia rudis adhuc est, acribus [*Al.,* acris], pedum tantum, in quibus duritia inest calli, tonsione cultelli castigemus, et emendationem sponsionis nunc suae confirmabimus.» Jamque nudatis vestimento pedibus malorum manibus, crucis se muniens Albinus velociter [Col. 0092C] signo, psalmumque decantans duodecimum affectu omni, malorum subito disparuit turba. Et rusticus semivivus una cum puero agili se praecedente gressu, sanctorum in basilicam confugit ad praesidia.

VI. O insidiator calcanei, cujus est panis pulvis, non frumentum Domini, qui capite contereris! O inimice piis! num tu demens, qui quondam coeli quaerebas indebite fieri sessor Celsissimi? Si Altissimo, ut jactabaris, similis incomprehensibili claritatis luce in monte Dei fueris, qui obscura sub nocte actus niteris diligenter mala tua cum accensione scrutari humanos? Nempe fatebor, tuarum, ut docent consequentia, tenebrarum te juste factum judicas principem propria praesentia. Nam etsi in angelo appares lucis, lucem nobis conaris auferre intimam pulvere tuo foetido. At si, ut es Aethiops, claritatem spei, pavorem incutiendo nimium, hoc in Albino agere tentasti puero, vincerisque humili ab homine, altum qui viceras hominem. Verum si cognovisses, [Col. 0092D] Christum gloriae non crucifixisses, neque Christicolae Albini [

@ [Col. 0092D] Uncis comprehensa nullum reddunt sensum. quos sibi nolens arte mirifica fructus actuum praeparabas] callosas tondere plantas quaesisses. Abscondisti pedibus ejus rete captionis, et ipse quasi avis, pennis sustentatus columbae, pedibusque cervi instar firmatis ac in excelsa constitutis, cum David a facie Saulis fugit, in solitudine commorari gaudens. Lacum aperuisti et effodisti, inque illum confusus cecidisti optata sine praeda. Sagittae in te retorquent tuae acumen, inaestimabili dolore afficiunt. Cecidisti in terram vulnerator gentium sanctorum, conculcaris cum Albini pedibus, amato projiceris e tumulo, quia fortis a fortiore victus. Grave sceptrum tuum, o exactor, et jugum humeris nostris impositum superatum a puero patrem adhuc ignorante vocare suum et matrem. Spoliis [Col. 0093A] tuis, obliviscens te et populum suum, mater ornatur Ecclesia, spiritalium fecunda charismatum, insignia coelorum cum virtutibus Domino

concelebrans laudum cantica. Gratias semper tibi, Domine, referimus, bone Jesu, una cum Patre, sancto et Spiritu per saecula, cujus est boni quidquid agimus, inchoamus et perficimus, juxta eum tuam docens nos gratiam qui ait: *Deus est autem, qui operatur in vobis et velle et perficere* **(Philipp. I, 13)**, et Psalmista: *Deus meus, misericordia ejus praeveniet me* **(Psal. XXXVI, 11)**. Et iterum alibi: *Et misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitae meae* **(Psal. XXII, 6)**. Et tu ipse dixisti: *Sine me nihil potestis facere* **(Joan. XV, 5)**.

CAPUT II.

Alcuinus traditur disciplinae Hechberti in monasterio Eboracensi.

VII. Haec ita se de initio pueri incipientis supradicti [Col. 0093B] habentibus, coepit hinc sui quamdam ad similitudinem Domini, aetate [et] sapientia, cum vera et viva proficere philosophia, arctius ejus obsecundans jussis. Postque memoriter lectionem recitatam Psalmorum, beati gentis Anglorum Bedae doctissimi discipulo Hechberto praesuli

@ [Col. 0093D] *Hechberto praesuli.* Seu Egberto qui regis Eadberti frater fuisse dicitur, et in archiepiscopatu Eboracensi anno 732 successit sancto Wilfrido II., meritis magistro simili traditur, quasi lactis inscius fortibus jam alendus panibus: qui praecelsam in puero gnaviter, ut pote oppido perspicuus, fulgere Christi conspiciens gratiam, coepit paulatim ei secretius secreta demonstrare sua: quippe quem imitatorem compertissime gaudebat fore sui. Erat siquidem ei ex nobilium filiis grex scholasticorum, quorum quidam artis grammaticae rudimentis, alii disciplinis erudiebantur artium jam liberalium, nonnulli divinarum Scripturarum, post istas manibus confricatas Patris, pectus in suum hordeaceas quinas, triticeasque septenas trajiciebant, una gemino cum pisce, spicas. Omnes vero fide, spe, charitate, humilitate, jejuniis, castitate, obedientia, et circa Ecclesiae officia devotissima [Col. 0093C] aeque et honestissima cura, omni cum circumspectione imbuebantur, verbis non tantum, quantum sancti patris Hechberti exemplis digni per omnia Christiani praesulis, in quo ea, suis quae in praeceptoribus fulserat, doctrina non mediocriter enituit, in sancto videlicet Anglorum apostolo Gregorio, Augustino ejus discipulo, Benedicto sancto, Cutbertoque simul et Theodoro, primi Patris et apostoli per omnia. . . . sequentibus; et in viro, Domino nimium amabili Beda presbytero proprio praeceptore suo; qui ab ineunte aetate quasi Samuel Domino consecratus, inscius coinquinationis ullius vestimenti, monasticis traditus a parentibus regulis quidquid verbo docuit, exemplo roboravit; qui postquam bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, talentumque sui Domini cum usuris duplicavit, die quo voluit et petiit, eo scilicet quo rex gloriae Christus triumphator super omnes ascendit coelos, ab incarnatione Domini 731,

@ [Col. 0093D] Imo anno 735. Vide Mabill. Act. SS. Bened. saec. III, part. I, in Elogio Ven. Bedae. Vide etiam supra in Vita a nobis concinnata, cap. 3, num. 11 seqq. VII Kal. Jun., [Col. 0093D] a sancti vero Gregorii obitu 127 anno consummatus, ad Dominum migravit nonagenarius

@ [Col. 0093D] Falsa haec traditio facile corrigi poterat ex lectione Bedae Historiae, in cujus fine Beda testatur, se undesexagenarium operi supremam manum imponere anno 731, quo ejus obitum auctor iste perperam [Col. 0094D] reponit. MABILL., sicut

quorumdam affirmatio est. Nam nono decimo aetatis suae anno levita, trigesimo vero sacerdos efficitur: a quo tempore, quae ante per triginta annos didicerat Ecclesiae profutura, usque quinquagesimo nono, cum sudore non inerti, dignis memoria libris inserere proprio stylo studuit: per alios autem triginta annos, [Col. 0094A] ferunt, ea quae scripserat correxisse: discipulos quoque non mediocriter omnium liberalium artium studiis erudiise: hanc antequam aegrotaret antiphonam ipsi valde festivitati convenientem dictans, componensque sua cum melodia

@ [Col. 0094D] Neque Beda hanc antiphonam composuit, sed eam, haud dubie jam ab Ecclesia receptam, morti proximus frequentasse memoratur in epistola Cuthberti discipuli sui: *Secundum nostram, inquit Cuthbertus, consuetudinem et sui.* MABILL.: *O Rex gloriae Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes coelos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos spiritum veritatis.* Alleluia. Cujus jam, ut dictum est, sequens Hechbertus vestigia, totum thesaurum suum Domini deputavit eloquia, Scripturarum rimando penetralia. Nam a luce diei surgente, si inevitabilis non obstitit praepeditio, vel ulla solemnitas praecellens, aut festivitas magna sanctorum, usque horam quasi ad sextam, saepissime et nonam suo residens in lecto discipulis cuique convenientia Scripturae pandebat arcana. Inde vero surgens, secretissimamque ad orationem confugiens holocausta medullata cum incenso arietum offerens prius Domino, ac post juxta exemplum beati Job **(Job. I, 5)**, ne forte filii ejus in benedictionis [Col. 0094B] [maledictionis] laberentur foveam, sanctificabat eos offerens corpus Christi et sanguinem pro omnibus. Et sic tandem vespertina propinquante hora, praeter Quadragesimam maxime, omni tempore tam aestatis quam hiemis parcum cum suis, digne tamen praeparatum sumebat cibum; linguae non parcens lectoris, utroque ut reficeretur pane. Videres ergo tunc ante Patrem pueros praeparatis se conterebrare telis, discutientes in secreto, quid post ordinabiliter protelarent in publico. Nonne videtur tibi de hoc etiam dici posse: *Sicut aquila provocat ad volandum pullos suos, et super eos volitat expandens alas, assumensque eos et portans in humeris* **(Deut. XXXII, 11)**.

CAPUT III.

Alcuini adolescentis religiosa pietas.

VIII. Hos autem omnes, florida decoratus adolescentia Alcuinus, humilitatis sub lectione praeibat. Is denique

@ [Col. 0094D] Nempe Hechbertus. pater pauperum, Christi multus amator [Col. 0094C] atque adjutor, bis in die secretissimam orationem erat solitus fundere, purissimi cum irrigatione fontis, genu utroque in terram flexo, manibusque diutius instar crucis in coelum erectis; ante scilicet quam cibum sumeret, et prius quam completorium cum suis omnibus celebraret: quo celebrato nullus discipulorum ipsius sine ejus benedictione capiti suo data, ullo unquam tempore membra audebat committere stratui. Qui omnes quidem diligebat, maxime tamen Albinum, fidelissimum suorum actuum sequacem, propter meritorum distantiam. Cui virtutes inter alias hoc erat datum specialius, ut nihil per se eligeret agere, quod magistri auctoritas probans non conderet [*Forte, concederet*]; nullasque unquam hostis machinas insidiasve pertulit interius, quas

absque ulla verecundia magistro celaret exterius. Qua de re actum est ut stimulum, quem aliquando senserat, libidinis indomabilem arte hac mirifica vinceret gloriosissime, dum parvulos ad petram Babylonicos [Col. 0094D] elisit, conterens caput serpentis insidiantis calcaneo. Cavebat enim ne super illo verba dicerentur Christi, quia *omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur ejus opera* **(Joan. III, 20)**; sed potius illorum in sortem veniret, de quibus subnectitur: *Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta.* O vere monachum, monachi sine voto

@ [Col. 0094D] Nempe in regula monachorum sancti Benedicti praescribitur cap. 8 ut monachi malas cogitationes cordi suo advenientes abbati non celent suo. MABILL., cujus exempli [Col. 0095A] sequax perraro reperitur monachus ex debito. Imitemur ergo Albinum pium adolescentem Domini, fugiendo tenebras pharaonicas palpabiles; vertamusque noctem in diem, et post tenebras speremus lucem, carcere principis tenebrarum evaso. Recordemur squamarum Behemoth sedulo, quibus corpus ejus se invicem prementibus compactum redditur: una enim uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas: una alteri adhaeret et tenentes se nequaquam superantur: cujus fortitudo in lumbis, cujus sunt nervi testiculorum perplexi: qui dormit sub umbra et secreto calami et locis humentibus. Gaudemus tuam, Albine, correctam pueritiam ex hostis antiqui crudelitate, dum in bonum tuum malitia illius utitur Deus. Veneramur mentis in adolescente puritatem, atque constantissimam firmitatem magno in certamine, in quo duellionis spiritu saepius agitata caro ossa, in multis quae nequeunt pace frui quieta, Domino custodiente in te manent illaesa. [Col. 0095B] Meruisti Dominum Christum mentis tuae habere hospitem, quo te protegente aiebas: In te eripiar, Domine, a tentatione, et in te transgrediar murum, qui posuisti immaculatam viam meam, brachiaque mea ut arcum aereum. Miles igitur iste videamus quibus ex adverso rursum laniari quaeritur spiculis, in modumque exercitus Judae Machabaei antiquis patrum de victoriis armemur armis invictissimis.

CAPUT IV.

Invidiam sociorum superat. In exstasin rapitur.

IX. XIII Kal. Decemb.

@ [Col. 0095D] Anni 766, episcopatus 34. Vid. poema de Pont. Eborac. tom. II, vers. 1284 et 1395. igitur amissione orbatus patris Hechberti Alcuinus divino munere Elcbertum virum beatum et clarum loco amissi excepit, magistro per omnia similem. Cum ergo non modo sapientiae venustate, verum aliis etiam pollens virtutibus socios praecederet, nulli secundus apparens, sentit multis in rebus suo de profectu invidiae spiritu eorum corda turbari, in tantum, ut eum claro [Col. 0095C] nequaquam oculo aspicere, neque dulcibus verbis alloqui quirent. Sciscitans vero magistri super hac re consilium, hortatur beneficiis carbones ignis congerere super capita eorum. Audiens denique patris saluberrimum consilium, non ante ab intentione rationis [*F.,* orationis] cessavit (considerans ne aliquod sibi contrarium ex ore ejus verbum audirent, eorum saepius substernens se vestigiis, injuste licet cum ab eis argueretur) quam evidentem Domino mentis sanitatem impetraret, adeo ut repente mutati secundum eum a Magistro

omnimodis habere gauderent. Trahiturque regulus manu ablactati pueri de sua, qua cubabat, caverna, et blandi columbarum ibi statuuntur amplexus. Magnae sunt certe sanctorum virtutes, per quas corpora sanantur, at non minoris admirationis ac venerationis aestimari debent, quibus medentur animae. Hac autem insignitum virtute Albinum mira cum pietate veneremur, qui noluit absinthium saecularis litteraturae nosse, Dei [Col. 0095D] quatenus intraret in potentiam. Enimvero sprevit mundum in maligno positum, altior ut mundo factus jungeretur illi, excelsior qui est coelis factus. Legerat in Apostolo, quia *prudentia carnis inimica est Deo:* legi enim Dei non est subjecta **(Rom. VIII, 7)**, quam sequi si vellet illorum omnium generosissimus Albinus pro talibus ausis non diu procrastinata vindicta eos percelleret. Jam autem lubricos adolescentiae calles digno cum praeconio transiliens, quasi sol in coeli arce media, magno juventutis calore figitur. Jam quoque cum Moyse Aegyptiaca doctus sapientia, cujus amputaverat crines et ungulas, montem, quo Deus videri posset, conscenderat; videratque virgam in colubrum, rursumque colubrum cauda tactum in virgam versum, abyssumque noverat invocantem [Col. 0096A] abyssum. Haerens illius vestigiis stat, qui supra montes evangelizat, annuntians bona, quatenus speculatorum levatam posset audire vocem.

X. Legens igitur Joannis Evangelium ante magistrum una suis cum condiscipulis, pervenit ad eam partem, quam soli norunt mente comprehendere mundicordes, quae est ab eo loco quo ipse supra pectus Domini recubuisse se dicit, usquequo cum discipulis suis trans torrentem Cedron Jesum egressum fuisse recolit. Hac ergo evangelica cum debriaretur lectione Albinus mystica, sedens ante magistri lectulum, subito ejus spiritu in exstasi ducitur: ac idem, qui quondam sub solis radio ante sanctissimi Patris Benedicti, nunc ante hujus oculos, curte sive equarum sub uno parco
@ [Col. 0096D] Henschenius legi posse credit: *Sub uno parco sive curte equarum.,* omnis mundus collectus ostenditur: qui dum in hoc quod cernebat attentam oculorum figeret aciem, vidit totam per gyrum hanc clausuram quasi sanguine circumseptam. Cumque hac teneretur visione mirabili, sui in eum oculos vertentes nimia [Col. 0096B] cum admiratione condiscipuli, nempe qui nihil videbatur habere sanguinis, conantur quasi dormientem excitare; ad quorum sonitum oculos in Albinum beatus Elcbertus dirigens eum diutius tacite conspicit dicens: Legite, filii; et istum nolite excitare, paululum ut somno indulgens efficacius me post audire queat tradentem. Jam vero ad seipsum Albino reverso, lectione accepta, jubente Patre omnes egrediuntur foras, Albinum solum retinens secum. Cui Pater idem ait: quid vidisti? rogo ne me celes. Volens autem omnino secretum habere quod viderat, timens ne forte elationis foveam incideret, respondit: Quid? mi domine Pater! Ad quem rursus vir beatus: Noli, fili, noli occultare mihi, neque enim curiositate illud a te requiro vana, sed utilitate tua. Videns autem Albinus se celare non posse, humiliter quemadmodum mundum omnem viderat, indicavit. Tunc Pater idem dixit sibi: Vide, fili mi, vide, ne praeter uni, quem post meum discessum fidelissimum habebis super tua persona, hoc indices vidisse. Ipsi etiam interdicito, [Col. 0096C] ut usque ad tuum obitum secretum habeat. Cujus ille obtemperans consiliis Sigulfo tantum super se sua indicavit in vita. Qui igitur scire desiderat quomodo una sub clausura totum mundum conspicere quiverit, ad Dialogorum sancti Gregorii recurrat librum (lib. II, cap. 35). Interim tamen noverit, in visione mundi non coelum et terram fuisse contractum, sed videntis animum dilatatum, qui in Domino

raptus videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum fuit. Fortassis etiam quaeret aliquis studiosius cur hac sub figura, curve circumdatum sanguine viderit. Noverit ille Christi sanguine totum sanctae Ecclesiae ovile circumdatum, ita ut a solis ortu usque ad occasum redempti de manu inimici ejus passione, quae tunc sine dubio ardentius Albini supersidebat animum, cum hanc ante magistrum legeret, dicere possint: *Confitemini Domino, quoniam bonus, etc.* Omnis ergo mundus sanguine Christi circumdatus una sub clausura cernitur, quando omnia, quaecunque [Col. 0096D] a sanctis Patribus significative sunt gesta, et ab initio mundi scripta, sola Christi passione reserantur, qui est Leo de tribu Juda, radix David. Sin autem per clausuram gyratam, vitam carnalium suorum criminum circumdatam sanguine velit intelligi, quia ob hoc sit ei ostensa, ut ab eo calcata contemneretur, proprio relinquatur judicio.

CAPUT V.

Alcuinus levita ordinatur. In Franciam venit.

XI. Post haec de virtute in virtutem succrescens, die Purificationis sanctae Mariae levita sacratur: nam dudum eadem die comam capitis amiserat. Cumque jam beatum Elcbertum patrem suum infirmitate praenuntiata celerius ad Christum transire nosset, qui [Col. 0097A] cuncta, sicut supra dictum est, cum ejus faciebat consilio, studuit illum diligenter sciscitari, quid postquam sola separarentur morte, ipsum vellet juberetque agere. Cui ut jam claret Domini dedit responsum: «Romam volo venias, indeque revertens visites Franciam: novi enim multum te ibi facere fructum: eritque Christus dux tui itineris, perducens ac gubernans te illuc advenam, sis ut expugnator nefandissimae haeresis, hominem Christum quae conabitur adoptivum adstruere: et fidei sanctae Trinitatis firmissimus defensor clarissimusque praedicator. Perseverabis ergo in terra peregrinationis, multorum illuminans animas.» Benedicens autem illum patrum suorum superius memoratorum benedictionibus, ac Christo Jesu commendans, servaret ut ipse eum, laetus Pater Elcbertus episcopus migravit ad Deum VI Idus Novembris
@ [Col. 0097D] Anno 780. Vid. poema cit., vers. 1583, tom. II., quem pius Albinus ut matrem deplorans lacrymis, nolebat tamen consolationem recipere. Levita vero sanctis benedictionibus patrum haereditario [Col. 0097B] jure dedit curam magnopere talentum sui Domini multiplicare egregie. Docuit multos in Britannia, et non paucos post in Francia. Quo in tempore sociatur illi vir Deo amabilis, animi carnisque nobilitate insignis Sigulfus presbyter, custos Heboricae civitatis Ecclesiae; perpetuo ut illi jam haereret, qui suo cum avunculo Autberto presbytero puer partes has petierat, Romamque ad ecclesiasticum ordinem discendum ab eo ductus fuerat; nec non Metas civitatem causa cantus directus. In quo cum nimia panis penuria aliquo desudavit tempore ac multo cum fructu (postquam suum transmisit avunculum sanctum virum ad Dominum) propriam repedaverat patriam. Hi ergo tantum se dilexere mutuo, ut cerneres Rebeccam Isaac, et Annam Tobiae copulatam. Cumque jam omnipotens Deus Franciam spiritalibus divitiis, ut pridem terrenis glorificare vellet; dans ei regem secundum cor suum, fide, fortitudine ac amore sapientiae, et corporis ineffabili pulchritudine, in his praeclarissimum Carolum monuit [*Hensch.,* movit] mentem

[Col. 0097C] Albini, consilium et jussionem sui patris ut impleret.

CAPUT VI.

Alcuinus Carolum Magnum artes liberales docet et monasteriis tribus praeficitur.

XII. Jussus igitur ab Eanbaldo archiepiscopo successore Elcberti, ut sibi pallium impetraret ab apostolico, venit Romam. Cumque reverteretur accepto pallio, habuit regem Carolum Parma civitate obvium. Quem magnis rex alloquens suasionibus et precibus postulavit, ut ad se post expletionem missatici in Franciam reverteretur. Noverat enim eum quia olim a magistro suo ad ipsum directus fuerat. Fecit autem Alcuinus, aliorum deservire cupiens profectui, ut sibi rogarat [*Edit.,* rogaret], cum auctoritate regis sui proprii et archiepiscopi, eo tantum jure, ut iterum ad eos reverteretur. Pervenitque, Christo ducatum praebente, ad regem Carolum; quem tenens rex [Col. 0097D] loco patris amplectitur, a quo artes introductus in liberales, refrigerari paululum noverat, sed exsaturari ob fervorem nimium satis nequibat. Tempore vero aliquanto cum eo peracto, dedit illi duo monasteria, Bethleem scilicet, quod altero nomine Ferrarias vocatur; et sancti Lupi apud Trecas

@ [Col. 0097D] Monasterium Ferrariense situm in dioecesi Senonensi; sancti Lupi in suburbio Tricassi. MABILL.---De his Alcuinus loqui videtur in epistolis 52 et 53 (nunc 66 et 67).. At denique Albinus nolens sine auctoritate regis sui et episcopi proprium deserere locum quo educatus quoque capitis comam amiserat, ac in levitam consecratus fuerat, postulavit magnum regem, ut daret ei licentiam remeandi in patriam. Quem Carolus voce blandientis alloquitur: «Sunt nobis, magister eximie, [Col. 0098A] terrenae divitiae sufficienter, quibus te ut patrem honorare gaudemus; tuis nos, oramus, diu desideratis, et vix aliquando inventis, tua cum pietatis merce, illustrari.» Cui Albinus: «Domine mi rex, tuae non dispono voluntati renuere, auctoritate canonum cum firmata fuerit. Libenter etiam paterna in regione mea non modica haereditate ditatus, hac spreta, tibi ut prodesse possim, hic pauper stare delector. Tuum est tantum hoc a meo rege et episcopo impetrare.» Tandem igitur ratione victus, consensit ut iret, requiem non dans animis, jam secundo ad eum reverso [*Forte, reversuro*] firmiter impetraret, secum perpetuo ut duraret. Evoluto vero non parvo tempore, postquam Albinus secundo ad Carolum reversus est, sancti Martini apud Turones praeficitur pastor monasterii isdem

@ [Col. 0097D] Vide epist. 101 (nunc 129) et chartam Caroli [Col. 0098D] Magni, tom. II, pag. 566 (Patrologiae tomo XCVII, col. 990).: qui digne Deo illud cum aliis regens monasteriis, vitam subjectorum, quantum valuit, corrigere studuit; ac quos indomitos accepit, rationabiles honestique moribus ut essent, et [Col. 0098B] sapientiae inquisitores, sategit.

CAPUT VII.

Felicem haereticum refutat Aquisgrani.

XIII. Interea haeresis inimica Deo, partibus quae pullulabat Hispaniae, asserens adoptivum Filium Dei esse secundum carnem, ad aures perducitur Caroli. Quod ut experimento novit rex magnus et per omnia catholicus, totis nisibus decertavit, ut destrueretur semen diaboli, zizaniaque de frumento Dei funditus eradicarentur. Advocans namque Albinum institutorem suum Turonis, et miserum Felicem haeresis hujus astructorem de Hispaniae partibus, congregavit synodum magnam episcoporum in Aquisgrani imperiali palatio; in quorum ipse sedens medio, Felicem licet valide repugnantem, de natura Filii Dei secundum carnem cum Albino doctissimo disputando rationabiliter confligere jussit. Tum quantum episcoporum tunc exstitit silentium! O quam clara et inexpugnabilis, Caroli cum auctoritate, magistri sui fidei confessio atque [Col. 0098C] defensio! Per plura autem Felix fugiens latibula, plurioribus ab Albino confossus est spiculis, in tantum, ut pene omnes civitates Israel consummaret, quousque Filius hominis veniret. Nam a secunda usque ad septimam sabbati parum aliud gestum est. Omnibus denique ejus patefacta socordia, atque ab universis apostolica auctoritate haeresis confutata, soli sibi latuit deformiter, usque dum dicta Cyrilli martyris

@ [Col. 0098D] *Cyrilli martyris.* Sc. Alexandrini, qui martyr appellari potuit ob multa quae fidei causa sustinuit disputando scribendoque., ab Albino sibi directa legit lamentabiliter: *Ea natura, quae per diabolum vitiata est, super angelos exaltata est propter triumphum Christi, atque ad dexteram Patris collocata.* Hanc ergo legens sententiam, tandem se recognovisse et impie egisse voce et nimio fletu testatus est. Sed quod ad aliud tendens pauca super hac re praelibavi, qui perfectius hanc scire sitit, legat ejus epistolas ad Felicem et Elipantum, et ipsorum ad illum: et nosse incunctanter poterit, quod desiderat.

Largiente Christo hactenus paululum de vitae Albini [Col. 0098D] initio, quae cunctis non esse cognita putavi, non ut volui, sed fideliter quemadmodum potui, scripsi. Hinc jam calamum labris quassatum (neque enim judicavi, noverunt quae super eo cuncti, parvo isti inserere operi) ad finem ejus, despicate crepitando licet, pertrahere conabor.

CAPUT VIII.

Alcuinus Fuldam secedere cupiens, Turonis retinetur. Ejus discipuli.

XIV. Cum igitur senectute unaque infirmitate plus solito se sentiret affectum, diu ut secum tractaverat, [Col. 0099A] velle se significavit regi Carolo, saeculum relinquere, postulans licentiam apud sanctum Bonifacium monasticam vitam secundum regulam sancti Benedicti ducere, monasteriaque sibi commissa suos ut inter discipulos divideret, si fieri posset. Sed rex terribilis et pius unum cum omni postulationis affectu denegavit: alterum libenter audivit, flagitans, quietissimus Turonis atque honorificentissime ut resideret, sibique et omni sanctae ecclesiae commissae [curam impendere] non detrectaret: onera vero saeculi, quae ipse habuerat, discipulis, ut petierat, libentissime dispertiit. Fecit ergo et ipse Albinus ut rex sapientissimus rogaverat, non quaerens quod sibi foret utile, sed quod multis; ac Turonis diem novissimum praestolatus fuit. Vita denique ejus non monasticae inferior fuit. Nam qualis in Patribus superius nominatis

praecesserat, talis et in illo durabat; in jejuniis scilicet, in orationibus, in carnis mortificatione, in eleemosynis, in psalmorum et missarum multa celebratione, et in aliis virtutibus, quibus possibile est [Col. 0099B] humanam ornari naturam. Praeter enim dies resurrectionis et festivitatis, jejunium protelabat in vesperum, parcens cibo, quo amplius delectabatur; quocirca tantam saepissime ori suo coelitus datam gaudebat habere dulcedinem, quantam nequit humanus sermo fari. Tunc vero quidquid volebat, labore sine ullo velocissime dictare quibat: ita ut dicere posset: *Dilexi, Domine, mandata tua super aurum et topazion.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo **(Psal. CXVIII, 127)**. Qui juvenis Psalmorum modulationem secretam non tantum, quantum aliam lectionem amaverat, modo jam senex nullatenus eorum decantatione saturari poterat. Secretissimam orationem semper in die, sicut supra de magistro ejus taxatum est, cum manuum diutina crucis extensione, eodem modo multis cum gemitibus (nam lacrymas perraro habere poterat) fundebat: discipulis similiter tradebat, quorum nobilissimus Sigulfus erat Vetulus, magnanimusque Withso; post hos Fredegisus [Col. 0099C] et ejus socii. At tempore jam ultimo haerebat ei assiduo Raganardus, Waldramnus, qui adhuc supersunt: Adelbertus quoque beatae memoriae, quantum poterat, Sigulfi tunc filius, post autem venerandus Pater, et multi alii, quorum omnium utinam noverit Christus nomina. Hi vero omni se circumspectione praevidentes studebant sollicite ne quid coram eo reprehensionis agerent, multoties etiam et absque eo. Noverant enim eum vinctum esse Deo, spirituque ejus illustratum; licet corporalibus oculis, senectute atque infirmitate resistente, jam clare videre nequiret: et ideo timebant actus suos eum latere non posse.

XV. Spiritu siquidem repletus prophetiae quibusdam quae eis essent ventura praedixit, sicuti fecit Raganardo de Osulfo
@ *Osulfo.* De cujus lapsu videntur accipiendae epistolae 158 et 159 (nunc 207 et 208).. Nam idem Raganardus quamdam horribilem sopori deditus videns visionem, quam bonum est silere, eidem Patri sequenti die cum pavore retulit timens, ne de se ageretur. At ipse [Col. 0099D] Pater magno cum dolore respondit: «O Osulfe! tu miser, quoties te monui, quoties corripui. Multum denique laborem in avunculum tuum habui, ut se corrigeret et viam mandatorum Dei operari coepisset: praedixique ei, quia nisi fecisset, priusquam de saeculo migraret, plaga leprae percuteretur; sicque factum est. Praedico ergo et tibi, fili mi, de Osulfo, super quo est haec visio, quoniam neque in hac regione, neque in qua natus est, morietur;» quod postea probavit eventus. Mortuus est enim in Langobardia. Idem quoque Raganardus tentavit se nimiis vigiliis et abstinentiae nimia superfluitate, ignorantibus omnibus, affligere, ita ut pro hac intemperantia gravissime succumberet febri: ad quem visitandum Pater veniens Albinus jubet omnes, praeter Sigulfum, exire de domo ejus, quem increpans ait: «Cur sine cujusquam consilio tam intemperanter agere tentasti? [Col. 0100A] Nam ego considerans te velle hoc agere, in domo, in qua dormio, te quoque dormire jussi: tu vero statim, ut omnes dormire noveras, candelam latenter accendens in laterna celabas, ac ad locum illum pergens tota nocte vigilabas.» Et quidquid occulte ibi faciebat, noverat quod solus Deus, ipse ei indicavit, addens: «Quando mecum quoque ad mandatum pergebas, et te vinum bibere jubebam, arte calidissima dicebas: bibi, domine Pater, meo cum avunculo sufficienter. Cum autem ad tuum venires avunculum, et ipse quoque hoc te juberet, aiebas mecum te bibisse. Voluisti nos deludere, et deceptus es. Cave ergo ista, postquam surrexeris de

febre, ne tale aliquid indiscrete unquam coneris agere.»

XVI. Audiens igitur ista Raganardus ab ipso qui vocabatur Vetulus, erubuit multumque expavit, sciens se deprehensum, suaque occulta latere Albinum non posse, et admirans dicebat: Quomodo palam istud factum est? Testatur hodieque ipse coram Deo, nullum cognovisse hominem hoc antea homine revelante, [Col. 0100B] praeter solum Deum. Poenitens denique quod egerat stulte, per omne post tempus vitae Albini nihil tale sine illius egit consilio atque imperio.

CAPUT IX.

Benedicti Ananiensis abbatis adventum praedicit.

XVII. Saepissime etiam ad eum missi venientes regis aliorumque amicorum, cum adhuc ab eo longe essent, eorum praedicebat adventum, causamque adventus, quid quoque afferrent, quidve secum vehere quaererent. Audientes autem ista discipuli quidam, usquedum probarent, senectutem ejus quasi desipientem culpabant. Vir quoque Domini Benedictus ei prae omnibus monachis familiaritate junctus, ad eum gratia consilii salutis suae et suorum accipiendi, saepius Gothiae de partibus properabat. Quadam vero vice voluit taliter venire, nemo ut hoc agnosceret Turonis, quousque ad ostium assisteret [Col. 0100C] domus Albini. Cumque adhuc haud prope esset, vocans Albinus unum suorum, ait: «Festina occurrere Benedicto abbati in loco tali, et dic ei, velociter ad me perveniat.» Fecit missus patris Albini, ut sibi praeceptum fuerat, pervenitque post triduum ubi ei dixerat, et Benedictum reperit, eique, quod sibi jussum fuerat, nuntiavit. Stupens autem suum deprehensum conatum, cum velocitate pervenit Turonis ad eum. Cumque se alterutrum tripudiantes deoscularentur, infit Benedictus Pater reverendus suppliciter: «Domine Pater, quis meum vobis praedixit adventum?» Respondit ei: «Nullus homo verbis mihi innotuit.» Cui idem: «Quis tunc, Domine? forsitan litteris cujusquam audistis?» At ille, «vere, inquit, nullis.» Ad quem vir idem rursum: «Si neque ab homine ullo dicente, neque litteris cujusquam praescistis, precor, mi Pater, quonam modo illud noveris, edicite.» Cui Albinus: «Noli amplius hoc me interrogare.» Cum vero venerabilis vir Benedictus [Col. 0100D] jam reverti vellet, petiit eum, ut quemadmodum speciali oratione pro se orabat, ei panderet. At ipse ait: «Hoc namque Christum rogo; Domine, da mihi intelligere peccata mea, et veram confessionem facere, et dignam poenitentiam agere; et da mihi remissionem peccatorum meorum.» Cui vir Deo dignus Benedictus ait: «Addamus, mi Pater, huic orationi unum sermonem: et post remissionem salva me.» At Albinus gaudens dixit: «Fiat, reverendissime fili, fiat.» Iterum autem vir idem flagitabat, ut sibi diceret, quando crucem videns se contra eam inclinabat, quae verba labris silenter depromeret. Ille vero hoc inquit: «Tuam crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. Miserere nostri, qui passus es pro nobis.» Post haec deducens eum aliquantulum, remisit gaudentem Albinus ad sua suosque.

CAPUT X.

Ludovici filii Caroli Magni principatum praedicit. Lectionem Virgilii suis discipulis interdicit.[Col. 0101A]

XVIII. Rex siquidem magnus imperatorque potens Carolus orationis gratia, unaque desideratae conlocutionis mutuae cum Albino sepulcrum sancti Martini suis cum filiis Carolo, Pippino ac Ludovico, visitare studuit; quo in loco tenens manum Albini ait secrete: «Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem indigno quanquam dedit mihi Deus, habere me successorem?» At ille vultum in Ludovicum dirigens novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam a multis despicabilis notabatur, ait: «Habebis Ludovicum humilem successorem eximium.» Hoc tunc solus audivit Carolus; sed post cum eosdem reges erecta cervice, et Ludovicum humili, orationis gratia in ecclesiam sancti Stephani incedere cerneret, sedens in loco quo sepeliri volebat, infit sibi assistentibus: «Cernitis Ludovicum [Col. 0101B] fratribus suis humiliorem? certe videbitis hunc patris celsissimum successorem.» Nec non, cum post communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret, idem Ludovicus humilitate clarissimus prae omnibus patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini assistenti sibi ait Sigulfo: «Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Certe istum post patrem Francia gaudebit habere imperatorem.» Hoc nos jam factum et videmus et gaudemus. Depositi sunt, qui videbantur cedri, et exaltata est oliva fructificans in domo Domini. Ipse denique Pater Carolum multa erudivit cura artibus liberalibus Scripturisque divinis, adeo ut sapientissimus omnium Francorum efficeretur regum qui fuerunt ab adventu Christi. Docuit etiam eum, per omne vitae tempus, quos psalmos poenitentiae, cum litania et orationibus, precibusque; quos ad orationem specialem faciendam, quos in laude Dei, quos quoque pro quacunque [Col. 0101C] tribulatione, quemque etiam, ut se in divinis exerceret laudibus, decantaret. Quod nosse qui vult, legat libellum ejus ad eumdem De ratione orationis
@ [Col. 0101D] Quem exhibemus sub tit. Officia per ferias tom. II. Vide etiam ibi Monitum praevium..

XIX. Legerat idem vir Domini libros juvenis antiquorum philosophorum, Virgiliique mendacia, quae nolebat jam ipse nec audire, neque discipulos suos legere, «sufficiunt, inquiens, divini poetae vobis, nec egetis luxuriosa sermonis Virgilii vos pollui facundia.» Contra quod praeceptum tentavit Sigulfus Vetulus secrete agere, unde post erubuit publice. Advocans namque suos quos tunc filios nutriebat, Adalbertum et Aldricum, jussit coram se secretissime Virgilium legere, interdicens eis ne quis ullo modo sciret, ne forte ad patris Albini notitiam perveniret. Albinus autem solito more ad se vocans, ait: «Unde te habemus, Virgiliane? Cur coepisti ac voluisti contra meam voluntatem et consilium me ignorante, agere, ut Virgilium legeres?» Sigulfus vero se ad pedes ejus projiciens stultissime se egisse confessus [Col. 0101D] humiliter poenituit. Cujus satisfactionem benigne pius pater post increpationem recepit, monens eum ne ultra tale aliquid ageret.
@ [Col. 0101D] *Aldricus abbas.* Ferrariensis, postea Senonensis antistes, qui decessorem habuit Adalbertum hic laudatum. Hinc patet Vitam hanc scriptam esse ante annum 829, quo Aldricus ex abbate factus est episcopus Senonensis. MABILL. Testatur vir dignus adhuc superstes Aldricus abbas, nec se nec Adalbertum cuiquam hoc innotuisse, sed usque tunc, sicut cis praeceptum fuerat, omnimodis siluisse.

CAPUT XI.

Occulta novit. Incendium restinguit. Infirmos sanat.

XX. Fratribus Cormaricensibus, quos valde diligebat, [Col. 0102A] jusserat ipse pater centum modia vini dari. Cumque ad monasterium ducerentur, mandavit per Sigulfum Benedicti abbatis monachum

@ [Col. 0101D] *Benedicti abb.* mon. Is ergo diversus a Sigulfo [Col. 0102D] Vetulo? provisoribus monasterii, ut tenerent interim ductores vini, quousque coram eis de vasculis, in quibus ipsum vinum adduxerant, in alia mutaretur; quia aliqui ex eis, inde furtive sumentes, in vascula, quatenus plena essent cum ad monasterium pervenirent, fabulum aquae miscuerant, quod ita factum fratres certissime probarunt.

XXI. Aigulfus praeterea presbyter Engelsaxo, et ipse ad eumdem patrem visitandum Turonis venit. Cumque ante januam ejus domus coepisset assistere, ecce! quidam Turonensium fratrum simul, videlicet quatuor, juncti hunc respicientes, putantesque nihil eum illorum de locutione scire, colloquebantur ad invicem: «Venit iste Britto vel Scotto ad illum alterum Brittonem, qui intus jacet. O Deus, libera istud monasterium de istis Brittonibus. Nam sicut apes undique ad matrem revertuntur, ita hi omnes [Col. 0102B] ad istum veniunt.» Ingressus est autem idem presbyter domum Albini: post nonnulla alia retulit ei quae audierat. Cui Albinus, «Nosti, inquit, qui sunt?» At ille: «Vere neque novi, neque eos respicere prae verecundia quivi, quando ista dicebant.» pater vero Albinus ait: «Certe ego novi qui sunt.» Vocans ergo eos ipse propriis nominibus ad se venire jubet, dicens: «Isti sunt.» Condolens itaque eorum stultitiae pepercit eis dicens: «Parcat illis Christus Filius Dei.» Dans autem eis singulos vini calices bibere, iterum foras leniter exire jubet. Aigulfus vero postea id diligentissime per alios sciscitans eosdem fuisse probavit.

XXII. Neque illud silentio praetereundum ratus sum quod multi noverunt. Custos denique sepulcri sancti Martini, providebat qui ceram et vestimenta omnia quae ad ipsam basilicam pertinebant, intrans cum candela accensa secretarium quo ista servabantur, infixit eamdem stipiti; quam cum egrederetur [Col. 0102C] oblitus est accipere. Firmans itaque ostium sera abiit: candela vero ardens cecidit super ceram; cera quoque magnas dans flammas ad vestimenta quae perticis haerebant, multa cum vi ignem emisit: vestimenta porro usque ad tectum. Quod custos sentiens cum clavi statim ad aliud monasterium

@ [Col. 0102D] *Ad aliud monasterium.* Mabillonius existimat per aliud monasterium hic significari aliam basilicam; nam, inquit, et basilicae monasteria non raro vocabantur, et duae minimum erant ecclesiae in monasterio Martiniano. Henschenius tamen custodem credit revera in aliud monasterium fugisse timore poenae commeritae. fugit. Fit undique concursus, pulsatur ostium, nec ullo aperitur sudore. Clerici, pretiosum quicunque aliquid in domo sua habebant, foras mittebant: ecclesia sancti Martini vestimentis quibusdam nudabatur, nec aliud quisquam sperare poterat, quam totius monasterii concremationem: nudabatur plumbo tectum. Aderat Albinus oculis jam non videns. Interrogat ergo quid agatur. Cui unus discipulorum suorum Vetulus, «Perge, inquit, hinc, mi domine Pater, ne forte aut plumbo superius projecto usque ad mortem

percutiaris, aut igne cremeris. Certus enim interitus manet.» Cumque Albinus voluisset ire, iterum ad eum Vetulus, «Mi, inquit, domine Pater, vade ad sepulcrum [Col. 0102D] domini Martini et pro nobis intercede.» Fecit itaque ita Albinus. Cumque illuc pervenisset, extendit se super terram in cruce, gemitum emittens ad coelum. Miro igitur modo ac incredibili, statim ut Albinus se projecit in terram, totus ille ignis ita exstinctus est, ac si immenso necaretur fluvio. Hoc cernentes clerici, magno cum stupore exsultantes ad locum illum festinato perveniunt, ubi Albinus ante sepulcrum sancti Martini prostratus in cruce pro eis jacens Deum precabatur. Elevantes autem eum humo benedicunt [Col. 0103A] Deum, qui per Albini preces totam fabricam monasterii sancti Martini, igne ne consumeretur, salvavit. Haec tua sunt, sancte Martine, digna exempla, qui ignes quondam cum quaereres fugere, non poteras; ad Deum conversus oratione ignes illos exstinxisti minaces. Vere celsa fides, quae suo calore igneos potuit exstinguere globos. Nec mirum si elementa precibus ac jussis Albini propriam vim linquant, cum ipse in corde requiescat ejus qui diligentem se diligit, ambulantesque in igne flamma non permittit fuscari. Te in his adoramus, te glorificamus, teque laudamus, qui sicut dignatus es polliceri servis tuis tua servantibus mandata, operibus etiam in Albino tuo ostendisti evidentissime. Tu quidem dixisti, Christe Jesu: si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam, videlicet ut glorificetur Pater in Filio.

XXIII. Illud quoque ad laudem Domini commemorandum est, quod multi saepius ad Albinum venientes infirmi, benedictione ejus cum fide accepta, sospitatem recepere corpoream. Quodam etiam tempore, [Col. 0103B] fertur ut a nonnullis praecipuis, quidam pauper oculorum lumen gravi habens obductum caligine ad januam exterioris domus veniens Albini, flagitabat dari sibi aquam, ejus qua loti forent oculi: aiebat enim revelatum illi fuisse [quod si (*Edit.* quas)] ex ea oculos suos ablueret, visum reciperet. Ignorante ergo Albino colligitur aqua qua faciem et oculos laverat, daturque occulte poscenti pauperi. Lavans igitur pauper ille aqua illa oculos cum plena fide, caliginem fugavit, ac clarum lumen recepit. Illustramur et nos tuo, pater, sudore, lavanturque tua pia doctrina animarum nostrarum crimina, nesciente te ultra jam fatigari labore oculorum; tu quoque corporali visu minime cernebas, et aliorum [mentes] semper illuminare satagebas: quosque praesentialiter non poteras, litteris absentialiter erudiebas, scribens multa omni Ecclesiae utilia.

CAPUT XII.

Opera varia quae scripsit. [Col. 0103C]

XXIV. Postulante namque imperatore Carolo scripsit librum de sancta Trinitate utilissimum **(Tom. I hujus editionis)**, nec non de rhetorica, dialectica **(Tom. II)** et musica. Scripsit ad Gundradam de animae ratione (Ibid.). Postulantibus feminis Gisla et Richtrude honestissime super Evangelium Joannis partim de suo, partim de sancto Augustino mirabile opus composuit **(Tom. I)**. Scripsit et in quatuor epistolas Pauli, ad Ephesios scilicet, ad Titum, ad Philemonem et ad Hebraeos (Ibid.). Ad Fredegisum (Ibid.) in Psalmos. Ad Widonem comitem homelias de principalibus vitiis et virtutibus **(Tom. II)**. Ad Sigulfum suum quaestiones in Genesi perutiles **(Tom. I)**. In Proverbiis

Salomonis et Ecclesiaste (Ibid.), in Canticisque Canticorum luculenta sub brevitate ineffabiliter (Ibid.). Sub nominibus Franci et Saxonis de grammatica cum interrogatione et responsione [Col. 0103D] facundissimum libellum **(Tom. II)**. Collegit multis de Patrum Operibus homeliarum duo volumina

@ [Col. 0103D] Distincta utique ab illis Pauli Warnefridi: sed illa Alcuini etiamnum latent.. Scripsit de orthographia (Ibid.). In centesimo quoque octavo decimo psalmo stylo usus est aureo **(Tom. I)**. Sunt et alia multa, quae quisquis legerit et diligenter scrutatus fuerit non modicam sui aedificationem reperiet, sicut in epistolis ad multos directis. In his ergo et hujusmodi reliquum vitae suae ducens tempus, coelestem in terris duxit vitam. Praestolans in novissima positus vigilia filii hominis adventum, intraret ut cum eo ad nuptias: Lavabat singulas per noctes lectum suum lacrymis, sanctorum semper se muniens intercessionibus, quorum omni die celebrabat solemnia, hostis ne ullis antiqui confoderetur jaculis, qui nequaquam ejus irrumpere [Col. 0104A] domum tam occulte poterat, ut ab ipso repente non deprehenderetur, crucisque signo pelleretur.

CAPUT XIII.

Diabolum oratione pellit. Pia ejus exercitia.

XXV. Quadam igitur nocte solito orationem cum psalmorum decantatione volens secretim fundere, aggravatur immenso somno. Surgens vero e lectulo, tulit cappam desuper se: cumque iterum aggravaretur somno, exspoliavit se omnibus vestimentis, praeter sola camisia et femoralibus. Nihilominus vero perseverante somno, accepit turribulum, et pergens ad locum quo erat ignis tutatus, implevit prunis illud, ac desuper timiama posuit, totamque cameram odore suavi perfudit. Qua in hora corporali se specie diabolus praebuit ei visibilem, homo quasi magnus, nigerrimus ac deformis barbatusque, blasphemiae in eum aggerens jacula: Quid, inquit, hypocrita agis, Alcuine? Cur coram hominibus justum te videri conaris, [Col. 0104B] cum deceptor sis magnusque simulator? Tu putas his tuis fictionibus acceptabilem posse te habere Christum? Sed miles Christi ineluctabilis stans cum David in turre, quae est ordinata omni armatura fortium et mille pendentibus clypeis coelesti dicebat voce: *Dominus lux mea et salutare meum, quem timebo? Ipse fortitudo vitae meae, quem formidabo? Intellige, Domine, murmur meum, adverte vocem clamoris mei, rex meus et Deus meus, quia te deprecor, Domine.* Mane audies vocem meam, mane praeparabor ad te, et contemplabor surgens medio noctis ad confitendum tibi. Applicant mihi mendacium superbi: ego autem in toto corde scrutabor praecepta tua. Fiat cor meum perfectum in praeceptis tuis, et confundantur, qui inique conterunt me, dum non confundar ego, quando aspiraverit dies et fuerint inclinatae umbrae. Fugatus denique hostis, et ipse completa oratione quiescit. Hac in hora unus solummodo discipulorum ejus Waldramnus nomine, adhuc vivens, vigilabat, occulte cernens haec omnia, testis [Col. 0104C] scilicet hujus rei quae fieret.

XXVI. Utebatur idem pater, Apostoli juxta consilium, non propter gulae desiderium, sed propter carnis infirmitatem vino modico. Fugiebat modis omnibus otiositatem: nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat et psalmorum

decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens necessitatibus. Erat pauperum pater, humilibus humilior, divitum ad pietatem invitator, superbis superior, discretor quoque omnium, egregiusque liberator. Celebrabat omni die missarum solemnia multa cum honestatis diligentia, habens singulis hebdomadae diebus missas deputatas proprias

@ [Col. 0103D] Illas missas Alcuinus ad alias quoque ecclesias [Col. 0104D] misit, illarumque usum commendavit. Vide epistolas 46 (nunc 50) et 192 (nunc 142), et Monitum praevium ad Librum Sacramentorum tom. II.. Dominica porro die nullo unquam tempore, postquam lux inchoasset apparere aurorae, se tradebat sopori: sed velociter levitice se praeparans suo cum Sigulfo presbytero missarum colebat solemnia specialium usque horam tertiam: et tunc nimia cum reverentia publicam intrabat ad missam. Discipuli vero ejus, [Col. 0104D] aliis solliciti cum in locis essent, maxime ad opus Dei cum assisterent, studebant ne quid reprehensionis in eis ab illo cerneretur.

CAPUT XIV.

Beati Alcuini obitus.

XXVII. Jam ergo Albinus corpore dissolvi cupiens et cum Christo esse desiderans, exorabat eum ut die quo in linguis igneis Spiritus sanctus super apostolos venisse visus est et eorum corda replevit, si fieri posset, migraret e mundo. Vespertinum siquidem pro se officium in loco quo elegerat post obitum quiescere, juxta videlicet ecclesiam sancti Martini, hymnum sanctae Mariae evangelicum cum hac antiphona [Col. 0105A] decantabat: *O clavis David*

@ [Col. 0105D] *O clavis David.* Est haec antiphona ex celebribus, quae septem diebus ante Natalitia Domini ad Vesperas recitantur; et haec refertur ad 20 Decembris. HENSCHEN., *et sceptrum domus Israel, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit, veni et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis;* dicens post orationem Dominicam hos versus: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, etc. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Beati qui habitant in domo tua, etc. *Ad te levavi oculos meos.* Unam petii a Domino. Ad te Domine levavi animam meam, et reliqua hujusmodi.

XXVIII. Quadragesimae igitur tempus, sicut semper consueverat, dignissime omni contritione carnis et spiritus mundationeque habitus celebrans, sanctorum basilicas, quae sunt intra sancti Martini monasterium, cunctis noctibus frequentabat, lavans se [a culpis] suis multis gemitibus. Cum vero Resurrectionis Domini perageretur solemnitas, nocte ejus Ascensionis decidit in lectum, gravi fatigatus languore usque ad mortem, nec poterat loqui. Tertia tandem antequam migraret die, solitam exsultationis [Col. 0105B] voce decantavit antiphonam: *O clavis David, versusque supra memoratos recitavit.* Die autem Pentecostes, peracto matutinali officio, eadem hora qua ingredi consueverat ad missas aurora patente, sancta Albini anima carne solvitur, ministerioque levitarum coelestium, beatum habentium secum protomartyrem Stephanum et Laurentium archidiaconum, angelorum cum exercitu ad Christum, quem amavit, quem quaesivit, perducitur, et fruitur ejus gloria in coelo per omnia saecula feliciter, cui servivit in

mundo fideliter.

CAPUT XV.

Lucis splendor in ejus obitu apparet, et alia mira contingunt. Sepultura.

XXIX. Decessit igitur dierum plenus numero, XIV Kal. Junii, anno ab Incarnatione Domini 804. Eadem vero nocte super ecclesiam sancti Martini inaestimabilis visa est splendoris claritas, in tantum ut putaretur [Col. 0105C] a longe positis tota igne cremari. Quibusdam denique per totam illam noctem ipse splendor visus est, nonnullis tribus apparuit vicibus. Aurora autem surgente globus ille jam amplissimus super eum venisse locum visus est, quo Albinus jacebat, animaque ejus egrediente coelum penetrasse. Testatus est siquidem Josephus archiepiscopus per totam noctem et ab eo et a suis visum fuisse. Testantur multi et nunc corpore valentes. Plurioribus siquidem non ea nocte, sed praeterita, Dominica prima scilicet post Ascensionem Domini, ipsa claritas eodem, ut dictum est, modo apparuit.

XXX. Eadem quoque hora cuidam solitario in Italia posito coelestium levitarum ostensus est exercitus, laudes Christo ineffabiles in aere resonans: in quorum medio Alcuinus, splendidissima indutus dalmatica astans, coelum cum eis ingressus, pontifici aeterno ut ministraret cum perenni gaudio: quod idem solitarius fratri cuidam Turonensi, apostolorum [Col. 0105D] solito frequentare limina, ad se venienti, eodem Pentecostes die indicavit. Interrogans namque eum ait: Quis est ille abbas, qui apud Turones in monasterio sancti Martini conversatus est? Quo vocatur nomine? Vel, si valebat, quando inde existi, corpore? Ad quem frater ille: Vocatur Alcuinus, estque magister optimus in tota Francia. Quando huc iter arripui, [Col. 0106A] sanum eum reliqui. Respondens vero solitarius ille, ait cum lacrymis: Vere felicissima fruitur sanitate. Indicavitque ei quid eodem die viderat aurora clarescente. Ipse autem frater reversus Turonis, quae audierat, retulit.

XXXI. Pater denique Sigulfus corpus patris cum quibusdam aqua honorifice lavans, posuit super feretrum. Habebat nempe et ipse tunc magnum dolorem capitis, sed fide animo sanus, citam reperit sanitatem capitis. Oculos namque super magistri lectulum elevans, cernit pecten, quo ipse suum solebat pectinare caput. Istum ergo manibus sumens ait: Credo, Domine Jesu, quia si isto magistri mei pectine meum pectinavero caput, meritis illius statim sanabitur. Ubi igitur prima vice pecten duxit per caput, quantum de eo tetigit, totum sanum habuit, sicque totum pectinando gyrans omnem dolorem amisit. Alter discipulorum ejus, Eangist nomine, dentium immenso graviter afflictus dolore, hortatu Patris Sigulfi eodem pectine dentes tetigit; et continuo, quoniam cum [Col. 0106B] fide fecit, sanitatem meritis Alcuini recepit.

XXXII. Audiens vero civitatis Turonis Joseph episcopus, vir bonus et Deo amabilis, beatum obiisse Alcuinum, advenit celerius illuc suo cum clero, oculosque ejus propriis rigans lacrymis deosculabatur diutius. Praecepit autem, sapienti usus consilio, ne in eo sepeliretur loco, quo idem Pater foris voluerat

@ [Col. 0105D] Nempe Alcuinus non probabat quorumdam studium in praeparandis tumulis

suis. Vid. epist. 150 (nunc 199).; sed intra sancti Martini basilicam honorificentissime, ut quorum in coelis junctae sunt animae, una sint corpora domo in terris posita. Sicque factum est. Super cujus tumulum positus est, sicut ipse jusserat, titulus quem ipse vivens dictaverat, lamina scriptus in aerea parietique insertus.

EPITAPHIUM ALCUINI. Hic, rogo, pauxillum veniens subsiste viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo: Ut tua deque meis agnoscas fata figuris,
[Col. 0106C] Vertatur species
@ [Col. 0105D] Al. legunt: vertitur en species., ut mea, sicque tua. Quod nunc es, fueram, famosus in orbe viator,
Et quod nunc ego sum, tuque futurus eris. Delicias mundi casso sectabar amore,
Nunc cinis et pulvis, vermibus atque cibus. Quapropter potius animam curare memento
Quam carnem; quoniam haec manet, illa perit. Cur tibi rura paras? quam parvo cernis in antro
Me tenet hic requies, sic tua parva fiet Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens pulvere vermis edet? Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit. Tu mihi redde vicem, lector, rogo, carminis hujus;
Et dic: da veniam, Christe, tuo famulo. Obsecro, nulla manus violet pia jura sepulcri,
Personet angelica donec ab arce tuba: Qui jaces in tumulo, terrae de pulvere surge,
Magnus adest judex, millibus innumeris.[Col. 0106D] Alcuin nomen erat sophiam mihi semper amanti.
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

Huic epitaphio subjuncta sunt verba sequentia ab alio quodam: Hic requiescit beatae memoriae domnus Alcuinus abbas, qui obiit in pace XIV Kal. Junias. Quando legeritis, o vos omnes, orate pro eo, et dicite: *Requiem aeternam donet ei Dominus*
@ [Col. 0105D] Aliud Epitaphium hoc loco retulit D. Quercetanus [Col. 0106D] ex Browero Antiq. Fuldensium libr. I, cap. 10, quod nuper exstabat in ecclesia Hersfeldensi. Illud tamen non est Alcuini, sed potius *Albuini praepositi Hersfeldiae, in philisophica arte eruditissimi, et antea scholae magistri famosissimo, uti de eo legitur in Chronico Hildesheimensi ad annum 1034.* Vid. Mab. in Elog. n. 77, et Hensch. ad cap. 4 Vitae not. h. Epitaphium ergo istud nullum hic locum meretur..

AD BEATUM ALCUINUM ABBATEM D. ANDREAE QUERCETANI PRAEFATIO MULTIS LOCIS EXCUSSA IN COMMENTATIONE PRAECEDENTI.

[Col. 0107A] Cum meo pridem in animo steterit hoc ecclesiae patriaeque meae Turonensi tribuere, ut non solum veterem suam historiam quam prae manibus habeo, sed et patrum qui in ea claruerunt, scripta luce donata conspiciat; a beato Flacco Albino, sive Alcuino, sancti Martini quondam abbate, principium ducere visum est, cum quod ille sui temporis undequaque doctissimus et eruditissimus fuerit, tum quod melior ejus Operum pars aut in hunc diem incognita, aut certe pluribus in locis mutila depravataque remanserit. Multa de eo anonymus, qui narrante Sigwulfo fideli et individuo ipsius

socio, quaecunque discere potuit, utilitati posterorum inservitura descripsit. Multa quoque veteres ac recentiores historiographi, quorum omnium testimonia diligenter collecta disposui, simulque cum Vita et epitaphio ejusdem, excudenda curavi. Sed ut quae ab illis praetermissa, aut male accepta fuerunt, intelligi queant, rem omnem a puris, ut dicitur, fontibus, hoc est ipsissimis Alcuini scriptis, repetam.

CAPUT PRIMUM.

Alcuini patria, genus et natale solum. [Col. 0107B]

Alcuinus igitur ex Britannia oriundum se non semel testatur, sed quo genere, aut quibus parentibus, incertum relinquit, quanquam non humili prosapia genitum vel ex hoc uno constare potest, quod apud reges, episcopos et alios insulae suae magnates plurimum semper gratia et auctoritate valuerit, fratremque habuerit Juvavensis ecclesiae, quae nunc Saltzburgensis dicitur, antistitem, Aquilam nomine

@ [Col. 0107D] Vide epist. 36 et 102.. An vero in Scoticis Britanniae partibus, sicut historici Scotorum contendunt

@ [Col. 0107D] Hector Boethius, et Joannes Major.; seu Londino non procul, in Midlesexiae comitatu, quod nonnullis placuisse reperio; an quod potius reor, in Northumbriae regno, Eboraci natus fuerit, non perspicue satis declarat. Eginhardus certe sui temporis auctor

@ [Col. 0107D] In Vita Caroli Magni., Saxonici generis hominem vocat, Eboracique se a puero educatum, non uno loco, nec obscuris verbis ipse [Col. 0107C] significat. Sed creba in ejus epistolis Nordanhumbrorum mentio, qui Scotiae regiones usque ad Edenburgi fretum possidebant, Scoticarum rerum scriptoribus ansam dedit, ut in Scotia procreatum eum suspicarentur.

CAPUT II.

Nomen et cognomen.

In Eboracensi ergo provincia natus Albini sive Alcuini cognomen tulit a familia, non a Scotorum gente, qui se Albinos sua lingua - vocant, ut Georgius Buchananus asserit

@ [Col. 0107D] Lib. V Hist. Scot.: *Flaccus autem a baptismate nomine proprio appellatus est.* Quod adeo verum, ut et ipse modo Flaccum se, modo Albinum vel Alcuinum simpliciter, saepius vero Flaccum Albinum, et Flaccum Alcuinum nuncupet. Quare qui ordine inverso Albinum Flaccum Alcuinum vocant, Sixtum Senensem

@ [Col. 0107D] In Bibliotheca sancta., et alios quosdam imitantes, praeter veritatem faciunt. Etsi nos eorum auctoritatem primo [Col. 0107D] secuti, sic illum quoque fere semper inscripsimus. Eodemque in errore versantur, qui solummodo Albinum cognomento Alcuinum nominant

@ [Col. 0108D] Eginhardus, et quidam alii.. *Albinus* [Col. 0108A] enim et *Alcuinus,* Alboinus vel *Albuinus, Alchoinus, Alquinus, Alchuinus, Alchwinus, Alkoinus que, tam in manuscriptis quam excusis libris indifferenter reperitur.* Quod a varia sine dubio

variarum nationum pronuntiatione ac scriptura manavit. Nam qui molliorem pronuntiandi formulam affectarunt, et a rudiore palati cum lingua collisione semper abhorruerunt, facile Alchuini vel Alchoini vocem in Albinum aut Alboinum commutarunt, modoque Alcuinum etiam ac Alquinum, quem alii Alkoinum et Alchwinum, dixerunt. Cujus rei testes locupletissimi, tum Willelmus Malmesburiensis monachus, tum ipse noster auctor. In eorum enim exemplaribus nomen hoc passim et indistincte sic variat. Qamvis nonnulli aliam talis mutationis causam assignant
@ [Col. 0108D] Henricus Canisius in notis ad epist. 1 Alcuini., nempe quod barbariem patrii nominis Romana appellatione consulto mutarit Flaccus, Albinum se pro Alchuino nuncupans, ut in Winfrido qui Bonifacius dictus est, in Willibrordo qui Clemens, et in aliis plerisque illius aevi contigit. Sed praeterquam quod in his nomen [Col. 0108B] proprium, non cognomen, quod nullum habuisse leguntur, commutatum est, habita quoque diversarum linguarum ratione, syllabas, *qu, cu, chu, chw, ko, cho, bi, bo, semper idem sonasse certum est.* Quod vel ex uno Matthaei Westmonasteriensis exemplo deprehendi potest. Quem enim sub annum 734 Albinum Lichefeldensem episcopum vocat, eumdem anno 737 Alwinum nominat. Et Pontus Heuterus, tametsi non adeo certus et circumspectus scriptor, Alcuinum in etymis interpretatur *Alwin, id est undique rem facientem augentemque:* forsitan a verbo *gwin, quod Germanis etiam hodie lucrum significat.*

CAPUT III.

Educatio, instructio, et magistri.

Sed ut a nomine jam ad educationem ac instructionem procedamus, ALCUINUM hunc primo in coenobio sancti Petri Londini monachalem habitum induisse quidam arbitrantur
@ [Col. 0108D] Apud Joannem Baleum Centur. I Script. Angl., Bedaeque Venerabilis discipulum [Col. 0108C] omnes pene tam veteres quam neoterici fuisse contendunt. Quae an vera sint paulo diligentius hic videtur exquirendum. Nam quod ad primum spectat, ubi pueritiam ac juveniles annos egerit, ipse prodit in epistola, quam ad fratres Eboracensis ecclesiae scripsit **(Epist. 6)**, his verbis: «Vos fragiles infantiae meae annos materno fovistis affectu, et lascivum pueritiae tempus pia sustinuistis patientia, et paternae castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis aetatem, et sacrarum eruditione disciplinarum roborastis,» Et si de secundo quoque lubet illi credere, non Bedam, sed Egbertum Eboracensem praesulem suum fuisse magistrum tradit. Sic enim in ea, quam ad Eanhaldum secundo loco Egberti successorem misit, epistola
@ [Col. 0108D] Ejus fragmentum exstat apud Willelmum Malmesb. et in hoc opere, post Alcuini epistolas. loquitur: «Laus et gloria Deo, qui dies meos in prosperitate bona conservavit, ut in exaltatione filii mei charissimi gauderem, qui laboraret vice mea in ecclesia, ubi ego nutritus et eruditus fueram, et praeesset thesauris sapientiae, in [Col. 0108D] quibus me magister meus dilectus Egbertus archiepiscopus haeredem reliquit.» Et epistola 1 ad Carolum Magnum Franciae regem, ubi de revehendis in [Col. 0109A] Franciam libris agit, quos olim in Eboracensi patria possederat, «sed ex parte, inquit, desunt mihi servulo vestro exquisitiores eruditionis scholasticae libelli, quos habui in

patria per bonam et devotissimam magistri mei Egberti industriam, vel etiam mei ipsius qualemcunque sudorem.» Et si enim ibi tam in ms. codice quam in excuso nomen Egberti non invenitur, tamen et Willelmus Malmesburiensis hunc locum citans

@ [Col. 0109D] Libr. I de Gest. Reg. Angl. cap. 3. illud addit, et de eo necessario debere intelligi, sequens Euboricae civitatis mentio convincit. Praeterea quoties in Bedae memoriam incidit Alcuinus, vel eum Bedam presbyterum simpliciter, vel cum honoris additamento nobilissimum sui temporis magistrum appellat. Nam ad Wirenses monachos scribens **(Epist. 14)**, in quorum monasterio Beda litteras et didicerat et docuerat, sic ait: «Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum, Bedam presbyterum, quale habuit in juventute discendi studium, qualem nunc habet inter homines laudem, [Col. 0109B] multo majorem apud Deum remunerationis gloriam.» Ubi cur Bedae laudem hanc invidisset, et non potius appellasset suum quam sui temporis magistrum? Verum est Bedam in praefatione Histor. rer. Angl. testari se opus illud aggressum Albini abbatis impulsu, quem virum per omnia doctissimum vocat. Sed praeterquam quod ejus ut aequalis tantum et amici, non ut discipuli meminit, si esset Albinus noster sive Alcuinus idem cum ipso, plane centenariam aetatem longe excessisse dicendum esset. Beda enim obiit anno 731, ut Sigebertus et alii notant. Quamobrem Albinus ille, de quo Beda, alius omnino diversus censendus est a nostro, forsitanque idem cum Alwino seu Albino illo statuendus, qui ut Matthaeus Westmonasteriensis refert, episcopus fuit in Mercia apud Lichefeldiam anno 734, diemque extremum clausit anno 737.

CAPUT IV.

Doctrina et professio.

[Col. 0109C] Alcuinus igitur in Eboracensi ecclesia eruditus, ubi et levita sive diaconus sacratus est, praeceptoreque usus, non Beda, sicut plerique tradunt, sed Egberto archiepiscopo, qui omnium liberalium artium armarium et sacrarium a Willelmo Malmesburiensi vocatur

@ [Col. 0109D] Libr. I de Gest. Angl. cap. 3., nobilissimamque bibliothecam Eboraci constituisse asseritur; inter eos brevi tempore censeri meruit, qui primi post Adhelmum et Bedam in omni genere litterarum apud Anglos excelluerunt. Nam praeter humaniores artes ac disciplinas, in philosophicis quoque, mathematicis, et omni divinarum rerum scientia eruditissimus evasit. Latinae, Graecae, Hebraicaeque linguae peritus, ut ejus scripta legentes passim deprehendent. Ac poeticae etiam fama quodammodo clarus, si saeculi sui barbaries attenditur. Quare magister ejus Egbertus moriens illum in thesauris sapientiae, quibus praeerat, haeredem reliquit

@ [Col. 0109D] Alcuinus epist. ad Eanbaldum jam citata.: Eboracensisque scholae factus rector, multos et ipse postea discipulos, eruditione ac pietate [Col. 0109D] celebres, habuit. Inter quos recensendi occurrunt Eanbaldus, qui deinde fuit archiepiscopus Eboracensis

@ [Col. 0109D] Guillelmus Malmesb. libr. III Pont. Angl., sanctus Ludgerus episcopus Monasteriensis primus

@ [Col. 0109D] Vita sancti Ludgeri apud Surium, cap. 7 et in [Col. 0110D] libro, cui titulus: *Sidera illustrium virorum Germaniae.,* et alius quidam, Joseph nomine, qui versibus

aliquot eundem Ludgerum laudavit
@ [Col. 0110D] Hi versus exstant apud Surium in Vita sancti Ludgeri cap. 9..

CAPUT V.

Quibus in locis docuit, dum Britanniam incoleret.

An vero tunc Eboraci tantum doctissimus hic magister docuerit, non adeo certum et perspicuum est. Nam academiae Cantabrigiensis annales habent, ut refert auctor Centuriarum de illustribus Britanniae scriptoribus, quod omnes illic liberales artes publice [Col. 0110A] post Bedam docuerit, et quod tandem Eboraci sub Egberto praelegerit, philosophorum sui temporis antesignanus. Quod tamen Alcuinus ipse nullibi significare comperitur. Nisi forsitan id aliquis ex istis ejus ad Carolum Magnum **(Epist. 43)** verbis subinferre velit, «mane florentibus per aetatem studiis seminavi in Britannia.» Sed cum aliis locis se fratrum Eboracensium praeceptorem fuisse diserte doceat, de Eboraco potissimum hoc intelligendum videtur. Quod enim ibi meliorem adolescentiae suae partem in discendo docendoque collocaverit, vel haec illius jam senis ad eosdem Eboracensis ecclesiae fratres apertissime demonstrant: «Vos, inquit **(Epist. 6)**, semper in corde, et primi inter verba precantia in ore. Vos piissimi patres, seu in communibus sanctae orationis horis, vel in secretis deprecationum vestrarum intercessionibus Alcuinum filium vestrum per Dei deprecor charitatem jugiter in corde habete et in ore. Vos quoque, qui estis aetate filii, sed meritorum sanctitate patres, per divinam obtestor clementiam, [Col. 0110B] nunquam eruditionis vestrae in sanctis orationibus obliviscimini magistrum. Testis enim cordis mei mihi est inspector, quia devote vestrum semper in ecclesiasticis disciplinis, et spiritali doctrina desiderabat profectum. Et si quid minus accepistis, non meae, credo, culpae deputari potest.

CAPUT VI.

Apud quos in pretio fuit, et ejus variae legationes.

Quidquid sit, hac laudabili litterarum professione per universam Britanniam celebris, non tantum apud episcopos et abbates insulae, verum etiam apud reges ipsos et principes in pretio fuit. Hoc enim testantur epistolae, quas ad Aethelardum Doroensis ecclesiae metropolitanum, et primae sedis in Britannia pontificem **(Epist. 10)**, ad Offanum et Egfridum Merciorum **(Epist. 49, 50)**, et Aedilredum Nordanhumbrorum **(Epist. 11)** reges, ad Aedilthidem famulam Dei, olim reginam **(Epist. 199)**, ad Osbaldum et Osberthum [Col. 0110C] Northumbriae duces **(Epist. 11)**, et ad alios plures familiarissime scripsit: et duplices quas ad pontificem Romanum, et in Franciam de rebus arduis legationes obivit: quarum alteram recenset Willelmus Malmesburiensis lib. I De gestis regum Angliae, cap. 3, alteram Alcuinus ipse subindicat epistola 101 his verbis: «Dum ego adolescens Romam perrexi, et aliquantos dies in Papia regali civitate demorarer, quidam Judaeus Julius nomine cum Petro magistro habuit disputationem.» Ubi per Petrum magistrum, senem illum diaconum Petrum cognomine Pisanum

intelligit, qui Caroli Francorum regis in grammatica praeceptor fuisse legitur @ [Col. 0110D] Apud Eginhardum in Vita Caroli Magni..

CAPUT VII.

Evocatur in Franciam a Carolo Magno; vocationis ejus causae.

Sed et aliquanto post Carolus ipse gloriosissimus [Col. 0110D] rex qui doctrinam ejus ac sapientiam expertus fuerat, tum in Francia cum ad se pro pacis foedere missus est, tum etiam in urbe Papia dum ibi moraretur, de remotis eum Britanniae finibus honorabiliter evocavit, ut suae bonae voluntatis adjutor in verae sapientiae studiis promovendis existeret, liberalesque omnes disciplinas pene tunc per Galliam exstinctas ad lucem revocaret. Hanc enim Alcuinus evocationis suae causam allegat epistola 23 (nunc 129) ad Carolum regem, ubi sic loquitur: «Haec enim vestram optimam sollicitudinem, Domine mi David, semper amare, et praedicare agnoscebam, omnesque ad veram sapientiam discendam exhortari, imo et praemiis [Col. 0111A] honoribusque sollicitare, atque ex diversis mundi partibus amatores illius vestrae bonae voluntati adjutores convocare studuistis. Inter quos me etiam infimum, ejusdem sanctae sapientiae vernaculum de ultimis Britanniae finibus adsciscere curastis, atque utinam tam utilem in domo Dei servulum, quam promptulum vestrae obedire voluntati. Quia diligens diligebam in sacratissimo pectore vestro, quod in me vos velle invenire intelligebam.» Quod et tangere videtur carmine 209 his verbis:

Albinus veniens peregrino vatis ab orbe, Suscipit hunc Carolus hujus rex inclytus orbis, His quem direxit praeclara Britannia terris, Cum pietate sacrae sophiae, tum propter amorem. Verum epistola ad Laidradum episcopum Lugdunensem, Nefridium episcopum Narbonensem, Benedictum abbatem, simulque sanctissimos in Gothiae provinciae partibus episcopos, abbates, et fratres, aliam superadjicit rationem, nempe ut piissimum [Col. 0111B] regem Carolum in fidei catholicae defensione contra Felicem Urgellitanae sedis episcopum, et ejus sectatores haereticos adjuvaret sibique hoc etiam a sanctissimo quodam viro prophetiae spiritu praedito, dum adhuc in Britannia versaretur, praedictum fuisse profitetur: «Neminem, inquit, ad meum unquam comparavi servitium, sed magis devota charitate omnibus Christi Dei mei famulis servire desideravi. Ad cujus servitii facultatem, divina, ut credo, jubente dispensatione, ad gloriosum et omni honore nominandum hujus regni principem et regem Carolum vocatus adveni, sicut mihi quidam sanctus vir, prophetiaeque spiritu praeditus Dei esse voluntatem in mea praedixerat patria: etiam et ut vir venerabilis totusque Deo deditus mihi mandatum dederat magister, ut si alicubi novas audirem oriri sectas, et apostolicis contrarias doctrinis, mox totum me in catholicae defensionem fidei dedissem.» Et libro I adversus Elipanti epistolam, de Carolo verba faciens: «Non ego illum corrumpere veni in Franciam, qui [Col. 0111C] corrumpi non potest, sed adjuvare in fide catholica, in qua ille ab ineunte aetate nutritus fuit, et optime a Christianissimis parentibus, et magistris catholicis edoctus.» Ex quibus omnibus patet labi tum illos, qui Alcuinum apud Carolum seu terrae amoenitate, seu regis humanitate captum resedisse scribunt, cum ab Offa Merciorum rege ad eum conciliandae amicitiae causa delegatus est

@ [Col. 0111D] Guillelmus Malmesb. libr. I de Gest. Angl. Polyd. Vergil. libr. V Hist. Angl. et alii.: tum illos, qui ab Achaio Scotorum rege ad Caroli petitionem missum asserunt
@ [Col. 0111D] Joannes Major libr. XI, cap. 13, de Gest. Scot. Hector Boethius libr. X, et Buchanus libr. V: tum denique et eos, qui «audito quam gratanter sapientes viros religiosissimus regum Carolus susciperet, conscensa navi *sponte ad eum venisse tradunt*
@ [Col. 0112D] Sangall. libr. I de Gestis Caroli Magni Guillelmus Nangius et alii.»

CAPUT VIII.

Tempus adventus et haeresis Felicianae condemnatio.

Quod autem ad tempus hujus sui in Franciam adventus spectat, nemo veterum id hactenus adnotasse videtur, nec ipse etiam Anonymus, qui Vitam ejus [Col. 0111D] dictante Sigulfo conscripsit. Sed si bene rerum series et ordo consideretur, eum ante annum 792 aut 793 evocatum non fuisse, deprehendi poterit. Rogerus enim de Hoveden in priore parte Annalium, et post eum Mathaeus Westmonasteriensis in Florario, referunt Carolum regem anno 792 misisse Synodalem librum ad Britanniam, qui sibi a Constantinopoli directus fuerat, multa inconvenientia et verae fidei contraria continentem: contraque eum scripsisse Albinum epistolam ex auctoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, ac illam ex persona episcoporum et principum Angliae, Carolo regi Francorum attulisse. Cui congruit etiam, pro tempore, quod ipse Alcuinus ait lib. I adversus Elipantum, [Col. 0112A] his verbis: «Antequam ego eodem sapientissimo rege Carolo jubente venissem in Franciam, haec eadem vestri erroris secta eodem glorioso principe praesidente, praesente Felice, quem multum laudare soles, vestrae partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raiginisburg, et synodali auctoritate sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani imperii partibus convenerant, aeterno anathemate damnata; imo et a beatae memoriae Adriano papa, qui tunc temporis sanctae Romanae Ecclesiae apostolica auctoritate rexerat sedem, funditus exterminata: donec idem Felix infeliciter ad vestras refugiens partes, sopitos infidelitatis cineres vobis exorantibus resuscitare intendit.» Anno enim 792, ut habent Annales incerti auctoris, haeresis Feliciana, ipso auctore eam abnegante, apud Raganespurg primum damnata est: qui etiam per Engilberthum, Centulensis monasterii abbatem in praesentiam Adriani apostolici adductus, denuo eam [Col. 0112B] confessione facta damnavit.

CAPUT IX.

Exhortatoriam epistolam Felici scribit, qui libello prolixo illi respondet, hortaturque praecipuos Franciae doctores, ut in fidei catholicae defensione laborent.

Alcuinus igitur sub annum 793 in has advenit partes, ac primo sui adventus tempore exhortatoriam epistolam Felici, ut se catholicae jungeret unitati, dirigere curavit. Cui Felix non epistolari brevitate

@ [Col. 0112D] Verba sunt Alchuini libr. I adversus Elipantum., sed libelli prolixitate respondere nisus est, atque in eo omnes perfidiae suae foveas maxime aperuit: asserens Christum et veterem hominem esse, et nuncupativum Deum, et adoptivum Filium, et secunda indiguisse regeneratione, et alia plurima ecclesiasticae doctrinae inconvenientia. De hoc enim libello sic ipse Alcuinus alibi **(Epist. 83)**: «Nuper, inquit, venit mihi libellus a Felice infelice directus; [Col. 0112C] cujus propter curiositatem cum paucas paginolas legendo percucurri, inveni pejores haereses, vel magis blasphemias, quam ante in ejus scriptis legerem, asserens Christum Jesum, nec Filium Dei esse verum, nec etiam verum Deum esse, sed nuncupativum.» Scripserat et antea Felix disputationem cum Saraceno, quam cum petente Carolo rege diligentius quaesivisset Alcuinus, si quis ex suis famam illius audisset, dictum est illi, quod apud Laidradum episcopum Lugdunensem inveniri posset **(Epist. 101)**. Quapropter sub festinatione direxit missum unum ad praefatum episcopum, si forte ibi reperire quiret, ut quam citissime regiae presentiae dirigeretur. Sed interea curam suscepit respondendi ad alterum illius libellum, obsecravitque pium ac sapientem regem Carolum, ut sibi adjutores in defensione fidei catholicae daret, Paulinum patriarcham Aquileiensem, Richbodum et Teudulphum episcopos, aliosque celebres doctores ac magistros. Hoc enim ipse testatur [Col. 0112D] epistola 84 ad Carolum, ubi ait: «De libello vero infelicis non magistri, sed subversoris, placet mihi valde, quod vestra sanctissima voluntas et devotio habet curam respondendi ad defensionem fidei catholicae. Sed obsecro, si vestrae placeat pietati, ut exemplarium illius libelli domno dirigatur apostolico, aliud quoque Paulino patriarchae, similiter Richbodo et Teudulpho episcopis, doctoribus et magistris, ut singulis pro se respondeant. Flaccus vero tuus tecum laborat in reddenda ratione catholicae fidei. Tantum detur ei spatium, ut quiete et diligenter liceat illi cum pueris suis considerare Patrum sensus: quid unusquisque diceret de sententiis, quas posuit praefatus subversor in suo libello, et tempore praefinito [Col. 0113A] a vobis ferantur vestrae auctoritati singulorum responsa. Et quidquid in illo libello vel sententiarum, vel sensuum, contra catholicam fidem inveniatur, omnia catholicis exemplis destruantur. Et si aequaliter et concorditer cunctorum in professione vel defensione catholicae fidei resonant scripta, intelligi potest quod per omnium ora et corda unus loquitur spiritus. Sin autem diversum aliquid inveniatur in dictis vel scriptis cujuslibet, videatur quis majore auctoritate sanctarum Scripturarum vel catholicorum Patrum innitatur: et huic laudis palma tribuatur, qui divinis magis inhaereat testimoniis.» Et epistola 83 ad eumdem Carolum: «Hujus vero libri, inquit, vel magis erroris responsio, multa diligentia et plurimis adjutoribus est consideranda. Ego solus non sufficio ad responsionem. Praevideat vero tua sancta pietas huic operi tam arduo et necessario adjutores idoneos, quatenus haec impia haeresis omnimodis exstinguatur, antequam latius spargatur per orbem [Col. 0113B] Christiani imperii, quod divina pietas tibi, tuisque filiis commisit regendum atque gubernandum.»

CAPUT X.

Paulini patriarchae et Etherii episcopi libros adversus Felicem laudat.

Quare hoc velut classico excitati doctiores ac in rebus divinis peritiores, contra

Felicianam hanc, aut Hispanicam potius, haeresim stylorum suorum spicula direxerunt. Paulinus enim inter alios, cui cum Alcuino summus jam amor intercesserat, tribus eam libris tunc oppugnavit, quos et Carolo Magno regi dedicavit, adjecta sub finem Regula fidei metro scripta; et ut urgentibus ejus venerandis imperiis, ad manus reverentissimi viri, et in divinis rebus peritissimi et praeclari Albini, summae religionis perspicui oratoris sui deferrentur, obsecravit

@ [Col. 0113D] In epistola ad Carolum regem, cujus fragmentum superest inter Opera Paulini Madrisii, tomo C Patrologiae.: sic Alcuinum interpellans, qui et ipse, tam honorifico ab eo [Col. 0113C] prosecutus elogio, recepisse se scribit, ac miris effert laudibus, epist. 113. Sic enim ibi de illis loquitur: «Quanto magis cum sacratissimae fidei vestrae libellum recensui, catholicae pacis puritate ornatum, eloquentiae venustate jucundissimum, sensuum veritate firmissimum, totius animi mei habenas in laetitiam laxavi? Ubi de uno lucidissimo et saluberrimo paradisi fonte, quatuor virtutum flumina, non solum Ausoniae fertilitatis prata, sed totius Ecclesiasticae Latinitatis rura irrigare conspexi. Ubi et aurivomos spiritualium sensuum gurgites gemmis scholasticae urbanitatis abundare intellexi. Quamplurimis vero profuturum et pernecessarium fecistis opus in catholicae fidei taxatione, quod diu optavi, et saepius domno regi suasi, ut symbolum catholicae fidei planissimis sensibus, et sermonibus luculentissimis in unam congregaretur cartulam, et per singulas episcopalium regiminum parochias omnibus daretur presbyteris legenda, memoriaeque commendanda: quatenus licet lingua diversa loqueretur, una tamen [Col. 0113D] fides ubique resonaret.» Unde illos quoque multi censuerunt dignissimos, qui cum Alcuini scriptis excuderentur. Quod a nobis praestitum, ope veteris codicis ms. clariss. ac doctiss. virorum Puteanorum fratrum, nemo futurus est, credo, qui non aequi bonique consulat. Sed praeter Paulinum hunc, Etherius adhuc, sive Hitherius episcopus Uxamensis, et Beatus abbas, eodem tempore libros duos adversus eumdem errorem promulgarunt, Ingolstadii nuper juris publici factos. De quibus et Alcuinus noster, Felicem alloquens: «Quod vero, ait

@ [Col. 0113D] Lib. I contra Felicem., quemdam Beatum abbatem et discipulum ejus Hitherium episcopum dicitis huic vestrae sectae primum contraire, laudamus eos in eo, quod veritatem defendere conati [Col. 0114A] sunt.» Sed an Richbodus et Teudulphus episcopi, similem operam praestiterint, nondum innotuit.

CAPUT XI.

Libello Felicis respondet septem libris, illumque tandem catholicum efficit, ac Elipantum etiam quatuor aliis libris oppugnat.

Alcuinus vero, sicut ipse testatum reliquit

@ [Col. 0114D] Libr. I contra Elipantum. libello etiam Felicis septem suae devotionis libellis respondit, omnesque ejus pravitatis evacuavit doctrinas. Qui libelli (perperam hactenus Paulino tributi) lecti sunt et probati in praesentia Caroli regis et sacerdotum Christi: tantamque vim ac auctoritatem habuerunt, ut «idem Felix anno praefati gloriosi principis trigesimo secundo

@ [Col. 0114D] Verba sunt Alcuini loco citato., advocatus voluntarie veniens ad Aquis palatium, ibique in praesentia domni regis et optimatum illius, sive sacerdotum Dei

rationabiliter auditus, et veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confessus fidem, [Col. 0114B] in pacem catholicae unanimitatis reversus sit cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant praesentes. «Sed hoc postquam error ejus iterum Francofurti damnatus fuit. Nam incerti auctoris Annales referunt, quod anno 794 «Synodus habita Franconofurt, in qua haeresis Feliciana coram episcopis Germaniarum et Galliarum Italorumque, praesente magno principe Carolo, et missis Adriani apostolici Theophilacto et Stephano episcopis, tertio damnata est, et rata stipulatione damnatio roborata.» Hoc facto Carolus cum exercitu Saxoniam ingressus est, Aquasque reversus anno 796. Felix ibi a Laidrado episcopo Lugdunensi perductus, «ac suo conspectui praesentatus, ut ipsissimis Felicis verbis utar

@ [Col. 0114D] In confessione suae fidei., licentiam ab eo accepit sententias suas, quas ex libris sanctorum habere se de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus, credebat, episcopis et abbatibus, et caeteris doctoribus, quos ad se ordinatio gloriosi principis convenire fecerat, [Col. 0114C] praesentaret: quatenus non in violentia, sed ratione veritatis sua assertio rata judicaretur, si ab illis per auctoritatem sanctorum Patrum minime repudiaretur. Quod ita factum est. Nam prolatas ab eo sententias de superdicta contentione, hoc est, de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi (de quorum numero Alcuinus), ex auctoritate sanctorum Patrum, id est Cyrilli episcopi et beati Gregorii papae urbis Romae, seu beati Leonis, sive et aliorum sanctorum doctorum, qui illi prius incogniti erant, sive per auctoritatem synodi, quae nuper in Roma hac intentione, praecipiente gloriosissimo ac piissimo Carolo, adversus epistolam ejus, quam dudum scripserat venerabili viro Albino abbati Turonensis ecclesiae (sic enim Alcuinum nostrum indigetat, et nos infra de abbatiis ejus plura) congregata fuerat: In qua synodo, praesente Leone apostolico (qui eodem anno Adriano successerat), et cum eo caeteris episcopis numero 57 residentibus, et plerisque presbyteris ac diaconis cum eis in domo beatissimi Petri apostoli: [Col. 0114D] per horum, inquam, omnium auctoritatem istas jam dictas illius sententias, non qualibet ut praefatum est, violentia, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluserunt. Quorum auctoritate veritatis, et totius Ecclesiae universalis consensu convictus, meliori intellectui eorum, quam suo, quem prius sequebatur, conjunctus, et ad universalem Ecclesiam Deo favente reversus est ex toto corde suo, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, sed vera cordis credulitate, et oris professione.» Hactenus Felicis jam non ulterius infelicis futuri verba. Cujus in conversione quam partem habuerit Alcuinus, ipse sic breviter docet, Elipantum alloquens

@ [Col. 0114D] Libr. I adversus Elipantum.: «Ego cum Rufino beatum Felicem martyrem non [Col. 0115A] feci, sed Felicem olim vestri erroris complicem, Deo miserante, catholicum effeci.» Nec longe postea Elipantum quoque Toletanae sedis episcopum, jam sepultos discipuli cineres suscitare conantem, quatuor aliis magnae eruditionis libellis oppugnavit. Sed an expugnaverit, et ad unitatem Ecclesiae reduxerit, in scriptis ejus non invenitur.

CAPUT XII.

Carolum regem omni disciplinarum genere imbuit, et an David, ejusdem Caroli proprium nomen fuerit, vel ascititium.

Quoniam vero Alcuini praecipua etiam in docendo laus fuit, postquam ab Anglia ubi profitebatur in Galliam evocatus est, jam videndum qualiter discipulis, qui ab ultimis orbis terrae partibus frequentissimi ad illum audiendum concurrebant, reconditae philosophiae thesauros omnes, inusitata quadam facundia deprompsit. Factus igitur Franciae novus [Col. 0115B] civis, Carolo deinceps sedulus et fidelis comes adhaesit, ejusque imprimis animum omnibus disciplinis imbuit, adeo ut nec illi par in toto orbe foret in scientiis. Quod vel ex rhetoricae dialecticaeque Alcuini cum eo dialogis, vel ex dedicatoria librorum sanctae Trinitatis epistola facile colligi potest, ubi cum libros hos Carolo jam imperatori coronato mitteret, post annum videlicet octingentesimum, principem populi Christiani cuncta debere scire tradit, officiumque, quo a quibusdam magister vocabatur

@ [Col. 0115D] Verba sunt Alcuini. ostendens, nonnullos reprehendit, qui minus utile existimabant, nobilissimam regis intentionem dialecticae etiam disciplinae discere voluisse rationes. Item ex carmine 199, in quo Euboricae urbis juventum sic alloquitur:

Talia namque placent vestro quia munera patri, Qui nunc egregias regalibus insonat artes Auribus, et Patrum deducit per prata sequentem, Praepulchro sophiae regnantem stemmate celsae. [Col. 0115C] Sed melius adhuc ex his poematis 270 versibus:

O mihi dulcis amor David per saecla valeto.
Quam te praesentem semper habere velim! Plerio ut tecum liceat mihi ludere versu,
Scandere vel summi sidera celsa poli, Vel pulchras tecum numerorum discere formas,
Irrepere aut veterum dicta stupenda Patrum. Aut tractare sacra aeternae praecepta salutis,
Quae via te mecum pervehat astra super.

Carolum enim, hoc loco, sicut alibi fere semper, *Davidem appellat.* Quod an proprium ei vel ascititium nomen fuerit, affirmare vix ausim. Et certe non ascititium persuadent ista ad illum ejusdem Alcuini verba **(Epist. 96)**: «Clarissimis vestrae nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta accrescat, sicut per solius homonymi tui David Deo dilectissimi regis sanctitatem, ut legitur, omnibus nepotibus suis regulis throni potestas conservata fuit.» Nec enim, inquit, vir quidam doctiss. Davidem homonymum regis Caroli vocaret, si ab illius similitudine tantum [Col. 0115D] et imitatione mens Alcuini fuisset eum hoc nomine donare. Quod etiam confirmari videtur alio ipsius Alcuini testimonio, dum scribit **(Epist. 17)**: «David olim praecedentis populi rex a Deo electus, et Deo dilectus, et egregius Psalmista Israeli victrici gladio undique gentes subjiciens, legisque Dei eximius praedicator in populo exstitit. Cujus eximia filiorum nobilitate [Col. 0116A] in salute mundi, de virga flos campi et convallium floruit Christus. Qui istis modo temporibus, ac ejusdem nominis, virtutis et fidei David regem populo concessit rectorem et doctorem. Sub cujus umbra superiora quiete populus requiescit Christianus, et terribilis undique gentibus exstat paganis.» Et forte, addit praefatus vir doctissimus immutatum illi nomen, cum vel baptizatus, vel in regem unctus est. Nam de Pippino Italiae rege ejus filio hoc idem factitatum. Proprium vero fuisse dissuadet illius et subsequentis aevi mos, quo reges nostros hoc Davidis nomine communiter a scriptoribus interpellatos reperio. Sic enim Amalharius Treverensis episcopus

@ [Col. 0115D] In fine praefationis. et Stephanus papa apud Theganum

@ [Col. 0115D] Libr. de Gest. Lud. Pii. Ludovicum regem, Caroli Magni filium, novum ac

secundum David appellant. Sic Lupus Ferrariensis abbas Carolum Calvum Ludovici filium Davidi in consiliis comparat

@ [Col. 0115D] Epist. 93.. Itali apud Luitprandum Ticinensem levitam

@ [Col. 0115D] Libr. V Hist., cap. 14., Berengarium regem alterum David venisse [Col. 0116B] latrant, eumque vel ipsi Magno Carolo caeca mente praeferunt. Ac ut recentiora aliqua commemorem, Simon quoque Grebanus Carolum VII

@ [Col. 0115D] In ejus epitaphio., et cuncti nuper Henricum Magnum Davidem publice nuncuparunt

@ [Col. 0115D] In concionibus funebribus..

CAPUT XIII.

Ludovico et Pippino praeceptor datur, aliosque complures in Gallia praecipuos erudit.

Qualitercunque se res habeat, profecto Alcuini commendatio tanta fuit apud Carolum regem, ut non solum ejus praeceptor

@ [Col. 0115D] Alcuinus epist. 162, et Sangall. lib. I. ac deliciosus

@ [Col. 0115D] Anastasius Biblioth. in Vita Adriani I. nominaretur, sed ab illo quoque potissimum eligeretur, qui Ludovicum ac Pippinum filios litterarum praeceptis informaret. Quod partim ex Radulpho decano Tungrensi, lib. I De canonum observantia, partim ex ea, quam Alcuinus ipse cum Pippino nobilissimo ac regali puero instituit, disputatione discitur. Et quia magister totius regionis peritissimus ac doctissimus [Col. 0116C] erat [hoc enim Amalharii Fortunati de eo elogium docet

@ [Col. 0115D] Libr. de ordine antiphon., cap. 52.] magno etiam aliorum virorum concursu et admiratione auditus est, plurimosque eruditionis fama insignes discipulos habuit. In quorum numero praecipui fuerunt Amalharius ipse tunc puer

@ [Col. 0115D] Ipse Amal. loco citato., Treverensis deinde episcopus; Rhabanus Maurus

@ [Col. 0116D] Flodoardus lib. III Hist. Eccl. Rhemensis, cap. 21. et ipse puer, ad quem exstat epistola 150, sed magnus ac celebris postea vir, archiepiscopus enim Mogunciacensis tandem factus est; Haymo episcopus

@ [Col. 0116D] Trithemius De illustr. ord. sancti Bened. viris libr. II, cap. 26., Usualdus abbas Sancti Salvatoris

@ [Col. 0116D] Alcuinus, epist. 20., qui Martyrologium sanctorum scripsit

@ [Col. 0115D] Libr. V Hist., cap. 14.; Richbodus cognomento Macharius, episcopus Treverensis ante Amalharium

@ [Col. 0116D] Epist. 169., Petrus archiepiscopus Mediolanensis

@ [Col. 0116D] Epist. 167., sanctus Aldricus Ferrariensis abbas

@ [Col. 0116D] Vita sancti Aldrici., et alii complures.

CAPUT XIV.

Quibus in locis docuit, et an primus Academiae Parisiensis institutor.

Sed non constat inter omnes de locis in quibus [Col. 0116D] sic juventutem erudiendo perpetuam apud omnes gloriam promeruit. Trithemius enim non semel in Fuldensi eum monasterio moratum, ac ibi plures ex monachis clarissimos enutrivisse discipulos scribit
@ [Col. 0116D] Loco citato, et in Chronico Hirsaug. ad annum 890., inter quos et Haymonem, Usuardum sive Isuardum, ac Rhabanum nominat. Auctor Chronici Augustani Ecclesiastici, cap. 10, apud sanctum Gallum docuisse, [Col. 0117A] ac nobili ibi auditorio claruisse testatur. Et alii recentiores
@ [Col. 0117D] Polyd. Vergil. lib. V Hist. Angl. et Nicolaus Serarius, libr. IV Rerum Moguntiacarum. Parisiis quoque legendi munere perfunctum asserunt, illorum sequentes opinionem et auctoritatem, qui celeberrimi hujus scientiarum emporii fundamentum ab eo eum doctissimis aliquot viris aliis jactum fuisse tradiderunt. An autem hoc verum; nullis ipse suis scriptis declarat. In Francia profecto se scholas publicas tenuisse refert epistola 43 ad Carolum Magnum his verbis: «Nunc vero frigescente sanguine quasi vespere in Francia seminare non cesso.» Et epistola ad eumdem 86: «Nec fastidiosa segnities legentium, inquit, benivolentiae magistri juste deputari debet, si plurimis inclytum vestrae intentionis studium sequentibus; forsitan Athene nova perficeretur in Francia: imo multo excellentior, quia haec Christi Domini nobilitata magisterio, omnem Academiae exercitationis superat sapientiam. Illa tantummodo Platonis erudita disciplinis, septenis informata claruit artibus. Haec etiam insuper [Col. 0117B] septiformi sancti Spiritus plenitudine ditata, omnem saecularis sapientiae excellit dignitatem.» Sed in quibus Franciae provinciis ejusmodi litterarum semina jecit? aut ubinam urbium vel civitatum Gallicarum haec Athene perfecta fuit? Forte in facundissima Parisiorum Lutetia, ad quam Carolus rex studium de urbe Roma transtulisse, quod de Graecia illuc translatum fuerat a Romanis, in Magno Chronico Belgico legitur? Plurima sunt quae vetant credere. Primo, quod Alcuinus, vel Parisiorum, vel Lutetiae nullibi meminit. Secundo, quod cum in pluribus Galliae locis fuerit, aut cum Carolo rege, ut Aquisgrani apud auctorem Vitae sancti Ludgeri lib. I, cap. 34, aut sine rege Carolo, ut in Belgica latitudine
@ [Col. 0117D] Epist. 86., Turonis
@ [Col. 0117D] Epist. 43, 109, 101, 132., in Centulo
@ [Col. 0117D] Prologo in Vitam sancti Richarii., apud sanctum Amandum
@ [Col. 0117D] Epist. 102., et alibi
@ [Col. 0117D] Epist. 100.: nunquam tamen docuisse se verbis apertis indicat, nisi vel in palatio regis, vel Caesaroduni Turonum. In palatio enim scholam fuisse demonstrant haec ejus ad Carolum verba
@ [Col. 0118D] Epist. 173.: «Ego ignarus, nesciens Aegyptiacam scholam in palatio Daviticae versari [Col. 0117C] gloriae. Ego abiens Latinos ibi dimisi, nescio quis subintroduxit Aegyptios.» Quod vero et apud Turonos Gallicam erudierit juventutem, non semel, sed frequenter repetit. Epistola 43 ad Carolum regem: «Aliquos ex pueris nostris remittam, qui revehant in Franciam flores Britanniae, ut non sit tantum modo in Euborica hortus conclusus, sed in Turonica emissiones paradisi cum pomorum fructibus, ut veniens Auster perflare hortos Ligeri fluminis, fluant aromata illius.» Item epistola 101: «Ego itaque, licet parum proficiens, cum Turonica pugno rusticitate. Vestra vero auctoritas palatinos erudiat pueros.» Et si ascititiis etiam niti testimoniis licet, ubi Athene illa nova, de qua nunc dixi, melius collocari potest quam in ejusmodi

schola Turonensi? Nam Sangallensis monachus sic ea de re
@ [Col. 0118D] Libr. I de Gest. Caroli Magni.: «Dedit autem Albino Carolus rex abbatiam sancti Martini juxta Turonicam civitatem, ut quando ipse absens esset, illic requiescere, et ad se confluentes [Col. 0117D] docere deberet. Cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli, sive Franci, antiquis Romanis, vel Atheniensibus aequarentur.»

CAPUT XV.

Quibus a Carolo beneficiis honestatus est.

Verum, quia in mentionem abbatiae sancti Martini incidimus, operae pretium est nunc perscrutari quibus rex Carolus beneficiis hunc praeclarum magistrum honestavit, aut quas illi largitiones in regno suo contulit. Multa namque regiae benignitatis in eum [Col. 0118A] benefacta fuisse, vel ex epist. 134 ad Carolum discitur, ubi sic ait: «Summa Deus Trinitas vestrae bonitati, omnium dilectissime David, aeterna restituat beatitudine, quidquid pietatis vel benignitatis in me famulum vestrum, sicut prima cognitione adventus mei ad vos misericorditer promisistis, ita omnia fideliter implestis; et ad cumulum plenissimae veritatis, quae semper vestri pectoris insident thesauro, centuplum addidistis, ut cunctorum luce clarius oculis patescit, auribusque per longinqua terrarum resonat multorum.» Imprimis autem illi sancti Lupi Trecensis abbatiam dedit, ut refert anonymus ejus Vitae scriptor. Quod et ipse videtur innuere epistola 126 ad sororem suam, his verbis: «Plurimum mihi placuit crux quam vestra mihi benignitas direxit. Et credo vos aeternam habere a Deo mercedem pro illius opere, et assiduas sancti Lupi intercessiones, et laudabiles gratiarum actiones ab eis qui ad ilius patrocinia confugere solent.» Abbatiam [Col. 0118B] quoque Bethlehem, sive Ferrarias in Wastinensi pago possedit, ut in Vita sancti Aldrici Senonensis archiepiscopi legitur: nec non cellam sancti Judoci ad hospitium peregrinis praestandum ei commendatam. Est enim de hac testimonium Lupi Ferrariensis in epist. 11 ad Lotharium regem, cum eamdem ipse cellam accepisset a Caroli Magni filio Ludovico imperatore: «Cellam, inquit, sancti Judoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, beatae memoriae pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur; ut quod eleemosynae superesset, in nostrum usum cederet.» Nec dubito quin cella haec ab illa maritima cellula differat, cui etiam legitima se successione deseruisse scribit Alcuinus
@ [Col. 0118D] Prologo in Vitam sancti Willibrordi. Nam illius patronus sanctus Andreas, hujus vero sanctus Judocus. Illa corpore sancti Wilgisi, haec sancti Judoci reliquiis clara. Utraeque tamen maritimae, illa in promontoriis, quae mari Oceano, et Humbri flumine cinguntur, in Northumbria: haec in Belgii loco [Col. 0118C] maritimo; Wicus olim nuncupato, vel a sinuoso maris anfractu, qui Saxonice *Wic appellatur, ut docet Rhenanus, vel a statione secura,* ubi conjunctioribus aedificiis habitatur, si *Wic id denotat, ut contendit Adrianus Junius;* vel a castello, si *Wic castellum sonat, ut Alfricus vetus auctor asserit:* nunc autem vulgo *Saint-Josse-sur-Mer.* Et certe quod locus ille sancti Judoci Wicus, seu Wici plurali numero quondam dictus sit, et ab Alcuino quoque nostro possessus aperte declarat ipse epist. 44, ubi de solitudine sua sic conqueritur: «Ego pene quasi orbatus filiis remaneo domi. Damoeta Saxoniam,

Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit; Martinus in Wicos apud sanctum Judocum infirmus remansit. Item epistola 96 ad Carolum regem: «Revertenti me de Wicus, propter causas necessarias, quas ibidem habuimus disponere, occurrerunt mihi excellentiae vestrae dulcissimi apices.» Denique sancti Martini Turonensis abbatiam ab eodem Carolo rege adhuc regendam [Col. 0118D] recepit, cum saeculares occupationes omnino declinare cogitaret. Hoc enim idem ipse de se testatur epistola 129 ad eumdem regem, cum ait: «Nam fere ante hoc quinquennium saeculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi. Sed vestrae piae providentiae consilio translatus sum in servitium sancti Martini, fidei catholicae et ecclesiasticae sanctioni, donante Deo proficuum.» Ante quam tamen translationem, nescio an apud hoc monasterium acciderit, quod Odo Cluniacensis

@ [Col. 0118D] In Tractatu de translatione corporis sancti Martini., Helinandus

@ [Col. 0118D] Apud Vincentium Belac. libr. XXIII, cap. 173., Magni Chronici Belgici scriptor

@ [Col. 0118D] Ad annum 770., et alii plurimi narrant, [Col. 0119A] omnes illius monachos, una nocte ab angelis occisos fuisse, quia praeteritae religionis obliti sericis induebantur vestibus, deauratisque calceamentis incedebant: excepto illo solo, qui angelos percutientes vidit, et ut ad poenitentiam agendam reservaretur, eos oravit, ac tandem exoravit. Ademarus enim Engolismensis hoc in longe posteriora tempora rejicit, et alia de causa pariter accidisse sic affirmat: «Tunc, inquit

@ [Col. 0119D] In Chronico., scilicet Carolo Calvo regnante, sancti Martini monachi Turonenses nemine cogente, ante corpus ejusdem, abjecto monachi schemate, schema induunt canonicale: sed mox in eis pestis irruit, ut una nocte omnes morerentur, et de reliquo a canonicis ipse inhabitatur locus.» Quae verba mihi suspicionem injiciunt, nec usquequaque adhuc certum esse, quod in Chronico Turonensi reperitur: «Anno 796 Carolum regem instituisse canonicos in ecclesia beati Martini Turonensis, auctoritate Adriani papae, eisque sanctum Alchoinum magistrum suum abbatem [Col. 0119B] praefecisse.»

CAPUT XVI.

Carolo Magno fuit a consiliis, et ab eo Romam legatus.

Caeterum vir tot et tam praeclaris abbatiis ditatus non solum eis magna sanctitatis ac doctrinae gloria praefuit, sed et a civilibus interim negotiis ac reipublicae cura non abfuit. Nam Carolus Magnus illum consiliis sibi semper intimum fecit, omniaque «imperialis aulae, et majora negotia, suae discretionis arbitrio diffinivit,» inquit auctor Vitae sancti Aldrici Senonensis archiepiscopi. Quare et ab eo in aulam saepe accersitus legitur

@ [Col. 0119D] Epist. 109 et 132., dum absens esset: ac Romam etiam de justitiis sancti Petri contra Longobardorum regem inquisiturus una cum Georgio episcopo, et Gulfardo abbate, ab eodem principe legatus est, ut refert Anastasius Biblioth. in Vita Adriani I papae. Cumque inter Offam regem et dictum [Col. 0119C] Carolum aliquid dissensionis exortum fuisset, unus adhuc prae caeteris est electus, qui pro pace in illas partes mitteretur

@ [Col. 0119D] Guillelmus Malmesb. libr. cit. 3 et 4.. Denique Romam cogitans idem Carolus anno 800 optavit secum eum ducere
@ [Col. 0119D] Epist. 96 et 109.. Sed duabus epistolis excusavit se, fumo sordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus praeponens
@ [Col. 0119D] Epist. 109.: rogavitque regem, ut dimitteret eum fideliter et instanter orationibus cum Deo servientibus apud sanctum Martinum iter suum adjuvare
@ [Col. 0119D] Epist. 96.. Qua re impetrata, certior factus Carolum Gallici littoris perlustrare velle littus, antequam in Italiam descenderet, occurrendum tamen illi putavit in Centulo apud sanctum Richarium: ibique cum eo Paschalem festivitatem celebrans
@ [Col. 0119D] Vita Caroli Magni, et Alcuini praefatio in Vitam sancti Richardi., scripsit, seu potius emendavit Vitam ejusdem sancti Richarii confessoris, quam et ipsi regi piissimo Carolo dedicavit epistola nuncupatoria.

CAPUT XVII.

Docuit Turonis ad extremum vitae diem, ibique plurima volumina scripsit. [Col. 0119D]

Inde autem Turonos reversus, quam ab initio vitae rationem instituerat, ad extremum usque aetatis suae diem retinuit. Ibi enim pie sancteque vixit, et juventutem Gallicam erudire continuans frequenti etiam ac frugifera voluminum editione laudem sibi nunquam morituram peperit. Potissimum vero *Quaestiones,* vel ut ipse vocat, *Interrogationes de libro Geneseos illic composuit, ac eas Sigulfo veteri et individuo socio,* successorique in abbatia Ferrariensi [Col. 0120A] futuro, consecravit. *Enchiridion quoque,* sive piam ac brevem expositionem in quosdam *psalmos tunc elaboravit.* Item *Commentaria super Ecclesiasten, quae dilectissimis discipulis Oniae sacerdoti, Candido presbytero, et Nathanaeli diacono nuncupavit.* Nec non luculentissimos illos *septem aliorum commentariorum libros, quos ad petitionem Gislae et Richtrudae Deo dicatarum virginum,* suarumque quondam in Anglia discipularum, *super Evangelium sancti Joannis exaravit.* Praeterea Caroli regis praecepto, tunc etiam Veteris ac Novi Testamenti Scripturas omnes correxit, et correctas illi e sancto Martino transmisit
@ [Col. 0120D] Epistola quae praecedit libr. VI Comment. sancti Joan. et epist. 131.. Psalterium Davidicum per hebdomadam disposuit, quod sub inscriptione *Officiorum per ferias a Joanne Baleo citatur, itaque a nobis ex antiquissimo codice viri illustrissimi Jac.* Aug. Thuani nunc primum editum est. Homilias seu conciones per annum legendas ex antiquis Ecclesiae Patribus collegit
@ [Col. 0120D] Anonymus in ejus Vita.. Librum *De virtutibus et vitiis ad* [Col. 0120B] Widonem sive Wittonem Marcae Britannicae comitem
@ [Col. 0120D] Annal. inc. auctoris et Vita Caroli Magni. scripsit. Libellum de Antichristo, quem nonnulli antehac *Rhabano, quidam etiam sancto Augustino tribuerunt, elucubravit. Vitam et miracula sancti Martini sub compendio mirifice arctavit.* Epistolas denique multas eruditione plenas ad Adrianum et Leonem summos pontifices, ad gloriosum regem Carolum, ad Angelbertum primicerium palatii Pippini regis, ad Megenfridum regalis palatii archarium, ad Aericum sive Ehericum ducem Forojuliensem, ad Magenharium comitem Senonensem, ad Flavium Homerum Caroli

regis auricularium, ad Paulinum patriarcham Aquileiensem, ad Laidradum Lugdunensem et Nefridium Narbonensem episcopos, et ad alios plures magnae auctoritatis ac potentiae viros scripsit. Nam de aliis ejus libris non adeo plane constat, ubi vel quando compositi sunt: *Vita* duntaxat *sancti Willibrordi, quam in Anglia;* Rhetoricisque et Dialecticis praeceptionibus, quas in *palatio regis elaboravit,* [Col. 0120C] exceptis. Tribuimus vero etiam illi *Libros* Sacramentorum ac *De divinis Officiis, quia sub ejus nomine jam antehac excusi sunt, etsi nec conjecturis destituimur, ultimum ab eo nunquam fuisse conscriptum.* Auctor enim illius quisquis sit, Galliae Braccatae incolam se profitetur (cap. 34): exemplarque vetusto stylo exaratum, cujus ope 12 capita integra restituimus, quaestionem de Natalitiis sanctorum capiti 18 subjunctam ascribit Elprico monacho, qui juxta Trithemium floruit anno 1040 et demum in eo (cap. 32) festivitatis omnium sanctorum institutio Kalendis Novembribus memoratur, quo die tamen eam longe post Alcuini obitum in Gallia ac Germania celebrari coepisse, scilicet anno 835, ex Sigeberto et aliis facile discitur. Quidquid sit, plurima insuper ejus scripta feruntur, quae temporum sive injuria sive negligentia adhuc latent.

CAPUT XVIII.

Ejus obitus, sepultura et sanctitas.

[Col. 0120D] Tot igitur ac tantorum ingenii ornamentorum laude clarus, sub umbra potentiae et sub tegmine pietatis Caroli religiosam ducens vitam
@ [Col. 0120D] Epist. 133.: totam infirmitatis senectutisque suae consolationem in Deum intendens, inter fratres in ecclesia sancti Martini Deo fideliter servientes, tandem sicut desiderabat, feliciter requievit
@ [Col. 0120D] Epist. 129. anno Christi 804 secundum omnium pene antiquorum testimonium
@ [Col. 0120D] Odorannus, Chronicon Turonense et Lemovicense, anonymus ejus Vitae scriptor, et alii., et ad coeli praemia evolans XIV Kal. Junias, in eadem ecclesia cum epitaphio, quod ipse sibi vivens posuerat, [Col. 0121A] a suis sepultus est. Falsum enim et quod Willelm. Malmesb. asserit
@ [Col. 0121A] Libr. I, cap. 3, de Gest. Reg. Angl, eum apud sanctum Paulum in Cormaricensi coenobio diem obiisse: et quod alter recentior annotat
@ [Col. 0122A] Browerus libr. I, Antiq. Fuld. cap. 10., sepulturam in Hersfeldensi ecclesia Fuldae vicina accepisse. Denique, post extremum vitae diem beati quoque, sive sancti titulum [Col. 0122A] promeruit, ut docent anonymus in ejus Vita, Flodoardus lib. III Hist. Rem. cap. 21, sancti Martini canonicus in Chronicis, et Rhabanus archiepisc. Moguncіacensis in Martyrologio. Atque haec fere sunt omnia, quae de Alcuino discere licuit ex ipsius Operibus.

DE BEATO ALCUINO CAROLI MAGNI PRAECEPTORE TESTIMONIA VETERUM ET QUORUMDAM RECENTIORUM SCRIPTORUM.

[Col. 0121B]

I. *Eginhartus in Vita Caroli Magni, apud Bouquet.,* Script. Rer. Gallic. tomo V, pag. 99.

In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconum senem audivit, in caeteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum item diaconum, de Britannia Saxonici generis hominem, virum undecunque doctissimum, praeceptorem habuit: apud quem et rhetoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris impertivit.

II. *Sanctus Paulinus Aquileiensis patriarcha in epist.* ad Carolum Magnum de libris, quos adversus Felicem episcopum scripsit, apud Madrisium Opp. sancti Paulini, pag. 168.

Haec quippe specialia precum mearum libamina singulariter, pectoris mei purissima incitante devotione, in conspectu orthodoxi principis, terraeque domini praelibare festino: quatenus hoc nostrum, [Col. 0121C] licet non pretiosum, quodcunque tamen munusculum, ad manus reverendissimi viri, et in divinis rebus peritissimi et praeclari, Albini scilicet, summae religionis praecipui oratoris vestri, mihique super omnia flaventium favorum dulcissimi mella, urgentibus vestris citius venerandis imperiis deferatur. Nescio plane, si possim quandoque in alio haec congesta volumine, inviolabili charitati illius meis viribus impertire. Non quod his ille indigeat, sed ut ex his clarius detur intelligi, cujus dilectionis et amicitiae erga eum pleni amoris dulcedo meo semper in pectore quantocius suaviter saporata dulcescat.

III. *Sangallensis monachus, lib.* I *de Gestis Caroli Magni, apud Bouquetum, Script.* Rer. Gall. tomo V, pag. 107.

Audito autem Albinus de natione Anglorum, quam gratanter sapientes viros religiosissimus regum Carolus [Col. 0121D] susciperet, conscensa navi venit ad eum. Qui erat in omni latitudine Scripturarum supra caeteros modernorum temporum exercitatus, ut pote discipulus doctissimi Bedae, peritissimi post Gregorium tractatoris. Quem usque in finem vitae jugiter secum retinuit, nisi quando ad ingruentia bella processit, adeo ut se discipulum ejus et ipsum magistrum suum appellari voluisset. Dedit autem illi abbatiam sancti Martini juxta Turonicam civitatem, ut quando ipse absens esset, illic requiescere et ad se confluentes docere deberet. Cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli sive Franci antiquis Romanis et Atheniensibus aequarentur. *Item ibidem, pag.* 110: Gloriosissimus itaque Carolus per totum regnum suum studia litterarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum praecedentium non pervenire condolens, et plus quam mortale laborans, in hanc taediatus vocem erupit: «O utinam haberem duodecim clericos ita doctos omnique sapientia [Col. 0122A] sic perfecte instructos, ut fuerunt Hieronymus et Augustinus.» Ad quod doctissimus Albinus [Col. 0122B] ex ipsorum comparatione merito se indoctissimum judicans, in quantum nullus mortalium in conspectu terribilissimi Caroli audere praesumeret, maxima indignatione concepta, sed parumper ostensa, respondit: «Creator coeli et terrae similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim?»

IV. *Anonymus scriptor Vitae sancti Aldrici Senonensis archiepiscopi, nec non Ferrariensis abbatis, apud Mabill.* saec. IV, *Ben.,* pag. 568.

Parentes sancti Aldrici eum Deo perpetuo serviturum monasterio praesentaverunt, quod in honore beatae Mariae erat fundatum: ubi sub Alcuino abbate, magistro litterali, cui jam dicti coenobii (Ferrariensis sc.) administratio tunc temporis erat commissa, monachalis disciplinae suscepit insignia.

[Col. 0122C] V. *Altfridus episcopus Monasteriensis in Vita sancti Ludgeri, lib.* I *num.* 9 et 10, apud Mabil., saec. IV *Ben.* part. I, *pag.* 21.

Alcuinus illo in loco (Eboraci) tunc magister erat, qui postea temporibus Caroli junioris (habita ratione Caroli Tuditis avi sui, id est Caroli Magni) in Turonis et in Francia magisterium exercuit: cui statim vir prudens Liudgerus sedulo jungebatur, hauriendo ob eo spiritualia dogmata. . . . . Liudgerus igitur cupiens saturare se praelibati dulcedine favi, petiit ab abbate Gregorio licentiam redeundi ad magistrum Alcuinum. . . . . Tunc Gregorius et parentes ejusdem Liudgeri quandoque precibus victi, direxerunt eum ad praefatum magistrum Eboraicae civitatis Anglorum, praebentes quae illi opus erant in via: quem magister illustris Alcuinus cum magno suscepit gaudio . . . . . et mansit ibi annis tribus et mensibus sex, proficiens in doctrinae studio. . . . . Tunc Alcuinus necessitate compulsus direxit Liudgerum cum praefatis negotiatoribus: misit etiam cum eo et diaconem [Col. 0122D] suum, nomine Putul, timens ne amore discendi aliam regionis illius civitatem adiret et . . . aliquas pateretur insidias. Dicebat enim, potius se velle mori, quam ut filius suus dilectus illic quidquam pateretur lethalis mali. Directus itaque Liudgerus prospero cursu pervenit ad patriam suam, bene instructus, habens secum copiam librorum. . . Diaconus vero, qui venerat cum eo, juxta dispositionem magistri Alcuini auctus benedictionibus, perrexit Romam, iterum reversurus: qui etiam postea cum Alcuino venit in Galliam in ordine presbyterii, quem (*uti additur in cod.* Budicensi apud Bollandianos) acceperat Romae cum licentia abbatis sui.

VI. *Anonymus scriptor Vitae sancti Liudgeri episcopi, apud Mabillonium saec.* IV *Ben.* lib. I, *cap.* 6, pag. 37.

Eo tempore in Eboraica civitate famosus merito [Col. 0123A] magister scholam Alcuinus tenebat, undecunque ad se confluentibus de magna sua scientia communicans. Hujus mox, ut illuc pervenerunt (Alubertus et Liudgerus), Liudgerus familiarem amicitiam adeptus, spatio quo inibi demorabantur, ad eum sedulo de scripturis interrogantem accessit. Verum cum sacris ordinibus perceptis ad eum, qui eos miserat, redeuntes venirent, Alubertus cum Gregorio pii laborem operis assumpsit. Porro Liudgerus Alcuini desiderio, et amore discendi reditum, si fieri possit, meditabatur. Quod cum saepius tentanti Gregorius tandem difficillime concessisset, paratis cum ejus adjutorio et parentum suorum, quae talis peregrinatio poscebat, remeavit Britanniam. Suscipiens eum magister honorabilis magna, cujus animum noverat, coluit charitate, tribusque continuis annis paterna in monachorum monasterio sollicitudine erudiens, quarto anno dimidio apprime eruditum ad patriam remisit: *Item cap.* 14: Gloriosus imperator Carolus ejus (Liudgeri) [Col. 0123B] famam audiens, prodente eum maxime Alcuino praeceptore quondam suo, qui eo tempore de Britannia in Franciam venit, misit semel

et iterum, atque litteris Alcuini
@ [Col. 0123D] Desunt hae litterae Alcuini ad Liudgerum. Nec illarum mentionem facit Altfridus. ejusdem ad se eum venire mandavit. *Et cap.* 35: «Vidit quoque hoc (*splendorem lucis in obitu sancti Liudgeri*) et mirandus imperator Carolus, qui eo tempore in Aquis palatio moratus est. Eadem namque hora pro inspectione siderum cum Alcuino
@ [Col. 0123D] Ex hoc loco, inquit Mab., patet, Alcuinum superstitem fuisse anno 809, quo obiit Liudgerus. Verum [Col. 0124D] de hac circumstantia rursus nihil habet alter Vitae scriptor Altfridus. Vid. Mab. Act. saec. IV, pag. 767, et libr. XXVII Annal., pag. 367, num. 29., a quo astrologiam didicerat, fuerat egressus.»

VII. *Hariulfus in Vita sancti Angilberti, num.* 11, apud Mab., saec. IV, *part.* I, *pag.* 117.

Albinus a venerabili Angilberto accersitus Centulam Vitam sancti Richarii antiqua simplicitate negligentius digestam venusto sermone composuit, praemissa operi praefatione ad eumdem gloriosum Augustum Carolum, in qua patenter monstratur beati Patris Richarii magna et pluriora fuisse miracula, [Col. 0123C] quam ille exiguus Vitae ejus textus enarrabat. Antiphonas quoque et responsoria vel hymnos de eodem sancto composuit, ut magni Patris festivitas nihilominus congrui officii habere videretur.

VIII. *Anscherus in Vita ejusdem sancti Angilberti, num.* 10, apud Mab., pag. 128.

Sane libellum de Vita sancti Richarii sermone simpliciore digestum evocato ad se Albino magistro comptius atque lucidius componi et transcribi fecit, omissis illis miraculis, quae Domini confessor in diversis locis, ac regionibus copiose patravit, de quibus seorsum codex magnus habebatur. Hymnos etiam tam nocturnos quam diurnos et antiphonas cum responsoriis, sumpta materia de vita ipsius, idem Albinus composuit.

[Col. 0123D] IX. *Ardo seu Smaragdus in Victa sancti Benedicti abbatis Anianensis, num.* 36, apud Mab. l. cit., pag. 205.

Alcoinus quoque ex genere Anglorum, ordine levites, sapientia praeclarus, sanctitatis merito venerabilis, regens monasterium beati Martini confessoris, qui fuit Turonensium pontifex, quique in aula gloriosi imperatoris Caroli omni honore dignus habebatur, audita expertaque viri Dei sanctitatis fama, inviolabili se illi charitate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei saepe directis, aggregatis in unum, unus conficeretur libellus. Datis itaque illi muneribus postulat obnixe sibi monachos dari; cui cum protinus venerabilis pater assensum praebuisset, equos misit, qui eos ferrent: quos in monasterio, cui nomen est [Col. 0124A] *Cormarine, quod aedificaverat, collocavit.* Fuere etiam et hi, ut reor, XX cum praelato sibi magistro; ad quorum bonum conversationis exemplum, magna est aggregata multitudo monachorum.

X. *Paschasius Radbertus in Vita sancti Adalhardi abb.,* num. 21, apud Mab. l. cit., pag. 316.

Ob hoc autem (Adalhardus) ab aliquibus, ut epistolae magistri Albini ferunt, Antonius

vocabatur; a nonnullis vero Aurelius Augustinus.

XI. *Beatum Alcuinum scripsisse Vitam Caroli Magni dicitur in fine Vitae ejusdem imperatoris ab Eginhardo editae, apud Bouquet, tom.* V Script. Rer. Gallic. pag. 103 his verbis.

Reliqua actuum ejus gesta, seu et quae in carminibus vulgo canuntur de eo non hic pleniter descripta: sed require in Vita, quam Alcuinus de eo scribit. [Col. 0124B] *Quae verba vitae ab Eginhardo scriptae ab alio quodam addita habentur ex uno cod.* ms. bibliothecae Thuanae.

XII. *In Spicilegii d'Acheriani tom.* IV, pag. 485, in Thesauro monasterii Centulensis anno 831 descripti memoratur

Missalis Gregorianus et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. Et Lectionarius plenarius a supra dicto Albino ordinatus.

XIII. *In egregio codice ms.* Carnutensis ecclesiae, continente librum, qui Comes vocatur, teste Mabillonio, saec. IV *Ben.* in additionibus et correctionibus pag. 767 haec verba leguntur post medium.

Hunc codicem, qui ab ecclesiasticis viris *Comes appellatur, tua, lector, noverit perspicacitas, ab eo codice sumptum, quem constat ab Albino,* eruditissimo [Col. 0124C] viro, Carolo sapientissimo imperatore praecipiente, lima rectitudinis esse politum atque emendatum. Qui codex licet a multis haberetur, a plerisque tamen mendose et non bene distincte legebatur. Ob id studii fuit ejusdem Dei cultoris, ut a praefato viro ad purum corrigeretur, et distinctionibus artis grammaticae pronuntiandi gratia distingueretur: ita videlicet, ut legentibus ejusdem codicis textus iter planum panderet, et audientium auribus nihil inconsonum afferret, simplices quoque errare non sineret. Nobis autem curae fuit ita hunc emendate atque distincte transcribere, sicut ab eodem magistro emendatus exstat atque distinctus, etc.

XIV. *Amalarius Libr.* de ordine Antiphonarii cap. 58 in Bibliotheca PP. tom. XIV, Edit. Lugdun., de Responsoriis Psalmorum, pag. 1056.

Audivi illos canere in isto ordine, quando videbar [Col. 0124D] puer esse ante Albinum doctissimum magistrum totius regionis nostrae, cujus auctoritate delectatus et fretus, postquam libertate usus sum canendi, quae congrua mihi videbantur, coepi illos canere ab Octavis Pentecostes usque Kalendas Julii. *Et cap.* 67 de Officio in Dedic. Eccles. pag. 1058: Audivi illas (antiphonas) in ea festivitate canere Albinum, doctissimum magistrum nostrae regionis, de quo saepe mentionem facio.

XV. *Teganus in epist.* ad Hattonem, apud Martene, tom. I Ampl. Collect., pag. 84.

Cum mihi diu cogitanti quid ex paupertate mea [Col. 0125A] vestrae serenae praesentiae praesentare potuissem . . . nihil aliud ad mentem cucurrit, nisi ut aliquod opusculum sanctorum Patrum vobis dirigerem, in quo sanctum ingenium vestrum exercere

potuissetis: et ideo istud volumen vobis transmisi, quod sanctus Alcuinus, summus scholasticus ex variis libris sancti Augustini congregavit in unum; quod peritissimo ac nobilissimo imperatori Carolo tradidit: sicut maxima necessitas est mortalium de divina natura ac essentia; de aeterna gignentia Dei Patris; de aeterna nativitate Filii Dei; de aeterna processione Spiritus sancti. etc.

XVI. *Lupus Ferrariensis in epist.* 11 ad Lotharium regem, tom. XV Bibl. PP. pag. 9.

Cellam sancti Judoci, quam magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, beatae memoriae pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur, ut [Col. 0125B] quod eleemosynae superesset, in nostrum usum cederet. *Idem in epist.* 20 ad Altuinum, ibid. pag. 12: In versibus moralibus, quos Alcuinus dicitur edidisse statera sic posita est:

Non tibi sit modius duplex, nec statera duplex.

XVII. *Ex antiquis monumentis monasterii sancti Vedasti Ferreolus Locrius in Chronico suo Belgico haec refert apud Lambecium Comment.* de Bibl. Caes. Vindob. lib. II, *cap.* 5, pag. 402.

Raddo (abbas sancti Vedasti) ad res instaurandas divino munere datus anno 795 exspectationi omnium cumulate respondit; qui ambustum foedatumque incendio templum magnifice instauravit. . . Missale implicatum satis (ut ferebat conditio temporis) examini Alcuini subjecit; cujus descriptae etiamnum exstant apud nos ad Raddonem epistolae, atque aliquot versus, quibus Opera ejusdem posteritati [Col. 0125C] commendat.

XVIII. *Annales Fuldenses ad annum 794 apud Bouquet, tom.* V Script. Rer. Gallic., pag. 330.

His temporibus Alcuinus, cognomento Albinus, sanctitate et doctrina clarus habetur.

XIX. *Rhabanus Maurus in Martyrologio.*

Decimo quarto Kal. Junii, depositio domini Alcuini.

XX. *Anastasius Bibliothecarius in Vita Adriani I papae, Edit.* Muratorii tom. III, p. 184.

Post haec conjunxerunt ad sedem apostolicam missi saepius dicti Caroli excellentissimi regis Francorum et patritii Romanorum; id est, Georgius sanctissimus episcopus, Gulfardus religiosus abbas et consiliarius, seu Albinus, deliciosus ipsius regis, [Col. 0125D] inquirentes si praefatus Longobardorum rex abstultas civitates et omnes justitias beati Petri reddidisset, sicut false in Franciam dirigebat, asserens se omnia reddidisse.

XXI. *Hincmarus et reliqui episcopi suae provinciae in epist.* ad Carolum regem priori operi contra praedestinatianos praefixa tom. I Operum Hincmari.

Eorum etiam sententias, qui divina dignatione, postquam ipse canon a beato Gelasio conscriptus est, sensu et doctrina catholica et sanctitate conversationis in Ecclesia floruerunt, et ab ipsorum orthodoxorum Patrum, qui in eodem canone annotati sunt, fideli, quia catholica, doctrina nihil dissonum, nihil diversum scripserunt vel docuerunt, reverentia pari amplectimur; veluti venerabilis Bedae presbyteri, etc., ac venerandae memoriae Paulini patriarchae Aquileiensis parochiae atque Alcuini viri [Col. 0126A] religiosi et docti: quorum fidem et doctrinam apostolica sedes Romana non solum benignissime acceptavit, verum et multis laudibus extulit, sicut in scriptis ipsius sanctae sedis invenimus, quae ecclesiae nostrae ab eadem ecclesiarum matre acceperunt, tempore divae memoriae Caroli imperatoris, quando synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita, et ad Romanam Ecclesiam, velut ad apicem ecclesiarum transmissa. Sed et eorum scripta qui legit, quam sint laudanda et recipienda intelligit. *Flodoardus Hist.* Rhemensis Eccles. lib. III, *apud Sirmondum tom.* IV Op. cap. 21, pag. 165, refert, Hincmarum in epist. ad Rhabanum Maguntiae praesulem asserere, hunc beatum Rhabanum solum tunc temporis de discipulatu beati Alcuini relictum.

XXII. *Micrologus de Eccles.* Observ. cap. 60 tom XVIII. Bibl. PP., pag. 490.

Sciendum autem quemdam Albinum magistrum [Col. 0126B] Caroli imperatoris rogatu sancti Bonifacii archiepiscopi, ut aiunt, missales orationes de sancta Trinitate composuisse; et in secunda feria de sapientia; in tertia de Spiritu sancto; in quarta de charitate; in quinta de angelis; in sexta de cruce; in sabbato de sancta Maria. *Et paulo post:* Fecit tamen idem Alboinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus. Nam Gregorianas orationes in Libris Sacramentorum collegisse asseritur, paucis aliis adjectis, quas tamen sub obelo notandas esse indicavit. Deinde alias orationes sive praefationes, etsi non Gregorianas, ecclesiasticae tamen celebritati idoneas collegit, sicut prologus testatur, quem post Gregorianas orationes in medio ejusdem Libri collocavit.

XXIII. *Hermannus Contractus in Chronico ad ann.* 799, apud Bouquet, tom. V, pag. 369.

His temporibus Alcwinus, qui et Albinus, apud [Col. 0126C] reges caeterosque, vita et doctrina clarus habetur.

XXIV. *Odorannus monachus sancti Petri Vivi Senon.* in Chronico, apud Du Chesne tom. II Script. Franc. pag. 636.

Anno 804 obiit Alcuinus philosophus, abbas sancti Martini. *Eadem quoad annum obitus beati Alcuini habentur in diversis Chronicis apud Bouquet tom.* V saepius cit. pag. 386, C.

XXV. *Sanctus Odilo abbas Cluniacensis in Vita sancti Majoli decessoris sui tom.* II Maii Boland., pag. 687, edit. Venet.

Ego vero ultimus servorum illius servulus non alia, sed ea quae ipsi praefati sunt stylo paupere ac brevissimis distinctionibus capitulatim quoquo modo ausus sum annotare, secutus Alcuinum majoris Caroli imperatoris magistrum: sic et impar eo, quantum

[Col. 0126D] peccator justo, illitteratus perito, fari nesciens facundissimo. Ille summi et incomparabilis viri et sanctissimi sacerdotis Martini Vitam a Severo Sulpitio altissimo stylo descriptam dictis plenioribus elucidatam, ad nostram nostrorumque similium destinavit notitiam. Sicut nemo post apostolos beatissimo aequatur Martino, ita et ego multum me imparem profiteor Alcuino.

XXVI. *Ex Necrologio ms.* capituli metropolitani Salisburgensis scripto circa finem saec. XI.

IX Kal. Febr. Arn. archiepiscopus obiit, duodecimus a sancto Ruperto, primus archiepiscopus, decor et honor hujus ecclesiae: qui inter alia innumera et laudabilia Opera plus quam 150 volumina jussit hic conscribi, cujus Vitam Albinus magister Caroli per sua scripta plurima, quae hic apud nos sunt, multum collaudat et extollit.

[Col. 0127A] XXVII. *Rogerus de Hoveden, parte priore Annalium Rer.* Angl.

Anno 792 Carolus rex Francorum misit Synodalem Librum ad Britanniam sibi a Constantinopoli directum. In quo libro multa inconvenientia et verae fidei contraria reperiebantur; maxime quod pene omnium orientalium doctorum, non minus quam trecentorum et eo amplius episcoporum, unanima assertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere: quod omnino Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam, ex auctoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro ex persona episcoporum et principum nostrorum regi Francorum attulit. *Eadem habet Mathaeus Westmonasteriensis ad annum 793.*

XXVIII. *Wilhelmus Malmesburiensis libr.* I *de Gestis Reg.* Angl. cap. 3.

[Col. 0127B] Hic est Alcuinus, qui a regibus Angliae missus ad regem magnum Carolum ibi apud eum seu terrae amoenitate seu regis humanitate captus resedit, magnique apud eum habitus imperialem animum, quantum ab aulicis curis vacabat, dialectica, rhetorica et etiam astronomia probe composuit. Erat enim omnium Anglorum quos quidem legerim, post beatum Adelmum et Bedam, doctissimus, multisque libris ingenii periculum fecit. Jacet in Francia apud sanctum Paulum de Cormarico: quod coenobium Carolus Magnus ejus consilio construxit; unde hodieque quatuor monachorum victus et potus pro ejusdem Alcuini anima quotidianae infertur eleemosynae in eadem Ecclesia.

XXIX. *Honorius Augustodunensis libr.* de Luminibus Ecclesiae tom XX Bibl. PP., pag. 1038.

Alcuinus natione Anglus, Eboraicae civitatis diaconus, officio scholasticus, dignitate abbas, magister [Col. 0127C] Caroli imperatoris scripsit breviter omnes liberales artes ad praedictum imperatorem, et multa alia praeclara.

XXX. *Sigebertus Gemlacensis monachus in Chronico ad annum 790 Bouquet tom.* V, pag. 337.

Alchuinus de Britannia oriundus, magister deliciosus regis Caroli, scientia litterarum

praepollet in Gallia, cujus praecipue magisterio ipse rex omnes artes liberales didicit.

Idem de illustribus Ecclesiae scriptoribus cap. 82.

Alhuinus sive Albinus, de Britannia oriundus et inde ab imperatore Carolo evocatus et tanta familiaritate ei acceptus, ut appellaretur imperatoris *deliciosus, cujus maxime magisterio ipse imperator omnibus liberalibus artibus initiari satagebat, multa scripsit.* Scripsit in Genesin Dialogum, ad Widonem comitem De virtutibus et vitiis librum, de quibusdam psalmis Enchiridion. Fecit tractatus super [Col. 0127D] Evangelium Joannis. Scripsit ad ipsum imperatorem libros de Sancta Trinitate. Respondit Quaestionibus a Fredegiso sibi propositis. Scripsit Prognosticon de futuro saeculo. Scripsit ad Eulaliam virginem de natura et immortalitate animae. Jussu imperatoris correxit divinam bibliothecam, et alia nonnulla scripsit.

XXXI. *Chronicon Turonense abbreviatum.* Quercetanus h. loc.

Anno 796 Carolus rex instituit canonicos in ecclesia beati Martini Turonensis auctoritate Adriani papae, eisque sanctum Alchoinum magistrum suum abbatem praefecit. *Et paulo post:* Anno 804 sanctus Alchoinus obit.

XXXII. *Chronicon aliud Turonense majus, ad annum 791 ibid.*

Nec multo post Carolus auctoritate Adriani papae canonicos in ecclesia beati Martini posuit et eis [Col. 0128A] magistrum suum Albinum, id est, Alchoinum, praefecit. Erat autem Alcuinus natione Scotus, ingenio clarus, mirabilis philosophus, non tantum praepollens scientia litterarum, quantum et honestate morum studioque virtutum.

XXXIII. *Helinandus apud Vincentium Bellovacensem libr.* XXIII *Speculi historialis, cap.* 173.

Hic Alchuinus a regibus Angliae pro pace missus ad Carolum, ab eo fotus est hospitio et apud eum resedit, vir undecunque doctissimus; qui Carolum instituit in dialectica et rhetorica et praecipue in astronomia. Hic omnium Anglorum post beatum Adelmum et Bedam doctissimus fuit et pluribus libris ingenii periculum fecit. Praelatus est institutus a Carolo monasterio beati Martini Turonensis. *Hic inseritur historia seu fabula de exterminatoribus Angelis, monachos Turonenses nimis deliciose viventes, uno excepto, gladio percutientibus et interficientibus.* [Col. 0128B] Pergit dein Helinandus: Hoc itaque monasterium post hoc, ut dictum est, donante Carolo suscepit regendum Alchuinus, scientia vitaque praeclarus, qui et sapientiae studium de Roma Parisiis transtulit, quod illuc quondam a Graecia translatum fuerat a Romanis. *Et Vincentius ipse loc.* cit., cap. 174: Scripsit autem Alchuinus, qui et Albinus de Sancta Trinitate libros tres. Scripsit et ad discipulos suos Dialogorum librum unum. Sententiarum librum unum. Super Genesim ad litteram librum unum. Super Cantica Canticorum librum unum. Epistolarum librum unum. Super Ecclesiasten librum unum. Super Joannem libros septem. Ad Eulaliam virginem de ratione animae librum unum. Ad Fredegisum Dialogum de Trinitate librum unum.

XXXIV. *Canonicus Senonensis anonymus, qui gesta Senonensium archiepiscoporum scripsit ad annum 779.*

[Col. 0128C] Illo tempore florebat Alcuinus alumnus et eruditor Caroli Magni. Philosophus erat, Anglicus genere. Ab ipso Carolus Magnus omnes artes liberales didicit. Huic Alcuino Carolus commisit monasterium sancti Martini Turonensis regendum. *Et postea:* Anno Domini 804 obiit Alcuinus, qui regem Carolum docuerat.

XXXV. *Guillelmus Nangius in Chronico.*

Anno 806 **(Leg. 804)** Alcuinus magister Caroli Magni quem ecclesiae sancti Martini Turonensis praefecerat, obiit.

XXXVI. *Guillelmus Durandus Mimatensis episcopus, lib.* VI *Ration.* divin. offic., cap. 114.

Rursum cum Attila rex, qui Christianos persecutus est, vere omnia volumina Christianae religionis destruxisset Alchuinus magister Caroli et Ludovici [Col. 0128D] filii ejus, rogatu Bonifacii archiepiscopi Maguntini, multa de ecclesiasticis officiis conscripsit. Unde et Maguntino concilio approbante, ut habetur de Consecr. distinct. 5, instituit, quod a festo Paschae usque ad Dominicam istam tres tantum dicerentur lectiones, etc.

XXXVII. *Radulfus decanus Tungrensis libr.* de Observantia canonum, propos. 10, tom. XXVI Bibl. PP., p. 297.

Primo autem plures nationes per totum tempus Paschale tres tantum psalmos et tres lectiones dicere contendunt et dicunt; allegantes, quod Alcuinus magister Caroli et Ludovici filii ejus, rogatu Bonifacii archiepiscopi Moguntini, approbante concilio Moguntino, illud instituisset. Sed hoc reprobat Guilhelmus et dicit oppositum concludi in Ascensione Domini, ubi sunt novem responsoria et novem psalmi cum eorum antiphonis.

[Col. 0129A] XXXVIII. *Magnum Chronicon Belgicum ad annum 770.*

Isto tempore floruit Albinus qui et Alcuinus, Caroli eruditor, genere Anglicus, clarus ingenio in philosophia excellentissimus; non tantum in scientia, sed et morum honestate praeclarus; a quo Carolus didicit omnes artes liberales. *Et paulo post:* Eidem Alcuino Carolus commisit monasterium sancti Martini Turonense regendum. Nam monachi praeteritae religionis obliti adeo deflexerunt, ut sericis induti vestibus et deauratis calceamentis incederent, carnis oblectamenta sequendo, etc. Istius coenobii post hoc factus fuit abbas Alcuinus in omni sanctitate reformator; et post laudabilem vitam obiit, sepultus apud sanctum Petrum.

XXXIX. *Huldricus Mutius in Chronico Germanorum libr.* VIII, *apud Pistorium tom.* II Script. Germ., pag. 677, [Col. 0129B] edit. Ratisbon. 1726.

Ipse (nempe Carolus rex) usus est praeceptoribus Petro Pisano in litteris Graecis. In dialecticis et rhetoricis et astrorum scientia, mathematicisque omnibus usus est praeceptore Britanno Alcuino diacono. Scribunt auctores, quod hic Alcuinus a rege Angliae legatus missus sit ad Carolum de magnis regnorum negotiis: et sic alterum alteri cordi fuisse, ut manserit Alcuinus apud Carolum.

XL. *Poeta Germanus a Camdeno relatus, apud Alfort.* tom. II, Annal. Hist. Eccl. Anglo-Sax. ad annum 800, num. 8.

Quid non Alcuino facunda Lutetia debes? Instaurare bonas ibi qui feliciter artes, Barbariemque procul solus depellere coepit.

XLI. *Franciscus Petrarcha libr.* V *Epist.* Senil. Epist. 2.[Col. 0129C]

De Carolo autem, qui Magni cognomen apud Gallos meruit, Albinus praeceptor ejus in ipsius historia, cum aliquot annis ante obitum crebris illum febribus corripi solitum dixisset, addidit: Et tunc quidem, inquit, plura suo arbitratu quam medicorum consilio faciebat, quos pene exosos habuit. Hoc totidem verbis narratur ab Eginhardo in Vita Caroli Magni apud Bouquet, tom. V Script. Rer. Gallic., num. 22, pag. 98.

XLII. *Donatus Acciajolus in Vita Caroli Magni apud Quercetanum h.* l.

Praeceptorem (Carolus) habuit Albinum, cui postea Alcuino cognomen fuit, eruditissimum summumque philosophum; a quo non solum studium sapientiae, sed etiam praecepta oratoria artemque disserendi accepit: cujus opera tunc primum Parrhisiense gymnasium a Carolo institutum tradunt.

[Col. 0129D] XLIII. *Joannes Trithemius abbas Spanheimensis libr.* De scriptoribus Eccles.

Alcuinus sive Albinus, monachus et diaconus, abbas monasterii sancti Martini Turonensis, natione Anglicus, sancti Bedae presbyteri quondam auditor, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et in saecularium litterarum peritia nulli suo tempore secundus, carmine excellens et prosa: de Britannia ab imperatore Carolo Magno evocatus in tanta familiaritate apud eum habitus est, ut imperatoris magister deliciosus fuerit appellatus: cujus magisterio ipse imperator omnibus liberalium artium disciplinis initiari satagebat. Scripsit multa praeclara volumina, de quibus feruntur: De Sancta Trinitate et fide, lib. 3. *Domino glorioso Carolo imperatori.* Ad Quaestiones Fredigisi lib. 1. *Desiderantissimo filio.* Ad Eulaliam De ratione animae lib. 1. *Charissimae in Christi charitate.* Ad Guidonem [Col. 0130A] comitem De virtutibus lib. 1. *Dilectissimo filio Guidoni.* Sententiarum librum unum. In Cantica Canticorum lib. 1. In Evangelium Joannis lib. 7. In Genesin lib. 1. In Ecclesiasten lib. 1. In Epistolas Pauli lib. 14. In Apocalypsin Joannis lib. 1. De adoptione filiorum Dei lib. 1. *Venerabili et in Christi.* De Ecclesiasticis dogmatibus lib. 1. *Credimus unum Deum.* Speculum parvulorum lib. 1. *In Scriptura divina.* De nominum Dei proprietate lib. 1. Vita sancti Vedasti, lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Ad discipulos Dialogus, lib. 1. Enchiridion in quibusdam psalmis, lib. 1. De artibus liberalibus lib. 1. Alia quoque multa scripsisse dicitur, quae tamen ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub imperio Caroli Magni anno Domini

770.

Idem Trithemius lib. II *De viris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap.* 26 eadem pene habet, haec tamen addit:

Post cujus (Bedae) decessum cum tribus sociis monachis [Col. 0130B] venit in Galliam, et aliquandiu in monasterio Fuldensi moratus, plures ex monachis clarissimos enutrivit discipulos; inter quos habuit praecipuos Haymonem postea episcopum, Isuardum monachum, et Rhabanum Maurum tunc puerum, qui in virum magnum postea excrevit. Tandem provisione Caroli abbas sancti Martini Turonensis effectus, doctrina et sanctitate clarus effulsit. *Post haec opuscula quaedam praecedenti catalogo adjungit, nempe:* Quaestiones Genesis lib. 1. In Epistolam Pauli ad Hebraeos lib. 1. De benedictionibus patriarcharum lib. 1. De Grammatica, de Logica, de Orthographia, de Musica, de Astronomia, de arte Poetica, de Sparsione litterarum, de Metris, de Arithmetica et Geometria, de Rhetorica. Epistolarum, quae raro simul inveniuntur lib. 1. Prognosticon de futuro saeculo.

XLIV. *Auctor Chronici Chronicorum.*

[Col. 0130C] Alcuinus . . . vir graeca Latinaque lingua egregie doctus, nec non theologorum, philosophorumque sui temporis princeps, his temporibus eas ob res apud Carolum Magnum maximo in pretio habitus est, cum eum in dialectica, rhetorica et astronomia eruditum fecit. . . . Hic cum eruditus theologus haberetur, Libros de Trinitate, cum Quaestionibus, Speculum parvulorum, De ecclesiastico dogmate, De ratione animae et plures alios libros, ad Christianam religionem pertinentes, edidit.

XLV. *Polydorus Vergilius libr.* V, *Hist.* Anglicae pag. 106, Edit. Basileensis, an. 1570.

Carolus Magnus Albinum seu Alchuinum ab Offa Merciorum rege in Galliam missum conciliandae amicitiae causa, cum videret in homine plurimas esse litteras, quamobrem merito ei honor esset habendus, ex legato hospitem fecit suum, ex hospite praeceptorem; [Col. 0130D] vetus Atheniensium, credo, imitatus exemplum, qui Gorgiam a Leontinis publice ad se missum legationis munere defunctum, Athenis detinuerunt, ejus capti eloquentia. Alchuinus itaque homo Anglus, in Gallia deinde moratus, Lutetiae Parisiorum bonas litteras profiteri coepit, eoque auctore non multo post ipse Carolus in ea urbe primus gymnasium collocavit, et in Italia Ticini, quae nunc Papia nuncupatur, alterum, etc.

XLVI. *Albertus Cranzius libr.* I *Metropoleos, cap.* 6.

Alcuinus apud regem Carolum vir primarius cujus consilio, praesertim in sacris rebus omnia gerebat: hic regi primum suggessit de Ludgero.

XLVII. *Sixtus Senensis Bibl.* sanctae lib. III, *pag.* 362.

Albinus Flaccus, cognomento Alcuinus, monachus, diaconus, et abbas monasterii sancti Martini Turonensis, [Col. 0131A] natione Anglicus, Bedae presbyteri auditor, vir in omni

scientiarum genere suo tempore celebratissimus et Caroli Magni Augusti praeceptor, scripsit in sacras litteras infrascripta volumina.

Ad Sigulfum presbyterum interpolatae expositionis ex Patrum sententiis in Genesin brevem commentariolum per interrogationem et responsionem simplici et historica narratione dispositum: cujus initium est: *Dilectissimo in Christo fratri Sigulpho.* In quindecim cantica Graduum, hoc est, a psalmo 119 usque ad 133 moralium annotationum brevem commentarium, qui incipit: *Gradus sunt.* In septem psalmos poenitentiae juxta sensum moralem succinctas, argutas ac mire significantes annotationes, quarum initium: *Titulus psalmi.* In Ecclesiasten ad Oniam et Candidum librum unum. In Canticum Cant. librum unum. In Joannis Evangelium succinctae lucidaeque brevitatis commentariorum libros septem. In omnes Pauli Epistolas libros quatuordecim. In Apocalypsin librum [Col. 0131B] unum.

Collegit etiam et in ordinem redegit jussu Caroli Magni praestantissimorum Ecclesiae doctorum homilias in Evangelia, quae per anni ambitum publice in templis leguntur. Sunt autem hae numero 209, scilicet: Augustini 48, Hieronymi 6, Ambrosii 10, Hilarii 1, Fulgentii 2, Origenis 4, Maximi 17, Chrysostomi 11, Severiani 1, Leonis 21, Gregorii 39, Bedae 48, Isidori 1.

In his autem, quae sub Hilarii, Ambrosii, Hieronymi et interdum Bedae titulo inscribuntur, homiliae non sunt, sed centones explanationum ex horum auctorum commentariis dissuti, et in hoc volumine inter eas quae veteres sunt homiliae, annumerati. Claruit sub Carolo Magno Aug. anno Domini 770.

XLVIII. *Joannes Lelandus De scriptoribus Britannicis.*

Quo tempore . . . Eboraci elegantissimam, in gratiam posteritatis, bibliothecam (Ecbertus) homo promovendis [Col. 0131C] studiis plane natus instituit. Utque tantis suus custos pervigil thesauris non deesset, Flaccum Albinum alumnum suum eloquentia, eruditione, judicio denique valentem operi praefecit novo. *Idem cap.* 87, pag. 119, Albinum vocat inter doctos sua aetate doctissimum. *Idem cap.* 88, pag. 121 . . . Offa Merciorum princeps potentissimus una cum caeteris Angliae regulis habebat justissimas causas mittendi oratores ad Carolum Magnum. Quaerenti autem quos potissimum mitteret, Albinus occurrit inter alios, quem tam necessariae juxta ac utili legationi praeficeret. Hic itaque una cum aliis et doctissimis et prudentissimis viris in Galliam transfretavit, Caroloque Magno principum Anglicorum causas magna dexteritate, majori facundia, maxima vero prudentia aperuit: usque adeo ut Carolus delectatus, supra quam cuique credibile est, hominis eloquentia et sapientia, tum etiam morum suavitate illum in Gallia, forsan etiam annuente Offa rege, propositis honestissimis conditionibus [Col. 0131D] retinuerit. Erat ipse Carolus optimo ingenio, et non a litteris abhorrenti. Quare cum Albino egit quibus modis Francos suos eruditis artibus excoleret. Non hic defuit sanum Albini consilium, qui ipsum principio Carolum insigni quadam diligentia, editis ad hoc aliquot qui adhuc exstant libellis instruxit: deinde publicis praelectionibus nobilitatem Francicam Lutetiam Parisiorum illexit; postremum et plebem ipsam, ut quisque erat praeclaro ingenio, ad optima studia incitavit. Unde brevi scholasticorum numerus magnus Lutetiam confluxit. Atque haec fuit Academiae

Parisiorum origo, quam nostro Albino debent. Quod si nunc quem juvat, quid amplius in Gallia fecerit, scire, perlegat librum ejus Epistolarum, et abunde [Col. 0132A] doctus erit. Nos interea indicabimus quos libros ediderit teste Donato Gallo, minime mendace historiographo.

De Trinitate lib. 3. *Domino Glorioso Carolo.* In Genesin lib. 1. *Quomodo convenit.* In Cantica Canticorum lib. 1. In Ecclesiasten lib. 1. In Evangelium Joannis lib. 7. In Epistolam ad Hebraeos lib. 1. Dialogorum ad discipulos lib. 1. De ratione animae ad Eulaliam. *Charissimae.* Sententiarum libr. 1. *Moses per revelationem.* Vitam sancti Vedasti Atrebatensis. Carminum ad diversos lib. 1. Inter quae exstat unum de septem scientiis, quibus et hos addit *Trithemius, Vide supra num.* 43.

Nos praeterea vidimus: De adoratione imaginum. De Genealogia Christi. De Astronomia. De Dialectica. De Rhetorica; nisi quis putet hos libellos inter dialogos numerandos. De Orthographia. De auriculari Confessione libellum, qui in Librum ejus Epistolarum irrepsit. Orationum, quas Missales vocant libr. [Col. 0132B] 1. De Sacrario Dei @ [Col. 0131D] Forte: *De divinis officiis.:* qui liber tamen falso ascribitur Albino. Vitam divi Martini. Homiliarum libr. 1. Dogmata Albini ad Carolum imp. Orationem Dominicam, Symbolum apostolorum, Canticum Ambrosii carmine. De octo partibus orationis, per dialogum, interlocutoribus Francone et Saxone. Hactenus de libris ab eo editis.

Idem Lelandus l. cit. cap. 100, in Candido, pag. 133, ita scribit:

Hujus (Higebaldi episcopi) cura tandem factum est ut Candidus in Galliam commigrans se ad Flaccum Albinum, tanquam ad torrentem litterarum eo saeculo profluentissimum conferret. . . . . Hoc luculente mihi constat, quod Albinus Commentarios quosdam Candido presbytero et Nathanaeli, alias Naitano diacono dedicaverit. Atque adeo credibile est Nathanaelem Lindisfarnensem fuisse familiarem quidem aliquando Albino, et consuetudine conjunctissimum Candido. De libris fructu utriusque scriptis frigida et jejuna est, quae restat, cognitio. Pessime [Col. 0132C] sit Danis piratis, Lindisfarnensis bibliothecae depopulatoribus.

XLIX. *Joannes Balaeus Anglus Scriptorum Britan.* centuria II.

Flaccus Albinus, qui et Alcuinus diaconus cognominabatur, a nonnullis scriptoribus Eboracensis putatur, ab aliis vero Londino non procul oriundus fertur. Hic Bedae primum, Egberti archiepiscopi postea obsequentissimus olim discipulus, theologorum suae aetatis, imo omnium Anglorum post Bedam et Aldhelmum longe eruditissimus credebatur, ita, ut esset Caroli Magni praeceptor, et Parisiorum Academiae institutor primus. Gymnasii Cantabrigiensis annales habent, quod omnes illic liberales artes publice post Bedam docuerit, Latine, Graece et Hebraice peritus. Et quod tandem Eboraci sub Egberto praelegerit, philosophorum sui temporis antesignanus. [Col. 0132D] Ab Offa potentissimo Merciorum rege ad Carolum praedictum pro pacis foedere confirmando, atque aliis regnorum negotiis missus: perspecta ejus eruditione pene incredibili fit ex legato hospes, et ex hospite demum magister deliciosus: non aliter, quam apud Athenienses fuerit olim Gorgias. Deinceps igitur illum instructorem prae

aliis omnibus Carolus Caesar habebat in rhetoricis, dialecticis, mathematicis ac theologicis; qui et simul computandi artem atque siderum cursus varios sub eo copiose didicit. De quo Bebelius in quadam praefatione

@ [Col. 0131D] Praefatio haec praefixa est editioni Commentarii in Ecclesiasten Basileae, 1531. Idem de Alcuino judicium tulit Adrianus Aerntspergius in epistola ad [Col. 0132D] Georgium baronem de Graveneck abbatem S. R. I. principem Campidonensem praefixa libro De Psalmorum usu, quem is procudi fecit Coloniae 1571 per Maternum Cholinum in-8o. hoc scribit: «Albinus, inquit, auctor ubique pius, succinctus, maturus, gravis, scientia plenus, et ante multos alios praecipue dignus, qui in manibus hominum habeatur: [Col. 0133A] nam et stylus ejus simplex est et purus.» Abbas primum erat Cantuariae in Augustini monasterio, atque demum Turoniae in divi Martini coenobio, Caroli Caesaris, cui tunc fuit ab eleemosynis et a sanctis consiliis, dono. Gymnasium ex Roma circiter annum salutis 791 Lutetiam Parisiorum transtulit (quod et illuc Athenis persimili prius cura venerat), et conjectis primum studii fundamentis per Joannem et Claudium, mirifice illud lecturis collustrabat publicis. Hujus viri celeberrimi ad posteros haec manarunt tam pie quam eloquenter elucubrata opuscula.

De Trinitate et Fide, libri 3. *Dum dignitas imperialis a Deo.* Ad Quaestiones Fredigisi lib. 1. *Placuit prudentiae vestrae fili.* Ad Eulaliam de ratione animae lib. 1. *Sanctae sollicitudini vestrae.* De animae utilitate ad Guidonem lib. 1. *Memor petitionis tuae et pro.* Speculum vitae humanae libr. 7. *Reverendissimo in Christo Patri*

@ [Col. 0133D] Forte idem, quod recensetur in catal. mss. Angliae et Hiberniae inter codd. domus sancti Petri num. 1759 sub hoc titulo. *Speculum humanae vitae,* sive de [Col. 0134D] vera simplicitate per Flaccum Albinum sive Alcuinum.. De octo partibus, lib. 1. *Audivimus te, doctissime.* De Sanctuario divino lib. 1. Argumentum [Col. 0133B] suae fidei lib. 1. Responsiones ad interrogata lib. 1. De Incarnatione Christi lib. 1. *Denique ad veram beatitudinem.* Ad Guidonem de virtutibus lib. 1. *Dilectissimo filio Guidoni.* Dialogorum inter se et Carolum lib. 1. *Natura enim ipsa sumus.* De virtutibus ad Carolum lib. 1. *Benedictus Deus et Dominus.* Categoriarum ad Carolum lib. 1. *Cum omnis scientia.* Sententiae Scripturarum lib. 1. Super Genesin ad litteram lib. 1. In Cantica Cant. lib. 1. In Ecclesiasten lib. 1. *Dilectissimis in Christo filiis.* De ecclesiasticis dogmatibus lib. 1. *Credimus unum Deum esse.* De adoptione filiorum Dei lib. 1. *Venerabili et in Christi char.* Quaestiones in Genesim lib. 1. *Dilectissimo in Christo Siguulfo.* Manifestationem Trinitatis lib. 1. Enchiridion Psalmorum lib. 1. In Evangelium Joannis libr. 7. In Epistolas divi Pauli libr. 14. Ad Caroli-orationem lib. 1. *Dominus et magister noster.* Disputationes cum Pippino lib. 1. *Quid est littera, si ad pri.* Speculum parvulorum lib. 1. *In* [Col. 0133C] Scriptura divina legimus. De proprietate nominum Dei lib. 1. *Domino Deo rectori optimo.* In Paulum ad Hebraeos libr. 1. In Apocalysin Joannis lib. 1. Ad Anglorum ecclesias lib. 1. Correctiones divinorum, lib. 1. Officia per ferias, lib. 1. De Rhetorica ad Carolum lib. 1. *Domino glorioso Carolo imp.* Chronicorum suorum lib. 1. *Anno Dominicae Incarnat.* 449. De septem artibus liberalibus lib. 1. *Domino meo venerabili piiss.* De Vita et virtutibus Martini lib. 1. *Postquam Dominus noster Jesus.* Vita Vedasti Atrebatensis lib. 1. Acta discipulorum Gregorii lib. 1. De doctrina Basilii lib. 1. Ad Athelhardum Cantuar. lib. 1. Dialogorum ad discipulos lib. 1. De proprietate sermonum et rerum lib. 1. Homilias 254 doctorum lib. 1. *Desideratissimo in Christi charit.* De fide catholica lib. 1. *Quoties occurrit*

animo. De Antichristo ad Carolum lib. 1. *Inprimis illud praecipue.* Vita Villebrordi carmine lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Gesta Caroli Magni lib. 1. Sermones elegantes lib. 1. Ad Gislam et Richtrudam lib. 1. [Col. 0133D] *Charissimis in Christi charitate.*

De Genealogia Christi lib. 1. Contra venerationem imaginum lib. 1. De Astronomia lib. 1. De Dialectica lib. 1. De Orthographia lib. 1 De auriculari Confessione lib. 1. Precationes Missales lib. 1. Dogmata quaedam ad Carolum lib. 1. Historiam Trinitatis lib. 1. Didascalicon lib. 1. De Sapientia lib. 1. Carminum ad diversos lib. 1. Orationem Dominicam, Symbolum apostolorum, et Canticum Ambrosii et Augustini carmine edidit, cum aliis adhuc multis.

[Col. 0134A] Claruit anno restaurationis humanae 780 varia componens. Et tandem in Cormaricensi coenobio, quod ad Turonense monasterium spectabat, esse desiit in humanis atque illic sepultus.

L. *Barthius Adversar.* tom. III, lib. CXLIX, *cap.* 5.

In Albino (Alcuino Flacco) non minor fuit eruditio, quam quolibet majorum gentium alio aliquo scriptore: major etiam fervor Christianae mansuetudinis, humilitatis, sanctitatis, quam in pluribus meliorum temporum. Sola deficit puritas orationis quam contempsit, conformans se sensui temporum suorum, quae aspernantur omnia, quae eloquentiam interpretum Scripturae excederent. Epistolas sane ejus legens, legere zelum te et sanctimoniam Hieronymiani aevi dicas, si absint illae barbarismorum stribiligines. Nec sic tamen et cum istis contemnenda sunt.

[Col. 0134B] LI. *Guilielmus Cave Hist.* Lit. vol. I, pag. 637.

Alcuino quidquid penitioris doctrinae, quidquid politioris litteraturae isto et sequentibus saeculis Gallia ostentat, totum acceptum referri debet. Ei Academiae Parisiensis, Turonensis, Fuldensis, Suessionensis aliaeque plures originem et incrementa debent; quibus ille si non praesens praefuit, aut fundamenta posuit, saltem doctrina praeluxit, exemplo praeivit, et beneficiis a Carolo impetratis adauxit.

LII. *D.* Andreas Quercetanus in epistola dedicatoria suae Operum beati Alcuini editioni praefixa et illustrissimo D. Guilielmo Vario Franciae cancellario inscripta.

Beatum Alcuinum vocat unum e principibus imperialis aulae comitibus, usu et exercitatione rerum [Col. 0134C] tractandarum, omnibusque artibus adeo instructum, ut prudentissimis ejus consiliis rex Carolus semper uteretur: cujus beatos manes honorifica recordatione prosequitur Gallia, quod, cum ob singularem eruditionis ac sapientiae famam apud Carolum Magnum gratia et auctoritate plurimum valeret, hac sortis benignitate non ad sui ipsius commoda, sed ad communem reipublicae utilitatem usus est. *Et paulo inferius:* illum praedicat virum sapientia, consilio, scientiis omnibus aevo suo praestantissimum, sanctitatis splendore conspicuum, probitate morum nitentem, facundum, litterarum omnium propagatorem.

Baronius anno 770 vocat Alcuinum «praeclarissimum Doctorem.» Et an. 802, «hujus saeculi facem.» Harpesfeldius saec. IX, C. 2: «Angliae nostrae et totius hujus saeculi ornamentum.» Magdeburgenses Cent. VIII de Alcuino scribunt col. 780: «Ejus magisterio Francos antiquis Romanis factos aequales.» Et col. 782: «Non tantum scientia sed et morum [Col. 0134D] honestate insignem fuisse.» Twinus lib. II Antiq. Oxon. sect. 113, Alcuinum vocat «divinissimum hominem.»

Alia plurima scriptorum recentiorum, maxime Anglorum, testimonia et elogia sanctimoniae ac eruditionis beati Alcuini, ac praeclara in sacram ac profanam rempublicam merita recensenda superessent, quae tamen, ne nimium prolixi simus, praetermittimus. Quae enim hactenus exhibuimus, abunde comprobant, quanti Alcuinus semper et ubique habitus fuerit.

BEATI FLACCI ALBINI SEU ALCUINI CAROLI MAGNI MAGISTRI OPERUM PARS PRIMA. ---EPISTOLAE.

MONITUM FROBENII.

[Col. 0135A] {1} Primus eorum qui plures beati Alcuini epistolas uno fasce collectas dederunt, fuit Henricus Canisius, qui omnino sexaginta septem e cod. ms. bibliothecae Sanct-Gallensis in lucem produxit tom. I Antiq. Lectionum, n. 61. Illas deinde Basnagius in nova Canisii editione, tom. II, part. I, recudi fecit. D. Andreas Quercetanus easdem epistolas, in prioribus editionibus ut plurimum mutilas, scriptorumque incuria vitiatas, et multis locis hiantes, emendatiores dedit, pluresque alias, e vetustissimo codice ms. V. cl. Pauli Petavii descriptas, addidit, atque parti II Operum beati Alcuini inseruit, omissis tamen, queis Canisius suas {2} illustravit, notis eruditis. Posthac viri celeberrimi, magnique apud eruditos nominis, Lucas d'Acheri, Joan. Mabillonius, Edmundus Martene, Stephanus Baluzius, Usserius, Bernardus Pezius alias quoque epistolas beati Alcuini e variarum bibliothecarum latebris eruerunt, suisque Spicilegiis, Analectis, Thesaurisque Anecdotorum insertas [Col. 0135B] sparsim miserunt in publicum. Celeberrimus Mabillonius inter hos felicior fuit, qui sex omnino et viginti epistolas nondum editas in cod. ms. bibliothecae monasterii nostri sancti Emmerami reperit, atque in suis Analectis a pag. 398-408, rec. edit. exhibuit, easque felici conjectura ad beatum Alcuinum pertinere deprehendit; mutilae enim ubique in praefato codice exstant, ut generalium pro epistolis scribendis formularum specimina potius quam integrarum formam praeseferant, omissis nimirum illorum, a quibus aut ad quos exaratae fuerant, nominibus aliisque circumstantiis singularibus. Ipse etiam titulus illis epistolis in codice praefixus lectorem de illarum auctore incertum reddebat; Is enim talis est: *Incipiunt quaedam epistolae ex quorumdam nobilium* [Apud Mabill., erronee, *novorum*] doctorum libris excerptae. Conjectura tamen virum celeberrimum, dum illas Alcuino tribuit minime, ut mox patebit, fefellit, licet in iis declarandis nonnunquam a vero invitus aberraverit, prout suis locis adnotamus.

[Col. 0135C] Has informes, quales, ut diximus, in codice nostro scriptae exstant, epistolas Mabillonianas pene omnes faventibus Musis integras deteximus in duobus vetustis

optimae notae ac ferme coaevis codicibus mss. e bibliotheca illustrissimi capituli cathedralis Salisburgensis nobiscum liberalissime communicatis. Pars earum maxima Aquilae seu Arnoni primum episcopo, postea primo archiepiscopo Salisburgensi a beato Alcuino inscripta est. In illis circumstantiae singulares, quae in generalibus formulis, in quas in cod. sancti Emmerami redactae fuerant, omissae sunt, exprimuntur, ut plane nunc epistolae illae pro novis haberi possint.

Praeter has vero epistolas Mabillonianas aliae quaedam ex iisdem codd. Salisb. a nobis exhibentur nemini antea visae aut memoratae, quod suis locis monebimus.

Etsi vero in hac nostra collectione sat magnus [Col. 0136A] epistolarum beati Alcuini numerus compareat, plures alias tamen, quas idem ad varias et maximae quoque dignitatis personas exaravit, adhuc desiderari novimus, et in quibusdam fortassis bibliothecarum forulis etiamnum latentes, ni, quod magis dolendum foret, omnino perierint, manum industriam exspectare non dubitamus. Certe ad solum beatum benedictum abbatem Ananiensem, amicitia sibi conjunctissimum, noster tot epistolas scripsit, ut inde integer libellus confici potuisset, prout testatur Ardo Smaragdus in Vita sancti Benedicti Anian., tom. V Act. Mabill., pag. 205, n. 36. Neque tamen vel una ex eis superesse videtur.

Ipse quoque beatus Alcuinus in suis quae exstant epistolis aliarum multarum ad Carolum Magnum, ad Arnonem, ad Paulinum Aquileiensem, ad reges et episcopos Angliae, ad primates Germaniae, Galliae, Italiae, etc., scriptarum meminit, quae nunc nullibi comparent.

[Col. 0136B] Lelandus, de Scriptoribus Britannicis, cap. 100, pag. 123, meminit epistolae Alcuini ad Higebaldum Lindisfarnensem episcopum, indeque verba citat, quibus tacito quodam studio Candidum repetit discipulum. Usserius vidit epistolam ad Josephum, aliam ab illa quam infra sub n. 131 (nunc 173) exhibemus. Reynerus apud Alfordum Annal. Anglo-Saxon. ad annum 804, n. 20, pag. 14, recenset epistolam centesimam quinquagesimam ad Eadbaldum Gerwicensem abbatem, ex qua haec solum verba refert: «Non ignotum esse tuae dilectioni, venerande frater, credo, quod olim sancti Patres antecessores tui mihi, licet indigno, familaritatis vestrae gratiam perdonaverunt, et in albo beatitudinis vestrae meae parvitatis nomen conscribi jusserunt, ita, ut unus essem ex vobis, ubicunque Deo volente essem.»

Scriptor anonymus Vitae sancti Liudgeri testatur quod Carolus Magnus hunc sanctum virum litteris Alcuini, cujus idem in Britannia discipulus fuerat, ad se venire mandaverit. Mabill. Act. Ss., saec. [Col. 0136C] IV, pag. 40.

Celeberrimus Stephanus Baluzius tom. I Capitul., pag. 1442, narrat quod post absolutam Capitularium editionem in bibliothecam Colbertinam delata fuerit vetustissima epistolarum Alcuini collectio, unde is epistolam ad Candidum et Nathanaelem descripsit, et loco citato edidit. Quaenam aliae ibidem epistolae contineantur nec ipse Baluzius, nec alius quisquam eruditorum prodidit, atque ideo ignoratur sintne eaedem cum editis a Quercetano aliisve, an diversae. Idem dicendum de quibusdam epistolis, quarum in Catal. mss. Angliae et Hiberniae, Oxonii anno 1697

in fol. edito, fit mentio. Ibi enim legitur, haberi in cod. ms. Thomae Gale, n. 5996, *epistolas Alcuini editis plures et meliores;* in cod. ms. ecclesiae Salisburiensis, n. 931, *Alcuini epistolas et versus ad Carolum;* in cod. ms. Symonds d'E-vves baronetti, n. 10025, *Alcuini Caroli Magni magistri epistolas XCI* [Col. 0137A] *cum adnotationibus.* In eodem Catalogo, pag. 237 et 262, recensentur *Joannis Lelandi et Ricardi Jamesii collectanea ex epistolis Albini seu Alcuini.* In veteri quoque Catalogo inclyti monasterii S. Petri Salisburgi notantur Alcuini septem epistolae ad Arnonem illius sedis episcopum, quae nunc inquirentium oculos fugiunt.

{3} Ex his codicibus, Angliae praeprimis, beati Alcuini epistolas plurimum augeri, editasque admodum illustrari potuisse, si copia illorum mihi facta fuisset, nemo est qui non censeat. Sed jam taedet eruditorum quorumdam subsidia, jam variis modis sollicitata, diutius et id quoque frustranee fortassis, exspectare. Damus ergo hoc loco epistolas omnes quarum nobis copia fuit, reliquas publico litterato non invideant diutius, sub quarum custodia delitescunt.

Priores, quos memoravimus, editores nullum epistolarum ordinem servarunt, praeter illum quem [Col. 0137B] forte invenerunt in codd. mss. aut quo ad eorum manus pervenerunt. Nobis animus erat, quod in nostro conspectu novae hujus editionis ante aliquot annos impresso significavimus, illas juxta personarum, ad quas scriptae fuerant, dignitatem collocare; sed a viro reverendissimo, laude eruditionis celeberrimo et amico integerrimo D. Anselmo Desing abbate [Col. 0138A] Ensdorfensi in superiori Palatinatu, moniti, consilium mutavimus; nullam enim, aiebat ille, talis ordo attentionem meretur apud eruditos; gratior futurus est ordo chronologicus, qui magis illustrat et afficit. Hoc igitur consilium secuti epistolas hasce, ab aliis collectim sparsimque editas, seu e codd. mss. descriptas commiscuimus, atque secundum annorum seriem, ubi ea vel certis vel verosimilibus indiciis deprehendi potuit, disposuimus; illis vero, in quibus tempus quo scriptae sunt, nullo indicio proditur, ultimum assignavimus locum.

Quanti pretii ejusmodi litterarum monumenta, praesertim si a viro gravi, circumspecto, rerumque sui temporis maxime perito scripta fuerint, habenda sint, nemo eruditorum ignorat. Horum porro commodo servituri, notas, quibus obscura illustrentur, ubique, siquidem succurrebant, addidimus; reliquas vero aliunde, a Canisio, Mabillonio, Basnagio aliisque mutuavimus, illorumque conjecturas, nonnunquam [Col. 0138B] a vero abludentes, e melioribus, quibus illi carebant, epistolis correximus, servata, quae tantos viros decet, reverentia et modestia.

Ultimo monendus lector eruditus, illa quae uncis conclusa habentur, nunc primo editis addita fuisse ex codd. mss.

MONITUM EDITORIS PATROLOGIAE IN NOVAM EPISTOLARUM B. ALCUINI RECENSIONEM.

Novam in hac beati Alcuini editione epistolarum sancti Patris recensionem facturi, paucis lectorem monitum voluimus. Frobenius, cujus, ut praestantissimam, editionem

sequimur, centum sexaginta duas tantum collegerat epistolas, quarum maximam partem submiserat prelo, cum ex insperato, sed serius, alias numero septuaginta unam excepit, quas ex Anglicis codicibus excerptas transmisit D. de Brequigny. Has seorsim, sub titulo: *Mantissa ad superiores epistolas, edidit.* Nos, ut editionem novam condentes, epistolas seorsim a Frobenio recusas prioribus inserimus, unicuique restituendo suum ordinem chronologicum, vel qualem requirebat materiae cognatio vel personarum identitas. Nunc Monitum subjiciemus quod Frobenius epistolis sibi serius transmissis praefixit.

MONITUM. (Louis-Georges-Oudard de Brequigny)

[Col. 0137C] «Epistolae quas hic plane ineditas et hucusque pene incognitas exhibeo, serius ad manus meas pervenerunt, quam ut illas suo ordine praecedentibus inserere potuerim. Istae namque jamjam ultra medietatem typis emerserant, cum vir doctissimus, modernus celeberrimae bibliothecae sancti Germani a Pratis custos D. Lieble faustum mihi nuntium attulit, epistolas Alcuini omnino LXXI ineditas, ex cod. ms. saec. IX bibliothecae Harleianae in Anglia descriptas fuisse a viro doctissimo D. de Brequigny regiae inscriptionum et humaniorum litterarum Academiae socio, qui anno 1767 illuc pro hujusmodi cimeliis litterariis colligendis jussu regis Christianissimi missus fuerat; virumque hunc praeclarum promptissimum se exhibere, ad illas pro nova editione Operum beati Alcuini communicandas. Quantum mihi gaudium ex hoc nuntio acciderit, illi norint qui in eruendis e recondita vetustate hujusmodi thesauris sunt occupati. Noveram quidem diu antea ex Catalogo mss. Angliae et Hiberniae edito Oxonii anno 1697, [Col. 0137D] quod inter codices mss. D. Symonds d'Ewes baronetti sub n. 10025 serventur *Alcuini,* Caroli Magni magistri, epistolae XCI *cum adnotationibus;* item epistola una Caroli Magni, et aliae septem Dungali abbatis. Quem codicem eumdem existimo ac illum bibliothecae Harleianae, prout ex relatione cl. D. Brequigny statim referenda colligi datur. Propterea eruditos Angliae per amicum, cui cum ipsis commercium litterarium erat, conveni; eosque, ut pro exornandis augendisque Operibus beati Alcuini eorum conterranei praefatas epistolas meis sumptibus describi, atque ad me deferri facerent, rogatos volui. [Col. 0138C] Sed conatus mei fuere frustranei, ob pretium pro his mercibus statutum prorsus immodicum.

«Me igitur felicem, quod pretiosae istae vetustatis reliquiae tandiu absconditae in manus inciderint magis liberales, et ad elargiendum promptiores; harumque beneficio eo adhuc tempore ad me delatae fuerint, quo epistolis jam impressis per modum mantissae jungi potuerint.

Porro qua ratione praefatus doctissimus D. de Brequigny epistolas hasce fuerit adeptus, quantumque industriae in illis describendis adhibuerit, ipsemet litteris ad me missis significat, quas hic majoris fidei gratia exhibere eruditis haud ingratum erit.

Inter praestantissima bibliothecae Harleianae cimelia, quae in museo Britannico Londini asservantur, exstat codex ms. signatus n. 208, membranaceus, minori forma, quam vocant in-4o, CXIX foliis constans, nitidissimo charactere in [Col. 0138D] Gallia, ut

videtur, exaratus. Epistolas Alcuini complectitur codex ille XCI, quarum maxima pars inedita. Has exscribere operae pretium duxi, cum de hoc codice altum silentium sit apud omnes, quos evolvi, bibliographos; nec memoretur ab Anglis ipsis, seu in Biographia Britannica recentius edita, seu in bibliotheca Tanneri, anecdotorum operum et manuscriptorum investigatoris diligentissimi.

Ad id incitabat me plurimum, quod nota huic codici praefixa moneat, doctissimum Usserium has epistolas cum editis a Chesnio Alcuini epistolis contulisse anno 1642, et manu sua distinxisse, [Col. 0139A] quas vulgaverat Chesnius, ab iis quae nondum typis mandatae fuerant: unde non temere, ut credo, conjecturam faciebam, Armachanum praesulem de iis tunc prelo committendis cogitasse.

Et certe, nec luce publica, nec tanti viri curis indigna videbatur haec Alcuini epistolarum collectio; quod profecto constabit inter omnes qui eam evolverint. Ex plurimis litteris quas Alcuinus ad sanctum Benedictum Anianensem scripserat, nullam ad nos pervenisse existimarunt, et vehementer doluerunt scriptores Historiae litterariae Galliarum (tom. IV, pag. 329). Harum una saltem (duae certe) superest inter eas quas codex Harleianus exhibet.

Alias quoque epistolas praeter Alcuinianas habet idem codex, quarum septem Dungalo abbati tribuuntur, breves quidem, sed anecdotae omnes. Has proxime antecedit epistola majoris momenti a Carolo Magno scripta ad Michaelem imperatorem. [Col. 0139B] Hanc appendicis loco epistolis Alcuini subnectere libuit, quod non ingratum fecisse me arbitror, omissis Dungali litteris, quas hic indicasse sufficiat.

Non supervacaneum sane duxissem totum codicem exscripsisse; sed mihi aliis impedito non licuit. Id tantum in me sumpsi, ut quas Usserius ineditas docuerat Alcuini epistolas, cum eas nec posterius editas deprehenderem, curarem transcribi, addita, quam modo laudavi, Caroli Magni epistola itidem hactenus inedita.

Ipse has omnes cum codice ms. contuli et affirmare ausim, ad exemplum archetypi accuratissime expressas, mendis etiam quae incuria veteris scriptoris in manuscriptum irrepserant, in apographum ad majorem fidem translatis.

Ergo emendatione in locis non paucis, imo et in pluribus illustratione indigent epistolae illae, sed huic labori suscipiendo nec ego par sum, nec otium [Col. 0139C] mihi datur. Satis fuerit, si in Operum omnium Alcuini collectionem a doctissimo viro cum omni [Col. 0140A] eruditionis apparatu edendam hanc meam qualemcunque symbolam contulerim, in magno opere adjutor debilis et pusillus administer.

Ita Londini transcriptum prius fieri curaveram, ut suo unaquaeque epistola quaternione contineretur. Verum, dum ex his quaternionibus in spissiores foliorum fasciculos secunda manu congeruntur epistolae, nec suus unicuique assignatur quaternio, ordo in ms. servatus intervertitur amanuensis oscitantia. Sed quis fuerit ordo ille, satis apparebit ex numero foliorum ms. codicis, singulis prout exscriptae sunt epistolis affixo.

Haec raptim scribebam Parisiis VI Idus Martii 1769 ad usum reverendissimi et

illustrissimi D. D. Frobenii, abbatis principis S. Emmerami Ratisponensis, cui salutem plurimam dare liceat et precari fausta omnia.

«DE BREQUIGNY, *Regiae inscript.* et hum. litt. Academiae socius.»

[Col. 0140B] «Ita vir doctissimus simul ac modestissimus, cui pro detecto hoc thesauro litterario, qui sane magni in historia tam civili quam ecclesiastica aestimari debet, grates perpetuas habeant eruditi omnes.

Errores veteris scriptoris in textu emendavi quidem, lectione tamen codicis notata, ut eruditi judicare possint num nostra correctio sit probanda vel improbanda.

Epistola Caroli Magni ad Michaelem imp., quam vir clarissimus Alcuinianis appendicis loco subnexuit, illa est quam idem legatis suis, Amalario episcopo Trevirensi, et Petro abbati Nonantulano, pro pace inter utrumque imperium confirmanda missis, ad praefatum imperatorem una cum instrumento pacis deferendam tradidit. Illam loco opportuno inter opera Alcuino supposita dabimus, post ejusdem Amalarii opusculum De caeremoniis baptismi, falso hactenus Alcuino ascriptum, una cum Hodoeporico illius, hactenus quoque desideratum, et epistolis illius ad Petrum [Col. 0140C] itineris socium, hujusque responsoriis hucusque pariter ineditis.»

EPISTOLAE. (Alcuinus)

{4}
@ [Col. 0139D] Haec epistola inter Quercetanas 94, inter Canisianas 53 est. Viro clarissimo Madrisio Utinensi, Operum sancti Paulini patriarchae Aquileiensis Patrologiae tomo C, col. 525, scripta videtur statim ab adventu Aerici ducis Forojulium, hoc est, anno 787. «Eo enim tempore, ait, Alcuinus Franciam, unde paulo ante discesserat Henricus (Aericus), incolebat, qui antequam provinciam ducatus adiit, Alcuinum invisere potuit, monita forte salutis aeternae ad susceptum opus sine Dei offensa exantlandum expostulaturus.»

EPISTOLA PRIMA. AD AERICUM DUCEM.

@ [Col. 0140D] *Aericus* ab aliis *Henricus,* Ericus et *Erichus appellatur, provinciae Forojuliensis dux a Carolo Magno constitutus est anno 787;* de eo plura vide apud Madrisium loc. cit. in dissert. in Librum Exhortationis sancti Paulini.. (Anno 787.) *Laudat illum ob studium sacrae lectionis et humilitatem;* optat illi victoriam adversus infideles; pietatis Christianae praeceptorem proponit sanctum Paulinum Aquileiensem.[Col. 0139C]

Venerando viro Aerico duci, Albinus magister salutem.

Satis mihi sacrae lectionis intentio et piae humilitatis conversatio placet in vobis, et in qua meae parvitatis familiariter mansiunculam visitare non sprevistis. Unde et gratias

agimus vestrae benignitati, Deumque dilectissime [*Al.* diligentissime] pro vestra deprecamur sospitate, quatenus tuae fortitudinis [Col. 0139D] dexteram contra adversarios sancti sui nominis victricem ubique faciat et ab omni adversitate diabolicae fraudis, seu a cunctis inimicorum insidiis, suae magnae pietatis potentia clementer custodiat: cujus sanctissimam voluntatem in observatione mandatorum [Col. 0140C] illius, quantum humanae possibile sit fragilitati, intentissime efficiens, ut te in prosperis regere et in adversis protegere dignetur. Plura tibi, vir venerande, de Christianae pietatis observatione forte scripsissem, si tibi doctor egregius et pius coelestis vitae praeceptor Paulinus meus

@ [Col. 0140D] *Paulinus meus.* Hujus Vitam egregie illustratam ab eodem viro clarissimo Madrisio vide in Operibus sancti Paulini ab illo editis. Paulinus vero praestitit Aerico, quod Alcuinus hic optat, per Librum Exhortationis qui exstat ibidem., praesto non esset, de cujus corde emanat fons viventis aquae, in vitam salientis aeternam **(Joan. IV, 14)**. Illum habeas tibi salutis aeternae conciliatorem, ne alicubi tuae conversationis pes impingat: sed recto itinere currens, divina donante gratia, ad perpetuae portas vitae pervenire mereatur. Vive et vale feliciter in aeternum.

{5}
@ [Col. 0140D] Haec epistola habetur in cod. ms. Salisburgensi [Col. 0141C] et in Sanct-Emmeramiano, quo Mabillonius usus est; cur vero illam praeterierit vir celeberrimus, ignoro. Uncis inclusa dedimus ex cod. Salisb. omissa in nostro.

EPISTOLA II. AD ARNONEM. (Anno 790.)

Illum praesentem habere desiderat; hortatur ad solertem curam animarum suo regimini commissarum; Laidradum salutari cupit; se vero ob regni novitatem adhuc in patria (Anglia) retineri significat.[Col. 0140D]

Dilecto Patri Aquilae episcopo Albinus salutem.

[Col. 0141A] Satis suavi commemoratione vestram recolo, sanctissime Pater, dilectionem, et familiaritatem, optans, ut quandoque eveniat mihi tempus amabile, quo collum charitatis vestrae desideriorum meorum digitulis amplecter. O si mihi translatio Habacuc esset subito concessa, quam citatis manibus ruerem in amplexus paternitatis vestrae, et quam compressis labris [*Al.,* labiis] non solum oculos, aures et os, sed etiam manuum vel pedum singulos digitorum articulos non semel, sed multoties oscularer. Verum quia meriti mei non est ita venire ad te, mittam saepius rusticitatis meae litteras ad te, ut vice verborum meorum loquantur pro me, et dicant:

Semper in aeternum, praesul sanctissime, salve,[Col. 0141B] Atque tui cuncti valeant, rogo, semper amici [*Ed.,* amice].

Obsecro iterum, iterumque admoneo, ut te ipsum consideres, et quo tendas agnoscas, et quid facias praevideas, et coram quam terribili Judice rationem redditurus sis, non solum de te, sed etiam de singulis animabus quae tuo commissae sunt regimini. Idcirco

non segniter labora, praedica opportune, inopportune [*Al.,* importune], id est, volenti et nolenti, argue, obsecra, increpa, ut merearis audire a Domino Deo tuo: *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui* **(Matth. XXV, 21)**. [Saluta, obsecro, Laedredum
@ [Col. 0141C] *Laedredum.* Laidradum puto, postea episcopum Lugdunensem, quocum Alcuinus arctam semper amicitiam coluit. Is in Norico natus inter domesticos Arnonis fuerit tunc temporis, quando Alcuinus prima vice Galliam accessit. consocium et amicum meum. Sequenti anno certum eum faciam, si ille certus erit [Col. 0141C] quid velit, vel quid possit.
@ [Col. 0141C] *Novitas regni nostri.* In alia quadam epistola, quam integram necdum detegere potuimus, referente Malmesb. lib. I De gest. reg. Angl., scripsit [Col. 0141D] Alcuinus: «*Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus.* Nuper Athelredus filius Athelwoldi de carcere processit in solium et de miseria in majestatem; *cujus regni novitate detenti sumus, ne veniremus ad vos.*» Haec novitas contigit anno 790, ut habet Simeon Dunelmensis et alii Anglorum historici. De eadem novitate Alcuinum hoc loco intelligendum esse existimo; et eodem vel sequenti anno datam fuisse praesentem epistolam, cum Alcuinus nondum ex Anglia in Galliam rediisset. Novitas regni nostri me retinet adhuc in isto anno; salus vos retineat in regno aeterno.] Mementote in orationibus vestris nostri nominis, obsecro. Memor sit vestri omnipotens Deus in aeterna misericordia. [Scribite mihi, [Col. 0142A] obsecro, quomodo habeatis, et quid novi apud vos accidisset istis diebus. Commendate, vel scribite, deprecor, nomen meum per monasteria et amicos vestros.] Pax vobis et salus in saecula perpetua.

{6}
@ [Col. 0141D] Hanc epistolam, cujus fragmentum exstat apud Malmesb., lib. I Reg. Angl. cap. 4, Jacobus Usserius integram ex duobus antiquissimis codd. bibliothecae Cottonianae descripsit et edidit in Vet. Hibernicarum epist. Sylloge, pag. 49.

EPISTOLA III. AD COLCUM LECTOREM IN SCOTIA (Anno 790.)

Varia enarrat quae in itinere suo vel vidit, vel audivit.

Benedicto magistro et
@ [Col. 0141D] {7} *Pio Patri Colcu.* Hunc Usserius vocat lectorem in Scotia, forte in monasterio Hiiensi, ait Mabill. Annal. lib. XXVI, n. 10. Ejus mentionem Alcuinus alibi facit, nempe in epist. ad Josephum, quae, teste [Col. 0142C] eodem Usserio, adhuc inedita latet in praedictis codd. Cottonianis. Ibi: «Sanus est magister vester Colcu et sani amici tui, qui apud nos sunt.» pio Patri Colcu Alcuine humilis levita salutem.

Audita sanitate et prosperitate paternitatis vestrae, totus, ut fateor, gavisus sum visceribus. Et quia curiosum te nostri itineris putavi, vel rerum in mundo nuper gestarum, per hos rusticitatis meae [Col. 0142B] apices tuae providentiae innotescere curavi, seu audita, seu visa.

Primo sciat dilectio tua, quod miserante Deo sancta ejus Ecclesia in partibus Europae pacem habet, proficit ac crescit. Nam
@ [Col. 0142C] *Antiqui Saxones* . . . . conversi sunt, dum nempe anno 785 Widichindus et Albio in villa Attiniaco *cum omnibus fere incolis Saxoniae baptizati sunt, et sic tota Saxonia subjugata est Francis;* ut loquitur annalista Metensis, et ipse Carolus in epist. ad Offam regem Merciorum, tom. I Capitul. Baluzii, pag. 194 (Patrologiae tomo XCVIII, col. 907). antiqui Saxones et omnes Frisonum populi, instante rege Carolo alios praemiis et alios minis sollicitante, ad fidem Christi conversi sunt. Sed
@ [Col. 0142C] *Anno transacto Sclavos* . . . Vionudos, etc. Hoc factum anno 789 refertur in fragm. Annal. edit. Chesnii, [Col. 0142D] tom. II Script. Franc., pag. 21, his verbis: «Anno 789 fuit rex Carolus in Sclavonia et venerunt ad eum reges Sclavoniorum Dragitus et filius ejus et alii reges Witsan et Drago cum reliquis reges Vuinidorum . . . . . et subdidit has nationes in sua ditione. Qui hic Winidi seu Vionudi, ab aliis Wilcii, Wilzi et Wulzi appellantur.» Alcuinus igitur hanc epistolam scripsit, non anno 795, prout Usserio videbatur, sed anno 790, quo dicere potuit, anno transacto Sclavos subactos fuisse. anno transacto idem rex cum exercitu irrupit super Sclavos, quos nos Vionudos dicimus, eosque subegit suae ditioni.
@ [Col. 0142D] *Graeci tertio anno, etc.* Ante scriptam, ut interpretor, hanc epistolam, hoc est anno 788, qui tertius est ab anno 790 simul numerato. Legendum ergo videtur: *Tertio abhinc anno.* De Graecorum in Italiam adventu et strage illo anno facto, vide Annales Francorum. Graeci vero tertio anno cum classe venerunt in Italiam, et a ducibus regis praefati victi fugerunt ad naves: quatuor millia ex illis occisi, et mille captivi feruntur. Similiter et
@ [Col. 0142D] *Avari* . . . in Italiam . . . et super Baugariam. De hac irruptione vide Annales Loisel. et alios ad annum 788. Avari, quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam, et a Christianis superati [*Malmesb.,* a ducibus [Col. 0142C] praefati regis Christianissimi], domum cum opprobrio reversi sunt: Nec non et super Baugariam irruerunt, qui et ipsi ab exercitu Christiano superati et dispersi sunt. Etiam et ejusdem Christianissimi regis duces et tribuni multam partem Hispaniae [Col. 0143A]
@ [Col. 0143C] *Tulerunt a Saracenis.* Haec fortassis intelligenda sunt de expeditione maxima anno 788 a Carolo in Hispaniam suscepta, qua Pampilonam destructam, Hispanosque et Wascones subjugatos fuisse, narrant illorum temporum annalistae. tulerunt a Saracenis quasi trecenta millia in longum per maritima. Sed heu, proh dolor! quod iidem maledicti Saraceni (qui et Agareni) tota dominantur Africa et Asia majore maxima ex parte: de quorum egressione tuae venerandae prudentiae dudum, ut existimo, scripsi.

De caetero, Pater sanctissime, sciat reverentia tua, quod ego filius tuus, et Joseph vernaculus tuus, Deo miserante, sani sumus, et tui amici toti qui apud nos sunt, in prosperitate Deo serviunt. Sed nescio quid nobis venturum sit.
@ [Col. 0143C] *Aliquid enim dissensionis, etc.* Quae fuerit hujus [Col. 0143D] simultatis causa, discimus, inquit Mabill. Act. SS. Ben. saec. IV, part. I, pag. 169, ex Chronici Fontanellensis cap. 15, ubi Carolus Magnus filio suo aequivoco filiam Offae regis «in conjugium expostulasse,» dicitur; sed illo non acquiescente, «nisi Berta filia Caroli Magni ejus filio nuptui traderetur,» Carolum inde commotum praecepisse, «ut nemo de

Britannia insula ac gente Anglorum mercimonii causa littus Oceani maris attingeret in Gallia. Sed hoc ne fieret, admonitione ac supplicatione Gervoldi abbatis inhibitum esse.» Aliquid enim dissensionis, diabolico fomento inflammante, nuper inter regem Carolum et regem Offam exortum est, ita ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus cesset. Sunt qui dicunt, nos pro pace [Col. 0143B] esse

@ [Col. 0143D] *In illas partes mittendos.* Mabillonius l. cit., pag. 187, ait: hanc epistolam in Anglia scriptam fuisse, unde Alcuinus ad Carolum Magnum erat mittendus. Aliter tamen postea sensit vir celeberrimus Annal. lib. XXV, n. 76, et lib. XXVI, n. 10, ubi ait: Alcuinum, qui tum in Gallia versabatur, pacis conciliandae causa in Britanniam missum, et re quidem vera eo sub annum [Col. 0144C] 790 profectum fuisse, etsi interdictum navigationis supplicatione Gervoldi abbatis sublatum esset. Quae quidem sententia magis cum contextu epistolae cohaerere videtur. in illas partes mittendos. Sed obsecro, ut vestris sacrosanctis orationibus manentes vel euntes muniamur. Nescio quid peccavi, quia tuae paternitatis dulcissimas litteras multo tempore non merui videre; tamen pernecessarias orationes sanctitatis tuae me quotidie sentire credo.

Misi charitati tuae aliquid de oleo, quod vix modo in Britannia invenitur, ut dispensares per loca necessaria episcoporum ad utilitatem hominum, vel honorem Dei [*Al.,* utilitatem honoris Dei]. Misi quoque quinquaginta siclos fratribus de eleemosyna Caroli regis (obsecro ut pro eo oretis) et de mea eleemosyna quinquaginta siclos: et ad australes fratres Baldhuvinega triginta siclos de eleemosyna regis, et triginta de eleemosyna mea, et viginti siclos de eleemosyna [Col. 0143C] patrisfamiliae Areidae, et viginti de eleemosyna mea; et per singulos anachoretas tres siclos de puro argento, ut illi omnes orent pro me, et pro Domino rege Carolo, ut Deus illum conservet ad tutelam sanctae suae Ecclesiae, et ad laudem et gloriam sui nominis. Exaudiat vos omnipotens Deus pro sancta sua Ecclesia intercedentes, et proficere faciat in salutis aeternae prosperitate.

@ [Col. 0144C] Edit. Quercet. 76, Canis. 43 **(Froben. 163)**.

EPISTOLA IV. AD FELICEM EPISCOPUM. (Ante annum 792.)

Felicis Urgellitani episcopi, ut videtur, a pietate sibi laudati, orationibus se commendat. [Col. 0144A]

Pio Patri

@ [Col. 0144D] *Felici episcopo.* «Hic est, ni fallor, ait Canisius, Felix Hildebaldus Coloniensis archiepiscopus, etc.» Sed dubio caret hunc esse Felicem Urgellitanum episcopum, cui Alcuinus, antequam illius error de adoptione vulgaretur, se commendavit scripta hac epistola, cujus ipse Alcuinus meminit in altera ad eumdem, ex codice ms. Salisb. a me descripta, et libris ejus contra Felicem praefixa, ubi ait: «olim meipsum, celeberrimam tuae sanctitatis famam audiens; . . . tuis sanctissimis intercessionibus commendare curavi.» Scripta ergo fuit haec epistola ante annum 792, quo Felicis error jam undequaque innotuit. Felici episcopo, Alcuinus humilis levita salutem.

Aliquorum fratrum relatione nobis notissimus es pietate, etsi non facie. Quapropter praesumpsi per fiduciam charitatis, quae est Christus, volens meipsum tuis tuorumque fidelium per te sacrosanctis orationibus commendare: non meis meritis exigentibus, sed tuis bonis rumoribus instigantibus. Quapropter supplex obsecro ut me ea charitate Salvatori nostro commendetis, qua ille omnes suos conjunxit, Charitas [Col. 0144B] enim neminem spernit. Per eum et propter eum qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, et veniet ad judicium justos coronare: ut tunc ego peccator vel veniam per vestras orationes accipiam, ubi vos per Dei misericordiam coronam accipiatis.

{8} State, fratres, et viriliter pugnate pro eo qui fortiter pro vobis vincebat. Non quia qui coeperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Et proficiscimini de die in diem, sicut sancti Dei, qui ibant de virtute in virtutem. Plura scripsissem vobis, si superfluum non videretur eos admonere de virtutibus, quos rogare debeo ut intercedant pro peccatis meis. Sed charitas, quae neminem spernit, etiam sustinet. Quid plus? Iterum iterumque obsecro ut me fraterno amore accipiatis in communionem orationum [Col. 0144C] vestrarum, quatenus Deus charitatis remunerator vos accipiat in aeternam gloriam regni sui. Valete et vivete felices in Domino Jesu, fratres charissimi.

EPISTOLA V. AD CUDRADUM PRESBYTERUM. (Anno 793 vel seq.) *Cudradum presbyterum post sanctorum locorum vastationem hortatur ad constantiam.*

Venerando Patri
@ [Col. 0144D] *Cudrado presbytero.* Ecclesiae nimirum S. Cudberti Lindisfarnensis, qui in illa vastatione, quam Alcuinus saepius, praesertim in epistola 8 (nunc 9) deplorat, et quae anno 793 contigit, furentes paganorum manus feliciter evasit. Cudrado presbytero Alcuinus diaconus salutem.

[Col. 0145A] Valde sanctorum locorum ingemisco [*Ms.,* ingemesco] vastationem; sed vestrae fidei laetificor constantia, Deique omnipotentis collaudans clementiam, qui tibi inter manus paganorum pepercit, ideo firma fide in quo cepisti proposito permaneas: confidens tu in misericordia Dei, ut te suae pietatis [*Suppl.* clementia *vel simile*] . . . conservet, ubicunque fraterno consilio te habitare velit Deus. Tamen sive in loco habitationis singularis, sive in fraterna cohorte [*Ms.,* fraternas cohortes], solitariam conversationem et secretas orationes, et jejuniorum propositum diligenter observa; quia non qui coeperit, sed qui perseveraverit, etc. **(Matth. X, 22)**. Meque, obsecro, in sanctis tuis orationibus habeto memorialiter, sicut Buitta mihi ex tuis verbis fideli relatione promisit: visitantesque [Col. 0145B] te fratres consolatione sancti Spiritus diligenter admone, exhortans eos, ut in Dei confidant protectione, et intercessione sancti Cudberchti Patris nostri. Non in armorum strepitu, vel in ruitura lapidum congerie, sed in muro pietatis supernae spem sibi certae defensionis constituant; et praesentis tribulationis miseriam ad aeternae felicitatis beatitudinem transferant: toto se corde convertant ad Dominum, et si quid in moribus suis emendandum sit, non segniter corrigant, ut Deo illorum placeat conversio, sicut Ninivitarum ei placuit poenitentia, et pepercit civitati per lacrymas confitentium peccata sua. Clemens est Deus et misericors, et nullum derelinquit in se sperantem; nam et novissima Job fuerunt meliora

prioribus; sic et vobis credo faciat, si ad ejus clementiam [Col. 0145C] deprecandam unanimiter conversi fueritis.
@ [Col. 0145D] Edit. Quercet. 98, Canis. 21 **(Froben. 5)**.

EPISTOLA VI. AD FRATRES EBORACENSIS ECCLESIAE. (Circa annum 793.)

Se ab Eboracensibus ab infantia usque ad virilem aetatem educatum grato animo profitetur. Illorum omnium orationibus se commendat; et, ut a vitiis sibi caveant, hortatur.

Dilectissimis et valde venerabilibus in Christi charitate
@ [Col. 0145D] *Eboracensis Ecclesiae fratribus.* Qui institutum monachorum Benedictinorum, abs dubio, profitebantur, inter quos Alcuinus se educatum et enutritum fuisse hic profitetur. Vid. Mabill. in Elogio Alcuini, [Col. 0146D] § 3 pag. 164. Epistola data fuisse videtur anno 793, postquam altera vice ab eorum consortio sublatus, in Galliam rediit; ante cladem, puto, Lindisfarnensem, cujus alias in hac vel sequenti epistola meminisset. Eboracensis Ecclesiae fratribus, vestrae filius pietatis Albinus diaconus salutem.

Totum meae devotionis pectus vestrae charitatis dulcedine impletur, et si quid pleno amoris modio supperaddi potest, quotidie crescendo accumulatur, ita [Col. 0145D] ut solius memoriae de vobis suavitas, supervenientes saecularis angustiae tribulationes longe a secretis mentis meae cubilibus depellat. Et hoc mihi singulare solatium in spiritu consolationis sanctae Dominus Christus perdonare dignatus est. Vos fragiles infantiae meae annos [*Al.* animos] materno fovistis affectu, et lascivum pucritiae tempus pia sustinuistis patientia, et paternae castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis aetatem, et sacrarum eruditione disciplinarum roborastis. Quid plus dicere habeo, nisi, ut aeterni Regis pietas, omnia pietatis in me famulum [Col. 0146A] suum per vos benefacta, perpetua summae beatitudinis gloria remuneret? Hoc singulis vigiliarum mearum momentis, hoc quotidiana supplicatione requiro. In hac prece in conspectu Altissimi, intimas desiderii mei lacrymas per loca sanctorum martyrum vel confessorum Christi, quo me iter instabilitatis deducit, fundere non cesso.

Vos semper in corde, et primi inter verba precantia in ore. Vos, piissimi Patres, seu in communibus sanctae orationis foris, vel in secretis deprecationum vestrarum intercessionibus Alcuinum filium vestrum, per Dei deprecor charitatem, jugiter in corde habete et in ore. Vos quoque, qui estis aetate filii, sed meritorum sanctitate Patres, per divinam obtestor clementiam, nunquam eruditionis vestrae in sanctis orationibus [Col. 0146B] obliviscimini magistrum. Testis enim cordis mei mihi est inspector, quia devote vestrum semper in ecclesiasticis disciplinis et spiritali doctrina desiderabat profectum. Et si quid minus accepistis, non meae, credo, culpae deputari potest. Et nunquam istius voluntatis meae, sive absens, sive praesens, de vestro profectu, benevolentia cessabit. O omnium dilectissimi Patres et fratres, memores mei estote: ego vester ero, sive in vita, sive in morte. Et forte miserebitur {9} mei Deus, ut cujus infantiam aluistis, ejus

senectutem sepeliatis. Et si alter corpori locus deputabitur, tamen animae, qualemcunque habitura erit, per vestras sanctas, Deo donante, intercessiones, requies vobiscum, credo, donabitur; quia, sicut puer noster Seneca se vidisse testatur, nostrae fraternitatis [Col. 0146C] animas in eodem laetitiae loco congregandas esse credimus: etsi meritorum diversitas alium beatius laetari faciet, tamen aeternitatis aequalitas cunctos feliciter vivere efficiet. Et sicut unus sol omnibus lucet, non tamen propter oculorum distantiam aequaliter ab omnibus videtur, ita aeterna beatitudo omnibus in Dei regno justis perdonabitur, licet meritorum sublimitas alios majore gloria coronet. Ad quam gloriam, charissimi fratres, tota intentione et voluntatis operis vosmetipsos dignos pervenire praeparate.

Nulla carnalis concupiscentia, nulla saecularis ambitio beatitudinis iter vobis intercludat, sed per viam veritatis et sanctitatis, per quam beati Patres, praedecessores nostri, ad regna pervenerunt coelestia, [Col. 0146D] superna vos comitante gratia, pari pietatis consensu, uno voluntatis affectu, quotidianis currite profectibus. Omnem a vestra sancta conversatione repellite segnitiem, luxuriam castitate mutate, ebrietatem quasi inferni foveas fugite, supervacuos vestium ornatus nolite exquirere. Melius est servis Dei, animam ecclesiasticis ornare moribus, quam corpus, laicorum consuetudine, pompatica vestire vanitate. Et melius est, sacra matris Ecclesiae mundissima calcare limina, quam lutulentas villanae foeditatis semitas frequentare. Regularis vitae vos ordinet disciplina, [Col. 0147A] et ecclesiasticae pietatis moderatio venerabiles efficiat. Sanctae humilitatis pedibus, et divinae charitatis gradibus per passus obedientiae coeli conscendite regna. Haec enim caduca et transitoria fortitudinis evincite animo, quatenus ad amabilem coelestis gloriae patriam, divina vos ubique gratia praeveniente et subsequente, laudabilibus bonorum operum meritis, cum omni prosperitate et gaudio pervenire mereamur.
@ [Col. 0147D] Edit. Quercet. 50, Canis. 24, **(Froben. 6)**. Lectiones aliquot differentes adnotavimus ex cod. ms. Salisb.

EPISTOLA VII. AD FRATRES EBORACENSES. (Anno 793.)

Significat laetitiam epistola ab ipsis accepta; hortatur ad sectanda Patrum suorum vestigia; ac se illorum orationibus commendat.[Col. 0147B]

Sanctissimae congregationis et dulcissimae dilectionis Eboracensis Ecclesiae fratribus, ejusdem piae matris filius Alcuinus diaconus, perpetui honoris in Christo pacem et salutem

Venerabiles vestrae dilectionis ab
@ [Col. 0147D] *Ab Eanbaldo presbytero.* Enbaldo habet codex Canisianus. Nostra tamen lectio ex aliis codd. et [Col. 0148D] Wilh. Malmesb. retinenda videtur. Est is haud dubie Eanbaldus, quem Hovedenus ad hunc annum Ecclesiae Eboracensis presbyterum vocat, postea episcopus ejusdem Ecclesiae, ad quem est epistola 50 (nunc 53). Eanbaldo presbytero accepi litteras, quarum pacificam inscriptionis seriem idem ipse qui portavit, mellifluis (vestrae) salutationis verbis valde amplificavit, referens a vobis

fraterni amoris perseverantiam in nos, ita ut inter lacrymas allocutionis nostrae vestras per singula verba voces audire aestimarim [*Cod.* Sal., aestimavi]. Quod et in litteris apertissime agnovi, in quibus legens, vestras visum est mihi facies cernere. Quod ut vere fiat, omnium efficiat largitor bonorum, [Col. 0147C] ut tristitia vestra vertatur in gaudium **(Joan. XVI, 20)** et gaudium nostrum impleatur in illo qui suis quoque ait discipulis: *Et gaudium vestrum nemo tollet* [Cod. Sal., *tollat*] a vobis **(Joan. XVI, 22)**; in quo est gaudium indeficiens, salus perpetua, prosperitas beata et beatitudo gloriosa. {10} Ut haec omnia nobis per suam concedere misericordiam dignetur, illius tota dilectione et tota virtute inhaereamus praeceptis. Sanctorum Patrum sequamur vestigia, qui nos genuerunt in Christo, et in hoc sacratissimum ovile congregaverunt, et paternae pietatis lacte enutrierunt. Horum animas in conspectu summi Pastoris ac Redemptoris nostri aeternis gaudiis semper assistere credamus [*Cod.* Sal., credimus], et inde [Col. 0147D] nostris favere precibus, si mandata vitae, quae nobis, Spiritu sancto inspirante, statuerunt, concordi devotione nos observare agnoscant [*Cod.* Sal., agnoscunt].

Recordemur omni hora, dilectissimi fratres, quales habuimus Patres et progenitores, quam praeclaros et pios, Deo amabiles et omni populo honorabiles. Non simus degeneres illorum nobilitate filii, dum horum inter sacratissimas constamus reliquias, eorum cogitemus imitari conversationem, quatenus [Col. 0148A] eorum consortes gloriae effici mereamur. Non nos saeculi ambitio, carnalis delectatio, non luxuriae putredo, non ebrietatis venena a rectissimo vitalis vitae tramite revocent, per quem illi gradientes gloriam cum Deo meruerunt sempiternam. Unanimes estote in omni bono consilio, concordes in omni regularis vitae disciplina. Dei omnipotentis, qui cordis secreta conspicit, honorem et voluntatem pura primo omnium quaerite conscientia, ut ejus gratia, quae optima sunt et saluti proxima, vos invenire faciat. Fraternam et pacificam semper habeamus charitatem, ut oves Christi ejusdem vitae pascuis epulantes, unius ovilis muro manentes, in una orationis domo Dei nobis misericordiam convocantes. Nec aliquis se canonicis horis, a communione sanctae orationis, suae [Col. 0148B] negligens salutis separet. Melius est ut angelica visitatio horis competentibus inveniat cum fratribus orantes, quam diaboli saevitia in aliqua negligentia vel luxuria torpentes. Unicuique secundum suum laborem merces manet in aeternum. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet.

Nec labor salutis nostrae durus debet videri. Saepe austeriora medicamenta optatam solent praestare salutem. Videmus, quam angusta porta et arcta via **(Matth. VII, 14)** sancti martyres vitam ingressi sunt sempiternam. Nos vero, fratres, faciliori via, et leviori cursu ad ejusdem vitae possumus pervenire beatitudinem, ipsa dicente Veritate: *Multae mansiones sunt in domo Patris mei* **(Joan. XIV, 2)**. Propter merita diversa, mansiones multae: tamen omnibus [Col. 0148C] beata aeternitas et aeterna beatitudo erit. Quia quisquis ibi erit, beatus erit et gloriosus, ubi *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* **(Matth. XIII, 43)**. Sicut enim sanctorum martyrum persecutores fuerunt, diabolo instigante, impii homines; sic nostri persecutores sunt, diabolo suggerente, saeculi concupiscentia et carnalis delectatio, et animi inconstantia et Dei negligentia mandatorum. Et veluti illi martyres sancti, gratia adjuvante divina, impios constanter vicerunt tyrannos, palmam aeternae acceperunt gloriae: sic et nos, si nostros, Deo auxiliante, superamus adversarios, et diabolicis viriliter resistimus suggestionibus,

coronam perpetuae laudis et palmam aeternae beatitudinis accepturi erimus. Vos, fratres charissimi, mei habete, obsecro, memoriam [Col. 0148D] in sanctis orationibus vestris, ut anima mea perpetua prosperitate gaudeat in vobis. Ego devotus vestrae paternitatis filius nunquam obliviscor vestri, sed semper praesenti super omnes alios diligo charitate, Deum quotidie cum intima cordis compunctione deprecans ut vos aeterna pietate custodiat, regat atque protegat. Valete in Christo, dilectissimi fratres.

{11}
@ [Col. 0149C] Edit. Quercet. 54, Canis. 32 **(Froben. 7)**.

EPISTOLA VIII. AD BEORNUINUM PRESBYTERUM. (Anno 793.)

Ab Offae regis et gentis Anglorum fidelitate se nunquam recessisse profitetur; monet ut et regibus, et episcopis, et principibus Dei voluntatem sequi suadeat, pacemque commendat.[Col. 0149A]
@ [Col. 0149C] *Beornuino presbytero.* Anglo, ut ex contextu patet. Magnae illum dignitatis et auctoritatis fuisse necesse est apud reges, episcopos et principes, quibus Dei voluntatem suadere et praedicare potuerit. Beornuino presbytero Alcuinus diaconus salutem.

Dulces tuae dilectionis accepi litteras, mellifluis sensibus delibutas, apologeticam tenentes rationem, quarum melius credebam veritati, quam falsiloquae aliorum narrationi. Nam fides amicitiae corde constare debet, non linguae versibilitate. Utinam dignus essem pacem praedicare, non discordiam seminare; et signum portare Christi, non arma diaboli. Nunquam tibi scripsissem, si noluissem pacem tecum [Col. 0149B] habere, et pacem in Christo, quam coepimus, firmam permanere. Vere
@ [Col. 0149D] *Offae* . . . nunquam infidelis fui. Discessus Alcuini e patria in Galliam fortassis quibusdam suis conterraneis suspicionem movit, ipsum a fidelitate etiam suae gentis, cui nonnunquam cum Gallis simultas fuit, recessurum: quam quidem suspicionem non his litteris tantum, sed ipso facto etiam amolitus est; «non immemor enim compatriotarum, imperatorem in amicitia eorum continere adlaboravit,» inquit Malmesb. lib. I Reg. Angl., cap. 3. Offae regi et genti Anglorum nunquam infidelis fui. Sicut hos amicos quos mihi Deus donavit, fideliter, quantum valeo, servabo; sic et hos quos reliqui in patria. Pauci sunt dies mei, et hos ipsos cum dolore flagelli suffero. Ideo te obsecro ut in Domino, quos valeas, mihi intercessores acquiras.

Multis miseriis turbatum est hoc saeculum, et non est refrigerium in eo, nisi in misericordia Dei, et fide amicorum. Nudi venimus, et nudi recedimus (Job II, 21), nisi qui bonis animam vestiet operibus. Ut tibi, charissime frater, tempus vel locus occurrit, semper Dei suade voluntatem sequi omnibus personis: [Col. 0149C] regi suaviter, episcopis honorifice, principibus fiducialiter, omnibus veraciter. Nostrum est seminare, Dei fructificare. Nec ulla tibi alicujus dissensionis inter nos remaneat suspicio. Nec simus ex illorum numero de quibus dictum est: *Non veni pacem mittere, sed gladium* **(Matth. X, 34)**. Sed ex illorum simus numero, ad quos dictum est: *Pacem meam do vobis,*

pacem meam relinquo vobis **(Joan. XIV, 27)**. Ut pax Christi, quae exsuperat omnem sensum **(Philip. IV, 7)**, custodiat corda nostra in charitate [Col. 0150A] Christi et dilectione fraternitatis. Paucis scripsi litterulis, quia sapienti pauca sufficiunt. Sed te plurima Dei dona glorificent in aeternum, dilectissime frater.

@ [Col. 0149D] {13} Epistolae hujus fragmentum edidit Malmesb. lib. III Pont. Angl., relatum a Quercetano Opp. Alc. p. 1672. Nunc integra prodit ex cod. ms. Salisburgensi.

EPISTOLA IX. AD LINDISFARNENSES. (Anno 793.)

Deplorat Lindisfarnensis ecclesiae vastationem, monet ad orandum; hortatur ad mores corrigendos, ad disciplinam regularem; suadet mente non consternari.

Beatissimi Patris sancti scilicet Cudbercti [*Al.,* Cuthberti] episcopi optimis in Christo filiis

@ [Col. 0149D] *Hugibaldo,* quem alii *Higebaldum* et *Hincbaldum vocant.* Is Lindisfarnensem Ecclesiam rexit ab anno 780 usque ad annum 802, ut habet Alfordus. Ad eumdem est carmen tom. II, part. VI. Aliam epistolam ad Higebaldum Alcuinus scripsit, qua *Candidum discipulum ad se redire optat,* cujus fragmentum hoc [Col. 0150C] affert Lelandus de Script. Britann. cap. 100, p. 133: «Quem (*Candidum*) si iterum vobis placuerit ad nos redire, quidquid ad profectum ejusdem Ecclesiae provenire credimus, ei libenter impendemus; quaecunque enim a magistris ad utilitatem sanctarum Ecclesiarum didici, haec maxime nostrae gentis hominibus [Col. 0150D] communicare delector.» Vide epist. 39 (nunc 44), ad Damoetam. Hugibaldo [*Al.,* Hincbaldi] episcopo et omni congregationi Lindisfarnensis Ecclesiae, Alcuinus diaconus, coelesti in Christo benedictione salutem.

[Col. 0150B] Vestrae [vero] charitatis familiaritas [praesentem] multum me laetificare solebat; sed versa vice vestrae tribulationis calamitas, licet absentem, multum me quotidie contristat [*Malmesb.,* contristavit]. Quomodo

@ [Col. 0150D] *Pagani, etc.* De hac clade Lindisfarnensium legendus Hovedenus ad annum 793. «Eodem anno, inquit, pagani ab Aquilonali plaga . . . . . veniunt ad Lindisfarnensem Ecclesiam; miserabili praedatione vastant cuncta, calcant sancta pollutis vestigiis, altaria suffodiunt, et omnia thesauraria sanctae Ecclesiae rapiunt, quosdam e fratribus interficiunt, nonnullos secum vinctos assumunt, perplurimos opprobriis vexatos nudos projiciunt, aliquos in mari demergunt.» Pagius et Alfordus hanc epistolam ad sequentem annum differunt; sed cur eodem quo clades illa contigit anno haec epistola scribi non potuerit, non video. Haud enim dubito quin Alcuinus statim ab accepta fama hujus cladis Lindisfarnensibus condolere, eosque ad patientiam, poenitentiam, orationem hortari voluerit. pagani contaminaverunt sanctuaria Dei, et fuderunt sanguinem sanctorum in circuitu altaris, [vastaverunt {12} domum spei nostrae,] calcaverunt corpora sanctorum in templo [Dei], quasi sterquilinium in platea. [Quid nobis dicendum est, nisi plangendum animo vobiscum ante altare Christi, et dicere: Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des haereditatem gentibus, ne dicant pagani, ubi est Deus Christianorum? (Joel II, 17)]. Quae est fiducia Ecclesiis Britanniae, si sanctus Cudberctus suam non [Col. 0150C] defendit cum tanto sanctorum

numero (*Finis frag.* Malmesb.)? [Aut hoc majoris initium est doloris, aut peccata habitantium hoc exegerunt. Non enim quiddam casu contingit [Ita emendavimus, cum in codice legeretur: *Nem quidem casu contigit*], sed magni cuilibet meriti judicium est. Sed modo, qui residui estis, state viriliter, pugnate fortiter, defendite castra Dei. Mementote Judam Machabaeum, quia templum Dei purgavit **(II Mach. X, 2, 3)**, et populum eruit, ut eliberavit (Ita cod. ms.) extranea. Si quid [Col. 0151A] corrigendum sit in moribus mansuetudinis vestrae, citius corrigite. Patronos vestros ad vos revocate, qui vos ad tempus dereliquerunt. Non defuit illis potestas apud Dei clementiam, sed nescimus cur tacuerunt. Nolite gloriari in vanitate vestium; haec non est gloria sacerdotum et servorum Dei, sed contumelia. Nolite in ebrietate verba orationum vestrarum delere. Non exeatis post luxurias carnis et avaritias saeculi, sed in servitio Dei et regularis vitae disciplina firmiter permanete, ut sanctissimi Patres, qui vos genuerunt, vobis protectores esse non cessent. Per illorum vestigia gradientes de illorum precibus securi permaneatis. Nolite tantis Patribus degeneres esse filii. Nequaquam illi a vestra cessabunt defensione, si vos illorum sequi videbunt exempla. Tamen [Col. 0151B] de ista miseria nolite mente consternari. Castigat Deus omnem filium quem recipit **(Hebr. XII, 6)**; et ideo forte plus vos castigavit, quia plus dilexit. Hierusalem civitas Deo dilecta Chaldaea flamma periit. Roma sanctorum apostolorum et innumerabilium martyrum corona circumdata paganorum vastatione disrupta est, sed pietate citius recuperata. Tota pene Europa Gothorum vel Hunorum gladiis evacuata est flammis; sed [*Ms.,* si] modo, conservante Deo, velut coelum stellis, ita ecclesiis ornata fulgescit, et in eis officia vigent et crescunt religionis Christianae. Hortamini vosmetipsos invicem dicentes: Revertamur ad Dominum Deum nostrum, quia magnus est ad ignoscendum **(Isa. LV, 7)**, et nunquam deserit sperantes in se.

[Col. 0151C] Et tu Pater sancte, dux populi Dei, pastor gregis sancti, medicus animarum, lucerna super candelabrum posita, esto forma in omni bonitate cunctis te videntibus. Esto praeco salutis cunctis te audientibus. Sit tuus comitatus honestis moribus, aliis exemplum ad vitam, non ad perditionem. Sint tibi epulae, non in ebrietate, sed in sobrietate. Sint vestimenta tuo gradui condigna. Noli te conformare saeculi hominibus in vanitate aliqua. Inanis ornatus vestimentorum, et cultus inutilis tibi est opprobrium ante homines, et peccatum ante Deum. Melius est animam in perpetuum permanentem bonis ornare moribus, quam corpus cito in pulvere putrescens exquisitis comere vestibus. Vestiatur et satietur Christus in paupere, ut haec faciens regnet cum Christo. Redemptio viri [Col. 0151D] propriae divitiae **(Prov. XIII, 8)**. Si aurum diligamus, praemittamus nobis in coelum, ubi servabitur nobis, [Col. 0152A] et quod amemus, habemus. Amemus aeterna et non peritura. Veras diligamus divitias et non caducas, sempiternas non transitorias; paremus nobis laudem a Deo, et non ab hominibus. Faciamus quod fecerunt sancti quos laudamus. Sequamur illorum vestigia in terris, ut illorum gloriae consortes esse mereamur in coelis. Divinae pietatis protectio nos ab omni adversitate custodiat, charissimi fratres. Valete in Christo dilectissimi, et confortamini semper proficientes.]

@ [Col. 0151D] Wilhelmus Malmesb. lot. cit., pag. 1673, ait, in calce hujus epistolae ab Alcuino addita fuisse sequentia: «Cum domnus noster rex Carolus hostibus per misericordiam Dei subditis domum reverteretur, nos, Deo juvante, ad eum venire disponimus; et si quid tunc vel de pueris qui in captivitatem ducti sunt a paganis, vel de

aliis necessitatibus nostris [*F.,* vestris] proficere poterimus, diligentes ad effectum producere curabimus.»
@ [Col. 0151D] Edit. Quercet. 28, Canis. 1 **(Froben. 9)**; emendata ex cod. mss. Salisburgensi et S. Emmerami.

EPISTOLA X. AD AEDILHARDUM (ATHELARDUM) ARCHIEPISCOPUM DOROENSIS CIVITATIS. (Anno 793 vel seq.)

@ [Col. 0151D] Varie mutat hoc nomen *Aedilhardi;* alias enim scriptum invenitur: *Edelhardus, Ethilhardus, Adelar dus, Athilhardus, Athelhardus.* Fuit archiepiscopus Dorovernensis, electus anno 791, teste Simeone Dunelmensi [Col. 0152D] apud Pagi h. a., n. 11. Exstat ejus mentio in Ingulfi Historia et epistolis Kenulfi regis Merciorum ad Leonem III pontificem max. et Leonis ad Kenulfum, quas descripsit continuator Bedae lib. I, cap. 12 et 13. CANISIUS.---Mabillonius lib. XXV Annal. Bened., n. 84, p. 291, Aedilhardum vocat *virum summae sanctitatis et sapientiae, qui quondam abbas fuerit Malmesburiensis, postea autem episcopus Wintoniensis, ac demum post decessum Jamberti electus archiepiscopus Cantuariensis.* (Ex Gervas., col. 1642, et Wilhelmo Malmesb. lib. I de Regibus Angl., cap. 4.)

Hortatur ad sectanda suorum antecessorum vestigia, et ad exsequendum intrepide munus pastoris animarum; et cum coepiscopis suis verbum Dei absque timore praedicet.[Col. 0152B]

Pio Patri et sanctae sedis praesuli Aedilhardo archiepiscopo, humilis levita Alcuinus salutem.

Audiens vestrae salutationis verba dulcissima, et prosperitatis vestrae sanitatem multis pernecessariam, valde me gavisum esse fateor: Domini et Dei nostri Jesu Christi deprecans tota mentis alacritate clementissimam pietatem, quatenus vestram [beatitudinem] longaeva custodiat prosperitate in augmentum sanctae suae Ecclesiae, ut per tuam devotissimam doctrinam verbum [*Cod.* Sal., verbis] vitae aeternae crescat et currat, et multiplicetur numerus populi Christiani in laudem et gloriam Salvatoris nostri; in quo opere te, frater sancte, laborare tota [Col. 0152C] virtute obsecro. Et quanto plus appropinquat dies remunerationis, tanto magis mercedis tuae felicitatem accumulare studeas.

Cogita quales habueris [*Cod.* Sal., haberes]
@ [Col. 0152D] *Antecessores.* Omnes sanctissimos, Augustinum et alios, ait Wilhelmus Malmesb. lib. I De gestis pontif. Angl., ubi successores vide. CANISIUS. antecessores doctores, et summa lumina totius Britanniae [*Cod Sal.,* totius hujus provinciae]. Inter quorum sacratissima corpora dum oraveris, illorum precibus certissime adjuvaberis, si ab illorum vestigiis te nec saeculi caduca blandimenta subtrahant, nec vani terrores principum formidantem efficiant. Memor esto semper quod guttur tuum tuba Dei debet

esse, et lingua tua omnibus praeco salutis. Esto pastor, non mercenarius; rector, non subversor; lux, et non tenebrae; civitas firma fide murata, non domus pluviis diruta; miles Christi gloriosus, non apostata [Col. 0152D] vilis; praedicator, et non adulator. Melius est Deum timere, quam hominem; plus Deo placere, quam [Col. 0153A] homini blandiri. Quid est adulator, nisi blandus inimicus? Ambos perdit, se ipsum et suum auditorem. Isti sunt, *qui consuunt pulvillos sub omni cubitu* **(Ezech. XIII, 18)**, et oves Christi morbidas faciunt, non sanatas.

{14} Virgam accepisti pastoralem et baculum consolationis fraternae: illam ad regendum, istum ad consolandum. Ut moerentes consolationem habeant in te, et contumaces correctionem sentiant per te. Potestas judicis est, occidere; tua vero, vivificare. Quid times hominem propter gladium, qui clavem regni accepisti a Christo? Recordare quanta passus est ille pro te, et non metuas loqui pro illo. Ille pro tuo amore clavis confixus pependit in cruce, et tu sedens in sella dignitatis tuae ob timorem hominis [Col. 0153B] tacueris? Non ita, frater, non ita. Sed sicut ille dilexit te, ita dilige et illum. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Si persecutionem patieris propter verbum Dei, quid beatius? Ipso Domino dicente: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum* **(Matth. V, 10)**. Et: *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt contumelias pati pro nomine Jesu* **(Act. V, 41)**. Et: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII, 18)**. Si corripueris delinquentem et ad tuam increpationem corriget se, etiam [*Cod.* Sal., ecce] tibi est merces apud Deum, et sibi erit salus a Deo; si tuam oderit increpationem [*Canis.* et Cod. Sal., si te oderit increpantem], [Col. 0153C] illi est damnatio, et tibi beatitudo.

Esto miseris consolator, pauperibus pater, omnibus affabilis, donec intelligas quid cuique respondeas; et semper tua responsio sale sit sapientiae condita, non temeraria, sed honesta; non verbosa, sed modesta. Sint tibi mores humanitate praeclari, humilitate laudabiles, pietate amabiles; ut non solum verbis, sed exemplis erudias tecum viventes, vel ad te venientes. Sit tua manus larga in eleemosynis, prompta in reddendo, et cauta in accipiendo. Praepara tibi thesaurum in coelis **(Act. XX, 35)**. Divitiae viri redemptio [*Al.,* depraedatio] est animae illius, quia *beatius est magis dare quam accipere* **(Luc. XII, 33)**. Invenimus unam margaritam pretiosam; demus omnia, quae habemus, et emamus illam (Matth. XIII, [Col. 0153D] 46). Lectio sanctae Scripturae saepius tuis reperiatur in manibus, ut ex illa te saturare et alios pascere valeas. Vigiliae et orationes assiduae sint tibi, eo magis quo pro toto populo Christiano intercedere debes. Locus tuus est inter Deum stare et homines, ut Dei legationes deferas ad populum, et pro populi peccatis intercedas ad Deum. Fac te, ejus donante gratia, dignum ab eo exaudiri. [Haec] dignitas est in vitae castitate et praedicandi fiducia, ipsa attestante Veritate: [Col. 0154A] *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris* **(Luc. XII, 35)**. In lumbis castitatis sanctitas, in lucernis praedicationis claritas designatur.

Memor esto quod sacerdos angelus Domini Dei est excelsi, et lex sancta ex ore ejus requirenda, juxta quod in Malachia propheta **(II, 7)** legimus. Speculator quoque est in excelsissimo positus loco. Unde et episcopus dicitur, quasi speculator [*Cod.* Sal., superspeculator], qui omni exercitui Christi prudenti consilio providere debet, quid

cavendum sit, quidve agendum. Isti sunt, id est sacerdotes, luminaria sanctae Dei Ecclesiae, doctores gregis Christi. Isti in prima acie vexillum sanctae crucis non segniter sublevare debent, et ad omnem impetum hostilis exercitus [Col. 0154B] intrepidi stare. Hi sunt qui talenta, redeunte Rege nostro Deo Christo cum triumpho gloriae ad paternam sedem, acceperunt; et revenienti eodem magno Judici in die ultima [*Cod.* Sal., ultimae] discretionis rationem reddituri sunt, quantum quisque ex praedicationis labore lucratus esset in officio suo **(Matth. XXV)**. Quapropter teipsum, charissime frater, idoneum praepara ministrum sermonis Dei. Alios quoque consacerdotes tuos admone diligentissime, in verbo vitae cum omni instantia laborare; quatenus [cum] multiplici negotiationis lucro ante conspectum aeterni Judicis gloriosi appareant. Estote unanimes in omni consilio pietatis, et constantes in omni judicio aequitatis. Nullus [*Cod.* Sal., nullius] vos humanae dignitatis terror separet, nulla adulationis [Col. 0154C] blandimenta dividant; sed quasi acies castrorum Dei firmissima unitate vos conjungite. Sic tandem concordia vestra terribilis apparet omni, qui vult veritati contradicere, Salomone dicente: *Frater si a fratre adjuvatur, civitas firma est* **(Prov. XVIII, 19)**.

{15} Vos estis, dicente Veritate, lux totius Britanniae (*Cod.* Sal., illius provinciae nostrae), sal terrae, civitas super montem posita, lucerna super candelabrum elevata **(Matth. V, 13, 14, 15)**. Item beato principe apostolorum attestante: Vos estis *genus electum, regale sacerdotium.* Per vestrae vero praedicationis instantiam nos erimus, quod in eadem sequitur Epistola: *Gens sancta, populus acquisitionis:* quatenus per vos virtus annuntietur illius, *qui nos omnes de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Qui [Col. 0154D] aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei **(I Petr. II, 9, 10)**.

Patres itaque nostri, Deo dispensante, licet
@ [Col. 0153D] *Pagani.* Lege Gildam de excidio Britanniae; et Wilhelm. Malmesb. lib. I Reg. Angl., c. 1-4. CANIS. pagani, hanc patriam bellica virtute primum possederunt. Quam grande igitur opprobrium est ut nos Christiani perdamus quod illi pagani acquisiverunt? Hoc dico propter
@ [Col. 0153D] *Flagellum.* Vastationem Danorum anno 793 coeptum abs dubio innuit, de qua vid. epist. ad Lindisfarnenses. Inde corrigendus Pagius, qui hanc epistolam [Col. 0154D] biennio prius recenset. flagellum quod nuper accidit partibus insulae nostrae, quae
@ [Col. 0154D] *Prope trecentis quinquaginta annis.* Ab anno nempe 449, quo Angli et Saxones in Britanniam adventarunt. PAGIUS *l.* c.---Prope, ait, non integre, quinque enim anni ab eo numero deficiunt. prope trecentis quinquaginta [*Al.,* quadraginta] annis a parentibus inhabitata [Col. 0155A] est nostris. Legitur in libro
@ [Col. 0155D] *In libro Gildi.* Seu Gildae. Scripsit Gildas post medium saec. VI, anno 564, et anno 570 diem supremum clausit, ut contendit Usserius. Alii illum anno 581 fuisse in vivis fere nonagenarium, et edidisse epistolam *De excidio Britanniae, una cum ordinis ecclesiastici castigatione, asserunt.* Hanc epistolam hic laudat Alcuinus, unde dubium esse non potest quin sit genuina, jam ante etiam a Ven. Beda laudata. BASNAG. Gildi Brettonum [*Cod.* Sal. Brectonum] sapientissimi, quod iidem ipsi Brettones [*Cod.* Sal. Brectones] propter rapinas et avaritiam principum, propter iniquitatem et injustitiam judicum, propter desidiam et pigritiam praedicationis episcoporum, propter luxuriam et malos mores populi, patriam perdiderunt. Caveamus haec eadem nostris temporibus vitia inolescere, quatenus benedictio divina nobis patriam conservet in prosperitate

bona, quam nobis in sua misericordia perdonare dignata est. Ut hoc ipsum omnipotentis Dei largissima efficiat pietas, vos qui clavem regni coelestis cum apostolis, ligandi solvendique potestatem accepistis a Christo, aperite assiduis praedicationibus portas coeli populo Dei; et nolite tacere, ne populi [Col. 0155B] peccata vobis imputentur. Requirit enim a vobis animas Deus, quas ad regendum accepistis. Ex subjectorum salute vestra multiplicatur remuneratio.

Pusillanimes consolamini **(I Thes. V, 14)**, humiles roborate, errantes in viam veritatis reducite, ignorantes instruite, scientes exhortamini, et bonis exemplis vitae vestrae omnes confirmate, contumaces et veritati renitentes virga castigate pastorali, caeteros baculo consolationis sustentate. Et si unanimes eritis, quis vobis resistere poterit? Vel quis cum Deo pacem habebit, si praedicationibus [*Forte, praedicatoribus*] suae salutis non obtemperarit; dicente ipsa Veritate ad praedicatores verbi Dei: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (Luc. X, [Col. 0155C] 16). Item ad confortandos eos, illisque fiduciam ingerendam loquendi sermonis Dei, eadem Veritas ait: *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum et in coelis;* et quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in coelis **(Matth. XVI, 19, et XVIII, 18)**. Divisa est potestas saecularis et potestas spiritalis: illa portat gladium mortis in manu; haec clavem vitae in lingua. His dicitur: *Ne timueritis eos.* De illis dicitur: *Quia corpus occidunt, animam autem occidere non possunt* (Matth. X, 26-28). De spiritalibus quoque dicitur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. *Si* Deus pro nobis, ait Apostolus, *quis contra nos* **(Rom. VIII, 31)**? Si Christus in medio suorum, [Col. 0155D] quis illis nocere poterit? Idcirco vos, sacerdotes, fiduciam habere debetis praedicandi, caeteri vero humilitatem audiendi, et obedientiam faciendi, quae jubetis. Illi, id est saeculares, sint defensores vestri, vos intercessores illorum, ut sit unus grex sub uno [Col. 0156A] Deo Christo pastore, et fiat haec patria ab illo [*Al.* a bello] nobis nostrisque nepotibus conservata in benedictione sempiterna; ut ex hac mereamur ad illam pervenire quae finem non habet et est perpetua pace beatissima.

Ut ad hanc pervenire mereamur, vos saepius cum Moyse servo Dei devoto pectore dicite: *Respice, Domine, de sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo, et benedic populo tuo* (Israel) et terrae quam dedisti nobis **(Deut. XXVI, 15)**. Item cum propheta Dei Joel cum lacrymis clamate: *Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des haereditatem tuam in opprobrium gentibus* **(Joel. II, 17)**. Apostolo Jacobo praecipiente: *Orate invicem, ut salvemini:* multum enim valet oratio justi assidua **(Jacob. V, 16)**. Item [Col. 0156B] Petrus apostolus: Omnes unanimes in oratione estote, compatientes fraternitati, humiles et misericordes (I. Petr. III, 8). Sed et Vas electionis praecepit pro omnibus orationes {16} fieri, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt positi **(I Tim. II, 1, 2)**; quatenus omnipotentis Dei gratia populo Christiano tempora cum prosperitate concedat pacifica, in laudem et gloriam sui nominis.
@ [Col. 0155D] {17} Codd. mss. Salisb. et S. Emmerami carmen hoc omittunt. Quercetanus illud bina vice dedit; semel huic epistolae junctum, et iterum inter poemata Alcuini. Urbs aeterna Dei, terrae sal [*Al.,* sol], lumina mundi, Bis sex signa poli, menses et ter quater anni, Atque diei horae, lapidesque in stemmate Christi Vestra aperire polum poterit vel claudere lingua. Doctores vitae, magnae et medicina salutis. Vos fontes vivi, paradisi et flumina sacra. Vos decus Ecclesiae, populi spes, janua lucis. [Col. 0156C] Inclyta

progenies, Salomonis nobile templum. Per vos, o Patres, nostro sub tempore tota Virtutum meritis fecunda Britannia floret. Vos simul unanimes Christi defendite castra, Et clypeo fidei tela exsuperate nefanda; Pectore concordes, fortes virtute superna. Judiciis justi, humiles

@ [Col. 0156D] *Pietate modesta.* Non sine causa Dorovernensi clero modestiam ingerit: quod et de vestium modestia intelligo, cujus limites excessisse patet ex epistola sancti Bonifacii ad Cuthbertum, citante Wilhelmo Malmesb. lib. I Reg. Angl., cap. 4, qui subdit: «Sane de tenuitate vestium clericalium Alcuinus Athelardum archiepiscopum Cuthberti successorem oblique castigat, monens ut cum Romam vadens Carolum Magnum visitaret, non adduceret clericos vel monachos versicoloribus et pompaticis vestibus indutos, quia non solerent Francorum clerici, nisi religiosis vestibus amiciri.» CANISIUS. pietate modesta, Doctores populi, ductores et gregis almi, Semper ubique Deo vos vos estote fideles. Multiplicate pio percepta talenta labore, Maxima quod summo capiatis praemia coelo, Cum Christo et sanctis coelestia regna tenentes, Vosque mei memores Christus conservet ubique. Alchuin dicor ego, vestro devotus amori. O vos pastores, Patres sine fine valete! [Col. 0156D] Et tu sancte Pater, pius Aethelharde [*Al.,* Aedilharde sacerdos Jam valeas, vigeas, Christo donante, per aevum.

@ [Col. 0157D] Edit. Quercet. 29. Canis. 2, **(Froben. 10)**, collata cum codd. mss. Salisb. et S. Emmerami.

EPISTOLA XI. AD AEDILREDUM REGEM ET PRINCIPES POPULUMQUE NORDANHUMBRORUM GENTIS. (Circa annum 793.)

Hortatur ut grati sint Deo, ut coelestia potius desiderent quam terrena, ut divitias per injustitiam non appetant, vitia et peccata fugiant, viduarum, pupillorum sint patres, concordiam et pacem servent, sacerdotum praedicationi se submittant. [Col. 0157A]

Excellentissimo filio

@ [Col. 0157D] *Aedilredo regi.* Northumbriae qui alicubi etiam Aethelredus, et in sequenti epist. in cod. Salisb. *Edilradus appellatur.* Is anno 774 rex factus, a suis postea anno 778 regno dejectus; post annos vero duodecim, id est anno 790 eidem restitutus, demum occiditur anno 796, ut accurate narrat Hovedenus. Vid. Pagi ad eos annos, et Cointium ad annum 796, n. 172. Aedilredo [*Al.,* Aethelredo] regi et amicis dulcissimis

@ [Col. 0158D] *Osbaldo patricio.* Hunc esse Osbaldum putat Canisius, de quo Hovedenus ad annum 796 refert, quod occiso rege Aedilredo a quibusdam ipsius gentis principibus in regnum sit constitutus, et post dies 27 omni regiae familiae et principum societate destitutus fugatusque, etc. Osbaldo patricio et

@ [Col. 0158D] {20} *Osbercto duci.* Illi fortassis quem Malmesburiensis patricium Merciorum nominat, ad quem Alcuinus aliam scripsit epistolam, cujus duo fragmenta ex eodem Malmesburiensi infra dabimus. Osbercto duci et omnibus fraternae dilectionis amicis, Alcuinus levita aeternae beatitudinis salutem.

Suavitas sancti amoris saepius me cogit de antiqua admonere amicitia, de animarum vestrarum [Col. 0157B] salute, et de fidei veritate, et de pacis concordia, quam habere

debetis inter vos; quia amicitia, quae deseri potest, nunquam vera fuit. Amicus fidelis diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur. Vos quaerens inveni amicos: [servabo amicos] nec dimittam (vos) quos amare coepi. Et si lingua taceat vestra de me, litterae tamen meae non taceant [*Ms.,* tacent] de vobis, sed semper admoneo devotionis studio, quorum semper desidero prosperitatis salutem. Cogitate quis vos de multiplici liberavit tribulatione, quoties praesentem, ejus misericordia, evasistis mortem; quoties de manu inimicorum erepti fuistis. Recordamini quis vobis omnes perdonavit honores quos habetis prosperitates [*Ms.,* prospera] contulit, sanitates largitus est, omnibus vos vestris fecit [Col. 0157C] inimicis sublimiores. His omnibus bonis nolite ingrati esse, quia horum gratia bonorum vitam merebitur sempiternam. Nec haec felicitas hujus saeculi aeterna esse poterit. Studete diligentissime, ut post hos honores terrenos, coelestes habere mereamini. Omnia hujus saeculi delectamenta velut volatilis fugiunt umbra; et solummodo manet in remuneratione bona, quod pro Dei amore egistis. Grandis enim via de terris [*Ms.,* terra] videtur ad coelum. Firmissima debet esse scala, per quam ascenditur: facilis est casus ad inferna. Sed haec facilitas magnam habet difficultatem, sempiternum siquidem ignem, qui urit inexstinguibiliter cadentes in illum. Difficultas vero ascensionis in coelum magnum [Col. 0157D] habet gaudium, dum pervenitur quo ascenditur, beatitudinem siquidem sempiternam.

Si forte quaeritis quomodo quis ascendat in coelum, vel quis quomodo cadat in infernum? Per mala igitur opera ruit homo ad inferna [*Ms.,* infima]; per bona vero (opera) ascendit ad superna. Mala itaque sunt opera: delectatio carnalis, ambitio saecularis, [Col. 0158A] avaritia, et omnis concupiscentia mala, vinolentia [*Ms.,* violentia], rapina, mendacia, luxuria, fornicatio, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes, inimicitiae, superbia, et perjuria; dicente Apostolo: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* **(Gal. V, 21)**, nisi confessione et longa poenitentia et eleemosynis multis emendentur. Unumquodque eorum [*Ms.,* horum] quae enumeravi, regnum Dei claudere poterit, et infernales poenas aperire homini. Vae animae quae ardentes flammas semper sustinere cogitur. Bona vero sunt opera per quae ascendere in coelum possumus; charitas Dei, honor illius et timor, vigiliae {18} et orationes ad Deum, dilectio hominum, et misericordia in homines, et remissio peccantibus in nos; justitia in judiciis, [Col. 0158B] veritas in verbis, patientia in adversitatibus; nemini reddere malum pro malo; eleemosyna in pauperes, benignitas in omnes homines, pietas ad amicos, fides recta in Deum, spes firma in illius bonitatem, modestia in vestimentis, et in omni usu saeculi temperantia, continentia in cibo et potu, in mente humilitas, in moribus honestas, in omni vita aequitas. Hi sunt gradus per quos coelum ascenditur, hi sunt mores qui homines faciunt laude dignos, haec sunt opera quae gaudia merentur sempiterna, haec est sapientia vera, ut homo sibi praevideat quomodo in aeternum feliciter vivat. Nullatenus homo perire poterit, sicut animal quodlibet, sed post hanc vitam victurus erit in aeternum: bene, propter bona opera; male, propter mala opera; quia [Col. 0158C] Deus unicuique reddet [*Ms.,* reddit] secundum opera sua **(Matth. XVI, 27)**.

Nolite injustas amare divitias, quia omnis injustitia ulciscitur a Deo, et melior est benedictio Dei quam omnes divitiae mundi. Quidquid in saeculo amatur, amittitur; quidquid pro Deo datur, habetur. Cui largus eris, si tuae animae tenax? Vel quis tibi fidelis erit, si tu tibi ipse infidelis eris? Cur in alium spem ponis, et tu tibi ipse

benefacere non vis? Morieris, o homo! et omnia dimittes quae habes. Hic vis dives esse peregrinus, et parvi temporis hospes; et non vis ibi esse dives ubi semper eris? Praemitte tibi divitias tuas, ut habeas in aeternum quod ames in saeculo. Construe tibi bonis operibus beatam domum. Quam miser erit qui semper arsurus erit in [Col. 0158D] igne, qui tenebris circumdatus horrendis, qui nihil audiet nisi voces flentium et stridentium dentibus horrorem **(Matth. VIII, 12)**! qui nihil sentit nisi flammas edaces, et frigora ingentia, et vermium venenatos dentes! Ut haec horribilia, o amice! evadere valeas, nullus tibi labor durus videri debet, [Col. 0159A] ut ad illam beatitudinem pervenire merearis, aeterna pace jucundissimam, aeterna gloria felicissimam. Nulla saecularis ambitio, nulla carnis delectatio, nulla inimicorum vindicta impediat cursum tuum. Sed curre, dum lucem habes **(Joan. XII, 35)**, operare, dum dies est, quatenus ad lucem pervenias perpetuam, ut cum Christo et sanctis ejus regnare merearis in gloria sempiterna.

Non solum vos, viri clarissimi, et filii charissimi, his meis admoneo litterulis, sed et omnes dilectae gentis principes, et [diversarum dignitatum] nomina, seu ecclesiasticae pietatis ordines, seu saecularis potentiae sublimitates communi charitatis intuitu, quasi alumnus vestrae dilectioni devotus, deprecor, Dei diligentissime obedire praeceptis, praedicatoribus [Col. 0159B] salutis vestrae subditos esse. Illorum est, id est sacerdotum, verba Dei non tacere; vestrum est, o principes, humiliter obedire, diligenter implere. Regis est omnes iniquitates pietatis suae potentia opprimere, justum esse in judiciis, pronum in misericordia. Secundum quod ille miseretur subjectis, miserebitur ei Deus. Sobrium in moribus, veridicum in verbis, largum in donis, providum in consiliis: consiliarios habere prudentes, Deum timentes, honestis moribus ornatos. Oportet eum non cupidum esse alienae haereditatis, non avarum, non violenter rapientem, dicente Apostolo: *Neque fures, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt* **(I Cor. VI, 10)**. Et saepe per rapinas propria amittit, quia Deus gemitum exaudit oppressorum.

[Col. 0159C] Legimus quoque quod regis bonitas totius est gentis prosperitas, victoria exercitus, aeris temperies, terrae abundantia, filiorum benedictio, sanitas plebis. Magnum est totam regere gentem; a regendo vero rex dicitur; et qui bene regit subjectum sibi populum, bonam habet a Deo retributionem, regnum scilicet coeleste. Valde feliciter regnat in terra, qui de terreno regno merebitur coeleste. Orationibus vero et vigiliis eo instantius ad Deum insistere debet, quo non pro se solummodo, sed et pro totius gentis prosperitate Deum deprecari debet. Similiter principes et judices populi, {19} in justitia et pietate populo (Dei) praesint. Viduis, pupillis et miseris sint quasi patres, quia aequitas principum populi est exaltatio. Ecclesiarum Christi sint defensores et tutores, [Col. 0159D] ut servorum Dei orationibus longa vivant prosperitate. Ecclesia (enim) sponsa est Christi, et qui eam violare nititur, vel rapere quae sua sunt, vindicat in eum Deus Christus, sponsus sanctae suae Ecclesiae.
@ [Col. 0159D] *Vidistis, quomodo perierint reges et principes.* Clades regum Britanniae et Northanimbrorum fuse describit Malmesb. lib. I. Reg. Angl. cap. 3 qui ait, plerosque regum Northanimbrorum pene familiari exitio vitam exisse. CANIS. Vidistis quomodo perierint antecessores vestri reges et principes propter injustitias et rapinas et immunditias vitae, nec ab hujuscemodi se peccatis criminum capitalium, Deum timentes, abstinuerunt; nec, quod pejus est, immanissima scelerum vulnera, [Col. 0160A]

poenitentiae medicamentis sanare curarunt; sed computruerunt in peccatis suis, donec repentino terrore cecidit super eos judicium Dei, et tam infeliciter in conspectu omnium perierunt, quam impudenter sine ulla reverentia pessimis se involvi sceleribus non metuerunt. Heu! quam misere praesentem perdiderunt vitam! Sed multo miserabilius in aeternis cruciantur tormentis. Timete illorum perditionem, et a talibus vosmetipsos impietatibus observate, in quibus illi perierunt. Idem enim Deus super vestra vigilat [corda vel] opera, qui illorum non pepercit sceleribus. Multi vero per rapinas et iniquitates colligere gestiunt, et nesciunt quod utrumque propter avaritiam iniquam et terrena cito perdunt bona et coelestia nunquam acquirunt.

[Col. 0160B] Illiusmodi, viri fratres, vobismetipsis cavete iniquitates, quatenus Deum omnipotentem in praesenti vita propitium habere mereamini et in futura aeternorum largitorem bonorum. Pacem habete inter vos et benignitatem; misericordiam et justitiam ad omnes homines, et castitatem corporis custodite vestri, ut Spiritus sanctus vestris inhabitet pectoribus, qui sapiens vobis semper suggerat consilium, vosque ab omni defendat hoste visibili et invisibili. Vestroque domino fideles estote, ut per vestram concordiam regnum dilatetur vestrum, quod saepe per discordiam minui solebat, dicente ipsa Veritate: Omne regnum in se divisum non stabit **(Matth. XII, 25)**. Sicuti maxima imperia per dissensiones intestinas dilapsa decrescebant, et e contrario minima quaeque civitatis [Col. 0160C] cujuslibet, vel provinciae, per pacificam concordiam, regnum crescebat et proficiebat et fortioribus sibi tandem imperabat regnis.
@ [Col. 0159D] *Timete flagellum.* Vide quae de hoc flagello adnotavimus [Col. 0160D] in epist. 8 ad Lindisfarnenses. Data ergo illa epistola non diu post illam cladem, quae contigit anno 793 ut ibidem diximus. Timete flagellum quod venit super ecclesiam sancti Cudberti, locum scilicet sanctissimum et multorum sanctorum suffragiis divitissimum [*Ms.,* diutissimum], nunc vero miserabiliter a paganis devastatum. Qui hoc non timet et seipsum non corrigit et pro suae patriae prosperitate non plangit ad Deum, carneum non habet cor, sed lapideum. Episcoporum est monasteria corrigere, servorum Dei vitam disponere, populo Dei verbum praedicare, et diligenter plebem erudire subjectam. Laicorum est obedire praedicationi, justos esse et misericordes, quatenus divina benedictio per suam magnam misericordiam nobis [Col. 0160D] nostrisque nepotibus patriam in bona prosperitate conservare dignetur, quam nostris parentibus per pietatis suae dexteram perdonare dignata est.
@ [Col. 0160D] Edit. Quercet. 39 **(Froben. 11)** ex ms. collata cum codd. mss. Salisb. et S. Emmerami. Videtur missa cum priore ad regem solum.

EPISTOLA XII. AD AEDILREDUM REGEM. (Anno incerto.)

Hortatur ad regias virtutes.

Domino dilectissimo Aedilredo [*Cod.* Sal. Edilrado] regi Alcuinus diaconus salutem.

[Col. 0161A] Propter familiaritatem dilectionis familiares tibi soli litteras scribere curavi. Et quia semper te amabo, semper te admonere non cessabo, ut Dei voluntati subditus, Dei protectione dignus efficiaris, et nobilitas regiae sublimitatis magna morum nobilitate

honorificetur. Non est liber vel nobilis qui peccatis serviet [*Cod.* Sal., servierit], dicente Domino: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* **(Joan. VIII, 34)**. Non decet te in solio sedentem regni rusticis vivere moribus. Ira tibi non dominetur, sed ratio [*Ms.,* gratia]. Misericordia te amabilem faciat, non crudelitas odibilem. Veritas audiatur ex ore tuo, non falsitas. Castitatis tibi conscius esto, non libidinis; continentiae, non luxuriae; sobrietatis, non ebrietatis. Noli notabilis esse in aliquo peccato, sed laudabilis [Col. 0161B] in omni opere bono. Largus esto in dando, non avarus in rapiendo. Justitia omnes tuos exornet actus. Esto forma [*Ms.,* exemplum] honestatis omnibus te videntibus. [Noli, noli rapere aliena, ne et propria perdas.] Deum time, qui dixit: *In quo enim judicio judicabitis, judicabitur de vobis* **(Matth. VII, 2)**. Ama Deum Christum et ejus obedire mandatis, quatenus illius misericordia tibi tuisque filiis et amicis in benedictione conservet [regnum], quod te habere voluit, et gloriam futurae beatitudinis concedere dignetur [*Cod.* Sal., dignabitur]. Deus omnipotens regni felicitate, morum dignitate, longaeva prosperitate te florere faciat, dilectissime fili.
@ [Col. 0161D] Hoc fragmentum nobis servavit Malmesb. lib. I Reg. Angl. cap. 3. Edit. Quercet. p. 1667.

EPISTOLA XIII. Fragmentum. AD AEDILREDUM REGEM. (Anno 793.)

Memorat de afflictione ecclesiae et civitatis Lindisfarnensis. [Col. 0161C]

Ecce ecclesia sancti Cuthberti sacerdotum (Dei) sanguine aspersa, omnibus spoliata ornamentis locus cunctis in Britannia venerabilior paganis gentibus datur ad depraedandum [*Al.,* debellandum]. Et ubi primum post discessum
@ [Col. 0161D] *Sancti Paulini.* Primi episcopi Eboracensis, de quo vid. Ven. Bedae lib. II, cap. 8, etc. sancti Paulini ab Eboraco Christiana religio in nostra [*Al.,* Northanimbrorum] gente sumpsit exordium, ibi miseriae et calamitatis coepit initium. Quid significat pluvia sanguinis quam in quadragesimali tempore in Eboraca civitate, quae est caput totius regni, in ecclesia beati Petri principis [Col. 0161D] apostolorum vidimus, de borealibus domus, sereno aere, de summo tecti minaciter cadere? Nonne potest putari a borealibus partibus venire super terram sanguinem?
@ [Col. 0161D] Hanc epistolam in editis mutilam Quercetanus ope ms. codicis suae integritati restituit. Est inter editas ab ipso 49, inter Canisianas 23, Froben. 13, hic emendata aliquot locis ex cod. ms. Salisb. {21}

EPISTOLA XIV. AD FRATRES WIRENSIS ET GYRVENSIS ECCLESIAE. (Anno 793.)

@ [Col. 0161D] *Wirensis et Gyrvensis.* Wirense seu Wiremuthense monasterium sancti Petri; et Girwense sancti Pauli (Jarrow) in Anglia ad ostium Wirae amnis, cujus utrasque ripas Benedictus quidam ecclesiis insignivit, [Col. 0162D] et monasteria ibidem construxit, charitatis et regulae unione non discrepantia. CANIS.---Vid. Malmesb. lib.

IV Pont. Angl. in fine. Alterius epistolae ad Eadbaldum Gerwicensem abbatem meminit Clemens Reynerus apud Alfordum Annal. Anglo-Saxon. ad an. 804, n. 20, pag. 14, haec verba citans: «Non ignotum esse tuae dilectioni, venerande frater, credo, quod olim sancti Patres antecessores tui mihi licet indigno familiaritatis vestrae gratiam perdonaverunt, et in albo beatitudinis vestrae meae parvitatis nomen conscribi jusserunt, ita, ut unus essem ex vobis, ubicunque Deo volente essem.»

Hortatur ad ordinatam charitatem; ad observantiam regularis vel canonicae vitae, et regulae sancti Benedicti. Terret exemplo Lindisfarnensium; dissuadet vestimentorum cultum; confessionem peccatorum et poenitentiam commendat.[Col. 0162A]

Sanctissimis in Christo fratribus Wirensis Ecclesiae et Gyrvensis, humilis levita Alcuinus salutem.

Semper pietatis vestrae religionem, ex quo scire potui, amavi, magnamque in vestrae unanimitatis orationibus habens fiduciam: et modo, licet corpore procul positus, animo tamen inter vos semper assistens, quia latitudo charitatis nulla dividitur longinquitate, nullis clauditur terminis: sed quo magis [Col. 0162B] ardet in pectoris antro, eo latius flammam suavissimi ardoris spargere assuescit. Sicut fons paradisum irrigans quadrifido tramite latum diffunditur in orbem, sic fons charitatis pectus, virtutum floribus pullulans, in quatuor amoris rivos derivatur, veluti sanctus Augustinus in libro primo De Doctrina Christiana **(Cap. 23 et seqq.)** dixit: «Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est. Deus supra nos est. Proximus juxta nos est. Corpus nostrum infra nos est. De secundo et quarto nulla praecepta danda erant [*Codd.* ms. sunt]. Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui. Ideo praecepit Scriptura ut Deus diligatur et proximus. Nullum [Col. 0162C] rerum diligendarum genus in his duobus praeceptis praetermissum est. Salus vero corporis propter servitium Dei amanda est, et integritas animae in Deo diligenda est. Proximus, id est, omnis homo, propter Deum; et super omnia Deus diligendus est. *Diliges,* inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota mente tua;* et diliges proximum tuum sicut te ipsum **(Matth. XXII, 37, 39)**. Omnem vero hominem proximum esse, exemplo vulnerati et Samaritani discamus. Nullum autem exceptum esse cui misericordiae denegetur officium, quis non videat? quando [*Cod.* Sal., quoniam] ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* **(Luc. VI, 27)**.» Si inimici diligendi sunt, [Col. 0162D] quanto magis et fratres qui uno ovili continentur?

Vos vero, fratres sanctissimi, iisdem [*Cod.* Sal., a sanctis] Patribus spiritali doctrina congeniti, eisdem [*Cod.* Sal., atque a bonis] diu pastoribus per [Col. 0163A] pascua vitae deducti, similibus regularis [*Cod.* Sal., canonicae] vitae institutionibus edocti, pacis et concordiae unanimitatem diligentissime observate. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* **(Matth. V, 9)**. Non sint schismata occultae aemulationis inter vos, quia Deus Christus, Deus est pacis et charitatis, et qui in charitate manet, in Deo manet **(I Joan. IV, 16)**. Dilectio vero proximi in officio misericordiae, in doctrina salutis ostenditur. Qui habet verbum Dei in corde doceat proximum; qui habet saeculi

facultates, adjuvet proximum; qui habet cujuslibet ministerii scientiam, opituletur proximo, ipso praecipiente Deo: *Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, haec eadem et vos facite illis* **(Matth. VII, 12)**. Regularis [vel canonicae] vitae observationem, [Col. 0163B] quam statuerunt vobis sanctissimi Patres

@ [Col. 0163D] *Benedictus et Ceolfridus.* Benedictus is est cognomento *Biscopus, qui ope Egfridi regis Northumbriae anno 674, monasterium Wirense seu Wirimuthense condidit.* Ceolfridus primus abbas fuit monasterii Gyrvensis. «Nam Egfridus rex Northumbriae, ut habet Florentius Wignorniensis ad annum 682, pro redemptione animae suae etiam aliam quadraginta familiarum terram abbati Benedicto donavit, ubi missis monachis numero viginti duobus et praeposito abbate Ceolfrido sui per omnia coadjutore strenuissimo jussu regis monasterium beato Paulo apostolo in loco, qui dicitur Gyrvum, construxit.» Venerabilis Beda ab his abbatibus se educatum fuisse profitetur [Col. 0164D] in fine Hist. Angl. his verbis: «Natus in territorio ejusdem monasterii, cum essem septem annorum, cura propinquorum datus sum educandus reverendissimo abbati Benedicto ac deinde Ceolfrido.» Vid. Alford. Annal. Eccles. Anglo-Saxon. ad annum 674, n. 5, et 682, n. 2. Benedictus scilicet et Ceolfridus, diligentissime custodite, quatenus cum illis aeternam benedictionis mercedem habere mereamini. Haec est laus vestra, iste honor vester apud homines, et retributio apud Deum. Nolite conformare vos saeculi hominibus in vestimentorum vanitate, in ebrietatis luxuria, in joci lascivia, in otiositatis petulantia: sed cum omni modestia et pietate conversatio vestra Deo sit amabilis et hominibus venerabilis, sicut decet filios sanctae matris [Ecclesiae] et monachicae vitae alumnos.

Vos vero, qui estis Patres et pastores sanctae congregationis, docete diligentissime fraterno amore familiam, quam accepistis regendam, omneque bonitatis [Col. 0163C] exemplum in vobismetipsis ostendite. Seniores ut patres cum honore {22} admonete, juniores ut filios cum omni dilectione castigate. Omnes in spiritu mansuetudinis et verborum honestate instruite. Saepiusque regula sancti Benedicti in conventu fratrum [legatur, ut] propria exponatur lingua, ut intelligi possit ab omnibus. Ad cujus institutionem unusquisque suam corrigat vitam, ut quod [Deo] vovistis ante altare, inviolabiliter custodiatur a vobis; dicente Propheta: *Vovete et reddite Domino Deo vestro* **(Psal. LXXV, 12)**. Displicet enim Deo infidelis promissio **(Eccli. V, 3)**. Cogitate quem habeatis defensorem contra paganos, qui apparuerunt circa terminos maritimae habitationis. Nolite in armis spem ponere, sed in Deo qui nunquam deserit sperantes in se. Nolite in [Col. 0163D] fuga confidere (carnali), sed in prece Patrum vestrorum; sicque tandem filii eritis, si eorum vestigiis adhaerere studeatis. Non enim loci malefacientes adjuvat sanctitas, sed benefacientes religionis integritas [Col. 0164A] efficit [*Cod.* Sal., efficiet] sanctos et dignos protectione divina. Quis non timet terrorem

@ [Col. 0164D] *Terrorem, qui accidit, etc.* Vide quae adnotavimus in epistolam 8 ad Lindisfarnenses., qui accidit in ecclesia sancti Cudberti [*Cod.* Sal., Cuthbercti]? Corrigite quapropter mores vestros, ne propter peccata sceleratorum pereant et justi; ne vinea Domini vulpinis detur dentibus ad derodendum; ne sanctuaria Dei pedes paganorum pertranseant. Hoc impium esse videtur; sed multo pejus est, si diaboli atrocitas [propter scelera nostra cordis nostri devastat penetralia]. Propter interiores hostes, exteriores potestatem habent.

Si igitur Deus pro bona conversatione et castitate vitae habitator est cordis nostri, nunquam inimicos suos vastare dimittit quae nostra sunt. Quanta multitudo exercitus Assyriorum propter unam justi regis [Col. 0164B] et Deo dilecti orationem perierat? Aliorum castigatio vestra sit admonitio, et paucorum tribulatio, multorum sit salvatio. Vos maritima habitatis, unde pestis primo ingruit. In nobis impletum est quod olim per Prophetam praedicatum est: *Ab Aquilone inardescunt mala et a Domino formidolosa laudatio veniet* **(Jerem. I, 14; Job. XXXVII, 22)**. Ecce fugax latro boreales insulae nostrae partes pervasit. Plangamus quod fratres nostri perpessi sunt. Caveamus ne nobis aliquid accidat tale. Praeveniamus faciem Domini in confessione et ploremus coram Domino, qui fecit nos **(Psal. XCIV, 2, 6)**; ut ille qui creator est et redemptor, sit etiam protector et rector, pro bonisque vitae meritis, et religionis castitate dextera [Col. 0164C] potentiae suae defendat ovile suum.

Recordamini quam nobiles habuistis Patres, et non sitis tantis progenitoribus degeneres filii. Videte Librorum thesaura [*Loco thesauros*], considerate ecclesiarum decorem, aedificiorum pulchritudinem. Regularis vitae ordinem rememorate. Quam beatus est homo qui de his pulcherrimis habitaculis ad coelestis regni gaudia transeat! Assuescant pueri laudibus astare superni regis, non vulpium fodere cavernas, non leporum fugaces sequi cursus. Quam impium est Christi amittere obsequia et vulpium sequi vestigia! Discant pueri Scripturas sacras, ut aetate perfecta veniente alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute.

Recogitate nobilissimum nostri temporis
@ [Col. 0164D] *Nostri temporis magistrum.* Ex his verbis infert Canisius, Alcuinum non fuisse Bedae discipulum. «Cur enim, ait, invidisset Bedae hanc laudem, et non potius appellasset suum, quam sui temporis magistrum?» magistrum [Col. 0164D] Bedam presbyterum, quale habuit in juventute discendi studium, qualem [*Edit.,* quam] nunc habet inter homines laudem, multo majorem apud Deum remunerationis gloriam. Illius igitur exemplo dormientes [Col. 0165A] excitate animos. Magistris assidete, aperite libros, perspicite litteras, intelligite sensus illarum, ut vosmetipsos pascere, et aliis spiritalis vitae (epulas) praebere valeatis. Absconditas [*Cod.* Sal., ineptas] comessationes et furtivas (*Cod.* Sal., assiduas] ebrietates quasi foveam inferni vitate, dicente Salomone: *Aquae furtivae* (dulciores sunt) et panes absconditi suaviores. Sed (et) apud inferos illarum sunt convivae **(Prov. IX, 17, 18)**; volens intelligi talibus (iniquis) epulis daemones esse praesentes. Vos decet, ut filios Dei, morum nobilitas, vitae sanctitas, vestimentorum modestia. *Risus hominis et habitus illius, et incessus ejus, juxta Salomonem, enuntiant de eo* **(Eccli. XIX, 27)**.

{23} Quod in laicis laus esse videtur, id est, vestimentorum [Col. 0165B] cultus, hoc in clericis et maxime in monachis reprehensio esse cognoscitur. Sed et ipse princeps apostolorum etiam feminas a pretiosis vestimentis et circulatis capillis prohibuit **(I Petr. III, 3)**. Si hoc peccatum non esset, dicit Gregorius papa, nunquam Pastor Ecclesiae a deliciis vestium feminas prohibuisset. Omnia vestra honeste cum ordine fiant, ut laudetur Deus in vestra bona conversatione, et honor vester apud homines crescat, et merces meritorum multiplicetur apud Deum. Breve est (praesentis) vitae tempus, et ultima dies unicuique incerta, et cito rapimur ad judicium. Qualisquisque tunc cupiat

esse, talem se nunc tota virtute exhibeat. Si quid peccati pro fragilitate carnis commiserit, abluat [*Cod.* Sal., commissum est, abluatur] confessione, [Col. 0165C] deleat poenitentia, ne damnetur in poena, sed coronetur in gloria. Habetis sanctos Patres, qui vos genuerunt, adjutores, si illorum praeceptorum eritis factores. Sed et angelicae dignitates, et omnium sanctorum agmina congaudent bonis vestris, (desiderant vos socios habere suae beatitudinis); imo et ipse Deus, qui vult omnes homines salvos fieri **(I Tim. II, 4)**, vobis aeterni regni praeparatam habet gloriam.

Nolite vos propter desidiam animi [vestri] vel carnales delectationes aeternis fraudare bonis: sed magis omni studio intendite ut Deum hic habeatis defensorem, illic remuneratorem, qui vos proficere faciat in omni bonitate, (et) constituat immaculatos [Col. 0165D] ante conspectum gloriae suae. Obsecro ut pietas vestra placide perlegat, quod charitas nostra devote conscripsit, optans vos praesentem habere prosperitatem et futuram accipere beatitudinem. Meae quoque parvitatis ut memores sitis in sanctis orationibus vestris per charitatis almitatem obtestor, et familiaritatem quam perdonastis mihi inviolabili fide custodite [*Edit.,* custodire recordemini], quatenus per vestras intercessiones veniam habere merear meorum delictorum, et vos mercedem fraternae dilectionis apud Deum habeatis aeternam. Dextera Dei omnipotentis ab omni hoste visibili et invisibili [Col. 0166A] vos protegat, (et) ubique in omni bono florere faciat, fratres charissimi.

EPISTOLA XV. AD FRATRES GYROENSIS ECCLESIAE. *Hortatur illos ad virtutes monachis dignas, et ad sectanda patrum ac magistrorum suorum vestigia.*

Sanctissimis in Christo
@ [Col. 0165D] *Fratribus Gyroensis Ecclesiae.* Vide supra epist. 14 ad eosdem, et simul ad Wirenses scriptam. fratribus Gyroensis Ecclesiae humilis levita Alcuinus salutem.

Memor pietatis vestrae, qua me gremio charitatis in communionem sanctae orationis vestrae suscipere dignati estis, placuit parvitati meae, hanc veritatis vestrae sponsionem in memoriam revocare his litterulis, optans vobis bona Christo miserante aeterna et per vestrae dilectionis intercessiones me ab aeternis erui tormentis, ut dum vobis in die Domini nostri [Col. 0166B] Jesu Christi corona laudis reputabitur, mihi ab eodem judice vel venia peccatorum tribuatur.
@ [Col. 0165D] Hunc locum in ms. corruptum ita restituendum [Col. 0166D] puto, ut sensus prodeat: *Nec ob terrarum longinquitatem charitatis munificentia separari debet.* Nec est rarum longinquitate charitatis munificentie separari debet, quae semper praesens in servis Dei esse debet per eum, qui ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Quidquid in illo amicitiarum esse coepit, inviolabili firmitate permanere necesse est, *quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Ideo permaneamus in charitatis fraternae soliditate, nihil aliud attendentes in ea, nisi humilitatem et obedientiam; et ut invicem sancto adjutorio unusquisque alterum adjuvet: et dum omni personae summum est charitas, quanto magis famulis Christi, quorum vitae meritum totum [Col. 0166C] in charitatis et humilitatis et obedientiae virtute constat: in quibus vestram sanctitatem quotidie proficere optamus, quia quibus nihil secundum propositum regularis vitae cum saecularibus pompis, et

vanitatibus deliciarum commune est, totam vitam regulari constrictione perfectam esse decet.

Recordamini, charissimi fratres! nobilissimos principii vestri patres et parentes, qui vos genuerunt in Christo; et nobilissimos magistros, quos habuistis in vestrae germanitatis congregatione. Horum doctrinis inhaerentes, et horum exemplis viventes, et horum statuta sequentes illorum certissime consociati beatitudine in futuro saeculo eritis. Benedictus locus a Deo, qui tales meruit habere doctores; et benedicti, qui in eo loco illorum praecepta custodire [Col. 0166D] satagunt.

Quid servis Dei, qui monachicae vitae voto se constrinxerunt, inanis vestimentorum pompa, quae nec saecularibus prodest, et multum Deo servientibus obest? Quid conviviorum frequentia, quae animam a religione melioris vitae avertere solet? Quanta mala generet ebrietas, nemo est qui nesciat, qui curam suae animae habere contendit. Seniores adolescentulos bonis erudiant exemplis; et Pater qui praeest se sciat rationem redditurum de ovibus, quas recipit regendas. Unusquisque seipsum consideret, et quomodo [Col. 0167A] Deo placeat; quomodo salutem animae suae operetur: sed vos specialiter, charissimi fratres! in servitio Dei permanere decet, et in rationis [*Forte orationis*] studio proficere, propter optimos parentes et paucos [*Forte, non paucos*] magistros vestros. Quid vero librorum copia prodest, si non erint legentes in eis, et intelligentes eos? Quid laus parentum proficit, si sectatores illorum non erint praeceptorum post eos?

Vos vero filii estis sanctorum, vos nobile genus et regale sacerdotium, in Ecclesia Christi nutriti: nobilitatem vestram bonis moribus ostendite, quatenus plurimi vestris bonis exemplis erudiantur, et qui vos foris videat, a vobis discat quomodo vivere debeat. Nam ex paucorum conversatione ab his qui foris [Col. 0167B] sunt, saepe illorum vita, qui intus sunt, nominatur. Dicit enim Apostolus: *Quandiu sum Apostolus gentium, ministerium meum honorifico* **(Rom. XI, 13)**. Sic debet unusquisque suam personam, vel suum propositum religiosis ornare moribus, ut laudem cum hominibus habeat, et vitam aeternam cum sanctis accipere mereatur. Pro nobis intercedentem beatitudinem vestram Deus omnipotens custodiat, et in omni bono proficere faciat, fratres charissimi!

EPISTOLA XVI. AD FRATRES ECCLESIAE SANCTI PETRI. *Commendat se illorum amicitiae olim condictae:* laudat eorum regularem conversationem. Hortatur ad virtutes monachis proprias.

[Col. 0167C] Sanctissimis
@ [Col. 0167D] *In sancti Petri ecclesia.* Plures sunt ecclesiae, et monasteria plura sancti Petri apostoli patrocinio dicata; inter haec recensetur monasterium Wirense seu Wiremuthense in Anglia, quod a beato Benedicto Biscopo, una cum altero Girwensi ad alteram ripam Wirae amnis, sancto Paulo apostolo consecrato, [Col. 0168D] aedificatum fuit. Vid. notas nostras ad epist. 14. Praesens ergo epistola ad monachos Wiremuthenses scripta est, inter quos Ven. Beda, quem tanquam magistrum ac patronum illius loci laudat, enutritus et educatus fuit. in sancti Petri ecclesia fratribus Deo servientibus, humilis clientellus Alcuinus perpetuae gloriae salutem.

Saepissime corporalis speciei amici disjunguntur, sed nunquam charitatis dulcedine separari debent; et ubi vera est dilectio, ibi firma est germanitatis memoria; ubi radix condictae amicitiae in pectoris thesauro figitur, inde rami floribus fidei vestiti pullulasse certissimum est, usque dum fructibus aeternae beatitudinis refecerint veram habentes inter se charitatem, quam ego opto de mea parvitate vestris firmiter inhaerere mentibus, sicut olim mihi antecessores vestri pia voluntate promiserunt.

Locus vero habitationis vestrae mihi valde desiderabilis fuit, licet me conditio peregrinae conversationis [Col. 0167D] longe tulisset a vobis; quamvis corpore, sed nullatenus charitate, quia omnia quae apud vos videbam, sive in habitationibus domorum, sive in conversatione vitae regularis, valde mihi placuerunt, et utinam ut Deo semper placeat pietatis vestrae obedientia, et humilitas, et regularis vitae observatio. Haec est laus vestra coram hominibus, ut sive in vestimentis, sive in omnibus monachicae vitae disciplinis firmiter permaneatis, sicut patres vestri, viri [Col. 0168A] Deo amabiles, et hominibus honorabiles instituerunt, qui primi fuerunt fundatores congregationis vestrae. Certum est illos saepius visitare loca habitationis vestrae, et quoscunque inveniant honeste vivere et sua custodire statuta, congaudent illis, et pro eis intercedere apud pium judicem nullatenus desistunt; sed et angelorum visitationes loca sancta frequentare non dubium est. Fertur enim magistrum nostrum et vestrum patronum beatum dixisse BEDAM: «Scio angelos visitare canonicas horas et congregationes fraternas; quid si ibi me non inveniunt inter fratres? Nonne dicere habent, ubi est BEDA? Quare non venit ad adorationes statutas cum fratribus?»

Magna est apud Deum communis oratio, et magna [Col. 0168B] charitatis communio; et multo est melius cum fratribus communiter orare, manducare et dormire, quam in speciali habitatione solum cum periculo manere, quia facilius diabolus expugnare poterit illum qui solus est, quam eum qui fraterno auxilio undique cingitur, dicente Scriptura: *Frater, qui a fratre adjuvatur, quasi firma est civitas* **(Prov. XVIII, 19)**. Vestra enim laus est honeste vivere, religionem votorum vestrorum servare. Quid vobis vestimentorum pompa? Major exinde erit reprehensio quam laus; vanitas est enim et superbia, et nihil aliud; et perditio vitae regularis. Melius est animam bonis ornare moribus, perpetualiter permanentem, quam corpus, quod in pulverem redigitur, pompaticis ornare coloribus; vel luxuriosis conviviis pascere vermium [Col. 0168C] escam.

Haec cogitate, charissimi fratres! et quid vobis ad aeternam proficiat beatitudinem sequimini. Patribus obedite vestris, senes honorate, infirmos visitate, adolescentulos bene docete, ut habeatis, qui super sepulcra vestra stare possint, et intercedere pro animabus vestris. Considerate mentibus vestris, quales sint qui modo in sepulcris jacent, et quam beatae sint animae illorum qui in religione, et regulari vita, et castitate corporis, et charitatis obedientia dies suos usque in finem perduxerunt. Horum est regnum coelorum, quod labore acquisierunt, qui pro vobis intercedant quotidie, quatenus ad illorum societatem, Deo donante, pervenire mereamini. Omnipotens Deus vestrae unanimitatis sanctitatem in aeterna [Col. 0168D] beatitudine adunare dignetur, Domini fratres!

{24}

@ [Col. 0168D] {25} Hoc epistolae fragmentum apud Quercetanum [Col. 0169D] pag. 1623 Op. Alcuini connexum habetur cum parte epistolae quam integram reperimus tom. I Concil. Britanniae pag. 159 *Athelhardo, inscriptam, quam vide infra.* Praesens vero fragmentum ad Carolum Magnum, Alcuini *Davidem, pertinere ipse contextus loquitur.* Novum errorem hic carpere videtur Alcuinus, quod nonnullis durum videretur confiteri vel credere: *Carnem Christi in spiritalem gloriam post resurrectionem esse mutatam.* Quo anno data sit [Col. 0170D] ignoramus, nisi referenda sit ad initium coeptae ab Alcuino disputationis adversus Felicem et Elipandum, ad annum scilicet 793 vel sequentem.

EPISTOLA XVII. AD CAROLUM MAGNUM. (Circa annum 793.)

Laudat illum a potentia saeculari et praedicatione divinae legis, tanquam rectorem populi et doctorem. Carpit errorem Adoptianorum.

Veniente ad nos filio nostro Candido, vestro autem [Col. 0169A] fideli servulo, multum nos vestrae prosperitatis annuntiatione laetificabat, nec non magna salutatione vestrae dilectionis dulciter reficiebat. Laudabilis quoque doni allatione intimae mentis affectum fecundabat. Insuper mentis probamentis vestrae auctoritatis pro nobis explicavit devotionem, quam pura et sancta inquisitione catholicae fidei veritatem examinare studuistis, et semper viam regiam, apostolica confortatus praedicatione, plano veritatis sermone, vestram asseruit prudentiam tenere. Beata gens cujus est Dominus Deus eorum: et beatus populus tali rectore exaltatus, et tali praedicatore munitus; et utrumque et gladius triumphalis potentiae vibrat in dextra et catholicae praedicationis tuba resonat in lingua. Ita et David olim praecedentis populi rex [Col. 0169B] a Deo electus, et Deo dilectus, et egregius Psalmista Israeli victrici gladio undique gentes subjiciens, legisque Dei eximius praedicator in populo exstitit. Cujus eximia filiorum nobilitate in salute mundi, de virga flos campi et convallium floruit Christus **(Cant. II, 1)**, qui istis modo temporibus ac ejusdem nominis, virtutis et fidei David regem populo suo concessit rectorem et doctorem. Sub cujus umbra superiora [*Forte, superna*] quiete populus requiescit Christianus, et terribilis undique gentibus exstat paganis. Cujus devotio a sectis perversi dogmatis fidem catholicam evangelica soliditate munire non cessat, ne quid novi et apostolicis inconveniens doctrinis, per clandestinas subreptiones alicubi oboriri valeat, sed [Col. 0169C] coelestis gratiae lumine fides ubique fulgeat catholica.

Cujus luminis, heu proh dolor! quidam extorres, Christum ex Virgine sancta natum, impia temeritate Deum verum, et Filium Dei proprium negare non timent. Qui error eousque, ut videtur, latenter quorumdam etiam fidelium doctorum animis subrepsit, ut durum videatur illis confiteri vel credere, Deum esse tantum Jesum Christum, qui sedet ad dexteram Patris, et in gloria paternae majestatis venturus est judicare vivos et mortuos. Nec in spiritalem nunc gloriam carnem Christi Dei esse mutatam, quae pro nobis pependit in ligno, contra illud Apostoli dictum, qui de nostri corporis immutatione ait: *Seminatur corpus animale,* surget corpus spiritale [Col. 0169D] **(I Cor. XV, 44)** . Nec illam considerantes sententiam, quia idem ipse a Deo electus mundi praedicator, justorum resurrectionem discernens ab impiis, dixit: *Omnes quidem resurgemus, sed*

non omnes immutabimur **(Ibid., V, 51)**. Si nostris operibus secundum modum meritorum spiritalis gloriae promittitur immutatio, quanto magis corporis Christi clarificatio gloriosa esse credenda est post resurrectionem? [Col. 0170A] dicente Apostolo de nostrae resurrectionis gloria: *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* **(Philipp. III, 21)**. Unum Deum verum et unum Dei Filium in duabus naturis, divina scilicet et humana, Dominum nostrum Jesum Christum regnantem cum Patre et Spiritu sancto praedicamus, et confitemur, non divisa potestate, nec partita, quasi una sit major potestas, altera minor; quia divisionem et partitionem vera non recipit aeternitas, vel divinitas, quae est in Christo Jesu Domino nostro, Apostolo dicente: *Si Christum noveramus secundum carnem, sed nunc jam non novimus* **(II Cor. V, 16)** ; id est, qui mortalis fuit in terris ea natura quae mori potuit, nunc totus spiritalis regnat in divinitatis majestate in coelis, [Col. 0170B] qui post resurrectionem ait apostolis: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* **(Matth. XXVIII, 18)**. Quae potestas multo ante Filio hominis danda dicitur a prophetis

@ [Col. 0170D] {25} Hoc loco epistolam, quae apud Quercetanum est 97, Froben. 14, *ad Quemdam, abrumpendam esse censui.* Vid. notam priorem..

@ [Col. 0170D] Edit. Quercet. 63, Canis. 28, Froben. 15.

EPISTOLA XVIII. AD ADRIANUM I PAPAM. (Anno 794.)

Commendat se gratiae pontificis, illumque profitetur vicarium sancti Petri, et ejus potestatis haeredem, simulque precatur, ut petitionibus suis per Angilbertum faciendis annuat.

Beatissimo et omni honore dignissimo et pontifici magno

@ [Col. 0170D] *Adriano papae qui iniit pontificatum anno 772, et obiit anno 795.* Adriano papae, humillimus omnium sanctae Ecclesiae filiorum Albinus aeternae beatitudinis salutem.

Venerabilis atque toto orbe laudabilis vestrae bonitatis, [Col. 0170C] Pater optime, pietas mihi ultimo sanctae Ecclesiae servulo quantulamcunque attulit fiduciam vestram deprecandi clementiam, ut me, licet indignum, paternae pietatis amore in gremium sanctissimae intercessionis vestrae colligere dignemini. Scio certissime vestrae devotionem Sanctitatis pro populo jugiter totius orbis intercedere Christiano: tamen specialius aliquid pro his egisse, qui vestrae almitati seipsos obnixa humilitatis obsecratione commendant, et majore credulitate ad tantae auctoritatis confugiunt suffragia. Scio me per sacri baptismatis adunationem de illius esse ovili pastoris, qui pro suis ovibus animam ponere non dubitavit **(Joan. X, 11)**; quas etiam per acutissimam suae resurrectionis gloriam [Col. 0170D] beatissimo Petro principi apostolorum, ob trinam magnificae dilectionis confessionem, pascendas commendavit **(Joan. XXI)**; cui etiam coelo terrisque aeternam ligandi ac solvendi potestatem delegavit **(Matth. XVI, 19)**.

Hujus te, excellentissime Pater, ut vicarium sanctissimae sedis agnosco, ita et mirificae potestatis haeredem esse confiteor. Ecce ego una sum regiminis [Col. 0171A] vestri ovicula, sed valde peccatorum maculis morbida. Quapropter me totum tuae offero Sanctitati,

Pater piissime, sanandum, et medicinali potentia, quae tibi post longas sanctorum Patrum series haereditaria successione a Deo Christo tradita esse dignoscitur, me jubeas salutifero pietatis verbo a peccatorum vinculis esse solutum. Nam mihi cum evangelicae humilitatis regula fas esse video dicendum: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* dic verbo, et sanabitur puer meus **(Matth. VIII, 8)**. Qui mox, ut speravit, invenit; ut credidit, accepit. O beatissima lingua oris vestri, in qua est aeternae medicina salutis, per quam coeli aperiuntur credentibus! Nunquam, obsecro, haec sileat: semper admoneat et sanet, semper aperiat perpetuae beatitudinis [Col. 0171B] ad se confugientibus portas. O Domine Jesu, fac eum longaeva valere et vivere prosperitate; et qui talem populo tuo dedisti pastorem, hunc pietatis tuae dextera multis temporibus conservare digneris, quatenus cum multiplici laboris sui mercede ante thronum tuae veniens gloriae audire mereatur: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* **(Matth. XXV, 21)**.

Jam aliquas petitiones propriae necessitatis meae his quoque litteris insererem. Sed quia electissimus domni mei regis missus, filius equidem meus charissimus
@ [Col. 0171D] *Domni mei regis missus. . .* Angilbertus. Bis Angilbertus ad Adrianum papam a Carolo directus est. Primo anno 792 post synodum Ratisbonensem, quo Felicem Urgelitanum Romam adduxit. Iterumque anno 794, post synodum Francofordiensem, quando nimirum ad Adrianum detulit *Capitulare adversus synodum, quae pro sacrarum imaginum erectione in Nicaea acta est, ut habent verba Adriani in responsione ad Carolum.* Hujus secundae legationis occasione scriptam fuisse hanc epistolam censent Mabillonius tom. II, lib. XXVI Annalium, pag. 313. Pagius ad annum 794, num. 12, etc., et alii. Tempore namque primae legationis, seu anno 792, Alcuinus ex Britannia nondum in Franciam reversus erat. Et ipse Alcuinus in hac epistola haud obscure innuit Angilbertum, antequam hac vice Romam abiret, legationem obiisse apud Adrianum, cujus inde reversus *bonitatem saepissime domno regi narrare solebat.* [Col. 0172D] «Recitat hanc epistolam Baronius in appendice ad annum 772, putatque ab Alcuino datam esse, quando Carolus accepto electionis Adriani in pontificem Romanorum nuntio Angilbertum legatum Romam misit. Verum duae tantum legationes ab Angilberto obitae, ut mox diximus, et Alcuinus ante annum 781 aut insequentem, in Francia moram non fecit.» Pagius loc. cit., quem etiam vide ad annum 773, n. 1. Angilbertus ad beatissimam summae auctoritatis vestrae dirigitur {26} paternitatem, non esse necesse putavi litteris exarare, quod ille vir fidelis [Col. 0171C] et prudens melius viva voce, secundum mandatum domni regis, auribus Excellentiae vestrae poterit intimare. Nam inter caeteras fidelissimae directionis quam ad vos habet legationes, meae quoque necessitatis postulationes eidem praefato regiae voluntatis secretario commendavit: quem omnibus amicis valde fidelem esse probavimus, maxime vobis, ut vere dignum est, sanctissime Pater, qui vestram laudabili voce bonitatem saepissime domno regi sub praesentia multorum testium narrare solebat, et egregiae pietatis per vos gesta, purae fidei verbis, de vobis proferre studuit, quatenus piae dilectionis fidem ostenderet, et vestrae almitatis amorem plurimorum mentibus ingereret.
@ [Col. 0172D] Edit. Quercet. 82, Canisii 66, Frobenii 16.

EPISTOLA XIX. AD THEOPHILUM. (Anno 794.)

Laudat illius scripta apostolicae fidei, et ab eodem instrui cupit. [Col. 0172A]

Optimo
@ [Col. 0172D] *Theophilo.* Theophylacto fortassis, episcopo Tudertino, qui anno 794 Francofortensi concilio praesedit tanquam legatus sedis apostolicae, quo in loco Alcuinus facile cum eo amicitiam inire potuit. Hic Theophylactus a Reginone quoque et Metensi annalista *Theophilus appellatur;* quod conjecturam nostram confirmat. Theophilo bis binae evangelicae veritatis discipulo, et sanctarum quadrigae virtutum, fidelium quadriga amicorum plena charitatis nave trans Alpinas aquas dirigit salutem.

Accepimus dignitatis vestrae chartam, vere, ut agnovimus, charitatis floribus depictam, ac mellifluo spiritalis jucunditatis sapore refertam. Unde et nos discipuli sanctitatis vestrae in abundantia roriflui nectaris, quod ex ejus gremio pleniter hausimus, refecti, satiati, valde laetati sumus: agnoscentes coelestem [Col. 0172B] charitatis thesaurum vestro sufficienter recondi pectore, et affluenter inde per lata terrarum spatia, flumina salutiferae doctrinae emittere [*Al.,* emanare], et arida justitiae fonte sitientium corda irrigare: non septigeno Niliaci fluminis gurgite, sed septiformi sancti Spiritus inundantia viventis aquae fluenta in vitam salientia sempiternam **(Joan. IV, 14)**. Unde et lucidissima apostolicae fidei pocula nobis propinare larga pietate studuisti, quae cum omni charitatis aviditate accepimus, et cum magna gratiarum actione potavimus. Nec unius parvissimi et variis motibus vibrantis in sole spurcitiam atomi offendimus in eis, sed crystallina puritate micantia: ita ut superni solis radiis nostri cordis lychnos mirabiliter illuminaverit.

[Col. 0172C] {27} Haec consideravimus diligentius, et desideravimus ardentius; legimus saepius et elegimus semper, et laetificati laudavimus Deum, qui solita pietate tale lumen nostris concessit temporibus [*Al.,* laboribus]. Quapropter intentius precamur, luceat lux tibi a Deo datae sapientiae ex corde charitatis tuae per os veritatis tuae, ut omnis auditor aedificetur, et solus omnium dator bonorum glorificetur in te et per te. Saepius ad nos currat charta exhortationis tuae, nec eam Alpinum frigus vel viarum asperitas vel exundatio fluminum ullatenus impediat. Charitas omnia superat, de qua dulcisonus decantavit Psalmista: *Aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam* **(Cant. VIII, 7)**. Illa ex abundantia cordis dictando scribat, ut nos ex diligentia [Col. 0173A] legendi aedificemur. In calce vero chartulae hujus obsecramus, quod in capite optamus, quatenus nostrae navigium vitae sanctitatis vestrae orationibus gubernare digneris.
@ [Col. 0173D] {28} Edit. Quercet. 79, Canis. 25, Froben. 17.

EPISTOLA XX. AD USUALDUM. (Anno 794.)

Monachos hortatur ad virtutes; illorum petitiones apud regem se juvisse dicit; illorum se orationibus commendat.

Domini Dei Salvatoris mundi sanctissimae congregationi et pio Patri

@ [Col. 0173D] *Usualdo.* Hoc nomine cum careret cod. ms. Sanct-Gallensis, Canisius dubitabat num congregatio sancti Salvatoris illud sit oratorium, quod Liutprandus rex, teste Petro Oldrado archiepiscopo Mediolanensi in epistola ad Carolum Magnum in palatio suo Ticini in honorem Salvatoris mundi exstruxit. Mabillonius tamen lib. XXVI Annal. n. 8 nullus dubitat, quin hic Usualdus sit abbas monasterii sancti Salvatoris in monte Amiato prope Clusinum Etruriae urbem. Alia tamen olim viro celeberrimo stetit sententia, dum Act. SS. Ben. Saec. IV, part. I, pag. 575, Usualdum nostrum credidit fuisse abbatem monasterii sancti Naboris apud Metenses, quod antiquitus *Cella-nova sancti Salvatoris dicebatur;* quae opinio robur accipit ex memoria Angilrami, qui Metensis ecclesiae archiepiscopus fuerat. Usualdo humilis levita Albinus salutem.

Laudabilem vestrae beatitudinis conversationem et condignam vestro nomini vitam laudamus, et Dominum [Col. 0173B] in vobis, qui tales sui sancti nominis dignatus est habere confessores. Nec enim frustra speciali vocabulo, *Monachi sancti Salvatoris vocamini, nisi quia estis meritis quod nomine dicimini.* Imo et tam nobilis rex nobiles debet habere ministros, moribus egregios, in pace concordes, in corpore castos, in animo sobrios, omni bonitate eximios, clarissimis assuetos triumphis; non fuga vitam defendere, sed in acie firmiter stare, viriliter pugnare, fortiter vincere, quatenus cum gloriosa victoriae palma aeterni regis civitatem intrare mereamini. Hoc considerantes, fratres, adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec cognominetur Christus in vobis. Et ad finem firmum coeptum iter beatae conversationis peragite, ut unusquisque cum Apostolo dicere dignus [Col. 0173C] efficiatur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi:* de reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex **(II Tim. IV, 7, 8)**.

Vestrae petitionis et voluntatis ad dominum regem, quantum valui, fui adjutor, secundum quod mihi fraternitatis vestrae missus suggessit; mihique adjutricem

@ [Col. 0174D] *Liutgardam, quartam, post obitum Fastradae reginae, Caroli imp.* conjugem, quae Turonis obiit anno 800 (*Annal.* Franc.). Liutgardam piissimam in Deo feminam adduxi. Sed obsecramus, ut sanctissimis orationibus vestris nostrum pro vobis laborem remunerare dignemini. Nam olim per

@ [Col. 0174D] *Angilramnum, episcopum Metensem, qui obiit anno 791.* PAGI. Angilramnum [*Al.,* Engilrammum] archiepiscopum et sanctae capellae primicerium meipsum vestrae commendavi sanctitati. Sed modo quasi singulorum genibus [*Al.,* pedibus] provolutus obsecro, ut me in hujus vitae salo fluctuantem [Col. 0173D] pietatis precibus ad portum perpetuae quietis, [Col. 0174A] divina donante gratia, transportare dignemini: ut et ego animae meae salutem fraternae intercessionis juvamine habere merear, et vos aeternae retributionis mercedem a Deo pro charitatis officio digne accipere mereamini. Omnipotens Deus exaudiat pietatis vestrae preces, et multis prodesse concedat, vobisque perpetuae praemia gloriae donare dignetur, charissimi et desiderantissimi fratres.

@ [Col. 0174D] Edit. Quercet. 87 ex ms., Froben. 18.

EPISTOLA XXI. AD QUOSDAM. (Circa annum 794.)

Apud Eboracenses Alcuinus suam excusat absentiam, eosdem hortatur ad concordiam cum Eanbaldo patre suo.

Sanctissimis in Christo atque dilectissimis
@ [Col. 0174D] *Fratribus et Filiis, Eboracensibus nempe, quod colligitur ex illis verbis: Mementote quales habuimus Patres, qui nos genuerunt in Domino.* Ad illos ergo scribit, quorum profitebatur communitatem, et communem agnoscebat Patrem, hoc est, Eboracenses. fratribus [Col. 0174B] et filiis in Christo salutem.

Vestris in Domino profectibus valde congaudeo, desiderans vos praesenti florere felicitate et perpetua futura beatitudine. Ideoque saepius de concordia pacis, et de consilio salutis admonere non desisto, licet parvo ingenio, non tamen parva charitate. Nec mihi tam cito veniendi occurrit facultas, quam vestra flagitabat sanctitas, propter quasdam Ecclesiae necessitates. Jam totus vobiscum sum in desiderio prosperitatis vestrae, etsi corpore absens, non tamen dilectione. Hoc maxime obsecro ut concordes sitis cum piissimo
@ [Col. 0174D] *Patre nostro, Eanbaldo, puto, seniore.* Scripsit igitur Alcuinus hanc epistolam, dum jam secundo in Franciam rediit, ibique *ob quasdam Ecclesiae necessitates, oppugnandam scilicet haeresin Felicianam, detentus fuit;* ante annum 796 quo Eanbaldus ille obiit. Patre nostro, et timorem Domini ante oculos habeatis, et quod ei placitum speratis, concorditer loquimini, viriliter perficiatis, firmiter retineatis. Nec aliquis vestrae unanimitatis viscera [Col. 0174C] disrumpere valeat. Constanter state in Dei timore, dum ille misericorditer vestrum praevidit honorem, qui nunquam dimittit sperantes in se. Si qua in moribus humanae conversationis inter vos corrigenda sunt, citius cum omni instantia corrigite, ut Spiritus Domini sanctus vobiscum manere dignetur. Et si Deus, qui dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio* **(Matth. XVIII, 20)**; si ille, inquam, in vobis est, quis contra vos? Et si amor illius in corde vestro ardet, quis vobis nocere poterit? Habetis sanctos Dei in omni bono opere adjutores, si sanctorum vestigia sequi tota virtute studeatis. Mementote, quales habuimus Patres, qui nos genuerunt in Domino. Illorum aemulamini vitam, ut cum illis aeternae beatitudinis participes esse mereamini; [Col. 0174D] meique memores in sanctis orationibus vestris sitis, [Col. 0175A] vestramque unanimitatem in omni opere bono omnipotens Deus proficere concedat, dilectissimi fratres.

EPISTOLA XXII. AD QUEMDAM. *Filium et peregrinationis socium ad virtutes stimulat.* Memorat et commendat sapientiae studium; doctrinas olim datas in memoriam revocat.

Pater filio, pacificus peregrino, magister discipulo, socius socio peregrinationis sempiternam salutem.

Magnum mihi, fili charissime, de vestra salute et prosperitate desiderium est. Ideo litteras exhortationis meae vice verborum paternae pietatis vobis dirigere studui, obsecrans perpetuae mentis dilectione, et tota virtutis intentione Deum te habere in oculis, et in memoria, quatenus illius piissima misericordia te custodire dignetur inter adversa et inter [Col. 0175B] prospera, ut via regia pergens ad perpetuae civitatis portam

pervenire merearis. Sit tibi Christus in ore et corde, et operis constantia. Noli pueriliter agere, et desideria juvenilia sectari; sed perfectus esto in omni honestate, continentia et modestia, ut laudetur Deus in opere tuo, et non reprehendatur pater qui te genuit. Esto sobrius in cibo ac potu, saluti tuae magis providens quam delectatione carnali, vel vanissima hominum laude, quae non proficit, si Deo displiceant actus tui. Melius est Deo placere quam

@ [Col. 0175D] *Strionibus.* Legendum fortassis histrionibus, quibus Homerum suum admodum delectari supra in epist. 213 (nunc 191) dixit; hinc suspicio oriri possit, hanc epistolam ad eumdem Homerum seu Angilbertum [Col. 0176D] scriptam fuisse. (Apud Froben. epist. 230.) strionibus, pauperum habere curam quam mimorum. Sint tibi honesta convivia, et convivae religiosi. Esto senior in moribus. quamvis junior in annis. Nimia quaeque nocent.

@ [Col. 0176D] *Italia infirma est patria, etc.* Vide, quae notavimus ad epist. 137 inter notas. Italia infirma est patria, et escas generat noxias. [Col. 0175C] Idcirco cautissima consideratione videas, quid, quando, vel qualiter, vel quibus utaris cibis; et maxime ebrietatis assiduitatem devita, quia ex vini calore febrium ardor ingruere solet super incautos.

Taedet animus meus multum pro absentia tui. O quam dulcis vita fuit, dum sedebamus quieti inter sapientis scrinias, inter librorum copias, inter venerandos Patrum sensus; quibus nihil defuit quod religiosae vitae et studio scientiae deposcebat. Utamur tamen sorte praesenti secundum virtutem animae, in gratia confidentes divina, quae nos nunquam derelinquit, si totam spem ponamus in illam. Ego vero taediosus et tristis desiderabilem vestrae faciei praestolabor aspectum, ignorans si te venientem videre [Col. 0175D] merear; vel si tu me veniens invenire merearis; *occulta sunt enim judicia Dei:* praeparet sibi unusquisque lampades ardentes, ut quacunque hora sponso occurrere jubeatur, cum luce bonorum operum thalamum aeterni regis intrare mereatur.

Si quid in nobis bonae consuetudinis vidisti, hanc sequere, ut benedictionem Dei ex illa habere merearis; si quid vero erroris et impii tramitis, hunc horresce et fugias ab eo, ne nostris peccatis nobiscum involvaris. Cursus quotidiani synaxeos cum missarum solemniis et vigiliis sanctorum quotidiano usu, [Col. 0176A] in capella nostra ut vidistis, obliviscere noli. Senioribus et sapientibus utere consiliariis. Recordare Roboam filium Salomonis. Omnis lascivia longe sit a consuetudine tua. Sint tibi verba in veritate, mores in honestate, corpus in castitate, habitus in religione, cibus et potus in modestia, et tempora statuta id in quo agere debeas. Indisciplinatae loquelae non assuescat os tuum. Sint tibi verba simplicia sine juramento, veritate plena, sapientiae sale condita. Cor judicet, antequam lingua loquatur. Multae sunt invidiae et perfidiae hominum; plurimi sunt amici in mensa, et rari in necessitate.

Quid opus est plura scribere, dum optime nostis quid saepius in cor charitatis vestrae suadere solebam. Ex meritis obedientiae paterna benedictio filiis, ut [Col. 0176B] reor, eveniet. Considera Ruben, memento Judam, de uno patre et matre genitos, ex diversis meritis diversas habentes benedictiones. Petrus et Judas ambo in apostolatum sunt electi, sed non ambo pari devotione secuti sunt Dominum; ideo iste elevatus est in principatum apostolatus; ipse principi daemoniorum traditus. Stephanus et Nicolaus in

ministerium altaris aequaliter electi, sed propter dissimilem fidem dissimilis eos consecutus est finis. Plenae sunt Scripturae documentis obedientiae; plenus est mundus exemplis, quid cui ex humilitate obedientiae evenisset, quorum copiosam multitudinem exuperat Redemptoris nostri mirabile exemplum, de quo Doctor gentium ait: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset,* non rapinam arbitratus [Col. 0176C] est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et inferorum, et omnis lingua confiteatur, quia Jesus est Christus in gloria Dei Patris (Philip. II, 6-11.)
@ [Col. 0176D] Edit. Quercet. 31, Canis. 15, Froben. 19. {29}

EPISTOLA XXIII. AD FRATRES SANCTI MARTINI TURONICAE CIVITATIS. (Circa annum 795.)

Cum illis esse cupit, eosque hortatur ad virtutes monachis convenientes.

Sanctissimis in Christo fratribus, et beato Martino [Col. 0176D] confessori Christi servientibus, humilis levita Alcuinus salutem.

Ex quo vestram beatitudinem scire potui, semper amare volui, quia sanctitas vestra cordi meo amorem infundit vestri, optans unus esse ex vobis. Ut si meritis esse nequivissem, charitate tamen fraternae dilectionis conjunctus essem, quatenus in die magno resurrectionis omnium particeps essem eorum, quos tantus pastor suo regi praesentabit. O felix familia, tali gaudens pastore, talem habens in die Domini doctorem [*Edit.* ductorem]! felix qui ejus tota voluntate [Col. 0177A] sequitur vestigia, ut illius inhaerens praeceptis ipsius mereatur consociari gloriae. Ut hoc fieri valeat, nulla vos saeculi concupiscentia, nullum carnale desiderium abstrahat; nec vestrae salutis vosmetipsos negligentes esse decet, nec paratam vobis in Deo gloriam parvipendere. Habetis enim Dei gratiam auxiliantem vobis, et magnum intercessorem, sanctum scilicet Martinum, deprecantem quotidie pro vobis: quia in cujus servitio quotidie statis in domo sua, illum habetis in coelis omni hora suffragatorem.

Quapropter, dilectissimi fratres, diligentissime contendite, ut saepius vos inveniat visitatio sui sanctissimi Spiritus in laudibus divinis vigilantes. In loco in quo elegit sibi requiem dulcissimam, sic fundite [Col. 0177B] preces vestras, quasi praesente Deo loquentes et sanctis ejus. Nec sit aliud in corde, aliud in ore; quia homo audit quod os loquitur, Deus inspicit quod cor cogitat; quia cor contritum et humiliatum Deus non spernit **(Psal. L, 19)**. Et omnis qui se humiliat, exaltabitur **(Luc. XIV, 11)**. Per humilitatem vero, obedientiam et charitatem monachus coelum ascendit.

Non est igitur laudabile in vestimentis habitum imitari Patrum, sine observatione mandatorum quae illi statuerunt Deo servientibus. Qui foris in oculis hominum ovis in vestimentis videri cupit, intus ante conspectum Dei per cordis secreta esse contendat, quod foris ante homines putari cupit.

Charitas igitur quam Deus praecepit duplex esse [Col. 0177C] debet, id est Dei et proximi. Una quae supra nos est, id est Deus; altera quae juxta nos est, id est homo. Deus ex toto corde et ex tota anima et ex tota diligatur virtute. Proximos vero sicut nosmetipsos diligamus **(Matth. XXII, 37, 39)**. Si quaerat quislibet, qui sit proximus? omnem Christianum intelligere debet, veluti in Evangelio legimus de Samaritano, qui vulneratum adjuvit **(Luc. X)**. Item obedientia duplex esse debet, id est, et mala non facere quae prohibentur, et bona facere quae jubentur. Et haec duo, id est charitas et obedientia, cum summa jubentur humilitate impleri. Haec sunt tria praecepta quae aperient monachis portas coeli.

His itaque quasi radicibus aliae succrescunt virtutes, quasi ramorum fertilitas, quibus fructus vitae [Col. 0177D] nascitur aeternae. Nec me, rogo, sanctissimi Patres et fratres, praesumptuosum aestimate, cur vobis haec scriberem. Charitas mea me compulit
@ [Col. 0177D] *Charitas me compulit.* Haec verba satis innuunt hanc epistolam ante scriptam fuisse quam monachis illis praeficeretur Alcuinus. Mabill. lib. XXVI *Annal.,* n. 47. in has prorumpere litteras; optans vobis omnia bona a Deo dari [*Can.,* donari], ut in saeculo honorem habeatis cum hominibus et in futuro saeculo vitam aeternam cum sanctis Dei. Vos vero seniores in spiritu mansuetudinis, sicut Apostolus praecepit, juniores vestros admonete, quia illorum salus vestra est merces (I Cor. IV), illorum eruditio vestra est remuneratio. [Col. 0178A] Quia qui arborem plantat, mercedem de fructu illius accipere cogitat. Habete adolescentes quasi, filios, quatenus illi vos habeant ut patres. Exemplis bonis illos instruite, admonete ut charissimos, castigate ut conservos; quia {30} haec est fraterna charitas, ut omnes quasi vosmetipsos ad coronam supernae beatitudinis perducere studeatis.

Adolescentes vero senioribus quasi patribus subditi estote **(I Petr. V, 5)** , sicut de Deo Christo legitur in Evangelio, quod subditus esset suis parentibus **(Luc. II, 51)**. Si vero Deus homo et Dominus omnium subditus esse non dedignatur hominibus, quanto magis et vos, pueri et adolescentes, subditi esse debetis magistris vestris, ut per illorum bonam doctrinam proficere et florere, et exaltari in Ecclesia Christi, [Col. 0178B] et ad vitam aeternam cum illis, Deo donante, pervenire mereamini. Pro me semper intercedere dignemini, quatenus vestris precibus veniam meorum merear accipere peccatorum, et amabilem vobiscum in die novissimo Domini nostri Jesu Christi audire sententiam: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

Vos aeterna Dei conservet gratia, fratres,

Nominis atque mei memores sine fine valete.
@ [Col. 0177D] Quercet. 72, Canis. 27, **(Froben. 20)**.

EPISTOLA XXIV. AD LEONEM III PAPAM. (Anno 796.)

Commendat se summi pontificis, tanquam vicarii apostolorum et Ecclesiae principis, apostolicae sollicitudini per Angilbertum.

[Col. 0178C] Domino beatissimo, atque omni honore nominando

@ [Col. 0178D] *Leoni papae.* Est hic Leo papa III, qui post obitum Adriani papae pontificatum iniit anno 795, festo sancti Stephani protomartyris, ut refert Anastasius in Vita Adriani. Obiit vero anno 816. Leoni papae, humilis levita Albinus aeternae in Christo gloriae salutem.

Suscipiat, obsecro, sanctissima pietas vestra, Pater charissime [*Al.,* gloriosissime], benigno animo nostrae parvitatis litterulas, et me devotum vestrae dilectionis famulum agnosce. Semper sanctae Romanae sedis beatissimos, quantum valui, principes et pastores amavi, cupiens illorum sanctissimis intercessionibus inter oves Christi numerari, quas Deus Christus post resurrectionis suae gloriam beato Petro principi apostolorum pascendas commendavit. Quod vere dignum esse fateor, omnem illius gregis multitudinem suo pastori, licet in diversis terrarum pascuis [Col. 0178D] commorantem, una charitatis fide subjectam esse, et sicut pio pastori condecet, magnam commissi sibi gregis curam habere, et sedula pietatis admonitione et sanctitatis intercessione praevidere [*Al.,* providere], ne aliqui ex illis per praecipitia errorum a via veritatis et perpetuae pascuis vitae exorbitare incipiant. Gregis sanitas gloria est pastoris, et multiplicatio illius merces aeterna.

Ecce tu, sanctissime Pater, pontifex a Deo electus, vicarius apostolorum, haeres Patrum, princeps Ecclesiae, unius immaculatae columbae nutritor. In te fides [Col. 0179A] resplendeat, devotio fulgeat, charitas abundet [*Al.,* resplendeat, fulgeat, abundet]. Congrega nos filios sanctae Dei Ecclesiae paternae miserationis affectu, tuis sanctissimis orationibus et dulcissimis sacrarum litterarum exhortationibus, intra firmissimum Ecclesiae soliditatis ovile, ne aliquis ex nobis errabundus lupina rapacitate foris inveniatur devorandus. Nam splendentia coelestis militiae agmina, nativitatis Domini nostri Jesu Christi gaudia primo pastoribus, qui supra suos devote vigilarunt greges, nuntiare venerunt. Ecce tuis sanctissimis vigiliis ad pastoralem sollicitudinem, probatissime archimandrita, angelicas a supernis sedibus visitationes astare non dubitamus, quorum auxilio quaecunque divinam poposceris pietatem, impetrare te posse credimus. Unde [Col. 0179B] ego ultimus sacratissimi ovilis vernaculus, et morbida peccatis ovicula, spe praecipuae bonitatis vestrae {31} animatus, ante sanctissimos paternitatis tuae pedes animo prostratus suppliciter deposco, quatenus dirissima [*Al.* durissima] peccatorum meorum vincula per ecclesiasticam apostolicae auctoritatis potestatem solvere digneris, et paternae pietatis precibus cursum vitae meae qui restat ad perpetuae portas civitatis dirigere studeas.

Grandia posco quidem, sed charitas grandia novit dare. Poscentem pro filia

@ [Col. 0179D] *Poscentem pro filia viduam.* «Ita ex conjectura corrigo, ait Canisius, licet malim legere: *poscentem pro filia Chananaeam.* Quae an vidua fuerit, non constat. Codex ms. ita habet: *poscentem pro filio viduae.* Ubi duo distincta miracula conjungere videtur.» viduam Christi clementia non spernit, sed ait: *O mulier, magna est fides tua;* fiat tibi, sicut vis **(Matth. XV, 28)**. Fides me hortatur haec poscere, spes confirmat impetrare; charitas, credo, negare non praesumit. Christus pro nobis, cum [Col. 0179C] inimici essemus, mori non dubitavit: quanto magis te, Pater sancte, pro amicis orare velle credendum est? Sub te pastore augeatur grex Christi. Tu consolator moerentium,

adjutor laborantium, spes ad te clamantium, lux vitae, religionis decus. Locus in quo stas, omnibus te honorabilem facit, et morum nobilitas laudabilem et pietatis devotio amabilem. Et qui sedem sanctorum tenes Patrum, eorum exemplis inhaereas semper, ut cum illis multiplici laboris mercede in Domini Dei tui gaudia intrare merearis. Iste filius meus charissimus

@ [Col. 0179D] *Angilbertus.* Haec tertia Angilberti Romam erat legatio. Leo papa statim a sua electione Carolo, ut eum sibi devinciret, per suos legatos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanae urbis cum aliis muneribus misit; rogavitque ut aliquem ex suis optimatibus Romam mitteret, qui populi Romani nova fidei et subjectionis sacramenta exciperet. Missus [Col. 0180D] est eo Angilbertus, etc., nimirum circa initium anni 796. MABILLON.---Vid. epistolas Caroli ad Homerum seu Angilbertum, et ad Leonem papam in tomo XCVIII Patrologiae. Angilbertus [*Al.,* Engilbertus] vobis patefacere valet nostrae parvitatis erga apostolicam sedem devotionem, etiam et voluntatis nostrae petitionem, quem vestrae pietati valde fidelem [Col. 0179D] esse agnovi: et ideo nostrae necessitatis causas illi injunximus, ut per os illius pietatis vestrae aures mei cordis audiant obsecrationes.

@ [Col. 0180D] Edit. Quercet. 92, Froben. 21, Canis. 46, collata cum codd. mss. Salisb. et sancti Emmerami.

EPISTOLA XXV. AD DULCISSIMUM FILIUM HOMERUM (ANGELBERTUM). (Anno 796.)

Commendat sui memoriam ad patrocinia sanctorum, et, ut res ecclesiasticae pulchritudinis sibi afferat, monet. [Col. 0180A]

Dulcissimo filio vir fluctivagus salutem.

Te abeunte tentavi saepius ad portum stabilitatis venire; sed rector rerum et dispensator animarum necdum concessit posse quod olim fecit velle. Adhuc ex radice cordis nascentes cogitationum ramusculos ventus tentationum flagellat, ut consolationis flores et refectionis fructus nutriri nequiverint. Tota nocte laborantes nihil cepimus **(Luc. V)**, quia necdum in [Col. 0180B] littore Jesus stetit, praecipiens in dexteram navigii rete mitti.

Patrocinia sanctorum non obliviscere. Res ecclesiasticae pulchritudinis oculis occurrentes noli negligere ut acquiras. Nostra rusticitas avara est de talibus: vestra nobilitas larga est de omnibus. Memor esto poetici praesagii:

Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras. Hoc de te tuoque itinere prophetatum esse, quis dubitat? Si Christum Sibylla, ejusque labores praedixit venturum, cur non Naso Homerum ejusque itinera praececinit? Paululum propter refectionem animi rhetorica lusi lepiditate.

[Col. 0180C] {32} Sed ut iterum ad seriem rugosa fronte revertar, te vero unanimem deposcens amicum, te custodem animi obsecrans, ut consilium salutis animarum nostrarum, cum suffragiis sanctorum apostolorum a Deo depreceris. Nam nos ambos, ut

recognosco, quaedam necessitatis catena constringit, et libero cursu voluntatis castra intrare non permittit: nec est, qui compedes rumpere valeat, nisi qui inferni ferrea claustra contrivit, qui est via et veritas et vita **(Joan. XIV, 6)**. Via pergentibus per illum, veritas venientibus ad illum, vita manentibus in illo. Quid habeo plus scribere, quia omnia necessaria nosti? Juxta opportunitatem portantis semper dirige mihi litteras, ut sciam de prosperitate tua et itinere tuo

@ [Col. 0180D] *Itinere tuo, Romano scilicet.* Angilbertus, dum Alcuinus in Galliam rediit, ter Romam profectus est, nempe annis 794, 796 et 800, ut supra diximus, quo ex iis anno data sit praesens epistola incertum est. Mabillonius illam recenset anno 796., quando [Col. 0180D] vel quo venias miserante Deo.

Prospera cuncta, precor, faciat tibi Christus, Homere!
Qui te conservet semper, ubique vale!

@ [Col. 0181D] Quercet edit. 42, Canis. 51, Froben. 22.

EPISTOLA XXVI. AD ANGELBERTUM PRIMICERIUM PALATII PIPPINI REGIS.

Ad sacra apostolorum limina peregrinantem commendat Angilberti favoribus, et sacras sibi reliquias mitti postulat. [Col. 0181A]

Fideli amico et venerabili

@ [Col. 0181D] *Angelberto primicerio.* «Is adscititio nomine dictus *Homerus, anno 783, in aula Pippini Italiae regis florebat, ibique primicerii palatii munus gerebat.* Anno circiter 787 Bertam Caroli Magni filiam matrimonio sibi copulavit. Circa annum 790, uxore Berta consentiente, secessit in monasterium Centulense. Anno 792 Felicem Urgellitanum Romam perduxit. Anno 794 acta concilii Francofordiensis Romam detulit. Anno 796 Romam missus est a Carolo ad Leonem III papam. Anno 800 Carolum Romam euntem comitatus est. Anno 811 Caroli testamento subscripsit. Die 18 Febr. anno 814 obiit. «Bouquet Script. Rer. Gall. tom. V, pag. 408, not. (*b*). Mabillonius eam epistolam in Annal. lib. XXV, n. 38, ad annum [Col. 0182D] 783, libro vero XXVI, n. 44. ad annum 796 recenset. Nihil inde certi statui potest. Nos eam jungimus cum aliis ad eumdem. Angilberto primicerio, humilis levina Albinus salutem.

Memor condictae inter nos amicitiae has litteras vobis dirigere praesumpsi, deprecans ut benigne harum portitorem

@ [Col. 0182D] {33} *Harum portitorem.* Fordradum presbyterum fuisse colligi posse videtur Mabillonio, cujus nomen exprimitur in epist. 210. litterarum suscipere dignemini, et peregrinationis illius viis dominum

@ [Col. 0182D] *Dominum Pippinum, filium Caroli Magni regem Italiae, ait Canisius.* Basnagio, ut et Petavio et Bollando verosimilius Pippinum hunc Galliarum, non Italiae regem fuisse videtur. His tamen repugnat ipse tenor epistolae quae directa est ad Angilbertum in Italia existentem, ut pote cui portitorem litterarum ad limina Apostolorum petentem commendat (Mabill. Act. SS. Saec. IV, part. I, pag. 94, § 4). Pippinum regem subvenire deprecamini. Regum vero merces in miserorum juvamine, et

maxime peregrinorum, sacra sancti Petri principis apostolorum limina petentium, magna apud divinam constat esse clementiam. Insuper, charissime frater, devotissime deflagito, ut dona [Col. 0181B] dulcissima, et mihi multum necessaria, id est, sanctorum reliquias mihi vel aliquas transmittere cures. Hilarem enim datorem diligit Deus **(II Cor. IX, 7)**; qui te abundare faciat in omni bono, et inter sanctorum gloriam constituat, quorum mihi reliquias tua benevolentia dirigat. Floreas, fili, virtutum coronis, sapientiae decore, et sancta dilectione ad Deum, et bona fide ad homines in aeternum.
@ [Col. 0182D] Edit. Quercet. 27 ex ms., Froben. 23.

EPISTOLA XXVII. AD HOMERUM (ANGILBERTUM). (Anno incerto.)

Mittit solutionem binam quaestionum grammaticalium a rege sibi propositarum.

Flaccus Albinus Flavio Homero optat salutem.

Miror cur Flaccinae pigritiae socordiam septiplicis [Col. 0181C] sapientiae decus, dulcissimus meus David, interrogare voluisset de quaestionibus palatinis; emeritaeque nomen militiae in castra revocare pugnantia, ut tumultuosas militum mentes sedaret; dum saecularis litteraturae libri et ecclesiasticae soliditatis sapientia, sicut justum est, apud vos inveniuntur, in quibus ad omnia quae quaeruntur verae inveniri possunt responsiones. Hanc tamen duarum partium orationis discretionem, prout potui, consideravi. Currens per priorum exempla doctorum, inveni illos quoque in his partibus sibi dissentire. Idcirco visum est mihi in vos mittere hujus examussis [*Forte, examinis*] auctoritatem, dum cognoscatis illorum sententias, vel in constructione partium vel in regularum proprietate.

[Col. 0181D] Prima interrogatio fuit de *rubo, cujus esset generis? de quo nomine diversa invenimus exempla.* Legitur [Col. 0182A] enim in metro, quod in Eptathico conscribitur, hujusmodi versus:

In quo conspicua flammarum lampade cernit*Procurvam* fulgere *rubum, neque ignibus uri.* Item Ambrosius in Hymno Paschali:

Et flamma famulum provocans,*Rubum* non perdas *spineam.* Cum sis ignis concremans, Non uris quod illuminas. Item grammaticus quidam ita ait: «Item feminina huius secundae declinationis numero plurali carentia, regnorum vel arborum: *tyrus, cyprus, populus, cypressus, alnus, fraxinus, rubus.*» Item Donatus de arboribus dixit: «Neutro fructum; feminino ipsas arbores saepe dicimus.» Nota, quod *saepe dixit,* non *semper.* Paterius vero, ex verbis sancti Gregorii [Col. 0182B] papae, masculino posuit: «Nam per *succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostendit, nisi quod ejus populo ductor fuerit, qui et legis flammam perciperet, et tamen peccati spinam nequaquam vitaret?» Item Isidorus in Commentario Geneseos:* «Quod vero Dominus in *eodem rubo apparuisse legitur.*» Arnovius in conflictu quem habuit cum Serapione, *rubum posuit masculini generis, dicens:*

Et sicut vere *rubus flammam habuit,* sic vere pasus est Filius hominis et sicut vere non *incensus est, sic vero non passus est Filius Dei.*» Josephus quoque in Historiis dicit: «Et facto sacrificio, Moyses populo ministrabat juxta *rubum, qui flammam ignis evaserat.*» Item Virgilius haud contemnendae auctoritatis [Col. 0182C] falsator:

Mella fluant illi, ferat et *rubus asper amomum.* Tamen si *aspera esset, potuit per synaloepham versus stare.* Priscianus vero veracissimus grammaticae artis doctor, de *rubo ita ait:* «Specialia uniuscujusque arboris nomina feminina sunt, excepto oleastro, quod tam forma terminationis, quam declinatio prohibuit esse femininum. Nam *siler,* quod est neutrum non {34} est inter arbores ponendum, sicut nec *rubus.*» Inter hos vero auctores vestra videat prudentia, quid sequendum sit. Possunt enim quaedam ex his exemplis vitio scriptoris esse corrupta et *u* pro *a,* vel etiam *a* pro *u posita.* Tamen certius videtur masculinum esse quam femininum.

Secunda vero interrogatio fuit inter *de,* dis et *des,* [Col. 0182D] an debuisset esse *dispexeris* sive *despexeris? Esse* non potest propter sequentem *s,* quae exigit *dis ut* [Col. 0183A] Priscianus vult. Sed inter *de* et *dis tantum versatur inquisitio.* Considerandum esse videtur, quo modo habeat in Graeco, quae ibi praepositio inveniatur, sive quae *dis* significet, sive quae *de significet.* Dicit enim Priscianus *de habere plures significationes et non pro una Graeca praepositione poni, sed pro tribus, vel forsan pluribus, ita dicens:* «*de non solum* τὸ ἀπὸ significat, sed etiam τὸ ἐπὶ memorativum, ut: *de partibus orationis.* Accipitur etiam pro κατὰ locali in compositione, ut: *deduco, descendo, detraho, dejicio, despicio, derideo.* Est etiam intentivum, ut: *deprehendo, dedo, depravo, deprimo, deminuo, deisco, deterreo, deligo, decurro.* Est etiam privativum, ut: *desperatur, demens, desum, dejerat.*» Nota, quod *despicio* dixit, unde erit *despexeris.* Nam [Col. 0183B] *spicio multas in compositione recipit praepositiones* et nullam in appositione, quia *spicio in usu non est, Invenitur enim: aspicio, respicio, suspicio, despicio, conspicio, prospicio.* Et utrumque invenitur: *despicio* et *dispicio.* Ideo superius dixi considerandum esse quae praepositio in Graeco esset posita; et inde agnosci quae in Latino scribi debeat; quia talis dubitatio ex antecedentis linguae consideratione solvi poterit. Habet enim in Graeco ille versus: *Exaudi, Deus, orationem meam et ne despexeris deprecationem meam,* Ἐνώτισαι, ὁ Θεὸς, τὴν προσευχήν μου, καὶ μὴ ὑπερίδῃς τὴν δέησίν μου **(Psal. LIV, 2)**.

Item in Psalmo XXI ille versus: *De ventre matris meae Deus meus es tu, habet in Graeco:* Ἀπὸ γαστρὸς [Ἐκ κοιλίας] μητρός μου Θεός μου εἶ συ. Ubi nos dicimus [Col. 0183C] *de, ibi* ἀπό legitur. Item ubi nos habemus: *Descendit sicut pluvia in vellus* **(Psal. LXXI, 6)**, in Graeco habetur: καταβήσεται ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον . . . sicut superius περὶ in eo versu, unde haec inquisitio orta est. Nam et beatus Hieronymus in Tractatu Epistolae ad Titum has praepositiones, id est, περὶ et κατὰ, sine dubio ad contemptum pertinere dixit. Et idem ponit esse, *contemnit* et *despexit.* Sed et bonum et malum esse contemptum; bonum, quando quis tormenta vel opprobria Christi nomine contemnit et despicit. Et has distinctiones in praepositionibus tantummodo esse his verbis docet, ubi in Graeco legitur ad Titum dictum περιφρονείτω, et illud quod ad Timotheum legitur καταφρονείτω, et apostolum Paulum pro varietate causarum variis uti praepositionibus asseruit. [Col. 0183D] Tito igitur scripsit. *Nemo te contemnat* **(Tit. II, 15)**. Et Timotheo:

Nemo adolescentiam tuam contemnat **(I Tim. IV, 12)**. Et ad utrumque propter περὶ vel κατὰ Graecas praepositiones, *despicit, ponit.* Stoicorum quoque, qui subtiliter inter verba discernunt, exemplo hoc ipsum confirmat. Habet quoque *de alias significationes in Graeco, ut est: De coelo respexit Dominus* **(Psal. XXXII, 13)**; in Graeco habet: [Col. 0184A] ἐξ οὐρανοῦ ἐπέβλεψε Κύριος [ἐπέλεβψεν, ὁ Κύριος]. ἐξ. . . . . etiam pro *de positum.* Item, ubi nos dicimus: *Non deficit de plateis ejus* **(Psal. LIV, 12)**, in Graeco legitur: Οὐκ ἐξέλιπεν ἐκ τῶν πλατειῶν αὐτῆς; ἐκ . . . pro *de positum. Di* quidem et *dis secundum* Priscianum eamdem significationem habent ac *ab et abs.* Sunt autem separativae, ut: *divido, diruo, distraho, discurro:* quod apud Graecos διὰ praepositio facit

@ [Col. 0183D] Vide infra, tom. II, librum de Orthographia, voce *de* et *dis.* Praeter ista notandum, textum Graecum hic exhiberi ex editione cl. Quercetani; in margine vero apposuimus lectionem septuaginta interpretum ex editione Waltoni in Polyglottis.. Nam ubi nos dicimus: *Disrumpamus vincula eorum* **(Psal. II, 3)**, habet in Graeco: Διαῤῥήξομεν τοὺς δεσμοὺς αὐτοῦ [αὐτῶν] . . . Item quod nos habemus: *Domine, a paucis de terra divide eos* **(Psal. XVI, 14)**, in Graeco legitur: Κύριε, ἀπὸ ὀλίγων ἀπὸ γῆς [ἀπολύων ἀπὸ γῆς] διαμέρισον αὐτούς.

His etiam consideratis, videte vel ex antecedentis [Col. 0184B] linguae notitia, vel constructae orationis serie, quae magis in eo versu praepositio poni debeat. Nam haec duo maxime dubitationem solvere solent, et ad certum lectorem perducere sensum, et contentiosas scholasticorum terminare quaestiones. Ideo de *rubo posui veterum sententias auctorum, et in praepositionibus Graecae {35} linguae auctoritatem, ne meam quis calumniis notaret sententiam, et praesumptuosam reprehenderet, si nullis priscorum fulciretur doctorum exemplis:* quia multoties in vili persona veritas despicitur, cum [*Forte, cui*] nihil praeferri debuit, si tantum in quaestionibus illius exspectaret judicium et non propriae sententiae defenderetur praesumptio.

EPISTOLA XXVIII. AD HOMERUM FILIUM.

[Col. 0184C]

Dilectissimo filio

@ [Col. 0183D] *Homero.* Haud opus est hic adnotare, Homeri nomine ab Alcuino designari Angilbertum; de quo [Col. 0184D] saepius alibi. **(Froben. epist. 215.)** Homero Albinus matricularius salutem.

Per Dei gratiam aliquanto melius habemus; tamen febrium castigatio quotidianis diebus nos non relinquit. Beatus qui in hoc saeculo labores recipit, et in futuro requiem habebit. Sed et de admonitione vestrarum dulcissima litterarum gratias vestrae prudentiae agimus. Multum desideramus et benigne suscepimus exhortationes vestrae dilectionis, quia perfecta charitas, quod sibi optimum intelligit, hoc et aliis suadere non desistit: et haec est plena et perfecta dilectio, ut non solum sibi quisque prospera cupiat, sed et fratrum salutis memor, vel verbis praesens, vel litteris absens admonere eos non cesset.

[Col. 0184D]

@ [Col. 0184D] *Antonio.* Adalhardo, cui in epistola 190 suasit ut cum Homero consilium ineat, quid consulendum esset Bernario fratri Adalhardi, Lirino ad palatium vocato. Quae eadem fortassis epistola est, quam clausam hic fideliter tradi voluit. Antonio itaque filio meo, fratri vestro, has litteras alias, deprecor ut quam cautissime, clausa chartula sicut est, deprecor ut dirigas; quia si discincta veniat in praesentiam illius, vilescat apud eum. Tamen placet mihi ut eo dirigente iterum videas illam; sed fides servetur, ut ei primo dirigatur cui soli mittetur.

Si habeas
@ [Col. 0184D] *Jordanis Historiam.* Haec est historia Jordanis [Col. 0185C] de Getarum seu Gothorum origine et rebus gestis a D. Jo. Garetio Benedictino Congr. S. Mauri edita [Col. 0185D] et notis illustrata, etc., quae emendatior habetur tom. I Script. Rerum Ital. clarissimi Muratorii a pag. 186. Jordanis Historiam, dirige mihi propter [Col. 0185A] quarumdam notitiam rerum. Vos, filii charissimi, in omni charitate et sanctitate Deo servire studete, recordantes omnia bona, quae vobis fecit in hoc saeculo: maxime tamen propter spem futurae gloriae et aeternae beatitudinis requiem. Innumerabilia sunt enim in nos peccatores dona misericordiae suae; quapropter diligamus eum eo modo, quo ipsa Veritas ait: *Si quis diligit me sermones meos servat;* et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan XIV, 23). Quid est felicius, quam Patrem et Filium cum sancto Spiritu habitatorem habere, et ejus visitatione ab omni adversitate defendi, cujus visione omnes sancti gaudebunt in saeculo sempiterno? Divina te gratia custodiat ubique, dilectissime fili!
@ [Col. 0185D] Edit. Quercet. 63, Canisii 59 **(Froben. 24)**.

EPISTOLA XXIX. AD PAULINUM PATRIARCHAM. (Anno 796.)

Semet constanti memoriae, bajulum vero litterarum ejus patrocinio commendat. [Col. 0185B]

Venerando viro
@ [Col. 0185D] *Paulino.* Cujus vitam, gesta et scripta, vir multa eruditione praeditus D. Joan. Franc. Madrisius Utinensis congr. oratorii presb. egregie illustravit, edito de Operibus sancti Paulini Aquileiensis patriarchae volumine Venet. 1737 in fol.
@ [Col. 0185D] Hanc editionem Operum S. Paulini recudimus hujusce Patrologiae tomo C.. Paulino Aquileiensi patriarchae Albinus salutem.

Acceptis sapientiae vestrae apicibus et charitatis muneribus
@ [Col. 0185D] *Per hunc praesentis chartulae gerulum.* Cl. Madrisius hunc gerulum Ericum ducem fusise existimat. Sed tantus vir dignus fuisset quem Alcuinus hic nominaret nec absque encomio praeteriret. Minoris conditionis hominem hunc fuisse puto, cujus necessitatibus Paulinus succurrere posset. per hunc hujus praesentis chartulae gerulum, valde gavisus, cognoscens prosperitatem vestram et memoriam nostri, quam semper paterna pietate ut habeas in orationibus sacris, supplex obsecro, memor semper benignae devotionis quam Job habuit in filios suos. Salus filii merces est

patris: et [Col. 0185C] laus genitoris filius sapiens. Praesens vero harum portitor litterarum vestro auxilio et patrocinio nostrae sit commendatus petitioni [*Forte, nostra petitione*]. Ipse vivo officio linguae nostras vel suas vobis ostendet necessitates. Majorem nostrae salutationis seriem
@ [Col. 0185D] *Angilbertus* . . . Romam iturus. Quo anno, incertum. [Col. 0186C] Mabillonium et Madrisium aliosque secutus [Col. 0186D] annum 796 potius quam alium assignavi. Angilbertus filius communis noster Romam iturus volente Deo vobis diriget. Sed nulla chartula sufficit charitatis effari dulcedinem, quam pleno ore anima mea de tuo hauserat pectore. Testis est veritatis ille Spiritus per quem *charitas diffusa est in cordibus nostris* **(Rom. V, 5)**.

Vivendo felix, felix, Pater optime, vive.
Atque memor nati semper ubique vale.
@ [Col. 0186D] Edit. Quercet. 95, Canis. 62 **(Froben. 25)**.

EPISTOLA XXX. AD PAULINUM. (Anno 796?)

Desiderium suum cum Paulino colloquendi significat. Tres indiculos ad eum mittit; et doni a Liutgarde missi facit memoriam.[Col. 0186A]

Domino Patri Paulino Albinus salutem.

Ex eo sciri potest quanta mihi esset aviditas loquendi tecum, si facultatem confabulationis iniqua terrarum longinquitas non prohiberet; dum in unius dexteram portitoris, propter causas supervenientes, tres simul posui indiculos. Unum sollicitudinis meae, alterum munusculi mei, tertium pro filiae meae
@ [Col. 0186D] *Liutgardis.* Reginae fortassis, quae anno 794 Carolo nupsit, et Turonis anno 800 obiit. De ea cl. Madrisius Vit. sancti Paulini, cap. 16, pag. 46, ait: «Litteras cultiores fovebat, et earum professores regio favore prosequebatur.» Quod quidem ex hac et aliis epistolis Alcuini palam est. Liutgardis feminae religiosae ac Deo devotae causa. Nam {36} illa sanctitati tuae duas direxit armillas auri [Col. 0186B] obryzi, pensantes 24 denarios minus de nova moneta regis, quam libram plenam, ut orares pro ea cum sacerdotibus tuis: quatenus divina clementia dies suos disposuisset in salutem animae suae, et sanctae suae exaltationem Ecclesiae. Ego de tua indubius fide suasi ut faceret. Tu vero, Pater sancte, mei et illius memor ubique in Christi charitate valeto.
@ [Col. 0186D] Edit. Quercet. 65, Canis. 49 **(Froben. 26)**.

EPISTOLA XXXI. AD AGINUM EPISCOPUM. (Anno 796.)

Petit sibi mitti per Angilbertum reliquias sanctorum, olim promissas.

Dilectissimo
@ [Col. 0186D] *Agino episcopo.* Suspicor, ait Canisius, hanc epistolam scriptam esse ad Aginensem episcopum, et legendum esse, *Agini* (quod caput erat Nitiobrigum, de quo

Ptolomaeus lib. II, cap. 7) episcopo. Mabillonius tamen et Pagius illum Bergomensem episcopum fuisse statuunt, ad quem Angilbertus in itinere, anno 796 ad Leonem III pont. suscepto, divertebat. Fuit etiam Aeginus aliquis episcopus Veronensis, quem inter suffraganeos Ecclesiae Aquileiensis numerat Cointius ad annum 795, num. 25. Agino episcopo, Albinus magister salutem.

Recordetur charitas vestra quod praesenti collocutione [Col. 0186C] aliquas mihi sanctorum reliquias dirigere promisisti; ut honorificetur Deus in illis, et nostra protegatur vita cum illis, et vestra accumuletur merces pro illis. Ecce adest gerulus fidelis, filius equidem meus Angilbertus [*Al.,* Engilpertus], per cujus manum mittere poteris quod vester [*Forte, noster*] amicus nobis dirigere curaverit. Obsecro ut veraciter perficias quod hilariter promittebas. Si quid enim benignitas vestra hujus religiosae petitionis peregerit, humilitas nostra gratissime accipiet, vobisque secundum temporis opportunitatem et voluntatis vestrae agnitionem remunerare non desistet. Et ubicunque sanctorum patrocinia perferuntur, ibi quotidie orationes [Col. 0187A] pro vobis aguntur. Divina te ubique comitetur benedictio, sanctissime Pater.
@ [Col. 0187D] Edit. Quercet. 75, Canis. 40 **(Froben. 27)**.

EPISTOLA XXXII. AD ITHERIUM. (Anno 796.)

Consolatur infirmum, et ut se ad aeternitatem praeparet, amice suadet.

Dilectissimo Patri
@ [Col. 0187D] *Itherio.* Monasterii Turonensis abbati, quem hac epistola in extremo agone consolatur et accendit. Obiit anno 796, quo Alcuinus illi in regimine ejusdem monasterii successit (Mabill. Act. SS. Bened., saec. IV, part. I, p. 171. Itherio Albinus salutem.

Gratias agamus Deo Jesu, vulneranti et medenti, flagellanti et consolanti. Dolor corporis salus est animae, et infirmitas temporalis, sanitas perpetua. Libenter accipiamus, patienter feramus voluntatem Salvatoris nostri. Sed nunc noli tardare. Fac quod facturus es. Curre dum lucem habes **(Joan. XII, 35)**. Festina ad eum qui vocat te. Quod necessitas cogit, [Col. 0187B] voluntas praeveniat. Esto scriba sapiens, negotiator fidelis. Vende terrena, eme coelestia. Quid spectatur diei crastini incertitudo? Non sit dilatio in salute animae. Quod animo cogitatur, opere perficiatur. Quod infirmitas optavit, sanitas peragat. Testis est qui omnia novit mei cordis, hoc plena charitate et fideli {37} consilio me suadere. Scio me post te in loco tuo talem non habere amicum. Sed magis te velim amicum habere in honore permanentem quam pereuntem, et intercessorem apud Deum gaudere quam largitorem in saeculo. Petatur a Deo auxilium, ut amicorum confirmet consilium, et suis iter salutis ostendat, et dirigat in viam pacis, quos proprio redemit sanguine. Ecce quali pretio empti sumus! Non amemus ea quae nos separant ab eo qui nos usque ad mortem [Col. 0187C] suae carnis dilexit. Plurimos dies saeculo satis servivimus: vel paucos qui restant vivamus Deo nostro, ut digni efficiamur faciem illius videre qui dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**. Laetus lege, et constanter incipe; feliciter perfice, et sit Dominus tecum in aeternum.

@ [Col. 0187D] Edit. Quercet. 7; ex ms. emendata aliquot locis ex cod. ms. Salisb., in quo hunc habet titulum: *Dictatus Albini magistri;* quem ibi immediate praecedit [Col. 0188D] ejusdem argumenti, *Dictatus Paulini patriarchae, quem editum reperies inter Concilia D.* Mansi, tom. XIII, pag. 921.

EPISTOLA XXXIII. AD DOMNUM REGEM. (Anno 796.)

Gratulatur de subjectione Hunnorum, et qualiter docendi sint in fide, et, quis ordo sit servandus, ostendit.

Domino excellentissimo et in omni Christi honore devotissimo Carolo regi Germaniae, Galliae atque Italiae, et sanctis verbi praedicatoribus, humilis sanctae matris Ecclesiae filiolus Albinus aeternae gloriae in [Col. 0187D] Christo salutem.

Gloria et laus Deo Patri et Domino nostro Jesu Christo; quia in gratia sancti Spiritus, per devotionem et ministerium sanctae fidei et bonae voluntatis, vestrae Christianitatis regnum atque agnitionem veri [*Cod.* Sal., verbi] Dei dilatavit, et plurimos longe [Col. 0188A] lateque populos ab erroribus impietatis in viam veritatis deduxit. Qualis erit tibi gloria, o beatissime rex, in die aeternae retributionis, quando hi omnes qui per tuam (bonam) sollicitudinem ab idololatriae cultura ad cognoscendum verum Deum conversi sunt, te ante tribunal Domini nostri Jesu Christi in beata sorte stantem sequentur? Et ex his omnibus perpetuae beatitudinis merces augetur. Ecce quanta devotione et benignitate pro dilatatione nominis Christi, duritiam infelicis populi Saxonum per verae salutis consilium emolire laborasti. Sed quia electio necdum in illis divina fuisse videtur, remanent hucusque multi ex illis cum diabolo damnandi in sordibus consuetudinis pessimae. Tuam tamen, o veritatis et salutis multorum amator, optimam voluntatem [Col. 0188B] majore gloria et laude Christo remunerare placuit. Gentes populosque Hunorum antiqua feritate et fortitudine formidabiles, tuis suo [honori (*Edit.,* honore)] militantibus subdidit sceptris: praevenienteque gratia colla diu superbissima sacrae fidei jugo devinxit, et caecis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit.
@ [Col. 0188D] *Sed nunc.* Nempe postquam «Deus Hunnorum populos Caroli sceptris subdidit et caecis mentibus lumen veritatis infudit,» hoc est anno 796. Data igitur haec epistola anno eodem; nec ratio est illam cum Pagio et Cointio differendi ad annum 798. Vid. etiam infra epistolam 31 (nunc 36) ad Arnonem. Sed nunc praevideat sapientissima et Deo placabilis devotio vestra pios populo novello praedicatores, moribus honestos, scientia sacrae fidei edoctos et evangelicis praeceptis imbutos: sanctorum quoque apostolorum et praedicatione verbi Dei exemplis intentos, qui lac, id est suavia praecepta, suis auditoribus in initio fidei ministrare solebant, dicente apostolo Paulo: *Et ego, fratres,* non potui vobis loqui [Col. 0188C] quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed necdum potestis **(I Cor. III, 1, 2)**. Hoc enim totius mundi praedicator, Christo in se loquente, significavit, ut nova populorum ad fidem conversio mollioribus (praeceptis) quasi infantilis aetas lacte esset nutrienda: ne per austeriora {38} praecepta fragilis mens evomat quod bibit. Unde et ipse Dominus Christus in Evangelio respondit interrogantibus se, quare discipuli illius non jejunarent, dicens:

Nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin utres rumpuntur et vinum effundetur et utres peribunt **(Matth. IX, 17)**. Alia est enim, ut beatus Hieronymus dicit, puritas virginalis animae et nulla prioris vitii contagione polluta, et alia quae sordibus [Col. 0188D] et multorum libidini subjacuerit.

His ita consideratis, vestra sanctissima pietas sapienti consilio praevideat, si melius sit rudibus populis in principio fidei jugum imponere decimarum, ut plena fiat per singulas domus exactio illarum: an apostoli quoque ab ipso Deo Christo edocti et ad praedicandum [Col. 0189A] mundo missi exactiones decimarum
@ [Col. 0189D] Vide epist. 37 (nunc 42), ad Megenfredum. exegissent, vel alicubi demandassent dari, considerandum est. Scimus quia decimatio substantiae nostrae valde bona est. Sed melius est illam amittere quam fidem perdere. Nos vero in fide catholica nati, nutriti et edocti vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare. Quanto magis tenera fides et infantilis animus, et avara mens illarum largitati non consentit? Roborata vero fide, et confirmata consuetudine Christianitatis, tunc quasi viris perfectis fortiora danda sunt praecepta, quae [solidata (*Edit.,* solida)] mens religione Christiana non abhorreat.

Illud quoque maxima considerandum est diligentia, ut ordinate fiat praedicationis officium, et baptismi sacramentum: ne nihil prosit sacri ablutio baptismi [Col. 0189B] in corpore, si in anima ratione utenti [*Cod.* Sal., intenti, *mendose*] catholicae fidei agnitio non praecesserit [in corde]. Dicit itaque Apostolus: *Omnia vestra honesta cum ordine fiant* **(I Cor. XIV, 40)** . Et ipse Dominus in Evangelio discipulis suis praecipiens ait: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* **(Matth. XXVIII, 19)**. Hujus vero praecepti ordinem beatus Hieronymus in commentario suo, quem in Evangelium sancti Matthaei scripsit, ita exposuit: Primum doceant omnes gentes, deinde doctas intinguant aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi capiat sacramentum, nisi [ante] anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum una est divinitas, sit una largitio, [Col. 0189C] nomenque Trinitatis [*Cod.* Sal., Trinitas] unus Deus est. *Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis* **(Ibid., vers. 20)**. Ordo praecipuus. Jussit [apostolis (*Edit.,* Apostolus, *mendose*)] ut primum docerent omnes [*Cod.* Sal., universas] gentes, deinde fidei tingere [sacramento (*Edit.,* sacramentum)], et post fidem ac baptisma, quae essent observanda, praeciperent. Ac ne putemus levia esse quae jussa sunt, et [post] pauca addidit: *Omnia quaecunque mandavi vobis.* Ut qui crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quae praecepta sunt.

Igitur infantes ratione non utentes, aliorum peccatis obnoxii, aliorum fide [et] confessione per baptismi sacramentum salvari possunt, si confessae pro se fidei integritatem, congrua adveniente aetate custodient [Col. 0189D] [*Cod.* Sal., custodiunt]. Dicit vero Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* **(Rom. X, 10)**. Illa [tantum (*Edit.,* tanta)] oris confessio proficit ad salutem, quae firmiter cordis credulitate tenetur.

[Col. 0190A] Igitur ille ordo, in docendo virum aetate perfectum, diligenter, ut arbitror, servandus est, quem beatus Augustinus ordinavit in libro cui De catechizandis rudibus

titulum praenotavit. Prius instruendus est homo de animae immortalitate, et de vita futura, et de retributione bonorum malorumque, et de aeternitate utriusque sortis. Postea pro quibus peccatis et sceleribus poenas cum diabolo patiatur aeternas; et pro quibus bonis vel benefactis gloria cum Christo fruatur sempiterna. Deinde fides sanctae Trinitatis diligentissime docenda est, et adventus pro salute humani generis Filii Dei Domini nostri Jesu Christi in hunc mundum exponendus. Et de mysterio passionis illius, et veritate resurrectionis et gloria ascensionis in coelos, et futuro ejus adventu ad judicandas omnes [Col. 0190B] gentes: et de resurrectione corporum nostrorum, et de {39} aeternitate poenarum in malos et praemiorum in bonos, ut mox praediximus, mens novella firmanda est. Et hac fide roboratus homo et praeparatus baptizandus est. Et sic tempore opportuno saepius evangelica praecepta danda sunt per sedulae praedicationis officium, donec accrescat in virum [perfectum] et digna efficiatur Spiritui sancto habitatio, et sit perfectus filius Dei in operibus misericordiae, sicut Pater [noster (*Edit.,* vester)] coelestis perfectus est, qui vivit et regnat in Trinitate perfecta, et unitate benedicta, Deus et Dominus per omnia saecula saeculorum. Amen.

@ [Col. 0189D] Edit. Mabill. 2, Pezii 2; emendata et suppleta ex duobus codd. mss. Salisb. Scriptam fuisse anno 796 colligo ex morte Eanbaldi Eboracensis episcopi hoc anno obita, cujus meminit in epistola sequenti, quae hac posterior est. Arno igitur hoc anno Romae fuit, de cura fortassis novelli populi Avarorum sibi a Pippino commendata cum summo pontifice consilia tractans.

EPISTOLA XXXIV. AD ARNONEM. (Anno 796.

Illius reditum exoptat, et de variis eventibus instrui cupit. Mense Julio se ad Palatium iturum significat. Hortatur ut ab errore Hispanorum caveat.[Col. 0190C]

Venerando volucri et vere amantissimo Aquilae Albinus salutem.

Exspectans exspecto laetum audire nuntium, quomodo Aquila sublime volans Alpina juga transcendat, et fessus volatu in Rhetiae [*Cod.* Sal., Reciae] partibus alas componat suas, vel quid mihi nuntiet

@ [Col. 0189D] {40} *De sancto Paule partibus.* Ita habet cod. ms. Salisb., quod vocabulum *Paule seu Pauli omittitur in cod.* Benedicto-Burano apud Pezium. Legendum [Col. 0190D] abs dubio: *de sancti Pauli partibus* (monasterii nempe Cormaricensis, de cujus approbatione ab Apostolica sede impetranda etiam in aliis epistolis sollicitudinem suam ostendit). de sancto [Paule] partibus, et Romanorum consiliis, et si fieri possit, quod valde optamus, Deo donante, ut fiat. Quapropter precor omnes aligeras potestates de coelesti sede descendentes, ut Aquilam meum [*Cod.* Sal., meam] cito sanum cum omni prosperitate faciat [Col. 0190D] venire ad nos. Nos vero velut aestiva hirundo ad palatium mense Julio properamus [*Mabill.,* partibus palatinis properare desideramus]. Nescio de nostro itinere quid erit futurum [sive circa

@ [Col. 0190D] *Ad Mosanas ripas.* In monasterio fortassis S. Servatii Trajecti ad Mosam, cujus rursus meminit in epist. 87 (nunc 103). Mosanas ripas liceat nobis sicut mergulos pisces captare; an

@ [Col. 0190D] *Aligerensem fluvium.* Ligerim, *la Loire, in monasterio Turonensi, quo*

Alcuinus Arnonem invitat in epist. 87 (nunc 103) his verbis: «Utinam volasset Aquila . . . . . usque ad piscationes Ligeri fluminis.» Aligerensem [Col. 0191A] fluvium revertere, et ibi Salmones natando colligere]. Tamen me spero usque ad [Augustum mensem] in his morari partibus, si sic Deo nostro et domno regi placuerit, et ibi praestolare quid auditurus sim de Aquilae desiderato adventu. Et dum hanc perlegas chartulam, cito remitte alteram, ut sciam quid acturus sit Aquila cum aviculis suis, vel quid [

@ [Col. 0191C] *Avaria.* Mendose apud Pezium legitur: *avaritia.* Inde deceptus vir cl. P. Hansizius, tom. II Germ. Sacr., p. 105, hunc locum interpretatur de «haeresi simoniaca, de qua subvertenda Engelberto ad urbem legato scripserat, ut pontifici diligentissime suadeat.» Avaria] faciat, vel credat, vel quid Romanorum nobilitas novi habeat

@ [Col. 0191D] *Adventu.* «Adveniebat tunc, ait Hansizius loc. cit. legatus ad Carolum nomine imperatoris Graeci Thectistus a Niceta Siciliae gubernatore missus;» anno nempe 797. Sed quid haec legatio ad Romanorum nobilitatem pertineat, non video. Malim ego istum locum interpretari de adventu Romanae nobilitatis, quae selecta fuerat ad deferendum, una cum clavibus sancti Petri, vexillum urbis Romae ad Carolum, anno 796. adventu, vel quid

@ [Col. 0191D] *De Graeciae sublimitatibus.* «Irene Augusta, inquit iterum Hansizius, filium Constantinum novissime exauctoravit, oculis die 15 Junii effossis.» Sed de ista revolutione regni Graecorum Alcuinus, dum hanc epistolam scriberet, notitiam habere vix potuit. Contigit enim haec exauctoratio, et imperatoris excaecatio 15 Junii; atqui vero Alcuinum praesentem epistolam circa idem tempus aut multo prius scripsisse, ex illis verbis colligitur: *Nos vero . . . ad* palatium MENSE JULIO (futuro nempe) *properamus:* Verosimilius existimo [Col. 0192C] Alcuinum edoceri voluisse de scandalo ob repudiatam a Constantino legitimam uxorem, et excitatam contra sanctos viros, illas nuptias reprobantes, persecutionem anno 795. Vide Pagi. ad hunc annum. de Graeciae sublimitatibus [*Cod.* Sal., Graecia solimitatibus] audieras, et an aliquas sanctorum reliquias tecum attulisses, quibus posses consolari Albinum tuum. Prospera, Deo donante, nobis sunt, nisi quod febris et infirmitas me fatigatum habet. Tamen qui infirmior, fortior erit juxta Apostolum **(I Cor. I, 25)**; et saepe [Col. 0191B] prodest infirmitas corporis [*Cod.* Sal. et Mabill., corporalis], ut fortitudo fidei crescat in anima. [Adhuc se tota Spania errat in Adoptione.] Orate pro nobis, ut Spiritus sanctus Paraclitus inspiret animas servorum suorum ad defendendam catholicae fidei veritatem; quia tempus est, sicut legimus praedictum esse in libris sanctis. Tu vero cum tuis semper sanam sequere doctrinam, et catholicam praedica diligenter fidem, ut aeternam mercedem cum multiplici fructu habere merearis. Vivas felix et gaudeas in Christi amore cum tuis omnibus, Aquila charissime.

@ [Col. 0192C] Hanc epistolam hucusque ineditam ex cod. mss. [Col. 0192D] Salisb. descripsimus. Data fuit post priorem; in illa enim, qui in Avaria gestum sit, quaerit; in hac responsum accipit.

EPISTOLA XXXV. AD * * (ARNONEM). (Anno 796.)

Eidem significat se illius epistolam accepisse. Archanbaldi (Eanbaldi) animam precibus ejus commendat. Mittit epistolam ad regem, scriptam de praedicatione apud paganos.[Col. 0191C]

Pio Patri et fratri fideli et filio charissimo salutem.

Accepimus charitatis vestrae litteras. Magnas mihi eulogias misisti, dum tuam, venerande Pater, agnovi sanitatem et prosperitatem, quae mihi plus placet quam millena talenta auri et argenti. Magnis quoque me sollicitudinibus liberasti, quia quid Avaria gestum est, mihi innotuisti. De filiis vero tuis, quos [Col. 0192A] mihi commendasti, et jam proficiunt, donante Deo, et meliores eos accepturus eris, vel commendaturus domno regi. Quidquid tibi demandet domnus rex facere, mihi demandare studeas. Quia vero taedium mihi est anima mea propter absentiam tui, obsecro ut pro anima

@ [Col. 0192D] *Archanbaldi archiepiscopi.* Eanbaldum intelligo archiepiscopum Eboracensem, qui fuit Alcuini condiscipulus, ut testatur poeta anonymus, vel potius ipse Alcuinus in carmine de episcopis Eboracensibus, quod inter alia ejus carmina exhibebimus. Obiit vero Eanbaldus IV Kal. Aug. anno 796, ut habet Hovedenus. Archanbaldi archiepiscopi intercedere diligenter jubeas, qui mihi et pater et frater, et amicus fidelissimus fuit, etiam et condiscipulus sub magistro meo. Ecce ego solus relictus sum schola illa, et non ero solus, dum vos habeam fideles et amicos. Quod vero mihi mandasti aliquid scribere de praedicatione ad paganos, propter angustiam temporis et festinationem portitoris non occurrit mihi aliquid dictare exinde; tamen consulens paternitati tuae

@ [Col. 0192D] *Misi tibi epistolam.* Illam certe quam paulo superius dedimus ordine 28 (nunc 33). misi tibi epistolam, quam ante paucos dies domno [Col. 0192B] regi de hac eadem re direxi. Tempore vero opportuno

@ [Col. 0192D] *Plenius scripturus.* Promissum implevit per epistolam sequentem ordine 31 (nunc 36). plenius scripturus ero de his omnibus tuae venerandae dilectioni.

Vae mundo a scandalis **(Matth. XVIII, 7)**! Quid enim auri insana cupido non subvertit boni! tamen potens est Deus recuperare quod coeptum est, et perficere quod factum non est. Rogetur ejus clementia, ut adjuvet famulos suos in labore pio praedicationis, ut sit laus nomini ejus in aeternum. Hanc chartulam habeas tecum legens, considerans, donec pleniorem accipias catechizandi rationem. Etsi modo [*Ms.,* sic novo [tibi non liceat mecum loqui, donec venero ad domnum regem (spero {41} me totam aestatem in illis stare partibus) poterimus in

@ [Col. 0192D] *In Helisetis.* Id est, in Elisatio (l'Alsace) ubi possessiones aliquas vel quodpiam illius monasterium habuisse Alcuinum hinc patet. Helisetis conjungi, si vobis licet Bajouaria permanere, quia res aliquas [Col. 0192C] habemus in Helisetis. Ideo missus tuus mihi haec omnia, sed magis litterae loquantur, quia memoria rusticorum fragilis est. Valete in pace.

@ [Col. 0192D] Edit. Quercet. 104 ex ms. **(Froben. 31)**. Nunc in aliquibus locis correcta ex cod. ms. Salisb. Haec [Col. 0193D] est illa plenior de praedicatione fidei apud Avaros noviter ad fidem conversos instructio, quam in priori epistola promiserat, anno eodem, ni fallor, data, etsi [Col. 0194D] cl. Hansizius illam ad annum sequentem, nempe 797, referat. Vide etiam supra epist. 28 (nunc 33), ad Carolum.

EPISTOLA XXXVI. AD ARNONEM. (Anno 796.)

Instruit de praedicatione fidei apud Avaros nuper conversos.

Dulcissimo fratri et sanctissimo praesuli Aquilae Albinus salutem.

[Col. 0193A] Praesagum tibi nomen imposuere parentes, licet dispensationis Dei ignari, apud quem omnia futura jam facta sunt. Qui te summa pietate coelestia ordinavit mysteria populis ministrare, et de alto supernae gratiae intuitu acutissimis spiritualium oculorum obtutibus fluctivagos de hujus saeculi salo pisces ad vivificandum, non ad mortificandum eruere et sacro vitrei fontis lavacro abluere, et igne sancti Spiritus ad epulas aeterni Regis astare [*F.,* assare], ut verus apostolicae vocationis auditor efficiaris, dicente Christo, dum in procellosis fluctibus [binas (*Edit.,* vivas)] duorum fratrum germanitates labore aspexit: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* **(Matth. IV, 19)**. Non a priori propriae artis officio compescens, sed ut meliores, retibus in dexteram missis, [Col. 0193B] pisces ad littus stabilissimae soliditatis perducerent. Hos tu efficacissimus divini operis laborator tota mentis intentione assequi satage, quatenus Christus ipse per te de tuae puppi carinae populis praedicare dignetur, et sit pius gubernator naviculae, ex qua te retia apostolicae praedicationis in pelagus profundissimae gentilitatis expandere jussit: quatenus illum per suae magnae pietatis miserationem tibi sociisque tuis praecipientem audias: *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc* **(Joan. XXI, 10)**.

Esto obediens voluntati illius secundum nomen Simonis, qui ad Dominicum convivium traxit rete plene magnis piscibus centum quinquaginta tribus **(Joan. XXI, 11)**. Qui vero sint hi pisces in hoc numero [Col. 0193C] [praefiniti (*Edit.,* perfiniti)], si velis scire, illi sunt qui ex decalogo [*Cod.* Sal., decalogi] praeceptorum Dei, vel ex septiformi sancti Spiritus gratia, post extremam resurrectionem ad perpetuum cum Christo convivium electi sunt. Ideo rete illius piscationis, sicut in priori captura, scissum esse non legitur, quia nullus ibi, nisi electus et ad perpetuam pacem ordinatus, invitatur conviva. Igitur si ab uno usque ad septimam decimam summam, singulos numeros per augmenta computaveris, posteriores numeros semper prioribus adjungens, totius calculationis summa in 153 accrescit. Et si hos decem et septem in duo divideris, id est denarium et septenarium, denarius legalia mandata, et septenarius dona sancti Spiritus designat. Item si septem in duas divideris [Col. 0193D] partes, id est in 3 et 4. Tres enim fidem sanctae {42} Trinitatis designant, in qua fide omnes gentes salvandae sint, quae in quadrifarias totius mundi plagas diffusae sunt. Ideo Dominus noster Jesus Christus discipulis suis mandavit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti:* docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis **(Matth. XXVIII, 19)**. In istis paucissimis verbis totius sanctae praedicationis ordinem exposuit. Bis docere dixit, et semel baptizare. Primo omnium fidem catholicam docere praecepit, et post fidem acceptam in nomine sanctae Trinitatis [Col. 0194A] baptizare jussit. Deinde fide imbutum, et sacro baptismate ablutum evangelicis instruere praeceptis mandavit.

Hunc tu ordinem, sanctissime doctor, catechizandi in adultae aetatis viris ubique firmiter obtineas. Fragiliori vero aetati pia mater Ecclesia concessit, ut qui alieno in paterna praevaricatione ligatus est peccato, alterius in baptismi mysterio professione solutus sit. Et si hoc non esset, quanti perirent infantes, ex quorum [nunc] numero

coelestis quotidie aedificatur Hierusalem? Absque fide, quid proficit baptisma? dicente Apostolo: *Sine fide impossibile est placere Deo* **(Hebr. XI, 6)**. Inter impossibile et difficile hoc interesse legimus: difficile est quod fieri, licet vix, potest; impossibile vero, quod omnino ab humana [Col. 0194B] fragilitate fieri non potest. Ideo ipse Dominus in Evangelio, stupentibus apostolis, quis ex divitibus salvus fieri posset, respondit: *Apud homines hoc impossibile est;* apud Deum autem omnia possibilia sunt **(Matth. XIX, 26)**. Idcirco misera [Saxonum] gens toties baptismi perdidit sacramentum, quia nunquam fidei [fundamentum (*Edit.,* sacramentum)] habuit in corde.

Sed et hoc sciendum est quod fides, secundum quod sanctus Augustinus ait, ex voluntate fit, non ex necessitate. Quomodo potest homo cogi ut credat quod non credit? Impelli potest homo ad baptismum, sed non ad fidem: veluti isti haeretici qui adoptionem carnis in Christo confirmant, nullatenus ad catholicam fidem converti possunt, quia nullam habent [Col. 0194C] voluntatem orthodoxae fidei professionem cum universali Ecclesia cognoscendi. Docendus est itaque homo rationalem habens intelligentiam, et multimoda praedicatione attrahendus, ut sacrae fidei veritatem agnoscat. Et maxime Dei omnipotentis pro eo deprecanda est clementia, quia otiosa est lingua docentis, si gratia divina cor auditoris non imbuit. Dicente ipsa Veritate: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum* **(Joan. VI, 44)**. Et ut aequaliter sanctam Trinitatem salutem hominis operari intelligas, dicit et ipse Dominus in alio loco: *Nemo potest venire ad Patrem, nisi per me* **(Joan. XIV, 6)**. Item et de Spiritu sancto ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu,* non potest introire in [Col. 0194D] regnum Dei **(Joan. III, 5)**. Quod enim visibiliter sacerdos per baptismum operatur in corpore per aquam, hoc Spiritus sanctus invisibiliter operatur in anima per fidem.

Tria sunt in baptismatis sacramento visibilia et tria invisibilia. Visibilia sunt sacerdos, corpus et aqua. Invisibilia vero, spiritus et anima et fides. Illa tria visibilia nihil proficiunt foris, si haec tria invisibilia non intus operantur. Sacerdos corpus aqua abluit, Spiritus sanctus animam fide justificat. Et hoc est quod Apostolus ait: *Cooperatores enim Dei sumus* **(III Joan. I, 8)**. Cooperatur homo Spiritui [Col. 0195A] sancto in salute hominis. Sed et ipse homo, qui baptizandus est, cooperari ambobus debet in salute sua, id est, Spiritui sancto et sacerdoti, humiliter corpus praestare ad sacri mysterium lavacri, et animam voluntarie ad catholicae fidei susceptionem. Haec omnia doctori in initio fidei, et sacramento baptismatis, ad salutem accipientis diligenter consideranda sunt; et non desidiose tanti sacramenti mysterium exsequi.

Sed hoc quoque magnopere pensandum est, qualiter novella plantatio colenda sit, ut primi flores fidei ad incrementa fructuum pervenire valeant: ne gelu cujuslibet duritiae emarcescant, et ad dulcedinem optati fructus non crescant. Nam infantilis aetas suavitate materni lactis nutrienda est, et rudis {43} anima mollioribus divinae dulcedinis praeceptis alenda est. [Col. 0195B] Nam solidus cibus virorum est fortium, et altiora praecepta illorum sunt qui exercitatos habent sensus in lege Dei. Unde et Apostolus quibusdam fragilioris intelligentiae fratribus scribens ait: *Lac vobis dedi escam, non solidum cibum* [Al., *potum, non escam*], quia non potuistis accipere, sed necdum potestis, quia carnales estis. Carnalis enim homo non percipit ea quae Dei sunt;

spiritalis enim omnia dijudicat **(I Cor. III, 2)**, id est, discernit et judicat. Unde et ipsa Veritas in Evangelio quibusdam calumniantibus cur apostoli non jejunarent sicut Pharisaei et discipuli Joannis, respondit: *Nemo mittit vinum novum in utres veteres;* alioquin et utres rumpuntur, et vinum effunditur, et utres peribunt **(Matth. IX, 17)**. Qui sunt utres veteres, nisi qui in gentilitatis erroribus obduraverunt? quibus [Col. 0195C] si [austeriora (*Edit.,* austerioribus)] in initio fidei novae praedicationis praecepta tradideris, rumpuntur, et ad veteres consuetudines perfidiae revolvuntur.

Constantior est itaque ad omne opus mens multo tempore in sacrae fidei consecratione roborata, quam novella praedicatione initiata. Aliter enim sanctus Petrus, postquam musto sancti Spiritus repletus est, in Palatio Romano pro fide Christiana Neroni respondit; et aliter in domo Caiphae pro confessione discipulatus Christi ancillae respondit. Hic timidior, illic constantior. Hoc exemplar fuit fragilitatis, illud fortitudinis. Quem Christus post resurrectionem pietatis intuitu trina dilectionis suae professione ad pristinae dignitatis principatum revocavit, atque oves, [Col. 0195D] quas proprio redemit sanguine, commendavit pascendas **(Joan. XXI)**: quatenus bonus pastor intelligeret, non semper delinquentes dura invectione castigare, sed saepe piae consolationis admonitione corrigere. Nam et ipse Dominus noster Jesus Christus, dum a Judaeis tentaretur de muliere adultera, non statim legalis censuram sententiae protulit, sed humilitatis exemplo se inclinans scribebat in terra **(Joan. VIII)**, ut designaret doctorem propriae fragilitatis culpas in pulvere sui cordis prius depingere, et sic aliena mitius dijudicare peccata. At si hujus considerationis regula in omni aetate et proposito diligenter tractanda est, quanto magis in his qui ab errore [Col. 0196A] inolitae consuetudinis ad fidem Christianam nuper conversi sunt magno pietatis moderamine observanda est? Nec non etiam et in illis qui ab infantia Christianae fidei sacramenta susceperant, et diabolica fraude post decepti, longa consuetudine carnales secuti sunt luxurias: vel aliis quibuslibet peccatorum nexibus obligati, levioribus primo verborum fomentis consolandi sunt, ne poenitentiae medicamenta durioribus exterriti castigationibus abhorreant.

Sunt quaedam infirmitates quae melius [dulcioribus medicantur potionibus quam amaris, et quaedam quae melius] amarioribus quam dulcibus. Unde et doctor populi Dei, dum cunctis virtutum lucernis in domo Dei clarescere debet, maxime tamen sagacissimae discretionis intelligentia pollere, ut sciat quid cui [Col. 0196B] personae, sexui, aetati et proposito, vel etiam tempori conveniat. Quae omnia beatus Gregorius clarissimus doctor in libro Pastoralis Curae studiosissime exquisivit, personis distinxit, exemplis firmavit, et divinarum Scripturarum auctoritate roboravit. Ad cujus libri lectionem te, sanctissime praesul, remitto, obsecrans ut illum saepius quasi enchiridion habeas in manibus et in corde retineas. Ac ideo dum plurimos te, beatissime Pater, sanctorum doctorum scio libros habere, legere, et firma tenere memoria, et maxime in divinis litteris studiosum esse agnosco, supervacaneum esse videtur meae litterulis imperitiae tuae sapientiae aures occupare. Nisi charitatis tantum causa meam praesumptionem ante oculos auctoritatis vestrae juste, ut puto, excusare poterit; ne dilectio, [Col. 0196C] quae intus ardet in corde, muta foris videatur in verbis. Ad hoc enim videntur verba hominibus data, ut arcana cordis fraternis auribus infundere valeant. Ad hoc epistolae scribuntur, ut, quo verborum sonus pervenire non poterit, litterarum

officia currant; quatenus mutuae charitatis in apicibus signa fraternis obtutibus demonstrentur: ut fiat animorum in charitate praesentia, ubi est corporum propter longinquitatem {44} locorum absentia. O felix et beata vita, ubi semper quod amatur videtur et quod videtur nunquam fastidit! Ubi Deus omnibus aeternus amor, aeterna laus, gloria et beatitudo. Ad hanc vero vitam et felicitatem me familiarem tuum assiduis precibus et exhortationibus tecum trahe, quatenus post hujus vitae procellosas tempestates ad perpetuae [Col. 0196D] portum quietis, Christo miserante, tecum pervenire merear. Vestram sanctitatem in omnibus bonis florere et ad perpetuam Deus Jesus proficere faciat felicitatem, desiderantissime frater in Christo.
@ [Col. 0195D] Edit. Quercet. 90, ex ms. **(Froben. 31)**.

EPISTOLA XXXVII. AD DOMNUM REGEM. (Anno 796.)

Pro captivis in bello Hunnico, et pro hostibus deprecatur.

Domine mi dilectissime, et dulcissime, et omnium desiderantissime mi David! Tristis est Flaccus vester propter infirmitatem vestram. Opto, et toto corde Deum deprecor ut cito convaleatis, ut gaudium [Col. 0197A] nostrum sit plenum in vobis, et sanitas vestra sit plena anima et corpore. Domine mi! memor sit pietas vestra captivorum,
@ [Col. 0197D] *Dum est Pippinus tuus tecum.* Aquisgrani haud dubie, quo post Hunnicam expeditionem anno 796 accessit, ut narrant Annales Francorum. Postulationi Alcuini de redemptione captivorum annuit Carolus, ut patet ex initio epistolae ad Pippinum, quae sequitur. dum est Pippinus tuus tecum, propter gratiarum actiones mirabilis beneficii quod vobiscum
@ [Col. 0197D] *De Hunnis.* Quos Pippinus hoc anno 796 subegit, testibus ejus temporis annalibus. de Hunnis divina fecit clementia, et propter prosperitatem imminentium rerum: ut clementissima illius potentia omnes adversarios sui sancti nominis vestris velociter subjiciat pedibus: sed et de peccantibus in vos, si fieri possit, et vestrae videatur providentiae, aliqua de aliquibus fiat indulgentia et remissio. Tamen propter incognitas illorum causas cautius de his loquor. Vos enim ipsi optime scitis quod utile est regno vobis a Deo dato, et paci sanctae Dei Ecclesiae proficuum. Facientes faciatis in omnibus voluntatem Dei, quatenus illius [Col. 0197B] sanctissima gratia vos proficientes ubique protegat, regat et custodiat, domine et dulcissime et desiderantissime.
@ [Col. 0197D] Edit. Quercet. 91 ex ms. **(Froben. 33)**. Data anno 796, postquam Pippinus ab expeditione Hunnica Aquisgranum ad Carolum, patrem suum, rediit. [Col. 0198D] Vid. epist. priorem.

EPISTOLA XXXVIII. AD PIPPINUM. (Anno 796.)

Optima suggerit vitae agendae documenta.

Nobilissimo nobisque amantissimo filio
@ [Col. 0198D] *Pippino.* Pippinus, antea Carolomannus dictus, Caroli Magni et Hildegardis filius. De eo plura vide apud Pagium ab anno 776 usque ad annum 810 quo obiit.

Pippino Albinus, in Christi dilectione salutem.

Gratias agimus benevolentiae tuae, simul et pietati domni regis, qui pie consentit petitioni redemptionis captivorum. Scio vos in talibus pietatis operibus promereri benedictionem, et longaevam regni prosperitatem adipisci. Et tu, excellentissime juvenis, nobilitatem generationis morum nobilitate adornare [Col. 0197C] studeas; et Dei omnipotentis voluntatem, atque {45} honorem tota virtute implere contende, quatenus illius inaestimabilis pietas solium regni tui exaltet, et terminos dilatet, et gentes tuae subjiciat potestati. Esto largus in miseris, pius in peregrinis, devotus in servitio Christi: Servos illos [*F.,* illis] et Ecclesias honorifice tractans, et ut sedula illorum oratio te adjuvet. Esto honestus in conversatione, castus in corpore. Laetare
@ [Col. 0198D] *Cum muliere, etc.* Quae illa? Nullibi proditur. cum muliere adolescentiae tuae, et non sint alienae participes tui, ut benedictio tibi a Deo data in longam nepotum procedat posteritatem. Esto fortis in adversarios, fidelis in amicos, humilis Christianis, terribilis paganis, affabilis miseris, providus in consiliis. Utere consilio senum et servitio juvenum. Et aequitatis judicia in regno tuo, [Col. 0197D] et laus Dei ubique horis competentibus resonet; et maxime in praesentia pietatis tuae. Quia hujusmodi devotio in officiis ecclesiasticis Deo te amabilem faciet, et hominibus honorabilem efficiet. Sint tibi sobrietatis cogitationes in corde, veritatis verba in [Col. 0198A] ore, honestatis exempla in moribus; ut te divina ubique clementia exaltet et custodiat. Haec, obsecro, charta tecum in testimonium amoris mei pergat. Etsi non sit digna tuae venerationis cingulo suspendi, tamen ejus admonitio digna sit in corde tuae sapientiae recondi.

Vive Deo florens, laeta gaudensque salute.
Dextera te Christi protegat atque regat. Obsecro, commendes Albini ut nomen ubique,
O fili, famulis, per tua regna, Dei.
@ [Col. 0198D] Edit. Quercet. 112, Canis. 61 **(Froben. 34)**. Emendata ex codd. mss. Salisb. et S. Emmerami.

EPISTOLA XXXIX. AD PAULINUM PATRIARCHAM.

Scire cupit quid devictis Hunnis pro gentis conversione acturus sit Paulinus ac saepius ad se litteras mitti postulat.

[Col. 0198B] Dilectissimo Patri et pio pontifici Paulino patriarchae Albinus, vestrae filius dilectionis, perpetuae in Christo prosperitatis salutem.

Si quotidie tuae beatitudinis praesentia uterer, nunquam [tamen (*Edit.,* tunc)] mellifluo ex ore tuo dulcedine satiarer; sed quantum avida mens ex fonte vitalis undae biberet, tantum [*Cod.* Sal., tamen] sitis addita cresceret. At nunc tanta locorum spatia vicariae collocutionis familiaritatem dividunt, ut vix pergentis chartulae gerulus inveniatur. Et in angusto pectoris antro charitatis olla fervescit, nec habet quo fulgorem sui splendoris ostendat, cui coctas charitatis epulas apponat: et quodammodo abundantia suavitatis versa est in esuriem amaritudinis? In pampinis vitis florescit, sed cultor hujus vineae infructuosae [Col. 0198C] non se [*Edit.,* te] pascit. Agricola uniones eruit de glarie [*Edit.,*

gloria], sed aurum in opus coronae deficit. Novit, qui mecum talia [patitur (*Edit.,* patrum)] quid haec significare volunt paradigmata. Forte et harum lector litterarum talem se memorat, qualem me agnoscit in illis; et maxime tu, Pater sancte, de cujus corde fons [verae emanat charitatis (*Edit.,* vitae, emanat, charitas)] et flumina de ventre ejus fluunt aquae vivae. Et qui haec in consolationem [*Cod.* Sal. et S. Emmerami, consolatione] spei nostrae promisit, tui est inhabitator pectoris, qui est virtus [et] sapientia Dei; in cujus potentia et gratia mirabiliter

@ [Col. 0198D] *De Avarorum gente triumphatum est.* Anno nempe 796, quod jam saepius adnotavimus ex Annal. Franc. de Avarorum gente [*Ed.,* genere] triumphatum est: quorum missi ad domnum regem directi, [Col. 0198D] subjectionem pacificam et Christianitatis fidem promittentes. Et si hoc, divina eos praeveniente gratia, verum est, quis se servorum Dei tam pio et laudabili labori subtrahere debet, ut diaboli diruatur saevitia, et Christi Domini [*Cod.* Sal. Dei] crescat servitium?

[Col. 0199A] {46} Sed quam plurimorum in te, pater optime, oculi respiciunt, quid vestra veneranda sanctitas facere velit. Quia et vicinitas locorum tibi competit, et sapientiae decus [tibi] suppetit, et auctoritatis excellentia tibi appetit, et cuncta conveniunt quae tali operi necessaria esse videntur. Ideo meae parvitatis curiositas [per te (*Edit.,* propterea)] hujus sanctae rei [scire] desiderat veritatem, et tuae consilium deposcit prudentiae: vel quid exinde agere tam bona voluntas deliberatum habeat, agnoscere flagitat. Opus enim arduum est, sed ipsa attestante Veritate, omnia scimus esse possibilia credenti **(Marc. IX, 22)**. Et qui de persecutore fecit praedicatorem **(I Tim. I, 13)**, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus **(Psal. CXII, 7)**; ipse [Col. 0199B] potest de arida cordis mei caute rivulos vivi fontis, et in vitam salientis producere aeternam: quanto magis [de vestro pectore abundantissimo flumina Gehonica fluentia (*Cod.* Sal. de vestro pectoris abundantissimo flumine Geonica fluenta)] per totam Nilotici ruris latitudinem ad fecundandos diversi generis flores diffundere valet? Audiat, obsecro, per te unanimis tuae charitatis filius, quid paterna praevideat agendum prudentia. Certissimum itaque consilium salutis per os illius sperari debet, cujus pectoris septiformis [Spiritus] consilii inhabitator [esse] dignoscitur.

Binas vestrae paternitati paulo ante direxi chartulas, unam per sanctum

@ [Col. 0199D] *Episcopum Histriensem.* Omnes Aquileiensis provinciae episcopi antiquitus dicti sunt *Istriae episcopi, ut patet ex concilio Romano sub Agathone, ubi Ursinus Cenettensis sub patriarcha Agathone et caeteri Mediterranearum sedium episcopi vocantur Istriae episcopi* **(Madris. Opp. S. Paulini, p. 205)**. Fortassis hic episcopus fuit Aginus Pergomensis, seu potius Veronensis episcopus, qui hoc anno cum Alcuino fuit, ut colligitur ex epistola ad eumdem 26 (nunc 31). De Aerico duce vid. epist. 1. episcopum Histriensem: [Col. 0199C] aliam per virum venerabilem Aericum ducem. [

@ [Col. 0199D] Haec, mendosa in edit., ex ms. restituuntur. Et utinam vel haec tertia mereatur aliquam vestrae beatitudinis exhortationem] ne spreta charitas [quartam] rugosa fronte, vel queruloso calamo exarare incipiat. Nequaquam in augmentum tristitiae meae diutius taceas, sed [per] spiritum consolationis tibi a Deo datum, frequentes mihi apices facere almitatis vestrae consolationis non graveris, ut tuis bonis exhortationibus et sanctis orationibus adjutus, ad supplementum mercedis tibi perpetuae, divina auxiliante misericordia, vitae aeternae tecum particeps esse merear.

@ [Col. 0199D] Hi versus desunt in Cod. Salisb. et S. Emm. Floreat in vestro divinis pectore donis
Semper in aeternum sophia, sancte Pater.[Col. 0199D] Et mihi conservet Christi dextra omnipotentis
Incolumem, meritis augeat aetheriis.[Col. 0200A] Donec suscipiat felix te porta polorum
Qua memor esto. . . [*F.* suppl. precor] semper in ore mei.
@ [Col. 0199D] Edit. Quercet. 62, Canis. 68 **(Froben. 30)**. In cod. ms. Sanct-Gallensi desideratur quidem inscriptio, [Col. 0200D] sed ex contextu certum est, missam esse ad Paulinum Aquileiensem. CANISIUS.

EPISTOLA XL. AD QUEMDAM (PAULINUM).

Post longum Paulini silentium, receptis nunc litteris gaudium suum significat. Post haec in laudes Paulini excurrit; ac mortis vicinae atque suorum peccatorum reminiscens se precibus illius humiliter commendat.

@ [Col. 0200D] *Dum ferventis Cancri.* Hinc colligit cl. Madrisius epistolam scriptam post dimidium Junii mensis. Id vero ego non magis inde colligo quam ex verbis hisce, quibus inferius ait: *Novit itaque* . . . . . non me autumnali frigore flaccentia verborum folia . . . . . exaggerare, etc., colligere licet epistolam autumno scriptam esse. Abs dubio in initio supplenda est particula *sicut;* neque hic exprimitur tempus scriptionis, sed per comparationem ferventis Cancri exprimitur ardor pectoris. Dum [*F.,* sicut] ferventis Cancri igneus sol sidus ascendit, et nimio diuturnoque calore arida tellus imbres exspectat; sic tua, Pater optime, in refrigerium magni amoris sitiens in meo pectore voluntas tuae beatitudinis diu desiderabat litteras. Iterum atque iterum per singula horarum momenta [Col. 0200B] aestuans hoc revolvebat elogium: Quando venient desiderati mei dulcissimi apices? Quando videam signa salutis dilectissimi mei? Quando mihi Ausoniae nobilitatis pagina optati prosperitatem ostendet amici, ut videam {47} si aliqua foederatae in Christo amicitiae in illius pectore maneat memoria; si Albini sui nomen stylo charitatis in cordis arcano reconditum habeat, sicut suavissimum Paulini Patris nomen, perpetua dilectione, in corde filii aeternis viget litteris inscriptum?

@ [Col. 0200D] *Ecce venit, etc.* Responsoria nempe, quae desideratur, quam Alcuinus post tres a se datas epistolas demum extorsit. Vid. epist. priorem circa finem. Ecce venit, ecce venit paternae pietatis pagina, quam diu desiderabam, omni melle palato meo dulcior, omni obrvzo oculis honorabilior. Hanc laetus ambabus accipiebam manibus, et toto amplectebar pectore, suspensus, quid mihi de meo nuntiaret [Col. 0200C] Paulino? Solutisque sigillis, avidis oculorum obtutibus per singulas lineas iter aperui, desiderabilemque optatae salutis sospitatem Patris agnoscens, in illis mox singulis litterarum apicibus oscula libabam, totumque me Deo Christo in gratiarum effudi actiones, dicens: *Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exsultabunt ossa humiliata* **(Psal. L, 10)**. Et qui ante humiliatus fui in tristitia, nunc exaltatus sum in laetitia. Et si quid pleno charitatis modio superaddi potuisset, cumularem utique pristinam [*Al.,* primam] dilectionis plenitudinem, novae abundantia laetitiae. Novit itaque, quicunque mellifluo charitatis jaculo vulnera omni favo dulciora in corde accipiet, non me autumnali frigore flaccentia verborum folia, in hujus chartulae

exaggerare gremium: sed de vivo [Col. 0200D] veritatis fonte, ad irrigandos verae flores dilectionis, haec prona pectoris mei dextera haurire, quatenus [Col. 0201A] mei magni amoris stillicidium tuis infunderem visceribus.

Plurima mihi de sanctissimo tui cordis epithalamio, rarifluo nectare exundantia protulisti exempla; ut verius Aristotelicum illud in te videam impleri proverbium, qui acutissimas Perihermeniarum scriptitans argumentationes, dicitur in mente calamum tinxisse. Te vero agnosco de aeterno charitatis thesauro affluenter nova proferre et vetera, et in fide fraterni amoris pennam tinxisse pietatis. Tuum vero sanctissimum cor terra est repromissionis, sapientiae melle manans, et suavissimae charitatis luce redundans, in qua verus et gloriosus Salomon virtutum gemmis, templum pulchrae habitationis suae majestati construxit, non Chaldaea flamma periturum, sed [Col. 0201B] aeterna pace permansurum; in quo sancta sanctorum summo et vero pontifici soli Christo pervia, non semel in anno (Hebr. IX, 3-7), sed semper in aeternum. Ibi arca sapientiae, et duorum tabulae testamentorum. Et haec omnia cherubin in multitudine tegunt scientiae. Horum subter alas divina populis oracula respondent, et flumina viventis aquae in salutem sitientibus salient aeternam **(Joan. IV, 14)**. Quo qui sitit, de aridis terrarum ignorantiae partibus veniat, et bibat.

Quid in tam affluenti tui cordis thesauro non invenitur? cujus habitator ille agnoscitur esse, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* **(Coloss. II, 3)**; qui habet clavem David, aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit **(Apoc. III, 7)**. Quae vult [Col. 0201C] ad profectum aliorum perpetuae clavem eloquentiae, charitatis clave aperit, et quae vult in arcano pectoris tui thesauro, clave sapientiae claudit. Haec sanctissima somniantis Jacob scala **(Gen. XXVIII, 12)**, per quam coeli secreta, septenis spiritalium charismatum gradibus, pia penetrare solet intelligentia: et iterum ad aedificationem subjecti sibi populi fraterni amoris passibus descendit, ut fiat doctor ecclesiasticus divinae contemplationis cum Maria compos, et iterum cum Martha ad Dominicae mensae convivas sedulae administrationis sollicitus **(Luc. X, 39, 40)**. His duabus alis sanctorum animae cum magna meritorum gloria ad coelestis regni beatitudinem quotidie feruntur; his etiam saeculi hujus procellosos gurgites securo transeunt navigio, et ad portum perpetuae [Col. 0201D] quietis cum virtutum mercimoniis pervenient.

Sed vereor, quod sine maximo cordis dolore non dico, me ulterius in hac vita tuae beatitudinis faciem non visurum, quia in via divisionis iter agimus laboriosum. Per vallem lacrymabilem ad incertum properamus finem; et cito fragilis caro, unde sumpta, revertetur **(Psal. CIII, 29)**: et omnis decor illius, {48} urente percussa vento (Job XXVII, 21), flaccescet, et *ibit homo in domum aeternitatis suae* **(Eccle. XII, 5)**. Et circa eum stabunt in platea [*Al.,* domo] plangentes, et spiritus revertetur ad Deum qui dedit illum. Ubi tunc illecebrae carnalium delectationum? [Col. 0202A] Ubi saecularis pompae superba ambitio? Nonne omnia haec veluti fumus ventuosis procellarum in aerem dispersis gurgitibus evanescunt? Et quanto plus quislibet haec vana delectabilia amaverit in mundo, tanto magis ea, aeterno praesentatus judici, odio habuerit. Beatus qui necessitatem verterit in voluntatem: et ea Christi amore compunctus voluntarie amiserit, quae debita cogente morte amissurus erit.

Haec meae memor miseriae lacrymosis dictavi querelis; non ut te, quod opus non est, ex meis corrigeres dictis; sed ut mecum me ex meis plangeres iniquitatibus: et pascentem in regione longinqua omni in immunditie porcos tuis, o sanctissime adjutor! precibus sublevares, et ad paternae pietatis [Col. 0202B] epulas diu perditum [*Al.,* periclitantem] reduceres (Luc. XV, 13-15). Adhaesit itaque oculo cordis mei pulvis cogitationum iniquarum, ut summum beatitudinis bonum nec videre, nec amare perfecte valeam. Si viderem, utique amarem. Sed a te, qui spiritum ab eo consolationis accepisti qui vult omnes homines salvos fieri **(I Tim. II, 4)**, assiduae orationis suffragia flagito: quatenus aeternae pacis medicus collyrio suae misericordiae inungat oculum, iniquis obcaecatum cupiditatibus; ut verum perpetuae bonitatis lumen videre valeat, et amare quod videat.

Memento mitissimam Samaritani mentem, qui vulneratum omnique praesidio destitutum oleo et vino fovebat, pietatis fascia ligavit, levavit in jumentum, duxit in stabulum, duos pro eo dedit denarios, [Col. 0202C] ut curaretur **(Luc. X)**. Quid hac pietate mitius? quid hoc exemplo salubrius? Creator omnium in pretium seipsum tradidit hominum, ut eos liberaret quos creavit. Fateor me unum esse ex illis quos redemit. Sed dum alienae avidus pulchritudinis, Chananitidas ex paterno tabernaculo perrexi videre, lupi me vespertini invenerunt, rapuerunt, laceraverunt, vulneratum dereliquerunt. Tandem aliquando, divina praeveniente gratia, in memet reversus dixi: *Surgam et ibo ad Patrem meum* **(Luc. XV, 18)**, teque, mitissime pastor, in hoc iter, sicut praedixi, ductorem deposco.

Potuit igitur idem Lazari solvere vincula, qui eum de monumento prodire jussit. Sed ut potestatem solvendi sanctos habere doctores demonstraret, circumstantibus [Col. 0202D] dixit: *Solvite eum, et sinite abire* **(Joan. XI, 44)**. Tu vero, egregie pastor, solve jubente Deo mortiferas mihi peccatorum catenas, ut liber vitaeque redditus inter convivas Dei Christi in aeternae beatitudinis epulis recumbere merear.

{49}
@ [Col. 0201D] Edit. Quercet. 113, Canis. 63 **(Froben. 36)**, ubique mutila et imperfecta; data fortassis anno 796, [Col. 0202D] quo Paulinus ad Evangelii praedicationem apud Hunnos animum adjecit.

EPISTOLA XLI. AD PAULINUM PATRIARCHAM. (Forte anno 796.)

Sui memorem esse rogat in S. missa. S. crucis, et alias reliquias sibi mitti petit; hortatur ad laborem praedicationis.

Paulino sanctissimo patriarchae humilis levita Alcuinus salutem.

[Col. 0203A] Absentia corporis non oportet dilectionem dividere, quia amicitia quae deseri potest nunquam vera fuit. Ex quo te sciebam, dulcissime amice, semper amabam, et pepigit cor meum foedus amicitiae cordi tuo. Et sic nomen Paulini mei, non in cera,

quae deleri potest, scripsi. Ne, quaeso, obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini: sed in aliquo memoriae gazophylacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno,

@ [Col. 0203D] *Quo panem et vinum in subst.* corp. et sang. Christi consecr. Illustre sane testimonium pro dogmate transsubstantiationis eo tempore credito. «Haec nostra, haec majorum nostrorum fides (ait celeberrimus Mabillonius in libr. de Liturgia Gallicana, pag. 95), quam utinam fratres nostri aversi jam tandem vel sero agnoscant; neque nos amplius provocent ad fictitiam illam novationem, quam Paschasio Radberto auctore saeculo IX contigisse criminantur. Unius Alcuini auctoritas, tam clara et manifesta, hanc controversiam dirimere deberet . . . . et qui tam perspicuis verbis detrahit fidem, is non veritatis, [Col. 0204D] sed contentionis, sed erroris, sed schismatis amator est.» quo panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecraveris.

Diu dilectionis tuae exspectavi promissa, hoc est, vivificae crucis, vel aliarum reliquiarum patrocinia. Noli me, obsecro, tanto fraudare munere; nec te veritatis . . . . . Nolo longinquitatem viae causeris. Charitas [Col. 0203B] pennas ad volandum inveniet, *nec flumina obruent illam* **(Cant. VIII, 7)**. Sufficiunt alae fidei in palatio regis, quibus nec voluntas deest in accipiendo, nec fides in reddendo. Si quid nostra petitio apud vos valeat, et tua semper ad Deum valeat petitio, qui te in tam sublimi statuit gradu, ubi ejusdem Dei Domini nostri Jesu Christi effectus . . . . .

Vide quam sublime est hoc nomen. Contende meritis esse quod nomine vocaris. *Clama, ne cesses, exalta quasi tuba vocem tuam* **(Isa. LVIII, 1)**. Sit guttur tuum tuba Dei. *Praedica importune, opportune* **(II Tim. IV, 2)**. Tu gallus in praedicatione, succinctus in castitate. Tu aries in veritate fortissimus, cui nullus regum resistere poterit **(Prov. XXX, 30, 31)**. Tu lucerna super candelabrum in domo Dei (Matth. [Col. 0203C] V, 15). Tua lingua coelum claudit et aperit **(Apoc. III, 7)**. Aperit primum per praedicationis devotionem. Ad exemplum Christi recurre, qui per civitates, castella, vicos, villas, evangelizando iter agebat **(Matth. IX, 35)**: etiam et domos publicanorum vel peccatorum, propter occasionem praedicationis, non abhorruit intrare **(Luc. V, 29)**. Spes praemii solatium sit laboris.

Quid facio insipiens ego contra philosophicum proverbium, ligna in silvam ferens, stillicidiis flumina irrigans? Modulum meum extuli figurae. Obsecro per ejus amorem, qui duo minuta viduae donis divitum praeferebat **(Marc. XII, 42, 43)**. Charitas omnia suffert, in qua qui manet, in Deo manet **(I Cor. XIII, 7)**, quia Deus charitas est (I Joan. [Col. 0203D] IV, 16).

{50}
@ [Col. 0204D] Edit. Quercet. 105 ex ms. **(Froben. 42)**.

EPISTOLA XLII. AD MEGENFRIDUM. (Anno 796?)

De ordine, et modo praedicandi edocet; avaritiam et nimiam exactionem decimarum reprehendit; dolet multos esse, qui sacerdotii honores quaerunt, gradus vero et

ministerium fugiunt. Carolum rogari cupit, ut plures mittantur boni operarii in messem.[Col. 0204A]

Dilectissimo in Christi charitate amico et regalis palatii
@ [Col. 0204D] *Archario Megenfrido.* Alias etiam *Magenfridus* et *Maganfredus nominatur dux exercitus Saxonici in expeditione Hunnica anni 791.* Vide poetam Saxonem, et Eginhardi Annal. ad eum annum. Hic *Meginfridum regis cubicularium vocat.* Archarius ergo cubicularius est, seu, ut paulo inferius Alcuinus pluribus explicat verbis, *dispensator thesaurorum, et serator consiliorum;* quasi intimus consiliarius. Vid. Cangii Gloss., voce *Arcarius.* archario Megenfrido Flaccus Albinus perpetuae sospitatis salutem.

Solet itaque chartula charitatis calamo perscripta inter amicales currere personas, ut ardorem sui pectoris litteris fraternis ostendat obtutibus, et quod intus latet in animo, foras videatur in scriptis. Unde ego tui memor, amice charissime, tibi hos tuae salutis, imo et multorum, admonitorios dirigere curavi apices. Nec me superfluum in his litteris aestimes, sed devotum; desiderans utrumque, et praesentis vitae prosperitatem et futurae: quatenus in ista temporali [Col. 0204B] feliciter vivas, et in illa aeterna beate regnes cum Christo.

Considerandum vero est diligentissime omni homini quid fugere debeat, et quid sequi. Quae duo Psalmista uno brevissimo versiculo ostendit dicens: *Diverte a malo, et fac bonum* **(Psal. XXXIII, 15)**. Non sufficit solum mala non facere, nisi et bona faciat, aeternam cupienti possidere gloriam. Unde et ipsa Veritas in Evangelio cuidam se interroganti respondit: *Si vis vitam ingredi, serva mandata* **(Matth. XIX, 17)**. Sed unicuique pensandum est in quo gradu statuisset eum Deus, et quo talento ditasset cum. Non enim solis episcopis vel presbyteris pecuniam suam tradidit Dominus ad multiplicandum, sed omni dignitati et gradui talenta bonae operationis tradidit, [Col. 0204C] ut datam sibi gratiam fideliter administrare studeat, et conservis suis erogare contendat. Alius est qui talentum praedicationis accipit, alius sapientiae; alius divitiarum, alius cujuslibet administrationis; quidam forte alicujus artificii donum a Deo horum omnium bonorum dispensatore. Et in his omnibus fides et devotio spectanda est, ut fideliter laboret, et viriliter sui domini pecuniam multiplicare satagat, quatenus desiderabilem vocem audire mereatur: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam;* intra in gaudium domini tui **(Matth. XXV, 21)**.

Qui vero pecuniam praedicationis accipiunt, diligenter considerare debent quid cuique congruat loco [Col. 0204D] vel tempori; etiam et quo ordine praedicatio Christianitatis incipienda sit vel perficienda. Nam Dominus noster Jesus Christus cum triumpho gloriae ad paternam rediens sedem apostolis suis praecepit dicens: *Ite, docete omnes gentes,* baptizantes eos in nomine [Col. 0205A] Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis **(Matth. XXVIII, 19, 20)**.
@ [Col. 0205D] *Primo fides docenda est.* Eadem scribit Alcuinus ad Carolum Magnum epist. 28 (nunc 33), et ad Arnonem 31 (nunc 36); anno 796. Primo fides docenda est, et sic baptismi percipienda sunt sacramenta. Deinde evangelica praecepta tradenda sunt. At si aliquid horum trium deerit, salutem animae suae auditor habere non poterit. Fides

quoque, sicut sanctus ait Augustinus, res est voluntaria, non necessaria. Attrahi poterit homo in fidem, non cogi. Cogi poteris ad baptismum, sed non proficit fidei. Nisi infantilis aetas, aliorum peccatis obnoxia, aliorum confessione salvari poterit. Perfectae aetatis vir pro se respondeat, quid credat, aut quid cupiat. Et si fallaciter fidem profitetur, veraciter salutem non habebit. Unde et praedicatores paganorum populum pacificis verbis et prudentibus [Col. 0205B] fidem docere debent. Novit Dominus qui sint ejus; et quorum cor vult, aperit, ut intelligant quae a doctore dicantur. Sed et post fidei et baptismi perceptionem molliora praecepta infirmioribus animis sunt praebenda. Nam et apostolus Paulus novellae Galatarum [Corinthiorum] genti scribens ait: *Lac vobis dedi potum, non solidum cibum* **(I Cor. III, 2)**. Solidus vero cibus virorum est fortium; id est, praecepta majora illorum sunt, qui multo tempore exercitatos habent sensus in lege {51} Domini. Et veluti lac fragili congruit aetati, ita suaviora praecepta rudi populo in principio fidei tradenda sunt.

Igitur et in Actibus apostolorum **(Cap. XV, 2)** legimus Paulum et Barnabam Hierosolymam ascendisse ad Jacobum et caeteros apostolos, super hac [Col. 0205C] quaestione, quomodo gentibus praedicare debuissent? At illi praescribentes unanimi consilio statuerunt ut nil molestiae legalis imponeretur cervicibus eorum, sed tantum ut abstinerent se a fornicatione, a sanguine, suffocatione et simulacris **(Ibid., vers. 28, 29)**. Imo et ipse Paulus praedicator gentibus gloriabatur se ex labore manuum suarum vivere. Ait enim in quadam Epistola sic: *Vos scitis quod mihi et his qui mecum sunt manus istae ministraverunt, ne cui vestrum molesti essemus* **(Act. XX, 34; II Thessal. III, 8)**. Et item: *Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Quae est gloria mea? ut Evangelium sine sumptu exponam (I Cor. IX, 15-18). Hoc enim tantus et a Deo specialiter electus gentium [Col. 0205D] praedicator egit, ut omnem radicitus occasionem avaritiae praedicatoribus abscinderet: quatenus nullus, qualibet cupiditate illectus, sed sola Christi charitate confortatus verbum Dei praedicaret, sicut ipse in Evangelio suis praecipiens discipulis ait: *Gratis accepistis, gratis date* **(Matth. X, 8)**.

Si tanta instantia suave Christi jugum et onus ejus leve durissimo Saxonum populo praedicaretur, quanta decimarum redditio, vel legalis pro parvissimis quibuslibet culpis edicti necessitas exigebatur, forte baptismatis sacramenta non abhorrerent. Sint tandem [Col. 0206A] aliquando doctores fidei apostolicis eruditi [*suppl.* exemplis]. Sint praedicatores, non praedatores. Confidant in illius pietate, qui ait: *Nolite portare sacculum, aut peram* **(Luc. X, 4)**, et caetera quae sequuntur. Et de quo propheta inquit: *Qui nunquam derelinquit sperantes in se* **(Dan. XIII, 60)**.

Haec tuae, venerande amice, scripsi dilectioni, quatenus tuis proficiant admonitionibus, qui a te consilium audire desiderant. Sat enim haec omnia optime novit dilectus meus David, cui Deus et sapientiam dedit, et bonam voluntatem: et plurimos convertit populos ad charitatem Christi et laudem. Cui omnis bonitas et potentia ad benefaciendum sufficit. Nisi unum tantummodo [*F.* suppl. deficit?] propter tempora periculosa hujus saeculi, quod rariores habet [Col. 0206B] adjutores in opere Domini quam necesse sit. Nullus tamen in mundo meliores, ut credo, habet quam ille. Hos erudiat, admoneat et doceat, secundum sapientiam sibi a Deo datam. Et tu, fidelissime dispensator thesaurorum et serator consiliorum et adjutor devotus, viriliter fac

voluntatem illius. Esto in consilio suavis et in opere strenuus, pacificus in domo, prudens in legationibus, pius in pauperes et miseros, justus in judiciis, largus in eleemosynis; ut ex temporalibus divitiis tuis aeternas tibi merearis in coelis.

Adhuc me dilectio dilecti mei David, et sollicitudo salutis multorum, cogit tibi suadere, quae utilia scio coram Deo et honesta coram saeculo. Nam quidam [Col. 0206C] sacerdotes Christi, qui habent parochias et honores saeculi, et gradus ministerii non volunt habere: videtur mihi melius, ut plenam habeant benedictionem et plenam mercedem apud Deum. Nunc vero alius laborat pro mercede perpetua, illi vero pro saeculari honore.
@ [Col. 0205D] Legendum puto: *Privati vero sunt potestate ligandi* [Col. 0206D] et solvendi, quod clarissimum in Ecclesia Christi donum Christus dedit apostolis, etc. Locus nota bilis contra commendatitios episcopos, parochos, etc., qui honores ambiunt, ministerium refugiunt. Privati vero sunt, ut cum pace dicam. Potestatem ligandi et solvendi, quod clarissimum est in Ecclesia Christi donum, Christus dedit apostolis, et per eos successoribus suis. Nec non et Ecclesiis, quae non habent pastores, periculosum est gregem Christi absque pastore diu manere. Intrant lupi rapaces, sed non est qui exigat eos. Sedet sola et vidua domina gentium et non est qui consoletur eam **(Thren. I, 1, 2)**. Dicit et ipsa Veritas: *Messis quidem multa, operarii autem pauci;* rogate dominum [Col. 0206D] messis, ut mittat operarios in messem suam **(Luc. X, 2)**. Et ego tibi, charissime amice, messis quidem multa est in populo Christiano, sed non sunt in quibusdam locis messores. Tu vero roga dominum messis, id est, David meum dilectum, ut mittat operarios in messem suam; quatenus illis dicat rogatus, sicut suus proprius protector et unicus, et amator Christus Deus dixit discipulis {52} suis: *Ite, ecce ego mitto vos* **(Luc. X, 3)**. Ipse est dominus vineae, mittat operarios in vineam suam et dicat: Ite et vos in vineam meam et quod justum fuerit, accipietis pro [Col. 0207A] labore vineae meae **(Matth. XX, 4, 7)**. Ipse [*F.,* ipsi] est potestas et dispensatio vineae Christi, id est Ecclesiarum Dei. Illius est laus et gloria, et merces aeterna, ut bene ordinentur, et regantur, et pastores habeant, quantos invenire possint
@ [Col. 0207D] Locus corruptus., dignos et Deo placabiles. Ille est in hoc regno, qui omnes praedicare potest, et de omnibus Ecclesiis mercedem habere et benedictionem in saeculo, et aeternam beatitudinem et beatam aeternitatem cum Christo et sanctis ejus.
@ [Col. 0207D] Edit. Quercet. 1, Canis. 3 **(Froben. 38)**. Scripta fuisse videtur non diu postquam monasterio Turonensi sancti Martini abbas praefectus, ibi scholas aperuit, circa annum 796. Quod inde colligo, quia dum hanc epistolam scriberet, nondum provisus fuerat necessariis ad docendum libris.

EPISTOLA XLIII. AD CAROLUM MAGNUM. (Anno 796.)

Significat suum gaudium ob prosperitatem regis. Ad studia sua provehenda petit ex Anglia libros suos afferri. Utilitates studii litterarii recenset: huic adolescentes palatii suadet addici.[Col. 0207B]

Domino piissimo et praestantissimo et omni honore dignissimo David regi Flaccus Albinus verae beatitudinis aeternam in Christo salutem.

Dulcedo sanctae dilectionis vestrae omnibus horis, etiam et momentis, aviditatem pectoris mei abundanter reficit; et decoris vestri facies, quam saepius amabiliter considerare solebam, totas memoriae meae venas cum magna jucunditate desiderabiliter implet, et quasi multarum in corde divitiarum species, vestrae bonitatis nomen et aspectus reconditur. Ideo magna mihi est jucunditas, vestrae dulcissimae prosperitatis audire laetitiam, ad quam etiam cognoscendam hunc

@ [Col. 0207D] *Puerulum.* Quis ille? Candidus fortassis, quem multoties mittendis epistolis adhibuit. puerulum, ut scitis, parvitatis meae [Col. 0207C] clientellum [*Al.,* clientulum] direxi: quatenus in salute sublimitatis vestrae, in gratiarum actionibus laetus collaudem misericordiam Domini nostri Jesu Christi. Non solum ego ultimus servulus Salvatoris nostri, congaudere debeo prosperitati et exaltationi clarissimae potestatis vestrae: sed tota sancta Dei Ecclesia unanimo charitatis concentu gratias agere Domino Deo omnipotenti debebit, qui tam pium, prudentem et justum, his novissimis mundi et periculosissimis temporibus populo Christiano perdonavit clementissimo munere rectorem atque defensorem: qui prava corrigere, et recta corroborare, et sancta sublimare omni intentione studeat, et nomen Domini Dei excelsi per multa terrarum spatia dilatare gaudeat, et catholicae fidei lumen in extremis [Col. 0207D] mundi partibus incendere conetur. Haec est, o dulcissime David, gloria, laus et merces tua in judicio diei magni, et in perpetuo sanctorum consortio; ut diligentissime populum, excellentiae vestrae [Col. 0208A] a Deo commissum, corrigere studeas, et ignorantiae tenebris diu animas obcaecatas ad lumen verae fidei deducere coneris. Nunquam optimis voluntatibus, vel bonis conatibus remuneratio divina deerit: sed qui plus laborat in voluntate Dei, plus mercedis recipiet in regno Dei. Tempus hujus vitae velociter currit, fugit, et non revertitur [*Al.,* respicit]; {53} ineffabilis vero Dei pietas humano praevidebat generi breviter laborare, et aeternaliter coronari. Ideo pretiosa debent esse nobis tempora, ne perdamus per negligentiam quod per bonae vitae exercitium habere poterimus [*Al.,* potuerimus] aeternum. Nec tantum diligere aliquid poterimus in terra, quantum beata amabitur requies in coelo: quam qui tunc habere concupiscat, bonis nunc operibus promereri [Col. 0208B] contendat. Omnibus itaque communiter regni coelestis janua patescit; sed illis intrare conceditur, qui cum multiplici bonitatis fructu ad eam venire festinant.

Ego vero Flaccus vester secundum exhortationem et bonam voluntatem vestram, aliis per tecta sancti Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago; alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo; alios grammaticae subtilitatis enutrire pomis incipiam; quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnae domus culmine, illuminare gestio. Plurima plurimis factus **(I Cor. IX, 22)**, ut plurimos ad profectum sanctae Dei Ecclesiae, et ad decorem imperialis regni vestri erudiam, ne sit vacua Dei omnipotentis in me gratia **(I Cor. XV, 10)** , [Col. 0208C] nec vestrae bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi servulo vestro exquisitiores eruditionis scholasticae libelli, quos habui in patria per bonam et devotissimam

@ [Col. 0207D] Haec paulo aliter citat Wilhelmus Malmesbur. lib. I de Gest. reg. Angl., cap. 3, et lib. III de Gestis pontif.: «Date mihi exquisitiores eruditionis scholasticae libellos, quales in patria habui, per bonam et [Col. 0208D] devotissimam magistri mei Egberti archiepiscopi industriam. Et si placet sapientiae vestrae, remittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quaeque necessaria, et revehant in Franciam flores

Britanniae, et non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonica emissiones paradisi.» Ex his duo colligimus: primum, Alcuinum Eboraci studia sua confecisse; alterum vero multo evidentius, non Lutetiae Parisiorum aut in Fuldensi monasterio, sed in civitate Turonum ad Ligerim scholam suam erexisse, e qua deinde prodierunt tot viri doctrina insignes. BASNAGE. magistri mei industriam, vel etiam mei ipsius qualemcunque sudorem. Ideo haec vestrae excellentiae dico, ne forte vestro placeat totius sapientiae desiderantissimo consilio, ut aliquos ex pueris nostris remittam, qui excipiant inde nobis necessaria quaeque, et revehant in Franciam flores Britanniae: ut non sit tantummodo in Euborica hortus conclusus, sed in Turonica emissiones paradisi cum pomorum fructibus, ut veniens Auster perflaret hortos Ligeri fluminis, et fluant aromata illius, et novissime fiat, quod sequitur in Cantico, unde hoc assumpsi paradigma: *Veniat dilectus meus in hortum suum,* et comedat [Col. 0208D] fructum pomorum suorum. Et dicat adolescentulis suis: *Comedite amici mei, bibite et inebriamini, charissimi.* Ego dormio, et cor meum vigilat **(Cant. V, 1, 2)**. Vel illud exhortativum ad sapientiam discendam [Col. 0209A] Isaiae prophetae elogium: *Omnes sitientes venite ad aquas:* et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: Venite, emite, absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac **(Isa. LV, 1)**.

Haec sunt quae vestra nobilissima intentio non ignorat, quomodo per omnes sanctae Scripturae paginas exhortamur ad sapientiam discendam. Nil esse ad beatam vitam sublimius adipiscendam, nil ad exercitium jucundius, nil contra vitia fortius, nil in omni dignitate laudabilius; etiam et secundum philosophorum dicta nil ad regendum populum necessarius, nil ad componendam in optimos mores vitam melius, quam sapientiae decus, et disciplinae laus et eruditionis efficacia. Unde et de laude illius sapientissimus exclamat [*Al.,* explanat] Salomon: *Melior* [Col. 0209B] est sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. Haec est quae humiles exaltat, quae sublimes honorat. Per illam reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per illam principes imperant et potentes decernunt justitiam. Beati qui custodiunt vias ejus, et beati qui vigilant ad fores illius quotidie **(Prov. VIII, 11 seqq.)**. Ad hanc omni studio discendam et quotidiano exercitio possidendam exhortare, domne rex, juvenes quosque in palatio excellentiae vestrae, quatenus in ea proficiant aetate florida, ut ad honorem canitiem suam perducere digni habeantur, et per eam ad perpetuam valeant pervenire beatitudinem. Ego vero, secundum modum ingenioli mei, apud servos vestros in his partibus seminare sapientiae grana segnes [*Al.,* segnis] non ero, [Col. 0209C] memor illius sententiae: *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua;* quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud. Et si utraque simul, melius est **(Eccle. XI, 6)**.
@ [Col. 0209C] *Mane* . . . . seminavi in Britannia. Inde aliqui [Col. 0209D] concludunt, Alcuinum praecipuas Britanniarum academias perlustrasse. Ferunt Annales Cantabrigienses, in ea academia post Bedam docuisse Alcuinum. Sed nihil obstat quo minus Eboraci remanens, in totam Angliam doctrinae lucem effuderit. Ex eo loco probatur evidentius, senem fuisse Alcuinum, cum Turonibus scholam erexit. BASNAGE. Mane [*Al.,* Multa] florentibus per aetatem studiis seminavi in Britannia. Nunc vero frigescente sanguine quasi vespere in Francia seminare non cesso. Utraque enim, Dei gratia donante, oriri optans. Mihi fracto corpore solatio est sententia sancti Hieronymi, qui ait in epistola **(Epist. 52)** ad Nepotianum: «Omnes pene {54} virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia decrescunt caetera.» Et post paululum: «Senectus vero

eorum qui adolescentiam [Col. 0210A] suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, aetate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior; et veterum studiorum dulcissimos fructus metit.» In qua epistola, de sapientiae laude, et veterum studiis plura potest, cui placuerit, legere, et intelligere quantum veteres in decore sapientiae florere studuerunt. In hanc vestram Deo amabilem, et vitae laudabilem semper proficere et gaudere agnovi diligentiam; et nobilitatem saecularis prosapiae majore mentis nobilitate exornare. In qua Dominus noster Jesus Christus, qui est virtus et sapientia Dei, te custodiat, et exaltet, et ad gloriam beatae et perpetuae visionis suae pervenire faciat.

@ [Col. 0209D] Edit. Quercet. 93, Canisii 47 **(Froben. 39)**.

EPISTOLA XLIV. AD DAMOETAM FILIUM. (Anno 796.)

Prospera precatur eunti in hostem, et de amicorum dolet absentia. [Col. 0210B]

Flaccus Albinus

@ [Col. 0209D] *Flavio Domoetae.* Fuisse hunc virum illustrem, domi militiaeque strenuum, patet ex hac et sequenti epistola, ubi hunc in exercitu Caroli Magni, Saxones debellaturi, juri dicundo fuisse praefectum liquet ex his verbis: *In diversarum auditu causarum justitia semper resonet in ore.* CANIS. Flavio Damoetae filio charissimo salutem.

Tuae congaudeo dilectioni, et praestatae [praestitae] fidei congratulor: quia semper ubique te fidelem inveni, et benevolum erga me agnovi, sicut filium in patrem: nec aliter inveni, nisi ut voluntas tua semper meam subsecuta est voluntatem. Ideo taedium habet animus meus de absentia faciei tuae: tamen in charitate cordis mei te semper praesentem habeo, Deumque pro tua deprecor prosperitate, ut te mihi in gaudium, tibique ipsi in salutem longaevis conservare dignetur temporibus. Sed valde sollicitus sum [Col. 0210C]

@ [Col. 0209D] *De itinere in hostem.* Saxones, ut infra. Id factum censet Mabillonius anno 783. Praeplacet opinio Pagii, qui, num. 22, epistolae huic annum 796 assignat. de itinere tuae profectionis in hostem, quia plurima solent in talibus evenire pericula rebus. Tamen qui justitiam habet eundi et pro Deo decertandi, fiduciam potest habere de auxilio illius, pro cujus amore tantum subire laborem non formidat. Tu vero

@ [Col. 0209D] *Iter tuum confessione.* Hortatur militem ut ante [Col. 0210C] praelium sacramentali confessione peccata expiet, laudato [Col. 0210D] priscis militibus more, qui et apud Normannos, de quibus Wilhel. Malmesb. lib. III. Reg. Angl., tota nocte confessioni peccatorum vacantes, mane Dominico corpore communicarunt; pedites cum arcubus et sagittis, etc. CANIS. iter tuum confessione confirmare, eleemosynis roborare, orationibus servorum Dei undique munire memento: ut angelus Domini te inter omnia adversa tueatur et comitetur, quatenus cum securitate vadas et cum pace revertaris.

{55} Ego pene, quasi orbatus filiis, remaneo domi. Damoeta Saxoniam, Homerus Italiam,

@ [Col. 0210D] *Candidus Britanniam.* Hunc Candidum Lindisfarnensis Ecclesiae alumnum, Higebaldi episcopi discipulum facit Lelandus de Script. Britann. cap. 100, p. 133, ubi refert fragmentum epistolae Alcuini ad eumdem Higebaldum, quo Candidum tacito studio repetit; quod vid. supra epist. 8 (nunc 9), ad Lindisfarnenses. Candidus Britanniam recessit, Martinus
@ [Col. 0210D] *In Vicos apud S.* Jodocum. De cella S. Jodoci a Carolo collata Alcuino, alibi diximus. Ex hoc loco Baluzius in not. ad epist. 11 Lupi abbatis Ferrarensis colligit, Vicum seu Quentavicum idem esse ac monasterium S. Jodoci, vulgo, *Saint-Josse-surmer.* in Vicos apud S. Jodocum [Col. 0211A] infirmus remansit, pro cujus sanitate, ut Dei depreceris clementiam, obnixe flagito. De Mopso, qui apud S. Martinum, sicut audisti, infirmatus est, nihil aliud audivi certum; nec te abeunte, missos illius vidi. Sed pene tristitia totus absorptus fui in
@ [Col. 0211D] *Filia mea.* Quaenam haec, pro cujus valetudine tot preces, tot eleemosynae, tanta sollicitudo? Ausim dicere, esse Liutgardem Caroli Magni uxorem, quam alibi filiam suam vocat Alcuinus. CANIS. filia mea, quae tres dies pene desperata fuit; sed modo, donante divina misericordia, per preces servorum Dei et eleemosynarum largitatem bene consolati sumus in ea, quia bene recuperata est. Ecce qualibus pater tuus agitatus est fluctibus! Tu, fili charissime, cum tuae reverentiae commilitonibus pro eo intercedere satage, quatenus spiritus consolationis hos ejus animi motus tranquilla pace componere dignetur; et David dilectum suum, et vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. [Col. 0211B] Aeternae patriae civem te faciat divina clementia, dilectissime fili.
@ [Col. 0211D] Edit. Quercet. 41, Canis. 50 **(Froben. 40)**. Collata cum cod. ms. Salisb.

EPISTOLA XLV.

@ [Col. 0211D] Apud Canisium, et in Salisb. cod. deest illa inscriptio: *Ad Riculfum archiepiscopum, etc.* Quercetanus illam in cod. Petavino repererit; nihil tamen probat, ait Basnagius, illum Damoetam fuisse episcopum; quin imo ex epistola superiori et sequenti conjicias potius fuisse virum saecularem, qui jus inter milites in Saxonia summa cum aequitate dicebat. AD RICULFUM ARCHIEPISCOPUM MAGENSIS CIVITATIS COGNOMENTO DAMOETAM. *De absentia amicorum tristatur;* et ad aeternorum amorem hortatur.

Probatissimo amico Damoetae Albinus salutem.

Nimium mihi longum videtur tempus, quod tuae dilectionis faciem non vidi, verba non audivi. Et tantum ex praesentia tui gaudebat animus, quantum
@ [Col. 0211D] *In absentia contristatur.* Haec et sequentia concordant cum epist. priori, ubi conqueritur quod pene orbatus filiis domi solus relictus sit, ut adeo idem sit hic et ille Damoeta, vir nempe saecularis, non episcopus. in absentia contristatur. Quid faciet mens, nisi lugeat, dum paucos habet amicos? Proh dolor! sed illi semper [Col. 0211C] (pene) absentes. Tamen quod valeo faciam, te memorans apud Dominum, tibi prospera semper illius concedere clementiam deprecans, cujus dilectione tuum semper impleatur pectus.

Hae sunt verae divitiae, quae nunquam decipiunt habentem, {56} nec in ipsa morte amittuntur, sed plus abundant, dum cernitur quod amatur. Inter temporalia et aeterna hoc interest [quod temporale] aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit. Aeternum autem ardentius diligitur adeptum quam desideratum. Ideo plus amemus aeterna quam temporalia, ut in aeternitate beate et feliciter vivere mereamur. Valeto in saecula.
@ [Col. 0212D] Edit. Quercet. 68, Canis. 41 **(Froben. 41)**.

EPISTOLA XLVI. AD DAMOETAM.

Gratias agit pro dono; hortatur ad justitiam cuique faciendam; atque amici suspirat adventum.[Col. 0212A]
@ [Col. 0212D] *Viro clarissimo.* Haec verba et quae sequuntur deerant in cod. Sanct-Gallensi apud Canisium. Flavio Damoetae viro clarissimo plurimam Albinus perpetuae pacis salutem.

De vestra valde gaudeo prosperitate, et de munere charitatis vestrae multum gavisus sum, tot agens gratias quot dentes in dono numeravi.
@ [Col. 0212D] {57} *Mirum animal.* Ita jocari hic placuit Alcuino de pectine a Damoeta sibi donato, quod caput animalis praeferebat. Huc pertinet carmen 219 edit. Quercet., quod cum hac epistola connexum fuisse videtur, et ita sonat:

Bestia nam subito nostras subrepserat aedes In qua . . . fuit capitum miranda duorum, Quae maxilla tamen pariter conjunxerat una, Bis ternis decies sed dentibus horruit illa. Esca fuit crescens illis de corpore vivo, Nec caro, nec fruges, fructus nec vina bibentum Dentibus edebat, patulo non tabuit ore. Scis, Damoeta meus, quae sit haec bestia talis. Mirum animal, duo habens capita et dentes LX, non elephantinae magnitudinis, sed eburneae pulchritudinis. Nec ego hujus bestiae territus horrore, sed delectatus aspectu. Nec me frendentibus illa morderet dentibus [Col. 0212B] timui, sed blanda adulatione capitis mei placare capillos adrisi. Nec ferocitatem in dentibus intellexi, sed charitatem in mittente dilexi, quam semper fideliter in illo probavi. Sed quantum gaudeo in amoris dulcedine, tantum doleo
@ [Col. 0212D] *In absentiae longinquitate.* In expeditione nempe Saxonica, de qua supra in Epist. 39 (nunc 44). in absentiae longinquitate. Noluissem tanto tempore ab invicem separari, quos ejusdem charitatis dulcissima colligant vincula. Quid faciam, nisi lacrymis sequar amicum, donc reveniat, quem animus optat habere praesentem.

O fili charissime! inter occupationes saeculi non obliviscare tui; sed dum corpus epulis pascitur, anima eleemosynis reficiatur. Et dum fatigata ex itinere membra quiete refocillantur, mens in Deo orationibus roboretur: et in diversarum auditu causarum justitia semper resonet in ore, et ex intimo cordis [Col. 0212C] affectu miserorum procedat [*Al.,* proveniat] consolatio, et spes aequitatis non fallat advenientes, nec pietatis desint suffragia confugientibus ad vos, quia pietas in pauperes gesta aeterna remuneratur beatitudine. Haec, fili mi, faciens floreas in omni virtutum decore, et te, quocunque vadas, divina comitetur protectio, euntemque ubique deducat prospere, ac redeuntem

cum omni prosperitate citius reducat ad nos, ut gaudeat amor patris in filio, et laudetur Deus ubique, qui suos famulos sibimet invicem praesentabit ovantes. Vigeas, valeas, et floreas, dulcissime Damoeta.
@ [Col. 0213C] Hoc et sequens fragmentum ejusdem, ut puto, epistolae, recenset Malmesb. lib. I Reg. Angl., cap. 3. In edit. Quercet., p. 1667 et 1668.

EPISTOLA XLVII. AD OFFAM REGEM MERCIORUM. (Anno 796.)

@ [Col. 0213C] *Ad Offam regem, etc.* Fuit Offa rex Merciorum potentissimus, regnumque tenuit ab anno 756 usque ad annum 796 quo obiit VII Kal. Aug., ut scribit Hovedenus, pag. 406.

Nuntiat Carolum genti Northanumbrorum iratum ob necem regis Ethelredi. [Col. 0213A]

Sciat veneranda dilectio vestra quod domnus rex Carolus amabiliter et fideliter saepe locutus est mecum de vobis, et in eo habetis fidelissimum amicum. Ideo et vestrae dilectioni digna dirigit munera et per episcopales sedes regni vestri. Similiter Ethelredo regi et ad suas episcoporum sedes
@ [Col. 0213C] *Dona direxit.* Quaenam illa dona fuerint, cognosces ex epistola Caroli Magni ad eumdem Offam regem, [Col. 0213D] quam in appendice exhibebimus, edit. Quercet. p. 1670. dona direxit. Sed heu! proh dolor! donis datis et epistolis in manus missorum, supervenit tristis legatio per missos, qui de Scotia per vos reversi sunt, de infidelitate gentis et
@ [Col. 0213D] *De nece regis.* Ethelredi nimirum regis Northanumbrorum, quem sui interfecerunt XIV Kal. Maii anno 796. Data ergo haec epistola post diem 18 Aprilis ejusdem anni. nece regis. Ita Carolus, retracta donorum largitate, in tantum iratus est contra gentem illam, ut ait, perfidam [Col. 0213B] et perversam, et homicidam dominorum suorum, pejorem eam paganis existimans: et nisi ego intercessor essem pro ea, quidquid eis boni abstrahere potuisset et mali machinari, jam fecisset.
@ [Col. 0213D] {58} Hoc alterum fragmentum est epistolae ad Offam a Malmesb. loc. cit. relatum, edit. Quercet. pag. 1667.

EPISTOLA XLVIII. AD OFFAM REGEM MERCIORUM.

In patriam (Angliam) reverti volens retrahitur ob perjuria et vastationem gentis.


Ego paratus eram cum muneribus Caroli regis ad vos venire, et ad patriam reverti; sed melius mihi visum est propter pacem gentis meae in peregrinatione remanere, nesciens quid fecissem inter eos, inter quos nullus securus esse, vel in salubri consilio proficere potest. Ecce
@ [Col. 0213D] *Loca sancta a paganis vastata, etc.* Annis nimirum superioribus. Vide epist. 8 (nunc 9) ad Lindisfarnenses, et sequentes. loca sancta a paganis vastata, altaria

perjuriis foedata, monasteria adulteriis violata, [Col. 0213C] terra sanguine dominorum et principum foedata.

@ [Col. 0213D] Edit. Quercet. 38 ex ms. **(Froben. 44)**. Quo anno data sit incertum, jungendam tamen commode censuimus aliis ad Offam epistolis.

EPISTOLA XLIX. AD OFFAM REGEM MERCIORUM. (Anno incerto.)

@ [Col. 0213D] *Offano regi.* Offanus et Offa idem nomen, ut Beda et Bedanus, Columba et Columbanus, Thega et Theganus. Non possum mihi temperare quin hoc loco eruditorum curiositati exhibeam nummum argenteum rarissimum regis Offae, ab annis aliquot in [Col. 0214C] horto nostro abbatiali repertum, et in meo nummophylacio servatum. Nullus dubito quin hic ejusdem Offae regis bustum exhibeatur, ad quem Alcuinus has familiares scripsit epistolas. Quid sibi velint litterae in postica parte nummi excusae, aliasve ad nummi hujus aut rei monetariae Anglorum medii aevi majorem notitiam pertinentia, eruditi Britanni decernant. [Col. 0214D]



Discipulum ad petitionem regis in Angliam remittit, qui ibi in scholis doceat. Hortatur ad regias virtutes.

Domino excellentissimo Offano regi, humilis levita Alcuinus salutem.

[Col. 0214A] Fideliter voluntati tuae semper placere cupiens, hunc meum charissimum filium ad vos remisi sicut petisti, deprecans ut eum honorifice habeatis, donec ad vos, volente Deo, veniam: nec eum sinite otiosum vagare, nec ebrietati servire; sed praevidete ei discipulos, et praecipientes praecipite, ut diligenter doceat. Scio quod bene dicit, et utinam bene proficiat! quia discipulorum meorum profectus, merces est mihi apud Deum. Et valde mihi placet, quod tantam habetis intentionem lectionis, ut lumen sapientiae luceat in regno vestro, quod multis modo exstinguitur in locis. Vos estis decus Britanniae, tuba praedicationis, gladius contra hostes, scutum contra inimicos. Habete Deum semper ante oculos, facite justitiam, amate misericordiam: quia qui ignoscit, [Col. 0214B] ignoscitur ei **(Matth. VI, 14)**. Discite diligere mandata Dei Christi, ut benedictio illius in omni bonitate et prosperitate vos vestrosque nepotes consequatur in aeternum. Divina te tuumque regnum coelesti bene dictione comitetur gratia, domine excellentissime.

{59}
@ [Col. 0214D] Edit. Quercet. 48 ex ms. collata cum cod. Salisb. **(Froben. 45)**.

EPISTOLA L. AD ECGFRIDUM REGEM MERCIORUM.

Exhortatur ad virtutem.

Nobilissimo juveni
@ [Col. 0214D] *Ecgfrido.* Filio Offae regis Merciorum, de quo Alfordus ad annum 787, num. 36: «Eodem anno, quo habita in Merciis synodus, Offa filium suum Ecgfridum regem coronari voluit, praesente, opinor, Patrum conventu; ut disceret parente vivo sceptrum tractare.» Scriptam esse hanc epistolam ante obitum parentum, contextus loquitur; quo vero anno, incertum. Successit patri in regnum anno 796 et eodem etiam anno «saeva mors vernantis aetatis florem messuit; nam quinto ab inito magistratu mense naturae concessit,» ut habet Malmesb. Ecgfrido humilis levita Alcuinus salutem.

Quia sciebam te bonae indolis et summae nobilitatis adolescentem exhortatorias praesumpsi tibi dirigere litteras. Non quod tibi aliquid desit a sapientissimis et optimis parentibus admonitionis necessariae, quorum honestatis exempla populo praedicamenta sunt [Col. 0214C] salutis; sed ut meae dilectionis in te ostenderem fidelitatem, cupiens te proficere in Deo, virtutumque floribus ornari, et cunctis Anglorum populis prodesse in prosperitate. Ecce quam nobilissimis natus es parentibus, quam magna enutritus cura. Noli moribus esse degener, qui nativitate generosus existis. Disce diligenter illorum exempla, a patre auctoritatem,
@ [Col. 0214D] *A matre pietatem.* «Haec communiter Zuendrida [Col. 0215D] ab auctoribus appellatur, quae, si Matthaeum Parisiensem audimus, Carolo Magno affinis fuit, et Drida prius dicta, quam in Britanniam venisset. . . . Sed pietas ejus erat generis feminini, et potentiam nacta degeneravit statim in id, quod impietas dicitur.» Alford. loc. cit. num. 38. a [Col. 0215A] matre pietatem. Ab illo regere populum per justitiam, ab ista compati miseris per misericordiam; ab utroque Christianae religionis devotionem, orationum instantiam, eleemosynarum largitatem, et totius vitae sobrietatem. Tu baculus senectutis illorum esto, humiliter illorum obediens praeceptis; quatenus illorum te benedictio consequatur in aeternum. Nam juxta Salomonem, benedictio parentum filios exaltat **(Eccli. III, 11)**, Item idem ait: *Filius sapiens gloria est patris* **(Prov. X, 1)**. Noli luxuriae subditus esse, sed Deo: quia castum corpus et animam vitiis non maculatam Spiritus inhabitat sanctus. Non decet te rusticum esse moribus, vel verbis lasciviosum, qui natus es in solio regni. Temperantia et honestas vitae te amabilem et laudabilem cunctis efficiet populis. Incipe [Col. 0215B] bona promereri conversatione, Deum ubique habere protectorem. Ex illius enim misericordia tua consistit prosperitas. Si illum toto corde amaveris, et illius tota intentione teipsum subdideris voluntati, exaltabit te in regno praesenti, et in futuro gloriam tibi concedet sempiternam. Divina te in omni bonitate pietas florere faciat, fili charissime!
@ [Col. 0215D] Edita a Martene et Durando tom. I. Vet. Script. et Mon. ampl. coll. pag. 49-51, ex ms. Vedastino 800 annorum. Data circa annum 796 quo Rado abbatia sancti Vedasti donatus est. Mabill. lib. XXVI, Annal. num. 50.

EPISTOLA LI. AD MONACHOS VEDASTINOS. (Circa annum 796.)

Versus et missas aliquot mittit; illorum se orationibus commendat, et ad virtutes religiosas hortatur.

Charissimis in Christo fratribus humilis levita Albinus salutem.

Sicut domini abbatis, vestraque suavissima charitas [Col. 0215C] demandavit,
@ [Col. 0215D] *Versus.* Exstant hi versus tom. II, a num. 41-66. versus per singulos titulos ecclesiarum et altaria singula dictavimus, et utinam tam rationabiliter quam libenter; quia vestrae sanctitatis jussio compellit citato dictare sermone; tamen vestra pietas defendat, quae nostra humilitas obedienter exaravit.
@ [Col. 0215D] *Missas.* Intellige Librum Sacramentorum; infra [Col. 0216D] tom. II ubi etiam vid. praeviam admonitionem. Missas quoque aliquas de nostro tuli Missale ad {60} quotidiana et ecclesiasticae consuetudinis officia. Primo in honore summae Trinitatis, deinde ad sanctorum intercessiones deprecandas, etiam et angelorum suffragia postulanda, quae multum necessaria sunt in hac peregrinatione laborantibus. Postea sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae missam superaddidimus per dies aliquot, si cui placuerit, decantandam; nec non et sancti Vedasti Patris vestri et
@ [Col. 0216D] *Protectoris nostri.* Alcuinus hoc ex loco affectus maxime fuisse videtur sancto Vedasto, cujus Vitam etiam ad petitionem Radonis abbatis conscripsit circa annum 796 Mabill. loc. cit. Quo etiam tempore probabile est, eum titulos in ecclesia vedastina inscribendos dictasse. MARTENE. protectoris nostri dictavimus missam, quatenus [Col. 0215D] illius familiaris advocatio sempiternum suis famulantibus afferret solatium. Pro peccatis quoque et eleemosynam facientibus adjunximus orationes, quatenus si quis vel pro suis negligentiis vel pro aliorum benefactis [Col. 0216A] offerre voluisset, haberet convenientes intercessiones suae voluntati. Arbitror vos melius haec omnia vel in sacramentis vestris conscripta, vel in consuetudine quotidiana habere. Tamen ne inobediens vestrae essem dilectioni, scripsi, quod nos in consuetudine habemus, et vobis proficuum esse putavi, obsecrans ut mei nominis memoriam habeatis, vel inter has, vel inter alias vestrae sanctitatis intercessiones. Ut vere fateor, multam habeo fiduciam in vestris sanctis orationibus ad promerendam misericordiam Domini nostri Jesu Christi, qui vos custodiat et in omni bonitate proficere faciat, et orationes vestras exaudire dignetur vel pro vivorum salute, vel pro morientium profectu. Vos vero, viri fratres! in unitate charitatis firmiter permanete, et in humilitatis obedientia [Col. 0216B] solerter assistite. Iste est honor vester coram hominibus; ista est via vestra ad regnum Dei. In his enim mercedem a Deo sperare debetis; ad hos enim sanctissimos tramites, seniores qui sunt, juniores deducant. Corripite eos in spiritu mansuetudinis, et bona illis praebete exempla, ut vestris sanctissimis vestigiis inhaerentes vitam vobiscum in Christo sempiternam habere mereantur. Saeculum quod sprevistis, nolite quaerere, saepius cum Propheta decantantes: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* **(Psal. CXVIII, 36)**. Radix enim omnium malorum cupiditas est. Melius est enim Deum habere in corde, quam nummos in sacculo. Lectionis sacrae studia inter labores obedientiae vestrae diligentissime exercete, ita ut vel opus, vel libellus in manibus [Col. 0216C] semper videatur vestris, quia in libris sanctis Deus loquitur ad hominem, et in orationibus suis homo loquitur ad Deum. Quid dulcius debet esse quam Deum audire loquentem? In his enim et solatia peccator, et gaudia benefactor inveniet. Sicut lux laetificat oculos, ita lectio corda. Custodiam oris

diligenter observate: verba quae ad aedificationem audientibus faciant semper proferte, quia aliorum salus vestra est retributio. Laus Domini semper sonet in ore vestro dicente Propheta: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus in ejus in ore meo* **(Psal. XXXIII, 2)**. Et iterum: *Sacrificium laudis honorificabit, illic iter, quo ostendam illi salutare Dei* **(Psal. XLIX, 23)**. Necdum mihi, charissimi fratres, occurrit tempus dictandi
@ [Col. 0216D] *Homiliarem admonitionem.* Promissum implevit Alcuinus in Homilia, seu adhortatione ad imitandas virtutes sancti Vedasti, quam dabimus infra suo loco. homiliarem admonitionem, sed [Col. 0216D] vita comite, Spiritu sancto inspirante, non ero immemor petitionis vestrae et promissionis meae. Divina vos clementia in omni bonitate florere et proficere faciat, fratres charissimi. Amen
@ [Col. 0216D] In codice, quo usus est Martene, sequebantur versus in ecclesia sancti Vedasti scribendi, qui editi sunt tom. II, num. 41.!

{61}
@ [Col. 0217C] {62} Edit. Quercet. 64. Canis. 22, Froben. 52.

EPISTOLA LII. AD FRATRES IN ECCLESIA SANCTI LIUDGARII EPISCOPI. (Anno 796.)

Excusat se, quod ad ipsos non venerit; hortatur ad virtutes monachis convenientes.[Col. 0217A]

Venerabilibus in Christo Fratribus
@ [Col. 0217C] *Ecclesia sancti Liudgarii.* Leodegarii legit Canisius, quod ipse de Augustodunensibus, cujus ecclesiae sanctus Leodegarius episcopus fuerat; Mabillonius vero de Morbacensibus monachis, quorum basilica sancto Leodegario nuncupata est, interpretatur lib. XXVI Annal. Bened. p. 321. in Ecclesia sancti Liudgarii episcopi servientibus, Alcuinus devotus vestri profectus in Christo salutem.

Desiderabilem vestrae beatitudinis salutationem, quam meae parvitatis auribus fidelis frater Odilleoz attulit, gratiosissimo suscepi animo, valde desiderans in vestrae sanctitatis orationibus, in hujus procellosae vitae navigio adjuvari, quatenus piissima Salvatoris nostri gubernatione ad portum perpetuae quietis, vobis intercedentibus, pervenire merear.
@ [Col. 0217D] *Quod ad vos non veniebam.* Si epistola ad Murbacenses scripta est, ut censet Mabillonius, credam, Alcuinum hoc loco se excusare, quod ad eos ea occasione non inviserit, dum anno 796 in Alsatiam venit, ubi res aliquas, forte non longe a monasterio Murbacensi, habebat, ut patet ex epist. 35 ad Arnonem, quamvis Alcuinus alio etiam tempore illuc venire potuerit. Quod ad vos [Col. 0217B] non veniebam, non alicujus (Deus testis est) despectionis causa feci; sed ne scandalum religioni [*Al.,* regioni] vestrae meae inordinatae conversationis vita generaret; cupiens aedificare, non destruere **(Eccli. XXXIV, 28)**; congregare, non spargere. Nulla est ovibus Christi major damnatio, quam pastor errabundus et seductor. Qui per devia orbitat, quomodo sequens viator viam incedit regiam? Nonne hastile aciem lanceae sequitur in ictu?

Vos vero, fratres charissimi, totis viribus sanctorum Patrum sequimini exempla, illorumque unanimiter obedientiae pedibus [*Edit.,* precibus] intrate vestigia. Charitas, obedientia, et humilitas monachis coeli januas aperient. Non illa charitas, quae in @ [Col. 0217D] *Pleno potatur calice.* Alludit, inquit Mabillonius, ad mores Germanicos. Canisius vero ait Alcuinum alludere ad illum morem, quo nomine et amore sanctorum, benedictionis adipiscendae ergo, bibebant. De quo auctor lib. De miraculis sancti Udalrici cap. 10. Adde Arnoldi Vohburgensis narrationem de Ottone Magno lib. de miraculis sancti Emmerami. Contra abusum ejus rei etiam in maxime dissitis a Germania regionibus legatur sancti Aug. Serm. 232, de temp. pleno potatur calice, sed illa quae in pectore sine simulatione [Col. 0217C] versatur fraterno: non sua quaerens, sed quae alterius sunt **(I Cor. XIII, 5)**; omnibus prodesse non sibi placuisse quaerens. Non illa humilitas tantum quae in capitis inclinatione foris ostenditur, sed illa quae in cordis consideratione ante conspectum summi judicis omnibus se inferiorem esse judicat. Quid de obedientia loquor [*Mab.,* loquar], dum tota monachorum vita in simplicitate consistit obedientiae? Pater vero et pastor Deo rationem reddet quid jubeat [Col. 0218A] et quibus ante eos vivat exemplis. Sicut et filii, et grex, qua devotione paternis obtemperant jussis, omnium judici rationem reddituri erunt.

Igitur pacem et concordiam ex intimo cordis affectu inter vos habete. Quia nihil sine pace Deo placet, nec munus ad aram. Unusquisque alium, juxta Apostolum, honore praeveniat **(Rom. XII, 10)**. Seniores in spiritu mansuetudinis, quasi filios admoneant adolescentes **(I Petr. V)**. Sed et illi Patrum praecepta, quasi divinitus dicta, cum omni humilitate perficiant: servantes in timore Dei proprii castitatem corporis, ut Spiritus sanctus habitare dignetur in eis, dicente Apostolo: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* **(I Cor. III, 17)**. Et in sanctarum Scripturarum lectione studiosi estote, ut possitis alterutrum [Col. 0218B] aedificare et consolari: quia qui non vult in juventute discere, in senectute scire non poterit. Et sicut saeculi avarus quotidie sibi divitias augere studet, sic servus Dei sapientiae gazas in sui pectoris saccos quotidie congregare studeat, ut sit *scriba in* Ecclesia *Dei* doctus, proferens de thesauro cordis *nova et vetera conservis suis coelestis scientiae dona* **(Matth. XIII, 52)**, quatenus juxta Danielis prophetiam erudiens multos, sicut firmamentum stellis ornatum in perpetua fulgeat beatitudine **(Dan. XII, 3)**.

Non me, obsecro, praesumptuosum aestimate, fratres, pro hujus admonitionis chartula. Sed quod charitatis lingua dictavi, vos humilitatis perlegite oculis, meamque fragilitatem orationum auxilio vestrarum roborate, ut Dei donante clementia peccatorum [Col. 0218C] meorum merear accipere veniam, ac vobiscum desiderabilem audire vocem: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

EPISTOLA LIII.

@ [Col. 0217D] *Ad fratres Corbeienses.* Ita quidem exprimitur hujus epistolae titulus in cod. ms. Harleiano, cui tamen [Col. 0218C] adversari videtur ipsa hujus epistolae sequens inscriptio: *Fratribus sub protectione beati Leodegari episcopi Deo servientibus.* Corbeia si quidem utraque, vetus et nova aliorum sanctorum patrocinio dedicata fuerat; illa quidem sancti Petri apostoli prout ad epist. 191 notavimus; haec vero initio sancti

Stephani protomartyris; tum sancti Viti martyris. Praecedentis [Col. 0218D] epistolae inscriptio: *Ad fratres in ecclesia sancti Liudgarii seu Leodegarii episcopi, Mabillonio judice, intelligenda est de monachis Morbacensibus in Alsatia.* Illud enim monasterium circa annum 727 a sancto Pirminio conditum est, et quidem honoribus sancti Leodegarii propterea dicatum, quod Eberhardus comes, loci fundator, hunc sanctum ex materna linea propinquitate attinebat. Aviam quippe habuit *Bereswindam, Sigradae Leodegarii genitricis sororem.* Ejusdem quoque sancti martyris caput ab ipsa monasterii origine ibidem depositum est, atque etiam nunc asservatur; quapropter etsi initio praefatum monasterium in honorem quoque sanctae Dei genitricis Mariae, sanctique Michaelis archangeli constructum fuerit, lapsu tamen temporis caeteris loci patronis praelatus est sanctus Leodegarius, ut ex diplomatibus Caroli Magni et Lotharii Augusti proba Mabill. libr. XX Annal., pag. 77. AD FRATRES CORBEIENSES. *Laudat illorum bonam conversationem a se olim expertam.* Commendat se illorum orationibus, et hortatatur ad virtutis studium.

Sanctissimis in Christo fratribus, sub protectione [Col. 0219A] beati Leodegari episcopi Deo servientibus, Alcuinus salutem.

Olim
@ [Col. 0219C]

Olim magistri mei vestigia secutus. Duos Alcuinus Eboraci magistros habuit, Egbertum et Aelbertum, prout in praefatione generali declaravimus. De Egberto non constat quod aliquando in Galliam vel Alsatiam, ubi Morbacense monasterium situm est, venerit; [Col. 0219D] de Aelberto vero, qui ab Egberto episcopo antecessore suo scholis Eboracensibus praefectus fuit, narratur quod amplioris doctrinae avidus exteras regiones scientiae amore peragraverit, si quid forte librorum, aut novae eruditionis inveniret et reportaret; Romam quoque profectus a regibus summisque viris honorifice acceptus, et tantum non retentus fuit, etc. Mabill. lib. XXIV Annal., pag. 211, num. 12. Auctor quoque poematis De episcopis Eboracensibus, quem ipsum Alcuinum esse credimus, vers. 1525, testatur Alcuinum patri ac magistro suo Aelberto semper adhaesisse:

Tradidit ast alii charas super omnia gazas Librorum nato, Patri qui semper adhaesit.

Credam igitur Alcuinum tunc quoque magistrum suum in itinere fuisse comitatum; et eadem occasione in notitiam venisse Caroli Magni, «qui, teste Vitae scriptore, noverat eum, quia olim a magistro suo [Col. 0220C] ad ipsum directus fuerat.» De hoc quoque itinere ante annum 780 suscepto, intelligendum existimo, quod de seipso narrat Alcuinus in epist. 101, se nempe adolescentem Romam perrexisse, et aliquantos dies in Papia regali civitate demoratum, disputationi Julii [Col. 0220D] Judaei cum Petro magistro interfuisse. magistri mei vestigia secutus vestrae congregationis laudabilem conversationem videbam et amabam, meque ipsum inter vos esse desiderabam, quasi unus ex vobis. Unde deprecor, charissimi fratres! vestram piissimam dilectionem, ut dignemini me in sanctis orationibus vestris fratrem habere, quasi unum ex vobis, ut vestrae sanctitatis intercessione peccatorum meorum merear a Deo Jesu indulgentiam accipere, qui est

salus et beatitudo omnium in se sperantium; quem vos in sancta religione regularis vitae semper honorate, et amate, quatenus dignam in vobis, sicut certissime credimus, mansionem sibi inveniat. Quid illi congregationi prosperitatis [Col. 0219B] deesse poterit, ubi ille est in medio, qui ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XXVIII, 20)**.

Pacem semper habete veram in charitate sancta; et obedientiam sine murmuratione, et humilitatem sine simulatione, quae sunt maxime monachicae vitae virtutes, et Spiritui sancto amabiles ad habitandum in eis: atque erudite pueros et adolescentulos vestros, cum omni diligentia, in castitate et sanctitate, et disciplina ecclesiastica, ut digni habeantur vestrum post vos tenere locum, et pro vobis sanctis orationibus, Deoque acceptabilibus assidua consuetudine intercedere.

Dominus Deus qui vos in ovile sanctitatis congregavit, ipse numerum vestrum augere dignetur, et a [Col. 0219C] dextris sibi in die judicii stare concedat, ad audiendam amabilem sententiam, qua dicturus erit sanctis suis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.
@ [Col. 0220D] Edit. Quercet. 88 ex ms. **(Froben. 48.)** Data est ad fratres Eboracensis ecclesiae, tunc pastore suo vacantis, nempe anno 796 quo IV Kal. Aug. obiit Eanbaldus senior, cui junior successit (Rogerus Hoved. hoc anno).

EPISTOLA LIV. AD DILECTISSIMOS AMICOS EBORACENSES. (Anno 796, mense Augusto.)

Hortatur, ut in electione episcopi simoniacam labem evitent.

Dilectissimis amicis salutem.

[Col. 0220A] Rogo vos per charitatis fidem, ut fideliter et sapienter in electione pontificis faciatis, si necesse sit, electionem fieri
@ [Col. 0220D] *Antequam veniam.* Vocatus ergo Alcuinus tanquam membrum illius ecclesiae, ut novae electioni adesset, sed prohibitus est ne veniret, ob morbum febrilem et regis moram in Saxonia, ut legitur in epistola sequenti. antequam veniam. Iterum iterumque obtestor vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut nullatenus aliquem sinatis per simoniacam haeresim episcopatum acquirere, quia omnino perditio gentis est, si fiet. Et est haeresis pessima, simoniaca videlicet, quam sanctus Petrus aeterno anathemate damnavit **(Act. VIII, 14, 20, seq.)**. Qui vendit episcopatum, aurum accipiet, sed et regnum Dei perdet.

Hucusque sancta Eboracensis ecclesia in electione sua inviolata permansit. Videte ne in diebus vestris maculetur. Si illa, quod absit, auctoritatem amittit ecclesiasticam, timeo ne vos regnum amittatis aeternum. [Col. 0220B] Judas vendidit sponsum, id est, Christum. Qui autem vendit sponsam, id est, Ecclesiam, ejusdem criminis reus est: quia Christus et Ecclesia unum corpus sunt, Apostolo teste **(Ephes. V, 23)**. Venditor vero necesse est extra Ecclesiam sit; at qui extra Ecclesiam est, ubi erit, nisi cum diabolo in aeterna

perditione? Nolite metuere veritatem vobis dicentem audisse. Hoc enim quod dico, libri Spiritu sancto prolati testantur. Opto enim vos immaculatos in conspectu Dei esse, et in hoc saeculo feliciter regnare, et in perpetuo gaudere cum Christo. Vivite et valete felices in Christo.

{63}
@ [Col. 0220D] Edit. Quercet. 52, Canis. 30 **(Froben. 49)**. Scripta ad amicum, episcopum forte, aut potestate aliqua saeculari pollentem, qui possit electionem novam episcopi (Eboracensis puto,) contra omnem violentiam tueri.

EPISTOLA LV. AD QUEMDAM. (Anno 796, mense Augusto.)

Rogat ut ecclesiam, dum novus episcopus eligendus est, ab omni violentia defendat, diesque aeternos in mente habeat. [Col. 0220C]

Domino omnium dilectissimo aeternam in Christo salutem.

Audiens ab
@ [Col. 0220D] *Ab Eanbaldo.* Hic Eanbaldus idem fortassis est, quem Epist. 7 (nunc 6) vocat presbyterum, ac paulo post electus fuit episcopus Eboracensis ecclesiae. Eanbaldo famulo vestro optatae prosperitatis vestrae sospitatem, valde me gavisum fateor; quia charitas et fides quae olim in pectore nostro habitare coepit, nunquam recedere poterit. Et quanto plus tempus remunerationis appropinquat, [Col. 0221A] tanto magis observare debebit: ut qui prius transierit a saeculo, amicum sibi sentiat reliquisse in saeculo. Me vero filium tuum febrium acerbitas et
@ [Col. 0221C] *Regis tardatio in Saxonia.* De ista tardatione regis chronicon Moisiacense ad annum 796 haec habet: «In ipsa aestate ipse rex Carolus demoratus est in Saxonia cum duobus filiis suis, id est, Carolo [Col. 0221D] et Ludovico, etc.» regis tardatio in Saxonia retinuit, ut ad vos venire non potuerim, sicut desideravi. Concedat mihi clementia divina faciem tuam in laetitia videre, antequam moriar. Opto et obsecro, ut in ea te honoris dignitate, si fieri possit, inveniam, in qua te pergens videbam. Tamen, si aliud aliquid tuo placeat animo, rogo ut nullam violentiam super ecclesiam Christi fieri ullatenus permittas; sed fratres
@ [Col. 0221D] *Libera electione.* Vid. epistolam priorem. libera electione in timore Dei summi, optimum Deo donante eligant. Quia in sanctis canonibus terribile anathema legitur super omnes, qui violentiam aliquam inferunt super ecclesiam Christi. Scito te [Col. 0221B] semper dilexisse familiam nostram, et plurima illis bona fecisse. Sed nunc maxime indigemus, ut bene illis agamus; ut ubi nobis requies erit aeterna, ibi sint quoque intercessores perpetui pro nobis.
@ [Col. 0221D] Hortatiuncula, quae sequitur, deest apud Canisium; suppleta a Quercetano ex ms. Tempus est nunc nobis praevidere dies aeternos, et cum omni modestia et integritate, et eleemosynarum largitate, viam nobis praeparare ad coelos. Omnis gloria transitoria est et quasi umbra recedet **(Job. VIII, 8, 9)**. Ideo ad aeternam bonis operibus properemus gloriam. Omnes saeculi vitemus vanitates, ut ad beatitudines coelestes pervenire mereamur. Dies hujus vitae, qui nobis restare videntur, vivamus

Deo, ut post hanc illius consequamur misericordiam. Divina tibi clementia hujus vitae dies felices concedat, et aeternam cum sanctis suis tribuere [Col. 0221C] gloriam dignetur, domine pater dilectissime.

@ [Col. 0221D] Clarissimus Justus Fontaninus hanc epistolam primus edidit, cum notis abbatis Dominici Passionei, postea S. R. E. cardinalis, in Appendice ad Vindicias antiquorum diplomatum pag. 266. Basnagius eamdem collectioni Canisianae subjunxit. Ubique vero initio et fine mutila est; hic integram magisque emendatam ex cod. ms. Salisburg. exhibemus. Prolixiores Eminent. Passionei notas, sacra licet eruditione plenas, contraximus.

EPISTOLA LVI. AD EANBALDUM EPISCOPUM. (Anno 796, circa mensem Augustum.)

Gratulatur adeptam dignitatem; hortatur ad curam pastoralem, et bene omnia ordinanda; se vero memoriae et orationibus commendat.

Dilectissimo in Christo filio

@ [Col. 0221D] *Eanbaldo Quem tertio loco Egberti successorem appellat Malmesb.* Reg. Angl. lib. I, cap. 3, p. 24, edit. Henrici Savilii. Hinc procul dubio error irrepsit in eumdem Malmesburiensem lib. III Pont. Angl., p. 269, ubi omisso Egberti successore Ethelberto uterque Eanbaldus in unum conflatur, his verbis: [Col. 0222C] «Hujus nempe Egberti successor senex substitutus est Eanbaldus Alcuini discipulus industrius.» Quae sic emendanda sunt: «Hujus successor fuit Ethelbertus, cui deinde senex substitutus est Eanbaldus, et [Col. 0222D] eo mortuo alter Eanbaldus Alcuini discipulus industrius.» Obiit vero Eanbaldus I anno 796 IV Kal. Augustas, cui statim suffectus est Alcuini discipulus Eanbaldus II qui ex Urbe pallium accepit anno 797. ALFORDUS.---Ad hunc ergo suum discipulum Alcuinus hanc epistolam scripsit 796 ut eum de officio episcopali doceret. PASSIONEUS. Eanbaldo archiepiscopo devotus per omnia pater Albinus salutem.

[Laus et gloria Domino Deo omnipotenti, qui dies meos in prosperitate bona conservavit, ut in [Col. 0222A] filii mei charissimi exaltatione gauderem, et aliquem ego ultimus Ecclesiae vernaculus, ejus donante gratia qui est omnium bonorum largitor, erudirem ex filiis meis qui dignus haberetur {64} dispensator esse mysteriorum Christi **(I Cor. IV, 1)** , et laborare vice mea in Ecclesia, ubi ego nutritus et eruditus fueram, et praeesse thesauris sapientiae, in quibus me magister meus dilectus

@ [Col. 0222D] *Helbrechtus.* Malmesburiensis habet: *Egbertus.* Lectionem codicis ms. Salisburgensis praeferendam, et hoc nomine alterum Alcuini magistrum, qui a poeta Anonymo *Aelbertus;* in Vita Alcuini *Elcbertus vocatur, intelligendum esse censeo.* Malmesburiensis uti duos Eanbaldos in unum conflavit, ut not. sup. diximus; ita hic Egbertum et Helbrechtum confundit. Vide in tom. II carmen de Pont. et sanctis eccles. Eboracens. vers. 1532 seq. Helbrechtus archiepiscopus

@ [Col. 0222D] *Haeredem reliquit.* Vid. carmen de Episcopis Eboracensibus cit. haeredem reliquit. Nunc vero mihi omni intentione precanda est divina clementia, ut mihi superstes sit in hac vita, qui mihi solatio semper fuit in sua obedientia: non quod mortem meam optare velim, sed ut vita illius prolongetur. Non enim filii patribus, sed

patres filiis haereditare debent].

Ecce, charissime fili! omnia per Deum habes, quae [Col. 0222B] sperare potuit homo, etiam et plus quam nostra parvitas [*Al.,* pravitas] sperare auderet. Modo vero viriliter fac et fortiter. Opus Domini quod habes in manibus perfice ad mercedem animae nostrae et ad salutem multarum animarum. Non cesset lingua tua in praedicando, non pes tuus in circueundo gregem tibi commissum, non manus tua a laborando, ut eleemosynae fiant, et sancta Dei ubique exaltetur Ecclesia. Esto forma salutis omnium. In te sit exemplum conversationis sanctissimae **(I Thessal. I, 7)**, in te sit solatium miserorum, in te confortatio dubitantium, in te disciplinae rigor. In te veritatis fiducia, in te totius bonitatis spes. Non te saeculi pompa exaltet, non ciborum luxus enervet, non vestimentorum vanitas emolliat, non adulantium linguae [Col. 0222C] decipiant, non detrahentium adversitas conturbet, non tristia frangant, non laeta elevent. Non sis arundo vento agitata **(Matth. XI, 7)**, non flos aura tempestatis decidens **(Jacob. I, 11)**, non paries ruinosus **(Psal. LXI, 4)**, non domus super arenam posim **(Matth. VII, 24, 26)**, sed templum esto Dei vivi super firmam petram constructum, cujus ipse sit Spiritus Paraclytus inhabitator. Quanti putas possunt esse tibi dies? Finge in animo quasi quinquaginta annos: et ecce haec finem habent. Nec ad hoc pervenire putandum est. Infirmitas corporis tui te [Col. 0223A] fortem faciat in anima, et cum Apostolo: *Quando infirmor, tunc fortior sum* **(II Cor. XII, 10)**. Castigatio corporis profectus sit animae. Mitem te et humilem ad meliores ostende, durum et rigidum ad superbos, omnibus omnia factus, ut omnes lucrare posses **(I Cor. IX, 22)**. Habeas in manibus tuis mel et absinthium, quidquid cui placeat, edat ex illis. Cui de pia praedicatione vesci libeat, accipiat mel; qui dura invectione indigeat, bibat ex absinthio, ita tamen, ut liceat ei mel veniae sperare, si rosea confusio poenitentiae praecedat.

Omnia vestra honeste cum ordine fiant **(I Cor. XIV, 40)** . Tempus statuatur lectioni, et [oratio] suas habeat horas, et missarum solemnia proprio tempore conveniant. *Qui diem sapit, Domino sapit* (Rom. [Col. 0223B] XIV, 6). Sit modesta in conviviis laetitia; sit casta in jejuniis laetitia; lavetur poenitentia facies: ungatur oleo misericordiae caput, ut omnia acceptabilia fiant Domino Deo, qui te elegit sibi sacerdotem. *Omnis namque pontifex ab hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum* **(Hebr. V, 1)**. Aaron stabat cum turribulo dignitatis suae inter vivos ac mortuos, ut ira Dei non ardesceret plus in populo **(Num. XVI, 47, 48)**. Sacerdos vero Dei [Verbi] et voluntatis illius praedicator debet esse in populum, et intercessor ad Deum pro populo, quasi mediator inter Deum et homines. Qui sublimem ascendit locum, cavere debet ne cadat, quia ruina altioris loci periculosior esse dignoscitur. Qui stat, videat ne cadat. (I Cor. X, [Col. 0223C] 12). Qui jacet, contendat, ut resurgat: et qui currit, caveat ne offendat, ne bravium illius alter accipiat. Omnes quidem stare nos oportet ante tribunal Christi ut referat unusquisque, quidquid in corpore gessit **(Rom. XIV, 10; II Cor. V, 10)** . Tunc non erit tempus oleum emendi, ideo ante praevideamus; nec tunc vacua vasa habeamus **(Matth. XXV)**. Sint modo lumbi praecincti et lucernae ardentes in manibus praedicatoris **(Luc. XII, 35)**, ut tunc fulgeat sicut sol in regno Patris sui, et pro multiplicatione pecuniae sibi commissae laudetur a Domino suo, et honoretur aeterna gloria. Noli Dominum te putare saeculi, sed dispensatorem; non te numerus propinquorum avarum faciat, quasi illis in haereditatem congregare debeas. Non deerit

occasio congregandi, [Col. 0223D] si cupiditatis, quae est omnium radix malorum, [fomes] inardescit. Nullus haeres melior est Christo: nemo tui thesauri fidelior custos est. Nam manus pauperis {65} gazophylacium est Christi. Quod ex tuis obtutibus illi commendare placeat, hoc per manus miserorum mitte. Duplex fiat eleemosyna [Col. 0224A] tua, una in salvandis animabus, altera in adjuvandis corporibus egentium. Ideo presbyteri duplici honore, juxta Apostolum, digni habendi sunt, quia duplici probantur fungi ministerio **(I Tim. V, 17)**. Hilarem datorem diligit Deus **(II Cor. IX, 6, 7)**; et qui seminat in benedictione, de benedictionibus metet, et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Sint tui socii honestis moribus ornati, non vestimentorum vanitate notabiles, sed morum dignitate laudabiles. Gloria patris, filius sapiens. Non sint ebrietatis sectatores, sed sobrietatis amatores, ut ex illorum bonis exemplis aedificentur plurimi. Non inaniloquium vel scurrilitas, sed sancta ex ore eorum audiatur psalmodia. Non per campos discurrentes vulpes agitando declament, sed tecum

@ [Col. 0223D] *Equitando psalmos decantent.* Vide disquisitionem Mabill. de Cursu Gallic. pag. 443 et Vitam sancti Epiphanii episcopi Ticinensis, quae cum scriptis Ennodii habetur tom. I Op. Sirmondi, col. 1666. Varia exempla episcoporum, qui psallendo equitabant, congessit Thomassinus Praefat. in Psalt. secundae editionis. PASSION.--- Codex tamen Salisburg. loco *equitando,* habet *aequando,* quasi aequali voce *alternando.* equitando [*Cod.* [Col. 0224B] Sal., aequando], psalmos dulci modulamine decantent. Nunquam sacrae benedictionis pallio induaris absque diaconorum astantium ministerio. Habeas et subdiaconos, caeterosque ordinatim gradus Ecclesiae, quatenus septiformis in donis sancti Spiritus Ecclesia septiformi ecclesiasticorum graduum distinctione fulgeat. Habeat unusquisque gradus dignitatis suae locum et vestimentum; et si in conviviis ordo seniorum et dignitatum servandus est, quanto magis in Ecclesia Christi? Sit clerus in habitu honestatis, et vultu constantiae; et in voce moderata cantantes, magis Deo placere nitentes quam hominibus **(I Thessal. II, 4)**. Exaltatio immoderata vocis jactantiae signum est: sed omnia in humilitate et honeste fiant, et non despiciant

@ [Col. 0223D] *Romanos discere ordines.* Testimonium sit haec [Col. 0224D] epistola antiquitatis ordinis Romani, de quo certe mentio nulla hac gravior, aut antiquior hactenus allata est. De eo legas Mabill. tom. II Musaei Ital. PASSION. Romanos [Col. 0224C] discere ordines, quatenus caput Ecclesiarum Christi, secundum facultatem virium imitantes benedictionem a beato Petro principe apostolorum, quem Dominus noster Jesus Christus caput electi sibi gregis statuit, habere mereantur aeternam. Sicut apis sapientissima omnia, quae honestatis sunt, discendo probate, et quae optima esse videntur, eligendo retinete. Praevideat sancta solertia tua

@ [Col. 0224D] *Magistros pueris.* De his Alcuinus saepius. Morem instruendorum puerorum in Angliam induxit sanctus Augustinus illuc a sancto Gregorio missus, ut narrat Joan. Diac. in Vita illius sancti Pontificis lib. II, num. 7. ID. magistros pueris, clero [*Baluz.,* clerici] segregentur, separati more illorum, qui libros legant, qui cantilenae inserviant, qui scribendi studio deputentur. Habeas et singulis his ordinibus magistros suos, ne vacantes [*Al.,* vagantes] otio vagi discurrant per loca, et inanes exerceant ludos, vel aliis mancipentur ineptiis. Haec omnia et solertissima, fili charissime! [Col. 0224D] tua consideret providentia, quatenus in sede principali gentis nostrae totius bonitatis et eruditionis fons inveniatur, et ex eo sitiens viator vel ecclesiasticae disciplinae amator,

quidquid desiderat anima sua, haurire valeat. [Habetis me devotissimum in his omnibus, licet in peregrinis habitantem, adjutorem]. [Col. 0225A] Consideret quoque tua diligentissima in eleemosynis [pietas] ubi
@ [Col. 0225D] *Xenodochia.* De his vid. Ludov. Thomassinus in Vet. et Nov. Eccles. disciplina part. I, lib. II, cap. 89. PASSION. xenodochia, id est, hospitalia fieri jubeas, in quibus sit quotidiana pauperum et peregrinorum susceptio, [et ex nostris substantiis habeant solatia.

Ecce ego duplici fatigatus molestia, id est, senectute et infirmitate: et forte appropinquat dies metuendus, quo conteratur hydria supra fontem, et recurrat vitta aurea **(Eccle. XII, 6)**. Revertatur pulvis in terram suam, spiritus ad Deum qui dedit illum **(Eccle. XII, 7)**, et valde timidus pavesco, quo examinet, tunc judicandus sit. Tu, fili fidelissime! labora pro anima Patris tui, sive nunc in hoc pulvere mortis; sive tunc in judicium properantis, ut requiem habeat et etiam veniam peccatorum suorum, ut maculae, [Col. 0225B] quae adhaeserunt illi ex hac lutulenta habitatione corpusculi, fraterna intercessione abluantur. Sed et post hanc conscriptionem animae meae etiam omnes filios meos, fratres et amicos, sive qui mecum sunt in peregrinatione, sive qui tecum versare videntur in patria, tuae commendo diligentissimae fidelitati, ut habeas illos quasi proprios, et non extraneos. Ad te respiciant omnes, in te gaudeant, in te consolationem habeant, te honorent quasi patrem; tu illos ama quasi filios, ut sit una pax omnium et concordia in charitate Christi, qui vos omnes in sua magna pietate et misericordia coelesti benedictione abundare faciat, protegat, regat, atque gubernet, et in omni bonitate proficere faciat ad augmentum mentis meae, et profectum salutis vestrae, ad exaltationem multorum, [Col. 0225C] quatenus plurimi vestris {66} bonis exemplis erudiantur, atque ad vitam vobiscum mereantur venire sempiternam.

Haec, rogo, chartula melius scribatur, et tecum pergat, tecum maneat, et saepius vice linguae paternae tecum loquatur, fili mi! fili charissime! et fili in Christo desiderantissime. Omnipotens Deus in sua magna pietate vos ad exaltationem sanctae suae Ecclesiae multis feliciter annis in hac praesenti vita proficere faciat, et in futura gloriam tibi aeternam concedere dignetur].
@ [Col. 0225D] Edit. Quercet. 77, Canis. 44 **(Froben. 51)**.

EPISTOLA LVII.

@ [Col. 0225D] *Aethelredo episcopo.* Hanc inscriptionem, quae habetur apud Canisium, omisit Quercetanus. Nullus vero dubito, legendum esse: *Aethelardo.* Monet enim ne fugiendo gentis suae vexationem, gregem sibi a Deo ad regendum commissum deserat; quod monitum Aethilhardum Dorovernensem episcopum tangit, cujus etiam factam deinde fugam improbat epistola 75. AETHELREDO EPISCOPO, NE GREGEM DESERAT. (Anno 796.) *Consolatur in persecutione ac tribulatione;* et ad virilem perseverantiam, ne ab ovibus fugiat, hortatur.[Col. 0226A]

Acceptis litteris tuis, frater sancte! laetus de salute tua, sed tristis de tribulatione et

persecutionibus, quas te pati a gente tua in illis tuis apicibus agnovi. Attamen *beatos* esse, Domino dicente, legimus, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum* **(Matth. V, 10)**. Quapropter suadeo tibi, frater venerande! ut viriliter in fide integra et devotione infatigabili, pro commissis tibi a Christo ovibus certare non cesses, ne mercenarius fugiens, et non pastor firmus ab ipso Domino et [Col. 0226B] pastore omnium deputeris **(Joan. X)**.

{67} Aspice in eum, *qui pro ovibus suis animam suam posuit* **(Joan. X, 11)**, qui omnibus generaliter praecipiens dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me* **(Luc. IX, 23)**. Cui gregem Christi abiturus relinquis? Nec haec dico quasi me excusando ad benefaciendum servis Dei, sed magis te adhortando, ut bona, quae incepisti facere, ad finem aeternae salutis perducas. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Idcirco
@ [Col. 0225D] *Scripsi ad Offanum regem.* Haec epistola desideratur; ex qua sciri fortassis posset quae fuerit illa tribulatio quam Aethelhardus *a gente sua pati debuit.* Non ergo de illa hic persecutione agitur quam Offa rex Merciorum ecclesiae Cantuariensi intulit, episcopatus huic sedi metropoliticae subjectos Lichefeldam transferendo, ut Canisius hoc loco existimavit. Imo rex Offa hic non ut persecutor reprehenditur, sed ut [Col. 0226D] defensor adversus alios persecutores imploratur ab Alcuino. Inde vero etiam palam est, praesentem epistolam ultra annum 796 quo Offa rex obiit, differri non posse. scripsi ad Offanum regem ut te adjuvaret, et defenderet sanctam Ecclesiam secundum suam possibilitatem [*Al.,* potestatem]: quatenus tibi liceat Deo servire, et talentum tuum multiplicare in loco, ubi accepisti eum; et [Col. 0226C] mercedem exspectare perpetuae beatitudinis, dicente Domino tuo: *Euge serve bone et fidelis* **(Matth. XXV, 21)**.

EPISTOLA LVIII. *Consolatoria ad matrem de morte filii.* (Anno 796.)
@ [Col. 0226D] *Charissimae in Christo matri.* Matronae cuidam Anglicanae, prout colligo ex his epistolae verbis: *Ignorans in hujus tempestatis miseria, quae nuper nostram turbavit gentem.* Turbas illas abs dubio intelligit, quae anno 796 post necem Ethelredi regis Northanumbrorum et Egfridi regis Merciorum a variis regni invasoribus motae fuerunt matrem hanc, quam Alcuinus ob mortem filii consolatur, Quendridam seu Quindredam, praefati Egfridi genitricem fuisse quispiam existimare fors posset; nisi intelligere malit Edilthrudam, quam similiter ob similem causam consolatur in epistola 200. Sed cur binas consolatorias ob eamdem rem scriberet Alcuinus ad eamdem matrem? Charissimae in Christo matri, fidelis in charitate filius Alcuinus diaconus salutem.

Multi sunt in prosperitate amici, in adversitate rari; et eo chariores quo rariores; et cum saeculo mutantur mentes. Quidam in felicitate alterius hilarescunt, infelicitatis tempestatem refugiunt [*Ms.,* refugit]. Nam sicut lux et tenebrae variantur vices suas, ita hujus vitae prosperitas et adversitas variabiles [Col. 0227A] sunt. Sed forti animo toleranda sunt tristia quae accidunt [*Ms.,* tristitia quae accedunt], et moderata laetitia suscipienda quae hilarescunt. Ideo mater modesta et pia in filii morte non multum lugere debet: magis seipsam praeparare debet dignis meritis, ut ad illam perveniat vitam, ubi nemo timetur inimicus, nemo deseritur amicus. Habet bona mater Christum consolatorem pro filio, qui nunquam derelinquit sperantes in se. Melius gaudere in vivente, quam dolere

in moriente [*Ms.,* viventem, morientem]. Cur plangimus quod immutare non possumus? Mortuus ad vitam praesentem revocari non valet; vivus ad mortuum pervenire poterit. Corpus quod tanta cura colimus, postmodum vermium esca erit. Anima itaque meritorum qualitate vel gaudebit, vel contristatur; [Col. 0227B] et qualem sibi in paucis his diebus praeparabit habitationem, talem aeternis recipiet temporibus. Quapropter singulis momentis laborandum est pro requie animae, ut dum semper vivere debet, et semper beate et feliciter vivat. Habeto me, obsecro, mater dulcissima, licet indignum [*Ms.,* indigno] pro carnali filio spiritalem filium, non minore fide te diligentem, quamvis minore dignitate vigentem: nec de longinquitate vel vilitate faciei meae contristeris, dum mea tecum [cum] consolatione sancti Spiritus charitas fideliter manet; et quod in me optimum est, id est fides non ficta et charitas indeficiens, tecum semper habebis.

Ignorans in hujus tempestatis miseria [*Ms.,* miseriam] quae nuper nostram turbavit gentem, quo te [Col. 0227C] tua fortuna ferret vel voluntas; idcirco nescivi quo te consilio roborarem, nisi ut toto corde Deo Jesu servires, et totam tuae consolationis spem in illius componeres pietatem, qui ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris **(Matth. XI, 28, 29)**.

EPISTOLA LIX. AD EDILBURGAM. (Anno 796.) *Revocat in memoriam doctrinas illi aliquando datas;* dolet de patriae infidelitate; commendat orationibus Liudgardam nobilem feminam.

In Domino dilectissimae filiae
@ [Col. 0227D] *Edilburgae, abbatissae abs dubio cujusdam monasterii in Anglia;* rogat enim Alcuinus, ut Liudgardam nobilem feminam (fortassis reginam, Caroli Magni conjugem) in chartas ecclesiasticas sororum suarum, utique monialium, describi faciat. Quo vero genere haec virgo nata sit, aut quae fuerit illius soror thalamo viri sui orbata, incompertum habeo. Patriae suae infidelitas, quam hic Alcuinus accusat, et de qua alibi saepius conqueritur, illa certe est quam principes ac populus adversus reges suos legitimos perpetrarunt anno 796 de qua videas epistolas 46, 47 et alias. Binas eo tempore reperio feminas illustres virorum suorum thalamo orbatas; unam Elfledam reginam Offae regis Merciorum filiam, Ethelredi regis Northumbrorum a suis hoc anno occisi relictam viduam; alteram Alfridam, seu Alfredam, vel ut alii scribunt, Etheldritam regiam virginem alteram Offae [Col. 0228D] filiam, Ethelberto Orientalium Anglorum regi desponsam, quae tamen ad thalamum viri non pervenit, sponso prius per insidias et suasu matris Quendridae anno 793 occiso. Fortassis Edilburga, ad quam haec epistola exarata est, diversa haud est ab Alfrida Alfledae sorore, quae post necem sponsi monasterii Croylandiae monialis et abbatissa fuit. Plurimum certe variant nomina personarum apud veteres illos scriptores; et in rebus obscuris etiam conjecturis aliquid dandum est. Vid. Alfort. Annal. Eccles. Anglo-Sax. ad ann. 792, num. 2, et 794, num. 6, et alibi. Edilburgae salutem.

[Col. 0227D] Quia invida terrarum longinquitas mutuae confabulationis [Col. 0228A] prohibet dulcedinem, datur nobis litterarum officio charitatis demonstrare suavitatem, ut [*Ms.,* et] quod vox non valet, hoc charta loquatur; idcirco hortamenta salutis non minore

debemus veneratione curare quam praesentis colloquii admonitionem. In ista saepe timor suadet consensionem; in illa fides legentis cooperatur saluti. Quae te, venerabilis filia, conscia summae divinitatis cognitione admonui, haec te tantum deprecari ut mente retineas firma, satis necessarium duximus [*Ms.,* diximus]: Nec aliquid novi litteris demandare possum quod tunc [*Forte, nunc*] sermone tibi ingererem. Scis ipsa quam diligenter te de corporis castitate et animae rogavi sanctitate, qualiter te de humilitatis officio, de orationum vigilantia, de eleemosynarum largitate, de confessionis [Col. 0228B] puritate et fidei firmitate, et sanctae ubique charitatis observantia studiosissime instruxi, ut his gradibus ad coelestis gloriae ascenderes celsitudinem.

Ecce! me modo infidelitas patriae in tantum horret, ut reverti timeam [*Ms.,* timeo], nesciens quid de illa proficere valeam, nisi perituram plangere, et lacrymantis Jeremiae lamentationes saepius revolvere, qui quadrivario alphabeti [*Ms.,* albabeti] ordine ruituram luxit Jerusalem, et hujus ruinae pars aliqua tibi calidas, ut reor, pro causa dilectae [*Ms.,* delicte] sororis excitavit lacrymas. Tamen hortanda est, ut in coenobio militet Christo, quae thalamo privata est viri: et fiat ei temporalis tristitia incitamentum laetitiae sempiternae.

[Col. 0228C] Tu nominis nostri fideliter cum tuis omnibus in sacrosacris orationibus vestris memor esto, obsecro. Liudgardam quoque nobilem feminam, quae tibi munusculi loco pallium direxit, habeto in dilectione ut sororem; illiusque nomen cum nominibus sororum tuarum per ecclesiasticas chartas scribere jube. Honorabilis tibi est amicitia illius et utilis. Misi dilectioni tuae ampullam et patenam
@ [Col. 0228D] *Ad offerendam* . . . oblationem. De quotidianis principum et aliorum fidelium oblationibus ad missam legesis celeberrimum D. Martene de Antiquis Eccles. Ritibus lib. I, part. I, pag. 378 et seqq. Edit. Rotomagensis an. 1700. ad offerendam in eis Domino Deo tuis manibus oblationem. Et dum oculis illa aspicias, dicito: Christe miserere Alcuini servuli tui. Et velim te quotidiana consuetudine usum habere offerendi Deo munus ad altare, quia apostolica auctoritas hanc constituit consuetudinem; ideo non est omittenda sed diligenter prosequenda.

Vive Deo felix charissima filia, semper
[Col. 0228D] Et memor Alcuini dulcis amica vale.

EPISTOLA LX. AD AERDUULFUM REGEM. (Anno 796.) *Hortatur regem ad solium evectum, ut et suam et populi salutem procuret.* Exemplo antecessorum illum terret.[Col. 0229A]

Viro illustri
@ [Col. 0229C] *Aerduulfo regi.* Hunc scriptores veteres, primis [Col. 0229D] duabus litteris commutatis, Eardulfum nominant. Is teste Hovedeno fol. 406, Ethelredo regi Northumbriae anno 796 a suis occiso in solium successit. «Eardulf, inquit, filius Earnulfi de exsilio vocatus regni infulis est sublimatus, et Eboraci in ecclesia sancti Petri ad altare beati Pauli (ubi illa gens primum perceperat gratiam baptismi) consecratus est septimo Kalendas Junii.» Vide Pagium ad hunc annum, n. 25, et Alfort. ad annum 794, n. 6. Hac epistola Alcuinus Aerduulfum a praesentibus periculis

liberatum, et regio nuper solio sublimatum hortatur, ut et propriam et populi salutem procuret. Aerduulfo regi Alcuinus diaconus salutem.

Memor antiquae inter nos condictae amicitiae, etiam et venerandae salutationis vestrae valde congaudens, paucis litterarum apicibus vestram laudabilem personam de prosperitate regni tibi a Deo collati [*Ms.,* conlati], et de salute animae tuae admonere curavi, et quo modo stabilis tibi traditus [*Ms.,* traditur] honor, Deo donante, permaneat. Scis optime de quibus te divina misericordia liberavit periculis, et [Col. 0229B] quam facile te, dum voluit, provexit in regnum. Esto semper memor et gratus tam maximorum in te Dei donorum, in eo maxime, ut quantum intelligere valeas, illius in toto corde facias voluntatem: et sis obediens servis Dei, qui te de mandatis ejus admoneant. Scito certissime quod nullus alius tuam vitam conservare potest, nisi ille qui te de morte liberavit praesenti; nec isto protegere et custodire honore, nisi ille qui gratuita pietate istam tibi concessit dignitatem. Serva diligenter in animo tuo et regno misericordiam et justitiam, quia Salomone dicente, ac magis Deo concedente, *misericordia et justitia firmabitur solium regni* **(Prov. XVI, 12)**. Considera intentissime, pro quibus peccatis antecessores [Col. 0229C] tui perdidissent vitam et regnum; et cautissime observa, nec talia agas, ne tale tibi eveniat judicium. Aliorum perjuria Deus damnavit; aliorum adulteria [*Ms.,* adultera] punivit; aliorum avaritiam et fraudes vindicavit; aliorum injustitiae non placuerunt illi. *Non est personarum acceptor Deus* **(Act. X, 34)**, sed qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Erudi te ipsum primo in omni bonitate et sobrietate; postea gentem cui praeesse videris, in omni modestia vitae et vestitus, in omni veritate fidei et judiciorum, in observatione mandatorum Dei, et honestate morum. Sic itaque et regnum tibi firmabis, et gentem salvabis, et ab ira Dei liberabis illam, quae certis signis diu imminebat illi. [Col. 0230A] Nunquam tantus nobilium et rectorum sanguis effunderetur in ea, nec sic loca sancta pagani devastarent, et tanta injustitia et arrogantia valeret in populo, nisi perspicua Dei vindicta immineret habitatoribus terrae. Tu vero ad meliora, ut credo, servatus tempora, et ad correctionem custoditus patriae, Dei te auxiliante gratia, operare omni intentione in Dei voluntate salutem animae tuae, et prosperitatem patriae et populi tibi commissi, quatenus ex correctione subjectorum ditioni tuae tibi tuisque nepotibus praesens feliciter firmetur regnum, et futuri regni gloria aeternaliter concedatur. Haec chartula, obsecro vobiscum servetur et saepius legatur, ob memoriam salutis vestrae et dilectionis nostrae, ut Deus omnipotens in profectu sanctae suae [Col. 0230B] Ecclesiae ad prosperitatem nostram multo tempore in regno florentem, et in omni bono proficientem conservare dignetur. Vive et vale Deo donante in saecula sempiterna.

EPISTOLA LXI. AD OSBALDUM. (Anno 796.) *Osbaldum, quem suspectum habet ob regicidium et turbas populi, hortatur, ut vitam mutet, et suae ac gentis saluti consulat.*

Dilecto amico
@ [Col. 0229D] *Osbaldo.* Hunc Alcuinus patritium vocat in epistola 11, et hic illum suspectum habet de nece domini sui, nempe Ethelredi regis, atque effusi multi sanguinis principum ac populi in illis turbis. Huc pertinet narratio Rogerii Hovedeni pag. 406, in priori epistola citata, ubi ita scribit: «Eodem anno (796) Ethelred rex occisus est apud Cobre, XIV Kal. [Col. 0230C] Maji. Osbald vero patritius a quibusdam ipsius gentis [Col. 0230D]

principibus in regnum est constitutus, et post viginti septem dies omni regiae familiae ac principum est societate destitutus fugatusque, et de regno expulsus, atque ad insulam Lindisfarnensem cum paucis secessit; et inde ad regem Pictorum cum quibusdam e fratribus navigio pervenit.» Alfortus Ethelredi Northumbriae regis caedem cum anno 794 perperam illigavit, contra auctoritatem Huntindoniensis pag. 344 quem ipsemet citat, et praeterea annos tantum quinque Ethelredo tribuit. Scribit enim Huntindoniensis: «Anno Britici regis (occidentalium Saxonum) undecimo Northumbri regem suum Ethelred occiderunt.» Ad haec eclypsis lunaris, quae septimo Ethelredi regis anno, dieque 28 mensis Martii, feria secunda, post mediam noctem hoc anno contigit, ut observavit Calvisius in opere chronologico, pertinet ad praesentem (796) Christi annum, ad quem idem Ethelredus pervenit (Pagius ad an. 796, num. 25). Vid. etiam epist. 11 et 47. Osbaldo Alcuinus diaconus salutem.

Poenitet me tui quia non obedisti mihi, qui ante biennium persuasi tibi in litteris meis laicam te demittere conversationem, et Deo servire secundum [Col. 0230C] votum tuum. Ecce modo pejor fama, infelicior causa turbavit vitam tuam. Revertere tamen, revertere et imple quod vovisti, et quaere causam quomodo ad Dei servitium pervenire valeas, ne pereas cum impiis, si innocens es de sanguine Domini tui; si vero nocens in consensu vel consilio, confitere peccatum tuum, et reconcilia te Deo, et fuge societatem sceleratorum. Melius est tibi amicitia Dei et sanctorum quam inique agentium. Noli addere peccatum super peccatum per vastationem patriae, per sanguinis effusionem. Cogita quantus sanguis per te, vel per propinquos tuos regum, principum et populi effusus est. Infelix generatio, per quam tanta mala evenerunt patriae. Libera te, obsecro per Deum, ne anima tua pereat [Col. 0231A] in aeternum. Dum lucem habes, curre, propera, festina ad Dei misericordiam, qui paratus est poenitentes suscipere et convertentes ad se consolari, ne veniat tibi dies, qua velis et non possis. Noli erubescentiam opponere tibi dimittendi [*Ms.,* demittendi] quod cepisti: major est erubescentia animam tuam perpetualiter perire, quam impios viros praesentialiter deserere; sed magis, si quoslibet ex illis convertere valeas ab impetrata [perpetrata] malitia, fac diligenter, ut habeas mercedem conversionis tuae a malo, et alterius pariter. Et haec est charitas, *quae cooperit multitudinem peccatorum* **(I Petr. IV, 9)** ; et haec faciens vive feliciter et valeto in pace. Deprecor ut haec chartula saepius in praesentia legatur tua, ut recorderis tui ipsius in Deo, et cognoscas quantam [Col. 0231B] curam jam longe positus habeam salutis tuae. Si quid valeas suadere genti, cum qua exsul eris, de salute sua, noli negligere, ut citius Dei donante gratia pervenias ad tuam etiam salutem.

EPISTOLA LXII. AD QUEMDAM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 796.) *Nuntiat sese, depositis saeculi occupationibus, praeparare ad occursum Domini.*

Sanctissimo patri archiepiscopo, humilis filius Alcuinus salutem.

Sciat dulcissima paternitatis vestrae dilectio quod ego filius tuus,
@ [Col. 0231D] *Saeculi occupationibus depositis.* Huc pertinet, quod Alcuinus seribit in epist. 129 ad Carolum data anno 801. «Fere, inquit, ante hoc quinquennium (id est anno 796) saeculares occupationes, Deumtestor non ficto corde declinare cogitavi; sed vestrae piae providentiae consilio translatus sum in servitium sancti Martini, fidei

catholicae et ecclesiasticae sanctioni, Deo donante, proficuum.» Hinc epistolam praesentem scriptam esse censeo anno 796 quo Alcuinus saeculi occupationibus depositis aulam relinquens in Turonense monasterium secessit, de quo secessu in Praefatione generali plura diximus. saeculi occupationibus depositis, soli Deo vacare desidero. Ideo deprecor Almitatem vestram, ut me eximiae sanctitatis vestrae benedictio [Col. 0231C] et oratio consequatur, quatenus divina clementia paucos vitae meae dies qui supersint, in suo sancto servitio ad salutem animae meae conservare dignetur. Dum omni homini necesse est vigili cura se praeparare ad occursum Domini Dei sui, quanto magis senioribus, qui sunt annis et infirmitatibus crebris confracti, suas sollicita cura lampades ornare, ut dignus donante Deo efficiatur lucentibus lampadibus [*Ms.,* lampades] occurrere coelesti sponso, ne foras stare cogatur, intrantibus aliis ad convivium superni regis, quod pietas Domini nostri Jesu Christi me Filium tuum vobiscum, sanctissime Pater, perpetua prosperitate intrare concedat. Dominus Deus venerandam sanctitatis vestrae caniciem sanctarum donis virtutum [*Supple* florere, *vel simile*] faciat, desiderantissime [Col. 0231D] Pater!

EPISTOLA LXIII. AD COENULVUM REGEM MERCIORUM. (Anno 796.) *Ad regnum evectum hortatur ad regias virtutes.* [Col. 0232A]

Excellentissimo viro
@ [Col. 0231D] *Coenulvo.* Aliis *Kenulfus nominatur, qui post obitum Egfridi diadema regni Merciorum suscepit anno 796 ante diem nonum mensis Novembris, juxta calculum celeberrimi Pagii ad annum 796, num.* 25, et 821, num. 22 et 23. Coenulvo regi Merciorum humilis levita Albinus salutem.

Multa mihi laetitia est de vestra bonitate, modestia et nobilitate morum, sicut regiam dignitatem decet omnino, ut quanto sublimior est honore caeteris, tanto nobilior sit omni morum perfectione, justitiae decore, pietatis sanctitate; quia clementia regis omnium hominum, ut in antiquis legitur historiis, excellere decet consuetudines; etiam et sancta Scriptura dicente: Misericordia et veritas exaltat solium **(Prov. XX, 28)**. Et in Psalmis de Deo omnipotenti [Col. 0232B] dicitur; *Universae viae Domini misericordia et veritas* **(Psal. XXIV, 10)**. Quantum quisque plus veritatis et misericordiae operibus fulget, tanto majorem habet in se divinitatis imaginem.

Illum semper habeas in mente,
@ [Col. 0232D] *Qui te egenum exaltavit.* Enimvero, ut Alfortus ad annum 797 ait: «Kenulfus nullo jure, titulove sanguinis, sed solum virtutum merito (Egfrido) successit. Fuit Pendae nepos, ex Chenalchio fratre, qui Kentwinum genuit, et ille Cuthbertum Kenulphi parentem.» qui te egenum exaltavit, et posuit super principes populi sui. Rectorem te magis agnosce, pastorem et dispensatorem donorum Dei, quam dominum vel exactorem. Semper in mente habeas optimos
@ [Col. 0232D] *Nobilissimi antecessoris.* Offam Merciorum regem notat, hoc anno defunctum, ut saepius diximus. nobilissimi antecessoris tui mores, modestiam in conversatione, et studium in corrigendo vitam populi Christiani. Quidquid vero ille in regno tibi a Deo dato bene disposuit, hoc tua diligentissime prosequatur devotio: si quid vero avare vel crudeliter gessit, hoc omnino tibi cavere necessarium esse agnosce. Non

enim sine causa [Col. 0232C]
@ [Col. 0232D] *Nobilissimus filius illius, Egfridus.* Causam praematuri hujus obitus Alcuinus in epistola ad Osbertum patritium, quae desideratur, hanc assignat: «Non, inquit, ob peccata sua (morte sublatus est), sed quia pater suus pro confirmatione regni ejus multum sanguinem effudit.» Malmesburiensis lib. I Reg. Angl. cap. 4. nobilissimus filius illius tam parvo tempore vixit super patrem; saepe merita patris vindicantur in filiis [*Ms.,* filios]. Habeas consiliarios prudentes, Deum timentes, justitiam amantes, pacem cum amicis desiderantes, fidem et sanctitatem in conversatione pia ostendentes. Gens enim Anglorum multis propter peccata fatigatur tribulationibus, quae regum bonitate, et sacerdotum Christi praedicatione, et populi religione erigenda est ad antiqui culmen honoris; quatenus benedicta patrum nostrorum progenies perpetuam mereatur possidere felicitatem, et praesentis regni stabilitatem, et contra inimicos fortitudinem, ut Ecclesia Christi crescat et proficiat, sicut a sanctis Patribus ordinata erat. Sacerdotes Christi semper, clarissime rector, honorifice habeas, [Col. 0232D] quia quanto plus Christi servos, et verbi Dei praedicatores [Col. 0233A] venerabiliter observas, tanto magis Christus rex verus et pius tuum honorem exaltat et confirmat, sanctis suis intercedentibus. Summa aeterni regis pietas vos longaeva prosperitate regnare concedat, et perpetui regni beatitudinem vobis tribuere dignetur, domine desiderantissime.

EPISTOLA LXIV. AD SIMEONEM. (Anno 796.) *Memoriam commendat traditarum sibi olim doctrinarum et novas addit.*

Venerandae dignitatis et dulcissimae charitatis filio
@ [Col. 0233D] *Simeoni summo sacerdoti.* Hoc nomen Symeonis adscititium esse Eanbaldi junioris archiepiscopi Eboracensis nunc manifestum est ex alia Alcuini epistola codicis Harleiani, *ad Eanbaldum archiepiscopum Eboracensis ecclesiae cognomento Symonem, paulo post exhibenda.* Simeoni summo sacerdoti Albinus praesentis prosperitatis et perpetuae beatitudinis in Christo salutem.

Multa mihi fiducia est in fide vestra, et multa laus [Col. 0233B] in bonitate vestra; et magnum desiderium, ut proficias de die in diem in charitate Christi, in conversatione religiosae vitae, et in conspectu Dei in sanctorum gloria meritorum, de quibus saepius sanctitatem tuam litteris meis admonere curavi; ut sicut Dei gratia donante, meque teneros erudiente annos ad hunc feliciter sanctissimae dignitatis
@ [Col. 0233D] *Perductus es gradum.* Ex his verbis colligo hanc epistolam scriptam fuisse non diu post electionem Eanbaldi ad archiepiscopatum Eboracensem, quae facta est anno 796 ut notavimus supra ad epistolam 56. perductus es gradum, ita toto cordis mei affectu opto Deum quem deprecor ut semper te in anteriora extendas cum Apostolo, donec pervenias ad sublimem perpetuae beatitudinis coronam: in tantumque praesens tuas implevi precibus aures, et absens oculos apicibus paginarum mearum, ut modo nihil novi invenire valeo, quod transactae sedulitatis meae devotioni [*Ms.,* transacta devotione] possit superaugeri, nisi ut dicta [Col. 0233C] [*Ms.,* dilecta] paternae pietatis vigilanti recorderis animo, et scripta piae admonitionis saepius relegere studeas. In quibus vero si quid minus meae dilectionis stylo exaratum invenias, non meae culpa est voluntatis, sed obliviosus ignorantiae error, cui tamen fas est ignosci: atque utinam vestrae beatitudinis tam prona sit devotio ad perficiendam scriptae admonitionis

seriem, quam mea gaudens est ad monendum charitas. Hoc tantum unum mihi in hac chartula admonere ratum videbatur, quatenus animi tui nobilitatem, quam in te optime sciebam, et sanctae fidei integritatem quam habere ad omnes solebas, nullis amicorum consiliis, nulla saecularium ambitione desideriorum corrumpi, vel immutari permittas. [Col. 0233D] Non omnis amicus consiliarius esse poterit, dicente Scriptura: *Amici tibi sint multi, consiliarius autem unus* **(Eccli. VI, 6)**. Noli tuam bonitatem aliorum improbitate obscurari. Nolo amor tuus quem bona pietate et voluntate ex tuis vel alienis commeruisti, alterius negligentia vel malitia obruatur; sed [Col. 0234A] ut proficias in sapientia, in amore, et honore coram Deo et hominibus, ut nihil tibi desit in ulla gratia, sed ubique pius appareas et amabilis Deo et omni populo. Vestrae beatitudinis auctoritatem, et bonae voluntatis affectum Deus Christus augere, exaltare et conservare dignetur in aeternum, domine fili in Christo charissime, et in omni bono desiderantissime.

EPISTOLA LXV AD SIMEONEM SACERDOTEM. *In prosperis et adversis suadet animi moderationem;* munera mittit, suadet Romanum Ordinem doceri clerum. Melius se habere nuntiat ex infirmitate. Studium sacrae lectionis et sapientiae commendat.

Albinus
@ [Col. 0234D] *Simeoni sacerdoti.* Eidem credo, ad quem praecedens epistola scripta est, cui propterea hanc adjungere volui, etiamsi de anno et loco quo et unde data sit minime constet. Simeoni sacerdoti salutem.

Gaudeo de tribulatione et prosperitate vestra, fili [Col. 0234B] mi charissime, quia tribulatio corporis salus est animae; et prosperitas vitae hujus gaudium est amicorum. Memento, quod omnes sancti tribulationes passi sunt in hoc mundo, quarum acerbitas non est condigna futurae beatitudinis remuneratione. Qui plus oneris portat in dorso, plus sudoris sentit in corpore. Quid est hujus saeculi honor, nisi grave pondus viatoris? Liber viator felicius vadit quam sarcinarum magnitudine onustus. Tamen ad mensuram unicuique secundum suam dispensationem dat Deus, aliis sic, aliis vero sic. Sed unusquisque fideliter laboret, ut feliciter regnet cum Christo.
@ [Col. 0234D] *Cuculum.* De illo vide inferius epistolam ad Calvinum et Cuculum. Cuculum vernalem avem vestrae direxi sanctitati cum munusculis parvitatis meae: modo vero parvum quid vini direxi vobis et fratribus et amicis; [Col. 0234C] et de stagno [*forte, stanno*] libras C ad opera necessaria facienda; et
@ [Col. 0234D] *Caucellos.* Caucellus vasculum, diminutivum a *caucus.* Regula Magistri cap. 27: «Bibere si voluerit, aquam non ab urceo uno haustu, sed ad calicis, aut galletae, aut *cancelli bibat mensuram.*» Vid. Du Cange Gloss. voc. *Caucus* et *Caucellus.* caucellos quatuor. Videtur condignum ut domuscula cloccarum stagno tegatur propter ornamentum et loci celebritatem.

De ordinatione et dispositione Missalis Libelli nescio cur demandasti; nunquid non habes Romano more ordinatos libellos sacratorios abundanter? Habes quoque et veteris consuetudinis sufficienter Sacramentaria majora; quid opus est nova condere, dum vetera sufficiunt? Aliquid voluissem tuam incepisse auctoritatem Romani Ordinis in clero tuo, ut exempla a te sumantur, et ecclesiastica officia venerabiliter et laudabiliter

vobiscum agantur. Sed rari sunt adjutores, forte dicis; sed major bonae intentionis labor majori summae felicitatis remunerabitur corona: [Col. 0234D] et feliciter laborat, qui sibi construit domum in regno Dei, parvis magna et parans caducis aeterna, terrenis coelestia emens; propter unius margaritae emptionem omnia dimittens, ut eam possideat quam invenit, et omnibus praetulit gazarum deliciis.

[Col. 0235A] De infirmitate mea vobis praefatus ales dicere potuit. Gloria Deo! aliquantum melius habemus; sed tamen corporis integritas non revenit. Ideo diligentius jubeatis orare pro nobis, quia tempus appropinquat, quo hoc hospitium deserendum est et ignota appetenda. Sed veniat, veniat vestra post nos oratio et eleemosynarum munera gratissima, nobisque nimium necessaria. Ostendatur fides in filio, ut gaudeat Pater in filio sapienti et fideli. Non moritur qui in filio vivit prudenti. Sacrae lectionis studia omnimodis renovate vobiscum, ne pereat labor noster in librorum collectione. Non sit tibi durum pondera auri dare pro acquisitione sapientiae, cui secundum Salomonem nulla comparari in hoc saeculo poterunt **(Sap. VII, 8 et 9)**. *Et quid stulto, iterum ait,* [Col. 0235B] *divitiae, si sapientiam emere non poterit* **(Prov. XVII, 16)**? Quae habitationem in ejus corde habebit gratam, qui eam diligere probatur. Multitudo sapientum sanitas est orbis et laus civitatis, in cujus arce habitat. Haec tuo pectore, Domino Jesu donante te, habitationem habeat, charissime fili, semper in aeternum.
@ [Col. 0235C] Edit. Mabill. 4, Pezii 4 **(Froben. 52)**. Collata cum codd. mss. Salisb. Data anno 797 quo Nonae Augusti concurrebant cum sabbato, ut recte notavit cl. Hansizius Germ. Sacr. tom. II, p. 105.

EPISTOLA LXVI. AD ARNONEM. (Anno 797, mense Augusto.)

Gaudet de nuntio adventus illius; multa nosse ab illo desiderat; et de sua commoratione illum instruit.

Dilectissimo patri Aquilae Transalpino Albinus magister salutem.

Gaudeo quod vel aliquam famam de vestro adventu audivi, multum cupiens vestrae beatitudinis faciem [Col. 0235C] videre et optatam audire loquelam, simul et de prosperitate
@ [Col. 0235D] *Domni apostolici.* «Negotium geminum hoc anno Arnoni Romae agendum fuit. Publicum unum ad componenda quae inter papam et Romanos flagrabant dissidia, legatione Angilberti anno priore nihilo sedata; privatum alterum propriae fuit ecclesiae. Nam et dioecesin recens in Hunnia acquisitam firmare et honorem metropoliticum parare cupiebat.» HANSIZ. domni apostolici agnoscere, et quid in illis partibus gestum sit, et quomodo legatio vestra vobis evenisset, et si
@ [Col. 0235D] *De Sancti Pauli causa, monasterio Cormaricensi, de quo alibi.* Sancti Pauli causa ad profectum fieri possit. Haec omnia per velocem nuntium mihi demandare curam, obsecro, habeas. Secundum quod iter meum dispositum habeo, volente Deo, die sabbati proximo, id est, Nonas Augustas, ad monasterium sancti Amandi habemus dispositum venire, et ibi die Dominica stare, et tunc ad
@ [Col. 0235D] *Baralla villam nostram.* Locus mihi ignotus, nec apud geographicos scriptores quos consului, alibive nominatus. Baralla [*Pez.* [Col. 0236A] Barallam] villam

nostram quatuor aut quinque dies remanere, non longe a Sancto Amando, sed quasi quinto decimo milliario; et sic ad

@ [Col. 0235D] *Ad Causiaco.* Monasterium Causiacense (*Choisy*) ad Axonam fluvium prope Compendium situm. Mabill. Annal. lib. XXX, num. 15. Causiaco pervenire, et ibi hebdomada stare; et sic ad

@ [Col. 0235D] *Ad Sanctum Lupum.* Coenobium in suburbio Tricassino (*Troyes*), Alcuini curae a Carolo Magno traditum, de quo alibi. Sanctum Lupum. Inter haec loca, Deo propitio, habes me totum Augustum, et aliquam partem Septembrii mensis, si ullatenus possis impetrare, ut fiat nostrum colloquium. Interim, dum in proximo erimus, remanda mihi et quantos dies debeam te exspectare, quia non habeo in istis partibus aliquid ubi exspectare possum, propter inopiam rerum; quia quidquid fuit ibi, anno praeterito omnia amici nostri consumpserunt, bene facientes, et familiariter utentes rebus nostris. Et quam citius possint litterae vestrae ad nos venire, festinanter legatus currat ut nos in [Col. 0236B] proximo reperiat. Si rex vos jubeat in palatio stare, non contradicit tibi

@ [Col. 0235D] *Liutgardis.* Regina uxor Caroli Magni quae anno [Col. 0236C] 800 Turonis defuncta est pridie Non. Junii. Annal. Loisel. Liutgardis et infantes ut ad nos venias, quia illae iturae sunt ad

@ [Col. 0236C] *Niviella, Nivialla, Nivigella, monasterium ab Itta seu Iduberga Pippini majoris domus conjuge hortatu sancti Amandi, constructum.* Mabill. Annal. [Col. 0236D] lib. XXXIII, num. 7. Niviella, uti ibi

@ [Col. 0236D] *Missam sanctae Mariae.* Festivitatem abs dubio intelligit Assumptionis beatae virginis Mariae, quae etiam eo tempore 15 die Augusti celebrabatur. Vid. Gloss. Du Cange Verb. *Missa.* missam [sanctae Mariae] agant. Veni, veni festinanter, si Deo placeat et sancto Martino et sancto Amando, ut nos videamus. Nullatenus voluissem longius ire, antequam tuae beatitudinis {68} faciem viderem. Manda vero per nostras curtes; quidquid ibi erit, omnia tibi parata erunt. Multum gaudeo de vestro colloquio; quia nescio quando erit, si nunc non erit. Feliciter lege, et prospere veni, Pater optime et amice fidelissime, et in Christo charissime.

@ [Col. 0236D] {69} Edit. Mabill. 5, Pezii 5 **(Froben. 53)**; collata cum cod. ms. Salisb. Quoniam vero ubique nomen illius abest ad quem scripta est, dubitare quis possit an ad Arnonem, an ad alium quemdam amicum in comitatu regis existentem scripta sit. Pro Arnone pronuntiandum videtur ex comparatione hujus cum praecedente et subsequente epistola.

EPISTOLA LXVII. AD *** (Anno 797, mense Augusto.)

Significat quibus locis commoretur, nova scire cupit, mittit quaedam munuscula. [Col. 0236C]

Charissimo Filio in verae charitatis dulcedine salutem.

Exspectavi dilectionis vestrae litteras, vel legatum. Sed tertio

@ [Col. 0236D] *Gysla soror domni regis.* Vid. epist. 98 et 99 (nunc 126 et 127). Gysla [*Pez.,* Kysla] soror domni regis direxit ad me missos, ut venirem propter aliquas necessitates ad illam. Sed nunc, volente Deo, iturus ero ad eam visitare, et inde

@ [Col. 0236D] *Ad sanctum Lupum.* Vid. epist. priorem, inter notas. ad sanctum Lupum, et ibi maxime spero me manere Septembrium mensem totum. Si quid inde de vestro itinere, vel

@ [Col. 0236D] *De domni regis reversione.* Cl. Hansizius haec et alia quae in hac epistola memorantur, ad annum 800 [Col. 0237C] pertinere asserit. «Inde, inquit, patet Arnonem ex Italia nuper venisse ad regem, cum eoque reversum ad Urbem.» At enim Alcuinus non de abitu regis, sed de reversione ejus petit edoceri. Ego ista interpretor de itinere Arnonis Romam anno 797 suscipiendo, et de reversione regis ab expeditione Saxonica, de qua Eginhardus in Annalibus anno eodem scribit: «Rex ad contundendam perfidae gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intravit; nec prius destitit quam omnes terminos ejus peragrasset, nam usque ad ultimos fines ejus, qua inter Albim et Wiseram Oceano abluitur, accessit.» Inde metus Alcuini ob auram durissimam Oceani, terramque pessimam et homines (Saxones) invidos, seu infidos. de domni [Col. 0237A] [regis] reversione, vel de exercitus sui profectu audias, ne tarderis mihi remandare, et sic Octobrio mense ad

@ [Col. 0237D] *Ferrarias.* Ferrariense monasterium Alcuino commendatum, situm est ad Clarejam (*Clairy*) amnem in lupam (*le Loing*) influentem in pago Wastinensi (*le Gatinais*) dioecesis Senonensis, Bethlehem antiquitus a conditore dictum, testante Lupo ejus loci abbate in epist. 13 **(Mabill., Vit. S. Aldrici, Act. SS., saec. IV, part. I, pag. 566)**. Ferrarias sanctum Petrum visitare, et ibi usque ad medium illum mensem spero me esse. Ideo haec vobis scripsi, ut sciatis de itinere nostro, ubi nos beatitudinis vestrae missus invenire possit. Sed et

@ [Col. 0237D] *De fratre nostro et amico.* Candido fortassis, ut ex epistola subsequente colligitur; ubi conqueritur quod Aquila nihil de Candido suo, ut nempe in hac epistola petierat, demandare voluerit. de fratre nostro et amico, quem tecum iterum dimisi, remanda mihi. Sollicitus sum valde de domno rege et populo Christiano propter auras durissimas, et terram illam pessimam, et homines invidos, si Deus propitietur illis et sanctae suae Ecclesiae defensori. Multo tempore illum conservet cum suis fidelibus.

@ [Col. 0237D] *Direxi vobis.* Hoc est initium epistolae apud Mabillonium. Direxi vobis unam tapetam et unum sagellum tenuem, obsecrans ne despicias munusculi parvitatem. Haec sunt duo minuta quae vidua obtulit in gazophylacio templi, quam Dominus [Col. 0237B] Jesus laudavit, quia plena charitate offerebat **(Matth. XII, 42)**. Vivite vos Deo placentes in omni opere bono. et pro nobis orantes valete in perpetuum.

@ [Col. 0237D] {70} Hanc epistolam hactenus ineditam ex codd. mss. Salisb. et Sanct-Emmeramiensi descripsimus; uncis inclusa in solo Salisburgensi habentur, Alcuinus Arnonis litteras, quarum hic meminit, accepit, dum adhuc ad Sanctum Lupum moraretur, ubi in [Col. 0238C] praecedente epistola dixerat Septembrium mensem totum esse mansurum. Data ergo est eodem anno 797. (Apud Froben. 54.)

EPISTOLA LVIII. AD ARNONEM. (Anno 797, mense Septembri.)

Litteras illius se accepisse significat, et de silentio multarum rerum conqueritur.

Dilectissimo filio Aquilae piam et pacificam in Christo salutem.

Audita prosperitate vestra per litteras quas nobis direxistis [et venerunt nobis Idibus Septemb. Sed mirum quod nihil de Candido [*Ms.,* Cando] meo demandare voluisti.
@ [Col. 0238C] *Misi litteras . . .* septimas Idus Augusti. Litteras, seu epistolam praecedentem, ut contextus ex utriusque comparatione manifestum facit. Eo die Alcuinus, si iter suum, ut in his epistolis propositum habuit, prosecutus est, Barallae fuit, circa diem 10 Aug. Causiacum venit, ubi per hebdomadam substitit. Inde ad sanctum Lupum abiit, ibique reliquis Augusti diebus, et integro mense Septembri permansit, in quo loco Idibus Septembris Arnonis litteras accepit; inde etiam, vel ex monasterio Ferrariensi, quo mense Octobrio accessit, praesentem epistolam scripsit. Misi tibi jam pridem litteras meas per clericum vestrum, cujus nomen non recolo, [Col. 0237C] ut puto, septimas Idus Augusti, et nescio si te invenerunt, et sollicitus fui in his litteris audire aliquid, unde eas dirigeres, vel qua die, vel de quo [Col. 0238A] loco, vel quomodo dispositum habuisses facere secundum Dei voluntatem; et quando te sperarem in has venire partes. Ego itaque sub festinatione vado ad sanctum Martinum; ibi, volente Deo et domno rege annuente, hiemare disponens]. Et utinam! veniat volando Aquila mea orare apud sanctum Martinum, ut ibi amplectar alas illius suavissimas, et teneam, quem diligit anima mea, nec dimittam eum, donec inducam illum in domum matris meae **(Cant. III, 4)**, et osculetur me osculo oris sui **(Cant. I, 1)**, et gaudeamus ordinata charitate invicem [Forte dixissem tibi aliquid, si praesentem te haberem: cur noluisses mihi innotescere, quomodo accepisset vos domnus apostolicus, et quid tibi placuisset in illis partibus: vel quomodo
@ [Col. 0238D] *Paulinus Pater.* Aquileiensis patriarcha. Inde constat Arnonem hoc anno ex Italia rediisse. Paulinus Pater meus egisset [Col. 0238B] vobiscum, et quo se divertisset? Curioso animo meo satisfacere non voluisti. Ideo pauciores tibi litteras modo scribere volui, non tamen pauca charitate, quas scripsi, scripsi **(Joan. XIX, 22)**. Hanc alteram chartam redde obsecro, Candido meo, si vivat, si vobiscum sit. Nescio cur et ille tacuit, dum tu mihi scripsisti, nisi forte Albinus recessit ex ore illius, cujus dilectio nunquam recedit ex corde meo.] Semper in aeternum valeas et vigeas et floreas, fili charissime
@ [Col. 0238D] Hanc epistolam truncatam edidit Mabillonius, qualem nempe invenit in cod. ms. S. Emmerami. Hic integra prodit ex duobus codd. mss. bibliothecae Salisburgensis. (Apud Froben. 55.)

EPISTOLA LXIX.

@ [Col. 0238D] {72} Non exprimitur in codicibus mss. nomen illius cui inscripta sit haec epistola; certum tamen est quod is fuerit qui potestatem habuit in monasterium S. Ruperti Salisb. Et ille quis alius, quam Aquila seu Arno, qui cum episcopatu etiam illud monasterium regebat? AD ARNONEM EPISCOPUM SALISBURGENSEM. (Anno 797.) *Commendat illi quemdam filium;* de reversione regis; de sancti Pauli causa et aliis informari cupit: suspirat ad Dei visionem, et ad superna desideranda hortatur.[Col. 0238C]
@ [Col. 0238D] Differt in nonnullis haec inscriptio ab illa codicis S. Emmerami seu Mabilloniani, quae ita habet: *Venerabili Patri et amabili doctori, et desiderabili fratri*

ill. nutu Dei pontifici sive abbati, ego indignus servorum Christi famulus in totius charitatis jucunditate salutem. Venerabili Patri et amabili fratri et desiderabili filio in totius charitatis jucunditate salutem.

[Col. 0239A] [Satis mihi placet concordia inter filium meum et fratrem tuum, quem vocatus visitare venisti. Et bene fecisti me hortando ad charitatem ejus reverti, unde nunquam aversus fui; licet dubitationem aliquam agnovissem de mea fide in tuis suavissimis apicibus. Quod vero dixit, ut habuissem eum in domo ad erudiendum, nullatenus a quoquam ante audivi. Tamen] scias, quod in camera humilitatis superbiae non placet habitare, quia quod illa aedificat hoc ista destruit. Ecce ego, quantum in me est, apertas habeo manus amplectari venientem, non respuere precantem. Hoc apud omnes servare praefinivi, ut nullum abjicerem, sed, quemcunque potuissem, attraherem. [Quanto magis de tam probato viro et tam laudabili persona et tantis mihi bonis ex [Col. 0239B] multo tempore conjuncto, credere dissidium [*Ms.,* descidium] non debuit sancta et venerabilis prudentia vestra. Quod vero de filio meo, fratre et nepote tuo, durius scripsisti, videat charitas et pietas tua ne inanis fiat labor noster, et ne perdatur anima pro qua Christus mori non dubitavit. Ecce eum remisi tuae dilectioni, ut facias de illo sicut videatur prudentiae [*Al.,* providentiae] vestrae; in tua enim potestate est vel ille, vel beneficia quae habet. Fac secundum quod ex illius intelligas, ante oculos tuos, meritis, non secundum verba invidorum. Nihil enim mecum potest in tristitiae spiritu proficere. Unum e duobus mihi videtur consilium: aut ex nostra gratia eum domno regi commendes; vel tecum habeas; donec agnoscas ex illius conversatione, quid [Col. 0239C] de eo utile sit, donec iterum nostra, volente Deo, collocutio fiat. Aliquid tamen ut habeat consolationis, forte melius est, secundum humilitatis et obedientiae promissionem, ne continua absorbeatur tristitia **(II Cor. II, 7)**. Et si
@ [Col. 0239D] *Witto.* Witzo forte seu Candidus Alcuini discipulus, de quo alibi saepius. Witto veniat ad vos, apud eum discere potest. Et si, Deo volente, veniat, vide diligenter: ne inanis fiat habitatio illius vobiscum, ut quantum me tristificat absentia illius, tantum vos laetificet praesentia, et defectus meus vester sit profectus. Et si aliquantum temporis vis eum in monasterio
@ [Col. 0239D] *S.* Hrodberti. S. Ruperti, modo S. Petri Salisburgi. sancti Hrodberti demorari necesse ei esset, propter adjutorium hominum linguaeque notitiam,
@ [Col. 0239D] *Aedilbertum.* Forte is est *Adalbertus Alcuini discipulus,* [Col. 0240D] posthac abbas Ferrariensis? Aedilbertum habere secum, ut nostris eruditionibus assuetus, et illorum moribus educatus, medius fiat in ambarum partium profectu. Tamen, [Col. 0239D] ut vobis videtur, fiat, et citius me scire faciatis quid vobis placeat. Et
@ [Col. 0240D] *De domni regis reversione.* Ab expeditione Saxonica; vide epist. 53 (nunc 57). de domni regis reversione
@ [Col. 0240D] *Vestroque itinere.* Vide ibidem. vestroque itinere vel habitatione, et de domno apostolico,
@ [Col. 0240D] *Sancti Pauli causa.* Vide ibidem et alibi saepius. et sancti Pauli causa, et caeteris rebus quae nobis sunt necessaria {71} vel jucunda audire. Hoc scias certissime quod in Toronicis partibus pene nihil remansit vini, frugumque abundantia vix ad medietatem alterius anni. Ideo vadam, volente Deo, visitare fratres, et ordinare res illorum, reversus in his iterum morare partibus. Si domno regi placuisset, [Col. 0240A] ut tibi

licuisset apud sanctum Amandum hiemare, forte] aliquantum temporis, Christo miserante, nobis opportunum esset simul habitare, ut frangeretur propheticus panis inter nos, de quo dictum est: *Frange esurienti panem tuum* **(Isai. LVIII, 7)**. Licuisset nobis assidue una voce et una fide cantare: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* **(Luc. XI, 3)**. [Et] ex eo vesci, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* **(Joan. VI, 51, 52)**. O! quam jucunda est charitas, et quam dulcis praesentia illius, et quam felix vita, ubi nunquam deerit quod semper amatur! quae nunc in absentem [*Al.,* absente] ardet, tunc in praesente laetatur. Licet ubique Deus praesens sit, tamen aliter in imagine per speculum cernitur, [Col. 0240B] aliter in praesentia per speciem videtur: de qua ipsa Veritas ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**. Mundetur modo cor in hac peregrinatione, ut in patria illius beatissimae visionis frui liceat. Utamur hoc mundo perituro in charitate non peritura, ut fruamur Deo in gloria permanente. O Domine! [Jesu] fac nos diligere te, et odisse eum de quo dixisti: *Mundus me odit* **(Joan. XV, 18)**. Ut per te donum Spiritus Paracleti accipiamus, *quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum* **(Joan. XIV, 17)**. Noli nos secundum tuae veritatis promissionem orphanos relinquere, sed mitte in nos spiritum veritatis, qui nobiscum maneat in aeternum **(Ibid., vers. 16, 17)**. O Rex gloriae et Domine virtutum **(Psal. XXIII, 10)**, bellator [Col. 0240C] noster et pax nostra, qui dixisti: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. Vince et in nobis servis tuis. [Tu scis] quia sine te nihil facere possumus **(Joan. XV, 5)**. Da cum fiducia servis tuis loqui verbum tuum, et loquentibus exemplis ostendere, quod ore praedicent. Da velle et perficere **(Philipp. II, 13)**; da ut misericordia tua praeveniat **(Psal. LVIII, 11)**, et misericordia tua subsequatur nos **(Psal. XXII, 6)**: praeveniat ad incipiendum, subsequatur ad perficiendum [*Al.,* implendum]. Quid plura habemus dicere, nisi ut fiat voluntas tua, qui vis omnes homines salvos fieri? **(I Tim. II, 4.)** Tua voluntas salus est nostra, gloria nostra et beatitudo nostra.

Per quemdam mentis excessum, o frater venerande, haec locutus sum, non tam ordinate quam epistolaris [Col. 0240D] postulat angustia, sed tam affective quam intima cordis compunctio exegit. Tu tamen, dulcissime Pater et familiaris meus, patienter sustine cordis mei lacrymas, et tecum reconde quod mecum audisti. Quis scit, nisi ille qui omnia scit, si cras mihi liceat scribere tibi, aut post cras dulces tecum collationes [*Al.,* consolationes] dicere vel audire? Hodie mihi dedit spatium pietas illa, quae omnia mihi contulit bona quae habeo. Quapropter tacere non debui quia nescio quid ventura pariat dies. Tu vero, unanimis [Col. 0241A] frater, aeternos dies semper habeto in mente, et per patientiam curre iter quod tibi Christus ostendit; quia qui sequitur illum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae **(Joan. VIII, 12)**. Ille tibi sit cibus et potus, charitas et gloria. Non subvertat cor tuum ambitio saeculi, adulantium officia, species vanitatis, timor potentium, minae crudelium; sed aedifica domum tuam supra firmam petram **(Matth. VII, 24, 25)**, unde te nullae tempestates evellere valeant. Sed sta intrepidus linguas detrahentium contemnens, et ora laudantium non curans; et quoscunque poteris, gratia auxiliante [superna] tecum in hunc statum vitae rape precibus, monitis, castigationibus, exemplis, ut cum multiplici laboris fructu multiplici dignus mercede appareas in conspectu Domini Dei [Col. 0241B] tui, mihique tuae salutis consocio assiduis sanctitatis tuae precibus subvenire memento: quatenus Salvator

omnium me multis peccatorum vulneribus confossum, larga suae pietatis clementia salvare dignetur et constituere, licet extremum, in sorte aeternae beatitudinis tecum, charissime Pater, frater et fili.
@ [Col. 0241D] Edit. Quercet. 108 ex ms. **(Froben. 56)**.

EPISTOLA LXX. AD SPERATUM EPISCOPUM. (Anno 797.)

Illum a vanitatibus hujus vitae dehortatur; inculcat vero officia episcopis convenientia.

Sanctissimo fratri et filio charissimo
@ [Col. 0241D] *Sperato episcopo.* Nemo prodit cujus sedis episcopus fuerit. In Anglia tamen episcopatum obtinuisse ex ipsa hac epistola colligi posse videtur; hortatur enim: *Lege saepius beati Gregorii PRAEDICATORIS* NOSTRI *libellum.* Vide etiam not. seq.
Sperato episcopo, humilis Pater Albinus salutem.

Valde me vestrae charitatis amor quotidie reficit, et fidelitatis mentem meam certitudo abundanter laetificat, [Col. 0241C] ita ut in primos parvitatis meae amicos, vestrae bonitatis nomen et suavitatis facies menti meae radicitus infixum permaneat. Et ob hoc, quantum charitatis recordatio laetificat, tantum absentiae lacrymosa longinquitas moestificat. Sed patienter ferendum est quod necessario tolerandum esse dignoscitur. Et currens chartula ostendat in litteris quod lingua resonare non valet in auribus, quatenus oculorum officio illud agnoscat quod olim aurium ministerio cordis secretum cognovit.

Vestra vero veneranda sanctitas varios saeculi eventus saepius consideret, et quis casus nobis remaneat, non obliviosa mente retineatur: totiusque humani generis exempla nos doceant, quam periculosa dies, quam metuendum judicium incerto tempore [Col. 0241D] nobis immineat. Praeparemus nos in occursum magni Regis **(Amos, IV, 12)**, ut pium inveniamus quem nullus effugere valeat. Quid vero muneris in manibus feramus, quotidie cogitandum est, dicente Scriptura: *Non appareas vacuus in conspectu Domini Dei tui* **(Eccli. XXXV, 6)**. Nulla ibi metallorum species, nullus gemmarum fulgor, nulla vestium vanitas [Col. 0242A] nullus saeculi luxus, ipso aequissimo Judice, acceptabilis erit. Nisi sola eleemosynarum largitio, et meritorum multiplicatio bonorum proderit. Quidquid hic geritur, illic dijudicatur. Et omnis bonitas praemio coronabitur perpetuo, omnisque iniquitas aeternis damnabitur tormentis.

Haec animis inhaereant nostris, hoc prudens praevideat cautela. Ne illa die inops bonorum meritorum lugeat anima; sed ut de simplici gaudeat bonitatis fructu, maxima cura cogitandum est. Hoc vestra meam fraterna sollicitudo segnitiem, sanctarum litterarum serie, saepius admoneat. Nam meae exhortationis verba verae dilectionis stylo sunt exarata. Quotidie operemur bonum, dum tempus habemus **(Gal. VI, 10)**; ne nos tenebrae comprehendant (Joan. XII, [Col. 0242B] 35), nec imparatos illa metuenda dies inveniat. Tu vero pastorali pietate ac sacerdotali auctoritate, non solum meam suscitare litteris socordiam studeas, sed etiam omnibus te audientibus pia paternitate, ut vigilent, praedicare non cesses. Si lingua sacerdotalis clavis est coelestis regni, decet ut guttur

illius tuba sit aeterni Regis, dicente propheta: *Clama, ne cesses;* exalta sicut tuba vocem tuam **(Isai. LVIII, 1)**. Quis se parat {73} ad bellum, si praeco in castris non clamat? Quis hostibus succinctus in armis obsistit introitum, si speculator in celso turris fastigio dormit? Quis gregem a luporum rabie defendit, si pastor in silvestribus luxuriae dumis latitat? Quis florentis ruris pascua gregi demonstrat, si ductor vagabundis per foveas vestigiis errat? Lege saepius, obsecro, beati [Col. 0242C] Gregorii praedicatoris nostri libellum de pastorali cura, ut in eo periculum sacerdotalis officii agnoscas, et bene operantis servi mercedem non obliviscaris. Iste liber tuis saepius inhaereat manibus; illius sensus tuae firmiter infigantur memoriae, ut scias qualiter quisque ad sacerdotalem honorem accedere, et accedens quanta consideratione seipsum circumspicere debeat; et quibus exemplis vivere necesse sit; et quanta intentione praedicare jubeatur; et quid cui personae conveniat, maxima discretione descripsit.

Scis optime, quanta intentione
@ [Col. 0241D] *Rex ille clarissimus.* Offa, puto, rex Merciorum, qui anno 787 filium suum *Egfridum regem coronari* [Col. 0242D] fecit, qui tamen parente mortuo non nisi quinque mensibus regnum tenuit, morte sublatus «non ob peccata sua, sed quia pater suus pro confirmatione regni ejus multum sanguinem effudit,» ut alibi loquitur Alcuinus in epistola ad Osbertum patricium, quae desideratur, et ex qua ea verba citat Malmesb. lib. I reg. Angl. cap. 4. Vid. Alford. Annal. Anglo-Sax. annis 787 et 796. rex ille clarissimus filium suum [*Edit.,* filio suo] praeparavit, ut arbitrabatur, regno haeredem: sed, ut rerum eventus demonstrabat, exemit. Inde poteris saecularem intelligere [Col. 0242D] sapientiam, et quam verum est, ut Psalmista canit: *Nisi Dominus aedificaverit* [custodierit] domum, in vanum vigilant qui custodiunt eam **(Psal. CXXVI, 1)**. Homo cogitat, Deus judicat. Incerta est humanae prudentiae saecularibus providentia rebus. Hoc solum de futuris considerantem non fallat, quod charitas in praeceptis Dei hujus vitae temporibus peragit. [Col. 0243A] Sit tibi larga manus in eleemosynis; sit studiosa lingua in praedicatione; sit sobria vita in conversatione; sit sacerdotalis auctoritas in castigandis reprobis; sit benigna sollicitudo in refovendis humilibus. Sit tibi clara in veritatis assertione fiducia, nulli parcens personae, quo minus aequitatis proferas judicium. Sit tibi venerabilis quotidianus usus in ecclesiasticis officiis, ut omnia honorifice fiant quae tua dignitas in Dei cultu debeat observare. Quia melius est, sacerdotem Christi in ecclesiastico ministerio laudari, quam in conviviorum apparatu **(Prov. XXIII, 20)**. Quae laus est tantum accumulare mensam tuam, ut vix portari possit, et Christus ante ostium esuriat? qui dicturus erit in die terribili: *Quandiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth. XXV, [Col. 0243B] 40).

Omnino habeas in comitatu tuo prudentem dispensatorem, qui pauperum curam sollicita pietate provideat. Melius est pauperes edere de mensa tua, quam histriones vel luxuriosos quoslibet. Ebrietatem sectantes, beato Hieronymo dicente, quasi inferni foveam devita. Duo mala sunt. Primum: contra praeceptum Dei agere, qui ait: *Cavete vos ab omni ebrietate et crapula* **(Luc. XXI, 34)**. Secundum: inde laudem quaerere, unde poenitentiam agere debuit. *Beatus homo qui non respicit in vanitates et ad insanias falsas* **(Psal. XXXIX, 5)**. Insania est vestimentorum pompa, et assidua ebrietatis luxuria, propheta dicente: *Vae vobis qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* (Isai. V, [Col. 0243C] 22). *Qui* his delectatur, ut

Salomon ait, *non erit sapiens* **(Prov. XX, 1)**. In te enim exemplum sit totius sobrietatis et continentiae. Verba Dei legantur in sacerdotali convivio. Ibi decet lectorem audire, non citharistam. Angusta est domus; utrosque tenere non poterit. Non vult rex coelestis cum paganis et perditis nominetenus regibus communionem habere, quia Rex ille aeternus regnat in coelis, ille paganus perditus plangit in inferno: voces legentium audire in domibus tuis, non ridentium turbam in plateis.

Clericorum tales habeas socios, ex quorum conversatione tua laudetur auctoritas. *Filius sapiens gloria* est patris, et contra *filius stultus ignominia est matris* **(Prov. X, 1)**. Quomodo, dicente Apostolo **(I Tim. III, 5)**, curam Ecclesiae poterit habere, qui suam domum [Col. 0243D] nescit regere? Ovicula quae de mensa comedit pastoris, vagabundis errat gressibus. Quomodo cautam habet conversationem, quae libero pede per campi latitudinem discurrit? Et ex doctrina discipulorum augetur sapientia doctoris: qui studiose docet quod novit, saepe agnovit, divina donante gratia, quod ignorat. Maledictus qui abscondit frumenta in populis **(Prov. XI, 26)**, et beatus qui seminat super omnes agros. *Mane semina semen tuum,* et vespere non cesset {74} *manus tua.* Quia nescis quid melius oriatur, etsi utrumque hoc optimum est **(Eccle. XI, 6)**. Nullus erit in hoc saeculo sempiternus; ideo contendat quisque, ut ibi bene vivat ubi sempiternus erit. Noli, obsecro, [Col. 0244A] charitatis hortamenta spernere. Scio [*Edit.,* scito] te haec omnia melius nosse et perfectius operari. Sed magni amoris affectus me optima tibi suadere cogit. Aequum est ut quod charitas libenter impendit, humilitas gratanter accipiat.

Summa Dei pietas multis feliciter annis
Conservet charos, teque tuosque simul Sis memor Albini, memoret te Christus in aevum,
Jam tibi perpetuum sit sine fine decus.

EPISTOLA LXXI. AD SPERATUM EPISCOPUM. *Exoptat illius amicitiam continuam et hortatur ad vitam episcopo dignam.*

Dilectissimo Patri
@ *Sperato episcopo.* Incertae sedis in Anglia, ad quem etiam exstat epistola 56 (nunc 70). Sperato episcopo fidelis amicus [Col. 0244B] Alcuinus salutem.

Sempiterna me cogit charitas saepius vestrae dilectioni litterulas dirigere, licet minus videaris nobis vicem rependere tuis litteris; tamen ego non cesso tibi prosperitatem optare, et per chartas tuae innotescere sanctitati quod nullatenus mens mea tui habeat oblivionem, sed omnimodis firma radice tui nominis obtineat memoriam.

Recordor dulcedinem vestram et germanitatem quam habuimus inter nos praesentia corporali, quae etiam spiritaliter observari debet, nec ulla terrarum longinquitate deleri, quatenus amicitia olim condicta perpetualiter conservetur. Tu vero, sanctissime Pater, considera diligenter locum nominis tui, ubi maneas, [Col. 0244C] ubi statuta sit dignitas tua, et quod diceris ab omnibus, hoc opere impleas. Fiducialiter praedica omni personae, opportune, importune, idem volenti et nolenti **(II Tim. IV)**. In moribus tuis fulgeant exempla sanctitatis, et in verbis veritatis praedicatio nitescat, quia haec duo maxime

conveniunt episcopo, ut bonis vivat moribus et praedicationis verba non taceat, sicut ipsa Veritas ait: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris* **(Luc. XII)**. In lumbis morum castitas et in lucerna lumen verbi Dei demonstratur. Habeas irreprehensibiles socios, ut ex illis alieni discant vitae religionem; et aedificentur quicunque veniant ad te, sive ex te ipso, sive ex illis. Lectionis vero studium nullatenus dimitte, sed habeas tales juvenes apud te, qui semper [Col. 0244D] discant, et magis gaudeant discere quam inebriari; Deo servire et non saeculi sectari pompas. Talem te para, qualem te cupias stare ante tribunal Christi; meique semper memor esto in orationibus tuis, quatenus divina clementia dies meos ad finem deducat perfectum, et ut tu habeas mercedem bonam ex me, et ego remissionem peccatorum per te. Fides vero et dilectio sancta nunquam frigescat in animis nostris, sed semper magis magisque augeatur, Christo Deo miserante, qui nobis propitius sit in aeternum. Opto te valere, et in Christi charitate proficere, dulcissime Pater!
@ [Col. 0245D] {75} Ineditam hactenus producimus ex cod. ms. Salisburgensi. (Apud Froben. 57.)

EPISTOLA LXXII. AD SIMEONEM SACERDOTEM. (Circa annum 797.)

Hortatur ad officium episcopale solerter obeundum periculosis in Britannia temporibus. [Col. 0245A]

Charissimo filio
@ [Col. 0245D] *Simeoni sacerdoti.* Eidem, puto, quem in epist. ad Calvinum summum sacerdotem vocat. De eo Lelandus, Script. Brit. pag. 126, haec habet: «Simeonis claram facit mentionem Flaccus Albinus epist. ad Calvinum . . . Exstat praeterea epistola Albini ad ipsum Simeonem, qua collaudatum admonet officii, et alioqui sua properantem sponte concitat. Apud Albinum nulla de sede ejus episcopatus memoria. In Gallia fuisse eum episcopum mea quidem opinio est.» Ita Lelandus. Mihi tamen ex ipso epistolae textu vero longe similius videtur, eum fuisse episcopum in Britannia; hortatur enim ut, [Col. 0246D] cum ob regum mortem sint periculosa in Britannia tempora, si inde tempestas immineat, viriliter navem Christi gubernet, et communem utrique fuisse magistrum, utique in Britannia, significat. Simeoni sacerdoti Albinus Pater salutem.

Si gaudendum est de ascensu, timendum est de lapsu, quia de altiori loco periculosior est lapsus. Ideo secundum nomen tuum esto superspeculator non solum gregis tibi commissi, sed etiam tui ipsius, ut in paucis diebus laboris plurimam merearis habere mercedem beatitudinis. Tempora periculosa sunt in Britannia; et mors regum miseriae signum est; et discordia captivitatis origo; et festinant vera esse [Col. 0245B] quae saepius audisti a nostro praedici magistro. Noli cupidus esse de auro et argento, sed de animarum lucro. Me vero in orationibus et eleemosynis memora quotidie, et te in observatione mandatorum Dei semper; et si tempestas undique immineat, guberna viriliter navem Christi, ut quandoque cum tuis nautis in portum pervenias prosperitatis. Nunquam a sancta praedicatione lingua sileat, nunquam a bono opere manus torpescat; et quocunque vadas, liber sancti Gregorii Pastoralis tecum pergat. Saepius illum legas et

relegas, quatenus teipsum et tuum opus cognoscas in illo, ut qualiter vivere vel docere debeas, ante oculos habeas: speculum est enim pontificalis vitae et medicina contra singula diabolicae [Col. 0245C] fraudis vulnera. Non mollescat animus tuus in adulatione principum, nec torpescat in correctione subjectorum. Non te decipiant saeculi blanditiae; non exaltent honores transeuntes; non subvertant favores populi. Esto columna firmissima in domo Dei, non arundo vento agitata **(Matth. XI, 7)**. Esto lucerna super candelabrum posita, non sub modio abscondita **(Matth. V, 15)**. Esto omnibus via salutis, non vena perditionis, ut per te plurimi corrigantur, salventur, et ad vitam tecum perveniant sempiternam. Vive, vale feliciter et nostri memor proficias semper in opere Dei.

@ [Col. 0246D] Edit. Quercet. 101 ex ms. **(Froben. 58)**.

EPISTOLA LXXIII. AD CALVINUM PRESBYTERUM. (Circa annum 797.)

Hortatur ad contemptum divitiarum et honorum saeculi - Simeonem summum sacerdotem saepius admoneri cupit: sibi ab adulationibus cavere, curae animarum solerter intendere, et Christianae virtutis exercitia suadet.[Col. 0246A]

Dilectissimo filio

@ [Col. 0246D] *Calvino presbytero.* Quis ille sit nemo edicit. Anglum fuisse ex mentione Simeonis episcopi intelligi potest. Vid. col. seq. not. a. Calvino presbytero Albinus devotus in charitate Pater salutem.

Quamvis corporali specie amici disjungantur, tamen charitatis officio semper praesentes esse queunt. Nec terrarum longinquitate separantur, qui dilectionis dulcedine junguntur. Haec est quae nunquam praeterit, si in veritate fideliter habetur. Proh dolor! sed rare inveniuntur, quorum integra fides veram foras ostendat charitatem, quae plurimos habet impugnatores, sed maxime saeculi divitias, quae fallaci specie infestant corda quaerentium illas; ut vix antiquae dilectionis quaelibet scintilla eluceat inter caliginosas terrenorum desideriorum umbras. Hanc vero pestiferam [Col. 0246B] saeculi cupiditatem a tuo animo, charissime fili, miserante Deo, adjuvante gratia procul expelle; quatenus tranquilla pace in spe suavitatis, et in fide veritatis, et charitatis perfectione Deo Christo servire valeas, habens saeculum tanquam non habeas. Si vero sentias in animo tuo tibi impedimento esse pacificae servitutis, qua Domino Deo deservire debeas, saecularis possessio [saecularem possessionem], melius est praecidere funem iniquitatis illius, quam vana spe lamenta in longum protrahere tempus, nesciens quid ventura dies pariat. Sunt enim homines qui spe ruunt, longam sibi promittentes vitam; et subito rapiuntur de hac luce, et quod cogitaverunt, non perfecerunt. Tibi vero a Deo data prudentia praevideat, quo tuus te ferat animus; et noli [Col. 0246C] tardare in eo quod tibi optimum eligas.

Tu vero scias quo desiderio, qua quiete, saeculi possideas honores. Si tibi nihil impedimenti generant pristinae religiones quas [religionis quam] habuisti, et semper habere opto in Christi servitio. Nil tibi deesse aestimo in

@ [Col. 0246D] *Cella S.* Stephani. An cella ista sit monasterium Sancti Stephani Cauciacense (*Choisy*) prope Compendium, in quod *Calvinus ex Anglia veniens forte se cesserat;* an vero illud in Anglia quaerendum sit, ignoro. cella sancti Stephani honestae conversationis, quo ut tibi necesse [*F.* suppl. non] sit foras per varias terrarum species vagari, et audire aliorum infidelitates, et contra peccata irasci aliena, et mentis tuae dulcissimam perdere quietem. Tamen, ut dixi, sapientia tua consideret quem habeas profectum in habendo res alienas, si sufficiant tibi ad elemosynarum in miseros largitionem; si scholam legentium habere possis, si pauperes vestire, si peregrinos recipere, si quiete vivere, si [Col. 0246D] pacem cum eis qui foris sunt habere valeas. Plurimi sunt impugnatores Ecclesiae Christi, qui quotidie aliquid vel prece, vel violentia rapere gestiunt; [Col. 0247A] et non sunt, nisi verbotenus, amici, factis vero inimici.

Horum perversitas multum inquietare solet custodes Ecclesiarum Christi, sicut in charissimo filio meo
@ [Col. 0247D] *Simeone summo sacerdote.* Hunc Wormatiensem episcopum vocat Mabill. in Elog. Alcuini, § 12, n. 66. Sed verius puto, illum in Anglia episcopatum obtinuisse. [Col. 0248D] Vid. epist. priorem ad ipsum Simeonem. Simeone summo sacerdote intelligere potes, easdem ab impiis patiente molestias, quas antecessores illius ab inimicis Christi perpessi sunt. Quorum contrarietas debito fine, secundum judicium {76} justi Dei perit [*F.,* periit], sicut et his qui modo adversantur praedicationi praedicti filii nostri et servorum Dei, quia post vos sunt, certa remanet perditio. Tu tamen illius bonam voluntatem precibus adjuvare, exhortationibus admonere, ut viriliter agat, nullatenus desiste: quia in salute illius prosperitas vestra consistit, et in profectu voluntatis [Col. 0247B] bonae nobis omnibus merces apud Deum reputabitur. Quia ego, licet indignus Pater, nutrivi, educavi, et ad perfectum perduxi virum quem vos elegistis in pontificatus honorem. Saepius admone illum de precationis [*F.,* praedicationis] verbi Dei instantia et patientiae bono, quae valde necessaria est illi habitanti inter lupos et serpentes. Memor sit dicentis Christi: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. Item mente saepissime consideret quid ipsa Veritas discipulis suis praecepisset, dum eos ad praedicationis direxit officium: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Cavete ab hominibus **(Matth. X, 16, 17)**. Admone illum diligentius, ne sit saeculi amator, ne adulatoribus consentiens, ne propter [Col. 0247C] propinquorum turbam suum cupiditatibus terrarum vel divitiarum involvat animum, sed divino rigore regiam viam in omnibus ubique teneat. Melior est Christus propinquus et amicus, quam totius saeculi numerosa propinquitas vel amicitia.

Vide quid charitas facit. Dum te admonere familiari stylo exorsus sum, repente me charitatis flamma transtulit ad illum. Sed ignosce mihi, quod haec pauca de illius profectu tibi destinatis inserui litterulis: optans te et in hac paternae fidei felicitate proficere coram Deo, ut sis in omnibus illius veritatis assertor, non falsitatis adulator. Bene quidam adulatorem definivit dicens: *Adulator est blandus inimicus:* et verum ait; plurimi namque sunt adulatores divitum, et pauci admonitores. Et melior est [Col. 0247D] unus suasor veritatis quam mille adulatores falsitatis. Quaproter hoc vitium omnimodis tibi caveas, charissime fili, et semper sermo tuus veritate vigeat. Licet veritas rugosam habeat frontem, tamen solidum habere solet consilium. Si pro omni otioso verbo

reddituri erimus rationem **(Matth. XII, 36)**, quanto magis pro noxio vel fallaci? *Os quod mentitur occidit animam* **(Sap. I, 11)**. Pro veritatis officio sermo est homini datus, non falsitatis iniquitate. Nunquam adulator verus est amicus, sed blandus, ut dicitur, inimicus. Gladium melle litum porriges [Col. 0248A] amico. Melius est cauterio sanare vulnus, quam blandimentis nutrire, ut pejor [pejus] fiat.

Consideret sagacitas tua tempus, locum et personam; quo tempore, quo loco, cui personae quid dicendum sit. Quae optime in libro beati Gregorii, qui Pastoralis dicitur, legi et discerni possunt. Nunquam sacra lectio temporibus opportunis de manibus recedat tuis. Vices suas habeant lectio et oratio. Et non nox, neque dies protrahatur in conviviis vel ebrietatibus, aut confabulationibus non necessariis. Inter pocula sonus et sermo aedificationis audiatur coram admonentibus [*F.,* admanentibus] vel palam omnibus, vel cuilibet considenti. Puerilis aetas tuis sermonibus a flamma servetur vitiorum, quatenus aetas illorum tibi proficiat in mercedem perpetuae remunerationis. [Col. 0248B] Non tibi sit vilis anima, pro qua Dominus omnium mori dignatus est. Ne dicas in animo, quid ad me pertinet, sive bene, sive male faciat? Ubi est charitas, si errantem corrigere non curas? Memento Apostolum dicentem: *Quis scandalizatur, et ego non uror* **(II Cor. XI, 29)**? Alterius peccatum, suum fecit dolorem. Quid habes Redemptori tuo et Judici omnium in die magno ostendere, si animas non habes, tuo labore redemptas a diaboli servitute, ostendendas? Quantas in hoc exsilio tuis doctrinis ab iniquitate revocas, et in viam veritatis reducis, procul dubio tantas recipies mercedes in die illa. Ideo non cesset charitas operandi bona omnibus: non cesset lingua loquendi de bonis ad omnes, hos precibus persuadens, illos severitate castigans, secundum [Col. 0248C] modum uniuscujusque aetatis vel personae. Esto lucerna in domo Dei, et per te plurimi illuminentur, et a tenebris vitiorum in viam perpetuae lucis revocentur. Non deerit tibi gratia adjuvantis Dei, si inerit voluntas admonitionis sanctae. Scribe Evangelium {77} in corde tuo, et in memoria maneant miracula, vel verba Domini nostri Jesu Christi . et saepius psalmorum vice canito Evangelium, maxime secundum Joannem, ubi altiora leguntur inesse mysteria: in quo ego de Patrum libellis laboro
@ [Col. 0248D] *Expositionem.* Quam postea circa annum 800 absolvit; eam vide infra parte II Operum. Expositionem brevi sermone peragere: opus necessarium, vobisque jucundum, si donante Deo perficiatur, et ad vos pervenire poterit.

Tu vero pacem cum omnibus [*F.,* hominibus] habeas, bellum cum vitiis, concordiam cum fratribus, [Col. 0248D] moresque jucundos cum eis qui sanctorum moribus consociantur et vivunt: patienterque tuas suffer injurias; vel magis dimitte, ut dimittatur tibi. Esto in cibo modestus, in poculo parcus, in loquendo sobrius, in vigiliis devotus, ad omne opus Dei promptus, pius ad pauperes et infirmos, consolator moerentium, adjutor laborantium, compatiens miseriis omnium, largus in eleemosynis secundum vires habendi, memorans evangelicae viduae duo minuta, prophetamque dicentem: *Frange esurienti panem tuum* **(Isai. LVIII, 7)**. Cave te, praevidens discretionem eleemosynae in [Col. 0249A] utroque, et danti et accipienti, solatium esse. Ubique discretio optime valet, quae
@ [Col. 0249D] *Inter monachos.* Inde colligas, Calvinum monachum fuisse in eadem cella S. Stephani. inter monachos mater virtutum esse dicitur, Salomone attestante: *Palpebrae tuae praecedant gressus tuos* **(Prov. IV, 25)**, id est, discretio actus tuos. Cui sententiae

et Apostolus consonat, ubi ait: *Omnia vestra honeste cum ordine fiant* **(I Cor. XIV, 40)**. Et comicus quidam ait: *Ne quid nimis.* In omni re temperantia servanda est, quae est via regia totius vitae nostrae, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinans, sed caute et sapienter incedens, quasi providus viator ad supernae civitatis arcem properans, ambulans *de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion* **(Psal. LXXXIII, 8)**; id est, in specula aeternae beatitudinis, quae est omnium sanctorum merces et retributio laboris sui. [Col. 0249B] Ibi *beati mundo corde, quia Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**. Ibi *beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum coelorum* **(Ibid., 10)**. Ibi *beati qui habitant in domo Domini, quia in saeculum saeculi laudabunt eum* **(Psal. LXXXIII, 5)**.

Hanc habeto chartulam, dilectissime fili, sociam tibi, vice paternae charitatis tibi loquentem in corde, te admonentem non solum de salute tua, verum etiam de multorum profectu et prosperitate, meque ipsum tuo pectore quotidie commendantem, ut vera nos charitas florere faciat in praeceptis Christi Dei, cui laus et gloria in saecula sempiterna.

{78}
@ [Col. 0249D] Hanc epistolam nunquam antea editam descripsimus ex cod. ms. Salisb.; data eodem tempore quo illa ad Athelardum, quae sequitur. (Apud Froben. 59.)

EPISTOLA LXXIV AD GENTEM ET POPULUM CANTUARIORUM. (Anno 797.)

Illorum fidem ac nobilitatem laudibus extollit; sacerdotes ac nobiles adhortatur: calamitates deplorat; et ut archiepiscopum Aedilhardum a fuga reducere conentur, suadet.[Col. 0249C]

Nobilissimae genti et populo laudabili, et regno imperiali Cantuariorum humilis levita Alcuinus salutem.

Vestri decoris et vestrae salutis valde cupidus has paucas litterulas, ob nimiam vestrae prosperitatis dilectionem, in commune vobis dirigere curavi. Vos vero principium salutis Anglorum, initium prosperitatis, portus intrantium, triumphi laus, sapientiae origo, et a vobis imperii potestas prima processit, et fidei catholicae origo exorta est. Apud vos clarissima lumina Britanniae requiescunt, per quos lux veritatis [Col. 0249D] per totam Britanniam emicuit. In vobis utrumque, et philosophicae disciplinae decus emicuit, et sacrae religionis claritas effulsit. In vobis vero fuerunt simul et religiosi doctores ecclesiasticae fidei, et sapientissimi principes regalis dignitatis, et viri fortissimi [Col. 0250A] in bello, et justissimi in judiciis; morum nobilitate conspicui, consiliis providi, pietate laudabiles, facie honorabiles, vultu venerabiles, et omni dignitate clarissimi. Haec vos, viri sapientissimi, in quibus modo Cantiae decus consistit, diligenter considerate, et longas successiones nobilissimorum parentum vestrorum imitare studeamini [*Ms.,* studimini].

Primo omnium, qui in Ecclesia Christi Deo deserviunt [*Ms.,* deserviant], discant diligenter quomodo Deo placeant **(Coloss. I, 10)**, quomodo fidem catholicam, quam

primum doctores nostri in eis fundaverunt, obtinere firmiter et praedicare valeant; quia ignorantia Scripturarum ignorantia Dei est: et si caecus caecum ducit, cadunt ambo in foveam **(Matth. XV, 14)**; et econtra multitudo sapientium salus est populi [Col. 0250B] **(Sap. VI, 26)**. Adducite vobis doctores et magistros sanctae Scripturae, ne sit inopia apud vos verbi Dei; aut vobis desit, qui populum Dei regere valeat; ne fons veritatis in vobis exsiccetur. Nolite vos contra ecclesiasticam consuetudinem vanitate vestimentorum ornare, sed moribus vos ostendite nobiles et ornatos, et praedicatione verbi Dei paratos, ut laici et vestri bellatores per vos fortes efficiantur, et populus viam salutis incedat.

Similiter nobiles qui sunt in populo suas dignitates cum consiliis regant, et populo per justitiam praesint, amantes paterna statuta in judiciis magis quam pecuniam, quae subvertit verba justorum, et unanimi consilio, quod bonum sit, genti vestrae viriliter faciant: et rectores vobis praeponite nobilitate claros, [Col. 0250C] morum dignitate pios, justitiae decore honorabiles, quatenus divina misericordia vestram gentem gubernare, et conservare, et exaltare dignetur.

Imminet vero maximum insulae huic et populo habitanti in ea periculum. Ecce quod nunquam antea auditum fuit,
@ [Col. 0249D] *Populus paganus.* Dani nimirum, qui littora Britanniae vastare coeperunt anno 793, saepius postea redeuntes. populus paganus solet vastare piratico latrocinio littora nostra: et illi ipsi populi Anglorum, et regna et reges dissentiunt inter se; et
@ [Col. 0249D] *Vix aliquis modo. . . .* ex antiqua regum prosapia invenitur. Ea de re audiendus Malmesb. libro I de Reg. Angl., c. 1: «Post illos (Withredi liberos, et Cantii reges, quorum ultimus erat Alricus, qui [Col. 0250D] anno 794 obiit) nobile regum germen exaruit, generosus sanguis effriguit. Tunc impudentissimus quisque, cui vel lingua divitias, vel factio terrorem comparaverat, ad tyrannidem anhelare, tunc regio insigni abuti. Quorum Aedilbertus, idemque Pren, cum biennio Cantuaritis imperitaret, in Mercios majora viribus ausus et ab eisdem captus, vinculis manus, corpus captivitati praebuit.» vix aliquis modo, quod sine lacrymis non dicam, ex antiqua regum prosapia invenitur, et tanto incertiores sunt originis, quanto minores [*Cod.* Harleianus, incertioris . . . minoris] sunt fortitudinis. Similiter et per ecclesias Christi perierunt doctores veritatis; omnes pene vanitates saeculares sequuntur, et disciplinas regulares odio habent: et bellatores [Col. 0250D] illorum magis avaritiae student quam justitiae. Discite
@ [Col. 0250D] *Gylbum.* Leg. *Gildam.* Ejus Vitam dederunt hagiographi Antwerpienses 29 Jan. Epistola illius de Excidio Britanniae exstat tom. VIII Bibl. SS. PP., edit. Lugd., pag. 707. Gylbum [*Id cod.,* Giraldum] Brettonem sapientissimum, et videte ex quibus causis parentes Brittonum perdiderunt regnum et patriam: et considerate vosmetipsos, et in vobis pene similia invenietis. Timete [Col. 0251A] vobis ipsius Veritatis sententiam, quam in ea Ecclesiam expressit dicens: *Omne regnum in se divisum non stabit* **(Luc. XI, 17)**. Ecce divisio quanta est inter populos et gentes Anglorum, et ideo in seipsis deficiunt, quia inter seipsos pacem non servant {79} et fidem.
@ [Col. 0251D] *Revocate . . . .* Aedilhardum. Qui nuper fugiendo impios invasores regni sedem suam ad tempus reliquerat. Vide epistolam sequentem. Revocate ad vos, si vobis videatur, episcopum vestrum Aedilhardum, virum venerabilem et sapientem, et ejus consilio in melius regni vestri statum corroborate, emendantes in moribus quae Deo

displiceant, et ea studete facere quae ejus misericordiam super vos valeant revocare. Non est bonum, ut sedes sancti Augustini primi praedicatoris nostri vacua permaneat; et alius non potest ullatenus in ejus ordinari locum. Perditio populi est ubique, sacerdotibus suis non obedire, et praedicatores [Col. 0251B] salutis a se expellere. Subjicite vos humiliter pontifici vestro et praedicatori salutis vestrae, quatenus divina vos gratia in omnibus operibus vestris consequatur. Credite mihi, nullatenus aliter Deum vobis propitium habere potestis: per illum potestis, credo, pacem habere praesentem, et salutem sperare sempiternam. Inite consilium prosperitatis vestrae, et viriliter facite, quod bonum inveniatis, et convertimini ad preces et orationes et jejunia, quatenus divina vobis propitietur misericordia, et conservet vos in laude et salute vestra, et concedat vobis incolumem habitationem in patria vestra, et gloriosum in aeterna patria imperium. Dextera omnipotentis Dei vos protegat et regat, et exaltare dignetur praesenti felicitate, et aeterna beatitudine, viri fratres desiderabiles [Col. 0251C] et venerabiles.

@ [Col. 0251D] Epistolae hujus partem Guil. Malmesburiensis citat, lib. I de Gestis pont. Angl. in Ethelardo. Cl. Quercetanus majorem illius partem inter epistolas Alcuini n. 97 edidit, sed initio truncatam, et alteri, quae est ad Carolum Magnum, assutam. Integram ex ms. cl. Usser. dedit David Wilkins, tom. I Concil. Britanniae et Hiberniae, pag. 159, illamque ascribit anno 2 Leonis papae III, quinto Athelardi archiepiscopi Cantuar., Christi 797. (Apud Froben. 60.)

EPISTOLA LXXV. AD ATHELARDUM, CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 797.)

Hortatur ut propter fugam a sede sua poenitentiam agat, et Ecclesiam ordinet; clerum a vanitate vestimentorum et immoderato conviviorum usu cohibeat.

Summae dignitatis viro, atque ecclesiasticae bonitatis Patri Athelhardo, archiepiscopo, fidelis filius Alcuinus perpetuae bonitatis in Christo salutem.

Dulcissima charitatis verba filius noster per vos revertens retulit, simul et amabilia benignitatis vestrae munuscula habuit in manibus; in quibus laetatus, te olim condictam etiam agnovi in memoria [Col. 0251D] habere amicitiam, sicut in viro perfecto veritas semper probata fulgescit. Unde tuae bonitati gratias ago, ex toto cordis desiderio optans, te longaeva prosperitate [Col. 0252A] populo praeesse Christiano, et sanctam sedem dignis exaltare honoribus; quam ad tempus,

@ [Col. 0251D] *Propter impios invasores regni.* Hinc constat Aethelhardum, non attentis prioribus Alcuini litteris ex consilio suorum sacerdotum a sua sede ad tempus abiisse. [Col. 0252D] Inter hos invasores praecipuus forte Aedilbertus cognomento *Pren,* qui in Cantiorum regno Alrico successit, *vel* potius, ut Alfordus ait, *regiam dignitatem tunc praesumpsit;* is fortassis Aethelhardum, qui Kenulfo Merciorum regi adhaeserat, durante sua usurpatione ultra modum vexatum sede sua cedere compulit; quem postea idem Kenulfus anno sc. 798 expugnato Cantio, regno amovit. Vid. epist. priorem ad Gent. et pop. Cantuariorum. NB. Corrigendus Alfordus, qui hanc epistolam anno 790 ad Lambertum archiepiscopum Dorovernensem datam existimavit (*n.* 2-9). propter

impios invasores regni, dereliquisti secundum consilia sacerdotum Christi, ut praefatus mihi referebat puer. De qua re, quid sentirem, tua me veneranda per illum auctoritas interrogare ratum putavit. Quid mea parvitas aliud habet dicere, nisi sanctorum Christi sacerdotum assentire consilio? si tamen tantum habent auctoritatem illius suggestionis, ut lupo veniente pastor fugere debeat, quanta est evangelica excellentia, quae {80} mercenarium nominat, non pastorem, qui lupi rabiem timidus aufugit **(Joan. X, 12, 13)**. Forte objiciunt, Veritate dicente: *Si persecuti vos fuerint in hac civitate, fugite in aliam* **(Matth. X, 23)**. Discernendum tamen est de cujus [Col. 0252B] temporis fuga, vel de qua persecutione hoc dictum est, et

@ [Col. 0252D] Quae hic sequuntur, in edit. Quercet. pag. 1623 assuta fuerant epistolae *ad.* Quemdam. Nempe ad Carolum, quae est 14 (nunc 17). de quibus iterum ipsa Veritas dicat: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, mercenarius autem fugit* **(Joan. X, 11, 12)**. Quod optime in homiliis beati Gregorii papae, praedicatoris nostri, per te legens intelligere poteris. Tu tibi ipsi conscius es, pro qua causa reliqueris sedem tuam; si timore mortis aut tormentorum immanitate, aut idololatriae exsecratione: sicut olim sanctissimus ejusdem sedis pontifex Laurentius velle legitur; qui tamen apostolica auctoritate castigatus, ab incepto resipuit [*Al.,* resipiscit] consilio. Tamen quaecunque causa fuerit, bonum videtur, charitatis meae consideratione, ut poenitentia inde agatur. Quod, ut videtur, honeste fieri poterit, si communi totius gentis [Col. 0252C] consensu jejunium indicatur (tu propter relictam sedem, illi propter acceptum errorem) ut Deus vobis omnibus propitietur. Orationes quoque, et eleemosynae et missarum solemnia fiant diligenter ubique, ut Deus deleat quidquid inde a quolibet vestrum actum est. Tua quoque veneranda sapientia specialiter deducat in domum Dei lectionis studium, ut sint ibi legentes juvenes et chorus canentium et librorum exercitatio, ut per tuam diligentiam renovetur illius sanctae Ecclesiae dignitas, ut habeant unde in seipsis possint eligere sibi pontificem. Simul et praedicatio tua in omnibus locis fiat, sive pro episcopis omnibus in communi synodo, de justis ordinationibus et praedicationis instantia, et officiis ecclesiasticis, et baptismi sanctitate, et eleemosynarum largitione: sive [Col. 0252D] pro pauperum cura per singulas ecclesias atque parochias, maxime in veneranda gente cui te Deus pastorem praeesse voluit. Saepe miles vulneratus fortius [Col. 0253A] pugnat, sicut bos lassus fortius figit ungulam. Sicut diabolus laetatus est de fuga, fac ut gaudeat Christus de multiplici animarum a te profectu; et tua merces major crescat, dicente ipsa Veritate: *Majus gaudium est in coelis coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem qui non indigent poenitentia* **(Luc. XV, 7)**. Haec omnia omnino diligentissime considerans, in Christi charitate semper proficias; amans illum ex toto corde, tota virtute et tota mente, qui te exaltavit, honorificavit et conservavit in diem salutis tuae.

Vanissimum vero vestimentorum cultum, et conviviorum immoderatum usum omnino, quantum valeas, expellere a te tuisque consacerdotibus, vel magis [Col. 0253B] omni clero et ecclesiasticae dignitatis gradibus diligentissime studeas. Beatus Petrus, princeps apostolorum, trinam negationis maculam **(Joan. XXI, 15)** triplici confessionis veritate abluit; tu fugam simplicis erroris multiplici praedicationis bono ablue. Et ut maxime sanctarum Scripturarum lectio per tuam sanctissimam curam renovetur, et ecclesiastica dignitas ubique exaltetur, et sancta sedes, quae prima fuit in fide, prima sit in omni sapientia, et sanctitate, et honore; ut ibi interrogans inveniat, ignorans discat quod

cupiat, sciens videat quod laudet. Et ut Ecclesiae unitas, quae partim discissa est non rationabili, ut videtur, consideratione, sed quadam potestatis [*Malmesb.,* pietatis] cupiditate,

@ [Col. 0253D] *Si fieri possit.* Malmesburiensis ita legit: «Quod si fieri possit ut pacifice adunetur, et scissio resarciatur, bonum videtur esse, cum consilio omnium sacerdotum Christi et coepiscopi vestri Eboracensis Ecclesiae, ut fiat; ita tamen,» etc. si fieri possit, pacifice adunetur, et scissio resarciatur, bonum videtur [Col. 0253C] esse cum consilio omnium sacerdotum Christi et coepiscopi [*Usserius legit, coepiscopis*] Eboracensis Ecclesiae deliberare; ita tamen, ut

@ [Col. 0253D] *Pius pater.* Nimirum Aldulfus seu Advulfus episcopus Liccidfeldensis, quem quidem Offa rex Merciorum archiepiscopali honore et pallio insigniri curaverat, abstractis primati Cantuariensi omnibus Merciorum ecclesiis; sedis tamen suae dignitatem reparavit Athelardus, negotium promovente scriptis suo et omnium Britanniae episcoporum nomine ad Leonem III litteris Kenulfo rege, Offae et Egfridi successore. **(Mabill. Annal. Bened. lib. XXVI, n. 65, pag. 330.)** Monet igitur hoc loco Alcuinus, ut Liccidfeldensis episcopus metropolitico quidem jure, non vero pallio exuatur; et episcoporum ordinatio, non ad ipsum, sed ad primam sedem, cui nempe dignitas [Col. 0254D] metropolitica competit, id est Cantuariensem recurrat. Vide epistolam priorem. pater pius pallio diebus suis non exuatur, licet ordinatio episcoporum ad sanctam et primam sedem recurrat. Haec omnia tua sanctissima sapientia consideret, ut charitatis concordia fiat inter primos pastores ecclesiarum Christi.

Si quid ergo superflue in his meis litterulis dictaverim, tua sancta patientia benigne, obsecro, suscipiat, nec mihi scribenti imputet, sed tibi jubenti injungat. Nec ego praesumptuosa temeritate egi, sed humili obedientia; considerans, quid multis proficere potuisset, sive culpa esset, sive non esset in [Col. 0253D] fuga. Tamen quantum mea devotio considerare potuit, [Col. 0254A] melius est ea facere {81} quae suadeo; quam omittere. Omnino affectuosa charitate admoneo, ut instanter praedices verbum Dei; hoc est officium tuum, haec merces tua, hi fructus operis, haec sacerdotis dignitas, laus et honor; quatenus multiplici laboris fructu in conspectu Domini Dei sui appareat, et dignus efficiatur desiderabilem audire vocem: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam;* intra in gaudium Domini Dei *tui* **(Matth. XXV, 21, 23)**. Omnipotens Deus paternitatem vestram ad exaltationem sanctae suae Ecclesiae in omni opere perfecto multipliciter florere faciat, sanctissime Pater!

@ [Col. 0254D] Est haec epistola decima apud Canisium, tertia apud Quercetanum (Sexagesima prima apud Froben.). Eam multo auctiorem edidit Quercetanus ex cod. ms. Correctiones aliquot adhibuimus ex cod. Vaticano.

EPISTOLA LXXVI. AD DOMNUM REGEM. (Anno 797, mense Novembri.)

De ratione saltus lunaris. [Col. 0254B]

Domino desiderantissimo et omni sapientiae decore clarissimo David regi Flaccus

Albinus perpetuae pacis et gloriae salutem.

Solent itaque de fonte charitatis saepius verba fluere salutationis; vel si longinquitas terrarum vocis officia neget, apices dilectionis atramento formati multoties recurrant. Idcirco simplici voto deprecor ut liceat nostrae parvitatis chartulam ad vestrae auctoritatis praesentiam saepius recurrere, ferentem quae vel vestrae sapientiae jucunda, vel nostrae parvitati necessaria esse arbitremur: et opportuno tempore Flaccus vester legatur in litteris, qui quondam audiebatur in verbis
@ [Col. 0254D] Hic finis epistolae apud Canisium.. Nam causa hujus praesentis [Col. 0254C] chartulae lunaris saltus effecta est, qui in hac lucenti Luna Novembrii mensis anno circuli decennovennalis novissimo
@ [Col. 0254D] Circuli decennovennalis annus novissimus seu ultimus intra tempus, quo Alcuinus in Francia morabatur, erat annus 797, quo luna quarta decima incidebat XV. Kal. Maii, sicut anno sequenti, qui primus erat circuli decennovennalis, incidit Nonis Aprilis. Qui calculus etiam convenit cum calculo Ven. Bedae, quem vide tom. I Opp. pag. 365 (Patrologiae tomo XC). Igitur praesens epistola abs dubio scripta est eodem anno 797, mense Nov. certissime inspici poterit. Igitur haec luna Novembrii mensis, quae per decem et octo annos tricesima computabatur, in hoc anno praesenti praefati circuli nono decimo, undetricesima computari {82} debet. Ita ut de vicesima nona, quae fit octavas Kal. Decembris, vertatur septima Kal. in primam: et fit die Kal. Decembrium septima, quae juxta regulares epactas sexta computata est; et erunt tres lunae pariter, Octobri scilicet, et Novembri, et Decembri mensis undetricenarum dierum. Quod si quis obstinata mente facere neglexerit, et magis regularibus quam rationi saltus innititur, et vult Novembrii [Col. 0254D] mensis lunam triginta habere dies, et in [Col. 0255A] Kal. Decembris sextam lunam, magno se mox implicaverit errori in quarta decima luna Paschalis festi. Si vero Kal. Decembris sexta computabitur luna, necesse erit ut in Kal. Januarias octava sit luna, et Februario nona, et in Martio octava: et die Kalendarum Aprilium nona, et quartas Nonas ejusdem Aprilis decima; tertias Nonas undecima; pridias Nonas duodecima; Nonas tertia decima, quae juxta rationem Paschalis festi quarta decima debet fieri, sicut ab omnibus in terminis paschalibus verissime decantatur et firmissime tenetur. Et videri potest diligenter considerantibus, quantus error et quam perniciosus in luna quarta decima et in die Dominicae Paschae, et in aetate lunae ejusdem diei oriri poterit, si quis non curaverit unum diem in aetate lunae ratione [Col. 0255B] saltus in Novembrio mense transilire. Etiam nec aetas lunaris in Januario, Februario, Martio et Aprile, regularibus convenit, qui observari debent per decem et novem annos ad cognoscendam diebus Kalendarum aetatem lunae in mensibus singulis.

Est quoque aliud in hujus ratione saltus aliquando difficilius computandum, sed necessario sciendum. Notissimum vero vestrae scio acutissimae prudentiae fore, quod in communibus annis secundum numerum epactarum, quae singulis annis accrescunt undecim diebus; quarta decima luna Paschalis locum prioris quartae decimae undecim [*Al.,* undecima; *Cod.* Vat. duodecim] diebus anticipat. Quod facile est invenire per annos communes. In annis itaque embolismorum [Col. 0255C] decem et novem diebus secundum numerum annorum circuli decennovennalis, quarta decima luna Paschalis transponitur prioris anni quartae decimae: uti detrimentum commune annorum

embolismis suppleatur, et fiat aequalis numerus dierum in decem et novem solaribus, et in decem et novem lunaribus annis. Inter quartam decimam itaque lunam novissimi anni circuli saepe nominati, quae fit quintas decimas Kal. Maias, et quartam decimam primi anni ejusdem circuli, quae fit Nonas Aprilis; non ut caeteris annis communibus undecim, sed duodecim inveniuntur dies; quatenus illa dies, quae in Novembrio mense lunari aetati adempta est, hinc in Aprile inter epactas inveniatur, epactarum vero rationem undecim diebus singulis annis accrescere. Hoc vero anno [Col. 0255D] propter saltum, duodecim dies inter quartam decimam novissimi anni et quartam decimam primi anni reperiuntur: quatenus embolismus hujus anni triginta habeat dies secundum rationem embolismorum, decem et octo novissimi anni epactas; quibus si addideris undecim, qui singulis annis more solito accrescunt, et unum saltus diem, fiunt triginta. Ideo primo anno circuli saepe nominati nullae scribuntur epactae, et a pueris de nullis in undecim decantatur. Sed et si a quintas decimas Kalendas Maias totius lunaris anni dies computantur usque in Nonas Aprilis, non ut caeteris annis tricenteni quinquageni quaterni, sed tricenteni quinquageni terni dies reperiuntur. Nisi forte bissextilis immineat annus, qui unum [Col. 0256A] adjicere solet seu solari seu lunari anno, ut aestimo, diem.

Qualiter vero hujus ratio saltus singulis annis [cycli] decennovennalis in diminutionem unius diei accrescat, diversis modis computatur. Sed haec facilior videtur computatio, ut sciamus, singulis annis cycli decennovennalis unam horam et unum punctum, et novam [*F.,* nonam] decimam partem unius puncti accrescere ad undecim epactarum dies. Ex quibus horis et punctis colligitur unus per novem et decem annos dies. Nam viginti et quatuor horae diem integrum perficiunt; quatuor vero puncti horam faciunt sedecim puncti quatuor horas efficiunt: et tribus punctis, qui supersunt, adde nonas decimas partes unius puncti, et fiunt quatuor puncti, et est una hora. Hanc [Col. 0256B] si addideris {83} quatuor praescriptis horis, fiunt quinque horae; et has quinque horas si adjunxeris decem et novem horis, fiunt viginti quatuor horae, unus dies integer in decem et novem annis juxta *zodiaci jam* [F., zodiacicam] solis et lunae regulam plenus et perfectus. Et ut certius intelligi possit quae sit causa saltus lunaris: hunc vero citior quaedam et velocior hora suae incensionis generat, sicut et undecim dies epactarum annuis temporibus solent facere. Verbi gratia, si modo hujus lunae Novembri mensis incensio sexta hora diei facta est, erit sequenti anno ejusdem lunae unius horae et unius puncti, et nona decima parte unius puncti incensio ante horam sextam: ita ut tota sexta hora et unus punctus quintae horae et nona decima pars unius puncti ejusdem [Col. 0256C] horae anticipetur. Et sic se crescere solet per singulos annos usque in diem integrum, qui fit horarum viginti quatuor.

Haec vestrae excellentissimae [*Cod.* Vat., extollentissimae] sapientiae, mi dulcissime David, in memoriam revocare curavi, non ignota ingerens, sed nota repetens propter opportunitatem praesentis lunae, in qua ratio saltus, ut videtur, maxime consideranda est. Licet non ignoremus aliter alios saltum computare, et inserere velle; tamen propter rationem Paschalis lunae, quae omnimodis inviolabilis et immutabilis permanere debet, secundum antiqua sanctorum Patrum instituta, et totius sanctae Ecclesiae consuetudinem, hic maxime Novembrio mense notandus esse videtur. Ego vero veteris immemor proverbii: [Col. 0256D] Non feres ligna in sylvam, has sub munusculi nomine

litterulas in vestras transmisi divitias: memores vos esse sciens laudatae viduae, quae curato [*Cod.* Vat., aurato] templo duo addidit minuta; et illorum qui pilos caprarum in tabernaculi decorem attulerant **(Exod. XXV, 4 seq.)**. Et dum omnibus estis benigni, omnium in vos favorem revocatis, et cunctis copiose vestra benefaciens pietas cunctorum vobis divitias attrahit, sicut Apostolus ait: *Qui seminat in benedictione, de benedictione metet vitam aeternam* **(II Cor. IX, 6)**.

@ [Col. 0257C] {84} Hanc et sequentem epistolam, seu epistolarum portiones competentes nobis servavit Malmesburiensis lib. I de Gestis pont. Angliae in Ethelardo. Inde illam descripsit Quercetanus Opp. Alcuini pag. 1671. Praesens data esse videtur anno 798, quo Athelardus nomine Kenulfi regis, episcoporum et totius gentis Merciorum, praeprimis vero pro reparanda sedis suae [Col. 0257D] dignitate legatione functus est apud Leonem III pontificem. (Alford., Annales Ecclesiae Anglo-Saxonicae. ad illum annum n. 2 seq.; apud Froben. 62.)

EPISTOLA LXXVII. AD ETHELARDUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM. (Anno 798.)

Romam ituro prosperum iter precatur, suique memoriam rogat apud sanctos apostolos. [Col. 0257A]

Sanctissimo Patri et in membris Christi valde venerando Ethelardo archiepiscopo Alcuinus diaconus in Christi charitate salutem.

Audiens salutem et prosperitatem vestram, et

@ [Col. 0257D] *Conventum.* Suasit nempe Alcuinus in epistola 60 (nunc 75) ut ad scissionem resarciendam cum omnibus sacerdotibus et coepiscopo Eboracensi Eanbaldo consilium iniret. Ex hoc loco, «et ex litteris Kenulfi regis ad Leonem III papam satis constat, inquit Alfordus, Ethelardum prius episcoporum synodum collegisse, quam Romanum iter aggrederetur, ut quod ipse Leoni proponeret, non tam e suo quam omnium ordinum ore suffragioque loqueretur.» conventum cum Eanbaldo Eboracensi archiepiscopo filio meo, satis mihi placuit speranti ex vestrae colloquio sanctitatis honorem sanctae ecclesiae exaltari, et Deo in eas servientium corrigi vitam. Ideo suasi

@ [Col. 0257D] *Aliis litterarum apicibus.* Vid. epist. 60 (nunc 75). aliis litterarum mearum apicibus, sanctitatem vestram permanere in patria, nolens lumen Britanniae exstingui. [Col. 0257B] Sed fiat quomodo Deo placet ut proficiat Christi Ecclesiis. Prosperum iter faciat vobis Deus, angeloque ejus comitante prospere vos ducat atque reducat **(Tob. V, 20, 21)**, dulcissime et amantissime Pater. Maxime autem precor, ut apud sanctos apostolos mei habeatis memoriam, sicut nos apud sanctum Martinum vestri habere dulce habemus.

@ [Col. 0257D] Ex Malmesb. loc. cit. Data fuit haec epistola post reditum Athelardi ex Romano itinere, quem ad annum 798 referendum censet Alfordus n. 3, pag. 686, qui ibidem n. 4 addit: «restitutam quidem Dorovernensis Ecclesiae dignitatem hac prima legatione Ethelardi. . . sed quia in dies occurrebant nova difficultatum [Col. 0258C] argumenta. . . . ideo Romana rursum sedes appellata et Ethelardus iterum sequenti anno

799 in Urbem rediit.» De utraque legatione lege Westmonasteriensem, Chronologum Saxonem, et Vigorniensem, citatos a Pagio ad annum 796, n. 27 et 28. (Apud Froben. 63.)

EPISTOLA LXXVIII. AD ETHELARDUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM. (Anno 798.)

Felicem illi reditum ex Romana legatione, ob reparatam Ecclesiae Cantuariensis dignitatem, precatur.

Domino sanctissimo atque omni honore dignissimo Ethelardo archiepiscopo.

[Col. 0257C] Lectis prosperitatis vestrae litteris, et prosperitate itineris vestri et reversionis in patriam, et qualiter apostolica benignitate suscepti fuistis, toto cordis affectu animoque laetissimo gratias egi Domino Deo sempiterno, qui magno clementiae dono viam vestrae peregrinationis prospero direxit itinere, et dedit vobis gratiam in conspectu Patris apostolici, et legationis effectu et voti compotem redire concessit; et @ [Col. 0258C] *Primi nostri doctoris.* Augustini nempe, Cantuariorum [Col. 0258D] archiepiscopi et Angliae apostoli. Aliam epistolam Alcuinus scripsit ad Athelardum dum Romam proficisci vellet, cujus summam Malmesb. lib. I Reg. Angl. cap. 4 recenset his verbis: «De tenuitate vestium clericalium Alcuinus Athelardum archiepiscopum Cuthberti successorem oblique castigat monens, ut cum Romam vadens Carolum Magnum imperatorem, etc., visitaret, non adduceret clericos vel monachos versicoloribus et pompaticis vestibus indutos, quod non solerent clerici nisi religiosis vestibus amiciri.» primi nostri Doctoris sanctissimam sedem ad pristinum [Col. 0258A] culmen dignitatis per te iterum exaltare dignatus est, quae cujusdam dissensionis scissura, quorumdam invidiosa contentione, ad horam discissa esse videbatur. Felix qui unitatem pacis fraterno amore conservare studet; sed ille multo felicior qui ab aliis disrupta charitatis viscera pro labore ad unius compagem corporis reformare nititur. Igitur nunc, gratia operante divina, membrorum unitate adhaeret capiti proprio, et sacerdotalis dignitas antiquo gratulatur honore, et germana pax inter summos Britanniae pontifices splendescit, et sub duabus metropolitanorum civitatibus una pietatis et concordiae viget voluntas, sicut in litteris vestrae beatitudinis lectum intellexi.
@ [Col. 0258D] Edit. Quercet. 18, ex ms. **(Froben. 64)**. {85}

EPISTOLA LXXIX. AD DOMNUM REGEM. (Anno 798 vel 799.)

Commendat amicos suos ex Anglia Romam profectos. [Col. 0258B]

Domino desiderantissimo David regi Flaccus matricularius, aeternam in Christo salutem.

Dulcedo dilectionis vestrae, et fiducia probatae pietatis, saepius me hortatur vestrae

auctoritati dirigere litterulas, officioque syllabarum indagare, quod fragilitas corporis obstat voluntati implere posse. Sed rerum novitas supervenientium, novos iterum cogit edere apices, ut chartula ferat cordis affectum, et fundat preces ad aures pietatis vestrae: quae nunquam, ut vere fateor, cassatae in conspectu misericordiae [Col. 0258C] vestrae fuerunt. Nec meas pro vestra stabilitate et salute cassatas in conspectu Dei credo, quia libenter divina suscipit gratia lacrymas quae ex charitatis fonte profluunt.

Dictum est mihi, aliquos ex amicis Flacci tui,
@ [Col. 0258D] *Edelardum.* Seu *Aethilardum archiepiscopum Cantuariensem;* qui anno 798, et iterum anno 799 Romam ad Leonem III profectus est, pro resarcienda sedis suae dignitate, tempore Offae regis Merciorum plurimum laesa. Vide epist 60 (nunc 75), ad Adelhardum. Qua occasione Aethilardus cum sociis Carolum regem adire potuit. Edelardum scilicet, Doroensis Ecclesiae metropolitanum, et primae sedis in Britannia pontificem, vestram adire velle pietatem: ministrum quoque olim Offanae regis Ceilmundum de regno Mercionum [*F.,* Merciorum]: [Col. 0259A] sed et Torhcmundum
@ [Col. 0259D] *Hedilredi.* Seu *Ethelredi regis Northumbriae, qui anno 796 a suis occisus est.* Vide epist. 42 (nunc 47) ad Offam regem. (Apud Froben. 65.) Hedilredi regis fidelem famulum, virum in fide probatum, strenuum in armis: qui fortiter sanguinem domini sui vindicavit. Hi omnes mihi valde fuerunt fideles, et adjutores itineris mei, vel meorum defensores puerorum, huc illucque discurrentium. De quibus optimam vestram deprecor clementiam, solita benignitate suscipere eos, quia mihi necessarii fuerunt unusquisque in loco suo. Saepius cognovi sacerdotes religiosos, et in Christi servitio devotos; nec non viros fortes, et fideles in saeculari dignitate, vestrae laudabiles esse aequitati. Nam optimus quisquis, et in sua sibi ipsi probatus conscientia, bonos diligere non dubium est, edoctus omnipotentis Dei exemplo, qui summum est bonum. Et omnis rationabilis creatura, quantum [Col. 0259B] boni habet, ejus bonitate illuminata habere certissimum est. Ipsa Veritate dicente: *Ego sum lux mundi.* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae **(Joan. VIII, 12)**.

Perpetuam Christi tribuat tibi gratia lucem,
Cum sanctis pariter, David amate Deo.
@ [Col. 0259D] Hanc epistolam duplici loco exhibuit Quercetanus; semel pag. 1141 et iterum ex ms. codice castigatiorem et aliquibus etiam locis auctiorem pag. 1465. Data est anno 798, ut ex sequenti colligitur. Vir doctissimus P. Ildeph. Catelinot in sua collectione ms. [Col. 0260D] eam e corpore epistolari eximi volebat, et referri inter Opera liturgica Alcuini. Ego tamen eamdem, ne tot alias de variis quaestionibus dogmaticis, moralibus, philosophicis, ac astronomicis disserentes distrahi oporteret, hic retinendam esse censui.

EPISTOLA LXXX.

@ [Col. 0260D] Alia inscriptio pag. 1141 prioris edit. habet: *Ad Carolum Magnum Galliarum imperatorem.* AD DOMNUM REGEM. (Anno 798, circa tempus Septuagesimae.) *De ratione Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae.*

Benedictus sit Deus Pater omnipotens, qui te creavit et honoravit: et benedictus sit Dominus noster [Col. 0259C] Jesus Christus Filius Dei, qui te redemit et elegit: et benedictus sit Spiritus Paraclitus, qui te illuminavit, et dilatavit cor tuum in omni sapientiae et scientiae claritate, dilectissime David, et dulcissime domine! et benedicta sit sancta Trinitas, unus Deus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui mihi servulo suo, licet indigno, talem concessit dominum, amicum, et adjutorem gratiae suae; qui mihi {86} per servum suum, beatae memoriae magistrum meum, ministrare clementer dignatus est: et benedicta sit potestas et regnum tuum, et filii tui, et filii filiorum tuorum, usque in generationes saeculi sempiternas; et veniat super te et super tuam generationem benedictio sanctorum in die Domini nostri Jesu Christi; cujus sanctissima voluntas [*Al.,* utque [Col. 0259D] sanctissima voluntas tua] semper vigeat, floreat et crescat in corde tuo, clarissime Ecclesiae Christi rector et defensor.

Repletus sum gaudio vestram audiens prosperitatem et exaltationem, et totus jucunditate exhilaratus, dum vestrae beatitudinis litteras accepi, legi et osculatus sum. Unde et aliquid familiarius vestrae dilectioni scribere praesumo, et illatas quaestiunculas [Col. 0260A] venerabili aspectui vestro praesentare. Sciens autem scholasticae eruditionis inquisitionem, et ecclesiasticae disciplinae solertiam, vestrae clarissimae sapientiae et dulcissimae familiaritati gratam esse et jucundam; et quidquid urbanitatis sale conditum cognoscitur, vestris intellectualibus auribus favorabile, et acutissimis scientiae oculis amabile esse probavimus. Unde quod scholastica tironum juventus flaccidis [*Al.,* flaicinis, *forte* Flaccinis, *seu Flaccianis, id est, ipsius Flacci*] ingerere auribus solet, vestrae sanctissimae prudentiae dirigere ratum duximus, et inde solatia responsionis quaerere, unde sophiae flumina manare novimus; tametsi indoctas has videri interrogationes vestrae sanctissimae sapientiae posse fateor. Et ne mea aliquid praesumptuose rusticitas responderet [*Al.,* [Col. 0260B] meae aliquis rusticitati praesumptuose responderet] vestrum laudabile ingenium, et praefulgens eruditionis acumen consulere tutum esse putavimus. Nam velut vermes fenestris involant aestivis, sic auribus meis insident quaestiunculae. Et horum convenientia nunc temporum excitati de ecclesiastico more interrogant, cur septuagesimus, et sexagesimus, vel quinquagesimus ordo per dies Dominicos ante quadragesimum dicatur vel colatur?

Si respondero, Ecclesiae hanc esse consuetudinem et Romana auctoritate hujus religionis ritum esse firmatum; minus illis videtur, auctoritate et consuetudine sola esse responsum, nisi et aliqua ratio addatur auctoritati: quia dicunt, nihil esse sine causa in ecclesiasticis consuetudinibus a doctoribus constitutum [Col. 0260C] praecipuis. Maxime autem titubat illorum sensus quod numerus praedictus ordini dierum non convenit. Ubi dicunt, septuagesimus. ibi non sunt septuaginta dies usque ad resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Similiter nec ubi sexagesimus numerus notatur in diebus Dominicis, nullatenus computo dierum convenit usque ad Pascha. Iterum si dico, synecdochice dictum esse, id est, a parte totum; quae quidem tropica locutio, ut vos optime nostis, Scripturis sanctis usitatissima esse dignoscitur; sicut in tribus diebus et tribus noctibus, quibus Dominus noster Jesus Christus in sepulcro requiescere legitur **(Matth. XII, 40)**, intelligi necesse est, et multis aliis in locis: quae omnia si dicantur, libri excedunt magnitudinem. Addunt tamen quaerere cur septuaginta, [Col. 0260D] vel sexaginta, vel quinquaginta in tali tempore dicuntur? [*Al.,* cur Septuagesima, vel Sexagesima, vel

Quinquagesima in tanto tempore dicantur]? Audivi, dum Romae essem, quosdam dicentes magistros quod Orientales populi novem hebdomadas, et Graeci octo, et Latini septem jejunare soleant; et inde consuetudinem Romanam sumpsisse Ecclesiam, septuagesimos, sexagesimos, et quinquagesimos [*Al.,* ex consuetudine [Col. 0261A] Romana Septuagesimam, Sexagesimam, et Quinquagesimam] nuncupare Dominicos. Hoc quia a talibus non audivi magistris, quorum auctoritati me tradere auderem, omnino confirmare non fui ausus. Quapropter adhuc restat aliquid quaerendum quod tempori conveniat et rationi concordet, et numero non adversetur. Videtur enim mihi septuagesimus dies dici posse propter decem hebdomadas, quae sunt ab ipso die usque ad clausum Paschae [*Al.,* Pascha], quo die alba tolluntur vestimenta a nuper baptizatis. Igitur et in Apostolo legimus: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen* **(Rom. V, 14)**; et significat, usque ad ultima tempora legis, quae per Moysen data est, et decucurrit in Christi Dei nostri tempora. Porro sexagesimus inde dici potest, quia [Col. 0261B] sexaginta sunt dies usque ad medium Paschae, quod erit feria quarta paschalis hebdomadis. Quinquagesimus vero, qui decurrit usque in diem sanctum resurrectionis Dominicae. Quadragenarius etiam numerus cum {87} Dominica sua currit ad mysticum Pascha Hebraeorum, quod Dominus noster Jesus Christus cum discipulis suis celebravit, et nos dicimus Coenam Domini.

Nec typica interpretatio his discordare videtur rationibus. Nam septenarius Spiritui sancto convenire multis in locis sacrae Scripturae noscitur. Unde et post septem hebdomadas Spiritus sanctus missus est de coelo in igneis linguis super centum viginti nomina credentium **(Act. II, 3)**; et septem dona sancti Spiritus legimus in propheta **(Isa. XI, 2, 3)**. Et tunc maxime, [Col. 0261C] dum alba tolluntur a baptizatis vestimenta, per manus impositionem a pontifice Spiritum sanctum accipere conveniens est, qui in baptismo omnium receperunt remissionem peccatorum; et per septem dies in angelico [*Al.,* evangelico] castitatis habitu et luminibus coelestis claritatis sanctis assistere sacrificiis solent. Et senarius numerus perfectioni vitae nostrae concordat, quia in sex diebus omnia opera perfecta fecit Creator omnipotens **(Gen. I, 31, II, 1)**. Et ipse senarius numerus, sicut vestra doctissima novit sagacitas, partibus suis perfectus est. Et quinarius numerus per decades ductus, ad resurrectionem Domini nostri Jesu Christi concurrit, significans nobis remissionem omnium peccatorum esse, et justificationem vitae in Christo. Quadragenarius [Col. 0261D] vero per decadas quater ductus, poenitentiae typum tenere multis in locis constat. Unde et ipse Dominus noster quadraginta diebus jejunavit **(Matth. IV, 2)**, cujus praedicatio prima fuit: *Poenitentiam agite, appropinquavit regnum coelorum* **(Matth. III, 2)**. Et sicut Moyses legem, Elias prophetiam **(Exod. XXXIV, 28; III Reg. XIX, 8)**, ita ipse Dominus noster evangelicam praedicationem quadraginta dierum jejunio dedicavit. Et ut vestra novit ingeniosa et praeclara in omnibus philosophorum disciplinis prudentia, quam mirabiliter quadragenarius numerus, qui poenitentiae, ut diximus, convenit, si per suas partitur divisiones, et per partes suas crescit, usque ad quinquagesimum pervenit, qui est remissionis numerus; quia per [Col. 0262A] poenitentiam ad remissionem peccatorum nostrorum nobis festinandum est.

Sed et aliquid mirabile in hac consideratione et convenientia senarii numeri inveniri potest; et quodammodo principium hujus computationis mirabili fine concordat in

regulis numerorum. Igitur inter septuagesimum et sexagesimum sex reperiuntur dies: similiter inter sexagesimum et quinquagesimum; etiam inter quinquagesimum et quadragesimum senarius invenitur numerus, et fiunt ter sex, et faciunt decem et octo [*Al.,* dies octodecim]. Qui numerus, si rationabiliter consideratur, et dividitur in tres partes aequales, erunt ter sex; et est ratio simpli ad duplum, et significat simplam mortem Dei Christi ad duplam nostram. Quia nos duabus mortibus fuimus obnoxii, [Col. 0262B] id est, animae et carnis [*Al.,* corporis]. Ille vero simpla morte sua et innoxia, duptam destruxit nostram, et simpla resurrectione sua duplam ostendit nobis [*Al.,* nostram], et perdonavit; unam nunc in anima, alteram in die magno adventus sui in corpore, ut sit tunc unus homo gloriosus corpore et anima, qui prius unus fuit mortalis anima et corpore; anima peccato, corpore corruptione.

Similiter, et si finis consideratur calculationis, convenienter huic rationi videtur concordare. Nam inter quintam feriam coenae Dominicae, in qua quadragenarius numerus decurrit; usque ad resurrectionem Domini, id est, Dominicam diem, quo quinquagenarius numerus pervenit, duo sunt dies. Item a Dominica resurrectionis Domini [*Al.,* die], usque ad [Col. 0262C] quartam feriam, quo sexagesimus numerus pervenit, duo sunt dies. Item a quarta feria usque ad sabbatum, ubi septuagesimus numerus impletus est, duo sunt dies. Hi vero dies si junguntur, duo et duo et duo, faciunt sex. Et iste senarius si dividitur in duo et quatuor, eadem simpli et dupli ratio invenietur in eo. Ita haec concordia pertinet ad resurrectionem Domini nostri Jesu Christi: illa prior ad passionem, in qua redempti sumus, et in ista justificati, sicut beatus Apostolus ait: *Christus passus est propter redemptionem nostram, resurrexit autem propter justificationem nostram* **(Rom. IV, 25)**. Potestis ex hac speculatione vestris demonstrare familiaribus, quam jucunda est et utilis arithmeticae disciplinae cognitio; quam et vestrae {88} diligentiae bene notam, et per [Col. 0262D] vos aliis cognitam esse credimus. Plura hinc [*Al.,* plurima ex hinc] dicere potui, sed nolui chartulae excedere modum: et maxime quia non ignoranti scripsi, sed ei qui haec omnia optime novit. Ideo perpaucis haec praelibavi verbis, quia vobis haec omnia esse notissima sciebam. Et ut dictum est, cum sapiente *paucis utendum est verbis* **(Eccle. V, 1)**. Et, *Beatus, qui loquitur in aurem audientem* **(Prov. XX, 12)**, id est intelligentem. Mihi itaque in fine epistolae cum regina Saba dicendum est: *Beati viri tui, et beati servi tui:* Hi qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum: [Col. 0263A] et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam **(III Reg. X, 8 et 9)**.

@ [Col. 0263D] Hanc epistolam, quamvis jam a nobis inter opera B. Caroli Magni recusam, hic exhibemus propter arctam ejus cum praecedenti et sequenti epistola connexionem. (Apud Froben. epist. 66.) EDIT.

EPISTOLA LXXXI. AD ALBINUM ABBATEM.

@ [Col. 0263D] *Epistola.* Edit. Quercetani, pag. 1147. Hic eamdem castigatiorem exhibemus ex codd. Salisb. et S. Emmerami. Utramque de Septuagesima epistolam

scriptam esse anno 798 existimo, quo etiam Alcuinus huic Caroli epistolae respondit per epistolam sequentem. Occasionem de ea re inquirendi praebuerunt ejus discipuli, «eorum tunc temporum convenientia [Col. 0264D] excitati.» Ergo scriptae fuere istae epistolae tempore Septuagesimae ejus anni.

Carolus Magnus respondet priori epistolae de ratione Septuagesimae.

Carolus, gratia Dei, rex Francorum,
@ [Col. 0264D] *Imperator*. Hanc vocem non habent Codd. mss. Salisb. et San-Emmeramianus; nec exstat apud Goldastum, qui hanc epistolam edidit Constitut. imp., tom. III, pag. 137. Omittitur quoque in Chron. Centulensi, apud Pouget., pag. 624, not. *a*. Et bene, nam data est haec epistola antequam Carolus imperator fuisset declaratus, ut diximus in not. antecedente. imperator Longobardorum, ac patricius Romanorum, dilectissimo magistro, nobisque cum amore nominando Albino abbati in Domino nostro Jesu Christo aeternam salutem.

Pervenit ad nos epistola missa a religione prudentiae vestrae, quae post laudes et benedictiones omnipotenti Deo debitas, nobis et progeniei nostrae, benedictionem optabilem cum summa benevolentia [Col. 0263B] [*Al.,* summamque benevolentiam] detulit. Post haec textus illius inquirendo subsecutus [*Al.,* subjectus] est, cur Septuagesima et Sexagesima, nec non et Quinquagesima in ordine per dies dominicos ante Quadragesimam dicatur, vel scribatur. Inde arrepta ratione per campos arithmeticae artis, quidquid ex hac re vestra sensit industria, se extendendo nobis pleniter significare studuit [*Al.,* statuit]. Sed dum mens nostra huc illucque discurreret, solerti indagatione consideravimus, non solum infra [*Al.,* intra] praescriptos a vobis dies, sed etiam per singulas hebdomadas, nec non et per totum anni circuli [*Gold.,* circulum] spatium [*Gold.* om. spatium], per intervalla horarum ac punctorum seu momentorum; mysteria numerorum posse ab his qui hujus artis [Col. 0263C] peritia imbuti sunt reperiri. Unde quia tuae charitati placuit nostram regalem aulam hac de re consulere, quidquid inde sentit [*Al.,* sensit] nostra serenitas, sermone commatico tibi patefacere non negamus [*Al.,* negavimus].

Exigente igitur inquisitione, et consideratione quaerendum est, cur [*Al.,* considerata, cur; *Gold.,* considerata ratione cur] alii sex, alii septem, alii octo, nonnulli vero novem abstineant hebdomadas? Argumentum sensus nostri tuae familiaritati per hos apices significare studemus. Qui enim [*Cod.* ms. S. Emmerami, Quod sic solvendum est; qui enim] sex hebdomadas observantes se abstinentiae tradunt, subtractis sex diebus dominicis, in quibus jejunare minime licet, decimas dierum dantes [*Gold.,* dantes [Col. 0263D] dierum] corporis sui, triginta sex dies, sicut beatus Gregorius mirabilis doctor edocet, jejunant; et hoc tempus, licet in ipso duo superesse videantur dies usque ad sanctam Resurrectionem, Quadragesimam doctoribus sanctae Dei Ecclesiae {89} nominari placuit. Religione vero crescente a Telesphoro pontifice, qui [Col. 0264A] post Petrum apostolorum principem nonus in sancta Romana Ecclesia claruit, septem hebdomadae in abstinentia dedicatae sunt; et noc tempus, quo alio nomine rectius vocari quam Quinquagesima in ordine rationabiliter debuerit [*Al.,* debuit; *Gold.* vocare, quam Quinquagesimam . . . debuerunt]? Ex hinc et deinceps collecta ratione, qui octo

hebdomadis [*Al.,* hebdomadas; *Gold.* addit: observare studuerunt, Sexagesimam gradatim], Sexagesimam gradatim nominaverunt. Similiter qui novem, Septuagesimae, juxta praefatam rationem, nomen imposuerunt, et non ob numerum [*Al.,* ordinem numerorum] hebdomadarum vel dierum, sed tenorem nominis [*Al.,* numeris] servantes haec nomina censuerunt [*Al.,* composuerunt]. Velut, siqui nunc fuissent, qui decimam [Col. 0264B] hebdomadam addere pro aliqua justa ratione voluissent, et propter numerum hebdomadarum decagesimam [*Al.,* Decimagesimam], seu quolibet alio nomine, vel propter numerum dierum Septuagesimam, vel octuagesimam, ordine servato vocabulorum, tramite recto pergendo nuncupare debuissent.

Quia igitur, gratia divina opitulante, prout nobis visum fuit, de nomine Septuagesimae et Sexagesimae [*Al.,* Quadragesimae], ac Quinquagesimae, tuae charitati scripsimus, nunc stylo percurrente de observantia et cultu harum (hebdomadarum) juxta capacitatem [*Gold.,* sagacitatem] sensus nostri tibi scribere curavimus. Quinquagesima vero ideo dicitur, et observatur a nonnullis, ut et decimas dierum, jejunando, omnipotenti Deo offerre valeant, et imitari [Col. 0264C] Dominum nostrum Jesum Christum, qui quadraginta diebus jejunium sacratissimum implevit. A Quinquagesima namque usque in Pascha septem hebdomadae sunt, quae faciunt dies quinquaginta: ex quibus si octo dies dominicos subtraxeris, in quibus jejunium non licet observare, remanent quadraginta duo dies, et hi duo dies, quinta [*Gold.,* sexta, *mendose*] videlicet et septima feria, qui quadragenarium numerum excedunt, apud quosdam jejunio dedicantur; apud quosdam in veneratione [*Al.,* refectione] propter Coenam dominicam et sanctum Sabbatum habentur. Sexagesima autem, ut aestimamus, propterea a nonnullis observatur, ut et decimas dierum corporis sui [*Al.,* corporibus suis] omnipotenti Deo dare possint, et Dominum nostrum Jesum Christum [Col. 0264D] in quadragenario numero particulatim jejunando imitari, et ut primam, vel quintam feriam a jejunio vacare valeant. A Sexagesima quippe usque in sanctum diem Resurrectionis dominicae octo hebdomadae sunt, ex quibus si de singulis hebdomadibus primam et quintam feriam subtraxeris, et ipsum diem sanctum [Col. 0265A] Paschae, quadraginta tantum dies remanent in abstinentia. Melchiades vero natione Afer, vir per omnia apostolicus, tricesimus quartus post sanctum Petrum, cui successit beatus Silvester in cathedra [*Al.,* cathedram] apostolicae dignitatis; hic constituit ut nulla ratione, in prima vel quinta feria, jejunium quis de fidelibus agere praesumeret.
@ [Col. 0265D] *Nam cur* . . . In Cod. ms. San-Emmeramiano ita legitur: *Nam qur in prima feria jejunium non fiat ipso tradente Salvatore, non est necessitas texendo replicari.* Nam cur in prima feria jejunium ipso tradente solvatur, non est necessitas texendo replicare. Quintam vero arbitrati sumus, propter magna mysteria, quae in ea continentur, ab eo solutam. In ipsa namque sanctum chrisma conficitur ad abluendas totius mundi primae originis culpas [*Al.,* abluendam . . . . culpam]; in ipsa reconciliatio fit poenitentium; in ipsa Redemptor omnium coenando [*Al.,* redemptio omnium caenando] [Col. 0265B] cum discipulis panem fregit, et calicem pariter dedit eis
@ [Col. 0265D] *In figuram.* Cod. ms. S. Emmeramianus, et Goldastus: *In figura.* Haec non intelligenda sensu calvinistico, sed catholico, uti explicantur in opere D. Arnaldi, de Perpetuitate fidei, tom. I, pag. 765. in figuram corporis et sanguinis sui, nobisque profuturum magnum exhibuit Sacramentum **(Matth. XXVI, 26, 27)**. Eo videlicet die, post multa mysteria, Deus et Dominus noster Jesus Christus, videntibus sanctis

discipulis suis gloriosa Ascensione coelos penetravit **(Luc. XXIV, 51; Act. I, 9)**. Sed ne diutius sermo protrahatur; multa te legisse de hac solemnitate in sanctorum venerabilium orthodoxorum Patrum dictis non ignoramus. Septuagesima denique, ut aestimamus, propterea ab aliquibus observatur, ut et decimas dierum Deo [*Al.,* Domino] dare queant; et prima vel quinta, nec non et septima feria jejunium solvere [*Gold.,* observare *mendose*] possint. A Septuagesima vero usque in Pascha, novem hebdomadae [Col. 0265C] sunt, quae faciunt dies sexaginta quatuor [*Gold.,* tres], e quibus, si de unaquaque hebdomada tres praefatos subtraxeris dies, et Paschalem sacratissimum, triginta sex in abstinentia [*Al.,* abstinentiae] remanent dies. Hi vero Sabbatum, in quo Deus ab omnibus operibus requievit **(Gen., II, 2)**, non solum ob superstitionem Judaeorum, nec propter mandata legalia Veteris Testamenti, quae sunt umbra futurorum, sed ne cum Judaeis scandalizent [*Al.,* scandalizentur; *Gold.,* sabbaptizentur], jejunium solvere [*Gold.,* observare, *mendose*] conantur. Ea praecipue causa est, quia vesperascente ipso die, gaudium {90} sanctae resurrectionis a fidelibus honorifice celebratur. Sed quia unusquisque in suo sensu abundat [Col. 0265D] **(Rom. XIV, 5)**, sive hoc, sive aliud sit, salva fide et religione nihil praejudicamus [*Al.,* praejudicavimus; [Col. 0266A] *al.,* prohibetur; *al.,* praedicavimus].

@ [Col. 0265D] *De hoc autem.* Hanc clausulam, quae deerat in Editis, addidimus ex Cod. ms. Salisb., Goldasto, loc. cit., pag. 138, et D'Acherio, Spicil. tom. IV, pag. 470. De hoc autem, quod chartula prosecuta vestra retulit, quod plurima hinc dici possint, sed noluisse te excedere modum chartulae, et maxime quia cum sapienti paucis utendum sit verbis, ita et nos versa vice paucis pauca rescripsimus. Quod autem usurpastis verba reginae Sabae ad Salomonem de beatitudine servorum qui nobis assistunt, et audiunt verba sapientiae nostrae, si hoc verum fore scitis, venite, assistite, audite, et pariter in Domino in pratis vernantibus varietate florum Scripturarum jucundantes delectemur.

@ [Col. 0265D] Haec epistola apud Canisium 13, apud Quercetanum 9, (apud Froben. 67) numeratur; ibi mutila; hic integra. Accedunt nunc emendationes nonnullae ex cod. ms. Reg. Vat. n. 226.

EPISTOLA LXXXII. AD DOMNUM REGEM. (Anno 798.)

Respondet ad epistolam praecedentem, et lunaris saltus supputationes mittit. [Col. 0266B]

Optabilis [*Al.,* et cod. Vat., optata mihi] et diu desiderata vestrae bonitatis litterarum facies subito effulsit, permultoque tempore avidos videndi oculos sanctissimi vestri nominis apices refecerunt. Et, licet aliquid reprehensibile sequenti serie de meis cantitassent litterulis, tamen omnia melliflua dulcedine hausi, dum hoc desiderabile et multum mihi amabile in primo capite nomen apparuit. Gratissimum mihi etiam fore fateor [*Al.,* fatebor], ut vel sic beatitudinis vestrae syllabas mererer osculari: ut quod perpetua et inviolata non potuit promereri dilectio, saltem reprehensionis materia subito extorqueret: sciens meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Nec mirum si [Col. 0266C] tarditas aselli sustineat in dorso flagellum. Ego tardus, ego mei ipsius [*Cod.* Vat., egomet ipsius] immemor, vestrorum forsitan digne puerorum sustinui flagellum. Entellus senior effeto corpore dudum caestus deposuit suos: aetate florentibus cedit illos indui. Ideo aliquis illorum seniorem ingenti pugno percussit, ita ut

caligo obversaretur oculos senioris; et vix resumptis viribus frigidus circa praecordia recaluit sanguis. Et ut ad rem veniam, ac ignorantiae fomentis caput percussi medicari incipiam: ego imperitus, ego ignarus, nesciens Aegyptiacam scholam in palatio Davidicae versari gloriae

@ [Col. 0266D] Hic finis est epistolae apud Canisium.:

@ [Col. 0266D] *Ego abiens.* E schola nempe palatina Turonos. ego abiens Latinos ibi dimisi. Nescio quis subintroduxit

@ [Col. 0266D] {93} *Aegyptios.* Quinam fuerint Aegyptiaci illi praeceptores, conjicere mihi videor ex carmine Theodulfi Aurelianensis episcopi ad Angilbertum: quo in carmine Scottum quemdam in aula degentem ac docentem falsis amarulentisque dicteriis impetit. Nam Scotti ex Hibernia orti olim sequebantur Paschalem circulum Alexandrinorum, qui Pascha lunae quarta decima die, si quando in Dominicam incidisset, celebrabant. Et forsan is erat Clemens Scottus, quem in Gallia ad docendum fuisse relictum a Carolo, tradit monachus Sanct-Gallensis initio libri primi. MABILLONIUS. *Act.* SS. saec. IV part. I, praef., pag. CXXXI. Aegyptios. Nec tam indoctus fui Memphiticae supputationis, [Col. 0266D] quam benevolus Romanae consuetudinis. Annum cum nato Christo, et crescente luce initiare [Col. 0267A] secundum Latinos volens, non cum Aegyptiis, qui tenebrae interpretantur, a supervenientibus tenebris ordiri: quia scio, me olim cum Moyse {91} tenebras Aegyptiorum relinquere, et modo in terra repromissionis, lucis et laetitiae cum Jesu duce nostro libertate honoratus stare, et nullatenus, secundum quod dux meus, imo et Dominus noster dixit, iterum ad Aegyptias redire tenebras.

Unde miror cur pueri vestri annum legitimum a mense Septembrio incipere velint, et partem transacti decennovennalis sequenti connectere circulo, caudam vertentes in caput: et non magis omnibus lunae et siderum augmentis, vel detrimentis explosis, ad novum annum et ad caput supervenientis circuli omnino libere intrare. Libet tamen interrogare [Col. 0267B] hos ipsos pueros, an convenientius videatur unius anni aetates lunares pro regularibus habere et hoc primi anni; vel etiam duorum annorum, id est novissimi circuli decennovennalis, et primi sequentis? Et utrum rationi vicinius sit, in fine circuli decennovennalis saltum interserere, vel in medio quolibet anno? Etiam et hoc velim scire, quomodo computare velint aetates lunares a quinto decimo Kalendas Maii, ubi quarta decima luna

@ [Col. 0267D] *Novissimi anni.* Nempe proxime elapsi 797, quo luna quarta decima incidebat XV Kal. Maii, juxta circulos decennovennales Ven. Bedae. Haec igitur epistola scripta est anno 798. novissimi anni fuit, usque ad Septembrium mensem, in quo mense quinta apud Aegyptiacos pueros cantatur? Quomodo fieri possit ut altera luna semper habeat triginta dies, altera undetriginta, et singulares per omnia in illis mensibus firmiter stare valeant. Et, ut reor, quod in Latinis reprehendent, hoc etiam et in Aegyptiacis [Col. 0267C] inveniunt. Et forte, quod in Novembrio nolunt fieri, necesse est in alio quolibet mense invenire. Nec ego cum quolibet contentiosum funem trahere velim, nec me quaestiunculis inserere aliorum. Unusquisque in suo sensu abundet.

Quod vero in fine epistolae familiariter [et salubriter] me admonere curastis, ut, si quid humiliter emendandum sit, corrigatur; nunquam fui, Deo donante, in errore meo pertinax, nec de meis confidens sensibus. Nec talis ut meliori sententiae facile

acquiescere non valerem, sciens, dictum esse, saepius auribus quam lingua utendum. Hoc omnino vestram sentire sapientiam obsecro, non vobis quasi nescienti, sed quasi probanti scribere: nec quasi ignoranti, [Col. 0267D] sed magis corrigenti, dirigere parvitatis meae sensus. Nec vero evangelica vidua duo minuta injecit gazophylacio **(Marc. XII, 42)** propter indigentiam templi, sed propter devotionem suam. Nec nostra humilitas Deo donaria offert, quasi non habenti, sed magis omnia possidenti **(II Cor. VI, 10)**. Ita etiam parvitas mea non indigenti, sed multum melius intelligenti vobis, si quid scribere tentavero, faciendum veraciter agnosco. Gloria patris filius sapiens **(Prov. XIII, I)**.

Quod vero nota repetere indignum dixistis [*Cod.* [Col. 0268A] Vat., duxistis], nescio quid flaccina rusticitas diviti [*Cod.* Vat., Davidicae] sapientiae ignotum ingerere valeat. Sed si nota et olim audita non licet inferre, quid faciemus de litteris, syllabis etiam, et verbis, quibus uti nobis necesse est quotidie; nisi novae grammaticae artis regulas excogitare incipiamus? Jam mihi multum melius fuit, super mensam deliciarum vestrarum panem manducare mundissimum, quam cum Menalca in pistrinio grana tritici computare, unde panis conficiatur. Si placet, intremus paululum calculatorum pistrillas, vel mathematicorum fuliginosas coquinas: et proferemus unde olim cognita, nunc pene oblita, juxta Virgilii vestri prophetiam. Nam

. . . . saepe ego longos[Col. 0268B] Cantando puerum memini me condere soles. Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoque Flaccum Ipsa fugit. . . . . .

Tamen, ut ad inquisita chartulae vestrae respondeam, non sapientiae divitiis suffultus, sed vestrae auctoritatis litteris instinctus, gremio pietatis vestrae protegendo, pauca de ratione multiplici saltus subjicere curabo. Primum ponam quod in doctorum didici libris; secundo, quod ratione suadendo [*Cod.* Vat., suadente] investigare valui; tertio, quod ex mathematica quondam audita meminisse potui {92} disciplina. Quatenus multiplici modo multiplex lunaris saltus enodetur, Salomone dicente: *Funiculus triplex difficile rumpitur* **(Eccle. IV, 12)**. Item dum de [Col. 0268C] sapientia loquebatur intulit dicens: *Unde eam tibi hodie tripliciter ostendi* **(Prov. XXII, 20)**. Hos ego sensus, sagacissime naturalium rerum inquisitor, et rationis cujuscunque causae devotissime investigator, domine mi David, vestrae auctoritati dirigere studui; non jactantiae typo clarus, sed humilitatis officio devotus, vestris sanctissimis paratus obedire praeceptis. Et si dignum earum litterarum, acutissime [*Cod.* Vat., acutissimis] oculorum obtutibus invenire possis, gratias Deo omnium donorum [*Edit.,* donatorum] largitori mihi agendum scio. Si quid aliter quam meruisti citatim penna perscripserit, mihi putandum [imputandum] esse fateor: vestraeque pietatis [gremio] protegendo, et eximiae bonitatis calamo corrigendum.

[Col. 0268D] Has vero lunaris saltus supputationes aliquas [*Add.,* quas], in

@ [Col. 0268D] *Alterius chartulae.* Haec chartula abs dubio illa est quam infra inter Opera philosophica exhibemus ex ms. reg. Suec. Bibl. Vat. n. 226. Vide etiam infra epist. 84 (nunc 100). alterius chartulae distincte notavi, ut praedixi, ex lectione paternorum sensuum scripsi; alias ex rationis conjectura investigavi; alias mathematicorum variis [supputationibus collegi (*Ex Cod.* Vat. Al., suspicionibus collexi] ne ad vestrae venerandae dignitatis praecepta tacerem, et criminis reus essem, si inobediens tantae

auctoritati viderer. Sciens vos multoque verius et sagacius haec omnia intelligere et investigare posse, tamen Flaccina rusticitatis officia non abnegavi, ut facerem quod jussistis, [Col. 0269A] mercedem obedientiae exspectans, non injuriam reprehensionis sperans, quia assueta vestri cordis bonitas nunquam immutari potest, sed inviolata manet, et semper ad meliora proficiens, donec ad aeternitatis, Domino Deo Dei Filio miserante, cum multiplici meritorum laude perveniat gloriam.

In articulo profectionis servorum vestrorum et nostrae devotionis filiorum, venerunt melliflui dulcissimae auctoritatis

@ [Col. 0269D] *Apices.* Seu epistola Caroli de Septuagesima, quam supra dedimus. Ex hac ergo illius quoque annum, quo data est, cognoscimus. apices, in quibus rationabiliter ad inquisita nostrae parvitatis respondistis, et quasi favum distillans **(Cant. IV, 11)**, ita suavitatis vestrae verba legebam, in quibus et hilaritatem et veritatem agnovi, et gratias agens Deo laudavi utrumque, et sapientiae decorem, et humilitatis vigorem, dum dignati fuistis nostrae rusticitatis chartulam audire, [Col. 0269B] nec solum perlegere, sed etiam et respondere. Etiam et illud amabiliter in illis bonitatis vestrae litteris scriptum reperi, quasi meis verbis dictum, qualiter regina Austri venisset audire sapientiam Salomonis **(III Reg. X)**; et quomodo acclamassem, beatos esse qui assisterent sapientiae Salomonis; et ex his verbis me ad hanc beatitudinem provocare voluistis, quod [gratum, (*Al.,* gratiam)] habeo secundum valetudinem corporis mei, et Dei gratia praeveniente et deducente me prospere ante conspectum beatitudinis vestrae. Tamen sciat misericordia vestra quod haec beatitudo, quam laudaverat regina Austri, non fuit in terra Philistinorum, sed in Hierusalem, id est, in visione pacis. Ideo supplex deprecor ut liceat Flacco tuo ad hanc beatitudinem in terra pacis et laetitiae pervenire, non in [Col. 0269C] terra dissensionis et

@ [Col. 0269D] *Belli.* Saxonici, ut interpretor, quod hoc anno 798 gestum est, et describitur ab Annalista Lambeciano et aliis, apud Pagium hoc anno, n. 4. belli. Quid valet infirmitas Flacci inter arma? quid inter apros lepusculus? quid inter leones agniculus in pace nutritus, educatus, non in praeliis versatus? dum praecepta Domini Dei habetis, timidus domi remaneat, ne faciat alios timere. Et Virgilius Augusto scribens

. . . Tu sectaris apros, ego retia servo.

Hae preces, obsecro, veniant in cor pietatis vestrae, ut libeat vobis et liceat mihi, cum ramis palmarum **(Joan. XII, 13)** et pueris cantantibus occurrere triumpho gloriae vestrae: et Hierusalem optatae patriae et templum sapientissimi Salomonis arte construitur [*F.,* constructum], assistere amabili conspectui vestro, et dicere: Benedictus Dominus Deus, qui adduxit [et reduxit] David dilectum cum prosperitate [Col. 0269D] et salute ad servos suos.

@ [Col. 0269D] Edit. Quercet. 8 ex ms.; hic vero ex cod. ms. biblioth. Vaticanae n. 226 in 8o quibusdam in locis emendatior prodit. Scripta videtur anno eodem quo altera quae statim sequitur, in qua calculum suum de [Col. 0270D] incremento decem horarum et dimidiae hic propositum defendit. (Apud Froben. epist. 68.)

EPISTOLA LXXXIII. AD DOMNUM REGEM. (Anno 798.)

De cursu solis per signa zodiaci; et qualiter inde bissextus emergat? Laudat studium astrologiae, arithmeticae, et omnis philosophiae. Ad confutandum Felicem adjutores postulat, et regem ad defendendam veritatem animat.[Col. 0270A]

Deo dilecto atque a Deo electo David regi, Flaccus in fide et charitate perpetuam in Christo salutem.

Dulcissima [pietatis vestrae (*Edit.,* pietas vestra)] munera mihi
@ [Col. 0270D] *Fredegisus.* An Fridegisus is est, Alcuini discipulus, quem nomine Nathanaelis compellavit in epistola ad Candidum et Nathanaelem? Fredegisus servulus vester attulit. In quibus utrumque, et dilectionem agnovi in me, et sapientiam consideravi in te: quasi quodam modo quatuor dierum munera primordiales quatuor dierum creationes designarent. Et quia prima die lux condita est **(Gen. I, 3, seq.)**, prima die
@ [Col. 0270D] *Lucis materiam.* Oleum. lucis materiam ostendit mihi. Secunda Creator firmamenti pulchritudinem extendit inter aquas et aquas: secunda [Col. 0270B] die in muneribus, vestimenta sacerdotalia divisionem inter corpora sacerdotum et populi demonstrare cognovi. Tertia die, terra cum ornamentis suis apparuit: tertia die, auri laetissima species, quae gremio eruitur terrae, directa est mihi. Quarta die sol honor saeculi cum sideribus coeli inductus [*Cod.* Vat., inditus] est; quarta die, clara quaedam et rotunda in similitudinem solis species,
@ [Col. 0270D] *Honor mensae.* Dolium vino impletum interpretor. honor mensae, allata est mihi, habens viginti septem semicirculos: qui si bis ducantur, erunt quinquaginta quatuor, propter horas lunaris cursus, quibus per singula signa currere solet: habens circulum rotundum in medio, propter solis perpetuam rotunditatem. De cujus cursu praefatus puer mihi retulit, vestram inquirere sapientiam, quomodo
@ [Col. 0270D] *Decem horae et dimidia.* De hac supputatione quaerit epistola sequenti, quid sit immutandum? decem horae et dimidia [Col. 0270C] singulis mensibus accrescere soleant? Cujus rei subtilis ratio est, sed vestrae sagacitati perfacilis ad intelligendum.

Sol igitur primo anno post bissextum, in initio primae horae noctis, intrat in Arietem, et post dies triginta et decem semis horas exiet de Ariete, hoc est, hora undecima noctis tricesimae primae, et secundo puncto. Et tertio puncto undecimae horae ejusdem noctis intrat in Taurum, et ibi moratur triginta dies et decem semis horas. Et exiet de Tauro non ab hora die [*Forte, nona hora diei*] plena. Et ibi habes unam horam ex quatuor punctis in duobus signis. Et fiunt duorum signorum sexaginta dies et viginti una hora. Et decima hora diei intrat in Geminos. Et exiet de Geminis septima hora plena noctis, et [Col. 0270D] duobus punctis octavae horae. Et tertio puncto octavae horae noctis intrat in Cancrum. Et exiet de Cancro sexta hora diei plena. Et ibi habes secundam horam et quatuor punctos duorum signorum. Et fiunt in Geminis et Cancro dies sexaginta et horae viginti una. Habes [*Cod.* Vat., Et habes] in his quatuor [Col. 0271A] signis horas quadraginta duas et dies centum viginti. {94} Et intrat in Leonem septima hora diei. Et exiet de Leone quarta hora noctis, et duobus punctis quintae horae. Et tertio puncto quintae horae noctis intrat in Virginem. Et exiet de Virgine tertia hora diei plena. Et habes unam horam ex quatuor punctis Leonis et Virginis. Et habent sexaginta dies haec duo signa, et horas viginti unam. [

@ [Col. 0271D] Uncis conclusa cod. Vat. omittit. Et fiunt horum sex signorum dies centum octoginta tres.] Et fiunt, ut dixi, dies centum octoginta et duo. Et tertius, dies dimidius ex duodecim horis et tres horae supra quadrantiles. Et intrat sol in Libram hora diei quarta. Et exiet de Libra prima hora diei, et secundo puncto secundae horae noctis. Et intrat in Scorpionem tertio puncto secundae horae noctis. Et [Col. 0271B] exiet de Scorpione duodecima hora noctis plena. Et habes unam horam ex quatuor punctis. Et fiunt horum duorum signorum dies sexaginta et horae viginti una. Et intrat sol in Sagittarium prima hora diei. Et exiet de Sagittario decima hora diei plena, et duobus punctis decimae horae. Et intrat in Capricornum tertio puncto undecimae horae diei. Et exiet de Capricorno hora nona noctis plena. Et habent haec duo signa dies sexaginta et horas viginti unam. Has adde ad suprascripta signa. Et habes dies trecentos et horas centum quinque. Et intrat sol in Aquarium decima hora noctis. Et exiet de Aquario hora octava diei et secundo puncto horae octavae. Et intrat tertio puncto octavae diei [*Cod.* Vat., octavae horae diei] in Pisces. Et exiet de Piscibus sexta hora [Col. 0271C] noctis plena. Et hae sunt sex horae quae de punctis singulorum signorum accrescunt. Et habent haec duo signa sexaginta dies et viginti unam horam. Has adde ad suprascriptos dies vel horas, et fiunt dies duodecim signorum 360, et horae 126. Partire centum viginti horas per viginti quatuor, et fiunt quinquies viginti quatuor, quod sunt quinque dies. Et erunt totius anni trecenteni sexageni et quinque dies et sex horae, quia antea [*Cod.* Vat., quas ante] habuisti 126 horas. Hae sex horae per quadriennium ductae faciunt viginti quatuor horas, quod est unus dies, quem Latini bissextum vocant. Et si non adderetur in Februario quarto anno haec dies, intraret itaque sol quartas decimas Kal. Aprilis prima hora noctis in Arietem: et post centum viginti annos tarditas [Col. 0271D] solis, dum Arietem intrare debuisset, intrasset itaque in Taurum; ne dies triginta in centum viginti annis bissextiles augerentur cursu illius.

[Hae et hujusmodi rationes tam suaves sunt in consideratione scientibus, ut caeterae artes philosophiae solent esse discenti et intelligenti eas]
@ [Col. 0271D] Ita vera lectio restituitur ex cod. Vaticano. Corrupta enim apud Quercetanum talis erat: *Haec in hujusmodi rationes tam suavescunt, et consideratio nescientibus, ut caeterae artes philosophiae solent esse discenti* [Col. 0272D] et intelligentias.. Nam philosophi non fuerunt conditores harum artium, sed inventores. Nam Creator omnium rerum condidit eas in naturas sicut voluit. Illi vero, qui sapientiores [Col. 0272A] erant in mundo, inventores erant harum artium in naturis rerum, sicut de sole et luna et stellis facile potes intelligere. Quid aliud in sole et luna et sideribus consideramus et miramur, nisi sapientiam Creatoris et cursus illorum naturales? Fertur itaque, Abraham patriarcham ex astrologiae ratione creatorem Deum intellexisse et venerasse. Et exinde *Amicus Dei appellatus est, et tentatus in fide jam fortis inventus est.* Nam dicunt Hebraei exisse eum de Ur Chaldaeorum **(Gen. XII, 1, et XV, 7)**, id est, de igne Chaldaeorum. Qui [*Cod.* Vat., Quia] Chaldaei ignem pro Deo coluerunt. Solebat
@ [Col. 0272D] *Magister meus.* Egbertus, an Aelbertus? archiepiscopus Eboracensis. Vid. epist. ad Eanbaldum, et Malmesb. lib. I de Gest. Reg., cap. 3. magister meus mihi saepius dicere: Sapientissimi hominum fuerunt, qui has artes in naturis rerum invenerunt. Opprobrium est grande, ut dimittamus eas perire diebus nostris. [Col. 0272B]

Sed nunc pusillanimitas multorum non curat scire rationes rerum quas Creator condidit in naturis. Scis optime quam dulcis est in rationibus arithmetica, quam necessaria ad cognoscendas Scripturas divinas; quam jucunda est cognitio coelestium astrorum et cursus illorum. Et tamen rarus est, qui talia scire curet: et quod pejus est, reprehendunt haec scire studentes; et utcunque illa naturalium rerum ignoratio inculpabilis potuisset illis esse, si divinis se ipsos tradere voluissent Scripturis, et laborare in illis in quibus vitae aeternae cognitio consideratur. Et ut potuissent fidem catholicam veraciter defendere, et fiducialiter stare contra adversarios Christi, per quos multimodis diaboli astutia fidem catholicam impugnare studet. Et sunt modo tempora de quibus [Col. 0272C] {95} beatus Paulus praedixit: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentes* [Cod. Vat., *erroris daemoniorum in hypocrisi loquentium, etc.*] *mendacium, habentes cauteriatam suam conscientiam* **(I Tim. IV, 1, 2)**.

Si vis scire quomodo accrescant singulis annis [*F.,* anni] mensibus solaris cursus decem semis horae, multiplica decem per decem, fiunt centum, quia una hora decem habet minuta (decies vero 10 minuta faciunt centum minuta. Da unicuique die 140 [*F.,* de 30] diebus, tria minuta, fiant 90 minuta) et remanent decem minuta. His adde quinque minuta, quae fiunt ex dimidia hora: et sunt quindecim minuta. [Col. 0272D] Haec partire per triginta, faciunt tricies dimidium minutum quindecim minuta: et accrescunt quotidie in triginta diebus tria minuta et dimidia pars unius minuti. Et si scire vis quantum quotidie crescat ad bissextum, partire quinque minuta in triginta, fiunt sexies quinque. Sexta pars unius minuti accrescit quotidie, ut dimidia hora fiat per mensem unum. Hanc dimidiam horam duc duodecies et fiunt sex horae. Has multiplica in quatuor; quater sex faciunt [Col. 0273A] viginti quatuor, quot sunt horae unius diei [*Supple qui*]. Per quadriennium accrescit, ut bissextus fieri possit. Et fiunt in quarto anno 366 dies. Qui senarius numerus multum valet in circulo anni. Nam 360 fiunt [*F.,* fiunt ex] sexies sexaginta. Qui sexagenarius, si per denarium partitur, invenies sexagenarium numerum per denarium esse perfectum, sicut senarius per unitatem. Nam unum, duo et tres, sex faciunt. Et est perfectus numerus in partibus suis. Ita sexagenarius quamdam perfectionem habet, si partitur per denarium numerum. Nam semel decem, et bis decem, et ter decem, sexaginta sunt. Nam quantum valet in primo versu numerorum senarius, ut perveniatur ad decem, tantum valet in secundo versu numerorum sexagenarius, ut perveniatur ad [Col. 0273B] centum. Quinque vero dies, qui supersunt tricentenis sexagenis diebus in singulis mensibus, est sexta pars mensis uniuscujusque. Sex vero horae, ex quibus quarto anno sexta dies accrescit, habent perfectionem suam in partitione senarii numeri, sicut paulo ante praefati sumus. Et sicut Creator aequissimus in sex diebus fecit omnia opera primordialis mundi, ut significaretur in perfectione numeri senarii, omnia in naturis suis fecisse eum perfecta. Et ille ipse Creator magnus, admirabilis, perfectus est in natura sua: cui complacuit [*Cod.* Vat., placuit] omnia in senarii numeri perfectione perficere. Unde et sexta die creatus est homo, perfectus anima et corpore: propter quem omnia creata sunt, quae sex diebus condita esse leguntur. Unde et ipse Deus, Dei [Col. 0273C] Filius, qui est virtus et sapientia Dei **(I Cor. I, 24)**, sexta aetate mundi venit in mundum salvare hominem, quem sexta die creavit. Ita senarius numerus, et in conditione primordialium creaturarum et in

successione saeculorum, quae sex aetatibus cucurrerunt, et quod sexta aetate venit Filius Dei humanum genus reparare ad pristinam dignitatem conditionis suae, multum valet.

Tales rationes, o dilectissime [et dulcissime] David, vobis mihi scribendae sunt, non rusticis quibuslibet, in quibus sapientiam tuam eruditam esse scio, et quae tibi placere omnino agnosco: ut gaudeat mens tua in rationibus rerum, sicut mea multum gaudet tibi saepius talia dirigere. Benedictus Dominus Deus in donis suis, qui tibi clarissimam divinae legis [Col. 0273D] scientiam, et jucundissimam naturalium rerum concessit cognitionem. Cujus ineffabili pietati nobis omnibus continuae ex tota voluntatis intentione agendae sunt gratiae, quod talem nobis perdonavit dominum et rectorem. Et assiduis precibus illius piissima potentia postulanda est, quatenus longaeva prosperitate et salute te nobis conservare dignetur,
@ [Col. 0273D] *Desiderantissime David.* Hic finis est epistolae in cod. Vaticano; unde suspicio mihi oriri possit, in subsequentibus novam incipere epistolam, quae hic ex incuria scriptoris subnexa sit priori. desiderantissime David.

Nuper venit mihi
@ [Col. 0273D] *Nuper . . .* libellus. Quo nempe Felix respondet epistolae Alcuini charitatis calamo scriptae. Petit hic [Col. 0274D] Alcuinus, ut pluribus committatur erroris confutatio; praesertim Leoni papae, Paulino, Richbono et Teudulfo, prout habetur in epistola sequenti. libellus a Felice infelice directus, [Col. 0274A] cujus, propter curiositatem, cum paucas paginolas legendo percucurri, inveni pejores haereses, vel magis blasphemias, quam ante in ejus scriptis legerem. Asserens Christum Jesum nec filium Dei esse verum, nec etiam verum Deum esse, sed nuncupativum. Non intendens quid praedicator egregius de divinitate {96} Christi ait: *Quorum patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* **(Rom. IX, 5)**. Et spero plura ibi inveniri posse, quae fidei catholicae adversari videantur. Si nihil aliud inveniatur contra fidem catholicam, hoc solum sufficit sibi ad perditionem sui. Vae mundo ab scandalis **(Matth. XVIII, 7)**! Ecce! qui adoratur ab angelis in coelis, negatur in terris ab hominibus verus esse Deus. Hujus vero libri, vel magis erroris responsio [Col. 0274B] multa diligentia et pluribus adjutoribus est consideranda. Ego solus non sufficio ad responsionem. Praevideat vero tua sancta pietas huic operi tam arduo et necessario adjutores idoneos, quatenus haec impia haeresis omnimodis exstinguatur, antequam latius spargatur per orbem Christiani imperii, quod divina pietas tibi tuisque filiis commisit regendum atque gubernandum. Surge vir a Deo electe, surge fili Dei, surge miles Christi, et defende sponsam Domini Dei tui. Cogita de sponsa tua, si quis eam ex honorare velit, quam patienter tuus hoc sufferat inimicus. Considera quoque quod injuria filii tui in te perveniet; quomodo non multo magis injuria et opprobrium Filii Dei Salvatoris tui, protectoris tui, largitoris omnium bonorum totis viribus vindicanda est [Col. 0274C] tibi? Sta viriliter pro ea, quam accepisti a Deo tuo regendam et conservandam, quatenus potentia saecularis tibi proficiat in spiritalis gloriae divitias.
@ [Col. 0274D] Haec epistola 11 est apud Canisium; 4 apud Quercetanum, qui prioris defectus ex ms. supplevit (Apud Froben. 69.)

EPISTOLA LXXXIV. AD DOMNUM REGEM. (Anno 798.)

Epistolae Caroli Magni respondet de carmine conficiendo, de apparitione stellae Martis, de libello Felicis refutando, de quaestionibus a filia sibi motis, de supputationibus secundum Aegyptios emendandis.

Domino dulcissimo et vere dilectissimo David, magnifico atque a Deo coronato regi Flaccus veteranus miles perpetuam salutem.

Laetissima mihi litterarum vestrarum chartula occurrit, febricitantem refocillans, dormientem resuscitans, [Col. 0274D] imo et inertiae morbo torpentem ad antiquas studens reformare vires, et dulcem versificationis melodiam inter horribiles armorum strepitus, et inter raucos tubarum sonitus admonuit miscere: quatenus truces animorum motus aliqua musicae suavitatis melodia {97} mulcerentur: etsi vestrae mentis nobilissima stabilitas in una eademque soliditatis arce [*Al.,* archa] perpetualiter permaneat, et in medio aequitatis libramine inconcussa fortitudine vigeat. [Col. 0275A] Tamen, ut puerorum saevitia vestrorum cujuslibet carminis dulcedine mitigaretur, voluistis; etiam et hoc ipsum sapientissimo consilio praevidistis; quia saepe iratae mentis asperitas salubris consilii non invenit effectum [*Al.,* affectum], sicut assidua quoque mollities animi enervare solet fortitudinem. Sed inter haec morborum genera medio tramite prudens temperamentum consistit, inde tumentem furorem mitigans, hinc desidem animum erigens; et via regia in pacis consilio cuncta componit. Quod militantibus virtutis genus maxime necessarium esse, in antiquis historiarum libris legimus; ut cuncta sapiens temperantia, quae agenda sint, regat atque gubernet. Nam tria videntur in hoste consideranda, virtus, dolus, pax. Primo, an publica virtute vinci valeat adversarius? [Col. 0275B] Sin autem, ad fraudes et ingenia doli res referenda sit. Et si nec hoc proficit, tunc pacis consilio inimicitiarum odia esse delenda videntur. Tamen si immites animos aliquid Flaccina [*Al.,* Flacciana] valeat fistula mulcere, omni sollicitudine esse reor, secundum opportunitatem temporis et personae, perficiendum. Ego vero Flaccus tuus interim vado perficere fideliter cum omni instantia quod vestra dulcissima auctoritas mihi per

@ [Col. 0275D] *Magamfredum.* Idem forte is est de quo in epistolis 37 et 105 (nunc 42 et 133). Magamfredum [*Al.,* Magenfredum] fidelem vestrum demandare voluit. Et sciat certissime bonitas vestra quod nullus majus desiderium habet, sicut justum est, vestri auxilii supplementum implere.

Igitur amicus dicitur, quasi animi custos; id est, qui animum amici sui cum omni sollicitudine fidei [Col. 0275C] studet custodire integrum, quatenus nullatenus sacrum amicitiae jus alicubi violetur. Et hoc rari sunt, qui intelligunt. Pene unusquisque secundum animi sui qualitatem, non alterius animi, qui amicus est suus [*Al.,* hujus], satisfactionem, amicitiam custodire quaerit. Et si hoc in amico [*Al.,* animo] et coaequali diligenter observari debet, ut inviolata animi integritas permaneat illius; quanto magis in Domino, et in tali persona, quae [*Al.,* qui] suos subditos omni honore exaltare et gubernare amat? Veterum igitur proverbialis fulget sententia: *Amicus diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur.* Et in sacra Scriptura: *Amico fideli nulla est comparatio* **(Eccli. VI, 15)**.

@ [Col. 0275D] Ex his colligere licet (ait Canisius) anno 799 scriptam esse hanc epistolam. Tunc enim stellam Martis iterum comparuisse sibi gratulati sunt mathematici illius temporis. Neque enim hunc locum Alcuini aliorsum traho. Engolismensis in Vita Caroli Magni: «Hoc anno, id est, ab incarnatione Domini 799, sidus Martis a superioris anni Julio usque ad hujus anni Julium nusquam in toto coelo videri potuit.» Et hoc est quod Alcuinus ait: *quam sol diutissime tenuit, sed Nemeaei leonis terrore reliquit.* Nam 23 vel 24 Julii sol Leonis signum init. CANISIUS.---Sed detectionem stellae Martis anno 798 mense Julio, postquam ab [Col. 0276D] eodem mense anni praecedentis 797 hucusque occultata fuisset, contigisse dicendum est ex Annalibus Tilianis Loiselianis, quem Engolismensis exscripsit, et Adonis Chronico. Ob hanc rationem praesentem epistolam ad annum 798 pertinere credimus. Nunc igitur, quam diu quaesivimus inter Martia tela, Martis stella subito effulsit, quam sol diutissime [Col. 0275D] tenuit, sed Naemei leonis terrore reliquit: qui ob memoriam Herculeae fortitudinis coelo inditus [*Al.,* indutus] esse refertur, traditaque est Cancro per bimenstres [Col. 0276A] [*Al.,* per menses tres];

@ [Col. 0276D] *Et diverso.* Hic finis epistolae apud Canisium, caetera ex ms. addita sunt a Quercetano. et diverso pergens itinere, retrogradam cito illam erit facturus. Addidit se quoque splendida facie Canicula, medicis praemia exspectantibus multum amabilis. Cur vero tanto tempore sol eam habuisset absconditam, causa est, ut veteres voluerunt, radiorum solis, qui, ut fertur, inaequales planetarum cursus efficiunt. Et ideo forte errantes dicuntur, quia certum semper et unius modi cursum non habere noscuntur. Quod si ita est, ut aliquibus placet calculatoribus, dicant Aegyptiaci pueri, cur sol et luna inter eas numerentur, dum certos utrumque habet sidus cursus in annis, mensibus, diebus, horis atque momentis. Non enim errant in eo, ut aiunt, quod contra coelum ire videntur, dum certissimis peragunt temporibus sui cursus metas: [Col. 0276B] sicut quinque stellarum cursus saepissime inordinate per zodiaci circuli latitudinem, vel errando, vel stando, vel retrocurrendo feruntur.

@ [Col. 0276D] *De libello.* De eo plura alibi. De libello vero infelicis non magistri sed subversoris, placet mihi valde, quod vestra sanctissima voluntas et devotio habet curam respondendi ad defensionem fidei catholicae. Sed obsecro, si vestrae placeat pietati, ut exemplarium illius libelli domno dirigatur apostolico. Aliud quoque

@ [Col. 0276D] *Paulino patriarchae.* Aquileiensi. *Richbono seu Richbodo, episcopo Trevirensi, ut videtur Mabillonio. Teudulfo episcopo Aurelianensi.* Paulino patriarchae. Similiter Richbono, et Teudulfo episcopis doctoribus et magistris, ut singuli pro se respondeant. Flaccus vero tuus tecum laborat in reddenda ratione catholicae fidei. Tantum detur ei spatium, ut quiete {98} et diligenter liceat illi [cum] pueris suis considerare Patrum sensus; quid unusquisque diceret de sententiis [Col. 0276C] quas posuit praefatus subversor in suo libello. Et tempore praefinito a vobis, ferantur vestrae auctoritati singulorum responsa. Et quidquid in illo libello, vel sententiarum vel sensuum, contra catholicam fidem inveniatur, omnia catholicis exemplis destruantur. Et si aequaliter et concorditer cunctorum in professione, vel defensione catholicae fidei resonant scripta, intelligi potest quod per omnium ora et corda unus loquitur Spiritus; sin autem diversum aliquid inveniatur in dictis vel scriptis cujuslibet, videatur, quis majore auctoritate sanctarum Scripturarum vel catholicorum Patrum innitatur: et huic laudis palma tribuatur, qui divinis magis inhaereat testimoniis.

De quaestionibus vero, quae
@ [Col. 0276D] *Filia mea.* Quae illa? exploratum non habeo; Gisla fortassis Caroli Magni filia? filia mea famula vestra fidelissima interrogavit, non ordinatim recolo, [Col. 0276D] nisi quod de psalmis, quos vespertina praesentis diei in capella cantavimus hora, ut aestimo, interrogavit. De eo itaque primum, ubi ait Propheta: *Omnis homo* [Col. 0277A] mendax **(Psal. CXV, 11)**, quomodo ille homo mendax sit qui nunquam loquitur, sicut infantes et muti? Et iterum, cur dixisset in eodem Psalmo: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi* **(Ibid., vers. 12)**? Quid esset quod retribuit nobis Dominus? utique bona pro malis nostris. Item quaedam de luna interrogavit ex eo versu, ubi dicit: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* **(Psal. CXX, 6)**. Et inde de natura lunae aliquid addidit interrogare, si frigidae esset naturae, quomodo ureret? Quae omnia vestrae saepientiae nota esse non dubitamus. Ideo non est opus nunc mihi interpretationes harum exponere interrogationum. Fuit quoque nobis sermo
@ [Col. 0277D] *De columnis, etc.* Haec intelligo de basilica Aquisgranensi, de qua Eginhardus in Vita Caroli Magni apud Bouquet pag. 99, n. 26, haec narrat: «Plurimae pulchritudinis basilicam exstruxit, auroque et argento adornavit. Ad cujus structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma et Ravenna devehenda curavit.» de columnis, quae in opere pulcherrimo et mirabili ecclesiae, quod vestra dictavit sapientia, statutae sunt. [Col. 0277B] De Donato quoque, nescio, quid parvum interrogavit.

Quod vero sanctissima vestra benevolentia nos admonere curavit, Aegyptiacum puerum percunctari de immutandis quibusdam supputationibus decem horarum vel quadrantilis [*Al.,* quadrantalis] supputationis, omnino gratissime accepit animus meus; ut liceat interrogari a vobis ignorata, vel per vos corrigere errata. Nam inter familiares personas et sacra charitatis nomina observari debet, ut in litteris discurrentibus magis emendatio sonet quam reprehensio. Eo modo omnes discere, intelligere, et ad veritatis viam pervenire valent. Equus quatuor habens pedes saepe cadit: quanto magis homo, unam habens linguam, per vices cadit in verbo? Nec me piget percunctari, [Col. 0277C] audire, consentire veritatis rationibus. Nulla aetas, ut ait comicus, sera debet esse ad discendam sapientiam. Quapropter quaero, et quaerens diligenter audire cupio, quid sit immutandum in supputationibus decem horarum et dimidia per singulos menses: quid contra rationem naturae inveniatur in supputatione, quam
@ [Col. 0277D] *Chartula nostra.* Priori nempe epistola. chartula nostra vestrae direxit auctoritati. Nisi forte notaria manus verba, syllabas, vel litteras immutasset, quod saepe evenire solet non solum Latinis, sed etiam Aegyptiacis pueris, sicut in priore chartula nostra,
@ [Col. 0278D] *In priori chartula, de saltus diminutione.* Vide epistolam 67 (nunc 82) et notas. de saltus diminutione per vestram devotissimam inquisitionem factum esse cognovi. Et ita error scribentis quodammodo dictanti deputabitur. Sed obsecro ut piissima bonitas vestrae sapientiae meum magis emendare curet errorem, quam [Col. 0277D] scripta parvitatis meae in manus mittere reprehendentium. Sunt enim qui sibi laudem quaerunt ex alterius reprehensione. Et haec est infirma laus, et non valde laudabilis. Melius est amicum emendare quam reprehendere, sapienter [*Al.,* sapientem] se ostendere quam mordaciter alterum notare. Nunquam scripsissem talia, si vestram

bonitatem nostrae insipientiae [Col. 0278A] defensorem, vel emendatorem esse non crederem. Quod vero de sola Martis stella modo evenit, hoc et de omnibus quinque stellis errantibus in his partibus saepius solet evenire; ut diutius abscondantur quam regularis pagina veterum decantat. Et forte

@ [Col. 0278D] *Non aequaliter.* Videtur Alcuino suspicionem ortam de inaequalitate globi terraquei. non aequaliter, nobis in his partibus borealibus conversantibus, ortus et occasus siderum evenit, sicut illis qui in orientalibus vel meridianis partibus {99} mundi morantur, ubi maxime fuere magistri qui nobis rationes et cursus coeli et stellarum ediderunt. Nam multa ex locorum diversitate, sicut vestra optime novit sapientia, immutantur. Nunc itaque, ut praediximus, vestrum servitium satis fideliter implere festinamus: deprecantes quoque Domini Dei nostri clementiam, ut citius suos cum honore et laude faciat [Col. 0278B] reverti, subjectis omnibus inimicis nominis Domini nostri Jesu Christi, qui te ubique regat, et custodiat, et victorem faciat omnium inimicorum tuorum, seu visibilium, seu invisibilium: quatenus cum corona gloriae, multis feliciter regnaturum annis, ad regnum aeternae beatitudinis pervenire cum fidelibus suis concedat.

@ [Col. 0278D] Edit. Quercet. 5 ex ms. **(Froben. 70.)** Scripta est eo anno quo stella Martis rursus in conspectum venit, nempe anno 798. Vid. not. epist. praeced.

EPISTOLA LXXXV. AD DOMNUM REGEM. (Anno 798, mense Julio vel Augusto.)

Carolo varia de cursu siderum interroganti ex memoria respondet.

Omni virtutum genere nobilissimo, atque omni sapientiae decore clarissimo David regi, miles veteranus Flaccus salutem.

[Col. 0278C] Venit viator volando, quaestionariam auctoritatis vestrae habens in manu chartam syllabis breviorem, quam animi mei placuisset aviditati; sed quaestionibus altiorem, quam ingenioli mei attingere valuisset humilitas. Hortans seniorem fragili sensu coelestia scrutari, qui terrenarum necdum didicit rationes stellarum in coelo errantium vagabundos exponere cursus, qui herbarum in terra nascentium naturas nequaquam agnoscere valet. Et mirum, quomodo erraticas illarum semitas ad certum quis valeat reducere ordinem. {100} Quae ideo errantia dicuntur, quia incertos habere cursus putantur. Vel quid in quotidianis lunae laboribus nostra parvitas non valeat invenire, dum investigatas catholicorum doctorum, vel veterum philosophorum multiplici argumentatione [Col. 0278D] regulares habemus rationes. Quid enim de concordia solaris lunarisque cursus per signa zodiaci lucidius dici poterit, quam quod talium inquisitor quaestionum Beda magister in scriptis suis nobis reliquit? Vel quid acutius quam quod naturalium rerum devotissimus inventor Plinius Secundus, de coelestium siderum ratione, exposuit, investigari valet? Sed nobis [Col. 0279A]

@ [Col. 0279D] *Iter agentibus.* Per Belgium? ut in epist. seq. iter agentibus illorum, in quibus haec leguntur, librorum deest praesentia. Nihil de vestrae sapientiae profundissimis quaestionibus temere audemus respondere: postulantes clementiam vestram, ut jubeatis nobis dirigere primos praefati doctoris Plinii Secundi libellos, in

quibus multiplices et obscuras argumentationes de vario siderum cursu explanare nititur; si forte Deo donante, inde vel inde aliquid eruere valeamus, quod vestrae sanctissimae praesentiae dignum ostendi videatur. Tamen ne me ita imparatum vestra invenisset chartula, vel somno inertiae torpentem, quasi nihil haberet repositum sibi in secreto memoriae cubiculo, quod interroganti proferre valeret; dicam, quid subito, quaerendo magis quam exponendo turbata mentis acie occurrere potuit; pleniorem, si [Col. 0279B] forte opus erit, responsionem ad praefatos doctorum libros reservans.

Prima vero auctoritatis vestrae interrogatio de concordia trecentarum et sexaginta partium, et lunaris cursus per duodecim signa sic se habuit, ut eadem ponamus verba: *Sicut in solari decursu dierum, horarum, punctorumque divisione facta trecentorum* [Cod. Vat., *divisione facta trecentarum sexaginta partium et trecentorum*] sexaginta quinque dierum et quadrantis est inventa concordia; sic et in lunari per dierum et horarum partitionem, viginti septem dies atque horas octo cum trecentis sexaginta zodiaci partibus facias convenire. Non subterfugio dicere, quid mihi videatur sagacitatem vestram hic in hac inquisitione sentire, utique aut augendum esse aliquid per singula signa [Col. 0279C] lunae cursui, ut possit pervenire ad legitimas et definitas totius anni partes, quae in zodiaco notantur, vel etiam minuere partium numerum, ut concordare possit lunaris cursus zodiaci partibus. Quam quaestionem praefatus magister Beda in quodam capitulo, cujus principium esse arbitror: *Quod si quis signorum nescius, lunaris tamen cursus agnoscere cupidus, etc.,* prout potuit, exponere videtur. Per duodecim partes, quibus quotidie luna elongabitur a sole, Plinius Secundus dicit lunam (si rite recordor) zodiacum tredecies in duodecim suis mensibus conficere. In suis dicit mensibus, non in solis. Addidit quoque duobus diebus, et sex horis, et bisse unius horae per singula signa lunam decurrere. Quod si verum est, [Col. 0279D] trecentarum sexaginta partium numerositas lunae cursui optime convenire videtur. Quod unius figurae divisione magis, quam verborum multiplicatione, quia sapienti pauca sufficiunt, ostendendum esse non ignobile putavi. Cujus figurae
@ [Col. 0279D] *Figurae formulam.* Hanc formulam Quercetanus omisit, quod in cod ms., reor, desideraretur. formulam post hujus epistolae textum ponere melius existimavi quam per eam seriem sermonis nostri dividere. In qua etiam figura et horarum diversitas agnosci poterit, si cui diligentius considerare placeat, quia aliter solares [*Cod.* Vat., quia aliter horae signorum, aliter solares], aliter lunares computantur. Etiam in quibusdam locis et ipsi punctus aliter atque aliter computantur: ita, ut aliis supputationibus horam quinque punctos, [Col. 0280A] et aliis quatuor habere inveniuntur. Etiam et ostenta aliter calculatores ponunt, aliter etiam mathematici solent dividere. Sic etiam et de minutis invenimus in mathematicorum subtilissimis argumentationibus aliter poni; ita, ut etiam minuta minutarum dicere solent. Sed haec alias. Nunc quod instat, agamus.

Signorum vero partitiones per horas, et quomodo convenirent novem horae lunares quinque diebus solaribus, memini me
@ [Col. 0280D] *In alia . . .* epistola. Quae in edit. Quercet. 25 est, a nobis inter opera philosophica exhibenda. in alia vobis dirigere epistola. Ideo nunc supervacuum esse arbitratus sum, aliquid inde dicere. Divisionem itaque horarum per uncias vobis cognitam esse non {101} ignoramus, sicut in libro de Temporibus [*Forte, Ven.* Bedae]

legistis. Et quia operosum est lunae cursum per uncias horarum dividere, ideo magis calculatores ad horarum vel dierum [Col. 0280B] mensuras lunae cursus redigere contenti sunt, ne nimia numerositas unciarum legenti fastidio esset. Tamen specialiter dictum esse debuisse, quod superest in singulis signis, et duobus diebus et sex horis, id est, octo unciis unius horae, putamus in eo loco ubi ait: operosum est in singulis signis horas minutatim dividere per uncias? Ideo duas horas tribus signis subtrahendum esse dixit, quia trium signorum viginti quatuor unciae duas horas implent, hora vero integra duodecim uncias habere debet. Quae omnia vestrae sapientiae praecognita esse non ignoramus.

Quapropter de stella Martis incipimus dicere, quae videntur: cujus inquisitio mentes nostras diu fatigare solebat, ita ut nec apparens nostrae [*Al.,* nostris] [Col. 0280C] satisfaciebat curiositati. Quae nuper sole morante in Leone nobis apparuit; propemodum, ut putamus, eo tempore quo apud nos inventa est ejusdem Martis imago. De qua etiam stella vestrae venerabili dignitati
@ [Col. 0280D] *In alia epistola.* Nempe priori. in alia epistola mox postquam a nobis visa fuit, secundum facultatem [*Al.,* facilitatem] indagationis nostrae aliquid dicere curavimus. Sed modo pro vestrae epistolae exhortatione aliquid diligentius de ea scrutati sumus. Nam hujusmodi interrogationis verba posuistis: *Et de Marte, qui anno praeterito in Cancro sidere solis lumine humanis obtutibus interceptus est, quid sentias;* an naturalis sui cursus ratione, an solis vi, an prodigio actum sit, ut iter duorum annorum uno conficeret. Nam nuper sole Leonem deserente in Cancro nobis apparuit. Si solem comitatus est, quis tam [Col. 0280D] celer cursus ejus? Si toto anno stationem in Cancro fecit, sole in caetera signa migrante, cur in Cancro videri non potuit? Scholastica et acutissima argumentatio ista, ad quam succincte, quantum donaverit Deus, respondeamus.

Quod autem ibi dictum est, solis lumine in Cancro interceptam esse stellam Martis humanis obtutibus: non aestimo solis lumine, toto anno praeterito, Martis stellam in Cancro interceptam esse; sed Cancrum opportuno tempore et naturali cursus sui ordine, cum stella Martis objectu terrae humanis visibus interceptum esse. Igitur anno praeterito non memini [Col. 0281A] me illum vidisse in Cancro, dum Cancer noctibus sui cursus ordinem agebat super [*F.,* subter *ut infra*] terram. Nec enim prodigiosum reor quod tanto tempore nobis non apparuit, sed naturali sui cursus ordine. Si enim praeterito anno in sidere Cancri non apparuit, et nunc in Cancro apparet; non uno anno cursus sui metam, sed spatio duorum annorum peragere dignoscitur, dum nunc secundo anno in altero versatur sidere. Quod vero additum est: *si toto anno stationem in Cancro fecit, sole in caetera signa migrante, cur in Cancro videri non potuit? Etiam quia ipse Cancer, in quo stationem fecit, videri non potuit.* Mox vero dum Cancer videri potuit, visa est et illa cum Cancro, qui anno praeterito cursu naturali noctibus sub terras recessit.

[Col. 0281B]

@ [Col. 0281D] *In alia chartula.* Haec chartula necdum detecta est. In alia chartula scripsi de vi solis, inaequales cursus errantibus stellis facientis, ut poeta ait:

. . . Sol tempora dividit anni,. . . Mutat noctemque diemque,. . . Radiisque petentibus astra, Ipse vetat, cursusque vagos statione moratur. Quod saepissime Saturnus, Jovis et Mars pati videntur. Vestra vero veneranda sapientia et acutissima scientia videat, vel in hac, vel in illa, si quid dignum vel verisimile videri debeat; an aliud aliquid de tantis quaestionibus credendum sit. Nullatenus propter ignorantiam vos interrogare aestimavi. Quidquid inde sentiatis, obsecro ut benigna voluntate nobis innotescere non dedignemini. Non sum nimius [Col. 0281C] meae sententiae defensor, sed devotus veritatis sectator. Haec vero subjecta figura in primo versu habet horas, in quibus {102} signa singula oriuntur, vel occidunt, vel de loco moventur. In secundo habet punctos in singulis signis decem. Tertius partes computat, quot habeant singula signa. Quartus, dies quibus moratur luna in unoquoque signo. Quintus, horas quae adjiciuntur diebus. Sextus, uncias octo, quae supersunt horarum numero, et bisse vocantur. Haec omnia propter facilitatem cognoscendi cursum lunae in unam coacervavi formulam. Si tamen veraciter inventa est ratio, quam vestra excellentissima quaesivit sapientia.
@ [Col. 0281D] Edit. Quercet. 10, Canisii 14 **(Froben. 71)**. Hic collata cum cod. Vaticano.

EPISTOLA LXXXVI. AD DOMNUM REGEM. (Anno 798.)

Assignantur causae ob quas luna minor vel major appareat quam ferat astronomorum calculus. [Col. 0281D]

Det tibi perpetuam clemens in secla salutem,
Et decus imperii, David amate! Deus.

Venerandae auctoritatis vestrae omni melle dulciores apices, per aridos
@ *Belgicae.* Haec interpretor de itinere ab Alcuino suscepto ad monasterium Wicus, seu cellam S. Jodoci [Col. 0282D] suae curae a Carolo traditam, et sitam in Belgio, de quo etiam vide epistolam 12 inter Chesnianas, nunc 96. Belgicae latitudinis iter agenti campos occurrerunt mihi. In quibus, dum vestrae beatitudinis prosperitatem legens intellexi, et fidelium [Col. 0282A] vestrorum amabilem perspexi salutem, totum me in gratiarum actiones Domino Deo Jesu Christo contuli, felicia Christiano populo tempora in vestrae felicitatis exaltatione et salute certissime sciens: pro qua semper Dominum deprecari gaudeo, eamdem semper audire desidero, et quasi optatum, a Deoque destinatum munus omni gaudio vestram incolumitatem cupiens semper audire. Quis enim est qui non gaudeat de sui capitis perfecta integritate? nisi forte furibundus, vel insanus, quem arctissimis Hippocratis vinculis alligandum esse censeo [*Cod.* Vat., censuit]? Etsi juxta Apostoli sententiam *nemo carnem suam odio habet, sed etiam fovet et nutrit* **(Ephes. V, 29)**; quanto magis in capitis sanitate, in quo est totius corporis perfectio et gloria omnis, membrorum [Col. 0282B] compago gaudere debet
@ [Col. 0282D] {104} Hic finis epistolae apud Canisium: reliqua ex ms. cod. addidit Quercetanus.?

Sed ut de pulverulentis Campaniae glebis ad coelestis culminis nobilissimam acutissimamque considerationem me subito transtuleris: denuo in arcano pectoris mei Pythagoricae disciplinae scientiam, unde necdum discessit, renovare niteris, dum me in

hujusmodi honestarum artium considerationibus nunquam desidem, quamvis minus doctum, invenistis. Nec fastidiosa segnities legentium, benevolentiae magistri juste deputari debet, si plurimis inclytum vestrae intentionis studium sequentibus, forsan Athenae nova perficeretur in Francia, imo multo excellentior, quia haec Christi Domini nobilitata magisterio, omnem Academicae exercitationis superat sapientiam. Illa tantummodo Platonicis erudita disciplinis, septenis [Col. 0282C] informata claruit artibus; haec etiam insuper septiformi sancti Spiritus plenitudine ditata omnem saecularis sapientiae excellit dignitatem. Ex cujus dono, si quid dignum ad interrogata respondere valeam, proferam.

Inquisitio vero vestrae ingeniosae et clarissimae sapientiae haec fuit: *Cur species lunaris corporis minor apparet* [Cod. Vat., *appareret*] oculis cernentium, quam calculantium curiositas {103} *in numeris noctium inveniret, vel considerantium sollicitudo in partibus Signiferi conspiceret;* nec ad easdem septimana [Cod. Vat., *septem*] in quintas decimas Kal. April. luna Geminorum in aspectu perveniret partes, ad quas illa multiplicata per punctos supputatio perducere debuit? [Col. 0282D] Et tres hujus varietatis causas, si quaelibet harum esse putaretur, supponitis [*Cod.* Vat., supposuistis], ut eadem ponamus verba quae nostris vestrae laudabilis sapientiae chartula insonuit auribus: *ut sine ullo* [Forte, *sive illa*] dicti Signiferi obliquitas; sive ipsius astrivagus in aethere cursus; sive insolita quaedam, et nunquam praeteritis retro saeculis lucis legitimae [Cod. Vat., *locis legitime*] visa detractio faceret. Quam nos quoque diminutionem lunaris formulae perspicacius intuentes, eadem, quae vestris [Col. 0283A] inhaeserat mentibus, motio nostri quoque cordis tetigit querelam. Sed tribus a vestra veneranda indagatione propositis hujus diminutionis causis alias quoque tres probabili ratione invenimus causas, unde haec tanta diminutio juxta veterum indagationem multorum defendi potuisset. Nam haec diminutio aspicientibus in lunari corpore solet fieri post impletam saltus supputationem, quae per decem novem annos vix tandem implebitur; ac veluti approximante ultimo anno circuli decennovennalis, quo unus dies saltus supputatione transiliendus est, saepissime major luna aspicitur quam aetatis ratio ostendat. Sic etiam post hujus saltus supputationem, in primis circuli decennovennalis annis minor saepe invenitur quam calculantium decantet memoria. Est quoque et [Col. 0283B] altera causa qua minor videri solet per vices luna quam calculatio numerantium illam ostendat: dum paulo ante vesperam, vel unius horae tantummodo spatio accenditur luna, quae statim transacto solis occasu prima supputanda est. Nec mirum si minor appareat secunda, vel tertia, vel in caeteris etiam aetatibus suis luna, quam, si post unam horam prioris noctis accendatur; et post viginti duas vel tres horas, dum ad vesperam pervenerit, prima computetur. Et haec poterit esse ratio ut per vices minor appareat in specie, quam computetur in aetate. Sed et haec quoque minoratio in Ariete, vel circa eum signis, si lunaris incensio evenerit, saepius considerantibus occurrit; ita ut in Arietis signo miro modo contingere soleat, lunam prioris mensis novissimam [Col. 0283C] mane videre, et subsequentis novam ejusdem diei vespere apparere in coelo, ut pote sexta hora diei incensa retro transactam mane, et post venientem vespere ostendit.

Sed si ex illis, quas vestra inseruit auctoritas, causis aliqua fuit [*Cod.* Vat., fiat], sive ex his quae nostra posuit solertia, necesse est tamen ut Paschalis luna stans omnimodis

inviolabilis permaneat. Nec enim fieri poterit ut hanc diminutionem speciei lunaris nemo priorum doctorum vel sanctorum Patrum vidisset, et qui in Nicaeno concilio rationem Paschalis lunae sagaciter invenerunt et catholice ordinaverunt: ut omnimodis perpetuo jure sanctissima resurrectionis Dominicae festivitas in toto orbe concorditer [Col. 0283D] coleretur [*Al.,* colitur]. Si quae vero hujus diminutionis ratio verior in Plinio possit reperiri, sive

@ [Col. 0283D] *Propter saltum nuper* (anno 797) *transactum;* sive propter bissextum prope (anno 800) *imminentem.* Data ergo videtur haec epistola anno 798. propter *saltum nuper transactum;* sive propter *bissextum prope imminentem:* deprecor ut vestra jubeat prudentia inquirere, nobisque solita benevolentiae pietate intimare studeat. Quia domi manentibus nostros oculos nebulosa aquarum exaltatio [*F.,* exhalatio], vel Belgici pulveris iter agentibus ventuosa aspersio caliginare facit. Ideo vestra bonitas adjuvare non dedignetur quaerentem, et in viam veritatis [Col. 0284A] posse trahi [*Cod.* Vat., post se trahat] et sponte sequentem.

Vestra, precor, Christus coelestibus inclyta donis
Inlustret, repleat pectora, pacis amor. Dulcis amor vitae, dulcis laus, gloria dulcis
Sit tibi perpetua, David amate, salus.

@ [Col. 0283D] {105} Edit. Mabillonii 7, Pezii 1 collata cum cod. ms. Salisb. Scripta videtur anno 798 quando nempe «imperator Arnoni achiepiscopo praecepit pergere [Col. 0284D] in partes Sclavorum et providere omnem illam regionem et ecclesiasticum officium colere, populosque in fide et Christianitate praedicando confortare,» ut loquitur Anonymus Salisb. de conversione Bajoar. et Carant. apud Hansizium Germ. Sacr. tom. II, p. 108. (Apud Froben. epist. 72.)

EPISTOLA LXXXVII. AD ARNONEM. (Anno 798, initio mensis Junii).

In Hunniam proficiscentem hortatur ad opus apostolicum bene obeundum.

Charissimo unanimoque amico Aquilae superspeculatori in Christi charitate salutem.

Quarta feria post sanctam Pentecosten, litteras tuae beatitudinis accepi, charitate conscriptas, consilio [Col. 0284B] corroboratas, fide sigillatas, in quibus sicut optavi [*Cod.* Mab., hortavi], audivi; sicut speravi, agnovi. Nec me spes fefellit consilii, nec societatis cooperatio retardavit. Vestrum vero iter ad probandam rei veritatem modo in praesentia dispositum est; fortitudo vero exercitus, qui tecum vadit, ad cautelam et defensionem vestri [*Al.,* vestram] directa est. Et hoc quodammodo ab ipsis processit Hunnis; et ideo in spe voluntatis Dei laetus hoc iter perage. Nos vero te, donante Deo, in pace cum certo consilio revertentem spectemus in his, ut aestimo, regionibus. [Sed] obsecro, ut mox, te redeunte, dilectionis tuae litteras dirigas nobis, ut curiositas nostra certitudinem rerum per tuum intelligat consilium. Regnum [Col. 0284C] itaque illud diu stabile fuit et forte: sed fortior eis, qui vicit illud, in cujus manu sunt omnes regum et regnorum potestates: et quemcunque voluerit, exaltat **(Psal. LXXIV, 8)**, et cujuscunque cor voluerit, visitat, illuminat, et ad suum convertit servitium. Et si illius gratia respiciet

[*Al.,* respicit] super regnum Hunnorum, quis est qui se subtrahere audeat ministerio salutis illorum? Pauci nobis restant dies hujus vitae, et valde desiderandum est, Deique misericordia toto corde deprecanda, ut illi in opere Dei finiantur [*Al.,* firmentur]. Quia plus uniuscujusque [vita] de fine judicatur quam de initio. In peccatis nascimur **(Psal. L, 7)**, sed gratia renascimur, quae nos in bono opere currentes comitetur, et usque ad finem firmum perseverare faciat. Tu vero, Pater sancte, [Col. 0284D] amice fidelis, frater dilecte, fili charissime, cum prosperitate bona, divina tecum comitante gratia, perge in opus Dei, et cum gaudio revertere ad nos; et esto praedicator pietatis, non decimarum exactor; quia novella [anima] apostolicae pietatis lacte nutrienda est, donec crescat et roboretur ad acceptionem solidi cibi. Decimae, ut dicitur, Saxonum subverterunt fidem. Quid injungendum est jugum cervicibus idiotarum, quod neque nos, neque fratres nostri sufferre potuerunt? Igitur in fide Christi salvari animas [Col. 0285A] credentium confidimus. Vade modo, dilectissime frater, in benenedictione Dei, et consolatione Spiritus sancti. Albinus tuus est tecum in corde, quem utinam habeas cito socium in opere Dei. Nos matriculares pro te orare non cessamus, quatenus divina te ubique praeveniat et subsequatur gratia, ut cum multiplici pii operis fructu revertaris ad nos. Bonos et religiosos tecum habes socios, in quorum ore et conversatione nomen Domini Jesu glorificetur. Nos semper suspensi erimus de reditu tuo, donec videamus quem amamus, amplectamur manibus quem corde desideramus.

@ [Col. 0285D] *Tertiam partem de laboribus tuis.* «Sane memoratu digna est donatio quam rex Arnoni fecit, per singula loca quae laboribus apostolicis exculturus esset, partis tertiae.» HANSIZ. Tertiam vero partem de laboribus tuis per singula loca seu episcopatus, seu monasterii, concessit tibi rex in eleemosynam tuam tradere, si dies tuus tecum prosequetur [*Cod.* Sal., [Col. 0285B] te prosequeretur] in via, et hoc indiculis confirmari praecepit [*Cod.* Sal., praecipit]. Ecce deficiente chartula, non charitate, pennam deponimus, haec tantummodo salutationis verba subnectentes: Vivas Deo feliciter, vadas, et proficiens floreas in opere Dei; et te ubique euntem et redeuntem summi regis dextera protegat, et defendat, venerande, dilectissime et dulcissime

@ [Col. 0285D] {106} Edit. Mabill. 13 ubi mutila est. Hic integra prodit ex cod. ms. Salisb. Est vero responsoria ad epistolam Arnonis, dum is anno 798 in Hunniam abiisset, vel abiturus esset, dolens quod a propriis ovibus abesse cogeretur. Alcuinus respondet; *Nec te priores oves impediunt, etc.* (Apud Froben. epist. 73.)

EPISTOLA LXXXVIII. AD ARNONEM. (Anno 798, mense Octobri.)

Hortatur ad munus apostolicum impigre obeundum; nec se vel infirmitate corporis, vel cura propriarum ovium impediri patiatur.

Charissimo in Christo Patri [Aquilae Albinus] infirmus [Col. 0285C] in desiderio totius charitatis salutem.

Fidei vestrae et firmae charitatis litterae me [in domo sancti Martini] invenerunt [pridie Nonas Octobris], sed Deo donante melius habentem. Et te summa Dei gratia melius ac melius habere concedat, et opus Dei quod in manibus habes, crescere faciat per multam

latitudinem populi; et ne tepescat animus tuus, nec crebra te exterreat corporis tui infirmitas. Nam virtus ex infirmitate perficitur **(II Cor. XII, 9)**. Felix locus et hora in qua te constituit summus terrarum rector. Sed curre currendo, ut cursum tuum compleat Deus, et fidem conserves, et de reliquo tibi remaneat corona gloriae **(II Tim. IV, 7, 8)**. Nos vero peccatorum vincula partim saeculi catenis, partim vinculis morborum currere abnegant, et quod [Col. 0285D] in voluntate promptum est, in carne infirmatur **(Marc. XIV, 38)**. Sed fiat voluntas Domini: et qui coepit in spiritu, compleat in opere. Sciant omnes gentes, quasi stilo situlae

@ [Col. 0286D] Haec verba omissa a Mab. supplendum ex Isai. XL, 15: *Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt:* ecce insulae quasi pulvis exiguus.. Quis ego nisi pulvis parvissimus? Tamen qui de pulvere evexit Dominus, potest de creatura facere quae vult: quia omnia, quae [Col. 0286A] vult facit in coelo. Qui laboriosas piscatoris manus ab hamo ad coelestis regni transtulit clavem; et de persecutore sanctorum efficit praedicatorem populorum. Haec vero considerans nec de fraterna desperes salute, nec de propria dubites efficacia. Pauci sunt dies laboris, sed plurimi mercedis. Labora [*Al.,* laboro], labora pro me et pro te, ut tuus labor mihi proficiat; mea voluntas, si quid potest, te adjuvet. Trahe me post te precibus tuae sanctitatis: curremus simul, donec introducat nos rex in cellam vinariam, ordinans in nobis suae charitatis suavitatem **(Cant. II, 4)**. Et quia vox vestrae dilectionis ad nos pervenire non potest, saepius charta quam relationis vocant, currat. Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma est. Quam pulchri sunt pedes evangelizantium [Col. 0286B] pacem, evangelizantium bona **(Rom. X, 15)**. [Exalta sicut tuba vocem tuam, et memento te dixit [*Ita cod.;* forte legendum memento te sequi eum, qui dixit]: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, quae vocem meam audiunt, et illas me oportet adducere, et fiat unum ovile et unus pastor* **(Joan. X, 16)**. Nec te priores oves impediunt, quin minus alias adducas, et facias unum ovile. Cognoscat sapientia vestra quid significat devotio nostra. De puero quem habemus in domo nostra, sicut filium erudiemus, et volente Deo perfectum faciemus virum ex illo. Erimus ei adjutores secundum causam et temporis rationem; et si volente Deo viderimus facies nostras, tunc omnia de illo, sicut de aliis multis, consilium salutis capiamus. Sicut fuit Albinus tuus, ita erit et in aeternum]; [Col. 0286C] quia qui coepit charitatis bonum in nobis, ille perficiat, et ad fidei mercedem, credo, magnam perducat. *Qui autem perseveraverit in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in aeternum **(Psal. CXX, 8)**. Vivas feliciter, et floreas in opere, verbo Dei. Vale, frater, in aeternum; memento semper orare pro nobis, et memor sit semper Deus adjuvare te.

@ [Col. 0286D] Edit. Quercet. 86 ex ms.; Froben. 74.

EPISTOLA LXXXIX. AD LIOBRADUM. (Anno 798.)

Liobradi (Leidradi) electi episcopi Lugdunensis amicitiam exoptat.

Pontifici, fratri, amico

@ [Col. 0286D] *Liobrado electo.* Liodrado legendum putat Mabillonius, qui est Leidradus anno 798 electus episcopus Lugdunensis; sequenti vero anno primum ordinatus. Vide

Hist. Litt. de la France, tom. IV, pag. 433 seqq. Liobrado electo Albinus [Col. 0286D] salutem.

Gratias ago Deo qui talem mihi perdonare dignatus est amicum, in cujus fide veritas, in cujus bonitate benignitas, in cujus consilio salus semper inventa est. Et quanto rariores nunc temporis tales inveniri possunt, tanto chariores haberi debent. Sicut [Col. 0287A] gemmarum fulgor inter arenosam splendescit glaream, ita amicus probatus inter multitudinis circumstrepentem turbam gratissime eruitur, amplexatur, tenetur. Qui juxta antiquitatis proverbium, diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur. Cujus parabolae interpretationem facile est ex teipso cognoscere. Et mirum in modum, quod omnes invenire volunt, vix ullus esse desiderat. Et hoc ideo, quia praeceptum Dominicum, si apertis audiant auribus, surdo tamen corde parvi pendunt: *Omnia, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, haec eadem et facite illis* **(Matth. VII, 12)**. Inter caetera virtutum insignia quae huic adjacent mandato, hoc quoque adjungitur, ut qui amicum velit invenire fidelem, sit ille cuicunque hominum amicus fidelis, vel in salute animae, vel in [Col. 0287B] suffragio saeculari, quantum ad rem et personam cujuslibet pertineat.

Quod vero me interrogare voluisti de certitudine voluntatis vel loci, nihil tibi certum adhuc remandare habeo, nisi Deo miserante et vita comite, adhuc visurus eris faciem meam; licet nesciam propter occupationes meas vel vestras, ubi aut quando. Multoties, secundum opportunitatem portantium, litteras mihi dirigere satage, ut habeam curam tuae charitati rescribendi, et etiam demandandi quodcunque veniat mihi. Tantum diligenter deprecare Dominum Jesum, ut dirigat secundum suam magnam misericordiam vitam famuli sui in sanctissimae suae voluntatis effectum, et Christianae religionis, juxta facultatem virium nostrarum, profectum.

[Col. 0287C] Pax aeterna regat Christi te, praesul amate, Semper in aeternum, praesul amate, vale.
@ [Col. 0287D] {111} Edit. Quercet. 69 et 70. Canis. 8 collata cum cod. ms. Salisburgensi. (Apud Froben. ep. 75.)

EPISTOLA XC.

@ [Col. 0287D] *Ad fratres Lugdunenses.* Insulae Barbarae, vel Athanacenses monachos, de quibus vid. Mabill. Annal. lib. XXVI, num. 71. Caret quidem haec epistola in codice ms. omni titulo, ait Canisius, ex nomine tamen Laidradi episcopi Lugdunensis patet scriptam esse ad eosdem fratres. AD FRATRES LUGDUNENSES. (Anno 798.) *Cavendum monet ab erroribus Hispanorum variis.* Respondet quaestioni de observatione sabbati ante Dominicam Resurrectionis.

Religiosae in Christo conversationis vestrae, per
@ [Col. 0287D] *Laidradum electum.* Qui nimirum nondum ordinatus erat, quae ordinatio primum altero ab electione anno 799 facta est. Vid. epist. priorem. Laidradum electum pontificem laudabilem audiens sollicitudinem, magno esse me gaudio delibutum fateor;

quia Christus fons totius bonitatis, tales adhuc in his diebus, quando multorum refrigescit charitas **(Matth. XXIV, 12)**, sui sancti nominis habet confessores, qui onera saecularium occupationum abjicientes, [Col. 0287D] leve Christi jugum {107} propriis imponere cervicibus gestiunt: et veram, quae foras timorem mittit, charitatem **(I Joan. IV, 18)** et pectoribus suaviter retinent, et operibus veraciter ostendunt. Sed [Col. 0288A] nunc tota hilaritate mentis coepti itineris cursus peragendus est; quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Quia si torpens pigritia clam boni operis irrepserit, mox malitia palam mali operis succrescit. Origo est iniquitatis, amissio bonitatis. Et dum suae voluntatis sequitur homo affectum, mox divinae servitutis perdit effectum. Inde prima angeli ruina fuit, qui in sua gaudens potestate, a summo declinavit bono. Et qui gloriosior fuit caeteris in conditione, factus est miserior omnibus in perditione. Unde se superbia [*Al.,* superba mens] erigit, inde maxime dejicitur. Ideo praecipue necessaria est Deo servientibus humilitas obedientiae. [Per humilitatis gradus ad culmen pervenitur sublimitatis]. Christus suis parentibus legitur esse subditus **(Luc. II, 51)**, [Col. 0288B] ut nos humilitatis suae exemplo ad bonum informaret obedientiae. Quae est monachorum vita, nisi charitas, humilitas, et obedientia? Hae sunt semitae, quae ad aeternae arcem civitatis euntem deducit in eis, si catholica fides, quae per dilectionem operatur, comitatur currentem in istis.

Novas vero, fratres charissimi, Hispanici erroris sectas tota vobis cavete intentione. Sanctorum Patrum in [fide] sequimini vestigia, et universali Ecclesiae sanctissima vos adjungite unanimitate. [*Al.,* unitate] Scriptum est: *Terminos Patrum tuorum ne transgrediaris* **(Prov. XXII, 28)**. Et
@ [Col. 0287D] *Symbolo catholicae fidei.* Canisius haec et subsequentia verba interpretatur de additione vocis: *Filioque,* [Col. 0288D] de qua tunc temporis disceptabatur. Mihi tamen verosimilius videtur Alcuinum hic solum *Hispanici erroris sectas reprobaturum hortari Lugdunenses,* ne Symbolo nova nomina *adoptivi, nuncupativi addant, aut inauditas traditiones de sale in sacrificio adhibendo, de omissione trinae immersionis, etc.,* in usum deducant. Symbolo catholicae fidei nova [nomina] nolite inserere; et in ecclesiasticis officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere. Per apostolicae doctrinae publicam [Col. 0288C] pergite stratam; nec per diverticula cujuslibet novitatis in dexteram vel in sinistram a via regia declinate.

De *adoptione vero, quam quidam injuriose Christo Deo ingerere contendunt,*
@ [Col. 0288D] *Ex auctoritate synodali.* Ex actis nimirum concilii Francofordiensis anni 794 vel fortassis Aquisgranensis anni 799. Cui tamen obstare videtur quod Laidradus hic *electus vocetur, qui hoc anno jam fuerat confirmatus.* ex auctoritate synodali habetis responsum. Unitas vero personae in duabus Christi naturis, naturalem Deo Patri Filium esse confirmat. Quia nequaquam in proprio, et in adoptivo [una] potest esse persona. Ideo Christus proprius [*Cod.* Sal., naturalis] est Deo Patri Filius, et nos per illum adoptivi, non ille nobiscum adoptivus. Sicut ille solus sine peccato, sic ille solus sine adoptione; Patre in baptismo attestante: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* **(Matth. III, 17)**. Et Apostolo: *Qui proprio Filio suo non perpercit* [Col. 0288D] **(Rom. VIII, 32)**. Quid plura de his dicimus, de quibus sufficienter dictum habetis; nisi quod qui illum adoptivum Deo Patri esse credit, per illum Deo Patri adoptivus esse non creditur?

[Col. 0289A] Audivimus quoque aliquos in illis partibus affirmare, salem esse in sacrificium corporis Christi mittendum.
@ [Col. 0289D] Basnagii in hunc locum crisin in praefatione reprobavimus. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. *Tres* sunt, juxta apostolum Joannem, *qui testimonium dant, spiritus* (et) aqua et sanguis **(I Joan. V, 8)**. Tria sunt quae in sacrificio hujus testimonii offerenda sunt: panis, et aqua et vinum. Sicut enim spiritus vivificat corpus **(Joan. VI, 64)**, ita panis confirmat cor hominis. Sicut enim sanguine liberavit nos Christus, ita et vino laetificat. Item de aqua: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum* **(Joan. IV, 13)**. Sic [*Cod.* Sal., scilicet] et panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis, debet esse mundissimus; et aqua absque [Col. 0289B] omni sorde purissima, et vinum absque omni commistione alterius liquoris [nisi aquae] purgatissimum. Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua et farina panis fit qui consecratur in corpus Christi: aqua et vinum in sanguinem consecrabitur Christi. Si enim aqua et sal, sicut hujus sectae dicunt auctores, unius sunt naturae, infunde carnem recentem aqua, et aliam sale consperge: videbis cito, si unam aqua et sal habuerit effectivam potentiam. Nunquid caro Christi computruit in sepulcro, ut nunc sale indigeat corpus ejus in sacrificio? Quod itaque in veteri lege sal praecipitur in victimis habendum, significatio tunc fuit futurae rei intelligendae, non observatio in praesenti tempore habendae: sicut omnia Judaicae legis sacrificia, quae juxta Apostolum in figura [Col. 0289C] contingebant illis **(I Cor. X, 11)**. Scripta sunt autem [haec] propter nos. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat **(II Cor. III, 6)**. Hujus vero {108} sacratissimae oblationis figura in Melchisedech praecessit, qui vinum et panem Deo summo offerre solebat **(Gen. XIV, 18)**.

Hujus quoque mysterii sanctificatio nostrae salutis portendit effectum. In aqua vero populus intelligitur credentium. In granis tritici unde farina efficitur ut panis fiat, adunatio totius Ecclesiae designatur, quae igne sancti Spiritus in unum decoquitur corpus, ut suo capiti membra compaginentur. Item in aquis quae vino miscentur, figura, ut diximus, gentium designatur. In vino autem sanguis Dominicae passionis ostenditur. Atque ita, dum in sacramentis [Col. 0289D] aqua tritico vel vino miscetur, fidelis populus Christo [incorporatur et jungitur]. Sed de hujusmodi figurationibus epistolaris angustia diu me disputare prohibet. Sed et canones Carthaginenses cap. 24 de sacrificio corporis et sanguinis Domini: «Nihil amplius offertur, quam ipse Dominus tradidit; hoc est, panem et vinum aqua mistum» **(Concil. Carthag. III)**.

Tertia quoque nobis de Hispania, quae olim tyrannorum nutrix fuit, nunc vero schismaticorum, contra universalem sanctae Dei Ecclesiae consuetudinem, de baptismo quaestio delata est; affirmantes quidam sub invocatione Trinitatis unam esse mersionem agendam. [Col. 0290A] Videtur enim Apostolus huic observationi esse contrarius in eo loco, ubi ait: *Consepulti enim estis in Christo per baptismum* **(Rom. VI, 4)**. Scimus enim Christum, licet hoc synecdochice sit intelligendum, tres dies et tres noctes in sepulcro fuisse, ipso dicente ad Judaeos: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit et Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* **(Matth. XII, 40)**.
@ [Col. 0289D] *Possunt tres noctes.* Ineptam et Alcuino admodum [Col. 0290D] injuriosam

adnotationem ejusdem Basnagii in praefatione paucis perstrinximus. Possunt tres noctes tres mersiones, [et tres dies] tres elevationes designare. Sicut Christus tertia die resurrexit, ita et nos tertio die de fonte vitalis lavacri elevati, in novitate vitae cum illo ambulemus **(Rom. VI, 4)**. Legimus et in epistola sancti papae Leonis, quam de baptismo ad omnes Siciliae conscripsit episcopos, ubi post congruam disputationis [Col. 0290B] seriem, ita subjunxit dicens: «Quamvis ergo et illa quae ad humilitatem, et illa quae ad gloriam pertinent Christi, in unam concurrant eamdemque personam; totumque quod in illo virtutis divinae est et infirmitatis humanae ad nostrae reparationis tendat effectum, proprie tamen in morte crucifixi, et in resurrectione mortui, potentia baptismatis novam creaturam condit ex vetere: ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita; dicente beato Paulo apostolo: *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem:* ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini [Col. 0290C] mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, et caetera, quae latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputavit (Rom. VI, 3-5). Et apparet ex hujus doctrina, regenerandis filiis hominum, et in Dei filios adoptandis, illum diem et illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii ea quae geruntur in membris, his quae in ipso capite sunt gesta, congruerent: dum in baptismatis regula et mors interiit [*Cod.* Sal., intervenit] interfectione peccati, et sepulturam triduam imitatur trina demersio et ab aquis elevatio, resurgentis instar [est] de sepulcro» **(Epist. 16, cap. 3, tom. LIV Patrol. col. 697)**. Sed et beatus Hieronymus in libro secundo Tractatus in Epistolam sancti Pauli ad Ephesios in expositione sententiae: *Unus* [Col. 0290D] Deus, una fides, unum baptisma: unus Deus et Pater omnium, qui super omnes et super omnia et in omnibus nobis **(Ephes. IV, 5, 6)**; de trina mersione ita ait: «Si enim, ut aestimant Ariani, Deus Pater solus est Deus, eadem consequentia solus erit Dominus Jesus Christus, et nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus. Sed absit, ut non sit vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio. Unus est Dominus et unus est Deus, quia Patris et Filii dominatio una deitas est. Propterea et fides una [dicitur], quia similiter in Patrem et in Filium et

@ [Col. 0290D] *Et in Spiritum sanctum.* Supple ex editis sancti [Col. 0291D] Hieronymi: *credimus.* Et baptisma unum; eodem enim modo et in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum baptizamur. in Spiritum sanctum baptizamur, et *ter mergimur, ut Trinitas* [*Al.,* [Col. 0291A] Trinitatis] unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in {109} nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror qua consequentia in uno vocabulo, eodem opere, et eodem sacramento naturae diversitatem Arius, Macedonius, [et Eunomius] suspicentur concordante [in] impietate discordia, et a creatura in Filio et in Spiritu sancto coenosum fontem tenentes, diversos haereseon rivulos duxerint. *Unum baptisma:* et contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit; et contra omnes haereticos, ut sciant se non habere baptisma [*Al.,* baptismata], sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem. Potest unum baptisma et ita dici, quod licet ter baptizemur propter mysterium Trinitatis, tamen unum [Col. 0291B] baptisma reputetur. Unum quoque baptisma est in aqua, et in spiritu et in igne: et de quo [Dominus] loquitur: *Baptismo habeo baptizari* **(Luc. XII, 50)**. Et alibi: *Baptismate meo baptizabimini»* **(Marc. X, 39)**.

Sunt etiam versus beati

@ [Col. 0291D] *Ambrosii episcopi.* Mediolanensis an Alexandrini, incertum. Inter Opera Mediolanensis isti versus non leguntur. Alexandrinus teste beato Hieronymo de Script. Eccle. volumen multorum versuum scripsit. CANIS. Ambrosii episcopi, de ternarii [numeri] excellentia nobilissimi, quos ad confirmationem trinae mersionis huic epistolae inserere placuit.

Omnia trina vigent sub majestate tonantis. Tres, Pater et Verbum, sanctus quoque Spiritus, unum. Trina salutaris species crucis, una redemptrix. Tertia lux Dominum remeantem a morte recepit.[Col. 0291C] Trina dies Jonam tenuit sub viscera ceti. Tres pueri cernere [*Forte, cecinere*] Deum flagrante camino. Ter Sabaoth sanctum referens benedictio psallit. TER MERGENDUS AQUA EST, CUI GRATIA PLENA LAVACRI. Testibus [et] stabilis constat tribus actio cuncta. Terno mense suis redeunt sua tempora membris. Tres sunt aetates, flos et robur, aegra senectus. Tres moduli

@ [Col. 0292D] Can., *medii, ut apud Sidonium lib.* II, epist. 1: «Quidquid sperandum est, fieri te *medio, te praesule placet.*» in causis, judex, defensor et actor. Tres in secla gradus, ortus, transcursio, finis. Tres spem quae palpant, requies, lux, gloria vitae.

@ [Col. 0292D] *Haec vero praecipui doctores.* Ab his verbis incipit epistola 70. Edit. Quercet. quae membrum est prioris, cum ea continuandum, ut in cod. Salisb. Haec vero praecipui doctores et sanctissimi Patres nobis reliquerunt in suis testimonia dictis. Nobis vero juxta parvitatem ingenioli nostri videtur, [Col. 0291D] ut sicut interior homo in fide sanctae Trinitatis ad imaginem sui conditoris reformandus est, ita et exterior trina mersione abluendus esse: ut quod invisibiliter Spiritus operatur in anima, hoc visibiliter sacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum est: delectatione, consensu, et opere. Itaque et omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur. Ideo triplici [Col. 0292A] generi peccatorum trina videtur ablutio convenire: vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem, vel propter illa quae in profectioris [*Cod.* Sal., perfectioris] aetatis hominibus voluntate, verbo, vel facto adduntur.

Ut vero cognoscatis hujus sacratissimi mysterii significationes, juxta sanctorum Patrum intelligentiam et statuta ecclesiastica, vestrae charitati eadem sacramenta catholica interpretatione ostendam. Nam magna sanctitate, et venerabili significatione, quidquid in eis geritur, statutum esse, neminem dubitare fas esse arbitramur. Primo paganus catechumenus fit, accedens ad baptismum, ut renuntiet maligno spiritui et omnibus damnosis ejus pompis. Exsufflatur etiam, ut fugato diabolo, Christo Deo nostro [Col. 0292B] paretur introitus. Exorcizatur, id est, conjuratur malignus spiritus, ut exeat, et recedat, dans locum Deo [vero]. Accipit catechumenus salem, ut putrida et fluxa ejus peccata sapientiae sale, divino munere, mundentur. Vera deinde Symboli apostolici traditur ei fides, ut vacua domus et a prisco habitatore derelicta, fide ornetur et praeparetur habitatio Deo. Tunc fiunt scrutinia, ut exploretur saepius, quam firmiter, post renuntiationem Satanae, sacra verba datae fidei radicitus corde defixerint. [Tanguntur et nares, ut quandiu spiritum naribus trahat, {110} in fide accepta perduret]. Pectus quoque [eodem] perungitur oleo, ut signo sanctae crucis diabolo claudatur ingressus. Signantur et scapulae, [ut undique muniatur. Item in pectoris et scapulae] unctione signatur [Col. 0292C] fidei firmitas, et operum bonorum perseverantia. Et sic in nomine

sanctae Trinitatis trina submersione baptizatur. Et recte homo, qui ad imaginem sanctae Trinitatis conditus est, per invocationem sanctae Trinitatis ad eamdem revocatur imaginem. Et qui tertio gradu peccati, id est, operatione cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis, et castitatem vitae, et angelici splendoris decorem. Tunc sacro chrismate caput perungitur, et mystico tegitur velamine, ut intelligat se de anathema, regni et sacerdotii dignitatem portare, juxta Apostolum: *Vos estis genus regale, offerentes vosmetipsos Deo vivo hostiam sanctam et Deo placentem* **(I Petr. II, 9, et Rom. XII, 1)**. Sic [Col. 0292D] corpore et sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit membrum, qui pro eo passus est et resurrexit. Novissime per impositionem manus a summo sacerdote septiformis gratiae Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad praedicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vitae donatus aeternae.

Videtis quam fideliter, rationabiliter et prudenter [Col. 0293A] haec omnia tradita sunt nobis observanda. Nemo catholicus contra Ecclesiae auctoritatem, nemo sobrius contra rationalem consuetudinem, nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audeat. Et ne schismaticus inveniatur et non catholicus, sequatur probatissimam sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem: ut unde catholicae fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostrae semper habeamus; ne membra a capite separentur suo; ne claviger regni coelestis abjiciat, quos a suis deviasse intelligit doctrinis.
@ [Col. 0293D] *Epistolam vero, etc.* Igitur Alcuinus mutilum codicem epistolarum sancti Gregorii habuit, epistolam enim, de qua hic Alcuinus dubium movet, ad Leandrum Hispal. genuinam esse constat ex Isidoro Hispal. concilio Toletano IV et Joanne diacono. Sed de hoc alibi plura dicemus. Epistolam vero quam a beato Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in Epistolari suo Libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus; alias vero omnes perspeximus in eo Libro, quem ad occidentalium partium ecclesias, [Col. 0293B] pontifices et reges scripserat. Ideo dubii sumus, an illius sit, an ab aliquo hujus sectae auctore sub ejus nomine scripta sit.

De observatione vero, unde interrogastis, sanctissimi sabbati, quod Dominicae resurrectionis diem praecedit, dignissimum nobis videtur ut omni veneratione habeatur jucundus. Et quidquid aliis diebus in quadragesimalibus epulis, seu salutis causa, seu necessitate qualibet cogente, utendum fiat, in eo die non respuendum esse nobis videtur dignum: non ad satietatem gulae, sed ad venerationem sanctitatis. Non itaque Deus tantum requirit quid manducemus, quantum considerat qua facilitate abstineamus ab interdictis, vel qua modestia utamur concessis. In omnibus his temporum ratio, et fraterni amoris convenientia [Col. 0293C] observanda est. Ideo Dominum in Evangelio Judaeis legimus dixisse, dum de Joannis abstinentia, et de sui ipsius ad homines convenientia parabolam puerorum proposuit dicens: *Et justificata est sapientia a filiis suis* **(Matth. XI, 19)**. Id est, filii sapientiae intelligunt in omnibus rebus ubique modestiam rationabilem, et concordiam pacificam esse laudabilem. Quae etiam cuncta vestra sanctitas, fratres charissimi, in opere melius agnoscit, quam nos verbis proferre valeamus.

Vos vero coeptum salutis aeternae iter magna devotione mentis et corporis peragite, quatenus ad perpetuam coelestis gloriae coronam pervenire mereamini. Meque in

sanctis orationibus vestris, obsecro, [Col. 0293D] ut familiariter habeatis. *Multum valet deprecatio justi assidua, juxta apostolum Jacobum* **(Jac. V, 16)**: quanto magis multorum fratrum? Deus secretorum testis novit, quantum vos proficere in omni bonitate desidero, et de hujus mortalitatis aerumnosa miseria ad aeternitatis gaudia transire concedat.
@ [Col. 0293D] *Hujus epistolae.* Haec clausula deest in cod. Salisb. De Lirinensium monachorum statutis agit [Col. 0294D] Hilarius Arelatensis in Vita sancti Honorati. Hujus vero epistolae exemplar fratribus, qui in insula Lirina Deo deserviunt, ut dirigere faciatis, [Col. 0294A] deposco: quia illi meam parvitatem de hujusmodi quaestionibus interpellare curabant.
@ [Col. 0294D] Edit. Mabill. 18 maximam partem mutilata. Integram damus ex cod. ms. Salisb. (Apud Froben. epist. 76.)

EPISTOLA XCI. AD ARNONEM. (Anno 799.)

Eum videre desiderat; tempora periculosa deplorat: se ad palatium vocatum, et Felicem a Laidrado ad regem ducendum significat, etc.

[Aquilae] inter omnes Alpinae celsitudinis aves charissimo [Albinus] salutem.

O si mihi translatio Habacuc esset concessa ad te, quam tenacibus tua colla strinxissem, o dulcissime fili, amplexibus? Nec me longitudo [aestivi] diei fessum efficeret, quin minus premerem pectus pectore [*Cod.* Sal. pectori], os ori adjungerem, donec singulos [Col. 0294B] corporis artus dulcissimis oscularer salutationibus. Sed quia hoc peccata mea impediunt, ut in tardo corpore fieri valeat, [quod possum] instantius efficiam, pennam charitatis lacrymoso intingens gurgite, ut suavissima salutationis verba scribantur in chartula, ut per manus currentis viatoris veniat ad filium charitatis meae, qui est pater meritis,
@ [Col. 0294D] *Frater charitate.* Ita etiam sese explicat Alcuinus in epist. 92 (nunc 118) ad eumdem. Vide quae de ea re in praefatione diximus, ubi inquirimus, an Arno Alcuini frater Germanus fuerit? frater charitate, filius aetate; ut me legat lugentem, quem non aspicit laetantem. O dura divisio gravi ponderis in corpore! o dulcis conjunctio in dilectionis visceribus! o vera fraternitas, quae nunquam dividitur, quae non minus in absente ardet quam in praesenti clarescit! In hac, obsecro, nostra tecum semper vigeat memoria, ut fragilitas nostra vestris fulciatur orationibus, et non recedat de corde nomen [Col. 0294C] diligentis te; sed in Christo sit unitas, sine quo nulla perfecta est charitas.

{112} Multas habemus curiositates de fide catholica, quia plurimi sunt impugnatores. Ideo nobis necessarium est multorum fulciri intercessionibus, ut multis divina donante gratia prodesse possimus. Tempora sunt periculosa, et tribulatio super tribulationem semper advenit. Populus in egestate, principes in labore, Ecclesia in sollicitudine, sacerdotes in querelis. Omnia turbata sunt; tamen ille, credo, miserebitur, cujus misericordia speciosa est in tempore tribulationis; cujus te laudi et honori semper insistere multum gavisi sumus. Reficit enim spiritum nostrum [Candidus] de religiosa

vita vestra, sive domo, [Col. 0294D] sive in itinere. Ideo non est mihi admonere facientem, nec plena implere, sed congaudere gaudentibus, et in tuis profectibus Deum laudare. Dum poteris operare opera Dei **(Joan. VI, 28)**: et dum lucem habeas, curre **(Joan. XII, 35)**, donec pervenias ad bravium supernae beatitudinis **(Phil. III, 14)**. [Utinam citius superveniente aestate te mereamur videre. Nam medio Maio, perficiente Deo, ad palatium me esse arbitror, [Col. 0295A] secundum quod domnus rex demandavit nobis. Et

@ [Col. 0295D] *Felix habet juratum venire.* Adducendus nempe per Laidradum ad concilium Aquisgranense, ut ex sequente epistola colligitur; ergo scripta fuit anno 799. Felix novitatis assertor habet juratum venire ad domnum regem rationem reddere fidei suae. Ideo diligentius orate pro nobis]. Ego vero vernaculus sanctae Dei Ecclesiae vobiscum stare habeo, et quod sacerdotum Christi unanimitas credit et praedicat, in hoc ego laboro, et cum meis loquor, et pro filiis sanctae Dei Ecclesiae aperiam os meum, si ille implebit illud, qui ait: *Aperi os tuum, et ego implebo illud* **(Psal. LXXX, 11)**. Desiderans docere viam Domini, et confirmare titubantes, et exhortari stantes, et erigere jacentes per eum et in eo, qui *erigit elisos et solvit compeditos* **(Psal. CXLV, 7, 8)**. Dominus Jesus Christus, pro quo mihi, et per quem mihi sermo est, ut eum verum Deum, et verum Filium Dei omnibus, [Col. 0295B] volentibus et nolentibus audire, testamur.

[Libellos nostros, quos

@ [Col. 0295D] *Hildegarius.* Discipulus haud dubie aliquis Alcuini in monasterio sancti Ruperti. Vid. epist. seq. Hildegarius portavit de sancto Martino, id est, *sancti Ambrosii de fide catholica ad Gratianum imperatorem, et Tractatus in prophetas Joel et Amos;* hos vero libellos, si in monasterio remansissent, omnimodis tecum affer si venias; sin autem, remitte nobis. Si vero portasset secum, mittatur, ut reddat, ut benedictionem sancti Martini habeat, quia de illius sunt armario, quem nihil per nos perdere optamus. Illum vero praefatum puerum bene fecisti, dum dedisti eum saeculo servire, quia studium ecclesiasticae vitae noluit insisti [*Leg.* insistere]: et non mihi irascaris contra eum. Sciebam illum nolle quod vos velle sciebam; sed nolui, ut per me a te separaretur, qui ad te sanguine [Col. 0295C] pertinebat, timeo, non spiritu. Tamen non est desperandum de eo, potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae **(Matth. III, 9)**. Benefac, obsecro,

@ [Col. 0295D] *Mago.* Adalbertum hoc cognomine notat, de quo alibi. Vide epist. seq. Mago meo nigro; erit enim utilis in domo Dei. Semper nobiscum fuit, bonam habuit voluntatem et humilitatem, seu in servitio Dei, seu etiam in lectionis studio; et quidquid ille accepisset, fac eum partiri cum plurimis, ut sermo Dei crescat in Ecclesia, cui Deo dispensante deservis. Saluta, obsecro, omnes fratres nostros in pace et charitate, Patremque nostrum

@ [Col. 0295D] *Alimum.* Episcopus is fuit Sabionensis, qui anno 772 synodo Dingolfinganae subscripsit. Alimum episcopum, et caeteros consacerdotes vestros. Hortare illos semper ad praedicationis officium. Memento dum

@ [Col. 0295D] *Pallium archiepiscopale, quo Arno priori anno decoratus fuit, ut nunc ex hac quoque epistola constat,* [Col. 0296D] quae anno 799 paulo post initium data est, nempe ante mensem Martium. Vide epist. seq. pallium accepisti [ab] apostolica sede, majus te accepisse onus, [Col. 0295D] et debitorem esse omni personae et dignitati, fiducialiter verbum Dei praedicare]. Noli, noli tacere, sed clama, et ne cesses. Exalta sicut tuba

vocem tuam **(Isa. LVIII, 1)**, et ostende omnibus viam salutis aeternae, et dic: Currite, haec est via regia, haec est [Col. 0296A] strata publica, quae ducit ad palatium Dei Christi, in quo est pax, laus et gloria, ad quem pervenientes memores estote mei.

[*Kalendis Novembris*
@ [Col. 0296D] *Solemnitas Omnium Sanctorum.* Hanc solemnitatem eo die, hoc est, Kalendis Novembribus in Gallia et Germania longe post obitum Alcuini, scilicet anno 835, celebrari coepisse tradit Quercet. in Praefat. ad beatum Alcuinum num. 17. Quae assertio ex hoc loco refellitur. *solemnitas Omnium Sanctorum.* Ecce, venerande Pater Arne, habes designatam solemnitatem Omnium Sanctorum, sicut diximus, quam continue in mente retineas, et semper pro anniversario tempore colere non desistas, attendens illud et intente considerans, quoniam si Elias, unus ex illis, in Veteri Testamento oratione sua, dum voluit, claudere coelum potuit praevaricatoribus, et aperire conversis **(III Reg. XVII, et Jac. V, 17)**, quanto magis {113} Omnes Sancti in Novo Testamento? ubi eis specialiter et patenter claves regni coelesti commissae sunt, et claudere coelum possunt incredulis, et [Col. 0296B] aperire credentibus, si intima dilectione honorificantur a fidelibus, et coluntur glorificatione eis condigna. Quod ut fieri digne possit a nobis, lumen verum, quod illuminat omnem hominem **(Joan. I, 9)**, Christus Jesus, illuminet corda nostra, et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum **(Phil. IV, 7)**, per intercessionem Omnium Sanctorum ejus, custodiat ea usque in diem aeternitatis. Hanc solemnitatem sanctissimam tribus diebus jejunando, orando, missas canendo, et eleemosynas dando pro invicem sincera devotione praecedamus]
@ [Col. 0296D] Hanc epistolam hactenus ineditam damus ex codd. mss. Salisb. et S. Emmerami; quae ansulis inclusa sunt, in solo cod. Salisb. habentur. (Apud Froben. epist. 77.)

EPISTOLA XCII. AD ARNONEM. (Anno 799, mense Martio.)

Epistolam cum muneribus se accepisse; ac se medio mense Maio apud regem, quo etiam Felix adducendus est, futurum significat.[Col. 0296C]

Dilectissimo filio Aquilae Albinus salutem.

Acceptis sacerdotalibus dilectionis tuae muneribus cum magno gaudio et laetitia, simul et suavissimis litteris, in quibus omni favo dulcior redolebat mihi charitas, et quam saepius probavi, semper amavi; et quadam familiaritate intra cordis mei arcana, quasi thesaurum desiderabilem, tuae faciei et nominis memoria recondidi [*Edit.,* reconditur]: et quod nigrum in capillis videtur, candidum in corde amatur. Sed omnimodis obsecro, si fieri possit, hoc anno superveniente videam dulcissimos oculos [Aquilae meae], ut amplectar, deosculer non solum ore, sed etiam toto corde. [Jam pridem tuae charitati longiorem [Col. 0296D] scripsi epistolam, et direxi Chlotario fratri, ut per vestros homines ad vos perveniret. Ideo paucis modo sermonibus loquor in hac praesenti chartula. Venit enim XIV Kal. April. mihi epistola vestra cum muneribus, et ego statim hanc scripsi, desiderans te [Col. 0297A] multum videre. Jam, Deo volente, medio mense Maio apud regem cogito esse, quia

@ [Col. 0297D] *Laidradus. . . .* Felicem. Inde annum discimus scriptae epistolae, nempe 799, quo Laidradus Felicem Aquisgranum adduxit, de quo nos alibi. Laidradus filius noster adducere habet Felicem illum, cum quo nobis sermonis contentio est. Et utinam Paulinus noster charissimus Pater veniat. Si tibi causa opportuna fiat, multum desidero ut te habeamus praesentem]; quia multum tecum habeo conferre, quae per chartam, propter infidelitatem portantium, nolo indicare. Tu vero cautior esto inter hostilia arma. Tuum est praedicare, non pugnare; pacificare, non discordare; revocare ad vitam, non in mortem mittere, sicut tua optime novit sanctitas.

{114} [Hildegarius duos libros sancti Martini secum portavit, sicut
@ [Col. 0297D] *In alia epistola.* Nempe immediate antecedente. in alia epistola tibi designavi. Rogo ut facias venire; hoc est, *sancti Ambrosii De* [Col. 0297B] fide, et Tractatus in Joel et Amos prophetas. Et
@ [Col. 0297D] *Magum meum.* Adalbertum. Vid. not. c prioris epist. Magum meum saluta, et fac illi bene, bonus est enim frater; et omnibus filiis sanctae Ecclesiae
@ [Col. 0297D] *Ratbertum.* Rutbertum, abs dubio, seu Rupertum: et ex contextu legendum videtur: *omnibus filiis sanctae Ecclesiae ad sanctum Rupertum,* hoc est monasterii Salisburgensis, *facias bene.* Ratbertum facias bene, et saluta omnes in nomine Albini, et caeteros consacerdotes tuos, et orate pro nobis]. Et Dominus Deus dirigat corda nostra (II Thessal. III, 5) et sensus nostros ad salutem plurimorum, ut proficiat et clarescat verbum Dei in auribus multorum, et in corde recondatur fides catholica. Deus Dei Filius Jesus Christus Dominus noster te tuosque fideles custodiat, et florere faciat in charitatis officio, et fidei veritate semper in aeternum, dilectissime fili.
@ [Col. 0297D] Edit. Quercet. 78, Canis. 20, Froben. 78. Collata cum codidicibus mss. Salisburg. et S. Emmerami. Mabillonius lib. XXVI Annal. num. 58, eam ad annum 796 recenset. Hansizius tom. II Germ. Sacr. pag. 103, [Col. 0298D] anno 794 datam arbitratur, quando nimirum Elipandus, Felice post synodum Ratisbonensem anni 792 ad haeresim revocato extra Hispaniam in Gallias et Germaniam virus transfundere studuit; {116} contra quod fratres Juvavenses sanctarum litterarum studio se arment hortatur. Mihi tamen videtur praesentem epistolam eam esse, cujus in sequenti epistola ad Arnonem, quae anno 799 scripta est, meminit, adeoque ad eumdem annum, quo non minus quam alias causa Felicis agitata fuit, pertinere.

EPISTOLA XCIII. AD FRATRES JUVAVENSIS ECCLESIAE. (Anno 799.)

Laudat illorum regularem conversationem; et hortatur ad bene obeunda officia monachorum.[Col. 0297C]

Sanctissimis in Christo fratribus Juvavensis ecclesiae, humilis levita Albinus in Christi charitate salutem.

Audiens laudabilem in Christo unanimitatis vestrae conversationem, multa animus meus laetitia gavisus est, multoque anhelabat desiderio praesentialiter ordinem videre vestrum, et meipsum humili devotione vestris sacrosanctis commendare orationibus.

Sed quia hoc hucusque prohibuit variarum eventus rerum, et prolixa terrarum longinquitas [non sinit corporaliter ire, ubi mens summo desiderio semper adesse [Col. 0297D] praesentialiter cupit], meae parvitatis litterulas in hoc officium dirigere curavi, ut desiderium cordis mei in apicibus cognoscatis, quod et olim pio Patri Aquilae pontifici,
@ [Col. 0298D] *Aquilae germano meo.* Quae Canisius ad hunc locum adnotavit; et an inde colligi debeat Aquilam seu Arnonem archiepiscopum Salisb. Alcuini fratrem germanum fuisse in praefatione discussimus. germano meo pastori vestro injungere [Col. 0298A] studui, cupiens spiritali praesentia unus esse ex vobis, et unum esse vobiscum, ut vestra me sanctitas a terrenis levaret cupiditatibus, et in coelesti vobiscum collocaret desiderio.

O quam felix est vita monachorum! Deo placabilis, angelis amabilis, hominibus honorabilis. Qui hic [*Cod.* Sal., hanc] fideliter vivit inter homines, haud dubium feliciter regnat inter angelos. Hanc primitiva per apostolos in Judaea initiavit Ecclesia, quibus omnia communia fuisse leguntur, et nemo aliquid suum esse dicebat **(Act. IV, 32)**. Hoc non solum in saeculari substantia servandum esse arbitror, sed etiam in desideriis spiritalibus, ut omnes unum concupiscant, et obedientiae bonum magis exsequantur quam propriae voluntatis affectum. Si Christus suam [Col. 0298B] non venit facere voluntatem, sicut ipse in Evangelio testatur, sed Patris **(Joan. V, 30 et VI, 38)**, quanto magis monachus suam non debet facere voluntatem, sed Christi? Nec segnis in opere Dei, sed studiosus; nec tantum considerare quid jubeatur, sed quomodo perficiatur quod jubetur, ne ullatenus murmurationis malum crescat in aliquibus. Si aliqui ex populo Dei in eremo propter murmurationis perierunt peccatum, quanto magis monachus monasterii spiritali plectatur vindicta, si murmurationis malo mentem insolescere non metuit?

{115} Quapropter cum gratiarum actione accipiat quod ei pastoris [*Cod.* Sal., pastoralis] cura providerit sufficere. Sit enim sanctae pacis concordia inter cunctos, vitae castitas in adolescentibus, morum gravitas [Col. 0298C] in senibus, fervor operis in juvenibus: nec quisquam se canonicis horis vel regularibus psalmodiis subtrahat. Melius est cum angelorum coetibus Christum laudare, quam torpentem segnitia somno delectari, vel vigilando inania exsequi desideria. Et non solum verba sanctae lectionis resonent in ore, sed intima cordis compunctio sequatur verba legentis vel cantantis: et nullatenus horis competentibus sacrae Scripturae lectio recedat de manibus, quia diversae nunc haereses, sicut audistis, catholicae fidei puritatem maculare nituntur.

Quapropter armate vosmetipsos scientia veritatis, sententiis evangelicae auctoritatis, ut resistere valeatis contradicentibus veritati. Quomodo pugnat inermis? [Col. 0298D] vel quomodo docere potest, qui discere noluit? Spiritales sunt divitiae, sapientia in corde, ut Salomon ait: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore prudentis* **(Prov. XXI, 20)**.

[Col. 0299A] Sanctae fidei veritatem diligenter discite, et agnitam cordis recondite thesauro, et spe firmissima vos retinete ad Deum, et charitate ferventissima illum amate, honorate et laudate: quia haec est pars optima, quam Maria elegit, sedens secus pedes Domini, quae non auferetur ab homine in aeternum **(Luc. X, 39, 42)**. Sed tanto ardentius post hanc vitam amatur Christus, quanto perspicacius ejus intelligitur bonitas.

Sed non est opus meae parvitati vos admonere de singulis, dum habetis sacrae institutionis libros notissimos, et pium Patrem pastorem vestrum praesentem, qui vos viva voce melius admonere poterit, quam mea series litterarum. Tamen, ut debitam vobis ostenderem charitatem, paucis vos apicibus appellare [Col. 0299B] studui, ad agnoscendam in vos meae dilectionis fiduciam.
@ [Col. 0299D] *Praefato Patri, Aquilae nimirum.* Ex quibus palam est, inquit Hansizius, Arnonem etiam monachorum praefecturam gessisse. Praefato itaque Patri cum omni humilitate obedite **(Hebr. XIII, 17)**. Ille habet rationem reddere sollicitudinis suae pro vobis, et vos obedientiae vestrae in illum aequaliter rationem reddere habetis. Ille pro vobis in magno positus est periculo: vos pro illo magna charitate intercedere studete, ut mercedem pro vobis habeat apud Deum, et vos requiem cum illo habeatis in regno Dei. Filiorum eruditio laus est magistrorum, et profectus gregis merces est pastorum.

Divina auxiliante gratia custodite vos, fratres, in omni castitate, humilitate, concordia et charitate, onera vestra invicem portantes **(Gal. VI, 2, 5)**. Omnis sermo malus et impudicus, et impatiens, et inutilis ex ore vestro, non procedat **(Ephes. IV, 29)**; sed [Col. 0299C] quae sancta sunt, pia et justa, et vestrae condigna sanctitati, ad exhortationem audientium, loquimini. Et semper Deus honorificetur in ore vestro **(Rom. XV, 6)**, et quae ad pacem pertinent veram, tota sectamini intentione, et *Deus pacis erit vobiscum:* et pax, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra in omni bonitate et pietate **(Philip. IV, 7, 9)**. *Beati pacifici* [quoniam filii Dei vocabuntur] **(Matth. V, 9)**. Summa nobilitas est filium esse omnipotentis Dei. Sed haec nobilitas magna morum dignitate promerenda est. Non enim estis vestri, sed Christi, qui vos magno emit [*Edit.,* empsit] pretio, hoc est, suo sanguine. Portate Deum in corpore vestro **(I Cor. VI, 20)**, ut Deus dignetur habitare in cordibus vestris: quatenus ex hac brevi et laboriosa vita, ad aeternam requiem [Col. 0299D] et beatitudinem pervenire mereamini, intercedente beati Hrotbercti, aliorumque Patrum sanctitate pro vobis. Divina pietas in omni bono florere vos faciat, fratres charissimi.
@ [Col. 0299D] Edit. Mabill. 11, Froben. 79. Hic magis integra prodit ex cod. ms. Salisb.

EPISTOLA XCIV AD ARNONEM. (Anno 799, mense Martio.)

Mittit Paschalia carmina, et admoneri cupit parochianos, seu curiones suae dioecesis ad vitae probitatem, ad officia sua bene obeunda. [Col. 0300A]

Aquilae per Alpes volanti, per campos currenti, per urbes ambulanti humilis terrigena salutem.

[Paschalia paci vestrae direxi carmina, prout dictaverunt Magi mihi. Vos videte, an placeat ad scribendum, vel proficiat ad legendum.
@ [Col. 0299D] *Misi quoque fratribus litteras.* Fratres hi sunt monachi S. Petri seu S. Ruperti, ad quos epistolam, quam immediate antea dedimus, scripsit. Misi quoque fratribus litteras, rogans ut in praesentia vestra legantur, uti me commendes illorum orationibus, tuis quoque
@ [Col. 0299D] *Parochianis.* Curiones seu parochos suae dioecesis intelligit. Vide Gloss.

Cangii V, *Parochianus.* parochianis qui solent ad dedicationem sancti chrismatis venire. Illis quoque scripsissem tuae causa charitatis, si nimium non esset praesumptuosum. Tamen] [Col. 0300B] admoneas eos de vitae castitate, de morum honestate, de orationum vigilantia, de precationis instantia; et unusquisque subjectam sibi plebem bene in Dei voluntate eruditam habeat, ecclesiamque bene directam. [Et ut viduarum, orphanorum, et pauperum maxime curam habeant **(Eccli. IV, 1, 2, seq.; VII, 36)**. Scholares quoque habeant, et diligenter discere eos faciant psalmos, et cantilenam ecclesiasticam, ut in singulis ecclesiis cursus agatur quotidianae laudis Dei]. Unusquisque vero suum in Domino honorificet ministerium, ut non sit vituperatio in sacerdote Christi, sed laudatio in praedicatore veritatis **(II Cor. VI, 3)**. [Et ut sanctum baptisma diligentissime exerceant, quia in nullo loco periculosius erratur; [Col. 0300C] sicut nec fructuosius, si bene observatur]. Hortenturque singuli ad confessionis puritatem, ad poenitentiae compunctionem: quia hoc secundum baptisma est in Ecclesia, ut qui post primum erraverit in aliquo delicto, in hoc secundo corrigatur. Sit tibi Deus ubique adjutor, ut proficias in omni bono, et multiplici dignus mercede habearis in conspectu Domini Dei tui. Usque in Kalendas Maias vestrum in his partibus sperabo adventum.
@ [Col. 0300D] *Regem in Saxoniam iturum.* Carolus rex anno 799 Pascha, pridie Kal. Aprilis, Aquisgrani celebravit; postea Saxoniam ingressus, Patrisbrunnae considet cum exercitu, ut testantur Annal. Francorum. Concordat ergo tempus illius itineris cum tempore scriptae epistolae. Regem speramus in Saxoniam iturum. De mea vero causa, volente Deo, dum veneris, aliquid certius innotescere habemus. Tantum orationibus adjuva fragilitatem nostram, ut dirigat nos Christus in suae pietatis voluntate, ut faciamus quae beneplacita sunt ei **(Eccli. II, 19)**. Deus Christus ad profectum suae sanctae Ecclesiae, [Col. 0300D] bona valetudine beatitudinem tuam conservare dignetur, desiderande Pater!

{117}
@ [Col. 0300D] Edit. Quercetani 11, Canis. 4, Froben. 80. Et apud Quercetanum quidem cum hoc titulo: *Querimoniae de miseria hujus saeculi.*

EPISTOLA XCV AD DOMNUM REGEM. (Anno 799.)

Gratias agit pro bonis acceptis: de perturbatione Ecclesiae et regni conqueritur. Hortatur regem, ut maximam curam impendat Ecclesiae; remissa nonnihil severitate in Saxones.[Col. 0301A]

Gratias agimus clementissimae bonitati vestrae, dulcissime David, quod nostrae parvitatis memoriam habere digneris, nobisque innotescere, quae famulus vester fidelis nostris insonuit auribus. Nec in hoc solum [*Can.,* solo] grates ferimus continuas vestrae pietati, sed in omnibus bonis quae mecum ex die qua parvitas mea vobis nota facta est, perfecit. Optime incepistis sed melius consummastis. Quapropter continuis precibus Domini nostri Jesu Christi clementiam deprecor, quatenus qui tibi optima quaeque in terrena felicitate concessit, longe meliora aeternae beatitudinis regna tibi aeternaliter concedere dignetur.

[Col. 0301B] Plurima vestrae venerandae dignitati praesens suaderem, si vel vobis opportunitas esset audiendi, vel mihi eloquentia dicendi; quia calamus charitatis cordis mei arcana instigare saepius solet, de vestrae excellentiae prosperitate tractare, et de stabilitate regni vobis a Deo dati, et de profectu sanctae Ecclesiae Christi, quae multimoda improborum perturbata est nequitia, et scelestis pessimorum ausibus maculata, non in personis tantum ignobilibus, sed etiam in maximis et altissimis: quod metuendum est valde. Nam tres personae in mundo altissimae hucusque fuerunt: [id est], apostolica sublimitas, quae beati Petri principis apostolorum sedem vicario munere regere solet. Quid vero in eo actum sit, qui

@ [Col. 0301C] De crudelitate Romanorum in Leonem III pont. Rom. patrata loquitur. rector [Col. 0301C] praefatae sedis fuerat, mihi veneranda bonitas vestra innotescere curavit. Alia est imperialis dignitas, et [Col. 0302A]

@ [Col. 0301C] *Secundae Romae.* Constantinopolis, quae passim etiam ab historicis, Socrate Hist. Eccl. lib. V, cap. 8, etc., atque in ipsis quoque constitutionibus impp. *Roma dicitur,* ab ipso conditore Constantino nomen *Novae Romae sortita.* Et Sidonius in Panegyr.

Salve sceptrorum columen, regina Orientis
Orbis Roma tui. secundae Romae saecularis potentia. Quam impie

@ [Col. 0301C] *Gubernator imperii.* «Scilicet Constantinus imp. anno 797 a matre Irene et consiliariis captus, et excaecatus mortuus est, Theophane auctore.» CANISIUS. gubernator imperii illius depositus sit, non ab alienis, sed a propriis et concivibus, ubique fama narrante crebrescit. Tertia est regalis dignitas, in qua vos Domini nostri Jesu Christi dispensatio rectorem populi Christiani disposuit: caeteris praefatis dignitatibus potentia excellentiorem, sapientia clariorem, regni dignitate sublimiorem.

Ecce in te solo tota salus Ecclesiarum Christi inclinata recumbit. Tu vindex scelerum, tu rector errantium, tu consolator moerentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Romana in sede, ubi religio maximae [*Canis.,* maxime] pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerserunt? Ipsi cordibus suis excaecati,

@ [Col. 0301C] *Excaecaverunt caput proprium.* «In populum Romanum severe et vere haec dicta, qui in pontificem [Col. 0301D] summum Leonem III insurrexerunt, pulsatum mutilarunt oculis anno 799, teste Anastasio Bibliothecario.» CANISIUS.---Vide etiam Mabillonium lib. XXVI Annal. pag. 337 seq.; Muratorium Hist. Ital. part. IV, ad hunc annum; et alios. excaecaverunt caput proprium. Nec [Col. 0302B] ibi timor Dei, nec sapientia, nec charitas esse videtur. Quid boni ibi esse poterit, ubi nihil horum trium invenitur? Si timor Dei esset in eis, non auderent; si sapientia, nunquam voluissent; si charitas, nequaquam fecissent. Tempora sunt periculosa, olim ab ipsa Veritate praedicta, *quia refrigescit charitas multorum* **(Matth. XXIV, 12)**.

@ [Col. 0301D] *Nullatenus capitis cura omittenda est.* Operae pretium esse judico huc transcribere interpretationem, quam hujus epistolae textui inseruit Pagius ad annum 799, num. 3. Ita vero habet: «. . . . *Nullatenus capitis* (scilicet Romani pontificis) *cura omittenda est* . . . Componatur pax cum populo nefando (Romano nempe) *si fieri potest.* Tenendum est, quod habetur, ne propter acquisitionem minoris quod majus est (scilicet regnum Longobardicum) *amittatur.* Servetur ovile proprium (ideoque Romani

non erant proprii subditi [Caroli]), *ne lupus rapax devastet illud* (id est insurgat aliquis tyrannus, ad quem Romani, si nimis premantur, confugiant). *Ita in alienis sudetur* (in componenda nempe republica Romana), *ut in propriis damnum non* [Col. 0302C] patiatur (in illis scilicet quae ad regnum Longobardicum pertinent.» Ex hac interpretatione celeberrimus scriptor ita concludit: «Ex quibus intelligimus, imperatores Constantinopolitanos urbe Roma hoc tempore potitos non fuisse; neque etiam Carolum ejus dominium habuisse; aut collegam summi pontificis in administratione urbis exstitisse: alioquin non diceret Alcuinus, tres esse in mundo supremas potestates, majoremque fore regni Italici amissionem quam Romanae *alienaeque urbis acquisitionem.* Quare vel ex hac sola Alcuini epistola evertitur opinio Marcae et Cointii, qui volunt dominium urbis et Exarchatus Ravennatensis ab anno 796 penes pontificem et Carolum fuisse; et utrumque pari jure eisdem praefuisse. Si enim hoc ita se habuisset, Alcuinus Romanos *alienos non appellasset, nec Carolum monuisset,* [Col. 0302D] ut caveret ne *propter acquisitionem minoris, regnum integrum perderet.* Beneventanus dux hoc ipso tempore in armis erat contra Francos, et nova rerum conversio in urbe Constantinopolitana timendi locum dabat, ne Graeci a Francis alieni tumultus, si in Italia orirentur, foverent. Unde Alcuinus Carolo suasit ut ab illis scopulis caveret.» Hucusque Pagius. Vereor ne vir celeberrimus longius a mente Alcuini hac sua interpretatione aberraverit. En igitur interpretationem aliam, quam virorum eruditorum judicio subjicio aestimandam: *Nullatenus capitis* (Romani pontificis) *cura omittenda est.* Componatur pax cum populo nefando (Saxonum, quos eodem nomine in sequenti epistola vituperat; cum quibus {119} etiam hoc anno 799 per filium suum Carolum de pace egit, et ab ipsis tulit multitudinem hominum cum mulieribus et infantibus, et collocavit eos per diversas terras in finibus suis [*Chron.* Moissiac. et Annal. Lambec.]. Cum populo vero Romano Carolus eo tempore [Col. 0303C] nullum bellum gessit: nec integer ille populus, sed [Col. 0303D] aliquot ex primoribus in mortem Leonis consiliati sunt). *Relinquantur aliquantulum minae, ne* (Saxones) *obdurati fugiant. . . .* tenendum est, quod habetur (in terris Saxoniae) *ne propter acquisitionem minoris* (regni nempe terreni ampliationem) *quod majus est* (salus Ecclesiae et capitis illius) *amittatur.* Servetur ovile proprium (Ecclesia, quae proprie ovile cujusvis fidelis appellatur; nec eo nomine Alcuinus regnum Longobardicum, ut vult Pagius, insignire voluisset): *ne lupus rapax devastet illud* (percusso nempe pastore) *ita in alienis sudetur* (in populo nondum acquisito), *ut in propriis* (in iis nempe quae Ecclesiae bonum concernunt, quod cuique fidelium, praeprimis vero supremo illius advocato quasi proprium esse debet) *damnum non patiatur, etc.* Eruditi statuent, quae istarum interpretationum praeferri aut Alcuini menti conformior censeri mereatur. Nullatenus capitis cura omittenda est. Levius est pedes dolere [*Murator.,* tollere] quam caput. Componatur pax cum populo nefando, si fieri potest. Relinquantur aliquantulum minae, ne obdurati fugiant: sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad pacem revocentur. Tenendum est quod habetur, ne propter acquisitionem minoris, quod majus est amittatur. Servetur ovile proprium, ne lupus rapax devastet illud. [Col. 0302C] Ita in alienis sudetur, ut in propriis damnum non patiatur.

[Col. 0303A]

@ [Col. 0303D] *Olim* . . . de exactione decimarum dixi. In epistolis 28, 31, 37 et 72 (nunc 33, 36, 42 et 87). Olim vestrae sanctissimae pietati de exactione decimarum dixi, quia

forte melius est, vel aliquanto spatio ut remittatur publica necessitas, donec fides cordibus radicitus inolescat, si tamen illa patria Dei electione digna habetur. Qui foras recesserunt, optimi fuerunt Christiani, sicut in plurimis notum est. Et qui remanserunt patria [*Can.,* patriae], in faecibus malitiae permanserunt. Nam Babylon propter peccata populi, daemoniorum deputata est habitatio **(Apoc. XVIII, 2)**, ut in prophetis legitur. Nihil horum tuam latere poterit sapientiam. Ut pote in sanctis Scripturis, vel saecularibus historiis te apprime eruditum esse {118} novimus. Ex his omnibus plena tibi scientia data est a Deo, ut per te sancta Dei Ecclesia in populo Christiano regatur, exaltetur et [Col. 0303B] conservetur. Quanta tuae optimae devotioni merces exhibeatur a Deo, quis dicere poterit? *Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* **(I Cor. II, 9)**.

Mitis ab aetherio clementer Chistus Olympo
Te regat, exaltet, protegat, ornet, amet. Mens mea congaudet, bonitas jam vestra fidelis
Optime quod regem suscipit ipsa senem. Haec precor aspiciat clementi lumine nostras
Litterulas, scripsit quae pietatis amor. Sidera sancta poli, viridis vel gramina terrae,
Omnia conclament: David ubique vale! Terra, polus, pelagus, homines, volucresque feraeque
[Col. 0303C] Concordi clament voce: Valeto pater!

@ [Col. 0304C] Edit. Quercet. 12 ex ms. **(Froben. 81.)** Scripta est [Col. 0304D] antequam Leo papa veniret ad Carolum M. anno 799.

EPISTOLA XCVI AD DOMNUM REGEM. (Anno 799.)

Gratias agit pro sui memoria in epistolis, et plurimis acceptis beneficiis. Laudat et excitat regem ad justitiam reddendam sedi apostolicae. Excusat se ab itinere Romam suscipiendo. Optat pacem cum Saxonibus.

Domino in Domino Dominorum dilectissimo David regi, Flaccus fidelis orator sempiternae beatitudinis in Christo salutem.

Revertente me de

@ [Col. 0304D] *Wicus.* Cella maritima S. Jodoci apud Morinos, hodie *S.* Josse-sur-Mer. Quod monasterium Carolus Alcuino tradidit regendum, dum ex Anglia in Franciam rediit anno 792 vel sequenti. Wicus propter causas necessarias quas ibidem habuimus disponere, occurrerunt [Col. 0304A] mihi visitanti religiosissimam

@ [Col. 0304D] *Sororem vestram.* Nempe Gisalam, fortean in Parthenone Calensi, cujus abbatissa erat. MABILL. sororem vestram, excellentiae vestrae dulcissimi apices, in vestra prosperitate amabiles, et in divina misericordia laudabiles, qui nunquam in se sperantes deserit, sicut

@ [Col. 0304D] *De domno apostolico, Leone pontifice, quem divina misericordia non deseruit;* sed prodigiose e latronum manibus liberavit, eique oculorum et linguae usum ademptum restituit; prout ejus temporis scriptores testantur, et ipsemet Alcuinus hoc loco insinuat iis verbis: *Quae clementer divina gessit pietas, etc.* de domno apostolico nuper actum, per vestras suavissimas litteras audivimus; qui etiam vestrae beatissimae

praesentiae gaudet

@ [Col. 0304D] *Advenire.* Advenit Leo papa ad Carolum, dum is ad Padresbrunna (nunc Paderbornae) resideret anno praesenti seu 799, ibique regia prorsus magnificentia susceptus est, ut testatur Anastasius. advenire, ut innotuit nobis chartula benignitatis vestrae, de qua multas bonitati vestrae gratias agimus, quod solita pietate nostri nominis memoriam habere dignati estis. Non solum de hac praesenti memoria, vestrae egregiae pietati gratias agimus continuas, sed etiam de omni bonitate vestra, quam in nostram peregrinationem verbis vel factis semper ostendistis: fidelis in promissis, verus in perficiendo promissa. Quapropter [Col. 0304B] fides vestra, et charitas non ficta, et intercessio continua, in arcano cordis mei thesauro, vestram jugiter amplectitur beatitudinem. O dulcissime decus populi Christiani! o defensio ecclesiarum Christi! consolatio vitae praesentis! Quibus tuam beatitudinem omnibus necessarium est votis exaltare, intercessionibus adjuvare, quatenus per vestram prosperitatem Christianum tueatur imperium, fides catholica defendatur, justitiae regula omnibus innotescat.

Ecce quid actum est de apostolica sede in civitate praecipua, in dignitate excellentissima, quae omnia vestro tantummodo servantur judicio; ut prudentissimo consilio sapientiae vobis a Deo datae temperata consideratione corrigantur quae corrigenda sunt, et conserventur quae conservanda sunt; et qua clementer [Col. 0304C] divina gessit pietas, extollantur in laudem nominis illius, qui salvum fecit servum suum et liberavit a persecutione ex ecrandae infidelitatis. Vestra vero sapientissima animi prudentia, dum omnia intelligat, quid cui conveniat personae, in benefaciendo, sive in vindicando [faciat et perficiat], quod Deo placeat, et omnibus bona in vobis voluntas ostendatur, laudetur et ametur. Hoc certissime pietas vestra agnoscat, quod nullius hominum auri vel argenti munuscula tantum laetificant Flacci vestri animum; quantum beatitudinis vestrae apices omni gaudio reficiunt. Ideo supplici voto deprecor, ut saepius jubeatis fieri, quod me semper amare agnoscitis.

[Col. 0305A] {120} De illo itinere vero longo et laborioso

@ [Col. 0305D] *Romam eundi.* «Huic enim obsequio, inquit Pagius anno 799, num. 4, Carolus rex complures episcopos et abbates jam (anno nempe praesenti) destinarat.» Vid. epist. ad Arnonem infra. Romam eundi, nullatenus infirmum et quotidianis fractum doloribus corpusculum meae fragilitatis perficere posse arbitror. Desiderium jam habuissem, si potestas esset peragendi. Ideo obsecro clementissimam paternitatis vestrae benevolentiam, ut dimittatis me fideliter et instanter orationibus, cum Deo servientibus apud sanctum Martinum, vestrum iter adjuvare. Et utinam ut quandoque divina gratia vobis concedat libertatem a populo nefando Saxonum iter agere, regna gubernare, justitias facere, ecclesias renovare, populum corrigere, singulis personis ac dignitatibus justa decernere, oppressos defendere, leges statuere, peregrinos consolari, et omnibus ubique aetatis [*Forte, veritatis*] et coelestis vitae viam [Col. 0305B] ostendere. Ut sit consolatio omnibus in adventu vestrae pietatis, clarissimisque vestrae nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta accrescat, sicut per solius homonymi tui David Deo dilectissimi regis sanctitatem, ut legitur, omnibus nepotibus suis regalis throni potestas conservata fuit. In his enim et hujusmodi religionis exercitationibus filiorum exaltatio, et regni felicitas, et populi sanitas, et frugum ubertas, et totius boni jucunditas; tibique coelestis regni beatitudo, Christo Deo perficiente, crescit et augetur,

dulcissime David, diebus aeternis.

Det tibi consilium pacis, simul atque salutis
David, amor populi, Christus ubique pius: Omnipotens cujus defendat dextera semper,
[Col. 0305C] Victorem faciens teque tuosque simul. Nomen ut aeternum toto laudetur in orbe
Illius ex vobis, pro pietatis ope. Aspice, cunctorum vitae spes, forma salutis,
Qualiter ad vosmet tota recurrat ovans.
@ [Col. 0305D] *Qui tristis venit.* «Videtur alludere, ait Canisius, ad alteram profectionem Romanam Caroli Magni, qui quater Romam profectus est: anno 774 vindicans Adrianum et Romanam Ecclesiam ab injuriis Desiderii Longobard.; deinde anno 781 solvendi voti causa; tertio contra ducem Beneventanum anno 786; quarto ut restitueret Leonem an. 800 quo imperator proclamatus.» Mihi vero videtur, haec intelligenda esse de tristi adventu et laeto reditu ad urbem Leonis pontificis; prout et ulterior contextus carminis cum ipso textu epistolae hujus comparatus haud obscure insinuat. Versus isti apud Canisium subjuncti habentur epistolae 7 **(Froben. 93)** quae nunc est 109. Qui tristis venit, redeat jam laetus ad urbem,
Per pia dona Patris, consiliumque sacrum. Quod petit inveniens, quidquid speravit adeptus,
Huic quoque laudes hymnidicas referens, Qui mundo talem tribuit sub tempore nostro
Rectorem, sacrae regmine justitiae.

{121}
@ [Col. 0305D] Froben. 82. Hanc epistolam, sed non integram, [Col. 0306D] Mabillonius ex cod. ms. Sanct-Emmeramiano; initium vero illius Pezius ex cod. ms. Benedictoburano ediderunt. Hic plenior prodit ex cod. ms. Salisb., iis nimirum suppletis quae ansulis inclusa vides.

EPISTOLA XCVII. AD * * * (Anno 799.)

Exoptat ejus praesentiam, deplorat atrox factum Romae: hortatur ad opus praedicationis et exercitia virtutum. Ob pallium adeptum gratulatur, hortando ad ministerium bene explendum.[Col. 0306A]

Dilectissimo charitatis filio et venerandae sanctitatis Patri, devotus in fide amicus salutem.

Multa habuissem tecum valde necessaria conferre, si tempus et locus, et faciei vestrae praesentia adesset; sive de generali sanctitatis Ecclesiae statu, sive de speciali rerum ad nos pertinentium vicissitudine. Sed hoc erit, dum vult, qui omnia disponit quae sunt in coelo et in terra; qui quandoque concedat nobis mutua charitatis verba inter nos habere, et cordis aestus verbis pacificis patescere. Sed, tu charissime, et omnium sacerdotum Christi cordi nostro junctissime! obsecro intercessiones facere pro nobis, quatenus [Col. 0306B] divina clementia et vos proficere faciat in omni bono, et nos regere dignetur ad salutis nostrae profectum. Multae sunt hujus saeculi occupationes, et

diversae varietates, et eventus miserabiles, et Ecclesia Christi multis modis impugnatur non solum a paganis, sed etiam a falsis fratribus **(II Cor. XI, 26, et Gal. II, 4)**. Et ubi fons aequitatis et justitiae ad omnes per rivulos sanctitatis profluere debuit, ibi maxime iniquitatis palustris profunditas exhalatur: sicut forte a sanctissima sede auditurus eris, quid ibi scelerum et

@ [Col. 0306D] *Nimiae atrocitatis.* Quae nimirum in Leonem pont. anno 799. VII Kal. Maii in Litania majore patrata est, ut colligitur ex subsequentibus verbis: *Dum in capite talia aguntur.* nimiae atrocitatis nuper gestum esse refertur. Timendum est non solum hoc impiissimae pravitatis scelus, sed etiam majoris mali prodigium. Dum in capite talia aguntur, quid in corpore fieri possit, formidandum est. Justitia laborat, et [Col. 0306C] iniquitas abundat, et charitas frigescit **(Matth. XXIV, 12; II Tim. II, 17)**, et infidelitas serpit sicut venenum, et sicut cancer membra Christi maculare non desistit. Ideo dum tempus habeas, labora in verbo praedicationis, in virtute charitatis, in exemplo sanctitatis, in pietatis officio, in eleemosynarum largitione, in misericordiae et pietatis constantia, quatenus ex hujus caliginis miseria ad perpetuae beatitudinis lucem pervenire merearis, et me tuae salutis unanimem filium, fratrem, consocium, assiduis precibus vel admonitionibus tecum trahere non desistas, ut pariter dicere digni efficiamur, donante aeternae pietatis largitore: *Introduxit nos rex in cellaria sua, exsultabimus et laetabimur in te* **(Cant. I, 3)**.

[

@ [Col. 0306D] *Gavisus sum multum, etc.* Haec, quae ansulis inclusa vides, in cod. Salisb. inter antecedentia et subsequentia inserta sunt. Novam vero hic incipere epistolam pronum est judicare. Priora enim verba clausulam praeseferunt epistolarem; haec vero ejusmodi sunt, a quibus epistola merito exordium sumit; nimirum gratulatoria, ad Arnonem Salisburgensem puto, ob novam dignitatem et pallii archiepiscopalis decorem. Hinc librariorum errore factum esse puto, quod in cod. S. Emmerami, quo usus est [Col. 0307D] Mabillonius, adhortatio quae ab his verbis incipit: *Excitati animi motus:* ad hanc novam epistolam pertinens alteri assueretur; et quod eidem nova haec epistola in cod. Salisb. absque nova inscriptione connecteretur, quod nihil novi esse in re libraria veterum periti noverunt. Nolui tamen hoc loco unam epistolam ab altera, etsi meo judicio diversae, et diversis annis scriptae sint, separare ob cod. Salisb. fidem, cui, an meae conjecturae insistendum sit, eruditi judicent. Si meae conjecturae aliquid tribuendum censeatur, tunc epistolam hanc novam ad annum 798 quo vetera monumenta, pallium Arnoni concessum esse, plane consentiunt, pertinere dicendum est; si vero fides codicis praeferatur, et ambas partes [Col. 0308D] unam duntaxat epistolam esse statuatur; inde tamen hoc contra cl. Hansizium certum esse debet, quod et Arno ante annum 800 et ante mensem Aprilem anni 799 quo illa in Leonem papam atrocitas patrata fuit, dignitatem archiepiscopalem publice assumpserit, et Alcuinus ante illum annum 800, id est ante medium anni 799 gratulatoriam miserit. Vid. Hansiz. tom. II Germ. Sacr. p. 110. Gavisus sum multum, dum tuam beatitudinem [Col. 0307A] superhumeralis sanctitatem portare audivi, et in honoris ecclesiastici sublimissima stare stabilitate. Et utinam hoc multis proficiat, et tibi maxime prosit; ut Dei et Domini nostri Jesu Christi nomen clarificetur in te: et memento ministrum te esse magis quam dominum propter eum, qui ait; *Ego sum in medio vestri, sicut qui ministrat* **(Luc. XXII, 27)**. Si ille Deus et Dominus omnium, redemptor et salvator humani generis non

dedignatus est venire ministrare, non ut ministraretur ei **(Marc. X, 45)**; quanto magis et nos debemus modulum nostrae pensare paupertatis, et omnibus ad nos pertinentibus salutis ministrare officia, et charitatis servire devotione, quia humilitatis passibus ad coelestis regni celsitudinem pervenitur. Ideo Propheta divino instinctus [Col. 0307B] amore ait: *Non veniat mihi pes superbiae* **(Psalm. XXXV, 12)**: hoc est, ut nullum vestigium superbiae remansisset in corde illius. Quanto magis nos de stercore paupertatis ad sedem gloriae sublimati **(Psalm. CXII, 7)**, dignitatem nostram humilitatis officio sublevare debemus. Haec est quae ignobilem facit nobilem, et quae terrenum animal ad coeleste elevat tribunal. Cogita semper dum pallio sanctitatis vestieris, et videas sanctae crucis signum sive ante, sive retro in eo fixum, te sequi debere illum qui crucem suam portavit, in qua redemptionis nostrae trophaeum paravit. Dum videas, osculare illud et venerare; sicut decet hujus signi sanctitatem, et te sequi debere memento illum, qui ait: *Qui vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me* (Matth. [Col. 0307C] XVI, 24). Ideo Christus portavit primum, et post illum inventus Simon, qui super se positam crucem Christi portavit, sequens vestigia illius. Et hoc in signum nostrae actionis gestum esse dignoscitur; Simon enim obediens interpretatur. Omnis enim, qui per obedientiam ad {122} triumphum gloriae [*Supple* venire cupit, *vel simile*], Christi crucem portare cogitat. Hoc enim humilitatis passibus et patientiae gressibus, vel paratus pro veritate mori, vel scandala fraternae perversitatis pati, vel affectu compassionis fraternis incommodis condolere].

Excitati animi motus in te tranquilla pace componantur, ut nihil per iram fiat, sed omnia cum consilio: tempus redimentes, donec transeat ira (Eccl. [Col. 0307D] XXXII, 24), et tunc dicatur vel agatur, quidquid provida consilii sapientia suggerat agendum esse. Clamores pauperum cordis audiat affectus, et larga manus miseriam illorum refoveat. Magnum est debitorem [Col. 0308A] te habere Deum, quia beneficia pauperum Christi retributio compensat, et quod miser non valet remunerare, hoc omnium Dominus dignabitur recompensare. Cogitatio assidua tibi sit in Scripturis sanctis, et laetitia convivii laus redemptoris. Dum corpus cibo pascitur, mens divina lectione foveatur; ne anima esuriens inebriato corpore lugeat. Pascatur quod aeternum est magis, quam quod periturum erit. Mens coelestia rimetur, et futuram jugiter praevideat mansionem, ut parvi temporis labore perpetua mereatur requies. Plura tibi scripsissem, nisi pauca scirem sufficere sapienti. Unum verbum in corde sensati melius proficit, quam multa millia contemptoris. Non cesses semen salutis seminare in corda multorum, ut ex salute multorum multam [Col. 0308B] apud Dei pietatem merearis habere remunerationem. Vive feliciter florens et proficiens in charitate Christi et praeceptis, quae a Deo data sunt ad aeternam beatitudinem generis humani, meique memor, charissime Pater frater, fili, valeas aeternis temporibus in Christo.
@ [Col. 0308D] Ed. Mab. 10 **(Frob. 83)** collata cum cod. ms. Salisb.

EPISTOLA XCVIII AD ARNONEM. (Anno 799.)

A mundi periculis sibi cavere suadet, suum illi amorem significat.

Evangelico Aquilae Albinus salutem.

Plurimae sunt hujus saeculi tentationes, et multa pericula saeculum amantibus. Ecce quomodo recesserunt [Col. 0308C] subito

@ [Col. 0308D] *Viri fortissimi.* Nimirum Henricus seu Ericus dux Forojuliensis juxta Tarsaticam Liburniae civitatem insidiis civium oppressus; et Geroldus Baioariae praefectus commisso cum Avaribus bello Kal. Septembr. occisus anno 799. Vid. Annal. Franc. ad hunc annum. viri fortissimi, qui terminos custodierunt, etiam et dilataverunt, Christiani imperii. Non solum hoc damnum plangimus, sed majoris periculi signum timemus. Unde, charissime {123} Pater, omni custodia serva te ipsum, et labora in domo Dei, ut proficiat tibi labor tuus in salutem aeternam. Nihil enim stabile in hoc mundo fieri poterit, nisi charitas Christi et servitium illius. *Praeterit enim,* Apostolo dicente, *figura hujus mundi* **(I Cor. VII, 31)**. Illud solum remanet, quod pro Dei dilectione, et in praeceptis illius peragimus. Erue te ipsum, quantum valeas, de periculis hujus vitae. Sit guttur tuum tuba super domum Dei. Spiritalis belli signifer esto, et dux in acie Christi, ut amplificetur tibi regnum in terra viventium, et non habeas spem in hac terra morientium: [Col. 0308D] sed ubi vita est aeterna, illic fiat omnibus horis intentio tua, spes et desiderium tuum. Dic Deo Christo: *Anima mea desideravit te in nocte, et spiritus meus in praecordiis vigilavit ad te* **(Isai. XXVI, 9)**. [Col. 0309A] Qui castra Christi custodiunt, vigilare debent, et non dormire. Quia vigilantibus et non desidia torpentibus perpetui regni promittitur gloria.

Saepius tibi scripsissem, si vel fama narrasset mihi, ubi te chartula mea invenire valuisset. Tamen scripta est in corde meo memoria nominis tui cum stylo charitatis, non penna peritura, sed permanente suavitate saepius ingeminans ex intimo cordis affectu: Quando erit illa dies, ut liceat mihi [Aquilam] amplectari meum, et dulcibus amplexibus colla constringere Patris venerandi! Videsne qualis est charitas vera, quae nulla longinquitate terrarum dividi poterit, nulla oblivione deleri, sed magis magisque accrescit.

Felix anima quae Deum diligit soluta ab hujus saeculi nexibus, ut proficiat in veritatis soliditate, et [Col. 0309B] perveniat ad divinae beatitudinis visionem, ubi est tranquilla laetitia, et sine ulla perturbatione vita perpetua. Ad quam felicitatem, Pater sancte, me precibus tecum deducere satage, ut in Christo fruamur dulcedine charitatis perpetuae. Saluta ex meo nomine omnes sanctae Dei Ecclesiae filios, qui vobiscum Deo deserviunt, et scribe nomen meum in cordibus illorum piae petitionis affectu, quorum nomina Deus Christus in coelesti libro scribere jubeat, qui ait charissimis sui laboris sociis: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in coelis* **(Luc. X, 20)**. Valete omnes feliciter in Christi benedictione, dilectissimi fratres.

EPISTOLA XCIX AD **

@ [Col. 0309D] Froben. 172. Haec epistola initio prorsus aenigmatica est, nec divinari potest quis *galli,* quis *passeris,* quis *merulae, etc.,* nomine intelligatur. *Aquila abs dubio est Arno archiepiscopus Salisburgensis, ad quem fortassis haec epistola directa est; Leo vero pontifex Romanus, qui anno 799 atrocibus Romanorum manibus vix ereptus ad Carolum regem in Saxoniam profectus est.* Eo quidem Arno quoque venit, et Leoni pontifici sua officia impendit, eumque postea Romam, mandato regis, deduxit. Quod vero Arno eodem anno 799 dum atrox scelus in Leonem patratum fuit, Romae

adhuc commoratus et illum in Saxoniam comitatus sit, quod hic Alcuinus insinuare videtur, dum ait: *De Aquila, qui nuper Romanae arcis deserens cacumina, etc.,* nemo alius scriptorum [Col. 0310D] notavit. Anno namque 797 a Carolo rege legatus Romam missus est, sed inde anno sequenti illum rediisse cl. Hansizius, tom. II Germ. sacrae in Arnone, n. 20 et 22, multis probat, et ex epistolis superioribus colligi posse videtur. Fortassis idem anno 799 dum odia in Leonem magis ferverent, illuc pro dissidiis sopiendis iterato missus est. Sed quis ex his aenigmatum tenebris lucem excutiat?. (anno 799). *Epistola initio aenigmatica.* Illius charitatem expetit.[Col. 0309C]

Prima littera primae et quinta decima sextae sacratus in gradibus numerus perfecto in operibus Dei salutem.

Quare frater ille vacuis venit manibus? In lingua portavit auribus Ave, in manibus coculos, nil attulit. Tu vero qui sedes in bivio, quare nil certum demandasti illi qui habitat in Maresa? Corvi volitantes per cacumina tectorum clamant; et columba in pavimentis nutrita Ecclesiae tacet, cui crederem, si quid dixisset de Aquila, qui nuper Romanae arcis deserens cacumina, ut biberet Saxonici ruris fontes, et videret Leonem cunctis dominantem animantibus [Col. 0309D] et feris; vel quid merula nostra volitans inter illos gallo demandasset monastico, qui excitare solet fratres ad vigilias matutinas; ut per eum solitarius [Col. 0310A] passer sciret in tecto, quae esset convenientia inter Leonem et Aquilam: et si juventus Aquilae secundum prophetiam Psalmigraphi **(Psalm. CII, 5)**, renovata esset in pristinam hilaritatem; et si nova surgerent tecta in palustribus perfidiae lustris, et si Leo ibices [*Ms.,* hibices] sequens Alpinos meditaret transire colles. Passer aures habet apertas; sed ut video, proverbialis in fabula lupus gallo tulit vocem, ne forte cantante illo apostolica negatio renovaretur in Urbe antiquae potestatis, et sit error novissimus pejor priori.

Quid peccavit charitas, quae valen (*sic*) vidit scriptum, dum perdices per campos currentes ad habitationem galli audio venisse. *Perfecta charitas foras mittit timorem* **(I Joan. IV, 18)**, quae fulgentibus oculorum [Col. 0310B] pupillis omnia perspicit, et claro pietatis intuitu certam salubris consilii semper inveniet regulam. Ut videtur gallus versus est in cuculum, qui aestivo cancri sidere sole ascendente silere solet, dum nidifer passer omni aequaliter sidere in tectis tinnit fuliginosis, qui modo mense Septembrionidum revisere volat amatum, ut pullos, avidis hiantes rostris pietatis pascat granulis; optans ut quandoque super ripas
@ [Col. 0310D] *Piscosi fluminis.* Ligerim fluvium, Turones alluentem, abs dubio notat; de quo in epistola 29 (nunc 34) ait: «Nescio de nostro itinere, quid erit futurum . . . . . an Aligerensem fluvium revertere, et ibi salmones natando colligere.» Et in epistola 87 (nunc 103) optat, ut «Aquila (Arno) volasset usque ad piscationes Ligeri fluminis.» piscosi fluminis galli vocem valere [*Forte, valide*] sonare audiat; et qui se pennis excitare solet propriis ad matutinales melodias, passerem in pullorum medio exhortari veniat.

O quam dulcis charitatis vox! quam amabilia germanae dilectionis hortamenta in auribus cordis sonare solent! Noli manus claudere seminibus plenas, [Col. 0310C] quia *qui frumentum abscondit, maledictus erit;* et qui multiplicat, benedictionem recipiet **(Prov.**

XI, 26). Quale erit judicium, qui petenti negat, quod nolenti ingerere debuit? Quomodo crescit qui non seminatur? Quae merces speranda est fructum non facienti? Vel quomodo fructus crescit, si semina non sparguntur? Beati qui seminant super omnes aquas, immittentes pedem bovis ecclesiastici ordinis et asini plebialis curiae; et si mane primae aetatis non fecisti, vel modo vespere ultimae canitiei facias. Melius est dispensatorem esse panis perpetui, quam rusticae negotiationis divisorem, quia *quae seminat homo, haec et metet* **(Gal. VI, 8)**.

Ecce quo me perduxit charitas! mei oblitus, pelles [Col. 0310D] caprarum ad sacrarium deferens Christi. Nam cor tuum Christi cognoscitur thesaurus [*Ms.,* thesaurum], unde *flumina aquae vivae fluere solent* [Col. 0311A] **(Joan. VII, 38)**. Si modum excessi, ignoscat qui [*Forte leg.* quia charitas] modum non habet, qui omnia sustinet. Trahe me post te precibus, ut curramus simul ad bravium supernae vocationis: virtus defecit, nisi fraterna consolatio sublevet lassum, et erigat jacentem. Quid est quod charitas non possit, dum in eo est qui omnia potest? Noli negligere fraternam salutem. Christus seipsum pro peccatoribus tradidit; quid tu verba subtrahis exhortationis, cui ille sanguinem suum non negavit? Nunquid aliquem peregrinum aestimare debes, dum omnes in Christo sunt cives? Charitas personas non miratur; saccos pertusos non habet, nec congregat densum lutum super se; sed est modesta, benigna, misericors et clemens; in qua te custodiat, qui te in ovile [Col. 0311B] congregavit illius, transferens de fluctibus feri maris, ut esses aries, cui nulla iniquitatis potestas resistere valuisset. Adjuva precantem, ut vincat in eo, qui vicit in te hujus saeculi vanitates; qui voce consolatoria suis dixit discipulis: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis;* in mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum **(Joan. XVI, 33)**. Christus Dei Filius te victorem faciat et exaudiat in omni prece, charissime frater.
@ [Col. 0311D] Edit. Quercet. 14, Canis. 5 **(Froben. 84)** collata cum cod. Reg. Vat.

EPISTOLA C. AD DOMNUM REGEM. (Anno 800.)

Carolo iteratis litteris respondet. Laudat religionis zelum, pietatem, regalem potentiam; memoriam facit de quibusdam chartis computi.

[Col. 0311C] Benedicto atque omni sapientiae decore praefulgido David regi, Flaccus Albinus in Christo salutem.

Licet proxime ad clementiam vestram gemina scripta direxerim, quorum unum debitum salutationis inpleret [officium], aliud cujusdam responsionis jura teneret: tamen occasione vestrae beatitudinis litterarum accepta, respondere utrumque [*Al.,* utrisque; *forte utcunque*] convenit, quas lumine et scientiae et veritatis indagatione plenas veneranter accepi; et magno gratiarum actionis studio Deum benedixi, qui virtute fidei et rationis experientia vestrae pietatis pectus abundanter implet. Ita ut in eo praerogativa sacerdotalis doctrinae, voluntatis pietas, et regalis potentia splendescere comprobetur maxime: quia fides catholica, quae ubique debet esse una et in nullo [Col. 0311D] dissimilis, per vestram sanctissimam sollicitudinem,
@ [Col. 0311D] *Sopitis schismatum erroribus.* Haec intelligo de sopita haeresi Feliciana per

concilium Aquisgranense circa finem anni 799. sopitis schismatum erroribus, praedicari et pollere dignoscitur. Et quantum regni potentia praelatus, tantum sapientiae decore et sanctae religionis fervore omnibus praecellis. Felix populus qui tali principe gaudet: {124} in cujus prosperitate salus cunctorum consistit; in cujus hilaritate omnium animus gaudebit, ut dictum est: *In hilaritate regis vita* **(Prov. XVI, 15)**. [Col. 0312A] Cujus solium dissipat iniquitatem; cujus vultus reverentiam conservat usque ad aequitatem. Nam quod olim apostolici Patres suis scriptis in confirmationem fidei catholicae diversis mundi partibus peregerunt, hoc vestra sanctissima sollicitudo implere non cessat.

Hoc mirabile et speciale in te pietatis Dei donum praedicamus, quod tanta devotione Ecclesias Christi a perfidorum doctrinis intrinsecus purgare tuerique niteris, quanta forinsecus a vastatione paganorum defendere vel propagare conaris. His duobus gladiis [vestram] venerandam excellentiam dextra laevaque divina armavit potestas, in quibus victor laudabilis et triumphator gloriosus existis. Unde et ad interioris pugnae genus meae parvitatis devotionem provocare voluistis: cujus certaminis sudori libenter succubui, [Col. 0312B] ut
@ [Col. 0311D] *In libello.* Libris nempe adversus Felicem, quos regis examini et approbationi submisit finito illo concilio Aquisgranensi. Vid. epistolam iis libris praefixam [Col. 0312D] et nostram Dissert. de Haeresi Adoptianorum. in libello, quem vestrae nuper direxeram pietati, agnosci poterit: licet necdum vestrae auctoritatis sigillo eumdem libelli tenorem confirmatum cognoverim. Et hoc, reor, vel tarditate portitoris, vel angustia temporis gestum esse. Nullatenus solita bonitatis vestrae consuetudo in pluribus hoc agere litterulis recusat, quod in rarioribus saepius fecisse compertum est.

Chartulas vero calculationis cursus lunaris, vel bissextilis praeparationis, quas nostrae devotioni tradidistis explorandas, invenimus erga mensurationes diligentissime exquisitas, acutissime inventas, nobilissime prolatas. Et quod mea olim devotio de bissexto paucis inchoavit ratiunculis, vestra sagacissima indagatio copiose complevit. Quamvis considerandum sit [Col. 0312C] cur in quibusdam mensibus, ad eosdem dies in anno secundo, tertio vel quarto computus cursus solaris non pervenisset. Item facilior et expeditior lunaris cursus supputatio posse inveniri videtur. Licet haec optima et acutissima usque ad unum scrupulum vel silicum [*Al.* siliculum] distincte et caute currere intelligatur. Direxi excellentiae vestrae stamen quarumdam supputationum
@ [Col. 0312D] *De solis lunaeque per signiferum cursu.* Quod Alcuinus de solis per signiferum cursu scripsit, illud fortassis est, quod babetur supra in epist. 83. Chartam vero illam in qua supputationes de lunae cursu per singula signa continentur, ad epistolam 85 pertinere ex utriusque comparatione liquet. Eamdem chartam inter Opuscula Philosophica T. II reperies. de solis lunaeque per signiferum cursu: cui si vestri acutissimi sensus subtegmen addere placuerit, forte pueris palatinis contra frigus imperitiae aliquod vestimenti genus texi poterit; sicut in prioris texturae me [*Al.,* meae] etiam ordinatione optime fecisse protestaris. Meum est de terrae gremio, vel glebis pulverulentis, auri effodere atomos. Vestrum est regale diadema, gemmis sapientiae [Col. 0312D] praefulgidum, venerando gestare in vertice: quatenus laudabilis potentia vestra omnium floreat genere virtutum, et multiplici meritorum laude ad coelestis regni gloriam, Christo regente atque donante, pervenire mereatur.

Vivere me terris vix vix sinit improba febris,
Et me coeleste scandere vultis iter.[Col. 0313A] Per campos, colles, herbas et prata, virentes
Quaerere suggessit dum mihi chara salus: Vestra repente poli jussit me sidera summi
Infirmis pietas scandere jam pedibus. Signaque zodiaci distinguere partibus alti,
Et quis conveniat ordo, locus, numerus. Hippocratis campos nonne esset pollice pluris
Cum pueris Flacco jam peragrare suis; Quam radio arati coeli describere signa,
Vel lunae et solis dinumerare dies? Sed tamen, ut cecinit praeclarus commate vates,
Omnia vincit amor; nos quoque vincat amor. Descripsi paucis partes et sidera coeli,
Te mandante, meo pectore magnus amor. Nunc videat pietas, si quid sit, vestra probandum,
[Col. 0313B] Pumice radendum an, pagina quidquid habet. {125} Judice te nullum, si nunquam fallit imago,
Jam metuens, fugiam, David in orbe decus! Haec vestro fuerint forsan si digna favore;
Mox majora, reor, incipit ipse senex, Si Deus aeternus vitae superadderit annos
Est bonitas cujus, quidquid habemus opus [*Al.,* opis]Chartula percurrens colles, camposque liquentes,
Disticon hoc cantet, semper in ore suo: Augeat, exaltet vestram benedictio vitam
Aeterni regis, David amate Deo.

@ [Col. 0313C] Edit. Quercet. 15, Canis. 6 **(Froben. 85)** collata [Col. 0313D] nunc cum cod. Vaticano.

EPISTOLA CI.

AD DOMNUM REGEM [*Cod.* Vat., IMPERATOREM]. (Anno 800.) *Gratias agit ob lectum et remissum libellum adversus Felicem;* excusat nonnulla illius errata. De disp. Felicis cum Saraceno; et cujusdam Judaei cum Petro Magistro. Mittit quasdam species dictionum[Col. 0313C]

Domino piissimo et praestantissimo David regi, Flaccus charitatis calamo vulneratus salutem.

Gratias agimus venerandae pietati vestrae, quod

@ [Col. 0313D] *Libellum* . . . vobis directum. Libros VII adversus Felicem intelligit, quos in priori epistola querebatur sigillo auctoritatis regiae nondum esse firmatos. BASNAG.

libellum, secundum vestrae jussionis praeceptum vobis directum, auribus sapientiae vestrae recitari fecistis, et quod notari jussistis errata illius, et remisistis ad corrigendum. Quamvis a vobis melius emendari potuisset, quia alterius judicium in quolibet [Col. 0314A] opere plus saepissime valet, quam proprii auctoris: minus tamen quiddam fecistis, quam plenum postulasset charitatis officium, quod sensus non docte prolatos, vel catholice exaratos similiter noluistis notare; dum quaedam suspicio mihi, ut series sagacissimae chartulae vestrae nobis innotuit, non omnia probanda esse quae ibi lecta fuerunt, quia defensores eidem operi vestrae excellentiae dirigere jussistis: dum nullum magis idoneum meae parvitatis dicta habere possunt defensorem, vel emendatorem quam vosmetipsos. Nam auctoritas praecipientis, obedientis industriam defendere debet.

Quod vero in litteris vel distinctionibus non tam scholastice currit quam ordo et regula artis grammaticae postulat, hoc saepius velocitas animi efficere solet, [Col. 0314B] dum legentis intentio oculorum praecurrere festinat officium. Nec ego capitis dolore fatigatus examinare possum, quae subito casu ex ore dictantis evolant. Et qui sibi alterius negligentiam imputare nolit, non imputet alteri.

Disputationem itaque Felicis cum Saraceno, nec vidi, nec apud nos inventa est. Imo nec audivi nomen illius antea. Tamen, dum diligentius quaesivi, si quis ex nostris famam illius audiret [*Al.* audisset], dictum est mihi, quod apud

@ [Col. 0313D] *Laidradum.* De eo nos alibi saepius. Laidradum episcopum Lugdunensem inveniri potuisset. Quapropter sub festinatione direxi missum nostrum ad praefatum episcopum, si forte ibi invenire potuisset, ut quam cito vestrae praesentiae dirigeretur. (*Hic finis epistolae in edit.* Canisii.)

[Col. 0314C] {126} Dum

@ [Col. 0313D] *Ego adolescens.* Ob hoc nomen consentire non possum celebri Mabillonio, qui Annal. Ben. lib. XXV, num. 22 et Act. SS. saec. IV in Elogio Hist. Alcuini cap. 1, num. 26 judicat, disputationem illam contigisse in itinere Romano, quod Alcuinus anno 781 susceperat ad impetrandum pro Eanbaldo Eboracensi episcopo pallium. Vix enim credibile est Alcuinum voluisse se adolescentem profiteri, dum jam vir esset saltem 40 annorum. Suspicor Alcuinum diu antea Romam profectum fuisse, tunc fortassis, quando primo venit in notitiam Caroli regis. Nam, referente anonymo Vitae Alcuini scriptore, Carolus, antequam illum Roma cum pallio redeuntem Papiae exciperet, [Col. 0314C] «noverat eum, quia olim a magistro suo ad ipsum [Col. 0314D] directus fuerat.» Qua occasione, adolescens adhuc, Romam quoque adire et Papiae commorari potuit. ego adolescens Romam perrexi, et aliquantos dies in Papia regali civitate demorarer, quidam Judaeus, Julius nomine, cum

@ [Col. 0314D] *Cum Petro magistro.* Pisano scilicet, quem senem Carolus Magnus in discenda grammatica audivit, teste Eginhardo in Vita Caroli Magni apud Bouquet Script. Rer. Gall. tom. V, pag. 99, num. 25. Petro magistro habuit disputationem. Et scriptam esse eamdem controversiam in eadem civitate audivi. Idem Petrus fuit qui in palatio vestro grammaticam docens claruit. Forsan

@ [Col. 0314D] *Omerus vester.* Hic est Angilbertus, de quo alibi. Omerus vester aliquid exinde audivit a magistro praedicto.

Misi excellentiae vestrae quasdam

@ [Col. 0314D] *Species dictionum.* Haec intelligo de Opusculo orthographico, quod ex cod. Salisb. exhibemus tomo altero Operum. species dictionum, exemplis vel versibus

@ [Col. 0314D] *Venerandi Patris.* Ven. Bedae abs dubio. Vide monitum praevium ad idem Opusculum orthographicum. venerandi Patris confirmatas, et aliquas

@ [Col. 0314D] *Figuras arithmeticae subtilitatis.* Haec intelligenda fortassis *De Arithmeticis subtilitatibus ad acuendos juvenes;* quem libellum e cod. Augiensi descriptum altero quoque tomo proferemus. figuras arithmeticae subtilitatis, laetitiae causa, in chartula quam nobis vacuam direxistis; ut vestita reveniret, quae nuda nostro se offerebat aspectui. Dignum aestimans ut nostris honoraretur [Col. 0315A] litteris, quae vestro sigillo ad nos nobilitata pervenit. Et si minus quid exemplorum debeant [*Cod.*

Vat., habeant] praedictae species,
@ [Col. 0315D] {127} *Beseleel.* Hoc nomen adscititium est a Beseleele architectonicae peritissimo, quem Moyses construendo tabernaculo foederis praefecit **(Exod. XXXI, 36, 37, etc.)**. Hic vero indigitari videtur Eginhardus Caroli Magni notarius et Vitae illius scriptor, qui rei aedilitiae in regio palatio praefectus fuit, et propterea a Walafrido Strabone etiam nomen Beseleelis tulit in carmine, quod de eodem Einharto seu Eginhardo scripsit, ibi:

Nec minor est magni reverentia Patris habenda Beseleel fabre primum qui percipit omne Artificum praecautus opus. Beseleel vester imo et noster familiaris adjutor, de paternis versibus apponere poterit: nec non et figurarum rationes in libello arithmeticae disciplinae considerare valet.
@ [Col. 0315D] *Punctorum distinctiones.* Alcuinum quidam auctorem dicunt punctorum, comatum aliarumque notarum pro distinguendis in scribendo sententiis. Ex hoc loco patet eum illas notas diu neglectas revocare tentasse, et propterea sibi *cum Turonica rusticitate quotidie pugnandum fuisse.* Punctorum vero distinctiones vel subdistinctiones, licet ornatum faciant pulcherrimum in sententiis, tamen usus illorum propter rusticitatem pene recessit a scriptoribus. Sed sicut totius sapientiae decus et salutaris [*Cod.* Vat., saecularis] eruditionis ornatus per vestrae nobilitatis industriam renovari incipit, ita et horum usus in manibus scribentium redintegrandus esse optime videtur. Ego itaque, licet parum proficiens, cum Turonica quotidie pugno rusticitate. [Col. 0315B] Vestra vero auctoritas palatinos erudiat pueros, ut elegantissime proferant quidquid vestri sensus lucidissima dictaverit eloquentia: ut ubique regalis [*Edit.,* regulis] nominis charta decurrens, regalis sapientiae nobilitatem ostendat.

Floreat aeternis tecum sapientia donis,
Ut tibi permaneat laus, honor, imperium. Quot habeas apices, sanctas, mea charta, salutes
Dicito tot dulci David amore meo.
@ [Col. 0316D] Edit. Quercet. 66, collata cum duobus codd. mss. Salisb. **(Froben. epist. 102)**.

EPISTOLA CII. AD ARNONEM. (Anno 800.)

Saeculum contemnendum; ad aeterna tendendum docet. Venisse se ad mansiones S. Amandi, ait, Arnonem invisurus; quem tamen dolet ibi non reperisse.[Col. 0315C]

Charissimo germano meo Aquilae antistiti Albinus salutem.

Si mihi gerulus gratus occurrisset, saepius tuae scripsissem dilectioni, ut litteris implerem quod verbis non potui, et charitatis dulcedinem, lingua tacente, apices monstrarent. Hoc dedit Deus absentibus in solatium, ut per chartas loqui potuissent, et necessaria proferre in cor alterius: dum animus gravi carcere corporis circumseptus, suae naturae velocitatem explicare non valet; indices tamen litteras fraternus amor sibi mutuo dirigeret. Quid de gloria sanctorum dicendum putas? ubi nulla tarditas sarcinae

corporalis piae voluntati obsistit, quin, quod [Col. 0316A] placeat, impleat. Quid est saeculum, nisi miseria, et velut umbra fugax, et seducens delectatio? Festinemus tota mentis intentione ad illam requiem, quam nullus dolor perturbat. Ascendamus per gradus charitatis ad illam civitatem, in qua Deus solus rex regnat in aeternum. In qua tota beatitudo sine ulla miseria viget et valet. Ut ad illam pervenire mereamur, eodem auxiliante rege, nos invicem exhortemur, et velocior charitatis cursu tardiorem admonitionis sedulitate trahat. Tu meam fraterna diligentia socordiam castiga; vel tuae sanctitatis precibus jacentem releva, ut fraternae dexterae ducatu non lassescat in via veritatis, qui hucusque in saeculi se revolvebat coeno.
@ [Col. 0316D] *Veniens veniebam.* Hansizius censet Arnonem, anno 799 e Pannonia reversum, consilium coepisse ad monasterium Elnonense S. Amandi invisendi, idque antea per litteras Alcuino significasse, quod colligi posse putat vir clarissimus ex epistola sequenti. Alcuinus itaque, ait, se interea ad monasterium illud contulit; et quod ibi Arnonem nondum repererat, eumdem per hanc epistolam rursus compellavit. Ego vero utramque epistolam ad annum 800 pertinere, et hanc, antequam Arno Salisburgo discesserat; sequentem vero, dum is jam in monasterio Elnonensi advenerat, datam esse censeo. Vide notas epistolae sequentis. Veniens veniebam ad sancti Amandi protectoris [Col. 0316B] nostri dulcissimas mansiones, quaerens amatorem meum, ut ejus dulcissimo alloquio refrigerarem animam meam. Sed quia necdum de nido Juvavensi [*Cod.* Sal., Juuovense] avis optata evolavit, misi hanc invitatoriam illi chartulam, ut nostram agnosceret prosperitatem, vel suam nobis praesentiam demonstraret [*Edit.,* designaret]. Fidelis amicus diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur; cujus dulcedo omnes saeculi superat jucunditates. Quid divitiae sine amicis? Avarus aurum quaerit: Et quid in auro, nisi species vana? Nonne unus panis esurienti melior est, quam mons aureus? Aurum prodesse potest danti, non possidenti. Ideo demus divitias in praesenti, ut in futuro possideamus illas. Nam pauperis manus gazophylacium est Christi. Nullus melior custos [Col. 0316C] divitiarum est quam Christus. Proficientem te, charissime frater, divina auxilietur gratia in aeternum.

{128}
@ [Col. 0316D] Edit. Mabill. 3. Pez. 3. **(Froben. 87)**. Emendatior nunc prodit ex codd. mss. Salisb.

EPISTOLA CIII. AD ARNONEM. (Anno 800.)

Ex litteris ab Arnone acceptis illius reditum; nihil vero de novi populi Christianitate, nihil de ipsius commoratione, nihil de spe mutui colloquii, quod tamen valde exoptat, percipit.

Sanctissimo pontifici et dulcissimo filio Aquilae Albinus salutem.

Suavissimas dilectionis vestrae accepi litteras, et laetus de agnitione prosperitatis et reversionis vestrae legebam eas; exspectans quid illae mihi nuntiarent
@ [Col. 0316D] *De novelli populi Christianitate.* De Hunnorum populo ista accipio, qui anno priori 799 *a fide quam* [Col. 0317C] regi promiserat defecit, ut annalistae testantur.

Arnonis [Col. 0317D] intererat providere, ne simul fidem Deo promissam desereret; quae res etiam Alcuinum sollicitum habuit. de novelli populi Christianitate, et de rerum ibi gestarum [Col. 0317A] profectu. Sed nihil de his inveni. Tamen, volente Deo, visurus vos, vel necessitate coactus habes [*Pez.,* habebis] dicere, quod chartula conticuit [*Pez.,* continet]. Item quaerens in illis, quanto tempore beatitudini tuae in his partibus esset manendum? Sed neque hoc inveni. Ideo incertior de colloquio nostro factus, quid demandarem? Tamen si usque ad Pascha liceat tibi in monasterio (Elnonensi S. Amandi ut infra) permanere, forsitan intra Quadragesimam visitemus te in lectulo deliciarum [tuarum] sedentem. Ego vero ignarus adhuc sum de itinere meo [*Pez.,* detinere me] propter famam, quae volitat per ora multorum,
@ [Col. 0317D] *Regem orationis gratia S.* Martini visitare patrocinia. Illuc rex etiam venit anno 800 post Pascha. Inde praesentem epistolam ad hunc annum spectare conjicio. regem orationis gratia sancti Martini visitare patrocinia, et mihi necessitas incumbit, illum spectare [*F.,* exspectare?], hospitiumque praeparare [Col. 0317B] domino meo dilectissimo. Et utinam volasset Aquila inter caeteros sanctarum volucrum coetus [usque] ad piscationes Ligeri fluminis!

Mandavit mihi quoque domnus rex venire ad Gyslae, sanctissimae sororis suae coenobium [*Cod.* Sal., Gysla . . . . . sorori . . . . ad coenobium]
@ [Col. 0317D] *Gale.* Gallice *Chelle* ad amnem *Marne quatuor milliaribus distans Parisiis.* Vid. epist. ad Gyslam sororem Caroli Magni. Gale [*Cod.* Sal., Cale] obviam Angilberto; sed ignoro adhuc quando [*Pez.,* quomodo] hoc fieri debeat. Si ante regis [adventum hoc erit] condictum, tunc venies nobis obviam ad
@ [Col. 0317D] *Ad Coisacam S.* Stephani cellam. Gallice *Choisy.* Vid. epist. 52 (nunc 65), ad Arnonem. Coisacam sancti Stephani cellam et [*Pez.,* vel] ad [
@ [Col. 0317D] {129} *Noviantum Curtulum.* In cod. Benedictoburano vox *Noviantum deest,* quam Hansizius ex conjectura supplere volens substituit *Baralla.* Sed. cod. ms. Salisb. conjecturam evertit. Est vero *Noviantum, seu ut in charta Caroli Magni,* pro monasterio Turonensi anno 770 data, nominatur *Novientus villa prope Parisios* ad amnem *Marne.* Vid. Martene Collect, ampliss. [Col. 0318D] tom. I, col. 33; Martinière, *Grand Dictionnaire géographique.* Noviantum Curtulum] nostrum. Sed festina rescribere mihi, quantum fieri potest [*Cod.* Sal., posses], tempus mansionis tuae apud sanctum Amandum, et quid
@ [Col. 0318D] *Leidrado.* Qui anno priori ex Hispaniae partibus Felicem Aquisgranum deduxerat, paulo post iterum illuc abiturus; sanitatis tamen curandae causa nunc Turonis morabatur cum eodem Felice nuper converso. Vid. epist. 92 [nunc 108]. Leidrado [*Cod.* Sal., Laidrado] demandare velis. Vix vivit, si facies nostras non videbit pariter. [Col. 0317C] Fuit enim toto anno infirmus valde, et dissoluta anima sua [*Cod.* Sal., animae suae] consiliare nobiscum cupit. Multa bona, gloria Deo! habet in illis partibus facta. Dubitat vero an melius sit laborare in praedicationis ministerio, vel quietam ducere vitam? Sed certius ab illo ipso, permittente Deo, haec audituri erimus. Mandavi per litteras etiam, et saepius viva voce, fratribus
@ [Col. 0318D] *Fratribus S.* Servazii. Monasterium hoc situm est Trajecti ad Mosam (*Maestricht*) olim monachorum, nunc canonicorum. MABILL. sancti Servazii [*Cod.* Sal., Servasii] tuae servire auctoritati, sicut et mihi.

Plura tibi scriberem de sancta praedicationis instantia, et de honestate morum inter paganos; quia conversationis dignitas solet eos erudire in praedicatoribus [*Al.*, praedicationibus], sicut verborum veritas. [Col. 0318A] Sed quia spero cito vos, miserante Deo, videre, melius haec colloquendo putavi conferre, quam scribendo innotescere. Nec majorem ardorem habet animus vester, quam meus colloquii nostri. Ideo rogemus Dei clementiam, ut concedat nobis in sua misericordia, et in nostra prosperitate videre nos cito facie ad faciem. Gratia Domini nostri Jesu Christi te in omni bonitate proficere faciat, fili charissime (*Cod.* Mab., reverentissime pater)! [Amen.]

@ [Col. 0318D] {130} Edit. Mabill. 17 (Froben epist. 88). Quae in edit. Mabill. praetermissa sunt, hic supplemus ex codd. mss. Salisb. et S. Emmerami. Ad quem annum referenda sit haec epistola, incertum; saepius enim Alcuinus spem ac desiderium habuit Arnonis fruendi praesentia. Ego illam praecedenti subjunxi, cui etiam congruit. Desiderio tamen illius ab Arnone, antequam e Gallia abiret, satisfactum fuisse, ex sequenti epistola colligi posse videtur.

EPISTOLA CIV. AD ARNONEM. (Anno incerto.)

Dolet ob frustra exspectatam Arnonis praesentiam; dolorem vero mitigat suspiriis ad patriam coelestem. Munera ad se missa laeto animo accipit.[Col. 0318B]

Dulcissimae dilectionis Patri [Aquilae antistiti] transmarinus Cygnus in sanctae charitatis pennis perpetuam salutem

Spectavi [*Leg.* exspectavi], speravi, optabam: et ecce! quem spectavi, non venit: et quem speravi, non consideravi: quem optabam, non accipiebam. Frustrata est exspectatio, evacuata est spes. Et utinam pro spe esset praesentia! nunc esset plenum gaudium. Sed, proh dolor! pro exspectata laetitia, tristitia inopinata subrepsit. Infelicitas mea vobis [*Cod.* Sal., nobis] viam obstruxit veniendi, et mihi hilaritatem abstulit gaudendi. Quid facies modo mens charitate vulnerata? estne aliquod solatium quod tantum vulnus vel aliquod refocillare valeat? [Col. 0318C] An spem quasi falsum omnino a te repellis consolatorem? An inter tenebras tuae miseriae, quasi scintillam cujusdam ardentis flammae, iterum tibi illam assumis? Ecce! flamma charitatis totum inardescit pectus, cui si spes collega accessit, feliciter ardet, si veraciter illi evenit quod optat. Bona est enim spes in absentia, sed melius est amor in praesentia. Nam spes nostra quasi anchora ad coelestis nos trahit patriae soliditatem **(Hebr. VI, 18, 19)**: sed tunc erit perfecta felicitas, cum plena erit visio amoris, et videbitur Deus in gloria sua, qui nunc amatur in pectore nostro **(I Cor. XIII, 12)**. Sed hujus exilii peregrinatio patienter feratur, donec optata beatissimae [Col. 0319A] patriae veniat praesentia. Patientia nobis necessaria est **(Hebr. X, 36)**, sive in exspectatione speratae beatitudinis, sive in absentia amicorum charissimorum. Habeamus semper hodie in charitate; in spe vero crastinum desiderium, ut veniat quod hodie amatur.

Ecce! mens variis fluctuat cogitationibus, te consiliatorem quasi portum firmae stabilitatis sperans venire: sed ut video longius a quiete optata fluctibus rapitur, in salo agitatur, ad quem portum perveniet ignorans. Assiduis tamen sanctitatis vestrae

precibus dubitantem in cogitationum disceptationibus amicum, ad firmum, divina concedente gratia, salutis consilium deducere dignemini. Praesto est ubique pius sanctarum exauditor orationum, qui [Col. 0319B] et fraternae dilectionis preces exaudire, et in se sperantes spiritu consolationis sancto adjuvare solet **(Psal. XVII, 31)**. Ad illius dulcissimam clementiam erigamus spem nostram, simulque de ejus opitulatione indubitantes, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum **(Joan. I, 9)**. Illum tota cordis intentione, tota animi affectione incessanter deprecemur, ut illuminet nobis oculos interiores, ne unquam in morte ignorantiae obdormiamus **(Psal. XII, 4)**.

[Munera dilectionis vestrae tam laeto accepi animo, quam plena vos charitate dirigere cognovi. Sed quam laete ex muneribus mens hilarescit, tam tristis ex absentia vestrae beatitudinis ingemiscit. Sed quid ad haec? Vivat charitas in Christo! sit praesens in spiritu, [Col. 0319C] qui absens est in facie! donec, Deo donante, beata veniat praesentia, quae nunquam finiri valeat. Dominus Deus in sua misericordia in sua proficientes voluntate custodiat vos ubique, frater dulcissime!]
@ [Col. 0319D] Edit. Mabill. 23; suppleta ex cod. Salisb. **(Froben. epist. 89)**.

EPISTOLA CV. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 800.)

Laetus de Arnonis visitatione, dolet de brevitate praesentiae; desiderium vero ad laetitiam semper manentem elevat. Incitat ad pias hortationes fratribus et omnibus ovibus dandas.

Desiderando meritoque amando Aquilae archiepiscopo, humilis levita Alcuinus salutem.

Multa mihi dulcedo fuit
@ [Col. 0319D] *Ex visitatione.* Hanc visitationem Arnonis ad Alcuinum factam fuisse censet cl. Hansizius anno 800, dum Arno Roma ad regem rediisset, et ad monasterium Elnonense excurrisset **(Germ. Sacr., tom. II, in Arnone, n. 33)**. Cujus conjecturam hic sequimur. ex visitatione venerandae [Col. 0319D] dilectionis vestrae. Licet laborem haberes, tamen ego pietatis tuae consolatione reficiebar; ita ut, juxta beati Benedicti responsum
@ [Col. 0319D] Ex Vita sancti Benedicti, apud sanctum Gregorium Magnum, lib. II Moralium., Pascha me in tuae dilectionis [Col. 0320A] adventu habere viderer. Sed breve praesentiae diu optatae tempus plangebam; et quantum laetus fui in aspectu faciei vestrae, tantum tristis in abscessu torquebar. Sed quid ad haec? Tale est hujus saeculi gaudium, nos ad futurum [*Mab.,* futuram laetitiam] tendere admonens, quae nunquam finem habitura est; sed semel hausta dulcedo semper praesens esse non desinit, ad quam tota mentis alacritate festinandum est. Qualis est illa laetitia, quae nihil perturbationis habebit, nunquam finem habere timebit? Haec est in spe modo habenda; post hujus vero vitae finem perpetualiter possidenda. Quam felix est illa dilectio inter fratres, quae sine fine vivit, sine fastidio augetur.

Hortare, Pater sancte, filios nostros communes [Col. 0320B] [

@ [Col. 0319D] *Adhelricum* . . . Adalbertum . . . Guntarium. Adhelricus fortassis est *Aldricus, abbas postea Ferrariensis, qui etiam post obitum Arnonis, anno 822 ad regularem disciplinam in monasterio Elnonensi confirmandam a Ludovico imp.* missus est (Mabill., [Col. 0320D] lib. XXIX Annal. n. 30). *Adalbertus item abbas Ferrariensis, quem Alcuini et Sigulfi discipulum fuisse testis est auctor Vitae Alcuini* **(Mabill. Act. SS. saec. IV Bened., part. I, pag. 167)**. Is hoc loco diserte *Magus cognominatur;* ut jam dubium non sit, eodem nomine in epistolis 76 et 77 (nunc 91, 92) hunc Adalbertum indigitari. Guntarius pedisequus Arnonis, quis sit, exploratum non habeo. Adhelricum levitam, Adalbertum Magum, et Guntarium pedisequum pietatis vestrae], huic se dignos praeparare charitati. Suade paternis eos obedire praeceptis; vere fratres esse in Domino et filios aeterni Patris, cohaeredes Christi Dei **(Rom. VIII, 17)**. Non solum pastorali sollicitudine vobis his haec suadenda sunt, sed omnibus gregis tibi commissi ovibus ingerenda sunt, in sancta charitate et castitate permanere. *Mundus in maligno positus est* **(I Joan. V, 19)**; et multi de veritatis via et fidei praeceptis se avertunt, saeculo amplius servientes quam Deo: non considerantes oculum divinae majestatis super eos ubique vigilare, qui *unicuique redditurus est secundum opera sua* **(Matth. XVI, 27)**. Quocirca, clarissime verbi Dei praedicator, *insta opportune, importune* (II Tim. [Col. 0320C] IV, 2), quia plurimi sanae resistunt doctrinae, se amantes, non sempiterna quaerentes: ex quibus quantos valeas, divina opitulante gratia, de flammis erue perpetuae perditionis, et congrega in caulas Christi ovium, quatenus ex illorum salute tua multiplicetur gloria in die Domini nostri Jesu Christi.

Paternitatem vestram pietas divina regere et proficere faciat in domo Dei usque in diem perfectum, dilectissime Pater.

{131}
@ [Col. 0320D] {132} Edit. Quercet. 21 ex ms. **(Froben. 90.)**

EPISTOLA CVI. AD DOMNUM REGEM. (Anno 800.)

Epitaphium
@ [Col. 0320D] *Liodgardae.* Seu *Liutgardis uxoris Caroli Magni, quae Turonis, quo cum imperatore orationis causa venerat, adversa valetudine correpta obiit pridie Nonas Junii anno 800.* (Ex Annal. Loiselianis et aliis.) *Liodgardae feminae nobilis.*

Domino piissimo et pacifico regi et praestantissimo [Col. 0320D] triumphatori, aeternae beatitudinis gloriam et salutem

Domine Jesu, spes nostra, salus nostra, consolatio [Col. 0321A] nostra, qui clementissima voce omnibus sub pondere cujuslibet laboris gementibus mandasti, dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI, 28)**. Quid hac promissione jucundius? Quid hac spe beatius? Veniat ad eum omnis anima moerens, omne cor contritum, fundens lacrymas in conspectu misericordiae illius; neque abscondat vulnera sua medico, qui ait: *Ego occidam, et vivere faciam:* percutiam, et ego sanabo **(Deut. XXXII, 39)**. Flagellat miris modis, ut erudiat filios, pro quorum

salute *unico non pepercit Filio.* Quis contra nos, si Deus pro nobis **(Rom. VIII, 32, 31)**? Quis contristat, si Deus laetificat? Nolo, a Deo dicatur tibi: O anima! quid gemis? quid plangis judicia mea? Ego dedi, ego abstuli **(Job. I, 21)**. Quid [Col. 0321B] habes absque me **(I Cor. IV, 7)** ? Cur tibi displicet, quod mihi placet? Omnia, quae habes, mea sunt beneficia, non tua propria. Te ipsam para, ut possis particeps esse beatitudinis meae. Propter te descendi, et patiebar, quae legisti in litteris meis, ut tibi praeparem mansionem in domo Patris mei. Noli tardare, soror mea, sponsa mea, surge, propera, et veni ad epulas gloriae meae **(Cant. II, 10)**. Magna sunt, beata sunt, incomparabilia sunt quae praeparavi tibi. Et quamvis magna sint, noli tu tamen aestuare, vel dubitare de pretio. Regnum tuum tantum valet, quantum tu es. Te ipsam da, et habebis illud. Rex aeternus concupiscit speciem tuam. Non sit in te ruga vel macula **(Ephes. V, 27)**. Si quid pulveris ex terrena habitatione adhaeserit tibi, lacrymis lava, ut te speciosam, [Col. 0321C] pulchram et desiderabilem inveniat, qui te concupiscit. Noli de alterius ingemiscere felicitate, quae spinosos finivit labores, et volavit ad eum qui fecit illam. Talis est, post sententiam primae damnationis, conditio fragilitatis nostrae. Nascimur, ut moriamur; morimur, ut vivamus. Nunquid non felicior est vitae ingressus quam mortis? Fertur quemdam respondisse, dum de filii sui consolabatur morte: *Sciebam* me, inquit, *mortalem genuisse.* Cur plangis quod vitare non possumus? Saepe dolor tempore sanabitur, qui ratione non poterit. Mittamus munuscula charitatis post charos nostros. Offeramus munus salutis nostrae pro illis. Misereamur miseris, ut misereatur illis Deus. Quod pro illis in fide facimus, proficit et nobis.

[Col. 0321D] Domine Deus, Jesu mitis et misericors, miserere illius quam abstulisti a nobis. Exaudi nos per medicinam vulnerum nostrorum [*Forte, tuorum*], quae pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam *interpellat pro nobis* **(Rom. VIII, 34)**. Scio quidem misericordiam tuam, qui vis *omnes homines salvos fieri* **(I Tim. II, 4)**. Dimitte illi debita sua **(Matth. VI, 12)**, quaecunque contraxit post aquam salutis. Dimitte, Domine! dimitte! deprecamur. Ne intres cum ea in judicium! *Superexaltet misericordia in judicio* **(Jacob. II, 13)**. Nam eloquia tua vera sunt, quibus promisisti misericordibus misericordiam **(Matth. V, 7)**; quod ut essent, dedistis eis. Qui misereberis, cui [Col. 0322A] misertus fueris, miserere Domine creaturae tuae, ut laudet te creatura tua, et cantet misericordias tuas in aeternum: Et anima, quae supervictura erit, semper dicat: *Laudabo Deum meum in vita mea, psallam Deo meo, quandiu ero* **(Psal. CXLV, 1)**.

Semper in aeternum vivat, feliciter opto,
Filia chara mihi, sit, rogo, chara Deo.
@ [Col. 0321D] Edit. Quercet. 22, ex ms. **(Froben. 91.)**

EPISTOLA CVII. AD DOMNUM REGEM.

Consolatoria pro morte Liudgardae.

Domino desiderabili et vere beatissimo David regi Flaccus Albinus salutem.

Dum vestrae potentiae gloriosam sublimitatem, non periturae Chaldaeis flammis

Jerusalem, imperare scio, sed perpetuae pacis civitatem pretioso sanguine Christi [Col. 0322B] constructam regere atque gubernare, cujus lapides vivi de charitatis glutine colliguntur, et coelestis aedificii altitudinem ex diversis virtutum gemmis muri consurgunt. De qua Psalmista ait: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob* **(Psalm. LXXXVI, 2)**. Et alibi: *Mons Sion latera Aquilonis, civitas, regis magni* **(Psalm. XLVII, 3)**. Unde ego, minima quaedam hujus civitatis portio, sub tegmine pietatis vestrae constitutus, ad jucunditatem animi vestri debita servitute saepius litterulas dirigere studeo; officiale devotionis nostrae munus, non necessarium abundantiae vestrae; cupiens vulnerati animi moerori, per vestrae consolationis benignitatem, mederi: quia saepius probavi familiarem mansuetudinem [Col. 0322C] sublimitatis vestrae, humilium doloribus compati. Nam et ipse Dominus, totius fons consolationis et salutis cum flentibus flevit amicum, quem suscitaturus venit **(Joan. XI, 33, 35)**, aliorum dolori, juxta humanitatis affectum, compassus magis, quam amici mortem lugens, maxime, quia eumdem hora victurum praesciebat. Filii Israel Moysen lugebant, sed in Lege, non in Evangelio **(Deut. XXXIV, 8)**. Ideo Jesus, propter sacramentum nominis, non legitur lacrymis populi prosecutus esse; sed quasi victurus iterum post mortem. In exordio Judicum juxta historiae ordinem, repraesentatus luctus sapientis unius est diei; impii autem omnes dies vitae suae. Separatio quaedam familiaritatis humanae, non perditio plangitur in sapiente. In impio aeterna perditio luctu [Col. 0322D] prosequenda est perpetuo. Venit vero pater in filio, magister in discipulo, amicus in amico, si morum dignitas et sapientiae nobilitas permanet in posteris.

Quid si in miseriam humanae conditionis meae filius moriatur ante patrem in flore juventutis? tollitur justus, ne malitia immutetur cor ejus **(Sap. IV, 11)**. *Judicia Domini abyssus sunt multa* **(Psalm. XXXV, 7)**. Nil sine causa erit in mundo, nec unus passer cadet in laqueum aucupis sine Patre nostro, qui in coelis est; *non capillus de capite perit* **(Matth. X, 29; Act. XXVII, 34)**. Non enim nobis luctum incutere debet, cum quislibet charus noster a peregrinatione pergit ad patriam, a morientibus ad viventes, ab [Col. 0323A] exsilio ad regnum. Consolatio nostra fiant verba veritatis: *Qui credit in me, si mortuus fuerit, vivet.* Et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum **(Joan. XI, 25, 26)**. Proinde sciamus, charos nostros in operibus charitatis morientes Deo vivere, et saeculo mori. Qui operibus misericordiae quotidie Christo cum Apostolo dicunt: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* **(Phil. I, 23)**. Felicius vadit qui amicos relinquit superstites sibi, quam qui superstes erit amicis. Mors boni hominis migratio est ad meliorem vitam, quae non est plangenda, sed congratulanda **(Joan. V, 24)**.

Laetemur in miserationibus Redemptoris nostri. Abraham ante Christi adventum apud inferos fuit. Post Christi passionem latro in paradiso. Morte [Col. 0323B] Christi mors mortua est, flammea romphea custos paradisi sanguine Christi exstincta. Et beatus Petrus homo terrenus portas aperit, quas aethereus Cherubim clausit: Et de rete piscatorum manus repente ad claves transtulit {133} regni coelorum. In Cherubin multitudo scientiae; sed in Christo multitudo miserationis. Olim in Judaea notus tantummodo Deus, sed nunc omnibus gentibus vox una est Christus, qui nos de servis fecit amicos, et de profugis convertit in filios. Naturam mortalitatis nostrae assumpsit in gloriam divinitatis suae. In hoc laetetur genus humanum, sciens fragilitatis nostrae naturam super angelicos exaltatam choros, majestati paternae gloriae in coelestibus

considere. Quae conditio mortalitatis timens humanae [*Locus corruptus*] conturbare debes [Col. 0323C] post tantam naturae tuae gloriam? Aequalitas tibi certissima est; tantum tegmine charitatis indue pennis, ut volare facias, quo Christus ascendit. Noli angustiari de morte charorum, sed congaude laetitiae illorum.

Christus se ipsum pro te tradidit in mortem. Cur lacrymis tuis contradicis Christo, rapere charos tuos de morte ad vitam, de labore ad requiem? Felicior est in bono dies exitus quam nativitatis. Ille est requiei initium, iste laboris. Ille laetitiae introitus, iste doloris. Nascimur ut moriamur, morimur ut melius vivamus. Via est haec vita pergentibus ad patriam. Si aspera est, si arcta est, viriliter gradienda est. Si plana, si prospera, caute currenda est, quia multos [Col. 0323D] habet insidiatores. Novit itaque providentia Dei, cui prodest longa peregrinatio hujus viae, cui optimum est cito hujus peregrinationis labores finire. Placeant nobis judicia Dei. *Justus est Dominus et recta judicia ejus* **(Psalm. CXVIII, 137)**. Illa mens maxime Deo placet, cui omnia Dei placabilia placent. Laudemus, amemus et oremus, ut semper fiat voluntas ejus in nobis, cui semper bona placent; et nihil nisi per eum boni possumus habere, perficere. Si bonum est, si amabile est quod habemus, ille praestavit [praestitit] nobis. Illi gratias agamus, illi tota mentis intentione [Col. 0324A] sacrificium laudis offeramus, in quo salutem nobis sempiternam per Prophetam suum promisit, dicens: *Sacrificium laudis honorificavit me;* illic iter est, quo ostendit salutare Dei **(Psalm. XLIX, 23)**. Haec est angelica jucunditas, sanctorum laetitia, consolatio nostra. Nihil enim aliud coelestis Jerusalem, quae vivis aedificatur lapidibus, agit in patria sua, dicente et suspirante ex nostra voce Psalmographo: *Beati qui habitant in domo tua* **(Psalm. LXXXIII, 5)**. Et quasi quis quaesisset, quae esset illa beatitudo, habitare in domo Domini? respondit: *In saeculum saeculi laudabunt te.* Haec laus sine fastidio, sine defectu erit; sine fine dulcis fit in corde et ore canentium. Haec quoties agimus in terris, angelicam imitamur vitam. Haec suavitas omnes saeculi tristitias [Col. 0324B] expellit ab anima, omnes moerores mitigat. Et quanto quis donorum Dei majori utitur abundantia, tanto magis se debitorem mediatori omnium bonorum quae possidet, agnoscat.

Si igitur justum videtur homini cujuslibet beneficii vel officii reddere grates, quanto magis Deo gratiarum actiones agendae sunt? Qui omnia dedit, quae in hoc saeculo bona videntur, qui omnia daturus est bona, quae desiderari vel haberi in futuro saeculo possunt: ubi ipse Deus erit omnia in omnibus, qui nunc singulis secundum mensuram suae bonitatis distribuit **(Ephes. IV, 7)**. Tunc erit omnis bonitas, omnis beatitudo, omnis sufficientia in omnibus. Ad hujus vero summae beatitudinis et indeficientis gloriae [Col. 0324C] post labores hujus vitae felicitatem Deus Jesus te pervenire faciat, domine desiderantissime et omni honore dignissime.

Tribuat divitias veras tibi, David amate,
Cum sanctis pariter Christus in arce poli.

{134}
@ [Col. 0323D] Edit. Mabill. 19 ubi plus dimidio mutilata et alias imperfecta est. **(Froben. 92.)** Integram hic damus ex cod. Salisb. ex quo descripta sunt quae ansulis continentur. Inde vero jam constat eam non ad Richbodonem Trevirensem episcopum, ut post

Mabillonium [Col. 0324D] Galliae Litterariae scriptor tom. IV, pag. 329, autumavit; nec ad Paulinum Aquileiensem, ut cl. Madrisius pag. 251 optabat; sed ad Aquilam seu Arnonem scriptam fuisse.

EPISTOLA CVIII. AD ARNONEM. (Anno 800.)

Hortatur illum ut Leonem papam contra adversarios defendat. Hunnos ab subjectione defecisse, et paganas naves littora Aquitaniae infestare queritur. Novam se congregationem monachorum fecisse narrat. Alimo, Remedio et Paulino episcopis salutem dicit. De Elipanto et Felice quaedam nuntiat.

[Col. 0324D] Domino beatissimo et merito perpetuae charitatis alis amplectendo [Aquilae] episcopo humilis levita [Alcuinus] salutem.

Dulcissima litterarum vestrarum lectione et suavissima prosperitatis vestrae legatione laetificatus, quasi inter febrium ardores refrigerium quoddam mihi advenisset, et canicularibus decoctus flammis rore salutationis vestrae refocillatus, totus in spe roboratus assurgebam audiens quod semper optavi, legens in litteris quod semper desideravi, apostolicae auctoritatis salutem et constantiam religionis sanctae [Col. 0325A] in eo, quem

@ [Col. 0325C] *Confessorem Christi.* Nimirum Leonem III papam, ut ipse contextus epistolae demonstrat. Confessor vero dicitur, quia pro Christo persecutionem et tormenta passus est, quamvis deinde tranquillam mortem obierit. «Confessio, inquit sanctus Cyprianus libr. de Simplicitate Praelat. exordium est gloriae, non meritum [Col. 0325D] coronae; non perficit laudem, sed initiat dignitatem.» confessorem Christi nominare et venerari omnibus Christi Ecclesiis aequum arbitror; cujus praesentiam super omnes alios hujus vitae viros desiderarem, si mei corpusculi valetudo me sineret perficere. [Quod maxima animi cupiditate diu desiderabam, in tantum ut tuae vere fateor fidei; si talis meus potuisset apud hujus auctoritatem profectus fieri Ecclesiis Christi qualis mea optabat devotio, prae omnibus saeculi deliciis et honoribus ejus praesentiae astare proponerem; si flammas animi sui mitigare mihi indultum esset, et litteris sub ejus sancti nominis auctoritate per diversas mundi regiones, populos, parochias, civitates et provincias hortari; et catholicae fidei rationes pluribus exponere personis; et religiosam admonitionem, juxta consuetudinem [Col. 0325B] sanctorum Patrum, chartulis indicere currentibus. Sed, ut video, meis hoc impedientibus peccatis fieri necdum poterit propter fragilitatem corpusculi, multis molestiarum sarcinulis subgravati. Insuper nec ille aliquid mihi exinde mandavit, in cujus potestate juxta saeculi dignitatem hoc maxime fieri debuit: per alios vero mihi firmiter hoc mandavit, ut fieri voluisset;

@ [Col. 0325D] *Per se autem nihil inde dixit.* Ex hoc loco colligo, quod Alcuinus epistolam regis, qua illi «improperat, quod fumo sordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus praeponeret,» dum praesentem scriberet, nondum acceperit. per se autem nihil inde dixit

Intelligo quoque multos esse aemulatores ejusdem praedicti domni apostolici, deponere

eum quaerentes subdola suggestione,
@ [Col. 0325D] Concordant, quae refert Anastasius Biblioth. in Vita Leonis III his verbis: Dum in magno honore apud se per aliquantum tempus eum (Leonem) ipse serenissimus rex habuisset, haec praefati iniqui . . . . . moliti sunt . . . . . falsa adversus sanctissimum pontificem imponere crimina, et post eum ad praedictum mittere regem, quod probare nequaquam potuissent; quia per insidias et iniquitates eorum, talia nec dicenda sanctam Ecclesiam humiliare volentes proferebant.» crimina adulterii vel perjurii illi imponere quaerentes, et tunc [*Fort.,* ut] sacramento gravissimi jurisjurandi ab his se purgaret criminibus ordinantes: sic consilio secreto suadentes ut deponeret sine juramento pontificatum, et quietam [Col. 0325C] in quolibet monasterio ageret vitam, quod omnino fieri non debet, nec ille ipse consentire, se quolibet sacramento constringere, aut sedem suam amittere. Responderem pro eo, si ex latere ejus stetissem: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat* **(Joan. VIII, 7)**.

Memini me legisse quondam, si rite recordor,
@ [Col. 0325D] {137} *In Canonibus beati Silvestri.* In Synodo Romana, puto, sub Silvestro papa Cujus tamen decretum [Col. 0326C] ad supposita ab Isidore Mercatore referunt moderni critici. in Canonibus beati Silvestri, non minus 72 testibus pontificem accusandum esse, et judicio praesentari: [Col. 0326A] et ut illorum talis vita esset, ut potuissent contra talem auctoritatem stare. Insuper et in aliis legebam canonibus,
@ [Col. 0326C] *Apostolicam sedem* . . . non judicandam. Ex synodo, abs dubio, Sinuessana in causa Marcellini pontificis coacta anno 303 Alcuini consilium archiepiscopi et episcopi, inter quos Arno fuerat, secuti pronuntiarunt: [Col. 0326D] «Nos sedem apostolicam, quae caput est omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur; ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum et antiquus mos fuit, etc.» Anast. l. cit. De his ac hujusmodi canonibus consule Petrum dc Marca Concord. Sacerd. lib. I, cap. 11 et alios. apostolicam sedem judiciariam esse, non judicandam. Haec omnia et multo plura his cogitavi per epistolas meas demandare illi propter ejus catholicam charitatem. Quis potest immunis esse in Ecclesia Christi pastor, si ille a malefactoribus dejicitur, qui caput est Ecclesiarum Christi? Suo Domino stabit, aut cadet. *Stabit vero, potens est enim Dominus statuere illum* **(Rom. XIV, 4)**.

Tu vero, fili charissime, fili votorum meorum, [fili Ecclesiae Christi in ovili inter oves sanctas illius enutritus, ad quem omnium pastorum pastor tertio dixit **(Joan. XXI, 15, 16, 17)**: *Pasce oves meas*], labora pro capitis tui salute, pro summi pastoris incolumitate, [Col. 0326B] pro sanctae sedis auctoritate, pro catholicae fidei integritate, ne lupinis morsibus pastorum pastor pateat. Ego vero optimae vestrae pietatis devotionem lacrymis prosequor, orationibus assequor, litterarum suffragiis consequor. Cautus esto cui commendes consilia tua, providus in responsis, verax in judiciis, sollicitus discernere, quid cui conveniat, et {135} noli oblivisci patrem senio, filium meritis,
@ [Col. 0326D] *Fratrem charitate.* Vid. epist. 76 (nunc 91). fratrem charitate. Veniat! veniat [*Mab.* veniet] enim dies, dum ei placuerit qui omnes disposuit dies, quando liceat optatos amplexus patri et filio conjungere, et mutuis seipsos exhortari collationibus [*Idem consolationibus*].

[Tertia causa tu

@ [Col. 0326D] *Fuisti.* Legendum forsan, *fuisses;* itineris, ad quod superius dixerat se vocatum seu invitatum fuisse. fuisti itineris mei. Prima fuit Ecclesiarum Christi; secunda domni regis, quia in [Col. 0326C] lacrymis

@ [Col. 0326D] *Lacrymans dimisi eum.* Regem nimirum Turonis, quo sanctum Martinum veneraturus hoc anno 800 venerat, abeuntem. lacrymans dimisi eum, cupiens perpetuam laetitiae illius memoriam animae meae inscribere; tertia dulcissimam charitatis tuae videre faciem; sed prohibitus sum usque adhuc ut fieret, quod valde optavi ut fieret. Erit itaque per vestras sanctas orationes, dum ei placuerit, sine quo nihil boni fieri poterit.

@ [Col. 0326D] *Epistola prior.* Haec Arnonis ad Alcuinum epistola, crimina illa Leoni III papae falso imposita continens ab ipso Alcuino, ne inde scandalum apud ignaros oriri potuisset, igni tradita est, ut ipse contextus habet. Epistola vero prior quae ad nos sub vestro nomine pervenit, querimonias quasdam habens de moribus apostolici, et de periculo tuo apud eum propter [Col. 0327A] Romanos, clericus vester, ut aestimo, attulit eam mihi, nomine Baldricus, afferens mihi cappam Romano more consutam, vestitum lineum, laneumque. Sed quia ego nolui ut in alterius manus pervenisset epistola, Candidus tantum illam perlegebat mecum, et sic tradita est igni; ne aliquid scandali oriri potuisset propter negligentiam chartulas meas servantes [*Forte, servantis*].

@ [Col. 0327D] *Hunnorum perditio.* Qui anno priori defecerant, ut annales referunt. Hunnorum vero, sicut dixisti, perditio, nostra est negligentia, laborantium in maledicta generatione Saxonum, Deoque despecta usque huc, et eos negligentes quos majore mercede apud Deum et gloria apud homines habere potuimus, ut videbatur. Non audeo mei solius causam [causa] tantum tibi ingerere laborem per preces et lacrymas, quas habeo saepius propter vestram absentiam. Tamen [Col. 0327B] non est secundum opportunitatem inane iter, ad patrocinia sancti Martini venire, vestramque vitam ejus sanctis commendare orationibus.

@ [Col. 0327D] *Paganae naves.* Normannorum puto, qui teste Eginhardo in Vita Caroli «Gallicum littus et Germanicum assidua vastatione vastabant; quapropter Carolus per omnes portus et ostia fluminum, qua naves recipi posse videbantur, stationibus et excubiis positis, ne qua hostis exire potuisset, tali munitione prohibuit. Classem quoque molitus est contra Nortmannicum bellum, etc.» Quod Annales ad anni 800 mensem Martium referunt. Paganae vero naves, ut audistis, multa mala fecerunt per insulas Oceani partibus Aquitaniae; pars tamen ex illis periit, et occisi sunt in littore, quasi centum quinque viri ex illis praedatoribus. Castigatio est magna horum eruptio, antiquis ignota temporibus populo Christiano; quia forte vota non servant famuli Dei, quae vovere solent. Ideo, dilectissime fili et merito venerande frater, tuos hortare fratres regulariter vivere, et devotionem primam firmiter servare, dicente Scriptura: *Vovete et reddite Domino Deo vestro* **(Psalm. LXXV, 12)**. Item: *Melius est non vovere, quam vota non reddere* **(Eccl. V, 4)**.]

@ [Col. 0327D] *Prope enim estis terminis paganorum.* Data ergo fuit epistola ad Arnonem Elnonae, non Salisburgi morantem; huic enim a Normannis littora Gallica et Germanica infestantibus nullum periculum imminere potuit. Vid. Hansiz. tom. II Germ. Sacr. pag. 113, num. 33. Prope [Col. 0327C] enim estis vos terminis paganorum. Sit salus vestra, protectio, et misericordia Dominus Deus noster, qui ait: *Sine me nihil potestis facere*

(Joan. XV, 5). Commotio magna est in mundo, et in mentibus multorum infidelitas, et in nomine monachorum negligentia. Volunt dici, et non fieri, dicente Scriptura: *Vult piger, et non vult* **(Prov. XIII, 4)**. Id est, vult beatus esse et non vult laborare, unde beatus fiat. [

@ [Col. 0327D] *Noviter congregationem quamdam feci.* Cormarici nimirum; hoc enim anno Nonas Junii Alcuinus [Col. 0328D] a Carolo Turonis agente litteras obtinuit, ut liceret sibi monachos ibidem constituere. Vid. eas litteras tom. II in Append. Noviter congregationem quamdam feci, quasi octavo milliario a monasterio sancti Martini, monachicae vitae et regularis religionis, primo ex fratribus de Gothia, ubi Benedictus abba regularem constituit vitam. At nunc, volente Deo, aliqui veniunt sancta se devotione mancipantes]. Non est claudicandum [Col. 0328A] in Dei servitio, sed via regia gradiendum, ut ad optatum aliquando littus divina auxiliante gratia pervenire possit. [Quidquid vero de tua audio canonica conversatione, satis mihi placere fateor. Hoc quoque addatur ad mercedem industriae vestrae, ut fratres qui sub manu vestra sunt secundum sanctitatem regularis vitae vivant. Nec ego aliter audivi, nec eo minus dicere debeo, quae agnosco proficere fraterna charitate]. Populo quoque, ut saepius deprecatus sum, praedica instanter verbum Dei **(II Tim. IV, 2)**, ne ullius anima in tuo pendeat [*Cod.* S. E. pendat] judicio, vel a te quaeratur. Ostende illis viam salutis, hos secreta collatione, illos publica praedicatione confirmans. Unicuique secundum suae conditionis vel personae modum hortamenta ingere. [Col. 0328B] Potestatibus et judicibus justitiam et misericordiam, junioribus obedientiam, humilitatem et fidem in senioribus, omnibus aequitatem, charitatem Dei et proximi, castitatem corporis, benignitatem et pietatem in eleemosynis, quatenus cum multiplici laboris tui fructu ad aeternae beatitudinis sedem pervenire merearis, eo miserante, qui ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**. Mei quoque ut {136} habeatis memoriam, secundum spem meam et fidem vestram, deprecor, cum sanctis fratribus vestris assidua intercessione, ut prope cursu nostri agonis completo, veniam peccatorum meorum et aliquam portionem beatitudinis inter cives coelestis habitationis accipere merear. [Col. 0328C] [Plura scriberem secundum animi nostri desiderium, si non iste cursor ex vestro mandato velociter revertere habuisset; tamen ex his paucissimis litteris charitatis nostrae ardorem in vos agnoscere poteritis]. Divina vos gratia comitetur ubique, domine Pater et dilectissime amice

@ [Col. 0328D] In cod. sancti Emmeram. ita in contextu pergitur: *Et si tibi causa eveniat videndi amicum nostrum, saluta eum mille millies.* Libellum, etc., ut intus..

[Obsecro humilitatem vestram ut meo officio Patrem charissimum

@ [Col. 0328D] *Aelim episcopum.* Is est abs dubio Alimus episcopus Sabionensis seu Brixinensis. Vid. epist. 91. Aelim episcopum salutes, cum caeteris fratribus, et consacerdotibus sanctitatis tuae. Similiter et Remedium decurio [de curia] nobis charissimum fidelemque amicum saluta]. Et si tibi causa eveniat [

@ [Col. 0328D] *Paulinum patriarcham Aquileiensem.* Hinc jam patet Alcuinum hic loqui de Libris Paulini adversus Felicem Urgellitanum. Mabillonius libellum, de quo hic mentio fit, ex conjectura, cum in codice quo usus est nomen Paulini expressum non haberetur, tribuit Richbodoni Trevirensi episcopo. Sed vir summe alias accuratus hanc integram epistolam non vidit; ex epistola vero mutila error facilis fuit. Hinc etiam corrigendus

auctor Hist. Lit. Franciae, tom. IV, pag. 329. Paulinum patriarcham] videndi, saluta eum mille millies. Libellum vero catholicae fidei quem domno regi direxit, perlegebam, et satis mihi placuit in eloquentia [Col. 0329A] sua et in floribus dictionum, et in fidei ratione, et in testimoniorum auctoritate, ita ut nihil his addi de quaestionibus nuper habitis inter nos et partes Felicianas opus esse arbitrabar. Et felix est Ecclesia populusque Christianus, quandiu [cum domno rege vel] unum talem habebit defensorem fidei catholicae. [Sed adhuc remanet aliquid faciendum. Nam quidam Elipandus Toletanae civitatis, nomine non dignitate episcopus, in damnata synodali auctoritate et apostolica censura haeresi permanet. Sciat tamen dilectio vestra, quod filius noster

@ [Col. 0329D] *Laidradus.* Laidradum post annum 799 Felice jam converso non rediisse in Hispaniam, contendit cl. Madrisius Op. sancti Paulini pag. 222, num. 62 et 65. Sed fallitur, ut ex hoc loco manifestum est, et nos amplius monstrabimus in Dissert. de Haeres. Feliciana. Laidradus episcopus frater vester, magnum profectum in illis partibus, Deo donante, egit quotidieque agit. Ut mihi vere dixerunt ex illis partibus viri religiosi et veraces, usque viginti millia conversi sunt inter episcopos, [Col. 0329B] sacerdotes, monachos, populum, viros et feminas, plangentes pristinum errorem gaudentesque, quotidie Deo agentes gratias in agnitione veritatis et in catholica fidei firmitate. De ipso Felice jam prius per litteras nostras, vel magis aliorum relatione, audisti quid gestum fuit, et modo fuit ad Sanctum Martinum apud praefatum

@ [Col. 0329D] *Filium nostrum, nempe Laidradum.* filium nostrum; et multum amat me, totumque odium quod habuit in me versum est in charitatis dulcedinem.] Quod rogasti litterarum nostrarum serie saepius tuam appellare sanctitatem, testis est Deus cordis mei quantum hoc desidero, ut saepius fiat secundum opportunitatem temporis et portitoris, optans ut me habeas praesentem in litteris meis ut nihil nobis desit in charitatis communione praeter oculorum praesentiam. Sed [Col. 0329C] his multo major est et melior perpetua sanctae charitatis praesentia in Christo Jesu Domino nostro.

@ [Col. 0329D] Edit. Quercet. 13, Canis. 7. Nunc alicubi emendata ex cod. reg. Vatic. 69 (Apud Froben. 93).

EPISTOLA CIX. AD DOMNUM REGEM. (Anno 800, mense Augusto.)

Respondet Caroli epistolae nuntiantis victoriam de hostibus: et mirabilem sanitatem Leonis papae. Romanum iter prosequi renuit.

Domino dilectissimo atque omni honore dignissimo David regi Flaccus veteranus miles perpetuam in Christo salutem.

Litteras prosperitatis vestrae et consolationis nostrae, magno amore et digno favore suscepimus: Dei omnipotentis clementiam collaudantes, qui vos fidelesque vestros prosperis successibus pollere fecit, [Col. 0329D] et inimicos sui nominis vestrae potentiae

@ [Col. 0329D] *Subdidit pedibus.* Carolus anno priori 799 per filium suum Pippinum et praefectos provinciarum, bellum Hunnicum complevit; teste Eginhardo in Vita Caroli Magni Britannos cismarinos domuit, et adversus Saracenos rem prospere gessit; prout

narrant [Col. 0330D] Annales, vulgo ascripti Eginhardo ipsius Caroli Magni notario. subdidit pedibus. *Hoc enim faciat Deus, et hoc addat* **(I Reg. III, 17)**, ut triumpho terroris vestri inimicas ubique [Col. 0330A] subjiciat gentes; et suavissimo suae dilectionis jugo in Christiana fide ferocissimos subjiciat animos, ut {138} solus Deus et Dominus noster Jesus Christus credatur, colatur, atque ametur. Vestra clarissima [potestas et sanctissima] voluntas in hoc omni laboret studio, ut Christi nomen clarificetur, et ejus divina potestas per fortitudinis vestrae triumphos multis terrarum regnis innotescat: quatenus non solum magnitudo potestatis te regem ostendat, sed etiam instantia seminandi verbi Dei in laude nominis Domini nostri Jesu Christi praedicatorem efficiat. Ideo divina te gratia his duobus mirabiliter ditavit muneribus, id est, terrenae felicitatis imperio et spiritalis sapientiae latitudine, ut in utroque proficias, donec ad aeternae beatitudinis pervenias felicitatem. Parce [Col. 0330B] populo [tuo] Christiano, et Ecclesias Christi defende, ut benedictio superni regis te fortem efficiat super paganos. Legitur quemdam veterum dixisse poetarum, cum de laude imperatorum Romani regni, si rite recordor, cecinisset, quales esse debuissent, dicens

Parcere subjectis, et debellare superbos. Quem versiculum beatus Augustinus in libro De Civitate Dei multa laude exposuit, quamvis magis nobis attendendum sit Evangelicis praeceptis, quam Virgiliacis versibus. Nam et ipsa Veritas ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* **(Matth. V, 7)**. Et alibi: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* **(Luc. VI, 36)**.

[Col. 0330C] Quod vero nobis vestrae bonitatis in Christo probata voluntas de apostolici pastoris
@ [Col. 0330D] *Mirabili sanitate.* Dubitant aliqui, an Leo pont. oculis et lingua penitus orbatus fuerit a sicariis. Sed oculorum et linguae usum cum prospera valetudine ipsum haud sine miraculo recepisse, conveniunt plane illius temporis scriptores. Vid. Anastasius Bibioth. in Vita Leonis; Annales Laureshamenses; Poeta Saxonicus; Theodulphus Aurelianensis, lib. III, Carm. 6 ad Carolum Magnum, etc., etc. mirabili sanitate demandare curavit, decet enim omnem populum Christianum in hac clementia divinae protectionis gaudere, et laudare nomen sancti [*Cod.* Vat., sanctum] Dei nostri, qui nunquam deserit sperantes in se, qui impias compescuit manus a pravo voluntatis effectu, volentes caecatis mentibus lumen suum extinguere, et seipsos impio consilio proprio privare capite. Quidquid vero de illis agendum sit, vestra cautissima considerare habet sapientia, quae optime novit, quid cui conveniat personae, et quid cui sit facto retribuendum; vel quomodo ille pius pastor, divina ab inimicorum manibus liberatus protectione, securus in sua sede Deo Christo deservire valeat.

[Col. 0330D] Quod vero vestrae benignitatis litterae Flacco taciturnitatis culpam ingerunt, quem [*Forte, eum*] fervor
@ [Col. 0330D] *Mensis Augusti.* Carolus «Mense Augusto inchoante Moguntiacum veniens, iter in Italiam condixit,» inquit annalista Loiselianus ad annum 800, ideoque eo mense ejusdem anni litteras illas ab Alcuino accepit. *Pagi hoc anno, num.* 8. mensis Augusti desidem, non voluntatis efficacia [Col. 0331A] pigrum efficit. De pueris vero nostris, quos pedibus paternis Romam pergere praecipis, velim scire quando, vel ubi, vel quibus comitantibus vestrae beatitudini occurrere debeant. De quibus in vestrae excellentiae

litteris scriptum invenimus: «Qui te, inquis, quiescente, pro te tua munera inire valent.» Fateor quidem, vobis jubentibus et juvantibus, laboris mei possunt inire sudorem. Munera vero mea illis necdum concedo, quae vestra frequenter largitate accipere solebam. Nam et Moyses, quem nobis quasi ad exemplum proponitis, pugna peracta et Amalecitis fugatis, praedam reductam ipse populo distribuit **(Exod. XVII, 13)**. Et David, Syria per Joab principem militiae subjecta, aurum et gemmas pretiosissimas ad templi dedicavit ornatum **(II Reg. VIII, 11)**. Sed et Ammonitarum [Col. 0331B] regis diadema proprio imposuit capiti, licet Joab labores sustinuisset militiae **(II Reg. XII, 30)**.

Sed et de hoc, quod mihi improperare voluistis, me fumo sordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus praeponere, scio vestram legisse prudentiam Salomonicum illud elogium: *Melius* (est), inquit, *sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa in domo communi* **(Prov. XXI, 9)**. Et, ut cum pace dicam, magis ferrum nocet oculis, quam fumus. Turonis enim fumosis tectis contenta, Deo donante, per vestrae bonitatis providentiam in pace permanet. Roma vero quae fraterna discordia initiata est, insitum dissensionis venenum hucusque tenere non cessat: vestraeque venerandae dignitatis potentiam, ad hujus pestis compescendam perniciem, e dulcibus Germaniae [Col. 0331C] sedibus festinare compellit. Nos vero lacrymis absentiam, et precibus iter vestrum continuis prosequimur, divinam humiliter obsecrantes clementiam, quatenus vos vestrosque simul, cum omni prosperitate sanos ducat, et reducat gaudentes. {139} Vestrae vero pietatis litterae nullatenus consentio ut obliviscantur mei: sed saepius veniant in spiritu consolationis, ut osculentur, iterum iterumque relegantur, et in cordis thesauro perpetua dulcedine conserventur.

Tempora concedat Christus felicia regni
Hujus et aeterni, David amate,
@ [Col. 0331D] *Caeteri versus* (inquit hoc loco Basnagius), *desunt in Editione Quercetana, in qua duo tantum priores describuntur.* Non advertit vir eruditus, reliquos versus a Quercetano editos fuisse ad calcem epistolae 12, nunc 96, ad quam etiam magis, quam ad istam pertinere videntur; quod ibi agatur de reditu Leonis ad urbem, qui anno priori contigit. tibi.
@ [Col. 0331D] Hanc epist. Baluzius edidit lib. I Miscell. pag. 377, unde illam descripsimus (Apud Froben. 94).

EPISTOLA CX. AD ABBATES ET MONACHOS GOTHIAE. (Anno 800.)

Errorem Adoptianorum capit, quem singulari libello per beatum Benedictum misso, se jam refutasse, et nunc majori opere a se refutandum ait. [Col. 0332A]

Albinus humilis Christi famulus et serviens sancti Martini, omnibus abbatibus, fratribus et filiis, qui sunt
@ [Col. 0331D] *Gothiae partibus.* Gothia alio nomine etiam Septimannia vocatur. Felix Urgellitanus episcopus «multis apud Septimanniam pestiferum haustum haeresis

Adoptianorum propinavit,» ut scribit Jonas Aurelianensis lib. I de Cult. Imag. adversus Claud. Taur. Quae res Alcuinum sollicitum habuit, ne illo veneno monasteria a beato Benedicto Anianensi nuper partim erecta, partim reformata inficerentur. Gothiae partibus in Christo charissimis, aeternae beatitudinis salutem.

Acceptis dulcissimis vestrae beatitudinis litteris, simul et suavissimis nimiumque nobis necessariis sanctarum orationum vestrarum muneribus, cum omni gaudio et mentis alacritate, et magnam vere habens fiduciam per vestras sacratissimas intercessiones [Col. 0332B] ad Jesum Dei Filium, qui pro mundi salute homo dignatus est fieri: ita ut qui Deus aeternaliter ex Patre natus est, temporaliter nasceretur ex virgine, et idem esset homo qui et Deus; et idem Deus qui et homo; et non esset ulla separatio personae vel filietatis, ne essent duo Filii, unus proprius et alter adoptivus; aut duo Dii, unus verus Deus et alter nuncupativus: quod omnino impium est credere et praedicare. Quia Dei Filius in proprietate personae, et Filii dignitatis adunivit sibi hominem, ut esset unus Christus, et unus Deus, et unus Dei Filius, totus in suis, et totus in nostris, perfectus in divinitate et perfectus in humanitate. Quod multis testimoniis evangelicis et apostolicis, vel etiam sanctorum Patrum traditionibus comprobari potest; sicut in libello [Col. 0332C] ex parte factum est, quem direximus per beatum
@ [Col. 0331D] *In Libello . . . .* quem direximus per beatum Benedictum. [Col. 0332D] Hunc Libellum, qui hucusque latuit, ex cod. 290 bibl. palat. Vaticanae infra dabimus ante Libros VII adversus Felicem. Vide dissertationem nostram de haeresi Adoptianorum. Porro Benedictus est abbas Anianensis monasterii, quod caput est aliorum monasteriorum Septimanniae seu Gothiae, quae nunc *Languedoc a Gallis appellatur, quocum Alcuino amica consuetudo fuit.* Benedictum, vobis solatium et confirmationem fidei catholicae. Sed in manibus
@ [Col. 0332D] *Majus opus.* Scilicet libros VII adversus Felicem Urgellitanum. majus modo habemus opus propter alias causas, quae in libello
@ [Col. 0332D] *Venerandi Felicis.* Haec compellatio amici est, non adversarii. Epistola igitur praesens scripta est, postquam Felix ab Alcuino in concilio Aquisgranensi anno 799 convictus fuit, et cum illo in gratiam rediit. Vide, quae diximus in praefata dissertatione. venerandi Felicis legimus; et illum volente Deo vobis dirigimus, postquam lectus et comprobatus fuerit ab episcopis nostris et
@ [Col. 0332D] *Et domno rege.* Vide epistolam ad Carolum Magnum Libris VII contra Felicem praefixam. domno rege. Interim vestra Sanctitas nos adjuvet sanctis orationibus vestris, ut Dominus Deus aperiat nobis agnitionem veritatis, et fiduciam praedicationis et constantiam in fide catholica. *Multum enim valet deprecatio justi* **(Jacob. V, 16)**, quanto magis et plurimorum.

{140} Haec novitas vocum in *adoptione, nuncupatione Christi, omnino fidelibus omnibus detestanda est,* et magnopere cavenda haec divisio in Christo [Col. 0333A] Domino nostro. Scimus duas naturas perfectas esse in Christo, et unam personam: mortalem immortalemque eumdem esse. Sicut homo mortalis est carne, immortalis anima; tamen unus est homo, et una persona, et unus Filius patris sui totus proprius, et dividi non potest, quod sit partim nuncupativus homo, et partim verus homo: ita et Christus, licet sit carne mortalis, et divinitate immortalis, tamen unus Jesus Christus et unus Dei Filius; sicut dixi hominem esse unum filium, licet carne sit mortalis, et anima immortalis: et

nullatenus unus Filius, uno Patre, potest esse utrumque, et proprius et adoptivus. Et si est unus Filius Deus Christus in una persona, omnino aut totus est proprius, aut totus adoptivus. Sed melius est, ut propter illam excellentiam naturam [Col. 0333B] [*Leg.,* excellentem *vel naturae*] Dei Filius, qui proprius et aeternus est, sit humanitas assumpta in proprietatem Filii, quam propter humanitatem Dei Filius aeternus humilietur in adoptionem. Omnino proprius filius et adoptivus unus esse non potest ad unum patrem, ad duos autem potest.

Haec considerantes diligentius, et animo tenete firmiter, et constanter praedicate unum Filium et unum Deum, eumdem proprium et verum perfectumque esse; quia omnis veritas in Christo est et nullum figmentum, et tota *plenitudo divinitatis* **(Coloss. II, 9)**, et nulla minoratio nec defectio;
@ [Col. 0333D] *Nec eum . . .* baptismo indiguisse. Hunc errorem refutat Alcuinus Libro II adversus eumdem. nec eum, sicut in libello praefati Felicis lectum est, baptismo indiguisse, sed mox sine peccato et omni labe peccati, Spiritu sancto conceptum esse Deum verum et hominem [Col. 0333C] verum. Et si beata virgo proprium potuit generare sibi filium, qui fuit ex aeterno Dei Filius, quomodo non potuit Deus Pater habere hominem Filium proprium, qui ex tempore natus est ex virgine? Unus omnino est in utraque natura, ad utrumque parentem, Christus et Filius Dei proprius. Quae omnia plenius, opitulante eodem Deo, de quo nobis sermo est, lecturi eritis in eodem libello, quem modo in manibus habemus. Tantum in fidei firmitate et nil haesitantes [*Supple, manete*]: *quia sine fide impossibile est placere Deo, ut Apostolus ait* **(Hebr. XI, 6)**.

Charitatem fraternam instantissime inter vos servate, et unitatem in omni catholica pace, et fide recta et humilitate non ficta. Et obedientiam vestram [Col. 0333D] secundum propositum regularis vitae omni studio servate, et stabiles estote in locis vestris, ubi vosmetipsos dedistis Deo; et nolite deserere monasteria vestra, et vagari per saeculi vanitates. Tempus enim hujus vitae breve est **(I Cor. VII, 29)**, et *non sunt condignae passiones hujus saeculi ad superventuram gloriam* **(Rom. VIII, 18)**. Non debet vestrae beatitudini Christi jugum durum videri vel onerosum, sed leve et suave, sicut ipse ait; *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* **(Matth. XI, 30)**. Non qui ceperit, sed qui perseveraverit, salvus erit **(Matth. X, 22; et XXIV, 13)**. Revocate ad mentem Judam [Col. 0334A] ex apostolo proditorem factum. Considerate Saulum ex persecutore praedicatorem effectum. Mementote Malchum monachum, cujus historiam beatus Hieronymus nunc edidit epistola, quomodo quasi pietatis intuitu egressus est a monasterio, relinquens patrem suum, et in quales pervenit postea tribulationes, vel qualiter planxit monachum in eremo, quem perdidit in monasterio. Raro diabolus aperta fronte pugnat contra servos Dei, sed sub figura pietatis, quasi majoris sit utilitatis exire de monasterio quam permanere. Ovis quae de ovili egreditur et a pastore recedit, lupi patet morsibus. Melius est non vovere, quam vota non implere. Dicit Scriptura: *Vovete et reddite Domino Deo vestro* **(Psal. LXXV, 12)**. Verax est Deus in promissionibus beatitudinis, quae [Col. 0334B] diligentibus se promittit **(Jacob. I, 12)**. Et vere dicis [*Sensus corruptus*]: Reddet promissa veritatis. Mementote Apostolum dicentem: *Fratres, stabiles estote et immobiles* **(I Cor. XV, 58)**. Et iterum: *Qui stat, videat, ne cadat* **(I Cor. X, 12)**. Stabat Joannes, quando Christum cernebat. Ideo, fratres charissimi, *vigilate et state in fide, viriliter agite* **(I Cor. XVI, 13)**, et confortetur cor vestrum in

omni opere bono. Et Psalmista: *Exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum* **(Psal. XXVI, 14)**. {141} Quid est *exspecta Dominum, nisi stabili mente exspecta, donec tibi veniat dies remunerationis? Fac omnia opera viriliter, et confortetur cor tuum in permanendo quod coepisti, et sustine Dominum, quidquid in te tribulationis vel laboris permittit,* [Col. 0334C] sustine viriliter. *Multae sunt tribulationes justorum, et de his liberabit eos Dominus* **(Psal. XXXIII, 20)**. Nullus labor amanti Deum durus videatur, quia ille est remunerator fidelis, qui est auxiliator idoneus, qui nunquam deserit sperantes in se. Respondeat homo suggestionibus diaboli: Dominus auxiliator mihi est, *non timebo quid faciet homo* **(Psal. CXVII, 6)**, id est, carnalis delectatio. Item: *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei* **(Psal. CXVIII, 115)**. Et iterum: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Dominus custodiat introitum et exitum servorum suorum ex hoc nunc et usque in saeculum **(Psal. CXX, 2, 8)**. Haec, charissimi fratres, feliciter legite, et fideliter implete, et Dominus Deus vos adjuvet et proficere faciat in omni bono; et exaudiat [Col. 0334D] orationes vestras pro omnibus, et pro me fideli vestro adjutore, et Dominus Deus custodiat vos in aeterna pace et charitate perfecta, viri fratres et filii charissimi.
@ [Col. 0334D] Edit. Quercet. 99 ex ms. (Apud Froben. 95).

EPISTOLA CXI. AD FRATRES IN GOTHIA. (Anno incerto.)

Hortatur ad poenitentiam, ad observantiam vitae regularis, et ad fortitudinem in exorta tribulatione.

Sanctissimis in Christi charitate fratribus, Deoque in diversis Gothiae partibus fideliter servientibus humilis levita Alcuinus salutem.

[Col. 0335A] Legimus Dominum discipulis praecepisse ut turbas per contubernias discumbere fecissent, quinquagenos et quinquagenos; quos omnes unius panis soliditate refici volebat **(Luc. IX, 14)**. Quinquagenarius numerus, in quo lex data est, ipse Spiritus Paraclitus a Patre et Filio missus, qui in centum viginti nomina descendit, remissionem peccatorum significat: quam omnes fideles in ipsius sancti Spiritus gratia accipiunt, primo in sacramento baptismatis; secundo in poenitentiae lacrymis, quibus anima peccatrix abluta ad visionem Dei Salvatoris pervenire merebitur; dicente ipsa Veritate: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* **(II Cor. VI, 2)**. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus,* perficientes salutem [Col. 0335B] animarum nostrarum **(II Cor. VII, 1)**. Haec vero scientes et optime intelligentes, charissimi fratres, nil sordidum in vestra {142} remaneat conscientia, sive de carnis fragilitate contractum, sive de spiritus inquietudine infectum, ut dignam in cordibus vestris Spiritus sanctus sibi inveniat habitationem. Nullam malignus hostis in vestra bona conversatione inveniat suae malitiae partem, nec aditum quem quaerit, reperiat vestris in cordibus; sed omni custodia animas vestras confirmate in charitatis munimine, in tutela obedientiae, in muro humilitatis, in castitatis observatione, in sanctae pacis conjunctione. Viriliter pugnate contra antiquum hostem, et communibus manibus debellate eum, qui *rugiens circuit, quaerens quem devoret* **(I Petr. V, 8)**. Portate in frontibus vexillum [Col. 0335C]

crucis, et in cordibus charitatis munimenta, et catholicae fidei firmamentum. Spe firma vosmetipsos erigite ad Deum, et nihil contra vestram valet unanimitatem illius insidiosa calliditas. Magis humili mente senioribus vestris obedire parati, quam murmurationis vitio dijudicare, quidquid vobis injungatur operis.

Vovistis vos Deo servire, paternisque regi consiliis. Nolite vosmetipsos super rectores exaltare vestros, nec eorum judicare acta vel consilia; sed contenti tantummodo estote eorum judicio, quidquid agatis, regularisque vitae praeceptis, in quibus maxime humilitas obediendi cum charitate praecipitur. Horae vero vestrae omnes animabus vestris utiles inveniantur, [Col. 0335D] vel in opere manuum, vel in lectionis studio, vel in orationis gratia. Oret operarius corde, ut duplici mercede dignus habeatur. Similiter in refectione corporis anima reficiatur in gratiarum actione Deo; vel si corpus labore afficiatur, mens compunctione confirmetur. Sic vero armatum monachum duplici suffragio, nil *antiquus hostis nocere poterit* **(Apoc. XII, 9)**, qui quaerit per vagationem mentis mercedem minuere laborantis.

[Col. 0336A] Ego vero saeculi tempestatibus turbatus, casso multis in locis labore desudavi; sed modo quasi naufragus, Deo miserante, ad portum dejectus quietis: in quo me fessum et vulneratum jacentem, deprecor, sanctarum assiduitate orationum vestram unanimitatem auxiliari, ut quandoque ad florentia virtutum rura pervenire merear, et bona securitate illi soli servire, in quo solo est totius spes salutis, sine quo nec cadens resurgere, nec bene stans firmo gradu stare poterit.

Misi munuscula parva dilectioni vestrae, sed Deo teste, non parva charitate, quantum in pectore peccatoris ejus igniculus scintillare valet. Tamen si Deus mihi vobiscum in sanctitate vitae stare necdum dedisset, tamen piissima illius gratia vestram veraciter [Col. 0336B] corde meo infudit charitatem, optans atque humiliter deprecans, quatenus per vestras sanctissimas orationes munus voluntatis meae Deo acceptabile esse, ejusque donum in anima mea recipere dignetur, qui gratiam pro gratia dare solet; de cujus plenitudine accepimus, quidquid boni habere videmur. Illius sit semper charitas in corde, laus in ore, et opere bono signum perfectae dilectionis.

Plurima vestrae beatitudini scribere desideravi, sed
@ [Col. 0335D] *Nuntio tribulationis.* Quaenam fuerit haec tribulatio, nos fugit. Eginhardus in Annalibus ad annum 793 Saracenos narrat Septimanniam ingressos cum Francis pugnasse, victoresque rediisse; inde vero monachis Gothiae seu Septimanniae periculum imminere, ac tribulatio evenire potuit. Igitur hanc epistolam hoc anno scriptam esse, vero simile cuiquam [Col. 0336D] videri possit. At enim eo anno non ad portum quietis Alcuinus dejectus, sed ad novos labores vocatus est. Quam ob causam consultius visum fuit, epistolam praesentem nullo certo anno affigere, prioribus tamen illam conjungere consultum duxi, ad eosdem exaratis. nuntio tribulationis consternatus, haec pauca dictavi. In qua vero tribulatione vos viriliter agere et constanti esse animo obsecro, scientes quod Deus nunquam deserit *sperantes in se* **(Psal. XVII, 31)**. Et si qualibet tribulatione cogente, locum mutare necesse sit, nunquam regularis vitae observatio mutetur; [Col. 0336C] nec tribulatio corporis animi fatiget constantiam. Nox et dies vices suas peragunt. Maris tempestas serenitatis tranquillitate mitigatur. Nec

perpetua prosperitas in hoc praesenti saeculo inveniri valet, quia in exsilio sumus, et *ad laborem nascimur* **(Job. V, 7)**. Et sicut flagella infantes erudiunt ad discendum sapientiae decus, vel bonis assuescere moribus, ita et nos laboribus et doloribus admonemur ad perpetuae beatitudinis properare quietem, quae nullo dolore vel labore fuscatur, nullo fine terminatur, sed perpetua jucunditate et felicitate stabilis permanet in aeternum. Ad hanc adipiscendam nullus vestram sanctam intentionem deterreat labor {143} nullae hujus saeculi blanditiae retrahant; sed forti animo, fratres charissimi, estote, *in omni opere bono* [Col. 0336D] stabiles, scientes, quod labor vester non est inanis apud Deum **(I Cor. XV, 58)** , et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Dominus Deus, qui vos in unius ovilis charitate congregavit, aeterna benedictione intra moenia catholicae fidei, et sanctae charitatis divitias in bonis operibus adjuvare, perpetualiterque custodire dignetur, Domini patres, fratres et filii desiderantissimi, atque mei animi charitate dulcissimi.
@ [Col. 0337D] Edit. Quercet. 71, Canis. 26 **(Froben. 96)**; emendata ex cod. ms. Salisb., in quo hunc titulum habet: *Contra eos qui nolunt sacerdotibus dare confessionem.*

EPISTOLA CXII. AD PRATRES IN PROVINCIA GOTHORUM. (Anno incerto.)

Errorem refutat eorum qui nolunt sacerdotibus peccata confiteri; et confessionis necessitatem astruit.[Col. 0337A]

Dilectissimis viris fratribus et patribus in provincia
@ [Col. 0337D] *Gothorum.* Canisius hanc vocem in ms. corruptam existimans, legi vult *Scotorum.* Sed nulla est ratio ms. corrigendi, cum constet Alcuinum alias etiam epistolas ad monachos Gothiae seu Septimanniae scripsisse. Gothorum, humilis Ecclesiae Christi vernaculus Albinus diaconus salutem.

Plurima vestrae sagacitatis et religionis laus nostris saepius insonuit auribus, seu propter sacratissimam monachorum vitam, seu propter religiosam laicorum conversationem: dum illi ab omni strepitu saecularis inquietudinis soli Deo vacare desiderant, et isti inter mundanas occupationes castissimam vitam rationabili consideratione degere dicuntur. [Col. 0337B] [Quid hac fraternae charitatis vicissitudine jucundius?] Illi quotidianis suos contribules orationibus adjuvare non desistunt: isti intercessores suos praesentis vitae solatiis sustentare gestiunt: quod quisque gratiam benedictionis sibi a Deo datam in alterutrum refundat. Unde et nos vestrae pietatis exemplis edocti, nostri navigii cursum orationibus vestrae sanctitatis ad portum perpetuae quietis dirigi precamur.

Nos quoque mutuo charitatis officio vestrae sanctitati aliquantulas piae admonitionis litterulas dirigere curavimus, propter quasdam consuetudines, quae vestris inoluisse feruntur regionibus. Dicitur vero neminem ex laicis suam velle
@ [Col. 0337D] *Confessionem.* Egregium est hoc Alcuini testimonium pro confessione auriculari contra moderni [Col. 0338D] etiam temporis haereticos, qui soli Deo peccata confiteri sufficere asserunt. De hac re Alcuinus alibi saepius, ut in epistolis 13, 39 (nunc 14, 44), etc. Vid. Mabill. Praef. ad part. I Saec. III Bened., pag. 9. confessionem

sacerdotibus dare, quos a Deo Christo cum sanctis [Col. 0337C] apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus **(Matth. XVI, 19, et XVIII, 18)**. Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt [*Cod.* Sal., ostenduntur] aegroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus exspectant, quanto magis vulnera animae spiritalis medici solatia deposcunt? Deo vis, o homo, confiteri, quem nolens volens latere non poteris: Ecclesiae Christi, in qua peccasti, satisfacere negligis. Cur ipse Christus leprosum, quem mundavit, sacerdotibus se jussit ostendere **(Matth. VIII, 4)**? Cur Lazarum quatriduanum resuscitatum alios solvere jussit **(Joan. XI, 44)**? Nunquid non fasciamenta mortui eodem verbo solvere poterat, quo mortuum vitae redditum de sepulcro [Col. 0337D] prodire jussit? Cur interrogavit caecos ad se clamantes, *quid voluissent* **(Matth. XX, 32)**? An ignorare cordis eorum voluntatem potuit, qui optatum lumen oculis illorum reddere valuit? Forte si Deum latere, sicut hominem potuisses, nec Deo plus quam [Col. 0338A] homini confiteri voluisses. Superbiae hoc genus esse videtur sacerdotem judicem despicere.

{144} Si dicis: *Bonum est confiteri Domino* **(Psal. XCI, 2)**: sed bonum est hujus confessionis te habere testem. Licet
@ [Col. 0338D] *Non semper confessio poenitentiam significat.* De hoc eleganter S. Aug. serm. 8, de Verb. Dom. CANISIUS. non semper confessio poenitentiam significet, sed saepissime laudem, ut in Evangelio ipsa Veritas dixit: *Confiteor tibi, Pater coeli et terrae* **(Matth. XI, 25)**, id est, laudo te, Pater coeli et terrae. Et in Symbolo dicitur: *Confiteor unum baptisma et caetera, quae sequuntur ad idem respicientia verbum:* quod verbum, id est, *confiteor, in hoc loco confessionem fidei, non peccatorum designat.* Erubescis homini in salutem tuam ostendere, quod non erubescis cum homine in perditionem tuam perpetrare? Ancillam tuam iniquitatis tuae consciam [Col. 0338B] vis habere, et sacerdotem Christi reconciliationis tuae non vis habere adjutorem? Per inimicum corruisti, et non vis per amicum resurgere? Multum offendisti Dominum tuum, et alium non vis habere reconciliatorem, nisi te ipsum? Confidis per orationes tuas salvari? Spernis apostolicum praeceptum dicentis: *Orate pro invicem, ut salvemini;* et iterum:
@ [Col. 0338D] *Si quis peccator est vestrum.* Illud S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis, etc.,* ad animum peccatoris accommodatitio sensu refert eleganter. CANIS. *Si quis peccator est, oret pro eo sacerdos, ut salvetur.* Quid ad haec dicitis, quae in eadem epistola leguntur: *Confitemini alterutrum peccata vestra* **(Jacob. V, 14, 15, 16)**, ut deleantur delicta vestra? Quid est, quod dixit: *alterutrum? nisi homo homini, reus judici, aegrotus medico? Ipsa quoque Sapientia per Salomonem dixit: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur* **(Prov. XXVIII, 13)**; id est, non dirigetur [Col. 0338C] in viam salutis, qui peccata sua celare studet.

Nunquid Deo abscondi possunt scelera nostra, qui omnia videt, novit et considerat? Ab homine possumus abscondere quae agimus, at non Deo. Nonne David praesente Nathan propheta, qui se arguebat pro peccato suo dixit: *Peccavi Domino* **(II Reg. XII, 13)**? Ecce tantus vir testem confessionis suae voluit habere prophetam. Et quia non erubuit confiteri quod impie gessit, statim audivit: Ecce *Dominus transtulit peccatum tuum.* Homini patefecit vulnus suum, et a Deo mox remedium accepit. Nam et in

Levitico saepissime, Domino mandante, peccator ad sacerdotem mittitur cum victima, quam offerens Deo oret pro eo, et dimittatur ei **(Lev. V, 12)**. Quae [Col. 0338D] sunt nostrae victimae pro peccatis, a nobis commissis, nisi confessio peccatorum nostrorum? Quam pure Deo per sacerdotem offerre debemus; quatenus orationibus illius, nostrae confessionis oblatio Deo acceptabilis fiat, et remissionem ab eo accipiamus, *cui est sacrificium spiritus contribulatus,* et cor [Col. 0339A] contritum et humiliatum non spernit **(Psal. L, 19)**.

Christus pro nostris sceleribus ab inimicis judicari in hunc mundum venit, ut nos redimeret a diaboli servitute: et nos dedignamur a sanctis Dei sacerdotibus judicari, ut liberemur a vinculis peccatorum nostrorum? Ille absque omni peccato, hominum assistere, et hoc impiorum, judicio non renuit: et nos cum multis peccatis hominum judicia, et hoc sanctorum, subire contemnimus? Nonne in sacro baptismate sacerdotibus Christi nostrae fidei confessionem et abrenuntiationem Satanae dare debemus, et sic sacerdotali ministerio, divina operante gratia, ab omnibus ablui peccatis? Cur etiam et in secundo poenitentiae baptismate, per confessionem humilitatis nostrae, ab omnibus post primum baptisma peractis, [Col. 0339B] eadem divina miserante gratia, sacerdotali similiter auxilio non debemus absolvi peccatis?

Si peccata sacerdotibus non sunt prodenda, quare in
@ *Sacramentario.* An S. Gregorii Magni Sacramentarium intelligit, in quo reconciliationis orationes exstant? CANIS. Sacramentario reconciliationis orationes scriptae sunt? Quomodo sacerdos reconciliat, quem peccare non novit? Si consiliis, juxta Salomonem, tractanda sunt bella **(Prov. XX, 18)**, quali audacia sine consilio ecclesiasticorum ducum pugnare nos adversus diabolum confidimus? Item eodem dicente, legimus: *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma est* **(Prov. XVIII, 19)**. Quem adjuvat sacerdos Christi dux exercitus Dei et rector castrorum illius, si nullus ab eo suae salutis auxilium quaerere dignatur, si nemo occulta diabolicae fraudis vulnera illius medicinali dexterae tractanda ostendit?

[Col. 0339C] {145} Inaniter itaque posita sunt in Ecclesiis remedia, et synodali auctoritate litteris mandata contra omnia peccatorum nostrorum vulnera, quae vel antiqui hostis versutia, vel negligentia mandatorum Dei spiritaliter aut carnaliter nobis infliguntur; si non his qui in Ecclesia Christi statuti sunt ad sananda putrida scelerum nostrorum ulcera, revelantur. *Corde* enim creditur, dicit Apostolus, *ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* **(Rom. X, 10)**. Non solum catholicae fidei, sed etiam pura peccatorum confessio [cum cordis compunctione] nobis ad salutem proficit sempiternam, dicente Scriptura: *Dic prior injustitias tuas, ut justificeris* **(Isai. XLIII, 26)**. Et iterum: *Justus in principio accusator est sui* [Col. 0339D] **(Prov. XVIII, 17)**. Si justus, quanto magis peccator?

Si forte dicis cum Psalmista: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino* **(Psal. XXXI, 5)**. Et ego cum eodem dicam: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea* **(Ibid. vers. 3)**. Et iterum cum alio propheta: *Computruerunt jumenta in stercore suo* **(Joel. I, 17)**. Quid est (autem) jumenta in stercore suo putrescere, nisi criminosos quosque in putredine peccatorum suorum jacere? Qui peccat, jacet; qui confitetur,

surgit [*Cod.* Sal. surget]. Qui poenitentiam agit, revertitur ad patrem suum, sicut prodigus filius in Evangelio legitur dixisse: *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei:* pater! peccavi in coelum [Col. 0340A] et coram te **(Luc. XV, 18)**. Sed semel sacerdoti in praesentia divinae pietatis confessio facienda sufficit. Semper autem Domino cum lacrymis et cordis contritione faciendam esse arbitramur. *Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus:* qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta **(Joan. III, 20, 21)**.

Vos igitur, viri fratres, filii lucis estis et non tenebrarum, *populus acquisitionis et non perditionis: gens sancta* **(I Petr. II, 9)**: Christi sanguine acquisita. *Ambulate ut filii lucis in omni bonitate* **(Ephes. V, 8, 9)**, et pietate, et castitate, exuentes veterem hominem cum peccatis suis, et induentes novum, qui secundum Deum creatus est **(Coloss. III, 9, 10)**. [Col. 0340B] Sit conversatio vestra coelestis et non terrena. Diligite justitiam, et odio habete iniquitatem. Qui sanus est, defendat se scuto fidei, ne clandestina antiqui hostis sagitta eum vulnerare valeat **(Ephes. VI, 16)**. Si quis vero propter fragilitatem carnis, vel propter negligentiam circumspectionis vulneratur, citius ad confessionis medicinam recurrat, ne per illecebram malae consuetudinis vix eradicari [*Cod.* Sal., eradicare] valeat peccatum. Tres enim mortuos Dominum Jesum Christum evangelica narrat historia suscitasse: filiam archisynagogi in domo **(Marc., V, 38 seq.)**, filium viduae extra portam civitatis **(Luc. VII, 12 seq.)**, Lazarum quatriduanum de monumento ad vitam vocavit **(Joan. XI)**. Qui sunt hi tres mortui, nisi tria genera peccantium, quae [Col. 0340C] modo quotidie divina confitentibus suscitare solet gratia? Filiam suscitat in domo, dum consentientem in corde peccare, revocat a peccati perpetratione. Filium viduae extra portam civitatis suscitat, dum peccantem foris in opere ad poenitentiae medicamenta confugere facit. Fetentem vero in mala consuetudine peccati, dum lacrymas poenitentiae elicit ex corde, suscitat, et ex ecclesiastica auctoritate solvere eum jubet, ut dignus sit communione Domini, et particeps sacri altaris efficiatur.

Haec cogitate, charissimi fratres, et in qualicunque harum trium mortium genere si quis jaceat, citius ad confessionis probatissima medicamenta confugiat, salutifero poenitentiae se abluat medicamine: ut non [Col. 0340D] ad judicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi. Et cum gratiarum actione semper rememorate quomodo vos divina misericordia de terra tenebrarum et frigoris, de regione ignorantiae et iniquitatis, transtulit in loca lucis et laetitiae, in tabernacula abundantiae et justitiae: et elegit vos sibi in filios pietate paterna, ut per vos nomen illius nuntietur in gentibus. Sequimini vestigia sanctorum Patrum, et nolite in catholicae fidei religionem novas inducere sectas. Cavete vobis venenosum erraticae infectionis fermentum: sed in sinceritate et veritate mundissimos sacrae fidei panes comedite: et vinum, [Col. 0341A] quod divina electis suis miscuit sapientia, bibite: et cantate {146} Deo vestro in concordia pacis, et unanimitate charitatis perpetuae canticum laudis, et cum militia coelesti consona voce laudate Deum et dicite: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* **(Luc. II, 14)**. Divina vos praeveniat gratia, et subsequatur ubique clementia, et in omni opere bono florere faciat, viri fratres dilectissimi et sanctissimi patres.

@ [Col. 0341D] Edit. Quercet. 81, Canis. 60, Froben. 9.

EPISTOLA CXIII. AD PAULINUM PATRIARCHAM. (Anno 800.)

Laudat ejus libellum de taxatione fidei: et excitat illum ad debellandos quosdam errores in Ecclesia exorientes.

[Col. 0341B] Domino in Domino dominorum dilectissimo, et pio Patri Paulino patriarchae salutem.

Videor aliquod me refrigerium habere animi mei, ut flamma charitatis in corde abscondita aliquam fortasse scintillam elicere valeat: ne totum torpescat quod intus ignescit, dum opportunum mihi tempus, aliquid tuae scribere charitati, occurrit. Quid? cum beatitudinis vestrae litteras omni favo dulciores intueri mereor, nonne videor mihi inter varios paradisi flores totus conversari, et avida desiderii mei dextera spiritales exinde carpere fructus? Quanto magis cum sacratissimae fidei vestrae
@ [Col. 0341D] *Fidei vestrae libellum.* Non alium puto quam illum, quem statim inferius catholicae fidei taxationem appellat. Vid. not. seq. libellum recensui, catholicae pacis puritate ornatum, eloquentiae venustate jucundissimum, sensuum veritate [Col. 0341C] firmissimum: totius animi mei habenas in laetitiam laxavi. Ubi de uno lucidissimo et saluberrimo paradisi fonte quatuor virtutum flumina **(Gen. II, 10)**, non solum Ausoniae fertilitatis prata, sed totius ecclesiasticae Latinitatis rura irrigare conspexi. Ubi et aurivomos spiritualium sensuum gurgites gemmis scolasticae urbanitatis abundare intellexi. Quam plurimis vero profuturum, et pernecessarium fecistis opus
@ [Col. 0341D] *Catholicae fidei taxatione.* Haec de «Regula fidei metrico promulgata styli mucrone,» quae inter Opera Paulini edit. Madris. exstat pag. 169, intelligit idem vir cl. in Vita sancti Paulini cap. 14, num. 4. Sed carmen illud Alcuinus vix tanti fecerit, ut per singulas episcopalium regiminum parochias singulis daretur presbyteris legendum, memoriaeque mandandum. Ego hanc fidei taxationem, totiusque Symboli explanationem aliud sancti Paulini opus esse existimo, [Col. 0342D] quod necdum lucem vidit. in catholicae fidei taxatione, quod diu optavi, et saepius domino regi suasi, ut symbolum catholicae fidei planissimis sensibus et sermonibus luculentissimis in unam congregaretur chartulam, et per singulas episcopalium regiminum parochias omnibus daretur presbyteris legenda memoriaeque commendanda; quatenus, licet lingua diversa loqueretur, [Col. 0341D] una tamen fides ubique resonaret.

Ecce! quod mea optavit humilitas, vestra implevit sublimitas. Habet apud salutis nostrae auctorem, perpetuam scilicet et hujus bonae voluntatis mercedem, [Col. 0342A] et hujus perfecti operis apud homines laudem. Semper ferventissima charitas vestra castra perpetui regis undique invictissimis fidei clypeis muniat, ne antiqui hostis versutia aliqua ex parte aditum suae nequitiae invenire valeat. Etsi ille mille habeat artes nocendi, multo magis nobis necesse {147} est, mille habere artes defendendi, credentibus in eum, qui ait: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. Cujus pietas nobis praevidebat agonis tempus transitorium, ut remunerationis esset perpetuum. Ille prior calcavit caput leonis et draconis; *nobisque dedit potestatem calcandi super*

serpentes et scorpiones **(Luc. X, 19)**, et omnes haereticas pravitates, quae sunt portae inferi, superandi. Tu vero, vir apostolice, hac armatus potestate, viriliter pugna, fortiter [Col. 0342B] vince, ut feliciter regnes cum Christo. Heu, proh dolor! multi solent desuper contextam Christi tunicam haereticis scindere unguibus, et in pace Ecclesiae facere, quod milites in passione Christi non ausi sunt facere. Quapropter, venerande Pater, et doctissime athleta, et dulcissime doctor, simus semper in castris Christi commanipulares, et in una acie, sub vexillo sanctae crucis concordi consilio et virtute praeliantes, ut suos adversarios per nos vincat, qui vinci non potest.
@ [Col. 0342D] {148} *Nunc iterum.* Elipanti, post Felicis conversionem, pertinaciam arguere videtur. Pertinet igitur epistola ad annum 800. Vid. epist. 105. Nunc iterum antiquus serpens de dumis Hispanici ruris, et de speluncis venenatae perfidiae contritum, non herculea sed evangelica clava, caput relevare conatur, et prioribus nequitiae poculis nova maledictionis toxica immiscere. Sed et frigidissimus [Col. 0342C]
@ [Col. 0342D] *Aquilo ventus.* Illa controversia, de unica mersione in baptismo facienda, agitabatur non apud Aquilonares seu Septentrionales populos, sed apud Hispanos jam tempore Leandri et Gregorii I. Figurata est igitur expressio, qua alterum Hispanorum errorem indicat. BASNAG. aquilo ventus alio de latere solidum Ecclesiae impellens parietem, sacri baptismatis catholicae consuetudinis regulam immutare nitens, et sub invocatione sanctae Trinitatis
@ [Col. 0342D] *Unam mersionem.* Vide epist. 90 ad Lugdunenses fratres. unam asserentes mersionem fieri debere, triduanamque nostri Salvatoris sepulturam in baptismo imitari negligentes, cum Apostolus diceret: *Consepulti enim estis cum Christo in baptismo* **(Rom. VI, 4; Coloss. II, 12)**. Alii vero trinam volentes facere mersionem et in unaquaque mersione invocationem sanctae Trinitatis: ac per hoc totas tres personas ter nominare studentes, dum ipsa Veritas praeciperet: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* **(Matth. XXVIII, 19)**. Quid opus est tertio replicare, quod semel dictum sufficit?

[Col. 0342D] Est quoque in quibusdam clancula dubitatio: an animae sanctorum apostolorum et martyrum, aliorumque perfectorum ante diem judicii in coeleste recipiantur regnum
@ [Col. 0342D] De hoc errore nonnulla tetigimus in Praefatione.. His et hujusmodi spiculis, de pharetris, [Col. 0343A] ut aestimo, exemptis perfidiae, unitatem sanctae et catholicae Ecclesiae, et veritatem universalis fidei aliqui vulnerare nitentes, etiam et spurcissimis errorum faecibus limpidissima ecclesiasticae fidei pocula inficiunt, et nuptiale vinum, quod Christus ex aqua Virgini Matri (Joan. II, 3-9), Ecclesiae scilicet sanctae, salubriter potandum convertit, iterum in aquas stultitiae converti conantur. Sed tuum est, o pastor electe gregis, et custos portarum civitatis Dei, qui clavem scientiae potente dextera tenes, et quinque lapides limpidissimos laeva recondis, blasphemantes exercitum Dei viventis Philistaeos in superbissimo Goliath uno veritatis ictu totos conterere **(I Reg. XVII)**. Nostrum est elevatis cum Moyse manibus in coelum, humilitatis precibus te adjuvare **(Exod. XVII, 11)** et [Col. 0343B] spectare cum David in munitissima civitatis turre, donec speculator ex alto culminis fastigio clamitans nobis tuam annuntiet victoriam **(II Reg. XVIII, 24 seq.)**. Ad te omnium aspiciunt oculi, aliquid de tuo affluentissimo eloquio coeleste desiderantes audire; et ferventissimo sapientiae sole, frigidissimos

grandinum lapides, qui culmina sapientissimi Salomonis ferire non metuunt, per te citius resolvi exspectantes. Tu vero *lucerna ardens et lucens* **(Joan. V, 35)**; nos in tua luce exsultare gaudemus, ut te lucente et ducente ad lumen, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* **(Joan. I, 9)**, ejusdem aeternae lucis gratia adjuvante, pervenire mereamur.
@ [Col. 0343D] Froben. epist. 173.

EPISTOLA CXIV. AD AEDILHARDUM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 800.)

@ [Col. 0343D] Hujus epistolae fragmentum superius dedi epist. 62 (nunc 77) ex Malmesburiensi, quae nunc feliciter inventa est integra in cod. ms. bibl. Harleiensis. Vide quae ibidem adnotavimus; ubi tamen annus corrigendus, et haec epistola ad annum 800 reducenda videtur ob ea quae adnotamus in epist. 116 et 117..

Laudat illum ob conventum cum Eanbaldo pro honore Ecclesiarum et cleri reformatione. Suadet ut cito ad gregem peracta legatione revertatur; mittit sellam et caballum suum.[Col. 0343C]

Sanctissimo Patri et in membris Christi valde venerando Aedilhardo archiepiscopo Alcuinus diaconus in Christi charitate salutem.

Audiens salutem et prosperitatem vestram, et conventum cum filio meo Enbaldo [*Leg.,* Eanbaldo] Eboracensi episcopo, satis mihi placuit; sperans ex vestrae sanctitatis colloquio Ecclesiarum Christi honores exaltari, et Deo in eis servientium vitam corrigi, quae magna ex parte diu corrupta viluit, et pene laicorum vanitate coaequata est, ita ut tonsura tantummodo [Col. 0343D] discreta videatur [*Ms.,* videtur], caeterum moribus multa ex parte consimilis, seu in vestimentorum vanitate et arrogantia, et conviviorum superfluitate, et aliis rebus quae vestra sancta sagacitas optime novit. Ideo suasi aliis litterarum mearum apicibus sanctitati vestrae, permanere in patria, nolens lumen Britanniae exstingui, nec tubam veritatis tacere; sed factum fiat quod Deo placeat et proficiat [Col. 0344A] Ecclesiis Christi. Si ea voluntate vadas qua in litteris beatitudinis tuae legebam, optime mihi placere fateor, si tamen invenias, qui vestrum bonum impleat desiderium.

Revertere, revertere, Pater sancte, peracta pietatis legatione, ad oves perditas, ne grex sine pastore per spineta vitiorum corruens erret, qui vix pastore praesente corrigi potuit. Sicut duo oculi in corpore, sic vos duos [*Ms.,* duo] per totius Britanniae latitudinem lucere credo atque opto: noli dextrum patriae subtrahere oculum. Memento sanctissimos antecessores tuos, Patres et pastores nostros, qua sollicitudine laboraverunt in verbo Dei et in salute populi Christiani, ut illorum sequens vestigia eorum merearis consortio frui in coelesti gloria.

[Col. 0344B] Si vero ad domnum regem pervenias, admone socios tuos, maximeque clericos,

ut honorifice se observent in omni religione sancta, in vestimentis et in ordine ecclesiastico, ut totius bonitatis, ubicunque vadas, semper relinquas exemplum. Prohibe eos auro vel sericis uti vestimentis

@ [Col. 0344D] Hujus admonitionis Aedilhardo factae meminit Malmesburiensis lib. I Reg. Angl., cap. 4, cujus verba superius epist. 63 (nunc 78), in notis retulimus. in conspectu domni regis; sed humili habitu incedant, secundum consuetudinem servorum Dei; et per omnia loca cum pace vadas et conversatione honesta cognitio tibi more et consuetudine hujus gentis.

Misi tibi, sicut demandasti mihi, sellam, qua ego caballicare solitus sum, sic paratam, sicut solent ecclesiarum pastores in hac regione habere; caballum quoque, qui portaret sellam, vosque supersedentes, [Col. 0344C] si placeat pietati vestrae.

@ [Col. 0344D] *Puerum meum direxi.* Qui *Aedilhardo apud S.* Judocum occurrit, illumque ibidem benigne suscepit, prout scribit in Epistola ad Eanbaldum, quae sequitur. Puerum meum direxi, ut nostri honorifice vos suscipiant, secundum quod habeam facultatem, et vestrae sanctitatis jussio fiat; per quem potes mihi demandare iterum litteris de itinere vestro, utrum ad sanctum Martinum protectorem nostrum et intercessorem vestrum vestra bonitas in revertendo venire cogitet. Prosperum iter vobis faciat Deus; angeloque ejus comitante Spiritus sanctus prospere vos ducat atque reducat; et multos faciat feliciter annos in sancta proficere praedicatione ad salutem multorum, et augmentum mercedis vestrae in aeterna gloria, dulcissime et desiderantissime Pater!

In fine vero hujus chartulae deprecor charitatem vestram ut mei nominis habeatis memoriam in sanctis [Col. 0344D] orationibus vestris, sicut saepius rogavi vestraque promisit benignitas; sed modo maxime obsecro ut apud sanctos apostolos et martyres Christi mei habeatis memoriam, sicut apud sanctum Martimum vestri habere dulce habemus.

@ [Col. 0345C] Froben. epist. 174.

EPISTOLA CXV. AD EANBALDUM ARCHIEPISCOPUM EBORACENSIS ECCLESIAE, COGNOMENTO SIMONEM. (Anno 800.)

@ [Col. 0345C] *Cognomento Simonem.* Hunc titulum habet ipse cod. ms. Harleianus, ex quo innotescit Simeonem illum sacerdotem, ad quem scripta est epist. 57 (nunc 72) et quem in epistola 58 (nunc 73) ad Calvinum, charissimum filium et summum sacerdotem nominat, ipsum esse Eanbaldum archiepiscopum Eboracensem, [Col. 0345D] cui Alcuinus, more suo, nomen ascititium Simeonis tribuit. Vide notas meas ad epistolas citatas, ubi nondum visa hac praesenti epistola contra VV. clarissimos Mabillonium et Lelandum ex contextu conjiciebam, illum Simeonem nec in Gallia, nec Wormatiae, sed in Anglia esse quaerendum.

Consolatur afflictum, et ad patientiam hortatur, fugam ab Ecclesia sua dissuadet. [Col. 0345A]

Filio votorum meorum Simeoni sacerdoti Albinus salutem.

Romam eunti viro religioso coepiscopo tuo Aedilhardo occurrit illi
@ [Col. 0345D] *Apud S.* Idochum. Legendum censeo *Jodocum* seu *Judocum;* cella maritima alio nomine Wicus, seu monasteriolum curae Alcuini anno 793 ex Anglia in Franciam revertentis a Carolo Magno traditum; hodie *Saint-Josse-sur-mer.* Vid. epist. 39 (nunc 44) et 81 (nunc 96) inter notas. apud sanctum Idochum missus meus. Sicut me [*Forte, a me*] per suam voluntatem benigne susceptus est, habens secum alios duos episcopos, amicosque nostros Ceommundum atque Toretmundum, pro quorum solatio litteras meas direxi domino meo David regi
@ [Col. 0345D] Vide epistolam 74 (nunc 89) ex qua intelligitur Ceommundum seu Ceilmundum, fuisse Offae regis Merciorum ministrum; et Toretmundum seu Torhemundum Hedilredi seu Ethelredi regis Northumbrorum fidelem famulum. Ex hoc porro loco innotescit, Aedilhardum socios quoque sui Romam itineris habuisse duos episcopos; unius solum meminere chronologus [Col. 0346C] Saxo et Vigorniensis ad annum 799 quem ille Cinebrihtum Occidentalium Saxonum episcopum hic Kinebertum Ventanae civitatis pontificem vocant. Alterius nomen nemo prodit. PAGIUS, anno 796, n. 28.. Inter alia siquidem quae [Col. 0345B] mihi ipse praefatus venerabilis Pater litteris suis mandare curaverat, de vestra tribulatione innotuit nobis; cujus causa has consolatorias litteras charitati vestrae dirigere studui, deprecans vos, in conspectu Dei viriliter agere, et forti animo esse. Nec semper nox, nec semper dies, sed vices suas agunt; ita hujus saeculi adversitas vel prosperitas. Hodie tempestas imminet, sed cras serenitas arridet. Figatur spei anchora in Christum. Qui laetatur in prosperis, timeat adversa; et qui adversis fatigatur speret prospera cito advenire. Aurum perfecti decoris non erit, nisi fornace ardoris probetur. Arbitror ex te ipso tuae partem tribulationis oriri, qui
@ [Col. 0346C] *Qui forsitan inimicos regis recipias.* Narrat Rogerius Hovedenus apud Alfortum ad annum 801, n. 2, [Col. 0346D] quod «illis temporibus Eardulfus rex Northanhumbrorum (in cujus ditione ecclesia Eboracensis sita erat [Alfort. l. c., n. 3]) duxerit exercitum contra Kenulfum regem Merciorum, *propter susceptionem inimicorum ejus:* qui et ipse congregans exercitum secum aliarum provinciarum promovit auxilia plurima. Longa inter eos expeditione facta, tandem cum consilio episcoporum et principum Anglorum ex utraque parte pacem inierunt, *per gratiam regis Anglorum.*» Eanbaldus fortassis in illis temporibus quibus Northumbriae regnum, post Ethelredi caedem, anno 796 perpetratam, eviluit, et reges illius, teste Malmesburiensi libr. I Reg. Angl., cap. 26, ad arbitrium regis Saxonum Occidentalium spectabant, partibus Kenulfi regis Merciorum adhaesit; hostes Eardulfi similiter recepit, terrasque illorum tutatus est, ac propterea hujus odium et persecutionem in se concitavit? Haec certe ipsius Alcuini suspicio est. forsitan inimicos regis recipias, vel inimicorum illius possessiones tutaris. Si vero juste patiaris [*Ms.,* patieris], quid turbaris? [Col. 0345C] Si vero injuste, cur non recorderis sanctorum tribulationes? *Job audistis, dicit Jacobus apostolus, et finem Domini vidistis* **(Jac. V, 11)**. Qui particeps est tribulationis sanctorum, particeps erit et gloriae. Noli fugam meditari, sed coronam sperare.

Sta fortiter in acie, quasi signifer castrorum Christi. Si fugit vexillum ferens, quid facit exercitus? Si tuba tacet in castris, quis se praeparat ad bellum? Si dux timidus erit,

quomodo salvabitur miles? *Necdum,* [Col. 0346A] dicit Apostolus, *usque ad sanguinem restitistis;* et obliti estis consolationis vestrae; castigat Deus omnem filium quem recipit **(Hebr. XII, 4, 5 et 6)**. Pro paternae pietatis castigatione filius contristari non debet. Impii fremebant super justos, dicit Scriptura, *sed Dominus conteret dentes eorum* **(Psal. LVII, 7)**, et ad nihilum redigit impetus eorum. Lege diligenter quomodo senex Matathias in ipsa morte imminente hortatus est filios suos, ut viriliter agerent et fortiter debellarent adversarios Dei; et quomodo sancti per tribulationes coronati sunt, et quam, non dicam parva, sed etiam nulla sit gloria peccatoris, dicens inter caetera: *A verbis viri peccatoris non timueritis, quoniam gloria ejus stercus et vermis.* Hodie extollitur, et cras non invenitur; quoniam conversus est in [Col. 0346B] terram suam, et cogitatio ejus periit [Ms., periet] **(I Mach. II, 62, 63)**.

Nec longe antiquorum exempla temporum quaerere opus est, dum habes praesentia sufficienter. Tu ipse vidisti quomodo perierunt reges principes qui adversati sunt antecessoribus tuis et Ecclesiae Christi: nunquid Deus in horum dormit sceleribus, quia aestimant se impune posse insanire, nec putant oculum Dei vigilare super eorum insaniam? Stulti facti sunt in sapientia sua, non timentes Deum judicem. Tua vero patientia et bona voluntas oret pro illis, ne forte det Deus illis poenitentiam, et fiant [*Forte leg.* salvi fiant] ex inimicis amici Dei facti; sin autem illorum perditio praefinita est [*Ms.,* proditio perfinita est], tua siquidem Sanctitas nullatenus erit sine remuneratione [Col. 0346C] aeternae felicitatis. Sicut fumus illorum evanescit superbia, et tua patientia sicut lux splendet in diem perfectum.

Harum obsecro lectio litterarum animum tuum confortet viriliter agere, et constanter stare in acie exercitus Christi. Quis trepidare debet Christo duce, et praeeunte agmina certaminis sui? Prior ille portavit crucem suam ad passionem, pati pro mundi salute paratus, clamans omnibus: *Qui vult venire post* [Col. 0347A] me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me **(Matth. XVI, 24)**. *Ego sum lux mundi;* qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae **(Joan. VIII, 12)**: *Ego sum via, veritas et vita* **(Joan. XIV, 6)**. His testimoniis roboratus intrepido pede curre post Christum, ut ejus misericordiam merearis habere in aeternum.

Scio diem appropinquasse meum, et gaudeo te superstitem habere. Tu vero de anima mea age sicut fidelis filius de patre; et sicut Cuculo praecepi tuae dicere beatitudini, factum habeo; miserante Deo in Christo quietus vivere desiderans, qui ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* **(Matth. XI, 29)**. Summa Dei gratia te comitetur in omni via tua, defendat, regat [Col. 0347B] et gubernet, fili mi, fili dilectissime!
@ [Col. 0347D] Froben. epist. 175.

EPISTOLA CXVI. AD CALVINUM ET CUCULUM. (Anno 800.)

@ [Col. 0347D] Aliam epistolam ad solum Calvinum scripsit Alcuinus, quae est 58 (nunc 73), in qua etiam meminit tribulationis Simeonis summi sacerdotis, seu Eanbaldi..

Suggerit quae sint Simeoni (Eanbaldo) episcopo in tribulatione posito suggerenda. Significat se onus pastoralis curae deposuisse.

Albinus Calvino et Cuculo charissimis filiis salutem.

Audivi tribulationes charissimi filii nostri Simeonis. Vos vero exhortamini eum, ut fideliter faciat, et non pusillanimis sit in tentationibus; talia solebant antecessores sui pati; non solum illi, verum etiam omnes sancti. Joannes Baptista pro veritatis testificatione occisus legitur. Studeat, ne in se sit alia causa tentationis, nisi veritatis praedicatio. Timeo ne [Col. 0347C] propter possessiones terrarum, vel etiam

@ [Col. 0347D] *Susceptiones inimicorum regis.* Eardulfi fortassis. Vide not. e praecedentis epistolae. susceptiones inimicorum regis aliqua patiatur. Sufficiant sua sibi, non appetat aliena, quae in periculum saepe habentibus eveniunt. Dum paucis prodesse se putat, multis obest, pro quibus intercedere opus est quotidie [*Ms.,* cotidie, *ita semper*] vel gregi, quem regere debet, noceat.

Et quid ei in comitatu suo tantus numerus militum? De misericordiae causa eos habere videtur; nocet monasterialibus, qui eum cum suis suscipiunt. Plures, sicut audio, multo habet, quam antecessores sui habuerunt. Item et illi gregarios, id est, ignobiles milites plures habent, quam deceat sub se.

@ [Col. 0347D] *Magister noster.* Egbertus an Aelbertus? uterque magister Alcuini; uterque archiepiscopus Eboracensis. Vide Epistolas 38, 50 et 68 (nunc 43, 56 et 83). Magister noster neminem dimisit ex suis satellitibus plus habere, nisi unum, praeter rectoribus familiae suae, id [Col. 0347D] est duobus tantum. Imprudens est misericordia, paucis prodesse, et illis forte reis; et multis nocuisse, et illis etiam bonis. Non me accuset talia suggerenti, [Col. 0348A] sed se emendet talia facientem. Nos vero, sicut dixi, Cuculo,

@ [Col. 0347D] *Deposito onere pastoralis curae.* Alcuinus anno 796 monasterii Turonensis regimen adeptus, illuc aulae negotiis relictis, abiit. Cupiebat vero ab onere quoque pastoralis curae, seu a regimine monasteriorum [Col. 0348D] suae curae hactenus commissorum absolvi, quod demum a Carolo rege obtinuit, qui, ut anonymus Vitae Alcuini scriptor cap. 8 testatur: «Onera saeculi, quae habuerat Alcuinus, discipulis suis, ut petierat, libentissime dispertiit.» Quod factum puto anno 800. Nam in epistola sequenti ad Arnonem, quae illo anno certissime exarata est, ita scribit: «Deinde ut scias quanta misericordia mecum a Deo omnipotenti peracta est, nam rebus omnibus, quae habui per loca diversa, adjutores mihi ex meis propriis filiis elegi, annuente per omnia suggestionibus meis domino David.» Igitur hanc et praecedentes duas epistolas ad annum hunc 800 reducendas existimo. deposito onere pastoralis curae quieti sedemus apud sanctum Martinum, spectans, quando vox veniat; aperi pulsanti, sequere jubentem, exaudi judicantem. Sancta sollicitudo vestra adjuvet, ut diem illum, donante Deo, evadere valeam, omnesque amicos nostros admonete, ut nostri habeant memoriam in sanctissimis orationibus suis, maximeque omnium, in quo maxime confido, filium nostrum Simeonem sacerdotem. Deus propitius sit in hac vita, ut futuram mereatur cum sanctis Dei accipere beatitudinem. Vivite felices, filii charissimi [*Ms.,* fili charissime], in aeternum. Credulum caeterosque amicos nostros ex nostri nominis officio salutate.

@ [Col. 0348D] Froben. epist. 176.

EPISTOLA CXVII. AD AQUILAM PONTIFICEM. (Anno 800.)

Litteris ab eo acceptis respondet, pro muneribus gratias agit; homicidii cujusdam impii et crudelis meminit; et quae in causa Felicis Urgelitani acta sunt in praesentia regis et Patrum, narrat.[Col. 0348B]

Divinae charitatis viro Aquilae pontifici vernaculus sanctae Dei Ecclesiae Alcuinus salutem.

Charitas sola est quae absentes conjungit et praesentes laetificat, quae ubique jucunda [*Ms.,* jocunda] est, ubique bonis omnibus congaudet, quae dextro laevoque, spe, fide munitur; quae temporaliter incipit, sed perpetualiter permanet; sine qua nulla virtus est, sine qua nullum bonum est, sine qua nemini visio divina conceditur; quia si Deus hic non amatur, ibi non videbitur, ubi suis amatoribus summa est beatitudo [Col. 0348C] Deum videre, dicente ipsa Veritate: *Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo;* et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum **(Joan. XIV, 21)**.

Ideo, charissime Pater, amemus illum, cujus visio beatitudo est aeterna. Sed si forte dicis, quomodo amandus est Deus? Respondebit tibi, qui et ante: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* **(Ibid., vers. 23)**. Et si adhuc quaeris quid sit sermo illius? Eo ipso dicente [*Forte, docente*] qui est Verbum Dei, disce, ubi ait: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem* **(Joan. XV, 12)**. *Quomodo, ait Evangelista, Deum diligis, quem non vides;* quando [Ms., *quomodo*] fratrem tuum non diligis, quem vides **(I Joan. IV, 20)**? Haec vero mentibus nostris radicitus infigatur, haec aeternae memoriae teneatur; hanc tu, summe sacerdos [Col. 0348D] Christi, in animo teneas indeficienti, et omnibus praedicare studeas; in hac et me, fidelem amatorem tuum, semper in salutem animae meae admoneas, et [Col. 0349A] orationibus adjuves, ut in ea proficiam, donec, Deo dirigente, cursus vitae meae ad perfectum perveniat finem. Nec meae parvitati opus est, syllabas admonitionis multiplicare tibi, cum omnia, divina inspirante gratia, et optime cognoscere et melius perficere tuam novi sublimissimam sanctitatem; et ne me taciturnitatis reum esse juste denotares, secundum opportunitatem portitoris aliquid tibi scribere dulcissima me vestri nominis cogit charitas.
@ [Col. 0349C] *Me vero iter agente de palatio.* In notis sequentibus palam fiet hanc epistolam anno 800 fuisse scriptam; illo vero anno Carolus rex circa finem mensis Junii, quando Alcuinus e palatio se reversum ait, Aquisgrani fuit, quo Turonis post obitum Liudgardis reginae, qui ubi hoc anno pridie Nonas Junli contigit, «per Aurelianos ac Parisios regressus, reversus est,» prout narrat annalista Loiselianus, cui Metensis et Bertinianus cum Eginhardo in annalibus consentiunt **(Bouquet, Script. Rex. Franc. tom. V)**. Hinc colligo Alcuinum Carolum, Turonis Aquisgranum regressum, comitatum fuisse. Me vero iter agente de palatio sexto Kal. Jul., quarta leuuca [leuca] a sancto Amando
@ [Col. 0349C] *In mansiuncula sancti Martini.* Barallam villam puto, intelligit, de qua in epist. 66 ad Arnonem scribit: *Dispositum habeo ad Baralla villam nostram quatuor aut quinque dies remanere, non longe a sancto Amando, sed quasi quinto decimo milliario.* in mansiuncula sancti Martini invenit fidelis vester famulus Dominicus, utrasque habens manus munere charitatis impletas; dexteram mellifluis dilectionis

vestrae litteris; sinistram duplici munerum specie gratissimam. [Col. 0349B] Nec me mora tenuit tarditatis, quin minus ea ipsa die, accito notario, ut tuae venerabili voluntati satisfacerem, hanc, quam modo manu tenes, chartulam conscribere jussi; ut certissime cognosceres quanta mihi est festinatio vestri desiderii praecepta complere. Deinde, ut scias quanta misericordia mecum a Deo omnipotenti peracta est; nam rebus omnibus, quae habui per loca diversa,

@ [Col. 0349C] *Adjutores mihi ex meis propriis filiis elegi.* Celeberrimus noster Mabillonius quondam in Elogio beati [Col. 0349D] Alcuini § 11, num. 62, credebat, Alcuinum monasteriorum praefecturas discipulis suis, Martinianam quidem Fridugiso, Ferrariensem vero Sigulfo partitum fuisse anno 804, et anno demum 815 diem obiisse; hanc tamen suam sententiam vir egregius postea revocavit lib. XXVII Annalium, pag. 367, et ad calcem tom. V Actorum. Praesens vero epistola nullum dubium relinquit Alcuinum hoc anno 800 adjutores sibi in administratione monasteriorum rerumque suarum ex discipulis elegisse. Vid. not. e praecedentis epistolae. adjutores mihi ex meis propriis filiis elegi annuente per omnia suggestionibus meis domino meo David.

Tu vero prudenti consilio considera Dei omnipotentis voluntatem et honorem sanctae Dei Ecclesiae, ut melior eligatur in caput Ecclesiarum ordinis; et non sine vindicta impium scelus obmittatur. Minoris [Col. 0350A] periculi est homines offendere quam Deum. Si omne homicidium legibus vindicatur, quid judicandum est

@ [Col. 0349D] *De eo homicidio.* Alcuinum hic loqui de homicidio seu nece violenta personae cujusdam in majori dignitate ecclesiastica constitutae; et in loco celebri impie et crudeliter perpetrata, ipse contextus satis ostendit. De crudelitate in Leonem pontificem anno praeterito a Romanis peracta id intelligi minime potest; is enim non occisus, sed excaecatus linguaque mutilatus, semivivus relictus est. Nec Romae hoc [Col. 0350C] anno per legatos Caroli regis agebatur de novo pontifice eligendo, quod Alcuinus dissuasit in epist. 118 (ad Arnonem) sed de Leone in sua sede stabiliendo. Nemo vero alius episcopus memoratur ab historicis, qui illo anno aut priori crudeliter fuisset interemptus. Anne vero haec verba Alcuini de nece Joannis patriarchae Gradensis, quem Joannes dux Venetorum per filium suum Mauritium ex altissima turri praecipitem dari fecit, intelligenda sunt? Sed hanc necem anno 802 aut omnino sequenti contigisse concors historicorum sententia est, de qua vid. dissert. 6 cl. Madrisi Op. sancti Paulini Aquileiensis. de eo homicidio quod in tali persona, et in tali loco, et in tali tempore, tam impie crudeliterque peractum est? Timeo ne a paganis quandoque vindicetur, si a Christianis ultio non erit tali impietate condigna. Non ego tamen mortem alicujus suadeo, dicente Deo: *Nolo mortem peccatoris;* sed ut convertatur et vivat **(Ezech. XXXIII, 11)**; sed ut sapienti consilio vindicta fiat per alia poenarum genera, vel perpetuum exsilii damnatione, ut omnes agnoscant, zelum Domini principes populi Christiani habere, et sacerdotii dignitas inviolata permaneat, et libera sit vox corrigentis, et contumacia colloquentis [*Forte, obloquentis*] oppressa. Aestimatur

@ [Col. 0350C] *Tuaque ut citius finiatur causa cum Saxonibus.* Arnoni causam aliquam cum Saxonibus intercessisse nemo dicit. Credam in his verbis *aestimatur tuaque,* mendum cubare, et legendum fortassis *aestimatur tutum, vel simile.* Nempe Saxonum pertinax resistentia regi Carolo hoc etiam adhuc anno multum negotii facessivit, atque impedimento fuit, quo minus [Col. 0350D] reliqua regni et Ecclesiae negotia possent felicius tractari. Hinc etiam in epistola 95 regi suasit, «ut componatur pax cum populo nefando

(Saxonum).» Et in epist. 96 ait: «Utinam quandoque divina gratia vobis concedat libertatem a populo nefando Saxonum, iter agere, regna gubernare, justitias facere.» Et rursus in epist. 108: «Hunnorum perditio nostra est negligentia laborantium in maledicta generatione Saxonum . . . . . et eos negligentes, quos majore mercede apud Deum et gloria apud homines habere potuimus, etc.» tuaque (sic) ut citius [Col. 0350B] finiatur causa cum Saxonibus, si tamen in mendaciis veritas inveniri poterit: insuper et diabolus habet quaerere causas omnimodis, ut impediatur justitia et sanctae Ecclesiae protectio. En erit illa dies, ut liceat mihi dulcissimam vestrae pietatis faciem videre, et suavissimum vestri alloquium audire.

Cum

@ [Col. 0350D] *Cum Felice contentionem habuimus.* Nempe in concilio Aquisgranensi anni 799 exeuntis. In hoc enim anno 32 Caroli gloriosi regis Alcuinus cum Felice praesente disputando rationabiliter conflixit, «illumque veraciter convicit et catholicum effecit,» ut ipse scribit libr. I adversus Elipandum. Certo igitur tenendum, praesentem epistolam datam esse anno praesenti 800 post VI Kal. Julii. Felice haeretico magnam contentionem in praesentia domini regis, et sanctorum Patrum habuimus, sed ille diu obduratus nullius consentit auctoritatem; nisi sui sectator sententiae, aestimans se sapientiorem omnibus esse in eo, quod stultior fuit omnibus; sed divina clementia visitante cor illius novissime falsa opinione se seductum confessus est, et fidem catholicam se firmiter tenere fatebatur. [Col. 0351A] Nos vero cordis illius secreta nescientes occultorum judici causam dimisimus, dantes eum

@ [Col. 0351C] *Laidrado episcopo.* Lugdunensi, qui hoc anno cum Nefridio et Benedicto in Hispaniam missus est, [Col. 0351D] ad haeresis impietatem, a Felice et Elipando ibi sparsam penitus abolendam; quod Alcuinus hic confirmat, et nos alibi elucidavimus. Laidrado episcopo, charissimo nostro filio, ut secum teneret eum, et probaret si verum esset quod se ait credidisse; et

@ [Col. 0351D] *Si per epistolas suas damnare voluisset, etc.* Nondum ergo Felix confessionem suam quam postea ad clerum et populum Urgellitanum misit, in concilio Aquisgranensi, sed serius edidit. si per epistolas suas damnare voluisset pristinum suum errorem, quem antea pertinaciter praedicavit. Consideratum antea habuit domnus rex, ut illum destinaret

@ [Col. 0351D] *Riculfo archiepiscopo Moguntino.* Ad illum binae exstant epistolae in cod. Harleiano, quas inferius exhibemus. Riculfo archiepiscopo ad servandum et castigandum; et presbyterum suum, qui pejor fuit magistro, tibi tuaeque providentiae, dictum est, dirigendum esse: Sed dum conversos [*Ms.,* conversus] ad fidem catholicam se esse fatebantur, tunc dati sunt praedicto fratri nostro ad probandos, quid veritatis esset; et ille [Laidradus] cum

@ [Col. 0351D] *Cum abbatibus Benedicto, Nifridio.* Ad ipsos et Laidradum Alcuinus misit libros adversus Elipandum; ubi videas epistolam illis libris praefixam. Mirum vero Nifridium, qui fuit episcopus Narbonensis, hic Benedicto abbati Anianensi postponi, et abbatem nominari? Fuit is tamen etiam abbas Urbionensis monasterii beatae Virginis *de Crassa vulgo cognominati.* Vid. Mabill. libr. XXVII Annal. num. 49, pag. 376. abbatibus Benedicto, Nifridio missus est in illas partes occidentales [Col. 0351B] ad extinguendas et evacuandas hujus pravissimae assertionis infidelitates; quos nostra

parvitas quantum potuit
@ [Col. 0352C] *Scriptis ecclesiasticis.* Quae Alcuinus enumerat in altera epistola ad eosdem; et sunt: epistola ad Elipandum; [Col. 0352D] hujus responsoria ad eamdem; libri quatuor adversus eumdem; epistola Elipandi ad Felicem jam conversum, et hujus post conversionem edita fidei confessio. scriptis ecclesiasticis adjuvabat, maxime eo libello quem nuper edidimus contra libellum illius Felicis,
@ [Col. 0352D] *Quem priore anno nobis direxit.* Constat inde annus quo Alcuinus libellum Felicis, quem is exhortationi suae fraternae opposuit, accepit, qui est 799, cui propterea epistolae 83, 84, 90, quas nondum visa praesente ad annum 798 reduximus, alligandae sunt. quem priore anno nobis direxit.

Tantum mihi a Candido meo laudata est sanctitatis vestrae conversatio, et totius bonitatis studiosa devotio, et ecclesiasticae auctoritatis sancta sollicitudo, ut erubescam pene meae pigritiae.

Litterulas aliquas admonitionis, vestrae scribere venerandae auctoritati temerarium duxi, nisi legerem, beato Hieronymo dicente: *Aurum in sterquilinio inventum laudandum esse, et thesauro Dominico inserendum.* Nam beatus apostolus Paulus aurum sapientiae in stercore poetarum inventum in divitias [Col. 0351C] ecclesiasticae transtulit prudentiae; sicut omnes sancti doctores ejus exemplo eruditi fecerunt. Nam rosa inter spinas nata miri odoris et coloris incomparabilis gratiam habere dignoscitur: ita pietas tua meas litteras legat, sicut rosam de spinis, ut, si quid boni odoris in eis invenias, largitori omnium bonorum gratiae agantur, qui potens est de pulvere rosam creare, et de stercore erigere pauperem, ut solium gloriae teneat, et sedeat cum principibus populi sui.

Misi charitati tuae tria munuscula, tentorium, quod venerandum caput tuum defendat ab imbribus; misi et sagellum, quo pectus sacrum foveatur; misi et [Col. 0352A] scyphum, in quo panis cingatur [*Forte, tingatur*] in mensa, ut hae species per singula loca mei nominis memoriam perpetualiter tuae ingerant sanctitati.
@ [Col. 0352D] Froben. epist. 177.

EPISTOLA CXVIII. AD AQUILAM. (Anno incerto.)

Charitatem suam Arnoni, quem filium vocat, significat, et optima quaeque exoptat.

Dilectissimo filio Aquilae Albinus salutem.

Scio te Patrem esse dignitate et meritis, sed ex charitatis dulcedine nomen [*Supple, filii*] tibi imposui, quia nihil debet patri charius esse quam filius; maxime dum filius omni bonitate et dignitate excellentior est patre. Ingredientem et egredientem, vigilantem, [Col. 0352B] dormientem semper te sequitur dulcedo paternae dilectionis; quem utinam habeas in ore et corde, in officio altaris sancti, in lacrymis
@ [Col. 0352D] *Ante pedes sanctorum apostolorum.* Arno ergo tempore scriptae hujus epistolae Romae fuit; quo cum is saepius accesserit, nempe anno 797 in causa propriae

ecclesiae, anno 799 in comitatu Leonis papae; et ibi anno quoque 800 aliquando commoratus fuerit, incertum manet ad quem ex his annis haec epistola pertineat; jungendam tamen censui priori ad eumdem Arnonem. ante pedes sanctorum apostolorum: imo ubicunque vadas tecum eat, tecum aeterna maneat memoria, quia te euntem et redeuntem illius semper consequitur charitatis affectus.

Scias certissime quod nec sic anxia peregrinantis mater filii spectat adventum, quanto mei cordis ardentissima voluntas tuae faciei praestolatur affectum. Pauca scripsi unde tu plurima nosti, et melius intelligis quid Deo placeat secundum aestimationem humanae conjecturae. Det tibi Deus in corde consilium, in ore fiduciam, in opere perfectionem; ut [Col. 0352C] undique placeas ei qui te de stercore erexit et posuit inter principes populi sui; sine quo nihil possumus boni agere; in quo omnia potest qui in fide et charitate omnia pro ejus nomine agere vel loqui disponit quaecunque agenda sunt; cujus charitas perpetuis luceat flammis in corde tuo, et omnes terrenae cupiditatis flammas extinguat, ut solus Deus semper sit in ore, corde, et opere charitatis tuae, in quo longaeva prosperitate feliciter, opto, vivas, fili charissime!
@ [Col. 0353C] Froben. epist. 178.

EPISTOLA CXIX. AD CAROLUM REGEM JUVENEM.

Carolo filio Caroli Magni gratulatur ob adeptum ab apostolico regium nomen cum corona; et optima praebet monita ad bene regendum, ad exemplum patris.[Col. 0353A]

Viro illustri et [cum] omni honore nominando
@ [Col. 0353C] *Carolo regi juveni.* Qui fuit Caroli Magni filius natu major ex Hildegarde regina, natus anno 772, posthac rebus bene gestis et victoriis clarus. Obiit vero ante patrem anno 811. Carolo regi juveni et inclyto, Albinus salutem.

Audivi
@ [Col. 0353C]

Domnum apostolicum regium nomen . . . cum corona . . . imposuisse. De hac regia coronatione Caroli per apostolicum altum apud scriptores silentium. Pippinum [Col. 0353D] quidem et Ludovicum filios Caroli Magni juniores anno 781 ab Adriano I papa in reges fuisse inunctos constat ore omnium illius aevi annalistarum; de Carolo natu majore tacent omnes. Illustre nunc nullique dubio subjectum hujus facti testimonium Alcuini habemus; quod ad hunc annum 800 et diem, quo Carolus quoque pater corona imperiali a summo pontifice Leone III insignitus fuit, referendum existimo; illum enim Alcuinus hic vocat rectorem *et imperatorem populi Christiani.* Et sane conjecturam meam firmare videtur testimonium Anastasii Bibliothecarii in Vita Leonis III papae, qui ait: «Illico sanctissimus antistes et pontifex unxit oleo sancto Carolum, et excellentissimum filium ejus regem ipso die Natalis Domini nostri Jesu Christi.» Scio virum clar. D. Martinum Bouquet tom. V Scrip. Rer. Gall. pag. 466, inter notas et alios haec interpretari de Pippino Caroli filio, qui relicto cum exercitu Winegiso duce Spoletano in Urbem venerit, et ibi unctus sit in regem, [Col. 0354C] Italiae scilicet. At enim Pippinum in

regem Italiae jam diu antea ab Adriano papa unctum fuisse mox diximus. Anastasius ergo de Carolo Caroli filio intelligendus est, qui natu major nunc in regni futurum successorem coronatus est a pontifice Leone. Et de eodem Frodoardum quoque cecinisse puto, apud Mabil. Act. SS. Ord. S. Bened. part. II, saec. III, pag. 504, in his versibus:

[Col. 0354D] Sumit apostolica augustam rex sede coronam Conclamatur honos Romanis patribus auctus, Imperiique nitent Francorum sceptra decore, Regis et ad regnum genitus sacro unguine surgit.

Quis magis *ad regnum genitus, quam primogenitus? quapropter Sirmondus immerito corrigi voluit inscriptionem carminis 25 libri IV carm.* Theodulfi episcopi Aurelianensis, *ad Carolum regem, magni scilicet Caroli filium.* Rex siquidem, ut Alcuinus hic asserit, fuit non tantum *honore nominis, sed etiam potestatis.* domnum apostolicum regium nomen, domino excellentissimo David consentiente, cum corona regiae dignitatis vobis imposuisse. Unde gaudens gaudeo de honore nominis, etiam et potestatis; optans vestram dignitatem et nobilitatem multis proficere populis, gentibus, ecclesiisque Christi in salutem, et triumphi gloria celebre esse in [Col. 0353B] mundo; nec non et terribile adversariis Christianae religionis; longaevaque prosperitate vigere et valere; et cum Dei benedictione semper meliora sequi, et ad altiora ascendere, et crescere usque in diem perfectum aeternae beatitudinis.

Unde, dilectissime fili! faciens facito justitias et misericordias in populo Christiano, quia haec sunt, Salomone attestante **(Prov. XVI, 12)**, quae exaltant solium regni, et laudabilem Deoque placabilem regiam efficiunt potestatem. Consiliarios habeto bonos, pios, prudentes, Deumque timentes, in quibus veritas regnet, non cupiditas, quia *munera excaecant corda sapientium, et subvertunt verba justorum* **(Exod. XXIII, 8)**. Nullatenus aliquorum improbitas dignitatis tuae nomen obscurent; et quod tu ipse non vis facere, [Col. 0353C] alios non permittas propter cupiditatem suam improba mente efficere; quia saepe subjectorum culpa dominis deputatur. Neve aliquorum impia voluntas, sub tuae beatitudinis nomine, sacculos suos impleat iniquitatis mammona. Non sunt tibi exempla longe quaerenda; habes enim in domo in qua nutritus fuisti, optima totius bonitatis exempla; et crede, certissime illius excellentissimi et omni decore nobilissimi [Col. 0354A] patris tui, rectoris et imperatoris populi Christiani, benedictionem te consequi, Deo donante, si nobilitatis illius, et pietatis, et totius modestiae mores imitari nitaris; Dominique misericordiam, quae melior est totius saeculi gloria, plenissime promereri. Ubicunque iter habens, semper te vestigia pietatis sequantur, ut laudem apud homines habeas et mercedem apud Deum perpetuam.

Semper in aeternum mundi spes magna valeto.
Sit tibi Christus amor, lux, via, vita, salus.
@ [Col. 0354D] Froben. epist. 179.

EPISTOLA CXX. AD EUMDEM.

@ [Col. 0354D] Hanc epistolam priori ad eumdem Carolum jungimus, quamvis ex textu illius haud admodum constare possit, an eodem, aut quo alio anno scripta fuerit. Ex illis tamen verbis: *Neque subjectos tuae potestati judices permittas, etc.,* colligi posse videtur, Carolum jam tunc regia potestate fuisse praeditum.

Carolum iterum hortatur ad regias virtutes, et patris exemplum imitandum. Prospera illi precatur.

[Col. 0354B] Domino merito insigni, regalique honore dignissimo Carolo filio Albin triumphalem in Christo salutem.

Gaudeo, dilectissime fili! in devotione bonae voluntatis vestrae, quam Osulfo famulo vestro narrante audivi seu de eleemosynarum frequentia, vel de mandati humilitate; quae omnia, certissime scito, Deo multum placere, perpetuamque tibi apud ejus misericordiam promereri benedictionem. Tu vero fili mi! fili charissime! faciens facito Dei omnipotentis semper, quantum valeas, honorem in omni bonitate et pietate; sequens excellentissimi patris tui exempla in omni honestate et sobrietate, quatenus divina Christi Dei clementia illius benedictionem te haereditario jure possidere concedat.

[Col. 0354C] Esto miserorum pius auditor, causasque illorum justissime discernens; neque subjectos tuae potestati judices permittas per sportulas vel praemia judicare, quia *munera,* ut in Scriptura legitur, *excaecant corda sapientum, et subvertunt verba justorum* **(Exod. XXIII, 8)**. Honorabiles habeto famulos Christi, qui veri sint servi Dei, quia quidam *veniunt in vestimentis* [Col. 0355A] ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; sed Veritas ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* **(Matth. VII, 15, 16)**. Habeto consiliarios sapientes, Deum timentes, non adulatores; quia adulator, ut dicitur, blandus est inimicus, et saepe seducit consentientes sibi. Esto prudens in cogitatione, et cautus in eloquio; spem habens semper in Deum, qui nunquam deserit sperantes in se.

Utinam mihi liceat saepius admonitionis chartulam dirigere Almitati vestrae, sicut nobilissimus
@ [Col. 0355D] *Chlodwicus germanus tuus.* Ex hoc loco innotescit, Alcuinum plures quoque epistolas ad Ludovicum, tertium Caroli Magni ex Hildegarde filium, postea imperatorem, scripsisse, quarum tamen nulla hactenus detegi potuit. Chlodwicus germanus tuus me rogavit saepius mittere admonitorias illi litteras, quod jam et feci, et volente Deo faciam; quas etiam cum magna humilitate legere solet. Hoc mihi maximum est gaudium, quando bonos, sicut dignum est, mores de vobis [Col. 0355B] audiam; hoc enim Dei donum est et prosperitas regni dominos populi Christiani elegantissimis vivere moribus, Deoque placenti vita conversari inter homines. Inde benedictio coelestis genti et regno pervenire certissimum est, quam Deus vestrae nobilitati aeternaliter consedere dignetur. Floreas, valeas, et vigeas proficiens in omni bono et prosperitate ad exaltationem sanctae suae Ecclesiae, dulcissime fili!
@ [Col. 0355D] Froben. epist. 180.

EPISTOLA CXXI. AD FILIOS APUD DOMINUM IMPERATOREM IN PALATIO COMMORANTES. (Anno 800.)

@ [Col. 0355D] *Apud Dominum imperatorem in palatio commorantes.* Inferius rogat ut sui recordentur *in liminibus* sanctorum Apostolorum, et *chartula volet ultra Alpinos colles;* scripsit ergo has litteras, dum imperator Romae ageret, Alcuinus vero Turonis esset, anno videlicet 800 vel sequenti.

Affectum suum erga filios ostendit, suique memoriam ad limina apostolorum commendat.

[Col. 0355C] Charissimis in Christo filiis pater perpetuam salutem.

Plurima habuissem vobis scribere, si mihi columba vel corvus adesset, qui fideli volatu meas vobis direxisset litterulas. Tamen has paucas in auras direxi, ut vento ferente in vestras pervenissent manus; nisi forte zephirus mutetur in subsolanum. Surgat tamen aquilo vel austrum, et ferant chartulam meam, ut dicat vobis vale, nostramque vobis nuntiet prosperitatem, animique mei magnum desiderium videndi vos citius in ea salute, quam pater filiis optat. Ego turbatus et timidus specto, quando hoc fiat, vel quid de vobis auditurus sim.

O quam felix dies fuit, quando in laboribus nostris pariter lusimus litteraliter seria [*Ms.,* sera]. Sed [Col. 0355D] nunc omnia mutata sunt. Remansit senior alios generans [Col. 0356A] filios priores, dispersos gemens; sed quid non efficit auri sacra fames! Fiat tamen spiritalis praesentia, ubi corporalis est separatio; vestrumque genitorem in liminibus sanctorum apostolorum profusis lacrymis recordamini; prospera precantes animae peccatrici, ut liberetur a vinculis scelerum, quae a prima die usque ad ultimum hujus vitae peregerit.

Quid fuit, filii! quare non volavit chartula ultra Alpinos colles per manus redeuntium Saxonum usque ad
@ [Col. 0355D] *Tricassinae civitatis sacrum sacellum.* Hoc intelligendum censeo de ecclesia sancti Lupi seu coenobio in suburbio Tricassino (*Troyes*) curae Alcuini a Carolo Magno credito, de quo mentionem quoque facit in epistolis 66, 67 et alias. Trecassinae civitatis sacrum sacellum; et inde volaret per manus nostrorum usque ad Turonicae civitatis templum venerandum?
@ [Col. 0356D] Froben. epist. 181.

EPISTOLA CXXII. AD RICULFUM ARCHIEPISCOPUM COGNOMENTO DAMOETAM. (Anno incerto.)

@ [Col. 0356D] *Cognomento Damoetam.* Hanc inscriptionem habet ipse codex Harleianus. Antequam haec epistola sub oculos meos venisset, credebam cum D. Basnagio,

inscriptionem epistolae 40 apud Quercetanum: *Ad Riculfum archiepiscopum Magensis civitatis, cognomento Damoetam, esse mendosam;* et cognomentum illud *Damoetae non ad episcopum aliquem, sed ad virum saecularem, qui et bello gerendo et juri dicundo praeesset, pertinere;* quod colligi posse existimabam ex aliis duabus epistolis, 44 nempe et 46, praesertim, quod illa inscriptio deesset et apud Canisium, et in codice vetusto Salisburgensi, qui mihi ad manus fuit. At nunc ex hac et sequenti epistolis plane constat, Riculfum archiepiscopum Moguntiacensem Damoetam quoque ab Alcuino appellatum fuisse.

Hortatur ad labores, et virtutes apostolicas. [Col. 0356B]

Damoetae piscatori magno Albinus salutem.

Qui juxta mare Galileae gradiens piscantibus pariter fratribus praecepit, dicens: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* **(Matth. IV, 19)**; ipse te in pelago hujus vitae laborantem ad portum perpetuae quietis, cum multiplici laboris tui fructu, perducere dignetur. *Mitte rete in dexteram navigii* **(Marc. I, 17)**, ut de profundo hujus saeculi impleatur magnis piscibus; quorum nomina scribantur in coelis **(Joan. XXI, 6)**. Non te terreat procellosa tempestas, quam Dominus supergradiens siccis calcavit pedibus, [Col. 0356C] et Petrum mergentem pietatis intuitu respexit [*Forte leg.,* intuitu liberavit sicut negantem respexit, ut, etc.], ut trinae negationis maculam trinae confessionis gloria dilueret **(Matth. XIV, 25, 30)**. Memento Salomonis praeceptum dicentis: *Quodcunque manus tua operari possit, instanter operare, quoniam non est opus vel ratio apud inferos* **(Eccle. IX, 10)**, id est, in sepulcro, quo caro properat.

Sit tibi manus in eleemosynis apostolica, lingua praedicationis officio devota. Memento Dominum dicentem: *Aperi os tuum, et ego implebo illud.* Sint tibi cum omni sobrietate convivia Domino praecipiente: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* **(Luc. XXI, 34)**. Sit manus dextera saepius evangelicis onerata paginis, ut cibis spiritualibus [Col. 0356D] pascatur animus. Sint prae oculis exempla [Col. 0357A] sanctorum, qui mundum fortiter vicerunt, et feliciter regnant cum Christo. Non sis tuis inferior antecessoribus, ut quorum tenens cathedram, illorum meritis aequiparari dignus efficiaris in coelis.

Non sit tibi durum charitatis legere litterulas, nec eas reris esse supervacuas, quia cognita ingerunt. Si cogniti placeant obryzi munuscula; placeant spiritalis sapientiae solatia: in illo vana est oculorum delectatio; in isto indeficiens animi thesaurus. Dicit enim Veritas: *Omnia quaecunque vultis ut faciant vobis homines, haec eadem et vos facite illis* **(Matth. VII, 12)**.

Cum magno mens mea exspectat desiderio tuae beatitudinis apices, ideo meos tuae auctoritati saepius dirigere studeo, optans te non solum in meis proficere, sed etiam tuis me multoties exhortari.
@ [Col. 0357D] Froben. epist. 182.

EPISTOLA CXXIII. AD DAMOETAM ARCHISACERDOTEM. (Anno 800.)

Damoetam Romae existentem hortatur, ut scissuram in Ecclesia reparare studeat, arguit dissensum inter pacificatores; non nova statui, sed vetera reparari cupit.[Col. 0357B]

Venerando Patri et in Christi membris magnifico
@ [Col. 0357D] *Damoetae archisacerdoti.* Riculfo Moguntino scilicet, ad quem praecedens epistola exarata est, cujus notam legas. Damoetae archisacerdoti humilis magister Albinus salutem.

Secundum opportunitatem portitoris cognita mentibus nostris charitas meam impellit linguam aliquid paternae salutationis vestrae dictare dilectioni, ut sciatis integram antiqui amoris flammam nostro splendescere in pectore; et quem semper fidelem [Col. 0357C] probavi, semper amare non desistam, quia charitas, juxta vetus proverbium, quae deseri potest, nunquam vera fuit.

Audiens itaque vestram prosperitatem, et conversationem laudabilem, et veritatis instantiam,
@ [Col. 0357D] *Et quomodo stetisti cum domno apostolico.* Ex his verbis et reliquo tenore hujus epistolae indubium esse censeo, Damoetam seu Riculfum, cum Hildebaldo Coloniensi, Arnone Salisburgensi, aliisque episcopis ac missis regiis Leonem III papam, Romam autumno anni 799 ab aula Caroli Magni reversum, comitatum fuisse, et hoc atque sequenti anno judicio adversus impios adversarios ejusdem sanctissimi pontificis [Col. 0358D] interfuisse, quamvis nemo alius illius temporis scriptor id de Riculfo prodiderit. Sufficiat vero hocce Alcuini testimonium omni exceptione superius. et quomodo stetisti cum domno apostolico, secundum meae petitionis chartulam, mox etiam arcana cordis mei cubilia, resolutis tristitiae habenis, in gaudium apertis ostiis prosiluerunt, plena voce cum apostolo decantare: *Majus mihi gaudium non est, quam* [ut] filios meos in fide et veritate audiam ambulare **(III Joan. 4)**; miratusque sum, quomodo quidam sapientes surda pectoris aure apostolicum legissent prooemium: *Non est potestas, nisi a Deo;* et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit (Rom. [Col. 0357D] XIII, 1, 2). Quoniam omnia quae a Deo sunt, ordinata fiunt. Ergo locus mihi sufficiens fuit disputandi de hac causa; sed sciens prudentiam vestram optime haec omnia nosse, et velocissimo percurrere sensu litterarum mearum seriem, hoc tantum admoneo [Col. 0358A] ut altissimae dignitatis nomini opera rectissima conveniant, et mores in omni aequitate sanctissimi sacerdotalis superhumerale honoris exornent, ut quod oculis multorum videtur in humero, omnium ore praedicetur, atque ametur in moribus.

Olim te cum beato Petro tota nocte in undis laborantem agnovimus; sed modo jam jamque jubente Deo in dexteram navigii, cum beato principe apostolorum, rete mittendum est **(Joan. XXI, 11)**, ut capias sine scissura retis, id est, in perfectione catholicae fidei, magnos pisces centum quinquaginta tres, quorum me ministerium olim vestrae sanctitati
@ [Col. 0358D] *Exponere recordor.* Verbis an litteris id fecerit Alcuinus ex his non elucet.

In priori quidem epistola hunc locum Joannis evangelistae attigit; mysterium tamen numeri illius, magnorum piscium, intactum reliquit; nisi suspicari quispiam velit, illam epistolam esse mutilatam. Idem tamen mysterium Alcuinus exposuit in commentario in Evangelium sancti Joannis, in cap. XXI, 11. exponere recordor. Sed, heu! proh dolor! quod tanta scissura apostolici retis subito facta est, ubi ille maximus animarum piscator sacratissimo requiescit [Col. 0358B] corpore; ut vix conveniente sanctorum ex diversis mundi partibus magistrorum turba impiae dissensionis scissura piae charitatis resarciri potuit filis. Insuper, sicut audivi, quod sine dolore cordis non dicam, ipsos male inter se dissentire magistros. Quidam vero volentes rudipannis [*Leg.,* rudis panni] assumentum veteri immittere vestimento, et pejorem facere scissuram **(Matth. IX, 16; Marc. II, 21)**; quidam vero meliori consilio vetera reformare, et in antiquum reponere ordinem; cum quibus vestram sanctissimam sollicitudinem laborare audivimus; et placuit mihi multum piae pacis atque ecclesiasticae concordiae vos secundum Deum seminatores esse, in qua vestram benevolentiam semper sudare exopto; recordantes dulcissimam Domini largitionem [Col. 0358C] in suos, dicentis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis;* non quomodo mundus dat, ego do vobis **(Joan. XIV, 27)**. Aliter sancti in omni bono pacifici inter se esse debent: aliter saepissime peccatores pacem inter se habere noscuntur, sicut in sancto Evangelio de Herode et Pilato legitur **(Luc. XXIII, 12)**. Illam vero pacem, quae inter sanctos solet esse, propheta ex mandato Domini praedixit, ubi ait: *Pacem et veritatem diligite, dicit Dominus omnipotens* **(Zach. VIII, 19)**. Et egregius Praedicator - *Pax Christi, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra in charitate et sanctitate* **(Philipp. IV, 7)**. Hanc vestra religiosa pietas et venerabilis auctoritas cum omnibus Deo servientibus semper sequatur. Hanc angelicus nato Domino cecinit coetus, dicens: [Col. 0358D] *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* **(Luc. II, 14)**. In hac etiam et in omni bono vestram beatitudinem, divina adjuvante gratia, proficere opto, Domine venerande, et desiderantissime fili!

@ [Col. 0359C] Froben. epist. 183.

EPISTOLA CXXIV. AD GEORGIUM PATRIARCHAM URBIS HIEROSOLYMAE.

@ [Col. 0359C] Epistolam hanc ineditam et hactenus ignotam ex cod. regio Paris. n. 2826 notato eruit, et benevole mecum communicavit vir doctissimus, mihique [Col. 0359D] amicissimus D. Lieble Benedictinus et bibliothecarius San-Germanensis supra laudatus.

@ [Col. 0359D] *Ad Georgium patriarcham, etc.* Hujus notitiam, suggerente praelaudato D. Lieble, accepi ex praestanti Tractatu praeliminari de episcopis et patriarchis sanctae Hierosolymitanae Ecclesiae, ad tom. III Maii Act. SS. pag. 40, num. 174, auctore D. Daniele Papebrochio S. J., qui ibidem testatur, nomen Georgii in Vita sancti Stephani Sabaitae (edita tom. III Julii ad diem 13) certissime haberi expressum; ita enim ibidem cap. 5, num. 49 legitur: «Sanctissimus patriarcha domnus Elias cum gaudio atque honorifico reditu propriam sedem postliminio repetiit, diuturnaque dignitate patriarchali ad annos satis multos gavisus est: et cum hinc ad Deum sancte migraret, domnum Georgium syncellum suum in cathedram Teadelphicam successorem reliquit.» Notat

deinde Papebrochius Georgium hunc in ms. Brugensi *Gregorium, vicino et facile alternabili nomine;* in ms. [Col. 0360C] vero Rubeae vallis *Sergium appellari;* censetque vir eruditissimus hunc Georgium circa annum 799 ordinatum fuisse, et esse patriarcham illum Hierosolymitanum, ex cujus parte «monachus quidam de [Col. 0360D] Hierosolymis veniens anno 799 benedictionem et reliquias de loco sancto resurrectionis Dominicae ad Carolum regem attulit,» ut loquuntur annalistae Eginhardus, Mettensis et alii; qui praeterea testantur praefatum monachum anno 800 a rege, post peractum Aquisgrani Natale Domini, absolutum, et cum Zacharia palatii sui presbytero cum multa pecunia per sancta illa loca, et inter pauperes atque malis multis afflictos distribuenda, dimisit. Consule etiam R. P. Michaelem Le Quien Ord. Praed. tom. III Orientis Christiani, pag. 317. Hac igitur opportuna occasione, Alcuinum hanc epistolam ad Georgium patriarcham per Zachariam presbyterum misisse, non est quod dubitem.

Georgio gratulatur ob dignitatem in loco sanctissimo; hortatur ad patientiam in persecutione infidelium. Se suosque illius orationibus commendat.[Col. 0359A]

Benedictus Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui visitavit plebem suam, et elegit civitatem Jerusalem, sanguine redemptionis nostrae sanctissimam, et gloriosissimam ejusdem Dei et Domini nostri resurrectione; et benedicta misericordia ejus, qua te, sanctissime patriarcha Georgi, elegit in locis sanctissimis suae habitationis, ac nostrae redemptionis intercessorem pro sancta sua Ecclesia, quae in latitudine totius offendit [*Forte, ostendit*], laudat, colit et adorat nomen Domini Dei aeterni; ut esset [*Forte,* [Col. 0359B] ut esses] in eo loco beatissimae pacis praedicator, in quo ipse omni mundo sanctioribus ambulavit pedibus, qui ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* **(Joan. XIV, 27)**: ut sis rector populi sui et praedicator veritatis omnibus sanctorum visitatoribus locorum. Beati estis, quibus concessum est lacrymas ad ejus fundere vestigia, qui clementi vultu mulieri peccatrici, quae lacrymis sanctos abluit pedes, ait: *Qui multum dilexit, multa dimittuntur ei peccata* **(Luc. VII, 47)**.

Hortare piis precibus, paterno affectu, sancto desiderio consocios tribulationis tuae, forti animo in fide permanere Christi Dei, et patienter sustinere varias infidelium persecutiones, recogitantes eum, qui pro salute illorum in patibulo suspensus ait: *Pater,* [Col. 0359C] ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt **(Luc. XXIII, 34)**. *Non sunt itaque condignae hujus temporis passiones,* ait egregius Praedicator, *ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII, 18)**. Nullus miles coronabitur, nisi qui legitime certat. Brevis est labor tribulationis hujus vitae, sed merces perpetua quae vincentibus dabitur. Non sit cuilibet fidelium in oblivione jucundissima promissio Domini nostri Jesu Christi, qui ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**.

[Col. 0360A] Mei quoque ut in sanctis orationibus vestris habeatis memoriam per ejus misericordiam obsecro, qui ait: *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Haec promissio in illis optime impletur, qui non corporibus tantum, sed charitate junguntur perfecta.

Albinus habeo nomen inter notos [*Ms.,* notes; *fort.* leg., nostros vel nostrates], et filios

sanctae Dei Ecclesiae. Vestri quoque nominis nobiscum esse memoriam, inter officia sacri altaris scitote. Confortamini viri fratres in Christo Jesu, et in potentia ejus; et in fide catholica fiducialiter agite. *Patientes estote ad omnes, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* **(I Thes. V, 14; I Cor. XV, 58)** ; sed qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Ascendite mente et [Col. 0360B] desiderio sancto ad eum, qui ait: *Volo, Pater, ut ubi sum ego, et isti sint mecum* **(Joan. XVII, 24)**.

Optamus in vobis impleri, Christi gratia cooperante, quod olim Propheta ait: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* **(Isa. II, 3)**; Inde *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**.

Sanctitatem vestram, pro sancta Dei Ecclesia intercedentem, Dominus noster Jesus Christus exaudire dignetur, et in omni bono ad multorum proficere faciat [*Deest* salutem *vel simile*]. Domine patriarcha honorande et desiderantissime Pater! sed ut pro nostris filiis intercedere digneris deprecor; pro Symeone episcopo, pro Onie et Martino sacerdotibus, et Nathanaheli [Col. 0360C] archidiacono

@ [Col. 0360D] De Symeone, Onia, et Nathanaheli, Alcuini discipulis, alias plura observavimus; quis Martinus fuerit, ignotum., et caeteris qui nobiscum sunt, qui pro vestra beatitudine intercedere non desistunt. Opto valete in nomine Domini Dei Jesu Christi in aeternum.

@ [Col. 0360D] Froben. epist. 184.

EPISTOLA CXXV. AD GUNDRADAM VIRGINEM COGNOMENTO EULALIAM. (Anno 800.)

@ [Col. 0360D] *Cognomento Eulaliam.* Constat nunc ex hac [Col. 0361C] inscriptione codicis Harleiani, Eulaliam, cui Alcuinus inscripsit libellum De ratione animae, a nobis inter opuscula moralia inferius exhibendum, vero nomine Gundradam esse, sororem certe sancti [Col. 0361D] Adalhardi abbatis Corbeiensis, de qua Paschasius Ratbertus in Vita sancti Adalhardi, Act. SS. ord. S. Bened. saec. IV, part. I, pag. 321, n. 33, scribit: «Virgo nobilium nobilissima, quae inter venereos palatii ardores et juvenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum, et inter omnia libidinis blandimenta sola meruit, ut credimus, reportare pudicitiae palmam, et potuit, ut dicitur, carnis spurcitias illaeso calle transire.» Alcuinus hic testatur hanc castitatis et honestatis laudem ad suas quoque aures pervenisse.

Gundradam instruit quomodo in aula virtuose vivat. Per illam regi commendari, et quod ad ipsum pervenire nequeat, excusari cupit.

Venerandae in Christo filiae Eulaliae Albinus salutem

[Col. 0361A] Saepe familiaritas nominis immutationem solet facere, sicut ipse Dominus Simonem mutavit in Petrum; et *filios* Zebedei filios nominavit *Tonitrui* **(Marc. III, 16,**

17), quod etiam antiquis vel his novellis diebus probare poteris.

Tu vero, virgo clarissima et sponsa Deo dignissima, te ipsam in omni castitate custodi corporis et animae; quia juxta Apostolum virgo Dei debet [*Ms.,* decet] esse *corpore casta et anima* **(I Cor. VII, 34)**. Esto caeteris in palatio virginibus totius bonitatis exemplar, ut ex tua discant sancta conversatione seipsas custodire, vel cadentes resurgere. Praeveniant [*Ms.,* pervenient] in conversione faciem judicis. Sint nobiles in moribus, sicut sunt nobiles ex parentibus. Non serviant carnali desiderio, sed [Col. 0361B] Christi magisterio. Vivant coram hominibus honeste, et coram Deo digne.

Agant de praeteritis poenitentiam, et caveant se de futuris, quia Scriptura dicit: *Deus dat poenitentibus partem justitiae* **(Eccli., XVII, 20)**. Nota sunt Domino cuncta quae in occulto gerimus; quod si non direxit [*F.,* dixerit] lingua, non poterit celare conscientia. Patet Deo omne quod clausum est. Credat homo, totum quod peccat veniabile esse, *si in confessione praeveniet faciem Dei* **(Psal. XCIV, 2)**; sed multa dicuntur in publico quae geruntur in occulto, *quia non potest civitas super montem posita abscondi* **(Matth. V, 14)**. Vilis pauperum persona scelera abscondit immania; dignitas creberrima vix celat quae gerit. Currunt [*Ms.,* currit] per ora singulorum quae [Col. 0361C] infra parietem geruntur. Agnosce quid dicam, et ignosce dicenti.

Bonum castitatis atque honestatis quod de te audivi, a te non recedat; securitas te non decipiat; nec laus minuatur, sed magis augeatur; felicitas praesens tibi ad perpetuam proficiat felicitatem. Memento te parvi temporis hospitem esse. Esto solatium miseris, et consilium timidis; vas sanctarum nobile Scripturarum, et coelestis cubile sapientiae. Evangelicis orna animam praeceptis; in ore modesta, in consilio prudens, in convicio patiens, in ore humilis, [Col. 0362A] in oratione pervigil, in eleemosynis larga, et in omni bonitate laudabilis.

Pro me quoque, obsecro, tuae prosperitatis intercessore loquere domino meo David, ne irascatur famulo suo,
@ [Col. 0361D] *Quia venire non valui.* Vocatus nempe a rege, Romam anno 800 profecturo, ad suum comitatum; cujus itineris molestias, ob corporis infirmitatem et amorem quietis in monasterio S. Martini, a se amolitur in epist. 93 (nunc 109), ad regem. Vide etiam epist. 92 (nunc 108), ad Arnonem. quia venire non valui, sicut voluit, continua praepeditus infirmitate. Opus meum aliud non est, nisi orationibus instare, et praeparare mihi habitationes aeternas, secundum Domini nostri Jesu Christi misericordiam, qui non deserit sperantes in se. Aeterna felicitate valeto, filia charissima!
@ [Col. 0361D] Edit. Quercet. 56, Canis. 55. **(Froben. ep. 98.)**

EPISTOLA CXXVI. AD SOROREM CHARISSIMAM. (Anno 801.)

Laudat illius pietatem, et ad laborem pro aeternitate exhortatur: gratias agit pro cruce donata.

[Col. 0362B] Charissimae in Christo

@ [Col. 0361D] *Sorori.* Spirituali, Gislae nimirum, quae naturalis [Col. 0362C] soror est Caroli Magni cujus etiam rogatu Alcuinus commentarios in Evangelium Joannis aggressus est. Alia Gisla erat filia Caroli, quam non sororem, sed filiam Alcuinus appellare solebat. Mabill. Annal. libr. [Col. 0362D] XXVI, num. 93. sorori.

Vere fateor quod valde desideravi ad vos venire propter aliquas necessitates, quas vobiscum conferre volui. Sed me impedivit acerbitas febrium, quae me adhuc per vices fatigat. Quapropter citius ante hibernale frigus regi obviam properare curabo. Placet mihi valde labor vester in sanctae
@ [Col. 0362D] *Dei Genitricis Ecclesiae.* «Gisla Calensis Parthenonis abbatissa hoc tempore, anno 800, novam illic basilicam in honorem sanctae Dei Genitricis Mariae exstruendam curavit, eoque sanctimoniales e basilica sanctae Crucis transtulit: Post aliquot inde annos corpus sanctae Bathildis e crypta sanctae Crucis translatum est in eamdem ecclesiam sanctae Mariae, quam domna Gisla a fundamentis struxerat, ut legitur in Hist. Translat. sanctae Bathildis apud Mabill. Act. SS. saec. IV Bened. part. I, pag. 452, num. 8.» Vide etiam Annal. Mabill. libr. XXVI, num. 93. Praesentem tamen epistolam non eodem anno 800, sed sequenti datam fuisse existimo, quia Alcuinus anno 800 Carolo regi ante hibernale tempus occurrere non potuisset, rege quippe post mensem Augustum ejus anni jam in itinere Romam versus constituto. Dei Genitricis Ecclesiae exaltatione, et in librorum consideratione. Unde in his laboribus, quantum poterimus, vestram solertiam adjuvare gaudemus. Et puer
@ [Col. 0362D] {149} *Fredegisus, Alcuini discipulus ejusque postea successor in regimine monasterii Turonensis.* Fridegisus secundum temporis opportunitatem vobis ferat auxilium. Vester vero profectus in Deo mei animi est magna voluptas. Ideo quod coepisti perficere, Dei adjuvante misericordia, diligentissime studeas. Unusquisque secundum suum laborem praemium accepturus [Col. 0362C] erit. Et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Nunc tempus est operandi: veniet vero tempus remunerandi. Quales tunc esse optemus, tales nosmetipsos nunc praeparemus. Sapienti pauca sufficiunt. Scio sagacitatem animi vestri haec omnia melius intellexisse quam me scripsisse; et operibus implere quod vix verbis explicare valeo.

Utinam cito adveniat tempus, ut tecum cordis mei conferam angustias, ut consoletur animus meus ex vestrae pietatis consolatione [*Al.,* perfectione]. Plurimum mihi placet crux quam vestra mihi benignitas [Col. 0363A] direxit. Et credo vos aeternam habere a Deo mercedem pro illius opere, et assiduas
@ [Col. 0363D] *Sancti Lupi.* Ex quo intelligimus, ait Mabil. loc. cit. Annal. hanc crucem Alcuino missam fuisse pro Trecensi S. Lupi basilica, cui is praefectus fuerat a Carolo. sancti Lupi intercessiones, et laudabiles gratiarum actiones ab eis qui ad illius patrocinia confugere solent.

Nunc soror alma vale, soror o charissima nobis!
Et nunc et semper, dulcis amica, vale.
@ [Col. 0363D] Edit. Quercet. 60, Canis. 56. **(Froben. ep. 99.)**

EPISTOLA CXXVII. AD DILECTISSIMAM SOROREM.

Pro cappa et aliis donis gratias agit; Angilberti, Avae sororis, et Columbae meminit.

Dilectissimae in Christo
@ [Col. 0363D] *Sorori.* Gislae itidem Caroli Magni sorori, ut vult Mabillonius. sorori.

Prospera, donante deo, his sanctissimis diebus habuimus solemnia, et laetus fuit domnus rex, et omne palatium in gaudio. Et ego, frater vester, magnum habui gaudium de prosperitate et salutatione [Col. 0363B] vestra, de gratissimo munere Psalmodiae et Missarum celebrationis, quod mihi magna charitate direxistis. Sed et
@ [Col. 0363D] *Cappa.* Similis illi quam Witlafius rex Merciorum donans ait in donatione, quae exstat in historia Ingulfi: «Offero etiam secretario dicti monasterii in ministerium sanctissimi altaris chlamydem coccineam, qua indutus eram in coronatione mea, ad cappam inde seu casulam faciendam.» CANISIUS. cappa quam mihi aptissimam misistis, valde animo meo placet. Veniente vero Angelberto forte aliquid certius vobis remandare habemus. Vos animum vestrum firmate in servitio Dei et in salute animae vestrae. Viriliter domum aedificate vobis sempiternam in coelis, ut paratam habeatis beatitudinem cum Christo et sanctis ejus, quam plurimi verbis optant, sed rebus non perficiunt. Tu vero labora diebus, horis ac momentis, ut abundanter habeas quod feliciter diligas.

Credo te de orationibus
@ [Col. 0363D] *Avae.* Haec illa fuisse videtur ancilla Dei, quae libros Novi et Veteris Testamenti studiose describi curaverat, qua de re Alcuinus illam laudat carmine olim 204, nunc 5. Avae [*Al.,* Evae] sororis nostrae fideliter facere. Sed ex mea petitione aliquid superadde, quia mihi fidelis fuit. Et ubi plus fides [Col. 0363C] innotescit, quam post mortem amici? Dic
@ [Col. 0364D] *Columbae.* Cui cum Gisla ultimos duos libros Comment. in Joan. Alcuinus inscripsit. Columbae, ut memoriae confirmet quod accepit, donec veniat qui superadjiciat. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* **(Matth. V, 6)**. Desiderium vestrum impleat, et cor charitate illuminet, qui venit mundum illuminare, et ignorantiae tenebras de cordibus in eum expellere credentium. Vita et salus, Christo donante, vos comitetur in aevum.
@ [Col. 0364D] Mabill. 8 emendata alicubi ex cod. ms. Salisb. **(Froben. epist. 100.)**

EPISTOLA CXXVIII. AD GISLAM FILIAM CAROLI MAGNI.

Dolet se ob infirmitatem non posse regis faciem videre, et Gisilae frui colloquio; quam ad virtutes exhortatur.

Charissimae in Christo
@ [Col. 0364D] *Filiae.* Gislae tertiae Caroli Magni filiae ex Hildegarde, ut scribit Eginhardus in Vita Caroli. MABILL.---Certe Gislam Caroli sororem aetate jam provectiorem *puellam haud appellasset Alcuinus.* filiae fidelis in charitate [Col. 0363D] Pater perpetuae prosperitatis salutem [et caetera].

[Col. 0364A] Corporalis infirmitatis incommoda hoc maxime animum contristant paternum, quod domini mei [David et vestrae] dilectioni sic cito, sicut volui, praesentari non potui. Credo tamen in ejus clementiam, qui allisos solet erigere, et infirmos curare, quod meam adhuc impleat voluntatem in videndo faciem Domini mei [dilectissimi], vestraeque familiaritatis alloquio. Tu vero, filia charissima, honestis misericordiae operibus, vitae sanctitate ornare {150} memento dignitatem tuam, ut magis probitas laudet conversionis quam species auri fulgentis. Si quis diligentius consideret praecepta divina, inveniet in illis [utrumque, et] laudis in praesenti vita inter homines, et mercedis aeternae gloriae apud Deum. Haec tu, nobilissima puella, diligentissime discere et devotissime implere satage, ut digna efficiaris [Col. 0364B] a Deo amari et ab hominibus laudari. Tunc habet Flaccus omni laetitia gaudere, [et more senis Entelli saltare], totisque viribus tripudiare.

Moribus egregiis virtutum et vita coronis
Floreat et vigeat, filia chara tibi.
@ [Col. 0364D] Edit. Quercet. 23 ex ms. Quae ibidem ita inscribitur: *De laude sapientiae et de vitae desiderio quietae.* Principalis tamen illius scopus est significatio gaudii sui et gratulatio ob reditum Caroli ex Italia post adeptos imperii Romani fasces, qui reditus contigit anno 801 post Pascha VII Kal. Maii. Post diem sancti Joannis reversus est in Galliam. Annal. Franc. Tiliani. **(Froben. epist. 101.)**

EPISTOLA CXXIX. AD DOMNUM REGEM. (Anno 801, circa finem Maii.)

Gaudium suum ob reditum Caroli ex Italia significat, cui cum muneribus obviam mittit Candidum.

Domino desiderantissimo et omni honore dignissimo David patri patriae, Albinus matricularius praesentis et futurae beatitudinis salutem.

Benedictus Dominus Deus, et benedicta perpetua illius misericordia super servos suos: pro quorum [Col. 0364C] prosperitate et salute vos, dulcissime David, prospere duxit et pacifice reduxit, conservavit, honoravit et exaltavit; atque in omni loco adventus vestri lumen justitiae, pietatisque ante faciem vestrae beatitudinis splendescere fecit. Quatenus totius caligo iniquitatis, nebula perversitatis, serenissimo sapientiae vestrae splendore discuteretur. Beata gens cui divina clementia tam pium et prudentem praevidebat rectorem. Felix populus qui a sapiente et pio regitur principe; sicut in illo Platonico legitur proverbio, dicentis: Felicia esse regna, si philosophi, id est, amatores sapientiae regnarent, vel reges philosophiae studerent: quia nihil sapientiae in hoc mundo comparari poterit. Haec est namque quae humilem exaltat, et potentem gloriosum efficit, et in omni persona laudabilis [Col. 0364D] existit; in qua decus est et pulchritudo vitae [Col. 0365A] praesentis, nec non et gloria perpetuae beatitudinis: quia solummodo vera est sapientia quae beatos et aeternos efficiet dies. Haec enim vestram optimam sollicitudinem, Domine mi David, semper amare et praedicare agnoscebam; omnesque ad eam discendam exhortari, imo et praemiis honoribusque sollicitare, atque

ex diversis mundi partibus amatores illius vestrae bonae voluntati adjutores convocare studuistis. Inter quos me etiam infimum ejusdem sanctae sapientiae vernaculum, de ultimis Britanniae finibus adsciscere curastis; atque utinam tam utilem in domo Dei servulum, quam promptulum vestrae obedire voluntati! Quia diligens diligebam in sacratissimo pectore vestro, quod in me vos velle invenire intelligebam.

Unde quotidie avida cordis intentione, suspensis in [Col. 0365B] verba venientium auribus, sollicitus eram, quid mihi nuntiarent de domino meo dulcissimo David: quando domum rediret; quando patriam reverteretur. Tandem aliquando, quamvis sero, vox optata concurrentium desiderii mei insonuit auribus: Jam jamque veniet;
@ [Col. 0365D] *Jam Alpes transivit.* «Ipse vero (Carolus) celebrato natali sancti Joannis Baptistae apud Eporeiam (*Ivrée, urbs Pedemontii*) Alpes transgressus in Galliam reversus est.» Annal. Loiseliani ad ann. 801. jam Alpes transivit, quem tanto animi tui fervore, o Albine, adesse optasti. Tum ego repetens iterum atque iterum lacrymabili voce clamavi: O Domine Jesu! quare non das mihi pennas aquilae? quare non translationem Habacuc prophetae una die, vel etiam hora concedis, ut amplectar et osculer vestigia {151} illius charissimi mei, et super omne quod in hoc mundo amari potest, dulcissimi oculos videam clarissimos; verba audiam jucundissima? Vel quid [Col. 0365C] tu inimica, tempore importuno, me opprimis, febris, et non permittis me solita corporis mei alacritate fungi, ut vel tarde fiat, quod cito non valet? Attamen hoc adventus vestri gratissimo laetus nuntio, confestim
@ [Col. 0365D] *Candidum.* Hic ille est Witso Alcuini discipulus, quem Pezius perperam confundit cum altero Candido Fuldensi monacho, de quo in Hist. Lit. Franciae tom. V, pag. 10. CATELINOT. Candidum nostrum vestrae obviam sanctissimae dilectioni dirigere studui, habens in manu munuscula, gratia senioris, certus clientelli [*Forte, grata senioris vestri clientelli*], et in ore necessarias magistri voluntates, quem benignitas vestra, ut clementer audiat, obsecro.

Tempus est ut agnoscat infirmitas fragilitatem suam, et tota se conferat in stabilitatem animae suae: ut quamvis exterior homo annorum numero vel morborum molestia conteratur, tamen renovetur desiderio salutis aeternae interior de die in diem. Quod [Col. 0365D] qualiter fieri debeat, mens mea vestrae pietatis exspectat consilium. Nam si praeceps pugnantium praesumptio saepe in periculum cadit, quanto magis qui spiritale inire cogitat certamen, si consilio non regitur prudenti, per vices incerta sudat victoria? Quod ne fieret, sancta prohibuit Scriptura, dicens: Omnia fac per consilium, postea non poenitebis **(Eccli. XXXII, 24)**. Hoc optime sciens, mei ipsius minus confidens dispositione vestrae prudentiae me [Col. 0366A] subjicere consilio decrevi. Quia, ut vere fateor, quidquid per Dei miserantis gratiam mihi vestra pietatis providentia disposuit agendum, omnimodis prospere mihi pervenisse probavi. Nam fere
@ [Col. 0366D] *Ante hoc quinquennium.* Nempe anno 796. Ex hoc loco igitur colligitur tempus initi ab Alcuino regiminis monasterii sancti Martini. ante hoc quinquennium saeculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi. Sed vestrae piae providentiae consilio, translatus sum in servitium sancti Martini, fidei catholicae et ecclesiasticae sanctioni, donante Deo, proficuum. Non recessit tamen de corde prioris voluntatis affectus, sicut transacto anno vestrae pietati jam praedixi.

Haec omnia vestra consideret bonitas, et pia promissione disponat, quia, ut praedixi, tota meae mentis intentio ad bonitatis vestrae verissime respicit consilium. Nec alio se quolibet [*Forte, alii se cuilibet*] [Col. 0366B] credit; quia in te tota infirmitatis senectutisque meae consolatio intendit. Inter fratres in ecclesia sancti Martini Deo fideliter servientes vivere vel requiescere, Deo miserante, sine ulla dubitatione desidero; ejusdemque beatissimi pectoris [*Forte protectoris*] vestri participem esse in vita aeterna vestram dilectionem perpetualiter opto. Hocque Deum assiduis precibus obsecro, ut praesens vita excellentiae vestrae ejus sancti intercessionibus adjuvetur, protegatur, et consistat; et post hanc aeterna cum eodem beatitudine perfrui merearis, domine dilectissime et desiderantissime David.

{152}
@ [Col. 0366D] Edit. Mabill. 16 ubi inscriptio talis est: *Venerando Patri, evangelicae lectionis doctori.* Sed integra et emendata hic prodit ex cod. ms. Salisb. **(Froben. epist. 102.)**

EPISTOLA CXXX. AD ARNONEM. (Anno 801.)

Epistolae respondet; sinistram suspicionem a se amovet. Regi se suasisse, ait, quos missos eligeret, ad justitias faciendas. Pro se Deum orari, et Leoni papae, Paulino patriarchae, et Petro Mediolanensi se commendari cupit. Hortatur demum ad pacis inter ecclesiasticas personas restituendae studia.[Col. 0366C]

Venerando Patri Aquilae evangelicae Albinus salutem.

Venerunt mihi vestrae dilectionis apices melle dulciores, auro obryzo gratiores, munusculis sigillatae suavissimis: in quibus perpetuum sanctae charitatis vigorem in cordis vestri arcano agnovi, quam nec Alpina frigora, nec Italici aestus subvertere potuerunt; sed inter omnes hujus saeculi diversitates et caliginosas tempestates quasi matutinus Lucifer, semper nova exoritur. De qua et ipsa Veritas ait: [Col. 0366D] *Mandatum novum do vobis* **(Joan. XIII, 34)**. Novum; quia evangelicum: vetus; quia legale: in quo *tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**; in quo totius gratiae summa consistit. Novum: quia *foras mittit timorem* **(I Joan. IV, 18)**. Quia quod grave fuit per timorem, leve erit per amorem, testante charitatis fonte: *Jugum meum suave est, et onus meum leve est* **(Matth. XI, 30)**. Ex hujus favo totius chartulae tuae resplenduit series. Credas velim, Pater [Col. 0367A] dulcissime, quod non tanta suavitate
@ [Col. 0367D] *Fratrum et sororum.* Alcuinus hoc loco Arnonem e fratrum suorum numero satis aperte excludere videtur. Vide nostram praefationem. fratrum vel sororum litterulas legere potui ultramarinas, quanta tuae dilectionis
@ [Col. 0367D] *Transalpinas.* Arno igitur tunc trans Alpes in Italia, imo Romae fuit, quod ex aliis etiam hujus epistolae verbis innotescit. transalpinas: nec tale post eos taedium fatigat cor meum, quale post tuae faciei visionem amabilem. Sed patienter ferendum est quidquid jubet sapientia divina, quae *omnia disponit suaviter* **(Sap. VIII, 1)**, et in cordibus famulorum diffundit suorum per sancti Spiritus gratiam dulcissimae charitatis dona, quae inter adversa fortis, et inter prospera humilis esse congaudet: in utrisque in

eo potens, qui omnia potest: secura de se, sollicita de suis. De qua plurima tuae reverentiae scribere supervacuum duxi, quia te totum in ea esse multis probamentis agnosco. In qua viriliter vincere adversarios habes, et fortiter pugnare contra inimicos Ecclesiae [Col. 0367B] Christi, ut corona laudis in die Domini nostri Jesu Christi te tuosque consequatur.

Quaedam apologetica verba tuis inserta legebam litteris, aestimans me irasci pro quodam fratre, quod omnino non feci: [vel ab alio audire quod scripsi, quod nullatenus verum fuit. Sed ut rei tibi veritatem ostendam, occasio hujus cogitationis mihi fuit ex eo quod alterum abstraxisti a me, qui profectum facere potuit. Salva certissime charitate aperui suspicionem meam, nihil sinistri aestimans tuam de meis litteris benevolentiam suspicari, quasi alter propter meam non proficeret negligentiam;] dum verissime eum meum esse putarem, si tuus esse voluisset, cavens illud Senecae sapientis elogium: Meum et tuum mundus destruxit. [Nihil tam familiare [Col. 0367C] in quoquam tuorum sentias apud me; nihil alienum ex meis sciens apud te.] Quia *quod Deus conjunxit, homo non separet* **(Matth. XIX, 6)**; nec locis dividatur, quod mentibus conjungitur. Ubi una est charitas, ibi diversa non est voluntas. [Quod vero tua bona pro multorum salute providentia, suadendum mihi censuit dulcissimo meo David,
@ [Col. 0367D] *De missorum electione.* Hoc Arnonis et Alcuini consilium Carolus secutus videtur anno 802. «Piissimus enim imperator, ut loquitur Chronicon Moissiacense, noluit pauperiores vassos suos transmittere ad justitias faciendas, propter munera; sed elegit archiepiscopos [Col. 0368D] et reliquos episcopos et abbates cum ducibus et comitibus, qui jam opus non habeant super innocentes munera accipere, etc.» de missorum electione, qui discurrere jubentur (ad) justitias faciendas, scias certissime et hoc me saepius fecisse, et suis quoque suadere consiliariis. Sed proh dolor! rari inveniuntur, quorum ingrata [*F.,* firmata] in Dei timore mens omnem respuat cupiditatem, et via regia inter personas divitum et pauperum miserias pergere velit, Salomone attestante: *Munera excaecant corda prudentum,* et subvertunt verba [Col. 0367D] justorum **(Eccli. XX, 31; Exod. XXIII, 8)**. Si tamen justi sunt, quorum verba scelerata cupiditas subvertere poterit: vel prudentes recte dici possunt, quorum corda muneribus excaecantur. *Radix,* ut Apostolus ait, *omnium malorum cupiditas* **(I Tim. VI, 10)**, quam qui sequitur, nullo modo viam justitiae [Col. 0368A] incedere valet. Ego vero tardissime vulnera mea agnoscens, circa limina beati Martini Patris nostri et protectoris vestri discurrens, vestrum nomen inter charissimas quotidie ingeminans personas; nec solum veteris vitae multis debilitatus cicatricibus, sed per singula momenta pejores prioribus ulcerum addens dolores.] Quapropter obnixius deprecor familiarem vestrae dilectionis charitatem ut mihi, licet indigno, {153} assiduis sanctitatis vestrae precibus apud clementissimum Salvatorem perpetuae sanitatis medicinam deposcere studeas, et quoscunque Deo Christo fideles invenies famulos, tuaeque reverentiae sacrae dilectionis vinculo conjunctis me commendare curam habeas; [et maxime domino meo dilectissimo Leoni papae, Paulinoque patriarchae, et Petro Mediolanensi [Col. 0368B] archiepiscopo, nec non aliorum religiosae vitae virorum, quorum nomina scripta sunt in coelis **(Phil. IV, 3)**], ut nostrae parvitatis nomen in cordibus conscribas deprecor, quatenus ex plurimorum precibus sanctorum, plurima mihi peccatorum solvantur vincula. Tu vero, sanctissime Pater, pacificae ramum olivae ore ferens in arcam Domini **(Gen. VIII, 11)**, alienas iniquorum dissensiones tuas fac esse mercedes, revocans eos

ad sanctae pacis concordiam, ut populus rectori, et grex pastori, et filii proprio obediant Patri, et Pater filiis praesit in pace et mansuetudine, ut in omnibus una sit charitatis concordia, ne qua radix ultra amaritudinis ramos venenatae dissensionis pullulare possit @ [Col. 0368D] *Inter sanctissimas ecclesiasticae dignitatis personas.* Romae utique causa Leonis III dissidentes, et finito licet contra parricidas judicio, nondum integre conciliatas; quae res Arnoni potissimum commendata fuit, ut ex hac epistola plane constat. Pertinet ergo haec epistola, meo quidem judicio, ad annum 801. inter sanctissimas ecclesiasticae dignitatis personas. Sit in ore tuo tuba [Col. 0368C] veritatis, ut pax et veritas ex tuis semper audiantur labiis; et quod Psalmista cecinit, non solum in te impleatur, sed etiam per te in multos proficiat, ubi ait: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, pax et justitia complexae sunt se* **(Psal. LXXXIV, 11)** . Hoc est opus tuum in hac praesenti luce; haec est merces tua in aeterna gloria. Ait enim quidam poeta de opere carminis evangelici:

Hoc opus hoc etenim forsan me subtrahet igne: Tunc cum flammivoma judex descendet ab arce. Dicam ego:

Hoc opus hoc etenim non solum igne, Te jam, sed faciat coeli conscendere in arcem. Lege feliciter, et humiliter agnosce, et veraciter perfice, quae charitas scripsit, et Christus demandavit, ut fiant.
@ [Col. 0368D] Edit. Quercet. 20, ex ms. **(Froben. epist. 103)**.

EPISTOLA CXXXI. AD DOMNUM REGEM. (Anno 801.)

Mittit per famulum suum sacros libros a se in unum corpus collectos et emendatos. [Col. 0368D]

Domino desiderantissimo meritoque amabili David [Col. 0369A] regi, Albinus praesentis prosperitatis et aeternae beatitudinis in Christo salutem.

Diu deliberans quid mentis meae devotio ad splendorem imperialis potentiae vestrae atque augmentum opulentissimi thesauri vestri, muneris condignum reperire potuisset, ne ingeniolum animi mei, aliis diversa divitiarum dona offerentibus, otio torpuisset inani, et vacuis manibus parvitatis {154} meae missus ante faciem beatitudinis vestrae venisset: tandem Spiritu sancto inspirante inveni, quod meo nomine competeret offerre, et quid vestrae prudentiae amabile esse potuisset. Ergo in vestrae pietatis sacratissima sollicitudine non dubie patet quid per vos in totius Ecclesiae salutem Spiritus sanctus operetur: et quantis universorum fidelium precibus sit optandum, [Col. 0369B] ut in omnem gloriam vestram extendatur imperium, et ut intus sit omnibus Deo fidelibus amabile, et foris sanctissimis [*F.,* cunctis] Domini adversariis terribile. Sed quaerenti mihi et consideranti nihil dignius pacatissimo honori vestro inveniri posse, quam
@ [Col. 0369D] *Divinorum munera librorum.* Loquitur de codice S. Scripturae vulgatae editionis, quam hortante Carolo Magno a multiplicibus exscribentium librariorum vitiis purgavit. De quo codice alibi diximus. Vid. Mab. lib. XXVI Annal., n. 61. Puto hoc munus ab Alcuino oblatum fuisse Carolo, imperatoria corona nuper redimito: *Ad*

splendorem imperialis potentiae, aliis etiam *diversa divitiarum dona, eadem occasione,* [Col. 0370D] *offerentibus.* Pertinet ergo epistola ad initium anni 801. divinorum munera librorum: qui Spiritu sancto dictante, et Christo Deo ministrante, ad salutem totius humani generis, coelestis gratiae calamo conscripti sunt, quos in unius clarissimi corporis sanctitatem connexos, atque diligenter emendatos vestrae clarissimae Auctoritati (per) hunc clarissimum filium vestrum, vobisque fidelem famulum, dirigere curavi: quatenus plenis manibus jucundissimo vestrae dignitatis adstaret servitio: Qui longa fessus infirmitate, Deo miserante, dum aliquantulum [Col. 0369C] convaluit, affatim vestram adire festinabat pietatem. Sed et lacrymarum munuscula mearum in orationibus apud sanctum Martinum, pro desiderantissima Auctoritatis vestrae prosperitate vobis fideli transmitto sponsione. Ille serviat, sicut decet, Domino piissimo: Ego orabo pro Domino dilectissimo, quomodo sancti Spiritus visitatio cor meum illuminare dignabitur. Si quid igitur melius mentis meae devotio invenire valuisset, utique prona voluntate in augmentum honoris vestri offerrem.
@ [Col. 0370D] Edit. Quercet. 17 ex ms. **(Froben. 104.)**

EPISTOLA CXXXII. AD DOMNUM REGEM. (Anno 801.)

Ad aulam vocatus se ob senectutem excusat; nec suo consilio indigere sapientissimum regem profitetur.[Col. 0369D]

Domino merito laudabili, et omni charitatis officio amplectendo, nobisque nimium desiderantissimo David regi, humillimus sanctae Dei Ecclesiae vernaculus Albinus perpetuam aeternae gloriae salutem.

Quia flamma perpetuae charitatis jugiter ardescit [Col. 0370A] in corde, fas esse videtur opportunis vicibus litterarum foras scintillare officio: ne taciturnitate vilescat, quae novis semper beneficiorum fomentis nutritur. Ecce Flaccus effeto corpore, militaris cingulo laboris deposito, secundum piissimum domini sui David consilium, devote Deo soli quieta pace servire toto elegit desiderio: quid [*Edit.,* quod] iterum pugnare cogitur, et sub fasce armorum desudare, quae infirmi corporis denegat fragilitas de terra tantummodo levare. Nisi forsan subsequenti tempore ejus misericordia, qui *allevat elisos, solvit compeditos* **(Psal. CXLV, 8)**, vires ei praestare dignetur.

Forte quidam dicturus est dialecticus: Consilio valet, cui fortitudinem annosa negat infirmitas. Sed illi etiam verissima opponi poterit responsio: Si quid [Col. 0370B] dignum in corde viguerit Flacci, hoc totum in sacratissimo pectoris thesauro pius possidet David. In tantum, ut ubi ille est, ibi etiam et Flaccus. Respondeat pro utrisque amborum divitissimus sapientiae. Et ut simpliciter {155} dicam, quod mihi simpliciter deprecari necesse est: ne quaeso sancta mens Domini mei irascatur tarditati meae, quod modo venire non valeam. Erit iterum, si Deo placuerit, tempore opportuno. Nec meam reor devotionem vestrae excellentiae in aliquo loco plus prodesse posse, quam assiduis apud sanctum Martinum orationibus, quatenus divina clementia, quae vos per singulos magistratus
@ [Col. 0370D] *In altissimum saecularis potentiae evexit honorem.* Ex his verbis conjicio

Carolum tunc dignitatem imperatoriam, quae super omnes alias saeculares dignitates eminet, jam adeptum fuisse. Epistola igitur scripta est anno 801 vel aliquo posteriore. in altissimum saecularis potentiae evexit honorem, eo longaeva prosperitate uti concedat, atque ex hujus sublimitatis dignitate ad apicem aeterni regni ascendere [Col. 0370C] faciat. Quo misericordia et justitia, Deo miserante, vestram deducat beatitudinem. Ille homo recte feliciter felix dici poterit, qui de hac praesenti felicitate ad aeternam merebitur pervenire felicitatem. Et implebitur in eo pulcherrima illius versiculi promissio: *Ambulabunt sancti de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion* **(Psal. LXXXIII, 8)**.

Alma Dei Christi tribuat tibi regna potestas
Aurea cum sanctis, David, in arce poli. Discindat chartam mitis, rogo, dextera David,
Victricem faciat quam Deus omnipotens.
@ [Col. 0370D] Edit. Quercet. 24 ex ms. **(Froben. 105.)**

EPISTOLA CXXXIII. AD DOMNUM REGEM. (Anno 801.)

Significat obitum Maganfredi. Intercedit pro fratribus et ecclesia sancti Petri urbis Beneventanae; cum Beneventanis clementer agi supplicat.[Col. 0370D]

Gloria et laus Deo omnipotenti pro salute et prosperitate vestra, dulcissime mi David, atque pro omni honore et sapientia, in quibus te speciali gratia [Col. 0371A] omnibus supercellere fecit. Perpetua gratiarum actio resonet, et assidua sanctarum intercessio orationum ad Deum dirigatur, quatenus longaeva prosperitate feliciter vivas, valeas et regnes ad correctionem et exaltationem sanctae suae Ecclesiae, ut sub protectione tuae venerandae potestatis secura quiete Deo deserviat. Effudi pridem preces supplicationis meae per Candidum famulum vestrum, quas precor clementi animo vestram suscipere pietatem. Quidquid animus suggessit meus mihi, totum misi in aures ejus, ut conservaret in corde, vestraeque veridico ore patesceret pietati.

Sed novi rerum eventus novos iterum, charitatis penna, exarare meam devotionem apices exhortantur. Audivi siquidem, quod sine dolore et lacrymis [Col. 0371B] non dicam,
@ [Col. 0371D] *Maganfredum.* Hunc eumdem esse existimo, ad quem scripta est epistola 42. Maganfredum fidelem vestrum nobisque charissimum amicum in Beneventana diem obiisse patria. Unde rogatus sum a fratribus
@ [Col. 0371D] *Fratribus S.* Petri. Hoc de monasterio Beneventano S. Petri *ad Corpus dicto, quae modo Ecclesia paroecialis est, interpretandum videtur Mabillonio, lib.* XXVII Annal. num. 6. sancti Petri litteras dirigere bonitati vestrae, pro cellulis ad eam antiquitus pertinentibus ecclesiam, ut merces vestra esset ex illarum aliquibus, si vestrae videatur providentiae; similiter et pro atrio intra muros civitatis, unde fratribus sancti Petri habitatio honesta construi potuisset. De his omnibus vestra consideret bonitas, quid Deo placeat, vestroque nomini honorabile fiat, et bonitati amabile.

Sed multo major et plus necessaria populo Christiano causa occurrit, preces prostrato effundere corpore ante pedes pietatis vestrae. Primo, ne irascaris fidelissimae charitati

meae, qua me maxime debitorem [Col. 0371C] benignitati vestrae verissime agnosco. Secundo etiam loco, et hoc intimo cordis affectu deposco, ut sanctissima sapientiae vestrae consideratio provideat, quid Deo placeat, vel quid populo proficiat Christiano

@ [Col. 0371D] *De expeditione hostili, etc.* Haec intelligenda existimo de expeditione hostili quam Pippinus jussu Caroli, dum anno 800 Romam pergeret, et iterum dum anno 801 rediret, adversus Beneventanos suscepit. Vid. Annales Francorum Tiliani, Loiseliani et alii. de expeditione hostili in Beneventana terra, ne majus sibi eveniat damnum de fidelibus tuis. Optime {156} nosti quomodo divina pro te pugnabat providentia. Patrem, fratremque hujus

@ [Col. 0371D] *Impiissimi hominis.* Grimoaldum abs dubio notat ducem Beneventanum, qui patri Arigiso, consentiente Carolo Magno, successit anno 788, postea vero rebellis factus diu cum Pippino conflixit. Vid. Erchemperti Hist. Longobard. Beneventi apud Murat. [Col. 0372D] Script. Rer. Ital. tom. II, part. I, pag. 238. Grimoaldi pater Arigisus, et frater Romoaldus *in brevi, quod Alcuinus hic insinuat, sublati sunt articulo.* Nempe uno eodemque anno, ac pene eodem mense mortui. Concordat Adrianus papa in epist. 88 Cod. Carol. ubi ad Carolum scribit: «Qui venientes (Athalgisus cum exercitu) Dei nutu, per suffragia apostolorum, malignantium consilia dissipata repererunt, eo quod Arichisum ducem vel ipsius filium Waldonem (Romoaldum legendum existimat Cointius anno 787, num. 16) defunctum invenerunt.» impiissimi hominis in brevi tulit articulo. Sic etiam, sic faciet, credimus, si illius sancta voluntas disponit, ut et iste pereat, sine aliquo fidelium damno tuorum eveniat. Talia possunt fere melius ex consilio, quam aperta expugnatione, per tempus finem habere. Quo plus humiliat se homo sub manu omnipotentis Dei, eo citius vindicat injurias servorum, qui ait: *Mihi* [Col. 0371D] vindictam, ego retribuam (Rom. XII, 19; Hebr. X, 30; [Col. 0372A] Act. XIII, 22). Id est, mihi servate vindictam, et ego pugnabo pro vobis. Nam David, de quo ipse Dominus tam sublime protulit testimonium; *Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum* **(II Reg. XIX, 23)**. Ipse igitur Semei sibi maledicentem prohibuit occidi, optans sibi pro patientia humilitatis suae a Deo dari benedictionem.

Haec etiam acutissimae sapientiae investigatio disponat, secundum rationis vivacitatem et secundum salutem fidelium tuorum considerans quomodo animus illorum sine praesentia beatitudinis tuae longum sufferat laborem. Deum invoco testem cordis mei, haec plena fide, et perfecto prosperitatis vestrae in omnibus desiderio scripsisse, obsecrans supplici devotione, haec eadem patienter vestram legere beatitudinem, [Col. 0372B] nec aliquid iracundiae in meam habere praesumptionem, talia vestrae ingerentis sapientiae. Licet charitas mea stulta videri valeat, tamen nunquam infidelis, nec in minimo nec in maximo inveniri poterit. Fiducia enim probatissimae humilitatis vestrae haec scribere praesumpsit.

Forte quislibet dicit: quid ille homo alienis se ingerit rebus? Non agnoscit nihil mihi alienum vestrae prosperitatis esse debere, quam super salutem corporis mei vel vitae meae longaevitatem diligere me testor. Tu prosperitas regni, tu salus populi, tu decus Ecclesiae, tu omnium protectio fidelium Christi; nobis igitur sub umbra potentiae, et sub tegmine pietatis tuae, divina concessit gratia religiosam ducere vitam, atque secura quiete Deo Christo deservire. [Col. 0372C] Ideo sollicita mente et pia intentione, pro tua prosperitate et salute curam habere et intercedere justum et necessarium habemus,

domine desiderantissime atque omni honore dignissime David rex

{157}
@ [Col. 0372D] Edit. Quercet. 19 ex ms. Froben. 106. Scripta fuit eo tempore quo jam vires sensim deficere et aegritudines invalescere sensit, ut in prioribus epistolis etiam conqueritur; data igitur eodem anno 801 vel aliquo posteriori.

EPISTOLA CXXXIV. AD DOMNUM REGEM. (Anno 801.)

Gratias agit pro benefactis; et ut ob corporis infirmitatem apud S. Martinum sibi requiescere liceat, supplicat.

Domino piissimo David regi, Albinus perpetuae beatitudinis salutem.

Summa Deus Trinitas vestrae bonitati, omnium [Col. 0372D] dilectissime David, aeterna restituat beatitudine, [Col. 0373A] quidquid pietatis vel benignitatis in me famulum vestrum, sicut prima cognitione adventus mei ad vos misericorditer promisistis; ita omnia fideliter implestis, et ad cumulum plenissimae veritatis quae semper vestri pectoris insidet thesauro, centuplum addidistis; ut cunctorum luce clarius oculis patescit, auribusque per longinquas terrarum resonat multorum. Quid enim addi potuit felicitati peregrinationis meae, vel vestrae bonitatis judicio, super me minus digno his omnibus donorum largitionibus? vel quales gratiarum actiones vestrae misericordiae condignas persolvere possum, nisi perpetua piae orationis sedulitate misericordissimi Dei omnipotentis clementiam deprecari, quatenus aeterna remuneratione in coelesti beatitudine omnia multipliciter reddat in [Col. 0373B] meam vestrae largissimae bonitatis benefacta parvitatem? Quod ut meam liceat apud sanctum Martinum quotidie instantiam agere, supplex suppliciter, humilis humiliter, devotus devote obsecro, quia valde infirmatus corpore nil aliud itineris vel laboris perficere valeo. Omnis igitur corporis mei, ut vere fateor, dignitas et fortitudo recessit, abiit, et quotidie fugiet; nec in hoc, ut revereor, saeculo revertetur.

Speravi atque optavi me transactis diebus vestrae adhuc vel semel beatitudinis faciem videre. Sed ingravescente infirmi corporis flebilitate, omnimodis hoc idem fieri non posse probatum habeo. Quapropter deprecor vestrae invictae bonitatis misericordiam, ut nullatenus mens sancta, voluntas benigna [Col. 0373C] quae in vobis est, meae irascatur infirmitati, sed pia compassione fessum concedat requiescere, orationibusque pro vobis instare, et praevenire faciem aeterni judicis in confessione et lacrymis. Ut si quoquo modo, Deo Jesu miserante, metuendas antiqui hostis accusationes evadere valeam, et aliquem sanctorum habere adjutorem merear, mecum stantem, pro meaque intercedentem fragilitate, ne tradar in manus inimicorum meorum **(Eccli. IV, 22)**.

O quam timendus est omni homini dies ille, et quam necessarium est unicuique praeparare se in occursum Domini Dei sui! hortante nos ipsa luce, quae illuminat omnem hominem, atque clamante: *Ambulate, dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant* **(Joan. XII, 35)**. Sed et quomodo in ea luce ambulare [Col. 0373D]

debeamus, alio ostendit loco, dicens: *Sic luceat* [Col. 0374A] lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est **(Matth. V, 16)**.

David in aeternum tecum sit gratia Christi,
Ut vigeas, valeas, victor in orbe potens. Post haec et teneas coelestia regna beatus,
Cum sanctis pariter semper in arce poli. Multiplici Christus reddat tibi munera mitis,
In me quot bonitas contulit ecce tua. Gramina quot tellus habeat, vel littus arenas;
Tot miserante Deo, David, habeto vale. Inclytus aeternis David feliciter annis,
In Christo meritis vivat ubique sacris.
@ [Col. 0373D] Froben. epist. 185.

EPISTOLA CXXXV.

@ [Col. 0373D] *Ad Nathanaelem.* Qui vero nomine appellatus est Fridigisus seu Fredegisus, prout notavi ad epist. 118 (numc 157). Ex hac epistola novimus hunc Nathanaelem esse *missum* illum Alcuini, *clarissimum filium et fidelem famulum Caroli regis, per quem nimirum Alcuinus eidem Carolo, «ad splendorem imperialis potentiae obtulit divinorum munera librorum a se diligenter emendatorum atque in unius clarissimi corporis sanctitatem connexorum,» ut loquitur in epist.* 103 (nunc 131). Vide infra, col. 375, not. a. AD NATHANAELEM. (Anno 801.) *Excitat ad pietatem;* commendat illi curam in instruendis virginibus Lucia et Columba. Committit illi epistolam cum sacrae Scripturae munere porrigendam regi Carolo.[Col. 0374B]

Albinus Nathanaeli salutem.

Cognoscat te in benedictione, qui agnitus est a te beato praedicante Philippo, qui te sub ficu veteris delicti vocavit ad virum de Nazareth; qui te sine dolo Israelitam esse concedat, ut dignus efficiaris non solum verbis dicere, sed et opere implere: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel* (Joan. I, 45-49). Hunc sequere, donec videas eum cum beato Petro et filiis Zebedei stantem in littore et clamantem: [Col. 0374C] *Mittite rete in dexteram navigii et invenietis* **(Joan. XXI, 6)**; uti post hanc piscationem ad convivium vocatus dicatur tibi inter caeteros sanctae piscationis socios: *Veni et prande* **(Ibid. vers. 12)**. Quid hoc convivio dulcius? Quid hac praesentia beatius? Ubi sempiternum nullo fine clauditur gaudium, ad quod tantummodo magni pisces seligentur, qui non scisso rete apostolica capti sunt praedicatione. Crescente numero ab uno usque ad decem et septem, propter decalogum et septem sancti spiritus dona: de cujus numeri mira divisione et significatione olim me scripsisse memoro, dominoque meo David dixisse, calido charitatis corde,
@ [Col. 0373D] *In fervente* . . . balneo. Quod Carolus Magnus Aquisgrani extruxit, teste poeta anonymo, seu ipsomet Alcuino in poemate *de Carolo Magno et Leonis papae ad illum adventu, vers.* 106, quod vide in tom. II hujus editionis inter opera dubia. Ibi:

[Col. 0374D] Hic alii thermas calidas reperire laborant, Balnea sponte sua ferventia mole

recludunt, Marmoreis gradibus speciosa sedilia pangunt. Fons nimio bullentis aquae fervere calore Non cessat: partes rivos deducit in omnes Urbis. Et Eginhardus in Vita Caroli Magni de eo scribit: «Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens . . . . Ob hoc etiam Aquisgrani regiam exstruxit.» Apud Bouquet. Script. Rer. Gall. tom. V, pag. 98, n. 22. in fervente naturalis aquae [*Ms.,* atque] balneo, ubi te, alumne, praesentem esse non ignoro.

[Col. 0374D] Saluta

@ [Col. 0374D] *Luciam et Columbam.* Exstat ad easdem in cod. Harleiano epistola, scripta, dum commentarium in Evang. S. Joannis jam integre absolutum ad illas mittit, quam propterea eidem commentario praefiximus, ubi illam consulas. Luciam sororem nostram et filiam Columbam: [Col. 0375A] deprecare eas memores esse senectutis meae in sacris orationibus, et salutis suae in bonis operibus; nec illis tuae decorem sapientiae abscondas, sed irriga florentes bonae voluntatis in eis areolas. Quid pulchrius sapientiae floribus, qui nunquam marcescunt? Quid scientiae divitiis locupletius, quae nunquam exhauriuntur? Ad has exhortare eas; vivant in meditatione legis Dei die ac nocte, ut eum inveniant quem scripsit Moyses in lege et prophetae. Teneant eum, nec dimittant, donec introducantur in cellaria regalis gloriae, ut ordinata charitate floribus aeternae beatitudinis fulciantur, mittente Sponso de thalamo suo praesentis prosperitatis laevam sub capite earum, et dextera aeternae beatitudinis amplexetur eas.

@ [Col. 0375D] *Epistolam vero parvitatis meae.* Haec est epistola 103 (nunc 131), ad domnum regem, quam illi una *cum sanctissimo divinae Scripturae munere per Nathanaelem, qui superata longa infirmitate ad imperatorem* Romae coronandum *affatim festinavit, ipse die natali Domini, quo ipso Carolus imperii coronam a Leone III summo pontifice accepit, tradi et offerri curavit.* Epistolam vero parvitatis meae, cum sanctissimo [Col. 0375B] divinae Scripturae munere, die Natalis Domini, et verbis salutationis pacificis redde domino meo David cui tantas grates et laudes agimus pro omnibus bonis quae mihi meisque filiis faciebat, quantas habet liber ille syllabas; et tantas a Deo dari benedictiones illi optamus, quantae in eo litterae leguntur scriptae.

Vive Deo felix, fili! florentibus annis,
Ut te conservet Jesus ubique tuus. Quo sine nil prodest cuiquam vaga gloria saecli;
Nate memor Patris semper amate vale.
@ [Col. 0375D] Froben. epist. 186.

EPISTOLA CXXXVI. AD EUMDEM.

Ad conversationem honestam et religiosam animat; et vitari suadet columbas coronatas volitantes per cameras palatii.[Col. 0375C]

Dulcissimo filio meo Nathanaheli Albinus Pater salutem.

Obsecro te, fili mi charissime, ut vita tua fiat et conversatio honesta, et religiosa, atque sine omni reprehensione, in quantum fieri possit, coram Deo et coram hominibus, ut intelligatur quanta eruditione edoctus fuisti. Sanctitas tua et venerabilis religio laus est

mihi apud homines et merces apud Deum. Non veniant coronatae columbae ad fenestras tuas, quae volant per cameras palatii: Nec equi indomiti irrumpant ostia camerae: nec tibi sit ursorum saltantium ora [*Forte, hora*], sed clericorum psallentium; sint verba in veritate modesta, et vox temperata, et [Col. 0376A] silentia considerata; et cui dicas, diligenter examinatum. Nec te alienis immisce dissensionibus, nec te praetereat horarum psalmodia sanctarum; nec missarum maxima virtus in corpore Christi, nec charitas desit.

Legatur ante te lectio sancta, per quam fieri possint ad convivas verba praedicationis. Sit tuum velle et nolle ad mentis arcem constitutum, ne poenitere cogaris de quolibet facto. Esto pauperum pater, ut de pane tuo manducent, quia in paupere Christus reficitur. Quam felix mensa, in qua est conviva Christus. Esto irreprehensibilis et morum dignitate, magnificus in sanctitate, laudabilis in ratione dati et accepti, jucundus in verbis, gaudens in aspectu, laetus ad miseros, largus ad pauperes, omnibus omnia [Col. 0376B] [*Ms.* odorante, *nullo sensu*] factus, ut ex omnibus, Christi gratia consequente, mercedem habere merearis.
@ [Col. 0375D] Froben. epist. 187.

EPISTOLA CXXXVII. AD CHRODGARIUM COMITEM. (Anno 801.)

Infantulum et fratrem erudiendos se suscipere significat. Hortatur ad fidele servitium, et consilia regi praestanda. Cavere sibi, ad vastandam urbem Beneventanam abituro, suadet a noxio Italiae aere.

Viro laudabili
@ [Col. 0375D] *Chrodgario Comiti.* De illo silent veteres scriptores: fuisse vero illum in comitatu Pippini Italiae regis, a Carolo patre, postquam is Romae imperator coronatus et proclamatus fuit, et dum inde anno 801 in Franciam reditum pararet, ad devastandam terram Beneventanam cum exercitu missi, ex hac epistola innotescit. Vid. not. seq. Chrodgario comiti Albinus diaconus salutem.

Litterarum legatio non est spernenda, ubi linguae officium ob amicitiam conjungendam longinquitas terrarum abstulit. Unde ego tibi, venerande amice, hos apices meae devotionis dirigere curavi, obsecrans [Col. 0376C] ut fideli charitate orationes meas inter spiritales amicos tuos, quocunque perrexeris, commendare studeas.

Bonum infantulum nobis ad erudiendum direxistis, etiam cum fratre valde laudabili, cujus mores nobis optime conveniunt, in omni religione et sanctitate; et necessarium est infantulo, quem velim, ut citius remittas ad nos.

Nec tibi, deprecor, onerosum esse litterarum admonitio (*Ita cod.* ms.) mearum, quoniam opto te in Dei voluntate proficere, et salutem operari animae tuae in eleemosynis ad pauperes, et justitia ad omnes, et misericordia ad miseros et consiliis bonis, quae domno imperatori et regno Francorum proficiant ad salutem et prosperitatem.

Audivi, vos ituros esse

@ [Col. 0375D] *Ad vastandam Beneventanam patriam.* Carolus [Col. 0376D] Magnus «Anno 800 Moguntia Romam profectus, exercitum cum Pippino filio in Beneventanorum terras praedatum ire jussit,» ut habent Annales Tiliani, Loiseliani et Metenses, apud Bouquet., tom. V Script. Rer. Gall. Sed quo minus Alcuinum hoc loco de ista expeditione intelligendum censeam, facit nomen *imperatoris, quod Carolo hic tribuit,* admonens Chrodgarium, ut bonis consiliis suis consulat *imperatori et prosperitati Francorum.* Narrant vero iidem annalistae, imperatorem, anno 801 omnibus Romae bene dispositis, «ITERUM missa in Beneventanos expeditione, cum Pippino filio suo, post Pascha VII Kal. Maii Roma profectum, venisse Spoletum, etc.» et de hac expeditione loqui Alcuinum existimo. De eadem vide etiam epist. 105 (nunc 133).

@ [Col. 0376D] Haec in calce voluminis, ad hunc locum, in edit. Frobenii, inter *Errata* et *Addenda, leguntur.* Chrodgarius forte est Rotharius (Rotherius, seu Rotgerius) *dux* [Col. 0377D] maximus, Pythagoreae linguae probatus, et signifer egregius: ortus ex Francorum genere, clariorque agamemnonio germine in curia Pippini regis altus nobiliter, etc., ut legitur in Vita sancti Austremonii apud Bouquet., tom. V Script. Franc., pag. 432 et 470. De eo etiam, tanquam conditore monasterii Carolfensis Theodulfus Aurelianensis carm. VIII, ibid., pag. 421, ita canit:

Denique Rotharius comes ingens, inclytus heros,
Conjuge cum Eufrasia condidit istud opus. ad vastandam Beneventanam [Col. 0377A] patriam. Scis optime quale periculum ibi imminet tibi,

@ [Col. 0377D] *Propter pestilentem illius terrae aerem.* Hunc anno 793 exercitus Francorum expertus est, ut legitur in Annalibus Moissiacensibus ad illum annum: «In ipsa hieme transmisit rex Carolus duos filios suos Pippinum et Ludovicum cum exercitu magno in terra Beneventana. Et facta est ibi fames validissima . . . . [Col. 0378D] super exercitum qui advenerat, ita ut aliquanti nec ipsa Quadragesima se ab esu carnium abstinere possent.» propter pestilentem illius terrae aerem. Ideo nihil dimittas inconsideratum rerum tuarum; maxime ne ulla retro super te clamet injustitia, vel cujuslibet culpae negligentia. Utere sapientia tua ad salutem tibi sempiternam, quia illa tantummodo vera est scientia, quae perpetuam hominibus praestat beatitudinem. Opto te feliciter vivere in haec tempora atque in futura, venerande amice!

@ [Col. 0378D] Froben. epist. 188.

EPISTOLA CXXXVIII. AD SOROREM ET FILIAM. (Anno 801.)

Significat quantum aestimet illarum amicitiam. De felici nuntio Roma accepto certiores reddit. Mittit quosdam tractatus Ven. Bedae describendos. De propria sua valetudine illas instruit.[Col. 0377B]

Charissimae in Christo

@ [Col. 0378D] *Sorori et filiae.* Gislae sorori et Rictrudae filiae fortassis, quibus commentarium in Evangelium sancti Joannis dicavit; et quas in alia epistola codicis Harleiani, quam initio ejusdem commentarii exhibebimus, Luciam et Columbam

appellat. Ad easdem scriptas fuisse alias duas epistolas cod. Harleiani existimo, anno incerto; quas propterea huic conjungendas esse censui. sorori et filiae gratissimae, Pater perpetuae beatitudinis salutem.

Quantum inter nos rerum eventus probare potuit, semper ab initio cognitionis nostrae optime nostris partibus vestram bonitatem fidelem invenimus. Proinde gratias et laudes Deo omnipotenti perpetuas agere aequum habemus, qui nobis, quamvis indignis, tam clarae dignitatis et tam probatae fidei concessit amicitiam, et, quod raro inter consanguineas personas inveniri poterit, in peregrinis nominibus reperire perdonavit; quamvis, quantum ad Christianae fidei societatem nullus dici debeat peregrinus, quantum vero ad saeculi exsilium omnes peregrini sumus, [Col. 0377C] dicente Psalmista: *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est* **(Psal. CXIX, 5)**. Exsilium est habitatio hujus vitae, quoniam cogit nos ad Patriam properare, de qua dicitur: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te* **(Psal. LXXXIII, 5)**. Felix est qui de labore ad requiem perveniet, in qua sine omni perturbatione animi vel corporis vivet in aeternum.

Placido animo vestrae pietatis suscepimus eulogias, devoto deprecantes animo Dei clementiam, longaeva prosperitate vos feliciter in hoc saeculo vivere, et ad aeternam beatitudinem post hujus labores vitae pervenire.

Candidus noster de Roma reversus est, omnia prospera inde referens de domino meo David et omnibus [Col. 0377D] fidelibus suis; filiolos nostros

@ [Col. 0378D] *Remansisse cum Pippino.* In Italia scilicet a Carolo anno 801 Roma in Franciam redeunte, pro expeditione bellica in Beneventanos relicto. Vide notas epistolae proxime antecedentis. remansisse [Col. 0378A] cum Pippino dixit; apostolicum suos superare adversarios referebat, et in magna esse gratia cum domino imperatore.

Tractatus quos rogastis direximus, deprecantes ut quantocius scribantur et remittantur, quia nobis valde necessarii sunt propter legentium utilitatem, quos dominus Beda [*Ms.,* Boeda] magister noster sermone simplici sub sensu subtili composuit. Ideo ejus opuscula vobis dirigere curavimus, quia ejus maxime dicta vos desiderare intelleximus

De mea vero sanitate scito quod partim febris recessit, partim remansit. Ad castigandum permanet; sed minus meritis meis pepercit mihi pietas divina et intercessiones sanctorum suorum. Sed adhuc restat maximus timor de judicio Dei, quem nullus [Col. 0378B] effugere valet. Tantum castiget nos pia miseratione perpetui Patris bonitas, et non tradat nos in manus inimicorum nostrorum: Cui saepius dicam: *Erue a framea animam meam et de manu canis unicam meam* **(Psal. XXI, 21)**. Item: *O Domine, libera animam meam, misericors et miserator Dominus* **(Psal. CXIV, 4)**, ut fieri possit quod dicitur: *Benedic, anima mea, Dominum* **(Psal. CII, 1)**. Atque iterum: *Lauda, anima mea, Dominum* **(Psal. CXLV, 2)** . *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum* **(Psal. LXXI, 17)**. Perpetua benedictione divina vos gratia coronare dignetur, dilectissimae in Domino dominae!

@ [Col. 0378D] Froben. epist. 189.

EPISTOLA CXXXIX. AD SOROREM ET FILIAM. (Anno incerto.)

Charitatem et lectionem sanctae Scripturae cum oratione commendat. [Col. 0378C]

Dilectissimis in Christo personis sorori et filiae sempiternam supernae beatitudinis salutem.

Quid est quod vestra tanto tempore tacuit charitas? Nunquid verba defecerunt salutationis, seu causae non supervenerunt quarum notionem charta nec deferret ad aures nostras? Nunquid longinquitas terrarum charitatis dulcedinem separare debet, cujus flammam nec profunditas fluminum, nec pelagi immensitas, juxta Cantici sermonem, obrui poterat **(Cant. VIII, 7)**, in qua sola qui offenderit, *factus est omnium reus* **(Jac. II, 10)**. Haec est quae super bonos [Col. 0378D] et malos splendescere debet, ut sit homo terrenus in [Col. 0379A] ea perfectus, *sicut Pater qui in coelis est, perfectus est* **(Matth. V, 48)**.

Ergo Filius charitatis, filius est Dei, *quia Deus charitas est* **(I Joan. IV, 16)**, cujus lux corda vestra sufficienter irradiet; cujus dulcedo pectora vestra abundanter reficiat. Haec est summa omnium bonorum; haec est optima pars, quae nunquam auferetur, sed magis atque magis in pectore habentis ardescit; de qua duo dixerunt discipuli, cognita Domini facie in fractione panis: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scrituras?* **(Luc. XXIV, 32.)** Vos eam in Scripturis quaerite sanctis, intentissime scrutantes eas, ut cognoscatis Dominum vobis loquentem in eis.

Quid dulcius est quam Dei omnipotentis frui confabulatione? [Col. 0379B] quia qui legit sacratissimos sermones Domini, per sanctos suos nobis traditos, Deum loquentem audiet; et qui orat, Deo loquitur. Hae sacratissimae vicissitudines diem et noctem ducant in jubilationem; nec saecularis occupatio spiritalem subruat jucunditatem; quia vanitas vanitatum est, hujus saeculi deliciae et falsi amores; quia omnes hujus vitae jucunditates velut umbra transeunt, et velut spuma super aquam facile dissipantur. Ideo, dilectissimae et nobilissimae virgines, animas vestras in omni sanctitate et religione lectionisque studio exercete, ut Spiritus sanctus de coelo vestrae devotionis corda saepius visitare dignetur, qui pectora inhabitare dignoscitur charitate plena, et in sancta sapientia sollicita mente sudantes.

[Col. 0379C] Haec interim sanctae dilectionis calamo praelibare curavi. Caeterum si paternae voluntatis effectum scire curam habetis, scitote quotidie infirmitates crescere, et variis corpus debilitare doloribus, et Dominum pulsantem januas, si vigilantem inveniat famulum suum; vigiliasque vestris adjutus intercessionibus custodire sanctas, ne me in saeculi occupationibus dormientem inveniat, qui apostolis suis praecepit dicens: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem;* spiritus quidem promptus est, caro [Ms., *cor*] autem infirma **(Matth. XXVI, 41)**. Vestram sanctitatem in omnibus bonis florere, et ad perpetuam Deus Jesus proficere faciat felicitatem, soror in Christo charissima!
@ [Col. 0379D] Froben. epist. 190.

EPISTOLA CXL. AD SOROREM ET FILIAM.

Suadet in prosperis et adversis servare aequanimitatem exemplo sanctorum, quorum vitas vult eas legere ex Dialogis sancti Gregorii papae. [Col. 0379D]

In Christo charissimis personis sorori et filiae pietas paterna salutem.

Gratias agimus divinae clementiae de vestra prosperitate et salute, et de omnibus bonis, quae illius ineffabilis misericordia vobis condonavit; etiam et illius continua voluntate laudamus pietatem, qui nobis licet indignis tam fidele solatium, et tam dulcem charitatem in vestra dilectione contulit: unde et necessarium est omnibus in Christo pie viventibus illius supereminentem laudare gratiam, qua humano [Col. 0380A] generi misertus est; et quidquid boni egerimus ad illius semper referre benignitatem, sine qua, ipsa Veritate attestante, nihil efficere valemus: in qua bonitate vestra semper unanimitas laeta remaneat; nec adversitatibus saeculi, vel infidelitatibus mundi amatorum frangi debet, nec tristitiam habere, licet nobis multa eveniant adversa. Sic est hujus praesentis vitae varietas, ut prospera semper misceantur adversis, sicut dies nocte mutatur; sicut sanitas corporis morbis supervenientibus afficitur; sicut flos juventutis senectute superveniente marcescit; sicut aestatis tranquillitas hibernalibus atteritur tempestatibus. At nihil horum religiosam mentem fatigare debet, sed semper stabili tenore erecta spe ad Deum firma soliditate immobilis permanere. Unde et testificatione [Col. 0380B] ipsius Veritatis Joannes Baptista laudatur, quod non esset *arundo vento agitata* **(Luc. VII, 24)**, id est, nec adversitatibus saeculi, nec reprehensione invidiosa; vel etiam adulatione subdola, vel prosperitate arridente a stabilitatis rectitudine mentem declinare voluit [*Ms.,* valuit]; sed semper aequali mentis soliditate quae adversa pertulit, vel laeta temperavit; cujus exemplo vestrae firmetur in Deo, dilectissimae personae, exercitatio mentis. Proficiunt enim saepe tentationes, ut probata patientia in mercedem aeternae retributionis crescat.

Sicut aurum igne probatur, ita tribulationibus mens Christiana examinatur, dicente Scriptura: *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animum tuum ad tentationem* **(Eccli. II, 1)**, non ad securitatem. Roborate [Col. 0380C] vosmetipsas exemplis sanctorum, legentes per vices illorum vitae dulcissima exempla, et sanctorum verborum hortamenta necessaria; sit illorum vita vobis in speculum. Nam fessae mentis acumen levioris lectionis interpositio saepe reficit. Ideo difficilior in apostolica auctoritate sensus vos procul dubio saepius fatigare habet; sed tenete nunc in manus vel Vitas Patrum, vel miracula sanctorum, quorum in dialogis beati Gregorii, doctoris nostri, multa inveniuntur lucidissima exarata eloquentia, et sententiis sanctae Scripturae semper confirmata. Haec et inter vos conferre, et in conviviis aliis edere jam sic consuetudinem incipietis habere, valde vobis esse jucunda arbitrantium. Sicut diversitate ciborum fastidium manducanti tollitur, ita varietate lectionis mens reficitur [Col. 0380D] legentis: quorum omnium vestra charitas considerata providentia videat, quid cui tempori vel qua persona conveniat, ut plurimi vestris optimis admonitionibus ad salutem animarum suarum proficiant.

Haec scripsi paterna admonitione, ut dilectio vestra in hanc chartam meam saepius

habeat praesentiam, sicut charitas vestra nostrae menti firmiter infixa manebit. Videte quam planum est intelligere in charitate mutua, quod in Evangelio ipse Dominus dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Non tantum hoc de praesentia corporali dictum putemus, sed [Col. 0381A] magis de praesentia sanctae charitatis, *quae diffusa est per Spiritum sanctum in cordibus nostris* **(Rom. V, 5)**. Habentes thesaurum verae dilectionis in pectoribus nostris, inde unusquisque alium adjuvet secundum mensuram donationis Christi, sive in solatio saecularis necessitatis, sive in communione spiritalis doctrinae: Et ubi haec fiant, ibi certissimum est Christum esse in medio, qui de corde religioso in cor alterius charitatis suavitatem diffundit, ut sit una concordia omnium Deum diligentium, et una pietas invicem se adjuvantium.

Haec vos assidua considerantes dulcedine, nostrique memores, Christo miserante, semper de die in diem in charitate crescite, in fide confirmamini et in spe divinae bonitatis indeficientes aeterna prosperitate [Col. 0381B] valete, charissima et jucundissima dilectionis sanctae nomina!
@ [Col. 0381D] Froben. epist. 191.

EPISTOLA CXLI. AD AQUILAM SEU ARNONEM. (Anno 801, post Pascha.)

Meminit cum gaudio de prosperitate et exaltatione regis. Cupit instrui de causa domni Apostolici, de Beneventana controversia, et de actis in conventu episcoporum. Refert statum suae valetudinis.

Venerando Patri, et in membris Christi excellentissimo Aquilae archispeculatori Albinus devotus in charitate frater indeficiens [*Forte, indeficientis*] gloriae salutem.

Gaudens gaudebo de fide et charitate beatitudinis vestrae; de prosperitate, salute et exaltatione pii [Col. 0381C] principis triumphatoris magni, et
@ [Col. 0381D] *Gloriosi imperatoris.* Hinc patet praesentem epistolam post acceptam a Carolo in Natali Domini anni 800 imperatoriam dignitatem; et quidem, postquam Alcuinus ab infirmitate, qua se per Pascha afflictum fuisse asserit, nonnihil respiravit, scriptam fuisse, id est, anno 801. gloriosi imperatoris, et nobilissimae prolis illius, fideliumque omnium ejus incolumitate: nisi duo defuerunt in litteris vestris de domno apostolico patre nostro, qualiter longa certatio pastoris et populi terminata esset; et de Beneventana controversia. Quoniam sollicitus sum valde de filiis meis, quorum mihi vitam, et salutem, et benefacta pernecessaria esse tu ipse optime nosti. Et miror cur sapientia et consilio
@ [Col. 0381D] *Conventus multorum.* «Fecit» namque Carolus Romae anno 800 «conventum maximum episcoporum, seu abbatum cum presbyteris, et diaconibus, et comitibus, seu reliquo populo Christiano;» ad examinandam scilicet et dijudicandam causam Leonis papae III et alia tam in publicis quam ecclesiasticis rebus ordinanda. Qui conventus in alterum annum continuatus [Col. 0382D] fuit, ut referunt Annales Francorum Loiseliani et alii apud Bouquet., tom. V saepius laudato. conventus

multorum ob regni istius integritatem quoquo modo causa disceptationis impiae non finiretur: simul etiam sollicitus sum audire quid in tanto tamque praeclaro conventu de statu sanctae Ecclesiae ordinaretur, et de catholicae fidei firmitate; nec tam diutino tempore advenientium conversatio sine magno quolibet profectu [Col. 0381D] Christiani populi fieri debuit. Tua vero sanctitas, pastor dignissime, gregem Christi, tuae sollicitudini commendatum, omni cura per pascua perpetuae vitae ducat, quatenus multiplici gaudeas remuneratione [Col. 0382A] cum grege tibi subjecto in aeternae beatitudinis regno.

De mea vero prosperitate gaudeat paternitas tua, quoniam Dominus Deus, *qui mortificat et vivificat, vulnerat et medetur* **(I Reg. II, 6)**, castigavit me per Pascha multa febrium flagellatione, et pene ad desperationem vitae deduxit. Sed misertus est mihi ob preces servorum suorum; sed remanet quotidianus labor ejusdem castigationis, non tamen usque ad periculum vitae, sed usque ad emundationem, ut opto, delictorum meorum. Te vero quotidie mea mens Dei omnipotentis clementiae commendare studet, optans ut proficias in omni bono in conspectu Dei. Corpore vero propemodum emortuo vivida charitatis virtus vivit in pectore, amans te, frater mi Aquila, [Col. 0382B] ut Patrem, quoniam fidelem te semper probavi; et quod rari habent, in prosperis et adversis aequaliter ejusdem animi esse in amicos; nec de hoc tui cordis thesauro cuilibet dubitare fas esse fateor, *quia charitas Dei diffusa est in corde tuo, simul etiam et proximi, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut diligamus invicem, sicut et Christus dilexit nos* **(Rom. V, 5)**.

Desidero multum vestrae dilectionis faciem videre, et consolationis tuae solatio foveri. Tempus est aeternis providere diebus, quae sola pene sapientia recte dici poterit. Saecularium rerum providentia pauco proderit tempore; perpetuae vero prosperitatis providentia nullo fine claudetur; quae fraterna collocutione multum proficere nemini dubium esse debet, dicente [Col. 0382C] ipsa Veritate: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Quid deerit boni consilii, ubi tantus mediator interesse dignoscitur? Incolumem beatitudinem tuam, et plurimis prodesse in consiliis et exemplis, multo tempore divina custodire dignetur gratia, domine pater, fili, frater et amice!
@ [Col. 0382D] Froben. epist. 192.

EPISTOLA CXLII. AD FRATRES FULDENSES. (Circa annum 801.)

Hortatur ad religiosas virtutes. Mittit pallium storacium pro corpore sancti Bonifacii, et chartulam missalem.

Sanctissimis, nobisque cum omni charitate colendis
@ [Col. 0382D] *Fratribus sancti Bonifacii.* Fuldensibus, quod monasterium sanctus Bonifacius fundavit; ibidemque post gloriosum martyrium sepultus est. fratribus sancti Bonifacii Patris et protectoris [Col. 0382D] nostri, humilis levita Alcuinus, aeternae beatitudinis in Christo salutem.

Memor dulcissimae dilectionis vestrae, qua me benignissime cum omni gaudio olim

@ [Col. 0382D] *Me olim suscepistis.* Alcuinum aliquando Fuldae fuisse hinc quidem constat; incertum tamen relinquitur utrum ibi scholam aperuerit litterasque ipsemet docuerit, prout Trithemio aliisque visum est. Credam nihilominus Alcuinum ibi haud otiosum fuisse, et pro suo in scientiis promovendis fervore, Fuldensibus saltem optima ad bonas litteras excolendas consilia suggessisse. Hoc profecto officium [Col. 0383D] fuit viri, qui non Turonis tantum, sed *in universa Francia magisterium exercuit, ut loquitur Altfridus libr.* I de Vita sancti Liudgeri, num. 9. suscepistis: et [Col. 0383A] quantum tunc laetatus sum in praesentia vestra, tantum nunc torquetur animus in absentia, quaerens videre quos amat, et habere praesentes quos diligit. Sed quia hoc carnalibus non est concessum oculis, fiat spiritali praesentia perpetua dilectio; quia charitas quae deseri potest, nunquam vera fuit. Quapropter tendamus ad illam, quae nunquam finem habitura est, in qua beata aeternitas est, et aeterna beatitudo: ut ad hanc pervenire mereamini, nullus labor vos terreat; nullae saeculi hujus blanditiae retrahant, sed semper illius amor ardeat in cordibus vestris, qui tertius in via comes apparuit duobus discipulis; qui sublatus ab eorum oculis carnalibus dixerunt: *Num cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas* **(Luc. XXIV, 32)**? In litteris [Col. 0383B] sanctorum Patrum quaeramus illum quem illi necdum docti in Scripturis intellexerunt. Modo aperta sunt omnia; modo ipse aperuit sensum, de quo dictum est: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* **(Ibid. 45)**. Nunc evangelica veritas toto resplendet in orbe; nunc prophetarum aenigmata sole lucidius fulgent in ecclesiis Christi. Hanc lucem veritatis tota anima sectemini, et Christum intelligite, in illa Christum amate, Christum sequamini, quatenus ejus vestigiis sacratissimis inhaerentes vitam aeternam in ejus sanctissima praesentia habere mereamini; memores apostolici mandati dicentis: *Fratres, stabiles estote et immobiles in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (I Cor. XV, 58). Stabiles estote in loco vestro, et in [Col. 0383C] devotione propositi vestri. Nolite derelinquere sanctissimum Patrem vestrum; state circa sepulcrum ejus, quatenus ille preces vestras offerat omnipotenti Deo. Nolite concupiscere saeculares vanitates, sed coelestes amate beatitudines; *et nolite,* sicut Doctor gentium ait, *conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* **(Rom. XIII, 2)**. Turpe est enim monacho militiam spiritalem amittere, et saecularibus se implicare negotiis.

Non sint murmurationes inter vos, non odia, non invidiae, non detractiones; et nolite judicare alterutrum; sed in humilitate et concordia omnes vestrae fiant actiones: *Obedientes praepositis vestris, non ad oculum tantum, sed ex corde, quasi coram Deo* **(Ephes. VI, 5, 6)**. Obedientia vestra, charitas vestra, humilitas [Col. 0384A] vestra notae sint omnibus, ut plurimi vestris bonis exemplis erudiantur, et proficiant in salute animarum suarum. Si vero venerandus Pater

@ [Col. 0383D] *Bonulfus* seu, ut alii scribunt, *Baugulfus, qui hoc tempore praefuit monasterio Fuldensi, Sturmii seu Sturmionis, qui anno 779 obiit, successor.* Is vero anno 802 «potestatem, quam habuit, reliquit, et successorem Ratgarium accepit,» ut refert annalista Fuldensis. Causa ob quam Baugulfus abbatiam dimisit, fortassis *infirmitas fuit,* quae illum ad sufferendam *regularis vitae duritiam ineptum reddidit, de qua illum Alcuinus hic a suis fratribus judicari noluit.* Hinc mihi videtur, tempore scriptae hujus epistolae seu ab ipso Baugulfo, seu a suis monachis cogitatum fuisse de

abdicatione abbatiae; et propterea eamdem epistolam paulo ante annum 802 esse collocandam existimo---Exstat epistola Caroli Magni *Baugulfo totique illius congregationi singulariter* [Col. 0384D] inscripta, quamvis eadem simul ad omnes episcopos et monasteria anno 787 missa fuerit. Exhortatur ibi rex Carolus omnes ad excolenda et restauranda tam in ecclesiis cathedralibus quam in monasteriis litterarum studia. Mabillonio verisimile est, «Alcuinum ipsum, qui tum in Caroli comitatu erat, eidem auctorem fuisse ut hanc epistolam ad universos episcopos et abbates mitteret, quam forsan Alcuinus ipse dictaverat.» Edita primum fuit a cl. Sirmondo ex cod. ms. monasterii sancti Arnulfi Mettensis; quae etiam integra exhibetur apud Bouquet., tom. V Script. Rer. Gall. pag. 621. Negat quidem Carolus Cointius illam Baugulfo abbati fuisse inscriptam, levi prorsus argumento; quod refutat Mabillonius libr. XXV Annal. num. 64, pag. 279. Bonulfus, dilectissimus meus amicus, non valeat pro infirmitate sua implere regularis vitae duritiam, vos illum judicare nolite, sed ex corde obedite illi, et amate ut Patrem, quia ipse rationem redditurus erit de animabus vestris. Ille pro vobis laborat vagando et currendo, ut quiete vivere [valeatis] et regularem vitam vestram custodiatis, et corpori vestro necessaria habeatis. Vos vero facite sicut filii charissimi; Deum timete, Deum diligite, et curam sanctissimi Patris vestri habete in orationibus vestris, quatenus longaeva prosperitate vobiscum vivat feliciter, et vobiscum vosque cum illo vitam habere mereamini [Col. 0384B] sempiternam.

Adolescentulos vestros admonete, instruite, docete in omni disciplina sancta et doctrina catholica, ut digni habeantur in loco vestro stare, et orationum . . . vobis dirigere, ubicunque maneatis. Admonete corde [de] castitate corporis, de confessione peccatorum suorum, de lectionis studio et labore manuum sine murmuratione, et de omnibus rebus quae tali aetate necessaria videantur; et illi subditi fiant senioribus et magistris suis, humilitate bona, in religione piissima. Et vos seniores qui estis, bona eis praebete exempla, ut non solum verbis, sed vitae religione vestrae erudiantur. Non sint luxuriosi, non ebrietati servientes, non contemptuosi, non inanes sequentes [Col. 0384C] ludos, sed discant officiales esse boni in domo Dei, ut benedictionem et gratiam, per intercessionem sancti Bonifacii Patris sui, a Deo Christo recipere mereantur, meque deprecor ut perpetua memoria habeatis vobiscum in sanctis orationibus vestris; tempus enim appropinquat, quod nullus effugere valet: praeparet se unusquisque, ut vestitus bonis moribus, non nudus appareat in conspectu Domini Dei sui.

Direxi unum

@ [Col. 0384D] *Pallium storacium.* Dictum «a colore storacis, quae gutta similis est mali cydonis,» inquit Papias. Vid. Du Cange Gloss. voce *Stauracium.* pallium storacium ad corpus sancti Bonifacii Patris nostri, de cujus sancta intercessione pro peccatis meis magnam habeo fiduciam; quatenus ego peccator vel veniam habere merear ea die, qua vestra sanctitas coronam recipiet beatitudinis aeternae.

[Col. 0385A] Misi

@ [Col. 0385D] *Misi cartulam Missalem, etc.* Similem misit ad monachos Vedastinos. Vid. epist. 51. Auctor Micrologi de Eccles. observ. cap. 60, tom. XVIII Bibliothecae SS. Patrum pag. 489, Edit. Lugdun., ait: «Alcuinum rogatu sancti Bonifacii archiepiscopi Moguntini missales orationes composuisse, ut presbyteri illius temporis, nuper ad fidem

conversi, nondum ecclesiasticis officiis instructi, nondum etiam librorum copia praediti, vel aliquid haberent, cum quo officium suum qualibet die possent explere.» Sed in his plurimum allucinatur auctor praefatus, prout ex hac epistola manifestum est; non enim has missales orationes misit ad presbyteros nuper conversos; sed ad presbyteros monachos diu in officiis divinis [Col. 0386D] exercitatos: non rogatu sancti Bonifacii, quocum Alcuinus vix consuetudinem habuit; sed ex charitate erga fratres sancto Bonifacio servientes, et in hujus honorem. chartulam Missalem vobis, o sanctissimi presbyteri, ut habeatis singulis diebus, quibus preces Deo dirigere cuilibet placeat; quando in honorem sanctae Trinitatis; quando de amore sapientiae; quando de poenitentiae lacrymis; quando de charitate perfecta, vel quando ad suffragia angelica postulanda, vel omnium sanctorum cuilibet postulare placet; vel etiam si quis pro peccatis suis; vel pro quolibet amico vivente; et etiam pro amicis plurimis; vel etiam fratribus de hoc saeculo recedentibus facere velit orationes; vel quando specialiter beatae Mariae genitricis Dei virginis perpetuae deprecari velit intercessiones; vel etiam sanctissimi Patris vestri Bonifacii cantare quis velit, et praesentiam illius piissimam advocare precibus. Haec omnia [Col. 0385B] charitatis intuitu vobis dirigere curavimus, deprecantes humilitatem vestram, benigne suscipere, quod plenissima charitate vobis dirigimus. Faciat quislibet de eis, quodcunque placeat, et ne me reprehendat in charitatis officio. Unusquisque enim in suo sensu abundet, et semper faciat Deo placita, et omnibus sanctis, quatenus cum illis perpetua visione Domini nostri Jesu Christi frui digni inveniantur.

Mei memorem sanctam beatitudinem vestram Dominus Deus in omni postulatione sancta exaudiat, et praesentem felicitatem, futuramque beatitudinem vobis condonare dignetur, dilectissimi fratres. Deprecor ut nobis per litteras beatitudinis vestrae notum faciatis, si hae ad vos pervenerint litterae, et [Col. 0385C] quid exinde vestrae placeat prudentiae. Quod meum est feci, charitatis implens officium in amore et honore Domini nostri Jesu Christi.

{158}
@ [Col. 0386D] Froben. 107. Edit. Mabill. 14, ubi inscripta: *Optimo praesuli evangelicoque doctori, omisso nomine proprio.* Mabillonius ex conjectura ad Liudgerum Mimigardefordensem episcopum datam censuit. Sed haec conjectura ex cod. ms. Salisb. evertitur, ex quo hic emendatior prodit. Hanc epistolam cum aliis jungo, in quibus crebra, ob ingravescentem morbum, mortis memoria est.

EPISTOLA CXLIII. AD ARNONEM. (Anno 801.)

Illum, ut ad S. Martinum veniat, invitat: ad coelestia aspirat, et pro se orari cupit.

Optimo praesuli Aquilae Albinus salutem.

Occurrat chartula, charitatis calamo conscripta, vestrae reverentiae, frater desiderantissime, tuis susurrans auribus, ut venias, si fieri possit, ad limina beati [Martini] Patris nostri, protectorisque vestri, ut tuus tecum familiari collatione [Albinus] sodalis [Col. 0385D] agere extrema salutationis verba valeat: quia festinat hora

divisionis inter fratres, separationis inter amicos. *Eunti homini in domum aeternitatis suae, et circumeuntibus circa eum in platea plangentibus* (Eccl. [Col. 0386A] XII, 5); tunc vera probabitur amicitia, dum falsa cessabit adulatio. Multi promittunt societatem, sed pauci custodiunt. Nec mirum; quia *multi sunt vocati, pauci vero electi* **(Matth. XX, 16)**. Sed quid ad haec? Jungat se homo Deo, et habebit cuncta quae necessaria sunt. *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis* **(Matth. VI, 33)**. Dolores et tribulationes hujus vitae nos quotidie admonent Deo jungi, terrena fugere, coelestia amare. Sed heu, proh dolor! his optamus miseriis diu interesse, et minus perpetuam quaerimus requiem; nostris inhiamus cupiditatibus, minus Dei praeceptis inhaerentes, qui paterna pietate nos castigat, ut animo haec temporalia fugiamus, et ad aeterna festinemus, ubi vera est beatitudo. Ut ad hanc pervenire merear, [Col. 0386B] Deo miserante, tua me sanctitas orationum suffragiis adjuvet. Periculum meum novi, peccata mea agnosco. Ideo supplex servorum Christi deposco intercessiones, ut mei misereantur. Spes et consolatio mea omnium Redemptor Deus Christus, cui laus et gratiarum actio pro omnibus bonis, quae mihi gratuita pietate concessit in hoc saeculo.

Vive Deo felix, mundo nam vivere mors est;
Vera quidem est homini vivere vita Deo.
@ [Col. 0386D] Edit. Mabill. 15, Froben. 108. Integrior hic apparet ex cod. Salisb.

EPISTOLA CXLIV. AD ARNONEM. (Anno 801.)

Arnonem ad S. Martinum videre, et cum illo de vitae suae rationibus consilia inire desiderat, antequam ex hac vita decedere cogatur.

[Col. 0386C] Domino merito amabili Aquilae pio praesuli et pacifico, Albinus salutem.

Perpetua charitas occasionem semper inveniet salutationis ad amicum, ut gaudeat in lectione litterarum animus fidelis, cui non est datum laetari in praesentia oculorum. Sed melior est fidelis animi aspectus in charitate, omni intuitu pupillarum. Ideo animo spiritaliter Deus inspiciendus est, non oculis carnalibus, quos communes habemus cum vermiculis: cujus visio omnis est beatitudo, quae sanctis promittitur in sempiterna gloria, a qua tolluntur impii, ne videant gloriam Dei. Ad hanc perpetuae beatitudinis visionem nos invicem exhortemur, quia *frater a fratre adjutus, civitas est firma* **(Prov. XVIII, 19)**. [Tamen si haec vera, quae dixi de animi visione, [Col. 0386D] valde vera videri debeant] quoddam mihi dispendium esse in absentia faciei vestrae video, [non propter nigros in capite capillos, sed propter oculos dulcissimos, et amabilem charitatis loquelam, quam inter [Col. 0387A] nos fideliter habere consuevimus. Ego siquidem
@ [Col. 0387D] *Vocatus ad palatium propter infirmitates, etc.* Vid. epist. 134 ad Carolum paulo ante descriptam. Scripta est epistola, dum Arno Roma rediret anno 801. Vide etiam epistolam hic sequentem. vocatus ad palatium, propter infirmitatem corpusculi mei venire nequeo, te {159} spectans, vita comite, in domo Dei et sancti Martini]. Si quo modo [*Cod.* Mab., Si aliquando] desiderium hoc mihi amabile, Deo miserante, evenire valeat ad invicem contemplari, antequam rumpatur *vitta aurea, et conteratur*

rota super fontem **(Eccle. XII, 6)**, et eat homo exterior in domum aeternitatis suae plangentibus circa eum amicis; et spiritus revertatur ad judicium illius, *qui dedit eum* **(Eccle. XII, 7)**. Hujus vero judicii terrore totus contremisco, saecularisque negotii deposito onere Deo soli servire, licet pigro corde et imposito gradu, eligam, ne me minus paratum dies illa per omnia inveniat. Sed Deo miserante, vitaque comite [Col. 0387B] vulnera quae hujus saeculi miseria mihi infeliciter inflixerat, secundum consilia vestrae sanctitatis mederi aggrediar: hisque transactis inter nos consiliis (quod sine lacrymis non dico) ultimum vale fiat [inter Aquilam et Albinum]. Et ego perpetualiter tuis sanctissimis corroboratus consiliis atque orationibus, spectans spectabo [in loco praefinito], *quando revertatur Dominus meus a nuptiis pulsare januam* **(Luc. XII, 36)**, an custodem domus vigilantem inveniat; hujusque timendae horae momento peracto, utinam tuam beatitudinem propter necessarias pro peccatis meis intercessiones superstitem relinquam. Quia fides in extremis probatur, quae pene rara invenitur in hominibus. Omnes enim valde ea indigent, sed pauci habere videntur. [Has te non pigeat saepius legere [Col. 0387C] litterulas, quas lacrymis dictavi obortis; quatenus in memoria habeas, quid maxime a te meum spectet desiderium; et quod vix invenitur in quamplurimis, in te certum mihi habere agnoscat anima mea in loco praedestinato sibi.] Te vero divina clementia, Pater desiderantissime, multo tempore in servitio sanctae Ecclesiae et multarum profectu animarum proficere faciat, ut cum multiplici laboris tui fructu ad aeternam laudabiliter pervenire merearis beatitudinem. Iterum atque iterum dico, et cum lacrymis dico, mei memor esto. Omnipotens Deus te custodiat et in omni bonitate florere concedat, dulcissime et omnium dilectissime praesul.

@ [Col. 0387D] Edit. Mabill. 20 **(Froben. 109)**. Hic vero magis integra prodit ex cod. ms. Salisb.

EPISTOLA CXLV. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 801.)

Epistolae ad se missae respondet. Rursus praesentia Arnonis frui desiderat, impeditus ipse venire ad palatium.[Col. 0387D]

Domino merito in membris Christi amantissimo [Aquilae archiepiscopo] Albinus matricularius sancti Martini sempiternam salutem.

[Col. 0388A] Currenti legatione, litterae beatitudinis tuae venerunt ad me, suavissimae salutationis asserentes verba, quibus laeto perlectis animo nota agnovi, desiderata consideravi, laeta [*Mab.,* laetus] legebam in omnibus vestri animi sanctissimam de nobis devotionem vigilare. [Ad quas accito notario propter festinationem portitoris pauca rescribere curavi; maxime quia per Candidum filium nostrum, fidelem famulum vestrum

@ [Col. 0387D] *Duas . . . .* chartulas. Duas priores, immediate hanc praecedentes fortassis? duas ante direxi chartulas, unam ad

@ [Col. 0387D] *Ad Gandolfovillam.* Rev. auctor Prodromi Chronici Gottwicensis, part. II, p. 819, *Gundulphi villam,* [Col. 0388D] seu *Gundum-villam ex Miraeo ad pagum Tullensem* refert, et de *Gondreville ad Mosellam prope Tullum interpretatur;* quamvis

celeberrimus Valesius in Not. Galliarum, p. 239, id de *Gondecour in pago Vabrensi* prope *Conflans declaret.* Gandolfo-villam, aliam ad Aquis palatium; quem reor, miserante Deo, te

@ [Col. 0388D] *Revertentem, Roma, puto, per Gundolfovillam ad Aquis palatium.* revertentem ibi invenisse, qui omnia de nobis tibi viva voce pandere potuit, quomodo Dei clementia super infirmitatem et senectutem nostram respexit, et nos pacifice a strepitu hujus saeculi liberavit; ut quieta conversatione spectarem diem extremum, [Col. 0388B] qui pene nemini longe est, sed maxime timendus est ei cui prope esse agnoscitur et jam in januis stare.] Tua vero sanctitas vigilet super gregem Christi, ne lupinis morsibus aliquis [*Mab.,* aliquid] {160} desit gratiae Christi tuis subjectis [*F.,* abjectis] admonitionibus ad te respiciens, quia perditio cujuslibet animae pastoris est detrimentum. [

@ [Col. 0388D] *Vocatus fui ad dominum meum David.* Vid. epist. priorem. Vocatus fui ad dominum meum David, sed infirmitate tardatus non veni, seu et voluntate fui detentus.] Ille felix est qui castigatione Dei catenatus est, et ab hujus saeculi turbatis liberatus procellis. Nec unquam tantum divitiis saeculi circumfusus laetabar, quantum consideratione quieta vitae meae gavisus sum. Opto, Deo miserante, ut per tuam efficiatur dilectionem, quod per meam segnitiem fieri non poterit, id est, ut amplexibus [Col. 0388C] et alloquiis charitatis vestrae liceat mihi aliquam horam perfrui. Non est episcopus, cujus magis velim praesentia uti, secundum Dei miserationem, quam vestra. Quod ut fiat, ille efficiat, qui ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Periculum est fragili animo in hujus saeculi permanere tempestate. Martha ministrabat Christo, sed tamen circa plurima occupata, Domino dicente, legitur esse: *Maria vero optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea in aeternum* **(Luc. X, 40, 42)**.

[Si placet Deo, ut venias ad limina S. Martini multum desidero, opto atque deprecor. Sin autem, vel litterae vestrae veniant loquentes in aures Albini tui, uti per portitorem illarum longiorem chartulae [Col. 0388D] serim vobis dirigere valeam.] Mirabar in quadam chartula dilectionis vestrae quoddam verbum, quod ibi legebam in eo; ubi post competentes et animo meo desiderabiles sensus dixisti, quod propter occupationes nil mihi transmittere potuisses munusculi; quasi in auro vel argento charitas nostra consistat - [Col. 0389A] dum tanta est, ut vere fateor, in animo meo: vel etiam, ut credo, et in tuo: ut in comparatione ejus charitatis omnis divitiarum species vilescat. Illa est vera, de qua modo scripsisti, pericula fluminum non subire, de quibus dicitur: *Flumina multa non obruent charitatem* **(Cant. VIII, 7)**. Haec vigeat in cordibus nostris, non vana auri vel argenti species: quae non prosunt possidentibus illa, sed magis obsistunt, nisi eis qui illa uti ad salutem animae suae in largitionibus pauperum didicerint et opere perfecerint. Omnipotens Deus sanctitatem tuam ad multorum profectionem salute perpetua, benedictione felici incolumem protegere et custodire dignetur, domine Pater dilectissime et desiderantissime, atque honore in Deo dignissime.

@ [Col. 0389D] Hanc epist. hactenus ineditam damus (nunc 110) ex duobus cod. mss., uno Salisburg., altero Sanct-Emmeramiano. Quae uncis inclusa sunt in solo cod. Salisb. habentur.

EPISTOLA CXLVI. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM SALISBURGENSEM. (Anno 802.)

Significat suum erga Arnonem affectum. Ad quaesita respondere partim recusat, partim promittit. Regis justitiae amorem laudat: ministrorum avaritiam carpit. Mittit cum muneribus opusculum in Ecclesiasten Salomonis ad describendum.[Col. 0389B]

Reverendissimo Patri Aquilae archiepiscopo humilis matricularius Albinus salutem.

Nono Kal. Junii hora tertia beatitudinis vestrae missus ad nos pervenit, horaque nona ejusdem diei necessario se reversurum praedixit. Quapropter, in tam angusto temporis articulo me constituto, alia dictare non potui, nisi gratias tantummodo agere pro [Col. 0389C] dulcissima charitatis vestrae munificentia, et de sanctae fidei probatione, quam semper vestro inesse pectori {161} veraciter agnovimus. Sed multum meae nocet devotioni infidelitas accipientium litteras meas vobis dirigendas. Nam memini me anno transacto,
@ [Col. 0389D] *Vobis de Italia revertentibus.* Nimirum anno 801. Quod vero Alcuinus hic non de priori aliqua reversione [Col. 0390D] Arnonis ex Italia intelligi possit, ratio est quod haec epistola directa sit ad Arnonem legatione publica ad faciendas justitias, atque adeo missi regii munere jam occupatum, quod demum anno 802 factum esse, dicemus infra ad epistolam 112 (nunc 151). vobis de Italia revertentibus, duas dirigere chartulas; similiter modo obviam vestro adventu duas transmisi ad palatium; sed nescio quae ex illis ad vestram pervenerunt praesentiam. [Quia sicut mihi suave fuit vestrae allocutionis collatio, sic mihi jucundum est satis litteraria salutatione saepius vestram appellare auctoritatem; atque in accipiendis vestrae dilectionis litteris, multum me gaudere certissime scito, quia non est pontifex in hoc regno, cujus me magis fidei crediderim, aut magis ejus salutem optarem [Col. 0389D] in Domino, vel illius sancta consolatione frui, vel in loquela, vel in litteris desiderarem. Sed miseria hujus mundi disjungit charos, et convenientes separat animos, atque ardentius exinde nos docet ad eam festinare vitam, ubi nunquam charus deerit, nunquam inimicus aderit; cujus vitae beatitudinem qui agnoscit, facile hujus saeculi spernit delicias, quae non sunt deliciae, sed deceptiones; non dulcedines, sed amaritudines; non verae divitiae, sed falsae adulationes. [Col. 0390A] Sed heu, proh dolor! multi sunt amatores hujus deceptionis, et pauci cultores verarum divitiarum **(II Tim. III, 4)**, dicente ipsa Veritate, *Multi sunt vocati, pauci vero electi* **(Matth. XX, 16)**. Sed inter paucos contendamus esse, ut inter electorum numerum mereamur deputari.]

De canonica vita et regulari institutione, quid mea ignavia scribere, vel vestra occupatio implere poterit? vel quid sanctis canonibus addere, vel regulari discretioni mea sufficit imperitia, vel te inde admonere, unde ab infantia eruditus fuisti? Vel quid scire valet de judicio saeculari mea socordia, inter quae nunquam fieri volui? tamen si mea diligentia aliquid inde agnoscere poterit, dum certus sciam quid quaeras exinde, segnis non ero quid sentiam ostendere. [Col. 0390B]
@ [Col. 0390D] *De catholicae fidei ratione.* Vide notas epist. 152. De catholicae fidei vero ratione tempore opportuno, divino inspirante Spiritu, non me abnego aliquid inde

considerare secundum catholicorum scripta Patrum, atque ad vestrae augmentum sanctitatis transcribere: quod valde necessarium multis video, qui magis saecularia quaerunt quam spiritualia, nescientes quod, secundum Apostoli dictum, *impossibile est sine fine Deo placere* **(Hebr. XI, 6)**. [De orationibus vero pro vobis nullatenus mea mens oblivisci potest, sed quadam suavi recordatione in conspectu Dei tuae beatitudinis nomen cordi meo infixum teneo, maxime ante sepulcrum confessoris Christi atque intercessoris vestri beati Martini, inter sacrificiaque sanctorum Christi sacerdotum illud scribere feci]. De statu vero infirmitatis meae et voluntatis, candidus meus [Col. 0390C] tibi omnia dicere potuit. Quapropter superfluum est aliquid inde scribere, nisi hoc tantum dicere, ut omnis corporis mei dignitas recessit, et saecularis delectatio procul aufugit. De bona siquidem voluntate domni imperatoris valde certus sum, quod omnia ad rectitudinis normam in regno sibi a Deo dato disponi desiderat: sed tantos non habet justitiae adjutores, quantos etiam subversores; nec tantos praedicatores, quantos praedatores; quia plures sunt, *qui sua desiderant, quam Dei* **(Philip. II, 21)**. Tua vero sanctitas a nemine munera suscipiat pro causis, quia optime nosti in lege dictum, *munera excaecant corda sapientum, et subvertunt verba justorum* **(Exod. XXIII, 8)**. Quod malum nimie inter Christianos viget, quia qui propria spernere jubentur, aliena cum iniquitate rapiunt. Hoc [Col. 0390D] vero maxime tua bona providentia prohibeat omnibus tuae venerandae veritatis legationem spectantibus.

Munera vero dilectionis vestrae suavissima cum omni mentis alacritate suscepimus, licet nullius nunc mens mea desideret munuscula propter animi mei requiem; tua tamen mihi sunt semper dulcia, maxime in vestimentis, quae meo corpori satis opportuna semper fuerunt. Direximus benedictionis gratia charitati vestrae duo capita, propter duo praecepta [Col. 0391A] charitatis; et unum sagellum album subtile, propter perpetuae pacis concordiam, quae semper una eadem debebit esse inter nos. Direxi quoque ad transcribendum, si placet, nobisque iterum reddendum (quia aliud non habeo, nisi illud tantum) {162} opusculum in Ecclesiasten Salomonis. Cujus opusculi causam et rationem ex ipso prologo intelligere poteris. Sed deprecor ut citius transcribatur, si dignum ducas, atque mox remittatur nobis, ne pereat pueris nostris laboris nostri devotio, quia aliud, sicut dixi, non habeo, nisi istud tantummodo. [Omnipotens Deus perpetua te prosperitate custodire dignetur, atque in omnibus sanctarum divitiis virtutum florere concedat, domine Pater et desiderantissime frater.]
@ [Col. 0391C] Froben. epist. 193.

EPISTOLA CXLVII. AD THEODULFUM ARCHIEPISCOPUM. (Circa annum 802.)

Laudat illius virtutes: gratulatur de obtento ab apostolica sede pallio; hortatur ad instantem praedicationem. Itineranti fausta precatur.[Col. 0391B]

Pio Patri et prudenti magistro, nobisque cum omni amore amplectendo
@ [Col. 0391C] *Theodulfo archiepiscopo Aurelianensi.* Ubi notandus est titulus archiepiscopi, qui illi non ratione sedis suae, quae nunquam metropolitica fuit, sed honore personali, ob adeptum a sede apostolica pallium, ut inferius dicam, competebat.

Scripsit vero Alcuinus hanc epistolam, prout ex illius contextu liquet, ex monasterio Turonensi post annum 796 quo se illuc recepit; et eo quidem tempore, quo jamjam vires corporis ob continuam febrem fractae essent, et sensim [Col. 0391D] deficerent, de quo in aliis quoque epistolis, anno 800 et serius scriptis, ingemiscit: praesentem vero scriptam esse anno 802 in notis sequentibus observabimus. Theodulfo archiepiscopo, humilis levita Alcuinus salutem.

Solent ex abundanti charitatis fonte verba fluere dulcedinis, quia quoddam refrigerium est aestuantis in amore cordis sermonibus ostendere, quod mente maxime tenetur. Unde ego privatae charitatis instinctu condictum amicitiae jus pietatis intuitu renovare cupiens, his litterulis vestrae sanctitati fidem meam [Col. 0391C] in memoriam revocare volui, ne thesaurus memoriae longa oblivionis rubigine vilescat: maxime quia filius noster Candidus, vester fidelis famulus, plurima bonitatis insignia nobis de vestrae beatitudinis nomine narrare solet; vel quam libera voce in
@ [Col. 0391D] *In conventu publico.* Hoc non de synodo dioecesana, sed de conventu totius regni seu imperii in praesentia regis seu imperatoris celebrato intelligendum censeo. Hic vero, meo quidem judicio non alius fuit, quocum iter Theodulfi Aurelianensis, de quo infra, combinari possit, quam conventus ille Aquisgranensis anni 802 in quo imperator Carolus Magnus «archiepiscopos, episcopos, abbates et comites elegit, quos in universum regnum suum direxit,» prout narrat chronicon Moissiacense. Vid. infra, col. 393, n. a. conventu publico veritatis testimonia pertulisset; vel quam honestis moribus inter majores minoresque [Col. 0392A] personas tuae beatitudinis foret conversatio. Etiam quam pia et religiosa sedulitate ecclesiastica coleres officia; vel qualiter impias disceptationes odio haberes; quoniam omnia certissimum est Deo placere; et Sancti Spiritus gratiam tuo pectori abundanter influere demonstrant, et illam tuo corde ardescere flammam, quam ipsa Veritas testatur se mittere in terram, ut arderet **(Luc. XII, 49)**, quoniam nullis poterit fluminibus extingui.

Gaudens gaudebo de augmento honoris vestri et
@ [Col. 0391D]

De sigillo sacerdotalis dignitatis, etc. Virorum doctissimorum, Baronii, Pagii, Sirmondi, Mabillonii et aliorum opinio hactenus fuit, Theodulphum a Stephano IV papa, dum is anno 816 Rhemis Ludovicum imperatorem coronasset, pallium accepisse, [Col. 0392C] et tunc demum archiepiscopum dictum fuisse. Sed haec opinio ex hac epistola penitus evertitur, cum certum sit Alcuinum vitam suam ad illum annum non produxisse.

Occasionem errandi viris celeberrimis praebuit carmen ipsius Theodulfi ad Modoinum (Sirmondi, tom. II, pag. 825), quod ad annum 817 referunt, et hisce versibus concluditur:

Solius illud opus Romani praesulis exstat,
Cujus ego accepi pallia sancta manu. [Col. 0392D] Hunc ergo locum de Stephano IV papa, cui Theodulfus a Ludovico Pio obviam missus fuerat, interpretati sunt viri laudati, quamvis Theodulfus pontificem ibi haud nominaverit. Enimvero Theodulfus in eo carmine conqueritur, se culpa neque probata, neque unquam a se confessa, exsilio

damnatum fuisse, additque, quod in se etiam confessum nemo judicium exercere potuisset, nisi Romanus pontifex, seu sedes Romana, a qua ipse pallium accepisset:

Esto forem fassus, inquit, cujus censura valeret
Dedere judicii congrua frena mihi? Solius illud opus, *etc.,* ut supra.

Tenendum igitur Theodulfum, vivente adhuc Alcuino, non a Stephano IV, sed a Leone III, et probabilius quidem, prout statim dicemus, anno 802, dum tanquam missus dominicus legationem in provincia Narbonensi obiret, et honore pallii et titulo archiepiscopi fuisse decoratum. de sigillo sacerdotalis dignitatis, quod apostolica vobis superaddidit auctoritas; sed sciens scito quod hujus honoris claritas praedicationis poscit instantiam. Pallium sacerdotale diadema est. Sicut regium diadema fulgor gemmarum ornat, ita fiducia praedicationis [Col. 0392B] pallii ornare debet honorem. In hoc enim honorem suum habet, si portitor veritatis praedicator existit. Memor esto sacerdotalis dignitatis linguam coelestis esse clavem imperii, et clarissimam castrorum Christi tubam; quapropter ne sileas, ne taceas, ne formides loqui, habens ubique operis tui itinerisque Christum socium et adjutorem. Nec enim fas est tam clari luminis, tam affluentis sapientiae lucernam sub modio abscondi, sed in honorem largitoris omnibus splendescere lumine veritatis, qui domum Dei ingrediuntur; quia *messis quidem multa est, operarii autem pauci* **(Matth. IX, 37)**. Sed quo rariores, eo instantiores qui sunt esse necesse est. *Exalta,* ait Propheta, *sicut tuba vocem tuam* **(Isai. LVIII, 1)**. Aliusque: *Sit guttur tuum sicut aquila* [Col. 0392C] tuba [Ita *ms.* lege: *In gutture sit tuba quasi aquila, etc.*] *super domum Dei* (Oseae VIII, 1). Multi occupant terram, sed quaerenti Christo fructum non afferent. Tua vero, vir venerande, sanctitas honoret ministerium tuum; praedica opportune, importune, et ut trapazeta sapiens multiplica pecuniam Domini, ut denaria mercede dignus efficiaris.

[Col. 0393A] Hoc opus, hoc etenim forsan te subtrahit igni Hoc opus, hoc etenim coelesti te inserit aulae.

Hoc poeta. Sed apostolica auctoritas hoc ubique admonere probatur; hoc et ipsa Veritas praecipit dicens: *Ite, docete omnes gentes* **(Matth. XXVIII, 19)**. Item Psalmista *beatum* esse refert, *qui meditabitur in lege Domini die ac nocte* **(Psal. I, 2)**.

Plurima forte vestrae videtur prudentiae meam garrire imperitiam; sed majora opto vobis divinae pietatis gratiam spiritalis beatitudinis conferre munera. Igitur ea fiducia has dictavi litterulas, quia sciebam vestram sanctitatem piae charitatis donis divitem esse, et libenter sustinere verborum pondera, quae ex veri amoris fonte fluere noscuntur. Sed hoc maxime supplici deprecor pectore, ut me famulum [Col. 0393B] vestrae sanctitatis in sanctis orationibus commendatum habeas, eo magis quo appropinquat dies retributionis. Nam me tacito pede curva senectus festinare cogit ad praesentiam judicis mei; sed et viam itineris mei, quasi latro rabidus, continua febris obsidet, spolians me optatae salutis vestimentis, ut vix aliquod servitium in domo Dei explere valeam. Unde me major compulit necessitas ad famulorum Christi currere suffragium, ut me sanctis satagant adjuvare intercessionibus, ne anima mea tradatur inimicis Domini mei Jesu Christi. Tu vero, vir clarissime, cui est aetas florida et vividae virtus sapientiae, et sancti honoris sublimitas, sacrae praedicationis floribus

@ [Col. 0393C]

Vias itineris tui. Hunc igitur locum interpretor de itinere a Theodulfo suscepto post conventum anno 802 mense Octobri, ut narrat chronicon Moissiacense, Aquisgrani celebratum, in quo Carolus imperator «elegit ex optimatibus suis prudentissimos et [Col. 0393D] sapientissimos viros, tam archiepiscopos, quam et reliquos episcopos . . . et direxit in universum regnum suum.» Capitulare ejusdem anni apud Baluzium tom. I Capitul. pag. 345. Huic concordat citatum chronicon Moissiacense, ubi sequentia leguntur: «Recordatus piissimus Carolus imperator in die sua de pauperibus, qui in universo imperio ejus erant, et justitias pleniter habere non poterant, noluit de intra palatio suo pauperiores vassos suos transmittere ad justitias faciendas; sed elegit in regno suo archiepiscopos et reliquos episcopos et abbates, cum ducibus et comitibus, qui jam opus non habebant super innocentes munera accipere, et ipsos misit per universum regnum, ut ecclesiis, viduis et orphanis et pauperibus et cuncto populo justitiam facerent.»

Nullus dubito quin in hoc conventu publico Theodulfo demandata fuerit legatio illa et praefectura in provincia Narbonensi, quam ipse libr. I carminum seu in *Paraenesi ad Judices apud Sirmondum a vers.* [Col. 0394C] 99 describit, narratque qualiter ipse, variis licet querellantium donis tentatus, munus judicis absque corruptione ubique exsecutus fuerit, prorsus nimirum ad mentem imperatoris in illo conventu declaratam.

[Col. 0394D] Scio celeberrimum Mabillonium libr. XXVI Annal. Bened. num. 71 et 72 hanc legationem referre ad annum 798 statim atque Laidradus, legationis socius, ordinatus est episcopus Lugdunensis. Sed pace viri summi dixerim id nullo veteri teste comprobari; neque satis constare quo anno Laidradus, quamvis illo anno fortassis electus, in sede sua fuerit ordinatus; quem etiam Theodulfus in cit. carm. v. 119 *futurum vocat Lugdunensem episcopum.*

His igitur non obstantibus, ex praemissis mihi vero videtur simillimum conventum illum publicum, et iter Theodulfi et pallii honorem, quod fortassis Theodulfus pro majori decore amplissimi sui muneris a sede apostolica adeptus est, et de quibus tanquam eodem tempore factis Alcuinus in hac epistola mentionem facit, cum anno 802 combinari debere, et ad eumdem annum hanc epistolam pertinere. vias itineris tui replere memento, in omni loco vestigia tui adventus relinquens, tuusque [Col. 0393C] tecum, supplici deprecor voto, vadat Albinus in ore et in corde quocunque eas, qui te apud sanctum Martinum sui pectoris portat in arca, et orationibus iter tuum prosequitur, optans angelum Dei bonum tecum ire, ut cum prosperitate eas, et cum gaudio feliciter revertaris ad nos.

Utere sorte tua feliciter, ut fruaris mercede tua aeternaliter. Via est haec vita; beatus qui pratorum varietate non tenebitur in via, quo minus festinet ad patriae pulchritudinem. Felix, qui sarcinam divitiarum in pauperum [Col. 0394A] dividit solatia, sciens pauperum manus gazophylacium esse Christi, qui se testabitur in die magno accepisse, quidquid minimis suis in hac erogabitur luce.
@ [Col. 0394D] Froben. epist. 194.

EPISTOLA CXLVIII. AD EUMDEM.

Epistola penitus allegorica, in qua comparatur Theodulfus Patri vinearum

Pontifici magno et Patri vinearum Theodulfo Albinus salutem.

Legimus in Paralipominon cellis praeesse vinariis Zabdiam tempore David, Deo dilectissimi regis **(I Par. XXVII, 27)**; modo, miserante Deo, meliori populo secundus praeest David, et sub eo nobilior Zabdias cellis praeest vinearum, quem ordinata charitate introduxit rex in cellam vinariam, ut scolastici floribus [Col. 0394B] fulcirent eum, et stiparent malis amore languentium illius, qui laetificat cor hominis. Jam si desit qui confirmet, forte non deest qui laetificet in cellis Aurelianis, dum spes est in vinea florente, non in ficulnea arescente. Quapropter *Joathan consiliarius David, homo litteratus* **(Ibid., 32)**, mittit ad Zabdiam dicens: Mane surgamus, videamus, quam bene vinea floreat Sorech, cantantibus celeuma super eam deriventur fontes cellarii foras. At nunc apertis apotecae charitatis clavibus a procuratore vineae celebretur versiculus iste per turres Aurelianas: *Comedite, amici mei, bibite et inebriamini* **(Cant. V, 1, 2)**. *Ego dormio in* dulcedine, et *cor meum vigilat in caritate; venite, accipite absque ulla commutatione vinum et lac* **(Isa. LV, 1)**. *Guttur meum sicut vinum optimum,* dignum dilecto meo [Col. 0394C] ad potandum, labiisque illius ruminandum **(Cant. VII, 9)**. *Ego dilecto meo et dilectus meus mihi* **(Cant. VI, 2)**. Non est dicendum: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* **(I Reg. IX, 7)**? *Non possum surgere et dare tibi* **(Luc. XI, 7)**. Si forte tres panes non sunt ad manum, qui defecerunt in sitarchiis Gabaonitarum; Christo benedicente septem hydriae plenae sunt vini optimi **(Joan. II)**, quod servabatur usque adhuc; ex quo architriclino Turonicae civitatis, mandante filio virginis [Col. 0395A] miscendum quis ignorat, et hoc servandum est, *ne mittatur vinum novum in utres veteres;* et nemo bibens vetus statim vult novum, dicit enim, vetus melius est **(Luc. V, 37, 39)**. Beatus qui loquitur in aurem audientem. Valeto in pace, charissime frater!
@ [Col. 0395C] Froben. epist. 195.

EPISTOLA CXLIX.

@ [Col. 0395C]

Iste est titulus ipsius codicis Harleiani. Jungenda est praesens epistola duabus aliis, in causa clerici Aurelianensis, qui ab episcopo suo in carcerem conjectus [Col. 0395D] inde elapsus est, et ad sancti Martini basilicam tanquam ad asylum confugit, scriptis, quas inferius col. 408 et seq. exhibemus.

Senserat Alcuinus ex epist. 119 (nunc 158) Caroli imperatoris animum adversus fratres Turonenses, a Theodulfo de inhonoratione hominum illius, imo ipsius episcopi atque imperialis suae jussionis, accusatos, acriter esse commotum, seque ipsum quodammodo in suspicionem neglecti officii adductum fuisse. Quapropter in hac epistola primo cum

maxima submissione imperatoris animum placare et ad clementiam commovere conatur: deinde fratres suos ab injusta adversariorum delatione defendit, illosque in officiis divinis celebrandis sedulos et assiduos, nullius erga episcopum Aurelianensem injuriae, nullius erga mandata regia inobedientiae, nullius ad reum defendendum conspirationis reos esse ostendit; insuper veras tumultus et commotae adversus homines episcopi, reum ad priora vincula rapere volentes, plebis causas [Col. 0396C] aperit; semetipsum denique initio totius rei ignarum fuisse, postea vero ad tumultum sedandum nihil sui officii intermisisse gravissime contestatur; et in horum omnium fidem ad testimonium provocat [Col. 0396D] regiorum missorum Widonis et Teotberti. Maximi propterea haec epistola habenda est, quod per eam celebris illa controversia episcopi Aurelianensis cum Turonensibus in pleniori luce constituatur, et innocentia istorum (gravissima Alcuini testificatione) vindicetur. AD CAROLUM EXCELLENTISSIMUM IMPERATOREM. (Anno 802 vel 803.) *Deprecatur pro fratribus S.* Martini; illosque, et seipsum a calumnia defendit contra accusationes in causa asyli clerico Aurelianensi praestiti, et veram causam orti tumultus pandit.

Domino excellentissimo atque omni honore dignissimo Carolo regi, imperatori atque Augusto, victoriosissimo, maximo, optimo atque serenissimo Albinus [Col. 0395B] matricularius, praesentis prosperitatis et futurae beatitudinis aeternam in Domino Deo Christo salutem.

In prima harum facie litterarum mihi ex toto corde gratiarum actiones Domino Deo nostro agendas esse video, pro sospitate et salute vestra, non solum mihi, sed omnibus Christianis valde necessaria. Deinde a pietate vestrae bonitatis misericordia corpore prostrato, corde contrito, voce lacrymabili deprecanda est pro fratribus sancti Martini, in quorum me servitium vestra bonitas quamvis minus dignum delegavit.

Deum invoco testem conscientiae meae, quod nunquam eos tales intellexi, quales audio illos a quibusdam denotari, qui paratiores sunt accusare quam salvare. In quantum vero videri poterit et cognosci, [Col. 0395C] digne Deo faciunt officia in ecclesias Christi, sicut, verissime testor, perfectius non vidi alios in quolibet loco celebrantes, nec diligentius, consuetudine quotidiana, pro vestra incolumitate, et Christiani imperii stabilitate intercedere. Illorum siquidem conversatio et vita a viro perfecto, et judice incorrupto, et misso fideli
@ [Col. 0396D] *Vidone.* Comite, qui in marca Britanniae Cismarinae praesidebat, quem illum ipsum fuisse existimo, cui Alcuinus librum *De virtutibus et vitiis inscripsit, inferius inter Opuscula Moralia exhibendum, ubi videas monitum praevium.* Vuidone audiri potest, qui eorum omnia scrutans agnovit quid egissent vel qualiter vixissent.

Nec ego tardus fui eos admonere de honestate monasterialis vitae, sicut illi ipsi testes sunt, si quis eorum testimonio credendum putat; neque illorum scio [Col. 0396A] culpas in accusatores suos, cur eos tanto prosequantur odio. Et mirum, quid se in alienam contra edictum legis messem mittere velint, hoc idem prohibente egregio doctore, ubi ait: *Tu quis es, qui alienum servum judicas? suo Domino stabit aut cadet, stabit quidem, potens est Dominus statuere eum* **(Rom. XIV, 4)**.
@ [Col. 0396D] *Habet enim Tyronica civitas pastorem, etc.* De Josepho episcopo Turonensi

loquitur, qui nocte illa qua Alcuinus decessit, «inaestimabilem splendoris claritatem super ecclesiam S. Martini, et beatam illius animam in coelum penetrare vidit, corpusque defuncti, pias lacrymas fundens, deosculatus est,» ut narrat scriptor Vitae Alcuini, num. 30 et seq. Habet enim Tyronica civitas pastorem in moribus electum, in praedicatione devotum, qui tritici mensuram familiae Christi optime ministrare novit. Vigilet unusquisque pastor super gregem suum, ne quis in eo gratiae Dei desit, ut cum pastor omnium adveniat, dignos eos inveniat perpetua remunerari mercede.

De concursu vero et tumultu qui ortus est in ecclesia beati Martini, vel foras in atrio, in conspectu [Col. 0396B] illius testor qui singulorum corda considerat, quod nec me exhortante, vel praesciente, vel etiam volente factus est; nec unquam me majori esse angustia in alienis peccatis, quam tunc temporis me fore fateor; nec quantum intelligere potui, vel audire, fratrum consilio quidquam inde gestum est; imo nec voluntatem eorum agnoscere potui, ut fieret; nec ullus Deum timens, vel suae salutis curam habens, ut non dicam facere, sed etiam nec cogitare debere non dubium est.

Nunquid non missus auctoritatis vestrae, vir venerabilis Teotbertus decem et novem dies pro hac inquisitione inter nos fuit; etiam et per vices accusatores nostri cum eo? quos volebat flagellavit, quos volebat in catenam misit, quos volebat jurare fecit, quos placuit [Col. 0396C] ad vestram vocavit praesentiam. Frustra ego tanto tempore serviebam Domino meo Jesu Christo, si in tantum illius me misericordia et providentia deseruit, ut in tam impium scelus in diebus senectutis meae caderem; sed verissime absque omni dubitatione fateor, nec tantum mereri velle auri quantum tota habet Francia, ut ex meo consilio vel praeparatione tam periculosus tumultus in Ecclesia Christi esset adunatus. Ego vero pauper et peregrinus in hoc saeculo Deum timeo, perpetuae salutis animae meae quantulamcunque curam habens, quanquam minus perfecte hoc in vita [Col. 0397A] claruisset mea; et maxime nunc in diebus senectutis et infirmitatis meae praecavendum mihi. Novi tam immanissimum sceleris pondus, qui judicium vitae meae mihi appropinquasse non ignoro. Hujus judicii timore a tumultu hujus saeculi vestrae beatitudinis consilio me liberavi, ut quietus Deo soli servirem, pro vobisque in remunerationem omnium bonorum quae mihi Deo propitiante egistis, quotidianis intercederem lacrymis.

Caeterum hujus tumultus rationem secundum veritatem, quantum intelligere valui, vestrae excellentiae pandere non erubesco, nemini parcens quo minus veritati testimonium proferam. Videtur enim mihi nullum plus peccasse in hujus impietatis facto, quam custodem illius scelerati, ex cujus negligentia tanta [Col. 0397B] mala postea exorta sunt. Ut cum pace eorum dicam qui has litteras legere audiant, justius aestimo esse illum, cujus negligentia ille reus lapsus est de vinculis, eadem pati vincula, quam eumdem reum fugitivum ad Christi Dei nostri et sanctorum ejus patrocinia, de ecclesia ad eadem reddi vincula; nec hoc ex mea dicam aestimatione, sed Domini roboratus sermone, qui prophetam regi Israelitico, qui dimisit regem Syriae de manibus suis, jussit dicere: *Haec dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus* **(III Reg. XX, 42)**.

Deinde secundo loco incitatores esse hujus tumultus intelligo, qui armati venerunt

majori numero quam opus esset, de civitate Aureliana in civitatem Tyronicam. Maxime quia fama cucurrit per aures populi, [Col. 0397C] ad hoc eos venisse ut violenter rapuissent eum, qui confugerat ad patrocinia Ecclesiae Christi et beati Martini. Illud etiam [*Forte, enim*] commune est omnibus ubique, quod moleste ferant, suos dehonorari sanctos. Fortassis et ille miser hortatus est ad mansionem suam rusticos venientes inter pocula, ut defenderent Ecclesiam sancti Martini, ne violenter raperetur ab ea.

Tertia fuit hujus tumultus instigatio, dum sanctus Pater et pontifex noster nimis inopportune, populo praesente, intravit ecclesiam cum hominibus qui ad rapiendum venisse reum putabantur; sed forte hoc fecit corde simplici, nihil mali ex hoc accidere posse aestimans. Haec videns vulgus indoctum, qui semper res inconvenientes sine consilio agere solet, conclamarunt, [Col. 0397D] ad fustes cucurrerunt, aliqui impigri a foris venerunt, dum signa sonare audierunt, quorum motio per indoctorum manus ministrata est, sicut exquisitum est a vestrae auctoritatis missis, imo et ab ipsis accusatoribus nostris. Nam illis praesentibus sanctum allatum est Evangelium, ligno sanctae crucis superposito; quoscunque jusserunt jurare ex fratribus, fecerunt. Fratres vero audientes signa prosiluerunt de refectorio ad sciendum pro qua sonuissent causa: qui venientes quantum potuerunt, ut audivi, sedaverunt tumultum; nisi qui inventi sunt ut aestimo infantes, qui vestrae ducti sunt praesentiae, in illo peccaverunt concursu, a quibus audiri [Col. 0398A] potest quid egissent, qui et ipsi juraverunt, nullius se hoc ipsum egisse hortatu, nisi ex impetu stultitiae suae. Nec ullus ex vassis sancti Martini ibi fuit, nisi unus Amalgarius nomine qui mecum eadem fuit hora, quem statim misi cum aliis fratribus ad sedandum tumultum, hominesque venerandi episcopi eripere de manibus populi, ne quid mali in eos gestum esset; qui sedato tumultu ducti sunt in monasterium, ubi salvi esse potuissent; qui tanto odio exarserunt in me, ut bonum quod eis jussi facere, in malum verterint dicentes, me in opprobrium illis eulogias direxisse, quod omnino falsissimum est, nescientes siquidem me Dominico imbutum esse praecepto, qui ait: *Benefacite his qui oderint vos* **(Matth. V, 44)**.

[Col. 0398B] Haec sancta pietas vestra, Domine piissime, consideret, verumque cognoscat, et propitietur famulis suis in Dei omnipotentis amore, et sancti Martini intercessoris vestri honore, qui semper honoratus fuit in regno et a regibus Francorum. Solemus Deo dicere in confessione peccatorum nostrorum: *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit* **(Psal. CXXIX, 3)**? Dicamus et tibi, quia nobilissimum ejusdem capitis te membrum esse novimus: si iniquitates observaveris, domine imperator, quis sustinebit? Maxime, quia specialis virtus bonitas, atque laus imperatorum semper fuit clementia in subjectos suos, in tantum, ut Titus nobilissimus imperator ait: *Neminem ab imperatore tristem debere recedere.* Laetifica animos servorum tuorum per [Col. 0398C] misericordiae tuae munus altissimum; superexaltet misericordia judicium, qui maximas perfidiae culpas in vestram peccaverunt [*Forte, peccantium*] auctoritatem laudabili pietate perdonare potuistis. Ignosce infelicitati nostrae secundum piissimam sanctissimae mentis vestrae nobilitatem, quam semper agnovi in animo sapientiae vestrae mirabiliter vigere; et sicut David Patrem Christi laudatum legimus in misericordiae magnitudine et aequitate judiciorum; ita vestram beatitudinem semper in his meritorum titulis laudabilem atque praedicabilem, Christo donante, esse cognovimus.

Omnipotens Deus Pater per unicum Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum, in Spiritu Paraclyto [Col. 0398D] omni benedictione et sapientia cor beatitudinis vestrae illuminet, repleat, atque laetificet, nobilissimaeque proli vestrae perpetuam, in salutem populi Christiani, prosperitatem perdonare dignetur, domine desiderantissime, optime atque augustissime pater patriae!

Floreat et vigeat sophia virtute triumphis
Rex David magnum Magnus in ore decus.
@ [Col. 0397D] Edit. Quercet. 55, Canis. 48, Froben. 111.

EPISTOLA CL. AD MAURUM. (Anno 802.)

Petit a Mauro (Rabano) libellum sibi promissum.

Benedicto sancti Benedicti
@ [Col. 0398D] *Puero Mauro.* In editione Quercetani haec epistola [Col. 0399D] perperam inscribitur: *Ad Benedictum.* Est is Rabanus Alcuini discipulus, cui pro more illius temporis cognomen *Mauri indidit, testante Rabano ipso in praefat.* Commeut. ad Libros Regum praefixa. Mabill. lib. XXVI Annal. num. 39. Data videtur ad Rabanum e scholis Turonensibus jam Fuldam reversum, circa annum 802. Mabill. Annal. lib. XXVII, num. 13. puero Mauro Albinus salutem

[Col. 0399A]
@ [Col. 0399D] *Libellum De laudibus sanctae Crucis, quem Alcuino promisit et anno aetatis 30 absolvit, atque Alcuini jam defuncti nomine, anno 806 sancto Martino nuncupavit praevio carmine, cui titulus: Intercessio pro Mauro.* Rivetus *Hist.* Littér. de la France, tom. V; Mabill. l. c. num. 29. Libellum quem me rogante scribi promisisti, rogo ut tua faciat promissio firma et mea impleatur laetitia. Multis haurientibus fons non siccatur venae vivae, ita nec vestra minuitur sapientia, tametsi nostra inde hauriat indigentia. Noli spernere me rogantem, nec te promittentem abnuere; sed veritas tua fiat satietas mea. Dilige diligentem te, et da petenti,
@ [Col. 0399D] *Ut omnia.* Locus corruptus. Cod. ms. Quercetani habet: *Omnia, quae haec mandat,* habenti placere [Col. 0400D] valeas. Feliciter vive, etc ut omnia. Quia lex mandat parenti placere. Valeas feliciter cum pueris tuis, et in
@ [Col. 0400D] *Populo.* In Cod. San-Gallensi apud Canisium legitur *poculo.* Legendum fortassis *in osculo.* populo charitatis orantes pro me fratres saluta.

{163}
@ [Col. 0400D] Edit. Mabill. 21. Cujus initium restituimus ex Cod. ms. Salisb. **(Froben. epist. 112.)**

EPISTOLA CLI. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 802.)

Conqueritur de intermisso responso ad plures epistolas. Dolet amicum saecularibus negotiis implicitum, et pastores animarum curis saecularibus turbari. Infirmum se corpore et animo precibus Arnonis commendat, et ad coelum suspirat.[Col. 0399B]

Venerando Patri et verae charitatis alis amplectendo, colendo et desiderando Aquilae archiepiscopo, humilis matricularius Albinus in Christo salutem.
@ [Col. 0400D] *Anniversario tempore.* Intra tempus unius anni, ut interpretor. [Anniversario tempore plurimas vestrae sanctae dilectioni direxi litterulas, secundum charitatis affectum exaratas; sed nescio si ad vestram venerandae dignitatis pervenerunt faciem, quia necdum merui rescripta solitae familiaritatis: sive negligentia portitorum fuit, sive occupatio vestrae sanctitatis impedivit ut non scriberes.] Scio integram in pectore pietatis vestrae dilectionem non solum apud me, sed apud omnes amicos firmiter permanere, quae probabitur in adversis, laudabitur in prosperis: In cujus [Col. 0399C] pennis sanitas, in cujus gressibus scala, quam somniavit Jacob patriarcha **(Gen. XVIII, 12 seq.)**, ascensio ad eum, qui ait: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. Ecce signum discipulatus Christi! ecce coelestis regni janua! ecce vitae nostrae fundamentum et culmen! sed vix ibi creditur firma esse, ubi indicio quolibet non apparet, sive in solatio pauperum, sive in exhortatione ad fratres qui proximi sunt, sive in scribendo ad longinquos corpore, proximos siquidem spiritu. Doleo te, frater! doleo ex intimo cordis moerore
@ [Col. 0400D] *Propter negotia saecularia.* Postquam Arno anno 801 Roma, rebus ibi pacificatis, rediit, inter missos dominicos seu judices publicos adlectus est, quorum quidem is princeps in Bajoaria fuit, ut ex pluribus publicis instrumentis anni 802 et sequentium legere est in Hist. Frising. tom. I. Arno hoc munus tanquam apostolico muneri plurimum derogans haud libenter tulit. Vid. infra epist. 114 (nunc 153). propter negotia saecularia, quae impediunt quadam nubium concretione charitatis radios, qui ex pectoris vestri flamma multos irradiare potuissent, si non caligine terrenarum occupationum [Col. 0399D] obscurarentur. Tamen vigilet in corde, et [Col. 0400A] foras temporibus opportunis fulgorem exerat, *ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt* **(Matth. V, 15)**; qui non sunt *caeci ad videndum vel surdi ad audiendum* **(Isa. XLII, 18)**. Quid est tui officium nominis, nisi apertum habere os ad omnes in veritatis testificatione, per eum qui ait: *Aperi os tuum, et ego implebo illud* **(Psal. LXXX, 11)**. *Non neglige gratiam quae data est tibi* **(I Tim. IV, 14)**; sed ut magis et magis proficiat, intende. *Multae sunt tribulationes justorum* **(Psal. XXXIII, 20)**; quia inter multos vocatos pauci eliguntur: et quo rariores inveniuntur, eo instantius verbum Dei eis praedicare necesse est. Pene *omnes quaerunt quae sua sunt* **(Philipp. II, 21)**, et pauci, quae Christi esse videntur. Pastores [*Al.,* Pastorales] curae turbant saeculares, qui Deo vacare debuerunt. [Col. 0400B] Vagari per terras, et milites Christi saeculo militare coguntur, et gladium verbi Dei inter oris claustra, qualibet cogente necessitate, recondunt: quem, heu, proh dolor! perpauci possident, quamvis plurimi se promittant eum habere: sed in die certaminis mercenarios se ostendunt, non milites.

His consideratis diligentius, dilectissime Pater, te ipsum considera, circumspice et intende, *quis sis, vel quo vadas* **(Gen. XXXII, 17)**, vel quid dicas in judicio, in praesentia illius qui te speculatorem posuit populi sui. Me vero scito saecularibus propemodum exterius negotiis liberatum, sed male interius multis fatigatum

occupationibus atque inanissimis cogitationum turbis, quae me prohibent puro corde clamare: *Jesu, fili David, miserere mei* **(Marc. X, 47)**! quae tuis [Col. 0400C] sanctissimis orationibus, frater dilectissime, ut abigantur aliquantulum, supplici deprecor obsecratione. Adjuva laborantem, erige jacentem, porrige manum pietatis fratri pene in salo procellosae cogitationis submerso. Nec aestimer haec frustra precari, sed teste Deo dicam: quod satis indigeo de hujus tentationis molestia tuae sanctitatis precibus sublevari. Corpus coarctare utcunque valeo, sed non cordis vagabundos gressus constringere, quia coelestia tantum desiderare debuissem. Terreni pulveris caligine pene oculos cordis excaecatos habeo, nisi ille gratuito pietatis suae munere illud illuminet ad quem mihi saepius cum Propheta clamandum est: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine:* Deus meus, illumina tenebras [Col. 0400D] meas **(Psal. XVII, 29)**. Item: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* **(Psal. XII, 4)**. [Col. 0401A] {164} Ex parte video, ubi est requies mea, ubi sitis meae saturitas. Ubi? nisi in eo ad quem Propheta clamavit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum:* quando veniam et apparebo ante faciem Dei **(Psal. XLI, 3)**? Et ad seipsum conversus in alio dicens loco, quasi hujus petitionis responsum invenisset: *Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam praeelegi eam* **(Psal. CXXXI, 14)**. In hanc se exhortans alio versu inquit: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* **(Psal. CXIV, 7)**. Pro quo benefacto magni muneris [*Mab.,* Pro quo benedicto munere] seipsum ad laudandum Deum excitat alibi: *Lauda, anima mea, Dominum* **(Psal. CXLV, 2)**. Et quasi ipsa respondisset, subjungens: *Laudabo Deum meum in vita mea, psallam Deo meo,* quandiu ero [Col. 0401B] (Ibid.). Quia semper ero, semper laudabo Deum meum dicens: *Laudent eum coeli et terra, mare et omnia quae in eis sunt* **(Psalm. LXVIII, 35)**. Hos versus sic junctim posui, qui nihil mihi dulcius videtur cantandum in orationis compunctione, quam hos ita compositos; deprecans, ut meae devotionis admonitione eos saepius cum magno animi gaudio decantare in consuetudine habeas, pro aeternae beatitudinis memoria; meique nominis quantulacunque recordatione in hac et in omni salutiferae petitionis prece. Divina te exaudire gratia dignetur, domine Pater desiderantissime, et nostri cordis amori dulcissime!
@ [Col. 0401D] Hanc epistolam hactenus ineditam producimus ex cod. mss. Salisb. et Sanct-Emmeramensi. Uncis inclusa in solo Salisb. habentur. (Apud Froben. epist. 116.)

EPISTOLA CLII. AD ARNONEM. (Anno 802.)

Commendat Arnoni curam canonicorum, monachorum et tertii gradus, inter illos medii. Queritur de pravitate simoniaca, quae etiam in sedem apostolicam irrepsit. Epistolae de confessione, et libelli de catholica fide mentionem facit.[Col. 0401C]

Venerando pontifici Aquilae Albinus salutem.

Pridem plura scripsi, quapropter modo pauca scribere ratum duxi, hoc solum suadens, vestram sanctam auctoritatem in Deo et pro Deo loqui, et in Deo confidere, ut diligenter examinetur quid cui conveniat personae: quid canonicis, quid monachis, quid tertio gradui qui [*Cod.* S. E., quid] inter hos duos variatur, superiori gradu canonicis, et inferiori monachis stantes. Nec tales spernendi sunt, quia tales maxime [Col. 0401D] in

domo Dei inveniuntur.

Et hoc praecipue intendite, ut simoniaca haeresis funditus subvertatur, quae male dominatur in multis, radicem a judicibus saeculi sumens, ramos usque ad ecclesiasticas tendens personas: ita ut qui spinas eruere avaritiae debuerunt, spinis punguntur acerbitatis, [Col. 0402A] quae magis atque magis crescentes, pene apostolicam irrepserunt sedem, ex qua palma pietatis dactilico florens fructu crescere debuit; inde rancor invidiae ebullivit. Ignosce dicenti, vel magis timenti, cur super caput suum aliquid cogitare audeat. Utinam qui hoc dicat, fallax inveniatur, ut innocens sit qui alios debet innocentes facere per sanctae praedicationis verba!

[Rogavit me
@ [Col. 0401D] *Magus meus.* Hoc nomine Adalbertum appellat. Vide epistolam 89 (nunc 501). Magus meus in litteris dilectionis suae, sive vestra mandante auctoritate, vel propria instigante voluntate,
@ [Col. 0401D] *Epistolam de Confessione.* Quam infra dabimus inter opera moralia. epistolam de Confessione vel poenitentia dictare. Sed illam direxi, quam pridem habui, filiis sancti Martini, quorum est multitudo magna, dictatam atque conscriptam; quae sola vestris quoque juvenibus sufficere posse arbitror. Utinam [Col. 0402B] venias, si fieri possit; sin autem, vel Magum tempore opportuno dirige, propter lectionem unius libelli quem noviter scripsi
@ [Col. 0401D] *Libelli . . .* de Fide catholica. Libros, puto, intelligit de Fide sanctae Trinitatis, etc., inscriptos, et anno 802 Carolo imperatori praefixa epistola dedicatoria [Col. 0402D] oblatos. Vide supra epistolam 110 (nunc 149), not c. de catholica Fide, et domno imperatori per hunc puerum direxi. Qui libellus nullatenus vestras effugiat manus, sed omnimodis scribatur, ut habeatis; quia necessarius est valde fidem volentibus scire catholicam, in qua summa salutis nostrae consistit.] Benedictus Deus benedicat te tuosque tecum aeterna benedictione, domine Pater dilectissime!
@ [Col. 0402D] Edit. Mabill. 24, nunc integritati suae restituta ex cod. ms. Salisb. data videtur paulo ante sequentem, cujus notam b col. 405 videas. **(Froben. epist. 113.)**

EPISTOLA CLIII. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 803.)

Significat se accepisse litteras charitatis per Adalwinum episcopum venientem ad S. Martinum. Odulfum de facienda justitia; capellanos de laudabili conversatione, fratres monasterii S. Rhodberti de sincera charitate, etc., *admoneri optat.* [Col. 0402C]

Sanctissimo Patri [Aquilae] archipontificatus honore sublimato, humilis [levita Albinus] aeternae pacis et prosperitatis salutem.

Veniente dulcissimo fratre [
@ [Col. 0402D] *Adaluuino episcopo.* Ratisbonensi, qui huic sedi praefuit ab anno 792 usque ad annum 817 ut testantur chartae veteres biblioth. S. Emmerami, ubi legitur: *DCCXCII Sinpertus obiit, Adalwinus successit.* DCCCXVII Adalwinus obiit, Baturicus

successerat. Vid. epist. seq. Adaluuino episcopo] orationis gratia [ad sanctum Martinum], suavissima vestrae salutationis proferens nobis verba, et optatae prosperitatis vigorem annuntians, valde, ut fateor, laetati sumus in ejus adventu: et ut vestra demandavit dilectio, privata mente suscepimus eum, dulcissimaeque familiaritatis alloquio usi sumus. Est enim, ut agnovi in eo, vir valde fidelis, et in sancta devotus religione [*Mab.,* devotione]. Vestris quoque [Col. 0402D] syllabis, quae attulit, perspectis, invenimus eas charitatis penna perscriptas, cujus etiam charitatis melliflua dulcedine refecti sumus semper a vobis et in vobis, quae nos duabus dilectionis alis ad coelum usque, Deo miserante, portare poterit. Et haec est optima pars, quam elegit beata Maria ad pedes sedens [Col. 0403A] Salvatoris, intenta verbum salutis audire ab eo **(Luc. X, 39, 42)**. Proinde maneamus jugiter in charitate perfecta, cujus una pars ad Deum tendit in fide et vitae honestate; altera vero proximos amplectitur in patientia et benignitate. Hoc vero quadruvium vestra, frater charissime! intentio pacifice pergat, donec *videatur Deus deorum in Sion* **(Psal. LXXXIII, 8)** summae beatitudinis. In his morare praeceptis, aliosque erudire studeas; ut fidem discant catholicam, eamque sobria operum conversatione ostendant, patientesque atque benefici esse contendant [in socias hujus laboris animas

Nec aliquid novi de palatio vestrae sinceritati demandare habuimus]. Vestrae vero devotionis sanctitas [praedicet
@ [Col. 0403D] *Odulfo.* Cum hoc nomen abesset in cod. ms. S. Emmerami, Mabillonius haec de *Geroldo Bajoariorum praefecto:* Hansizius vero de *Goteramo primo confinii comite intelligenda censuerunt.* Sed certum nomen nunc tenemus ex cod. ms. Salisb. *Odulfus inter missos regios cum Arnone comparet in instr.* 118 et 128 Hist. Frising., tom. I, part. II. De eo etiam vide capitulare 2 anni 805, tom. I Capit. Baluzii, pag. 325, n. 7, etc., *Patrologiae tomo XCVII.* Obiit anno 819, ut testantur Breves Annales Ratisb. a Mabillonio ex cod. ms. S. Emmerami editi, Analect. pag. 368. Odulfo nostro olim amico verbum [Col. 0403B] vitae saepius, ut sit justus in judiciis, et misericors in pauperes, {165} quia scriptum legimus: *Misericordia et veritas custodiunt principem* **(Prov. XX, 28)**, et exaltant ambulantes in eis. Recordetur semper, quem velit habere in periculis defensorem, eumque diligat; et opere, quantum valeat, illius impleat praecepta. Nec se inconsulte tradat periculis, quomodo
@ [Col. 0403D] *Quidam sui antecessores.* Haec de Geroldo et Erico, qui bello Hunico anno 799 occisi sunt, intelligi vult cl. Hansizius. Recentius tamen exemplum allegare potuit Alcuinus de *Cadaloc* et *Gotheramo,* qui [Col. 0404D] testibus iisdem Annalibus Ratisb. cum multis aliis *anno 802 interfecti sunt ad castellum Guntionis.* quidam sui antecessores fecerunt, et ideo improba morte perierunt. Sit illi Christus in corde, et praecepta ejus in ore et opere, ut vivat feliciter in hoc saeculo, et in futuro beatam obtineat gloriam. Vestros vero discipulos et capellanos meo, precor, officio saluta, admonens eos honeste vivere coram hominibus, ut vestra ex eorum conversatione laudetur dignitas. Fratres quoque sancti Rhodberti confessoris Christi hortare [Col. 0403C] saepius, ut in sincera charitate et devota religione et sanctae humilitatis obedientia Deo fideliter deserviant respicientes in perpetuae beatitudinis remunerationem. Militant [*Cod.* Sal., militent] enim in castris Ecclesiae [Christi] militiam, quatenus in coelestibus cum eo sedibus sempiterna felicitate gaudeant: meique ut memores sint, non solum eos opto admoneas, sed omnes regionis vestrae famulos famulasque Dei, quorum et quarum multiplicet

Dominus Deus numerum, et nomina jubeat perscribi in coelesti bibliotheca. Divina vos gratia prosequatur omnes, et ad gloriam perpetuae beatitudinis pervenire vos faciat, Domini delectissimi! [Scripsissem ad singulas personas supra nominatas exhortationis litteras, nisi me festinatio prohiberet hujus venerandi portitoris. [Col. 0403D] Vestra vero bonitas fiat, obsecro, vivens epistola et Deo placabilis, ut nostro nomine singulos quosque [Col. 0404A] admoneas de salute animarum suarum, orationibusque meis, quos Christus ubique conservare dignetur.]

@ [Col. 0404D] Edit. Mabill. 25. Auctior nunc prodit ex cod. ms. Salisb. Scripta videtur post epist. 146 et 148. In his enim conqueritur, nihil suis litteris *anniversario tempore scriptis responsum fuisse;* hic vero fatetur, se *apices omni favo dulciores accepisse.* Hoc vero posito, necesse est praesentem epistolam post annum 802, quo epist. 146 scripta est, collocari, cum illa data sit nono Kal. Junii, haec vero in die Coenae Domini. Quae causa est quod huic annum 803 ascripserim **(Froben., epist. 114)**.

EPISTOLA CLIV. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM. (Anno 803, die Coenae Domini.)

Consolatur afflictum propter saeculares occupationes. Litteras per Adalwinum episcopum mittit. Pro casula gratam spondet memoriam.

Domino desiderabiliter honorabili et honorabiliter desiderabili [Aquilae] archiepiscopo, humilis [Levita Albinus] salutem.

Acceptis vestrae charitatis muneribus omni auro amabilioribus, et apicibus omni favo dulcioribus, in quibus lectum erat de angustia mentis vestrae

@ [Col. 0404D] *Pro servitio saeculari.* Quod nimirum Arnoni nuper inter judices publicos adlecto frequenter subeundum fuit. pro [Col. 0404B] servitio saeculari adversus sanctitatis vestrae dignitatem, ita ut non liceat melioribus instare officiis, nec animarum gregis lucris inservire. Vestra cogitet, obsecro, beatitudo, quis unquam sanctorum hoc saeculum sine tentatione transigeret. Solus, ut ait beatus Hieronymus in quadam {166} epistola, Salomon semper in deliciis, et ideo forte peccavit. Exhortans nos ad patientiam beatus apostolus ait: *Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis* **(Jac. V, 11)**. Et ipse Dominus in Evangelio inquit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* **(Luc. XXI, 19)**. Recurramus ad Christum tota intentione, assiduis precibus, qui est unicum de omni tribulatione refugium. Sicut Psalmista praecipit: *Jacta in Dominum* [Cod. Sal., *Deum*] curam tuam, et ipse te enutriet **(Psal. LIV, 23)**. Dicamus [Col. 0404C] Deo cum Propheta: *Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias* **(Psal. LXX, 3)**. Deus est, in cujus manu cor regis, et quocunque voluerit, vertet illud. Qui nunquam deserit sperantes in se, qui ait vera promissione et fortissimo solatio: *Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur* **(Matth. VII, 8)**, et caetera quae in eodem loco profunde satis de spe accipiendae [*F.,* accipiendi] petitionis effectus disputat, et exemplis confirmat. Ab initio mundi, vel etiam nascentis Ecclesiae semper Deo servientes tribulationibus fatigati sunt. Si legeris in divinis libris saeculi eventum, etiam hoc quod dico, verum probabis; vel exterius famulos Dei apertam pati persecutionem, vel interius in pace

Ecclesiae clandestinis affici incommodis. [Col. 0404D] Contra haec omnia sola valet in Dei nomine patientia, ipso dicente Domino, victore mundi [Col. 0405A] hujus, ad discipulos suos, vel magis ad eorum successores: *In mundo pressuram habebitis;* sed confidite, ego vici mundum **(Joan. XVI, 33)**. Memores esse debemus, quid ipsa Veritas tentatoribus suis respondit: *Reddite Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt* **(Matth. XXII, 21)**. Si apostolico exemplo vivamus, et pauperem agamus vitam in terris, sicut illi fecerunt, saeculi servitium juste abdicamus: nunc vero saeculi principes habent justam, ut videtur, causam Ecclesiam Christi servitio suo opprimere. Dum beatus Paulus apostolus Titum dilectum filium suum de singulis ecclesiasticae dignitatis officiis instruit, ait inter caetera: *Admone illos* (quos, nisi Christianos?) *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire:* ad omne opus bonum paratos esse (Tit. III, [Col. 0405B] 1). Et beatus Petrus consentanea, ut pote eodem spiritu, scripsit dicens: *Dominis carnalibus obedite, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis* **(I Petr. II, 18)**. Si etiam discolis, quanto magis sapientissimo principi, et religione sancta devotissimo debemus prompta voluntate obedire. Nec hoc dico, quod non magis optem te cum tuis discipulis Deo vitam in sancta religione quietam ducere atque optimam cum felicissima femina, quae sedens ad pedes Domini audire verba coelestia, elegerat partem quae nunquam auferetur **(Luc. X, 39, 42)**. Sed vereor fortassis, si moveatur causa, nec vestram beatitudinem ad desiderata pervenire posse, nec gratiam habere imperialem. Ideo, sicut superius dixi, sola videtur salubris causa, Deo totum precibus in angusto situ [*Ms.,* [Col. 0405C] situs] nostri desiderii commendare eventum, ut sua sancta clementia et pietate provideat nobis, quomodo pacifice ad nostram pervenire valeamus voluntatem. Si tamen nobis nostra quaerenda est voluntas, eo quod ille, id est Dominus Jesus de seipso dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* **(Joan. VI, 38)**. Nam voluntas Dei omne bonum est, quae ut semper in nobis fiat, omni mentis intentione et omni operum bonorum exsecutione postulandum est.

Haec interim sub festinatione propter occupationem diei festi dictavimus. Utique missus beatitudinis vestrae ad nos die sanctissima Dominicae Coenae venerat, exigens a nobis litteras, ne vacuis reverteretur manibus. Pleniorem, Deo miserante, responsionem [Col. 0405D] sperare habetis: sive de consolatione laboris vestri, aut etiam angustia mentis, nec non et de inquisitionibus, quas
@ [Col. 0405D] *Emb.* Ita legitur in codd. mss. Latere sub hac voce abbreviata *Emb.* nomen aliquod proprium nullus dubito. *emb olim habuit ex persona charissimorum nobis vestrae charitatis discipulorum.*

[Saluta, obsecro, Dei famulam sororem vestram meo officio: suade ei meis verbis religiosam in terris ducere vitam, ut beatam possidere digna inveniatur in coelis. Venerabilis Pater
@ [Col. 0405D] *Adaluuinus.* De eo vide epistolam priorem, quae fortassis illa chartula responsionis fuit, quam hic ait [Col. 0406D] in ejus manu posuisse. Inde vero inferimus illam quoque epistolam ad hunc annum 803 pertinere. Adaluuinus episcopus cum magno et multiplici venit ad nos honore, vestrae [Col. 0406A] dilectionis deferens syllabas, cui chartulam nostrae responsionis posuimus in manu. Quod me tarditatis vel negligentiae scribere [*F.,* in scribendo] vobis accusastis, ut fateor juste; et hoc propter inopiam portitorum, {167} qui vix fideles inveniuntur. Igitur longinquitas terrarum prohibet ex

his partibus ad vos quemlibet, nisi raro, transire. Tamen sciat dilectio vestra quod nemini, post domnum imperatorem, sudare plus meum ingeniolum optarem, quia nulli plus debitor sum propter semper vestrae beatitudinis probatissimam fidem et dilectionem. Unum quiddam legebatur in epistola, quam modo direxit reverentia vestra; quod noluissem, ut scriberetur, vel unquam factum esset: id est, quod vobis ultra non esset spes videre faciem meam. Hoc graviter [Col. 0406B] animus meus ferebat, quia praesentem rogavi, ut me sub spe revertendi ad sanctum Martinum dimisisses. Fiat voluntas Domini. Vel si hic in hac temporali luce fieri non valeat, fiat, Deo miserante, in perpetua. Casula, quam misisti, ob vestrae charitatis memoriam, utar in missarum solemniis.] Gloria et laus Deo! apud nos omnia prospera sunt, et apud filios nostros, quos nosti, qui una mente vestram salutant beatitudinem, eamque multo valere tempore optant in Domino. Scito certissime quod tui nominis memoriam dulcissimam habemus in orationibus apud sanctum Martinum: et si quando Spiritus Domini in compunctione visitat cor, semper recurrere in mentem facit vestri nominis recordationem. Deus, *qui dives est in misericordia* **(Ephes. II, 4)**, misereatur [Col. 0406C] perpetua pietate vobis Pater, frater, fili charissime in aeternum.

@ [Col. 0406D] Edit. Mabill. 26. Correctior nunc prodit ex cod. ms. Salisb. (Apud Froben. epist. 115.)

EPISTOLA CLV. AD ARNONEM ARCHIEPISCOPUM (Anno 803.)

Commendat se tanquam infirmum senem sacrae memoriae. Duo vascula mensalia mittit; et iteratas pro casula missali gratias agit.

Dilectissimo filio Aquilae archisacerdoti Albinus in Domino salutem.

Solet charitas olim germanitate fideli compacta novis saepius litteris reformari, ut firma agnoscatur in fide, quae est dulcis in consuetudine. Unde ego chartulam chartulae conjungo, ut legatur in pagina, quae est in cordis tabulis [*Mabill.,* tabula] conscripta, non [Col. 0406D] atramento perituro, sed spiritu sempiterno, qui gemitus excitat inenarrabiles pro sospitate vestra in meo corde. Vestra vero dilectio, ut certissime novi, nostri nominis non obliviscatur: quia crebra infirmitas cogit nos amicos admonere de sanctarum orationum suffragio, ut propitietur peccatis meis pietas divina, et renovetur vita mea in melius, *sicut aquilae juventus* **(Psal. CII, 5)**: Nec me judex meus et testis meus judicet secundum merita mea, sed secundum suam magnam misericordiam parcat confitenti [Col. 0407A] sibi servulo se esse peccatorem: nec derelinquat eum in diebus senectutis suae **(Psal. LXX, 9)**; sed solatio sancti Spiritus foveat eum, et misereatur illi. Haec eadem verba vestra recordetur de seipsa sanctissima mens et acutissima prudentia: in qua dum tempus habeas **(Gal. VI, 10)**, labora opus Dei, ut in die magno Domini nostri mercedem laboris tui sortiaris cum sanctis Dei sempiternam. Divina vos vestrosque filios vestramque familiam {168} gratia sempiterna protectione custodiat, praeveniat, donis augeat et meritis in aeternum. [Duo vascula direxi vestrae charitati, Pater sancte, quae deprecor ut humiliter accipias habeasque aliquantum temporis ante oculos tuos in mensa, veluti ego

@ [Col. 0407C] *Casulam.* Cujus etiam meminit in epistola priore; unde istam ad eumdem annum retulimus. casulam in missarum solemniis habiturus sum.]

{169}
@ [Col. 0407D] Inedita hactenus prodit nunc ex cod. ms. Salisb. (Apud Froben. epist. 117.)

EPISTOLA CLVI. AD ARNONEM.

Mittit per Fredegisum varia opuscula, et illi hunc suum filium commendat. [Col. 0407B]

Venerando evangelistae Aquilae Albinus salutem.

Direxi dilectioni vestrae, per Fredegisum filium meum, manualem libellum multa continentem de diversis rebus, id est: Breves expositiones in psalmos septem poenitentiae, in psalmum quoque CXVIII, similiter et in psalmos XV Graduum. Est quoque in eo libello Psalterium parvum, quod dicitur beati
@ [Col. 0407D] *Bedae. . . .* Psalterium. Quod habetur infra inter Officia per ferias sub titulo: *Collectio Psalterii Bedae.* Bedae presbyteri Psalterium, quem ille collegit [*Ms.,* collexit] per versus dulces in laude Dei, et orationibus per singulos psalmos juxta Hebraicam veritatem. Est quoque
@ [Col. 0407D] *Hymnus de sex dierum opere, etc.* Quis ille, et an Ven. Bedae, an Alcuini sit, ignoro. hymnus pulcherrimus de sex dierum Opere, [Col. 0407C] et de sex Aetatibus mundi: Est et in eo
@ [Col. 0407D] *Epistola de Confessione.* Quam nuper ad Magum suum direxit. Vid. epist. priorem, inter notas. epistola de Confessione, quam fecimus ad infantes et pueros: Est et in eo
@ [Col. 0407D] *Hymnus vetus, etc.* Hunc vide post Comment. in psalmos Graduales. Hymnus vetus de XV psalmis Graduum. Habet et alias orationes; et hymnum quoque nobilissimum elegiaco metro compositum de quadam regina
@ [Col. 0407D] *Hymnum de regina Edildryde.* Exstat inter carmina Alcuino supposita et tom. III Opp. Ven. Bedae, pag. 139. Incipit:

Alma Deus Trinitas, qui saecula cuncta gubernat
Annue jam coeptis, alma Deus Trinitas. Edildryde nomine; quem libellum posui in manus Fredegisi filii mei. Tu quaere illum ab eo; ne forte in oblivione habeat propter alias occupationes tibi eum reddere, et nullatenus permittas, nisi habeas illum ob memoriam nostri, sive in domo [*Cod.,* domu], sive in itinere, ut audias illum quasi me tibi loquentem in cor. Plura misissem in eum, nisi festinatio [Col. 0408A] ejus praeveniret me, et non habebam tempus eum ordinare sicut dispositum habui. Valeto prospere, et feliciter legens illum, meique memor in orationibus semper sine fine vale. Obsecro clementissimam benignitatem vestram, o dilectissime Aquila, ut filium meum Fredegisum benigne suscipiatis et familiariter, eumque adjuvetis secundum possibilitatem vestram, habeatisque illum fratrem in Christo, qui vos conservet in aeternum.
@ [Col. 0407D] Hanc epistolam, cujus initium Mabillonius jam antea, Act. SS. saec. IV Ben.

part. I, pag. 187, vulgaverat, cl. Baluzius ex cod. ms. bibliothecae Colbertinae, ubi vetustissima habetur epistolarum Alcuini [Col. 0408C] collectio, tomi I Capitul. pag. 1442, locupletiorem exhibuit; cujus in fine defectum nunc ex cod. ms. bibl. [Col. 0408D] regiae Vaticanae supplevimus, et ex alio cod. ms. Salisburgensi optimae notae differentes lectiones addidimus (Apud Froben. epist. 118).

EPISTOLA CLVII.

@ [Col. 0408D] *Ad Candidum et Nathanaelem.* Id est, ad Wizonem et Fredegisum, ut docet vetus elenchus in fronte codicis Colbertini positus, in quo sic legitur: *Epistola ad Candidum, id est Wizonem et Natanahel, id est Fridigisum.* BALUZ.---Ambo erant Alcuini discipuli, et tunc in aula principis versabantur. AD CANDIDUM ET NATHANAELEM. (Mabillonio an. 802, Baluz. 803.) *Monet ut sapienter in aula agant.* Instruit eos de disceptatione cum Theodulfo episcopo Aurelianensi.

Carissimis in Christo filiis Candido et Nathanaeli [Col. 0408B] Albinus salutem.

Cura mea et charitas mea vobiscum, filii, omnibus vigilat horis, optans vos moribus et religiosa vita Deo placere, et domino meo David, et ut exemplo [*Mabill.,* exemplum] sitis boni operis aliis in palatio viventibus. Gratia est [*Mab.* et Cod. Vat., juvenibus; gratia enim . . .] patris filius sapiens. Sapientia vera est, quae ad vitam ducit aeternam. Nec nobis ignobilia quaedam statuit praecepta, sed valde nobilia, et omni honore dignissima; in quibus ad vitam possumus promereri [*Mab.,* pervenire] perpetuam, et inter homines laudabilem habere honorem. De quibus siquidem praeceptis saepius vos admonui {170} in schola eruditionis vestrae [*Mab.,* auditionis nostrae]. Sed nuper de nido paternae educationis educti, ad [Col. 0408C] publicas evolastis auras. Intelligatur in vobis quod audistis a nobis. Vivat pater in filiis, qui modo trepidus diem exspectat mortis suae. Opto, vos habeat [*Mab.,* optat vos habere] superstites, quos habuit in servitio Dei laboris sui commilitones. Plurima mihi essent scribenda, quae vobis necessaria sunt observanda; sed scio me de honestate vitae saepius vestram admonuisse charitatem, litterisque monita mea saepius prosequi et renovare. Quapropter dicamus quae modo nobis et vobis necessaria esse videntur.

Igitur venerabilis Pater
@ [Col. 0408D] *Theodulphus.* De eo ejusque operibus vide Jac. Sirmonui, tom. II operum, pag. 665 et seq. et *Hist.* Litt. de la France tom. IV, pag. 459 et seq. Illum pallio a Stephano papa IV Rhemis commorante ornatum fuisse anno 816, et deinceps archiepiscopum Aurelianensem dictum esse, Cointius hoc anno num. 20 ex diplomatis Ludovici Pii asseruit; ita Pagius eodem anno num. 10: sed haec opinio penitus evertitur ex epistola ad Theodulphum, 147 hujus editionis, not. b. Theudulphus episcopus quibusdam confratribus [*Mab.,* cum confratribus [Col. 0409A] sancti Martini, fidelibus vestrae prosperitatis intercessoribus, de quodam reo fugitivo habet disceptationem. Qui reus
@ [Col. 0409C] Cod. Sal: «Theodulphus archiepiscopus ex fratribus S. Martini quamdam

habet disceptationem fidelibus vestris de quodam reo fugitivo, magis, ut [Col. 0409D] arbitramur, ex petitione suorum, quam sanctae mentis illius perturbatione vel iracundia. Qui reus,» etc. . ., post plurima poenarum genera, subito de vinculis elapsus [per negligentiam custodum], ad ecclesiam confugit S. Martini praecipui confessoris Christi, confitens peccata sua, reconciliationem [*Cod.* Sal., veniam] deposcens, Caesarem appellans, viam ad ejus sanctissimam praesentiam flagitans, quem reddidimus [ministris] ejusdem praefati episcopi; propter insidias

@ [Col. 0409D] Cod. Sal: «Qui redditus ejusdem praefati episcopi missis, ut sanus deduceretur ad praesentiam domni archiepiscopi sub fide illorum ad canonicam poenitentiam. Quo accepto non ausi sunt eum ducere propter insidias,» etc. sibi paratas in via, ut fertur, abeuntes eum dimiserunt ante fores ecclesiae stantem. Sed ejusdem venerandi episcopi, his transactis, hostiliter [*Cod.* Sal., pontificis post tempus hostiliter . . .] venerunt homines quamplurimi, ut compertum est [*Mabil.,* ut conjectura est]. Sed octo [Col. 0409B] primates homines [intraverunt]

@ [Col. 0409D] *Cum episcopo nostro.* Turonensi videlicet, ut habet Mabillonius lib. XXVII Annal. Bened. pag. 361, n. 16. cum episcopo nostro die Dominico in ecclesiam. Non illi octo, qui in propheta leguntur in gladiis et lanceis pascere terram Nemroth **(Mich. V, 6)**; sed rapere reum, et sanctitatem

@ [Col. 0409D] Cod. Sal: «Principales homines intraverunt ecclesiam die Dominica cum sanctissimo episcopo nostro, ut visum est, rapere reum jacentem ante sepulcrum S. confessoris Christi, et sanctitatem,» etc. domus Dei profanare, et sancti confessoris Christi Martini imminuere honorem. Irruentes siquidem intra cancellos altaris, quos [*Mab.,* forte, nostros] expulerunt fratres ante faciem altaris. Si aliud dicunt, omnino falsum ferunt, quia illorum nullus caput tunc temporis inclinavit ad altare Dei. Sonuit siquidem ante civitatem venisse hostem Aurelianensem ad profananda sancti Martini suffragia, quia sciebant commanentes in villulis homines exinde venientes. Concursus fuit in civitate subito mendicorum ex omni parte, suum parati defensorem defendere. [Col. 0409C] Timor et tumultus ubique increbuit, de quorum manibus fratres nostri eripuerunt praefati episcopi homines, ne quid mali paterentur, populumque foras ecclesiam expulerunt. Sed scio ante nominatum pontificem multas dicendas esse accusationes contra fratres nostros, et quae gesta sunt exaggerare, et plurima addere quae gesta non erant, sicut in ejus [*Cod.* Vat., eis] legebatur litteris

@ [Col. 0409D] Huc usque Fragmentum Mabillonii..

{171} Quapropter, filii charissimi, praecipiendo praecipio vobis, ut prostrati veniatis ante pedes domini mei David imperatoris aequissimi et serenissimi, postulantes, [Col. 0410A] episcopo veniente, locum defensandi et disputandi cum eo: si justum sit, ut vi raperetur de ecclesia ad easdem poenas reus, de quibus aufugit? et an aequum sit

@ [Col. 0409D] Cod. Sal. Altaris: «timentes ne inter altare et sepulcrum sanctissimi confessoris Christi sanguinis effusio foret. Raptus est quidam homo illius fugitivi medio populi, ut duceretur foras, qui clamavit auxilium. [Col. 0410C] Hoc populus partim videns, partim audiens fuit subito clamor ingens et concursus populi, maxime pauperum, ex omni parte civitatis. Sonuit siquidem [Col. 0410D] ante in civitate venisse hostem Aurelianensem ad profananda S. Martini suffragia, quia sciebant manere plurimos de civitate praedicta homines per villulas. Timor et tumultus ubique increbuit; de quorum

manibus fratres nostri eripuerunt praefati episcopi homines, ne quid mali paterentur, populumque foras ecclesiam expulerunt. Sed sui plurima dicunt, quae ibi gesta non erant, audacia, et quae gesta sunt exaggerare verbis superfluis. Vestra sanctitas consideret, si justum sit ut vi rapiatur fugitivus reus ad ecclesiam Christi, et an aequum sit,» etc., ut qui Caesarem appellat, ad Caesarem non adducatur? et utrum fas sit, ut poenitens et confitens scelera sua spolietur omnibus bonis usque corrigiam calceamenti? vel si bene custodiatur illud Dominicum verbum, quo ait: *Superexaltat misericordia judicium* **(Jac. II, 13)**. In tali siquidem facto e contrario superexaltat judicium misericordiam. Et ubi est multoties laudata misericordia ab ipso Domino nostro Jesu Christo, quae inter evangelicas legitur beatitudines: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* **(Matth. V, 7)**; item praeceptum Dominicum: *Estote misericordes,* sicut et [Col. 0410B] Pater vester misericors est **(Luc. VI, 36)**? Item cautelam providam consideremus, ubi ait: *Nolite condemnare, et non condemnabimini* **(Ibid. vers. 37)**; et alia multa quae in Evangelii leguntur auctoritate de misericordia et ipsius Domini verbo, ubi ait: *Non veni*

@ [Col. 0410D] *Cod.* Sal.: «Calceamenti. Certum est eumdem reum multa perpetrasse peccata et scelera impia valde; testes habet presbyteros viventes adhuc, quibus suam dedit confessionem, Christianum de monasterio S. Benedicti, et Adalbertum de monasterio S. Martini, antequam deprehenderetur, vel vinculis constringeretur, vel poenis torqueretur. Quid est quod ipse Dominus Jesus ait: *Non veni,» etc. vocare justos, sed peccatores* **(Matth. IX 13)**. Quapropter peccatricem mulierem, quae sanctos tetigit pedes, non abhorruit, [quae non] ex tactu opprobrium contulit Christo, sed insignia virtutis ejus elicuit. Neque enim immunditia ejus polluit mundum, sed puritas mundi purificavit immundam. Recordemur nos illius esse servos, qui ductus ad crucem, pro crucifigentibus oravit **(Luc. XXIII, 34)**. Et quomodo venerabilis Pater dicit, reum peccatorem [in] ecclesia non debere recipi? Si ecclesiam peccatores [Col. 0410C] non intrant, fortassis sacerdos non invenietur qui missas cantet in ea, neque qui cantanti respondeat, nisi quislibet nuper baptizatus, dicente Joanne apostolo: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* **(I Joan. I, 8)**. Sed eumdem reum diabolum nominari in venerabilis episcopi litteris invenimus, non hominem. Non cogitas quid Apostolus ait: *Nolite judicare ante tempus* **(I Cor. IV, 5)**. Nunquid praescribimus potentiae [*Cod.* Vat., perscribimus potentia] Dei, ut misereatur cui vult, qui ait: *Erunt novissimi* [Col. 0411A] primi, et primi novissimi **(Matth. XIX, 30)**. Cujus sapientiae interpretationem in Juda et latrone [*Suppl.* habemus]. Ille de apostolatu pependit in laqueo, iste de cruce in paradisum intravit **(Luc. XXIII, 43)**. Duo sunt, dicit beatus Gregorius de hac eadem sententia, quae sollicite pensare debemus, quae enim? *Multi vocati, sed pauci electi sunt* **(Matth. XXVII, 5)**. Primum est, ut de se quisque minime praesumat, quia etsi jam ad fidem vocatus est, utrum perenni regno dignus sit, nescit. Secundum vero, ut unusquisque proximum, quem fortasse jacere in vitiis conspicit, desperare non audeat, quia divinae misericordiae divitias ignorat. Nunquid aliquis peccator talis est, qui Christi sanguine purgari non possit; et tam [*Edit.,* quam] profunda scelerum [Col. 0411B] voragine demersus, ut misericordia Christi eum mederi non possit? Quid aliud ait qui hoc dicit, nisi ut Christus frustra mortuus sit? Frustra autem mortuus est, si aliquos non potest vivificare, qui nobis veniam quotidie donat. Nunquid [*Edit.,* nunquam] justum est eam aliis denegare, quam nobis sedulis optamus votis dari? Ad ecclesiam confugimus, ut in ea exaudiantur

preces nostrae, et aliorum preces in ea exaudire dedignemur? Nobis per sanctorum preces in ecclesia peccata dimitti confidimus, et confitenti peccata duro corde in eadem ligamus ecclesia? At Apostolus praecipit, delinquentes corripere *in spiritu mansuetudinis* **(Gal. VI, 1)**. Et apostolus Jacobus: *Si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari* **(Jac. III, 14)**, [Col. 0411C] et caetera, quae ad sequentibus [*F.,* in sequentibus] terribili censura leguntur de his qui zelum habent amarum. Zelus siquidem {172} bonus [*Edit.,* zelum bonum] est, si spiritu mansuetudinis mitigetur. Curandum est ut rectorem subditis et matrem pietas [*Forte leg.,* ut rector subditis se matrem pietate, *etc.*] et patrem exhibeat disciplina, atque providendum ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam disciplina vel misericordia multum destruitur, si una sine altera teneatur. Idcirco in arca et virga et manna fuisse legitur **(Hebr. IX, 4)**; ut in pectore rectoris esset virga districtionis, et manna dulcedinis, ut Psalmista: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* **(Psal. XXII, 4)**. Sit zelus, sed moderate saeviens [*Cod.* Vat., severus]. Sit pietas, sed [Col. 0411D] non plus quam expediat parcens.

Sed videamus quid de fugitivis ad ecclesiam sancti canones censeant
@ [Col. 0411D] *Cod.* Sal. «immundam: Hoc ideo dico quia sunt qui dicunt tales peccatores non debere ecclesiam Christi intrare. Forte rari intrant. *In quacunque die, dicit propheta: conversus fuerit peccator,* vita vivet et non [Col. 0412D] morietur. Sed videamus quid de fugitivis ad ecclesiam sancti canones censeant, etc.» *Intermedia omittit codex Salisb.*. In canone Aurelianensi **(Conc. Aurel. I)** cap. 1, legitur: «De homicidis et adulteris et furibus, si ad ecclesiam confugerint, id constituimus [*Cod.* Sal., statuimus] observandum quod ecclesiastici canones decreverunt et lex Romana constituit, ut ab ecclesiae atriis vel domo episcopi eos abstrahi omnino non liceat, nec alteri [*Cod.* Sal., aliubi] consignare; nisi ad Evangelia [*Cod.* Sal., ad ecclesiam] datis sacramentis de morte, [Col. 0412A] de debilitate et omni poenarum genere sint securi.» O! Aurelianensis pontifex contra Aurelianensem synodum facere audet, in qua fuerunt episcopi, ut legitur, septuaginta duo. An aequum et honestum videri poterit ejusdem civitatis pontificem suae propriae civitatis auctoritatem infringere? Item synodo Aurelianensi (IV), cap. 21: «Si quis necessitatis compulsus ad ecclesiae septa confugerit, et sacerdote seu praeposito ecclesiae praetermisso atque contempto, eum quisque de locis sacris vel atriis, seu vi seu dolo abstrahere, aut sollicitare fortasse praesumpserit, ut inimicus ecclesiae ab ejus liminibus arceatur, quousque juxta pontificis discretionem digna per indictam poenitentiam emendatio subsequatur; eo tamen, qui a se raptus est, prius ecclesiae [Col. 0412B] restituatur [*Forte, restituto*].» Item sanctus Silvester in titulo 21 **(Conc. Aurel. V)**: «De servis qui pro qualibet culpa ad ecclesiae septa confugerint, id statuimus observandum, sicut in antiquis constitutionibus tenetur scriptum. Pro concessa culpa, datis a domino sacramentis, quisquis ille fuerit, egrediatur de venia jam securus. Enimvero si immemor fidei dominus transcendisse convincitur quod juravit, ut is qui veniam acceperat, probatur, tantummodo [*Cod.* Sal., postmodum] pro ea culpa qualecunque supplicio cruciatur, dominus ille qui immemor fuit datae fidei, sit ab omnium communione suspensus.» Item synodus Agathensis **(Conc. Aurel. I, cap. 1)**: [«Placuit ut homicidae a foribus ecclesiae non cito pellantur, et ab omni genere poenarum sint liberi; [Col. 0412C] ita tamen, ut eis quibus rei sunt, satisfaciant»]. Item synodus Agathensis: «Omnis fidelis qui in sinum ecclesiae confugerit, hoc est matris,

non facile repellatur, sed in ea ecclesia, quantum judices veritatis judicaverint, satisfactione sanetur.» Sed et de Constantino imperatore legimus, dum baptizatus fuerit, ut die quarta [*Cod.* Sal., fuit, ut die quinta] hujusmodi statuisset legem, ut in quocunque loco fuerit fabricata ecclesia, consecrationis hanc virtutem obtineat: ut quicunque reus in eam fugerit, judicis periculo, qui in praesenti fuerit, defensetur. Sed et perspectis cautissimis Romanorum libris ita de fugitivis ad ecclesiae cujuslibet suffragia invenimus scriptum, vel de eis qui Caesarem appellant, vel ad principem se duci flagitant. Theodosius et [Col. 0412D] Valentinianus Aug. Antiocho praefecto praetorio data X Kal. Aprilis Constantinopolim [*Cod.* Vat., Constantinopoli] Antiocho et Basso consulibus, interpretatio **(Lib. IV Cod. Theod., De his qui ad eccl. confug.)**: «Ecclesia et loca Deo dicata, rei qui ibidem compulsi timore confugerint, ita tueantur, ut nullis locis sanctis ad direptionem rerum vim ac manibus afferre praesumat [*Cod.* Vat. et Sal., reorum vim ac mortibus . . . praesumant]. Sed quidquid spatii vel in porticibus vel in atriis vel domibus, vel in areis ad ecclesiam adjacentibus pertinet, velut interiora templi [Col. 0413A] praecipimus custodire, ut reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, et loca veneratione digna polluere.» Imp. Honorius et Theodosius Aug. Ciciliano praeposito post alia datur IX Kal. Febr. [*Cod.* Vat., data. *Cod.* Sal., Non. Septembris] Ravenna, Honorio VII et Theodosio secundo Augustis consulibus, interpretatio **(Lib. III Cod. Theod., De custodia reorum)**: «Omnibus Dominicis diebus judices sub fida custodia de carceribus reos educant, ut eis a Christianis vel a sacerdotibus substantia praebeatur, et ad balneum praedictis diebus sub custodia, religionis contemplatione, ducantur. Si quis de custodibus hoc implere neglexerit, poenam, quam lex ipsa constituit, cogatur implere.» Lege Julia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate praeditus civem, [Col. 0413B] Romanum imperatorem appellantem **(Lib. II et XV Cod. Theod., de Appellat.)**, necaverit [necarive jusserit, torserit, verberaverit, condemnaverit] in via publica vincla duci jusserit; cujus rei {173} poena in humiliores capite [*Edit.,* capita]; in honestiores insulae deportatione coerceatur. Lege Julia decretum est, ut pro violentia [*Cod.* Sal., per violentiam publica] damnetur, quicunque judex appellantem, ut ad principis praesentiam ducatur, ingenuum hominem vel civem Romanum [factum] torserit; occiderit, vel occidi jusserit, vel in vinculis puhlicis astrinxerit, vel flagellis caeciderit, aut damnare praesumpserit. Pro qua re humiliores personae capite puniuntur [*Edit.,* ponuntur], honestiores in insulam relegantur. Legitur in Orosio, libro VII, de Alarico [Col. 0413C] rege, qui Romam obsedit, irrupit, vastavit, quali intentione locis sanctis idem paganus rex parcere jussit, ut eadem verba ponamus [*Edit.,* ponimus] quae idem historicus vir posuit, qui post congruam rerum gestarum seriem litteris subjunxit: «Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbatamque irrumpit, dato tamen praecepto prius, ut si quis in sancta loca, praecipue in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugisset, hos imprimis inviolatos securos esse sinerent.» Et quo honore vasa sancta reportare jussisset inventa ad ecclesias, ille [*Codd.* Vat. et Sal., ibi], qui scire desiderat, legere poterit. Si [quis] haec quae posuimus canonum et legum testimonia minores esse auctoritates [*Cod.* [Col. 0413D] Sal., de canonibus vel lege Romana . . . minoris esse auctoritatis] aestimet, legat ipsius Domini de fugitivorum [Col. 0414A] civitatibus praecepta, et intelligat divinitus esse statutum, ut rei et peccatores, Domino Deo demandante, loca defensationis debuissent habere ubi protegerentur a persequentium insidiis

@ [Col. 0413D] Cod. Salisburgensis hoc loco ita pergit: «In tantum, ut de servis fugitivis in

Deuteronomio legitur demandasse, ut non redderentur dominis propter timorem tormentorum. Eadem verba, quae ibi leguntur: *Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit, sed habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet, nec contristes eum* **(Deut. XXIII, 15, 16)**. Haec Domini sunt verba, non alterius, quae omni veneratione intelligenda sunt ad observandum secundum temporis opportunitatem. Sed et in historiis veterum legitur in civitatibus pene ubique asylum esse propter refugium sceleratorum, et hoc apud paganos quanto magis apud Christianos misericordiae causa Ecclesiae debent habere honorem suum in fugitivorum solatium?» *Hic finis est epistolae in cod.* Salisburgensi.. Nec non et ipsam Romam, aliasque per mundum civitates asylum statuisse ad reorum defensationem legitur, ut per illius loci vel templi, qui apud eos sanctus habebatur, severa legum cautione [*Cod.* Vat., cautio] mitigaretur. An fas est apud Christianos minoris esse honoris Ecclesiam Christi, quam templum Jovis apud paganos; vel beatae Mariae genitricis Dei domum, quam impiae Junonis asylum inferioris venerationis haberi: aut ipse beatus Martinus, verus Dei cultor in Christiano imperio minus venerari fas est, quam Scolapius falsator, in paganorum potestate [Col. 0414B] habuit?

Haec siquidem omnia, si domino meo David imperatori Christianissimo et omni honore Dei devotissimo legantur, vel verbis pacificis dicantur, scio, sanctissimum illius animum et pietate plenissimum, et in custodia mandatorum Dei cautissimum, qui nullis poterit muneribus de via veritatis averti qui omnia ita decernit et judicat [*Cod.* Vat., dejudicat], sicut Domino Deo Jesu Christo placuerit, et sanctis ejus
@ [Col. 0414D] Hiat sensus., et sibi erit merces perpetua in aeterna beatitudine et filiis suis benedictio sempiterna.

Ecce sanctorum censura [*Cod.* Vat., censurae] canonum, ecce legalium scita litterarum firmissime honorem ecclesiarum Christi in patrociniis fugitivorum [Col. 0414C] conservari jubent. Nunquam credimus ut Christianissimus et serenissimus imperator domnus Carolus Augustus aliter praecipiat, nisi ut sanctorum censurae canonum et legalium [edicta litterarum se habent, et ut antecessores sui statuerunt, nec sanctae Dei Ecclesiae honor, nec sui magni nominis reverentia et timor minor debet esse in regno excellentissimo et imperio potentissimo, vel in aliqua dignitate et honore minui, sed semper augeri, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui eum super omnes alios reges et imperatores sapientiae decore honoravit, et regni potentia exaltavit
@ [Col. 0414D] Uncis inclusa ex cod. Vat. restituuntur, quae deerant in codice quo usus est Baluzius.]
@ [Col. 0414D] Juvat huic epistolae, ob nexum historicum, subjicere responsoriam Caroli Magni imperatoris..

{174}
@ [Col. 0414D]

Magni momenti, inquit Baluzius in notis suis ad Capitularia tom. II, pag. 1062, est ista Caroli epistola, a magno principe et jurium sacerdotii et imperii peritissimo scripta. Hic vides clericum ab episcopo suo secundum canones judicatum, et in custodia propter sua merita inclusum, ruptis, ut ita dicam, carceris vinculis, in ecclesiam sancti Martini

confugisse et abusum sanctitate loci, ut poenam evaderet, quae in eum optimo judicio constituta fuerat. Vides deinde monachos, ut asyli sui religionem et auctoritatem venditarent, latebris illum suis occultasse, ejusque [Col. 0415D] defensionem ita suscipere ausos adversus episcopum, ut etiam ei plurimas contumelias publice imponerent. Quae res adeo demens et stolida visa est sapientissimo principi, ut non solum eorum stultitiam castigaverit asperioribus verbis, sed etiam clericum illum episcopo suo reddi jusserit, monachos porro ad se venire, ut condigna satisfactione inustum crimen eluerent . . . . . . Caeterum quod hic Theodulfo Aurelianensi episcopo accidit sub imperio Caroli M. idem ferme Hincmaro Rhemensi archiepiscopo postea evenit, ut docet Flodoardus, libr. III Hist. Rhem., cap. 21, ubi recensens epistolas Hincmari ait: «Eboni episcopo Ecclesiae Rhemensis alumno pro quodam fratre ab hac ecclesia fuga lapso et apud ipsum commorante, ut quantocius illum diligenti cura remittere studeat.»

Baluzius hanc epistolam primum ex veteri Codice [Col. 0416D] ms. bibliothecae Colbertinae edidit tom. I Capitul., pag. 413, eamque scriptam putat anno 803; Mabillonius vero anno praecedenti. (Apud Froben. epist. 119.)

EPISTOLA CLVIII. AD ALBINUM MAGISTRUM ET AD CONGREGATIONEM MONASTERII SANCTI MARTINI.

Congregationem S. Martini reprehendit ob defensionem cujusdam rei clerici ad ipsos confugientis, contra sententiam sui episcopi, et contra mandatum ipsius regis, etc.[Col. 0414D]

[Col. 0415A] In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Carolus, et reliqua, Albino venerabili magistro et omni congregationi monasterii sancti Martini.

Pridie quam ad nostram praesentiam a vobis missa venisset epistola, allatae nobis sunt litterae a Theodulfo episcopo missae, querimonias continentes de inhonoratione hominum suorum, et non tam illorum quam episcopi hujus civitatis, vel contemptu jussionis imperii nostri; quam jussionem de redditione cujusdam clerici de custodia ipsius elapsi, et in basilica sancti Martini latitantis sub nostri nominis auctoritate conscribere jussimus; cujus etiam nobis exemplaria [Col. 0415B] misistis [*F.* vobis . . . misimus], in quibus nos nequaquam injuste aliquid decrevisse, ut vobis visum fuit, putamus. Sed cum utrasque epistolas, vestram scilicet, et Theodulfi, nobis relegere fecissemus, asperior multo nobis et cum iracundia composita vestra, quam Theodulfi videbatur epistola, et in nullo erga illum charitatis condimento respersa; sed potius quasi reum defendens, et episcopum accusans, et sub velamine quodam celati nominis continens vel posset vel admitti ad accusationem deberet; cum hoc omnino et divina et humana lege sancitum sit,
@ [Col. 0416D] *Nulli criminoso.* Legitur istud in Capitulis Angilramni, cap. 43 et inde in libr. V Capitularium, cap. 187. Vide etiam libr. VII, cap. 85. BALUZ. nulli criminoso alterum accusandi dari licentiam, quanquam a vobis ad hoc defensus et conservatus sit sub obtentu jussionis nominis nostri, ut qui jam accusatus, et
@ [Col. 0416D] *In conspectu populi.* Hic locus valde illustratur ex cap. 370 lib. V Capitular.

in conspectu populi civitatis suae judicatus [Col. 0415C] est, accusandi locum habere Caesarei nominis appellatione deberet, ad exemplum beati Pauli apostoli, qui apud principes Judaeae a gente sua accusatus, sed nondum judicatus, Caesarem appellavit, et ab eisdem principibus ad Caesarem judicandus missus est **(Act. XXV, 10, 11)**, quod nequaquam praesenti negotio convenit. Paulus enim apostolus a Judaeis accusatus, sed non judicatus, Caesarem appellavit, et adire permissus est. Hic vero infamis clericus, et accusatus et judicatus, et in custodia missus, et de custodia elapsus, basilicam, quam nisi post poenitentiam ingredi non debuerat, contra legem ingressus, et adhuc, ut fertur, perverse vivere non cessans, ut dicitis, sicut Paulus apostolus Caesarem appellavit, sed nequaquam, ut Paulus, Caesarem aditurus est. Illi enim, apud [Col. 0415D] quem accusatus, et a quo judicatus atque in custodia [Col. 0416A] missus est, et de {175} cujus custodia evasit, praecipimus, ut reddatur, et ille eum ad nostram audientiam, sive vera sive falsa dicentem, adducat, quia non decet, ut propter talem hominem nostrae primae jussionis ulla fiat immutatio. Sed et valde miramur, cur vobis solis visum sit nostrae auctoritatis sanctioni et decreto contraeundum, cum liquido pateat et ex consuetudine veteri, et ex constitutione legum [regum] decreta recta [*F.,* rata] esse debere, nec cuiquam permissum illorum edicta vel statuta contemnere. Et in hoc satis mirari nequivimus, quod illius scelerati hominis precibus, quam nostrae auctoritatis jussionibus obtemperare maluistis, cum nunc clarissime liqueat, cum eodem homine amorem discordiae ex irruptione charitatis de hoc loco vetuit [Col. 0416B] [*L.* veluti] egredi. Ipsi quippe nostis, qui congregatio hujus monasterii ac servi Dei [et utinam vere!] dicimini, qualiter jam crebro vita vestra a multis diffamata est, et non absque re. Aliquando enim monachos, aliquando canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis. Et nos consulendo vobis, et ad malam famam abolendam

@ [Col. 0416D] *Magistrum.* Alcuinum utique? magistrum et rectorem idoneum vobis elegimus, et de longinquis provinciis invitavimus, qui et verbis et admonitionibus rectam vitam instruere, et, quia religiosus erat, bonae conversationis exemplo potuisset informare. Sed proh dolor! aliorsum cuncta conversa sunt; et

@ [Col. 0416D] *Diabolus vos quasi ministros suos.* Ivo Carnotensis episcopus, epist. 266, loquens de monachis majoris monasterii Turonensis: «Monachi daemoniaca invidia moti.» BALUZ., ibid. diabolus vos quasi ministros suos ad seminandam discordiam, inter quos minime decebat, invenit, scilicet inter sapientes et doctores Ecclesiae, et qui peccantes [Col. 0416C] corrigere et castigare debuerunt, cogitis ad peccatum invidiae atque iracundiae prorumpere. Sed illi, Deo miserante, nequaquam assensum vestris malis suggestionibus praebituri sunt. Vos autem, qui contemptores nostrae jussionis exstitistis, sive canonici, sive monachi vocamini, ad placitum nostrum, juxta quod praesens missus noster vobis indixerit, nobis vos assistere scitote. Et quamvis ad nos missa hic factae seditionis vos excuset epistola, venite et condigna satisfactione inustum crimen eluite.

{176}

@ [Col. 0416D] Ineditam hactenus descripsimus ex duobus codd. mss. Salisb. et S. Emmerami. Uncis inclusa in solo priore habentur. [Apud Froben. epist. 120).

EPISTOLA CLIX. AD ARNONEM.

Commendat illi discipulum grammaticae, quem vitulum vocat.

Dilectissimo Aquilae Albinus matricularius perpetuae [Col. 0416D] beatitudinis in Christo salutem.

[Col. 0417A] Direxi ho [*Al.,* o] animal vitulum Encheridion meum, ut adjuves illum et eripias eum de manibus inimicorum suorum, et adjuva quantum valeas [quia venerabilis episcopus multum ardet super nos, id est,
@ [Col. 0417D] *Theodulfus.* Vid. epist. priorem ad Candidum et Nathanaelem. An vitulus iste sit ille reus pro quo a Turonensibus contra episcopum Aurelianensem disceptatum est, ut in prioribus epistolis vidimus, ex brevi hac charta decerni haud potest. Theodulphus]. Misi quoque in ora pueri hujus, quamvis vitulus contra naturam rationale sit animal, quod ipse in auribus sanctitatis vestrae habet mugire. [Habeo [Habui] enim illum ad erudiendum Deo mecum in domo mea et poterit proficere, Deo dante, in lectionis studio seu grammaticae artis disciplina in domo sancti Martini]. O Aquila! *hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Domini nostri magnificabimur* **(Psal. XIX, 8)**. Valeas, vigeas semper in aeternum.
@ [Col. 0417D] Haec epistola ultima est in cod. ms. Emmeramiano, praetermissa a Mabillonio. Alcuini pennam stylus prodit; an vero ad Aquilam seu Arnonem, an ad alium amicum scripta sit, incertum. (Apud Froben. epist. 121).

EPISTOLA CLX. AD***

Amici charitati se commendat. [Col. 0417B]

Dilectissimo Patri, egregio pontifici. Leve jugum portare cupiens, in cujus unitate optat vobis salutem.

Omni melle dulciores nobis per fratrem nostrum litterae delatae sunt, quarum seriei dum respondere paravi, supervenit filius meus, cujus gratissima visitatio a longioris responsionis sermone paululum me suspendit. Non tamen ulla saeculi ambitio a charitatis suavitate cor meum suspendere poterit. Quinimo magis atque magis crescat de die in diem, et pleno charitatis mei modio cumulum quotidie addit. Omnipotens Deus, qui praesenti nos charitate conjunxit, [Col. 0417C] perpetua nos charitate conjungere dignetur in aeternum.
@ [Col. 0417D] Hanc epistolam hactenus ineditam e codice ms. bibliothecae Caesareae Vindobonensis saec. XI, qui in classe theologica n. 131 notatus est, eruit et mecum communicavit vir cl. D. Mathias Reiberer collegii S. J. Viennae bibliothecarius et historicus, a cujus industria respublica litteraria continuationem Germaniae sacrae, a viro celeberrimo D. Hansizio jam insigniter ornatae, magnis desideriis exspectat. (Apud Froben. epist. 122.)

EPISTOLA CLXI. AD ARNONEM.

Exponit quomodo substantia, essentia, subsistentia et natura de Deo dicantur.

Albinus Aquilae salutem.

Miror quomodo me sub unius momenti angustia in brevi tabella vitae aeternae formam depingere poscis. Quid est catholica fides, si per dilectionem operatur, nisi vita aeterna? Aliquid inde, ne inobediens praeceptis tuis viderer,
@ [Col. 0418D] *Brevi sermone dictavi.* Haec verba intelligo de opusculo ab hac epistola, in qua non depingitur forma vitae aeternae, sed ad aliam ab illa longe diversam quaestionem respondetur, distincto. Id ipse Alcuinus insinuare videtur, dum ita pergit: «Quod vero me interrogare vestram sanctitatem placuit, quid sit inter substantiam,» etc., ubi profecto Alcuinus haud obscure significare voluit, binas sibi ab Arnone fuisse propositas quaestiones, et alteri se satisfecisse brevi sermone; alteri vero respondere in epistola praesente. Quapropter haud necesse esse judico, quod laudatus D. Rieberer voluit, ut vel in verbis mox citatis particulae *vero* substituatur *ergo;* vel ut textus, verbis quibusdam transpositis, aliis suppletis, ita legatur: «Miror, quomodo me sub unius momenti angustia, in brevi tabella, vitae aeternae formam depingere *et sacratissima divinitatis adyta reserare poscis.* Aliquid inde, ne inobediens praeceptis tuis viderer, brevi sermone dictavi. Quid est catholica fides,» etc. brevi sermone dictavi. Quod vero me interrogare vestram sanctitatem placuit, quid sit inter substantiam, essentiam, et subsistentiam? aut, si dici fas sit sanctam Trinitatem esse [Col. 0418A] naturam? Sciendum {177} est quod essentia proprie de Deo dicitur, qui semper est quod est, qui Moysi ait: *Ego sum qui sum* **(Exod. III, 14)**; Deus enim solus vere est, quia incommutabilis est; quidquid enim mutabile est, quodam modo vere non est, quia esse poterit quod non est, vel non esse quod est. Substantia vero commune est nomen omnium rerum quae sunt: coelum, sol, luna, terra, arbores, herbae, animalia, viventia quaeque, homines etiam, substantiae dicuntur; nam, quod nulla substantia est, nihil omnino est, substantia ergo aliquid esse est: Deus igitur substantia est, et summa substantia et prima substantia, et omnium substantiarum causa, quia omnium rerum creator est. Unde contra venenum Arianae perfidiae solemus dicere, Patrem, et Filium, [Col. 0418B] et Spiritum sanctum unius esse substantiae: quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus una est substantia, nam substantia dicitur, quia subsistit. Ideo Graeci solent dicere de Deo: una Usia, tres hypostases [*Ms.,* Ypostatis], id est, una substantia, tres subsistentiae [*Ms.,* subsistentias]: quod beato Hieronymo non placuit, melius esse dicendum arbitranti [*Ms.,* arbitratus] Latino eloquio: una substantia, tres personae. Dicuntur enim [*Leg.,* etiam] usitato nomine divitiae substantiae, sicut de prodigo legitur in Evangelio: *Dissipavit substantiam suam* **(Luc. XV, 13)**, id est divitias. Naturam vero Dei libera voce dicimus, quia omnis natura natura est, et maxime illa quae sola vera est natura, quia semper est quod est, quia nullatenus de ea natura, qua semper est, mutabilis [Col. 0418C] est in aliam quamlibet naturam: quod saepius in libris catholicorum Patrum invenitur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius esse naturae. Hoc vero quod vos legisse dicitis dictum in opusculis sancti Augustini, quod Deus nec necessitate, nec voluntate Filium genuisset, sed natura: bene arbitramur dictum, quod natura Pater genuisset Filium, quia ejusdem naturae est Pater, et Filius, non necessitate, nec voluntate: quod quemdam haereticum impie interrogare legimus Christianum, utrum Deus Filium, volens, an [*Ms.,* ac] nolens genuisset? ut, si diceret *nolens:*

necessitas in Deum caderet; si vero *volens diceret, statim responderet, voluntatis esse Filium, non naturae.* At Christianus vigilantissime vicissim [Col. 0419A] quaesivit ab eo utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus? ut, si responderet *nolens, sequeretur miseria necessitatis, quam de Deo credere magna insania est;* si autem diceret *volens, responderetur ei, ergo et ipse voluntate sua Deus est, non natura.* Quid ergo restabat [*Ms.* restabit], nisi ut obmutesceret, et sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret? Igitur Deus natura est Deus, et Filius natura est Filius, et Spiritus sanctus natura est Spiritus sanctus, et est una natura horum trium, sicut una est essentia, et una omnipotentia, et una divinitas. Caeterum pro diversis eventibus multae sunt tribulationes fidelium, et unaquaeque persona tentationibus subjacet in hoc mundo, quia exsilium est, ubi vivimus, non patria; admonent enim nos hae [Col. 0419B] molestiae tentationum patriam quaerere, et quietam vitam, quae nullatenus hic inveniri poterit, nisi in spe aeternae quietis viventi. Explicit.

{178}
@ [Col. 0419D] Hanc epistolam Quercetanus inter opera Alcuini dogmatica primo edidit pag. 765, postea lectiones differentes et meliores addidit pag. 1512. Galliae litterariae scriptores censent eamdem rectius inter alias epistolas Alcuini quam inter dogmatica collocari. Quorum monitum secuti sumus. Exstat cum emendationibus [Col. 0420D] in cod. reg. Vat. 69. (Apud Froben. epist. 123.)

EPISTOLA CLXII. AD DOMNUM REGEM. (Anno incerto.)

Exponit quae sit differentia inter aeternum et sempiternum, perpetuum et immortale, saeculum, aevum et tempus.

Domino David, rectori optimo, victori maximo, Flaccus Albinus optat salutem.

De quorumdam nominum proprietate, revertens a nobis [*Al.,* vobis]
@ [Col. 0420D] *Candidus.* Cujus opera saepius uti solebat Alcuinus, ut patet ex pluribus epistolis, in quibus illum aliquoties vocat *Wizonem.* De quo vid. Gall. litt. tom. V, pag. 10 seq. Candidus noster, quaestiones nobis proposuit: de quibus ut ex tempore diligentius perscrutaretur, interim tacere disposui. Sed ille vestrae [Col. 0419C] voluntatis nimius exactor et importunus inquisitor, moras me facere non sinebat. Quapropter paucas eorumdem nominum rationes repentino et inculto [*Edit.* in occulto] notavi sermone; vestrum de his quae dicta sunt, sicut et de meis omnibus dictis vel scriptis, spectans judicium. Nam obediens devotio laudanda est, si auctoritate jubentis probatur. Haec ergo est interrogatio, quae nobis ab eodem oblata est, scilicet: quid sit discriminis inter *aeternum et* sempiternum, perpetuum et *immortale, saeculum,* aevum et *tempus? Primum enim sciendum est quod idem* [*Cod.* Vat., unum] significare videtur *aeternum* et *sempiternum;* et simplex esse nomen *aeternum;* sempiternum vero compositum ex adverbio *semper,* et nomine *aeternum.* Ideo omne aeternum potest dici et sempiternum; [Col. 0419D] e converso ordine omne sempiternum etiam aeternum. Perpetuum vero videtur (derivatum) esse ex eo quod est *perpes, et significare quod nullo dirimitur intervallo, sed semper eodem modo perstat quo est.* Inter *aeternum*

autem et *immortale hoc distare videtur, quod omne aeternum immortale, non tamen omne immortale aeternum recte dicitur.* Inter *aevum et saeculum* ita discerni potest, quod *aevum quiddam* aeternum potest intelligi, *saeculum vero temporale* [Col. 0420A] aliquid. Sed modo videamus horum distantiam nominum. Immortalis enim illa dicitur natura quae mori non potest, non tamen semper immutabilis, id est, quae mutari non possit: sicut anima humana, quae immortalis creata est, sed immutabilis procul dubio non est, quia de pejore in melius, vel de meliori in pejus, et de pejore in pejus vel de meliore in melius mutari potest, sicut dictum est: *Ibunt sancti de virtute in virtutem* **(Psal. LXXXIII, 8)**. Solus Deus vere immortalis et immutabilis, quia solus vere et proprie aeternus, et quod semper est, de quo Apostolus: *Qui solus habet immortalitatem.* **(I Tim. VI, 16)**. Immortalem posuit pro immutabili; quia quod mutabile est, quodammodo moritur eo quod est, dum aliud aliquid incipit esse quod non erat. Sed abusive [Col. 0420B] saepe *aeternum legitur dictum, quod tempori vel mutabilitati obnoxium est,* nec semper ejusdem modi est, et ideo *aeternum non recte dicitur*. Quod enim mutatur, non manet: Idque, ut supra diximus, inter *immortale* et *aeternum est discriminis,* [quod] omne aeternum, immortale est; et non omne immortale, satis subtiliter, etiam aeternum dicitur: quia etsi aliquid semper vivat, tamen [si] mutabilitatem patitur, non proprie aeternum appellatur; quia non semper hujusmodi est, quamvis immortale, quia semper vivit, recte dici possit. Vocatur tamen aeternum, interdum etiam, quod immortale est: aeternum enim cum proprie dicitur, neque quidquam praeteritum habet, nec futurum; sed quidquid est, semper est, quod solus est Deus; et ideo solus Deus [Col. 0420C] aeternus est secundum proprietatem aeternitatis. Quod vero de aeterno diximus, hoc idem licet intelligi de sempiterno. Sed quid est quod Apostolus dicit: *Ante tempora aeterna* **(Rom. XVI, 25, et II Tim. I, 9)**? Si enim *tempora,* quomodo *aeterna;* cum tempora non sunt, nisi in creaturis? nisi forte *ante omnia tempora intelligi voluit. Aeterna autem maluit dicere quam omnia, fortasse ideo quia tempus non coepit ex tempore;* aeterna enim tempora aevum significant. Inter *aevum* autem et *tempus hoc distat quod illud stabile est, tempus autem mutabile. Saeculum vero dicitur post creatas* [*Al.,* dicuntur primo creatae] rerum species, et in diversas temporum mutabilitates distinctae; videturque *saeculum* et *tempora simul coepisse.* Sed multis locis, *saeculum etiam in sancta* [Col. 0420D] Scriptura legitur pro *sempiterno, ut dicitur:* {179} *Quoniam in saeculum misericordia ejus.* **(Psal. CV, I, et CXVII, 1 seq.)** *In* saeculum, scilicet *in perpetuum dicit, quoniam misericordia ipsius aeterna et indeficiens est. Saeculum est etiam mundi ordo decurrens,* qui ad futura tendens praeterita deserit, et ideo *saecula dicta esse putatur, quia in se jugiter resolvuntur* [*F.* revolvuntur] tempora. Sed differentia est, dum dicitur, *a saeculo;* [et dum dicitur, *in saeculo*]; et [Col. 0421A] dum dicitur, *in saeculum saeculi.* Adam namque *a saeculo fuit;* id est in principio saeculi. Caeteri vero patres, Noe, Abraham *in* saeculo, sed non *a saeculo fuerunt:* sicut omnes humani generis series in saeculo fuerunt, vel sunt, vel futurae sunt. *In saeculum* vero *saeculi, futurum est saeculum,* quod post hoc erit saeculum, quod et *in saecula saeculorum* **(Tob. IX, 11)** dicitur. Nam quibusdam in locis *in saeculum saeculi aeternitatem Domini absolute significat, quoniam ille et etiam ante saeculum, et in saeculo, et post illud saeculum misericors esse monstratur.* Et ideo dicitur de eo: *Misericordia autem Domini a saeculo et usque in saeculum super timentes eum.* **(Psal. CII, 17.)** Item: *In saeculum saeculi* **(Psal. IX, 6, et X, 16, etc.)** propter duo Testamenta saepe legitur [Col. 0421B] positum, quia hoc Novum

Testamentum prioris saeculi saeculum est, sicut et futurum istius praesentis erit. Invenitur quoque *saeculum pro cujuslibet temporis fine poni.* Nam in Lege Domini dicitur: *Sit tibi servus in saeculum* **(Exod. XXI, 6)**, id est, usque in jubilaeum annum. Sed sciendum est quod *aeternum tribus modis in sancta Scriptura legi solet.* Primo, quod vere et proprie aeternum dicitur, omni [mutabilitate] carens, sicut solus Deus est. Alter vero modus est, cum ea res aeterna dicitur, quae ipsa quidem per se aeterna non est, sed quod significat, aeternum est; veluti hoc quod Abrahae dicitur: *Dabo tibi et semini tuo terram hanc in possessionem aeternam* **(Gen. XVII, 8)**. Cum nec ipsa terra, nec ejus habitatores aeterni esse potuissent, sed [Col. 0421C] terra viventium, quae per hanc terram significatur, aeterna est; et habitatores illius aeterni, de quibus dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* **(Matth. V, 4.)** Tertius modus est, quando ea res aeterna appellatur, cui finis non constituitur, aut ita fit ut deinceps non sit facienda, quantum ad curam vel ad potestatem facientis, aut dicentis pertinet, eo genere locutionis, quo quidam Poeta dicit:

Serviet aeternum, qui parvo nesciet uti Non enim potest aeternum servire, cujus ipsa vita aeterna esse non potest. Sed mira [*Al.,* magis] quaedam differentia est inter essentiam omnipotentis Dei, et volventia humanae vitae tempora. Legimus enim tria tempora esse, id est, praeteritum, praesens, et [Col. 0421D] futurum; sed ita ut pene nihil nobis praesens sit, sed omnia praeterita et futura. [*Verbum enim dum dico, priorem dum dixi*] syllabam [*Al.,* Verbi enim cum dixi priorem syllabam, *etc.*], posterior futura fuit: et dum posteriorem dico, praeteriit prior. Deo vero nihil praeteritum et futurum, sed omnia praesentia sunt, qui servo suo Moysi ait: *Ego sum qui sum.* Et: *Dices filiis Israel:* qui est, misit me ad vos **(Exod. III, 14)**. Sed si subtilius quaerere incipias, etiam ipsae duae syllabae, dum dixi: *Deus aeternus,* [Col. 0422A] aeternae non sunt, sed illud quod istae syllabae significant, omnimodis aeternum est. Verba enim quibus loquimur, nihil aliud sunt nisi signa rerum earum quas mente concipimus, quibus ad cognitionem aliorum venire volumus: quae verba nunquam recte proferuntur, nisi veritatem significent. Veritas enim omni homini naturalis est in tantum, ut nullus unquam pro veritate falsum audire velit, eo modo ut ipse verum putet quod falsum est, nisi ipse nimium varius [*Cod.* Vat. vanus] sit et ab omni veritate aversus.

Sed quia ad finem chartulae properat series, videtur ratum aliquid de ipso fine dicere. Est enim locus ubi finis quod sine fine est significat, ut in Evangelio: *Cum dilexisset eos, qui erant in mundo,* in finem dilexit [Col. 0422B] eos **(Joan. XIII, 1)**, id est, in aeternum dilexit eos. Est etiam ubi perfectionem significat, ut: *finis enim legis est Christus* **(Rom. X, 4)**, id est, perfectio legis. Est quoque, ubi ipsum significat Christum, ut in quibusdam psalmorum titulis: *in finem David* **(Psal. LI, LII, et al.)**, id est, in Christum. Aliquando etiam finis significat finem cujuslibet rei vel temporis; ut in Daniele: *in fine autem dierum illorum* **(Dan. IV, 31)**. Nec mihi multitudo verborum et chartulae longitudo objicienda est, quia longitudo temporis, vel magis illud quod tempus non habet, plurima poscit verba, quibus demonstretur quod vix demonstrari {180} possit. Sed calamus in fonte charitatis tinctus, dulce habet cum eo loqui, cui omnia bona dulcia sunt; cui Deus aeternam concedere dignetur [Col. 0422C] dulcedinem.

[Det tibi perpetuam clemens in saecla salutem

Et decus imperii, David amate, Deus.]

@ [Col. 0421D] **(Froben. epist. 124.)** Edit. Quercet. 6, Canis. 12. Hic autem multis locis castigatior prodit ex cod. ms. bibliothecae Salisburgensis, ubi hic praefigitur titulus: *Explanatio gladiorum qui dicuntur in passione.* In editis vero: *De eo quod in Evangelio dicitur:* Domine, [Col. 0422D] duo gladii hic.

EPISTOLA CLXIII. AD CAROLUM.

Exponit textum S. Lucae cap. XXII, 36. *etc.,* de duobus gladiis. Conqueritur de quibusdam episcopis, qui presbyteris et diaconis munus praedicationis inhibere volunt; et de profanatione altarium.

Domino desiderabiliter venerabili et venerabiliter desiderabili David regi, in fide et charitate Flaccus [Albinus] salutem.

Litteris vestrae nobilissimae pietatis acceptis, in quibus vestram nobis valde amabilem sanitatem, et cuncto Christianitatis imperio pernecessariam prosperitatem [Col. 0422D] cognoscens [*F.,* cognovi], totum cordis mei affectum in gratiarum actiones Christo clementissimo regi effudi: illius sedula oratione deprecans pietatem, cum omnibus nostrae devotionis cooperatoribus, quatenus vestram pacificam et amabilem potentiam, ad exaltationem sanctae suae Ecclesiae et

@ [Col. 0422D] *Sacratissimi imperii.* De Romano, existimo, imperio haec esse intelligenda. Unde hanc epistolam non ante annum Christi 800 datam fuisse censemus. sacratissimi gubernacula imperii longaeva prosperitate custodire, regere et dilatare dignetur. In quibus laudabilibus quoque vestrae sapientiae apicibus meam, ut soliti estis, segnitiem per interrogationes [Col. 0423A] prudentissimas sagaciter [*Cod.* Sal., prudentissima sagacitate] excitare velle inveni. Imo per inquisitiones [magis docere, quam ignorata discere] agnovi; *quia sapienter interrogare, docere est, veluti in vestrae auctoritatis pagina scriptum reperimus;* ubi post congruam sententiam veridico sermone exaratum perspeximus

@ [Col. 0423D] Hic finis est epistolae apud Canisium.: «Cognoscat igitur industria tua,

@ [Col. 0423D] *Charissime in Christo praeceptor.* Ex his, ipsius Caroli imp. confessione, confirmatur testimonium Eginhardi, narrantis Carolum in caeteris disciplinis (praeterquam in grammatica) Alcuinum habuisse praeceptorem. Quo etiam spectant versus epigrammatis [Col. 0424D] 260 (*alias 199*) Alcuini ad fratres Eboracenses, ubi ita canit:

Talia namque placent vestro quia munera Patri, Qui nunc egregias regalibus insonat artes Auribus, et Patrum ducit per prata sequentem, etc. charissime in Christo praeceptor, propositam nobis a quodam non clerico, sed laico de Evangelio quaestionem, cui tunc tamen a nobis usque [in] praesens est dilata responsio: Non quia juxta quod interrogavit, respondere non valuissemus,» et reliqua. Vere et valde gratum habeo laicos quandoque ad evangelicas effloruisse inquisitiones, dum quemdam audivi virum prudentem aliquando dicere: clericorum [Col. 0423B] esse Evangelium [discere (*Edit.,* discernere)], non laicorum. Quid ad haec? *Omnia tempus habent* **(Eccle. III, 1)**, et

saepe posterior affert hora quod prior non poterat. Tamen iste laicus, quisquis fuit, sapiens est corde, etsi manibus miles, quales vestram sapientissimam auctoritatem plurimos habere [decet (*Edit.,* debet)]. Sed ad responsionem interrogationis vertamus stylum, ad satisfaciendum inquisitoris animo, si tamen nostra parvitas tam praeclaro ingenio satisfacere valet.

Nodus vero propositae quaestionis, veluti in vestrae excellentiae litteris inveni, hujusmodi constrictus fuit, ut eadem ponamus verba quae in illis legebam: «Est enim locus Evangelii secundum Lucam **(Cap. XXII, 36, 38, 50)**, ubi Dominus Christus ad passionem [Col. 0423C] venturus, tunicam ac peram vendere, gladiumque emere discipulos jussit. Cui cum responsum esset binos ibi esse gladios, dixit, satis esse. Quorum uno Petrum in abscissione auricolae Malchi usum fuisse putamus: Cui et tunc a Domino dictum est: *Converte gladium tuum in vaginam.* Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt **(Matth. XXVI, 52)**. Quomodo sibi convenit [*Cod.* Sal., conveniat], ut qui tunc vendere tunicam, emere gladium jusserat, is statim accipientes gladium gladio diceret esse perituros? *Si gladius est verbum Dei* **(Ephes. VI, 17)**, et Dominus {181} quando gladium emere praecepit, verbum Dei significavit; quomodo congruit, ut omnis qui accipiat verbum Dei, verbo Dei pereat?» Sed facilis est solutio, si singulorum consideratur evangelistarum [Col. 0423D] huic loco circumstantia, et diversae intelliguntur gladii significationes. Non enim aequaliter ubique gladius significat. [Itaque, sicut Leo aliter significat,] ubi dicitur: *Ecce vicit leo de tribu Juda* **(Apoc. V, 5)**; aliter ubi dicitur: *Circuit quasi leo, quaerens quem devoret* **(I Petr. V, 8)** . Ille leo Christus est; iste, diabolus: etsi eisdem scribatur litteris leo, non tamen eisdem congruit significationibus. Nam et abyssus in Scripturis sanctis multifarias habet [Col. 0424A] allegorias, ut studiosis lectoribus facile est invenire. Abyssus, immensitas aquarum; abyssus, profunditas Scripturarum; [abyssus, ineffabilia judicia Dei **(Psal. XXXV, 7, et Rom. XI, 33)**]; abyssus, sapientia; abyssus, corda hominum significat; et multa talia in Scripturis sanctis inveniuntur, quae secundum qualitates locorum varias habent intelligentias. Sermo Domini oculosus est, et undique perforari potest, et alta profunditas mysteriorum Dei. Quis omnia secreta illorum investigare potest? Igitur et gladius multifarie significare videtur. Nam et venenatas Judaeorum maledictiones in Christum [significat], ubi dicit: *Qui exacuerunt ut gladium linguas suas* **(Psal. LXIII, 4)**. Etiam et mortem significat, ubi dicit: *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno* (Psal. [Col. 0424B] CXLIII, 10). Scilicet et tribulationem passionis Christi significat, ubi dicit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* **(Luc. II, 35)**; id est, tribulatio passionis illius tuam torquebit animam. Divisionem quoque significat, ubi dicit: *Non veni mittere pacem, sed gladium* **(Matth. X, 34)**; id est, separare bonos a malis. Sed [et] vindicta gladii nomine intelligitur, ubi legitur: *Non enim frustra gladium portat;* vindex est enim in eos qui operantur malum **(Rom. XIII, 4)**. Judicium quoque Dei gladii nomine legitur designatum: *Inebriatus est in coelo gladius meus* **(Isai. XXXIV, 5)**. Item quia, *Exacuam ut fulgur gladium meum, et aget judicium manus mea* **(Deut. XXXII, 41)**. Et juxta Apostolum, verbum Dei intelligitur gladius.

Sed forsitan ille laicus, qui in uno solebat pugnare [Col. 0424C] gladio, unam eum putabat habere interpretationem, non considerans illum ipsum, quem manu tenet, ancipitem esse: in quo et inimico vitam auferre nititur, et suam defendere gaudet. Ideo secundum

aliam significationem in Matthaeo Dominus dixit: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt* **(Matth. XXVI, 52)**. Juxta aliam vero in Luca: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Et qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium **(Luc. XXII, 36)**. Iste vero gladius videtur ei placuisse, ille itaque displicuisse. Ideo illum converti in vaginam, istum emi praecepit. Idcirco diligentius considerandum est quid uterque significet: et sacri sanctorum Patrum proferendi sunt sensus, ne quid nostra [parvitas (*Al.,* pravitas)] praesumptuose dicere videatur. [Col. 0424D] Ille vero gladius secundum Matthaeum vindictam injuriarum nostrarum intelligitur designare, quam qui exsequitur, in suis periturus erit sceleribus, ipsa dicente Veritate: *si non remiseritis hominibus peccata sua, nec Pater vester coelestis dimittet vobis delicta vestra* **(Marc. XI, 26)**. Quapropter et hunc converti in vaginam cordis praecipit, ut ibi, juxta evangelicam duorum servorum parabolam **(Luc. VII, 41 seq.)**, unusquisque remittat fratri suo de corde suo. Et haec [Col. 0425A] est nostrorum indulgentia delictorum, ut in nos peccantibus dimittamus, ipsa attestante Veritate: *Dimittite et dimittetur vobis* **(Luc. VI, 37)**.

Sed videamus quid ille secundum Lucae Evangelium gladius significare possit, de quo totius inquisitionis oriebatur series. Ille est nimirum verbum Dei, quem venditis omnibus saecularis vitae impedimentis nobis emere necesse est, et viriliter in eo pugnare contra omnes antiqui serpentis insidias. Quem gladium Salvator noster cum triumpho gloriae ad paternam rediens sedem, discipulis suis dedit dicens: *Ite, docete omnes gentes* **(Matth. XXVIII, 19)**. Non igitur ad hujus gladii ictum, sicut extraordinariae hujus inquisitor quaestionis arbitrabatur, Dominus respondit: *Converte gladium in vaginam suam,* sed [Col. 0425B] ad illius qui in Matthaeo legitur. Ad istius [itaque (*Al.,* atque)] dixit: *Sinite usque huc* [Cod. Sal., *adhuc*] **(Luc. XXIII, 51)**. Quatenus uterque suam propriam habere potuisset significationem. Nam aliquoties in uno facto aliorum {182} salus et aliorum perditio [provenit; *Al.,* pervenit]. Ut in tota Christi passione Judaeorum est perditio, nostra autem salus: ita et factum apostolicae audaciae juxta allegoriae subtilitatem dupliciter ex ipsius Domini verbis intelligi potest. Quaeratque ille, quisquis est, cur in alio evangelista Dominus praeciperet virgam portandam, in alio praeciperet non portandam: et tunc intelligat, gladii diversas esse significationes.

Sed considerandum est, secundum vestrae sapientiae venerabile praeceptum, «quid significet hujus [Col. 0425C] [emptio; (*Edit.,* exemptio)] gladii, quid sacculum, quid pera, quid tunica, cur postremo in duobus gladiis satis esse dicatur?» De conversione itaque gladii in vaginam suam et de periculo accipientis, loco suo diximus. Emptio siquidem hujus gladii est saeculi renuntiatio, de qua ipse Dominus dixit: *Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* **(Luc. XIV, 33)**. Hoc est: avaritiae sectator non potest veritatis esse praedicator, quia quod ore praedicat, opere destruit. Igitur in sacculo occulta divitiarum substantia: in pera, publica designari potest. In tunica carnalis delectatio demonstratur. Quae omnia funditus vendenda, id est abjicienda sunt, ut dignus [in] gladio verbi Dei sectator Christi efficiatur miles. Quod autem discipuli id [Col. 0425D] dixerunt: *Ecce duo gladii hic sunt, et Dominus respondit: satis est;* duo gladii sunt corpus et anima, in quibus unusquisque secundum sibi a Deo datam gratiam in Domini Dei voluntate praeliari debet. Et satis erit voluntati

Dei, si corpore et animo illius implebuntur praecepta.

Sed et haec proposita quaestio alteram advocat, quia *abyssus abyssum invocat* **(Psal. XLI, 8)**. Et dum [nodum (*Edit.,* modum)] validae complexionis solutum aestimavi, ecce [alterum ex latere occultae constrictionis (*Edit.,* in alteram ex latere occultam constructionis)] offendi, quem non laico prioris inquisitionis auctori, sed vestrae venerandae dignitati exsolvam. Si gladius iste, ut diximus, verbum Dei [Col. 0426A] est, cur auriculam abscidit adversantis, dum verbum Dei ex auditu ad secreta cordis cubilia pervenire solet; ut ibi fidei fructum centesimo, sexagesimo, vel tricesimo ferat effectu **(Matth. XIII, 8)**? Quid ista, obsecro, significat abscissio, nisi ut [infidelitatis (*Edit.,* infoeditatis)] auricula abscindatur, ut divinae tactu gratiae nova sanetur, et veteris hominis exspoliatio in novae reformationis transeat gloriam? Unde et iste servus Malchus dicebatur. Malchus in Latinam linguam vertitur rex vel regnaturus. Quomodo rex et servus, nisi quia in vetere homine servi fuimus peccati; in novo itaque Domini Dei [sanati (*Edit.,* sancti)] gratia, reges et regnaturi erimus cum Christo? Quid est quod ipse Dominus persecutorem suum sanavit, nisi quod omnis praedicator in Ecclesia [Col. 0426B] Christi nec suos verbo pietatis sanare inimicos desistat? Unde et ipse Dominus tempore passionis suae, opera etiam in suos persecutores non deseruit sanitatis. Ac ideo forsitan permissus est Malchus vulnerari, ut Petri ostenderetur constantia et Domini claresceret pietas, et nobis ad omnes boni operis daretur exemplum, quatenus salutis aeternae [medicamenta (*Edit.,* munus)] etiam inimicis praestaremus nostris.

Cur duo gladii in Dominica [tantummodo (*Edit.,* postmodum)] passione inventi sunt, et in uno apostolica pugnavit fiducia; alium vaginae exemptum non legimus? diximus duos gladios corpus et animam significare: quae ambo per unam fidem operari debent, ut fides, quae in anima latet, foras per corpus ostendatur in opere. *Ex abundantia cordis os loquitur* [Col. 0426C] **(Matth. XII, 34)**. Unde et discipuli dona sancti Spiritus in igneis linguis accipientes loqui dicuntur *magnalia Dei* **(Act. II, 11)**. Quia ubi charitas per donum sancti Spiritus intus ardescit in animo, mox foras in verbo clarescit praedicationis. Possunt quoque non inconvenienter duo gladii, fides et opus intelligi: illa in corde latens, istud in facto in palam procedens. Et diligentius consideranti par priori significationi haec quoque invenitur, quia fides animae est, opus vero corporis. Unde et unusquisque ad cordis sui penetralia dirigat intentionem, et videat in eo, quantum diligat Deum, et eamdem Dei dilectionem proferat in opus. Et maxime praedicatores Ecclesiae Christi charitatem Redemptoris nostri per verba sedulae praedicationis populis ostendant. {183} [Col. 0426D] Sint *lucernae ardentes* **(Luc. XII, 35)** in domo Domini: sint civitates firmae in montibus virtutum consitae, et contra omnes insidias hostilis exercitus munitissimae. Sint pastores providi, gregem Christi per pascua vitae aeternae ducentes, quatenus cum multiplici animarum fructu gaudia Domini Dei sui mereantur ingredi. [Hos tua (*Edit.,* hostia, *mendose*)] excellentissima dignitas et sanctissima in Christi charitate voluntas semper admoneat, imo suavissimis exhortationibus ad praedicationis impellat officia, quatenus in die magno Domini nostri Jesu Christi tu quoque amabilem merearis audire sententiam: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam,* intra in gaudium Domini tui [Col. 0427A] **(Matth. XXV, 21)**. Nec enim hoc solis sacerdotibus vel clericis audiendum ibi arbitreris, sed etiam bonis laicis et bene in opere Dei laborantibus

dicendum esse credas, et maxime his qui in sublimioribus positi sunt saeculi dignitatibus, quorum conversatio bona et vitae sanctitas et admonitoria aeternae salutis verba, suis subjectis praedicatio poterit esse. Nam unusquisque de pecunia domini sui, quam accepit, rationem redditurus erit in die judicii. Et qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Quapropter dilectissime et honorande Ecclesiarum [Christi] defensor et rector, tuae sanctissimae sapientiae venerabile studium alios admonendo exhortetur, alios castigando corrigat, alios vitae disciplinis erudiat, ut *omnibus omnia factus* **(I Cor. IX, 22)**, ex omnibus mercedem habere [Col. 0427B] merearis perpetuam. Ut cum magna et laudabili populorum multitudine gloriosus in conspectu Domini Dei tui appareas.

Audio etiam per Ecclesias Christi quamdam consuetudinem non satis laudabilem, quam vestra prudentissima auctoritas facile emendare potest, si tamen vera est opinio, et non magis falsa excusatio, ut quod facere non volunt presbyteri, suis injiciant episcopis. Nam dicunt ab episcopis interdictum esse presbyteris et diaconibus praedicare in ecclesiis, dum in Apocalypsi [legitur: *Spiritus et sponsa* **(Edit., legatur episcopis et sponsae, etc.)**] *dicunt:* veni. Et qui audiat, dicat, veni. Qui sitit, veniat, qui vult, accipiat aquam vitae **(Apoc. XXII, 17)**. Nec non et Apostolus: *Quod si alii revelatum fuerit sedenti,* prior [Col. 0427C] taceat. Potestis enim per singulos prophetare **(I Cor. XIV, 30, 31)**, id est docere. Item ad Timotheum: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur:* maxime qui laborant in verbo et doctrina Dei **(I Tim. V, 17)**. Dicant enim in quibus canonibus interdictum sit presbyteris praedicare? Quin magis legant et intelligant, ab initio nascentis Ecclesiae, quanti et quam mirabiles ex diverso clericorum ordine per totam mundi latitudinem fuere praedicatores, etiam et apostolica in diversas partes transmissi auctoritate: et desinant speciale habere, quod ad majus animarum lucrum plurimorum poterit esse. Nam et ipse Dominus noster Jesus Christus apostolis suis ad praedicationis officia secundi ordinis viros [Col. 0427D] subjunxit, ut in Luca apertissime legitur: *Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam* **(Luc. X, 1)**. Et paulo post: *Qui vos audit, me audit;* et qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum qui me misit **(Ibid., 16)**. Et caetera quae ibi de dispensatione verbi Dei leguntur. Quare in Ecclesiis ubique ab omni ordine clericorum homiliae leguntur? Quid est homilia, nisi praedicatio? Mirum est quod legere licet, et interpretari non licet, [ut] ab omnibus intelligatur? Quid est aliud, nisi ut audientes sine fructu fiant, et impleatur Virgilianum illud:

Dat sine mente sonos . . . . . [Col. 0428A] Et non evangelicum: *Quod in aure audistis, praedicate super tecta* **(Matth. X, 27)**? Dicit enim beatus Hieronymus in epistola (52) ad Nepotianum presbyterum, ubi eum de praedicationis officio instituit: «Pessimae consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, et praesentibus episcopis non loqui: quasi aut invideant aut non dignentur audire. *Et* si alii, inquit Paulus apostolus, *fuerit revelatum sedenti, prior taceat.* Potestis enim per singulos prophetare, ut omnes discant [Edit., *et omnes dicant*], et omnes consolentur **(I Cor. XIV, 30, 31)**. Et: *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est;* non enim dissensionis est Deus, sed pacis **(Ibid., vers. 32, 33)**. *Gloria patris est filius sapiens* **(Prov. X, 1)**. Gaudeat episcopus judicio suo, cum tales [Christo] elegerit [Col. 0428B] sacerdotes. {184} [Docente te in ecclesia (*Edit.,* Docentes in ecclesia)] non clamor populi sed gemitus suscitetur. Lacrymae auditorum laudes tuae sint.» Haec tantus et admirabilis doctor

huic tam malae consuetudini opposuit. Plurima exinde dici possunt, sed sapienti pauca sufficiunt. Nec nostrae rusticitatis est, vestrae laudabilis sapientiae aures plurimis aggravare verbis; sed tantum supplici deprecari devotione, ut talia paterna provisione jubeatis, si vera sint, emendare. Quatenus sublime regalis potentiae regimen omnibus ubique proficiat ad salutem, et tibi cum Christo Domino Deo nostro et sanctis ejus praemia perpetui honoris augeantur.

Vidimus quoque aliquibus in locis [negligentes] altaria Dei absque tecto, avium stercoribus vel canum [Col. 0428C] mictu foedata. Quod facile vestra veneranda in Deo voluntas per episcopos emendare valet: ut cum honore condigno maneat mensa Domini in loco suo, vel portetur in ecclesiam majorem, secundum sanctam sacerdotum Dei providentiam; et honorifice tractetur seu altare Christi, seu consecratio corporis et sanguinis illius, et praecipuum salutis nostrae sacramentum omni veneratione consecretur, habeatur, et custodiatur.
@ [Col. 0427D] Haec epistola in editione Quercetani 106 est, ab ipso primo edita ex codice ms. Scripta est post annum [Col. 0428D] 800 ad Carolum jam imperatorem. (Apud Froben. epist. 125.)

EPISTOLA CLXIV. AD CAROLUM IMPERATOREM.

Respondet ad interrogata de hymno post coenam dicto apud Matthaeum et Marcum.

Regi [*Leg.* Rege] regum Deo Christo donante Carolo regi, imperatori Augusto, optimo, maximo, perpetuo; [Col. 0428D] humilis matricularius Albinus sempiternam coelestis gloriae salutem.

Mirabilis sapientiae vestrae litterarum serio perfecta, invenimus eas eloquentiae nitore splendidas, et profunditate sensuum subtilissimas, et inquisitionis gratia jucundissimas. Unde patenter agnosci poterit, non tantum imperatoriam vestrae prudentiae potestatem a Deo ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium et sapientiae decorem collatam, et juvenum mentes quadam inertiae rubigine obductas ad acumen ingenii per vestram sanctissimam solertiam elimandas. Si quidem praeter imperiales et publicas curas, evangelicas quaestiones academicis [Col. 0429A] vestris a nobis enucleandas inquiritis. Quanquam vestrae prudentiae, ut id epistola dignitatis vestrae dicitur, easdem quaestiones notissimas esse sciamus; tamen ne senilis taceat segnities, quibusdam interrogationum stimulis somnigeram illius socordiam excitare voluistis. Unde etiam nunc magis docere vestris insitionibus [*Leg.* inquisitionibus] intelligo, quam vestrae aliquid affluentissimae sapientiae ex mea addi posse responsione. Nam sapienter interrogare, docere est. Igitur prudenter quaerere via est inveniendi; veluti fertur, Pythagoram ordinatis interrogationibus puerum quemdam de geometrica magis docuisse, quam discere quid ab eo vellet. Sicut et Dominum in Evangelio quibusdam parabolis egisse legimus.

[Col. 0429B] {185} Sed ut ad inquisita respondeam, prout meae inspiraverit menti gratia illius, de cujus sermone hujus inquisitionis orta est interrogatio: quamvis vestrae

claritati vix mea aliquid dignum parvitas conferre valeat, quia non talis mihi inest formae vel cogitationum fiducia, sicut legitur de Zenocrate architecto, qui populea fronde coronatus, et pelle leonis vestitus inter turbas populi incessit contra tribunal Alexandri Magni, et quaesitum est ab eo quis vel unde esset? At ille, «Zenocrates, inquit, ego architectus Macedo, qui ad te cogitationes et formas tuae claritati condignas affero.» Sed talem mihi inesse voluntatem de vestrae excellentiae Platonicis video, qualis in Aristippo philosopho scribitur, qui naufragio [Col. 0429C] perditis omnibus vix vivus evasit ad littus, dixisse suis legitur: «Ite Athenis, et dicite discipulis nostris eas congregare divitias quae naufragio perire non possunt;» sapientiam volens intelligere. Nec etiam haec veteris monimenta historiae proferrem, nisi vestrae auctoritatis apices ad philosophorum me nomina provocarent.

His praelibatis, ad interrogationem litterarum veniamus vestrarum, in quibus post congruam epistolae praefationem scriptum invenimus, ut eisdem utamur verbis: «Hymnum post coenam mysticam vel discipulos vel potius ipsum Dominum dixisse, ex ipsius sacrae historiae lectione [et] auctoritate collegimus; ac propter hoc sumus non mediocri stupore perculsi, cur tantae dulcedinis hymnus vel ab ipso Domino, [Col. 0429D] vel, si a discipulis, in praesentia tamen Domini, dictus, ab evangelistis omnibus sit praetermissus?» Haec est totius summa interrogationis; cur tacitus sit ab omnibus tantae dulcedinis hymnus evangelistis; dum certissime ex verbis sacrae historiae constat, hymnum post coenam mysticam dictum esse a discipulis, vel potius ab ipso Domino? Cujus itaque omnis [*F.,* nominis] interpretatio primo dicenda est. Igitur Graecum nomen est *hymnus,* et Latine interpretari potest, *laus carminis.* Sive, ut beatus Isidorus ait: «Hymnus est canticum laudantium, quod ex Graeco in Latinum laus interpretatur, pro eo quod sit carmen laetitiae et laudis.» Proprie autem hymni sunt continentes laudem Dei. Unde et liber Psalmorum a plerisque doctoribus *Liber hymnorum appellatur.* [Col. 0430A] Quod vero Evangelistae dixerunt: *Et hymno dicto exierunt* **(Matth. XXVI, 30; Marc. XIV, 26)**, a plerisque simpliciter traditur ita: *Laude Deo dicta exierunt.* Quidam itaque putant, XXI psalmi versum eos cantasse: *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae* **(Psal. XXI, 30)**; et hoc ex commentario sancti Hieronymi suspicantur, qui ait: «Et hymno dicto, hoc est, quod in psalmo legimus. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae.*» Sunt etiam qui in priore versu hanc laudem aptare volunt, ubi dicitur: *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum* **(Ibid. vers. 27)**. Sed fieri potest, Judaeos habere in consuetudine aliquando hymnidicam post coenam decantare laudem, sicut solebant transeuntes viam in agro laborantes hoc [Col. 0430B] versu benedicere: *Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini* **(Psal. CXXVIII, 8)**. Sed his atque hujusmodi opinionibus quorumdam, quamvis spernendae non sint, ut videtur, omissis, liquidam veritatis pandamus interpretationem.

Consuetudo itaque est evangelistarum quaedam plenius dicere quae alii omnino tacuerunt. Quod maxime beatum fecisse Joannem evangelistam comprobant. Cujus rei idoneus lector in eis sufficienter exempla reperire poterit, quae nos epistolaris brevitas tangere prohibet, nisi quae hujus interrogationis responsioni necessaria esse videntur. Igitur de hac mystica Veteris vel novi Testamenti coena toti quatuor dixerunt, vel quid in ea gestum esset vel dictum, [Col. 0430C] partim similiter, partim dissimiliter protulerunt,

quae tamen omnia vera esse necessario creduntur. Quod illi itaque tres de panis calicisque consecratione dixerunt, hoc Joannes omisit, maxime moratus in humilitate Christi ostendenda, qua pedes discipulorum suorum lavare dignatus est: atque longissimo sacratissimoque sermone, quem, exeunte filio perditionis, illis undecim electissimis secreta et spiritali loquela disseruit. Qua locutione terminata idem beatus evangelista subjunxit dicens: *Haec locutus est Jesus, et sublevatis oculis in coelum dixit* **(Joan. XVII, 1)**; non solum illa designans verba quae ipse Joannes {186} Dominum dixisse refert, verum etiam et ea quae alii scripserunt, eum in illo sacrosancto convivio locutum esse. Quod vero beatus evangelista Jesum elevatis [Col. 0430D] oculis in coelum dixisse subinfert: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* **(Joan. XVII, 1)** . . . usque in eum locum, ubi hac hymnidica terminata laude et sanctissima oratione finita: *ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis* **(Ibid., vers. 26)**; quam pro se suisque discipulis, imo et omnibus fidelibus, qui usque ad consummationem saeculi venturi essent, pius Salvator Deo Patri profudit.

Iste est hymnus sacratissimus et pulcherrimus, et cunctis pernecessarius credentibus, quem *advocatus noster* **(I Joan. II, 1)** Dominus noster Jesus Christus, peracto nostrae salutis et suae pietatis convivio, magna dulcedine et mirabili suavitate praesentibus suis discipulis decantavit. Iste est hymnus quem sancta [Col. 0431A] sollicitudo sapientiae vestrae inquirit. Istum perpetua, dulcissime mi David, in laudem Domini et Salvatoris nostri et in spe aeternae beatitudinis, teneatis memoria. Potuit enim haec eadem verba hymnidicae laudis et orationis Filius Patri silenter dicere, sed oratio Filii doctrina est discipulorum, imo et omnium qui in oratione laudis Domini deprecari consuescunt. Nulla oratio dulcior est quam quae in divinae bonitatis laude profunditur. Unde et ipse Dominus per Prophetam ait: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter;* quod ostendam ei, salutare Dei **(Psal. XLIX, 23)**.
@ [Col. 0431D] Hanc epistolam ex ms. Colbertino vulgavit Baluzius lib. I Misc., pag. 365; addidimus nonnullas lectiones variantes ex cod. ms. bibl. regiae Vaticanae. [Col. 0432D] (Apud Froben. epist. 126.)

EPISTOLA CLXV. AD CAROLUM MAGNUM.

Respondetur ad interrogationem de pretio salutis humanae, cui daretur. [Col. 0431B]

In nomine Dei Christi Salvatoris mundi. David Christo Domini Albinus perpetuae pacis et prosperitatis in Domino salutem.

Sapientia est, ut philosophi definierunt, divinarum humanarumque rerum scientia, quam, excellentissime imperator, religiosissima vestrae humilitatis prudentia diligenter ab hominibus requirere assuescit, ut omnium sensus proprio cordis thesauro infundat, quatenus de hoc abundantissimo divitiarum gazophylacio juxta evangelicum scribam *nova et vetera* **(Matth. XIII, 52)** proferre valeat. Quocirca cujusdam sapientis Graeci interrogationem, *de pretio salutis humanae, cui daretur,* inquirentis nostrae parvitatis [Col. 0431C] ingenio [*Cod.* Vat., ingeniolo] dirigere studuistis, non, ut optime novi, ignorando, sed probando, quid nostrae parvitatis intellectus exinde sensisset, vel a

magistris didicisset. Quod pretium, cui daretur, sapiens ille praedictus a quibusdam catholicae eruditionis filiis in palatio inquirere dicitur; et, ut visum est ejus sapientiam audientibus, velle eum astruere hujus pretii acceptricem esse mortem; putans, redemptionem esse non posse, nisi forte esset, qui pretium recepisset ab emptore, atque aliquid sui juris emptori pro pretio tradidisset accepto; hoc ipsum quoque apostolicae auctoritatis sententia confirmare nisus, quia dictum est: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen* **(Rom. V, 14)**. Ad cujus quaestionis profunditatem, ne quid temere dicam, sensibus Patrum [Col. 0431D] respondere ingrediar, atque ejus obscuritatem

@ [Col. 0432D] Laborat sensus., si respondere vel, in [*F.* leg., vellem] magnitudine libri opus erit, tamen ita temperabo calamum, ut longioris epistolae modum non excedat.

Primo quaerendum esse video de qua morte beatus Apostolus testimonium protulisset, sive de diabolo, qui saepe mortis nomine designatur; vel de peccato, quod est mors animae; aut etiam de morte carnis, quae est *poena peccati* **(Rom. V, 12, et VI, 23)**? Deinde de pretio salutis nostrae, quidquid ejus gratia nostro suggerit animo, qui pro nobis illud pretium obtulit, dicemus.

[Col. 0432A] {187} De peccato quidem disputans Apostolus hoc subinfert testimonium dicens: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Si de morte carnis solummodo intelligendum putaret, utique dixisset: Regnavit mors ab Adam usque ad illum diem, de quo [alio loco] idem ait: *Novissima inimica destruetur mors* **(I Cor. XV, 26)**, quam adhuc in carne nostra regnare dolemus. Unde et ipse Apostolus ait: *In hoc enim ingemiscimus praegravati, quia nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur hoc, quod mortale est, a vita* **(II Cor. V, 4)**. Proinde aliud quoddam genus mortis his verbis Apostolum significare putamus, quod regnasse dictum est ab Adam usque ad Moysen: id est, usque ad ultima tempora legis et initium gratiae, quae hoc regnum mortis destruxit. [Col. 0432B] Mors vero, de qua dicitur: *Regnavit mors ab Adam, illa est sine dubio, de qua propheta ait: Anima, quae peccaverit, ipsa morietur* **(Ezech. XVIII, 4)**. Hujus vero regnum mortis gratia adveniente destructum est, postquam Christi sanguis chirographum, quod peccata nostra scripserunt, delevit **(Col. II, 14)**, *affigens illud cruci:* interficiens inimicitias in semetipso **(Ephes. II, 16)**, quae erant inter Deum et hominem. Sed hoc mortis genus nullum habuit in Christi anima Redemptoris nostri regnum, quia nunquam illa peccavit; ideo nec moriebatur. Si vero Christus peccatum non fecit, quod est mors animae; et caro ejus damnato mortis aculeo cum triumphi gloria surrexit de sepulcro: *cui* mors ultra, ut dicitur, *non dominabitur* **(Rom. VI, 9)**: ubi est pretium, quod [Col. 0432C] mors sibi traditum esse gloriatur? Quare non tenuit, si jure emptionis accepit illud? Nec statim consequens est ut pretium illi detur, a quo aliquid redemptum esse dicitur. Propheta enim precatus est Deum ut se redimeret ab angustiis **(Psal. CXVIII, 143)**, nec tamen aliquid Deo, unde angustiis, quibus Propheta angebatur, pretii tradidisse dicendum est. Item dicitur in alio psalmo: *Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos* **(Psal. CVI, 2)**. Neque enim Deus omnipotens toties [*Cod.* Vat., totis] pretium dedit gentibus vel regibus [vel inimicis] quoties populum suum redemit ab eis. Item in alio psalmo: *Et redemit nos de manu inimicorum nostrorum* **(Psal. CXXXV, 24)**. Si ad historiam attendas, [Col. 0432D] nullum pretium Aegyptiis dedit, quando Hebraeos de manibus eorum, sanguine mystici agni, liberare dignatus est

(Exod. XII, 13). Atque hic considerandum esse putamus cui iste agnus in redemptionem populi Dei immolatus esset, Domino Deo misericordissimo, vel Pharaoni regi impiissimo? vel quos sanguis illius superliminaribus illitus defendisset ab angelo percutiente **(Ibid., vers. 23)**? Nunquid carcer propriam habet in puniendos per se potestatem? aut aliquis carceri dat pretium redimendi vinctos ex eo? aut gladio ultori scelerum munera non nocendi occidit [*Cod.* Vat., munera non occidit; [Col. 0433A] *forte leg.,* non nocenti munera accidunt], et non magis judici, qui habet potestatem ligare vel solvere, occidere et vivificare? Si igitur propter nomen redemptionis, quod sancta solet Scriptura saepius pro nostra ponere liberatione, vult ille sapiens, necessariam esse in salute nostra venditionem, atque emptionem cum morte dicere, ubi prior emptio esset, ut ex ea priore secunda reemptio (ut ille interpretatur) juste dici valeat? (Quod vero dicimus recreatio, vel reformatio, ideo dicimus quia fuit prima creatio et formatio, quando homines creati sunt atque formati.) Nullatenus ita intelligi potest redemptio, quasi quaedam esset emptio ante: nec etiam hoc, quod dicitur redemptio, ad emptionem tantum pertinet, quantum ad liberationem, sicut superius ostendimus; [Col. 0433B] quod et ipsius Domini verbis probari potest, ubi ait: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* **(Matth. XX, 28)**. Quis audet dicere animam illam sanctam, immaculatam, segregatam ab omni peccato, morti datam esse? Magis videamus cui haec in redemptionem nostram daretur. Refert beatus Lucas evangelista Deum Jesum in cruce clamasse: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* et haec dicens exspiravit **(Luc. XXIII, 46)**. Spiritus et anima diversa sunt nomina; sed his testimoniis Domini una esse res agnoscitur. Non igitur aliqua necessitate coactus, sed propria voluntate, tradidit, dum voluit, spiritum. Sive animam sive spiritum dicamus: Patri commendavit, et tradidit in redemptionem nostram, [Col. 0433C] sicut ante praedixit, ubi ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* **(Joan. X, 18)**. Animam vero suam Christus pro nobis posuit, et quando voluit, posuit; et quando posuit, Patri {188} commendavit; et iterum, quando voluit, sumpsit eam. Ponere ergo animam, mori est. Caro posuit animam, et caro iterum sumpsit eam potestate inhabitantis Verbi Dei in eo. Quod hic dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam;* ibi [*Edit.,* ubi] dictum est: *Inclinato capite tradidit spiritum* **(Joan. XIX, 30)**. Qui spiritus anima est, quam posuit Christus dum voluit. In se enim potestas erat, non in morte, quando poneret animam, quando iterum sumeret eam. Quid vero in Redemptore nostro mors potestatis habuit, dum omnia propria voluntate perfecit, [Col. 0433D] quae nostrae salutis causa communi cum patria [*F.,* Patre] voluntate, gerere disposuit? Igitur de dormientis Adam latere Eva, quae interpretatur vita, formata est **(Gen. II, 21)**; sic de Christi latere dormientis in cruce prolatum est Ecclesiae pretium. Unde et ipse per Prophetam: *Ego dormivi, inquit, et somnum cepi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me* **(Psal. III, 6)**. Nisi forte quislibet audeat dicere quod sanguis Christi, qui effusus est lancea militis in terram **(Joan. XIX, 34)**, morte [*F.,* morti] remansisset quasi pretium. Audiat quid beatus Augustinus in libro IV pulcherrimi operis de sancta Trinitate **(Cap. 3)** sentiat. Dicit enim post congruam de morte Christi disputationem: «Et unus [Col. 0434A] ex discipulis, etiam cicatrices ejus contrectans, exclamavit dicens: *Dominus meus et Deus meus* **(Joan. XX, 28)**. Et cum illius carnis tota integritas appareret, demonstratum est in ea, quod suos exhortans dixerat: *Capillus capitis vestri non peribit* **(Luc. XXI, 18)**. Verum si capilli sanctorum non peribunt, quanto magis nec sanguis Christi?» Similiter

beatus Fulgentius **(Lib. III ad Trasimundum regem, cap. 34)** de tota humanitate corporis Christi ascendentis in coelum testimonium tale in libro de fide Christiana proferens: «Postea, inquit, quam posuit animam, et resumpsisset secundum totam humanitatem suam, in coelum ascendit, et in dextera Dei sedisset [sedet].» Redemit enim nos diversas sustinens injurias et passiones, vincula passus, alapis caesus, flagellis [Col. 0434B] verberatus est. Redemit utique sanguine passionem. Ad postremum redemit nos, miracula resurrectionis ostendens, sicut dixit Apostolus cuncta complectens: *Magno pretio redempti estis* **(I Cor. VI, 20)**. Quis vero illud accepisset tam potens pretium, audiamus quid Cassiodorus eximius interpres Psalmorum dixisset de eo versu: *Redemptionem misit Dominus populo suo* **(Psal. CX, 9)**. «Convenienter enim, ait, dicitur, *Redemptionem misit, quoniam hoc videbantur indigere captivi.* Sed tale pretium fuit, quod non tyrannus sumeret, sed ille qui absolvebatur acciperet. Lucratus est captivus redemptionem suam, et ipse magis inde ditatus, qui tenebatur obnoxius, et tyrannus damnatus, qui tenebat eum.» Sed quaerendum est diligentius atque merito intuitu [Col. 0434C] inspiciendum, an justius dicatur mortem a Salvatore nostro suscepisse pretium, an ipsam mortem pretium esse redemptionis nostrae. Audiamus quid beatus Augustinus inde dicat [*Cod.* Vat., indicat] in libro quarto de sancta Trinitate **(Cap. 12, in fine)**, ubi plurima disputabat de poenali et justissima miseriae nostrae, et non debita Domini nostri Jesu Christi morte. «Ad mortem, inquit, per peccatum venimus, et ille per justitiam. Et ideo cum sit mors nostra poena peccati, mors illius facta est hostia pro peccatis.» Similiter alio capitulo ejusdem libri de morte Christi ita dicit **(Cap. 13, n. 17)**: «Neque enim cujusquam jure potestatis exutus est carnaliter [*Leg.,* carne], sed ipse se exuit. Nam qui posset non mori si nollet, [procul dubio] quia voluit, mortuus [Col. 0434D] est. Et ideo principatus et potestates exemplavit fiducialiter triumphans eas in semetipso. Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato;» et caetera quae mirabiliter prosequitur de eadem re. Item post pauca, in eo capitulo, cui talem proposuit [titulum]: *De sacrificio perfecto et vero quod ipse pro nobis Salvator effectus est, lucidissime ostendit qui esset sacerdos et quod sacrificium, pro quibus, vel a quo oblatum esset.* Ait enim **(August., loc. cit., cap. 14)**: «Quis ergo tam justus et sanctus sacerdos quam unicus Dei Filius, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quae adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, [Col. 0435A] quam humana caro? Et quid tam aptum immolationi, quam caro mortalis?» Et paulo post: «Quid tam grate offerri et suscipi possit, quam caro sacrificii nostri corpus effectum sacerdotis nostri; ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo unum [*Cod.* Vat., unicum] cum illo foret, cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat et quod offerebat.» Nonne perspicuum est his {189} verbis beati Augustini bene intellectis, cui hoc sacrificium obtulit? Nisi forte quis audeat dicere, aliud esse sacrificium quod Deo Patri oblatum est, aliud pretium quo redempti [Col. 0435B] sumus. In omnibus injuriis, opprobriis ac passionibus, quas unicus Dei Filius sustinuit pro nobis, quid gestum est, nisi oblatio pro peccatis nostris, nisi pretium redemptionis nostrae? Et superfluum videtur quaerere quis hanc oblationem vel hoc pretium accepisset, dum beatus Paulus in tertium raptus coelum tale de eo, qui est sacerdos et hostia, pretium et oblatio, proferre testimonium non timuit, *qui* semetipsum, dicens, *pro nobis obtulit sacrificium Deo in odorem*

suavitatis **(Ephes. V, 2)**. Et quod vita venerit ad mortem testatur idem Augustinus in quinquagesimi octavi psalmi tractatu **(Serm. 2, n. 4)**: «Quid autem fecerunt, inquit, in Christo? Non vitam, sed mortem occiderunt. Exstincta quippe morte, vita resurrexit.» Ipse vero Salvator [Col. 0435C] noster, in quantum medicina est et salus, nobis datus est, sicut dicitur a propheta: *Filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humerum ejus* **(Isai. IX, 6)**. Scilicet Isaac crucem portavit in humeris ad immolationem sui. Idem sacerdos et sacrificium Deo Patri a semetipso oblatus pro salute nostra in odorem suavitatis. De quo Propheta Dominum jurasse dicit: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* **(Psal. CIX, 4)**. Quod testimonium beatus Cyprianus doctor egregius et martyr gloriosus ita intelligi voluit **(Epist. 63)**: «Nam quis magis, inquit, sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, [suum] scilicet [Col. 0435D] corpus et sanguinem.» Pro nobis obtulit, ut nos eo redimeret sacrificio. Utrumque, et pro nobis obtulit hoc sacrificium, et nobis dedit in memoriale sempiternum, sicut in Evangelio legitur: *Et accepto* pane, inquit evangelista, *gratias egit et fregit, et dedit eis dicens:* Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit dicens: Hic est calix Novi Testamenti in sanguine meo, quod pro vobis fundetur **(Luc. XXII, 19, 20)**. Idem itaque victor et victima, et ideo victor quia victima. Idem itaque sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos quia sacrificium. In ea quippe natura sacerdos, quia sacrificium, *excelsior coelis factus, semper vivus interpellasse* (Hebr. VII, [Col. 0436A] 25, 26) pro suis. Idem ipse potens cum Deo Patre et Spiritu sancto vitam credentibus in se. Idem Deo et vivo unigenitus Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, cujus laus et gloria in saecula sempiterna.

In Patris et Nati, Paracliti et nomine magno
Sit tibi prosperitas, gloria, vita, salus. O mi dulcis amor David, in secla valeto.
Sit laus, lux, virtus, Christus ubique tibi.

Fortassis Atheniensis sophista ex academica schola hujusmodi protulit quaestionem; cum quo Platonicis paulisper liceat argumentis verba conserere. Porro beatum Paulum legimus cum stoicis disputare, ut eorum eos disciplinis ab errore in viam veritatis transduceret. Nam et populus Dei, redimendus a [Col. 0436B] servitute durissima, Aegyptiacis ditatus divitiis, ducem a Deo directum secutus, ex quibus in tabernaculi aedificationem plurima Deo dona obtulit. Cur non tam praeclaris eruditus exemplis dialecticos illi quaestionario proponimus syllogismos, ut suorum sauciatus armis in catholici exercitus libens castra recurrat. Dic, rogo, dic, doctor prudentissime! utrumne mors sit substantia? Quatenus videamus, si digne dici debeat tantum eam suscepisse praemium [*Cod.* Vat., suscepit pretium]. Igitur si mors substantia est, creatura Dei est, quia nulla est substantia, nisi aut ipse sit, aut a se creata. Si vero a Deo creata mors est, inter opera sex dierum eam esse creatam nemini dubitare licet; quia ipse creator, ut sancta refert historia, sexto die consummavit [Col. 0436C] opera sua et in septimo requievit ab omnibus operibus suis **(Gen. II, 2)**. Si igitur inter illos sex dies mors creata esse non invenitur, utique creatura non est. Et si creatura non est, ergo nec aliquid substantia. Nec plane, quidquid nomine mortis significari videtur, prius fuit quam homo peccasset. Quae est originalis peccati poena, inter originales creaturas condita? Atque ideo nec

recte creatura dici posse probatur. Si vero {190} hac dialectica praefatus magister ratione credendum non aestimet, mortem non esse creatam, Dei vel sanctae Scripturae testimonio credat, quae dicit, ut legitur: *Dominus mortem non fecit* **(Sap. I, 13)**. Igitur si Dominus eam non fecit, utique, ut diximus, nec creatura est. Nec aliud videtur esse mortem, nisi absentiam. Quia ubi vita a juventute [Col. 0436D] [*F.,* vivente] recedet, ibi erit illud quod mors dicitur; sicut tenebrae nil aliud sunt, nisi absentia lucis. At si mors creatura non est, ut vere divinarum testimonio litterarum, vel argumentorum rationabili necessitate probatum est, quomodo accipere potuit pretium omnibus creaturis excellentius. Quidquid in Domini Salvatoris nostri passione diabolica invidia vel Judaica perfidia gestum esse legitur, hoc totum fuit divinae pietatis dispensatio, usus eorum malitia in se [*F.,* suae] bonitatis effectum nostraeque salutis profectum. At quidquid diabolus per eorum carnificas manus suis [*F.,* juris] gessisse putavit, hoc totum illius qui passus est, voluntaria fuit permissio, vel dispositio, non mortalis dominatio necessitatis. [Col. 0437A] Et mirum quomodo morti dare pretium putaretur, qui morti nihil debuit? nec mors, sicut dictum est, substantia est, ut tale pretium jure exposcere potuisset.

@ [Col. 0437D] Hoc capitulare idem cl. Baluzius loc. cit. pag. 375 sub nomine Alcuini edidit. Quod cum ad Carolum Magnum similiter directum sit, epistolae priori ex eodem codice descriptae subjungere placuit; eo quod inter alia Alcuini opuscula congruentem locum habere vix possit. Est vero, ut autumo, hoc capitulare responsio ad puncta quaedam ab imperatore consultationis causa proposita; haec fortassis magis praecisa fuere; responsio vero est generalis. (Apud Froben. epist. 127.)

EPISTOLA CLXVI.
SEU CAPITULARE ADMONITIONIS AD EUMDEM CAROLUM.

Capitula quae tali convenit in tempore memorari.

I. *Testamentum in mortuis confirmatur, Apostolo protestante* **(Hebr. IX, 17)**. Ideoque post obitum testatoris omnimodam firmitatem obtinuit. Quod etiam ante mortem consensus omnium confirmavit. Non itaque postea valet infringi quod antea nullo modo potuit improbari.

II. Quicunque testatori reperitur ingratus, insuper et contumeliosus existat, ipse sibi testis est quia [Col. 0437B] testamento dignus non est. Verbi causa: Chanaan patris inexhonoratio servum constituit; Esau propter intemperantiam primogenita perdidit; Ruben junioribus fratribus contumelia paterna postposuit. Ad postremum quoque: *Qui maledixerit patri* **(Exod. XXI, 17; Lev. XX, 9)**, et reliqua.

III. Benedictiones patrum in filio haereditare genuinum est. Contra leges autem naturae pugnant, qui parentibus inobedientiam seu contumaciam parant. Legitimus igitur haeres erit, qui praefixos ordines erga parentes tenuerit.

IV. Aliud est indebite clementer admitti, aliud ex debito competenter ascribi. Nec possunt ex debito repeti, quae prorsus indebite concessum est adipisci. Diversitas

siquidem meritorum diversitates exigit [Col. 0437C] praemiorum.

V. Quod optime natus, et haereditatem legitime consecutus, neque legis antiquae seu novae contemptor inventus, nec adversus patrem saucius, neque contra populum vulneratus, magnam debeat haereditandi gerere, Domino miserante, fiduciam.

VI. Fracto capite subjecta quaeque languere perspicuum est, cum de firmitate capitis totius proveniat incolumitas corporis; nec possunt ea sanitate membra subdita gloriari, quam constat in capite non haberi.

VII. Hic si veritas quaeritur, non est incognita; si ratio, non est ambigua; si auctoritas, non est incerta. Quoniam et auctoritas supereminet, et ratio patet, et veritas abscondi non potest.

[Col. 0437D] {191} VIII. Tripartita distributione videntur ista omnia includi, consulentium scilicet, ac nocentium, et eorum qui sic inter utrosque semper ambigui sunt, ut quos obtinere perspexerint, eis se continuo socient. Sunt ergo consulentes utiliter adjuvandi, resistentes [Col. 0438A] autem viriliter obviandi; dubii vero vel rationabiliter attrahendi, vel circumspecte dissimulandi; cunctisque monstrandum, nec auctoritatem posse corrumpi, nec rationem vinci, nec veritatem penitus superari.

IX. Populus juxta sanctiones divinas ducendus est, non sequendus; et ad testimonium personae magis eliguntur honestae. Nec audiendi qui solent dicere: *Vox populi, vox Dei.* Cum tumultuositas vulgi semper insaniae proxima sit.

X. Vulgare proverbium est: De duro superatur aliquid, de molli vero remanet nihil. Debet tamen et sapientia ministrare constantiam, et constantia perficere sapientiam, ut sit constantia sapiens, et sapientia constans.

[Col. 0438B] XI. Sic exercenda est praedicatio pacis, ne sub nomine pietatis inducatur assertio falsitatis. Nam sicut pacem rumpere pessimum est, ita veritatem negare blasphemum. Multum sibi denique concinunt verax unitas et pacifica veritas.

XII. Haec et ejusmodi, reor, inculcanda simplicibus; eo quod ignorantia veritatis cogat errare quamplurimos. Porro veritate manifestata contrarii confundentur, amici solidabuntur, universi vero pariter excusatione carebunt.

Ista, supplico, dignanter ac diligenter inspicite. Vestrae siquidem fidelitatis immensitas parvitatem meam reddit impatientem pro vobis, facit etiam supra vires audentem. Enim vero fidem non perdit, nisi qui nunquam habuit. In cujus manu sunt reges [Col. 0438C] et jura regnorum, ipse coronas vestras multiplicet, tueatur, obumbret.
@ [Col. 0437D] Edit. Quercet. 59, Canis. 34. **(Froben. 128.)**

EPISTOLA CLXVII. AD PETRUM ARCHIEPISCOPUM.

Commendat se paternis affectibus et sacris orationibus.

Dilectissimo in Christo Patri

@ [Col. 0438D] *Petro archiepiscopo.* Mediolanensi, ad quem sequentem scripsit epistolam. Rexit Ecclesiam Mediolanensem ab anno 783 usque ad annum 804, quo ad superos abiit. COINT. et UGHELL.---Exstat hujus Petri, qui et Oldradus dictus est, epistola elegantissima ad Carolum Magnum de translatione sancti Augustini Papiam anno 725 facta. CANISIUS.---Nihil in hac epistola reperitur quo Angilbertus Romam pergens commendetur huic archiepiscopo, quod tamen Mabill. asseruit lib. XXVI Annal. Ben., pag. 318. Petro archiepiscopo, Albinus aeternae beatitudinis salutem.

Memor dulcissimae humilitatis et dilectionis vestrae, ingemisco absentiam illius, cujus charitatis flamma in corde ardescit filii. Quanta est hujus saeculi infelicitas, quae tam charos disjungit amicos, quae filium separat a patre. O si pennas aquilae habuissem, ut altitudines Alpium velocior Euro transvolare valuissem! quam cito ante paternos stetissem pedes, ut refrigerarem ex paterna visione pectoris mei ardorem. [Col. 0438D] Sed quia hoc fieri non valet, induamur nos duplicis charitatis pennis: simus in Christo semper praesentes, qui sumus in saeculo absentes. Quid est charitas, nisi unitas animorum, dicente ipsa Veritate, dum pro suis oraret ad Patrem: *Pater,* conserva [Col. 0439A] eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos unum sumus **(Joan. XVII, 11)**? Ego vero filius tuus obsecro te per ejus misericordiam, qui haec dixit, ut in sanctissimo paternae memoriae thesauro filii tui Alcuini nomen habeas reconditum, et inter dignissimas Deo oblationes orationum tuarum, vel semel, ore proferas.

Quanta tibi, Pater optime! apud pietatis remuneratorem Dominum Christum remanet merces, si me peccatorum ponderibus praegravatum ab iniquitatis {192} oneribus paternae misericordiae precibus sublevare coneris. Fateor me tantae auctoritatis degenerem esse filium; tamen junioris filii qui a patre in longinquam recessit regionem, roboratus exemplo audeo dicere: *Pater peccavi in coelum et coram te;* [Col. 0439B] ideo non sum dignus vocari filius tuus **(Luc. XV, 21)**. Et te credo paternae memorem pietatis, laetis revertenti occurrisse amplexibus: prudentiam quoque tuam recordari beatissimi Job pro filiis dilectionis [*Al.,* devotionis], qui quotidie pro illorum prosperitate Deo sacrificia offerre studuit **(Job. I, 5)**, valde desiderans, quos saeculo genuit Deo enutrire. Ideo in omnibus tentationibus, *tanquam aurum in fornace probatus inventus est* **(Sap. III, 6)**. Laus enim patris in salute exstat filiorum, et merces pastoris in multiplicatione gregis accrescit. Nam et ipse princeps pastorum post resurrectionis gloriam beato Petro, ob confessionis trinae in suo amore soliditatem, pascendas oves, quas pio redemit sanguine, commendavit [Col. 0439C] **(Joann. XXI)**.

Tuum est, Pater sancte, absentes precibus adjuvare, praesentes verbis erudire, exemplis confortare, ut paterna pietas et pastoralis devotio omnibus prosit in salutem. *Patres* igitur *filiis thesaurizare solent* **(II Cor. XIII, 14)**; tu vero beatitudinis thesauros tuis relinque nepotibus, ut per longas ecclesiasticae eruditionis series coelestis regni gloria tibi semper augeatur. Opto, si fieri valeat, quatenus me tuae paternitatis litteris reficias, ut aviditatis meae oculis legam, quod auribus audire voluissem, si forte fieri potuisset [*Al.,* valuisset]. Concessum est enim humano generi pectoris arcana chartis mandare, et litteris innotescere tacentibus quod lingua non valet loquente. Nam et beatus Paulus

apostolus absentes [Col. 0439D] filios piis admonitionibus [*Al.,* pietate admonitionis] saepius erudire solebat, ut quotidiana litterarum lectio aeternam patris praeceptorum, mentibus filiorum [Col. 0440A] infigeret memoriam. Sanctitatis vestrae auctoritatem divina pietas ad exaltationem et gaudium sanctae suae Ecclesiae longaeva prosperitate custodire dignetur, Pater dilectissime!
@ [Col. 0439D] Froben. epist. 196.

EPISTOLA CLXVIII. AD PETRUM ARCHIEPISCOPUM. (Anno incerto.)

Gratitudinem suam significat ob paternam benevolentiam; Liudgardam commendat, a qua ei dona mittuntur.

Sanctissimo Patri Petro archiepiscopo humilis tuae charitatis Albinus filius salutem.

Dulce mihi est saepius tuae scribere reverentiae, Pater optime, si portitorum fides et opportunitas adfuisset; tamen si charta non currat, charitas non [Col. 0440B] dormitat, sed suaviter vigilat, et salubriter memorat paternitatis vestrae pietatem, qua me, licet minus dignum, in filii dignitatem suscepisti, familiaritate fovisti, admonitione roborasti; quae omnia pius cunctorum remunerator bonorum aeterna sibi mercede retribuere dignetur.
@ [Col. 0439D] *Liudgarda.* Regis Caroli conjux, cujus in aliis quoque epistolis saepius meminit. Liudgarda vero femina religiosa, Deo fidelis et regi, scutellam argenteam et unum
@ [Col. 0439D] *Storacem.* Pallium puto storacium, quale ipsemet Alcuinus Fuldensibus fratribus misit ad tegendum corpus sancti Bonifacii, de quo vid. not. ad epist. 142. storacem in elymosinam sui vestrae sanctitati direxit, ut videatur dividendum, secundum voluntatem Dei: et quia ego filius tuus mediator in hac legatione sum, obsecro ut eam in filiae dilectionem suscipere digneris; habet enim voluntatem bonam prodesse servis Domini et sanctae suae Ecclesiae. Quapropter diligentius deprecamini pro salute et prosperitate illius, ut divina [Col. 0440C] illam gratia longaeva custodiat sospitate.
@ [Col. 0439D] Edit. Quercet. 34, Canis. 18; collata cum codd. mss. (Apud Froben. epist. 129.)

EPISTOLA CLXIX. AD PONTIFICEM RIGBODUM TREVIRENSIS CIVITATIS COGNOMENTO MACHARIUM.

Conqueritur de absentia amici, et intermisso commercio epistolico. Reprehendit in eo nimium amorem Maronis.

Pio Patri et amico charissimo
@ [Col. 0439D] *Machario.* Hoc cognomen fui Richbodi Trevirensis episcopi, ut ex titulo hujus epistolae, quem ad aliam epistolam, quae intercidisset, pertinere perperam Canisius credidit, colligitur. Ita enim ibi sonat: *Ad pontificem Ricbodum Treverensis*

civitatis, etc. Idem deinde in inscriptione vocatur *Macharius.* [Col. 0440D] Canisium fefellit titulus, in codice quo usus est depravatus, qui talis erat: *Ad pontificem Richbodum Treverensis civitatis et conventum, cujus vocis loco legendum fuit: Cognomento Macharium, ut apud Quercetanum.* Porro Richbodus antea monachus et abbas Mediolacensis (an Laurisheimensis?) anno 791, ad episcopatum Trevirensem promotus fuit, ut habet cod. ms. synchronus coenobii S. Maximini apud Hontheim Hist. Trevir. tom. I, pag. 63. Alcuino igitur praeceptore usus est, quando is primo in Franciam venit. Is etiam est cui Alcuinus libellum Felicis Urgellitani ad refutandum tradi voluit. Obiit Richbodus anno 804, ut habent ejus temporis Annalistae Loisellianus, Fuldensis et alii. Vid. Mabill., lib. XXV, Annal., n. 44, etc. Machario monacho et pontifici, Flaccus [*Cod.* Sal., Filius] Albinus in charitate Christi salutem.

Quod Deus conjunxit, saeculum non separet [*Can.,* separat]. Ecce qui *venit ignem mittere* **(Matth. XIX, 6)** in corda suorum, ille faciat ardere quod incendit: nec flumina infidelitatis obruent ignem, qui in altari Dei die noctuque ardere praecipitur: nec alienum [Col. 0440D] quislibet audeat ignem portare in tabernaculum spiritale, ne occidatur ab eo qui suum semper ardere jussit **(Luc. XII, 49)**. Quis est ignis Dei, nisi charitas [Col. 0441A] **(Cant. VIII, 7)**? Et quis alienus, nisi amor saeculi? Ideo duo servati sunt ex filiis Aaron propter duo praecepta charitatis; et duo perierunt propter saeculi amorem et amatorem illius **(Levit. X, 1, 2)**. *Optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea* **(Luc. X, 42)**. Amemus quod non auferetur [*Cod.* Sal., aufertur], fugiamus quod auferri potest. Impium est, diligentem non diligere, et retribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis Deus? Retribuit nobis pro malis nostris bona sua: {193} retribuamus ei pro bonis suis bona nostra. Quae sunt bona nostra, nisi ut diligamus eum, et mandata ejus observemus? quae sunt mandata illius, nisi ut diligamus invicem? *In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**.

[Col. 0441B] Cur ista tam longo repetita principio, nisi ut scias ardorem cordis mei? Pene mihi melius esset, te pauperem habere praesentem, quam divitem absentem. Quid mihi divitiae, si non habeo quem amo; si non considero quem desidero? tua potentia mihi est miseria. Ubi est dulcissimum inter nos colloquium? Ubi sacrarum litterarum studium desiderabile? Ubi laeta facies, quam conspicere solebam? Ubi communio charitatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Ubi saltem memoria nominis nostri? Ecce totus praeteriit annus, quo nec litterarum consolatio oculis advenit, nec salutationis officium auribus insonuit. Quid peccavit pater, ut a filio oblivisceretur? Quid magister, ut discipulus neglexerit eum? Forte exaltatio saeculi dedignata est nomen magistri in [Col. 0441C] illo? Aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis? Aut amor Maronis tulit memoriam mei? O si mihi nomen esset Virgilius! tunc semper ante oculos luderem tuos, et mea dicta tota pertractares [*Can.,* perscrutareris] intentione, et juxta proverbium illius essem apud te

Tunc felix nimium, quo non felicior ullus.

Quid faciam? An meam doleo infelicitatem, quia non sum quem diligis? An tuam laudo sapientiam, quia diligis illum, qui non est? Flaccus [*Canis.,* filius] recessit, Virgilius accessit, et in loco [*Can.,* locum] magistri nidificat Maro? Hoc dolens dictavi, vel

propter oblivionem mei, vel propter absentiam tui, paululum ferociori pumice chartam terens, ut [Col. 0441D] vel iratus aliquid rescriberes: quia bos lassus [*Can.,* laesus] fortius figit ungulam. Incipe vel defendere te, [Col. 0442A] vel me offendere, ut intelligam studium, in quo otium istius anni exercuisti; et quo thesauro cor impleris tuum, pande nobis, ut tecum gaudeamus in bono tuo. Utinam Evangelia quatuor, non Aeneades duodecim, pectus compleant tuum, ut ea te vehat [*Edit.,* et te avehat] quadriga ad coelestis regni palatium, ubi est honor indeficiens et regnum sempiternum, ubi pro me intercedere, credo, memor eris; quia te, ut illuc venires, exhortari gaudebam.
@ [Col. 0441D] Edit. Quercet. 40, Canis. 19; collata cum cod. ms. Salisb. Vid. epist. priorem. (Apud Froben. epist. 130.)

EPISTOLA CLXX. AD RIGBODUM EPISCOPUM QUI ET MACHARIUS.

Dolet de amici absentia.

Dilecto Patri Machario, humilis levita Albinus salutem
@ [Col. 0441D] Cod. Sal., *Dilecto Patri salutem, omissis reliquis.*.

Charitatis dulcedinem litterarum officia implere [Col. 0442B] non possunt, tamen qualecunque [*Cod.* Sal., aliquod] lumen illius ostendere nituntur. Sicut digito praesens homo ostenditur, ita litteris absentis charitas demonstratur. Fateor, meae mentis dilectio tui taedet absentiam: essetque aliquod amoris refrigerium, si vel {194} tui cordis affectum per alterius [*Cod.* Sal., altius] audirem os; vel cum litteras legerem, quem ardentius cuperem, intelligerem. Non disjungat saeculum quos Christi charitas conjunxit. Et veniat per eum optata dies videndi [*Canis.,* vivendi], qui omnes dies creavit ad videndum. Multa tecum habuissem [utilia] conferre, si tuae collocutionis [*Cod.* Sal., conlationis] familiaritate uti valuissem. Veniet tempus, dum vult ille qui disponit omnia tempora, [ut te] cum omni charitatis dulcedine [videre [Col. 0442C] valeam]. Valeas fili, frater et amice.
@ [Col. 0441D] Froben. epist. 197.

EPISTOLA CLXXI.

@ [Col. 0441D] Hanc inscriptionem habet ipse codex Harleianus, cui omnino similis est illa epistolae 167 ubi videas quae de Ricbodo adnotavimus. AD RIGBODUM ARCHIEPISCOPUM COGNOMENTO MACHARIUM. (Anno incerto.) *Queritur de intermisso commercio litterarum.* Ad horam expetit quaedam scripta sancti Leonis et Ven. Bedae. Ad sanctum Martinum invitat.

Machario
@ [Col. 0441D] *Patriarchae.* Hunc nominis honorem Alcuinus etiam tribuit Arnoni archiepiscopo Salisburgensi in carmine quod epistolae, qua eidem inscripsit

commentarium in Psalmos Poenitentiales, subjungit, in ultimo versiculo:

Te ducente pater, Pastor, patriarcha sacerdos. [Col. 0442D] Idem vero titulus nonnunquam tribuitur a privatis scriptoribus primarum sedium archiepiscopis, maxime illis qui primatum quemdam in alios episcopos, seu ipsos etiam archiepiscopos exercebant; qua praerogativa praeprimis antiquitus fulgebant episcopi Trevirenses in tota Gallia et utraque Germania: Et sanctus Hildulfus in recensu privilegii, monasterio S. Deodati concessi (apud Surium die 19 Junii) vocatur «sanctae compassionis vir, archiepiscopus, imo patriarcha.» Vid. Prodromum Hist. Trevirensis. De disciplina et doctr. Eccles. Trev. sub Romanis § 6, pag. 132, § 7, pag. 135, 136, et de eadem sub Francis § 5, pag. 313. patriarchae Albinus salutem.

Quid proficiunt sapientia abscondita vel thesaurus invisus **(Eccli. XX, 32)**, vel charitas muta? Num ignis in silice, nisi excutiatur, flammifacit? Quare tua, frater charissime, charitas taciturnitate obmutescit? Cur non movebis linguam ad dictandum, manum ad scribendum? Quid talentum humo obruis? Quare [Col. 0442D] admonitoria non currit chartula? Legat quid desiderat; consideret quid faciat.
@ [Col. 0442D] *Mus l cnse bacha.* Vox fortassis theodisca designans aliquem minorem fluvium Germ. BACH.---Sic in ms. in quo vox *mus cruce superposita notatur.* Timeo ne *mus l cnse* [Col. 0443A] bacha litterae submersae sint: tamen si tua taceat mihi fistula, aliis obsecro resonet, ut excitentur dormientes, et sanentur languentes, et aures surdorum audiant, et claudi viam disciplinae currere certent, ut fiat merces [*Ms.,* mirus] monstranti viam veritatis. Scriptum est, qui audiat, dicat verum.

Vocatus fui, sed infirmitas praepedivit iter meum. Vos loquimini quae Deo placeant, et ad sanam pertineant doctrinam. Omeliam sancti Leonis, et Tractatum beati Bedae in Tobia deprecor ut ad horam praestes nobis. Sed ut video porrectam habes manum ad accipiendum, et collectam ad dandum. Iter vero quod restat viae nostrae, deprecor, sanctis orationibus vestris adjuvate, ut ad portam perpetuae civitatis pervenire merear.

[Col. 0443B] Si veniens veneris, excipiet te dextera Dei Patris, et si juvaverit [*Forte, sic juvabit*] te intercessio sancti Martini. Florentem te in omni bono, et proficientem in sancto sapientiae studio divina comitetur et provehat gratia, dilectissime frater!
@ [Col. 0443D] Froben. epist. 198.

EPISTOLA CLXXII. AD EUMDEM. (Anno incerto.)

Dolet de absentia, et gaudium significat ob nuntium restitutae Machario sanitatis.

Sanctissimo nobisque cum summo honore nominando Patri Machario humilis levita Albinus salutem.

Ex quo vestra mihi innotuit charitas, familiari quadam flamma in corde meo efficacius haec eadem [Col. 0443C] ardebat, ita ut mens mea respondebat mihi: charitate vulnerata sum ego: sed nunc quodam modo amarum est, quod olim dulciter sapuit in pectore meo. Nam longa absentia dulcissimi vultus vestri torquet animi mei secretum, et

collocutio sapientiae vestrae suavissima meam fatigat memoriam, non audiens desideratissimum oris vestri eloquium, et suavissimam cordis fraternitatem, quae spirare solebat in auribus meis verba salutiferae collocutionis, memor illius commatici elogii: Quid dulcius est quam habere amicum, cum quo possis omnia loqui, sicut tecum? Sed recedant querimoniae, ubi emendationis efficacia fieri non aestimatur; patienter supportetur, quod humanae necessitatis fragilitas cogit sufferri, et fiat mentium dulcis praesentia, ubi est facierum tristis [Col. 0443D] absentia, et volet saepius charta charitatis alis pennata, implens officium linguae, pandens fraterni amoris secretum, et paterni affectus filio demonstratura dulcedinem, ne longa taciturnitas oblivionis rubigine maculetur.

Dum semper cupidus vestram audire prosperitatem, advenientesque saepius interrogans, quid de meo mihi nuntiarent Machario, subito prae tristi [Col. 0444A] fama prosternatus, infirmitatis vestrae totis dolens praecordiis spectavi [exspectavi], quando mihi optata legatio sanitatis vestrae veniret; quando, qui erigit elisos, sanaret contritos corde, et verteretur tristitia mea in gaudium, quod nunquam utinam auferatur a corde meo, in quo semper vobis perpetuam opto prosperitatem et salutem: quam audiens a narrantibus, vobis redditam esse, magna me fateor laetitia affectatum esse, quia quod diu optabam, Deumque devotius deprecatus sum, audire merui.

At nunc, charissime fili, frater, pater, et amice, Deo gratias agamus assiduas pro omnibus bonis, quae nobis largitus est, te sanitati restituens, et me gaudio perfundens. Facientes faciemus voluntatem illius, in quo solo salus est, et vita, indeficiensque felicitas. [Col. 0444B] Hunc amemus, praedicemus et colamus, quia haec est vita aeterna. Igitur in carnali desiderio mundo vivere mors est, non vita. Sola tantummodo vera est vita, vivere Deo, sicut ipse de se ait: *Ego sum via, veritas, et vita* **(Joan. XIV, 6)**: via, per quam itur; veritas, ad quam pervenitur; vita, in qua statur. Feliciter vivas, fili, frater, pater et amice in aeternum!

@ [Col. 0443D] Edit. Quercet. 67, Canis. 39. **(Froben. 131.)**

EPISTOLA CLXXIII. AD JOSEPPUM.

Condolet ob infirmitatem corporis, et excitat ad patientiam. Commendat se orationibus; hortatur ad renovationem domus Dei, etc.

Dilecto filio

@ [Col. 0443D] *Joseppo.* Hic fuit discipulus Alcuini in schola Eboracensi; et abs dubio ipse est Josephus qui, hortante Alcuino Commentaria sancti Hieronymi in Isaiam prophetam compendio redegit; exstat haec Josephi Epitome in cod. ms. S. Germani, num. 585. **(Mabill., Act. SS. saec. IV, part. I, pag. 188 et seq.)** [Col. 0444D] Hujus Josephi Alcuinus etiam meminit in epistola 3, ad Colcum; et mortuum commendat Remigio episcopo Curiensi epistola sequente. Desideratur alia Alcuini epistola ad eumdem Josephum, olim in antiquissimis Cottonianae Bibliothecae codicibus servata, in qua, teste Usserio, scribit: «Sanus est magister vester Colcu et sani amici tui qui apud nos sunt.» Joseppo, Albinus salutem.

Doleo de dolore corporis tui, sed gaudeo de felicitate [Col. 0444C] animae tuae. Quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit* **(Heb. XII, 6)**. Occidit et vivificat; *vulnerat et medetur* **(Job. V, 18)** . Spes praemii solatium tibi sit laboris. Hi dolores cito finiuntur, praemia patientiae nunquam. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in sanctis* **(Rom. VIII, 18)**. Quapropter cum gratiarum actione *immola Deo sacrificium laudis* **(Psal. XLIX, 14)**. Non est haec tribulatio poenalis, sed propitiatio venialis. Aurum in fornace per ignem coquitur **(Prov. XXVII, 21)**, ut purius exeat: sic anima corporali tribulatione, ut mundior procedat ad vitam. Disciplina Domini non debet cuiquam esse disciplina; sed hilariter accipiat quod pius medicus salubriter immittit. Inter flagella pietatis, orationes [Col. 0444D] humilitatis ad Deum dirigantur, ut qui misericorditer castigat, clementer ignoscat, ut salus aeterna patienti proveniat.

Nostri quoque memor sedulas pro nobis fundere preces non cessa, quatenus divina nobis provideat clementia perpetuae conversationem prosperitatis. Adhuc dubio stamine pacis sub tegmine causa texitur, et dum plenum perficitur vestimentum, mox ad induendum vestrae dirigetur fraternitati.

[Col. 0445A] Valde placet quod domum Dei renovare coepisti: stude ut et istam perficias, et alteram, de qua praesens dixi. facias consecrari: ut pro duplici Dei honoris labore multiplicem merearis accipere mercedem. Vivas, vigeas et valeas feliciter, fili charissime!

{195}
@ [Col. 0445D] Edit. Quercet. 74 ex ms. (Apud Froben. epist.132.)

EPISTOLA CLXXIV. AD REMIGIUM EPISCOPUM.

Commendat illi negotiatorem in Italiam proficiscentem: animam vero Joseppi illius orationibus.

Dulcissimo Patri
@ [Col. 0445D] *Remigio episcopo.* Vixit tempore Alcuini Remigius, seu Remedius episcopus Argentoratensis, qui obiit anno 803; Mabill. Annal. lib. XXVII, num. 24. Eodem quoque tempore vixit Remigius seu Remedius alius episcopus Curiensis, cujus canones ecclesiasticos, ex epistolis pontificum Romanorum supposititiis ab Isidoro Mercatore sparsis collectos, edidit Goldastus Rer. Aleman. tom. I, part. I, pag. 121. De hoc altero Alcuinum intelligo. Curiensis enim, non Argentoratensis episcopus *in montium claustris Mercatoribus Italiam petentibus auxilio esse potuit.* Remigio episcopo, Albinus humilis filius salutem.

Hunc nostrum negotiatorem, Italiae mercimonia ferentem, his litteris tuae paternitatis commendo protectioni, ut per vias vestrae patriae tutus eat et [Col. 0445B] redeat; et in montium claustris a nostris non teneatur telonеariis constrictus, sed per latitudinem charitatis latam habeat eundi et redeundi semitam. Jubeas, obsecro, orare pro anima

@ [Col. 0445D] *Joseppi.* Illius certe, ad quem est epistola praecedens. Joseppi discipuli mei. Floreas et proficias *de virtute in virtutem* **(Psal. LXXXIII, 8)**, donec videas laetus ut gaudens Deum tuum in Sion. Memorque sis mei, sanctissime Pater, obsecro.
@ [Col. 0446D] Edit. Quercet. 56. ex ms. (Apud Froben. epist.133.)

EPISTOLA CLXXV. AD REMEDIUM EPISCOPUM.

Gratias pro charitatis muneribus agit: ad bonas actiones stimulat.

Venerando Patri
@ [Col. 0446D] *Remedio episcopo.* Non dubito, quin idem sit ac Remigius Curiensis episcopus, de quo supra. Haec enim nomina ejusdem personae variant apud scriptores. Remedio episcopo humilis levita Alcuinus salutem.

Acceptis charitatis vestrae muneribus multum laetati [Col. 0445C] sumus de prosperitate vestra, seu quod memoriam nostri habetis; sperans me misericordia divina participem esse per vestras sanctissimas orationes. Charitas vero inter amicos melior est auro, et fides inter absentes pretiosior est gemmis, ubi Deus tantummodo considerat et remunerat. Vos quod vestrum est, diligentissime exsequimini, et accepta Dominicae pecuniae talenta multiplicate, ut cum gaudio ante conspectum summi regis venire digni efficiamini, et vocem illam audire desiderabilem: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* **(Matth. XXV, 21)**. Nunc tempus est laborandi, tunc quiescendi; nunc promerendi, tunc remunerandi. Fac ut sis, ut tibi veniat, quod vis. Dilige diligentem te, quatenus [Col. 0445D] ad beatissimam illius sessionem pervenire merearis et dicere: *Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri* **(Psal. XLVII, 9)**, in qua est tota
@ [Col. 0446D] *Remedio episcopo Curiae.* Vide epistolas 174 et 175 ad eumdem, et notes velim *Remedium* illum *Decurio, quem Alcuinus per Arnonem salutari voluit in epist.* 118 hunc ipsum esse episcopum, et loco vocis *Decurio, quam habet cod.* ms. Salisb. legendum esse *de Curia, seu Curiensem.* [Col. 0446A] felicitas et nulla perturbatio, summa requies et sempiterna beatitudo. Vestram omnipotens Deus sanctitatem in omni bono florere faciat, venerande Pater!
@ [Col. 0446D] Froben. epist. 200.

EPISTOLA CLXXVI. AD REMEDIUM EPISCOPUM CURIENSEM. (Anno incerto.)

Commendat se ob veterem amicitiam illius orationibus.

Desiderantissimo Patri Remedio episcopo Curiae civitatis, humilis levita Alcuinus salutem.

Memor dilectionis vestrae et foederatae olim amicitiae inter nos, has tuae reverentiae, optime frater, litterulas dirigere curavi, ob recordationem prioris pacti, quod inter nos

pepigimus, obsecrans per summi regna tonantis, ut nostri nominis, juxta vestrae promissionis [Col. 0446B] veritatem, in sacrosanctis orationibus memoriam habere digneris; etiam a servis Dei intercessiones pro me fieri jubeatis, qui sunt in monasteriis per vestrae dioecesis latitudinem. Nam ego plurimis hujus saeculi jaculis vulneratus diem trepido animo exspecto, quo duci ad judicium vocer ignorans, quid habeam respondere judici meo Jesu Christo, qui mihi tanta tribuit in hoc saeculo bona; et ego quasi his omnibus ingratus plurima feci, quae non debui.

Tu vero, sanctissime Pater, secundum charitatem, quam habes in membra Christi, et fidem probatam in salvatorem nostrum, me assiduis orationibus adjuvare digneris, ut misericordem inveniam Dominum Deum meum. Te quoque ipsum, juxta sapientiam [Col. 0446C] tibi a Deo datam, in omni bonitate praepara ad occursum illius, ut dignus habearis, cum multiplici laboris tui fructu, gaudens et gloriosus stare ante tribunal Christi, atque ex brevissimo hujus vitae labore aeternam, donante Deo, beatitudinem cum sanctis omnibus intrare merearis. Dominus Jesus, qui ait: *Per me si quis intraverit, salvabitur;* ingredietur et egredietur **(Joan. X, 9)**, *custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum* **(Psal. CXX, 8)**, sanctissime Pater.
@ [Col. 0446D] Froben. epist. 201.

EPISTOLA CLXXVII. AD EUMDEM.

Confidentiam suam significat in ejus orationibus, et ad bene obeundum episcopale officium hortatur, sub spe aeternae mercedis.

[Col. 0446D] Beatissimo Patri Remedio episcopo humilis levita Alcuinus salutem.

Acceptis amabiliter venerandae dilectionis vestrae [Col. 0447A] litteris, quae me multo gaudio laetificaverunt, de prosperitate dignitatis vestrae, seu de recordatione nominis vestri, quoniam multum confido per Dei gratiam de intercessionibus sanctitatis vestrae; et quanto me plus peccatorem agnosco, tanto magis me indigere sanctas orationes vestras novi. Non solum me aliquid veniae mereri non dubito per vestrae charitatis continuas supplicationes, sed vosmetipsos magnam habere mercedem pro integritate sanctae fidei congratulor; nam et promissionem verissimam ipsius Veritatis habemus, quae ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Congregatio nostra est in spiritu charitatis, non in corporis praesentia; et cui omnia praesto sunt, non latet eum charitatis nostrae puritas, sine [Col. 0447B] qua nil placet Deo, nec munus ad aram. Hanc ergo sequamur intimo cordis affectu, ut ad illum pervenire mereamur, qui est vera charitas, et indeficiens beatitudo, et beata aeternitas: ut labor non sit inanis, sed ad perfectae retributionis perveniat gloriam.

Ad hanc vicissitudinem sollicita litterarum tuarum dilectio meam segnitiem hortari nullatenus immemor esto, quatenus ad illam beatissimam visionem Domini nostri Jesu Christi pervenire mereamur, ubi est lumen aeternum et quies perpetuae pacis laetissima. Ad hujus beatitudinis pacem omnes ad te venientes, vel etiam pertinentes

exemplis optimae vitae trahere non desistas; nec admonitionibus dulcissimis corda arentia irrigare segnis esto, ut culmen nominatae dignitatis in te sublimitatem meritorum habeat in conspectu [Col. 0447C] Dei.

Sint verba tua sale sapientiae condita, ut de te verissime dicatur: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo;* qui multiplicatis dominicae pecuniae talentis Domino suo occurrere dignus habeatur, et audire vocem desiderabilem: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini Dei tui* **(Matth. XXV, 21)**. Properat enim dies ultimus, et tacito pede fessa senectus ingreditur cubile nostrum; stat ad ostium qui pulsat, si laeto animo adventum ipsius suscipiamus. Dies sunt pauci laboris nostri, sed bene laborantem sequitur merces sine numero dierum, ejus ordinatione qui ordinat diem aeternum secundum merita singulorum; in cujus domo mansiones multae sunt; sed hae omnes divitiis felicitatis et gloria beatitudinis [Col. 0447D] sunt plenae, ubi sancti post hujus vitae sudorem [Col. 0448A] aeterna pace fruuntur, qui nostrum de supernis sedibus exspectant agonem, desiderantes ex nobis augeri numerum suum, quo tu properans, beatissime Pater, meque precibus tecum rapere, secundum fidelissimas promissiones tuas, satage ut corona gloriae tuae mihi proficiat, Christo donante, in perpetuam miserationis Dei salutem. Divina gratia te, tuosque fideliter in Ecclesia Christi servientes, in omnibus proficere faciat, dilectissime et sanctissime Pater.

{196}
@ [Col. 0447D] Edit. Quercet. 32, Canis. 16 collata cum codd. mss. Salisb. et S. Emmerami. Hujus fragmentum, ab illis verbis: *O nobilissima progenies usque ad haec: pervenire mereamini recenset Wilhelmus Malmesbur.* De Pontif. Angl. lib. III. (Apud Froben. epist. 134.

EPISTOLA CLXXVIII. AD AEDILBERTUM EPISCOPUM.

Orationibus omnium et singulorum se commendat, hortatur ad patrum suorum sequenda vestigia, ad lectionem sanctae Scripturae, ad juniorum instructionem.

Praecipue dignitatis pastori
@ [Col. 0447D] {197} *Aedilberto episcopo, etc.* Nomen Aedilberti deest in codd. mss. et apud Canisium; illud tamen proditur a Malmesb. l. cit. In cod. Salisb. abest quoque nomen Alcuini, cujus loco exstant hae litterae: LCHN, omissis nimirum vocalibus AUI, quarum additione fit ALCHUIN. Aedilbertus vero fuit episcopus Hagulstaldensis in Northumbria, qui in ea sede anno 789 Tilhero successit, et anno 797 obiit. HOVEDEN. et MALM. Aedilberto episcopo [Col. 0448B] et omni congregationi in ecclesia sancti Andreae Deo servientium, Alcuinus vestrae clientellus charitatis [*Canis.,* sanctitati] in Christo salutem.

Specialis [*Cod.* Sal., spiritalis] amicitiae cupidus, vestrae sanctitati parvitatis meae litterulas dirigere curavi, ut et pactum antiquae familiaritatis innovarem, et me vestris sacratissimis commendarem orationibus. Et si unius, juxta Apostolum, *multum valet deprecatio justi* **(Jac. V, 16)**, quanto magis et totius sanctissimae congregationis in

Christo, quorum quotidie canonicis horis pacificae unitatis [*Cod.* Sal. et Can., unanimitatis] postulationes coelum penetrare credendum est. Etiam et singularis uniuscujusque in secreto oratio ad aures omnipotentis Dei pervenire non dubitandum est [*Cod.* Sal., esset]. Quapropter [Col. 0448C] cum omni petitionis humilitate meipsum etiam unicuique, et communibus omnium et specialibus singulorum, quantum mea valet apud vestram pietatem deprecatio, commendo orationibus; ut per vestrae sanctitatis preces, meorum catenis peccatorum absolutus vobiscum, fratres charissimi, vitae januas ingredi merear.

O nobilissima sanctorum progenies Patrum! illorum honoris venerabilisque vitae successores et

@ [Col. 0447D] *Pulcherrimorum habitatores locorum.* De Hagulstaldensis ecclesiae fabrica, quae Romanam magnificentiam [Col. 0448D] aemulari velle videbatur, Wilhel. Malmesb. l. cit. *Hagulstadehem vocatur locus quinquaginta ab Eboraco milliaribus disparatus;* fisco regio famulabatur, quando eam beatae memoriae Wilfridus a beatissima Etheldritha regina pro aliis possessionibus commutavit. Ibi aedificia minaci altitudine murorum erecta, et diversis anfractibus per cochleas circumducta, mirabile quantum expolivit, arbitratu quidem multa proprio, sed et caementariorum, quos ex Roma spes munificentiae attraxerat, magisterio. Ferebaturque tunc in populo celebre, scriptisque etiam est inditum, nusquam circa Alpes tale esse aedificium. Nunc qui Roma veniunt idem allegant, ut qui Haugustaldensem fabricam vident, ambitionem Romanam se imaginari jurent: adeo tot temporum et bellorum injuriae vetustatem aedificiis non tolere. CANISIUS. pulcherrimorum habitatores locorum vestrorum sequimini vestigia Patrum, ut de his pulcherrimis habitationibus ad eorum, qui vos genuerunt, aeternae beatitudinis consortium, in coelestis regni pulchritudinem, Deo donante, pervenire mereamini.

Dei discite scire et implere praecepta, illo dicente: [Col. 0448D] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matth. XIX, [Col. 0449A] 17). Ideo necessaria est sanctorum lectio librorum, quatenus in eis quisque intelligat [*Al.,* inveniat], quid sequi, vel quid cavere debeat. Maneat vero in vobis lumen scientiae, et per vos aliis luceat ecclesiis, ut vestra laus in ore resonet omnium, et vobis in coelis merces maneat aeterna. Unusquisque proprii laboris mercedem accipiet. Pueros adolescentesque diligenter librorum scientiam ad vitam [*Al.,* in via] Dei docete, ut digni vestri honoris fiant successores, etiam et intercessores pro nobis. Suffragia vero viventium prosunt morientibus vel ad veniam peccatorum, vel ad majoris gloriae augmentum.

Qui non seminat, non metet, et qui non discit, non docet. Et talis locus sine doctoribus aut non, [Col. 0449B] aut vix salvus fieri poterit. Magna est eleemosyna pauperem cibo pascere corporali; sed major est animum [*Cod.* Sal., animam] doctrina spiritali satiare esurientem. Sicut pastor providus gregi suo optima providere pascua curat, ita doctor bonus suis subjectis perennia pascua vitae omni studio procurare debet. Nam multiplicatio gregis, gloria est pastoris, et *multitudo sapientium, sanitas est orbis* **(Sap. VI, 26)**.

Scio vos, sanctissimi Patres, haec optime scire et voluntarie implere. Sed charitas

dictantis ab ore rapuit verba, credens vos pia velle humilitate legere, quae sobria in Dei dilectione dictavi devotione. Iterum iterumque obsecro ut mei nominis inter familiares [Col. 0449C] vestros memoriam habere dignemini. Almitatem vestram pro tota Dei intercedentem Ecclesia ipse Deus Christus exaudiat, vosque ad aeternae beatitudinis gloriam pervenire concedat, charissimi fratres.
@ Edit. Mabill. 22 cujus defectum in fine supplevimus ex cod. ms. Salisb. (Apud Froben. epist. 135).

EPISTOLA CLXXIX. AD QUEMDAM EPISCOPUM.

Ad aeterna suspirat. Hortatur ad officium pastorale diligenter obeundum. Auguria, avium cantus, et sternutationes aboleri vult.

Dulcedinem dilectionis brevitas chartae non explicat. Sed spero, fides vestrae pietatis tenet quod meae imperitiae littera non sufficit proferre. Utcunque enim memoria charitatis absentiae tristitiam consolatur: et quem sibi praesentari per singula momenta oculus quaerit, hunc animus absentem semper amare non [Col. 0449D] desistit. Heu! quam dura est hujus mortalitatis conditio, quae variis eventibus toties amicos disjungit, nec patitur semper videre amantem amatorem suum. O quam felix est aeterna beatitudo, ubi semper videtur quod amatur, et nunquam cernitur quod non amatur! Ad hanc nos festinare oportet, ut illam intrare mereamur. Nullus nos labor deterreat, nulla delectatio retardet: sed tanto avidius totis viribus tendamus ad illam, quanto beatius illam habere poterit qui intrat. Me tecum, dilectissime frater, obsecro, continuis precibus attrahe. Tu vero aries, cui juxta Salomonem nullus resistere valet **(Prov. XXX. 31)**: ego morbida inter gregem evangelicae pascuae [Col. 0450A] ovicula. Tua lingua clavis est regni coelorum; quapropter nunquam a bonis sileat, nunquam ab admonitionibus cesset. Superbos et contumaces duris increpationibus castiget; humiles et quietos piis exhortationibus refoveat; talentum quod accepisti, quasi devotus negotiator superaugmentare contende. Non tardat Dominus qui dedit revenire et rationem exigere pecuniae suae. Vide et intentius considera quantas animas in periculo animae tuae regendas accepisti. Fac tibi lucrum ex illis, non damnum. Ad exemplum Domini Dei tui recurre, quomodo per civitates, castella, vicos etiam et domos singulas praedicando cucurrisset **(Matth. IX, 35)**; imo convivia Publicanorum et peccatorum non abhorruit, quatenus ex familiaritatis communione praedicationis occasionem [Col. 0450B] haberet. Ita tu ejus roboratus exemplis, ubicunque ad convivia venias, ibi praedicationis officia agere non cesses, ut pro carnalibus, quae ministrantur tibi tuisque sociis spiritalia sibi suisque commanipularibus accipiant **(Rom. XV, 27, et I Cor. IX, 11)** . Memor quanta seipsum districtione pius praedicator Paulus obligavit dicens: *Vae mihi! si non evangelizavero* **(I Cor. IX, 16)**. Et iterum, quam terribilia comminatus est Dominus ipse Ezechieli prophetae, dum praedicationis ei officia ingessit: *Fili hominis, speculatorem posui te domui Israel.* Et post pauca: *Si enim non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, et ille morietur in peccatis suis, sanguinem ejus de manu tua requiram* **(Ezech. III, 17, 18)**. Et iterum per Isaiam prophetam de tacentibus dicitur praedicatoribus: [Col. 0450C] *Canes muti non valentes latrare* **(Isai. LVI, 10)**. Qui sunt canes muti, nisi pastores tacentes, contra diabolicas insidias per praedicationem latrare

non valentes? Idcirco, dilectissime frater, te diligentius obsecro ut omnes ad tuam pertinentes dioecesim {198} verba vitae audire facias, vel per teipsum, vel per tuos adjutores presbyteros, ut subjectorum tibi salus, tua sit gloria apud Deum. Si quis vero, quod absit, postea . . . sanguis ejus sit super caput suum: tu vero immunis a perditione illius inveniaris, qui praedicasti ei, licet non obedisset tibi. Raro enim aperta fronte apud Christianos pugnat antiquus hostis: sed sub praetextu pietatis venena mortiferae suggestionis occultat. [Auguria quoque et avium cantus, et sternutationes et talia plurima omnino [Col. 0450D] vetanda sunt, quae nihil valent, nisi apud eos qui ea aliquid valere credunt, ut secundum fidem suam fiat illis. Permissum est enim maligno spiritui ad deceptionem ista observantium facere, ut aliquid auguria saepe verum praedicent. Igitur et in lege veteri auguria observantes morte puniri jubentur **(Deuter. XVIII, 10, 12)**, ut sciamus sub gratia viventes quali poena plectendi sint animae, qui hoc malum in consuetudine habent]. Haec vero et hujusmodi pestes quasi pio pastori et prudenti medico convenit tibi commisso praecavere gregi, uti eum in conspectu aeterni judicis immaculatum adducere merearis, et vocem desiderabilem audire dignus efficiaris: *Euge* [Col. 0451A] serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui **(Matth. XXV, 21)**.

@ [Col. 0451D] {199} Haec epistola primo nunc prodit ex cod. ms. Salisb. Caret ibi inscriptione; Alcuini tamen esse ipsa styli conditio nos ignorare non sinit; ad quem vero, episcopum data fuerit, nullo certo indicio innotescit. (Apud Froben. epist. 136.)

EPISTOLA CLXXX. AD QUEMDAM EPISCOPUM.

Dolet de amici aegritudine; hortatur ad patientiam, ad virtutes, ac curam scholarium.

Litteris vestrae beatitudinis acceptis satis me laetificavit facies illarum, et sensus omnia gaudiis perfudit viscera, nisi tantum infirmitas vestra meas perturbavit venas. Sed juxta Apostolum infirmitas corporis fortitudo est animi: gaudeat filius, ut erudiatur a patre. Aurum examinatur in fornace, ut purior splendescat ex flammis **(Prov. XXVII, 21)**; et homo in dolore corporis excoquitur, ut purior exsiliat [Col. 0451B] anima de ergastulo carceris sui. Placeat tibi castigatio paterna, quia flagella patris proficiunt ad salutem. Pauci sunt dies laboris: et perpetuae [*Forte perpetui*] mercedis. Idcirco instanter laboret lingua in praedicationibus, manus in eleemosynis, pes in circuendo gregem Christi. Animus vigilet in orationibus, et in psalmodiis solidetur, et in laude Dei laetificetur. Quod semper erit acturus homo in coelis, hic saepius agat in terris. *Sacrificium laudis honorificavit me,* dicit Deus per Prophetam, *illic iter est, quo ostendam illi salutare Dei* **(Psal. XLIX, 23)**. Sit humilitas in corde et in corpore; sit patientia in moribus et verbis; sit servus Domini fervens in mente; sit pax in ore, et in corde charitas; et semper suavia verba misceantur durioribus, quia facilius durum [Col. 0451C] cor penetrant mollia verba quam amara. Sit discretio quid cui conveniat tempori, personae, aetati et operi. Sit lectio crebra, et jejunia sobria et convivia modesta, et honor hospitum, et ordinatio pauperum, et cura familiae, et diligentia in populo. Quid agam, et quid est quod scribo, nisi quia charitas tacere nescit, et quoddam refrigerium est verbis proferre, in quo mens inflammatur? Et scio te rusticitatem meam patienter ferre, et familiaritatis litterulas non abhorrescere. Ideo non erubesco prius dicta rescribere, et iterare quae ante direxi. Etsi immemor sim quid prius scripserim,

non tamen immemor sum charitatis aeternae.

Nunc velim te properare in patriam et ordinare puerorum lectiones, quis grammaticam discat, quis [Col. 0451D] epistolas et parvos libellos legat, quis sanctam Scripturam sobria mente haurire dignus sit. Tu vero, sancte Pater, evangelicis maxime studeas lectionibus, et canonicis sanctarum Scripturarum inservire eruditionibus, quia te decet meditatio divinae legis, ut dicatur de te: *In lege Domini meditabitur die ac nocte* **(Psal. I, 2)**, ut fructus tuus vigeat in aeternum, [Col. 0452A] et omnia quaecunque facias prospera tibi sint ad salutem. Et memor mei valeto, sanctissime Pater.
@ [Col. 0451D] Edit. Quercet. 53, Canis. 31. (Apud Froben. epist. 137.)

EPISTOLA CLXXXI.

@ [Col. 0451D] *Ad quemdam episcopum certe, atque Alcuini discipulum, ut contextus loquitur, caetera ignotum.* AD QUEMDAM. *Hortatur ad pietatem, reliquasque virtutes:* commendat curam divinae laudis in ecclesiis illi commissis.

Pars mea, dixit Dominus animae meae **(Tren. III, 24)**. Pars mea, dixit pater filio suo, cui sit pars cum sanctis in aeternum. Tuae beatitudinis perlectis litteris gaudebam de tuae prosperitatis salute, cujus praesens quantum valui fautor fui; etiam et nunc absens cupidus. Et utinam, ut litteris promisisti, memor sis antiquae paternitatis et dulcedinis inter nos in Domino, qui semper nos in sua provehat voluntate, et [Col. 0452B] proficere faciat in suis mandatis. Memores simus, quod nos de stercore erexit, et posuit inter principes populi sui **(Psal. CXII, 7 et 8)**; non nostris meritis, sed sua gratuita misericordia; cui semper gratias agamus in omni vita nostra, ut ille, qui exaltavit, etiam conservet.

Omnes vero ecclesias, quas, Deo donante, ad regendum accepistis, diligentissime in Dei laude exorna. Sint in eis canonicis horis Psalmorum melodia, orationum instantia, missarum solemnia et intercessiones pro te tuisque amicis. Sint tibi, fili mi, mores [*Canis.,* filii minores] cum honestate et temperantia, vestimentorum moderatus cultus, convivia non in luxuria et ebrietate, sed in sobrietate et congruentia temporibus et personis. Ubique Dei timorem [Col. 0452C] ante oculos habeas. Humilitas te exaltet, et veritas honorabilem faciat, et misericordia amabilem. Sit tua manus pauperibus larga, amicis benigna. Esto fidelis dispensator domui Dei. Esto forma salutis omnibus tecum habitantibus **(I Thessal. I, 7)**. Et quia Deus te honore nobilem fecit, esto quoque et moribus nobilis. Luceat lux tuae bonitatis coram omnibus. Glorificetur in te Pater coelestis, qui te in hac praesenti vita custodiat, et in futura vita gloriam tibi cum sanctis concedat aeternam.

Pars mea, pars, valeas; semper sit pars tua Christus.
Esto memor patris, pars, precor, alma tui.
@ [Col. 0452D] Edit. Quercet. 45, Canis. 36 collata cum codd. mss. Salisb. et sancti Emmerami. (Apud Froben. epist. 138.) EPISTOLA CLXXXII. AD HECHSTANUM

PRESBYTERUM. *Hortatur ad virtutes:* et orationibus amicorum cupit se commendari.[Col. 0452D]

Filio meo charissimo
@ [Col. 0452D] *Alta petra.* «Reperio, ait Canisius, in divisione Ludovici et Caroli *Altam petram nomen loci post sanctum Ursum in Saledoro et Grandivallem.*» Ast hic nomen proprium est non loci, sed hominis Latine redditum, quod theodisce sonat *Hechstanus seu Hechstainum,* forte *Hochenstein.* Altapetra Albinus salutem.

Utinam juxta nomen tuum fiat merces tua alta et firma. Hoc vero, ut, Deo donante, fiat, labora instanter; curre, dum lucem habes; ascende quotidie per singulos gradus virtutum, ut de te dici possit: [Col. 0453A] *Ibunt sancti de virtute in virtutem,* ut quod sequitur fieri possit hoc, ut a te *videatur Deus Deorum in Sion* **(Psal. LXXXIII, 8)**. Vigiliis et orationibus insta, castitate et humilitate, dilectione Dei et proximi, et aliorum mandatorum observatione teipsum exorna. Quae tamen omnia ad charitatis firmamentum respicient, in qua *tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**. Si nondum adhuc annis, ordine tamen sacri ministerii [*Can.,* sacro ministerio] senior esse coepisti. Nam presbyter, *senior in Latina interpretatur lingua:* ut significet, moribus esse debere senes, constantia perfectos, praedicationi verbi Dei intentos, ita ut ore impleant quod ore doceant.

{200} Tu vero fili charissime, vigilanter tibi praepara bonis meritis domum perpetuam in coelis. Modo [Col. 0453B] est tempus laborandi et promerendi Deum: tunc erit tempus judicandi, et pro bonis operibus vivendi Deum; quia tunc judicabitur unusquisque secundum opera sua **(Matth. XVI, 27)**. Non tibi sit saeculi pompa suavior quam salus aeterna; nec delectatio [*Canis.,* dilectio] carnalis dulcior quam dilectio Dei. Qui hic Deum diligit, ibi cum Deo etiam laetabitur [*Cod.* Sal., cum Deo esse laetetur]. Quam jucunda est beatitudo aeterna: et quam misera perditio sempiterna! qualis in vita futura fieri velis, talem te praepara in praesenti. Parvi temporis hospes perpetuam tibi promerere [*Canis.,* promereris] mansionem. Hodie te cogita cras esse moriturum. Omnis dies quasi ultimus est habendus. Ideo semper homo debet esse paratus, ut quacunque die judex pulsaverit ostium, [Col. 0453C] aperiatur ei cum laetitia **(Luc. XII, 36)**. Rapietur
@ [Col. 0453D] *Ad judicium.* Apud Canisium legitur: *ad imalicium.* «Scriverius in notis ms. legebat *mallum;* et quidem *mallus est conventus, in quo majores causae olim dijudicabantur.* Ne *malla publica,* (dicitur enim mallum et mallus) vel placita in exitibus vel atriis ecclesiarum teneantur, vetat synodus Suessionensis sub Carolo Magno eo circiter tempore, quo floruit Alcuinus, habita, etc.,» inquit *Basnasgius.* Sed dubium sustulere codd. mss. in quibus legitur: *Ad judicium, quam lectionem ipse etiam contextus postulat.* ad judicium anima, dum ducetur de corpore.

Quid tunc ebrietas, quid tunc luxuria carnalis, quid pompa vestimentorum, quid annulus in digito, quid aurum in sacculo? Dives moritur similiter sicut et pauper, et una est amborum conditio, nisi forte quis melior altero fiat. Bonus in vitam vadit sempiternam, impius tormentis traditur aeternis. Esto filius vitae et non mortis. Esto haeres coeli cum Christo, non esca ignium cum diabolo. Per singulos dies semper esse melior studeto, ut

semper cum Deo esse merearis. Saluta meo nomine
@ [Col. 0454D] *Sacen et Begnod.* Haec nomina solum in editione Quercetani habentur, desunt vero in nostris codd. mss. et quos homines denotent, ignoratur. Sacen et Begnod Dei famulos, amicos nostros, filios vitae aeternae. Roga [*Can.,* Rogo] eos nostri esse memores [Col. 0453D] in orationibus suis cum sua familia, quam diligenter in Dei servitio erudiunt [erudiant]: quatenus mercedem ex illis habeant et non poenam, laudem et non contumeliam. Quia profectus subjectorum salus est praelatorum, et pastor bonus ex gregis multiplicatione coronabitur. Et tu, fili mi, [Col. 0454A] memor esto mei et tui in orationibus, ut divina nos clementia perpetuo munere in salute sempiterna conservare dignetur. Vale, vale fili in aeternum.
@ [Col. 0454D] Edit. Quercet. 46, Canis. 37 collata cum codd. mss. (Apud Froben. epist. 139.)

EPISTOLA CLXXXIII. AD MONNAM PRESBYTERUM ET FRATREM EJUS.

Hortatur ad saeculi contemptum, ad humilitatem.

Dilectissimis in Christo amicis fratri et filio
@ [Col. 0454D] *Anthropo et Stratoclei.* Haec nomina, sicut et inscriptio *ad Monnam a Quercetano allata, desunt apud Canisium et in codd.* mss. quos ad manum habuimus. *Monnam* Graeca fortassis appellatione *Anthropum vocat; Monn* enim seu *Mann theodisca lingua hominem significat.* Anthropo et Stratoclei humilis levita Alcuinus salutem.

Solet charitas litteris appellare quos oculis cernere non valet: quia apices chartarum amoris magnitudinem exprimere conantur, ut oculis legatur in syllabis quod videri non potest in mentibus. Ideo vestrae, charissimi, memor germanitatis hanc chartam vobis in commune direxi, ut cognoscatis quantam pro vobis habeo sollicitudinem, quam nec terrarum [Col. 0454B] longinquitas, nec temporum diuturnitas delere valuit, quo minus admoneam, quos magis {201} diligam; desiderans salutis vestrae prosperitatem et in Deo credere et in saeculo scire. Ut utrumque fiat, unum est studendum, id est, Deo placendum. Praeterit quidquid amatur in mundo, et solum permanet quidquid agitur in Deo. Ideo temporalia non tardent iter ad aeterna tendentium, dicente discipulo quem diligebat Jesus: *Nolite diligere ea, quae in mundo sunt* **(I Joan. II, 15)**. Nunquid ex umbra panis esuriens se saturare poterit? Umbratica est saeculi felicitas, vera tantummodo in futuro exspectatur.

Nolite vinculis saeculi teneri, nec laqueis diaboli ligari. Et vincula quae per confessionem et poenitentiam praecidistis, nolite reformare, ut liberas manus [Col. 0454C] valeatis relevare ad Deum, et puro corde deprecari quem toto corde amare debetis. Vigiliae et orationes sint assiduae vobis. *Beatus servus ille, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem* **(Luc. XII, 37)**. Vigilandum est in bonis operibus, non dormiendum in delectationibus carnalibus. Ebrietatem quasi perditionis foveam fugite, quia juxta Prophetam: *Vinum et ebrietas aufert cor* (Oseae IV, 11). Pompas

vestimentorum non sectemini. *Beatus homo, qui non respicit in vanitates et insanias falsas* **(Psal. XXXIX, 5)**. Melius est animam ornare quae permanet, quam corpus vestimentis, quod putrescit in pulverem, dicente quodam philosopho: «Ridiculum est in vanitate laudem quaerere;» volens vestimentorum supervacuas [Col. 0454D] curas vanitatem intelligere [*Canis.,* intelligi]. Quod si plurimi hoc faciunt, scriptum est: *Non sequeris turbam ad faciendum male* **(Eccli. XVIII, 32)**. Melius [enim est], cum paucis salvari quam cum plurimis perire.

Scitote cujus exempla diligentius sectamini, ejus [Col. 0455A] meritis maxime adhaereatis. Christus per humilitatem viam nobis fecit ad coelum; quid superbiam pravorum sequimur? Angelus per superbiam proruit e coelo; quid superbit homo terra et cinis? Quis superbienti homini locus deputetur, si angelo superbienti infernales poenae praeparatae sunt? Non est opus vos quasi [insipientes vel] inscios admonere, dum Evangelium Christi ante oculos habetis. Legite et intelligite, quid sit cavendum vel quid observandum. Quidquid ibi scriptum est, necesse [est] ut fiat, dicente ipsa Veritate: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* **(Matth. XXIV, 35)**. Item: *Si quis diligit me, sermones meos servabit* **(Joan. XIV, 23)**. Indicium dilectionis Dei est mandata ejus observare; et praemium dilectionis, visio [*Can.,* visitatio] [est] [Col. 0455B] divinitatis; eo ipso promittente quem diligere jubemur, [qui dicit]: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* **(Joan. XIV, 21)**. Pro me orantes valete, viri fratres, charissimi in Christo.
@ [Col. 0455D] Edit. Quercet. 37, Canis. 42. (Apud Froben. epist. 140.)

EPISTOLA CLXXXIV. AD PRESBYTERUM EADA.

Pro muneribus gratias agit; dolet se de gradu paupertatis raptum esse in voraginem divitiarum; orationibus se commendat.

Dilecto amico
@ [Col. 0455D] *Eada presbytero.* Hunc monachum fuisse Mabillonio verisimile est lib. XXVII Annal. num. 31. «Haec vero epistola, ait, testatum facit, quantum Alcuinus [Col. 0456D] abfuerit a divitiarum cupiditate,» ob quam alicui fortassis reprehensione dignus videri potuisset. Eada presbytero Albinus salutem.

Dilectionis tuae munera magna devotionis laetitia suscepi, desiderans, donante Deo Christo, prosperitatem vos et praesentem habere atque futuram, agnoscens antiquae in vobis munificentiae largitatem. [Col. 0455C] Quapropter et in nobis antiquae fidei reformastis amicitiam. Utinam divina clementia in vobis usque ad finem vitae perseverare faciat, quod ab ineunte aetate in vobis operari dignata est. *Praeterit enim figura hujus temporis* **(I Cor. VII, 31)**. Idcirco necesse est ut nos dies extrema in dilectionis geminae sobrietate vestitos inveniat. *Quia qui offenderit in uno, id est,* in uno charitatis praecepto, *factus est omnium reus* **(Jac. II, 10)**.

{202} Habeto nos, obsecro, socios beatitudinis tuae, sicut te cupimus socium habere prosperitatis nostrae. Et orationibus devotionis vestrae deduc nos in eumdem

paupertatis gradum, in quo, perficiente Deo, salubriter consistis. Tu tenes in manibus quod nos olim [Col. 0455D] tenere cogitavimus. Sed fluctus saeculi nostram naviculam procellosis ventis in voraginem divitiarum rapuerunt. Sed te precor ut me pietatis precibus in portum quietis revocare studeas. Cupio, sed non facio. Tranquilla est paupertas, quam feliciter olim amasti. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* **(Matth. V, 3)**. Sed paupertas haec humilitatis gubernaculo regatur, et charitatis velo, flante sancto Spiritu in eam, ad aeternae beatitudinis portum perveniet, ubi mei nominis memor intercedere pro me [*Canis.,* pro mea infelicitate te supplex] mereatur. [Col. 0456A] Da te, supplex obsecro, ut duplicem habeas mercedem: unam tui ipsius, alteram fratris tui. Utinam ut merear te videre cum laetitia illic, si hic fieri non possit! Divina te gratia comitetur, et in omni bono florere faciat, ut cum multiplici bonorum operum fructu vitam merearis ingredi sempiternam.
@ [Col. 0456D] Edit. Quercet. 36, Canis. 38 collata cum codd. mss. (Apud Froben. epist. 141.)

EPISTOLA CLXXXV. AD QUEMDAM DISCIPULUM.

Gaudet ob discipuli prosperitatem et litterarum studium; hortatur ad poenitentiam et ad pugnam contra hostes animae. Ornatum corporis reprehendit.

Dilectionis vestrae litteras grata suscepi dextera, et laeto legebam animo, intelligens in eis vestrae vitae prosperitatem et litteralis exercitii studium, ex quo dictantis eloquentia claruit. Hoc mihi maximum esse [Col. 0456B] gaudium constat, ut filios [meos] florere videam in conversationis puritate et profectus diligentia. Iste est ornatus quem optavi in eis [*Al.,* meis]. Istae sunt deliciae quibus illos desideravi vestiri. Ista est munditia quam concupivi in illis. Hae sunt epulae in quibus illos jucundari amavi. His etiam anima reficitur esuriens et sitiens justitiam. Hoc est vinum quod miscet sapientia invitatis ad mensam suam, dum septem columnis subnixam sibi domum construxit **(Prov. IX, 5, 1)**. In hac divina domo, frater [*Cod.* Sal., fili] carissime, te habitare semper obsecro; illius te epulis pasci deprecor; hoc [*Al.,* hujus] te calicis mero inebriari exopto; non vanas saeculi pompas, non noxias corporis delectationes exsequi, quae non proderunt ambulantibus in eis, sed suos sequaces [Col. 0456C] in aeternae perditionis voraginem demerserunt.

Tu vero, amor animae meae, si quid sordium ex his contraxisti, lacrymis lava, poenitentia ablue, et vitae melioris manu dele; memor tui, memorque mei; animam meam laetificans, tuae parcens: quia salus tua consolatio mea est. Noli patrem sua mercede fraudare de te. Noli filii nomen delere in te. Si pro te non vis, vel pro me fac. Si vel me non curas, et te negligis; Deum time, dilige, honora. Ille est verus pater, ille redemptor, ille omnium largitor bonorum suscitat dormientem in deliciis animam.

Contra tres tibi quotidie pugnandum est inimicos: contra diabolum, contra saeculum, contra carnem. Quomodo poteris secure dormire? Te vero dormiente vigilant, qui te occidere quaerunt. Quomodo non times [Col. 0456D] flammas aeternae perditionis? Quid tu, parvi temporis hospes, patriam quaeris in peregrinatione, et illam oblivisceris in qua

civis conscriptus es in baptismo? Cogita quis pro te pependit in cruce [patienter sustinens probra invidorum], cujus latus lancea perforatum tuae sanguinem redemptionis emanavit. Noli parvipendere pretium tuae [*Cod.* Sal, propriae] salutis. Pro te traditus est, qui te fecit: imo omnium {203} creator ad redemptionis tuae pretium seipsum expendit. Cur te ignobilem facis, nobilissimo emptus pretio? Noli ex filio Dei facere servum diaboli.

[Col. 0457A] Quid

@ [Col. 0457D] *Pompaticis vestimentis.* Eum, quem Alcuinus hic ob affectatum vestium splendorem reprehendit, fuisse clericum, patet ex his verbis: *Tu sacri altaris minister, etc.* Audiamus Sidonium, nitorem cultus in ecclesiastico homine reprehendentem: «Habitu cultuque conspicuo, *inquit epistola 13, lib.* IV, non juvenescit solum, sed quodammodo repuerascit. Enimvero vestis astricta, tensus cothurnus, crinis in rotae specimen accisus, barba intra rugarum latebras mersis ad cutem secta forcipibus, etc., professione religionis arrepta, viribus potius resurgentis innocentiae [Col. 0458D] convalescat.» Ubi notandum est, veteres Francos astrictis vestibus usos. De quibus Sidonius carm. 2:

Strictius assuetae vestes procera coercent Membra virum. Sicut et de Gothis Sidonius lib. IV, epist. 20. Haec Canisius qui plura hoc loco de Romanorum ac veterum Francorum vestimentis ex eodem Sidonio adnotavit. pompaticis carnem induis vestimentis, et ornamenta animae non quaeris? *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, qui non respicit in vanitates et insanias falsas* **(Psal. XXXIX, 5)**. Melius est collo sapientiae monile suspendi, quam serico vanitatis involvi **(Eccli. VI)**. Melius est castitate lumbos circumcingi, quam numerosis pomparum cingulis constringi, et ardentes bonorum operum in manibus portare lucernas, quam digitos annulis ostentationis radiare **(Luc. XII, 35)**. Satius est pedes in Evangelium pacis expeditos esse, quam longo fasciarum nexu ligari **(Ephes. VI, 15)**. Heu! quod corrumpitur, tanta diligentia ornatur; et quod permanet, tanta socordia negligitur! Illud omni cura ornatur, pascitur et vestitur: hoc quasi vile supellectile nullo decore [Col. 0457B] dignum ducitur! Terrenum colitur, et coeleste non curatur! Dei imago vilescit, et terrae species honoratur! Non ita, fili, non ita in te sit.

Tu sacri altaris minister, tu summi honoris socius, tu sapientiae vas, flos adolescentiae, dignitatem tuam attende, et esto quod nominaris. Cogita corpus tuum in pulverem reverti et animam tuam ad judicium rapi. Qualis tunc esse cupias, talem te nunc exhibe. Nunc tempus est laborandi, tunc remunerandi; nunc promerendi, tunc accipiendi. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. *Curre, dum lucem habes* **(Joan. XII, 35)**. Qui hodie est, cras non erit, dicente Scriptura: *Noli tardare converti ad Dominum, quia nescis, quid ventura pariat dies* **(Eccli. V, 8)**. Omnis gloria saeculi quasi flos feni decidet. *Arescit fenum et flos ejus deperit* (I [Col. 0457C] Petr. I, 24). Memento creatoris tui, antequam veniat tempus afflictionis. Pugnemus fortiter, et vincamus perniciter [*Ms.,* viriliter; *al.,* pertinaciter], ut coronemur feliciter. Illum habemus adjutorem, quem et remuneratorem. Ille prior hostem vicit, ut nos vincere possimus. Triumphavit in cruce, ut nos regnemus in coelo. Ad nos descendit in terram, ut nos ascendamus ad illum in coelum. Filius hominis factus est, ut nos filii Dei esse mereamur, cui laus et

gloria in omnes aeternitates. Amen.

@ [Col. 0458D] Edit. Quercet. 47, Canis. 29 collata cum codd. mss. (Apud Froben. epist. 142.)

EPISTOLA CLXXXVI. AD AMICUM FIDELEM.

Ardorem charitatis suae significat; hortatur ut omnibus sit exemplum vitae. Commendat lectionem sancti Evangelii, et Libri Pastoralis sancti Gregorii.

[Col. 0457D] Dulcissimae dilectionis fratri et amico in Christi charitate salutem.

Amico antiquo novus non est similis **(Eccli. IX, 14)**. Amicus qui fortunam sequitur, et tempus observat, qui juxta qualitatem loci mutatur, nunquam verus [Col. 0458A] fuit. O si mihi vox ferrea esset, et omnes pili verterentur in linguas, ut vel sic ad aures tui cordis verba dilectionis meae pervenire valuissent; vel in tuo pectore spiritus esset prophetiae, ut perspicere cordis mei arcana potuisses! crederes utique quam suavissimo sapore tui amoris pectus meum {204} impleretur. Sed nunc, quod valeo, faciam. Hos parvos apices, magnae indices charitatis, tibi dirigo, ut per hos intelligas quod vix intelligi potest. Sicut flamma potest videri, tangi autem non potest, ita charitas in litteris cerni potest, sed vix in animo scribentis sentiri valet. Quia sicut scintillae de igne sparguntur, ita dilectio litterarum officio volat. Sed plurimi sunt in quorum corde exstinguitur: ideo gratius lucescit, ubi vel aliqua ejus flammula ardescit. Quia in te, [Col. 0458B] frater sanctissime, veram inveni charitatem, ideo nulla terrarum spatia me prohibent, secundum opportunitatem portantis [visere], cupiens te in Christo perenniter frui, cujus amor nostra utinam impleat corda ut per ejus dilectionem nobis inviolabilis permaneat fraternitas, cujus charitatem sicut sacerdos Dei summi, sicut tuba coelestis, sicut praeco salutis cunctorum ingerere cordibus studeas. Quidquid illius respuit sanctitas, instantissime prohibe; quidquid illius diligit bonitas, ardentissime praedica. Non terrenae fragilitatis terreat potestas, non saecularis ambitio sacerdotalem severitatem compescat. *Nolite* [Cod. ms. *Noli*] timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt **(Matth. X, 28)**.

Esto omnibus vitae lucerna, praevius viarum Dei, [Col. 0458C] exemplum honestatis. Esto miseris consolatio, medicina vulneratis, afflictis consolatio, *pastor, non mercenarius, domus Dei, non spelunca latronum, palma florens, oliva semper virens* **(Joan. X, 12; Matth. XXI, 13; Psal. XCI, 13; Gen. VIII, 11)**. Noli columbas Dei vendere. *Gratis da, quod gratis accepisti* **(Matth. X, 8)**. Irreprehensibilem teipsum in omnibus exhibe, ut vita tua doctrina sit populi, ut ex bona conversatione tua aedificentur plurimi **(I Tim. III, 2)**. Lege diligenter, obsecro, Evangelium Christi, libros quoque alios canonicae auctoritatis. Sed et Pastorale beati Gregorii papae saepissime perscrutare. His epulis animam tuam pasce, ut habeas unde alios quoque reficere valeas. Mei quoque, obsecro, ut memoriam habeas inter missarum solemnia et sacras orationes [Col. 0458D] tuas, ut divina clementia veniam mihi peccatorum, et coronam tibi meritorum praestare dignetur.

@ [Col. 0458D] Quercet. 102 ex ms. (Apud Froben. epist. 143.)

EPISTOLA CLXXXVII. AD QUEMDAM FILIUM.

Laudat discipuli devotionem et sapientiae studium. Non suos mores, sed exhortationes et sanctorum exempla sequi hortatur; commendat lectionem sanctae Scripturae, virtutum exercitium, curam adolescentum, etc.[Col. 0459A]

Dilectissimo filio atque amabili meo Albinus salutem.

Litterarum series tuarum laetificavit oculos meos, aspiciens in eis bonae devotionis intuitum, et sanctae sapientiae decorem, atque in eam discendi amorem; quod maxime tuis modo competit annis, vel pro aeternae vitae beatitudine, vel pro saecularis honore: quia nihil laudabilius est in homine quam sapientiae decus et charitatis affectus. Quod vero postulasti meos tibi inscribere mores, mirum videtur; dum die noctuque mecum fuisti, nec aliquid tibi celatum fuit, quid nobiscum ageretur. Nec dignum videtur, [Col. 0459B] mea multum te sequi velle vestigia, nisi forte admonitionis verba, quae saepius audisti. Sed etiam magis sanctorum te instruant exempla, quae in sanctis leguntur Scripturis, et nostrae vitae stabilimentum dignoscitur esse. Tu vero, fili charissime, in charitate teipsum exerce, et in ecclesiasticis officiis ornare vitam tuam memento; vigilias et orationes frequentans et in lectionis studio die noctuque desudans quaerere [*Forte, quaere*] Christum in litteris prophetarum praedictum, et in evangelica ostensum auctoritate. Et *dum* invenias eum, non *amittas eum* **(Cant. III, 4)**; *sed introduc eum in domum cordis tui, et habeto eum rectorem vitae tuae.* Ama eum sicut redemptorem, gubernatoremque tuum, omniumque tibi largitorem bonorum. *Custodi mandata illius* (I Joan. [Col. 0459C] V, 3; Matth. XIX, 17), quia in illis vita est aeterna. Et magna discretione teipsum circumspice, considerans quid agendum, vel quid {205} cavendum praecipiatur tibi. Et quidquid accepisti a magistro, vel Spiritu inspirante sancto intelligis, trade diligentissime, et doce; ut tibi semper augeatur intelligentiae donum, quia omni habenti dabitur **(Matth. XIII, 12)**, id est, docendi studium habenti augetur intelligendi scientia.

Esto pauperibus et miseris quasi pater, humilis in ministrando, largus in dando, quatenus illorum benedictio veniat super te. Admoneasque adolescentulos qui tecum sunt de castitate corporis sui, de confessione peccatorum suorum, de assiduitate discendi, de conversatione sobria, de ebrietate cavenda, de luxuria [Col. 0459D] fugienda, de vanitate hujus saeculi non sequenda. Sed discant in adolescentia, ut habeant, quod doceant in senectute. Deferant enim honores senioribus, ament vero ecclesiastica officia. Ergo praevide ut bona videant in te exempla cum sanctorum exhortatione verborum. Pro hujusmodi religione et devotione Dei omnipotentis te gratia consequatur et exaltet, [Col. 0460A] et honorificet inter homines, et vitam tibi praestet sempiternam.

De libris vero quos rogasti, id est, in Epistolas Apostolorum beati Bedae tractatum,
@ [Col. 0459D] *Soror mea Gysla.* Hoc de Gisla intelligo Caroli Magni sorore; non de Gisla illius filia. Vid. notas in epist. 126 ad Gislam. soror mea Gysla habet. Dum illa remittet eum mihi, dirigam vobis. De
@ [Col. 0459D] Constat igitur Alcuinum scripsisse De Bened. Patriarch.; sed epistola, cujus hic meminit, intercidit. Benedictione Patriarcharum, de quibus rogare tibi quoque

placuit, composui olim epistolam sub nomine tuo

@ [Col. 0459D] *Samuelis.* Illius fortassis, qui postea factus Wormatiensis episcopus, Rabani Mauri, ad quem haec epistola dari potuit sub Alcuino condiscipulus. De quo idem Rabanus carm. 21:

[Col. 0460D] Quondam namque meum gaudebam te esse sodalem, etc. Quod quondam docuit Albinus rite magister Hoc pectus teneat, etc. Samuelisque condiscipuli tui. Nescio si de ea postulasti, sive de quolibet alio auctore. De epistola interrogasti, quid esset? Nam ἐπὶ *super,* στόλα *habitus Graece dicitur.* Unde Adrianus imperator

@ [Col. 0460D] *Epictetum.* Respicit Alcuinus quaestionem Adriani: Quid erit nobis, si cinctum solvas? Cui Epictetus respondit: Epistola est. Vide Altercationem Adriani Augusti et Epicteti, Bibliothecae Graecae Fabricii tom. XIII, pag. 560, et pag. 563 inter notas. Epictetum philosophum inter alias inquisitiones interrogavit, quid esset *cinctum? At ille videns eum epistolam manu tenentem, respondit: Quod manu tenes.* Volens intelligere, quasi supercinctorium esset [Col. 0460B] epistolae sigillum, quo a foris vestiatur chartula. Hanc habeto interpretationem, donec meliorem invenias vel veriorem.

@ [Col. 0460D] Froben. epist. 231.

EPISTOLA CLXXXVIII. AD FILIUM AEGROTUM.

Solatur illum, et hortatur ad confessionem peccatorum.

Charissimo Filio unicae dilectionis in Christi benedictione salutem.

Festinavi obviam vestrae dulcedinis praesentiae, et ecce mutuata [mutata] vice pro laetitia visionis vestrae, tristitiae chartula advenit, vestram denuntians lacrymabili textu infirmitatem, propemodum te in limine hujus vitae suspirare; sed quantum de tuo contristor labore, tantum de divina laetificor pietate, qui te tam diuturna infirmitate decoxit, ut purior appareas conspectui [Col. 0460C] illius. Beatus homo, qui corripitur a Domino; *flagellat vero omnem filium, quem recipit* **(Hebr. XII, 6)**. Haec spes te consoletur, charissime fili, et si quid saeculi in tuam deveniat potestatem, quasi obsides pacis praemitte [*Ms.* promittere] ad Dominum, et diligenter minutissimas quasque verborum et cogitationum, imo et factorum sordes apud confessorem fidelem et prudentem, secundum tuam conscientiam, purifica, ut nihil remaneat, in quo malignus te apud summum Judicem habeat accusare. In Domino Jesu fortissima spe confide, qui ad unam confessionis vocem latroni paradisum promisit: et si illius clementia, quae occidere solet et vivificare, te in pristinum sanitatis officium revocare velit, talis esto moribus, qualis nunc voluntate; et talis tunc opere, qualis [Col. 0460D] nunc cogitatione, ut tibi in salutem proficiat perpetuam, sive infirmitatis labor, sive sanitatis effectus. Habes me, quantum valeo, fidelem sive in iter illud terribile adjutorem; sive in vitae praesentis solatium consiliatorem.

Quod vero tua inquisivit charitas de duorum distantia locorum, id est, sive in canonica sede, sive [Col. 0461A] in monachica sanctitate melius esset ultimi diei exspectare spiraculum? ubique Deus est, qui meritorum magis, quam locorum considerat

qualitatem; et si sub orario plus laborasti, quam sub cucula in servitio Dei, quid causae est, in articulo mortis tui laboris insignes [*loco insignia*] abjicere, et alterius quaerere judicium? Nisi forte sub cucula, [si] Deo miserante ab hac convalescas infirmitate, militare disponis: tamen quamdiu vivas, in majorem sanctae Dei Ecclesiae profectum tuae cogitationis dirige voluntatem: orationum igitur causa et [ob] fraternae intercessionis solatium cum monachis corporis requies optanda esse videtur.

Si quid perperam dixi, non mala voluntate, sed imperitia me arbitreris loqui: tu vero consiliarios [Col. 0461B] tecum, scio, pios et prudentes habes, quorum consilio ad salutem animae tuae uti ratum esse videtur; mea vero parvitas nunquam a vestra recedit charitate, et si, ut decet, intelligere nequeat, tamen, ut debet, desiderare non cessat. Rogo ut quidquid de tua eveniat vita, citius me cognoscere facias, ut sive abeuntem lacrymosis prosequar intercessionibus
@ [Col. 0461D] Hic aliquid deesse videtur.. Deo miserante dies aeternos vel temporales habeas semper felices in Christo.
@ [Col. 0461D] Edit. Quercet. 107 ex ms. (Apud Froben. epist. 144.) EPISTOLA CLXXXIX. AD ANTONIUM. *Conqueritur de sui oblivione, spectacula reprobat, et Homero se de iis scripsisse dicit, etc.*
@ [Col. 0461D] *Antonio Hoc nomine ascititio appellat Adalhardum abbatem Corbeiensem, ut Pascasius in Vita Adalhardi num.* 21 testatur his verbis: «Ob hoc autem Adalhardus ab aliquibus, ut epistolae magistri Albini ferunt, Antonius vocabatur.» Mabill. Act. Sanct. saec. IV Bened., part. I, pag. 316. Antonio Albinus salutem.

[Col. 0461C] Quam plana via fuisset per
@ [Col. 0461D] *Per Belgica rura.* Ita legendum puto loco *bellica.* Ibi enim Corbeia vetus; ibi patrimonium Adalhardi. Mab. l. cit. Act. SS., pag. 307, n. 3. bellica rura ad currendum vel ad volandum charitatis pennis! Timeo ne forte fractae sint alae, quae ex eis, ut aliae, potuissent inseri. Ideo nidus paternus non visitatur, nec saltem columba pedibus, ut quondam in Graecia legatis, affert litterulas. Quid ad haec sic iturus Orpheus?

Orpheus . . . inter delphinas Orion. Vertitur oenofori fundus, sententia nobis.

{206} Ego ludo, ego serie [*Forte, serio*] dormientem saepius suscitare nisus. Sed nec cantante saltatum est, nec plangente lamentatum.

Omnia vel medium fiant mare, vivite silvae, Dixit amans spernenti se. Idem in eodem Poeta:

[Col. 0462A] Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

Putavi me venire ad te, et unicae [uni] auriculae suavia susurrare, et alteri dura decantare; sed prohibuit me Romanus comes ingrato tempore. Si illius *insurgat contra me praelium, in hoc ego sperabo* **(Psal. XXVI, 3)**; quia *virtus ex infirmitate perficitur* **(II Cor. XII, 9)**.

Vereor, ne

@ [Col. 0461D] *Homerus.* Angilbertus, quocum Adalhardus in aula Pippini regis Italiae versabatur. Hanc epistolam Mabillonius anno 791 recenset et observat, quae tunc piorum hominum mens fuerit de theatricis spectaculis, quae ne quidem in homine curiali, qualis tunc Angilbertus fuerat, ferre aut dissimulare Alcuinus potuerit. Annal. Bened. lib. XXVI, num. 13. Homerus irascatur contra chartam prohibentem spectacula et diabolica figmenta, quae omnes sanctae Scripturae prohibent, in tantum ut legebam sanctum dicere Augustinum: «Nescio homo, qui histriones et mimos et saltatores introducit in domum suam, quam magna eos immundorum sequitur turba spirituum.» Sed absit, ut in domo Christiana diabolus [Col. 0462B] habeat potestatem.

Olim tibi de his scripsi, optans salutem charissimi filii toto cordis affectu; volens per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi. Tuus vero animus, fili charissime, congaudeat in servitio Dei et in salute fraterna, ut tibi ex profectu aliorum merces accrescat meritorum. Ideo saepius desideravi exhortatorias dilectionis vestrae litteras. Sed nescio quae causa vel me rapuit ex mente tua, vel te ab exhortatione cessare compulit. Beatus qui loquitur in aure audientis. Utinam omnes tali te desiderio audirent, sicut ego unanimus tuus! Vel castigatus scribe, ut vindices te, quia rogatus noluisti, ut confortares me. Valeto in pace perpetuae beatitudinis, fili charissime.
@ [Col. 0462D] Froben. epist. 212.

EPISTOLA CXC. AD ANTONIUM.

Nuntiat fratres insulae Lirinensis advenisse, et fratrem Adalhardi vocatum ad palatium fuisse, etc. [Col. 0462C]

Pio, prudenti atque religioso filio
@ [Col. 0462D] *Antonio.* Qui vero nomine appellatur Adalhardus, abbas Corbeiensis, cujus pater fuit Bernardus, Caroli Martelli filius, Pippini regis frater, patruus Caroli Magni, fratres duos habuit Walam et Bernarium; duasque sorores Gundradam et Theodradam, qui omnes a Carolo Magno, summo loco semper habiti; post illius vero obitum omnes praeter Theodradam a Ludovico imp. anno 814 in exsilium pulsi fuerunt; cujus rei causam non aliam fuisse credit Mabillonius, quam quia homines potentia et ingenio praediti suspecti fuere Ludovico, pio quidem Augusto, sed suspicioso et meticuloso. Consule Vitam sancti Adalhardi Act. SS. Ord. S. Ben. saec. IV, part. I, pag 306 et seqq.
Antonio Albinus matricularius salutem.

Quidam praedicator juxta apostolum importunus debet esse; sic etiam quaedam charitas importuna se minime grato ingerit auditori: nec spreta tacere novit, quae etiam nec fluminibus obrui valet, nec tempestatibus exstingui, ne semel accensa subito exstinguatur. [Haec] causa fuit hujus chartulae, quam subnectere calamus meus curavit.

Igitur fratres venerabiles et religiosi de
@ [Col. 0462D] *De monasterio Hilirinae insulae.* Legendum loco *Hilirinae, Lirinae seu Lirinensis insulae, ut patebit ex epistola ad Hillirienses fratres paulo post exhibenda.*

monasterio [Col. 0463A] Hilirinae insulae ante paucos dies venerunt ad nos omnia narrantes de illis prospera partibus: sed et hoc addiderunt quod filius meus

@ [Col. 0463C] *Frater vester.* Habuit sanctus Adalhardus fratrem, ut paulo superius diximus, Bernarium nomine, de quo Pascasius Radbertus in Vita sancti Adalhardi num. 34 scribit: *Iste Christi discipulatus nobiscum* (Corbeiae scilicet) *habens formam;* idem vero inferius num. 35 testatur, quod Bernarius a Ludovico Aug. una cum fratribus et sorore Gundrada in exsilium actus, Lirinum remissus fuerit: *Bernarius noster,* ait, *Lirinum remittitur, ubi nempe statum monasticum prius assumpserat.* Ex epistola siquidem praesenti indubium est, fratrem Adalhardi, Bernarium utique, in insula Lirinensi monachum fuisse. Is, agentibus fortassis fratribus, sororibus ac propinquis, summo loco apud Carolum habitis, ad palatium fuit evocatus: quo audito suasit Alcuinus, [Col. 0463D] ut ad suum monasterium remittatur, ne prioribus, quibus nescio, periculis, quae ibi monachum indutus evaserat, involveretur. Hoc consilium effectu caruit; Bernarius siquidem, ut ex Radberto cit. colligitur, in monasterio Corbeiensi cum fratribus suis, usque ad obitum Caroli Magni commoratus fuisse videtur. Excitata deinceps in hanc familiam invidia ad proprium suum monasterium Lerinense remissus fuit. Auctor Vitae Ludovici Augusti scribit: «Adalhardum quondam abbatem monasterii Corbeiae, magisterio priori restitutum; itidemque fratrem ejus Bernarium a monasterio sancti Benedicti evocatum et reconciliatum eidem cum fratre restituit loco» fortassis hic loco: *a monasterio sancti Benedicti legendum: a monasterio sancti Honorati, seu Lirinensi, unde Bernarius post reconciliationem revocatus sit, et deinceps in monasterio Corbeiensi cum fratribus suis, eidem pariter restitutis, degere permissus.* Ad calcem Bibliothecae Lerinensis, a Vincentio Barrali [Col. 0464C] Salerna Bernarius, frater Adelhardi, inter sanctos Lerinenses refertur, non exprimit tamen auctor, an colatur. Bollandus ad diem II Januarii in Catal. Sanctorum praetermissorum. frater vester cum abbate palatium adire jussus esset, secundaque hebdomada post Pascha iter incepisse. Hoc te scire volui, ut provideas bono consilio fratri tuo, quid sit agendum. Quantum meae parvitatis consideratio perspicit, valde necessarium ei videretur, ut revertatur ad fratres suos, et ea vita vivat, in qua salvatus fuit de periculo mortis, in quo pene periit. Quid iterum regreditur, ubi propemodum perditus fuit?

Non sit tibi durum cum

@ [Col. 0464C] *Homero.* Angilberto, quocum Adalhardus aliquandiu in aula Pippini regis Italiae conversabatur. Hic enim, teste Vitae scriptore Radberto, Pippino regi adjunctus fuit, ut regnum ipsumque regem juniorem ad statum reipublicae et ad religionis cultum rite informaret; Angilbertum vero Alcuinus in epist. 26 *primicerium* seu primum consiliarium *palatii Pippini regis appellat.* Vid. epist. seq. Homero nostro consilium inire salutis perpetuae de fratre tuo, et mittere ad amicos vestros, qui sint in palatio, qui illum bonis erudiant consiliis, et revertendi ei licentiam inquirant; [Col. 0463B] litterisque vestris illum admonere, ne dubitet animo, ne titubet gressus illius; sed unanimiter pietatem imperialem poscat regrediendi facultatem. Credas velim has litterulas ex charitate dictatas esse, ut tu habeas mercedem, et frater tuus salutem aeternam. Vive feliciter in charitate Christi, et omni religione sancta, fili charissime.

@ [Col. 0464C] Froben. epist. 213.

EPISTOLA CXCI.

@ [Col. 0464C] *Ad Antonium monachum.* Hic est titulus epistolae in cod. Harleiano, quamvis Adalhardus jam abbas [Col. 0464D] esset monasterii Corbeiensis seu S. Petri. Vide col. 465, not. a. AD ANTONIUM MONACHUM. *Antonio ad se invisuro significat animi sui laetitiam.* Homeri vanitatem in histrionibus carpit; conqueritur de intermisso litterarum commercio, quod ait non esse contra regularem vitam. Post obitum sui memoriam exoptat.

Filio charissimo Antonio Albinus salutem.

[Col. 0463C] Laetatus sum in lectione chartulae quam mihi tua direxit charitas, sed amplius in solatio germanitatis [Col. 0464A] tuae, quia valde ex die cognitionis tuorum, intimo cordis affectu amavi eos, quamvis non aequaliter ut te, quia aequaliter ad me non pertinebant; te specialius ex omnibus fere amicis unum. Gratias quod tandem aliquando refloruisti, aperire os, appellare Patrem, sive charitatis, vel etiam hospitalitatis gratia.
@ [Col. 0464D] *Mandavi Hubone.* Leg. *Huboni,* sed potius *Widoni, ut arbitror, illi nempe misso regio, ad cujus testimonium pro innocentia Turonensium provocat in epist.* 166 qui nimirum secreta quaeque de vita et moribus fratrum illorum noverat, tanquam rerum S. Martini, regia auctoritate, defensor et advocatus. Mandavi Hubone qui praeest rebus sancti Martini ad satisfaciendum animo tuo, condicto die obviam tibi esse. Quod de emendatis moribus Homeri mei scripsisti, satis placuit oculis meis; licet semper honorabiles habuisset mores, tamen nullus est talis in hoc saeculo qui non habeat oblivisci, quae retro sunt, et se extendere in anteriora, donec perveniat ad perfectionis coronam. Unum fuit de
@ [Col. 0464D] *De histrionibus.* Homerum seu Angilbertum histrionicis ludis ac spectaculis admodum addictum fuisse Alcuinus jam meminit in epist. 144 ad Antonium nostrum; ibique ait, *se de his olim scripsisse, optando salutem charissimi filii;* quod in praesenti epistola factum puto. Desideratur vero etiamnum epistola, cujus et hic et ibi meminit, scripta ad ipsum Angilbertum, qua illum admonuit, ad vitanda hujusmodi *spectacula et diabolica figmenta, quae omnes sanctae Scripturae prohibent, etc.* histrionibus, [Col. 0464B] quorum vanitatibus sciebam non parvum animae suae periculum imminere, quod mihi non placuit, quapropter scripsi aliquid exinde, ut integram amoris mei illi ostenderem sollicitudinem; mirumque mihi visum est, quomodo tam sapiens animus non intellexisset reprehensibilia dignitati suae facere, et non laudabilia.

Suadeo dilectioni tuae, ut ubicunque vadas, verbum Dei fulgeat in ore tuo, secundum opportunitatem temporis vel loci, quatenus bona conversationis tuae fama praedicationis instantia adornetur.

Quod in prima paginulae tuae fronte parafrasticas apologetici sermonis excusationes legebam, paradigmatico calamo conscriptas, grate suscipiebam eas, quamvis minus necessarias aestimarem illas. [Col. 0464C] Conscius cordium nostrorum novit, qua charitate litterarum consolationis tuarum desiderarem; vel [Col. 0465A] quo timore calamum

suspendisses in pariete regularis domus. Aut ego forsitan tanto indignus fui consolatore, aut magis spem posui in homine quam Deo placuisset: tamen nolim tuam bonitatem de aliis id egisse, sed omnibus omnia factus, ut ex omnibus mercedem merearis habere apud Deum. Christus, ut in historiis legitur, Abagaro regi pagano scripsit epistolam: aut beatus Paulus inter eos non fuit, de quibus Scriptura dicit: *Erat illis cor unum et anima una, et erant illis omnia communia* **(Act. IV, 32)**, et bene fecit scribendo amicis? Aut si fecit, male fecit tantas amicis scribendo epistolas? Vel quomodo meas ausus fuisti legere litterulas, et tuas mihi non dirigere? Si contra regulam est aliis scribere, utique contra regulam est et aliorum legere. Opto ex magno [Col. 0465B] cordis mei desiderio, nullatenus te plus peccasse in custodia regularis vitae quam exhortatorias volentibus edere chartas. Vulnerasti siquidem cor meum, sed si tempus medendi adhuc fieri valeat, sana vulnus charitatis calamo, ne putrescat in pejus. Non enim tibi sunt indiga pigmentorum genera magno emenda pretio, nec cum periculo cor leonis extrahendum; sed aperi cor charitatis tuae, et irriga coelestis rore benedictionis arentia cordis mei rura, ut semper generare incipiat prioris pacis et concordiae [*deest* fructus, *vel simile*]. Nunquid non me
@ [Col. 0465D] *Familia S.* Petri. Hoc est monasterium Corbeiense vetus in Gallia in dioecesi Ambianensi, D. Petro sacrum; cujus Adalhardus primo monachus, deinde abbas fuit. familia sancti Petri te hortante et deprecante, in gremium fraternitatis suae suscepit, quasi unum ex illis? Si amico prodesse timuisti, quare non fratri et consocio germanitatis tuae? Nunquid regularis constrictio prohibet [Col. 0465C] te fratrem exhortari tuum? Aut falsum est quod promisistis, aut verum est quod tu de fratre bene non fecisti.

Sed cessent quaerimoniae, fiant charitatis solatia inter fratres, sine qua nihil Deo placere poterit; et si sit in corde, agnoscatur opere: si intus ardeat, foris fulgeat. Ideo Spiritus sanctus missus est in specie ignis et linguarum, ut quod intus ardet in corde, foras ferat in verbo charitas, ut poeta cecinit:

Mentibus instat amor, sermonibus aestuat ardor.

Ego militaris cingulo laboris deposito quietus Deo servire desiderans, nimium trepidus exspectans, qua hora dicatur mihi: aperi pulsanti, festina ad tribunal judicis tui, ut audias quidquid operatus [*Ms.,* [Col. 0465D] operasti] in vita tua fuisti. Si te, fili mi, superstite haec hora adveniat Patri, tu vero cum tuis omnibus fidelis intercessor adesto, ut diras accusantium facies evadere, Deo Jesu miserante, valeam, cui laus et gloria omnium bonorum suorum, quae non solum mihi, sed omni humano generi mira contulit pietate. Tu vero, fili charissime, prospere proficiens et feliciter vivens valeto in aeternum.
@ [Col. 0465D] Froben. epist. 214.

EPISTOLA CXCII. AD ANTONIUM MONACHUM.

Desiderat multum orationes Antonii, ut Deum semper amare possit et laudare. [Col. 0466A]

Antonio Albinus, mansionario matricularius salutem.

Ideo dico mansionarium te, quia *multae sunt mansiones in domo Patris aeterni* **(Joan. XIV, 2)**, quarum te non solum habitatorem, sed etiam inter apostolicam auctoritatem judicem esse opto, quis, in qua dignus habitare discernatur. Deprecor tota cordis intentione, ut habeas Albinum tuum in ore et corde, dum animam offers tuam in conspectu Spiritus sancti, deprecans ut eruat me Spiritus Paraclitus de spiritalibus animi mei tentationibus, quatenus digna [Col. 0466B] sit anima mea summum bonum, id est Deum verum amare et laudare; quia haec est angelica vita; semper et hoc agunt jugiter, quod nobis necesse est saepius agere: Et qui plus amat Deum in terris et laudat, magis eum habet in coelis. Infelix est haec vita, et tota aerumnis plena; non est nobis salus nisi in Domino Deo Christo, quem tua semper devotio amet, laudet et praedicet; et in orationibus tuis sanctis conservos tuos semper adjuva, et me maxime peccatorem, quem Patris nomine, licet indignum, dedicasti; et saluta fratres nostros, commilitones tuos, ex nostri nominis officio, et specialiter eos, quos familiarius nos dilexisse scias. Vos vero omnes in fraterna charitate et in unitate pacis sanctae divina gratia, in perpetuum custodire dignetur, dilectissimi fratres!
@ [Col. 0465D] Froben. epist. 232.

EPISTOLA CXCIII.

Aenigmatica. [Col. 0466C]
@ [Col. 0466D] *Antonio Paulus.* Haec nomina et ipsum epistolae argumentum mere aenigmatica sunt, quibus evolvendis immorari operae pretium haud fuerit. Antonio Paulus.

Venerunt mihi litterae sexto Idus Quintilis ad
@ [Col. 0466D] *Uuicos.* Seu Wicus, cella maritima S. Jodoci, curae Alcuini in Galliam venientis a Carolo Magno concreditum. Vid. notas epistolae 39 (nunc 44) et alibi. *Uuicos, gaudio plenae de meo et de tuo, et de nontermino* [*Ita ms.;* f., nominis termino], quae in me usque modo manserunt, et mansura erunt, credo, licet durissime passus essem praesentiam absentiae, et absentiam praesentiae. De visitatione vero fraterna saepius volui secundum opportunitatem itineris; sed secunda in pronomine persona optime novit, unde remansit; imo necdum agnosco, quomodo fieri possit hoc. Scito, quod litterae tantummodo non sufficiunt ad meum et tuum (quia haec sunt, quae mundum [Col. 0466D] destruunt) si non aderunt ego et tu. Hucusque tres litterae in tristitia fuerunt, duobus [*F.,* duabus] hoc facientibus; sed septem omnia sufferunt, donec sex et octo simul gaudeant, et septem stent in loco suo, quia a senarii numeri perfectione per septenarii gratiam ad octonarii beatitudinem ascenditur; et fiat unitas primi et extremi per medietatem, quia cuncta in creaturis tribus istis terminis ad unitatem perveniunt; et si tolluntur de medio unum, de ultimo duo, [Col. 0467A] erunt tres termini aequales, mirabiles in perfectione omnium creaturarum, quae a tribus personis in unitatem potestatis conditae sunt.

Haec legens intelligat et laudet subtilissime largitorem sapientiae, et vivat in eo feliciter. Saluta fratres; pueros et perfectos, legentes et intelligentes, amantes et benefacientes, Christum colentes et charitatem habentes; et hi omnes valeant, vigeant, floreant in

omni perfectione vitae et laudis Dei aeternaliter.
@ [Col. 0467D] Edit. Quercet. 80, Canis. 45, Froben. 145.

EPISTOLA CXCIV. AD CONGREGATIONEM SANCTAE MARIAE ET PATREM MOROALDUM.

Cupit eorum societate frui, et amicitia.

Beatissimae et sanctissimae Dei genitricis semperque virginis Mariae congregationi, et pio Patri
@ [Col. 0467D] *Moroaldo.* Haud dubie abbati Farfensis beatae Mariae monasterii. Vid. Mabill. libr. XXVI *Annal.,* num. 8. Moroaldo, [Col. 0467B] ultimus sanctae Ecclesiae clientellus Alcuinus in Christi charitate salutem.

Saepius vestrae sanctitatis audiens famam, et ideo me vestrae familiaritati adjungere desideravi. Sed modo tempus opportunum occurrit, per praesentem fratrem obnixis precibus meipsum vobis commendare. Quapropter per sanctae Virginis Filium vestram suppliciter obsecro unanimitatem, ut me, licet indignum, vestris animis atque manibus accipere dignemini, {207} non quasi ignotum, sed quasi fratrem. Quia licet oculis carnis non vidissem, tamen oculis cordis vos videre videor, et valde diligo; honestatemque vitae vestrae animo complector studioso, cupiens vestram beatitudinem ubique proficere in Domino, et ad perpetuae pacis pervenire laetitiam. Orantes pro [Col. 0467C] nobis, vos semper valete in Christo, fratres dilectissimi?
@ [Col. 0467D] Edit. Quercet. 33 ex ms. **(Froben. 146)**. Quae mater illa, quae filia? nullo indicio proditur.

EPISTOLA CXCV. AD MATREM ET FILIAM.

Hortatur ad bona opera; et precibus earum se commendat.

Albinus matri et filiae in Christo salutem.

Laetante animo salutationem accepi vestram, suppliciter deprecans ut Deus Christus misericorditer devotionem respiciat vestram; magis magisque faciat in sua proficere voluntate, et ad coronam gloriae vestram deducat conversationem. Filia sit matri in omni bono obediens; mater sit in salute filiae devota: utraque in Dei servitio semper studiosa, in castitate facientes quae sunt Deo placita. Subjectamque [Col. 0467D] vobis filiam [*Videtur leg.* familiam] in omni timore Dei educate, quasi rationem reddituræ pro singulorum animabus. Quapropter ut filios filiasque cum omni diligentia eos erudite, ut non solum carnale solatium, sed etiam spiritale gaudium habere mereamini. In pannoso paupere Christus non despiciatur, sed in domum deducatur, foveatur et reficiatur; quia refectio egeni salus est divitis. Canonicas horas in laude divina omni studio peragite, quatenus ab [Col. 0468A] angelis exaudiatur et a Christo accipiatur concentus psalmodiae vestrae. *Modestia vestra, juxta Apostolum, nota sit omnibus*

hominibus **(Philip. IV, 5)**; quatenus et praesens vita exemplum sit in salutem multis, et futura pro laudabili pietatis conversatione a Deo remuneratore omnium bonorum recipiatur. In fine vero hujus chartulae vestram deprecor almitatem, ut inter vestras orationes mei nominis memoriam habere dignemini: et ea charitate mihi salutem deprecamini perpetuam, qua vos per hanc epistolam de vestra admonere studui; hosque legentes apices in Christo valete semper charissimae.
@ [Col. 0468D] Edit. Quercet. 100 ex ms. (Apud Froben. epist. 147).

EPISTOLA CXCVI. AD EUGENIAM FILIAM.

Hortatur ad fortitudinem in tribulationibus, quas ipsa innocens cum Dei servis patitur ab iniquis regibus. [Col. 0468B]

Albinus
@ [Col. 0468D] *Eugeniae.* Quae illa virgo fuerit ignotum. Anglicanam fuisse colligo ex iis epistolae verbis: *Reges vobiscum tyranni facti sunt;* quae de Angliae regibus, quorum tyrannidem Alcuinus in aliis etiam epistolis accusat, intelligenda censeo. Eugeniae filiae virgini charissimae in Christo salutem.

Litteris dilectionis vestrae acceptis, et dulcissimis cum gratiarum actione muneribus, valde laetatus sum in fide et charitate vestra. Auditisque tribulationibus quas non solum vestra innocentia patitur, verum etiam pene omnis servorum Dei multitudo: quia reges vobiscum tyranni facti sunt, non rectores; nec ut olim reges a regendo, sed a rapiendo dicuntur. Sed forti animo esto; *multae sunt* enim *tribulationes justorum* (clamat Psalmista) ut consequi valeas, quod sequitur: *Sed de his omnibus* [Col. 0468C] liberabit eos Dominus **(Psal. XXXIII, 20)**. Et Dominus in Evangelio: *Tradet frater fratrem in mortem, etc.* **(Matth. X, 21)**. *Sed in patientia vestra possidebitis animas vestras* **(Luc. XXI, 19)**. Aurum non splendescit, nisi {208} igne probetur. Job lateret occultus, nisi tribulationibus probaretur; de quo Jacobus apostolus, dum nos ad patientiam hortaretur, ait: *Job audistis, et finem Domini vidistis* **(Jac. V, 11)**. *Tribulatio* patientiam operatur, ait Apostolus, *patientia autem probationem, probatio vero spem* **(Rom. V, 3, 4)**. Qualem spem, nisi perpetuae beatitudinis? Si margaritam invenisti pretiosam, venditis omnibus eme illam: teneas, nec dimittas eam **(Matth. XIII, 46)**. Saeculum hoc *in maligno est positum* **(I Joan. V, 19)**. Sunt homines seipsos amantes, Evangelio [Col. 0468D] Christi non obedientes. Unusquisque viam voluntatis suae graditur, non sequens eum, qui ait: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* **(Joan. VIII, 12)**. Item: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me* **(Matth. XVI, 24)**. Crux tollitur, dum per patientiam tribulatio vincitur. Nemo miles coronabitur, *nisi qui legitime certat* **(II Tim. II, 5)**. Legitime certare est virgini, *ut sit sancta corpore et* [Col. 0469A] anima **(I Cor. VII, 34)**, et sit digna Christo sponsa; cantans quotidie: *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia* **(Cant. II, 16)**; id est, inter candorem virginitatis. Memor esto virgines esse prudentes et fatuas. Si antiquus hostis in te ipsa, id est, in corpore tuo tentationis locum non invenit, omnino exterius quaerit, quomodo animi fortitudinem enervare valeat; cui forti animo resistendum est. *Non* sunt enim, ait Doctor egregius, *condignae passiones*

hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis **(Rom. VIII, 18)**; dum revelata facie *videbitur Deus deorum in Sion* **(Psal. LXXXIII, 8)**. Et virgo, *quocunque ierit, agnus sequitur eam* **(Apoc. XIV, 4)**.

O nimium felix, cui nec felicior ullus. Quae beata Dei Genitrice ducente omnia secreta coelestis [Col. 0469B] regni intrare merebitur penetralia. Non nocet multum quod iter perficere non valuisti quod coepisti, Deo aliquid melius providente tibi. Expende in pauperum solatia, quod in tanti itineris viaticum tibi praeparasti. Da quod habes, ut accipere merearis quod optas. Habeto ejus pleniter in corde charitatem, quem defensorem tibi petis in tribulatione. Non est diabolo facilis vastatio domicilii, in quo est habitatio Christi; a *cujus latere cadent mille et decem millia a dextris ejus* **(Psal. XC, 7)**. Illum habeas opto consolatorem in omni tribulatione tua, quem habebis remuneratorem totius poenitentiae tuae. Respice in eum, qui ait: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. Illius te aeterna potestas in omni tribulatione vincere [Col. 0469C] faciat, et palmam perpetuae beatitudinis accipere concedat, qui ait: *Dabo ei manna absconditum* **(Apoc. II, 17)**, quod nullus novit, nisi qui acceperit. Valeto, in omni virtute et sapientia florens, charissima filia.
@ [Col. 0469D] Edit. Quercet. 44, Canis. 57 collata cum cod. ms. Salisb. (Apud Froben. epist. 148.)

EPISTOLA CXCVII. AD FILIAM SPIRITALEM (EUGENIAM).

Castitatem cum eleemosynarum largitate commendat.

Charissimae in Christo filiae Eugeniae Albinus salutem.

Placet mihi saepius in parvis [*Cod.* Sal., tametsi in paucis] litteris, non tamen parva officia salutationis tuae dirigere germanitati, et tuis ingerere cogitationibus admonitionis meae, vel promissionis tuae [*Cod.* Sal., sanctae] salutiferas collationes, quatenus nobilissimum virginitatis decus integro conservare corpore [Col. 0469D] coneris, rememorans gloriosam castitatis mercedem. Ecce in coelis per magna aeterni regis palatia *agnum sequuntur, quocunque ierit* **(Apoc. XIV, 4)**. Quid hac gloria beatius, vel hac beatitudine gloriosius? Ubi naturae [*Cod.* Sal., natura] victor omnium conditori creaturarum consociabitur.

{209} Nec labor quotidianus deterreat, quem spes tantae remunerationis consolabitur. Paucorum labor dierum aeternis remunerabitur praemiis. Sit quoque virginitas eleemosynarum largitate fertilis, nec sibi caducas divitiarum gazas avida congreget manu: [Col. 0470A] sed larga mente in membra sui distribuat sponsi. Geminis, charitatis scilicet et castitatis pennis, ad alta coelorum regna transvolet. Nec virgo, carnis concupiscentiae vinculis libera, avaritiae laqueis constringatur, sed sui ipsius victrix, etiam saeculi ignavia, cupiditati [*Cod.* Sal., ignava cupiditate] non succumbat: sed sibi misericordiae operibus, quasi ramis virentibus, in arcem coelestis Hierusalem viam sternat, ubi laudibus excepta angelicis magni imperatoris thalamum aeterna introducatur laetitia.

Ut hoc fieri valeat, vigilare debet hujus inquisitor margaritae, non inertiae sopitus somno dormitare: imo saepius orationibus nocturnis vel diurnis pulsare januas perpetuae civitatis; et veniens apertas inveniet, quas quisque ab hoc carnali carcere deductus, [Col. 0470B] nimium intrare cupiet; quod ante summa diligentia praevidere debet, ut portas tunc inveniat patentes, angelicosque choros suscipientes obviis manibus animam ad deducendum in cubiculum regis aeternis fruituram gaudiis; perpetuumque laudis carmen decantabit in praesentia sui sponsi dicens: *Benedic, anima mea, Dominum et omnia opera ejus:* in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Dominum **(Psal. CII, 1 et 22)**. Vivas, valeas et floreas, virgo nobilissima, in Christo.
@ [Col. 0469D] {210} Edit. Quercet. 89 ex ms. (Apud Froben. epist. 149).

EPISTOLA CXCVIII AD HUNDRUDEM FEMINAM

Hortatur ad devotionem et vitam exemplarem in palatio regis. Salutem precatur reginae, et Egfrido.

[Col. 0470C] Deo devotae feminae
@ [Col. 0470D] *Hundrudae.* Matronam Anglicanam vocat Mabillonius lib. XXVI Annal. num. 14. Quae instar monialium feminarum velata in palatio regis Offae degebat, ut ex sequentibus conjici potest. Hundrudae Alcuinus diaconus salutem.

Benignitatis tuae salutationem et munuscula gratanter accepi; in quibus te agnovi conditae olim amicitiae bonam abundare [*Forte, habere*] memoriam; credens quoque tuam similiter non oblivisci prudentiam, qualiter devotio mea te jam praesentem de charitate Christi, et honestate vitae diligentissime admonuit. Ideo non opus esse arbitror, multis illa reiterare sermonibus, sed paucis deposcere litterulis; ut omni hora vel momento dies in mente habeas aeternos, et praepares te *in occursum Domini Dei tui* (Amos IV, 12), ut sine timore videre valeas Judicem vitae tuae, quem tota virtute dilexisti in pectore tuo. Sit cogitatio tua in praesentia Dei, in sobrietate [Col. 0470D] vitae, et sermo tuus in modestia veritatis, et opera tua in castitatis honestate, ut exemplis tuis adolescentiores erudiantur, seniores congaudeant, omnes aedificentur, ut in palatio regis regularis vitae devotio in tua videatur conversatione. Quatenus summi regis pietas in omni te custodiat prosperitate, et in bonis operibus usque ad finem vitae perseverantem, aeterna te remunerari gloria dignetur.

Saluta, obsecro, domnam reginam ex meae parvitatis nomine. Scripsissem exhortatorias illi litteras, si illi propter occupationes regis [*Forte, regias*] [Col. 0471A] meos apices legere licuisset. Sciat tamen certissime sibi quoque dominae, quantum valeo, fidelem esse. Tamen gestum est de monasterio
@ [Col. 0471D] *Monasterio Inmercum.* Hoc monasterium a nemine proditur; abs dubio in Anglia quaerendum. Inmercum, sicut de illorum non speravi bonitate. Faciant de me, sicut illis placeat. Nam fides mea apud illos non violabitur, credens tanto meliores habere illos, quantum meliores sunt meritis et dignitate. Omnipotens aeterna protectione eos ubique custodiat, protegat et regat cum omnibus fidelibus suis.
@ [Col. 0471D] *Egfridum.* Offae regis Merciorum filium, ad quem Alcuinus scripsit

epistolam 50. Egfridum filium meum diligenter saluta. Opto, ut floreat in voluntate Dei, et prosperitate multis feliciter annis. Valeto semper, dulcissima soror.
@ [Col. 0471D] Edit. Quercet. 30 ex ms. (apud Froben. epist. 150.)

EPISTOLA CXCIX. AD AEDILTHYDEM FAMULAM DEI, OLIM REGINAM.

Instruit optimis vitae documentis.

[Col. 0471B] Dilectissimae in Christo sorori
@ [Col. 0471D] *Aedilthydae matri.* Dubius est Mabillonius, an haec sit Alfrida, seu Ethedrita Offae regis Merciorum filia, quam Ethelredus regni Orientalium Anglorum haeres conjugem habere volens, palatium Offae accessit, ibi vero perfide capite truncatus est? (lib. XXVI [Col. 0472D] Annal. num. 29, Act. SS. saec. IV, part. I, pag. 565). Alfordus hanc putat fuisse Etheldritam, quam Westmonasteriensis Etheldredam vocat, Ethelwaldi Northumbriae regis uxorem, de qua Hovedenus ait: «Anno 762 Ethelwaldus rex accepit reginam Etheldritam Kalendas Novembris in cataracta.» Annal. Anglo-Saxon. ad illum annum n. 1 et seq. Certe magnae illam familiae virorum ac mulierum praefuisse ex textu liquet, reginam non item; nisi ex inscriptione Quercetani. Aedilthydae matri humilis levita Alcuinus salutem.

Vestrae benignitatis munera gratanter suscipiens, vestrae dilectionis salutatoria verba libenter audiens, fateor magna me dulcedine esse gavisum, cognoscens fidelem in vestro pectore permansisse charitatem, quam nec terrarum longinquitas interrumpere poterit, nec fluctivagi maris aestus procellosis undis obruere valet, quo minus ad me usque beneficiosa munificentia pervolasset. Sicut legitur: *Aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam* **(Cant. VIII, 7)**. Igitur charitas quae deseri potest, nunquam vera fuit. Nil homines ita Deo appropinquare facit, sicut charitas. *Qui in charitate manet, in Deo manet, sicut dicit Scriptura,* quia [Col. 0471C] *Deus charitas est* **(I Joan. IV, 16)**. De qua ipse Salvator ait: *In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**, id est, in charitate Dei et proximi. Per charitatem proximi ad Dei dilectionem pervenitur. Dicit enim Joannes evangelista: *Si fratrem, quem vides, non diligis, quomodo Deum, quem non vides, diligere potes* **(I Joan. IV, 20)**? Sed fraterna charitas in admonitione spiritali et in solatio saeculari ostendenda est. Sicut enim corpus cibo pascitur, ita anima sacris doctrinis alitur. Ideo utrumque facere debet qui potest: et pauperi larga porrigere manu quod indiget, et esurientem animam salutifera admonitione reficere: maxime qui praesunt aliis et multorum curam habere videntur. De [Col. 0471D] hoc studiose vigilare [*Forte, vigila*] pro singulis animabus, quasi rationem redditurus pro eis in die judicii. Qui negligenter talentum servat acceptum, poenam patietur suae negligentiae condignam; qui vero multiplicat diligenter pecuniam Dominicam, magnam accepturus erit mercedem a Domino Deo [Col. 0472A] suo. Scire debent praelati quod quanto plus laborant in salute subjectorum suorum, tanto majorem accepturi erunt gloriam, dicente in die judicii Domino Deo illis: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* **(Matth. XXV, 21, 23)**. Quid hac

voce jucundius? quid hoc auditu beatius?

Hanc [*Suppl.* ut] vocem audire merearis, charissima soror, omni instantia tibi subjectos instrue, verbis admone, exemplis erudi: quia illorum salus tua est remuneratio. Noli propter hominis terrorem tacere, sed propter Dei amorem loquere. *Argue, increpa, obsecra* **(II Tim. IV, 2)**; publice *peccantes palam castiga, ut caeteri timorem habeant* **(I Tim. V, 20)**; alios in spiritu mansuetudinis admone; alios [Col. 0472B] in virga pastorali corripe, diligenter considerans quid cui conveniat. Quidam itaque maligni morbi per dulcia, quidam per amara sanantur pocula. Anus et senes quasi matres et patres honora; juvenes quasi fratres et sorores dilige; minores aetate quasi filios filiasque erudi, et omnium curam habeto in Christo, ut omnium mercedem habeas a Christo **(I Tim. V, 1, 2)**. Fidelis vero dispensator pecuniam Domini sui, id est, animas sibi commissas augere studeat per diligentiam, non minuere per pigritiam; quia servus bonus coronabitur a Domino suo, malus vero {211} damnabitur, sicut in Evangelio dici a legentibus intelligi potest. Tu vero labora diligentissime in opere Dei, ut retributionem magnam accipias in regno Dei. Eleemosynae tuae praecedant te [Col. 0472C] et viam tibi faciant. *Munera enim dilatant viam hominis, et spatium ei ante principem faciunt* **(Prov. XVIII, 16)**. *Hospites et peregrini sumus in hac terra* **(Hebr. XI, 13)**. Patria nostra in coelo est. Non est bonum transitoria diligere, et sempiterna negligere. Unusquisque sicut operabitur, sic accipiet a Deo suo, qui *reddet unicuique secundum opera sua* **(Matth. XVI, 27)**.

Vigiliae et orationes tibi sint frequentes, et psalmodia in ore, non vaniloquia in lingua. Sed dilectio Dei in corde, et non ambitio saeculi in mente. Praeterit enim quidquid amatur in mundo: permanet quidquid diligitur in Christo. Volentes nolentes aeterni erimus. Omni intentione studeamus, ut fideliter [Col. 0472D] vivamus, ubi semper mansuri erimus. Sanctorum festivitates cum laude divina, et pauperum eleemosyna frequenter honora, quatenus eorum merearis intercessione illorum esse particeps beatitudinis. Sint tibi sermones veritate laudabiles; sint mores sobrietate et modestia amabiles; sint manus largitate [Col. 0473A] honorabiles: sit totius vitae conversatio exemplum in omni bonitate aliis, ut dignitas personae tuae laudetur ab omnibus, ametur a pluribus, et per (te) Dei nomen glorificetur, ipsa dicente Veritate: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**. Magnum habemus Patrem, Deum scilicet omnipotentem. Quam nobilis in moribus, quam modestus in verbis, quam castus in corde, quam misericors omnibus debet esse filius Dei, ipso praecipiente: *Estote misericordes, sicut et Pater vester coelestis misericors est* **(Luc. VI, 36)**. Imitemur quantum poterimus illius bonitatem, ut aeternam beatitudinem cum illo habere mereamur: ait enim non solum apostolis, sed etiam et nobis: *Exemplum enim* [Col. 0473B] dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis **(Joan. XIII, 15)**. Item: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* **(Joan. VIII, 12)**. Quid superbit homo in saeculi divitiis? *Christus pauper factus est pro nobis* **(II Cor. VIII, 9)**, ut per illius paupertatem, quam pro nobis accepit in terra, nos divites essemus in coelo. Cito enim putrescit caro in terra, quam tanta diligentia ornamus in deliciis. Insuper et de sepulcro cogitamus ornando; vanitas haec vanitatum est. Melius est his opibus animam vestire, quam spurcitiam carnis ornare. Christus sepultus est in spelunca, non in templo. Hoc ideo dico, quia aliqui

viventes suam solent fabricare sepulturam. Quid mihi, ubi vermi putrescat esca? Tantum ut anima requiem habeat, studendum est, [Col. 0473C] ut illa vivat feliciter, quae mori non potest. Veniet enim tempus, quando *corruptibile hoc induetur incorruptionem* **(I Cor. XV, 53)** , et resumet anima quod reliquit in terra. Tunc homo pariter anima et corpore regnabit cum Christo, qui hoc totius [*Forte, nunc totus*] anima et corpore, serviebat Christo.

{212}
@ [Col. 0473D] {213} Hactenus inedita hic prodit ex cod. ms. Salisb. (Apud Froben. epist. 151.)

EPISTOLA CC. AD EDILTHRUDAM.

Consolatur matrem de morte filii.

Dilectissimae in Christo matri
@ [Col. 0473D] *Matri Edilthrudae.* An haec eadem sit ac Aedilthydis, [Col. 0474D] quam Ingulfus etiam Etheldritam vocat, et ad quam prior est epistola, ignoro. Edilthrudae humilis levita Alcuinus salutem.

Quia praesentialiter vestram dulcissimam dilectionem, ob longitudinem habitationis nostrae, admonere nequeo, ideo litterarum officio implere non cesso, [Col. 0473D] quae linguae ministratione denegatur, desiderans toto cordis mei affectu, te ubique, charissima mater! in omni proficere bono, ut digna efficiaris in eorum censeri numero de quibus in Evangelio Dominus noster Jesus Christus respondit: *Omnis qui fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse mihi mater et frater* **(Matth. XII, 50)**. Quomodo mater, nisi sancta charitate in visceribus cordis perfecti quotidie generatur? Ecce qualem filium poterit pia mater habere, eumdem ipsum Deum regem ac redemptorem; etiam et in omnibus tribulationibus consolatorem. *Multae sunt tribulationes justorum* (Psal. XXXIII, [Col. 0474A] 20); sed majores sunt consolationes Christi. In quo debet homo saecularis miserae eventu contristari, qui fontem totius consolationis, id est, Christum habitatorem possidet in pectore? Imo magis gaudendum est in tribulationibus propter spem aeternae beatitudinis, dicente Apostolo: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* **(Act. XIV, 21)**. Item: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit* **(Hebr. XII, 6)**. Item de apostolis legitur: *Ibant autem gaudentes apostoli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* **(Act. V, 41)**. Sciat dilectio tua quia filius tuus spiritalis Dominus Jesus non est mortalis; vivit, vivit, et in dextera Dei Patris vivit et regnat. Ideo de carnali filii tui morte non contristeris; imo magis nec de tui corporis [Col. 0474B] abso (*sic*): sed labora omnibus horis et momentis, ut anima feliciter vivat cum Christo, et in spem bonitatis illius consolare, quia multae miserationes Dei. Te vero superstitem reliquit filio carnali, ut per tuas intercessiones et eleemosynas misereatur et illi. Forte in peccatis suis mortuus est, sed in misericordia potest fieri ut vivat divina. Nam latro, qui in scelere suo suspensus est cum Christo, sed in misericordia salvatus est Christi. Noli lugere eum, quem revocare non poteris; et si Dei est, non illum doleas amissum, sed tibi

in requiem gaudeas praemissum. Si duo sunt amici, felicior est mors praecedentis quam subsequentis, habet enim, qui fraterno amore pro se quotidie intercedat, et lacrymis lavat pristinae errores vitae. Nec dubites prodesse piae sollicitudinis [Col. 0474C] curam, quam pro anima illius geris. Tibi proficit, et illi. Tibi itaque, quae in fide facere dilectione [*Ita Cod.* mendose; f. leg., quia in fide facis et dilectione]: illi, ut vel poena levigetur, vel beatitudo augeatur. Larga est et inaestimabilis pietas Domini nostri Jesu Christi, *qui vult omnes homines salvos fieri* **(I Tim. II, 4)**, et neminem perire. Noli, ut praedixi, in tribulationibus tuis contristari, sed, si majores tibi superveniant, gaudeas in illis, dicente Apostolo: *Non sunt condignae hujus temporis passiones, ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII, 18)**. Sicut aurum in igne examinatur, sic homo in camino tribulationis comprobatur. Dum potestatem habeas rerum tuarum, fac ex eis eleemosynam, quia *nescis* [Col. 0474D] quid ventura pariat dies **(Prov. XXVII, 1)**. Nullus tibi dispensator fidelior potest esse quam tu ipse; et libentius munera praecedentia nos, quam subsequentia Deus accipiet. *In multis enim offendimus omnes* **(Jac. III, 2)**, sicut Jacobus ait apostolus. Item Joannes evangelista dixit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus* **(I Joan. I, 8)**. Et juxta Salomonem: *Redemptio viri propriae divitiae* **(Prov. XIII, 8)**. Et qui plus habet, plus exigetur ab eo. Dispensatores saeculi debemus esse non possessores: exsules enim et *peregrini* sumus in hac vita, *sicut omnes patres nostri* (I Paral. XXIX, 15, et Psal. [Col. 0475A] XXXVIII, 13). Illorum mors nobis nostram omni hora oculis opponat; et illorum bona conversatio in Christo, nostrae sit eruditio vitae; quatenus illorum in fide et charitate atque omni opere bono sequentes vestigia in coelesti beatitudine vitam habere mereamur sempiternam.
@ [Col. 0475D] Edit. Quercet. 35, Canis. 54; collata cum cod. ms. Salisburg. (Apud Froben. epist. 152.)

EPISTOLA CCI. AD MAGENHARIUM COMITEM SENONICAE CIVITATIS.

Hortatur ad virtutes; curamque sui officii.

Dilecto in Christo
@ [Col. 0475D] *Magenhario.* Scriptor Vitae Ludovici Pii incertus **(Tom. VI Rer. Gall. Script., pag. 90, n. 7)**, *Meginarium vocat;* virum sapientem et strenuum, gnarumque utilitatis et honestatis regiae: quem Carolus Magnus ad Ludovicum, ut ejus consilio uteretur, miserit. Eginardus nominat Meginherum comitem inter eos qui Carolo Magno testamentum condenti adfuerunt. BASNAGE. Magenhario comiti, humilis levita Albinus salutem.

Audivi vos, vir venerande, nostrae parvitatis optasse colloquia; et ut vere fateor, vestram valde desideravi praesentiam, ut dulci collocutione vestrae prudentiae consolarer. Sed quia rerum eventu hoc [Col. 0475B] fieri non valuit, visum est mihi condignum litteris implere quod verbis non potui, et meam in vos ostendere dilectionem, et vobis utilia per chartam suadere, ut vester profectus meus esset fructus. Ut qui in sublimi dignitate positus es in terris, per opera justitiae et misericordiae

coelestem tibi merearis honorem. Cogita quod [*Cod.* Sal., quam] transitoria sunt haec omnia quae in hoc saeculo habemus: et quia necessarium est unicuique hominum [*Cod.* Sal., homini] aeternam sibi per temporalia benefacta promereri gloriam
@ [Col. 0475D] Apud Canisium: «Veniam sibi per temporalia benefacta promereri et gloriam.». Quapropter, ut ad perpetuam pervenias, Deo donante, beatitudinem, nulla te saeculi delectatio, nulla carnalis concupiscentia impediat. Sed esto in judiciis justus, in operibus misericordiae pius, viduis et orphanis quasi pater, defendens [*Canis.,* [Col. 0475C] defendas] eos ab omni violentia.

Esto quoque Ecclesiis Christi quasi frater, ut per orationes servorum Dei, inter pericula hostium, fluminum, viarum, infirmitatum, divina te protegat dextera, regat atque conservet semper ubique. Fac ut quotidie pauperes de pane tuo comedant, quia miserorum consolatio tibi erit aeterna remuneratio. Esto quoque in consiliis providus, sapiens in cogitationibus, modestus in sermone, Deum semper habens praesentem, quatenus illius loquens voluntatem [*Al.,* veritatem], ejus dignus efficiaris protectione. Corpus tuum in castitate, et animam in sobrietate conserva: fidelis esto ad dominos quos dedit tibi Deus, ad amicos benignus, ad omnes homines aequus et miseris largus. Debitoribus [tuis] vel in te peccantibus culpas ignosce, ut tibi [Col. 0475D] ignoscat Deus, si quid contra ejus fecisti voluntatem.

[Col. 0476A] Tuis quoque diligenter praecipe subjectis, ut justi sint in judiciis, misericordes in miseros, Deum timentes, Ecclesiamque Christi honorantes: ut illorum bonitas tibi in mercedem [*Cod.* Sal., mercede] computetur. Saepe subjectorum peccata rectoribus imputantur [*Canis.,* implicantur], si minus diligenter eos admonent praelati, quomodo facere debent; sicut eorum bona dominis prosunt ad praemia, qui eos studiose erudiunt Deum timere, ejusque obedire praeceptis.

Obsecro ne me praesumptuosum esse arbitreris, haec tibi scribentem. Charitas Christi et vestrae salutis amor, et vestrae bonitatis fiducia, haec me monuit scribere; optans vos [*Cod.* Sal., te] et praesentem habere prosperitatem, et futuram promereri beatitudinem. [Col. 0476B] Divina vos gratia in omni bonitate florere faciat, vir dilectissime.

{214}
@ [Col. 0475D] Edit. Quercet. 115, Canis. 65 **(Froben. epist. 153)**.

EPISTOLA CCII. AD AMIGUM.

Charitatem suam amico significat.

Dilecto amico salutem.

Placuit canitiem vestram parva salutationis chartula appellare, sed non parvo charitatis officio; ut sciatis, licet longe positum, vestri tamen habere memoriam, et familiaritatis non oblivisci, quam praesentes suavissima dilectione et consolatione nos inter habuimus, firmam semper inter nos permanere in Christo charitatem, nec quolibet vento falsiloquii destrui, sed solida firmitate inter omnes hujus saeculi adversitates

immobilem semper consistere. Nostri [Col. 0476C] memor in orationibus tuis semper valeto, frater charissime.

@ [Col. 0475D] Hanc epistolam ex cod. ms. S. Germani edidit Lucas Acherius tom. III Spic. nov. Edit. pag. 321. [Col. 0476D] Et post illum Bernard. Pez. tom. II Anecdot. part. I ex cod. ms. S. Emmerami, quam contulimus cum codd. mss. Salisburgensi, et binis San-Emmeramensibus. «Hanc epistolam, ac duas alias (*de decem verbis Legis, et de tribus generibus visionum ad Fridugisum*) ait Acherius, Alcuini nomine insignitas, inter varia ejusdem auctoris opuscula nactus sum in scripto codice pervetusto, quem dono mihi dedit solers et eruditus bibliogrola Parisiensis Ludovicus Billaine. Certone has epistolas Alcuino ascribere debueras? dicet aliquis. Ita sane, cum enim eas stylum et genium tanti viri spirare animadvertissem, cur non tribuerem, nihil causae fuit.» **(Froben. epist. 154.)**

EPISTOLA CCIII. AD GALLICELLULAM.

De comparatione numerorum Veteris et Novi Testamenti.

Dilecto filio meo
@ [Col. 0476D] *Gallicellulae.* Codd. mss. habent: *Gallicellulo.* Nomen ascititium cujusdam discipuli Alcuini. Gallicellulae Albinus salutem.

Quia me rogasti de numerorum ratione, vel magis comparatione, qui in Veteri Lege inveniuntur, ad auctoritatem Novi Testamenti referre; quia non occurrit nobis iter agentibus plura scribere; a denario tamen incipiamus, donec usque ad unitatem perveniamus, ut cum pedibus gradientis calamus currat scribentis.

Decem praecepta sunt Legis, quae data sunt in duabus [Col. 0476D] tabulis per Moysen et Aaron populo Dei (Exod. [Col. 0477A] XX). Decem mnas dedit Christus utriusque populi praedicatoribus **(Luc. XIX, 13)**.

Decem plagis percussa est Aegyptus, ut populus Dei liberaretur **(Exod. XII, 3)**. Per decem persecutiones coronata est Ecclesia Christi.

Decima die mensis primi tenendus fuit agnus paschalis, qui immolandus fuit XIV die mensis ejusdem. Decima hora [Nona utique] pro mundi salute agnus paschalis, id est Christus, in cruce emisit Spiritum **(Matth. XXVII, 46, 50; et Marc. XV, 34, 37)**.

Decima generatione venit diluvium, et perdidit impios **(Gen. VII)**. Post decem reges novissimi temporis nascitur Anti-Christus, cum quo pereunt omnes impii **(Apoc. XVII, 12)**.

[Col. 0477B] Novem lapidibus opertus est archangelus, qui cecidit de coelo. Novem ordines angelorum remanserunt in coelo.

Octo animae salvae factae sunt in arca **(I Petr. III, 20)**. Octo beatitudinibus salvantur animae fideles in Ecclesia **(Matth. V, 3 seq.)**.

Octavo die in populo [Dei] circumcidendus fuit [omnis] masculus puer **(Levit. XII, 3)**. Octavo die circumcisus est Christus **(Luc. II, 21)**, per cujus circumcisionem octo principalia vitia destruuntur.

Septima die requievit Deus ab omnibus operibus suis **(Gen. II, 2)**. Septima aetate requiescunt sancti a laboribus hujus saeculi.

Septem columnas excidit sapientia ad construendam [Col. 0477C] sibi domum **(Prov. IX, 1)**. Septem donis sancti Spiritus Christus domum suam, id est Ecclesiam, confirmavit.

Sex diebus fecit Deus coelum et terram, et omnia quae in eis sunt. Sex aetatibus omnia currunt hujus saeculi tempora.

Sexta die creatus est homo de immaculata terra. Sexta aetate Filius Dei de immaculata Virgine factus est homo.

In quinque libris Israelitico populo Moyses dedit praecepta vivendi. Quinque talenta Christus ad coelos rediens fideli tradidit servo **(Matth. XXV, 15)**.

{215} Quatuor de uno paradisi fonte ad irrigandam profluunt flumina terram **(Gen. II, 10)**. Quatuor [Col. 0477D] Evangelia de uno fonte, qui est Christus, procedunt ad irriganda corda arida, ut virtutum floribus vernent.

Quatuor sunt elementa, quibus mundi ornatus maxime constat. Quatuor sunt virtutes, quibus minor mundus, id est, homo ornari debet.

Tribus modis Adam tentatus est, et superatus, id est, gula, jactantia et avaritia. Tribus his modis (iterum) Christus tentatus est, et vicit victorem Adae **(Matth. IV)**.

Totus orbis in tres dividitur partes, Europam, Africam, Asiam [*Codd.* ms., et Indiam]. In quibus [Col. 0478A] partibus tribus modis colitur [*Codd.* ms., colendus est] Deus, fide, spe et charitate.

Tria praecepit Deus Abraham dicens: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* **(Gen. XII, 1)**. Tria promittuntur nobis: resurrectio, vita et gloria.

Duae fuerunt tabulae testamenti, in quibus decalogus digito Dei scribebatur **(Exod. XXXI, 18)**. Duo sunt praecepta charitatis, quae digito Dei, id est, Spiritu sancto in cordibus scribuntur fidelium.

Duo fuerunt Cherubim in templo: Cherubim *multitudo scientiae interpretatur* **(Num. VII, 89; et III Reg. VI, 23 seq.)**. Ideo duae partes sunt scientiae; una est diabolum relinquere, altera Deum diligere.

Una fuit arca, in qua mundo pereunte fideles salvati [Col. 0478B] sunt. Una est [sancta Dei] Ecclesia, qua pereuntibus peccatoribus salvantur fideles.

Unus fuit transitus Israelitici populi per Mare Rubrum, ut promissam acciperent terram

(Exod. XIV). *Unum est baptisma, per quod transeundum est ad vitam aeternam* **(Ephes. IV, 5)**.

@ [Col. 0477D] Hanc et priorem epistolam edimus post Lucam d'Acheri Spic. tom. III, nov. Edit. pag. 322, ex duobus [Col. 0478D] mss. codd. monasterii S. Emmerami; et uno Salisburgensi. EPISTOLA

@ [Col. 0478D] Apud Froben. epist. 155. CCIV. AD FRIDUGISUM. *De tribus generibus visionum.*

Tria sunt genera visionum: unum corporale, aliud spirituale, tertium intellectuale. Corporale est quod corporeis oculis videtur [*Cod.* Sal., videre solemus]. Spirituale est quod, remota corporali visione, in spiritu solo per imaginationem quamdam cernimus, [Col. 0478C] sicut cum forte quidlibet ignotum oculis perspicimus, statim ejus rei imago formatur in spiritu, sed prius non apparet illa spiritualis imaginatio quam corporalis allata sit intuitio. Intellectuale est quod sola mentis vivacitate consideramus, veluti cum scriptum legimus: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* **(Matth. XIX, 19)**. Litterae autem corporali visione leguntur, et proximus spirituali imaginatione rememoratur, et dilectio sola mentis intelligentia.

Primum autem genus visionis omnibus notissimum est. Secundum aeque omnibus consuetum. Tertium a plerisque ignoratum, quia discernere nequeunt, quid sit spirituale, quid intellectuale: quae duo Apostolus una sententia et hac brevissima optime discrevit: *Orabo spiritu, orabo et mente:* [Col. 0478D] psallam spiritu, psallam et mente **(I Cor. XIV, 15)**. Spiritum occultas significationes, quae sunt in Scripturis sanctis, nominavit; et mentem manifestas harum intelligentias appellavit. {216} Voluit enim nos cum intelligentia eorum quae dicimus, vel orare vel psallere. Unde et in alio loco dicit: *Si oravero lingua, spiritus meus orat, mens mea sine fructu est* **(Ibid. 14)**. Hic autem lingua obscuras et mysticas significationes quae solent tantummodo spiritu cerni designavit, quarum si intelligentiam ignoramus, mens nostra infructuosa remanet.

Haec quoque duo genera visionum in Pharaone et [Col. 0479A] Joseph mirabiliter distinguuntur **(Gen. XLI)**. Illi enim in spiritu futura ostendebantur, isti in mente horum revelatio facta. Illius spiritus informatus est ut videret, istius mens illuminata est ut intelligeret. Similiter et Danielis excellentia tentata est et probata, qui et somnium futurorum, quod rex videbat spiritu, intellexit, ejusque interpretationem regi ostendit **(Dan. II et IV)**. Ideo magis ille fuit propheta qui mente intellexit, quam rex qui spiritu cernebat. Sed haec tria quoque genera visionum in illa Scriptura, quae coram rege Balthazar in pariete est depicta, ostenduntur **(Dan. V)**. Nam corporali visione rex cernebat in pariete litteras perscriptas, cujus nec spiritus informatus fuit, ut eas, licet videret, legere potuisset; nec mens illuminata intelligere eas. Accessit [Col. 0479B] autem et propheta, qui utrumque et in spiritu obscuritatem scripturae perlegebat, et obscurissimas ejus significationes mentis vivacitate intellexit. Haec tibi, charissime fili

@ [Col. 0479D] *Fridugilse.* Ita habent codd. mss.; sed nullus dubito, quin legendum sit, *Fridugise* seu *Fredegise, cujus gratia responsiones dedit ad quaestiones de Trinitate, etc.* Fridugilse, citato sermone dictavi, ne ignarus hujus tripartitae rationis esses, quae omnibus usitata est, sed a paucis intellecta

@ [Col. 0479D] In codice ms. San-Emmeramensi in fine hujus epistolae, haec verba

adduntur: *Explicit Liber Albini Magistri, jussit quem praesul Baturicus scribere dignum.* Baturicus nempe episcopus Ratisbonensis, qui Adalwino successit anno 817..
@ [Col. 0480D] Hanc epistolam descripsimus ex cod. Salisb. Alcuinum auctorem ex stylo novimus, et ex ordine, quem illa in praedicto codice tenet, medium inter certas et indubitatas ejus epistolas. Discipulum vero illum qui querelas contra Alcuinum ad palatium detulit, et quocum in pacem redire cupit, nullo vestigio deprehendere potuimus. EPISTOLA
@ [Col. 0480D] Apud Froben. epist. 156. CCV. AD QUEMDAM DISCIPULUM. *Causam dissensionis a se amolitur, et in amicitiam redire postulat.*

Charissimo in Christi charitate filio salutem.

Obsecro ut solitae pietatis dilectione has paternae devotionis litterulas legere digneris. Cur, dulcissime fili, contumeliam dissensionis nostrae in aures palatinas mittere voluisti? Ecce ibi sonat: «Quid nos sperare [Col. 0479C] debemus de illorum amicitia, qui nec inter seipsos fidem vel concordiam servare potuerunt?» Magis haec potest esse confusio quam laudatio, desperatio fidei nostrae quam confirmatio causae tuae. Et qua fronte reprehendere poteris eum quem toties laudare solebas? Scio quod tibi ira tua justa videtur; quia haec est natura humani furoris, ut haec, quidquid agit vel dicit, justum sibi esse videatur. *Irascimini et nolite peccare* **(Psal. IV, 5)**, id est, nolite permanere in ira. Concessit quod naturae est; tulit quod culpae est. Idcirco et Apostolus ait: *Sol non occidat super iracundiam vestram* **(Ephes. IV, 26)**. Saepe melior est defensor quam accusator; quia ille ad pacem defendit, iste ad discordiam accusat. Nec in mea diffido causa, licet in praesentia regis ventiletur. [Col. 0479D] Testis est mihi *renium scrutator* **(Psal. VII, 10)**, quam fideliter te semper amavi, et quam bene cupivi de fratre tuo, quem video te plus carnaliter amasse quam patrem spiritaliter, licet ille de me superbe egisset [*Locus corruptus*]. Testis est mihi domnus rex, Dei esse causa, an illius pietas prius alterum nominaret, an ego precarer. Et non erubescerem de [Col. 0480A] ambabus accusationibus in illius sanctissima praesentia dijudicari, si non confunderemur de dissensionis nota. Quod vero te nesciente perrexi, necessitas hoc fecit, non voluntas.

{217} Quare oblitus fuisti, fili mi, quomodo cum lacrymis et inclinata cervice te pro pace et concordia, pro Christi amore precatus sum, cujus debitor es omni homini, etiam non rogatus. Et si fratrem tuum occidissem, utique ob Christi praeceptum ignoscere debuisses: quanto magis, dum nihil ei nocui, sed omnino benefeci. Et ob hoc benefactum in illum, inimicus factus es amico tuo. Nec tibi plus est, in regeneratione sancti Spiritus, fratris [*Forte, frater*] quam mihi. Et si in prima mansisset generatione, ex qua orta est discordia inter charissimas personas; et [Col. 0480B] in qua plus illum amas quam me, nec tibi nec mihi esset frater.

Revertere, revertere, licet non pro meo, sed pro illius amore, qui cum inimici essemus, *reconciliavit nos Deo in sanguine suo* **(Coloss. I, 20)**. Sit ille nobis nunc mediator ad pacem, qui fuit ante mediator ad vitam. Si has humilitatis meae preces dura mente contemnis, et nocere cupis (cui prodesse fas esse negare non poteris, nisi paternum nomen et magistrale de pectoris tui arcano, vel oris eloquio delere velis; quod impium

esse nemo est qui nesciat, qui beneficia charitatis inter nos unquam agnovit) tamen eo protegente, pro cujus amore haec tam suppliciter deposco, credo nocere non poteris. Absalon patrem suum regno expulit, sed seipsum vita privavit (II Reg. [Col. 0480C] XV et XVIII); et quod illa dissensio carnaliter perpessa est, timeamus ne nos spiritaliter patiamur, si ad charitatem Christi non revertamur. *Charitas patiens est* ad sufferendum, *benigna ad praestandum; non agit perperam, id est, non superquaerit fratrem suum in negotio; omnia sperat, omnia credit* **(I Cor. XIII, 4 seq.)**. Quae meliora sunt, sperare debemus et optima credere.

Utinam haec chartula in locum me apud te remittat pristinum; et si hoc perficere non valeat, vel excusatum habeat apud judicem meum; quia feci quod potui, si obtinere non valuissem quod voluissem. Possum, possum, credo, per eum, qui inspiravit pectusculum meum, ut peterem quod pium putavi. Inspiret etiam pectus tuum, ut concedas quod deposceris. [Col. 0480D] Conditio vero pacis non puer sit pater dissensionis, sed puer *Pater futuri saeculi* **(Isai. IX, 6)**, de quo dictum est: *Ecce puer meus quem elegi, electus meus, in quo bene complacuit animae meae* **(Matth. XII, 18)**: ut digni habeamur inter eos nominari, et esse pueros, de quibus antea ille per prophetam praedixit: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus* **(Isai. VIII, 18)**.
@ [Col. 0481D] Apud Mabill. epist. 9. collata cum binis codd. Salisburg. et S. Emmerami. (Apud Froben. epist. 157.).

EPISTOLA CCVI. AD DISCIPULUM.

Reprehendit illum ob vitae perversitatem, et ad emendationem hortatur. [Col. 0481A]
@ [Col. 0481D] *Dilectissimo filio.* Osulfo fortassis, quem Alcuinus ob morum pravitatem saepius corripuit, et ut se corrigeret, monuit; prout narratur in Vita Alcuini. Illum Britannum fuisse constat ex cod. Salisb., in quo regio, cujus initium hujus epistolae meminit, Britannia [Col. 0482D] vocatur. Ad eumdem puto, pertinent sequentes duae epistolae, et carmen De Cuculo. Dilectissimo filio.

Dulcissime fili, frater et amice, cujus nomen opto ut coelestis bibliotheca teneat in aeternum. Olim te genui, nutrivi, alui, et ad perfectum virum usque, Deo donante, perduxi, artibus studiose eruditum, sapientiae sole illuminatum, moribus apprime ornatum; ita ut tuam laudem tota pene decantet regio [*Codd.* ms. Salisb., Britannia], et latior est fama nominis tui quam notitia faciei tuae. Hujus ego tibi decoris devotus, Christum obtestor, adjutor exstiti, et pro virium mearum portione te, si non idoneus, tamen [Col. 0481B] voluntarius, sicut potui, et adhuc absentem obnixe orationibus prosequar, quem quondam praesentem sacris disciplinis provexi. Sed per ejus te misericordiam intentius deprecor qui nos redemit, illuminavit et exaltavit, et suae agnitionis participes effecit ne charitati meae, quae me non sinit tacere, irascaris, si aliquid durius tecum loquar. Urget enim me paternitatis affectus fari, quod pennigero rumore narrante didici, quia quaedam agis quae nec tuae conveniunt {218} dignitati, nec meae placent dilectioni: quia nolim famam claritatis tuae maculis fuscari nigris, ne alius tibi debitum subripiat locum, ut sit *novissimus primus et primus novissimus* **(Matth. XIX, 30)**. Quid est, fili, quod de te audio, non uno quolibet in angulo

susurrante, sed plurimis publice cum risu narrantibus: [Col. 0481C] quod puerilibus adhuc deservias immunditiis, et quae nunquam facere debuisses, nunquam dimittere voluisses [velis]. Ubi est nobilissima eruditio tua? Ubi est clarissima in Scripturis sacris industria tua? Ubi morum excellentia? Ubi animi fortitudo? Ubi timor gehennae? Ubi spes gloriae? Quomodo illa perpetrare non horrescis, quae aliis prohibere debuisses? Convertere, obsecro, intra animum tuum [*Cod.* Sal., in te], et dic cum propheta: *Quis dabit capiti meo aquam et fontem lacrymarum oculis meis, ut plangam die ac nocte* **(Joan. IX, 1)**, non Jerusalem Babylonio igne usturam, sed animam Sodomitanis flammis arsuram. Per singula momenta properat dirus exactor, quem nullus vitare potest. Quid respondebis tunc aequissimo judici tuo, si nunc [Col. 0481D] non corrigis foedissima facta tua? Obsecro te, dilectissime fili, per terrorem illius judicii, quod omnes subire cogimur, ut ab hac die, qua hanc perlegas paginulam, intimo dolore dictatam, pura charitate conscriptam, sancta fide sigillatam, constanti animo incipias catenam hujus diabolicae suggestionis et impiae consensionis disrumpere, et procul a te abjicere, quatenus puras et liberas manus ad Dominum Deum tuum levare valeas **(I Tim. II, 8)**, qui praesto est [Col. 0482A] tibi, de longinqua regione revertenti, occurrere, si tu non tardaveris surgere et dicere: *Pater, peccavi in coelum et coram te, ideo non sum dignus vocari filius tuus* **(Luc. XV, 21)**. Et non solum obviare, sed etiam amplectari, osculari, optimaque induere stola et annulo ornare et calceamentis munire, insuper et deducere dignabitur in domum deliciarum suarum, qua angelicis conjunctus coetibus, beata aeternitate et aeterna beatitudine decantabis: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in saeculum saeculi laudabunt te* **(Psal. LXXXIII, 5)**.
@ [Col. 0482D] Quercet. 103; collata cum codd. mss. Salisburgensi et S. Emmerami. (Apud Froben. epist. 158.)

EPISTOLA CCVII. AD FILIUM PRODIGUM.

Reprehendit discipuli perversos mores, et ad emendationem vitae provocat exemplo cujusdam nunc episcopi, olim sui condiscipuli. [Col. 0482B]
@ [Col. 0482D] *Filio prodigo.* Hoc nomine Osulfum notari etiam Mabillonio videtur. Vid. epist. priorem. Filio prodigo Pater lugens salutem.

Quis dabit capiti meo aquam et fontem lacrymarum oculis meis **(Jer. IX, 1)**, ut plangam, non imaginariam civitatem Chaldaea perituram flamma, sed animam, imaginem Christi inclytam, et infinita permansuram aeternitate? Heu! heu! infelix anima! ex pretio sanguinis Christi nobilis, sed ex peccati contagione ignobilis: quare *dereliquisti fontem vitae et fodisti tibi cisternas dissipatas* **(Jerem. II, 13)**? Cisternas, in quibus non est aqua salutis, sed volutabrum porcorum [*Edit.,* pecorum]. Quare dimisisti patrem, qui te ab infantia erudivit, qui te disciplinis liberalibus imbuit, moribus instruxit, perpetuae vitae praeceptis munivit, et junxisti te scortorum gregibus, potatorum [Col. 0482C] conviviis, superbientium vanitatibus? Nonne tu es adolescentulus ille, omnium ore laudabilis, omnium oculis amabilis, omnium auribus desiderabilis? Heu! heu! nunc omnium ore reprehensibilis, omnium oculis exsecrabilis, omnium auribus detestabilis. Quis te sic subvertit, nisi ebrietas et luxuria? Quis te, formose puer, filius Ecclesiae, venerabile lumen, persuasit porcos pascere, de siliquis eorum edere?

Surge, fili, surge et revertere ad patrem tuum, et dic saepius, non semel: *Pater peccavi in coelum et coram te, et ideo non sum dignus vocari filius tuus* **(Luc. XV, 21)**. *Adhuc* modicum {219} *lumen est in te, curre, dum lucem habes, ne modo aeternae perditionis tenebrae te apprehendant* **(Joan. XII, 35)**. Crede in perpetuam miserationis lucem, ut filius lucis fias. Pius est Pater, [Col. 0482D] statim occurret revertenti tibi, et in amplexus tuos ruet. Stolam primam tibi afferre jubebit, et annulo imaginis suae dexteram decorabit tuam. Noli diutius per vepres vitiorum velut ovis perdita oberrare, sed revertere ad eum qui nonaginta novem oves in coelesti altitudine dimisit, ut unam, quae in terris erravit, inveniret, reportaret, et collocaret cum caeteris ad gaudium angelorum in coelesti patria **(Matth. XVIII, 12; Luc. XV, 4, 7)**. Cogitans cogita, quanta sit [Col. 0483A] laetitia angelorum super unum peccatorem poenitentiam agentem, et quam pius et misericors sit ille, qui ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Et iterum per prophetam inquit: *In quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet et non morietur* **(Ezech. XXXIII, 11, 12)**.

Noli fili, noli vocantem spernere, nec miserantem [*Cod.* Sal. et S. Emmerami, miserantis] negligere pietatem. Recordare aeternorum flammas tormentorum, vermium venenatos dentes, frigoris immensitatem, plangentium luctus, immitissimas tortorum facies [*Cod.* Sal. et S. Emmerami, tormentorum faces], infinita miseriae spatia. Considera item beatissimas angelorum cohortes, gloriosas sanctorum turmas, et ipsius omnipotentis Dei ineffabilem beatam [Col. 0483B] visionem, qua sancti fruituri sunt in aeternum. Adhuc poteris illa devitare tibi, et ista eligere. Ad illum finem impiorum luxuria et iniquitas perveniet tua: ad istam itaque sanctorum gloriam et laudabilem beatitudinem conversio [*Cod.* Sal. et S. Emmerami, conversatio] tua et poenitentia poterit, Deo miserante, pervenire. Sufficit tibi praeteritum tempus in luxuriis et deliciis transactum. Resipisce aliquando ab hac perditione tua, et diabolicae suggestioni noli diutius obtemperare. Sed confitere peccata tua, et in spe veniae poenitentiam age. *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus* **(Joel. II, 14)**? Multae sunt enim miserationes illius, et infinita pietas super eos qui peccata sua plangere curant, non addere; abjicere fascem iniquitatis, non augere criminosum [Col. 0483C] onus.

Memento latronem in cruce pendentem, et Ninivitas in cinere sedentes, et impium Manassen regem de Babylonia revertentem captivitate. Sicut illis pietas divina post poenitentiam miserata fuit, ita et tibi erit certissime, si in illum tota intentione cordis, et conversione vitae, et poenitentiae lacrymis revertere vis. Vide condiscipulum tuum, qui omni devotione cordis Deo semper adhaesit, et modo episcopatu praesidet nobilissimo @ [Col. 0483D] Si hic filius prodigus in Anglia quaerendus, prout ex epistola priori conjicere licet, tunc ista de Eanbaldo episcopo Eboracensi, qui discipulus quoque [Col. 0484D] Alcuini fuit, apte intelligi possunt., omnibus amabilis, laudabilis et desiderabilis. Tu vero, miserrime, errabundus per vitiorum fruteta, nemini honorabilis, sed omnibus reprehensibilis. Memento quanto fuisti clarior in donis, melior in eruditione, acutior in sensu, et omni ecclesiastica doctrina praecellentior. Sed [Col. 0483D] nunc quasi tugurium in vinea derelictum, vulpibus et feris habitatio, qui depascere solent vineam Christi. Ille vero tuus quondam compar et eruditionis particeps, templum Dei vivi, et sancti Spiritus habitatio, Deo dilectus et hominibus, aeternas sibi in coelo quotidie praeparat mansiones, dum tu terrenas sequeris foeditates et lugubre perditionis iter per vitiorum

praecipitia ruiturus recurris.

Surge, obsecro, fili mi charissime, surge et vade ad fratrem [tuum], de quo ante dixi, quia vos una genuit Ecclesia, una erudivit disciplina, unus instruit [Col. 0484A] et pater: fiat vobis nunc quoque una concordia, et unum salutis tuae consilium, et una ecclesiasticae pietatis habitatio. Scio illum tuis multum gaudere profectibus. Noli preces paternas contemnere, noli lacrymas magisterii mei negligere. Consolare me de tua salute, ne diabolus glorietur contra me in perditione tua. Ego te filium charissimum nutrivi, alui, erudivi. Non sis mihi in confusionem et tibimetipsi in contumeliam, et coaetaneis tuis in opprobrium: fac viriliter et confortare in Domino, et vince omnes adversarios tuos per eum qui ait: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**; ut gaudium meum plenum sit in te, et gaudium tuum nemo tollat a te. Filius sapiens gloria est patris. Non tantum mihi, qui te genui, gaudium facies ineffabile, sed etiam juxta [Col. 0484B] {220} evangelicam parabolam, quam paulo ante in hac eadem epistola proposui, omnibus angelicis gaudium facies dignitatibus. Noli subtrahere illorum laetitiae et tuae beatitudini. Si modo in praesenti facias illos laetari in tua poenitentia, cum illis in gloria tribuet te Deus laetari in aeternum.

Haec tecum maneat chartula, et saepius legatur, donec perficiatur [*Cod.* Sal., perficiat] quod optat qui dictavit illam. Credo faciens faciet Deus quod paterna charitas quaerit in filio. Sed tu noli tardare converti ad Deum, quia nescimus *quid ventura pariat dies* **(Prov. XXVII, 1)**. Deus hodiernam recipit certissime poenitentiam, sed longaevitatem praesentis vitae non promisit. In dubio ultimi diei nos dereliquit ut semper paratos inveniret cum bonorum lampadibus [Col. 0484C] meritorum obviare sibi.
@ [Col. 0484D] Quercet. 114, Canis. 64 **(Froben. 159)**.

EPISTOLA CCVIII. AD EUMDEM.

Deplorat discipuli perversos mores, et illum ad meliora revocare conatur timore gehennae.
@ [Col. 0484D] *Charissimo filio.* Osulfo. MABILL. Charissimo filio.

Quem sero genui, et cito dimisi. Nec bene ablactatus raptus est ab uberibus meis. Inimicior quam noverca, tenera de paterno gremio per libidinum vortices caro rapuit. Heu, proh dolor! quid faciam, nisi plangam pereuntem, si forte calidis lacrymarum fomentis resuscitari possit. Vae carni, quae non timet sulphureos quinque urbium ignes, vel poenae infernalium tormentorum flammas Stringe teipsum, [Col. 0484D] obsecro, hujus timoris catenis, et tenta quomodo vel unam ardoris scintillam sufferre possis: et cogita quid sit, si totum corpus aeterno crucietur incendio. Respice tandem, et noli consentire ei qui tibi talia parat incendia: sed magis castiga teipsum, et paternis acquiesce obsecrationibus: et Dei oculis te semper praesentem esse cognosce, et ante sanctorum angelorum aspectus. Erubesce in conspectu illorum facere quae horrescis in conspectu cujuslibet hominis perpetrare. Scio quod judicium credis omnibus esse futurum, et te credis inter illos esse qui talia egerunt qualia tibi quotidie diabolus [Col. 0485A] suadet. Ecce heri fecisti voluntatem carnis tuae; hodie vadis in incendium ignis aeterni.

@ [Col. 0485D] Froben. epist. 211.

EPISTOLA CCIX. AD AMICUM.

Conversum ad meliora, hortatur ad constantiam.

Dilectissimo amico totius prosperitatis praesentis et aeternae beatitudinis perpetuam salutem.

Magna mihi laetitia est de bona voluntate vestra quam audivi a fratre nostro Benedicto in vobis esse. Opto, atque Deum deprecor, ut citius cum omni convenientia perficiatur. Scriptum est enim: *Ne tardes converti ad Dominum Deum, quia nescis quid ventura pariat dies* **(Eccli. V, 8)** . Erue te de harum carcere tribulationum, quae in hoc mundo fidelium animos torquere solet, sicut scriptum est: *Multae* [Col. 0485B] tribulationes justorum; ut quod sequitur tibi evenire merearis: *Sed de his omnibus liberabit eos Dominus* **(Psal. XXXIII, 20)**. Et cave diligentissime, ne qua te aratrum Domini tenentem injustitia retro revocet. Nemo miles sarcinis alienis onustus ad bella bene procedit, nisi armis tantummodo victricibus, vel ad defensionem sui, vel ad laesionem adversarii.

Omnia quae vobis necessaria videbantur mihi fidelissimo fratri Benedicto dixi. Loca adjutorium et animi constantiam [*locus corruptus*]. Sed scire debes quod in omni loco ubi hominum conversatio est plurimorum, utrumque et boni et mali inveniuntur: Sed sapiens animus utrorumque utatur magisterio, id est, ut malorum caveat malitiam, et bonorum sequatur justitiam. Mens rationalis quae homini data [Col. 0485C] est, discernere debet quae sint cavenda, et quae sint sequenda; nec multum de loco diffidere, vel etiam confidere, quia si locus adjuvare potuisset, nunquam angelus de coelo cecidisset, vel homo in paradiso positus peccasset; sed regnum Dei, ut ipsa Veritas ait, intra nosmetipsos quaerendum est **(Luc. XVII, 21)**. Et Psalmista: *Timete Dominum omnes sancti ejus, quia nihil deest timentibus eum* **(Psal. XXXIII, 10)**. Timor Domini peccare vetat, dum homo ubique Dei sibi praesentiam agnoscit et timet, quia qui conscium habet cogitationum, verborum, vel operum suorum, hunc habiturus est et judicem; nec eum quidquam effugit nostri, nec aliquid injudicatum dimiserit, quia, sicut dictum est, unicuique reddet secundum opera sua.

[Col. 0485D] Dum tempus habemus, operemur bonum, quia post mortem non est tempus operandi, sed tempus mercedem recipiendi. Haec cogitans, charissime fili, tui ipsius curam habeto, memor de quantis te liberavit [Col. 0486A] Deus periculis. Illum ama, et ad ejus misericordiam convertere, ut deleantur delicta tua, et merearis locum refrigerii, lucis et pacis recipere cum sanctis Dei. Meique memor cum Deo servientibus, pro teque intercedentibus, valeas perpetua prosperitate, dulcissime amice.
@ [Col. 0485D] Edit. Quercet. 43, Canis. 67; collata cum codd. mss. (Apud Froben. epist. 160.)

EPISTOLA CCX. COMMENDATITIA AD AMICOS.

Commendatitia cujusdam presbyteri Fordradi ad amicos.

Fraternae dilectionis

@ [Col. 0485D] *Fraternae dilectionis amicis, etc.* Haec et sequentes duae epistolae commendatitiae sunt amicorum peregrinantium, et ad loca sancta tendentium. amicis per diversas nominum dignitates, Albinus conservus in Christo vester salutem.

Licet terrarum longinquitas diversas Christianorum faciat habitationes, tamen sanctae charitatis societas, sub uno pastore Christo, unum eos facit [Col. 0486B] esse gregem. In cujus fiducia vestrae pietati per precatorias nostrae parvitatis litteras hunc presbyterum,

@ [Col. 0485D] *Fordradum.* Hoc nomen omittitur in aliis codd. mss. «Fordredi abbatis, qui ad limina BB. apostolorum et ob causam sui monasterii Romam venit, mentio fit in litteris Pauli I ad Ecgbertum archiepiscopum Eboracensem, et Eadbertum regem Northumbriae anno 757, ut videtur, datis. Sed eo anno Alcuinus ejus aetatis vel auctoritatis haud fuerit, ut [Col. 0486D] dictare potuerit hujusmodi litteras.» (Alford, Annal. Anglo-Sax. ad eum annum, n. 2.) Sed eae litterae serius dari potuerunt, aut Fordredus alia etiam vice Romam adire. Vid. etiam notas epist. 22 (nunc 27.) Fordradum nomine, diligentissime commendo, ut dilectionis vestrae juvamine suffultus facilius sanctae peregrinationis viam peragat, et vestrae bonitatis merces ante oculos omnipotentis Dei {221}-267

@ [Col. 0486D] Intermedii numeri omittuntur propter epistolarum interversionem. EDIT. PATR. augeatur. Qui est *via, vita et veritas* **(Joan. XIV, 6)**, vobis viam vestrae salutis ostendere, et veritatem [*Edit.,* requiem] aeternae gloriae tribuere, et beatissimam vitam concedere dignetur. [Proficientem te, charissime frater, divina auxilietur gratia in aeternum.]

@ [Col. 0486D] Edit. Quercet. 51, Canis. 52 **(Froben. 161)**.

EPISTOLA CCXI. AD OMNES AMICOS.

Commendatitia Noroberet presbyteri peregrinantis ad amicos.

[Col. 0486C] Omnibus in Christi charitate amicis, humilis levita Alcuinus salutem.

Ubicunque iste presbyter, Noroberet [*Al.,* Norbet] nomine, in vestram pervenerit praesentiam, obsecro ut benigne eum suscipere dignemini, in quocunque negotio vel necessitate opus habeat. Certissime Deum habebitis bonitatis vestrae remuneratorem, qui dicturus erit in die judicii: *Hospes eram, et collegistis me* **(Matth. XXV, 35)**. Et si mea quid parvitas poterit, vobis gratiarum actiones in quantalibet causa rependere, studiose et fideliter facere curabo. Hunc vero, vel alios pro Christi nomine peregrinantes, in sua mansione suscipientem, illum divina in coelesti habitatione suscipiat clementia. Valete, viri fratres in Christo.

@ [Col. 0486D] **(Froben. epist. 162.)** Haec epist. commendatitia, hactenus inedita, prodit ex cod. ms. Salisburgensi. Exstat quoque in cod. ms. biblioth. reg. Paris., quam inde descriptam ad me misit D. Lieble bibliothecarius San-Germanensis, posthac copiosius laudandus.

EPISTOLA CCXII. COMMENDATITIA AD AMICOS.

Commendatio ad amicos pro peregrinantibus ad limina apostolorum. [Col. 0486D]

Omnibus venerabilibus viris, et diversarum potestatibus [Col. 0487A] dignitatum et sanctae charitatis filiis humilis levita Alcuinus sempiternae beatitudinis salutem.

Scimus itaque vestrae bonitatis pietatem pro Christi amore et futurae gloriae retributione peregrinos et hospites et maxime eos qui pro ecclesiastica necessitate vel pro salute animarum suarum, sacra sanctorum apostolorum limina visitare solent, benigne suscipere. Qui hos receperit in domo sua, Christus eum recepturus erit in gloria sua; quia [ita] in talibus Christus receptus erit; ut ipsa Veritas in Evangelio ait: *Hospes fui et suscepistis me* **(Matth. XXV, 35)**. Tamen pro portitoribus chartulae hujus ego Alcuinus fidelis vester amicus, o Patres optimi et fratres sanctissimi, et filii dilectissimi! vestram summopere deprecor charitatem, ut benigne eos suscipiatis, [Col. 0487B] in quocunque negotio vel necessitate illi opus habeant. Habetis Deum remuneratorem, meque debitorem secundum opportunitatem temporis, ut vestrae voluntati satisfaciam in Christo.
@ [Col. 0487D] Froben epist. 199.

EPISTOLA CCXIII. AD RAGANBERTUM EPISCOPUM. (Anno incerto.)

@ [Col. 0487D] Conqueritur Alcuinus in hac epistola de nova atque insolita exactione quam ministri episcopales intentabant presbyteris et ecclesiis sancti Martini. Hujusmodi exactiones, quae nomine procurationum aut synodatici veniunt, olim minime, nisi in casu necessitatis, fieri permittebant canones et decreta conciliorum, prout videre est apud Thomassinum Vet. et Nov. Disciplinae Part. III, lib. II, cap. 32 et seq.---Cujus sedis Raganbertus seu Ragerbertus (utrumque enim habet ms.) episcopus fuerit, mihi incompertum est; sedi enim Turonensi nullum hujus nominis, Alcuini aetate, praefuisse episcopum reperio; existimo vero presbyteros illos fuisse parochos [Col. 0488D] in ecclesiis extra dioecesin Turonensem sitis, et ad monasterium sancti Martini pertinentibus; qui tamen visitationi episcopi subjecti fuerant, et in synodis comparere debebant.

Conqueritur de novis exactionibus, quibus ministri episcopales vexabant presbyteros in ecclesiis sancti Martini servientes.

Domino venerando, nobisque Christi amore colendo Ragerberto episcopo, Alcuinus levita salutem.

Memor condictae amicitiae inter nos quantam mihi fiduciam praestat aliquid scribendi ad vos, quod nobis ex utraque parte necessarium videtur. Dictum [Col. 0487C] est mihi, quod vestri juniores aliquam novam consuetudinem misissent super ecclesias et presbyteros sancti Martini: Imo et de vobismetipsis dixerunt; tamen de vestra sanctitate

hoc non credebam, aestimans vos canones optime servare, et maxime Domini nostri Jesu Christi evangelicam sententiam, ubi ait: *Gratis accepistis, gratis date* **(Matth. X, 8)**. Dicunt enim: vestri missi mandassent presbyteros nostros de pane modio et dimidio; de vino modio; de annona ad caballos modia quatuor, casios 6, ova 100, pisces et orto et legumen adsufficienter ab unoquoque presbytero; et si hoc non reddidissent, ex vestra auctoritate interdictum haberent, missas non cantare in ecclesiis nostris; nec etiam alios presbyteros in ecclesiis sancti Martini cantare licitum habere.

[Col. 0487D] Mirum mihi videtur, qua autoritate ecclesias Christi excommunicare voluisti; si presbyteri peccaverunt, [Col. 0488A] quid ecclesia peccavit? Quare non memorant tui juniores quam terribiliter beatus Petrus princeps apostolorum venditores gratiae in primo hujus haeresis inventore percellit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditione* **(Act. VIII, 20)**. Deprecor, clementissime Pater, in ea charitate qua Deus nos conjunxit; et in ea fide qua condiximus, ne quid novi mittas in ecclesias sancti Martini et in res illius. Potens est sanctus Martinus apud Deum defendere res suas, si necesse est illi clamare ad Deum. Dimitte, si placeat, et si fieri possit, sic esse ecclesiis Christi, quae sunt in immunitate sancti Martini; et in parochia vestra, donec colloquamur. Quidquid enim justum est tuam recipere ab eis auctoritatem, non renuo, sed omnino, si tibi obedientes non erunt, ego tecum constringo [Col. 0488B] eos; ad tuam enim synodum venire debent, et rationem reddere de officiis spiritalibus, et tu gratis dare illis quae Dei sunt, sicut ante praedixi, Domino Jesu demandante ut gratis spiritalia dona dentur ab omnibus: et majorem tibi prosperitatem praestat intercessio sancti Martini et sancti Aredii, quam illorum concilium qui hanc hortantur exactionem et tributa solvere: et si aliis facere voluisses, nunquam tamen nostris hanc necessitatem imponere te velle putavi, propter amicitiam inter nos condictam, vel magis honorem sancti Martini, quem Deus tanta honoravit auctoritate, ut omnibus auxilium sanctis suis intercessionibus praestare poterit. Incolumem et felicem beatitudinem tuam, recteque praedicantem divina clementia protegere et exaltare dignetur, domine [Col. 0488C] sanctissime.
@ [Col. 0488D] Froben. epist. 202.

EPISTOLA CCXIV. AD NIFRIDIUM EPISCOPUM. (Anno incerto.)

Memoriam sui in orationibus exorat; Benedictum a se digredientem commendat.

Dilecto Patri
@ [Col. 0488D] *Nifridio episcopo.* Est is Nefridius episcopus Narbonensis, qui alibi quoque Nimfridius et Nibribridius appellatur, qui in causa haeresis Felicis et Elipandi, cum sociis Laidrado Lugdunensi episcopo et Benedicto abbate Anianensi missus est Urgellas: qua occasione Alcuinus eisdem libros adversus illam haeresin scriptos, praefixa epistola, inscripsit, de qua suo loco. Vide not. c, col. 489. Nifridio episcopo Alcuinus salutem.

Sit memor mei, obsecro, charitas tua in sacrosanctis orationibus tuis cum fratribus nostris. Tempora enim sunt periculosa, et solus ille feliciter vivit, qui Deo serviet in

charitate perfecta, et fide recta, et spe bona, quae sunt summae veritates servientium Deo. [Col. 0488D] In his tua se exerceat sanctitas, ut Deo auxiliante de hujus vitae labore ad perpetuae quietis beatitudinem pervenire merearis.

[Col. 0489A] Frater vero
@ [Col. 0489D] *Frater vero Benedictus.* Abbas Anianensis, sanctitate celebris, qui sub Carolo Magno et Ludovico Pio monasteriorum, praesertim Aquitaniae, disciplinam reformavit, ac saepius propterea aulam atque ipsum Alcuinum accessit, multaquae necessitudine illi adhaesit, ejus Vitam consule apud Mabillonium Act. SS. Ordinis S. Ben. saec. IV, part. I, pag. 191 et seq., et apud Bollandum ad diem 11 Feb. Benedictus mea omnia tibi innotescere potuerit, quem cum lacrymis dimisi. Tu vero cum gaudio recipias eum; vos vero ambo laborate quasi boni pastores in grege Christi; nihil haesitantes de mercede perpetua, quae dabitur fideliter gregem Christi pascentibus. Omnes vero episcopos et Patres fratrum nostrorum ex nostri nominis officio in charitate et prosperitate salutate, rogantes eos nostri esse memores assidua intercessione, ut de mea salute illi mercedem habeant sempiternam.

{268} Deus omnes illos perpetua protectione custodiat et faciat eos in omni opere bono proficere, ut multiplicato talentorum numero multiplici remuneratione digni efficiantur apud Deum. Vivant omnes et floreant feliciter in Christo Domino Deo nostro.
@ [Col. 0489D] Froben. epist. 203.

EPISTOLA CCXV. AD DILECTISSIMOS PATRES. (Anno incerto.)

Hortatur illos ad charitatem et ad labores vitae monasticae. [Col. 0489B]

Dilectissimis in Christo patribus perpetuam salutem.

Quos fida semper sequitur charitas, saepius litterarum sequatur et series, quia quoddam est amantis refrigerium, aestuantis animi fervorem verbis vel litteris explicare, quia verba data sunt ad veritatis demonstrationem, uti quod cor veraciter concipit, lingua non fallaciter proferat, et suum cor frater alterius infundat cordi, et fiat unanimitas animorum, in quibus est communio charitatis; nam anima sine charitate [Col. 0489C] mortua est, non habens divinae Bonitatis imaginem, ad quam creati sumus; etiam et renovati per bonitatem Salvatoris nostri, qui ait: *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. De cujus dulcedine non mihi opus esse arbitror plurima scribere vestrae sanctitati, quam olim didicistis, et habere innotuistis. Superest ut usque ad finem firmum retineatis, quoniam *qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**.

Saluta quoque,
@ [Col. 0489D] *Sanctissime Pater Infridii.* Legendum certe *Nifridii,* commutatis in prima syllaba litteris *i* et *n, quod frequens est in veteribus scripturis.* «Is paulo ante annum 778 primus auctor, idemque primus abbas fuit insignis monasterii Beatae Mariae de

Orbione seu Urbione sic dicti a fluvio proximo, quod aliquando Beatae Mariae de Novaliis, ab amoena valle, in qua situm est; postremo Beatae Mariae de Crassa nuncupatur; deinceps factus fuit archiepiscopus Narbonensis, ut ex veteri loci Necrologio discimus.» (Mabillonius [Col. 0490D] Annal. libr. XXIV, num. 86, pag. 244.) Igitur ad monachos hujus monasterii hanc epistolam scriptam fuisse existimo. sanctissime Pater Infridii fratres nostros servientes siquidem sanctae MARIAE. Optimam vere elegerunt dominam, et optimum sponsum ejusdem dominae et reginae coelorum; et dignum est [Col. 0490A] ut optimo regi optime serviatur. Qui bona elegat [*Forte, eligit, vel elegit*], bona custodiat, bona non derelinquat, sed perpetualiter bona retineat. Parum est incepisse bona, nisi ut perseveret in bonis, qui bona eligit. Quid est laborem fructuosum derelinquere, et labori infructuoso mancipari? Labor itaque monachicae vitae fructuosus est; labor vero saeculi infructuosus est. Sine labore nemo vivit in mundo; et felix nimium, qui de labore venit in requiem, et infelix qui de labore venit in tormenta; laborat enim ut male habeat, et non intelligit quid facit. Intelligentia enim opus est in vita, ut sciat homo ad quem finem tendat retributio laboris sui. Parvus labor in bono homine perpetua remunerabitur quiete. Omnipotens Deus ad multorum salutem [Col. 0490B] vos longaeva prosperitate proficere concedat, charissimi Patres.
@ [Col. 0490D] Froben. epist. 204. {269}

EPISTOLA CCXVI. AD CUNIBERCTUM EPISCOPUM.

Commendat memoriam contractae olim amicitiae. Ad opus praedicationis hortatur, nulla saeculi potestate aut vanitate impediendum.

Venerandae dignitatis Patri
@ [Col. 0490D] *Cunibercto episcopo.* In Britannia, ut ex verbis: *Et nostrae celeberrimae insulae Britanniae habitatoribus, etc.,* colligo. Est is abs dubio Kinebertus Ventanae civitatis pontifex socius Aedilhardi in itinere Romano. Vide not. Epist. 115. Cuniberti etiam cujusdam meminit Anastasius Bibliothecarius in Vita Leonis III inter missos fidelissimos ad dijudicandam causam ejusdem summi pontificis anno 799 Romam legatos. An hic idem cum nostro sit, incertum. Cunibercto episcopo, humilis Levita Alcuinus salutem.

Olim
@ [Col. 0490D] {270} *In synodali sanctorum Patrum conventu.* Quis hic conventus fuerit, et in quo loco, in Anglia, an in Gallia celebratus, pariter ignotum est. Anno 785 quidam Chumberchus episcopus decretis concilii Calchuthensis subscripsit. Wilkins Concil. Magn. Britanniae vol. I, pag. 151. in synodali sanctorum Patrum conventu vestra bonitas nobiscum pepigit pacta charitatis, quae propter opportunitatem hujus portitoris his litterulis humilitatis nostrae renovare studeat, ne forte longa absentia oblivionem nostri nominis vobiscum fecisses. Charitas oblivionem non patitur, et veritas [Col. 0490C] nulla temporis longitudine maculabitur, maxime in tali persona et tam praeclaro sanctitatis viro, cujus latissimus melliflui pectoris sinus multitudinem spiritalium congregare amicorum solet; inter quos parvitatis meae nomen aliquem, deprecor, inveniat locum, et vestra nobilissima fidelitas quondam, ut praediximus, promittere non

abhorruit: nec non supplici obsecratione, Pater mi! deposco, ut sanctissimis vestri regiminis fratribus eamdem de nobis spiritalem curam habere jubeatis.

Fateor tibi, sanctissime praesul! quod venerabiles fratrum congregationes studiose amavi, quas in illis regionibus Deo deservire dignis moribus, narrante fama, audivimus; licet nobis datum non esset corporali [Col. 0491A] visione illos aggredi; quem [*Forte quae*] vestra potest pietas pro amore Christi pro nobis loqui, nec ullatenus Deus deerit in remuneratione vestrae devotioni, vir optime! Decet enim sacerdotalem dignitatem omnibus se deprecantibus pietatis praestare affectum, absentes sacris orationibus adjuvare, praesentes evangelicae praedicationis instantia confirmare. Scis optime quanta necessitas est populo Christiano, ut praedicator verbi Dei non taceat, et nostrae celeberrimae insulae Britanniae habitatoribus, ubi quondam multitudo doctorum verba vitae perpetuae continua praedicaverunt instantia; sed nunc, peccatis facientibus, rari sunt operarii in messe Domini: sed quo rariores inveniuntur, eo magis necesse est ut illi qui sunt omnimodis jugi sanctae praedicationis [Col. 0491B] studio ab errore vitae et superflua multarum consuetudine vanitatum ad modestiam sobrietatis et castitatis exercitium revocare studeat.

Non taceat os sanctitatis tuae evangelicae veritatis verba, nec apostolicae doctrinae seriem, nec sanctorum Patrum mores nobilissimos, ut multi per tuam sanctissimam devotionem erudiantur, et tibi multiplex, Deo Christo donante, merces maneat in aeternum. Non potestas regalis, nec arrogantia cujuslibet saecularis sublimitatis tuam prohibeat a veritate vocem; non adulatio subsequentium, non saecularis luxuriae pompa, non deceptibilis auri species, nec ulla terrenae delectationis voluptas cor sanctitatis tuae a fiducia studiosi laboris subtrahat; sed omnibus in te lux veritatis luceat, et via salutis aeternae [Col. 0491C] ostendatur. Pauci sunt hujus vitae dies laboris, et qui plus laborat, plus mercedis accipiet; sed coelestis beatitudinis remuneratio temporibus permanet aeternis. Omnipotens Deus tuam sanctam et venerabilem paternitatem ad exaltationem sanctae suae Ecclesiae multis feliciter annis vivere et proficere concedat, charissime Pater!
@ [Col. 0491D] Froben. epist. 206.

EPISTOLA CCXVII. AD ALCHARDUM ET TIFREDUM EPISCOPOS.

Hortatur illos ad officium praedicationis implendum.

Sanctissimis et venerabilibus patribus
@ [Col. 0491D] *Alchardo et Tifredo episcopis.* Hos pariter episcopos in Anglia quaerendos credo. Et revera me illos ibi reperisse existimo; inter episcopos enim, qui concilio Cloveshoviensi anni 803 ac decreto Athelardi archiepiscopi subscripserunt, nominatur Alcheardus seu alio nomine Ealehard Elmhamis ecclesiae episcopus; Tidfrith Damacae civitatis episcopus. Wilkins loc. cit. pag. 167 et 168, ubi etiam pag. 152 ab Offa rege recensentur inter episcopos Orientalium Anglorum, quos ecclesiae Lichefeldensi, in archiepiscopatum a se erigendae, subdi voluit. Alchardo et Tifredo episcopis Alcuinus

levita salutem.

Deprecor piissimam bonitatem vestram, ne parvitatis meae litteras praesumptiosas aestimetis. Vestrae igitur charitatis fiducia easdem scribere ausus sum, [Col. 0491D] quia humilitas Christiana nullum spernere debet, sed omnes benigne suscipere pio dilectionis gremio; quam in vobis opto abundanter per Spiritum sanctum splendescere, ut flumina de ventre vestro aquae [Col. 0492A] vivae, id est, doctrinae sacrae, sicut in Evangelio ipsa Veritas ait **(Joan. VII, 38)**, sufficienter fluere videantur.

{271} Vestrum est omnibus praedicare verbum Dei, omnibus lucere in domo Dei, ut omnes per vos veritatis lumen agnoscant, et per pascua perpetuae beatitudinis deducantur. Os vestrum tuba debet esse Dei Christi, quia linguae auctoritatis vestrae claves sunt coeli habentes potestatem aperire et claudere; poenitentibus aperire, resistentibus veritati claudere. Quapropter tantae excellentiae vosmetipsos dignos bonis moribus efficite, scientes laudem esse sacerdotum praedicationis assiduitatem. Non est ludus saecularis sacerdotalis honor; sed magna diligentia in mandatis Dei seipsum exercere debet sacerdos Christi, [Col. 0492B] ut exemplis simul et verbis populum erudiat Christianum.

Laudabat mecum vestram bonam conversationem venerabilis frater
@ [Col. 0492D] *Lullo abbas.* Decreto Athelardi mox memorato inter abbates ad Dammacanam dioecesin pertinentes post Tidfritum episcopum, subscripsit Lulla ab. Lullo abbas. Ideo supplex ego vestrae sanctitati meipsum commendare curavi, deprecans ut jubeatis nostri nominis per vestras ecclesias aliquantulam fieri memoriam. Non pro meis meritis, sed pro Christi charitate haec ipsa flagitare praesumpsi. Facite exinde, sicut de vestra bona pietate confido. Deus Dominus augeat vos meritorum gratia, et proficere faciat in omni sanctitate et praedicatione verbi Dei, charissimi et desiderabiles Patres.
@ [Col. 0492D] Froben. epist. 207.

EPISTOLA CCXVIII. AD ARDBERTUM.

Hortatur ad opera justitiae et misericordiae; laudat illius bonitatem, eique commendat causam Lulli abbatis.[Col. 0492C]

Alcuinus sancti Martini famulus
@ [Col. 0492D] *Ardberto viro illustri.* In Anglia, quod conjicio ex nomine *Lul abbatis, de quo in priori epistola.* In bino diplomate Egfridi regis Merciorum anni 796 pro monasterio S. Albani, apud Alfortum Annal. tom II, ad annum praedictum, n. 5, pag. 678, subscribit quidam *Heardbertus dux.* An idem sit ac *Ardbertus iste vir illustris, majori indiget examine, quod a me aliis viris eruditis relinquendum est.* Ardberto viro illustri perpetuae beatitudinis salutem.

Audiens vestram laudabilem conversationem, sicut decet vestrae personae, valde me gavisum esse fateor. Tu vero, vir optime, semper quae Deo placeant fac aliisque

suadeas ut benedictio Dei te ubique comitet [comitetur], et proficias in consilio salutis tuae, multorumque profectu populo justitias faciens, pauperibus misericordiam, ecclesiis Christi honorem, ut servorum Dei intercessio Domini Jesu clementiae te quotidie commendet, *quia multum valet deprecatio justi* **(Jac. V, 16)**, quanto magis plurimorum.

[Col. 0492D] Habeto pauperum curam qui ante ostium convivii tui stare solent, quia in pauperibus Christus suscipitur, qui dicturus est in die judicii illis qui eleemosynam pauperibus diligenter faciunt: *Quandiu uni ex minimis fecistis, mihi fecistis* **(Matth. XXV, 40)**. [Col. 0493A] Quos sequitur illa felicissima sententia quam Dominus dicturus erit illis qui in hoc saeculo [*Forte deest erga*] pauperes, peregrinos, miseros et infirmos benigne fecerunt, dicentis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

Nostri nominis memoriam per ecclesias ditionis vestrae, deprecor, illis ut jubeatis fieri. Gaudeo siquidem de vobis semper meliora audire, sciens multorum esse prosperitatem tuae bonitatis pietatem in servitio Christi.

Plura siquidem scripsissem dignitati tuae, si talis cognitio inter nos esset, ut praesumptiosum non videretur, me subito vestrae excellentiae ingerere. Sed quod cum Christi charitate scripsi, obsecro ut humiliter [Col. 0493B] legere digneris; nam {272} praesens hujus indiculi portitor
@ [Col. 0493D] *Lul venerabilis abbas.* Vid. notas praecedentis epistolae. Lul, venerabilis abbas, vestram solebat apud me laudare bonitatem; ea fiducia has etiam litteras scripsimus, quem benigne in suis causis ut suscipiatis deprecamur tali pietate [*Ms.,* pietatis], qualem nobis de vobis referre solebat.

Opto ut feliciter longaeva prosperitate in hoc saeculo vivas, et post hujus vitae terminum, Deo donante, ad perpetuae beatitudinis regnum pervenire merearis, vir nobilissime nobisque amantissime!
@ [Col. 0493D] Froben. epist. 208.

EPISTOLA CCXIX. AU LEUTFREDUM EPISCOPUM.

Solatur illum in tribulatione.

Sanctissimo Patri et amantissimo filio
@ [Col. 0493D] *Leutfredo episcopo.* Leidrado, abs dubio episcopo Lugdunensi; varie enim hoc nomen a scriptoribus veteribus minus accuratis exprimitur; *Laedredus vocatur in epist.* 2, *Liobradus* et *Liodradus in epist.* 89, alibi *Laidradus.* Leutfredo episcopo Albinus salutem.

[Col. 0493C] Vere fateor quod tribulatio tua torquet animum meum, dum audio te in periculo esse statutum, nec officii tui implere posse ministerium, sed bellator spiritalis, bellator cogitur esse carnalis. Tamen spem habeto in Deo, et consolare teipsum in Dei misericordia, sperans in illius perpetuam bonitatem, quae nunquam deserit sperantes in

se. Tribulatio super tribulationem incumbit, quia peccatum super peccatum accrescit. Quid vero [in] ea tribulatione quam pateris agendum sit,

@ [Col. 0493D] *Benedicto fratri.* Abbati Anianensi, de quo in sequentibus epistolis; a quo Laidradus viginti monachos accepit pro monasterio Insulae Barbarae a se fundato, ut testatur Ardo seu Smaragdus in Vita ejusdem sancti abbatis, num. 36 apud Mabill. Act. SS. saec. IV, part. I, pag. 205. Benedicto fratri dixi; quid vero de me actum sit, omnia charitati tuae ille ostendere poterit.

Deprecemini Dei clementiam super nos, ut dirigat vias nostras, quod suae bonae voluntati placeat, et nobis ad perpetuam proficiat salutem. Nec te bellantium [Col. 0494A] armis ullatenus immiscere consentias. Fuge ad Christum, jacens ante eum clama: Misericordia mea et refugium meum; susceptor meus et liberator meus, in ipso speravit cor meum. Valeto in omni prosperitate.

@ [Col. 0493D] Froben epist. 209.

EPISTOLA CCXX.

@ [Col. 0493D] *Ad Benedictum.* Abbatem Anianensem, fama sanctitatis ac doctrinae atque restitutae disciplinae monastico-Benedictinae celeberrimum, quocum Alcuinus [Col. 0494D] multa et familiari usus est amicitia. «Is enim audita expertaque viri Dei sanctitatis fama, inviolabili se illi charitate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei saepe directis, aggregatis in unum, unus conficeretur libellus,» ut testatur Ardo seu Smaragdus loc. cit. Dolendum vero maximam epistolarum hic memoratarum partem intercidisse, nec nisi duas hasce in cod. Harleiano repertas superesse. AD BENEDICTUM. *Quemdam fratrem, quem filium suum vocat, charitati;* se vero in saeculi fluctibus jactatum precibus illius commendat. Pro herbis medicinalibus gratias refert, etc.

Benedicto Patri, utinam in Christo benedicto perpetuam salutem.

Valde mihi placet fides vestrae devotionis et charitatis in fratrem vestrum et filium nostrum, quia [Col. 0494B] amicus in necessitate comprobatur, quo maxime de hac vita quisque transiens indiget, ut fraterna intercessione judicis sui faciem videat clementem. Tu illum, quantum valeas, verbis consolare et factis, donec videas quid de illo faciat Deus.

{273} Me vero saeculi fluctus diversis agitat motibus; tu vero cum fratribus tuis, sicut promisisti, orationibus adjuvare non cessa, ne cujuslibet cupiditatis vel peccati me vorago submergat; causas vero et rationes hujus mei eventus tibi viva voce, volente Deo, pandam, et quod petisti faciam temporibus opportunis. Semper meae parvitatis litterulas vestrae dirigere charitati recordor, vestrasque mutua vice accipere deprecor; obsecro ut fiducialiter mihi studeas de vestris profectibus vel prosperitatibus intimare.

[Col. 0494C] Herbas medicinales quas direxisti, gratanti animo accepi, et sicut corporali me sanitate providere curasti, ita tuae spiritali saluti provideri semper desidero, optans te in

eo strenue perficere opere quod coepisti, et

@ [Col. 0494D] *Gregem quem congregasti.* In monasterio scilicet Anianensi, quod sanctus Benedictus suis impendiis excitavit: «E monasterio siquidem sancti Sequani, *ubi capitis comam deposuit, et veri monachi habitum sumpsit, egressus, postquam annos aliquot in cella, prope Anianum exstructa, vixit cum discipulis suis,* grande coenobium, *Anianam dictum, aedificavit, et basilicam Salvatoris ac beatae Mariae nuncupari jussit.*» Mabillonius Observat. praev. in *Vit.* S. Ben. Anian. num. 4. gregem gubernare fideliter quem congregasti. Nullatenus fatigeris vel cogitationum desidia, vel ab aliquorum negligentia. Qui plus laborat, plus mercedis accipiat. Multum te isto anno praesenti videre desidero, si fieri potest, quia familiaritas humilitatis vestrae multum animo meo complacuit. Aequalitas animorum dulcedinem generare solet dilectionis, et si disparia sint operum merita, tamen par potest esse desiderium salutis; nam infirmus suam desiderat sanitatem, sicut et medicus, licet ille aegrotus [Col. 0495A] jaceat, et iste sano vigeat corpore. Tuam paternitatem pro nobis intercedentem pius Deus in omni bono proficere faciat.

@ [Col. 0495D] Froben. epist. 210.

EPISTOLA CCXXI. AD EUMDEM.

Epistolas mittit regi et aliis a Benedicto tradendas; optat saepius accipere ab ipso epistolas.

Benedictus Deus Benedicto Patri benedictionem det aeternam.

@ [Col. 0495D] {274} *Scripsi epistiunculas quasdam.* Ex his solum meminit epistolae cujusdam ad regem, et alterius ad fratres. Tres supersunt epistolae ad abbates et monachos Gothiae, nimirum 132, 133, 134. Insuper et ad illos *per* beatum Benedictum misit *libellum adversus* haeresin Felicis, *in illorum solatium et confirmationem fidei catholicae, prout legitur in epistola 132.* An de una ex his, an de alia aliqua epistola, adhucdum latente, loquatur, ex hoc loco erui haud potest. Fortassis hac occasione etiam misit epistolam ad Leutfredum mox antea exhibitam; et ad amicum nunc exhibendam, quas propterea hisce ad Benedictum jungere placuit. Scripsi epistiunculas aliquas, sicut intelligere earum lectione poteris; si tibi dignum videatur. Redde singulis singulas; regi vero suam cum multis salutationis verbis: et melius mihi visum est te dicere ejus pietati de nobis nostraque voluntate, et filio [Col. 0495B] nostro, quam inde aliquid scripsissem, quia litterae per manus currunt multorum; verba vero in corde permanent fideli. Epistolam vero ad fratres nostros communiter scripsi; si dignum quid in ea invenies, jubeam [*Forte, jubeas*] melius perscribere, et si quid addendum aestimas, fac secundum consilium, quia sub festinatione dictata fuit ad rememorandum amicitiae jucunditatem, et orationum pro nobis sedulitatem, sicut scis magnum nos habere desiderium, magnam etiam necessitatem, spemque bonam de illorum habere sacratissimis orationibus. Ubi tu, ibi et ego, et Deus nobiscum in aeternum.

Secundum opportunitatem portitoris saepius litterae veniant, nec rusticitas, de qua te excusare soles, charitatem tacere faciat, ne minus flamma lucescat [Col. 0495C] illius, sed fulgeat in chartulis, quae in corde perpetualiter incensa ardet. Vadens vade, Deo

miserante, cum omni prosperitate. Videat te oculus meus, antequam moriar, non semel, sed saepius, donante Deo semper in aeternum valeas.

{278}

@ [Col. 0495D] Apud Froben. epist. 216.

EPISTOLA CCXXII.

@ [Col. 0496D] *Ad Hillirienses fratres.* Ita quidem hic titulus legitur in cod. ms., sed ex sequenti inscriptione manifestum est, legendum esse, *ad Lirinenses.* In insula siquidem Lirinensi illud monasterium est, seu illa congregatio, quam initio saec. V ibi fundavit, atque vitae sanctitate illustravit sanctus Honoratus episcopus Arelatensis: Lirinenses monachi aliquoties devotionis causa venerunt ad S. Martinum, prout ex epistola 190 et ex sequenti constat. Saepius quoque Alcuinus cum illis egit per epistolas; et exemplar quoque epistolae 90 de Hispanorum variis erroribus dirigi a Lugdunensibus voluit. AD HILLIRIENSES FRATRES. *Commemorat famam bonae illorum conversationis:* precibus eorum se commendat: hortatur ad mutuam charitatem et pacem.

Religiosae congregationi sanctissimi Patris Honorati, Alcuinus diaconus salutem.

Congaudeo multum de optima fama conversationis vestrae, et regularis vitae observatione, et piae pacis unanimitate, quam testimonio nostrorum vel aliorum [Col. 0495D] audivimus. Sed certius horum fratrum relatione omne bonum, sicut desideramus, de vobis audientes, [Col. 0496A] idcirco studiosius meam {279} parvitatem sanctis orationibus vestris commendare curamus, deprecantes ut nostri nominis habere dignemini memoriam; sicut beatae memoriae

@ [Col. 0496D] *Pater vester.* An Teotgarius, ad quem epistola sequens, an hujus antecessor aliquis, incompertum habeo. Pater vester venerandus olim mihi perdonatum habere credimus, quod his litteris horumque simul fratrum suggestione renovare studemus; quia magnam, ut fateor, fiduciam de Deo servientium intercessione in cordis dulcedine habemus; quia quod mihi deest in meritis, illorum precibus, largiente divina gratia, possidere optamus. Quid est quod pia unanimitas sanctae congregationis non valeat impetrare apud eum qui ait: *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**? Quid est dulcius quam Christum semper habere praesentem; quam filii Dei [Col. 0496B] vocari, ipsa Veritate dicente: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* **(Matth. V, 9)**? Ideo pernecessarium est omnibus, sed magis in sacro ordine regularis vitae degentibus, concordiae bonum omni studio observare, et pacis unanimitatem; quia qui veritatem sanctae pacis non custodiunt, dignitatem filii perdere certum est: *videte, dixit egregius doctor, si invicem mordetis, ne invicem consummamini* **(Gal. V, 15)**. Non potest recte filius Dei dici, qui pacem non vult amplecti. Pax concordiam fratrum et charitatem copulat proximorum. *Pacem meam,* dixit Dominus, *do vobis, pacem meam relinquo vobis* **(Joan. XIV, 27)**, id est, in pace dimisi vos, in pace inveniam vos. Proficiscens voluit dare, quae desiderabat rediens in omnibus invenire.

[Col. 0496C] De hac piae pacis bonitate ideo diligentius suggero vobis, charissimi fratres, quia maxime fraus diabolica murmurationis sagittam inter fratres immittere solet, sciens perfectam ibi non esse charitatem, ubi murmurationis telo charitatis unanimitas vulneratur. Charitas est quoniam cooperit multitudinem peccatorum **(I Petr. IV, 8)**, sine qua etiam peccata non dimittuntur: quam beatus Apostolus in tantum laudavit, ut nec martyrium, nec saeculi contemptum, nec flammarum incendia sine illius bonitate prodesse testetur; *In hoc enim, inquit, dixit Dominus Jesus, cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. Omnis obedientiae, vel humilitatis subjectio in monasteriis charitatis munimine roborari debet, quae sine simulatione [Col. 0496D] falsae extrinsecus ostentationis in corpore, fieri necesse est; sed ex corde diligere nos debemus, [Col. 0497A] opereque ostendere, quod in cordis thesauro reconditum habemus. Angelicam vitam vivit in terris, qui pacifica charitate, et sancta dilectione vivere inter homines studet; et quod hic ex parte habere incipit, in beatitudine coelesti pleniter possidere gaudebit. Haec est optima pars, quae non auferetur ab eo, qui vestigia Christi in charitatis officio in hoc saeculo omni studio amplecti intendit. Intercedentem pro populo Christiano sanctitatem vestram divina clementia exaudire dignetur, dilectissimi fratres.

{280}
@ [Col. 0497D] Apud Froben. epist. 217.

EPISTOLA CCXXIII.

@ [Col. 0497D] *Ad Teotgarium abbatem.* Cujus coenobii abbas fuerit Teotgarius ex hac epistola equidem haud satis liquet; quoniam vero mentio hic fit de fratribus qui ad monasterium Turonense venerunt devotionis gratia, et ut se commendarent sancti Martini intercessionibus, hinc conjicere pronum est, et fratres illos fuisse monachos Lirinenses, quos in epistola 212 (nunc 190) dixit, ante paucos dies illuc venisse; et Teotgarium fuisse Lirinensium abbatem. Caeterum [Col. 0498D] Teotgarii cujusdam abbatis memoriam quoque exstat in Vita S. Eigilis abbatis Fuldensis, Act. SS. Ord. S. Ben. saec. IV, part. I, pag. 255, qui anno 819 dedicationi ecclesiae Fuldensis et translationi corporis S. Bonifacii interfuit; sed nec ibidem aliud quidpiam de illo habetur, praeter solum nomen. Vid. etiam lib. XXVIII Annal. Ben., pag. 454, n. 13. AD TEOTGARIUM ABBATEM ET FRATRES, QUIBUS PRAEESSE VIDETUR. *Remittit fratres ad S.* Martinum peregrinantes cum epistola: veniam illis ob inobedientiam et negligentiam exorat. Errantes optat revocari, non abjici.[Col. 0497B]

Sanctissimo Patri Teotgario et omni Deo electae etiam et benedictae familiae, Alcuinus famulus sancti Martini cum fratribus in ejus monasterio Deo deservientibus, perpetuae beatitudinis salutem.

Misi vestrae pietati per Sizimarium fratrem vestrum verba salutationis, et nunc iterum secundo eadem repetere propter opportunitatem horum fratrum, qui venerunt ad nos, ut se commendarent sancti Martini intercessionibus, idem repetere fas et necessarium esse

visum est; unde et has litteras vobis dirigere studui, quia praefato fratre abeunte magna me febrium molestia fatigare coepit. Unde obnixius deprecor clementiam vestram, ut me adjuvare [Col. 0497C] dignemini in sanctissimis vestrae unanimitatis orationibus, quia scio vestram religiosam, Deo devotam sanctitatem multum valere in precibus apud superni regis . . . dicente ipsa Veritate: *Quodcunque petieritis credentes accipietis* **(Matth. XXI, 22)**; Credentes dixit, quia *impossibile est sine fide placere Deo* **(Hebr. XI, 6)**. Quare catholica integritas vestris maneat in cordibus, quatenus quidquid petieritis in nomine Jesu, accipere mereamini, seu pro stabilitate vitae vestrae et perseverantia boni operis usque in finem; sive pro amicis vestris, qui fidem habeant de vestra bonitate et charitate. *Charitas enim cooperit multitudinem peccatorum* **(I Petr. IV, 8)**; *et qui in charitate manet, in Deo manet, quia Deus charitas est* **(I Joan. IV, 16)**.

[Col. 0497D] In hujus vero charitatis sanctitate hos fratres vestros, etiam nostros, ad vestram pietatem dirigere curavi, qui orationis gratia sancti Martini reliquias visitare voluerunt; sed et mihi secretissime aliquid de sua inobedientia vel negligentia dixerunt, precantes nos cum sancti Martini pietate intercessores esse [Col. 0498A] pro illis, ut recipiantur in locum suum; et ego mandavi illis firmiter, tacere apud omnes homines de causa negligentiae suae, nolens aliquid foras venire a sanctissima congregatione vestra, nisi optima quaeque; quia multi sunt reprehensores vitae nostrae magis quam sectatores, *cupientes sua criminosa peccata monasterialium reprehensione abscondi.* Sed quidquid secus agamus, quam regularis vita definiat, remaneat apud nos tantum, et reconcilietur, et in concordiam revocetur grex Christi, ne gaudeant inimici super nos. Non est homo qui non peccet; et bonum est errantem ovem revocare in ovile Christi, ejus exemplo qui de coelo descendit ut ovem perditam requireret in terris.

Patientia praelatorum salus debet esse subjectorum. [Col. 0498B] Melius est ignoscere delinquentibus quam expellere peccantes; quia si tantum justi remanent et sani, forsan solus pastor solus remanet absque grege. Quid si ipse pastor peccat, quis remanet in loco Deo consecrato? Memores debemus esse apostolum Joannem dicentem: *Quia si dixerimus, peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* **(I Joan. I, 8)**. Sed si agnoscimus peccatores nos esse, et confitemur iniquitates nostras, cum Publicano dicentes: *Deus, propitius esto mihi peccatori* **(Luc. XVIII, 13)**, habemus advocatum, id est, propitiatorem Dominum Jesum apud Patrem, qui semetipsum tradidit pro peccatis nostris **(Tit. II, 14)**, ut nos redimeret in sanguine suo, et acquireret Deo populum acceptabilem.

[Col. 0498C] Haec considerantes, fratres charissimi, recolligite oviculas errantes cum gaudio, recordantes ejus pietatem, qui nonaginta novem oves dimisit in montibus, ut unam errantem inveniret; et humeris suis imposuisset, reportaretque ad domum gloriae suae, ut angeli congauderent de ove inventa **(Matth. XVIII, 12; Luc. XV, 4)**. Haec omnia in mente habentes ignoscite, ut ignoscat vobis Deus; quia haec est via et coelestis regni culmen; aut non peccare, aut peccantibus ignoscere. *Considera, dicit Apostolus, teipsum, ne et tu tenteris;* alter alterius onera invicem portate, et sic implebitis legem Christi **(Gal. VI, 1, 2)**. Divina vos gratia in charitate obedientiae et humilitate semper conservare dignetur, Domini Patres, fratres et filii.

{281}-283
@ [Col. 0498D] Apud Froben. epist. 220.

EPISTOLA CCXXIV. AD FRIDUINUM.

Gratulatur adeptam curam monasteriorum SS. Benedicti et Ceolfridi hortatur ut praesit gregi suo bono exemplo. Precibus se commendat.[Col. 0498D]

Sanctissimo Patri
@ [Col. 0498D] *Friduino.* Gratulatur Alcuinus huic suo veteri amico de adepta paterna cura ovilis Christi, monasteriorum [Col. 0499D] scilicet Girovensis et Wirmuthensis, sanctorum Benedicti et Ceolfridi. Scripsit quoque Alcuinus aliam epistolam ad Eadbaldum abbatem Gyrovensem, cujus fragmentum in notis ad epistolam 13 (nunc 14) ex Reinero dedimus. Credam ergo Friduinum Eadbaldi fuisse successorem. Friduino, olim notus et semper amicus Alcuinus salutem.

[Col. 0499A] Audiens paternam curam ovilis Christi vobis delegatam, multum me gavisum esse fateor, vel de exaltatione tantae dignitatis, vel de commoditate boni operis, quia habes, unde te sanctis Patribus nomine et meritis coaequare valeas. Ideo, sanctissime Pater, diligentius regularem vitam in loco optimo erigere studeas; nec nova te cudere suademus, sed vetera omnimodis renovare, quia fundator et renovator ejusdem mercedis esse possunt apud Deum. Non tibi per inanes adulationes nomen quaeras, sed Deo, per sanctas admonitiones, laudem. Exemplis sanctorum Patrum Benedicti et Ceolfridi vivas, quatenus illorum merita sequens, illorum mercede dignus inveniaris.

Non permittas ullatenus vanitates vestimentorum, [Col. 0499B] et luxuriantes ebrietates, et libidinosas voluptates in te, vel in tuis dominare fratribus, sed omnia vestra regulari moderamine fiant in cibo, potu, vestimento et castitate. Et sicut tu primus in dignitate, ita primus esto in totius bonitatis conversatione. Quid erit de grege, si pastor oberrat? Sanitas gregis et multiplicatio, gloria et merces est pastoris. Non te carnalia decipiant, sed spiritalia exaltent. Esto lucerna in domo Dei, et in omni loco forma salutis. Angeli vero visitantes officia ecclesiastica et opera fraternae unanimitatis, te vero in primis stantem, {284} in primis operantem, in primis intercedentem pro populo Christiano omnimodis inveniant. Non te specialia auri vel argenti pondera decipiant, sed generalis et sancta conversatio Deo amabilem efficiant. [Col. 0499C] Sit thesaurus tuus Ecclesia et ornamenta illius, non arca singularis. Ne damnet te tua conscientia habentem, quod habere non debeas, ne dicatur tibi: *Medice, cura temetipsum* **(Luc. IV, 23)**. Vel quomodo alios doceas, quae tu ipse non facis? Error vitae claudit os magistri. Melius est te Deum habere in arca cordis, quam aurum in arca cubilis. Confusio est vitae tuae digitos auro radiare, collum siricis [*F.,* sericis] ornare vestimentis; ornet pectus tuum
@ [Col. 0499D] *Orarium.* Id est, stola. «Dicitur vero orarium eo quod oratoribus, id est praedicatoribus, concedatur. Admonet illum, qui illo induitur, ut memor sit sub jugo Christi, quod leve et suave est, se esse constitutum.» (Auctor libri de divinis Officiis, inter opuscula supposititia Alcuini, cap. 39.) orarium sanctitatis, non inanis vestimentorum cultus. Melius est animam virtutibus decorari, quam corpus coloratis

vestibus ornari.

Cogita quam pauci tibi supersint dies, vel quam longaeva prosperitate primi fundatores monasterii, [Col. 0500A] in quo modo Deo deservis, vivebant in conversatione sancta; et quam cito rapti sunt de hac vita, qui primorum parentum aliquantulum scindebant statuta. Recordare quam felices sunt illi, qui apud Deum gaudent in coelis: hoc non luxuria vitae, non vestimentorum vanitas, non saeculi pompa promeruit, sed zelus Domini, et regularis vitae custodia, et major animae cura quam corporis, et fraterni profectus sollicitudo in charitate. Fac quod [*F.,* ut] tibi proficiat honor praesentis horae ad futuri temporis gloriam; meique, obsecro, cum fratribus semper memoriam habeas, sive in speciali oratione sanctitatis tuae, sive in generali fraternae intercessionis communione, quatenus Deus dirigat cursum vitae meae ad salutem; non solum mei solius, sed, Christo Deo donante, salutem [Col. 0500B] multorum. Vos vero divina clementia cum omnibus fratribus,

@ [Col. 0499D] *Beatissimis apostolis intercedentibus.* Scilicet Petro et Paulo, quorum honoribus monasteria Girovense et Wirmuthense, quae Friduinus regenda suscepit, dedicata sunt, prout notavi ad epist. 13 et 219 (nunc 14 et 16). beatissimis apostolis intercedentibus, semper in omni bono proficere faciat, et in omni sanctitate ultimum exspectare diem, ut digni efficiamini stare ante tribunal Christi, et audire beatam vocem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

@ [Col. 0499D] Apud Froben. epist. 221.

EPISTOLA CCXXV. AD FRATRES QUI IN HIBERNIA INSULA PER DIVERSA LOCA DEO DESERVIRE VIDENTUR.

@ [Col. 0499D] Haec epistola illustre sane testimonium est, quantum in Hiberniae monasteriis floruerint regularis observantia, [Col. 0500D] sapientiae studium, doctrinae catholicae puritas et apostolicae praedicationis zelus. Fidem ac vitam monasticam in illa insula sanctum Patritium propagasse, circa annum 430 scribit Probus in ejus Vita. Mabillonius ex testimonio Ven. Bedae probat, Hibernos posthac eamdem cum Anglis monachis regulam fuisse professos, id est sancti Benedicti. **(Praefat. ad saec. III Ben., n. 16, et ad saec. V, n. 82 et seq.)**

Ob famam optimae conversationis ad se delatam laetatur: quae bona ipsorum Patres olim in Britannia, Gallia et Italia gesserint, depraedicat. Hortatur ad vitam regularem; docet quae debeat esse vita principum, monachorum, monialium et omnium Christianorum.[Col. 0500C]

Nobilissimis sanctae Ecclesiae filiis, qui per latitudinem Hiberniensis insulae Deo Christo religiosa conversatione et sapientiae studiis servire videntur, humilis levita Alcuinus perpetuae prosperitatis in Domino salutem.

Audiens per fratrem venerabilem, vestrae eruditionis doctorem,

@ [Col. 0500D] *Dungal episcopum.* Quisnam Dungal iste fuerit, et cujus sedis episcopus, mihi ignotum, nisi sit Dungal ille reclusus seu monachus S. Dionysii, qui inter alia librum scripsit adversus Claudium Taurinensem pro cultu sacrarum imaginum. Is enim semetipsum *Peregrinum vocare solebat,* et initio ejusdem libri testatur, *se dudum in hanc terram* (Galliam) *advenisse.* Hunc Hibernum seu Scottum fuisse Mabillonius l. cit. conjicit, et ex ipso nomine fit verosimile. (Mab., Annal. libr. XXX, n. 3.---Hist. lit. de la France, tom. IV, pag. 493.) Dungal episcopum religiosam Deoque placentem regularis vitae vobiscum conversationem vigere, valde me gavisum fateor, quod Dominus Jesus in hoc ruinoso cadentis saeculi fine tantos sui sanctissimi nominis laudatores, {285} et veritatis praedicatores, et sanctae sapientiae sectatores probatur habere, quantos audio inclytam Hiberniae [Col. 0501A] insulam usque hodie possidere. Quapropter, excellentissimi Patres et religiosissimi fratres, et nobilissimi filii, vestram piam unanimitatem tota cordis mei affectione deprecor, ut antiquam sanctae religionis consuetudinem, et sanctae sapientiae studium assiduis admonitionibus, exhortationibus, increpationibus renovare studeatis, ut lux veritatis et scientiae per congregationes Ecclesiarum Christi consueto more per vos et a vobis multis mundi partibus uberrime fulgeat.

Igitur antiquo tempore doctissimi solebant magistri et Hibernia Britanniam, Galliam, Italiam venire et multos per Ecclesias Christi fecisse profectus; et quanto magis periculosa nunc esse tempora noscuntur, et plurimos, secundum apostolicam prophetiam, a via [Col. 0501B] veritatis avertentes, tanto instantius ipsa catholicae fidei veritas ubique inter vos discenda est et docenda, ut habeant orthodoxae fidei praedicatores, quo possint contradicentibus veritati resistere, et palam vincere adversarios apostolicae doctrinae. Erumpunt subito apostatica seducti calliditate pseudo doctores, novas et inauditas introducentes sectas, qui dum novis dogmatibus sibi laudem acquiri putant, inveniuntur reprehensibiles, omnibusque odibiles esse, sicut in Hispaniae partibus vidimus factum.

Unde, sanctissimi Patres, exhortamini juvenes vestros, ut diligentissime catholicorum doctorum discant traditiones, et catholicae fidei rationes omni intentione apprehendere studeant, *quia sine fide Deo* [Col. 0501C] impossibile est placere **(Hebr. XI, 6)**. Nec tamen saecularium litterarum contemnenda est scientia, sed quasi fundamentum tenerae infantium aetati tradenda est grammatica, aliaeque philosophicae subtilitatis disciplinae, quatenus quibusdam sapientiae gradibus ad altissimum evangelicae perfectionis culmen ascendere valeant, et juxta annorum augmentum sapientiae quoque accrescant divitiae. Nec ferventem adolescentiae flammam sinite per praecipitia vitiorum corruere, quia Spiritus sanctus, sicut scriptum est, *non habitat in corpore peccatis subdito* **(Sap. I, 4, 5)**; sine cujus gratia nihil humanum proficere valet ingenium; sed si quid doni adolescens habere videtur, auferetur ab eo, si se in castitate conservare non curat. Serenus, sanctus et mundissimus Spiritus [Col. 0501D] mundam et castam ingreditur animam. Non solum seniores verbis admoneant juniores suos, verum etiam bonis exemplis erudiant illos. Ergo magistri minuitur auctoritas, si doctrina ejus destruitur opere: sapientia doctoris fulgeat in honestate morum, ut videatur in facto quod audiatur ex ore.

Si quid, quod absit, contra Christianae auctoritatem religionis principes agere inter vos

saeculares inveniantur, admoneant eos sedula sacerdotes Christi praedicatione malas amittere consuetudines, et bonis potestatem suam ornare moribus, et ut vivant in castitate, unam habentes uxorem secundum evangelicae praeceptum auctoritatis; justissimoque judicio causas discernant populi, et misericordiam faciant in pauperes et miseros. Non sint veloces ad [Col. 0502A] humanum fundendum sanguinem, quia *viri sanguinum,* sicut sacer psalmus cantat, *non dimidiabunt dies suos* **(Psal. LIV, 24)**. Si felicitatem praesentis cupiant habere regni et potestatis, sciant se aliter habere non posse, nisi Deo praestante; nec futurae beatitudinis gloriam possidere, nisi Domini nostri Jesu Christi misericordia donante. Idcirco omni intentione evangelicis inhaereant praeceptis, ut benedictione divina confirmentur in regno praesenti, et perpetuum cum sanctis Dei recipere digni inveniantur.

Quicunque vero monachicae vitae conversatione Deo [servire] promiserint, sciant se debitores esse implere, quod promiserunt, dicente Scriptura: *Vovete et reddite Domino Deo vestro* **(Eccle. V, 3)**. Et [Col. 0502B] iterum: *Melius est non vovere quam votum non implere.* Fiat illorum conversatio casta et honesta, absque omni reprehensione, Deo placabilis, hominibusque honorabilis, *non* in comessationibus {286} *et ebrietatibus, non in cubilibus et in impudicitiis* **(Rom. XIII, 13)**, sed induant seipsos exemplis Domini nostri Jesu Christi, lucentes inter saeculares, sicut stellae in coelo fulgentes, ut illorum lumine illustrati multi exhortentur mundi hujus fugere voluptates, et numero illorum seipsos congregare studeant.

Feminarum siquidem monasteria sint in castitate virginali Deo, casto corpore, in pudicitia et humilitate servientes. Si coelestem Regem elegerunt [*Ms.,* eligerent] sibi sponsum, coelesti sponso debitam studeant [Col. 0502C] custodire castitatem, quatenus cum beatissima genitrice Dei, semperque virgine sancta Maria per supernas habitationes Agnum sequi, quocunque ierit, mereantur.

Omnes siquidem commune [communiter] sanctae charitatis praecepta integra perfectione conservare conentur, in qua signum discipulatus sui Deus Christus constituit, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. Singuli humilitatem habeant in discendo, et devotionem in docendo, et diligentiam in misericordiae operibus ad pauperes et miseros: nullusque senior sive junior, saecularis vel monasterialis, vir aut femina sua erubescat confiteri peccata, atque per poenitentiam emendare, quidquid contra [Col. 0502D] Dei voluntatem fecisset. Melius est habere unum hominem testem peccatorum suorum in salutem animae suae, quam spectare accusationem diabolicae fraudis ante Judicem omnium saeculorum, et ante angelorum choros, et totius humani generis multitudinem. Dum vero homo vivit in hoc saeculo, fructuosa est confessio et poenitentia; in futuro scilicet judicio poenitentia erit peccatorum, sed non fructuosa, quia unusquisque judicabitur secundum opera sua. Metuant criminosi et peccatis onerati aeternorum flammas tormentorum. Gaudeant justi, etiam et poenitentes de perpetuae beatitudinis gloria cum Christo, qui ait: *Ibunt impii in ignem aeternum;* justi autem in vitam aeternam **(Matth. XXV, 46)**. Et alibi: *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (Matth. [Col. 0503A] XIII, 43). Orantem pro nobis beatitudinem vestram Deus Christus perpetua prosperitate custodire dignetur, domini desiderantissimi Patres filii et amici.

@ [Col. 0503C] Froben. epist. 217.

EPISTOLA CCXXVI.

@ [Col. 0503C] *Ad fratres S.* Joannis Baptistae. Hoc est, ad fratres [Col. 0503D] Monasterii *Montis-Olivi, cujus auctor primusque rector fuit Olomundus seu Olemundus;* quod olim appellabatur monasterium S. Joan. Baptistae *de Castro-Malasti, in dioecesi Carcassonensi, situm in Vallesecura ad ripam Durani* (*la Durance*) fluvii: nunc tantum notum est sub nomine Montis-Olivi (*Montoliou*) superestque etiam nunc, post varias vices, sub celeberrima Benedictina congregatione sancti Mauri. **(Mabill., libr. XXV Annal. pag. 251, num. 6.)** AD FRATRES IN ECCLESIA BEATI JOANNIS BAPTISTAE DEO SERVIENTES. *Abbatem et fratres monasterii Montis-Olivi in familiaritatem suscipit, et illos hortatur ut militent pro fide catholica, et perseverent in observantia regulari.*

Religiosis fratribus, Deo et sancto Joanni praecursori Christi servientibus, humilis servulus ejusdem Christi et praecursoris ejus, Alcuinus salutem.

Nam prima congregatio quam, Deo dispensante, gubernandam accepi, beato Joanni Baptistae consecrata est
@ [Col. 0503D]

Hanc congregationem, quam primam Alcuinus gubernandam suscepit, fuisse cellam maritimam, sitam in provincia Northumbrana, et quidem in promontoriis mari Oceano et Humbri fluvio proximis, ubi sanctus Wilgisus pater sancti Willibrordi humatus est, quispiam existimare posset; hanc enim cellam se *per successiones legitimas gubernandam suscepisse Alcuinus ipse testatur, in Vita prosaica ejusdem sancti Willibrordi cap.* 1. Obstare tamen huic opinioni videtur, quod monasterium illud patrocinio [Col. 0504C] beatissimae Virginis Mariae consecratum fuisse Alcuinus testetur, in elegia de eodem sancto Wilgiso [Col. 0504D] prope finem in his versibus:

Corpus in Ecclesia curarunt condere fratres,
Quae constructa maris stat prope littoribus, Atque sacrata Dei genitrix clarissima Christi,
Nomine fulgescit, Virgo Maria, tuo.

Sed fortassis eadem cella sanctum quoque Joan. Baptistam patronum coluit; plures enim ejusdem loci sanctos patronos esse, admodum frequens est.. Quapropter fas aestimo, vos fratres agnoscere [Col. 0503B] et commilitones, unum habentes Dominum Deum, et unum patronum, cujus intercessio nostrum hinc inde numerum augere dignetur. Patrem vero vestrum
@ [Col. 0504D] *Olomundum.* De quo supra, not. b, qui obiisse dicitur anno 827, III Idus Decembris, apud Mab. libr. XXX *Annal.,* num. 21. Olomundum in Christo, et fratrem

nostrum in charitate, familiari pietate accepimus, quasi unius familiae germanum, et unius Domini cultorem, et unius protectoris conservum; et in eo ipso vos omnes recipiens quasi fratres charissimos, deprecans ut me meosque per ejus manus familiariter in sanctas orationes vestras recipere dignemini. Optime enim scitis quanta est verae charitatis communio, quae absentes corpore, praesentes efficit in spiritu. Nihil vero nocet absentia corporalis, ubi est praesentia spiritalis.

Vos vero, filii, fratres et Patres, in Christi clementia [Col. 0503C] deprecor, unanimes estote in fide catholica, idem sapientes, idem volentes; firmiter permanentes in loco certaminis vestri, nil tela antiqui hostis metuentes, communibus manibus pugnate contra eum. Melius in acie cum pluribus pugnat miles, quam si solus foris inveniatur in campo. Campum vero dico saeculi latitudinem. Quid vero vobis cum saeculari consuetudine? Christum elegistis, Christo certare vosmetipsos constrinxistis, perseverantes in agone regularis vitae. Nil vobis durum videatur in mandatis Dei; spe perpetuae remunerationis consolamini, scientes quod non coronatur nisi qui legitime certat [Col. 0504A] **(II Tim. II, 5)**. Nullatenus legitime certat, qui locum certaminis sui derelinquit, et signa suae militiae deponit. Tentatio est haec vita; in tentationibus fortes estote, in tribulationibus constantes, nihil dubitantes de remuneratione. Pauci sunt dies laboris, sed perpetui sunt retributionis dies. Nolite turbari de paucitate vestra, dicente ipso duce nostro: *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum* **(Luc. XII, 32)**.

Tantum absque murmuratione et taedio servite Deo in confessione regularis vitae; nunquam deerit remunerator Deus, si vestra non deerit vobis devotio in servitute illius. Si quidquam pio Patri congregationi vestrae placeat immutare, vel renovare congregationis vestrae (*ita ms.*), nolite murmurare inde; [Col. 0504B] sicut enim prudentissima apis de multis floribus unam colligit dulcedinem, ita providus Pater ex multorum colligere debet conversatione unum optimae religionis mel. Nullatenus in uno campo omnia florum genera colliguntur, ita nec in uno quolibet omnis morum dignitas inveniri poterit; quidam enim charitate abundat, quidam humilitate micat, quidam eleemosynis fulget, quidam sapientia claret, quidam sanctarum Scripturarum cognitione laetatur. Ideo sapienti de singulis singula eligenda sunt, ut fiat unius coronae splendor in animo Deum possidente, qui dividit unicuique secundum mensuram suae voluntatis, vel possibilitatem accipientis. *Omnia probate, quod bonum est tenete* **(I Thess. V, 21)**; id est, plurima considerate, optima quaeque eligite.

[Col. 0504C] Opto, Deumque deprecor, ut vester numerus augeatur, et sanctis virtutibus semper florescat, quatenus multi vestris bonis erudiantur exemplis, {289} et vos multa mercede in conspectu altissimi judicis digni habeamini, beato Joanne intercedente, et Christo Deo miserante, donante. Gratia coelestis vos provehat et in omni bono proficere faciat, fratres charissimi.
@ [Col. 0504D] Froben. epist. 224.

EPISTOLA CCXXVII.

@ [Col. 0504D] Nullo indicio proditur cujusnam monasterii vel congregationis fratres fuerint, ad quod scripta est haec epistola; documenta vero egregia, et hic et alibi affatim ab Alcuino sparsa, de mutua charitate, humilitate, obedientia, de vigili cura laudis divinae, de regulari disciplina, etc., monachi omnes ad se pertinere et directa esse existiment. AD QUOSDAM MONACHOS. *Ambit eorum familiaritatem et orationes.* Hortatur ad charitatem, humilitatem, obedientiam, ad curam regularis disciplinae, et laudis divinae.

[Col. 0505A] Venerando Patri, et sanctissimis fratribus in congregatione beatissimi confessoris Christi humilis levita Albinus salutem.

Gaudens vestrae beatitudinis audivi prosperitatem, et religiosam vitam et Deo condignam, atque hominibus laudabilem; quapropter meae parvitatis nomen diligentius sanctis vestris orationibus commendo, ut me habeatis quasi unum ex vobis. Ego vero peccator, multum indigens sanctorum intercessione, sciens multum valere deprecationes justorum, juxta apostoli Jacobi testimonium, nihil de meis confidens meritis, sed totum me per famulorum Christi intercessiones divinae gratiae commendans; et licet peccatis meis impedientibus non sim dignus inter eos numerari, tamen, Deo miserante, Deo illos diligere [Col. 0505B] scio et illis honorem impendere debitum [*Ita ms.* corrupte]. Quapropter obnixe deprecor, ut me ea charitate recipiatis, qua vos humiliter deposco. Charitas enim benigna est, in qua tota servorum Dei vita consistit, quam vestra unanimitas, sicut audio, optime habet, per quem [*Forte, quam*] vitam aeternam habebit, quicunque habere dignus erit; quam toto corde sequimini, charissimi fratres, quia tota monachorum vita in charitate, humilitate et obedientia consistit; et quia vestra pietas Deum elegit sibi dominum et regem, tota virtute Deum amate, et praeceptis ejus obedire studete. Unusquisque alteri sit magister in opere bono, et unusquisque alteri discipulus in humilitatis obedientia, dicente Apostolo: *Si vero juniori revelatum fiat, prior taceat* **(I Cor. XIV, 30)** . [Col. 0505C] *Spiritus enim ubi vult spirat* **(Joan. III, 8)**. Dei enim donum est, si quis recta intelligit, si quis juste amat; Dei donum in nulla aetate, in nulla persona contemnendum est.

Seniores inter vos juniores erudiant, ut digne [*Forte, digni*] habeantur pro se in suo stare loco; docete eos in omni mansuetudine, erudientes in timore Dei; ut discant ab ineunte aetate Deo servire, et praeceptis regularibus informari. Juniores {290} debitum honorem senioribus impendant; sitis enim sicut unum corpus, *alter alterius membra, ut in omnibus honorificetur Deus* **(Rom. XII, 5)**, et omnes aedificentur, et omnes ad gloriam perpetuae beatitudinis pervenire mereantur **(I Petr. IV, 11)**.

Scripsi vobis has paucas litterulas ex charitatis [Col. 0505D] fonte, non quasi ignorantibus, sed quasi haec omnia melius scientibus, et in Deo diligentius perficientibus; et ut meam circa vestram salutem, imo et omnium servorum Dei cognoscatis voluntatem, et ut familiaritatem animae meae sciatis apud vos. Vestra vero bonitas et fraterna humilitate legat, et solita pietate recipiat, quae vobis scribere curavi. Deus vero totius consolationis Pater vos ubique consolari [Col. 0506A] dignetur, et ad aeternum regnum pervenire concedat, cujus laus sit semper in ore et in corde charitatis vestrae; quia haec

est sanctorum vita, laus bonitatis Christi et charitas in praesentia illius, quae nunquam excedit [*Forte, excidit*], nunquam praeterit, nunquam fastidit; et quicunque saepius in his in hac mortali vita versatur, majorem sanctorum angelorum similitudinem habet; angeli vero Dei semper in vigiliis Deum laudant; et qui vigilare studet ad laudes Dei, angelicam vitam agit in terris; et quod omnes sancti acturi sunt in coelis, temporibus secundum humanam fragilitatem statutis agit in terris. Non somnus, non saeculare desiderium, nec vana cogitatio impediat cursum religionis vestrae, et laudes divinas, ut angelicae visitationes inveniant [Col. 0506B] unumquemque vestrum in loco suo stantem, Deumque laudantem. Igitur qui in hac mortalitate Deum laudare student, in felicitate perpetua cum Psalmista eantare habent: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te* **(Psalm. LXXXIII, 5)**.

Sanctam vero unanimitatem vestram, charissimi fratres, Dominus Deus in omni proficere faciat bono, et ad aeternae beatitudinis felicitatem pervenire concedat, dilectissimi fratres.
@ [Col. 0505D] Froben., epist. 225.

EPISTOLA CCXXVIII. AD ARNOLDUM ABBATEM.

Laudat eorum conversationem; hortatur ad virtutes religiosas, praesertim paupertatem in conviviis, in nummis, in vestimentis, etc.

[Col. 0506C] Venerando Patri
@ [Col. 0505D] *Arnoldo abbati.* Cujus monasterii, mihi haud compertum est; idem enim esse nequit cum Arnulfo abbate monasterii Glonnensis et S. Florentii ad Ligerim in dioecesi Andegavensi, qui sancto Benedicto Anianensi pro reformatione monasteriorum socius et adjutor adhibitus fuit, testante Ludovico Augusto in diplomate, [Col. 0506D] quod de restituto ordine monastico in monasterio S. Dionysii confecit. Apud Mabill. Act. SS. saec. IV, pag. 218. Arnulfus enim iste regimen hujus monasterii suscipere non potuit ante annum 800 quo anno Albaldus ejusdem loci abbas, cui Arnulfus successit, adhuc in vivis fuit. Mab. loc. cit. Arnoldo abbati et sanctae congregationi, humilis levita Albinus salutem.

Satis mihi placuit religiosa conversatio vestra in Domino, et charitatis humilitas, et Ecclesiae ornatus, et domorum, quas in transitu cernebam, constitutio, et dulcissima susceptio, qua me cum magna familiaritate suscepistis; cognoscens in cordibus vestris illum habere praeparatam habitationem qui dixit: *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. Ideo supplici deprecatione exhortans fraternitatem vestram ut in perfecta permaneatis fideliter charitate, et concordia pacis inter vos vigeat, et obedientiae decus resplendeat in conversatione vestra, [Col. 0506D] et humilitatis honestas videatur in omni actu vestro, et corporis castitas quasi lilia floreat in conspectu Dei, et sitis unanimes in omni opere perfecto, obedientes Patri spiritali absque omni contradictione, quia ipse rationem redditurus erit pro vobis in die magno Domini, et vos similiter obedientiae vestrae plurimam in die illa accepturi eritis mercedem.

Non est regnum Dei esca et potus **(Rom. XIV, 17)**, sed charitas in conscientia pura; hae sunt itaque victimae, [Col. 0507A] quas monachi singulis horis Domino Deo offerre debebunt; his hostiis placabitur majestas divina; per has semitas regni coelestis portae aperiuntur. Hoc cogitate jugiter, hoc rememorate semper, in his {291} conversamini deliciis; haec sunt nuptialia vestimenta, in quibus superni regis convivia possidere digni efficiamini. Nullus ex vobis avaritiae studeat, nec caducas congregare divitias quaerat; nec unum habeat absque Patris sui licentia nummum; sufficiat unicuique communis vitae jucunditas, seu in vestimentis, seu in cibi potusque religiositate; tantum Pater spiritualis provideat, ne justam quislibet habeat murmurationem; nec quarumlibet indigentia rerum regularis vitae destruat ordinem, sed unusquisque contentus, secundum facultatem [Col. 0507B] loci et temporis, stipendio quod ei administratur, et quo majore suffert humilitate indigentiam, si subito eveniat, eo majorem a Deo accipiat mercedem. Qui pro regno Dei certare desiderat, non debet pro uno calice vini contendere. Nobilissimus omnium creator Pater nobiles habere filios cupit: magna generositas est filium esse Dei, sed haec dignitas, tam alta et praeclara, magna morum et conversationis nobilitate observari debebit.

Quod charitate cogente scripsi, vestra humilitas patienter relegere dignetur, et si quid memoriae dignum ex his meis litteris invenietis, ob intentionem salutis vestrae, et recordationem nominis nostri, in thesauro cordis vestri recondite, quatenus divina [Col. 0507C] pietas vos in gaudium supernae beatitudinis deducat, et mihi peccatori veniam peccatorum meorum per sanctas orationes vestras concedat. Vestram sanctitatem superni regis pietas in omni bona conversatione proficere faciat, fratres charissimi.
@ [Col. 0507D] Froben., epist. 226.

EPISTOLA CCXXIX. AD EANULFUM PRESBYTERUM.

Commendat se ejus orationibus: ad conversationem fraternam et regularem vitam, ad curam animarum, etc., *hortatur.*

Dulcissimo fratri
@ [Col. 0507D] *Eanulfo presbytero.* Hujus nulla alibi habetur notitia. Illum tamen monachum, fortassis in Anglia, et inter monachos sacerdotem fuisse, cui publicum munus docendi, atque verbum Dei seminandi commissum est, ex hac epistola discimus.
Eanulfo presbytero Albinus salutem.

Quia charitas memor est totius bonitatis, ideo te obsecro, ut mei habeas memoriam in sanctis orationibus tuis, et te ipsum in omni castitate conservare [Col. 0507D] studeas in conspectu Domini Dei altissimi; et humilem habeas conversationem inter fratres, et sollicitudinem magnam regularis vitae, quia qui majus portat judicium, majorem accipit honorem [*Leg.* quia majus portat judicium, qui, etc.]. Quid tibi saeculi dignitas, quae sicut flos feni decidit? Nolo te vagabundum esse per loca, sed stabilem in servitio Dei, ubi electus es in servitium Christi. Vivas inter fratres quasi Lucifer inter stellas, ut plurimi tuis bonis exhortentur exemplis. Sicut ego curam habui de salute animae [Col. 0508A] tuae, ita tu curam habeas de salute multorum. Noli torrem de incendio raptum

disperare, sed poenitentiae fonte exstingui, quatenus qui in flamma libidinis exarsit, in flamma charitatis et munditiae luceat in conspectu Dei. Tu scis fragilitates adolescentiae; tu nosti flumen iniquitatis, quomodo per praecipitia rapiuntur multi in voragines diversae luxuriae. Quapropter sollicita mente labora, Deo adjuvante, ut quamplurimos per admonitiones dulcissimas ab errore iniquitatis revoces. Erit tibi maxima merces apud Deum, si salutem fraternam non neglexeris.

Plurimi sunt nominetenus doctores, sed pauci charitatis officio. Non cesses seminare Verbum Dei; Deus novit, ubi vult, ut cadat. Nullatenus tibi ejus bonitas deerit in remuneratione. *Qui converti fecerit* [Col. 0508B] peccatorem ab errore viae suae, cooperit multitudinem peccatorum suorum **(Jac. V, 20)**. Vivas utinam in mansuetudine {292} patientiae, et humilitate obedientiae, et charitatis dulcedine inter fratres, quatenus misericordia Redemptoris nostri te florere faciat in vario virtutum genere, et ab omni adversitate clementer custodire dignetur.

Saluta, obsecro, fratres nostros, quoscunque scias aliquo charitatis officio mihi esse conjunctos, et semper admoneas de orationibus meis, quoscunque habeas amicos, vel Deum timentes, vel sanctae conversationis socios. Vivite in omni charitate, et valete in aeternum.
@ [Col. 0508D] Froben. epist. 227.

EPISTOLA CCXXX. AD ONIAM SACERDOTEM.

Charitatem in praesente dulcem, in absente amaram dicit. Hortatur ad virtutes.[Col. 0508C]

Albinus
@ [Col. 0508D] *Oniae sacerdoti.* Hic idem abs dubio est, ac Onias, cui simul et Nathanaeli et Candido Alcuinus suum Commentarium super Ecclesiasten inscripsit; de quo etiam alibi quaedam annotavimus. Oniae sacerdoti salutem.

Mirabile est quod dulce versum est in amarum. Nam charitas dulcis est in praesente, sed extrema [*Forte, amara*] quodam modo in absente, dum non videt quem amat, angustiatus in absentia ejus; quae siquidem in beatis et regno Dei semper dulcis erit, quoniam praesens illi qui amatur; cujus visio omnis est beatitudo, ad quam ut pervenire mereamur, omnia dura dulcia per patientiae donum videri debent; et omnia hujus saeculi dulcia quasi nihil reputanda sunt.

Hoc memor, fili charissime, ut vivas feliciter sub timore Dei, in charitate Christi, in omni sobrietate, [Col. 0508D] castitate et charitate, proficiens de die in diem in omni opere bono, ut dignus efficiaris ad eam pervenire charitatem, quae nunquam mutabitur, nunquam finem habitura est. Vive feliciter in charitate Christi et omni religione sancta, fili charissime.
@ [Col. 0508D] Apud Froben. epist. 228.

EPISTOLA CCXXXI. AD EUMDEM.

Charitatem erga Deum et erga pauperes, miseros et peregrinos commendat.

Albinus Oniae sacerdoti salutem.

[Col. 0509A] Prosperitas et gaudium animi vestri multum mihi placere fateor, quae *charitas, sicut Apostolus ait, nunquam excidit* **(I Cor. XIII, 8)**, quae semper nova et antiqua; nova ex praesentia, antiqua ex memoria: quam semper utinam fideliter sequaris cum omni homine, quantum in te est, et quantum ad Dei honorem honestum et utile videaris. Non est charitas quae in ebrietate tenetur, vel in peccatis conjuncta conglutinatur, sed impia voluntas, non bona suavitas. Ama Deum semper, qui amantem se amat, et diligentem se diligit. Habeto illum amicum, qui unicuique amicus est secundum se. Pauperum memor esto in eleemosynis, et miserorum in defensione, et peregrinorum in solatio, ut Deus tibi reddat in die magno, ubi dividet omne humanum genus in duas partitiones; [Col. 0509B] aliis propter duritiam cordis indeficientes tormentorum flammas; aliis propter misericordiae opera et charitatis officia perpetuae beatitudinis regnum. Hoc faciens feliciter, vive, fili mi charissime.

{293}
@ Apud Froben. epist. 229.

EPISTOLA CCXXXII. AD GISLAM.

Charitatem suam illi significat: ad omnia virtutum genera hortatur, et commendat sanctae Scripturae lectionem.

Dilectissimae in Christo virgini
@ *Gislae.* Sorori, an filiae Caroli Magni, an alteri cuidam virgini magnae nobilitatis incertum. Gislae Alcuinus humilis levita salutem.

Valde enim tuis, clarissima Dei famula, alloquiis gavisus sum, et tua familiaritatis pietate consolatus, ita ut ex eo die quo pactum charitatis tecum inivi, [Col. 0509C] dulcedine dilectionis tuae per singula pene momenta pascebar, felicem aestimans me, dum sanctissimae orationis munimine, secundum promissionem vestram fruar; at nunc maxime assidua precum vestrarum protectione muniri indigeo, dum fluctivagi maris incertum iter tentare compellor [*Ms.,* temptare conpellar], ut divina clementia me ad portum salutis perducere dignetur, atque vestris iterum conspectibus gaudentem astare condonet. Sed rogo suppliciter te, Deo devotissima virgo, ne aures prudentiae tuae apices insipientiae meae offendant; et quod me dilectio vera scribere admonet, te humilitas sancta doceat perlegere; nec stylum meum praesumptiosum putes, officiosum agnoscens; et quem in Deo diligit, admonentem accipit [*F.,* accipiat].

[Col. 0509D] Primo omnium te de Dei charitate admoneo, et nobilitatem imaginis illius serva; et cujus viri sponsa esse coepisti, semper rememora. Inclytus est valde et

gloriosus sponsus tuus, qui alium ornatum in te non quaerit nisi spiritalem; non tortas crinium alligationes, sed rectas morum bonorum conligationes; nec vestimentorum vanum exterius nitorem, sed sanctitatis et castimoniae nobilem interius splendorem; cave ne aliquid in te inveniat quod oculos illius offendat; et si forsan, ut solet humanae fragilitatis conditio afferre, aliquam negligentiae maculam in te malignus spiritus infigat, citius poenitentiae lacrymis [Col. 0510A] abluere memento, ne diu sine sponsi tui maneas amplexu, quia promptior est te recipere quam amittere: tantum ne tardaveris de die in diem reverti ad illum. Haec enim duo mala maxime odit in hominibus, negligentiam revertendi, et desperationem salvantis. Tantum haec absint a cogitationibus procul nostris, et ille tunc animis prope erit nostris. Ideo habet nomen Salvator, quia semper salvat et salvare cupit, sicut scriptum est: *Qui vult omnes homines salvos fieri* **(I Tim. II, 4)**.

Noli de terrena nobilitate gloriari, sed gratias age ei qui, dum te hominem esse voluit, tam sublimes et claros tibi perdonavit parentes, quorum nobilitatem non superbia, sed humilitate prosequere; et maxime in eo gaude, quia alterius noluit te esse sponsam, ni [Col. 0510B] suam. Quae tibi major esse gloria poterit, vel sublimior honor, quam ejus Regis esse sponsam qui super omnes reges est: et quanto ille sublimioris est potentiae in virtute, tanto tu majoris esto diligentiae in sanctitate; sanctitas vero in justitiae operibus constat, justitia vero duobus modis impletur, hoc est, ut quae prohibita sunt a Deo, non faciamus, et quae jussa sunt ab eo, faciamus, juxta Prophetam: *Diverte a malo et fac bonum* **(Psalm. XXXIII, 15)**. De quibus sapientiae vestrae me scribere supervacuum aestimo, quia in utrisque ab optimis ac nobilissimis magistris a prima aetate abundantius imbuta es, et excellens naturaleque animi tui ingenium te ubique docet; insuper omnis sanctorum librorum series hoc maxime auribus tuis indicat, iterum iterumque replicat, [Col. 0510C] quid sit omni homini cavendum vel sequendum, in quorum lectione te ipsam exerce, quoniam per illos tibi loquitur ipse Deus et Dominus noster, et piae voluntatis tibi demonstrat effectum. Recognosce et cogita quali honore nobis illius legatio sit aestimanda: quid si a rege legatio et indiculus ad te veniet, nunquid non mox aliis curis postpositis prompta et cum omni devotione ejus litteras accipis et legis, et implere satages? Ecce de coelo rex regum, imo et Sponsus tuus per prophetas, apostolos, doctores [*Ms.,* apostolorum doctores] tibi, o virgo, dignatus est dirigere litteras suas, non ut aliquod servitium sibi necessarium demandasset, sed quae ad salutem et gloriam tibi necessaria sciebat esse, innotuisset. Harum te litterarum sedula reficiat lectio, quia in illis agnoscitur [Col. 0510D] Deus, in illis vitae aeternae gloria adnuntiatur, in illis quid credere, quid sperare, quid amare, vel quid fugere debeamus, ostenditur.

Haec scripsi, non ignorantem instruens, sed charitatis officium implens, maxime rogans ut teipsam immaculatam in diem Domini nostri Jesu Christi serves; et alios tota intentione, monitis seu exemplis trahe tecum, et curre multis comitata post illum, donec introducat vos in domum Patris, et in cubile genitricis suae **(Cant. III, 4)**, ut edatis et bibatis super mensam ejus in regno suo **(Luc. XXII, 30)**, ubi est cibus sine fastidio, et potus sine siti, et vita sine [Col. 0511A] morte, et gaudium sine tristitia et gloria sine fine. Huc, o virgo, propera, ut semper sanctae genitrici Virgini conjuncta Agnum sequens per omnia coelestis regni penetralia transeas. Sanctitatem tuam, in omnibus bonis florentem, pro me intercedentem Deus Christus conservare et exaudire dignetur,

domina virgo.

{294}-297 FRAGMENTUM I.

@ [Col. 0511B] Hanc epistolam ignoravit D. Quercetanus. AD FRATRES SANCTI NINIANI CANDIDAE CASAE. (*Apud Usserium de Primordiis Britan.* Eccles. pag. 669.) Venerandae dilectionis fratribus in loco Deo servientibus, qui dicitur

@ [Col. 0511B] *Candida Casa.* De situ hujus loci et nominis etymo Ven. Beda Hist. Gent. Angl. libr. III, cap. 4 haec habet: «Qui locus, ad provinciam Perniciorum pertinens, vulgo vocatur *ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Brittonibus more, fecerit.*» Et Polydorus Verg. libr. I Hist. Angl., pag. 6, num. 10: «Ad Hibernicam oram septembrionem versus Nidisdalia . . . Ad meridiem adhaeret Gallovidia, pabulo pecoris quam tritico melior: ibi *Candida Casa,* templumque pervetustum divo *Niniano sacrum, et episcopali sede ornatum.*» Candida Casa Alcuinus diaconus salutem.

Deprecor vestrae pietatis unanimitatem, ut nostri nominis habeatis memoriam, et intercedere pro mea parvitate dignemini in ecclesia sanctissimi Patris [Col. 0511B]

@ [Col. 0511C] *Niniae episcopi.* Niniam quoque nominat Ven. Beda. Malmesburiensis *Ninam;* alii *Ninum* aut *Ninianum.* Is Pictorum, quorum nunc terram Scotos tenere censetur, apostolus. Cujus vitae commentarium [Col. 0512B] Historico-Criticum habes Act. SS. Sept. tom. V, Edit. Antuerp. pag. 318 seqq. Niniae episcopi, qui multis claruit virtutibus, sicut mihi nuper delatum est per

@ [Col. 0512B] *Carmina.* Utinam (ita optandum cum commentatore Antuerpiensi) ad nos pervenissent carmina illa! Cum enim auctor eorum ad sancti Niniani aetatem accedat propius, certiora haberemus monumenta ad illustranda ejusdem gesta; quae enim nunc supersunt, non nisi dubiam notitiam actorum sancti episcopi subministrant. carmina metricae artis, quae nobis per fideles nostros discipulos Eboracensis ecclesiae scholasticos directa sunt; in quibus et facientis agnovi eruditionem, et ejus perficientis [Col. 0512A] miracula sanctitatem per ea, quae ibi legebam.

FRAGMENTUM II. AD EBORACENSES. (*Apud Wilhelmum Malmesburiensem, lib.* I *de Gestis Reg.* Angl. cap. 3.)

Non pro auri avaritia (testis est mei cognitor cordis) Franciam veni, nec remansi in ea, sed ecclesiasticae causa necessitatis.

FRAGMENTUM III. AD OSBERTUM PATRICIUM MERCIORUM. (*Apud eumdem loc.* cit.)

Nostrum regnum Northanimbrorum pene periit propter intestinas dissensiones et fallaces jurationes.

FRAGMENTUM IV. AD EUMDEM OSBERTUM PATRICIUM. (*Apud eumdem ibid.* cap. 4.)[Col. 0512B]

Non arbitror quod nobilissimus juvenis Egfertus propter peccata sua mortuus sit; sed quia Pater suus pro confirmatione regni multum sanguinem effudit

@ [Col. 0512B] Vid. supra epist. 63 inter notas. Reliqua Fragmenta epistolarum Alcuini, quae cl. Quercetanus ad [Col. 0512C] finem suae collectionis ex Malmesburiensi adjecit, hic omittere oportuit, quia quasdam epistolas, quarum fragmenta erant, integras superius dedimus; reliqua vero notis aliarum epistolarum inspersimus..

ORDO ALPHABETICUS PERSONARUM QUIBUS B. FLACCUS ALCUINUS INSCRIPSIT EPISTOLAS SUAS.

[Col. 0511C]

BEATI FLACCI ALBINI SEU ALCUINI CAROLI MAGNI MAGISTRI OPERUM PARS SECUNDA. ---OPUSCULA EXEGETICA, SEU COMMENTATIONES IN SACRAM SCRIPTURAM.

{304} OPUSCULUM PRIMUM.

[Col. 0515C] In cod. ms. Vaticano 289 hic opusculi titulus est, *Quaestiunculae Albini in Genesin.*

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES IN GENESIN.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0515A]

De Siguulfo seu Sigulpho, cujus interrogationibus Alcuinus hic respondet, in praefatione generali, ubi et de aliis Alcuini discipulis actum est, nonnulla diximus. Causam, finem, modumque hasce quaestiones de libro Geneseos movendi, tractandi, atque resolvendi ex ipsa epistola ad Sigulphum, commentario huic praefixa, lector intelliget, ex qua simul manifestum est, verum hujus opusculi auctorem esse Alcuinum. De ultima nihilominus quaestione, quae *de Benedictionibus patriarcharum instituitur, aliquandiu dubitatum fuit utrum Alcuino tribui debeat vel possit.* Cum enim illa quaestio caeteris multo prolixius deducta sit, atque tam secundum historicum quam secundum spiritualem sensum examinetur; in nonnullis quoque codicibus mss. a reliquo corpore avulsa, proprioque titulo descripta habeatur, factum est ut postea sub alieno, nunc sancti Augustini, nunc Eucherii

@ [Col. 0516C] Eucher. in Gen. lib. III, pag. 183-188. Lugdunensis, nunc aliorum nomine compareret; a [Col. 0515B] novissimis tamen Operum sancti Augustini editoribus Benedictinis congr. sancti Mauri eadem commentatio, tanquam partus huic sancto Patri suppositus, in appendicem tom. III Operum rejecta, veroque suo auctori Alcuino restituta est. Vid. supra epist. 143 (nunc 187), et illius notas. Ipse vero Alcuinus illius commentationis priorem partem, quae magis litteralis et historica est, pene integram ex Quaestionibus sancti Hieronymi in Genesin; postremum ex libris Moralium sancti Gregorii Magni papae mutuatus est, prout suis locis annotavimus. Ex editione Augustiniana in fine addidimus, quae alibi desiderantur.

Primus, quem scimus, has Interrogationes et Responsiones de Genesi publici juris fecit Menardus Moltherus anno 1525, in 8o Haganoae; ubi iteratis typis anno 1529 in eadem forma comparuit sub hoc titulo: *Albini, Caroli illius Magni olim praeceptoris, in Genesin Quaestiones.* Huic suae editioni Moltherus epistolam dedicatoriam praefixit ad cl. virum D. Laurentium [Col. 0515C] Truchsess a Bomersfelden sanctae Moguntinensis Ecclesiae decanum. Inde quae ad commentationem tum hujus opusculi, tum ipsius auctoris pertinent, huc ob illius editionis raritatem transcribere operae pretium fuerit.

«Videbatur mihi non indecens, inquit editor eruditus, ut ad te, cui ingenium dextrum et semper expromptum est, Albini in Genesin Quaestiones mitterentur, ut quanto intervallo a prisca illa studiorum simplicitate nostro saeculo quidam, qui simplicem [Col. 0516A] illum sacrae Scripturae sensum huc illucque, sursum deorsum, veluti austri nimboso impetu ferunt et vertunt, absint, intelligeres. Nec est ut auctorem commendem; commendat ipsum antiquitas, conditioque; quippe Caroli illius Magni praeceptor fuit in disciplinis liberalibus . . . Hoc exemplar cum mihi insignes pietate et humanitate viri Joannes Enolfus decanus, et Pancratius Thiel scholasticus regalis ecclesiae divi Ciriaci prope Vangionum Wormatiam commodato dedissent (pertinet enim ad ejusdem ecclesiae bibliothecam), ut avidus fenerator nolui monetam vetustam condere . . . Possem ex scribentibus quibusdam quosdam integros locos hinc sumptos demonstrare: sed hoc nolim sic accipi, quasi diligentiam illorum reprehendere vel cornicem cum suis plumis exornatum denudare velim; sed ut verissimum agnoscamus, quod ille ait: nullum esse jam dictum, quod non dictum sit prius. Proinde nil tam accurate scribitur, quod a veteribus illis viris, utique emunctae naris, [Col. 0516B] exactissimo judicio, et extremis censurarum limis non fuerit scriptum expolitumque.» Haec Moltherus.

Ex laudata hac editione Moltheriana opusculum hocce in veterum quorumdam theologorum elenchum, cui titulus: ΜΙΚΡΟΠΡΕΣΒUΤΙΚΟΝ, edit. Basileae anno 1550 relatum est, et ibidem pag. 445 et seqq. habetur. Rursus post annos quinque in eadem urbe insertum fuit Orthodoxographiae veterum sanctorum Patrum. Posthac Magarinus de la Bigne illud tom. IX Bibl. Patrum editionis Parisiensis de anno 1579 inseri curavit, ac demum Cl. Andreas Quercetanus ope codd. mss. VV. CC. Thuani et Puteanorum fratrum emendatius et auctius reddidit.

In nostra hac editione duos optimae notae codices mss. saec. IX in nostra sancti Emmerami bibliotheca servatos prae manibus habuimus, eorumque ope variantes

lectiones adnotatae; menda plurima priorum editionum sublata, et non paucae lacunae expletae sunt. Variantes lectiones et suppleta in textu uncinis inclusimus.

{305}

PRAEFATIO ALCUINI.

[Col. 0516C]

Dilectissimo in Christo fratri Singuulfo presbytero Alcuinus salutem.

Quia individuus et fidelis mihi, charissime frater, socius tanto tempore [*Al.,* tantopere] fuisti, et quia te sacrae lectionis studiosissimum esse novi, paucas interrogationes de libro Geneseos, quas, ut recordor, per vices a me exquisisti, pariter congregatas tuo [Col. 0517A] nomini dicavi, ut haberes unde tuam posses memoriam recreare, quae saepe perdit quod servare debet, nisi in thesauro litterarum reconditum teneat, maxime nobis, qui saeculi occupationibus distrahimur, et diversis itinerum molestiis fatigamur. Et quod [*Ms.,* quia] pondera librorum nobiscum portari nequeunt, ideo aliquoties brevitati studendum est, ut sit levi pondere pretiosa sapientiae margarita, et habeat fessus ex itinere viator quo se recreet, licet ex pondere portantis manus non gravetur. Sunt in eodem libro difficillimae quaestiones plurimae, quas ad praesens tangere non libuit, vel etiam non licuit; vel quod de illis me non interrogasti. Hae etiam maxime historicae sunt et simplici responsione contentae: illae vero majoris inquisitionis, longiorisque tractatus indigent [Col. 0517B] [*Cod.* ms., et longiorem habere indigent tractatum]. His tantum, dilectissime frater, esto contentus: et siquid in eis perperam dixerim, tu frater [*Ms.,* fraterno stylo] nos corrigere studeas; siquid vero bene, non mihi, sed largitori gratias age; qui et te proficere, et me tibi sufficere ex donis suis faciat, sine quo nihil possumus, in quo omnia possibilia sunt credenti; qui creditam suae nobis pecuniae largitionem, in laudem nos et gloriam sui nominis multiplicare faciat.

Interrogatio 1. Quomodo convenit quod in Genesi legitur: *Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis* **(Gen. II, 2)**, et in Evangelio. *Pater meus usque modo operatur et ego operor* **(Joan. V, 17)**?---*Responsio.* Requievit a novarum conditione @ [Col. 0517D] Verba *et creatione omittuntur in codd.* mss. et creatione [Col. 0517C] creaturarum, non a conditarum gubernatione. Et ideo Deus [tunc] creator in sex dierum creatione putandus est, nunc vero gubernator in totius mundi creaturis [*Ms.,* naturis].

Inter. 2. Quot creaturas rationales [*Ms.,* rationabiles] condidit Deus?---*Resp.* Duas. Angelos et homines: et coelum angelis, et terram hominibus habitationem.

Inter. 3. Quare angelicum peccatum silentio in Genesi absconditum est et hominis patefactum?---*Resp.* Quia angelicum vulnus Deus non praedestinavit curare, hominis vero sanare praedestinavit.

Inter. 4. Cur summi angeli peccatum insanabile fuit, et hominis sanabile?---*Resp.* [Quia] angelus sui sceleris inventor fuit, homo vero alterius fraude [Col. 0517D] seductus [fuit]. *Item, quanto sublimior angelus in gloria, tanto major in ruina:* homo vero

quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam.

Inter. 5. Cur homo suae potestatis auctor est creatus?---*Resp.* Ut sibi ipse auctor esset [sive] ad vitam, sive ad mortem. Si vero necessitate [*Ms.,* necessitati] esset subjectus, tunc nec boni operis haberet gloriam, nec mali poenam: sed esset quasi unus [*Al.,* unum] ex pecoribus.

Inter. 6. Cur [enim] in paradiso lignum vitae et lignum scientiae boni et mali creatum est?---*Resp.* Ut per illud potuisset homo immortalis esse, per hoc vero mortalis; ligno vitae quasi medicina, ut incorruptibilis [Col. 0518A] esset, utebatur [*Ms.,* uteretur]: ligno autem scientiae boni et mali, quasi ut veneno, ut moreretur.

Inter. 7. Quare Adam mundi dominus legem accepit?---*Resp.* Ut non tanto extolleretur dominio, sed in observatione mandati sciret se subjectum Creatori [*Ms.,* Conditori] suo.

Inter. 8. Quid est, quod *Deus inspiravit in faciem Adae spiraculum vitae* **(Gen. II, 7)**?---*Resp.* Inspiratio Dei [in] faciem hominis traditio [*Ms.,* conditio] est animae rationalis.

{306} *Inter.* 9. Cur homo sexto die creatus est, cum propter rationem nobilior caeteris esset creaturis, quae ante [*Edit.,* se] [sex diebus] factae sunt?---*Resp.* Ut primum Creator mundum quasi domum praepararet, [Col. 0518B] et post introduceret habitatorem, id est, dominum domus.

Inter. 10. Quare Creator in Adae [delicto (*Edit.,* maledicto)] terrae maledixit et non aquis **(Gen. III, 17)**?---*Resp.* Quia de terrae fructu [*Ms.,* de terra fructum] contra interdictum manducavit homo, non de aquis bibit; et quod [*Ms.,* quia] praedestinavit Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terrae contraxit homo.

Inter. 11. Quare terrestria animalia plus maledictionis habent quam aquatilia?---*Resp.* Quia plus de maledicta terra vivunt quam aquatilia; et ideo Christus post resurrectionem de pisce manducare voluit, non de aliquo animali terrestri **(Luc. XXIV, 43)**.

Inter. 12. Quare ipse Creator hominis peccatum [Col. 0518C] per seipsum expiare voluit, et non per angelum?---*Resp.* Quia non sufficiebat unius angeli meritum ad redemptionem totius generis humani; nec tantum sceleris [*Ms.,* scelus] incurrisset diabolus in nece angeli, quantum incurrit in nece Creatoris.

Inter. 13. Cur diabolus tam infestus est hominum saluti?---*Resp.* Propter odium in Creatorem et invidiam in hominem, et desperationem suae salutis.

Inter. 14. Quare Deus in principio [humano generi] legem non dedit quam postea per Moysen tradidit?---*Resp.* Quia in hominibus primis diu lex bonae naturae servabatur; at ubi naturalis lex evanuit, oblata consuetudine peccandi, data est lex litterae per Moysen, ut bona quae sciebantur auctoritatem haberent, et quae latere coeperant, manifestarentur; [Col. 0518D] et ut terror disciplinae corrigeret delinquentes, et fidem reformaret in Deum.

Inter. 15. Ut quid Abel sacrificium susceptum est, et Cain refutatum **(Gen. IV, 4)**?---*Resp.* [Quia] Abel Deo optima et naturalia offerebat, Cain vero viliora et humana inventione excogitata, ut putatur.

Inter. 16. Cur Abel in Evangelio singulariter justus nominatur **(Matth. XXIII, 35)**?---*Resp*. [Quia] tria maxima [*Al.,* maximae] justitiae praeconia in eo esse leguntur, virginitas, sacerdotium [et] martyrium [*Al.,* virginitatis sacerdotum et martyrum], in quibus primus Christi figuram gessit, qui fuit virgo, sacerdos et martyr.

[Col. 0519A] *Inter*. 17. Quare Enoch tanto tempore servabatur a morte **(Gen. V, 23)**?---*Resp*. Ut ostenderetur quid omnes homines potuissent, si non peccassent.

Inter. 18. Cur idem Enoch moriturus est **(Apoc. XI, 3)**?---*Resp.* Ut debitum solvat humanae naturae, et quod Christus voluit [*Ms.,* noluit], nullus possit, id est, non mori.

Inter. 19. Quot modis est operatio divina?---*Resp.* Quatuor. Primo, quod in verbi [Dei] dispensatione omnia aeterna sunt. Secundo, quod in materia informi *qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* **(Eccl. XVIII, 1)**. Tertio, quod per opera dierum sex varias distinxit creaturas. Quarto, quod ex primordialibus seminibus non incognitae oriuntur naturae, sed notae saepius, ne pereant, reformantur.

[Col. 0519B] *Inter*. 20. Quae creaturae de nihilo factae sunt?---*Resp.* Coelum, terra, angeli, lux, aer, aqua [et] anima hominis.

Inter. 21. Quot elementis mundus constat?---*Resp.* Quatuor: igne, aere, aqua, terra.

Inter. 22. Quae est singulorum natura elementorum?---*Resp.* Ignis calidae et aridae est naturae; aer [vero] calidae et humidae; aqua humidae et frigidae; terra frigidae et aridae [*Ed.,* aqueae] est naturae.

Inter. 23. Cujus naturae coelum esse fertur?---*Resp.* Igneae, rotundae atque volubilis.

Inter. 24. Si volubile [est] cur non cadit?---*Resp.* Rueret [vero] propter nimiam celeritatem, ut sapientes mundi dixerunt, si non planetarum occursu [*Edit.* hoc cursu] moderaretur.

[Col. 0519C] *Inter*. 25. Cur Deus senario numero mundi creationem [*Ms.,* creaturas] perfecit?---*Resp.* Quia ille numerus perfectus juxta arithmeticae disciplinae rationem legitur esse; et ut ostenderet Deus omnia perfecta et valde bona se condidisse.

{307} *Inter*. 26. Quid est: *In principio creavit Deus coelum et terram?---Resp.* In Filio perfecit [*Ms.,* fecit] Deus coelum et terram?

Inter. 27. Cur dictum est, *plantaverat Deus paradisum a principio* **(Gen. II, 8)**?---*Resp.* Hieronymus vult [quod] ante conditionem coeli et terrae paradisum plantatum esset [*Edit.,* esse].

Inter. 28. Quid in coeli terraeque nomine significatur, quando dicitur: *In principio fecit*

Deus coelum [Col. 0519D] et terram **(Gen. I, 1)**?---*Resp.* Informis illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primo coelum et terra: non quia jam hoc erat, sed quia jam hoc esse poterat. Nam secundo die coelum istud sidereum factum esse legitur, et tertio die terram apparuisse et vestiri floribus coepisse. Sive, in coeli et terrae nomine spirituales et terrenae creaturae intelligi possunt.

Inter. 29. Quid est: *Spiritus Domini ferebatur super aquas* **(Gen. I, 2)**?---*Resp.* Non pervagatione [*Edit.,* per vagationem], sed potestate, et regentis imperio, ad formandum et vivificandum informem materiam, quae hoc loco aquae nomine significatur [*Ms.,* significari potest].

Inter. 30. Quid est: *Terra autem erat invisibilis et* [Col. 0520A] incomposita **(Ibid. ex vers. LXX)**?---*Resp.* Invisibilis propter obscuritatem; incomposita propter deformitatem.

Inter. 31. Quid est quod dicitur: *Dixit Deus, fiat lux* (vers. 3)?---*Resp.* Dixit, pro fecit, scriptor posuit, ut celeritatem vel facilitatem operis Dei ostenderet.

Inter. 32. Quid est: *Appellavit Deus lucem diem* (vers. 5)?---*Resp.* Id est, appellari fecit.

Inter. 33. Quare prima die lux creata legitur?---*Resp.* Congruit operibus Dei, ut prima die a [*Ms.,* de] luce aeterna lux temporalis primo fieret, ut esset unde caetera quae crearet, apparerent.

Inter. 34. Quid est: *Factum est vespere et mane dies unus* (vers. 5)?---*Resp.* Id est finis operis perfecti, [Col. 0520B] et initium operis incoepti.

Inter. 35. Quid est: *Vidit Deus, quod esset bonum?---Resp.* Id est, in ea bonitate placuit ut maneret, in qua placuit ut fieret, quod fecit.

Inter. 36. Quare de solo homine dictum est: *Faciamus hominem* **(Gen. I, 26)**; de aliis autem creaturis legitur: *Dixit Deus?---Resp.* Ut videlicet, quae [*Ms.,* quia] rationabilis creatura condebatur, cum consilio facta videretur, et ut ejus nobilitas ostenderetur.

Inter. 37. Cur plurali numero dixit: *Faciamus?---Resp.* Ut ostenderetur trium una operatio personarum.

Inter. 38. In quo est homo conditoris sui imago?---*Resp.* In interiori homine.

[Col. 0520C] *Inter*. 39. Cur utrumque, imago et similitudo?---*Resp.* Imago in aeternitate, similitudo in moribus.

Inter. 40. Cur iterum dixit: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam* (vers. 27); cum antea dixisset: *ad imaginem nostram?---Resp.* Ut utrumque, et pluralitas personarum, et unitas substantiae insinuaretur.

Inter. 41. Quare de solo homine creato non dicitur singulariter: *Vidit Deus quod esset bonum, sicut de caeteris creaturis dictum est?---Resp.* Quia postquam homo creatus

est, dicebantur omnia valde bona, quasi ante essent singula bona: propter hominem autem omnia valde bona, quod [*Ms.,* quia] omnia in decorem hominis creata essent [*Ms.,* sunt]; [Col. 0520D] homo vero in gloriam et laudem Conditoris sui factus est.

Inter. 42. Quid est quod legitur [*Ms.,* dixit]: *Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis* **(Gen. II, 2)**?---*Resp.* Si [enim] dividas septenarium numerum in unum et sex, erunt duo primi numeri perfecti: unitas vero in seipsa natura et potestate perfecta est; senarius vero numerus primus opere et actu perfectus est, et partibus suis impletur: nam unum, duo, tria faciunt sex. Significatur ergo [*Ms.,* vero] [in] requie diei septimi, quod Deus ante creationem mundi in seipso natura et potestate perfectus est, et aeternaliter in seipso habet requiem; creaturae vero actu ab ipso creationis accepto habent per ipsum [Col. 0521A] in suis naturis perfectionem quamdam, et [*Ms.* omittit et] requiem in operatione {308} obedientiae, et maxime rationabiles creaturae in [*Ms.* om. in] eo bono beatae sunt, ut in conditore suo requiescant.

Inter. 43. Cur de die sabbati dicitur: *Benedixit Deus diei septimo et sanctificavit illum* (vers. 3), cum de aliis diebus non legatur hoc eum dixisse?---*Resp.* Ut ostenderet sanctorum requiem post sex hujus saeculi aetatum labores, in aeterno sabbato et benedicta requie quieturam [*Ms.,* quieturos], sicut dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* **(Matth. XXV, 34)**. Ideo et ille dies sine vespera legitur, quod ultima requies sanctorum sempiterna est.

Inter. 44. Cur dixit: *Istae sunt generationes coeli et terrae* **(Gen. II, 4)**?---*Resp.* Contra eos [facit] qui [Col. 0521B] mundum sine initio et semper fuisse affirmant.

Inter. 45. Cur [dixit: *In*] die quo fecit coelum et terram (vers. 4), et non: *in diebus?---Resp.* Diem (vero) pro toto tempore primordialis creaturae posuit, sicut et Apostolus: *Ecce* (nunc) dies salutis **(II Cor. VI, 2)**, diem totum tempus intelligi voluit, quo sancti in hac vita pro aeterna salute laborant.

Inter. 46. Quid est [quod dicit]: *Omne virgultum agri* **(Gen. II, 5)** antequam oriretur in terra?---*Resp.* Ut celeritatem operis Dei insinuaret; id est, antequam aliqui fructus ex terra crescendo orirentur aut germinarent, repente omnes campi et colles herbis erant et arboribus cooperti.

Inter. 47. Quid est: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram* (vers. 5)?---*Resp.* Ut intelligeretur [Col. 0521C] quantum prima terrae germinatio a moderna distabat, quae morulis ad pluviarum irrigationem vix tandem et tarde perficitur: illa vero ad jubentis imperium mox exorta apparuit.

Inter. 48. Quid est [iterum, quod dixit]: *Fons ascendebat de terra irrigans universa super faciem* [Ms., *universam superficiem*] terrae **(Gen. II, 6)**?---*Resp.* Aut de solo dicit paradiso, qui uno fonte irrigari creditur; aut, si de tota terra intelligendum est, omnem aquarum abundantiam intelligi voluit.

Inter. 49. Formavit igitur (Dominus) Deus hominem de limo terrae **(Gen. II, 7)**. Quid igitur? Num non ante, die sexto, homo legitur esse creatus?---*Resp.* Jam stricte [*Ms.,*

strictim; *al.* omitt.] prius per anticipationem [Col. 0521D] de hominis creatione dixit, quam modo per recapitulationem plenius exponere aggressus est.

Inter. 50. Quid est, quod dixit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae?---Resp.* Quia videlicet in corporis et animae substantiam factus est, e quibus corpus de limo (terrae) formatum est; anima vero de nihilo Deo inspirante creata.

Inter. 51. Quid est, quod dixit [*Ms.,* dicitur]: *Et posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* **(Gen. II, 15)**? [Nunquid homini laborare in paradiso opus fuit]; aut a quo custodire illum [*Edit.,* illud; *al.* custodiri ille] debuit?---*Resp.* Non enim [homini erat] laboris afflictio in paradiso, sed voluntatis exhilaratio; cum ea [Col. 0522A] quae Deus creaverat humani operis adjutorio laetius feraciusque [*Ms.,* veracius] provenirent. *Et custodiret illum, ut custodiret eumdem paradisum sibi ipsi, et* [*Ms.,* ne] si aliquid amitteret, ut inde mereretur expelli.

Inter. 52. Cur dictum est: *Lignum scientiae boni et mali* **(Gen. II, 9)**?---*Resp.* Non quod ipsum lignum in sua natura rationale esset, vel scientiam boni et mali habuisset; sed quod homo in eo experiri et scire potuit quid esset inter obedientiae bonum et inobedientiae malum.

Inter. 53. Quid significat in eo quod dixit: *Morte morieris* (vers. 17)?---*Resp.* Duplicem hominis mortem designat, id est, animae et corporis. Animae mors est, dum propter peccatum quodlibet animam Deus deserit. [Col. 0522B] Corporis mors est, dum propter necessitatem quamlibet corpus deseritur ab anima. Et hanc duplam hominis mortem Christus sua simpla [morte] destruxit. Nam sola carne mortuus est ad tempus, anima vero nunquam, quia nunquam peccavit.

Inter. 54. Unde dicitur: *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* **(Gen. II, 19)**?---*Resp.* Non circuitu locali adducens, sed occulto nutu suae potentiae voluit ut venirent.

{309} *Inter*. 55. Cur voluit Deus ut homo cunctis animantibus nomina imponeret?---*Resp.* Ut homo intelligeret seipsum, quanto melior esset cunctis animantibus ex rationis discretione, et eo magis conditorem suum diligeret, quo se meliorem aliis viventibus intelligeret.

[Col. 0522C] *Inter*. 56. Cur dicitur: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus* **(Gen. II, 20)**?---*Resp.* Quia inter omnia animantia terrae nullum rationale inveniebatur, nisi ille solus.

Inter. 57. Cur mulier de latere viri dormientis aedificata legitur, et non de terra plasmata, sicut vir (vers. 22)?---*Resp.* Certe mysterii causa significans, quod Christus propter Ecclesiam in cruce dormivit, ex cujus latere fons salutis nostrae manavit.

Inter. 58. Quomodo convenit Christo quod dictum est: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae* **(Gen. II, 24)**?---*Resp.* Reliquit patrem, quia non in ea forma apparuit hominibus, qua aequalis est Patri. Reliquit matrem dum

synagogam deseruit Judaeorum, de qua secundum carnem [Col. 0522D] natus est, ut adhaereret Ecclesiae, quam ex gentibus congregavit.

Inter. 59. Quare non erubescebant Adam et Eva, dum nudi erant **(Gen. II, 25)**?---*Resp.* Quia nullam legem senserunt in membris suis repugnantem legi mentis suae: nihil enim putabant velandum, quia nihil senserunt refrenandum. Nam in poenam peccati evenit homini, ut ipsa sua caro rebellis ei esset in motibus suis, quia ipse rebellis erat creatori suo in actibus suis.

Inter. 60. Unde *serpens* callidior dicitur *cunctis animantibus terrae* **(Gen. III, 1)**?---*Resp.* Non ex sua natura, sed ex diabolici spiritus inflatione. Utebatur enim serpente diabolus quasi organo ad perpetrandam calliditatis suae malitiam.

[Col. 0523A] *Inter*. 61. Cur tentari Deus hominem permisit, quem consentire praesciebat?---*Resp.* Quia magnae laudi [*Ms.,* laudis] non esset, si ideo homo non peccasset, quia malefacere non potuisset. Nam et hodie sine intermissione [per universum] genus humanum ex insidiis diaboli [homines] tentantur [*Edit.,* tentatur], ut ex eo virtus tentati probetur, et palma non consentientis gloriosior appareat.

Inter. 62. Si serpens sonum verborum ejus qui per eum loquebatur intelligere potuit?---*Resp.* Non est credibile eum intelligere potuisse quae per eum diabolus agebat; sed sicut daemoniacus et mente captus loquitur quae nescit, ita serpens verba edebat quae non intelligebat.

Inter. 63. Cur mulier ad interrogata serpenti respondet [Col. 0523B] [*Ms.,* respondit] **(Gen. III, 2)**?---*Resp.* Ut praevaricatio ejus esset inexcusabilis, cum nullo modo dicere potuit se oblitam esse mandati quod serpenti prodidit.

Inter. 64. Cur homo factus est in liberum arbitrium?---*Resp.* Quia noluit creator hominem cujuslibet servum creare, quem ad imaginem suam fecit, quatenus ex voluntario bono laudabilis appareret, vel appetitu malo damnabilis.

Inter. 65. Quae est libertas vera?---*Resp.* Maxima [autem] libertas est servire justitiae, et a peccato esse liberum.

Inter. 66. Quomodo potuit mulier credere serpentis sermonibus, quod divinitus a re bona fuisset prohibita?---*Resp.* Quia forte ante inerat menti illius [Col. 0523C] amor quidam propriae potestatis, et quaedam de [se] superba praesumptio, quae per illam tentationem fuerat vincenda et humilianda.

Inter. 67. Cur mulier consideravit lignum post serpentis persuasionem **(Gen. III, 6)**?---*Resp.* Ut exploraret si quid in eo mortiferum esset; dum autem nihil in eo tale reperiret, confidentius gustavit ex eo.

Inter. 68. [Sed] unde vir consentit feminae?---*Resp.* Quia forte illam eo cibo mortuam non esse cernebat; et potuit fieri, ut putaverint alicujus significationis causa dixisse creatorem: *Si manducaveritis ex eo, morte moriemini* **(Gen. II, 17)**.

Inter. 69. Ad quid aperti sunt oculi eorum **(Gen. III, 7)**?---*Resp.* [Quo] nisi ad invicem concupiscendum? quod eis ad poenam mox post peccatum [Col. 0523D] evenit.

{310} *Inter.* 70. Cur ad folia ficulni [*Ms.,* ficulneae] turbati cucurrerunt [*Ms.,* concurrerunt] **(Gen. III, 7)**?---*Resp.* Quia gloriam simplicis castitatis amiserunt, ad duplicem libidinis pruriginem confugerunt. [Ideo Dominus Jesus dixit Nathanaeli: *Cum esses sub ficu, vidi te* **(Joan. I, 48)**, id est, cum esses sub ficu originalis peccati, per misericordiam vidi te, et ideo descendi liberare te.]

Inter. 71. Quid est quod post meridiem abscondit se Adam et uxor ejus **(Gen. III, 8)**?---*Resp.* Id est, post beatam [*Edit.,* beatae] paradisiacae felicitatis lucem in hujus saeculi caliginosam miseriam [*Edit.,* caligine a miseria] se absconderunt.

[Col. 0524A] *Inter.* 72. Cur Deus quasi nesciens interrogavit, ubi esset Adam **(Gen. III, 9)**?---*Resp.* Non utique ignorando quaesivit, sed increpando admonuit ut attenderet ubi esset, et unde cecidisset.

Inter. 73. Unde [se] a Domini praesentia abscondi posse putabat?---*Resp.* Haec ei insipientia de peccati poena accidit, ut eum hoc latere putet [*Ms.,* eum latere velle quem], quem latere nihil potest.

Inter. 74. Cur Adam peccatum in mulierem detorsit **(Gen. III, 12)**?---*Resp.* Ad cumulum peccati sui superbe respondit, [et] non humiliter; quasi querimoniam in Deum dirigeret cur ei talem dedisset sociam, unde ei peccati occasio esset. Similiter et mulier suae culpae causam in creatorem refert, quare [*Al.,* quia] serpentem, per quem deciperetur [in paradiso] [Col. 0524B] creaverit.

Inter. 75. Quare non est interrogatus serpens cur hoc fecerit?---*Resp.* Quia forte id non sua natura vel voluntate fecerat, sed diabolus de illo et per illum fuerat operatus. Ideo dicitur ei: *Super pectus tuum gradieris et terram comedes* **(Gen. III, 14)**, siquidem in pectore calliditas nequitiarum ejus indicatur; qui et terram devorat, dum luxuria et libidine peccantium pascitur et delectatur [*Al.,* dilatatur]. Nam [et] sicut diabolus per serpentem loquebatur, ita et in serpente maledicitur.

Inter. 76. Quid est semen mulieris, vel [semen] serpentis (vers. 7)?---*Resp.* Semen mulieris est totum genus humanum; semen serpentis, originalis peccati primordium: quae duo semina ex praecepto divino [Col. 0524C] continuum inter se odium gerere debent, ut non faciamus quae diabolus vult, quia ille nunquam vult nobis profutura.

Inter. 77. Quid est caput serpentis et calcaneum mulieris **(Gen. III, 15)**?---*Resp.* Caput serpentis est illicitae suggestionis cogitatio, quod nos omni intentione conterere atque allidere debemus ad petram, qui est Christus. Calcaneum mulieris est extremum vitae nostrae tempus, quo diabolus nos acrius impugnare satagit, cui si viriliter resistimus, victoriam perseverantiae cum salute nostra accipiemus.

Inter. 78. Quaeritur, dum dicitur: *Et sub viri potestate eris* **(Gen. III, 16; Gal. V, 6; I Joan. IV, 18)**, si ante peccatum [quoque] mulier sub potestate viri esset?---*Resp.* Fuit

utique, sed ea servitute, quae [Col. 0524D] per dilectionem operatur, et foras mittit timorem; post vero, conditionali servitutis timore, quae per disciplinam operatur.

Inter. 79. Cur spinas et tribulos germinavit terra **(Gen. III, 18)**?---*Resp.* Per peccatum enim hominis terra maledicta est, ut spinas pareret et venenosas herbas ad poenam vel [ad] exercitationem mortalium, ut ante oculos homo semper habeat originale crimen et vel sic admonitus [aliquando] se avertat a peccatis.

Inter. 80. Cur Deus fecit homini tunicas pelliceas (vers. 21)?---*Resp.* Ut eos mortales fuisse insinuaret.

Inter. 81. Quomodo Dominus Deus dixit de homine [Col. 0525A] post peccatum: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis* (vers. 22)?---*Resp.* Propter sanctam Trinitatem plurali numero dixit *ex nobis;* sicut et in creatione ejus: *Faciamus hominem ad imaginem* **(Gen. I, 26)**. Hic utitur voce deterrentis, ad incutiendum aliis, ne peccarent, timorem; vel sensu exprobrantis, quia non solum non fuerat factus qualis fieri voluerit, sed nec illud quod factus fuerat, conservaverit.

Inter. 82. Quid est Cherubin, vel *flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendum viam ligni vitae posuit* **(Gen. III, 24)**?---*Resp.* Id est, per angelicum {311} ministerium ignea quaedam custodia: quae tamen bene, quod versatilis dicitur, significat quandoque illam removendam esse a paradisi januis.

Inter. 83. Unde noverat Cain Dominum ad munera [Col. 0525B] ejus non respexisse, et ad munera Abel respexisse **(Gen. IV, 5)**?---*Resp.* Igne misso de coelis, ut creditur, hostiam Abel suscepit, ut saepissime factum offerentibus viris sanctis legimus; Cain vero ipse sacrificium suum consumere igne debebat.

Inter. 84. Quid est, [quod] Dominus dixit ad Cain: *Nonne si bene egeris recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit* (vers. 7)?---*Resp.* Id est, si pura mente obtuleris sacrificium, recipies, respiciente Deo ad te et ad sacrificium tuum; sin autem male egeris, intrantem te vel exeuntem semper peccatum tuum comitabitur, et desinet Dominus custodire introitum tuum et exitum tuum.

Inter. 85. Quomodo intelligendum [sit] *sub te erit appetitus tuus* [Ms., ejus], *et tu dominaberis illius* [Col. 0525C] (vers. 7)?---*Resp.* Tu quia liberis es arbitrii, non habet peccatum super te dominium, sed tu super illud; et in tua potestate est sive compescere, sive concupiscere illud.

Inter. 86. Quare Dominus interrogavit Cain: *Ubi est Abel frater tuus* (vers. 9)?---*Resp.* Non tanquam ignarus, sed tanquam judex reum, quem puniat. Cui Cain ad cumulum peccati sui fallaciter ac superbe respondit.

Inter. 87. Quomodo vox sanguinis Abel clamat ad Dominum (vers. 10)?---*Resp.* [Id est] homicidii illius reatus in conspectu [justi] judicis apparebat.

Inter. 88. Unde Cain maledicitur in peccato suo, [in peccato vero Adae terra

maledicitur] [*Edit.,* cum prius terra in opere Adae sit maledicta]?---*Resp.* [Col. 0525D] Quia Cain sciebat damnationem praevaricationis primae, et non timuit originali peccato fratricidii [*Edit.,* homicidii fratris] superaddere scelus; ideo majore maledictione dignus habebatur.

Inter. 89. Quod est signum Cain, quod posuit [ei] Deus, ut non occideretur (vers. 15)?---*Resp.* Ipsum videlicet signum, quod tremens et gemens, vagus et profugus semper viveret; nec audere eum uspiam orbis terrarum sedes habere quietas. Et forte [idcirco] civitatem condidit, in qua salvari posset (vers. 17).

Inter. 90. Cur ipse se morte damnavit dicendo: *Omnis qui inveniet me, occidet me* (vers. 14)?---*Resp.* Desperando dixit, vel ut compendio mortis cruciatus evaderet praesentes.

[Col. 0526A] *Inter*. 91. Quomodo septuplum punietur, qui occiderit Cain (vers. 24)?---*Resp.* Solet [enim] septenarius numerus in Scripturis sanctis saepissime pro plenitudine cujuslibet rei poni: quasi dixisset gravissima ultione puniendum esse, qui [nec] tantae damnationis acerbitate admonitus a sanguine effundendo [voluit (*Edit.,* nollet)] manus cohibere.

Inter. 92. Quid est, quod legitur Lamech dixisse, cum occideret Cain: *Septuplum de Cain vindicetur, de Lamech autem septuagies septies* (vers. 24)?---*Resp.* Quia homicidii peccatum [*Ms.,* reatum] septima generatione diluvio vindicatum esse legitur; adulterii vero scelus, quod primus omnium Lamech in duabus commisit uxoribus, non nisi sanguine Christi expiandum esse, qui septuagesima et septima generatione [Col. 0526B] venit in mundum.

Inter. 93. Unde evenit diabolo prima [*Ms.,* primo] mala voluntas?---*Resp.* Cum [vero] causa miseriae malorum angelorum quaeritur, ea merito occurrit, quia noluerunt ad illum custodire fortitudinem suam, qui est summum bonum, sed aversi sunt ab illo et ad seipsos conversi sunt [et] sua propria delectati potestate. Et iste primus defectus est et prima inopia rationalis creaturae. Et hoc vitium quid aliud, nisi superbia, nuncupatur?

Inter. 94. Quid est malum?---*Resp.* Malum [vero] nihil est per se, nisi privatio boni: sicut tenebrae nihil sunt, nisi absentia lucis.

Inter. 95. Cur per tres filios Noe secunda origo saeculi surrexit **(Gen. VI)**?---*Resp.* Ut tres partes [Col. 0526C] mundi a trium generatione implerentur. Porro Sem in filiis suis Asiam, [et] Cham Libyam, [et] Japhet Europam possidebat.

Inter. 96. De quibus dixit: *Cum coepissent homines multiplicari super terram et filias procreassent.* [Et iterum] *videntes Filii Dei filias hominum quod {312} essent pulchrae* **(Gen. VI, 1, 2)**?---*Resp.* Filias hominum, progeniem Cham; et filios Dei sobolem Seth [*Ms.,* Sem] appellare Scriptura voluit. Hi avita benedictione religiosi; illae paterna maledictione impudicae [*Ms.,* illi . . . impudici]: sed postquam filii Seth [*Ms.,* Sem] concupiscentia victi ex filiabus Cham connubia junxerunt, ex tali conjunctione homines immenso corpore, viribus superbi, moribus [inconditi], quos Scriptura gigantes

nominat, procreati sunt.

[Col. 0526D] *Inter.* 97. Quid est, quod dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est* **(Gen. VI, 3)**?---*Resp.* Spiritus [enim] hoc loco iram significat, et caro fragilitatem humanae naturae; quasi dixisset: [quia] fragilis est in hominibus conditio, non ad aeternos [eos] servabo cruciatus, sed hinc [*Ms.,* hic] restituam quod merentur.

Inter. 98. Quid significat praefinitus ille numerus: *Eruntque dies illius centum viginti anni* [Ms., annorum]?---*Resp.* Datus est ille numerus ad agendam poenitentiam humano generi; sed contemptores praevenit vindicta: nam post centum annos venit diluvium.

Inter. 99. Quid est, quod Deus dicit: *Poenitet me fecisse hominem.* Et iterum: *Tactus dolore cordis* [sui] [Col. 0527A] intrinsecus (vers. 6). Nunquid in Deum poenitentia aut dolor cordis cadere potest?---*Resp.* Non Deum de facto suo poenitet, nec [*Ms.,* aut] dolet Deus sicut homo, cui est de omnibus rebus tam fixa sententia, quam certa praescientia: sed utitur Scriptura sancta usitatis nobis verbis intelligibilibus, ut coaptet se nostrae parvitati, quatenus ex cognitis incognita cognoscamus.

Inter. 100. Noe vir justus et perfectus erat (vers. 9). Si nullus sine peccato, quomodo aliquis perfectus esse potest?---*Resp.* Perfecti hic [*Edit.,* hinc] [aliqui] dicuntur, non sicut perficiendi sunt sancti in illa immortalitate, qua aequabuntur angelis Dei; sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti.

Inter. 101. Quid est, quod dixit Deus ad Noe: [Col. 0527B] *Finis universae carnis venit* (vers. 13)?---*Resp.* [Universae carnis] significat omnium mortalium [*Edit.,* omnes mortales], praeter illos qui in arca salvandi erant. Illi igitur quasi seminarium secundae originis servati sunt.

Inter. 102. Disperdam eos cum terra. Quomodo cum terra, dum terra postea remansit?---*Resp.* Tradunt [enim] doctores terrae vigorem et fecunditatem longe inferiorem esse post diluvium quam ante; et idcirco hominibus carnem [*Ms.,* carnes] edere licentiam esse datam; et ante [etiam] diluvium fructibus terrae solummodo victitasse homines.

Inter. 103. Quae sunt ligna levigata, de quibus arca praecipitur fieri (vers. 14)?---*Resp.* Fortia et [Col. 0527C] insolubilia, de quibus alia translatio dicit, quadrata, ut arca nec ventorum vi, nec aquarum inundatione solveretur.

Inter. 104. Et bitumine linies. Quae est natura bituminis?---*Resp.* Bitumen est ferventissimum et violentissimum gluten, cujus est haec virtus, ut ligna, [quae cum bitumine] oblinita [fuerint], nec vermibus exedi, nec solis ardore, nec flatibus ventorum, nec aquarum possint inundatione dissolvi.

Inter. 105. Qualem ergo arcae speciem vel formam debemus intelligere (vers. 15)?---*Resp.* Ut videtur habuit quatuor angulos ex imo assurgentes, et iisdem paulatim usque ad summum in angustum attractis in spatium unius cubiti fuit collecta [*Ms.,* ut videtur quatuor angulis eam ex imo adsurgentem . . . fuisse collectam]. Sic [enim] refertur quod

in fundamentis [Col. 0527D] trecenti cubiti in longitudine et in latitudine quinquaginta sint; et in altitudine triginta, sed collecta in cacumen angustum, ita ut cubitus sit longitudinis et latitudinis. Et vere nulla potuit tam conveniens et congrua arcae species dari, quam ut summo velut [e] tecto quodam angusto culmen [*Ms.,* culmine] diffunderet imbrium ruinas, et ima in aquis quadrata stabilitate consistens nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium, quae intrinsecus erant, aut inclinari posset, aut mergi.

Inter. 106. Quomodo eam bicameratam et tricameratam intelligere debemus (vers. 16)?---*Resp.* Bicameratam in inferioribus, tricameratam vero in superioribus, ita ut quinque habitationum distinctiones [Col. 0528A] in ea esse advertamus; inferiora {313} ejus loca stercoribus et spurcitiis esse deputata, ne animalia et praecipue homines fimi fetore vexarentur. Huic autem superior et contigua camera conservandis pabulis animalium deputaretur. In hos ergo usus inferiores partes, quae bicameratae dicuntur, tradunt fuisse distinctas: superiores vero partes, quae tricameratae dicuntur, ad habitaculum primo bestiis vel animalibus immitioribus, vel serpentibus deputatas [esse]. Ab his vero congrua in superioribus loca mitioribus animantibus, stabulaque fuisse: supra omnia vero in excelso hominibus sedem locatam; ut pote sicut honore et sapientia antecedit, ita et loco cuncta praecelleret animalia. Et sic quinque mansiones in ea esse intelliguntur; prima, stercorina; [Col. 0528B] secunda, apothecaria; tertia, feris animantibus; quarta, mansuetis; quinta, hominibus.

Inter. 107. Quomodo de ostio quod in latere arcae aedificabatur, intelligendum est?---*Resp.* Tradunt [autem etiam] ostium, quod ex latere factum est, eo loci fuisse, ut inferiora, quae dixit bicamerata infra se haberet; et quae dixit tricamerata, superiora a loco ostii appellata sunt. Et inde ingressa animalia universa, per sua quaeque loca, secundum quae supra diximus, congrua discretione distincta [*Ms.,* disrepta] sunt.

Inter. 108. Quid habet mysterii mensura arcae?---*Resp.* Habet [enim] mysterium perfectum corporis Christi. Sexies enim trecenti habent intra se quinquaginta, et decies triginta. Sic enim humanum corpus, [Col. 0528C] si jacentem metiaris hominem, sexies habet longitudo latitudinem, et decies altitudinem. Nam longitudo jacentis hominis a vertice usque ad vestigia metienda est, et a latere usque in latus, et altitudo a dorso in ventrem. Quae figura apte Christo convenire noscitur, propter longanimitatem omnia sufferentis fidei et amplitudinem charitatis, et sublimitatem spei aeternae.

Inter. 109. Ad quid fenestra in summitate arcae jubetur fieri?---*Resp.* Ut haberet unde emittere potuisset [*Al.,* emitti possent] aves ad explorandam terrae siccitatem.

Inter. 110. Quid sibi vult: *Duo et duo, septena et septena* **(Gen. VII, 2)**. An quatuor ex immundis et quatuordecim ex mundis animalibus intelligere debemus [Col. 0528D] introducenda esse?---*Resp.* Non duo et duo propter quatuor, sed propter masculum et feminam. Nam de immundis tantummodo duo, et de mundis solummodo septem.

Inter. 111. Cur immunda pari numero posuit, munda vero impari?---*Resp.* Ut haberet Noe unde hostias Deo immolaret ex mundis.

Inter. 112. Unde pulchriora [*Ms.* pluriora] fuerunt munda, quam immunda?---*Resp.* Propter futurum humano generi usum, quia ex mundis debebatur hominibus, ut pulchriora [*Ms.,* plura] essent quae prodessent quam quae nocerent.

Inter. 113. Quaeri [enim] solet, utrum in tanta capacitate arca describitur [esse], ut animalia tanta et [Col. 0529A] tot, cum mansiunculis convenientibus sibi et escis eorum, ferre potuerit?---*Resp.* Hanc quaestionem Origenes solvit cubito geometrico, asserens cubitum geometricum tantum valere, quantum nostri cubiti sex valent.

Inter. 114. Quid est quod dictum est ingressa esse omnia animalia [ad Noe] in arcam (vers. 9)?---*Resp.* Non Noe colligente, sed Deo jubente. Sicut dictum est in prima creatione: *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* **(Gen. II, 19)**. Sic divino nutu coacta animalia, sponte praefinito numero veniebant ad arcam.

Inter. 115. Quid de piscibus vel alitibus [*Ms.,* volatilia], quae in aquis vel super aquas vivere possunt, intelligi debet; si in arca essent, an non; vel de [Col. 0529B] sectibilibus minutissimis, quales [sunt] sciniphes et muscae et caetera talia?---*Resp.* Hanc [vero] quaestionem sanctus Augustinus, libro XV **(Cap. 27, num. 4)** De Civitate Dei, ita solvit: «Quaeri solet de minutissimis bestiolis, non solum quales sunt mures et stelliones, verum etiam quales locustae, scarabaei, muscae denique et pulices, utrum non ampliori numero in arca illa fuerint, quam qui est definitus cum hoc imperaret Deus. Prius admonendi sunt quos haec movent, sic accipiendum quod dictum est: *Quae reptant* [Ms., repunt] *super terram* **(Gen. VI, 20)**; ut necesse non fuerit conservari in arca, quae possunt in aquis vivere, non {314} solum mersa, sicut pisces, verum etiam supernatantia sicut multae alites. Deinde cum dicitur, *Masculus et femina* [erunt], profecto intelligitur [Col. 0529C] ad reparandum [sexum]. Quis non videat quantum [ad genus (*Edit.,* quantum genus dici per hoc potest. Nec) dicitur pertinere (*Apud S.* Aug. l. cit.: ad reparandum genus dici, ac per hoc); ac per hoc nec] illa necesse fuerat ibi esse, quae possunt sine concubitu de quibusque rebus vel rerum corruptionibus nasci; vel si fuerunt sicut in domibus consueverunt esse, sine ullo numero definito esse potuisse. Aut si mysterium sacratissimum quod agebatur, et tantae rei figura etiam veritate facti aliter non posset impleri, nisi ut omnia ibi certo illo numero essent, quae vivere in aquis, illius natura prohibente, non possent, non fuit ista cura illius hominis vel illorum hominum, sed divina. Non enim ea [Col. 0529D] Noe capiens intromittebat, sed venientia et intrantia permittebat. Ad hoc enim valet quod dictum est, *intrabunt ad te, scilicet non in hominis actu, sed Dei* [*Ms.,* divino] nutu.»

Inter. 116. Quomodo [enim] posteaquam clausum est ostium et nullus hominum extra arcam fuit, includi et bituminari extrinsecus ostium potuit?---*Resp.* Hoc sine dubio divini [*Ms.,* divinae virtutis opus] operis fuit, ne ingrederentur aquae per aditum, quod [*Forte, quem*] humana non munierat manus.

Inter. 117. Quomodo Leones in arca vel aquilae, qui consuerunt carnibus vivere, pasci potuerunt?---*Resp.* Forte et alia animalia [praeter numerum definitum] propter aliorum escam, in arcam fuerunt missa; vel aliqua cibaria praeter carnes a viro sapiente [Col. 0530A] vel Deo demonstrata [*Ms.,* demonstrante] quae talium quoque animantium escis

convenirent; quod magis credibile est.

Inter. 118. De quibus animantibus dictum est: *In quibus erat spiritus vitae* (vers. 15)?---*Resp.* Non solum de hominibus, sed etiam de caeteris omnibus, quae vitali aura vescuntur.

Inter. 119. Si [enim] aqua [Olympum] transcendit quindecim cubitis, cujus altitudo hunc aerem turbulentum, ut fertur, transcendit, ubi dicitur nec nubes videri, nec ventos sentiri?---*Resp.* Si [enim] terra spatium illius tranquilli aetheris invadere potuit, cur non et aqua crescendo? Sunt tamen quidam qui putant nec terrae inaequalitatem talem [esse], nec montium altitudinem tantam ante diluvium fuisse sicut [Col. 0530B] nunc est.

Inter. 120. Quid de pace et concordia, et unde se invicem non debellarent diversi generis animantia, sentiendum est?---*Resp.* Sicut [enim] Dei nutu adducebantur in arcam, ita et Dei nutu conservabantur in arca. Sive enim mansiunculis secundum genera sua dividerentur, sive junctim manerent, Dei [tamen] potentia gubernabantur.

Inter. 121. Quid de potu animalium sentiendum est, de quo nihil dicit Scriptura?---*Resp.* Sunt [quidam] qui putant unius diei escam in arca vel potum in multos profuisse dies animantibus, vel forsitan in totum annum. Sed dimittamus incertas conjecturas et concedamus divinae potentiae facere de creaturis suis quod voluit.

[Col. 0530C] *Inter*. 122. Quaeritur ubi corvus requieverit, si columba non invenit ubi requiesceret?---*Resp.* Potuit corvus cadaveri cujuslibet animantis insidere, quod columba naturaliter refugit.

Inter. 123. Quare magis terrena animalia perierunt cum homine quam aquatilia?---*Resp.* Propter maledictionem terrae, de qua vescebantur animalia terrae.

Inter. 124. Quid de animalibus sentiri debet quorum natura nec semper in aridis, nec semper in humidis vivere potest, sicut sunt lutri [et] vituli marini, et multa avium genera, quae in aquis victum requirunt, sed in aridis dormiunt [nutriunt] et requiescunt?---*Resp.* Potuit [enim] virtus divina utramvis eorum naturam, donec diluvium transiret, temperare, ut aut in humido tantum, aut in arido tantum [Col. 0530D] vivere possent: nisi forte extra arcam in aliqua ejus parte loca illis praeparata essent, unde et in aquis vivere et in aridis requiescere potuissent.

{315} *Inter*. 125. De quo spiritu dixit: *Adduxit Deus Spiritum et imminutae sunt aquae* **(Gen. VIII, 1)**?---*Resp.* Bene [enim] de illo spiritu intelligi potest, de quo dictum est: *Spiritus Domini* [Ms., Dei] *ferebatur super aquas* **(Gen. I, 2)**. Tunc enim ferebatur, ut congregatis aquis in suum locum terra appareret: nunc autem adductus dicitur, ut ablatis e medio aquis diluvii faciem terrae revelaret. Potest et spiritus nomine ventus intelligi juxta illud Psalmistae: [*Et*] stetit spiritus procellae **(Psal. CVI, 25)**, cujus crebris flatibus aqua cogeretur recedere.

[Col. 0531A] *Inter*. 126. Quo [enim] reversae sunt aquae, dum dicitur: *Reversae sunt aquae de terra, euntes et recedentes* [Ms., redeuntes] **(Gen. VIII, 3)**?---*Resp.* Videtur juxta

litteram quod omnes fluviorum ac rivorum decursus per occultas terrae venas ad matricem abyssum redeant, juxta illud Salomonis: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant* **(Eccle. I, 7)**.

Inter. 127. Cur quadragenario numero pluvia mundabat, et iterum post quadraginta dies dicitur Noe fenestram [arcae] aperuisse (vers. 6)?---*Resp.* Quadragenarius [vero] numerus tribulationem poenitentiae ostendit. Quod vero post quadraginta dies fenestram [arcae] aperuit Noe, significat jejunio coelum reserari. Ideo Moyses et Elias, [etiam] et ipse Salvator [Col. 0531B] quadragenario numero jejunia consecrarunt, tanquam tribus temporibus necessaria, ante legem, sub lege, sub gratia.

Inter 128. Quare columba ramum olivae reportat (vers. 11)?---*Resp.* Columba Spiritus sancti, expulso alite teterrimo, ad Noe post diluvium, quasi ad Christum post baptismum devolat, et ramos [*Ms.,* ramo, *omitt.* portans] refectionis ac luminis portans, pacem orbi annuntiat.

Inter. 129. Si Deus omnia fecerat bona, et etiam valde bona **(Gen. I)**, quid est quod munda et immunda nominavit animalia: nunquid immundum bonum esse potest?---*Resp.* Etiam quod immundum dicitur, in sua natura bonum est: ad comparationem vero alterius naturae melioris quasi immundum putatur.

[Col. 0531C] *Inter.* 130. Cur bos melior est leone?---*Resp.* Quia ejus natura melius convenit hominis necessitati subvenire, propter quem creata sunt omnia animalia.

Inter. 131. Cur [enim] homo in terrorem caeteris animantibus positus est **(Gen. IX, 2)**?---*Resp.* In solatium transactae vindictae, et ne pauci homines a pluribus opprimerentur bestiis; et ut scirent se irrationabilibus dominari debere, non rationabilibus. Unde et primi patres nostri pastores pecorum, non reges hominum fuisse leguntur.

Inter. 132. Cur esus carnium post diluvium homini conceditur et non ante (vers. 3)?---*Resp.* Propter infecunditatem terrae, ut aestimatur, et hominis fragilitatem.

[Col. 0531D] *Inter.* 133. Cur arcus in signum securitatis datur (vers. 13)?---*Resp.* Quia praescivit creator formidabiles [hominum animos] ne iterum diluvio delerentur, dum saepius inundationes pluviarum cernerent.

Inter. 134. Cur idem signum securitatis in coelo positum est?---*Resp.* Ut ab omnibus inspici potuisset; et ut pro quacunque tribulatione oculos cordis ad eum attollamus qui habitat in coelis.

Inter. 135. Cur signum illud diversi coloris datur hominibus?---*Resp.* Propter securitatem et timorem: unde et in arcu idem color aquae et ignis [simul] ostenditur, quia ex parte est caeruleus et ex parte rubicundus. Ergo utriusque judicii testis est unius [Col. 0532A] videlicet facti, et alterius faciendi, id est, quia mundus judicii igne cremabitur [nam] aqua diluvii non delebitur.

Inter. 136. An pluviae ante diluvium essent?---*Resp.* Videtur non esse, quia arcus non

erat nisi ex radiis solis et humida nube. Potest autem fieri, ut ex roris et fontium [sicut in Aegypto] irrigatione terra fecundaretur.

{316} *Inter.* 137. Post diluvium quare vir justus Noe inebriatus esse legitur [*Ms.,* Ante diluvium quare Noe vir justus incoriatus esse non legitur.] **(Gen. IX, 21)**?---*Resp.* Forte, ut beatus Hieronymus dicit, vino inebriari posse nesciebat. Nec enim ante diluvium legitur, vino homines usos. Ideo de Noe specialiter dicitur: *Plantavit* [autem] Noe vineam.

[Col. 0532B] *Inter.* 138. Cur nudatio femorum post ebrietatem secuta est?---*Resp.* Quia saepius satietatem libido subsequitur.

Inter. 139. Cur Cham in posteris maledicebatur (vers. 25)?---*Resp.* Quia peccantibus et non poenitentibus futura imminet poena. Saepe quidem reproborum nequitiae hic [quidem] inultae proficiunt, sed in posterum feriuntur. Prophetatum quippe [*Ms.,* quoque] est, quod terram Chanaan, ejectis [inde] et debellatis Chananaeis accepturi forent filii Israel, qui venirent de semine Sem **(Gen. V)**.

Inter. 140. Quem hominem vult fratrem intelligi, dum dicitur: *Sanguinem hominis requiram de manu fratris sui* **(Gen. VI)**?---*Resp.* Omnem hominem voluit [*Ms.,* vult] fratrem intelligi, secundum cognationem [Col. 0532C] ex uno ductam.

Inter. 141. Quomodo divisus est orbis a filiis et nepotibus Noe?---*Resp.* Sem, ut aestimatur, Asiam, Cham Africam, [et] Japhet Europam sortitus est.

Inter. 142. Quot gentes singuli eorum procrearunt?---*Resp.* De Japhet nati sunt filii quindecim, de Cham triginta [*Ms, XXXVI*], de Sem viginti septem: simul septuaginta duo, de quibus ortae sunt gentes septuaginta duae, inter quas misit Dominus discipulos septuaginta duos.

Inter. 143. Cur dictum est: *Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem* **(Gen. IX, 27)**?---*Resp.* De Sem Hebraei, de Japhet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, a latitudine [Col. 0532D] [*Edit.,* altitudine], quae Japhet dicitur, latitudo nomen accepit. Quod additur, *Habitet in tabernaculis Sem, de nobis prophetatur, qui in eruditione scientiae Scripturarum, ejecto Israele, versamur.*

Inter. 144. Quid est quod dicitur in Genesi: *De terra illa exivit* [Ms., egressus est] *Assur, et aedificavit Niniven et Robooth civitatem* [Vulgata: *et plateas civitatis*] **(Gen. X, 11)**?---*Resp.* Non duas significat civitates. *Robooth* namque *platea dicitur.* Est autem sensus: hic aedificavit Niniven et plateas civitatis.

Inter. 145. Quomodo *Nemroth gigas venator robustus contra Dominum dicitur* **(Gen. X, 8, 9)**?---*Resp.* Id est, hominum terrenorum suppressor et exstinctor. Erigebat ergo cum suis populis turrem contra Dominum, in qua est impia significata superbia. [Col. 0533A] [Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi est dominata superbia] ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret Deo jubenti. Sic illa conjuratio dissoluta est, cum quisque ab eo quem non intelligebat, abscederet; nec se,

nisi ei cum quo loqui poterat, aggregaret. Itaque per linguas divisae sunt gentes dispersaeque per terras.

Inter. 146. Cui dicit [*Ms.,* dixit] Deus: *Descendamus et confundamus linguas eorum* **(Gen. XI, 7)**?---*Resp.* Descendere Dei est humanos actus inspicere, vel eorum sensibus propinquare. Quod vero plurali numero dixit: *descendamus, et iterum* [singulari] *Confudit Deus labium universae terrae, distinctione personarum sanctam Trinitatem,* et operationis [Col. 0533B] unitatem in majestate divina voluit ostendere. Sicut in exordio humanae creationis dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et iterum: *Fecit Deus hominem ad similitudinem suam* **(Gen. I, 26, 27)**. Ut Trinitas in personis, et unitas in potentia esse credatur.

Inter. 147. An credibile est tantae stultitiae fuisse homines, ut in coelum altitudinem aedificii cujuslibet erigere se posse putarent **(Gen. XI, 4)**?---*Resp.* Solet [enim] superbiam stultitia sequi et humilitatem sapientia. Ideo turris hic superbiae loco posita est. Fecit ergo superbia diversitates linguarum [humilitas Christi congregavit diversitates linguarum] et quos turris dissociaverat, Ecclesia collegit.

Inter. 148. Quis primo omnium hominibus dominari [Col. 0533C] et regnum dilatare studuit? ---*Resp.* Nemroth gigas, ut in sacra legitur historia, qui exstruendae turris et condendae Babyloniae auctor exstiterat.

{317} *Inter*. 149. An unum opus est turris et civitas [*Ms.,* civitatis], vel duo?---*Resp.* [Veluti] aestimatur a pluribus [arcem (*Ita restituitur lectio ex mss.*) esse civitatis Babyloniae turrem illam]. Et ideo civitas illa Babylon dicitur, id est, confusio, quia confusum est [ibi] labium universae terrae, et in linguas varias loquela hominum divisa. Hujus [enim] civitatis, id est, Babylonis admirabilem constructionem gentium commendat historia; cujus nimia disponebatur altitudo, sive unius turris [ejus] quam praecipuam moliebantur inter alias erigere in coelum, sive omnium turrium, quae per numerum singularem ita significatae [Col. 0533D] sunt, ut dicitur miles, et intelliguntur millia militum [*Querc.,* cum multos milites intelligimus].

Inter. 150. In qua familia illa permansit lingua, quae primitus Adam [*Edit.,* a Deo] data fuerat?---*Resp.* Ut putatur in familia Heber, ex quo Hebraei dicti sunt in ea parte hominum, quae Dei portio permansit, in qua et nasciturus erat Christus. Oportuit enim ut in ea lingua salus mundo primo praedicaretur, per quam primum mors intraverat in mundum. Ostendit quoque titulus in cruce Salvatoris scriptus, hanc esse omnium linguarum primam.

Inter. 151. Si Deus requievit ab omnibus operibus suis in die septimo, unde subito tanta apparuit diversitas linguarum?---*Resp.* Non in hac divisione linguarum novum quid condere Creatorem aestimatur, sed dicendi [Col. 0534A] modos et formas in diversis loquelarum [*Ms.,* linguarum] generibus divisit. Unde easdem syllabas et ejusdem potestatis litteras, [licet] aliter conjunctas, in diversis gentium linguis inveniemus; saepe etiam [et] eadem nomina vel verba aliud quid significantia in alia lingua, atque aliud in alia. Ubi dicimus in Psalmo: *In virga ferrea* **(Psal. II, 9)**, in Graeco habetur, ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Igitur in Latino *sidera* non *ferrea significat sicut in Graeco, sed astra.*

Inter. 152. Quid est quod legitur de Aran fratre Abraham: *Mortuus est Aran ante Thare patrem suum in Ur Chaldaeorum* **(Gen. XI, 28)**?---*Resp.* Ur [vero] ignis dicitur, et Chaldaei ignem colunt pro Deo; Thare vero, ut Hebraei tradunt, cum filiis suis in ignem missus est a Chaldaeis, quia ignem adorare [Col. 0534B] nolebat, in quo igne Aran consumptus est. Et hoc est quod nunc dicitur: *Mortuus est ante conspectum Thare patris sui, sicut Hieronymus in Libro Hebraicarum Quaestionum refert* **(Patr. tom. XXIII, col. 957)**, ita dicens: «Vera est [igitur] Hebraeorum illa traditio, quod egressus est Thare cum filiis suis de igne Chaldaeorum, et quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus. Et ex illo tempore ei dies vitae et tempus reputatur aetatis, ex quo confessus est Deum spernens idola Chaldaeorum.» Et ita solvitur obscurissima quaestio de Abraham. Legitur enim Thare cum septuaginta [*Ms.* LXXV] esset annorum, genuisse Abraham, et vixisse, postquam genuit Abraham, centum triginta quinque annos, et fuisse omnes [dies] Thare [Col. 0534C] ducenti quinque anni. Item legimus in Genesi: *Erat autem Abraham septuaginta quinque annorum, cum egressus esset ex Charra* **(Gen. XII, 4)**; videlicet mortuo patre ejus Thare. Igitur ab anno nativitatis Abraham, usque ad annum, quo egressus est ex Charra, anni sunt centum triginta quinque: sed ei non computantur anni qui transacti sunt antequam exiret de igne Chaldaeorum Dei liberatus protectione. Haec Hieronymus.

Inter. 153. Quomodo intelligendum est quod dicitur: *Pater Melchae ipse est Pater Jeschae* **(Gen. XI, 29)**. Vel qui [*Ms.,* quae] fuit Jescha?---*Resp.* Thare genuit Abraham, Nachor et Aran: Aran vero genuit Lot, et Melcham et Sarri, cognomento Jescham, et acceperunt uxores, Abraham Sarri, Nachor vero [Col. 0534D] Melcham. Necdum autem inter patruos et fratrum filios nuptiae lege prohibitae fuerant.

Inter. 154. Quid in tribus illis egressionibus intelligendum est, in quibus praecipitur a Domino Abrahae ut egrediatur *de terra sua et de cognatione sua, et de domo patris sui* **(Gen. XII, 1)**?---*Resp.* Nihil aliud, nisi nobis [*Edit.,* non] egrediendum esse de terreno homine, et de cognatione vitiorum nostrorum, et de domo patris, id est, mundo, qui diaboli domus dicitur, ut in Psalmo: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui* **(Psal. XLIV, 11)**.

{318} *Inter.* 155. Quantae promissiones Domini fuerunt ad Abraham?---*Resp.* Duae. Una scilicet quod terram Chanaan possessurus sit in semine suo: [Col. 0535A] quod significatur cum dictum est: *Vade in terram, quam demonstravero* [Ms., *monstravero*] tibi, et faciam te in gentem magnam **(Gen. XII, 2)**. Alia vero longe praestantior, quod pater est non unius gentis Israeliticae solum, sed et omnium gentium, quae fidei ejus vestigia sequuntur, quod his verbis promittitur: *Et benedicentur in te omnes gentes* [terrae; illi scilicet in semine Abraham benedicentur] qui Abrahae fidem imitantur.

Inter. 156. Quomodo Sarra, cum a Pharaone rapta fuisset, consequens est, ut violata non fuerit (vers. 15)?---*Resp.* Quia, juxta librum Esther, quaecunque mulierum placuisset regi apud veteres, sex mensibus ungebatur oleo myrteo, et sex mensibus in pigmentis variis erat et curationibus feminarum, et tunc demum [Col. 0535B] ingrediebatur ad regem **(Esther. II, 12)**. Atque ita potest [*Al.,* poterat] fieri, ut Sarra, postquam

placuerat regi, dum per annum ad regem ei praeparatur introitus, Abrahae Pharao multa donaverit, et Pharao postea percussus sit a Domino, illa adhuc intacta ab ejus concubitu permanente.

Inter. 157. Utrum convenerit Abrahae tam sancto viro, ut celaret Sarram esse uxorem suam, et non magis poneret in Deo spem suam, ne occideretur a rege **(Gen. XII, 13)**?---*Resp.* Ostenditur [enim] in isto ejus facto quod homo non debet tentare Dominum Deum suum, quando habet quid faciat ex rationabili consilio. Fecit enim quod potuit pro vita sua; quod autem non potuit, illi commisit in quem speravit, cui etiam pudicitiam conjugis commendavit. Nec enim [Col. 0535C] fides [ac spes] fefellit. Namque Pharao a Deo territus multisque propter eum [*Ms.,* eam] malis afflictus, ubi ejus uxorem [divinitus] esse didicit, illaesam cum honore reddidit viro suo.

Inter. 158. Et erit semen tuum sicut stellae coeli et sicut arena quae est in littore maris **(Gen. XII, 17)**. Qui significati sunt in stellis, et qui in arena?---*Resp.* In stellis [coeli] pauciores firmioresque [et] clariores intelliguntur; in arena autem maritimi littoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium.

Inter. 159. Quid est *Razim* et *Zozim* [Ms. Raphim; *al.,* Rafim Zuzim] **(Gen. XIV, 5)**?---*Resp.* Razim gigantes, *Zozim terribiles interpretantur,* [significant] robustos quosque in Arabia.

[Col. 0535D] *Inter*. 160. Dixit [ergo] Deus ad Abraham: *Leva oculos tuos et vide a loco in quo tu nunc es, et ad Aquilonem et ad Austrum, ad Orientem et ad Mare* [Vulgata, *Occidentem*], quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo, et semini tuo **(Gen. XIII, 14)**. Si enim terra tantum promittebatur [ei], quam tunc in uno loco stans videre potuit per quatuor climata mundi; angusta videtur esse terra promissionis?---*Resp.* Non hoc [loco] solum terrae [ei] promissum est, quod videre potuit. Non enim dictum est, tantum terrae tibi dabo quantum vides; sed: *Tibi dabo terram, quam vides, cum et ulterior undique dabatur.* Et idcirco subjunxit: *Surge et perambula terram in latitudine et longitudine* [ejus] (vers. 17), ut perambulando perveniret ad ea, quae oculis uno loco stans videre non [Col. 0536A] potuisset. Significabatur autem ea terra, quam carnale semen ejus accepturum erat; [nam illud spiritale totius mundi latitudinem possessurum erit.]

Inter. 161. Quid [dum dixit Deus]: *Ad Orientem et ad Mare* [Al. meridiem], dictum est?---*Resp.* Solet [enim] Scriptura sancta, dum de plagis terrae promissionis loquitur, Mare pro Occidente ponere, ab eo, quod Palestinae regio Mare in Occidentis plaga habeat.

Inter. 162. Qui sunt expediti, de quibus dictum est: *Numeravit expeditos vernaculos suos* **(Gen. XIV, 14)**?---*Resp.* Expeditos dixit [juvenes] ad bellum promptos, et qui non fuerunt uxorati, de quibus in sequentibus dicit: *Exceptis his quae comederunt juvenes* (vers. 24).

Inter. 163. Et persecutus est usque ad Dan. (vers. [Col. 0536B] 14). Qui locus est *Dan?*---*Resp.* Dan Phoenices oppidum est, quod nunc *Paneas dicitur,* ubi unus de fontibus Jordanis oritur, qui dicitur *Dan;* alter vero *Jor:* et his duobus fontibus, qui haud procul

a se distant, in unum rivulum foederatis, Jordanis appellatur: {319} et sicut ex duobus fontibus unus fluvius, ita ex nominibus una appellatio procreatur.

Inter. 164. Quis est iste *Melchisedech rex Salem, quem Apostolus dicit sine patre et sine matre esse* **(Gen. XIV, 18; Hebr. VII, 3)**?---*Resp.* Ideo dixit Apostolus eum absque patre et absque matre, quia genealogiam ejus sancta Scriptura non narrat. Aiunt enim Hebraei, hunc Melchisedech mutato nomine Sem esse filium Noe, et supputantes annos vitae ipsius ostendunt, eum usque ad Isaac tempora vixisse; omnesque [Col. 0536C] primogenitos pontifices fuisse, [et] hostias Deo immolasse usque ad tempora Aaron et legis caeremonias; et haec esse primogenita, quae vendidit Esau fratri suo Jacob. Qui etiam Melchisedech jure de triumphis abnepotis [*Ms.,* nepotis] sui decimas accepisset [*Edit.,* accepit]. Porro Salem eam ipsam esse volunt, quae postea Jerusalem dicta est. Haec etiam primo Jebus, ut referunt, postea Salem, deinde Jerusalem dicta est. Iste autem Melchisedech figuraliter Christum significat secundum apostolum, quia Christus sine matre in coelis, et sine patre in terris, offerens Deo pro nobis in terris sui corporis panem et sui sanguinis vinum; ad quem dicitur: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Hebr. V, 6; [Col. 0536D] Psal. CIX, 4).

Inter. 165. Quis fuit Damascus Eliezer, de quo dixit Abraham: *Haeres meus erit* **(Gen. XV, 2, 3)**?---*Resp.* Filius procuratoris Abrahae, qui postea, ut aiunt, Damascum condidit, et nomen civitati dedit, regnumque in ea obtinuit.

Inter. 166. Nunquid convenit fidei Abrahae ut signum quasi dubius quaereret a Domino dicens: *Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sum eam* **(Gen. XV, 8)**?---*Resp.* Non quasi dubius, de promissione Dei, anne fieret, sed quomodo futurum esset exquirebat.

Inter. 167. Quid igitur in illo mystico signo de posteritate generis sui Abrahae intelligendum erat? vel cur trium annorum animalia illi erant sumenda? [Col. 0537A] vel cur animalia dividit et volucres non dividit (vers. 9)?---*Resp.* Trium [enim] annorum animalia tres temporum articulos designant, quibus populus ad summum honoris culmen adolevit. A temporibus vero patriarchae Abrahae per repromissiones usque ad tempora Moysis conjunctus est Deo. A temporibus autem Moysis legislatoris, a Deo legis acceptione, et miraculorum ostensione, triumphisque et terrae repromissionis ingressione glorificatus; a temporibus vero David regio honore, et templi civitatisque Jerusalem instructione elevatus est. Porro aries regiam et sacerdotalem dignitatem; vacca sub legis littera servientem; capra etiam eamdem gentem peccatricem esse designat. Aves vero spirituales et Dei electos praefigurabant. Divisiones itaque [*Ms.,* namque] [Col. 0537B] animalium, schismata inter carnales semper esse ostendunt; in eo [vero] quod aves non divisit, pax et unitas spiritualium intelligitur. Quod circa vesperam pavor irruit super Abraham, terrorem significat in die judicii, qui separabit spiritales a carnalibus, alios statuens ad dextram, alios ad sinistram **(Matth. XXV)**. Aves vero quae super cadavera volitant, daemonia [*Ms.,* daemoniacae potestates] sunt, quae carnalibus insidere quaerunt: quas devotus doctor sedula admonitione abigere debet.

Inter. 168. Quid est quod dictum est ad Abraham: *Scito praenoscens, quod peregrinum*

futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti [et] affligent quadringentis annis (vers. 13). Unde isti quadringenti anni computati sunt servitutis.---*Resp.* [Col. 0537C] Non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima servitute quadringentos annos Dei populus fuerit, sed quia scriptum est: *In Isaac vocabitur tibi semen* **(Gen. XXI, 12)**. Ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Aegypto computantur anni quadringenti quinque. Cum ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti quinque, qui sunt a promissione usque ad natum Isaac, non mirum est si quadringentos et quinque annos summa solida quadringentos voluit appellare Scriptura, quae solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectionis numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur. Non itaque, quod ait, *in servitutem redigent eos et nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum est,* tanquam per tot annos {320} eos [Col. 0537D] habuerint in servitute: sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est: *Peregrinum erit semen tuum in terra non propria;* quia sive in terra Chanaan, sive in Aegypto peregrinum erat illud semen, antequam haereditate sumerent terram ex promissione Dei, quod factum est postquam ex Aegypto liberati sunt, ut hyperbaton hic intelligatur, et ordo sit verborum: *Sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis.* Illud autem interpositum intelligatur: *Et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis, ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat.* In extrema enim parte [annorum] summae hujus, hoc est [*Ms.,* hoc interest], post mortem Joseph, factum est [Col. 0538A] ut in Aegypto populus Dei duram perageret servitutem.

Inter. 169. Quare dictum est in Genesi de filiis Abraham: *Quarta progenie revertentur huc* **(Gen. XV, 16)**? Et in Exodo legitur: *Quinta generatione ascenderunt filii Israel de terra Aegypti* **(Exod. XIII, 18, juxta LXX)**?---*Resp.* Egressi sunt filii Israel quarta generatione de terra Aegypti. Replica generationem Levi. Levi genuit Gath; Gath genuit Amram [*Ed.,* Abram]; Amram genuit Aaron [*Edit.,* Aran]; Aaron [genuit] Eleazar; Eleazar [genuit] Phinees. Gath cum patre suo Levi ingressus est Aegyptum; [rursum Eleazar cum patre suo Aaron regressus est ab Aegypto]. A Gath usque ad Eleazar computantur quatuor generationes. Quod autem secundum Exodum [Col. 0538B] quinta generatione egressi sunt filii Israel de terra Aegypti, tribus Judae ordo [ibi] numeratur [*Ed.,* numeretur]. Judas genuit Phares; Phares [genuit] Esron; Esron genuit Aram; Aram [genuit] Aminadab; Aminadab [genuit] Naasson; Naasson [genuit] Salmon. Phares cum patre suo [Juda] ingressus est Aegyptum; Naasson princeps Juda in deserto describitur, cujus filius Salmon terram promissionis introiit. Computa a Phares usque ad Naasson, et invenies generationes quinque.

Inter. 170. Semini tuo dabo terram hanc, a fluvio Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem **(Gen. XV, 18)**. De quo dixit Aegypti fluvio?---*Resp.* Non [ergo] a fluvio magno Aegypti, hoc est, Nilo; sed a parvo, qui dividit [inter] Aegyptum et Palaestinam, [ubi [Col. 0538C] est civitas *Rinocurura*].

Inter. 171. Quomodo defenditur Abraham adulterii reus non esse, dum vivente legitima uxore sua conjunctus est ancillae suae **(Gen. XV)**?---*Resp.* Nondum promulgata erat unius uxoris lex evangelica. Habebat quoque promissionem a Deo multiplicandi seminis sui, sed necdum sciebat, ex qua uxore, quia postea dictum est ei, de Sarra habere

filium. Nam propterea sic propagandi voluntas pia fuit, quia concumbendi voluntas [*Al.,* voluptas] libidinosa non fuit. Etiam et Sarra, cum prolem de se habere non potuit, de ancilla habere voluit. Consentiebat [uterque] in facto, quia [uterque Sarram] sterilem [*Edit.,* quia se sterilem] esse sciebat.

Inter. 172. Quomodo manus omnium contra Ismaelem, [Col. 0538D] et manus ejus contra omnes **(Gen. XVI, 7, 12)**?---*Resp.* Invenit [enim] angelus Domini Agar *super* fontem aquae in deserto ad fontem *in via Assur, quae per eremum ducit ad Aegyptum,* [ire festinabat]: *Et vocavit nomen ejus Ismael, quia exaudivit Dominus humilitatem* [ejus] (Ismael interpretatur exauditio Domini [*Ms.,* Dei]): *Hic erit ferus homo, manus ejus super omnes, et manus omnium super eum, et contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* Significat autem semen ejus habitaturum in eremo, id est, Sarracenos vagos, incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere jungitur, incursant et impugnant, [et impugnantur ab omnibus].

[Col. 0539A] *Inter.* 173. Quae littera adjecta est nomini Abraham et Sarrai; vel quae mutationis nominum illis causa fuit?---*Resp.* Dixit Dominus ad Abraham: *Ecce testamentum meum tecum, et eris pater multitudinis gentium, et non vocabitur nomen tuum Abram;* sed erit nomen tuum Abraham, quia patrem [multarum] gentium posui te **(Gen. XVII, 4 et 15)**. Dicunt autem Hebraei quod Deus ex nomine suo, quod apud illos tetragramum [*Ms.,* tetragrammaton] est, ה [*Ms.,* e] litteram Abrahae et Sarrae addiderit. Dicebatur enim primum Abram, quod interpretatur *pater excelsus;* et postea {321} vocatus est Abraham, *pater multarum.* Nam *gentium non habetur in nomine, sed subauditur.* Nec mirandum quare, cum apud Graecos et quosdam alios *a* littera videatur addita, nos ה [*Ms.,* e] [Col. 0539B] litteram Hebraeam additam dixerimus; idioma enim linguae [illius] est per ה [*Ms.,* e] quidem scribere, sed per *a legere;* sicut e contra *a litteram saepe per e pronuntiant.* Et dixit Deus ad Abraham: *Sarri* [ms., Sarrai] *uxor tua, non vocabis eam Sarri, sed Sarra erit nomen ejus* **(Gen. XVII, 15)**. Errant [*Ms.,* Et sunt], qui putant primum Sarra per unum *r scriptum* fuisse, et postea ei alterum *r* additum, quia *r apud Graecos centenarius numerus est.* Sarri [*Ms.,* Sarrai] ergo primum vocata est per שרי [*Ms.,* per sin, res, joth] sublato jod, id est, iota elemento, additum est *e,* quod per *a legitur, et vocata est Sarra.* Causa autem nominis mutati haec est quod antea dicebatur *princeps* [mea], unius tantummodo domus materfamilias; postea vero dicitur absolute *princeps.*

[Col. 0539C] *Inter.* 174. Quare Abraham circumcisionem accepit (vers. 24)?---*Resp.* Idcirco Abrahae commendata [*Ms.,* data] est circumcisio, ut sub lege esset, sicut [et] Adam, ne de ligno manducaret, ut comprobaretur, si compleret hoc, an non? Credens enim filium se habiturum, per cujus generationem omnibus gentibus benedictio futura esset, et in cujus nepotibus castitatis et sobrietatis unicum mansisset exemplar: unde in ea parte corporis signum fidei accepit, unde [et] filius fidei [*Edit.,* Dei], non carnis nasciturus erat; nec truncata corporis parte deformior, sed fidei in Deum signo gloriosior. Igitur pro Deo aliquid perdere lucrum est, non damnum. Ita Abraham fidei suae signum accipiens non deformatus [Col. 0539D] est, sed melioratus. Si enim Adam pactum Dei custodisset, Abraham hoc pactum non accepisset. Sed quia ille in hoc membro culpam inobedientiae primo agnovit, decuit ut iste in hoc membro signum obedientiae secundo

[*Al.,* secundus] acciperet; ut ostenderetur obedientes quandoque generasse filios ad vitam, dum olim praevaricatores generarunt ad mortem.

Inter. 175. Nunquid [dubitanti animo] dixit: *Putasne centenario nascetur filius, et Sarra nonagenaria pariet* (vers. 17)?---*Resp.* Non verba haec dubitantis diffidentiam ostendunt, sed admirantis gaudium. Ideo prae gaudio ridentis Abrahae filius dicebatur Isaac. [Nam] risus iste in bono accipi debet, ut in Evangelio: [Col. 0540A] *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi ridebunt* **(Matth. V)**.

Inter. 176. Quare [autem] Sarram ridentem redarguit Dominus, (cum Abraham riserit et illum non redarguit) **(Gen. XVIII, 13)**?---*Resp.* [Quia] risus Abrahae admirationis et laetitiae fuit: Sarrae autem dubitationis et diffidentiae, quod ab illo dijudicari potuit, qui corda hominum novit. Unde haec eadem Sarra ridens corripitur, correpta protinus fecundatur, et contra spem ex divina promissione accepit, quod habituram se ex humana ratione dubitavit.

Inter. 177. Quot in Veteri Testamento propriis nominibus nominati sunt, antequam nascerentur?---*Resp.* Quatuor: Ismael, Isaac, Salomon et Josias, [Col. 0540B] certis quibusdam ex causis.

Inter. 178. Quaeritur, cum tres viri essent, qui Abrahae apparuerunt, quomodo singulariter Dominum appellat dicens: *Domine, si inveni gratiam ante te* (vers. 3)?---*Resp.* Igitur in angelis Dominum sentiens, Domino potius, quam angelis loqui elegit. Et quidem aliquando imaginibus, et ante corporeos oculos, ad tempus ex aere assumptis per angelos loquitur Deus, sicut nunc Abraham non solum tres viros videre potuit, sed etiam terreno habitaculo recipere et eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim angeli, cum quaedam nobis in terra nuntiant, ad tempus ex aere corpus assumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent. Nec cibos cum Abraham sumerent, nisi propter nos solidum [Col. 0540C] aliquid ex coelesti elemento gestarent. Nec mirum quod illi ipsi qui suscepti sunt, modo angeli, modo Dominus [*Edit.,* Domini] vocantur; quia angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrabant, et appellatione Domini ostenditur, qui eis interius praeerat: ut per hoc praesidentis imperium, et per illud claresceret officium ministrantium.

{322} *Inter*. 179. Quid est clamor Sodomorum; vel quid est, quod Dominus dixit: *Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint* **(Gen. XVIII, 20, 21)**?---*Resp.* Peccatum cum voce est culpa in actione; peccatum vero cum clamore est culpa cum libertate et jactantia. Quod autem dixit: *Descendam et videbo, et* [caetera] hujusmodi, omnipotens Dominus et omnia sciens; cur ante probationem [Col. 0540D] quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante praesumamus credere quam probare? Et ecce ut per angelos ad cognoscenda mala descendit, mox facinorosos percutit. Atque ille patiens, ille mitis, [ille], de quo scriptum est: *Tu autem* [Domine] cum tranquillitate judicas **(Sap. XII, 18)**. Ille de quo rursum scriptum est: *Dominus patiens est, cum* [in] tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam praetermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante diem judicii praevenit. Ecce malum, et quasi cum difficultate credidit cum audivit; et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit: ut nobis

videlicet [Col. 0541A] daret exemplum, quia majora crimina et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda, cum veraciter agnoscuntur.

Inter. 180. Quare Abraham dixit: *Pulvis sum et cinis* **(Gen. XVIII, 27)**, cum tantas promissiones a Deo accepisset?---*Resp.* Sublimitatem promissionum humilitatis temperavit subjectione. Apte [*Ms.,* aperte] enim intelligitur in quo loco se posuerat, qui pulverem se ac cinerem etiam tum cum Deo loqueretur, aestimabat. Si igitur se ita despicit, qui usque ad honorem divinae collocutionis [*Ms.,* contemplationis] ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua poena illi feriendi sunt, qui ad summa non proficiunt, et tamen de minimis extolluntur.

Inter. 181. Quaeri solet utrum quod de Sodomis [Col. 0541B] dixit Deus, non se perdere locum, si invenirentur illic centum vel decem justi (vers. 26, 32), speciali quadam sententia de illa civitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter, parcere Deum loco, in quocunque vel decem justi fuerint?---*Resp.* Non est [quidem] necesse, ut hoc de omni loco accipere compellamur. Verumtamen de Sodomis potuit sic dici, quia sciebat Deus, ibi non esse vel decem, et ideo sic respondebatur Abrahae, ut significaretur nec tot ibi posse inveniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum.

Inter. 182. Quare Abraham in tribus viris illis, si Deum intellexit vel angelos, et iterum Lot in duobus, eos humano cibo vesci putabat?---*Resp.* Fortasse prius eos homines esse arbitrati sunt, in quibus [Col. 0541C] Deum loqui intellexerunt; quibusdam divinae majestatis existentibus et apparentibus signis, postea fuisse angelos cognoverunt, cum eis videntibus in coelum issent. Sed intuendum est hic quantum bonum sit hospitalitas. Hospitalem domum ingressi sunt angeli, clausas hostium [*Ms.,* hospitibus] domos ingressus est ignis.

Inter. 183. Si judicium Dei justum est, quare infantes in Sodomis [simul] cum parentibus cremati sunt?---*Resp.* Ut nimis impium facinus Sodomitarum possit adverti, peccatum eorum pervenit usque ad necem filiorum, ne de origine illorum aliquod signum remaneret. Nonne provisum est illis, ne diu viventes exempla sequerentur patrum; et levius in futuro crucientur, vel omnino non, aliena causa occisi. [Col. 0541D] Parentes [enim] tam pro se quam pro his rei sunt. Ergo mors filiorum crimen est parentum, et ideo futuri sunt accusatores parentum. Est qualecunque beneficium reum non esse, qui gloriosus non est: prodest enim pauperem non esse, qui rex esse non potest.

Inter. 184. Quaeritur quare Lot cum jussus esset ad montem fugere, Segor praetulerit, ut ibi salvaretur; et rursum de Segor ad montem migrasset **(Gen. XIX, 20)**?---*Resp.* Tradunt Hebraei quod Segor frequenter terrae motu subruta, Bale primum, et postea Salissa appellata sit, timueritque Lot dicens: Si cum caeterae adhuc urbes starent, ista saepe subversa est, quanto magis nunc in communi ruina [Col. 0542A] non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis, etiam in filias coitus principium dedisse certum est. Qui enim caeteras {323} viderat subrui civitates, et hanc [stare, seque auxilio Dei erutum (*In edit.,* mendose, et hanc fuisse, quae Dei auxilio eruta est)]; utique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit.

Inter. 185. Cur igitur angeli, quasi hospites coacti, domum Lot introisse dicuntur?---*Resp.* Ut tentata esset charitas Lot, probata et remunerata: et ut ostenderetur quantum esset hospitalitatis bonum. Hospitalem vero domum angeli ingressi sunt ad liberandum hospitem suum: clausas autem hospitibus domos ignis ingressus [est] ad perdendos peccatores in eis. Idcirco hospites non sunt evitandi, sed [Col. 0542B] ultro invitandi.

Inter. 186. Quaeritur quare de coelo vindicta data est super habitatores impios civitatum illarum **(Gen. XIX, 24)**?---*Resp.* Quia clamor peccantium in coelum ascendisse dicitur; idcirco de coelo puniendi erant.

Inter. 187. Cur sulphureo igne puniebantur?---*Resp.* Ut putidissimus libidinis ardor putidissimo flammarum ardore puniretur.

Inter. 188. Cur [autem] uxor Lot in statuam salis conversa est (vers. 26).---*Resp.* Ad condimentum fidelium; quia punitio impii eruditio est justi.

Inter. 189. Quo consilio filiae Lot concubitum patris petierunt (vers. 31, 33); vel ab incestu [Col. 0542C] purgari possunt, dum hoc scientes fecerunt; ille vero [quasi] nesciens?---*Resp.* Videtur [namque] filias Lot quaedam didicisse de saeculi [*Ms.* mundi] consummatione, quae immineret per ignem: sed tanquam puellae non intelligebant perfecte, quae didicerant. [Nescierunt] quod Sodomiticis igne vastatis multum adhuc spatium integrum resideret in mundo suspicatae sunt, tale aliquid factum, quale in temporibus Noe audierant, et ob reparandam mortalium posteritatem solas se esse cum parente servatas. Recuperandi igitur humani generis desiderium sumunt, atque instaurandi saeculi ex sese dandum opinantur exordium. Et quanquam grave eis crimen [videatur] furari concubitum patris, gravior tamen eis impietas videbatur, si humanae, ut [Col. 0542D] putabant, posteritatis spem servata castitate delessent. Propter hoc ergo consilium ineunt, minore, ut arbitror, culpa [spe tamen] argumentoque majore, patris moestitiam vel rigorem vino molliunt et resolvunt: singulis ingressae noctibus, singulae suscipiunt ab ignorante conceptum; ultra non repetunt, nec requirunt. Ubi hinc libidinis culpa, ibi incesti crimen arguitur; quomodo dabitur in vitio, quod non iteratur in facto?

Inter. 190. Si Lot [quasi] incestus [*Al.,* incertus] in hoc facto culpandus est, an non?---*Resp.* Culpandus est quidem in hoc facto Lot, quantum ebrietatis [*Ms.,* ebrietas] ignorantia meretur. Nam et hanc lex aeterna condemnat, quae cibum et potum non [Col. 0543A] nisi ad salutem corporis sumere mandat. Et hinc diligentius intendendum est, quantum sit ebrietatis malum; et valde timendum est illis, quibus hoc malum in usu est. Nam in crimine ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flamma mulierum, quem flamma sulphurea non ussit. Erat ergo Lot arte, non voluntate deceptus; ideo medius quidam [*Ms.,* quidem] inter peccatores et justos: quippe qui ex Abrahae cognatione [*Ms.,* stirpe] descenderat, in Sodomis tamen habitaverit. Nam et hoc quod evadit e Sodomis, sicut Scriptura indicat, magis ad honorem Abrahae, quam ad meritum pertinet Lot.

Inter. 191. Quare diebus Noe peccatum mundi aqua ulciscitur, hoc vero Sodomitarum igne punitur?---*Resp.* [Col. 0543B] Quia illud naturale libidinis cum feminis peccatum quasi leviori elemento damnatur: hoc vero contra naturam libidinis peccatum cum viris,

acrioris elementi vindicatur incendio: et illic terra aquis abluta revirescit; hic flammis cremata aeterna sterilitate arescit.

Inter. 192. Cur Abraham Sarram uxorem suam, sororem suam secundo esse dixit **(Gen. XX, 2)**?---*Resp.* Quia ex priori Pharaonis correptione certus erat de Dei defensione, quod violari non potuit; incertus de sua vita, an illorum evaderet manus. Et miranda est Sarae pulchritudinis forma, quae in tanta aetate tantum amari potuit [*Ms.,* poterat], ut vir suus propter ejus pulchritudinem se periclitari metueret.

[Col. 0543C] {324} *Inter*. 193. Cur dixit Deus ad Abimelech: *Peperci tibi, ut non peccares in me* **(Gen. XX, 6)**?---*Resp.* Ut adverteretur, in Deum peccari, quando talia committuntur, quae putent homines leviter habenda, tanquam in carne peccata.

Inter. 194. Cur non [mox] Abimelech mortuus est, dum dixit ei Deus: *Ecce tu morieris* **(Ibid. v. 3)**?---*Resp.* Utique Deus praedixit, quod sine dubio futurum fuisset, si in hac admonitione, a peccato abstinendo, non caveretur.

Inter. 195. Quare Abraham in die ablactationis Isaac, et non in die nativitatis vel circumcisionis fecit convivium grande **(Gen. XXI, 8)**?---*Resp.* Propter significationem spiritualem: tunc enim gaudium habendum est de uno viro spirituali, quando solido [Col. 0543D] veritatis cibo, [et] non lacte carnalis intelligentiae pascitur.

Inter. 196. De quo ludo arguit Sarra Ismael filium Agar **(Ibid. v. 9, 10)**?---*Resp.* Dupliciter [itaque] hoc ab Hebraeis exponitur; sive quod idolothytum fecerit; juxta illud [quod alibi scriptum est]: *Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere* **(Exod. XXXII, 6)**; sive quod adversum Isaac, quasi majoris aetatis, joco sibi et ludo primogenita vindicaret: quod [*Edit.,* quando] quidem Sarra audiens non tulit. Et hoc ex ipsius approbatur sermone [dicentis ei]: *Ejice ancillam hanc cum filio suo;* non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac.

Inter. 197. Post quot annos puer ablactari solet?---*Resp.* [Col. 0544A] Inter Hebraeos [autem] varia opinio est, asserentibus aliis quinto [*Ms.,* quarto] anno; aliis duodecimo ablactationis tempus impleri.

Inter. 198. Si tredecim [*Al.,* quatuordecim] annorum erat Ismael quando natus est Isaac, adjunctisque aetati [*Ms.,* hac aetate] ablactationis annis, quomodo convenit tantae aetatis adolescentem matris sedisse in cervicibus, dum dicitur: *Sumpsit Abraham panes et utrem aquae et dedit Agar, ponens super humerum ejus et parvulum, et dimisit eam* **(Gen. XXI, 14)**?---*Resp.* Omnis [igitur] filius secundum idioma linguae Hebraeorum, ad comparationem parentum, infans vocatur et parvulus. Et est sensus: Posuit Abraham panes et utrem super humerum Agar, et hoc facto dedit puerum matri, hoc est, in manu [Col. 0544B] ejus eum tradidit, commendavit, et ita emisit e domo. Quod in sequentibus declaratur, dum dicitur: *Surge, tolle puerum, et tene manum ejus* **(Ibid. v. 18)**; non ut eum de terra [velut] jacentem tolleret, sed quasi comitem manu teneret. Quod autem manu parentis tenetur, sollicitus monstratur affectus.

Inter. 199. Quid est quod dicitur, matrem flevisse, et Deum vocem pueri exaudisse

(Ibid. v. 16, 17)?---*Resp.* [Quia] mater non suam mortem, sed filii deplorabat, pepercitque Deus puero, pro quo fletus matris erat [*Ms.,* fuerat].

Inter. 200. Quomodo ad puteum juramenti agrum plantaverat Abraham **(Ibid., v. 29 seq.)**, si in terra illa, quemadmodum Stephanus ait in Actis **(VII, 5)**: Non acceperat haereditatem nec spatium pedis?---*Resp.* [Col. 0544C] Ea est intelligenda haereditas quam Deus fuerat munere suo gratuito daturus, non ista quae pretio empta est. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agnae septem datae, quando Abimelech et Abraham sibi [etiam] juraverunt.

Inter. 201. Quid illud: *Tentavit Deus Abraham* **(Gen. XXII, 1)**? Et Jacobus apostolus dicit: *Deus neminem tentat* **(Jac. I, 13)**. Quomodo utrumque intelligendum est?---*Resp.* Duobus [enim] modis tentatio in Scripturis solet intelligi. Una est quae per Deum fit probationis causa, ut justificetur homo et coronetur; de qua et dicitur: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum* **(Deut. XIII, 3)**, hoc est, ut scire vos faciat. Alia est, de qua Jacobus [Col. 0544D] dicit: *Deus neminem tentat* **(Jacob. I, 13)**; qua peccato implicamur. De illa Apostolus dicit: *Ne forte tentaverit vos is qui tentat* **(I Thess. III, 5)**. Igitur Abraham a Deo tentatus est, ut probaretur, justificaretur, coronaretur, et ut ejus obedientia tali probata examine posteris innotesceret.

Inter. 202. De quo dixit [Deus] Abrahae: *Super unum montium, quem monstravero tibi* **(Gen. XXII, 2)**?---*Resp.* Aiunt [ergo] Hebraei hunc montem esse, in quo postea templum conditum est, [in area urnae Jebusaei].

{325} *Inter*. 203. Cur in tentatione Abrahae Deus dixit: *Tolle filium tuum charissimum, quem diligis, Isaac* **(Gen. XXI, 12)**?---*Resp.* Ut ex charitatis admonitione, [Col. 0545A] et nominis recordatione tentationis pondus accumularetur, et paternus affectus torqueretur ex memoria promissionis: cum ante Deus dixisset ad eum: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Quasi [*Ms.,* quia] si ille occideretur, tota spes promissionis [*Ms.,* promissionum] frustraretur.

Inter. 204. Et cur non statim licuit ei occidere filium, sed triduana itineris mora, eum immolaturus, secum ducere jussus est?---*Resp.* Quatenus longitudine temporis, tentationis quoque augeretur incrementum. Nam per triduum iter protenditur, et per totum triduum crescentibus curis paterna viscera cruciantur: ut omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, ut [tot] noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhaereret pectori, [Col. 0545B] cubitaret in gremio; quatenus per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii accumularetur.

Inter. 205. Si Abraham indubitanter et firmo animo cogitabat mactare puerum Domino in holocaustum, quid est quod dixit pueris suis: *Vos exspectate hic:* ego et puer, cum adoraverimus, revertemur ad vos **(Gen. XXII, 5)**?---*Resp.* [Igitur et dubitanti animo mactare puerum cogitabat, et indubitanti animo in Deum resuscitari credebat eum.] Idcirco utrumque laudis [*Ms.,* laudabilis] est et in constantia offerendi, et in fide resuscitandi. Sciebat certissime Deum fallere non posse: et licet puer occideretur, promissionem tamen Dei salvam permanere. Unde [Col. 0545C] et Paulus apostolus per Spiritum sanctum didicerat, quid animi habuisset Abraham intra se, dum fidem ejus

laudat [*Ms.,* laudavit] dicens: Fide Abraham non haesitavit, cum unicum offerret, in quo acceperat promissionem [*Ms.,* repromissiones], [cogitans] quia a mortuis eum resuscitare potens est Deus **(Rom. IV, 20)**.

Inter. 206. Unde aries iste, qui pro Isaac immolatus est **(Gen. XXII, 13)**, venerit, solet quaeri: an [de] terra ibi subito creatus esset, vel aliunde ab angelo allatus?---*Resp.* Aries iste non putativus [*Ms.,* putatus], sed verus esse credendus est. Ideo magis a doctoribus aestimatur, aliunde eum angelum attulisse, quam ibi de terra, post sex dierum opera, Dominum procreasse.

[Col. 0545D] *Inter.* 207. Quare appellavit Abraham nomen loci illius: *Dominus vidit* **(Ibid. v. 14)**; cum nusquam sit quod Dominus non videat?---*Resp.* Vidit pro *apparuit dixit:* hoc est, videri fecit, sicut ibi: *Et nunc cognovi quia times Deum, id est, feci ut cognoscaris* [*Ms.,* cognoscatur; *al.,* cognoscar], eo genere locutionis, dum per efficientem significatur id quod efficitur: sicut pigrum frigus dicimus, eo quod [pigros] faciat. Illud autem quod dixit: *Unde usque hodie dicitur Dominus in montem videbit.* Exinde apud Hebraeos proverbium venit [*Ms.,* exiit] ut si quando in angustia constituti sunt, [et] Domini quoque optant auxilio sublevari, dicunt: *In monte Dominus videbit, hoc est, sicut Abrahae, miserebitur et nostri.* Unde [Col. 0546A] et in signum dati arietis solent etiam nunc cornu clangere.

Inter. 208. Vocavit [autem] angelus Domini Abraham secundo de coelo dicens: *Quia fecisti rem hanc et non pepercisti filio tuo unigenito propter me* **(Ibid., v. 16)**. Nunquid Abraham propter angelum non pepercit filio suo, et non propter Deum?---*Resp.* [Aut enim] angeli nomine Dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, et manifeste a propheta dictus est, *magni consilii angelus.* Aut [quia] Deus [erat] in angelo; et [*Edit.,* aut] ex persona Dei angelus loquebatur, sicut in prophetis etiam fieri solet. Nam in consequentibus hoc magis videtur apparere, ubi legitur: [*Et*] vocavit angelus Domini Abraham iterum de coelo, dicens: Per memetipsum juravi, dicit [Col. 0546B] Dominus.

Inter. 209. Quid est quod secundo ad Abraham eaedem et non aliae promissiones factae sunt **(Ibid., v. 17)**?---*Resp.* Significat duplex semen Abrahae futurum esse, unum carnale, aliud spirituale. Ideo dixit ei Dominus: [sic] erit semen tuum, sicut stellae coeli, et sicut arena maris: in stellis coeli, spirituales; in arena maris, carnales [volens intelligi (*Edit.,* intelliguntur)].

Inter. 210. Cur [enim] nominavit Scriptura filios Nachor fratris Abrahae **(Ibid., vers. 20)**?---*Resp.* Quia de illis, vel de illorum stirpe aliquid celebre postea gestum esse legitur. Itaque Hus [*Ms.,* Chus] unus erat, de cujus stirpe Job descendit. {326} Sic enim scriptum est in exordio voluminis ejus: *Vir* [Col. 0546C] fuit in terra Hus [Ms., *Chus*] nomine Job. Male igitur aestimabant [*Ms.,* aestimant] quidam, Job de genere Esau natum, in cujus genere est Balam [*Ms.,* de gente Esau. Secundus natu est de Melcha Buzi, ex cujus genere est Balam, etc.] ille divinus, ut Hebraei tradunt, qui in libro Job dicitur Heliu: primum vir sanctus [et] propheta Dei, postea per inobedientiam et desiderium munerum excaecatus, dum Israel maledicere coepit, divini vocabulo nuncupatus. [Diciturque in eodem libro: Et iratus Heliu filius Barachiel Buzites. De hujus videlicet

Buzi radice descendens Cham vel pater ejus Damasci. Ipsa enim vocatur Aran, quae hic pro Syria scripta est et ipso nomine legitur in Isaia. Caseth quoque quartus est, a quo Casiadei, id est Chaldaei, postea vocati sunt. Bathuel, [Col. 0546D] de quo Rebecca et Laban pater Liae et Rachel.]

Inter. 211. Cur una civitas Hebron tribus appellata est nominibus, videlicet, Hebron, Arbe, [et] Mambre **(Gen. XXIII, 2)**?---*Resp.* Hebron [civitas] a Gigantibus, a quibus quondam condita est: et *Arbe a numero, videlicet quatuor,* [habet nomen], quod ibi quatuor patriarchae sepulti sunt; Adam magnus humani generis pater; Abraham, [et] Isaac [et] Jacob. Haec eadem a quodam amicorum Abraham *Mambre vocata est.*

Inter. 212. [Quaeritur] quid significat quod Abraham puero suo dicit: *Pone manum tuam super femur meum, et jura per Dominum Deum coeli* (Gen. XXIV, [Col. 0547A] 2, 3)? ---*Resp.* Tradunt Hebraei quod in sanctificatione ejus, hoc est circumcisione, juraverit. Sed melius intelligendum est jurasse in semine Abrahae, hoc est Christo. Quia ipse Dominus Deus coeli in ea carne tum venturus erat, quae de illo femore propagata est.

Inter. 213. Quomodo servus Abrahae in petitione signi augurationis vitio culpandus non est (vers. 14)?---*Resp.* Aliud est [enim] mirum aliquid petere, quod ipso miraculo significatur [*Ms.,* quod pro ipso miraculo signum sit]; aliud [est etiam] humanos errores superstitiosa vanitate in auspiciis, augurationibus [et] divinationibus observare. Quaedam enim pacta [*Ms.,* facta] sunt diabolicae familiaritatis, et non sine grandi peccato fiunt, quando fiunt. Illud [Col. 0547B] igitur superius petitionis genus comprobatio [*Ms.,* computatio fidei] seu conjunctio fidei est ad Deum; hoc posterius infidelitatis conjunctio ad diabolum.

Inter. 214. Quid hoc, proficiscente Rebecca: *Soror nostra es, crescas in millia millium et haereditatem obtineat* [Ms., *possideat*] semen tuum portas inimicorum suorum (vers. 60)? Num prophetae fuerunt, quia [*Ms.,* qui] hoc dixerunt quod in futuro factum est [*Ms.,* quod futurum factum fuerat]?---*Resp.* Non prophetae fuerunt, aut vanitate tam magna optaverunt, sed eos, quae promiserat Deus Abrahae, latere non potuerunt.

Inter. 215. Quae est exercitatio Isaac, qua se exercere dicitur in campo ad vesperam (vers. 63)?---*Resp.* Significat [autem] illa exercitatio orationem, [Col. 0547C] secundum illud quod Christus orabat in monte: ut etiam hinc Isaac typum Domini gesserit (vers. 62).

Inter. 216. Quae est illa terra Austri, ubi habitabat Isaac, revertente servo patris sui cum Rebecca?---*Resp.* [Terra Austri] significat terram illam [*Ms.,* Gerara] unde a patre ad immolandum [quondam] fuerat adductus (vers. 65).

Inter. 217. Quid est theristrum, quo se operuit Rebecca?---*Resp.* Pallii genus est, ut nunc sunt Arabica vestimenta [*Ms.,* teristrum pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici vestimenti], quibus mulieres provinciae illius velantur.

Inter. 218. Cur Abraham post promissum sibi et [Col. 0547D] natum Isaac, in quo ei multiplicatio prolis, et benedictio gentium promissa est a Deo, aliam voluit ducere uxorem **(Gen. XXV, 1)**?---*Resp.* Non propter incontinentiam, cum jam esset

grandaevus; sed sicut Agar et Ismael significant carnales Veteris Testamenti; sic Cethura et filii ejus significant haereticos, qui se ad Novum Testamentum pertinere existimant. Sed utraeque concubinae dicuntur; sic enim dicitur: *Filiis* [autem] concubinarum largitus est munera (vers. 6). Sola Sarra uxor semper vocatur.

Inter. 219.---Quae est [ista] Cethura, aut unde genus duxit [*Ms.,* ducens]?---*Resp.* [Cethura interpretatur copulata, aut vincta; quam ob causam] suspicantur Hebraei {327} eamdem esse Agar quae, Sarra mortua, ex concubina transierit in uxorem [*Al.,* facta sit [Col. 0548A] uxor]. Et sic videtur [depositi jam] Abrahae aetas excusari, ne senex post mortem uxoris vetulae novis nuptiis arguatur lascivisse. [Fertur] quoque quia filii Abrahae, qui ei de Cethura nati sunt, [occupaverunt terram quae Arabia vocatur, usque ad maris Rubri] littora. Dicitur autem unus ex posteris Abrahae, qui appellatur Asser [*Ms.,* appellabatur Assur], duxisse adversus Lubian [*Ms.,* Laban] exercitum, et ibi devictis hostibus consedisse, ejusque posteros ex nomine Atavi Africam nuncupasse. Alios quoque filios Abrahae ex Cethura occupasse Judeae regiones [*Ms.,* Indiam regionem] aestimatur.

Inter. 220. Quomodo convenit Abrahae tam sancto viro quod dicitur: *Et deficiens mortuus est* **(Gen. XXV, 8)**?---*Resp.* In Hebraeo non habetur *deficiens,* [Col. 0548B] sed a Septuaginta Interpretibus additum est.

Inter. 221. Quid [est] quod plenus dierum dicitur?---*Resp.* Quod lucis et diei operibus plenus occubuerit.

Inter. 222. Quid est quod dicit Scriptura de filiis Ismael: *Habitaverunt ab Ebila usque ad Sur, quae est contra faciem Aegypti* (vers. 18)?---*Resp.* Ebila est regio quam circumfluit [*Ms.,* circuit] Phison ex paradiso fluens, dicta a quodam Ebila nepote Noe: et est solitudo contra faciem Aegypti. Sur quoque est solitudo inter Cades et Barad, extendens desertum usque ad mare Rubrum et Aegypti confinia.

Inter. 223. Quid est quod dicitur de Ismaele (vers. 16), quod duodecim generasset principes, vel duces [qui regionibus vel tribubus nomina dederunt (*omissa* [Col. 0548C] in ms.)]?---*Resp.* Significat quod singuli filiorum Ismaelis [regionibus vel tribubus nomina dederunt], e quibus primogenitus ejus fuit Nabaioth [*Ms.,* Nabaoth; *al.,* Nabeoth], a quo omnis regio ab Euphrate ad mare Rubrum Nabathena usque hodie dicitur, quae pars est Arabiae. Nam et familiae eorum oppidaque et pagi ac munita castella, et tribus horum appellatione celebrantur. Ab uno ex his Cedaar in deserto, Eoduma alia regio, et Hemanea [*Ms.,* Themana] ad austrum et Cedema ad Orientem dicitur.

Inter. 224. Quid est quod dicitur de eodem Ismaele: *Coram omnibus fratribus suis obiit* (vers. 17)? vel qui sunt fratrum nomine dicti [*Ms.,* censiti]?---*Resp.* Id est, in manibus omnium liberorum [*Ms.,* filiorum] suorum mortuus est, superstitibus omnibus liberis, [Col. 0548D] et nullo prius morte praerepto. Fratres autem pro filiis appellari, ad Jacob Laban demonstrat dicens: *Ponatur coram* [fratribus meis et] fratribus tuis, ut judicent inter nos **(Gen. XXXI, 37)**. Nec enim legimus alios fratres Jacob ibi habere, exceptis liberis suis.

Inter. 225. Quaeritur quo ierit Rebecca interrogare Dominum, cum parvuli [ejus] in utero collidebantur **(Gen. XXV, 22)**?---*Resp.* Forte ad locum ubi aram constituerat Abraham, orare venit: vel [etiam] erant aliqui [tales] in eo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari.

Inter. 226. An secundum historiam vel etiam allegoriam intelligendum est quod Dominus respondit Rebeccae: *Duae gentes sunt in utero tuo et duo* [Col. 0549A] populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori (vers. 23)?---*Resp.* Secundum utrumque modum: spiritualiter vero sic solet intelligi quod dictum est, [ut] in Esau figuratus sit major populus Dei, hoc est, Israeliticus secundum carnem; per Jacob autem figuratus est ipse Jacob in populo Christiano, secundum spiritualem progeniem propagato [*Ms.,* quam propagavit]. Sed etiam historica proprietate invenitur hoc responsum esse completum, ubi populus Israel, hoc est, Jacob minor filius superavit Idumaeos, quos [*Ms.,* hoc est, gentem quam . . .] propagavit Esau, eosque fecit tributarios per David, quod diu fecit scilicet usque [*Ms.,* quandiu fuerunt usque . . .] ad regem sub quo Idumaei rebellaverunt, et jugum Israeliticum a cervice [Col. 0549B] sua deposuerunt.

Inter. 227. Quae sunt primogenita quae Esau vendidit Jacob fratri suo (vers. 31)?---*Resp.* Tradunt Hebraei omnes primogenitos fungi solitos officio sacerdotali [*Ms.,* sacerdotum] antequam Aaron in sacerdotem [*Ms.,* sacerdotium] eligeretur; et habuisse vestimenta sacerdotalia, quibus induti victimas Deo offerebant: et haec esse vestimenta {328} Esau, quibus Rebecca induit Jacob filium suum, quorum odore pater oblectatus benedictionis initium astruit **(Gen. XXVII, 15)**.

Inter. 228. Si viri justi voluntas bona est, quid est quod Isaac non Esau, quem voluit, sed Jacob, quem noluit, benedixit?---*Resp.* Justi hominis, quantum ad conscientiam pertinet, voluntas bona est; quantum [Col. 0549C] autem ad praescientiam [*Ms.,* praesentiam] immunis est ab adversis. Deus enim solus est qui de futuris judicat. Ac per hoc Isaac justus, quantum ad praesentem statum [*Ms.,* humanitatem] pertinet, dignum esse majorem filium benedictione putabat [magis]. Sed Deus, occultorum cognitor, minorem mereri benedictionem ostendit, [ut in benedictione non hominis ostenderit esse beneficium, sed Dei (*Edit.,* ut benedictionem non hominis, sed Dei ostenderet)]. Ideo dictum est in Numeris ad Moysen et Aaron sacerdotem: *Ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos* **(Num. VI, 27)**. Sacerdotis est benedicere, Dei est effectum tribuere benedictionis. Unde intellexit Isaac per spiritum prophetiae, a Deo benedictionem super minorem filium praedestinatam, [Col. 0549D] dicens: *Benedixi ei, et erit benedictus* **(Gen. XXVII, 33)**.

Inter. 229. Quid est quod Jacob dixit: *Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli* **(Gen. XXVIII, 17)**?---*Resp.* Haec verba ad prophetiam pertinent, quod [*Ms.,* quia] futurum erat in terra promissionis, Deum verum timere et colere, tabernaculumque ei fieri: eumque, qui est super omnia benedictus Deus, pedibus [suis] ambulare in ea. Portam autem coeli sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum coelorum.

Inter. 230. Cur Jacob oleum fudit super lapidem, quem erexit in titulum (vers. 18)?--

-*Resp.* Non ex [Col. 0550A] idololatria [*Ms.,* non idololatriae fecit simile]: nec enim tunc, nec postea frequentavit lapidem adorando, aut ei sacrificando; sed signum fuit prophetiae evidentissimae [*Ms.,* in prophetia evidentissima] constitutum, quod [*Ms.,* quae] pertinet ad unctionem. Unde et Christi nomen a chrismate est.

Inter. 231. [Quaerendum est] quomodo dictum sit: *Servivit Jacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies* **(Gen. XXIX, 20)**; cum magis [etiam] breve tempus longum esse soleat amantibus?---*Resp.* Dictum est [ergo] propter laborem servitutis, quem facilem et levem amor faciebat.

Inter. 232. Post servitutem septem annorum Jacob, soceri sui fraude deceptus, copulatus est Liae; an etiam post alios septem servitutis annos Rachel [Col. 0550B] accepturus erat?---*Resp.* Non [igitur], ut quidam male aestimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem; sed post septem dies nuptiarum primae; nam sequitur: *Et ingressus est ad Rachel, et dilexit Rachel magis quam Liam, et servivit ei septem annis aliis* (vers. 30).

Inter. 233. [An] duae ancillae Bala et Zelpha uxores, an concubinae dicendae sunt **(Gen. XXX, 4, 9)**?---*Resp.* Forte omnis concubina, uxor; non autem [omnis] uxor concubina, more loquendi in Scripturis [*Ms.,* Scripturarum], appellatur, id est, ut Sarra et Rebecca, [Lia] et Rachel concubinae dici non possint: Agar vero et Cethura, et Bala et Zelpha et uxores et concubinae.

Inter. 234. Quomodo pro aspectu virgarum variarum [Col. 0550C] varii pecorum fetus nascebantur (vers. 38)?---*Resp.* Observabat Jacob tempora quibus pecora ascendebantur, et post calorem diei ad potandum avida pergebant: discolores virgas hic ponebat in canalibus, et admissis arietibus et hircis in ipsa potandi aviditate oves et capras faciebat ascendi, ut ex duplici desiderio, dum avide bibunt et ascenduntur a maribus, tales fetus conciperent, quales umbras arietum et hircorum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius [etiam] erat imaginum color. Nec mirum hanc in conceptu feminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente conceperint. in extremo voluptatis aestu, quo concipiunt, talem [Col. 0550D] sobolem procreent, cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri. Et Quintilianus in ea controversia: in qua accusabatur matrona quaedam, quae Aethiopem pepererat [*Ms.,* quod . . . pepererit], pro defensione illius argumentetur, in hoc conceptu [*Ms.,* hanc conceptus] esse naturam, quam supra {329} diximus. Et multa dicuntur similia [*Ms.,* similiter] fieri in animalium fetibus. [Sed] et mulieri accidisse traditur, ut scriptum reperitur in libris antiquissimi et peritissimi medici Hippocratis, quae suspicione adulterii fuerat punienda, cum pulcherrimum puerum peperisset, utriusque parentis generi [*Ms.,* utrique parenti generique] dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quaestionem, illis admonitis, quaererent, si forte aliqua talis [Col. 0551A] pictura esset in cubiculo; qua inventa, mulier a suspicione liberata est.

Inter. 235. Quare Jacob primi temporis sua esse voluit, et serotina Laban? vel [*Ms.,* et] cur hac arte non sua magis omnia esse fecit?---*Resp.* Jacob prudens et callidus justitiam

et aequitatem in nova arte servabat. Si enim omnes agnos et haedos varios pecora procreassent, erat aliqua suspicio [doli], et aperte huic rei Laban invidus contraiisset. Ergo ita omnia temperavit, ut ipse fructum sui laboris acciperet, et Laban non penitus spoliaretur. Si quando oves et caprae primo tempore ascendebantur, quia vernus est fetus, ante ipsas ponebat virgas, ut varia soboles nasceretur. Quaecunque oves et caprae sero quaerebant mares, ante harum oculos non ponebat, [Col. 0551B] ut unius coloris pecora nascerentur: et quicquid primum nascebatur, suum erat, quia [discolor et] varium erat: quicquid postea, Laban: unius enim, tam nigri quam albi coloris, pecus oriebatur.

Inter. 236. Cur nec Jacob fraudis in hoc [facto] arguendus est?---*Resp.* Per hoc cogit inquiri prophetiam, et aliquam figuratam significationem res ista, quam sine dubio ut propheta fecit Jacob. Non enim tale aliquid, nisi revelatione spirituali eum fecisse credendum est.

Inter. 237. Quomodo decem vicibus dicit Jacob socero suo, mutasse eum mercedem suam **(Gen. XXXI, 41)**?---*Resp.* Hic est sensus, quod per singulos fetus semper Laban conditionem mutaverit. Si videbat varium nasci pecus [post fetum] dicebat: Nolo [*F.,* [Col. 0551C] volo] in futurum varia mihi nascantur. Rursum cum vidisset unius coloris nasci pecora [Jacob quoque, hoc audito, virgas in canalibus non ponebat] dicebat: futuros fetus unius coloris pecora mihi procreabunt. Et quid plura? usque ad decem vices semper [a Laban pecoris sui] Jacob mutata conditio est: et quodcunque sibi proposuerat Laban, ut nasceretur, in contrarium colorem vertebatur. Ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgilium, in quo dicitur:

Bis gravidae pecudes . . . . . Natura autem Italicarum ovium et Mesopotamiae una esse perhibetur.

Inter. 238. Quare constituit Jacob lapidem super titulum (vers. 45)?---*Resp.* Diligenter animadvertendum [Col. 0551D] est quod istos titulos in rei cujuscunque testimonium constituebant, non ut eos pro diis colerent, sed ut eis aliquid significarent.

Inter. 239. Quid est quod *Jacob juravit per timorem patris sui Isaac* (vers. 53)?---*Resp.* Per Deum utique, quem timebat Isaac pater ejus, jurare intelligitur. Quem timorem etiam superius commendavit, cum diceret: *Deus patris mei Abrahae, et timor patris mei Isaac* (vers. 42).

Inter. 240. Quae sunt castra Dei, quae vidit Jacob in itinere **(Gen. XXXII, 1, 2)**?---*Resp.* Nulla dubitatio est quin angelorum fuerit multitudo. Ea quippe in Scripturis militia coeli nominari solet.

Inter. 241. Quomodo fidem habuit Jacob, quandoquidem [Col. 0552A] tantum timuit Esau fratrem suum (vers. 7)?---*Resp.* Satis in verbis ejusdem Jacob, quae sequuntur, et humana infirmitas, et fides pietatis apparet; ut et Deus liberaret eum et quae promisit impleret. Admonendi sumus tamen [*Ms.,* enim] hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quae facienda sunt [ab hominibus] in praesidium salutis: ut praetermittentes ea Deum tentare non videamur.

Inter. 242. Quomodo ergo Jacob ab eo postulat benedici, cui luctando praevaluit (vers. 26)?---*Resp.* Magna [haec] est de Christo prophetia. Duplex enim {330} [hic] Jacob intelligitur, id est, carnalis et spiritualis. Praevaluit enim Jacob Christo, vel potius praevalere visus est super eos Israelitas, a quibus [Col. 0552B] crucifixus est Christus; et ab eo benedicitur [Israeliticus] in eis qui crediderunt in Christum; ex quibus erat qui dicebat: *Et ego Israelita ex genere Abrahae, ex tribu Benjamin* **(Rom. XI, 1)**. Unus ergo atque idem Jacob et claudus et benedictus: claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quo dictum est: *et claudicaverunt a semitis suis* **(Psal. XVII, 26)**. Benedictus autem in eis, de quibus dictum est: *Reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt* **(Rom. XII, 5)**.

Inter. 243. Quae est causa immutati nominis Jacob, ut Israel vocaretur **(Gen. XXXII, 28)**?---*Resp.* Varia hujus nominis interpretatio aestimatur; sed beatus Hieronymus taliter de ejus interpretatione dixit: [Col. 0552C] sensus itaque hic est: non vocabitur nomen tuum supplantator, hoc est, Jacob; sed vocabitur princeps cum Deo, hoc est, Israel. Quomodo enim ego princeps sum, sic [et] tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem cum Deo sive angelo (quoniam plerique varie interpretantur) pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus, hoc est, [cum] Esau, [quem] formidare non debes.

Inter. 244. Quid [sibi vult] quod Jacob ait [fratri suo]: *Sic vidi faciem tuam, quasi viderem faciem Dei* **(Gen. XXXIII, 10)**. Utrum paventis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt?---*Resp.* Haec verba fraterna sunt et benigno animo dicta, quoniam post benignam susceptionem metus ipse transierat. Et fortassis Dei nomine angelorum [Col. 0552D] aliquem vel sanctorum [*Ms.,* vel aliquem sanctum] hoc loco intelligere debemus, secundum Apostolum, qui dixit: *Etsi sunt qui dicuntur dii, sive in coelo, sive in terra, quemadmodum sunt dii multi et domini multi* **(I Cor. VIII, 5)**.

Inter. 245. Quomodo promisit Jacob fratri suo, ut sequeretur vestigia ejus cum alio itinere tenderet **(Gen. XXXIII, 14)**?---*Resp.* Forte ad horam sequebatur. Vel primo [veraci animo] promiserat, sed aliud postea [cogitando [*Edit.,* cogitabat] delegit].

Inter. 246. Quomodo duo filii Jacob tantam caedem et depraedationem per se in terra aliena facere potuerunt **(Gen. XXXIV, 25)**?---*Resp.* Multitudo [enim] non parva erat cum Jacob, qui plurimum ditatus [Col. 0553A] fuit: sed filii ejus in hoc facto nominantur, qui ejusdem facti principes et auctores fuerunt.

Inter. 247. Quid est quod Jacob dixit domui suae: *Projicite deos alienos qui in medio sunt vestri* **(Gen. XXXV, 2)**? Et iterum: *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, et inaures quae in auribus eorum erant* (vers. 4). Quae si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant?---*Resp.* Intelligendum est, has inaures phylacteria fuisse deorum alienorum. Nam Rebeccam a servo Abrahae inaures accepisse Scriptura testatur: quod non fieret, si eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illae inaures, quaecunque [*Edit.,* quae cum] idolis datae sunt, ut dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.

Inter. 248. Quare secundo dicitur ad Jacob (vers. [Col. 0553B] 10): *Non vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum:* et appellavit eum Israel?---Resp. Dudum nequaquam ei ab angelo nomen imponitur, sed quod imponendum sit ei a Deo praedicitur. Quod igitur [ibi] futurum promittitur, hinc dicitur expletum. Nimirum nomen hoc ad illam recte intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur Deus, quomodo non est ante a patribus suis visus.

Inter. 249. Quae est Effrata, ubi Jacob Rachel uxorem suam condidisse dicitur (vers. 19, 20)?---*Resp.* Effrata et Bethleem unius verbi vocabulum est sub interpretatione consimili: siquidem in frugiferam domum, et domum panis vertitur, propter eum panem qui de coelo descendisse dicitur.

Inter. 250. Ubi est turris gregis, juxta quam dicitur [Col. 0553C] Jacob habitasse (vers. 21)?---*Resp.* Juxta Bethleem, ubi [vel] angelorum grex in Domini ortu cecinit: vel ubi Jacob pascens pecora sua loco nomen imposuit: vel, quod verius est, quod vaticinio futurorum tunc mysterium monstrabatur [*Ms.,* quia vaticinatio futurorum jam tunc per mysterium monstrabatur].

Inter. 251. Quid est quod de Isaac dicitur: *Et consumptus aetate mortuus est, et appositus populo suo* **(Gen. XXXV, 29)**? Quomodo consumptus, vel cui populo appositus? {331}---*Resp.* Consumptus aetate, id est, perfectus aetate. Verum angelorum populo vel sanctarum animarum apponuntur, qui hanc vitam Deo placentes finiunt. Tunc dicuntur apponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum, et periculum [Col. 0553D] peccatorum. Quod intuens Scriptura ait: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* **(Eccli. XI, 30)**.

Inter. 252. Quomodo Scriptura dicit, post mortem Isaac patris sui, Esau abscessisse de terra Chanaan, et habitasse in monte Seir **(Gen. XXXVI, 8)**; cum veniente de Mesopotamia Jacob legatur **(Gen. XXXII, 3)** eum misisse nuntios ad fratrem suum in terra Seir, regionis Edom, cum ibi habitaret tunc temporis [*Ms.,* eumque ibi habitasse tunc temporis]?---*Resp.* In promptu est cogitare quod scilicet Esau, posteaquam in Mesopotamiam frater ejus abscessit, [Col. 0554A] noluit habitare cum parentibus suis, [sive] ex illa commutatione [*Ms.,* commotione] qua dolebat se benedictione fraudatum; sive causa uxorum suarum, quas odiosas videbat esse parentibus, et coeperat habitare in monte Seir. Deinde post reditum Jacob fratris sui, facta inter eos concordia, reversus est et ipse ad parentes; et cum mortuum patrem simul sepelissent, quia eos plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minime capiebat, abscessit rursus in Seir, et ibi propagavit gentem Idumaeorum.

Inter. 253. Erant [autem] filii Jacob duodecim**(Gen. XXXV, 22)**; et computatis omnibus, Benjaminque, et addidit: *Hi filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriae* (vers. 26);
@ [Col. 0553D] Locus hic sanatus ex ms dum constat Benjamin [Col. 0554B] natum esse in Chananaea, quomodo tunc duodecim nasci dicuntur in Mesopotamia?---*Resp.* Nulla est [ergo] facilior solutio hujus quaestionis, quam ut per synecdochen accipiatur. Ubi enim major pars est aut fortior [*Ms.,* potior], solet ejusdem nomine etiam illud comprehendi

quod ad ipsum nomen [non] pertinet.

Inter. 254. Quomodo impletum somnium Joseph, quo dicit se vidisse solem et lunam, et undecim stellas adorasse se **(Gen. XXXVII, 9)**; dum constat, eo regnante in Aegypto, matrem ejus Rachel multo ante esse defunctam; imo nec patrem [ejus] legimus eum adorasse?---*Resp.* [Ergo] in Christo facilius [*Edit.,* facile] est somnii intelligere perfectionem: huic enim *datum est nomen,* quod est super [Col. 0554C] omne nomen, ut in nomine ejus [Ms., *Jesu*] flectatur omne genu coelestium, terrestrium et infernorum **(Philip. II, 10)**.

Inter. 255. Quaeritur quare Isamelitas Scriptura, quibus a fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet **(Gen. XXXVII, 28)**; cum Ismael sit de Agar filius Abrahae, Madianitae vero de Cethura?---*Resp.* Quia Scriptura de Abraham dixerat **(Gen. XXV, 6)** quod munera dedisset filiis concubinarum suarum, Agar scilicet et Cethurae; et divisit [*Ms.,* dimiserit] eos ab Isaac filio suo in terra [*Ms.,* terram] Orientis. Itaque unam gentem fecisse intelligendi sunt.

Inter. 256. Quomodo intelligendum illud [quod] Jacob [dicit]: *Descendam ad filium meum lubens in* [Col. 0554D] infernum **(Gen. XXXVII, 35)**.---*Resp.* Perturbati et dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis. Vel etiam inferni nomine sepulcrum significavit, quasi diceret: In luctu maneo, donec me terra suscipiat [sepultum], sicut illum.

Inter. 257. Qualiter historia de Juda et tribus filiis ejus et uxore ejus Thamar **(Gen. XXXVIII)** intra tam paucos annos compleri potuit? [Cum ergo anno
@ [Col. 0554D] Ambigua lectio: forte XVII. XIV aetatis suae venditus fuisse credatur; XIII annos peregerat in Aegypto ignotus Pharaoni; ad hos enim tredecim annos accesserunt VII anni ubertatis, et facti sunt anni XX: his adduntur duo; [Col. 0555A] quia secundo anno famis Jacob introivit in Aegyptum cum filiis suis, et inveniuntur XXII anni, quibus abfuit Joseph a patre et a fratribus suis. Quo medio tempore quomodo fieri potuerunt]?---*Resp.* Solet [enim] Scriptura sancta per recapitulationem multa proferre. Aliquot ergo annis ante venditum Joseph haec fieri coepisse intelligi datur. Etiam mox, ut adolesceret Judas, incidit [*Ms.,* coepit incidisse] in amorem ejus, quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Aegyptum.

Inter. 258. Cur dixit de Thamar: Depositis vestimentis viduitatis suae (vers. 14)?---*Resp.* Ut intelligatur [*Ms.,* quatenus intelligeres], ex temporibus patriarcharum certa et sua fuisse vestimenta viduarum, non utique talia qualia conjugatarum.

[Col. 0555B] {332} *Inter*. 259. Quare dixit Judas: Justior est Thamar quam ego **(Gen. XXXVIII, 26)**?---*Resp.* Thamar in bivio sedens vel capeto; ubi diligentius debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat; non ut vagam turpitudinis libidinem impleret, sed ut liberos a socero susciperet, justiore causa, quam socer: ille enim libidinis, illa liberorum gratia: et ideo in comparatione ejus minus male fecerat.

Inter. 260. Si Phares inde sortitus est nomen divisionis, quia diviserat membranam secundam [*Ms.,* secundarum], unde Zara [sic] nomen accepit (vers. 29, 30)? *Resp.* Zara

interpretatur *Oriens.* Sic igitur vocatur, vel quia primus apparuit, vel quod plurimi ex eo nati sunt justi, sicut in Paralipomenon legimus **(I Par. II, 4)**.

[Col. 0555C] *Inter.* 261. Cur gentiles homines qui fuerunt in carcere cum Joseph, praesagia futurorum viderunt **(Gen. XL, 5)**?---*Resp.* Non pro suis meritis, sed ut magnificaretur Joseph, et manifestaretur qui latebat.

Inter. 262. Quid [sunt] tres propagines (vers. 10)?---*Resp.* Tres [propagines sunt tres] rami.

Inter. 263. Cur Pharao et Herodes dies nativitatis suae honoribus festivos habuerunt (vers. 20)?---*Resp.* Eo quod putaverunt quod hora nativitatis eorum eos [*Ms.* se] ordinasset in regnum: similem rem facientes adoratione, ut quorum erat par impietas, esset una solemnitas.

Inter. 264. Quid est quod Pharao dixit: *Putabam* [Col. 0555D] me stare super flumen **(Gen. XLI, 1)**?---*Resp.* Id [*Ms.,* Idem] est quod in alio loco legitur: *Ecce ego super fontem aquae sto* **(Gen. XXIV, 13)**. Hoc genere locutionis et in psalmo dicitur: *Qui fundavit terram super aquam* [Ms., *aquas*]. [Non coguntur homines putare sicut navem natare terram super aquas]. Secundum hanc [enim] locutionem [recte] intelligitur, quod altior sit terra quam aqua. Altius quippe ab aquis sustollitur, ubi habitant terrena animalia.

Inter. 265. Quomodo multitudo [frugum] arenae [multitudini] comparatur **(Gen. XLI, 49)**?---*Resp.* Quia sicut arena innumerabilis est, ita multitudo frugum usitato numero comprehendi non potest [*Ms.,* poterat].

[Col. 0556A] *Inter.* 266. Quomodo de viro sancto Joseph intelligere debemus, quod inebriasset fratres suos **(Gen. XLIII, 34)**---*Resp.* Ebrietas secundum Hebraeam linguam [*Ms.,* idioma Hebraicae linguae] pro satietate ponitur, sicut in psalmo: *Visitasti terram et inebriasti eam.* Et iterum: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.*

Inter. 267. Quid sibi vult quod Joseph toties fratres suos ludificavit, et tanta exspectatione suspendit, antequam manifestare se voluisset?---*Resp.* Tribulabat eos, non ut se vindicaret [in eis], sed ut illos purgaret a crimine transacti sceleris in eum: vel magis, ut hac dilatione accumularetur gaudium eorum, dum viderent tantam gloriam ejus, quem [a se] exstinctum esse arbitrabantur.

[Col. 0556B] *Inter.* 268. Quomodo dicitur: *Filii ejus et filiae descenderunt cum Jacob in Aegyptum* **(Gen. XLVI, 7)**, cum Jacob plures non habuerit filias, quam Dinam tantummodo?---*Resp.* Aut [etiam] neptes filiarum nomine intelligere debemus; aut pluralis numerus pro singulari positus est, sicut ibi: *Misit in eis muscam caninam.*

Inter. 269. Quod dicit Scriptura: *Omnes animae quae egressae sunt de femoribus Jacob* (vers. 26): quid respondendum est eis qui hoc testimonio confirmare nituntur, a parentibus simul animas cum corporibus propagari?---*Resp.* [Animas dictas pro hominibus, a parte totum significante [*Edit.,* significata] locutione, nullus debet dubitare].

Inter. 270. Hi filii Liae, quos genuit in Mesopotamia [Col. 0556C] Syriae cum Dina, animae filiorum et filiarum triginta tres (vers. 15). Nunquid istae omnes triginta et tres animae ex Lia in Mesopotamia Syriae natae sunt, dum ibi Jacob non plus [quam] viginti annis cum socero suo moratus est, et septem anni transierunt, antequam Liam uxorem duxisset?---*Resp.* Ideo [igitur] Scriptura sancta hos omnes in Mesopotamia ortos esse dixit, quoniam eorum patres ibi orti sunt.

Inter. 271. Si sexaginta et sex animae sunt quae ingressae sunt cum Jacob in Aegyptum, et ibi Joseph cum duobus filiis suis inventus est (vers. 26, 27), quomodo {333} septuaginta postea dicuntur esse animae domus Jacob?---*Resp.* Ipso patre Jacob, quasi radice, adnumerato septuaginta esse noscuntur.

[Col. 0556D] *Inter.* 272. Dum hic [in Genesi] legimus septuaginta esse animas domus Jacob, quomodo in Actibus apostolorum **(VII, 14)** dicitur, in animabus septuaginta quinque descendisse Jacob in Aegyptum?---*Resp.* Non poterat Lucas [aliquid] contrarium scribere adversus eam Scripturam, quae jam fuerat gentibus divulgata: et utique majoris opinionis, illo duntaxat tempore, septuaginta Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucas, qui ignotus et vilis, et non magnae fidei in nationibus ducebatur [*Al.,* erat]. Hoc, autem generaliter observandum est quod ubicunque sancti apostoli vel apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur, [Col. 0557A] quae jam fuerant in gentibus divulgata; licet plerique tradunt, Lucam [evangelistam], ut proselytum, Hebraeas litteras ignorasse.

Inter. 273. Filii Jacob interrogati quid operis haberent, responderunt: *Pastores ovium sumus, sicut et patres nostri* **(Gen. XLVII, 3)**. Quare patriarchas primos, pastores ovium, et non [reges] gentium fuisse legimus?---*Resp.* Quia sine ulla dubitatione justa servitus, et justa est dominatio, cum pecora homini serviunt, et homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est homini cum crearetur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris et volatilium coeli, et omnium quae sunt super terram* **(Gen. I)**. Ubi insinuatur rationem debere dominari irrationali vitae. Servum autem [Col. 0557B] hominem homini vel iniquitas fecit, vel adversitas. Iniquitas quidem, sicut dictum est: *Maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis* **(Gen. IX, 25)**. Adversitas vero, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus a fratribus servus alienigenae fieret. Itaque primos servos, quibus hoc nomen in Latina lingua inductum est, bella fecerunt; cum [*Ms.,* qui] enim homo ab homine superatus, jure belli possit occidi, quia *servatus* est, *servus est appellatus.* Inde et *mancipia, quia* [sunt] *manu capta.*

Inter. 274. Quae est terra Gersen [*Al.,* Gesen] vel Ramesse?---*Resp.* Judaei autumant eam, quae nunc Thebaida appellatur, Ramesse pagum; Arsenatem sic olim vocatum putant.

Inter. 275. Quaeritur quomodo in terra Aegypti pascua [Col. 0557C] pecoribus inveniri potuerunt, cum ea terra pluviis non irrigatur; et fratres Joseph ideo terram Chanaan reliquisse [se] dicunt, quod herbas gregibus suis non invenissent **(Gen. XLVII, 4)**?---*Resp.* Perhibetur ab eis qui loca sciunt, in multis Aegypti paludibus potuisse pascua

non deesse, etiam cum fames esset frumentorum, quae solent Nili fluminis inundatione provenire. Magis enim dicuntur paludes illae feraces [*Ms.,* feracius] pascua gignere, quando aqua Nili minus excrescit.

Inter. 276. Quid sibi vult, a tanto viro et tali patriarcha tam sollicita corporis commendatio, ut non in terra Aegypti sepeliatur, sed in terra Chanaan juxta patres suos (vers. 30)?---*Resp.* In his [figurae] sacramenta tibi quaerenda sunt, et [majoris] admirationis [Col. 0557D] gaudium invenies. Cadaveribus quippe mortuorum peccata significari in lege non est dubium. Hinc illa sententia ducta [*Ms.,* dicta] est: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? sic et qui jejunat super peccata sua et iterum ambulans haec eadem facit, etc.* **(Eccle. XXXIV, 30, 31)**. Sepultura ergo mortuorum remissionem significat peccatorum. Eo pertinet quod dictum est: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata* **(Psal. XXXI, 1)**. Ubi ergo sepelienda erant haec significantia cadavera patriarcharum, nisi in ea terra ubi ille crucifixus est cujus sanguine facta est remissio peccatorum.

Inter. 277. Quid est quod Jacob conversus ad caput lectuli sui oravit Dominum **(Gen. XLVII, 31)**?---*Resp.* [Col. 0558A] Scilicet postquam juraverat ei filius [securus] de petitione quam rogaverat, adoravit Deum [*Ms.,* Dominum coepit adorare] contra caput lectuli sui; sanctus quippe et Deo obediens [*Ms.,* deditus] vir, oppressus senectute, habebat lectulum ita positum, ut ipse jacens [habitus] absque ulla difficultate ad orationem esset paratus.

{334} *Inter*. 278. Quid est quod Jacob dicit: *Duo filii tui Effrem et Manasses, sicut Ruben et Simeon erunt mihi* **(Gen. XLVIII, 5)**?---*Resp.* Significat: [sicut] Ruben et Simeon duae tribus erunt, et suis vocabulis vocabuntur; sic Effrem et Manasses duae tribus erunt; duos quoque populos procreabunt, et [sic] haereditabunt promissionis terram, sicut et filii mei. Reliquos autem filios, quos post mortem meam genueris, tui [Col. 0558B] erunt: [et] in nomine patrum suorum vocabuntur in haereditate sua; [qui] non accipient separatim terram, nec funiculos habebunt proprios, ut reliquae tribus: In tribu Effrem [*Ms.* Effraim] et Manasse quasi appendices populi commiscebuntur.

Inter. 279. Cur Jacob filio suo Joseph, quasi nescienti, indicare voluit, ubi et quando sepelierit matrem ejus (vers. 7)?---*Resp.* Forte prophetice commemorare voluit, ibi sepultam matrem Joseph, ubi Christus fuerat nasciturus.

Inter. 280. Quae est pars una quam Jacob dedit Joseph filio suo [extra fratres suos], quam tulisse se de manu Amorrhaeorum dicit in gladio et arcu suo (vers. 22)?---*Resp.* Significavit urbem, quae Hebraice Sichem dicitur, et secundum Graecam et Latinam [Col. 0558C] declinationem Sichima appellatur; et corrupte a plurimis Sichar nominatur: quae et [*Al.,* ut] nunc Neapolis urbs Samaritanorum dicitur. Sichem [in] Hebraea lingua transfertur in humerum [*Al.,* numerum], unde Septuaginta [praecipue] interpretati sunt. Quod autem dicit se eam [*Ms.,* jam] in arcu et gladio possedisse, arcum hic et gladium justitiam vocat, per quam meruit, peregrinus et advena, interfecto Sichem et Emor, de periculo liberari. Timuit [enim], quod supra legimus, ne vicina oppida atque castella ob eversionem foederatae urbis adversum se consurgerent, et Dominus non dedit eis ut nocerent illi. [Vel certe sic intelligendum: dabo tibi Sichimam, quam in fortitudine mea,

hoc est, in pecunia, quam multo labore et sudore quaesivi. Quod autem ait: [Col. 0558D] super fratres tuos, ostendit, absque sorte eam dedisse tribui Joseph, et mausoleum ejus ibi hodieque cernitur.]

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM.

Inter. 231. Quid intelligendum est de benedictionibus quibus Jacob patriarcha benedixit filios suos: an historice vel allegorice intelligendae sunt, dum dixit: *Congregamini filii Jacob* [audite, Israel, patrem vestrum], ut annuntiem vobis quae ventura sunt in novissimis diebus **(Gen. XLIX, 1)**; et videtur ex his verbis magis allegoriam sonare quam historiam?---*Resp.* Utrumque [vero] et historiam et allegoriam. Historiam, de divisione terrae promissionis, quae [divisiones] [Col. 0559A] dividendae erant nepotibus illorum. Item allegoriam, de Christo et Ecclesia in novissimis quid futurum [*Ms.,* futuram] temporibus. Sed prius historiae fundamenta ponenda sunt, ut aptius allegoriae culmen priori structurae superponatur.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei, prior in donis [major imperio], effusus es sicut aqua, non crescas: [quia] ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus (vers. 3, 4).
@ [Col. 0559D] Ex Hieronymo, lib. Quaest. in Gen. Est autem hic sensus: tu es primogenitus meus, major in libris, et debebas, juxta ordinem nativitatis tuae, haereditatem, quae primogenitis jure debebatur, habere, nempe sacerdotium accipere et regnum [hoc quippe in portando onere [*Al.,* honore] et praevalido robore demonstratur]. Verum quia peccasti, et quasi [Col. 0559B] aqua, [quae] vasculo non tenetur, voluptatis [*Ms.,* voluntatis] effusus es impetu, idcirco praecipio tibi ut ultro non pecces, sisque in fratrum numero poenas peccati lugens [*Al.,* luens], quod primogeniti ordinem perdidisti:
@ [Col. 0559D] Sequentia non sunt Hieronymi. principium autem doloris est omnis primogenitus, quia pro eo primum commoventur viscera parentum.

Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum ne veniat anima mea et in coetu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt [virum] et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio illorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel (vers. 5-7). Significat autem non sui fuisse consilii, quod Sichem et Emor {335} foederatos [Col. 0559C] viros interficerent [*Al.,* interfecerunt], et [quia] contra fas, in pacis et amicitiarum tempore sanguinem fuderunt innocentum, et quasi quodam furore sic crudelitate repleti [*Al.,* raptati] muros hospitae urbis everterunt [*Ms.,* everterent] **(Gen. XXXIV)**. Unde dicit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax et reliqua. Et dispergam eos in Israel.* Levi enim haereditatem propriam non accepit, sed in omnibus sceptris paucas urbes ad habitandum [*Edit.,* inhabitandas] habuit. De Simeone vero in libro Jesu (XIX, 1, 2) scriptum est, quod et ipse proprium funiculum non acceperit, sed de tribu Juda quiddam habuerit.

Juda te laudabunt fratres tui, manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad praedam, fili mi, ascendisti[Col. 0559D] **(Gen. XLIX, 8, 9)**. Sive, ut in Hebraeo scriptum est: *de captivitate, fili mi, ascendisti:*

requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena quis suscitabit eum? Quia Juda confessio sive laus interpretatur, recte scribitur: *Juda* confitebuntur tibi fratres tui, vel *laudabunt te.* Et licet de Christo grande sit mysterium, tamen secundum litteram significat quod per stirpem David generantur reges, et quod adorarent eum omnes tribus. Non enim ait, filii matris tuae, sed, *filii patris tui.* Et quod sequitur: *Ad praedam, fili mi, ascendisti, ostendit eum captivos populos ducturum esse, et juxta intelligentiam sacratiorem,* Christum ascendisse in [Col. 0560A] altum, et captivam duxisse captivitatem **(Ephes. IV, 58)**; sive, quod melius puto, captivitas passionem ascensus resurrectionem significat. *Alligans ad vineam pullum suum et ad vitem asinam suam* **(Gen. XLIX, 11)**. Quod videlicet pullum asinae, cui supersedit Jesus, hoc est, gentilium populum, vineae apostolorum, qui ex Judaeis sunt, copulaverit, et ad vitem, sive, ut in Hebraeo habetur [ad Soreth], id est, electam vitem alligaverit asinam, *cui supersedit, Ecclesia ex nationibus congregata.* Quod autem dicit: *Fili mi;* conversio est ἀποστροφὴ ad ipsum Judam [*Al.,* conversionem ad Christum de ipso Juda facit], quod Christus haec omnia sit facturus.
@ [Col. 0560D] Sequentia non sunt Hieronymi. Quod autem ait: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus donec veniat ille, qui mittendus est;* et ipse erit [Col. 0560B] exspectatio gentium. Significat, quod non deficerent principes de tribu Juda, usque ad tempus, quo natus est Christus, qui missus a Patre exspectatio est gentium.

[*Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium, pertingens usque ad Sidonem.*] Isachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem, quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens (vers. 13).
@ [Col. 0560D] Hieron. Quaest. in Gen. [Quia] supra de Zabulon dixerat; [quod] maris magni littora esset possessurus; Sidonem quoque et reliquas [Phoenices] urbes [contingeret], nunc ad mediterraneam provinciam redit; et Isachar, quae [*Al.,* qui] juxta Nephtalim est pulcherrimam [in Galilaea] regionem possessurus est, benedictione [Col. 0560C] sua habitatorem fecit. Asinum autem osseum vel fortem vocat, et humerum [dicit supposuisse] ad portandum, quia in labore terrae et vehendis ad mare [oneribus], quae in finibus suis nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans. Aiunt Hebraei, per metaphoram significari, quod Scripturas sanctas die ac nocte meditans studium suum dederit ad laborandum, et idcirco ei omnes serviunt, quasi magistro dona portantes.

Dan judicabit populum suum, sicut alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro(Gen. XLIX, 16-18). Salutare tuum *exspectabo, Domine.* Samson judex in Israel de tribu Dan fuit. Hoc ergo nunc dicit videns in spiritu, comam nutrire [Col. 0560D] Samson Nazaraeum, et de caesis hostibus triumphare: quod in similitudinem colubri regulique obsidentis vias, nullum per terram Israel transire permittat; sed etiam si quis temerarius virtute sua, quasi velocitate equi confisus, eam voluerit praedonis more populari, non illum effugere valebit. Totum autem per metaphoram serpentis et equitis loquitur [*Edit.,* quod loquitur, ad formam serpentis et equi pertinet]. Videns ergo [*Ms.,* autem] tam fortem Nazaraeum tuum, quod ipse propter [*Edit.,* per] meretricem mortuus est, et moriens nostros occidit inimicos, putavi, o Deus! ipsum esse Christum Filium tuum; [Col. 0561A]

verum quia mortuus est, et non resurrexit, et rursum ductus captus est Israel, alius mihi Salvator [*Ed.,* verum, qui mortuus est et resurrexit, ille igitur mihi salvator, etc.] mundi et mei generis praestolandus est, *ut veniat, cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium.*

{336} *Gad accinctus praeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum,* (vers. 19) significat, quod ante Ruben, et dimidiam tribum Manasse, et filios, quos trans Jordanem [*Ms.,* filios suos trans Jordanem] in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos revertens, praelium adversum eos gentium vicinarum grande reperit et victis hostibus fortiter dimicavit. Lege librum Jesu Nave **(XIII, 7)** et Paralipomenon (I, V, 1, 11).

[Col. 0561B] *Nephtalim* cervus emissus, dans eloquia pulchritudinissive *Nephtalim ager irriguus* **(Gen. XLIX, 21)**. Utrumque enim significat Hebraeum verbum Aiala Selvha [*Edit.,* Silvam]. Significat autem quod aquae calidae in ipsa nascuntur tribu, sive quod super lacum Genesar fluenta [*Al.,* fluento] Jordanis esset irriguus. Hebraei autem volunt propter Tiberiadem, quae legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum hic intelligi eloquia pulchritudinis prophetarum [*Ms.,* irriguum et eloquia pulchritudinis prophetari]. Cervus autem emissus temporaneas fruges et velocitatem terrae uberioris ostendit. Sed melius, si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus, quod ibi vel maxime docuerit Salvator, ut in Evangelio quoque scriptum est **(Matth. IV, 15)**.

[Col. 0561C] *Filius meus accrescens Joseph, filius meus accrescens et decorus aspectu.* Filiae decurrerunt super murum, sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invidiaeque[Ita Ms.; Al. *invideruntque illi*] habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum ejus per manus potentis Jacob. Inde pastor egressus est, lapis Israel (Gen. XLIX, 22-24). O fili Joseph, qui tam pulcher es, ut te tota de muris et turribus, ac fenestris puellarum Aegypti turba prospectaret [*Ms.,* prospectet]; inviderunt tibi [et te ad iracundiam provocaverunt] fratres tui, habentes livoris sagittas et zeli jaculis vulnerati: verum [tu] arcum tuum et arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis est propugnator; et vincula tua, quibus te fratres ligaverunt, ab ipso soluta sunt [Col. 0561D] et disrupta. Ut ex tuo semine tribus nascatur Effraim fortis, stabilis, et instar lapidis durioris invicta, imperans [quoque] decem tribubus Israel.

Benjamin lupus rapax, mane comedit praedam et vespere dividet spolia (vers. 27). Quam de Paulo apostolo manifestissima sit prophetia omnibus patet. In adolescentia enim persecutus est Ecclesiam **(Act. VIII, 3)**; in senectute praedicator Evangelii factus est **(Gal. I, 13)**. Hebraei autem ita dixerunt [*Ms.,* disserunt]: altare in quo immolabantur hostiae, et victimarum sanguis in basim illius fundebatur, in parte tribus Benjamin fuit [*Al.,* fuisse]: Hoc inquiunt, ergo significat quod sacerdotes immolant mane hostias, ad vesperam dividunt ea, quae sibi a populo ex lege collecta [Col. 0562A] sunt, lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, et spoliarum divisionem super sacerdotibus, qui servientes altari vivunt de altari [Hucusque ex Hieronymo]. Haec hactenus [*Ms.,* autem] historice.

Spiritualiter autem [in] Ruben prioris populi Judaeorum ostendit personam, cui a Domino per prophetam dicitur: Israel *primogenitus meus* **(Gen. XLIX, 3)**. Etenim juxta quod primogenitis debebatur, ipsius erat accipere sacerdotium et regnum. Additur: *Tu*

virtus mea. Utique quod huic populo fundamentum fidei ex ipsa virtute Dei [*Ms.,* quia ex ipso populo fundamentum fidei; ex ipso virtus Dei], qui est Christus, advenit. Quomodo autem ipse sit principium dolorum, nisi dum Patri Deo semper irrogat [Col. 0562B] injurias, convertens ad eum dorsum [et] non faciem? Iste prior in donis, quia ipsi primum credita sunt eloquia Dei, et legislatio, et testamentum [sive promissio]. Iste major imperio, utique pro magnitudine virium, quia copiosius caeteris in hoc saeculo regnavit [*Ed.,* Deum negavit, *mendose*]. Effusus est autem sicut aqua, peccando in Christo, quae vasculo non tenetur; voluntatis [*Al.,* voluptatis] effusus est impetu: et idcirco addidit *ultra non crescas.* [Quia peccavit, et Christum negavit], quapropter ipse postquam in universum orbem dispersus est, valde imminutus est. Sed quare talia meruit, ita subjecit: quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus; quando [*Edit.,* quoniam] corpus Dominicum, in quo plenitudo Divinitatis requiescebat, raptum in [Col. 0562C] cruce suspendit, et ferro commaculavit.

Simeon et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia (vers. 5). Per Simeonem et Levi scribae, et Pharisaei, et sacerdotes Judaici populi intelliguntur. De Simeone enim scribae erant Judaeorum; de tribu vero Levi principes sacerdotum, {337} *qui consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent.* De quo concilio dicit: *In concilium eorum ne veniat anima mea.* Horrebat enim tot scelera quae in novissimis temporibus facturi erant Judaei; quia in furore suo occiderunt virum, id est Christum, de quo dicitur: *Ecce vir oriens nomen ejus* **(Zach. VI, 12)**. Et alibi: *Femina circumdabit virum* **(Jer. XXXI, 22)**. *Suffoderunt murum, id est, spiritualem illum fortissimum murum, qui custodit Israelem, lancea confoderunt. Maledictus* [Col. 0562D] furor eorum, quia pertinax. Utique quando furore accensi in ira obtulerunt Christum Pontio Pilato dicentes: *Crucifige, crucifige eum* **(Joan. XIX, 6)**. *Et indignatio eorum,* [quia] dura. Dum Barabbam latronem peterent, et principem vitae crucifigendum postularent **(Matth. XXVII, 21)**. *Dividam eos in Jacob, et disperdam* [Ms., dispergam] [*illos*] in Israel, quia nonnulli ex illis crediderunt, quidam autem in infidelitate permanserunt. Dicuntur enim divisi [hi, qui ab eis] separantur, et veniunt ad fidem; dispersi autem [*Al.* ergo] sunt, quorum patria et templum subversum est, et per orbem terrae gens incredula [*Ms.,* incredulum genus] spargitur.

Juda te laudabunt fratres tui **(Gen., XLIX, 8)**. Per [Col. 0563A] hunc Judam verus confessor exprimitur Christus, qui ex ejus tribu secundum carnem est genitus. Ipsum laudant fratres sui, apostoli scilicet et omnes cohaeredes ejus, qui per adoptionem Filii Dei Patris et Christi fratres effecti sunt per gratiam, quorum ipse est Dominus per naturam. *Manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum.* Iisdem enim manibus et eodem crucis trophaeo et suos textit, et inimicas adversariasque potestates devicit [*Ms.,* curvavit]. Juxta quod et Pater promittit ei dicens: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Adorabunt te filii patris tui, quoniam multi ex filiis Jacob adorantes* [eum] per electionem gratiae salvi facti sunt. *Catulus leonis Juda* (vers. 9), quoniam nascendo parvulus factus est, sicut scriptum [Col. 0563B] est: *Parvulus natus est nobis.* Ad praedam fili mi ascendisti, id est, ascendens in crucem, captivos populos redemisti [et] quos adversarius [*Ms.,* contrarius] ille invaserat [tu moriens eripuisti. Denique *rediens ab inferis ascendisti*] in altum, captivam duxisti captivitatem. Requiescens accubuisti ut leo. Manifestissime Christus accubuit in

passione, quando inclinato capite tradidit spiritum, sive quando in sepulcro [securus] velut quodam corporis somno quievit. Sed quare *ut leo et* [*velut*] catulus leonis? In somno suo leo fuit, quoniam non necessitate, sed potestate hoc ipsum implevit, sicut ipse dicit: *Nemo tollet a me animam meam, sed ego ponam eam.* Quod vero addidit: *Et ut catulus leonis;* inde enim mortuus est, unde [et] natus. Bene [ergo] [Col. 0563C] Christus ut leo requievit, qui non solum mortis acerbitatem non timuit, sed etiam in ipsa morte mortis imperium vicit. Quod autem dicit: *Quis suscitabit eum? Quid est aliud nisi quod ipse dicit* [*Ms.,* quia nullus, nisi ipse, juxta quod ipse ait]: *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Non deficiet dux de Juda [et reliqua] (vers. 10). Hoc manifestissime ad Judam refertur. Diu enim fuit ex semine illius intemerata apud Judaeos successio regni, donec Christus nasceretur: et hoc supra diximus. *Alligans ad vineam pullum suum* (vers. 11). Pullus suus, populus est ex gentibus, cui adhuc nunquam fuerat onus legis impositum. Hunc alligaverunt apostoli, qui ex Judaeis sunt, ad vineam de qua dicitur: *Vinea Domini Sabaoth* [Al., copulavit ad vineam, ad [Col. 0563D] apostolos scilicet, qui ex Judaeis sunt. Nam vinea Domini Sabaoth domus Israel est]: *Et ad vitem, quae dicit: Ego sum vitis vera.* Ad hanc ergo vitem alligat asinam suam, hoc est synagogam gravidam [*Ms.,* tardigradam scilicet] et gravi legis pondere depressam. *Lavit in vino stolam suam.* [Sive] carnem suam in sanguine passionis; sive sanctam Ecclesiam illo vino, quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Et in sanguine uvae pallium suum.* Pallium, gentes sunt, quas corpori suo junxit, sicut scriptum est: *Vivo ego, dicit Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimentum.* Pulchriores oculi ejus vino (vers. 12). Oculi Christi apostoli sunt et Evangelistae, qui lumen scientiae Ecclesiae praestant [Col. 0564A] quorum praecepta [*Al.,* scripta] austeritatem vini priscae legis superant, quia longe leviora sunt. *Et dentes lacte candidiores.* Dentes praeceptores sunt sancti, qui praecidunt ab erroribus homines, et eos quasi comedendo in Christi corpus transmittunt. Candidiores autem effecti sunt doctores ecclesiae lacte veteris legis.

Zabulon in littore maris, et in statione navium habitat[Ms., *habitabit*] (vers. 13). Zabulon interpretatur habitaculum pulchritudinis [*Al.,* fortitudinis], et Ecclesiam significat, quae in littore {338} maris habitat, [et] in statione navium, ut credentibus refugium [sit], et periclitantibus demonstret fidei portum. Haec contra omnes turbines saeculi inconcussa firmitate solida exspectat naufragium Judaeorum, et [Col. 0564B] haereticorum procellas, qui circumferuntur omni vento doctrinae, quorum etsi tunditur fluctibus, non tamen frangitur. *Pertendit autem usque ad Sidonem, hoc est, usque ad gentes;* legitur etiam in Evangelio, inde assumptos esse aliquos apostolos; in ipsis locis Dominum saepe docuisse, sicut scriptum est: *Terra Zabulon, et terra Nephtalim, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* **(Matth. IV, 16; Isai. IX, 1, 2)**. Sidon interpretatur venator vel venatrix. Venatores vero qui sunt, nisi apostoli? qui, ut supra diximus, ex illis locis assumpti sunt; de quibus dicitur: *Mittam venatores multos, et venabuntur vos in omni monte* [Al., *loco*] **(Jer. XVI, 16)**.

Isachar asinus fortis **(Gen. XLIX, 14, 15)**. Isachar quod interpretatur merces, refertur ad populum gentium, [Col. 0564C] quem Dominus pretio sanguinis sui mercatus est. Hic Isachar asinus fortis scribitur, quia prius populus gentilis, quasi brutum et luxuriosum animal [egerat] nullaque ratione subsistens; nunc vero fortis Redemptoris dominio

collum submittens ad jugum disciplinae Evangelicae pervenit [*Al.,* sed postmodum jugum. . . libenter portavit]. *Hic accubans inter terminos vidit requiem, quod esset bona;* et terram, quod optima. Inter terminos [autem] accubare, est praestolato mundi fine requiescere, nihilque eorum, quae versantur in medio, quaerere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem et terram optimam videt, cum simplex gentilitas [idcirco] se ad robur boni operis erigit [quia] ad aeternae vitae praemium tendit. Unde etiam *apponit humerum suum ad* [Col. 0564D] portandum, quia dum ad promissam requiem pervenire desiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. Unde *factus est tributis serviens, hoc est, regi Christo suo fidei dona et operum bonorum offerens munera.*

Dan judicabit populum suum, sicut aliae tribus Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita,[et reliqua] (vers. 16). Dicunt quidam Antichristum per haec verba praedici de tribu Dan futurum, pro eo, quod hoc loco Dan et coluber asseritur et mordens. Unde inter tribus Israel primus Dan ad Aquilonem castra metatus est, illum significans, qui se in lateribus Aquilonis sedere dicit, et de quo figuraliter propheta dicit: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus* (Jer. VIII, [Col. 0565A] 16): qui non solum coluber, sed etiam cerastes, sive cornutus vocatur. Ceras enim Graece cornu dicitur esse [*Al.,* Κέρατα . . . . . cornua dicuntur]. Unde serpens ille cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristus asseritur, qui contra vitam fidelium cum morsu pestiferae praedicationis armabitur etiam cornibus potestatis [*Edit.,* et etiam cornibus contra potestates]. Quis autem nescit semitam angustiorem esse, quam viam? Fit ergo coluber in via, quia in praesentis vitae latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur. Sed mordet, cum eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit iterum cerastes in semita, quia quos fideles reperit, et sese inter angusta itinera praecepti coelestis constringere videt, non solum nequitia [Col. 0565B] callidae persuasionis impetit, verum etiam terrore potestatis perimit [*Al.,* premit], [et] in persecutionis angore, post beneficia ficta [*Ms.,* fictae] dulcedinis, exercet cornua potestatis. [In quo loco] equus [iste] hunc mundum insinuat, qui [*Ms.,* quod] per elationem [Col. 0566A] suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendet [*Ms.,* apprehendere nititur], cerastes ille equi ungulas mordere perhibetur. Equi enim ungulas mordere est extrema saeculi [feriendo] contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro.* Ascensor hujus equi est, quisquis iniquitatibus mundi [hujus] extollitur, unde et retro cadere dicitur.

Haec commentatiuncula inter Opera S. Aug. Edit. Bened. S. Mauri tom. III, Append. pag. 28, ita finitur.

Ut cadat ascensor ejus retro. Plebs infidelis Judaea, erroris suis laqueis capta pro Christo Antichristum exspectat. Bene Jacob eodem loco repente in electorum vocem conversus est dicens: *Salutare* [Col. 0566B] tuum exspectabo, Domine (vers. 18). Id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum, qui in redemptionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum. Amen.

{339}

DICTA BEATI ALBINI LEVITAE

Super illud Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* **(Gen. I, 26)**.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0565B]

Hanc commentatiunculam in ms. cod. J. Sirmundi sub priori titulo repertam Quaestionibus in Genesin subjunxit cl. Quercetanus. Edita jam olim fuerat inter Opera sancti Ambrosii sub hoc titulo: *De dignitate* [Col. 0565C] conditionis humanae libellus. Et sancti Augustini, cum hac inscriptione: *De creatione primi hominis.* Habetur nunc in Ambros. et Aug. Opp. Append. Nos illam invenimus in codd. mss. Salisburgensi, Frisingensi et S. Emmerami, absque titulo quidem auctoris, attamen inter alia Alcuini opuscula comprehensam. In eodem cod. Salisb., n. 67 notato, habetur simul opusculum in quo tractatur *de operibus sex dierum et aliis juxta disputationem puerorum cum interrogationibus et responsionibus.* Ibi agitur de natura hominis, atque illud Gen. I, 26, *Faciamus hominem, etc.,* dialogice examinatur, responsiones vero redduntur per eadem verba quae in hac, quam prae oculis habes, commentatiuncula uno contextu leguntur. Incertum sane utrum haec verba prius, quod pronum est credere, dialogice disposita, postea per modum unius dissertationis inde avulsa fuerint; utrum vero prius uno contextu prolata, deinde ampliori dialogo incerta. Persuasum tamen mihi habeo, [Col. 0565D] beatum Alcuinum non tantum hujusce commentatiunculae, sed etiam integri illius dialogi, seu disputationis puerorum verum esse auctorem. Illam tamen dabimus inter opuscula dubia, ubi videas monitum praevium.

Tanta [*Edit.,* tota] dignitas humanae conditionis esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctae Trinitatis et opere majestatis divinae creatus est [*Al.,* sit] homo; ut ex primae conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo Conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium praestitit ei Conditor, ut tanto ardentius amaret Conditorem, quanto mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret. Nec ob hoc solum quod consilio sanctae Trinitatis sic excellenter a Conditore conditus est, sed etiam quod [Col. 0566B] ad imaginem et similitudinem suam ipse Creator omnium eum creavit, quod nulli alii ex creaturis donavit. Quae imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est consideranda. Primo quidem, ut [Col. 0566C] sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans, sicut apostolus confirmat, quod *in eo vivimus, et movemur, et sumus* **(Act. XVII, 28)**: sic et anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans. Nec enim in majoribus corporis sui membris major est, et in minoribus minor; sed in minimis tota et in maximis tota. Et haec est imago unitatis Dei omnipotentis, quam anima habet in se. Quae quoque quamdam sanctae Trinitatis habet imaginem. Primo in eo quia, sicut Deus est, vivit et sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. Est quoque et alia Trinitas in ea, qua ad imaginem sui Conditoris, perfectae quidem et summae Trinitatis, quae [est] in Patre, et Filio, et Spiritu sancto [*Al.,* quae ex Patre, et Filio, [Col. 0566D] et Spiritu sancto], condita est. Et licet unius sit illa naturae, tres [tamen] in se dignitates habet, id est, intellectum,

voluntatem et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* **(Matth. XXII, 37)**; id est, et ex toto intellectu, et ex tota voluntate, et ex tota memoria. Jam [*Ms.,* Nam] sicut ex Patre generatur Filius, ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, ex his item ambobus procedit memoria, sicut facile [a sapiente quolibet] intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium unum aliquod, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat. [Col. 0567A] Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen animae tres in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates; {340} atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo: ex quibus quasi excellentioribus animae dignitatibus jubemur diligere Conditorem, ut quantum intelligatur, diligatur [*Al.,* intelligitur. . . . . diligitur]; et quantum diligatur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: imo nec haec duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus; ut sicut nullum potest esse momentum, [Col. 0567B] quo homo [non] utatur, vel fruatur Dei bonitate et misericordia; ita nullum debeat esse momentum, quo praesentem eum non habeat in memoria. Et haec *de imagine habeto.*

Hoc vero nunc *de similitudine aliqua intellige, quae in moribus* [*Al.,* minoribus] cernenda est: ut sicut Deus Creator, qui hominem ad similitudinem suam creavit, est charitas, est bonus et justus, patiens atque mitis, mundus, misericors, et caetera virtutum sanctarum insignia quae de eo leguntur: ita homo creatus est ut charitatem haberet, ut bonus esset et justus, patiens atque mitis, mundus et misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in seipso [Col. 0568A] habet, tanto propius est Deo, et majorem sui Conditoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum et divortia criminum ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degener aberret, tunc fiet de eo quod scriptum est: *Et homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* **(Psal. XLVIII, 13)**. Qui major honor potuit homini esse, quam ut ad similitudinem sui Factoris conderetur, et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus Conditor, de quo legitur: *Dominus regnavit, decore indutus* **(Psal. XCII, 1)**, id est, omnium virtutum splendore et totius bonitatis decore ornatus? Vel quod majus homini potest esse dedecus, aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui [Col. 0568B] Conditoris amissa, ad informem et ad irrationabilem brutorum jumentorum dilaberetur similitudinem? Eapropter quisque diligentius attendat primae conditionis suae excellentiam, et venerandam sanctae Trinitatis in seipso imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinae, ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat: ut quando appareat qualis sit, tunc similis ei appareat qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in [secundo *Edit.,* mendose, saeculo] reformavit.

DE DECEM VERBIS LEGIS SEU BREVIS EXPOSITIO DECALOGI.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0567C]

Hanc brevissimam Decalogi expositionem D. Lucas d'Acheri e cod. ms. S. Germani a Pratis cum aliis duabus epistolis B. Alcuini: *De comparatione Veteris ac Novi Testamenti, et: De tribus generibus visionum* **(Vid. epist. 203 et 204)**, edidit tom. III Spicil., pag. 321. Unde illam huc transcripsimus; tum, quod forma epistolari careat; tum, quod materia cum Quaestionibus in Genesin connexa sit.

Dat igitur Dominus Moysi legem innocentiae nostrae et cognitionis suae, eamdemque in decem verba constituit, et saxeis tabulis digito suo scripsit. Et haec quidem praecepta ita sunt distributa, ut tria pertineant ad dilectionem divinae Trinitatis; septem vero ad amorem fraternum, quibus societas humana non laeditur. Primum Decalogi mandatum ad Deum [Col. 0567D] Patrem pertinet, dum dicit: *Dominus Deus tuus Deus unus est* **(Exod. XX, Deut. V)**. Utique ut haec audiens unum Deum Patrem colas, et in multos Deos fornicationem tuam non effundas. Secundum praeceptum pertinet ad Filium, dum dicit: *Non assumes nomen Domini tui in vanum, id est, ne aestimes creaturam esse filium Dei, quoniam omnis {341} creatura vanitati subjecta est;* sed credas eum aequalem esse Patri, Deum deorum, Verbum apud Deum, per quem omnia facta sunt. Tertium mandatum de sabbato ad Spiritum sanctum pertinet, cujus donum requies nobis sempiterna promittitur. Nam quia Spiritus sanctus dicitur, propterea et septimum diem [Col. 0568C] sanctificavit Deus: in aliis enim diebus, operum non est nominata sanctificatio, nisi in sabbato, ubi dicitur: *Requievit Deus.* Proinde igitur hoc mandatum pertinet ad Spiritum sanctum, tam propter nomen sanctificationis, quam etiam propter aeternam requiem, ad donum sancti Spiritus pertinentem. Dicitur enim ibi: *Memento, ut diem sabbati sanctifices.* Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimus autem dies sabbatum est Domini Dei tui, non facies omne opus in eo **(Exod. XX, 10)**. In sex dierum opere sex millium annorum operatio continetur: in septimi vero requie, beati illius regni tempus ostenditur, quod carnaliter Judaei celebrantes exspectant. Et hoc ne nos ad fidem mendacii fallentes aptemus, clamat per prophetam Deus: *Neomenias* [Col. 0568D] et sabbata vestra odivit anima mea **(Isai. I, 13)**. Quomodo ergo sanctificata sunt vel erunt sabbata illa quae odivit Deus? Ergo sabbatum est sanctificatum, ubi post bona vitae hujus opera requies nobis aeterna promittitur. Ideoque quidquid agimus, si propter futuri saeculi requiem agimus, veraciter sabbatum observamus.

Post haec tria praecepta septenarius succedit numerus mandatorum, ad dilectionem proximi pertinens, et incipit ab honore parentum, dum dicitur: *Honora patrem tuum et matrem tuam* **(Exod. XX, 12)**; quod in ordine quartum est. A parentibus enim suis homo aperit oculos, et haec vita ab eorum dilectione sumit [Col. 0569A] exordium. Inde hoc mandatum primum est, sicut et Dominus in Evangelio dicit: *Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum.* **(Matth. XV, 4; Ephes. VI, 2)**. Sed quomodo primum, nisi sicut praedictum est in septenario numero, quia pertinet ad dilectionem proximi, primum est in altera tabula. Nam idcirco duae tabulae legis datae sunt. Jubetur ergo in hoc praecepto filiis honorare parentes, neque contumeliosos aut protervos illis existere, sed officio pietatis et humanitatis debitam reverentiam

praestare. Nam qui parentibus honorem differt, quibus parcere poterit, qui suos odit? Quintum: *Non maechaberis* **(Exod. XX, 14)**, id est ne quisquam praeter matrimonii foedus aliis feminabus misceatur ad explendam libidinem. Nam specialiter adulterium facit, [Col. 0569B] qui praeter suam ad alteram accedit.

@ [Col. 0569B] Quintum debuit dicere, sicut prius sextum. Sextum: *Non occides.* Etenim non solum opere perpetrans homicidium facit, sed etiam qui incurrit in eum esurientem vel nudum, qui mori possit, nisi indumentum, cibumque porrigendo subveniat, et ideo homicidii reus habebitur. Septimum, *non furtum* [Col. 0570A] facies (vers. 15), quod est vitium rapacitatis. Octavum: *falsum testimonium non dices* (vers. 16), quod est crimen mendacii, et falsitatis. Nonum: *Non concupisces uxorem proximi tui* (vers. 17). In hoc praecepto vetat intentionem adulterinae cogitationis. Nam aliud est facere aliquid tale praeter uxorem, aliud non appetere alienam uxorem; ideo duo praecepta sunt: *Non* moechaberis, et *non concupisces uxorem proximi tui.* Decimum: *Non concupisces rem proximi tui.* In quo praecepto damnat ambitionem saeculi, et refrenat concupiscentiam rerum. Itaque horum primum prohibet superstitionem, secundum errorem, tertium saeculi amorem, quartum impietatem, quintum allidit fornicationem, sextum crudelitatem, septimum rapacitatem, octavum perimit falsitatem, [Col. 0570B] nonum adulterii cogitationem, decimum cupiditatem. Et notandum quia sicut decem plagis percutiuntur Aegyptii, sic decem praecepta conscribuntur tabulae, quibus regitur populus Dei, et daemones occiduntur.

{342}

OPUSCULUM SECUNDUM. ENCHIRIDION SEU EXPOSITIO PIA AC BREVIS IN PSALMOS POENITENTIALES, IN PSALMUM CXVIII ET GRADUALES.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0569C]

Triplex hoc opusculum scribendi occasionem Alcuino praebuit frequens cum Arnone archiepiscopo Salisburgensi, dilecto suo Aquila collatio de divinis Scripturis. Cum enim de septem psalmis poenitentialibus, de psalmo CXVIII et de quindecim psalmis Gradualibus, quorum semper celebris in ecclesiastico officio usus fuit, colloquerentur, Arno flagitavit ut Alcuinus de iisdem *breves expositiunculas, quasi quoddam Enchiridion, id est, manualem librum conficeret, prout ex epistola dedicatoria, statim subjicienda, cognoscitur.* Consensit Alcuinus, et hasce Expositiones postea ad Arnonem per Fredegisum direxit, una cum aliis quibusdam libellis qui recensentur in epistola 117 (nunc 153,) ad eumdem Arnonem.

Porro Enchiridion istud prima vice, quantum quidem deprehendere potuimus, typorum beneficio prodiit Parisiis anno 1547 in-8o, apud Nicolaum le Riche, seu Divitem. Post annos vero octo, hoc est [Col. 0569D] anno 1555 inter Orthodoxographos Theologos seu sacrosanctos ac sincerioris fidei doctores, Basileae editos, pag. 1085-1122, locum

meruit. Rursus in praedicta urbe Parisiensi commentarius in psalmos poenitentiales, si Guil. Croweo, in Elencho Script., pag. 41, fides est, separatim et absque reliquis duobus Commentariis prodiit anno 1568 in-8o. Ant. Possevinus tamen in Apparatu sacro, tom. I, pag. 35, eidem editioni adjungit etiam commentarium in psal. CXVIII atque expositionem illius Cant. *Sexaginta* [Col. 0570C] reginae, etc., prout narrat auctor Hist. Lit. Galliae, tom. IV, pag. 304. Cl. Quercetanus integrum opusculum ex editione Nicolai Divitis transcripsit.

In omnibus his editionibus desideratur praefatio, seu epistola, qua Alcuinus praesens opusculum Arnoni inscripsit, quae primo edita fuit a viro celeberrimo D. Luca d'Acheri anno 1669, Spicil. tom. IX, pag. 111, 116, veteris, seu tom. III, pag. 323, novae editionis. Nos eamdem reperimus in duobus codd. mss., uno bibl. illustrissimi capituli ecclesiae metropoliticae Salisburgensis, altero bibl. S. Emmerami. In quibus simul triplex hic commentarius continetur, quibuscum edita contulimus locisque plurimis emendavimus.

In cod. S. Emmerami expositioni gradualium psalmorum annexi sunt versus, seu rhythmi latini ex initiis singulorum praedictorum psalmorum compositi, qui etiam in quodam ms. cod. bibl. monasterii celeberrimi divitis Augiae reperiuntur quos mecum cl. D. P. Bernardus. Liebherr, tunc insigni bibliothecae praefectus communicavit, brevi ante tristem [Col. 0570D] migrationem veterum inquilinorum. Horum rhythmorum sub nomine *hymni, meminit Alcuinus in cit.* epist. 117 (nunc 153), ad eumdem Arnonem archiepiscopum scripta his verbis: *Est in eo* (manuali libello ad Arnonem misso) *hymnus* vetus de XV *psalmis graduum.* Dum veterem appellat, simul non se, sed alium aliquem illius hymni auctorem esse insinuat.
@ [Col. 0569D] In Spicil. d'Acherii loc. cit, haec nota legitur: «Praefationem hanc sane luculentam e ms. codice S. Claudii descripserat Petrus Franc. Chifflet S. J., [Col. 0570D] sed minus accurate, ut deprehendit Baluzius ex apographo Jacobi Sirmondi ex eodem codice desumpto, cujus ope haud pauca emendavimus, quae profecto [Col. 0571D] adnotare esset inutilissimum. In eo codice haec scripta erant: *Voto bonae memoriae Mannonis liber ad sepulcrum S.* Augendi oblatus.» Fuit ergo liber iste monasterii S. Augendi vulgo Eugendi in Jurensibus locis, quod modo S. Claudii dicitur et quidem oblatus a Mannone, ejusdem coenobii praeposito, ait Mabill. Annal. tom. II, lib. XXXII, pag. 629. PRAEFATIO.

Sanctissimo Patri et summo pontifici Arnoni episcopo [Col. 0571A] humilis levita Alcuinus [*Al.,* Archoinus, *mendose*] salutem.

Dum vestram, venerande Pater, sanctissimam voluntatem catholicae fidei fervore fulgentem, et sanctae charitatis a Deo donis abundantem agnovi, ita, ut me, minimum divinae Scripturae vernaculum, de multis ecclesiasticae dignitatis consuetudinibus quasi Patrem consulere voluistis; ne fortasse aliquid vestrae prudentiae incognitum remaneret, quid, a quibus Patribus, de {343} qualibet re sancitum esset. Proinde subito sermo inter nos habitus *de poenitentiae psalmis, qui essent, vel qualiter intelligendi, vel usitandi fuissent, inquirebat;* quos septem esse ex venerabilium Patrum discretione mox inventum est: Nec non unde *psalmus centesimus decimus octavus tam* [Col. 0571B]

celebri laude; vel, cur tam perpetua consuetudine canonicis horis decantari solitus sit: aut unde *psalmi graduum dicerentur, quorum quindecim esse nemini,* librum lectitanti @ [Col. 0571D] *Lectitanti apud Acherium habetur: Librum delictante, quod portentum Acherium* (inquit novissimus Spicilegii editor) ita terruit, ut in ejus locum puncta ediderit, quibus indicaret hic nonnihil esse [Col. 0572D] vitii. Idem vero editor ille existimat, loco *delictante* legendum esse *delectanti,* eodem nimirum sensu quo verbum *delectare accipitur in narratione Transl.* corporum SS. Ragnoberti et Zenonis cap. 5, tom. II, Spicil. In utroque codice Salisburgensi et San-Emmeramensi habetur, *Lectitantem,* quod dubium nullum relinquit legendum esse *Lectitanti.* Psalmorum, dubium esse reor. De quibus vestrae sagacissimae sanctitati breves expositiunculas quasi quoddam Enchiridion, id est manualem librum, fieri flagitastis [*Al.* flagitatis]. Cui petitioni [*Al.,* qua petitione] almitatis vestrae libens annui, arreptisque sanctorum Patrum tractatibus, qui copiose de singulis in Psalmorum libro versibus scrutati sunt; quatenus de his quoque, quid dicerent, adnotarem, floresque colligerem dulcissimos ad vestrae voluntatis satisfaciendum desiderio.

Sed primo omnium numerorum eruendas rationes ratum putavi, id est, cur etiam psalmi poenitentiae [Col. 0571C] septenario numero consecrati essent? aut quare centesimus decimus octavus viginti duabus periodis divideretur, quorum singuli octo haberent versus? Aut quid rationis sit, quindecim esse psalmos, qui cantico graduum titulo praesignarentur? Notissimum quippe est, in sancta Scriptura magnam habere perfectionem septenarium in significatione ubique numerum, vel ex eo maxime, quod sancti Spiritus dona, prophetali definitione, in Christo esse, ab Isaia summo prophetarum dictum [*Ms.,* praedictum] est, ubi idem secretorum Domini conscius ait: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet:* et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini [Col. 0571D] **(Isai. XI, 2)**. Ipse quoque Dominus septem nos petitionibus informare voluit **(Matth. VI, 9)**; et in Apocalypsi Joannis (I, 4, 13, 16) septem candelabra vidisse; septemque stellas, ac septem se scripsisse Ecclesiis testatur, et multa alia sparsim in divinis reperiuntur libris, quae septenarii numeri perfectionem [Col. 0572A] ostendunt. Unde est et illud Salomonis: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem* **(Prov. IX, 1)**, quae longiorem poscunt sermonem; si tamen est nostri temporis quis idoneus, universa ejusdem numeri explanare mysteria: qui etiam in principio creaturarum ipsius Creatoris requie consecratus est, et nunc ordo saeculorum per eumdem numerum decurrere constat; qui etiam, si in duo dividitur membra majoris portionis habitudinis suae, id est in tres et quatuor, mirabile universitatis habet arcanum. Nam in tribus sancta Trinitas creatrix omnium quae sunt, designatur; et in quatuor scilicet, universitas demonstratur creaturarum; seu ob quatuor mundi plagas; sive propter quatuor elementorum originem; aut etiam temporum distributionem, [Col. 0572B] quae quadrifarie currere noscuntur: quocirca propter perfectam remissionem peccatorum, quam in baptismo accepimus, vel etiam lacrymis confessionis, et poenitentiae, psalmi poenitentiales septenario numero consecrantur. Sic etiam et psalmi novissimi in Psalterio, in laudem Domini Dei aeterni, eadem perfectionis regula septenario numero dedicantur. Psalmus siquidem centesimus atque octavus decimus, cui ad probationem [*Ms.,* purgationem] animae, inhaerendo sacris orationibus Deo, nullus aequiparari posse putatur, juxta alphabetum Hebraicae

linguae compositus est, qui secundum numerum litterarum ejusdem linguae viginti duobus periodis constare videtur: quorum quisque octo versus habet, semper secundum ordinem alphabeti ab eadem incipientes littera, fortassis [Col. 0572C] propter evangelicas octo beatitudines, in quibus legalium constat esse perfectio praeceptorum: sive propter octavam circumcisionis diem, quae in novo homine exspoliationem carnalium designat voluptatum: cujus psalmi versus sunt simul aggregati bis LXXXVIII, quasi per decem legalia praecepta ad octo evangelicae perfectionis beatitudines ascensus patesceret. Unde mihi modo locus esset idoneus disputandi de mirabili numerorum congruentia cum salutis nostrae mysteriis, si alibi oratio non intenderet.

{344} Similiter vero et de psalmis graduum quindecim pulcherrimus ascensionis ordo designatur usque ad coenaculum, in quo Spiritus sanctus in igneis linguis cum flammatu [*Ms.,* flatu] vehementi [Col. 0572D] super nomina virorum centum viginti venerat. Ergo si computare

@ [Col. 0572D] Sic restituit ex ingenio Baluzius; nam in cod. S. Claudii, perinde ac in priori editione, legebatur, *sicut putari.* incipies singulos numeros ab uno usque ad quindecim, et omnem summam eorum in unum congregabis cumulum, centum viginti reperies, id est, de ter quinis ter quadragenos nasci; numerum videlicet, in quo Moyses jejunando legem meruit [Col. 0573A] recipere, vel Elias prophetali spiritu exaltatus est; vel etiam ipse Dominus noster Jesus Christus post jejunium quadraginta dierum tentatorem gloriose vicit malignum.

His omnibus consideratis, quanta sit numerorum excellentia in divinis Scripturis, et quam necessarium sit eas legentibus illorum nosse scientiam, perspicue patet: per quos etiam saeculorum ordo decurrit, et nostrae vitae ratio constat. Unde in sancta Scriptura legitur, Dominum Creatorem omnia in numero, pondere, et mensura fecisse **(Sap. XI, 21)**. Quocirca fas esse videtur, sanctam auctoritatem vestram juvenes exhortari ingeniosos, in talibus se exercere studiis discant ferventia aetatis ingenio [*Ms.,* ferventi aetatis ingenio], ut habeant maturo annorum [Col. 0573B] tempore quid doceant discipulos suos; quatenus vestra sanctitate diligenter praedicante plurimi erudiantur in lege Domini. Sacerdotis quippe est ex alto culminis fastigio praedicare [*Ms.,* praevidere] quid cui conveniat personae, quibus pascuis nutriat gregem sibi commissum, ne forte qualibet ex grege ovicula errans, pastoris negligentia lupinis pateat morsibus. Unusquisque equidem doctor rationem acceptae pecuniae redditurus est domino suo, nec parvum sibi quislibet pastor fingat in animo imminere periculum, multa millia animarum in rationem animae suscepisse suae: laboret studiose in domo Dei doctor bonus, ut mereatur gloriose coronari in regno Dei: tempus itaque laboris transiet cito, beatae vero retributionis nunquam finietur. Si enim feliciter vivere [Col. 0573C] quaeramus, illuc animo tendamus ubi vera est felicitas, ad quam non nisi charitate suffultus nemo pervenire poterit, quae nos de terrenis tollat ad coelestia. Nihil saepius in hac vita nostrae peregrinationis animo meditemur, nisi qualiter Redemptori et Judici nostro placeamus, scientes quod hic semper non erimus, sed in alia quadam vita semper erimus. Quam miser est, qui de hujus mortalitatis labore, in majorem mortalitatis [*Ms.,* immortalitatis] perveniet laborem; et quam felix est, qui de hoc labore transiet in requiem, cujus nullus erit unquam finis. Proinde non transitorias amemus divitias, sed semper manentes. Dominus Jesus non nobis promisit honores transeuntes, sed

perpetuos; non gloriam terrenam, [Col. 0573D] sed coelestem; non hic longaevitatem vitae, ubi peccato nascimur, labore vivimus, dolore morimur; sed in beatitudine perpetua [*Al.,* perfecta] aeternam nobis promisit vitam; et non perituras spopondit divitias, sed semper manentes: hujus vero saeculi divitiae bonis malisque communes esse videntur, quibus boni bene utuntur ad augmentum salutis sibi sempiternae, mali vero male utuntur eis ad perditionem sui. Illud vero promisit Dominus Deus charitate ferventibus, quo nihil beatius esse poterit, id est, perpetuam suae beatitudinis visionem, ad quam mundato corde festinandum est, sicut ipsa Veritas ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. IX, 8)**.

[Col. 0574A] Mundi sunt videlicet corde, quos nulla cujuslibet malitiae macula conturbat, qui casta mente Deum laudare coelestibus hymnis assuescunt. Hi angelicam in terris agunt vitam, qui in Dei laudibus laetantur, et psalmodiae puro corde delectantur. Nullus mortalium virtutem psalmorum pleniter explicare poterit. In his confessiones peccatorum, in his poenitentiales lacrymae excitantur, in his compunctio cordis renovatur, nam totus Psalmorum liber coelestibus redolet mysteriis, spiritalibus abundat praeceptis, divinis repletus est laudibus. Quicunque psalmos intenta mente decantare, et scrutari didicit, inveniet in eis omnem salutis nostrae dispensationem praedictam, miras coelestium jucunditates gaudiorum.

{345} Proinde, sanctissime Pater, hortare fratres [Col. 0574B] sanctos, eorum diligenter discutere [*Ms.,* discere] sensus; ut sciant et intelligant corde quid ore et lingua resonent, apostolico imbuti exemplo, qui de seipso dixisse legitur: *Psallam spiritu, psallam et mente:* orabo spiritu, orabo et mente **(I Cor. XIV, 15)** . Verba siquidem cantantis mens meditetur intelligentis [*Edit.,* intelligentes], quia Domino patescunt cogitationes singulorum, qui cor contritum et humiliatum in prece ad se clamantium non spernit. Siquidem [*Ms.,* sicut] quidam sapientium ait [humiliati preces coelum ascendunt]. Humilitate et misericordia Christi salvati sumus, qui ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* **(Matth. XI, 29)**. Qui misericordiam facit, miserebitur illius Deus, ipso Domino dicente: *Estote* [Col. 0574C] misericordes, sicut et Pater vester coelestis misericors est **(Luc. VI, 36)**. Imago Dei, ad quam reformamur in mente, in misericordiae maxime stat operibus, pro quibus sanctis et justis regnum promittitur aeternum, dum discernentur agni ab haedis, ad audiendam vocem desiderabilem summi Regis et Judicis in sede paternae majestatis sedentis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

Haec lege sancte Pater [
@ [Col. 0573D] In cod. quo Acherius usus est, vox *felix, hic uncis inclusa, fuit omissa, et in fine, pro versu complendo,* [Col. 0574D] ex conjectura addita fuit vox: *sacerdos.* Nos illam vocem *felix ex cod.* Salisburgensi restituimus. felix] feliciter, atque Sis memor Albini per tempora longa magistri, Dum sacris Domini supplex altaribus adstas [*Ms.,* adsis], Ut pius omnipotens solita pietate relaxet[Col. 0574D] Vincula criminibus, cujus condigna nefandis, Ut valeat tecum gaudens laudare tonantem, Post hujus Domino vitae miserante labores. Angelus almipotens coeli directus ab arce, Per terras, silvas, colles comitetur euntem. Per castella, vicos, per fortia flumina terrae, Semper ubique, precor,

ducat simul atque reducat Gaudentem, sanctae cum prosperitate salutis, Te [*Al.,* Tu] Pater alme! Deo Christo donante, per aevum. Tu valeas, vigeas semper, charissime praesul! Cumque tuis cunctis ovibus, per pascua vitae Quae currant, sanctos virtutum carpere flores;[Col. 0575A] Te ducente, Pater, pastor, patriarcha, sacerdos

@ [Col. 0575D] Ex hoc carmine Cointius argumentum sumpsit ad probandum Arnonem et Alcuinum non fuisse germanos fratres, licet in quadam epistola Alcuinus scripserit: *Dulcissimo fratri et charissimo germano Aquilae, etc.* Sed has epistolarum inscriptiones, asserit, titulos esse amicitiae, non agnationis. Ea de re nos in praefatione his operibus praefixa egimus. Sixtus Sen. vocat Alcuini in psalmos poenitentiales *annotationes, juxta sensum moralem succinctas, argutas et mire significantes.*.

{346} PSALMUS VI.

VERS. 1.---Titulus psalmi est: *In finem David in carminibus pro octava:* quo *in finem, id est, Christum, David respiciens hymnos et carmina cantabat: pro octava;* id est, pro desiderio futurae resurrectionis. Peccatricem vero animam hortatur hic suo exemplo David, ut non statim desperet, etiamsi graviter peccarit: sed abluto lacrymis poenitentiae conscientiae suae lecto, ad medicum Deum recurrat, qui ulcera peccatorum suorum sanet

@ [Col. 0575D] Codd. mss. hanc praefatiunculam ita ponunt: *In finem in hymnis pro octava psalmus David.* In finem aeternitatem significat: Hymnus est laus Divinitatis [Col. 0576D] metri alicujus lege composita: *pro octava vero Domini significat adventum, quando finita saeculi hebdomada ad judicandum venerit mundum.* Unde et psalmus iste cum tremore maximo fecit initium. In hoc psalmo humanum postulat genus corrigi quidem et judicari a Deo, sed non in ira et furore..

VERS. 2.---*Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ira est longa indignatio: furor vero repentina mentis accensio; sed ira aeternam impiorum significat poenam, furor ignem [Col. 0575B] purgatorium: et de utraque [*Ms.,* de qua utraque] vir poenitens liberari se a Deo postulat.

VERS. 3.---*Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum:* sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Valida est misericordiae precatio, peccati confessio. Ille misericordiam Dei inveniet qui se miserum confitetur. *Quoniam infirmus sum,* sana me, inquit, *Domine:* ac si dicat, infirmus sum per peccatum, sana me per misericordiam: *Quoniam conturbata sunt ossa mea, omnes, inquam, virtutes, quae propter sui soliditatem ossa appellantur.*

VERS. 4.---*Et anima mea turbata est valde:* sed tu, Domine, usquequo? In primo quidem homine transgressa anima mea virtutes omnes perdidit, et [Col. 0575C] inde turbata est per poenitentiam, ut emundetur. Et *tu, Domine, usquequo? Subaudi:* [usquequo] animam meam, quae vehementer conturbata est, non eripis, non corrigis, non emendas

VERS. 5.---*Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.* Nisi enim animam nostram ante converterit, nemo eam eruet [*Ms.,* converteret . . . erueret] de periculo. Vel: convertere, Domine, et dirige nos per

misericordiam tuam, atque aspice [*Ms.,* dignare . . . aspicere], qui propter peccata nostra faciem tuam avertisti a nobis: et eripe animam meam, ab imminenti scilicet supplicio, et salvum me fac non meis meritis, sed tua misericordia.

VERS. 6.---*Quoniam non est in morte qui memor* [Col. 0575D] sit tui. Non enim mortui laudabunt te, Domine, sed nos, qui vivimus [*Ms.,* viventes sumus]: quia non est mortuorum Deus, sed vivorum.

In inferno autem quis confitebitur tibi. [Non pro [Col. 0576A] impossibili, sed pro raro posuit] et subaudiendum est ad veniam: quia in hoc mundo proprie confessio dicitur, ubi et venia reperitur.

VERS. 7.---*Laboravi in gemitu meo.* Hic poenitentiae suae modum exponit. *Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Lectum, delectationem corporis intelligamus. *Lacrymis stratum meum rigabo.* Rigare uberius aliquid significat quam lavare. Stratum autem significat cumulum peccatorum.

VERS. 8.---*Turbatus est prae ira oculus meus.* Propter iram Domini oculum [cordis sui profitetur] esse turbatum. O Deus per quem mihi supplicia [timeo] praeparata, turbata est mens mea, et totum principale cordis mei contremuit. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Inveteravi [id est] in veteris [Col. 0576B] hominis Adae iniquitate permansi, inter omnes inimicos meos, sive inter spiritus diabolicos, sive inter nostra peccata.

VERS. 9.---*Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Postquam [ipse] misericordiam consecutus est, et caeteros docet vel cohortatur, uti [a se abeant: non enim] vult [*Edit.,* uti se habeant, quos non vult] iniquorum habere consortium. [Simul autem et illud notandum est, quod jam superius diximus, quod non eos qui operati sunt iniquitatem, sed qui operantur, a se jubeat recedere.]

{347} VERS. 10.---Discedite ergo, inquit, a me maligni, quoniam *exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Unam eamdemque rem [Col. 0576C] multipliciter repetit, quod solent facere gaudentes et laetantes.

VERS. 11.---*Convertantur et erubescant inimici mei, convertantur et erubescant valde velociter.* Non contra inimicos, sed pro inimicis orat, ut convertantur a peccatis suis, et erubescant non leviter, sed vehementer; nec crastino, sed cito ac praesenti tempore. Amen.

PSALMUS XXXI.

Titulus psalmi est, *intellectus David:* quia scilicet intellexit David, et nos suo jubet intelligere exemplo, nullum esse tam grave peccatum, quod non gratuito nobis Deus remittat, si parati simus illud confiteri et a pravis viis abstinere
@ [Col. 0576D] Codd. Mss.: Psalmus *David huic intellectus.* Psalmus David vocem continet prophetae ostendentis hominem non ipsius meritis, sed Dei gratia posse salvari, si confiteatur. Hoc est autem quod dicit *intellectus, ut nos intelligere Divinitas*

praestiterit peccata nostra, ut pro eis diluendis studiosissime supplicemus..

VERS. 1.---*Beati quorum remissae sunt iniquitates,* [Col. 0576D] et quorum tecta sunt peccata. Illorum scilicet remittuntur iniquitates, quorum peccata per confessionem a Domino Deo diluuntur; et quorum tecta sunt per charitatem peccata, juxta illud: *Charitas operit* [Col. 0577A] multitudinem peccatorum **(I Petr. IV, 8)**. Vel quorum tecta sunt peccata, ut hic per poenitentiam velentur, ne in judicio revelentur. Iniquitates quidam appellant, quae ante baptismum fiunt; peccata, quae postea perpetrantur.

VERS. 2.---*Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in ore* [Ms., *in spiritu*] ejus dolus. Quod tegitur non videbitur, quod non imputatur, nec punietur. *Nec est in ore ejus dolus, hoc est, in illius ore, qui se confitetur esse peccatorem:* sicut Publicanus, qui dixit, *Domine, propitius esto mihi peccatori* **(Luc. XVIII, 13)**. Quia qui sibi displicet, ipse Deo placet; nec est in ore ejus dolus, sed in veritate credens Deo, quod in corde habebat, ore confitebatur.

VERS. 3.---*Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea,* [Col. 0577B] dum clamarem tota die. Non [protuli **(Edit., praetuli)**] confessionem ad salutem, ideo omnis fortitudo mea in carnis infirmitate consenuit. *Dum clamarem* [id est] clamant multi, si quid boni habent, ac per vanitatem demonstrant. Tacent siquidem impii et clamant. Tacent quod loqui fas est; loquuntur quod tacere debent. Tacent, dum sua abscondunt peccata; clamant, dum sua praedicant merita. Tacent peccatorum confessione, clamant meritorum praesumptione. Quid autem est, dum clamarem tota die, nisi dum in clamando perseverarem
@ [Col. 0577D] Codd. mss.: Tacent confessionem, clamant praesumptionem. Quid est ergo clamando tota die? Perseverando in defensione peccatorum suorum.?

VERS. 4.---*Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua:* Conversus sum in aerumna mea, dum configitur mihi spina. Peccatori gravis est manus quae flagellat, et ponderose vindicat [*Ms.,* et ponderosa, [Col. 0577C] quae vindicat]. *Die ac nocte, continuum tempus significat.* Aliter autem feliciter humiliatus non esset, nisi eum manus divinitatis comprimeret. Conversus sum in aerumna mea, id est, intellexi peccatum meum, postquam aerumnosum me fecisti sub tuae potentiae aggravatione. In aerumna, id est in miseria. Quid est autem spina quae configitur, nisi stimulus conscientiae peccatricis?

VERS. 5.---*Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas* [Ms., *injustitiam meam*] non operui. Idem est cognitum facere et non operire, hoc est, confiteri. Quia si homo peccatum non agnoscit, Deus non ignoscit [*Ms.,* si homo agnoscit, Deus ignoscit]. Delictum vero quidam putaverunt leve peccatum: [Col. 0577D] injustitiam autem immane aliquod [saevumque] commissum. *Dixi pronuntiabo adversus me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Pronuntiabo dixit, hoc est, publice confitebor, ut alios scilicet ad imitationem trahat. Impietas autem cordis fuerat, qua [*Ms.,* quia] tacere decreverat.

{348} *Adversum* me, inquit, *pronuntiabo, id est, me ipsum accusabo. Et tu remisisti*

impietatem peccati mei, quando quae prius gesseram misericorditer indulsisti.

VERS. 6.---*Pro hac* [impietate] *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Tempus opportunum [Col. 0578A] ad orandum pro peccatis haec vita est, in qua ideo sancti orant, quia non est a peccatis immunis aliquis. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Multi fluctus diluviorum in judicio impios volvent, qui sanctis nocituri non erunt; neque ad eum approximabunt tormenta, qui pro suis hic peccatis orare non cessat.

VERS. 7.---*Tu es refugium a tribulatione quae circumdedit me, exsultatio mea erue me a circumdantibus me.* Mihi in isto diluvio non est refugium, nisi tu. Exsultatio mea, inquit, redime me. Sed jam exsultas, quid vis redimi? Exsultatio mea redime me. Gaudes, et gemis? Ita, inquit, gaudeo et gemo. Gaudeo in spe, gemo adhuc in re. Ideo subdit, redime me a circumdantibus me, sive vitiis carnalibus, sive [Col. 0578B] spiritibus immundis, qui nos perdere praecipiti velocitate festinant.

VERS. 8.---*Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Vox Domini, vox intellectum dantis. Ipse est enim intellectus, quem psalmi titulus vere [*Ms.,* tituli veritas] indicavit, quem poenitentibus potestas Domini clementer infudit [*Ms.,* infundit]. Addidit autem, *et instruam te, id est, nescientem docebo salutarem viam*
@ [Col. 0578D] Codd. mss.: Quasi nescientem doceam, quasi inermem gladio vitae salutaris accingam.. Via est enim quam ingressus fuerat, servire Deo prioris actionis pravitate damnata. Sequitur: *Firmabo super te oculos meos.* Id est, dirigam in te lumen intelligentiae meae.

VERS. 9.---*Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus.* Qui non Dei voluntate, sed [Col. 0578C] proprio se motu regere volunt, effrenes in luxuriam decidunt. Hos Propheta coercet verbis terribilibus dicens: *In chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Freno et chamo moderationis suae Deus coercet impiorum superbiam, qui jactant merita sua, et tacent peccata sua. *Qui, inquit, non approximant ad te, a quo per superbiam elongantur* [*Ms.,* sed superbia elongantur].

VERS. 10.---*Multa flagella peccatorum* [quia poenitentiam agere noluerunt], *sperantes autem in Domino misericordia circumdabit.*
@ [Col. 0578D] Sic edita emendantur codd. mss [Illa misericordia, ut vitam mereantur sempiternam. Qui rectam spem et fidem in Deo habent, ipsos misericordia Dei circumdat], ut non sit relictus locus, unde possit ad [Col. 0578D] eos diaboli hostilitas introire.

VERS. 11.---*Laetamini in Domino et exsultate justi, et gloriamini omnes recti corde.* Propheta hortatur Ecclesiam laetari de spe vitae aeternae et regenerationis. Tamen laetatur et hic in tribulatione. Gloriamini omnes recti corde, ut ait Paulus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* **(I Cor. I, 31)**. Recti corde dicuntur, quibus omnia Dei judicia placent, et se accusant de suis peccatis, et Deum sive in adversis sive in

prosperis semper laudant.

PSALMUS XXXVII.

VERS. 1.---Titulus Psalmi: *In finem psalmus David* [Col. 0579A] in rememorationem diei sabbati. Sabbatum requies interpretatur, quia requiescunt [*Ms.,* hoc est quando requiescunt] sancti, id est sancta Ecclesia [de illa requie paradisi quam perdidit in Adam]. Admonet autem nos psalmus, ut si cuiquam accidat infirmitas corporisque fragilitas, non desistat coelestem requirere medicinam, in qua requiescat. In hoc vero psalmo corporis sui causam Christus agit, non quod ipse peccatum haberet, sed quod pro nobis peccatum factus est, ut nos a peccato liberaret: qui aliquando ex persona solius capitis loquitur, quod est ipse Salvator natus ex Maria virgine; aliquando ex persona corporis sui, quod est sancta Ecclesia, diffusa toto orbe terrarum: idcirco quod corpus loquitur hoc idem et caput. Erunt igitur duo in carne una [hoc [Col. 0579B] est] Christus et Ecclesia.

VERS. 2.---{349} *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* [Totus psalmus ex persona poenitentis est, sed ad Christum referri potest, sicut et sexagesimus octavus.] *Domine, ne in ira tua.* Ira, ut jam diximus, commotio est animi; furor vero vindicta irrationabilis cum fellis amaritudine. Ideo iste, qui se peccatorem scit, non in ira, sed per misericordiam, nec in furore, sed per patientiam argui se postulat. Sunt tamen qui iram aeternam intelligant gehennam, et furorem purgatorium ignem, a quibus [*Ms.,* de quo utroque] liberari vir sanctus poscit.

VERS. 3.---*Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.* Sagittae verba [Col. 0579C] doctrinae tuae sunt, quae ut jaculum transverberaverunt cor meum, ut agerem poenitentiam. *Et confirmasti super me manum tuam, ut tanquam bonus magister, castigationis verberibus afflictum, redderes emendatum.*

VERS. 4.---*Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Vidi faciem irae tuae et non ipsam iram, hoc est, intellexi per Scripturas sanctas, quanta minabaris peccantibus, et extabui petens ne ipsa super me ira descenderet. *Quia non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Nullam quietem indulsi vel ossibus meis vel membris meis, donec ea [poenitendo] purgarem.

VERS. 5.---*Quoniam iniquitates meae supergressae* [Col. 0579D] sunt caput meum. Invaluerunt enim mihi, ut sequitur; *sicut onus gravatae sunt super me.* Non est enim mihi leve peccatum meum, sed recognosco quia grave pondus judicii imposuit, et super verticem capitis mei excrevit. Sicut pondus grande, sic peccata mea super me.

VERS. 6.---*Computruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae.* Nam mihi fetent et computrescunt vulnera peccatorum, desideranterque exspecto medicum. Et cur, inquis [*Ms.,* inquit], putruerunt a facie insipientiae meae? Quia nolebam agere poenitentiam.

VERS. 7.---*Miser factus sum et turbatus usque in finem, usque dum confitendo*

purgarer: quia sine [Col. 0580A] confessione et moestitia non dimittuntur peccata. *Tota die contristatus ingrediebar, indignum me esse judicans qui vel oculos ad coelum levare auderem;* sed percutiens pectus meum aiebam: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Tota die autem, continuationem doloris significat [*Ms.* ostendit].

VERS. 8.---*Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus et non est sanitas in carne mea.* Illis illusionibus se profitetur esse repletum atque infirmatum, quibus diabolus humanum genus illicit ut delinquat.

VERS. 9.---*Afflictus sum et humiliatus sum nimis usquequaque:* rugiebam a gemitu cordis mei. Possumus [autem] corpore curvari, et animo non humiliari. Ideo hic utrumque conjunctum est. Quia multiplex calamitas liberum nil relinquit, hic etiam [Col. 0580B] aliquid majus adjecit dicens, *usquequaque, id est, ex omni parte, ut eum copiosa calamitas undique probaretur ambisse. Rugiebam a gemitu cordis mei:* ut virtutem patientiae magnae monstraret, in gemitum se asserit, non in verba prorupisse.

VERS. 10.---*Domine, ante te omne desiderium meum.* Tale fuit desiderium ejus, ut ante Deum esse mereretur. Nam qui peccatis veniam petit, ante Deum ponit desiderium suum. Jam quod ante ipsum est, consuevit audiri. *Et gemitus meus a te non est absconditus, id est, quidquid habet homo, Deus scit.* Quidquid deliqui, quidquid male gessi, omnia tibi cum gemitu reseravi: sciens quia tibi non occultantur occulta.

VERS. 11.---*Cor meum conturbatum est,* et dereliquit [Col. 0580C] me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum. Propter iram quam superius memoravi, et [quam] incurrere expavesco. Lumen oculorum meorum non est mecum, quia postposito veritatis lumine in tenebras decideram peccatorum. A principio psalmi Christus egerat causam sui corporis, nunc vero suam propriam incipit perorare passionem.

VERS. 12.---*Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt ac steterunt.* Amici dicti Judaei propter Abraham. Proximi, eo quod ab eorum generatione carnem Christus sumpserit [*Ms.,* assumpserit], qui appropinquaverunt ei, ut comprehenderetur. {350} Quod vero ait, amici mei et noti mei contra me steterunt, potest et de discipulis accipi, qui in passione [Col. 0580D] metu territi longe recesserunt, in tantum, ut etiam Petrus denegaret; vel steterunt causantes contra eum. *Et qui juxta me erant, de longe steterunt.* Apostoli scilicet et reliqui discipuli, de quibus ait Evangelista: *Cum apprehendissent eum, stabant omnes noti ejus a longe* **(Luc. XXIII, 49)**.

VERS. 13.---*Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.* Vim faciebant non noti, sed Judaei; vel Petro, cum dicerent: *Nonne et tu Galilaeus es? vel Joanni* [*Ms.,* Jacobo], qui cum [traheretur] relicta sindone nudus profugit ab eis; vel ipsi etiam Christo. [Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam, hoc est, Judaei, quasi illorum fortitudo esset, et a Deo ipsam potestatem non accepissent]. *Et qui inquirebant* [Col. 0581A] mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Multos quidem dolos meditati sunt, cum interrogarent, si deberent censum dare Caesari **(Matth. XXII, 17)**; aut si mulier deprehensa in adulterio lapidaretur **(Joan. VIII, 4)**. Sed tunc aperte dolos ingerunt, cum falsos testes adducunt **(Matth. XXVI, 60)**. Locuti sunt autem vanitates, quando dixerunt: *In Beelzebub ejicit daemonia* **(Luc. XI, 15)**.

VERS. 14.---*Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* Semper, inquit, exprobrantes sustinui et jugiter silui. Hoc et Pilatus manifestat, cum dicit: *Mihi non respondes? an nescis quia potestatem habeo dimittere te* **(Joan. XIX, 10)**? Ego autem tanquam mutus non aperiens os suum. [Col. 0581B] Certe et apud Pilatum non est Deus noster locutus; et de eodem loquitur Isaias atque ait: *Tanquam agnus ad victimam ductus, non aperiens os suum.*

VERS. 15.---*Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Nam cum me sputis linirent, arundine verberarent, illuderentque genu flexo, nihil motus iis omnibus, factus sum non habens in ore increpationes. Sic tacui accusatus, quasi non habens quod pro me responderem. Et in omnibus iis exemplum Christus dedit, ut homo flagella correptionis patienter portet [*Ms.,* portare debeat].

VERS. 16.---*Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.* Ut me resuscites. Vel: [*Tu exaudies me*], hoc est, vide illorum superbiam [Col. 0581C] et meam humilitatem.

VERS. 17.---*Quia dixi:* Nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt. Pedes Christi sancti apostoli dici possunt, qui firmi in passione, tanquam pedes corpus, sustinere eum debebant, sed commoti sunt de fide ad infidelitatem. Vel de Christo ait: commoveri possunt pedes mei a stabilitate sua, et inimici mihi insultare, si hac in crucis morte humiliatus non resurrexero. In me autem magna locuti sunt dicentes: *Si Filius Dei es, descende de cruce.*

VERS. 18.---*Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* Praeparo me, inquit, ad sustinendam crucem, lanceam, fel, acetum, ut per hanc mortem [meo sanguine] redimam [Col. 0581D] populum pereuntem. Christus enim ad hoc venit, ut passionem sustineret. Dolor meus ante me est semper, donec etiam victoriam in judicio consequar [*Ms.,* donec ejiciam victoriam in judicio].

VERS. 19.---*Quoniam iniquitatem meam annuntiabo et cogitabo pro peccato meo.* Sicut enim maledictioni subjacuit, ut nos a maledicto legis erueret, ita et peccatorem se profitetur, [qui] peccata nostra portaret et [pio] cogitatu ac [misericordi] consilio nos ab eis eriperet. *Et cogitabo pro peccato meo.* Peccatum Christi, humani delicta sunt generis, propter quae et Patri nunc dicitur esse subjectus.

VERS. 20.---*Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt,* qui oderunt [Col. 0582A] me inique. [Quia non sunt statim ultione divina puniti. *Et confirmasti super me manum tuam.* Confirmati sunt in legis litteram, in qua spiritaliter nuntiatum non intellexerunt. *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*] Certe inique et non rationabiliter faciunt, qui ex hac littera semen suum, ut astra coeli, multiplicari credebant.

VERS. 21.---*Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Nam me, dulcedinem aeternae vitae offerentem, aceto ac felle potabant, et detrahebant mihi dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest*

(Matth. XXVII, 34; Marc. XV, 31). {351} Detrahebant autem mihi, quoniam subsecutus sum justitiam, ut implens voluntatem Patris pro vita populi susciperem [Col. 0582B] mortem.

VERS. 22, 23.---*Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me:* intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meae. Manifestum est, Domine Jesu, quia Pater suscitans te a mortuis die tertia, collocavit ad dexteram suam in coelestibus super omnem principatum et potestatem, dans tibi nomen quod est super omne nomen. Ergo quia graves sunt pugnae carnis, tu, Domine, intende in adjutorium nostrum, et esto nobis salus in tempore tribulationis.

PSALMUS L.

Titulus psalmi [est, quem explanare nitimur]: *In finem psalmus David,* cum venit ad eum Nathan [Col. 0582C] propheta, dum intravit ad Bethsabee. Notissima est peccati David gravitas ex Regum historia [*Ms.,* magnifici regis historia]: nota etiam humillima pro peccato deprecatio [*Ms.,* supplicatio] quae in hoc psalmo continetur. Est autem psalmus iste in ordine psalmorum quinquagesimus, quia quinquagesimus numerus in jubileo anno usque ad veram sancti Spiritus super apostolos missionem consecratus est, sine cujus gratia remissionem [*Ms.,* atque in adventu sancti Spiritus super apostolos remissione consecratus est, quia nemo sine gratia sancti Spiritus remissionem . . .] accipere nemo poterit. Habemus autem exempla in sancta Scriptura de peccatis sanctorum, et de poenitentia eorum et de remissione peccatorum [Col. 0582D] illis a Deo data. Nemo igitur dubitet de Dei misericordia, quamvis maximis involutus [esset] sceleribus; nemo peccatum confiteri erubescat, cum David propheta, multarum rex gentium, promissionibus de Christo gloriosus [peccans] peccatum suum non erubuit publice confiteri, et ad Domini poenitendo confugere clementiam. Petrus trinam negationem amarissimis abluit Iacrymis; publicanus poenitendo justificatus recessit a templo; peccatrix femina sanctos Domini pedes lacrymis [poenitendo] abluit, et audire meruit, quia multum dilexit, multa illi dimittuntur peccata **(Luc. VII, 38)**. Talibus roboratus exemplis nemo de Dei misericordia desperet, nemo sua quamvis sint ingentia, erubescat confiteri scelera, nemo tardus sit lacrymis iniquitatem suam [Col. 0583A] abluere, et quia omnes peccatores sumus, unusquisque nostrum dicat cum Propheta:

VERS. 3.---*Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Miserere, quia miser sum; miserere, quia magna est misericordia tua. Nullus nostrum cum Adam ad noxias confugiat excusationes, sed aperte proferat quod inique se gessisse agnoscit. Refugium faciat ad clementissimum Judicem, praeveniat faciem ejus in confessione, ne experiatur in futuro judicio iratum, si modo contempserit eum misericordem. Misericordiae tempus est omni homini modo poenitenti: in futuro vero judicio tempus erit justitiae, ubi unicuique reddetur secundum opera sua. Quis effari poterit quanta sit misericordia [Dei] in homines, quae mundi Creatorem [Col. 0583B] mortali induit carne, ut semper vivens in suo, pro nostris peccatis mori posset ex nostro.

Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. O Domine! quamvis magna sit iniquitas mea, tamen major est multitudo miserationis tuae, in qua ut

deleas, deprecor, iniquitates meas, quas contra me scriptas [esse] horresco: ut te miserante merear scribi in libro vitae tuae: quia nemo ibi scribitur, nisi cujus hic omnes iniquitates delentur.

VERS. 4.---*Amplius lava me ab injustitia mea et a delicto meo munda me.* Munere misericordiae tuae lava me, Domine, ab injustitiae meae maculis: nec solum lava, sed etiam munda [*Ms.,* emunda], ne quid sordidum remaneat in vita mea. Sordidare me potui, [Col. 0583C] sed emundare nequeo, nisi tu Domine Jesu sancti sanguinis tui aspersione mundum me facias.

VERS. 5.---*Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper.* Nostrum est peccata nostra cognoscere [*Ms.,* agnoscere], et humiliter confiteri. Dei est non imputare nobis, sed misericorditer ignoscere. Plurimi scire sua peccata possunt, sed soli illi bene ea agnoscere probantur, qui illa videntur propria exsecratione damnare. Perfecta enim poenitentia est futura cavere pecata et lugere praeterita. {352} Addit autem David: *Et delictum meum contra me est semper.* Delictum nostrum contra nos ponimus, vel coram nobis semper habemus, quando in memoria illud jugiter tenemus ad supplicandum pro eo, donec vincatur a [Col. 0583D] nobis mortique detur sempiternae; ne iterum nos debellare valeat, sicut pridem fecit. Nam toties peccata respicimus, quoties commissa deploramus.

VERS. 6.---*Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* [Soli Deo se] peccasse confitetur, quia Rex potens alium non metuit ultorem peccati sui. Et ut majus iniquitatis scelus ostenderet, adjunxit: *malum coram te feci.* Dum enim ubique te praesentem sciebam, [cur] in praesentia tanti Judicis non metuebam peccare? [Col. 0584A] In quo dementiam suam arguit, qui non expavit tanto Judice praesente peccare. Sequitur: *Ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.* Sermones Domini merito justificari dicuntur, quoniam sine dubio semper ejus dicta complentur: in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens. Idcirco omni homini dicendum est: *Non intres in judicium cum servo tuo* **(Psal. CXLII, 2)**. Dominus bellator noster atrocissimum hostem humani generis judicatus vicit, et mundum damnatus absolvit. Praevidens ergo [in spiritu propheta (*Edit.,* in spiritus prophetia)] non nisi in sanguine Christi peccata redimi posse, laudat justitiam ejus, qua diabolum damnavit; et misericordiam, qua mundum redemit. Proinde non solum praesens sui ipsius peccatum, sed parentum [Col. 0584B] suorum, in quibus ipse conceptus est et natus, confitetur dicens:

VERS. 7.---*Ecce in iniquitatibus conceptus sum et in delictis concepit* [Ms., *peccatis peperit*] me mater mea. Quis me potest ex immundo semine conceptum mundum facere, nisi tu Deus solus, qui sine peccato es? Quid mirum est autem, si fecerim, in quibus me peccatorem confiteor, qui jam ex originali peccato in iniquitatibus scio me esse conceptum? qui ante peccata contraxi, quam vitae principia haberem? O Domine Jesu, quibus misericordiam tuam laudibus efferimus, quas tibi gratiarum actiones dignas exsolvere possumus, qui nos de hujus chirographi debito in sanguine tuo liberasti, delens in cruce nostras peccatorum cautiones, quae contra [Col. 0584C] nos a primis parentibus conscriptae sunt nostris?

VERS. 8.---*Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Sicut superiori versu per commune delictum probavit quod nemo peccatis redderetur exemptus [*Ms.,* exceptus]; sic iterum in confitendo peccata veritatem dixit, quam plus Dominus Deus, ac super omnia sacrificia requirit. Non enim Deus delectatur poenis nostris, sed confessionem quaerit erroris. *Incerta* ergo *et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi;* nimirum ea quae Deus [illi] in Filii sui manifestatione revelavit. Primum ut agnoscerem habere eum filium; deinde, ut ipsum nossem ex meo semine in carnis assumptione venturum, eumque praedicarem, et resurrectionis [Col. 0584D] gloriam nuntiarem

@ [Col. 0583D] In codd. mss. priora ita leguntur: «Primum, ut agnosceret habere eum filium; deinde ut ipsum nosset, ex quo semine in carnis assumptione venturus esset, ut passionis quoque figuram praediceret, et resurrectionis gloriam nuntiaret: et deinde non [Col. 0584D] se, dicit, debuisse peccare, cum talia meruisset agnoscere.». Sequitur:

VERS. 9.---*Asperges me hyssopo et mundabor;* lavabis me, et super nivem dealbabor. Sicut enim hyssopus [*Ms.,* hyssopum terrenum . . . . . aptum] terrena curandis pulmonibus apta est, ut avertat inflationem: ita coelesti quis respersus hyssopo, id est humilitate cordis, ab omni superbiae malignitate purgatur. Lavabis ergo me et super nivem dealbabor, cumque peccata mea phoenicio sint similia, quasi nix dealbabuntur

@ [Col. 0584D] In codd. mss. «Ut quia peccata mea phoenicio sunt similia, quasi nix dealbentur.». Super nivem autem album de [Col. 0585A] corporibus nihil potest inveniri. Sed ideo super nivem dixit, quia spiritalis anima longe supra corpora mundata resplendet. Humilitas Christi solvit [*Ms.,* salvavit] peccata nostra, humillimae herbae hyssopo bene comparata: quae, sicut et haec a corporibus, ab animis nostris inflationem tollit superbiae.

VERS. 10.---*Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exsultabunt ossa humiliata.* Auditui datum est gaudium, quando dixit ei Nathan, dimissum est peccatum tuum **(II Reg. XII, 13)**. Gaudium pertinet ad absolutionem, laetitia ad perpetua praemia possidenda. {353} *Et* exsultabunt, inquit, *ossa humiliata, virtutes, quae prius fuerant peccato humiliatae.* Vel: aeternitatis spes [*Ms.,* aeternitas spei meae], quae me peccante humiliata fuerat, te indulgente exsultat.

[Col. 0585B] VERS. 11.---*Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Ne mea peccata sic accipias [*Ms.,* aspicias], ut revertantur ad memoriam tuam. Averte faciem tuam; ac si dicat, ne videas, ne recorderis illa. *Et omnes iniquitates meas dele, praeteritas, praesentes et futuras.*

VERS. 12.---*Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Petit Propheta mundum cor sibi creari, id est restaurari, [ut Deum videat]: ita et unusquisque debet facere. [*Cor mundum crea in me Deus, propterea rogabat, ut mundus fieret a peccato.*] *Et spiritum rectum innova in visceribus meis, quo* [te] recte confitear; vel spiritum rectum ad videndum et discernendum, sicut antea rectus fuit in me, innova, quia vetus factus est pro [Col. 0585C] peccato. Innovari postulat per gratiam, et addit, *in visceribus meis, unde noverat adulterii detestabile crimen exiisse.* Utrisque enim partibus remedium petebat, quoniam de utroque peccaverat.

VERS. 13.---*Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Ne projicias me, ne sicut Cain exsul a te efficiar. Projicitur a facie, qui a patre contemnitur. Sciebat enim ab illius facie sanitatem mentis, et lumen venire sapientiae, et credebat se inimico tradi, si a vultu Domini judicaretur expelli. Deinde vero spiritum prophetiae petit sibi non auferri, quem pretiosum supra cuncta rex habuit.

VERS. 14.---*Redde mihi laetitiam salutaris tui, illam scilicet Christi tui exsultationem, quam in eo habui priusquam peccaverim.* Salutare Dei Patris Christus [Col. 0585D] est, ac si dicat, sicut ante praevidebam per Spiritum sanctum eum in carne venisse, et modo sic faciam. *Et spiritu principali confirma me, ut ipsa in me vitia non principentur* [*Ms.,* Ut ipse in me, non vitia principentur]. Confirma me [dixit] ne iterum peccem, ne a te animae mutabilitate discedam. Hic sancta Trinitas intelligenda est: in spiritu principali Pater; [in spiritu] Spiritus sanctus; in spiritu recto Filius.

VERS. 15.---*Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.* Docebo, inquam, illos, ut declinantes a viis pravis et poenitentiam agentes misericordiam consequantur, sicut ego a te misericordiam consecutus sum: hoc est, proponam me ipsum, ut meum exemplum alii imitentur.

[Col. 0586A] VERS. 16.---*Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae, et exaltabit lingua mea justitiam tuam.* Liberari se petit Propheta de sanguinibus, id est, carnalibus delictis, ut jam desineret in ista fragilitate peccare. Sanguis enim pro corpore humano ponitur, quia inter caeteros humores ejus ipse potior videtur existere. Quod vero ait, *Deus salutis meae, significat Dominum Salvatorem, per quem salus pie credentibus datur.* Addidit etiam, *exaltabit lingua mea justitiam tuam, id est, si me liberaveris de sanguinibus, quod intelligitur de peccatis, laudem tuam lingua mea juste loquetur, vel praedicabit lingua mea mandata tua.*

VERS. 17.---*Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Labia Prophetae, quae clausa [Col. 0586B] fuerant conditione peccati, beneficio absolutionis aperienda pronuntiantur. Os autem dicitur et cordis arcanum, unde efficitur laus divina. Merito ergo, post absolutionem peccati, et labia sua aperienda esse pronuntiat, et os suum dicit annuntiare posse praeconia et laudem ejus qua recreatus est.

VERS. 18.---*Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique;* holocaustis non delectaberis. Significat hic Propheta ritus sacrorum per immolationes pecudum, qui erant in adventu Domini respuendi. Unde constat Prophetam sic ad Deum tota mente translatum, ut non se sacrificiis quae illo tempore gerebantur, crederet expiandum, sed illa magis oblatione, qua dicit consequenter [*Ms.,* inferius]:

VERS. 19.---*Sacrificium Deo spiritus contribulatus:* [Col. 0586C] cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Quasi dicat, o homo, si peccaveris, noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere: habes intus quod occidas. Postquam enim dixit quae sacrificia Deus respuit, nunc dicit illa quae poscit. Istud enim damus sacrificium Deo, spiritum scilicet superbiae, confessionis humilitate mactatum, {354} unde non sanguis egreditur, sed lacrymarum fluenta decurrunt. [Sequitur: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit*]. Cor contritum vocat poenitentiae laboribus vehementer afflictum.

Humiliatum, Deo scilicet, ut quod ante fuerat elatione superbum, foret pia confessione devotum. [*Non spernit*]: constat enim tales oblationes Deum non spernere, sicut illa cognoscitur priora sacrificia respuisse.

[Col. 0586D] VERS. 20.---*Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Jerusalem.* Sion specula interpretatur, significatque Ecclesiam, quam sanctus Propheta toto orbe terrarum aedificari postulat. Jerusalem visio pacis interpretatur. *Aedificentur* ergo *muri Jerusalem, id est, monumenta construantur immortalitatis nostrae in fide* [et spe] et charitate.

VERS. 21.---*Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* Patri dicitur: *Tunc acceptabis sacrificium justitiae, id est, Filii gloriosissimam passionem, qui se sacrificium pro omnibus obtulit, ut salutem mundus, quam suis operibus non merebatur, acciperet.* [Col. 0587A] Quod vero ait, *oblationes et holocausta, ad fideles etiam pertinet Christianos, qui erant post adventum Domini credituri, significatque immolanda corda hominum viventium, non membra pecudum mortuarum. Tunc imponent super altare tuum vitulos, sacerdotes scilicet, quando Ecclesia catholica fuerit Domini passione constructa.* Vitulos quippe posuit pro innocentibus adultis, quorum aetas prima est, et a jugo peccati cervix probatur aliena. Aut illos praedicatores Evangelii promittit, quorum imaginem in vituli figura Lucas [evangelista] suscepit: nisi forte magis illos [*Ms.,* sive illos magis] vitulos debemus intelligere, qui animas suas in hostiam suavitatis sacris altaribus obtulerunt.

Nos quoque famuli tui, Domine Jesu, supplices deprecamur, [Col. 0587B] ut pietatis consilio magnis facinoribus nostris immensam misericordiam largiaris, nosque per cordis contritionem humiliatos in mactando vitia, jugulando delicta, dignum et acceptabile praepares holocaustum. Amen.

PSALMUS CI.

VERS. 1.---Psalmi [hujus] titulus: *Oratio pauperis eum afflixerit, et coram Domino effuderit precem suam.* Vox est affligentis et gementis pauperis in hoc psalmo, et miserias suas piissimo judici cum magna humilitate offerentis, sicut in titulo Psalmi praescribitur, quo ab oratione, quae ad Deum [clamore valido] dirigitur, incipit pauper iste, ita dicens:

VERS. 2.---*Domine, exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat* [Ms., *perveniat*]. Haec enim [Col. 0587C] vox est poenitentis, Deique clementiam pro peccatis suis deprecantis, ac primo omnium ut exaudiatur postulantis: quod magnae spei est in orationibus credere, se posse a Deo exaudiri. Ideo omnis penitus humiliet seipsum, et humiliato contritoque corde clamet ad Dominum: quia, sicut in alio dicitur psalmo, *cor contritum Deus non spernit.* Oratio est suavis animi, cum compunctione cordis [deprecatio; clamor est vocis prolata, cum intentione cordis] confessio. Primo autem posuit orationem, nunc adjecit clamorem, ut studia supplicationis crevisse cognosceres, cujus orationem in clamorem maximum prorupisse intelligeres. Hunc vero modum sanctae orationis servandum devotissimus Christianus intelligat, ut [idipsum]

cogitatione prosequatur [quod verbis effudit [Col. 0587D] (*Edit.,* ut ipsum cogitatione prosequatur; et cum verba effundit)]: Ipsum respiciat mente, cui supplicat; omnes superfluas cogitationes excludat, quae ab inimico ingeruntur, ut efficax oratio ex cordis claritate perveniat ad Deum, sicut Apostolus ait: *Orabo spiritu, orabo et mente;* psallam spiritu, psallam et mente **(I Cor. XIV, 15)** . Tunc enim a Deo accepta est oratio canentis, si pura mens idem gerit, quod explicat ore.

VERS. 3.---*Ne avertas factem tuam a me, in quacunque die tribulor.* Facies Domini pro misericordia Dei dicitur, quam iste pauper, gemens et poenitens a se non averti deprecatur. *In quacunque die tribulor.* Quaelibet se tentatio [*Ms.,* tribulatio] apprehendat, [Col. 0588A] postulat auxilium in omni angustia divinum. Ideo subsequenter ait: *Inclina* {355} *ad me aurem tuam, id est, benignum praebe auditum.* In quacunque die invocavero te, id est, in die tribulationis meae. Dies tribulationis et tentationis haec vita est, in qua velociter se iste poenitens exaudiri deprecatur, ne morte praeveniente indignus sit exaudiri. Quia in hac vita tempus est misericordiae, in futura vero judicii, dum reddet Deus unicuique secundum opera sua.

VERS. 4.---*Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* Sicut fumus veniente vento in auras dispergitur, ita [omnis] superbia hujus vitae morte praeveniente [*Ms.,* veniente] evanescit. Qui hodie extollitur, cras non erit: quod iste poenitens agnoscens, miseriarum suarum [Col. 0588B] dies plangit, fumo esse similes.

VERS. 5.---*Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum.* Venit iste poenitens ad flebilem narrationem miseriarum humanae fragilitatis (quae ut fenum cito decidit, ubi aliquo casu arefacta fuerit) ut festinanter divinae remedium misericordiae acciperet, dum miseriam suam pio medico non taceret. Qui in mandatis Domini proficit, feno [viridi et florenti aequabitur, peccator vero arescenti feno] comparabitur. *Quia oblitus sum comedere* [Ms., *manducare*] panem meum. Panis enim nobis vitae est praeceptorum Domini observatio, quem peccator obliviscitur edere, dum iniquitatibus vel peccatis se suis obligaverit. Hic enim exprimitur natura peccantium, quia [*Ms.,* qua] dum delictum appetitur, contemplatio Domini [Col. 0588C] non habetur.

VERS. 6.---*A voce gemitus mei adhaeserunt ossa mea carni meae.* Dignum est gemere eum qui perdit justitiam, ut lucrum acquirat, vel peccato cuilibet se subjiciat. *Adhaeserunt,* inquit, *ossa mea carni meae, id est, fortitudo mea carnalibus desideriis, quae militant adversus animam* [meam], in qua fortitudo debet esse regendi et comprimendi illicitos carnis motus.

VERS. 7, 8.---*Similis factus sum pelicano in solitudine, sicut nycticorax in domicilio.* Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto. Tria genera avium posuit, et tria loca habitationis illarum, per quae diversa nobis poenitentium genera demonstrantur. Pelicanus est avis Aegyptiaca, naturali macie [Col. 0588D] semper affecta, solitudinibus se delectans; sicut in crebris jejuniis poenitentes esse convenit. Per hoc ergo avium genus pulcherrime significantur eremitae, qui hominum consortio derelicto, [timore Domini commoti] se multa afflictione discruciant. Nycticorax Latino vocabulo noctis corvus dici potest, amans tenebras, non lucem; quem sibi escas noctibus quaerere constat: ita

poenitens debet nocturno tempore escas animae sollicita curiositate perquirere, licet communi conversatione in domicilio multorum habitare videatur. *Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Passer avis est acutissima, quae in tectis hahitare solet, humana gaudens vicinitate: huic merito comparatur, qui diabolicae calliditatis [Col. 0589A] fraudes fugiens, vigiliis et orationibus, et poenitentiae lacrymis intra sancta Ecclesiae septa se munire festinat.

VERS. 9.---*Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.* Ore laudabant, et corde insidias praeparabant. Laudabant, ut deciperent; praedicabant, ut subverterent: et hoc a diabolo, qui si publicis peccatis servum Christi subvertere non poterit, opprobriis et reprehensionibus circumhabitantium a via veritatis eum deterrere nititur. Sunt plurimi bona facere erubescentes, ne dissimiles sint multitudini mala [*Ms.,* male] facientium. Hoc quoque peccatum poenitens iste commisisse fatetur [*Ms.,* profitetur].

VERS. 10.---*Quia cinerem tanquam panem manducabam,* [Col. 0589B] et potum meum cum fletu miscebam. Poenitentis, hujusque saeculi despicientis convivia lugens iste exprimit: quia per hujusmodi convivium pervenire se sperant ad mensam Domini. Quapropter, o peccator, noli desperare de indulgentia peccatorum, *In quacunque die fuerit conversus peccator, vita vivet, et non morietur.* Sed *noli tardare converti ad Dominum.* Indulgentia tibi convertenti a peccatis certa est, sed crastinus dies tibi incertus est. Hodie convertere, ne forte cras moriaris. Si male vixisti heri, bene vive jam hodie, memor illius de quo Veritas ait: *Stulte hac nocte morieris* **(Luc. XII, 20)**. Corrige te, ut in corpore Christi hanc vocem habere valeas: *Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, etc.*

{356} VERS. 11.---*A facie irae indignationis tuae,* [Col. 0589C] quia elevans allisisti me. Exponit isthic gemendo, cur se tanta afflictione in poenitentia fatiget: quia scilicet cum ira et indignatione Dei nascimur, quae peccatis supervenientibus gravior efficitur, ideo addit: *Quia elevans allisisti me.* Elevatus est homo honore imaginis Dei et libero arbitrio nobilitatus: sed hoc male usus allisus est et dejectus in hanc convallem lacrymarum.

VERS. 12.---*Dies mei sicut umbra declinaverunt:* et ego sicut fenum arui. Quia homo a Deo declinavit, declinavit ab eo dies felicitatis ejus: qui fuit lux in Domino, umbra factus est in peccato; et flos vitae illius sicut fenum aruit: nec unquam reviresceret, nisi sanguine Christi irrigaretur.

VERS. 13.---*Tu autem, Domine, in aeternum permanes,* [Col. 0589D] et memoriale tuum in generatione et generationem. Qui se usque ad cinerem poenitendo dejecit pro peccatis suis, Deum laudando in beneficiis suis se erexit dicens: me arescente tu permanes in aeternum; quapropter optime ab adventu Domini salutis suae, et laudis divinae fecit initium, per quem mundum noverat esse salvandum. Memoriale autem hic dictum est salutare promissum de Domini incarnatione venturi [*Ms.,* venturum], quod nulla oblivione delebitur.

VERS. 14.---*Tu autem, Domine, exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi*

ejus, quia venit tempus. Quasi diceret: Quid tardas de salute Sion? Sion vero mons est, ubi templum Domini est [significans Ecclesiam [Col. 0590A] optantium adventum Domini. Subjunxit] *quia venit tempus miserendi ejus:* hoc est, tempus de quo Apostolus ait: *postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* **(Gal. IV, 4)**. Sciendum est vero, quod poenitens iste non sui solius tantum causam agit, verum etiam totius humani generis optat salutem, quae nisi adveniente Filio Dei fieri non potuit.

VERS. 15.---*Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terrae ejus miserebuntur.* Videndum est, quam proprie verba rebus aptentur. Lapides dixit beneplacitos, qui sunt apostoli et martyres, praecipuique veritatis praedicatores in Sion, id est, in Ecclesia. Terra autem peccatores significat, quibus in sanguine salutaris [*Ms.,* Salvatoris] nostri misertus est Deus. Lapides Domino miserante [dicuntur, qui] solidi [Col. 0590B] sunt in aedificatione Domini et firmitate sua securi. Terra autem per misericordiam munda erit, ut digna sit in aedificatione Domini poni.

VERS. 16.---*Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.* Quos superiore versu terram nominavit, eosdem hic gentes appellat terrenis actibus invigilantes. Reges sunt, quicunque seipsos bene regunt, aliisque praeesse bonis exemplis, vel verbis praedicationis norunt: qui magnum nomen Christi Dei, servis suis, quos superius lapides appellavit, praedicantibus gloriam ejus, timent.

VERS. 17.---*Quoniam aedificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.* Ideo timebunt Dominum omnes gentes, et reges spiritales gloriam ejus formidabunt, [Col. 0590C] quia aedificata est a Domino Sion, mater scilicet Ecclesia, de vivis lapidibus constructa, in qua salus [*Ms.,* laus] sine fine permanet. Qui vero nunc visus est in humilitate, ipse videbitur, confirmata et constructa civitate sua [*Ms.,* consummata structura civitatis suae], in gloria sua; cum venerit in majestate Patris et sanctorum angelorum, discernere inter agnos et haedos.

VERS. 18.---*Respexit in orationem pauperum et non sprevit precem eorum.* Veniente Salvatore nostro in mundum, tunc exauditae sunt preces hujus pauperis, quae saepius [ante] recitatae sunt in conspectu divinae pietatis. Iste pauper unus est, et multi sunt; unus in charitate, multi in latitudine totius orbis, quibus est una fides, unum baptisma, unus Deus.

[Col. 0590D] VERS. 19.---*Scribantur haec in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Scripta sunt haec prophetarum dicta, quae modo leguntur in generatione altera. Illa fuit prima generatio, in qua haec Scriptura edita est, quam nunc legit in ista generatione sequenti populus, quia creabitur a Domino de multitudine gentium, laudans [Dominum] in veritate lucis, non in figuris umbrarum.

{357} VERS. 20.---*Quoniam prospexit de excelso sancto suo, Dominus de coelo in terram aspexit.* De coelo Dominus per unicum Filium suum prospexit in terram miseriae nostrae **(Vers. 21)**. *Ut audiret* [sicut sequens versus ostendit] *gemitus compeditorum, humani scilicet generis,* quod diaboli vinculis in primo parente [Col. 0591A] ligatum est, mortique perpetuae perditionis addictum: hoc de coelo prospiciens Dominus venit solvere vinctos et vivificare interemptos.

VERS. 22.---*Ut annuntietur in Sion nomen Domini, et laus ejus in Jerusalem.* Quia *de Sion, ut ait propheta, exibit lex et verbum Domini de Jerusalem* **(Isai. II, 3)**. Ibi quippe primum praedicatum est per apostolos nomen Domini; sic (*Ms.,* sicut) legitur in Actibus apostolorum, multitudinem credentium ibi esse; et ipsum Dominum praecepisse in Evangelio constat, praedicare apostolos poenitentiam et remissionem omnium peccatorum in omnes gentes, incipientes primo ab Jerusalem **(Luc. XXIV, 47, 53)**. De quibus paulo post ait Evangelista: *Et erant semper in templo laudantes et benedicentes Dominum.*

[Col. 0591B] VERS. 23.---*In conveniendo populos in unum, et regna ut serviant Domino.* Ad hoc enim gemitus pauperum exauditus est, scilicet ut conveniens populus in unum laudes Domini personaret. In eo, quod ait, *populos in unum, virtus catholicae unitatis signatur, quia omnes unum sumus in Christo:* veluti ipse Dominus Patri pro suis supplicans ait, *ut sint unum in nobis.* Et regna ut serviant Domino. Ista servitus Domini vera libertas est hominis, per quod servitium Dei in tantam [gloriam] exaltata est Ecclesia, ut etiam regna serviant illi, quae etiam ante persequebantur eam.

VERS. 24.---*Respondit ei in via virtutis suae.* Quis? Cui respondit? Populus Christianus Deo suo, Ecclesia Christo capiti suo. Quid respondit? ut faciat quae [Col. 0591C] jubet qui se redemit. Ubi respondit? in via scilicet virtutis suae. Quae est via virtutis suae, nisi Christus qui ait: *Ego sum via et veritas et vita, sine quo nihil possumus in bonis operibus respondisse praeceptis Domini? Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Vox [est] Ecclesiae de fine mundi per apostolos Dominum deprecantis [*Ms.,* interrogantis] qui dixerunt: *Dic nobis quando haec erunt, et quod signum adventus tui et consummationis saeculi* **(Matth. XXIV, 3)**? Qui respondit: Primum praedicabitur hoc Evangelium in toto mundo; et caetera quae ibi leguntur de signis consummationis saeculi. Quod tempus paucitatem nominat dierum iste poenitens, qui [*Ms.,* quia] ab initio mundi usque in finem totum tempus in comparationem aeternitatis, quasi unum et parvissimum computat [Col. 0591D] [*Ms.,* computatur] momentum. Optat iste poenitens [cito] pervenire ad aeternae beatitudinis felicitatem; sicut evangelicus semper servus jubetur esse paratus.

VERS. 25.---*Ne revoces me in dimidio dierum meorum;* in saeculum saeculi anni tui. Aeternitatem iste pauper desiderans non vult revocari ad medios vitae suae dies, id est, ad juventutis annos, in quibus maxime fervore carnis peccare solent homines. Ad hos dies non cupit regredi, ut ad aeternos Domini annos, qui mutabiles non sunt, pervenire mereatur, ubi varietas temporum non erit, sed stabilis quaedam semperque eadem [quae est] vita permanet mutationi non obnoxia. [In quo haec sunt, hujus saeculi] saeculum est, [Col. 0592A] [vel] generatio hujus generationis, quae in Evangelio designatur, ubi Dominus ait: *In regeneratione, cum sederit Filius* [hominis] in sede majestatis suae **(Matth. XIX, 28)**.

VERS. 26.---*In initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.* Hoc est, quod in capite sanctarum Scripturarum legitur: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Hoc ideo ait iste laudator Domini, ut intelligeretur nos eumdem habere Redemptorem [quem creatorem]. Qui vero initio coelum et terram creavit, sine

initio esse manifestum est. Opera manuum tuarum sunt coeli, id est, virtute Dei et sapientia facta sunt omnia [*Ms.,* id est, virtutes tuae, quia per verbum Dei, id est, virtutem Dei, sapientiam Dei facta sunt omnia].

[Col. 0592B] VERS. 27.---*Ipsi* peribunt, id est, *coelum et terra, sicut in Evangelio legitur,* [*transibunt*], verba autem mea non transibunt. Tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent. Solum Dominum [*Ms.,* Deum] immutabilem esse declarat, dum omnia sicut vestimenta veterascent. Carnis vero humanae fragilitatem hic videtur ostendere. Ipsum enim veterascit, quod more vestis [morte] consumitur. {358} *Sicut opertorium* [Ms., *coopertorium*] mutabis eos, et mutabuntur. Fortassis coelum intelligitur coopertorium terrae esse, quod in melius mutandum esse alia Scriptura designat, ubi dicitur: *Et erit coelum novum et terra nova* **(Isai. LXV, 17)**?

VERS. 28.---*Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.* Omnia esse mutabilia praeter solum [Col. 0592C] creatorem designat, qui semper idem est quod est, et anni aeternitatis illius nunquam deficient. Non quod in Deo anni intelligendi sint, ut unus veniat et alter transeat, sed aeternitas illius, quae semper eadem est, annorum nomine designatur.

VERS. 29.---*Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi, id est, habitabunt annos aeternitatis* [sancti] sanctorum patrum filii, prophetarum scilicet et apostolorum vel doctorum Ecclesiae. Nec aestimandum est ibi non esse patres, ubi filii futuri sunt: quod si filii ibi, quanto magis et patres? Si discipulus bonus [quanto magis] et magister, melior discipulo? *Et semen eorum in saeculum saeculi dirigetur.* Quorum semen, nisi doctorum sanctorum [*Edit.,* suorum], qui in aeterna dirigentur beatitudine? Qui rectam [Col. 0592D] hic tenuerunt viam, beatitudinis [*Ms.,* rectitudinis] praemia ibi possidebunt. Ideo non tardet quisque peccator poenitentiam agere, quatenus ad hujus praemii gloriam pervenire mereatur. Recordetur jugiter primam Dominicae praedicationis vocem, qua dictum est: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum* **(Matth. III, 2)**. Amen.

PSALMUS CXXIX.

Psalmus iste inter canticos Graduum undecimus est, qui numerus quamdam diminutionem perfectionis demonstrat; sed sextus est in ordine poenitentiae, quem numerum, id est sex, suis partibus constat esse perfectum: in quo ipse creator condidit omnia, ut ostenderet omnia esse perfecta quae [Col. 0593A] creavit. Iste vero poenitens per poenitentiae lacrymas ad perfectionem indulgentiae pervenire nititur, dicens:

VERS. 1.---*De profundis clamavi ad te, Domine.* De profundis, id est, nimietate peccatorum, de quibus non est alia salus illi, nisi ad Dominum clamare et in ejus sperare clementiam. Ideo postulat suum exaudiri clamorem, quam de profundo peccatorum eructavit dicens:

VERS. 2.---*Domine, exaudi vocem meam.* Ipsi enim sunt Altissimo viciniores, qui de sanctae humilitatis visceribus eruperunt, se confitentes esse peccatores, et de profundo clamasse iniquitatis dicentes: *Fiant aures tuae intendentes in orationem servi tui.* Quis

est qui clamat? peccator scilicet. Unde clamat? etiam de [Col. 0593B] profundo. Quo jam profundo, nisi peccatorum? Qua spe clamat? [Quia] qui venit solvere peccata, dedit spem etiam in profundo posito peccatori clamandi, veniamque sperandi. Quid vero iste clamet peccator, audiamus.

VERS. 3.---*Si iniquitatem* [Ms., *iniquitates*] observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Ecce apparuit [*Ms.,* aperuit], de quo profundo clamaret. Clamat sub fluctibus, quasi in profundo demersus iniquitatum suarum, accusans seipsum in cogitationibus, verbis et factis: intelligens totam vitam humanam tentationibus subjacere. Sequitur in qua spe clamaret, dicens:

VERS. 4, 5.---*Quia apud te propitiatio est.* Quae est ista propitiatio, nisi sanguis Christi, sanguis innocens, [Col. 0593C] qui effusus est in propitiationem peccatorum nostrorum? Ergo, o Domine, apud te est propitiatio quae me excitat ad te clamare: quia si judex tantum, et non propitiator fieri voluisses, observares iniquitates nostras, et nemo sustineret. *Et propter legem tuam sustinui te, Domine.* Exspectavi te, Domine, qui mihi in lege promissus fuisti: quae me lex reum fecit, et compulit me ad te clamare, qui es legislator et Redemptor sub lege factus Filius hominis. *Sustinuit anima mea verbum tuum.* Quod verbum? quod *erat in principio apud Deum.* Hoc verbum exspectavi ut caro fieret et liberaret animam meam, in quo suscepimus remissionem peccatorum et promissionem regni coelorum. In quo verbo speraverunt [Col. 0593D] prophetae: quod verbum apostoli tractaverunt et viderunt: in quo verbo beati sunt etiam credentes, quamvis ipsum carnaliter non vidissent. In hoc verbo [*Ms.,* verbum] omnes animae sanctorum sperant.

{359} VERS. 6.---*A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Custodia matutina est manifestata resurrectio Domini Salvatoris, quando [*Edit.,* quoniam] sepulcrum custodientibus Judaeis, resumpti corporis veritate, resurrexit. *Usque ad noctem, id est, usque ad terminum hujus saeculi in hac spe nobis vivendum est, ut modo resurgamus in anima, et in novissimo die resurgamus in corpore.* Qui vero a morte animae modo resurgit per verbum, Filii [*Ms.* filium] Dei, tunc feliciter resurget in carne [Col. 0594A] per Verbum Dei Filium hominis. In hac enim [*Ms.,* vero] promissione speret Israel in Domino. Spe enim salvi facti sumus. Quod nunc spei dulcedine habemus, tunc rei veritate tenebimus. Noli tu, Israel, id est, vir videns Deum, dubitare de hac promissionis felicitate.

VERS. 7.---*Quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio.* [Quia] quamvis peccator peccatorum mole prematur, adest misericordia Dei in Christo, qui sine peccato venit, ut peccata solveret. Apud quem copiosa est redemptio, quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.

VERS. 8.---*Ipse est qui redemit Israel ab omnibus iniquitatibus suis* [Ms., *ejus*]. Ideo tu peccator noli cessare: clama [*Ms.,* clamare] de profundo, expelle [Col. 0594B] a te omnem desperationem; dic, dic: *si iniquitatem observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Observa illum, exspecta illum propter legem ipsius, quam legem tibi dedit in oratione, qua deprecaris pro peccatis tuis dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut*

et nos dimittimus debitoribus nostris. Spera te resurrecturum, et te futurum omni modo sine peccato, quoniam ille surrexit, qui primus fuit sine peccato. Noli dicere: Non sum dignus misericordia illius propter peccata; cogita apud eum multam esse redemptionem, qui seipsum tradidit, ut te redimeret. Liberatus per poenitentiam, noli iterum ligari per peccatum. Servi Domino quasi filius, non quasi servus: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo, filius [Col. 0594C] autem manet apud Patrem suum in aeterna beatitudine. Amen.

PSALMUS CXLII.

Titulus psalmi: *Psalmus ipsi David, quando eum filius suus persequebatur.* In Libris Regum hanc historiam legimus, quomodo Absalon patrem suum David expulit de regno. Sed alius est David vere manu fortis: in bello fortis, qui percussit hostem superbissimum, Dominus noster Jesus Christus. Agnoscendus est itaque David iste, quem persequebatur filius suus Judas tradens eum in mortem; habebat enim filios, de quibus dicebat: *Non possunt filii sponsi lugere, quandiu sponsus est cum eis, veniet autem dies quando sponsus auferetur ab eis,* tunc lugebunt [Col. 0594D] **(Matth. IX, 15)**. Lugendum est animis peccantium, si sponsus auferatur ab eis propter peccata: et primo omnium poscendum, ut exaudiatur oratio eorum; deinde ne inducantur in judicium; postremo ut eripiantur ab inimicis suis, quorum potestati a semetipsis traditi sunt propter peccata sua.

VERS. 1.---*Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam.* Hoc est exaudi, quod et percipe auribus. Repetitio magna est deprecantis intentio: humilitas lacrymarum, absolutio [*Ms.,* ablutio] est peccatorum. *In veritate tua exaudi me in tua justitia.* Commendatio gratiae est, ne unusquisque nostrum justitiam suam esse putet, qua liberatur: sed justitia Dei est, quam ut habeat, Deus dedit. In tua enim, dicimus [*Ms.,* dicamus] justitia, [Col. 0595A] exaudi me. Ad me enim unum cum respicio, nihil aliud in me nisi peccatum invenio. Tota liberatio mea, tua est justitia. Unde sequitur:

VERS. 2.---*Et non intres in judicium cum servo tuo.* Noli ergo mecum intrare in judicium, Domine, quantumlibet mihi rectus videar. Producis tu de thesauris tuis [*Ms.,* thesauro tuo] regulam aequitatis: judicas me secundum meam justitiam, et pravus invenior. Quare? *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Omne genus humanum significat originali peccato obnoxium. Ideo nullus, nisi gratia liberatus tua, justificari poterit. Quod si nullus justificabitur, de radice vitiata natus, quanto magis ego [proprio] peccatorum meorum pondere oppressus?

[Col. 0595B] {360} VERS. 3.---*Quia persecutus est inimicus animam meam.* Judas animam Christi, diabolus animam meam peccatorum persuasione persecutus est, atque *humiliavit in terram vitam meam, dum terrenis contagiis aspersit animam meam, et vitiorum pulvere sordidavit eam. Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi.* [Collocavit me inimicus in tenebris peccatorum, sicut mortuos saeculi. Mortui sunt saeculi] qui in peccatis suis moriuntur, retributionem [*Ms.,* mercedem] recipientes iniquitatis suae, ideo.

VERS. 4.---*Et anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Anxiatus est in me per poenitentiam spiritus meus, et totum cor meum pro scelerum enormitate meorum conturbatum est, timens, [Col. 0595C] ne cum saeculi mortuis damnet me judex justus.

VERS. 5.---*Memor fui dierum antiquorum.* Dies antiqui sunt, in quibus secundum veterem hominem vivebam in peccatis, quorum memoria me torquet. *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* Vidi, inspexi omnia opera tua, quia nihil boni in nobis esse potest, nisi tua operante gratia fiat, qui nos fecisti. Haec intentius considerans quid feci? scilicet

VERS. 6.---*Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Expandi manus meas in orationibus: et in sanctae crucis solatio, in qua Salvatoris mei manus expansae sunt, orabo. Sequitur comparatio, in qua dicit poenitens, sic animam suam [Col. 0595D] desiderare Deum, quemadmodum terra sitiens pluvias exspectat, ut fructus germinet desiderabiles. *Sine aqua tibi.* O Deus! tibi sit anima mea irrigata, et a te irrigata, ut tibi faciat fructum.

VERS. 7.---*Velociter exaudi me, Domine, quia defecit spiritus meus.* Velociter deficiet spiritus animalis, et revertetur caro in terram suam, et non agnoscet amplius locum ejus. Quia semel nascitur homo, et semel renascitur; semel moritur, et semel resuscitabitur; ideo, Domine, miserere dum est *tempus miserendi, et tempus acceptabile et dies salutis.* Scio citissime venire diem, in qua judicabor secundum opera mea. Miserere nunc, Domine Jesu, ut miserearis tunc in judicio. *Non avertas faciem tuam a me;* [Col. 0596A] quia si averteris faciem misericordiae tuae a me; *ero similis descendentibus in lacum.* Lacum vero inferiorem locum inferni designat, ubi impii perpetua torquentur angustia, de quo [nemo] liberabitur, nisi gratia Dei praeveniente tempus judicii. Potest quoque lacus intelligi profunditas peccatorum, ad quam si peccator venerit, contemnet salutem desperando animae suae; a qua liberari se, sicut ab infernali, iste poenitens deprecatur, et subjungit:

VERS. 8.---*Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, Domine, quia in te speravi.* Ecce in nocte sum, sed in te sperabo, donec nocturna transeat iniquitas, et mane miserationes tuae quasi aurora lucis veniant mihi. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Id est notam fac mihi viam praeceptorum tuorum, ut ambulem [Col. 0596B] in ea; illuminatus ab eo, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quia in te speravi, Domine. Certa confitentis est consolatio, spes in bonitate salvantis Domini.

VERS. 9.---*Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.* Qui [sunt] inimici, nisi daemones, nisi saeculi ambitiones, nisi carnalia desideria? quibus relictis ad te confugi, non a te, sicut Adam ad umbras post meridiem felicitatis. Non habeo, ad quem faciam confugium, nisi ad te Domine Deus meus.

VERS. 10.---*Doce me facere voluntatem tuam.* Quia voluntas tua mea est salus, qui vis omnes homines salvos fieri et neminem perire. *Quia tu es Deus meus.* Quia tu es totum bonum meum, tota salus mea. Dominum quaeram propter redemptionem; patronum [Col. 0596C] quaero propter libertatem [*Ms.,* liberationem]. Tu es Deus meus, tu creasti me;

per alium recreari nequeo, nisi per te, per quem creatus sum. Creasti me per Verbum Deum, manens [*Ms.,* manentem] apud te: recreas me per Verbum carnem factum propter nos. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quia spiritus meus malus deduxit me in terram perversam, spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam. Spiritus tuus bonus semper est, meus vero semper malus, nisi per tuum efficiatur bonus.

{361} VERS. 11.---*Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.* Sic [*Ms.,* Hic] clementissima Dei gratia commendatur, cujus miseratione in nomine Salvatoris, non nostris meritis vivificati [Col. 0596D] sumus. *Educes de tribulatione animam meam.* Educentur de tribulatione, tanquam de carceribus, animae sanctae, quando a tentationibus inimici liberabuntur, et ad requiem pervenient, ubi nulla erit ultra tribulatio tentantis inimici. Ita finis vitae praesentis, terminus est laboris sanctorum.

VERS. 12.---*Quoniam disperdet Deus inimicos eorum, et perdet omnes qui tribulant animas servorum suorum.* Hic enim tribulantur justi, ibi vero in requie beatitudinis gloriabuntur et consolabuntur [omnes] persecutionem pro Christi nomine patientes, dicente ipsa Veritate: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum* **(Matth. V, 10)**, in saecula saeculorum. Amen.

MAGISTRI ALBINI FLACCI ALCUINI EXPOSITIO IN PSALMUM CXVIII.

PRAEFATIO. [Col. 0597A]

Centesimus decimus octavus psalmus magnum in se mysterium continet: sed quoniam continentur in eo lex, mandata, justificationes, testimonia, judicia, qua utique inter se distent, discernere necesse est. *Lex ergo est, quae per Moysen data est.* In Christo spiritaliter debet intelligi, quia Apostolus, cum illam sanctam vocet, umbram tamen eam futurorum esse describit. *Mandata sunt, in quibus praeceptorum Dominicorum custodia deputatur, juxta illud: Non occides, non moechaberis, et reliqua. Justificationes sunt, quibus Deus per suam dilectionem et proximi, zizania odii ab hominum corde jubet evelli. Testimonia sunt, in quorum praesentia nobis observationum sanctarum ordo committitur:* sicut Moyses [Col. 0597B] coelum et terram invocat testes, et Paulus ad Timotheum, Testificor tibi, inquit, in conspectu Dei viventis et in conspectu electorum angelorum ejus, et reliqua. **(I Tim. V, 21.)** *Judicia autem sunt, cum aut justus splendidis honorabitur meritis, aut aeternis damnabuntur* [*Ms.,* justos honorabit . . . damnabit] suppliciis transgressores. Viae [enim] sunt apostoli ac prophetae, per quos venitur ad veram vitam [*Ms.,* viam], quae est Christus. Totus hic psalmus est scriptus secundum ordinem litterarum, ita ut ab una littera octo versus incipiant, et rursum a sequenti octo alii compleantur, et hoc similiter ad finem usque texitur.

Ab exordio suo magnus psalmus iste, charissimi, exhortatur nos ad beatitudinem, quam nemo est qui [Col. 0597C] non expetat [*Edit.,* exspectat]. Quis enim unquam vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri, qui nolit esse beatus? Quid igitur exhortatione opus est ad

eam rem, quam sua sponte appetit animus humanus? Nam profecto qui exhortatur, id agit ut excitetur voluntas ejus cum quo agit [ad illud] propter quod exhortationis adhibetur alloquium. Ut quid ergo nobiscum agitur ut velimus quod nolle non possumus, nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quonam modo ad eam perveniatur nesciunt? Ideoque haec [*Ms.,* hoc] docet iste, qui dicit:

ALEPH, ID EST DOCTRINA.

VERS. 1.---*Beati immaculati in via,* qui ambulant [Col. 0597D] in lege Domini. Beati esse non possunt nisi immaculati; immaculati autem non sunt, nisi qui in via ambulant: via vero non est, nisi lex Domini. Quaerens ergo beatitudinem, immaculatus in via sit, et in lege Domini, quae beatorum via est, ambulet: non sit otiosus, sit sine macula, hoc est, sine mortali crimine. Sed tamen discretionem facit inter maculam et maculam. Quia si sine minutis esse non possumus, vel in majora incidere non debemus [*Ms.,* debeamus]. Beati ergo immaculati in via, qui ambulant {362} in lege Domini: in via [in Christo (*Edit.,* in via Christi)] ut ipse ait: Ego sum via et [Col. 0598A] veritas. *Qui ambulant in lege Domini, hoc est, in mandatis ejus.*

VERS. 2.---*Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Ut intelligant cum peccaverint, se coram testibus deliquisse: [ait autem, qui] in toto corde exquirunt eum, et non leviter, neque segniter.

VERS. 3.---*Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Viae enim apostoli sunt et prophetae, per quos venitur ad illam vitam [*Ms.,* viam], qui dixit: *Ego sum via et veritas et vita* **(Joan. XIV, 6)**, sicut jam diximus. In hac enim via non incedunt impii, quia Satanae viam sequuntur.

VERS. 4.---*Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Non tepido corde, neque dissoluto animo, sed [Col. 0598B] fortiter et attente nos sua mandata edocet custodire. *Nimis* posuit pro *valde.* Valde itaque praecepit hoc Deus, et valde oportet Dei custodire mandata.

VERS. 5.---*Utinam dirigantur viae meae, ad custodiendas justificationes tuas.* Nisi enim ab ipso Domino dirigantur viae nostrae, ad ejus custodiendas justificationes infirmi erimus, propter fragilitatem carnis. Dedisti, inquit, mandatum et custodire illud praecepisti; sed utinam praebeas auxilium, ut possim facere, te jubente, quod faciendum didici te docente.

VERS. 6.---*Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Cum, inquit, directae fuerint viae meae per gratiam tuam, tunc inspectione mandatorum tuorum non confundar, dum respicio in [Col. 0598C] omnia mandata tua. Non enim alia praetermittere et alia observare, sed omnia aequaliter custodire oportet, ne in futuro judicio confundamur.

VERS. 7.---*Confitebor tibi, Domine, in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiae tuae.* Confitebor si directum fuerit iter meum et cor meum: te praedicabo, Domine, te laudabo, et tui esse operis hoc confitebor.

VERS. 8.---*Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.* Hoc est, faciam quod jubes, si me adjuveris usquequaque. Ac si aperte diceret, a bono opere errare me non sinas, ne dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Hoc petit ne penitus deseratur, sed ita potius, ut ab eo nunquam et nusquam divinum abscedat [Col. 0598D] auxilium.

VERS. 9.---*In quo corrigit junior viam suam? in custodiendo sermones tuos.* Interrogatio est, in quo junior viam suam corrigat; et respondetur, quod correctio haec sit, ut Dei verba custodiat. Juvenem enim dixit omnem hominem qui, vetusto peccati homine deposito, fit novus [*Ms.,* qui de veteris peccati homine fiat novus] in Christo.

VERS. 10.---*In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis.* Fecisti, inquit, ut toto corde meo exquirerem te; fac ut in mandatis tuis maneam: quae ut mihi possibilia sint adjuva me, et noli me [Col. 0599A] ab eis repellere, id est, noli mihi auxilium tuum subtrahere.

VERS. 11.---*In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Continuo divinum quaesivit auxilium, ne in corde ejus Dei eloquia sine fructu absconderentur, nisi opera justitiae sequerentur. Cum enim hoc dixisset, adjunxit:

VERS. 12.---*Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas.* Ut quid enim dicit, doce me justificationes tuas, nisi quia eas vult faciendo discere, non loquendo, vel memoria retinendo tantummodo?

VERS. 13.---*In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Nihil, inquit, judiciorum tuorum tacui, sed omnia prorsus in labiis meis enuntiavi, ea scilicet, quae mihi ore tuo, id est, eloquiorum tuorum [Col. 0599B] praedicatione dixisti.

VERS. 14.---*In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Via testimoniorum Dei Christus est, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. In hac ergo via quasi in omnibus divitiis delectatur, qui vadit per illam. Multa erga nos sunt testimonia divinae dilectionis impleta, non dubium quin exspectentur implenda [*Ms.,* non dubitat, quae exspectantur, implenda].

VERS. 15.---*In mandatis tuis* [Ms., add. *me*] exercebor, et considerabo vias tuas. Exercitatio assiduitas operis est: et iste nisi exercitatus in mandatis Dei fuisset, non poterat considerare vias ejus, id est apostolicas propheticasque doctrinas.

[Col. 0599C] {363} VERS. 16.---*In justificationibus tuis meditabor:* non obliviscar sermones tuos. Ea meditor, in his exerceor, ut illa oblivioni non tradens, possim ea integre perfecteque complere.

GIMEL VOX.

VERS. 17.---*Retribue servo tuo, vivifica me:* et custodiam sermones tuos. Quatuor enim sunt retributiones: aut mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem aeternum retributurus est impiis. Aut bona pro bonis, sicut regnum aeternum retributurus est

justis. Aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam justificat impium. Aut mala pro bonis, sicut Judaei per malitiam persecuti sunt Christum. Harum quatuor retributionum duae priores pertinent ad [Col. 0599D] justitiam, ut retribuantur mala pro malis, bona pro bonis. Tertia pertinet ad misericordiam, ut retribuantur bona pro malis. Quartam autem Deus nescit [*Ms.,* Quarta vero non pertinet ad Christum], nulli enim malum pro bono retribuit. Haec autem, quam tertio loco posui, primitus necessaria est: nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent, quibus retribueret bona pro bonis. Sciens ergo verba Dei non posse custodiri per obedientiam, nisi videantur per intelligentiam, hoc quoque orationi addit et dicit:

VERS. 18.---*Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua.* Da, inquit, mihi intellectum, quo possim mirabilia tuae legis inspicere, et virtutem praeceptorum tuorum videre.

[Col. 0600A] VERS. 19.---*Incola ego sum in terra:* non abscondas a me mandata tua. Ibi quisque est peregrinus, ubi absens a patria sua. Iste ergo, qui supernae Hierusalem civis ascriptus est, peregrinum se confitetur [*Ms.,* profitetur] in terra, quia certus est de haereditate promissa. Sed quia tentatio est vita humana super terram, petit ne in tempore tribulationis et incolatus sui abscondantur ab eo mandata Dei.

VERS. 20.---*Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Ut sive manducem, sive bibam, sive aliud quid faciam, ea semper desiderem, mediter, apprehendam. Tu enim me justificas, tua me facit gratia justum, et bonum mihi est semper hoc desiderare, et in hoc tuo praesidio delectari. Alioquin justus non ero, si defuerit mihi gratia [Col. 0600B] tua, aut inflaverit me superbia.

VERS. 21.---*Increpasti superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Increpatio haec intelligenda est, quam primi hominum genitores sua transgressione meruerunt, declinantes a mandato Dei per superbiam, qua concupierunt, non quod Deus diligendum praecepit, sed quod diabolus invidendo persuasit. Omnis itaque superbus huic increpationi subjectus est, sive haereditario merito, sive voluntatis arbitrio. Superbi enim declinant a mandatis Dei. Aliud est quippe mandata ejus per infirmitatem vel ignorantiam non implere, aliud ab eis per superbiam declinare. Tunc omnes impii plenam accipient maledictionem, cum audierint: Ite, maledicti, in ignem aeternum.

[Col. 0600C] VERS. 22.---*Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.* Non otiose nec somnolenter, sed strenue vigilanterque sancti testimonia divina exquisierunt, ut talia paterentur; ut est praeceptum Domini: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, etc.* **(Matth. V, 10)**. Sed haec oratio pro persecutoribus funditur non irrogando ultionem poenae, sed ut, dum conversi fuerint ad Dominum, martyribus tollatur opprobrium, quando et illi ipsam religionem coluerint.

VERS. 23.---*Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Quod in hoc versiculo Propheta in se loquitur, futurum in apostolis reliquisque martyribus videt, qui multa coram regibus et [Col. 0600D] praesidibus, Domino hoc etiam pronuntiante, perpessi sunt, qui licet sint diversis poenis affecti usque ad sectionem cervicum, tamen semper se in Dei

exercuerunt justificationibus.

VERS. 24.---*Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuae sunt.* Sic ergo exercebatur servus Christi, ut contra persequentes [delectatio testimoniorum] decertaret. Consilium persequentium principum fuit inventos martyres perdere; consilium patientium martyrum fuit, inimicos perditos invenire. Reddebant illi mala pro bonis, isti bona pro malis. Quid ergo mirum, si isti occidendo defecerunt, illi moriendo [vicerunt (*Edit.,* vivificaverunt).]

DALETH. [Col. 0601A]

{364} VERS. 25.---*Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Corpori mortali animam conjunctam intelligo; ideo ne delictum invalescat, a te peto vivificari, sciens quoniam concupiscentia carnis mortem operatur.

VERS. 26.---*Vias meas enuntiavi et exaudisti me, doce me justificationes tuas.* Vias vocat actus humanos: Sine dubio actui ipso viae nomen imponit. Vias peccati mei confessus sum et remisisti; nunc doctrinam indulge, qua me justificationes tuas edoceas [*Ms.,* qua in justificationibus edocear].

VERS. 27.---*Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.* Merito cohors sancta justificationum viam intelligere quaerebat, [Col. 0601B] quae vias suas, id est peccata, prodiderat: quia nisi illas damnemus, ad istam pervenire non possumus. Instrue me ad intellectum, id est pertinentem ad beatam vitam: et exercebor in mirabilibus tuis; utique sensu et prudentia, ut Vetus Testamentum ad spiritalem trahat intellectum. Mirabilia vocat ipsas, quas superius vocat, justificationes.

VERS. 28.---*Dormitavit anima mea prae taedio:* confirma me in verbis tuis. In hujus habitaculi mortalis statione prae taedio imbecillitatis corporeae confirma me in verbis tuis, ut ablato peccati somno instanter in his vigilem.

VERS. 29.---*Viam iniquitatis amove a me et in lege tua miserere mei.* Ad illam contemplationem veritatis evectus petit, quod in isto saeculo necessarium [Col. 0601C] fuit, ut via iniquitatis, hoc est diaboli [*Ms.,* diabolus] ab ejus infestationibus tolleretur. Et in lege tua miserere mei; apud te enim lex haec instituta est, ut semper miserearis.

VERS. 30.---*Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.* Viam veritatis elegi, ubi currerem; judicia tua non sum oblitus, ut currerem. Viam veritatis elegi Christum Filium Dei, quem praevidens venturum in mundum audio dicentem: *Ego sum via, veritas et vita.* Judicia tua non sum oblitus; illa judicia quae in Evangeliis proferens ait: Hoc est judicium, *ut omnis qui credit in Filium hominis, habeat vitam aeternam.*

VERS. 31.---*Adhaesi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere.* Et quia his adhaerens anteriorum [Col. 0601D] facinorum indulgentiam merui, quaeso ne me patiaris de te ratione peccati confundi.

VERS. 32.---*Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Cordis

dilatatio veritatis est dilectio, quod Dei munere fit, ut ei non timore poenae, sed amore justitiae serviatur, cum charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ideo ergo [iste (*Edit.,* istam)] viam mandatorum Dei cucurrit, quia cor ejus Dominus dilatavit.

VERS. 33.---*Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.* Hic iterum plebs procedit beata, in qua sibi legem petit [Col. 0602A] constitui acquisitam
@ Codd. mss.: «Ad quintam litteram plebs protulit beata, in qua sibi legem petit constitui.». Prius jam dixit: Et in lege tua miserere mei, hoc est, in Veteri Testamento. Nunc autem novam legem [cupit] sibi poni, veniente scilicet Domino Christo in carne, ut Christianorum fides firmaretur. Jugiter se [eam] dixit exquirere; illud enim exquiritur, quod magnis precibus postulatur indesinenter.

VERS. 34.---*Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo.* Ecclesia rogat ut intelligat discretionem inter bonum et malum, inter vitam et mortem, inter litteram et sensum. Ut intelligam, et praedicem, et opere impleam, et custodiam illam in toto corde meo, id est, ex tota dilectione. Quam pulchro ordine dixit? Prius petit, ut lex ei poneretur, hoc est, Novum Testamentum; [Col. 0602B] deinde, ut legis ipsius intentionem cognoscere meruisset, quatenus eam tota integritate cordis servaret.

VERS. 35.---*Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Semita minor est quam via, hoc est arcta et angusta via, hoc est altiora mandata, quae ducunt ad vitam. Mandata ista Novi Testamenti debemus accipere, ubi se perduci magnopere precabatur. Ipsam volui, hoc est Novi Testamenti gratiam divinam, per quam se ad coelorum regna noverat pervenire.

{365} VERS. 36.---*Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam, dicit Ecclesia, id est in humilitate, ut illud: Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [Col. 0602C] **(Matth. XI, 29)**. Testimoniis quippe suis agit nobiscum Deus, ut eum gratis colamus, quod impedit avaritia, radix omnium malorum. Ergo non habeamus inclinatum cor in avaritiam: non colamus Dominum, nisi propter Dominum, ut sui cultus ipse sit merces.

VERS. 37.---*Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.* Averte oculos meos, id est sensus meos, ne videant vanitatem, id est defectionem. Ac si dicat, in ista vanitate, quod est defectio, non habeam oculos meos, id est sensus meos, defixos, sed, inquit, in via tua vivifica me, hoc est in temetipso [*Edit.* temetipsum] vel in tuis mandatis vivifica me in anima.

VERS. 38.---*Statue servo tuo eloquium tuum in timore* [Col. 0602D] tuo. Stabile fit eloquium Domini in corde nostro, cum fit quod eodem jubetur eloquio; et avellitur, cum contrarium opus agitur. Petit ergo servus Dei, ut in eo confirmetur obedientia perseverans, qua [*Ms.,* quae] de statu suo || nullo malae actionis moveatur impulsu: Quod per spiritum et timorem fit castum, quo cavetur ne offendatur charitas, non quo metuitur [*Ms.,* metuatur] ne damnetur impietas.

VERS. 39.---*Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.* In sententia ista maximum [vitium (*Edit.,* exemplum)] humanitatis exponitur. Multi enim in opprobrium cadunt aliter quam habeat veritas suspicando: quam culpam rogat a se [Col. 0603A] amputari. Suspicio enim saepissime probatur incerta, quae viro non convenit Christiano. Haec ergo suspicio ducit ad opprobrium, quod ex peccato nascitur. Merito sibi jucundum Domini dicebat esse decretum, per quod se et requiem reperisse noverat, et coronam perpetuam.

VERS. 40.---*Ecce concupivi mandata tua, in aequitate tua vivifica me.* Fecisti me, inquit, cupidum mandatorum tuorum, fac et efficacem. Adjuva ut faciam quod commendas, dona ipse quod mandas. Unum est, Domine, tuae miserationis donum, ut eloquia sancta custodientes in tua aequitate vivificemur, hoc est, ut aequalem te Patri et Spiritui sancto fateamur [*Ms.,* cum aequalem. . . . . fatemur.]

VERS. 41.---*Et veniat super me misericordia tua,* [Col. 0603B] Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum. Ad sextam litteram conversatio sancta pervenit, in qua sibi postulat salutarem Dominum debere concedi, qui est misericordia peccatorum, et vita fidelium, per quem salus gentibus venit. Secundum eloquium tuum, dixit, id est [secundum] promissionem tuam, quam per prophetas promisisti.

VERS. 42.---*Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.* Haec nobis indicat absolute sententia, respondendum esse viriliter adversantibus, ne [sibi] malignantium praesumptio superior esse videatur. Exprobrant enim verbum [*Ms.,* verbo] qui Filium dicunt esse minorem Patre. Quia speravi, constanter his respondebo, qui vanam dicunt spem meam quam in te habeo, quia [Col. 0603C] illorum spes inanis est.

VERS. 43.---*Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi.* Rogat ut confessionem veritatis de ejus ore nullae poenae, nullus terror, extorqueant. Cum dicit, *usquequaque, significat verbum veritatis ad tempus aliquibus fuisse sublatum:* Ut Petro contigit, qui ante galli cantum ter Dominum negavit: Et ipse tamen illud peccatum fletibus delevit, et sanguinis effusione mundavit. *Quia in judiciis tuis supersperavi.* Judicia enim Domini erant, quod turbae martyrum diversis cruciatibus agebantur [*Ms.,* cruciationibus angebantur] ad regna coelorum.

VERS. 44.---*Et custodiam legem tuam semper in saeculum et in saeculum saeculi.* Iste et alii versus [Col. 0603D] usque ad finem litterae non habent deprecationem, sed narrationem. Superius petit ut acciperet, hic de perceptis gratias agit. *Semper omne tempus vitae praesentis ostendit: in saeculo vero futurum saeculum monstrat.* [Lex (*Edit.,* Haec)] autem, quam perpetuo custodire desiderat, charitas accipienda est, quia ipsa est plenitudo legis: et cessantibus caeteris mandatis sola permanet in aeternum.

{366} VERS. 45.---*Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.* Dilatatus enim sum in custodia legis tuae, quia mandata tua exquisivi. Diligenter ea perscrutans ad hoc exquisivi, ut crederem et intelligerem.

[Col. 0604A] VERS. 46.---*Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non*

confundebar. Loquebatur [*Edit.,* loquebar] de testimoniis Domini, quoniam [*Ms.,* quomodo] petiverat et acceperat, ut responderet exprobrantibus sibi verbum; qua firmitate roboratus ante reges saeculi dicit se non esse confusum, sed veritatem intrepidis sermonibus exercebat.

VERS. 47.---*Et meditabor in mandatis tuis, quae dilexi.* Hic ostendit frequentatae meditationis ardorem. Meditari enim mandata non poterit, nisi qui ea assidua lectione percurrerit. *Quae dilexi, inquit;* negligere enim nunquam potest homo quae diligit. Addit, *nimis, supra quam nulla potest dilectio reperiri.*

VERS. 48.---*Et levabo* [Ms., *levavi*] manus meas ad mandata tua, quae dilexi, et exercebor in justificationibus [Col. 0604B] tuis. Superiori versu dixit, *meditabor in mandatis tuis, quod ad virtutem respicit inspectivam;* modo autem dixit, *levabo manus meas, quod ad partem pertinet actualem.* Levare enim manus [
@ Ms., Salisburgensis omittit verba uncis conclusa. non quasi a recordatione exciderit, admonet: et] significat bonis operibus occupari. Qui in malis actionibus detinetur, non levat manus suas. *Et exercebor in justificationibus tuis.* Ibi meditabatur, ubi mentis fuit intentio [*Edit.,* Ubi meditabar, ubi enim mentis est intentio]; hic exercebatur, ubi quaerebat operis frequentatione proficere.

VERS. 49.---*Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Memento. Quod [*Ms.,* cum] dicitur Deo *memento, orantis desiderium, quo promissum accelerari poscit, ostenditur;* [non Deus, quasi a recordatione [Col. 0604C] exciderit, admonetur.] *Memento ergo, inquit, verbi tui servo tuo:* Hoc est, imple promissum tuum, *in quo mihi spem dedisti, hoc est, in quo verbo sperare me fecisti.*

VERS. 50.---*Haec me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.* Consolationem inter aerumnas saeculi dedit spes [*Ms.* Consolatum inter aerumnas saeculi se dicit spe. . .] futurae vitae. *In humilitate, quia sancta probatur humilitas, omnia sustinere patienter. Quia eloquium tuum vivificavit me.* Causam reddit quare humilitas ejus fuerit consolata, quia spes consolationis vivificat eum afflictum.

VERS. 51.---*Superbi inique agebant usquequaque, a lege autem tua non declinavi.* Superbi inique. Superbos [Col. 0604D] intelligi vult persecutores humilium, hoc est, impios persecutores piorum, et ideo subjecit: *A lege autem tua non declinavi, quia hoc eum facere eorum persecutio compellebat.*

VERS. 52.---*Memor fui judiciorum tuorum a saeculo, Domine, et consolatus sum.* Memor fui, ex quo genus humanum sumpsit exordium. Memor fui judiciorum tuorum: Et quia probavi quod omnes viae tuae misericordia et veritas, consolationem accepi; auxilio gratiae tuae consolatus sum. Intellexi per spiritum sanctum quod tu venturus eras in carne.

VERS. 53.---*Defectio animae* [Ms., *animi*] tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. [Col. 0605A] Vox Ecclesiae affectum miserationis ostendit, ut doleat super praevaricationes iniquorum. Necesse est ut sanctum virum alterius culpa contristet, dum animus pius salvos fieri universos desiderat.

VERS. 54.---*Cantabiles mihi erant justificationes tuae, in loco peregrinationis meae.* Cum dicitur, *Cantabiles, significat psalmodiam cum magna delectatione peragendam.* Cantus enim superelevat labores et aufert animo taedium. In loco incolatus mei, significat hunc mundum, ubi peregrinatur omnis qui in Domino Christo devotus est: Expulso quidem Adam de paradiso, in hac terra incolatum gerimus.

VERS. 55.---*Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* Oportet enim fragilitatem humanam, cum semper, tum impensius in [Col. 0605B] nocturno tempore, memoriam facere Dominici nominis, cum aut recordatione divitiarum premitur, aut concupiscentiae igne torquetur: et praecipue hoc exorare, ut si legem Dei custodire coepit, ne ab eadem in aliquo divellatur.

VERS. 56.---*Haec mihi facta est, quia justificationes tuas exquisivi.* Facta est mihi haec lex consolatio et [non] scandalum, ut diligentius justificationes tuas scrutari valerem.

VERS. 57.---*Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.* Portio a parte dicta est: Illius enim partis sumus, cujus voluntatibus obedimus; unde merito portio piorum {367} Deus dicitur, quia regni ejus sunt pii et sancti. *Dixi custodire legem tuam.* Dixi, id est, statui atque decrevi. Felix qui portionem [Col. 0605C] non habet aliam, nisi Dominum: qui honores, divitias, cupiditates non amat, sed tantummodo Deum.

VERS. 58.---*Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.* Bene Propheta [in toto corde] deprecatur faciem Dei, qui mundum cor se novit habere. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Miserere mei secundum eloquium tuum, per quod promisisti ut peccatorem in mortem non obrueres, sed misericorditer consolareris.

VERS. 59.---*Quia cogitavi vias meas, et converti* [Ms., *averti*] pedes meos in testimonia tua. Ordinem humanae conversationis exponit: prius est enim ut nosmetipsos arguamus, et sic ad mandata Domini [Col. 0605D] migremus. [Cogitavit] vias suas [*Edit.,* meas], id est, actus humanos, sed ei omnino displicebant; [ideoque] pedes suos convertit ad testimonia Domini gradienda, in quibus si quis ambulat, firma habet vestigia.

VERS. 60.---*Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Paratus sum ad praedicandum, non sum turbatus ad tribulationem sustinendam propter Christum, ut custodiam mandata tua. Non me conturbaverunt iniqua exprobrantium jacula.

VERS. 61.---*Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.* Cum dicit, *funes, ostendit tot esse laqueos, quot peccata committimus.* [Col. 0606A] Funes peccatorum, non ab eo quod sunt peccata declinatum est, sed ab eo quod sunt peccatores. Funes itaque peccatorum impedimenta suntinimicorum, sive spiritalium, sive carnalium. [Sed (*Edit.,* quae)] si implicant corpus, non implicent animam. Ob quae impedimenta iste legis Dei non est oblitus [*Ms.,* In quo iste legis Dei non est oblitus. . .], quia sermo Dei non est alligatus.

VERS. 62.---*Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuae.* Media nox profunda tribulatio est, quia non sic affligebatur [*Edit.,* effugabatur], ut surgere non valeret. Surgebat autem ut confiteretur Deo, justo judicio ejus datam peccatoribus potestatem, qua sanctos persequerentur, quos adjuvat gratia Dei, ut hujusmodi exercitia [Col. 0606B] facerent clariores.

VERS. 63.---*Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Modo ecclesia particeps est ad illos qui Deum timent timore sancto, et sua mandata implent: particeps est cum illis in spe, fide et charitate.

VERS. 64.---*Misericordia tua, Domine, plena est terra, justificationes tuas doce me.* Misericordiam fecit, quando venit nos redimere; inde est plena terra, inde est sancta Ecclesia. *Justificationes tuas doce me;* Hoc est tua mandata, ut illa intelligam et praedicem, et opere impleam.

VERS. 65.---*Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* Vox Prophetae in persona Ecclesiae. Bonitatem fecisti, quando in [Col. 0606C] carne venisti, et nos redemisti. *Cum servo tuo, populo Christiano. Secundum verbum tuum;* Verbum Patris Filius est. Secundum verbum tuum, ut peccantes [*Ms.,* peccantem me] non in ira punires, sed misericordia consolareris.

VERS. 66.---*Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Docet ergo Deus bonitatem, inspirando charitatis dulcedinem; docet disciplinam, cum in tribulationibus patientiam dedit: docet scientiam, cum salutarium mandatorum ipse cognoscitur tributor [*Ms.,* adtributor], quia in mandatis tuis credidi me vitam habere aeternam.

VERS. 67.---*Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi.* [Propter primum, inquit, delictum humiliatus sum, et ne rursum humilier, [Col. 0606D] eloquium tuum custodivi.] Ita per gratiam tuam profuit experiri poenam, ut acquirerem obedientiam.

VERS. 68.---*Bonus es tu, Domine, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Quia nemo bonus, nisi Deus solus. Vere vult autem facere justificationes Dei, quando eas sine ejus suavitate non vult discere.

VERS. 69.---*Multiplicata est super me iniquitas superborum, ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* Multiplicatam super se dicit persequentium iniquitatem, et {368} ideo petit, ne macularetur ab eis. *Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua,* ut quantum illi contendebant seducere [Col. 0607A] [*Edit.,* reducere], tantum iste videretur mandatis Dominicis adhaerere.

VERS. 70.---*Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus sum.* Coagulatum in bono et in malo ponitur; hic autem in malo ponitur, hoc est superbia malorum: de qua superius dixit, quae more lactis in crassiorem substantiam constricta est; sed istum non potuerunt a lege Domini segregare, quia ipse pia sapientia [*Ms.,* patientia] superavit eos.

VERS. 71.---*Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Bonum mihi, quod poenam convertisti mihi ad disciplinam, et humiliationem ad eruditionem: quia justificationes tuas ita cupio noscere [*Ms.,* nosse], ut faciam. Non enim est [Col. 0607B] vera scientia in bonum [*Ms.,* boni], nisi ad hoc cognoscatur [ut agatur].

VERS. 72.---*Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti.* Lex oris Dei Christus est, qui non venit legem solvere, sed adimplere; quem praevidens propheta super omnes thesauros concupiscit, qui [*Ms.,* quia] non solum amicos diligi, sed etiam inimicis praecepit ignosci.

JOD, ID EST PRINCIPIUM.

VERS. 73.---*Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Magnum est enim, ut se homo intelligat manu Dei factum plasmatumque, et ad ejus imaginem esse compositum; quod si agnoverit, scientiam poscere debet, ut mandata ejus intelligat et custodiat. Manus [Col. 0607C] Domini virtus et sapientia intelligendae sunt. *Fecerunt* ad animam, *plasmaverunt ad corpus pertinet.* Et quia anima prestiosior est corpore, ideo prius posuit *fecerunt.*

VERS. 74.---*Qui timent te, videbunt me et laetabuntur, quia in verba tua supersperavi.* Vox Ecclesiae haec [*Ms.,* hoc] est, ut illi qui Dominum timent, videant suum intellectum et laetitiam habeant; quia Ecclesia, quando videt alios mandata Dei observare, magnam laetitiam habet: postea in invicem sic laetabuntur, et hic et in futurum. *Quia in verbo* [tuo] spero, id est, in Christo habeo spem.

VERS. 75.---*Cognovi, Domine, quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.* Quod dicit, [Col. 0607D] cognovisse se judicia Domini, illud significat, [ut] hominem animi tumore peccantem humiliatum corrigat, et supplicantem sibi divina misericordia recipiat. Quis enim dubitet summae aequitatis esse judicium, ut qui per superbiam deliquit, devota humilitate purgetur.

VERS. 76.---*Fiat nunc misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.* Fiat ergo misericordia tua secundum promissionem tuam, ut praesentibus muneribus accipiat mortalis vita solatium, et futura aeternitatis bona patienter exspectet.

VERS. 77.---*Veniant mihi miserationes tuae, et vivam, quia lex tua meditatio mea est.* Sufficienter expressum est, quod per misericordiam consequamur [Col. 0608A] vitam aeternam; illa autem meditatio beatos facit, qui operibus sanctis coelorum regna conquirunt.

VERS. 78.---*Confundantur superbi quia injuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.* Confundantur. Quamvis saeviant superbi, et iniquitatem operantur in sanctos, charitas tamen piorum non refrigescit, et mandatorum Dei exercitatio non desinit.

VERS. 79.---*Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.* Hoc est, ut

me docente cognoscentes ea ad te conversi fiant. *Et qui noverunt testimonia tua, quos lectio quidem divina imbuit, sed necdum opus salutis instruxit.*

VERS. 80.---*Fiat cor meum immaculatum.* Hic [Col. 0608B] cor pro anima ponitur, ac si dicat, fiat anima mea sine peccato mortali. *In tuis justificationibus, ut non confundar.* Hoc est ut non habeam confusionem aeternam.

VERS. 81.---*Defecit in salutare* [Ms., *salutari tuo*] tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi. Iste defectus, non fide se defecisse, significat, sed in tanta desiderii magnitudine se fatigatum monstrat, ut ad defectum felicissimum perveniret. *In salutare, quod Hebraice dicitur Jesus: et in Verbum tuum, id est, in Unigenitum, qui est virtus Dei.*

{369} VERS. 82.---*Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me.* Ecce rursus in oculis, sed utique interioribus, laudabilis et felix [Col. 0608C] ille defectus, non veniens ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderii in promissum Dei; hoc enim ait *in eloquium tuum:* tandiu enim dicit se defectum pertulisse, donec exspectata incarnatio Domini cordis aspectibus appareret. *Quando consolaberis me, id est, quando veniet, quod promisisti?*

VERS. 83.---*Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.* Superius petiverat consolari, nunc causam reddit subveniendi. Uter enim corpus mortale significat, pruina beneficium conversionis [*Edit.,* conversationis] ostendit. Sicut autem uter frigore glaciali contrahitur, sic carnis nostrae incentiva vitiorum afflictione poenitentiae tenuantur, ut justificationum Domini non obliviscantur.

[Col. 0608D] VERS. 84.---*Quot sunt dies servi tui, quando facies de persequentibus me judicium? Sciens sanctorum coetus usque in finem saeculi tentationibus diabolicis membra Domini subjacere, interrogat, quando mundus iste finiretur, ut de persecutoribus, id est diabolo, cum ministris praeparata ultio compleatur:* et celeritatem futuri judicii optabat, in quo jam beatis erit requies, et gaudium sine fine mansurum.

VERS. 85.---*Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine.* Narraverunt. Fabulas vanarum opinionum, delectabilis eloquii arte compositas ab iniquis, dicit esse narratas; sed nihil se in eis utile reperisse, sicut in lege Domini, in qua eum veritas, non verba delectant.

[Col. 0609A] VERS. 86.---*Omnia mandata tua veritas;* iniqui persecuti sunt me, adjuva me. Contra haereticorum fabulationes dicit omnia mandata Domini esse veritatem. *Iniqui persecuti sunt me, scilicet docendo perversa, suadendo falsa;* ergo adjuva me, ut certem pro veritate tua usque ad mortem.

VERS. 87.---*Paulo minus consummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.* Valde me corporalia vitia in terram humiliassent, nisi custodissem mandata divina.

VERS. 88.---*Secundum misericordiam tuam, Domine, vivifica me:* in aeternam vitam, quia jam non mihi vivo, vivit vero in me Christus. *Ut custodiam testimonia oris tui.* Vel ea quae in lege mandasti, vel illa quae in Evangeliis protulisti.

[Col. 0609B] VERS. 89.---*In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo.* Dicit verbum Domini permanere in coelo, id est in sanctis, quos de morte facit vivere, et de tribulatione gaudere; sive in coelestibus virtutibus, quae ejus semper insistunt ministerio.

VERS. 90.---*In saeculum saeculi veritas tua, fundasti terram et permanet.* Saeculum legem et prophetas; *saeculi significat Evangelia et apostolos, in quibus est veritas, quae est Christus Dominus:* terram autem, hoc est humanam naturam, ex parte totum significans, in sanctis fundavit, ut in sua credulitate permaneant: quia nisi ipse fundasset, non crederent, nec permanerent: *fundasti terram et permanet.*

VERS. 91.---*Ordinatione tua perseverat dies,* quoniam [Col. 0609C] omnia serviunt tibi. Quoties singulari numero dies ponitur, venturus ille sempiternus, qui sine nocte est, significatur; tunc illi omnia subjecta serviunt: serviunt et adversarii, licet non sponte, dum damnati poenas perennes suo jussu merito sustinebunt.

VERS. 92.---*Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.* Beata plebs martyrum in tanta tormentorum humiliatione afflicta asserit, se posse perire, nisi legis meditatio subveniret consolando, quae dixit: *Beati qui persecutionem patiuntur.* Lex ista fides est, quae per dilectionem operatur: in cujus meditatione permanens, per auxilium gratiae tuae promeretur, ut in tribulationum humilitate non pereat in aeternum.

[Col. 0609D] VERS. 93.---*In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Justificationes dicit legales observationes sub umbra, quae veritatis indicio [*Ms.,* indicia] venturae perfectionis beneficium praestabant. Has ergo justificationes non debemus oblivisci, quae nobis fidei et vitae primordia praestiterunt.

VERS. 94.---*Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.* Ego tuus famulus, et tu Deus meus, a te posco salvari: quia vanitas non est mihi [*Ms.,* quia venter non est mihi Deus], nec sum inani gloriae deditus, sed justificationibus tuis.

{370} VERS. 95.---*Me exspectaverunt peccatores,* [Col. 0610A] ut perderent me, testimonia tua intellexi. Longo me certamine adversae potestates impugnant, sed ego intelligens testimonia tua consolationem recepi ex eis.

VERS. 96.---*Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Consummationem dicit omnium virtutum completivam perfectionem, cujus finis est Christus, quem credendo praevidit venturum, cujus et mandati latitudinem miratur. In quo nimirum charitatem significat, quae sua latitudine omnia mandata in se complectitur. Nam cum omnia mandata finientur, ipsa sola in aeternum manebit.

VERS. 97.---*Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.*

Quomodo dilexi legem tuam? Sic, inquit, dilexi legem fidei, quae per [Col. 0610B] dilectionem operatur, ut tota die, id est toto tempore, meditatio mea sit.

VERS. 98.---*Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est.* Inimici prophetae Judaei sunt, qui spiritualiter non intelligunt: quibus prudentiorem Propheta se dicit, quia in his mandatis quae in aeternum servat, venturum Dominum praevidet.

VERS. 99.---*Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* Quos superiori versu inimicos dixit, hic doctores appellat, magistros scilicet Pharisaeos designans, qui se ad litteram tenentes spiritalem intelligentiam negligebant. Talibus ergo doctoribus cohors evangelica melius intelligit, quia, pravitatibus eorum repudiatis, sinceram [Col. 0610C] doctrinam Domini per meditationem testimoniorum ejus secundum veritatem intellectam [*Ms.,* intellectus] accepit.

VERS. 100.---*Super seniores intellexi, quia mandata tua quaesivi.* Melius utique populus novus intellexit, qui suscepit Christum ejus mandata perquirendo, quam Judaicus, qui eum mortificando occidit [*Ms.,* mortificandum credidit].

VERS. 101.---*Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* Ab omni via mala; membrorum est haec vox, non capitis. Non enim ipse Salvator corporis ullis concupiscentiis pulsabatur, ut ei necesse esset pedes suos custodire. Sic enim verba Dei possumus custodire, si post malas [Col. 0610D] nostras concupiscentias non eamus.

VERS. 102.---*A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.* Tu legem Evangelii posuisti mihi: illa enim Mosaica lex paedagogus fuit; ista totius [*Edit.,* Lex Evangelii libertas totius] plenitudinis donavit effectum. Merito ergo sanctus populus de hac lege gaudebat, quam credendo susceperat.

VERS. 103.---*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo.* Fauces enim cordis arcana significant, ubi eloquia Domini spiritaliter intelliguntur et diliguntur. Mel est aperta doctrina, favus secreta.

VERS. 104.---*A mandatis tuis intellexi* [quia homo ad occultorum sapientiam per obedientiam pervenit [Col. 0611A] mandatorum] *Propterea* [inquit] *odio habui omnem viam iniquitatis.* Necesse est enim ut oderit iniquitatem amore justitiae.

VERS. 105.---*Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis.* Si in hujus saeculi noctibus in nobis verbi Dei luceat lumen, non incident [*Ms.,* incedunt] pedes nostri in laqueos funium ac praecipitia fovearum, quae manus artis diabolicae in nostris offendiculis praeparavit. *Et lumen semitis meis, ut hoc lumine praeeunte, dum vitae istius semitas gradimur, ad illam quae vera via est, perducamur.*

VERS. 106.---*Juravi et statui custodire judicia justitiae tuae.* Juravi autem appellavit juramentum quod statuit per sacramentum, quia ita debet esse [Col. 0611B] mens fixa in custodiendis judiciis justitiae Dei, ut sit omnino pro juratione quod statuit.

VERS. 107.---*Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum.* Didicit humilitatem, quam Christus docuit, qui mitis est et humilis corde. Ideo nunc deprecatur, ut sicut ille post humilitatem formae servilis exaltatus est in gloriam Dei Patris, ita et iste ab hac humilitate corporea in vitam transferatur aeternam.

VERS. 108.---*Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me.* Vox Ecclesiae; ac si dicat, vota mea, quae tibi offero, beneplacita [tibi] sint, id est, acceptabilia et delectabilia. *Et judicia tua doce me, hoc est, tua mandata,* ut intelligam et [Col. 0611C] impleam.

{371} VERS. 109.---*Anima mea in manibus meis* [Ms., *tuis*] semper, et legem tuam non sum oblitus. Justorum enim animae in manu Dei sunt, in cujus manu sumus [*Ms.,* sunt] et nos et sermones nostri. *Et* legem tuam, inquit, *non sum oblitus.* Tanquam ad non obliviscendam Dei legem in manibus ipsius adjuvetur ejus memoria.

VERS. 110.---*Posuerunt peccatores laqueos mihi.* Quos laqueos? secus viam positos et [*Ms.,* quod laqueus secus viam ponitur et . . .] si egressus fueris de via, cadis in laqueos. Quid sunt isti laquei, nisi retiacula [*Ms.,* tendicula] diaboli, vel suggestiones daemonis? Vitia etiam et peccata possunt intelligi. [Col. 0611D] *Et in mandatis tuis non erravi.* Vox Ecclesiae. Non erravi a mandatis tuis, sed consisto in operatione.

VERS. 111.---*Haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum, quoniam exsultatio cordis mei sunt.* Tua testimonia et tua praecepta, hoc est, mea haereditas in aeternum, et hic et in futuro. Quia exsultatio cordis mei sunt tua testimonia, hoc est, mea exsultatio, quia Ecclesia in mandatis Dei delectatur et exsultat.

VERS. 112.---*Inclinavi cor meum.* Non fui superbus, sed humilis: et ideo inclinavi cor meum, ut te intelligerem; quia superbi non inclinant cor in humilitatem. Ad quid inclinavi cor meum? Dicit Ecclesia: *ad faciendas justificationes tuas, hoc est, mandata.* [Col. 0612A] *In aeternum propter retributionem vitae aeternae, ut illam merear percipere.*

VERS. 113.---*Iniquos odio habui et legem tuam dilexi.* Cum dixisset, *iniquos odio habui,* posuit et quare, addendo, *et legem tuam dilexi, ut demonstraret non se in hominibus iniquis odisse naturam, quia homines sunt;* sed iniquitatem, quia legis, quam diligit, inimici sunt.

VERS. 114.---*Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.* Adjutor in praesenti, susceptor in futuro. Et in Verbo tuo sperabo, hoc est, in Christo, quia Verbum Patris Filius est.

VERS. 115.---*Declinate, a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.* Maligni hic sunt daemones, vitia et peccata, vel adversariae potestates: Quia dum ipsi [Col. 0612B] tibi tendiculas praeparant, et suggestiones pessimas, non potes scrutari mandata Dei tui, ut illa bene intelligas. Sed si volueris poenitentiam agere, segregare te habes ab illorum consortio.

VERS. 116.---*Suscipe me, secundum eloquium tuum et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.* Vox Ecclesiae optantis ut veniat sponsus et suscipiat eam sponsam sibi, sicut promisit in eloquio prophetarum. *Et vivam in justitia, quia modo mortuus sum in peccatis. Et non confundas me, si ille quem exspecto et promisisti, veniat mihi.*

VERS. 117.---*Adjuva me.* Auxilium rogat; *et salvus* ero in anima, si veneris et me adjuves, *et meditabor in tuis justificationibus semper, sine fine.*

VERS. 118.---*Sprevisti omnes discedentes a justitiis* [Col. 0612C] tuis, quia injusta cogitatio eorum. Declaratum est cur assumebatur justificationum Domini frequens meditatio, quoniam spernuntur a Domino, qui ab ejus justificatione discedunt. Justificatio est peccatorum pura confessio Domino: Qui tali se remedio salvari [*Ms.,* sanare] despiciunt, injusta cogitatio eorum est.

VERS. 119.---*Praevaricatores reputavi omnes peccatores terrae, ideo dilexi omnia testimonia tua.* Haec enim dicit Propheta in persona Ecclesiae, quia ante adventum Christi praevaricantes erant, quia sub debito tenebantur, propter praevaricationem primi hominis Adae. Non omnes peccatores praevaricatores, sed omnes praevaricatores peccatores. *Ideo dilexi* [Col. 0612D] testimonia tua, ne in his praevaricator appaream.

VERS. 120.---*Infige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Metuo futurum judicium, ideo cruci tuae configens omnes concupiscentias carnis, tibi convivere, tibi [commori, tibi consepeliri paratus sum, ut in futuro tibi] vivere merear.

VERS. 121.---*Feci judicium et justitiam, ne tradas me persequentibus* [Ms., *calumniantibus*] me. Facit autem judicium, quisquis contra se judicat, et pravitates suas ante examen Domini justa exsecratione condemnat: et justitiam facimus quando per justitiam nos judicamus, quando delictorum [nostrorum] judices [*Ms.,* vindices] sumus. Petit vero ne tradatur peccatoribus, qui peccata damnavit. Persequentes autem sunt diabolus {372} cum ministris suis, qui [Col. 0613A] nos indefessa malitia persequuntur. Hinc etiam quotidie rogamus admoniti dicentes: *Ne inducas nos in tentationem.*

VERS. 122.---*Suscipe* [Ms., *elige*] servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. Suscipe me, id est, ne illi impellant ut cadam in malum, tu suscipe in bonum [*Ms.,* in bono]. Illi calumniantur [*Ms.,* calumnientur] in superbia, tu in humilitate defende, ut non mihi noceant calumniae superborum.

VERS. 123.---*Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiae tuae.* [Oculi mei] in eloquium justitiae Dei, hoc est, in promissionem Christi. Defecisse dixit oculos cordis sui: non quia intentio desiderantis animi victa succubuerit, sed quia in exspectationem gratiae Dei toto mentis ardore transierit. [Col. 0613B] Justitia autem [Dei] quam dixit, Christus est, qui justos facit.

VERS. 124.---*Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, ut ipse vota mea perficiat: Et justificationes tuas doce me, ut eorum humilitatem, sicut saepius optavi, possim advertere.*

VERS. 125.---*Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* A te ea discam et non ab haereticis vel Judaeis. Quia nullum mihi tempus est ab exercitatione [*Edit.,* exspectatione] tuae servitutis otiosum.

VERS. 126.---*Tempus bene faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam.* Judaei utique, qui eam spiritaliter non intellexerunt. Sed veniet tempus, quando occulta illius Dominus faciet praedicatione [Col. 0613C] evangelica reserari.

VERS. 127.---*Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Sicut enim aurum cunctorum metallorum praecellit pretium, ita topazius, omnium gemmarum in se continens pulchritudinem, omnium vincit honores. Ideo Propheta super haec omnia Dei mandata diligit, quia in his adventum Domini, qui mundum redempturus est, praenuntiatum intelligit.

VERS. 128.---*Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Qui super aurum et gemmas legem Domini diligebat, necesse fuit ut ad omnia mandata ejus rectissimus appareret, et odisset perversam viam, quia meruit amare rectissimam. Iniqua siquidem via est, quae nos perducit ad vitia; recta autem virtutum, quae nobis indulgentiam [Col. 0613D] et salutem tribuit.

VERS. 129.---*Mirabilia testimonia tua, Domine, ideo scrutata est ea anima mea.* Vide in his aliud agi, aliud figurari. Ideoque, quod mihi mirum est, diligentius perscrutor, ut cuncta te declarante cognoscam.

VERS. 130.---*Declaratio sermonum tuorum illuminat me, et intellectum dat parvulis.* Sancta plebs dicit se illuminatam declaratione sermonum Domini, utique prophetarum Domini, qui diu absconditi sunt: Ut est: *Ecce virgo concipiet, etc.* **(Isa., VII, 14.)** Et: *Videbit omnis caro salutare Dei, etc.* **(Luc. III, 6)**. Nunc per adventum Domini, illis sermonibus actis et completis, illuminata cernit omnia, Verbum carnem [Col. 0614A] factum, Virginem peperisse, mutos locutos esse: haec autem omnia parvulis, id est humilibus praestant purum intellectum.

VERS. 131.---*Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Os meum aperui confitendo, sine te nil me posse; et attraxi in me spiritum gratiae, per quem confido [*Edit.,* considero] implere me posse quae desiderabam, id est mandata tua.

VERS. 132.---*Aspice in me et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.* Id est, secundum judicium quod in eos fecisti qui diligunt nomen tuum. Quoniam ut diligeremus [*Ms.,* diligerent. . .] te, prius dilexisti nos [*Ms.,* eos]. Judicium quippe est Domini, ut nomen suum palam faciat, et misericordiam [Col. 0614B] largiatur.

VERS. 133.---*Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.* Gressus quid, nisi [ut] Dei praecepta, quae [imponit] jubendo, impleri faciat adjuvando? Gressus significat motus animae: hos sancta cohors secundum eloquium Domini postulat dirigi, qui rectum iter monstrant et mandant ingredi. *Et non dominetur mei* [Edit., *ut* . . . in eis] injustitia; scivit enim quod in hac vita penitus

excludi non poterat, cujus videlicet dominum [*Ms.,* dominium] sibimet subdere precatur.

VERS. 134.---*Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.* Tu age [*Edit.,* tange] infuso spiritu tuo, ne me calumniae hominum terroribus vincant, et a tuis mandatis {373} ad sua mala [Col. 0614C] facienda [*Ms.,* facta] traducant. Si enim hoc mecum egeris, inter ipsas calumnias custodiam mandata tua.

VERS. 135.---*Faciem,* inquit, *tuam illumina super servum tuum, id est, tuam manifesta, subveniendo et opitulando, praesentiam. Et doce me justificationes tuas;* doce, utique ut faciam.

VERS. 136.---*Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Veram semper agit poenitentiam hic sanctus, et non cessat fluentis lacrymarum antiqua delicta diluere, ut tu intelligas, nisi veram poenitentiam egeris, tibi facile non dimitti quae gesseris. Vera est enim poenitentia jugiter fletibus commissa diluere, et abluta non iterare.

VERS. 137, 138.---*Justus es, Domine,* et rectum [Col. 0614D] judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis. Magna est enim in utroque justitia Dei, rectumque judicium, quo et peccatori poena decernitur, et poenitenti justificatio non denegatur. *Nimis ad utrumque pertinet, sive ad justitiam, sive ad veritatem.*

VERS. 139.---*Tabescere me fecit zelus domus tuae, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Zelus iste amoris est, non laboris: sancta enim aemulatione inimicos suos vult esse correctos; dolens et tabescens, quod obliti sint verborum Dei.

VERS. 140.---*Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Quia sicut peccatum consumit, ita peccantem, si convertatur, illuminat. Iste [Col. 0615A] ignis sermo Christi est, de quo dicit: *Ignem veni mittere in terram;* quid autem volo, nisi ut ardeat **(Luc. XII, 49)**? Hunc ignem dicit se dilexisse, quia vitam confert, et honorem remediumque generi humano.

VERS. 141.---*Adolescentior sum ego et contemptus, justificationes tuas non sum oblitus.* Bene hic duorum populorum intelligitur significatio: quia junior populus contemptus est a majore, qui tamen, Dei gratia donante, mandata ejus non est oblitus.

VERS. 142.---*Justitia tua justitia in aeternum, et lex tua veritas.* Justitia Domini manet in aeternum, et qui custodit ejus veritatem, aeterna felicitate gaudebit. Hanc populus Christianus intellexit, et ideo veritate completus est, quae est Christus Dominus, qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita.*

[Col. 0615B] VERS. 143.---*Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.* Saevitia inimicorum infert huic juniori tribulationem, sed non amittit charitatem. Meditatio enim ipsius mandata sunt Dei: ex quibus his, qui eum oderunt, dilectionem rependet.

VERS. 144.---*Aequitas testimonia tua in aeternum, intellectum da mihi, et vivam.* Pulchre post [*Ms.,* contra] tribulationes et angustias, quae temporalia sunt, posita est aequitas in aeternum esse mandatorum [*Edit.,* mandatum] Dei, ut tali spe unusquisque contemneret, quae temporalia esse sentiret. *Da mihi intellectum, utique, ut mundi istius pericula transitura et temporanea intelligam.* Vivifica me, spe scilicet futurae retributionis.

[Col. 0615C] VERS. 145.---*Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine, justificationes tuas requiram.* Hunc clamorem non corporeae vocis, sed mentis spiritalis esse saepe memoravimus, per quem justi a Deo exaudiuntur: qui praecipue eorum [*Ms.,* vel ille precibus eorum] pium pandit affectum. Justificationes autem dicit, non saeculi divitias se exquirere; neque ad noscendas tantum, sed ad implendas eas.

VERS. 146.---*Clamavi ad te, salvum me fac, ut custodiam mandata tua.* Nunc demonstrat clamorem superius ad Deum effusum, hoc est, ut animam salva fidei ratione roboraret, et corpori praestaret sanitatem, revera utique, ut Domini mandata custodire possit.

VERS. 147.---*Praeveni in maturitate, et clamavi,* [Col. 0615D] in verba tua supersperavi. Immaturitas itaque nocturnum tempus est, quod non est maturum, id est opportunum, ut agant aliquid vigilando, quod etiam vulgo dici solet, hora importuna. Vetera vitia pudicitia juvenili praevenit, qui per maturitatem vivacis animi nunquam spem suam a verbis Dei removet.

VERS. 148.---*Praevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Non eum lux soporatum reperit, sed vigilantem strenue, et circa divina eloquia, oculorum spiritalium intentione, meditantem.

{374} VERS. 149.---*Vocem meam exaudi, Domine, secundum misericordiam tuam, et secundum judicium tuum vivifica me.* Definit in nullo homine esse praesumendum, nisi in sola Dei pietate, quae ex miseris [Col. 0616A] beatos facit, ex captivis liberos, ex mortuis vivos. *Secundum judicium tuum, quo supplicantibus parcis:* vivificari enim non potest, nisi qui in se propriam non habet vitam.

VERS. 150.---*Appropinquaverunt persequentes me iniquitati* [Ms., *iniquitate*], a lege autem tua longe facti sunt. Tunc appropinquant [persequentes], quando usque ad carnem cruciandam perimendamve perveniunt: sed quanto viciniores sunt persequentes isti, tanto longiores sunt a lege justitiae.

VERS. 151.---*Prope es tu, Domine, et omnes viae tuae veritas.* Contra illam proximitatem persecutionis, vicinitatem Domini sibi dicit remedium, unde salutis auxilium noverat venturum, non [per] itineris locum, sed per veritatem mandatorum Dei cordibus sanctorum [Col. 0616B] illapsam.

VERS. 152.---*Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.* Quae sunt ista testimonia, nisi quibus testatus est Deus, daturum se [regem] regnumque filiis [suis] sempiternum? Et ideo ipsa testimonia in aeternum fundata: quoniam id quod

promisit, aeternum est; quoniam fundamentum promissionis est Christus, in quo hujus spei testimonia vera sunt, quae hic ab initio cognovisse se dicit, quia verbis Ecclesiae loquitur, quae ab initio generis humani exorta nullis generationibus defuit.

VERS. 153.---*Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.* Quod hic *vide, ait, ad martyres pertinet* [*Ms.,* quod hic videtur ad martyres pertinere], quorum corpus affligitur ut vilitas [Col. 0616C] pecudum. Sequitur: *Et eripe me, unde scilicet, nisi de poenarum urgentium necessitate et de periculo mortis? Legem vero hic illam sententiam dicit, quae ait: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* **(Luc. XIV, 11)**. Hanc se dicit non oblitum usque in finem vitae.

VERS. 154.---*Judica judicium meum, et redime me, propter eloquium tuum vivifica me.* Judicavi ego nihil me scire nisi [Jesum] Christum, qui ad redemptionem mundi venire promissus est: juxta hoc ergo judicium ego a te vivificer in eloquiis tuis. *Redime me, quem redimere non poteras, nisi credentem. Propter eloquium tuum vivifica me.* Illud scilicet eloquium, ubi promittit: *Qui credit in me, non morietur in aeternum.*

[Col. 0616D] VERS. 155.---*Longe est a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.* Hoc specialiter intelligendum aestimo de Judaeis, qui salutem, id est, Dominum Salvatorem, a se longius effecerunt non credendo ei; qui testimoniis non crediderunt, in quibus praefiguratus est adventus Domini Salvatoris. Ideo a salute longe facti sunt, qui respuerunt auctorem salutis.

VERS. 156.---*Misericordiae tuae multae, Domine, secundum judicium tuum vivifica me.* [Miserationes sunt Domini, per quas afflictis et sauciatis diversis modis subvenire dignatus est.] *Secundum judicium tuum vivifica me.* Judicium utique est, quod petere debemus, quando humilitatis satisfactione nos prosternimus, [Col. 0617A] et peccata nostra confitemur: tunc enim judicium Domini est, talibus misereri in confessione.

VERS. 157.---*Multi qui persequuntur me et tribulant me, a testimoniis tuis non declinavi.* Vox ista est Ecclesiae in martyribus suis, qui inter tormenta et multiplicata supplicia persequentibus non cesserunt: inde et numerosa multitudo martyrum palmam invenit; quia a testimoniis Domini se nullatenus declinare testati sunt inter tormenta varia.

VERS. 158.---*Vidi non servantes pactum, et tabescebam, quia testimonia* [Ms., eloquia] *tua non custodierunt.* Qui sunt qui pactum non servaverunt, nisi qui tribulationes multorum persequentium non ferentes, a Dei testimoniis declinaverunt? Haec ergo, [Col. 0617B] inquit, cum viderem, tabescebam, dolens eos a tanta gloria decidisse.

VERS. 159.---*Vide, quia mandata tua dilexi, Domine, in misericordia tua vivifica me.* Ipsa est fructuosa tolerantia, quae saevitiam persequentium dilectione suscipit mandatorum.

VERS. 160.---*Principium verborum tuorum veritas, et in aeternum omnia judicia justitiae tuae.* A veritate tua, inquit, verba procedunt, et ideo vera [*Ms.,* veracia] sunt,

et neminem fallunt; quibus pronuntiatur [*Ms.,* praenuntiatur] vita justo, poena impio.

VERS. 161.---{375} *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.* Terreni reges Ecclesiam Christi [gratis] persecuti sunt, nullam causam persecutionis habentes, cum eos Christiani [Col. 0617C] in nullo laederent. [Cum autem (*Edit.,* et ipsi)] Christianis negationem veritatis extorquere non possent, habuerunt verba minantia, intulerunt saeva supplicia: sed ipsi martyres verbi Domini meminerant: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus* **(Matth. X, 28)**.

VERS. 162.---*Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Martyres, quamvis humili sorte morerentur, inveniebant spolia multa, quando praemia divina recipiebant; ipsos quoque persecutores conversos ad Dominum gaudebant, ut ipsi magis fieren spolia, qui vitas adimerent [*Edit.,* adjuverat] innocentium. Et ideo laetari se dicit in eloquiis Domini, id est, in admonitionibus sacris, sicut victor praedam accipiens.

[Col. 0617D] VERS. 163.---*Iniquitatem odio habui et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.* Mente contuendum [*Ms.,* condendum] est, quod [amorem bonarum, malarum rerum odio comprobavit, quoniam (*Edit.,* amor est bonarum malarumve rerum, ideo comprobavit, quomodo)] animus noster, si iniquitatem reciperet, nequaquam se legi dominicae sub integritate cunjungeret. Non dicit hominem iniquum, sed iniquitatem se dicit odisse, et (quod fas est) eam abominatum fuisse, quod a lege sit aliena; seque legem Domini perfecta voluntate diligere. Qui sunt qui diligunt Dominum [*Ms.,* Deum], nisi qui oderunt iniquitates?

VERS. 164.---*Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiae tuae.* Si ad litteram hunc numerum [Col. 0618A] velimus advertere, septem illas significat vices [*Edit.,* voces], quibus se monachorum pia devotio consolatur, id est, Matutinum, Tertia, Sexta, Nona, Lucernaria, Completorium, Nocturnum [Matutinos Completorios, Nocturnos]. Si vero spiritaliter intendas, continuationem magis dictam sapienter advertis, ut est illud: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Septies Deum per diem laudat, quia mens ejus in pleno splendore perdurans, ad illum septimum diem, id est, sabbatorum sabbatum, qui est requies aeterna, festinat.

VERS. 165.---*Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum.* Pax multa mentis puritas et fidei copia declaratur, quae contra vitia decenter opponimus: nam Deum falso amore diligit, [Col. 0618B] qui scandalizatur in fratrem [*Ms.,* fratre].

VERS. 166.---*Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi.* Jesum Dominum omnium salutare exspectamus [*Ms.,* Salvatorem exspectavi], et ea, quae in lege et prophetis mandata fuerunt, feci. Spes praemii dilectionem generat mandati.

VERS. 167.---*Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.* Custodivit ad tolerantiam martyris pertinet; *dilexit vero ad charitatem tormentis omnibus fortiorem:* et ipsa dilectio vehementer augenda est, quia totius amicitiae ibi explicatur charitas [*Ms.,* agenda est, quia totius animi nisibus explicatur].

VERS. 168.---*Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viae meae in conspectu tuo Domine.* [Col. 0618C] Servat autem praecepta et testimonia, qui vias Dei incedit, nec quidquam in actu vel cogitatu agit, quod divina contemplatione habeatur indignum.

VERS. 169.---*Appropinquet oratio* [Ms., *Adpropiet deprecatio*] mea in conspectu tuo, Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Proximam tibi fieri orationem meam deprecor, Domine, ut a te intellectum capiens, nil aliud nisi quod oportet, exorem.

VERS. 170.---*Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum eripe me.* Gradatim ascendit sancta petitio nostra: qui ante dixit: *Appropinquet* [Ms., *Adpropiet*], nunc dicit *intret.* Prius fuerat, ut appropinquaret, deinde ut in conspectum Domini intrare posset. Et superius dixit, secundum eloquium tuum [da mihi intellectum, hic dicit, secundum [Col. 0618D] eloquium tuum] eripe me, ut et ibi superna videat, quae desiderat, et hic [ab] aeternae concupiscentiae labe purgetur.

VERS. 171.---*Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.* Si per puram conscientiam reserata fuerint a te labia mea, tunc dignum laudationis proferent hymnum: et illum scilicet hymnum, quem a tuis justificationibus imbutus edocear.

VERS. 172.---{376} *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua aequitas.* Nihil est enim aliud in eloquiis tuis, Domine, nisi pax, nisi aequitas, nisi vita: hoc corde credam, hoc labiis eloquar, hoc lingua pronuntiabo [*Ms.,* pronuntiem].

[Col. 0619A] VERS. 173.---*Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.* Cum dicit: *Fiat manus tua, designat Dominum Salvatorem, qui factus ex semine David secundum carnem, per quem facta sunt universa, et reguntur.* Manum enim hic dexteram debemus accipere. Postulat autem venire Salvatorem, per quem se noverat salvandum. Quod autem dicit: *Elegi mandata tua, omnia se pericula amori Domini postposuisse testatur.*

VERS. 174.---*Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.* Ipsum videre concupiveram, quem de utero virginali illis adhuc temporibus credebam esse venturum; et ut sibi hanc scientiam de Scripturis divinis pervenisse demonstraret, sequitur: *Et lex tua meditatio mea est.* In prophetis [Col. 0619B] enim concupiverat Christum Dominum nasciturum, de quo lex et prophetae loquebantur.

VERS. 175.---*Vivet anima mea, et laudabit te,* et [Col. 0620A] judicia tua adjuvabunt me. Ad ipsum loquitur, quem desiderat intueri, promittens animam suam in aeternum vivere, quam salubriter noverat credidisse. *Laudabit te, cantico scilicet novo per fidem puram.* Judicia autem dicit, quae famulis suis Dominus dicturum se promittit, ut est: *Venite, benedicti.*

VERS. 176.---*Erravi sicut ovis, quae periit;* quaere servum tuum, Domine, quia mandata tua non sum oblitus. Una ovis, est congregatio sanctorum et fidelium; et unus est pastor Dominus Christus eorum. Et respice quam infimae rei comparati sunt

homines, quando Christi gratiam deserunt: ovi videlicet erranti, quae pericula patitur [*Ms.,* periculis patet] luporum; et bene dictum est, *quae perierat, ut cognosceres misericordia Domini fuisse repertam.* [Ipsi] [Col. 0620B] gloria cum aeterno Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

MAGISTRI ALBINI FLACCI ALCUINI EXPOSITIO IN PSALMOS GRADUALES, QUI ET CANTICUM GRADUUM DICUNTUR.

[Col. 0619B] Gradus sunt ascendentium vel descendentium: sed hi gradus XV ascendentium sunt, quem numerum, id est [quintum decimum], si a primo usque ad ultimum computes, fiunt [*Edit.,* sunt] centum viginti. Super quem numerum Spiritus sanctus in coenaculo, id est, loco ascensionis venit, ut nobis [Col. 0619C] monstraret, per hos XV gradus ad summae perfectionis altitudinem ascendendum esse. Ideo Deus [*Ms.* Dominus] de coelo descendit ad nos in terram, ut nos de terra ascendamus in coelum. Ideo ille descendit in vallem lacrymarum nostrarum, ut nos ascendamus in beatitudinem laetitiae illius. Sed audiamus unde iste, qui hos psalmos nobis ad salutem decantavit, initium ascendendi inchoarit, vel quomodo nos ascendere voluerit. Siquidem primus gradus ascensionis nostrae est humilitas, ut intelligamus nos peccatores, et ad Dei gratiam nobis convolandum esse, ideo ait:

PSALMUS CXIX.

VERS. 1.---*Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Tribulatio est haec vita, ex qua, [Col. 0619D] qui humiliter ad Deum clamant, sicut Publicanus qui ait: *Deus propitius esto mihi peccatori* **(Luc. XVIII, 13)**, exaudiuntur. Sed videamus quid iste poenitens clamet.

VERS. 2.---*Domine, libera* [animam meam] a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Labia iniqua sunt, quae nos suggerendo ad iniquitatem sollicitare nituntur; lingua dolosa est, quae nos avertere vult de via justitiae. Illa nos ad peccandum suggerunt; ista nos a benefaciendo retrahit. Sed consideremus, quid nobis ad has preces respondeat Dominus.

VERS. 3.---{377} *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Ecce quid tibi dabitur ad respondendum linguae dolosae, quae solet, non consulendo tibi, sed subvertendo te, dicere:* Non potes [Col. 0620B] saeculum dimittere, non potes tam arctam [viam] et tam angustam portam ingredi.

VERS. 4.---*Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.* Id est, quod in Evangelio dicitur: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt* **(Matth. XIX, 26)**. Sagittae potentis verba [Col. 0620C] Dei sunt, quae transfigunt corda nostra ad contemnendum saeculum, et ad amandum Deum: ex quibus sagittis amor excitatur, non interitus comparatur. *Cum carbonibus desolatoriis, id est vastatoriis.* Sed si parum est verbis sagittare, sufficiat exemplis demonstrare. Qui fuerant [*Ms.,* fuerint] peccatis nigri et frigidi, iterum charitate Dei accensi vastaverunt et destruxerunt opera diaboli in cordibus suis, ut praepararent habitationem Deo in semetipsis, et post multa peccata multum dilexerunt Deum: ideo multum dimittetur

[*Ms.* multa dimittuntur] eis. Sequitur vero:

VERS. 5, 6.---*Heu me! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Ecce iste a lingua dolosa liberatus, verbo Dei sagittatus, exemplis multorum [Col. 0620D] roboratus, quid proficiat, quove ascendere quaerat, videamus. Heu me! inquit, quod incolatus meus prolongatus est! Vox dolentis et miseriam [suam] plangentis, quod diu [in] peregrinatione hujus mortalitatis incolatus ejus prolongetur. Incola vero est qui terram alienam colit. Unde iste se plangit, et ad patriam suspirans redire, addidit: *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Cedar tenebrae interpretantur. Significat autem peccatores, inter quos in hoc saeculo justi peregrinantur, necdum extremo judicii ventilabro area, id est Ecclesia, purgata et segregata: unde iste desiderans ascendere ait: *Multum incola fuit anima mea.* Corpus locis, et anima affectibus peregrinatur. Unde iste sagitta charitatis vulneratus toto desiderio ad coelestem anhelat patriam. Sequitur:

[Col. 0621A] VERS. 7.---*Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Qui sunt qui oderunt pacem, nisi qui scindunt unitatem Ecclesiae, volentes doctores veritatis videri, cum sint magistri erroris? *Dum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Qui impugnare contendunt doctores ecclesiasticae fidei, et hoc gratis: quia illos corrigere quaerunt, et unitati [*Edit.,* unitatem] sanctae Ecclesiae conjungere.

PSALMUS CXX.

Primus gradus ascensionis nostrae [est] humilitatis nostrae contribulatio, secundus est fides. Et sciendum est quod nihil aliud sunt hi gradus ascensionis nostrae, nisi salutis nostrae profectus; ideo in his canticis docemur ascendere, sed ascendere in corde, in affectu [Col. 0621B] bono, in fide et spe et charitate, et in desiderio perpetuitatis et vitae aeternae. Unde in hoc sequente psalmo dixit:

VERS. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Montes isti, sancti sunt in altitudine positi, claritate illuminati, sed ab illo qui est *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Unde consequenter per fidem intellexit iste ascensor ab hoc monte [*Edit.,* ad hunc montem], qui est super verticem montium elevatus, auxilium sibi esse petendum, sperandum accipiendumque; ideo ait:

VERS. 2.---*Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Et subsecutus adjunxit, loquens ad [Col. 0621C] illum montem a quo sibi unicum speravit auxilium:

VERS. 3.---*Non des in commotionem pedem meum, neque dormitet qui custodit te.* Fac firmum stare pedem [*Ms.,* me firmo stare pede] meum in ascensione salutis meae, in humilitatis vel rectae fidei gradu. Ad proficiendum charitas pedem movet [ad cadendum superbia movet]. Recte ergo iste audiens, ut ascendat et non cadat, ut incola in valle [*Ms.,* ut a convalle] plorationis proficiat, non in tumore superbiae deficiat, ait Domino: *Ne des in commotionem* [Ms. *ad movendum*] pedem meum. Et Deus ait illi: *Neque dormitet qui custodit.* te: crede in eum qui nunquam dormitat [*Ms.,* dormiet] [et ille custodiet te]. Quis est ille {378} qui nunquam dormitat, nisi [Col. 0621D] ille de quo

Apostolus ait: *Mors illi ultra non dominabitur* **(Rom. VI, 9)**? Ideo consequenter addidit:

VERS. 4.---*Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Esto Israel, id est vir videns Deum, in fide et charitate, et nunquam illius dormiet gratia a custodia tua: et quasi iste interrogaret se [*Ms.,* interrogasset], quis est qui non dormitat? Dictum est ei:

VERS. 5.---*Dominus custodit te.* Et quomodo custodiet te? *Dominus protectio tua super manum dexterae tuae.* Manus potestatem, dextera aeternam felicitatem significat. *Dominus* [est] protectio tua super manum dexterae tuae, id est, si credideris in eum, proteget te, ut potestatem habeas in dextera parte [Col. 0622A] stare aeterni Judicis, et audire desiderabilem sententiam: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, et reliqua.* Adhuc quasi quaerenti respondetur, in quo custodiet eum Dominus?

VERS. 6.---*Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* [Dominus] custodiet te, id est, in fide recta servabit te, sive in aeternis, sive in temporalibus; sive in fide sanctae Trinitatis, quae hic solis nomine designatur; sive in fide sanctae Ecclesiae, quae hic lunae nomine demonstratur: ut non erret vel scandalizetur fides tua. Nam motio [*F.,* ustio] scandalum significat. [Item duo sunt praecepta charitatis, id est Dei et proximi.] Quisquis igitur errat in ipsa substantia veritatis, a sole uritur; et per diem uritur, quia in ipsa sapientia errat. Quisquis in Ecclesia [Col. 0622B] et carne Christi, qui est caput Ecclesiae, non scandalizatur, a luna non uritur. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Quare? Quia

VERS. 7.---*Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.* A scandalis in sole, et a scandalis in luna. Ab omni malo te custodit, id est, animam tuam ab omni infidelitate, ut ipsa non cedat infidelibus, non frangatur tribulationibus.

VERS. 8.---*Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in saeculum.* Quando tentamur, intramus; quando vincimus [tentationem], eximus [*Edit.,* a tentatione eximus]: custodiat ergo nos intrantes ad fidem, custodiat nos exeuntes ad praemia, et hoc in saeculum ubi sancti regnaturi [Col. 0622C] sunt cum Christo.

PSALMUS CXXI.

Pervenit itaque vir iste ad tertium ascensionis gradum, id est in desiderium coelestis Hierusalem, ad quam [in] spe ascendere se gaudebat, licet adhuc hic in terrenis laboraret; ideo ait:

VERS. 1.---*Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Laetatus sum in prophetis, laetatus sum in apostolis, imo et in omnibus sanctis, qui mihi dicunt: *In domum Domini ibimus;* qui dicunt, currite, festinate in domum Domini, id est, in coelestem Hierusalem properate.

VERS. 2.---*Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Hierusalem.* Stantes, id est permanentes; *pedes nostri, id est, praemia bonorum operum: in atriis* [Col. 0622D] tuis, Hierusalem, id est, in coelestibus habitationibus. Atria dicit plurali numero, ipsa

Veritate dicente: *In domo Patris mei multae sunt mansiones* **(Joan. XIV, 2)**. Quasi iste amator quaerat, quae sit ista Hierusalem, dictum est ei:

VERS. 3.---*Hierusalem quae aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Hierusalem, quae ex vivis lapidibus construitur; quae aedificatur ut civitas, non terreni regis, sed coelestis; non temporalis, sed aeterna Hierusalem. *Cujus participatio ejus in idipsum.* Quod semper idem est, idipsum est. Quis est, qui semper idem est [*Edit.* Quid est quod semper est], nisi Deus, qui dixit: *Ego sum qui sum;* qui descendit, ut ascenderemus; qui participavit nostrae mortalitati [*Ms.,* nostra mortalitate] (nam *Verbum* [Col. 0623A] caro factum est, et habitavit in nobis) ut participare possemus suae aeternitati [*Ms.,* sua aeternitate]? Nam de plenitudine ejus omnes accepimus. Qui sunt autem qui ascensuri sunt in istam civitatem, ad istam participationem, consequenter exposuit, dicens:

VERS. 4.---*Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.* Non tribus terrae, de quibus dicitur: *Et* plangent eum *omnes tribus terrae, sed tribus Domini, quas duodecim apostoli judicaturi erunt, {379} secernentes eos ab illis, quae sunt tribus diaboli:* harum enim testimonium in Israel, id est, in illis qui vident Deum. Ad quid ascendunt? Ad confitendum nomini tuo, Domine: sicut dictum est: *Confessio et* [Col. 0623B] pulchritudo in conspectu ejus **(Psal. XCV, 6)**.

VERS. 5.---*Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.* Quae sunt hae sedes, nisi sancti apostoli et praedicatores mundi, in quibus sedet ipse Deus ad judicandum orbem? Nam ipse Deus dixit: *Coelum mihi sedes est* **(Act. VII, 49)**. Et in Psalmo *Coeli enarrant gloriam Dei* **(Psal. XVIII, 1)**: Qui sunt isti coeli, nisi sancti apostoli, quorum sonus exivit in orbem terrae? Unde dictum est, anima justi sedes est sapientiae, id est, in anima justi sapientia sedet. Haec sapientia Deus est qui dixit: *Et habitabo in illis, et illi mihi erunt in populos, et ego ero illis in Deum* **(II Cor. V, 16)**. *Sedes super domum David, id est, super familiam David* [*Ms.,* Christi]: [Col. 0623C] domus David Ecclesia est.

VERS. 6.---*Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.* Rogate, duobus modis intelligitur: vel interrogate, vel precamini; id est, interrogate vel precamini, quomodo possitis habere pacem in Jerusalem. Vel ad illas sedes sermo dirigitur, ut illi in judicio interrogent qui sunt qui ad Jerusalem pertineant, de quibus dictum est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* **(Matth. V, 9)**. Iterum sermo ad illam dirigitur Jerusalem: *Et abundantia diligentibus te, id est, omnium bonorum abundantiam habent, qui coelestem diligunt Jerusalem:* hic abundantiam in spe, illic abundantiam in re. Unde consequenter ait:

VERS. 7.---*Fiat pax in virtute tua,* et abundantia [Col. 0623D] in turribus tuis. Id est, in dilectione tua; virtus enim tua, o Jerusalem, dilectione Dei et proximi constat [*Ms.* dilectio est Dei et proximi]: per istam pacem, et per istam virtutem abundantia erit in turribus tuis, id est, in excelsis tuis, qui paulo ante sedes dicebantur. Multi sunt in dextera stantes, sed pauci in judicio sedentes. Sedentes ideo in turribus tuis, o Jerusalem, dixit hujus pacis et hujus civitatis amator:

VERS. 8.---*Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te.* Non propter me, non propter terrenos honores, non propter divitias saeculi, sed propter fratres meos et proximos meos, scilicet filios tuos [hanc pacem loquor, hanc pacem praedico [Col. 0624A] illis quatenus] hanc pacem percipiant, et permaneant in illa.

VERS. 9.---*Propter domum Domini Dei mei quaesivi bona tibi.* Id est, ut augeatur numerus filiorum tuorum, ut omnes ad te currant, et dicat unusquisque alteri: eamus in domum Domini [item]: *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* **(Isai. II, 3)**.

PSALMUS CXXII.

Videamus, quid iste ascensor in domo Dei stans, et in quartum [*Edit.,* quantum] fiduciae gradum perveniens dixit:

VERS. 1.---*Ad te levavi oculos meos,* qui habitas [Col. 0624B] in coelo. Levemus oculos nostros a terrenis ad coelestia, a nobis ad Dominum [*Ms.* Deum]; displiceamus nobis, ut placeamus Deo, qui habitat in coelo, hoc est, in unitate sanctorum. Sicut spiritaliter oculos levare, ita spiritaliter coelum intelligere debemus. Ubi habitat Deus, ibi [oculi] cordis nostri in charitate levandi [*Edit.,* ibi corda nostra levanda] sunt. [Hoc ut firmius intelligatur, exemplo iste amator se roboravit.]

VERS. 2.---*Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum:* et sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Cum ergo audis Christum, leva oculos tuos ad Dominum Deum tuum: cum audis Dominum, leva oculos tuos ad [Col. 0624C] [Dei] sapientiam et Dei virtutem. Leva oculos tuos ad dominam tuam, quia servus et ancilla es: servus, quia populus es; ancilla, quia Ecclesia es. Sed ipsa ancilla sponsa facta est. Unus loquitur, et omnes in uno loquuntur, quia omnes unum sunt in Christo: unus populus, una Ecclesia, unus grex ad unum pastorem pertinens. {380} *Donec misereatur nostri, id est, donec ab hujus vitae tribulationibus, et ab hujus viae molestiis liberet nos, et in aeterna patria constituat, quos hic per tentationes varias erudire non desinit.* Et quid iste clamet audiamus.

VERS. 3.---*Miserere nostri* [Ms., nobis], *Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.* [Col. 0624D] Miserere nostri, ut fidem rectam teneamus; miserere nostri, ut opera fidei convenientia perficiamus. Quia multum repleti sumus despectione, id est, hujus saeculi tentationibus.

VERS. 4.---*Et* [multum] repleta est anima nostra opprobrium abundantibus et despectio superbis. Et qui sunt qui opprobrium [nobis] faciunt, consequenter exponit: opprobrium abundantibus [his qui hujus saeculi felicitatibus gaudent]; et despectio superbis, qui in divitiis suis [superbiunt et] despiciunt pauperes Christi, de quibus dicitur: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

PSALMUS CXXIII.

In quinto Graduum, hoc est, in patientiae soliditate, [Col. 0625A] amator iste stans, haec dicendo decantat:

VERS. 1, 2.---*Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.* Vox ista sanctorum sive martyrum, sive tribulationes in hoc saeculo patientium existit; quasi diceret: nisi Dominus nobis esset adjutor, nequaquam has tribulationes, et has passiones, et has persecutiones sustinere potuissemus; sed quia ille in nobis est, facile omnia pertransire valemus, quae in hoc saeculo dura videntur. Hoc dicat Israel, hoc est, vir videns Deum hoc cogitet, quia Deus haec opera [*Ms.,* hoc opere] in illo complet. *Dum insurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.* Ad devorandum nos, et quasi vivos glutiendum insurgebant. Quis horum tam immanes et tam immites [Col. 0625B] persecutiones sustineret, nisi Dominus adjuvisset eos, qui nunquam derelinquit sperantes in se? Igitur in primo psalmo Graduum de dolosa lingua et blanda seductione se liberatum esse testatus est; nunc autem [in] hoc psalmo de aperta persecutione se redemptum esse per Dei et Domini misericordiam enarrat, quatenus et spiritales, et corporales vinceret persecutiones, vel in occulta tentatione, vel in aperta persecutione. Quod vero in antecedentibus psalmis quasi una persona loquitur [*Ms.,* loquatur], hic vero plurali numero dicit: illud significat propter unitatem corporis Christi: hoc etiam, quia multa sunt membra ad caput illud, quod est Christus, pertinentia.

VERS. 3, 4.---*Dum irasceretur furor eorum in* [Col. 0625C] nos, forsitan aqua [Ms., *velut aquas*] absorbuisset nos. Vox martyris est truculentum persecutoris animum ostendentis: forsitan velut aqua [*Ms.,* aquas] absorbuisset nos. Aqua populum impium significat, qui quaerit [*Ms.,* aquas hic populos impiorum significat, qui quaerunt] sanctos devorare.

VERS. 5.---*Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Immanitatem persecutionis significat torrentis nomine. Aquam intolerabilem, hoc est, incredibilem rabiem iniquorum perpessi sumus; et nisi Dominus esset in nobis, nullatenus evadere potuisset fragilitas nostra has immanissimas persecutiones. Ad laudem [se] liberatoris sui ista victrix adversariorum [cohors convertit (*Edit.,* concorditer conversa [Col. 0625D] est)], dicens:

VERS. 6.---*Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Benedictus Deus qui vicit mundum; per quem nos vincimus, per quem nos liberati sumus a persecutorum dirissimis [*Edit.,* a persecutione et dirissimis] dentibus: et hoc, quia Deus erat in nobis.

VERS. 7.---*Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Passer iste Christus est: et sicut ille liberatus est ab omni iniquitate, et a persecutione impiorum, et victor gloriosus ad paternam rediit sedem: sic nos per illum liberati sumus, et non sumus dati in laqueos diabolicae fraudis, nec in manus venantium. Nos vitam perdidimus, sed fidem [Col. 0626A] servavimus: et melius quod [*Ms.,* quam] perdidimus, inventi sumus, ipsa dicente Veritate: *Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam.* Et hujus adhortationis et patientiae, et roboris quis est auctor [*Ms.,* actor] {381} in nobis, nisi

ille qui fecit coelum et terram? Ipse qui fecit, ipse redemit; et ipse qui redemit, ipse remunerat: ipsi dicimus semper: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram* (vers. 8).

PSALMUS CXXIV.

Modo incipit de stabilitate aeternae Jerusalem dicere, et de illorum fiducia et stabilitate [*Ms.,* soliditate], qui ad eam toto desiderio festinant, dicentes:

VERS. 1.---*Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum,* qui habitat in [Col. 0626B] Jerusalem. Fides quae ad Deum est, stabilem facit vitam; nec ullis tentationibus moveri potest, qui supra firmam petram suam construit domum. Quis est mons Sion nisi Christus, qui est *in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* **(Isai. II, 2)**? Sion est Ecclesia, in qua speculum vitae et aeternitatis visio, cujus caput est Christus. Ecce quaerit iste ascensor spiritalium graduum, qualis sit ista Jerusalem, in qua sanctorum chorus habitat, et respondetur ei:

VERS. 2.---*Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum.* Isti montes sunt angeli [sunt apostoli], sunt prophetae, et praedicatores sancti, qui muniunt istam Jerusalem. Et ne hoc tibi parvum videretur, quod [Col. 0626C] tales montes habet in circuitu, statim subjunxit: *Et Dominus in circuitu populi sui.* Ecce quales habemus muros, quales munitiones, quales defensores! Maneamus intra septa Jerusalem, et non timeamus insidias diaboli, nec sagittas ejus, tales habentes defensores; et hoc non ad tempus, sed in aeternum, ideo dicit: *Ex hoc nunc et usque in saeculum.* Sequitur:

VERS. 3.---*Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum:* ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Sors justorum est stare ad dexteram Dei in die judicii; super sortem vero illorum, id est, super congregationem illorum, non venit virga impiorum, id est, sententia illa terribilis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Quare hoc, *ut* [Col. 0626D] non extendant justi ad iniquitatem manus suas? Ut ad tempus ferant justi iniquos dominantes, et intelligant non esse sempiternum; sed praeparent se ad possidendam haereditatem sempiternam: tunc enim destruetur omnis potestas iniquitatis, ut sit Dominus omnia in omnibus. Hoc cogitent, qui recto sunt corde, quod non semper dominantur injusti, sed auferetur potestas illorum ab eis, et regnabit Dominus [solus] super sanctos suos.

VERS. 4.---*Et benefaciat bonis et rectis corde.* Hic, ut in fide et bono opere permaneant stabiles, et in futuro gloriam accipiant sempiternam.

VERS. 5.---*Declinantes autem in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem,* pax super [Col. 0627A] Israel. Qui operantur iniquitatem, id est, quorum facta imitati sunt, qui [*Ms.,* quia] eorum praesentem laetitiam amaverunt, et futura supplicia non crediderunt. Qui ergo recti sunt corde, et non declinant, quid habebunt? Jam veniamus ad ipsam haereditatem. Quae est illa haereditas? Pax super Israel. Quae pax? Illa, quae exsuperat omnem sensum.

PSALMUS CXXV.

Psalmus iste Graduum redemptionis nostrae laudem decantat, quomodo liberati sumus de captivitate diabolicae potestatis, et peccatorum nostrorum vinculis: cantat [enim] iste amator libertatis nostrae:

VERS. 1.---*In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, id est, gaudentes.* Sion in angelis aeterna, in hominibus captiva est. [Col. 0627B] Unde captiva? Quia venundati sub peccato. Unde venundati, nisi consentientes peccato? Liberi facti sumus, sed nosmetipsos vendidimus peccato [propter consensionem peccati in primo parente nostro (*Edit.,* consortes facti peccato primi parentis nostri)]. Sed in secundo liberati sumus et ideo consolati. Non enim omnes illius civitatis cives captivi sunt, sed qui inde peregrinantur, captivi sunt: consolatio vero miserorum est et gementium; {382} sed modo haec consolatio est in spe, tunc erit in re, dum videbimus facie ad faciem: usque nunc in fide credimus, et in spe amamus.

VERS. 2.---*Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione.* In hac consolatione hujus [Col. 0627C] redemptionis nostrae repletum est os cordis nostri gaudio, et lingua cordis exsultatione: os cordis et lingua cordis, quo [*Ms.,* qua], ore carnali clauso, dum oramus, clamamus ad Deum: *Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum illis.* Id est, misericordiam facere cum omnibus gentibus: quia non tantum notus in Judaea Deus, sed a finibus terrae laudes audivimus justorum dicentes [*Ms.,* justi dicentis]: *Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae, et in mari longe* **(Psal. LXIV, 6)**. Dicamus [*Ms.,* dicunt] itaque omnes:

VERS. 3.---*Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes.* Misericordiam fecit nobis, ideo facti sumus laetantes.

VERS. 4.---*Convertet Dominus* [Ms., *Converte, Domine*] [Col. 0627D] captivitatem nostram sicut torrens in austro. Torrentes dicuntur flumina hiemalia; magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt. Auster vero ventus calidus est, et glacies solvens: significat vero Spiritum sanctum qui duritiam peccatorum nostrorum, quae zelo [*Forte, gelu*] infidelitatis constricta est, solvit et siccat, et convertit captivitatem nostram in laetitiam.

VERS. 5.---*Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Item: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* **(Matth. V, 5, 7)**. Seminant in lacrymis, qui lugent sua peccata; seminant in valle, qui misericordiae opera faciunt, dicente Apostolo: *Qui seminat in benedictione, de benedictione accipiet* (II Cor. [Col. 0628A] IX, 6): quantum enim quisque seminat, tantum recipiet. Nam ipsa vita, in quam intravimus, misera est, lacrymosa est, laboribusque plena. Ideo homo natus flere novit, ridere non novit, quia ad laborem natus est, non ad laetitiam

VERS. 6.---*Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.* Iste Gradus canticorum ad opera nos misericordiae exhortatur, ut eamus et quaeramus cui bene faciamus et compatientes simus miseriae aliorum; sicut Apostolus dicit: *Flere cum flentibus* **(Rom.**

XII, 15). Mittamus semina nostra super transeuntes aquas, quia in multo tempore inveniemus illa. Ideo sequitur: *Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos.* Quo venient, nisi in praesentiam summi Judicis? [Quid] portant? opera misericordiae. [Col. 0628B] *Esurivi* enim, ait Dominus, *et dedistis mihi manducare;* sitivi, et dedistis mihi bibere. Quid ergo audituri erunt? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, etc.* **(Matth. XXV, 34, 35)**. Tunc illis hoc dicetur, qui opera misericordiae modo diligenter volunt seminare in pauperes.

PSALMUS CXXVI.

Haec cantica, ut saepe diximus, ascendentium sunt. Qualiter ascendentium? Scilicet amando Deum. Qui Deum amat, ascendit; qui saeculum amat, cadit. Sed hujus psalmi titulo additum est: *Canticum Graduum Salomonis.* Videamus, cur nomen Salomonis in hoc tantummodo [loco] additum sit. Salomon interpretatur [Col. 0628C] pacificus. Quis [est] iste pacificus, nisi verus Salomon Dominus noster Jesus Christus, qui coelestia et terrestria pacificavit in sanguine suo, et fecit utraque unum, duos sibi parietes conjungens in seipso, summo angulari lapide. Nam Ecclesia [de] duobus populis, id est, circumcisionis et praeputii copulavit in unum ovile, ut sit unus pastor et unum ovile. De isto vero Salomone in capite hujus psalmi dicitur:

VERS. 1.---*Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant* [Ms., *laboraverunt*], qui aedificant eam. Nisi Dominus aedificet Ecclesiam absque macula et ruga, in vanum laborat omnis praedicator. Qui sunt qui in vanum laborant, nisi haeretici qui laborant Ecclesiam congregare, sed absque Domino; ideo [Col. 0628D] vanum est opus illorum. Ex quo populus fidelis aedificatus est, custos est ipsius Dominus noster Jesus Christus, qui aedificat, qui conservat, qui protegit, qui remunerat; ille solus in omnibus et aedificator et custos. Ideo dixit in sequenti versu: *Nisi* {383} *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ista est civitas, de qua saepius in his Graduum psalmis cantatur, spiritalis utique Jerusalem.

VERS. 2.---*Vanum est vobis* [Ms., *in vanum est vos*] ante lucem surgere. In vanum est enim intus homini absque divina gratia laborare. [Praeveniat gratia, sed subsequatur obedientia, tunc non laborat in vanum]. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Si vultis in excelso esse, estote hic humiles, ubi humilis fuit ille, qui pro nobis pauper [Col. 0629A] fuit factus, ut ibi excelsi sitis, ubi ille sedet ad dexteram Dei Patris. Surrectio exaltationem significat, sessio humilitatem designat. Aliis locis sessio intelligitur ab honore judicandi, ut illic: *Sedebitis vos super sedes duodecim* **(Matth. XIX, 28)**. Item sessio humilitatem significat, ut illic: *Jesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem* **(Joan. IV, 6)**. Nam et in alio psalmo dicitur: *Domine, tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam* **(Psalm. CXXXVIII, 2)**, id est, humilitatem meam et exaltationem meam. Ut ergo intelligeretur, ad quam pertineret haec sessio formam, addidit statim: *Qui manducatis panem doloris.* Manducant panem doloris, qui gemunt in hac peregrinatione. Coelestem ergo desiderio anhelemus patriam: hic humiliatio, illic exaltatio; hic peregrinatio, [Col. 0629B] illic patria. Humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis. Quasi quaereret iste amator, quando esset ista resurrectio, id est, exaltatio, respondetur ei:

VERS. 3.---*Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini:* filii merces fructus ventris. Somnus hic mortem significat. [Sicut] Christus non est exaltatus nisi post mortem, ita nostra exaltatio non erit [*Edit.,* est], nisi post mortem: quia illius resurrectio non fuit nisi antea moreretur, nec nostra erit resurrectio nisi antea moriamur. Quasi vero quaereres iterum [et diceres]: Quibus dilectis? Ait: [*Haec est*] haereditas Domini, filii merces fructus ventris. Quae est haereditas ista? Illa utique, de qua dicitur: *Postula a me,* et dabo tibi gentes haereditatem [Col. 0629C] tuam **(Psal. II, 8)**. Qui sunt *filii merces* [Ms., *mercis*]? Sancti scilicet omnes, quos Christus suo sanguine acquisivit. *Fructus ventris, id est* [fructus Ecclesiae. Haereditas et filii et fructus unum significant, id est], omnium sanctorum congregationem [*Edit.,* congregatio], *filii merces, fructus ventris.* Deinde adjungit:

VERS. 4.---*Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum.* Sagittae apostoli sunt, quorum sonus exivit in omnem terram, de manu potentis missi, id est, Christi: *Ita filii excussorum* [illi ipsi apostoli filii sunt excussorum], id est, filii prophetarum, qui secreta et mysteria incarnationis Christi, et sanctae sacramenta Ecclesiae, Dei dono [*Ms.,* de idoneo], [Col. 0629D] coelestis thesauri excusserunt et in lucem produxerunt a saeculis mysteria: horum filii sunt [*Ms.,* erant] apostoli, quia quod illi in aenigmate pronuntiaverunt, hoc apostoli in Christo quasi historiam praedicaverunt.

VERS. 5.---*Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis:* non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Ex ipsis, id est, ex apostolorum praedicationibus, qui totum suum desiderium ex illa [*Ms.* illorum] praedicatione implet, et amat coelestia, non terrena; aeterna, non temporalia. Iste non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Porta vero Christus est: qui Christum praedicat, qui in Christo loquitur, qui in Christo manet, non confundetur in aeternum: sed praedicat opportune importune, id est, [Col. 0630A] volentibus et nolentibus audire verbum Dei, etiam amicis et inimicis. Ille stat [in porta (*Edit.,* importune)] ut omnes audiant, et omnes aedificentur.

PSALMUS CXXVII.

Venit ad canticum beatitudinis istorum ascensor Graduum, et ait, unde sit ista beatitudo [sibique dixit]:

VERS. 1.---*Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Haec vera [*Ms.,* vero] beatitudo in timore Domini consistit, et in observatione praeceptorum illius. Iste est timor, de quo in alio psalmo dicitur: *Timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi* **(Psal. XVIII, 10)**. Alius est timor propter poenam, alius est propter amorem: {384} iste est beatus, qui propter charitatem timet Dominum, et [Col. 0630B] in charitate ejus praecepta observat. Ut ille ipse ait: *Si diligitis me, mandata mea servate* **(Joan. XIV, 15)**.

VERS. 2.---*Labores fructuum tuorum manducabis* [Ms., *fructuum manuum tuarum*], beatus es, et bene tibi erit. Non labores manducat quisque, sed quod ex labore nascitur, id est, fructus. Sancti martyres laboraverunt in hoc saeculo, ut fructum vitae aeternae acciperent, ut impleatur in illis, quod dictum est: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus*

[regnum], ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo **(Luc. XXII, 28)**. *Beatus es et bene tibi erit.* Hic beatus in spe, illic bene tibi erit in re, dum videbis facie ad faciem, quem hic amas in corde.

[Col. 0630C] VERS. 3.---*Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae.* Uxor Christi Ecclesia est [Ecclesia, quae] et sponsa, quae abundat fructu boni operis. *In lateribus domus tuae.* Illa sunt latera in domo Dei, quae adhaerent Christo firmius. *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.* Non est alia in Christo uxor, alius filius, sed omnes unum in Christo. Quam ante uxorem nominavit, nunc nominavit et filium [*Ms.,* filios], quia uxor et filii Ecclesia est Christi. *Sicut novellae olivarum.* [Oliva] pacem significat. Ideo filii in novitate spiritus non in vetustate litterae in pacem Christi transeunt [*Ms.,* transeant]: *In circuitu mensae tuae.* Mensa Christi Scriptura sancta est, unde pascimur, unde intelligimus, quid amemus, [Col. 0630D] et quid desideremus, ad quem habeamus oculos levatos.

VERS. 4.---*Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.* Recurrit ad principium psalmi, ubi ait: *Beati omnes, qui timent Dominum.* Nunc exponit, quae sit ista beatitudo, quae timenti Deum debetur, vel quomodo benedicendus sit, qui Deum timet. Ait enim:

VERS. 5.---*Benedicat te Dominus ex Sion, et videas, quae bona sunt in Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.* Ex Sion, dixit, *benedicat te Dominus, id est speculatione vitae aeternae.* Illa est vera benedictio, quae nos facit vitam desiderare aeternam. Ideo adjunxit: *Ut videas bona, quae sunt in Jerusalem omnibus diebus vitae tuae, id est, aeterna bona, non temporalia:* [Col. 0631A] permansura, non transitoria, quae sunt in Jerusalem coelesti. *Omnibus diebus vitae tuae, semper eris gaudens, semper videbis bona, id est, totius bonitatis auctorem Christum.*

VERS. 6.---*Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.* Filii tui sunt opera bona, quae facis; filii filiorum tuorum, fructus bonorum operum, quae videnda et recipienda sunt in futura vita, ubi pax erit super omnes Deum videntes: et haec pax est Christus, quae exsuperat omnem sensum. Illa pax custodiat corda nostra in perpetuum.

PSALMUS CXXVIII.

VERS. 1.---Decimus iste psalmus Graduum ita incipit: *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.* Vox est Ecclesiae sustinentis falsos [Col. 0631B] fratres, et in exempla priora respicientis [*Edit.,* exemplo . . . respiciens], et super ipsa exhortantis exemplis Patrum invincibiliter sustinere: quia olim expugnata [est] Ecclesia, et non noviter, sed semper, ab initio, quo coepit esse. Nam Abel Ecclesia fuit Christi, sed a fratre expugnatus est; similiter Jacob Ecclesia Christi fuit, sed a fratre Esau expugnatus est; etiam et Moses in Ecclesia Christi saepissime expugnatus est a populo, cui praefuit. Occisus fuit Christus a synagoga, sed non superatus [*Edit.,* separatus]. Ecce enim exemplis docebat nos adversus falsos fratres fortiter sustinere. Dicant omnes qui Deum pleno corde diligunt Deumque videre cupiunt, et dicant iterum:

VERS. 2.---*Saepe expugnaverunt me a juventute* [Col. 0631C] mea, etenim non potuerunt

mihi. Sive in Vetere, sive in Novo Testamento, et nunquam potuerunt praevalere mihi, ut consentirem eis.

VERS. 3.---*Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitates suas.* Fabricaverunt toleranti mihi supra dorsum; posuerunt mihi tribulationes, sed ego portavi eas, donec corrigantur, et sic desinant persequi me, et vel in {385} fine excutiantur a dorso meo: ego usque in finem tolero, sed usque in finem persequentur. *Prolongaverunt iniquitates suas, quia non est tempus in hoc saeculo, quo Ecclesia Christi persecutionem non patiatur a falsis fratribus.*

VERS. 4, 5.---*Sed Dominus justus concidet cervices* [Col. 0631D] peccatorum; confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion. Id est, superbiam illorum conteret. Per cervicem superbiam istorum designat. *Confundantur et revereantur omnes, qui oderunt Sion.* Confundantur in judicio, revereantur in profundis. *Qui oderunt Sion* [Sion est Ecclesia]: id est, qui oderunt Ecclesiam, et nolunt obedire verbo Dei. Sunt enim in Ecclesia, sed ficti fratres, et odio habent bene operantes in ea. [Vide (*Edit.,* Unde) quid] sequitur de his, qui oderunt Ecclesiam:

VERS. 6.---*Fiant tanquam fenum tectorum, quod priusquam evellatur, arescit.* [Perit enim omnis gloria superbientium in hoc saeculo;] et sicut fenum tectorum sine radice est, et cito arescit, sic illi cito pereunt: quod priusquam evellatur, arescit, id est, [Col. 0632A] priusquam in judicio puniantur, arescunt, non habentes humorem boni operis.

VERS. 7.---*De quo non implebit manum suam qui metet, et sinum suum qui manipulos colliget.* Messores sunt angeli, de quorum operibus non implent sinus suos, quia zizania sunt, et non triticum: sed in fasciculos ligantur et igne comburuntur aeterno.

VERS. 8.---*Et non dixerunt, qui praeterierunt:* Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. Transeuntes sunt per hujus saeculi viam prophetae, patriarchae et apostoli: quorum benedictio proficit in filiis Ecclesiae, non in falsis fratribus, qui expugnant Ecclesiam: non dant enim benedictionem super perituros, sed super mansuros; et quam benedictionem dant? Benedicunt [inquit] in [Col. 0632B] nomine Domini, quia omnis benedictio et omnis sanctificatio per nomen Domini roboratur et confirmatur.

PSALMUS CXXIX.

VERS. 1.---Sequitur vero psalmus Graduum, cujus principium est: *De profundis clamavi ad te, Domine:* Domine, exaudi vocem meam. Ad istum itaque psalmum [*Ms.,* ab isto . . . psalmo] considerationis gradus est, et cujusdam querelae statio, ut intelligamus ita, in quo profundo sumus, et unde clamare nobis necesse est. [Profundum (*Edit.,* profunda) enim] est nobis vita ista mortalis. Quisquis se in profundo intellexerit, clamet, gemat, suspiret, donec de profundo eruatur, et veniat ad eum, qui super omnes abyssos sedet, et super Cherubim et super omnia quae creavit, [Col. 0632C] non solum temporalia, sed etiam spiritualia: sed inde usque ad profundum hujus vitae pervenit, ut nos liberaret ab hoc profundo miseriae, et nos incitaret ad eum clamare, qui est Salvator verus et dicere: *Domine, Domine, exaudi vocem meam.*

VERS. 2.---*Fiant aures tuae intendentes in orationem servi tui.* Geminatio clamoris, significatio est deprecationis intimae. Sequitur vero:

VERS. 3.---*Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Aperit de quo profundo clamaret, id est, de peccatorum suorum abysso, quae inundaverunt super caput ejus:* intelligens omnem vitam hanc tentationibus plenam. Ideo dixit: *Quis sustinebit? Si justitiam tantummodo judicas nobis,* [Col. 0632D] et non miserationem praestes, nullus est qui sustinere possit, quia omnes [sunt] filii irae: sed magis nobis spes est de miserationibus tuis, et non de meritis nostris.

VERS. 4.---*Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.* Propitiatio [haec] est sanguis Christi, qui nos liberavit a servitute timoris, quae in lege fuit veteri. *Sustinui te, Domine, id est, speravi in te, Domine, sicut in alio psalmo dicit: Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me* **(Psal. XXXIX, 2)**: exspectavi per spem, et respexit me per misericordiam.

VERS. 5.---*Sustinuit anima mea in verbum tuum, Domine, speravit anima mea in Domino.* In quod verbum sustinuit? In Verbum, quod caro factum [Col. 0633A] est, speravit anima mea; per quod Verbum mihi omnia dimisisti peccata. Sed adhuc sperat anima mea in Domino. Quid sperat? Remissionem peccatorum recipere. Sed {386} adhuc vitam aeternam non teneo: et quia fecisti quod promisisti, spero te facturum esse quod adhuc restat, ut post resurrectionem omnium vitam aeternam accipiam.

VERS. 6.---*A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino, Custodia matutina* [Christus resurrexit (*Edit.,* est Christus, qui resurrexit)], in quo omnes resurrecturi sumus; ideo ex illa resurrectionis suae vigilia usque ad noctem, id est, finem mundi omnes sancti sperent in Domino: et haec spes inde certissima est,

VERS. 7.---*Quia apud Dominum misericordia est,* [Col. 0633B] et copiosa apud eum redemptio. Per illum itaque redempti sumus, per illum resurrecturi sumus.

VERS. 8.---*Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis.* [Ubi superabundavit peccatum] superabundavit gratia: gratia enim Dei salvati sunt per fidem, ab omnibus iniquitatibus suis. Omnes fideles nomine [*Ms.,* nomen] Israelis designat, quia omnes per copiosam redemptionem Domini Jesu Christi redempti sunt ab omnibus iniquitatibus suis. Scire debemus quod in aliquibus locis in his psalmis sonant verba quasi de multis, sicut ubi ait: *Miserere nostri* [Ms., *nobis*], Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione **(Psal. CXXII, 3)**. In aliquibus sicut de uno, ubi ait: *De profundis clamavi ad te, Domine.* Et hoc [ideo] quia multi sumus [Col. 0633C] in membris, unum autem in Christo: et omnes in uno loquuntur, et unus in omnibus loquitur. Dicit enim iste ascensor:

PSALMUS CXXX.

VERS. 1.---*Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Sacrificium Deo humilitatis offert in his verbis, sicut in alio psalmo legitur: [*Sacrificium Deo*] spiritus contribulatus, id est, humiliatus **(Psal. L, 19)**. Magis itaque audita est

humiliantis [*Ms.,* humiliati] publicani oratio, quam superbientis Pharisaei. *Neque elati sunt oculi mei.* Oculos cordis elatos non esse dixit, sed humiliatos, quia omnium bonorum custodia est humilitas. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Nec quaesivi, ut magnus essem inter homines, aut mirabilis [Col. 0633D] faciendo signa et miracula: quia signa propter infideles data sunt, non propter fideles, ut per signa crederent, qui per praedicationes non crediderunt. Unde subdidit:

VERS. 2.---*Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam:* sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. Videntur maledictionem sonare hi duo versus, et ad haereticos pertinere, qui non volunt humiliari in pace Ecclesiae, sed exaltari in schisma doctrinae suae. Noluerunt matris Ecclesiae lacte nutriri, ut ad solidum cibum, qui Christus est, pervenirent. Ideo ablactati sunt et a matre repulsi, quia a lacte pietatis nutriri noluerunt: et sunt doctores erroris, cum non sint discipuli [Col. 0634A] veritatis; ideo retribuetur eis in animabus [*Edit.,* manibus] illorum: Quia propter infidelitatem schismatis in anima recesserunt a fide, ideo in anima recepturi erunt, quidquid meruerunt.

VERS. 3.---*Speret Israel in Domino, qui est spes omnium Deum videntium. Ex hoc nunc et usque in sempiternum, id est, usque ad aeternitatem, in qua videbimus, in quem nunc speramus.*

PSALMUS CXXXI.

Venit hic praevius nostrae [*Ms.,* noster] ascensionis, et ad gradum mansuetudinis, in qua exemplum nobis sanctissimi David proposuit, quasi ex sua persona dicens:

VERS. 1.---*Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* David manu fortis interpretatur, [Col. 0634B] qui juxta historiam pepercit inimico quaerenti animam suam: significans Christum nostrum bellatorem, qui superbissimum Goliath propriae fortitudinis lapide prostravit, et nobis, cum inimici essemus, mansuetus est factus, ut nos ejus exemplo edocti mansueti simus et mites.

VERS. 2-5.---*Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.* Jurare Dei, est promissionis suae votum ostendere [*Ms.,* promissiones suas ostendere]. *Votum vovit Deo Jacob.* Quid est votum Christi, nisi ut redimeret humanum genus? Unde ait in Evangelio: *Opus* {387} *consumavi, quod dedisti mihi* **(Joan. XVII, 4)**. *Votum vovit Deo Jacob.* In sequentibus demonstrat quid vovisset Deo, id est, ut inveniret [*Edit.,* invenerit] tabernaculum Deo Jacob, id est, Ecclesiam [Col. 0634C] sanctam, de qua dicitur in alio psalmo: *Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine* **(Psal. LXXXIII, 2)**. Sed nos, si bene egerimus, tabernaculum erimus Dei, et templum Dei vivi, sicut dixit Apostolus: *Templum Dei estis vos.* Nulla nos [*Edit.,* vos] dormitatio, nulla oblectatio carnis, nulla ambitio saeculi deterreat, ut tabernaculum Deo non inveniamus in nobismetipsis.

VERS. 6.---*Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvae.* Ephrata speculum interpretatur; in speculo imagines conspiciuntur; significat prophetas, qui per imaginem locuti sunt de futura domo Dei, quam invenimus in campis silvae, ibi

audivimus de domo Dei, id est, in latitudine [*Edit.,* altitudine] gentium, quae vepribus et spinis [Col. 0634D] peccatorum obsitae sunt: sed ibi est modo domus Dei, et Ecclesia Christi, de qua prophetae praedixerunt.

VERS. 7.---*Introibimus in tabernaculum ejus.* Cujus? Dei Jacob. Quomodo introibimus. Per fidem. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Cujus? Christi Domini nostri, ubi vestigia conspiciuntur ejus, et ibi miracula illius narrantur, et redemptionis nostrae firmitas: quia absque hujus domus charitate salus [*Edit.,* solus] non inveniretur: ibi adorandus [*Ms.,* adorandum] est, ubi fides recta esse diceretur.

VERS. 8.---*Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Christo dicitur, ut exsurgat a mortuis, et intret in requiem suam: id [Col. 0635A] est, post laborem passionis in requiem coelestis gloriae. *Tu et arca sanctificationis tuae.* Arca Christi Ecclesia est Christi. Resurrectio praecessit in capite, quae secutura [*Edit.,* secuta] erit in membris, ut fiat, quod ipsa Veritas ait: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, et isti sint mecum.*

VERS. 9.---*Sacerdotes tui induantur* [Ms., *induant*] justitiam, et sancti tui laetentur. Sacerdotis est justitiam praedicare, et exemplis ostendere; populi est gaudere in justitia, et sacerdotum praedicatione [*Edit.,* gaudium . . . . . praedicatio]. Item: induantur sacerdotes fide et spe, sanctique laetentur; quia sicut Christus surrexit in gloria, ita et sancti cum Christo surrecturi sunt in gloria.

VERS. 10.---*Propter David servum tuum non avertas* [Col. 0635B] faciem Christi tui. Vox est ad Deum Patrem deprecantis [Ecclesiae: non avertat faciem Christi sui, propter victoriam quam fecit de inimicis suis, id est, ut avertit eam a Judaeis]
@ *Edit.:* Deprecantis pro Ecclesia: *Non avertas faciem Christi tui, propter victoriam quam fecit David de inimicis suis, averte iram a Judaeis.:* et post plenitudinem gentium omnis Israel salvus fiet, qui modo [*Ms.,* quo modo] in apostolis et reliquis salvus est.

VERS. 11.---*Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum.* Juratio Domini confirmationem sententiae significat, nec frustra jurat, nec sine fructu erit [*Ms.,* nec frustrum erit] quod promittit, sed veritatem jurans veritatem implet, quia veritas falli non potest. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [Ms., *meam*], id est, de utero virginali nascetur, quem ponam super sedem meam. *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (Isai. [Col. 0635C] XI, 1). Virga de radice patriarchae exiet, et flos, id est, Christus de ventre virginis ascendet. [Sed] alia habet translatio: *Jurabit Dominus, et non poenitebit eum.* Non alicujus Deum poenitet, sed aliquid immutare eum significat, dum dicitur, poenitet Deum. *Jurabit Dominus, et non poenitebit eum, id est, immutabile vult conservare, quod facit* [*Ms.,* fiat], quod statuit cum David servo suo.

VERS. 12.---*Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea haec, quae docebo eos.* Et filii eorum usque in saeculum sedebunt super sedem meam. Utique et filii [tui et filii] filiorum tuorum, si custodierint praecepta mea, sedebunt super sedem beatitudinis tuae: quia omnes fideles filii [sunt] in Christo David et filii Abraham, de

quibus ipsa Veritas [Col. 0635D] dicit: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* **(Matth. III, 9)**.

VERS. 13.---*Quoniam elegit Dominus Sion, praeelegit eam in habitationem sibi.* Sion universalis est Ecclesia, in angelis beata, in habitatoribus [*Edit.,* habitationibus] terrae peregrina, quae et ipsa in parte ventura est [*Ms.,* pars futura est] beatitudinis angelicae. Et haec est habitatio Dei {388} in aeternum. Quos elegit in Christo Deus, praeelegit, id est, praedestinavit ante constitutionem saeculi juxta apostolum, [dicentem]: *Quia quos vocavit, hos et praedestinavit* **(Rom. VIII, 30)**.

VERS. 14.---*Haec requies mea in saeculum saeculi,* [Col. 0636A] hic habitabo, quoniam elegi eam. Ista Dei verba sunt; haec requies mea, hic requiesco. Quantum [*Edit.,* quoniam] nos amat Deus [fratres], ut quia nos requiescimus, se dicat requiescere. Non enim ipse aliquando turbatur, aut sic requiescit: sed ibi se dicit requiescere, quia nos in illo requiem habemus. *Hic inhabitabo, quoniam elegi eam.*

VERS. 15.---*Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.* Omnis anima quae se intelligit desertam ab omni auxilio, nisi solius Dei, vidua est secundum saeculum, quia saeculum eam deserit: non tamen exinde vidua est, quae Christum habet virum; idcirco sancta Ecclesia in omnibus membris suis vidua est, a saeculo derelicta atque contempta, a Christo autem electa et sponsata. Et [Col. 0636B] *pauperes ejus saturabo panibus.* Pauperes Christi sunt, qui non amant hoc saeculum, sive habeant divitias, sive non habeant. Aliquibus enim datae sunt divitiae ad dispensandum egenis, non autem datae sunt eis ad possidendum: neque spem in illis debent ponere, nec satietatem in illis habere; sed in nomine Christi confidere, et in justitia, et in charitate Dei et proximi: haec est saturitas sanctorum, non saeculi divitiae.

VERS. 16.---*Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Qui sunt sacerdotes? qui seipsos obtulerunt [*Ms.,* offerunt] Deo hostiam vivam, Deo placentem. *Et induam salutari, id est, Christo Jesu, qui est salus omnium credentium ut Apostolus ait: Quotquot baptizati estis,* [Col. 0636C] Christum induistis **(Gal. III, 27)**. *Et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* In quo exsultabunt? Ut induantur Christo; ideo subjecit:

VERS. 17.---*Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.* Ut de Christo intelligatur, non de solo regno [*Ms.,* ut de Christo praesumatur, non de saeculo]. Cornu regnum et altitudinem significat; David regem Christum. *Paravi lucernam Christo meo.* Ipsa Veritas in Evangelio de Joanne dicit: *Ille erat lucerna ardens et lucens, ille paratus fuit a Deo Patre, ut praeiret faciem Christi sui, sicut dictum est:* Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam tuam ante te.

VERS. 18.---*Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Super [Col. 0636D] ipsum, id est, Christum, efflorebit sanctificatio mea. In ipsius vero baptismate remissio peccatorum est, et sanctificatio et Spiritus sancti donum, ipso Joanne attestante [qui ait]: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto, et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* **(Joan. I)**.

PSALMUS CXXXII.

Pervenit jam ad psalmum [quarti decimi (*Edit.,* quartum decimum) gradus], in quo unitatem sanctorum laudat iste ascensionis amator: gaudet se ad unitatem fraternae charitatis pervenire, ideo ait:

VERS. 1.---*Ecce quam bonum et quam jucundum,* [Col. 0637A] habitare fratres in unum. Quid pulchrius est, quidve jucundius est, imo quid melius, quam unitas et charitas in Christi membris, quae fratres nominare placuit; et cui rei similis sit haec unitas, in sequenti paradigmate exposuit, dicens:

VERS. 2.---*Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Quis est iste Aaron? Utique Christus, qui solus intravit in Sancta sanctorum in sanguine, non alieno, sed proprio, intercessurus pro nobis apud Deum Patrem. *Sicut unguentum in capite:* Unguentum hoc Spiritus sanctus est, quod a capite Christi defluit; nam caput nostrum Christus est. *Descendit in barbam, id est, fortes et invincibiles pugnatores pro Christi nomine, apostolos primum et sanctificatores* [*Ms.,* sanctificatos] martyres, [Col. 0637B] et sic in omnes fideles pervenit, ideo adjunxit: *Quod descendit in oram vestimenti.* Hujus vestimentum sacerdotis sancta [est] Ecclesia, quae in finem mundi ejus sanguine consecrata est, et in vestem sibi contexta. Ideo dixit in oram vestimenti, subjungensque ait aliam similitudinem sub eadem significatione:

{389} VERS. 3.---*Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Hermon dicitur interpretatum, nomen exaltatum, quod est Christus in cruce exaltatus, et postea in coelum elevatus, cujus gratia, id est, ros illius, descendit in montem Sion, id est, sanctus et perfectus in Ecclesia Christi. Quod enim barba vel ora vestimenti significat, hoc etiam mons Sion significare videtur. Sequitur: *Quoniam ibi mandavit Dominus* [Col. 0637C] benedictionem, et vitam usque in saeculum. Ubi mandavit? In fratribus videlicet qui habitant in unum, ibi praecepit benedictionem, ibi benedicunt Dominum, qui habitant concorditer, ibi etiam et vitam aeternam percipiunt [*Ms.,* ibi etiam vita aeterna].

Hucusque per gradus canentes ascendebamus ad domum Dei. Videamus quid agendum sit in ea. Quid igitur? nisi Dominum corde, et ore in charitate benedicere, cum Propheta dicentes:

PSALMUS CXXXIII.

[Col. 0638A]

VERS. 1.---*Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.* Ecce nunc, id est, in hoc tempore, in quo congregavit nos Dominus per unigenitum Filium suum in domum dilectionis suae, benedicamus Dominum, non transitoria sed permansoria laude, alterutrum hortantes, nos stare et permanere in laude Dei. *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Id est, qui permanetis in catholica fide, in unitate charitatis, quae atrii nomine in hoc loco designatur. Atrium autem latus est locus, et apertus ad solem: ita mens nostra, latitudine charitatis illuminata, omnibus aperta debet esse ad benefaciendum. Addidit:

VERS. 2.---*In noctibus extollite manus vestras in* [Col. 0638B] sancta, et benedicite Dominum. Noctes itaque tribulationes significant hujus saeculi, in quibus admonetur manus ad bona opera levare, et Dominum benedicere, non solum verbis, sed et operibus bonis. Facile est Deum in prosperis benedicere, sed multum necessarium est, eum in adversis laudare cum Job, qui omnibus ablatis quae habere potuit, ait: *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum* **(Job. I, 21)**. Sequitur:

VERS. 3.---*Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit coelum et terram.* Sion specula [*Edit.,* speculum] dicitur, in qua benedicendi sunt sancti, qui ad quintum decimum gradum perveniunt, et in coenaculo sub numero decies duodenario Spiritum sanctum receperunt. Ergo si omnes numeros ab uno usque ad [Col. 0638C] quindecim aggregabis, fiunt centum viginti, qui numerus, sancti Spiritus adventu consecratus, significat, veteri testamento novum designari, et novo vetur adimpleri. In primo gradu tribulati clamavimus ad Dominum: in quinto decimo liberati a tribulationibus, Dominum benedicere jubemur, non alium nisi eum, qui fecit coelum et terram: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum* **(Psal. CXIII, 16)**, qui de terrenis ad coelestia ascendere jubentur.

HYMNUS VETUS DE XV PSALMIS GRADUUM.

MONITUM PRAEVIUM.

Hujus hymni auctorem non esse Alcuinum, diximus superius in praenotatione ad trinum Commentarium Psalmorum hucusque recensitum. Hoc tamen loco illum apte collocari censuimus, quod saltem ab Alcuino scriptus, vel dictatus, suoque dilecto Aquilae directus fuerit, prout ex epist. 153 constat. Hunc ipsum vero locum etiam occupat in pervetusto codice ms. bibliothecae nostrae S. Emmerami. Lectiones differentes inter uncos inclusimus ex cod. Reichenaviensi, seu Divitis Augiae.

Ad Dominum clamaveram, dum [*Cod.* Reich., cum] tribulatus fueram, Et exaudivit Dominus servum suum quantocius.*Levavi meos oculos, statim ad montes pristinos, Unde erit altissimo auxilium a Domino.* {390} *Laetatus sum in omnibus, quae dixit mihi Dominus:* Ad domum Dei [*Id.,* Domini] ibimus, in qua semper manebimus.*Ad te meos levavi oculos, o Deus* [*Id.,* Dominator] inter nos, Qui es in coeli culmine, cum angelorum agmine.*Nisi* quia altissimus *erat in nobis Dominus, Dicat Israel, omnibus infirmiores fuimus.Qui confidunt in Domino, dominatore maximo, Ut mons Sion perpetuo non movetur ab aliquo.In convertendo Dominus captivitatem protinus Sion, satis in omnibus consolati nos fuimus.Nisi Deus* [Id., Dominus] *aedificaverit, atque nos conservaverit, Vanum est opus omnium, domus aedificantium.Beati filii hominum* [*Id.,* omnium], *qui* suum *timent Dominum, Quique in via angusta, fide ambulant robusta.Saepe me expugnaverunt, nec potuerunt adversarii, Sed cessaverunt continuo, confortante me Domino.De* profundis suppliciter ac fideliter *clamavi, Ad te Deus* [*Id.,* Dominus] victoriae, Pater perennis gloriae.*Non* est elatum in me *cor meum superbia, Neque interius altus fui sensibus.Memento* mei, *Domine Deus* [*Id.,* Dominator], coeli de vertice, Cui astant millia millium ministrantium,*Ecce* quam

bonum, sublime, *et quam jucundum utique, Fratres in unum vivere, summaque vita sedere.Ecce* nunc omnes famuli, stantes in domo Domini,*Benedicite Dominum dierum omnium.* Patrem precor potentiae, principemque scientiae, Ut per hos ter quinos gradus, coelos possim conscendere. Et per loca aetheria, vehar ad refrigeria, Ut merear praemia possidere eximia.

{391}

OPUSCULUM TERTIUM. COMPENDIUM IN CANTICUM CANTICORUM.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0639A]

Scripsisse beatum Alcuinum brevem in Cantica canticorum commentarium ipse ejus Vitae scriptor disertis verbis testatur: «In Proverbiis, inquiens, Salomonis, et Ecclesiaste, in Canticisque canticorum (scripsit) luculenta sub brevitate.» Idipsum confirmant aliquot mss. codices, in quibus similem commentarium sub nomine Alcuini contineri industrii quidam bibliothecarii fidem faciunt. Sic in catal. mss. collectionis Harleianae, vol. I, notatur cod. 212 membr. in 4o, continens n. 2 Commentarium Alcuini in Cantica cant., qui fol. 100 *b, ab his verbis initium capit: Incipit liber Cantici canticorum, i.* e. meliora meliorantium, sicut Sancti sanctorum. Similiter in catal. mss. Angliae et Hiberniae, edit. Oxonii 1679 fol. inter codd. mss. bibliothecae Jacobaeae n. 8676 recensetur, *Albini Commentarius in Cantica canticorum.* In bibliotheca San-Laurentiana Leodii ord. S. Bened. exstat: *Alcuinus seu Albinus super Ecclesiasten et Cantica canticorum.* [Col. 0639B] Clarissimus pariter ac celeberrimus Montefauconius, tom. I et II Bibl. bibliothecarum, plures codices, eumdem commentarium continentes, summa fide recenset, tom. I, pag. 628, scribit: «In bibliotheca regis Angliae: *Alcuini in Cantica.*» Tom. II, pag. 1202: In bibl. Gemmeticensi: *Alcuini Expositio in Cantica canticorum.*» Pag. 1222. «In bibl. S. Albini Andegavensi: *Expositio Alcuini in Cantica canticorum.*» Pag. 1239: «In bibl. Monast. S. Audonei Rothom.: *Alcuinus in Cantica canticorum.*» Pag. 1253: «In bibl. monast. B. V. de Becco: *Brevis Expositio in Cantica canticorum, nomine Ecclesiae et Synagogae.* Est Alcuini abbatis, ut ibidem notatur.» Pag. 1284: «In bibl. Divio-Benigniana: *Albini Expositio Cantici* [Col. 0640A] canticorum.» Pag. 1342: «In bibl. abbatiae Savinianensis ord. Cisterc.: *Alcuinus in Cantica canticorum.*» Pap. 1361: «In bibl. monast. S. Michaelis in periculo maris: *Expositio Alcuini super Genesin, in Cantica canticorum.*» Demum in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, seu catalogo mss. Angliae, Alcuino tribuitur *Compendium super Cantica canticorum, quod fortassis idem est cum Compendio a cl.* Patritio Junio edito, quod hic exhibemus.

Huic mss. codicum fidei pondus addunt celeberrimi scriptores, Helinandus apud Vincent. Bellov., lib. XXIII Spec. Histor., cap 173; Trithemius, lib. de Script. eccl. et lib. II de Viris illustr. O. S. B., cap. 26; Joan. Baleus, centur. II Script. Britan.; Conrad. Licostenes in Epitome Bibl. Conradi Gesneri; Possevinus in Apparat. sacro, tom I.

Mirum eruditos Hist. Litt. Franciae scriptores haec, quae praemisimus, testimonia insuper habuisse ac negasse
@ [Col. 0639B] Tom. IV, pag. 305, 335 et 336. quod e penna Alcuini integer aliquis commentarius in Cantica canticorum fluxerit, et quod [Col. 0640B] omnis ejus labor in praedictum librum intra expositionem unius versiculi 6 capitis VI in epist. ad Daphnin suum discipulum, in fine hujus opusculi exhibenda, contentam, constiterit. Hanc enim interpretationem adducta testimonia, quae non de expositione unius tantum particulae seu versiculi Cantici canticorum, sed de commentario in Cantica canticorum, hoc est, integrum hunc librum loquuntur, minime admittunt. Magis falluntur iidem viri, alias doctissimi, dum admodum confidenter asseverant, loc. cit. pag. 336, Compendium illud in Cantica cant., quod anno 1638 Londini cum commentariis Gilberti Foliot, a Patricio Junio editum est, nihil aliud esse quam eamdem ad Daphnin epistolam. Praeceps enim hoc judicium solo [Col. 0641A] ejus editionis, cujus quidem praefatis viris alias sane egregiis copia non fuit, intuitu refellitur.

Certum igitur, fide saltem historica, esse debet, Alcuinum nostrum non tantum aliquam particulam, sed integrum librum Cantici canticorum brevi stylo, seu, ut Vitae ejus scriptor loquitur, *luculenta sub brevitate exposuisse.* Nunc inquirendum restat, utrum Compendium hocce, quod ex editione Londinensi, a Patricio Junio curata, exhibemus, sit ille ipse labor quem Alcuinus in illo libro exponendo posuit? Pro Alcuino pugnat auctoritas viri cl. Patricii Junii bibliothecarii regii, et veterum monumentorum scrutatoris seduli, qui illud Compendium sub nomine Alcuini, absque haesitatione, e bibliotheca regia, primo in publicum protulit
@ [Col. 0641D] Titulus libelli rarissimi, a viro illustri et bono rei litterariae nato, D. Christiano Friderico Temlero Hafniensi, potentissimo Danorum regi ab epistolis sanctioribus, dono accepti, est: *Gilberti Foliot episcopi Londinensis Expositio in Canticum canticorum, una cum Compendio Alcuini;* nunc primum e bibliotheca regia in lucem prodiit, opera et studio Patricii Junii bibliothecarii regii. Ibidem pag. 275, incipit: *Alcuini Compendium in Canticum canticorum.* Londini, ex typographio [Col. 0642D] regiae majestatis, 1638.; quod eum haud facturum fuisse merito praesumitur, nisi fide cujusdam {392} codicis ms., omni novitatis aut corruptionis suspicione carentis, fuisset suffultus. Huic auctoritati robur addit codex ms. 69 bibliothecae regiae Vaticanae, in-8o, saec. X exaratus, cujus mihi copia facta est ab [Col. 0641B] em. D. cardinali Passioneo, tunc illius bibl. praefecto, etiam post fata in republica litteraria summis laudibus celebrando: in quo codice idem Compendium, paucis, quae notamus, mutatis, non quidem praefixo nomine, inter epistolas tamen Alcuini comprehenditur. Stylus denique quo iste commentarius exaratus est a stylo Alcuini minime abhorret, quamvis idem in suis commentationibus, ubi plerumque, more illius aevi, priorum Patrum sententiae deflorantur, constantem characterem, ut in epistolis e proprio genio, scriptis, non servet.

Et haec quidem fundamenta sat firma esse nemini non videbuntur, ut hoc expositionis Cantici canticorum Compendium Alcuino, tanquam vero auctori, attribui absque allucinationis periculo possit. Fateor equidem, mihi de vero hujus commentationis auctore quoddam dubium injectum fuisse, dum Angelomi abbatis Luxoviensis Stromata

in Cantica canticorum, tom. XV Bibl. SS. PP. edit. Lugdunensis, pag. 415 et [Col. 0641C] seqq., pervolvendo reperissem, ibidem hanc nostram Expositionem, maximam partem, quoad sententias et ipsa etiam verba contineri. Animadvertens tamen Angelomum omnia pene quae seu in libros Regum, seu in Cantica canticorum, commentatus est, *ex aliorum* doctorum et expositorum dictis mutuasse, atque *a disertissimo magistro* (ipso Alcuino fortassis) *aure accommodante, didicisse, prout ipse in praefatione apologetica in libros Regum profitetur;* perpendens praeterea, Angelomum initium quoque sui in Cantica canticorum commentarii ab illis verbis: *Tribus nominibus vocatum fuisse Salomonem Scripturae manifestissime docent, etc.,* ex initio commentarii Alcuini in Ecclesiasten accepisse, facile conceptum antea dubium excussi; ut jam minime dubitem quin ea quae in commentario Angelomi cum hocce Compendio concordant, ab eodem quoque mutuata sint; et nihil me moretur quominus Alcuinum verum hujus in Canticum canticorum Compendii auctorem censeam; [Col. 0641D] fretus nimirum scriptorum superius citatorum testimonio, et fide plurium codicum mss., praeprimis Vaticani, quo hic utor; et Anglici, quo usus est celeberrimus D. Patritius Junius.

CARMEN *In Codice Vaticano praefixum sequenti commentariolo.*

Hunc cecinit Salomon mira dulcedine librum,[Col. 0642A] Qui tenet egregias Sponsi Sponsaeque camenas, Ecclesiae et Christi laudes hinc inde canentes; Et thalami memorat socios sociasque fideles. Has rogo menti tuae, juvenis, mandare memento, Cantica sunt nimium falsi haec meliora Maronis. Haec tibi vera canunt vitae praecepta perennis; Auribus ille tuis male frivola, salsa [*F.,* falsa] sonabit.

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1.---*Osculetur me osculo oris sui.* Synagoga Deum incarnari desiderat, ac venienti devota charitate occurrit. Hujus vox prima sonat in Cantico amoris; cui cum prophetae sancti viam vivendi crebro demonstrarent, ejusque adventum, qui *tanquam Sponsus procedens e thalamo mundum nova benedictione* [Col. 0642B] ditaret, ostenderent; vocibus praeconum transitis, ipsius regis ac Salvatoris coepit desiderare praesentiam, dicens: *Osculetur me osculo oris sui, quod est;* non semper ad me erudiendam angelos, non prophetas destinet; veniat ipse aliquando, qui tam diu promissus est, praesentiae suae me luce illustret, ac velut osculum inferens, proprio alloquens ore me confortet, id est, me interrogantem de via salutis erudire non spernat. Quod esse impletum legitur in Evangelio: *Sedente Jesu in monte accesserunt ad eum discipuli ejus.* Et aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum **(Matth. V, 1)**. Dicit ergo: *Osculetur me osculo oris sui.* Id est, tangat me dulcedine praesentiae suae, quam saepius a prophetis promissam audivi
@ [Col. 0642D] Codex Vaticanus post textum *osculetur, etc.,* solum ultimam hanc expositionem habet: *id est, tangat me* . . . . . . audivi..

[Col. 0642C] {393} *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Dulcedo evangelicae doctrinae austeritate legali melior est.

@ [Col. 0642D] Cod. Vat. sequentia a verbo *vinum usque ad finem omittit. Vinum fervorem scientiae legalis; Lac dicit rudimenta fidei evangelicae.* Unde Paulus: *Lac vobis potum dedi* **(I Cor. III, 2)**, id est, escam. Meliora sunt ubera sponsi vino, quia quoscunque rudimenta fidei ex aqua et spiritu regenerant, vitae coelestis introitu aperto educant, quod longa legis observatio facere non valebat, Apostolo teste, quia ait: *Nihil ad perfectionem duxit lex* **(Hebr. VII, 19)**. Per ubera doctores intelliguntur, qui nos potant lacte scientiae.

VERS. 2.---*Fragrantia unguentis optimis*

@ [Col. 0642D] Cod. Vat., *Donis sancti Spiritus.* Omissis caeteris, usque, *Oleum effusum..* Ideo Spiritus sanctus unguentis comparatur, quia sicut unguentum sanat vulnus, ita Spiritus sanctus fugat [Col. 0642D] vitia, animas fovet et sanat. Bona erant unguenta quibus prophetae et sacerdotes ungebantur in lege, sed meliora, quibus apostoli et successores eorum invisibiliter sunt uncti; de quibus Paulus: *Et qui nos unxit Deus, et qui signavit nos Deus* **(II Cor. I, 21)**. Et Joannes: *Unctionem, quam accepistis ab eo, in vobis maneat* **(I Joan. II, 27)**. *Oleum effusum nomen* [Col. 0643A] tuum

@ [Col. 0643D] Cod. Vat.: *A chrisma Christus, id est, ab unctione unctus, quod nomen cum gratia sancti Spiritus in baptismate funditur in cunctos fideles.* Caetera omissa sunt, usque: *Ideo adolescentulae..* Redditio causae est; non enim mirum est, si membra illius unguentis redoleant, cum ipse ab unguento nomen acceperit. A chrismate Christus, id est, ab unctione unctus, quod nomen cum gratia Spiritus sancti in baptismate funditur in cunctos fideles. Unde Petrus: *Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute* **(Act. X, 38)**. Et in Psalmis: *Unxit te Deus oleo gaudii prae consortibus tuis* **(Psal. XLV, 7)**. Oleum dicit: non stillatum, sed *effusum;* non enim dat ei Deus ad mensuram spiritum, quia ipse est plenus Spiritu sancto. *Ideo adolescentulae dilexerunt te.* Id est, electorum animae gratia baptismatis renovatae.

VERS. 3.---*Trahe me post te*

@ [Col. 0643D] Cod. Vat.: *Ut te ascendentem in coelum sequar;* aliis omissis, usque, *Curremus simul..* Synagoga prius Deum venire, et osculum pacis sibi offerre postulabat; [Col. 0643B] nunc Ecclesia jam venisse, jam ad coelos sciens rediisse, ut illum possit sequi, desiderat. Quod quia per se ipsam implere non potest, ejus, ad quem venire cupit, ductum implorat. *Trahe me post te.* Id est, quia sine te nihil possumus facere, precamur, nos ad te currentes tuae protectionis dextra sustentes. Currere enim vel cursum consummare non possumus, nisi te duce et adjutore curramus. Unde Paulus: *Plus illis omnibus laboravi, non tamen ego, sed gratia Christi* **(I Cor. XV, 10)**. *Curremus simul in odorem unguentorum tuorum.* Id est incremento donorum Spiritus sancti bene operando tecum, ad consortium coelestis Jerusalem festinemus, ut te ascendentem in coelum sequamur. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Id est, in gaudia coelestis patriae [Col. 0643C] aeterna

@ [Col. 0643D] Cod. Vat. omittit ea quae hanc not. sequuntur, usque, *Exsultabimus..* Cellaria regis aeterni gaudia sunt coelestis patriae, in quae nunc Ecclesia introducta est per fidem, introducenda plenius per rem. *Exsultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum.* In te, non in nobis, memores per omnia fidei gratiam super legis doctrinam

@ [Col. 0643D] Cod. Vat.: *Intende in nobis memor per omnia fidei gratiam super legis*

doctrinam. Caetera desunt, usque: *Recti diligunt te.,* quod est dicere: nequaquam nos de perceptis extollimus, sed in omni, quod bene vivimus, de tua misericordia exsultabimus, memores, quanta pietate nos recreare, qualiter austeritatem legis, gratia evangelicae fidei dignatus es mitigare. *Recti diligunt te.* Nullus te diligit nisi rectus; et nullus est rectus nisi qui te diligit.

VERS. 4.---*Nigra sum, sed formosa, filiae Jerusalem.* [Col. 0643D] Nigra sum in pressuris persecutionum, sed formosa in decore virtutum
@ [Col. 0644D] Cod. Vat. sequentia hanc notam omittit, usque, *Sicut tabernacula.*. Quod est, nigra quidem in oculis persequentium appareo, sed ante Deum ornata decore virtutum refulgeo. *Sicut tabernacula Kedar* [Cod. Vat., *Cedar*], sicut pellis Salomonis. Kedar filius Ismaelis, quod {394} interpretatur [Col. 0644A] *tenebrae.* Dicit sancta Ecclesia se nigram ut Kedar, quia afflictionibus infidelium ita est obscurata, quasi totius mundi fieret inimica. Salomon et nomine, et vita pacificus erat, qui sibi tentoria de mortuorum animalium pellibus faciebat; ita Dominus Ecclesiam de illis animalibus sibi creat quae desideria carnis in se mortificant; ergo est Ecclesia similis pellis Salomonis
@ [Col. 0644D] Cod. Vat. post textum: *In temptatione obscura daemonum, formosa in mortificando carnalia desideria, caeteris omissis.*.

VERS. 5.---*Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Id est, nolite mirari si hominibus despecta sim, quia aestus nimiae persecutionis, vel amor Christi me decoloravit
@ [Col. 0644D] Cod. Vat. post textum: *Nolite mirari, si hominibus dispecta sim foris ob temptationum aestus.*. *Filii matris meae pugnaverunt contra me:* posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi Acerbitas persecutionis filiorum Synagogae me fecit vineam [Col. 0644B] Hierosolymis non custodire, sed multarum [esse] vinearum, id est Ecclesiarum, per orbem custodem
@ [Col. 0644D] Cod. Vat. ea quae notam hanc sequuntur, omittit.. Mater primitivae Ecclesiae Synagoga est, cui per prophetam dicitur: *Zion, tu vocaberis civitas, et mater civitatum* **(Zach. VIII, 3)**.

VERS. 6.---*Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Indica mihi pastorem meum, quem tota anima diligo, et in quibus pascua [*Cod.* Vat., pascuam] et requiem habeat, ne aestu tentationum turbata, post *sodalium, id est haereticorum conventicula, eum quaerere incipiam.*

VERS. 7.---*Si ignoras te, o pulcherrima* [Cod. Vat., *pulchra*] inter mulieres, egredere et abi post [Col. 0644C] vestigia gregum. Si ignoras te sub hujusmodi tentationis ditione [*F.,* conditione] mini esse sponsatam, egredere a meo consortio, et varios errantium actus sequere. *Et pasce haedos meos juxta tabernacula pastorum.* Id est, perditos nutri auditores, qui secuti insipientium doctrinas magistrorum, a sinistris staturi sunt.

VERS. 8.---*Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Sicut priorem populum de Aegyptio liberavi timore; sic te, sponsa mea! de persequentium, si in me confideris, liberabo manibus.

VERS. 9.---*Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis* [Cod. Vat., *turris*]. Tanta te verecundiae salutaris virtute decoravi, ut castitatem promissae mihi fidei, [Col. 0644D] nulla pravorum doctorum seductione corrumpas. *Collum tuum sicut monilia.* In *collo sancti praedicatores, qui, quod verbo docent, operibus ostendunt, designantur:* in *monilibus operis eorum perfectio exprimitur*

@ [Col. 0644D] Cod. Vat.: *In collo doctores sancti designantur.* In monilibus opera exprimuntur, quia quae, etc..

VERS. 10.---*Muraenulas aureas faciamus tibi vermiculatas* [Col. 0645A] argento. In muraenulis Scriptura sancta ostenditur, quae auro spiritualium sensuum fulget interius, et argento coelestis eloquii nitet.

VERS. 11.---*Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Rege Christo in beatitudine coelestis secreti quiescente [*Cod.* Vat., Regi . . . quiescenti] sanctorum virtus in Ecclesia magnae nobis gratiam suavitatis administrat.

VERS. 12.---*Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Mors dilecti mei, quam pro mea salute subiit, semper in mea memoria commorabitur.

VERS. 13.---*Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Qui [*Edit.,* quid] fuit fasciculus myrrhae in amaritudine passionis, ipse est botrus Cypri in [Col. 0645B] dulcedine resurrectionis. Myrrha tristificat, vinum laetificat. *In vineis Engaddi, propter charismata divina, quae post resurrectionem largitus est in baptismo suis participibus. Engaddi, fons haedi, baptismum significat.*

VERS. 14.---*Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es.* Pulchra es operibus mundis, quibus sobrie in hoc saeculo conversaris. Pulchra es in simplicitate cordis, quia pro sola aeternitatis intentione bonis actibus insistis. *Oculi* tui {395} *columbarum.* Oculi cordis tui mundi ac simplices, et ab omni duplicitate fallendi immunes; vel, sensus tui spirituali sunt intellectu praediti

@ [Col. 0645D] Cod. Vat.: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Pulchra in simplicitate cordis et munditia operum, quia sensus tui spiritales sunt intelligentia praediti..

VERS. 15.---*Ecce tu pulcher es, dilecte mihi* [Cod. Vat., *mi*] et decorus

@ [Col. 0645D] Cod. Vat., post textum: *Tu solus naturaliter pulcher, ego ex te pulchra.* Reliquis omissis usque, [Col. 0646D] *Lectulus noster.*. Audiens sancta Ecclesia geminam [Col. 0645C] sibi a Domino pulchritudinem, operis videlicet et intentionis, cum simplicitate puri cordis, esse attributam, devota voce respondet: Ego quidem quidquid pulchritudinis, gratiae, simplicitatis, spei habeo, te largiente percepi; tu autem veraciter et sine comparatione pulcher es, et decorus divinae perpetuitate naturae, et assumptae humanitatis mirabili dignitate. *Lectulus noster floridus.* Requiescit sponsa cum sponso in lectulo, cum tempore pacis florido

@ [Col. 0646D] Cod. Vat. verba, *Requiescit sponsa, etc.,* omittit., pax sanctae Ecclesiae, et virtutibus sanctis florescit, et spirituali prole multiplicatur.

VERS. 16.---*Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Tigna et laquearia doctores sanctae Ecclesiae, propter munimen [*Cod.* Vat., munimentum] et decorem; cedrina et cypressina [Col. 0645D] propter eximias eorum virtutes, et odorem bonae vitae signant

@ [Col. 0646D] Quae hanc notam sequuntur, omissa in Cod. Vat.. Quorum verbo et exemplo Ecclesia sustentatur, ne haeretica pravitate discutiatur. Odor cedri serpentes fugat, quod convenit illis qui in virtute verbi coelestis venenata haereticorum dogmata solent exstirpare. Cypressus, quae suae venustatem comae nullo ventorum impulsu deponit, constantiam eorum exprimit qui sanctam Ecclesiam altioribus virtutum ornamentis, ut laquearia, decorant.

CAPUT II.

[Col. 0646A]

VERS. 1.---*Ego flos campi et lilium convallium.* Ego decus mundi, et lilium convallium. [*Cod.* Vat., Ego decus mundi et gloria humilium.]

VERS. 2.---*Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Tu requiem quaeris et laudes lectuli. Recordare quod candidior tribulationum aculeis efficieris; et major est fructus praedicationis [*F.,* persecutionis] quam quietis.

VERS. 3.---*Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Sicut malus visu, odore et gustu antecedit ligna silvestria, sic Christus antecellit omnes sanctos [*Cod.* Vat., omnibus sanctis] qui filii Dei dicuntur ex [*Cod.* Vat., sed] gratia, ille solus natura. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* [Col. 0646B] Eodem protegente, quem semper adesse quaesivi, quiesco, et secura permaneo. *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quia gratiae suae coelesti dulcedine me reficit [*Cod.* Vat., refecit].

VERS. 4.---*Introduxit me rex in cellam vinariam.* Cella vinaria Ecclesia debet intelligi, in cujus unitate solummodo Spiritus sanctus dari solet et accipi, cujus gratia hoc loco vini nomine designatur. *Ordinavit in me charitatem*

@ [Col. 0646D] Cod. Vat. hunc et priorem textum jungit., in qua cella ordinata charitas est, ut quisque Deum toto corde, plus quam seipsum; proximum tanquam seipsum diligat.

VERS. 5.---*Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Consolamini me exemplis seu incipientium, seu terminantium. Viam salutis mihi ostendite, dum adhuc in hujus peregrinationis taedio [Col. 0646C] amore supernae visionis languesco.

VERS. 6.---*Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* In laeva Christi temporalia ejus dona, in dextra perpetuae vitae beatitudo signatur, quia hic per spem mentem roborat, et illic per remunerationem glorificat.

VERS. 7.---*Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Contestor pacificas fidelium animas per suas quamque [*Cod.* Vat., quasque] virtutes, quae per

munda et ruminantia {396} animalia signatae sunt, ne pia fratrum studia aliqua importunitate impediant; sed sic quisque de proximorum profectu quasi de suo gaudeat @ [Col. 0646D] Cod. Vat. ea quae notam sequuntur omittit.. Per capreas et cervos virtutum opera signantur, [Col. 0646D] quae quantum munditia praeeminent, tantum violentas antiqui hostis insidias contemnere, imo disperdere consueverunt. Caprea montem ascendit, acumen visus habet, meliora pascua eligit.

VERS. 8.---*Vox dilecti mei.* Subauditur, haec est, quam audivi adjurantem filias Jerusalem, ne me in ejus amplexu quiescentem suscitarent. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Tales enim saltus fecit dilectus meus; de coelo venit in uterum, [Col. 0647A] de utero in praesepe, de praesepi in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rediit in coelum. Ipse est qui elevatus est super omnes montes et colles, id est, sanctorum altitudines.

VERS. 9.---*Similis* [est] dilectus meus capreae hinnuloque cervorum. In assumptione carnis, et humilitate [*Cod.* Vat., humanitate] capreae; in varietate virtutum, et innocentia hinnulo cervorum Christus comparatur, id est patriarcharum. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Indutus pariete nostrae mortalitatis latuit; sed prospiciens ad nos per cancellos et fenestras, dum miracula fecit, vel [*Cod.* Vat., ut] ex miraculis appareret, qui ex passionibus latuit.

VERS. 10.---*Et dilectus meus loquitur mihi.* Ad [Col. 0647B] praedicandum me hortatur, dicens: *Surge, propera, amica mea* [columba mea] formosa mea, et veni. Surge de strato quietis, in quo tuimet solius curam agere quaeris. Propera et veni ad implendam etiam proximis curam salutis per studium sedulae praedicationis.

VERS. 11.---*Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.* Jam frigus infidelitatis, et imber iniquitatis recesserunt, quae totum orbem usque ad tempus Dominicae incarnationis tegebant.

VERS. 12.---*Flores apparuerunt in terra.* Id est, initia fidei et justitiae floruerunt in mundo, crescente Ecclesia. *Tempus putationis advenit.* Id est, amputatis inutilibus vanae religionis sarmentis futuro fidei fructui praeparantur [*C.* V., praeparentur] corda hominum. [Col. 0647C] *Vox turturis audita est in terra nostra, id est, Christi Salvatoris nostri dicentis: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* **(Matth. III, 2)**.

VERS. 13.---*Ficus protulit grossos suos.* Veteris legis praecepta ceciderunt. *Vineae florentes odorem dederunt, id est, evangelicus populus seu vites florentes sanctae conversationis odorem longe lateque dederunt. Surge, amica mea,* speciosa mea @ [Col. 0647D] Cod. Vat., *Surge, sponsa mea, amica mea, et veni., et veni.* O sponsa et amica mea, cui tanta obtuli bona, surge et veni, et accinge te ad certamen, unde aeternam quietem accipias.

VERS. 14.---*Columba mea;* per infusionem Spiritus sancti. *In foraminibus petrae, in cavernis maceriae.* Id est, vulneribus, quae pro salute sponsae Sponsus [Col. 0647D] accepit; et caverna maceriae, id est, custodia virtutum coelestium

@ [Col. 0647D] Ea quae hanc notam sequuntur Cod. Vat. omittit. usque, *Ostende mihi.*. In foraminibus petrae columba sedens nidificat, cum in passione Dominica spem suae salutis ponit Ecclesia, cum in Sacramento mortis ejus, ab insidiis hostis antiqui, quasi a raptu accipitris, sese tutari confidit, et in eodem spiritualium filiorum, id est virtutum, sobolem creare satagit. Unde Jeremias in persona Moab haereticos ad unitatem invitans ait: *Relinquite civitates et habitate in petra habitatores Moab;* estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis **(Jer. XLVIII, 28)**. Maceria [Col. 0648A] valet ad munitionem vineae, et de lapidibus hic exponitur, unde Isaias: *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi, et maceria circumdedit* **(Isai. V, 1, 2)**. Quae maceria custodiam significat, quia Dominus circumdat Ecclesiam, ne immundorum spirituum incursu vastari possit. *Ostende mihi faciem tuam.* Quae in abdito secretae quietis, quasi columba, delitescere cupis

@ [Col. 0648D] Cod. Vat., *Ostende mihi faciem tuam.* Precor, etc., prioribus omissis., precor in publicas actiones procede, et ex operibus ostende faciem [*Cod.* Vat., fidem] tuam. *Sonet vox tua in auribus meis.* Vox videlicet laudis, et praedicationis. *Vox enim tua dulcis,* et facies tua {397} *decora.* Illius namque vox Domino dulcis est, cui dulce est verba Domini proximis enuntiare, vel ipsi Domino laudes resonare; et illa fides decora est quae, operibus ornata, adversa pati [Col. 0648B] non metuit [*Cod.* Vat., non timet].

VERS. 15.---*Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.* Id est, vincite haereticos et schismaticos, parvulos [*Cod.* Vat., pravos] fide, et dolosos verbo, qui dente pravae doctrinae rudes fidelium mentes lacerare solent. *Nam vinea nostra floruit.* Id est, late electorum plebes germinant.

VERS. 16.---*Dilectus meus mihi.* Id est, solus mihi dilectus, et solus mihi adjutor est. *Et ego illi.* Sola sum dilecta, quia nulla alia [*Cod.* Vat., nullus alius] recte diligit Christum, nisi unica Ecclesia, et nulla alia ab eo diligitur. *Qui pascitur inter lilia.* Id est, munditia fidei et candore virtutum.

VERS. 17.---*Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* Donec venturi saeculi lux oriatur aeterna, et [Col. 0648C] umbrae, id est errores praesentis vitae, transeant. *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreae aut hinnulo cervorum super montes Bethel.* Obsecro, dilecte mi, ut saepius dulcedine tuae visitationis revertaris ad me, quia cum carne, quam de patriarcharum origine sumpsisti, super altitudinem omnem coelestium montium, ascendisti, ut laborem peregrinationis meae speculatione aeternae patriae releves [*Cod.* Vat., reveles].

CAPUT III.

VERS. 1.---*In lectulo meo per noctes* [Cod. Vat., *noctem*] quaesivi, quem diligit anima mea; quaesivi et non inveni illum [Cod. Vat., *quaesivi illum et non inveni*]. Jam dudum, inquit, multo studio quaesivi Dominum, sed quae [*Cod.* Vat., quia] adhuc illecebris [Col. 0648D] carnis meae subdita fui, et tenebris profundae ignorantiae obcaecata, non inveni lumen veritatis, id est Dominum.

VERS. 2.---*Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram, quem diligit anima mea.* Quaesivi illum, et non inveni. Proposui animo meo, de lectulo carnalium voluptatum surgere, terras ac maria circuire, et philosophorum adire magisteria [*Cod.* Vat., ministeria]; sed nec sic inveni illum.

VERS. 3.---*Invenerunt me custodes* [Cod. Vat., *vigiles*] qui custodiunt civitatem. Num quem dilexit anima [Col. 0649A] mea vidistis? Vigiles sunt, qui custodiunt Ecclesiam, apostoli et doctores, qui gentilitatem veritatis indagine sollicitam (*Cod.* Vat., sollicitantem] invenerunt.

VERS. 4.---*Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Dum me illorum magisterio tradidi, mox lumen veritatis, quod diu quaesiveram [*Cod.* Vat., quod quaesivi], inveni. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae.* Tenui [*Cod.* Vat., teneo donec . . .] illum firma fide et tenebo, donec in fine saeculi per officium praedicationis introducam illum in domum, et cubile Synagogae, quae me genuit in Domino, et fiet unum ovile et unus pastor.

[Col. 0649B] VERS. 5.---*Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* In superioribus sponsam non invenimus ad quietem somno pervenisse; sed potius de lectulo exsilientem, labore maximo ad inventionem dilecti sui properasse; et quomodo dilectus, ne eam exagitent, adjurat filias Jerusalem. Sed forte anima illa felici sopita sopore, quae in divino amore novit quiescere, claudit oculum in exterioribus cordis, et aperit in interioribus. Merito ergo adjurantur filiae Jerusalem, ne suscitent dilectam, id est, ne mentem Deo devotam ab intentione desiderii coelestis importuna irruptione praepediant
@ [Col. 0649D] Cod. Vat., post versum: «Ideo hunc versum repetit Sponsus, ut non minorem eum Ecclesiae de gentibus congregatae, quam de Judaeis habere sollicitudinem putares, sed ut sit de utrisque una sponsa, [Col. 0650D] et illa dilectissima.» Anteriora et posteriora hic omittuntur.. Repetitur hic locus in Cantico amoris, ut non minorem se Dominus curam Ecclesiae de gentibus gerere [Col. 0649C] designet, quam Ecclesiae collectae de Judaeis. Quod enim adjurat filias, ne suscitent dilectam, ita potest accipi, quod praecipiat eis, qui de Judaeis in fidem praecesserunt, ne inquietent eos; neque quieti eorum contradicant, qui de gentilitatis errore ad fidem pervenerunt.

{398} VERS. 6.---*Quae est ista quae ascendit per desertum? Miratur Synagoga quomodo gentium populus, nullo circumcisionis ministerio emundatus, nulla prophetarum admonitione eruditus, subito ab infimis voluptatibus per desertum gentilitatis, et idololatriae ad alta virtutum culmina et Sponsi amplexus ascendisset*
@ [Col. 0650D] Cod. Vat. sequentia usque, *Sicut virgula, omittit.*. Cujus fides eo majoris est miraculi, quo hanc superne susceptam invincibiliter servat, [Col. 0649D] testante Joanne, qui ait: *Scio ubi habitas;* ubi sedes est Satanae, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam **(Apoc. II, 13)**. Per desertum etiam signari potest ea conversatio quae, a mundi illecebris separata, Dei tantum legi scrutandae et coelestium praeceptorum observationi dedita est. *Sicut virgula fumi ex aromatibus.* Igne amoris accensa omni nisu virtutum

ad coelestia tendit
@ [Col. 0650D] Cod. Vat. sequentia omittit usque, *Myrrhae.*. Fumus eodem tempore partim solet oriri, partim ad sublimia ductus disparere. Sic et Ecclesia in membris quibusdam suis per [Col. 0650A] gratiam sancti Spiritus nova nascitur; in quibusdam, ut in ante natis, ad coelestia colligitur. Non fumo, sed virgulae fumi assimilatur, ut unitas fidei Ecclesiae significetur. *Myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentarii.* Ex mortificatione carnalium voluptatum, et puritate orationum, et omnium virtutum odore.

VERS. 7.---*En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Lectulus Salomonis est conversatio quieta sanctorum. Sexaginta fortes sunt sancti praedicatores et fortissimi bellatores, qui mundo corde digni sunt Deum videre.

VERS. 8.---*Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi.* Tenent enim gladium spiritus, quod est verbum Dei, qui, quod [*Cod.* Vat., quidquid] ore docent, opere complent. *Uniuscujusque ensis super* [Col. 0650B] femur suum propter timores nocturnos. Nocturni timores sunt insidiae tentationis occultae. Ensis autem est custodia vigilans, carnis concupiscentias premens, ne verbum praedicationis immunditia vitae maculet.

VERS. 9.---*Ferculum fecit sibi Salomon rex de lignis Libani.* Ferculum Salomonis est sancta Ecclesia, quae credentes ad aeternae beatitudinis epulas levat, quae de fortibus animo, quasi lignis imputribilibus, constructa est.

VERS. 10.---*Columnas ejus fecit argenteas.* Columnae argenteae sunt doctores eloquii luce fulgentes. *Reclinatorium aureum.* Reclinatorium aureum est spes perpetuae quietis fidelibus promissae [*Cod.* Vat., perpetua . . . promissa]. *Ascensum purpureum.* Ascensus purpureus quid aliud est, nisi martyrum sanguis, [Col. 0650C] et passio Redemptoris nostri? Quia non ascenditur ad epulas vitae, nisi per mysterium passionis Christi. *Media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Omnis enim qui charitatem habet Dei et proximi, ad hanc requiem, ad has epulas laetus perveniet. Haec omnia ornamenta Ecclesiae praestitit Christus ob nimiam charitatem qua dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis.

VERS. 11.---*Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem.* Egredimini mente et actu de turbulenta mundi conversatione, ut Regem pacis valeatis videre. *In diademate, quo coronavit eum mater sua.* Videte Dominum Christum in humanitate, quam de virgine matre susceptam in majestatis paternae dextra collocavit. [Col. 0650D] *In die dispensationis* [Cod. Vat., *disponsationis*] illius. In tempore incarnationis illius, quo ad copulandam sibi Ecclesiam sponsam ex virginali utero processit. *Et in die laetitiae cordis ejus.* Id est, redemptionis humani generis, quae fuit dies laetitiae Christo.

CAPUT IV.

VERS. 1.---*Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Pulchram dicit Ecclesiam;* et pulchram repetit, quia hanc et actione et praedicatione vidit [Col. 0651A] esse laudabilem

@ [Col. 0651D] Quae hanc notam sequuntur omissa sunt in Cod. Vat. usque, *Oculi tui.;* actione videlicet, quia *sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit:* et praedicatione, quia ad suum consortium etiam proximas venire satagit dicens: *Egredimini et videte.* Oculi tui columbarum. Sensus tui spiritualium rerum {399} contemplatione sunt excellentes, et verecundi [*Al.,* venerandi]
@ [Col. 0652D] sequentia, usque, *absque eo, omittit cod.* Vat., quibus mea dona, quae nuper exposuisti; meum diadema, quod nuper praedicasti, videre et cognoscere meruisti. *Absque eo quod intrinsecus latet.* Magna est quippe gloria aperti operis, sed longe incomparabilior merces aeternae retributionis, quae, dum in terris peregrinamur, videri non potest [*Cod.* Vat., quae necdum videri potest]. *Capilli tui sicut greges caprarum.* Possunt in capillis populi fideles accipi, qui maximum decus sua numerositate praebent Ecclesiae. *Quae* [Col. 0651B] ascenderunt de monte Galaad. Galaad acervus testimonii interpretatur, qui bene convenit adunatae multitudini sanctorum.

VERS. 2.---*Dentes tui sicut greges tonsarum.* In capillis fragiliores, in dentibus vero perfectiores quique, et ad regendam Ecclesiam apti designantur. *Quae ascenderunt de lavacro.* Id est, fonte sacri baptismatis, qui et tonsi et loti sunt, hoc est, nudati renuntiando [*Cod.* Vat., renuntiantes] saeculo, et vitae lavacro mundati. *Omnes gemellis fetibus.* Id est, gemina charitate fecundi. *Et sterilis non est inter eas.* Non est, qui fetus boni operis non agat.

VERS. 3.---*Sicut vitta coccinea* [Cod. Vat., *cocunea*] labia tua, et eloquium tuum dulce. Vitta coccinea [Col. 0651C] doctrina veritatis intelligitur. Labia sponsae cocco assimilantur, quia Dominici sanguinis, quo redempta est, pretium praedicare non cessat Ecclesia; vel quia praedicatio sancta charitatis ardore flammescit. *Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet.* In genis verecundia, in malo punico passio Christi exprimitur. Habet ergo ruborem in genis sponsa mali punici, cum sacramentum Dominicae passionis verbis fatetur et factis probat.

VERS. 4.---*Sicut turris David collum tuum.* Turris David Ecclesia est, collum praedicatores, quorum fide et constantia in eadem civitate firma est, et undique inexpugnabilis. *Quae aedificata est cum propugnaculis.* Propugnacula autem ejusdem civitatis, Scripturarum sanctarum munimina sunt, vel Patrum praecedentium [Col. 0651D] exempla. *Mille clypei pendent ex ea.* Quia quot in divinis libris praecepta sunt, tot sunt nostri pectoris munimina, quibus contra omnes insidias defendimur. *Omnis armatura fortium.* Omnis instructio est vel operationis, vel doctrinae coelestis, per quam non solum evadimus, sed et superamus.

VERS. 5.---*Duo ubera tua sunt duo hinnuli caprae* [Cod. Vat., *capreae*] gemelli, qui pascuntur in liliis.

VERS. 6.---*Donec aspiret dies et inclinentur umbrae.* Duo ubera duo sunt sunt populi ex circumcisione venientes et gentilitate, qui per humilitatem quidem parvos se intelligunt et peccatores; sed charitate [Col. 0652A] currentes omnia obstacula mundi transeunt. Qui pascuntur [*Cod.* Vat., pascunt] in liliis, hoc est, candidissimis sanctorum Patrum exemplis, donec praesentis [*Cod.* Vat., praesentes] mortalitatis umbras, aeterno

die aspirante, transeamus. *Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris.* In myrrha mortificatio carnis; in thure devotio orationis exprimitur. Quasi diceret Sponsus: Frequentabo eos, et pia propitius illustratione glorificabo, quos in passionis, sive orationis virtute sublimes esse suspicio.

VERS. 7.---*Tota pulchra es, amica mea, macula non est in te.* In omnibus, scilicet, Deum timentibus, pusillis et magnis
@ [Col. 0652D] Haec glossa deest in cod. Vat..

VERS. 8.---*Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni.* Libanus candor interpretatur, id est, [Col. 0652B] anima bonis actibus candidata, quam tertio hortatur Sponsus, ut veniat: primo, viventem [*Cod.* Vat., viventes] in carne per bona opera. Secundo, absoluta carne ad percipiendam vitam beatam. Tertio, recepto corpore ad fruenda post resurrectionem gaudia perfecta. *Coronaberis de capite Aman* [Cod. Vat., *Amana*], de vertice [Sanir] et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Leones propter superbiam, pardi propter crudelitatem maligni sunt spiritus. Montium vero nomine superba infidelium corda, ubi immundi spiritus sedem habent, designantur. Dum sancti praedicatores tales ad viam salutis convertunt, coronantur de capite et vertice montium, id est, principibus iniquorum, quia de labore [Col. 0652C] certaminis crescit corona gloriae.

VERS. 9.---*Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa mea, vulnerasti cor meum.* In vulneratione cordis magnitudo amoris Christi in Ecclesiam intelligitur. *In* uno {400} *oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* In unitate sancta doctorum, id est oculorum; et in unitate pia subjectae plebis, id est crinium.

VERS. 10.---*Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa.* Item mammae nomine sancti doctores propter consolationem infirmorum, et parvulorum sustentationem, quae lacte fit, exprimuntur. *Pulchriora ubera tua vino.* Suavitas gratiae pulchrior est austeritate legis. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Fama suavissima diffusa [*Cod.* Vat., [Col. 0652D] diffusae] per orbem totum fidei, latior est quam veteris legis et Patrum [in ea], quae in sola Judaea coangustatur.

VERS. 11.---*Favus distillans labia tua, sponsa.* Favus mel in cera est: mel autem in cera spiritualis est divinorum eloquiorum sensus in littera. Mel stillans, quia multiplices sensus pene singulae sententiae habent. Labia sponsae sunt doctores, qui multifarios sensus sacris litteris inesse pandunt. *Mel et lac sub lingua tua.* In lacte eruditio parvulorum, in melle fortior doctrina perfectorum signatur Sub lingua, id est, in meditatione cordis. *Et odor vestimentorum* [Col. 0653A] tuorum, sicut odor thuris. Vestimenta Ecclesiae opera sunt ejus, quae odori thuris comparantur, quia cuncta quae sancta pro Domino agit Ecclesia, orationum per ea vicem reddunt.

VERS. 12.---*Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hortus conclusus Ecclesia est, quae multifaria spiritualium eperum germina gignit. Fons est, quia doctrina salutari redundat; conclusus, quia Domini protectione munita persistit; signatus, sermone fidei.

VERS. 13.---*Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Per irrigationem sacri baptismatis sancta Ecclesia paradisum ex se emittit malorum punicorum, id est, sanctorum martyrum. Cum pomorum fructibus, id est, sanctarum [Col. 0653B] virtutum fructu.

VERS. 14.---*Cypri cum nardo, nardus et crocus.* Cyprus arbor aromatica est, significans coelestis gratiae benedictionem. Nardus Dominicae passionis typum, crocus charitatis fervorem exprimit. Conjungitur cyprus nardo, cum divina gratia confortat nos pro Christo pati. Item nardus croco jungitur, cum charitate Christi mortem libenter suscipimus. *Fistula et cinnamomum.* Fistula, quae et cassia [*Cod.* Vat., casia] arbor aromatica [est], sed modica, et ideo humiles spiritu designat. Item cinnamomum, qui se ipsos despiciunt, signat, quae et ipsa est brevis arbor, sed odorifera et dulcis; sed humilitas magnam habet laudem et dulcedinem apud Deum. *Cum* [Col. 0653C] universis lignis Libani. Sicut fistula et cinnamomum humiles sanctorum cogitationes, sic et ligna Libani sublimes eorum actiones demonstrant. *Myrrha et aloe, arbores sunt aromaticae, quae continentiam carnis exprimunt. Cum omnibus primis unguentis.* Id est, charismatibus virtutum excellentioribus. Et pulchra est conjunctio harum arborum cum unguentis, quia dum carnem a lascivia refrenamus, consequens est ut majora spiritus dona percipiamus.

VERS. 15.---*Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu.* Utrumque Ecclesia est, et fons hortorum, quia spirituales gignit fructus; et puteus aquarum viventium, propter occulta mysteria, quae sanctis per revelationem sancti Spiritus [solis] panduntur. Aquarum viventium propter eloquia divina, [Col. 0653D] quae de invisibilibus divinae gratiae thesauris procedunt. *De Libano.* De ipsa Ecclesia dicit, quae et candida est per munditiam fidei, et alta per virtutum gloriam.

VERS. 16.---*Surge, Aquilo, et veni, Auster, et perfla hortum meum.* In Aquilone adversa mundi, in Austro blandimenta designantur, quia gemina expugnatione probatur Ecclesia. *Surge, permittentis vox, non imperantis est. Et fluant aromata illius.* Id est, virtutum constantia miros odores dispergat. *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Veniat Dominus in Ecclesiam suam, ac eam ipse conservet ubique immaculatam, et fidei fruge fecundet [*Cod.* Vat., fecundam]. *Et comedat fructum pomorum suorum.* Et libenter [Col. 0654A] inspiciat gratanterque accipiat opera sanctorum suorum.

{401}
CAPUT V.

VERS. 1.---*Veni in hortum meum, soror mea, sponsa.* Veni, inquit, saepissime in Ecclesiam meam: et venio ut corrigam, adjuvem, confirmem. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Per myrrham passio vel mortificatio, per aromata omnes virtutes exprimuntur. Metit myrrham cum aromatibus, quando martyres cum caeteris electis ad maturitatem praemiorum perducit. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* In favo et vino praedicatores, in melle et lacte auditores intelliguntur; et utrosque internus Judex approbat et remunerat. *Comedite, amici, bibite et inebriamini, charissimi.* Amici, faciendo [Col. 0654B] quae praecipio; *charissimi, me integra charitate*

amplectendo. Obsecro, ita factis sanctorum, quasi epulis praecipuis, praecordia vestra replete.

VERS. 2.---*Ego dormio.* Donante gratia Dei, in pace praesentis vitae [*Al.,* Ecclesiae] eum colo. *Et cor meum vigilat.* Quo tranquillius ab incursibus externis vaco, eo altius internis visibus video [*Cod.* Vat., eo altius intus video], quam bonus est Deus. *Vox dilecti mei pulsantis.* Pulsat ostium cordis, cum Dominus nos ad profectum virtutum excitat. *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Id est, pande cor mihi. *Soror mea, quia cohaeres mea. Amica mea, quia arcanorum meorum* [*Cod.* Vat., arcanis meis] conscia. *Columba mea, quia spiritus mei dono illustrata. Immaculata mea,* quia sola aspectu [Col. 0654C] meo digna. *Quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium.* Caput Christi Deus; cincinni sunt fidelium collectiones. In rore et guttis noctium, frigens charitas in multis ostenditur, quam in Deum et proximum habere debuerunt. Ideo necessario excitat Dominus fideles quosque ad praedicationis studium [*Al.,* officium]. Cui, provocata ad laborem docendi, respondet Ecclesia:

VERS. 3.---*Exspoliavi me tunica, quomodo induar illa? Ac si aperte dicat, deserui negotia saecularia tui causa, quomodo repetam illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Jam secretae compunctionis fletibus ablui cogitationes terrenas, quomodo mundi* [*Al.,* immundis] sordibus iterum polluar? quia praedicationis officium sine occupatione [*Al.,* praeoccupatione] [Col. 0654D] saeculari vix esse potest.

VERS. 4.---*Dilectus meus misit manum suam per foramen.* Manum quippe suam dilectus per foramen misit, cum nos Dominus occulta invisibiliter compunctione ad opus virtutum accendit, nobisque in memoriam revocat quomodo et quanta de sinu Patris descendens pro nobis esset passus. *Et venter meus intremuit ad tactum ejus.* Haec recolens intima conscientia sponsa, tota expavescit, pigritiam quietis accusans, ad laborem praedicationis festinans.

VERS. 5.---*Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Id est, verbum Domini praedicare. *Manus meae distillaverunt myrrham;* digiti mei pleni myrrha [probatissima]. In manibus enim opera, in digitis discretio [Col. 0655A] designatur; in myrrha continentia et passiones; quae tunc probatissima est, cum solummodo pro charitate Dei et proximi, vel continentia [fit], vel passiones fiunt.

VERS. 6.---*Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.* Pessulum sponso aperit, qui templum sui pectoris divina [inspiratione adveniente pandit, id est
@ [Col. 0655D] Uncis conclusa omittuntur in cod. Vat.], visitatione et inhabitatione dignum fecerit. *At ille inclinaverat atque transierat.* Quia nulli in hac vita plena visio Dei, sicut in futura, conceditur, ideo transire dicitur dilectus, id est, in futurum se videndum et perfruendum plenius ostendit. *Anima mea liquefacta est, ut locutus est.* Quanto suavius, inquit, vocem atque viciniam dilecti mei accepi, tanto sublimius, quidquid in me erat frigidum, charitate incaluit [Col. 0655B] [et liquefactum est (*Cod.* Vat. et quidquid rigidum liquefuit)]. *Quaesivi et non inveni illum;* vocavi et non respondit mihi. Quia donum compunctionis et dulcedinis intimae non in arbitrio est volentis, sed in

miseratione dantis; ideo non semper habent illud aequaliter, quia non ita se offert Deus in exsilio laborantibus, quomodo in patria regnantibus.

VERS. 7.---*Invenerunt me custodes, qui circuierunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Custodes civitatis, id est Ecclesiae, sancti [sunt] doctores, qui sedula praedicatione circumeunt {402} corda singulorum, et spiculis amoris coelestis vulnerant, et ut magis ardeant, inflammescunt, et vetustae [Col. 0655C] conversationis tegmen eis subtrahunt.

VERS. 8.---*Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum* [Cod. Vat. om. *meum*], ut nuntietis ei quod [Cod. Vat. *quia*] amore langueo. Merito languet sponsa, cum gladio verbi Dei percussa terrenum exuit amictum; et filias Jerusalem, id est, Deo dignas adjurat animas, ut sui amoris magnitudinem ad Deum referant, et pro ejus videnda gloria supernum sibi poscant auxilium.

VERS. 9.---*Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Obsecro te, quia sic adjurasti me, ut amore, quo te languescere dicis, me quoque per verbum praedicationis facias ardescere;* [Col. 0655D] et mihi ostendas qualis sit dilectus tuus ex ea parte qua possit diligi, non timeri, quia *perfecta charitas foras mittit timorem* **(I Joan. IV, 18)**.

VERS. 10.---*Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Candidus, quia sine peccato; rubicundus sanguine passionis; electus ex millibus, quia solus mediator Dei et hominum.

VERS. 11.---*Caput ejus aurum optimum.* Caput Christi Deus, qui solus bonus et optimus. *Comae ejus sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus.* Comae catervae sunt sanctorum, quae Deo fideli famulatu adhaerent. Elatae palmae, propter eminentiam [*Cod.* Vat. om. eminentiam] apud Deum. Nigrae, propter [Col. 0656A] despectionem apud homines. Vel, elatae ob victoriam; nigrae ob pressuras.

VERS. 12.---*Oculi ejus sicut columbae super rivulos aquarum, sancti doctores sunt, per quos Ecclesia videt quae recta sunt;* qui bene columbae, propter innocentiam [*Cod.* Vat. om. innocentiam] et simplicitatem; et rivulis aquarum propter charismata divina comparantur. *Quae lacte sunt lotae, et resident juxta fluenta plenissima.* Lacte lotas dicit, id est, gratia dulcissima mundatas. Et resident juxta fluenta plenissima, id est, omnium donorum spiritualium abundantiam. Potest in rivulis veteris legis eruditio; et in fluentis plenissimis perfectio evangelicae doctrinae designari, quia praedicatores de thesauris suis proferunt vetera et nova **(Matth. XIII, 52)**.

[Col. 0656B] VERS. 13.---*Genae illius sicut areolae aromatum.* In genis Salvatoris nostri ejus modestia [*Cod.* Vat., modesta pietas] simul et severitas exprimitur. In areolis aromatum virtutes, et dulcedo, et fama gloriae ejus designantur. *Consitae a pigmentariis:* labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Prophetis et apostolis; hi futurae [*Cod.* Vat., futura] incarnationis ejus arcana; illi facta narrantes. Labia illius verba sunt doctrinae ejus; lilia, quia charitatem coelestis regni promittunt; *distillantia myrrham primam, quia per contemptum voluptatum praesentium ad hanc*

perveniendum esse praedicant.

VERS. 14.---*Manus illius tornatiles aureae.* Manus, id est opera; quia quae verbis docuit, factis implevit. *Tornatiles,* quia in se omnem regulam justitiae [Col. 0656C] tenent, ut dicitur: *Oportet me omnem justitiam implere* **(Matth. IV, 15)**. Sunt et manus aureae, quia omnia quae in homine gessit, divinitatis gloria perfecit. *Plenae hyacinthis.* Quae ad spem nos coelestium atque amorem excitant; quia hyacinthus [*Cod.* Vat., in hyacintis] aerii coloris gemma est. *Venter ejus eburneus distinctus sapphyris.* Venter ergo dilecti fragilitatem humanitatis ejus designat; ebur decorem castitatis; sapphyrus sublimitatem coelestium virtutum. *Distinctus sapphyris, quia partim humana fragilitas esurie, tentatione, fatigatione, morte;* partim divina celsitudo, miraculis, resurrectione et ascensionis gloria intelligitur.

VERS. 15.---*Crura illius columnae marmoreae.* Crurum vocabulo itinera [*Al.,* munera] incarnationis [Col. 0656D] Christi insinuantur, quae columnis marmoreis propter firmitatem et rectitudinem comparantur. *Quae fundatae sunt super bases aureas.* Quia quidquid per eum vel de eo gestum est, omnia divinae praevisionis [*Cod.* Vat., provisionis; *al.,* promissionis] consilio ante tempora saecularia disposita sunt. *Species ejus, ut Libani;* electus, ut cedri Ut Libanus celsitudine et gratia arborum alios montes, sic Dominus Christus omnes sanctos meritorum celsitudine et gratia virtutum antecellit. Electus ut edri. Sicut alias arbores quae in Libano nascuntur, superat dignitate sua, ita Christus omnes qui in Ecclesia ad vitam nascuntur, sua transcendit gloria.

[Col. 0657A] VERS. 16.---*Guttur illius suavissimum.* In gutture interna dulcedo verborum illius memoratur, quam qui sapit, non esurit. *Et totus desiderabilis.* Quid amplius {403} quaeris? Totus desiderabilis est, quia totus Deus et totus homo, in quem desiderant et angeli prospicere. Deus in majestate Patris; homo in virginitate matris; in illo Creator, in hac Salvator. *Talis est dilectus meus, et talis est amicus meus, filiae Jerusalem.* Quanto devotius quisque diligit Deum, tanto familiarius habet amicum Deum; et talem necesse [est] ut intelligas eum, si vis eum habere amicum.

CAPUT VI.

VERS. 1.---*Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum! Pro decore enim carminis* [*Cod.* Vat., carnis] [Col. 0657B] variantur personae loquentium; sed tamen Christi Ecclesiam, quae sponsae vocabulo exprimitur, designant. *Pulcherrima mulierum.* Pulchrae sunt singulae sanctorum Ecclesiae, sed pulcherrima universitas totius sanctae Ecclesiae per totum orbem. *Quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum.* Qui aliquando in terra corporali specie versatus est, dic quo declinarit ille, ut illum sequamur [*Al.,* quaeramus] tecum.

VERS. 2.---*Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis.* Quasi dixisset, illuc ascendit, unde descendit. In hortum, id est in Ecclesiam suam, ut eam fonte gratiae suae, quasi areolam aromatum irrigaret, ut virtutum floribus germinaret. *Ut pascatur in hortis, et lilia colligat.* Pascitur in hortis, dum piis sanctorum laboribus delectatur; et lilium colligit, [Col. 0657C] dum ad perfectum [*Cod.* Vat., perfectorum]

meritorum candorem pervenientes ad coelestia regna perducit.

VERS. 3.---*Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Ego dilecto meo locum habitationis praeparo in me; et ipse mihi apud se, qui semper inter sancta desideria mentium castarum pascitur. Hactenus sanctae Ecclesiae vox est, laudantis ac quaerentis sponsum; nunc quid quaesitus respondeat, subinfertur.

VERS. 4.---*Pulchra es,* [amica] mea, suavis et decora sicut Jerusalem. Sancta Ecclesia suavis et decora ut Jerusalem dicitur, quia ejus vitae desiderium visioni jam pacis intimae assimilatur. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Id est, charitate unita [*Al.,* [Col. 0657D] juncta] et compacta, ut nullus locus hosti per malum discordiae aperiatur, quia solummodo in unitate pacis terribiles sumus hosti.

VERS. 5.---*Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Id est, oculos mentis tuae. Noli quaerere in tuae peregrinationis itinere perfecte me cognoscere, quod fieri non potest; quia quo intentius me agnoscere quaeris, eo certius me incomprehensibilem esse intelliges; et non quaeras in via praemium, quod tibi in patria reservatur. *Capilli tui sicut grex caprarum, quae apparuerunt de Galaad.*

VERS. 6.---*Dentes tui sicut greges ovium, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus et sterilis non est in eis.* Hi versiculi prius expositi sunt, sed repetitio [Col. 0658A] firmitatis est indicium. In capillis populi, in dentibus doctores, in gemellis fetibus duo praecepta charitatis intelliguntur.

VERS. 7.---*Sicut cortex mali punici genae tuae absque oculis tuis.* Genae sanctae Ecclesiae spirituales sunt Patres, qui virtutibus sunt mirabiles, et moribus venerabiles, et in Christi cruce gloriari non erubescentes. Et haec magna sunt valde quae videntur in ea, sed multo majora quae non videntur et in futurum reservantur.

VERS. 8.---*Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.* Reginae sunt, quae amore sponsi et coelestis praemii intuitu per praedicationem veritatis et fidei, et sacri baptismatis fontem, sobolem aeterno Regi [spiritalem] [Col. 0658B] generant. Concubinae sunt, quae carnalibus solummodo [*Cod.* Vat., quae carnali solummodo commodo] Christum praedicando vel baptizando docent. Et ideo illae perfectione senarii numeri, per decalogum [*Al.,* denarium] multiplicatae; hae octonarii imperfectione non sinceriter decalogum servantes designantur. Adolescentulae sunt animae nuper Christi gratia renatae, quarum summa, propter multitudinem [*Cod.* Vat., prae multitudine] civium coelestium numerum transcendit.

{404} VERS. 9.---*Una es* [Cod. Vat., *est*], columba mea, perfecta mea. Sancta videlicet et universalis per totum orbem Ecclesia. *Una est matri meae, electa genitrici* [Cod. Vat., *matris* . . . genitricis] suae. Id est, coelesti Jerusalem, quae est mater omnium nostrum, unde [Col. 0658C] ad nos gratia sancti Spiritus descendit, per quam renascimur Deo. *Viderunt eam filiae Sion et beatissimam praedicaverunt:* reginae et concubinae laudaverunt eam. Quas prius dixit adolescentulas, nunc filias nominat. Reginae et concubinae idem sunt quae ante, quae omnes catholicam laudant Ecclesiam.

VERS. 10.---*Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Progreditur Ecclesia *quasi aurora, quia jam veri luminis in ea sol ortus, mundo post tenebras longae ignorantiae monstratur. Pulchra ut luna;* quia sole justitiae illustrata noctem mundi illuminat. [*Electa ut sol*], quia imaginem sui conditoris in omni justitia, sanctitate et pietate [*Cod.* Vat., veritate] portat. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* [Col. 0658D] Terribilis aeris [*Cod.* Vat., aereis] potestatibus in unitate charitatis, fidei et spei.

VERS. 11.---*Descendi ad hortum nucum, ut viderem poma convallis.* Hortus etenim nucum est Ecclesia praesentis saeculi [*Cod.* Vat., Ecclesia praesens], ubi nostras conscientias alterutrum minime videmus, sed fracta per tentationem testa corporis, apparebit internae dulcedinis gustus. Poma convallis fructus est humilitatis. Descendit sancta Ecclesia per doctores sanctos, qui proficiunt ad fructus bonos, quive adhuc indigent doctrinae irrigatione. *Ut inspicerem si floruisset vinea.* Inspicerem si virtutum studia floruissent. *Et germinassent mala punica.* Si qui ad exemplum Dominicae passionis praeparati essent suum fundere sanguinem.

[Col. 0659A] VERS. 12.---*Nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Nescivi dona gratiae spiritualis in te esse, sponsa, sed anima mea conturbavit me propter introductionem [*Cod.* Vat., inductionem] Novi Testamenti, et evangelicae quadrigae, qua [*Cod.* Vat., quia] Aminadab (qui interpretatur, *populi mei spontaneus*) id est, Christus, per totum vehitur mundum; cui Ecclesia consolando mox respondet.

VERS. 13.---*Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Noli turbata esse, sed revertere ad agnitionem tui Redemptoris, qui tibi toties in prophetis et lege promissus est. Revertere puritate fidei, operum perfectione. O Sunamitis, id est, captiva, jam vinculo infidelitatis penitus abraso [Col. 0659B] [*Verba* penitus abraso *omissa in Cod.* Vat.], revertere ad tuum Redemptorem, ut salveris.

CAPUT VII.

VERS. 1.---*Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Tu doles Synagogam obduratam;* prope est tempus quo choros bellantium adversus malignos spiritus, et laudantium Deum videbis in ea. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Nunc laudes Ecclesiae ab ipso Sponso proferuntur:* et primo operum constantia, et mortificatio voluptatum laudantur in ea, quam et filiam principis, id est Christi, ob gratiam baptismatis et nobilitatem virtutum nominat. *Juncturae feminum* @ [Col. 0659D] Vulg., *femorum. tuorum sicut monilia, quae fabricata sunt per manum artificis.* Duorum concordia populorum spirituali prole fecundantium [Col. 0659C] in junctura feminum designatur; quae sicut monilia fabricata sunt manu artificis, id est, ineffabili largitate Conditoris nostri firmata: in monilibus bona opera exprimuntur.

VERS. 2.---*Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Umbilicus, id est, fragilitas infirmitatis nostrae contra fidem [*Cod.* Vat., om. verba: contra fidem]. Crater fit tornatilis, cum conscientia mortalitatis, atque infirmitatis nostrae admoniti

calicem verbi salutaris proximis prompta mente propinare satagimus. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Acervus tritici vallatus liliis est, cum abundantia boni operis sola spe perpetuae lucis colligitur. In ventre, memoria; in tritico, multiplicatio boni operis; in liliis, castitas spei exprimitur. Item [Col. 0659D] in tritico, panis; et in cratere potus, qui pauperihus datur, exprimitur.

VERS. 3.---*Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae.* De hoc versu superius dictum est. Duo ubera doctores sunt utriusque populi; hinnuli gemelli duo testamenta sunt invicem concordantia
@ [Col. 0660D] Cod. Vat., «hinnuli gemelli propter unam concordiam.».

{405} VERS. 4.---*Collum tuum sicut turris eburnea* [Cod. Vat., eburneae]. In collo item doctores designati sunt, qui turri eburneae pro firmitate [*Cod.* Vat., propter firmitatem] et pulchritudine comparantur, quia civitati Dei et robur praestant et decus. *Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis.* Item oculi Ecclesiae doctores sunt [Col. 0660A] propter providentiam, sicut collum propter nutrimentum. Et recte piscinae comparantur, quia fluenta doctrinae suis auditoribus praebere non cessant. *Esebon cingulum moeroris interpretatur, quia sancti pro vana laetitia carnis cingulo abstinentiae constringuntur.* Et bene in portis filiae multitudinis, ob abundantiam populorum concurrentium per portam fidei in Ecclesiam. *Nasus tuus sicut turris Libani.* Item in naso verbi Dei dispensatores, causa discretionis, designantur. *Turris, quia eminentissimum locum tenent in Ecclesia. Quae respicit contra Damascum.* Id est, sanguinarios et impios; quia Damascus *sanguinem bibens interpretatur.* Significat carnales et crudeles, contra quos sancti doctores in turre Libani, id est, firmitate Ecclesiae, semper vigilant.

[Col. 0660B] VERS. 5.---*Caput tuum ut Carmelus, et coma capitis tui* [sicut] purpura regis vincta canalibus. In capite mens designatur; in comis cogitationes; et sicut capite membra, ita mente cogitationes reguntur, ut in Carmelo (qui interpretatur *conscientia circumcisionis* [conclusa semicirculis *omissa in Cod.* Vat.]). Id est, sublimibus, et passione, quae nomine purpurae exprimitur, versentur. Canales praecordia sunt sanctorum, in quibus alligantur tales cogitationes.

VERS. 6.---*Quam pulchra es et quam decora, charissima in deliciis.* Pulchra fide et opere decora. Charissima in deliciis, id est, spiritualibus virtutibus.

VERS. 7.---*Statura tua assimilata est palmae.* Id est, rectitudo operationis bonae semper ad victoriam [Col. 0660C] tendit. *Et ubera tua botris.* Uberibus doctores Ecclesiae propter lac primae eruditionis comparantur, et botris aequantur propter mysteria dulcissimae [*Cod.* Vat., dulcissima] aeternitatis.

VERS. 8.---*Dixi, ascendam in palma, apprehendam fructus ejus, et erunt ubera tua sicut botri vineae.* Apte quidem crux victrix [*Cod.* Vat., victoriosissima crux] palmae comparatur, in quam Christus ascendens apprehendit fructus ejus, id est, dona quae largitus est sanctae Ecclesiae, quae ex illo tempore botros vineae germinavit, id est, sanctos doctores, qui majore scientia et gratia, post crucem et resurrectionem Salvatoris, abundabant. *Et odor oris tui* [Cod. Vat., et odores tui] *sicut malorum.*

VERS. 9.---*Guttur tuum sicut vinum optimum ad* [Col. 0660D] potandum. In gutture vox praesentis doctrinae; in odore fama absentis designatur: et ideo vino illa propter fragrantiam virtutum, haec malis ob suavitatem absentis famae comparatur. *Dignum dilecto meo.* Rapuit enim sponsa verbum ex ore sponsi, quia ille vino optimo eam comparavit et subjecit; *Dignum dilecto meo, id est, tanta sublimitas est evangelicae praedicationis, ut ipse dilectus primus, per hanc in carne apparens, mundo iter coeleste aperuerit. Labiisque et dentibus illius ruminandum.* Id est, apostolis praedicatoribusque maxime [*Cod.* Vat., maximis] dedit ad meditandum.

VERS. 10.---[*Ego dilecto meo, et non alteri,* cui [Col. 0661A] totam curam servitutis et dilectionis impendo]. *Et ad me conversio ejus.* Me solam diligit, et adjuvat, ne deficiam in via.

VERS. 11, 12.---*Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Quia nullatenus sancta Ecclesia, vel ad bene operandum egrediendo procedere, vel in exercitio bonae operationis persistendo commorari, vel saltem ad propositum bene agendi assurgere, vel animos auditorum suorum, quantum profecerint, discernere sufficit, nisi Dei gratia adjuta, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**. Item in agro Christiani, in villis pagani, in vineis [Col. 0661B] Ecclesiae, in floribus fides, in fructibus virtutes, in malis punicis martyrium designatur. In his enim singulis sponsa dilecti sui praesentiam quaerit. *Ibi dabo tibi ubera mea.* Id est, parvulorum meorum paedagogos, quia in his omnibus proficiunt doctores sancti.

VERS. 13.---*Mandragorae dederunt oaorem in portis nostris.* Mandragora, propter multimoda medicaminum genera, sanctorum virtutibus comparatur. Portae Ecclesiae {406} doctores sunt sancti. In hujusmodi portis mandragorae dant odorem, cum spirituales quique ex se virtutum famam [*Cod.* Vat., palmam] longe lateque spargunt. *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Poma nova et vetera, praecepta sive promissa sunt novi et veteris [Col. 0661C] testamenti, quae omnia ad ejus gratiam refert Ecclesia.

CAPUT VIII.

VERS. 1.---*Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae.* Vox ista est antiquorum justorum, optantium adventum Christi in carne. *Sugentem ubera matris meae, id est, in synagoga nasci ac nutriri, juxta humanae conditionis naturam. Ut inveniam te foris.* Intus erat dilectus, dum in principio erat Verbum; foris, dum Verbum caro factum est. *Et deosculer te.* Id est, facie ad faciem videam, et ore ad os loquar. *Et jam me nemo despiciat.* Ante adventum Christi intra angustias Judaeae tantum fuit Ecclesia; post ascensionem, in toto mundo dilatata fuit et venerabilis.

[Col. 0661D] VERS. 2.---*Apprehendam te.* Prompta ac fideli devotione venientem excipiam. *Et ducam te ad domum matris meae.* Peracta carnis dispensatione redeuntem, laetis

ducam luminibus in domum matris, ubi coelestis Jerusalem mater est nostra. *Ibi me docebis.* Facies me potiora sperare dona, quam in lege habuissem. *Et dabo tibi poculum ex vino condito.* Id est, ferventem amorem, variis virtutum pigmentis ornatum. *Et mustum* [Cod. Vat., *mistum*] malorum granatorum meorum. Id est, gloriosum sanctorum martyrum triumphum, qui ferventissima charitate per ferrum flammasque ad te transire non dubitant.

[Col. 0662A] VERS. 3.---*Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Laeva incarnationis Christi dona designat; et dextera futura sanctorum cum Christo gaudia exprimit.

VERS. 4, 5.---*Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis* [dilectam], donec ipsa velit. Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens? Vox Synagogae mirantis, quomodo Ecclesia de deserto gentilitatis in sponsi subito amplexus ascendisset. *Deliciis affluens, id est, omnium donorum pulchritudine. Innixa super dilectum suum.* Omnia quae habet, ad gratiam dilecti, illi soli innitendo, referens. *Sub arbore malo suscitavi te.* Respondit pro sponsa Synagogae ipse sponsus. *Sub arbore malo excitavi te, id est,* sub arbore crucis a perpetua [Col. 0662B] morte revocavi [*Cod.* Vat., renovavi] te, ut apostolos et caeteros electos ex Judaea. *Ibi corrupta est mater tua;* ibi violata est genitrix tua. Id est, major pars plebis Christum negando, et Barabbam eligendo, ad crucem reprobata est.

VERS. 6.---*Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Signaculum brachio vel digito ob memoriam cujuslibet rei ligamus. Per cor cogitatio, et per brachium designatur operatio. Si me velis habere sponsum, intus sit charitas in fide non ficta, et foris operatio devota. *Quia fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* Fortis est usque ad mortem mea dilectio in te, o Synagoga! sed tua aemulatio dura in me fuit, sicut infernus. Sed [Col. 0662C] verte aemulationem in dilectionem, et eris mihi sponsa et soror et amica. *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Dilectionis lampades corda sunt fidelium. *Ignis, propter fervorem cordis; flammarum, propter operationis* [*Cod.* Vat., orationis] efficaciam.

VERS. 7.---*Aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Aquas multas et flumina, tentationum dicit incursus, quae visibiliter vel invisibiliter animas fidelium impugnare non desinunt, quibus charitas non cedit. *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro charitate* [Cod. Vat., *dilectione*], quasi nihil despiciet eum. Sancti vero totius mundi substantiam pro dilectionis magnitudine relinquentes, nisi etiam se ipsos abjiciant, [Col. 0662D] nihil proficiunt
@ Cod. Vat.: «Sancti vero totius substantiam pro dilectionis magnitudine quasi nihil despiciebant.».

VERS. 8.---*Soror nostra parva, et ubera non habet, quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est? Prima nascentis Ecclesiae de gentibus tempora significat* [*Cod.* Vat. et al., designat], quando adhuc et parva fuit numero, et minus idonea praedicare verbum {407} quasi Sponsus Synagogae dixisset de ea: *Quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est? ac si aperte dicat, parva quidem numero est Ecclesia gentium, et necdum* [*Al.* add ad] verbi mysterium [*Cod.* Vat.,

ministerium] subire sufficit; quid ergo tibi videtur, o Synagoga, de sorore faciendum nostra, quando alloquenda est, id est, per verbi [Col. 0663A] ministerium ducenda in fidem? Synagogae tacenti ipse Sponsus, quid fieri debeat, respondit:

VERS. 9.---*Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea.* Ac si diceret, si aliquos habet in se fortes in fide, vel claros ingenio, vel philosophia instructos, addemus illis propugnacula argentea, id est, scientiam divinarum Scripturarum, ut eo facilius possint tutari infirmos atque indoctos. *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Si sint simplices, tamen docendi studio inhiantes, proponamus illis priorum exempla justorum, quo certius et efficacius docendi opus implere possint. Cedri, virtutes sanctorum, et tabulae latitudinem charitatis designant. Ad haec ipsa respondet Ecclesia.

VERS. 10.---*Ego murus.* Ego de vivis compacta [Col. 0663B] sum lapidibus, et glutino charitatis adunata, et super fundamentum immobile aedificata. *Et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, id est, doctores habens fortissimos ceu turris, qui et parvulos nutrire sciunt et omnia maligni jacula expellere.* Et hoc mihi accidit ex eo tempore, quo Christus me reconciliavit, [et pacem per eum reperi]. *Quasi pacem reperiens.* Quia ipse est pax vera, faciens utraque unum.

VERS. 11.---*Vinea fuit pacifico in ea, quae habet populos.* Vinea, id est, catholica Ecclesia fructu abundans fidei, fuit pacifico, id est Christo, qui omnia pacificavit in coelis et in terris in ea congregatione, quae multos populos possedit ex toto orbe, non in Judaea solum. *Tradidit eam custodibus,* prophetis et [Col. 0663C] apostolis, vel angelicis dignitatibus. *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* Id est, pro retributione aeterna hujus vineae, affert mille argenteos; id est, pro acquisitione regni coelestis, qui est fructus vineae, cuncta, quae mundi sunt, reliquit. Millenarius numerus pro perfectione ponitur, id est [*F.,* illius], qui [Col. 0664A] omnia reliquit. Argentei pro omni pecunia accipiuntur.

VERS. 12.---*Vinea mea coram me est.* Et haec vox Sponsi est. Verum etsi te aliis commendem custodibus, tamen te semper in mea habeo praesentia, videns et remunerans laboris tui devotionem in omnibus. *Mille tui pacifici.* Mille tui, subauditur, argentei; quasi dixisset, qui pro amore meo cuncta sua dimittunt, in pace habent reservata, significans simpliciores in Ecclesia, qui omnem substantiam suam, millenario numero designatam, pro charitate Dei amittunt. *Et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.* Id est, argentei his, qui custodiunt fructus ejus; qui sunt doctores sancti, qui omnia mundi dimittunt, et in verbo praedicationis laborare non cessant. Hi duplici [Col. 0664B] remuneratione, quae ducentario designatur, donantur apud me.

VERS. 13.---*Qui habitas in hortis, amici auscultant.* Quia locutio nostra finienda est, hoc ultimum vale a me audito. Semper habitat [*Cod.* Vat., habita] in hortis virtutum, et scito quod amici, id est angelici spiritus et animae sanctorum, semper te considerant et tuo gaudent profectu. *Fac me audire vocem tuam.* Id est, vox praedicationis, quantum vales, semper audiatur a me. Ad haec sponsa respondit:

VERS. 14.---*Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super*

montes aromatum. Ac si aperte dicat quoniam in carne apparens praecepta ac dona vitae mihi tulisti, nunc his peractis revertere in [Col. 0664C] sinum Patris [*o mi dilecte, assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum*]. Et hoc mihi sit solatium, quod cum continua visione non queam [*Cod.* Vat., nequeo] te cernere, saltem crebra visitatione me consolari dignari velis [*Cod.* Vat., saltim crebra visione me consolari memento].

{408}

EPISTOLA AD DAPHNIN.

De illo Cantico canticorum loco:
@ In Cod. ms. Salisb. titulus: *De sexagenario numero reginarum, et octogenario concubinarum. Sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae* **(Cant. VI, 7)**.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0663C]

Praesentem epistolam, seu commentatiunculam citati ex Canticis loci, primo Canisium tom. VI Lect. Antiq., pag. 366-368, seu tom. II edit. Basnagii, part. I, pag. 540, ex bibliotheca celeberrimi monasterii S. Galli, edidisse creditur; quamvis Antonius Possevinus, tom. I Apparat. Sacri, pag. 35, antiquiorem editionem, factam anno 1568, una cum commentario in Psalmos, recenseat. Cl. Quercetanus editionem Canisii secutus est, illamque inter Opera B. Fl. Alcuini recensuit pag. 306. Quam editionem nos quoque sequimur, collatam cum veteri codice ms. Salisburgensi, unde quasdam differentes lectiones adnotavimus. *Juvenis, ni fallor, ait Basnagius loc.* cit., *erat adhuc, cum hanc epistolam scripsit Alcuinus;* quippe inter familiares latitare *cupiebat, doctorum judicia reformidans, nec eorum conspectui sese praesentare audebat.* Parvi quoque momenti esse hanc epistolam [Col. 0664C] censent scriptores Hist. litt. Franciae, tom. IV, pag. 305, n. 6.

De Daphni seu Daphini omnia nobis ignota, nisi quod Alcuini fuerit discipulus, cui suum dolorem de perversa vivendi ratione, cui alter discipulus, Cuculus nomine, se dederat, significavit, quem plangit singulari carmine, suo quoque loco ex Analectis Cl. Mabillonii exhibendo.

Dilectissimo filio meo Daphini [*Ms.,* Daphni], Albinus Pater salutem.

Quia pridem de numerorum ratione mecum egisti, interrogans quomodo in excellentissimo Cantico Salomonis sexagenarius numerus reginis conveniret, et octogenarius concubinis, et cur adolescentulae sine numero essent: igitur et si noverim te plenam [*Ms.,* plenariam] hujus rationem in sanctorum Patrum tractatibus legisse, tamen ne tuam contristem sollicitudinem, [Col. 0665A] dicam quod meae videtur imperitiae posse convenire, et quod tantum inter familiares aures latitare velim, quia me publice [*Ms.,* publico] magnorum doctorum judicio praesentare non audeo.

Legimus enim in numerorum subtilissima ratione, alios numeros esse pares, alios impares; et item parium numerorum alios esse perfectos, alios esse imperfectos: item et imperfectorum alios esse superfluos, alios exiguos. Pares autem numeri sunt, qui in duo aequalia dividi possunt: ut octo in bis quatuor, et quatuor in bis duo. Impares sunt, qui in duo aequalia dividi non possunt, ut septem vel novem; quos si dividas, duas aequales in eis [partes] invenire non poteris: item ipsorum parium numerorum alii sunt perfecti, alii imperfecti. Perfectus numerus est [Col. 0665B] qui partibus suis impletur, nec diminutione frangitur, nec multiplicatione partium superabundat, ut senarius numerus. Habet enim senarius numerus dimidiam sui partem tres, et tertiam duo, et sextam unam, qui simul juncti eumdem implent senarium; nam unum, duo, tres, faciunt [sex] qui partibus suis impletur. Nec diminutione frangitur, nec abundantia supercrescit; idcirco perfectissimus Creator, qui universa valde bona creavit, in eo numero originalis mundi creaturas condidit, ut ostenderet, omnia in suo genere esse perfecta, quae condidit.

Item octonarius [*Edit.,* octogenarius] numerus, si eum in partes a se ipso nominatas dividas, minor se ipso ipse invenitur, habet enim dimidiam sui partem quatuor, et quartam duas, et octavam unam: quae [Col. 0665C] simul ducta octonarium non implent, sed septenarium; unum, duo et quatuor septem efficiunt, non octo: et {409} idcirco secunda hujus generis [*F.,* humani generis] origo ab octonario numero crescere coepit. Videlicet octo animas in arca esse legimus, a quibus totius humani generis multitudo pullulavit, ut ostenderetur, secunda origo esse imperfectior, quam prima, quae senario numero creata est. Inde et Redemptor noster et Reparator primae perfectionis, sicut Adam sexta die ex virgine terra creatus est, ita ille sexta aetate ex virgine Maria factus est homo, ut senarii numeri perfectionem suo dicaret adventu, quam in primi hominis monstravit conditione.

Item progressionem numerorum articulis, quasi [Col. 0665D] quibusdam unitatibus, ad infinita crescere per quasdam finitas formas videmus. Nam prima progressio numerorum est ab uno usque ad decem. Secunda a [Col. 0666A] decem usque ad centum. Tertia a centenario usque ad millenarium. Et eamdem regulam perfectionis [vel imperfectionis], quae [*Leg.* quam] prima unitas in suis numeris pro [*Ms.,* sub] denario servat, eamdem et secundam in suis denariis sub centenario servare necesse est. Nam sicut senarius numerus in suis partibus per unitatem positus [*Ms.,* positis] perfectus est in seipso, ita et sexagenarius partibus suis positis per denarium perfectus esse noscitur, ita ut semper in sexagenario denarius locum obtineat unitatis in senario, et sit illius divisio per partes suas ejusmodi: medietas sexagenarii est tricenarius, sicut ternarius senarii; et est tertia pars vicenarius, sicut binarius in senario; et denarius in eo locum teneat unitatis; quae summa si colligitur eumdem implet sexagenarium. [Col. 0666B] Decem itaque, et viginti, et triginta, sexaginta sunt, sicut et tres, et duo, et unum, sex.

Poteris et per te ipsum, juxta eamdem regulam, octogenarii explorare diminutionem. Nam octogenarii quadragenarius medietas est, et viginti quarta pars, et denarius octava: quae simul ducta septuaginta faciunt non octoginta, nam decem, viginti, quadraginta, septuaginta sunt [*Ms.,* faciunt].

Sexaginta vero reginae et octoginta concubinae rectores sunt sanctae Ecclesiae. Sed alii

ex illis propter solam Christi charitatem docent; alii, terrena sequentes commoda, laborant in Ecclesia, non coelestis patriae labore [*Ms.,* ardore], sed terreni lucri gratia desudant in docendo. Hi sua in perfectione [*F.,* imperfectione] octogenario numero comparantur: illi [Col. 0666C] perfecta beatitudine sexagenario designantur, ut reginarum nomine digni efficiantur, quia spiritualem sobolem propter amorem solummodo Sponsi, et multiplicandis filiis in coelestem patriam, felicem prolem baptizando, seu praedicando generare non desistunt. Illi vero concubinarum nomine denotantur, quia saeculi ambitione, vel temporalis honoris gratia, praedicando seu baptizando nobiles quidem generant saepe filios, sed illi ignobiles in semetipsis permanent. Quorum contubernium, fili charissime, fuge, obsecro, et si te quandocunque Dei misericordia doctorem dignetur efficere, tu pro ejus amore laborare non cesses, qui pro tua salute sanguinem suum fundere non dubitavit, ut tibi sint mercis [*Ms.,* sit merces] non perituræ divitiae, sed perpetua gloria in [Col. 0666D] coelesti thalamo Domini [nostri] Jesu Christi, cui laus et gloria in omnes aeternitates. Amen.

{410}

OPUSCULUM QUARTUM. COMMENTARIA SUPER ECCLESIASTEN.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0665D]

Praesens commentarius publicis typis primo, quantum scitur, prodiit Argentorati, vel (ut in Bibl. Baluziana, tom. II, pag. 603, notatur) Basileae apud Joannem Bebelium, anno 1531, in-8o. Inde Cl. Quercetanus [Col. 0666D] illum in suam collectionem transcripsit. Editionis praeterea Parisiensis de anno 1589 mentionem faciunt compilatores magnae Bibliothecae ecclesiasticae, quae tamen ab omnibus aliis eruditis ignoratur.

Editionem Cl. Quercetani contulimus cum cod. ms. [Col. 0667A] bibliothecae nostrae, monasterii scilicet sancti Emmeramiani; cujus etiam ope praefatam editionem in aliquibus locis emendavimus, ac differentes et alibi deficientes lectiones adnotavimus, versusque in fine epistolae adjecimus. Eidem codici nostro hic titulus praefixus est: *Incipit Expositio Albini super Ecclesiasten;* in fine tamen tres aut quatuor ultimae paginae excisae sunt; quem defectum infra suo loco notabimus.

PRAEFATIO.

Dilectissimis in Christo filiis, Oniae sacerdoti, Candido presbytero, et Nathanaeli [*Ms.,* Nathaheli] diacono, Albinus perpetuae prosperitatis in Domino Deo salutem.

Postquam de paternae pietatis nido in publicas saecularium negotiorum evolastis auras, mentis meae sollicitudo vestram, omnibus pene horis, occupationem [Col. 0667B] comitata est, optans vos, divina donante gratia, in charitate perfecta, sanctarum titulis virtutum Deo placere, honestisque vivere moribus coram hominibus, et quod didicistis sub alis

paternae eruditionis, nobilibus ostendere moribus. Nec velim sapientiae decus, quod habetis in corde, saeculi obscurari vanitatibus, inter quas religio vestrae conversationis fulgeat, quasi claritas lucis in tenebris. Mementote vos aliena dispensare, non propria possidere; de quibus ipsa Veritas ait: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis* **(Luc. XVI, 12)**? Alienae sunt a nobis hujus saeculi facultates, id est, extra nostram sitae naturam. *Nihil enim intulimus in hunc mundum,* haud dubium quia nec auferre quid possumus [Col. 0667C] **(I Tim. VI, 7)**. Nostra autem possessio regnum coelorum, nostra vita Christus est, nostrae opes sunt spiritualium operum fructus: quas congregare vos, filii charissimi, omni intentione exhortor: nec in incerto divitiarum sperare, quae aut deserunt possidentem, aut a possidente deseruntur. In quas, mentis nostrae intentionem Spiritus sanctus per Prophetam anhelari [*Ms.,* anhelare] prohibuit, dicens: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere* **(Psalm. LXI, 11)**. Quarum copia, est aliorum inopia. De quibus [et] Dominus in Evangelio ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* **(Luc. XVI, 9)**. Idcirco iniquas nominavit hujus saeculi divitias (quia *mammona Syra est lingua, et Latine divitiae dici possunt*), quia divitiae aut per iniquitatem congregantur, vel inique pauperibus [Col. 0667D] subtrahuntur. De quarum vana possessione in hujus saeculi deliciis pene sapientissimus Salomon totum composuit librum, cui titulus est Ecclesiastes, dicens in capite libri: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.* Si omnia vanitas, quae utilitas est divitias retinere caducas? In quem librum, ex sanctorum opusculis Patrum, ac maxime de beati Hieronymi commentario, parvum composui Breviarium, vestri causa, filii charissimi, quatenus paterna sollicitudine admonerem vestrum nobile ingenium, [Col. 0668A] ne nimio amore studeatis caducis, et cito transitoriis inhiare divitiis, quae citissime velut volatiles recedunt umbrae, et ut, si quid supersit in eis necessario vitae vestrae {411} stipendio, pauperibus erogare studeatis: quia, ut idem Salomon ait: *Redemptio animae viri, propriae divitiae ejus* **(Prov. XIII, 8)**. Sedula mente ipsius Domini sanctum considerate praeceptum, quo nos admonuit coelestibus magis quam terrenis inhiare thesauris, dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur:* ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum **(Matth. VI, 20)**. Hunc siquidem librum supradictum semper pro magistro habeatis in manibus, ut discatis terrena non amare, sed coelestia; dominari divitiis, non servire; [Col. 0668B] laudem non quaerere terrenam, sed a judice Christo, miserorum consolatore, amabilem audire sententiam inter eos quibus dicturus erit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

@ [Col. 0667D] Hoc carmen, exceptis quatuor ultimis versibus, ex vetustissimo ms. codice depromptum, suum in locum restituendum indicavit Cl. Frobenius inter Addenda ad suam editionem. Flumina qui metuat modica sulcare carina
Grandia, ne mergat turbidus Auster eam: Iste suo placidas lembo pernaviget undas
Currentes inter florida prata pie. Sic qui magnorum sensus rimare profundos
Doctorum timeat pectoris ingenio, Nostra legat felix animo commenta sereno,
De gazis veterum quae tulit unca manus. Vos vivete (*sic ms.*) Deo semper, nam vivere mors est
Huic mundo; vera est vivere vita Deo.[Col. 0668C] Vos, rogo, conservet felices gratia Christi,
O dulces nati, sancta salutis ope

@ [Col. 0667D] Ad hoc carmen forte pertinent versus in cod. praefato sequentes:

[Col. 0668D] Pontifici magno hunc Arnoni reddite librum
Ut legat, Albino moxque remittit eum. Pax tibi, vita, salus semper sit, sancte sacerdos,
Atque memor nostri jam sine fine vale..

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1.---*Verba Ecclesiastis filii David regis Hierusalem.*
@ [Col. 0668D] Ex sancto Hieronymo. Tribus nominibus vocatum fuisse Salomonem Scripturae manifestissime docent: Salomonem, id est, pacificum; et Ydida [*Ms.* Edida], hoc est, dilectum Domini; et quod nunc dicitur Coeleth, id est, Ecclesiasten. Ecclesiastes autem appellatur Graeco sermone, quod coetum, id est Ecclesiam, congreget; quem nos appellare possumus concionatorem, qui loquitur ad populum, et sermo ejus non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigitur. Porro pacificus, et dilectus Domini, ab eo quod in [Col. 0668D] regno ejus pax fuerit, et eum Dominus dilexerit, appellatus est. Nam et psalmus quadragesimus quartus, et septuagesimus primus, dilecti et pacifici titulo praenotantur. Qui tametsi ad prophetiam Christi et Ecclesiae pertinentes, felicitatem et vires Salomonis excedant, tamen secundum historiam super Salomone conscripti sunt. Is itaque juxta numerum vocabulorum suorum, tria volumina edidit: Proverbia, Ecclesiasten, Cantica canticorum. In Proverbiis parvulum docens, et quasi de officiis praesentibus [*Hieron.,* [Col. 0669A] per sententias] erudiens, unde ad filium crebro sermo repetitur. In Ecclesiaste vero, maturae virum aetatis instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quae cernimus. Ad extremum jam consummatum virum, et calcato saeculo praeparatum, in Cantico canticorum, sponsi jungit amplexibus. Nisi enim prius relinquamus vitia, et pompis [*Ms.,* pompae] saeculi renuntiantes expeditos nos ad adventum Christi praeparaverimus, non possumus dicere: *Osculetur me osculo oris sui* **(Cant. I, 1)**. Haud procul ab hoc ordine doctrinarum, et philosophi sectatores suos erudiunt, ut primum ethicam doceant, deinde physicam interpretentur, et quem in his profecisse perspexerint, ad theologicam usque perducant. Nec non et hoc diligentius [Col. 0669B] attendendum, quod per tres libros auctoris, diversus est titulus. In Proverbiis enim adnotatur: *Proverbia Salomonis filii David regis Israel.* In Ecclesiaste vero: *Verba Ecclesiastis filii David regis Hierusalem.* Superfluum quippe est hic, *Israel, quod male in Graecis et Latinis codicibus invenitur.* In Cantico canticorum, nec filius David, nec rex Israel, sive Hierusalem praescribitur, sed tantum: *Canticum canticorum Salomonis.* Sicut enim Proverbia, et rudis institutio, ad duodecim tribus, et ad totum pertinent Israel; et quomodo contemptus mundi, non nisi metropolitis convenit, hoc est, habitatoribus Hierusalem; ita et Canticum canticorum ad eos proprie facit mentionem, qui tantum superna desiderant. Ad incipientes et proficientes, et paterna dignitas, et regni proprii [Col. 0669C] merito judicatur [*Ms.,* indicatur; *al.,* vindicatur] auctoritas. Ad perfectos vero, ubi non timore eruditur discipulus, sed amore, proprium nomen sufficit, et aequalis magister est, et nescit se esse regem.

{412} Haec interim juxta litteram. Caeterum per intelligentiam spiritalem, pacificus et dilectus Dei Patris, et Ecclesiastes noster Christus est, qui medio pariete destructo, et inimicitias in carne evacuans, fecit utraque unum, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* **(Joan. XIV, 27)**. De quo Pater ad discipulos: *Hic* est, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite* **(Matth. XVII, 5)**, qui est caput Ecclesiae. Et nequaquam ad synagogam Judaeorum, sed ad gentium multitudinem loquens, [Col. 0669D] vivis lapidibus exstructae; non illius de qua ipse ait: *Hierusalem, Hierusalem! quae occidis prophetas, et ecce relinquetur domus vestra deserta* **(Matth. XXIII, 37, 38)**, sed illius per quam jurari vetat, quia sit civitas magni regis. Hic est filius David, ad quem caeci in Evangelio clamabant: *Miserere nostri, fili David* **(Matth. XV, 22)**; et omnis turba consonabat, et una voce respondebat: *Hosanna filio David* **(Matth. XXI, 9)**. Denique non ad eum fit verbum Dei, sicut ad Hieremiam et ad caeteros prophetas; sed quia dives est, et rex potens, ipse est si quidem verbum, et sapientia caeteraeque virtutes. Verba loquitur ad Ecclesiae viros. verba insinuat apostolis, de quibus [Col. 0670A] cantatur in psalmo: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba illorum* **(Psal. XVIII, 5)**. Male igitur quidam opinantur, nos ex hoc libro ad voluptatem et luxuriam provocari, cum e contrario omnia quae cernimus in mundo vana esse doceantur, nec debere nos ea studiose appetere quae, dum tenentur, intereant
@ [Col. 0669D] Hucusque ex sancto Hieronymo..

Tradunt Hebraei hunc librum, quem modo in manibus habemus, Salomonis esse poenitentiam agentis: qui quia in sapientia divitiisque confisus, per mulieres offenderit Deum, nunc secum reputat, omnia vana esse hujus saeculi delectamenta, quae ad ultimam miseriam devolvunt eos qui in eis ponunt spem suam. Sed et beatus Gregorius doctor mirabilis, et sacrae Scripturae lucidissimus expositor, in [Col. 0670B] quarto Dialogorum libro (cap. 4), quomodo iste liber legendus sit vel intelligendus, optime exposuit, de nomine hujus libri, sic dicens: «Ecclesiastes autem proprie concionator dicitur: in concione vero, sententia promitur, per quam tumultuosae turbae seditio comprimatur, et cum multi diversa sentiant, per concionantis rationem ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbae suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat quae fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit. Sed concionator verax, velut extensa manu, omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in ejusdem [Col. 0670C] libri termino ait: *Finem loquendi omnes pariter audiamus:* Dominum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo **(Eccle. XI, 13)**. Si enim in libro eodem per collocutionem [*Ms.,* locutionem] suam multorum personas non susciperet [*Ms.,* susceperat], cur ad audiendum loquendi finem secum pariter omnes admonebat? Quia igitur in fine libri dicit: *Omnes pariter audiamus, ipse sibi testis est quia, in se multorum personas suscipiens, quasi solus locutus non est:* unde et alia sunt quae in libro eodem per inquisitionem moventur, atque alia quae per rationem satisfaciunt; alia quae ex tentati profert animo, atque adhuc hujus mundi delectationibus dediti; alia vero, in quibus ea quae rationis sunt, disserat, atque animum a delectatione compescat. Ibi namque [Col. 0670D] ait: *Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur laetitia ex labore suo* **(Eccle. V, 17)**. Et longe inferius subjungit. *Melius est ire*

ad domum luctus, quam ad domum convivii **(Eccle. VII, 3)**. Si enim bonum est manducare et bibere, melius fuisse videbatur ad domum convivii pergere quam ad domum luctus. Ex qua re ostenditur quia illud ex infirmantium persona intulit, hoc vero ex rationis definitione subjunxit: nam ipsas protinus rationis causas edisserit, et de domo luctus quae sit utilitas ostendit, dicens: *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit* **(Eccle. XI, 9, 10)**. Rursum illic scriptum est: *Laetare,* [Col. 0671A] juvenis, in adolescentia tua. Et paulo post subditur: *Adolescentia enim et voluptas, vana sunt.* Qui dum hoc postmodum vanum esse redarguit, quod prius admonuisse videbatur, palam [*Ms.,* patenter] indicat quia illa quasi ex desiderio carnali verba {413} intulit, haec vero ex judicii veritate subjunxit. Sicut ergo delectationem prius carnalium exprimens, curis postpositis denuntiat bonum esse manducare et bibere, quod tamen postmodum ex judicii ratione reprehendit, cum esse melius dicit ad domum luctus ire quam ad domum convivii: et sicut laetari debere juvenem in adolescentia sua, quasi ex deliberatione carnalium, proponit, et tamen postmodum per definitionem sententiae adolescentiam et voluptatem vana esse redarguit. Similiter et concionator iste, diversas [Col. 0671B] cogitationum tentationes exponens, alio ait in loco, cum dicit: *Unus interitus* [est] hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumentis amplius **(Eccle. III, 10)**. Qui tamen ex definitione rationis suam postmodum sententiam protulit, dicens: *Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper? Nisi ut pergat illuc, ubi est vita* **(Eccle. VI, 8)**? Qui igitur dixit: *Nihil habet homo jumentis amplius, ipse rursum definivit quod habeat aliquid sapiens non solum amplius a jumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet ut pergat illuc ubi est* [*Ms.,* erit] vita. Quibus verbis primum indicat quia hic hominum vita non est, quam esse alibi testatur. Habet ergo homo [hoc] amplius jumentis [Col. 0671C] quod illa post mortem non vivunt, hic vero tunc vivere inchoat, cum per mortem carnis hanc visibilem vitam consummat. Qui etiam longe inferius dicit: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quo tu properas* **(Eccle. IX, 10)**. Quomodo ergo unus interitus est hominis et jumenti, et aequa utriusque conditio? aut quomodo nihil habet homo jumentis amplius, cum jumenta post mortem carnis non vivunt, hominum vero spiritus, pro malis suis operibus, post mortem carnis ad inferos deducti, nec in ipsa morte moriuntur. Sed in utraque tam dispari sententia demonstratur quia concionator verax, et illud ex tentatione carnali intulit, et hoc postmodum ex spiritali veritate definivit.» Has vero diversas [Col. 0671D] humanae mentis opiniones diligenter hujus libri lector intelligat, quid cui conveniat personae; et caveat ne in Epicuri dogmata cadat ex hujus libri lectione, si diligentius non discutiat quid ex cujusque personae tentatione concionator iste dixerit.

VERS. 2.---*Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Si juxta Psalmographi sententiam, omnis homo vivens vanitas, quanto magis irrationabiles creaturae recte dicuntur vanitati subjacere, sicut Apostolus ait: *Vanitati enim creatura subjecta est* **(Rom. VIII, 20)**? Quidquid enim mutabile est, et non esse poterit quod est, vanitas appellari recte potest: nam Deus solus immutabilis, [Col. 0672A] et semper idem est quod est, et non aliud. Quod enim mutabitur, quodammodo evanescit, et non est quod erat. Idcirco ad comparationem Creatoris omnis creatura vanitas dici potest, et quidquid in hoc circulo continetur, pro nihilo computari in comparatione

aeternae majestatis.

VERS. 3.---*Quid superest homini, in omni labore suo, quo laborat sub sole?*
@ [Col. 0671D] Ex sancto Hieronymo, ut pleraque sequentia. Post generalem sententiam ad vanos hominum labores convertit sermonem, qui frustra in istius mundi labore desudant, congregantes divitias perituras, ambientes honores, quibus subito dicitur: Stulte, hac nocte morieris, cujus erunt quae congregasti?

VERS. 4.---*Generatio vadit, et generatio venit, terra autem in saeculum stat.* Aliis morientibus, nascuntur alii; [Col. 0672B] et quos videras, non vides; incipiesque videre eos qui ante non erant, sed subito nascuntur. Quid vanius hac vanitate, quam terram manere, quae hominum causa facta est, et ipsum hominem, terrae dominum, in pulverem repente dissolvi? Signanter dixit, *terra in saeculum stat, non in saecula saeculorum, quia coelum et terra transibunt, et ecce facta erunt omnia nova.*

VERS. 5.---*Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur, ut iterum oriatur.* Ipse sol, qui ad lucem mortalibus datus est, ortu suo et occasu quotidie interitum mundi demonstrat, qui per incognitas vias nobis ab occasu ad ortum regreditur, expletoque noctis circulo, de thalamo suo novus exoritur. Hoc autem totum idcirco dicit, ut doceat mutationibus [Col. 0672C] temporum et ortu occasuque siderum, humanam aetatem labi, et interire dum nesciat.

{414} VERS. 6.---*Vadit ad Austrum, et gyrat ad Aquilonem, gyrans gyrando vadit spiritus per circulos suos.* Ipsum solem spiritum nominavit, quia animet, et inspiret, et vivificet omnia, sicut veris tempore, in quo principium mundi aestimatur esse, singulis annis videmus: obliqua enim linea est zodiaci circuli, et zona [*Ms.,* circuli zona], per quam cursus est solis. Ideo brumali tempore ad australia, devexo tramite vergit sol, et iterum aestivo circulo se tollit ad borealia, ne si uno modo curreret, alia calor, alia frigus consumeret. Aliter vero: Sol Christus Deus omnia vivificat et illuminat spiritalis gratiae splendore et virtute, in cujus pennis sanitas est: qui credenti [Col. 0672D] in eum [*Ms.,* in eo] oritur, et infideli cuilibet occidit.

VERS. 7.---*Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat, ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Dicunt philosophi, aquas dulces quae in mare influunt, vel ardente desuper sole consumi, vel salsuginis maris esse pabula. Sed [et] Ecclesiastes noster, id est Christus ipsarum conditor aquarum, dicit [*Ms.,* ducit] eas per occultas terrae venas ad capita fontium regredi, et de matrice abysso in sua semper bullire principia. Possumus tamen, sub fluminum et maris nomine, per metaphoram homines [*Ms.,* humanum genus] intelligere, [Col. 0673A] qui in terram, unde sumpti sunt, redeunt, postquam in primo audierunt peccatore: Terra es, et in terram ibis; nec tamen terra impletur multitudine mortuorum.

VERS. 8.---*Cunctae res difficiles, non potest homo eas explicare sermone.* Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Nullatenus valet sermo explicare causas naturasque rerum; nec oculus saturari, ut rei possit dignitatem intueri [*Ms.,* nec oculus, ut rei poscit dignitas, intueri); nec auris, instituente doctore, ad summam rerum notitiam pervenire. Nam modo omnia in aenigmate cernuntur, et ex parte intelliguntur,

donec perfecta veniat scientia, quae in hoc mortali corpore esse non poterit. Tamen haec sententia maxime contra eos agit qui, sine labore [Col. 0673B] et discendi studio, sanctarum Scripturarum sibi notitiam promittunt, aestimantes se sapientes, cum sunt insipientes.

VERS. 9, 10.---*Quid est quod fuit? ipsum, quod futurum est.* Quid est quod factum est? ipsum, quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est. De naturis in primordio mundi creatis videtur dicere, et de successione earum, quomodo veniunt, et quomodo transeunt. Verbi gratia: dum homo moritur, homo nascitur. Eadem natura fuit morientis, quae et nascentis erit. Similiter de avibus, piscibus, serpentibus et omnibus animantibus, intelligendum est, nec non in herbis et arboribus caeterisque rerum naturis, nihil novum invenitur quod ante non esset: nihil periturum, quod [Col. 0673C] postea non fiat [*Ms.,* fiet]. Ideo dicit Scriptura: Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, id est, a novarum creatione naturarum cessavit, non a gubernatione, de qua ipsa Veritas ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Unde ex primordialibus creaturarum seminibus totius saeculi tempus naturali cursu peragitur.

VERS. 11.---*Jam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos.* Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem quae post futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo. Sicut praeterita quae olim fuerunt, apud nos abscondit oblivio, sic ea quae nunc nobiscum praesentialiter fiunt, hi qui nasci habent, scire non poterunt, Quia cuncta silentio peribunt, et quasi non fuerint, abscondentur, et complebitur [Col. 0673D] illa sententia: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* [Vanitas vanitatum] quia omnia transeunt, et more fluentis aquae vadunt, et non redibunt. Cui sententiae totus mundus testis est, et maxime humanum genus.

VERS. 12.---*Ego Ecclesiastes fui rex Israel, in Hierusalem.* Hucusque praefatio generaliter de hujus saeculi vanitatibus disputat. Hinc ad semetipsum redit, et quis esset, ostendit; vel quomodo experimento omnia cognoverit et docuerit. Ideo consequenter subjunxit:

VERS. 13.---*Et proposui in animo meo quaerere et investigare sapienter de omnibus quae fiunt sub sole.* [Col. 0674A] Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Dedit vero, dixit, eo locutionis genere quo Apostolus ad Romanos ait: *Tradidit eos Deus in reprobum sensum* **(Rom. I, 6)**. Id est, permisit eos, propter praecedentia peccata, in reprobum cadere sensum. Proposuit ergo Ecclesiastes, primo {415} omnium cor suum ad sapientiam requirendam, et ultra licitum se extendens, voluit causas rationesque cognoscere, quare parvuli corriperentur a daemone, cur naufragia pios impiosque pariter absorberent: utrum haec et his similia causa [*Ms.,* casu] evenirent, an judicio Dei et providentia. Si non judicio, ubi providentia Dei
@ Lege ex sancto Hieronymo in hunc locum: «Et si casu, ubi providentia? Si judicio, ubi justitia?»? Haec, inquit, nosse desiderans, intellexi superfluam curam, et sollicitudinem per diversa cruciantem, a Deo hominibus [Col. 0674B] datam, ut scire cupiant quod scire non licitum est. Et hoc propter curiositatem, in quam se sua sponte injecerunt, permisit eos Deus [in eis] laborare eventibus vitae hujus, in quibus nullam

rationem invenire valuerunt.

VERS. 14.---*Vidi quae fiunt cuncta sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.* Aliter [*In ms.* aliter *omitt.*] est sensus: Consideravi universa quae in mundo sunt, et nihil aliud deprehendi quam vanitatem et malitiam, id est miserias spiritus, quibus animus diversis fatigatur cogitationibus. Laborat [*Ms.,* labor] sapiens cognoscere quod humanae non est datum sapientiae scire.

VERS. 15.---*Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* Sanctorum numerabilis [Col. 0674C] est multitudo, stultorum vero congregatio non est numero digna. Tale quid et Psalmista ait: *Dinumerabo* eos, id est sanctos, *super arenam maris* **(Psal. CXXXVIII, 18)**, id est stultos qui arenae comparantur. Sicut ad Abraham Dominus dixit: *Et erit semen tuum sicut stellae coeli, et sicut arena maris* **(Gen. XXII, 17)**. In stellis intellige sanctos, de quibus Psalmista ait: *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat* **(Psalm. CXLVI, 4)**. In arena, peccatores, de quibus dicitur: *Perdentur peccatores de terra.*

VERS. 16.---*In corde meo locutus sum, dicens:* ecce magnus effectus sum, et praecessi sapientia omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter, et didicit. Legimus et in [Col. 0674D] Regum libris, multae sapientiae fuisse Salomonem, et hoc a Deo speciale donum prae caeteris saeculi divitiis vel honoribus postulasse **(III Reg. III)**. Mundi ergo cordis oculus multam sapientiam et scientiam contuetur. Ideo non ait, multam sapientiam et scientiam sum locutus, sed [multam sapientiam et scientiam] vidit cor meum: non enim possumus eloqui omnia quae sentimus: latior est enim cordis intelligentia quam oris interpretatio.

VERS. 17.---*Dedi quoque cor meum, ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam, et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus.* Contraria contrariis intelliguntur, et sapientia [Col. 0675A] prima est stultitia caruisse. Stultitia autem carere non potest, nisi qui intellexerit eam. Unde et plura sunt in rebus noxia creata, ut, dum vitamus ea, ad sapientiam erudiamur. Aequalis ergo studii fuit Salomoni scire sapientiam, errorem et stultitiam, ut in appetendis aliis, et aliis declinandis, veracius sapientia probaretur. Et agnovi quod in hujusmodi cogitationibus afflictio spiritus et perturbatio animi esset.

VERS. 18.---*Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio;* et qui addit scientiam, addit dolorem. Quanto magis quis sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur subjacere [*Ms.,* subjicere] se vitiis, et procul esse a virtutibus quas requirit: dolet ignorantiam, dum quaerit scientiam. Intelligit se [Col. 0675B] ex parte agnoscere, et ad plenum intelligendi lumen rerum occultarum se non posse pervenire videt, ideo addit dolorem, qui addit scientiam.

CAPUT II.

VERS. 1.---*Dixi in corde meo:* Vadam et affluam deliciis, et fruar bonis, et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Hic concionatoris modo, communi sententia vulgi loquitur,

quam tamen vanam ostendit. Et est sensus: Postquam in multitudine sapientiae, et adjectione scientiae, dolorem et laborem esse comprehendi, et nihil aliud nisi cassum laborem et inane certamen, transtuli me ad laetitiam, ut luxu fruerer, et congregarem opes, et ut divitiis abundarem, et perituras voluptates caperem, antequam morerer. Sed et in hoc vanitatem ipse perspexi, dum praeterita [Col. 0675C] voluptas praesentem non juvat, et exhausta non satiat. Ideo intellexi carnalem luxuriam esse vanitatem, et adjeci dicens:

{416} VERS. 2.---*Risum putavi errorem, et gaudio dixi:* Quid frustra deciperis? Hoc est quod in Evangelio legitur: *Vae vobis qui ridetis, quia lugebitis* **(Luc. VI, 25)**. Decipiuntur vero qui carnalia in hoc saeculo sequuntur desideria, et magis carnaliter vivunt quam spiritualiter, aestimantes perpetuum esse quod velut umbra citissime transibit [*Ms.,* transiet], et labor dolore punietur. Potest hoc et de haereticis accipi, qui falsis dogmatibus acquiescentes, laeta sibi et prospera promittunt, dum sint filii perpetuae perditionis.

VERS. 3.---*Cogitavi in corde meo abstrahere a vino* [Col. 0675D] carnem meam, ut transferrem animum meum ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum, quo [Ms., quid] *facto opus est sub sole, numero dierum vitae suae.* Eleganter autem voluptatem ebrietati comparavit, siquidem ebrietas evertit animi vigorem: quam [*Ms.,* quem] qui potuerit sapientia commutare, et (ut in quibusdam codicibus habetur) obtinere laetitiam spiritalem, is poterit ad scientiam rei istius pervenire, quid in hac vita appetendum, quidve vitandum sit.

VERS. 4-14.---*Magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos, et plantavi vineas;* feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium; [Col. 0676A] possedi servos et ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem; coacervavi mihi argentum, et aurum, et substantias regum et provinciarum; feci mihi cantores, et cantatrices et delicias filiorum hominum, scyphos et urceolos in ministerio ad vina fundenda: et supergressus sum opibus omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem. Sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in iis quae praeparaveram; et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cumque me convertissem ad universa opera quae fecerant manus meae, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus [Col. 0676B] vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam. Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem factorem suum? Et vidi quod tantum praecederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat. Et didici quod unus utriusque esset interitus. Videtur mihi utilius esse legentibus haec omnia quae Ecclesiastes de sua gloria subinfert, brevi cuncta sermone comprehendere, et quasi in unum corpus sensum redigere, ut possint facilius intelligi quae dicuntur. Igitur ea quae putantur in saeculo bona, quasi rex et potens habui. Aedificavi mihi palatia, vitibus colles montesque consevi, et ne quid deesset de luxu vel voluptate [*Ms.,* ad luxum et voluptatem], hortos [Col. 0676C] mihi pomariaque plantavi,

diversi generis arbores instituens, quas collectae aquae in piscinas desuper irrigarent, ut longus viror [*Ms.,* longius vigor] humore perpeti nutriretur. Servorum quoque sive emptorum sive ancillarum sive vernaculorum mihi fuit innumera multitudo, et quadrupedum greges multi, boum scilicet et ovium, quantum nullus alter ante me rex habuit in Hierusalem. Nec non et thesauri argenti et auri innumerabiles condebantur, quos diversorum regum et gentium tributa contulerunt. Unde et accidit ut ex nimiis opibus ad majores delicias provocarer, et musicorum chori mihi tibiali voce [*Apud Hier.,* tibia, lyra, voce] concinerent, ut uterque sexus in conviviis mihi ministraret. Sed quanto ista crescebant, tanto sapientia deerat. Nam [Col. 0676D] in quamcunque voluptatem cupido traxisset me, infrenis per praeceps ferebar, putabamque hunc esse fructum laborum meorum, si ipse in luxuriae [*Ms.,* luxuria] libidine consumerer. Tandem in me reversus, et quasi de gravi somno evigilans aspexi, et manus meas, et opera mea plena vanitatis, plena sordium, plena spiritu erroris intuitus sum. Nihil enim quod in mundo putatur bonum, bonum potui reperire. Reputans igitur quae essent sapientiae bona, et quae stultitiae mala, consequenter in laudem illius hominis erupi, qui post vitia se refrenans, virtutum possit esse sectator. Magna quippe distantia est inter sapientiam et stultitiam, et quantum dies distat a nocte, tantum virtutes a vitiis separantur. Videtur [Col. 0677A] mihi itaque qui sapientiam sequitur, oculos ad coelum semper erigere, et in sublime os habere erectum, eaque quae super verticem sunt, contemplari: qui vero stultitiae et vitiis deditus {417} sit, versari in tenebris et in rerum ignorantia volutari. Cumque haec ita se habeant, inter sapientem et stultum ea distantia est, quod alter diei, alter tenebris comparetur: ille oculos ad coelum levat, iste in terram deprimit. Repente autem mihi cogitatio ista subrepsit, quare sapiens et stultus communi pereant interitu; cur eadem plaga, eodem eventu, eadem morte premantur; cur eaedem sint utrique angustiae. Sunt vero qui haec verba Ecclesiastis ab eo loco ubi ait: *Magnificavi opera mea, usque ad hunc locum in que ait: Sapientis oculi in capite ejus,* de Christo interpretari [Col. 0677B] conantur. Sed quibusdam in locis laboriosa est interpretatio, nisi forte de membris illius intelligi possint. Ideo nos historiali tantummodo intelligentia in hoc loco contenti sumus, maxime quia nobis non est propositum omnia dicere quae a diversis inveniuntur auctoribus dicta, sed ea commatico sermone, quae ad sensum planiorem pertinere videntur, paucis perstringere verbis.

VERS. 15, 16.---*Et dixi in corde meo:* Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiae dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus. [Col. 0677C] Haec enim diligentius considerans dixi: Sapiens et stultus, justus et impius, aequali morte moriuntur [*Hier.,* sorte morientur], et omnia in hoc saeculo mala eventu simili sustinebunt. Sicut enim impius tribulationes patitur, ita etiam et justus: nec quemlibet in hoc saeculo sua adjuvabit justitia, sed omnia incerta sunt, pro quo quid cui eveniat. Si ita est, dixi in corde meo: Quid mihi ergo prodest quod secutus sum sapientiam, et plus caeteris laboravi, si meus occasus et stulti aequalis erit? Sed rursum cogitans, diligentiusque considerans, non similem sapientem et stultum habere in futuro memoriam quando consummatio veniet universitatis; et nequaquam pari exitu injustus et justus judicabitur, quia hic ad refrigeria, ille pergit ad poenam: ideo priorem sententiam [Col. 0677D] meam damnavi, et me stulte locutum esse

intellexi, et errasse, qui [*Ms.,* quia] antea sic senseram.

VERS. 17-19.---*Idcirco taeduit me vitae meae, videntem mala esse universa sub sole, et cuncta vanitatem atque afflictionem.* Rursum detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi; habiturus haeredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, in quibus desudavi et sollicitus fui; et est quidquam tam vanum? Videtur quidem de divitiis et opibus retractare, quia secundum Evangelium repentina morte subtracti, quali moriamur haerede, nescimus utrum sapiens an stultus sit, qui nostro labore est fruiturus. Et hoc Salomoni malum accidisse, [Col. 0678A] Regum libri testantur, qui Roboam insipienti filio labores suos reliquit. Sed melius intelligendum est [*Ms.,* aestimo] de spiritali labore, in quo diebus ac noctibus vir sapiens in lege Domini meditatur, et Scripturarum sanctarum desudat interpretatione, et libros componit multos, ut memoriam sui posteris [*Ms.,* suis posteris] relinquat, et nihilominus labores illius in manus stultorum perveniunt, qui frequenter secundum perversitatem cordis sui, ex sanctorum Patrum dictis, haereticae pravitatis semina capiunt, et alienos labores calumniantur.

VERS. 20-23.---*Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole:* nam cum alius laborat in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quaesita dimittit; et hoc ergo vanitas et magnum malum. [Col. 0678B] Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus doloribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit; et haec, nonne vanitas? Hic ut supra de incerto haerede loquitur, utrum stultus an sapiens futurus sit, qui labore alterius fruiturus sit: et in eumdem circulum res revertitur ut labores morientium deliciae sint viventium. Maxime tamen de labore sapientiae disputat, in quo studiosi [*Ms.,* studiose] vel rerum spiritalium vel visibilium, die ac nocte laborant, ignorantes in quorum manus perveniant opuscula sua, utrum sapientes de litteris disputent suis, vel etiam stulti et otiosi. Est quidquam tam vanum? quia nec noctibus, nec diebus cessat a labore, et nescit ad quem profectum [Col. 0678C] futuro tempore labores evenient sui.

{418} VERS. 24-26.---*Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animae suae bona de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est.* Quis ita vorabit et deliciis affluet ut ego? Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam et laetitiam: peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget et tradat ei, qui placuit Deo: sed et hoc vanitas, et cassa sollicitudo mentis. Aliud est ex consideratione rationis, aliud est ex infirmantis vulgi tentatione disputare. Hic quid indoctum vulgus sentiat videtur definire. Ubi vero ait: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii, ex rationis discretione ostendit se loqui.* Dicamus tamen secundum consequentiam superioris disputationis. [Col. 0678D] Postquam universa tractavi, et nihil in istius mundi labore perpetuum intellexi, posterioremque generationem prioris frui laboribus, tum mihi visum est, hoc in rebus esse justissimum, et quasi Dei donum, ut suo quis labore frueretur, bibens et comedens, et pro tempore parcens [*Al.,* pascens] opibus congregatis. Et hoc siquidem Dei donum [*Ms.,* munus] est, talem justo dari viro mentem, ut ea, quae curis vigiliisque quaesivit, ipse consumat. Sicut e contrario irae Dei est, ut peccator diebus ac noctibus opes congreget, et nequaquam eis utens,

derelinquat his qui in conspectu Dei justi sunt. Sed et hoc, inquit, diligenter inspiciens, et videns omnia morte finiri, vanissimum judicavi. Haec interim super [Col. 0679A] litteram, ne videamur penitus simplicem praeterire sensum; et dum spiritales divitias sequimur, historiae contemnere paupertatem. Bonum est itaque veros cibos et veram sumere potionem, quos de agni carne et sanguine in divinis voluminibus invenimus, de quibus dicitur in Cantico canticorum: *Comedite, amici mei, bibite et inebriamini* **(Cant. V, 1)**. Ad quos ipsa vocat Sapientia, dicens: *Venite, comedite panem meum, et vinum, quod miscui vobis.* Relinquite infantiam et vivite, et ambulate per vias prudentiae **(Prov. IX, 5, 6)**. Quis enim vel comedere, vel cum opus est, parcere [*Al.,* pascere] potest absque Deo, qui praecipit sanctum canibus non esse mittendum, et docet quomodo in tempore sint danda cibaria? Pulchre enim homini dat Deus bono sapientiam, [Col. 0679B] et scientiam, et laetitiam. Nisi enim bonus fuerit, et mores suos, Dei adjuvante gratia, proprio arbitrio [*Ms.,* pro arbitrio] ante correxerit
@ [Col. 0679D] Apud Hier. in locum: «Nisi enim bonus fuerit, et mores suos proprio arbitrio ante correxerit. Quam sancti Patris sententiam, quae quidpiam Pelagiani erroris redolere videri posset, Alcuinus ad [Col. 0680D] catholicae doctrinae sensum, qui post Hieronymum clarius ubique terrarum definitus est, ita ex ingenio temperavit. (*Editor Veronensis Operum S.* Hier.), sapientiam, et scientiam, et laetitiam non merebitur. Ut ergo bono coram se dedit Deus sapientiam et caetera, sic peccatorem suo arbitrio derelinquens, facit congregare divitias, et hinc inde perversorum dogmatum consuere cervicalia: quae cum vir sanctus et placens Deo viderit, intelligit quia vana sunt, et praesumptione spiritus composita. Nec mirandum quod dixerit, *peccatori dedit sollicitudinem, etc., dedit enim* pro *dimisit, intelligendum est.* Propterea dat ei sollicitudinem sive afflictionem, quia peccator fuit; et non esse causam afflictionis in Deo, sed in illo qui sponte sua ante peccaverit.

CAPUT III.

[Col. 0679C]

VERS. 1.---*Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub coelo.* Incertum et fluctuantem statum conditionis humanae in superioribus docuit. Nunc vult omnia ostendere sibi in mundo esse contraria, et nihil stare perpetuo, eorum duntaxat quae sub coelo sunt, et tempori obnoxia sunt; quia caeterae substantiae spiritales nec coelo, nec tempore continentur.

VERS. 2-8.---*Tempus nascendi, et tempus moriendi;* tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est; tempus occidendi, et tempus sanandi; tempus destruendi, et tempus aedificandi; tempus flendi, et tempus ridendi; tempus plangendi, et tempus saltandi; [Col. 0679D] tempus spargendi lapides, et tempus colligendi; tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus; tempus acquirendi, et tempus perdendi; tempus custodiendi, et tempus abjiciendi; tempus scindendi, et tempus consuendi; tempus tacendi, et tempus loquendi; tempus dilectionis, et tempus odii; tempus belli, et tempus pacis. Nulli {419} dubium est, quod ortus et interitus hominum Deo notus sit et praefinitus; et idipsum esse parere quod plantare; mori, quod plantatum est evellere.

Haebraei omne hoc quod de contrarietate temporum scriptum est, usque ad [Col. 0680A] illum locum in quo ait: *tempus belli, et tempus pacis, super Israel intelligunt.* Tempus fuit nascendi in patriarchis populo Dei, tempus moriendi tempore Vespasiani et Titi. Tempus plantandi in terra repromissionis sub Jesu Nave, tempus evellendi, dum ducti sunt in captivitatem a praefatis ducibus. Tempus occidendi eos in Aegypto, et tempus liberandi de Aegypto. Tempus destruendi [*Adde ex Hier.,* templi] sub Nabuchodonosor, et tempus aedificandi sub Dario. Tempus plangendi eversionem urbis, et tempus ridendi atque saltandi sub Zorobabel, et Esdra, et Neemia. Tempus dispergendi Israel per diversas gentes, et in unum congregandi, quando reducti sunt de captivitate in patriam. Tempus amplexandi, dum coelesti auxilio cingebantur; tempus longe fieri a complexibus, dum pro [Col. 0680B] peccatis suis derelicti sunt a Deo. Tempus quaerendi de Babylonica captivitate, tempus perdendi eos in excidio urbis sub Romanis. Tempus custodiendi legalia mandata, tempus abjiciendi laciniosae legis praecepta. Tempus scindendi, quando in duo regna post Salomonem divisus est populus, et tempus consuendi tempore Machabaeorum. Tempus tacendi prophetas, nunc in captivitate Romana, et tempus loquendi apostolos, dicente Domino: *Ite ad oves perditas domus Israel* **(Matth. X, 6)**. Tempus dilectionis, quo [*Hier.,* qua] eos sub patribus ante dilexit: et tempus odii, dum Christo intulerant manus. Tempus belli modo, non agentibus eis poenitentiam; tempus pacis in futuro, quando intrat plenitudo gentium, et sic omnis Israel salvus erit. Aliter altiori sensu: [Col. 0680C] Tempus occidendi, et tempus sanandi, sicut ait: *Ego occidam, et ego vivificabo* **(Deut. XXXII, 39)**. Sanat, ad poenitentiam provocans: occidit juxta illum sensum: *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae* **(Psalm. C, 8)**. Tempus destruendi, et tempus aedificandi. Non possumus aedificare bona, nisi prius destruxerimus mala. Tempus plorandi, et tempus ridendi: nunc flendi tempus est, et in futuro ridendi, Domino dicente: *Beati flentes, quoniam ipsi ridebunt* **(Luc. VI, 21)**. Tempus plangendi, et tempus saltandi. Eodem sensu quo supra. Plangendum est impraesentiarum, ut in futuro saeculo spiritali saltatione gaudeamus. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi: quia tempus fuit gentilis populi dispergendi, [Col. 0680D] et tempus rursum in Ecclesiam congregandi. Tempus amplexandi, dum dictum est, *Crescite et multiplicamini* **(Gen. I, 28)**; tempus longe fieri a complexibus, ubi ait, *Dabo spadonibus locum in domo mea meliorem a filiis et filiabus, locum sempiternum.* Aliter: Tempus est sapientiam amplexandi, id est, de coelestibus cogitandi, et tempus est iterum curam corporis agendi. Tempus acquirendi populum ex gentibus, et tempus perdendi populum Judaeorum. Tempus custodiendi credentes ex nationibus, et tempus abjiciendi incredulos ex Israel. Tempus [Col. 0681A] scindendi, et tempus consuendi. Sub diversis sermonibus idem nunc qui supra sensus est, in eo, quod ait, tempus destruendi, et tempus aedificandi; ac deinde tempus scindendi, et tempus consuendi: modo enim Synagoga destruitur, ut aedificetur Ecclesia, et alligant scissiones legales, ut Evangelii gloria consuantur [*Ms.,* ut Evangelia consuantur]. Quod evangelistae singuli perpetrarunt, de lege et prophetis adventus Dominici testimonia consuentes. Tempus tacendi, ut discamus quae sint docenda; tempus loquendi, ut doceamus quae recte didicimus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium, de discipulis efficiamur magistri. Tempus amandi legem, et ea quae ex lege fuerint imperata: circumcisionem, hostias, sabbata, [Col. 0681B] neomenias; et tempus odiendi ea, Evangelii gratia succedente. Tempus belli, et tempus pacis. Quandiu in hoc saeculo sumus, tempus est belli: cum migraverimus

autem de hoc saeculo, pacis tempus adveniet: in pace est laus Dei [*Hier.,* locus Dei], et civitas nostra Hierusalem de pace sortita vocabulum est. Nemo ergo nunc se putet esse securum in tempore belli, ubi certandum est, et apostolica arma tractanda, ut victores quondam requiescamus in pace.

{420} VERS. 9-11.---*Quid habet homo amplius de labore suo? vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum.* Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. [Col. 0681C] Plerique putant hoc de magistris esse dictum, quibus Deus dedit sensum, ut quaererent naturas rerum, et Creatorem laudarent ex eis, ne forte otiosa mens torpesceret et in vitia corrueret. Prius enim disputavit de diversitate temporum et varietate mutabilium rerum, nunc dicit: *Quid habet amplius homo de labore suo, nisi ut sapienter intelligat Creatorem laudare in creaturis suis nec quicquam in hoc saeculo perpetuum putare? Quid enim amplius habere possumus in hoc saeculo laborando, quam ut nos erudiamur ex diversitate creaturarum Creatoris agnoscere magnitudinem, et omne bonum esse quod Deus fecit, qui dedit mundum hominibus ad inhabitandum, ut fruantur eo et varietates intelligant temporum, nec quaerant quomodo creata sint omnia,* [Col. 0681D] quare hoc vel illud ab initio mundi usque ad consummationem fecerit crescere, manere, mutari.

VERS. 12, 13.---*Et cognovi quod non esset melius, nisi laetari, et facere bene in vita sua.* Omnis enim homo qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. Propterea colonus et hospes mundi homo datus est, ut brevis vitae fruatur tempore, et, spe prolixioris aetatis abscissa, cuncta quae possidet quasi ad alia cito profecturus aspiciat, et quantum potest, bene faciat in vita sua; nec frustra congregando magnas opes, cogitationibus torqueatur: neque se putet plus de suo labore lucrari posse quam cibum et potum; et si quid de opibus suis in bonis operibus expenderit, hoc solum Dei donum [Col. 0682A] est. Non ut ad desperationem et luxuriam provocemur, sed habentes victum et vestitum his contenti simus, et quidquid plus est necessitate corporis, in pauperum expendatur solatia. Quia sicut caro cibo alitur et potu, ita anima eleemosynis pauperum, et solatiis miserorum. Juxta anagogen, verus cibus est caro Christi, et verus potus sanguis ejus, sicut ipse Dominus ait: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo* **(Joan. VI, 57)**. In hac cibi et potus spiritali jucunditate laetari debemus, non solum in mysterio, sed etiam in lectione sanctarum Scripturarum, ubi pascamur et potemur de ligno vitae, quod plantatum est secus decursus aquarum.

VERS. 14.---*Didici quod omnia opera quae* [Col. 0682B] fecit Deus, perseverent in perpetuum, non possumus eis addere quidquam, nec auferre, quae fecit Deus, ut timeatur. Nihil est in mundo quod novum sit. Solis cursus et lunae vices, et terrae arborumque siccitas vel viror, cum ipso mundo nata sunt atque creata, et idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, et jussit humanis usibus elementa servire, ut homines videntes haec intelligant esse providentiam Dei, et timeant a facie Dei, dum ex rerum aequalitate, cursu, ordine atque constantia, intelligunt Creatorem. Pulchre autem temperavit dicens, ut timeant a facie ejus: *vultus* quippe *Domini super facientes mala* **(Psal. XXXIII, 17)**.

VERS. 15.---*Quod factum est, ipsum permanet:* quae futura sunt, jam fuerunt: et Deus instaurat [Col. 0682C] quod abiit. Vel praeterita, vel praesentia, vel futura, ipsa [et] fuerunt, et sunt, et erunt, universa quae cernimus. Sol qui nunc oritur, et antequam nos essemus, in mundo fuit, et postquam mortui fuerimus, oriturus est. Quod de sole diximus, hoc de omnibus cognoscendum est creaturis. Terra singulis annis arescit, iterumque virescit in germine suo. Mare fluit, et recedit ut refluat. Animalia moriuntur, et renascuntur iterum ejusdem generis. Homines morte finiuntur, et alii pro eis oriuntur. Et ea lege creaturarum nihil novum inveniri poterit, sed Deus per succedentia tempora omnia restaurat quae fuerunt.

VERS. 16, 17.---*Et vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiae iniquitatem.* Et dixi in corde [Col. 0682D] meo: justum et impium judicabit Deus, tempus omni rei tunc erit. Sub sole, inquit, isto veritatem et judicium requisivi; et vidi in judiciis non veritatem valere, sed munera. Aliter: arbitratus sum aliquid justitiae in praesenti saeculo geri, et vel pium pro suo nunc merito recipere, vel impium, pro {421} suo scelere damnari. Postea vero cum corde meo colloquens et reputans, intellexi, non per partes Deum, et per singulos semper judicare, sed in futurum tempus servare judicium, ut omnes pariter judicentur, et recipiat unusquisque meritis suis digna, secundum quod gessit in hoc saeculo; et tunc perspexi tempus discretionis esse omni rei.

VERS. 18-21.---*Dixi in corde meo de filiis hominum,* [Col. 0683A] ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominum, et jumentorum, et aequa utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertentur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? Non mirandum est in praesenti vita, inter justum et impium nullam esse distantiam, nec aliquid virtutis valere [*Hier.,* nec aliquid valere virtutes], sed incerto eventu omnia volutari, cum etiam inter pecudes, et homines secundum corporis vilitatem nihil differre videatur. Sicut eadem conditio est nascendi, ita sors [Col. 0683B] una moriendi. Similiter procedimus ad lucem, aeque dissolvemur in pulverem. Si autem videtur haec esse distantia, quia spiritus hominis ascendat in coelum, et spiritus pecoris descendat in terram, qua istud certa auctoritate [*Ms.,* quo istud certo auctore] cognovimus? Quis potest scire utrum verum an falsum sit quod speramus? Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis et hominibus praeparari locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter descenderunt [*Ms.,* ducerentur]. Unde et Jacob ad inferos descensurum se dicit **(Gen. XXXVI)**. Et Job pios et impios queritur apud inferos detentari **(Job. VII, 17)**. Et revera antequam flammeam illam rotam, et igneam [Col. 0683C] romphaeam ad [*Hier.,* et] paradisi fores Christus cum latrone reseraret, clausa erant coelestia, et spiritus hominis pecorisque aequalis vilitas coarctabat. Et licet aliud videtur [*Ms.,* videretur] dissolvi, aliud reservari, tamen non multum intererat, perire cum corpore, aut inferni tenebris detineri. Quod vero ait, *de terra facta sunt, et in terram revertentur, hoc eum de corpore dicere manifestum est, quia corpus de terra creatum est, non anima;* sicut vindex peccati sententia homini intulit: *Terra es, et in terram ibis* **(Gen. III, 19)**. Haec interim juxta litteram. Quantum ad spiritalem intelligentiam pertinet, quis scit utrum

spiritus, qui hominis appellatione dignus est, ascendat in coelum, et utrum peccator, qui jumentum vocatur, descendat in terram? Fieri enim potest [Col. 0683D] utrumque pro incerto vitae hujus et lubrico statu, ut justus cadat, peccator resurgat; et nonnunquam eveniat, ut rationabilior et eruditus scripturis, id est homo, non circumspecte et ut scientia sua exigit, vivat, et ducatur ad inferos; et simplicior quisque atque rusticior, qui jumentum hominis comparatione dicitur, melius vivat, et martyrio coronatus paradisi sit colonus.

VERS. 22.---*Et deprehendi nihil esse melius quam laetari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius.* Quis enim adducet eum, ut post se futura cognoscat? Superiori errore turbatus, quod putarem inter homines et bestias nihil esse, in hanc sententiam prava opinione seductus [*Ms.,* deductus] sum, ut nihil aliud dicerem bonum, nisi praesentem capere [Col. 0684A] voluptatem: neque enim cum semel nos dissolverit interitus, posse his perfrui a quibus recedimus ingrati. Sed meliori sensu de laetitia bonorum operum intelligendum est. Nihil est ergo melius in vita ista, nisi quod laetetur homo in opere suo, faciens eleemosynam, et futuros sibi thesauros in regno coelorum praeparans. Hanc solam habemus veraciter portionem, quam nec fur, nec latro valet, nec tyrannus auferre, quae nos tantummodo post mortem sequetur.

CAPUT IV.

VERS. 1.---*Verti me ad alia, et vidi calumnias quae sub sole geruntur* [Ms., *generantur*], et lacrymas innocentium, et consolatorem neminem, nec posse resistere eorum violentiae cunctorum auxilio destitutos. [Col. 0684B] Post hanc cogitationem illuc mentem meam oculosque converti, ut viderem calumniatores, et calumniam sustinentes. Et ecce vidi eorum qui a potentioribus opprimuntur lacrymas, quas solas habere possunt in calamitatibus, {422} rei invidiam protestantes, qui consolatorem nequeunt invenire. Et quod malorum miserrimum sit [*Ms.,* quo major miseria sit], et inconsolabilis dolor, calumniatores vident in suis iniquitatibus fortiores: et haec est causa, quod non valent consolari. Plenius hunc locum in septuagesimo secundo psalmo David; et Jeremias in suo volumine exquirunt.

VERS. 2, 3.---*Et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque judicavi,* qui necdum [Col. 0684C] natus est, nec vidit mala quae fiunt sub sole. Ad comparationem miseriarum quibus in hoc mundo mortales premuntur, feliciores judicavi mortuos, ab hujus miseriae labore liberatos, quam viventes. Melior est itaque his duobus, vivente videlicet et defuncto, qui necdum natus est; in eo felicior est, quia necdum malum mundi expertus est. Hoc autem dicit, non quia animae sint hominum, secundum quorumdam errorem, antequam nascatur homo in mundo; sed quia melius sit omnino non esse, nec sensum habere substantiae, quam infeliciter vel esse, vel vivere. Quo modo et de Juda Dominus loquitur, futura ejus tormenta significans: *Melius erat non nasci homini illi* **(Matth. XXVI, 24)**: quia melius fuerat ei omnino non esse, quam aeternos cruciatus perpeti.

[Col. 0684D] VERS. 4.---*Rursus contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias*

animadverti patere invidiae proximi, et in hoc ergo vanitas et cura superflua est. Converti me rursus ad alia, et vidi omnem fortitudinem et gloriam laborantium, et deprehendi bonum alterius esse alterius malum, dum invidus aliena felicitate torquetur, et patet insidiis gloriosus. Quid enim vanius quam homines non suas flere miserias, nec propria lugere peccata; alios judicare, seipsos oblivisci; et melioribus tantum invidere, aliorumque benefactis torqueri?

VERS. 5.---*Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas.* Totum, quod disserit, hoc est ut ostendat eum qui laborat et aliquid habet in mundo, patere invidiae; et rursum eum qui vivere vult quietus, [Col. 0685A] inopia opprimi; et esse utrumque miserabilem, dum alius propter opes periclitatur, alius propter inopiam egestate conficitur. Aliter: Manus crebro pro operibus accipiuntur. Stultus retrahit manus suas ab opere bono, et non vult viriliter agere, sed comedit carnes suas, id est, secundum carnalia vivit desideria, tabescens in voluptatibus suis, donec consumantur [*Ms.,* consummatur].

VERS. 6.---*Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi.* Melius est modicum habere justo, quam divitias peccatorum multas. Eleganter justitia requiem habet, iniquitas laborem; et quia singularis numerus in bono semper accipitur, et duplex in malo, propterea unus pugillus habet requiem, et duae manus labore [Col. 0685B] sunt plenae.

VERS. 7, 8.---*Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole:* unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem; et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec cogitat dicens, cui laboro et fraudo animam meam bonis? In hoc vanitas est, et afflictio pessima. Conversus sum ad alios, et vidi eos plus quam necesse esset, laborare, congregare opes per fas et nefas, et non uti congregatis; habere omnia, incubare divitias, servare aliis [*Ms.,* incubare divitiis easque servare alteri], et suo labore non perfrui; maxime cum nec filium nec fratrem habeant, nec propinquum, ut videatur pius labor necessariis reservatus. Nihil itaque vanius esse [Col. 0685C] deprehendi, quam eum hominem qui divitias congregat, cui eas relinquat ignorans. Quod quidem possumus secundum priorem [*Ms.,* superiorem] interpretationem et de his intelligere qui libros conscribunt et eos fastidiosis lectoribus relinquunt. Quidam hunc locum ab eo, quod ait, *unus est, et non est secundus, super Salvatore interpretantur:* quod solus et absque ullo comite ad salvandum mundum descendit; et quanquam multi filii Dei sint, et fratres adoptione dicantur, tamen nullus dignus exstitit qui in hoc ei opere jungeretur. Cujus laborum non est finis, portantis nostra vitia atque peccata, et pro nobis dolet; et oculus ejus non satiabitur divitiis, semper nostram cupiens salutem, et quanto plus quem peccare viderit, tanto magis ad poenitentiam cohortans [Col. 0685D] [*Ms.,* coarctans]. Eo genere locutionis dicimus, *Dolet, quo Apostolus ait: Et ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* **(Rom. VIII, 26)**, id est, nos gemere facit. Ita et hic dolet Christus, quia nos dolere facit pro peccatis nostris.

{423} VERS. 9-12.---*Melius ergo est duos simul esse quam unum:* habent enim emolumentum societatis suae; si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia cum corruerit, non habet sublevantem. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus

quomodo calefiet? Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. Post sollicitudines et miserias, in quibus corruptus est ille qui in opibus conquirendis absque certo haerede [Col. 0686A] se cruciat, nunc ad sodalitatem sermo confertur, et dicitur quid boni habeat amicorum contubernium, et commune solatium, quia et alterius ruina alterius auxilio sublevatur; et curas domesticas, ipsius quoque noctis requiem melius exigit ille, qui fidum amicum habet quam qui solis opibus incubat acquisitis. Quod si robustior quis inimicus contra unum surrexerit, alterius imbecillitatem amici solatio sustentari dicit. Et quantum duo uno differunt, si amore conjuncti sunt, tanto etiam trium contubernium plus valere. Etenim vera charitas, et nullo violata livore, quanto augetur numero, tanto crescit et robore. Et haec interim simpliciter dicta sint. Caeterum quod in superiori loco super Christo quorumdam intelligentiam posuimus, et [*Ms.,* etiam] reliqua [Col. 0686B] eodem ordine disserenda sunt. Melius est enim duos pariter esse quam unum: melius est enim habitantem in se habere Christum, quam solum [*Apud Hier.* solum habitare et] patere insidiis adversantis. Merces quippe contubernii statim in ipsa societatis utilitate monstratur. Si enim ceciderit unus, Christus eriget participem suum. Vae quippe ei, qui cum corruerit, Christum in se non habet erigentem. Quod si et [*Ms.,* etiam] dormierit unus, hoc est, si morte fuerit dissolutus, et secum Christum habuerit, calefactus citius reviviscit; et si adversus hominem robustior in expugnando diabolus exstiterit, stabit homo, stabit et Christus pro homine suo, pro sodali suo: non quod solius Christi adversus diabolum virtus infirma sit, sed quod liberum homini relinquitur [*Ms.,* relinquatur] [Col. 0686C] arbitrium, et adnitentibus nobis, ipse in praeliando fortior fiet. Quod si et [*Ms.,* quod si etiam] Pater et Filius et Spiritus sanctus advenerint, non cito corrumpetur [*Ms.,* rumpitur] ista sodalitas. De hac sodalitate in Evangelio dicitur: *Et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et paulo post: *Paracletus autem Spiritus, ipse vos docebit omnia* **(Joan. XIV, 23, 26)**; significans trium, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unum esse opus, et unam mansionem in corde diligentis Deum. Quod superius dixit, *si unus dormierit, quomodo calefiet? Nisi igitur nobiscum Christus dormierit, et in morte requieverit, calorem aeternae vitae accipere non valemus.*

VERS. 13-16.---*Melior est puer pauper et sapiens* [Col. 0686D] sene rege et stulto qui nescit providere in posterum: quod et de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, et alius natus in regno, inopia consumatur. Vidi cunctos viventes qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo qui consurgit pro eo. Infinitus est numerus populi omnium qui fuerunt ante eum; et qui postea futuri sunt, non laetabuntur in eo. Sed et hoc vanitas et afflictio spiritus. Hebraei hunc locum ita disserunt: Melior est interior homo, qui post quartumdecimum pubertatis annum in nobis exoritur, exteriore homine, qui de matris utero [*Ms.,* alvo] natus est, qui nescit recedere a vitio, et qui e domo vitiorum [*Ms.,* vinctorum], de utero videlicet materno, ad hoc exivit ut regnaret in vitiis, qui et [Col. 0687A] in natura sua pauper factus est, non habens sapientiam, mala omnia deserendo [*Ms.,* desiderando]. Vidi eos qui in priore homine vixerunt, et cum secundo homine postea versati sunt, eo videlicet, qui priore decedente generatus est; intellexique homines in homine priore peccasse, antequam secundo nascente, tempore legitimo duo homines fuerint, alter carnalis, alter spiritalis. Qui vero ad meliora conversi fuerint, et interiori homini, id est, secundo se subjicere sciunt, non laetantur in

priore qui in vitiis regnabat. Hos duos homines doctor egregius unum interiorem, et alterum exteriorem nominare solebat. Nos vero melius aestimamus haec intelligenda de diabolo rege stulto, et de Christo paupere sapiente, qui egressus est de virginali utero in mundum, [Col. 0687B] ut contereret et subverteret imperium stulti regis, qui ei ostendit omnia regna mundi; eoque victo, vasa illius caperet, et domum subverteret, captivamque captivaret captivitatem. Puerum vero {424} prophetico spiritu nominavit Christum, et pauperem, sicut dictum est: *Ecce puer meus quem elegi* **(Matth. XII, 18)**. Item Apostolus: *Qui cum dives esset, pauper factus est pro nobis* **(II Cor. VIII, 9)**. Et sapientem eum Evangelista testatur dicens: *Et Jesus proficiebat aetate et sapientia et gratia coram Deo* [et hominibus] **(Luc. II, 52)**. Iste natus est in regno senis et stulti, optimus, pauper, et puer admirabilis, ut de domo vinculatorum procederet in regnum, abiens in regionem longinquam, juxta parabolam evangelicam, accipere sibi regnum et reverti, eos post aliquantum [Col. 0687C] temporis, qui super se eum regnare noluerunt, in judicio damnaturus. Tamen erunt quam plurimi qui non laetabuntur in Christo, recipientes Antichristum pro eo. Sed et illi non laetantur in eo, qui carnalia desideria, id est, exterioris hominis vitia sequuntur magis quam interioris sapientiam. Hi sunt qui nascuntur per gratiam sancti Spiritus, et sacramentum baptismi in regnum, sed non permanent in eo, revertentes ad vitia, ideo consumpti inopia tabescent.

VERS. 17.---*Custodi pedem tuum ingrediens in domum Dei, et propinqua ut audias.* Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimae, qui nesciunt quid faciunt mali. Praecepta dat vitae, et non vult offendere euntes ad Ecclesiam. Non enim ingredi [Col. 0687D] domum Dei, sed sine offensione ingredi laudis est. Et si esset omnium qui sunt in Ecclesia Dei, audire sermonem et divina mysteria, nunquam addidisset, *Appropinqua ut audias.* Denique Moyses solus prope accedebat ad audiendum Deum: caeteri accedere non valebant. Quod stulti nescientes remedium esse peccati, aestimantesque pro oblatione [*Ms.,* per oblationem] munerum Deo satisfacere se posse, [et] ignorant hoc malum esse atque peccatum, non obedientia [*Edit.,* non ob obedientiam] praeceptorum Dei [et] bonis operibus, sed donis et victimis emendare velle, quae inique fecerint. Huic congruit illud, quod in Evangelio ipsa Veritas ait: *Discite quid est, misericordiam volo, et non sacrificium* **(Matth. IX, 13)**.

CAPUT V.

[Col. 0688A]

VERS. 1, 2.---*Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Deus enim in coelo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia. Plerique arbitrantur haec in praesenti saeculo [*Apud Hier.,* in praesenti loco] praecipi, ne coram Deo facile aliquid promittamus, et sine consideratione virium voveamus ea quae explere non possumus. Adesse quippe praesentem Deum; et licet ille in coelo, nos esse videamur in terra, tamen audire quae loquimur, et insipientiam nostram argui ex multiplicatione sermonum. Alii vero melius intelligentes, haec praecipue [*Ms.,* praecipi] affirmant, ne aut loquentes [Col. 0688B] cogitantesve, plus de Deo quam possumus,

opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram. Quantum enim coelum distat a terra, tantum nostra opinatio a natura illius separatur; et idcirco debere verba nostra esse moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter de quibus cogitat, ita qui plura voluerit de divinitate disserere incidit in stultitiam. Vel certe verba nostra pauca ideo esse debere, quod [etiam] ea quae nosse nos aestimamus, per speculum videmus, et in aenigmate, et veluti somnium comprehendimus quod tenere nos aestimamus; cumque plura, ut visum nobis fuerit, dixerimus, finem disputationis nostrae esse stultitiam: ex multiloquio enim nos non effugere peccatum.

VERS. 3, 4.---*Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere:* [Col. 0688C] displicet enim ei infidelis et stulta promissio. Sed quodcunque voveris, redde. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Simplex intelligentia, interpretatione non indiget. Melius est non promittere quam promissa non facere, quia displicent [*Ms.,* displiciunt] Deo vota infidelium, qui non implent quae promittunt Deo. Deus nisi verax est et veritas, eosque amat qui veritatis opera faciunt. Consideret homo quod [*Ms.,* quid] Deo voveat, an implere possit quae vovere cogitat. Sed generaliter omni praecipitur Christiano, ut fidem opere compleat, et non sit similis Judaeorum, qui spondent se omnia facere, quae Dominus praecipit, dicentes: *Omnia quaecunque praecepit nobis Dominus faciemus* **(Exod. XXIV, 3)**; postea vitulos facientes, adoraverunt [Col. 0688D] idola.

{425} VERS. 5.---*Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo:* Non est providentia, ne forte iratus Deus super sermone tuo, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Hebraei ita sentiunt: quod non potes facere, non promittas; non enim in ventum dicta transeunt, sed a praesenti angelo, qui unicuique adhaeret comes, statim proferuntur [*Hier.* perferuntur] ad Dominum. Et tu qui putas ignorare Deum quod pollicitus es, provocas eum ad iracundiam, ut omnia opera tua dissipentur. Nos vero ita intelligimus, quod his verbis arguantur qui necessitate carnis et naturae se peccare contendunt, Creatorique inscribunt, cur eos [Col. 0689A] tales fecerit, ut carnali desiderio superati cogantur peccare; et hoc est, quod ait: *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam.* Noli itaque, [ait,] vanas excusationes quaerere, et dare occasionem carni tuae ad peccandum, et dicere: Non ego pecco, sed quod habitat in mea carne peccatum. Si enim, inquit, haec dixeris, Deum provocas quasi auctorem mali atque peccati, ut iratus sit; et si quid videris boni habere, auferet de manibus tuis; vel certe talia sentientem, tradet te in reprobum sensum, ut facias ea quae non conveniunt.

VERS. 6.---*Ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates et sermones innumeri.* Tu vero Deum time. Et hunc locum Hebraei ita edisserunt: nec superiora facias, de quibus jam dictum est, nec facile somniis [Col. 0689B] credas. Cum enim diversa videris per nocturnam quietem, et variis anima fuerit exagitata terroribus sive incitata promissis, tu contemne, quia somnia sunt, et solum Deum time; qui enim somniis crediderit, vanitatibus et ineptiis se tradet. Aliter: quia dixi atque praecepi, non des os tuum, ut peccare facias carnem tuam, et quaeras vanas [*Ms.,* varias] excusationes; hoc nunc infero, quod in somno vitae istius, et in imagine umbrae nubis, qua vivimus, multa possumus invenire quae nobis verisimilia videantur et nostra excusare peccata. Propterea admoneo, ut id omnimodis caveas, ne putes absentem Deum ab operibus

tuis, imo et cogitationibus perversis, sed eum timeas, et scias in cunctis operibus tuis ejus providentiam esse, teque libero arbitrio [Col. 0689C] [*Ms.,* liberi arbitrii] conditum, non cogi, sed [*Ms.,* om. sed] velle, quod facias.

VERS. 7, 8.---*Si videris calumnias egenorum, et violenta* [Ms., *violata*] judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio, quia [excelso] excelsior est alius, et super hoc quoque [Ms., *et hoc quoque*] eminentiores sunt alii, et insuper universae terrae rex imperat servienti. Unum disputationis servemus textum, et eumdem sensum et ordinem sequamur. Supra dixit: *Ne dixeris coram angelo, non est providentia, ne forte irascatur Deus super vocem tuam et reliqua.* Adversusque eos locutus est, qui negarent per providentiam Dei res humanas regi. Sed hic intellexit oriri posse hujusmodi quaestionem: si a Deo auctore res regitur humana [*Ms.,* [Col. 0689D] res reguntur humanae], quare justi calumniam patiuntur, et quare iniqui sunt judices, et non Deus ulciscitur in eos qui iniqua faciunt et judicant? Nunc infert, et solvit quaestionem quae poterat opponi, dicens: *Si videris calumniam pauperis, qui beatus in Evangelio praedicatur, et res vigere, non justitiam* [*Hier.,* et res vigeri non justitia], non [*Ms.,* ne] mireris, nec tibi novum aliquid esse videatur, quia excelso alius excelsior est, et omnia respicit Deus, qui angelos suos super judices et reges terrae praeposuit, qui possunt utique prohibere injustitiam, et magis in terra valere quam quaevis hominum potestas [*Ms.,* potestates]. Sed quoniam servat in finem judicium, et in consummationem mundi, quando in maturas [Col. 0690A] segetes messores venire jussurus est, ut separetur triticum et in horreum coelestis regni condatur, lolium autem aeterno tradatur incendio; ideo nunc exspectat et differt sententiam, donec in fine mundi iniqui puniantur et justi coronam recipiant justitiae.

VERS. 9, 10.---*Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructus non capiet ex eis:* et hoc ergo vanitas. Ubi multae sunt opes, multi et qui comedunt eas: et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Hic vero avarus describitur, qui nunquam opibus expletur; et quanto plus capit, tanto plus cupit: sicut hydropicus, quanto plus bibit, tantum sitis addita crescit. Flacci quoque super hoc concordat sententia, qui ait **(Epist. 1, ad Lollium)**:

[Col. 0690B] Semper avarus eget . . . . . Nihil divitiae prosunt ergo (inquit Ecclesiastes) possidenti, nisi hoc solum, ut videat quod {426} possidet. Quanto enim major fuerit substantia, tanto plures ministros habebit, qui opes devorent congregatas: dominus autem earum videat tantum quid habeat, et plus quam unius hominis cibum capere non possit.

VERS. 11.---*Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat:* saturitas autem divitis non sinit eum dormire. Adhuc de divite et avaro sermo est, et comparantur operanti, et absque sollicitudine dormienti, sive parum sive multum comederit, quod ille labore operis, et sudore quemvis cibum digerit, et dulci somno perfruitur. Dives vero distentus dapibus, in diversa laceratus, dormire non [Col. 0690C] valet, redundante crapula, et incocto cibo in stomachi angustiis aestuante. Porro quia somnus, communis de hac vita exitus appellatur, melior erit requies ejus qui operatur in praesenti, et secundum vires suas in bonis operibus conversatur, quam eorum divitiae

de quibus scribitur: *Vae vobis divitibus, quia recepistis consolationem vestram* **(Luc. VI, 24)**.

VERS. 12-16.---*Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole:* divitiae conservatae in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima. Generavit filium, qui summa in egestate erit; sicut egressus est nudus de utero matris suae, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas; quomodo venit, sic revertetur. Quid [Col. 0690D] ergo prodest ei quod laboravit in ventum? Cunctis diebus vitae suae comedit in tenebris, et in curis multis, et in aerumna atque tristitia. Cum superiori junge quod sequitur. Ecclesiaste divitem describente, quod nec ipse possit suis divitiis perfrui, et crebro propter eas in discrimen veniat, nec haeredi quod congregavit, relinquat, sed et ipse et filius suus, sicut venerunt nudi, ita nudi revertantur in terram, et nihil eos laborum suorum comitetur. Nonne enim languor est pessimus, pro divitiis cogitatione torqueri, et perituras opes, quas nobiscum non possumus auferre morientes, in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus, casso labore conquirere. Possumus haec eadem verba de philosophorum dogmatibus vel haereticorum perversitatibus intelligere, qui in malum [Col. 0691A] sui divitias diversorum congregant dogmatum, nec aliquam in eis utilitatem habent [*Ms.,* habebunt]; nec sectatoribus suis fructum relinquunt perpetuum, sed et ipsi, et discipuli eorum nudi, absque ullis meritis [*Ms.,* bonis meritis] revertentur in terram, non habentes lucem verae sapientiae, sed in tenebris ignorantiae, verique luminis expertes, omnes labores suos perdent illius judicio qui ait: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* **(I Cor. I, 19)**.

VERS. 17-19.---*Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur laetitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitae suae, quos dedit illi Deus.* Et haec est pars illius, et omni homini cui dedit Deus divitias, atque substantiam, [Col. 0691B] potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis; et fruatur parte sua, et laetetur de labore suo, hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitae suae, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus. Qui laboribus suis in curarum tenebris vescitur, et cum grandi vitae taedio peritura comportat, meliorem dicit eum esse, qui praesentibus fruitur bonis in laetitia et jucunditate. Hic enim vel parva voluptas est in fruendo, ibi vero sollicitudinis tantummodo magnitudo. Et reddit causas quare donum Dei sit, frui posse divitiis; quoniam non multum recordabitur dierum laboris sui, ideo non erit in tristitia, non cogitatione vexabitur, abductus laetitia et voluptate praesenti. Sed melius est juxta Apostolum [Col. 0691C] **(I Cor. X, 3)** spiritalem escam et spiritalem potum spiritalemque laetitiam a Deo dari intelligi, et videre bonitatem Dei, et jucunditatem cordis sui in omni labore suo, quo spiritaliter in bonis laborat operibus, spe consolatus futurae retributionis: et haec est pars nostra, ut laetemur in studio bonorum operum; quae laetitia, licet bona sit, nec tamen plene bona est, donec manifestetur Christus, cujus visio perfecta bonitas est et jucunditas. Notandum quoque est quod occupatio in hoc loco in bono intelligi debet, pro intentione spiritali veraque laetitia, quam divina inspirat gratia hic in praeceptis laborantibus Dei.

{427}
CAPUT VI.

VERS. 1-6.---*Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines.* Vir cui dedit Deus [Col. 0691D] divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animae ejus ex omnibus quae desiderat; nec tribuit ei Deus potestatem ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, et magna miseria est. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies aetatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiae suae, sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali; et si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis: nonne ad unum locum properant omnia? Describit avarum divitem, et hoc malum frequens esse in hominibus asserit, quod nihil eorum quae in mundo putantur bona ei desit, [Col. 0692A] et nihilominus stultissima parcitate se cruciat, aliis devorantibus [*Hier.,* devoranda] conservans. Necnon et illud hyperbolice addidit, quod etsi liberos centum procreaverit, et non ut Adam prope mille, sed duobus millibus vixerit annis, et anima ejus cupiditate et avaritia contabescat, multo deterioris conditionis sit abortivo illo qui statim ut natus est interiit: ille enim nec mala vidit nec bona; iste vero cum bona possederit, semper tristis et cogitatione excruciatus est; magisque requiem habebit abortivus quam avarus ille longaevus; et tamen ambo aequali fine rapientur, dum et hic et ille subtrahuntur simili morte. Potest hoc [et] de Israel accipi, quod dederit illi Deus legem et prophetas, testamentum et repromissionem, Salvatore dicente: *Auferetur a vobis* [Col. 0692B] regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus **(Matth. XXI, 43)**. Haec omnia ad alienum et peregrinum gentium translata sunt populum, ut videant illi bona sua, et non fruantur. Multoque nos conditionis esse melioris, qui quasi abortivi et novelli putabamur ab eis, quam illi qui sibi in antiquitate applaudebant, de patribus gloriantes atque dicentes: *Pater noster Abraham* **(Joan. VIII, 39)**. Et tamen ad unum locum et nos et illos properare, id est ad judicium Dei. Quod autem in medio ait: *Et quidem sepulcrum non fuit ei, sive hoc significat quod dives ille de sua morte non cogitet, et cum omnia possideat,* [etiam] in exstructione sepulcri avarus sit; sive quod saepe propter istas divitias occisus insidiis, insepultus [Col. 0692C] abjiciatur; sive, quod melius puto, nihil bonum honorificumve [*Ms.,* nihil boni facti honorisque] egerit, ex quo sibi queat apud posteros memoriam comparare, vitam silentio velut pecus transiens, cum habuerit materiam per quam potuerit apparere quod vixerit.

VERS. 7, 8.---*Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur bonis.* Quid habet amplius sapiens a stulto, et quid pauper nisi ut pergat illuc ubi est vita? Omne quod laborant homines in hoc mundo, ore consumitur, et, attritum dentibus, ventri traditur digerendum: sed non implebitur anima comedentis, quia rursum desiderat quod comedat. Et cum tam sapiens quam stultus absque cibo nequeant vivere, et pauper nihil aliud quaerat nisi quomodo possit organum sui corpusculi sustentare, ideo illuc [Col. 0692D] properat pauper, ubi opes esse perspexerit. Sed melius est hoc intelligere de ecclesiastico viro qui, in Scripturis coelestibus eruditus, omnem laborem habet in ore suo, id est in doctrina spiritali; et anima ejus non implebitur, dum semper cupit discere quod doceat; et in eo plus habet sapiens quam insipiens, quia cum paupere illo qui in Evangelio beatus dicitur, properat ad ea comprehendenda quae vitae sunt, et ambulat arctam et augustam viam quae ducit ad vitam. Et pauper est ornatus operibus [*Ms.,* et pauper est a malis operibus], et scit ubi Christus, qui vita est, commoretur.

VERS. 9.---*Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias.* Sed et hoc vanitas est, et praesumptio spiritus. Melius est, juxta sensum et providentiam [Col. 0693A] cuncta agere, quia sensus oculus est animae, quam voluntatem carnis sequi, quae nescientem ducit ad perditionem. Vel certe superbum et sibi placentem arguit, et meliorem dicit esse eum qui cuncta providerit, quam illum cui nihil prodest [*Hier.,* cui nihil placet] nisi quod ipse fecerit, quia haec est mala mentis afflictio, et praesumptio pessima, eo quod Deus dissipat [*Ms.,* despiciat] ossa hominum sibi placentium.

{428} VERS. 10.---*Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus, et scitur quod sit homo, et non possit contra fortiorem se judicio contendere.* Aperte de Salvatoris praedicatur adventu, quia [qui] futurus est, antequam in corpore cerneretur, jam vocatum in Scripturis nomen ejus; et cognitum est prophetis [Col. 0693B] et sanctis Dei ut homo sit, et juxta hoc quod homo est, non possit se conferre cum Patre, ut in Evangelio ipse ait: *Pater qui me misit, major me est* **(Joan. XIV, 28)**. *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.*

CAPUT VII.

VERS. 1.---*Quid necesse est homini majora se quaerere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suae, et tempore, quo ut umbra praeteriit.* Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sit sub sole? Videtur adhuc de Salvatore dicere, et prohibere ne curiose quaeramus qualis, vel quantus, vel quomodo venisset, sed tantum credere quod Scriptura sancta de eo testatur. [Col. 0693C] Cum enim de statu nostro ignoremus, et vita nostra quasi umbra pertranseat, et futura incerta sint, non nobis expedit ut majora quam possumus inquiramus, sed silentium imponamus ori nostro, credentes eum venisse qui praedictus est.

VERS. 2.---*Melius est enim nomen bonum quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis.* Considera, inquit, o homo, dies tuos breves, et quia cito sublatus carne in hac vita esse cessabis. Fac tibi in bonis operibus famam longiorem, ut quomodo nares unguentorum odore delectantur, sic ad tuum nomen [*Ms.,* vocabulum] cuncta posteritas delectetur. Et hoc est quod in Proverbiis dicitur: *Memoria justorum cum laude, nomen autem impiorum putrescit* **(Prov. X, 7)**. Quod autem ait: *Et dies* [Col. 0693D] mortis super diem nativitatis ejus, hoc ostendit, melius esse ire ex hoc saeculo, et carere laboribus hujus vitae, quam ad tribulationes laboresque tantummodo nasci, et omnia [*Ms.,* et haec omnia mala] sustinere quae in hoc mundo hominibus supervenire videntur. Vel certe quia in morte, quales simus, notum sit; in exordio vero nascendi, quales futuri simus, ignoretur.

VERS. 3.---*Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii;* in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Utilius est ad exsequias funeris ire quam ad domum convivii, quia ibi recordatione conditionis nostrae et fragilitatis humanae ex praesenti cadavere commonemur. In conviviis autem et laetitia, etsi quid timoris [Col. 0694A] habere videamur vel compunctionis in corde, amittimus, et quid futuri simus non cogitamus.

VERS. 4.---*Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Risus dissolvit sapientem, ira corripit et emendat peccantem. Irascamur et nobis, quia peccavimus; irascamur aliis quoque peccantibus, ad emendationem sui, non ad ultionem nostri.

VERS. 5.---*Cor sapientium ubi tristitia, et cor stultorum ubi laetitia.* Beati, inquit Salvator, lugentes, quoniam ipsi consolabuntur **(Matth. V, 5)**: igitur sapiens vir vadat ad domum lugentis, et seipsum corrigentis aliosque admonentis, ut plangant peccata sua; non ad domum adulatoris, qui plausus quaerit audientium, non lacrymas delinquentium. Talis doctor [Col. 0694B] plangitur dives in sermone, non dives in opere. Ideo mox in sequenti versiculo adjungit:

VERS. 6, 7.---*Melius est a sapiente corrigi quam stultorum adulatione decipi, quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* Sed et hoc vanitas. Huic sententiae simile est illud: *Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici* **(Prov. XXVII, 6)**. Sicut enim sonitus spinarum sub olla ardentium, strepitum reddunt insuavem, sic et palpantis magistri verba non proderint audienti, vel ad curas saeculi, quae spinae interpretantur, auditores suos cohortantis, vel futuro eos incendio praeparantis.

VERS. 8.---*Calumnia conturbat sapientem, et perdit robur cordis illius.* Utamur hoc versiculo, si quem justum virum atque sapientem videamus calumnias [Col. 0694C] sustinere, et turbari de iniquitate judicis, nec Deum [statim] periclitanti subvenire praesentem. Multae tribulationes sunt justorum, quia refrigescit charitas multorum, et abundat iniquitas, pro qua conturbabitur cor sapientis Deumque timentis.

{429} VERS. 9.---*Melior est finis orationis quam principium.* Meliores sunt in dicendo epilogi quam exordia, quia in istis inchoatio est locutionis, in illis consummatio. Qui ad praeceptorem vadit, melius in fine verbi intelligit quae dicuntur, quam in principio: ita melior est consummata justitia quam inchoata; illa victoriam praestat, ista certare incipit. Hic enim ex parte cognoscitur; cum autem venerit quod perfectum est, non erit necesse illud quod ex parte est.

[Col. 0694D] *Melior est patiens arrogante.* Quia superius iram concesserat, dicens, meliorem iram quam risum; ne putaremus iram quae est in passione laudari, nunc praecipit iram patientia esse tollendam. Ibi enim pro correctione in peccantes, et eruditione in minores iram posuisti [*Ms.,* posuit], hic vero patientiam, quae non solum in angustiis, sed et in laetioribus necessaria est, ne plus quam decet exaltemur.

VERS. 10.---*Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Inconsiderate irasci vetat, quia repentinus furor consilium non habet, et nihil viro sapienti sine ratione agendum est. Idcirco comicus quidam ait: *Ne quid nimis, quia omnis intemperantia cadit in vitium. Ira in sinu stulti requiescit.* Semper iracundia superbiae juncta ultionem quaerit, [Col. 0695A] quia quamvis aliquis potens videatur, et sapiens aestimetur, si iracundus sine ratione est, insipiens arguitur. Et in Evangelio: *Qui irascitur fratri suo, illa vel alia* [*Ms.* illa] aestimatione judicii dignus efficietur.

VERS. 11.---*Ne dicas:* Quid putas causa est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? Stulta enim est hujusmodi interrogatio. Ne dicas ergo meliores fuisse dies sub Moyse et sub Christo quam modo sunt. Nam et illo tempore plures fuerunt increduli, et dies eorum mali facti sunt; et nunc credentes multi reperiuntur, de quibus ait Salvator: Beatiores sunt, qui me non viderunt, et crediderunt **(Joan. XX, 29)**. Aliter: debes sic vivere, ut semper praesentes dies meliores tibi sint quam praeteriti, ne cum paulatim decrescere coeperis, dicatur tibi: *Currebatis* [Col. 0695B] bene, quis vos impedivit veritati non obedire **(Gal. V, 7)**?

VERS. 12, 13.---*Utilior est sapientia quam divitiae, et magis prodest videntibus solem.* Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem amplius habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. Majoris est gloriae sapientia cum divitiis. Alii enim sapientia indigent, alii opibus: et melior est, qui utrumque praestat utroque indigenti. Qui sapiens est, et non dives, potest quidem docere quod bonum est, sed interdum non potest praestare, quod petitur; ideo ait: quomodo protegit sapientia, ita protegit et pecunia: sed in eo major est sapientia divitiis quod absque ullis opibus hujus saeculi vitam tribuit habenti eam. Sciendum est tamen quod hoc de vera dicitur sapientia, quae ad vitam tendit aeternam, [Col. 0695C] et deducit ad solem justitiae sequentem se. Unde ait: *Videntibus solem, id est, intelligentibus qui sit sol justitiae, et quomodo perveniendum sit ad eum.*

VERS. 14.---*Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* In hoc versiculo perspicue ad studium nos hortatur sapientiae et scientiae; ut consideremus opera Dei, quam magna et quam mirabilia sint, et quomodo alium gratuita pietate elegerit, alium justo judicio despexerit, sicut de Jacob et Esau dicitur: *Jacob dilexi, et Esau odio habui* **(Rom. IX, 13)**. Dicitur et in psalmo: *Universae viae tuae misericordia et veritas* **(Psal. XXIV, 10)**.

VERS. 15.---*In die bona fruere bonis, et malum diem praecave.* Sicut enim hunc, sic et illum fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias. [Col. 0695D] Hoc enim ait, significans omnium esse retributionem: ideo admonet nos, diem malum, id est diem vindictae, praecavere. Bene vero facienti bonus est hujus vitae dies, ad promerendum aeternae beatitudinis diem. Sicut enim Deus fecit istum, ut bene vivamus in eo, ita et illum male facientibus fecit. Aliter: Bona, inquit, et mala, id est prospera et adversa, prout venerint [*Ms.,* evenerint] tibi, viriliter sustine, quia utraque Dei judicio evenient semper justo, quamvis saepe occulto. Prohibetque querimonias contra Deum, cur alii felicitatem atque alii miseriam in hoc habeant saeculo.

[Col. 0696A] {430} VERS. 16.---*Haec quoque vidi diebus vanitatis meae;* justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua. Hoc idem et Propheta in septuagesimo secundo psalmo detestando miratus est. Et Habacuc propheta [*Ms.,* in prophetia sua] deplorat quare impii felicia habeant tempora, et justi plurimis torqueantur adversis. [Sed] Dei in occulto patientia est, tribulari nunc sanctos, ut recipiant mala in vita sua, et peccatores non visitare pro scelere suo in hoc saeculo praesenti; ut et illis possit aeterna bona restituere, et his mala aeterna [*Ms.,* perpetua] inferre, sicut de Lazaro et de divite legitur. Unde et praefatus Psalmista respiciens

finem malorum, qui hic feliciter vivunt, exclamavit dicens: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me,* donec [Col. 0696B] intrem in sanctuarium Dei, et intelligam novissima eorum **(Psal. LXXII, 16)**.

VERS. 17.---*Noli esse justus multum, nec plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.* Qui vero nunquam fraternis ignoscere peccatis vult, sed omnia vindicare secundum furorem animi sui, plus justus est quam decet. Cum enim Salvator ait: *Nolite judicare, ut non judicemini* **(Luc. VI, 37)**; et: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester coelestis delicta vestra* **(Matth. VI, 14)**. Nec nimis rigidus, aut animo [*Ms.,* nimis] solutus magister debet esse, sed via regia ingredi, et considerare diligenter quid cui conveniat ad salutem animae suae. Quod autem ait: *Noli quaerere amplius, ne obstupescas;* mentem nostram scit perfectam non posse [Col. 0696C] comprehendere sapientiam, et mensuram fragilitatis nostrae jubet nos scire debere.

VERS. 18.---*Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Cum Dominus loquatur: Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut revertatur et vivat **(Ezech. XVIII, 32)**, semel peccasse sufficiat, debemus nos erigere post ruinam. Si enim juxta eos qui de physicis disputant, novit hirundo pullos suos de sua oculare chelidonia; dictamnum capreae appetunt vulneratae; cur nos ignoremus medicinam poenitentiae propositam esse peccantibus? Quod autem ait: *Ne moriaris in tempore non tuo, scimus Chore, et Dathan, et Abiron propter seditionem adversus Moysen et Aaron repentino terrae hiatu devoratos* **(Num. XVI)**, et ad emendationem [Col. 0696D] aliorum ante diem judicii [etiam] in hac vita plurimos judicatos. Quod ergo dicit tale est: Noli peccatis adjicere peccata, ne provoces Deum, et hic tibi inferat [*Ms.,* etiam hic tibi inferre] supplicium.

VERS. 19.---*Bonum est te sustentare justum, sed ab illo ne subtrahas manum tuam:* quia qui timet Dominum, nihil negligit. Bonum est justis bene facere, non injustum est tantum domesticos fidei sustinere
@ [Col. 0695D] Haec ex S. Hier. ita supplenda sunt: «Bonum est justis benefacere, sed et peccatoribus benefacere [Col. 0696D] non injustum est. Bonum est domesticos fidei sustinere,» etc., sed [et] omni petenti tribuere, praeceptum est. Timens quippe Dominum, et imitator Conditoris sui, qui pluit super justos et injustos, absque respectu personarum omnibus benefacere festinat. Aliter: [Col. 0697A] Quia vita haec miserabilis diversis quotidie variatur eventibus, tam ad adversa quam ad prospera justi animus praeparetur, et poscat Dei misericordiam, ut quodcunque evenerit, libera mente sustineat. Qui [enim] timet Dominum, nec prosperis [*Edit.,* posteris] elevatur, nec opprimitur adversis.

VERS. 20, 21.---*Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.* Non est enim homo qui faciat bonum et non peccet. Sapientia vero, sicut alio loco legitur, melior est fortitudine, quam dicit decem principibus esse fortiorem in uno sapiente. Aliter: decem qui potestatem habent et in urbe consistunt, angeli sunt, qui ad perfectum numerum pervenire possunt denarium [*Hier.,* numerum pervenere denarium], et auxiliantur humano generi. Sed [Col. 0697B] si quis consideret omnia auxilia, majus est auxilium sapientiae, id est Domini nostri Jesu Christi, omnium angelorum, quia nullus

ex angelis redimere potuit humanum genus peccatis obnoxium. Tum Dominus angelorum descendit, et respersos nos sanguine suo, sanavit ab omni infirmitate peccatorum nostrorum. Sicut enim per unum hominem intravit mors in mundum **(Rom. V, 12)**, ita per unum, id est, Jesum Christum, redemptio venit in mundum.

VERS. 22, 23.---*Sed et cunctis sermonibus quae discuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi.* Scit enim tua conscientia quia et tu crebro maledixisti aliis. Docet igitur sapientem maledicorum linguas non auscultari, sed sapientiae auxilio confortatum magis mores vanos [Col. 0697C] parvipendere, magisque conscientiae {431} bono laetari quam maledictis alienis contristari: maxime qui seipsum novit aliquoties aliis detrahere; et si sibi ipsi ignosci desideret alios reprehendenti, aliis quoque se reprehendentibus ignoscat. Si enim curiosus est quispiam quid alii de se loquantur et judicent, semper in tribulatione erit, quia nullatenus nec servorum suorum mussitationes compescere valet; et simul docet non facile judicandum, et habenti trabem in oculo, de festuca alterius non loquendum.

VERS. 24, 25.---*Cuncta tentavi in sapientia.* Dixi: Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me multo magis quam erat; et alta profunditas, quis inveniet eam? Dicit se, ut Regnorum quoque testantur libri, ultra omnes homines quaesisse sapientiam, et tentasse [Col. 0697D] ad finem illius pervenire: sed quanto plus quaesierit, tanto minus reperisse, et in media demersum caligine tenebris ignorantiae circumdatum. Aliter autem: Qui eruditus fuerit in Scripturis, quanto plus surgere [*Hier.,* plus scire] coeperit, tanto ei in his quotidie oritur major obscuritas: quia in speculo et imagine videmus, donec veniat, quod perfectum est; ideo haec sapientia mortalium parva est ad illam, quae sanctis datur in futuro regno Dei.

VERS. 26, 27.---*Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quaererem sapientiam, et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentum;* et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagenae cor ejus, [Col. 0698A] vincula sunt manus illius: qui placet Domino, effugiet eam; qui autem peccator est, capietur ab illa. Quia supra Ecclesiastes dixerat omnia se in sapientia tentasse, et quanto eam plus inquisierit, tanto illam longius refugisse: nunc ait, et illud in sua invenisse sapientia malum, quod in rebus humanis omnia vinceret mala, id est, mulierem omnium esse malorum caput, quia per illam mors in orbem terrarum introivit, et pretiosas animas virorum capit, et cum in mentem miseri amatoris inciderit, trahit eum in praeceps, nec ante pedes suos respicere patitur, sed quasi laqueus et sagenae cor adolescentis innectit. *Vincula sunt manus illius.* Id est, suadere potest, vim facere non potest, nec ad se nolentes compellere. Justus qui fuerit et bonus coram Deo, [Col. 0698B] eruetur ab ea: peccator vero captus deducetur ad mortem. Non putemus hinc [*Ms.,* hanc] Salomonem de omni genere mulierum protulisse sententiam: quod expertus est loquitur; ideo quippe offendit Deum, quia captus fuit a mulieribus. Et haec secundum litteram. Caeterum secundum intelligentiam spiritalem, haeretica pravitas mulieris nomine designatur, quae mollibus incautos saepe ligat sermonibus, quia panis absconditus et aquae furtivae dulciores insipientibus solent esse

VERS. 28-30.---*Ecce hoc inveni, dicit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem*

rationem quam adhuc quaerit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem [Col. 0698C] rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus. Omnia diligenter tractando consideravi, ut rationem unius alteriusve rei, id est cujuscunque rei invenirem, vel etiam inter homines eorumque mores discretionem, quis perfecte bonus esset. Sed ex omnibus viris unum inveni perfecte bonum, id est, Christum: sicut Propheta dicit: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* **(Psal. XIII, 1, 3)**. Solus Christus sine omni labe peccati inventus est bonus. Millenarius vero numerus pro sanctorum discretione a peccatoribus, qui mulieris nomine designantur, hoc in loco ponitur. Vir igitur a virtute dicitur, et mulier a mollitie. Potest quoque mulier pro carnalibus accipi operibus, et vir, qui a virtute dicitur, pro rationalis animi excellentia. Sed ne videretur [Col. 0698D] his sermonibus communem humani generis naturam damnare, et Deum auctorem facere mali, dum talium conditor sit qui malum vitare non possunt, argute praecavit et ait, bonos nos scimus a Deo creatos, sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad pejora labi, dum majora quaerimus, et ultra vires nostras varia cogitamus.

{432}
CAPUT VIII.

VERS. 1.---*Quis talis ut sapiens est, et quis cognovit solutionem verbi? Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem ejus commutavit.* Supra docuerat difficile bonum hominem inveniri, et venientem contra eluserat quaestionem dicens, a Deo bonos homines conditos, sed sponte sua in peccatum [Col. 0699A] lapsos. Nunc quid bono homini dederit Deus, quasi gloriabundus enumerat, sapientiam scilicet, rationem prudentiae, occulta Dei nosse mysteria, et arcana ejus sensu cordis intrare. Oblique autem de se loquitur quod nemo ita fuerit sapiens ut ipse, et nullus sic sciret problemata et solutiones; et sapientia ejus a cuncto laudata sit populo, quae non solum intrinsecus latuerit, sed et in superficie corporis et speculo vultus eluxerit, ultraque omnes homines prudentiam mentis in facie sua pinxerit. Multi sunt qui promittunt sapientiam et solutionem se scire divinae Scripturae, sed pauci sunt qui veram inveniant solutionem meam. Sed et hoc sciendum est, quod sapiens saepe moribus agnoscitur honestis, et visu discernitur a stulto.

[Col. 0699B] VERS. 2-4.---*Ego os regis observo, et praecepta juramenti Dei.* Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est: nec dicere quisquam potest, quare ita facias? De eo siquidem videtur dicere, de quo in Psalmo cantatur: *Domine in virtute tua laetabitur rex* **(Psal. XX, 1)**. et in alio loco, ut Patris et Filii regnum unum significetur, Scriptura commemorat: *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* **(Psal. LXXI, 1)**. *Non enim judicat Pater quemquam, sed omne judicium dedit Filio* **(Joan. V, 22)**. Qui rex filius, Dei Patris regis est filius. Hujus itaque custodienda sunt praecepta, qui ait: *Si vis vitam ingredi, serva mandata* **(Matth. XIX, 17)**. Admonet quoque [Col. 0699C] non esse discutienda praecepta Dei, quare hoc vel illud praeceperit, sed quodcunque viderit esse mandatum, hoc pia mens hominis implere festinet, ut sit in lege Domini voluntas ejus die ac nocte. Juramentum Dei dicitur pro affirmatione sententiae ejus,

quae nullatenus immutari poterit. Idcirco consilium dat ne stemus in opere malo, quia nescit homo quid ventura pariat dies. Igitur poenitenti [*Ms.,* patienti] indulgentia promissa est, crastinus dies vero nemini certus est. Ideo dicit Scriptura: *Ne tardes converti ad Dominum* **(Eccli. V, 8)**.

VERS. 5.---*Qui custodierit mandatum* [Ms., praeceptum], non experietur in futuro quidquam mali. Qui in hoc saeculo praeceptum Domini custodit, non experietur quidquam mali. *Tempus et responsionem* [Col. 0699D] cor sapientis intelligit. Praecipit autem et regis imperium, id est Christi, conservandum, et scire quid, et quare, et quo tempore jubeat.

VERS. 6, 7.---*Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio, quia ignorat praeterita, et futura nullo scire potest nuncio.* Omni negotio, ait, tempus est, idem [*Ms.,* id est] quod in superioribus dixit, omnia opportunitatem habere: quondam fuit tempus circumcisionis, sed modo tempus gratiae. Etenim [*Ms.,* est enim] magna afflictio generis humani, quia ad laborem homo nascitur, et variis affligitur tribulationibus, cui saepe aliud evenit, et aliud sperat; ab altero sibi velut ab hoste cavet, et alterius jaculo vulneratur, quia nescius est futuri, sicut poeta ait:

[Col. 0700A] Nescia mens hominis fati sortisque futurae. VIRG. Aeneid. X.

Quamvis nemo sit conscius futurorum, tamen scire debet omnia a Deo ad utilitatem hominum fieri, et non absque ejus voluntate disponi, sine cujus dispositione nec unus passer in laqueum cadit.

VERS. 8.---*Non est in hominis ditione* [Ms., *conditione*] prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. Non est ergo lugendum si futura scire non possumus, et saepe ab iniquis potentioribus opprimamur, cum morte omnia finiantur, et superbus et potens qui cuncta populatus est, non valet animam suam retinere, cum exire jubetur de corpore; nec eum salvabit impietas sua, sed magis [Col. 0700B] aggravat in die exitus sui, dum meritis aequalia recipit suis, et ingruente super se bello miseriae peccatorum suorum, salvari non poterit, eo quod negligit [*Ms.,* qui neglexit] tempus poenitentiae.

{433} VERS. 9-11.---*Omnia haec consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus quae fiunt sub sole.* Interdum dominatur homo homini in malum suum. Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum. Sed et hoc vanitas est. Etenim quia non profertur cito sententia operum contra malos, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Hanc sententiam beatus Hieronymus ita interpretatus est: Dedi, inquit, cor meum, ut omne quod sub sole geritur intuerer, et hoc [vel] maxime, quod [Col. 0700C] homo in homines accipit potestatem, ut quoscunque vult, affligat atque condemnet. Cum itaque mentem meam ad haec intuenda dirigerem, vidi impios cum tali opinione mortuos, et sic sepultos, ut sancti aestimarentur in terra, quod, cum viverent, putabantur digni esse Ecclesiae principes, et templo Dei; et insuper ambulantes tumidi laudabantur in malis suis, sicut scriptum est: *Laudatur peccator in desideriis animae suae, et qui iniqua gerit, benedicitur* **(Psal. IX, 24)**. Hoc autem propterea evenit quod nemo peccantibus

episcopis audet contradicere; nec statim Deus ob scelus ulciscitur, sed differt poenam, cum exspectat poenitentiam. Peccatores autem qui non statim arguti atque correcti sunt, putantes nequaquam futurum esse judicium, in scelere perseverant. Possumus [Col. 0700D] hoc testimonium accipere adversus episcopos qui acceperunt in Ecclesia potestatem, et scandalizant magis eos quos docere et ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in Ecclesia [*Ms.,* in saeculo], et beati in his quae non probabiliter fecerunt publice sive a successoribus sive a populis praedicantur. Et hoc quidem vanum est, quod non sicut egerunt, sic audiunt, nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem. Propterea quasi sancti et beati in praeceptis Domini ambulantes, augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in episcopum: si enim peccaverit, non creditur; et si convictus fuerit, non punitur.

[Col. 0701A] VERS. 12.---*Attamen ex eo quod peccator centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Dominum, qui verentur faciem ejus.* Ex eo quod impius plurimum peccat (hoc quippe significat quod ait, *centies*), dat Deus locum poenitentiae, et non [eum] statim punit in scelere, sed exspectat ut convertatur ab iniquitate sua et agat poenitentiam: quia [Deus] non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, ego intelligo quia benignus et misericors super eos futurus sit Deus qui habent timorem illius, et ad verbum ejus contremiscunt, et agunt poenitentiam de praeteritis, et de futuris sibi cavere incipiunt, quia peccator post poenitentiam, si revertetur iterum ad peccata priora, cani comparatur qui revertitur ad vomitum [Col. 0701B] suum.

VERS. 13.---*Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Dei.* Imprecatur male his qui non habent timorem Dei, et optat ne diu differantur a poena, sed statim morte subtracti cruciatus recipiant quos merentur. Simile quid et Apostolus loquitur: *Utinam praecidantur, qui nos* [Ms., *vos*] conturbant **(Gal. V, 12)**! Et alibi: *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Deus secundum opera ejus* **(II Tim. IV, 14)**. Et malis quidem qui converti non volunt, sed in malitia sua permanere, melius est mori quam vivere, quia quanto plures vivit dies, tanto atrociorem sibi praeparat poenam. Unde et comicus ait:

[Col. 0701C] Quid mali imprecer homini, nisi ut diu vivat?

VERS. 14.---*Est et alia vanitas quae fit super terram:* sunt justi quibus mala [Ms., *multa*] proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita sunt securi, quasi justorum facta habeant. Sed et hoc vanissimum judico. Inter caeteras vanitates quae in mundo vario feruntur eventu, etiam hoc deprehendi quod justis ea frequenter eveniunt quae impiis evenire debuerant, et impii tam feliciter in hoc mundo degant [*Ms.,* degunt], ut eos putes esse justissimos: quemadmodum de divite purpurato, et Lazaro mendico legitur in Evangelio **(Luc. XVI)**. Septuagesimus quoque secundus psalmus de hac re disputat, cur justis interdum mala et impiis eveniant bona. Sed Hebraei hoc de filiis Aaron intelligunt, qui Deo sacrificantes [Col. 0701D] perierunt; et de Manasse, qui post tanta mala reductus est de captivitate, et restitutus in regnum, ut dies suos feliciter finiret.

{434} VERS. 15.---*Laudavi igitur laetitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitae, quos dedit ei Deus sub sole.* Concionator noster, qui multas in se transfigurat personas, modo vulgi verba profert, quod nihil aliud bonum aestimat, nisi laetari manducando et bibendo, et saeculi serviendo [*Ms.,* servire] deliciis, summam accipere felicitatem. Sed haec sententia, si sic intelligitur sicut scripta est, miseros approbavit quos in Evangelio **(Matth. V)** Dominus beatos asserit [*Ms.,* dixit], id est pauperes, quorum regnum coelorum [Col. 0702A] esse dixit: necnon esurientes et sitientes beatos esse ibidem testatur. Sed melius est de spiritali cibo et potu sapientiae haec intelligere, de quibus et in psalmo legitur: Vinum laetificat cor hominis, et panis confirmat **(Psal. CIII, 15)**. Quod autem haec spiritaliter sentienda sunt, sequens versiculus demonstrat, in quo ait:

VERS. 16, 17.---*Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem dissensionem* [Ms., *distentionem*] quae versatur in terra. Est homo, qui diebus ac noctibus somnum oculis non capit, et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quae fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniet: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Testatur scilicet [Col. 0702B] melius esse in meditatione Scripturae sanctae versari die ac nocte, quam in epulis carnalibus perdere tempora sibi a Deo data ad proficiendum in sapientiae studiis, ut cognoscat mirabilia Dei, et laudet Creatorem in operibus suis: quamvis occulta sunt [*Ms.,* sint] judicia Dei, tamen miranda sunt, et Creator in eis laudandus est. Et quid de stulto dicendum est, dum studiosus sapientiae scrutator invenire non valet quare hoc vel illud factum sit, et quare mundus variis gubernetur eventibus, cur alius caecus, alius debilis, alius videns et sanus nascatur: hic paupertatem habeat, ille divitias; iste sit nobilis, ille inglorius. Subostendit itaque his verbis, esse causas rerum omnium rationabiles per justitiam Dei quare unumquodque fiat, sed in occulto eas latere, et non [Col. 0702C] posse ab hominibus comprehendi.

CAPUT IX.

VERS. 1, 2.---*Omnia haec tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem.* Sunt justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniant. Porro hic sensus est hujus sententiae: in hoc dedi cor meum, et scire volui quos Deus diligeret et quos odisset. Inveni justorum opera in manu Dei esse; et tamen utrum amentur a Deo an non, scire nequeo, et ambigo fluctuans in cogitationibus meis, utrum sustineant ad probationem justi tribulationes in hoc saeculo, sicut Job; an per odium, ut plurimi peccatores. [Col. 0702D] Sed hoc nunc habetur omnimode incertum.

VERS. 3.---*Justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti.* Sicut bonus, sic et peccator: ut perjurus [Edit., periturus], *ita et ille qui verum dejerat.* Hoc est pessimum inter omnia quae fiunt sub sole, quia eadem cunctis eveniunt. Ea quae per se nec bona nec mala sunt, et a sapientibus hujus saeculi media nuncupantur, quia aequaliter justis eveniunt et injustis, simplices quosque

conturbant cur ita eveniant, et propterea non putant esse judicium, cum omnium rerum in futuro discrimen sit. Tale quid [et] in Evangelio ipse Dominus ait: *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos,* et pluit super justos et in [Col. 0703A] justos **(Matth. V, 45, 48)**. Quod autem ait, eventus est unus omnibus, justo et impio, sive angustiarum sive mortis significat eventum. Ideo nec charitate Dei dignos vel odio seipsos esse intelligunt. Hoc enim pessimum esse omnium quae sub sole sunt dixit, quia nulla discretio hic esse videtur inter bonos et malos, et hoc apud eos qui cum Propheta non intrabunt in sanctuarium Dei, ut intelligant novissima eorum.

VERS. 4.---*Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post haec ad inferos deducentur.* Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. Eumdem sensum replicat quem ante posuit, quia communes angustiae {435} justos et injustos premunt. Ideo sine respectu [Col. 0703B] homines peccare non metuunt, quia in praesenti judicium Dei non vident super impios, qui subito rapiuntur pro peccatis ad inferos, dum nec semper vivere potestatem habent, nec ullus tam potens est in saeculo, qui hujus rei, id est, sine morte vivere, facultatem habere valeat. Unde in sequentibus mox adjungit:

VERS. 5, 6.---*Melior est canis vivens leone mortuo;* viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni data est memoria eorum. Amor quoque, et odium, et invidia simul perierunt, nec habent partem in saeculo, et in opere quod sub sole geritur. Quod autem supra dixerat, cor filiorum hominum impleri malitia et iniquitate, et post haec omnia [Col. 0703C] morte finiri, nunc eadem complet et repetit, donec vivant homines, posse eos justos fieri, post mortem vero nullam boni operis occasionem dari. Peccator enim vivens, quem cani comparavit, potest melior esse justo mortuo, quem leonem dixit: quia vivens proficere poterit in opere bono, mortuus vero nihil potest addere meritis suis. Possumus quoque canem pauperem justum intelligere viventem, et leonem mortuum potentem hujus saeculi, qui nihil secum bonorum exiens de hoc mundo meritorum abstulit. Sed et dilectio eorum, et odium, et immolatio, et omne quod in saeculo habere potuerunt, mortis finitur adventu, nec juste quidpiam possunt agere, nec peccare; nec virtutes adjicere, nec vitia. Spiritaliter [Col. 0703D] etiam intelligamus Chananaeam illam, cui dictum est: *Fides tua te salvam fecit* **(Matth. IX, 22)**, canem juxta Evangelium esse; leonem [vero] mortuum circumcisionis populum, sicut Balaam propheta dicit: *Ecce populus, ut catulus leonis, exsurget, ut leo exsultans* **(Num. XXIII, 24)**. Canis vivens nos sumus ex nationibus, leo vero mortuus Judaeorum populus a Deo derelictus. Et melior est apud Dominum [*Ms.,* Deum] iste canis vivens, quam ille leo mortuus. Nos vero viventes cognoscimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, illi vero mortui nihil sciunt, nec aestimant aliquam repromissionem atque mercedem, sed completa est eorum memoria: neque meminerunt ipsi quae scire debuerunt, neque illorum Dominus jam recordatus est, qui perierunt in scelere suo. Quorum [Col. 0704A] zelus, et invidia, et aemulatio, quam habuerunt contra Christum et apostolos, pariter periit.

VERS. 7.---*Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe in gaudio vinum tuum, quia placent Deo opera tua.* Melius haec omnia, sicut saepe diximus, spiritaliter

intelliguntur quam carnaliter, ne forte in Epicuri dogma ruamus, qui beatam aestimavit vitam, corporis delectationibus frui: nisi forte concionatoris more aestimemus Salomonem vulgi verba, et sensus ex sua persona proferre. Dicamus altiori sensu: Quia didicisti priori sententia, quod morte omnia finiuntur, et in inferno non sit poenitentia fructuosa, nec aliquis virtutis recursus; dum in isto saeculo es, festina, contende, age poenitentiam; dum habes tempus, labora; libenter enim Deus suscipit [Col. 0704B] poenitentiam; et comede panem charitatis, et vinum sapientiae bibe, ut Deo placeant opera tua, sicut verus Ecclesiastes in Evangelio dicit: *Qui sitit, veniat ad me et bibat* **(Joan. VII, 37)**. Et in Proverbiis: *Venite, comedite panem, et bibite vinum, quod miscui vobis* **(Prov. IX, 5)**.

VERS. 8.---*Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Habeto, inquit; corpus mundum et castum, et esto misericors: hoc est, quod in Evangelio ipsa Veritas ait: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris* **(Luc. XII, 35)**. In praecinctu castitatem corporis significat, et in lucernis ardentibus, quae oleo alantur bonorum operum, candorem et praedicationis lucem. Hoc oleo vultus noster exhilarandus est: hoc [Col. 0704C] jejunantes unguentum in capite habeant, quod peccatores habere non possunt, quorum vir justus oleum detestatur, ubi ait: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* **(Psal. CXL, 5)**. Quod oleum haeretici habere solent, ut perfundant capita deceptorum, id est, verba suavia, sed fallaciae plena.

VERS. 9.---*Perfruere vita cum uxore quam diligis, cunctis diebus vitae instabilitatis tuae, qui dati sunt tibi sub sole omnibus diebus vanitatis tuae.* Haec est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole. Sapientiam sequere, et scientiam Scripturarum, {436} et hanc tibi in conjugium copula, de qua in Proverbiis: *Ama illam et servabit te, amplexare eam, et circumdabit te* **(Prov. IV, 8)** . Dies enim [*Ms.,* autem] [Col. 0704D] vanitatis, dies hujus saeculi nequam significat, de quibus et Apostolus non tacet. Pulchre praecipit ut in diebus vanitatis nostrae veram vitam cum sapientia uxore quaeramus: haec enim pars nostra est, et hic laboris fructus, si in hac vita umbratili sapientiam veram, quae ad vitam nos ducat aeternam, invenire valeamus.

VERS. 10.---*Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Fac quodcunque boni operis valeas; nunc laborandum [*Ms.,* labora]: habes tempus laborandi, quia mors tibi, quae inferni nomine designatur, tempus tollet proficiendi, Propheta dicente: *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut in inferno quis confitebitur tibi?* [Col. 0705A] Nunquid enarrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam **(Psal. VI, 6; LXXXVII, 11, 12)**? Simile quid Salvator in Evangelio dicit: *Operamini dum dies est, veniet nox, quando nemo poterit operari* **(Joan. IX, 4)**.

VERS. 11.---*Verti me ad aliud, et vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque* [Ms., *sed cassum tempus*] in omnibus. Epistola ad Romanos huic loco convenit, ubi dicit, *non esse volentis neque currentis, sed Dei miserantis* **(Rom. IX, 16)**: quia sine gratia Dei, nec voluntas bona erit in homine; neque cursus boni

operis sine Deo fieri valet. Et hic locus Pelagianam sectam optime destruit. Qui gravi peccatorum pondere premitur, non est aptus ad cursum illum de [Col. 0705B] quo dicitur: *Cursum consummavi, fidem servavi* **(II Tim. IV, 7)**. Qui autem levis est, et anima illius non gravatur, nihilominus et ipse absque adjutorio Domini non potest ad coelum pervenire, quia quandiu sarcina carnis anima aggravatur, bellum sibi adversum aerias restat potestates: licet enim sit [*Ms.,* quas licet sit] robustus, propriis viribus vincere non poterit, nec coelestem et viventem panem habere poterit, nisi per sapientiam cohortantem: *Venite, comedite panes meos* **(Prov. IX, 5)**. Sciendum quoque est virum prudentem divitias salutis et sapientiae habere non posse, nisi eas a Deo acceperit, cujus ipsae divitiae sunt, de quibus et alibi scriptum est: *Redemptio animae viri propriae divitiae* **(Prov. XIII, 8)**. Gratiam quoque, nisi scientiam comitata fuerit, et [Col. 0705C] concessa a Deo, quis eruditus vir poterit invenire

@ Ms. et Hier: Gratia quoque, nisi scientia comitata fuerit, et concessa a Deo, quis eruditus vir eam non poterit invenire?? Quod Paulus sciens, *plus,* inquit, *omnibus laboravi:* non autem ego, sed gratia Dei, quae mecum est **(I Cor. XV, 10)**. Et iterum: *Gratia ejus in me vacua non fuit.* Et ad extremum nescitur ab homine, quando tempus adveniat, in quo varius eventus, et finis omnium subsequatur.

VERS. 12.---*Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* Nesciunt homines, sicut supra dictum est, tribulationes vel repentinas miserias, quae superveniunt eis incerto Dei judicio, saepe occulto, sed nunquam injusto; nec etiam ipsius mortis horam nosse poterunt, quae sicut fur veniet, ut vastet [Col. 0705D] domum peregrinationis nostrae. Sicut pisces capiuntur reti, vel aves laqueo, ita filios hominum repentinae involvent angustiae. Porro secundum allegoriam sciendum est, regnum coelorum simile esse sagenae missae in mare: hoc est, evangelica praedicatione missa in hujus mundi fluctivagas tempestates, unde Dominus in vocatione apostolorum ait: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* **(Matth. IV, 19)**. Et e contrario, sagenam habent haeretici malae praedicationis, qua capiunt animas innocentes ad interitum. Sagena eorum est sermo affabilis, blandum eloquium, simulata aut coacta jejunia, vestis humilis, [Col. 0706A] virtutum imitatio, per quae laqueum ponunt animabus simplicium, ut capiant eas, sicut pisces sagena capiuntur, et aves laqueo. Sciendum est ecclesiasticos quoque viros, qui filii hominum appellantur, et sunt modicae fidei, cito posse corruere. Notandum est [*Ms.,* etiam], quod per totum librum, ubicunque dicitur, *filii hominum, in Hebraeo habetur filii hominis, hoc est filii Adam;* et omnis pene Scriptura hoc idiomate plena est, universum genus humanum Adam filios vocans.

{437} VERS. 13-15.---*Hanc quoque vidi sapientiam, et probavi maximam.* Civitas parva, et pauci viri in ea, et venit rex contra eam magnus, et vallavit eam, et exstruxit munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio, inventusque est in ea vir pauper, et liberavit urbem [Col. 0706B] per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Aliis omnia incerta dicentibus et justum ab injusto amplius nihil habere, ego sapientiam in hoc maximam comprobavi, quod crebro evenit, ut parva sit civitas, et habitatores in ea pauci, et innumerabilium hostium cingatur exercitu, et obsidione et fame populus intus necetur; et repente contra omnium suspicionem inveniri virum

humilem et pauperem, qui haberet sapientiam majorem cunctis divitibus magnis et potentibus; et superbis in periculo positis et obsidionem paventibus, cogitat et inquirit, ut inveniat quomodo a malis eruat civitatem. Et ingrata hominum oblivio, postquam fuerint libertati dediti et soluta captivitas, et reddita patriae libertas, nemo meminit sapientis illius pauperis, [Col. 0706C] nemo pauperi refert gratias pro salute, sed omnes honorant divites, qui in periculo nihil subvenire poterant. Aliter: Parva civitas, et viri in ea pauci, ad comparationem totius mundi, Ecclesia est. Adversus eam saepe consurgit rex magnus diabolus (non quod magnus sit, sed quod magnum se esse jactitet) et circumdat eam obsidione, sive persecutione, sive alio angustiarum genere, et invenit in ea virum pauperem et sapientem, Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis factus est pauper **(II Cor. VIII, 9)**, et liberat urbem in sapientia sua. Sed, proh dolor! cum urbs per hunc pauperem sapientem liberata fuerit, vix aliquis ejus meminit, vix illius mandata considerat; sed totos se luxuriae et voluptatibus concedentes, quaerunt divitias, quae tempore necessitatis et angustiae [Col. 0706D] non liberant eos.

VERS. 16.---*Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine.* Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? Quando nullus meminit sapientis pauperis illius, cum laeta sunt omnia, sed universi divitias, et potentiam admirantur [*Ms.,* quanquam . . . meminerit . . . admirentur.] Ego tamen per omnes supra interpretationes magis honoro contemptam sapientiam, et verba quae nullus audire dignatur.

VERS. 17.---*Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos.* Verba [Col. 0707A] quippe sapientium in quiete, et moderato audiuntur silentio; et qui non quaerunt plausus excitare vulgi, sed salutem desiderant audientium. Qui vero insipiens est, quamvis sit potens, et clamorem sive suae vocis, sive populi habeat acclamantis, inter insipientes computatur, qui sibi laudem quaerit humanam, non profectum populi audientis.

VERS. 18.---*Melior est sapientia quam arma bellica, et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Nunc quoque sapientiam praefert fortitudini, et dicit eam plus valere in praeliis quam arma pugnantium; et crebro evenit, quod per unius insipientiam opes magnae atque divitiae pereunt. Quod vero ait: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Simile quid et Jacobus apostolus ponit, ubi ait: *Qui* [autem] in uno [Col. 0707B] peccaverit, factus est omnium reus **(Jac. II, 10)**. Qui in sola peccaverit charitate, omnium expers bonorum invenietur.

CAPUT X.

VERS. 1.---*Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti:* pretiosior est sapientia, et gloria parva ad tempus stultitiae. Exemplum superioris sensus dedit, in quo ait, per unum stultum multa bona posse subverti, quod sic malus mixtus bonis contaminet plurimos, quomodo muscae si moriantur in unguento, perdunt [et] odorem ejus et saporem. Et quia saepe mixta est sapientiae calliditas, et prudentiae malitia, praecepit ut sapientiam simplicem requiramus, mixtaque sit cum innocentia columbarum

prudentia serpentina; et ut prudentes simus ad bonum, simplices autem ad [Col. 0707C] malum. Aliter: Pretiosior est humilis gloria quam superba elatio; et ad tempus stultum videri, id est, simplicem, quam gloriosum et superbum.

{438} VERS. 2, 3.---*Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.* Sed in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat. Et in Evangelio praecipitur, ut nesciat sinistra quid faciat dextera sapientis **(Matth. V, 39; VI, 3)**. Et quando percutimur in maxillam dexteram, non jubemur sinistram genam percutienti praebere, sed alteram. Justus autem [*Ms.,* enim] sinistram in se non habet, sed totum in eo dextrum est. Qui autem sapiens est, semper de futuro saeculo cogitat, quod ducit ad dextram; qui vero insipiens est, de praesenti, quod [Col. 0707D] positum est in sinistra, semper inquirit. Sequens autem versiculus in quo ait: *Sed in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat;* hunc sensum habet: stultus, ut ipse peccat, sperat omnes peccare similiter, atque ex suo ingenio universos judicat.

VERS. 4.---*Si spiritus potestatem habentis ascendit* [Ms., *ascenderit*] super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare faciet peccata maxima. Principem mundi istius, et rectorem tenebrarum harum, et operantem in filiis diffidentiae, cujus et Apostolus meminit, nunc Scriptura significat: quod si in cor nostrum ascenderit, et animus malae cogitationis vulnus acceperit, non debemus locum ultro tribuere, sed pugnare contra cogitationem pessimam, et liberari [Col. 0708A] a peccato maximo, ne scilicet cogitationem opere compleamus: quia aliud est cogitatione peccare, aliud opere. De quo grandi peccato in psalmo legitur: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo* **(Psal. XVIII, 14)**.

VERS. 5-7.---*Est et malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.* Vidi servos in equis, et principes quasi servos ambulantes super terram. Hanc ergo iniquitatem se in saeculo perspexisse commemorat, quod mali dominantur justis, et saepe pejores qui sunt, sublimiores facti [sunt] melioribus. Nec solum in saecularibus potestatibus, sed et in Ecclesiae dignitate multoties eliguntur sacerdotes, non ex virtutum meritis, sed ex favore [Col. 0708B] populi, et principum voluntate, suggerente diabolica fraude, et Dei justo judicio permittente ob merita populi; ut dicitur in Propheta: *Sacerdotes mali, peccata populi, ut caeci duces habeant caecos donec pariter corruant in foveam perditionis.* In hunc sensum facit et illud quod sequitur: *Vidi servos super equos, et principes ambulantes quasi servos super terram:* ut hi qui servi sunt vitiorum atque peccati, sive tam humiles, ut servi ab hominibus computentur, subita a diabolo dignitate per flagitia publica, videantur exaltari; et magistros bonos Deumque timentes opprimi et humilia [*Ms.,* humiliari] officio servorum.

VERS. 8.---*Qui fodit foveam, ipse incidet in eam, et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Ex parte simplex, et ex parte mysticus est intellectus. Si quidem [Col. 0708C] et alibi ipse Salomon ait: *Qui statuit laqueum, capietur in illo* **(Eccli. XXVII, 29)**. Et in Psalmo septimo: *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit* **(Psal. VII, 16)**. Sepis autem confirmatio [*Ms.,* infirmatio] ecclesiastica et apostolica sunt dogmata, quae qui dissolverit, et voluerit praeterire, in eo ipso quod negligit sanctorum

statuta Patrum, a serpente percutitur, id est, a diabolo vulneratur. De quo serpente in Amos scriptum est: *Si descenderit in infernum, mandabo serpenti, et mordebit eum* **(Amos. IX, 3)**.

VERS. 9.---*Qui transfert lapides, affligetur in eis;* et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Volvuntur et in Zacharia sancti lapides super terram **(Zach. IX, 16)**; [Col. 0708D] non enim firma ratione consistunt, sed praetereunt, et semper ad altiora nitentes, hinc abire festinant. De his vivis lapidibus, et in Apocalypsi urbs Salvatoris exstruitur **(Apoc. XXI, 18)**, et Ecclesiam aedificari Apostolus meminit [*Ms.,* non tacet]. Qui vero hos lapides vivos de aedificatione [*Ms.,* aedificio] Ecclesiae transfert haeretica qualibet pravitate, aeterno dolore affligetur pro eis, ligna quoque scindens periclitabitur in eis. Haeretici ligna infructuosa sunt, et saltus absque utilitate pomorum; pro quorum schismatica divisione prudens, et ecclesiasticus doctor animo vulnerabitur, Apostolo dicente: *Quis scandalizatur, et ego non uror* **(II Cor. XI, 29)**?

VERS. 10.---*Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed habetatum erit, multo labore exacuetur:* [Col. 0709A] et post industriam sequetur sapientia. Si se, inquit, aliquis viderit propter negligentiam Scripturas discendi sanctas, obtusum habere sensum, et nequaquam talem se [mansisse] intellexerit, qualis ante fuit, dum spiritales diligenter {439} sensus in divinis libris consecutus est: quia evenit interdum ut cum modicum sapientiae quis habuerit, elatus in superbiam discere desistat; paulatim vero quod sciebat, ex eo quod nihil ei additur, detrahitur, et vacuum ei disciplinis pectus remanet; ferrum quod acutum fuerat, hebetatur otio; et desidia, quasi quamdam rubiginem sapientiae patitur. Si igitur hoc quis passus fuerit, non desperet remedium sanitatis, sed vadat ad magistrum, et rursum instruatur ab eo, et post laborem et industriam sudore nimio valebit sapientiam [Col. 0709B] recipere quam amiserat.

VERS. 11.---*Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Simplex hic sensus est. Serpens et detractor aequales sunt. Quod modo enim ille occulte mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens, virus pectoris sui infundit in fratrem, et nihil habet a serpente minus. Cum enim lingua hominis ad benedicendum, et aedificationem proximi sit creata, ille eam aequalem serpenti facit, dum virtutibus ejus in perversum abutitur. Aliter: Si quem serpens diabolus in occulto momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse [Col. 0709C] non poterit.

VERS. 12.---*Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis praecipitabunt eum.* Stultitia, si sua esset rusticitate contenta, minus aliquid haberet mali: nunc autem contra sapientiam bellum gerit, et quidquid prudentiae in docto viro viderit, zelo stimulata non recipit. Loquitur enim vir sapiens verba scientiae, verba gratiae, quae utilitatem possunt praebere audientibus; et aures stulti non ita audiunt quae dicuntur, ut dicta sunt, sed e contrario virum prudentem supplantare stultus conatur, et sui similem facere. Et revera praecipitatur vir sapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, et verba ejus in profundo (ut ita dicam) gurgite pereunt. Unde beatus ille est, qui in aurem audientis [*Ms.,* audientem] loquitur.

[Col. 0709D] VERS. 13, 14.---*Initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus.* Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit; et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? Adhuc ei de stulto disputatio est, cujus labia praecipitant sapientem. Sive juxta aliam interpretationem, stultum ipsum corruere faciunt, et initium sermonis illius et finis stultitia est, et error pessimus, dum ipse stultus non manet in sententia prudentium, sed putat in multiplicatione verborum se doctum esse, et effugere posse peccatum. Cum enim nec praeteritorum meminit [*Ms.,* meminerit], nec futura cognoscat, ignorantiae tenebris involutus, solum sibi scientiam repromittens, in eo se doctum esse putat et sapientem, [Col. 0710A] si verba multiplicet. Potest hoc de haereticis accipi, qui prudentium virorum dicta non capiunt, sed se ad disputationes contrarias praeparantes, et initium, et finem loquendi vanitatem, cum multo errore cumulant, et cum nihil sciant, loquuntur plura quam norunt.

VERS. 15.---*Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.* Hos etiam versiculos junge, lector, cum superioribus. Aut generaliter de omnibus stultis qui ignorant Deum, et nesciunt in civitatem catholicae pacis pergere; aut specialiter de haereticis disputantibus intellige, qui exierunt de civitate Dei in perversas munitiones, quarum civitatem juxta Psalmistae vocem Dominus destruit. Qui enim legerit vanos philosophorum labores, probare poterit [Col. 0710B] verum esse quod dicitur: *Labor stultorum affliget eos.* Veritatem quidem illi omni studio quaesierunt, sed quia non habuerunt ducem, et praevium itineris, et humanis sensibus rati [sunt], se comprehendere posse sapientiae altitudinem, ad civitatem Dei minime pervenerunt. De qua et de quibus in psalmo scribitur: *Domine in civitate tua imagines eorum ad nihilum rediges* **(Psal. LXXII, 20)**. De hac et Isaias propheta: *Ego civitas firma, civitas quae oppugnatur* [Ms., *quae non oppugnatur*] **(Isai. XXVII, 3, sec. LXX)**. Siquidem hanc veritatis et sapientiae civitatem, cum firma sit et robusta, omnes sapientes saeculi, et haeretici impugnare cognoscuntur [conantur]. Et quod de philosophis diximus, hoc idem de haereticis sentimus, quod frustra laborent et affligantur in studio [Col. 0710C] Scripturarum, cum veritatem invenire non valeant.

{440} VERS. 16, 17.---*Vae tibi, terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.* Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam. Videtur quidem reprobare juvenum principatum, et luxuriosos judices condemnare, quod in altero per aetatem infirma sit sapientia, et aliis [*Ms.,* et in aliis etiam] matura aetas deliciis enervetur; et e contrario probare principem bonis operibus liberaliter institutum; et eos judices praedicare qui nequaquam negotiis civium voluntatem [*Forte, voluptatem*] praeferant, sed post multum laborem et administrationem [Col. 0710D] reipublicae cibum capere, quasi necessitate cogente, non luxuria instigante. Aliter: Vae terrae, id est, carnali homini, cujus diabolus rex, qui semper rerum novarum cupidus est, qui judices et principes habet eos qui amant hujus saeculi voluptates, qui solent dicere [vel etiam opere implere]: *Manducemus et bibamus, cras enim morimur* **(Sap. II, 6; Isai. XXII, 13)**. E contra, beata Ecclesia est, cujus rex Christus est, filius nobilium et sanctorum parentum, Abraham videlicet, Isaac, et Jacob, David stirpe descendens, in quibus peccatum non fuerat dominatum, et ob id vere fuerunt liberi et nobiles; ex quibus nata est beata virgo Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus ejus

fructus erupit in florem loquentem in Cantico Canticorum: [Col. 0711A] *Ego flos campi, et lilium convallium* **(Cant. II, 1)**. Principes quoque ejus sunt apostoli, et omnes sancti, qui regem habent filium nobilium, Abrahae scilicet, non de ancilla Agar, sed de Sara libera genitum [*Ms.,* Sarae libertate generatum]: nec comedunt mane, nec velociter; nec enim in praesenti saeculo voluntatem quaerunt, sed tempore suo manducabunt, cum retributionis tempus advenerit, de quibus et ipse Salvator ait in Evangelio: *Et ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* **(Luc. XXII, 29, 30)**.

VERS. 18.---*In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.* Domus nostra quae cum statu hominis creata est, aut habitatio quam habemus in coelis, quia pigri sumus, et ad [Col. 0711B] bona opera tardiores, humiliabitur; et omnis contignatio, quae debet culmen portare in sublime, ad terram corruens habitatorem suum opprimit; cumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnes desuper potestates et nimborum ad nos turbo erumpit. Porro quod in uno homine interpretati sumus, melius potest super Ecclesiam accipi, quod per negligentiam principum omnis ejus corruat altitudo; et ibi vitiorum illecebrae sunt, ubi tegmen putabitur [*Ms.,* putabatur] esse virtutum.

VERS. 19.---*In risu faciunt panem ac vinum, ut epulentur bibentes:* et pecuniae obediunt omnia. De superioribus hujus sententiae pendet intellectus. In pigritia enim dixit et socordia magistrorum humiliari Ecclesiam, et culmen ejus concidere, et tigna perfluere [Col. 0711C] [*Ms.,* perflui] praedixit. Nunc autem de eisdem magistris loquitur, accusans eos deliciis saeculi et luxuriae, epulisque magis servire quam saluti, in praedicatione verbi Dei, gregis sibi commissi, dum episcopi et presbyteri non laborant in Ecclesia constituti in sermone et doctrina; vel etiam ea docent, quae sint populo delectabilia audire, ut gratiam habeant audientium magis quam illorum profectum: sic in risu vitae aeternae panem, et vinum sapientiae populo ministrant, non ad salutem, sed ad perniciem. Sic ipsi qui docent, divitias et opes, et cibos per delectabilia promissa conquirunt, et ad honores perveniunt saeculares, quibus subjecti [*Ms.,* et subjecti] saepe perdunt coelestes.

[Col. 0711D] VERS. 20.---*In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubilis tui ne maledixeris diviti, quia aves coeli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.* Simplex praeceptum aedificat audientes ne ira et furore superati in maledictum et in detractionem regum et principum erumpamus; quia contra spem interdum evenit, ut si his quibus maledicimus nuntietur, incurramus periculum in immoderatione linguae. Quod autem ait: *Aves coeli auferent vocem, et habens pennas annuntiabit verbum, hyperbolice intelligendum est.* Modo [*Ms.,* quomodo] solemus dicere, etiam ipsos parietes, quibus consciis loquimur, quae audierunt non celaturos: sed melius est sic audire praeceptum, ut sciamus esse nobis mandatum, non solum contra Christum nihil temere [Col. 0712A] loquendum, verum etiam in arcanis cordis, quamvis variis coarctamur tribulationibus, nihil blasphemum, nihil impium sentiendum sit. Et quia dilectionem quam Christo exhibemus, {441} debemus et proximo; *Dilige* quippe *Dominum Deum,* sed et *proximum tuum tanquam te ipsum;* et nunc [*Ms.,* etiam nunc] jubet ne post regem de sanctis quoque facile detrahamus, et eis quos viderimus

sapientia, scientia virtutibusque ditatos, lingua mordaci [*Ms.,* linguae mordacitate] derogemus, quod angeli, qui terram circumeunt, et sunt administratores spiritus, et in Zacharia loquuntur, *circuivimus terram, ecce omnis terra habitatur, et silet* **(Zach. I, 11)**, ad instar avium ad coelum nostra verba perferant, et cogitationes, et quod clam cogitamus, scientiam Dei non [Col. 0712B] latere.

CAPUT XI.

VERS. 1.---*Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies illum.* Ad eleemosynam cohortatur, quod omni petenti sit dandum, et indiscrete [*Ms.,* discrete] faciendum bene. Quo modo enim qui super irrigua seminat, fructum sementis exspectat, ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fenore quodam multiplicationem illius praestolans, et cum dies judicii venerit, multo amplius quam dederat recepturus. Aliter: In quocunque homine illam aquam videris, de qua dicitur: *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* **(Joan. VII, 38)**, ne te pigeat panem sapientiae, [Col. 0712C] panem rationabilem praestare sermonis. *Et in multitudine dierum invenies illum, id est, invenies longitudinem dierum vitae aeternae in retributione coelesti.* Si enim hoc feceris frequenter, invenies te non incassum doctrinarum jecisse sementem. Tale quid in Isaia dictum puto: *Beatus qui seminat super aquam ubi bos et asinus calcant* **(Isai. XXXII, 20)**. Quod ille magister beatitudine dignus habeatur, qui super irriguum pectus seminat audientium, tam ex Judaeis quam ex gentibus populo congregato.

VERS. 2.---*Da partes septem, necnon et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Praecipit ergo utrumque Testamentum, id est Vetus, quod septenario numero designatur, et Novum, quod in [Col. 0712D] octonario intelligitur, digna veneratione haberi sanctissimum. Judaei dederunt partes septem, credentes sabbatum; sed non dederunt octo, resurrectionem die Dominico [*Ms.,* diei Dominicae] in Christo denegantes. E contrario haeretici Marcion et Manichaeus, et omnes qui veterem legem rabido ore dilaniant, dant partes octo, suscipientes Evangelium; sed eamdem septenario numero non tribuunt, veterem legem respuentes. Nos vero utraque, quae ponit, credamus, et utrumque veneremur. Non enim possumus cruciatus dignamque poenam jam nunc mente comprehendere, quae reposita est his qui versantur in terra infidelitatis, Judaeis scilicet et haereticis, e duobus alterum denegantibus. Hebraei itaque [*Ms.,* Hebraei ita] hunc locum intelligunt: Et sabbatum et circumcisionem [Col. 0713A] servare [*Ms.,* serva], ne si hoc forte non feceris, inopinatum tibi superveniat malum.

VERS. 3.---*Si repletae fuerint nubes, imbrem effundent super terram.* Si ceciderit lignum ad austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Serva mandata quae tibi superius sunt praecepta, ut nubes super te fundant in benedictione Dei imbrem suum. Ubicunque enim tibi locum praeparaveris, futuramque sedem, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi cum mortuus fueris, permanebis. Aliter: Propterea supra diximus: *Mitte panem tuum super faciem aquae, et omni petenti tribue, quia et nubes cum plenae fuerint, divitias suas mortalibus largiuntur.* Et [tu] quasi lignum fructuosum, quamvis longaevus sis, non eris in perpetuum, sed subita vi ventorum ita

[Col. 0713B] mortis tempestate subversus, ubicunque cecideris, ibi jugiter permanebis: sive te rigidum et trucem, sive clementem et misericordem ultimum invenerit tempus. Aliter: Nubes siquidem sunt prophetae et doctores, qui cum multas habeant in corde sacrae Scripturae rationes, tunc valebunt praecepta pluere doctrinarum, et dicere: Exspectetur sicut pluvia eloquium meum **(Deut. XXXII, 2)**. Quod vero ait: *sive ad Austrum, sive ad Aquilonem lignum ceciderit, quantum aestimo, semper in bonam partem accipitur Auster, et Aquilo in malam.* Unde in Cantico canticorum dicitur: *Exsurge, Aquilo,* hoc est recede et abi, *et veni Auster* **(Cant. IV, 16)**. Nec est aliquod lignum quod vel ad Aquilonem non sit vel ad Austrum, quia omnis homo malus vel bonus morietur.

[Col. 0713C] {442} VERS. 4.---*Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metit.* Qui considerat cui benefaciat, et non omni petenti tribuit, saepe praeterit eum qui meretur accipere, vel misericordiae solatium, vel verbi Dei semen. In ipsis enim prosperis, dum nescimus, adversa consurgunt. Quapropter opportuno vel importuno tempore praedicandus est sermo Dei, nec bonus seminator adversariorum vento territus, vel nubibus blandientium obumbratus, cessare a praedicationis semine debet. Absque consideratione ergo nubium et ventorum timore in mediis tempestatibus seminandum est; nec dicendum: Illud tempus commodum est, hoc inutile, cum ignoremus quae via et voluntas sit spiritus universa [Col. 0713D] dispensantis. Unde sequitur:

VERS. 5.---*Quomodo ignoras quae sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis, sic nescis Dei, qui gubernator est omnium.* Sicut nescis viam spiritus, et animae ingredientis in parvulum, et ignoras ossium et venarum varietates in ventre praegnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diversas effigies artusque varietur, et de eodem semine aliud mollescat in carnibus, aliud induretur in ossibus, aliud in venis palpitet, aliud ligetur in nervis: ita Dei opera scire non poteris, qui factor est omnium. Ex quo docet contraria non timenda, nec temere de ventis et nubibus, quas [Col. 0714A] supra diximus, judicandum, cum suo tempore et cursu debeat sator spargere, et eventum Domini sententiae reservare. *Non est enim volentis, neque currentis, sed miserantis Dei* **(Rom. IX, 16)**.

VERS. 6-8.---*Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud:* et si utrumque simul, melius erit. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus laetatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita. Hortatur omnibus benefacere, nec eligere personam [cui benefacias], aut tempus in quo [tantummodo] benefacias, nunquam enim te vult a bono opere desistere; sed matutinam justitiam vesper inveniat, et [Col. 0714B] vesperis misericordiam solis ortus accumulet. Incertum est quod quidem magis placeat opus, et ex quo tibi fructus justitiae praeparetur. Potest autem fieri ut non unum, sed utrumque placeat Deo. Aliter: de aetate hominis intelligi poterit, ut aequaliter sive in adolescentia, sive etiam in senectute bona faciamus, quia nescis utrum in juventute, an in aetate longaeva magis placeas Deo. Nec prodest adolescentiae
@ [Col. 0713D] Finis codicis ms. frugalitas, si senecta ducatur in luxuria; qua enim die justus erraverit, veteres eum justitiae a morte liberare non poterunt. Quod si juxta utramque

interpretationem semper benefeceris, et omni aetate aequalem cursum habueris, videbis Deum Patrem dulcissimum lumen, videbis Christum solem justitiae. Porro et si annis multis vixeris, et omnia bona [Col. 0714C] habueris, vel bona opera peregeris, et scieris te semper moriturum, et ante oculos tuos tenebrarum, id est mortis, semper versetur adventus, praesentia quasi fluxa, et fragilia, et caduca contemnes; et qui hoc fecerit, videbit Christum solem justitiae semper in aeternum. Aliter: lux est doctrina sapientiae coelestis: et bonum oculis videre solem, id est, sensibus cordis videre Christum.

VERS. 9-10.---*Laetare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum.* Ab hoc loco usque in finem libelli varias doctores ponunt interpretationes. Hebraei ad Israel populum Dei putant dicta esse, cui praecipitur ut fruatur divitiis, antequam eis captivitatis tempus adveniat, vel adolescentiam senectute commutet; [Col. 0714D] ita tamen, ut in bono, id est lege Dei, sit cor ejus. Admonet quoque, ut in diebus prosperitatis et salutis, *in viis cordis sui, et intuitu oculorum, id est, consideratione mandatorum Dei ambulet, magis quam in carnalibus desideriis;* et ut sciat se pro omnibus quae gesserit, sive bonum sive malum sit, a Deo esse judicandum; et *ut auferat iram a corde, et malitias a carne sua, id est, cogitationes malas, et libidines carnis suae:* quia desideria carnis, adolescentiae, voluptatumque carnalium vana sunt: recordeturque semper Creatoris sui, antequam veniat dies tribulationis, id est, Babylonicae vel Romanae captivitatis {443} miseria, quibus non poterit habere voluntatem. Et totum hunc locum in quo ait: *Antequam* [Col. 0715A] tenebrescant sol, et luna, et stellae, usque ad eum locum, in quo Scriptura commemorat: *Et convertetur pulvis in terram unde erat, et spiritus revertetur ad Deum qui dedit illum* **(Eccle. XII, 2, 7)**, super statu suae conditionis explanant, et aiunt, Salomonem diligenter hortari populum Dei, ut haec omnia faciant, antequam tollatur ab eis omnis honor et decus, duces et judices, et sacerdotes, templum et sacrificia, potestas et regnum, et sancti, quos in sole, et luna, et stellis intelligi volunt, auferantur ab eo, antequam veniat Nabuchodonosor, sive Titus Vespasiani filius, accitus a prophetis, ut eorum vaticinia compleantur; in die qua angeli templi praesides recedent, et curvabuntur robustissimi qui in exercitu tuo sunt, et otiosa erunt eloquia magistrorum, et [Col. 0715B] prophetae qui de coelis solebant visionum suarum lumen accipere, contenebrescent; quando claudentur templi januae, et humiliabitur Jerusalem, et Chaldaeus veniet, quasi *cantu volucris, ita Jeremiae vocibus prophetatus;* et *conticescent filiae Cantici in templo, et psallentium chori;* illo tempore quando advenientes Hierosolymam ipsi quoque hostes Dei magnitudinem pertimescent, et in via formidabunt audientes interitum Sennacherib regis Assyriorum et exercitus sui **(Isai. XXXVII)**. Hoc enim dictum putant: *Ab* excelso, id est, a Deo Hebraeorum *formidabunt.* In illis diebus *florebit amygdalum, ille baculus et virga, quam Jeremias in prophetiae suae vidit exordio* **(Jerem. I, 11)**. *Et impinguabitur locusta, Nabuchodonosor cum suo exercitu. Dissipabitur capparis,* [Col. 0715C] amicitia Dei cum Israel. Hoc autem totum evenit Israel; quia *abiit homo in domum aeternitatis suae, et praesidio Dei ad coelestia reversus est.* Quo habitante in tabernaculo suo, *circuibunt in platea plangentes atque flentes, et hostium obsidione vallati.* Laetare ergo Israel in juventute prosperitatis tuae, *antequam rumpatur funiculus argenteus;* hoc est, donec gloria vestra vobiscum est. *Antequam recurrat vitta aurea, id est, antequam arca testamenti auferatur. Priusquam hydria conteratur ad fontem, et convolvatur rota super lacum, id est, donec in Sancto Sanctorum praecepta legis, et sancti Spiritus*

gratia est, et antequam revertaris in Babylonem, unde egressus es in lumbis Abrahae; et incipias in Mesopotamia conteri, unde quondam profectus es, omnisque gratia prophetiae [Col. 0715D] qua quondam fueras inspiratus, revertatur ad datorem suum. Nos vero melius, ad superioris disputationem ordinis revertentes, singula conabimur explanare. Juxta tropologiam, ad superiora respicit hujus capituli sensus, ubi ait: *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua.* Quod intelligendum est in omni aetate bene esse faciendum, et in omnibus operibus nostris Dei esse judicium timendum. Dicit enim hic: *Laetare, juvenis, in adolescentia tua;* et mox addidit: *Et in bono sit cor tuum, ne nos ad luxuriam carnis hortari videretur.* Tale et Apostolus ait: *Gaudete in Domino semper:* iterum dico gaudete **(Philip, IV, 4)**. Felix homo qui laeto animo bonum facit, et gaudet in bono cor suum [Col. 0716A] exercere, non in malo. *Et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuae.* Vult vero florentem aetatem florere virtutum decore; et in cordis contemplatione, id est, sapientiae, quam oculorum nomine designat, potius ambulare quam carnis desideria sequi, quia *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* **(Galat. V, 17)**, quorum opera Apostolus discrevit. Et haec agenda admonet esse, antequam ingruat nox aeternae mortis, in qua nihil operari poterit homo. Sic in Evangelio ipsa Veritas ait: *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebrae vos comprehendant* **(Joan. XII, 35)**. Admonet nos Scriptura in hoc loco semper, dum vivimus, de futuro cogitare judicio in quo omnia quae gessimus, judicabuntur.

VERS. 10.---*Repelle iram a corde tuo,* et aufer [Col. 0716B] malitiam a carne tua, quia adolescentia et voluptas vana sunt. In ira omnes perturbationes animi comprehendit, in carnis malitia universas significat corporis voluptates, relinqui suadens juventutis vitia, quia juventus insipientiae copulata est, et noxias generare solet voluptates.

CAPUT XII.

{444} VERS. 1-3.---*Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis tuae, et appropinquent anni de quibus dicas:* Non mihi placent; antequam tenebrescant sol, et lumen, et stellae, et luna, et revertantur nubes post pluviam; quando commovebuntur custodes domus, et mutabuntur viri fortissimi, et otiosae erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina. Semper memento [Col. 0716C] creatoris tui, et sic adolescentiae viam gradere, ut recorderis viam tuam morte esse finiendam, et omnia quae gesseris, judicanda. Tu vero memento creatoris tui, antequam tibi adveniat tempus tristitiae et senectutis, et anni qui tibi non placebunt. *Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellae, et revertantur nubes post pluviam.* Sunt enim qui solem, lunam et stellas ad oculos auresque et capitis sensus coaptant, quae omnia senectutis molestia debilitantur, quia inferius videntur de humani corporis membris haec omnia dici; et *custodes domus costas significare putant, quod ab ipsis intestina vallentur, et tota ventris mollitudo servetur; viros* vero *fortes crura aestimant.* Quod vero ait: *Otiosae erunt molentes minuto numero,* ad dentium [Col. 0716D] referuntur officia, quod cum extrema senectus advenerit, dentes aut deteruntur, aut dejiciuntur, a quibus permoliti cibi in alvum transmittuntur; qui sunt otiosi, quia fortitudinem corpori non subministrant, sed tantummodo ad horam cito

perituram paululum sustentare videntur vitam. Tenebrescere autem videntes in foraminibus putant oculos, quod nimia senectute nullis dubium est caligare acies, et contuitus obscurari.

VERS. 4, 5.---*Et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obmutescent omnes filiae carminis:* excelsa quoque timebunt et formidabunt in via. Clausas in plateis januas pro infirmis senum gressibus accipi [Col. 0717A] volunt, quod semper sedeant, et ambulare non possint, nec congaudeant ludis juvenum, qui in plateis solent esse, sed clauso ostio illos fugiant videre. In humilitate autem vocis molentis, de manibus [*Hier.,* de mandibulis] interpretantur, quod cibum labore proprio invenire non valeant, et spiritu coarctato, vox in senili corpore vix tenuis audiatur. Porro consurgere eum ad vocem volucris ostendit, quod frigescente sanguine et humore siccato, quibus materia soporis alitur [*Hier.,* quibus materiis sopor alitur], ad levem sonitum evigilet, noctisque medio, cum gallus cecinerit, festinus exsurgat, nequaquam valens in strato saepius membra convertere. *Obmutescere quoque,* sive ut melius habetur in Hebraeo, *surdescere filias carminis, aures significat,* quod gravior seni auditus [Col. 0717B] fiat, et nulla inter voces scire valeat discrimina, nec a carminibus delectari. *Excelsa timebunt et formidabunt in via, id est, ardua ingredi non valebunt, et lassis poplitibus ac tremescente vestigio etiam in plano itinere fluctuantes, offensa gressum* [*Hier.,* offensam gressuum] formidabunt.

Florebit amygdalum, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae, et circuibunt in platea plangentes. Per metaphoram etiam nunc de membris nostris Ecclesiastis sermo est, quod cum senectus advenerit, capillus incanuerit, intumuerint pedes, libido refriguerit, et homo fuerit dissolutus, tunc revertatur in terram suam aeternitatis suae, ad sepulcrum, exsequiis rite celebratis atque finitis, plangentium in platea [Col. 0717C] circa sepulcrum turba praecedente. Haec vero nomina, *amygdalum,* locusta, et *capparis, per figuram seni conveniunt;* amygdalum pro canitie, locusta pro crurum dolore ac pedum tumore, et capparis pro frigescente libidine, secundum etymologiam Hebraicae interpretationis, ut diximus, seni conveniunt. Hactenus Ecclesiastes plurima senectutis mala prosecutus, de fine uniuscujusque hominis ait:

VERS. 6-8.---*Antequam rumpatur funis argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super lacum, et revertatur pulvis in terram suam sicut erat, et spiritus redeat ad Dominum qui dedit illum.* Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, universa vanitas. Revertitur ad superiora, et post grande hyperbaton (quod ab eo loco [Col. 0717D] interjecerat, in quo ait: *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniant dies malitiae,* et antequam tenebrescant sol et {445} *luna, et stellae, etc., in die qua movebuntur custodes domus*), nunc coeptam sententiam simili fine concludit dicens: *Antequam rumpatur funiculus argenti, hoc vel illud fiat.* Funiculus autem argenti, candidam hanc vitam et spiramen, quod nobis e coelo tribuitur, ostendit: *recursus* quoque *vittae aureae, animam significat, quae illuc recurrit unde descenderat.* Porro duo reliqua quae sequuntur; contritio hydriae super fontem, et confractio rotae super lacum, per metaphoram mortis aenigmata sunt: quo modo enim hydria quae conteritur cessat

haurire; et rota, per quam de lacu [Col. 0718A] ex puteis levantur aquae, si confracta fuerit, earum usus intercipitur: ita et cum funiculus argenti fuerit interruptus, et animae rivus recurrit ad fontem, interibit homo, utque manifestius sequitur, *convertetur pulvis in terram suam unde sumptus est, et spiritus revertetur ad Dominum qui dedit illum.* Ex quo satis ridendi sunt qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari: cum enim caro revertatur in terram suam, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est Dominum patrem animarum esse, non homines. Post descriptionem autem interitus humani, pulchre exordium libri sui repetens, ait: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, omnia vanitas.* Cum enim cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum [Col. 0718B] est, huc perveniat, ut revertatur pulvis in terram suam, et anima illuc redeat unde assumpta est, magnae vanitatis res esse videtur, in saeculi deliciis atque luxuriis carnis tota laborare intentione, quae citissima morte finiuntur; et homo ad judicium festinat pro omnibus vanitatis suae erratis. De se ipso quoque subjunxit, quis esset, dicens:

VERS. 9, 10.---*Cumque Ecclesiastes esset sapientissimus, docuit populum, et enarravit quae fecerat;* et investigans composuit parabolas multas, quaesivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos. Nunc etiam his verbis provocat lectorem, allegoriam quaerere in libris suis magis quam simplicem historiam: et doctrinam populo prodesse suam, si mystice intelligerentur proverbia, [Col. 0718C] aliud habentes in medulla, aliud superficie pollicentes. Proverbia quippe non hoc sonare quod scriptum est, et in Evangelio edocemur, quod Dominus populo in parabolis et in proverbiis sit locutus, secreto autem apostolis dissolverit ea **(Matth. XIII, 15)**. Ex quo manifestum est et proverbiorum librum non, ut simplices arbitrantur, patentia habere praecepta, sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius perscrutandum. Post haec addidit etiam causas naturasque rerum, et Dei dispositionem, et prudentiam, quare unumquodque, vel quo modo factum sit, se voluisse cognoscere.

[Col. 0718D] VERS. 11.---*Verba sapientium ut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.* Ne videretur post legem Dei temerarius subito in praeceptum erumpere, et sibi vindicare doctrinam, quod [*Hier.,* quam] Moyses non tam sua sponte quam a Deo, jubente primum dehinc inspirante, susceperat, dicit sua verba vere esse sapientium, quae in similitudinem stimulorum corrigant delinquentes, et pigros mortalium gressus aculeo pungente commoveant, sicque sint firmi, quasi [clavi] in altum solidumque defixi, nec auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum omnium proferantur; et ne contemneretur hominum scientia, ait, eam ab uno pastore concessam: id est, cum plurimi doceant, tamen doctrinae [Col. 0719A] hujus auctor est Dominus. Simulque notandum est quod dicantur verba sapientium pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciviam, sed errantibus et (ut supra diximus) tardis, poenitentiae dolores et vulnus infligere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. *Verba sapientium ut stimuli, quoniam ad conversionem provocant delinquentem, et firmata sunt, et a consilio sanctorum data, atque ab uno pastore concessa, et solida radice fundata.*

VERS. 12.---*His amplius, fili mi, ne requiras, faciendi plures libros nullus est finis, frequensque meditatio, carnis afflictio est.* Exceptis his verbis quae ab uno pastore sunt data, et a consilio atque consensu sapientium, nihil facias, nihil tibi vindices; majorum {446} [Col. 0719B] sequere vestigia et ab eorum auctoritate ne discrepes, alioquin quaerenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad errorem et legentem frustra faciat laborare. Vel certe docet brevitatis studium, et sensum magis sectandum esse quam verba adversus philosophos et saeculi hujus rectores [*Hier.,* doctores], qui suorum dogmatum falsitates conantur asserere varietate ac multitudine sermonum. Et contra, Scriptura divina brevi circulo coarctata est, et quantum dilatatur in sensibus, tantum in sermone constringitur, quod consummatum breviatumque sermonem faciat Dominus super terram, et verbum ejus juxta est in ore nostro et in corde nostro **(Deut. XXX, 14)**. Hunc igitur sensum arbitror nunc praeceptum, ne plures libri fiant: quidquid [Col. 0719C] enim dixeris, si ad eum referatur qui *in principio erat Verbum apud Deum, et Deus erat Verbum* **(Joan. I, 1)**; unum volumen erat, innumerabiles libri; una lex, unum Evangelium nominatur. Quod si diversa et discrepantia disputaveris, et curiositate nimia huc atque illuc animum adduxeris, et [*Hier.,* etiam] in uno libro multi libri sunt, unde dictum est: *Ex multiloquio non effugies peccatum* **(Prov. X, 19)**. Talibus igitur libris non est finis: bonum enim et omnis veritas certo fine concluditur, malitia atque mendacium sine fine sunt; talis siquidem meditatio carnis est afflictio, id est carnalis sensus, non spiritalis.

VERS. 13, 14.---*Finem loquendi omnes pariter audiamus:* Deum time, et mandata ejus observa: hoc [Col. 0719D] est omnis homo: et cuncta quae fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. Aiunt Hebraei, cum inter caetera scripta Salomonis quae antiquata sunt nec in memoria duraverunt, et hic liber oblitterandus videretur, eo quod vanas assereret Dei creaturas, et totum esse pro nihilo; [Col. 0720A] cibum autem, et potum, et delicias transeuntes praeferret omnibus, ex uno capitulo meruisse auctoritatem ut in divinorum voluminum numero poneretur, quod totam disputationem suam, et omnem catalogum sub hac recapitulatione brevissima coarctaverit, et dixerit, omnem sermonum suorum auditum esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile, ut scilicet Deum timeamus, et ejus praecepta faciamus. Ad hoc enim esse hominem creatum ut, Creatorem suum intelligens, veneretur eum metu, et honore, et opere mandatorum. Siquidem cum judicii tempus advenerit, quidquid a nobis gestum est, stare sub judice, et ancipitem Domini exspectare sententiam, et unumquemque recipere pro opere suo, sive mali quid gesserit, sive boni, judicii aequitate [Col. 0720B] permansura in aeternum

@ [Col. 0719D] Animadverterit lector eruditus quod Alcuinus in hac sua Expositione commentarium S. Hieronymi in Ecclesiasten fere ad verbum descripserit et in sua transtulerit, raro vero admodum suis propriis luminibus usus fuerit. Sed hic mos fuit sui saeculi, quo studium sacrae Scripturae, ut aliarum scientiarum, quidem reformari coepit, nondum tamen ad eam perfectionem pervenit, ut viri docti, in sacris libris exponendis, propriae scientiae facile se permitterent, [Col. 0720D] sed doctrinis et expositionibus antiquorum Patrum in Ecclesia approbatorum magis insistere volebant, ut tali ratione omne periculum novitatis, quae Ecclesiae semper perniciosa fuit, evitarent. Caeterum doctissimus Vallarsius, Operum S. Hieronymi novissimus editor, tom. III, pag. 381, not., profitetur se commentarium hujus S. Patris in Ecclesiasten, cum

hoc Alcuini ex integro contulisse, huicque meliores lectiones passim acceptas referri debere..

Albini in Ecclesiasten commentarioli finis.

EJUSDEM AD LECTOREM.

Iste liber vario sensus sermone patescit
Diversos hominum, quid cuinam placeat. Quem tuus, o juvenis! tanto moderamine sensus
Perlegat, Epicuri ne ruat in foveam. Albinus Patrum gradiens per prata piorum,
Carperet ut flores, per pia rura sacros, Fingere [*F.,* Cingere] serta volens puerorum congrua fronte,
Grandia quorum aetas pondera ferre nequit. {447} Has rogo litterulas nostri perdiscite nati,
Et tota aeternos mente tenete dies. Omnia fluxa fluunt seclorum gaudia longe,
[Col. 0720C] Nec redeunt iterum, more fluentis aquae. Pectora nec nimium vanis incessite rebus,
Sed confirmate semper amore Dei. Mors properat horis mox omnibus atque momentus,
Ut rapiat nosmet, judicis ad faciem. Quo constat nostris, certo discrimine, factis
Judicium cunctis, ut liber iste canit. Quod timeat dives, pauper, juvenisque, senexque,
Tum recipit meritis praemia quisque suis, Praemia perpetuis semper mansura diebus.
Mox bona quisque bonus, mox mala quisque malus: Impius in tenebras cum daemone pellitur atras,
Cum Christo regnat lucis in arce bonus. Accipite haec animis paschalia munera laetis,
[Col. 0720D] Mittentis memores sitis, et ore pio. Hoc opus, hoc crudum rapuit portator ab igne,
Ignivomo coctum nec bene sub camino. Vestra, precor, fili, pietas errata repurget,
Dens illud putridus rodere nec valeat; Aut oculus nigro suffusus felle, per auras
Contendat patulas, spargere more suo.

ORATIO SALOMONIS, QUAM HABUIT IN DEDICATIONE TEMPLI **(II Par. VI, 14 seq.).**[Col. 0721A]

Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in coelo desuper, et super terram deorsum; qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo; qui custodisti servo tuo David, patri meo, quae locutus es ei. Ore locutus es, et manibus perfecisti, ut haec dies probat. Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quae locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel, ita tamen, si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu [Col. 0721B] meo. Et nunc, Domine Deus Israel, firmentur verba tua quae locutus es servo tuo David patri meo. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus. Audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte, super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem quam

orat ad te servus tuus in loco isto, ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcunque oraverint in loco isto, et exaudies in loco habitaculi tui in coelo, et cum audieris, propitius eris. Si [Col. 0721C] peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum quo teneatur astrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in coelo, et facies, et judicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos, quia peccaturus est tibi; et agentes poenitentiam, et confitentes nomini tuo venerint, et adoraverint, et deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in coelo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit coelum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto poenitentiam egerint nomini tuo, et a [Col. 0721D] peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in coelo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, {448} et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram, quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut erugo, aut locusta, vel [Col. 0722A] rubigo, et afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, cuncta devotio, et imprecatio, quae acciderit omni homini de populo tuo Israel, si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo, in loco habitationis tuae, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus, quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum, ut timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique), cum venerit ergo, et oraverit [Col. 0722B] in hoc loco, tu exaudies in coelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam aedificavi. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocunque miseris eos, et orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam aedificavi nomini tuo, tu exaudies in coelo orationes eorum, et preces eorum, et facies judicium eorum. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, et egerint poenitentiam in corde suo, in [Col. 0722C] loco captivitatis, et conversi te deprecati fuerint in captivitate sua dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus; et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum ad quam captivi ducti fuerint, et oraverint te contra viam terrae suae, quam dedisti patribus eorum, et civitas, quam elegisti, et templi, quod aedificavi nomini tuo, exaudies in coelo, in firmamento solii tui orationes eorum, et preces eorum; et facies judicium eorum, et propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum quibus praevaricati sunt in te, et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. Populus enim tuus est, et haereditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, de medio [Col. 0722D] fornacis ferreae, ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israel, et exaudies eos in universis pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos tibi in haereditatem de universis populis terrae, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando adduxisti Patres nostros de

Aegypto, Domine Deus.

{449}

OPUSCULUM QUINTUM. INTERPRETATIONES NOMINUM HEBRAICORUM PROGENITORUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Ex cap.* I *Evangelii S.* Matthaei.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0723A] Praesens opusculum, in quo Alcuinus nomina Hebraica progenitorum Salvatoris nostri Jesu Christi, secundum triplicem sensum, litteralem, allegoricum, et moralem interpretatur, ex veteri cod. ms. bibliothecae monasterii S. Emmerami, saeculo IX haud inferiore, descripsimus, et nunc primo vulgamus.

De illius auctore versus qui eidem subjiciuntur, nos dubitare haud permittunt; Alcuinus enim, solito sibi more, ibi canit, nomen suum pandit, ac scriptum hocce regi, Carolo Magno utique, muneris loco offert. Nullus etiam dubito quin eamdem commentatiunculam praefixa, ut solebat, epistola dedicatoria, eidem regi inscripserit, quae tamen in codice nostro desideratur, nec alibi uspiam comparuit.

Concordat hoc scriptum cum homilia in Nativitate B. Mariae Virginis, inter homilias aestivales Ven. Bedae tom. VII Oper., edit. Basileensis anni 1563, pag. 183 (Patrologiae tomo XCIV), et inter Opera Alcuini a Quercetano edita, pag. 1197, quod scriptores [Col. 0723B] Hist. lit. Franciae, tom. IV, pag. 341, inter scripta Alcuino supposita rejecerunt, eo quod nullum illis pro Alcuino argumentum suppeteret, nondum viso carmine, nunc primum vulgando. Utrum vero similiter concordet cum illo opusculo quod Alcuinum de Genealogia humanitatis Christi scripsisse memorat Joan. Albertus Fabricius, lib. I Bibliothecae Latinae, pag. 136, decidi haud potest, donec hoc ipsum aliquando reperiatur, et prodeat ex Bibliotheca Menarsiana, ubi pag. 157 recensetur.

Porro in laudato cod. ms. S. Emmerami Ratisbonae, post illas nominum Hebraicorum interpretationes (interjecto tamen unius paginae spatio vacuo) continuatur commentarius in integrum Evangelium S. Matthaei, hoc modo: «*Christi autem generatio sic erat.* Sicut praedixit, deinceps dicturus erit. *Cum esset disponsata* [desponsata] mater Jesu Maria Joseph. Cur hic sponsum dicit, cum superius virum nominavit? Et quomodo dicitur vir, cum eam non cognovit? Quia consuetudo est Scripturae nominare sponsum [Col. 0723C] virum, et sponsas mulieres appellari; sicut legimus in Geneseos de filiis Noe et uxores [*Sic ms.* Leg., uxoribus] eorum. Aliter: *Cum esset disponsata.* Cur Maria disponsata fuit? Quid necesse fuit ut disponsaretur? Pro duabus causis; ut Mariae origo per virum Joseph ostenderetur; et ne discordaret a scriptura legis, quae dicit, Nemo copuletur in conjugium, nisi in sua tribu, etc.» Et ita porro per integrum Evangelium; quod opus Alcuino in praefato codice nostro, manu recentiori saec. XV et in antiquiore catalogo bibliothecae nostrae, anno 1300 confecto, ascribitur, his verbis: *Albinus super Matthaeum.* Quapropter haud temere quispiam

existimare posset, non has tantum, quas hic edimus, interpretationes, sed integrum quoque hunc commentarium genuinum esse Alcuini fetum. Et sane, quisnam alius breve solum hujus laboris initium ab Alcuino mutuare voluisset, et non potius idem quoque de suo addidisset? Stylus quoque a stylo Alcuini non abhorret, quamvis [Col. 0723D] non ita elaboratus, comptus expolitusque sit, ut in commentariis suis in S. Joannis Evangelium: quod fortassis inde evenit quod Alcuinus eidem ultimam manum non adhibuerit, sed variis aliis laboribus, senio morbisque impeditus, imperfectum reliquerit. Nolim tamen de hac re judicium praecipitare, optime [Col. 0724A] gnarus quam facilis sit error dum de vero auctore cujusdam vetusti operis, debitis characteribus aptisve testimoniis destituti, sententia statuenda est. Quamvis igitur commentationem de nominibus Hebraicis patriarcharum, seu progenitorum Christi genuinis opusculis Alcuini accensendam esse sentiam, quo minus tamen idem de reliquo, qui in eodem codice sequitur, commentario statui possit, obstat primo, clausula ejusdem commentationis, seu carmen illi subjectum, quo insinuari videtur, totum Alcuini laborem illa interpretatione fuisse absolutum. Obstat secundo quod apud Balaeum, centuria II Script. Britanniae; et in Bibliotheca Menarsiana sola commentatio de Genealogia Christi, non vero integer aliquis commentarius in Evangelium Matthaei inter Alcuini opuscula recenseatur. Obstat tertio silentium tum ipsius Vitae Alcuini scriptoris, tum virorum eruditorum qui in conquirendis vulgandisque opusculis Alcuini summam diligentiam impenderunt.

[Col. 0724B] {450} At enim, ais, Alcuinum in totum Evangelium sancti Matthaei commentatum fuisse, luculentum testimonium exstat sancti Anselmi Lucensis, qui in tractatu contra Guibertum antipapam *ex lib.* II *Albini super Matthaeum bina loca affert ad demonstrandum, inquit Canisius* (Vet. Monument., edit. D. Basnagii, tom. III, part. I, pag. 389-491) facultates Ecclesiae non esse in potestate regis aut Caesaris. Scripsit igitur Alcuinus super Matthaeum; idemque opus, in plures libros divisum, adhuc exstabat aetate sancti Anselmi Lucensis, hoc est, ad finem saec. XI. Et hoc quidem judicium est celeberrimorum scriptorum Hist. litt. Franc., tom. VI, pag. IX. At enim viros alias doctissimos in hoc suo judicio fuisse deceptos, certissimum habeo. Primo namque praedicta loca Alcuini non reperiuntur in tractatu sancti Anselmi contra Guibertum, sed in collectaneis eidem tractatui subjectis, quae num Anselmi Lucensis sint, dubitat ipse Canisius, lectorem his verbis monens: «In ms. codice quo usi sumus subjiciebantur [Col. 0724C] sequentes sententiae ab ipso, *ut videtur, Anselmo ex variis auctoribus collectae.*» Secundo, loca illa, in illis collectaneis ex Alcuino allata, integra ac verbo tenus leguntur libro II Commentarii ejusdem in Joannem, cap. II, vers. 14-17. Hinc vero manifestum est ex incuria scriptoris eorumdem Collectaneorum exaratum fuisse: *Albinus in lib.* II *super Matthaeum, cum scribere debuisset: Albinus in lib.* II *super Joannem.* Quapropter testimonium hocce, ex sancto Anselmo Lucensi allatum, nullius momenti est pro commentario quodam in Evangelium sancti Matthaei Alcuino vindicando. Nos ergo rem dubiam relinquentes ab eodem ex codice nostro edendo hic abstinemus; neque etiam eidem inter dubia nunc quidem locum dari volumus, donec ope alterius codicis, suo tempore fortassis reperiundi, a mendis plurimis, quae sane lectoribus nauseam multoties moveant, purgatus, emendatior, quod optamus, prodire possit. Interea hoc loco non nisi interpretationes [Col. 0724D] nominum progenitorum Christi ex laudato codice, cum additamentis et lectionibus variantibus praedictae

homiliae de Nativitate B. Mariae virginis, quae textui, uncis conclusa, inseruimus, vel inter notas subjecimus.

LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI FILII DAVID, FILII ABRAHAM, ETC.

[Col. 0725A] [

@ [Col. 0725D] Ex homilia de Nativitate beatae Mariae virginis, apud ven. Bedam. Beatus Matthaeus evangelista, dilectissimi, non immerito, inter caetera coelestium secretorum animalia, facie hominis describitur: quia longe ab antiquis Patribus exordium Evangelii sumens, lucidius caeteris genealogiam Dominicae humanitatis praenotavit. Sed sciendum est quia horum omnium nomina allegorici et moralis sensus pleniter in se contineant intellectus.]

INTERPRETATIO LITTERALIS.

Abraham, pater multarum [gentium]. Isaac, gaudium. Jacob, supplantator. Judas confessio [interpretatur]. Phares divisio. Zara, oriens. Esrom, sagittam videns. Thamar, palma [dicitur]. Aram, electus. Aminadab, populus spontaneus. Naasson, [Col. 0725B] augur fortis. Salmon, sensibilis [accipitur]. Booz, in ipso fortitudo. Raab, latitudo. Obed, serviens. Ruth, festinans [subauditur]. Jesse, incensum [*Edit.,* incendium]. David, manu fortis, vel desiderabilis, Salomon, pacificus. Urias, lux mea Deus. Bersabee, filius juramenti [subintelligitur]. Roboam, latitudo populi. Abia, Pater Dominus. Asa, attollens. Josaphat, Dominus judicavit [exprimitur]. Joram, excelsus. Amasias, populus elevatus [*Ed.* om. Amasias, *etc.*]. Ozias, robustus Domini. Joathan, perfectus. Achaz, apprehensus [*Beda, apprehendens*] [dicitur]. Ezechias, fortis Dominus. Manasses, obliviosus. Amon, fidelis. Josia, salus Domini [interpretatur]. Jechonias, praeparatio Domini. Salathiel, petitio mea Deus. Zorobabel, iste magister. Abiuth, [Col. 0725C] pater meus iste [subauditur]. Eliachim, Dei resurrectio. Azor, adjutus. Sadoc, justus. Jochim [*Leg.* Achim], frater meus [subintelligitur]. Heliuth, Deus meus. Eleazar, Deus meus adjutor. Mathan, donum. Jacob subplantator [exprimitur]. Joseph, appositus, sive auctus. Maria, illuminatrix, sive stella maris. Jesus, Salvator. Christus, unctus [interpretatur].

{451} INTERPRETATIO ALLEGORICA.

Per hos enim [*Edit.,* igitur] patriarchas Christus [Dominus Deus noster] veniebat in mundum; et horum omnium in seipso allegorice gerebat officium; et in horum interpretatione nominum nostram designare voluit salutem. In Abraham ille pater est omnium credentium, ad quem omnibus clamare licitum [Col. 0725D] est, et dicere: *Abba Pater* **(Rom. VIII, 15)**! In Isaac gaudium omnium fidelium, de quo angelus cecinit: *Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* **(Luc. II, 10)**. In Jacob supplantator, quia ipse subnervavit et contrivit diabolum vastatorem humani [Col. 0726A] generis, et vasa ejus diripuit. In Juda confessio, qui dixit [*Edit.,* quia ipse dixit]: *Confitebor tibi, Domine, Pater coeli et terrae* **(Matth. XI, 25)**. In Phares divisio, qui segregat oves ab haedis **(Matth. XXV, 33)**, [id est, bonos a malis, electos a reprobis]. In Zara oriens ad nostram salutem, sicut dictum est: *Timentibus nomen Domini orietur*

sol justitiae [Edit., *sicut scriptum est:* Visitavit nos oriens ex alto] **(Malach. IV, 2)**. In Esrom sagitta salutis Domini, sicut dictum est: *Sagittae potentis acutae* **(Psal. CXIX, 4)**. In Thamar palma victoriae, [sicut ipse dixit: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. In Aram electus, de quo Pater loquitur: *Ecce puer meus, quem elegi, electus meus, dedi spiritum meum super eum* **(Isai. XLII, 1)**. In Aminadab populus spontaneus, quia [Col. 0726B] sponte posuit animam suam pro salute nostra, ut nos efficeret sibi populum spontaneum, Deoque acceptabilem. In Naasson augur, id est, propheta, fortis, cum dicit: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua;* tunc sedebit in sede majestatis suae **(Matth. XXV, 31)**, ut judicet orbem in aequitate. In Salmone sensibilis, id est intellectualis, [de quo scriptum est: *Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum* **(Luc. XI, 17)**, et iterum: *Dominus novit cogitationes hominum* **(Psal. XCIII, 11)**. Et: *Scrutans corda, et renes Deus* **(Psal. VII, 10)**]. Qui dixit Judaeis: *Quid cogitatis in cordibus vestris* **(Luc. V, 22)**; qui praeterita et futura, ut praesentia agnoscit. In Booz robur virtutis ejus exprimitur, ut ait: *Omnia traham ad meipsum* **(Joan. XII, 22)**
@ [Col. 0725D] Edit.: «In Booz fortitudo in ipso est, quia a nemine fortitudinem accepit, de quo dictum est: *Dominus* [Col. 0726D] fortis et potens; Dominus potens in praelio **(Psal. XXIII, 8)**.». In Raab latitudo imperii in Ecclesia designatur [Col. 0726C]
@ [Col. 0726D] Edit.: «In Raab latitudo potentiae ejus exprimitur, quem totus non capit orbis, et cujus regni non erit finis.». In Obeth serviens, quia non venit ministrari, sed ministrare, sicut - Apostolus dixit: *Formam servi accipiens.* In Ruth festinans ad salutem nostram [qui festinanter vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, dicens in Evangelio: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum* **(Matth. IV, 17)**]. In Jesse incensum [*Edit.,* incendium] agnoscitur, qui ait: *Ignem veni mittere in terram* [et quid volo, nisi ut ardeat **(Luc. XII, 49)**]? Et item Joannes dixit de eo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* **(Matth. III, 11)**. In David desiderabilis, quia dictum est: *Speciosus forma prae filiis hominum* **(Psal. XLIV, 3)**. [In eodem manu fortis, quando flagellum de funiculis in manu tenens, immensam vendentium et ementium multitudinem [Col. 0726D] ejecit de templo **(Joan. II, 15)**]. Item fortis bellator, dum diabolum vincebat, et humiliavit [*Edit.,* vicit et contrivit] calumniatorem nostrum. In Salomone pacificus, sicut dixit: *Pacem meam do vobis,* pacem [Col. 0727A] meam relinquo vobis **(Joan. XIV, 27)**. Itemque Apostolus inquit: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* **(Ephes. II, 14)**. In Bethsabea, filius juramenti, de quo dictum est: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum;* tu es sacerdos in aeternum **(Psal. CIX, 4)**. In Roboam latitudo fidelis populi, cum ait: *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno coelorum* **(Matth. VIII, 11)**. In Abia Pater Dominus, qui ait: *Nolite vocare vobis patrem in terra;* unus enim est Pater noster [Edit., *vester*], qui in coelis est **(Matth. XXIII, 9)**. In Aza attollens, de quo Joannes: *Ecce Agnus Dei, inquit, qui tollit peccata mundi* **(Joan. I, 29)**. In Josaphat judex, quia *ipse judicabit orbem terrae in aequitate* **(Psal. XCV, 13)** [et ipse est judex vivorum et [Col. 0727B] mortuorum]. Itemque ait: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio suo* **(Joan. V, 22)**. In Joram excelsus, quia ipse ascendit super coelos coelorum [*Edit.,* super omnes coelos], [ut adimpleret omnia: et sicut Psalmista dicit: *Excelsus super omnes gentes et super coelos gloria ejus* **(Psal. CXII, 4)**].
@ [Col. 0727D] Edit. om., *In Amasia* . . . . . solvendique. In Amasia populus elevatus, quia

per eum Ecclesia Dei elevata est, cui dedit potestatem ligandi {452} solvendique. In Ozia robustus Domini, quia captivum humanum genus [in robusta manu] captivitate [*Edit.,* captivitatem humani generis] liberavit, et in alta coelorum deduxit. In Joathan, perfectus, sicut in Evangelio dicit: *Nos enim decet implere omnem justitiam* **(Matth. III, 15)**. In Achaz, apprehendens, *qui coelum palmo ponderavit* **(Isai. XL, 12)**, et [Col. 0727C] terram pugillo concludit [*Edit.,* conclusit]. In Ezechia, fortitudo Domini, qui ait: *Confidite, quia ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. Item juxta Apostolum: *Christus est Dei virtus, et Dei sapientia* **(I Cor. I, 24)**. In Manasse obliviosus iniquitatis nostrae, sicut in Ezechiel legitur: *In quacunque die conversus fuerit peccator ab injustitia sua, omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur* [Edit., *omnium iniquitatum ejus non recordabor*] **(Ezech. XVIII, 21, 22)**. In Amon fidelis, qui ait: *Petite et dabitur vobis.* Item Paulus: ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum **(Hebr. IX)**. Item Joannes: *Qui testis est fidelis* **(Apoc. I, 5)**. In Josia salus Domini, quia *omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* In Jechonia praeparatio Domini, qui ait: *Si abiero,* et praeparavero vobis [Col. 0727D] locum **(Joan. XIV, 3)**. In Salathiel petitio mea Deus, qui ait: *Pater sancte serva eos, quos dedisti mihi* **(Joan. XVII, 11)**. In Zorobabel magister peccatorum et publicanorum, ut eos ab errore vitae [*Edit.,* viae] suae revocaret. [Et sicut ipse ait: *Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus* **(Matth. XXIII, 10)**]. In Abiuth pater meus iste, quia dixit: *Ego et Pater unum sumus* **(Joan. X, 30)**; et qui [*Edit.,* quia ipse] est Pater et caput omnium credentium. In Eliachim Domini resurrectio, ut ait: [*Ego sum* [Col. 0728A] resurrectio et vita,] qui credit in me, non morietur in aeternum; sed ego resuscitabo eum in novissimo die **(Joan. XI, 25)**. In Azur [Azor] adjutus, ut ait: *Non sum solus, quia Pater mecum est* **(Joan. VIII, 16, 29)**; ipse est adjutor omnium sperantium. [Et: *Qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum*]. Et iterum: Opera quae ego facio, a meipso non facio; *sed Pater, qui mecum est, ipse facit opera* **(Joan. XIV, 10)**. In Sadoch justus, sicut scriptum est: *Ut sit ipse justus, et justificans eos qui in fide sunt Abrahae* **(Rom. III, 26)**. In Jochim [*Leg.* Achim] frater meus, ut ait: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse est frater meus, et mater mea, et soror mea* **(Matth. XII, 50)**. In Eliuth Deus meus, qui ex nostra infirmitate dixit ad Patrem: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo,* ut ad te resurgam

[Col. 0728B]

@ [Col. 0727D] Edit.: «In Eliud Deus meus, quia ipse est Deus ex substantia Patris ante saecula genitus, qui in patibulo crucis dixit: Eli, Eli, hoc est: Deus meus, Deus [Col. 0728D] meus **(Matth. XXVII)**.». In Eleazar Deus meus adjutor, et omnium in se credentium protector, qui dixit: *Qui misit me Pater mecum est,* et non relinquit me solum

@ [Col. 0728D] Edit.: «In Eleasar Deus meus adjutor, quia ipse adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, et protector omnium sperantium in se **(Psal. IX)**.» **(Joan. VIII, 29)**. In Mathan donum, quia per ipsum Deus Pater omnia debita perdonavit nobis; et ipse *ascendens in altum* [captivam duxit captivitatem] dedit dona hominibus **(Psal. LXVII, 19; Ephes. IV, 8)**. In Jacob, quod antea dixi, supplantator antiqui hostis nostri; quia suis fidelibus dedit potestatem *calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* **(Luc. X, 19)**. In Joseph auctus, [cui dedit Pater *gentes in haereditatem suam, et in possessionem suam terminos terrae* **(Psal. II, 8)**] vel, augmentum vitae aeternae, ut ipse dixit: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant* **(Joan. X, 10)**. In sancta autem et [Col. 0728C] perpetua virgine Maria, de qua natus

est, stella maris, et lux hujus saeculi [ipse est, sicut ipse ait: *Ego sum lux mundi* **(Joan. VIII, 12)**] *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* **(Joan. I, 9)**. In proprio nomine Jesu salutaris vel Salvator est, angelo exponente, qui ait: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* **(Matth. I, 21)**. Idem vero Christus, id est unctus, appellatus est, quem unxit Deus in humanitate oleo laetitiae, id est, unctione sancti Spiritus, in sacerdotem, et regem sempiternum: quatenus Christianos, ex suo nomine vocatos, per id quod Salvator est, a peccatis salvaret; per id quod sacerdos est, Deo Patri reconciliaret; per id quod rex est, in regnum sempiternum collocaret. Ipse [*Ipse enim, et caetera, usque: Amen,* omissa in [Col. 0728D] Edit. Querc.] enim per istas quadraginta duas mansiones venit in mundum, ut nos per istas quoque in terram viventium, aeternae promissionis introducat; ubi in coelesti Hierusalem, perpetua pace gaudentes, regnaturi erimus in saecula saeculorum. Amen.

{453} INTERPRETATIO MORALIS.

Moraliter hae quoque interpretationes nominum ad nostram aedificationem multimodis pertinere noscuntur. Sicut Christus ubique nostrae salutis gerebat [Col. 0729A] causam, ita et patriarcharum nomina nostrum designant profectum. In Abraham, ut patres simus multarum virtutum; et haereditatis jure multiplicationem bonorum operum possideamus. In Isaac gaudium habeamus in Domino [et non in hoc mundo, juxta hoc, quod ipse dixit: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in coelo* **(Luc. X, 20)**]. Et juxta Apostolum: *Gaudete in Domino semper;* iterum dico gaudete **(Philip. IV, 4)**. In Jacob, ut supplantatores simus vitiorum nostrorum, et carnalium desideriorum; et diaboli potestatem victrici pede calcemus [*Edit.,* et carnale desiderium vivaci pede a diaboli potestate calcemus]. In Juda ut [secundum Psalmistam], praeveniamus faciem Domini in confessione, et confiteamur nomini sancto ejus, et laudemus [Col. 0729B] eum in saecula saeculorum **(Psal. XCIV, 2)**. In Phares, ut dividamus nos ab impiis, ut actus nostros ab eorum societate secernamus [et abstrahamus ab omni fratre ambulante in quiete; et non communicemus operibus ejus malis]. In Zara, ut Lucifer verus oriatur in cordibus nostris, et Sol justitiae splendeat ubique in cordibus nostris [*Edit.,* ubique in nobis], [*et luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona et glorificent Patrem nostrum qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**]. In Esrom, ut sagittae simus salutis Domini, ut de nobis dici possit: *Sagittae potentis acutae* **(Psal. CXIX, 4)**. [In Thamar, ut cum palma victoriae pompas diaboli, et concupiscentias mundi superemus, propter eum, qui dilexit nos.] In Aram, ut electi Dei simus, *et simus* [Col. 0729C] genus electum [gens sancta, populus acquisitionis; et annuntiemus virtutes ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum **(I Petr. II, 9)**]: regale sacerdotium Christo; et excelsi simus meritis. In Aminadab, ut spontaneus Domini populus simus, in aedificatione corporis sui [*Edit.,* corporis Christi]. In Naasson, ut mundanis auguriis gentilium derelictis, promissis divinis fidem adhibeamus. In Salmon, ut sensibiles, id est, intellectuales veritatis Dei, et docibiles [et factores] inveniamur: [*quia non auditores legis, sed factores justificabuntur* **(Rom. II, 13)**]. In Booz, ut confiteamur Deo, [Col. 0730A] et viriliter agamus, in Christo triumphantes aereas potestates

@ [Col. 0729C] Edit.: «In Booz, ut juxta Apostolum confortemur in Domino, et in potentia virtutis ejus; succincti lumbos nostros in veritate; induti lorica justitiae, [Col. 0729D] sumentes scutum fidei, et galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei»

(Ephes. VI, 10). [In Rahab, ut latum mandatum Domini nimis diligenter observantes, Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligamus, et proximum sicut nosmetipsos amplectamur]. In Obeth, ut serviamus in laetitia per spiritum amoris, et dilectione sancta

@ [Col. 0729D] Edit.: «In Obeth, ut serviamus Domino per spiritum timoris et dilectione sancta, quatenus rationabile sit obsequium nostrum, et acceptabile fiat sacrificium nostrum.» [In Ruth, ut festinantes ingredi in illam requiem, id est, in coelestem Jerusalem, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* **(Gal. VI, 10)**: *quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* **(Hebr. XIII, 14)**]. In Jesse, ut incensum orationum nostrarum in ara cordis nostri [in spiritu contribulato, et humiliato] offeramus Deo, dicente Propheta [*Edit.,* cum Psalmista dicentes]: *Dirigatur oratio mea sicut incensum* [Col. 0730B] in conspectu tuo **(Psal. CXL, 2)**. In David, ut desiderabiles efficiamur Deo nostro; et fortes simus manu contra Goliam spiritalem pugnantes

@ [Col. 0729D] Edit.: «In David, ut manu fortes contra Goliam spiritualem pugnantes, et exhibentes corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem **(Rom. XII, 1)**, desiderabile templum efficiamur Spiritui sancto.». In Salomone, ut, quantum ex nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus [illud dominicum intendentes], quia *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* **(Matth. V, 9)**. [In Bethsabee, ut juramentum omnimodis custodiamus, ne perjurio incidamus in laqueum diaboli. In Uria, ut lux nostra Deus sit, videlicet, ut eum sequentes non ambulemus in tenebris mortis, sed habeamus lumen vitae]. In Roboam, ut latum charitatis {454} mandatum complentes, in latitudine spiritalium donorum gaudeamus

@ [Col. 0729D] Edit.: «In Roboam, ut longe lateque per orbem terrarum populus dispersus, unitatem spiritus in vinculo pacis et charitatis habeamus; unum Dominum, unam fidem, unum baptisma profiteamur de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta» **(Ephes. IV)**.. In Abia, ut fratres simus, habentes Patrem Deum; et haeredes simus Dei, cohaeredes [Col. 0730C] quidem Christi

@ [Col. 0729D] Edit.: «In Abia, ut charitate fraterna invicem diligentes unum Patrem habeamus, Dominum in [Col. 0730C] coelis, qui nos voluntarie genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus **(Jac. I, 18)**: et benedictionem haereditate possideamus, et gloriemur [Col. 0730D] in spe gloriae filiorum Dei» **(Rom. V, 12)**.. In Asaph [*Leg.,* Asa], ut tollamus intentionem nostram a vitiis ad virtutes; a terrenis ad coelestia

@ [Col. 0730D] Edit.: «In Asa, ut tollamus membra nostra de luto, et sterquilinio vitiorum, ne serviant immunditiae et iniquitati ad iniquitatem; sed justitiae in sanctificationem: quia non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem» **(Rom. VI, 19)**.. In Josaphat, ut recte judicemus omni personae [sicut scriptum est: *Recte judicate filii hominum* **(Psal. LVII, 2)**]; et quodcunque volumus, ut faciant nobis homines, faciamus et illis similiter, scientes quia mensura qua mensi fuerimus, remetietur nobis **(Matth. VII, 2)**. In Joram, ut superna sapiamus, effecti in Domino sublimes, nostram conversationem habentes in coelis

@ [Col. 0730D] Edit.: «In Joram, ut excelsi et sublimes effecti, quae sursum sunt, quaeramus, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapiamus, non quae super terram **(Col. III, 2)**; quoniam omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum» **(Jac. I, 17)**.. In Ozia, ut

confortemur in Domino, et in potentia virtutis ejus

@ [Col. 0730D] Edit.: «In Ozia, ut robusti in Domino effecti, in omnibus persecutionibus nostris, et tribulationibus quas sustinemus, exemplum accipiamus laboris et patientiae prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini Jesu» **(Jac. V, 10)**. In Joathan, ut perfecta opera facientes, [Col. 0731A] juxta Evangelium: *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est* **(Matth. V, 48)** [in omnibus nosipsos exemplum praebentes, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum]. In Achaz, ut apprehendamus viam salutis nostrae, quae est Christus, qui dixit: *Ego sum via,* veritas et vita

@ [Col. 0731B] Edit.: «In Achaz, ut apprehendamus disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereamus de [Col. 0731C] via justa **(Psal. II, 12)**, quae Christus est, qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita.*» **(Joan. XIV, 6)**. In Ezechia, ut laudemus fortitudinem Domini pugnantis pro nobis; et ut ille nos confortet flagitemus

@ [Col. 0731C] Edit.: «In Ezechia, ut fortes Domini resistamus adversario nostro diabolo, qui tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret; non in nostra virtute confidentes, sed Domini fortitudinem cum Psalmista collaudantes: *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem»* **(Psal. CXVII, 14)**.. In Manasse, ut obliviosi simus injuriarum nostrarum

@ [Col. 0731C] Edit. pergunt: «et eis qui contra nos agunt, propter nomen Domini ignoscamus: ne illud maledictum incurramus: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*» et praeterita obliviscentes, semper in antea tendamus. In Amon, ut stemus in fide, in qua possimus omnia tela ignita diabolicae fraudis extinguere

@ [Col. 0731C] Edit.: «In Ammon, ut fideles, in fide radicati et fundati, in omnibus sumamus scutum fidei, in quo possimus tela nequissimi ignea exstinguere» **(Ephes. VI, 16)**.. In Josia, ut salutem Domini, quam ille nobis praestare dignatus est, tota virtute [Col. 0731B] et fortitudine sequamur

@ [Col. 0731C] Edit.: «In Josia, ut salutem Domini, et animarum semper deposcamus, ne obcaecemur in infidelitate; ne claudicemus in viis mandatorum ejus; ne [Col. 0731D] surdi ad audiendum verbum Dei efficiamur; ne moriamur in peccatis: sed ut semper salvemur ab eo qui salvos facit sperantes in se.». In Jechonia, ut in adventu Domini [secundo] parati [*Edit.,* praeparati] simus, vigilantes et {455} orantes, ne incidamus in tentationem [sed cum illis intrare ad nuptias mereamur, de quibus ipse dicit: *Beati sunt servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* **(Luc. XII 37)**]. In Salathiel, ut unam petitionem petamus, id est, ut inhabitemus in domo Domini omnibus diebus vitae nostrae

@ [Col. 0731D] Edit.: «In Salathiel, quatenus, petitio nostra ad Deum semper dirigatur, ut gaudium nostrum sit plenum; non hujus saeculi moerore permixtum, sed infinita beatitudine sempiternum; et hoc in nomine Salvatoris, ut impetrare possimus, quod petimus.». In Zorobabel, ut simus magistri veritatis, prohibentes magisteria, et haereticorum confusiones [et quae verbis docemus, exemplis commendemus, ne de nobis dicat Deus: *Quare tu enarras justitias meas,* et assumis testamentum meum [Col. 0732A] per os tuum; tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum **(Psal. XLIX, 16, 17)**]. In Abiuth, ut sit nobis Deus in Patrem, et nos illi in filios et filias, [*habentes spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater! Si autem filii, et*

haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi **(Rom. VIII, 15, 17)**]. In Eliachim, ut resurgamus a morte peccati, et vivamus Deo in Spiritu sancto

@ [Col. 0731D] Edit.: «In Eliachim, ut resurgamus a tumulis vitiorum ad celsitudinem virtutum, de terrenis ad coelestia, de morte ad vitam, de Gaza ad Galilaeam, id est, de inferno ad aeternam transmigrationem, ubi sancti *ibunt de virtute in virtutem, donec videbitur Deus deorum in Sion»* **(Psal. LXXXIII, 8)**.. In Azur, ut adjuvante Deo inimicos salutis nostrae vincamus

@ [Col. 0731D] Edit.: «In Azor, ut adjuti divina gratia cuncta nobis adversantia patienter supportemus, et Dominum [Col. 0732B] adjutorem nostrum cum Psalmista collaudemus, dicentes: *Dominus adjutor et protector meus,* [Col. 0732C] et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum» **(Psal. XXVII, 7)**.. In Sadoch, ut justificari mereamur ab eo, qui justificat impium

@ [Col. 0732C] Edit.: «In Sadoch, ut justi appareamus ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, ut cum justis mercamur audire vocem dicentis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi»* **(Matth. XXV, 34)**.. In Joachim, ut fratres Christi, matres et sorores simus, in eo ut faciamus ejus voluntatem

@ [Col. 0732C] Edit.: «In Joachim, ut fratres Jesu Christi mereamur appellari; non per cognationem carnis, sed per unctionem Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde: ut facientes voluntatem ipsius, sobrie, et juste, et pie vivendo in hoc saeculo, ad Patrem suum, et Patrem nostrum; et Deum suum et Deum nostrum ascendere possimus in futuro.». In Eliuth, ut nullum habeamus Deum, nisi Dominum Jesum Christum, [*cui omne genu flectitur, et omnis lingua confitetur* **(Philip. II, 10, 11)**; [Col. 0732B] et ut ipsi soli sacrificium laudis immolemus, et vota nostra reddamus, ipsumque solum adoremus, quem oportet adorari *in spiritu et veritate* **(Joan. IV, 23)**]. In Eleazar, ut confiteamur, salutem nostram in Domino Jesu tantummodo constare

@ [Col. 0732C] Edit.: «In Eleazar, ut nullum quaeramus adjutorem, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus et intelligimus: et ut quodcunque facimus in [Col. 0732D] verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini faciamus **(Coloss. III, 17)**, dicentes cum Propheta: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram»* **(Psal. CXXIII, 8)**.. In Mathan, ut donum sancti Spiritus accipientes, non simus concupiscentes malorum, sicut gentes

@ [Col. 0732D] Edit.: «In Mathan, ut donum supernae gratiae, *spiritum* scilicet *sapientiae et intellectus;* spiritum consilii et fortitudinis; spiritum scientiae et pietatis, spiritumque timoris Domini retinentes **(Isai. XI, 2, 3)**, discretionem habeamus inter bonum et malum, quae est mater omnium virtutum.». In Jacob, ut rectores tenebrarum harum, cum vitiis nostris spirituali fortitudine supplantemus

@ [Col. 0732D] Edit.: «In Jacob, ut supplantemus a nobis zizania vitiorum, et plantemus in nobis aromata virtutum: ut sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, et quasi myrrha electa odorem demus; et plantati in domo Domini floreamus in aeternum ante Dominum.». In Joseph, ut deficiente exteriore homine interior augeatur de {456} die in diem, donec spiritualiter in nobis confirmetur Christus

@ [Col. 0732D] Edit.: «In Joseph, ut de die in diem virtuti virtutem, sanctificationi sanctificationem apponentes, merito [Col. 0733A] et numero augeamur, et in eo crescamus in salutem; et ut per scalam in coelum erectam quotidie de gradu in gradum

ascendamus, donec spiritaliter formetur Christus in nobis **(Gal. IV)**. In sancta et perpetua virgine Maria, quae stella maris, vel illuminatrix interpretatur; ut illuminatores mundi, id est, doctores sanctae Ecclesiae simus, et in cordibus credentium lumen fidei et amorem Christi, per doctrinam veritatis et exempla sanctitatis, oriri faciamus, et Deo habitaculum praeparemus. In Jesu Domino [Col. 0733B] nostro, ut salvatores animarum nostrarum esse valeamus, manifeste declaratur. Quisquis enim in fide, spe et charitate, vigiliis, jejuniis et orationibus, castitate, sobrietate, eleemosynarum largitione, dilectioneque Dei et proximi, usque in finem perseveraverit, et converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem [Col. 0734A] peccatorum **(Jac. V, 10)**. In Christo autem, ut ita Christiani simus, quatenus sicut ille ambulavit, et nos ambulemus; et sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita et nos pro fratribus nostris animas ponamus **(I Joan. II; III)**: et sicut ipse horum hominum interpretationes in se naturaliter gerebat, ita et nos in omni activa et contemplativa vita, ut dictum est, spiritualiter recolamus. Ad hoc enim Christus passus est nobis exemplum relinquens, ut sequamur vestigia ejus **(I Petr. II, 21)**; et abnegemus [Col. 0734B] nosmetipsos, et tollamus crucem nostram, et sequamur eum **(Luc. IX)**, perducentem nos ad gloriam sempiternam, quam *oculus non vidit, nec auris audivit,* nec in cor hominis ascendit, quam *praeparavit Deus diligentibus se* **(I Cor. II, 9)**. Ipsi honor, laus et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.» (*Finis Homiliae ita dictae apud Quercetanum et Bedam.*), et per Mariam, id est, lumen fidei et divinae gratiae, ducamur ad ineffabilem omnipotentis [Col. 0733A] Dei visionem, in qua gaudentes, ab omni tristitia saeculi liberati, in aeterna beatitudine regnabimus cum Christo.

Suscipe, rex, parvum magni modo munus amoris,
Quod tuus Albinus obtulit ecce tibi. Magna ferunt saecli gazarum dona potentes,
Fert mea pauperies, ista minuta duo.[Col. 0734A] Ne vacua in sacris venisset dextra diebus,
Ante piam faciem, rex venerande, tuam; Nomina sanctorum signavi sancta parentum
Hebrea, depromens ore latine tuo.

(*Finis in cod.* ms. Sanct.-Emmeramiano.)

{457}

OPUSCULUM SEXTUM. COMMENTARIA IN S. JOANNIS EVANGELIUM

[Col. 0733D]@ In cod. ms. bibl. Reg. Vaticanae titulus est: *Excerptiones Albini magistri ex dictis Patrum in Joannem evangelistam.* In codice vero nostro Sanct-Emmeramiano [Col. 0734D] ita inscribitur: *Expositio Albini magistri super Johannem.*.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 0733B]

Praesens Evangelii sancti Joannis expositio, quae inter opuscula exegetica Alcuini ob

stylum diffusiorem, [Col. 0733C] et doctrinarum, ex antiquioribus Patribus collectarum, selectum, primum locum meretur, typorum beneficio primum, quantum scimus, prodiit Argentorati sub hoc titulo: *Albini diaconi Angli in D.* Joannis Evangelion commentariorum libri septem, Christiana fruge refertissimi. Argentorati, apud Joannem Hervagium, mense Januario, anno 1527, in-8o. Hac editione cl. Quercetanus in sua Operum Alcuini collectione usus est; eam tamen, prout ipsemet testatur, ope antiqui ms. bibliothecae nobilissimi ac ornatissimi viri Jac. Aug. Thuani castigavit et auctiorem reddidit. Nobis quoque in hac nostra editione illa Argentoratensis ad manus fuit, quam ab illustri ac multiplicis eruditionis viro D. Felice Oefelio Monacensi, e bibliotheca electorali Boica benevole communicatam habuimus. Praeterea vero nonnullas variantes lectiones codicis reg. Vaticani, saeculo XIII exarati, jussu clarae memoriae eminentissimi S. R. E. cardinalis Dominici Passionei notatas, Roma accepimus.

[Col. 0733D] Meliorem vero prae reliquis in vera restituenda lectione, et mendis residuis corrigendis, opem nobis tulit codex ms. bibliothecae nostrae sancti Emmerami, optimae sane notae, et ante annos omnino nongentos scriptus, tempore scilicet Baturici episcopi Ratisbonensis, qui sedem illam ab anno 817 usque ad annum 843 tenuit, et sic Alcuino nostro contemporaneus fuit. In fine etenim codicis eadem, qua totum volumen exaratum est, manu haec verba scripta legere est: ISANBERTUS XVIIII *Kal.* Aug. hunc scribendo patravit librum, obsecrans legentibus (ita codex), *ut sui meminisse dignentur, prout dignum est, qui in alterius reficiuntur labore.* PATERICUS *episcopus dedit ad sanctum Emmeramum, et pro remedio anime sue.*

[Col. 0734B] Horum igitur codicum mss. beneficio commentarios hosce, diligenter cum editis collatos, multis in [Col. 0734C] locis emendatiores reddidimus. De novo vero nunc accedit epistola Alcuini ad Luciam et Columbam, tunc scripta cum integrum opus, cujus antea non nisi partem miserat, perfecit, et ad easdem virgines direxit. Debemus hoc pretiosum litterarium monumentum industriae ac benevolentiae viri eruditissimi D. Brequigny regiae inscriptionum et humaniorum litterarum Academiae Parisiensis socii, qui eamdem cum aliis perquam multis Alcuini epistolis, quas parte I Operum B. Patris exhibuimus, e codice Bibl. Harleianae in Anglia eruit, et vulgandas nobis humanissime concessit. Hanc igitur epistolam in capite totius commentarii ante epistolas Gislae et Richtrudis ad Alcuinum, et hujus ad illas, secundum ordinem ab ipso Alcuino ibidem constitutum, collocandam putavimus. Porro ex hac epistola primo discimus, Alcuinum jam ab annis triginta, adeoque dum adhucdum in Anglia degeret, propositum hujus operis conficiendi coepisse, a quo tamen *calamum suum quievisse ait,* quia non fuit, qui excitaret illum, *donec illum praedictarum* [Col. 0734D] virginum *bona intentio ad studium scribendi revocavit.* Discimus secundo, opus hocce demum completum, atque ad easdem virgines eo tempore directum fuisse, quo nuntium *de exaltatione excellentissimi Domini sui Davidis;* et de prosperitate apostolici viri, Leonis utique papae III *et de legatione sanctae civitatis Jerusalem accepit.* Quae omnia in annum 800 conveniunt, quo Leo papa ab inimicorum suorum insidiis et injustis vexationibus liberatus, suaeque sedi restitutus; quo etiam Carolus Magnus imperatoria majestate insignitus; quo demum Zacharias presbyter cum duobus monachis, a patriarcha Jerosolymitano missis, Romam venit claves secum deferens sepulcri Domini, civitatisque et montis Sion, una cum urbis vexillo, ut narrant Annales Francorum,

Petavii, Loisellii, [Col. 0735A] Moissiacenses, Eginhardus et alii ad annum eumdem. Ex eadem hac epistola discimus, tertio, Alcuinum anno priore seu 799 partem hujus commentarii ad illas virgines praemisisse, quam illam fuisse existimamus quae ultimis duobus libris continetur, ubi Alcuinus in brevi, quod praemisit, epistolio profitetur se totius Evangelii expositionem dirigere voluisse, nisi labore a rege sibi demandato, pro emendatione Veteris Novique Testamenti, fuisset occupatus.

{458} Equidem haud ignoramus, viros celeberrimos D. Rivet, Hist. lit. Franciae, tom. IV, pag. 307; D. Remigium Ceillier, *Hist.* gén. des Aucteurs sacrés, tom. XVIII, pag. 289, et alios sentire, initio quinque libros priores hujusce commentarii ad praefatas virgines fuisse directos; deinde vero duos residuos, appropinquantibus festis Paschalibus, additos. Nobis tamen haec opinio probata nunquam fuit; cum, quod Alcuinus in praefatiuncula duobus libris posterioribus praefixa priorum librorum a se antea missorum ne [Col. 0735B] verbo quidem meminerit; tum, quod ex ipso ejusdem praefatiunculae contextu sat clare nobis innuere videretur, se tunc nondum integram ejusdem Evangelii expositionem absolvisse; ait enim ibidem se totius Evangelii expositionem dirigere voluisse, occupatum vero mandato regis in emendatione Veteris Novique Testamenti opus coeptum explere nondum potuisse; interea vero se pro opportunitate sacri temporis Paschatis appropinquantis hanc partem sui commentarii mittere, ut in lectione illius suam devotionem illis sacris diebus exercerent; promittit etiam se integram expositionem ad eas missurum, postquam illam secundum opportunitatem temporis compleverit, et consummaverit. Scimus viros eruditos supra laudatos illa Alcuini verba: *Totius forsan Evangelii expositionem direxissem vobis, interpretari de expositione non tantum Evangelii sancti Joannis, sed et reliquorum evangelistarum;* sed nulla necessitas nos cogit ut in hunc sensum verba illa trahamus; et longe naturalius [Col. 0735C] illa de solo et integro Evangelio sancti Joannis intelliguntur, dum certo constat Alcuinum commentarium huncce non integrum simul, sed successive et per partes misisse: et certe, detecta nunc hac ad Luciam et Columbam epistola, illa conjectura sustineri haud amplius potest; si enim Alcuinus duos ultimos libros completi jam commentarii ultimo quoque loco misisset, non illis breve illud epistolium, sed praesentem epistolam, ut pote opere integro jam absoluto, praemisisset.

Quarto demum, ex nova hac epistola innotescit nomina Gislae et Luciae, Richtrudis et Columbae, non diversarum, sed earumdem personarum esse, ad easdem enim virgines, quae in epistola mox sequenti, qua commentarium in Evangelium sancti Joannis postulant, semet Gislae et Richtrudis nominibus propriis patriisque compellant, Alcuinus commentarium desideratum mittit, illasque, more suo, Latina et ascititia appellatione Luciam et Columbam nominat. De his virginibus, earumque conditione atque genere, vide [Col. 0735D] quae dicimus in praefatione generali, ubi simul ostendimus eas non Anglicae, ut Alfortus autumabat, sed Francicae et illustris quidem fuisse originis; professione vero, ut videtur, sanctimoniales.

Unum adhuc superest quod hoc loco moneamus, nemini hucusque, nostra opinione, observatum; nimirum inter Opera Ven. Bedae presbyteri, tom. V edit. Basil. anni 1563, pag. 519 et seqq. (Patrologiae tomo XCII), editum haberi commentarium in Evangelium sancti Joannis, qui ab initio capitis primi usque ad finem cap. XII non

quoad sententias solum, sed quoad ipsa quoque verba cum hoc, qui Alcuino tribuitur, commentario penitus concordat, ita ut nullum, nisi in differentibus quibusdam lectionibus, discrimen intersit: a capite vero XIII, a quo liber VI apud Alcuinum initium capit, usque ad finem magna utriusque differentia est; Expositio enim Ven. Bedae ibi multo fusior est, textusque evangelicus proprio magis studio, quam aliorum Patrum verbis enucleatus: [Col. 0736A] homiliae quoque ipsius Bedae et sancti Gregorii, Magni, quae in iisdem ultimis duobus Alcuini libris integrae insertae habentur, ibidem desiderantur, et illarum loco aliae expositiones substitutae sunt; quamvis multoties in hac etiam Bedae editione sententiae occurrant quas Alcuinus in eumdem locum protulit.

Haec quamvis ita sint, neminem tamen virorum eruditorum fore existimamus, qui de vero et genuino hujus commentarii auctore seu compilatore quaestionem movere, atque hoc opus industriae Alcuini subtrahere, aut Ven. Bedae tribuere velit. Et profecto certissimis argumentis convincimur, commentarium illum genuinum Alcuini partum esse, Bedae, nescio quo errore, suppositum: superfluum tamen fore credimus eruditis idipsum fusius demonstrare velle; iis enim characteribus opus hoc insignitum est, quibus evidentiores ad verum auctorem dignoscendum nemo exigere possit, nimirum propriis Alcuini epistolis, quas huic commentario praemisit, ubi suo labore et [Col. 0736B] industria ex SS. Patrum, praeprimis Augustini, Gregorii et ipsius Ven. Bedae, cellariis, quidquid in eis invenire valuit, plena fide et secundum memoriae integritatem semet collegisse profitetur. Praeterea illud quoque evidentissime demonstrat, hunc commentarium Bedae nullatenus tribui posse, quod in cap. VII, v. 13, in cap. X, v. 1-6, et in cap. XX, v. 31, error Adoptianorum reprehendatur, qui non nisi post obitum Ven. Bedae in Hispania exortus est, et in Galliam postmodum propagari coepit.

Non igitur quemquam in Bedae favorem movere debet testimonium Jonae Aurelianensis, Ludovici Pii aequalis, qui libro I de Instit. Laicali, cap. 13, apud Lucam d'Achery, Spicil. tom. I, pag. 270, edit. Paris. 1723 ex Bedae homilia Evangelii vigesima plures versus citat qui in praedictis commentariis leguntur cap. II, ut propterea Mabillonius suspicetur legendum esse apud Jonam non *homilia* vigesima, sed, *homilia secunda.* Textus enim illi, a Jona Aurelianensi allati, Bedae quidem sunt; non tamen ex integro quodam [Col. 0736C] illius in Joannem {459} commentario deprompti, sed ex homilia quadam ejusdem in illum locum cap. II Joannis, ubi agitur de ementibus et vendentibus in templo, a Christo inde ejectis. Et haec homilia inter eas quidem quae in collectione Operum Ven. Bedae exstant, desideratur, ac propterea cel. Mabillonio incognita esse potuit; nunc autem edita habetur ex cod. ms. Turonensi in Thesauro Anecdot. D. Martene tom. V, pag. 343, et illa ipsa est quae in capitulatione libri L Homiliarum Bedae apud Mabil., Act. SS. Ord. S. Ben. saec. III, part. I, pag. 556, *vigesima secunda, quae lectio in Jona Aurelianensi restituenda videtur, recensetur.*

Commentarius igitur ille in Evangelium Joannis e censu Operum Ven. Bedae omnino eximendus est, cujus etiam ipsemet nullam mentionem facit in indice suorum opusculorum, quem quatuor ante obitum suum annis, nimirum 731, confecit. Alcuinus tamen omnes Ven. Bedae homilias, in quibus nonnulla capitula [Col. 0736D] S. Joannis exposuit, in suum commentarium transtulit.

Cujus vero auctoris sit ultima pars commentarii apud Bedam editi, nempe a cap. XIII Joannis usque ad finem, quem ab Alcuini expositione multum differre supra diximus, difficile est divinare; ad Alcuinum illam quoque pertinere, et secundis curis refusam ab eo fuisse nobis vero haud dissimile videtur, si verba epistolae ad Luciam et Columbam bene perpendantur, ubi ita scribit: «Obsecro, ut jubeatis, si dignum ducatis, transcribere hanc partem (nempe priores quinque libros) quam modo direxi . . . . . scriptamque citius remittere nobis; simul et eam partem (duos ultimos libros) quam vobis anno transacto direxi, ut ordinetur per numeros, et capitula, et librorum initia: et si quid addendum sit in fine, ut impleatur. Cogitavi aliquid adhuc addere quod vix in aliis invenitur opusculis.» Hic postulat Alcuinus ut utraque pars divisim missa, describatur sibique remittatur; [Col. 0737A] ut in fine, seu, ut interpretamur, in ultima ejus commentarii parte, aliquid addatur quod in aliis opusculis vel SS. Patrum, vel in his ipsis antea missis, non invenitur. Pronum igitur est conjicere Alcuinum alteri sui commentarii parti novam curam adhibuisse, et in eam formam transfudisse, qualis inter Opera Bedae repraesentatur. Et haec quidem nostra conjectura est ex allegatis Alcuini verbis enata; quam tamen virorum eruditorum limatiori judicio lubenter submittimus.

Caeterum Alcuinus ipsemet, pro suo candore, in epist. ad Gislam et Richtrudem ingenue profitetur se non ex proprio prato flores proferre, sed, ut suae tenuitatis conscius, sine periculo sui nominis, praedictarum virginum satisfaceret voluntati, multorum Patrum florida rura peragrando, inde flores sparsim ibi repertos collegisse, «medicorum exemplo, qui solent, inquit, ex multorum speciebus pigmentorum, in salutem poscentis quoddam medicamenti componere genus, nec seipsos fateri praesumunt creatores herbarum [Col. 0737B] vel aliarum specierum, ex quarum compositione salus efficitur aegrotantium; sed ministros esse in colligendo, et in unum pigmentaria manu conficiendo corpus.» Postea etiam fontes designat e quibus pene omnia sua hausit, nimirum tractatus S. Augustini, homilias S. Gregorii et Bedae Venerabilis; opuscula S. Ambrosii, et aliorum SS. Patrum, «magis, inquiens, horum omnium sensibus et verbis utens, quam meae quidpiam praesumptionis committens; velut legentium curiositas facile probare poterit; cautissimo stilo praevidens ne quid contrarium sanctorum Patrum sensibus ponerem.» Haec ideo ascripsimus ne quispiam, perlustrando hunc commentarium, a capite ad calcem pene ex aliorum Patrum sententiis et verbis compilatum, existimet Alcuinum aliena pro propriis venditasse. Nos quae ex Augustino, Gregorio et Beda deprompta sunt, suis locis adnotamus.

EPISTOLA AD SOROREM ET FILIAM. (Anno 800.) *Ex codice bibliothecae Harleianae.* [Col. 0737C]

Dilectissimis in Christo personis Luciae et Columbae Albinus frater et pater, in solatio sancti Spiritus, salutem.

Memor petitionis vestrae et promissionis meae, quamvis tardius implerem propter occupationes plurimas, tamen nullatenus obliviscebar quod me spondere recordabar. Opus arduum et difficile, et meae parvitati praesumptiosum injunxistis, sed charitati nihil negare ratum duxi, quia nihil impossibile eo [*F.*, in eo] qui est charitas vera, optime sciebam. Devotus sanctorum Patrum cellaria peragrans, quidquid [Col. 0737D] in eis

invenire valui, vobis ad gustandum attuli; ut probetis, si saporem habeat catholicum, vel secus, quod absit. Quod legebam, plena fide, secundum memoriae integritatem, protuli; praeponens etiam huic operi epistolam petitionis vestrae, ut in posterum agnoscerent legentes vestrae devotionis studium et meae obedientiae occasionem. {460} Adjunxi quoque epistolam, annuentem voluntati vestrae, quam etiam quasi prologum anteposui opusculo nostro; rationemque evangelistae, qua necessitate compulsus Evangelium scriberet, et caetera quae in ea epistola legere potestis et agnoscere, quam necessaria esse videatur. Fateor siquidem, propemodum ante annos triginta me voluntatem hujus habere operis; sed quievit calamus [Col. 0738A] meus, quia non fuit qui excitaret eum, donec vestra bona intentio illum revocavit ad studium scribendi. Si quid dignum meo sudore elaboratum inveniatis, date gloriam Deo, qui dedit, vobisque mercedem sperate, qui impulistis torpens ingenium, ut mitteret manum in gazophylacium Christi; ut aliquid inde protulisset in solatio famularum suarum. Scio omni habenti esse dandum; item, qui habet desiderium discendi, dabitur ei gratia intelligendi: sed sunt quidam magis mordere aliorum dicta parati, quam sua in publicum proferre; quorum dentes vitandi sunt, vel etiam parvi pendendi. Facile enim columbina charitas serpentinum non curat dentem. Saepe unde charitas proficit, inde invidia labescit; et lacteam dulcedinem nigro inficit veneno: quos vestra parvipendat [Col. 0738B] prudentia, magis proficere studentes, quam curare invidentes.

Obsecro ut jubeatis, si dignum ducatis, transcribere hanc partem quam modo vobis direxi, et capitula singulis periochis cum numero adnotare, librorumque initia diligenter distinguere, scriptamque citius remittere mihi; simul et eam partem, quam vobis anno transacto direxi, ut ordinetur per numeros et capitula, et librorum initia: et si quid addendum sit in fine, ut impleatur: cogitavi aliquid adhuc addere quod vix in aliis invenitur opusculis.

Litteras vero quas direxisti [*F.,* direxistis] mihi, benigne suscepi, gratias agens Deo de exaltatione excellentissimi domini mei David; et de prosperitate apostolici viri; et de legatione honesta sanctae civitatis, [Col. 0738C] in qua Salvator noster mundum suo sanguine redemere [*pro redimere*] dignatus est, et gloria resurrectionis ascensionisque coronari et exaltari. Vos vero, filiae charissimae, illius semper habete charitatem in corde, laudem in ore et opus in manibus. Praeparate vobis sedem inter sponsas ejusdem Regis aeterni, ut dignetur vobis seipsum ostendere, qui suis amatoribus seipsum promisit ostendendum esse: in cujus visione beata est aeternitas, et aeterna beatitudo; meique memores estote inter sacras orationes vestras famularumque Christi vobiscum Deo deservientium, ut benedictio Domini nostri Jesu Christi me famulum suum proficere faciat in domo sua, peccatorumque meorum indulgentiam perdonare dignetur. Florere vos faciat et vigere divina pietas, in omni [Col. 0738D] studio sanctitatis, et sapientiae sensibus, multo feliciter tempore, Deus Dei Filius, Jesus Christus Dominus noster, charissimae filiae.

EPISTOLA CHRISTI FAMULARUM GISLAE ATQUE RECTRUDAE AD ALBINUM MAGISTRUM.

Venerando Patri nobisque cum summo honore [*Al.,* studio] amplectendo Albino

magistro, humillimae Christi famulae Gisla et Rectruda [*Ms.,* Richtruda] perpetuae beatitudinis salutem.

Postquam, venerande magister, aliquid de melliflua sanctae Scripturae cognitione, vestra sagacitate exponente, hausimus, ardebat nobis, ut fatemur, de die in diem desiderium hujus sacratissimae lectionis, [Col. 0739A] in qua purificatio est animae, solatium mortalitatis nostrae, et spes perpetuae beatitudinis. In qua beatus vir, juxta Psalmistam, quotidiana seipsum exercet meditatione: intelligens omnibus saeculi divitiis hujus esse agnitionem [*Ms.,* cognitionem] praeferendam; neque aliam esse veram sapientiam, nisi quae humano generi secundum dispensationem {461} divinae providentiae, coelestis gratia administravit. Hoc est manna, quod [*Ms.,* quae] sine fastidio satiat, sine defectu pascitur. Haec sunt divinae segetis grana, quae apostolicis fricata manibus, atque per eos fidelium epulis animarum apposita sunt. Sed duo valde nobis contraria quotidiana tristitia parvitatis nostrae mentem fatigant. Unum, quod tardius hujus optimi studii diligentiam habuimus; aliud, quod modo magnam [Col. 0739B] habentibus devotionem, vestra longinquitas desiderio nostro satis obsistit. Sed vestram, charissime doctor, deprecamur pietatem, ne nos litterarum tuarum solatio deseras. Poteris teipsum nobis quaerentibus per litterarum officia ostendere, ut intelligatur vox tua in arcano cordis nostri desiderio. Nam sicut loquentis lingua in aure audientis, ita scribentis calamus proficit in oculo legentis: et ad interiora cordis pervenit sensus dirigentis, sicut verba instruentis. Quapropter, beatissime Pater, nolite ipsum nobis negare. Irriga salutiferi [*Al.,* salutaris] fontis unda, pectora nostrae parvitatis arentia. Scimus in te esse fontem viventis aquae, quae [*Ms.,* qui], Domino dicente, saliet in vitam aeternam **(Joan. IV, 14)**. Nolumus [ut] ad te pertineat quod Salomon ait de [Col. 0739C] his qui suam solent celare sapientiam: *Thesaurus occultatus, et sapientia abscondita, quae utilitas in utrisque* **(Eccli. XLI, 17)**? Sed magis Domino dicente per Prophetam: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* **(Psal. LXXX, 11)**. Aperi confidenter os tuum in sacratissimam, Spiritu sancto inspirante, beati Joannis evangelistae expositionem, et venerabiles sanctorum Patrum pande nobis sensus. Collige multorum margaritas in spiritalis thesauri cubili, et pasce ex eo pauperes Christi. Noli nos jejunas dimittere, ne deficiamus in via. Habemus siquidem clarissimi doctoris Augustini homeliatico [*Al.,* omeliaco] sermone explanationes in eumdem evangelistam, sed quibusdam in locis multo obscuriores, majorique circumlocutione decoratas, quam nostrae parvitatis [Col. 0739D] ingeniolum intrare valeat. Sufficit nobis vestrae devotionis [*Al.,* melius, sufficit vero nostrae devotioni] de rivulis dulcissimae aquae potare, non profundissimis gurgitum fluminibus nostras immittere carinas. Scis enim optime, parvis parva sufficere, nec ad mensam magnatorum pauperem turbam accedere posse. Nec nostrum est, altissima cedrorum cacumina ascendere, sed cum Zachaeo, pro brevitate staturae nostrae, in sycomoro stare, Jesumque cernere transeuntem **(Luc. XIX, 4)**, continuisque deplorare precibus ut nos suis dignas efficiat conviviis, vobiscumque dulcissimum epithalamii paradigma decantare: *Introduxit nos* [Col. 0740A] Rex in cellaria sua, exsultabimus et laetabimur in eo **(Cant. I, 3)**. Memento clarissimum in sancta Ecclesia divinae Scripturae doctorem, beatissimum siquidem Hieronymum, nobilium nullatenus spernere feminarum preces, sed plurima nominibus illarum in propheticas obscuritates dedicasse opuscula, saepiusque de Bethlehem castello, Christi Domini nostri nativitati consecrato, ad Romanas arces epistolaribus iisdem petentibus volare chartulis [*Al.,*

epistolares . . . chartulas], nec terrarum longinquitate, vel procellosis Adriatici maris fluctibus territum, quo minus sanctarum virginum petitionibus annueret. Minori vadosum Ligeri flumen, quam Tyrrheni maris latitudo, periculo navigatur. Et multo facilius chartarum portator [*Ms.,* portitor] tuarum de Turonis [Col. 0740B] parisiacam civitatem, quam illius de Bethlehem Romam pervenire poterit
@ [Col. 0739D] Hic finitur cod. Vatic., omissis quae sequuntur.. Noli tuae devotionis nobis subtrahere scientiam, noli accensam in te lucernam modio supponere **(Matth. V, 15)**, vel torpentis lectuli quiete abscondere; sed praecelso superpone eam candelabro, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt. Intra sanctorum gazophylacia doctorum, et profer nobis, veluti doctissimus scriba, et a Domino laudatus nova et vetera **(Matth. XIII, 52)**. Aderit tibi in itinere hujus laboris illius gratia; qui duobus discipulis euntibus in via, tertium se socium addidit, illisque sensus aperuit, ut sanctas intelligerent Scripturas. Quomodo poteris teipsum a culpa taciturnitatis apud eum excusare qui ait: *Omni petenti te da* **(Luc. XXIV, 32 seq.)**, maxime dum nullatenus tibi minuetur [Col. 0740C] quod dederis, sed datum magis augetur? Spiritus paraclitus omni veritatis doctrina et perfectae charitatis scientia vestra impleat pectora, magister dulcissime.

{462} EPISTOLA ALBINI MAGISTRI AD GISLAM ET RICHTRUDAM.

Nobilissimis in Christianae religionis sanctitate et in sapientiae studiis devotissimis, Deoque dicatis virginibus, Gislae sorori, et Richtrudae filiae [*Al.,* Gislae et Richtrudae filiabus], humilis frater et pater Albinus, perpetuae beatitudinis salutem.

Quantum in sanctissimo sapientiae studio optimam in vobis laudo devotionem, tantum meam [*Ms.,* mei] ipsius plango imperitiam; meque ipsum longe imparem vestrae laudabili devotioni agnosco. Atque [Col. 0740D] utinam tanta esset in meo pectore facultas scribendi, quantum [*Ms.,* quanta] est in vobis voluntas legendi. Proinde duabus coarctor angustiis: hinc charitati quidquam negare, cui omnia praestare debitor sum; illinc altiora petere, modulumque meae parvitatis transcendere, dicente Scriptura: *Altiora te ne quaesieris* **(Eccli. III, 22)**. Nisi forte in vobis sit culpa, quia difficilia petistis, et in me ratio justae excusationis, qui infirmitates meas considerans, altissimum meo [*Ms.,* altissimo meum] opere calamum abstinere decrevi. Scire debetis omnibus divinae Scripturae paginis merito evangelicam excellere auctoritatem, [Col. 0741A] quia, quod lex et prophetae futurum praenuntiaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur [*Al.,* Evangelium demonstrat]. Atque inter ipsos Evangeliorum scriptores valde beatum Joannem, in divinorum profunditate mysteriorum eminentiorem esse: quem etiam tradunt, sicut legitur in ecclesiastica historia, usque ad ultimum pene vitae suae tempus, absque ullius Scripturae indiciis, Evangelium puro sermone praedicasse. Siquidem a tempore Dominicae passionis, resurrectionis et ascensionis, usque ad ultima Domitiani principis tempora, per annos circiter sexaginta et quinque, absque ullo scribendi adminiculo, verbum Dei praedicabat. At ubi a Domitiano, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor exstitit, in exsilio Pathmos [*Beda,* [Col. 0741B] exsul in Pathmos] missus est; nacta occasione illius pii Patris absentia, irrumpentes in Ecclesiam haeretici, quasi in destituta pastoris [*Beda, pastore*] ovilia lupi, Marcion, Cherinthus et Hebion, caeterique Antichristi, qui Christum fuisse ante Mariam negabant, simplicitatem fidei evangelicae perversa maculavere doctrina. Sed dum ipse post

occisionem [*Edit.,* occasionem] Domitiani, permittente pio principe Nerva, rediret Ephesum, compulsus est ab omnibus pene tunc Asiae episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus, de coaeterna Patri divinitate Christi altius facere sermonem, eo quod in trium evangelistarum scriptis, Matthaei videlicet, Marci et Lucae, de humilitate [*Ms.,* humanitate] ejus, ac de his quae per hominem gessit, sufficiens sibi viderentur habere [Col. 0741C] testimonium. Quod ille se non aliter acturum respondit, nisi indicto jejunio omnes in commune Dominum precarentur [*Ms.* deprecarentur], ut illo donante digna scribere posset. Et hoc ita patrato, instructus revelatione coelesti, ac sancti Spiritus gratia ebriatus, omnes haereticorum tenebras, patefacta [*Al.,* patefactas] subito veritatis luce, dispulit dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* **(Joan. I, 1)**. Atque cum trium Evangeliorum, Matthaei scilicet, Marci et Lucae, ad eum notitia pervenisset, probasse quidem dicitur fidem et veritatem dictorum; deesse tamen vidit aliqua rerum gestarum historiae, ea maxime quae primo paredicationis suae tempore Dominus gesserat. Certum est enim quod in superioribus tribus Evangeliis [Col. 0741D] haec videntur sola contineri quae gesta sunt postquam Joannes Baptista traditus et inclusus est in carcere. Denique si observes statim in initio narrationis, posteaquam refert Matthaeus de quadraginta dierum jejunio et de tentatione ejus, continuo subjecit dicens: *Audiens autem quia Joannes traditus est, discessit de Judaea et venit in Galilaeam* **(Matth. IV, 12)**. Sed et Marcus similiter, *Posteaquam,* inquit, *traditus est Joannes, venit Jesus in Galilaeam* **(Marc. I, 14)**. Lucas vero etiam, priusquam incipiat aliquid de actibus referre Jesu, dixit: *Quia adjecit Herodes super omnia* {463} *mala, quae gesserat, et conclusit Joannem in carcere* **(Luc. III, 20)**. Quia, inquam, ab his haec videbantur omissa, rogatus dicitur Joannes Apostolus ut [Col. 0742A] ea, quae praeterierant priores, ante traditionem Joannis Salvatoris gesta describeret. Et ideo dicit in Evangelio suo: *Hoc fecit initium signorum suorum Jesus* **(Joan. II, 11)**. Et iterum in alio loco indicat dicens: *Nondum enim Joannes erat missus in carcerem* **(Joan. III, 24)**. Ex quibus constat quod ea quae antequam Joannes traderetur, ab Jesu fuerant gesta, describit. Sed procul dubio maxime divinitatem Domini nostri Jesu Christi, qua Patri est aequalis, intendit declarare, eamque praecipue suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longe a tribus superioribus evangelistis sublimius elevatus est, ita ut eos quodammodo videas in terra cum Christo homine conversari, illum autem transcendisse nebulam qua tegitur [Col. 0742B] omnis terra, et pervenisse ad liquidum coeli lumen, unde acie mentis acutissima atque firmissima videret in principio Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, per quem facta sunt omnia, et ipsum agnosceret carne [*Ms.,* carnem] factum, ut habitaret in nobis: quod acceperit carnem, non quod fuerit mutatus in carnem. Nisi enim carnis assumptio, servata incommutabili divinitate, facta esset, non diceretur: *Ego et Pater unum sumus* **(Joan. X, 30)**. Neque enim Pater et caro unum sunt. Et hoc de se ipso Domini testimonium, solus idem Joannes commemoravit. *Et, qui me videt, videt et Patrem.* Et, *Ego in Patre, et Pater in me.* Et, *Ut sint unum;* sicut et nos unum sumus. Et, *Quae Pater facit, haec eadem et Filius facit similiter* **(Joan. XIV, 9, 10)**; Et si qua alia sunt [Col. 0742C] quae Christi divinitatem, in qua aequalis est Patri, recte intelligentibus intiment, plenius solus Joannes in Evangelio suo posuit, tanquam de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in ejus convivio solitus erat, secretum divinitatis ejus uberius et quodammodo familiarius biberet. Proinde, cum duae virtutes propositae sint animae humanae, una activa, altera contemplativa: illa qua itur, ista qua pervenitur; illa

qua laboratur ut cor mundetur ad videndum Deum, ista qua vocatur et videtur Deus: illa est in praeceptis exercendae vitae hujus temporalis, ista in doctrina vitae illius sempiterna [*Ms.,* sempiternae]. Ac per hoc illa operatur, ista requiescit: quia illa est in purgatione peccatorum, ista in lumine purgatorum: ac per hoc, in hac vita mortali, illa est [Col. 0742D] in opere bonae conversationis, ista vero magis in fide, et apud per paucos per speculum in aenigmate, et ex parte in aliqua visione incommutabilis Veritatis. Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres evangelistas, temporalia facta Domini et dicta, quae ad informandos mores vitae paresentis maxime valerent, copiosius prosecutos, circa illam activam fuisse versatos; Joannem vero facta Domini multo pauciora narrantem, dicta vero ejus, ea praesertim quae Trinitatis unitatem et vitae aeternae felicitatem insinuarent, diligentius et uberius conscribentem, in virtute contemplativa commendanda, suam continuationem [*Ms.,* intentionem] atque praedicationem tenuisse. Iste est siquidem Joannes, unus ex discipulis Christi, [Col. 0743A] quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate virginem vocavit. Cujus virginitatis in hoc duplex testimonium in Evangelio datur, quod et prae caeteris dilectus a Deo dicitur; et huic matrem suam de throno crucis commendavit, dicens [*Beda, commendavit Deus*], ut virginem virgo servaret. Qui singulari privilegio meruit castitatis, ut caeteris omnibus miraculorum Christi scriptoribus altius divinae majestatis simul caperet ac patefaceret arcanum. Neque enim frustra in coena mystica supra pectus Jesu recubuisse perhibetur; sed per hoc verissime docetur quia coelestis haustum sapientiae caeteris excellentius de sanctissimo ejusdem pectoris fonte potaverit. Unde et merito in figura quatuor animalium aquilae volanti comparatur; cunctis quippe avibus aquila [Col. 0743B] celsius volare, cunctis animantibus clarius solis radiis infigere consuevit obtutus. Ita beatus Joannes sublimius aeternae nativitatis Christi mysteria conspexit. Iste prior [Petro] laborantibus in piscatione discipulis, Christum in littore stantem, reteque in dexteram navigii mittere jubentem agnovit, dicens Petro: *Dominus est.* Iste est unus de illis de quibus Propheta praedixit: *Coeli enarrant gloriam Dei* **(Psal. XVIII, 1)**. Unde filius tonitrui ab ipso Domino appellatur, quia hoc mirabile et omnibus saeculis {464} inauditum, ex coelesti claritate intonuit prooemium dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* **(Joan. I, 1)**. Quae verba semper sunt pura fide veneranda ac perpetua religione colenda, non humanae conjecturae ratiunculis [Col. 0743C] nimium discutienda, quae in plerisque fallitur, dum se putat agnoscere quae humani sensus excedunt indagationem. Tamen quidquid inde pia charitas et humilis inquisitio intelligere potuit, in sacratissimis sanctorum Patrum scriptis, licet sparsim, dicta inveniuntur: sicut etiam et in toto ejusdem Evangelii textu, plurima a catholicis doctoribus leguntur exposita, pro opportunitate loci vel temporis, vel confirmatione orthodoxae fidei, nec non contra haereticas pravitates, in defensione apostolicae traditionis. [Col. 0744A] Quapropter; forsan temperamentum quoddam inter meam negationem, vestramque petitionem invenire posse video, ne omnino vel charitas vestra taciturnitate mea spernatur, vel temeritas mea in vestrae petitionis obsequio reprehendatur. Solent namque medici ex multorum speciebus pigmentorum in salutem poscentis quoddam medicamenti componere genus, nec seipsos fateri praesumunt creatores herbarum vel aliarum specierum ex quarum compositione salus efficitur aegrotantium, sed ministros esse in colligendo et in unum pigmentaria manu conficiendo corpus: sic etiam, si forsitan meae devotionis labor aliquid vestrae charitati proficere valet. Nec ex quolibet paternae possessionis prato

mihi flores colligendos esse censeo, sed multorum Patrum, [Col. 0744B] humili corde, prona cervice, florida rura peragranda mihi esse video, ut sine periculo nominis mei satisfaciam sanctissimae voluntati vestrae. Primoque omnium sancti Augustini suffragia quaerens, qui majori studio hujus sancti Evangelii exponere nisus est sacratissima verba. Deinde ex opusculis sancti Ambrosii sanctissimi doctoris aliqua trahens; necnon ex homiliis praecipui Patris Gregorii papae, vel ex homiliis beati Bedae presbyteri, multa assumens, aliorumque sanctorum Patrum, sicut invenire potui, interpretationes posui: magis horum omnium sensibus ac verbis utens, quam meae quidquam praesumptioni committens, veluti legentium curiositas facile probare poterit: cautissimo plane stylo praevidens, divina opitulante gratia, ne quid contrarium [Col. 0744C] sanctorum Patrum sensibus ponerem. Igitur et omne opus secundum capitula ejusdem Evangelii distinxi, ac sub numero septem librorum consummavi. Optans vos, septiformis Spiritus gratia inspirante pectora vestra, variis in Ecclesia Christi florere deliciis, et ambulare quotidie cum sanctis de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion, ubi perpetua dulcedine inter choros coelestium agminum dicatis, *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te.* Amen.

{467} COMMENTARIORUM IN JOANNEM LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

In principio erat Verbum apud Deum, per quem facta sunt omnia. Joannes missus est ante eum, qui recipientes se facit filios Dei per gratiam.[Col. 0743D]

VERS. 1.---*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,* et Deus erat Verbum

@ [Col. 0743D] Ex homilia Ven. Bedae in Natali Domini.---NOTA. Dicta Ven. Bedae, similiter et SS. Augustini [Col. 0744D] et Gregorii, dum incipiunt et finiuntur, notavi in hoc opere hoc signo «».. «Neque enim frustra beatus Joannes, dilectus Domini discipulus, in coena supra pectus Jesu recubuisse perhibetur. Sed per hoc typice docetur, quia coelestis haustum sapientiae caeteris excelsius [*Beda, excellentius*] de sanctissimo ejusdem pectoris fonte potaverit. Unde ex [*Ms.,* et] merito in figura quatuor [Col. 0744D] animalium aquilae volanti comparatur **(Ezech. I)**. Cunctis quippe avibus aquila celsius volare, cunctis animantibus clarius solis radiis infigere consuevit obtutus. Et caeteri evangelistae quasi in terra ambulant cum Domino, qui, temporalem ejus generationem pariter et temporalia facta sufficienter exponentes, pauca de divinitate dixerunt. Hic autem quasi ad coelum volat cum Domino, qui, perpauca de temporalibus ejus actis edisserens, aeternam divinitatis ejus potentiam, per quem [*Ms.,* quam] omnia facta sunt, sublimius mente volando et limpidius speculando cognovit, ac nobis cognoscendam scribendo [Col. 0745A] contradidit. Ergo alii evangelistae Christum ex tempore natum describunt, Joannes eumdem in principio jam fuisse testatur discens:»

@ In editione Argentoratensi hic inseritur caput primum. *In principio erat Verbum.* Quod duobus modis intelligitur. Nam Pater principium est, quasi dixisset: *In Patre.* In Patre est Filius, quem Verbum nominavit iste evangelista. Nec nos movere debet quod in sequentibus hujus Evangelii, Judaeis interrogantibus quis esset ipse Deus, Dei Filius

{468} respondit, *Principium, qui et loquor vobis* **(Joan. VIII, 25)**. Si enim Filius principium est [*Al.,* Si enim Filius generatus non esset a Patre], qui habet Patrem, quanto facilius Deus Pater intelligendus est esse principium, qui habet quidem Filium, cui Pater sit; Filius enim, Patris est Filius; et Pater utique [Col. 0745B] Filii Pater est, et Pater Deus, sed non de Deo Deus; Filius verus [*Ms.,* Filius vero] Deus de Deo est. Et Pater dicitur lumen, sed non de lumine: Filius dicitur lumen, sed lumen de lumine. Sic Pater principium, sed non de principio: Filius principium, sed a principio principium. Quod enim erat in principio, non finitur tempore, non principio inchoatur [*Ms.* et Beda, nec principio praevenitur, *om.* lin. seq.]. Filius principium non finitur tempore, non principio praevenitur, sive ad creaturarum principium vel temporum velis referre quod ait: *In principio erat Verbum.* Quidquid creaturarum, quodcunque principium habuit ut esset, erat tunc Verbum Dei, per quod facta sunt omnia. Ideo quater dicit evangelista, *Erat, erat, erat, erat,* ut intelligeres omni tempore [Col. 0745C] [*Ms.,* omnia tempora] praevenisse coaeternum Deo Patri Verbum.

«Alii evangelistae inter homines subito apparuisse Dei Filium demonstrant [*Beda, commemorant*]; beatus Joannes apud Deum semper fuisse declarat, dicens: *Et Verbum erat apud Deum.* Alii eum verum hominem, ille ipsum verum confirmat esse Deum, dicens: *Et Deus erat Verbum.* Alii hominem eum apud homines temporaliter conversatum, ille Deum apud Deum in principio manentem ostendit, dicens **(VERS. 2)**: *Hoc erat in principio apud Deum.*» Si etiam superius principium ad Patrem referri [*Ms.,* referre] placet, et hoc sequens principium ad creaturas, intelligitur aeternaliter Verbum, id est Filium, esse [*Ms.* et Beda, Filium Dei esse] in Patre, et omne [Col. 0745D] creaturarum principium sua essentia praeire. «Alii magnalia quae in homine gessit perhibent, ille quod omnem creaturam visibilem et invisibilem per ipsum Deus fecerit, docet, dicens **(VERS. 3)**: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Si enim nihil creaturarum sine ipso factum est, patet profecto quia ipse creatura non est, per quem omnis creatura facta est. Et ne quis audiens factam per Dei Filium creaturam, mutabilem credat ejus voluntatem, quasi qui subito vellet facere creaturam, quam ab aeterno nunquam ante fecisset; manifeste docet Evangelista, factam quidem in tempore creaturam, sed in aeterna Creatoris sapientia, [Col. 0746A] quando et qualis crearetur, semper fuisse dispositum, et hoc est quod ait:

VERS. 4.---*Quod factum est, in ipso vita erat.* Id est, quod factum in tempore, sive vivum, sive vita carens apparuit, omne hoc in spiritali factoris ratione quasi semper vixerat, et vivit; non quia coaeternum est Creatori quod creavit, sed quia coaeterna est illi ratio voluntatis suae, in qua ab aeterno habuit et habet quid et quando creavit [*Ms.,* crearet]; qualiter creatum gubernet, ut maneat; ad quem finem singula quae creavit perducat.» Ideo ita distinguendum et subinferendum est, quasi alia voce, *In ipso vita erat.* Quia quidquid per ipsum factum est, etiam et in ipso vivit. Sicut ars in animo artificis vivit, licet arca vel aliud aliquid ab ipso factum, pereat. [Col. 0746B] Sequitur: «*Et vita erat lux hominum.* Quo verbo aperte docetur quod ipsa vitalis ratio, per quam omnia disposita sunt et reguntur, non omnem creaturam, sed rationabilem tantum, ut sapere possit, illuminat. Homines namque, qui ad imaginem Dei facti sunt, percipere sapientiam possunt, animalia non possunt. Sed et animalis quicunque est homo, non percipit ea quae sunt Spiritus Dei **(I Cor. II, 14)**. Unde bene cum dixisset: *Et vita erat*

lux hominum, subjunxit et de his qui, ab humanae conditionis honore procul recedentes, comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis, atque ideo recte veritatis luce privantur.

VERS. 5.---*Et* lux, inquit, *in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Lux quippe est [Col. 0746C] hominum Christus, quia omnia, quae illuminari merentur, corda hominum suae praesentia cognitionis illustrat. Tenebrae autem stulti sunt et iniqui quorum caeca praecordia, lux aeternae sapientiae, qualia sint, manifeste cognoscit, quamvis ipsi radios ejusdem lucis nequaquam capere per intelligentiam possint; veluti si quilibet caecus jubare solis perfundatur, nec tamen ipse solem, cujus lumine perfunditur, aspiciat;» talibus divina consuluit misericordia, qualiter pervenire possint, ut illam veram lucem cernerent, et {469} essent filii lucis, qui fuerunt filii tenebrarum. Et hujus cognitionis initium fuit, quod sequitur:

VERS. 6, 7.---«*Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes;* hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent [Col. 0746D] per illum. Non ait, ut omnes crederent in illum. *Maledictus enim homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* **(Jerem. XVII, 5)**. Sed ut omnes, inquit, crederent per illum, hoc est, ut per illius testimonium crederent in lucem, quam necdum videre noverant, Dominum videlicet Jesum Christum, qui de seipso testatur: *Ego sum lux mundi:* qui sequitur me, non ambulabit [Ms., *ambulat*] in tenebris, sed habebit lumen vitae **(Joan. VIII, 12)**. Sequitur:

VERS. 8, 9.---*Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine;* erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in [hunc] mundum. Et sancti quidem homines lux sunt recte vocati, dicente [Col. 0747A] ad eos Domino: *Vos estis lux mundi* **(Matth. V, 14)**. Et apostolo Paulo: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* **(Ephes. V, 8)**. Sed multum distat inter lucem quae illuminatur, et lucem quae illuminat; inter eos qui participationem verae lucis accipiunt ut luceant, et ipsam lucem perpetuam, quae non solum in se ipsa lucere, sed et sua praesentia, quoscunque attigerit, illustrare sufficit. Ad hujus comparationem verae lucis, non tantum minores quilibet electi, verum etiam ipse Joannes, quo major inter [natos] mulierum nemo surrexit, lux non esse asseritur, ut videlicet Christus non esse, quod putabatur, monstretur. Ille enim [*Al.,* Joannes enim], ut scriptum est: *Erat lucerna ardens, et lucens* **(Joan. V, 35)**. Ardens scilicet fide et dilectione, lucens [Col. 0747B] verbo et actione. Gratiam vero lucis pectoribus infundere, solius est ejus de quo dicit: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in* [hunc] mundum; omnem videlicet, qui illuminatur, sive naturali ingenio, seu sapientia divina. Sicut enim nemo a se ipso esse, ita etiam nemo a se ipso sapiens esse potest, sed illo illustrante, de quo scriptum est: *Omnis sapientia a Domino Deo est* **(Eccli. I, 1)**. Cujus utramque naturam, et divinam videlicet qua semper ubique totus manet, et humanam ex qua in tempore natus, loco inclusus apparuit, consequenter evangelista descripsit, dicens:

VERS. 10, 11.---*In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* In propria venit, et sui eum non receperunt. In mundo [Col. 0747C] [quippe] erat, et mundus per ipsum factus est, quia Deus erat, quia totus ubique, quia suae praesentia

majestatis, sine labore regens et sine onere continens quod fecit. *Et mundus eum non cognovit.* Quia *lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Mundum namque hoc in loco dicit homines, mundi amore deceptos, atque inhaerendo creaturae, ab agnoscenda creatoris sui majestate reflexos. In propria venit, quia in mundo, quem per divinitatem fecit, per humanitatem natus apparuit. In propria venit, quia in gente Judaea, quam sibi prae caeteris nationibus speciali gratia copulaverat, incarnari dignatus est. In mundo erat ergo, et in mundum venit. In mundo erat per divinitatem: in mundum venit per incarnationem. Venire quippe et [*Ms.,* vel] abire, humanitatis [Col. 0747D] est; manere et esse, divinitatis. Quia ergo, cum in mundo esset per divinitatem, mundus eum non cognovit, dignatus est venire in mundum per humanitatem, ut vel sic eum mundus cognosceret. Sed videamus quid sequitur

In propria venit, et sui eum non receperunt. Quem enim in potentia divinitatis cuncta creantem regentemque cognoverant [*Beda et ms.,* non cognoverunt], ipsum in carnis infirmitate, miraculis coruscantem recipere noluerunt. Et quod gravius est, sui eum non receperunt, homines scilicet, quos ipse creavit; Judaei, quos peculiarem sibi elegerat in plebem, quibus suae cognitionis revelaverat arcanum, quos mirificis patrum glorificaverat actis, quibus [Col. 0748A] suae legis doctrinam contulerat, ex quibus se incarnandum promiserat, et in quibus se incarnatum, ut promiserat, ostendit, ipsi eum recipere venientem magna ex parte recusarunt. Neque enim omnes recusarunt; alioquin nullus esset salvus, et supervacua ejus esset incarnatio. Nunc autem multi eum ex utroque populo non credendo [respuerunt, multi credendo] receperunt: de quibus evangelista consequenter insinuat dicens:

{470} VERS. 12.---*Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Consideremus, fratres charissimi, quanta gratia Redemptoris nostri, quam magna sit multitudo dulcedinis ejus. Unicus ex Patre natus est, et noluit remanere unus. Descendit ad terram, [Col. 0748B] ubi fratres sibi, quibus regnum Patris sui dare posset, acquireret. Deus ex Deo natus est, et noluit Dei tantum Filius manere; hominis quoque filius fieri dignatus est, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat; ut per hoc homines in Dei filios transferret, gloriaeque suae faceret cohaeredes, qui, quod ipse semper habebat per naturam, inciperent habere per gratiam. Consideremus, quanta virtus est fidei, cujus merito potestas datur hominibus filios Dei fieri. Unde bene scriptum est, quia *justus ex fide vivit* **(Heb. II, 4; Rom. I, 17)**. Vivit justus ex fide, non illa quae labiorum tantum confessione profertur, sed ea quae per dilectionem operatur. Alioquin fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa **(Jacob. II, 17)**. Nullus seipsum despiciat, nullus de sua [Col. 0748C] salute desperet, curramus [*Beda, curremus*] omnes, curramus singuli, ut qui eramus longe, mereamur fieri prope in sanguine Christi. Videamus quod dicitur: Quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri;* Quotquot, inquit, *receperunt eum.* Non est enim personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi. Quo autem ordine credentes filii Dei possunt fieri, et quantum haec generatio a carnali distet, subsecutus evangelista designat.

VERS. 13.---*Qui* non ex sanguinibus, inquit, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Carnalis quippe nostra singulorum generatio, *ex*

sanguinibus, id est, ex semine maris et feminae, a conjugii duxit originem complexu. At vero [Col. 0748D] spiritalis Spiritus sancti gratia ministratur, quam carnaliter distinguens Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est de spiritu, spiritus est **(Joan. III, 5, 6)**. Verum ne quis hominum dubitet filium se Dei cohaeredem Christi posse fieri, dat exemplum evangelista, quia et ipse Filius Dei homo fieri, et habitare inter homines dignatus sit, ut humanae particeps existendo fragilitatis, homines divinae virtutis suae donaret esse participes.

VERS. 14.---*Et* Verbum, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Quod est dicere, et Filius Dei homo factus est, et inter homines conversatus est. [Col. 0749A] Solet namque Scriptura modo animae, modo carnis vocabulo, totum designare hominem; animae videlicet, ut scriptum est: *Quia descendit Jacob in Aegyptum, in animabus septuaginta* **(Deut. X, 22)**; carnis vero, ut rursus scriptum est: *Et videbit omnis caro salutare Dei* **(Luc. III, 6)**. Neque enim vel animae sine corporibus in Aegyptum descendere, vel caro sine anima videre aliquid potest; sed hic per animam, totus homo, ibi signatur per carnem. Sic ergo hoc in loco, quod dicitur: *Et Verbum caro factum est, nihil aliud debet intelligi, quam si diceretur:* Et Deus homo factus est, carnem videlicet induendo et animam. Ut sicut quisque nostrum unus homo ex carne constat et anima, ita unus ab incarnationis tempore Christus ex divinitate, carne et anima constat: Deus [Col. 0749B] ab aeterno in aeternum existens verus, ut erat, hominem ex tempore assumens in unitatem suae personae verum, quem non habuerat. Sequitur:

Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. Gloriam Christi quam ante incarnationem videre non poterant homines, post incarnationem viderunt, aspicientes humanitatem miraculis refulgentem, et intelligentes divinitatem intus latitantem; illi maxime, qui et ejus claritatem, ante passionem transfigurati in monte sancto, contemplari meruerunt, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* **(Matth. XVII, 5)**. Et post passionem, resurrectionis, ascensionisque ipsius gloria conspecta, Spiritus ejus sunt dono mirifice refecti. [Col. 0749C] Quibus omnibus manifeste cognoverunt, quod hujusmodi gloria non cuilibet sanctorum, sed illi soli homini, qui esset in divinitate unigenitus a Patre, conveniret. Quod autem sequitur: *Plenum gratiae et veritatis.* Gratiae plenus erat et est, homo Christus Jesus, cui singulari munere prae caeteris mortalibus {471} datum est, ut statim ex quo in utero virginis concipi et homo fieri inciperet, verus esset et Deus. Unde et eadem gloriosa semper virgo Maria, non solum hominis Christi, sed et Dei genitrix recte credenda et confitenda est. Idem veritatis plenus erat et est, ipsa videlicet Verbi divinitate, quae hominem illum singulariter electum, cum quo una Christi persona esset, assumere dignata est; non aliquid suae divinae substantiae, ut haeretici volunt, in faciendam [Col. 0749D] hominis naturam commutans; sed ipse apud Patrem manens, totum quod erat, totam de semine David naturam veri hominis quam non habebat, suscipiens
@ [Col. 0749D] Huc usque ex Bedae hom. cit..»

VERS. 15.---«
@ [Col. 0750D] Ex hom. 2 Bedae. *Joannes testimonium perhibet de ipso.* Redemptoris

nostri praecursor testimonium de ipso perhibens, celsitudinem humanitatis ejus pariter et divinitatis aeternitatem manifesta voce pronuntiat. Clamat enim dicens: *Hic erat, quem dixi vobis, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat* **(Joan. I, 15)**. In eo namque quod ait, *qui post me venturus est, ordinem humanae dispensationis, qua post eum natus, post eum etiam praedicaturus, baptizaturus, signa facturus,* et mortem erat passurus [Col. 0750A] insinuat. In eo vero quod subjungit, *ante me factus est, sublimitatem ejusdem humanitatis, qua caeteris omnibus creaturis erat merito praeferenda, designat.* Quod enim ait, *ante me, non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis, juxta quod de Joseph filiis benedicente Jacob scriptum est: Constituitque Ephraim ante Manassen* **(Gen. XLVIII, 20)**, ubi recte potuit dicere Manasses, *qui post me venit, ante me factus est, id est, qui post me natus est, potentia me regni antecessit.* Quemadmodum Joannes de Domino, *qui* post me, inquit, *venturus est, ante me factus est, id est, qui post me ad praedicandum venturus est, culmine me regni et sacerdotii perennis antecellit.* Quare autem is qui post eum venturus erat, eum dignitate antecelleret, aperuit, [Col. 0750B] cum subjunxit: *Quia prior me erat, id est, quia aeternus ante saecula Deus erat, propterea me licet posterior natus, gloria majestatis etiam in assumpta humanitate praeibit.* Exposito autem evangelista praecursoris Domini testimonio quod de illo perhibuerat, reddit statim suae quoque assertionis, quod coeperat, illi testimonium dare. Nam sequitur:

VERS. 16.---*Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Superius namque dixit: *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis.* Quod cum praecursoris [*Al.,* praecursor] quoque ejus testimonio confirmasset, dicentis: *Hic erat quem dixi vobis, qui post me venturus est, ante me factus est,* quia prior [Col. 0750C] me erat, rursus ipse, quod coeperat exsequitur dicens: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Plenus quippe erat Dominus Spiritu sancto, plenus gratia et veritate, quia sicut Apostolus ait: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* **(Coloss. II, 9)**; *de cujus plenitudine nos omnes* (juxta modum nostrae capacitatis) *accepimus, quia unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi* **(Ephes. IV, 7)**. De solo namque mediatore Dei et hominum, homine Jesu Christo veraciter dici potuit: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* **(Isai. XI, 2)**. Omnes vero sancti non plenitudinem [Col. 0750D] spiritus ejus, sed de plenitudine ejus, quantum ille donat, accipiunt. *Quia alii per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, secundum eumdem Spiritum.* Alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu. Alii operatio virtutum, alii prophetatio [Ms., *prophetia*], alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (I Cor. XII, 8-11). Quia ergo de plenitudine conditoris nostri, non quidam [*Beda, non quiddam*], sed omnes, quidquid boni accepimus, habemus, curandum summopere est ne quispiam de bona se sua actione vel cogitatione incautus [Col. 0751A] extollat; ne si ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit. Cum autem dixisset evangelista, nos omnes de plenitudine Christi accepisse, confestim subjunxit et ait: *Gratiam pro gratia.* Geminam ergo nos gratiam accepisse testatur, unam videlicet in praesenti, alteram vero in futuro. In

praesenti quidem fidem, quae per dilectionem operatur; in {472} futuro autem vitam aeternam. Fides quidem [*Ms.,* quippe], quae per dilectionem operatur, gratia Dei est, quia quod credimus, et [*Ms.,* quia ut crederemus, ut] ut diligamus, ut operemur bona quae novimus, non ullis praecedentibus meritis nostris, sed ipso largiente percepimus, qui dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis* **(Joan. XV, 16)**. Et ut [Col. 0751B] vitam, propter fidem et dilectionem, per opera bona percipiamus aeternam, gratia Dei est; quia ne a bono deviemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur: *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua* **(Psal. LXXXV, 11)**.» Notandum est quod quidam libri habent, *Nos omnes accepimus de plenitudine ejus, et gratiam pro gratia.* Aliquid primo de plenitudine ejus accepimus; et postea gratiam pro gratia, id est, de plenitudine ejus accepimus remissionem peccatorum; et gratiam, id est, vitam aeternam, pro gratia fidei, quae per dilectionem operatur. Quae omnia ex uno fonte plenitudinis Christi nobis provenire certissimum est. Quid ergo accepimus de plenitudine bonitatis illius? Scilicet remissionem peccatorum, ut justificemur in fide. Insuper [Col. 0751C] quid? Et gratiam pro gratia, id est pro gratia, in qua, ex fide vivimus, recepturi sumus aliam. Quid tamen, nisi gratiam? hoc est, vitam aeternam. Sequitur:

VERS. 17.---«
@ [Col. 0751D] Beda, loco citato. *Quia lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Lex quidem per Moysen data est, in qua quod agendum, quod vitandum sit, coelesti jure decernitur. Sed quod illa praecipit, non nisi gratia Christi completur. Illa siquidem monstrare peccatum, justitiam docere, et transgressores sui reos ostendere valebat. Porro gratia Christi diffusa per spiritum charitatis in cordibus fidelium facit, ut quod lex praecipit impleatur. Unde illud quod scriptum est, *non concupisces, lex est per Moysen, quae jubet* [*Al.,* quia jubetur]; sed per Christum fit gratia, quando quod jubetur, impletur. Veritas [Col. 0751D] autem facta est per Christum, quia umbram habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Et sicut alibi dicit Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis* **(I Cor. X, 11)**. Sed pro umbra lucem veritatis, pro figura legis ipsam imaginem rerum quae figurabatur, exhibuit Christus, quando data spiritus gratia, aperuit discipulis suis sensum ut intelligerent Scripturas. Lex per Moysen data est, cum populus aspersione sanguinis agni mundari praeceptus est. Gratia et veritas quae in lege figurabatur, per Jesum Christum facta est, cum ipse passus in cruce, lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Lex per Moysen data est, quia populum praeceptis salutaribus [Col. 0752A] instituit, quae si servaret [*Al.,* instituit si haec servaret], terram repromissionis intraturum et in ea perpetuo victurum promisit; sin alias, prosternendum ab hostibus praedixit. Gratia et veritas per Jesum Christum facta est, quia dato spiritus sui dono, et legem spiritaliter intelligi ac servare posse donavit: et eos qui servant, in veram coelestis vitae beatitudinem, quam terra repromissionis signabat, introducit. Quae sit autem summa gratiae et veritatis, quae per Jesum Christum facta est, evangelista subdendo manifestat:

VERS. 18.---*Deum nemo vidit unquam;* unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Nulla etiam gratia major hominibus dari, nulla veritas altior potest ab hominibus cognosci, quam ea de qua unigenitus Filius Dei suis fidelibus narrans: *Beati,* [Col. 0752B] inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Dominum* [Ms., *Deum*] videbunt **(Matth. V,**

8). Et de qua Patri supplicans ait: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te verum, et unum Deum, et quem misisti Jesum Christum* **(Joan. XVII, 3)**. Quae nimirum beatissima perceptio gratiae et veritatis, quoniam in hujus saeculi vita fieri non potest, recte dicitur: *Deum nemo vidit unquam* **(I Joan. IV, 2)**, id est, nemo corruptibili adhuc, et mortali carne circumdatus, incircumscriptam divinitatis potest lucem contueri. Unde manifestius dicit Apostolus: *Quem nemo vidit hominum, nec videre potest* **(I Tim. VI, 16)**. Nemo enim hominum dicitur, id est, nemo humano adhuc habitu aggravatus, humana conversatione caducus. Hinc est enim, quod Moyses, qui Deum, quem in [Col. 0752C] angelo videbat, in ipsa ejus natura videre desiderans orabat: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi gloriam tuam, audivit: non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet* (Exod. XX, 18-20). Qua autem ratione ad visionem incommutabilis et aeterni luminis pervenire debeat, evangelista consequenter exposuit, dicens:

{473} *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Cui simile est, quod Dominus ait: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* **(Joan. XIV, 6)**; et alibi: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* **(Matth. XI, 27)**. Ipsius quippe ducatu ad Patrem venire, ipsius magisterio Patrem et Filium, nec non et Spiritum sanctum [unum] Deum et Dominum [Col. 0752D] nosse debemus: quia nimirum ipse homo factus pro nobis, in hominis habitu loquens nobis, quid de sanctae Trinitatis unitate recte sentiendum, qualiter ad ejus contemplationem fidelibus properandum, quibus actibus ad hanc sit perveniendum, clara luce revelavit. Ipse sacramentis suae incarnationis nos imbuens, sui nos spiritus charismatibus sanctificans, ut ad hanc venire valeamus, adjuvat. Ipse peracto in hominis forma judicio, novissime [*Ms.,* judicio novissimo] ad visionem nos divinae majestatis sublimiter introducet [*Ms.,* introducit] atque arcana nobis regni coelestis mirabiliter enarrabit [*Ms.,* enarravit]. Sane quod ait: *Qui est in* [Col. 0753A] sinu Patris, in secreto Patris significat. Neque enim sinus Patris pueriliter est cogitandus, in similitudinem nostri sinus, quem habemus in vestibus; aut putandus est Deus, qui humanorum forma membrorum compaginatus non est, sic sedere quemadmodum nos. Sed quia sinus noster intus est, more nostro loquens Scriptura, in sinu Patris esse dicit [*Ms.,* dicitur] quem in secreto Patris, quo humanus intuitus pertingere non valet, semper manentem vult intelligi. Non tunc autem solum enarrabit [*Ms.,* enarravit] unigenitus Filius Deum, id est, sanctae et individuae Trinitatis, quae est unus Deus, gloriam manifestabit [*Ms.,* manifestavit] hominibus, cum post universale judicium omnes pariter electos ad visionem claritatis ejus inducet: sed et quotidie [Col. 0753B] narrat, cum singulis quibusque fidelium perfectorum mox a carnis corruptione [*Edit.,* incorruptione] solutis, implere coeperit, quod promisit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Meipsum, inquit, manifestabo dilectoribus meis, ut quem in sua cognoverunt mortalem, in mea tamen [*Ms.,* et Beda, in mea jam] natura, Patri et Spiritui sancto videre possint aequalem.»

CAPUT II.

Joannes negat se esse Christum, sed missum se ante ipsum, vocemque clamantis in

deserto secundum Isaiam enuntiat.

VERS. 19.---*Hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judaei ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum:* Tu quis es, etc. « @ [Col. 0753D] Ex Hom. sancti Gregorii papae lib. I, hom. 7. Ex his verbis Joannis humilitas commendatur, qui [Col. 0753C] cum tantae virtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se.

VERS. 20.---*Et confessus est, et non negavit, et confessus est, quia non sum ego Christus.* Sed quia dixit, *Non sum, negavit plane quod non erat, sed non negavit quod erat;* ut veritatem loquens, ejus membrum fieret cujus sibi nomen fallaciter non usurparet. Cum ergo non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi: quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Quisnam sit, continuo exprimit, cum subjungit:

VERS. 23.---*Ego vox clamantis in deserto.* Scitis [Col. 0753D] quia unigenitus Filius Verbum Patris vocatur, Joanne attestante, qui ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et ex ipsa vestra locutione cognoscitis, quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri.* Joannes ergo vocem se esse asserit, quia Verbum praecedit. Adventum itaque Dominicum praecurrens vox dicitur, quia per ejus ministerium, Patris verbum ab hominibus [*Ms.,* omnibus] auditur; qui etiam in deserto clamat, quia derelictae ac destitutae Judaeae, solatium redemptoris annuntiat. Quid autem clamet insinuat, cum subjungit:

Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Via Domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo [Col. 0754A] humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cum ad praeceptum vita praeparatur. Unde scriptum est: *Si* quis diligit me, {474} *sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* **(Joan. XIV, 23)**. Quisquis ergo in superbia mentem elevat, quisquis avaritiae aestibus anhelat, quisquis se luxuriae inquinationibus polluit, cordis ostium contra veritatem claudit; et ne ad se Dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat. Sed adhuc qui missi sunt, percunctantur [*Greg.,* percontantur].

VERS. 25.---*Quid ergo baptizas, si tu non es Elias, neque Christus, neque propheta? Quod quia non studio cognoscendae veritatis, sed malitia exercendae aemulationis dicitur, evangelista tacite innotuit,* [Col. 0754B] cum subjunxit [dicens]:

VERS. 24.---*Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.* Ac si aperte dicat: Illi Joannem de suis actibus requirunt, qui doctrinam nesciunt quaerere, sed invidere. Sed sanctus quisque, etiam cum perversa mente requiritur, a bonitatis suae studio non mutatur. Unde Joannes quoque ad verba invidiae, praedicamenta respondit vitae. Nam protinus adjungit:

VERS. 26.---*Ego baptizo in aqua:* medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Joannes non spiritu, sed aqua baptizat, quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora aqua lavat, sed tamen per veniam [*Greg.,* mentem per veniam] non lavat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptisma non relaxat, nisi ut praecursionis suae ordinem

servans, qui nasciturum [Col. 0754C] nascendo praevenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando praeveniret? Et qui praedicando factus est praecursor Christi, baptizando etiam praecursor ejus fieret, imitatione sacramenti? Qui inter haec mysterium Redemptoris nostri annuntians, hunc in medio hominum et stetisse asserit et nesciri; quia per carnem Dominus apparens, et visibilis stetit corpore et invisibilis majestate. De quo etiam subdidit: *Qui post me venit, ante me factus est.* Sic namque dicitur: *Ante me factus est, ac si dicatur, ante* [me] positus. Post me ergo venit, quia postmodum natus; ante autem factus est, quia mihi praelatus. Sed haec paulo superius dicens, etiam praelationis ejus causas aperuit cum subjunxit: *Quia prior me* [Col. 0754D] erat. Ac si aperte dicat: inde me etiam post natus superat, quo eum nativitatis suae tempora non augustant. Nam qui per matrem in tempore nascitur, sine tempore est a Patre generatus: cui quantae reverentiae humilitatem debeat, subdendo manifestat, cum ait:

VERS. 27.---*Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* Mos apud veteres fuit, ut si quis eam quae sibi competeret, accipere uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret, qui ad hanc sponsus jure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctae Ecclesiae sponsus apparuit? De quo et idem Joannes dicit: *Qui habet sponsam, sponsus est* **(Joan. III, 29)**. Sed quia Joannem homines Christum esse putaverunt, quod idem Joannes [Col. 0755A] negat, recte se indignum esse ad solvendum corrigiam ejus calceamenti denuntiat. Ac si aperte dicat: Ego Redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritus non usurpo. Quod tamen intelligi et aliter potest. Quis enim nesciat quod calceamenta ex mortuis animalibus fiant? Incarnatus vero Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, qui in divinitate sua morticina [*Ms.,* morticinam] nostrae corruptionis assumpsit. Unde etiam per Prophetam dicit: *In Idumeam extendam calceamentum meum* **(Psal. LIX, 10)**. Per Idumeam quippe gentilitas designatur. In Idumeam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos divinitas venit. Sed hujus incarnationis mysterium humanus [Col. 0755B] oculus penetrare non sufficit. Investigari enim nullatenus potest, quomodo incorporatur [*Greg.,* corporatur] verbum; quomodo summus et vivificator spiritus intra uterum matris animatur; quomodo is qui initium non habet, et existit et concipitur. Corrigia vero calceamenti est ligatura mysterii. Joannes itaque solvere corrigiam calceamenti ejus non valet, quia incarnationis mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiae spiritum agnovit. Quid est ergo dicere, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, nisi aperte et humiliter suam ignorantiam profiteri? Ac si patenter dicat:* Quid mirum, si mihi ille praelatus est, quem post me quidem natum considero, sed nativitatis ejus mysterium non apprehendo
@ [Col. 0755D] Hucusque ex Gregorio.?»

[Col. 0755C] {475} VERS. 28.---*Haec in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Bene praecursor Domini nostri in Bethania dicitur baptizasse; nam Bethania domus obedientiae interpretatur; ut demonstraret per obedientiam fidei omnes ad Christi baptisma debere pervenire. Sicut Magis mandatum est per aliam viam reverti in patriam, ita nobis praeceptum est per aliam ad paradisi gaudia pervenire: nam nostri parentes per inobedientiae culpam inde ejecti sunt; nos vero per obedientiae bonum et observationem mandatorum Dei, ad aeternae beatitudinis paradisum pervenire

debemus.

VERS. 29.---*Altera die vidit Joannes Jesum ad se venientem.* Joannes interpretatur gratia Dei. Altera dies populo Christiano [*Ms.,* populus Christianus] est [Col. 0755D] sub gratia, qui pretioso sanguine Christi redemptus est. Altera dies fuit populo priori sub lege, qui mystice sanguine agni redemptus est a servitute Aegyptiaca. Ille agnus significabat istum agnum, quem praesentem beatus Baptista digito ostendebat, dicens: « @ [Col. 0756D] Beda, hom. in Epiphania Domini. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce agnus Dei, ecce innocens et ab omni peccato immunis, ut pote qui os quidem de ossibus Adam, et carnem [*Beda, et caro*] de carne Adam, sed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpae. Ecce qui tollit peccata mundi; ecce qui justus inter peccatores, mitis inter impios, hoc est, quasi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores et impios [Col. 0756A] justificandi habet potestatem. Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine justificet impios, apostolus Petrus ostendit, qui ait: *Non corruptibilibus, argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati, et immaculati Jesu Christi* **(I Petr. I, 18, 19)**. Sequitur:

VERS. 30.---Joannes testimonium perhibet de Domino. *Hic est de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Post me venit vir, post me natus est in mundo, post me praedicare incipiet mundo; qui ante me factus est, qui me potentia majestatis tantum, quantum praeconem judex, quantum sol Luciferum, licet post apparens, antecellit. Quia prior me erat, quia *in principio erat Verbum,* [Col. 0756B] et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Post me venit vir, tempus humanae nativitatis designat, in quo Joanne posteriorem Christum intellige; *Qui ante me factus est, primatum regiae potestatis, quo etiam angelis praesidet, intuere; quia prior me erat, aeternitatem divinae majestatis, qua Patri est aequalis, intellige. Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Post me venit humanitate, qui ideo me praecellit dignitate, quia prior me erat divinitate.

VERS. 31.---*Et* ego nesciebam, inquit, *eum.* Certum est quia sciebat Dominum Joannes, cui testimonium perhibere missus est, quem judicem omnium venturum praedicabat, dicens: *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam* (Matth. [Col. 0756C] III, 12); a quo Spiritum sanctum dari debere testabatur, *ipse* vos baptizabit, inquiens, *Spiritu sancto;* a quo se ipsum ablui desiderabat, dicens: *Ego debeo a te baptizari, et tu venis ad me? Quomodo ergo* dicit, *et ego nesciebam eum, nisi quia eum quem et antea noverat, perfectius jam cum baptizaretur agnovit? Quem mundi Salvatorem et judicem noverat, hujus potentiam majestatis altius, Spiritu sancto super eum descendente, cognovit.* Neque enim dubitandum est, quia beatus Joannes, cum Spiritum sanctum, licet corporali specie videre; cum vocem Patris, licet corporaliter sonantem, meruisset audire, multum ex hoc visu et auditu profecerit, multum de divinae potestatis excellentia, revelatis oculis [Col. 0756D] mentis, scientiae coelestis acceperit: adeo ut [*Beda, acceperit a Deo, ut*] ad comparationem intelligentiae qua tunc illustrari coeperat, eatenus illum quantus esset, omnimodis sibi videretur ignorasse. Qui testimonium, in quo [*Beda, in quod*] missus est, Domino diligenter perhibens adjungit:

Sed ut manifestaretur Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Quod est aperte dicere: non ideo veni in aqua baptizans, quia peccata mundi baptizando tollere possum, sed ut eum baptizando ac praedicando manifestarem populo Israel, qui in spiritu sancto baptizans, ad tollenda peccata non solum Israel, sed et totius mundi, si ei credere voluerit, idoneus est. Propterea {476} veni ego in aqua [Col. 0757A] [*Al.,* in poenitentiam] baptizans, ut sic baptizando, illi viam pararem, qui baptizaret in remissionem peccatorum.

VERS. 32.---*Et testimonium perhibuit Joannes dicens, quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et mansit super eum.* Bene autem [in] columbae specie descendit super Dominum Spiritus, ut discant fideles non aliter se membra ejus fieri; non aliter ejus Spiritu se posse repleri, nisi simplices fuerint, nisi veram cum fratribus habuerint pacem, quam significant oscula columbarum. Habent autem oscula et corvi, sed laniant, quod columbae omnimodo non faciunt: significantes eos, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum **(Psal. XXVII, 3)**. Columbae autem natura, quae [Col. 0757B] laniatu innocens est, illis aptissime congruit, qui pacem sequuntur cum omnibus et sanctimoniam, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis **(Ephes. IV, 3)**. Atque ideo Spiritus in columbae specie descendendo, non suam tantummodo, vel ejus in quem descendit, innocentiam simplicitatemque designat, sed eorum aeque qui sentiunt de illo in bonitate et in simplicitate cordis quaerunt illum **(Sap. I)**. *Et* ego, inquit, *nesciebam eum.* Subaudis, tam subtiliter, quam Spiritu in eum descendente [*Beda, spiritum* . . . descendentem], cognovi.

VERS. 33.---*Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit:* Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Baptizat Dominus in Spiritu [Col. 0757C] sancto, per Spiritus sancti gratiam peccata dimittendo. Sive enim ipse aqua aliquos discipulorum suorum primus baptizaverit, per quos ad caeteros fideles rivus baptismi proflueret, eosdem etiam spiritu baptizabat, peccata illis relaxando et Spiritus sancti dona ministrando; sive fideles ejus, invocato nomine ipsius, aqua baptizent electos, et chrismate sancto perungant, eosdem nihilominus ipse Spiritu sancto baptizat; quia nemo praeter ipsum peccatorum nexus solvere, et Spiritus sancti valet dona tribuere. Sed diligentius intuendum est, quia cum dixisset: *Super quem videris Spiritum descendentem, adjecit: et manentem super eum.* Et in sanctos enim ejus spiritus descendit: verum quandiu sunt in corpore, peccato carere nequeunt, quia coelestium [Col. 0757D] contemplationi semper oculum mentis intendere non sufficiunt; sed saepius hunc ad terrenae curam conversationis inflectunt: in eorum procul dubio cordibus Spiritus aliquando venit, aliquando recedit. Unde dictum est, *Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed non scis, unde veniat, et quo vadat* **(Joan. III, 8)**. Venit quippe ad sanctos, vadit a sanctis Spiritus, ut quem semper [habere] idonei non sunt, ejus per tempora redeuntis crebra luce reficiantur. In solo autem mediatore Dei et hominum homine Jesu Christo Spiritus perpetuo veraciter manet, in quo nec sordidae cogitationis maculam, quam refugeret, [Col. 0758A] ullam invenit. Mansit autem totus in illo, non ex eo solum tempore quo hunc Joannes super eum vidit descendentem; sed ex quo homo [fieri] incipiens, ejus ministerio et opere conceptus est. Idcirco autem super eum, in quo semper manebat, baptizatum

descendere Spiritus ostenditur, ut et Baptista ipse [*Ms.,* ipsum] celsius jam quem praedicaret, agnosceret; et credentibus daretur indicium, nequaquam se nisi baptizatos aqua, Spiritus ejusdem posse baptisma mereri. Quaerendum est interea quomodo speciale filii Dei agnoscendi signum fuerit, quod super eum descenderit, et manserit Spiritus? Cum etiam discipulis ipse promittat, dicens eis: *Ego rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,* Spiritum [Col. 0758B] veritatis **(Joan. XIV, 15)**. Et paulo post: *Quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Si enim apud servos Dei electos manet, et in illis erit Spiritus, quid est magnum [*Ms.* et Beda, magni est] Filio Dei, quod in ipso manere Spiritus astruatur? Notandum quoque quod semper in Domino manserit Spiritus sanctus: in sanctis autem hominibus, quandiu mortale corpus gestaverint, partim maneat in aeternum, partim rediturus secedat. Manet quippe apud eos, ut bonis insistant actibus, voluntariam paupertatem diligant mansuetudinem sequantur [*Beda, consequantur*], pro aeternorum desiderio lugeant, esuriant, et sitiant justitiam, misericordiam, munditiam cordis, et tranquillitatem pacis amplectantur. Sed et pro observatione justitiae, persecutionem pati non vereantur, [Col. 0758C] eleemosynis, orationibus, et jejuniis, caeterisque spiritalibus [*Ms.* et Beda, Spiritus] {477} fructibus insistere desiderent. Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, leprosos mundandi, daemones ejiciendi, vel etiam prophetandi possint habere virtutem. Manet semper, ut mirabiliter ipsi vivant
@ Beda: *Manet semper, ut possint habere virtutem, qua mirabiliter ipsi vivant.:* venit ad tempus, ut etiam aliis per miraculorum signa, quales sint intus, effulgeant.

VERS. 34.---*Ego,* inquit, *vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Supra dixerat: *Post me venit vir, qui ante* [me] factus est: nunc testimonium perhibet, *quia hic est Filius Dei:* utriusque naturae veritatem, et humanae videlicet et divinae, in una eademque Christi persona, manifeste designans. Erubescat [Col. 0758D] Manichaeus, audiens: *Venit vir.* Conticescat Photinus, audiens: *Hic est Filius Dei.* Audiant mansueti et laetentur, quia venit vir post Joannem, fortior Joanne, qui baptizat in Spiritu sancto, et quia hic est Filius Dei. Quia enim per superbiam recessimus omnes a Deo, Filius Dei per misericordiam factus est homo, ut idem ipse et per divinitatem Patri et per humanitatem congrueret nobis; ac per humanitatem nostri similem pro nobis cum hoste configere, per divinitatem Patri consubstantialem, ad imaginem nos Dei et similitudinem, quam peccando amisimus, posset digne recreare; [ut] per mortem nostrae [Col. 0759A] fragilitatis destrueret eum qui habebat mortis imperium, et per impassibilem suae divinitatis potentiam reconciliaret nos Deo Patri
@ [Col. 0759D] Huc usque ex Beda..»

VERS. 35.---*Stabat Joannes et ex discipulis ejus duo.* Stabat Joannes, quia credebat in Domino, et duo ex discipulis ejus; statim enim crediderunt, et secuti sunt Jesum ambulantem.

VERS. 36.---*Et respiciens Jesum, ambulantem.* Debemus singula Scripturarum verba tractare, quare Joannes stans, et Jesus ambulans dicitur: *Et aspiciens Jesum ambulantem, dicit:* Ecce agnus Dei. Lex dat testimonium: ecce agnus Dei, agnus immaculatus, agnus anniculus, agnus qui tollit peccata mundi, agnus qui exterminatorem Aegypti populum Israel percutere non sinit. *Ecce agnus Dei.*

[Col. 0759B] VERS. 37.---*Et audierunt eum discipuli.* Quare voluit dicere, *ecce?* Quando dicitur *ecce, quodammodo ille qui ostenditur, digito demonstratur.* Dicit ergo ad discipulos suos: Quid me sequimini? Quid me putatis magistrum habere? *Ecce agnus Dei.* Illum sequimini, illum oportet crescere, me autem minui. Nemo prudentum eum qui minuitur, sequitur, et relinquit eum qui crescit. Et audierunt eum duo discipuli loquentem magistrum: Magistri imperium sunt secuti. Testimonium Joannis fides est discipulorum. *Et secuti sunt Jesum.* Sequentes Jesum, relinquerunt Joannem; sequentes Evangelium, Legem amiserunt. Sic tamen secuti sunt Evangelium, ut testimonio uterentur e Lege. *Conversus autem Jesus, et videns eos.* Discipuli Joannis cominus, et coram, et antecessu [Col. 0759C] Jesum videre non poterant, sed tergum illius sequebantur ut viderent. Ergo [illi] discipuli faciem Domini videre non poterant. Convertit se et quodammodo de sua majestate descendit, ut possent discipuli contemplari faciem illius: convertit se ut ex Lege a discipulis cerneretur.

VERS. 38.---*Conversus autem et videns eos sequentes dixit:* Quid quaeritis? Non quasi ignorans interrogat; sed interrogat, ut mercedem habeant respondentes. *Quid quaeritis? Nec dixit quem quaeritis, ne se videretur ostendere. Quid quaeritis? Rem interrogat, ut illi personam significent. Quid quaeritis? Qui dixerunt ei:* Rabbi. Ipsa appellatio responsionis indicium est fidei. Quando enim dicunt Rabbi, quod [Col. 0759D] intelligitur magister, et sequuntur eum, utique magistrum sequuntur et dicunt:

VERS. 39.---*Ubi habitas? Dicit eis:* Venite et videte. Volunt habitaculum nosse Jesu, volunt sibi ostendi qualem habitationem habeat Salvator, ut cum ille ostenderit in quibus Christus habitet, tales se exhibeant, in quibus Dominus possit habitare. Et dixit eis: *Venite et videte.* Vultis videre habitaculum meum? Sermone explicari non potest, opere demonstratur. *Venite et videte.* Isti {478} quia de testimonio legis venerant, qui [*Forte, Isti, qui a testimonio* . . . venerant, statim] statim in ipso nomine confitentur, et dicunt: *Rabbi, quod interpretatur magister.* Jesus autem respondit eis, et dixit: [Col. 0760A] Vos autem, qui discipuli estis Joannis, qui ex ipso nomine confessionem vestram demonstratis, et dicitis: *Rabbi, venite et videte* [*Ms.* add. ubi maneo].

Venerunt et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo. Quia credebant, non in nocte manserunt, sed in die. Nox illa tenebras non habebat, ubi erat fides veri luminis. *Et apud eum manserunt die illo.* Hora erat quasi decima. Ex Lege veniebant ad Evangelium; ad fidem Christi mittebat illos legis decalogus, qui per Joannem significabatur.

CAPUT III.

Quod ex duobus Joannis discipulis, qui secuti fuerant Dominum, unus Andreas adduxit fratrem suum ad Jesum, qui Petrus ab ipso nuncupatur. Philippus quoque vocatus Nathanaeli indicat. Qui mox inter caetera Dei Filium confitetur. Hinc Jesus aquam convertit in vinum, creduntque in eum discipuli ejus.[Col. 0760B]

VERS. 40.---*Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant*

a Joanne, et secuti fuerant eum. In fide non est ordo: ubicunque fidelis est anima, ibi annorum multitudo non quaeritur, nec paucitas. Andreas minor erat Simone Petro, et tamen non quaeritur aetatis ordo, sed fidei: Jesum primus invenit. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus. Nisi forte et haec dignitas est Andreae, quia Petri appellatur frater, super quem erat fundata [*Ms.,* postea fundanda] Ecclesia. *Qui audierant a Joanne, et secuti fuerant Dominum.*

VERS. 41.---*Invenit hic primum fratrem suum.* O vera pietas! statim ut invenit Jesum, statim ut [Col. 0760C] invenit margaritam, statim ut invenit thesaurum, fratri nuntiat. *Fratrem suum Simonem vocat;* fratrem, non tam sanguine quam spiritu. Quem fratrem habebat germanitate, et sanguine, voluit habere et fide germanum. *Et dicit ei:* Invenimus Messiam. Nemo invenit, nisi qui quaerit. Iste qui invenisse se dicit, ostendit, quia diu quaesivit. *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Diu quaesivimus Christum in Moyse, et in omnibus prophetis; et quem invenire cupiebamus, ipse nos invenit, et inventi invenimus.

VERS. 42.---*Et adduxit eum ad Jesum.* Non dedignatur major minorem sequi, quia non erat ordo aetatis, ubi erat meritum fidei. *Intuitus autem Jesus* [Col. 0760D] eum dixit: Tu es Simon filius Jona: ut vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Necdum aliquid Petrus fecerat, et jam meruit nomen mutari [*Ms.,* mutare]. Nunquid plus ab Andrea crediderat? Quid majus fecit, ut a fratre plus acciperet? [Quid majus fecerat?] Minorem fratrem secutus est, et quem habebat discipulum, non dedignatus est habere magistrum. *Tu es Simon filius Jona.* Jona lingua nostra dicitur columba. Tu es ergo filius Jona, tu es filius Spiritus sancti. Filius ergo dicitur Spiritus sancti, quia humilitatem de Spiritu sancto acceperat.

VERS. 43.---*In crastinum voluit exire in Galilaeam.* In crastinum, inquit, voluit Jesus exire in Galilaeam, [Col. 0761A] *et invenit Philippum, et dicit ei:* Sequere me. «
@ [Col. 0761D] Beda, hom. 4. Jam patet ex superioribus, unde voluerit Jesus exire in Galilaeam, videlicet a Judaea, ubi erat Joannes baptizans, et testimonium illi perhibens, quod esset agnus Dei. Duos ex discipulis suis ad eum sequendum provocavit, e quibus unus Andreas, ad illum etiam fratrem Petrum adduxit. Patet juxta sensum spiritalem, et crebra expositione vestrae fraternitati jam cognitum est, quid sit Dominum sequi [*Ms.,* quod Dominum sequitur?]. Sequitur namque Dominum, qui imitatur; sequitur Dominum, qui quantum fragilitas humana patitur, ea quae in homine monstrat Filius Dei, humilitatis exempla non deserit; sequitur Dominum, qui socius passionum existendo, ad consortium resurrectionis ejus, et ascensionis [Col. 0761B] {479} pertingere sedulus exoptat. Sed non sine certi ratione mysterii refertur, quod dicturus est Philippo Jesu, *sequere me.* Voluit exire in Galilaeam. Galilaea namque transmigratio facta, vel revelatio interpretatur. In eo quippe quod transmigratio facta dicitur, profectum fidelium designat: quod [vel] de vitiis ad virtutum celsitudinem transmigrare, vel in ipsis virtutibus paulatim proficere, ac de minoribus ad majora quotidie subire contendunt, quousque de hac convalle lacrymarum ad arcem laetitiae coelestis, Domino auxiliante, perveniant; in eo autem, quod revelationem sonat, ipsam vitae aeternae beatitudinem, pro qua in praesenti sancti laborant, insinuat. Cujus utramque interpretationem nominis Psalmista uno versiculo comprehendit, ubi ait: [Col. 0761C] *Ambulabunt de virtute in*

virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion **(Psal. LXXXIII, 8)**. Haec est namque visio, de qua dicit Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu* [Al., *a Domino praesenti*] **(II Cor. III, 18)**. Bene ergo vocaturus ad sequendum se discipulum, Jesus voluit exire in Galilaeam, id est, in transmigrationem factam, sive revelationem, ut videlicet [sicut] ipse teste Evangelio proficiebat sapientia et aetate, et gratia apud Deum et homines **(Luc. II, 52)**; sicut passus est et resurrexit, et ita intravit in gloriam suam: sic etiam suos sequaces ostenderet proficere virtutibus, ac per passiones transitorias ad aeternorum dona gaudiorum transmigrare debere. [Col. 0761D] Sequitur:

VERS. 44.---*Erat autem Philippus a Betsaida, civitate Andreae et Petri.* Non est putandus evangelista fortuito et absque ratione mystica nomen civitatis, de qua esset Philippus, et quod eadem Andreae quoque et Petri esset, voluisse monstrare: sed per nomen civitatis typice, qualis tunc jam animo Philippus, qualis officio esset futurus, quales etiam Petrus et Andreas, ostendere curasse. Betsaida quippe domus venatorum dicitur, et venatores utique erant futuri, qui audiebant a Domino: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* **(Matth., IV, 19)**. Venator et ille, qui et antequam ad praedicationis officium [Col. 0762A] ordinaretur a Domino, quantum capiendis ad vitam animabus esset intentus, mox sponte praedicando monstravit.

VERS. 45.---*Invenit enim Nathanael, et dicit ei:* Quem scripsit Moses in lege, et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. [Videamus] quantum rete fidei, quam capacibus devotae praedicationis miraculis [*Ms.,* maculis] intextum invento fratri circumdet, quem ad aeternam cupit providus captare salutem. Illum dicit inventum, quem Moses et prophetae venturum suis scriptis signaverunt, ut cunctis sequentibus intelligatur quod ipse sit cujus adventui praeconando universa veterum scripta serviunt [*Al.,* servierint]. Jesum nuncupat, quod nomen Christi futurum, prophetarum oracula concinebant. Filium Joseph appellat, [Col. 0762B] non ut hunc ex conjunctione maris et feminae natum asseveret, quem de virgine nasciturum in prophetis didicerat, sed ut de domo ac familia David, unde Joseph ortum noverat, secundum vaticinia prophetarum, eum venisse doceret. Neque enim mirandum si Philippus eum filium Joseph vocet, cum et ipsa genitrix illius intemerata semper Virgo Maria, quae virum non noverat, consuetudinem vulgi sequens sic locuta legatur: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te* **(Luc. II, 48)**. Addit et patriam *a Nazareth,* ut ipsum esse signaret de quo legerat in prophetis, *quoniam Nazareus vocabitur.* Non ergo mirum si mox ad consensum credendi ac veniendi ad Christum captavit Philippus Nathanael, cui tantas undique veritatis casses [Col. 0762C] praetendit. *Quem scripsit Moses in lege, et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.* Neque immerito a Betsaida, id est, domo venatorum oriundus asseritur, qui tantam Deo dilectae venationis curam pariter, et gratiam accepisse monstratur. Nam sequitur:

VERS. 46.---*Et dixit ei Nathanael:* A Nazareth potest aliquid boni esse. Nazareth, munditia sive flos ejus, aut separata interpretatur. Annuens ergo verbis evangelizantis sibi Philippi Nathanael, *a Nazareth,* inquit, *potest aliquid boni esse.* Ac si patenter dicat: Potest fieri, ut a civitate tanti nominis aliquid summae gratiae nobis oriatur, vel

ipse videlicet mundi Salvator Dominus, qui singulariter {480} sanctus est, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, [Col. 0762D] quique loquitur in Canticis canticorum: *Ego flos campi, et lilium convallium* **(Cant. II, 1)**. Et de quo Propheta: *Exiet,* inquit, *virga de radice Jesse,* et Nazareus, id est, *flos de radice ejus ascendet* **(Isai. XI, 1)**. Vel certe aliquis doctor eximius, qui florem nobis virtutum munditiamque sanctitatis praedicare sit missus. Possumus hunc locum et ita recte intelligere, quod dicente Philippo: *Quem scripsit Moses in lege et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth, Nathanael caetera quidem bene intellexerit, miratus sit autem quomodo a Nazareth Christum venisse dixerit, quem de domo David, et de Bethleem civitate, ubi erat David, venturum prophetae canebant;* [Col. 0763A] adeoque admirando responderit: *a Nazareth? sed continuo reminiscens quantum etiam vocabulum Nazareth mysteriis Christi congrueret, caute assenserit praedicanti; Potest,* inquiens, *aliquid boni esse.* Utrique autem sensui potest convenire quod sequitur:

Dicit ei Philippus, veni et vide. Ipsum namque venire et videre monebat, ut si quid ei verbo [*Beda, ad verba*] praedicantis ambigui in corde resedisset, totum hoc visio et allocutio praesens ejus quem praedicabat, abstergeret. Nec distulit pius auditor praedicatum sibi lumen veritatis sollicite quaerendo ac pie pulsando, ut percipere mereretur, insistere. Unde mox Dominus satiare in bonis desiderium ejus accelerans, salutaria ejus coepta provida laudatione [Col. 0763B] remunerat, ut hunc paulatim ad altiora quaerenda simul et capienda provehat.

VERS. 47.---*Vidit namque eum venientem ad se, et dicit de eo:* Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Ubi notandum quod laudans hominem qui novit corda Deus, non eum absque peccato, sed absque dolo exstitisse confirmat. Non est enim homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet: multi autem sine dolo incessisse, id est, simplici et mundo corde conversati esse leguntur: imo etiam cuncti fideles tales vivere docentur, dicente Scriptura: *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quarite illum* **(Sap. I, 1)**. Et ipse Dominus: *Estote,* inquit, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* **(Matth. X, 16)**. Talis erat exemplar patientiae [Col. 0763C] Job, de quo scriptum est: *Erat autem vir ille simplex et rectus* **(Job. I, 1)**. Talis Jacob patriarcha, de quo scriptum est: *Jacob, vir simplex, habitabat in tabernaculis* **(Gen. XXV, 27)**; qui quoniam puritate conscientiae simplicis videre Deum meruit, etiam Israel, id est vir videns Deum, appellatus est. Talis iste Nathanael, quem Dominus ob parilitatem innoxiae conversationis ejusdem patriarchae meritis simul et nomine dignum ducit, *Ecce,* inquiens, *vere Israelita, in quo dolus non est.* Ecce qui vere a patriarcha Deum vidente genus ducit, cui, sicut et ipsi patriarchae, doli duplicitas nulla inesse probatur. O quam pulchrum auspicium veniendi [*Beda, venienti*] ad Dominum, et videre illum cupienti! *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Beati mundo corde, quoniam [Col. 0763D] ipsi Deum videbunt **(Matth. V, 8)**. Et hic videre Deum desiderans, non ab alio, sed ab ipso, qui scrutatur renes et corda, Deo mundus corde laudatur, et Israelita, id est, a viro Deum videnti generatus, astruitur. O quam magnus nobis quoque, qui de gentibus ad fidem venimus, in hac sententia nostri Redemptoris spiritus [*Beda, quam magna spes*] aperitur salutis. Si enim vere Israelita est qui doli nescius incedit, jam perdidere Judaei nomen Israelitarum, quamvis carnaliter [nati] de Israel, quotquot doloso corde a simplicitate patriarchae sui degeneraverunt; et adsciti sumus ipsi in semen Israelitarum,

qui quamlibet aliis de nationibus genus carnis habentes, fide tamen veritatis et munditia corporis ac mentis vestigia sequimur [Col. 0764A] Israel, juxta illud Apostoli: *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitae;* neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen **(Rom. IX, 6)**. Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt repromissionis, aestimantur in semine. Sequitur:

VERS. 48, 49.---*Dicit ei Nathanael:* Unde me nosti? Respondit Jesus et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. Quia cognovit Nathanael vidisse et nosse Deum [*Ms.* et Beda, Dominum] quae alio in loco gererentur, id est, quomodo et ubi vocatus sit a Philippo, cum ipse ibi corporaliter non esset, divinae hic majestatis intuitum {481} considerans, protinus eum [Col. 0764B] non solum Rabbi, id est magistrum, sed et Filium Dei ac regem Israel, id est Christum, confessus est. Et libet intueri quam prudens laudantis servi confessio respondeat Domino [*Ms.* et Beda, laudanti Domino confessio respondeat servi]. Ille hunc vere Israelitam, id est virum qui Deum videre posset, eo quod dolum minime haberet, astruxit; iste eum non magistrum tantummodo, qui utilia praeciperet, verum etiam Filium Dei, qui coelestia dona tribueret, et regem Israel, id est populi Deum videntis, religiosa devotione fatetur: ut hac confessione suum quoque hunc regem, et se ejus regni militem significet. Potest etiam Domini haec sententia, qua dixit se Nathanael, priusquam vocaretur a Philippo, cum esset sub ficu, vidisse, super electione spiritalis Israel, id est populi [Col. 0764C] Christiani, mystice intelligi, quem Dominus necdum se videntem, necdum per apostolos ejus ad fidei gratiam vocatum, sed sub tegmine adhuc peccati prementis abditum, misericorditer videre dignatus est, Paulo attestante, qui ait: *Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate* **(Ephes. I, 3)**. Et quidem fici arbor aliquando in Scripturis dulcedinem supernae dilectionis insinuat; unde scriptum est: *Qui servat ficum, comedet fructum ejus:* et qui custos est Domini sui, glorificabitur **(Prov. XXVII, 18)**. Sed quia primi parentes nostri, reatu praevaricationis confusi, de fici sibi foliis succinctoria fecerunt **(Gen. III)**, potest arbor fici non incongrue [Col. 0764D] male dulcoratam generi humano consuetudinem peccandi signare, sub qua positos adhuc electos suos, sed necdum electionis suae gratiam cognoscentes, quasi sub ficu constitutum, nec se jam videntem, Dominus videt Nathanael; *novit enim Dominus, qui sunt ejus* **(I Tim. II, 19)**. Quorum salvationi ipsum quoque nomen Nathanael aptissime convenit; Nathanael namque donum Dei interpretatur, et nisi dono Dei quisque vocatus fuerit, nunquam reatum primae transgressionis, nunquam male blandientia augescentium quotidie peccatorum umbracula evadit, nunquam salvandus venire meretur ad Christum. Unde dicit Apostolus: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis Dei donum est:* non ex operibus, [Col. 0765A] ut ne quis glorietur **(Ephes. II, 8, 9)**. Sequitur:

VERS. 50.---*Respondit Jesus et dixit ei:* Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; majus his videbis. [Quid sit majus] de quo dicit, ipse subsequenter aperit, futuram credentibus spondendo apertionem regni coelestis, et praedicandam mundo utramque unius suae naturam personae, quod revera multo excellentius est arcanum, quam quod nos in peccati adhuc umbra positos a se illuminandos praevidit. Majus est enim quod nos

salvatos gratia suae cognitionis imbuit, quod coeli nobis gaudia pandit, quod praedicatores suae fidei in mundo dispersit, quam quod nos salvandos potentia suae majestatis ante saecula praescivit.

VERS. 51.---*Amen, amen dico vobis,* videbitis coelum [Col. 0765B] apertum, et angelos dei ascendentes et descendentes supra filium hominis. Jam completum cernimus promissi hujus effectum. Videmus etenim coelum apertum, quia postquam coelum Deus homo penetravit, etiam nobis in eum credentibus, supernae patriae patefactum cognoscimus ingressum [*Al.,* introitum]. Videmus angelos Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis, quia praedicatores sanctos novimus sublimitatem divinitatis Christi simul et humanitatis ejus infirma nuntiare. Ascendunt super filium hominis angeli, cum docent praedicatores, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan I, 1). Descendunt super filium hominis angeli, cum adjungunt iidem [*Ms.,* id est], quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Neque [Col. 0765C] immerito praedicatores sancti typice angeli vocantur, quibus consuete derivatum ab angelis nomen evangelistarum conceditur; ut sicut hi nuntii, ita et illi propter idem summae praedicationis officium, boni nuntii cognominentur. Et notandum quod Dominus seipsum filium hominis nuncupat: Nathanael eumdem Filium Dei praedicat. Cui simile est quod apud alios evangelistas ipse discipulos interrogat: *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt:* Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, etc. *Dicit illis Jesus:* Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Simon {482} Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. XVI, 13-16). Et quidem justae dispensationis moderamine actum est ut cum utraque ejusdem mediatoris Dei et Domini nostri vel ab ipso Domino [Col. 0765D] vel ab homine puro esset commemoranda substantia, Deus homo fragilitatem assumptae a se humanitatis purus homo virtutem aeternae in eo divinitatis astrueret: ipse suam humilitatem, ille ejus fateretur altitudinem. Notandum quippe etiam quod Dominus, qui beatum Nathanael vere Israelitam nuncupat, in hoc quoque verbo quo ait: *Videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis* **(Joan. I, 33)**, visionem Jacob patriarchae **(Gen. XXVIII)**, qui per benedictionem vocatus est Israel, ad memoriam reducit. Is namque cum, volens in quodam loco requiescere, lapidem capiti suo supposuisset, [Col. 0766A] vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum; angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes super eam, et Dominum innixum scalae dicentem sibi: *Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac:* surgensque mane debito cum pavore laudes Domino referens, tulit ipsum lapidem, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Hujus ergo loci Dominus facit mentionem, et de se ac suis fidelibus figuratum manifestissime testatur
@ [Col. 0765D] Hucusque ex homilia Bedae citata..»

CAP. II, VERS. 1.

Et die tertio nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Jesu ibi
@ Ex homilia Bedae in Dominica secunda post Epiphaniam.. «Nec vacat a mysterio quod die tertio, post ea quae superior [*Ms.,* superius] sermo Evangelii descripserat, nuptiae factae referuntur. Sed tertio tempore saeculi Dominum [Col. 0766B] ad aptandum

sibi Ecclesiam venisse designat. Primum quippe saeculi tempus ante legem patriarcharum exemplis, secundum sub lege Prophetarum scriptis, tertium sub gratia praeconiis evangelistarum, quasi tertia diei luce mundo refulsit, in quo Dominus et Salvator noster, pro redemptione generis humani in carne natus apparuit. Sed et hoc quod in Cana Galilaeae, id est in zelo transmigrationis perpetratae, eaedem nuptiae factae perhibentur, typice denuntiat, eos maxime gratia Christi dignos existere, qui zelo fervoris ac piae devotionis [*Beda, qui zelo fervere piae devotionis*], et aemulari charismata majora, ac de vitiis ad virtutes, bona operando, de terrenis ad aeterna norunt sperando et amando transmigrare. Discumbente autem ad nuptias Domino vinum [Col. 0766C] defecit, ut, vino meliore per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur gloria latentis in homine Dei, et credentium in eum fides aucta proficeret. Quod si mysterium novimus [*Ms.* et Beda, quaerimus], apparente in carne Domino, meraca illa legalis sensus suavitas paulatim coeperat, ob carnalem Pharisaeorum interpretationem, a prisca sua virtute deficere. Qui mox ea, quae carnalia videbantur, mandata ad spiritalem convertit doctrinam, cunctamque litterae legalis superficiem evangelica coelestis gratiae virtute mutavit, quod est vinum fecisse de aqua. Sed primo videamus quid sit quod, deficiente vino, dicit [*Beda, cum. . .* diceret] mater Jesu ad eum:

VERS. 3, 4.---*Vinum non habent.* Respondit: [Col. 0766D] Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Neque enim matrem suam inhonoraret, qui nos jubet honorare patrem et matrem; aut eam sibi esse matrem negaret, ex cujus carne virgine [*Ms.,* virgineam] carnem suscipere non despexit, Apostolo etiam testante, qui ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* **(Rom. I, 3)**. Quomodo enim ex semine David secundum carnem, si non ex corpore Mariae secundum carnem, quae ex David semine descendit? sed in eo quod, miraculum facturus, ait: *Quid mihi et tibi est, mulier? significat se divinitatis, qua miraculum erat patrandum,* non principium temporaliter [Col. 0767A] accepisse de matre, sed aeternitatem semper habuisse de Patre. *Quid* mihi, inquit, *et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Quid divinitati, quam ex Patre semper habui, cum tua carne, ex qua carnem suscepi, commune est? Nondum venit hora ut fragilitatem sumptae ex te humanitatis moriendo demonstrem. Prius est ut potentiam aeternae deitatis virtutes operando patefaciam. Veniet autem hora ut quod sibi et matri commune esset, ostenderet, cum eam moriturus in cruce discipulo virgini virginem commendare curavit. Carnis namque infirma perpessus, matrem, de qua haec susceperat, pie cognitam, eidem, quem maxime diligebat, discipulo commendavit: quam, divina facturus, quasi incognitam se nosse dissimulat, quia hanc {483} divinae nativitatis [Col. 0767B] auctricem non esse cognoscit.» Hujus vero [*Al.,* ergo] horae dominus in cruce pendens commemorat, cum dixit [*Ms.,* commemorans dixit] matri: *Mater, ecce filius tuus;* quasi dixisset: ecce hoc quod ex te sumpsi modo ostenditur, moriendo quidem; quae tamen natura postmodum clarificanda erat in resurrectionis gloria.

VERS. 5.---*Dixit mater ejus ministris:* quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat quidem mater ejus humanitatem filii sui, licet quoquomodo videtur [*Ms.,* hoc modo videretur] negatum quod poscebat, mater tamen sciebat pietatem filii, quod non esset negaturus [*Ms.,* negare noluit] quod petebatur: ideo fiducialiter mandavit ministris ut mandata implerent filii jubentis.

[Col. 0767C] VERS. 6.---*Erant autem lapideae hidriae sex positae, secundum purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.* «Hydriae vocantur vasa aquarum receptui parata, Graece enim aqua ὕδωρ dicitur. Aqua autem Scripturae sacrae scientiam designat, quae suos auditores et a peccatorum sorde abluere et divinae cognitionis solet fonte potare. Vasa sex quibus aqua continebatur, corda sunt devota sanctorum, quorum perfectio vitae et fidei ad exemplum recte credendi ac vivendi proposita est generi humano per sex saeculi labentis aetates, id est, usque ad tempus Dominicae praedicationis [*Beda, passionis*]. Et bene lapidea sunt vasa, quia fortia sunt praecordia justorum, ut pote illius fide et dilectione lapidis solidata quem vidit Daniel praecisum [Col. 0767D] de monte sine manibus, factumque in montem magnum, et implesse omnem terram **(Dan. II, 34)**. Et de quo dicit Zacharias: *In lapide uno septem oculi sunt* **(Zach. III, 9)**, id est, in Christo universitas scientiae spiritalis inhabitat; cujus et apostolus Petrus meminit ita dicens: *Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini* **(I Petr. II, 4)**. Bene secundum purificationem Judaeorum [*Beda add.* tantum] positae erant hydriae, quia Judaeorum tantum populo lex per Mosen data est; nam gratia et veritas Evangelii non minus gentibus quam Judaeis per Jesum Christum facta est. *Capientes,* inquit, *singulae metretas binas vel ternas.* Quia Scripturae sanctae auctores et ministri [Col. 0768A] prophetae, modo de Patre tantum loquuntur et Filio, ut est illud: *Omnia in sapientia fecisti* **(Psal. CIII, 24)**, virtus enim Dei et sapientia Christus est: modo etiam Spiritus sancti faciunt mentionem, juxta illud ejusdem Psalmographi: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* **(Psal. XXXII, 6)**. Verbum, Dominus, et Spiritus, totusque unus Deus est intelligendus in Trinitate [*Ms.* et Beda, Verbum, Dominum, et Spiritum totam, quae unus Deus est, intellige Trinitatem]. Sed quantum inter aquam et vinum, tantum distat inter sensum illum quo Scripturae ante adventum Salvatoris intelligebantur, et eum quem veniens ipse revelavit apostolis eorumque discipulis perpetuo sequendum reliquit. Et quidem potuit Dominus vacuas implere [Col. 0768B] hydrias vino, qui in exordio mundanae creationis cuncta creavit ex nihilo; sed maluit de aqua facere vinum, quo typice doceret, non se ad solvendam improbandamque, sed ad implendam potius legem prophetasque venisse, neque alia super [*Beda, se per*] evangelicam gratiam facere et docere quam quae legalis et prophetica Scriptura eum facturum docturumque signaret. Videamus ergo sex hydrias Scripturarum aqua salutari repletas, videamus eamdem aquam in suavissimum vini odorem gustumque conversam. In prima aetate saeculi, Abel justum frater invidens occidit **(Gen. IV)**, et ob hoc ipse perpetua martyrii gloria beatus, etiam in evangelicis et apostolicis litteris justitiae laudem accepit **(Matth. XXIII, Luc. XI)**. Fratricida vero impius aeternae maledictionis [Col. 0768C] poenas luit. Quicunque his auditis, metuentes [*Beda, metuunt*] cum impiis damnari, cupientes benedici cum piis, omnem odiorum et invidiae fomitem abjiciunt, Deo placere per sacrificium justitiae; modestiae et innocentiae, virtuteque [*Ms.,* modestiam, innocentiam, virtutem] patientiae curant, vas profecto aquae in Scriptura invenerunt, unde salubriter abluti potatique gaudeant. Sed si intellexerint in Cain homicidam Judaeorum esse perfidiam; occisionem Abel passionem esse Domini Salvatoris; terram, quae aperuit os suum et suscepit [ejus] sanguinem de manu Cain, Ecclesiam esse, quae effusum a Judaeis Christi sanguinem in mysterium suae redemptionis accepit; nimirum aquam in vinum mutatam reperiunt [*Beda, repererunt*], quia [Col. 0768D] sacrae dicta legis sacratius intelligunt. Secunda aetate

saeculi inchoante, deletus est aquis diluvii mundus, ob peccatorum magnitudinem; sed solus Noe per justitiam cum domo sua liberatus in arca **(Gen. VII)**. Hujus plagae {484} audita vastatione horribili, paucorumque liberatione mirabili, quisquis emendatius vivere coeperit, liberari desiderans cum electis, timens exterminari cum reprobis, hydriam profecto aquae, qua mundetur vel reficiatur, accepit. At dum altius sapere [*Beda, altius respicere*] coeperit, et in arca Ecclesiam, in Noe Christum, in aqua diluente peccatores aquam baptismi quae peccata diluit, in hominibus et in animalibus quae arca continebat, multifariam baptizatorum differentiam, in columba, [Col. 0769A] quae post diluvium ramum olivae intulit in arcam, unctionem Spiritus sancti, quo baptizati imbuuntur, intellexerit, vinum profecto de aqua factum libat [*Beda, factum miratur*]; quia in veteris historia facti [*Ms.,* historiae factis] suam ablutionem, sanctificationem, justificationem prophetari contemplatur. Tertia saeculi aetate, Deus tentans obedientiam Abrahae, filium unicum, quem diligebat, in holocaustum sibi offerre praecepit **(Gen. XXII)**. Non differt Abraham facere quae jubetur, sed pro filio immolatur aries; ipse tamen, pro obedientiae virtute eximia, perpetuae benedictionis haereditate donatur. Ecce habes hydriam tertiam. Audiens enim quanta virtus obedientiae [quanta] mercede remuneretur, et ipse obedientiam discere atque habere satagis: quod si in immolatione [Col. 0769B] filii unici dilecti passionem ejus intelligis de quo dicit Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* **(Matth. XVII, 5)**, in qua quia, divinitate impassibili permanente, sola humanitas mortem passa est et dolorem, quasi filius offertur, sed aries mactatur. Si intelligis benedictionem quae promissa est Abrahae, in te, qui de gentibus credis, munus esse completum, nimirum de aqua vinum fecit tibi, quia spiritalem sensum, cujus nova fragrantia debriaris [*Ms.,* ebriaris; *Beda, inebriaris*], aperuit. Quartae aetatis initiis, David pro Saule regnum Israeliticae gentis sortitur, humilis innocens et mitis, exsul: porro ille, cujus injusta diu persecutione cruciabatur, abjectus est [*Beda, exsul pro illo cujus injusta diu persecutione cruciabatur*]. Ecce hydria [Col. 0769C] quarta fonte salutari repleta. Quisquis haec audiens humilitati atque innocentiae studere, et superbiam coeperit atque invidiam suo de corde repellere, quasi haustum aquae limpidissimae, quo reficiatur, invenit. At si in Saule Judaeos persequentes, in Davide Christum et Ecclesiam significare cognoverit, illorumque perfidia [*Beda, ob perfidiam*], et carnale simul imperium et spiritale destructum, Christi autem et Ecclesiae regnum semper esse mansurum, poculum utique vini [*Ms.,* non solum utique vinum] de aqua factum sentiet, quia se suamque vitam et regnum, sed et ipsum regem ibi scriptum legere novit, ubi prius quasi de aliis veterem legebat historiam. Quinta aetate saeculi, populus peccans, captivante [*Beda, captivitate*] Nabuchodonosor, Babyloniam transmigrat. Sed [Col. 0769D] post septuaginta annos poenitens et correctus ad patriam per Jesum sacerdotem magnum reducitur, ubi domum Dei, quae incensa est, et civitatem sanctam, quae destructa est, reaedificat. Haec legens sive audiens quisque peccandi metum corripit, ad poenitendi remedium confugit, aqua hydriae purificantis ablutus est. Si vero intelligere didicerit Hierusalem et templum Dei Ecclesiam Christi, Babylonem confusionem peccatorum, Nabuchodonosor diabolum, Jesum sacerdotem magnum, verum aeternumque pontificem esse Jesum Christum, septuaginta annos bonorum plenitudinem operum, quae per Spiritus sancti dona largiuntur, videlicet propter decalogum et septiformem ejusdem spiritus gratiam, videritque [Col. 0770A] hoc quotidie fieri, alios nimirum a diabolo de Ecclesia peccando raptos, alios gratia Spiritus sancti per Jesum resipiscendo ac

poenitendo reconciliatos [*Beda, aliis* . . . raptis . . . reconciliatis], vinum de aqua factum habet, quia ad se pertinere quae scripta sunt intelligens, magno mox compunctionis quasi musto incalescens, quidquid sibi peccati captivantis inesse deprehenderit [*Al.,* intellexerit], per Christi gratiam liberari deposcit. Sexta inchoante saeculi aetate, Dominus in carne apparens, octava die nativitatis, juxta legem circumcisus est. Tricesima et tertia post haec ad templum delatus, et legalia pro eo sunt munera oblata. Haec intuentes ad litteram, aperte discimus quanta nobis diligentia sunt evangelicae fidei subeunda mysteria, quando ipse benedictionem gratiae [Col. 0770B] afferens, qui legem litterae dedit, veterum primo caeremoniarum ritu consecrari, qui [*Beda, quo*] cuncta divinitus consecrat, et sic nova gratiae sacramenta suscipere simul et tradere curavit. Ecce hydria sexta, ad abluenda peccati {485} contagia, ad potanda vitae gaudia, mundiorem caeteris afferens undam. Verum si in octava [*Beda, octavi*] diei circumcisione baptisma, quod in mysterium Dominicae resurrectionis a peccatorum nos morte redemit, intelligis; in inductione in templum et oblatione, oblationem hostiae purificantis figuratum cognoscis, fideles quosque [*Ms.,* in inductione in templum et oblatione hostiae purificantis figuratum cognoscis, fideles quosque] de baptisterio ad altare sanctum ingredi, ac Dominici corporis et sanguinis victima singulari debere consecrari, [Col. 0770C] vino quidem de aqua facto et quidem meracissimo donatus es. Porro si circumcisionis diem ad generalem humani generis resurrectionem, quando mortalis propago cessabit, mortalitas vero tota in immortalitatem mutabitur, interpretaris; et circumcisos induci in templum cum hostiis intellexeris, quando post resurrectionem, universali expleto judicio, sancti jam incorruptibiles facti, ad contemplandam perpetuo speciem divinae majestatis cum bonorum operum muneribus intrabunt; tunc profecto vinum de aqua fieri videbis, cujus conditori recte protesteris, et dicas: *Et poculum tuum inebrians quam praeclarum est* **(Psal. XXII, 5)**! Ergo Dominus vinum in aqua [*Al.,* in gaudio; *Ms.* et Beda, in gaudia] nuptiarum, non de nihilo facere voluit, sed hydrias [Col. 0770D] sex impleri aqua praecipiens, hanc mirabiliter convertit in vinum, quia sex mundi aetates sapientiae salutaris largitate donavit, quam tamen ipse veniens, sublimioris sensus virtute fecundavit. Namque [*Beda, Nam quo*] carnales carnaliter tantum sapiebant, ipse spiritalibus spiritaliter sentienda reseravit. Vultis scire qualiter de aqua vinum fecerit? Apparuit post resurrectionem suam duobus discipulis ambulantibus in via, ibatque cum illis, et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant **(Luc. XXIV)**. Vultis iterum audire quomodo eodem sint vino inebriati? Postmodum cognoscentes, quis esset qui eis verbum vitae propinabat, dicebant ad invicem: *Nonne* [Col. 0771A] cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?

VERS. 7.---*Dicit ergo ministris Jesus:* Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Quid per ministros qui haec facere jubentur, nisi Christi signantur discipuli, qui impleverunt hydrias aqua? Non quidem ipsi praeteritas mundi aetates legalibus ac propheticis scriptis implendo, sed intelligendo ipsi prudenter et aperiendo fideliter: quia Scriptura, quae a prophetis ministrata est, et salubris esset ad haustum sapientiae coelestis et ad operum castigationem utilis. Impleverunt autem eas usque ad summum; quia recte intellexerunt nullum fuisse tempus saeculi a sanctis alienum doctoribus, qui sive verbis, sive exemplis, sive etiam scriptis, [Col. 0771B] viam vitae mortalibus panderent.

VERS. 8.---*Et dicit eis Jesus:* Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Architriclinus aliquis legisperitus illius temporis est, fortasse Nicodemus vel Gamaliel, vel discipulus tunc ejus Saulus, nunc autem magister totius Ecclesiae Paulus apostolus. Et dum talibus verbum evangelii creditur, quod in littera legis, et prophetae [*Ms.,* prophetiae; *al.,* prophetia] latebat occultum, vinum utique architriclino de aqua factum propinatur

@ [Col. 0771C] Hucusque Beda..» Et bene in domo harum nuptiarum, quae Christi et Ecclesiae sacramenta figurarent, triclinium, id est, tres ordines discumbentium, altitudine distantes [*Al.,* distentas] inesse describuntur; quia nimirum tres sunt ordines [Col. 0771C] fidelium, quibus Ecclesia constat: conjugatorum videlicet, [Col. 0772A] continentium, et doctorum. Primus ordo discumbentium ad nuptias sponsi coelestis, id est, in Ecclesia fide et operatione gaudentium, gradus est conjugatorum fidelium. Secundus continentium. Supremus praedicatorum. «

@ [Col. 0771C] Beda iterum. Unde convenienter perhibetur, quod architriclinus vocato sponso dixerit: **(VERS. 10)** *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.* Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Quia doctorum est cognoscere distantiam Legis et Evangelii, veritatis et umbrae, cunctisque veteribus institutis, cunctis regni terreni promissis, novam evangelicae fidei gratiam, et perpetua coelestis patriae dona praeferre [*Beda, proferre*].

VERS. 11.---*Hoc fecit initium signorum Jesus in* [Col. 0772B] Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam. Manifestavit hoc signo, quia ipse esset rex gloriae, et ideo sponsus Ecclesiae, qui ut homo communis veniret ad nuptias, sed quasi [*Ms.,* quia] coeli et terrae Dominus, elementa, prout voluisset, converteret. Pulchra autem rerum convenientia. {486} Qui initio signorum quae mortalis adhuc mortalibus erat ostensurus, aquam convertit in vinum; ipse initio signorum, qui [*Beda, quae*] immortalis jam per resurrectionem effectus, immortalis vitae studia sola sectantibus ostenderet, carnalem prius, et quasi insipidam mentem eorum, sapore scientiae coelestis imbuit:

@ [Col. 0772C] Hucusque ex Beda.» post verae [*Al.,* vero] resurrectionis gloriam, majori eos spiritalis gratiae munere completurus.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT IV.

Appropinquante Pascha Judaeorum, ejicit vendentes, et ementes de templo. [Col. 0771C]

Sequitur namque hujus praefati signi mirabile sacramentum, quomodo ipse Jesus cum matre et fratribus ascendisset Hierosolymam, et ibi invenisset vendentes et ementes in templo, eosque qualiter inde ejecerit, dicente evangelista:

[Col. 0771D] VERS. 12, 13.---*Descendit Jesus Capharnaum, ipse et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus, ibique manserunt non multis diebus, et prope erat Pascha Judaeorum, et ascendit Jesus Hierosolymam.* Bene autem evangelista ait, descendisse Jesum in Capharnaum. Capharnaum vero villa pulcherrima interpretatur, significans

hunc mundum, quo Dominus noster Jesus Christus pro salute humani generis a paterna sede nunquam recedens descendisse dicitur. «

@ [Col. 0771D] Ex Homil. 6 Ven. Bedae. Sed solet movere quosdam, quod in exordio lectionis hujus evangelicae dictum est quia descendente Capharnaum Domino, non solum mater et discipuli, sed et fratres ejus secuti sunt eum. Nec defuere haeretici qui Joseph virum beatae semper virginis Mariae putarent [Col. 0772C] ex alia uxore genuisse eos, quos fratres Domini Scriptura appellat. Alii majore perfidia hos eum ex ipsa Maria, post natum Dominum, generasse putarunt. Sed nos, fratres charissimi, absque ullius scrupulo quaestionis, scire et confiteri oportet, non tantum beatam Dei genitricem, sed et beatissimum castitatis ejus testem atque custodem Joseph, ab omni prorsus actione conjugali mansisse semper immunem; [Col. 0772D] nec natos, sed cognatos eorum, more Scripturae usitato, fratres, sororesve Salvatoris vocari. Denique Abraham hoc modo loquitur ad Lot: *Ne quaeso sit jurgium inter me et te, et pastores meos et pastores tuos, fratres enim sumus* **(Gen. XIII, 8)**. Et Laban ad Jacob: *Num quia frater meus es, gratis servies mihi* **(Gen. XXIX, 15)**? Et quidem constat quia Lot filius Aran fratris Abrahae fuit, et Jacob filius Rebeccae sororis Laban. Sed propter cognationem sunt fratres nuncupati. Hac ergo regula, in Scripturis sanctis, ut dixi, frequentissima, etiam cognatos Mariae vel Joseph, fratres Domini appellatos oportet intelligi. Quod autem propinquante Pascha, Jesus ascendit Hierosolymam. nobis profecto dat exemplum quanta [Col. 0773A] animi vigilantia Dominicis subjici debeamus imperiis, cum ipse in hominis infirmitate apparens, eadem, quae ex divinitatis auctoritate statuit, decreta custodiat. Ne enim putarent servi, absque crebris orationum bonorumque actuum victimis, vel flagella evadere, vel praemia se posse percipere, et ipse inter servos ad adorandum [*Beda, ad orandum*] immolandumque [Dei] Filius ascendit. Qui veniens Hierosolymam, quid ibi gerentes invenerit, quid ibidem ipse gesserit, videamus.

VERS. 14, 15.---

@ [Col. 0773D] Haec, quae sequuntur, in collectaneis Anselmi Lucensis apud Canisium Lect. Antiq. edit. Basnagii tom. III, part. I, pag. 389, citantur et describuntur, [Col. 0774D] *ex libr.* II *Albini super Matthaeum;* cujus tamen loco legendum esse: *super Joannem, jam in Monito praevio advertimus. Et* invenit, inquit, *in templo vendentes oves, et boves, et columbas, et nummularios sedentes.* Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, et boves, et nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit. Boves, [Col. 0773B] {487} oves, et columbae ad hoc emebantur ut offerrentur in templo. Nummularii ad hoc sedebant ad mensas, ut inter emptores venditoresque hostiarum prompta esset pecuniae taxatio. Videbantur ergo licite vendi in templo, quae ob hoc emebantur ut in eodem templo offerrentur Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenae negotiationis, ne ejus quidem quae honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores injustos, et foras omnes simul cum his quae negotiabantur, ejecit. Quid ergo, fratres mei, quid putamus faceret Dominus? Si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos? Qui hostias quae sibi immolarentur ementes in templo vidit, et eliminare festinavit? Haec propter illos diximus qui ecclesiam [Col. 0773C] ingressi non solum intentionem orandi negligunt, verumetiam ea pro quibus orare debuerant, augent; insuper et arguentes se pro hujusmodi stultitia, conviciis odiisque, vel etiam detractionibus insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, et quasi funem sibi

longissimum incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti judicis examinatione damnari. Nam bis quidem in Evangelio sancto legimus quod veniens in templo Dominus hujusmodi negotiatores ejecerit; nunc videlicet, id est, tertio ante passionem suam anno, sicut ex hujus evangelistae sequentibus scriptis agnoscimus; et ipso quo passus est anno, cum ante quinque dies Paschae sedens asino, Hiersolymam venisset. Sed et hoc idem eum in templo sanctae Ecclesiae examine quotidianae [Col. 0773D] visitationis agere, omnis qui recte sapit, intelligit. Unde multum tremenda sunt haec, dilectissimi, et digno expavescenda timore; sedulaque praecavendum industria, ne veniens improvisus perversum quid in nobis, unde merito flagellari, ac de Ecclesia ejici debeamus, inveniat. Et maxime in illa, quae specialiter domus orationis vocatur, observandum ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apostolo: Nunquid domos non habetis ad agenda vel loquenda temporalia **(I Cor. XI, 22)**? aut Ecclesiam Dei contemnitis? Et a Propheta cum [Col. 0774A] Judaeis: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa* **(Jer. XI, 15)**. Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, teste Apostolo, qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* **(I Cor. III, 17)**. Ipsi civitas regis magni, de qua canitur: *Fundamenta ejus in montibus sanctis* **(Psal. LXXXVI, 1)**, id est, fundamenta Ecclesiae in soliditate fidei apostolorum et prophetarum. Sed non minus [*Ms.,* nimis] tremendum, quia praemisit Apostolus dicens: *Si quis autem templum Dei violarit, disperdet illum Deus* **(I Cor. III, 17)**. Et ipse judex justus, *Disperdam,* inquit, *de civitate Domini omnes, qui operantur iniquitatem* **(Psal. C, 8)**. Gaudendum, quia in nobis Paschae solemnitas agitur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus. Pascha quippe [Col. 0774B] transitus dicitur. Gaudendum quia Dominus nostra pectora, civitatem videlicet suam visitare, quia idem Pascha nostrae bonae actionis, praesentia suae pietatis illustrare dignatur. Sed timendum satis, ne nos in civitate sua aliud quam ipse diligit, agentes inveniat, et ipse qualem non diligimus nobis districtus redditor ostendatur [*Al.,* et ipse se nobis, qualem non diligimus, districtus redditor ostendat]; ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ovium, columbarumve reperiens damnet **(Matth. XXII)**. Boves quippe doctrinam vitae coelestis, oves opera munditiae et pietatis, columbae sancti Spiritus dona designant. Quia nimirum boum juvamine solet ager exerceri; ager autem est Domini, cor coelesti excultum doctrina, et suscipiendis verbi Dei praeparatum rite [Col. 0774C] seminibus. Oves innocenter sua vellera vestiendis hominibus praestant. Spiritus super Dominum in columbae specie descendit. Vendunt autem boves, qui verbum evangelii non divino amore, sed terreni quaestus intuitu audientibus impendunt; quales reprehendit Apostolus, quia Christum annuntiarent non sincere. Vendunt oves, qui humanae gratia laudis opera pietatis exercent, de quibus Dominus ait: *Quia receperunt mercedem suam* **(Matth. VI, 2)**. Vendunt columbas, qui acceptam Spiritus gratiam, non gratis, ut praeceptum est, sed ad praemium dant; qui impositionem manus, qua Spiritus accipitur, etsi non ad quaestum pecuniae, ad vulgi tamen favorem tribuunt; qui sacros ordines non ad vitae meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in [Col. 0774D] templo, qui non simulate coelestibus, sed aperte terrenis rebus in {488} Ecclesia deserviunt; sua quaerentes, non quae Jesu Christi **(Philip. II, 21)**. Verum hujusmodi operarios fraudulentos quae merces maneat, ostendit Dominus, cum, facto de funiculis flagello, omnes ejecit de templo. Ejiciuntur enim [*Ms.,* autem] de parte sortis sanctorum, qui inter sanctos positi, vel ficte bona, vel aperte faciunt opera mala. Oves quoque et boves ejecit, qui talium vitam pariter et doctrinam ostendit esse

reprobam. Funiculi, quibus flagellando impios de templo expulit, tremenda [Col. 0775A] [*Ms.* et Beda, crementa] sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto judici datur. Hinc etenim dicit Isaias: *Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* **(Isaiae, V, 18)**! Et in Proverbiis Salomon: *Iniquitates,* inquit, *suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur* **(Prov. V, 22)**. Qui enim peccata peccatis, pro quibus acrius damnetur, accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur, paulatim augendo prolongat. Nummulariorum quoque quos expulerat [*Beda, expulsat*], effudit aes et mensas subvertit, quia damnatis in fine reprobis, etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram, juxta hoc quod scriptum est: *Et mundus transibit et concupiscentia ejus* **(I Joan. II, 17)**.

[Col. 0775B] VERS. 16.---*Et eis qui columbas vendebant, dixit:* Auferte ista hinc, nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Venditionem columbarum de templo auferri praecipit, quia gratia Spiritus gratis accipi, gratis debet dari
@ [Col. 0775D] Beda: *Quia gratiam Spiritus, qui gratis accepit, gratis debet dare.* **(Matth. X)**. Unde Simon ille magus, quia hanc emere pecunia voluit, ut majore pretio venderet, audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditione, non est tibi pars, neque sors in sermone hoc* **(Act. VIII, 20, 21)**. Notandum autem quia non soli venditores sunt columbarum et domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largientes [*Beda, largiendo*], pretium pecuniae, vel laudis, vel etiam honoris inquirunt: verum hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritalem, quam Domino largiente percepere, non simplici intentione, [Col. 0775C] sed cujuslibet humanae causa retributionis exercent, contra illud apostoli Petri: *Qui loquitur quasi sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum* **(II Petr. IV, 11)**. Quicunque ergo tales sunt, si nolint veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis. Nec praetereundum quia sollicite nobis Scriptura utramque Salvatoris nostri naturam, et humanam videlicet commendat et divinam. Ut enim verus Dei Filius intelligatur, audiamus quod ipse dicit: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Aperte namque se Filium Dei Patris ostendit, qui templum Dei domum sui Patris cognominat. Et ut rursum verus hominis [Col. 0775D] filius sentiatur, recolamus quod in hujus capite lectionis descendens in Capharnaum, matrem comitem [*Beda om.* comitem] habuisse perhibetur. Sequitur:

VERS. 17.---*Recordati vero sunt discipuli ejus, quia scriptum est:* Zelus domus tuae comedit me. Zelo domus Patris Salvator ejecit impios de templo. Zelemus et nos, fratres charissimi, domum Dei, et quantum possumus, ne quid in ea pravum geratur, insistamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxurie enervatum [Col. 0776A] si iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio substratum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare, polluta ac perversa corrigere, et si quid de talibus emendare nequivimus [*Beda, nequimus*], non sine acerrimo mentis sustinere dolore. Et maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Domini consecratur, ubi Angelorum praesentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid, quod nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus
@ [Col. 0776D] Hucusque Anselmus Lucensis.. Sequitur:

VERS. 18, 19.---*Responderunt ergo Judaei, et dixerunt ei:* Quod signum ostendis nobis, quia haec facis? Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. De quo templo diceret, evangelista post aperuit; videlicet de templo corporis [Col. 0776B] sui, quod ab illis passione solutum, ipse post triduum excitavit de morte. Quia ergo signum quaerebant a Domino, quare solita commercia projicere debuerat [*Ms.* et Beda, debuerit] e templo, respondit; ideo se rectissime impios {489} exterminare de templo, quia ipsum templum significaverit templum corporis sui, in quo nulla prorsus esset alicujus macula peccati. Neque immerito typicum purgaverit a sceleribus templum, qui verum Dei templum ab hominibus morte solutum, divinae potentia majestatis excitare posset a mortuis.

VERS. 20.---*Dixerunt ergo Judaei:* Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu tribus diebus excitabis illud? Quomodo intellexerunt, ita responderunt. Sed ne nos quoque spiritalem Domini [Col. 0776C] sermonem carnaliter sentiremus, evangelista subsequenter, de quo templo loqueretur, exposuit. Quod autem aiunt templum quadraginta et sex annis aedificatum, non primam, sed secundam illius aedificationem significant. Primus enim Salomon templum in maxima regni sui pace decentissimo [*Beda, citissimo*] septem annorum [*Ms.,* XX septem annorum] opere perfecit, quod destructum a Chaldaeis, post septuaginta annos ad jussionem Cyri Persae laxata captivitate, reaedificari coeptum est. Sed filii transmigrationis opus, quod sub principibus Zorobabel et Jesu faciebant, propter impugnationem gentium vicinarum, ante quadraginta et sex annos implere nequiverunt. Qui etiam numerus annorum perfectioni Dominici corporis aptissime congruit. Tradunt [Col. 0776D] etenim naturalium scriptores rerum, formam corporis humani tot dierum spatio perfici: quia videlicet primis sex a conceptione diebus, lactis habeat similitudinem, sequentibus novem convertatur in sanguinem, deinde duodecim solidetur, reliquis decem et octo formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum; et hinc jam reliquo tempore, usque ad tempus partus, magnitudine augeatur. Sex autem, et novem, et duodecim, et decem, et octo, quadraginta quinque faciunt; quibus si unum adjecerimus, id est, ipsum diem, quo discretum per membra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in aedificatione [Col. 0777A] corporis Domini, quot in fabrica templi annos invenimus. Et quia templum illud manufactum, sacrosanctam Domini carnem, quam ex virgine sumpsit, ut ex hoc loco discimus, figurabat, quia aeque corpus ejus, quod est Ecclesia, quod [*Beda, quia*] uniuscujusque fidelium corpus, animamque designabat, ut in plerisque Scripturarum locis invenimus
@ [Col. 0777D] Hucusque ex homilia Bedae citata..» Adam vero primus post peccatum audivit: *Terra es, et in terram ibis* **(Gen. III)**. Secundus vero Adam de se ipso ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Sparsus vero fuit primus Adam per universum mundum, qui in secundo collectus est; quod significat nomen Adam, qui quatuor litteris scribitur, id est: Alpha, Delta, iterum Alpha, et My: quae quatuor litterae, quatuor partes [Col. 0777B] orbis designant, in quas sparsus est Adam in filiis suis. Ideo in principiis nominum partium mundi hae quatuor litterae leguntur; nam ἄρκτος, quod est Septentrio, ab Alpha incipit; et δυσις, quod est Occidens, a Delta incipit; et ἀνατολή, quod est Oriens, ab Alpha incipit; μεσημβρίος, quod est Meridies, a My incipit: quae sunt quatuor partes orbis, ab his quatuor litteris incipientes. Quae litterae si in computo Graeco considerentur, quadraginta sex faciunt. Nam Alpha unum, Delta

quatuor, et iterum Alpha unum, My quadraginta, quae simul ducta faciunt quadraginta sex. Qui numerus mystice designat quadraginta sex dies, quibus templum corporis Christi in utero virginali aedificatum est, sicut superius diximus. Caro autem Christi, quae de Adam sumpta est, destructa [Col. 0777C] est a Judaeis, et a seipso iterum aedificata secundum Scripturas prophetarum; et ideo dicit evangelista: *Hoc enim dicebat de templo corporis sui.*

VERS. 21, 22.---*Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae.* Id est, prophetarum, qui praedixerunt Christum tertia die resurgere. *Et sermonem, quem dixit Jesus, id est, quod ait: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud:* hoc est, tertia die resuscitabo, quod vos solvetis in cruce. Sequitur:

VERS. 23, 24.---*Cum autem esset Jesus Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in eum, ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, quia ipse sciebat quid esset in homine.* Non enim sic credebant [Col. 0777D] in eum ut digni essent Christum habitare in eis, quorum fides catechumenis comparari potest, qui credunt in Christum, sed Christus non credit seipsum eis, *quia,* nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu {490} *sancto, non potest introire in regnum Dei.* Nemini vero se credit Christus, nisi qui dignus est introire in regnum Dei; nullus vero dignus est introire in regnum Dei, nisi qui renatus est ex aqua et Spiritu sancto. Inde et ecclesiastica consuetudo catechumenis corporis et sanguinis Christi communionem non tradit, quia non sunt renati ex aqua et Spiritu sancto, quibus tantum creditur participatio [Col. 0778A] corporis et sanguinis Christi. Ex his autem multis, qui credebant in Jesum, unus erat Nicodemus iste; et ideo nocte venit, non die, quia necdum illumina tus venit coelestis gratiae luce.

CAPUT V.

Nicodemo inter multa dicit, nisi renatum in regnum Dei intrare non posse: ut quod non judicare, sed salvare venerit mundum. Et manifestari dicit opera, quae in Deo sunt acta.

CAPUT III. VERS. 1, 2.

---*Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine, princeps Judaeorum, hic venit ad Jesum nocte.* «
@ [Col. 0778D] Ex Bedae, homilia in festo Inventionis Sanctae Crucis. Princeps scilicet Judaeorum venit ad Jesum nocte, cupiens secreta ejus allocutione plenius discere mysteria fidei, cujus aperta ostensione signorum aliquatenus jam rudimenta perceperat. Qui quoniam [Col. 0778B] prudenter ea quae ab illo fieri videbat, intelligere curavit, subtiliter ea quae ab illo quaerebat, investigare promeruit. *Rabbi,* inquit, *scimus quia a Deo venisti magister;* nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. A Deo igitur Jesum ad magisterium coeleste mundo adhibendum venisse confessus est, Deum cum illo fuisse miraculis prodentibus [*Al.,* prudentius] intellexit,

necdum tamen ipsum Deum esse cognovit. Sed quia quem magistrum noverat veritatis studiose docendus adiit, merito ad cognitionem [*Beda, agnitionem*] divinitatis ejus perfecte doctus subiit; merito utriusque nativitatis ejus, divinae scilicet et humanae, sed et passionis [ejus] atque ascensionis ipsius arcana percepit; nec non etiam modum secundae generationis, [Col. 0778C] ingressum regni coelestis, aliaque perplura doctrinae evangelicae sacramenta, Domino revelante, didicit.

VERS. 3.---*Respondit enim Jesus, et dixit ei:* Amen amen dico vobis: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Quae sententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quanto constat quia sine hujus luce fideles esse nequeunt. Quis etenim sine lavacro regenerationis, remissionem peccatorum consequi, et regnum valet intrare coelorum? Sed Nicodemus, qui nocte venit ad Jesum, necdum lucis mysteria capere noverat; nam et nox, in qua venit, ipsam ejus qua premebatur ignorantiam designat; necdum enim eorum numero sociatus erat, quibus ait Apostolus: *Fuistis aliquando tenebrae,* nunc autem [Col. 0778D] lux in Domino **(Ephes. V, 8)**; sed inter eos potius remanebat, quibus loquitur Isaias: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est* **(Isai. LX, 1)**. Respondit ergo Domino, et ait:

VERS. 4.---*Quomodo potest homo nasci cum senex sit? Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et nasci? Quia secundae nativitatis adhuc nescius perseverabat, de salute autem sua jam sollicitus exstiterat, necessario de una quam noverat nativitate, an posset iterari, vel quo ordine regeneratio posset impleri, quaerebat, ne hujus expers remanendo,* [Col. 0779A] vitae coelestis particeps esse nequiret. Notandum autem quia quod de carnali dixit, hoc etiam de spiritali est regeneratione sentiendum; nequaquam videlicet eam, postquam semel expleta fuerit, posse repeti: sive enim haereticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctae Trinitatis baptizet, non valet ille qui ita baptizatus est, a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio vel invocatio tanti nominis videatur annullari. Et quia Nicodemus ad primam Domini responsionem sollicitus, quomodo sit intelligenda diligenter inquirit, meretur jam planius instrui, et quia secunda nativitas non carnalis est, sed spiritalis, audire; respondit namque illi Jesus:

{491} VERS. 5.---*Amen amen dico tibi,* nisi quis [Col. 0779B] renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Cujus nativitatis modum subsequenter exponens, prorsusque a carnali distinguens ait: **(VERS. 6)** *Quod natum est ex carne, caro est;* et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Natura spiritus invisibilis, carnis est visibilis; atque ideo carnalis generatio visibiliter administratur visibilibus incrementis. Qui in carne nascitur, per aetatum momenta proficit: spiritalis autem generatio tota invisibiliter agitur. Nam videtur quidem baptizatus [*Beda, baptizandus*] in fontem descendere, videtur aquis intingui, videtur de aquis ascendere; qui autem in illo lavacrum regenerationis egerit, minime potest videri. Sola autem [*Beda, sola hoc*] fidelium pietas novit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus [Col. 0779C] ascendit. Filius praevaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit; filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit; filius irae descendit, sed filius misericordiae ascendit; filius diaboli descendit, sed filius Dei ascendit. Sola haec Ecclesia mater, quae generat, novit. Caeterum, oculis insipientium videtur talis exire de

fonte qualis intravit, totumque ludus esse quod agitur. Unde in fine videntes gloriam sanctorum dicent gementes in tormentis: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii, quomodo computati sunt inter filios Dei* **(Sap. V, 3)**? Apostolus Joannes, *charissimi,* inquit, *nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus* **(I Joan. III, 2)**. Quod ergo natum est ex spiritu, spiritus est; quia [Col. 0779D] qui ex aqua et Spiritu regeneratur, invisibiliter in novum mutatur hominem, et de carnali efficitur spiritalis. Qui ideo recte non solum spiritalis, sed etiam spiritus vocatur; quia sicut substantia spiritus invisibilis est nostris aspectibus, ita is qui per gratiam Dei renovatur, invisibiliter fit spiritalis et Dei filius, cum visibiliter omnibus caro et filius hominis appareat. Sequitur:

VERS. 7, 8.---*Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo.* Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed non scis, unde veniat, et quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Spiritus, ubi vult, spirat, quia ipse habet in potestate, cujus cor gratia suae visitationis illustret. *Et vocem ejus audis,* [Col. 0780A] cum te praesente loquitur is qui Spiritu sancto repletus est; *sed non scis, unde veniat, et quo vadat, quia etiamsi te praesente quempiam Spiritus ad horam impleverit, non potest videri* [*Al.,* non potes videre], quomodo eum intraverit, vel quomodo redierit: quia natura est invisibilis. *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu:* et ipse enim invisibiliter agente Spiritu incipit esse quod non erat, ita ut infideles nesciant, unde veniat et quo vadat, id est, quia a gratia regenerationis venit in adoptionem filiorum Dei; et vadit in perceptionem regni coelestis. Quaerente autem adhuc Nicodemo quomodo possint haec fieri **(VERS. 9)**, subjungit Dominus, dicens:

VERS. 10.---*Tu es magister in Israel, et haec ignoras? Non quasi insultare volens ei qui magister vocetur,* [Col. 0780B] cum sit ignarus sacramentorum coelestium; sed ad humilitatis illum viam provocans, sine qua janua coelestis non potest inveniri.

VERS. 12.---*Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis? Terrena illis dixit, ut in superiore lectione invenimus, cum de passione et de resurrectione sui corporis, quod de terra assumpserat, loqueretur dicens: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* **(Joan. II, 19)**. Non tamen credebant verbo quod dixit, sed ne hoc quidem intelligere valebant [*Beda, volebant*], quia non de alio, quam de templo corporis sui diceret. Qui ergo terrena audientes non capiebant, quanto minus ad coelestia, id est, divinae generationis [*Ms.,* regenerationis] capienda mysteria sufficiunt? Addit [Col. 0780C] autem Dominus adhuc, et de coelestibus sacramentis, et de terrenis instruere eum, quem vidit sapienter ac diligenter his quae audit, intendere. Coelestis namque est ascensio ejus ad vitam sempiternam; terrena vero exaltatio ejus ad mortem temporalem. Dicit ergo de coelestibus:

VERS. 13.---*Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* Subjungit vero de terrenis: **(VERS. 14)** *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Merito autem quaeritur quomodo dicatur Filius hominis, vel descendisse de coelo, vel eo tempore quo haec in terra loquebatur, {492} jam fuisse in coelo? Nota est namque confessio fidei catholicae, quia descendens de coelo Filius Dei, Filium [Col. 0780D] hominis in utero

virginali suscepit, eumque completa dispensatione passionis suae resuscitavit a mortuis, et assumpsit in coelum. Non ergo caro Christi descendit de coelo, neque ante tempus ascensionis erat in coelo. Et qua ratione dicitur: *Nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo, nisi quia Christi persona una est, in duabus existens naturis? atque ideo Filius hominis recte dicitur, et descendisse de coelo, et ante passionem fuisse in coelo;* quia quod in sua natura habere non potuit, hoc in Filio Dei, a quo assumptus est, habuit. Sicut propter eamdem unius Christi personam, quae ex duabus existit naturis, Apostolus ait: *Vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei,* quam acquisivit [Col. 0781A] sanguine suo **(Act. XX, 28)**. Neque enim Deus in sua substantia, sed in homine assumpto sanguinem, qui pro Ecclesia funderetur [*Beda, quem funderet*], habuit. Hinc enim Psalmista dicit: *Ascendit Deus in jubilatione* **(Psal. XLVI, 6)**. Quomodo enim Deus nisi in homine ascenderet, qui in suae natura majestatis semper ubique praesens adest? Sed et hoc quaerendum est quomodo dictum sit, *et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, cum omnes electi se veraciter confidant ascensuros in coelum,* promittente sibi Domino, quia, *ubi ego sum, illic et minister meus erit? Cujus tamen nodum quaestionis apertissima ratio solvit, quia videlicet mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, electorum omnium caput est.* Itemque omnes electi, ejusdem capitis [Col. 0781B] membra sunt, dicente Apostolo: *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae* [Ms. et Beda, *omnem Ecclesiam*] **(Ephes. I, 22)**. Et rursum: *Vos enim estis corpus Christi et membra de membro* **(I Cor. XII, 27)** Nemo ergo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo Filius hominis, qui est in coelo; quod est aperte dicere: Nemo ascendit in coelum, nisi Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, qui in seipso quidem primum cernentibus apostolis, eminentioribus nimirum membris suis, ascendit, et exinde in membris suis quotidie ascendens se colligit in coelum. Hinc est enim quod ipsum corpus ejus, intra adversa praesentis saeculi deprehensum gloriatur et dicit: *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos* **(Psal. XXVI, 6)**. Ac si patenter dicat: Qui [Col. 0781C] occisum a Judaeis Christum, caput videlicet meum suscitavit a mortuis, ac frustratis omnibus inimicorum insidiis, sublevavit in coelum, spero [quod] me etiam de praesentibus periculis eruens, meo capiti jungat in regno suo. Quia ergo nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, quisquis in coelum ascendere desiderat, ei qui de coelo descendit et [est] in coelo, se vera fidei et dilectionis unitate conjungat; aperte intelligens quia nullo alio ordine, nisi per eum qui descendit de coelo, potest ascendere in coelum. Unde alias ipse dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Haec ideo Nicodemo et [*Ms.,* vel] cunctis dicuntur catechumenis, ut discant ejus membris renascendo incorporari, per quem possint ascendere in regnum Dei. Et quia ascensio vel ingressus regni fieri [Col. 0781D] non potest absque fide et sacramentis Dominicae passionis, recte infertur: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.*

VERS. 15.---*Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Mira magisterii coelestis arte Dominus magistrum legis Mosaicae ad spiritalem legis ejusdem sensum inducit, recordans historiae veteris, et hanc in figuram suae passionis atque humanae salvationis factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorum, quia pertaesus in eremo populus Israel itineris longi ac laboris, murmuravit contra Dominum et Moysen; ideoque Dominus immiserit in illum ignitos serpentes, ad quorum [Col. 0782A]

plagas et mortes plurimorum, cum clamarent ad Moysen, et ille oraret pro eis, jussit eum Dominus facere serpentem aeneum, et ponere pro signo. *Qui* percussus, inquit, *aspexerit eum, vivet.* Et ita factum est **(Num. XXI)**. Plaga [*Ms.* et Beda, Plagae] igitur serpentium ignitorum, venena sunt, et incentiva vitiorum, quae animam quam tangunt spiritali morte perimunt. Et bene murmurans contra Dominum populus serpentium morsibus sternebatur, ut ex ordine flagelli exterioris agnosceret quantam intus perniciem murmurando pateretur. Exaltatio autem serpentis aenei, quem dum percussi aspicerent, sanabantur, passio est nostri Redemptoris in cruce, in cujus solum fide {493} regnum mortis et peccati superatur. Recte etenim per serpentes peccata, quae animam [Col. 0782B] simul et corpus ad interitum trahunt, exprimuntur; non solum quia igniti, quia virulenti, quia ad perimendum sunt astuti, verum etiam quia per serpentem primi parentes nostri ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Recte per serpentem aeneum Dominus ostenditur, qui venit in similitudinem [*Beda, similitudine*] carnis peccati: quia sicut aeneus serpens effigiem quidem ignitis serpentibus similem, sed nullum prorsus in suis membris habuit ardorem veneni nocentis; quin potius percussos a serpentibus, sua exaltatione sanabat: sic nimirum, sic Redemptor humani generis, non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in se ab omni peccato et ab ipsa etiam morte liberaret. [Col. 0782C] *Sicut ergo Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita* [inquit] *exaltari oportet Filium hominis.* Quia sicut illi qui exaltatum pro signo serpentem aeneum aspiciebant, sanabantur ad tempus a temporali morte et plaga quam serpentium morsus intulerat, ita et qui mysterium Dominicae passionis credendo, confitendo, sinceriter imitando aspiciunt, salvantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in anima pariter et carne contraxerant. Unde recte subjungitur: *Ut omnis qui credit in ipsum* [Beda, *in ipso*] non pereat, sed habeat vitam aeternam. Cujus quidem verbi patet sensus; quia qui credit in Christum, non solum perditionem evadit poenarum, sed et vitam percipit aeternam. Et hoc inter figuram distat et veritatem, quia per illam vita protelatur [*Beda, protelabatur*] [Col. 0782D] temporalis, per hanc vita donatur sine fine mansura. Sed curandum solerter est, ut quod intellectus bene sentit, operatio condigna perficiat, quatenus confessio rectae nostrae fidei, pie et sobrie conversando, ad perfectionem [*Beda, ad perceptionem*] promissae nobis vitae mereatur attingere. Verum quia haec de Filio hominis dicuntur, qui exaltari in cruce, et mortem potuit pati, ne putaret Nicodemus Filium tantum eum hominis esse, a quo vita esset exspectanda perpetua, curavit ei Dominus etiam divinitatis suae patefacere sacramentum, unumque et eumdem Filium Dei, et Filium hominis mundi ostendere salvatorem. Nam sequitur:

VERS. 16.---*Sic enim dilexit Deus munaum,* ut [Col. 0783A] Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Unde notandum quod eadem de Filio Dei unigenito replicat, quae de Filio hominis in cruce exaltato praemiserat, dicens: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quia profecto idem redemptor et conditor noster, Filius Dei ante saecula existens, Filius hominis factus est in fine saeculorum, ut, qui per divinitatis suae potentiam nos creaverat ad perfruendam vitae beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostrae nos restauraret ad recipiendam quam perdidimus vitam.

@ [Col. 0783D] Hucusque ex Bedae homilia citata.» Sequitur autem:

VERS. 17.---*Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum,* sed ut salvetur mundus [Col. 0783B] per ipsum. «

@ [Col. 0783D] Ex sancto Augustino, Tract. XII in Joan., n. 12, 13. Ergo quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Se ergo interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum: quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis. Et quid dicam judicaberis? vide quid ait: *Qui credit in eum, non judicabitur* [Al., *judicatur*]. Qui autem non credit: quid dicturum sperabas, nisi, *judicatur?* Jam, inquit, *judicatus est.* Nondum apparuit judicium, sed jam factum est judicium; *Novit enim Dominus, qui sunt ejus,* **(II Tim. II, 19)**; novit, qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flamma; novit in area sua triticum suum, novit et paleam; novit et segetem, novit zizania. Jam judicatus est qui non credit. [Col. 0783C] Quare judicatus? *Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* **(VERS. 19.)** *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem:* erant enim mala opera eorum. Fratres mei, quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnia [*Aug.,* Omnium] enim mala opera invenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem? Hoc enim sequitur:

VERS. 21.---*Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.* Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, ut venirent {494} ad lucem, id est, ad Christum? Et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes [Col. 0783D] peccatores invenit, et omnes a peccato sanat; et serpens ille, in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant; et propter morsus serpentis erectus est serpens, id est, mors Domini, propter mortales homines, quos invenit injustos; quomodo intelligitur, *hoc est judicium, quoniam lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem:* erant enim mala opera eorum? Quid enim est hoc? Quorum enim erant opera bona? Nonne venisti ut justifices impios? Sed *dilexerunt,* inquit, *tenebras magis quam lucem.* Ibi posuit vim; multi enim dilexerunt peccata sua, [multi confessi sunt peccata sua]: quia, qui confitetur peccata sua et accusat peccata [Col. 0784A] sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si et tu accuses, conjungeris Deo. Quasi duae res sunt, homo et peccator. Quod audis homo, Deus fecit; quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Cum autem coeperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, et venis ad lucem. Quid est, facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non te adulas; non dicis: justus sum, cum sis iniquus, et incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, ut manifestentur opera tua quia in Deo sunt facta, quia et hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, [Col. 0784B] non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, et ejus veritas tibi ostenderet lucem [*In Aug.* deest, lucem]; sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, et fugit eam, ut non arguantur opera ejus mala quae diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua, non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscat; quia quod vult ut Deus ignoscat, ipse agnoscit, et venit ad lucem, cui gratias agit quod illi, quid in se odisset, ostenderit. Dicit Domino: *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Et qua fronte dicit, nisi iterum dicat? *Quoniam facinus meum ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper* **(Psal. L, 5, 11)**. Sit ante te, quod non vis esse ante

Dominum [*Aug.,* Deum]. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet tibi illud Deus [Col. 0784C] ante oculos tuos: et tunc retorquet, quando jam poenitentiae fructus nullus erit. Currite dum lucem habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant.» Sequitur autem:

VERS. 22.---*Post haec autem venit Jesus et discipuli ejus in Judaeam terram.* Et illic demorabatur cum eis, et illic baptizabat. «
@ [Col. 0784D] Ex sancto Augustino, Tract. XIII, num 4, 6. Baptizatus baptizat; non in eo baptismate baptizat quo baptizatus est. Dat baptismum [*Ms.,* baptisma] Dominus baptizatus a servo, ostendens humilitatis viam, et perducens ad baptismum [*Ms.,* baptisma] Domini. Hoc est baptisma suum, praebendo humilitatis exemplum, quia ipse non respuit baptisma servi; et baptismate servi via praeparabatur Domino: et baptizatus Dominus, viam se fecit ad se [venientibus.] Ipsum audiamus: [Col. 0784D] *Ego sum via, veritas et vita* **(Joan. XIV, 6)**. Si veritatem quaeris, viam tene: nam ipse est via, qui est veritas. Audiamus Joannem; *Baptizabat Jesus.* Diximus quia baptizat Jesus. Quomodo inquit, Jesus, quomodo Dominus, quomodo Dei Filius, quomodo Verbum; sed Verbum caro factum est.»

CAPUT VI.

Joanni in Aenon baptizanti a suis discipulis dicitur, quod, cui ille testimonium perhibebat, hic baptizet, et quod omnes ad eum veniant. Quem ille sponsum esse, et oportere crescere, se autem minui. Illumque desursum, et supra omnes esse. Credentemque in eum habere vitam aeternam. Super incredulum vero iram manere confirmat.[Col. 0785A]

VERS. 23.---*Erat autem Joannes baptizans in Aenon, juxta Salin.* Locus quidem [*Forte, lacus quidam*] ex nomine intelligitur, quia aquae multae erant ibi. Aenon juxta Salim locus est, ubi baptizabat Joannes, et ostenditur nunc usque locus, in octavo lapide {495} Scytopoleos ad meridiem, juxta Salim et Jordanem. **(VERS. 24.)** *Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.* Quare baptizabat Joannes? Quia oportebat ut baptizaretur Dominus. Quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Ne aliquis magna licet praeditus gratia vel potestate, contemneret baptizari. Ipse Dominus non contempsit baptismi sacramentum, quamvis in illo non esset quod mundaretur in baptismo, [Col. 0785B] qui nullum habuit peccatum, quod dimitteretur in baptismi lavacro. Baptizatus est a servo Dominus, ne servus Domini baptismum contemneret. *Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.* Ideo hoc dixit evangelista, ut intelligeretur [haec miracula], quae ante posuit, primo anno doctrinae Domini nostri Jesu Christi, quae incipiebat a baptismo suo, acta esse; cujus anni gesta, maxime alios intellexit evangelistas tacere.

VERS. 25.---*Facta est autem quaestio ex discipulis Joannis cum Judaeis de purificatione.* Zelantes vero discipuli Joannis magistrum, quia plures audiebant concurrere ad baptisma Christi, et praeferre Judaeos baptismo Joannis baptismum Christi, ita ut novissime ventum est ad ipsum Joannem, ut solveret quaestionem quam

habuerunt discipuli illius cum Judaeis, de [Col. 0785C] discretione inter baptismum Christi et baptismum Joannis, et dixerunt ei:

VERS. 26.---*Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Quasi indignantes quod plures venissent ad baptismum Christi, dixerunt: *Omnes veniunt ad eum, et te dimittunt, dum tuo baptismo baptizatus est ille, ad cujus baptismum omnes modo concurrunt.*

VERS. 27.---*Respondit Joannes et dixit:* Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo. Vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: *Non sum ego Christus.* Si meo testimonio creditis, scitote me non esse Christum, sed illum; et [Col. 0785D] illius baptismum esse in quo est remissio peccatorum et Spiritus sanctus datur; non meum in quo tantummodo poenitentia dabatur, et fides in eum in quo [*Ms.,* de quo] querimoniam nunc habetis. *Non potest homo aliquid accipere, nisi fuerit illi datum de coelo.* Ministerium accepi quod mihi datum fuit de coelo. Praeco sum, ille judex; ego servus, ille Dominus; ille sponsus, ego amicus sponsi. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Veniebam illi viam parare, non me exaltare. *Ego vox clamantis, ille Verbum patris. Qui post me venit, ante me factus est, id est, dignitate praelatus est mihi. Cujus ego non sum dignus corrigiam calceamenti* [ejus] solvere, id est, nativitatis illius qui ex virgine natus venit in mundum [Col. 0786A] enarrare mysterium. Audistis testimonium meum; credite testimonio meo. Concurrite ad illum, in cujus baptismo est remissio peccatorum. Iste Joannes tantae auctoritatis habebatur, ut a populo Christus putaretur; sed ille falsum respuit honorem, ut solidam potuisset habere veritatem. Noluit de se jactare quod non fuit, ne sine eo esset qui semper fuit.

VERS. 29.---*Qui habet sponsam, sponsus est.* Ego non sum sponsus. Sed quid sum? Amicus sponsi, gaudens in vocem illius. Quis est sponsus? Ille de quo dicitur: *Rex omnis terrae Deus;* et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei **(Psal. LXXI, 11)**. Ille sponsus verus; sponsa vero sancta Ecclesia, ex omnibus congregata gentibus, de qua Apostolus ait: *Desponsavi vos uni viro,* virginem castam exhibere [Col. 0786B] Christo **(II Cor. XI, 2)**. Virgo est et sponsum habet, quae quotidie generat et virgo perpetua permanet. Virginitas haec integritas est mentis, charitatis perfectio, unitas catholicae fidei, pacis concordia, castitas in corde et anima; quia nihil valet corporis castitas sine catholicae fidei integritate; cujus virginis, id est, universalis Ecclesiae, amici sunt praedicatores evangelicae veritatis. Et ideo dicit iste Joannes, *amicus sponsi:* Qui stat et audit, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Stat enim, qui in fide recta permanet, et quod credit, praedicat. «
@ [Col. 0785D] Sanctus Augustinus loc. cit. num. 12. Quare stat? Quia non cadit. Quare non cadit? Quia humilis est. Iste praecursor Domini in solida petra stabat, dum ait: Non sum ego Christus, non sum ego sponsus, sed amicus sponsi. Qui gloriam illius quaerit qui [Col. 0786C] misit eum, merito non cadit, merito stat, merito audit vocem sponsi, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.» Vox ergo sponsi est: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* {496} «
@ [Col. 0786D] S. Aug. Tract. XIV, num. 2, 3, 5. Confessus est ergo Joannes, sicut superius audistis, *quia non sum ego Christus:* quia cum discipulos multos faceret Jesus, et perferretur ad eum, veluti [ut] instigaretur, quasi invido enim narraverunt: *Ecce ille*

facit plures discipulos quam tu, ille confessus est quid esset, et inde meruit pertinere ad eum, quia non est ausus se dicere, quod est ille. Hoc ergo dicit Joannes, *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo.* Ergo Christus [dat], homo accipit.

[Col. 0786D] VERS. 28, 29.---*Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim:* Ego non sum Christus; sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Non sibi gaudium facit de se. Qui vult gaudere de se, tristis erit; qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Vis [ergo] habere gaudium sempiternum? inhaere illi qui sempiternus est. Talem se dixit Joannes. *Propter vocem sponsi gaudet amicus sponsi, ait, non propter vocem suam; et stat et audit eum:* si ergo cadit, non audit eum. De illo [enim] quondam [*Aug.,* quodam] qui cecidit, dictum est: *Et in veritate non stetit* **(Joan. VIII, 44)**. De diabolo [Col. 0787A] dictum est. Ergo stare debet amicus sponsi, et audire. Quid est stare? Permanere in gratia ejus quam accepit, et audire [*Aug.,* et audit] vocem ad quam gaudeat. Sic erat Joannes. Noverat, unde gaudebat. Non sibi arrogabat, quod ipse noverat [*Aug.,* quod ipse non erat]: sciebat illuminatum se, non illuminatorem. *Erat* enim lumen verum, ait evangelista, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* **(Joan. I, 9)**. Si ergo omnem hominem, et ipsum Joannem, quia et ipse de hominibus erat. Sequitur et dicit Joannes: *Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Quod est gaudium ipsius? ut gaudeat ad vocem sponsi. Multi enim ideo facti sunt insipientes, quia dixerunt se esse sapientes; quos arguit Apostolus in Epistola ad Romanos dicens: *Aestimantes se esse* [Col. 0787B] sapientes, stulti facti sunt **(Rom. I, 20)**. Ergo Deus quod dat gratias agentibus, tulit non agentibus. Noluit esse hoc Joannes; gratus esse voluit. Confessus est accepisse se, et gaudere se dixit, propter vocem sponsi, et ait:

VERS. 30.---*Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Illum oportet crescere, me autem minui. Quid est hoc? illum oportet exaltari, me autem humiliari. Magnum hoc sacramentum est: antequam veniret Dominus Jesus, homines gloriabantur de se: venit ille homo, ut minueretur illius [*Ms.,* hominis] gloria, et augeretur gloria Dei. Etenim venit ille sine peccato, et invenit omnes cum peccato. Si sic venit ille, ut dimitteret peccata, Deus largiatur, homo confiteatur. Etenim confessio hominis, humilitas hominis; [Col. 0787C] miseratio Dei, altitudo Dei. Si ergo venit ille dimittere peccata [*Aug.,* homini peccata], agnoscat homo humilitatem suam, et Deus faciet misericordiam suam. *Illum oportet crescere, me autem minui:* hoc est, illum oportet dare, me autem accipere; illum oportet glorificari, me autem confiteri. Intelligat homo gradum suum, et confiteatur Deo, et audiat Apostolum dicentem homini superbienti et elato et extollere se volenti: *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* **(I Cor. IV, 7)**? Intelligat ergo homo, quia accepit, qui volebat suum dicere quod non est ejus, et minuatur. Bonum est illi enim ut Deus in illo glorificetur; ipse in se minuatur, ut in Deo augeatur. Haec testimonia, hanc [*Aug.,* et hanc] [Col. 0787D] veritatem, etiam passionibus suis, significaverunt Christus et Joannes. Nam Joannes capite minoratus est, et Christus in cruce exaltatus est, ut et ibi appareret, quid est, *illum oportet crescere, me autem minui,» hoc est, illum oportet exaltari, me autem humiliari.* Hoc enim significat et ipsa creatura lucis. Nam Christus natus est

diebus crescentibus, Joannes vero decrescentibus; ut ostenderetur quid est Christus, hoc est lumen verum; et quid est Joannes, hoc est illuminatus ab eo. Crescamus [nos] in illo, et per illum, ut ille crescat in nobis, donec perveniamus ad perfectum diem. Audiamus adhuc quid Joannes de Christo dixerit, vel quid de seipso. Dicit enim:

[Col. 0788A] {497} VERS. 31.---«
@ [Col. 0787D] S. Aug. loc. cit. num. 6, 7, 8. *Qui de sursum venit, super omnes est, et qui de terra est, de terra loquitur.* Qui de sursum venit, super omnes est, id est Christus. *Qui autem est de terra, terra est, et de terra loquitur, id est Joannes.»* Quomodo ergo de terra loquitur? Omnis homo terrenus est, et dum terrena loquitur, de terra loquitur; qui vero illuminatus est ab eo, qui est lumen verum, de divinis loquitur. Ergo seorsum [*Ms.,* sursum] est gratia Dei, seorsum natura hominis. Carnalis carnaliter aestimat, carnaliter suspicatur. Dum venit gratia Dei illuminans hominem, coelestia loquitur, sicut dictum est: *Qui illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas* **(Psal. XVII, 29)**. «Hoc est, illum oportet crescere, me autem minui. Ergo Joannes, quod ad Joannem pertinet, [Col. 0788B] de terra est, et de terra loquitur: si quid divinum a Joanne audisti, illuminantis est, non recipientis.

VERS. 32.---*Qui de coelo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testificatur, et testimonium ejus nemo accepit.* Qui de coelo venit, super omnes est, Dominus noster Jesus Christus, de quo superius dictum est: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* Est autem super omnes, et quod vidit et audivit, hoc loquitur. Habet enim et Patrem ipse Filius Dei; habet et matrem [*Aug.,* et Patrem], et audivit a Patre. Et quod audivit a Patre, quid est? Quis hoc explicet? Quando lingua mea, quando cor meum sufficere potest, vel cor ad intelligendum, vel lingua ad proferendum? [Col. 0788C] Quid est quod Filius audivit a Patre? Forte Filius Verbum Patris audivit? Imo Filius Verbum Patris est. Cum ergo Verbum Dei Filius sit, Filius autem locutus est nobis; non verbum suum, sed Verbum Patris se nobis loqui voluit, qui Verbum Patris loquebatur. Hoc ergo, quomodo decuit et oportuit, dixit Joannes. *Qui de coelo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit, illud testatur, et testimonium ejus nemo accepit.* Si nemo, ut quid venit? quorumdam enim [*Al.,* ergo] nemo. Est quidam populus praeparatus ad iram Dei, damnandus cum diabolo, horum nemo accepit [*Aug.,* accipit] testimonium Christi. Nam si omnino nemo, nullus homo; quid ergo est quod sequitur?

VERS. 33.---*Qui accepit testimonium ejus, signavit,* [Col. 0788D] quia Deus verax est. Certe ergo nemo, sed tu ipse dicis [*Aug.,* non nemo, si tu ipse dicis]: *Qui accepit testimonium ejus, signavit, quia Deus verax est.* Responderet ergo fortasse interrogatus Joannes, et diceret nobis, quid dixerit [*Aug.,* novi quid dixerim, nemo] nemo [*Ms.,* Certe ergo nemo, si tu ipse dicis, *Qui accepit, etc.* . . , et diceret: Novi quid dixerim: nemo est quidam populus]. Est quidam populus natus ad iram Dei, et ad hoc praecognitus. Qui sint enim credituri, et qui non sint credituri, novit Dominus; qui sint perseveraturi in eo quod crediderint, et qui sint lapsuri, novit Deus; et numerati sunt Deo omnes futuri in vitam aeternam.» Testimonium [Col. 0789A] ejus qui venit de coelo, nemo accepit; qui autem accepit testimonium ejus, *signavit, quia Deus verax est.* Signavit, dixit; hoc est, signum posuit in corde suo, quasi singulare et speciale aliquid,

hunc esse Deum verum, qui missus est ob salutem humani generis. «Quid est, *signavit, quia Deus verax est, nisi quia omnis homo mendax, Deus autem verax est? Quia nemo hominum potest dicere, quod veritas* [*Aug.,* veritatis est] est, nisi illuminetur ab eo, qui mentiri non potest. Deus ergo verax, Christus autem Deus. Vis probare? Accipe testimonium ejus, et invenis. *Qui enim accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Quis? Ipse qui de coelo venit et descendit, et super omnes est, Deus verax est.» Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; ipse est [Col. 0789B] Deus verax, ipse est Deus, et Dominus noster Jesus Christus, de quo Apostolus ait: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* **(Gal. IV, 4)**.

VERS. 34.---«
@ [Col. 0789D] S. Aug. Ibid. num. 10. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Hoc utique de Christo dicebat, ut se ab illo distingueret. Quid enim? Joannem nonne Deus misit? An non ipse dixit: *Missus sum ante eum:* et qui me misit baptizare in aqua: et de illo dictum est: *Ecce ego mitto Angelum meum ante te, et praeparabit viam tuam* **(Malach. III, 1)**. Nonne et ipse verba Dei loquitur, de quo etiam dictum est quod sit amplius quam propheta? Si ergo et ipsum Deus misit, et verba Dei loquitur, quomodo ad distinctionem de Christo eum dixisse accepimus: *Quem enim misit* [Col. 0789C] Deus, verba Dei loquitur? Sed vide, quid adjungat:

{498}---*Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Audi Apostolum dicentem: *Secundum mensuram donationis Christi* **(Ephes. IV, 7)**. Hominibus ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram. Quomodo hominibus dat ad mensuram? Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eumdem Spiritum; alii fides in eodem Spiritu, alii prophetia, alii judicatio [*Aug.,* dijudicatio] spirituum, alteri genera linguarum, alii dona curationum **(I Cor. XII, 8)**. [*Aug.,* Nunquid omnes apostoli?] Nunquid omnes prophetae? Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes habent virtutes? Nunquid omnes dona habent sanitatum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid [Col. 0789D] omnes interpretantur? Aliud habet ille, aliud iste; et quod habet iste, ille non habet. Mensura, divisio quaedam donorum est. Ergo hominibus mensura [*Idem, ad mensuram*] datur; et concordia ibi unum corpus facit. Quomodo aliud accepit manus ut operetur; aliud oculos ut videat; aliud aures ut audiat; aliud pedes [*Idem, oculus, auris, pes*] ut ambulet: anima tamen una est, quae agit omnia; in manu, ut operetur; in pede, ut ambulet; in aure, ut audiat; in oculo, ut videat: sic sunt etiam diversa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuique propriam distributa. Sed Christus, [Col. 0790A] qui dat, non ad mensuram accipit.
@ [Col. 0789D] Idem, loc. cit. num. 11. Audi enim adhuc, quod sequitur, quia de Filio dixerat: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.*

VERS. 35.---*Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Addidit: *Et omnia dedit in manus ejus, ut nosses et hic quam distincte* [*Aug.,* qua distinctione] dictum est: *Pater diligit Filium.* Quare? Ergo Pater non diligit Joannem? et tamen [non] omnia dedit in manu ejus; Pater non diligit Paulum? et tamen [non] omnia dedit in manu ejus. *Pater diligit Filium:* sed quomodo Pater Filium, non quomodo Dominus servum; quomodo Unicum, non quomodo adoptatum. Itaque *omnia dedit in manu ejus.* Quid est

omnia? Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. Sequitur:

CAPUT IV. VERS. 1, 2, 3.

---*Ut ergo cognovit Jesus* [Col. 0790B] quia audierunt Pharisaei, quia Jesus plures discipulos facit quam Joannes, et baptizat: quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus: reliquit Judaeam terram, et abiit in Galilaeam. «

@ [Col. 0790D] S. Aug. Tract. XV in Joan. num. 2, 3, 4. Utique Dominus si sciret Pharisaeos ita de se cognovisse quod plures discipulos faceret et quod plures baptizaret, ut hoc eis ad salutem pertineret [*Aug.,* valeret] sequendi eum, ut et ipsi essent discipuli, et ipsi vellent ab eo baptizari; magis non relinqueret Judaeam terram, sed propter illos maneret ibi: quia vero cognovit eorum scientiam, simul cognovit et invidentiam, quia non hoc propterea didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur, abiit inde. Poterat quidem ille et praesens ab his non teneri, si nollet; non occidi, si nollet; qui [*Aug.,* quia] potuit, et non nasci, si nollet: [Col. 0790C] sed quia in omni re quam gessit ut homo, hominibus in se credituris praebebat exemplum (quia unusquisque servus Dei non peccat, si secesserit in alium locum, videns furorem fortem [*Aug.,* forte] persequentium se aut quaerentium in malum animam suam; videretur autem sibi servus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus praecessisset), fecit hoc ille magister bonus, ut doceret, non quod timeret. Fortassis etiam hoc moveat, cur dictum sit: *Baptizabat Jesus plures quam Joannes,* et posteaquam dictum est, *baptizat* [Ms., baptizabat], subjectum sit: *Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Quid ergo? Falsum dictum erat, et correctum est cum additum est, *quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus? An utrumque verum* [Col. 0790D] est, quia Jesus et baptizabat, et non baptizabat? Baptizabat enim, quia et ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat. Praebebant discipuli ministerium corporis, praebebat ille adjutorium majestatis. Quando enim cessaret a baptizando, qui non cessat a mundando, de quo dictum est ab eodem Joanne per Joannis Baptistae personam [dicentis]: *Hic est qui baptizat? Ergo Jesus adhuc baptizat;* et quousque baptizantur, qui baptizandi sunt [*Aug.,* quousque baptizandi sumus], Jesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum, habet enim superiorem magistrum. Sed forte dicat aliquis: [Col. 0791A] Baptizat quidem Christus in spiritu, non in corpore. Quasi vero alterius dono quam illius, quisquam etiam sacramento corporalis et visibilis baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: *Sicut Christus, inquit,* {499} *dilexit Ecclesiam suam, et seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi* **(Ephes. V, 25)**. Mundans eam, unde? Lavacro aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismum. Similiter verbum si tuleris, baptismum non fit [*Ms.,* baptisma, tolle verbum, non est baptisma].

@ [Col. 0791D] Hucusque Augustinus.» Quaeri enim solet si in hoc baptismo discipulorum Christi, Spiritus sanctus daretur, propter verba quae in sequenti hujus [Col. 0791B] Evangelii loco leguntur, ubi dicitur: *Spiritus sanctus nondum fuerat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* **(Joan. VII, 39)**? Profecto dabatur Spiritus sanctus in hoc discipulorum Christi baptismo, licet non ea manifestatione, qua post ascensionem Christi decima die in igneis linguis datus est. Quod quaedam latenter, quaedam vero per

visibilem creaturam, visibiliter Deus operatur, pertinet ad gubernationem prudentiae, quia omnes divinae actiones, locorum, temporumque ordinis [*Ms.,* ordine] distinctione pulcherrima aguntur. Quomodo autem ipse Dominus secum habebat utique Spiritum sanctum in ipso homine quem gerebat, quando ut baptizaretur venit ad Jordanem [*Ms.,* amnem]; et tamen posteaquam baptizatus est, descendere in eum in columbae specie [Col. 0791C] idem Spiritus [sanctus] visus est: sic intelligendum est, ante manifestum et visibilem adventum Spiritus sancti quoscunque sanctos eum latenter habere potuisse. Ita sane hoc diximus ut intelligamus etiam visibili demonstratione Spiritus sancti, qui adventus ejus dicitur, ineffabili vel etiam incogitabili modo largius in hominum corda plenitudinem ejus infusam. Sequitur: *Reliquit Judaeam, et abiit iterum in Galilaeam.* Quid est, *reliquit Judaeam, nisi reliquit infidelitatem illorum qui eum recipere noluerunt;* et lapidem quem aedificare debuerunt, reprobaverunt? Et abiit per apostolos in Galilaeam, id est, in volubilitatem istius mundi, praecipiens apostolis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* **(Matth. XXVIII, 19)**.

[Col. 0791D] VERS. 4.---*Oportebat enim eum transire per Samariam.* In lectione vero Evangelii, infirmitatem humani generis suscepisse Dominum Jesum Christum plenissime nobis sanctus evangelista monstravit; siquidem cum dixisset venisse Dominum in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, juxta praedium quod dedit Jacob filio suo Joseph, in quo praedio erat fons Jacob, addidit: *Jesus,* inquit, *fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem* [Ms., *supra puteum*].

CAPUT VII.

Ad puteum Jacob mulieri Samaritanae Christus se manifestans plurima mystice loquitur, et multi Samaritanorum credunt in eum, dicentes: Vere hic est Salvator mundi.[Col. 0792A]

VERS. 5, 6.---*Venit Jesus in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, juxta praedium quod dedit Jacob Joseph filio suo.* Erat enim ibi fons Jacob. Jesus, inquit, *fatigatus itinere, sedebat sic super fontem.* Super fontem videlicet putei, [qui erat in praedio, quod] sanctus Jacob Joseph filio suo dereliquerat: quod praedium non tam Joseph quam Christo arbitror derelictum, cujus figuram sanctus Joseph patriarcha portavit, quem vere sol adorat et luna, et omnes stellae benedicunt. Ad hoc praedium ideo venit Dominus, ut Samaritani, qui haereditatem sibi patriarchae Israel vindicare cupiebant, agnoscerent possessorem suum, et converterentur ad Christum qui legitimus [Col. 0792B] patriarchae haeres est factus. Dicit evangelista: *Jesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem* [Ms., *supra puteum*]. Evangelica sacramenta in Domini nostri Jesu Christi dictis factisque signata, non omnibus patent; et ea nonnulli minus diligenter minusque sobrie interpretando afferunt plerumque pro salute perniciem et pro cognitione veritatis errorem. Inter quae illud est sacramentum quod scriptum est Dominum hora diei sexta venisse ad puteum Jacob, fessumque ab itinere resedisse, a muliere Samaritana potum petisse, et caetera quae in eodem loco Scripturarum discutienda et pertractanda dicuntur. De qua re id primum {500} tenendum est, quod in

omnibus Scripturis summa vigilantia custodire oportet ut secundum fidem sit sacramenti [Col. 0792C] divini expositio. Hora igitur diei sexta venit ad puteum Dominus noster. Video in puteo tenebrosam profunditatem. Admoneo ergo intelligi [*Ms.,* intelligere] mundi hujus infirmas partes, id est, terrenas, quo venit Dominus Jesus hora sexta, id est, sexta aetate generis humani, tanquam senectute veteris hominis, quo jubemur exui, ut induamur novo qui secundum Deum creatus est **(Ephes. IV, 24)**. Nam sexta aetas senectus est, quoniam prima est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta gravitas. Veteris itaque hominis vita, quae secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta aetate, id est, senectute concluditur, quia senectute, ut dixi, humani generis Dominus noster creator nobis et reparator advenit, ut moriente [Col. 0792D] scilicet vetere homine, novum in se constitueret, quem exutum luto terreno in coelestia regna transferret. Ergo nunc puteus, ut dictum est, mundi hujus terrenum laborem et errorem tenebrosa profunditate significat. Et quoniam exterior est homo vetus, et novus interior, dictum est ab Apostolo: Et si exterior homo noster corrumpitur, interior autem renovatur de die in diem. Rectissime omnino, quoniam omnia visibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus Christiana disciplina renuntiat. Hora sexta venit Dominus ad puteum, id est, medio die, unde jam incipit sol iste visibilis declinare in occasum: [Col. 0793A] quoniam et nobis vocatis a Christo ad invisibilium amorem, homo interior recreatus, ad interiorem lucem quae nunquam occidit, revertatur; secundum apostolicam disciplinam, non quaerens quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt. Quod autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatem carnis significat; quod sedit, humilitatem, quia et imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo hominibus tam humiliter apparere dignatus est. De hac infirmitate carnis Propheta dicit: Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem; de humilitate vero Apostolus loquitur dicens: *Humiliavit se, factus subditus usque ad mortem* **(Philip. II, 8)**. Quanquam illud quod sedit, quoniam solent sedere [Col. 0793B] doctores, possit alio intellectu non humilitatis modestiam, sed magistri demonstrare personam. Sed quaeri potest quare a muliere Samaritana, quae aquae implendae gratia venerat, bibere postulaverit, cum ipse postea spiritalis fontis affluentiam se petentibus dare posse praedicaverit? Sed scilicet sitiebat Deus mulieris illius fidem, quoniam Samaritana erat, et solet Samaria idololatriae imaginem sustinere; ipsi enim separati a populo Judaeorum, simulacris mutorum animalium, id est, vaccis aureis animarum suarum dedecus adduxerant [*Ms.,* decus addixerant]. Venerat autem Jesus Dominus noster ut gentium multitudinem, quae simulacris servierat, ad munimentum fidei Christianae et incorruptae religionis adduceret. *Non* enim est, inquit, *sanis opus medicus,* [Col. 0793C] sed male habentibus. Ergo eorum fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit.

VERS. 7.---*Dixit ergo ad eam Jesus:* Mulier, da mihi bibere. Et ut noveris quid sitiebat Dominus noster post paululum veniunt discipuli ejus, qui perrexerant in civitatem, ut cibos emerent, et dicunt ei: *Rabbi, manduca.* Ille autem dixit eis: Ego aliam habeo escam manducare, quam vos nescitis. Dicunt ergo discipuli ejus ad alterutrum: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit, et ut perficiam opus ejus. Nunquid hic intelligitur alia voluntas Patris qui eum misit, et opus ejus quod perficere velle respondit, nisi ut nos ad fidem suam a pernicioso mundi errore converteret? Qualis est ergo cibus [Col. 0793D] ejus, talis et potus.

Quapropter hoc in illa muliere sitiebat, ut faceret in ea voluntatem Patris, et perficeret opus ejus. Sed illa carnaliter intelligens respondit: **(VERS. 9.)** *Tu cum sis Judaeus, quomodo a me bibere poscis, cum sim mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judaei Samaritanis.* Cui Dominus noster dixit:

VERS. 10.---*Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu magis petisses ab eo, ut dedisset tibi aquam vivam.* Ut hinc ei ostenderet non se talem {501} aquam petisse, qualem ipse intellexerat; sed quia ipse sitiebat fidem ejus, eidem sitienti [Col. 0794A] Spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, sicut ipse ait: *Si scires donum Dei;* et sicut idem Joannes testatur alio loco dicens: *Quoniam stabat Jesus, et clamabat:* Si quis sitit, veniat [ad me] et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae **(Joan. VIII, 37, 38)**. Consequenter omnino, *qui* credit in me, inquit, *flumina de ventre ejus fluent aquae vivae, quia primo credimus, ut haec dona mereamur.* Haec ergo flumina aquae vivae, quae illi mulieri volebat dare, merces est fidei quam prius sitiebat. Cujus aquae vivae interpretationem ita subjicit: *Hoc autem dicebat, inquit, de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum credituri erant.* Nondum autem erat Spiritus datus, quia [Col. 0794B] Jesus nondum fuerat clarificatus. Hoc itaque donum Spiritus sanctus est, quod post suam clarificationem dedit Ecclesiae, sicut alia Scriptura dicit: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* **(Ephes. IV, 8)**. Sed adhuc illa mulier carnaliter sapit. Sic enim respondit: (VERS. 11, 12) *Domine, neque hauritorium habes, et puteus altus est.* Unde mihi habes dare aquam vivam? Nunquid tu major es Patre nostro Jacob, qui dedit nobis hunc puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus? Nunc vero jam Dominus exponit quid dixerit: (VERS. 13, 14) *Omnis,* inquit, *qui biberit de aqua ista, sitiet iterum.* Qui autem de aqua, quam [ego] dedero, biberit, non sitiet in sempiternum. Sed aqua illa quam dedero, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. [Col. 0794C] Sed adhuc mulier prudentiam carnis amplectitur. Quid enim respondit? (VERS. 15, 16.) *Domine, da mihi hanc aquam, ut neque sitiam, neque veniam huc haurire.* Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc. Cum sciret eam virum non habere, cur hoc dixerit, quaeritur; namque cum mulier dixerit: *Non habeo virum,*

VERS. 18.---*Dicit ei Jesus:* Bene dixisti non habere te virum. Quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir. Hoc vere [Ms., *verum*] dixisti. Sed non sunt haec carnaliter accipienda, ne huic ipsi adhuc mulieri Samaritanae similes esse videamur: sed de illo dono Dei si aliquid jam gustavimus, spiritaliter ista tractemus.
@ Vide sanctum Ambrosium in Luc. cap. 14 et 20. Quinque viros, quinque libros [Col. 0794D] qui per Moysen ministrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum est: *Et nunc quem habes, non est tuus vir, de se ipso Dominum dixisse intelligunt, ut iste sit sensus:* Primo quinque libris Moysi, quasi quinque viris servisti; nunc autem hic quem habes, id est, quem audis, non est tuus vir, quia nondum in eum credidisti. Sed quoniam nondum credens Christo, adhuc utique illorum quinque virorum, id est, quinque librorum copulatione tenebatur; potest movere quomodo dici potuerit, *quinque viros habuisti, quasi nunc eos jam non haberet, cum adhuc utique ipsis subdita viveret? Deinde cum quinque libri Moysi nihil aliud quam Christum praedicent,* [Col. 0795A] sicut ipse ait: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi;* ille enim de me scripsit **(Joan.**

V, 46), quomodo potest intelligi a quinque illis libris recedere hominem, ut ad Christum transeat; cum ille qui credit in Christum, non relinquendos quinque illos libros, sed spiritaliter intelligendos multo beatius amplectatur?

@ [Col. 0795D] Vide sanctum Augustinum, Tract. XV, num. 21. Est ergo alius intellectus, ut quinque viri intelligantur quinque corporis sensus; unus, qui ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem, et quoslibet colores, formasque corporum cernimus; alter est aurium, quo vocum et omnium sonorum momenta sentimus; tertius narium, quo varia odorum suavitate delectamur; quartus in ore gustus, dulcia et amara sentit, et omnium saporum habet examen; quintus per totum corpus tangendo [Col. 0795B] dijudicat calida et frigida, mollia et dura, lenia et aspera, et quidquid aliud est quod tangendo sentimus. Istis itaque carnalibus sensibus quinque prima hominis aetas imbuitur, necessitate naturae mortalis, qua ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddita luce mentis, carnalibus sensibus subditi, carnalem vitam sine ulla veritatis intelligentia transeamus. Tales necesse est esse infantes et parvulos pueros, qui nondum possunt accipere rationem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam aetatem regunt, et Deo artifice nobis tributi sunt, recte dicuntur viri, id est mariti, {502} tanquam legitimi, quoniam non eos error vitio proprio, sed Dei artificio natura contribuit. Cum autem quisque venerit ad eam aetatem cui vita possit capax esse [Col. 0795C] rationis, si veritatem statim comprehendere potuerit, non jam illis sensibus rectoribus utitur; sed habebit virum spiritum rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat, servituti subjiciens corpus suum; cum anima non jam viris quinque, id est, quinque corporis sensibus subdita est, sed Verbum divinum habet legitimum virum, cui copulata inhaerens, cum et ipse spiritus hominis haeserit Christo, quia caput viri Christus est **(I Cor. XI, 3)**, amplexus spiritalia, sine ullo separationis timore aeterna perfruitur vita. Quis nos enim separare potuerit a charitate Christi **(Rom. VIII, 35)**? Sed quoniam illa mulier errore tenebatur, quae significabat multitudinem saeculi vanis superstitionibus subjugati [*Ms.,* subjugari], post tempora illa quinque carnalium sensuum, quibus [Col. 0795D] prima aetas, ut diximus, regitur, non eam verbum Dei acceperat in conjugium, sed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam esse carnalem, id est, carnaliter sapere: *Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Id est, remove te ab affectione carnali, in qua nunc constituta es, unde non potes intelligere quae loquor: *Et voca virum tuum, id est, spiritu intelligentiae praesens esto.* Est enim animae quasi maritus quodammodo spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam conjugem regit: non ille Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio incommutabiliter datur, sed spiritus hominis, [Col. 0796A] de quo Apostolus dicit: *Nemo scit quid est in homine, nisi spiritus hominis.* Nam ille Spiritus sanctus, Spiritus Dei est, de quo iterum dicit: *Sic et quae Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei.* Hic ergo spiritus hominis cum praesens est, id est, intentus est et se pietate subjicit Deo, intelligit homo quae spiritaliter dicuntur; cum autem diaboli error, tanquam absente intellectu in anima dominatur, adulter est. *Voca* ergo, inquit, *virum tuam, id est, spiritum, qui est in te, quo potest homo intelligere spiritalia, si eum lux veritatis illustret.* Ipse adsit cum loquor tibi, ut spiritalem aquam possis accipere. Et cum illa diceret: *Non habeo virum;* Bene, inquit, *dixisti.* Quinque enim viros habuisti, id est, quinque sensus carnis te in prima aetate rexerunt, et nunc, [Col. 0796B] quem habes, non est tuus vir, quia non in te est spiritus, qui intelligat Deum, cum quo legitimum potes habere conjugium; sed error diaboli potius dominatur, qui te adulterina - contaminatione corrumpit. Et fortasse ut intelligentibus

indicaret quinque memoratos corporis sensus quinque virorum nomine significari, post quinque carnales responsiones ista mulier sexta responsione nominat Christum; nam prima ejus responsio est: *Tu cum sis Judaeus, quomodo a me bibere petis? Secunda: Domine, neque in quo haurias, habes, et puteus altus est.* Tertia: *Domine, da mihi hanc aquam, ut neque sitiam, neque veniam huc haurire.* Quarta: *Non habeo virum.* Quinta: *Video quia propheta es tu, patres nostri in monte hoc adoraverunt.* Nam ista responsio carnalis est; carnalibus [Col. 0796C] enim datus fuerat locus terrenus, ubi orarent: spiritales autem spiritu et veritate oraturos Dominus dixerat; quia posteaquam locutus est, sexta mulieris responsio Christum fatetur omnium istorum esse doctorem. Dicit enim: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus.* Cum ergo venerit, ipse nobis annuntiabit omnia. Sed adhuc errat, quia eum quem venturum sperat, venisse non videt; verumtamen misericordia Domini nunc error iste tanquam adulter expellitur. Dicit enim [ei] Jesus:

Ego sum, qui tecum loquor. Quo audito, illa non respondit; sed statim relicta hydria sua, abiit in civitatem festinans, ut evangelium et Domini adventum non tantum crederet, sed etiam praedicaret. Nec hoc, quod relicta hydria discessit, negligenter praetereundum [Col. 0796D] est; hydria enim fortasse amorem saeculi hujus significat, id est cupiditatem, qua sibi homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est, de terrena conversatione hauriunt voluptatem; qua percepta iterum in ejus appetitu inardescunt, sicut de aqua illa qui biberit, sitiet iterum. Oportebat autem ut Christo credens saeculo renuntiaret, et relicta hydria, cupiditatem saecularem se reliquisse {503} monstraret, non solum corde credens ad justitiam, sed etiam ad salutem ore confessura et praedicatura quod credidit.

[Col. 0797A] VERS. 19.---*Dicit ei mulier:* Domine, ut video, quia propheta es tu. «

@ [Col. 0797D] S. Aug. Loc. cit. num. 23, 24. Coepit venire vir, sed nondum plene venit. Prophetam Dominum putabat. Erat quidem et propheta; nam de se ipso ait: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* **(Luc. IV, 24)**. Item de illo dictum est ad Moysen: *Prophetam eis suscitabo de fratribus eorum similem tui* **(Deut. XVIII, 18)**; similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis. Ergo invenimus Dominum Jesum dictum prophetam. Proinde jam non multum errat mulier ista, *Video,* inquit, *quia propheta es tu.* Incipit virum adulterum excludere, cum ait: *Video quia propheta es;* et incipit quaerere quod illam solebat movere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos et Judaeos, quia Judaei in templo a Salomone [Col. 0797B] fabricato adorabant Deum: Samaritani longe inde positi, non in eo adorabant; et eo Judaei meliores se esse laetabantur, quia in templo adorabant Deum. *Non enim coutuntur Judaei Samaritanis;* quia dicebant eis: Quomodo vos jactatis [*Al.,* laetatis; *al.,* laetamini], et ideo vos nobis meliores esse perhibetis, quia templum habetis, quod nos non habemus? Nunquid patres nostri, qui Deo placuerunt, in illo templo adoraverunt? Nonne in isto monte adoraverunt, ubi nos sumus? Melius ergo nos, inquiunt, in hoc monte Deum rogamus, ubi patres nostri rogaverunt. Contendebant utrique ignari, quia virum non habentes, illi pro templo, isti pro monte inflammabantur [*Ms.* et Aug., inflabantur] adversus se invicem. Dominus tamen modo quid docet mulierem, [Col. 0797C] tanquam cujus vir coeperit praesens esse? Dicit ei mulier: *Domine, video quia propheta es tu.*

VERS. 20, 21.---*Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis adorare oportet.* Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Veniet enim Ecclesia, sicut dictum est in Canticis canticorum: *Dilectus meus loquitur mihi:* Surge, propera, amica mea, sponsa mea, columba mea, immaculata mea, et veni: jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit; flores apparuerunt in terra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra **(Cant. II, 10, 12)**. Merito jam praesente viro audit: *Mulier crede mihi, jam enim est in te qui credat, quia praesens est vir tuus.* Coepisti [Col. 0797D] adesse intellectu, quando me prophetam appellasti. Mulier, crede mihi, quia nisi credideritis, non intelligetis: Ergo *mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* (VERS. 22, 23.) *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judaeis est.* Sed veniet hora, [quando?] *et nunc est,* [quae ergo hora?] *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* non in monte isto, non in templo, sed in spiritu et veritate.

VERS. 24.---*Spiritus est Deus.* Si corporeus esset Deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus [Col. 0798A] est mons; oportebat eum adorari in templo, quia corporeum est templum. *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu oportet adorare.* Nos adoramus quod scimus, vos adoratis quod nescitis, quia salus ex Judaeis est.
@ [Col. 0798D] Ibid. num. 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33. Multum dedit Judaeis; sed noli istos reprobos accipere. Parietem illum accipe, cui adjunctus est alius, ut pacati in lapide angulari, qui est Christus, copularentur. Unus enim paries a Judaeis, unus a Gentibus: longe a se isti parietes distabant, donec in angulo [*Al.,* Christo] conjunguntur. Alienigenae autem et hospites erant Gentes, et peregrini a testamento [*Ms.,* testamentis] Dei. Secundum ergo hoc dictum est: *Nos adoramus quod scimus.* Ex persona quidem Judaeorum dictum est, sed non omnium Judaeorum, non reproborum [Col. 0798B] Judaeorum: sed de qualibus fuerunt apostoli, quales fuerunt prophetae, quales fuerunt illi omnes sancti, qui omnia sua vendiderunt, et pretia rerum suarum ad pedes apostolorum posuerunt **(Act. IV, 34)**. Non repulit enim Deus plebem suam quam praescivit. Audivit hoc mulier ista, et addidit. Jam dudum prophetam dixerat: vidit alia [*Aug.,* vidit talia] dicere eum, cum quo loquebatur, qui etiam [*Ms.,* jam] plus esset quam propheta. Et quid respondit, videte: *Dicit ei mulier:* Scio, quia Messias veniet, qui dicitur Christus; cum ergo venerit, ille nobis omnia demonstrabit. Quid est hoc? Modo, inquit, de templo contendunt Judaei, et nos {504} de monte contendimus; cum ille venerit, montem spernet, et templum evertet. Docebit nos iste omnia, ut in spiritu et veritate [Col. 0798C] oportet [*Ms.,* noverimus] adorare. Sciebat, quis eam posset docere, sed jam docentem nondum agnoscebat. Jam ergo digna erat, cui manifestaretur. Messias autem unctus est: unctus enim Graece Christus est, Hebraice Messias. Ergo dicit ei mulier: (VERS. 25) *Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus.* Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia.

VERS. 26.---*Dicit ei Jesus:* Ego sum, qui loquor tecum. Vocavit virum suum, factus est vir caput mulieris, factus est Christus caput viri. Jam mulier ordinatur in fide, et regitur bene victura [*Al.,* ductura]. Posteaquam audivit hoc, *Ego sum, qui loquor tecum, jam*

ultra quid diceret, quando Christus Dominus manifestare se voluit mulieri, cui dixerat, crede mihi? **(VERS. 27.)** *Et continuo venerunt discipuli* [Col. 0798D] ejus, et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Quia quaerebat perditam, qui venerat quaerere quod perierat, hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur. **(VERS. 28.)** *Nemo tamen dixit, quid quaeris? aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit ad civitatem.* Audito *Ego sum, qui loquor tecum, et recepto in corde Christo Domino, quid faceret nisi jam hydriam dimitteret, et evangelizare curreret? Projecit cupiditatem, et properavit annuntiare veritatem.* Discant qui volunt evangelizare, projiciant hydriam ad puteum. Recordamini quid superius dixerim de hydria. [Col. 0799A] Hydria vas erat, unde aqua hauriebatur; Graeco nomine appellatur hydria, quoniam Graece, aqua, ὕδωρ dicitur, tanquam si aquarium diceretur. Projecit ergo hydriam, quae non jam usui, sed oneri fuit, avida quippe desiderabat aqua illa satiari. Ut nuntiaret Christum, onere abjecto cucurrit ad civitatem, et dicit illis hominibus: **(VERS. 29)** *Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecunque feci.* Projecit hydriam, et abiit, et nuntiavit civitati pedetentim, ne illi quasi jam irascerentur, et indignarentur, et persequerentur. Ait enim: *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecunque feci:* nunquid ipse est Christus?

VERS. 30, 33.---*Exierunt de civitate, et veniebant ad eum, et rogabant eum discipuli dicentes:* Rabbi, [Col. 0799B] manduca. Ierant enim emere cibos, et venerant. *Ille autem dixit:* Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Quid mirum si mulier illa non intelligat aquam? Ecce discipuli nondum intelligunt escam. Audivit autem cogitationes illorum, et jam instruit, ut magister, non per circuitum, sicut illa cujus adhuc virum requirebat, sed jam aperte dicit eis Jesus: **(VERS. 34.)** *Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui me misit.* Ergo et potus ille [*Ms.*, ipse] erat in illa muliere, ut faceret voluntatem ejus qui eum misit. Ideo dicebat: *Sitio, da mihi bibere:* scilicet, ut fidem in ea operaretur, et fidem ejus biberet, et eam in corpus suum trajiceret: corpus enim ejus est Ecclesia. [Col. 0799C] **(VERS. 35.)** *Ergo,* inquit, *ipse est cibus meus, ut faciam voluntatem ejus qui me misit.* Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis [venit]? In opus fervebat, et operarios mittere disponebat. Vos quatuor menses computatis ad messem, ego vobis aliam messem albam et paratam ostendo. *Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte quia jam albae sunt regiones ad messem.* Ergo messores missurus est [*Ms.*, sum]? *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui metit, et alius qui seminat, ut et qui seminat, simul gaudeat et qui metit.*

VERS. 38.---*Ego misi vos metere quod vos non laborastis.* Alii laboraverunt, et vos in eorum laborem introistis. Quid ergo? Messores misit, non seminatores. Quo messores? ubi jam alii laboraverunt. Nam ubi jam laboratum [Col. 0799D] erat, utique seminatum erat; et quod seminatum erat, jam maturum factum, falcem et trituram desiderabat. Quo ergo erant messores mittendi? ubi jam prophetae praedicaverunt: ipsi enim seminatores. Nam si ipsi non seminatores, sed messores erant, unde ad illam mulierem pervenerat, quae ait: *Scio quia Messias venit? Jam ista mulier fructus maturus erat, et erant albae messes, et falcem quaerebant. Misi vos:* quo? *Metere quod non seminastis:* alii seminaverunt, et vos in eorum labores introistis. Qui laboraverunt? Ipse Abraham, {505} Isaac, et Jacob. Legite labores illorum: in omnibus eorum laboribus est prophetia

[Col. 0800A] Christi; et ideo seminatores. Moyses et caeteri patriarchae, et omnes prophetae, quanta pertulerunt in illo frigore quando seminabant? Ergo jam in Judaea messis parata erat. Merito ibi tanquam matura seges fuit, quando tot millia hominum pretia rerum suarum afferebant; et ad pedes apostolorum ponentes, expeditis humeris a sarcinis saecularibus, Christum Dominum sequebantur **(Act. IV, 35)**. Vere matura messis! Quid inde factum est? De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, et seminaverunt orbem terrarum, et surgit alia messis quae in fine saeculi metenda est. De ipsa [*Aug.,* ista] messe dicitur: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* **(Psal. CXXV, 5)**. Ad istam ergo messem non apostoli, sed angeli mittuntur [*Ms.,* mittentur]. *Messores, inquit,* [Col. 0800B] *angeli sunt* **(Matth. XIII, 39)**. Ista ergo messis crescit inter zizania, et exspectat in fide purgari. Illa ergo messis jam matura erat, quo prius missi sunt discipuli, ubi prophetae laboraverunt. Sed tamen, fratres, videte quid dictum sit: *Simul gaudeat et qui seminat, et qui metit? Disparis temporis labores habuerunt, sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam aeternam.*

VERS. 39-42.---*Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum, propter sermonem ejus, non propter verbum mulieris testimonium perhibentis:* Quia dixit mihi omnia quaecunque feci. Cum venissent autem ad illum Samaritani, rogaverunt ut apud eos maneret; et mansit ibi duos dies, et multo plures crediderunt propter sermones ejus; et mulieri dicebant: Quia jam [Col. 0800C] non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi. Et hoc paululum animadvertendum est, quia lectio terminata est. Mulier prima nuntiavit, et ad mulieris testimonium crediderunt Samaritani, et rogaverunt eum ut apud eos maneret; et mansit ibi biduo, et plures crediderunt. Et cum credidissent, dicebant mulieri: *Non jam propter verbum tuum credimus, sed ipsi cognovimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Primo per famam, postea per praesentiam. Sic agitur hodie cum eis qui foris sunt, et nondum sunt Christiani. Christus nuntiatur per Christianos amicos; tanquam illa muliere, hoc est, Ecclesia annuntiante, ad Christum veniunt. Credunt per istam famam; manet apud eos biduo, hoc est, dat illis duo [Col. 0800D] praecepta charitatis; et multo plures in eum credunt firmius, quoniam vere ipse est [*Ms.,* esset] Salvator mundi
@ [Col. 0799D] Hucusque ex sancto Augustino..»

VERS. 43-44.---*Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilaeam.* Ipse enim Jesus testimonium perhibuit: quia propheta in sua patria honorem non habet. Confirmatis vero in fide et charitate Samaritanis, id est Gentibus, revertitur novissimis diebus hujus saeculi in patriam, in qua necdum honorem habuit. De qua ipse in hoc loco testatur, quia propheta in sua patria honorem non habet. In patria vero miracula fecit, et non crediderunt in eum; in Samaria [Col. 0801A] non fecit, tamen crediderunt, unius feminae testimonio incitati. Mundus credidit apostolicae Ecclesiae praedicatione, quae est una columba, incitatus; patriae vero terrenae, nec ipso Christo praedicante, nisi pauci crediderunt. Et hoc est quod in alio loco ejusdem [*Ms.,* hujus] Evangelii ait: *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* **(Joan. XIV, 12)**. Majora opera fuerunt totius mundi fides per apostolicam praedicationem, quam Christi; qui in Judaea paucos admodum salvavit, in tantum paucos, ut discipuli sui pene omnes, praeter duodecim, dimiserint eum, sicut dictum est: *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant* **(Joan. VI, 67)**. **(VERS. 45.)** *Cum ergo*

venisset in Galilaeam, exceperunt [eum] Galilaei, cum [Col. 0801B] omnia vidissent quae fecerat Hierosolymis in die festo, et ipsi ascenderunt ad diem festum; forte miraculorum curiositate incitati, non voluntate praedicationis audiendae. **(VERS. 46.)** *Venit ergo iterum Jesus in Cana Galilaeae, ubi aquam vinum fecit.* Quasi diceret: Quamvis plena domus esset discumbentium, ubi miraculum in conspectu illorum fecit Christus, tamen pauci crediderunt in eum, dicente evangelista: *Et crediderunt in eum discipuli ejus.* Et forsitan ad verecundiam dictum est civium suorum, et ad laudem alienigenarum; nam Galilaei cives fuerunt Christi, et Samaritani alienigenae fuerunt, ut in sacra legitur historia.

{506}
CAPUT VIII. *Reguli cujusdam filius aegrotans absentis Domini voce sanatur.* [Col. 0801C]

VERS. 46.---*Erat autem quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Regulus vero diminutivum nomen est a rege; et ideo forsitan regulus dicitur iste, qui salutem poposcit filio suo, quia plenam non habuit fidem. Habuit, et non habuit, ideo audivit: **(VERS. 48.)** *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* «
@ [Col. 0801D] Ex sancto Gregorio, hom. 28, num. 1, 2. Qui enim salutem quaerebat pro filio, procul dubio credebat: neque enim ab eo quaereret salutem, quem non crederet Salvatorem. Quare ergo dicitur, nisi signa et prodigia videritis, non creditis, qui ante credebat quam signum videret? Sed mementote quod petiit, et aperte cognoscetis quia in fide dubitavit. Poposcit namque ut descenderet et sanaret [Col. 0801D] filium ejus. Corporalem ergo praesentiam Domini quaerebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illo credidit, quem non putavit posse salutem dare, nisi praesens esset et corpore. Si enim perfecte credidisset, procul dubio sciret quia non esset locus, ubi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffusus [*Ms.,* diffisus] est, quia honorem non dedit majestati, sed praesentiae corporali: et salutem itaque filio petiit, et tamen in fide dubitavit, quia eum ad quem venerat et potentem ad curandum credidit, et tamen morienti filio esse absentem putavit Deum (*Apud Greg.* deest, Deum). Sed Dominus qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur, indicat: solo [Col. 0802A] jussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creavit. Qua in re hoc est nobis solerter intuendum, quoniam, sicut, alio evangelista attestante, didicimus, centurio ad Dominum venit dicens: *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur.* Cui a Jesu protinus respondetur: *Ego veniam, et curabo eum* **(Matth. VIII, 6, 7)**. Quid est quod regulus rogat ut ad ejus filium veniat, et tamen corporaliter ire recusat; ad servum vero centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem praesentiam non dignatur adesse, centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur? Cumque pensamus [Col. 0802B] quae circa eos sunt, profecto interiora minime pervidemus. Dum ea consideramus quae in corporibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemptor vero noster, ut ostenderet quia quae alta sunt hominum, sanctis despicienda sunt; et quae despecta sunt hominum, despicienda non sunt sanctis, ad filium reguli ire noluit, et ad servum centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo superbia nostra, quae nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quae circumstant hominibus, pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce

ire non vult Filius Dei ad filium reguli, et tamen venire paratus est ad salutem servi @ [Col. 0802D] Hucusque ex sancto Gregorio.» Hoc est quod Apostolus ait: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* **(I Cor. I, 27)**.

[Col. 0802C] VERS. 50, 51, 52.---*Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.* Incipit enim jam fidem habere in sermone Jesu, et ideo sanitatem meruit filii; et qui ex parte dubius venit, fidelis recessit, et ideo sanitatem meruit filii. *Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, nuntiantes quod filius ejus viveret.* Interrogavit ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Septenarius numerus sanctificatus est in donis Spiritus sancti, in quo sanitas omnibus credentibus constat, quia in sancto Spiritu, qui est donum Dei, remissio est omnium peccatorum credentibus. Septenarius quoque numerus, si dividitur in tria et quatuor, sanctam Trinitatem significat in trinario numero; [Col. 0802D] et omnium creaturarum perfectionem in quaternario, propter quatuor elementa plenaria [*Ms.,* plenalia], et quatuor plagas mundi, et quatuor anni tempora. Quae omnia ex ipso, et per ipsum, et in ipso creata sunt, constant et gubernantur, quomodo [*Ms.,* quoniam] *in ipso vivimus, movemur et sumus* **(Act. XVII, 28)**.

{507} VERS. 53.---*Cognovit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus:* Filius tuus vivit. Et credidit ipse, et domus ejus tota, quia nuntiatus est ei filius ejus sanus. Ad solum ergo sermonem crediderunt plures Samaritani; ad illud autem miraculum sola domus [illa] credidit. Quae res protendit [*Ms.,* [Col. 0803A] portendit] in multitudine fidem Gentium, et in paucitate fidem Judaeorum. Gentes vero solo sermone, id est, praedicatione apostolica crediderunt; Judaei [Col. 0804A] vero signa viderunt ipsum Dei filium facientem, et tamen pauci crediderunt ex eis.

LIBER TERTIUS.

[Col. 0803A] Delectatio [*Bed.,* Dilectio] divinorum eloquiorum, et dulcedo intelligendae sanctae Scripturae, et maxime humilis evangelicae veritatis, in qua verborum honesta simplicitas patet et sensuum alta profunditas latet, adjuvante ipso Domino qui dat suavitatem ut terra nostra det fructum suum, et nos ad loquendum et vos ad audiendum exhortatur. Atque utinam [Col. 0803B] tam efficax nobis esset loquendi sensus quam vobis studiosa [*Ms.,* studiose] audiendi data est diligentia; dum video sine fastidio vos audire, et gaudeo palato cordis vestri, a quo id quod salubre est non respuitur, sed cum aviditate percipitur et utiliter continetur. Loquamur ergo vobis et nunc de evangelica lectione in qua duo pariter miracula humanae sanitatis leguntur, unum invisibiliter per angelicam administrationem, alterum per Dominicam praesentiam visibiliter exhibitum. Sed utriusque nobis sunt breviter exponenda mysteria, ne prolixae lectionis prolixa quoque explanatio cuiquam forte gravior existat.

CAPUT IX.

Hominem triginta octo annos habentem in infirmitate sua Jesus dicendo: Tolle grabatum tuum, et ambula, *in sabbato curavit, aequalem se, qui erat, faciens Deo.*

[Col. 0803C]

CAPUT V. VERS. 1, 2, 3, 4.

---*Post haec erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Hierosolymam.* Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquae motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. «

@ [Col. 0803D] Ex Bedae hom. 7. Probatica piscina quae quinque porticibus cingebatur, populus est Judaeorum, legis undique custodia [Col. 0803D] ne peccare debeat munitus. Recte etenim lex, quae quinque libris Moysi descripta est, quinario numero figuratur; recte populus, qui in quibusdam munditiam vitae servare [*Ms.,* munditiae vitae servire], in quibusdam vero solebat immundorum spirituum tentamentis agitari, per aquam significatur piscinae, quae nunc placida ventis stare, nunc eis irruentibus turbari consueverat. Et bene piscina eadem *probatica vocatur: probata quippe Graece oves dicuntur*. Quia erant nimirum in illo populo, qui dicere Domino nossent: *Nos autem populus tuus, et oves gregis tui, confitebimur tibi in saecula* **(Psal. LXXVIII, 13)**. Vulgo autem *probatica, id est,* pecualis piscina [Col. 0804A] fertur appellata, quod in ea sacerdotes hostias lavare consueverint. *Multitudo languentium, quae in memoratis porticibus jacebat, aquae motum exspectans, significat eorum catervas, quae* [*Beda, qui*] legis verba audientes, suis se hanc viribus implere non posse dolebant, atque ideo Dominicae auxilium gratiae totis animae affectibus implorabant. *Caeci erant,* [Col. 0804B] qui necdum perfectum fidei lumen habebant; *claudi erant, qui bona quae noverant, operandi gressibus implere nequibant; aridi, qui quamlibet oculum scientiae habentes, pinguedine tamen spei et dilectionis egebant.* Tales in quinque porticibus jacebant, sed nonnisi in piscina angelo veniente sanabantur; quia per legem cognitio peccati, gratia autem remissionis nonnisi per Jesum Christum facta est **(Rom. III, 21, seq.)**. Hunc designat angelus, qui invisibiliter descendens in {508} piscinam, ad suggerendam vim sanandi movebat aquam. Descendit enim carne indutus magni consilii angelus **(Isai. IX, 6)**, id est, paternae voluntatis nuntius, in populum Judaeorum, et movit peccatores factis ac doctrina sua, ut occideretur ipse, qui sua morte corporali [Col. 0804C] non solum spiritaliter languentes sanare, sed et mortuos vivificare sufficeret. Motus ergo aquae passionem Domini, qua [*Ms.* et Beda, quae mota turbataque Judaeorum gente] mota turba a Judaeorum gente facta est, insinuat; et quia per eamdem passionem redempti sunt credentes a maledicto legis, quasi descendentes in aquam piscinae turbatam sanabantur, qui eatenus jacebant in porticibus aegroti. Legis siquidem littera, quae nescientes quid agendum, quid vitandum esset, docuit; nec tamen edoctos, ut sua decreta complerentur, adjuvit, quasi eductos de sedibus ignorantiae prioris, in porticibus suis continebat, nec sanabat languidos: gratia autem Evangelii, quae per fidem ac mysterium Dominicae passionis sanat omnes languores iniquitatum [Col. 0804D] nostrarum, a quibus in lege Moysi non potuimus justificari, quasi electos de porticibus legis aegrotos in aquam piscinae turbidam, ut sanari possint, immittit, quia a peccatis quae lex ostenderat per aquam baptismatis abluit, testante Apostolo: *Quia*

quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus **(Rom. VI, 3)**. Bene autem dicitur quia qui primus descendisset post motum aquae, sanus fiebat, a quocunque languore tenebatur; quia unus Dominus, una fides, unum baptisma, [Col. 0805A] unus Deus **(Ephes. IV, 5)**. Et qui in unitate catholica Christi mysteriis imbuitur, sanus fit a quocunque peccatorum languore detinebatur [*Beda, detineatur*]; quisque autem ab unitate discrepat, salutem quae ab uno est, consequi non valet. Haec de primo evangelicae lectionis miraculo quod Dominus dedit locuti, nunc de secundo quod ipse dederit, fraternitati vestrae loquamur, in quo etiam ipso unus commendatur sanatus: non quia omnipotentis pietas Salvatoris omnes quos ibi languentes invenit, sanare nequit [*Beda, nequiverit*], sed ut doceret, praeter unitatem catholicae fidei nullum cuilibet locum patere salutis.

VERS. 5.---*Erat autem quidam homo ibi, inquit, triginta et octo annos habens in infirmitate sua.* Homo [Col. 0805B] iste multorum infirmitate detentus annorum significat peccatorem quemlibet, enormi scelerum magnitudine vel numerositate depressum, cujus significando reatui, etiam motus [*Beda, modus*] temporis, quo iste languebat, congruit; nam duodequadraginta annos habebat in infirmitate: quadragenarius autem numerus, qui denario quater ducto conficitur, pro perfectione rectae conversationis solet in Scripturis accipi; quia quisquis perfectam conversationem [*Ms.* et Beda, perfectae conversationis opera] egerit, legis profecto decalogum per quatuor sancti Evangelii libros implet: ad quam nimirum perfectionem [*Ms.,* a qua . . . perfectione] duo minus habet, qui a Dei et proximi dilectione, quam legis pariter et Evangelii Scriptura commendat, [Col. 0805C] vacuus incedit. Quod etiam mystice Dominus sanans infirmum docuit, cum ait:

VERS. 8.---*Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.* Surge enim dicitur, vitiorum torporem, [in] quibus diu languebas, excute, et ad exercitium virtutum, quibus perpetuo salveris, erigere. *Tolle grabatum tuum, id est, porta.* Diligis proximum tuum? Patienter ejus infirma tolerando porta

@ Beda et ms.: «*Tolle grabatum tuum, porta diligens proximum tuum, patienter ejus infirma tolerando, qui te, etc.*», qui te adhuc tentationum fasce depressum diu patienterque sustinuit. *Alter,* enim, *alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* **(Gal. VI, 2)**. Et sicut alibi dicitur: *Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* **(Ephes. IV, 2)**. *Ambula autem;* toto corde, tota anima, tota virtute Deum dilige, et ut ad ejus visionem pertingere [Col. 0805D] merearis, quotidianis bonorum operum passibus de virtute in virtutem progredere, nec fratrem quem sufferendo ducis ob amorem ejus ad quem pergis, deseras [*Ms.,* deserens]; nec ob fratris amorem, ab illo quaerendo cum quo manere desideras, intentionem recti incessus avertas [*Ms.,* avertens]; sed ut perfecte possis salvari, *surge, tolle grabatum tuum et ambula, id est, relinque peccata pristina, necessitatibus fratrum succurre, et in universis quae agis, vide ne {509} in hoc saeculo mentem figas, sed ad videndum faciem tui festines Redemptoris.* Surge bona operando, porta grabatum diligendo [Col. 0806A] proximum, et ambula exspectando beatam spem et adventum gloriae magni Dei **(Tit. II, 13)**. Sed o mira perfidorum dementia! qui ad tam inopinatam diu languentis

sanationem credere ac spiritaliter sanari debuerant, e contra scandalizantur, et salvato pariter ac Salvatori calumnias struunt. Salvato quidem, quia sabbato grabatum tulerit; Salvatori autem, quia sabbato illum salvari, et grabatum tolli praeceperit, quasi melius ipse diem sabbati [*Ms.,* ipsi de sabbato] quam tanta divinitatis potentia nosset. **(VERS. 10.)** *Dicebant,* inquit, *Judaei illi qui sanus* [Ms., *sanatus*] fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Litteram legis stulte defendebant ignorando dispensationem ejus, qui legis quondam edicta per servum decernens, nunc ipse adveniens [Col. 0806B] eamdem legem gratia mutare disposuit; ut quod juxta litteram diu carnales carnaliter observabant, deinceps spiritales spiritaliter observandum cognoscerent. Sabbato quippe [*Al.* quidem] carnali, quod juxta litteram custodiebatur, populus [*Edit.* custodiebat populus] ab omni opere servili die septima vacare praeceptus est; spiritale autem sabbatum est in luce gratiae spiritalis, quae septiformis accipitur, quia non una, sed omni die nos ab inquietudine vitiorum manere feriatos oportet. Si enim juxta vocem Dominicam, *omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* **(Joan. VIII, 34)**, patet liquido quia peccata recte opera servilia intelliguntur, a quibus quasi in die septima in praeceptione [*Beda, perceptione*] gratiae spiritalis, immunes incedere jubemur, [Col. 0806C] nec solum a pravis continere, sed et bonis insistere factis. [Quod] in hac quoque lectione Dominus typice ostendit, cum eum qui duodequadraginta annos languebat, in die sabbati non solum surgere, verum etiam grabatum tollere et ambulare praecepit: videlicet insinuans eos qui longo vitiorum languore tabescunt, et Dei ac proximi dilectione [*Ms.,* dilectionis] inanes, quasi a perfecta virtutum summa duo minus habent, jam per donum sancti Spiritus a vitiis posse resurgere, eorumque discusso torpore, eum fraternae dilectionis onere ad visionem debere sui properare conditoris. Nam sequitur:

VERS. 14.---*Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit ei:* Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quod autem is [Col. 0806D] qui sanatus est Jesum non in turba adhuc positus, sed post in templo cognoscit, mystice nos instituit ut si vere conditoris nostri gratiam cognoscere, si ejus amore confirmari, si ad ejus visionem pervenire desideramus, fugiamus sollicite turbam, non solum turbantium nos cogitationum affectuumque pravorum, verum etiam hominum nequam, qui nostrae sinceritatis possunt impedire propositum, vel mala videlicet exemplo suo monstrando, vel bona nostra opera deridendo, aut etiam prohibendo. Confugiamus seduli ad domum orationis, ubi secreta libertate Dominum invocantes, et de perceptis ab eo [Col. 0807A] beneficiis gratias agamus, et de perceptionis [*Ms.* et Beda percipiendis] humili devotione precemur. Imo etiam ipsi templum Dei sanctum, in quo venire et mansionem facere dignetur, existere curemus, audientes ab Apostolo: *Quia corpus vestrum templum est Spiritus sancti, qui in vobis est* **(I Cor. VI, 19)**. Inter quae diligentius intuendum, fratres mei, quod inveniens in templo quem sanaverat, Dominus ait illi: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quibus verbis aperte monstratur quia propter peccata languebat, nec nisi dimissis eisdem peccatis poterat sanari; sed qui foris ab infirmitate, ipse etiam intus salvavit a scelere. Unde et caute praemonuit ne amplius peccando gravioris sibi sententiam damnationis contraheret. [Col. 0807B] Quod non ita sentiendum est, quasi omnis qui infirmatur, ob peccata infirmetur.» Saepe infirmatur homo ne extollatur in donis Dei, sicut de Paulo apostolo legitur **(II Cor. XII, 7)**; saepe ut probetur, tribulatur, sicut beati Job patientia

tribulata et probata est; saepe infirmitas pro castigatione datur, ut illud: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit* **(Hebr. XII, 6)**; quibusdam vero infirmitas pro gloria Dei datur, ut de caeco nato, vel de Lazaro legitur. Novit Dominus pro quo quemlibet jubeat infirmari, vel dimittat saepe occulto hominibus judicio, sed nunquam injusto. «Sed discamus flagellis piissimi Redemptoris nostri humiliter substerni, arbitrantes nos minus pati quam meremur, semper {510} illius sententiae memores: *Quia beatus homo,* qui corripitur [Col. 0807C] a Domino **(Job. V, 17)**. Et ipse in Apocalypsi: *Ego,* inquit, *quos amo, arguo et castigo* **(Apoc. III, 19)**. Longaevo autem languenti, interius exteriusque sanato, id est, et a flagellis apertae castigationis et a peccatis quibus haec merebatur erepto; Judaei e contra male intus languidi jam deterius aegrotare incipiunt, persequendo videlicet Jesum, qui hoc faceret in sabbato. Persequebantur autem eum quasi legis auctoritatem simul et divinae operationis exempla secuti; quia et Dominus sex diebus mundi perfecta creatione, septimo requievit [*Beda, requieverit*] ab omnibus operibus suis, et populum sex diebus operari, septimo vacare praeceperit; non intelligentes quia carnalia legis decreta paulatim erant spiritali interpretatione mutanda, apparente illo qui [Col. 0807D] non tantum legislator, sed et *finis legis est Christus, ad justitiam omni credenti* **(Rom. X, 4)**; neque animadvertentes quia conditor in die septima non ab opere mundanae gubernationis et annuae, imo quotidiana [*Ms.,* cottidianae. . . substitutionis] rerum creatarum substitutione, sed a nova creaturarum institutione cessavit

@ [Col. 0807D] Hic non obscure Beda minime contradicente hic Alcuino videtur negare quotidianam animarum creationem: quod paulo post clarius declarat his verbis: Non novum creaturae genus instituendo, sed quae a principio creaverat, ne deficiant, propagando. [Col. 0808D] MARTENE..» Quod vero dicitur, *Requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis, ita intelligendum est, cessasse Deum a novarum conditione creaturarum.* Quid vero hic ipsa Veritas ait?

[Col. 0808A] VERS. 17---*Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Operatur Pater et Filius, ut naturarum diversitas permaneat, quae in prima conditione mundi conditae sunt. Ideo dictum est in Psalmo: *Qui finxit singillatim corda eorum* **(Psal. XXXII, 15)**, non incognita animarum genera, sed ejusdem substantiae animas, quae in primo homine condita est, reformat. «

@ [Col. 0808D] Ex eadem homilia Bedae. Quapropter Psalmista cum non solum primordialem mundi creationem, sed et quotidianam creaturae gubernationem ad laudem creatoris referret, ait inter caetera: *Omnia in sapientia fecisti* **(Psal. CIII, 24)**. Si autem Christum Dei virtutem et Dei sapientiam recte confitemur, et omnia in sapientia fecit ac regit Deus, constat nimirum quia Pater usque modo operatur, operatur et Filius; [Col. 0808B] ergo *Pater meus, inquit, non solum sex, ut putatis,* diebus primis operatus est, verum *usque modo operatur, non novum creaturae genus instituendo, sed quae in principio creaverat, ne deficiant propagando. Et* ego operor, subauditur, *usque modo, cum eo cuncta disponens, regens, accumulans;* ac si aperte dicat: Quid mihi invidetis? Cur me vituperatis, caeci legis lectores [*Beda, legislatores*], quod in forma hominis sabbato salutem unius hominis operatus sim, qui in natura divinitatis una cum Deo Patre totum genus humanum, imo totam mundi machinam, et cuncta visibilia et invisibilia quietus semper operor? Sed ipsi talis ac tanti mysterii minus capaces, propterea magis quaerebant eum interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et

Patrem [Col. 0808C] suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. In eo maxime dolebant, quia is quem verum ex infirmitate carnis hominem cognoverant, verum se Dei Filium credi voluisset, id est, non gratia adoptatum, ut caeteros sanctos, quibus loquitur Propheta: *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes* **(Psal. LXXXI, 6)**; sed natura Patri per omnia aequalem
@ [Col. 0808D] Hucusque ex homilia 7 Bedae..»

Notandum sane quod dictum est, *aequalem se faciens Deo, a Judaeorum persona dictum, qui putabant Dominum Jesum praedicando se facere quod non esset, et non veraciter intimare quod esset.* «
@ [Col. 0808D] S. Aug. Tract. XVIII in Joan., num. 2. *Commoti igitur Judaei, et indignati sunt.* Merito quidem, quod audebat homo aequalem se facere Deo; sed ideo immerito, quia in homine non intelligebant Deum. Carnem videbant, Deum nesciebant; habitaculum cernebant, [Col. 0808D] habitatorem ignorabant. Caro enim illa templum erat, Deus inhabitabat intus. Non ergo Jesus carnem aequabat Patri, non formam servi Domino comparabat: non quod factum est propter nos, sed quod erat quando fecit nos. Quis namque sit Christus, (catholicis loquor,) nostis, quia bene credidistis: non Verbum tantum, non caro tantum; sed *Verbum caro factum est, et habitavit* [Aug., *ut habitaret*] in nobis. Recensete de Verbo, quod nostis. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,* [Col. 0809A] {511} *et Deus erat Verbum.* Hic aequalitas cum Patre. Sed *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* hac carne major est Pater. Ita Pater et aequalis et major: aequalis Verbo, major carne; aequalis ei per quem fecit nos, major eo qui factus est propter nos.» Commotis vero et turbatis Judaeis, quia se aequalem Christus Patri fecit, qui hominem tantummodo intellexerunt, non Deum; carnem viderunt, divinitatem non crediderunt; dixit enim:

VERS. 19.---*Non potest a se Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* «
@ [Col. 0809D] S. Aug. ibidem num. 8. Non alia opera facit Pater quae videat Filius, et alia Filius cum [*Ms.,* quae] viderit Patrem facientem; sed eadem opera ipse Pater et Filius facit. Secutus enim ait [*Ms.,* sequitur enim] *Quaecunque ille fecerit, haec* [et] Filius [Col. 0809B] similiter facit. Non cum ille fecerit, alia Filius similiter facit: sed *quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Si haec facit Filius quae fecerit Pater, per Filium facit Pater; si per Filium facit Pater quae facit, non alia Pater, alia Filius facit, sed eadem opera sunt Patris et Filii. Et quomodo eadem facit Filius, eadem et Pater similiter
@ [Col. 0809D] Ms. et Aug.: «Et quomodo eadem facit et Filius? et eadem et similiter.». Ne forte eadem, sed dissimiliter: *Eadem,* inquit, *et similiter.* Et quomodo possit eadem non similiter,
@ [Col. 0809D] Hucusque sanctus Augustinus, loco citato.» dum omnia, quae Pater facit, per Filium facit? Sicut dictum est: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ideo similiter dixit, quia *eadem facit Filius, quae facit et Pater:* quia una Patris et Filii in divinitate substantiae est [*Ms.,* substantia et] operatio, una voluntas et potestas, una vita et essentia, [Col. 0809C] et aequalia omnia sunt in Patre et Filio, nisi quod Pater pater est, et Filius filius est. Separatio est in personis, sed unitas in natura. *Non*

enim potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Non debemus carnaliter intelligere hanc sententiam, «
@ [Col. 0810D] Ex S. Aug. Tract. XIX, num. 1. quasi duorum hominum Patris et Filii, unius ostendentis, alterius videntis; unius loquentis, alterius audientis; quae omnia phantasmata cordis sunt.» Talis cogitatio procul a pectoribus Christianis expellenda est. Ergo de Filio et Patre praesentis docet lectionis exemplum, quia nec Pater minorem quam Filius, nec Dei Filius majorem, quam Pater habet personam
@ [Col. 0810D] Ms. «Quia nec Pater minorem habet, nec majorem Dei Filius: cum . . .», cum Patri et Filio nulla distantia divinitatis sit, sed una majestas. Quod enim ait Filium nihil facere, nisi quod viderit [Col. 0809D] Patrem facientem, non corporaliter intelligendum est, quia non corporalibus modis Deus videt: sed visus ei omnis in virtute naturae est; neque enim partitio esse poterit in simplici natura divinitatis; sed [idem est] Filio videre Patris opera, cum Patre aequaliter facere, quia idem est Filio videre et esse. Ideo subjecit: *Omnia enim quaecunque facit Pater, eadem et Filius facit similiter.* Significationem unius naturae ostendit et unius operationis, quia communis [est] operatio Patris et Filii, quorum est una natura, una etiam et operatio. Ideo consequenter [Col. 0810A] subjunxit: **(VERS. 20)** *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit.* Ut ostenderet omnem hanc Patris demonstrationem fidei nostrae esse doctrinam. Ut scilicet et Pater nobis in confessione esset et Filius; et ne qua ignoratio in Filio posset intelligi, cui Pater opera omnia quae ipse faceret, monstraret, continuo ait: *Et majora horum opera demonstrabit ei, ut vos admiremini.*

CAPUT X.

Quod sicut Pater suscitat mortuos, sic et Filius; et quod aequaliter cum Patre sit honorandus; et in quod credentes transeant de morte ad vitam. Venturam quoque pronuntiat horam, qua de monumentis boni malique resurgent.

VERS. 21.---*Sicut enim Pater suscitat mortuos,* [Col. 0810B] et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Ea enim Patrem demonstraturum Filio dicit quae mirentur. Et quae eadem essent illa, mox docuit: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, sic et Filius quos vult vivificat.* Exaequata virtus est indissimilis per naturae [*Ms.,* per naturae indissimilis] unitatem, et demonstratio operum non ignorantionis instructio est, sed nostrae fidei quae {512} non Filio scientiam ignoratorum, sed nobis confessionem nativitatis invexit. Demonstrare enim Patrem, est per Filium facere quae facturus est. Nam majora opera sunt resurrectio mortuorum quae erit in novissimo die, quam istius languentis sanitas, qui Christi verbo sanatus est. Ex quo nata est hujus occasio tota sermonis; dicit enim: *Ut vos miremini.* «
@ [Col. 0810D] Ex S. Aug. Tract. XIX, num. 4, 5. Et hoc difficile est videre, quomodo [Col. 0810C] tanquam temporaliter Filio coaeterno aliqua demonstraret aeternus Pater, omnia scienti quae sunt apud Patrem. Quae sunt tamen illa majora? Hoc enim facile est intelligere. *Sicut enim Pater, inquit, suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Majora ergo sunt opera mortuos suscitare, quam languidos sanare. Sed *sicut suscitat Pater mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Non alios ergo Pater, alios Filius: sed omnia per ipsum; ipsos itaque Filius quos et Pater: quia non

alia, nec aliter, sed *haec Filius similiter facit.* Ita plane intelligendum est, et ita tenendum: sed mementote, *quia Filius quos vult vivificat.* Tenete hic ergo non solum potestatem Filii, verum etiam voluntatem [*Ms.,* et voluntatem Patris]. Filius quos vult vivificat, [Col. 0810D] et Pater quos vult vivificat: et ipsos Filius, quos et Pater: ac per hoc eadem Patris et Filii [et] potestas est et voluntas,» eadem quoque vita et vivificatio mortuorum. Et ideo dicit: *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat quos vult, sic et Filius quos vult vivificat.* Non enim alios Pater, alios Filius vivificat; sed una potestas unam vivificationem facit; quae etiam potestas uno honore honoranda est [*Al.,* veneranda]. Et ideo consequenter subjunxit.

VERS. 22, 23.---*Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio,* ut omnes honorificent [Col. 0811A] Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Patrem, non honorificat Filium. Pater non judicat quemquam, quia Patris persona hominem non suscepit, nec in judicio videbitur: sed sola Filii persona, in ea forma quae judicata est injuste, et juste judicabit vivos ac mortuos. Nec enim Filius videbitur in judicio in ea natura qua consubstantialis est Deo Patri, sed in ea qua consubstantialis est matri, et homo factus est. Ita intelligendum est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* ac si diceretur: Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium; quia et filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt. Quod ne conjicere potius quam aperte demonstrare [Col. 0811B] videamur, proferimus ejusdem Domini certam manifestamque sententiam, qua ostendimus ipsam fuisse causam ut diceret: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, quia judex forma filii hominis apparebit.* Quae forma non est Patris, sed Filii, nec [ea] Filii in qua aequalis est Patri, sed in qua minor est Patre: ut sit in judicio conspicuus bonis et malis.

Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Patrem, non honorificat Filium. «
@ [Col. 0811D] S. Aug. loc. cit. num. 6, 7. Quid est enim honorificare Patrem, nisi quod habeat Filium? Aliud est enim cum tibi commendatur Deus quia Deus est, et aliud, cum tibi commendatur Deus quia Pater est. Cum tibi Deus quia Deus est commendatur, creator tibi commendatur, [Col. 0811C] omnipotens tibi commendatur, spiritus quidem [*Aug.,* quidam] summus, aeternus, invisibilis, incommutabilis tibi commendatur: cum vero tibi Pater quia pater est commendatur, nihil tibi aliud quam et Filius commendatur, quia Pater non dici potest, si Filium non habet; sicut nec Filius, si Patrem non habet. Sed ne forte Patrem quidem honorifices tanquam majorem, Filium vero tanquam minorem, ut dicas mihi: Honorifico Patrem; scio enim quod habeat Filium, et non erro in Patris nomine, non enim Patrem intelligo sine Filio, honorifico tamen et Filium tanquam minorem: corrigit te ipse Filius, et revocat [te] dicens: *Ut omnes honorificent* Filium, non inferius, sed *sicut honorificant Patrem.* Qui ergo non honorificat Filium, nec Patrem [Col. 0811D] honorificat, qui misit illum. Ego, inquis, majorem honorem volo dare Patri, minorem Filio. Ibi tollis honorem Patri, ubi minorem das Filio. Quid enim tibi aliud videtur ista sententia [*Aug.,* ita sentiendi], nisi quia Pater aequalem sibi Filium generare aut noluit aut non potuit? Si noluit, invidit; {513} si non potuit, defecit. Non ergo vides, quia ita est sentiendum: Ubi [*Aug.,* quia ita sentiendo, ubi] majorem honorem vis dare Patri, ibi es contumeliosus in Patrem. Proinde sic honorifica Filium,

quomodo honorificas Patrem, si vis honorificare et Filium et Patrem.

[Col. 0812A] VERS. 24.---*Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non veniet, sed transiet a morte ad vitam.* Non nunc transit, jam transiit a morte in vitam. Et hoc attendite, *qui verbum meum audit:* et non dixit: credit mihi; sed, *credit ei, qui misit me.* Verbum ergo Filii audiat, in Patre credat [*Ms.,* et Aug., ut Patri credat]. Quare Verbum audit tuum, et credit alteri? Nonne cum verbum alicujus audimus, eidem verbum proferenti credimus, loquendi nobis fidem accommodamus? Quid ergo voluit dicere, *qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, nisi quia verbum ejus est in me? Et quis est,* qui *audit verbum meum, nisi, qui audit me?* [*Aug.:* Et quid est, *audit verbum meum, nisi audit me?*] Qui [Col. 0812B] credit in me, credit etiam ei qui misit me: quia cum illi credit, verbum [*Aug.,* verbo] ejus credit; cum autem verbum ejus credit, mihi credit, quia Verbum Patris ego sum.
@ [Col. 0811D] Ex S. Aug. loc. cit. num. 8. Non enim transiret de morte ad vitam, nisi primo esset in morte, et non esset in vita. Cum ergo transierit in vitam, non erit in morte. Mortuus ergo erat, et revixit, perierat, et inventus est **(Luc. XV, 32)**. Fit proinde jam quaedam resurrectio, et transeunt homines a morte quadam ad quamdam vitam; a morte infidelitatis ad vitam fidei; a morte falsitatis ad vitam veritatis; a morte iniquitatis ad vitam justitiae. Est ergo et ista [*Aug.,* et ista quaedam] resurrectio mortuorum. Aperiat illam plenius, et lucescat nobis, ut coepit.»

[Col. 0812C] VERS. 25.---*Amen amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* Hoc proprium est piorum, qui sic audiunt de incarnatione ejus, ut credant quia Filius Dei est, id est, sic eum propter se factum accipiunt minorem Patre in forma servi, ut credant quia aequalis est Patri in forma Dei. Et ideo sequitur, et hoc ipsum commendans dicit: **(VERS. 26)** *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, ita dedit et Filio gratiam* [Ms., *vitam*] habere in semetipso. «
@ [Col. 0812D] Ex eodem, num. 13. Quod ergo ait, *Dedit Filio vitam habere in semetipso, breviter dicam:* Genuit Filium, vitam in se habentem. Neque enim erat sine vita, et accepit vitam, sed nascendo vita est. Pater vita est non nascendo, Filius [Col. 0812D] vita est nascendo. Pater de nullo patre, Filius de Deo Patre. Pater propter Filium est, Filius vero et quod [Filius] est, propter Patrem est; et quod est, a Patre est. Hoc ergo dixit: *Vitam dedi Filio, ut haberet eam in semetipso, tanquam diceret:* Pater qui est vita in semetipso, genuit Filium, qui esset vita in semetipso. Pro eo enim, quod genuit, voluit intelligi *dedit.* Tanquam si cuidam diceremus: Dedit tibi Deus esse.» Sequitur enim et dicit:

VERS. 27.---*Et dedit ei potestatem facere judicium, quia Filius hominis est.* Puto nihil esse manifestius; nam quia Filius Dei est, aequalis est Patri; non accipit hanc potestatem judicium faciendi. sed habet illam [Col. 0813A] cum Patre in occulto. Accipit autem illam, ut boni vel mali eum videant judicantem, quia filius hominis est. Visio quippe filii hominis exhibetur et malis. Nam visio formae Dei non nisi mundis corde, quia ipsi Deum videbunt **(Matth. V, 8)**. Id est, solis piis, quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia ostendet seipsum illis. Et ideo vide quid sequatur: **(VERS. 28)** *Nolite*

mirari hoc, inquit. Quid nos prohibet mirari? nisi illud quod revera miratur omnis qui non intelligit? ut ideo diceret Patrem dedisse ei potestatem judicium facere, quoniam Filius hominis est, cum magis quasi hoc exspectaretur ut diceret [*Al.,* judicaret], quoniam Filius Dei est. Sed quia Filium Dei secundum id quod in forma Dei aequalis est Patri videre iniqui non possunt, oporteat [*Ms.,* [Col. 0813B] oportet] autem et judicem vivorum et mortuorum, cum coram eo judicabuntur, et justi videant et iniqui; *Nolite,* inquit, *hoc mirari.* **(VERS. 29.)** *Quoniam veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus:* et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala gesserunt, in resurrectionem judicii. Ad hoc ergo oportebat ut ideo acciperet illam potestatem, {514} quia filius hominis est, ut resurgentes omnes viderent eum in forma in qua videri ab omnibus potest, sed alii ad damnationem, alii ad vitam aeternam. Quae est autem vita aeterna, nisi illa visio quae non conceditur impiis? *Ut* cognoscant te, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* **(Joan. XVII, 3)**. Quomodo et ipsum Jesum Christum, nisi quemadmodum unum [Col. 0813C] verum Deum, qui ostendet se ipsum illis, non quomodo se ostendet etiam puniendis in forma filii hominis. Secundum autem illam visionem bonus est, secundum quam visionem Deus apparet mundis corde, quanquam [*Ms.,* quomodo] bonus Deus Israel rectis corde. Quando autem judicem videbunt mali, non eis videbitur bonus, quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc se plangent omnes tribus terrae: in numero itaque [*Forte, utique*] malorum omnium et infidelium. Propter hoc etiam illi qui eum dixerat magistrum bonum, quaerens ab eo consilium consequendae vitae aeternae, respondit: *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus Deus* **(Luc. XVIII, 19)**. Cum et hominem alio loco dicat bonum ipse Dominus: *Bonus* homo, inquit, *de bono thesauro cordis* [Col. 0813D] sui profert bona, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala **(Matth. XII, 35)**. Sed quia ille vitam aeternam quaerebat, vita autem aeterna est in illa contemplatione, qua non ad poenam videtur Deus, sed ad gaudium supernum [*Ms.,* sempiternum]: duas hic resurrectiones ipse Dominus Christus in his verbis nobis demonstrat. Primam quae in fide est resurgendo a peccatis, de qua ait: *Amen amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, in qua mortui audient vocem Filii Dei.* Alteram ubi ait: *Amen amen dico vobis, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Illa prior est [Col. 0814A] resurrectio animarum, ista sequens resurrectio erit corporum. Qui vero in hac prima resurgit, in secunda resurget ad gloriam. Qui vero in hac prima non resurgit, in secunda tamen resurget, sed ad poenam. Utramque facit Deus per Christum. Qui hic resurgit per eum, ibi resurget ad eum. Qui hic per eum non resurgit, nec ibi ad eum resurget. «
@ [Col. 0813D] S. Aug. loc. cit. num. 16. Hora autem nunc est, ut resurgant mortui; hora erit in fine saeculi, ut resurgant mortui. Sed resurgunt [*Aug.,* resurgant] nunc in mente, tunc in carne. Resurgant nunc in mente per verbum Dei, Filium Dei: resurgent tunc in carne per Verbum Dei, carnem factum filium hominis. Neque enim ad judicium vivorum et mortuorum Pater ipse venturus est; nec tamen recedit a Filio Pater: quomodo ergo non ipse venturus [Col. 0814B] est? quia non ipse videbitur in judicio. Videbunt in quem compunxerunt **(Joan. XIX, 37)**. Forma illa erit judex, quae stetit sub judice; illa judicabit, quae judicata est: judicata est enim inique, judicabit juste. Talis apparebit judex, qualis videri possit et ab eis, quos coronaturus est, et ab eis quos damnaturus est.» Distinctio est inter illud verbum quod superius dixit, *quod mortui audient vocem Filii Dei, et inter illud quod hic ait: venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt,*

audient vocem Filii Dei. Ibi vero ait: *audient, id est, obedient.* Ideo ista resurrectio est ad vitam, illa vero quae futura est, de qua dicit, *audient vocem Filii Dei, audient ut resurgant ad judicium;* non addit hic ad vitam, quia omnes ad gloriam non resurgent, sed multi ad poenam. Ideo addidit [Col. 0814C] de futura resurrectione: *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae;* qui mala egerunt, in resurrectionem judicii, id est, damnationis, quia hic judicium pro poena posuit. Tunc erit ultima pala [*Ms.,* palea], quae separat bonos a malis, triticum a paleis. Tunc ibunt impii in ignem aeternum, justi autem in vitam aeternam. Sequitur autem:

VERS. 30.---*Non possum a me ipso facere quidquam, sed sicut audio, judico, et judicium meum justum est.* Fortassis ideo dixit, non possum a me ipso facere quidquam, quasi dixisset: A me ipso non sum, sed a Patre. Pater enim a nullo alio est, Filius enim a Patre est. Ideo dixit: *Sicut audio, judico, quia unum opus est Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Sicut audit, judicat; audit videlicet per unitatem substantiae [Col. 0814D] et proprietatem scientiae. Non judicat a semetipso, quia non est a semetipso. Pater quippe solus de alio non est, Filius a Patre genitus est, ut diximus. Ab ipso enim audit et Filius, a quo genitus est, quia non est a se ipso, sed ab illo, a quo genitus est. A quo illi est intelligentia, {515} ab illo utique et scientia. Ab illo igitur audientia, quae nihil est aliud quam scientia. Potest quoque hoc ipsum quod dixit, *sicut audio, judico, de humanitatis natura intelligi, quam Dei Filius ex virgine sumpsit.* Cum ageret de resurrectione animarum, non dicebat, *audio,* sed *judico.* Audio enim, tanquam praecipientis [Col. 0815A] Patris imperium. Jam ergo sicut homo, sicut quo major est Pater; jam ex forma servi, non ex forma Dei. *Sicut audio, judico, et judicium meum justum est.* Unde est judicium justum hominis? Quia sequitur: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ista missio, incarnatio est Christi, quae ad hoc facta est ut paterna voluntas in salutem humani generis per eum efficeretur. Videtur enim in hoc loco ex his verbis Salvatoris nostri, velle eum insinuare nobis duas naturas in se esse, et veram habere animam, in qua sola voluntas est [*Ms.,* solet voluntas esse]; quae etiam tanta conjunctione commista est divinitati, ut tota voluntas in ea spiritalis fuerit, non animalis, id est, carnalis. Nam consequenter subjunxit:

[Col. 0815B] VERS. 31.---*Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Sicut in consequentibus dixit: *Si glorifico me ipsum, gloria mea nihil est;* sed qui misit me Pater, ipse me glorificat: sic et hic dictum est: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Et paulo post: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Nunc in se naturam hominis demonstrat; nunc in Dei majestate aequalem se significat Patri; nunc unitatem sibi divinitatis cum Deo Patre vindicans, nunc fragilitatem humanae carnis ostendens; nunc doctrinam suam se non dicere, nunc voluntatem suam se non quaerere: nunc testimonium suum verum non esse, nunc verum esse significans. Nam hic ait: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso,* testimonium [Col. 0815C] meum non est verum; et paulo post: *Et si ego testimonium perhibeo de me, verum est testimonium meum.* Quomodo ergo non [*Ms.,* nunc] est verum testimonium tuum, Domine, nisi secundum fragilitatem carnis? Nam et illud quod dixit: *Non veni* facere voluntatem meam, et *Filius a se nihil potest facere, et alia multa hujusmodi;* quae omnia non infirmant Filium, neque depreciant, nec a Patre disjungunt: siquidem et haec ideo sunt posita, ut vera incarnatio noscatur. Nam quod

dicit: *Ego de Patre exivi, ego in Patre, et Pater in me;* ego et Pater unum sumus, et qui me videt, videt et Patrem; et sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat: vera ejus divinitas approbatur: [Col. 0815D] quia voluntas Patris et Filii, una operatio, una denique gratia, eademque gubernatio est, sicut magister gentium docet ita scribens: *Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo* **(Rom. I, 7)**.

VERS. 32.---*Alius est qui testimonium perhibet de me.* In sequentibus ostendit quis sit ille alius, qui testimonium perhibet de se, ubi ait: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me* **(Joan. V, 37)**. Testimonium Patris est de Filio in baptismo, ubi vox facta est de coelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit* [Ms., *complacui*] **(Matth. XVII, 5)**. Simile quoque testimonium in monte sancto perhibuit Pater, audientibus tribus discipulis de Filio [Col. 0816A] suo. *Et scio quia testimonium ejus verum est.* Omne verum, a veritate verum est: Deus enim veritas est. Et quidquid verum est, a Deo verum est. «
@ [Col. 0815D] S. Aug., tract. XXIII, num. 2, 3. Atque id testimonium dixit, quid sit: *Opera, inquit, quae ego facio, testimonium perhibent de me.* Deinde adjunxit, *Et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Ipsaque opera quae facit, a Patre se accepisse dicit. Testimonium ergo perhibent opera, testimonium perhibet Pater qui misit eum. Perhibuit Joannes testimonium de Christo tanquam lucerna, non ad sanandos [*Aug.,* satiandos] amicos, sed ad confundendos inimicos. Jam antea praedictum erat a persona Patris: *Paravi lucernam Christo meo;* Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem florebit sanctificatio mea **(Psal. CXXXI, 17, 18)**. Esto [Col. 0816B] tanquam in nocte positus, attendisti in lucernam, et miratus es lucernam, et exsultasti ad lumen lucernae. Sed illa lucerna dicit esse solem, in quo exsultare debeas; et quamvis ardeat in nocte, diem te jubet exspectare. Non ergo, quia illius hominis testimonium [*Aug.,* testimonio] non erat opus. Nam ut quid mitteretur, si non erat opus? Sed ne in lucerna [remaneat] homo, et lumen lucernae sibi sufficere arbitretur; ideo Dominus nec lucernam illam superfluam dicit fuisse, nec tamen dicit in lucerna debere {516} remanere. Dicit aliud testimonium Scriptura Dei, ubi utique Deus perhibuit testimonium Filio suo; et in illa Scriptura Judaei spem posuerant, in lege scilicet Dei, ministrata sibi per Moysen famulum Dei. *Scrutamini,* inquit, *Scripturam* **(Joan. III, 39, 40)**, in [Col. 0816C] qua vos putatis vitam aeternam habere. Ipsa testimonium perhibet de me, et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. Quid vos putatis habere in Scriptura vitam aeternam? Ipsum interrogate cui perhibet testimonium, et intelligite quae sit vita aeterna. Et quia propter Moysen videbantur [*Aug.,* volebant] repudiare Christum tanquam adversarium institutis et praeceptis, quae Moyses tradidit, rursus eosdem ipse convincit tanquam de alia lucerna, dicens:

CAPUT XI.

Joannem lucernam appellat. Patrem quoque, et Scripturas de se testimonium perhibere. Judaeos se non recipientes venientem in nomine Patris, alium in nomine suo venturum recepturos. De se autem Moysen scripsisse testatur.

[Col. 0816D] VERS. 33-36.---*Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.*

Ego autem non ab homine accipio testimonium; sed haec dico, ut vos salvi sitis. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis exsultare ad horam in lucem ejus. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Omnes enim homines lucernae sunt, quia et incendi [*Aug.,* accendi] possunt et exstingui. Et lucernae quidem cum sapiunt, lucent, et spiritu fervent. Nam et si ardebant, et exstinctae sunt, etiam putent. Permanserunt autem servi Dei lucernae bonae ex oleo misericordiae illius, non ex viribus suis. Gratia quippe Dei gratuita, illa oleum lucernarum est. *Plus enim illis omnibus laboravi* [Col. 0817A] **(I Cor. XV, 10)**, ait quaedam lucerna: et ne viribus suis ardere videretur, adjunxit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Omnis ergo propheta ante Domini adventum lucerna est, de quo apostolus Petrus dicit: *Habemus certiorem propheticum sermonem;* cui benefacitis intendentes, quemadmodum lucernae lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris **(II Petr. I, 19)**. Lucernae itaque prophetae, et omnis prophetia una magna lucerna. Quid apostoli, nonne lucernae? Etiam ipsi lucernae plane. Sol [*Ms.* et Aug., solus] enim ille, non lucerna. Non accenditur et exstinguitur, sed est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De Joanne dicitur: *Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine* (Joan. I, [Col. 0817B] 8, 9).» De Christo autem: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quid est, quod de Apostolis ipsa Veritas dicit? *Vos estis lux mundi* **(Matth. V, 14)**. Et Joannes [Et de Joanne] evangelista: *Non erat ille lumen.* Nec Joannes per se erat lucerna, nec apostoli per se lumen, sed a lumine Christo ille lucerna, et illi illuminati ab eo, qui est sol verus oriens in cordibus fidelium [*Al.* credentium]. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne.* Opera enim, quae dedit mihi Pater, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit. **(VERS. 37.)** *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Superius dixit: *Testimonium non accipio ab homine.* Hic causam reddit, quare ab homine testimonium non accepisset, quia habet testimonium [Col. 0817C] Patris, et operum testimonia quae sunt majus quam hominum. Ergo haec missio incarnatio est Christi; incarnatio vero Christi, redemptio est nostra; redemptio vero nostra est ipsa Veritas, quae ait [*Ms.,* in ipsa veritate, qua ait]: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Subjunxit vero huic testimonio Patris de ipso Patre, quod Judaei vel magi, omnesque infideles, excaecatis mentibus veritatem divinitatis non possunt accipere, dicens:

VERS. 38.---*Neque enim vocem ejus audistis unquam, neque speciem ejus vidistis;* et verbum ejus non habetis in vobis manens. Dicit apostolus: *Non enim auditores legis justificati sunt, sed factores verbi Dei* **(Rom. II, 13)**. Id est Filius Dei non manet in eorum cordibus, quia non servant quae audiunt. Quod vero [Col. 0817D] ait: *Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis.* In hoc ostendit substantiam divinitatis in comprehensibilem esse, et invisibilem, et vocem ejus non carnalibus audire {517} potuisse auribus, sed spiritali intelligentia per gratiam sancti Spiritus intelligere vel amare, secundum quod unicuique datum erit. **(VERS. 39.)** *Quia, quem misit ille, huic vos non creditis.* Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt quae testimonium perhibent de me, **(VERS. 40)** *et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.* Non vultis venire, id est, non vultis credere, quia impossibile est sine fide Deo placere **(Hebr. XI, 6)**. Venire nostrum est ad Christum, id est, credere illum verum Filium Dei, et veram nos [Col. 0818A] per illum habere salutem. Omnis enim

Scriptura sancta testimonium perhibuit Christo, sive per figuras, sive per prophetas, sive per angelorum ministeria. Ergo et Moyses perhibuit testimonium Christo, et Joannes perhibuit testimonium Christo, et caeteri prophetae, et apostoli perhibuerunt testimonium Christo. His omnibus testimoniis praeponit testimonium operum suorum, quia per illa non nisi Deus perhibuit testimonium filio suo.

VERS. 41.---*Claritatem ab hominibus non recipio.* Id est, laudem humanam non quaero, quia non veni ministrari, sed ministrare; id est, non veni ut honorem ab hominibus acciperem carnalem, sed ut honorem hominibus darem spiritalem. **(VERS. 42.)** *Sed cognovi vos,* quia dilectionem Dei non habetis in [Col. 0818B] vobis. Ideo dilectionem Dei non habuerunt, quia non crediderunt in eum [*Ms.,* in eo], qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. Ideo subjunxit: **(VERS. 43)** *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me.* Id est, non credidistis in me, quia ideo veni [*Ms.,* veniebam] in mundum, ut glorificaretur nomen Patris. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Quis est qui venit in nomine suo, nisi ille qui gloriam propriam quaerit, et non illius qui misit illum? Quis est quem accepturi erunt Judaei, nisi Antichristum, qui venturus est gloriam propriam quaerere? Et hoc erit illis poena peccati, quia noluerunt veritati credere, ut crederent mendacio [*Ms.,* et credent mendacium] **(II Thess. II)**.

[Col. 0818C] VERS. 44.---*Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ad invicem accipitis;* et gloriam, quae est a solo Deo, non quaeritis? Considerandum est intentius quantum sit jactantia et humanae laudis ambitio malum, pro quo ipsa Veritas ait, credere non posse quosdam, quia saecularis gloriae cupidi erant. Quae est humanae laudis cupiditas, nisi superbae mentis elatio? Vult de se homo aestimari, quod in se habere non studet. Alter est interius, alter foris [*Ms.,* foras] videri desiderat. Humilitas vero gloriam quaerit a solo Deo, superbia ab hominibus. Inde Joannes Baptista ab ipsa Veritate tam excellenter laudatus est, ut non esset arundo vento agitata **(Matth. XI, 7)**: quia non humanae laudis, nec odiosae vituperationis aura flante, flexibilis fuit. Ideo gloriam habuit a Deo Christo, quia gloriam [Col. 0818D] non quaesivit humanam. (VERS. 45, 46.) *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem.* Est, qui accusat vos Moyses, de [Ms., *in*] quo vos maxime speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Ideo non accuso, quia non veni damnare, sed salvare; Moyses vero accusat, quia increduli estis voci illius. De me ille scripsit, dum ait: *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis eum* **(Deut. XVIII, 15; Actor. III, 22, 23)**. Quid vero sequatur, attendite. *Et erit omnis anima, quae non obedierit Prophetae illi, exterminabitur de populo Dei.* **(VERS. 47.)** *Si enim illius litteris non creditis, quomodo meis credetis verbis? Quidquid enim lex et* [Col. 0819A] [*Ms.,* vel] prophetae scripserunt, omnia Christum venturum esse designabant. Si enim Judaei legi vel prophetis credidissent, [credidissent] utique et Christo.

Post haec verba mystica, et profundissimae intelligentiae Domini nostri Jesu Christi, quibus partim suae divinitatis, partim et humanitatis arcana mysteria, vel tunc audientibus, vel nunc legentibus demonstrare voluit, quinque panum miraculo seipsum ostendere, quis esset, studuit. Idcirco consequenter evangelista adjunxit:

CAPUT XII. *Appropinquante Judaeorum Pascha de quinque panibus, et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit.* Pro quo signo cum regem vellent eum facere, fugit in montem. Dehinc ambulans super mare paventibus ait discipulis: Ego sum, nolite timere.[Col. 0819B]

CAPUT VI. VERS. 1, 2.

---*Post haec abiit Jesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et sequebatur illum multitudo maxima, quia videbant signa quae fiebant super his qui infirmabantur* [Ms., *quae faciebat super infirmos*]. Abiit Jesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis. «
@ Ex Bedae hom. 21, in Quadragesima, Patrol. tom. XCIV, col. 110. Primo dicendum juxta historiam, quia mare Galilaeae, quod multis pro diversitate circumjacentium regionum vocabulis distinguitur, illis tantum in locis mare Tiberiadis vocabatur [*Ms.,* vocatur], ubi Tiberiadem civitatem aquis, ut aiunt, calidis salubrem habitationem ab occidente praemonstrat. Siquidem interfluente Jordane, duo de viginti passuum millibus in longum, et quinque extenditur [Col. 0819C] in latum. Mystice autem mare, turbida ac tumentia saeculi hujus volumina significat; in quibus pravi quilibet injuste delectati, quasi profundis dediti pisces, mente [*Ms.,* mentem] ad superna gaudia non intendunt. Unde bene idem mare Galilaeae, id est, rota cognominatur, quia nimirum amor labentis saeculi quasi in vertiginem [*Al.,* voraginem] corda mittit, quae ad perennis vitae desideria non permittit erigi. De qualibus Psalmista: *In circuitu, inquit, impii ambulant* **(Psal. XI, 9)**. Sed abeuntem trans mare Galilaeae Jesum multitudo maxima sequebatur, quae doctrinae, sanationis et refectionis ab eo coelestis munere summa [*Beda, summa munera*] perciperet. Quia priusquam Dominus in carne appareret, sola illum gens Judaea sequebatur credendo; postquam [Col. 0819D] vero per incarnationis suae dispensationem fluctus vitae corruptibilis adiit, calcavit, transiit, maxima mox eum multitudo credentium secuta est nationum, spiritaliter instrui, sanari, ac satiari desiderans, et cum Psalmista deprecans: *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam* **(Psal. CXLII, 9, 10)**. Et iterum: *Miserere mihi* [Al., *mei*], Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea **(Psal. VI, 3)**. Et iterum de percipiendis ab eo vitae perpetuae alimoniis confisa: *Dominus,* inquit, *pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit* **(Psal. XXII, 1, 2)**.

[Col. 0820A] VERS. 3, 4.---*Subiit ergo Jesus in montem, et ibi sedebat cum discipulis suis.* Erat autem proximum Pascha dies festus Judaeorum. Quod autem subiens in montem Jesus, ibi sedebat cum discipulis suis; sed veniente ad eum multitudine descendit, atque hanc in superioribus [*Ms.,* inferioribus] reficit, quam in inferioribus paulo ante curaverat, nequaquam frustra factum credamus, sed ad significandum mystice quia doctrinam et charismata sua Dominus juxta percipientium capacitatem distribuit, infirmis quidem adhuc mentibus ac parvulis spiritu simpliciora monita committens et apertiora credens sacramenta; celsioribus autem quibusque, et perfectioribus sensu, secretiora suae majestatis arcana reserans, arctiora devotae conversationis itinera

suggerens, et [Col. 0820B] altiora praemiorum coelestium dona promittens. Denique cuidam sciscitanti quid faciens vitam aeternam possideret, quasi inferius adhuc posito communia suae dona largitatis impendit dicens: *Non occides, non moechaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum et matrem.* Cui postmodum majora quaerenti, et velut ad montem virtutum ascendere cupienti, *si* vis, inquit, *perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me* **(Matth. XIX, 18, 19, 21)**. Cujus discretionem moderaminis, non per se solum Dominus in carne docens exhibuit, verum nunc quoque per verbi sui ministros exhibere non cessat Unde de eisdem sub unius boni servi persona testatur quia dare debeant conservis [Col. 0820C] in tempore tritici mensuram, id est, pro captu audientium, opportune et mensurate verbi dapes suggerere **(Luc. XII, 42)**. Quod vero propinquante Pascha Dominus turbas docet, et sanat, et reficit, possumus ita mystice interpretari, quia Pascha transitus dicitur; et quoscunque Dominus in terra munerum suorum {519} suavitate recuperat, ad salubrem profecto transitum praeparat, ut carnales videlicet concupiscentias mentis sublimitate transcendant; infima mundi desideria, prospera pariter et adversa, coelesti spe et amore conculcent; et si necdum anima vel carne ad superna valent pertingere, quia hoc nimirum in futuro promittitur; quidquid tamen carnales quasi altum amplecti conspiciunt, comparatione [Col. 0820D] aeternorum, quasi nihili despiciant, juxta exempla [*Ms.,* exemplum] illius, qui videns impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani, transiit temporalia, contemplando aeterna, et quasi jam non esse videbat, quem cito tollendum praevidebat **(Psal. XXXVI, 35)**.

VERS. 5, 6, 7.---*Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum:* Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondens autem Philippus dixit ei: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Quod [Col. 0821A] sublevasse oculos Jesus, et venientem ad se multitudinem vidisse perhibetur, divinae pietatis indicium est: quia videlicet cunctis ad se venire quaerentibus, gratia misericordiae coelestis occurrere consuevit; et ne quaerendo errare possint, lucem sui spiritus aperire currentibus [*Ms.,* quaerentibus]. Nam quod oculi Jesu dona Spiritus ejus mystice designent, testatur in Apocalypsi Joannes, qui figurate de illo loquens: *Et* vidi, inquit, *agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram* **(Apoc. V, 6)**. Quod tentans Philippum Dominus, *unde, inquit, ememus panes, ut manducent hi;* provida utique dispensatione facit, non ut ipse, quae non noverat, discat, sed ut Philippus tarditatem suae fidei, quam [Col. 0821B] magistro sciente ipse nesciebat, tentatus agnoscat, et miraculo facto castiget. Neque enim dubitare debuerat praesente rerum creatore, qui educit panem de terra, et vinum [*Beda, vino*] laetificat cor hominis **(Psal. CIII, 15)**, paucorum denariorum panes sufficere turbarum millibus, non paucis, ut unusquisque sufficienter acciperet, et jam saturatus abiret.

VERS. 8-11.---*Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:* Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces. Sed haec quid sunt inter tantos? Dicit ergo ei Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo panes Jesus, et

cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter et ex piscibus, [Col. 0821C] quantum volebant. Quinque autem panes, quibus multitudinem populi saturavit, quinque sunt libri Moysi, quibus spiritali intellectu patefactis, et abundantiori jam sensu multiplicatis, auditorum fidelium quotidie corda reficit. Qui bene hordeacei fuisse referuntur, propter nimirum austeriora legis edicta, et integumenta litterae grossiora [*Beda, grossioris*], quae interiorem intelligentiam spiritalis sensus quasi medullam celabant. Duo autem pisces quos addidit, psalmistarum non inconvenienter et prophetarum scripta significant, quorum uni canendo, alteri [*Beda, unum . . .* alterum] colloquendo, suis auditoribus futura Christi, et Ecclesiae sacramenta narrabant. Et bene per aquatilia animantia figurantur illius aevi praecones; in quo populus fidelium sine [Col. 0821D] aquis baptismi vivere nullatenus posset.» Sunt, qui putant, duos pisces qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet et sacerdotalem; ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat; quarum officium erat procellosis fluctibus popularibus nunquam frangi atque corrumpi; et violentas turbarum contradictiones tanquam adversantes undas saepe disrumpere, interdum eis custodita sua integritate cedere; prorsus more piscium, tanquam in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione versari. Quae tamen duae personae Dominum nostrum praefigurabant; ambas enim solus ille sustinuit, et non [Col. 0822A] figurate, sed proprie solus implevit. «Puer, qui quinque panes et duos pisces habuit, nec tamen hos esurientibus turbis distribuit, sed Domino distribuendos obtulit, populus est Judaeorum, litterali sensu puerilis, qui Scripturarum dicta clausa secum tenuit, quae tamen Dominus in carne apparens accepit, et quid intus haberent utilitatis ac dulcedinis, ostendit; quam multiplici spiritus gratia, quae pauca ac despecta videbantur, {520} exuberarent, patefecit; et haec per apostolos suos, apostolorumque successores, cunctis nationibus ministranda porrexit. Unde bene alii evangelistae referunt, quia panes et pisces Dominus discipulis, discipuli autem ministraverunt turbis **(Matth. XIX; Luc. IX; Marc. VI)**. Cum enim ministerium humanae salutis initium accepisset enarrari [Col. 0822B] per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmatum est. Quinque siquidem panes, et duos pisces fregit, et distribuit discipulis, quando aperuit illis sensum, ut intelligerent omnia quae scripta essent in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de ipso **(Luc. XXIV)**. Discipuli apposuerunt turbis, quando profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis **(Marc. XVI, 20)**. Fenum, in quo discumbens turba reficitur, concupiscentia carnalis intelligitur, quam calcare ac premere debet omnis qui spiritalibus alimentis satiari desiderat. *Omnis enim caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni* **(Isai. XL, 6)**. Discumbat ergo super fenum, florem feni conterat, id est, castiget corpus suum, et servituti subjiciat **(I Cor. IX, 27)**; voluptates [Col. 0822C] carnis edomet, luxuriae fluxa restringat, quisquis panis vivi cupit suavitate refici, quisquis supernae gratiae dapibus renovari, ne infima vetustate deficiat, amet. Quinque millia virorum qui manducaverunt, perfectionem vitae eorum qui verbo reficiuntur [*Beda, perfectionem eorum, qui verbo vitae reficiuntur*], insinuant. Virorum quippe nomine solent in Scripturis perfectiores quique figurari, quos feminea mollities nulla corrumpit: quales esse cupit eos, quibus dicit apostolus: *Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini* **(I Cor. XVI, 13)**. Millenarius autem numerus, ultra quem nulla nostra computatio succrescit, plenitudinem rerum de quibus agitur indicare consuevit. Quinario vero numero quinque notissimi corporis

nostri sensus exprimuntur, [Col. 0822D] visus videlicet, auditus, gustus, olfactus et tactus. In quibus singulis quicunque viriliter agere, et confortari satagunt, sobrie, et juste, et pie vivendo, ut coelestis sapientiae mereantur dulcedine recreari; hi nimirum quinque millibus virorum, quos Dominus mysticis dapibus satiavit, figurantur. Nec praetereundum quod refecturus multitudinem gratias egit. Egit quippe gratias, ut et nos de perceptis coelitus muneribus gratias semper agere doceret, et ipse quantum de nostris profectibus gratuletur, de nostra spiritali refectione gaudeat, intimaret. Vultis etenim nosse, fratres, quantum Salvator noster nostrae gaudeat saluti? Narrat evangelista Lucas, dedisse eum discipulis potestatem calcandi supra omnem virtutem [Col. 0823A] inimici, eorumque nomina scripta indicasse in coelis **(Luc. X, 19, 20)**; et statim infert: *In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto, et dixit:* Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis **(Luc. X, 21; Matth. XI, 25)**. Claret ergo, quia saluti ac vitae fidelium congratuletur, qui Patrem gratias agendo collaudat, quod ea quae superbientibus abscondit, humilibus spiritu secreta revelavit.

VERS. 12.---*Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis:* Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant. Quod autem saturata multitudine, jussit discipulos colligere quae superaverunt fragmentorum, ne perirent, hoc profecto signat quia pleraque sunt arcana divinorum eloquiorum, quae vulgi sensus non capit; [Col. 0823B] nonnulla, quae per se quidem minus docti assequi nequeunt, sed a doctoribus exposita mox intelligere queunt. Haec ergo necesse est, ut qui valent, diligenter scrutando colligant, et ad eruditionem minorum suo dicto vel scripto faciant pervenire, ne alimenta verbi illorum desidia pereant, plebibusque tollantur, qui haec Domino donante interpretando colligere norunt. Sequitur: **(VERS. 13)** *Collegerunt* ergo, inquit, *et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his qui manducaverant.* Quia duodenario numero solet perfectionis cujuslibet summa figurari, recte per duodecim cophinos fragmentorum plenos, omnis doctorum spiritalium chorus exprimitur, qui obscura Scripturarum, quae [per se] turbae nequeunt, [Col. 0823C] et meditando colligere, [et meditata] et mandata litteris suo pariter ac turbarum usui conservare jubentur. Hoc ipsi fecere apostoli et evangelistae, non pauca legis et prophetarum dicta, mystica suis interpretatione addita inserendo opusculis; hoc sequaces eorum Ecclesiae toto orbe magistri, etiam integros nonnulli utriusque {521} Testamenti libros, diligentiori explanatione discutiendo: qui quamlibet hominibus despecti, coelestis tamen gratiae sunt pane fecundi. Nam servilia cophinis solent opera fieri, unde de populo, qui in luto ac lateribus serviebat in Aegypto, dicit Psalmista: *Manus ejus in cophino servierunt* **(Psal. LXXX, 7)**.

VERS. 14.---*Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant:* Quia hic est vere propheta, [Col. 0823D] qui venturus est in mundum. Recte quidem dicebant Dominum prophetam magnum, magnae salutis praeconem jam mundo futurum. Nam et ipse prophetam se vocare dignatur, ubi ait: *Quia non capit prophetam perire extra Jerusalem* **(Luc. XIII, 33)**. Sed necdum plena fide proficiebant, qui hunc etiam Deum dicere nesciebant. Ergo illi videntes signum quod fecerat Jesus, dixerunt: *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Nos certiori agnitione veritatis et fidei, videntes mundum quem fecit Jesus, et signa quibus illum replevit, dicamus: Quia hic est

vere mediator Dei et hominum **(I Tim. II, 5)**, qui in mundo [Col. 0824A] erat [*Beda, qui mundum implet*] divinitate, et mundus per ipsum factus est; qui in propria venit humanitate, quaerere et salvare quod perierat **(Joan. I)**, ac recreare mundum quem fecerat; qui cum suis fidelibus per praesentiam divinitatis est in mundo, omnibus [diebus] usque ad consummationem saeculi

@ [Col. 0823D] Hucusque Beda..» **(VERS. 15.)** *Jesus autem cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* «

@ [Col. 0823D] S. Aug., tract. XXV, num. 1, 2. Datur ergo intelligi quod Dominus cum sederet in monte cum discipulis suis et videret turbas ad se venientes, descenderat de monte et circa inferiora loca turbas paverat. Nam quomodo fieri potest ut rursus illuc fugeret, nisi ante de monte descenderet? Significat ergo aliquid, quod Dominus de alto descendit ad pascendas turbas. Pavit et ascendit. [Col. 0824B] Quare ascendit, cum cognovisset quod vellent eum rapere et regem facere? Quid enim? Non erat rex, qui timebat fieri rex? Erat omnino; nec talis rex qui ab hominibus fieret, sed talis qui hominibus regnum daret. Nunquid forte et hic aliquid significat nobis Jesus, cujus facta verba sunt? Ergo in hoc quod voluerunt eum rapere et regem facere, et propter hoc fugit in montem ipse solus, hoc in illo [*Ms.,* ipso] factum tacet, nihil loquitur, nihil significat? An forte hoc erat rapere eum, praevenire velle tempus regni ejus? Etenim venerat modo, non jam regnare, quomodo regnaturus est in eo quod dicimus: *Adveniat regnum tuum.* Semper quidem ille cum Patre regnat, secundum quod est Filius Dei, Verbum Dei, Verbum per quod facta sunt omnia. Praedixerunt autem prophetae [Col. 0824C] regnum ejus, etiam secundum id quod homo factus est Christus, et fecit fideles suos Christianos. Erit ergo regnum Christianorum, quod modo colligitur, quod modo commoratur [*Al.* et Aug., comparatur], quod modo emitur sanguine Christi; erit aliquando manifestum regnum, quando erit aperta claritas sanctorum ejus, post judicium ab eo factum: quod judicium superius ipse dixit, quod Filius hominis facturus sit; de quo regno etiam Apostolus dicit: *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* **(I Cor. XV, 24)**. Unde etiam ipse dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi* **(Matth. XXV, 34)**. Discipuli autem et turbae credentes in eum, putaverunt illum sic venisse ut jam regnaret: hoc est velle rapere et regem facere, praevenire [Col. 0824D] velle tempus ejus, quod ipse apud se occultabat, ut opportune proderet et opportune in fine saeculi declararet.

@ [Col. 0824D] Ibidem, num. 4. Quare autem dictum est, *fugit? Neque enim si nollet teneretur, si nollet raperetur, qui si nollet, nec agnosceretur.* » Sed hoc significative factum est. Solus fugit, ne carnaliter regnaret, quia solus ascendit in coelum, unde spiritaliter regnaret in sanctis suis **(Hebr. IX)**. «*Fugit in montem ipse solus, primogenitus a mortuis, ascendens super omnes coelos, et interpellans pro nobis.*» Quem sacerdos significat semel in anno sancta sanctorum ingrediens, non sine sanguine, ut interpellaret pro populo. Sic rursus [Col. 0825A] [*Ms.,* sursum] posito solo in monte magno, qui intravit in interiora veli, foris populo constituto. Sed videamus quid illo intra velum coelestis altitudinis morante, quid discipuli in navicula patiebantur? Quid est navicula quae a fluctibus jactabatur, nisi Ecclesia, quae persecutionibus fatigatur et foris et intus? Foris a paganis aperta persecutione: intus a falsis fratribus occulta seditione. Ideo addidit:

{522} VERS. 16, 17.---*Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare,*

et cum ascendissent naviculam, venerunt trans mare in Capharnaum. «
@ [Col. 0825D] S. Augustinus, loc. cit. num. 5. Cito dixit finitum, quod postea factum est. *Venerunt trans mare in Capharnaum.* Et redit, ut exponat quomodo venerunt, quia per stagnum navigantes transierunt. Et cum navigarent ad eum locum quo [Col. 0825B] eos venisse jam dixit, recapitulando exponit quid acciderit: **(VERS. 18)** *Tenebrae jam factae erant, et non venerat ad illos Jesus.* Mare autem vento magno flante exsurgebat. Merito tenebrae, quia lux non venerat. Tenebrae jam factae erant, et non venerat ad illos Jesus; quia, quantum propius accedit finis mundi, tanto vehementius crescunt errores, crebrescunt terrores, crescit iniquitas, crescit infidelitas. Lux denique quae charitas apud Joannem ipsum evangelistam satis aperteque monstratur, ita ut diceret: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est* **(I Joan. II, 11)**, creberrime exstinguitur» refrigescente charitate, abundante iniquitate. Ipsi sunt fluctus navem turbantes: tempestas et venti clamores sunt maledictorum. Inde charitas refrigescit, inde fluctus augentur. Turbabatur [Col. 0825C] navis, vento magno flante mare exsurgebat; tenebrae crescebant, intelligentia minuebatur, iniquitas augebatur. Tamen inter haec omnia navis ibat ad terram, properabat, portum quaerebat. Ita inter omnia tentamentorum genera, Ecclesia proficit; laborat, sed non mergitur. Christum exspectat, quando per eum ad portum perveniat tranquillitatis.

VERS. 19, 20.---*Cum ergo remigrassent stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem super mare, et proximum navi fieri.* Et timuerunt. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. «
@ [Col. 0825D] Ibid. num. 6. Crescunt fluctus, augentur tenebrae, saeviunt tempestates; sed tamen navis ambulat, quia qui perseveraverit in finem, hic salvus erit **(Matth. X, 22)**. Nec ipse stadiorum numerus contemnendus esse videtur. Et quare [Col. 0825D] dixit [*Ms.,* dixisset] evangelista: *Quasi stadiis viginti quinque aut triginta? Sufficeret dicere: viginti quinque,* aut *triginta;* nisi quod hos numeros aestimantis voce, non affirmantis protulit idem evangelista. Quaeramus ergo numerum. Viginti quinque unde constant, unde fiunt? De quinario. Quinarius ille numerus ad legem pertinet. Ipsi sunt quinque libri Moysi, ipsi sunt quinque porticus illi [*Ms.,* illae] languidos continentes, ipsi quinque panes quinque millia hominum pascentes. Ergo legem significat numerus viginti quinque, quoniam quinque per quinque, id est, quinquies quini, faciunt viginti quadrato numero, quinario superaddito [Col. 0826A] [*Ms.* et Aug., faciunt viginti quinque, quadratum quinarium]. Sed huic legi, antequam Evangelium veniret, deerat perfectio. Perfectio autem in senario numero comprehenditur.» Nam senarius numerus perfectus est, et partibus suis implebitur [*Ms.,* impletur]. Id est, unum, duo, tres. Nec aliae partes in eo inveniri possunt, nec illae partes conjunctae aliud quid [*Al.,* aliquid] conficere possunt, nisi senarium numerum. Propterea sex diebus Deus mundum perfecit, et quinque ipse per sex multiplicantur, ut lex per Evangelium adimpleatur, ut fiant sexies quini, triginta. Ad eos ergo [*Al.,* igitur], qui implent legem, venit Jesus. Et quomodo venit? Calcans fluctus, omnes tumores mundi sub pedibus habens, omnes celsitudines saeculi premens. «
@ [Col. 0826D] Ibid. num. 7. Et tamen [Col. 0826B] tantae sunt tribulationes, ut etiam ipsi qui crediderunt in Jesum, et qui conantur perseverare, expavescant nec [*Ms.* et Aug., ne] deficiant, Christo fluctus calcante saeculi. Cur timet Christianus, dum Christus loquitur? *Ego sum, nolite timere.* Confidite, ego vici mundum **(Joan. XVI)**.

VERS. 21.---*Voluerunt ergo eum accipere in navi.* Agnoscentes ac gaudentes, securi facti. *Et statim fuit navis ad terram, in quam ibant.* Factus est finis ad terram, de humido ad solidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem,» id est, ad perfectam tranquillitatem, quae non erit nisi in portu aeternae serenitatis. Ibi tota charitas, et nulla iniquitas, tota felicitas, et nulla perturbatio, ubi sine fine regnabunt, qui hic fortiter usque in finem vitae suae laborant.

[Col. 0826C] VERS. 22, 23.---*Altera die turba quae stabat trans mare, vidit quia alia navicula non esset ibi nisi una, et quia non introiisset Jesus cum discipulis suis in navem, sed soli discipuli ejus abiissent.* Aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agentes Deo.

{523}
CAPUT XIII. *A turbis quaesitus, et inventus ait:* Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. *Et panem de coelis se dicit verum, vitamque mundi.*

VERS. 24.---*Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt in Capharnaum quaerentes Jesum.* «
@ [Col. 0826D] S. Aug. loc. cit. num. 8, 9, 10. Insinuatum est tamen illis tam magnum miraculum. [Col. 0826D] Viderunt enim quod discipuli soli ascendissent in navem, et quia navis non erat ibi. Venerunt autem inde, et naves juxta locum illum ubi manducaverunt panem, in quibus eum turbae secutae sunt. Cum discipulis ergo non ascenderat: alia navis illic non erat. Unde subito trans mare factus est Jesus, nisi quia super mare ambulavit, ut miraculum monstraret? *Et cum invenissent eum turbae.* Ecce praesentat se turbis, a quibus rapi timuerat, et in montem fugerat; omnino confirmans et insinuans nobis in mysterio dicta esse illa omnia: et facta in magno sacramento, ut aliquid significarent. Ecce adest ille qui [Col. 0827A] in montem fugerat turbas; nonne cum ipsis turbis loquitur? modo teneant, modo regem faciant.

VERS. 25.---*Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei:* Rabbi, quando huc venisti? Ille post miraculi sacramentum, et sermonem infert, ut si fieri potest, qui pasti sunt, pascantur, et quorum satiavit panibus ventrem, satiet sermonibus mentem, sed sic, ut capiant; et si non capiunt, sumant quod capiant [*Aug.,* sumatur quod non capiunt], ne fragmenta pereant. Loquatur ergo Dominus, et audiamus [quod sequitur]: **(VERS. 26)** *Respondit Jesus, et dixit eis:* Amen amen dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, et saturati estis. Propter carnem me quaeritis, non propter spiritum. Quam multi non quaerunt Jesum, nisi ut illis faciat [Col. 0827B] bene secundum tempus! Alius negotium habet, quaerit intercessionem clericorum; alius premitur a potente, refugit [*Ms.,* a potentiore fugit] ad Ecclesiam; alius vult pro se interveniri apud eum contra quem [*Aug.,* apud quem] parum valet: ille sic, iste vero sic; impletur quotidie talibus Ecclesia: vix quaeritur Jesus propter Jesum. *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.*

VERS. 27.---*Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Quaeritis me propter aliud, quaerite me propter me. Seipsum enim insinuat istum cibum, qui [*Al.,* quod] in consequentibus illucescit, *quem Filius hominis dabit vobis.*

Exspectabas, credo, iterum panes manducare, iterum discumbere, iterum saginari. Sed [*Al.,* semetipsum] dixerat, [Col. 0827C] *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.*» Superius diximus navem Ecclesiam Christi significare, quae tempestatibus hujus saeculi turbatur, et laborantes in se portat [*Ms.,* in ea hortatur], ut viriliter laborent, donec Christus comprimat fluctus persecutionum, et reddat serenitatem. Hic vero dicit: *Altera die turba, quae stabat trans mare, vidit quia alia navicula non erat ibi nisi una.* Quid est altera die turbam stare super mare, nisi post ascensionem Christi turba stans in operibus bonis, non jacens in terrenis volutabris, sed exspectans unde veniat ad eos Jesus? Et hic una navis dicitur, sicut prius una fuit Ecclesia Christi, in qua ille praesentialiter corpore versabatur: nunc quoque una est, quae similiter in spe exspectat adventum illius. Sed quid est quod [Col. 0827D] aliae naves venerunt a Tiberiade, nisi haereticorum conventicula, quae Jesum non sincera fide quaerunt; quae sub dolo calliditatis sua quaerunt, non quae sunt Jesu **(Philip. II, 21)**. Unde consequenter respondit eis Jesus: *Amen amen dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* De illis vero qui saturati sunt, in alio dicit Evangelio: *Vae vobis, qui saturati estis* **(Luc. VI, 25)**. De esurientibus vero vitae panem et justitiae cognitionem, dicitur: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* **(Matth. V, 6)**; ad quem cibum hortabatur eos in sequenti mox Christus sermone dicens: *Operamini* [Col. 0828A] non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. Carnalis cibus perit, spiritalis vero permanet, quem Filius hominis vobis dabit.

{524} *Hunc ergo Pater significavit* [Al., *signavit*] Deus. «
@ [Col. 0827D] S. Aug. loc. cit. num. 11. Istum filium hominis nolite sic accipere, quasi alios filios hominis, quibus dictum est: *Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt* **(Psal. XXXV)**. Iste filius hominis sequestratus quadam gratia Dei est a caeteris filiis hominum. Iste filius hominis, exceptus a numero hominum, filius hominis est. Iste filius hominis et Filius Dei est, iste homo, etiam Deus est.» Unde et ipsa Veritas quae tunc loquebatur ad Judaeos et nunc omnibus loquitur per evangelicae praedicationis verba, et quis sit ostendit, non qualem esse plurimi tunc aestimaverunt, vel [Col. 0828B] etiam nunc aestimant. Subjunxit vero: *Hunc enim Deus Pater significavit* [Ms., *signavit*]. «Signare quid est, nisi proprium aliquid ponere? Hoc est signare, ponere aliquid, quod [*Ms.,* quo] non confundatur cum caeteris. Signare est signum rei ponere. Cuicunque rei ponis signum, ideo ponis signum ne confusa cum aliis a te non possit agnosci. *Pater ergo eum signavit.* Quid est *signavit? proprium quiddam illi dedit, ne caeteris compararetur hominibus, ideo dictum est: Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis, prae participibus tuis* **(Psal. XLIV, 8)**. Ergo signare quid est? exceptum habere; hoc est prae participibus tuis. Itaque nolite, inquit, me contemnere, quia filius hominis sum, et quaerite a me cibum, *non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Sic enim filius [Col. 0828C] hominis sum, ut non sim unus ex vobis; sic sum filius hominis, ut Deus Pater me signaret. Quid est signare? proprium aliquid mihi dare, quo non confunderer cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum.

VERS. 28.---*Dixerunt ergo ad eum:* Quid faciemus, ut operemur opera Dei?
@ [Col. 0828D] Ibidem, num. 12, 13. Dixerat enim illis: *Operamini escam, non quae perit, sed quae permanet in vitam aeternam.* Quid faciemus, inquiunt? quid observando, hoc praeceptum implere poterimus? (VERS. 29.) *Respondit Jesus, et dixit eis:* Hoc est opus

Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in aeternum [*Ms.,* in vitam aeternam]. Ut quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti. Discernitur [Col. 0828D] quidem ab operibus fides, sicut Apostolus dicit, *justificari hominem per fidem, sine operibus legis* **(Rom. III, 28)**. Et sunt opera quae videntur bona sine fide Christi, et non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt omnia bona. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* **(Rom. X, 4)**. Ideo noluit discernere fidem ab opere, sed ipsam fidem dixit esse opus. Ipsa est enim fides, quae per dilectionem operatur **(Gal. V, 6)**. Nec dixit: Hoc est opus vestrum; sed dixit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille, ut qui gloriatur, in Domino glorietur* **(I Cor. I, 31)**. Quia ergo invitabat eos ad fidem, [Col. 0829A] illi adhuc quaerebant signa quibus crederent. Vide si non Judaei signa petunt? **(VERS. 30.)** *Dixerunt ergo ei, quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? Parumne erat quod de quinque panibus pasti sunt? Sciebant hoc quidem, sed huic cibo manna de coelo praeferebant.* Dominus autem Jesus talem se dicebat, ut Moysi praeponeretur. Non enim ausus est Moyses de se dicere quod daret *cibum, non qui perit, sed qui habet vitam aeternam* [Aug., *qui permanet in vitam aeternam*]. Aliquid plus promittebat Dominus quam Moyses. Per Moysen quippe promittebatur regnum, et terra fluens lac et mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, et caetera omnia temporalia quidem, in figura tamen spiritalia, qui [*Ms.,* et quia] veteri homini in [Col. 0829B] veteri testamento promittebatur [*Aug.,* promittebantur]. Attendebant autem promissa per Moysen [*Al.,* per Christum Moysi], et attendebant promissa per Jesum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, sed cibum [*Aug.,* cibo] qui perit; iste promittebat *cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Attendebant enim [*Al.,* autem; *ms.* et Aug., eum] plus promittentem, et quasi nondum videbant majora facientem. Attendebant utique qualia fecisset Moyses, et adhuc aliqua majora volebant fieri ab eo, qui tam magna pollicebatur. *Quid,* inquiunt, *facis, ut credamus tibi? Et ut noveritis, quia miracula illa huic miraculo comparabant, et ideo quasi majora ista judicabant, quam* [*Ms.* et Aug., quasi minora ista judicabant, quae] quae faciebat Jesus.

[Col. 0829C] VERS. 31.---*Patres* nostri, inquiunt, *manna manducaverunt in deserto.* Sed quid est manna? forte contemnitis; sicut scriptum est: *Dedit illis manna manducare.* Per Moysen patres nostri panem de coelo acceperunt, et non eis datum [*Ms.* et Aug., dictum] est a Moyse: *Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam aeternam, et tu non talia operaris, qualia Moyses.* Panes hordeaceos ille non dedit, sed manna de {525} coelo. (VERS. 32, 33.) *Dixit ergo eis Jesus:* Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dedit vobis panem de coelo. Verus *enim panis est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo.* Verus ergo ille panis est, qui dat vitam mundo, et ipse cibus est, de quo paulo ante locutus sum: *Operamini cibum, qui non perit,* [Col. 0829D] sed qui permanet in vitam aeternam. Ergo et illud manna hoc significabat, et illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis; quod significabant [*Aug.,* qui significabatur], contemnitis. Non ergo Moyses dedit panem de coelo; Deus dat panem; sed quem panem? forte manna? non; sed panem, quem significavit manna, ipsum scilicet Dominum Jesum. *Pater meus dat vobis panem verum.* Panis verus Dei est, qui descendit de coelo, et dat vitam mundo.

VERS. 34.---*Dixerunt ergo ad eum:* Domine, semper da nobis panem hunc. Quomodo mulier [illa] Samaritana, cui dictum est, *Qui biberit de hac aqua, non sitiet unquam, continuo illa secundum corpus accipiens,* [Col. 0830A] sed tamen carere indigentia volens; *Da, inquit, mihi, Domine, de hac aqua;* sic et isti, *Domine, da nobis panem hunc, qui nos reficiat, nec deficiat.*

CAPUT XIV.

Panem vitae se dicit, et resurrecturos credentes in se in novissimo die.

VERS. 35---*Dixit ergo eis Jesus:* Ego sum panis vitae [Ms., *vivus*]. Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.
@ [Col. 0829D] Vide S. Aug. loc. cit., num. 14, 15, 16, 18, 19. *Qui venit ad me,* hoc est quod ait, *et qui credit in me:* et quod dixit, *non* esuriet, hoc intelligendum est, *non sitiet unquam.* Utroque enim illa significatur aeterna satietas, ubi nulla est egestas. Panem de coelo desideratis, ante vos habetis, et non manducatis. **(VERS. 36)**. *Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non credidistis* (Rom. III, [Col. 0830B] 3). Sed non ideo ego populum perdidi. Nunquid enim infidelitas vestra fidem Dei evacuavit? Videamus enim quod sequitur: **(VERS. 37)** *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Quale est illud intus, unde non exitur foras? Magnum penetrale et dulce secretum. O secretum sine taedio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum! Nonne illud secretum est quo intrabit ille cui dicturus est Deus: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* **(Matth. XXV, 23)**? Et: *Eum, qui veniet ad me, non ejiciam foras.* **(VERS. 38.)** *Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Ideo ergo eum qui veniet ad te non ejicies foras, quia descendisti de coelo non facere [Col. 0830C] voluntatem tuam, sed voluntatem ejus qui te misit. Magnum sacramentum est, quod ait: *Qui venit ad me non ejiciam foras.* Causam mox subjungens [*Ms.,* subjunxit] quare foras non ejecerit ad se venientem, id est, in se credentem dicit [*Ms.,* dicens]: *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*» Quis est qui ejicitur foras, de illo dulci et suavissimo secreto, quo intrare praecipitur servus faciens voluntatem Domini sui, nisi superbus, nisi anima in se ipsa confidens et suae potestatis esse quaerens, nec cum propheta habens dicere: *Nonne Deo anima mea subjecta est* **(Psal. LXI)**? Anima vero per humilitatem Dei subjecta gratiae, nunquam ejicietur foras, sed intrat in gaudium Domini Dei sui. «Igitur ut causa omnium [Col. 0830D] morborum curaretur, id est superbia, descendit humilitas, id est, humiliavit se Filius Dei. Quid superbis homo? Deus humilis propter te factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, et humilis factus est: praecipitur tibi ut sis humilis, non tibi praecipitur ut ex homine facias [*Ms.,* fias] pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo, cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit.* Haec enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. [Col. 0831A] *Ideo qui ad me venerit, non ejiciam foras.* Quare? *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.* Humilis veni, humilitatem docere veni, magister

humilitatis veni. Qui ad me venit, {526} incorporetur [*Ms.,* incorporatur] mihi; qui ad me venit, humilis fit; qui mihi adhaeserit [*Al.,* aderit; *Ms.,* adhaeret], humilis erit, quia non faciet voluntatem suam, sed Dei: et ideo *non ejicietur foras, quia Adam, cum superbus esset, projectus est foras.*» Christus vero humilis factus, exaltatus est super omne nomen, quod nominatur vel in coelo, vel in terra **(Philip. II)**. «Qui doctor humilitatis venit, non facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum: veniamus ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, ut nec nos faciamus voluntatem [Col. 0831B] nostram, sed voluntatem Dei; et non nos ejiciet foras, quia membra ejus sumus, quia caput nostrum esse voluit docendo humilitatem.» Ad quem venire non potest nisi humilis, a quo non mittitur foras, nisi superbus.

VERS. 39.---*Haec est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* «Ipse ille datus est. Qui servat humilitatem, hoc accipit; qui non servat [*Aug.,* Ipse illi datus est, qui servat humilitatem; hunc accipit: qui non servat] humilitatem, longe est a magistro humilitatis. *Ut omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* Sic non est voluntas in conspectu Patris vestri ut pereat unus de pusillis istis. De tumentibus potest perire, de pusillis [Col. 0831C] nihil perit; quia nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum coelorum **(Matth. XVIII, 4)**. *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitabo ego eum in novissimo die.* Videte quemadmodum et nic geminam illam resurrectionem delineat [*Ms.,* deliniet; *Aug.,* delineet]. *Qui venit ad me, modo resurgit humilis factus in membris meis; sed resuscitabo eum in novissimo die secundum carnem.*

VERS. 40.---*Haec est enim voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam.* Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Superius dixit: *Qui audit verbum meum, et credit ei qui misit me;* modo autem: *Qui videt Filium, et credit in eum.* Non dixit, videt Filium et credit in Patrem: hoc est enim credere in Filium, quod [Col. 0831D] et in Patrem. Quia *sicut habet vitam Pater in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* **(Joan. V, 26)**. *Ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam.* Credendo et transeundo ad vitam, tanquam primam illam resurrectionem [*Aug.,* prima illa resurrectione]. Et quia non est sola, *et* resuscitabo, inquit, *eum in novissimo die.*» Sequitur: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Ideo panis, qui vita; et ideo vita, quia de coelo descendit, dicente ipso: *Ego sum via, veritas, et vita.* Ille est panis supersubstantialis, qui ut nobis detur quotidie deprecari jubemur, cum Dominus noster Jesus Christus panem se dicebat de coelo descendisse.

CAPUT XV.

Murmurantes Pharisaei filium Joseph eum dicunt. Et ipse inter plura carnem suam panem se daturum dicit pro mundi vita. Et caetera his similia plurima de pane et carne sua testatur[Col. 0832A]

VERS. 41, 42.---*Murmurarunt Judaei, et dixerunt ei:* Hic est [Jesus] filius Joseph,

cujus nos novimus patrem et matrem. Quomodo ergo dicit hic, quia de coelo descendi? Ideo murmurabant quia hunc panem non intelligebant, hunc panem non esuriebant, hunc panem non amabant. Si amarent, utique non murmurarent. «
@ Apud sanctum Augustinum, tract. XXVI, num. 1, 5, 6, 7, 9, 10, 11, 12, 13, 15-20. Ideo a pane coelesti longe erant, nec eum esurire noverant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant: videbant, et caeci stabant. Panis quippe iste, interioris hominis [Col. 0832B] quaerit esuriem: unde alio loco dicit: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* **(Matth. V, 6)**.» Dixerunt: *Cujus* [nos] novimus patrem et matrem. Matrem sciebant terrenam, patrem nesciebant coelestem; quia a Patre coelesti attracti non fuerunt; quod mox ipse Dominus sequenti verbo innotuit, dicens: (VERS. 43, 44) *Nolite murmurare invicem.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum. Quid est, *Nemo potest venire ad me, nisi quia nemo potest credere in me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum? Ille venit, quem gratia Dei praevenit, cui cum Propheta {527} dicamus: Misericordia ejus praeveniet me* **(Psal. LVIII)**. Et iterum: *misericordia ejus subsequetur me* **(Psal. XXII)**. Praeveniet velle, subsequetur perficere. [Col. 0832C] «Trahit Pater ad Filium eos qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum. Deus enim Pater aequalem sibi genuit Filium: et qui cogitat atque in fide sua sentit et ruminat aequalem esse Patri eum in quem credit, ipsum trahit Pater ad Filium.» Qui enim de Christo dicit, Non est Deus verus, non trahit eum Pater, sed sua perversa cogitatio trahit eum veritati non consentire. «Ille tractus est a Patre, qui ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Cui Dominus inquit: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est* **(Matth. XVI, 16, 17)**. Ista revelatio ipsa est attractio. Dum enim dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit, attraxerit eum, continuo subjunxit: Et ego resuscitabo eum in* [Col. 0832D] novissimo die. Credendo quod sperat, videbit quod adhuc non videndo credidit; manducabit quod esuriit, satiabitur eo quod sitit. Ubi? in resurrectione mortuorum. Quia *ego resuscitabo eum in novissimo die.*

VERS. 45.---*Scriptum est enim in prophetis:* Et erunt omnes docibiles Dei. Quare hoc dicit [*Ms.,* dixit; *Aug.,* dixi] o Judaei? Pater vos non docuit: quomodo potestis me cognoscere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audiunt; et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruscat, intus revelatur.» Homines foris verbum sonare possunt, sed in vanum laborant, nisi intus Deus docens aperiat sensus. Ille [Col. 0833A] est Dei docibilis, quem Deus intus veritatis instruit agnitione et amore. *Omnis qui audit* [Ms., *audivit*] a Patre, et didicit, venit ad me. Quomodo trahit Pater? Docendo delectat, non necessitatem imponendo; quia nemo necessitate credit, sed voluntate. Filius dicebat, Pater docebat; homo qui videbatur, loquebatur sed ut Deus in corde audientis interius docebat. Ideo subjunxit:

VERS. 46.---*Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Nolite putare Patrem esse visibilem vobis; nemo vidit Patrem, nisi is qui est a Deo; hic vidit Patrem. Ego sum a Patre, et ideo Patrem video. «Quid est autem vos trahi a Patre, nisi discere a Patre? Quid est discere a Patre, nisi audire Patrem [*Ms.,* a Patre]? Et quid est [Col. 0833B] audire a Patre, nisi audire Verbum Patris, id est me? Ne forte ergo cum dico vobis: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, dicatis apud vos:* Sed nunquam vidimus

Patrem, quomodo autem discere potuimus a Patre? A meipso audite. *Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Ego novi Patrem, ab illo sum; sed quomodo verbum ab illo cujus est verbum: non quod sonat et transit, sed quod manet cum dicente, et trahit audientem. Sequitur: **(VERS. 47)** *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam.* Revelare se voluit, quid esset: nam compendio dicere potuit: Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus est Deus, et vita aeterna. Qui ergo credit in me, inquit, it ad me, et qui it ad me, habet me. Quid est autem [Col. 0833C] habere me? Habere vitam aeternam. Mortem assumpsit vita aeterna, et mori voluit; sed de tuo, o homo, non de suo: accepit a te, ubi moreretur pro te. Assumpsit [*Al.,* Accepit] ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Nam qui credit, inquit, habet vitam aeternam; non quae patet, sed quae latet. Vita enim aeterna, Verbum in principio apud Deum erat, et Deus erat Verbum, et erat vita lux hominum. Mori venit, sed tertia die resurrexit.

VERS. 48, 49.---*Ego* sum, inquit, *panis vitae.* Et unde illi superbiant? *Patres,* inquit, *vestri manducaverunt manna, et mortui sunt.* Quare manducaverunt, et mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Manducaverunt Moyses [Col. 0833D] et Aaron, et caeteri sancti qui fuerunt in populo manna, et non sunt mortui, quia spiritaliter visibilem cibum intellexerunt, spiritaliter esuriunt [*Ms.,* esurierunt];» alii vero manducaverunt et permanserunt in infidelitate; sicut Judaei audierunt loquentem Christum, sed non spiritaliter verba ejus intellexerunt; ideo dixit eis: *Patres vestri manducaverunt* manna in deserto, et {528} *mortui sunt.* Qua morte, nisi infidelitatis? Nam communi morte mortui sunt et sancti qui fuerunt inter eos. Ideo signavit [*Ms.,* significavit] Dominus his verbis mortem spiritalem, non carnalem. «Patres ergo istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres, infideles murmuratores, patres murmuratorum [*Ms.* et Aug., infideles [Col. 0834A] patres infidelium; murmuratores patres murmuratorum]. Nam de re nulla magis Deum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Ideo et Dominus eos volens ostendere talium filios, hinc ad [*Ms.,* hinc caute eos] eos coepit, *Quid murmuratis in invicem, murmuratores, filii murmuratorum? Patres vestri manna manducaverunt, et mortui sunt:* non quia malum erat manna, sed quia male manducaverunt.»

VERS. 50.---*Hic est panis, qui de coelo descendit.* «Hunc panem significavit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illic [*Ms.,* illa] fuerunt: in signis diversa sunt; in re qua significantur [*Ms.,* quae significatur], paria sunt. Apostolum audi: *Nolo* enim, inquit, *vos ignorare fratres,* quia [Col. 0834B] patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt **(I Cor. X, 1 seq.)**. Spiritalem utique, non corporalem. Alteram [*Aug.,* spiritalem utique eamdem: nam corporalem alteram], quia illi manna, nos aliud: spiritalem vero quam nos; sed [*Ms.,* et] patres nostri, non patres illorum, quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. *Hic est ergo panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum; qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. **(VERS. 51.)** *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* [Col. 0834C] Ideo vivus, quia de coelo

descendit. De coelo descendit et manna, sed manna umbra erat, ista veritas est. **(VERS. 52.)** *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;* et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro: et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc assimulatum [*Ms.,* assimilatum; Aug., ad se multum] esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt. *Caro* mea est, inquit, *pro mundi vita.* Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi.» Quisque vivere vult, credat in Christum, manducet spiritaliter spiritalem [Col. 0834D] cibum. Incorporetur corpori Christi, et non sit putridum membrum, quod resecari mereatur [*Al.,* debeat]. Sit pulchrum, sit sanum, sit aptum capiti suo. **(VERS. 53.)** *Litigabant ergo Judaei ad invicem dicentes:* Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? «Litigabant utique ad invicem, quoniam panem concordiae non intelligebant, nec sumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quoniam unus panis unum corpus multi sumus, et per hunc facit Deus unius moris habitare in domo **(I Cor. X, 17; Psal. LXVII, 7)**. Quod autem ad invicem litigantes quaerunt, quomodo possit Dominus carnem suam dare ad manducandum, non statim edunt [*Aug.,* audiunt], sed adhuc eis dicitur: [Col. 0835A] **(VERS. 54)** *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quomodo quidem detur [*Aug.,* edatur] et quisnam modus sit manducandi istum panem, ignoratis: verumtamen nisi manducaveritis carnem filii hominis et ejus sanguinem biberitis, non habetis vitam in vobis

@ [Col. 0835D] Edit. Argentorat. de anno 1527 ita prosequitur: «Hanc itaque carnem, hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia, quae corpus est Christi, et de hac re litigarunt. Secutus adjunxit, etc.» Sed haec sententia huc prorsus est impertinens, nec in codd. mss. quos consului, nec in editione Cl. Quercetani, [Col. 0836D] nec in Augustino, quem Alcuinus hic descripsit, reperitur. Intrusa ergo est a quodam malevolo, ut subdole mentem Alcuini de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia corrumperet; quod et alii haeretici in aliorum Patrum scriptis tentarunt.. Haec non itaque [*Aug.,* utique] cadaveribus, sed viventibus loquebatur. Unde ne istam vitam intelligentes de hac re litigarent, secutus adiunxit.

{529} VERS. 55.---*Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit; nam temporalem vitam sine illo, utcunque homines in hoc saeculo, qui non sunt per [Col. 0835B] fidem in corpore ejus, habere possunt; aeternam autem, quae sanctis promittitur, nunquam. Ne autem putarent sic in isto cibo et potu [eis qui (*Ms.,* ejus quae) carnaliter sumunt (*Al.,* sapiunt), et non spiraliter intelligunt in fide), promitti vitam aeternam, ut qui eam sumerent jam nec corpore morerentur; huic etiam cogitationi est dignatus occurrere. Nam cum dixisset: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam;* continuo subjecit, et dixit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ut habeat interim secundum spiritum vitam aeternam in requie, quae sanctorum spiritus suscipit: quod autem ad corpus attinet, nec ejus vita aeterna fraudetur [*Ms.,* nec eos . . . fraudat], sed in resurrectione mortuorum, in novissimo die caro» [Col. 0835C] viva resurgat [*Ms.,* caro suscitabitur]. **(VERS. 56.)** *Caro* enim mea, inquit, *vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* «Cum enim cibo

et potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant; hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit, id est, societas ipsa sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam hoc ante nos intellexerunt homines [Dei], Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum aliquid ex multis granis conficitur et constat [*Aug.,* confit], aliud in unum ex multis racemis [*Al.,* acinis] confluit. Denique jam exponit quomodo [Col. 0835D] id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus ejus et sanguinem bibere. **(VERS. 57.)** *Et qui* manducat, inquit, *meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere: ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter [Col. 0836A] ejus carnem, licet carnaliter et visibiliter premat [dentibus] sacramentum corporis et sanguinis Christi; sed magis tantae rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, quia immundus praesumpsit ad Christi accedere sacramenta, quae alius [*Aug.,* quae aliquis] non digne sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**.

VERS. 58.---*Sicut* misit me, inquit, *vivens Pater, et ego vivo propter Patrem.* Et qui manducat me, et ipse vivit propter me. Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui est natus aequalis; sicut participatio Filii per unitatem corporis ejus et sanguinis, quae [*Ms.,* quod] illa manducatio potatioque significat, efficit nos meliores. Vivimus ergo nos [Col. 0836B] propter ipsum, manducantes eum, id est, ipsum accipientes aeternam vitam, quam non habemus [*Al.,* habebamus] ex nobis. Vivit autem ipse propter Patrem, missus ab eo, quia semetipsum exinanivit, factus obediens usque ad signum [*Al.,* mortem] crucis **(Philipp. II, 8)**. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivit propter me;* ac si diceret: Ut ego vivam [*Ms.,* vivo] propter Patrem, id est, ut ad illum tanquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisque vivat propter me, participatio facit, qua [*Al.,* quia] manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille rectus [*Aug.,* erectus] vivit propter me.» Non de ea natura dixit, qua semper est aequalis Patri, sed de ea, in [Col. 0836C] qua minor factus est Patri. Quia [*Ms.,* Qui] etiam superius dixerat: *Sicut Pater habet vitam habere in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso;* id est, genuit Filium vitam habentem in semetipso.

VERS. 59.---*Hic est panis, qui de coelo descendit, «ut illum manducando vivamus, quia aeternam vitam ex nobis habere non possumus. Non sicut manducaverunt,* inquit, *patres vestri manna, et mortui sunt:* qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, ut non vivant in aeternum; nam temporaliter profecto et hi morientur qui Christum manducant; sed vivent in aeternum, quia Christus est vita aeterna.
@ [Col. 0836D] Ex S. Aug. Tract. XXVII in Joan. num. 1-5. Signum ejus quia manducavit et bibit, hoc est si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si sic haeret, ut non [Col. 0836D] deseratur. Hoc ergo nos {530} docuit, et admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore, sub ipso capite in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant plures, non intelligendo scandalizati sunt: non enim

cogitabant haec audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, et verum dicit: Sapere secundum carnem, mors est **(Rom. VIII, 6)**. Carnem [Col. 0837A] suam dat nobis Dominus ad manducandum, et sapere tamen secundum carnem mors est; cum de carne sua dicat, quia ibi est vita aeterna. Ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem, sicut in his verbis: **(VERS. 61)** *Multi itaque audientes,* non ex inimicis, sed *ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo:* quis potest eum audire? Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat, ut diceretur, quod non ab hominibus [*Ms.* et Aug., omnibus] intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non aversos [*Ms.* et Aug., adversos]. Isti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Jesu: non crediderunt, aliquid magnum dicente, et verbi illius aliquam gratiam cooperiente [*Aug.,* non crediderunt aliquid [Col. 0837B] magnum dicentem, et verbis illis . . . cooperientem]. Sed prout voluerunt, ita intellexerunt; et more hominum, quia apud eos erat Jesus, aut hoc disponebat Jesus [*Ms.,* et more hominum quia hoc asseruerat Jesus; *Aug.,* et more hominum quia poterat Jesus], carnem qua indutum erat Verbum, velut inconcisam distribuere credentibus in se. *Durus est,* inquiunt, *hic sermo, quis potest eum audire?* (VERS. 62.) *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc* [Aug. et Ms., *de eo*] discipuli ejus. Sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur. Sed ille qui eos noverat in seipsis, audiens apud semetipsum, respondit et ait: *Hoc vos scandalizat.* Quia dixi, carnem meam do vobis manducare et sanguinem meum bibere, hoc vos nempe [Col. 0837C] scandalizat.

VERS. 63.---*Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat? hinc aperuit [*Ms.,* eruit] unde fuerant scandalizati? hinc plane, si intelligerent. Illi enim putaverunt illum erogaturum corpus suum, ille autem se dixit ascensurum in coelum, utique integrum. *Cum videretis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus suum.* Certe vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus.» In his verbis perspicue intelligitur Christum esse unam personam, dum dixit Filium hominis esse prius in coelo. «In terra loquebatur, et in coelo se esse dicebat. Quo pertinet, nisi ut intelligamus [Col. 0837D] unam personam esse Christum Deum et hominem, non duas, ne fides nostra non sit trinitas, sed quaternitas? Christus ergo unus est, verbum, anima et caro unus Christus; Filius Dei, et Filius hominis unus Christus; Filius Dei semper, filius hominis ex tempore; tamen unus Christus, secundum unitatem personae. In coelo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat Filius hominis in coelo, quomodo Filius Dei erat in terra. Filius Dei in terra in suscepta carne; Filius Dei [*Ms.* et Aug., Filius hominis] in coelo in unitate personae.» Quod mox latius exponit quid intersit inter spiritum et [Col. 0838A] carnem, et quid inter carnaliter Christum manducare velle, vel spiritaliter accipere; ait enim: (VERS. 64) *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Paulo ante dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* et modo dicit: *Caro non prodest quidquam, id est, si carnaliter vultis intelligere quae dico, caro non prodest quidquam, si sic carnem intelligetis manducandam sicut alium cibum, sicut carnes quae emuntur in macellis. Spiritus est ergo qui vivificat, per spiritum prodest caro, quae per seipsam non prodest, quia littera occidit, spiritus autem vivificat.* «Nam per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit,» quod habebat, per quam spiritus salvabit [*Ms.,* salvavit] [Col. 0838B] nos, utens organo carnis ad salutem humani

generis: quia diabolus utebatur serpente quasi organo, ad subversionem primi parentis nostri. «*Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam:* sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum meam carnem.»

{531}
CAPUT XVI. *Verba sua spiritum vitamque pronuntiat, et unum ex duodecim diabolum appellat.*

«
@ Ex S. Aug., tract. XXVII in Joan. num. 6, 7, 9, 10. Proinde *verba,* inquit, *quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Diximus enim, fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suae et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, et ipse in nobis. Manemus autem in illo, cum sumus membra ejus; manet autem ipse in nobis, cum sumus [Col. 0838C] templum ejus. Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginet; ut enim compaginet nos unitas, quid hoc facit nisi charitas Dei? Unde? Apostolum [*Ms.* et Aug.: Unitas nos compaginat: ut compaginet unitas, quae facit nisi charitas? Charitas Dei unde? Apostolum] interroga: *Charitas,* inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* **(Rom. V, 5)**. Ergo *Spiritus est qui vivificat:* spiritus enim facit viva membra; nec viva membra spiritus facit, nisi quae in corpore, quod vegetat ipse, Christus [*Aug.,* ipse spiritus] invenerit. Nam spiritus qui est in te, o homo, quo constas, ut homo sis, nunquid vivificat membrum quod separatum invenerit a carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat, [Col. 0838D] nisi membra quae sunt in carne tua; unum si tollas, jam ex anima tua non vivificatur, quia unitati corporis tui non copulatur. Haec dicuntur ut amemus unitatem et timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus, si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus. *Quisquis autem,* inquit Apostolus, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* **(Rom. VIII, 9)**. Spiritus ergo est qui vivificat, caro non prodest quidquam. *Verba quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Quid est, *spiritus et vita* [Col. 0839A] sunt, nisi spiritaliter intelligenda sunt? Intellexisti spiritaliter? *Spiritus et vita sunt.* Intellexisti carnaliter? etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt,» o homo, qui spiritaliter ea non intelligis, nec fide ea venerari nosti.

VERS. 65.---«*Sunt enim quidam in vobis qui non credunt:* et ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis* **(Isai. VII, 9, sec. LXX)**. Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius haereamus per fidem, ut sic post vivificemur [*Aug.,* ut sit, quod vivificetur] per intellectum. *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, et quis traditurus esset eum.* Nam ibi Judas erat inter eos qui scandalizati sunt, quem Christus nec siluit, nec aperte monstravit, ut omnes [Col. 0839B] timerent, quamvis unus periret. Sed posteaquam dixit et distinxit credentes a non credentibus, expressit causam quare non credebant.» **(VERS. 66.)** *Propterea* dixi vobis, inquit, *quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Dabitur enim a Patre credentibus fides, ut nemo glorietur in fide sua, quae a se non est quasi propria, sed a Deo data, quasi gratia. **(VERS. 67)** *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant.* Abierunt retro, non post Christum, sed

post Satanam. Isti autem sic abierunt retro, quomodo praecisi a corpore Christi, nec ultra redientes ad eum, quia fortes [*Ms.,* forte] fideliter in corpore ejus non fuerunt. Et hi non pauci, sed multi. «Audiamus ergo, quid ad paucos dixerit, qui remanserunt. [Col. 0839C] **(VERS. 68.)** *Dixit ergo Jesus ad duodecim:* Nunquid et vos vultis abire? Non discessit nec Judas: sed quare manebat Domino jam apparebat [nobis] postea manifestatus est. Respondit Petrus pro omnibus, unus pro multis, unitas pro unitis [*Aug.,* universis] *Respondit ergo Simon Petrus:* Domine, ad quem ibimus? Repellis nos a te, da nobis alterum [te] similem tui, ad quem eamus. Si a te recedimus, ad quem ibimus? [*Aug.:* Da nobis alterum te. *Ad quem ibimus? si a te recedimus, ad quem ibimus?*]

VERS. 69.---*Verba vitae aeternae habes.* Videte, quemadmodum Petrus, dante Domino, recreante Spiritu sancto, intellexit. Unde, nisi quia credidit verba vitae {532} aeternae? Vitam enim aeternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui. [Col. 0839D] **(VERS. 70.)** *Et nos credidimus, et cognovimus.* Non cognovimus et credidimus; sed credidimus et cognovimus. [Col. 0840A] Credidimus enim ut cognosceremus; nam si prius cognoscere, et deinde credere vellemus, nec cognoscere, nec credere valeremus. Quid credidimus et quid cognovimus? *Quia tu es Christus Filius Dei.* Id est, quia ipsa vita aeterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es.»

VERS. 71, 72.---*Respondit eis Jesus:* Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? Dicebat autem de Juda Simone Scariotis. Hic enim erat eum traditurus, cum esset unus ex duodecim. Unus ex duodecim erat, non fide, sed numero; non veritate, sed simulatione. Sed quomodo intelligendum est, *nonne ego vos duodecim elegi, dum ille unus filius diaboli dicitur esse:* nisi quia aliter electi sunt illi undecim, aliter et ille unus? Electi sunt illi ut [Col. 0840B] manerent in Christo, et ut sonus illorum exiret per orbem terrarum; electus est ille unus ut dispensatio divinae misericordiae in salutem humani generis impleretur per eum. Unde bonitas Dei bene utebatur malitia illius, sicut in venditione Joseph bene usus est Deus malitia fratrum **(Gen. XXXVII)**: ut ex opere malo illorum bonitas Dei ostenderetur in salutem [*Ms.,* salute] multorum. Sic malum Judae in bonum versum est nostrum. Quod facit malus male utendo bonis Dei, sibi nocet, non bonitatem Dei destruere poterit. Quare duodecim elegit Christus? «Duodenarius numerus sacratus est. Non enim quia periit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus est; nam in loco pereuntis alius subrogatus est. Mansit numerus consecratus, hoc est, [Col. 0840C] numerus duodenarius; quia per universum orbem, hoc est, per quatuor cardines mundi, Trinitatem fuerat annuntiaturus [*Ms.* et Aug., fuerant annuntiaturi]. Ideo ter quaterni» electi sunt, ut sancta Trinitas per quatuor partes orbis praedicaretur. Nam et annus duodenario numero currit, et ordo signorum in coelis, per quae solet luna currere, noscuntur, duodenario numero distinguuntur: ideo hoc numero primos praedicatores Deus Christus direxit in mundum. Nec numerus Juda pereunte violatus est, sed alius ejus loco subrogatus. De cujus numeri sacratissima significatione ipse Christus in Evangelio ait, de excellentissima sanctorum gloria: *Cum autem sederit Filius hominis in sede majestatis suae,* sedebitis [Col. 0840D] et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel **(Matth. XIX, 28)**.

LIBER QUARTUS.

CAPUT XVII.

Judaeis interficere eum quaerentibus, ascendit occulte ad diem festum Scenopegiae, ubi diversa de eo et ab eo dicuntur. Et quaerentes eum apprehendere, nequiverunt, quia nondum venerat hora ejus.[Col. 0839D]

CAPUT VII, VERS. 1.

---*Post haec, inquit evangelista, ambulabat Jesus in Galilaeam.* Non enim volebat [Col. 0840D] in Judaeam ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere. « @ [Col. 0839D] S. Aug., tract. XXVIII, num. 2-4, 6, 8, 10-12. Hoc infirmitati nostrae praebebat exemplum. Non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, ut dixi, ut aliquis fidelis ejus absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur; et ne illi pro crimine [Col. 0841A] objiceretur latibulum, praecessit in capite, quod in membris confirmaretur.» Potuit enim Christus ambulare in Judaeam [*Ms.,* inter Judaeos] et non occidi, qui ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* **(Joan. X, 18)**. Hanc potestatem ostendit dum voluit, cum ad vocem illius retro ceciderunt qui eum cum armis venerunt apprehendere. **(VERS. 2.)** *Erat autem in proximo dies festus Judaeorum Scenopegia* [Ms., *Scenophagiae*]. Scenopegia est dies festus quo Judaei mense septimo in tabernaculis sub ramis arborum habitare diebus septem jubebantur ad memoriam habitationis {533} illorum in eremo. Iste erat dies festus quem Judaei magna solemnitate celebrabant, velut reminiscentes beneficiorum Domini, qui eos eduxit de terra [Col. 0841B] Aegypti. Dies festus more Judaeorum dicitur, non unus dies, sed quotquot illius festivitatis fuerunt, quasi unum diem festum propter unius festivitatis consuetudinem nominare solebant. **(VERS. 3.)** *Dixerunt ergo ad eum fratres ejus:* Transi hinc, et vade in Judaeam.» Fratres Domini usitatissimo sanctae Scripturae more consanguinei sanctae Mariae semper virginis dicebantur. Nam Abraham et Lot fratres sunt dicti, cum Abraham patruus esset Lot; et Laban et Jacob fratres sunt dicti, cum esset Laban avunculus Jacob **(Gen. XIV, 14, et XXIX, 15)**. Cum ergo audieritis fratres Domini, Mariae cogitate consanguinitatem, non iterum parientis ullam propaginem. «Diximus fratres qui fuerint; audiamus quid dixerint. *Transi hinc, et vade in Judaeam,* ut et discipuli [Col. 0841C] tui videant opera tua quae facis. Opera Domini discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim fratres, id est consanguinei Christi, consanguineum Christum habere potuerunt, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt. Ideo continuo evangelista secutus est: **(VERS. 4.)** *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant,» dicentes ad eum: *Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.* **(VERS. 5.)** *Nemo quippe in occulto aliquid facit, et quaerit ipse in palam esse.* Si haec facis, manifesta teipsum mundo. Nam his verbis ostenditur gloriam illius carnaliter quaerere eos; quasi dixissent: Facis mirabilia, sed abscondis te; transi in Judaeam, ut principatus gentis [Col. 0841D] et civitas caput regni videant mirabilia tua. Innotesce, appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Quid ergo ad haec Dominus Jesus dicit? **(VERS. 6.)** *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper*

est paratum. Apostolus dicit, *postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* **(Gal. IV, 4)**. Tempus vero gloriae Christi necdum venit, cum haec locutus est. Quod illi videbantur quaerere, qui ei suadebant ire in Judaeam, miraculum facere, mundo innotescere, ne latens ignobilis putaretur. Sed ille voluit altitudinem humilitate praecedere, et ad ipsam celsitudinem per humilitatis viam pervenire. «Tempus autem vestrum, id est, mundi gloria, semper est paratum. Erit enim tempus [Col. 0842A] gloriae, quia qui venit in humilitate, veniet in altitudine; qui venit judicandus, veniet judicaturus; qui venit occidi a mortuis, veniet judicare de vivis et mortuis. **(VERS. 8.)** *Vos ascendite ad diem festum hunc.* «Quid est *hunc? Ubi gloriam humanam quaeritis.* Quid est *hunc? Ubi extendere vultis carnalia gaudia, non aeterna cogitare. Ego non ascendo ad diem festum hunc, quia meum tempus nondum impletum est.* In die enim festo hoc gloriam vos humanam quaeritis, meum vero tempus, id est, gloriae meae, nondum venit. Ipse erit dies festus meus, non diebus istis percurrens [*Aug.,* praecurrens] et transiens, sed permanens in aeternum. Ipsa erit festivitas, gaudium sine fine, aeternitas sine labe, serenitas sine nube.

VERS. 9.---*Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea.* [Col. 0842B] Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. «Ideo non ad diem festum hunc, quia non gloriam [*Ms.,* gloriari] temporaliter cupiebat, sed aliquid docere salubriter, corrigere homines, de die festo aeterno admonere, amorem eorum ab hoc saeculo avertere, et in Deum convertere. Quid est autem quod quasi latenter ascendit ad diem festum? non vacat et hoc Dei [*Ms.,* Domini] opus.» Nam omnes dies festi Judaeorum in figura fuerunt. Ideo Christus latenter ascendebat in eis, quia Christus latuit in illis. Populo vero priori occultus, modo vero meliori populo manifestus; quia ille populus in umbra agebat, nos vero manifesta luce facimus. Licet quidam intelligere velint hanc Domini [Col. 0842C] responsionem, qua ait: *Ego non ascendo ad diem festum hunc, ad passionem illius pertinere, qua* [*Ms.,* quia] Christus non in festivitate Scenopegiae, sed in festivitate paschali, qua agnus occidi solebat, crucem ascendit. **(VERS. 11.)** «*Judaei autem quaerebant eum in die festo, antequam ascenderet.* Priores enim fratres ascenderunt, et non tunc ascendit ille, quando illi putabant et volebant: ut etiam hoc impleretur, quod ait: *Non ad hunc, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem.* {534} Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur, *mediante* [Aug. et Ms., *mediato*] die festo, id est, cum jam illius diei festi tot dies praeteriissent, quot remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus plurimis celebrabant.

[Col. 0842D] VERS. 12.---*Dicebant ergo:* Ubi est ille? Et murmur multum de eo erat in turba. Unde murmur? De contentione. Quae fuit contentio? *Quidam enim dicebant:* Quia bonus est. Alii autem dicebant. Non, sed seducit turbas. De omnibus ejus servis hoc dicitur modo, quicunque eminent in aliqua gratia: alii dicunt, *bonus est;* alii, *non, sed seducit turbas.* Unde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.» Hoc patitur Christus [*Ms.,* corpus Christi] usque in finem saeculi a mundi amatoribus, quod tunc passus est a Judaeorum murmuratoribus. Necdum frumentum a paleis segrega tum est, ut grana frumenti congregentur in horrea, et paleae comburantur igni aeterno. «Quod dictum [Col. 0843A] est ergo de Domino, valet ad consolationem, de quocunque hoc dictum fuerit Christiano. **(VERS. 13.)** *Nemo tamen palam loquebatur*

de illo propter metum Judaeorum, qui dicebant: Bonus est; non [*Ms.,* nam], qui dicebant: *seducit turbas.* [Qui dicebant: *seducit turbas*], sonitus eorum apparebat, tanquam aridorum foliorum. *Seducit turbas, clarius sonabant; bonus est, pressius susurrabant.* Modo autem, fratres, quamvis nondum venerit illa gloria Christi, quae nos aeternos factura est; modo tamen ita crescit Ecclesia ejus, ita eam dignatus est per cuncta diffundere, ut etiam susurretur: *Seducit turbas;* sed clarius personet, *bonus est.*» Nam nova haeresis in angulis occulte susurrat: Christus est adoptivus. Sed clarius universalis sanctae Ecclesiae vox resonat: [Col. 0843B] Christus Filius est Dei proprius. Sibilant quoque serpentino ore: Christus nuncupatus [*Ms.,* nuncupativus] est Deus; sed pressius firmiusque fidelium omnium unanimitas clamat: Christus bonus est Deus, verus est Deus; teste egregio praedicatore, qui ait: *Quorum patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus* **(Rom. IX, 5)**.

VERS. 15.---Ascendit ergo Dominus ad diem festum mediante die festo, et docebat. *Et mirabantur Judaei dicentes:* Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? «
@ [Col. 0843D] Ex S. Aug., tract. XXIX, num. 2, 3 5, 6, 8. Ille quia (*Al.,* qui] latebat, docebat; et palam loquebatur, et non tenebatur. Illud enim ut lateret, [erat] exempli, hoc potestatis. Sed cum doceret, mirabantur Judaei - omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur, sed non omnes convertebantur. [Col. 0843C] Unde admiratio? Quia multi noverant ubi natus et quemadmodum fuerat educatus; nunquam eum viderant litteras discentem, audiebant tamen de lege disputantem, legis testimonia proferentem, quae nemo potest proferre, nisi legisset, nemo legere, nisi litteras didicisset; et ideo mirabantur. Eorum autem admiratio, magistro facta est insinuandae altius veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione et verbis, dixit Dominus aliquid profundum et diligentius inspiciendum. «Quid ergo respondit Dominus eis admirantibus, quomodo sciret litteras, quas non didicerat? **(VERS. 16.)** *Mea,* inquit, *doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* Haec enim profunditas [*Ms.* et Aug., Haec est prima profunditas]; videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. [Col. 0843D] Non enim ait: ista doctrina non est mea; sed: *mea doctrina non est mea.* Quomodo mea et non mea? Quaestio est quomodo fieri possit utrumque, et mea, et non mea. Si enim diligenter intuemur quid ipse in exordio dicit sanctus evangelista: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:* inde pendet hujus solutio quaestionis. Quae [est] ergo doctrina Patris, nisi Verbum Patris. Ipse [est] ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicujus: et suam doctrinam dixit, seipsum; et non suam, quia Verbum Patris est. «Hoc dixisse [Col. 0844A] videtur Dominus Christus, *mea doctrina non est mea;* ac si diceret: Ego non sum a meipso: quamvis enim Filium Patri dicamus et credamus aequalem, nec ullam in eis esse naturae vel substantiae distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse intervallum [*Aug.,* temporis intervallum]: tamen hoc servato et custodito ista dicimus, quod ille Pater est, ille Filius. Pater autem non est, si non habeat Filium; Filius non est, si non habeat Patrem: sed tamen Filius Deus de Patre; Pater autem Deus, sed non de Filio. Pater non Deus de Deo, Filius vero Deus de Deo, lumen de lumine. Pater lumen, Filius lumen. Non duo lumina, sed unum lumen.» Pater Deus, {535} Filius Deus. Non duo dii, sed unus Deus Pater et Filius. Spiritus [Col. 0844B] sanctus de Patre et Filio procedens, et ipse Deus. Sicut Pater Deus, sicut Filius Deus, sic etiam Spiritus sanctus Deus. Non tres dii, sed unus Deus. Unum lumen, una substantia, una natura,

una majestas, una aeternitas, una magnitudo, una potentia, una bonitas. «Vidit itaque ipse Dominus Christus, Dei sapientia, hoc tam profundum arcanum non omnes intellecturos: in consequenti dedit consilium. Intelligere vis? crede. Deus enim per prophetam dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis* **(Isai. VII, 9, sec. LXX)**. Ad hoc pertinet quod hic etiam Dominus secutus adjunxit:

VERS. 17.---*Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Quid est hoc, *Si quis voluntatem* [Col. 0844C] ejus voluerit facere? Sed ego dixeram, *si quis crediderit;* et hoc consilium dederam, si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quaerere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; quoniam nisi credideritis, non intelligitis. Cum ergo ad possibilitatem intelligendi consilium dederim obedientiam credendi, et dixerim Dominum Jesum Christum hoc ipsum conjunxisse [*Aug.,* adjunxisse], in consequenti sententia invenimus eum dixisse: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere,* hoc est, credere, *cognoscet de doctrina.* Quid est cognoscet? Hoc est intelliget; sed quia cognoscet, hoc est, intelliget, omnes intelligunt. Quia vero ait: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hoc pertinet ad credere;* [Col. 0844D] ut diligentius intelligatur, opus est [*Ms.,* opus esse] nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis utrum revera ad credere pertineat facere voluntatem Patris ejus. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* **(Joan. VI, 29)**. Ut credatis in eum, non ut credatis ei. Non autem continuo, qui credit ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis ipsius possumus dicere: Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum; credimus Petro, sed non credimus in Petrum. [Col. 0845A] Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam **(Rom. IV, 5)**. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo ad eum ire [*Aug.,* in eum ire], et ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit Deus, quae per dilectionem operatur. Si intelligis verba Dei, intellige quia Christus [est] Filius Dei, qui est doctrina Patris, non ex seipso, sed Filius Patris;» non ex nihilo, non ex aliis subsistentibus, sed ex Patre tantum in Patre manens aequalis Patri.

VERS. 18.---*Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit.* «Hoc erit [*Ms.,* quaerit], qui vocatur Antichristus, *extollens* se, sicut Apostolus dicit, *super omne quod dicitur Deus et quod colitur* **(II Thess. II, 4)**. Ipsum quippe annuntians Dominus, gloriam suam [Col. 0845B] quaesiturum, non gloriam Patris, ait ad Judaeos: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me.* Alius veniet in nomine suo et hunc suscipietis **(Joan. V, 43)**. Significavit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quaesiturus est, inflatus, non solidus; et ideo non stabilis, sed utique ruinosus. Dominus autem noster Jesus Christus magnum exemplum nobis praebuit humilitatis: nempe aequalis Patri; nempe, *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* nempe ipse dixit, et verissime dixit: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.* Philippe, qui me videt, videt et Patrem **(Joan. XIV, 8)**. Nempe ipse dixit, et verissime dixit: *Ego et Pater unum sumus* **(Joan. X, 30)**. Si ergo cum Patre unum, aequalis Patri Deus de Deo, [Col. 0845C] Deus apud Deum, coaeternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter [sine tempore, pariter] creator,

dispensator temporum, tamen quia venit in tempore, et formam servi accepit, et habitu est inventus ut homo, quaerit gloriam Patris, non suam: quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quaeris; quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnosce Creatorem; servus es, ne contemnas Dominum; adoptatus es, sed non meritis tuis; quaere gloriam ejus a quo habes hanc gratiam, {536} o homo adoptatus, cujus gloriam quaesivit, qui est ab illo unicus natus. *Qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est.* [Col. 0845D] In Antichristo autem injustitia est, et verax non est; quia gloriam suam quaesiturus est, non ejus a quo missus est: non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueum Antichristi, non quaeramus gloriam nostram; sed si ille quaesivit gloriam ejus qui eum misit ad nos, quanto magis nos ejus qui nos fecit? Sequitur: (VERS. 19, 20.) *Nonne* Moyses, inquit, *dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Quid me quaeritis interficere? «*

@ [Col. 0845D] Ex S. Aug., tract. XXX, num. 2-7. Ideo enim me quaeritis interficere, quia nemo ex vobis facit legem: nam si legem fecissetis, in ipsis litteris Christum agnosceretis, et praesentem non occideretis. [Col. 0846A] Et illi responderunt: *Respondit enim turba, et dixit.* Respondit quasi turba, non pertinentia ad ordinem, sed ad perturbationem. Denique turba turbata, videte quid responderit? *Daemonium habes, quis te quaerit occidere? quasi non fuit* [*Al.,* fuerit] pejus dicere, daemonium habes, quam eum occidere. Ei quippe dictum est, *daemonium habes, qui daemones expellebat.* Quid posset aliud dicere turba turbulenta? Quid posset aliud olere coenum commotum, nisi putidum? Turbatur turba, unde? A veritate. Turbam lippitudinis turbavit claritas lucis. Oculi autem non habentes sanitatem non possunt ferre luminis claritatem. «Dominus autem non plane turbatur; sed in sua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus si [Col. 0846B] diceret, daemonium habetis vos, verum utique diceret. Unde auderent dicere Veritati [*Ms.,* unde hoc dicerent de Veritate], *daemonium habes, nisi eos diaboli falsitas irritaret? Quid ergo respondeat tranquillus, audiamus, et tranquille vivamus* [*Aug.* l. cit., Quid ergo respondit? Audiamus tranquille, et tranquillum bibamus]. **(VERS. 21.)** *Unum opus feci, et omnes admiramini.* Tanquam diceret: Quid si omnia opera mea videretis? Ipsius enim opera erant quae in mundo videbant, et ipsum qui fecit omnia, non videbant; fecit unam rem, et turbati sunt, quia salvum fecit hominem in sabbato.» Non intelligentes Dominum esse sabbati filium hominis, qui sabbatum propter hominem constituit, non hominem propter sabbatum. Nec sabbatum destruxit, qui sanum fecit [Col. 0846C] hominem in sabbato, quia ad salutem hominum, hominibus sabbati custodia data est.

VERS. 22.---*Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem.* «Bene factum est, ut acciperetis circumcisionem a Moyse, non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Abraham quippe primus accepit circumcisionem a Domino **(Gen. XVII, 10)**. *Et in sabbato circumciditis hominem.* Convincit vos Moyses. In lege accepistis ut circumcidatis octavo die; accepistis in lege, ut vacetis septimo die; si octavus dies illius qui natus est occurrerit ad diem septimum sabbati, quid facietis? Vacabitis ut servetis sabbatum, an circumcidetis ut impleatis sacramentum diei octavi? Sed novi, inquit, quid facietis: Circumcidetis hominem. Quare? Quia circumcisio pertinet ad aliquod [Col. 0846D] signum salutis, et non debent homines sabbato vacare a salute. Ergo nec *mihi irascamini, quia*

salvum feci totum hominem in sabbato.

VERS. 23.---*Si* circumcisionem, inquit, *accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi.* (Aliquid enim per Moysen in illa constitutione circumcisionis salubriter institutum est) mihi operanti salutem in sabbato quare indignamini? «Forte enim illa circumcisio ipsum Dominum significabat, cui isti curanti et sananti indignabantur. Jussa est enim adhiberi octava die: et quid est circumcisio, nisi carnis exspoliatio? Significat ergo ista circumcisio exspoliationem a [Col. 0847A] corde cupiditatum carnalium. Non ergo [*Al.,* enim] sine causa data est, et in eo membro fieri jussa; quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium. Et per unum hominem mors, sicut per [unum] hominem resurrectio mortuorum **(I Cor. XV, 21)**; et per unum hominem peccatum introivit in mundum, et per peccatum mors **(Rom. V, 12)**. Ideo quisque cum praeputio nascitur, quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur: et non mundat Deus, sive a vitio, cum quo nascimur, sive a vitiis quae male vivendo addimus, nisi per cultellum petrinum, id est, Dominum Jesum Christum. Petra enim erat Christus **(I Cor. X, 4)**. {537} Cultellis enim petrinis circumcidebant, et petrae nomine Christum figurabant: et praesentem non agnoscebant, sed insuper eum [Col. 0847B] occidere cupiebant. Quod vero circumciditis hominem in sabbato, intelligite hoc significari [*Ms.,* significare] opus bonum, quod ego feci totum hominem salvum in sabbato: quia et curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in mente [*Al.,* in anima].

VERS. 24.---*Nolite judicare personaliter, sed rectum judicium judicate.* «Quid est hoc quia cum [*Al.,* modo quasi per] per legem Moysi circumciditis in sabbato, non irascimini Moysi; et quia ego die sabbati salvum feci hominem, irascimini mihi? Personaliter judicatis; veritatem attendite, et justum judicium judicate. Si secundum veritatem judicatis, neque Moysen, neque me condemnabitis: et veritate cognita me cognoscetis, quia ego sum veritas. «Hoc vitium, fratres, quod Dominus notavit hoc loco, evadere [Col. 0847C] in hoc saeculo magni laboris est, non personaliter judicare, sed rectum judicium retinere. Admonuit quidem Dominus Judaeos, sed monuit nos; illos convincit, nos instruxit; illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobis ideo non dictum, quia tunc ibi non fuimus.» Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi praesentem Dominum. Ne dicamus: O illi felices qui eum videre potuerunt! Multi in eis qui viderunt eum carnaliter, occiderunt: multi autem in nobis, qui non viderunt, crediderunt, de quibus dictum est: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Quis est qui non judicat personaliter, nisi qui aequaliter diligit? Qui aequaliter omnes diligit, aequaliter de omnibus judicat. Nec hoc dictum putemus de illis quos pro honore graduum diverso modo honoramus, [Col. 0847D] sed de illis quorum causas dijudicare jubemur.

«

@ [Col. 0847D] Ex S. Aug., tract. XXXI, num. 1-4. Dominus igitur Jesus non manifeste, sed occulte ascendit ad diem festum, non quia timebat ut [*Ms.,* ne] teneretur, cujus potestas erat ut non teneretur; sed ut significaret, jam [*Ms.,* etiam] in ipso die festo, qui celebrabatur a Judaeis, occultandum [*Aug.,* se occultari] et suum esse mysterium. Sed mox apparuit potestas, quae putabatur timiditas: loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbae, et dicerent, quod audivimus, cum lectio legeretur:»

VERS. 25, 26.---*Nonne hic est quem quaerebant interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt.* [Col. 0848A] Nunc vero cognoverunt principes quia hic est Christus? Qui noverant qua saevitia quaerebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur. Deinde non plene [*Ms.,* plane] intelligentes illius potentiam, putaverunt esse principum scientiam, quod ipsi cognoverint eumdem esse Christum; ideo pepercerunt ei quem tanto tempore occidendum quaesierunt. «Deinde illi ipsi qui dixerant apud semetipsos: *Nunquid cognoverunt principes quia hic est Christus? fecerunt sibi quaestionem, qua eis videretur non esse Christus* [*Ms.,* Christum]: adjungentes enim dixerunt: **(VERS. 27.)** *Sed istum novimus, unde sit;* Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.» Quid est quod dixerunt Judaei: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit, dum Herode interrogante locum nativitatis ejus,* demonstraverunt [Col. 0848B] juxta prophetiam Micheae prophetae, et ex hoc certum est locum nativitatis illius eos nosse? Sed considerandum est quid se nosse putarent, et quid se non scire dixerunt. Locum vero nativitatis illius sciebant per prophetarum dicta: sed divinam ejus nativitatem, qua ex Deo Patre aeternaliter natus est, propter impietatem cordis sui nesciebant, Isaia dicente: *Generationem ejus quis enarrabit* [Isai. LIII, 8)? Denique et ipse Dominus ad utrumque respondit, et de humilitatis fragilitate, et de nativitate majestatis (*Ms.,* de divinitatis majestate], dicens: **(VERS. 28.)** *Clamabat ergo docens in templo Jesus:* et me scitis, et unde sim, scitis. Recte ergo dixit, *et me nostis, et unde sim scitis.* Id est, secundum carnem nativitatem meam nostis, et nobilitatem parentum meorum, et [Col. 0848C] effigiem vultus mei nostis: secundum divinitatem autem non nostis, quia a me ipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. «Sed ut eum sciatis, credite in eum quem misit, et scietis quod nemo vidit Deum unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, et ipse narravit: et Patrem nemo cognovit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. «Denique cum dixisset: *sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis, ut ostenderet eis, unde possint scire quod nesciebant, subjecit:* **(VERS. 29.)** *Ego scio eum.* {538} Ergo a me quaerite, ut sciatis eum. Quare autem scio eum? *Quia ab ipso sum, et ipse me misit.* Magnifice utrumque monstravit. *Ab* ipso, inquit, *sum, quia Filius de Patre:* et quidquid est Filius, de illo est cujus est Filius. Ideo Dominum Jesum dicimus, [Col. 0848D] Deum de Deo; Patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantum Deum: et dicimus Dominum Jesum, lumen de lumine; Patrem non dicimus lumen de lumine, sed tantum lumen. Ad hoc ergo pertinet, quod dixit: *Ab ipso sum.* Quod autem videtis me in carne, *ipse me misit.* Ubi audis, *ipse me misit, noli intelligere naturae dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.*»

VERS. 30.---*Quaerebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus;* hoc est, quia nolebat. Qui enim voluntate natus est, voluntate passus est, sicut horam praevidit sibi nativitatis suae, ita horam praedestinavit passionis [Col. 0849A] suae. Si hora mortis nostrae [*Al.,* suae] illius est voluntas, quanto magis hora passionis suae in arbitrio voluntatis suae venit? «Magna igitur misericordia Domini nostri Jesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora; factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia: factum esse quod fecit [*Ms.,* quod factus est], ut salvaret quod fecerat. Factus est enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundum hanc dispensationem jam venerat hora nativitatis, et natus erat: sed nondum venerat hora passionis; ideo nondum passus erat,» quia necdum venerat hora, in qua pati voluisset. Ideo in cruce legitur eum

dixisse, dum omnia perfecta fuerant secundum Scripturas prophetarum, *consummatum est.* Et inclinato capite [Col. 0849B] tradidit spiritum **(Joan. XIX, 30)**. Dum vero voluit, consummata fuerunt quae de eo scripta sunt: et consummatis omnibus, potestate propria emisit spiritum.

CAPUT XVIII.

Multis de turba credentibus plurima loquitur, inter quae ait: Qui sitit, veniat ad me, et bibat. *Nicodemo quoque de audientia ipsius resistitur a Pharisaeis.*

«

@ [Col. 0849D] S. Aug., loc. cit. num. 7-10. *De turba autem multi crediderunt in eum.* Humiles et pauperes salvos faciebat Dominus: principes insaniebant, et ideo medicum non solum [non] agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. Erat quaedam turba, quae suam aegritudinem cito vidit, et illius medicinam sine dilatione cognovit.» Quae commota miraculis credidit, principibus in infidelitate manentibus. [Col. 0849C] **(VERS. 32.)** *Et audierunt Pharisaei turbam murmurantem de illo haec.* Ideo audita multitudinis fide murmurabant, quia Christus gloriabatur. Et cito miserunt ministros, ut eum comprehenderent, quem apprehendere non potuerunt adhuc nolentem ut comprehenderetur; sed audierunt docentem, qui venerant apprehendere. **(VERS. 33.)** *Dixit ergo Jesus:* Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me. «Quod modo vultis facere, facturi estis, sed non modo, quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum, et tunc vado ad eum qui misit me. Implere debeo dispensationem meam, et [sic] pervenire ad passionem meam. **(VERS. 34.)** *Quaeretis me, et non invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire.* [Col. 0849D] «Hic jam resurrectionem suam praedixit: noluerunt eum agnoscere praesentem, et postea quaesierunt, cum viderent multitudinem jam credentem. Magna enim signa facta sunt, etiam cum Dominus resurrexit et ascendit in coelum. Tunc per discipulos facta sunt magna; sed ille per illos, [qui] et per se ipsum: ipse quippe illis dixerat: *Sine me nihil potestis facere»* **(Joan. XV, 5)**. Quare non potuerunt venire? Quia noluerunt credere, quia nullus sine fide salvari potest. **(VERS. 35.)** «*Dixerunt ergo Judaei,* non ad ipsum, sed *ad seipsos:* Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium [Col. 0850A] iturus est, et docturus gentes? Non enim sciebant quid dixerint [*Ms.,* quod dixerunt]; sed quia ille voluit, prophetaverunt. Iturus enim erat Dominus ad gentes, non praesentia corporis sui,» sed potestate divina in discipulis suis, de quibus dixit Propheta: *Quam* pulchri {539} *sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* **(Rom. X, 15)**? In his pedibus Christus iturus erat ad gentes, et per eos docturus gentes, ut fidem accepissent gentes, quam Judaei spreverunt. Qui verum nescientes, prophetaverunt, qui [*Ms.,* quia] et ignoraverunt Christum dicentem: *Et ubi ego sum, vos non potestis venire.* Quare non potestis venire? quia non vultis credere. Quid est quod dixit, *ubi sum ego, nisi in sinu Patris, consempiternus Patri sum? In terra loquebatur,* sed [Col. 0850B] in Patris sinu se esse monstrabat.

«

@ [Col. 0850D] Ex S. Aug., tract. XXXII, num. 1, 8. Inter caeteras dispensationes Domini

nostri, et doctrinas salutis nostrae, et dubitationes Judaeorum de Domino Jesu Christo quae dixit, quibus alii confunderentur, alii docerentur; *novissimo festivitatis illius die* (tunc enim ista agebantur, quae appellantur Scenopegia, id est, tabernaculorum constructio), [de] qua festivitate jam antea meminit charitas vestra fuisse dissertum, vocat Dominus Christus, et hoc non utcunque loquendo, sed clamando, ut qui sitit veniat ad eum. Si sitimus, veniamus; et non pedibus, sed affectibus; nec migrando, sed amando veniamus. Quanquam secundum interiorem hominem, et qui amat migrat. Sed aliud est migrare corpore, aliud corde: migrat corpore, qui motu corporis mutat [Col. 0850C] locum; migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas, non ibi es, ubi eras. Clamabat ergo nobis Dominus: *Stabat et clamabat:*

VERS. 38, 39.---*Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. «Quid hoc esset, quando evangelista exposuit, immorari non debemus. Unde enim dixerit Dominus: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat;* et *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae, consequenter exposuit Evangelista, dicens: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hoc tantum sciamus, quod de charitate hoc clamabat Dominus Jesus. «Clamat ergo et dicit, ut veniamus et bibamus, si intus sitit animus [*Aug.,* si intus sitiamus], quia [Col. 0850D] cum biberimus, flumina aquae vivae fluent de ventre nostro. Venter interioris hominis conscientia cordis est [*Ms.,* ejus]. Bibito ergo isto liquore, reviviscit purgata conscientia, et hauriens fontem habebit; etiam ipsa fons erit. Quid est fons, vel quid est fluvius qui emanat de ventre interioris hominis? Benevolentia qua vult consulere proximo. Si enim putet quia quod bibit soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viva de ventre ejus: si autem proximo festinat consulere, ideo non siccat, quia emanat. Videbimus quid nunc sit quod bibunt qui credunt in Deum: quia utique Christiani sumus, et si credimus, bibimus. [Col. 0851A] Et unusquisque in se debet cognoscere, si bibit. Et si bibit, largiatur ex eo quod bibit [*Aug.,* et si vivit ex eo, quod bibit]; non enim nos deserit fons, si non deseramus fontem. «Exposuit evangelista et dixit, unde Dominus clamasset, ad qualem potum invitasset, quidve ex bibentibus [*Ms.,* quid bibentibus] propinasset, dicens: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. Quem dicit spiritum, nisi sanctum [Spiritum?] Nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum, id est, animam. Anima [*Ms.,* animum. Animus] enim cujusque ejus est spiritus. De quo dicit Paulus apostolus: *Quis enim scit hominum quae sunt hominis,* nisi spiritus hominis qui in ipso est [Col. 0851B] **(I Cor. II, 11)**? Sed quid est quod ait: *Non enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus? Nunquid non spiritus fuit in sanctis Dei prophetis et patriarchis, qui multa per Spiritum sanctum futura praedixerunt? Igitur et Elisabeth legitur Spiritu sancto repleta esse, et Zacharias similiter, dicente evangelista: Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto, et prophetavit* **(Luc. I, 67)**. Quid est, quod dicit: *Spiritus sanctus necdum fuerat datus? «Multa ergo indicia praecedentis* [*Aug.,* praecedentia] Spiritus sancti habemus, antequam Dominus glorificaretur resurrectione carnis suae; non enim alium spiritum etiam prophetae habuerunt, qui Christum venturum praenuntiaverunt. Sed modus quidam futurus erat donationis [*Aug.,* dationis] hujus, qui [Col. 0851C] omnino antea non apparuerat: de ipso hic dicitur. Nusquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu sancto, linguis omnium gentium

locutos fuisse. Post resurrectionem autem suam primum, quando apparuit discipulis suis, dixit illis: *Accipite* {540} *Spiritum sanctum* **(Joan. XX, 22)**. De hoc ergo dictum est: *Non erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et insufflavit in faciem eorum **(Gen. II, 7)**. Quo flatu primum hominem quem fecit, vivificavit, et de limo erexit; quo flatu animam membris ejus dedit; significans enim eumdem esse spiritum, quem insufflavit [*Aug.,* significans eum se esse, qui insufflavit] in faciem eorum, ut a luto exsurgerent, et luteis operibus renuntiarent. Tunc primum post resurrectionem suam Dominus, quam dicit [Col. 0851D] evangelista glorificationem, dedit discipulis suis Spiritum sanctum. Deinde commoratus cum eis XL diebus, ut liber Actuum apostolorum demonstrat, ipsis videntibus, et videndo deducentibus, ascendit in coelum **(Act. I, 3, 9)**. Ibi peractis decem diebus, die Pentecostes misit desuper Spiritum sanctum, qui, sicut dixi, fuerant uno in loco congregati. Quo accepto Spiritu sancto, omnium gentium linguis locuti sunt. Quaerit aliquis forsitan, si baptizati in Christo, et in charitate praeceptorum ejus viventes, quare omnium gentium linguis non loquantur, dum certum est Spiritum sanctum eos accepisse? Quia [Col. 0852A] ipsa Ecclesia, quae est corpus Christi, omnium gentium linguis loquitur. Quod tunc in primitiva Ecclesia praesignatum est, quae in Judaea una tantummodo gente initiata est, nunc vero ex omnibus gentibus congregata. Quomodo vero unus tunc homo loquebatur omnibus linguis, ita modo unitas sanctae Ecclesiae omnibus loquitur linguis. «Accipimus ergo et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. Igitur quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum. Habemus ergo Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam; amamus autem, si in ejus compage et charitate consentimus [*Ms.,* consistimus], quam Apostolus omnibus virtutibus fiducialiter praeposuit. Quicunque ipsam habet, cuncta [Col. 0852B] habebit bona; quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potuerit homo» **(I Cor. XIII)**. De qua beatus Jacobus apostolus ait: *Qui autem offenderit in uno, factus est omnium reus* **(Jacob. II, 10)**. De hac etiam et ipsa Veritas ait: *In hoc enim cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Cum ergo haec loquebatur Christus in die novissimo festivitatis, quae modo proposuimus, et ut potuimus, tractavimus,

VERS. 40, 41.---*Ex illa ergo turba cum audissent* quidam de turba *sermones Jesu, dicebant:* Hic est vere propheta. Alii dicebant, hic est Christus

@ [Col. 0851D] Hic textus in cod. ms. et aliis edit. omittitur, et quae praecedunt, cum sequentibus uno sensu nectuntur [Col. 0852D] sic: *tractavimus, nata est, etc..* «

@ [Col. 0852D] Ex S. Aug., tract. XXXIII, num. 1, 2. Nata est de illo in turba dissensio, aliis putantibus, quod ipse esset Christus; aliis dicentibus, quia de Galilaea non exsurget Christus. Qui vero missi fuerant ut [Col. 0852C] eum tenerent, redierunt immunes a crimine et pleni admirationis. Nam et testimonium perhibuerunt divinae doctrinae ejus, cum dicerent, a quibus missi fuerant: **(VERS. 45.)** *Quare non adduxistis eum? Responderunt enim nunquam se audivisse hominem sic locutum.* **(VERS. 46.)** *Non enim quisquam sic loquitur homo.* Ille autem sic locutus est, quia Deus erat et homo. Tamen Pharisaei testimonium eorum repellentes, dixerunt eis: (VERS. 47, 48.) *Nunquid et vos seducti estis? Videmus enim delectatos vos esse sermonibus illius. Nunquid aliquis de principibus credidit in eum, aut ex Pharisaeis? Sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt.* Qui non noverant legem, ipsi credebant in eum; et qui

docebant [Col. 0852D] legem, eum qui miserat legem, contemnebant: ut impleretur quod dixerat ipse Dominus: *Ego veni, ut non videntes videant, et videntes caeci fiant.* Caeci enim facti sunt Pharisaei doctores, illuminati sunt populi legem nescientes, et in auctorem legis credentes. «Nicodemus tamen [unus] ex Pharisaeis, qui ad Dominum nocte venerat, et ipse quidem non incredulus, sed timidus; nam ideo et nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat et sciri timebat. Respondit [Judaeis]: **(VERS. 51.)** *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit quid faciat? Volebant enim illi perversi* [*Aug.,* perverse] ante esse damnatores quam cognitores. [Col. 0853A] Sciebat autem Nicodemus, vel potius credebat, quia si tantummodo eum patienter vellent audire, forte similes fierent illis qui missi sunt tenere eum, et maluerunt credere illi quam tenere illum. Responderunt ex praejudicio cordis sui, quod et illis: **(VERS. 52.)** *Nunquid et tu Galilaeus es? Id est, quasi a Galilaeo seductus.* Dominus {541} enim Galilaeus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes ejus. Secundum Mariam dixi parentes, non secundum virile semen: non enim quaesivit in terra nisi matrem, qui jam habebat desuper Patrem. Nam utraque ejus nativitas mirabilis fuit; divina sine matre, humana sine Patre homine. Quid ergo illi quasi legis doctores ad Nicodemum? **(VERS. 53.)** *Scrutare Scripturas, et vide quia propheta a Galilaea non surget.* [Col. 0853B] Sed Dominus prophetarum inde surrexit. *Reversi* sunt, inquit evangelista, *unusquisque in domum suam.*»

CAPUT XIX.

Mulierem in adulterio deprehensam, adductamque ad se, nec ab accusatoribus condemnatam, ipse sub conditione, qua ulterius non peccaret, absolvit.

CAPUT VIII, VERS. 1, 2.

---*Inde Jesus perrexit in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum.* «
@ [Col. 0853D] Ex hom. 5 Ven. Bedae. Mons quippe Oliveti sublimitatem Dominicae pietatis et misericordiae designat. Quia et Graece ἔλεος misericordia, olivetum vocatur ἐλαιών; et ipsa unctio olei fessis ac dolentibus membris solet afferre levamen. Sed et hoc quod oleum et virtute ac puritate praeeminet, et quemcunque ei liquorem superfundere [Col. 0853C] volueris, confestim hunc transcendere, eique superferri consuevit, gratiam misericordiae coelestis non inconvenienter insinuat, de qua scriptum est: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus* **(Psalm. CXLIV, 9)**. Tempus quoque diluculi exortum ejusdem gratiae [*Al.,* ejusdem gratiam exortam], qua remota legis umbra, lux evangelicae veritatis erat revelanda, demonstrat. Pergit ergo Jesus in montem Oliveti, ut arcem misericordiae in se constare denuntiet. *Venit iterum diluculo in templum, ut eamdem misericordiam, cum incipiente novi testamenti lumine fidelibus, templo videlicet suo, pandendam praebendamque significet. Et omnis,* inquit, *populus venit ad eum, et sedens docebat eos.* Sessio Domini humilitatem incarnationis ejus, per [Col. 0853D] quam nobis misereri dignatus est, insinuat. Bene autem dicitur quia cum sedens doceret Jesus, omnis populus venit ad eum: quia postquam humilitate suae incarnationis proximus hominum factus est,

libentius est a multis ejus sermo receptus; a multis, inquam, est [ejus] sermo receptus; namque a pluribus est superba impietate contemptus. Audierunt enim mansueti, et laetati sunt **(Psalm. XXXIII, 3)**. **(VERS. 3.)** Denique Judaei tentantes, *adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, interrogantes quid de ea fieri juberet.* Quoniam Moyses talem lapidare mandaverat **(Levit. XX)**, ut si et ipse hanc lapidandam [Col. 0854A] decerneret, deriderent eum, quasi misericordiae quam semper docebat oblitum; si lapidari vetaret, striderent dentibus suis in eum, et quasi fautorem scelerum legisque contrarium, velut merito damnarent. **(VERS. 6.)** *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Per inclinationem Jesu humilitas, per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur; porro per terram, cor humanum, quod vel bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus judicare de peccatrice, non statim dat judicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum quod obnixe rogatur [*Ms.,* quam enixe rogatus], judicat: nos videlicet typice instituens [*Ms.,* instruens], ut cum quaelibet [Col. 0854B] proximorum errata conspicimus, non haec antea reprehendendo judicemus, quam ad conscientiam nostram Lumiliter reversi, digito eam discretionis solerter exculpamus [*Ms.,* exsculpamus]; et quid in ea conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, juxta illud Apostoli: *Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* **(Gal. VI, 1)**.

VERS. 7.---*Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se et dixit eis:* Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Quia hinc et inde Domino Scribae et Pharisaei tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum [Col. 0854C] in judicando, vel injustum: praevidens ille dolos, quasi {542} fila transit araneae, et judicium justitiae per omnia et mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserandi, *qui sine peccato est vestrum;* ecce iterum justitia judicandi, *primus in illam lapidem mittat.* Ac si dixisset: Si Moyses mandavit vobis mulierem hujusmodi lapidare, videte quia non hoc peccatores, sed justos facere praecepit. Primo vos ipsi justitiam legis implete, et sic innocentes manibus et mundo corde, ad lapidandam ream concurrite. Primo spiritalia legis edicta, fidem, misericordiam et charitatem perficite, et sic ad carnalia judicanda divertite. Dato autem judicio, *Dominus iterum se inclinans scribebat in terra.* Et quidem juxta morem consuetudinis humanae potest intelligi, quod [Col. 0854D] ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari, et in terra scribere voluerit, ut alio vultum intendens, libertatem eis daret exire [*Al.,* liberum eis daret exitum; *Beda, exire arbitrium*], quos sua responsione perculsos citius exituros, quam plura interrogaturos esse praeviderat.

VERS. 9.---*Denique audientes unus post unum exibant, incipientes a senioribus.* Sed figurate nos admonet in eo, quod et ante datam et post datam sententiam inclinans scripsit in terra; ut et prius quam peccantem proximum corripiamus, et postquam debitae castigationis illi ministerium reddiderimus, nos [Col. 0855A] ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne forte aut eisdem, quae in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti.» Sicut forte fieri potest, ut ipse qui homicidam reum mortis esse judicaverit, ipse in seipso per odium fraternae mortis reus esse ante oculum conditoris inveniatur. Similiter qui fornicationis crimen in fratre accusat, in se

ipso superbiae facinus non videat. Ideo jubetur judex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inveniatur. «Quid igitur nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis, nisi ut cum peccantem conspicimus alium, mox inclinemus deorsum, id est, quam dejecti ex nostrae conditione fragilitatis simus, si non nos divina pietas sustineat [*Al.,* sustentet], humiliter [Col. 0855B] inspiciamus? Digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Job dicere possimus: *Neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra* **(Job. XXVII, 6)**. Bene qui inclinatus scripsit in terra, erectus misericordiae verba depromit, quia quod per humanae infirmitatis societatem promisit, per divinae virtutem potentiae hominibus donum pietatis impendit.

VERS. 10, 11.---*Erigens,* inquit, *se Jesus dixit ei:* Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quae dixit: Nemo, Domine. Nemo condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere coeperant quod magis damnandum cognoscerent. Sed quia accusantium turbas prolato justitiae pondere fugavit, videamus accusatam quanto misericordiae [Col. 0855C] munere sublevet.» Sequitur: *Dixit autem Jesus:* Nec ego te condemnabo. Vade, et amplius noli peccare. Quoniam misericors et pius est, praeterita peccata relaxat. Quoniam justus est, et justitiam diligit, ne amplius jam peccet, interdicit. «Verum quia poterant dubitare aliqui an posset Jesus, quem verum hominem noverant, dimittere peccata, dignatur ipse apertius, quid divinitus valeat, ostendere. Post repulsam namque tentatorum nequitiam, post solutam peccatricis culpam, iterum locutus est.

CAPUT XX.

Lucem mundi se dicit. Pharisaeos de proprio testimonio refutans arguit. Judicium suum verum ipse confirmat.

[Col. 0855D] VERS. 12.---*Ego sum lux mundi.* Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae. Ubi manifeste docet non solum qua auctoritate mulieri peccata dimiserit; sed etiam, quod ipse sit vera lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: cujus perpetuum splendorem humana fragilitas videre non potuisset, nisi nube carnis tegeretur, per quam quasi per quoddam lucidissimum speculum divini luminis claritas humanis mentibus innotesceret, quae fide purganda est, ut tanti luminis aspectui digna efficiatur. Unde secutus [Col. 0856A] {543} ait: *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem* [Ms., *lumen*] vitae. Qui meis modo jussis et exemplis obsequitur, non timebit in futuro tenebras damnationis, sed lucem potius vitae, ubi nunquam prorsus moriatur, habebit
@ [Col. 0855D] Hucusque ex homilia Ven. Bedae..»

«
@ [Col. 0855D] Ex sancto Augustino, tract. XXXV in Joan., num. 1, 2, 4-6. Itaque, fratres mei, sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris. Tenebrae metuendae sunt morum, non oculorum; et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum. Cum hoc ergo dixisset

Dominus noster Jesus Christus, responderunt Judaei: **(VERS. 13.)** *Tu de te testimonium dicis* [Al., *perhibes*], testimonium tuum non est verum. Antequam veniret Dominus noster Jesus Christus, multas ante se lucernas propheticas accendit et misit. De his [Col. 0856B] erat etiam Joannes Baptista [cui tam magnum ipsum lumen, quod est Christus, perhibuit testimonium, quale nulli hominum; ait enim: *In natis mulierum non surrexit major Joanne Baptista* **(Matth. XI, 11)**]. Hic tamen quo nemo erat major in natis mulierum, dicit de Domino nostro Jesu Christo: *Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem venit post me, fortior me est, cui non sum dignus corrigiam calceamenti solvere* **(Joan. I, 26)**. Videte quemadmodum se lucerna Dei [*Al.,* diei] submittat. Lucernam vero ipsum Joannem fuisse, Dominus ipse testatur: *Ille* erat, inquit, *lucerna ardens et lucens, et vos voluistis ad horam exsultare in lumine ejus* **(Joan. V, 35)**. «Responderunt ergo Judaei: *Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* Videamus, [Col. 0856C] quid audiunt: audiamus et nos, sed non sicut illi. Illi contemnentes, nos credentes; illi Christum occidere volentes, nos Christum [*Aug.,* per Christum] vivere cupientes. Interim ista distantia distinguat aures mentesque nostras, et audiamus quid Judaeis responderit Dominus:

VERS. 14.---*Respondit Jesus, et dicit eis:* Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio unde veni et quo vado. Lumen et alia demonstrat et seipsum. Christus et se ostendit et Patrem ostendit, et de Judaeis quid esset venturum. Ergo ait Dominus, et verum ait: *Et si ego de me testimonium perhibeo, verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo vado.* Patrem volebat [Col. 0856D] intelligi, Patri gloriam dabat Filius; aequalis glorificabat eum, a quo est missus: quantum debet homo glorificare eum, a quo est creatus? *Scio unde veni et quo vado.* «Iste, qui in praesentia vobis loquitur, habet quod non deseruit, sed tamen venit; non enim veniendo inde discessit, aut rediendo nos dereliquit. Quid miramini? Deus est. Non potest hoc fieri, sed ab homine: non potest hoc fieri ab ipso sole oriente. Sol oriens pergit ad occidentem, et deserit orientem. Non eo more Dominus noster Jesus Christus
@ [Col. 0856D] Aug.: «Non potest hoc fieri ab homine: non potest hoc fieri ab ipso sole. Quando pergit ad occidentem, deserit orientem, et donec oriturus redeat ad [Col. 0857D] orientem, non est in oriente: Dominus autem noster Jesus Christus et venit, etc.»: et venit enim, et ibi est; et rediit, et [Col. 0857A] hic est. Audi ipsum evangelistam alio loco dicentem, et si potes, cape; si non potes, crede. *Deum, inquit, nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* **(Joan. I, 18)**. Non dixit: Qui fuit in sinu Patris. Hic loquebatur, et ibi se esse dicebat: qui et hinc discessurus dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**. «Ergo verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive alia: quia sine lumine non potest videri lumen; et sine lumine non potest videri quodlibet aliud quod non est lumen.» Itaque et lumen et seipsum ostendit, et quae circa se sunt; ita et Christus, et seipsum ostendit, et alios illuminat qui charitate circa se sunt, et sequuntur illum non pedum gressibus, sed charitatis officiis.

[Col. 0857B] Duos adventus Domini nostri Jesu Christi legimus in Scripturis sanctis a prophetis esse praedictos, unum misericordiae qui peractus est, alterum judicii qui venturus est. «
@ [Col. 0858D] Ex S. Aug., tract. XXXVI, num. 4, 5, 9, 10. Prima ergo dispensatio Domini

nostri Jesu Christi medicinalis, non judicialis; nam si primo venisset judicaturus, neminem invenisset cui praemia justitiae redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, et omnino esse neminem immunem a morte peccati, prius ejus erat misericordia praeroganda, et post exercendum [*Aug.,* exserendum] judicium: quia de illo cantaverat Psalmus: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* **(Psalm. C, 1)**. Non enim ante judicium et post misericordiam: nam si primum esset judicium, nulla esset {544} misericordia; sed primo misericordia, postea judicium. [Col. 0857C] Quae est primo [*Ms.,* prima] misericordia? Creator hominis homo esse dignatus est, factus quod fecerat, ne periret quod fecerat. Quid huic misericordiae addi potest? Addidit tamen.» Nam reprobatus est ab omnibus [*Al.,* hominibus], pro quorum salute venerat in mundum, irrisiones sustinuit, flagella, sputa, opprobria inimicorum, turpissimam mortem crucis. Haec omnia sustinuit quia voluit, ut salvaret hominem quem creaverat. Nullum genus mortis intolerabilius fuit cruce, propter longos cruciatus: sed nihil nunc gloriosius quam signum crucis portare in fronte. Unde Apostolus ait, gloriam crucis praedicans: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* **(Galat. VI, 14)**.

[Col. 0857D] VERS. 15.---Quia venit neminem judicare, consequenter Judaeis respondit: *Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam.* «Pertulit injustum judicium, ut ageret justum. Sed in eo quod pertulit injustum, misericordiae fuit. Denique ita humilis factus est, ut perveniret ad crucem; distulit quidem potentiam, sed publicavit misericordiam. Unde distulit potentiam? Quia de cruce noluit descendere, qui potuit de sepulcro resurgere. Unde publicavit misericordiam? Quia pendens in cruce dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* **(Luc. XXIII, 24)**. Sive ergo propter hoc, quia non venerat [Col. 0858A] judicare mundum, sed salvare mundum, dixit: [*Ego*] non judico quemquam; sive quemadmodum commemoravi, quoniam dixerat: *Vos secundum carnem judicatis, addidit: Ego non judico quemquam, ut intelligamus Christum, non secundum carnem judicare, sicut ab hominibus judicatus est.* «Nam ut cognoscatis jam et judicem Christum, audite quid sequitur: **(VERS. 16.)** *Et si judico ego, judicium meum verum est.* Ecce habet et judicium [*Aug.,* et judicem . . . ne sentias judicem], sed agnosce Salvatorem, ne sentias judicium. Quare autem dixit judicium suum verum esse? *Quia* solus, inquit, *non sum, sed ego, et qui me misit Pater.*» Quid est missio Christi, nisi incarnatio ejus? Missus est Christus, idem est ut si dicas, incarnatus est Christus. Et a Patre missus [Col. 0858B] erat, et a Patre nunquam recessit: et hic fuit per incarnationem, et hic est modo per divinitatem. Fides ergo mundet corda nostra, et intellectus impleat corda nostra, ut intelligamus mysterium salutis nostrae. Altum est, profundum est, secretum est. Una est substantia, una divinitas, una majestas Patris et Filii. Pater non passus est, sed solus Filius. Ergo intelligamus missionem Filii nominatam incarnationem Filii: Patrem autem incarnatum esse non credamus. Unde ergo verum [est] judicium ejus, nisi quia verus est Filius Patris? Ideo dixit: *Judicium* meum verum est, quia solus non sum, inquit, *sed ego, et qui me misit Pater.* Idem ergo in alio loco dixit: *Ego et Pater unum sumus;* unum in substantia, duo in persona. *Unum dixit, propter substantiae unitatem,* [Col. 0858C] *sumus dixit, propter personarum distinctionem.* Audi [agnosce], quid dixit, *Ego et qui me misit Pater.* Distingue personas, et agnosce quia Pater pater est, et Filius filius est, ne in barathrum Sabelliani pervenias. Et noli dicere: *alius* [Ms., *aliud*] et aliud, sed dic, *alius et alius.* Non aliud in substantia, sed alius in

persona. Non Pater major, non Filius minor in divinitatis gloria; sed crede, *unum sumus.* «In eo quod dixit ipsa Veritas *unum, liberat te ab Ario;* quod dixit *sumus, liberat te a Sabellio.* Si *unum, non ergo diversum;* si *sumus, non ergo unus.*» De judicio dixerat, dum dixit: *Ego non judico quemquam;* de testimonio nunc vult dicere, ut intellectus impleat corda nostra.

[Col. 0858D] VERS. 17.---*In* lege vestra, inquit, *scriptum est.* Vestram dixit, tanquam diceret: In lege quae vobis a Deo data est; sicut dicimus: *Panem nostrum quotidianum, quem a Deo nobis dari poscimus.* Quid est quod in lege vestra scriptum est, quia *duorum hominum testimonium verum est? Nunquid semper duo homines verum dicunt testimonium? Nonne duo falsi testes contra Susannam falsum protulerunt testimonium* **(Dan. XIII, 36)**? Et Judaeis quaerentibus falsum testimonium contra Christum, dicit Evangelista: *Novissime venerunt duo falsi testes.* «Nunquid quia duo erant, ideo falsi testes non erant? Quid de duobus dicimus vel tribus? Universus populus mentitus [Col. 0859A] est contra Christum. Si ergo totus populus, {545} qui constat ex magna hominum multitudine, falsum testimonium dicere inventus est, quomodo accipiendum est, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in qua perpetua stabilitas veritatis est? Si vis habere bonam causam, habeto duos vel tres testes, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum.* Denique quando Susanna casta femina fidelisque conjux duobus falsis testibus urgebatur, Trinitas illi in conscientia atque in occulto suffragabatur: illa Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, et duos convicit. Ergo quia in lege vestra scriptum est: *Duorum hominum testimonium verum esse, accipite verum testimonium, ne sentiatis judicium. Ego* [Col. 0859B] enim, inquit, *non judico quemquam, sed testimonium perhibeo de me;* differo judicium, non differo testimonium.» Eligamus, fratres, testimonium Dei; quia testimonium Dei verum est; et qui modo testis es omnium quae agimus, judex erit omnium quae fecimus. Et alium non quaerit testem nisi seipsum, quia omnia secreta cordis nostri considerat, et quid et ex quo fonte procedat. Ideo testis, quia non quaerit alium unde cognoscat quis sis vel qualis sit vita tua, qui reddet unicuique secundum opera sua. «Responderunt ergo Judaei Domino loquenti de Patre suo, et dixerunt: **(VERS. 19.)** *Ubi est pater tuus? Patrem Christi carnaliter acceperunt, quia verba Christi secundum carnem judicaverunt.* Erat autem qui loquebatur in aperto caro, in occulto Verbum; homo [Col. 0859C] manifestus, Deus occultus: videbant indumentum, et contemnebant indutum. «Videamus ergo quid ad haec Dominus respondit: *Ubi* est, inquiunt, *pater tuus? Audivimus enim te dicere: Solus non sum, sed ego, et qui me misit Pater.* Nam solum te videmus, Patrem tuum tecum non videmus: quomodo te dicis solum non esse, sed cum Patre tuo esse? [aut] ostende nobis tecum esse Patrem tuum. Et Dominus: Nunquid me videtis, et Patrem meum non videtis [*Aug.,* ut Patrem ostendam vobis]? Hoc enim sequitur, hoc suis verbis ipse respondit, quorum verborum expositionem nos ante praemisimus. Videte enim quid dixerit: *Neque me scitis, neque Patrem meum.* Si me sciretis, forte et Patrem meum sciretis. Dicitis ergo: [Col. 0859D] *Ubi est Pater tuus? Quasi me jam sciatis;* quasi totum hoc sim quod videtis. Ergo quia me non nostis, ideo vobis Patrem meum non ostendo. Me quippe hominem putatis, ideo Patrem meum hominem quaeritis, quia secundum carnem judicatis. Quia vero secundum quod videtis aliud sum, et aliud secundum quod non videtis, Patrem meum loquor occultum [*Aug.,* occultus occultum];

prius est ut me noveritis, tunc et Patrem meum scietis. «*Si enim me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis.* Ille qui omnia scit, quando dicit *forsitan, non dubitat, sed increpat.* Attende enim quomodo increpative dicatur ipsum *forsitan, quod videtur esse verbum dubitationis.* Sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente; cum vero dicitur a Deo [Col. 0860A] verbum dubitationis, cum Domino [*Ms.,* Deum] nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. Homines enim de his rebus quas certas habent, aliquando increpatione [*Aug.,* increpative] dubitant, id est, verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitant: velut si indigneris servo tuo, et dicas: Contemnis me; considera, forsitan Dominus tuus sum. Hinc et Apostolus ad quosdam contemptores suos loquens ait: *Puto autem, et ego Spiritum Dei habeo* **(I Cor. VII, 40)**. Qui dicit puto, dubitare videtur; sed ille increpabat, non dubitabat. Et Dominus Jesus Christus alio loco increpans infidelitatem futuram generis humani: *Cum* venerit, inquit, *Filius hominis, putas inveniet fidem super terram* **(Luc. XVIII, 8)**? «Scit ergo omnia, per [Col. 0860B] quem facta sunt omnia, et tamen dubitando increpabat. *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.* Increpabat infideles, admonet fideles;» ut sciant unam esse cogitationem Patris et Filii, quatenus sciant cognitionem Filii cognitionem esse et Patris. Ideo discipulo electo poscenti ut ostenderet eis Patrem, respondit: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.* Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum **(Joan. XIV, 8)**. Si dissimilis esset Filius Patri, nunquid diceret discipulis suis: *Qui me videt, videt et Patrem? nunquid diceret Judaeis: si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis?*

{546} VERS. 20.---«*Haec verba locutus est Jesus in gazophylacio docens in templo.* Magna fiducia sine timore. Non enim pateretur, si nollet; quia nec [Col. 0860C] nasceretur, si nollet.» Quid est quod haec verba [Jesus] in gazophylacio docens in templo locutus est? Gazophylacium locus est ubi thesauri conduntur. Jesus in gazophylacio loquebatur Judaeis, dum in parabolis locutus est turbis. Nam gazophylacium fuit Christus, in quo omnia latuerunt mysteria tunc aperienda, dum ipse, qui latuit in littera, loquebatur, non in proverbiis, sed palam omnia fidelibus suis enarrans. Nam et gazophylacia adhaerebant templo, quia ipse Christus templum est, de quo ipse ait: *Solvite templum hoc* **(Joan. II, 19)**, cui omnia mysteria veteris legis adhaerebant, et ad eum omnia respiciebant, donec veniret ad aperienda singulorum gazophylacia mysteriorum, aperiente eo sensus fidelium [Col. 0860D] suorum, ut intelligerent quae latebant, sicut evangelista ait: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* **(Luc. XXIV, 45)**. Denique quid sequitur? *Nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.* Scilicet omnia dispositionis suae, omnia voluntatis suae. Quia qui voluntate natus est, voluntate et passus est. «Si ergo pati nollet, non pateretur; si non pateretur, sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaque gratias et potestati divinitatis et miserationi infirmitatis ejus, de occulta potentia quam Judaei non noverant; unde illis modo dictum est: *Neque me nostis, neque Patrem meum* **(Joan. VIII, 19)**; et de carne suscepta, quam Judaei noverant, et cujus patriam sciebant; unde illis alio loco dixit: *Et me nostis, et unde sim scitis* (Joan. [Col. 0861A] VII, 28). Utrumque noverimus in Christo, et unde aequalis [est] Patri, et unde illo major est Pater. Illud Verbum est, illud caro; illud Deus est, illud homo. Sed unus Christus Deus et homo.» Modo de sua passione, quid loquatur Christus, audiamus.

CAPUT XXI.

Dicit Judaeis quod in peccato suo morientur. A quibus cum esset interrogatus quis esset, respondit principium se esse, addens hoc: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.

VERS. 21.---«
@ [Col. 0861D] S. Aug., tract. XXXVIII, num. 2-8, 11. *Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini.* Quo ego vado, vos non potestis venire. Ego vado, inquit, et quaeretis me: non desiderio, sed odio. Nam illum, posteaquam abscessit ab oculis hominum, inquisierunt, et qui oderant, [Col. 0861B] et qui amabant: illi persequendo, illi habere cupiendo. Bonum est animam Christi quaerere, sed quomodo discipuli eam quaesierunt; et malum est quaerere animam Christi, sed quomodo eam Judaei quaesierunt; illi enim ut haberent, isti, ut perderent. Denique isti, quia sic quaerebant more malo, corde perverso, quid secutus adjunxit? *Quaeretis me;* et ne putetis, quia bene me quaeretis, *in peccato vestro moriemini;* hoc est Christum male quaerere, in peccato suo mori.» In peccato suo moritur, qui in peccato permanet usque ad mortem. Ille Christum non quaerit qui salutem animae suae per poenitentiam non quaerit. Ad quem Propheta clamat: *Quaerite Dominum, dum inveniri potest* **(Isai. LV, 6)** . Modo qui misericordem, dum tempus habet, non quaerit, inveniet [Col. 0861C] eum iratum. Judaeis dixit: *In peccato vestro moriemini, quia praesciebat eos in peccato suo permanere.* Singulari [vero] numero dixit *in peccato,* et plurali numero *moriemini, quia omnibus illis ad quos loquebatur, unam esse voluntatem, aequalem malitiam perdendi eum* [sciebat], qui salvare eos venerat. «Alio vero loco discipulis suis dixit: *Quo ego vado,* [vos] non potestis modo venire **(Joan. XXI, 22)**. Non abstulit eis spem, sed praedixit dilationem. Quando enim hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non poterant venire quo ille ibat, sed postea venturi erant: isti autem nunquam quibus praesciens [*Ms.,* praescius] dixit: *In peccato vestro moriemini.* «His autem auditis verbis, quomodo solent carnalia cogitantes, [Col. 0861D] et secundum carnem judicantes, et totum carnaliter audientes et sapientes, dixerunt: **(VERS. 22.)** *Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit:* {547} *Quo ego vado, vos non potestis venire? Stulta verba et omnino insipientiae plena.* Quid enim? Non poterant illo venire quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum? Nunquid ipsi non erant morituri? Quid est ergo, *nunquid interficiet semetipsum, quia dixit:* Quo ego vado, vos non potestis venire? Si de morte hominis diceret, quis hominum non moritur? Ergo, [Col. 0862A] *quo ego vado dixit, non quo itur ad mortem, sed quo ibat ipse post mortem, ut occideret mortem.* «Illis itaque non intelligentibus ista, respondit Dominus
@ [Col. 0861D] *Al.,* «Illi itaque non intelligentes, ista respondit eis Dominus, qui terram sapiebant. Quid ait? *Dicebat eis:* Vos, etc.»: *Vos deorsum estis.* Ideo terram [*Al.,* terrena] sapitis, quia sicut serpens terram manducatis. Quid est, terram manducatis, nisi terrenis pascimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum cor non habetis? *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum;* vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Quomodo ergo non erat de hoc mundo, per quem factus est mundus, et semper ubique est? Sed omnes de mundo: sed prius mundus, postea homo. Sed Christus ante mundum, ante Christum nihil. Quia in principio erat Verbum, et omnia per ipsum facta

sunt. Sic enim erat ille de supernis; de quibus supernis [Col. 0862B] Christus? Ab ipso Patre, nihil illo superius; quia Pater Verbum genuit aequale sibi, coaeternum sibi, unigenitum sibi, sine tempore, per quem conderet tempora.» Ideo Christus ante omnes creaturas, et ante omnia tempora, quia de Patre coaeternus Patri genitus est. *Ego de supernis sum, vos de hoc mundo estis;* ego non sum de hoc mundo.

VERS. 24.---«*Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris.* Exposuit nobis, fratres, quod [*Ms.,* quid] intelligi voluit, *vos de mundo hoc estis.* Ideo quippe dixit: *Vos de hoc mundo estis, quia peccatores erant, quia iniqui erant, quia infideles erant, quia terrena sapiebant.*» Nunquid apostoli et sancti Dei de hoc mundo non erant? Erant siquidem, quia de Adam nati sunt, sed ipsa Veritas de eis ait: *Ego* [Col. 0862C] elegi vos de mundo **(Joan. XV, 19)**, id est, de carnali conversatione, quae mundi nomine hoc loco significari videtur. «Qui ergo erant de mundo, facti sunt non de mundo, et pertinere coeperunt ad eum per quem factus est mundus. Isti autem remanserunt esse in mundo, quibus dictum est: *Moriemini in peccatis vestris.* «Nemo dicat, de hoc mundo non sum. Quisquis es, o homo, de hoc mundo es: sed venit ad te qui fecit mundum, et liberavit te de hoc mundo. Si delectat te mundus, semper vis esse in mundo [*Aug.* et Ms., immundus]. Si autem jam non delectat te hic mundus, jam non eris [*Ms.,* jam tu eris] mundus
@ [Col. 0861D] S. Aug.: «Si delectat te mundus, semper vis esse [Col. 0862D] immundus; si autem jam non te delectat hic mundus, jam tu es mundus. Verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, et eris mundus; si autem fueris mundus, non remanebis in mundo, nec audies, etc.», et non audies, quod Judaei audierunt: *Moriemini in peccato vestro.*» Et qui plus peccat, [Col. 0862D] plus est [in mundo et plus] immundus; et quanto quis se mundat a peccato, tanto se elevat de mundo non esse. «Merito audierunt Judaei: *Moriemini in peccatis vestris;* quia non habere peccatum nullo modo potuistis, qui cum peccato nati estis; sed tamen, *si* in me, inquit, *credideritis, cum peccato quidem nati estis, sed in peccato vestro morituri non estis.* Tota ergo infelicitas ipsa erat, non peccatum habere, sed in peccatis mori. Hoc est quod debet fugere omnis Christianus; propter hoc ad baptismum [Col. 0863A] curritur, propter hoc qui aegritudine vel aliunde periclitatur, sibi desiderat subveniri; propter hoc etiam sugens parvulus a matre piis manibus ad Ecclesiam fertur, ne sine baptismo exeat, et in peccato qui natus est, non moriatur [*Aug.* et Ms., quo natus est, moriatur]. Adjunxit enim dicens: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Ergo si credideritis quia ego sum, non moriemini in peccatis vestris. «Reddita est spes desperantibus, excitatio facta est dormientibus; cordibus evigilaverunt, inde plurimi crediderunt, sicut Evangelii ipsius consequentia testatur, ubi ait: *Haec illo loquente, multi crediderunt in eum.* In hoc ergo populo cui Dominus loquebatur, erant qui in peccato suo fuerant morituri: erant etiam qui in ipsum qui loquebatur fuerant [Col. 0863B] credituri, et ab omni peccato liberandi. «Tamen hoc attende, {548} quod ait Dominus Christus: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Quid est, *si non credideritis quia ego sum? Quid? Nihil addidit.* Multum est quod commendavit.» Dixit, *ego sum, et non addidit quid, sive Christus, sive Filius Dei, sive ille quem prophetae praedixerunt, sive Salvator mundi, sive* [aliud] aliquid, quod de eo in Scripturis legitur. Multum est, quod ait, ipse [*Ms.,* ipsum]: *Ego sum.* Quia dixerat Deus Moysi: *Ego sum, qui sum* **(Exod. III, 14)**; et hic modo: *Nisi credideritis quia ego sum,*

eodem verbo essentiae sempiternae usus est ad populum Judaeorum, quo tunc ad Moysen per angelum in rubo flammae ignis, quem missurus erat ad liberandum populum [Col. 0863C] suum. Quid est quod hic dixit: *Ego sum, nisi ille ipse qui tunc venit in angelum* [*Ms.,* veni in angelo] mittere Moysen servum meum ad liberandum populum meum; ego ipse modo per meipsum veni incarnatus, homo factus liberare homines quos creavi; salvare qui perditi fuerant. Quidquid enim aliquo modo mutari potest, vel in melius vel in deterius, quodammodo moritur eo quod fuit ante, dum incipit aliud esse, vel aliter esse quam fuit. Solus vero Deus semper idem est. Immutabilis [veritas], immutabilis bonitas, immutabilis sempiternitas, immutabilis natura, immutabilis substantia. Et quidquid de eo dici potest, semper idem est quod fuit et quod erit. Prorsus nihil aliud melius videtur intelligi in [Col. 0863D] hoc verbo, quod ait Dominus: *Ego sum, nisi ego sum Deus.* Moriemini in peccato vestro. «Sed illi semper terrena sapientes, et semper secundum carnem audientes et respondentes, quid ei dixerunt?

VERS. 25.---*Tu quis es? Non enim, cum dixisti: Nisi credideritis, quia ego sum, addidisti, quis esses* [*Aug.,* quid esses]. Quis es, ut credamus? Et ille: *Principium.* Ecce quod est, esse. Principium mutari non potest; principium in se manet et innovat omnia; principium est, cui dictum est: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* **(Psalm. CI, 28)**. *Principium,* ait, *quod et loquor vobis.* Principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Tanquam [Col. 0864A] enim in eo quod dixerunt: *Tu quis es? nihil aliud dixerunt quam quid te esse credemus? Respondit: Principium me esse credite, et addidit: quod et loquor vobis.* Id est, quia humilis propter vos factus ad ista verba descendi. Nam si principium, sicuti est, ita maneret apud Patrem ut non acciperet formam servi, et homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum sine voce sensibili audire [*Al.,* sine voce, sed sensibili, videre] non possent? Ergo, inquit, credite me esse principium, quia ut credatis non solum sum, sed et loquor vobis.

«

@ [Col. 0863D] Ex S. Aug., tract. XXXIX, num. 1, 6, 7. Verba Domini nostri Jesu Christi quae habuit cum Judaeis, ita moderans loquelam suam, ut caeci non viderent et fideles oculos aperirent [*Adde:* ista [Col. 0864B] sunt]. *Dicebant ergo Judaei:* Tu quis es? quia dixerat supra Dominus: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Ad haec ergo illi: *Tu quis es? veluti quaerentes nosse, in quem deberent credere, ne in suo peccato morerentur.* Respondit dicentibus: *Tu quis es? et ait: Principium, quod et loquor vobis.*» Quare se dicit Dominus Jesus principium? Quia omnia per ipsum facta sunt, sicut Psalmus [*Ms.,* Psalmista] dicit: *Omnia in sapientia fecisti* **(Psalm. CIII, 24)**. Si igitur omnia in sapientia fecit Deus, id est, in Filio suo coaeterno sibi et consubstantiali, Filius utique omnium principium est. Nunquid et Pater potest dici principium? Utique recte dicitur [et] Pater principium, et Filius principium; non tamen duo principia. Sicut Pater Deus, [Col. 0864C] et Filius Deus, non tamen duo dii, sed unus Deus dicendus est; sic Pater principium, et Filius principium, non tamen duo principia, sed unum principium fatendum est. Ergo et Spiritus sanctus principium est, non tamen tria principia, Pater et Filius et Spiritus sanctus, sed unum principium; sicut Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, non tamen tres dii, sed unus Deus. Pater omnipotens Filius omnipotens, Spiritus sanctus omnipotens, non tamen tres omnipotentes, sed unus

omnipotens. Id enim quod Pater [ad] se est, Deus est; quod ad Filium est, Pater est; quod Filius ad seipsum, Deus est; quod a Patre est, Filius est. Et Spiritus sanctus quod ad se est, Deus est; quod a Patre et Filio, Spiritus sanctus est: quia Patris et Filii Spiritus [Col. 0864D] est, ex Patre et Filio {549} procedens, unius substantiae, potestatis, majestatis cum Patre et Filio. Audiamus ergo principium, quod loquitur nobis. **(VERS. 25)** *Multa,* inquit, *habeo de vobis loqui et judicare.* In alio vero loco dixit: *Non judico quemquam, praesentem ejus ostendens adventum, quo venit salvare, non judicare:* quia venerat, ut salvaret mundum, non ut judicaret mundum. «Quod autem nunc dicitur [*Ms.,* dicit]: *Multa habeo de vobis loqui et judicare, judicium futurum dicit.* Ideo enim ascendit, ut veniat judicare vivos et mortuos. Nemo justius judicabit, quam qui injuste judicatus est. [Col. 0865A] *Multa* habeo, inquit, *loqui et judicare de vobis;* sed qui me misit, verax est. Videte, quemadmodum Patri det [*Ms.,* dat] gloriam aequalis Filius Patri.» Exemplum enim nobis praebet gloriam dare Deo, gloriam Dei quaerere, non nostram, quasi diceret: O homo fidelis, si ego Filius Patris aequalis Patri, consubstantialis Patri, coaeternus Patri, do gloriam ei a quo sum, quomodo tu superbus es apud eum cujus es servus: *Multa,* inquit, *habeo de vobis loqui et judicare, sed qui me misit, verax est;* tanquam diceret: Ideo verum dico, quia Filius veracis, veritas sum. Pater verax est, Filius veritas. «Ait enim apertissime ipse Dominus: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Ergo si Filius veritas, Pater quid, nisi quod ait veritas: *Qui me misit, verax est? Filius veritas,* Pater [Col. 0865B] verax.» Sicut a Patre Filius, ita a veraci veritas. Pater verax est, sed non a veritate; Filius veritas, sed a Patre, quasi [*Al.,* quia] Filius a Patre, non a seipso. Et ideo [ait] alio loco: *A me ipso non veni, id est, a me ipso non sum.* Pater utique verax est, non participando veritati [*Ms.,* veritatem], sed generando veritatem; quia Pater genuit Filium, qui de se ipso ait: *Ego sum via et veritas.* Cum autem dixisset Dominus Jesus, *verax est, qui me misit, non intellexerunt illi, quod de Patre eis dicebat, necdum habuerunt oculos cordis apertos, ut intelligere possent aequalitatem veracis et veritatis.*

VERS. 28.---*Dicebat Jesus turbis Judaeorum:* Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a me ipso facio nihil: sed sicut docuit [Col. 0865C] me Pater, haec loquor. «
@ [Col. 0865D] Ex S. Aug., tract. XL, num. 2, 5, 6, 8, 9. Quid est hoc? Nihil enim aliud videtur dixisse, nisi eos post passionem suam cognituros quid esset [*Aug.,* quis esset]. Procul dubio ergo videbat ibi aliquos quos ipse [noverat, quos ipse] cum caeteris sanctis suis ante mundi constitutionem praesciendo elegerat, post passionem suam esse credituros. Ipsi sunt illi quos assidue commendamus et ad imitationem cum magna exhortatione proponimus. Misso desuper Spiritu sancto post Domini passionem et resurrectionem et ascensionem, cum miracula fierent in ejus nomine, quem tanquam mortuum persequentes Judaei contempserunt, compuncti sunt corde **(Act. II, 37)**; et qui saevientes occiderunt, mutati crediderunt; et quem sanguinem saeviendo fuderunt, credendo biberunt [Col. 0865D] **(Act. IV, 4)**; illa tria millia, et illa quinque millia Judaeorum quos ibi videbat, quando dicebat: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum;* tanquam dicens: Differo cognitionem vestram, ut impleam passionem meam; ordine vestro cognoscetis qui sim. Non quia omnes tunc erant credituri ex his qui audiebant, id est, post Domini passionem: nam paulo ante [*Leg.,* paulo post] dicit: *Haec eo loquente multi crediderunt in eum;* et nondum exaltatus erat filius hominis.

Exaltationem quippe dicit passionis, non glorificationis; crucis, non coeli, nam ibi exaltatus est, quando pependit in [Col. 0866A] ligno; sed illa exaltatio, humiliatio fuit. Tunc enim factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis **(Philipp. II, 8)**. Propter quod exaltavit illum Deus.» Altera exaltatio fuit, quando elevatus est in crucem; altera dum ascendit in coelum. Illa humiliationis, ista glorificationis. «Exaltationem crucis oportebat impleri per eorum manus qui postea fuerant credituri, quibus dicit: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Quare hoc, nisi ut nemo desperaret in quocunque scelere male [sibi] conscius, quando videbat eis donari homicidium, qui occiderant Christum?» Addidit: *Tunc cognoscetis quia ego sum.* Quid est, *ego sum, nisi unius substantiae cum Patre? Sicut et ad Moysen superius diximus, dictum esse: Ego sum, qui sum.* [Col. 0866B] Verbo substantiali utitur de seipso Dominus, ut intelligatur aeternam esse substantiam, et unam {550} esse substantiam Patris et Filii. Tamen ne ipse intelligeretur Pater, continuo adjunxit: *Et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor.* Quod vero ait: *A meipso facio nihil.* Quid est, *A meipso facio nihil? Id est, a meipso non sum.* Quod autem addidit: *Sicut docuit me Pater, haec loquor, sensus altissimus est.* Cor enim mundandum, ut intelligatur quod ait: *Sicut docuit me Pater, sic loquor;* non enim ita intelligendum est, quasi homo Pater homini Filio loqueretur: sed excellentius et sacratius. Aliter vero intelligendum est quod ait evangelista: *In principio erat Verbum;* et aliter intelligendum, *Verbum caro factum est.* Aliter de divinitate Christi, in qua aequalis [Col. 0866C] est Deo Patri; aliter de humanitate ejus, in qua consimilis est nobis. Cogitandum est non uno modo intelligendum esse, quod ait Dominus: *Ego et Pater unum sumus* **(Joan. X, 30)**, et illud quod dixit: *Pater major me est* **(Joan. XIV, 28)**. «Ergo incorporaliter cogitetur Pater locutus Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Nec eum sic docuit, quasi indoctum genuerit: sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse; et hoc est, *docuit me Pater, quod scientem me Pater genuit.* Si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est Filio esse, quod nosse. Ab illo ergo habet quod noverit, a quo habet ut sit; non ut prius ab illo esset, et ab illo postea nosset: sed quemadmodum illi gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset; quia simplicis indicium est [Col. 0866D] naturae veritatis [*Al.* veritas] est

@ [Col. 0865D] *Ms.:* «Quia simplicis, ut dictum est, naturae veritas [Col. 0866D] est.» *Aug.:* Quia simplici, ut dictum est, naturae veritatis esse et nosse non est aliud, etc., esse et nosse: non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum. «Dixit ergo ista Judaeis et addidit: **(VERS. 29.)** *Et qui me misit, mecum est.* Jam hoc antea dixerat, sed rem magnam assidue commemorat: *Misit me, et mecum est.* Si ergo tecum est, o Domine, non unus ab alio missus est, sed ambo venistis. Et tamen cum ambo simul sint, unus missus est, alter misit: quoniam missio, incarnatio est; ipsa incarnatio Filii tantum est, non et Patris. Misit itaque Pater Filium, sed non recessit a Filio. Ergo, inquit, *qui me misit, non reliquit me solum:* cujus auctoritate tanquam paterna [Col. 0867A] incarnatus sum, mecum est, non me dereliquit. Quare me non dereliquit? *Non dereliquit me, inquit; solum, quia ego quae placita sunt ei, facio semper.* Ipsa est aequalitas *semper, non ex quodam initio et deinceps, sed sine initio et sine fine.* Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per genitum facta sunt tempora.» **(VERS. 30.)** *Haec illo loquente multi crediderunt in eum.* Multi crediderunt, necdum in omnem terram exivit sonus eorum, necdum omnibus praedicatum est, necdum dictum est: **(VERS. 31.)** *Ite, docete omnes gentes.* Ergo Dominus ad eos, qui crediderunt in eum, ait Judaeos:

CAPUT XXII.

Judaeis credentibus ait: Si manseritis in sermone meo, veritas liberabit vos. *Quibus respondentibus se esse liberos, dicit:* Qui facit peccatum, servus est peccati.[Col. 0867B]

VERS. 31.---«*Si vos manseritis in verbo meo.* Ideo *manseritis, quia initiati estis, quia esse ibi coepistis. Si manseritis, hoc est, in fide quae in vobis esse credentibus coepit, quo pervenietis? Vide quale initium, quo perducitur* [*Al.* perducit]. Amasti fundamentum, culmen attende, et ex ista humilitate aliam celsitudinem quaere. Fides enim humilitatem habet; cognitio et immortalitas et aeternitas non habet humilitatem, sed celsitudinem, et erectionem, nullam defectionem; aeternam stabilitatem, nullam ab inimico expugnationem, nullum deficiendi timorem. Magnum est quod incipit a fide,» sed majus quo pervenitur per fidem. Audi igitur quo perveniat, et vide quanta sit fides. **(VERS. 32.)** *Ergo* et vos, ait, *si manseritis* [Col. 0867C] in verbo meo in quo credidistis, vere discipuli mei eritis; subjunxit quoque: *et cognoscetis veritatem.* Qui cognoscit veritatem, cognoscit Deum, quia Deus veritas est, dicente ipso Domino: *Ego sum via, et veritas, et vita* **(Joan. XIV, 6)**. Credamus ergo, ut cognoscamus veritatem, quia sine {551} fide ad cognitionem veritatis nullus pervenire poterit. «Quid cognituri sumus? Illud quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit **(Isa. LXIV, 4; I Cor. II, 9)**. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre. Quid est, quod videre nobis promittitur? Dicit enim Dominus in alio loco quid esset quod visuri erimus: *Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum,* et manifestabo ei me [Col. 0867D] ipsum» **(Joan. XIV, 21)**. Haec est promissio, haec est merces fidei quae per dilectionem operatur. Haec est satietas quam Psalmista optavit, dicens: *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua* **(Psalm. XVI, 15)**. O Domine, fac nos digne amare te, et non amare saeculum, ut valeamus ad illam libertatem pervenire, ad quam per cognitionem veritatis pervenitur; de qua subjunxisti, dicens: «*Et veritas liberabit vos.* Quid est, liberabit vos? Liberos faciet. Denique Judaei carnales, et secundum carnem judicantes, non hi qui crediderant, sed in illa turba qui erant qui non credebant, injuriam sibi factam putaverunt, quia dixit [Col. 0868A] eis: *Veritas liberabit vos:* indignati sunt servos se esse significatos. Et vere servi erant. Et exponit illis quae sit servitus, et quae sit futura libertas quam ipse promittit.» Nihil enim aliud est dicere: *Et veritas liberabit vos, nisi liberos vos faciet, sicut nihil est salvabit, nisi salvos faciet.* Audivimus ergo quid libera veritas dixit: audiamus quid superba falsitas respondeat. Dixerunt ergo Judaei: **(VERS. 33.)** «

@ [Col. 0867D] Ex S. Aug., tract. XLI, num. 2, 3, 4, 8. *Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam.* Quomodo tu dicis, liberi eritis? Non enim dixerat Dominus, liberi eritis, sed: *Veritas liberabit vos.* In quo tamen verbo, illi nihil aliud intellexerunt, nisi libertatem carnalem, et extulerunt se quod semen essent Abrahae, et dixerunt: *Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam, quomodo tu dicis:* Liberi [Col. 0868B] eritis? O vana superbia! o falsa jactantia! quomodo verum dixistis: *Nemini servivimus unquam? Joseph non est venundatus? Prophetae sancti non sunt ducti in captivitatem? Denique nonne ille ipse est populus, qui in Aegypto lateres faciebat, et operibus duris* [*Aug.,* regibus duris], non saltem in argento et auro, sed in luto

serviebat? Si nemini servistis unquam, o ingrati, quid est quod vobis assidue imputat Deus, quomodo vos de domo servitutis liberavit? An forte patres vestri servierunt, vos autem qui loquimini nulli servistis unquam? Quomodo ergo solvebatis tributum Romanis? Unde et ipsi veritati laqueum quasi captionis proposuistis, ut diceretis: *Licet reddere tributum Caesari? ut si dixisset, licet, teneretis eum,* quasi malam optasset libertatem [Col. 0868C] semini Abrahae [*Aug.,* quasi male optasset libertati seminis Abrahae]. Si autem diceret, *non licet, calumniaremini apud reges terrae, quod prohiberet regibus tributa persolvi.* Deinde prolato nummo victi estis, et captioni vestrae vos ipsi estis respondere compulsi. Ibi enim vobis est dictum: *Reddite Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt* **(Matth. XXII, 21)**; cum vos ipsi respondissetis, quod nummus habet imaginem Caesaris: quia sicut quaerit Caesar in nummo imaginem suam, sic Deus quaerit in homine suam.» Nec alienum quid quaerit Deus ab homine, sed quod condidit in homine. Ideo Deus homo factus est, ut in homine reformaret, quod in homine formavit. Ergo mentientibus et de vana libertate tumentibus, quid respondisset Dominus Judaeis, audiamus.

[Col. 0868D] VERS. 34.---*Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Quis non sub his verbis contremiscat? Si omnis homo peccator, omnis homo servus peccati. Sed intentius audiamus, qualiter liberemur de hac servitute. Terrorem incutit, medicinam adhibet. Nam ait Dominus: *Amen, amen dico vobis:* Quid est, *amen, amen, nisi verum, verum dico vobis? Quod verbum nec Graecus interpres, nec Latinus ausus est in aliam transferre linguam, ut honorem haberet velamento secreti testificatio veritatis in Christo.* Veritas dicit: *Verum verum dico vobis, ingeminat, replicat verbum veritatis,* ut excitaret [Col. 0869A] dormientes, intus [*Ms.* et Aug., intentos] faceret audientes, nec contemneretur, qui ait: *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* «O mirabilis [*Aug.,* miserabilis] servitus, servire peccato, servire diabolo, qui peccati est auctor! Plerumque homines cum dominos malos patiuntur, venales se petunt; non quaerentes dominum non habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid {552} faciat, quem interpellet, apud quem interpellet, apud quem venalem se petat?» Saepe homines malos dominos fugiunt ne serviant malis, et non fugiunt peccatum, cujus servus est qui peccator est. Et quanto felicius esset fugere peccatum, et servire homini libera conscientia? «Deinde servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo [Col. 0869B] requiescit: servus peccati quo fugit? Secum trahit peccatum quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se; imo non recedit a se: peccatum enim quod facit, intus est. Fecit peccatum ut aliquam corporalem caperet voluntatem: voluntas [*Ms.,* voluptatem: voluptas] transiit, peccatum remanet; praeteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Mala servitus. Aliquando fugiunt homines improbos dominos, volentes carere dominis, qui nolunt carere peccatis.» Quanto felicius si deserat homo peccatum, fugiat ad Christum, Deum liberatorem interpellet? Liberat ergo ab hac servitute peccati solus Dominus, qui illam non habuit, qui solus sine peccato venit in mundum. Ille solus liberare potest de peccato, qui venit sine peccato, et factus est sacrificium pro [Col. 0869C] peccato. «Cum ergo omnis qui facit peccatum servus sit peccati, quae sit spes nobis libertatis, audite: **(VERS. 35.)** *Servus* autem, inquit, *non manet in domo in aeternum.* Ecclesia est domus, servus est peccator.» Non maneat homo in peccato, nec [*Al.,* ne] sit servus peccati, ut possit manere in domo, id

est, in Ecclesia. Maneat in corpore capitis sui, ut sit filius, non servus. Longe aliud est peccare, aliud manere in peccato. Qui manet in peccato, servus est peccati; qui fugit a peccato, servus erit justitiae. «Terruit itaque, et spem dedit: terruit, ne peccatum amaremus; spem dedit, ne de peccati solutione diffideremus. *Omnis,* inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Servus autem non manet [in domo] in aeternum. Quae ergo nobis spes est, qui non sumus sine peccato? Audi [Col. 0869D] spem tuam: *Filius manet in aeternum.*

VERS. 36.---*Si ergo filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Haec spes est nostra, fratres, ut a libero liberemur, et liberando servos nos faciat; servi enim eramus cupiditatis, liberati efficimur servi charitatis. Prima libertas est non permanere in peccato, servire justitiae, dicente Apostolo: *Cum servi essetis peccati, liberi eratis justitiae* **(Rom. VI, 20)**. Nunc autem habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam.» Perfecta vero libertas est [Deo] Christo servire, illum diligere qui vere nos liberavit, qui verus est Filius Dei, et Dominus in forma servi. [Col. 0870A] «
@ [Col. 0869D] Ex S. Aug., tract. XLII, num. 1-14. Non servus, sed in forma servi Dominus. Fuit quippe illa carnis forma servilis, sed quamvis esset similitudo carnis peccati, non erat caro peccati. Libertatem promisit credentibus in se; Judaei vero tanquam de sua libertate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cum essent servi peccati. Ideo autem se liberos esse dixerunt, quia semen Abrahae erant. Quid ergo eis ad haec respondit Dominus, audiamus: **(VERS. 37.)** *Scio,* inquit, *quia filii Abrahae estis, sed quaeritis me interficere.* Agnosco carnis originem, non cordis fidem. *Filii Abrahae estis, sed secundum carnem.* Ideo quaeritis me occidere, inquit; *sermo enim meus non capit in vobis, id est, non habet locum in vobis.* Si sermo meus caperetur a vobis, caperet utique vos. Quid est ergo, non capitur a vobis? Id est, [Col. 0870B] non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. «Audistis Dominum certe dicentem: *Scio quia filii Abrahae estis.* Audite quid postea dicat: *Ego quod vidi apud Patrem meum loquor;* et vos, quod audistis apud patrem vestrum, facitis. Quid autem faciunt? Quod eis dixit: *Quaeritis me occidere.* Hoc apud Abraham nunquam viderunt. Dicit: *Quae vidi apud Patrem meum loquor.* Veritatem vidi, veritatem loquor, quia veritas sum. Si enim Dominus veritatem loquitur, quia ipse est veritas Patris, quam vidit apud Patrem [se vidit, se loquitur, quia ipse est veritas Patris, quam vidit apud Patrem]. Ipse est enim Verbum, quod Verbum erat apud Deum. Isti ergo malum quod faciunt, quod Dominus objurgat et corripit, ubi viderunt? Apud Patrem suum. Cum audierimus [Col. 0870C] in consequentibus apertius dictum quis sit eorum pater, tunc intelligemus qualia viderint apud talem patrem: adhuc enim non nominat patrem ipsorum. Paulo superius {553} Abraham commemoravit, sed carnis origine, non vitae similitudine: dicturus alterum patrem illorum, qui nec genuit eos, nec creavit, ut homines essent; sed tamen filii erant ejus, in quantum mali erant, non in quantum homines [erant], in quo imitati, non in quo creati.

VERS. 39.---*Responderunt et dixerunt ei:* Pater noster Abraham est. Quasi: Tu quid dicturus es contra Abraham? aut si aliquod potes audere, reprehende [*Aug.,* aude reprehendere] Abraham. Non quia Dominus non audebat reprehendere Abraham, sed talis erat Abraham, qui non reprehenderetur a [Col. 0870D] Domino, sed potius laudaretur. Tamen isti videbantur eum provocare ut aliquid male diceret de Abraham, et esset occasio faciendi quod cogitabant. *Pater noster Abraham est.* «Audiamus, quomodo eis

respondit Dominus, cum illorum damnatione laudans Abraham. **(VERS 40.)** *Dicit eis Jesus:* Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo. Hoc Abraham non fecit. Ecce ille laudatus, isti damnati: Abraham non erat homicida. Non dico, inquit, ego Deus sum [*Aug.,* Dominus sum] Abrahae: quod si dicerem, verum [Col. 0871A] dicerem. Nam dixit de alio loco: *Ante Abraham ego sum.* Tunc eum illi lapidare voluerunt. Non dixit hoc. Interim quod videtis, quod aspicitis, quod me solum putatis, homo sum. Hominem dicentem vobis quod audivit a Deo, quare vultis occidere, nisi quia non estis filii Abrahae? Et tamen superius ait: *Scio quia filii Abrahae estis.* Non negavit eorum originem, sed facta condemnat: caro eorum ex illo erat, sed vita non erat. «Ergo Christiani facti sunt semen Abrahae gratia Dei. Non de carne Abrahae facti illi cohaeredes: Deus illos exhaereditavit, istos adoptavit.» Isti sunt de quibus alio loco a Joanne Baptista dictum est: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae* **(Matth. III, 9)**. Illi erunt filii Abrahae, qui fidem Abrahae imitantur. Ideo subjunxit [Col. 0871B] Dominus, dicens: *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.* Factis probate nobilitatem, non verbis. Sed quaeritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis quam audivi a Deo, hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera Patris vestri; et adhuc non dicit quis est iste pater eorum. «Modo illi quid responderunt? Coeperunt enim utcunque cognoscere, non de carnis generatione Dominum loqui, sed de vitae institutione: et quia consuetudo Scripturarum est quam legebant, fornicationem spiritaliter appellari, cum diis multis et falsis anima tanquam prostituta subjicitur, ad hoc responderunt: **(VERS. 41.)** *Dixerunt itaque ei:* Nos ex prostitutione non sumus nati, unum Patrem habemus Deum. Jam viluit Abraham: repulsi sunt enim, quomodo repelli [Col. 0871C] debuerunt [*Ms.,* voluerunt] ore veridico; quia erat talis Abraham, cujus factum non imitabantur, et de illius genere gloriabantur. Et mutaverunt responsionem, credendo [*Aug.* et Ms., credo] dicentes apud seipsos, quotiescunque nominaverimus Abraham, dicturus est nobis: Quare non imitamini eum de cujus genere gloriamini? Nos sanctum, justum, innocentem, tantum virum imitari non possumus: Deum dicamus Patrem nostrum; videamus quid nobis dicturus est. «Nunquid si falsitas invenit quod diceret, et veritas non inveniret quod responderet? Audiamus quid dicant, audiamus quid audiant: *Unum,* inquiunt, *Patrem habemus Deum.* **(VERS. 42.)** *Dixit ergo eis Jesus:* Si Deus Pater vester esset, diligeretis me utique: Ego enim ex Deo processi et veni. [Col. 0871D] Neque enim a meipso veni, sed ille me misit. Dicitis Deum Patrem, agnoscite vel fratrem vestrum [*Aug.,* agnoscite me vel fratrem]. Hic tetigit quod saepius solet dicere: *Non a meipso veni, sed ille me misit, a Deo processi et veni.* Christi ergo missio, incarnatio est ejus. Quod vero de Deo processit Verbum, aeterna processio est, non habens tempus per quem factum est tempus. Ergo ab illo processit ut Deus, ut aequalis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris; venit ad nos, quia Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Adventus ejus, humanitas ejus; mansio ejus, divinitas ejus.

VERS. 43.---«*Quare,* inquit, *loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.* Ideo non poterant cognoscere, quia non poterant [Col. 0872A] audire. Sed unde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant? Et hoc unde? *Vos ex patre diabolo estis.* Quandiu patrem commemoratis? Quandiu patrem {554} mutatis, modo Abraham, modo Deum? Audite a Filio Dei, cujus filii estis. *A patre diabolo estis.*» Deus itaque creator omnium creaturarum creavit hominem. Quomodo

hic dicit: *Vos a patre diabolo estis? Quidquid a Deo creatum est, bonum est, et omnis homo, quantum creatura Dei est, bonus est:* quantum vero se subjicit per liberum arbitrium diabolo, a patre diabolo est. «Bona est enim hominis natura, sed vitiata erat per malam voluntatem, et inde a patre erat diabolo. Quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi malus. Inde ergo Judaei dicti sunt filii diaboli, non [Col. 0872B] nascendo, sed imitando. Consuetudo vero sanctae Scripturae est ex imitatione vel similitudine operum filios saepe nominare, ut Propheta ad Judaeos ait: *Pater tuus Amorrhaeus et mater tua Cethea* **(Ezech. XVI, 3)**. Amorrhaei gens erat quaedam, unde originem Judaei non ducebant; Cethei et ipsi gentem suam habebant omnino alieni a genere Judaeorum. Sed quia erant impii Amorrhaei et Cethei; Judaei autem imitati sunt impietates illorum; invenerant filii [*Aug.,* invenerunt sibi] parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur. Quaeritis autem fortasse, unde ipse diabolus? Inde utique, unde et caeteri angeli. Caeteri angeli in sua obedientia perstiterunt: ille inobediendo et superbiendo lapsus est angelus, et factus [Col. 0872C] est diabolus. «Sed modo audite quid dicat Dominus: *Vos,* inquit, *a patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis.* Quaeritis me occidere, hominem qui veritatem vobis dico. Et ille invidit homini, et occidit hominem. Diabolus autem cum invideret homini, serpentem indutus, locutus est mulieri, et de muliere venenavit et virum. Mortui sunt diabolum audiendo, quem non audissent si Deum audire voluissent: positus enim homo inter Deum qui creavit eum, qui [*Aug.* addit: et eum, qui lapsus est] obtemperare debuit creatori, non deceptori. Ergo *ille homicida erat ab initio.* Videte genus homicidii fratres. Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus. Ad hominem venit, verbum malum seminavit, et occidit. Noli ergo putare [Col. 0872D] te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades: si fratri tuo mala persuades, occidis. Audi Psalmistam: *Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum machaera acuta* **(Psal. LVI, 5)**. Vos ergo desideria patris vestri facere vultis, ideo saevitis in carnem, quia non potestis in mentem. *Ille homicida erat ab initio;* utique in primo homine. Ex illo, ille homicida, ex quo potuit fieri homicidium [*Aug.* addit: ex illo potuit fieri homicidium], ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo. *Homicida ergo ille ab initio.* Et unde homicida? *Et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo.* Non quomodo in Christo, sic est veritas, ut Christus ipse sit veritas. Si ergo iste in veritate [Col. 0873A] stetisset, in Christo stetisset. *Sed in veritate non stetit, quia veritas non est in eo.*

VERS. 44.---«*Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus.* Quid est hoc? Audistis verba Evangelii, intenti accepistis: ecce repeto, ut agnoscatis quid exigatis. De diabolo Dominus ea dicebat, quae de diabolo dici a Domino meruerunt [*Aug.,* debuerunt]. *Ille homicida erat ab initio.* Verum est: nam primum hominem occidit; *et in veritate non stetit, quia de veritate lapsus est. Cum* loquitur mendacium, utique ipse diabolus, *de proprio loquitur, quia mendax est et pater ejus.* «Diabolus autem a semetipso mendax fuit, et mendacium suum ipse genuit, a nemine audivit prius mendacium. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem; [Col. 0873B] sic diabolus genuit quasi filium mendacium.» Mendacium genuit, quia in veritate non stetit. Omnis enim qui in Deo manet, in veritate manet, quia Deus veritas est. Si quis vero a Deo recesserit, mendax erit, dicente Psalmographo: *Omnis homo mendax* **(Psal. CXV)**. In quantum vero homo a Deo recedit, in tantum mendax erit,

dum se a veritate declinaverit, et inde peccator erit: quia omne peccatum non est veritas, sed mendacium, quia recedendo a Deo non habet veritatem. Diabolus vero bonus creatus est, sed per seipsum malus factus est, declinando se a summo bono. Ideo ex propriis locutus est mendacium, quia in seipso invenit unde esset mendax. Homo vero deceptus a diabolo, factus est a diabolo mendax. Ideoque filius diaboli, [Col. 0873C] non natura, sed imitatione. Recedamus ergo a patre {555} mendacii, curramus ad Patrem veritatis. Amplectamur veritatem ut accipiamus veram libertatem. «Judaei apud patrem suum viderant quod loquebantur: quid, nisi mendacium? Dominus autem apud patrem suum vidit quod loqueretur: quid, nisi seipsum? quid, nisi verbum Patris aeternum et Patri coaeternum?» Ideo subjunxit: **(VERS. 45.)** *Ego veritatem dico vobis, et non creditis mihi.* Nam mendax mendacium loquitur, sed veritas veritatem profert. Diabolus mendax, Christus vero veritas et veritatis assertor: quia ex veritatis ore nihil aliud poterit procedere, nisi veritas. Sequitur ergo:

CAPUT XXIII.

Qui sermonem suum servaverit, eum mortem non visurum in aeternum dicit. Et inter caetera plurima, ante Abraham se esse affirmans exivit de templo.[Col. 0873D]

VERS. 46.---*Quis ex vobis arguet me de peccato, sicut ego arguo vos, vestrumque patrem de peccato et mendacio? Ecce qualis est mansuetudo Christi.* «
@ [Col. 0873D] Ex S. Greg. hom. 18, num. 1. Relaxare peccata venerat, et dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare.*» Interrogat eos quare veritatem non velint credere dicentem: *Si veritatem locutus sum vobis, quare non creditis mihi, nisi quia filii diaboli estis, et non veritatis;* [Col. 0874A] filii diaboli non natura, sed imitatione? Reddiditque [*Al.,* retulitque] causam cur veritati non crederent, cum dicit: **(VERS. 47.)** «
@ [Col. 0873D] Ex S. Aug., tract. XLII, num. 15, 16. *Ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Iterum noli attendere naturam, sed vitium. Sic sunt isti ex Deo, et non sunt ex Deo, natura ex Deo, vitio non ex Deo. Natura vero bona quae ex Deo est, peccavit voluntate, credendo quod diabolus persuasit, et vitiata est: ideo medicum quaerat, quia sana non est. Agnoscatur natura unde Creator laudetur; agnoscatur vitium propter quod medicus advocetur. Terribile est quod subdit:» «
@ [Col. 0874D] Ex S. Greg. loc. cit. num. 2. *Qui est ex Deo, verba Dei audit:* propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, et audire verba ejus non potest quisquis ex illo non est, interroget se unusquisque [Col. 0874B] si verba Dei in aure cordis percipit, et intelligit unde sit. Coelestem patriam desiderare Veritas jubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non rapere, propria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrum si haec vox Dei in cordis ejus aure convaluit, et quia [jam] ex Deo sit, agnoscit. Dixerunt ergo Judaei: **(VERS. 48.)** *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemonium habes? Accepta autem tanta contumelia, quid Dominus respondeat, audiamus:* **(VERS. 49.)** *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonoratis me.* Quia enim Samaritanus interpretatur custos, et ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait: *Nisi*

Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam **(Psalm. CXXVI, 1)**. [Col. 0874C] Et cui per Isaiam: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte* **(Isai. XXI, 11)**? Respondere noluit Dominus, Samaritanus non sum; sed *ego daemonium non habeo.* Duo quippe ei illata fuerant, unum negavit, et aliud tacendo consensit. Custos namque humani generis venerat; et si Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret. Sed tacuit quod recognovit, et patienter repulit quod dictum fallaciter audivit, dicens: *Ego daemonium non habeo.* Hic vero in semetipso nobis Dominus patientiae praebuit exemplum; quia si respondere voluisset Judaeis, Vos daemonium habetis, verum utique dixisset: quia nisi impleti daemonio, tam perverse [*Greg.,* tam perversa] de Deo loqui non possent. Sed accepta injuria, etiam quod verum erat dicere Veritas noluit, ne non dixisse [Col. 0874D] veritatem, sed provocatus contumeliam reddidisse videretur. Ex qua re, quid vobis innuitur, nisi ut eo tempore, quo a proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne ministerium justae correptionis in arma vertamus furoris? Sed quid nobis ad ista faciendum sit, adhuc exemplo nos admonet, cum subjungit: **(VERS. 50.)** *Ego* non quaero gloriam meam, est qui {556} *quaerat et judicet.* Scimus certe quod scriptum est, quia *Pater omne judicium dedit Filio* **(Joan. V, 22)**: et tamen ecce idem Filius injurias accipiens, gloriam suam non quaerit. Illatas contumelias Patris judicio [Col. 0875A] reservat, ut nobis profecto insinuet quantum nos esse patientes debemus, dum adhuc se ulcisci non vult et ipse qui judicat. Cum vero malorum perversitas crescit, non solum frangi praedicatio non debet, sed etiam augeri. Quod suo Dominus exemplo nos admonet, qui postquam habere daemonium dictus est, praedicationis suae beneficia largius impendit dicens: **(VERS. 51.)** *Amen, amen dico vobis:* si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Sed sicut bonis necesse est ut meliores etiam per contumelias existant, ita semper reprobi de beneficio pejores fiunt. Nam accepta praedicatione, iterum dicunt: **(VERS. 52.)** *Nunc cognovimus quia daemonium habes.* Quia enim aeternae morti inhaeserant, et eamdem mortem cui inhaeserant, non [Col. 0875B] videbant, dum solam mortis carnem [*Al.,* mortem carnis] aspicerent, in veritatis sermone caligabant, dicentes: *Abraham mortuus est, et prophetae, et tu dicis:* Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum. Unde et ipsi veritati eumdem Abraham et prophetas quasi venerantes praeferunt. Sed aperta nobis ratio ostenditur, quia qui Deum nesciunt, Dei quoque famulos false venerantur.» *Vos,* inquit, *dicitis:* Daemonium habes. Ego vos ad vitam voco: servate sermonem meum, et non moriemini. Illi audiebant, *mortem non videbit in aeternum, qui servaverit sermonem meum, et irascebantur, quia jam mortui erant illa morte quae vitanda erat.* Nam illam mortem vitare non potuerunt, qua mortuus est Abraham, et prophetae, id est, carnis [Col. 0875C] mortem; nam Abraham spiritu vivebat: et ideo de eo ipsa Veritas ait alio loco: *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.*

@ [Col. 0875D] Vide S. Aug., tract. XLIII, num. 13, 15. Quid est quod dicit, *mortem non videbit in aeternum?* **(Matth. XXII.)** Id est, mortem damnationis cum diabolo et angelis ejus. Nam ista mors corporis, migratio quaedam est sanctis ad meliorem vitam: impiis vero ad poenas perpetuas, quas hic mortis nomine Veritas designare voluit. Sed ista morte, quam Dominus voluit intelligi, nec Abraham mortuus est, nec prophetae mortui sunt. Illi enim mortui sunt, et vivunt, isti vivebant, et mortui erant.

VERS. 53.---«*Quem teipsum facis, inquiunt,* ut dicas, *mortem non videbit in aeternum,*

qui servaverit sermonem meum; cum scias et Abraham mortuum [Col. 0875D] et prophetas mortuos? Respondit Jesus: **(VERS. 54.)** *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Est Pater meus, qui glorificat me. Hoc ait propter illud quod dixerunt: *Quem teipsum facis? Refert enim gloriam suam ad Patrem, de quo est quod Deus est.* Dicit Patrem suum Dominus Jesus Christus, quem illi dicebant Deum suum, et non cognoverunt; si enim ipsum cognovissent, ejus Filium recepissent. **(VERS. 55.)** *Ego* autem, inquit, *novi eum.* Secundum carnem judicantibus, potuit et hinc arrogans videri, quia dixit: *Ego novi eum.* Sed vide quid sequitur: [Col. 0876A] *Si dixero, non novi eum, ero similis vobis mendax.* Ergo arrogantia non ita vitatur, ut veritas relinquatur. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. Sermonem Patris tanquam Filius loquebatur, et ipse erat Verbum Patris quod hominibus loquebatur.

VERS. 56.---«
@ [Col. 0875D] S. Greg. loc. cit. num. 3, 4. Et notandum quod vidit eos Dominus aperta sibi impugnatione resistere, et tamen eis se iterata non desinit voce praedicare, dicens: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum:* et vidit, et gavisus est. Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura summae Trinitatis tres angelos hospitio recepit: quibus profecto susceptis, sic tribus quasi uni locutus est, quia etsi in personis numerus Trinitatis est, in natura unitas divinitatis est. Sed carnales mentes audientium oculos a carne [Col. 0876B] non sublevant; in eo solam carnis aetatem [*Al.,* sola carnis aetate] pensant, dicentes. **(VERS. 57.)** *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Quos benigne Redemptor noster a carnis suae intuitu submovet, et ad divinitatis contemplationem trahit dicens:* **(VERS. 58.)** *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Ante enim praeteriti temporis est, *sum, praesentis.* Et quia praeteritum tempus et futurum divinitas non habet, sed semper esse habet, non ait: *Ante Abraham ego fui:* sed, *ante Abraham ego sum.* Unde ad Moysen {557} dicitur: *Ego sum, qui sum;* et, *dices filiis Israel:* Qui est, misit me ad vos **(Exod. III, 14)**. *Ante* ergo vel *post Abraham habuit, qui et accedere potuit per exhibitionem praesentiae, et recedere per cursum vitae.* [Col. 0876C] Veritas vero semper esse habet, quia ei quidquam nec priore tempore incipitur, nec subsequenti terminatur. Sed sustinere ista aeternitatis verba, mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt, et quem intelligere non poterant, obruere quaerebant. Quid autem contra furorem lapidantium Dominus fecit, ostenditur cum protinus subinfertur: (VERS. 59.) *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.* Mirum valde est, fratres charissimi, cur persecutores suos Dominus sese abscondendo declinaverit, qui si divinitatis suae potentiam exercere voluisset, tacito nutu mentis in suis eos ictibus ligaret, aut in poena mortis subitae obrueret. Sed quia pati venerat, exercere judicium nolebat. Certe sub ipso passionis tempore, et quantum poterat ostendit, et tamen hoc ad [Col. 0876D] quod venerat, pertulit. Nam cum persecutoribus suis se quaerentibus diceret: *Ego sum, sola hac voce eorum superbiam perculit, et omnes in terram stravit* **(Joan. XVIII, 6)**. Qui ergo hoc in loco potuit manus lapidantium non se abscondendo evadere, cur abscondit se, nisi quod homo inter homines factus Redemptor noster, alia nobis verbo loquitur, alia exemplo? Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, nisi, ut etiam cum resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus
@ [Col. 0876D] Hucusque S. Gregorius.?»

CAPUT XXIV.

Caeco a nativitate illuminato, multaque Pharisaeis anxietate turbatis, mundi lucem se dicit. Postea cognitus ab illuminato caeco adoratur.[Col. 0877A]

CAPUT IX, VERS. 1.---Postquam exiisset Dominus de templo Judaeorum, quid fecisset in populo gentium, imo totius humani generis, audiamus.

Sequitur enim evangelista, et dicit: *Praeteriens vidit hominem caecum a nativitate.* « @ [Col. 0877D] Ex S. Aug., tract. XLIV, num. 1-17. Ea quippe quae fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda atque miranda, et opera et verba sunt: opera, quia facta sunt, verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum est, cogitemus, genus humanum est iste caecus: haec enim caecitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, [Col. 0877B] sed etiam iniquitatis. Si enim caecitas est infidelitas et illuminatio fides; quem fidelem, quando venit, Christus invenit?» Ideo evangelista de Christo dicit: *Et praeteriens.* Sic praeteriit enim Christus, et non in via peccatorum nostrorum stetit; sicut in quadam parabola ipse Dominus ait: *Venit enim Samaritanus secus viam* **(Luc. X, 33)**, qui venit sanare vulneratum semivivum: praeteriit caecum illuminare [*Apud Bedam, praeteriens caecum illuminat*], qui vulneratus in parabola dicitur, hic in re gesta caecus illuminatur. «*Vidit* ergo *hominem caecum, non utcunque caecum,* sed caecum *a nativitate.*» Omnes enim homines praeter illum solum qui ex virgine natus est, originali peccato caeci, id est, cum peccato nati sunt, quod ex radice peccatrice primi parentes traxerunt. **(VERS. 2.)** [Col. 0877C] *Interrogaverunt eum discipuli ejus:* «Rabbi. Scis [*Ms.,* scitis], quia *Rabbi magister est.* Magistrum appellabant, quia discere desiderabant. Quaestionem quippe Domino proposuerunt, tanquam magistro:

VERS. 3.---*Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut caecus nasceretur? Respondit Jesus:* Neque hic peccavit, neque parentes ejus [ut caecus nasceretur]. Quid est quod dixit? Si nullus homo sine peccato, nunquid parentes hujus caeci sine peccato erant? Nunquid ipse sine peccato originali natus erat, vel vivendo nihil addiderat? Si ergo et parentes ejus habuerunt peccatum, et iste habuit peccatum, quare Dominus dixit, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, nisi ad rem respondit, de qua interrogatus est,* cur caecus [Col. 0877D] nasceretur? Habebant {558} enim peccatum parentes ejus, sed non ipso peccato factum est ut caecus nasceretur. Si ergo non peccato parentum factum est ut caecus nasceretur, quare caecus natus est? Audi magistrum docentem: quaerit credentem, ut faciat intelligentem. Ipse causam dicit quare sit ille caecus natus: *Neque* hic peccavit, inquit, *neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*» Non solum quid in hoc tantummodo caeco acturus sim, sed ut manifestetur quid in caecitate totius humani [Col. 0878A] generis per me agendum sit. [Deinde secutus adjunxit]: *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* «Memento

quomodo universam gloriam illi dat de quo est; quia ille habet Filium qui de illo sit, ipse non habet de quo sit.» Quae sunt opera Domini propter quae venit Filius Dei in mundum, nisi caecitatem humani generis illuminare, vulnerata quaeque sanare, perdita requirere, deformia reformare? Sed quid est quod dixit? **(VERS. 4.)** *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* Venit enim nox, quando nemo potest operari. «Constat expressum ac definitum diem commemorasse Dominum in hoc loco seipsum, id est, lumen mundi. **(VERS. 5)** *Quandiu, inquit, sum in hoc mundo, lumen sum mundi.* Ergo ipse operatur. Quandiu est autem in hoc mundo? Putamus, [Col. 0878B] fratres, eum fuisse hic tunc, et modo non hic esse? Si hoc putamus, jam ergo post ascensum Domini facta est nox ista metuenda, ubi nemo possit operari.» Si post ascensionem facta est nox ista, quid est, quod ait discipulis suis ascendens in coelum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**? Qui tunc corporali praesentia fuit in mundo, nunc divina potentia praesens est ubique in mundo. Audivimus diem, audiamus quae sit nox ista. «Quid igitur? Quid dicemus de nocte ista? Quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit; nox ista eorum erit, quibus in fine dicetur: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* **(Matth. XXV, 41)**. Sed et nox dicta est, non flamma, [Col. 0878C] non ignis. Audi, quia et nox est. De quodam servo dicitur: *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores* **(Matth. XXII, 13)**. Operetur ergo homo [*Aug.* add. dum vivit], ne illa nocte praeveniatur, ubi nemo possit operari. Modo est ut operetur fides per dilectionem; et si modo operamur, hic est dies, hic est Christus. Audi promittentem, et ne arbitreris absentem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Ibi enim erit nox ubi nemo possit operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim unicuique secundum opera sua.» Audiamus sollicita mente Apostolum exhortantem nos operari, dum tempus habemus. Dicit enim: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* **(Galat. VI, 10)**. [Col. 0878D] Quid enim Christus dixerit, admonendo bonos, terrendo malos, audivimus; sed videamus quid fecerit. (VERS. 6, 7.) *Haec cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, et dixit ei:* Vade et lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Quid fecit Dominus, perspicuum est. Illuminatio facta est in caeco, sed magnum mysterium commendatur in humano genere. «Exspuit in terram, de saliva lutum fecit, quia Verbum caro [Col. 0879A] factum est. Et unxit oculos caeci. Inunctus erat, et nondum videbat. Mittit illum ad piscinam, quae vocatur Siloe. Pertinuit autem ad evangelistam commendare nobis nomen hujus piscinae, et ait: *Quod interpretatur missus.* Jam quis est missus, agnoscitis: nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum fuisset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina, quae interpretatur *missus, baptizatus est in Christo.* Si ergo quando eum in se ipso quodammodo baptizavit, tunc illuminavit, quando inunxit, fortasse catechumenum fecit. Potest quidem aliter atque aliter tanti sacramenti exponi et pertractari profunditas; sed hoc sufficiat charitati vestrae.» Ungitur catechumenus, id est, docetur ut credat in Christum; mittitur ad piscinam baptismi, ut illuminetur, ut [Col. 0879B] lumen verum agnoscat, ut remissionem peccatorum accipiat, ut ex filio irae efficiatur filius Dei, illuminatusque veniat praedicare Christum.

{559} VERS. 8, 9.---*Itaque vicini, et qui videbant eum prius, quia mendicus erat, dicebant:* Nonne hic est qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant, quia hic est: alii

autem nequaquam, sed similis est ejus. «Aperti oculi vultum mutaverant. *Ille dicebat, quia ego sum.* Vox grata, ne damnaretur ingrata. (VERS. 10, 11.) *Dicebant ergo ei:* Quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit: Ille homo qui dicitur Jesus [Ms., *Christus*] lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et vidi. Ecce annuntiator factus est gratiae; ecce evangelizat, confitetur videns. Caecus [Col. 0879C] illum confitebatur, et cor impiorum ringebatur [*Al.,* stringebatur; *Aug.* frangebatur], quia non habebant in corde quod ille jam habebat in facie. **(VERS. 12.)** *Dixerunt ei:* Ubi est ille? Ait: Nescio. In his verbis animus ipsius adhuc inuncto similis erat nondum videnti. Sed ponamus, fratres, tanquam illam unctionem in animo habuerit. Et praedicat, et nescit quem praedicat. (VERS. 13, 15.) «*Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat.* Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. Iterum ergo interrogabant eum Pharisaei, quomodo vidisset? Ille autem dixit: Lutum posuit super oculos meos, et lavi, et video. Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam. Non omnes, sed quidam: jam enim inungebantur quidam. Quid ergo dicebant, [Col. 0879D] nec videntes nec uncti? **(VERS. 16.)** *Non est iste homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Ipse potius custodiebat qui sine peccato erat. Sabbatum enim spiritale hoc est, non habere peccatum. Denique, fratres, hoc admonet Deus quando commendat sabbatum: *Omne opus servile non facietis* **(Levit. XXIII, 8)**. Haec sunt verba Dei sabbatum commendantis: *Omne opus servile non facietis.* Jam superiores lectiones interrogate, quid [*Ms.,* quod] sit opus servile, et Dominum audite: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* **(Joan. VIII, 34)**. Sed isti nec videntes, ut dixi, nec inuncti, sabbatum carnaliter observabant, spiritaliter violabant. *Alii dicebant:* Quomodo potest homo peccator haec signa facere? [Col. 0880A] Ecce sunt inuncti. *Et schisma erat in eis.* Dies ille divisus erat [*Aug.,* diviserat] inter lucem et tenebras.

VERS. 17.---*Dicunt ergo caeco iterum:* Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos? Quid de illo sentis? Quid existimas? Quid judicas? Quaerebant quemadmodum homini calumniarentur, ut de synagoga pelleretur, sed a Christo inveniretur. Sed ille constanter quod sentiebat, expressit. Ait enim: *Quia propheta est.* Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei Filium confitetur, nec mentitur tamen. Ipse Dominus de seipso ait: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* **(Matth. XIII, 57)**.

VERS. 18.---«*Non crediderunt ergo Judaei de illo, quia caecus fuisset* [et vidisset], donec vocaverunt parentes ejus qui viderat. Id est, qui caecus erat et viderat. [Col. 0880B] (VERS. 19, 20, 21.) *Et interrogaverunt eos, dicentes:* Hic est filius vester, quem vos dicitis quia caecus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, et quia caecus natus est. Quomodo autem nunc videat, nescimus. Et dixerunt: Ipsum interrogate: aetatem habet, ipse de se loquatur. Scimus autem quia filius noster est; sed juste cogeremur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset; olim loquitur, modo videt; caecum a nativitate novimus, loquentem olim scimus, videntem modo videmus: ipsum interrogate, ut instruamini. **(VERS. 22.)** *Haec dixerunt parentes ejus, quia timebant Judaeos.* Jam enim conspiraverant Judaei, ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret. [Col. 0880C] Jam non erat malum extra synagogam fieri. Illi expellebant, sed Christus excipiebat

VERS. 23, 24.---*Propterea parentes ejus dixerunt:* quia aetatem habet, ipsum interrogate. Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat caecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo. «Quid est, *da gloriam Deo? Nega quod accepisti.* Hoc plane non est Deo gloriam dare, sed Deum potius blasphemare. *Da, inquiunt, gloriam Deo.* Nos scimus quia hic homo peccator est. (VERS. 25, 26.) *Dixit ergo ille:* Si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus cum essem, modo video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit, quomodo aperuit tibi oculos? Et ille jam stomachans adversus duritiam Judaeorum, et ex caeco videns, non ferens caecos, respondit eis: **(VERS. 27)** *Dixi vobis jam, et audistis:* [Col. 0880D] quid iterum vultis audire? Nunquid et vos vultis discipuli ejus fieri? Quid est, *Nunquid et vos, nisi quia ego jam sum? Nunquid et vos vultis? Jam video, {560} sed non video vos videre* [*Aug.,* sed non invideo]. **(VERS. 28.)** «*Maledixerunt ei, et dixerunt:* Tu discipulus ejus sis. Tale maledictum super nos et super filios nostros. Maledictum est enim si cor discutias, non si verba perpendas. **(VERS. 29.)** *Nos autem Moysi discipuli sumus.* Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. Utinam sciretis, quia Moysi locutus est Deus; sic sciretis, quia per Moysen praedictus [*Aug.,* praedicatus] est Deus. Habetis enim Deum dicentem: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi;* de me enim scripsit **(Joan. V, 46)**. Itane sequimini servum, [Col. 0881A] et dorsum ponitis contra Dominum? Sed nec servum sequimini; nam per illum ad Dominum duceremini.

VERS. 30, 31.---*Respondit ille homo, et dixit eis:* In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. Scimus autem, quia peccatores Deus non exaudit, sed qui [Ms., *si quis*] Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit Deus. «Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram dimittens, et pectus suum percutiens diceret: *Domine, propitius esto mihi peccatori* **(Luc. XVIII, 13)**. Et ista confessione meruit justificationem, quomodo iste caecus illuminationem.» Sed peccatoribus lavandum est cor poenitentiae lacrymis, ut exaudiantur; et fiat [*Ms.,* et fiet] in [Col. 0881B] corde illorum quod factum est in facie caeci hujus; et sentiunt Deum illos exaudire, qui ut peccatores salvaret venit in hunc mundum.

VERS. 32, 33.---*A saeculo non est auditum, quia aperuit quis oculos caeci nati.* Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. Libere constanterque confessus est veritatem. Haec enim quae facta sunt a Domino, a quo fierent nisi a Deo? Aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis Dominus habitaret? **(VERS. 34.)** «*Responderunt et dixerunt ei:* In peccatis natus es totus. Quid est *totus? Cum oculis clausis.* Sed qui aperuit oculos, salvat et totum: ipse dabit in corde resurrectionem, qui in facie dedit illuminationem. *In peccatis totus natus es, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.* Ipsi illum magistrum fecerant, [Col. 0881C] ipsi ut discerent; toties interrogaverunt, et ingrati docentem projecerunt. Sed ut dixi jamdudum, fratres, illi pellunt, Dominus suscipit: magis enim, quia expulsus est, Christianus factus est.» Certe projectus est iste de synagoga. Audivit Jesus, et invenit eum, et dixit ei: (VERS. 35, 36.) *Tu credis in Filium Dei? Et ille:* Quis est, Domine, ut credam in eum? Videbat, et non videbat, videbat oculis tantum, sed corde adhuc non videbat. Ait illi Dominus: *Et vidisti eum, quando illuminatus fuisti, hoc est oculis; Et qui loquitur tecum, ipse est.* «Dum ergo audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras, et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Modo lavat faciem cordis. *Respondit ille, et dixit, quasi adhuc inunctus: Quis est,*

Domine, ut credam in [Col. 0881D] eum? **(VERS. 37.)** *Et dixit ei Jesus:* Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. Tunc prostratus adoravit eum. Tunc [*Al.,* Nunc] lavit faciem cordis. Denique jam facie lota cordis, et mundata conscientia, agnoscens illum non Filium hominis tantum, quod ante crediderat, sed jam Filium Dei, quem videbat [*Aug.,* Filium Dei, qui carnem susceperat], ait: **(VERS. 38.)** *Credo, Domine.* Sed parum est dicere, *credo.* Vis videre qualem credat? *Procidens adoravit eum.*» Si Dominum Dei Filium non credidisset quem videbat, nullatenus adorasset eum. Incumbite ergo orationibus, peccatores, confitemini peccata vestra, orate ut deleantur, orate ut minuantur, [Col. 0882A] orate ut vobis proficientibus ipsa deficiant. Tamen nolite desperare, et peccatores orate. Quis enim non peccavit? A sacerdotibus incipe. Sacerdotibus dictum est: *Prius offerte sacrificia pro peccatis vestris, et sic pro populo* **(Hebr. VII, 27)**. Sequitur:

VERS. 39.---*In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant.* Quid est, quod dicit, *In judicium ego in hunc mundum veni, dum alio loco dicit: Non enim veni, ut judicem mundum* **(Joan. III, 17, 18)**? nisi quia aliud est judicium discretionis, aliud est judicium damnationis, de quo ipse Dominus ait alibi: *Qui non credit in me, jam judicatus est, id est, damnatus.* Hic enim in hoc loco, sicut in sequentibus verbis patet, judicium discretionis significat, dum ait: *Ut qui non* [Col. 0882B] vident, videant, et qui vident, caeci fiant. «Quid est, *ut qui non vident, videant? Qui se non videre confitentur, et medicum quaerunt ut videant. Et qui vident, caeci fiant.* Quid est, *qui vident, caeci fiant? Id est, qui se putant videre, et medicum non quaerunt, sed in sua caecitate {561} permanent* [*Aug.,* permaneant]. Ergo istam discretionem vocavit judicium;» quia discernit humiles a superbis, credentes a non credentibus, medicum quaerentes ab eis qui medicum quaerere contemnunt. O Domine, venisti, ut qui non vident, videant; recte, quia lumen es; recte, quia dies es; recte, quia de tenebris liberas homines. Hoc omnis anima accipiat, hoc omnis anima intelligat, ut non maneat in tenebris; sed illuminetur ab eo, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

[Col. 0882C] VERS. 40.---Commoti sunt enim verbis istis quidam ex Pharisaeis, et dixerunt ei: «*Nunquid et nos caeci sumus? Audiant* [*Ms.,* audi jam] quid est quod movebat: *Et qui vident, caeci fiant.*

VERS. 41.---*Dixit eis Jesus:* Si caeci essetis, non haberetis peccatum. Cum sit caecitas ipsa peccatum. *Si caeci essetis, id est, si vos caecos adverteretis, et ad medicum curreretis;* si ergo ita caeci essetis, *non haberetis peccatum.* Nunc vero dicitis, quia videmus, vestrum peccatum manet. Quare? Quia dicendo, *Videmus, medicum non quaeritis, in caecitate vestra remanetis.*» Sequitur:

CAPUT XXV.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, furem esse, ostiumque se et pastorem ovium, pro quibus se animam positurum suam, et alias oves adducturum, ut fiat unum ovile et unus pastor, dicit. [Col. 0882D]

---*Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro;* [usque in eum locum]: *Hoc proverbium dixit eis Jesus:* Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. «
@ Ex sancto Augustino, tract. XLV in Joan., num. 2, 3, 5, 6, 8, 9, 14, 15. Propter Pharisaeorum qui se videre jactabant cum caeci erant, venenatam, et superbam, et insanabilem arrogantiam, Dominus Jesus ista contexuit,» quae in hac parabola leguntur, quam ipse illis non intelligentibus exponere dignatus est; in qua nos salubriter, si advertamus, admonuit, non gloriari in sapientia humana, non in morum dignitate, [Col. 0883A] si humilitas fidei catholicae in Christum desit. «Multi enim sunt pagani, qui secundum quamdam vitae hujus consuetudinem dicuntur boni homines, innocentes, et quasi observantes ea quae in lege praecepta sunt; deferentes honorem parentibus suis, non moechantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum adversus quemquam testimonium perhibentes; et caetera, quae in lege mandata sunt, velut observant [*Ms.,* velut observantes], et Christiani non sunt; et plerumque se jactant, quomodo isti Pharisaei, dicentes: *Nunquid et nos caeci sumus?» Sed haec omnia inaniter faciunt, quia non intrant per ostium, sed aliunde, tumido fastu quasi per se ipsos ascendere quaerunt.* «Quapropter Dominus similitudinem proposuit de grege suo, et de ostio [Col. 0883B] quo intratur ad ovile.» Quid enim prodest vana jactantium de bene vivendo inflatio, dum ad finem perpetualiter bene vivendo vita eorum non perveniat? «Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper bene vivere; nam si cui non datur semper bene vivere, quid prodest ei bene vivere ad tempus? Igitur nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel caecitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quae est Christus, et per januam intret in ovile.» Sunt enim quidam homines qui in suis gloriantur moribus, et alios post se trahere quaerunt, non de Christi praeceptis instruentes suos sectatores, sed suis exemplis [Col. 0883C] vivere eos suadentes, de quibus alio loco ipsa Veritas ait: *Docentes doctrinas hominum* **(Matth. XV, 9)**, et mandata Dei contemnentes. «Hi per aliam partem ascendere quaerunt, rapere et occidere; non ut pastor, salvare atque conservare.» De talibus hic dictum est: *Sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* Non solum vero tales inveniuntur doctores inter eos qui sine nomine Christi sunt, sicut multi philosophorum qui suam sapientiam buccis crepantibus ventilabant, et vitam beatam [suis] sectatoribus promiserunt; verum etiam plurimi {562} qui Christiano nomine censebantur, et illuminatos a Christo se esse jactabant, fingentes sibi nova quaeque nomina de Christo, et fidei catholicae contraria, sicut innumerabiles haeretici faciebant, aestimantes se falso nomine per [Col. 0883D] januam, quae Christus est, intrare. «Sabellius dicit: Qui Filius est, ipse est Pater: sed Filius [*Aug.,* si Filius] non est Pater. Non intrat per ostium, qui Filium dicit Patrem. Arianus [*Ms.,* Arius] dicit: Aliud est Pater, aliud Filius. Recte diceret, si diceret alius, non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit a quo audit: *Ego et Pater unum sumus* **(Joan. X, 30)**. Nec ipse ergo intrat per ostium: praedicat enim Christum qualem sibi pingit [*Aug.,* fingit], non qualem veritas habet [*Aug.,* dicit]. Photinus dicit: Christus homo tantum est, non Deus. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus et homo et Deus est.» Huic enim nova haeresis quae nostris temporibus orta

est, consentire videtur affirmando et praedicando: Christus, sicut quilibet sanctus, nuncupativus Deus [Col. 0884A] est, et non verus. «Quid est opus multa percurrere? et multa vana haeresum dinumerare? Hoc tenete; in ovili Christi Ecclesiam catholicam esse, credite [*Aug.,* Hoc tenete, ovile Christi esse catholicam Ecclesiam]. Quicunque vult intrare ad ovile, per ostium intret, id est, per Christum intret, et Christum verum Deum, et verum Filium Dei praedicet. Non solum Christum praedicet, sed Christi gloriam quaerat, non suam: nam multi quaerendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus Deus noster: qui intrat per hanc januam, oportet humiliet se, ut sano capite possit intrare.» Hi sunt qui vocem veri pastoris audiunt; hi sunt quos proprias oves nominatim verus pastor vocat. De his dictum est: *Gaudete et* [Col. 0884B] exsultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in coelis **(Luc. X, 20)**. Hinc enim eas vocat nominatim. «Et quis eas alius emittit, nisi qui earum peccata dimittit, ut eum sequi duris liberatae vinculis possint? Et quis eas praecessit, quo eum sequantur, nisi qui resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur **(Rom. VI, 9)**?» Has vero educit a fide ad speciem, et ante istas vadit, quia prior omnium ascendit in coelum: et quae sunt oves suae, illum sequuntur, quia sciunt vocem doctrinae ejus; alienos vero doctores non sequuntur, sed fugiunt ab eis, quia non noverunt vocem, id est, doctrinam alienorum. Sed loquente Domino Jesu non intellexerunt qui audierunt. Incrassatum enim habuerunt cor, et graviter audierunt. «Nominat ostium, nominat ovile, nominat [Col. 0884C] oves: commendat haec omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba, in quibus nobis aliqua, quae dixit, dignetur exponere: ex quorum expositione dabit nobis fortasse [etiam] illa quae non exposuit intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. «Audiamus exponentem, qui audivimus proponentem.

VERS. 7.---*Dicit ergo eis iterum Jesus:* Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium: agnovimus, intremus, ut nos intrasse gaudeamus. **(VERS. 8.)** *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt et latrones.* Quid est hoc, Domine, *Omnes, quotquot venerunt? Quid enim, tu non venisti? Sed intellige: Omnes, quotquot venerunt, dixit* [*Aug.,* dixi], utique [Col. 0884D] praeter me. Recolamus ergo. Ante adventum ipsius venerunt prophetae: nunquid fures fuerunt et latrones? Absit. Non praeter illum venerunt, sed cum illo venerunt. Venturus praecones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Cum illo ergo venerunt, quia cum verbo Dei venerunt. *Ego sum, inquit, via, veritas et vita* **(Joan. XIV, 6)**. Ipse est veritas; cum illo venerunt, quia veraces fuerunt et veritatem praedicaverunt. Quotquot autem praeter illum venerunt, fures fuerunt et latrones.» Per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, dicente Apostolo: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur* **(Rom. X, 15)**? Et qui [*Ms.,* quia] per se venerunt, et non sunt ab eo missi, fures sunt et latrones. Nam ante adventum [Col. 0885A] Christi falsi fuerunt in populo Dei prophetae, falsi doctores. Sicut post adventum illius sub nomine Christiano, quamplurimi falsi fuerunt doctores, nec doctores, sed seductores; non praedicatores, sed falsi praedicatores [*Ms.,* sed praedatores], latrocinia exercentes, non sanae doctrinae inhaerentes. De quibus dictum est: *Fures sunt et latrones, id est, ad furandum {563} et occidendum venerunt.* Sed non audierunt eos illae quae verae sunt oves, non sub pelle ovina lupinum cor abscondentes. Igitur qui ante adventum Christi praedicaverunt, eodem spiritu praedicaverunt quo apostoli et sancti doctores, qui post

adventum Christi veritatis viam mundo ostenderunt. «Quotquot autem illo tempore crediderunt vel Abraham, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, vel aliis patriarchis, [Col. 0885B] aliisque prophetis Christum praenuntiantibus, oves erant, et Christum audierunt: non alienam vocem, sed ipsius Christi audierunt. Nam judex clamat in praecone, dum praeco judicem annuntiat venturum. Alii sunt ergo quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes,» sicut pseudoprophetae, sicut Scribae et Pharisaei temporibus ipsius Domini. Hi sunt qui venerunt per se, et non sunt a judice missi. His vero cum doctrinis suis procul expulsis, videamus quo nos pastor bonus vocat. Dicit enim: **(VERS. 9.)** *Ego sum ostium:* per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. «Et hoc evidenter ostendit non solum pastorem, sed etiam oves intrare per [Col. 0885C] ostium. Sed quid est, *ingredietur et egredietur, et pascua inveniet? Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum, valde bonum est:* exire autem de Ecclesia, sicut ait ipse Joannes evangelista in epistola sua: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* **(I Joan. II, 20)**; non est utique bonum. Talis ergo egressus non posset a bono pastore laudari, ut diceret: *Et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Est ergo aliquis non solum ingressus, verum etiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est ille laudabilis et beatus egressus? Possim quidem dicere ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus: egredi autem, quando exterius aliquid operamur; et quoniam, sicut dicit Apostolus, *per fidem habitat Christus in cordibus nostris* (Ephes. [Col. 0885D] III, 17), ingredi per Christum, esset secundum ipsam fidem cogitare; egredi autem per Christum, secundum ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus operari. Unde et in Psalmo dicitur: *Exiet homo ad opus suum* **(Psalm. CIII, 23)**. Et ipse Dominus dicit: *Luceant opera vestra coram hominibus* **(Matth. V, 16)**. Sed plus me delectat quod ipsa Veritas tanquam pastor bonus, et ideo doctor bonus, quodammodo nos admonuit: secundum quem modum intelligere debeamus, quod ait: *Ingredietur, et egredietur et pascua inveniet.* Tunc [*Aug.,* Cum] secutus adjunxit: [Col. 0886A] **(VERS. 10.)** *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet, et perdat.* Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Videtur enim dixisse, ut vitam habeant ingredientes [*In Aug.* add.: et abundantius habeant egredientes]: non autem potest quisque per ostium, id est, per Christum egredi ad aeternam vitam, quae erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est, per eumdem Christum, in Ecclesiam ejus, quae est ovile ejus, intraverit ad vitam temporalem quae est in fide [*Al.,* in finem]. Ideo ait: *Ego veni, ut vitam habeant, hoc est, fidem quae per dilectionem operatur* **(Gal. V, 6)**, per quam fidem in ovile ingrediuntur, ut vivant, quia *justus ex fide vivit* **(Habac. II, 4)**; *et abundantius habeant, qui perseverando usque in finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur;* quoniam [Col. 0886B] veri fideles moriuntur, et abundantius habebunt vitam, veniendo quo pastor ille praecessit, ubi nunquam deinde moriantur. Quamvis ergo et hic in ipso ovili non desint pascua [*Ms.,* pascuae], quoniam ad utrumque possumus intelligere quod dictum est: *Et pascua* [Ms., *pascuam, et ita porro*] *inveniet, id est, et ad ingressum et ad egressum:* tamen vere pascua invenient, ubi saturentur qui esuriunt et sitiunt justitiam **(Matth. V, 6)**. Qualem [*Ms.,* Talem] pascuam invenit, cui dictum est, *«hodie mecum eris in paradiso»* **(Luc. XXIII, 43)**. Sequitur de boni pastoris perfectione sententia Domini, et de mali pastoris fuga quem mercenarium nominat.

VERS. 11, 12.---*Ego sum pastor bonus, inquit. Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis.* Mercenarius [Col. 0886C] autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. «

@ [Col. 0885D] Ex S. Aug., tract. XLVI, num. 1, 2, 4. Loquens Dominus Jesus ovibus suis, et praesentibus et futuris, quae tunc aderant, qui erant [*Ms.,* aderant] ibi. Jam [in praesentia] oves ejus erant, quae futurae erant oves ejus

@ [Col. 0885D] Apud Aug.: «Loquens Dominus Jesus ovibus suis, et praesentibus et futuris, quae tunc aderant; quia [Col. 0886D] erant, ubi jam oves ejus erant, quae futurae erant ejus oves.. Item: praesentibus et futuris, et illis et nobis, et quotquot {564} etiam post nos fuerint oves ejus, [suas jam] ostendit. Omnes ergo audiant [*Aug.,* audiunt] vocem pastoris sui dicentis: *Ego sum pastor bonus.* Non adderet, *bonus, nisi essent pastores mali.* Sed pastores mali, ipsi sunt fures et latrones: aut certe, ut multum, mercenarii. Omnes enim hic personas quas posuit, requirere, distinguere et nosse debemus. Aperuit enim jam duas res Dominus, quas quodammodo clausas proposuerat. Jam scimus quia ostium ipse [Col. 0886D] est, scimus quia pastor ipse est. Fures et latrones qui sint, priore sententia patefactum est: nunc autem audivimus mercenarium, audivimus et lupum, nominatus est et ostiarius. In bonis ergo ostium est, ostiarius, pastor et oves: in malis, fures et latrones, mercenarius et lupus. Ostium Dominum Christum accipimus, pastorem ipsum; ostiarium quem? Haec enim duo ipse exposuit; ostiarium nobis quaerendum reliquit. Et quid ait de ostiario? *Huic,* inquit, *ostiarius aperit.* Cui aperit? Pastori. Quid aperit pastori? Ostium. Et quis est ipsum ostium? Ipse etiam pastor.» [Col. 0887A] Diversa sunt nomina, pastor, [ostium], ovis, unum aliquid significantia. Nam ipsius Domini verba paulo ante audivimus: *Ego sum ostium;* et hic modo lectum est nobis: *Ego sum pastor.* Qui etiam ab amico sponsi Agnus nominatur, sicut in hoc praesenti Evangelio audivimus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* **(Joan. I, 29)**. De quo multo ante Propheta praedixit: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est* **(Isai. LIII, 7)**: quamvis totum corpus suum, oves illius intelligantur. Potest et ille ostiarius intelligi, quia nemo ingreditur vel egreditur, nisi eo aperiente, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit **(Apoc. III, 7)**. «Non ergo pigeat nos secundum quamdam similitudinem, ipsum ostiarium accipere, quem et ostium. Quis est ostiarius, [Col. 0887B] nisi qui aperit? Quis aperit, nisi qui se exponit? dicente seipso de seipso: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Si forte tibi voluntas est aliam quaerere personam ostiarii, Spiritus sanctus est, de quo ipse Dominus discipulis suis ait: *Ipse vos docebit omnem veritatem* **(Joan. XVI, 13)**. Ostium quid est? Christus. Christus quid est? Veritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem veritatem?» Dum Dominus boni pastoris opus ostendere voluit, seipsum proposuit in exemplo dicens: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Fecit quod monuit, ostendit quod jussit: animam suam posuit pro ovibus suis. Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere; [Col. 0887C] postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro eis daturus est animam suam? Exposuimus, vel magis, Domino docente, intelleximus, quis sit pastor, quis ostium, quis ostiarius, quis etiam et ovis: nec non qui sint fures et latrones cognovimus. Sed modo de mercenario et lupo consideremus, de quibus ipse Dominus dixit: *Mercenarius autem, et qui non est pastor,*

cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. « @ [Col. 0887D] Ex S. Greg. Homil. lib. I, homil. 14, num. 2-5. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est qui locum [quidem] pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit: terrenis commodis [Col. 0887D] inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur. Istae sunt etenim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quaerit, inveniat, et ab haereditate gregis in posterum alienus existat. Lupus enim super oves venit, cum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur et non erat, relinquit oves et fugit; quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiae non praesumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium; fugit qui injustitiam vidit et tacuit; fugit qui se sub silentio abscondit. «Sed est [Col. 0888A] alius lupus qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circumit, et mortes animarum quaerit. De quo lupo mox subditur: *Et lupus rapit, et dispergit oves.* {567} Lupus venit et mercenarius fugit; quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, et is qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animae pereunt, et ipse de terrenis commodis laetatur. Lupus rapit et dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium in avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia stimulat, illum in fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelem populum diabolus per tentationes necat. Sed contra haec mercenarius [Col. 0888B] nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur; quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Unde et mox adjungitur: **(VERS. 13.)** *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Sola ergo causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur: Stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus praeest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quaerit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis laetatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Sed quia Redemptor noster culpas ficti pastoris innotuit, iterum formam cui debeamus imprimi, ostendit dicens: **(VERS. 14.)** *Ego sum pastor bonus:* atque subjungit: [Col. 0888C] *Et* cognosco meas, hoc est, diligo, *et cognoscunt me meae.* Ac si patenter dicat: Diligentes obsequuntur. «Unde mox subjunxit: **(VERS. 15.)** *Sicut novit me Pater, et ego cognosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.* Ac si patenter dicat: In hoc constat quia et cognosco Patrem et cognoscor a Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis; id est, ea charitate qua pro ovibus morior, quantum Patrem diligam ostendo. Quia vero non solum Judaeam, sed etiam gentilitatem redimere venerat, adjungit: (VERS. 16.) *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Redemptionem nostram qui ex gentili populo venimus Dominus aspexerat, cum se adducere et alias oves dicebat. Hoc quotidie [Col. 0888D] fieri, fratres, aspicitis; hoc reconciliatis gentibus factum hodie videtis. Quasi ex duobus gregibus unum ovile efficit, quia Judaicum et gentilem populum in sua fide conjungit, Paulo attestante, qui ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* **(Ephes. II, 14)**. Dum enim ad aeternam vitam ex utraque natione simplices eligit, ad ovile proprium oves deducit. «De quibus profecto ovibus rursum dixit: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do*

eis; de quibus et paulo superius dicit: *Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ingredietur quippe ad fidem; egredietur vero a fide ad [Col. 0889A] speciem, a credulitate ad contemplationem; pascua autem inveniet in aeterna refectione. Oves ergo ejus pascua invenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, aeternae viriditatis pabulo nutritur. Quae autem sunt istarum ovium pascua, nisi aeterna gaudia sempiterne virentis paradisi? Pascua namque electorum sunt, vultus praesens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitae cibo satiatur.»
@ [Col. 0889D] Hucusque S. Gregorius. Sequitur:

VERS. 17.
@ [Col. 0889D] Ex S. Aug., tract. XLVII, num. 7, 9.---*Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, et iterum sumo eam.* «Quid ait
@ [Col. 0890D] In cod. Rhemensi hic incipit cap. 27.: *Propterea me Pater diligit? Quia morior, ut resurgam.* Cum magno enim pondere dictum est: *Ego.* Quia ego, inquit, *pono animam meam.* Ego pono. Quid est: *ego pono? Ego, inquit, illam pono.* Non [Col. 0889B] glorientur Judaei: saevire potuerunt, potestatem habere non potuerunt. Saeviant quantum possunt: si ego noluero ponere animam meam, quid saeviendo facturi sunt? Una responsione prostrati sunt, quando eis dictum est: *Quem quaeritis* **(Joan. XVIII, 6)**? Dixerunt, *Jesum;* et ait eis: *Ego sum:* redierunt retro, et ceciderunt. Qui ceciderunt ad unam vocem Christi morituri, quid facient sub voce [*Ms.,* sub vocem] judicaturi? *Ego,* inquit, *pono animam meam.* Non glorientur Judaei, quasi qui praevaluerint: ipse posuit animam suam.» Sicut potestatem habuit ponendi, ita potestatem resumendi. Quod aliis verbis in hoc ipso Evangelio ostendit, dicens: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* **(Joan. II, 19, 21)**: quod evangelista {568} secutus exposuit: [Col. 0889C] *Hoc enim dicebat de templo corporis sui.* Et adjunxit discipulos suos haec verba rememorasse, cum resurrexisset Christus a mortuis. Hoc suscitabatur, quod moriebatur; nam Verbum mori non potuit, nec anima illa mortua fuit. Caro tantum mortua est, et resurrexit tertia die. Sed quaerendum est quid sit quod dixit: «*Ego pono animam meam? Quis posuit? Quem posuit? Quis est qui posuit? Quid est Christus? Verbum et homo.* Nec sic homo, ut sola caro: sed quia homo constat ex carne et anima, totus autem homo in Christo. Non enim partem deteriorem suscepisset, et partem meliorem deseruisset: pars quippe hominis melior est anima quam corpus. Quia ergo totus homo in Christo, quid est Christus? Verbum, inquam, et homo. *Verbum caro factum est,* id [Col. 0889D] est, Deus homo factus est; dicit enim:

CAPUT XXVI.

Potestatem habere se dicit ponendi ac resumendi animam suam. Facta quoque encaenia in Hierosolymis, et inter multa Pharisaeis sciscitantibus ait: Ego et Pater unum sumus. *Et multi crediderunt in eum.*

VERS. 18.---*Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* «
@ [Col. 0890D] S. Aug. loc. cit., num. 11-14. Christus autem, et pro nobis posuit, et quando

voluit [posuit, et quando voluit] sumpsit animam suam. Ponere ergo animam mori est. Sicut apostolus Petrus Domino dixit: *Animam meam propter te* [Col. 0890A] *ponam* **(Joan. XIII, 37)**, id est, propter te moriar carne. Caro posuit animam suam, et caro iterum assumpsit animam; non tamen potestate sua caro, sed potestate inhabitantis» Verbi Dei. Verbum vero Dei nunquam posuit animam ex eo quam sumpsit eam in unitatem personae sibi, sed a carne anima posita est, et iterum resumpta per potestatem divinitatis. Caro ergo ponit animam suam exspirando. Vide ipsum Dominum in cruce, quid dixit? *Sitio* **(Joan. XIX, 28, seq.)**. Qui aderant, tinxerunt spongiam in aceto, alligaverunt arundini, et apposuerunt ori ejus: quod cum accepisset, ait: *Perfectum est.* Quid est, *Perfectum est? Impleta sunt omnia quae ante mortem futura* [de me] fuerant prophetata. Et quia potestatem habebat quando vellet ponendi animam [Col. 0890B] suam, posteaquam dixit, *Perfectum est, ait evangelista: Et inclinato capite tradidit spiritum.*» Quod ibi dicitur *tradidit,* et hic dictum est *ponit, quia unum est tradere et ponere.* «Quis tradidit? Quem tradidit? Spiritum tradidit, caro illum tradidit. Quid est, caro illum tradidit? Caro illum emisit, caro illum exspiravit. Ideo enim dicitur exspirare, extra spiritum fieri; quomodo est exsulare, extra solum fieri.» Quod hic dicitur: *Potestatem habeo ponendi animam meam, ibi dictum est: Inclinato capite tradidit spiritum, quia spiritus anima est.* «Cum ergo exit anima a carne, et remanet caro sine anima, tunc homo ponere animam dicitur. Quando Christus animam posuit? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat: ibi potestas erat, [Col. 0890C] quando poneret caro animam, quando sumeret. Sicut enim unus homo anima et corpus, sic unus Christus Verbum et homo. Anima et corpus duae res sunt, sed unus homo. Verbum et homo duae res sunt, sed unus Christus. Nemo enim titubet in fide, quando audit Dominum dixisse: *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Ponit eam caro, sed ex potestate Verbi; sumit eam caro, sed ex potestate Verbi.» Verbum, anima, caro, unus est Christus. Et dum caro occisa fuit, Christus occisus fuit; et dum caro animam resumpsit, Christus animam resumpsit. Quia quidquid ibi factum est in dispensatione humanae salutis, totum unus Christus egit, unus Filius Dei proprius et perfectus, unus Deus verus et omnipotens, homo propter Verbum Deus, Deus propter hominem [Col. 0890D] homo, sicut dictum est: *Verbum caro factum est.* Sed haec omnia unde implerentur, subsequenti verbo ostendit. «*Hoc,* inquit, *mandatum accepi a Patre meo.* Verbum non verbo accepit mandatum, sed in Verbo unigenito Patris est omne mandatum. Cum autem dicitur Filius {569} a Patre accipere, quod substantialiter habet, quomodo dictum est: *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso* **(Joan. V, 26)**, cum Filius ipse sit vita: non potestas minuitur, sed generatio ostenditur. Quoniam Pater non quasi ei Filio, qui imperfectus [*Al.,* imperfecto] natus est, aliquid addidit, [Col. 0891A] sed ei quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit. Ita dedit illi suam aequalitatem, quem non genuit inaequalem. Sed haec loquente Domino, quoniam lux lucebat in tenebris, et tenebrae eam non comprehenderunt.

VERS. 19, 20.---*Dissensio iterum facta est inter Judaeos propter sermones hos.* Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet, insanit: quid eum auditis? Istae fuerant densissimae tenebrae. **(VERS. 21.)** *Alii dicebant:* Haec verba non sunt daemonium habentis: nunquid daemonium potest oculos caecorum aperire? Jam istorum [*Ms.,* justorum] oculi coeperant aperiri;»

@ [Col. 0891D] Hucusque ex sancto Augustino. et aliquid lucis videre, et veritatis agnoscere. Audivimus patientiam Dei [*Ms.,* Domini], et inter opprobria Judaeorum salutis praedicationem, [Col. 0891B] sed illi obdurati, magis eum tentare aggressi sunt, quam verbis illius obedire. **(VERS. 22.)** *Facta sunt,* inquit evangelista, *encaenia in Hierosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.* «
@ [Col. 0891D] Ex Bedae homilia in Dedicatione Ecclesiae. Encaenia autem vocabatur solemnitas dedicationis templi, quam populus Dei ex antiqua Patrum traditione per annos singulos celebrare consueverat. Sed notandum est quod haec encaenia, quae hic leguntur, non ad primam templi dedicationem, sed ad ultimam pertinent; quod ex eo facile colligitur, quia hieme facta referuntur. Prima siquidem ejusdem templi dedicatio a Salomone tempore autumni **(II Paral. VII)**; secunda autem a Zorobabel et Jesu sacerdote tempore veris **(II Esdr. VI)**; tertia a Juda Machabaeo tempore hiemis est facta, quando [Col. 0891C] specialiter constitutum esse legitur, ut eadem dedicatio per omnes annos in memoriam solemnibus renovaretur officiis **(Mach. IV)**. Quae etiam ad tempus usque Dominicae incarnationis observata fuisse, sicut modo, cum legeretur Evangelium, audivimus.» Quae etiam dedicatio salubri consuetudine in Ecclesiis Christi servari moderno tempore dignoscitur. Considerandum est quare evangelista dixerit, haec encaenia hiemis tempore facta esse? Omnino propter duritiam Judaeorum et infidelitatem, quae frigoris nomine saepe designari legitur.

VERS. 23.---*Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.* «Si ergo Dei Filius ambulare voluit in templo, in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis nostram orationis [Col. 0891D] domum, ubi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta celebrantur, visitare gaudebit. Si perambulare non despexit porticum, in qua rex quondam mortalis ac terrenus, quamvis potentissimus ac sapientissimus ad orandum stare solebat, quanto magis penetralia cordium nostrorum invisere atque illustrare desiderat, si tamen ea porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum qui est initium sapientiae habere perspexerit? Neque enim putandum est quia domus solummodo in qua ad orandum vel ad mysteria celebranda convenimus templum sit Domini, et non ipsi qui in nomine Domini convenimus multo amplius [Col. 0892A] templum ejus appellemur et simus, cum manifeste dicat Apostolus: *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus:* Inhabitabo in eis, et inter illos ambulabo» **(II Cor. VI, 16)**. Ostendit vero evangelista, cur dixisset: Hiemis tempore. **(VERS. 24.)** *Tunc, inquit, circumdederunt eum Judaei.* Circumdederunt itaque eum tentationis gratia, non veritatis agnoscendae voluntate, et dicebant: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.*
@ [Col. 0892D] Ex Beda, loco citato. Haec vero non veritatem fidei inquirendo, sed illi quem interrogabant, insidiando et calumniam instruendo dicebant, ut invenirent quomodo accusarent eum, nolentes eum credere Deum, sed hominem purum tantummodo futurum, et regem caeteris omnibus excelsiorem esse venturum. Qua etiam dementia posteriorum [Col. 0892B] [*Beda, posteri eorum*] usque in praesens, et donec Antichristum pro Christo suscipiant, errare non cessant. Et si se Dominus Jesus Christum esse responderet, cogitabant eum tradere potestati praesidis puniendum, quasi contra Augustum repugnans, illicitum sibi usurparet imperium. Sed ipse nostrae saluti consulens, propter quos haec scribenda erant, ita responsum temperavit suum, ut et calumniatorum ora concluderet, et quia Christus est [*Ms.,* esset], {570} fidelibus aperta

voce panderet. Illi enim de homine Christo quaerebant: ipse autem divinitatis suae, qua aequalis est Patri, palam mysteria narrat.» Quid ergo Judaei circumdantes Dominum dixerunt videamus. *Quousque,* inquiunt, *animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Non venit [Col. 0892C] Christus in se credentibus animam tollere, sed animam vivificare. Sed ipsi sibi Judaei animam per infidelitatem tulerunt, qui tentare Christum, non in Christum credere congregati sunt. **(VERS. 25.)** *Respondit eis Jesus:* Loquor vobis, et non creditis. Proprie ostendit quis esset, dum dixit: *Loquor vobis, id est, Verbum Dei coaeternum Patri:* quia opera quae facit in nomine Patris testimonium perhibent quod est Filius Dei, qui gloriam suam non quaesivit, sed ejus qui misit illum, quia una est gloria Patris et Filii. Sed hanc fidem corda infidelium accipere nequiverunt, de quibus ait: **(VERS. 26.)** *Sed vos non creditis;* causamque reddit cur non crederent: *Quia non estis ex ovibus meis.* «
@ [Col. 0892D] Ex S. Aug., tract. XLVIII, num. 4, 6. Oves sunt credendo, oves sunt pastorem sequendo, oves sunt redemptorem [Col. 0892D] non contemnendo; oves sunt per ostium intrando, oves sunt exeundo, et pascua inveniendo. Quomodo ergo istis dixit: *Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternam futuros perditionem* [*Aug.,* ad sempiternum interitum praedestinatos], non ad vitam aeternam sui sanguinis pretio comparatos.» (VERS. 27, 28.) *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.* Dicit enim: *Cognosco eas.* Consuetudo sanctae Scripturae est dicere Dominum nosse, quidquid elegit, Apostolo dicente: *Novit Dominus, qui sunt ejus* **(II Tim. II, 19)**; et illud nescire, [Col. 0893A] quod non approbat dignum vitae aeternae. Unde et ad impios dicturus erit: *Non novi vos* **(Matth. VII, 23)**. Sequitur de ovibus: *Et ego vitam aeternam do eis.* Haec sunt pascua quae superius promisit ovibus suis, ubi nulla herba arescit, totum viret, totum viget, totum integrum permanet; et quidquid semel accipitur, semper habetur. *Et non peribunt in aeternum.* Hic subaudiendum est, quomodo vos peribitis, quia non estis ex ovibus meis. *Et non rapiet eas quisquam de manu mea, id est, de potestate mea.*

VERS. 29.---*Pater meus, quod dedit mihi, majus est omnibus.* Quod dedit Pater Filio majus est omnibus, ut ipse illi esset unigenitus Filius, aequalis, consubstantialis. Quid est quod dedit? Utique gignendo dedit, quia non minorem sibi genuit, non [Col. 0893B] tempore posteriorem, sed coaeternum, sine initio temporis semper Deum. «Non est dicendum, non erat, antequam natus erat: nunquam enim non natus erat, qui Patri coaeternus erat. Qui sapit, capit; qui non capit, credat: nutriatur fide, ut possit capere Verbum Dei, quia Verbum Filius. Semper ergo Filius, et semper aequalis. Non enim crescendo, sed nascendo aequalis est, qui semper natus de Patre Filius, de Deo Deus, de aeterno coaeternus. Pater autem non de Filio Deus: Filius de Patre Deus. Ideo Pater Filio gignendo dedit ut Deus esset; gignendo dedit ut aequalis esset, hoc est, quod majus est omnibus.» Ideo transcendit iste Joannes omnes altitudines creaturarum, et millia exercitus angelorum, et magna omnia, «et pervenit ad illud quod [Col. 0893C] majus est omnibus, et dixit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* **(Joan. I, 1)**. Hoc est, quod majus omnibus est, id est, ut sim Verbum ejus, ut sim unigenitus Filius ejus, ut sim splendor lucis ejus. Ideo nemo rapiet oves de manu mea, et nemo potest rapere de manu Patris mei.» Manus Patris et manus Filii, una manus est, id est, una potestas: quia una divinitas, una majestas, una aeternitas, una aequalitas. Quam videlicet aequalitatem, ipse Dominus in divinitate habuit, priusquam

mundus esset apud Patrem, ipse in humilitate [*Ms.,* humanitate] ex tempore incarnationis accepit.

Et nemo potest rapere de manu Patris mei. «
@ [Col. 0893D] Ex Beda, homilia citata. Aperte [Col. 0893D] dans intelligi unam atque indissimilem esse manum hoc est, virtutem suam et Patris; atque ideo Christum se esse credendum, quia non sicut caeteri sancti factus [*Beda, sanctificatus*] per gratiam ex tempore, sed verus semper exstiterit Filius Dei. Quod etiam sequenti sententia luce clarius aperit, dicens: **(VERS. 30.)** *Ego et Pater unum sumus.* Unum, inquit, sumus, una nobis substantia, una est divinitas, una aeternitas, perfecta {571} aequalitas, dissimilitudo nulla. Quibus profecto verbis non praesentem solummodo Judaeorum quaestionem, qua an ipse esset Christus interrogabant, explicavit, sed etiam haereticorum perfidiam quam futuram praevidit, quantum sit [Col. 0894A] execranda monstravit.» Conticescat Sabellius audiens: *Ego et Pater, qui unam personam Patris et Filii prava doctrina disseruit;* nam *ego et Pater, duae sunt personae.* Item erubescat Arius audiens: *Unum sumus, qui duas naturas in Patre et Filio astruit,* dum *unum* unam naturam significat, sicut *sumus, duas personas.* Sequamur apostolicam fidem, quam beatus Petrus princeps apostolorum confessus est: *Tu es Christus Filius Dei vivi* **(Matth. XVI, 16)**. «
@ [Col. 0894D] S. Aug. loc. cit., num. 8-12. Judaei videlicet verba Domini audientes, et hucusque sustinuerunt; dum vero ait: *Ego et Pater unum sumus, non pertulerunt, sed more suo duri ad lapides cucurrerunt, sicut evangelista dicit:* **(VERS. 31.)** *Tulerunt lapides, ut lapidarent eum.* Dominus qui [*Ms.,* quia] non patiebatur, quod nolebat pati, et non est [Col. 0894B] passus, nisi quod voluit pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. *Sustulerunt Judaei lapides, ut lapidarent illum.*

VERS. 32, 33.---*Respondit eis Jesus:* Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Et illi responderunt: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Ad illud hoc responderunt, quod dixerat: *Ego et Pater unum sumus.* Ecce Judaei intellexerunt quod Ariani non intelligunt. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, *Ego et Pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.* «Dominus autem vidit quid responderet pravis. Vidit eos non ferre splendorem veritatis, et eos tentavit in verbis [*Aug.,* et eum temperavit in [Col. 0894C] verbis]. *Nonne scriptum est in lege vestra;* id est, vobis data: *Quia ego dixi, dii estis? Deus dicit per Prophetam in psalmo hominibus: Ego dixi, Dii estis* **(Psalm. LXXXI, 6)**; et legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas: quamvis alibi specialiter dicat legem, a prophetis eam distinguens, sicuti est: **(VERS. 34.)** *Lex et prophetae usque ad Joannem* **(Luc. XVI, 16)**. *Et in his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**. Aliquando autem in tria distribuit easdem Scripturas, ubi ait: *Oportebat impleri omnia quae scripta sunt in lege, et prophetis, et psalmis de me* **(Luc. XXIV, 44)**. Nunc vero etiam psalmos legis nomine nuncupavit, ubi scriptum est: *Ego dixi, dii estis.* (VERS. 35, 36.) *Si illos dixit* [Col. 0894D] deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum? Si sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei, quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt

homines dii; si participando fiunt dii; unde participant, [quomodo] non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat quomodo non est Deus? Si calefacti quodammodo igne salutari dii efficiuntur, unde calefiunt, non est Deus? Accedis ad lumen, illuminaris, et inter filios Dei numeraris; si recedis a lumine, obscuraris, et in tenebris computaris: [Col. 0895A] illud tamen [lumen] nec accedit ad se, quia non recedit a se. Si ergo vos deos facit sermo Dei, quomodo non est Deus Verbum Dei? Pater ergo sanctificavit Filium suum, et misit in mundum. Forte aliquis dicat: Si Pater eum sanctificavit, aliquando non sanctus? Sic sanctificavit, quomodo genuit: ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, ante non erat sanctum, quomodo dicimus Deo Patri: *Sanctificetur nomen tuum?*

VERS. 37, 38.---*Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite. Ut agnoscatis et credatis, quia in me est Pater, et ego in illo.
@ [Col. 0895D] Hic defectum supple ex Aug: «Non sic dicit Filius: *In me est Pater, et ego in illo, quomodo possunt, etc.*» Quomodo possunt dicere homines. Si enim bene cogitemus, [Col. 0895B] in Deo sumus; et si bene vivamus, Deus in nobis est: fideles, participantes ejus gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus, et ipse in nobis. Sed non sic unigenitus Filius: ille in Patre, et Pater in illo, tanquam aequalis in eo cui est aequalis. Denique nos aliquando possumus dicere: In Deo sumus, et Deus in nobis; nunquid possumus dicere: Ego et Deus unum sumus? In {572} Deo es, quia Deus te continet; Deus est in te, quia templum Dei factus es. Sed nunquid quia in Deo es et Deus est in te, potes dicere: Qui me videt, Deum videt: quomodo Unigenitus dixit: *Qui me videt, videt et Patrem.* Ego et Pater unum sumus **(Joan. XIV, 9)**? Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domini est aequalitas Patris; munus servi est participatio Salvatoris. [Col. 0895C] **(VERS. 39.)** *Quaerebant ergo eum apprehendere.* Utinam apprehenderent, sed credendo et intelligendo, non saeviendo et occidendo. Quaerebant ergo eum apprehendere; dum eum apprehendere voluerunt, quid eis fecit? *Exivit de manibus eorum.* Non eum apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt:» et quia noluit qui potestatem habuit animam suam ponere, non apprehenderunt eum; dum autem voluit, apprehensus est ab eis manibus iniquitatis. (VERS. 40, 41.) *Et abiit iterum trans Jordanem ad eum locum ubi erat Joannes baptizans primum;* et mansit ibi, et multi venerunt ad eum, et dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum. «Meministis vobis dictum de Joanne, *quia lucerna erat* **(Joan. V, 35)**, et diei testimonium perhibebat. Quid ergo isti dixerunt [Col. 0895D] apud se? Nullum, inquiunt, miraculum ostendit Joannes: non daemonia fugavit, non expulit febrem, non caecos illuminavit, non mortuos suscitavit, non tot millia hominum de quinque vel septem panibus satiavit, non super mare ambulavit, non ventis et fluctibus imperavit; nihil horum fecit Joannes; et totum quidquid dicebat, huic testimonium perhibebat. Per lucernam veniamus ad diem. *Joannes nullum signum fecit.* **(VERS. 42.)** *Omnia enim quaecunque dixit Joannes de hoc, vera erant.* Ecce quid apprehenderunt, non quomodo Judaei volebant
@ [Col. 0896D] Apud Aug.: «Ecce qui apprehenderunt, non quomodo Judaei. Judaei volebant, etc.» apprehendere [Col. 0896A] discedentem, apprehenderunt isti permanentem. Denique quid sequitur? *Et multi crediderunt in eum.*»

CAPUT XXVII.

Lazarum amicum suum jam quatriduanum mortuum dormire dicit. Quem magna voce clamando resuscitans, solvi jubet simul et abire, plurimis credentibus ex Judaeis.

CAPUT XI, VERS. 1.

---*Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae.* « @ [Col. 0896D] Ex S. Aug., tract. XLIX, num. 4-25. Plurima vero in hoc miraculo resuscitati Lazari manifesta sunt. Expositionem in singulis non quaeramus, ut liberius necessaria pertractemus. In superiori lectione meministis quod Dominus exiit de manibus eorum qui lapidare eum voluerant, et discessit [Col. 0896B] trans Jordanem ubi Joannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Hierosolymis. (VERS. 2, 3.) *Maria autem erat quae unxerat Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.* Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes. Jam intelligimus quo miserunt, ubi erat Dominus: quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum, nuntiantes quod aegrotaret frater earum, ut si dignaretur veniret, et eum ab aegritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. Quid ergo nuntiaverunt sorores ejus? *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nuntiatum fuit. Non ausae sunt dicere, [Col. 0896C] Veni et sana; non sunt ausae dicere, ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istud [*Al.,* istae?], si fides illius centurionis inde laudatur? Ait enim: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* **(Matth. VIII, 8)**. Nihil horum istae, sed tantummodo: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sufficit ut noveris; non enim amas et deseris. Dicit aliquis: Quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: *Non veni vocare justos, sed peccatores* **(Matth. IX, 13)**. Si enim peccatores Dominus non amaret, de coelo ad terram non descenderet [*Ms.,* nequaquam eos vocaret; *al.* non eos vocare venisset].

[Col. 0896D] {573} VERS. 4.---*Audiens autem Jesus dixit illis:* Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. «Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc ergo ait: *Non est ad mortem, quia ipsa mors non est ad mortem, sed potius ad miraculum:* quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte quemadmodum tanquam ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam qui negant. Nam sunt haeretici qui hoc negant quod Filius Dei sit Dominus [*Ms.,* Deus]. Ecce audiant: *Infirmitas* ergo *haec,* inquit, *non est ad mortem,* sed pro gloria [Col. 0897A] Dei. Qua gloria? Cujus Dei? Audi quid sequitur: *Ut glorificetur Filius Dei.* Infirmitas ergo *haec, inquit, non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Per quam? Per illam infirmitatem. **(VERS. 5.)** *Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam, et Lazarum.* «Ille languens, illae tristes, omnes dilecti. Sed diligebat eos, et languentium salvator, imo etiam mortuorum suscitator, et tristium consolator. **(VERS. 6.)** *Ut ergo audivit quod infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.*

Nuntiaverunt ergo illae, mansit illic ille. Tandiu tempus ductum est, quousque quatriduum compleretur. Non frustra, nisi quia forte, imo quia certe, et ipse numerus dierum intimat aliquod sacramentum. **(VERS. 7.)** *Deinde post haec dicit discipulis* [Col. 0897B] suis: Eamus in Judaeam iterum ubi pene fuerat lapidatus; qui propterea inde discessisse videbatur, ne lapidaretur. Discessit enim ut homo, sed in redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem. *Eamus,* inquit, *in Judaeam.* Denique hoc dicto, videte quemadmodum discipuli territi fuerunt. (VERS. 8, 9.) *Dicunt ei discipuli:* Rabbi, nunc quaerebant te lapidare Judaei, et iterum vadis illuc? Respondit Jesus: Nonne duodecim horae sunt diei? Quid sibi vult ista responsio? Illi dixerunt: *Modo te volebant lapidare Judaei, et iterum vadis illuc, ut te lapident? Et Dominus: Nonne duodecim horae sunt diei?*

VERS. 10.---*Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Si autem ambulaverit [Col. 0897C] in nocte, offendit, quia lux non est in eo. «De die quidem locutus est, sed ad nostram intelligentiam [*Aug.,* in nostra intelligentia], quasi adhuc nox est. Invocemus diem, ut repellat noctem, et cor lumine illustret. Quid enim Dominus dicere voluit? Quantum mihi videtur, quantum subjacet [*Aug.,* sublucet] altitudo, profunditasque sententiae, redarguere voluit dubitationem illorum et infidelitatem. voluerunt enim consilium dare Domino ne moreretur, qui venerat mori, ne ipsi morerentur. Sic etiam quodam alio loco Petrus sanctus diligens Dominum, sed adhuc non plene intelligens cur venisset, timuit ne moreretur, et vitae displicuit, id est, ipsi Domino **(Matth. XVI, 22)**. Cum ergo vellent [Col. 0897D] dare consilium homines Deo, discipuli magistro, servi domino, aegroti medico, corripuit eos et ait: *Nonne duodecim horae sunt diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Me sequimini, si non vultis offendere; nolite mihi consilium dare, quos a me consilium oportet accipere. Quo ergo pertinet: *Nonne duodecim horae sunt diei? Quia ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit.* Si ergo sum, inquit, dies, et vos horae, nunquid horae diei consilium dant? Horae diem sequuntur, non horas dies. Si ergo [Col. 0898A] illi horae, quid ibi Judas; et ipse inter duodecim horas? Si hora erat, lucebat; si lucebat, quomodo diem ad mortem tradebat? Sed Dominus in hoc verbo, non ipsum Judam, sed successorem ipsius praevidebat. Juda enim cadente, successit Matthias, et duodenarius numerus mansit **(Act. I, 26)**. Non enim frustra duodecim discipulos elegit, nisi quia ipse spiritalis est dies. Sequantur ergo horae diem, praedicent horae diem, horae illustrentur a die, horae illuminentur a die, et per horarum praedicationem credat mundus in diem. Hoc ergo ait de compendio: Me sequimini, si non vultis errare. **(VERS. 11.)** *Et post hoc dicit eis:* Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum. Verum dixit. Sororibus mortuus erat, Domino dormiebat. Hominibus mortuus erat, [Col. 0898B] qui eum suscitare non poterant: nam Dominus tanta facilitate suscitabat de sepulcro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Ergo secundum potentiam suam dixit dormientem, quia et alii mortui dicti sunt in Scripturis saepe dormientes, sicut Apostolus dicit: *De* dormientibus autem nolo {574} *vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent* **(I Thess. IV, 22)**. Ideo et ipse dormientes appellavit, quia resurrecturos pronuntiavit» [*Aug.,* praenuntiavit]. Et in alio loco: *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes resurgemus*

@ [Col. 0897D] In Vulgata ita legitur: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Alcuinus hic secutus fuisse videtur quosdam codices Graecos ac

Latinos, in quibus etiam loco *omnes quidem resurgemus legitur: Omnes quidem dormiemus.* Vid. Hieron. [Col. 0898D] epist. 119 ad Minervium et Alexandrum, et Augustinum libr. XX de Civit. Dei, cap. 20. Mendum tamen hic cubat in verbis: *Non omnes resurgemus.* Legendum vero: *Non omnes immutabimur.* **(I Cor. XV, 51)**; mortem nostram dormitionis nomine significans. Nam corpus dum deseritur ab anima, dormit in sepulcro, resuscitandum in novissimo die: «Animae vero, dum deserunt corpora, diversas receptiones [Col. 0898C] habent: gaudium bonae, malae tormenta; sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur.» Dum Dominus de dormitione amici dixerat discipulis, «responderunt quomodo intellexerunt. (VERS. 12, 13, 14, 15.) *Domine, si dormit, salvus erit.* Solent enim esse somni aegrotantium salutis indicium. *Dixerat autem Jesus de morte ejus;* illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste. Subobscure enim dixerat, *dormit.* Ait ergo manifeste: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis quia non eram ibi, sed scio quia mortuus est.* Aeger enim, non mortuus fuerat [Col. 0898D] nuntiatus. Sed quid lateret eum qui creaverat et ad cujus manus anima morientis exierat? Hoc est quod ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis quia non ibi eram:* ut jam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, [quod] nec viderat, nec audierat. Ubi sane meminisse debemus, quod adhuc etiam ipsorum discipulorum qui in eum jam crediderant, miraculis aedificabatur fides: non ut ea quae non erat, esse inciperet, sed ut ea quae jam esse coeperat, cresceret; quamvis tali verbo usus [Col. 0899A] sit, quasi tunc credere inciperent. Non enim ait: *Gaudeo propter vos, ut vestra fides augeatur sive firmetur;* sed *ut credatis:* quod intelligendum est, ut amplius robustiusque credatis.

VERS. 16, 17.---*Sed eamus ad eum.* Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos suos: Eamus et nos, ut [Al., *et*] moriamur cum eo. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. «De quatuor diebus multa quidem dici possunt, sicut se habent obscura Scripturarum, quae pro diversitate intelligentium multos sensus pariunt. «Dicamus et nos quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus. Quomodo enim in illo caeco intelligimus quodammodo humanum genus, sic forte et in isto mortuo multos intellecturi sumus: diversis enim [Col. 0899B] modis una res significari potest. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit. Unde dicit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors:* et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt **(Rom. V, 12)**. Ecce habes unum diem mortis, peccatum, quod homo trahit de mortis propagine. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, ut legem sapiat naturalem, quam homines [*Ms.,* omnes] habent in corde fixam: quod tibi fieri non vis, alii ne feceris. Nunquid hoc de paganis dicitur [*Aug.,* de paginis discitur], et non in natura ipsa quodammodo legitur? Furtum vis pati? utique non vis. Ecce lex in corde tuo: quod non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines: [Col. 0899C] ecce alter dies mortis. Data est etiam lex divinitus per famulum Dei Moysen: dictum est illis [*Aug.* et Ms., illic]: *Non occides;* non moechaberis; non falsum testimonium dices; honora patrem et matrem; non concupisces rem proximi tui **(Exod. XX, 13, seq.)**. Ecce lex scripta est, et ipsa contemnitur: adde [*Aug.,* ecce] tertium diem mortis. Quid restat? Venit ad Evangelium, praedicatur regnum coelorum, diffamatur ubique Christus, minatur gehennam, vitam

promittit aeternam, et ipse contemnitur. Transgrediuntur homines Evangelium: ecce quartus dies mortis. Merito jam putet. Nunquid et talibus neganda est misericordia? Absit. Etiam ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere. (VERS. 19, 20.) *Multi autem ex Judaeis venerant ad Martham et* [Col. 0899D] Mariam, ut consolarentur {575} *eas de fratre suo.* Martha ergo, ut cognovit quia Jesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. (VERS. 21, 22.) *Dixit ergo Martha ad Jesum:* Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus. Sed et nunc scio, quia quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. «Non dixit: Sed et modo rogo te, ut suscites fratrem meum. Unde enim sciebat si frater ejus resurgeret, quod utile fuerat [*Al.,* ut si ille adesset. *Aug.,* si fratri ejus resurgere utile fuerit]? Hoc tantum dixit: Scio, quia potes; si vis, facis: utrum autem facies [*Ms.,* facias], judicii tui est, non praesumptionis meae. *Sed et nunc scio, quia quaecunque poposceris a Deo dabit tibi Deus.*

[Col. 0900A] VERS. 23-25.---*Dicit illi Jesus:* Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. De illa resurrectione secura sum: de hac incerta sum. *Dicit ei Jesus:* Ego sum resurrectio et vita. Dicis: *Resurget frater meus in novissimo die;* verum est: sed per quem tunc resurget, potest et modo resurgere, *quia ego sum resurrectio et vita.* Ideo resurrectio, quia vita: [quia] *qui credit in me, non morietur in aeternum.* «Quid est hoc? *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:* sicut Lazarus mortuus est, et vivit; quia non est Deus mortuorum, sed vivorum. De olim mortuis patribus, hoc est, de Abraham, de Isaac, de Jacob, tale responsum Judaeis dedit. *Ego sum Deus Abraham,* [et Deus Isaac] et Deus Jacob **(Exod. III, 6)**. *Non est* [Col. 0900B] Deus mortuorum, sed vivorum **(Matth. XXII, 32)**: omnes enim illi vivunt. Crede ergo, et si mortuus fueris, vives; si autem non credis, et cum vivis, mortuus es. Unde est ergo mors in anima? Quia non est fides in ea. Unde est mors in corpore? Quia non est ibi anima. Ergo animae tuae vita [*Ms.,* anima] fides est.» Sicut anima corporis vita est corporis, ita fides animae vita est animae. «*Qui credit in me,* inquit, *etiam* si mortuus fuerit in carne, *vivet in anima, donec resurget caro, nunquam postea moritura.* Hoc est, *qui* credit in me, licet moriatur, *vivet:* et omnis qui vivit in carne, *et credit in me,* et si morietur ad tempus propter mortem carnis, *non morietur in aeternum propter vitam spiritus et immortalitatem resurrectionis.* Hoc est quod ait: [Col. 0900C] **(VERS. 26.)** *Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.*

VERS. 27.---*Credis hoc? Ait illi:* Utique, Domine. Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti. Quando hoc credidi [*Aug.* repetit voc. credidi] quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita, credidi quia qui credit in te, et si moriatur, vivet; et qui vivit et credit [in te], non morietur in aeternum. **(VERS. 28.)** *Et cum haec dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens:* Magister adest, et vocat te. Advertendum est, quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupavit. Nam quomodo siluit, quae dixit: *Magister adest, et vocat te? Advertendum est etiam quemadmodum evangelista non dixerit,* ubi vel quando vel quomodo [Col. 0900D] Mariam Dominus vocaverit. Ut hoc in verbis Marthae potius intelligeretur, narrationis veritatem servat [*Ms.,* veritate. *Aug.,* brevitate servata]. (VERS. 29-31.) *Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum.* Nondum venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judaei igitur qui erant cum illa in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia

vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Quare hoc pertinuit [ad] evangelistam narrare? [Ut] videamus quae occasio fecerit ut plures ibi essent, quando Lazarus resuscitatus est. Putantes enim Judaei, propterea illam festinare, ut doloris sui solatium lacrymis quaereret, secuti sunt eam, ut tam [Col. 0901A] grande miraculum quatriduani mortui resurgentis testes plurimos inveniret. (VERS. 32-34.) *Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei:* Domine, si hic fuisses, frater meus non esset mortuus. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judaeos qui cum illa erant plorantes, fremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit: Ubi posuistis eum? Aliquid nobis insinuavit fremendo spiritu, et turbando seipsum. Quis enim eum posset nisi ipse [*Ms.,* seipsum] turbare? Itaque primo hic attendite potestatem, et sic inquirite significationem. Turbaris tu nolens, turbatur Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, quia voluit; dormivit Jesus, verum est, quia voluit; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit; mortuus est Jesus, verum [Col. 0901B] est, sed quia voluit. In illius potestate erat sic vel sic affici [vel non sic affici]. Verbum [*Al.,* Veram] enim {576} animam suscepit, et carnem, totius hominis sibi coaptans in personae unitate naturam. Nam et animae apostolorum Pauli et Petri verbo illustratae sunt
@ Ms.: «Nam et anima Apostoli verbo illustrata est, anima Pauli et anima Petri verbo illustrata est.»; aliorum apostolorum, sanctorum, prophetarum Verbo illustratae sunt animae: sed de nulla dictum est: *Verbum caro factum est;* de nullo dictum est: *Ego et Pater unum sumus.* Anima Christi et caro Christi, cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas, ibi secundum voluntatis nutum turbatur infirmitas. Hoc est, *turbavit semetipsum.* Dixi potestatem, attende significationem. Magnus reatus est, quem mortis quatriduanae illa significat sepultura [*Aug.,* Magnus [Col. 0901C] reus est, quem mortis quatriduum, et illa significat sepultura]. Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati gravaris et premeris? Attendisti enim te, vidisti te reum; computasti tibi: Illud feci, et pepercit Deus; illud commisi, et distulit me; Evangelium audivi, et contempsi. Dic, dic lacrymando, baptizatus sum, et iterum ad eadem revolutus sum: quid facio? quo eo? unde evado? Quando ista dicis, jam fremit Christus, quia fides fremit. In voce frementis apparet spes resurgentis. Ubi ipsa fides intus, ibi est Christus fremens; si fides in nobis, Christus in nobis. Quid enim aliud ait Apostolus: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* **(Ephes. III, 17)**? Ergo si [Col. 0901D] fides tua in Christo [*Ms.,* de Christo], Christus est in corde tuo.» Ergo fremat Christus in corde tuo. Flevit ergo Christus amicum mortuum, quem venit resuscitaturus. Quare enim flevit, nisi quia hominem flere docuit oppressum pondere peccatorum? «Quare fremuit et turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis fremere admodum debet in accusationem malorum operum, ut violentiae poenitentis [*Aug.,* poenitendi] cedat consuetudo peccandi? Et dixit: *Ubi posuistis eum? «Scis quia mortuus sit, et ubi sepultus ignoras? Et ista significatio est.* Non ausus sum dicere, nescit: quid enim [Col. 0902A] ille nescit? Sed quasi nescit. Unde hoc probamus? Dominum audi dicturum in judicio: *Non novi vos, discedite a me* **(Matth. VII, 23)**. Quid est, *Non vos novi? Non vos video in luce mea, non vos video in illa justitia quam novi.* Sic et hic tanquam nesciens talem peccatorem, dixit: *Ubi posuistis eum? Talis est vox Dei in paradiso, posteaquam peccavit Adam, Ubi es* **(Gen. III, 9)**?

Dicunt ei: Domine, veni et vide. Quid est, *vide? Miserere.* Videt enim Dominus,

quando miseretur. Unde illi dicitur: *Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* **(Psal. XXIV, 18)**. (VERS. 35, 36.) *Lacrymatus est Jesus.* Dixerunt ergo Judaei: Ecce quomodo amabat eum. Quid est, *amabat eum? Non veni vocare justos,* sed peccatores in [Col. 0902B] poenitentiam. **(VERS. 37.)** *Quidam autem dixerunt ex ipsis:* Non poterat hic qui aperuit oculos caeci, facere ut hic non moreretur? Qui noluit facere ut non moreretur, plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur. **(VERS. 38.)** *Jesus rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Fremit et in te, si disponis reviviscere. Omni homini dicitur, qui premitur pessima consuetudine: *Venit ad monumentum.* Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Mortuus sub lapide, reus sub lege. Scitis enim quia lex, quae data est Judaeis, in lapide scripta est **(Exod. XXXI, 18)**. Omnes autem rei sub lege sunt: bene viventes enim in lege non sunt [*Aug.,* cum lege sunt]. Justo lex posita non est **(I Tim. I, 9)**. Quid est ergo lapidem removere? Gratiam praedicare. Apostolus enim Paulus [Col. 0902C] ministrum se dicit novi testamenti, non litterae, sed spiritus. Nam *littera,* inquit, *occidit, spiritus autem vivificat* **(II Cor. III, 6)**. Littera occidens, quasi lapis est premens. (VERS. 39, 40.) *Removete, inquit, lapidem.* Removete legis pondus, gratiam praedicate. *Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat:* Domine, jam fetet, quatriduanus enim est. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? «Quid est, *videbis gloriam Dei? Quia et putentem et quatriduanum suscitat.* Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei **(Rom. III, 23)**. Et ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia **(Rom. V, 20)**.

(VERS. 41-43).---*Tulerunt ergo lapidem.* Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago [Col. 0902D] tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Haec cum dixisset, {577} *voce magna clamavit.* «Fremuit, lacrymavit, voce magna clamavit. Quam difficile surgit, quem moles malae consuetudinis premit. Sed tamen surgit, occulta gratia intus vivificatus: surgit post vocem magnam. Quid est factum? **(VERS. 44.)** *Voce magna clamavit:* Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Quomodo processit ligatis pedibus miraris, et non miraris quia resurrexit [Col. 0903A] quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, et adhuc ligatus est: adhuc involutus, tamen foras jam processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces; et si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces: quando confiteris [surgis], tunc procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit voce magna clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens et adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: *Solvite illum, et sinite abire.* Quid est, *Solvite, et sinite abire? Quae solveritis in terra, erunt soluta et in coelis.*» Potuit enim ligamenta solvere, qui mortuum resuscitavit: sed propter unitatem sanctae [Col. 0903B] Dei Ecclesiae, et individuam charitatem, dicitur ministris, id est, discipulis Christi: *Solvite eum, quia sine unitate catholicae fidei et charitate ecclesiasticae sanctitatis, peccata non solvuntur.* (VERS. 45, 46.) *Multi autem ex Judaeis, qui venerant ad Mariam, et viderunt quae fecit Jesus, crediderunt in eum.* Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt quae fecit Jesus. «Non omnes ex Judaeis qui convenerant ad Mariam, crediderunt: sed tamen multi. *Quidam vero ex eis, sive ex Judaeis qui convenerant,*

sive ex eis qui crediderant, *abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit Jesus;* sive annuntiando, ut et ipsi crederent; sive potius prodendo, ut saevirent. Sed quomodolibet, et a quibuslibet, ad Pharisaeos ista prolata sunt.

CAPUT XXVIII.

Pontifices adversus eum concilium colligunt, in quo Caiphas, unum debere pro populo mori, ne cuncti perirent, prophetizat. Et ante sex dies Paschae de unguenti super pedes Domini profusi pretio murmur arguitur Judae.[Col. 0903C]

VERS. 47.---*Collegerunt ergo pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant:* Quid faciemus? «Nec tamen dicebant, credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent ut perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent: et tamen timebant, et quasi consulebant. **(VERS. 48.)** *Dicebant enim: Quid faciemus? Quia hic homo multa signa facit:* si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. [Col. 0903D] Temporalia perdere noluerunt [*Aug.,* timuerunt], et vitam aeternam non cogitaverunt; ac sic utrumque amiserunt. Nam et Romani post Domini passionem et glorificationem tulerunt eis locum et gentem, et pugnando [*Aug.,* expugnando] et transferendo; et illud eos sequitur quod alibi dictum est: *Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exteriores* **(Matth. VIII, 12)**. Hoc autem timuerunt, ne, si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos civitatem Dei templumque defenderet: quoniam contra ipsum templum et contra suas paternas leges, doctrinam Christi esse sentiebant. (VERS. 49-51.) *Unus autem ex ipsis Caiphas, cum esset pontifex anni illius,* [Col. 0904A] dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit. Hic docuit etiam per homines malos prophetiae spiritum futura praedicere: quod tamen evangelista divino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est, summus sacerdos. Potest autem movere quomodo dicatur pontifex anni illius, cum Dominus statuerit unum summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet? Sed intelligendum per ambitiones et contentiones inter Judaeos postea constitutum, ut plures essent, et per annos singulos vicibus {578} ministrarent. Nam de Zacharia hoc dicitur: *Factum est autem,* cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae [Col. 0904B] ante Deum, secundum constitutionem [Al., *consuetudinem*] sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini **(Luc. I, 18)**. Hinc apparet plures eos fuisse, et vices suas habuisse: nam incensum non licebat ponere, nisi summo sacerdoti. Et forte etiam unum annum [*Ms.,* uno anno] plures administrabant, quibus alio anno alii succedebant, et quibus sorte exibat qui incensum poneret. Quid est ergo quod prophetavit Caiphas? *Quia Jesus moriturus erat pro gente:* non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Hoc evangelista addidit; nam Caiphas de sola Judaeorum gente prophetavit, in qua erant oves, de quibus ait ipse Dominus: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel* **(Matth. XV, 24)**. [Col. 0904C] Sed noverat evangelista alias oves quae non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci, ut esset [*Ms.,* essent] unum ovile et unus pastor. Haec autem secundum praedestinationem dicta sunt; quia neque oves ejus, nec filii Dei adhuc erant, qui nondum crediderant. (VERS. 53,

54.) *Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.* Jesus ergo jam non palam ambulabat apud Judaeos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. Non quia potentia ejus defecerat, in qua utique, si vellet, et palam cum Judaeis conversaretur, et nihil ei facerent; sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo apparet et non esse peccatum, si fideles ejus qui sunt membra ejus oculis persequentium [Col. 0904D] sese subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius devitarent.»

Sciebat Jesus tempus appropinquasse passionis suae et redemptionis nostrae. Appropinquante tempore in quo pati disposuit, appropinquavit ille et loco in quo ejusdem passionis dispensationem perficere voluit. Dicit enim evangelista: **(VERS. 55.)** «

@ [Col. 0903D] Ex S. Aug., tract. L, num. 2. *Proximum autem erat Pascha Judaeorum.* Illum diem festum Judaei cruentum habere Domini sanguine voluerunt. Illo die festo occisus est Agnus, qui nobis eumdem diem festum suo sanguine consecravit. Consilium erat inter Judaeos de occidendo Jesu: ille qui de coelo venerat [pati], propinquare voluit loco [Col. 0905A] passionis, quia imminebat hora passionis. *Ascenderunt ergo multi in Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.* Hoc faciebant Judaei secundum praeceptum Domini, per sanctum Moysen in lege datum, ut die festo quo Pascha erat, omnes undique convenirent, et illius diei celebratione sanctificarentur. Sed illa celebratio umbra erat futuri. Quid est umbra futuri? Prophetia Christi venturi, prophetia pro nobis illo die passuri: ut transiret umbra, et lux veniret; ut transiret significatio, et veritas teneretur. Habebant ergo Judaei Pascha in umbra; nos in luce. Quid enim opus erat ut Dominus eis praeciperet per ipsum diem festum ovem occidere, nisi quia ille erat de quo prophetatum est: *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (Isaiae LIII, 7)? [Col. 0905B] Sanguine occisi pecoris Judaeorum postes signati sunt **(Exod. XII, 22)**: sanguine Christi frontes nostrae signantur. Et illa signatio, quae erat significatio, dicta est a domibus signatis exterminatorem prohibere: signum Christi expellit a nobis exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem.»

@ [Col. 0905D] Hucusque ex Aug. **(VERS. 56.)** *Quaerebant,* inquit evangelista, *Jesum, et colloquebantur ad invicem stantes in templo:* Quid putatis, quia non venit ad diem festum? «

@ [Col. 0905D] Ex Bedae hom., fer. II post Palmarum. Quaerebant ergo Judaei Jesum, sed male: quaerebant enim, ut venientem ad diem festum interficerent. Quaeramus autem nos illum stantes in templo Dei, et perseverantes unanimiter in oratione, et colloquamur ad invicem psalmis, hymnis, canticis spiritalibus **(Ephes. V, 19)**, in gratia postulantes ipsum, ut veniat ad diem festum [Col. 0905C] nostrum, et sua nos praesentia illustrare, sua ipse nobis dona sanctificare dignetur.» *Dederunt autem pontifices et Pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Mandatum ergo Judaeorum peccatum est illorum. Quaerebant Christum occidere, non in Christo vivere. Quaeramus nos in Christo vivere, quem illi quaerebant occidere. Illi male quaerebant, nos bene quaeramus; nam nunc est tempus quaerendi Dominum, sicut Propheta ait: *Quaerite Dominum, dum inveniri potest* (Isaiae LV, 6). Qui misericordem eum invenire voluerit in judicio, quaerat eum modo in humilitatis et charitatis officio.

CAPUT XII, VERS. 1.---*Ante sex dies Paschae venit Jesus Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus quem suscitavit.* «Sciens autem Dominus conspirasse [Col. 0905D] de se occidendo Judaeos, non fugit insidiantium manus; sed certus de gloria resurrectionis primo venit Bethaniam, proximam Hierosolymis civitatem, ubi Lazarum suscitaverat a mortuis; deinde etiam Hierosolymam, ubi ipse pateretur et resurgeret a mortuis: Hierosolymam quidem, ut ipse ibi moreretur; Bethaniam vero, ut resuscitatio Lazari cunctorum memoriae arctius imprimeretur, et magis magisque confunderentur, atque inexcusabiles convincerentur impii principes, qui occidere non timerent eum, qui suscitare [*Al.,* suscitari] posset a mortuis; et nec beneficiis suscitationis provocati, nec [Col. 0906A] divina suscitantis virtute perterriti, animos ab injusta caede retraherent.» Nec transitorie legendum est quare ante sex dies Paschae venisset Jesus Bethaniam: magna vero dignitas senarii numeri est in sanctis Scripturis, et multa opera Domini Dei nostri in senario numero perfecta esse demonstrantur; quia senarius numerus in seipso per suas proprias partes divisus vel conjunctus, perfectissimus esse constat; habet enim partes tres in seipso denominatas, id est, unum, duo, et tres. Nam sexta ejus pars unum est; tertia vero, duo; dimidia itaque, tres. Unum vero et duo, et tres, sex esse dignoscitur; nec aliud ex his tribus partibus conjunctis confici potest, nisi sex tantum; nec in alias partes senarius numerus dividi potest, nisi in has [Col. 0906B] tres, id est, unum, duo, tres. Nam ipse Dominus creator omnium, hujus mundi creaturas sex diebus perfecisse notissimum est, et sexta die hominem fecisse constat; quem serpentina fraude perditum, ante sex dies Paschae venit ipse Filius Dei, per quem creatus est, Bethaniam ad liberandum; ut qui sexta die creatus est, sexta feria liberaretur; nam sexta feria Christum esse passum, nemini ignotum esse reor. Igitur et mense sexto annuntiante archangelo virgo sacra inspiratione Spiritus sancti eumdem Redemptorem nostrum concepisse legitur; qui etiam sexta hora, perfecta aetate, super puteum sedens mulieri Samaritanae divini fontis fluenta aperire dignatus est: sexta quoque aetate mundi, ipse creator ad redemptionem mundi juxta [Col. 0906C] fidem sacrae historiae venisse jam legitur. Habent quoque hae tres partes, id est, unum, et duo, et tres, ex quibus, ut diximus, senarius constat, aliquid mysterii in dispensatione salutis humanae. Primo itaque tempore sub lege naturae, veluti in quadam unitate sancti Patres Deo serviebant; secundo vero tempore lex addita est ad naturam, ut quod mala consuetudo vitiavit in natura, lex reformaret in littera; et fuerunt duo, natura et lex; tertio itaque tempore venit gratia coelestis per Jesum Christum; et sunt tria, natura, lex, et gratia. Sicut nec lex naturae bonum destruit, nec gratia legem solvit, sed adimplevit, naturamque pristinae reddidit nobilitati: natura tamen et lex sine gratia impleri non potuit, nec sic homini liberum arbitrium [Col. 0906D] datum est, ut legis praecepto [*Ms.* vel legis praeceptum], ut gratiae non indigeret, sicut Pelagiana haeresis affirmat. «
@ [Col. 0906D] Iterum ex Beda, hom. citata. Et ne dicerent machinatores calumniarum phantastice suscitatum fuisse Lazarum, facta ibi Domino coena, et ipse unus erat ex discumbentibus cum eo: ut dum viventem, loquentem, epulantem, cum suis familiariter conversantem viderent, sive audirent, vel sic suscitantis potentiam agnoscerent, et acciperent gratiam. Mystice autem coena haec Dominica, ubi Martha ministrabat, et Lazarus inter alios discumbebat, fides est Ecclesiae, quae per dilectionem operatur. In qua [Col. 0907A] coena Martha ministrat, cum anima quaeque fidelis operam Domino suae devotionis impendit. Lazarus vero unus fit ex discumbentibus cum Domino, cum etiam hi qui post [primam] peccatorum mortem resuscitati ad justitiam sunt, una cum eis qui

in sua permansere justitia, de praesentia veritatis exsultant; poenitentes simul cum innocentibus coelestis gratiae muneribus aluntur. Et bene eadem coena in Bethania celebratur, quae est civitas in latere montis Oliveti, et interpretatur domus obedientiae. Domus namque obedientiae Ecclesia est, quae fideliter Domini jussis obtemperat: et ipsa est civitas quae super montem misericordiae constituta nunquam potest abscondi, ipsaque [*Ms.,* ipsa quae] de sui latere constructa Redemptoris, id est {580} [Col. 0907B] aqua ablutionis, et sanguine sanctificationis, quae de ipsius latere pro se morientis exiere [*Beda, exierit*], imbuta est; ubi etiam altera soror Lazari Maria in magnae indicium dilectionis, sicut sequentia monstrant evangelicae lectionis, accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis pedes ejus. Quo facto non solum suae dat indicium devotionis, sed et aliarum fidelium Deo animarum signat pietatis obsequium.»

VERS. 3.---*Maria autem accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi.* Quid namque per libram unguenti nisi perfectio justitiae exprimitur? Quod unguentum ex nardo pistico dicitur esse confectum: quid enim per unguentum, nisi bonus odor opinionis insinuatur? Et hoc unguentum ex nardo pistico [Col. 0907C] [*Al.,* pistica] conficitur, id est, nardo fideli. Nam *pistis* Graece, *fides Latine dicitur;* sine fide enim Deo placere impossibile est, nec bona fama sine fide catholica fieri poterit. «
@ [Col. 0907D] Ex S. Aug., tract. L, num. 6. O homo, unge pedes Jesu bene vivendo, Dominica sectare vestigia, et capillis exterge, ac si habeas superflua, pauperibus eroga. Hoc est capillis pedes Jesu tergere. Quae tibi superflua sunt, pedibus Domini necessaria sunt,» id est, minimis quibusque in Ecclesia; de quibus in fine dicturus erit Dominus: *Quandiu fecistis uni ex minimis his, mihi fecistis.* Domus autem repleta est odore **(Matth. XXV, 40)** id est, Ecclesia vitae religiosae fama [bona]. Nam odor bonus est vita bona. Audi Apostolum: *Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco* **(II Cor. II, 15)**; et in Cantico canticorum: [Col. 0907D] *Unguentum effusum nomen tuum* **(Cant. I, 2)**. Item: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Ubi aperte quid Maria semel fecerat [*Ms.,* fecerit], typice autem quid omnis Ecclesia; quid anima quaeque perfecta semper faciat, ostenditur.

VERS. 4, 5.---*Dicit ergo unus ex discipulis ejus Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus:* Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? «
@ [Col. 0908D] Ex Ven. Bedae hom. feria II post Palmarum. Vae impio traditori! Vae complicibus ejus nequitiae, etiam nunc membra Christi persequentibus, qui famam virtutis, quam ipsi habere non [Col. 0908A] merentur, proximis qui habent, invidere non cessant! Et quidem putare possemus, Judam cura pauperum haec fuisse locutum, sed prodit mentem illius testis verax, qui ait: **(VERS. 6)** *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat.* Non ergo tunc Judas periit, quando pecunia corruptus Dominum perdidit [*Al.,* prodidit]; sed jam perditus Dominum sequebatur, qui loculos habens dominicos, ea quae mittebantur, portabat in ministerium pauperum, quae etiam infideli mente furari solebat. Videns ergo Dominus cor illius cupiditatis jam sorde pollutum, praevidens pejori proditionis sorde polluendum, commisit ejus fidei, quidquid habebant [*Beda, habebat*] in sacculis, eumque de [Col. 0908B] his quae vellet facere permisit, ut vel collati honoris, vel habitae memoria pecuniae, mentem ab ipsius venditione revocaret. Verum

quia semper avarus eget, neque unquam beneficiorum perfidus meminit, impius a furto pecuniae quam portabat, pervenit ad traditionem Domini, qui pecuniam sibi servandam commendabat.

VERS. 7.---*Dixit ergo Jesus:* Sine illam ut in diem sepulturae meae servet illud. Quasi innocenter interroganti Judae, Dominus simpliciter et mansuete, quo ministerium Mariae pertineret, exposuit: quia ipse videlicet moriturus, et ad sepeliendum aromatibus esset ungendus. Ideoque Mariae, cui ad unctionem mortui corporis ejus quamvis multum desideranti pervenire non liceret, donatum est ut viventi [Col. 0908C] adhuc impenderet obsequium, quod post mortem, celeri resurrectione praeventa, requireret [*Ms.,* et Beda, nequiret]. Unde bene Marcus Dominum de illa dixisse testatur: *Quod habuit, haec fecit, praevenit ungere corpus meum in sepulturam* **(Marc. XIV, 8)**. Quod est aperte dicere: quia corpus meum jam defuncti tangere non poterit, solum quod potuit fecit. Praevenit vivum adhuc, funerandi officio donare. **(VERS. 8.)** *Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Et hic magnae moderamine patientiae Dominus non Judam arguit avaritiae, et non pauperum gratia de pecunia loqui, sed ex ratione demonstrat non esse culpandos eos qui ei inter homines conversanti de facultatibus suis ministrarent, cum tam parvo tempore ipse apud [Col. 0908D] Ecclesiam corporaliter {581} mansurus; pauperes autem, quibus eleemosyna fieri posset, in ea semper essent habendi. **(VERS. 9.)** *Cognovit ergo turba multa ex Judaeis, quia illic est, et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.* Curiositas hos, non charitas adduxit ad Jesum: sed nos versa vice, fratres charissimi, si cognoscimus ubi Jesus est, ubi mansionem facit, ubi Bethaniam, id est, domum animae obedientis, in qua habitet, invenit; veniamus illuc contemplatione, non propter hominem tantum, quem a morte animae suscitatum spiritaliter vivere donavit, [Col. 0909A] sed ut bonam hominis vitam imitando, per hoc ad visionem Jesu pertingere mereamur: quia pro certo cognovimus ubi Jesus est; resurrexit enim post mortem, et ascendit in coelum, ubi habet mansionem perpetuam: ipsa est vera Bethania, civitas scilicet coelestis, quam nullus valet nisi obediens intrare. (VERS. 10, 11.) *Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judaeis, et credebant in Jesum.* O caeca caecorum versutia, occidere velle suscitatum! quasi non posset suscitare occisum, qui poterat defunctum. Et quidem se utrumque posse docuit, qui et Lazarum defunctum, et seipsum suscitavit occisum.»
@ [Col. 0909D] Hucusque ex Bedae homilia citata.

Postquam Dominus quatriduanum mortuum suscitavit, [Col. 0909B] stupentibus Judaeis, et aliis eorum videndo credentibus, aliis invidendo pereuntibus, discubuit in domo Jesus recumbente quoque Lazaro, qui fuerat a morte suscitatus: post unguentum diffusum super pedes ejus, unde domus odore completa est, de quibus in superioribus, quantum potuimus, tractavimus; nunc videndum est, quid ante Domini passionem gestum est. Dicit enim Evangelista:

CAPUT XXIX.

Turba cum ramis palmarum occurrens, clamat, Osanna. Ipse vero super pullum sedit, Pharisaeis dicentibus: Totus mundus post eum abit.

VERS. 12, 13.---*In crastinum autem turba multa, quae convenerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Jesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum,* [Col. 0909C] et processerunt obviam ei, et clamabant: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. «
@ [Col. 0910D] Ex S. Aug., tract. LI, num. 2-13. Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, et trophaeo crucis diabolum mortis principem [*Ms.,* de diabolo . . . principe] triumphaturus.» *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Notandum sane quod *Osanna verbum Hebraicum, compositum est ex duobus, corrupto et integro. Salva* namque sive *salvifica apud eos dicitur* [*Osi.* At vero *anna*] interjectio est deprecantis, quomodo apud Latinos interjectio est dolentis, *heu! et interjectio* admirantis, *papae! Denique in Psalmo,* ubi LXX interpretes transtulerunt, *o Domine,* salvum me fac, in Hebraeo scriptum est, *Anna, Adonai,* Osanna [Col. 0909D] [Ms., *Osianna*], quod interpres noster Hieronymus diligentius elucidans transtulit: *Obsecro, Domine, salva, obsecro.* Idem namque significat, *o Domine,* per interjectionem obsecrantis, quod, *obsecro, Domine, per ipsum verbum obsecrationis. Osanna itaque, salva,* obsecro, significat, consumpta littera *i vocali, quae verbum prius terminat,* cum perfecte dicitur *osi, per virtutem litterae vocalis Aleph,* a qua verbum sequens incipit *anna, quod metrici in versibus scandendis synalepham vocant:* quamvis [illi] scriptam litteram scandentes transiliant. In hoc autem verbo *Osanna, iota littera, nec saltem* [*Ms.,* saltim] [Col. 0910A] scribatur, sed sensu loquentium salvo funditus intermittatur.

Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.«Sic accipiendum est ut *in nomine Domini in nomine Dei Patris intelligatur, quamvis possit intelligi etiam in nomine suo, quia et ipse est Dominus.* Unde alibi scriptum est: *Pluit Dominus a Domino* **(Gen. XIX, 24)**. Verba ejus melius nostrum dirigunt intellectum, qui ait: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me.* Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis **(Joan. V, 43)**. Humilitatis enim magister est Christus, qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* **(Philip. II, 8)**. Non itaque {582} amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem. In illa Patri est aequalis, [Col. 0910B] in hac nobis similis; per quod Patri est aequalis, nos ut essemus, creavit; per quod nobis est similis, ne periremus, redemit. Has ei laudes turba dicebat: *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* Quam vocem mentis invidentia principes Judaeorum perpeti non poterant [*Aug.,* quam crucem mentis invidentia principum Judaeorum perpeti poterat], quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat. Sed quid fuit Domino regem esse Israel? Quid magnum fuit regi saeculorum, regem fieri hominum? Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum; vel ferro exercitum armandum hostesque debellandos: sed rex Israel, quod mentem regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum coelorum credentes, sperantes, amantesque [Col. 0910C] perducat. Dei ergo Filius aequalis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio; miserationis indicium est, non potestatis augmentum; qui enim appellatus est rex Judaeorum, in coelis est Dominus angelorum. **(VERS. 14.)** *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum.* Hic breviter dictum est; nam

quemadmodum sit factum, apud alios evangelistas plenissime legitur. Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareret quod maligni principes Judaeorum eum non intelligebant, in quo implebantur quae legebant: *Invenit ergo Jesus asellum, et sedit super eum.*

VERS. 15.---*Sicut scriptum est:* Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum asinae [Col. 0910D] **(Zach. IX, 9)**. Haec filia Sion, cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus quae vocem pastoris audiebant; in illa erat multitudine quae Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat. Ei dictum est: *Noli timere;* illum agnosce, qui ecce [*Ms.,* qui a te] laudatur; et noli trepidare cum patitur, quia ille sanguis fundetur per quem tuum delictum deleatur et vita redimatur [*Aug.,* reddatur]. Sed pullum asinae, in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenitur) intelligimus populum gentium, qui legem Domini non acceperat; asinam vero (quia utrumque jumentum Domino adductum [Col. 0911A] est), plebem ejus, quae veniebat ex populo Israel, non indomita tamen, sed quae praesepe Domini agnovit. **(VERS. 16.)** *Haec non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est Jesus.* Id est, quando virtutem suae resurrectionis ostendit. *Tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo.* Recolentes quippe secundum Scripturam, quae ante passionem vel in Domini passione completa sunt, ibi et hoc invenerunt, ut secundum eloquia prophetarum in pullo asinae sederet.

VERS. 17-19.---*Testimonium ergo perhibebat turba quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis.* Propterea et obviam venit ei turba, qui audierunt, eum fecisse hoc signum. Pharisaei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis, [Col. 0911B] quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit. Turba turbavit turbam. Quid autem invides, caeca turba, quia post eum vadit mundus, per quem factus est mundus?

CAPUT XXX.

Nuntiatus gentibus eum videre volentibus, horam suae clarificationis esse dicit, et granum frumenti mortuum multum fructum pronuntiat allaturum. Ministrantem quoque sibi honorificandum promittit.

VERS. 20-22.---*Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.* Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erant a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum dicentes: Domine, volumus Jesum videre. Venit autem Philippus, et dicit Andraeae. Andreas rursus et Philippus dixerunt Jesu. Videamus [Col. 0911C] quid Dominus ad ista responderit. Ecce voluerunt eum Judaei occidere, gentiles videre: sed etiam illi ex Judaeis erant, qui clamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* Ecce illi ex circumcisione, illi ex praeputio, velut parietes de diverso venientes, et in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes. Audiamus ergo vocem lapidis angularis. **(VERS. 23.)** *Jesus* autem, inquit, *respondit eis dicens:* Venit {583} *hora, ut clarificetur Filius hominis.* Hic quisquam forsitan putat ideo se dixisse glorificatum, quia gentiles eum volebant videre. Non ita est: sed videbat ipsos [*Ms.,* ipse] gentiles

post passionem et resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros; quia, sicut dicit Apostolus: *Caecitas ex parte Israel facta est,* donec plenitudo gentium intraret [Col. 0911D] **(Rom. XI, 25)**. Ex occasione igitur istorum gentilium qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem gentium, et promittit jam jamque adesse horam glorificationis suae, qua facta in coelis, gentes fuerant crediturae. Unde praedictum est: *Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloriam tuam* **(Psal. CVII, 7)**. Haec est gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus: *Caecitas ex parte Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret.* Sed altitudinem glorificationis oportuit ut praecederet humilitas passionis. Ideo secutus adjunxit: (VERS. 24, 25) *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Se autem dicebat [Col. 0912A] ipsum esse granum mortificandum et multiplicandum: mortificandum infidelitate Judaeorum, multiplicandum fide omnium populorum. Jam vero exhortans ad passionis suae sectanda vestigia, *Qui amat,* inquit, *animam suam, perdet eam.* Quod duobus modis intelligi potest: *Qui amat, perdet, id est, si amas, perdes* [*Ms.* et Aug., perde]: si cupis vitam tenere in Christo, noli timere mori pro Christo. Item alio modo: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita. Hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur evangelicus sensus; sequitur enim: *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Ergo quod supra dictum est: *Qui amat, subintelligitur, in hoc mundo;* ipse itaque [*Aug.,* utique] [Col. 0912B] perdet: *Qui autem odit, utique in hoc mundo, in vitam aeternam ipse custodit eam.* Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat! Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.» Hic animae nomine vita praesens designatur; vel etiam hujus vitae delectatio, quae perdenda est ut feliciter invenias voluntatem tuam in regno Dei, quam fortiter vicisti in hoc saeculo. Nam sancti martyres odio habuerunt hanc praesentem vitam pro Christi nomine, dum magis voluerunt hanc praesentem vitam perdere, quam Christum negare, implentes quod sequitur:

VERS. 26.---*Si quis mihi ministrat, me sequatur.* «Quid est, *me sequatur, nisi me imitetur? Christus* [Col. 0912C] enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus **(I Petr. II, 21)**. Ecce quod dictum est: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Quo fructu, qua mercede, quo praemio? *Et* ubi sum, inquit, *ego, illic et minister meus erit.*» Merces est amoris, et operis pretium, quo ministratur Christo, esse cum illo cui ministrat. «Ubi enim bene erit sine illo? Aut quomodo [*Aug.,* aut quando] [male] esse poterit cum illo? Audi evidentius: *Et si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus? Quod enim superius ait: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit:* hoc intelligitur exposuisse, cum dicit: *Honorificabit eum Pater meus.* Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, [Col. 0912D] quam ut sit ubi est unicus; non aequalis factus divinitati, sed consociatus [*Ms.,* consocius] aeternitati? Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta promittitur, considerandum est: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, hoc intelligi voluit, ac si diceret:* Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Jesu Christo qui non sua quaerunt, sed quae Jesu Christi **(Philip. II, 21)**. Hoc enim est, *me sequatur, vias ambulet meas, non suas:* sicut alibi scriptum est: *Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse*

ambulare **(I Joan. II, 6)**. Etiam si porrigit esurienti panem, de misericordia facere debet, non de jactantia non aliud ibi quaeret quam opus bonum, nesciente [Col. 0913A] sinistra quid faciat dextera **(Matth. VI, 3)**, id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Illi dicitur: *Cum uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti* **(Matth. XXV, 40)**. Nec ea tantum quae ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia opera propter Christum faciens, (tunc erunt bona, quoniam finis legis Christus ad justitiam omni credenti [Rom. X, 4]) {584} credens [*Aug.* om., credens] minister est Christi usque ad illud opus magnae charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere; hoc est enim, et pro Christo ponere: quia et hoc propter sua membra dicturus est: Cum pro istis fecistis, pro me fecistis. De tali quippe opere etiam se ministrum facere, et appellare dignatus est, ubi ait: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare,* et animam suam ponere pro [Col. 0913B] multis **(Matth. XX, 28)**. Hinc ergo est unusquisque minister Christi, unde est et minister Christus. Sic ministrantem Christo honorificat Pater ejus, honore illo magno, ut sit cum Filio ejus, nec unquam deficiat fides ejus [*Aug.,* felicitas ejus].» Communiter vero de omnibus ait: *Si quis mihi ministrat;* omnis enim quicunque bene agit, Christo ministrat. «Unde unusquisque pro modulo suo ministret Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus potuerit praedicando.» Qui vero bene viventes exhortatur ut permaneant in bene vivendo, ministrat Christo; qui vero humiliter admonenti se obedit, ministrat Christo; et qui fideliter in hoc saeculo ministrat Christo, feliciter in futuro saeculo regnabit cum Christo.

[Col. 0913C] Cum Dominus Jesus praedixisset in grano frumenti [*Ms.,* sinapis] passionem suam, et suos hortaretur ministros ut sequerentur eum, ad nostram rursum infirmitatem suum temperavit affectum, et ait:

CAPUT XXXI.

Animam suam turbatam esse dicenti, et clarificari se a Patre poscenti vox de coelo ait: Et clarificavi, et iterum clarificabo. *Post haec multa prosequitur, inter quae se non ad judicandum, sed ad salvandum mundum venisse testatur.*

VERS. 27.---*Nunc anima mea turbata est.* Unde turbata est, Domine Jesu, anima tua? Nunquid non ideo animam accepisti, et hominem perfectum, ut patereris in eo? Video te, Domine, nostram infirmitatem [Col. 0913D] in te transferre et in te causam suscipere nostram. Ideo turbatus es, quia voluisti; sicut natus fuisti, quia voluisti. Nam paulo ante de te dictum est, ubi Lazarum suscitasti: *Turbavit semetipsum.* Nam his verbis ab infirmitate nostra rapuit nos ad infirmitatem suam. Vox est enim fortitudinis Domini, ubi ait: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis:* vox est enim infirmitatis nostrae, dum ait: *Nunc anima mea turbata est.* «
@ [Col. 0913D] Ex S. Aug., tract. LII, num. 2-14. O Domine mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam. Nam quod tu tantus, tuae charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui suae [Col. 0914A] infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris. Audi ergo, o miles Christi, quid deinde subjungat, cum dixisset: *Nunc anima mea turbata est.* Et quid dicam, inquit? *Pater*

salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc: Pater, clarifica tuum nomen. Docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, in quo speres, cujus voluntatem certam atque divinam tuae voluntati humanae, infirmaeque proponas [*Aug.,* praeponas]. Non ideo tibi videatur ex alto deficere, quia te vult ab imo prospicere [*Aug.,* proficere]? Nam et tentari dignatus est a diabolo, a quo utique, si nollet, non tentaretur: et ea respondit diabolo, quae tu in tentationibus debeas respondere. Et ille quidem tentatus est, sed non periclitatus: ut doceret te in tentatione [Col. 0914B] periclitantem, tentatori respondentem, et post tentationem non ire [*Ms.* et Aug., respondere et post tentatorem non ire], sed a periculo tentationis exire. Sicut autem hic dixit: *Nunc anima mea turbata est, ita etiam ibi dicit: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic contristatum et conturbatum, quod sequitur dicere. *Verumtamen, non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* **(Matth. XXVI, 38, 39)**. Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanae voluntas divina praeponitur. Quid est autem, *clarifica tuum nomen, nisi in sua passione et resurrectione? Quid est ergo aliud, nisi ut Pater clarificet Filium, qui clarificat nomen suum,* etiam in similibus [Col. 0914C] {585} passionibus servorum suorum? **(VERS. 28.)** *Venit ergo vox de coelo dicens:* Et clarificavi, et iterum clarificabo. Et clarificavi, antequam facerem mundum; *et iterum clarificabo, surgentem a mortuis et ascendentem in coelum.* Et aliter intelligi potest: *Et clarificavi, cum de virgine natus est, cum de coelo indice stella a magis adoratus est, cum a sanctis sancto Spiritu plenis agnitus est, cum descendente Spiritu in specie columbae declaratus, cum voce de coelo sonante monstratus, cum in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum multos sanavit atque mundavit, cum de paucissimis panibus tantam multitudinem pavit, cum ventis et fluctibus imperavit, cum mortuos suscitavit. Et iterum clarificabo, cum resurget a mortuis,* cum mors ei ultra [Col. 0914D] non dominabitur, cum exaltabitur super coelos Deus, et super omnem terram gloria ejus. (VERS. 29, 30.) *Turba ergo quae stabat et audiebat, dicebat tonitruum esse factum:* alii dicebant, angelus ei locutus est. Respondit Jesus et dixit: Non propter me vox haec venit, sed propter vos. Hic ostendit illa voce non sibi indicatum quod jam sciebat, sed eis quibus indicari oportebat. Sicut autem illa vox non propter eum, sed propter illos a divinitate facta est: sic anima ejus non propter eum, sed propter alios voluntate turbata est.»

VERS. 31.---*Nunc judicium est mundi.* Non enim [Col. 0915A] de futuro judicio hoc dictum esse putemus quod in fine mundi futurum est, ubi boni et mali separabuntur aeterna divisione, sed de judicio quod quotidie in sancta Dei Ecclesia solet esse. «Possidebat ergo diabolus genus humanum, et reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum; dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam deserto creatore, deceptos captivosque trahebat: per Christi autem fidem quae morte ejus et resurrectione firmata est, per ejus sanguinem qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium a dominatu diaboli liberantur, Christi corpori copulantur, et sub tanto capite uno ejus spiritu debilia [*Aug.,* fidelia] membra vegetantur. Hoc vocabat judicium, hanc discretionem, hanc a suis redemptis diaboli expulsionem. [Col. 0915B] Denique attende, quid dicat, quasi quaereremus quid esset quod ait: *Nunc judicium est mundi, secutus exposuit, ait enim: Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Audivimus quale dixerit esse judicium. Non ergo illud quod in fine venturum est, ubi vivi et mortui judicandi

sunt, aliis ad sinistram, aliis ad dexteram separatis: sed judicium quo princeps hujus mundi ejicietur foras. Quomodo ergo intus erat? Quo eum dixit ejiciendum foras? *Nunc,* inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras;* hoc intelligendum est quod nunc fit, non quod tantum [*Aug.,* tanto] post futurum est in novissimo die. Praevidebat [*Aug.,* praedicebat] ergo Dominus quod sciebat, post passionem et glorificationem suam per universum mundum multos populos credituros, in [Col. 0915C] quorum cordibus diabolus intus erat; cui quando ex fide renuntiant, ejicietur foras. Sed dicit aliquis: Nunquid de cordibus patriarcharum et prophetarum, veterumque justorum non est ejectus [foras? Ejectus] est plane. Quomodo ergo dictum est, *Nunc ejicietur foras? Quomodo putamus, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis jam futurum esse praedictum est? Sicut illud quod dictum est: Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* **(Joan. VII, 39)**, potest similem habere quaestionem et similem solutionem. Non enim sine Spiritu sancto futura praenuntiaverunt prophetae; aut non etiam Dominum infantem in Spiritu sancto Simeon senex et Anna vidua cognoverunt; et Zacharias [Col. 0915D] et Elisabeth, qui de illo nondum nato, sed jam concepto tanta per Spiritum sanctum praedixerunt. Sed Spiritus nondum erat datus, id est, illa abundantia gratiae spiritalis, qua congregati linguis omnium loquerentur, ac si in linguis omnium gentium futura praenuntiaretur Ecclesia, qua gratia spiritali populi congregarentur, qua longe lateque peccata dimitterentur, et millia millium Deo reconciliarentur. Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus de credentium cordibus ejicitur foras, jam fidelium neminem tentat? Imo vero tentare non cessat. Sed aliud est intrinsecus regnare, aliud est forinsecus oppugnare; aliud est vulnerare, aliud occidere. Sed si vulnerat, adest qui sanat. Quia sicut {586} pugnantibus dictum [Col. 0916A] est: *Haec scribo vobis, ut non peccetis;* ita qui vulnenerantur, quod sequitur, audiunt: *Et si peccaveritis, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, ipse est propitiatio peccatorum nostrorum* (I Joan II, 1). Quid enim oramus, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* **(Matth. VI, 12)**, nisi ut vulnera nostra sanentur? Et quid aliud petimus, cum dicimus: *Et ne nos inferas in tentationem, nisi ut ille qui insidiatur, vel certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude decipiat, nullis nos subvertat machinis? Quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est foras.* Sed, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat, qui custodit eam* **(Psal. CXXVI, 1)**. Nolite ergo de vobis ipsis praesumere, si non vultis foras ejectum diabolum [Col. 0916B] intro iterum revocare. Absit autem ut diabolum mundi principem ita dictum existimemus, ut eum coelo et terrae dominari posse credamus. Sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto terrarum orbe diffusi sunt: sicut appellatur domus in his a quibus habitatur, secundum quod dicimus: Bona domus est, vel mala domus est; non quando reprehendimus, sive laudamus aedificium parietum atque tectorum; sed quando mores vel bonorum hominum vel malorum. Sic ergo dictum est, *princeps hujus mundi, id est, princeps malorum hominum* [*Aug.,* malorum omnium], qui habitant in mundo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter toto terrarum orbe diffusi sunt: inde dicit Apostolus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II Cor. [Col. 0916C] V, 19). Hi sunt ex quorum cordibus princeps mundi ejicitur foras. Cum ergo dixisset: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras:*

VERS. 32.---*Et* ego, inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham post me.* Quae

omnia, nisi ex quibus ille ejicitur foras? Non autem dixit omnes, sed *omnia;* non enim omnium est fides **(II Thess. III, 2)**. Non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturae integritatem, id est, spiritum et animam et corpus; et illud quod [*Aug.,* quo] intelligimus, et illud quod [*Aug.,* quo] videmus, et illud quod [*Aug.,* quo] visibiles et contractabiles sumus. Qui enim dixit: *Capillus capitis vestri non peribit* **(Luc. XXI, 18)**, omnia trahit post se. Aut si *omnia* [Col. 0916D] ipsi homines intelligendi sunt, omnia praedestinata ad salutem possumus dicere: ex quibus omnibus, ait, nihil esse periturum, cum supra de suis ovibus loqueretur **(Joan. X, 28)**. Aut certe omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in aetatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnium, sive in diversitatibus ingeniorum omnibus, sive in artium licitarum et utilium professionibus omnibus, et quidquid aliud dici potest, secundum innumerabiles differentias quibus inter se, praeter sola peccata, homines distant, ab excelsissimis usque ad humillimos, a rege usque ad mendicum: *Omnia,* inquit, *traham post me, ut sit caput eorum, et illa membra ejus. Sed si exaltatus,* inquit, *fuero a terra, hoc est, cum exaltatus fuero:* non enim dubitat futurum esse quod venit implere. [Col. 0917A] Hoc refertur ad illud, quo superius ait: *Si autem mortuum fuerit granum, multum fructum affert* **(Joan. XII, 24)**. Nam exaltationem suam quid aliud dixit, quam in cruce passionem? Quod et ipse evangelista non tacuit; subjunxit enim, et ait: (VERS. 33, 34.) *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum, et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? Memoriter tenuerunt quod Dominus dicebat assidue Filium hominis se esse. Nam hoc loco non ait: si exaltatus fuerit a terra Filius hominis: sed sicut superius dixerat, quando nuntiati sunt gentiles illi, qui eum videre cupiebant: *Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.* Hoc itaque isti animo retinentes, [Col. 0917B] et quod nunc ait: *Cum exaltatus fuero a terra, mortem crucis intelligentes, quaesierunt ab illo, et dixerunt: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum:* et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Si enim Christus est, inquiunt, manet in aeternum: si manet in aeternum, quomodo exaltabitur a terra? Id est, quomodo crucis passione morietur? Hoc enim eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia. **(VERS. 35.)** *Dixit ergo eis Jesus:* Adhuc modicum lumen in vobis est. Hinc est, quod intelligitis [*Ms.,* intelligetis], quod Christus manet in aeternum. *Ergo ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant.* [Col. 0917C] Ambulate, accedite, totum {587} intelligite, et moriturum Christum et victurum in aeternum; et sanguinem fusurum quo redimat, et ascensurum in sublimia quo perducat. Tenebrae autem vos comprehendent, si eo modo credideritis Christi aeternitatem, ut negetis in eo mortis humilitatem. *Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Sic potest offendere in lapidem offensionis, et petram scandali, quod fuit Dominus caecis Judaeis **(I Petr. II, 8)**; sicut credentibus lapis quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli **(Psal. CXVII, 22)**. Hinc indignati sunt credere in Christum, quia eorum impietas contempsit mortuum, risit occisum: et ipsa erat mors grani multiplicandi, et exaltatio trahentis post se omnia.

[Col. 0917D] VERS. 36.---*Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Cum aliquid veri auditum habetis, credite in veritatem, ut renascamini in veritate. *Haec locutus est Jesus, et abscondit se ab eis.* Non ab eis qui credere et diligere coeperant;

non ab eis qui cum ramis palmarum et laudibus obviam venerant; sed ab eis qui videbant et invidebant, quia nec videbant, sed in lapidem illum caecati [*Aug.,* caecitate] offendebant. Cum autem se abscondisset Jesus ab eis qui illum occidere cupiebant, (quod saepe propter oblivionem commonendi estis), nostrae infirmitati consuluit, non suae potestati derogavit.»

[Col. 0918A] Praenuntiata Dominus Christus passione sua in exaltatione crucis (quod Judaei intelligentes, quaestionem proposuerunt quomodo diceret se esse moriturum, cum ex lege audierint, quod Christus manet in aeternum), deinde intulit evangelista, et ait: (VERS. 37, 38) *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est **(Isai. LIII, 1)**? *Quis, pro raritate posuit, quia quod sancti prophetae a Deo audierunt et populo praedicaverunt, paucissimi crediderunt.* In eo quod ait, *Brachium Domini cui revelatum est? «*
@ [Col. 0917D] Ex S. Aug., tract. LIII, num. 2-13. ubi satis ostendit brachium Domini, ipsum Dei Filium nuncupatum; non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanae, [Col. 0918B] eique Filius tanquam membrum corporis haereat, sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictus est. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est Deus mundum. Cur enim homo brachium, ut aliquid operetur, extendit, nisi quia non continuo fit quod dixerit? Si autem tanta potestate praevaleret, ut sine ullo corporis motu sui quod diceret, fieret, brachium ejus esset verbum ejus. Sed Dominus Jesus Dei Patris unigenitus Filius, sicut non est paterni corporis membrum, ita non est cogitabile, vel sonabile ac transitorium verbum: quia cum omnia per ipsum facta sunt, Deus erat Verbum [*Aug.,* Dei Verbum erat].» Quem evangelista Verbum nominavit esse apud Deum, hunc [Col. 0918C] propheta brachium Domini nominavit. Dum brachium Domini audiamus, Dei virtutem, et Dei sapientiam Christum agnoscamus, per quem facta sunt omnia. *Omnia enim in sapientia fecisti* **(Psal. CIII, 24)**, dicit Psalmista. «Non est enim ipse qui Pater, sed unum sunt ipse et Pater, et aequalis Patri, ubique totus. Hic quaestio difficilis oritur quid fecissent Judaei mali; vel quae culpa illorum esset, ut non crederent, si necesse erat *ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit:* Domine quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Cui quaestioni respondemus, Dominum praescium futurorum per prophetam praedixisse infidelitatem Judaeorum: praedixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia [Col. 0918D] futura hominum peccata jam novit. Ipsorum enim praescivit peccata, non sua; non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea, quae ille praescivit, ipsorum non sunt, ipsorum non vera praescivit
@ [Col. 0917D] Apud Augustinum haec verba ita interpunguntur: [Col. 0918D] «Quapropter si ea, quae ille praescivit ipsorum, non sunt ipsorum, non vere ille praescivit.». Sed quia illius praescientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccatores [*Aug.,* peccaturos] esse praescivit. Fecerunt ergo peccatum Judaei, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet: sed facturos esse praedixit, quem nihil latet. Sed ea quae sequuntur Evangelii verba plus urgent, et profundiorem quaestionem faciunt. Dicitur enim {588} hic, quasi causa sit Deus [Col. 0919A] incredulitatis illorum, qui illorum oculos excaecavit et cor induravit. Hoc omnino de Deo dicitur, non de diabolo. Sed causa quaerenda est cur propheta dixisset hoc Deum fecisse: quam eo donante

quantum poterimus, exponemus. Non poterant credere, quia hoc propheta praedixit: [hoc autem propheta praedixit], quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo: Quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per prophetam praenuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt: et hanc excaecationem vel indurationem malam eorum meruisse voluntatem [*Ms.,* mala . . . . voluntate]. Sic enim excaecat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando, quod occulto nobis judicio facit, sed nunquam [Col. 0919B] injusto. Cum ergo Apostolus hanc ipsam difficillimam quaestionem tractaret, ait: *Nunquid iniquitas est apud Deum* **(Rom. IX, 14)**? Absit. Si ergo absit ut sit iniquitas apud Deum, sive quando adjuvat, misericorditer facit; sive quando non adjuvat, juste facit; quia omnia non temeritate, sed justo judicio facit. Porro si judicia sanctorum justa sunt, quanto magis sanctificantis et justificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quaestiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, et alius sic judicetur; quare ille Deo deserente excaecetur, ille Deo adjuvante illuminetur: non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam inscrutabilia* [Col. 0919C] sunt judicia ejus, et investigabiles viae ipsius **(Rom. XII, 33)**! De talibus vero quaestionibus vel judiciis Dei, admonentem audiamus Scripturam atque dicentem: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne perscrutatus fueris* **(Eccle. III, 22)**. Perveniamus ergo in viam fidei, hanc perseverantissime teneamus: ipsa perducit ad cubiculum regis, in quo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi. Non enim Dominus ipse Jesus Christus suis illis magnis et praecipue electis discipulis invidebat, quando dicebat: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* **(Joan. XVI, 12)**. Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum, quas capere modo non possumus. Quod si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discemus, [Col. 0919D] quod hic non potuimus. Non itaque mirum est quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere [*Ms.,* vellent statuere], sicut de illis dicit Apostolus, justitiae Dei non essent subjecti **(Rom. X, 3)**. Quia enim non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt: ipso suo tumore caecati, offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est, *non poterant credere, ubi intelligendum est, quod nolebant:* quemadmodum dictum est de Domino Deo: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* **(II Tim. II, 13)**. Sicut laus est voluntatis divinae [quod illos salvos fieri voluit], ita quod illi [Col. 0920A] non poterant credere, culpa est voluntatis humanae. Hoc de Judaeis qui excaecati et indurati sunt, Deus praescivit, atque in ejus spiritu propheta praedixit. Quod vero addidit: *Et convertantur, et sanem eos, utrum subaudiendum sit* [*Aug.* add., non], id est, non convertantur, connexa desuper sententia, ubi dictum est, *Ut non videant oculis, et intelligant corde:* quia et hic utique dictum est, ut non intelligant; et ipsa enim conversio de illius gratia est, cui dicitur: *Deus virtutum converte nos* **(Psal. LXXIX, 4)**. An forte et hoc de supernae medicinae misericordia factum intelligendum est, quoniam perversae et superbae voluntatis erant, et justitiam suam constituere volebant, ob hoc [*Ms.,* ad hoc] desererentur, ut caecarentur; ad hoc excaecarentur, ut offenderent in lapidem offensionis, [Col. 0920B] et implerentur facies eorum ignominia: ita humiliati quaererent nomen Domini, et non suam justitiam qua inflatur superbus: sed justitiam Dei qua justificatur impius? Hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de suo scelere compuncti, in Christum postea crediderunt, pro quibus et ipse oraverat, dicens:

Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt **(Luc. XXIII, 34)**.» Sequitur:

VERS. 42, 43.---*Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur:* dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. «Videte quemadmodum notaverit evangelista et improbaverit [quosdam] quos tamen in eum dixit credidisse: qui in hoc {589} ingressu fidei si proficerent, [Col. 0920C] amorem quoque humanae gloriae proficiendo superarent, quem superaverat Apostolus dicens: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* **(Galat. VI, 14)**. Ad hoc enim et ipse Dominus crucem suam, ubi eum dementia superbae impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent, frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiae, ut de nomine ejus fides non erubescat, et magis Dei gloriam, quam hominum diligant.»

«

@ [Col. 0919D] Ex S. Augustino, tract. LIV, num. 1-8. Loquente Domino Jesu Christo apud Judaeos, et tanta miraculorum signa faciente, quidam crediderunt, praedestinati in vitam aeternam, quos etiam vocavit oves suas; quidam vero non crediderunt, nec poterant credere, eo quod occulto nec tamen injusto [Col. 0920D] judicio Dei fuerant excaecati;» alii vero palam credentes, et cum ramis palmarum occurrentes; alii vero occulte credentes, sed propter Pharisaeos non confitentes, quos evangelista notavit, cum dixit: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Gloria Dei est publice confiteri Christum, sicut martyres sancti fecerunt, de quibus alio in loco ipse Dominus ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* **(Matth. X, 32)**. Qui confitetur Christum in confessione laudis, confitebitur, id est laudabitur a Christo coram Deo Patre. His ita se habentibus, et sua jam propinquante passione.

[Col. 0921A] VERS. 44, 45.---*Jesus clamavit et dixit:* Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me; et qui videt me, videt eum qui me misit. «Jam dixerat quodam loco: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* **(Joan. VII, 16)**. Ubi intelleximus eum doctrinam suam dixisse Verbum Patris, quod est ipse; et hoc significasse dicendo: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui me misit, quod a seipso ipse non esset, sed haberet a quo esset.* Deus enim de Deo, Filius Patris: Pater autem non Deus de Deo, sed Deus Pater Filii. Nunc autem, quod ait: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me, quomodo intellecturi sumus, nisi quia homo apparebat hominibus, cum lateret Deus? Et ne putarent hoc eum esse tantummodo quod videbant,* talem ac tantum [Col. 0921B] se volens credi, qualis et quantus est Pater, *qui credit* in me, inquit, *non credit in me, id est quod videt, sed in eum qui misit me, id est in Patrem.* Sed qui credit in Patrem, necesse est ut eum credat Filium habere;» et dum eum Patrem credit aeternum, credat et Filium habere coaeternum sibi, et consubstantialem sibi. Propterea dixit: *Qui credit in me, non credit in me:* nolens ut totum quod de Christo creditur secundum hominem crederetur. Ille bene credit in me qui secundum id quod videt me non tantum credit in me; sed secundum id quod videt me aequalem esse Patri; «ac ne putaretur sic voluisse intelligi Patrem, tanquam patrem multorum filiorum per gratiam regeneratorum, non unici Verbi aequalis sibi, continuo

subjecit: *Et qui videt me,* videt eum qui misit [Col. 0921C] me.» Usque adeo enim nihil distat inter eum et me, ut qui me videt, videat eum qui misit me. Haec visio, intellectualis, non carnalis debet intelligi, quae modo in laude est sanctorum, post resurrectionis ultimae diem in specie [*Ms.,* in re] aeternae beatitudinis erit, de qua alibi ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**. Attendamus caetera.

VERS. 46.---*Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Dixit quodam loco discipulis suis: *Vos estis lumen mundi:* non potest abscondi civitas super montem constituta. Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut [Col. 0921D] videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est **(Matth. V, 14)**. Non tamen dixit: Vos lux venistis in mundum, ut omnis qui credit in vos, in tenebris non maneat. Nusquam hoc legi posse confirmo. Lumina ergo sunt omnes sancti: sed credendo illuminantur ab eo, a quo si quis recesserit, tenebrabitur. Lumen autem illud quod illuminat, a se recedere non potest, quia incommutabile omnino est. Cum autem dicit: *Omnis qui credit in me, in tenebris non manet, satis manifestat omnes se in tenebris invenisse:* sed ne in eis tenebris remaneant in quibus inventi sunt, debent {590} credere in lucem [Col. 0922A] quae venit in hunc mundum, quia per illam factus est mundus.

VERS. 47.---*Et* si quis audierit, inquit, *verba mea, et non custodierit ea, ego non judico eum.* «Audite, quomodo dicit Filius, *ego non judico eum;* cum dicat alio loco: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* **(Joan. V, 22)**, nisi quia intelligendum est, quod sequitur: *Non enim veni, inquit, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum? Nunc ergo tempus est misericordiae, postea erit judicii.* Quia *misericordiam,* inquit, *et judicium cantabo tibi, Domine* **(Psal. C, 1)**. Sed de ipso etiam futuro novissimoque judicio videte quid dicat: **(VERS. 48)** *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in [Col. 0922B] novissimo die. Non ait: Qui spernit me et non accipit verba mea, ego eum non judico in novissimo die.» Venit enim Filius Dei ad salvandum, non ad judicandum. Ideo dixit, non judico eum, id est modo, in praesenti, sed judico eum in novissimo die. «Cum enim dixisset: *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum;* exspectantibus autem quisnam ille esset, secutus adjunxit: *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die, satis manifestavit seipsum judicaturum in novissimo die.* Seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit, seipsum januam posuit, qua ipse ad oves pastor intraret. Aliter itaque judicabuntur qui non audierunt, et aliter qui audierunt et contempserunt. *Qui enim* [Col. 0922C] sine lege peccaverunt, ait Apostolus, *sine lege peribunt;* et qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur **(Rom. II, 12)**. **(VERS. 49.)** *Quia* ego, inquit, *ex me non sum locutus.* Ideo se dicit non locutum ex seipso, quia non est ex seipso.» Jam hoc saepe diximus quod Filius a se non est, sed a Patre; ideo adjunxit: *Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.* Non enim locorum spatio, non syllabarum expressione, non vocali sono Pater Filio loquitur, ut Filius mandatum Patris audiat: sicut filius hominis ab homine audire solet, quid Pater mandet illi. «Sed unicus Filius est Verbum Patris et sapientia Patris: in illo sunt omnia mandata Patris. Neque enim mandatum Patris aliquando Filius nescivit, ut eum necesse esset ex tempore [Col. 0922D] habere quod

accepit, ut nascendo acciperet, dederitque illi Pater gignendo
@ [Col. 0921D] Aug.: «Ut eum necesse esset ex tempore habere, quod antea non habebat. Ita enim a Patre, quod [Col. 0922D] habet accepit, ut nascendo acceperit, dederitque illi gignendo.», quod non haberet: sed eum genuit vitam habentem. Sicut superius ait: *Sicut Pater habet vitam, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, id est genuit Filium, vitam habentem in semetipso:* sic dicit hic, *sicut mandatum dedit mihi Pater.* Et quia aeterna ipsa nativitas, nunquam non fuit Filius, qui est vita: et sicut est vita aeterna, sic est qui natus est, vita aeterna. Ita et mandatum, non quod Filius non habeat, Pater dedit; sed sicut dixi, in sapientia Patris, quod est Verbum Patris, omnia mandata sunt Patris. Sequitur enim:

[Col. 0923A] VERS. 50.---*Et scio, quia mandatum ejus vita aeterna est.* Si ergo vita aeterna est ipse Filius, et vita aeterna est mandatum Patris, quid aliud dictum est quam ego sum mandatum Patris? Proinde et id quod adjungit et dicit: *Quae ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor:* non accipiamus, *dixit mihi, quasi per verba* [*Ms.,* quasi verbo. *Aug.,* quasi Pater verba] locutus sit unico verbo, aut egebat Dei verbis Dei verbum. Dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio: non quod nesciebat, vel non habebat, sed quod ipse Filius erat. Quid est autem: *Sicut dixit mihi, sic loquor, nisi verbum loquor? Ita ille dixit ut verax, ita iste loquitur ut veritas.* Verax autem genuit veritatem. Quid ergo jam diceret veritati? Non enim imperfecta erat veritas, cui verum aliquid adderetur. [Col. 0923B] Dixit ergo veritati, quia genuit veritatem. Porro ipsa veritas sic loquitur, ut ei dictum est: sed intelligentibus, quos docet ut nacta [*Aug.* et al., nata] est. Ut autem crederent homines, quod intelligere nondum [Col. 0924A] valerent, ex ore carnis verba sonuerunt et abierunt transvolantibus sonis; strepuerunt [*Aug.,* transvolantes soni strepuerunt] peractis morulis temporum suorum: sed res ipsae, quarum signa sunt soni, tractae quodammodo in eorum memoriam qui audierunt, etiam ad nos per litteras, quae visibilia signa sunt, pervenerunt. {591} Non sic loquitur veritas: intelligentibus mentibus intus loquitur, sine sono instruit, intelligibili voce perfundit. Qui ergo potest in ea videre nativitatis ejus aeternitatem, ipse illam sic audit loquentem, sicut ei dixit Pater, quod loqueretur. Excitavit nos ad magnum desiderium interioris dulcedinis suae: sed crescendo capiamus, ambulando crescamus, proficiendo ambulemus, ut pervenire possimus» per seipsum ad seipsum, seipso docente [Col. 0924B] nos et promittente nobis: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Via quaerentibus, veritas invenientibus, vita permanentibus.

LIBER SEXTUS.

[Col. 0923B] Charissimae in Christo sorori Gislae [*Al.,* Gislanae], et filiae Deo votae Columbae, humilis levita Alcuinus salutem
@ [Col. 0923D] De hac epistola et de tempore quo scripta est, recole quae diximus in monito his commentariis praemisso. [Col. 0924D] Hanc non habet cod. ms. S. Emmeramni..

Ad solatium sanctitatis vestrae hunc libellum direxi, [Col. 0923C] comatico sermone dictatum, ut eum habeatis his diebus, ad exercendam in eo vestram sanctam devotionem: quia optimum est in tali studio hos sanctissimos peragere dies, et maxime in beati Joannis evangelistae Evangelio, in quo sunt altiora mysteria Divinitatis; illius

quoque Evangelii sanctissima verba Domini nostri Jesu Christi, quae locutus est ea nocte qua tradi voluit pro mundi salute. Totius forsitan Evangelii expositionem direxi [direxissem] vobis, si me non occupasset domini regis praeceptum in emendatione Veteris Novique Testamenti. Tamen, Deo auxiliante, et vita comite, coeptum opus secundum opportunitatem temporis explevero, vestroque nomini consummatum dedicavero. Nunc vero in [Col. 0923D] praesenti deprecor ut nostri nominis habeatis memoriam in sanctisacris [*Forte, sacrosanctis*] orationibus vestris; et hoc tempus sanctissimum in servitio sanctitatis, et religione castissimae vitae, et in lectionis studio prospere peragatis, quatenus ad sanctum Pascha pervenientes, condignis laudibus resurrectionem Domini nostri celebrare valeatis. Opto vos semper valere, et in omni pietatis exercitio florere, charissimae dominae.

CAPUT XXXII.

Surgens a coena lavit pedes discipulorum, exemplum se dedisse dicens, ut ipsi conservis faciant, quod omnium Dominum fecisse probantur.

CAPUT XIII, VERS. 1.

---*Ante diem autem festum* [Col. 0924B] Paschae, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. «
@ [Col. 0924D] Ex S. Aug., tract. LV, num. 1-7. Pascha, fratres, non sicut quidam existimant Graecum nomen est, sed Hebraeum. Pascha transitus dicitur in sua lingua, [Col. 0924C] propterea quia tunc primum Pascha celebravit populus Dei, quando ex Aegypto fugientes Rubrum mare transierunt **(Exod. XIV, 29)**.» Quae figura in Christo secundum veritatem impleta est, dum per passionem crucis transiret ex hoc mundo ad Patrem. Ita nobis transeundum est ab hoc mundo ad Patrem, a temporalibus ad aeterna, ab iniquitate ad justitiam, a deceptore diabolo ad salvatorem Christum. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos.* «Utique ut et ipsi de hoc mundo, ubi erant, ad suum caput, quod hinc transiisset, {592} ejus dilectione transirent:» *In* finem, id est in aeternum, *dilexit eos.* «Vel *in finem, in Christum, quia finis legis Christus est.* **(VERS. 2.)** *Et coena jam facta.* Non ita [Col. 0924D] debemus intelligere coenam factam, veluti jam consumptam [*Aug.,* consummatam] atque transactam: adhuc enim coenabatur, cum Dominus surrexit et pedes lavit discipulis suis. Nam postea recubuit, et buccellam suo traditori dedit. Coena ergo facta, dictum est [*Ms.,* coena ergo dicta est], jam parata,» convivantibus discipulis cum magistro. *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simon Scariothis.* «Si quaeris quid missum sit in cor Judae? Hoc utique, *ut traderet eum.* Missio ista spiritalis suggestio est:» non in aures corporalibus sonis, sed in cor consentientis iniqua; sicut enim bonas cogitationes benignus Spiritus immittit, sic etiam malas cogitationes malignus spiritus suggerit. «Sed interest, [Col. 0925A] quibusnam earum mens humana consentiat, divino auxilio vel deserta per meritum, vel adjuta per gratiam.» Sine fide proditor iste venit ad convivium, non credens Deum esse, quem tradere cogitabat. «Videbatur et tolerabatur: in eo quem falli putabat, fallebatur;» cujus malitia bonitas Dei utebatur ad salutem aliorum.

VERS. 3.---«*Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ergo et ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non utique illo uteretur ut vellet. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter utebatur inimicis. *Sciens etiam quia a Deo exivit, et ad Deum vadit:* nec Deum, cum inde exiret; nec nos deserens, cum rediret. **(VERS. 4.)** *Surgit a coena, et ponit vestimenta sua.* Locuturus [Col. 0925B] evangelista de tanta Domini humilitate, prius ejus celsitudinem voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Cum ergo ei omnia dedisset Pater in manus, non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium. Tanta est quippe humanae humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas.» *Surgit a coena, descendit de coelestibus; posuit vestimenta sua, id est semetipsum exinanivit.* **(VERS. 5.)** *Cum accepisset linteum, praecinxit se, formam servi induens. Mittit aquam in pelvem, id est, fudit sanguinem suum in terram, ut mundaret in se credentium vestigia, quae terrenis peccatis sordida fuerant;* et extergeret linteo quo erat praecinctus, id est corporis sui linteo quo erat praecinctus, purgaret: [Col. 0925C] quia tota illa ejus passio, nostra est purgatio. Dum formam servi accepit, non quod habebat dimisit, sed quod non habebat assumpsit.

VERS. 6.---*Venit ergo ad Simonem Petrum.* «
@ [Col. 0925D] Ex S. Aug., tract. LVI, num. 1-4. Non ita intelligendum est, quasi aliorum pedibus lavatis, venisset ad primum apostolorum, sed quia inde primum coepit.» Ideo expavescit Petrus, ut Dei Filius pedes ei lavaret, Dominus servo, Deus homini. «Quando ergo pedes discipulorum lavare coepit, venit ad eum a quo coepit, id est ad Petrum: et tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expavisset, expavit atque ait: *Domine, tu mihi lavas pedes?» Tu Deus, ego homo;* tu Dominus, ego servus; tu Redemptor, ego peccator. **(VERS. 7.)** *Quod ego facio, tu nescis modo:* scies autem postea. Hujus facti mysterium [Col. 0925D] necdum intelligis, sed postea intellecturus eris, quia *si te non lavero, non habebis partem mecum.* **(VERS. 8.)** *Dixit autem Petrus:* Non lavabis mihi pedes in aeternum. Aeternum, pro nunquam posuit: sed territus responsione Domini subjunxit: **(VERS. 9)** *Domine non tantum pedes, sed et caput, et manus.* «Quando quidem sic minaris, lavanda tibi mea membra, non solum ima non subtraho, verum etiam prima substerno. Non [*Ms.,* Ne] mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem. Respondit Jesus: **(VERS. 10)** *Qui lotus est, non habet opus nisi pedes lavare, sed est mundus totus.* [Col. 0926A] Quomodo utrumque et mundus totus, tamen et pedes ei lavandi sunt,» nisi quia mundus totus est in lavacro sancti baptismatis, iterum pulvere terrenae habitationis sordidatur? Unde et necesse habet iterum lavari per gratiam [lavacri] divinae pietatis, licet prius eadem gratia esset totus mundatus, apostolo Joanne attestante: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* **(I Joan. I, 8)**. «Quotidie igitur pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis: et quotidie nos opus habere, ut pedes lavemus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra,* sicut et nos dimittimus {593} *debitoribus nostris* **(Matth. VI, 12)**.» *Et vos mundi estis, sed non omnes.* Quod evangelista sequentibus verbis exposuit. Ideo transeamus [Col. 0926B] ad caetera.

VERS. 12.---*Postquam ergo lavit pedes eorum, id est,* impleta redemptionis nostrae purgatione per sanguinis sui effusionem, *accepit vestimenta sua, tertio die de sepulcro*

resurgens, et eodem corpore quo moriebatur in cruce, immortalis factus est et vestitus. Et cum recubuisset iterum, ascendit in coelum, in dextera Dei sedens, et in majestate paternae divinitatis recumbens, unde iterum venturus est, judicare vivos et mortuos. Sequitur enim: *Dixit eis:* Scitis quid fecerim vobis? Hoc enim ait quod ante praemiserat [*Ms.,* promiserat], dum Petro apostolo respondit: *Quod ego facio, nescis modo, scies autem postea.* Nunc est illud post, quod ante promisit.

VERS. 13.---*Vos vocatis me Domine et magister,* [Col. 0926C] et bene dicitis. Utique, quia verum dicitis, *sum etenim.* Non arrogantiae typo, sed veritatis obsequio dixit, *ego sum:* **(VERS. 14)** *Si ergo ego lavi vestros pedes, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Si ego Deus et Dominus dimisi vobis peccata vestra, quanto magis et vos debetis alter alterius peccata dimittere? «
@ [Col. 0926D] Ex S. Aug., tract. LVIII, num. 5 Et hoc est quod Apostolus ait: *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet culpam* **(Coloss. III, 13)**, sicut et Dominus donavit nobis, ita et nos [*Aug.,* donavit vobis, ita et vos]. Invicem itaque nobis delicta donemus, et pro nostris delictis invicem oremus; atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavamus [*Ms.* et Aug., lavemus].» Licet et hoc corporaliter charitatis officio, et humilitatis exemplo aliquibus utiliter facere [Col. 0926D] placeat, tamen spiritaliter in corde omnibus agendum est, ut debita nostra in invicem dimittamus nobis, sicut a Deo nostro nobis debita dimitti deprecamur. Sequitur enim:

CAPUT XXXIII.

Non esse servum majorem domino dicens, post testimonium Scripturae a Juda se tradendum intincti panis porrectione significat; et discipulos multipliciter exhortatur.

VERS. 16, 17.---*Amen, amen dico vobis:* Non est servus major domino suo, neque apostolus major eo qui misit illum. Si haec scitis, beati eritis si feceritis [Col. 0927A] ea. «
@ [Col. 0927D] Ex S. Aug., tract. LIX, num. 1-3. Hoc ideo dixit, quia laverat pedes discipulorum, magister humilitatis et verbo et exemplo:» ut verbo et exemplo eos instrueret in charitatis officio. **(VERS. 18.)** *Non de vobis omnibus dico, id est, non vos omnes beatos dico. Ego scio quos elegerim, ad hanc beatitudinem, ut meorum sint sequaces praeceptorum. Sed ut impleatur Scriptura:* Qui manducat panem mecum, levabit contra me calcaneum suum. Id est, calcabit me [*Aug.,* conculcabit me]. Manducat panem, non ad salutem sibi, sed ad poenam: quia manducavit, ut lateret proditor, non ut proficeret amator. Quid est quod alio loco dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* **(Joan. VI, 71)**? et hic dicit: *Ego scio quos elegerim? Electus est ille Judas, non ad beatitudinem,* sed ad proditionis [Col. 0927B] perfidiam ob salutem mundi, non suam, quia dictum est de eo: Melius esset homini illi, si non fuisset natus **(Matth. XXVI, 24)**. Isti vero de quibus modo dicitur [*Ms.,* dixit]: *Ego scio quos elegerim, ad beatitudinem aeternae gloriae electi sunt.* **(VERS. 19.)** «*Amodo,* inquit, *dico vobis priusquam fiat, ut credatis, cum factum fuerit, quia ego sum.* Id est, [ego] sum, de quo illa Scriptura praecessit, ubi dictum est: *Qui manducat mecum panem, levabit super me calcaneum* **(Psal. XL, 10)**.» **(VERS. 20.)** *Qui accipit, si quem misero, me accipit:* qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit. «Cum

haec dicebat, non unitatem naturae divisit, sed mittentis auctoritatem ostendit. Sic utique [*Aug.,* sic itaque] unusquisque eum qui est missus, accipiat, ut in illo eum qui misit, attendat: [Col. 0927C] si ergo attendas Christum in Petro, invenies discipuli praeceptorem. Si autem attendas Patrem in Filio, invenies Unigeniti Genitorem: ac sic in eo qui missus est sine ullo accipis errore mittentem.» **(VERS. 21.)** *Cum haec dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit:* Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. «

@ [Col. 0927D] Ex eodem, tract. LX, num. 1. Turbavit eum imminens passio et periculum proximum, et traditoris impendens manus, cujus fuerat praecognitus animus.» {594} Turbatus est itaque spiritu, tanto scelere traditoris. Turbata est in eo nostra infirmitas, non sua potestas. Sicut pro nobis passus est, ita pro nobis turbatus est. Qui ergo potestate mortuus est, [potestate turbatus est] ne nostra perturbatio in desperationem cadat: sed [in] miserationem proximorum, [Col. 0927D] vel in [veram] poenitentiam peccatorum nostrorum vertatur; quia illius perturbatio nostra est consolatio. *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis hodie tradet me.* «

@ [Col. 0928D] Ex S. Augustino, tract. LXI, num 2-6. Unus numero, non merito; specie, non virtute; commistione corporali, non vinculo spiritali; carnis adjunctione, non cordis socius unitate. Quid est *ex vobis, nisi, ex vobis exiturus est, qui tradet me?* **(VERS. 22.)** *Aspiciebant ergo discipuli ad invicem, haesitantes de quo diceret.* Sic quippe in eis erat erga magistrum suum pia charitas, ut tamen eos humana alterutrum de altero simularet [*Ms.* et Aug., alterum de altero stimularet] infirmitas. Nota [Col. 0928A] fuit unicuique sua conscientia, sed alterius incognita.

VERS. 23.---*Erat autem recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Quod dixerat, *in* sinu, paulo post dicit, *super pectus Jesu.* Ipse est Joannes, cujus est hoc Evangelium, sicut postea manifestatur. Erat enim haec eorum consuetudo, qui sacras nobis litteras ministrarunt, ut quando ab aliquo eorum divina narrabatur historia, cum ad seipsum veniret, tanquam de alio loqueretur; et sic se insereret ordinationi [*Aug.,* ordini] narrationis suae, tanquam rerum gestarum scriptor, non tanquam sui ipsius praedicator. Hoc fecit et beatus Moyses; ita de se ipso tanquam de alio cuncta narravit [*Add.* ex Aug., et ait: dixit Dominus ad Moysen] **(Exod. VI, 1)**.» *Diligebat, non prae omnibus unum,* sed familiarius [Col. 0928B] in omnibus unum. Quiddam in eo dilexit, quod in aliis non dilexit, id est, ut per pacem transiret [ex hac vita, non per passionem finiret] hanc vitam. *In sinu Jesu, id est, in secreto, de quo illud mirabile et omnibus saeculis inauditum eructavit sacramentum: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

VERS. 24.---«*Innuit autem huic Simon Petrus, et dicit ei.* Innuendo dicit, non loquendo; significando, non sonando. Quid dicit innuendo? Quod sequitur: *Quis est, de quo dicit? Haec verba Petrus innuit:* non sono vocis, sed motu corporis dixit. **(VERS. 25.)** *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu.* Hic est utique pectoris sinus, sapientiae secretum. *Dicit ei:* Domine, quis est [qui tradet te]? **(VERS. 26.)** *Respondit* [Col. 0928C] ei Jesus: Ille est, cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simoni Scariothis. Post panem, tunc introivit in illum Satanas. Expressus est traditor, nudatae sunt latebrae tenebrarum: bonum est quod accepit, sed malo suo accepit, quia male bonum malus accepit.» «

@ [Col. 0928D] Ex eodem, tract. LXII, num. 1, 2, 4, 5. Hinc enim docetur quam diligenter nobis cavendum sit, sic male accipere bonum. Multum quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat: nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Intravit ergo post hunc panem Satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat, ut deciperet.» Auxit enim peccatum traditionis praesumptio sacramenti, cum hominis ingrati intrasset [Col. 0928D] panis in ventrem, hostis in mentem: fortassis per panis intinctionem, illius significans fictionem, qui fictus ad coenam venit amicus, et falsus ad magistrum [vadit] discipulus.

«*Quod facis, fac citius.* Non praecepit facinus, sed praedixit Judae malum, nobis bonum. Quid enim Judae pejus, et quid nobis melius, quam traditus Christus ab illo? *Citius:* hoc [verbum hoc] est plus parati ad passionem, quam irati ad vindictam. Non enim tam ad perniciem perfidi saeviendo dixit, quam ad salutem fidelium festinando, *quod facis, fac citius:* non quia in tua potestate est, quem tradas, sed quia hoc vult qui omnia potest. (VERS. 28, 29.) *Hoc autem* [Col. 0929A] nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Judas, quia dixisset ei Jesus: Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. Habebat ergo et Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticae pecuniae forma est instituta, ubi intelligeremus, quod praecepit non cogitandum esse de crastino **(Matth. VI, 34)**, non ad hoc fuisse praeceptum, ut nihil pecuniae servaretur a sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiae timorem justitia deseratur.»

{595} VERS. 30.---*Cum autem accepisset ille buccellam, exiit continuo, erat autem nox.* Erat autem ipse nox, qui exiit, et filius tenebrarum, et opera [Col. 0929B] faciens tenebrarum. Exivit ergo ad suae perditionis ministerium, et ad nostrae salutis [dispensationem; non nostrae salutis] consideratione, sed suae negationis [*Ms.,* negotiationis] intentione. Hinc impletur quod Psalmista ait: *Dies diei eructat verbum, id est, Christus discipulis promebat verbum salutis: Et nox nocti indicat scientiam* **(Psal. XVIII, 3)**, id est, Judas Judaeis proditoris [*Ms.,* proditionis] malitiam ostendit. Nunc majore intentione verba Domini consideranda sunt, quae ipsa nocte ante traditionem coram [*Ms.,* ante traditionis horam] discipulis singulariter loquebatur. Profundissima sunt in mysteriis; ideo ubi multum laboraturus est disputator, non remissus esse debet auditor. Altius consideranda sunt Altissimi dicta, qui occultat ut quaeramus, et manifestat [Col. 0929C] ut inveniamus. Ipse est qui claudit, et aperit: claudit ut quaeramus: aperit ut inveniamus, ut inquisitor fructum accipiat sudoris sui; et largitor laudem et gratias bonitatis suae habeat.

VERS. 31.---*Dixit Jesus:* Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Hic aliquid magnum significat in hac clarificatione. «
@ [Col. 0929D] Ex eodem, tract. LXIII, num. 2, 3. Exivit Judas, et clarificatus est Jesus; exiit filius perditionis, et clarificatus est Filius hominis. Exeunte itaque immundo omnes mundi remanserunt, et cum suo mundatore manserunt. Tale aliquid erit, cum victus a Christo transiet [*Aug.,* transierit] hic mundus, et nemo in populo Christi remanebit immundus: cum, zizaniis a tritico separatis, justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui **(Matth. XIII, 43)**.» De hac clarificatione [Col. 0929D] futura sanctorum locuturus, verbo

praeteriti temporis est usus; quia quod futurum in sanctis est, hoc in praedestinatione Dei factum esse dicitur. «*Nunc clarificatus est Filius hominis;* tanquam diceret: Ecce in illa mea clarificatione quid erit, ubi malorum nullus erit. Hic autem [*Aug.,* Sic autem] non est dictum: Nunc significata est clarificatio filii hominis; sed dictum est, *Nunc clarificatus est Filius hominis:* quemadmodum non est dictum: Petra significabat Christum, sed, *Petra erat Christus.* Cum [Col. 0930A] autem dixisset, *Nunc clarificatus est Filius hominis, adjunxit: Et Deus clarificatus est in eo.* Ipsa enim est clarificatio Filii hominis, ut Deus clarificetur in eo. Non enim ipse in seipso [*Aug.,* si enim non ipse in seipso], sed Deus in illo clarificatur, tunc illum Deus in se clarificat. Denique tanquam ista exponens, adjungit et dicit: *Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso.* Hoc est, *si Deus clarificatus est in eo, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum:* **(VERS. 32)** *Et Deus clarificabit eum in semetipso, ut natura humana, in qua est Filius hominis, quae a Verbo aeterno suscepta est, etiam immortali aeternitate donetur. Et* continuo, inquit, *clarificabit eum:* resurrectionem scilicet suam, non sicut nostram in fine saeculi, sed [Col. 0930B] continuo futuram, hac attestatione praedicens.» **(VERS. 33.)** *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Cum autem praedixit de clarificatione futuri regni sui, et de clarificatione resurrectionis suae, quae mox futura erat; «
@ [Col. 0929D] Ex eodem, tract. LXIV, num. 1-4. ne putarent ergo quod sic eum clarificaturus esset Deus, ut non eis conjungeretur ulterius ea conversatione, qua in terra erat cum eis; *adhuc,* inquit, *modicum vobiscum sum;* tanquam diceret: Continuo quidem resurrectione clarificabor, non tamen continuo ascensurus in coelum, sed *adhuc modicum vobiscum sum:*» significans quadraginta dies, quibus erat cum discipulis, temporibus opportunis apparens illis. Potest tamen intelligi, quod parvum tempus illius tantummodo noctis, usque ad passionis horam cum discipulis se esse.
@ [Col. 0929D] Locus mutilus tam in Edit. quam Mss., qui ita fortassis restitui possit: «Potest tamen intelligi parvum [Col. 0930D] tempus illius tantummodo noctis, usque ad horam passionis, quo cum discipulis esset.» «Est et alia [Col. 0930C] divina praesentia, sensibus ignota mortalibus, de qua item dicit: *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**. Hoc certe non est, *adhuc modicum vobiscum sum;*» sed est *modicum vobiscum, vel ante passionis horam, vel post resurrectionem usque ad ascensionis gloriam.* «Quid est quod post resurrectionem alio loco dixit discipulis suis: *Haec sunt verba quae locutus sum vobis,* cum adhuc essem {596} *vobiscum* **(Luc. XXIV, 44)**, nisi cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis et vos? Tunc enim, cum haec diceret, in eadem carne suscitata [*Aug.,* resuscitatus] erat, sed cum illis in eadem mortalitate jam non erat.

Quaeritis me, et sicut dixi Judaeis, quo ego vado, vos non potestis venire: et dico vobis modo. Hoc est, [Col. 0930D] modo non potestis. Judaeis autem cum haec diceret, non addidit, *modo.* Isti itaque non poterant venire tunc, quo ille ibat, sed poterant postea. Ideoque docens eos, quomodo idonei esse possent pergere, quo ille antecedebat: **(VERS. 34)** *Mandatum,* inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem.* Hi sunt gressus quibus sequendus est Christus;» hoc mandatum charitatis. «
@ [Col. 0930D] Ex S. Aug., tract. LXV num. 1, 2. Innovat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus, ut a carnali dilectione distingueret, addidit: [Col. 0931A] *Sicut dilexi vos.* Dilectio ista nos innovat, ut simus

homines novi, sed haeredes Testamenti Novi. Haec dilectio populum novum colligit Christo.» Haec et antiquos Patres innovabat, ut essent in Christum credentes, qui venturus erat redimere eos. «Audiant enim atque custodiant: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis» omnes qui volunt fratres esse unici Filii Dei, qui seipsum in hac dilectione tradidit pro nobis.* Nam et in hoc mandato illud mandatum est, quod prius ponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* [et ex tota anima] et tota mente tua **(Matth. XXII, 39, seq.)**: «sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis. Nam et qui diligit Deum, non eum potest cohibere praecipientem, ut non diligat proximum [*Aug.,* contemnere [Col. 0931B] praecipientem, ut diligat proximum]; et qui sancte atque spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit, nisi Dominum [*Aug.,* Deum]? Ipsa est dilectio, ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus: *Sicut dilexi vos.*»

«

@ [Col. 0931D] Ex S. Aug., tract. LXVI, num. 1. Cum Dominus Jesus sanctam dilectionem, qua se invicem diligerent, discipulis commendaret, *dicit ei Simon Petrus:* Domine, quo vadis? Sic utique hoc dixit magistro discipulus, et Domino servus, tanquam sequi paratus. Propterea quippe Dominus, qui ejus animum vidit, quare hoc interrogaverit, sic ei respondit: **(VERS. 36)** *Quo ego vado, non potes me modo sequi;* tanquam diceret: Propter quod interrogas, non potes modo. Non ait, non potes; sed *non potes modo;* dilationem intulit, non spem tulit, et [Col. 0931C] eamdem spem, quam non tulit, sed potius dedit, sequenti voce firmavit, addendo atque dicendo: *Sequeris autem postea.* **(VERS. 37.)** *Respondit Petrus:* Quare te non possum sequi modo? animam meam pro te ponam. Quid in animo ejus esset cupiditatis, videbat; quid vero [virium] non videbat. Voluntatem suam jactabat infirmus, sed intendebat [*Ms.,* impendebat; *Aug.,* inspiciebat] valetudinem medicus; iste promittebat, ille praenoscebat; qui nesciebat, audebat; et qui praesciebat, docebat.» **(VERS. 38.)** *Respondit Jesus:* Animam tuam pro me pones? Quod promittis, modo non potes. Prius est anima pro te ponenda, ut possis postea animam tuam pro me ponere. «Quid tantum praesumis? Quid de te sentis? Quid esse te credis? Audi quid sis: *Amen, amen dico tibi:* Non [Col. 0931D] cantabit gallus, donec me ter neges. Ecce quomodo [tibi] cito apparebis, qui magna loqueris, et te parvulum nescis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Nam timendo mortem carnis tuae, mortem dabis animae tuae. Quanta enim est vita confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.» Hinc admonere oportet, ne quis de suis viribus confidat, dum ad unius ancillae vocem tanta titubat columna; nec de suis desperare peccatis. Nam Petrus mortuus est negando, revixit plorando; mortuus, quia superbe ipse praesumpsit, revixit autem humiliter plorando, quia benigne respexit eum pietas Salvatoris. Sequitur enim:

{597}
CAPUT XXXIV. *Non turbetur cor vestrum, ait discipulis. Ego sum via, veritas, et vita.* Qui videt me, videt et Patrem. Ego in Patre, et Pater in me. Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.[Col. 0932A]

CAPUT XIV, VERS. 1.

---*Non turbetur cor vestrum.* Creditis in Deum, et in me credite. «
@ [Col. 0932D] Ex eodem, tract. LXVII, num. 1, 2. Ne mortem tanquam homines timerent [*Beda, ne mortem sibi tanquam homini timerent*], et ideo turbarentur, consolatur eos, etiam Deum se esse contestans. Consequens est enim, ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus.»

VERS. 2.---*In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Quia merita eorum [*Ms.,* sanctorum] diversa [Col. 0932B] sunt, ideo in domo Patris mansiones multae sunt. «Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.» Ideo non turbetur cor vestrum. Nam unus denarius omnibus in vinea laborantibus datur, id est, omnibus in Ecclesia per fidem laborantibus vita datur aeterna. «Sed multae mansiones, diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates, eritque [Deus] omnia in omnibus, quia Deus charitas est. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet, quia regnat in omnibus unitas charitatis.» Sequitur: *Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Si alicubi, [nisi] in domo Patris mansiones multae essent, dixissem utique vobis. *Sed modo vado parare* [Col. 0932C] vobis locum. [Quomodo ad illas mansiones membra pervenissent, si caput non praecessisset? Paravit nobis locum], dum pro nobis mortuus est et resurrexit, imo et ascendit in coelos: haec omnia pro nobis fecit, ut nobis pararet locum in regno Patris sui. **(VERS. 3.)** *Et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam ad vos.* Si abiero per carnis absentiam, veniam per divinitatis praesentiam, in qua vobiscum ero usque in finem [*Ms.,* in consummationem saeculi]. Vel etiam: Si abiero ascendendo ad coelos, veniam iterum judicare vivos et mortuos, quod angeli attestati sunt dicentes: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* **(Act. I, 11)**. Sequitur: *Et accipiam vos ad meipsum:* ut, ubi sum ego, et vos [Col. 0932D] sitis. Hoc est, quod in sequentibus dixit: *Volo Pater, ut, ubi ego sum, et isti sint mecum.* **(VERS. 4.)** *Et quo ego vado, scitis, et viam scitis.* Quo vado, id est, ad Patrem, *scitis;* et viam, qua venitur ad Patrem, *scitis.* **(VERS. 5.)** *Dicit ei Thomas:* Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire? Videbatur ei nescire, quod Christus convicit eum scire, dum ait:

VERS. 6.---*Ego sum via, et veritas, et vita.* Quasi dixisset: Si me scitis, et viam scitis; et ego sum, ad quem itur, id est, veritas; et ego sum vita, in qua statis [*Al.,* statur]. Si me scitis et viam scitis, et quo ibo scitis, et ubi mansuri [*Al.,* manseritis] [Col. 0933A] eritis, scitis. Qui ad Patrem vadunt, per me vadunt; et qui ad Patrem veniunt, ad me veniunt, quia ego et Pater unum sumus; et in me manent, quia *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* **(Joan. XVII, 3)**. Unde secutus est dicens: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Exponens quid sit, quod ait: *Ego sum via, statim subjungens:* **(VERS. 7)** *Si cognovissetis me, utique et Patrem meum cognovissetis:* quia ego sum veritas, in vero Patre. *Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.* Si me spiritaliter cognoscitis, et vidistis, [illum cognoscitis et videtis] *quia ego et Pater unum sumus, unum natura, non unum persona.* (VERS. 8.) *Dicit ei Philippus, hoc non intelligens: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Quasi aliquid [Col. 0933B] melius esset Pater quam Filius, in cujus est visione sufficiens beatitudo. Quam vocem discipuli redarguit magister dicens:

VERS. 9.---*Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.* [Non cognovistis me] esse in Patre, et Patrem in me. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* Qui me intelligit, utique et Patrem meum intelligit. «

@ [Col. 0933D] Ex S. Aug., tract. LXX, num. 3. Sed ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tanquam enim melior Pater esset quam Filius, ita Pilippus Patrem nosse cupiebat: et ideo nec Filium {598} sciebat, quo melius aliquid esse credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est: *Qui videt me, videt et Patrem.* Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Video quomodo a te dictum: non alterum quaeris videre [Col. 0933C] similem, sed illum putas esse meliorem.

VERS. 10.---*Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Cur inseparabiles separatim desideras nosse? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur: Verba, quae ego loquor vobis, a meipso non loquor.* Pater autem in me manens ipse facit opera.» «

@ [Col. 0933D] Ex eodem, tract. LXXI, num. 1-3. Quid est, *a meipso non loquor, nisi a meipso non sum, qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit.* Pater enim Deus non est de aliquo: Filius autem Deus est quidem Patri aequalis, sed de Patre Deo; ideo ille Deus, sed non de Deo, et lumen, sed non de lumine: iste vero Deus de Deo, lumen de lumine.» Denique adjungit, et ait: (VERS. 11, 12.) *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin* [Col. 0933D] propter opera ipsa credite. «Antea solum Philippum arguebat, nunc autem non ibi eum solum fuisse qui esset arguendus, ostenditur. *Propter opera* ipsa, inquit, *credite, quia ego in Patre et Pater in me est.* Neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus.» Sed quid est, quod sequitur?

Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. «Non se extollat servus super Dominum, nec discipulus super magistrum: [Col. 0934A] majora quam ipse facit, dixit eos esse facturos;» sed sine illo, ut in sequentibus dixit, quid potuerunt facere? «Sed quae sunt tandem ista majora? An forte quod aegros ipsis transeuntibus, etiam eorum umbra sanabat? Majus est enim ut sanet umbra, quam fimbria: illud per se, hoc per ipsos, sed utrumque ipse.» Vel majora sunt apostolorum opera in omnium gentium salute, quam Christi tantummodo in salute Judaeorum, et hoc in paucissimis? Tamen utrumque et ille fecit, et salutem aliquorum in Judaea [per se]; et salutem gentium per apostolos, sed et [per] alios quoque praedicatores. Unde subjunxit, et ait: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet,* [et majora horum faciet]. «

@ [Col. 0933D] Ex eodem, tract. LXXII, num. 1, 2. Non quo major sit magistro discipulus, vel Domino servus, vel [Col. 0934B] adoptatus unigenito, vel homo Deo: sed quod per illos [ipse] dignaretur eadem majora facere.»

Unde majora facere potuissent, mox ostendit; dicens: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, continuo secutus adjunxit: Quia ego ad Patrem vado.* **(VERS. 13.)** *Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Qui dixit *faciet,* post ait *faciam, tanquam diceret:* Non vobis hoc impossibile videatur, non enim poterit esse major me, qui credit in me. Ideo majora non per se faciet, sed per me, quia in me credit: nec est defectio potestatis, sed miseratio pietatis. Dives ergo, qui

ab eo recessit tristis non recipiens verba salutis

@ [Col. 0934D] Locus corruptus. Leg. S. Aug., loco citato.. Apostolis igitur praedicantibus, multi divites pauperiem voluntate [*Ms.,* voluntariam] [Col. 0934C] secuti sunt. «Ita quod ab illo audiens unus non fecit, fecerunt multi, cum loqueretur per discipulos magister bonus. Ecce majora fecit praedicatus a credentibus, quam locutus audientibus:» sed hoc per praedicatores. Nunquid omnes, qui credunt in eum, praedicatores sunt? Tamen dicit, qui credunt in eum, opera facere majora. «In hoc opere fidei facimus opera Christi, quia et ipsum credere in Christum opus est Christi; Christus hoc operatur in nobis, non utique sine nobis. Prius ego facio praeveniens gratiam [*Ms.,* melius, gratia]; deinde et ipse faciet [*Ms.,* facit] subsequens gratiam, quia ego facio, ut fiat [*Ms.,* faciat]. Quae opera, nisi ut ex impio justus fiat?» Fortassis majus est opera [Col. 0934D] salutis nostrae nos per ipsum facere, quam verba salutis praedicare, quod ipse fecit sine nobis. Dum haec dixit, sequitur: *Quia ego ad Patrem vado, et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* In his verbis magnam spem promisit orantibus. «

@ [Col. 0934D] Ex eodem, tract. LXXIII, num. 1-4. Sic ergo perrexit ad Patrem, ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes:» tamen non omnia petentes, sed quae ad salutem pertinent petentium: ideo dixit: **(VERS. 14)** *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Quid est, in nomine meo, nisi in nomine Salvatoris? Si petieritis quae ad [Col. 0935A] {599} salutem pertinent vobis, in nomine meo petieritis [*Ms.,* petitis]. «Quando enim nos delectant mala, et non delectant bona, rogare potius debemus Deum, ut nos delectent bona, quam ut concedantur mala, ut delectent mala. Qui ergo credit in eum, quodcunque petierit in nomine [ejus], quod prodest illis qui credunt in eum, hoc facit: quoniam hoc sicut Salvator facit. Si autem, qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra salutem suam petit, non in nomine Salvatoris petit: quia Salvator ei non erit, si quod ejus salutem impedit fecerit. Novit enim Salvator melius quid nobis prodest quam nosmetipsi. Ideo petendum est ut fiat voluntas ejus in nobis.» Continuo subjecit:

Ut glorificetur Pater in Filio. «Nullo modo igitur [Col. 0935B] sine Patre Filius facit, nec Filius sine Patre. Facit ergo Pater in Filio, ut Filius glorificetur in Patre: et facit Filius in Patre, ut Pater glorificetur in Filio, quoniam unum sunt Pater et Filius.» Sequitur:

CAPUT XXXV.

Diligentibus se discipulis, mandataque servantibus, Paraclitum a Patre mittendum promittit, mansurumque cum eis in aeternum; seque pacem dare eis, pacemque relinquere pollicetur.

VERS. 15, 16.---*Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Quid est quod dicit, quod diligentibus Deum et servantibus mandata ejus Spiritus paraclitus daretur, dum Deus diligi et mandata ejus servari non possunt, nisi per Spiritum sanctum? Quid est aliud, [Col. 0935C] nisi ut qui per Spiritum sanctum diligit Deum, meretur diligendo ut plus habeat, et plus habendo plus diligat? «

@ [Col. 0935D] Ex Bedae homilia in die Pentecostes. Paraclitus quippe consolator interpretatur, et Spiritus sanctus recte Paraclitus vocatur, quia corda fidelium, ne inter

hujus saeculi adversa deficiant, coelestis vitae desideriis sublevat ac reficit.» Habebant itaque discipuli Spiritum sanctum, sed occulta quadam inspiratione, per quem Dominum diligebant, sed nondum habebant, sicut Dominus promittebat. Habebant siquidem occulte, quem postea quadam manifestatione habituri erant: id est, dum in igneis linguis venit, et sedit super eos, et linguis loquebantur magnificantes Deum. *Rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, ostendens seipsum esse Paraclitum.* «Habebant autem [Col. 0935D] et prius Paraclitum, ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem, cum [*Beda, cujus*] et miraculorum dulcedine et ope praedicationis, ne propter infidelium persecutionem scandalizari possent, erigi et confortari solebant.» *Rogabo, dixit, propter humanitatem, qui dat cum Patre per divinitatem. Ut maneat vobiscum in aeternum.* «In aeternum namque manet cum sanctis, quos et in hac vita semper invisibiliter intus illustrabat, et in futuro ad contemplandam perpetuo speciem suae majestatis introducit.

VERS. 17.---*Spiritum veritatis,* quem mundus [Col. 0936A] non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Mundum autem appellat homines, mundi hujus amori deditos.» Mundus ergo eum accipere non potest, id est, mundiales homines, quia non habent invisibiles charitatis oculos, quibus solummodo Spiritus sanctus videri potest et sciri, et sciendo intelligi *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Erit, ut maneat in aeternum. «Dominum namque Salvatorem et infideles ante passionem in carne viderunt; sed quia Filius Dei esset, quia Paraclitus a Deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt: Spiritum autem sanctum neque oculis videre infideles, neque animo valebant cognoscere, quia non indutus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit [Col. 0936B] manere, ut in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret; hoc est enim, quod ait: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Qui autem invisibiliter in hac vita manet cum electis, visibiliter utique [*Beda, invisibiliter utique*] eis gratiam suae cognitionis exhibet. {600} **(VERS. 18.)** *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Videbatur infidelibus quia moriens in cruce Dominus, discipulos relinqueret orphanos; sed non reliquit eos orphanos, quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta; et post dies decem assumptionis suae Spiritus sancti illis de coelo charismata donavit; ubi ipsum Christum ad eos venisse nullus fidelium ambigit, qui inseparabilem sanctae Trinitatis [Col. 0936C] naturam virtute et operatione [*Beda, virtutem et operationem*] esse cognovit.

VERS. 19.---*Adhuc modicum, et me jam mundus non videt, vos autem videtis me.* Modicum erat usque ad tempus explendae [*Beda et Ms.,* expletae] passionis, ex quo illum reprobi videre non valebant. Soli etenim justi, qui morte illius erant contristati, gaudium resurrectionis ejus videre meruerunt.» *Quia ego vivo, et vos vivetis.* «
@ [Col. 0935D] Ex S. Aug., tract. LXXV, num. 3. Quid est, *quia ego vivo, et vos vivetis? Cur de praesenti se dixit vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi quia vitam etiam carnis, utique resurgentis, qualis in ipso praecedebat, et illis est pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura fuerat resurrectio, praesentis posuit temporis verbum, propter significandam celeritatem:* [Col. 0936D] illorum autem quoniam in saeculi differtur finem, non ait, *vivitis,* sed *vivetis.* Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, et nostram in saeculi fine secuturam, duobus verbis, praesentis temporis et

futuri, eleganter breviterque promisit.» **(VERS. 20.)** *In* illo die, inquit, *vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* In quo die, nisi de quo ait: *Et vos vivetis? «*

@ [Col. 0936D] Ex Bedae hom. citata. Noverant tunc apostoli esse Christum in Patre per unitatem individuae divinitatis; noverant se esse in Christo, per susceptionem fidei et sacramentorum ejus; noverant veraciter vere tunc esse Christum in Patre, [Col. 0937A] et in se esse Christum per dilectionem et observantiam mandatorum ejus; novit et hoc sancta Dei Ecclesia, sed longe melius et plenius in illa die de qua dixit: *Et vos vivetis:* in qua veraciter vivere incipiunt, hoc est, in die resurrectionis, quando eo perfectius cuncta quae scienda sunt, sciunt, quo ipsum scientiae fontem vicinius sine fine conspiciunt.» Ut autem omnibus hujus promissionem beatitudinis promitteret, non solummodo apostolis, mox subjunxit: **(VERS. 21.)** *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui me diligit.* Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. «Ubi omni intentione considerandum est, quia Christum vere diligere est ejus mandata servare: non ipsam dilectionem [solum] labiis profiteri, [Col. 0937B] sed mandata Christi, quae discendo habemus, operando servare:» *Qui* habet, inquit, *mandata mea, et servat ea, ille est qui me diligit,* «

@ [Col. 0937D] Ex S. Aug., loc. cit., num. 5. qui habet in memoria, et servat in vita; qui habet in sermonibus, et servat in moribus; qui habet audiendo, et servat faciendo; aut qui habet faciendo, et servat perseverando, *ipse* est, inquit, *qui diligit me.*» «

@ [Col. 0937D] Ex Beda, loco citato. Notandum quia cum praesentis temporis verbo diceret: *Qui autem diligit me, adjecit de futuro: Diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Diligit namque etiam nunc dilectores suos cum Patre Filius, sed nunc diligit ad hoc, ut recte vivant ex fide, quae per dilectionem operatur: tunc ad hoc diliget, ut perveniant ad visionem veritatis, quam per fidem gustaverant. Non autem frustra [Col. 0937C] addidit: *Et manifestabo ei meipsum.*» Se vero secundum humanitatem cunctis in judicio manifestabit: solis vero justis et sanctis divinitatis gloriam, in qua aequalis est Patri et Spiritui sancto, ad beatitudinem aeternam percipiendam manifestaturus erit.

VERS. 22.---*Dicit ei Judas, non ille Scariothis:* Domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, et non huic mundo? Interrogavit discendo causam veritatis. Iste est Judas cujus Epistola legitur in ecclesiis Christi, non ille traditor. Ideo aliter interrogavit iste, aliter ille proditor, dum ait: *Nunquid ego sum? Ille simulator accessit ad mensam magistri, iste veritatis inquisitor interrogavit Dominum.* Cui respondit Jesus: **(VERS. 23.)** *Si quis diligit* [Col. 0937D] me, sermones meos servabit. «

@ [Col. 0937D] Ex S. Greg., hom. 30, num. 1 Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistola sua idem Joannes dicit: *Qui dicit quia diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* **(I Joan. IV, 20)**. Vere enim diligimus Deum, si mandata ejus observamus, et a nostris {601} nos ad mandata illius voluntatibus [*Ms.,* voluptatibus] coarctamus.» *Et Pater meus diliget eum.* Quia opera quae Pater facit, haec et similiter Filius facit; et qui diligit Filium, diligit et Patrem; et qui diligitur a Filio, diligitur a Patre. *Et ad eum veniemus,* et mansionem apud eum [Col. 0938A] faciemus. Qui enim vere diligit Deum, nec tentationis tempore recedit ab amore Dei, ad hunc veniunt Pater et Filius spiritali accessione, et mansionem apud eum habent. Ille enim vere amat, cujus

videlicet mentem delectatio prava ex consensu suo non superat. Nam tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. «

@ [Col. 0938D] Ex S. Aug., tract. LXXVI, num. 2, 4, 5. Dilectio sanctos discernit a mundo, quae facit unanimes habitare in domo. In qua domo facit Pater et Filius mansionem: qui donant et ipsam dilectionem, quibus donent in fine etiam suam manifestationem.» De qua manifestatione discipulus interrogavit, et audivit ad hanc manifestationem per dilectionem veniendum esse. **(VERS. 24.)** *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* «Hi sunt qui Patrem et [Col. 0938B] Spiritum sanctum nunquam vident: Filium autem, non ut beatificentur, sed ut judicentur, ad modicum vident: nec ipsum in forma Dei, ubi est cum Patre et Spiritu sancto pariter invisibilis: sed in forma hominis, ubi [*Ms.,* in qua] esse mundo voluit patiendo contemptibilis, judicando terribilis.» *Et sermo quem audistis, non est meus;* sed ejus qui misit me, Patris. Quid est quod prius plurali numero *sermones dixit,* nunc autem singulari *sermonem? Fortassis ut praedicationis* [*Ms.,* praedicationes] ibi sermones monstraret; hic vero seipsum, qui est Verbum Patris. Et ideo dixit non suum, quia a seipso non est, sed a Patre: sicut nec sua est imago, sed Patris; nec suus Filius, sed Patris. «Recte igitur auctori tribuit quidquid facit aequalis, a quo habet hoc ipsum quod [Col. 0938C] illi est indifferenter aequalis.

VERS. 25.---*Haec locutus sum vobis apud vos manens.* Illa mansio, de qua superius dixit, spiritalis est, quae solis sanctis datur: haec vero de qua nunc dicit, corporalis est. De sua praesentia corporali tantummodo dixit, quam utrique, et justi et impii videre potuerunt.» «

@ [Col. 0938D] Ex eodem, tract. LXXVII, num. 1. Illa in aeternum beatificat liberatos, haec in tempore visitat liberandos. *Haec,* inquit, *locutus sum vobis, apud vos manens.* Utique praesentia corporali, qua cum illis visibiliter loquebatur.» **(VERS. 26.)** *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.* Multa dixit audientibus infidelibus, quae in eorum cordibus locum non invenerunt, quia Spiritus [Col. 0938D] sanctus intus eos non docebat. Multa dicit quotidie per sanctos praedicatores, quae audientes interius non recipiunt, quia Spiritus sanctus non suggerit eis interius, quae audierunt exterius. De quo recte promittitur: *Ipse vos docebit omnia,* «

@ [Col. 0938D] Ex S. Greg., homilia citata, num. 3. quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo enim docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.» Aliter itaque praedicantem Christum audierunt Judaei, aliter apostoli. Illi ad judicium, isti ad salutem: [Col. 0939A] quia hos spiritus in animo docuit, quod foris audierunt in aure.

VERS. 27.---*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* In pace relinquo vos, in pace veniam ad vos. Hic relinquo, illic do. Sequentibus relinquo, pervenientibus do. «

@ [Col. 0939D] Ex S. Aug., loc. cit., num. 3. Pacem relinquit nobis in hoc saeculo, pacem suam dabit nobis in futuro saeculo. Pacem relinquit nobis, ut nos invicem diligamus: pacem suam dabit nobis, ubi nunquam invicem dissentire possimus.» Quid est quod dicit: *Pacem meam do vobis, et non dixit:* Pacem *meam relinquo vobis? Fortassis quia aliter nunc, aliter tunc pax erit;* hic vero bella cum vitiis habemus, ideo non addidit *meam:* illic vero in aeterna pace, aeterna erit tranquillitas et concordia, et talis pax,

qualem ille habuit [Col. 0939B] cum seipso qui nullum habuit in seipso peccatum. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Id est, non quomodo in mundo [*Ms.,* immundi] homines saepe sibi in sua malitia concordant, sed quomodo qui sibi in sanctitate concordant, et in Christi se charitate conjungunt.

{602} VERS. 28.---*Non turbetur cor vestrum neque formidet.* Audistis, quia dixi vobis: Vado et venio ad vos. «
@ [Col. 0939D] Ex S. Aug., tract. LXXVII, num. 1-3. Hinc turbari et formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamvis venturus esset ad eos: ne forsan gregem lupus hoc intervallo invaderet, pastore absente. Sed a quibus homo abscedebat, Deus non relinquebat: et idem ipse Christus, et homo et Deus. Ergo ibat per id quod homo erat, et manebat per id quod Deus erat; ibat per id quod [Col. 0939C] in uno loco erat, et manebat per id quod ubique Deus erat. Igitur Deus, qui nullo continetur loco, discedit ab eorum cordibus qui eum relinquunt moribus, non pedibus: et veniet ad illos qui convertuntur ad eum non facie, sed fide, et accedunt ad eum non carne, sed charitate.» *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego ad Patrem vado, quia Pater major me est.* Tanquam si diceret: Gaudere debetis, quia porto mecum consecrandam fragilitatem vestram. «Per quod igitur Filius non est aequalis Patri, per hoc erat iturus ad Patrem, a quo venturus est vivos judicaturus et mortuos: per illud vero quod est aequalis Patri, nunquam recessit a Patre, sed cum illo est, ubique totus, pari divinitate, quam nullus continet locus.» «Agnoscamus geminam substantiam [Col. 0939D] Christi, divinam scilicet, qua aequalis est Patri; humanam qua major est Pater: utrumque autem simul, non duo, sed unus Christus, ne sit quaternitas, sed Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo, anima rationalis et caro, sic unus est Christus Deus et homo: ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro: Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in [Col. 0940A] inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Dicitur ergo et in his singulis Christus; verum haec omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem:* quoniam naturae humanae gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in coelo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet in dextera Patris. Hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem: non profecto [*Aug.,* nam profecto] ad illum ibat qui cum illo erat; sed hoc erat ire ad eum, recedere a nobis; mutare atque immortale facere quod mortale suscepit ex nobis, et ad dexteram constituere Patris, [Col. 0940B] et levare in coelum, per quod fuit in terra pro nobis.» Deinde ipse Dominus Jesus subjunxit:

VERS. 29.---*Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* «
@ [Col. 0940D] Ex eodem, tract. LXXIX, num. 1, 2. Illud utique dicit, *cum factum fuerit, quod eum post mortem visuri erant viventem, et ad Patrem ascendentem:* quo viso, illud fuerant credituri quod ipse esset Christus Filius Dei, qui potuit hoc facere cum praedixisset, et praedicaret [*Aug.,* et praedicere], antequam faceret.» Poterant enim dubitare si Filius Dei esset, cum eum viderunt moriturum: sed cum viderunt eum surrexisse, credebant in quo antea dubitabant, et confirmata est fides in cordibus eorum

quam illis praedixerat, qui et ore promisit quod facturus erat, et opere complevit quod ante praedixit. Deinde quid [Col. 0940C] dicit: **(VERS. 30)** *Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus:* «Quis, nisi diabolus? *Et in me non habet quidquam;* nullum scilicet omnino peccatum. Hic enim [*Aug.,* Sic enim] ostendit, diabolum principem esse peccatorum hominum, non creaturarum Dei. Et quotiescunque mundi figura in mala [*Aug.,* in mali] significatione ponitur, non ostendit nisi mundi istius amatores, et non Dei. Absit enim ut credamus principem esse coeli et terrae, et creaturarum omnium quae generaliter mundi [*Suppl.,* mundi nomine] appellantur. Totus itaque mundus servit suo creatori, non deceptori; redemptori, non interemptori:» et regitur dispensatione divina, non inimici versutia subvertitur, praeter homines partis illius qui propria voluntate, non necessitate [Col. 0940D] aliqua se subjiciunt diabolo. Unde et Apostolus ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et* sanguinem, id est, adversus homines, *sed adversus potestates, et rectores tenebrarum harum* **(Ephes. VI, 12)**, id est, peccatorum, qui in tenebris manent iniquitatis. Quos rectores, angelos {603} esse desertores designat. Sed sunt qui per gratiam Dei non propriis meritis inde eruuntur, de quibus ait Apostolus: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate* **(Ephes. V, 8)**. *Sed gratias* Deo qui eruit nos, sicut idem dicit Apostolus, *de potestate tenebrarum,* et transtulit in regnum claritatis [Col. 0941A] Filii sui [Ms., *Filii claritatis suae*] **(Coloss. I, 13)**. «In quo princeps hujus mundi, hoc est, tenebrarum harum, non habebat quidquam: quia neque cum peccato Deus venerat, nec ejus carnem de peccati propagine virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur: Cur ergo morieris, si non habes peccatum, cui debebatur mortis supplicium? continuo subjecit: **(VERS. 31)** *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Surgite, eamus hinc. Discumbens enim discumbentibus loquebatur. *Eamus autem dixit;* quo? nisi ad illum locum, unde fuerat tradendus. Est igitur morti traditus, qui nullum habebat meritum mortis: [sed] habebat ut moreretur. mandatum Patris.» Sequitur enim:

CAPUT XXXVI.

Se ipsum vitem, Patrem vero agricolam dicens, discipulosque palmites, ac sine se nihil eos facere posse testatur. Et multis locutionum modis alteram eis dilectionem inculcat, cujus merito possent, quodcunque petierint, impetrare.[Col. 0941B]

CAPUT XV, VERS. 1.

---*Ego sum vitis vera, et vos palmites.* Hanc similitudinem dicit per hoc, quod est caput Ecclesiae, nosque membra ejus. Cum esset in forma Dei aequalis Patri, factus est in forma servi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus
@ [Col. 0941D] Ms.: «Factus est in forma servitutis, unde nos palmites illius esse possimus. Sicut enim ovis, etc.» Intermedia ibi omissa sunt. **(I Tim. II, 5)**. «
@ [Col. 0942D] Ex S. Aug., tract. LXXX, num. 1, 2, 3. Unius quippe naturae sunt vitis et palmites: propter quod cum esset Deus, cujus naturae non sumus, factus est homo ut in illo esset vitis humana natura, unde nos homines palmites illius [Col. 0941C] esse

possemus.» Sicut enim ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis per similitudinem dicitur Christus, ita et vitis per similitudinem dictus est. Sed quid est hoc, quod dixit, *vera, nisi quia est et vitis falsa, de qua in Propheta legitur: Quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienae* **(Jer. II, 21; Isa. V, 4)** ? quae dum facere uvas exspectata est, fecit labruscas. [Vel ita: *Ego sum vitis vera, id est sapientia, innocentia, justitia vera*]

@ [Col. 0942D] Ansulis inclusa desunt in ms.. *Ego sum vitis vera;* Pater meus agricola est. «Secundum hoc ergo vitis Christus, secundum quod ait, *Pater major me est:* secundum id vero, quod ait, *ego et Pater unum sumus, et ipse agricola est;* nec talis quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium; sed [Col. 0941D] talis ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus **(I Cor. III, 7)**. Et utique Deus est Christus; quia Deus erat Verbum,» et Verbum caro factum est. Factum est quod non erat, mansit quod erat. **(VERS. 2.)** *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater.* Hoc est quod alio loco ait: *Jam securis ad radicem arborum posita est, omnis enim arbor non ferens fructum, excidetur et in ignem mittetur.* Eum vero palmitem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat **(Matth. III, 10)**. Fert fructum, quia mundatus est; [Col. 0942A] et ut plus ferat, purgabitur: et hoc non a se, sed a Deo, qui mundat corda nostra ut fructum ferre possint, et purgat spiritu charitatis ut plus fructificare valeant.

VERS. 3.---*Jam vos mundi estis, propter verbum, quod locutus sum vobis.* Hic se ostendit agricolam esse, dum dixit, *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* «Quare non ait, Mundi estis propter baptismum quo abluti estis; sed ait: *Propter verbum, quod locutus sum vobis;* nisi quia et aquam verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tingat [*Aug.,* tangat] et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia solum dicitur, sed quia creditur?» [Col. 0942B] {604} Nam tria in baptismo visibilia sunt, id est, corpus, aqua et sacerdos: tria invisibilia, anima, fides et Spiritus Dei [*Ms.,* Spiritus sanctus], qui haec omnia operatur; ut fiat spiritualiter Filius Dei renatus ex aqua et Spiritu, qui fuit carnaliter filius peccati natus ex traduce primorum parentum carne. *Ego sum vitis vera, et vos palmites.*

VERS. 4.---*Manete in me, et ego in vobis.* Non eo modo illis in ipso manendum est, sicut ipse in illis. «

@ [Col. 0942D] Ex S. Aug. Tract. LXXXI, num. 1-4. Utrumque enim prodest non ipsi, sed illis. Ita sunt quippe in vite palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant et fructificare possint: ita vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc utrumque prodest credentibus in Christum, mamere [Col. 0942C] in Christo, et Christum in illis. Unde secutus est, et ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Qui enim a semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est.» Omnis enim fructus boni operis ab illa radice procedit, qui nos sua gratia liberavit, et suo auxilio provehit, ut fructum plus afferre valeamus. **(VERS. 5.)** *Ego sum vitis vera, et vos palmites.* Qui manserit in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. «Non dixit: Parvum aliquid boni potestis sine me facere, sed

omnino *nihil.* Sive enim parvum bonum, sive multum, [Col. 0942D] sine illo fieri non potest [sine quo nihil boni fieri potest]. Quamvis enim Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset.»

VERS. 6.---*Si* quis in me, inquit, *non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* «Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint. Unum e duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, maneat in vite. **(VERS. 7.)** *Si manseritis in me, inquit,* [Col. 0943A] *et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Manendo quippe in Christo, quid velle possunt nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod alienum non est a salute?» Nec enim petere volunt, nisi quod expedit ad salutem. «Manentes autem in eo, cum verba ejus in nobis manent, quodcunque voluerimus, petamus, et fiet nobis. Quia si petimus, et non fit, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent [*Ms.,* non hoc petimus, quod ad illud pertinet, ut maneamus in eo; nec quod suadent verba] verba ejus quae manent in nobis: sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis, quae non est in eo, et in qua non manent verba ejus. Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere quando [Col. 0943B] facimus quae praecepit, et diligimus quae promisit.
@ [Col. 0943D] Ex eodem, tract. LXXXII, num. 1-4. Magis magisque Salvator gratiam qua salvamur, discipulis loquendo commendans, **(VERS. 8)** *In hoc,* inquit, *clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* Si enim haec gloria est Patris, ut fructum plurimum afferamus, et simus discipuli Christi, non hoc nostrae gloriae tribuamus, tanquam hoc ex nobis ipsis habeamus. Ejus est enim haec gratia, et ideo [in] hoc non nostra, sed ejus est gloria. A quo efficimur ut simus discipuli Christi, nisi ab illo cujus misericordia praevenit nos,» ut velle subsequatur et posse, quae ad id pertinent, ut perpetualiter maneamus in vite?

VERS. 9.---*Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, manete in dilectione mea.* «Ecce unde sunt nobis [Col. 0943C] opera bona. Nam unde [nobis] essent, nisi quia fides per dilectionem operatur? Unde autem diligimus, nisi prius diligeremur?» Et unde illa dilectio Dei in nobis esset, nisi prius nos sua praeveniret gratia in qua nos dilexit, cum essemus in peccatis, et convivificavit nos Christo? «Quod autem ait: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, non aequalitatem naturae ostendit nostrae et suae, sicut est Patris et ipsius;* sed gratiam, qua est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus **(I Tim. II, 5)**. Mediatorem se ostendit, cum dixit: *Me Pater diligit, et ego vos.* Nam Pater utique diligit et nos, sed in ipso: quia in hoc clarificatur Pater, ut fructum afferamus in vite, hoc est, in Filio, et efficiamur [Col. 0943D] ejus discipuli. *Manete,* inquit, *in dilectione mea.* Quomodo {605} manebimus? audi, quid sequatur. **(VERS. 10.)** *Si* praecepta mea, inquit, *servaveritis, manebitis in dilectione mea.* In hoc enim apparebit, quod in dilectione mea manebitis, si praecepta [mea] servabitis. Nemo se fallat dicendo quod eum diligat, si ejus praecepta non servat. Nam in tantum eum diligimus, in quantum ejus praecepta servamus: in quantum autem minus servamus, tantum minus diligimus. Quid est quod dixit: *Manete in dilectione mea, nisi manete in gratia mea? Et quid est: Si praecepta mea servabitis, manebitis in dilectione mea,* nisi ex [Col. 0944A] hoc scietis quod in dilectione mea qua vos diligo manebitis, si mea praecepta servabitis? Sed quid

est illud quod adjungit:» *Sicut et ego praecepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione.* Quae sunt praecepta Patris, nisi quae ante dixit: *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio? Quod Apostolus exponens ait: Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen **(Philip. II, 8)**. Sequitur: *Et maneo in ejus dilectione.* «De hac dilectione dixit, qua diligit eum Pater. Sed nunquid et hic gratia intelligenda est qua Pater diligit Filium, sicut gratia est qua nos diligit Filius, cum simus filii gratia, non natura [*Ms.,* gratiae non naturae]: unigenitus autem [Col. 0944B] natura, non gratia?» Manet ergo Filius in dilectione qua eum dilexit Pater, et ideo servavit praecepta ejus. «Nam dicendo, *sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, gratiam mediatoris ostendit.* Mediator autem Dei et hominum, non in quantum Deus est, sed in quantum homo est Christus Jesus. Deus enim erat Verbum, unigenitus gignenti coaeternus

@ [Col. 0943D] *Al.,* «Quid est ergo ille homo ex virgine natus, nisi quod Deus susceptor est ejus? Deus enim erat [Col. 0944D] unigenitus Dei Patris Filius. Sed ut, etc.» Vid. Aug. l. cit. n. 4 in fine.: sed ut mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.»

VERS. 11.---*Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* [In vobis sit verbum meum, impleatur gaudium vestrum]. Quid est, *gaudium meum in vobis sit, nisi verbum meum in vobis impleatur? Quid est gaudium Christi in nobis, nisi salus nostra,* propter quam [Col. 0944C] factus est homo? «

@ [Col. 0944D] Ex S. Aug., tract. LXXXIII, num. 1-3. Et quid est gaudium nostrum, quod dicit implendum, nisi ejus habere consortium,» sicut in consequentibus dicit: *Volo Pater, ut ubi ego sum, et isti sint mecum? «Gaudium igitur ejus de salute nostra, quod in illo semper fuit, cum praescivit et praedestinavit nos, coepit esse in nobis, quando vocavit nos:* et hoc gaudium, merito nostrum dicimus, quo et nos beati futuri sumus.» Illius vero gaudium semper perfectum est, nec minui potest, nec habet quo crescat. «Hoc vero gaudium nostrum inchoatur in fide renascentium, implebitur in praemio resurgentium.» **(VERS. 12.)** *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* «Nam in superioribus dixit, dum de dilectione [Col. 0944D] praecepit: *Mandatum novum do vobis, modo dixit: Praeceptum meum.* Novum dixit, ne in vetustate nostra perseveremus: hic dictum est, *meum, ne contemnendum putemus.*» Repetitio vero hujus mandati [commendatio] est, quia sine charitate nullum praeceptum Deo est acceptabile, de qua et Apostolus ait: «*Plenitudo legis est charitas* **(Rom. XIII, 10)**. Ubi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse **(I Cor. XIII, 13)**? Nemo diligit qui non credit, nemo desperat qui diligit.» Et haec tria sunt, spes, fides et charitas, in quibus Christiana religio consistit: [Col. 0945A] sed majus his charitas, quia non praeterit, sed permanet. Hic incipit, sed illic perficietur, ubi permanet. «Hoc ergo praeceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus, et sic quidquid aliud praecepit, faciemus; quoniam quidquid est aliud, habemus.» Hujus dilectionis in seipso exemplum ostendit, et ideo subjunxit: *Ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* Ut quid enim nos dilexit Christus, nisi ut possimus regnare cum Christo? Ad hoc nos diligere debemus, ut habeamus Deum, et maneamus in Deo; et sic, qui se diligunt, Deum diligunt. Et haec est dilectio, qua fit Deus omnia in omnibus. Sequitur:

{606} VERS. 13.---*Majorem hac dilectionem nemo habet,* quam ut animam suam ponat quis pro amicis [Col. 0945B] suis. Quid est quod Dominus noster Jesus Christus toties charitatis praecepta iteravit, nisi quia omne praeceptum et omne opus bonum in sola charitate solidatur? «
@ [Col. 0945D] Ex Greg., hom. 27, num. 1, 2. Praecepta ergo Dominica, et multa sunt et unum: multa sunt per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Hanc itaque charitatem veraciter habet, qui et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum. Ideo subjunxit: *Sicut ego dilexi vos, id est, ad hoc amate, ad quod amavi vos.*» Unde et in cruce positus oravit pro inimicis suis dicens: *Pater, ignosce illis* **(Luc. XXIII, 34)**. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* In hoc Christi dilectio supereminet in nos, quia venit ut animam suam poneret pro inimicis suis; ad hoc tamen ut ex [Col. 0945C] inimicis faceret amicos. Sed non omnium est martyrium, tamen omnium beneficium est in fratres. Qui vero substantiam suam fratri in necessitate posito non tribuit, quomodo animam suam in persecutione daturus est pro fratre suo? Virtus vero hujus charitatis est, in pace sua distribuere pro Christi amore, ut possit in perturbatione seipsum tradere pro nomine ejus. **(VERS. 14.)** *Vos amici mei estis, si feceritis ea quae ego praecipio vobis.* Magna est dignitas amicum esse Dei. Sed videndum est quibus gradibus ad hanc celsitudinem perveniatur. Subjungit: *Si feceritis ea quae ego praecipio vobis.* Ac si aperte dicat: Gaudetis de culmine, pensate quibus laboribus venitur ad culmen. Magna est misericordia largitoris nostri: servi non fuimus digni, et amici vocamur. Ideo [*Al.,* Unde] [Col. 0945D] subjungit: **(VERS. 15)** *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quia faciat dominus ejus.* Aliud est servitium timoris, aliud amoris; quae [duo] genera ipsa Veritas in hoc eodem Evangelio exprimit, dicens: *Servus non manet in domo in aeternum, filius autem manet* **(Joan. VIII, 35)**. Filius vero servit patri propter amorem, servus autem propter timorem. De quo servitio modo Dominus dixit: *Jam non dico vos servos, sed amicos, quia filii, non servi, ideo et amici. Quia servus nescit quid faciat dominus* [ejus]: Nescit enim voluntatem domini sui, qui per timoris amaritudinem servit domino suo, et non per charitatis [Col. 0946A] dulcedinem, quasi patri serviat. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quae sunt omnia quae audivit a Patre suo, quae nota fieri voluit servis suis, ut eos perficeret amicos suos, nisi gaudia internae charitatis, nisi illa festa supernae patriae, quae nostris quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit? Sed haec cognitio, quae nunc ex parte proficit, in illa plenitudine scientiae perficietur, de qua Apostolus ait: *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* **(I Cor. XIII, 10)**. Hoc enim Dominus discipulis se fecisse dixit, quod eum facturum esse sciebat.

VERS. 16.---*Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Haec est ineffabilis [*Al.,* affabilis] gratia quae praevenit [Col. 0946B] nos, ut simus amici ex servis. Ideoque nobis non subrepat superbia, quasi pro nostris meritis aliquid acceperimus, dum filii irae fuimus. Nunc autem Filii Dei per gratiam effecti sumus, sine qua nihil possumus facere, ut paulo ante ipsa Veritas ait: *Sine me nihil potestis facere.* Et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis. «
@ [Col. 0945D] Ex eodem, loc. cit., num. 5. Posui ad gratiam, plantavi ut eatis volendo, fructus afferatis operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere, jam mente ire est. Qualem vero fructum afferre debeant, subdendo manifestat: *Et fructus vester*

maneat, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.» Nomen filii, Jesus est; Jesus autem Salvator vel etiam salutaris dicitur. Ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod ad veram salutem pertinet; nam si id [Col. 0946C] quod non expediat petimus, non in nomine Jesu petimus.

{607}
CAPUT XXXVII. *Eamdem dilectionem instantius commendans, contemnendum dicit odium mundi.* Praedicens quoque qualia pro ejus nomine sint passuri, et arguendum mundum a Paraclito de peccato, et de justitia, et de judicio manifestat.

VERS. 17.---*Haec mando vobis, ut diligatis invicem.* «
@ [Col. 0946D] Ex. S. Aug., tract. LXXXVII, num. 3. Merito itaque magister bonus dilectionem discipulis sic saepe commendat, tanquam sola praecipienda sit, sine qua non possunt prodesse caetera bona, et quae non potest haberi sine caeteris bonis quibus homo efficitur bonus. In [*Al.,* Pro] hac autem dilectione, patienter debemus pro Domino mundi odia [Col. 0946D] sustinere. Necesse est enim ut nos oderit, quos cernit nolle amare quod diligit. Sed non parum nos de seipso Dominus consolatur, qui cum dixisset: (VERS. 18) *Haec mando vobis ut diligatis invicem, adjecit atque ait: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.*» Non est discipulus super magistrum, adhaereant capiti membra; ut quod caput patiebatur prius, membra pati non recusent. (VERS. 19.) *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret.* Aliter enim mundus intelligitur in sanctis, aliter in peccatoribus; aliter qui diligunt Deum, atque aliter qui diligunt hoc saeculum. «Nam mundi hujus [Col. 0947A] nomine, saepe Ecclesia designatur, sicuti est illud: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II Cor. V, 19). Itemque illud: *Non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* **(Joan. III, 17)**. Totus mundus Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum. Sed iste mundus quem Deus in Christo reconciliat sibi, et qui per Christum salvatur, et cui per Christum peccatum omne per corpus [*Aug.,* peccatum omne donatur] donatur, de mundo electus est. Denique cum dixisset, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret, continuo subjecit: Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*» [Col. 0947B] Erant itaque de mundo, sed per gratiam electi sunt de mundo, ut non essent in mundo, in quo nati sunt de peccati radice: sed in quo renati sunt per gratiam, ut non essent in mundo, sed electi de mundo. *Elegi vos de mundo, dixit, ne quis in suis glorietur meritis;* sed qui gloriatur, in Domino glorietur **(II Cor. X, 17)**.

VERS. 20.---*Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis:* Non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Perfectus magister revocat discipulos ad exemplum quod in se ostendebat, ut in prioribus legimus. Nunc autem exhortatur eos quatenus habeant in memoria sermonem magistri: *Non est servus major Domino suo.* Hic [Col. 0947C] servum significat, qui sanctum habet timorem, et permanet in saeculum saeculi, et in quo est initium sapientiae, et intellectus bonus omnibus facientibus eum **(Psal. CX, 10)**: ibi in superioribus illum demonstrat servum, de quo et dudum ait: *Servus non manet in domo in aeternum.* Ille est servus qui pertinet ad timorem, quem foras mittit charitas, et non

permanet in domo in aeternum. **(VERS. 21.)** *Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me.* «

@ [Col. 0947D] Ex S. Aug., tract. LXXXVIII, num. 2. Quae omnia facient, nisi quae praedixit, *odio habebunt vos scilicet, et persequentur, sermonemque contemnent vestrum? Adjunxit, propter nomen meum.* Quid est aliud dicere quam me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur, et sermonem vestrum, quia meus est, ideo [Col. 0947D] non servabunt? *Sed haec omnia facient propter nomen* meum, non vestrum, sed *meum.* Tanto igitur miseriores sunt qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores qui propter hoc nomen ista patiuntur: sicut ipse alio loco dicit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam* **(Matth. V, 10)**, hoc est, propter nomen meum.» Sequitur: **(VERS. 22)** *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent:* nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Judaeos ostendit expressius [quibus missus est], et quibus promissus est antea per prophetas. «

@ [Col. 0947D] Ex eodem, tract. LXXXIX, num 1. Judaei ergo persecuti sunt Christum, quod {608} evidentissime [Col. 0948A] indicat Evangelium; Judaeis [ergo] locutus est [Christus], non aliis gentibus: in eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum et discipulos ejus. Quid est ergo, *Si non venissem, peccatum non haberent? Nunquid sine peccato erant Judaei, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi.* Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata: hoc est autem quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent. Adventus quippe ejus quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus [Col. 0948B] exitiabilis factus est. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*» De quo peccato, nisi quod non crediderunt in Christum Filium Dei, qui eis ante promissus est, et multis in lege figurationibus demonstratus; et quasi haec omnia inania essent, ita contempserunt, et non crediderunt in Christum, quia venit in plenitudine temporis factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret **(Galat. IV, 4, 5)**. **(VERS. 23.)** *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Sicut qui diligit Filium, diligit et Patrem, quia una dilectio est Patris et Filii, sicut una natura; ita et qui Filium odit, odit et Patrem.

VERS. 24.---*Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* «

@ [Col. 0948D] Ex. S. Aug., tract. XCI, num. 1, 4. Supra dixerat: *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Utique enim, qui [Col. 0948C] odit veritatem, necesse est oderit a quo et veritas nata est. Nunc dicit: *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent;* peccatum illud scilicet magnum, de quo et superius ait: *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, hoc est, peccatum, quod in eum loquentem et operantem non crediderunt.*» Quod dixit: *Nemo alius fecit in eis, tanquam si aliqui miracula sanctorum non fecissent ante in populo Dei:* aut sic ut Elias vel Elisaeus mortuos non suscitarent. Nemo tamen tanta fecit miracula, vel tanta salutis insignia humanae fecit, sicut Christus fecit in conspectu illorum: quae cuncta facile intelligit qui Evangelium legit. Ideo opus non est illa enumerare, quae Evangelium narrat, et totus mundus clamat: «Nimirum [Col. 0948D] illa sunt opera, quae in eorum valetudine tanta salutis auctor ostendit, quanta illis antea nemo donavit. Haec

enim illi viderunt, et hoc eis exprobrans adjungit, et dixit: *Nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.*» Quo sensu hoc intelligendum sit, paulo ante exposuimus. **(VERS. 25.)** *Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est:* Quia odio habuerunt me gratis **(Psal. XXXIV, 19)**. «Eorum legem dicit non ab ipsis inventam, sed ipsis datam. Gratis videlicet odit, qui nullum ex odio concessum quaerit, vel ad commodum tendit [*Aug.,* qui nullum ex odio commodum quaerit, vel incommodum [Col. 0949A] fugit].» Hi vero de quibus hoc dixit, pro beneficiis reddiderunt mala; et propter nimiam cordis malitiam oderunt diligentem eos, et benefacientem illis. **(VERS. 26.)** *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* «

@ [Col. 0949D] Ex hom. Ven. Bedae Dom *Exaudi Ex multis sancti Evangelii locis invenimus, quia discipuli ante adventum sancti Spiritus minus capaces erant ad indulgendum* [*Ms.,* intelligendum] arcana divinae sublimitatis, minus fortes ad toleranda adversa humanae pravitatis, sed eis adveniente Spiritu, cum augmento divinae agnitionis, data est etiam constantia vincendi humanae persecutionis tentamenta.» Unde eos Spiritus sancti adventu promisit roborandos esse, vel ad fiduciam praedicationis, vel ad constantiam passionis: sicut in ipso [Col. 0949B] principe apostolorum factum esse cognovimus, qui prius ad unius ancillae vocem Christum timuit confiteri, quem postea palam et in omnibus caeteris constantius, sancto Spiritu roboratus, multis Judaeorum millibus praedicavit; ita ut ad ejus praedicationem tria millia virorum legamus credidisse et baptizatos esse; et non post multum temporis etiam quinque millia credidisse **(Act. II et IV)**. Unde et ipse Christus, ut audivimus, promisit eis, dicens: *Cum autem venerit Spiritus Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis.* Utrumque dixit, *et Spiritum* Paraclitum, hoc est spiritum consolationis, *et Spiritum veritatis, ut et fiduciam habuissent praedicationis in Spiritu veritatis, et consolationem gratiae in eodem Spiritu.* Quod vero ait: *Qui a Patre procedit,* [Col. 0949C] {609} statim subjunxit, *quem ego mittam.* Significat enim quod aequaliter idem Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit, et aequaliter a Patre et Filio mittitur; sed propter distinctionem personarum, hic dicitur a Patre procedere, et a Filio mitti; et in eadem distinctione personarum unam esse operationem ac voluntatem suam cum Patris voluntate denuntiat. Venit etiam et sua sponte, quia coaequalis est Patri et Filio, ut cognoscatur unam esse voluntatem atque operationem sanctae Trinitatis.

VERS. 27.---*Ille,* inquit, *testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis.* «

@ [Col. 0949D] Ex Beda, ibidem. Quia quae Spiritu intus docente perceperunt, haec abjecto timore pristino, foris loquendo et aliis ministrando protulerunt. Ipse namque Spiritus corda eorum et [Col. 0949D] ad scientiam veritatis illustravit, et ad docenda quae nossent, culmine veritatis erexit.» *Cum autem venerit Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me.* «Tanquam diceret: odio me habuerunt et occiderunt videntes; sed tale de me Paraclitus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. *Et* vos, inquit, *testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis, perhibebit Spiritus sanctus,* perhibebitis et vos, *quia ab initio mecum estis.* Potestis praedicare, quod nostis: quod ut modo non faciatis, illius [*Ms.,* quod amodo non facitis, quia illius] Spiritus plenitudo nondum adest vobis.»

[Col. 0950A]

CAPUT XVI, VERS. 1, 2.---*Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Absque synagogis facient vos. «

@ [Col. 0950D] Ex S. Aug., tract. XCII, num. 1, 2. Curavit namque pius magister, futura discipulis pravorum bella praedicare, quo minus eos venientia possint turbare. Solent enim levius ferri adversa, quae praesciuntur,» quam quae subito ex insperato superveniunt, sicut in saeculari litteratura legitur, saepe repentini casus perturbationis fortissimos quosque in bello milites fatigare. *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* «Arbitrabantur autem obsequium se Deo praestare Judaei in eo quod ministros Novi Testamenti odiis insequebantur et morte. Sed sicut illis testimonium perhibet Apostolus: *Aemulationem Dei habent;* sed non secundum scientiam **(Rom. X, 2)**. Arbitrantur [Col. 0950B] ergo legis aemulatione [*Ms.,* aemulatores] obsequium se praestare Deo, dum praeconibus gratiae neces inferunt; sed frustra legem quae per famulum data est defendunt, qui gratiam quam ipse Filius offert accipere renuunt; incassum se Deo Patri placere aestimant, qui Dei Filium contemnere, imo etiam persequi ac blasphemare laborant.» Duo dixit illis esse ventura a Judaeis, id est, ut extra synagogam eos facerent, et ut eos interficerent. Quae etiam ad cumulum damnationis illius populi pertinebant, et ad salutem gentium profutura fuissent, sicut Paulus in Actibus apostolorum illis Judaeis dixit: *Quia indignos vos verbo Dei fecistis, ecce convertimur ad gentes:* Sic enim praecepit nobis Dominus: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum [Col. 0950C] terrae **(Actor. XIII, 46)**. Sequitur: **(VERS. 3.)** *Et haec facient, quia non noverunt Patrem neque me.* «

@ [Col. 0950D] Ex Beda, loc. cit. Quia enim Filius in Patre est et Pater est in Filio, et qui videt Filium videt et Patrem: patet profecto quia quicunque Filii credulitatem obstinata mente rejiciunt, nec Patrem nosse probantur.» **(VERS. 4.)** *Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* Magna consolatio est discipulorum, reminisci ante praedicta esse a magistro quae passuri essent, et eumdem se scire habere adjutorem et remuneratorem, pro cujus nomine talia passuros se esse praedictum est illis.

VERS. 5.---*Haec ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram.* Quae sunt quae ab initio illis non dixit? [Col. 0950D] Etiam de Spiritu sancto, quem missurus erat illis a Patre, et de consolatione et confortatione [*Ms.,* confirmatione] ejusdem Spiritus, quo consolandi et roborandi fuissent, ut omnia mundi adversa vel Judaeorum scandala et persecutiones, libero animo formidare non debuissent. *Haec ab initio non dixi, quia vobiscum eram, quia mea praesentia consolabatur vos;* et nunc vadens ad Patrem, necessarium habetis Spiritum sanctum, qui vos consoletur et confirmet in omni tribulatione et passione, quam passuri eritis. *Et* [Al., *At*] nunc vado ad eum qui me misit, et nemo, inquit, *ex vobis interrogat me, quo vadis?* [Col. 0951A] «

@ [Col. 0951D] Ex S. Aug., tract. XCIV, num. 3. Significat sic se iturum ad eum qui misit illum, ut nullus interrogaret quod palam fieri visu corporis cernerent: nam superius interrogaverant eum quo {610} esset iturus, dum ad passionem properavit; et respondit eo se iturum quo ipsi tunc venire non poterant. Nunc vero ita se promisit iturum, ut nullus, *quo vadis, interroget;* nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis; et euntem in coelum non verbis quaesierunt, sed oculis viderunt [*Aug.,* deduxerunt]. (VERS. 6.) *Sed* quia haec locutus sum vobis, inquit, *tristitia implevit cor vestrum.*

Videbat utique quid illa sua verba in eorum cordibus agerent. spiritalem quippe nondum habentes interius consolationem, quam per Spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant.» (VERS. [Col. 0951B] 7.) *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam.* «

@ [Col. 0951D] Ex Bedae hom. Dom. *Cantate.* Expedit ut forma servi vestris subtrahatur aspectibus, quatenus amor divinitatis aptius vestris infigatur mentibus. Expedit ut notam vobis formam coelo inferam, quatenus per hoc majore desiderio illuc suspiretis. *Si autem non abiero, Paraclitus non veniet ad vos:* si autem abiero, mittam eum ad vos. Non quia non poterat ipse in terra positus dare Spiritum discipulis, haec loquitur; cum aperte legatur, quia post resurrectionem apparens eis, insufflavit et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum* **(Joan. XX, 22)**: sed quia ipso in terra posito, et corporaliter conversante cum eis, non valebant ad illum erigere mentem, ad sitienda munera gratiae coelestis. Ascendente autem illo ad coelos, et illi pariter [Col. 0951C] omne desiderium suum illo transferebant. Ideo capaces Spiritus sancti jam facti erant, non ultra de morte ejus contristati, sed de promissionis ejus [*Ms.,* Spiritus sanctus] munere [erant] laetati. Patet autem, nec laboriosa expositione indiget, cur eumdem Spiritum Paraclitum, id est, consolatorem cognominaverit: quia nimirum corda discipulorum, quae recessus ipsius moesta reddidisset, hujus consolaretur et recrearet adventus.» Non quod antea Spiritus sanctus non esset in cordibus discipulorum, vel etiam in antiquorum sanctorum, sed manifesta plenitudine ante sic non fuit datus, quomodo post ascensionem die decima in centum viginti nomina transmissus legitur. Sed in nullo opere cujuslibet [Col. 0951D] personae, Patris, vel Filii, vel sancti Spiritus totius sanctae Trinitatis operatio defuit; sed oportebat ita insinuari Trinitatem, ut, quamvis nulla esset diversitas substantiae, singillatim tamen commendaretur distinctio personarum.

VERS. 8.---*Cum autem venerit ille, arguet mundum.* Quid est, quod dixit, *cum venerit ille, arguet mundum?* «

@ [Col. 0951D] Ex S. Aug., tract. XCV, num. 1. Nunquidnam Christus, dum esset in mundo, non arguit mundum de his omnibus quae sequuntur? Sed Christus solam Judaeorum gentem arguit; Spiritus vero sanctus, in discipulis ejus toto orbe diffusis, non unam gentem intelligitur arguisse, [Col. 0952A] sed mundum. In quo arguit? In eo quia per Spiritum sanctum charitas diffusa est in cordibus eorum **(Rom. V, 5)**, quae foras mittit timorem, ut non metuerent mundum, id est, amatores mundi arguere. *De peccato, et de justitia, et de judicio.* Quam sententiam ipse Christus exposuit dicens: **(VERS. 9.)** *De peccato quidem, quia non credunt in me.*» «

@ [Col. 0952D] Ex Bedae hom. citata. Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides origo virtutum, ita solidamentum est vitiorum in incredulitate persistere, Domino terribiliter attestante, qui ait: *Qui autem non credit, jam judicatus est* **(Joan. III, 18)**, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei:» judicatus dixit, id est, damnatus. **(VERS. 10.)** *De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* «Justitia discipulorum Christi [Col. 0952B] erat [*Beda, Christi confessio erat*] quod Dominum quem verum hominem cernebant, verum quoque Dei Filium esse crediderunt; et quem sibi corporaliter ablatum noverant, certo semper amore colebant. Justitia caeterorum fidelium, id est, eorum qui Dominum in carne non viderunt, haec est: quod eum, quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deum et hominem verum corde credunt ac diligunt. De qua profecto justitia fidei arguuntur infideles, cur ipsi videlicet, cum

similiter verbum vitae audirent, noluerunt ei credere ad justitiam. Neque enim nequitia malorum ex sua solum pravitate [*Beda, tortitudine*], verumetiam ex comparatione rectorum, quam sit damnanda, denuntiat. Arguit ergo mundum, id est, infideles, Spiritus sanctus de peccato, quia non [Col. 0952C] crediderunt in Christum; arguit de justitia credentium, quia exemplum eorum sequi noluerunt, qui hunc ad Patrem ascendisse, neque ultra corporaliter in terris conversaturum esse, sciebant; {611} nec tamen ab ejus dilectione poterant ulla ratione separari; hoc est enim quod ait: *Quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Non videbitis me, postquam ascendero, qualem nunc videre soletis, carne mortali et comprehensibili [*Beda, corruptibili*] circumdatum: sed in majestate ad judicium venientem, et peracto judicio, in majore gloria cum sanctis apparentem. Sequitur: **(VERS. 11.)** *De judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus est.* Principem mundi diabolum dicit, quia primatum in cordibus infidelium tenuit, quos hic mundi nomine voluit intelligi; [Col. 0952D] qui ordine perverso, mundum potius quam mundi creatorem diligunt; qui judicatus est a Domino, qui ait: *Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de coelo* **(Luc. X, 18)**. Judicatus est ab eo, cum et ipse daemonia ejiceret, et discipulis daret potestatem calcandi supra omnem virtutem inimici. Arguitur itaque mundus de judicio, quo diabolus est judicatus, quando homines, ne Dei voluntati resistere praesumant, exemplo damnati propter superbiam terrentur archangeli.» «
@ [Col. 0952D] Ex S. Aug., tract. XCV, num. 4. Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis [Col. 0953A] suae, quo peccata omnia tenentur [*Ms.,* quo peccato omnia detinentur]; transeant in numerum fidelium, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur; caveant futurum judicium, ne cum mundi principe judicentur, quem judicatum imitantur; etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.» Sequitur:

VERS. 12, 13.---*Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. «
@ [Col. 0953D] Ex Bedae hom. citata. Certum est autem quod veniente desuper Spiritu, apostoli majorem multo scientiam veritatis quam carnales eatenus potuere, consecuti sunt, majore desiderio certandi pro veritate succensi sunt. [Col. 0953B] Non tamen putandum est in hac vita quempiam omnem veritatem posse comprehendere. Unde et ipse beatus Paulus apostolus, qui ad tertium coelum raptus est, et ibi audivit arcana verba, quae non licet homini loqui **(II Cor. XII, 4)**, ait: *Ex parte, inquit, cognoscimus, et ex parte prophetamus;* cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est **(I Cor. XIII, 9)**. Intelligendum est ergo, quod ait de Spiritu, *docebit vos omnem veritatem, quasi diceret:* Diffundet in vestris cordibus charitatem, quae vos omnem veritatem faciet amare: cujus magisterio intus edocti, proficiatis de virtute in virtutem, dignique efficiamini pervenire ad vitam, in qua vobis aeterna claritas summae veritatis et verae sublimitatis, id est, contemplatio vestri conditoris appareat.» [Col. 0953C] Sequitur: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur.* Non enim loquitur Spiritus a semetipso, fortassis quia non est a semetipso, sed a Patre. Nam Filius natus est a Patre, et Spiritus sanctus procedit a Patre: non enim loquitur a semetipso, id est, sine Patris et Filii communione [*Al.,* commotione]. Non enim divisus est Spiritus sanctus a Patre et Filio, sed unum opus est Patris et Filii et Spiritus sancti. «Sed quaecunque audiet, loquetur: audiet videlicet per unitatem substantiae et proprietatem

scientiae. Non loquitur a semetipso, quia non est a semetipso. Pater quippe solus de alio non est, Filius a Patre genitus, et Spiritus sanctus a Patre procedit. Ab ipso enim audiet Spiritus sanctus a quo [Col. 0953D] procedit, quia non est a seipso, sed ab illo a quo procedit. [A quo est illi intelligentia (*Beda, essentia*), ab illo utique et scientia]. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia. Quod vero adjunxit: *Et quae ventura sunt, annuntiabit vobis.* Constat enim nonnullos sanctorum in Spiritu sancto futura praedixisse;» sed tamen altius sunt haec verba Domini consideranda, quae omnibus sanctis communia esse possunt. «Igitur Spiritus adveniens, quae ventura sunt annuntiat, cum gaudia nobis patriae coelestis ad memoriam reducit, cum festa illa supernae civitatis per donum nobis suae aspirationis innotuit. Ventura nobis annuntiat, cum nos a dilectione [Col. 0954A] [*Ms.* et Beda, delectatione] praesentium abstrahens promissum in coelis regnum nostris cordibus desideriis [*Beda, promissi in coelis regni desideriis*] inflammat.

VERS. 14.---*Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Spiritus clarificavit Christum, quia per eum tanta charitas in cordibus discipulorum accensa est, ut abjecto timore carnali effectum resurrectionis ejus constanter praedicarent, {612} qui paulo ante tempore passionis pavidi fugerant. Unde scriptum est: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia* **(Actor. IV, 31)**. Spiritus clarificavit Christum, cum impleti gratia spiritali doctores sancti, tot et tanta miracula in nomine Christi fecerunt, quibus orbem [Col. 0954B] totum ad fidem Christi converterent, tot ac tanta pro Christi nomine passionum certamina pertulerunt
@ [Col. 0953D] Deficiunt, quae ex Beda suppleantur.» Clarificat, dum charitatem in cordibus nostris diffundit, et aeternae patriae amorem inspirat. *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, id est, de meo Patre.* De Patre accepit Spiritus sanctus, quia de Patre procedit, de quo et Filius natus est: qui vero de nullo natus sit, de nullo procedit, Pater est solus. **(VERS. 15.)** *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* De his dixit quae ad ipsam Patris divinitatem pertinent, in quibus ille est aequalis Patri; in quibus est et Spiritus sanctus aequalis Patri et Filio, quia una substantia, una natura, una majestas, una gloria, una aeternitas [est] Patris, et Filii, et Spiritus [Col. 0954C] sancti, et est unus Deus omnipotens, invisibilis, incomprehensibilis omni creaturae, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Sequitur:

CAPUT XXXVIII.

Modicum se ab eis videndum dicit: et iterum modicum, et non videndum. De quo quaerentibus discipulis, similitudinem mulieris post partum prae gaudio tristitiae non reminiscentis inducit. Et quos a Patre amari significat, corroborat relicturus dicens: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum

VERS. 16-19.---*Modicum, et non videbitis me, iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem.* «
@ [Col. 0954D] Ex Bedae hom. Dom. *Jubilate.* Notandum autem, quia tota lectionis hujus evangelicae [Col. 0954D] series illis convenit, qui eam praesentes audierunt a Domino: prius

autem illis [*Ms.* et Beda, Pars autem illius] etiam et nobis, qui post passionem et resurrectionem Dominicam ad fidem venimus, aptissime congruit. Quod autem ait: *Modicum, et non videbitis me, iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem, ad illos specialiter pertinet, qui ejus discipulatui praedicantis in carne adhaerere, et post tristitiam passionis visa resurrectione et ascensione ejus laetificari meruerunt.»* Modicum etiam fuit ab illa hora illius noctis qua traditus est, in horam passionis suae, quod eum discipuli carnaliter videbant; et iterum modicum fuit quod clausus [Col. 0955A] in sepulcro, tertia die resurrecturus jacuit, et illorum aspectibus videri non potuit. Hoc est quod ait: *Modicum, et non videbitis me;* quod vero ait: *Iterum modicum, et videbitis me, significat tempus post resurrectionem, quo cum discipulis conversatus est, et illis multimoda ostensione apparuit, usque dum ascendit in coelum illis videntibus, ut in Evangelio Lucae et Actibus apostolorum legitur:* et hoc est quod ait, *quia vado ad Patrem.* «Ac si patenter dicat: Quia post modicum a vestris aspectibus in monumenti claustra abscondor, et iterum post modicum destructo mortis imperio vobis intuendus apparebo. Quia tempus est, ut expleta dispensatione assumptae mortalitatis, cum resurrectionis triumpho jam revertar ad Patrem.» Haec vero verba Domini, [Col. 0955B] ut dixi, illis speciatim qui ejus resurrectionem videre potuerunt, conveniunt; quae apostoli tunc temporis non potuerunt intelligere. Et hanc illorum ignorantiam pius magister intelligens, subsequenter secundum animi illorum dubitationem respondit, quasi expositurus, quid esset, quod dixit: *Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me.*

VERS. 20.---*Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* «Et ipsorum, et totius Ecclesiae statui congruit. Plorabant quippe et flebant amatores Christi, cum illum comprehendi, ab hostibus ligari, ad concilium duci, {613} damnari, crucifigi, mori et sepeliri [Col. 0955C] viderent. Gaudebant multi [*Ms.* et Beda mundi] amatores, quos propter infimas cogitationes mundum vocat Dominus, cum morte turpissima condemnarent illum, qui gravis erat eis etiam ad videndum. Contristabantur discipuli posito in morte Domino; sed agnita ejus resurrectione, tristitia illorum versa [est] in gaudium; visa ascensionis potentia, jam majore gaudio sublevati, laudabant et benedicebat Dominum, ut Lucas evangelista testatur **(Actor. II)**. Sed et cunctis fidelibus hic Domini sermo convenit, qui per lacrymas pressurasque praesentes, ad gaudia aeterna pervenire contendunt:» *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent, euntes ibant et flebant* **(Psal. CXXV, 5, 6)**, quatenus in aeterna beatitudine laboris sui mercedem recipiant. Mundus autem, id [Col. 0955D] est, mundi amatores gaudebant, qui ad aeterna gaudia se praeparare per lacrymas et afflictiones despiciunt: vos autem contristabimini per labores et pressuras; sed tristitia vestra vertetur in aeternae beatitudinis laetitiam. Sequitur:

VERS. 21.---*Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus.* «Mulierem dicit sanctam Ecclesiam, propter fecunditatem bonorum operum; et quia spiritales Deo filios gignere nunquam desinit. Haec *mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus.* Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Quia nimirum sancta Ecclesia quandiu in [Col. 0956A] mundo spiritalium virtutum profectibus insistit, nunquam mundi tentationibus exerceri desistit:

at cum devicto laborum certamine ad palmam pervenerit, jam non meminit pressurae praecedentis, propter gaudium perceptae retributionis. *Non sunt enim condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII, 18)**. *Non meminit,* inquit, *pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Sicut enim mulier, nato in hunc mundum homine, laetatur, ita Ecclesia nato in vitam futuram fidelium populo, digna exsultatione repletur; pro qua ejus nativitate multum laborans et gemens in praesenti, quasi parturiens dolet. Nec novum debet cuiquam videri, si natus dicitur qui ex hac vita migraverit: quomodo enim consuete nasci dicitur, [Col. 0956B] cum quis de utero matris procedens hanc in lucem ingreditur; ita etiam rectissime potest natus appellari, qui solutus a vinculis carnis ad lucem sublimatur aeternam. Unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut dies beatorum martyrum sive confessorum Christi, quibus de saeculo transierunt, natales vocitemus, eorumque solemnia non funebria, sed natalia [*Beda, natalitia*] dicantur. Sequitur Dominus exponens ipse paradigma, quod de muliere proposuit: **(VERS. 22)** *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis;* iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Quod de ipsis quidem discipulis facile intelligitur, quia tristitiam habuerunt passo ac sepulto Domino; sed peracta resurrectionis gloria, gavisi sunt viso Domino, et gaudium eorum [Col. 0956C] nemo tollet ab eis.» Licet pressuras ac persecutiones passi essent in hoc mundo, semper in spe gaudebant futurae retributionis, pro eo quod digni essent pro nomine Jesu contumelias pati **(Actor. V, 41)** . *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum;* et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. «Videt itaque electos post tristitiam Dominus, cum eorum patientiam damnato impugnatore remunerat.»

@ [Col. 0955D] Hucusque ex homilia Bedae citata. *Videbo vos, id est, cum assumpsero vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis,* et in illa visione perpetuae gloriae *gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nermo nemo tollet a vobis:* quia ibi nullus adversarius, nullus persecutor, nemo qui tristitiam ingerat animis vestris, dum videtur [*Ms.,* videbitur] Deus deorum in Sion (Psal. [Col. 0956D] LXXXIII, 8); *et cum apparuerit Christus,* tunc et vos apparebitis, ut Apostolus ait, *cum illo in gloria* **(Coloss. III, 4)**. Sequitur: **(VERS. 23)** *Et illa die me non rogabitis quidquam.* «

@ [Col. 0955D] Ex S. Aug., tract. CI, num. 4. Hoc enim verbum, quod est rogare, non solum petere, sed etiam interrogare significat, sicut et in Graeco habet, unde hoc Evangelium translatum est.» Significat vero, quod ait Dominus, illud tempus quo gaudium nostrum nemo tollet a nobis; ubi jam nihil rogemus, nihil interrogemus: quia nihil desiderandum remanebit, nihil quaerendum latebit.

VERS. 24.---*Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* «

@ [Col. 0956D] Ex eodem, tract. CII, num. 2, 4. Duobus modis intelligi potest; vel quia [Col. 0957A] non in nomine meo petistis, quod nomen non, sicut cognoscendum {614} est, cognovistis: vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis,» quia qui petit, quod ad senpiternam [*Ms.,* supernam] salutem et gaudium aeternum non pertinet, nihil petere videtur ad comparationem illius petitionis, quam petere debuit. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Vel ita intelligendum est: Non petierunt eatenus in nomine Salvatoris, quia dum ipsius Salvatoris visibilem praesentiam contemplarentur, minus ad invisibilia salutis dona mentis intuitum erexerant. Qui vero contra rationem salutis suae

petit, non petit in nomine Jesu. Hinc et Dominus sequenter ait: *Petite et accipietis,* ut gaudium vestrum sit [Col. 0957B] plenum, significans, quid sit nobis petendum, id est, ut plenum sit gaudium nostrum: unde ait, *et accipietis.* Si illa petimus quae ad plenitudinem laborum pertineant et gaudiorum, accipiemus. Plenum ergo gaudium, beatitudinem perpetuae pacis appellat. Ait itaque: *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum;* ac si patenter dicat: Non fluxa saeculi gaudia, quae et moerore semper mixta et dolore finienda sunt; sed illud singulare gaudium a Patre petite, cujus plenitudo nullo [unquam] cujuslibet inquietudinis attactu minuatur, aeternitas nullo unquam termino dissolvatur. Si ergo talia petendo perstiteritis, talia petendo procul dubio quae petitis accipietis, si mores menti concordant petentis; parum enim utilitatis affert bene orando superna quaerere, qui non desistit [Col. 0957C] perverse vivendo infimis implicari. **(VERS. 25.)** *Haec in proverbiis locutus sum vobis.* Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Nam adhuc parvuli fuerant, necdum intelligere potuerant, quomodo Pater esset in Filio, et Filius in Patre; et caetera quae ad profunda mysteriorum divinitatis pertinebant, necdum scire potuerunt. Ideo in proverbiis, quasi in aenigmate, loqui illis videbatur Dominus; sed promittit ille horam, in qua palam illis de Patre loqueretur. Illam nimirum horam significabat, qua eis, peracta sua passione ac resurrectione, Spiritus sancti erat gratiam daturus. Tunc etenim spiritaliter intus instructi, spiritali delectatione succensi, quo perfectius omnia quae de agnitione divinitatis mortalibus erant capienda, ceperunt; [Col. 0957D] eo ardentius sola quae ad ejus visionem promerendam juvarent, appetere ac desiderare curaverunt.

VERS. 26.---*Illa die in nomine meo petetis, id est, quae ad salutem tantummodo animarum vestrarum.* et quae ad gaudia aeterna pertinere videantur, petere incipietis. Et maxime ut intelligatis, quid sit quod dixi: *Ego et Pater unum sumus, vel quomodo Pater sit in me, et ego in Patre.* «Tunc in ejus nomine petunt, qui petunt, quia in solo ejus nomine [*Aug.,* in sono ejus nominis] non aliud quam res ipsa est, quae hoc nomine vocatur, intelligunt. Hi possunt utcunque cogitare Dominum nostrum Jesum Christum, in quantum homo est, pro nobis interpellare Patrem; in quantum Deus est, nos exaudire cum Patre,» quod [Col. 0958A] eum significasse arbitror, ubi ait: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.* Potest enim non inconvenienter accipi quod ait: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis:* quia non de praesenti, *rogo;* sed de futuro [tempore] posuit *rogabo, quod sanctis ad internam pacem* [*Ms.,* in interna pace] receptis, non opus sit jam aliquid rogare [de] illis, quia nimirum tanta beatitudine donandi sint, quae amplior esse non possit. **(VERS. 27.)** *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis, et credidistis, quia a Deo exivi.* Non ita intelligendum est, quod dixit: *Quia vos me amatis, quasi priores illi amarent Christum:* sed ita potius quia Pater illos gratuito amore praevenerit, atque ad amandum credendumque Filium, a mundo sustulerit; et quia ipsi agnitam Filii [Col. 0958B] dilectionem ac fidem pio et sollicito corde servaverint, majoribus eos donis paternae dilectionis esse remuneratos, una cum Filio et Spiritu sancto amare, quos amore dignos judicat. Quod vero adjunxit, *quia vos me amatis, eadem ratione sentiendum est.* Quapropter quicunque Filium recte amat [*Ms.,* recte habet], hunc cum Patre et Spiritu sancto amet [*Ms.,* amat]: quia quorum inseparabilis est natura divinitatis, horum una eademque sunt dona virtutis: hoc est, quod amatis et creditis [*Al.,* credidistis] *quia a Deo exivi.*

{615} VERS. 28.---*Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Exivit a Patre, et venit in mundum, quia visibilis mundo apparuit in humanitate, qui erat invisibilis apud Patrem [Col. 0958C] in divinitate; exivit a Patre, quia non in ea forma qua aequalis est Patri, sed in assumpta creatura minor apparuit. *Et venit in mundum, quia in ea forma servi quam accepit, etiam mundi hujus amatoribus se videndum praebuit.* Iterum reliquit mundum, et rediit ad Patrem, quia ab aspectu amatorum mundi, quod viderant, abstulit, et se amatoribus suis aequalem Patri esse credendum docuit. Reliquit mundum, et rediit ad Patrem, quia humanitatem quam induit, per ascensionem ad invisibilia paternae majestatis adduxit. Haec quidem verba Domini mystica, et sicut ipse testatur, *in proverbiis sunt dicta.* Sed discipuli quibus dicebantur adeo carnales adhuc erant, ut eorum profunditatem minime caperent; et non solum [Col. 0958D] arcana dictorum, sed nec ipsam ignorantiam suam intelligerent, putantes simpliciter et dilucide prolata, quae non intelligentibus proverbia erant: et continuo responderunt: **(VERS. 29)** *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.* Palam igitur eum loqui aestimabant, cujus mysteria dictorum necdum comprehendere valebant. Quod autem adjungunt: (VERS. 30) *Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.* In hoc credimus, quia a Deo exiisti: aperte ostendunt quia loquens ad eos Dominus, de his maxime disputabat, quae illos delectabat audire et quae illi interrogare volebant. Haec ipse praeveniens eos, ultro proferebat, unde merito illum scire omnia quasi Deum, et quasi Dei Filium a Deo venisse credunt et confitentur. Apertum namque divinitatis [Col. 0959A] indicium est cogitationum nosse secreta.

VERS. 32.---*Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria.* Venit itaque hora passionis meae, qua solus torcular calcare habeo, et nemo [nec] saltem ex vobis mecum remanebit, sed dispergemini in propria, id est, vestrae infidelitatis timore. Quasi diceret: Ita perturbabimini, ut etiam quomodo vos modo credere putatis, omnino relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem et suae fidei oblivionem, ut nec quid ante crederent recordati sint. Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fidem qua in eum crediderant. In ea vero pressura quam post ejus glorificationem accepto Spiritu sancto pertulerunt, non eum reliquerunt: et quamvis fugerent de civitate in civitatem, ad ipsum [Col. 0959B] refugeretur [*Ms.,* ab ipso non refugerunt]. Dato quippe illis Spiritu sancto, factum est in eis quod nunc dictum est eis: *Confidite, ego vici mundum.* «
@ [Col. 0959B] Ex S. Aug., tract. CIII, num. 3. Confiderunt et vicerunt. In quo, nisi in illo? Non enim vicisset [ille] mundum, si membra ejus vinceret mundus. Unde ait Apostolus: *Gratias Deo, qui dat nobis victoriam;* continuoque subjecit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum* **(I Cor. XV, 57)** , qui dixerat suis: *Confidite, quia ego vici mundum.*»
Sermonem ita concludit: **(VERS. 33)** *Haec locutus sum vobis,* ut in [Col. 0960A] me pacem habeatis. Non tantum ad haec verba respicit quae hic in sancto convivio locutus est eis, sed ad omnia quae ab initio discipulatus eorum vel loquebatur, vel in praesentia illorum agebat: haec omnia ad hoc pertinent, ut pacem habeamus in illo, licet pressuras et persecutiones patiamur in mundo. [Et] in magna spe consolationis concludit haec verba: *Sed confidite, ego vici mundum.* Non enim caput in se solummodo, sed etiam in membris suis vicit mundum. Ideo non timendae sunt persecutiones hujus mundi. Et haec omnia sunt agenda, ut pacem habeamus in illo. «
@ [Col. 0960B] Ex eodem, tract. CIV, num. 1. Hanc enim causam commendavit sermonis

sui, ut in illo pacem haberent, propter quam Christiani sumus. Haec enim pax finem temporis non habebit; et omnis piae nostrae intentionis actionisque finis, ipsa erit. [Col. 0960B] Propter hanc sacramentis ejus imbuimur, propter hanc mirabilibus ejus operibus et sermonibus erudimur, propter hanc Spiritum ejus pignus accepimus, propter hanc in eum credimus et speramus, ut ejus amore, quantum ipse donat, efficiamur digni; per hanc pacem in pressuris omnibus consolamur; per hanc et a pressuris omnibus liberamur; propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac sine ulla tribulatione regnemus.» Sequitur.

{616} LIBER SEPTIMUS.

CAPUT XXXIX.

Ad Patrem de clarificatione sua loquens, discipulos prolixa et multimoda prosecutione commendat, passione protinus imminente. [Col. 0959C]

CAPUT XVII, VERS. 1.

---*Sublevatis Jesus oculis in coelum dixit:* Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Potuit silenter haec eadem verba orationis Patri Filius dicere; sed oratio Filii doctrina est discipulorum, nec non et eorum qui illorum exempla sequi voluissent [*Ms.,* voluerint], vel eorum scripta legere. Dixit: *Venit hora.* Hora itaque passionis appropinquat. *Clarifica Filium tuum, id est, resurrectionis gloriam praecedat humilitas passionis, et subsequatur cito resurrectionis clarificatio.* Sequitur: *Ut Filius tuus clarificet te.* Clarificatio Patris aeterna est, quae nec [Col. 0959D] augeri nec minui potest. Sed haec clarificatio ad notitiam Dei Patris pertinet, ut resurrectionis gloria in Filio peracta, innotesceret Deus Pater in toto orbe, qui ante in Judaeis tantummodo notus erat. «
@ [Col. 0959D] Ex S. Aug., tract. CV, num. 1-8. *Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, quasi dixisset:* Resuscita me, ut innotescas in toto orbe per me.» Sequitur: **(VERS. 2.)** *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Id est, omnis hominis, a parte totum, caro pro homine. Haec ait ut ostenderet magis ac magis quomodo clarificaturus esset Patrem. «Sicut ergo dedisti ei potestatem, inquit, omnis carnis, ita te clarificet Filius; id est, notum te faciat omni carni, [Col. 0960C] quam dedisti ei. Sic enim dedisti. **(VERS. 3.)** *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.* Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Ordo verborum est, ut te et quem misisti Christum Jesum cognoscant solum Deum verum.» Plena cognitio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti plena est et perfecta vita aeterna; perfecta vita aeterna, summa beatitudo est; summa beatitudo non est, nisi in vita aeterna. Ideo dixit: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum solum et verum Deum.*

VERS. 4.---*Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Quid est quod praeterito tempore posuit, *clarificavi et consummavi,* et statim

subjunxit futuri temporis verbum *faciam,* [Col. 0960D] nisi quod omnia Deo sunt praesentia, et in divina praedestinatione futura quasi transacta esse credenda sunt? Quod enim futurum fuit ut fieret, hoc quasi transactum fuit. *Ego te clarificavi, quasi dixisset:* Ego te clarificabo praedicationis gloria, quam in discipulis suis toto mundo efficit; dum opus consummabo passionis meae et resurrectionis, quod dedisti mihi ut faciam. **(VERS. 5)** *Sed nunc vero clarifica me, tu Pater.* «Dicendo enim, *te clarificavi super terram, se autem a Patre apud eumdem Patrem postulat clarificandum, modum profecto utriusque clarificationis ostendit.* Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, eum [Col. 0961A] gentibus praedicando: Pater vero ipsum apud semetipsum, ad suam dexteram collocando. Subjunxit: *Claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Ordo verborum est, *quam habui apud te priusquam mundus esset.* In hoc valet quod ait: *Et nunc clarifica me, hoc est, sicut tunc, ita et nunc;* sicut tunc praedestinatione, ita et nunc perfectione; fac [*Ms.,* statue] in mundo quod apud te fuerat ante mundum; fac [*Ms.,* statue] in suo tempore quod ante omnia tempora statuisti. Convenit nos intelligere in hoc loco praedestinationem claritatis humanae quae in illo est naturae, ex mortali immortalis apud Patrem futurae; et hoc jam praedestinando factum fuisse, antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Si enim de nobis dixit hic videns [Col. 0961B] praedestinationem Filii Apostolus: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* **(Ephes. I, 4)**
@ [Col. 0961D] Supple ex Aug. loc., cit.: «Cur abhorrere putatur a vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, [Col. 0962D] quando nos in ipso, ut membra ejus essemus, elegit.».» Nec formidare debemus praedestinatum dicere Filium Dei secundum humanitatem, qui in tempore suo venit {617} in mundum, ante tamen omnia tempora praedestinatum esse [*Ms.,* praedestinatus est]. «Illud autem praedestinatum fuit, quod nondum erat, ut fieret, quod Deus voluit ut esset. De qua praedestinatione ait Apostolus in principio Epistolae ad Romanos: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute* **(Rom. I, 2)**. Secundum hanc praedestinationem etiam clarificatus est antequam mundus esset, ut et claritas ejus esset ex resurrectione mortuorum apud Patrem ad cujus dexteram sedet.»

[Col. 0961C] VERS. 6.---*Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Quod ergo facturus erat per doctores sanctos in toto orbe post gloriam resurrectionis et ascensionis suae, et post Spiritus sancti dona, quae in discipulos delata sunt, hoc quasi factum esse dixit. «
@ [Col. 0962D] Ex S. Aug., tract. CVI, num. 1, 2, 4, 5, 6. Tale est hoc, quale et illud quod Paulo ante dixit: *Ego te clarificavi super terram:* pro tempore futuro et illic et hic praeteritum ponens tempus, sicut qui sciret praedestinatum esse ut id fieret, et ideo fecisse se dicens quod erat sine ulla dubitatione facturus. Sequitur:

VERS. 7, 8.---*Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.* Nunc cognoverunt quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt et cognoverunt [Col. 0961D] vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. Quanquam et haec omnia de omnibus futuris fidelibus dici potuerint re imperfecta [*Ms.* spe perfecta; *Aug.,* spe jam perfecta], cum adhuc essent futura, tamen et haec specialiter de discipulis dici possunt ad quos tunc praesentialiter loquebatur, quia illud quod sequitur: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine*

tuo; quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex his periit, nisi filius perditionis (Judam significans, qui tradidit eum, qui unus fuit de duodecim) magis huic sensui convenit, ut apostolis specialiter haec loqueretur. Deinde subjungit: *Nunc* [Col. 0962A] autem ad te venio, cum [*Aug.,* unde] manifestum est eum de corporali sua dixisse praesentia: *Cum essem cum eis, ego servabam eos;* veluti jam cum eis ea praesentia non esset. Eo modo enim significare voluit ascensionem mox futuram, de qua dicit: *Nunc autem ad te venio:* iturus utique ad dexteram Patris; unde venturus est ad vivos et mortuos judicandos, praesentia itidem corporali secundum fidei regulam sanamque doctrinam. Nam praesentia spiritali cum eis erat semper, et cum tota Ecclesia sua in hoc mundo usque in consummationem saeculi.» Quod vero ait, ut ad superiora redeamus, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, non illud nomen quod Deus es, sed illud nomen quod Pater meus es:* quod nomen manifestari [Col. 0962B] non potest sine illius Filii manifestatione. Nam vero illud nomen quod Deus est, nulli naturae rationabili incognitum omnimodis esse putavit. Haec est enim verae vis divinitatis, ut creaturae rationali non omnino incognitus possit abscondi, exceptis paucis in quibus natura rationalis nimium depravata est. Propemodum omnes gentes Deum esse fatentur, licet diversis erroribus verum Deum agnoscere impediantur. Quod vero in Psalmis legitur: *Notus in Judaea tantum Deus* **(Psal. LXXV, 2)**, quia legitimo cultu tantummodo Deum verum cognoverunt et coluerunt: in hoc vero quod Pater est Christi per quem tollit peccata, ignotum fuit antequam venisset Christus in mundum; nisi tantum quibus Deus per spiritum prophetiae revelavit hoc mysterium magnum et absconditum, [Col. 0962C] quod post adventum ejus in mundum, praedicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Quod vero addidit: *Quos dedisti mihi, hoc est, quod paulo ante dixit: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum.* Quos dedisti mihi de mundo, hoc est, quibus per regenerationem hoc praestitit, non quibus natura per nativitatem contulit. Quid est quod sequitur: *Tui erant, et mihi eos dedisti? In humanitate hanc potestatem se accepisse a Patre dicit, ut eos haberet quos Pater elegit et praedestinavit ante constitutionem mundi;* non solum Pater, sed et Filius et Spiritus sanctus, ut sit unum opus sanctae Trinitatis inseparabilis et omnimodo aequalis. Pereat hic [Col. 0962D] carnalis cogitatio. De mundo sibi a Patre dicit Filius datos esse homines, quibus alio loco dicit: *Ego vos de mundo elegi* **(Joan. XV, 19)**. Quos de mundo Dei Filius elegit cum Patre, idem ipse homo Filius de mundo eos accepit a Patre. «Sequitur: *Et sermonem tuum servaverunt:* nunc cognoverunt, {618} *quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt.* Id est, cognoverunt, quae abs te sunt [*Aug.,* cognoverunt, quia abs te sum]. Simul enim Pater dedit omnia, cum genuit [eum] qui haberet omnia;» sicut in prioribus hujus Evangelii ipse Dominus dicit: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, id est,* genuit Filium vitam habentem in [Col. 0963A] semetipso. «*Quia verba quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, id est, intellexerunt atque tenuerunt.* Tunc enim verbum accipitur, quando mente percipitur et tenetur, ne oblivione pereat. *Et cognoverunt,* inquit, *vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.* Et hic subaudiendum est, *vere.* Quod enim dixit, *cognoverunt vere, exponere voluit adjungendo; et crediderunt.* Hoc itaque crediderunt vere, quod cognoverunt vere: id enim est, *a te exivi, quod est, tu me misisti.* Sed tamen adhuc non erant discipuli tales, quales eos dicit futuros esse, verbis praeteriti temporis usus: quasi jam essent, pronuntians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu sancto, qui eos, sicut promissum est, doceret omnia et induceret eos in

omnem veritatem. Dedit eis verba, sicut [Col. 0963B] dixit, quae dedit ei Pater: sed quando illa non foris in auribus, sed intus in cordibus spiritaliter acceperunt, tunc vere acceperunt, quia tunc vere cognoverunt; vere autem cognoverunt, quia vere crediderunt. » Sed haec verba, quae dicit Filius sibi dedisse, si ad divinitatis unitatem intelligitur pertinere, eo modo dedit verba Pater Filio, quo genuit Verbum coaeternum sibi. Si vero ad humanitatem respicit, quis intelligit quomodo dedisset, vel quomodo accepisset Deus homo factus ex virgine, quando etiam ipsam, quae de virgine facta est, generationem quis enarrabit? Sequitur:

VERS. 9.---*Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Haec enim dixit inter alia, dum oraret pro eis, quos dedit ei Pater. [Col. 0963C] «
@ [Col. 0963D] Ex S. Aug., tract. CVII, num. 1-8. Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, et non sunt in ea sorte gratiae ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro eis quos Pater dedit, rogare se dicit: per hoc enim quod eos illi Pater jam dedit, factum est ut non pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat. Deinde subjungit: *Quia tui sunt.* Neque enim quia Pater eos Filio dedit, amisit ipse quos dedit, cum adhuc Filius sequatur ac dicat: **(VERS. 10)** *Et mea omnia tua sunt, et tua mea.* Ubi satis apparet quomodo unigeniti Filii sint omnia quae sunt Patris; per hoc utique quod etiam ipse Deus est, et de Patre Patri natus aequalis [*Aug.,* est natus aequalis].» Hoc enim dictum est de sancta et rationabili creatura, [Col. 0963D] quam elegit Deus, et quae subdita est Patri et Filio, et aequaliter est Patris et Filii. «Haec ergo cum sit Dei Patris, non simul esset et Filii, nisi Patri Filius esset aequalis. Nec fas est ut sancti, de quibus haec locutus est, cujusquam sint, nisi ejus a quo creati et santificati sunt. Ergo cum et Patris et Filii sunt, aequales esse demonstrant, quorum aequaliter sunt.» *Et* clarificatus sum, inquit, *in eis.* «Nunc suam clarificationem tanquam facta sit dicit, cum adhuc esset futura.» *Clarificatus sum in eis, id est, per eorum praedicationem clarificatus sum in toto mundo.* Et quia praedestinatum est ut fieret, certum voluit esse quod futurum erat. Ideo praeteriti temporis verbo usus est.

[Col. 0964A] VERS. 11.---*Et* jam, inquit, *non sum in mundo, et hi in mundo sunt.* Significat horam in qua transiturus erat ex hoc mundo, et verbo praesentis temporis usus est pro futuro, quia cito erat futurum, quasi factum esset dixit. Quod autem ait: *Et hi sunt in mundo, significat enim eos ad quos loquebatur, tardius transire ex hoc mundo, dum illo abeunte ex hoc mundo necesse esset, ut illi remanerent, per quos praedicaretur nomen ejus sanctum in mundo.* Praevidensque quid eos movere posset, qui audirent haec quae legerent, adjecit: *Nunc autem ad te venio.* Ascensionis gloriam designat, per quam elevatus est homo super altitudinem coelorum, et omnium angelicarum potestatum dignitates, ita ut in dextera Dei Patris collocaretur: commendatque eos Patri, quos [Col. 0964B] corporali absentia relicturus est dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* «Nempe sicut homo Deum rogat pro discipulis suis quos accepit a Deo. Attende quid sequitur: *Ut sint, inquit, unum, sicut et nos.* Non ait, {619} ut nobiscum sint unum; aut ut simus unum ipsi et nos, sicut unum sumus nos; sed ait, *ut sint unum sicut et nos;* ipsi utique in natura sua sint unum, sicut et nos in nostra unum sumus. Quod procul dubio non diceret, nisi secundum hoc diceret, quod Filius aequalis est Patri, sicut in alio loco dicit: *Ego et Pater unum sumus* **(Joan. X, 30)**; non secundum id quod homo est: nam secundum hoc dixit: *Pater major me est* **(Joan. XIV,**

28); sed quoniam una eademque persona est Deus et homo, intelligimus hominem in eo [Col. 0964C] quod rogat: intelligimus autem Deum in eo quod unum sunt, et ipse et ille quem rogat. Sequitur: **(VERS. 12)** *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* Me, inquit, veniente ad te serva eos in nomine tuo, in quo eos, quando cum eis eram, et ipse servabam. In nomine Patris servabat discipulos suos Filius hominis in humana praesentia constitutus: sed etiam Pater in nomine Filii servabat, quos in nomine Filii petentes exaudiebat. His quippe idem Filius dixerat: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* **(Joan. XVI, 23)**. Simul enim nos custodiunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui est unus, verus, beatus Deus. Intelligamus [*Al.,* quem unum verum, beatum Deum intelligamus] cum ita loquitur, sicut [Col. 0964D] hic locutus est, personas eum distinguere, non separare naturam [*Aug.,* naturas];» licet ablata ab eis corporali praesentia Filii. Sed nunquam spiritalis custodia deerat, de qua dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**. *Quos dedisti mihi, custodivi;* et nemo ex his periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. «Filius perditionis dictus traditor Christi, de quo in psalmo centesimo octavo maxime prophetatur. **(VERS. 13.)** *Nunc autem ad te venio;* et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. «Ecce in mundo loqui se dicit, qui paulo ante dixerat: *Jam non sum in mundo.* [Col. 0965A] Ergo et quia non natura ibat [*Aug.,* quia nondum abierat], hic adhuc erat; et quia fuerat abiturus, hic quodammodo jam non erat. Quid sit autem hoc gaudium, de quo ait: *Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis, jam superius expressum est,* [ubi ait] *ut sint unum sicut et nos.* Hoc gaudium suum, id est a se in eos collatum, in eis dicit implendum, propter quod locutum se dixit in mundo. Haec est pax illa et beatitudo in futuro saeculo, propter quam consequendam temperanter, et juste, et pie vivendum est in hoc saeculo.»

VERS. 14.---Loquens adhuc Dominus ad Patrem, et orans pro discipulis suis: *Ego dedi eis sermonem tuum;* in prioribus expositum est. *Et mundus eos odio habuit.* Significat passiones quas in mundo habituri [Col. 0965B] erant a persecutoribus, quos hic mundi nomine demonstrat. Deinde causam subjiciens, cur eos oderit mundus, quia *non* sunt, inquit, *de mundo, sicut et ego non sum de mundo.* Sed aliter illi, aliter ego. Illi regeneratione, ego generatione. Illi eguerunt secunda nativitate, quia in peccatis nati sunt: ego quia sine peccato natus sum, non egui regeneratione. Donatum est ergo eis ut de mundo non essent; ego vero nunquam fui de mundo, quia nunquam in peccato. «
@ [Col. 0965D] Ex S. Aug., tract. CVIII, num. 1-4. Ipse autem de mundo nunquam fuit, quia etiam secundum formam servi, de Spiritu sancto natus est, de quo illi renati. Si ergo illi ideo non de mundo, quia renati sunt de Spiritu sancto, propterea ille nunquam de mundo, qui natus est de Spiritu sancto. (VERS. 15, 16.) *Non* rogo, inquit, *ut* [Col. 0965C] tollas eo de mundo, sed ut serves eos ex malo [Ms. *a malo*]. Adhuc enim necessarium fuit, quamvis jam non essent de mundo, esse tamen in mundo;» ut impleretur, quod dictum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* **(Psal. XVIII, 5)**.

VERS. 17.---*Sanctifica eos in veritate.* Sic enim servantur ex malo, quod superius oravit ut fieret de malo perfidiae in quo cecidit Judas proditor. «Sanctificantur itaque in veritate haeredes testamenti novi, cujus veritatis umbrae fuerunt sanctificationes

Veteris Testamenti; et cum sanctificantur in veritate, utique sanctificantur in Christo, qui veraciter dixit: *Ego sum via, et veritas, et vita* **(Joan. XVI, 6)**. *Veritas* [Col. 0965D] liberabit vos. Paulo ante exponens Jesus quid dixerit, *Si* vos Filius, inquit, *liberabit* [Al., *liberaverit*], vere liberi eritis **(Joan. VIII, 32, 36)**: ut ostenderet hoc se prius dixisse veritatem, quod postmodum Filium. Quid ergo aliud et hoc [loco] dixit: *Sanctifica eos in veritate, nisi sanctifica eos in me? Denique sequitur,* et hoc apertius insinuare non desinit, *Sermo* etiam tuus, inquit, *veritas est.* Quid aliud {620} dixit, quam ego veritas sum? Sanctificat itaque Pater in veritate, id est, in Verbo suo, in unigenito suo, suos haeredes, ejusque cohaeredes. Sed nunc adhuc de apostolis loquitur, nam secutus adjungit: **(VERS. 18)** *Sicut me misisti in* [Col. 0966A] mundum, et ego misi eos in mundum. Quos misit, nisi apostolos suos? Nam et ipsum nomen apostolorum, quod Graecum est, nihil nisi *missos significat in Latino.*» Misit ergo Dominus [*Al.,* Deus] Filium suum absque peccato conceptum et natum; misit ergo Filius discipulos suos quos ipse sanctificavit, vel per baptismi sacramentum; vel per sanguinis sui redemptionem, ut praedicarent mundo sanctificationem et ablutionem remissionemque peccatorum suorum. Unde et subjecit: **(VERS. 19)** *Et pro eis ego sanctifico meipsum.* Id est, in eo quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me Patris. Sanctificatio fidelium est obedientia Filii, qui obediens Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis:* propter quod et Deus exaltavit illum [Col. 0966B] **(Philip. II, 8, 9)**. Quod vero ait: *Ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Hoc est, in meipso; sicut et ego sanctificatus sum in Verbo Dei. *Ut et ipsi sint in veritate,* quae est Verbum Dei, *sanctificati.* Nam susceptio humanitatis sanctificata est in unitate personae Verbi Dei; et quia ille caput est omnium sanctorum, et illi membra, et membra quoque per capitis sanctificationem sint sancta in ea veritate, qua caput est sanctificatum: ideo et in sequentibus non pro his tantum se rogare dixit qui tunc corporali praesentia cum eo erant, sed etiam pro omnibus fidelibus qui per eorum verbum credituri erant per eos. Igitur subjecit, et ait:

VERS. 20.---*Non pro his rogo tantum.* «
@ [Col. 0966D] Ex S. Aug., tract. CIX, num. 1. Id est, [Col. 0966C] pro discipulis, qui cum illo tunc erant. *Sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ubi omnes suos intelligi voluit, non solum eos qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot enim postea crediderunt in eum, per verbum apostolorum sine dubio crediderunt, et donec veniat, credituri sunt: ipsis enim dixerat: *Et vos testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis, et per vos Evangelium ministratum est* **(Joan. XV, 27)**, et antequam scriberetur; et utique quisquis in Christum credit, per Evangelium credit [*Aug.,* Evangelio credit]. Non itaque [*Ms.,* utique] hi tantum intelligendi sunt quos ait in se credituros per verbum eorum, [qui ipsos cum in carne viverent apostolos audierunt, sed et post obitum eorum] et nos longe [Col. 0966D] post nati, per verbum eorum credidimus in Christum: quoniam ipsi qui cum ipso tunc fuerunt, quod ab illo acceperunt caeteris praedicaverunt.» Itaque per verbum eorum factum est ut etiam nos crederemus, imo et omnes usque in finem mundi, ubicunque Ecclesia Christi erit, per verba apostolicae praedicationis credituri erunt. Sequitur: (VERS. 21) *Ut omnes unum sint.* Unum in charitate, unum in fide, unum in pace; quia in unum regnum futuri sunt. Licet in eo regno mansiones diversae sint, propter merita sanctorum diversa: tamen quicunque in eo regno erit, beatus erit, et sufficiet sibi quod habuerit, et in eo gaudet

quod possidet. *Sicut* [Col. 0967A] et tu Pater in me, et ego in te. Hoc est, quod paulo ante dixit: *Ego in Patre, et Pater in me.* Nam totus Pater in Filio est, et totus Filius in Patre: et qui Filium babet, habet et Patrem; et qui Patrem habet, habet et Filium. Unde subjecit: *Ut et ipsi in nobis unum sint.* Id est, una charitate nos diligant, et una fide nos credant, et in una spe in nobis confidant; ut sit unitas corporis in capite, et sit unus Deus omnia in omnibus. Qui enim orat pro nobis, mortuus est pro nobis, et vivit pro nobis, ut nos vivamus in illo [*Ms.,* cum illo]. Potest et ita intelligi, ut in nobis unum sint, id est, in charitate unum sint nobis templum. Unde dicitur: Quia *factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion* **(Psal. LXXV, 3)**, quae nos sumus. *Et mundus credat,* quia [Col. 0967B] tu me misisti. Duobus modis, ut diximus, mundus intelligitur: aliter in peccatoribus, aliter in sanctis. Hic nominat mundum, eos qui credituri erant, vel qui tunc credebant Christum Filium Dei esse, ad salutem humani generis missum esse a Patre in mundum.

VERS. 22.---*Sed et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* Quae est ista clarificatio, nisi illa de qua paulo ante dixit, *clarificavi nomen tuum? Ista clarificatio, cognitio est nominis omnipotentis Patris in Filio.* Hanc claritatem dedit Filius {621} fidelibus suis, id est, hanc praedicationem, ut praedicarent eum Patri esse aequalem in divinitate, et Patre esse minorem in forma servi, in qua factus est Filius hominis, ut nos essemus Filii Dei: in qua nativitate [Col. 0967C] unum debemus esse, de qua et subdidit: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Illi in sua natura unum in charitate; nos in nostra unum sumus in unitate substantiae et gloriae. **(VERS. 23.)** *Ego in eis, et tu in me.* Ego in eis, sicut caput in membris; et tu in me, sicut Pater in Filio. *Ut sint consummati in unum.* Id est, perfecti, quod perficiet qui nos voluit unum esse in se et per se. *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti.* Dilexisti eos, ut essent quod non erant; dilexisti me, ut essem quod semper fui; dilexisti me sicut unicum; illos itaque sicut adoptivos. Dilexisti eos, ut per me in te essent: dilexisti me, ut per te in te essem. Sequitur: **(VERS. 24)** *Pater,* quos dedisti [Col. 0967D] mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum. «
@ [Col. 0967D] Ex S. Aug., tract. CXI, num. 4-6. Nunc per fidem, tunc ergo fiet per speciem. Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos cum illo apparebimus in gloria **(Coloss. III, 4)**.» Tunc apparebimus quod tunc erimus; quia tunc apparebit, antequam essemus, quod tunc erimus
@ [Col. 0967D] Aug., loc. cit.: «Tunc apparebimus quod tunc erimus: quia tunc apparebit, non inaniter nos id [Col. 0968D] credidisse ac sperasse, antequam essemus.»

Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Fortassis ergo de illa claritate dicit, in qua sedet ad dexteram Dei Patris. Continuo subjungit: *Quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* «In illo enim dilexit et nos ante constitutionem mundi, et tunc praedestinavit quod in fine facturus est mundi. (VERS. [Col. 0968A] 25.) *Pater juste, mundus te non cognovit.* Quia justus es, ideo te non cognovit. Mundus vero, qui damnandus est per justitiam, te non cognovit; ille vero, qui salvandus erat per misericordiam, te cognovit: mundus vero, quem per Christum reconciliavit sibi, non merito, sed gratia cognovit. Quid est enim eum cognoscere, nisi vita aeterna? quam mundo damnato utique non dedit, reconciliatio dedit; et ut cognosceret, non ei merito, sed gratia subvenisti. Denique sequitur: *Ego autem te cognovi.* Ipse fons gratiae est

Deus natura; homo autem de Spiritu sancto et virgine, ineffabili gratia,» in unitatem personae Filii Dei assumptus est. Per illum cognoverunt hi, et omnes per eos credituri. *Quia tu me misisti.* «Quia tu me misisti, ideo cognoverunt: igitur per gratiam [Col. 0968B] cognoverunt. **(VERS. 26.)** *Et notum feci eis, inquit, nomen tuum, et notum faciam.* «Notum feci per fidem, notum faciam per speciem. Notum feci in [hoc] saeculo peregrinantibus, notum faciam in coelo regnantibus. *Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Quomodo autem dilectio, qua dilexit Pater Filium, est et in nobis, nisi quia membra ejus sumus, et in illo diligimur, cum ille diligitur totus, id est, caput et corpus? Ideo subjunxit: *Et ego in* ipsis, tanquam diceret, *quoniam ego sum et in ipsis.*»

Terminato magno prolixoque sermone, quem post coenam Dominus de fundendo pro nobis sanguine proximus passioni ad discipulos habuit, qui cum illo tunc erant, adjuncta oratione, quam direxit ad Patrem [Col. 0968C] pro suis; deinceps ejus passionem Joannes evangelista sic orsus est:

CAPUT XL.

Traditionis ac passionis ejus per ordinem gesta narrantur.

CAPUT XVIII, VERS. 1.

---*Haec cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron* [Cedron]. Genitivus pluralis in Graeco, quod potest Latine Cedrorum dici. Tunc appropinquavit tempus, de quo in Psalmo legitur: *De torrente in via bibit.* In via hujus vitae de torrente passionis bibit: *propterea exaltavit caput* **(Psal. CIX, 7)**: quod Apostolus ita exposuit: *Christus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter quod et Deus [Col. 0968D] exaltavit illum **(Philip. II, 8, 9)**. *Ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus.* Bene in horto miseriae nostrae comprehensus est, ut nos in hortum beatitudinis suae induceret. Igitur in horto deliciarum, id est, in {622} paradiso, primus [Pater] humani generis peccavit, et inde ejectus est in hanc vallem lacrymarum. Ideo Christus secundus Adam se in horto comprehendi voluit, ut peccatum, quod in horto paradisi (nam paradisus hortus deliciarum interpretatur) primus homo commisit, deleretur. **(VERS. 2.)** *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis.* «
@ [Col. 0968D] Ex S. Aug., tract. CXII, num. 1-6. Hoc [Col. 0969A] quod narrat, ingressum Dominum cum discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum ejus illa finita esset oratio, de cujus verbis ait: *Haec cum dixisset Jesus;* sed alia quaedam sunt interposita, quae ab isto praetermissa, apud alios evangelistas leguntur: sicut apud hunc inveniuntur multa, quae illi similiter in sua narratione tacuerunt. Ad hoc vero valet, quod dictum est: *Haec cum dixisset Jesus, ut non eum ante opinemur venire in hortum, quam illa verba finiret,» et illam orationem, quae leguntur in prioribus post coenam sanctam eum dixisse, vel orasse.* «*Sciebat* autem, inquit, *et Judas, qui tradebat eum, locum.* Ordo verborum est: sciebat locum, qui tradebat eum. *Quia* frequenter, inquit,

Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Ibi ergo lupus, ovina [Col. 0969B] pelle contectus, inter oves alto Patris familias consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem.

VERS. 3.---*Judas* ergo, inquit, *cum accepisset cohortem, et a principibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis.* Cohors non Judaeorum, sed militum fuit. A praeside itaque intelligatur accepta, tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitimae potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere.» Ideo tanta manus inimicorum congregata est, ut nullus apprehendentibus vel contradicere, vel defendere Jesum auderet. «Ita quippe ejus abscondebatur potestas, [et] obtendebatur infirmitas, ut haec inimicis necessaria viderentur adversus eum, in quem non valuissent, [Col. 0969C] nisi quia [*Ms.,* nihil valuissent nisi quod] ipse voluisset: bene utens bonus malis, et faciens bona de malis.» Jesus autem, sicut evangelista secutus adjungit: **(VERS. 4)** *Sciens omnia, quae ventura erant super eum.* Sciebat et voluit ut comprehenderetur; quia ad hoc venit in mundum, ut hoc fieret quod voluit, et tunc impleretur quando voluit. *Processit et dixit eis, quem quaeritis? Processit, paratus ad passionem, et interrogans quem quaererent;* non quasi ignarus eorum voluntatis, sed ut scirent ipsum esse quem quaererent. **(VERS. 5.)** *Responderunt:* Jesum Nazarenum. Jesus Nazarenus dicebatur, quia in Nazareth nutritus est, ut impleretur prophetia: *Quoniam Nazareus vocabitur.* Dicit eis: Ego sum. Non abscondit se, sed ostendit; [Col. 0969D] quia qui voluntate sua venit in mundum, voluntate sua posuit animam suam pro mundo. **(VERS. 6.)** *Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.* Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. «Ubi nunc militum cohors, et ministri principum ac Pharisaeorum? Ubi terror et munimen armorum? Nempe una vox dicentis: *Ego sum, tantam turbam odiis ferocem, armisque terribilem, sine ullo telo percussit, repulit, stravit.* Deus enim latebat in carne, et sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis et facibus quaereretur occidendus a tenebris. [Col. 0970A] *Ego sum, dicit, et impios dejecit.* Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubique per Evangelium, *Ego sum, dicit Christus:* et a Judaeis exspectatur Antichristus, ut retro redeant, et in terram cadant?.» Quare qui venerunt ad comprehendendum, non tenuerunt quem, si noluisset ille qui ait *Ego sum,* non tenerent
@ [Col. 0969D] Ms.: «Quare, qui venerunt ad comprehendendum, non tenuerunt, a quo audierunt: *Ego sum?* [Col. 0970D] Quia ante non potuerunt, quam voluisset ille, qui ait: *Ego sum.*». Illi quaerebant eum apprehendere [et occidere], ille quaerebat eos [redimere] et vivificare, propter quod venit ad nos. Ostendit quaerentibus potestatem, quia habuit in potestate animam suam ponere, quam posuit hora passionis; ostendit quod [*Ms.,* ut] nostrae redemptionis impleretur mysterium. **(VERS. 7.)** *Iterum ergo eos interrogavit:* Quem quaeritis? Si quaeritis, quare non [Col. 0970B] apprehenditis, nisi quia in vestra non est potestate apprehendere [*Ms.,* apprehendendi hora], sed in ejus qui venit ut apprehendatur.

{623} VERS. 8, 9.---*Illi autem dixerunt:* Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire. Ut adimpleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. «Si me quaeritis, inquit, *sinite hos abire.* Inimicos videt [*Ms.,* jubet], et hoc faciunt quod jubet: sinunt hos abire

quos non vult perire. Nunquid autem non erant postea morituri? Cur ergo, si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum in eum sic credebant, quomodo credunt quicunque non pereunt? **(VERS. 10.)** *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum,* et percussit [Col. 0970C] principis servum [Sic et in ms.; Al., *servum principis sacerdotum*] et abscidit ejus auriculam dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Solus hic evangelista etiam nomen servi hujus expressit: sicut Lucas solus, quod ejus auriculam Dominus tetigerit et sanaverit eum. Malchus autem interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata, et a Domino sanata significat, nisi auditum amputata vetustate renovatum, ut sit in novitate spiritus, et non in vetustate litterae? Quod cui praestitum fuerit a Christo, quis dubitet regnaturum esse cum Christo?» Servus dictus est propter servitutem legalem, sanus [*Ms.,* sanatus] autem dicitur propter evangelicam libertatem. «Factum tamen Petri Dominus improbavit, et progredi ultra prohibuit dicens: **(VERS. 11)** *Mitte* [Col. 0970D] gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?» Non bibam illum, interrogative vel increpative legendum est, quasi dixisset: Non bibam illum calicem quem Pater mihi dedit bibere? Quare resistere vis voluntati omnipotentis Patris, imo et salutis tuae calici? In suo quippe facto ille discipulus magistrum defendere voluit, nescius adhuc dispensationem paternae voluntatis [*Ms.,* pietatis], quid ex hoc fieri venturum voluisset. «Quod autem a Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est quod ait Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui Filio proprio non pepercit,* sed pro [Col. 0971A] nobis omnibus tradidit eum **(Rom. VIII, 31, 32)**. Verum auctor calicis hujus est, etiam ipse qui bibit. Unde idem Apostolus item dicit: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* **(Ephes. V, 2)** **(VERS. 12.)** *Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum.* Comprehenderunt, ad quem non accesserunt [quoniam dies ille, illi vero tenebrae permanserunt]; nec audierunt: *Accedite ad eum, et illuminamini* **(Psal. XXXIII, 6)**. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, tunc ab eo longius recesserunt: et ligaverunt eum, a quo solvi potius velle debuerunt.»

«

@ [Col. 0971D] Ex S. Aug., tract. CXIII, num. 1-6. Posteaquam persecutores tradente Juda comprehensum Dominum ligaverunt, qui nos dilexit, et [Col. 0971B] tradidit semetipsum pro nobis omnibus, et cui Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum **(Rom. VIII, 32)**, **(VERS. 13)** *Adduxerunt eum ad Annam primum.* Nec enim Joannes istam tacet causam, quare hoc ita factum sit [*Ms.,* quare hoc fecissent], dicens: *Erat* enim, inquit, *socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius.*»

VERS. 14.---*Erat autem Caiphas, qui consilium dedit Judaeis, quia expedit unum hominem mori pro populo.* Ductus est ad Annam primum, et postea ad Caipham, ut cognatio sanguinis et sceleris eos faceret consortes. Moyses Deo jubente praeceperat ut pontifices patribus succederent, ut generationis in sacerdotibus series conservaretur. Refert Josephus istum Caipham unius tantum anni ab Herode pretio redemisse sacerdotium. [Col. 0971C] Non ergo mirum, si iniquus pontifex inique judicaverit. Saepe qui per avaritiam ad sacerdotium accedit, per injustitiam versatur in eo, et sceleratum initium funesto fine consumitur.

VERS. 15.---*Sequebatur* autem, inquit, *Jesum Simon Petrus et alius discipulus.* «Quisnam sit iste discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem Joannes ita significare, et addere: *quem diligebat Jesus.* Fortassis ergo et hic ipse est,» qui juxta crucem Jesu stabat, cui ille matris commendavit custodiam. Dicit et Matthaeus de Petro: *Petrus sequebatur eum a longe* **(Matth. XXVI, 58)**. A longe sequebatur [Dominum], qui erat eum negaturus, *ut videret finem, vel amore magistri,* vel [Col. 0971D] humana curiositate scire cupiens, quid pontifex judicaret [de Jesu, utrum eum neci addiceret], an flagellis caesum dimitteret. **(VERS. 16.)** *Discipulus autem ille, inquit, erat notus pontifici, et introiit cum Jesu in atrium pontificis.* Petrus autem stabat ad ostium foris. Foris autem stabat, quia negaturus erat Dominum: nec erat in Christo, qui Christum confiteri non {624} fuit ausus. **(VERS. 17.)** *Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum.* Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Hic agnoscitur quam verum sit quod ipsa Veritas paulo ante dixit: *Quia sine me nihil potestis facere.* «Ecce columna firmissima [Col. 0972A] ad unius aurae impulsum tota contremuit. Ubi est illa promittentis audacia, et de se plurimum praesumentis? Ubi sunt verba illa, quando ait: *Quare non possum sequi te modo? Animam meam pro te ponam* **(Joan. XIII, 37)**; hoc non est sequi magistrum, sed se negare discipulum esse. Sicne pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillae formidetur?» Sane in hoc [loco] considerandum est, quam periculosum sit Christiano se Christianum esse negare. Non enim Petrus in hoc loco dixit se Christum negare, sed discipulum Christi: tamen ipse Christus ante praedixit: *Ter me negaturus es.* Qui enim discipulum se Christi negavit esse Christianum [se] negavit: similiter qui se Christianum negat esse propter aliquem timorem, etiam Christum negat. [Col. 0972B] **(VERS. 18.)** *Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se.* Frigus erat infidelitatis in cordibus illorum, in tantum etiam ut ille princeps apostolorum in eo frigore torpesceret, quia necdum calore sancti Spiritus inflammatus fuit: in quo non solum ipse iterum post acceptum sancti Spiritus donum non timuit Christum coram imperatore et populo Romano confiteri; sed etiam pueri imberbes et puellae, sancti Spiritus calore inflammatae, Christum publice usque ad mortem confitebantur, et pro eo mori non metuebant, quem claviger coeli confiteri ad unius ancillae vocem formidavit.

VERS. 19.---*Pontifex autem interrogavit Jesum de discipulis ejus, et de doctrina ejus.* Non cognoscendae veritatis amore interrogavit, sed ut causam inveniret [Col. 0972C] qua etiam eum accusare potuisset, et tradere Romano praesidi ad damnandum. **(VERS. 20.)** *Respondit Jesus:* Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid est quod palam se dicit loqui, et in occulto nihil loqui, dum in alio loco apostolis dicit, dum per parabolas turbis loquitur: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis? «Intelligendum est ita* eum dixisse, *palam locutus sum mundo, ac si dixisset:* Multi me loquentem audierunt. Ipsum autem palam, quodammodo erat palam, quodammodo autem non erat palam. Palam quippe erat, quia multi eum audiebant: et rursus non erat palam, quia non [Col. 0972D] intelligebant. Et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, cum scriptum sit: *In ore duorum vel trium testium stabit omne Verbum* **(Deut. XIX, 15)**: praesertim si [sic] hoc loquitur paucis, quod per eos

vellet innotescere et multis? Ergo et hoc ipsum, quod ab eo dici videbatur occulte, quomodo [*Aug.,* quodammodo] non dicebatur in occulto? Quia non ita dicebatur, ut ab eis quibus dictum fuerat taceretur, sed ita potius, ut usquequaque praedicaretur.» **(VERS. 21.)** *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis:* ecce hi sciunt quae dixerim [Col. 0973A] ego. Quasi dixisset: *Quid me interrogas, a quo veritatem audire non desideras, sed quem damnare cupis? Interroga magis eos de quorum dictis non habeas invidiam.* Ita temperavit Dominus responsionem suam, ut nec veritatem taceret, nec se defendere videretur. **(VERS. 22.)** *Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu dicens:* Sic respondes pontifici? Hic impletur, quod prophetatum est de eo: *Dedi maxillam meam percutientibus.* Percussit eum quasi reum responsionis, sed ille injuste percussus, mansuete respondit: **(VERS. 23)** *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo.* Omnis itaque qui contra veritatem loquitur, male loquitur: si autem veritatem non dixi, da testimonium contra me, in quo mendacium dixissem; *si autem* [Col. 0973B] bene, id est, vere, *quid me caedis? Quid ista responsione verius, mansuetius, justius? «Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut coelesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum daemonio volutari? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, a quo vincitur mundus* [*Aug.,* qua vincitur mundus]?» Forte aliquis {625} hic dicit, quare alteram maxillam percutienti non daret secundum praeceptum suum **(Matth. V, 39)**? Non solum itaque alteram dedit maxillam percutienti, sed etiam totum corpus suum ad crucifigendum tradidit, et magis vult praecepta sua Dominus in cordis tranquillitate servare, quam in corporis ostentatione [Col. 0973C] demonstrare.

VERS. 24.---*Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Hi duo Annas et Caiphas principes fuerunt sacerdotum, et per vices annuas sacerdotium ministrabant; et erat tunc annus Caiphae, cum passus est Christus. Et credendum est secundum voluntatem Caiphae factum esse ut prius duceretur ad Annam, ut minoris culpae videretur, si alterius quoque consacerdotis sui damnaretur sententia. «Sed cum dixisset evangelista quod eum ligatum misit Annas ad Caipham, reversus est ad locum narrationis, ubi reliquerat Petrum, ut explicaret, quod in domo Annae de trina ejus negatione contigerat. **(VERS. 25.)** *Erat* autem, inquit, *Simon Petrus stans et calefaciens se.* Hoc recapitulat quod ante etiam dixerat. Deinde [Col. 0973D] quae secuta sunt, jungit: *Dixerunt ergo ei:* Nunquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille et dixit: Non sum. Jam semel negaverat ad ancillae vocem: ecce iterum eodem timore perterritus negavit. Deinde, ut tertia quoque negatio perficeretur, et Verbum Domini praedicentis impleretur, (VERS. 26, 27.) *Dicit unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam:* Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum sicut antea *negavit Petrus, et statim gallus cantavit.* Ecce medici est completa praedictio, aegroti convicta praesumptio. Non enim factum est, quod iste dixerat: *Animam meam pro te ponam* (Joan. [Col. 0974A] XIII, 38), sed factum est, quod ille praedixerat: *Ter me negabis.*» Sed haec trina negatio timoris, trina confessione amoris diluitur. Necdum fuit amor in eo, qui foras mitteret timorem: sed adhuc timor servilis valuit in corde ejus, sed necdum respexit eum qui haec praedixit ei. Sed et hoc magna Dei dispensatione gestum esse credere debemus, quatenus ille, cui oves suas ad Patrem rediens Christus commendaturus erat, per suam disceret fragilitatem aliis misereri, et fratrum culpas

ignoscere, dum suum recordaretur peccatum, et aliorum compati posset fragilitati, qui sui casus ignarus non esset. Peracta itaque trina hac negatione Petri, reversus est evangelista ad ordinem narrationis suae, ubi eam reliquerat.

VERS. 28.---*Adducunt* ergo, inquit, *Jesum ad Caipham* [Col. 0974B] in praetorium. « @ [Col. 0973D] Ex S. Augustino, tract. CXIV, num. 1-5. Ad Caipham quippe ab Anna collega et socero ejus dixerat missum. Sed si ad Caipham, cur in praetorium? Quod nihil aliud vult intelligi, quam ubi praeses Pilatus habitabat:» aut damnationis causa Christi Caiphas perrexit in praetorium ad Pilatum: aut Pilatus in domo Caiphae praetorium habebat, et tanta fuit amplitudo, ut utrosque capere potuisset, et seorsum habitantem Dominum suum, seorsum judicem ferret. Ecce quanta est sollicitudo sacerdotum in malum [*Ms.,* in malo]! «Tota nocte vigilarunt, ut homicidium facerent. *Erat autem* mane, et ipsi, id est, qui ducebant Jesum, *non introierunt in praetorium.* Hoc est in eam partem domus quam Pilatus tenebat, si ipsa erat domus Caiphae. Cur autem non introierunt in praetorium? Exponen [Col. 0974C] causam, *ut* non contaminarentur, inquit, *sed manducarent Pascha.* Dies enim agi coeperant azymorum: quibus diebus contaminatio illis erat in alienum habitaculum intrare. O impia et stulta caecitas! ut habitaculo videlicet contaminarentur alieno, et non contaminarentur proprio scelere @ [Col. 0973D] Ms.: «Habitaculo videlicet alieno se violari putaverunt, [Col. 0974D] et non proprio scelere inquinari se videbant.». Alienigenae judicis domo contaminari timebant, et fratris innocentis sanguine non timebant?» Sciendum est quid sit inter Pascha et dies azymorum. Pascha dicebatur proprie dies illa qua agnus ad vesperam quarta decima luna occidebatur; septem vero dies sequentes, dies azymorum dicebantur. Dies azymorum fuerunt, in quibus nihil fermentati in domibus illorum debuit inveniri; sed tamen dies Paschalis invenitur inter dies azymorum nominari, ut in alio Evangelio legitur: [Col. 0974D] *Prima autem die azymorum accesserunt ad Jesum discipuli dicentes:* Ubi vis, paremus tibi Pascha manducare **(Matth. XXVI, 17)**?

{626} VERS. 29, 30.---*Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit:* Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Et responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Hunc enim habebant morem Judaei, ut quem morte dignum dijudicarent, vinctum eum praesidi traderent. «Interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, caeci videntes, mortui [Col. 0975A] resurgentes, utrum sit malefactor Jesus. Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam ipse praedixerat: *Retribuebant mihi mala pro bonis* **(Psal. XXXIV, 12)**.» **(VERS. 31.)** *Dixit ergo eis Pilatus:* Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Justior fuit illis judex gentilis, quasi diceret: Legem habetis, et secundum legem vestram judicate eum: vos melius nostis quid de talibus vestra lex judicet; secundum quod justum sciatis, judicate. *Dixerunt ergo ei Judaei:* Nobis non licet interficere quemquam. «Quid est quod loquitur insana crudelitas? An non interficiebant, quem interficiendum offerebant?» An non forte interficiebant, dum clamabant: *Crucifige, crucifige?* Quid est quod dixerunt, *Nobis non licet interficere quemquam, dum lex mandat homicidas, adulteros,* [Col. 0975B] et talium reos scelerum occidere vel lapidare? nisi forte hoc ideo dixissent, propter sanctitatem diei festi [et venerationem], ut non liceret eis secundum legem in die festo occidere hominem, ob cujus diei festi venerationem, etiam

praetorium judicis intrare noluerunt. Quomodo, o Judaei, o falsi Israelitae, non occidistis eum, quem apprehendistis, quem duxistis, quem praesidi tradidistis, quem crucifigi poposcistis? «Audite, quod contra vos etiam Propheta clamat: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum machaera acuta* **(Psal. LVI, 5)**. Ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machaera justum interfecistis. Deinde sequitur: **(VERS. 32)** *Hoc autem dixerunt, ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua esset morte moriturus.* «Itaque [Col. 0975C] intelligendum est Dominum hic significare non mortem crucis, sed illam mortem qua Judaei eum gentibus tradebant ad occidendum, hoc est, Romanis; nam Pilatus Romanus civis fuit, licet genere Pontius, eumque in Judaeam Romani praesidem miserant. *Ut* ergo iste *sermo Jesu impleretur, id est, ut eum sibi traditum Gentes interficerent, quod Jesus futurum esse praedixerat, hoc impletum est, dum Judaei eum Gentibus tradiderunt occidendum;* minore tamen scelere, quam Judaei, qui se isto modo ab ejus interfectione velut alienos facere voluerunt, non ut eorum innocentia, sed ut dementia monstraretur.»

VERS. 33.---*Introivit iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei:* Tu es rex Judaeorum? In his verbis ostendit Pilatus hoc Judaeos objecisse [Col. 0975D] ei criminis, ut diceret se regem esse Judaeorum. **(VERS. 34.)** *Respondit Jesus:* A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? «
@ [Col. 0975D] Ex S. Aug., tract. CXV, num. 1, 4, 5. Sciebat utique Dominus, et quod ipse interrogabat, et quod ille responsurus fuit [*Ms.* addit: et quid illi Pilatus responsurus erat. *Sed hoc redundat*]: et tamen dici voluit, non propter se qui omnia sciebat, sed propter nos, ut scriberetur quod nos scire voluit. *Respondit Pilatus:* Nunquid ego Judaeus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Abstulit a se suspicionem qua posset putari a semetipso dixisse quod Jesum regem dixerat esse Judaeorum; id se a Judaeis accepisse demonstrans. Dicendo: [Col. 0976A] **(VERS. 35)** *Quid fecisti? satis ostendit illud ei pro crimine objectum, tanquam diceret:* Si regem te negas, quid fecisti ut tradereris mihi? Quasi mirum non esset, si puniendus judici traderetur, quid se diceret regem esse: si autem hoc non diceret, quaerendum ab illo esset quid aliud forte fecisset, unde tradi judici dignus esset.

VERS. 36.---*Respondit Jesus:* Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis. Nunc autem meum regnum non est hinc. Hoc est quod bonus magister scire nos voluit; sed prius nobis demonstranda fuerat vana hominum de regno ejus opinio, sive Gentium, sive Judaeorum, a quibus id Pilatus audierat: quasi propterea fuisset [Col. 0976B] morte plectendus, quod illicitum affectaverit regnum; vel quoniam solent regnaturis invidere regnantes. Poterat autem Dominus, quod ait: *Regnum meum non est de mundo hoc, ad primam interrogationem praesidis respondere, ubi dixit: Tu es rex Judaeorum? Sed eum vicissim interrogat, utrum hoc {627} a semetipso diceret, an audisset ab aliis;* illo respondente, ostendere voluit, hoc sibi apud illum fuisse a Judaeis velut crimen objectum: patefaciens nobis cogitationes hominum quas ipse noverat quoniam vanae sunt.» Quod vero ait: *Regnum meum non est de hoc mundo, id est, in hoc mundo.* Audite omnes reges terrae; non venit Christus regnum tollere, sed dare; non minuere, sed augere; regem se non contradixit, sed carnaliter in hoc mundo se regnare non [Col. 0976C] dixit. Quod est ejus regnum, nisi credentes in eum, quos tradet regnum Deo

Patri in fine saeculi **(I Cor. XV, 24)** , id est, adducet ad Deum Patrem, ut sine fine regnent cum illo? Sed ut hoc probaret, ut regnum ejus de hoc mundo non esset, adjecit: *Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent ut non traderer Judaeis.* Non ait: Nunc autem regnum meum non est *hic,* sed non est *hinc;* hic est enim regnum ejus, usque in finem saeculi, sed in sanctis suis, de quibus dixit in alio Evangelio: *Regnum Dei intra vos est* **(Luc. XVII, 21)**. Nam regnum ejus sancta Ecclesia est. Unde et ad Mariam virginem angelus ait: *Et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* **(Luc. I, 32, 33)**, spiritale regnum quo in sanctis regnat demonstrare volens, non [Col. 0976D] carnale quod saepe impii habent in hoc mundo. De regno quippe suo dicit paulo ante: *De mundo non estis, sed ego vos de mundo elegi.*

VERS. 37.---*Dixit ei itaque Pilatus:* Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Non quia se regem timuit confiteri, sed, *tu dicis, ait.* Sic respondit, ut verum diceret, et sermo ejus calumniae non pateret. Dictum est, *tu dicis, carnalis carnaliter dicis.* Deinde subjungit: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* «Non est producenda hujus pronominis syllaba, quod ait: *In hoc natus sum, tanquam dixerit* [in hac re natus sum; sed corripienda, tanquam dixerit] [Col. 0977A] in hanc rem natus sum, vel ad hoc natus sum, sicut ait: *Ad hoc veni in mundum.* In Graeco namque Evangelio nihil est hujus locutionis ambiguum. Unde manifestum est eum temporalem nativitatem suam hic commemorasse, qua incarnatus venit in mundum: non illam sine initio, qua Deus erat, per quem Pater condidit mundum. In hoc ergo se dixit natum, id est, propter hoc natum, et ad hoc venisse in mundum, utique nascendo de virgine, ut testimonium perhibeat veritati. Sed quia non omnium est fides, adjunxit atque ait: *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Audit utique interioribus auribus, id est, obaudit meae voci; quod tantumdem valeret quasi diceret, Credit mihi. Cum itaque Christus testimonium perhibet veritati, profecto testimonium [Col. 0977B] perhibet sibi: ejus quippe vox est, *Ego sum veritas* **(Joan. XIV, 6)**. Hic commendat gratiam, per quam vocati sumus. Ait itaque: *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam* **(Joan. VIII, 18)**: non ideo est ex veritate, quia ejus audit vocem, sed ideo audit, quia ex veritate est, [id est] quia hoc illi donum ex veritate collatum est; quod quid est aliud, quam donante Christo credere [in Christum]?

VERS. 38.---*Dicit ei Pilatus:* Quid est veritas? Nec exspectavit audire,» quid responderet ei Jesus, quia forte dignus non fuit audire. **(VERS. 39.)** *Sed cum hoc dixisset, iterum exiit ad Judaeos, et dixit eis:* Nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha; vultis ergo dimittam vobis regem Judaeorum? «Credo, cum dixisset [Col. 0977C] Pilatus, *quid est veritas, in mentem illi venisse continuo consuetudinem Judaeorum, qua solebat eis dimitti unus in Pascha:* et ideo non exspectavit, ut responderet ei Jesus quid esset veritas, ne mora fieret, cum recoluisset morem quo possit eis per Pascha dimitti.» Haec vero consuetudo dimittendi, fortassis propter Pascha apud Judaeos remansit, ob memoriam liberationis illorum ex Aegypto, qua in Pascha liberati sunt a servitute. Sed hoc audientes: **(VERS. 40.)** *Clamaverunt rursum omnes dicentes:* Non hunc, sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro. Barrabas iste filius magistri eorum interpretatur, id est, diaboli, qui magister fuit vel huic latroni in scelere suo, vel Judaeis in impietate perfidiae suae. [Col. 0977D] «Non reprehendimus, o Judaei, quod per Pascha liberatis nocentem, sed quod occiditis

innocentem: quod tamen nisi fieret, verum Pascha non fieret. Sed umbra veritatis a Judaeis {628} errantibus tenebatur, ut mirabili dispensatione divinae sapientiae, per homines fallaces, ejusdem umbrae veritas impleretur, quia ut verum Pascha fieret, Christus velut ovis immolabatur.»

CAPUT XIX. VERS. 1.

---*Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.* «
@ [Col. 0977D] Ex S. Aug., tract. CXVI, num. 1-9. Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judaei satiati, sufficere sibi existimarent, et usque ad ejus mortem saevire desisterent. Ad hoc pertinet, quod [Col. 0978A] idem praeses cohortem suam permisit facere quae sequuntur. (VERS. 2, 3.) *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum, et veniebant ad eum et dicebant:* Ave, rex Judaeorum; et dabant ei palmas [Ms. *alapas*]. Sic implebantur, quae de se praedixerat Christus; sic martyres informabantur ad omnia, quae persecutoribus libuisset facere, perferenda; sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia; sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; sed [*Aug.,* sic] illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria

VERS. 4, 5.---[*Exiit iterum Pilatus foras et dicit* [Col. 0978B] eis: Ecce adduco eum foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio.] Exiit ergo Jesus foras portans spineam coronam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce homo. Hinc apparet non ignorante Pilato haec a militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit; illa scilicet causa quam supra diximus, ut haec ejus ludibria inimici libentissime viderent, et ulterius sanguinem non sitirent. Egreditur ad eos Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio; et dicitur eis: *Ecce homo.* Si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris convitiis illusus est, alapis caesus est: fervet ignominia, frigescat invidia. Sed non frigescit, inardescit [Col. 0978C] potius, et increscit. (VERS. 6, 7.) *Cum enim vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes:* Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judaei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Ecce altera major invidia. Parva quippe illa videbatur, velut affectatae illicito ausu regiae potestatis; et tamen neutrum sibi Jesus mendaciter usurpavit; sed utrumque verum est, et unigenitus est Dei Filius, et rex ab eo [*Ms.,* a Deo] constitutus super Sion montem sanctum ejus: et utrumque nunc demonstraret, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior.

[Col. 0978D] VERS. 8.---*Cum ergo audisset Pilatus hoc verbum, magis timuit:* et ingressus praetorium iterum, dicit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Hoc silentium Domini nostri Jesu Christi non semel factum, collatis omnium evangelistarum narrationibus reperitur, et apud principes sacerdotum, et apud Herodem
@ [Col. 0978D] Defectum supple ex sancto Augustino loc. cit..» Tamen propter illa, quibus

noluit respondere, ad hoc data est de agno similitudo, ut suo silentio non reus, sed innocens haberetur. **(VERS. 11.)** *Respondit Jesus:* Non haberes adversum me potestatem ullam, nisi tibi esset datum desuper. Propterea, qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. «Ecce respondit, et tamen non ubique respondit [Col. 0979A]

@ [Col. 0979D] Aug.: «Ecce respondit, et tamen ubicunque non respondit, non sicut reus, etc.»; non sicut reus sive dolosus, sed sicut agnus, hoc est, sicut simplex atque innocens, non aperuit os suum. Proinde ubi non respondebat, sicut ovis silebat; ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quod dixit, quod et per Apostolum docuit, quia non est potestas nisi a Deo **(Rom. XIII, 1)**: et quia plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si eum cum timore alterius majoris potestatis occidit. Talem quippe Deus Pilato dederat potestatem, ut esset etiam sub Caesaris potestate. Quapropter, *non haberes,* inquit, *adversum me potestatem ullam, id est,* quantulamcunque habes, *nisi hoc ipsum,* quidquid est, *tibi esset datum desuper.* Sed quoniam scio quantum sit, (non enim tantum est, ut tibi omni [Col. 0979B] modo liberum sit), *propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Ille quippe me tuae potestati tradidit invidendo, tu vero eamdem potestatem in me exerciturus es metuendo Nec timendo quidem praesertim {629} innocentem, homo hominem debet occidere: sed tamen id zelando facere, multo magis malum est quam timendo. Et ideo non ait verax magister: Qui me tibi tradidit, ipse habet peccatum, tanquam ille non haberet: sed ait, *majus habet peccatum, ut etiam se habere intelligeret.* Neque enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.

VERS. 12.---*Exinde quaerebat Pilatus dimittere eum.* Quid est hoc quod dictum est, *exinde, quasi antea non quaerebat? Lege superiora,* et invenies [Col. 0979C] jam dudum eum quaerere dimittere Jesum. *Exinde* itaque intelligendum est, *propter hoc, id est, ex hac causa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum, quamvis minus peccans quam Judaei qui illum ei tradiderant occidendum. Exinde ergo, id est, ideo, ne hoc peccatum faceret* [*Ms.,* fieret], non nunc primo, sed ab initio quaerebat eum dimittere. *Judaei autem clamabant, dicentes:* Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari. Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terrendo de Caesare, ut occideret Christum, quam superius, ubi dixerant: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Eorum quippe legem ille non timuit ut occideret, sed magis Filium Dei timuit [Col. 0979D] ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere Caesarem, auctorem potestatis suae, quemadmodum legem gentis alienae. (VERS. 13, 14.) *Adhuc Pilatus, cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur lithostrotos, Hebraice autem gabatha* [Ms., *Golgotha*]. Erat autem parasceve Paschae hora quasi sexta. Qua hora sit Dominus crucifixus, propter evangelistae alterius testimonium, [qui dixit]: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum;* quoniam magna disceptatio solet oboriri, cum ad ipsum locum, ubi crucifixus narratur, ventum fuerit, ut potuerimus, si Dominus voluerit, disseremus. Cum ergo pro tribunali [Col. 0980A] sedisset Pilatus, *dicit Judaeis:* Ecce rex vester. **(VERS. 15.)** *Illi autem clamabant:* Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Adhuc terrorem quem de Caesare ingesserant superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere dicendo: *Regem vestrum crucifigam? Quos de ignominia Christi mitigare non potuit:* sed timore mox vincitur.

VERS. 16.---*Responderunt autem pontifices:* Non habemus regem nisi Caesarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Apertissime quippe contra Caesarem venire videretur, si regem se non habere nisi Caesarem profitentibus, alium regem vellet intelligere [*Aug.,* ingerere], dimittendo impunitum, quem propter hos ausus ei tradiderant occidendum. *Tradidit ergo illum eis, ut crucifigeretur.* Sed nunquid [Col. 0980B] aliud et ante cupiebat, cum dicebat: *Accipite eum vos, et crucifigite;* vel etiam superius: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum? Cur autem illi tantopere noluerunt, dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, et omni modo instantes, ut non ab eis, sed a praeside occideretur, et ideo eum occidendum accipere recusantes, si nunc eum accipiunt occidendum? Aut si hoc non fit, cur dictum est: Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur? An aliquid interest? Plane interest, non est enim dictum: Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigerent eum;* sed *ut crucifigeretur, id est, ut judicio et potestate praesidis crucifigeretur.* Sed ideo illis traditum dixit Evangelista, ut eos crimine implicatos, a quo alieni esse conabantur, ostenderet: [Col. 0980C] non enim Pilatus hoc faceret, nisi ut id quod eos cupere cernebat, impleret. Quod ergo sequitur: *Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt, potest ad milites jam referri apparitores praesidis.* Nam postea evidentius dicitur: *Milites ergo cum crucifixissent eum:* quamvis evangelista, etiamsi totum Judaeis tribuit, merito facit; ipsi enim susceperunt quod avidissime flagitaverunt, et ipsi fecerunt quidquid ut fieret extorserunt.»

VERS. 17.---«
@ [Col. 0980D] Ex S. Aug., tract. CXVII, num. 1-5. Judicante atque damnante Pilato pro tribunali Dominum Jesum Christum, hora quasi sexta susceperunt eum et eduxerunt. *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, Hebraice Golgotha, ubi cum crucifixerunt.* Quid est [Col. 0980D] ergo, quod Marcus evangelista ait, *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum* **(Marc. XV, 25)**, nisi quia hora tertia crucifixus est Dominus linguis Judaeorum, hora sexta manibus militum? Ut intelligamus horam quintam jam fuisse transactam, {630} et aliquid de sexta coeptum, quando sedit pro tribunali Pilatus; quae dicta est a Joanne hora quasi sexta; et cum duceretur ut in ligno cum duobus latronibus configeretur, et juxta crucem ejus gererentur, quae gesta narrantur, hora sexta integra compleretur: ex qua hora usque ad nonam sole obscurato tenebras factas, trium evangelistarum, Matthaei, Marci et Lucae contestatur auctoritas. Sed quoniam Judaei [Col. 0981A] facinus interfecti Christi a se in Romanos, id est, Pilatum et ejus milites transferre conati sunt, propterea Marcus subpressa ea hora, qua Christus a militibus crucifixus est, quae agi sexta jam coeperat, tertiam potius horam recordatus expressit, qua hora intelliguntur apud Pilatum clamare potuisse, *Crucifige, crucifige:* ut non illi tantum reperiantur crucifixisse Jesum, id est, milites qui eum ligno sexta hora suspenderunt, verum etiam Judaei, qui, ut crucifigeretur, hora tertia clamaverunt. *Bajulans ergo sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, Hebraice autem Golgotha, ubi eum crucifixerunt.* Et cum eo duos hinc et hinc, medium autem Jesum. Isti duo latrones erant, sicut aliorum evangelistarum narratione didicimus, cum quibus [Col. 0981B] crucifixus est Christus; et inter quos fixus est Christus, de quo praemissa dixerat prophetia: *Et inter iniquos deputatus est* **(Isa. LIII, 12)**.

VERS. 19, 20.---*Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem.* Erat autem

scriptum: Jesus Nazarenus rex Judaeorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judaeorum, quia prope civitatem erat locus, ubi est crucifixus Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Graece, et Latine. Hae quippe tres linguae ibi prae caeteris eminebant: Hebraea, propter Judaeos in lege gloriantes; Graeca, propter gentium sapientes; Latina, propter Romanos, multis ac pene omnibus jam tunc gentibus imperantes. (VERS. 21, 22.) *Dicebant ergo Pilato pontifices Judaeorum:* Noli scribere, rex Judaeorum; sed quia dixit ipse: Rex sum Judaeorum. [Col. 0981C] Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. O ineffabilem vim divinae operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quaedam Pilato intus quodam, si dici potest, clamore silentio [*Aug.,* clamoso silentio] personabat, quod tanto ante in Psalmorum litteris prophetatum est, *Ne corrumpas tituli inscriptionem* **(Tit. Psal. LVI)**. Nunquid enim propterea non erit verum, quia [*Ms.,* quod] Jesus ait: *Rex sum Judaeorum? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod Veritas dixit? Sed Judaeorum tantum rex est Christus, an et gentium? imo et gentium.* Cum enim dixisset in Prophetia: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,* praedicans praeceptum [Col. 0981D] Domini **(Psal. II, 6)**: ne propter Sion montem, solis Judaeis eum regem [quisquam] diceret constitutum, continuo subjecit: *Dominus dixit ad me:* Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes, et caetera. Cur ergo magnum volumus intelligi in hoc titulo sacramentum, in quo scriptum erat, *rex Judaeorum, si rex est Christus et Gentium? Quia scilicet oleaster factus est particeps pinguedinis olivae* [*Aug.,* oleae], non olea particeps facta amaritudinis oleastri? Nam in eo quod de Christo veraciter scriptus est titulus, *rex Judaeorum, qui sunt intelligendi Judaei, nisi semen Abrahae, filii repromissionis, qui sunt etiam filii Dei?* Quoniam *non* [Col. 0982A] qui filii carnis, ait Apostolus, *hi filii Dei:* sed qui filii promissionis, deputantur in semine **(Rom. IX, 7, 8)**. Et gentes erant, quibus dicebat: *Si autem vos Christi, ergo Abrahae semen estis, secundum promissionem haeredes* **(Galat. III, 29)**. Rex ergo Judaeorum Christus, sed Judaeorum circumcisione cordis; spiritu, non littera: quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est; pertinentium ad Jerusalem liberam matrem nostram **(Gal. IV, 26)**, aeternam in coelis, Saram spiritalem, ancillam et filios ejus de domo libertatis ejicientem. Ideo enim Pilatus quod scripsit, scripsit, quia Dominus Jesus, quod dixit, dixit.

VERS. 23.---*Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam.* «
@ [Col. 0981D] Ex S. Aug., tract. CXVIII, num. 2 Unde [Col. 0982B] apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo praesidi paruerunt. Manifeste quippe ait: *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam;* subaudiendum est, acceperunt: ut iste sit sensus: acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem; acceperunt et tunicam. Et sic locutus est ut de caeteris {631} vestimentis nullam sortem missam esse videamus: sed de tunica quam simul cum caeteris acceperunt, sed non simul [*Ms.,* similiter] diviserunt. De hac enim sequitur exponens: *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Cur autem de illa sortem miserint narrans: **(VERS. 24)** *Dixerunt* ergo ad invicem, inquit, *Non scindamus eam,* [Col. 0982C] sed sortiamur de illa, cujus sit. Apparet itaque in aliis vestibus aequales eos habuisse partes, ut sortiri necesse non fuerit: in illa vero una non eos habere potuisse singulas

partes. «Quaerat forte aliquis quid significet in tot partes vestimentorum facta divisio, et de tunica illa sortitio? Quadripartita vestis Domini nostri Jesu Christi quadripartitam ejus figuravit Ecclesiam, toto scilicet qui quatuor partibus constat terrarum orbe diffusam, et omnibus eisdem partibus aequaliter, id est, concorditer distributam. Propter quod alibi dicitur, missurum se Angelos suos, ut colligant electos suos a quatuor ventis **(Marc. XIII, 27)**: quod quid est, nisi a quatuor partibus mundi, oriente, occidente, aquilone, et meridie? Tunica vero illa [Col. 0982D] sortita omnium partium significat unitatem, quae charitatis vinculo continetur. De charitate autem locuturus Apostolus: *Supereminentiorem, inquit, viam vobis demonstro* **(I Cor. XII, 31)**. Et alio loco ait: *Cognoscere etiam supereminentem scientiae charitatem Christi* **(Ephes. III, 19)**: Itemque alibi: *Super omnia autem haec charitatem, quae est vinculum perfectionis* **(Coloss. III, 14)**. Si ergo charitas et supereminentiorem habet viam, et supereminet scientiae, et super omnia praecepta est, merito vestis, qua significatur, desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquando dissuatur; et ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit; sicut in apostolis [Col. 0983A] cum esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadripartitus in ternos, et omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi, et ei dicitur: Tibi dabo claves regni coelorum* **(Matth. XVI, 16, 19)**; tanquam ligandi et solvendi solus acciperet (*Ms.,* acceperit) potestatem: cum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit; ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus. Unde et hic cum dixisset, *desuper* contexta, addidit, *per totum.* Quod si referamus ad id quod significat, nemo est ejus expers, qui pertinere inveniatur ad totum: a quo toto, sicut Graeca indicat lingua, Catholica vocatur Ecclesia. In sorte autem quid, nisi Dei gratia [Col. 0983B] commendata est? Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit, quia et Dei gratia in unitate ad omnes pervenit; et cum sors mittitur, non personae cujusque vel meritis, sed occulto Dei judicio ceditur. Nec ideo ista non aliquid boni significasse quis dixerit, quia per malos facta sunt; non scilicet per eos qui Christum secuti, sed qui sunt persecuti. Quid enim de ipsa cruce dicturi sumus, quae certe similiter ab inimicis atque impiis Christo facta et impacta est? Et tamen ea significari recte intelligitur, quod ait Apostolus: *Quae est latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum* **(Ephes. III, 18)**. Lata est quippe in transverso ligno, quo extenduntur pendentis manus, et significat opera bona in latitudine charitatis; longa est a transverso [Col. 0983C] ligno usque ad terram, ubi dorsum et pedes figuntur, et significat perseverantiam in longitudine temporis, usque ad finem; alta est in cacumine, quod a transverso ligno sursum rursus extenditur [*Aug.* quo transversum lignum sursum versus exceditur], et significat supernum finem quo cuncta opera referuntur, quoniam cuncta quae latitudine ac longitudine bene ac perseveranter fiunt, propter altitudinem divinorum facienda sunt praemiorum; profunda est in ea parte, qua in terra figitur: ibi quippe occulta est, nec videri potest, sed cuncta ejus apparentia et eminentia inde consurgunt; sicut bona nostra de profunditate gratiae Dei, quae comprehendi ac dijudicari non potest, universa procedunt. Sed et si crux Christi hoc solum significet, quod ait [Col. 0983D] Apostolus: *Qui autem sunt Jesu Christi, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis* **(Gal. V, 24)**, quam magnum bonum est? Nec tamen hoc facit, nisi concupiscens adversus carnem spiritus bonus, cum illam crucem Christi fecerit inimicus, id est, spiritus malus. Postremo quid est quod omnes noverunt signum crucis Christi [*Aug.,* signum Christi], nisi crux Christi? Quod signum, nisi

adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquae ex qua regenerantur, sive oleo quo charismate [*Al.,* crismate] {632} unguntur, sive sacrificio quo aluntur, [Col. 0984A] nihil eorum rite perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per crucem Christi quam fecerunt mali, in celebratione sacramentorum eius bonum nobis omne signatur?»

«
@ [Col. 0983D] Ex S. Aug., tract. CXIX, num. 1-6. Crucifixo Domino, postquam divisio vestimentorum ejus etiam missa sorte completa est, quae deinde narret Joannes evangelista, videamus. (VERS. 25-27) *Et milites quidem haec fecerunt.* Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, en filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in [Col. 0984B] sua. Haec nimirum est illa hora, de qua Jesus aquam conversurus in vinum dixerat matri: *Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea* **(Joan. II, 4)**. Hanc itaque horam praedixerat, quae tunc nondum venerat, in qua deberet agnosci a matre moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem, velut incognitam refellebat [*Aug.,* repellebat]: nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescebat virtute; nunc vero quem Maria pepererat, pendebat in cruce. «Mortalis igitur insinuatur locutus [*Ms.* et Aug., Moralis insinuatur locus]. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos instruxit praeceptor bonus, ut a [Col. 0984C] filiis piis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis
@ [Col. 0983D] Supple ex Aug. loc. cit.: «Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat; ait enim Evangelista: [Col. 0984D] *Et ex illa hora, etc.*». *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua, de semetipso dicens.* Sic quippe commemorare se solet, quod eum diligebat Jesus: qui utique omnes, sed ipsum prae caeteris et familiarius diligebat, ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret: credo, ut istius Evangelii, quod per eum fuerat praedicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

VERS. 28-30.---*Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit:* Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: [Col. 0984D] Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Quis potest quae facit ita disponere, quomodo disposuit homo iste qui passus est [*Aug.,* quae passus est]? Sed homo mediator Dei et hominum; homo, de quo praedictum legitur, et homo est, et quis agnoscit eum? Quoniam omnes per quos haec fiebant, videbant hominem, sed non cognoscebant Deum
@ [Col. 0984D] Aug.: «Quoniam homines, per quos haec fiebant, non agnoscebant hominem Deum.». Homo namque apparebat, qui Deus latebat; patiebatur haec omnia qui apparebat, et idem ipse disponebat haec omnia qui latebat. Vidit ergo quoniam consummata sunt omnia quae oportebat ut [Col. 0985A] fierent, antequam acciperet acetum et traderet spiritum, atque ut hoc etiam consummaretur, quod ait Scriptura: *Et in siti mea potaverunt me aceto* **(Psal. LXVIII, 22)**. *Sitio, inquit;* tanquam diceret: hoc minus fecistis, date quod estis. Judaei quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino

patriarcharum et prophetarum; et tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba humilis est et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus: quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt. Unde illud in Psalmo: *Asperges me hyssopo, et mundabor* **(Psal. L, 9)**. [Col. 0985B] Christi namque humilitate mundamur: quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem crucis, utique sanguis ejus in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem non fuisset effusus. Nec moveat quomodo spongiam ori ejus potuerint admovere, qui in cruce fuerat exaltatus a terra. Sicut enim apud alios evangelistas legitur, quod hic praetermisit, in arundine est factum, {633} ut spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem vero Scriptura significabatur, quae implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel Graeca, vel Latina, vel alia quaelibet sonum significans qui lingua promitur, sic arundo dici potest littera, quae arundine scribitur; sed significantius sonos [*Aug.,* sonos significantes] [Col. 0985C] vocis humanae usitatissime dicimus linguam: Scripturam vero arundinem dici quo minus est usitatum, eo magis est mystice figuratum. *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit:* Consummatum est. Quid nisi quod propheta tanto ante [*Al.,* paulo ante] tempore praedixerat? Deinde quia nihil remanserat, quod antequam moreretur fieri adhuc oportebat, tanquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam, peractis omnibus quae ut peragerentur exspectabat, *inclinato capite tradidit spiritum.* Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem deponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, [Col. 0985D] quomodo cum voluit obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis?»

«

@ [Col. 0985D] Ex S. Aug., tract. CXX, num. 1-7. Posteaquam Dominus Jesus, peractis omnibus quae ante suam mortem peragi oportere praesciebat, quando voluit tradidit spiritum, quae deinde secuta sint evangelista narrante videamus. **(VERS. 31.)** *Judaei* ergo, inquit, *quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato* (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, et auferrentur ex ligno: ne pendentes in [Col. 0986A] crucibus, magnum diem festum sui diuturni cruciatus horrore foedarent.

VERS. 32-34.---*Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus erat cum eo.* Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Eleganti vigilantique verbo evangelista usus est, ut non diceret: *Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit:* ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperavit poculum: haec et lavacrum [Col. 0986B] praestat et potum. Hoc praenuntiabat quod Noe in latere arcae ostium facere jussus est, qua intrarent animalia quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia

(Gen. VI, 16). Propter hoc prima mulier facta est de viri latere dormientis, et appellata est vita materque vivorum **(Gen. II, 22, seq.)**. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevaricationis malum, in habitu jacentis ac dormientis. Et hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux quae de latere dormientis effuxit. O mors, unde mortui reviviscunt! (VERS. 36, 37.) *Facta enim* sunt haec, inquit, *ut Scriptura impleretur:* Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. Duo testimonia de [Col. 0986C] Scripturis reddidit singulis rebus, quas factas narravit. Nam quia dixerat: *Ad Jesum autem cum venissent, non fregerunt ejus crura, ad hoc pertinet testimonium: Os non comminuetis ex eo:* quod praeceptum est eis qui celebrare Pascha jussi sunt ovis immolatione in veteri lege, quae Dominicae passionis umbra praecesserat. Unde *Pascha nostrum immolatus est Christus* **(I Cor. V, 7)**: de qua [*Aug.,* de quo] et Isaias propheta praedixerat: *Sicut ovis ad immolandum ductus est* **(Isai. LIII, 7)**. Item [quia] subjunxerat dicens: *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, ad hoc pertinet alterum testimonium: Videbunt, in quem compunxerunt:* ubi promissus est Christus in ea qua crucifixus est carne venturus.

[Col. 0986D] VERS. 38, 39.---*Post haec autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum, ut tolleret corpus Jesu:* et permisit Pilatus. Venit ergo et tulit corpus Jesu: Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum. Non ita distinguendum est, ut dicamus, *primum ferens mixturam myrrhae;* sed hoc, quod dictum est *primum,* ad superiorem sensum pertinet, *venerat enim Nicodemus ad Jesum nocte primum:* quod idem Joannes narravit in prioribus Evangelii sui {634} partibus **(Joan. III, 2)**. Hic ergo intelligendum est, ad Jesum non tunc solum, sed [Col. 0987A] tunc primum venisse Nicodemum; ventitasse [*Ms.,* venit] autem postea, ut fieret audiendo discipulus: quod modo certe in revelatione corporis beatissimi Stephani fere omnibus gentibus declaratur. (VERS. 41) *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Sicut in Mariae virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. **(VERS. 42.)** *Ibi ergo propter parascevem Judaeorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.* Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret: quando jam propter parascevem, quam coenam puram Judaei Latine, usitatius praeparationem apud nos vocant, facere tale aliquid non [Col. 0987B] licebat.»

CAPUT XLI.

Resurrectionis similiter manifestatio declaratur, qua Maria Magdalene Petro et Joanni nuntiat sublatum corpus de monumento. Quibus occurrentibus ac reversis, ipsa post angelicam visionem visum a se Dominum aestimans hortulanum, proprio mox ab eo revocatur ex nomine. Quem cognitum jubetur protinus discipulis nantiare.

CAPUT XX, VERS. 1.

---*Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum;* et vidit lapidem sublatum a monumento. «Una sabbati, quam jam diem Dominicam propter Domini resurrectionem mos Christianus appellat: quem Matthaeus solus in evangelistis primam sabbati nominavit.» **(VERS. 2.)** *Cucurrit ergo,* et venit [Col. 0987C] ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum. Amore nimio turbata, dum quem quaesivit non invenit, cucurrit discipulis nuntiare, ut aut secum quaererent, aut secum dolerent ablatum Dominum: quem Dominum nominare non metuit, dum corpus illius tantummodo quaereret in sepulcro. (VERS. 3, 4.) *Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.* Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum. «Advertenda hic et commendanda est recapitulatio, quomodo reditum est ad id quod fuerat praetermissum: et tanquam, si hoc [*Aug.,* et tamen quasi hoc] sequeretur, [Col. 0987D] adjunctum est. Cum enim jam dixisset. *Venerunt ad monumentum, regressus est ut narraret quomodo venerunt, atque ait: Currebant autem duo simul, etc.* Ubi ostendit, quod praecurrens ad monumentum prior venerit ille alius discipulus, quem seipsum significat; sed tanquam de alio more sanctae Scripturae cuncta narrat
@ [Col. 0987D] Hucusque ex S. Augustino..»

VERS. 5.---*Et* cum se inclinasset, inquit, *vidit posita linteamina, non tamen introiit.* « @ [Col. 0988D] Ex S. Greg., hom. 22, num. 2-5. Quod vero Maria Magdalene venit ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent, juxta historiam notatur hora; juxta intellectum vero mysticum, requirentis signatur intelligentia. Maria enim auctorem omnium quem carne viderat mortuum [Col. 0988A] quaerebat in monumento; et quia nunc [*Al.,* hunc] minime invenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebrae, cum venit ad monumentum. Cucurrit citius, discipulis nuntiavit: sed illi prae caeteris cucurrerunt, qui prae caeteris amaverunt, videlicet Petrus et Joannes. *Currebant autem duo simul, sed Joannes praecucurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum, et* [*Greg.,* sed] ingredi non praesumpsit, venit vero posterior [Petrus], et intravit.» Iste vero cursus duorum discipulorum magnum habet mysterium. Quid enim per Joannem, qui prior venit ad monumentum, et non intravit, nisi Synagoga significatur? Quid per Petrum, nisi Ecclesia ex gentibus congregata demonstratur, quae posterius vocata, et prior intravit? Cucurrerunt enim pariter [Col. 0988B] Gentilitas et Synagoga per hujus saeculi successiones, sed non pari intelligentia veniebant. {635} «Venit Synagoga prior ad monumentum, sed minime intravit: quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac passione Dominica audivit, sed credere in mortuum noluit. Vidit enim Joannes posita linteamina, non tamen introivit, quia videlicet Synagoga et Scripturae sacrae sacramenta cognovit, et tamen ad fidem passionis Dominicae credendo intrare distulit: quem diu longe lateque prophetavit, praesentem vidit et renuit; hominem esse despexit, Deum carne mortalem factum credere noluit. Quid ergo est, nisi quia et citius cucurrit, et tamen ante monumentum vacua stetit? **(VERS. 6.)** *Venit autem Simon Petrus subsequens eum,* et introivit [Col. 0988C] in monumentum. Quia secuta posterior Ecclesia Gentium, mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, et cognovit carne mortuum, et viventem credidit Deum. **(VERS. 7.)** *Vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in uno* (Al., *in unum locum*] loco. Quid est quod sudarium capitis Domini

cum linteaminibus non invenitur in monumento, nisi quia attestante Paulo: *Caput Christi Deus est* **(I Cor. XI, 3)**, et divinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostrae cognitione disjuncta sunt, ejusque potentia creaturae transcendit naturam? Et notandum quod non solum separatim, sed etiam involutum inveniri dicitur [*Greg.* addit: in unum locum]. [Col. 0988D] Linteum quippe quod involvitur, ejus nec initium, nec finis aspicitur. Recte ergo sudarium capitis involutum inventum est, quia celsitudo divinitatis nec coepit esse, nec desinit. Bene autem additur, *in uno loco, quia in scissura mentium Deus non est.* Deus quippe in unitate est, et illi ejus habere gratiam merentur, qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt.» Potest quippe [*Ms.,* quoque] per sudarium passio Christi Domini nostri designari, cujus passionis sacramenta infidelibus sunt involuta: «quia quem videbant carne mortalem, Deum esse immortalem non credebant. Sudarium ergo quod super caput ejus fuerat seorsum invenitur, [Col. 0989A] quia ipsa passio Redemptoris nostri longe a nostra passione disjuncta est; quoniam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. Ipse sponte morti succumbere voluit, ad quam nos venimus inviti. Sequitur: **(VERS. 8)** *Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum.* Postquam introivit Petrus, ingressus est et Joannes. Posterior intravit, qui prior venerat. Notum est quod in fine mundi, ad Redemptoris fidem etiam Judaea colligetur, Paulo attestante, qui ait: *Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* **(Rom. XI, 25, 26)**.

Et vidit et credidit. Quid ergo vidit, et quid credidit? Vidit linteamina posita, et credidit quod mulier dixerat, de monumento Dominum fuisse sublatum.» [Col. 0989B]

@ [Col. 0989D] Hucusque ex S. Gregorio. Adhuc enim tenebrae erant in monumento, id est, in mentibus illorum: ideo sequitur et dixit: (VERS. 9, 10) *Nondum enim sciebant Scripturam quia oportuit eum a mortuis resurgere.* Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos; id est, ubi habitabant, et unde ad monumentum cucurrerant. **(VERS. 11.)** *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Haec Maria «

@ [Col. 0989D] Ex S. Gregorio, hom. 25, num. 1-7. postquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non invenit, sublatum credidit, atque discipulis nuntiavit: qui venientes viderunt, atque ita esse, ut mulier dixerat, crediderunt, et de his protinus scriptum est: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos.* Ac deinde subjungitur: *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Qua in re pensandum est hujus mulieris mentem quanta vis amoris [Col. 0989C] accenderat, quae a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus non recedebat. Exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa ejus, quem ablatum credidit, ardebat desiderio:» et oculi qui Dominum quaesierant et non invenerant, lacrymis jam exundabant; amplius dolentes quod fuerat ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno: quoniam magistri tanti, cujus ei vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. «Unde contigit ut eum sola tunc videret, quae remansit ut quaereret: quia nimirum virtus boni operis perseverantia est: ut voce Veritatis dicitur: *Qui autem perseveraverit usque in finem, his salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Ista itaque quae sic [Col. 0989D] amabat, quae se ad monumentum quod perspexerat, iterum inclinat, videamus quo fructu vis amoris in ea ingeminat opus inquisitionis. Sequitur:

{636} VERS. 12.---*Vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Quid est quod in loco Dominici corporis duo

angeli videntur, unus ad caput, atque alius ad pedes sedens, nisi quod Latina lingua angelus nuntius dicitur, et ille ex passione sua nuntiandus erat, qui et Deus est ante saecula, et homo in fine saeculorum? Quasi ad caput sedet angelus, cum per Apostolum dicatur
@ [Col. 0990D] Greg.: «Cum per apostolum Joannem praedicatur.», quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,* et Deus erat Verbum [Col. 0990A] **(Joan. I, 1)**. Et quasi ad pedes sedet angelus, cum dicitur: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Possumus autem [*Ms.,* etiam] per duos angelos duo testamenta cognoscere, unum prius, et aliud sequens. Qui videlicet angeli per locum Dominici corporis sibimetipsis sunt conjuncti, quia nimirum utraque testamenta, dum pari sensu incarnatum et mortuum, ac resurrexisse Dominum nuntiant, quasi testamentum prius ad caput, et testamentum posterius ad pedes sedet. Requirunt Mariam angeli dicentes: **(VERS. 13)** *Mulier, quid ploras? Dicit eis:* Quia tulerunt Dominum meum a monumento, et nescio ubi posuerunt eum. Ipsa namque sacra eloquia, quae in nobis lacrymas amoris excitant, propter bonitatem Salvatoris nostri et memoriam mortis illius [Col. 0990B] quam passus est pro nostro amore, easdem lacrymas consolantur, dum nobis Redemptoris nostri speciem promittunt.» Angeli interrogaverunt, *Quid ploras? Quasi dixissent:* Non est opus mortuum plorare, quem viventem credere debes. At illa ait: *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Dominum suum vocans Domini sui corpus exanime, a parte totum significans; sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei unicum Dominum nostrum, quod utique simul est et Verbum, et anima, et caro: crucifixum tamen et sepultum, cum sola ejus sepulta sit caro. *Et* nescio, inquit, *ubi posuerunt eum.* Haec erat causa major doloris, quod nesciebat quo iret ad consolandum dolorem; sed prope erat hora qua tristitia ejus verteretur in gaudium. Unde [Col. 0990C] sequitur: **(VERS. 14)** *Haec cum dixisset, reversa* [Al., *conversa*] est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et nesciebat quia Jesus esset. «Notandum quod Maria quae adhuc de Domini resurrectione dubitabat, retrorsum conversa est ut videret Jesum: quia videlicet per eamdem dubitationem suam, quasi terga [*Greg.,* tergum] in Domini faciem miserat, quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat et dubitabat, videbat, et non cognoscebat, eumque illi et amor ostenderat et dubietas abscondebat. Cujus adhuc ignorantia exprimitur, cum infertur: **(VERS. 15)** *Et nesciebat quia Jesus esset.* Qui dicit ei: Mulier, quid ploras? Quem quaeris? Interrogatur doloris causa, ut augeatur desiderium, quatenus cum nominaret quem quaereret, in amore ejus ardentius aestuaret. *Illa* [Col. 0990D] existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Forsitan nec errando haec mulier erravit, quae Jesum hortulanum credidit. An non ei spiritaliter hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui semina virtutum virentia plantabat sata? «Sed quid est, quod viso eo, quem hortulanum credidit, cui necdum dixerat quem quaerebat, ait ei: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, etc.*» Nemo calumnietur mulierem, quod hortulanum dixerit Dominum, et Jesum magistrum. Ibi enim rogabat, hic noscebat [*Al.,* agnoscebat]; ibi honorabat hominem a quo beneficium [Col. 0991A] postulabat, hic recolebat doctorem a quo discernere humana et divina discebat. Appellabat Dominum cujus ancilla non erat, ut perveniret ad Dominum cujus erat. Aliter ergo Dominum dixit: *Sustulerunt Dominum meum:* aliter autem: *Domine, si tu sustulisti illum, ibi ex veritate, hic ex honore.* Quaerebat itaque, et non dicebat, quae *eum dixit: Domine, si tu sustulisti eum.* «Hoc habet vis amoris, hoc agere

solet in animo, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Recte et haec mulier, quem quaerit non dicit, et tamen dicit, *si tu sustulisti eum, quia alteri non putat incognitum, quem sic ipsa continuo plangit desiderio.*

VERS. 16.---*Dicit ei Jesus:* Maria. Postquam eam communi vocabulo appellavit ex sexu, et agnitus non [Col. 0991B] est, vocat ex nomine. Ac si aperte ei dicat: Recognosce eum a quo recognosceris. Perfecto quoque viro dicitur: *Novi te ex nomine* **(Exod. XXXIII, 12)**; {637} quia homo, commune omnium nostrum vocabulum est, Moyses vero proprium, cui recte dicitur quia ex nomine scitur: ac si aperte Dominus dicat, non te generaliter ut caeteros, sed specialiter scio. Maria ergo, quae vocatur ex nomine, recognoscit auctorem, atque eum protinus *Rabboni, id est magistrum vocat, quia et ipse erat qui quaerebatur exterius, et ipse eam interius ut quaereret, docebat.* Jam vero ab evangelista non subditur quid mulier fecerit, sed ex eo innuitur quod audivit, cui dicitur: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In his namque verbis ostenditur, quod Maria amplecti voluit [Col. 0991C] ejus vestigia, quem recognovit. Sed ei magister dicit: *Noli me tangere;* non quia post resurrectionem Dominus tactum renuit feminarum, cum de duabus ad sepulcrum ejus [venientibus] scriptum sit: *Accesserunt et tenuerunt pedes ejus* **(Matth. XXXVIII, 9)**. Sed cur tangi non debeat, ratio quoque additur, cum subinfertur: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In corde etenim nostro tunc Jesus ascendit ad Patrem, cum aequalis creditur Patri. Nam quisquis eum aequalem Patri non credit, adhuc in ejus pectore ad Patrem Dominus non ascendit. Ille ergo Jesum veraciter tangit, qui Patri Filium coaeternum credit.

Vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum, ad Deum [Col. 0991D] meum et Deum vestrum. Cum *meum* dicat et *vestrum,* cur non communiter dicit *nostrum? Sed distincte loquens indicat quia eumdem Patrem et Deum similiter habet ipse, quem nos* [*Ms.* melius: dissimiliter habet ipse, quam nos]. *Ascendo ad Patrem meum, videlicet per naturam; et Patrem vestrum per gratiam; ad* Deum meum, quia descendi, *ad Deum vestrum, quia ascendetis* [*Ms.,* ascendistis]. Quia enim et ego homo, Deus mihi est; quia vos ab errore liberati estis [*Ms.,* liberat], Deus est vobis. Distincte ergo mihi Pater et Deus est; quia quem ante saecula Deum genuit, hominem in fine saeculorum me [*Ms.,* mecum] creavit. **(VERS. 18.)** *Venit Maria Magdalene* [Col. 0992A] annuntians discipulis: Quia vidi Dominum. Et haec dixit mihi. Ecce humani generis culpa ibi abscinditur, unde processit. Quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulcro mulier viris annuntiavit vitam, et dicta sui vivificatoris narrat, quae mortiferi serpentis verba narraverat. Ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat: De qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitae. Haec de expositione lectionis evangelicae succincte transcurrimus: nunc opitulante eodem de quo loquimur Domino, et resurrectionis [ejus] gloriam, et pietatis viscera consideremus. Citius enim a morte voluit resurgere, ne nostra diu anima in infidelitatis morte remaneret.»

CAPUT XLII.

Cum fores essent clausae, veniens ad discipulos pacem infert, manibus latereque

monstrato. Quibus etiam per insufflationem significat Spiritum sanctum. Item post dies octo Thomas inspectu vel tactu lateris ac manuum in fidem confirmatur audiens: Beati qui non viderunt, et crediderunt.[Col. 0992B]

VERS. 19.---*Cum sero factum esset una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum.* «

@ [Col. 0991D] Ex S. Greg., hom. 26. num. 1-3. Quid mirum si clausis janius post resurrectionem suam in aeternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit? Sed quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, *ostendit* eis protinus *manus ac latus:* palpandam carnem praebuit, quam [Col. 0992C] clausis janius introduxit.» Clavus enim manus fixerat, lancea latus aperuerat; ubi [*Ms.,* ibi] ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia. «Qua in re duo mira et juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suum et incorruptibile, et tamen palpabile demonstravit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inaestimabili Redemptor noster et incorruptibile {638} post resurrectionem, et palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile invitaret ad praemium, praebendo palpabile formaret [*Greg.,* firmaret] ad fidem. Et incorruptibilem se ergo et palpabilem demonstravit, ut profecto [Col. 0992D] esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et ejusdem naturae et alterius gloriae.»

Dicit eis: Pax vobis. Pacem offerebat, qui propter pacem venit; et quibus ante dixit: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, modo dicit: Pax vobis.* Quam pacem nascente Christo angeli praedicaverunt in mundo. *Et iterum secundo ait: Pax vobis, ut monstraret pacificata esse quae in coelis sunt et quae in terris sunt, per sanguinem suum.* **(VERS. 21.)** *Dicit eis:* Pax vobis. Iteratio, confirmatio est. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* «Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit; quem videlicet in mundo [*Greg.,* in mundum] venire ad passionem voluit; sed tamen amavit [Col. 0993A] Filium quem ad passionem misit. Electos vero apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo et Filius amatur a Patre, et tamen ad passionem mittitur, ita et discipuli amantur a Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque dicitur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* id est, ea charitate vos diligo cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit [*Ms.,* dilexit], quem venire ad tolerandas passiones fecit. **(VERS. 22.)** *Hoc cum dixisset, insufflavit et dicit eis:* Accipite Spiritum sanctum. Quaerendum nobis est, quid est quod Spiritum sanctum Dominus noster et semel dedit in terra consistens, et semel coelo praesidens? Neque enim alio in loco datus Spiritus sanctus [Col. 0993B] aperte monstratur, nisi nunc cum per insufflationem percipitur, et postmodum cum de coelo veniens in linguis variis demonstratur. Cur ergo prius in terra discipulis datur, postmodum de coelo mittitur, nisi quod duo sunt praecepta charitatis, dilectio videlicet Dei et proximi? In terra datur Spiritus ut diligatur proximus: e coelo datur Spiritus ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas et duo praecepta, ita unus Spiritus et duo data. Prius a consistente Domino in terra, postmodum e coelo; quia in proximi amore dicitur qualiter perveniri debeat ad amorem Dei.» Hoc cum dixisset, insufflavit et dicit eis: *Accipite Spiritum sanctum,*

insufflando significavit Spiritum sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed et suum. **(VERS. 23.)** *Quorum remiseritis,* [Col. 0993C] inquit, *peccata, remittuntur eis;* et quorum retinueritis, retenta sunt. «

@ [Col. 0993D] Ex S. Aug., tract. CXXI, num. 4. Ecce charitas quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit, eorum autem qui non sunt ejus participes, tenet. Ideo posteaquam dixit: *Accipite Spiritum sanctum, hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subjecit.*» Sciendum vero est quod hi qui primo Spiritum sanctum habuerunt, ut et ipsi innocenter viverent, et in praedicatione quibusdam prodessent, idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, ut prodesse non paucis, sed pluribus possent.

VERS. 24.---*Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.* «

@ [Col. 0993D] Ex S. Greg. homilia citata, num. 7-9. Iste unus discipulus defuit, reversus quod [Col. 0993D] gestum est audivit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus, et non credenti discipulo latus palpandum praebuit, manus ostendit, et ostensa suorum vulnerum cicatrice, infidelitatis illius vulnus sanavit. Quid, fratres charissimi, quid inter haec animadvertitis? Nunquid casu gestum creditis, ut electus ille discipulus tunc deesset; post haec venit ut audiret [*Greg.,* post autem veniens audiret], audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, [Col. 0994A] in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans, testis verae {639} resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimae virginitatis. Palpavit autem, et exclamavit: (VERS. 28, 29) *Dominus meus et Deus meus.* Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti. Cum Paulus apostolus dicat: *Est enim fides sperandarum substantia* [Col. 0994B] rerum, argumentum non apparentium **(Hebr. XI, 1)**: Profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quae apparere non possunt. Quae etenim apparent jam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: *Quia vidisti me, credidisti? Sed aliud vidit, aliud credidit.* A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, et Deum confessus est, dicens: *Deus meus et Dominus meus.* Videndo ergo credidit qui considerando hominem, verum [*Greg.,* qui considerando verum hominem] hunc Deum quem videre non poterat, exclamavit. Laetificat valde quod sequitur: *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* In qua nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem carne non vidimus, [Col. 0994C] mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim vere credit qui exercet operando quod credit.» [Quia autem] ait: *Beati qui me non viderunt, et crediderunt,* «

@ [Col. 0994D] Ex S. Aug., loc. cit. num. 5. praeteriti temporis usus est verbo; tanquam ille qui id quod erat futurum, in sua noverat praedestinatione jam factum,» sed his verbis proprie gentium. ut diximus, fides signatur.

VERS. 30.---*Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum.* Significat evangelista plurima [*Ms.,* plura] fecisse Jesum signa et miracula salutis et praedicationis, quae non scripta essent propter multitudinem illarum rerum quae gestae fuerunt ab eo. Sequitur autem: **(VERS. 31)** *Haec autem scripta sunt,* ut credatis quia Jesus est Christus Filius [Col. 0994D] Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Quid dicunt qui asserunt Jesum Christum Filium Dei non esse, dum iste evangelista Deo dilectus et a Deo electus [*Al.,* doctus] dixit hanc sibi esse occasionem scribendi hoc Evangelium, ut crederetur quia Jesus est Christus Filius Dei? Ille qui ab angelo nuntiatus est, et nomen illi impositum est Jesus, dum venit ad virginem dixit: *Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum* **(Luc. I, 31)**: hic autem Jesus, qui natus est ex virgine Maria, Filius est Dei, sicut iste evangelista testatur, et ut omnes in hac fide vitam possint habere sempiternam in nomine ejus. Quid de illis [Col. 0995A] aestimandum est qui eum non credunt Filium Dei esse verum, sed adoptivum, nisi forte ut nunquam habeant vitam aeternam? Dicunt itaque assumptionem et adoptionem unum esse; et Jesum Christum secundum quod homo est, propter assumptionem humanitatis necessarie adoptivum esse, non intelligentes quanta est haec absurditas quae sequitur eos [*Ms.,* eis]. Nam si adoptivus est propter assumptionem, igitur Filii persona adoptivus est, quia Filius assumpsit hominem, et est tunc nepos Deo Patri: quod quam impium sit, nullum aestimo fidelium ignorare. Tantummodo credamus Jesum esse [Christum] Filium Dei verum in utraque natura. Et sicut Filius Dei vere est Filius hominis, ita Filius hominis vere est Filius Dei. Sed haec alias plenius; nunc vero quae [Col. 0995B] sequuntur videamus.

«
@ [Col. 0995D] Ex eodem, tract. CXXII, num. 1. Sed hoc capitulum velut libri hujus indicat finem: tamen narratur hic deinde quemadmodum se manifestaverit Dominus ad mare Tiberiadis, et in captura piscium commendaverit Ecclesiae sacramentum, qualis futura est ultima resurrectio [*Aug.,* ultima resurrectione] mortuorum.» Ideo quasi ab alio incipit principio, quia vita fidelium ab alio tunc incipit principio, ubi nihil hujus perturbationis futurum erit, quas hic patimur in hac vita. Unde et ita incipit qualiter haec manifestatio esset acta. Dicit enim:

{640}
CAPUT XLIII. *Manifestat se iterum ad mare Tiberiadis septem discipulis in captura piscium centum quinquaginta trium, cum resurrexisset a mortuis.*

[Col. 0995C]
CAPUT XXI, VERS. 1-3.---*Manifestavit se iterum ad mare Tiberiadis, manifestavit autem sic.* Erant simul Petrus et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Exierunt et ascenderunt in navem, et illa nocte nihil ceperunt. «
@ [Col. 0996D] Ex S. Greg., hom. 24, num. 1-6. Quaeri enim potest cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem rediit? Et cum Veritas dicat: *Nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei* **(Luc. IX, 62)**; cur repetiit quod dereliquit? Sed si virtus discretionis intenditur [*Ms.* et Greg.,

inspicitur], citius videtur, quia nimirum negotium quod ante conversionem sine peccato [Col. 0995D] exstitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthaeum vero telonearium scimus; et post conversionem suam, ad piscationem Petrus rediit, Matthaeus vero ad telonei negotium non rediit [*Greg.,* non resedit]; quia et aliud est victum per piscationem quaerere, aliud telonei lucris exercitia [*Greg.* pecunias] augere. Sunt enim pleraque negotia quae sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quae ergo ad peccatum implicant, ad haec necesse est ut post conversionem animus non recurrat. Quaeri potest cur discipulis in mari laborantibus post resurrectionem [Col. 0996A] suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis suis in fluctibus maris ambulavit? Cujus rei ratio festine cognoscitur, si ipsa quae tunc inerat causa pensetur. Quid enim mare, nisi praesens saeculum significat, quod se causarum tumultu et undis vitae corruptibilis illidit? Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis aeternae figuratur? Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitae inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat. Ac si ipsum resurrectionis suae mysterium rebus discipulis loqueretur dicens: [Hic] jam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationum fluctibus non sum. Facta est autem [Col. 0996B] discipulis piscationis magna difficultas, ut magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas, qui protinus dixit:

VERS. 6.---*Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis.* Bis in sancto Evangelio legitur quia Dominus jussit ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet et post resurrectionem. Sed priusquam Redemptor noster pateretur et resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet, sed utrum in dextram, an in sinistram mitti debuisset, non jubet: post resurrectionem vero discipulis apparens, mitti rete in dexteram navigii jubet. In illa piscatione tanti capti sunt, ut retia rumperentur: in ista autem et multi capti sunt, et retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos in dextera, et malos in sinistra [Col. 0996C] figurari? Illa ergo piscatio, in qua specialiter in quam partem mitti rete debeat non jubetur, praesentem Ecclesiam designavit quae bonos simul ac malos colligit; nec eligit quos trahat, quia et quos eligere possit ignorat: haec autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est, quia ad videndam claritatis ejus gloriam sola electorum Ecclesia pertinget quae de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione prae multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei, etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam haeresibus scindant: in ista vero piscatione et multi pisces et magni capiuntur, et rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua auctoris sui pace requiescens, nullis jam dissensionibus [Col. 0996D] dilaniatur. Captis autem tam magnis piscibus, **(VERS. 11)** *ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram.* Jam credo quod vestra Charitas advertat quid est quod Petrus rete ad terram trahit. Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa, {641} ipsi specialiter dicitur: *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas* **(Joan. XXI, 15, 16)**. Quod ergo postmodum aperitur in voce, hoc [nunc] signatur in opere. Quia igitur praedicator Ecclesiae nos a mundi [vitae] hujus fluctibus separat, nimirum necesse est ut rete plenum piscibus Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia [*Ms.,* [Col. 0997A] qui] sanctae praedicationis voce stabilitatem aeternae patriae fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis. Quoties per eum ad amorem quietis aeternae convertimur,

quoties [a terrenarum] rerum tumultibus separamur, quid aliud quam missi intra rete fidei pisces ad littus trahimur? Sed cum rete piscibus magnis plenum dicitur, additur et quantis, scilicet centum quinquaginta tribus. A magno mysterio iste numerus non vacat, sed intentos vos tanti mysterii profunditas exspectat. Neque etenim quantitatis summam solerter evangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse judicasset. Scitis namque quod in testamento veteri omnis operatio per Decalogi mandata praecipitur: in novo autem eisdem operationis virtus, [Col. 0997B] per septiformem gratiam sancti Spiritus multiplicatis fidelibus datur: quem Propheta denuntians dicit: *Spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* **(Isai. XI, 2)**. Sed ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, ut et Patrem, et Filium, et eumdem Spiritum sanctum unius virtutis credat, unius substantiae esse fateatur. Quia igitur septem, quae superius diximus, per Novum Testamentum latius data sunt, decem vero per vetus praecepta, omnis nostra virtus et operatio per decem et septem plene potest comprehendi. Ducamus ergo per trigonum decem et septem, et veniunt quinquaginta et unum. Qui profecto numerus a magno mysterio non vacat, quia in Testamento Veteri [Col. 0997C] legimus, quod annus quinquagesimus jubilaeus vocari jussus est, in quo videlicet cunctus populus ab omni opere requiesceret **(Levit. XXV, 11)**. Sed vera requies in unitate est. Dividi quippe unum non potest: ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est. Ducamus ergo per trigonum quinquaginta et unum, et fiunt centum quinquaginta tria. Quia igitur et omnis operatio nostra et virtus in fide Trinitatis exhibita ad requiem tendit, septem et decem ter ducimus, ut ad quinquaginta et unum venire debeamus. Et vera nostra requies tunc est, cum ipsam jam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in Unitate divinitatis esse certum tenemus. Quinquaginta et unum ter ducimus, et electorum summam in superna patria, quasi centum quinquaginta trium piscium [Col. 0997D] numerum tenemus. Post resurrectionem vero Domini missum rete dignum fuit, ut tot pisces caperet, quot solummodo electos cives supernae patriae designarent.» Est quoque alia supputatio hujus septenarii [et denarii] numeri. Nam si ab uno omnes numeros computes usque ad decem et septem hoc modo: unum, duo, tres fiunt; adde tres, fiunt sex; his adjunge quatuor, fiunt decem; his quinque, et habebis quindecim; et sic crescentibus numeris et multiplicatis usque ad decem et septem, fit omnium numerorum summa istorum, qui multiplicantur ab uno usque ad decem et septem, centum quinquaginta tria. Quae computatio superiori significationi, id est, legis [Col. 0998A] in denario [et gratiae in septenario], satis congruenter convenit. Sed plura possunt inde considerari admiratione digna, quae hujus temporis angustia prohibet nos omnia dicere.

Sed quid est quod Redemptor noster piscem assum post resurrectionem manducavit; et in alio Evangelio dicitur, cum pisce asso favum mellis, in isto vero panem cum pisce? «Quid enim piscis assus significat, nisi Christum passum? Quid favus mellis, nisi Divinitatis dulcedinem? Piscis est, quia ipse latere dignatus in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostrae, et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suae. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis exstitit in resurrectione. An qui in pisce asso figurari voluit tribulationem [Col. 0998B] passionis suae, in favo mellis utramque naturam exprimere voluit personae suae? Favus quippe mel {642} in cera est: mel vero in cera est divinitas in humanitate. Quod ab hac quoque

lectione non discrepat: nam comedit piscem et panem. Qui enim assari ut piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex divinitate, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* **(Joan. VI, 41, 52)**. Assum ergo piscem comedit et panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet quia et passionem ex nostra humanitate pertulit, et refectionem nostram ex sua divinitate procuravit. Notandum quoque quod ultimum convivium Dominus cum septem discipulis habuisse describitur. Petrus namque et Thomas, Nathanael et filii Zebedaei, et alii ex discipulis ejus duo in eo fuisse memorantur, [Col. 0998C] Cur cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, nisi quia eos tantummodo, qui septiformi gratia sancti Spiritus pleni sunt, futuros secum in aeterna refectione denuntiat? Septem quoque diebus omne hoc tempus evolvitur: et saepe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo convivio de praesentia veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos mundi hujus amor non alligat, quibus etsi utcunque per tentamenta obstrepit, coepta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo convivio alias per Joannem dicitur: *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt* **(Apoc. XIX, 9)**. Idcirco enim non ad prandium, sed ad coenam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium coena est. Qui ergo finito praesentis vitae tempore [Col. 0998D] ad refectionem supernae contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad coenam vocantur. Quae videlicet coena hoc ultimo convivio exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur, quia illos, ut diximus, tunc interna refectio [*Ms.* refectione] reparat, qui pleni nunc septiformi gratia in amore Spiritus anhelant.»

«

@ [Col. 0997D] Ex S. Aug., tract. CXXIII, num. 1-3. In eo quod tertio Dominus post resurrectionem manifestavit se discipulis suis, beati Joannis evangelistae Evangelium terminatur. **(VERS. 12.)** *Dicit eis Jesus:* Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est. Sensus ergo hic est: Tanta erat evidentia [Col. 0999A] veritatis, quia [*Aug.,* qua] Jesus illis discipulis apparebat, ut eorum non solum negare, sed ne dubitare quidem ullus auderet: quoniam si quisquam dubitaret, utique interrogare deberet. Sic ergo dictum est: *Nemo audebat interrogare:* Tu quis es, ac si diceretur: Nemo audebat dubitare, quod ipse esset. **(VERS 13.)** «*Et venit Jesus, et accepit panem, et dedit eis;* et piscem similiter. Ecce dictum est etiam quid pranderent, de cujus significatione in superioribus diximus. Superius quoque narratum est quod discipuli, quando descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem superpositum, et panem. Ubi non est intelligendum etiam panem fuisse superpositum prunis, sed tantum subaudiendum, *viderunt.* Quod verbum si repetamus eo loco ubi subaudiendum [Col. 0999B] est, ita totum dici potest: Viderunt prunas positas, et piscem superpositum [viderunt], viderunt et panem. Vel ita potius: Viderunt prunas positas, et piscem superpositum, viderunt et panem. Jubente etiam Domino attulerunt et de piscibus quos ipsi ceperant: quod eos fecisse quamvis a narrante non sit expressum, tamen Dominum jussisse non tacitum est. Ait enim: *Afferte de piscibus quas apprehendistis nunc.* Et utique jubente illo, eos non fecisse quis credat? Hinc ergo fecit prandium Dominus illis septem discipulis suis: de pisce scilicet, quam prunis superpositum viderant, huic adjungens ex illis quos ceperant, et de pane quem nihilominus eos vidisse narratum est. Piscis assus, ut diximus, Christus est passus, ipse est et panis, qui de coelo descendit. [Col. 0999C] Hoc corroboravit Ecclesiam [*Aug.,*

Huic incorporatur Ecclesia], ad participandum beatitudinem sempiternam;» quae etiam in his septem discipulis significata est, quae cum Christo in aeterna beatitudine post labores hujus saeculi regnatura erit. «Hinc [*Aug.,* Hic] enim Ecclesia, qualis in solis bonis futura est, significatur per capturam centum quinquaginta trium piscium: et in eis qui haec credunt, sperant, diligunt, participatio tantae beatitudinis per hoc prandium demonstratur.

{643} VERS. 14.---*Hoc* jam tertio, inquit, *manifestatus est Jesus discipulis suis, cum surrexisset a mortuis, Quod non ad ipsas demonstrationes, sed* [ad] dies referre debemus: id est, primo die, cum resurrexit; et post dies octo, quando discipulus Thomas vidit et [Col. 0999D] credidit; et hodie quando hoc de piscibus fecit; post quot autem dies id fecerit, hic dictum non est: nam ipso primo die non semel visus est, sicut evangelistarum omnium testimonia collata demonstrant, sed sicut dictum est, secundum dies numerandae sunt manifestationes ejus, ut ista sit tertia; prima quippe habenda est eadem una [*Aug.,* habenda sit, eademque una] propter unum diem, quotiescunque se et quibuscunque in illo quo resurrexit, ostendit; secunda post dies octo, et haec tertia; et deinde quoties voluit, usque ad diem quadragesimum, quo ascendit in coelum, quamvis non scripta sint omnia:» [Col. 1000A] sicut iste idem Joannes testatur, multa eum fecisse quae non sunt scripta.

[Invenimus] collatis Evangeliorum testimoniis decies Dominum visum esse ab hominibus, a die prima resurrectionis suae usque ad diem quadragesimum ascensionis suae. Primo quidem Mariae Magdalenae flenti ad monumentum; deinde eidem Mariae, et alteri ejusdem nominis feminae, regredientibus a monumento nuntiare discipulis quae ibi viderant, occurrens apparuit; tertio Simoni Petro, licet hoc non legatur, ubi esset factum, tamen factum esse ex Evangelio Lucae invenimus, ubi ait discipulos dixisse: *Quia vere surrexit Dominus, et apparuit Simoni* **(Luc. XXIV, 34)**. Quarto, Cleophae et socio ejus, cum quibus ipse gradiens in Emmaus, inibi in panis fractione [Col. 1000B] cognitus est, qui mox reversi Hierosolymam, invenerunt discipulos loquentes, *Quia surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni;* nam plene alibi, quando Simoni apparuerit, non legitur. Quinto, apparuit eis in eodem loco janui clausis, ubi non erat Thomas; sexto, post dies octo, quando erat cum eis et Thomas, cui manus et latus Dominus palpandum ostendit; septimo, piscantibus ad mare Tiberiadis, et convivantibus cum eis, ubi et Petrum, an se diligeret, tertio interrogavit; octavo, in monte Galilaeae illis undecim apparuit, sicut constituit eis ante passionem suam; et mulieribus praecepit eis dicere ut irent in Galilaeam, ubi eum visuri essent. Nono, regredientibus illis undecim apparuit [in monte], de quo ascendit in coelum, sicut Marcus refert. Decimo, viderunt [Col. 1000C] eum ipsa die, non jam in terra positum, sed elevatum in aera, coelosque penetrantem dicentibus sibi angelis: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* **(Act. I, 11)**. Quid vero actum sit vel dictum in illo convivio Domini nostri Jesu Christi novissimo cum discipulis suis, consequenter exposuit Evangelista, dicens:

CAPUT XLIV ET XLV.

Usque tertio dicit Petro, Amas me? quia ter eum negaverat; et pascendas oves aeque

tertio commendans, extensione manuum significat ei, quod crucis morte foret martyrio coronandus.---Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? *etc.,* usque clarificaturus esset Deum.

VERS. 15.---*Dicit Simoni Petro Jesus:* Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, [Col. 1000D] tu scis quia amo te. «

@ Ex hom. Ven. Bedae in vigiliis sanctorum Petri et Pauli Virtutem nobis perfectae dilectionis praesens Domini nostri interrogatio ostendit. Perfecta enim dilectio est, qua Dominum [*Ms.,* Deum] ex toto corde, tota anima, tota virtute, proximum autem tanquam nosipsos diligere jubemur: et neutra harum dilectio sine altera valet esse perfecta; quia nec Deus vere sine proximo, nec sine Deo vere potest proximus amari. Unde Dominus toties interrogato Petro an se diligeret, et illo respondente quod eum ipso teste diligeret, adjungebat per singula ita concludens: *Pasce* {644} *oves* meas, sive *pasce agnos meos.* Ac si aperte diceret: Haec sola et vera est [Col. 1001A] probatio integri in Dominum amoris, si erga fratres studueris curam solliciti exercere laboris; nam quicunque fratri opus pietatis quod valet impendere negligit, minus justo se conditorem diligere ostendit, cujus mandata in sustentanda proximi necessitate contemnit. Quae profecto charitas, quoniam sine divinae gratiae inspiratione [*Beda, sine divinae gratia inspirationis*] minime possit haberi, tacite quodammodo Dominus insinuat, qui Petrum de illa interrogans, Simonem eum Joannis, quem nunquam [*Ms.* et Beda, quod nusquam] alias, cognominat: *Simon,* inquit, *Joannis, diligis me plus his? Ubi quamvis et simpliciter mentio facta terreni parentis ejus possit* intelligi, non tamen ab re est, si quis nomine *Joannis donum supernae generationis mystice indicatum* [Col. 1001B] velit accipere; de quo Joannes apostolus admonendo testatur: *Charissimi, diligamus invicem, quoniam charitas ex Deo est:* et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum **(I Joan. IV, 7)**. Simon namque obediens, Joannes dicitur Dei gratia: et propterea recte primus apostolorum, cum de amore suo requiritur, *Simon Joannis, id est, obediens Dei gratia* [*Beda, gratiae*] vocatur: ut liquido cunctis ostendatur, hoc quod majore prae caeteris obedientia Domini jussis obsequitur, quod ardentiori illum charitate amplectitur, non humani meriti, sed muneris esse divini. Unde et apostolus Paulus eadem gratia confortatus aiebat: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* **(Rom. V, 5)**. Qui ergo caeteris flagrantius Dominum [Col. 1001C] amare probatur, *filius Joannis cognominatur;* quia nimirum virtus ejusdem amoris non nisi per gratiam Spiritus percipitur. Qui tamen ipse notandum quam caute et circumspecte testimonium suo reddit amori, cum Domino sciscitanti an se plus aliis diligeret, non ausus est respondere: *Tu scis quia amo* te plus his, sed temperata ac simplici voce, *Etiam,* inquit, *Domine, tu scis quia amo te.* Quod est aperte dicere: Scio quidem, quia ipse te, ut tu melius nosti, integro corde diligo; quam vere [*Beda, quantum vero*] te alii diligant mihi quidem ignotum, sed tibi sunt omnia nota. Cujus cautela responsionis nostrae profecto est institutio locutionis, simul et cognitionis [*Beda, cogitationis*]; ut videlicet ejus exemplo discamus minus de nostrae conscientiae puritate praesumere; [Col. 1001D] minus temere de fraternae conscientiae occultis judicare, in dubiis maxime rebus, quod qua intentione vel necessitate gerantur inspicere nequimus quae ab illis agi conspicimus. Siquidem et ipse Petrus idcirco se in hac Dominica interrogatione cautius respondendo cohibebat, quia meminit se pridem, imminente ejus passione, plus sibi constantiae tribuisse quam

haberet, spondendo videlicet se esse paratum et in carcerem et in mortem ire cum illo, qui necdum erat idoneus instante periculo saltem confiteri, quia nosset illum, vel quia fuisset aliquando cum illo. Instructus ergo periculo priore cautius loqui cum Domino, quem bene didicerat humanae conscientiae [statum (*Edit.,* conscientiae constantiam statim)] melius [Col. 1002A] nosse quam ipsa se conscientia ullatenus nosse sufficeret; de fraterni quidem cordis occultis nihil prorsus audet definire: de sui autem amoris integritate non suimet solius, sed et ipsius qui interrogabat Domini testimonium pandit, *Etiam,* inquiens, *Domine, tu scis quia amo te.* O quam felix et pura conscientia, quae conditori suo, cujus nuda oculis et aperta novit omnia, dicere non metuit: *Domine, tu scis quia amo te! Quam casta ac sancta anima, quae et suam cognitionem Domino patere non dubitat, et se nil aliud quam ea quae Dominus approbat, cogitare non ignorat! Provida autem pietate Dominus tertio Petrum an se diligat interrogat, ut ipsa trina confessione vincula, quae illum ter negando ligaverant, absolvat;* et quoties territus ejus passione, qua illum nosse [Col. 1002B] [*Beda, quod eum nosset*] negaverat, toties ejus resurrectione recreatus, quod illum toto amet corde testetur. Provida dispensatione tertio confitenti amorem, tertio aeque pascendas suas oves commendat; quia decebat ut quoties in pastoris fide titubaverat, toties cum renovata fide pastoris membra quoque ejus pastoris jubeatur curare. Quod enim hic dicit ei: *Pasce oves meas, hoc est utique, quod ei ante passionem apertius dixerat: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos **(Luc. XXII, 33)**. Pascere ergo oves Christi est credentes in Christum ne a fide deficiant confirmare; et ut {645} in fide magis magisque proficiant, instanter operam dare:» saecularibus quoque subsidiis eos quantum valeat adjuvare, cogitantes [Col. 1002C] superflue de caducis corrigere [*Ms.,* adjuvare, errantes corrigere], moerentes consolari, omnes magna pietatis cura ad perpetuae vitae perducere pascua. «Sed hoc pastori est fixo corde tenendum, ut eos quibus praeest non quasi suos proprios, sed ut Domini sui gregem tractare meminerit, juxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, pasce oves meas.* Meas, inquit, non tuas; meas tibi oves commendatas scito, et has quasi meas regere, si me perfecte amas, recole: ut meam videlicet in eis gloriam, meum dominium, mea lucra, non tua propria quaeras. Veri autem pastoris, et cui sincera est cura de ovibus, evidens ac speciale indicium est, cum quisque non solum commodis omnibus vitae temporalis carere; sed ipsam quoque vitam pro grege Christi ponere, in [Col. 1002D] promptu habet. Unde nunc ipse, postquam pascendas suas oves Petro, hoc est, plebes docendas gubernandasque commisit, subsequenter addit, dicens:

VERS. 18.---*Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas:* cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis. In extensione etenim manuum, positionem membrorum ejus, qua cruci erat aptandus, insinuat; in cinctione alterius, impositionem vinculorum, quibus a persecutore erat arcendus, exprimit; in ductu quo nollet, ipsam mortis ac passionis acerbitatem indicat, quam corporalis ejus infirmitas horrebat, cujus animi firmitas spiritalis etiam adversa pro Domino laetabatur cuncta sufferre. Non [Col. 1003A] enim voluntatem suam, sed voluntatem quaerebat ejus qui misit eum, Christi. Praemissa igitur Dominus ovium suarum pastione, subjungit mox, eidem primo pastori insinuans etiam passionis suae triumphum, *Extendes,* inquiens, *manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis;* ac si patenter dicat: Quanta me charitate diligas, hinc liquido probabis, cum pro

parvulorum meorum vita usque ad mortem certando perveneris; et ut illi in corpore possint pariter et mente salvari, ipse tormenta corporis omnia quae adversarium infligere libet, forti mentis constantia tolerabis [*Beda, toleraveris*]. Quod ipse quoque evangelista subsequenter insinuans ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Clarificavit quippe Petrus morte sua Deum, quando hoc [Col. 1003B] indicio cunctis quantum Deus esset colendus amandusque demonstravit, dum ipse data optione mallet crucis subire tormentum, quam a coelestis verbi praedicatione cessare.»

CAPUT XLVI.

Dicit Dominus Petro: Sequere me, *usque ubi dicitur:* et scimus quia verum est testimonium ejus.

VERS. 20.---*Dixit Jesus Petro:* Sequere me. Conversus autem Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus ejus. «
@ Ex hom. Ven. Bedae in die sancti Joannis apostoli et evangelistae. Commendat enim nobis beatissimus evangelista et apostolus Joannes privilegium amoris praecipui, quo caeteris amplius meruit honorari a Domino; commendat testimonium evangelicae descriptionis, [Col. 1003C] quod veritate divina subnixum nullus fidelium dubitare permittitur; commendat placidam suae carnis absolutionem, quam Domino specialiter se visitante percepit. Postquam enim Dominus Jesus significavit Petro qua morte clarificaturus esset Deum, protinus adjungit: *Sequere me.* Ac si aperte dicat: Quia ipse prius pro tua redemptione crucis supplicium subire non timui, quid tu pro mei confessione nominis crucem pati formides, qui eo gloriosiore martyrii palma glorificaberis, quo in hac promerenda magistri iter sequeris? Jam vero ab evangelista non subditur quid post haec dicta Dominus et discipuli fecerint; sed ex eo tamen innuitur, quod subjungit: *Conversus Petrus, vidit illum discipulum,* [Col. 1003D] quem diligebat Jesus, sequentem. Patet namque quia [cum] dixisset Petro: *Sequere me, id est, {646} crucem patiendo me imitare, surrexit de loco convivii et abire jam coepit.* Secutus est autem Petrus etiam incessu pedum, cupiens implere quod audivit: *Sequere me;* secutus et ille discipulus, quem diligebat Jesus: neque enim arcendum se a consectatu Christi putabat, qui non minore se gratia dilectionis a Christo complexum noverat. Neque incredibile est ideo utrumque discipulum corporali gressu vestigia Domini secutum, quia necdum intellexerunt quid significaverit in eo quod Petrum se sequi praecepit. Notum autem novi vestrae fraternitati quis sit [Col. 1004A] ille discipulus quem diligebat Jesus; Joannes videlicet ipse, qui hoc scripsit Evangelium, atque ideo suam personam maluit indiciis rerum accidentium, quam proprio designare vocabulo. Diligebat autem eum Jesus, non exceptis caeteris singulariter solum, sed prae caeteris quos diligebat familiarius unum, quem specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Omnes quippe se diligere probat, quibus ante passionem loquitur: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, manete in dilectione mea* **(Joan. XV, 9)**. Sed hunc prae omnibus diligit, qui virgo electus ab ipso, virgo in aevum permansit. Tradunt namque historiae quod eum de nuptiis volentem nubere vocaverit; et propterea

quem a carnali voluptate retraxerat, potiore sui amoris dulcedine [Col. 1004B] donavit. Denique huic moriturus in cruce matrem commendavit suam, ut virginem virgo servaret: et ipso post mortem et resurrectionem coelos ascendente, non deesset ejus genitrici filius, cujus casta vita ejus castis tueretur obsequiis. Ponit et aliud suae personae beatus Joannes indicium subjungens: *Qui et recubuit in coena super pectus ejus, et dixit:* Domine, quis est qui tradet te? Hoc quomodo gestum sit, superiora hujus Evangelii loca plenius ostendunt: quia videlicet in coena, quam ultimam ante passionem cum discipulis Salvator habuit, in qua eorum pedes lavit, eisque corporis et sanguinis sui tradidit mysteria celebranda; discipulus ille, quem diligebat, super pectus ejus recubuerit; et cum dixisset eis: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me,* [Col. 1004C] responderit ille discipulus, innuente Petro ut interrogaret, et dixerit ei: *Domine, quis est? Ait Dominus: Ille* est, inquit, *cui ego intinctum panem porrexero.* Quod autem discipulus ille super pectus magistri recubuit, non praesentis solummodo dilectionis, sed et futuri erat signum mysterii; figurabatur etenim jam tunc Evangelium, quod idem discipulus erat scripturus, uberius atque altius caeteris sacrae Scripturae paginis arcana divinae majestatis esse comprehensurum. Quia enim in pectore Jesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi **(Coloss. II, 3)**, merito super pectus ejus recubat, quem majore caeteris sapientiae [et scientiae] singularis munere donat. Caeteros quippe evangelistas novimus plura de miraculis nostri Salvatoris, pauciora de divinitate locutos: [Col. 1004D] Joannes autem perpauca de humanis scribens actibus, potius se exponendis divinae naturae indidit arcanis; patenter insinuans quanta de pectore Jesu fluenta doctrinae coelestis, quae nobis ructaret, hauserit. Sequitur: **(VERS. 21)** *Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Jesu:* Domine, hic autem quid? Quia se beatus Petrus audierat per passionem crucis clarificaturum esse Deum, voluit etiam de fratre et condiscipulo cognoscere, qua esset ipse morte perpetuam transiturus ad vitam.

VERS. 22.---*Dicit ei Jesus:* Sic eum volo manere donec venio, quid ad te? Tu me sequere. Non, inquit, [Col. 1005A] eum per passionem martyrii volo consummari, sed absque violentia persecutoris diem exspectare novissimum, quando ipse veniens eum in aeterna beatitudinis mansione recipiam: et quid hoc ad te? Tu tantum crucis patibulum subeundo mea te vestigia sequi debere memento. Et quidem hanc Domini responsionem fratres tunc temporis ita tractabant, quasi Joannes nunquam esset moriturus; quod non ita esse intelligendum, ipse Joannes admonere curavit, qui cum praemisisset exiisse sermonem istum inter fratres quia discipulus ille non moritur, solerter adjecit atque ait: **(VERS. 23)** *Et non dixit ei Jesus, non moritur, sed sic eum volo manere, donec venio, quid ad te? Non ergo putandum, quia discipulus ille non sit mortuus in carne,* quia nec Dominus {647} [Col. 1005B] hoc de illo futurum praedixit. Et Psalmista ait: *Quis est homo, qui vivit, et non videbit mortem* **(Psal. LXXXVIII, 49)**? Sed ita potius intelligendum quod caeteris Christi discipulis per passionem consummatis, ipse in pace Ecclesiae adventum supernae vocationis exspectaverit, et hoc esse quod ait Jesus: *Sic eum volo manere, donec venio, non quia non et ipse multos antea labores pro Domino pressurasque malorum toleraverit, sed quia ultimum in pace senium finierit;* ut pote ecclesiis Christi per Asiam quam regebat, jam longe lateque fundatis. Nam et in Actibus apostolorum, cum caeteris apostolis flagellatus invenitur, qui [*Ms.,* quando] *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* **(Act. V, 41)**; et a Domitiano

Caesare [Col. 1005C] in ferventis olei dolium missus in ecclesiastica narratur historia; ex quo tamen divina se protegente gratia, tam intactus exierit, quam fuerat a corruptione concupiscentiae carnalis extraneus. Nec multo post ab eodem principe, propter insuperabilem evangelizandi constantiam, in Pathmos insulam exsilio relegatur, ubi humano licet destitutus solatio, divinae tamen visionis et allocutionis meruit crebra consolatione relevari. Denique ibidem Apocalypsin, quam ei Dominus de statu Ecclesiae praesenti, vel futuro revelavit, manu sua conscripsit. Unde constat promissionem sic manendi, donec veniret Dominus, non eo pertinere quod sine labore certaminis victurus in mundo, sed illo potius, quod sine dolore passionis transiturus esset de mundo. Sicut enim in Patrum [Col. 1005D] litteris invenimus, cum longo confectus senio, sciret imminere diem recessus sui, convocatis discipulis suis per monita [*Beda, post monita*] exhortationum ac missarum celebrationem, ultimum eis vale fecit: deinde descendens in defossum sepulturae suae locum, facta oratione, appositus est ad patres suos tam liber a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus. Atque ita completa est veridica illa Salvatoris sententia, quia sic eum voluerit manere, donec ipse veniret. Possumus autem mystice in his quae Petro et Joanni a Domino praedicta atque in eis sunt gesta, duas Ecclesiae vitas, quibus in praesenti [Col. 1006A] exercetur, activam scilicet et contemplativam, designatas accipere, quarum activa communis populo Dei via vivendi est: ad contemplativam vero, perpauci, et hoc [*Beda, et in hoc*] sublimiores quique post perfectionem piae actionis ascendunt. In eo etenim quod ait Petro Dominus: *Extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis, perfectionem exprimit activae conversationis, quae tentationum solet igne probari.* Unde alibi de ea dicit apertius: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* **(Matth. V, 10)**. Cui recte subjungit dicens: *Sequere me.* Quia nimirum juxta ejusdem Petri vocem: *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* **(I Petr. II, 21)**. Quod autem dicit de Joanne, *Sic eum volo manere, donec venio,* [Col. 1006B] statum contemplativae virtutis insinuat, quae non per mortem finienda ut activa; sed post mortem est perfectius Domino veniente complenda. Activus namque labor cum morte deficit, mercedem post mortem accepturus aeternam: speculativa autem felicitas, quae hic inchoatur, illic sine fine perficitur, quando et supernorum civium, et ipsius Domini praesentia, non per speculum et in aenigmate sicut nunc, sed facie ad faciem videbitur **(I Cor. XIII, 12)**. Sequitur:

VERS. 24.---*Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec:* et scimus quia verum est testimonium ejus. Jam manifeste beatus Joannes suam personam designat ex officio, quam designare vitat ex vocabulo. Non autem praetereunter intuendum, quod dicitur: *Qui testimonium perhibet de his,* [Col. 1006C] et scripsit haec. Perhibuit quippe testimonium verba Dei [*Ms.* et Beda, verbo Dei] praedicando; perhibuit scribendo; perhibuit denuo, eadem quae scripserat docendo; perhibet etiam nunc, Evangelium quod descripsit in Ecclesiis legendum pandendo.
@ Quae hic sequuntur uncinis inclusa, superius col. 740, etiam inserta habentur in Epistola dedicatoria ad Gislam et Richtrudam. [Siquidem a tempore Dominicae passionis, resurrectionis et ascensionis in coelum, usque ad ultima Domitiani principis tempora, per annos circiter sexaginta et quinque, absque ullo scribendi adminiculo verbum Dei praedicabat. At ubi {648} a Domitiano, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor exstitit, in exsilium missus est, irrumpentes in Ecclesiam

haeretici, quasi in destituta a pastore ovilia lupi, Marcion, Cerinthus, Ebion, caeterique Antichristi, qui Christum fuisse ante Mariam negabant, simplicitatem [Col. 1006D] fidei evangelicae perversa maculavere doctrina. Sed dum ipse post occisionem Domitiani, permittente pio principe Nerva, rediret Ephesum, compulsus est ab omnibus pene tunc Asiae episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus, de coaeterna Patri divinitate Christi altius facere sermonem, eo quod in trium evangelistarum scriptis, Matthaei videlicet, Marci, et Lucae, de humanitate ejus, ac de his, quae per hominem gessit, sufficiens sibi viderentur habere testimonium. Quod ille se non aliter facturum respondit, nisi indicto jejunio omnes in commune Dominum precarentur, ut illo digna scribere [Col. 1007A] posset. Et hoc ita patrato, instructus revelatione, ac sancti Spiritus gratia ebriatus, omnes haereticorum tenebras, patefacta (*Beda, patefactae*) subito veritatis luce dispulit: *In principio, inquiens, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*] Similemque initiis totum sui sermonis cursum faciens, Dominum nostrum Jesum Christum sicut verum hominem, vere ex homine temporaliter factum, ita etiam verum Deum, vere ex Deo Patre aeternaliter natum, vere cum Patre et cum Spiritu sancto semper existentem, clarissima assertione perdocuit: imo omnia divinae veritatis et verae divinitatis, quantum alteri mortalium nulli licuit, arcana reseravit. Et hoc virgini privilegium recte reservabatur, et ad scrutanda Verbi incorruptibilis sacramenta, [Col. 1007B] incorrupto ipse non solum corde, sed et corpore procederet. De cujus dictorum veritate, quam sit nemini ambigendum, ipse quoque curavit ostendere: qui cum dixisset: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec, continuo subjecit et ait: Et scimus, quia verum est testimonium ejus.* Quia ergo et nos cum caeteris fidelibus scimus quia verum est testimonium ejus, curemus per omnia ut recta fide intelligendo, recta operatione exercendo quae docuit, ad dona perveniamus sempiterna quae promisit.»

SUPPLETA EX MS. S. EMMERAMI.

[Col. 1007C] VERS. 25.---*Sunt autem et alia multa,* quae fecit [Col. 1008A] Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum, arbitror, mundum capere eos qui scribendi sunt libros. «
@ [Col. 1007C] Ex S. Aug., tract. CXXIV, num. 8. Non spatio locorum credendum est, mundum capere non posse, quae in eo scribi quomodo possent, si scripta non ferret, sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent, quamvis, salva rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem. Quod non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, causa et ratione reddita, exponitur, sed quando id quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur; nec tamen a tramite significandae veritatis erratur, quoniam sic verba rem quae indicatur excedunt, ut voluntas loquentis, nec fallentis appareat, qui novit quousque credatur, a quo ultra quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. [Col. 1008B] Hunc loquendi modum Graeco nomine non solum Graecarum, vel etiam Latinarum litterarum magistri *Yperbolen vocant, qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis litteris invenitur:* ut est: *Posuerunt in coelo os suum* **(Psal. VII, 9)**; et: *Verticem capilli perambulantium in delictis suis* **(Psal. LXVII, 22)**: et multa hujusmodi, quae Scripturis sanctis non desunt, sicut alii tropi, hoc est, locutionum modi. De quibus operosius disputarem, nisi evangelista terminante Evangelium suum, etiam ipse compellerer meum terminare sermonem.»

[Col. 1008C] *Explicit liber VII.*

{649}

OPUSCULUM SEPTIMUM. TRACTATUS ALBINI MAGISTRI SUPER TRES S. PAULI AD TITUM, AD PHILEMONEM ET AD HEBRAEOS EPISTOLAS.

MONITUM PRAEVIUM.

[Col. 1007D] Beatum Fl. Alcuinum scripsisse commentarios in quatuor sancti Pauli Apostoli Epistolas, Vitae illius coaevus scriptor fide dignissimus testatur his verbis: «Scripsit et in quatuor Epistolas Pauli, ad Ephesios scilicet, ad Titum, ad Philemonem et ad Hebraeos.» Scriptores quidam posterioris aetatis, Sixtus Senensis Bibl. Sanctae libr. III, Trithemius libr. De Script. Eccles. et libr. II De Script. Ord. S. Ben. cap. 36, Joannes Baleus Cent. II Script. Brit., Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. I, referunt Alcuinum scripsisse libros omnino quatuordecim in omnes sancti Pauli Epistolas: verum unde hoc didicerint, et quaenam sit illorum librorum seu commentariorum conditio, minime indicant; quo ipso satis produnt, quod nullus eorum commentarios illos vel viderit, vel cui auctori, quos viderunt, deberentur, satis examinaverit; alias certe, quod in aliis sibi bene cognitis Alcuini opusculis faciunt, illorum saltem initium dedissent. Fidei igitur scriptoris Vitae Alcuini, eidem pene contemporanei, insistendum [Col. 1008D] censeo, atque dicendum Alcuinum quidem in aliquas, non tamen in omnes sancti Pauli Epistolas commentatum fuisse.

Latuit vero hoc opus in hunc diem, et necdum integrum apparet. In insigni quidem bibliotheca celeberrimae abbatiae Einsiedlensis servatur codex ms. membraneus saec. IX, notatus litteris B, 9, quo continetur: *Tractatus Albini magistri super tres sancti Pauli apostoli Epistolas, id est, ad Titum, ad Philemonem et ad Hebraeos.* Ita enim ibidem titulus manu eadem qua integer liber scriptus est, exaratus est. Deficit ergo Tractatus in Epistolam ad Ephesios, qui primus est inter quatuor a Vitae scriptore recensitos. Quae vero causa sit hujus defectus in codice Einsiedlensi, divinare haud licet. Fortassis idem hic Tractatus in Epistolam ad Ephesios separatim a reliquis tribus ab Alcuino editus fuit? Certe in vetusto catalogo celeberrimae bibliothecae Fuldensis singulariter recensetur apud Schannat part. I Hist. Fuldensis pag. 64. Tres igitur illos Tractatus e praelaudata bibliotheca [Col. 1009A] Einsiedlensi, benevolentia viri clarissimi D. P. Meinradi Prenzer ejusdem principalis coenobii alumni accepimus, et ex ipso cod. ms. nobis perbenigne communicato descripsimus; atque hoc loco tanquam genuinum Alcuini nostri partum hucusque ineditum cum eruditis communicamus, fidem codicis pene coaevi, per ejusdem aetatis scriptorem confirmatam, secuti.

Caeterum sicut Alcuinus in reliquis suis in libros sacrae Scripturae commentariis pauca ex suo ingenio, sed maximam partem ex aliorum sanctorum Patrum, ab Ecclesia diu approbatorum scriptis deprompsit, prout jam aliquoties monuimus, ita et hos quos in manibus habemus Tractatus ex iisdem compilavit; nimirum duos priores ex

Commentariis sancti Hieronymi; ultimum vero ex sancti Joannis Chrysostomi homiliis in Epistolam ad Hebraeos; secutus ibi versionem Mutiani scholastici, qualis exstat initio tom. XII Operum sancti Joan. Chrysost. edit. D. [Col. 1009B] Bernardi de Montfaucon. Textum igitur cum editis illorum sanctorum Patrum Operibus contulimus, lectiones variantes et Alcuini additiones atque interpolationes [Col. 1010A] uncinis discrevimus in commodum lectorum.

Porro hisce Tractatibus fragmenta quaedam addere non importunum erit, ex pervetusto cod. ms. bibliothecae illustrissimi capituli metropolitani Salisburgensis notato num. 71 descripta, ubi Albino attribuuntur breves Expositiones quorumdam singularium textuum, Epistolarum sancti Pauli apostoli ad Corinthios, ad Ephesios, ad Titum et ad Hebraeos. Nullus enim dubito, Albinum illum esse Alcuinum nostrum, cujus aetati codicis quoque aetas concordat, et stylus stylo Alcuini similis est, ut ovum ovo. Non tamen, inquis, concordat expositio isthaec cum illa, quae ad eosdem textus legitur in ipsis prioribus Tractatibus in Epistolas ad Titum et Hebraeos. Respondeo differentiam non esse, nisi quod ibi alio modo pene idem dicatur, ut conferenti patebit. Hinc videtur haec fragmenta non ex prioribus commentariis excerpta fuisse, sed singulares fortassis esse responsiones [Col. 1010B] ad quaestiones super illos textus ipsi propositas, quales eidem saepius fieri solebant.

{650} EXPLANATIO IN EPISTOLAM PAULI AD TITUM.

PRAEFATIO[Col. 1009B]

Hanc epistolam scribit Apostolus a Nicopolis civitate, quae sita est in Hactiaco [Actiaco] littore, ad Titum discipulum suum et in Christo filium, quem Cretae insulae reliquerat ad ecclesias instruendas. Noluit enim sua absentia Cretenses in antiquo errore permanere, a quibus primum idololatriae semina pullularunt. Et dum Titum rogavit propter praedicationis [Col. 1009C] necessitatem ad se venire, praecipit ibi venire Artheman aut Tichicum, quorum doctrina et solatio foverentur Cretenses.

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1.---*Paulus servus Dei, apostolus autem Christi Jesu.*
@ Ex S. Hieronymi Commentario in Epist. ad Titum. In Epistola ad Romanos ita exorsus est: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus:* in hac autem servum se Dei dicit; apostolum vero Christi Jesu. Si enim Pater et Filius unum sunt, et qui crediderit in Filium, credit in Patrem, servitus quoque indifferenter apostoli Pauli [et omnium sanctorum] ad Patrem est referenda, vel ad Filium, [quia unus Deus est Pater et Filius, et una servitute colendus est. Haec autem servitus charitatis est, non [Col. 1009D] legis litterae quae occidit, sed spiritus qui vivificat.] Servus Dei ille est, qui non est servus peccati; quia *omnis qui facit peccatum, servus est peccati* **(Joan. VIII, 34)**.

Apostolus autem Jesu Christi. Grandem sibi Paulus inter Christianos vindicat auctoritatem: apostolum Christi titulo praenotavit, ut ex ipsa lecturos nominis

auctoritate terreret, [et excitaret ad timorem suae praedicationis:] indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. *Secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis.* Referendum est ad superiora, quod intulit: *Paulus servus Dei, apostolus autem Christi Jesu.* Secundum fidem electorum Dei, id est, eorum qui non tantum vocati [Col. 1010B] sunt, sed electi. Electorum quoque ipsorum magna diversitas est, pro varietate operum, sensuum atque sermonum. [Ideo addidit: *Secundum agnitionem veritatis, id est, qui secundum fidem habent scientiam veritatis.* Ut utrumque concordet, et fides vera et cognitio veritatis, addidit: *Quae secundum pietatem est;* quia quaedam veritas non est secundum pietatem, ut grammatica, dialectica, geometria atque [Col. 1010C] arithmetica:] habent enim hae artes veram scientiam recte loquendi, sed non est scientia illa pietatis. Scientia pietatis est nosse legem Dei, intelligere prophetas, Evangelium credere, apostolorum dicta non ignorare, [et quantum bonum sit, Deum ex toto corde, ex tota anima et omnibus viribus diligere.] Haec autem veritas, cujus cognitio secundum pietatem est, **(VERS. 2)** *in spe vitae aeternae posita est, quia statim ei qui eam cognoverit, praemium tribuit immortalitatis;* absque pietate vero notitia veritatis delectat ad praesens, sed aeternitatem non habet praemiorum, *quam promisit non mendax Deus ante saecula aeterna:* et **(VERS. 3)** *manifestavit* eam *temporibus suis in Christo Jesu.* Cui autem ante promisit, et postea fecit perspicuam, nisi sapientiae suae, quae erat [Col. 1010D] semper cum Patre, cum laetaretur orbe perfecto, et gauderet super filios hominum, et repromisit eis quicunque in illa credituri essent, habituros esse vitam aeternam? Antequam orbis jaceret fundamenta, antequam maria diffunderet, montes statueret, coelum suspenderet, terram dejecta mole solidaret, haec repromisit Deus, in quo mendacium non est: non quia possit mentiri, si nollet [*Hier.,* et nolit] in falsitatis verba prorumpere; sed quia qui Pater sit veritatis [et ipse verax], nullum in se potest habere mendacium.

Non absque re videtur breviter perstringere cur Deus solus verax, et omnis homo mendax Apostoli voce dicatur? Et nisi fallor, quomodo solus habere [Col. 1011A] dicitur immortalitatem, cum et angelos et multas rationabiles fecit creaturas quibus dederit immortalitatem; ita et solus dicitur esse verax, non {651} quo [*Hier.,* quod] et caeteri non immortales et veritatis sint amatores, sed quo ille solus naturaliter sit et immortalis et verus: caeteri vero immortalitatem et veritatem ex largitione illius consequantur; et aliud sit verum esse habere [per naturam et] per semetipsum, aliud in potestate donantis esse quod habeas. Sed nec hoc silentio praetereundum quomodo non mendax Deus, ante aeterna saecula aeternam spoponderit vitam. Ex quo, juxta historiam Geneseos, factus est mundus, et per vices noctium ac dierum, mensium pariter et annorum, tempora constituta sunt, in hoc curriculo et rota mundi tempora labuntur, [Col. 1011B] et veniunt, et aut futura sunt, aut fuerunt. Unde quidam philosophorum non putant esse tempus praesens, sed aut praeteritum aut futurum; quia omne quod loquimur, agimus, cogitamus, aut dum fit, praeterit; aut si nondum factum est, exspectatur [*Hier, exspectamus*]. Ante haec ergo mundi tempora, aeternitatem quamdam saeculorum fuisse credendum est, quibus semper cum Filio et Spiritu sancto fuerit Pater: et, ut ita dicam, unum tempus Dei, est omnis aeternitas: imo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse, qui ante tempora omne tempus excedit. Sex millia [*Hier.,* sex mille] necdum nostri orbis implentur anni, et quantas prius aeternitates, quanta tempora ante saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes,

[Col. 1011C] caeteraeque virtutes servierint Creatori [*Hier.,* servierint Deo], et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo jubente, substiterint
@ [Col. 1011D] Opinionem de angelorum creatione ante hujus mundi visibilis conditionem, an sanctus Hieronymus ex propria, an aliorum veterum mente referat, dubitare licet. Vide ejusdem epist. 18 ad Damasum num. 7. Oppositum dogma longe plurium Ecclesiae Patrum auctoritate suffultum invaluit; nimirum angelos [Col. 1012D] cum terra ac luce prima die mundi conditos fuisse. EDIT. VERON.. Ante haec itaque omnia tempora, quae nec sermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promisit Deus Pater sapientiae suae verbum suum, et ipsam sapientiam suam, et vitam eorum qui credituri erant, mundo esse venturam. Diligenter attendite textum et ordinem lectionis, quomodo [*Hier.,* quoniam] vita aeterna, quam non mendax Deus ante saecula aeterna promisit, non alia sit absque verbo Dei.

Manifestavit enim, inquit, *temporibus suis Verbum suum:* id est, quam promisit vitam aeternam, ipsa est Verbum suum, quod in principio erat apud Patrem; [Col. 1011D] et Deus erat Verbum; et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quod autem Verbum Dei, hoc est, Christus ipse sit vita, in alio loco testatur dicens: *Ego sum vita* **(Joan. XIV, 6)**. Vita vero non brevis, non aliquibus circumscripta temporibus, sed perpetua, sed aeterna: quae manifestata est in novissimis saeculis per praedicationem, quae credita est Paulo doctori gentium et magistro, ut annuntiaretur in [Col. 1012A] mundo, et hominibus nota fieret, juxta imperium Salvatoris Dei, qui nos salvos esse voluit, id, quod pollicitus fuerat, implendo. [*In praedicatione quae credita est mihi secundum praeceptum Salvatoris nostri Dei.* Legimus in Actibus apostolorum, quomodo Paulus in via Damascum pergens subito vocatus est, et quomodo Ananiae dicitur: *Iste est mihi vas electionis* **(Act. IX, 15)**. Et iterum: *Segregate mihi Paulum et Barnabam* **(Ibid. XIII, 2)**. Hoc est praeceptum Salvatoris, ut praedicent gentibus Christum.] Sermo
@ [Col. 1012D] Hic omissum in ms. videtur initium Epistolae, quod supplendum ex Hier. ibi: scribit autem Apostolus *Tito charissimo filio.* quippe et sapientia et doctrina, qua Titus Christi ecclesias instruebat, efficiebant eum proprium apostoli filium, et ab omni aliorum consortio separatum. Videamus post haec quod sequitur: *Secundum communem fidem.* Utrumnam omnium qui in Christo credebant, [Col. 1012B] communem dixerit fidem, an communem suam tantum et Titi? Quod quidem mihi melius videtur, apostoli Pauli et Titi fidem fuisse communem, quam omnium credentium, in quibus pro varietate mentium fides communis esse non poterat, sed diversa.

Ad extremum praefatio epistolae et salutatio praefationis Apostoli ad Titum tali fine completur: (VERS. 4) *Gratia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Salvatore nostro:* sive quod et gratia et pax tam a Deo Patre sit, quam a Christo Jesu, et utrumque ab utroque datum possit intelligi; sive quod gratia ad Patrem, et pax referatur ad Filium. **(VERS. 5.)** *Hujus rei gratia reliqui te Cretae,* ut ea quae deerant {652} *corrigeres.* [Apostolicae dignitatis fuit fundamentum [Col. 1012C] ponere, sicut sapiens architectus; Titi vero et aliorum discipulorum ejus superaedificare.] Postquam dura Cretensium Paulus ad Christi fidem corda mollierat, et tam in sermone quam signis edomuerat
@ [Col. 1012D] Hier addit: «et edocuerat eos non vernaculum Jovem, sed in Deum Patrem et in Christum credere.» eos, ut in Deum Patrem et in Christum crederent, reliquit Titum discipulum Cretae, ut rudimenta nascentis Ecclesiae confirmaret, et si quid

videbatur deesse, corrigeret, ipseque pergens ad alias nationes, ut rursum in eis Christi jaceret fundamentum: qui licet ab Apostolo correcti fuerant, tamen adhuc indigebant correctione. Omne autem quod corrigitur, imperfectum est. *Et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* [Sunt autem episcopi quidam, non merita singulorum examinantes, sed eorum vel officio deliniti, vel sanguine juncti.] Ex quo manifestum [Col. 1012D] est, eos qui Apostoli lege contempta ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere, qui qualis in ecclesia presbyter constituendus sit, per Apostolum suum in sequentibus exsecutus est. [Super haec omnia maximum malum est, qui muneribus clericatum obtinent: omnes beatus Petrus princeps apostolorum initio Ecclesiae in Simone Mago terribiliter percutit.] *Oportet* [Col. 1013A] enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem. Idem est ergo presbyter, qui et episcopus
@ [Col. 1013D] De hac sancti Hieronymi sententia, de episcoporum supra presbyteros dignitate, vid. epist. ejusdem [Col. 1014D] 146 ad Evangelum, et editoris Veronensis annotationem.: et antequam diaboli instinctu studia [diversa] in religione ecclesiastica fierent, et diceretur in populis: *Ego sum Pauli;* ego Apollo; ego autem Cephae **(I Cor. I, 12)**, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, putabat suos, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis cura Ecclesiae pertineret, et schismatum semina tollerentur: [quod ex epistolis aliis ejusdem apostoli probari poterit; vel etiam ex Actibus apostolorum, ubi dicitur, vocasse Paulum de Epheso presbyteros,] quibus postea inter caetera sit locutus: *Attendite vobis* [Col. 1013B] et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum **(Act. XX, 28)**. [Quos ante presbyteros, nunc autem episcopos appellat.] Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loquitur, dicens: *Presbyteros ergo in vobis obsecro compresbyter et testis Christi passionum;* pascite qui in vobis est gregem Domini **(I Petr. V, 1)** . [Olim vero omnis presbyter episcopus recte dicebatur: at nunc omnis episcopus presbyter potest dici, non omnis presbyter episcopus; quia, ut dissensionis plantaria excluderentur, ad unum omnis sollicitudo Ecclesiarum, quasi ad Patrem, delegata est, qui quasi filios diligat, et gubernet subjectos sibi, non tribunitia potestate, sed pietate paterna: iidemque et quasi [Col. 1013C] filii, singuli gradus in ecclesiis, honorificent episcopos suos.] Videamus igitur qualis presbyter sive episcopus ordinandus sit.

VERS. 6, 7.---*Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriae, aut non subditos peccato. Oportet enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem.* Primum enim sine crimine sit [ejusmodi dispensator Ecclesiae Christi]; quod apud Timotheum *irreprehensibilem dicit.* Quomodo enim potest [praeesse Ecclesiae, et] auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruerit? Aut qua libertate poterit corrigere peccantem, dum novit se eadem, quae castigat in alio, admisisse [*Hier.,* cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse, quae corripit]? Quod [Col. 1013D] autem ait, *unius uxoris vir, sic intelligere debemus,* [ut honorabile connubium habeat, qui in episcopatu eligendus est: non vaga libidine inquinatus altari Dei assistere audeat.] Non tamen omnimodis omnem monogamum digamo putamus esse meliorem; sed quo is possit ad monogamiam et continentiam cohortari, qui suum exemplum praefert [*Hier.,* praeferat] in docendo. [Sunt qui ita

intelligunt hoc mandatum Apostoli: *unius uxoris virum, id est, catholicae Ecclesiae doctorem, ne per haereticas pravitates efferatur foras per lupanaria diversarum sectarum.* Sed et aestimant quidam, ex hac apostolica sententia episcopis [Col. 1014A] non licere transire de ecclesia aut de civitate ad ecclesiam quaestus causa. Quia rarus est qui de majori et {653} ditiori transire cupiat ad minorem et pauperculam.] *Filios habens fideles, non in accusatione luxuriae, aut non subditos peccato.* Non itaque justus polluitur ex vitiis filiorum, sed libertas [castigandi alios] Ecclesiae principi ab Apostolo reservatur. [Quomodo festucam alterius de domo altera (*Suppl.* tollere) potest, qui trabem habet in filiorum peccatis in sua domo? Talis enim debet episcopus esse, ut non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere, ne forte quislibet tacitus frater respondeat, quare proprios liberos non emendare curam habes? Si enim peccata filiorum ab episcopatu justum prohibent, quanto magis propria peccata removere eum [Col. 1014B] debent ab altari Christi?] Ad extremum hoc dicendum est, in Scripturis filios λογισμοὺς, id est, *cogitationes,* filias vero πράξεις, id est, *opera intelligi debere:* et eum nunc episcopum praecipit debere fieri, qui et cogitationes et opera in sua habet potestate, et vere credat in Christo, et nulla subripientium vitiorum labe maculetur.

Oportet ergo episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem. Quaeritur ergo inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur, et non comedens et bibens cum ebriosis, percutiat servos et ancillas [Domini sui]; sed incertum Domini [*Hier.,* Dei] [cautus] exspectet adventum, et det conservis in tempore [doctrinae catholicae] cibaria. Sciat autem episcopus et presbyter sibi populum conservum esse, non servum. [Col. 1014C] [Quapropter non opprimat eum quasi vile mancipium, sed erudiat eum cum omni charitate quasi filium.] *Non superbum, id est, non tumentem aut placentem sibi quod episcopus sit, sed opus* [bonum amplectentem et] id requirentem quod plurimis prosit. *Non iracundum,* [id est, levi vento quasi folium pendens in ramo moveatur.] Et revera nihil est foedius praeceptore furioso: [non enim qui aliquando irascitur, iracundus est; sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur.] *Non vinolentum.* Sed hoc nunc dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum in vino luxuria est: et ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Miramur autem apostolum in episcopis sive presbyteris damnasse vinolentiam, cum in veteri quoque lege praeceptum [Col. 1014D] sit sacerdotes, cum ingrediuntur templum ministrare Deo, vinum omnino non bibere **(Levit. X)**. [Nazareos quoque ab omni vino et sicera, quandiu sanctam comam nutriant, abstinere **(Num. VI)**.] *Non percussorem:* quod quidem et simpliciter intellectum aedificat audientem, ne facile manum porrigat ad caedendum [vel ad arma prorumpere: sed altius consideratum melius aedificat, ne aliquid episcopus efficiat, quod mentes intelligentium et videntium offendat, sed sit mansuetus in sermone, et moribus honestus, ne perdat eum quem temperantia vitae et verborum erudire potuit]. *Non turpis lucri, etc.* [Col. 1015A] [Turpis lucri

@ Haec verba quae in ms. desunt, addimus ex conjectura ob integritatem sensus.] appetitio, est plus de praesentibus cogitare quam de futuris. Episcopus qui imitator esse Apostoli cupit, habens victum et vestitum, his tantum debet esse contentus **(I Tim. VI)**. Qui altario serviunt, de altario vivant **(I Cor. IX)**. *Vivant, inquit,* et non, *divites fiant.* Hucusque quid non debeat habere episcopus sive presbyter, Apostoli sermone praeceptum est: nunc e contrario, quid habere debeat explicatur.

VERS. 8.---*Sed hospitalem, benignum.* Ante omnia hospitalitas futuro episcopo praecipitur [*Hier.,* denuntiatur]. Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant: *Hospes fui, et suscepistis me* **(Matth. XXV, 35)**, quanto magis episcopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium [et satis peregrinorum [Col. 1015B] atque venientium benigna susceptio in ea, ita ut humili officio etiam pedes laventur eorum]? *Pudicum, justum, sanctum.* Si autem laicis imperatur ut propter orationem abstineant se ab uxore [*Hier.,* ab uxorum] coitu, quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis immaculatas [*Hier.,* illibatas] [orationes sanctorum (*Leg.,* orationum sanctarum)] Deo oblaturus est victimas? [Nam Abimelech sacerdos propositionis panes renuit David et pueris suis dare, nisi audiret pueros esse mundos a mulieribus, non utique alienis, sed propriis.] Tantum interest inter propositionis panes et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa quae per exemplaria praefigurabantur. Quomodo [Col. 1015C] igitur hospitalitas, benignitas praecipue debent esse in episcopo, sic etiam et castitas proprie, et, ut {654} ita dixerim, pudicitia sacerdotalis est, ut non solum ab opere immundo abstineat, sed etiam a tactu illicito et cogitatione erroris [*Hier.,* a jactu oculi et cogitationis errore] mens Christi corpus confectura sit libera. *Justus quoque episcopus esse debet et sanctus, et justitiam in populis quibus praeest exercere, nec personas respicere in judicio,* [sed omni personae justa discernens (*Forte, decernens*). Et *sanctum, ad suam vitam;* ut non solum verbis doceat, sed etiam exemplis erudiat populum sibi commissum. **(VERS. 9.)** *Continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Abstinentem enim decet episcopum esse, non solum in [Col. 1015D] carnali desiderio, verum etiam in verborum moderatione; imo et praecipue in cogitatione, ut habeat in potestate quid cogitet, quid loquatur, et quid faciat.] Ad extremum obtineat eum, *qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem;* ut quomodo sermo Dei fidelis est et omni acceptione dignus, sic et ille talem se praebeat, ut omne quod loquitur, fide dignum existimetur, et verba ipsius sint regula veritatis. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.* Hoc est, potens sit eos qui saeculi istius turbinibus exagitantur, consolari, et per sanam doctrinam [id est, catholicam, haereticas pravitates] [Col. 1016A] destruere. Sana autem doctrina dicitur ad distinctionem languidae infirmaeque doctrinae. Talis quoque sit, ut contradicentes [libera voce] arguere valeat haereticos, sive Judaeos et saeculi istius sapientes. Superiora quidem, quae in episcopi virtutibus posuit, ad vitam pertinent [honestam]; hoc vero quod ait, *ut potens sit consolari in doctrina sana, et contradicentes arguere, referendum est ad scientiam* [perfectam]: quia si episcopi tantum sancta sit vita, sibi potest prodesse sic vivens; porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest caeteros quoque instruere; et non solum instruere et docere suos, sed et adversarios repercutere.

VERS. 10, 11.---*Sunt etiam multi inobedientes, vaniloqui, seductores,* maxime qui de circumcisione [Col. 1016B] sunt, quos oportet argui, qui universas domus subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia. Qui Ecclesiae futurus est princeps, habeat eloquentiam cum vitae integritate sociatam, ne opera absque sermone sint tacita, et dicta factis delinquentibus [*Hier.,* factis deficientibus] erubescant. [Sunt plurimi et non pauci qui bonam sementem Verbi Dei] inani persuasione corrumpunt; [hi etiam perversis doctrinam sanctarum Scripturarum sententiis confirmare nituntur: ideo

doctorem Ecclesiae decet Scripturas sanctas discere diligenter, ut si percussus fiat in dexteram maxillam, mox praebeat percutienti alteram.] Hi sunt de circumcisione Judaei, qui tunc temporis nascentem Christi Ecclesiam subvertere conati sunt [*Hier.,* nitebantur], et introducere praecepta legalia, [Col. 1016C] [circumcisionem scilicet et sabbata et caetera legis praecepta.] Tales homines doctor Ecclesiae, cui animae populorum creditae sunt, Scripturarum debet ratione superare, et silentium testimoniorum pondere imponere: qui non unam aut paucas domos, sed universas cum dominis familiasque subvertunt, docentes de ciborum differentiis, [cum omnia munda sint mundis.] Verum quia Deus est venter ipsorum, *turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos, ut quasi magistri a sectatoribus suis fallantur* [*Hier.,* alantur] [et honorificentur]. Omnis itaque haereticus, qui quibusdam praestigiis homines fallit, et fallitur, loquitur quae non oportet turpis lucri gratia; [lucrator est perversus ad mortem animarum, non ad vitam;] e contra qui errantem fratrem suum juxta Evangelium [Col. 1016D] corripuerit [et correxerit], lucratus est eum; quod enim magis lucrum potest esse, aut quid pretiosius quam si humanam animam quis lucretur Deo? **(VERS. 12.)** *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta:* Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Videte [*Hier.,* videtur] hoc esse dupliciter legendum, ut hoc quod ait, *dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, cum superioribus copuletur, Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae deerant corrigeres;* [et ad hunc sensum respiciat, quod ait:] *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, id est, Cretensium.* Aut cum vicinioribus jungendum est, ut [Col. 1017A] legamus: Sunt etiam multi et non subditi, vaniloqui et mentium deceptores, maxime autem qui de circumcisione sunt: quos multos et non subditos, vaniloquos et mentium deceptores cum his qui de circumcisione sunt, oportet {655} refrenari; qui universas domos subvertentes, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia; [talium enim, id est, qui turpis lucri gratia docent,] dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: ut id quod ait: *proprius eorum propheta, non specialiter ad Judaeos, et eos maxime qui de circumcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, et vaniloqui et mentium deceptores sunt, quorum utique* [*Hier.,* qui utique], quia in Crete erant, Cretenses esse credendi sunt. Dicitur enim ille versiculus in Epimenidis Cretensis poetae Oraculis [Col. 1017B] reperiri, quem in praesentiarum sibi [*Forte, ibi*] ludens prophetam vocavit; quod scilicet tales Christiani tales mereantur habere prophetas, quomodo et prophetae erant Bahal [Baal] [et idolorum, ut legitur in Regum libris]. Denique ipse liber, [unde Apostolus haec tulit,] *Oraculorum titulo praenotatur;* quem quia videbatur divinum aliquid repromittere, propterea Apostolum arbitror inspexisse, ut videret quid gentilium divinatio polliceretur: et in tempore abusum esse versiculo scribentem ad Titum, qui erat Crete, ut falsos Cretensium doctores proprio insulae auctore contereret [*Hier.,* insulae doctore convinceret], [quod eumdem Apostolum in aliis locis fecisse invenitur; sicut in Actibus apostolorum titulum inveniens de *ignoto Deo, et exinde sumpsit praedicationis officium.*]

[Col. 1017C] VERS. 13.---*Testimonium,* inquit, *verum est;* non totum carmen, de quo testimonium sumptum est, non universum opus, sed tantum hoc testimonium. *Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide.* **(VERS. 14.)** *Non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum se aversantium a veritate.* Ait enim: Increpa illos acriter; mendaces quippe sunt et malae bestiae et ventris pigri, qui falsa suadent, qui ferarum

ritu sanguinem sitiunt deceptorum; et non cum silentio operantes suum panem manducant, *quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum.* Hos tales *increpa, ut sani sint in fide:* de qua fidei sanitate in consequentibus loquitur; senes sobrios esse, honestos, pudicos, sanos in fide et charitate et [Col. 1017D] patientia; [de qua sanitate fidei et ad Timotheum scribit:] *Si quis aliter docet et non acquiescit sanos sermones* [Leg. *sanis sermonibus*] Domini nostri Jesu Christi **(I Tim. VI, 3)**. [Sanos sermones vocat, et quod observantibus eos sanitas operetur in eis.] *Non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum aversantium veritatem,* [de quibus ad Galatas et Romanos plenissime disputatur, qui putabant inter cibos esse distantiam, cum aliqui mundi, aliqui viderentur immundi. Propterea nunc infert:] **(VERS. 15)** *Omnia munda mundis;* his videlicet qui in Christo credunt, et sciunt omnem creaturam bonam esse, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. *Coinquinatis autem et immundis nihil est mundum,* sed [Col. 1018A] inquinata est eorum mens et conscientia. Propterea etiam quae munda sunt per naturam, eis immunda fiunt [per culpam]; non quod vel mundum sit aliquid vel immundum, sed pro qualitate vescentium. [Legitimus cibus et a catholica Ecclesia usitatus, mundus est mundis; immundus coinquinatis, quorum mens et conscientia immunda est:] ideo infideles quosque atque pollutos etiam panis benedictionis, et calix Dominicus non juvat, [sed magis pollutos facit,] quia qui indigne comederit de pane illo, et de calice biberit, judicium sibi manducat et bibit **(I Cor. II)**. In nobis itaque est vel munda comedere vel immunda. Si enim mundi sumus, munda nobis est creatura; si autem immundi et infideles, sunt [*Hier.,* fiunt] etiam nobis universa communia; sive per inhabitantem in cordibus nostris [Col. 1018B] haeresin, sive per conscientiam delictorum. (VERS. 16.) *Confitentur,* inquit, *se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi;* secundum illud, quod in Isaia dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Isaiae XXIX, 13). Quomodo igitur labiis quis honorat et corde procul recedit, ita quis Deum sermone confitens, operibus negat: negans autem Deum operibus, confessione simulata, recte execrabilis et profanus est; et nulla veritatis ratione persuasus inobediens, et incredulus recte appellatur. [Nec in martyrio mente corruptus, quis solummodo Christum negabit;] sed quotiescunque vincimur vitiis atque peccatis, [et Dei mandatis contraria agimus] toties Deum negamus; et e contrario, quoties [Col. 1018C] bene quid agimus, Dominum confitemur [et laudamus].

{656}
CAPUT II.

VERS. 1.---*Tu vero loquere sanam doctrinam.* Aliud est sanam doctrinam loqui, aliud ea quae sanae conveniunt docere doctrinae; quia in altero simplex tantum institutio est, in altero cum ea quae doceas [*Hier.,* cum eo, quod doces], vitae quoque correctio; *qui enim solverit unum de mandatis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum* **(Matth. V, 19)**. [Erit autem doctor qui verbo docet, et opere destruit quae docet, sed minimus: *qui autem fecerit et docuerit sic homines, magnus vocabitur in regno coelorum, quia opere implet quod ore docet.*] [Col. 1018D] Hoc enim nunc Apostolus Titum filium in Christo et discipulum docet, ut ea loquatur quae sanae conveniunt doctrinae; quia tunc doctrina est sanitas, cum doctoris doctrina pariter et vita consentiunt. (VERS. 2.) *Senes sobrios esse, honestos, pudicos, sanos in fide et*

charitate et patientia. Nunc vero per singulas aetates et personas sic decenter praecepta constituit, ut sermo ejus vitae morum sit regula. Senes igitur *sobrios,* [in bonis moribus;] *honestos, ut aetatis gratiam* [*Hier.,* gravitatem] morum gravitas decoret. *Pudicos, ne in aliena aetate luxurient, ne jam frigido a libidine sanguine exemplum sint adolescentibus ad ruinam. Sanos in fide;* non tantum in fide, etiam in charitate et patientia [et omni genere virtutum], ut [Col. 1019A] cum primam fidei habuerint sanitatem, audiant a Salvatore: *Fides tua te salvum fecit* **(Marc. X, 52)**. [De hujus fidei integritate plenius cum exemplis in Epistola ad Hebraeos idem beatus apostolus disputat.] Quomodo igitur est fidei sanitas, ita et eadem sanitas in charitate est. Quis autem sanitatem possidet charitatis, nisi ille qui primum Deum dilexerit ex tota anima sua, et ex toto corde suo, et ex totis viribus suis, deinde Christi praeceptum audiens in proximum compleverit charitatem [*Hier.,* diviserit charitatem]? Quia in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae, [plenitudo vero legis charitas est,] quia qui sanus est in fide et charitate, sanus quoque sit in patientia, quae maxime in tentationibus comprobatur. **(VERS. 3.)** *Anus similiter in habitu sancto,* non [Col. 1019B] criminatrices, non vino multo servientes: bene docentes, ut prudentiam doceant. Tametsi apostolus Petrus praeceperit ut viri uxoribus suis tanquam infirmiori vasculo honorem tribuant, non tamen arbitrandum est quod uxor, quae corporis vasculum habet infirmum, statim et anima infirmior sit. Unde et nunc praecipitur eis, ut in ipsis quoque illud Apostoli compleatur: *Virtus in infirmitate perficitur* **(II Cor. XII, 9)**. [Quod vero ait: *Anus similiter, etc.,* eadem praecepta vult illas observare quae superius senibus viris statuit,] id est, ut sobriae sint, honestae, sanae in fide, et charitate et patientia; et pro sexu suo hoc habeant proprium, ut sint *in habitu sancto.* Non criminatrices, non tales, ut aliis placeant, de aliis detrahant. [Si quam juvencularum videant indigne facere,] non tam [Col. 1019C] apud caeteros debet accusare, quam ipsam in secreto, Christi charitate, corripere; et magis docere ne faciat, quam in publico accusare quod fecerit. *Non vino multo servientes.* A vini vero nimio potu anus prohibentur; quia quod [*Cod.,* quotquot] in adolescentibus libido, hoc in senili aetate ebrietas perpetrat [*Hier.,* hoc in senibus ebrietas est]. Ideo expresse dicit, *non vino multo servientes;* servitus enim quaedam est et extrema conditio, vino sensus hominis occupare [*Hier.,* occupari]; non suum esse, sed vini. Talibus consequenter doctrinis eis frena immittit [*Hier.,* doctrinae eis frena permittit], ut cum tales fuerint, docendi habeant libertatem, ut scilicet doceant ea quae bona sunt. Licet enim alio loco dixerit: [Col. 1019D] *Docere autem mulieribus non permitto* **(I Tim. II, 12)**; sic intelligendum est, ut in viros illis sit doctrina sublata: caeterum adolescentulas doceant, quasi filias suas, primum castitatem; quia adversus hanc magis in aetate florenti pugnat inimicus, et virtus ejus contra feminas in umbilico ventris est.

VERS. 4, 5.---*Adolescentulas* [Cod., *Adulescentulas et adhulescentulas*], ut viros suos diligant, filios ament. Prudentes, sobrias, castas, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. [Anus vero vult admonere adolescentulas ut diligant viros suos, non in passione desiderii carnalis, sed in Christi charitate]. Vult eas amare viros suos caste, ut inter virum et mulierem casta sit dilectio, et opera liberorum se credant ante [Col. 1020A] Dei oculos et sanctorum angelorum peragere. Filios autem ita diligant, si eos erudiant in Dei disciplina. Caeterum nolle eos contristare, {657} docendo quae bona sunt; et libertatem tribuere peccandi non est amare filios, sed odisse. [Erudiantur quoque, ut domus; id est, servorum et ancillarum

habeant in benignitate curam.] Addidit, *benignas,* [ne austeritate regeretur familia.] Addidit, et *subditas viris suis, ne forte divitiis et nobilitate perflatae Dei sententiae non meminerint, per quam subjectae sunt viris.* Ait quippe Deus ad mulierem: *Ad virum tuum erit conversatio* [Leg., *conversio*] tua; et ipse tui dominabitur **(Gen. III, 16)**. Dicitur enim: Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Et cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quaecunque [Col. 1020B] uxor non subjicitur viro [*Hier.,* viro suo] [religioso et Deum timenti], hoc est, capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus et vir si non subjiciatur Christo capiti suo. *Ne verbum mei blasphemetur;* vel dum contemnitur Dei prima sententia et pro nihilo ducitur: vel Christi infamatur Evangelium, dum contra legem fidemque naturae ea quae Christiana est et ex Dei lege subjecta, viro imperare desiderat suo; cum etiam gentiles feminae viris suis serviant communi lege naturae. **(VERS. 6.)** *Juvenes similiter exhortare ut pudici sint.* Proprium autem adolescentularum hoc posuit, ut pudicae sint [*Hier.,* adolescentulorum . . . ut pudici sint] in omnibus, tam scilicet mente quam corpore, tam opere quam cogitatione, ut nulla sit in [Col. 1020C] adolescente suspicio turpitudinis. Sciendum quoque hoc quod continentia non solum in carnis opere et in animi concupiscentia, sed in omnibus rebus necessaria sit: ne honores indebitos appetamus, ne accendamur avaritia, ne ulla passione superemur. *In omnibus, ad superiora est referendum, id est, hortare ut pudici sint in omnibus.* **(VERS. 7.)** *Te ipsum praebe exemplum bonorum operum.* Nihil prodest aliquem exercitatum esse in discendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit quam verbo. [*In doctrina, in integritate.* In doctrina, ait, ut opere impleas quod ore doces. *Integritas vero ad virginitatem proprie pertinet;* unde et alia translatio ait: *In incorruptione;* nam virgines dicuntur incorruptae.] **(VERS. 8.)** *In gravitate, in verbo sano et irreprehensibili.* [Col. 1020D] [Doctorem ecclesiasticum gravitatem, id est, honestos mores decet habere. De sermone itaque sano superius dictum est.] *Et irreprehensibili.* De irreprehensibili dicimus, non quo ullus tantae facundiae et prudentiae sit ut a nemine reprehendatur, sed quod nihil dignum reprehensione dicat aut faciat, licet adversarii sint ad reprehendendum parati. *Ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* [Ex adverso, id est, adversarius nihil habeat veri vel verisimile, quamvis paratus sit reprehendere, contradictionis locum.] Potest autem hic, qui ex adverso est, diabolus intelligi, qui accusator est fratrum nostrorum, ut Joannes evangelista praedicat; qui cum nihil habuerit mali quod nobis objiciat, erubescit, [Col. 1021A] et criminator non poterit criminari. *Diabolus* autem in Latina lingua *criminator sonat.*

VERS. 9, 10.---*Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes;* quoniam Dominus et Salvator noster, qui in Evangelio ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI, 28)**, nullam conditionem, aetatem, sexum a beatitudine arbitratur alienum: propterea nunc Apostolus et servis praecepta constituit; [scilicet ut facti Ecclesiae membrum, quae corpus est Christi, et ipsam salutem consequantur aeternam.] Et quomodo superius senes, anus, adolescentulas, juvenes, quid Titus erudire deberet, edocuit, ita nunc servis apta praecepta constituit. [Col. 1021B] Primum ut subditi sint dominis suis in omnibus; in his autem omnibus quae non sunt contraria Deo; ut si dominus eos jubet quae non sunt adversa Scripturis sanctis,

subjiciantur servituti domini [*Hier.,* subjiciatur servus domino]; sin vero contraria praecepta, magis obediant spiritui quam corpori [*Hier.,* magis obediant spiritus, quam corporis domino]: [*Placentes, duobus modis intelligitur;* hoc est, sibi placentes in suo servitio: aut etiam dominis placentes, omnia fideliter et humiliter implentes quae jubentur.] *Non contradicentes:* hoc ideo ait, quia maximum vitium est servorum dominis contradicere, et cum aliquid jusserint, mussitare. Si enim quae dominus imperat necesse habet servus implere, cur hoc ipsum non cum bona faciat voluntate? *Non* [Col. 1021C] furantes. Hoc aliud vitium servorum doctrina Christi corrigit; fur autem non solum in {658} majoribus sed et in minoribus judicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Sint itaque servi subditi dominis suis in omnibus; sint complacentes conditionis suae, ut non ferant aspere servitutem, ut non contradicant dominis, non furentur, et post haec *in omnibus fidem bonam ostendant, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Si enim apud carnales dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud Dominum [*Hier.,* apud Deum] majora committi. Ornat autem doctrinam [*Cod.* omit. doctrinam] domini, qui ea quae conditionis suae ablata sunt [*Hier.,* quae conditioni suae apta sunt], facit. Quomodo enim potest fidelis esse [Col. 1021D] in substantia Dei, [et ecclesiastico officio,] qui carnali domino fidem exhibere non potuit?

VERS. 11-14.---*Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo:* exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Post catalogum doctrinae ad Titum, quid senes, quid anus, quid adolescentulas et juvenes, quid ad extremum servos erudire deberet, recte nunc intulit: *Apparuit enim gratia Salvatoris Dei omnibus hominibus.* [Col. 1022A] Non est enim aliqua differentia liberi et servi, Graeci et Barbari, circumcisi et habentis praeputium, mulieris et viri; sed cum Christo unum sumus universi, ad Dei regnum vocamur omnes. Post offensam Patri nostro reconciliandi sumus, non per merita nostra, sed per gratiam Salvatoris: vel quod Dei Patris vivens vel subsistens gratiae [*Hier.,* gratia] ipse sit Christus; vel quod Christi Salvatoris Dei haec sit gratia: et non nostro merito salvati simus, secundum illud quod in alio loco dicitur: *Pro nihilo salvabis eos* **(Psal. LV, 8)**. Quae gratia omnibus hominibus ideo illuxit, ut erudiret nos abnegare impietatem, saecularia desideria, pudice et juste et pie vivere in hoc saeculo. Quid sit autem abnegare impietatem, quid saecularia desideria, ex eo quod supra [Col. 1022B] exposuimus: *Deum confitentur se scire, factis autem negant, intelligi posse confido.* Saecularia igitur desideria sunt, quae a mundi hujus principe suggeruntur; et cum sint saeculi hujus amatores, cum saeculi nube pertranseunt. Nos autem cum pudice et juste, nec corpore scilicet nec mente peccantes, vixerimus in Christo, pie quoque vivamus in hoc saeculo: quae pietas *exspectat beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Sicut enim impietas magni Dei reformidat adventum, ita secura de opere suo et de fide illum pietas praestolatur. Ubi est serpens Arius, ubi Eunomius coluber [tortuosus]? Magnus Deus Salvator Christus dicitur, non primogenitus omnis creaturae, non verbum Dei et sapientia, sed Jesus [Col. 1022C] Christus; quae vocabula assumpti hominis sunt. Neque vero alium Jesum Christum, alium Verbum dicimus, ut Nestoriana haeresis [*Hier.,* ut

nova haeresis] calumniatur; sed eumdem et ante saecula et in saecula et ante mundum, et per Mariam [*Hier.*, post Mariam], imo ex Maria magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis, ut pretioso sanguine nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum [acceptabilem, sectatorem bonorum operum, id est aemulatorem]. **(VERS. 15.)** *Haec loquere et exhortare.* Quod vero ait, *loquere, ad doctrinam videtur esse referendum;* quod vero intulit, *exhortare, ad consolationem pertinet.* Quod vero tertio subinfert: *Increpa cum omni imperio, id est,* quicunque doctrinam [Col. 1022D] et consolationem non audiat, increpatione sit dignus, et mereatur audire: *Obliti estis consolationis quae vobis ut filiis loquitur Deus.* Nemo te contemnat, hunc sensum habet: Nemo eorum qui in Ecclesia sunt, te segniter agente sic vivat, ut se putet meliorem. Qualis enim aedificatio erit discipuli, si intelligat magistro se esse majorem? Unde magnopere episcopi, presbyteri et diaconi debent providere, ut cunctum populum cui praesident, conversatione et sermone praecedant.

{659}
CAPUT III.

VERS. 1.---*Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire,* ad omne opus bonum [Col. 1023A] paratos esse. Tale quid et ad Romanos scribitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo* **(Rom. XIII, 1)**. [Nam et ipse Dominus tentantibus Judaeis respondit:] *Reddite Caesari quae sunt Caesaris, et Deo quae sunt Dei* **(Matth. XXII, 21)**. Cui responsioni Paulus apostolus congruens docet, principibus et potestatibus credentes in Christo debere esse subjectos. Poterat his qui tormenta formidant, occasio ad negandum dari [ex hoc praecepto]; sed caute subjecit, *obedire ad omne opus bonum.* Si bonum est quod praecepit imperator et praeses, jubentis obsequere voluntati: sin vero malum et contra Deum sapit, responde ei illud de Actibus apostolorum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* **(Act. V, 29)**. Hoc ipsum et de [Col. 1023B] servis intelligamus apud dominos, et de uxoribus apud viros, et de filiis apud parentes [et de discipulis apud magistros,] quod in illis [hae personae] tantum debeant subjecti esse [majoribus] quae contra Dei mandata non veniant; [et ad ea tantum paratos esse quae contra Domini mandata non jubentur.] **(VERS. 2.)** *Neminem* quoque *blasphemare.* Igitur Michael archangelus, *quando cum diabolo disputabat de Moysi corpore, non fuit ausus inferre judicium blasphemiae, sed dixit:* imperet tibi Deus **(Jud. 9)**. Ergo si Michael non fuit ausus diabolo, et certe maledictione dignissimo, judicium inferre blasphemiae, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur diabolus maledictum, sed per os archangeli exire non debuit. Hoc nunc tantum dixisse [Col. 1023C] sufficiat, quod blasphemare Christi discipulos non oportet, nec, quod additur, *esse litigiosos;* si enim sumus filii pacis, et volumus super nos pacem requiescere, et accessimus ad Jerusalem coelestem, quae ex pace nomen accipit, cum his qui oderunt pacem habeamus pacem: et quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacati simus, non solum cum modestis, sed etiam cum rixosis, quia nulla virtus est ferre mansuetos; quapropter locum demus irae, *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*

VERS. 3.---*Fuimus enim et nos aliquando insipientes et increduli, errantes, servientes*

desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Quaerat aliquis quomodo Paulus [Col. 1023D] esset insipiens, incredulus, errans, et serviens desideriis et variis voluptatibus in malitia et in invidia, cum eruditum eum ad pedes Gamalihel et ab infantia sacris litteris institutum [*Adde:* legamus] **(Act. XXII)**! Sed ab eo tempore quo in Christum non credidit, [haec de illo juste dici potuerunt, quod esset insipiens et invidus saluti Christianorum.] An dicendum est Paulum non fuisse insipientem [*Hier.,* an non nobis videtur Paulus fuisse stultus], quando habebat zelum Dei, sed non secundum scientiam; et persequebatur Ecclesiam et lapidantium Stephanum vestimenta servabat; cum in tantum odium contra Salvatorem instigatus exarserit, ut litteras a sacerdotibus acciperet pergens Damascum, [qui in [Col. 1024A] Christum crederent, damnaturus (*Cod.,* damnandus. *Hier.,* ad eos . . . vinciendos).]

VERS. 4-7.---*Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Jesum Christum Dominum nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae.* Diligentius attendamus et inveniemus in praesenti capitulo manifestissimam Trinitatem. Benignitas quippe et clementia Salvatoris nostri Dei, non alterius quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit super nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem [Col. 1024B] nostrum, justificavit nos in vitam aeternam. Salus credentium mysterium Trinitatis est [ut ipse Dominus in Evangelio ait: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Non erit legitime baptizatus, nisi invocetur nomen sanctae Trinitatis super eum qui baptizandus est. Ideo sub festinatione currendum est ad baptismum, ne forte sine sacramento salutis hujusmodi rapiatur infans de hac luce]. **(VERS 8.)** *Fidelis sermo est:* et de his volo te confirmare, ut curam habeant bonis operibus {660} *praeesse, qui credunt in Deum* [Leg. *qui credunt Deo*]. Haec sunt bona et utilia hominibus. Hoc quod ait, *fidelis sermo,* ad superiora jungendum est, in quibus promiserat, *ut justificati gratia ipsius haeredes efficiamur secundum spem vitae* [Col. 1024C] aeternae. Dignus enim fide super haereditate Dei sermo, et super spe vitae aeternae. Unde oportet de his non dubium, non timentem, et ipsum credere, et ut credant caeteri, confirmare. Non solum autem hoc, sed et hoc cum caeteris his qui voluerint credere, confirmandum est: quapropter ait, *et de his volo te confirmare.* Qui autem ista vera esse crediderint, necesse est ut curam habeant bonorum operum [adimplere], per quae haereditas Dei et spes vitae praeparatur aeternae. Et pulchre, ut majorem fidem faceret, non dixit, qui credunt hominibus, sed qui credunt Deo. Necesse est enim ut curam bonorum operum habeant, quae adimpleta et omni studio perpetrata bona sunt utiliaque credentibus. (VERS. 9.) *Stultas autem quaestiones, et genealogias, et contentiones,* [Col. 1024D] et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanae. [A vanis ergo et rationem non habentibus, et fidei catholicae non faventibus revocat nos Apostolus quaestionibus.] Caeterum ad sapientes, et quae Scripturarum auctoritate sunt fultae, magis cohortatur et provocat: modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, et ingredietur in nos sapientia. Exerceatur mens quotidie, divina lectione pascatur: et quaestiones nostrae stultae non erunt quaestiones. Quod autem ait: *Genealogias et contentiones et rixas quae veniunt ex lege devita;* proprie pulsat Judaeos qui in eo se jactant, et putant legis habere

notitiam, si nomina teneant singulorum, [quae quaestiones Christiano non conveniunt,] cui rixae legales [per [Col. 1025A] patientiam (*Hier.,* penitus)] respuendae sunt, et Judaeorum stultitiae relinquendae; sunt enim inutiles et vanae, quae tantum speciem scientiae habeant [*Hier.,* habent]; caeterum nec dicentibus nec audientibus prosunt.

VERS. 10, 11.---*Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita.* Sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. Haeresin ad Galatas inter carnis opera idem numeravit apostolus **(Galat. V, 19 seq.)**. Haeresis Graece ab electione dicitur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat quod ei melius esse videatur. *Haereticum* igitur *hominem post unam et alteram correptionem devita.* Hoc ideo ait quod scilicet non sufficiat tantum semel eum corripi vel commoneri qui aliquo sit [Col. 1025B] depravatus errore, sed et secunda ei sit adhibenda doctrina, *ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Quare autem post primam et secundam correptionem devitandus sit, reddit causas dicens: *Quod subversus est qui ejusmodi est, et peccat, cum sit a semetipso condemnatus.* Qui enim semel bisque correptus, audito errore suo non vult corrigi [proprio judicio condemnatus est, et segregatus ab unitate Ecclesiae]. Nam fornicator et adulter, homicida, et caetera vitia per sacerdotes de Ecclesia propelluntur; haeretici autem in seipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes; quae recessio propriae conscientiae videtur esse damnatio. Inter haeresin et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum dogma habet; schisma propter [Col. 1025C] episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur.

VERS. 12.---*Cum misero ad te Artheman aut Tichicum, festina venire ad me Nicopolim:* ibi enim statui hiemare. [Hic paternus in Cretenses Pauli demonstratur affectus;] necessarium enim habuit Titum in Evangelii ministerium; tamen non eum ante ad se vult venire, nisi in locum ejus Arthemas vel Tichicus successor advenerit. Nicopolis ipsa est, quae ob victoriam Augusti [*Ms.,* Agusti] quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit. **(VERS. 13.)** *Zenan legisperitum et Apollo sollicite praemitte, ut nihil illis desit.* Iste est Apollo, de quo et ad Corinthios scribitur: *Unusquisque vestrum dicit:* Ego sum Pauli, et ego Apollo, et ego Cephae **(I Cor. I, 12)**. Fuit autem vir Alexandrinus ex Judaeis [Col. 1025D] valde eloquens et perfectus in lege, episcopus Corinthiorum: quem propter dissensiones quae in Corintho erant, ad unam insulam Cretam cum Zenan legisdoctore putandum est transfretasse, et Pauli epistola dissensionibus quae Corinthi ortae fuerant [Col. 1026A] temperatis, rursum Corinthum revertisse. Zenan vero legisdoctorem de alio Scripturae loco, qui fuerit non possumus dicere, nisi hoc tantum quod ipse apostolicus vir id operis, {661} quod Apollo exercebat, habuerit, Christi Ecclesias exstruendi. Praecepit itaque Tito, ut quoniam de Creta in Graeciam navigaturi erant, non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea quae ad viaticum necessaria sunt.

VERS. 14.---*Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.* Dixit enim: *Discant et nostri.* Nostros suos vocat, qui in Christo crediderunt, qui, quia Christi erant, recte Pauli et Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in discipulos potestatem, doce eos non [Col. 1026B] esse infructuosos; sed evangelicis [*Hier.,* evangelistis] et apostolicis viris, qui bonis operibus serviant,

ministrare; et ministrare, non in quibuscunque causis, sed in necessariis usibus. *Habentes quippe victum et vestitum, his contenti simus* **(I Tim. VI, 8)**. Infructuosos vocat quicunque evangelistis non ministraverint, [et praedicatoribus verbi Dei necessaria secundum facultatem suam non subministrant.]

VERS. 15.---*Salutant te qui mecum sunt omnes.* Vel solita consuetudine usus, ut Titum ab omnibus qui secum erant, diceret salutari, vel certe proprie ad Titum, quod talis esset, ut amorem eorum qui cum Paulo erant, omnium mereretur. Magna vero laus Titi per Paulum ab omnibus salutari. *Saluta eos qui nos amant in fide.* [Quidam vero amant [Col. 1026C] suos, sed non in fide, sicut mater filium, vir uxorem. Ideo adjunxit: *Qui nos amant in fide*]. Sola sanctorum dilectio in fide diligit; in tantum, ut etiamsi ille qui diligitur infidelis est, tamen spiritus [*Hier.,* tamen sanctus] in fide eum diliget, secundum illud: *Omnia vestra in fide fiant* **(I Cor. XVI, 14)**. Ideo in fide; [quia credit se a Deo pro expletione mandati, quo dicitur: *Diligite inimicos vestros* **(Luc. VI, 35)**, mercedem recepturum esse.] *Gratia Dei cum omnibus vobis.* Amen. In commune itaque sanctis atque credentibus, Tito et caeteris qui cum eo erant, imprecatur gratiam. Et quomodo Isaac patriarcha benedixit filium suum Jacob; et ipse Jacob duodecim patriarchas **(Gen. XXVII, XXIX)**; ita et nunc in fine epistolae suae Apostolus gratiam credentibus [Col. 1026D] imprecatur: quae cum voto habebat effectum, et erat in potestate credentium, si talem se benedici [*Hier.,* benedictus], qualem benedicens praebere voluisset.

Explicit explanatio in Epistolam Pauli ad Titum.

INCIPIT EXPOSITIO IN EPISTOLAM PAULI AD PHILEMONEM.

[Col. 1025D]

@ [Col. 1025D] Ex Hieronymo in hanc Epistolam. Philemoni familiares litteras pro Onesimo servo ejus scribit. Scribit autem ei a Roma de carcere. (VERS. 1-3.) *Paulus vinctus Jesu Christi et Timotheus* [Col. 1026D] frater, Philemoni dilecto et adjutori nostro, et Appiae sorori charissimae et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiae quae est in domo tua. Gratia vobis et pax a [Col. 1027A] Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. [Hucusque salutationis prooemium. In nulla alia epistola se vinctum dicit. Ait enim: *Paulus vinctus Jesu Christi.*] Majoris autem videtur supercilii vinctum Jesu Christi se dicere quam apostolum. Gloriabantur quippe apostoli, *quod digni fuerant pro nomine Jesu Christi contumelias pati* **(Act. V, 41)**. Sed necessaria auctoritas vinculorum. Rogaturus pro Onesimo talis rogare debuit, qui possit impetrare quod posceret. Felix nimirum qui non in sapientia, non in divitiis, non in eloquentia et potentia saeculari, sed in passionibus Christi gloriatur. Si autem Philemon ad quem haec epistola scribitur, Onesimi dominus est, imo frater esse coepit ex domino [*Hier.,* in domino]; et ad Colossenses refertur, quod Onesimus ex eis sit [Col. 1027B] **(Coloss. IV, 9)**: ratio nos ipsa et ordo deducit, quod et Philemon Colossensis sit, et eo tempore communem ecclesiam [*Hier.,* ad omnem ecclesiam] Onesimus epistolam tulerit, quo privatas et sui commendatrices ad dominum litteras sumpserat. Est et aliud indicium, quod in hac eadem epistola et Archippus nominatur, cui hic cum Philemone scribitur: *Dicite,* inquit, *Archippo:* Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas **(Col. IV, 17)**.

Quod est ministerium quod Archippus accepit a Domino? [In epistola] ad Philemonem legimus: *Et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiae quae in domo tua est.* Ex quo aestimari potest [*Hier.,* ex quo puto], aut episcopum eum fuisse ecclesiae Colossensis, cui admonetur studiose diligenterque praeesse; aut certe Evangelii praedicatorem.

[Col. 1027C] {662} *Et Timotheus frater.* Hoc ideo addidit, ut epistola majorem haberet auctoritatem, si ab uno non scriberetur. Scribunt igitur Paulus et Timotheus Philemoni charissimo et cooperatori: qui ideo charissimus dictus est, quod in eodem Christi opere versetur. *Appiae* quoque *sorori non habentem in se* [*Hier.,* non habenti in se falsae] aliquid et fictae germanitatis. *Et Archippo commilitoni, quem arbitrandum est cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem exstitisse victorem;* et propterea nunc commilitonem dici, quod eodem certamine belloque superaverit. [*Et Ecclesiae quae in domo tua est.* Id est, congregationi fidelium quae in domo Philemonis fuit.] *Gratia vobis et pax a Deo* [Col. 1027D] Patre nostro et Domino Jesu Christo. In omnibus pene epistolis aequale principium est, ut gratiam eis et pacem a Deo Patre et a Christo Domino imprecetur. Ex quo ostenditur una Filii Patrisque natura, cum id potest Filius praestare quod Pater; et id dicitur Pater praestare quod Filius. Gratia autem est, qua nullo merito nec opere salvamur; pax, qua reconciliati Deo per Christum sumus. **(VERS. 4.)** His *gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens.* Hunc autem morem scribendi in nonnullis epistolis ejus invenire poteritis; quod cum plures et ad plures in praefatione ponantur, postea per totum corpus epistolae unus disputans inducatur. (VERS. 5, 6.) *Audiens charitatem tuam et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos ejus,* ut communicatio fidei tuae [Col. 1028A] evidens fiat in agnitionem omnis boni in Christo Jesu. Pro Philemone Paulum semper orasse credibile est, quo scilicet fides et charitas, quam habebat in Christo et in omnes sanctos ejus per communicationem fidei et operationem agnitionis in omni bono Christi misericordia servaretur; et de charitate quidem quam habebat in Christo Jesu et in omnes sanctos ejus, non difficilis interpretatio est, quia post Deum diligere jubemur et proximos. [Sed quaeri potest quomodo dictum sit: *In Domino Jesu et in omnes sanctos? Sanctorum vero dictis et scriptis praestanda est fides, ut vera dicerent quae de Deo scripserunt.* Ideo eadem fide de Domino et sanctis ejus credere debemus, sicut illi nos docuerunt de domino credendum esse.] Nec etiam solam fidem nobis et charitatem in [Col. 1028B] Deum et sanctos ejus sufficere posse credamus, nisi id quod credimus opere impleamus [*Hier.,* opere compleatur]. Quidquid boni in Philemone laudatur, et de apostolorum exemplo sumitur; inde bonum sit, quia de Christi fonte ducitur. **(VERS. 7.)** *Gaudium enim magnum habui et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.* Plenius inculcat et docet, quare dixerit: *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.* Dignum siquidem erat agere gratias Deo super charitate Philemonis, qui internum cordis affectum [ostendebat in sanctos, reficiendo labores eorum (*Hier.,* qui internum cordis affectum, et profundos animi Sanctorum recessus suscipiendo refecerat)]. Et hoc idioma apostolicum est, ut semper [Col. 1028C] viscera vocet, volens plenam mentis ostendere charitatem. (VERS. 8, 9.) *Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quae ad rem pertinent:* propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi. Multis in Philemonem laudibus ante praemissis, cum res talis sit, pro qua rogaturus est [*Hier.,* rogatus est] quae et

praestanti sit utilis et roganti, poterat magis Paulus imperare quam petere: et hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetraret, utique impar sui in caeteris esse non poterat. Sed vult magis petere quam jubere: grandi petentis auctoritate proposita, senem se esse asserit et vinctum Domini [*Hier.,* proposita: per quam et Apostolus obsecrat, et senex et vinctus [Col. 1028D] Jesu Christi]. Totum autem pro quo rogat, illud est Onesimus servus Philemonis fugam furto cumulans, quaedam rei dominicae [*Hier.,* domesticae] compilarat. Hic pergens ad Italiam, ne e proximo facilius possit apprehendi, pecuniam domini pro luxuria [*Hier.,* per luxuriam] perdiderat. Hoc ne quis putet temere, et ut libet a nobis fictum, in sequentibus discat. Nunquam enim Paulus diceret **(Vers. 18)**: *Si quid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa:* Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam. Nec sponsor fieret rei ablatae, nisi esset id quod ablatum fuerat dissipatum. Hic igitur, cum ob confessionem Christi Paulus Romae esset in carcere, credidit in Dominum Jesum, et ab eo baptizatus digna poenitentia maculas [Col. 1029A] vitae prioris abstersit, in tantum, ut Apostolus conversionis ejus testis fieret. [Apostolici testimonii pondere premitur dominus {663} fugientis,] ut, qui ex servo et fugitivo atque raptore minister Apostoli factus erat, diceret: (VERS. 10-15) *Obsecro te pro filio meo Onesimo, quem genui in vinculis;* qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et tibi et mihi utilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, id est, mea viscera suscipe; quem ego volueram mecum retinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii. Volens impetrare quod postulat, jam non pro servo Philemonis, sed pro filio suo se asserit deprecari; et illo filio quem genuit in vinculis Evangelii, hoc est, quae pro Christi Evangelio sustinebat; qui cum antea inutilis domino tantum fuerat (neque enim servus [Col. 1029B] fur atque fugitivus alteri nocuit, nisi domino suo), nunc e contrario utilitatis compensatione, qua et ipse domino [*Hier.,* ipsi domino] et Paulo utilis est, caeterisque per Paulum, plus charitatis meretur quam odii ante meruerat. Unde ait, *qui tibi aliquando inutilis fuit.* Tibi, inquit, soli, non caeteris; nunc autem tibi et mihi utilis. Utilis domino in eo quod possit Paulo servire pro domino suo; Paulo vero in eo utilis quia illo in carcere vinculisque detento possit ei in Evangelio ministrare. [Quem etiam filium suum nominare non dubitavit.] Quod autem ait: *Tu autem illum, id est viscera mea suscipe, hoc est, quod paulo ante dixi, viscera significare internum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem.* **(VERS. 14.)** *Sine consilio autem tuo nihil volui* [Col. 1029C] facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. [Hac sententia solvi potest quaestio, qua quidam asserunt Deum talem debuisse facere hominem, qui peccare non possit. Deus vero ipse voluntarius est, non necessarie (*Leg.,* voluntarie bonus est, non necessitate): homo vero, si ex necessitate bonus esset, non voluntate, Dei imago esse non possit.] Potuit itaque et apostolus Paulus absque voluntate Philemonis Onesimum sibi in ministerium retinere; sed si hoc sine Philemonis voluntate fecisset, bonum quidem erat, sed non voluntarium: quod autem non erat voluntarium, alio genere argui poterat non esse bonum. Nihil quippe [absolute] bonum esse poterit, nisi quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda prudentia est, qui idcirco fugitivum [Col. 1029D] remittit ad dominum, ut prosit domino suo, [qui placuisse non poterat, si sine domini teneretur voluntate (*Hier.,* qui prodesse non poterat, si domino teneretur absente)].

VERS. 15, 16---*Forsitan ideo ad horam discessit, ut aeternum illum reciperes:* jam non sicut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi; quanto magis tibi

et in carne et in Domino. [Sicut in venditione Joseph bonam rem, id est, salutem multorum fecit Deus de mala voluntate fratrum,] similiter et in Onesimo possumus intelligere quod mala principia occasiones fuerint rei bonae. [Fugit enim dominum suum et factus est servus Christi et minister in Evangelio.] Pulchre autem addens *forsitan,* [Col. 1030A] sententiam temperavit. Occulta quippe sunt judicia Dei; et temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. Ideo caute dixit: *Forsitan ad horam discessit.* Horam pro tempore debemus accipere; ad comparationem enim aeternitatis omne tempus breve est. *Ut aeternum eum reciperes.* Onesimus vero qui ex fide Christi factus est, et aeternus est, aeternus Philemoni [*Hier.,* factus aeternus est, aeterno Philemoni], quia et ipse in Christum crediderat; spiritu libertatis accepto, jam non servus, sed frater esse coepit ex servo, frater charissimus, aeternus.

VERS. 17.---*Si ergo me habes socium, suscipe illum sicut me.* Quod dicit, tale est: Si me vis habere consortem, habeto et Onesimum, quem ego consortem et filium et viscera mea habeo: quem si non [Col. 1030B] susceperis, nec habere volueris, et ipse intellige [*Hier.,* intelligis], quod me habere non potes. **(VERS. 18.)** *Si autem aliquid nocuit aut debet, hoc mihi imputa.* [Si enim Christus pro nobis doluit, et infirmitates nostras portavit, juste Paulus imitator sui magistri se opposuit pro Onesimo filio suo. Hoc totum ideo dixit ut pacatum fecisset animum Philemonis in Onesimo.] **(VERS. 19.)** *Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam, ut non dicam tibi, quod teipsum mihi debes.* Quod dicit, tale est: Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum; hujus sponsionis epistola haec et manus testis est propria; quam non solito more dictavi, sed mea manu ipse conscripsi. Hoc dico, quasi (ad) extraneum loquens. Caeterum si ad jus meum redeam, propter sermonem [Col. 1030C] Christi quem tibi evangelizavi, et Christianus effectus es, te mihi ipsum debes. Quod si tu meus es, et tua {664} omnia mea sunt; [si autem tua omnia mea sunt,] Onesimus quoque, qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti, ut meo; sed voluntati tuae relinquo, ut mercedem habeas ignoscendo. **(VERS. 20.)** *Ita frater.* Ego te fruar in Domino. Refice viscera mea in Christo. Quod autem ait: *Ego te fruar in Domino, aliud multo intelligitur quam putatur.* Apostolus non fruitur nisi eis [*Hier.* nisi eo], qui multas in se habet continentes [*Hier.,* concinentesque] virtutes, et totum quod Christus dicitur pro varietate causarum, sapientiam videlicet, justitiam, continentiam, mansuetudinem, temperantiam, castitatem. Has imprecatur Philemoni, ut [Col. 1030D] dum his abundaverit, ipse eo perfruens impleatur. Et ne putes, illam fruitionem dici, qua nos saepe nostrique inter nos praesentia delectamur [et fruimur], addidit: *in Domino.* Refice viscera mea in Christo. Sicut ipse frui vult Philemone in Domino, ita viscera sua Onesimo [*Hier.,* Onesimum], quem et superius eodem nomine appellaverat, refici vult per Philemonem. Recte dicitur viscera sancti Pauli Onesimus [*Hier.,* recte Pauli in Christo viscera dicuntur Onesimus], quem genuit in vinculis.

VERS. 21.---*Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies.* [Ait enim, *confidens in obedientia tua, ut non erubesceret Philemoni facere quod rogatus fuit.* Ideo [Col. 1031A] addidit: *sciens, etc.* Qui scit bonitatem amici, quodammodo praejudicat ne audeat negare quod [rogatur.] **(VERS. 22.)** *Simul autem et para mihi hospitium.* Hoc ideo dicit, ut dum eum exspectat Philemon ad se esse venturum, libentius faciat quod rogatus est. *Nam spero per orationes vestras donari me vobis.* [Totius Ecclesiae orationes profuerunt Paulo, dum ille profuit omni Ecclesiae

Dei; quem Deus perdonavit orationibus saepe sanctorum, ad eorum utilitatem qui eum audituri sunt.] Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, et de vinculis liberatus sit, ipse in alio loco dicit: *In carceribus frequenter* **(II Cor. XI, 23)**. De quo [De quibus] nonnunquam Domini auxilio liberatus est. (VERS. 23, 24.) *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo* [Col. 1031B] Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas [Ms., *Damascus*] et Lucas adjutores mei. Quis sit Epaphras concaptivus Pauli, talem fabulam accepimus. Aiunt parentes apostoli Pauli de Giscalis regione fuisse Judaeae; et eos, cum tota provincia vastaretur manu et devulgarentur [*Hier.,* Romana manu, et dispergerentur] in orbe Judaei, in Tarsum urbem Ciliciae fuisse translatos; parentum conditionem adolescentulum Paulum secutum et sic posse stare illud quod de seipso testatur: *Hebraei sunt, et ego;* Israelitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego **(II Cor. XI, 22)**. Et rursum alibi: *Hebraeus ex Hebraeis* **(Philip. III, 5)**, et caetera, quae illum Judaeum magis indicant quam Tarsensem. Quod si ita est, possumus Epaphram illo tempore captum suspicari, quo captus est Paulus; [Col. 1031C] et eum a parentibus suis in Colossis urbe Asiae collocatum, Christi postea recepisse sermonem. Unde et in epistola ad Colossenses: *Salutat vos Epaphras, qui est ex vobis* **(Coloss. IV, 12)**. Si se ita habet, et Aristarchus, qui concaptivus ei in eadem epistola dicitur, ad eamdem intelligentiam deducitur; sin autem hoc non recipitur, ex eo quod hic additum est *in Christo Jesu, possumus suspicari eadem eum Romae pro Christo vincula sustinuisse, quae et Paulum;* et ut vinctum Christi, ita captivum quoque potuisse dici. Haec de Epaphra. Caeterorum cooperatorum [*Hier.,* caeterum cooperatores] Evangelii et vinculorum suorum, cum ad Philemonem epistolam scriberet, Marcum ponit, qui putari potest Evangelii conditor [*Hier.,* quem puto Evangelii conditorem]; et Aristarchum, [Col. 1032A] cujus supra fecimus mentionem; et Demam, de quo alio in loco quaeritur: *Demas me dereliquit, diligens hoc saeculum et abiit Thessalonicam;* et Lucam medicum, qui Evangelium et Actus apostolorum ecclesiis Dei derelinquens, de quo in alio loco: *Misi, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias Domini nostri Jesu Christi* (II Cor. VIII, 18). **(VERS. 25.)** *Gratia Dei cum spiritu vestro.* Amen. [Synecdochice dicitur, *cum spiritu vestro, a meliore parte totum hominem significans;*] cum autem in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritalem: ut caro spiritui serviat, et anima non vincatur a carne, et redacta simul in substantiam spiritalem adhaereat [*Hier.,* adhaereant] Deo; quia *qui adhaeret Domino,* unus spiritus est cum eo [Col. 1032B] **(I Cor. VI, 17)**.

Arbitrantur enim [*Hier.,* interpretatur autem] secundum Hebraeos Paulus admirabilis. Timotheus beneficus. Philemon mire donatus, sive os panis; ab *ore,* non ab *osse.* Apiae [*Hier.,* Apphia], continens aut libertas. Archippus, longitudo operis. Onesimus, respondens. {665} Epaphras, frugifer et videns, sive succrescens. Marcus, sublimis mandato. Aristarchus, mons operis amplioris. Demas, silens. Lucas, ipse consurgens. Quae nomina, si juxta suam interpretationem voluerint [*Hier.,* volueritis] intelligere, non est difficile, admirabilem, beneficum praecipue ad eum scribere, cui universa concessa sunt vitia [*Forte, beneficia*], ut os ejus pateat ad coelestem panem. Deinde ad *continentem* et *liberam* et ad *longitudinem* [Col. 1032C] operis, quod nunquam a saeculo labore desistimus [*Hier.,* a sancto labore desistat]. Vere autem [*Hier.,* scribere autem] pro eo, qui *respondeat testimonio suo;* nec non eum, cui specialiter epistola dedicatur, salutari ab ubertate *crescente.* In eo, qui factus est per *mandata sublimior,* illoque qui

per majora opera in *montem gressus* [*Hier.,* in montem usque] succreverit, ab eo quoque qui posuit custodiam ori suo, et ostium munitum labiis suis; qui idcirco forsitan tacuit, quia ad modicum apostolum dereliquerat. Et ad extremum ab eo, qui per se ipse *consurgens quotidie augetur, dum Evangelium ejus toto orbe impletur, et toties crescit, quoties auditur* [*Hier.,* quoties auditus et lectus aedificat].

Explicit Explanatio in Epistolam Pauli ad Philemonem.

INCIPIT EXPOSITIO IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD HEBRAEOS

CAPUT PRIMUM.

[Col. 1031D]

VERS. 1.---
@ [Col. 1031D] Quae passim in hoc opusculo his signis typographicis «» includuntur, desumpta sunt ex homiliis [Col. 1032D] S. Joan. Chrysost. in Epistolam ad Hebraeos, Operum tom. XII. *Multifarie et multis modis olim Deus loquens patribus in prophetis.* Tota intentio beati Apostoli fuit in hac epistola, Hebraeos, id est, gentem suam ad Christi convocare fidem; eminentiamque gratiae, quae per Filium data est, a legalibus discernere umbris, quae angelicis ministrationibus fuerunt. Idcirco primo posuit prophetas diversis modis patribus [Col. 1032D] locutos esse dicens: *Multifarie et multis modis olim Deus locutus est patribus nostris in prophetis:* significans enim quod alibi dictum est: *Ego enim visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* **(Osee. XII, 10)**. «Proinde non secundum hoc solum eminentia Novi Testamenti declaratur, quia patribus quidam prophetae missi sunt, nobis autem Filius; sed etiam quod prophetarum vel patriarcharum [Col. 1033A] nemo nisi in similitudinibus vidit Deum, Filium vero unigenitum incarnatum esse, atque in ea carne visum constat,» qua idem homo a Verbo Dei susceptus unigenitus est Filius Dei. Ideo mox addidit: **(VERS. 2)** *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* «Dicendo enim *in Filio,* tantumdem valet quasi diceret, *per Filium;* quia *in praepositio* pro *per accipitur,» sicut multis in locis Epistolarum ejus invenitur his praepositionibus indifferenter uti.* Tacuit adhuc de Christi nomine, quia plurimos illorum sciebat negasse Filium Dei esse. «Non enim dixit, *Christus locutus est;* quamvis ipsum locutum constet esse manifestum. Ita necdum Judaeos aperto nomine tetigit. Nam ferme omnes quibus prophetae locuti sunt, malignos esse nefariosque [Col. 1033B] constabat; et necdum de istis rationem movere voluit, sed interim generali sermone de muneribus disputat, quae illis divina largitate donabantur. *Quem constituit haeredem universorum.* Quid est, *quem constituit haeredem universorum?» Hic incarnatum dicit Filium, de quo superius locutus est, sicut etiam de eo in secundo legitur psalmo: «Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam* **(Psal. II, 8)**. Non jam portio Domini tantum Jacob et sors ejus Israel [*Chrys.,* solus Israel], sed omnes protinus nationes, hoc est, hunc Filium Dominum constituit universorum. Haeredis autem utitur nomine, ut duo quaedam per hoc astruat et ostendat, quod proprius sit Filius, et quod dominationis illi nulla contingat amissio. Haeredem autem omnium dicit, id est, mundi [Col. 1033C] totius. Deinde ad altiora

sermonem convertit dicens: *Per quem fecit et saecula,» ut ostenderet eumdem novissimis diebus venisse in mundum, per quem fecit et mundum, magnitudinem ejus ostendens, qui fuit novi testamenti lator et auctor.* «Post haec quibusdam gradibus eleganter utens pervenit ad id, quod omnibus istis quae supra dixit multo majus est, et insonuit dicens:

{666} VERS. 3.---*Qui est splendor gloriae, et figura substantiae ejus.* Ubique quidem religioso nobis opus est intellectu, maxime autem ubi de Deo loquimur vel audimus: quoniam neque ad loquendum digne de Deo lingua sufficit neque ad percipiendum praevalet intellectus.» Oportet etiam, ubi vel sermo deficit, vel cogitatio explicare de Deo non poterit, [Col. 1033D] «tunc magis gloriare [*Chrys.,* glorificare] nos Deum, quod talem Deum habemus, qui et intellectum transcendit et cogitationis intuitum. Merito splendorem eum dixit gloriae, utpote qui ipsum sciebat dicentem: *Ego sum lux mundi»* **(Joan. VIII, 12)**. Ostendens eum lumen de lumine, sicut Deum de Deo esse; animasque nostras illuminantem et Patrem nobis insinuantem. Per splendorem quippe unitatem declaravit essentiae cum Deo Patre, «et mirabili modo unam substantiam ostendit, ut duas personas [*Chrys.,* subsistentias] aperiret in gloria et splendore. Unde etiam subjungit: *Qui est figura substantiae ejus.* Figura [*Chrys.,* character] quippe alter est ab eo, cujus efferat [*Chrys.,* enuntiat] formam. Alter autem non [Col. 1034A] in omnibus, sed secundam personam [*Chrys.,* secundum substantiam]; nam et hic figura aequalitatis omnino praebet indicium ad illud cujus figura ostenditur, et suspicionem vel pravae dissimilitudinis procul dubio non accepit [*Chrys.,* non recipit].» Hic enim figuram dixit, quod alio loco formam nominat, ubi ait: *Qui cum in forma Dei esset, etc.* Formam videlicet vel figuram unam declarat essentiae aequalitatem. Sequitur: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Portans, id est, gubernans omnia eo verbo virtutis, per quod fecit omnia. «Non enim minus est gubernare mundum quam creare. Nam in creando quidem ex nihilo rerum substantiae productae sunt; in gubernando vero ea quae facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Ergo dum omnia haec [Col. 1034B] reguntur, et ad invicem sibi repugnantia coaptantur, magnum et valde mirabile, plurimaeque virtutis Dei indicium declaratur.» Post hanc divinae majestatis in Filio claritatem ad humilia incarnationis descendit dicens: *Purgationem peccatorum faciens:* duo quaedam significans, id est, curam nostri gerens, in eo quod ait: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Quod vero adjunxit, *purgationem peccatorum faciens, id est, peccata nostra mundat.* In his duobus maxime apostolum gloriari videmus, quod haec per Filium nobis ablata esse demonstret. Et cum nos commovisset [*Chrys.,* commonuisset] crucis et passionis ejusdem Filii, per quae nobis purgatio peccatorum ministrata est, confestim de resurrectione atque ascensione ejus instituit nos ad coelestia erigere et [Col. 1034C] intueri inenarrabilem ejus gloriam; ait enim: *Sedet ad dexteram majestatis ejus in excelsis.* Per dexteram non Deum corporaliter deformavit, sed magnitudinem demonstravit honoris. Dum dixit: *In excelsis, ostendit eum omnibus altiorem et supereminentem esse, «qui etiam usque ad ipsum pervenit solium paternae claritatis.* Sicut ergo Pater in excelsis est, sic et Filius. Consessus enim nihil demonstrat aliud nisi honoris aequalitatem. Si enim minorationem vellet ostendere, nunquam diceret, a dextris, sed potius a sinistris» eum sedere. Adhuc excellentiam ejusdem Filii ostendere aggressus est, dum dicit:

VERS. 4.---*Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen*

haereditavit. Angeli sunt ministri et famuli; ille quidem filius et haeres. *Tanto,* [Col. 1034D] inquit, *melior angelis effectus, hoc est, honorabilior atque praeclarior, quanto melius haereditavit nomen.* Sequitur: **(VERS. 5)** *Cui enim dixit aliquando angelorum:* Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.* Hoc enim absque ulla dubitatione de incarnatione Filii dicitur; ideo verbum futuri temporis posuit: *Ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.* Quod vero dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te, aperte manifestat, quod idem de quo ait, Ero ei in Patrem, etc.,* ex ipsa essentia Patris sit genitus; ideo praesenti tempore posuit *hodie, quia Deo nihil praeteritum vel futurum est, sed semper praesentia cuncta.* «Potest enim et secundum carnem [Col. 1035A] hoc accipi dictum, quia caro communicat altioribus, sicut et divinitas humilibus communicare dignata est.» Hoc itaque loco perspicue duas naturas in Christo ostendit. Haec vero salutis nostrae exempla referamus; «si enim ipse, cum Deus esset et Dominus, Deique Filius, non respuit formam servi suscipere, multo amplius nos oportet cuncta perficere quae jussa sunt nobis, et humilia quaeque tolerare. {667} Recordemur Christum dicentem: *Cum feceritis omnia, dicite quia inutiles servi sumus* **(Luc. XVII, 10)**.

VERS. 6.---*Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit:* Et adorent eum omnes angeli Dei. Paulus autem introitum Christi vocat assumptionem carnis, de qua ipse Dominus in Evangelio ait: *Exivi a Patre, et veni in mundum* (Joan. [Col. 1035B] XVI, 28). Hoc loco Christus incarnationem suam *exitum* vocat, quod Paulus hic *introitum nominat.* Quaerendum est quare unam rem diversis nominibus Christus et Paulus nominare voluissent. «Significationes quidem dictorum manifestae sunt, et secundum quid alterutrum dicatur, apparet; Christus quidem merito exitum vocat: foris enim eramus a Deo, sicut qui sunt extra regales aulas in vinculis colligati, et qui habent apud regem pro culpis offensam. Hujusmodi quippe a regali aula foris exclusi sunt; qui enim voluerit istis veniam impetrare, non primum ipsos in aulam regis inducit, sed ipse foras egreditur, ibique cum eis commiscet sermocinationis negotium, usque dum eos correctos reddat, et dignos efficiat quo regis vultui repraesentari mereantur. Sic etiam [Col. 1035C] Christus efficit. Egressus quippe ad nos, hoc est, carnem sumens, et collocutus nobiscum praecepta regis innotuit, et sic nos a peccatis emundans, et ad Deum convertens in aulam regalem velut mediator optimus introducens [*Chrys.,* introduxit]. Propterea igitur exitum vocat suae incarnationis adventum. Paulus autem introitum nominat, ex metaphora haereditantium, et jus dominandi in aliqua possessione sumentium; dicendo enim: *Iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, hoc significat, cum ei committit orbem terrarum.* Tunc enim totum orbem possedit, cum ab universis est agnitus.» *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Ad altiora quaedam elevans mentem nostram, ut sciamus illum qui carne indutus est et passus est pro nobis, ab angelis adoratum. [Col. 1035D] Ut discerneret autem majestatem Filii ab angelorum ministratione, mox secutus adjunxit: **(VERS. 7)** *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* «Non enim solos angelos hoc sermone significat, sed omnes virtutes ministeria superna fungentes.» Sciendum vero est quod angeli nomen est officii, non naturae, qui etiam semper sunt spiritus, sed non semper angeli vocari possunt. Quaeris hujus naturae nomen? Spiritus est. Quaeris officii? angelus est. Ex eo quod est, spiritus est: ex eo quod audit [*Forte, agit*], angelus est; quia angelus Graece, Latine nuntius dicitur: sicut homo nomen est naturae, miles vero nomen officii. Sic

enim qui erant jam spiritus conditi a creatore Deo, facit [Col. 1036A] eos angelos mittendo eos nuntiare quod jusserit. *Et ministros suos flammam ignis.* Legimus apparuisse ignem in rubo; legimus etiam missum ignem desuper et implesse quod praeceptum est. Potest dici quando lenia nuntiare mittuntur, angelos esse; quando ad vindictam mittuntur, ministros esse, id est, ignem ardentem. Sunt etiam haec officia in Ecclesia praesenti; nam praedicatores sancti, quando spiritualia praedicant, et gaudia regni Dei annuntiant, angeli dicuntur; quando vero terrorem gehennae ignis praedicunt, ministri sunt, ut terreant peccatores in comminatione ignis illius, qui nunquam exstinguetur. **(VERS. 8.)** *Ad Filium autem:* Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi: virga aequitatis virga regni tui. Hic de eo dicit qui secundum carnem est, de quo etiam [Col. 1036B] ipse Dominus in Evangelio ait: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium* **(Joan. V, 22)**. Et paulo post; *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est* **(Joan. V, 27)**. Hic enim thronus Dei ad judicium pertinet futurum, in quo forma servi videbitur, judex vivorum et mortuorum; et quo judicio omnia veraciter Christus moderatur, examinat atque dijudicat. *In saeculum saeculi, ait, quia novissimum judicium inter bonos et malos aeterna discretione stabit, eo ipso testante in Evangelio, qui judicaturus est: Tunc ibunt hi in ignem aeternum, justi autem in vitam aeternam* **(Matth. XXV, 46)**. *Virga aequitatis virga regni tui.* Virgam vero regulam divinae significat aequitatis; quae veraciter recta dicitur, quia nulla [Col. 1036C] pravitate curvatur. Virga ista justos regit, impios percutit; sed haec virga fortitudo est invicta, aequitas rectissima, inflexibilis disciplina. Haec enim virga regii honoris insigne, sceptrum dicebatur antiquitus, designans in {668} ea virtutum regem, Dominum Salvatorem. **(VERS. 9.)** *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem.* Ipsa est virga recta, amare aequitatem et odisse nequitiam. Nemo enim perfecte diligit justitiam, nisi qui et actus pessimos abominatur; quia veritas amor, odium est falsitas. Sed huic amatori bonitatis et odio iniquitatis, quae praemia sint reddita, subter exponit, dicens: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus.* Unctus Christus et regem significat et sacerdotem, quia dignitates istae sumebantur per sacratissimas unctiones. Nam et ipsum nomen [Col. 1036D] Christi a sancto chrismate vocatur. Sed in illa natura unctus dicitur, qua dispensatione et natus et mortuus, et resurrexisse veraciter dicitur Christus; caeterum deitas ejus nullo munere, nullo honore indiguit adjuvari. Repetitio autem ista, quod dicit: *Deus, Deus, praeconium magnae dilectionis ostendit. Oleo exsultationis prae participibus tuis.* Duplici modo unctionem illam sanctam provenisse significat. Oleum laetitiae est peccati maculam non habere, unde se conscientia semper exhilarat, quando nulla recordationis asperitate mordetur. *Prae participibus tuis.* In filiis hominum, dicit quos et ipse in Evangelio fratres appellat. Ideo autem dictum est, *prae participibus tuis, quoniam hanc benedictionem supra omne humanum* [Col. 1037A] genus, sive reges, sive sacerdotes in Veteri Testamento; sive etiam apostolos et martyres in Novo cognoscitur accepisse, ut unctus singulariter caeteros ungere debuisset. In illo enim fons est benedictionis, prout ipsi visum fuerit, per universos electos competenter emanat. Sed haec omnia carni conveniunt, cui perfectissimum et gloriosissimum Verbum unitum est pro salute sanctorum. Hoc *unguentum dicitur* in alio psalmo *descendisse in barbam, barbam Aaron, usque in ora vestimenti ejus* **(Psal. CXXXII, 2)**. Et paulo post: *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum saeculi.* Post humanitatis igitur excellentiam, iterum ad aeternitatem divinae [naturae] in eodem Filio Dei convertit se apostolus, testimonio alterius psalmi dicere;

[Col. 1037B] ait enim: **(VERS. 10)** *Et tu, Domine, in principio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.* Cum dicit: *In principio terram tu fundasti, Domine, ostendit quod a sanis mentibus non potest abnegari, quia creator ante creaturas suas, sine aliquo initio, cognoscitur exstitisse. Et opera manuum tuarum sunt coeli.* Hic *manum virtutem jussionis Dei debemus accipere.* Alio enim loco dicitur: *Quoniam ipse dixit, et facta sunt;* ipse mandavit, et creata sunt.

VERS. 11.---*Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Pereunt enim ab eo quod sunt, dum immutantur in melius creaturae. *Tu autem permanes, ut sicut aeternitatem Domini ostendit, antequam crearet omnia, sic post coelos mutatos ipsum diceret in majestatis suae gloria permanere. Et omnes ut vestimentum veterascent.* [Col. 1037C] Ipsum enim veterascit, quod more vestis morte consumitur, sicut caro humana, quae tamen in melius resurrectione immutabitur. Addidit: (VERS. 12) *Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur.* His verbis forsitan coeli immutationem Propheta intelligi voluit, qui similiter ut caetera elementa commutantur, sicut in alio legitur propheta: *Et erit coelum novum et terra nova* (Isaiae LXV, 17). Ut facta Domini ostenderet, jam sub aeternitate mansura, dicit: *Mutabis, eos et mutabuntur:* quia nunquam erunt ad hoc corruptibile reditura. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* In mutatione ejusdem naturae designat, quae sunt; ipse vero idem est quod est, veluti Moysi famulo suo dixit: *Ego sum qui sum.* Sic istis tribus versibus commutatio creaturarum [Col. 1037D] et aeternitas Domini mirabili brevitate descripta sunt. Post majestatem divinae aeternitatis in Filio iterum beatus Paulus ad humanitatis ejusdem glorificationem sermonem direxit dicens: **(VERS. 13)** *Ad quem enim angelorum dixit aliquando:* Sede a dextris meis? Victori Filio per sanctam incarnationem, totius mundi triumphatori post resurrectionis gloriam, honorabilis concessus paternae majestatis offertur, ut per hunc situm susceptae humanitatis gloria declaretur, quae nemini angelorum inferre debuit. *Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* [Per] pedes enim Domini stabilitas aeterna significatur, ubi ille tanquam vestigiis omnipotentiae suae virtute consistit. His pedibus constat esse subdendos, [Col. 1038A] qui quotidie vitiorum contrarietate derelicta revertuntur ad Dominum, et tanquam scabellum pedibus, {669} ita ejus praedicationibus inclinantur. Sine dubio de illis inimicis dicitur, qui conversi ad dexteram collocantur. Non hic adverbium, *quousque, alicujus temporis finem designat, sed aeternitatis potentiam demonstrat.* **(VERS. 14.)** *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerio missi propter eos qui haereditatem capiunt salutis? «Quidmiraris si Filio suo ministerium exhibent angeli, cum etiam nostrae salutis ministros eos constet effectos?» Mentes eorum ad quos loquitur sublevare volens, dicit angelorum functiones humanae salutis causa a Domino directas esse:* Filius vero sicut Dominus salvat; isti vero sicut servi saluti praedestinatorum deserviunt. «Cujus [Col. 1038B] rei pleni sunt Veteris Testamenti et Novi ubique libri. Nam et pastoribus angeli evangelizaverunt; et angelum legimus ad virginem Mariam missum; et in resurrectione Domini angeli mulieribus apparuerunt; et alia multa in divinis Scripturis leguntur. Intelligite igitur nunc quantus honor nobis existit, ut sicut ad amicos ita ministros angelos suos destinet Deus.» His ita introductis de angelorum ministerio, per quos etiam et ipsa lex ministrata est, mox subjunxit de excellentia gratiae, quae per Dei Filium nobis allata est, dicens:

CAPUT II.

Vers. 1.---*Propterea abundantius oportet observare nos ea quae audivimus, ne forte pereffluamus.* «Quare *abundantius dixit? Hoc est,* quam in lege [Col. 1038C] solebamus.» Hortatur itaque eos diligentius his intendere quae per Dei Filium audierunt, quam eis quae per angelos dicta sunt, more suo suam illis conjungens personam in eo quod dixit *audivimus,* atque, *pereffluamus, nolens ab auditis per inania effluere audientium sensus;* quod etiam sequentibus verbis plenius explicavit dicendo: **(VERS. 2.)** *Si enim qui per angelos dictus est, sermo factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.* «Quid est, *factus est firmus? Videlicet verus:* tanquam diceret: fidelis in opportuno tempore.» Volens intelligi legem quae per angelos data est [*Ms.,* datam esse], esse suo tempore firmiter custodiendam. Nam legem per angelos datam esse, plurimis ostenditur in locis. Attamen non custodientem, [Col. 1038D] justam mercedis retributionem accepisse testatur. «Quare dixit, *mercedis retributionem? Merces enim in bono poni solet;* sed iste mos est Apostolo, ut non magnam verborum habeat rationem, sed indifferenter vel quae in bono dicuntur, vel quae in malo pro alterutro ponere; sicut alibi dixit: *In captivitatem redigentem omnem sensum ad obediendum Christo* **(II Cor. X, 5)**. Et hic mercedis retributionem pro supplicio posuit.» **(VERS. 3.)** *Et quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? «Per haec verba significat, quia non erat tanta salus in Veteri Testamento,» quanta est in gratia Dei, quam Dei Filius nobis attulit.* Non enim nobis nunc, sicut illis, terrae divitias, sed coeli gratiam [Col. 1039A] promisit Deus; non vindictam de terrenis hostibus, sed de spiritualibus concessit; non vitam feliciter temporalem, sed perpetuam aeternaliter beatam donavit. «Haec quippe omnia breviter intimavit dicens: *Si tantam neglexerimus salutem.*» Deinde supereminentiam eorum quae per Dei Filium dicta sunt, adjunxit: *Quae* cum initium, inquit, *accepisset enarrari per Dominum.* «Non enim haec quae dicimus ab hominibus vel etiam angelis nobis allata sunt, sed ipse Filius unigenitus nobis impertivit. *Ab eis, inquit, qui audierunt, in nos confirmata est.* Quid est, *confirmata est? Credita est atque perfecta;*» quia salus quae nobis per eumdem Filium data est perpetua, manet in aeternum. Hoc idem etiam **(VERS. 4)** *contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus,* et [Col. 1039B] Spiritus sancti distributionibus. «Affluentiam significans gratiarum, quae non erat apud antiquos;» quae fuit data postquam glorificatus est Jesus. Testatur hoc evangelista, ubi ait: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* **(Joan. VII, 39)**. Quod vero addidit, *Secundum suam voluntatem, divinae vero voluntati atque ejus consilio cuncta contribuit, ne quis in suis meritis consideret;* quasi diceret: Ipse novit quid cuique prosit, vel cui quid sit accommodum. Quapropter ipse gratiam unicuique secundum suae voluntatis praescientiam contulit. {670} Sequitur: **(VERS. 5)** *Non enim angelis subjecit Deus orbem terrae futurum, de quo loquimur.* Non enim salutem nostram, quae novissimo tempore facta est in orbe, angelis subjecit, quae a prophetis futura esse olim [Col. 1039C] praedicta est, sed [etiam

@ [Col. 1039D] Haec vox abundat in manuscripto.] Filio suo, ad quem vox paterna, sicut superius demonstratum est, sonuit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam. Et hoc propheticis confirmat exemplis dicens: **(VERS. 6)** *Testatus est autem in quodam loco quis, dicens:* «Cur non ipsum nomen

prophetae posuit, sed abscondit? Facit hoc etiam in aliis testimoniis, sicut supra dictum est. Existimo non abscondentis affectu, sed ostendentis intuitu, eos multam habere scientiam Scripturarum, ut nec opus haberet nomen posuisse dicentis; sed veluti de re manifesta et in promptu constituta induceret testimonia.»

Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Quid est homo, cum [Col. 1039D] despectu pronuntiandum est, id est, fragilis et caducus, Adae sequax, qui in veteri peccato generali pravitate devinctus. Hujus memor est Dominus, quando ei peccata dimittit, et misericordiae suae dona largitur. *Aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Hic jam voce surgendum est, quod Dominum significat Salvatorem;* quia non, ut caeteri mortales, ex duobus hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto et beatae Mariae semper virginis utero, tanquam sponsus de glorioso thalamo processit. Et considera quod superius dixit, *memor es:* subjecit autem, *visitas.* Memor fuit, cum patriarchis de coelo [Col. 1040A] misertus est; visitavit, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Nam visitare dicitur, quando medicus ad infirmos ingreditur, quod in adventu Domini revera constat impletum.

VERS. 7.---*Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum.* Hic jam Domini Salvatoris humilitas narratur et gloria. Minoratus est enim non necessitate ministratoria, sed pietatis suae spontanea voluntate, sicut Apostolus ait: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* **(Philip. II, 7)**. Sequitur, *paulo minus ab angelis, qui crucem pro omnium salute suscepit, et ex ea siquidem parte creator angelorum minor factus est angelis.* Bene autem dixit, *paulo minus, quia si et mortale corpus assumpsit, tamen peccatum non habuit.* Gloria vero [Col. 1040B] et honore coronatus est, cum post resurrectionem nimis mirabilem, mundi credulitatem Deus in eo quod homo factus est, exaltatus accepit. Gloria coronatus est in resurrectione et ascensione; et honore in confessione paternae majestatis. **(VERS. 8.)** *Et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Superius de gloria ejus et honore narratum est; nunc ponitur et potestas, ut agnoscatur Christi Domini majestatis perfectissima plenitudo. Dicendo enim, *Super opera manuum tuarum, omnis illi creatura subjecta monstratur;* quia sicut a Domini opere nihil est exceptum, ita nec a potestate Christi aliquid probatur esse divisum; in eo enim quod ei omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Dicendo enim, *omnia,* [Col. 1040C] nec terrena videtur excepisse, nec coelestia. Quem prius propter humilitatem carnis paulo minus ab angelis dixerat esse minoratum, post ascensionem dicit pedibus ejus omnia fuisse subjecta, ut ista distinctio et dubietatem titubantibus auferat, et gloriam suae incarnationis ostendat. *Sub pedibus, ait, ut omnis creatura merito ipsum colere atque adorare videatur.*

Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Hoc itaque ait de non credentibus in eum, quia necdum omnia evangelica obtinuit praedicatio. Superius dixit nihil dimitti sibi non subjectum; et hic astruit necdum omnia subjecta sibi videri, quia illic universalem sive voluntariam, sive necessariam subjectionem designat; hic tantum voluntariam, qui [Col. 1040D] fideliter credunt in eum. **(VERS. 9.)** *Eum autem, qui modico quam angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis ejus gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* «Hic ostendit quia gloria et honor crux est Christi,» pro qua modicum minoratus est ab angelis, «sicut ipse Dominus

eam semper vocat dicens: *Ut glorificaretur Filius hominis.* Si ille ea quae pro servis passus est, gloriam vocat, multo amplius tu homo, quae pro Domino pateris,» tibi ad gloriam pertinere sempiternam dubitare non debes. Addidit: *ut* gratia Dei pro omnibus gustaret {671} *mortem.* «Non [Col. 1041A] enim debebatur nobis, ut Filius pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit. Ipse quidem pro omnibus mortuus est; quid autem, si non omnes credunt? Ille tamen quod suum erat implevit. Proprie, *gustavit mortem, dixit, quia brevi tempore in illa fuit, ut ea devicta confestim resurgeret.*»

VERS. 10.---*Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Decebat enim per passionem consummare, id est, perficere omnium salutem. *Per quem omnia, id est, per ejus mortem, sive quae in coelis, sive quae in terris restaurata sunt, per quem etiam et omnia creata sunt.* «Vides quantum est in medio nostrum? Et ipse Filius, et nos filii;» ille proprius, [Col. 1041B] nos adoptati. «Sed ille salvat, et nos salvamur. Vides quomodo nos et conjungit et discernit? *Multos* filios, inquit, *inducens in gloriam;* hic conjunxit; *auctorem,* inquit, *salutis eorum:* hic discrevit. (VERS. 11.) *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.* «Ecce iterum quomodo conjungit honorans et consolans, et Christi fratres eos nominans, [*Chrys.,* eos efficiens] secundum quod *ex uno omnes dicit.* Deinde muniens sermonem suum et ostendens quomodo de eo [*Chrys.,* quoniam de eo], qui secundum carnem est, dixit, [intulit]: *Qui enim sanctificat, hoc est, Christus;* et *qui sanctificantur, hoc est nos.* Intueris quantum interest? Ille sanctificat, sanctificamur enim nos.» Addidit [Col. 1041C] *ex uno omnes;* unus est enim Deus, a quo omnia; sed ille aliter, aliter et nos. Ille quasi proprius Filius, nos vero quasi adoptivi. Attamen unum habemus Patrem Deum. Ille quasi proprius Filius sanctificat; nos sicut adoptivi sanctificamur. **(VERS. 12.)** *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens:* Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. «In eo enim quod dixit: *Non erubescit fratres eos vocare, demonstrat non rei naturae esse fraternitas nostra, sed misericordiae ejus et humilitatis multae, qui nos fratres elegit sibi.*» Et hoc prophetico affirmat testimonio, ne quasi novum putaretur, et non multo ante praedictum; ait enim: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Post sacram passionem et resurrectionem dicit gloriam Divinitatis toto orbe vulgandam. [Col. 1041D] *Nuntiabo enim, dicit, id est, narrare facio;* sicut in Evangelio mulieribus dixit: *Ite, dicite fratribus meis* **(Matth. XXVIII, 10)**. Fratres autem dicuntur, et qui diligunt, et qui diliguntur. Addidit vero: *In medio Ecclesiae laudabo te.* In medio sanctorum laus Domini resonat per eum qui ait: *Confiteor tibi, Pater coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et revelasti ea parvulis* **(Luc. X, 21)**. Laus enim Domini vera non solum ore, sed etiam corde amantis et perficientis praecepta Domini narratur. **(VERS. 13.)** *Et iterum:* Ego ero fidens in eum. De suscepto homine hoc dictum est, cujus confidentia tota in Deo Patre esse non dubium est, sicut in Evangelio ipse ait, pro quibus supplicabatur dicens: *Volo Pater, ut, ubi ego sum, et isti sint mecum* (Joan. [Col. 1042A] XVII, 24). Quos etiam, ut confidentiam haberent, exhortabatur dicendo: *Confidite, ego vici mundum* **(Joan. XVI, 33)**. *Et rursum:* Ecce ego et pueri, quos dedit mihi Deus (Isaiae VIII, 18). Hoc testimonium de Isaia protulit Apostolus, ad Christum et ad apostolos referens, quos propter innocentiam pueros nominavit. De quibus ipse Dominus ait: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum* **(Marc. X, 14)**. **(VERS. 14.)** *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse*

similiter participavit eisdem. Hic astruit fraternitatem veram et humanitatem Christi, non fictam. Sicut pueri carne et sanguine constant, et ille participavit carni et sanguini, ut haberet unde gustaret mortem pro puerorum salute, cujus dispensationis affatim causam [Col. 1042B] subjungens, *ut* per mortem, inquit, *destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum.* «Hic admirabile quiddam demonstrat, quia per quod potestatem habuit diabolus, per hoc victus est; arma, quae fuerunt illi fortia adversum mundum, hoc est mors, per ea illum Christus percussit. Hic magnitudinem virtutis ejus qui vicit, insinuat ostendendo quantum bonum operaretur mors. **(VERS. 15.)** *Ut* liberaret, inquit, *eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Quare tremitis, quare timetis eam quae jam condemnata est? Jam terribilis non est,» sed optabilis, quasi laborum finis et requiei initium. Cur ait: *Timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti? Servi quidem omnes fuerant mortis,* quia mortem [Col. 1042C] timebant; necdum erant soluti a timore mortis, cujus legibus tenebantur. Nunc itaque sancti {672} derident eam, qui agone transacto et morte devicta ad regnum transituri sunt. Unde et ipse Paulus ait: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* **(Philip. I, 23)**.

VERS. 16.---*Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Unde debuit per omnia fratribus similari. Honorat hic patriarcham, eosque qui de ejus sunt genere, ad quos haec epistola scripta est. Commemorat ergo de beneficiis Dei, et de propinquitate carnali ad Christum, et de promissione quae dicta est Abraham: *Tibi et semini tuo dabo terram hanc* **(Gen. XVII, 8)**, quia ex uno omnes, id est, Abraham; Christus secundum carnem, [Col. 1042D] et illi ad quos haec loquebatur. Quod vero superius ait, quoniam ergo *pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, exsequitur amplius hunc sensum, unde participaret carnem et sanguinem;* ideo ait: *Non enim quemquam angelorum apprehendit, id est,* non cujuslibet angeli naturam suscepit, *sed semen Abrahae apprehendit.* Non enim angelis una dignitas donata est, ut in unam personam Dei Filius eorum naturae conjungeretur; sed hunc honorem et hanc dignitatem humanae naturae Deus Dei Filius contribuit, ut Deus et homo una esset persona. Quare dixit, *apprehendit? Quia nos quasi recedentes ab eo et longe fugientes insecutus apprehendit, et in unam personam nostrae fragilitatis naturam sibi contemperavit.* Mira conjunctio [Col. 1043A] dum aeternus et immortalis mortali et temporali adunatus est! Quomodo vero hoc esset, confestim subjunxit dicens: **(VERS. 17)** *Unde debuit per omnia fratribus similari.* «Quid est, *per omnia? Id est, natus est, educatus, crevit, passus est etiam et mortuus,» ut per omnia similis esset fratribus, qui ejusmodi conditioni subjecti sunt.* Superius enim dicit splendorem eum gloriae, et paternae substantiae figuram, per quem saecula fecit. «Iste tantus et tam mirabilis et tam gloriosus tantam nostrae salutis curam habuit, ut frater noster in omnibus fieret. Propter hoc angelos quodammodo reliquit, aliasque coelorum virtutes,» ut nos apprehenderet, ovem perditam, passionis suae inventam, humeris impositam reportaret ad coelestem [Col. 1043B] patriam. Hic vero tantus et talis sacerdos noster voluit apud Patrem seipsum offerre pro nobis. Proinde secutus est et infert: *Ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Nec itaque alia causa fuit illi, per omnia fratribus assimilari, nisi ut fidelis pontifex esset in nobis, nostrisque propitiaret peccatis. «Non est altera totius hujus mirandae dispensationis causa, quam haec sola. Vidit quippe genus humanum humo jacentem [*Leg.,* jacens], peccatorum vinculis ligatum, morti obnoxium, tyrannidem patiens, et

misertus est ejus sicut fidelis pontifex. *Fidelis, dicit, hoc est, verus et potens.*» Ministerium scilicet sacerdotis est, fidelem esse, ut possit eos quorum est sacerdos, liberare a peccatis. Proinde pro ejus potentia [Col. 1043C] subsecutus adjunxit: **(VERS. 18)** *In eo enim, in quo passus est, ipse tentatus potens est eis qui tentantur, auxiliari.* In eo, id est, homine in quo passus est, potens est victos liberare, tentatosque adjuvare, ne vincantur; quia tentationes nostras non solum sicut Dominus, sed etiam sicut homo in se ipso per experimentum cognovit. Licet Deus in sua natura sit impassibilis; tamen in nostra quam assumpsit, idem Dei Filius passibilis fuit, nostrae naturae consimilis. «In ea vero carne quam suscepit, multa saeva passus est. Novit quid est ista tribulatio, novit quid est tentatio patientium.» Ipse tentatus est, sed non superatus.

CAPUT III.

VERS. 1, 2.---*Unde, fratres sancti,* vocationis coelestis [Col. 1043D] participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo illius. Adhuc etiam de incarnationis Christi loquitur ministerio. Nam in Evangelio ipse testatur se missum non esse nisi ad oves perditas, hoc est, domus Israel. Angelus igitur Graece, Latine missus dicitur. Cognoscite quid est Jesus sacerdos, et qualis, et non habetis opus consolatione alia, neque solatio. «*Pontificem enim* eum dixit *confessionis nostrae, id est, fidei nostrae, cui isti populus novus commissus est, sicut et Moysi prior {673} populus in regimen datus est:* sed huic majora vel longe meliora commissa sunt: «Vult enim beatus Paulus erigere animos Israelitarum ad excellentiam [Col. 1044A] promissionum Dei, ut intente se parent accipere quod Deus benigne illi promisit afferre, nominans eos fratres charissimos ad coelestia vocatos, participes cum Christo haereditatis Dei. *Qui fidelis* est ei, id est, Deo Patri, *qui fecit eum.* De humanitate ejus dicit, qui factus est ex semine David secundum carnem; non de divinitate, quae non est facta, sed genita a Patre, unius substantiae cum eo. «*Sicut* Moyses, ait, fidelis est *in domo sua.* Praepositurus eum Moysi, secundum comparationem in lege sacerdotii, hunc sermonem induxit,» asserens eum fidelem esse in domo sua. «*Fidelem, id est, devotum, defendentem ea quae sunt ejus, non permittentem corrumpi:*» quae domus nos sumus, sicut in consequentibus dicit: *Sicut Moyses fidelis fuit in* [Col. 1044B] domo sua, id est populo priore. Confestimque consecutus ostendit quomodo domus illius esse debeamus; ait enim: *Quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus;* quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. XXIV, 13)**. Domum enim dicit, pro his qui convocantur in ecclesia. Intulit, *Dei domus sumus nos, factura Dei, creati in Christo Jesu.* Nunc usque comparationem fecit de incarnatione Christi cum Moyse; dehinc se ad altiora ejus narranda convertit, dicens: **(VERS. 3)** *Amplioris enim gloriae iste prae Moyse digne habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.* «Non dixit, quanto majorem habet honorem ab operibus artifex; sed quam domus, qui construxit eam. Vides quomodo [Col. 1044C] non de templo dicit, sed de omni populo,» primo, quem Moyses de Aegypto eduxit; et deinde de eo, quem Christus de diabolica servitute liberavit, sibique in domum acquisivit

VERS. 4.---*Omnis namque domus fabricatur ab aliquo;* qui autem omnia creavit, Deus

est. Hic factorem a factura discernit, utriusque domus auctorem Deum esse intelligi volens; sed aliter illius, cui Moyses praefuit; aliter illius, cui Christus dux esse et dominus cognoscitur. Ideo subsecutus ait: (VERS. 5, 6) *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in testimonium eorum quae dicenda erant;* Christus vero tanquam filius in domo sua; quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque [Col. 1044D] in finem firmam retineamus. «Iste autem, id est, Jesus in paternas res sicut filius [*Chrys.,* sicut dominus] ingreditur; ille autem, id est, Moyses, sicut famulus Dei. Hic iterum eos hortatur stare fortiter et non subrui [*Idem, subruere*]; domus quippe Dei erimus, si fiduciam spei et gloriae usque in finem firmam retineamus.» Bene dixit: *fiduciam spei nostrae, quoniam bona omnia sanctis in hac vita in spe sunt, donec ad speciem pervenient perfectae beatitudinis; spe enim salvi facti sumus.* Bona enim quae nobis promissa sunt, in hac poenali vita habere non possumus, nisi in spe, et illam patienter exspectantes *usque in finem firmam.*

VERS. 7-11.---*Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus:* Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis [Col. 1045A] corda vestra, usque: *si introibunt in requiem meam.* Locutus est beatus Apostolus de spe in superioribus, quia oportet nos sperare quae futura sunt. Spes autem quae videtur, non est spes. Historia vero, quam propheta hic rememorat, notissima est: «Cum enim egressi essent de terra Aegypti, et multam viam perambulassent, et multa judicia virtutis Dei accepissent in Aegypto, in mari Rubro, in eremo, consilium fecerun mittere speculatores, qui deberent inspicere naturam terrae, quae promissa est eis: illi vero pergentes reversi sunt, terram quidem valde mirantes, majorem [*Chrys.,* magnorum] fructuum procreatricem esse dicebant; sed virorum inexpugnabilium esse illam provinciam et fortium. Israelitae vero ingrati et insensati, quos oportebat, ut recordarentur [Col. 1045B] tantorum Dei beneficiorum, et quomodo eos clausos in medio tanti exercitus Aegyptiorum eripuit de periculo; et fluviorum fontes sine defectu donavit, et manna tribuit, et alia miracula, quae operatus est eis; et credita Deo [*Chrys.,* et credere Deo], nec Deo crediderunt, nec horum aliquid rememorati sunt, sed timore perterriti dixerunt: Revertamur in Aegyptum. Deus igitur iratus est eis, quia sic cito obliti fuerunt beneficiorum Dei, mirabiliumque ejus, juravit ut non intraret generatio illa in requiem promissam olim patribus; et sic omnes perierunt in eremo, praeter {674} duos tantummodo. Tres itaque requies Apostolus memorat in hac epistola: unam sabbati, qua Dominus requievit ab operibus suis; secundam in Palestina, in quam Israelitae ingressi, [Col. 1045C] requieturi erant ex miseria multa et laboribus; tertiam, quae vera est requies, hoc est, regnum coelorum, ad quam quos pervenire contigerit, revera requiescunt a laboribus et difficultatibus suis;» de qua hic propheta loquitur, adversus Israelitas dicens. *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra, ne similia patiamini, quia* [*Forte, quae vel qualia*] progenitores vestri passi sunt, et privati sunt requie promissa. Aliquando enim audierunt patres vestri vocem illius per Moysen, et obdurati sunt. Ergo tunc per praeconem locutus est, quando obdurastis corda vestra. Per se nunc loquitur; mollescant corda vestra. Qui praecones ante se mittebat, ipse venire dignatus est: ore suo hic loquitur, qui loquebatur per ora prophetarum. Ad ejus vero vocem, qui [Col. 1045D] praeconem misit, et nunc per se clamabat, nolite claudere corda vestra. Recordamini quomodo obdurati sunt patres vestri, et quomodo non introierunt in requiem promissam, sed amaricati murmurantes contra Deum perierunt. Patres vestri erant qui perierunt, nolite imitari eos; patres vestri

erant; sed si imitati eos non fueritis, patres vestri non erunt, quamvis de eis nati sitis, scientes quia Deus potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae. *Quadraginta annis offensus fui generationi huic.* Multis modis est castigata; ipsi tamen semper corde erraverunt. Quadraginta diebus Dominus in deserto jejunavit, cum triumpharet de eo per quem illi quadraginta annis murmuraverunt contra Deum in eremo; postque [Col. 1046A] consummatam in passione et resurrectione totam victoriae gloriam quadraginta diebus fuit cum discipulis, antequam coelum ascenderet. Primis quadraginta diebus tentationem hujus peregrinationis ostendit; posterioribus quadraginta diebus consolationem, quam sancti habituri sunt in patria. Corpus enim, id est Ecclesia, necesse est tentationes patiatur in hoc saeculo: sed non deest in illo consolatio, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII, 20)**. Quibus *juravi* propter infidelitatem suam, *non introisse in requiem meam.* Loqui Deum, magnum est; quanto magis jurare. Jurationem confirmationem voluit fieri. Per quem jurat Deus, nisi per ipsum? Non enim habet majorem per quem juret. Per seipsum confirmat [Col. 1046B] minas suas. Sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur. Juravit ut non intrarent in requiem ipsius; et tamen oportet intrare aliquos in requiem ipsius. Illis ergo reprobatis, nos intrabimus; quia si aliqui ex ramis propter dissimilitudinem et infidelitatem fracti sunt, nos propter fidem et humilitatem inseramur. Sequitur enim exhortatio apostolica ad populum de requie introeunda, dicit enim: **(VERS. 12)** *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* «Quippe per duritiam infidelitas nascitur, et sicut obdurata corpora et dura non obsequuntur manibus medicorum, sic et animae obduratae non obsequuntur verbo Dei. Si enim patres vestri, inquit, quia non speraverunt, sicut oportebat sperare, [Col. 1046C] haec passi sunt quae leguntur in historia, cujus ante memoravimus, et perierunt in deserto propter duritiam cordis; multo amplius vobis talia timenda sunt, sicut illis acciderunt. Ad illos enim sermo iste factus est, qui in praesentia fuerunt vel futuri sunt, ideo dicit: *hodie.* Hodie namque semper est, donec constat mundus.» Intrat enim plus dicere de hodie, et subjungit dicens: **(VERS. 13)** *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominetur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* «Hoc est, aedificate invicem, corrigite vosipsos, ne contingant vobis similia; ne obduretur quisquam ex vobis, decipiente peccato infidelitatis. Attendis quia infidelitas peccatum facit; sicut enim infidelitas malignam vitam procreat, sic [Col. 1046D] etiam anima, quando in profundum malorum venerit, contemnit: contemptus [*Chrys.,* contemnens] autem neque credere patitur, ut se a timore mortis perpetuae liberet. Deinde infert Apostolus: (VERS. 14) *Participes enim Christi effecti sumus.* «Quid est, *participes effecti sumus Christi? Participamur ex eo, inquit, id est, facti sumus unum cum illo.* Siquidem ipse caput est et nos membra, cohaeredes et concorporales» illi secundum spiritalem hominem qui creatus est in ipso

{675} *Si tamen initium substantiae ejus, usque ad finem firmam retinemus.* «Quid est initium substantiae? Fidem significat, per quam subsistimus, et Deo nati sumus in filios, et essentiales, ut ita dicam, facti [Col. 1047A] sumus: quod diligentissime observandum est, ne cujuslibet doctrinae macula corrumpamur. Deinde subinfert Apostolus adhuc de *hodie dicere.* (VERS. 15-19.) *Dum* dicitur, inquit, *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione, usque: ex his quae audierunt.* Hic vero Apostolus propheticum testimonium intrat explanare, quod

superius posuit; dixit enim: *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra, sicut in amaritudine obduratorum.* Mentionem facit quorumdam infidelium; nonne eorum quorum cadavera prostrata sunt in deserto? «Quod enim dicit quale est? *Audierunt* et illi, inquit, *sicut et nos audimus;* sed quid profuit illis sermo auditus? Non ergo putetis quia ex auditu tantum praedicationis introitus sit ad [Col. 1047B] requiem Dei, quia et illi audierunt per Moysen; sed nihil utilitatis ex auditu habuerunt, quoniam nec crediderunt,» nec sermo auditus fide contemperatus est. Discrevit eos qui crediderunt praedicationis verbo, ab illis qui non crediderunt: ait enim, **(VERS. 16)** *sed non universi.* «Caleb vero et Josue, quia non consenserunt infidelibus, effugerunt poenam quae illis illata est;» nec hoc solum illis donatum est mortem evadere, qua caeteri perierunt, sed etiam datum est illis terram repromissionis intrare, eamque laudabiliter pro sua portione possidere.

CAPUT IV.

VERS. 1.---*Timeamus nos vero illorum perditionem, et justum Dei judicium metuamus.* qui reddet [Col. 1047C] unicuique secundum opera sua: requiem sempiternam fidem habentibus, eam tamen quae per dilectionem operatur; non credentibus itaque, poenam perpetuam. *Ne forte relicta pollicitatione quam dedimus Deo in baptismo, iterum revertentes ad opera infidelitatis quae abdicavimus coram multis testibus.* Unusquisque pro seipso laboret, ne forte minus dignus inveniatur *introeundi in requiem Dei.* (VERS. 2.) *Etenim nobis nuntiatum est,* quomodo intrare debeamus in requiem Dei, *sicut et illis;* nobis tamen per filium, illis vero per famulum. Confestimque verba exhortationis subjungit Apostolus, dicens: **(VERS. 3)** *Ingredimur* [Leg., *ingrediemur*] in requiem, qui credimus, quemadmodum dixit: Quibus [Col. 1047D] juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Nos vero hortatur intrare in requiem, ne forte nobis dicatur sicut illis: *Si introibunt, id est, non introibunt in requiem meam.* Festinat enim ostendere aliam esse requiem, ad quam vocati sumus, id est, coelorum; nec nos dicit illam quae in Palaestina est intraturos; sed illos non intraturos, propter obdurationem, nec in Palaestinam nec in requiem coelestem. Addidit itaque de prima requie loqui, dicens: **(VERS. 4)** *Et quidem operibus ab institutione mundi factis.* Dixit enim quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Confestimque de secunda subjunxit quae promissa est populo Dei: **(VERS. 5)** *Et* in ista, inquit, *rursum:* Si introibunt in requiem meam. Si vero conjunctio [Col. 1048A] pro affirmatione, pro negatione, pro dubitatione accipi potest; superius vero pro negatione posita est, ubi ait propter incredulitatem illorum jurasse Deum, non introire eos in requiem promissam, addidit: *Si introibunt, id est, non introibunt;* hic vero potest intelligi pro affirmatione positum esse, quasi diceret: Si introibunt, bene habebunt; ideo addidit: *Quoniam superest quosdam introire in illam.* In illam videlicet quae in Palaestina fuit pauci intraverunt, id est, duo tantum, Caleb et Josue, ex omnibus illis qui de Aegypto perrexerant. Proinde ait: **(VERS. 6)** *Et hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem;* eos signans qui de Aegypto profecti sunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto. Deinde intrat de tertia, quae per Christum [Col. 1048B] credentibus promissa est, quamvis obscure, disputare: **(VERS. 7)** *Item,* inquit, *terminat diem quemdam, hodie in David dicendo, sicut post tantum temporis supra*

dictum est; hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. **(VERS. 8.)** *Nam si eis Jesus requiem praestitisset, nunquam de alia loqueretur.* Hic ostendit tertiam {676} quamdam esse requiem, de qua David dixit: *Hodie.* Non illam significans ad quam Jesus populum introduxit, sed aliam quamdam esse multo excellentiorem illi, ad quam non typicus, sed verus Jesus introduxit eos qui sunt ejus. «Audiamus ob hoc certum sit [*Chrys.,* unde hoc certum sit]. Post tantos annos, inquit, iterum dicit David: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Si enim veram *Jesus praestitisset requiem* [Col. 1048C] populo, cujus ductor fuit, *neque* [Leg., *nunquam*] de alia requie David *loqueretur postea.* Certum est quia futurum est quosdam accipere requiem,» quae per illam significata est, quae est in Palaestina, ad quam verus Jesus ducturus est populum suum.

VERS. 9, 10.---*Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.* Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. Requies vero Dei operum perfectio intelligenda est, dum sexto die finita primordiali rerum creatione, et in septimo cessavit a novarum creatione naturarum. Per illam vero requiem Dei quae aeterna est, nos ad aeternam studiose provocat requiem, [Col. 1048D] quam sabbatismum nominavit, quia videlicet Judaeis locutus est. «Non dixit hoc loco requiem, sed *sabbatismum;* proprium nomen, ad quod gaudebant et concurrebant, sabbatismum regnum Dei vocans; sicut enim sabbato ab omnibus malis abstineri praecepit [*Adde ex Chrys.,* et illa tantum fieri], quae ad obsequium Dei pertinent, quae sacerdotes efficiebant, et quae animam juvabant, et nihil aliud [*Adde ex eodem, sic et tunc*].» Nec talem sabbatum vult in regno Dei, ut iterum quis exinde revertatur ad opera laboriosa, sicut in sabbato carnali fecerunt; istud vero sabbatum Dei quicunque intrat, requievit perpetuo ab operibus suis, sicut a suis Deus. Volens itaque eos de resurrectione instruere et de requie sempiterna, *hodie saepissime* [Col. 1049A] interposuit, ut nunquam desperarent se intraturos, quasi diceret: «Si quisquam peccaverit, usquequo est hodie, spem habeat revertendi. Nullus igitur desperet usquequo vivit.»

VERS. 11.---*Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum incidat incredulitatis exemplum.* «Magna quidem res est fides et salutaris; et sine hac non est salvari possibile alicui, sicut dictum est: *Sine fide impossibile est placere Deo;* sed non sufficit sola haec: operari per dilectionem fidem necessarium est, et conversari digne Deo. Proinde etiam Paulus admonet eos qui dignationem mysteriorum suscipere meruerunt, dicens: *Festinemus ingredi in illam requiem.* Festinemus, inquit, quoniam non sufficit fides, sed debet addi et vita [Col. 1049B] fidei condigna; et multum studium debet adhiberi, ne fides sit otiosa: Si enim terram intrare illi non meruerunt qui murmurati sunt contra Deum, quomodo nos coelum merebimur intrare indifferenter viventes sicut gentes?» Opus est quippe omni volenti coelum possidere, fidem operibus bonis ornare. Nec hoc solum damni habet male vivens, quod [*Suppl.,* non] intrat in regnum Dei; verum etiam, quod majoris est terroris, poenae perpetuae mancipari: ideo addidit: *Ut ne in idipsum incidat incredulitatis exemplum.* Eorum interitu qui perierunt in deserto terruit audientes, ne in illorum inciderent judicium, quasi dixisset: Sufficienter ex parentibus nostris docemur ne in similia incidamus; ne eadem patiamur quae illi passi sunt; hoc est, in idipsum exemplum [Col. 1049C] infidelitatis. Deinde ut majorem peccantibus incuteret formidinem, subjungit: **(VERS. 12)** *Vivus* est enim,

inquit, *Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hic ostendit eumdem nos habere judicem, qui illos propter incredulitatem eorum damnavit; dixit enim: *Vivus est sermo Dei.* Sermo Dei, Filius est Dei, qui de seipso ait: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum* **(Joan. VIII, 51)**. Sicut illi, si servarent sermonem Dei, viverent terramque promissionis intrarent, sic et nos, si servaverimus sermonem ejus, vivemus, requiemque coelestem intrabimus. *Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Gladius enim anceps potest membra dividere a corpore, et penetrare secreta et naturam [Col. 1049D] carnis. Sed eo multo penetrabilior est sermo Dei, *pertingens,* ut ait Paulus, *usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quippe et medullarum;* et discretor est cogitationum etiam et intentionum cordis. Anima vivimus, spiritu intelligimus; vita nobis carnalis cum bestiis communis est; {677} ratio spiritalis cum angelis. Tam efficax est judicium Dei, ut discernat inter carnalia peccata et spiritalia, quis quid cogitat animo, vel quo desiderio Deo serviat in corde. Tam penetrabilis est ejus intuitus, ut omnia nostra quae agimus vel cogitamus, certius agnoscat quam nosmetipsi. Illum semper habemus testimonium actuum nostrorum vel cogitationum, quem judicem habituri sumus. Timeamus ejus praesentiam, [Col. 1050A] cujus scientiam nullatenus effugere valebimus. Dixit enim, *ut discretor sit sermo Dei, id est,* providentia Dei, *cogitationum et intentionum cordis:* ostendens quia omnia nostra interiora vel exteriora dijudicabuntur ab eo, quia omnia nostra novit, et totum per totum penetrat hominem. Nec mirum si totus ubique totam suam agnoscit creaturam, sive spiritalem, sive corporalem, quia nihil quod factum est, sine eo factum est. Ideo addidit: **(VERS. 13)** *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. «Hic maxime eos terruit, ne forte adhuc, inquit, in fide stantes non cum integra satisfactione perficiatis fidei opera, quae ipse quae in corde sunt discernit; ibi examinat, ubi considerat, reddens unicuique secundum opera [Col. 1050B] sua. Et quid dicemus de hominibus? Ac si angelos dicas, ac si archangelos, ac si cherubim atque seraphim, ac si aliam quamlibet creaturam, omnia revelata sunt oculo ejus, omnia aperta et manifesta. Quid est quod eum possit latere? *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus;* ad quem nobis sermo.» Quid est, *ad quem nobis sermo est? Hoc est, ipsi reddituri sumus rationem actuum nostrorum.*

VERS. 14.---*Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei.* Paululum enim ante de divinitate ejus disserens ait: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus;* nunc autem, quia de carne loquitur, de pontificatu disputat illius, qui semetipsum offerebat nostrae causa salutis; et quomodo prior omnium intrasset in requiem. Habemus enim pontificem [Col. 1050C] magnum, qui penetravit coelos. Ergo Moyses ductor populi, cui promissa est requies transitoria, non intravit in requiem quam saepius populo promisit; iste vero sacerdos, melioris promissionis sponsor, viam faciens credentibus in se, primus intravit in requiem populo sibi credito promissam; ostendens eum magnum sacerdotem, *quia sempiternum habet sacerdotium, semper vivus ad interpellandum pro nobis:* et hunc ipsum Filium Dei ostendens, dum dixit: *Jesum Filium Dei, quod nusquam de Moyse dicere voluit;* sed eum famulum proferebat in superioribus, testificans eum sub nomine Jesu, quod nomen angelus, a Deo directus virgini annuntiavit Filium Dei esse verum, et ideo magnum sacerdotem. **(VERS. 15.)** *Teneamus confessionem.* Non enim habemus pontificem, [Col. 1050D] qui non

possit compati infirmitatibus nostris. Qualem confessionem dicit? Quoniam Filius Dei est; quoniam Christus Deus est; quoniam passus est, sepultus est, resurrexit tertia die, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus judicare vivos et mortuos; per quem omnia bona habemus, redemptionem, resurrectionem, haereditatem cum eo sempiternam. Haec confiteamur. Quia vero haec vera sunt manifestissime [*Leg.,* manifestum est] ex eo quod pontifex est, in interiora velaminis constitutus intrat in sanguine aspersus proprio, non alieno, sicut pontifices priores, qui sanguine vaccae rufae aspergebantur. *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Non, inquit, ignorat [Col. 1051A] quae nostra sunt; venit enim per viam humanae conditionis; *per omnia sine peccato, nihil secum afferens, unde morti debitor esset, sicut ipse in Evangelio testatur dicens: Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam* **(Joan. XIV, 30)**. «Multi pontifices ignorant eos qui in tribulationibus constituti sunt, neque quae sit tribulatio in quolibet, sciunt. Impossibile quippe est scire afflictiones delictorum [*Chrys.,* afflictorum] ei qui experimentum afflictionis non habuit, et sensibiliter omnia sustinuit [*Chrys.,* non sustinuit]. Pontifex enim noster competenter omnia sustinuit,» quae fuerunt humanae miseriae illata post peccatum primi hominis; et tunc in interiora velaminis, ad thronum paternae majestatis ascendit. *Tentatum autem per omnia pro similitudine carnis* [Col. 1051B] absque peccato. Tentatus siquidem diversis modis, sed non superatus; in tribulationibus probatus, ubique victor gloriosus. *Tentatus* est siquidem *pro similitudine* carnis absque {678} *peccato.* Similitudinem itaque carnis peccati habuit; quae tamen caro illius absque omni peccato fuit. Haec est tentatio qua tentatus est: «persecutionem plurimorum passus est, sputa suscepit, accusatus est, detractionem sustinuit, calumnias passus est, repulsus est a propria gente, in finem crucifixus est. *Juxta similitudinem, inquit, sine peccato.* Dum dicit, *in similitudine carnis, hoc non dicit, quia similitudo carnis fuit in eo, sed quia carnem suscepit veram.* Quare ergo dixit, *in similitudine carnis? Natura vera quam suscepit, similis est carni nostrae;* peccata vero nequaquam habuit,» quae [Col. 1051C] nostra caro de parentibus contraxit; quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, ut inde et poena et remedium fieri potuisset. Poena et peccatum in omni humano genere, praeter in Christo, in quo solo salus et remedium fuit. Non enim praejudicata est caro peccatrix, ut inde remedium fieri non potuisset. Praesciebat potentia Dei, qualiter ex eadem massa justitiae, aequitatis et misericordiae pietas provenire potuisset

VERS. 16.---*Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Adeamus ergo cum fiducia, hoc est, adeamus per fidem ad thronum gratiae ejus, habeamus, quamvis peccatores simus,

@ [Col. 1051D] Deficiunt aliqua in manuscripto.. . . [Col. 1051D] per ejus gratiam recuperare posse, si tamen fructus dignos fecerimus poenitentiae, et fidem firmam usque in finem retineamus. Nunc verus sedet pontifex noster Jesus Filius Dei in throno gratiae, paratus indulgere peccatis nostris in hoc opportuno auxilio. Nunc vero opportunum tempus est auxilii et misericordiae illius, sicut iste Doctor egregius alio loco dixit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* **(II Cor. VI, 2)**. Et propheta multo ante hoc auxilii opportuni tempus significans, *Tempore,* inquit, *opportuno audivi te, et in die salutis adjuvi te* (Isaiae XLIX, 8). Namque et nunc post baptismum peccantes invenire

misericordiam, si poenitentiam egerint, gratia est illius, [Col. 1052A] qui sedet in throno gratiae. Quod vero opportunus factus est pro nobis, magnum est humilitatis indicium, quam ex nostra suscepit natura; non suae substantiae, quam habet triumphaliter cum Patre, cui nos fidem cum fiducia bonitatis suae afferamus, hoc opportuno tempore, cum sedet in gratiae throno, et omnia tribuit quae nobis ad salutem provenire certissimum est. «Modo tempus est donorum; nemo de seipso desperet.» Timeamus thronum aequitatis ejus, cum venerit dijudicare omnia secundum justitiam: et tunc erit desperationis tempus nunc nolentibus converti ad sedem gratiae, cum thalamus erit clausus, tantumque cum sponso remanent, qui lucentes bonis operibus ferent lampades.

CAPUT V.

[Col. 1052B] VERS. 1.---*Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum.* «Vult ostendere jam beatus Paulus quomodo multo melius est testamentum hoc quam vetus, quia nihil est in hoc imaginarium,» ut puta, non templum corporale, non victimae carnales, non observationes legales, sed altiora et perfectiora omnia, quia totum quidquid est in spiritalibus hujus testamenti ratio est. Sed quia spiritalia non sic introducunt infirmos, sicut corporalia, de corporalibus enim incipiebat disputare dicens: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Definit enim tempus, primum quid sit pontifex, et demonstrat quae pertineant ad pontificem, et quid sit ejus ministerium, et quae sint signa pontificatus; [Col. 1052C] id est, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, et ut condolere possit his qui ignorant et errant:* quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. «Oportebat enim de excellentibus terrenis fidem facere,» ut ad excellentiora spiritalia pervenire possint, et ut consuetudo [*Leg.,* a consueto] sacerdotium more qui in lege fuit, ad altius, id est Christi, sacerdotium eos perduceret, qui adhuc infirmati fuerunt. Et propter modum carnalis pontificis introducit. Pontificis itaque officium est, inter Deum stare et populum; Deum deprecari pro populi delictis. Hoc etenim Christus fecit, seipsum offerens pro peccatis nostris, semper vivus ad interpellandum pro {679} nobis; semel ab hominibus assumptus, sed semper [Col. 1052D] pro hominibus interpellandus [*Forte, interpellans*]. Ponit hic Apostolus quaedam communia cum Christo, cum sacerdotibus; quaedam vero altiora, quod itaque ait: «*Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus;* hoc commune est. *Pro hominibus constituitur;* et hoc: *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* et hoc, sed non totum. Reliqua vero non sunt communia: **(VERS. 2)** *Qui potest condolere his qui ignoranter peccant;* hic jam excellentia est,» de qua superius in priori sententia latius disputavit. Quod vero adjunxit: **(VERS. 3)** *Et propterea debet, quemadmodum et pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis, hoc vero ad sacerdotes legales magis pertinet,* [Col. 1053A] quam ad Christum. Nisi forte quis dicat unum esse corpus Christi, Ecclesiam; et dum offert pro Ecclesia, pro suis etiam membris offerat. Sed haec violenta interpretatio videri potest. Deinde disputare aggreditur, quomodo quis ad sacerdotium accedere debeat. **(VERS. 4.)** *Nec* quisquam, ait, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Hic etiam percutit sacerdotes honoris cupidos et sacerdotii avidos: non pro salute populi, sed pro ambitione saeculi. Igitur Aaron vocatus est a Deo; signo florentis virgae demonstratus est sacerdotem a Deo esse electum:

etiam et incendio eorum qui ejus pontificatui invidere voluerunt.

VERS. 5.---*Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum:* [Col. 1053B] Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc est quod in Evangelio ipse ait: *Non enim a meipso veni, sed ille me misit* **(Joan. VIII, 42)**. Et iterum: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est;* est enim Pater, qui glorificat me. Notandum quod glorificare, et honorare, et clarificare, tria quidem verba, sed una res est quod Graece dicitur *doxaxin, sed interpretatum varie aliter atque aliter positum in Latino.* Quod in Evangelio dictum est *glorifico,* hic Apostolus *clarificationem nominat.* Clarificatus est ergo Filius a Patre, quando super baptizatum vox Patris audita est de coelis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit* **(Matth. III, 17)**. Quae clarificatio sive glorificatio multo ante per Prophetam, Spiritu sancto inspirante, praedicta est: *Dominus dixit ad* [Col. 1053C] me: Filius meus es tu, ego hodie genui te **(Psal. II, 7)**. Dominum significat Patrem. Attendamus autem, quod posuit: *Dixit ad me:* Filius meus es tu; quod ei etiam dicturus erat post baptismum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* **(Matth. XVII, 5)**. Hoc itaque, ut Christum unam personam sentires et unigenitum Dei Filium, adjecit. *Ego hodie genui te.* Hoc jam nihil habet commune cum caeteris, qui filii dicuntur, quia sacerdotes appellantur, de quibus dictum est: *Ego dixi:* Dii estis, et filii Excelsi omnes **(Psal. LXXXI, 6)**; sed totum est unigeniti Filii proprium.

VERS. 6.---*Quemadmodum et in alio loco dicit:* Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. [Col. 1053D] Melchisedech secundum legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundum singularis sacerdotii dignitatem; panem offerens Deo et vinum, non brutorum animalium sanguinem: in cujus ordine sacerdotii Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed aeternus; ad quem hoc dictum est: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Omnes enim sub lege erant sacerdotes; iste solus secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod natus est de utero virginali ante luciferum; non secundum id quod natus est ex Patre Deus apud Patrem coaeter nus gignenti et consubstantialis: sed sacerdos propter carnem quam assumpsit, aut propter victimam quam pro nobis offerebat, a nobis susceptam, id est, carnem et sanguinem suum: de qua victima ipse in [Col. 1054A] Evangelio ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* **(Joan. VI, 54)**. Sed in ista carne et sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat; ne, sicut dicit Apostolus, *qui enim corpus Domini manducat indigne, judicium sibi manducat* **(I Cor. XI, 29)**, sed vivificatricem substantiam atque salutarem in pane et vino, per quae, si digne sumitur, nobis est peccatorum remissio et regni Dei possessio collata. Hujus ordinem sacrificii per mysticam similitudinem Melchisedech justissimus rex instituit, quando Domino panis et vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimam periisse, quae fuerunt ordinis Aaron, non Melchisedech: sed hoc manere potius institutum, quod toto orbe in sacramentorum [Col. 1054B] erogatione celebratur. Sacerdos {680} autem praecipue dicitur Christus, qui semel se pro nobis obtulit immolandum, sicut semel de Melchisedech in sancta legitur Scriptura, et ejus sacerdotio. *In aeternum vero cum dicitur, ipse significatur Dominus Christus, qui permanet in gloria sempiterna.*

VERS. 7.---*Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit*

salvum illum a morte facere, cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. Quid vero in sacerdotio noster pontifex egisset, certius hic exprimit Apostolus dicens: *Qui in diebus carnis suae;* dies quippe carnis Domini nostri, dies sunt in quibus carnem assumpsit; in quibus tentatus est, passus est; in quibus preces supplicationesque ad eum qui possit illum [Col. 1054C] salvum facere a morte, offerebat. Totum vero quidquid egit Christus in carne, preces sunt et supplicationes pro peccatis humani generis. Sancta vero sanguinis ejus effusio clamor validus est, in quo exauditus est a Deo Patre pro reverentia ejusdem passionis suae, [quam] sine peccato, nostrae salutis causa, perpessus est. Qui nullum habens peccatum, peccatum pro nobis factus est, id est, oblatio pro peccatis nostris. Hoc enim totum in magna reverentia et perfectissima charitate peregit, qui prior dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo acceptabilem; qui ideo exauditus est a Deo, quia hostiam acceptabilem obtulit Deo, id est, seipsum. Simile est itaque, quod hic dicitur: *Qui preces supplicationesque* [Col. 1054D] ad eum, qui possit salvum facere illum a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, ei, quod in Evangelio legitur eum dixisse: *Pater, si fieri potest, transfer a me calicem istum, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* **(Luc. XXII, 42)**; quia non venit facere voluntatem suam, sed ejus qui misit illum. Voluntatem paternae dispensationis praeposuit voluntati carnis suae, ut veram ostenderet in seipso humanitatis nostrae naturam. Beatus Paulus hic dicit preces eum et supplicationes fundere, non timore mortis, sed nostrae causa salutis. Unde alio loco dicit etiam, sanguinem Christi melius clamasse pro nobis, quam sanguinem Abel, qui ad accusandum fraternum scelus de terra clamavit; Christi vero sanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad Patrem.

[Col. 1055A] VERS. 8-10.---*Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est, obedientiam:* et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae; appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. De similitudine pontificatus Melchisedech superius dictum satis arbitror. Nunc videamus quid vult intelligi Apostolus in eo quod ait: *Qui cum esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est, obedientiam.* Hanc obedientiam quam hic didicisse Filium Dei dicit, hoc est, voluntarie suscepisse, alio quoque loco ostendit, ubi ait: *Factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum* **(Philip. II, 8, 9)**. In eo vero, quod ait: *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Consummatus, [Col. 1055B] id est, perfectus; ostendit quantum lucrum sit ejus passio, quae omnibus credentibus sufficit ad salutem sempiternam. Igitur si obedientia Filii causa est salutis humanae, quanta nobis necessitas est obedire Deo, ut digni inveniamur ejus salutis quam nobis per Filium proprium perdonavit?

VERS. 11.---*De quo grandis sermo nobis est, et ininterpretabilis ad dicendum;* quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Causam enim reddit cur esset sermo quem de Filio incarnato instituit, difficilis ad interpretandum: id est, quia illi imbecilles erant et fragili sensu ad intelligendum profunda Dei mysteria. Qui etiam pro tempore magistri debuerant esse, facti sunt [*Suppl.* imbecilles], quibus lac opus [Col. 1055C] est, non solidus cibus. Illa difficultas interpretandi in illorum fuit tarditate, non in apostolica sapientia, cui revelata sunt mysteria a saeculis abscondita, sicut in Epistola ad Ephesios plenissime demonstrat **(Ephes. III, 8)**. Deinde subjunxit: **(VERS. 12)** *Etenim cum*

deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini quae sunt elementa exordii sermonum Dei: et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Ad eos igitur loquitur qui exercitatum sensum per legem et prophetas de adventu Christi et gratia quae per eum credentibus allata est, habere debuerunt; qui etiam magisterio aliis per mysteria Dei quae data sunt illis, poterant esse si credidissent. Nunc autem tales facti sunt ut infantes, quibus prima elementa litterarum traduntur {681} ad legendum. [Col. 1055D] Dum illorum fuit fortes esse in fide et alacres in scientia, ad percipiendum solidum sapientiae cibum qui est perfectorum, nunc facti sunt quibus est lacte opus. Lac enim humilem sermonem vocat, quo eos indiguisse testatur, qui etiam ad altiora mysteriorum Dei secreta ascendere non poterant. Exempli gratia, qui non potest intelligere quod evangelista ait: *Verbum caro factum est, quomodo potest ad altitudinem ejus sermonis pervenire, ubi ait: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

VERS. 13, 14.---*Omnis enim qui lactis est particeps, expers factus est sermonis justitiae.* Parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum [Col. 1056A] autem qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Palatus enim sapores discernit ciborum: anima vero variarum probat sermones doctrinarum, de quibus in sequentibus hujus epistolae dicit: *Doctrinis variis nolite abduci.* Sicut enim parvulus inter cibum et cibum discernere nescit, et saepe in noxiis sumendis periclitatur, si non prohibeatur a seniore, ita indoctus quisque discretionem doctrinarum nescit, facile decipitur, et in via erroris periclitatur. Quod in lacte et solido cibo, hoc in indocto et sapiente differt; sicut lac parvulis congruit, et solidus cibus aetate perfectis, ita indoctis humilis sermo, et sapientibus arcanum Dei mysterium nosse convenit, qui exercitatos videntur habere sensus. «Quomodo igitur poterunt sensus nostri exercitati [Col. 1056B] esse? utique ex usu et frequenti lectione sanctarum Scripturarum.» Unde beatum virum Psalmista dicit esse, *qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.*

CAPUT VI.

VERS. 1.---*Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur.* Quapropter, id est, quia exercitatos sensus in lege Domini decet vos habere, intermittamus inchoationis Christi

@ [Col. 1055D] Hic quaedam deficiunt in manuscripto.. . . . . . nisi fidei initium. «Sicut enim eum qui in doctrinam litterarum adducitur, elementa oportet primum audire, sic et Christianus primo omnium de fide catholica erudiri debet, quod est fundamentum salutis nostrae. Si autem opus habet de fide doceri, necdum fundamentum habet; firmum enim et fixum [Col. 1056C] esse oportet hoc fundamentum in corde Christiani, ut inde dignus fiat ad perfectionem aliarum transferri virtutum. Si autem quisquam verbum veritatis audivit, et baptizatus est, et post annos aliquot de fide iterum audire opus habet, quia credere oportet eum de resurrectione et futuro saeculo, necdum fundamentum habet; rursum initium Christianitatis quaerit, quia fides fundamentum est; caetera vero superaedificationes,» quod beatus Paulus sequentibus verbis ostendit, dicendo: *Non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum.* «Perfectum enim illum vocamus, qui cum fide vitam habet rectam.» Si autem

horum unumquodlibet deerit, perfectus non erit; si vero ambo desunt, merito parvulus dici potest; et quasi infans [Col. 1056D] litteris, sic etiam iste in fide iterum erudiendus est. Latenter autem legem infirmare vult, et ad gratiam Christi suos revocare auditores. Qui autem ad virtutem iturus est, primum malitiam debet culpare et abjicere, et opera mortis per poenitentiam purgare, et sic accedere ad Deum.

VERS. 2.---*Baptismatum doctrinam* [Ita Codex; leg. *doctrinae*], impositionis quoque manuum et resurrectionis mortuorum et judicii aeterni. Non enim sufficit poenitentia mundos facere peccatores, nisi confestim baptizentur, sicut in Actibus apostolorum beatum Petrum respondisse legitur: *Poenitentiam agite, fratres,* et baptizetur unusquisque vestrum in nomine [Col. 1057A] Jesu **(Act. II, 38)**. Quia quod impossibile est operari hominem per se, hoc per Dei gratiam in baptismate potest accipere. «Quid est enim, *baptismatum doctrina? Non tanquam multorum baptismatum debet intelligi, sed unius;*» quia sicut una fides est, ita unum et baptisma est; sed pro varietate accipientium *baptismatum dixit. Impositionis quoque manuum, per quam Spiritus sanctus accipi potest.* Creditur quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia Christi a pontificibus fieri solet. His igitur perfecte in Ecclesia perceptis, {682} fides resurrectionis et judicii futuri habenda est. Vivere quippe sicut angeli et nullius egere eorum, quae in ista vita sunt; hujus vitae promissio nobis facta est per Spiritum sanctum. Fructus autem hujus promissionis, [Col. 1057B] ejusdem praesentia vitae est; quae duo, id est, fides et judicium, semel baptizato restant, non iterum baptizari.

VERS. 3.---*Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus.* In hac fide quippe baptismatis, et resurrectionis, et judicii futuri vos, Deo permittente, pleniter instruimus. Ne vero ullatenus, qui secundum vel tertium aestimaret post peccata posse fieri baptisma, mox subjungit, dicens: (VERS. 4-6) *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi futuri, et lapsi sunt, renovari rursum ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Impossibile est, inquit, non difficile. Impossibile [Col. 1057C] est, inquit. In desperationem eos misit, secundo baptizari posse: quia impossibile est quod fieri non potest; difficile vero quod, quamvis cum labore, fieri tamen potest. *Si* semel, inquit, *illuminati estis per gratiam* sancti Spiritus, et *gustastis donum coeleste, hoc est,* remissionem peccatorum accepistis, et *participes facti estis Spiritus sancti, in distributione donorum Dei, quae in Epistola ad Corinthios beatus Paulus enumerat* **(I Cor. XII, 7 seq.)**; *et bonum gustastis verbum Dei, hic doctrinam dicit evangelicam; et virtutes venturi saeculi cognovistis:* quae est revelatio futuri saeculi, nisi resurrectio et vita beata quae sanctis promittitur? Haec omnia in doctrina fidei, in gratia Dei per baptismum illuminati accepistis et cognovistis. Scitote certissime, si in peccatis iterum [Col. 1057D] cadetis, impossibile esse vos *renovari iterum ad poenitentiam.* «Quid ergo? Exclusa est poenitentia post baptismum? Absit, sed renovatio per sacri baptismatis lavacrum secunda vice fieri non potest. *Renovari, dixit, hoc est, novum fieri.* Novum quippe facere hominem sacri baptismatis est, de quo Propheta ait: *Renovabitur sicut aquilae juventus tua»* **(Psal. CII, 5)**. Cujus virtus, id est, baptismatis sacri, in cruce et sepultura Christi constat. Proinde subjunxit: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Hoc est, vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo;

sicut alio ait loco: *Conformes enim facti sumus mortis ejus;* et iterum: *Consepulti enim estis ei per baptismum in morte.* Sicut enim [Col. 1058A] impossibile est secundo crucifigi Christum, hoc est, ostentui eum habere. Qui secundo se baptizari posse putat, secundo Christum crucifigere quaerit; qui si crucifixus est, et mortuus, et victor mortis resurrexit, atque cum triumpho gloriae coelos ascendit. «Sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce, sic nos semel morimur in baptismate; non carne, sed peccato;» atque sicut ille iterum mori non poterit, ita nos baptizari non possumus, nisi fortasse lacrymis poenitentiae, non lavacri regeneratione. «Quid est ergo? inquis; non est poenitentia? Est utique poenitentia, sed baptisma aliud non est; poenitentia vero est, et multam habet fortitudinem etiam in eum qui peccatis valde demersus est. Si voluerit, potest eum liberare ex onere peccatorum, [Col. 1058B] et periclitantem in tuto constituere, ac si ad ipsum fundum iniquitatis pervenerit: et hoc ex multis manifestum est testimoniis. Ideo addidit: *Nunquid enim qui cadet, non resurget, aut qui avertitur, non revertetur* **(Jerem. VIII, 4)**. Quale ergo est istud medicamentum poenitentiae, aut qualiter conficitur? Primum exculpando propria peccata: *Iniquitatem,* inquit, *meam non celavi, et pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino, et tu abstulisti impietatem cordis mei* **(Psal. XXXI, 6; XXXVII, 19)**. Secundo, multa humilitate» plangere peccata sua, fructusque dignos exinde facere poenitentiae, quatenus nullatenus in eadem iterum corruat peccata. Deinde multis eleemosynis redimere se incipiat, qui saeculi habeat potestatem, sicut scriptum est: [Col. 1058C] *Divitiae viri redemptio animae illius* **(Prov. XIII, 8)**. Postremo opus est nulli irasci, neque malum pro malo reddere, omnibus dimittere peccantibus in se, dicente ipsa Veritate: *Dimittite, et dimittetur vobis.*

VERS. 7, 8.---*Terra enim saepe venientem super se imbrem bibens, et germinans herbam opportunam* [illis], a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas et tribulos reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. {683} «Cum timore autem audiamus sermones Dei. Non sunt hae minae Pauli; non sunt hominis verba; sancti Spiritus sunt, Christi sunt loquentis in Paulo.» Comparationem hic fecit de proficiente anima in doctrina Dei, et negligenti salutem suam. Fructiferae terrae, coelestibusque imbribus irrigatae adaequavit [Col. 1058D] proficientem animam in floribus sanctorum germinum dicens: «*Terra enim saepe venientem super se imbrem bibens.* Hic declarat quod hi ad quos ei sermo fuit, susceperunt et combiberunt verbum coelestis doctrinae, et saepius per legem, per prophetas perceperunt, et nec sic prompti facti sunt» germina fidei proferre. Adhuc addidit de bona terra, in quam cecidit semen verbi Dei, *germinans,* ait, *herbam opportunam.* Nihil sic opportunum, sicut fides in Filium Dei et vita optima. Haec vero talis terra accipit benedictionem a Deo, ut ferat trigesimum, sexagesimum, etiam et centesimum fructum. Et hoc notandum est quod omnis abundantia in frugibus terrae, in fructibus arborum [non] aliter nisi per Dei benedictionem [Col. 1059A] cultoribus ad voluntatem respicere poterit; neque enim agricolarum fuit terram excitare ad fructus, sed imperium Dei, sicut alibi idem beatus Paulus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dat* **(I Cor. III, 6)**. Hoc ergo de anima florenti in virtutibus et Dei benedictione digne protulit exemplum, moxque subjunxit aliud paradigma de ea quae suam negligit salutem, dicens: *Proferens autem spinas et tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* «Quis namque est ab istis

spinis mundus? Ac si essemus mundi, neque sic praesumptuosos nos oportet esse, sed timere et tremere, ne forte pullulent in nobis spinae» peccatorum. Quomodo anima vel caro spinis plena superbire poterit? Nunquid non majori sollicitudine exstirpare [Col. 1059B] eas opus haberet? «Quae sunt ergo spinae? Audiamus Christum de spinis dicentem, quia cura saeculi hujus et deceptio divitiarum praefocant verbum, et infructuosum efficitur. «Proferens, dixit, spinas, non generans, maledictioni proxima est. O quantam habet consolationem hic sermo! Maledictioni, inquit, proxima, non maledictio [*Chrys.,* non maledicta]. Qui autem necdum in maledictionem incidit, sed proximitatem; et longe fieri poterit. Et non hoc solum consolatus est, sed etiam in eo quod sequitur. Non dixit: Reproba et maledictioni proxima, quae comburetur. Sed quid? Cujus consummatio in combustionem.» Haec combustio non erit, nisi quis usque in finem permaneat in peccatis suis. Quia *in quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet,* et non [Col. 1059C] morietur **(Ezech. XXXIII, 12)**. «Si vero abscindamus spinas per poenitentiam, poterimus mille bonis perfrui, et fieri probabiles, et benedictionis Dei participes. Postquam autem increpavit eos sufficienter, et terruit, et percutit, curat eos iterum, ne desperatos faciat; neque in omnibus adulatur, neque in omnibus percutit. Nec haec dicimus veluti putantes vos spinis plenos, sed timentes ne tales efficiamini. Melius est enim verbis vos terrere, ne rebus ipsis doleatis.»

VERS. 9.---*Confidimus autem, dilectissimi, de vobis meliora et viciniora salutis, tametsi ita loquimur.* Quia beatus Paulus non habuit unde eos ad quos scripsit de praesente laudaret, incipit eis de spe futurorum praedicare dicens: *Confidimus, fratres, de vobis meliora et viciniora salutis, quamvis ita dicamus.* [Col. 1059D] Quasi dixisset: Optima quaedam de vobis confidimus. et quae saluti vestrae proficiant; non utique, quod superius dixi de reproba terra et combustione proxima, non de vobis hoc dicimus, quia meliora de vobis credimus. Adduxit quoque eis in memoriam praeterita, ut ex praeteritis eos alliceret ad bona quaeque, ideo subjunxit: **(VERS. 10)** *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.* «Ecce quomodo recreavit animas eorum, et confortavit, antiqua eis in mentem revocans: tunc fecit eos, ut non aestimarent oblivisci Deum, et praeterita ejus beneficia in eos; necesse est enim eum peccare, cui spes deerit futura. Deinde hortatur eos [Col. 1060A] omnibus modis sperare futura; eum enim qui desperat de praesentibus beneficiis Dei, quod a Deo non habeat, de futuris quis poterit eum confortare? Simile quid Galatis improperat dicens: *Currebatis bene:* quis vos fascinavit **(Gal. V, 7)**? Atque iterum: *Tanta enim passi estis sine causa»* **(Ibid. III, 4)**: ut praesens mitigaret eamdem sententiam, mox {684} subjunxit: si tamen *sine causa.* Sic etiam hoc loco temperavit sententiam suam dicens: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, dum tantam charitatem ostendistis in sanctis.* Volumus enim vos imitari eos *qui per fidem et patientiam haereditati sunt promissiones.* Quale vero desiderium haberet de salute eorum, sequenti ostendit allegatione dicens: **(VERS. 11)** *Cupimus enim unumquemque vestrum* [Col. 1060B] eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem. **(VERS. 12.)** *Ut non segnes efficiamini.* «Desideramus vero, inquit, non tantum circa verba, sed etiam in virtutibus conversari. Non quasi priora vestra culpantes, sed ut de futuris solliciti sitis, admonentes; hoc est, quales fuistis primum, tales vos cupimus et modo esse et in futurum. Et non dixit, *volo;* quod est auctoritatis doctrinae: sed, quod erat paternae dilectionis, hoc est, *cupimus*

unumquemque vestrum eamdem quam olim habuistis sollicitudinem ad expletionem spei habere in aeternam resurrectionem.» Verum imitatores eorum, qui fide et patientia haereditabunt promissiones. Hortatur enim auditores suos ut fide non ficta et patientia perfecta exspectent promissiones Dei, et haereditates, quas sanctis suis [Col. 1060C] promisit. Et hoc firmius exemplis corroborare nititur, dum dicitur:

VERS. 13-15.---*Abrahae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum, dicens:* Benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est promissionem. Mira est sapientia beati Pauli: per vices enim laudibus extollit eos ad quos scribit; per vices terroribus antecedentis historiae terret eos, ne infideles essent, et minus creduli promissioni Dei; per vices vero eorum exemplis hortatur ad patientiam et fidem. Et ut indubitanter credant, non solum Deo dicente, verum etiam jurante per semetipsum. Et dum ei multa suppeterent exempla sanctorum, qui per patientiam haereditarent promissiones [Col. 1060D] Dei, praecipue fidelis Abraham, «propter dignitatem personae suae, et propter quod maxime in eo istud contigerit [*Suppl.* meminit].» *Qui longanimiter ferens adeptus est in filiis suis promissiones, non modo praeteriti temporis, quae in populo Dei impletae sunt, magis etiam in futurum pronuntians in filios fidei Abrahae;* cujus filii sunt quos bonitas Dei de lapidibus gentium suscitavit, et fecit eos in fide esse filios Abrahae. Promissionem Dei cooperata est longanimitas audientis, et exspectantis haereditatem promissam; quam quidem pusillanimes et incredibiles [*Sic ms.*] verbis Dei non fuerunt adepti, sed plurima illorum in deserto periit multitudo. Quam impium est, Deo jurante, non credere! *Juravit enim* [Col. 1061A] per semetipsum, quia neminem habuit majorem per quem juraret. Potest hic persona, in hoc juramento, Dei Patris intelligi, qui de Filio suo eidem patriarchae promisit dicens: *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* **(Gen. XXVI, 4)**. Non dicit in seminibus, ut beatus Paulus in alia demonstrat epistola **(Gal. III, 16)**; sed, in semine tuo, hoc est, Christo. Jurat enim et idem Christus in Evangelio dicens: *Amen, amen, dico vobis* **(Joan. I, 51)**, et ipse per seipsum, quia nec ipse habuit majorem, per quem juraret. *Benedicens benedicam te.* Hoc est, in stellis coeli, per quas sancti designantur de ejus semine futuri . . . . . *Multiplicans multiplicabo te;* et hoc in arena maris, per quam peccatores populi illius designari possunt. Utraque enim Dominum dixisse legitur, ubi ait: *Et erit* [Col. 1061B] semen tuum sicut stellae coeli, et sicut arena, quae est in littore maris **(Gen. XXII, 17)**.

VERS. 16.---*Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est juramentum.* Si igitur hominum in futurum credendum est, de quibus dicitur a propheta: *Omnis homo mendax, quanto magis Dei juramento credi debet, qui est veritas, qui nec falli, nec mentiri potest? «Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est juramentum;* prout si diceret: Ex hoc solvitur totius controversiae disceptatio, non unius cujuslibet, sed totius. Oportebat quidem sine juramento credere Deo,» sed jurare Deum, dicit. **(VERS. 17.)** *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationem haeredibus,* [Col. 1061C] immobilitatemque consilii sui; «propterea etiam hujus repromissionis mentionem facit, quae ad nos commune [*Chrys.,* communiter] facta est. *Interposuit jusjurandum.* Quoniam enim apud homines hoc videtur fidele esse, cum {685}

juramentum interfuit [*Chrys.,* interfuerit] controversiis eorum. Non aequale est hominem per se jurare, et Deum; homo enim sui potestatem non habet;» Deus autem potestatem habet omnium quae sunt. «Sed quia incredulum est genus humanum, condescendit ad nos; sicut enim jurat propter nos, quamvis indignum ei sit non credi, sicuti superius dictum est: et didicit ex his quae passus est, quoniam homines hoc putant maxime esse dignum fide, ut [per] experimentum quis transeat» [Col. 1061D] ad fidem.

VERS. 18, 19.---*Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam.* Duas res dixit: Dei Patris promissiones de Filio suo, et adventum Filii in hunc mundum pro salute nostra. Proposita vero spes veritas est rerum gestarum quae patriarchis promissae sunt et redditae, ut ex transactis futura credamus. Quam spem *sicut* anchoram, inquit, *animae tutam et firmam.* «Sicut anchora, jactata navi, non permittit eam circumferri, licet venti commoveant eam, sed jactata firmam facit navem; sic et fides» spe roborata introducit nos in rerum speciem, quam modo fide et spe tenemus. Ideo [Col. 1062A] addidit, dicens: *Et incedentem usque ad interiora velaminis.* Tempestas enim et multus imber commovet ratem; anchora autem non permittit eam demergi; sic etiam nostra spes, quam habemus fixam in interiora velaminis, nulla infidelitate mergi poterit, si cum Propheta veraciter dicamus: *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* **(Psal. LIV, 23)**. Si hanc non haberemus, omnino demersi eramus, non tantum in spiritalibus, sed etiam in carnalibus; quia qui arat, inquit Apostolus, in spe arat, et omnis labor noster spe mercedis cujuslibet consolatur. Spes vero penetrat interiora velaminis, dum coelestia absque ulla dubitatione credit et sperat et amat, operibusque ostendit, ut pote, quid credat, quid speret. Ut firmiorem spem nobis adderet, subjunxit: (VERS. [Col. 1062B] 20) *Ubi praecursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech, etc.* «Oportet itaque et illos quorum pontifex est, meliores esse: et quantum est inter Aaron et Christum, tantum est quodammodo inter Judaeos et Christianos. Superiora etiam et sacrificia talia videlicet offeramus, quae in illud sanctuarium coeleste offerri possunt, non jam pecudes et bovem, non sanguinem et adipem; omnia haec soluta sunt, et pro eis introductum est rationabile obsequium. Quid autem est rationabile obsequium? Etiam quod per animam, quod per spiritum offertur Deo. *Spiritus* est, inquit, *Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare»* **(Joan. IV, 24)**. Quid est Deum in spiritu adorare, nisi in charitate et fide perfecta, et spe indubitata, et sanctis animae [Col. 1062C] virtutibus, quas Apostolus in alio loco abundanter enumerat?

CAPUT VII.

VERS. 1, 2.---*Hic enim Melchisedech rex Salem sacerdos Altissimi, qui obviavit Abraham regresso a caede hostium, et benedixit ei, cui decimas omnium divisit Abraham.* Tradunt Hebraei hunc esse Sem, primum filium Noe, et eo tempore quo ortus est Abraham habuisset antiquitatis annos ducentos nonaginta. Nec esset mirum si Melchisedech victori Abraham obviam processerit, et in refectionem tam ipsius quam pugnatorum ejus panem vinumque protulerit, et benedixerit ei, quod abnepoti suo jure

paternitatis dederit; et decimas praedae atque victoriae [Col. 1062D] acceperit ab eo, sicut sacerdos excelsi Dei, qui fuit etiam rex Salem. Salem autem non, ut Josephus et nostrorum plurimi arbitrantur, esse Jerusalem; nomen ex Graeco Hebraeoque compositum, quod absurdum esse peregrinae linguae mistura demonstrat: sed oppidum juxta Schitopholim (*Sic ms.*), quod usque hodie appellatur Salem; et ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam. Ad quam civitatem etiam legitur Jacob descendisse, quae fuit in terra Chanaan in regione Sichem. Considerandum quoque est, quando Abrahae a caede hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, non in via Jerusalem, sed oppidum metropolis {686} Sichem in itinere fuerit, de quo in Evangelio legimus: *Erat autem* [Col. 1063A] Joannes baptizans in Enon juxta Salim, quia aquae multae erant ibi.

VERS. 3.---*Primum quidem, quia interpretatus est rex justitiae:* deinde et rex Salem, etc. *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens.* Assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Saepius autem beatus Paulus eumdem Melchisedech in typo Dei Salvatoris introducit. Quamvis omnes pene sancti et patriarchae ac prophetae prioris temporis in aliqua re figuras expresserint Salvatoris: hic tamen Melchisedech specialius, qui non fuit de genere Judaeorum, in typum praecessit sacerdotii Fili Dei, de quo dicitur in CIX Psalmo: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Ordinem autem ejus multis modis [Col. 1063B] interpretantur; quod solus et rex fuerit, et sacerdos, et ante circumcisionem functus sacerdotio, ut non gentes ex Judaeis, sed Judaei ex gentibus sacerdotium acceperint; neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysi praecepta constituunt; sed oleo exsultationis et fidei puritate; neque carnis et sanguinis victimas immolaverit, et brutorum sanguine animalium dextra susceperit; sed pane et vino simplici puroque sacrificio Christi dedicaverit sacerdotio. Nec tamen credendum est quod iste Melchisedech sine patre aut sine matre esset, quod Christus quoque secundum utramque naturam et patrem habeat et matrem: sed quod subito introducatur in Genesi, occurrisse Abrahae a caede hostium revertenti, et nec antea nec postea ejus nomen vel genealogia inveniatur scriptum. Affirmat [Col. 1063C] autem hujus exemplo Apostolus, quod Aaron sacerdotium, id est, populi Judaeorum et principium habuerit et finem; Melchisedech autem, id est, Christi Ecclesiae sacerdotium et in praeteritum et in futurum aeternum sit. Hic vero Melchisedech interpretatur rex justitiae. «Quis est verus rex justitiae, nisi Dominus noster Jesus Christus? Deinde rex Salem, hoc est, rex pacis, quod pertinet ad Christum. Iste namque nos justos effecit, pacificans omnia quae in coelis sunt et quae in terris,» qui solus est rex justitiae et pacis Dominus noster Jesus Christus, qui secundum divinitatem sine initio, sine fine, rex est sempiternus, ex aeterno Pater [*Leg.,* Patre] aeternus, quamvis ex temporali matre temporalis esset. «Sicut enim istius Melchisedech non legimus initium vel finem, [Col. 1063D] in Scriptura, propterea quod non est scriptum, sic non novimus Filii Dei initium vel finem, quia non habet. Et in hoc est similitudo, quod nec illius, nec istius initium vel finis legatur. Illius quidem, quia non est scriptum; istius autem, quia omnino non est.»

VERS. 4.---*Intuemini quantus sit hic, cui decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha.* Convertit itaque sermonem ad eos qui gloriantur se filios esse Abrahae, et de origine ejus nobilitatem eorum descendisse, quem divinis exaltare laudibus

contendunt, et in Evangelio eum Domino praeposuisse legitur, dicentes: *Nunquid tu major es patre nostro Abraham? Quasi diceret, quem vos excellentiorem omnibus aestimatis, hic decimas offerebat Melchisedech,* et hoc [Col. 1064A] de praecipuis victoriae: qui assimilatus est Filio Dei, pontifex factus in aeternum. **(VERS. 5.)** *Quomodo de filiis Levi sacerdotium accipientes mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis, quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae.* «Tanta quippe est sacerdotii excellentia, ut etiam qui similes essent a progenitoribus, et eumdem haberent progenitorem, tamen multo amplius meliores [judicati sunt] a fratribus suis,» qui sacerdotio digni efficiuntur: veluti Aaron inter vivos ac mortuos, ut Dei iram placaret quae exarserat, stare legitur; quod propterea ex populo facere poterat, licet omnes unum haberent progenitorem. «Proinde ipse Abraham nullo modo alienigenae decimas dedisset, nisi plurimus et superexcellens ejus esset honor,» cui [Col. 1064B] decimas exuviarum daret, de quo placere comperisset. «Ostendens etiam incircumcisum sacerdotem sacerdoti circumciso multo esse sublimiorem. Quomodo ergo hoc ostendit? Quia ipse Levi [*Chrys.,* quia ei Levi decimas dedit],» ex quo sacerdotale genus ortum est, decimatus est in lumbis progenitoris sui.

{687} VERS. 6-10.---*Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit* [ab] Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione quod minus est a majore [Ita Cod.; leg., *a meliore*] benedicitur. Ille autem qui sine genealogia est, in Abraham decimatus est non solum Levi, verum etiam et ipse Aaron, qui decimas solebat accipere a populo, et per eum omne sacerdotium Leviticum. Nec hoc loco contentus est stare, [Col. 1064C] sed adhuc majori honore exaltavit eum, qui alterius generis fuit, dicens: *Et eum, qui habebat repromissiones, benedixit.* «Ostendit et honorabiliorem esse illum ex communi omnium judicio, *et sine ulla contradictione, inquit, hoc est, omnibus luce clarius videtur quod minus a majore benedicitur.* Proinde melior est typus Christi etiam eo qui promissiones habebat.» Quis est, *qui vivit? Ille etiam qui secundum ordinem Melchisedech factus est sacerdos in aeternum. Secundum ordinem Melchisedech,* [qui] typum gerit pontificis nostri, qui semetipsum obtulit hostiam Deo placentem; non ex necessitate qualibet, sed ex voluntate propriae potestatis [*Suppl.* excellentiam] designat, qui nihil morti debuit; idcirco pontificali sacrificio sui corporis omnium abluit peccata. (VERS. [Col. 1064D] 11, 12.) *Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat* (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium est secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio corporis (Sic ms.), *necesse est, ut et legis translatio fiat.* «Hic enim incipit Veteris Novique Testamenti differentias ostendere,» dicens: *Si* enim *consummatio, id est, perfectio, per sacerdotium Leviticum fuit, quid necesse fuit alium surgere sacerdotem? Nam Aaron primum post legem datam sacerdotem de tribu Levi esse, nulli dubium est:* ideo sacerdotium quo functus est, Leviticum nominavit sacerdotium. Quo sacerdotio Levitico multo melior Melchisedech in ordine sacerdotali [Col. 1065A] factus est, qui typum gerebat sacerdotis nostri, id est Domini Salvatoris mundi. Nequaquam enim dixisset, *secundum ordinem Melchisedech, si illud sacerdotium Aaron melius esset, sub quo populus Judaeorum legem susceperat.* Si igitur sacerdotii translatio est, necesse est etiam legis esse translationem: neque enim potest sacerdos sine testamento esse et sine lege, et sine praeceptis.

VERS. 13, 14.---*In quo enim* [haec] dicuntur, de alia tribu est, de quo nullus altario praesto fuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus est Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. In quo enim, ait, id est, de quo haec dicta sunt, Dominum scilicet significans Salvatorem. «Dum [Col. 1065B] id translatum est sacerdotium, simul et testamentum translatum est; non autem ordine tantummodo, neque praeceptis, sed etiam tribu. Oportebat quippe, ut etiam [tribus] mutaretur. Et quomodo translatum est sacerdotium ex tribu ad tribum, de sacerdotali ad regalem? Ut eadem ipsa sit et regalis et sacerdotalis. Et intuere mysterium: primo fuit regale sacerdotium Melchisedech secundum consequentiam hujus sermonis; secundum etiam fuit sacerdotale in Aaron; tertium [*Chrys.,* sic etiam] fuit in Christo iterum regale, qui erat rex semper; sacerdos autem factus est, quando carnem suscepit, quando sacrificium obtulit. Vides mutationem rerum? Quae enim per translationem facta sunt, haec veluti ex rerum constantia [*Chrys.,* ex rerum consequentia] quasi nova [Col. 1065C] redire videntur.»

VERS. 15-17.---*Et amplius adhuc manifestum est, si secundum ordinem* [Leg., *similitudinem*] Melchisedech exsurgeret alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus, sed secundum virtutem vitae insolubilis. Contestatur enim, quoniam tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Novam [*Cod.,* Nostram] hoc loco differentiam instituit inter sacerdotium [Aaron] et sacerdotium Christi; quia illud carnale, hoc vero spiritale; illud temporale, hoc vero aeternum est. Dicit enim de sacerdotio Aaron: *secundum legem mandati carnalis.* Lex quippe illa ex multa parte carnalis erat; in circumcisione carnis, in mundatione carnis, in hostiis et oblationibus carnalibus, in discretione ciborum, dierum, [Col. 1065D] temporum, etiam et in retributione, quibus benefacientibus et legem custodientibus pax et securitas et prosperitas et frugum abundantia et regni potentia promissa est, quae omnia morte finienda erant. Sed non ita sacerdotium Christi, quod secundum virtutem vitae insolubilis est. «Quis est iste sacerdos talis? Non Aaron; non ipse Melchisedech, {688} sed ille, cujus ille Melchisedech typum gerebat. De quo ipse Deus Pater jurejurando testatur: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Hoc est, non temporalis, neque finem habens, sed secundum potentiam insolubilis vitae;» vitam vero in seipso habens insolubilem, quamvis ad tempus mortuus esset carne; tamen in aeternum divinitate vivit et [Col. 1066A] humanitate, mediator inter Deum et homines, semper vivens ad interpellandum pro nobis.

VERS. 18, 19.---*Reprobatio quidem fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem ejus.* Nihil enim in perfectum adduxit lex. «Quid enim, nihil profuit lex? Profuit siquidem; sed nihil ad hoc profuit, ut perfectos facere potuisset servientes in ea: idcirco ejus reprobatio fuit, ut gratiae daretur locus, dum veniret, in qua perfectio fieret. Utilis quippe fuit lex, sed illis qui fidem habuerunt in Christo, non illis qui totam spem suam in eam firmassent: *Introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* **(VERS. 20.)** *Et quantum est non sine jurejurando.* Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt. Introductio, inquit, melioris spei. Habuit [Col. 1066B] quippe et lex spem, sed non talem. Sperabant enim bene placentes et legem Dei custodientes possidere terram; nihil aerumnosum pati, prospere vivere, sicut dictum est: *Qui fecerit eam, vivet in ea.* Hic autem speramus, quia placentes, evangelica praecepta

custodientes; non terram possidere, sed coelum. Magis autem (quod coelo multo melius est) speramus proximi Deo consistere, ad ipsum paternum solium pervenire, et ministrare ei cum angelis.» Hoc autem sacerdotium, per quod hanc gloriam possessuri sumus, non erit sine jurejurando, ut firmam Dei promissionem credamus, quia haec omnia nobis in Filio proprio promisit, quem pro nobis omnibus tradidit, ut per eum haec omnia [*Suppl.* forte, habeamus], de quo dictum est: *Tu es sacerdos in aeternum* [Col. 1066C] secundum ordinem Melchisedech.

VERS. 22-24.---*In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.* Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo, quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. «Duas ponit differentias, quia non habet finem sacerdos noster, sicut legalis. Hoc autem facit ex persona Christi, *qui ingressus,* inquit, *secundum virtutem vitae insolubilis.*» Et hoc jurejurando testatur, sicut supra dictum est. Sicut ille permanet, ita etiam et lex quam attulit, permansura est; in qua est vera peccatorum remissio, et perpetuae perceptio gratiae. «Si enim illa prior propter imbecillitatem sui, quae nihil ad perfectum ducere potuerit, exclusa est, ista vero, quam pontifex [Col. 1066D] magnus attulit, valet, et fortis est, et manet. Ostendit autem hoc ex pontifice. Quomodo? Quia unus est. Non enim unus esset, nisi esset immortalis. Sicut enim multi sacerdotes in lege fuerunt, quia mortales fuerunt, sic unus, quia immortalis usque hic. Qui in tantum melioris testamenti sponsor factus est, secundum quod juratum est de eo, semper eum esse mansurum

VERS. 25.---*Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivus ad interpellandum pro eis.* Intueris quia de eo qui secundum carnem est ista dicit. Quando enim sicut pontifex est, tunc etiam interpellat;» quia ex ea natura qua pontifex est, interpellat pro suis. Quis [Col. 1067A] est qui interpellat, nisi humanae naturae divinitati illius conjunctio, quam paterno solio advexit, semper vivus et ad salvandum idoneus. Alii vero pontifices, quia semper non erant, semper non interpellabant. Non solum in hac vita salvat per interpellationem humanitatis suae, sed etiam in futurum glorificat, dum tradet regnum Deo Patri, et perducet sanctos ad visionem paternae majestatis. **(VERS. 26.)** *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus.* Talis etiam illis decuit esse pontifex, de quibus ipse ait: *Jam non dicam vos servos sed amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* **(Joan. XV, 15)**. Videlicet servi legales, pontifices habuerunt mortales, peccatores, [Col. 1067B] pro semetipsis offerentes; filii vero et amici Dei pontificem habent immortalem, *segregatum a peccatoribus, id est, prioribus sacerdotibus, qui esset innocens et sanctus;* «*Innocens, quia sine malignitate, quod dicit Propheta: Nec dolus inventus est in ore ejus* (Isaiae LIII, 9).» *Sanctus, quia in omni bonitate {689} praecipuus. Impollutus, quia nihil habuit peccati. Excelsior coelis factus, quia adorant eum omnes angeli Dei.* **(VERS. 27.)** *Qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi:* hoc enim fecit semel seipsum offerendo. «Hic enim magnitudinem sacrificii ostendit, quamvis illud unum esset; et sic oblatum sufficit in sempiternum; et tantum praevaluit, quantum caetera omnia non praevaluerunt; et [Col. 1067C] quod offerebat, non pro se offerebat, sed pro populo.» Nec enim hoc pro populo quotidie offerendum erat; sed tantae sanctitatis

et honoris apud Deum fuit hoc sacrificium, ut semel oblatum in aeternum profuisset populo Dei.

VERS. 28.---*Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes;* propterea pro se sicut et pro populo semper offerebant. Iste autem tam potens est, ut semel oblatus suae carnis sacrificio, nihil opus erat cuiquam credentium plus offerre pro eo. *Sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum.* Hic etiam Filii nomen ad distinctionem servorum, qui fuerunt in lege, positum est; quia servi infirmi fuerunt: sive quia peccatores, sive [Col. 1067D] quia mortales erant. Et hunc Filium perfectum esse demonstrat, quia semper vivit, et semper sine peccato est. Utrumque apostolus ait, et mirifice consolatur audientes, et minaciter terret negligentes: consolatur in eo, quia ait: Sacerdotem [*Ita cod.,* corrupte] magni potenti sacrificio proximati sunt. Terret in eo, ne peccent; quia illud sacrificium nunquam pro peccatis iterum oblatum erit. «Non est aliud sacrificium; unum vero nos purgavit; post hoc judicium erit. Quotquot redempti sumus, isto sacrificio permaneamus [custodientes] generositatem nostram et honorem.»

CAPUT VIII.

VERS. 1, 2.---*Capitulum autem super ea quae dicuntur:* [Col. 1068A] Talem habemus pontificem, qui cum sedet in dextera sedis magnitudinis in coelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo. Quod itaque ait: *Capitulum in his quae dicta sunt, significat aliquid summum et magnum, quasi praecedentis disputationis recapitulatio, ad rem ipsam deducens auditorem. Talem* habemus, inquit, *pontificem, qui sedet ad dexteram majestatis;* humilia excelsis, humana divinis commiscens, eumdem Deum ostendens, quem et pontificem; nec alium esse qui sedet ad dexteram Dei, nisi eum qui est *minister sanctorum et tabernaculi, quod fixit Deus et non homo.* Hoc tabernaculum animae sunt sanctorum, quibus aeterna gaudia ministrat, et velamen coeli, pontifex magnus. *Qui sedet ad dexteram majestatis in excelsis* [Col. 1068B] Patris. Dum audies eumdem sedere a dextris Dei, et ministrare sanctis, «sedere autem dignitatis divinae est, ministrare vero misericordiae multae et amoris magni quem nobis impendit.» Mirabile sacramentum est eumdem sedere in divinitatis gloria, quem persecutores in cruce pendentem viderunt; in qua cruce passionis illius, ministratio est salutis nostrae; hoc enim gestum credimus; hoc nobis ad salutem proficere novimus. Sed quid carnalis mens humana aestimet in eo, quod dicitur: Sedere eum a dextris Dei? Condescendit enim sancta Scriptura nostrae infirmitati, nostraeque consuetudini, quatenus imbecilla instrueretur humanitas, quando usque ad illam secretam gloriam divinitatis [*Cod.,* divinitas] hominum non poterat pervenire. Igitur victori Filio, et per [Col. 1068C] sanctam incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis consessus offertur, ut per hunc situm susceptae humanitatis gloria declaretur: nam hoc verbo *sedere, illud designatur, ut caput nostrum Christus ad Patris cognosceretur dexteram collocatum, id est, divinae majestatis sublimitatem, in qua parte ponendi sunt, qui a perfidis, ejusdem Salvatoris munere, segregantur.* **(VERS. 3.)** *Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur:* unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. Pontifices vero veteris instrumenti stati

sunt legalia offerre munera, hostias pro suis, sicut superius dixit, vel etiam pro populi peccatis. Unde necesse est Salvatorem nostrum in [Col. 1068D] diebus carnis suae aliquid habere ad offerendum pro nobis: dum in sempiterna divinitatis suae natura non habuit quod offerret, sumpsit ex nobis {690} quod pro nobis offerre potuisset, id est, carnem humanam. Quid tam aptum immolationi quam caro mortalis pro mortalibus? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalibus quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiae caro nata in utero, ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi possit quam caro sacrificii nostri, corpus effectum [*Cod.,* affectum] sacerdotis nostri? Et quomodo? Quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Ergo nec alicui sacrificium debetur, nisi soli vero Deo. Proinde pontifex noster pro nobis, semetipsum [Col. 1069A] offerebat, idem sacerdos et sacrificium.

VERS. 4, 5.---*Si ergo esset super terram, nec ergo esset sacerdos:* cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium. Si igitur esset terrenus pontifex, sicut Aaron, non esset utique sic sacerdos secundum ordinem Melchisedech in aeternum. Aaron quippe mortuus est, et non est sacerdos: Christus vero quia vivit in aeternum, sacerdos est sempiternus: non talis quales illi fuerunt *qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium.* Omnes vero sacerdotes in lege constituti exemplare et umbratile sacerdotium gerebant coelestium, id est, spiritalium, significantes verum et sempiternum sacerdotium Christi. Nonne altare [*Cod.,* altera] est coeleste fides nostra, in quo offerimus quotidie orationes? [Col. 1069B] «Nihil vero habens carnalis sacrificii, quod in cineres resolvatur, nec in fumo extensetur [*Ita Cod.;* forte, extenuetur], nec in vapores diffundatur. Haec vero sacrificia clara et festiviora efficiuntur. Quomodo coelestia non celebrant sacrificia, quibus dicitur: *Accipite Spiritum sanctum:* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt **(Joan. XXVIII, 23)**?» Horum enim sacrificiorum, omnia Levitici sacerdotii sacrificia signa fuerunt: *Quia lex per Moysen data est;* gratia et veritas per Jesum Christum facta est **(Joan. I, 17)**. «Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: *Vide,* inquit, *omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte* **(Exod. XXV, 40)**. Quoniam auditus minus aptus esse videtur ad disciplinam [Col. 1069C] percipiendam, quam visus; non enim ita animo commendamus quaecunque audimus, quomodo illa quae ipso visu percipimus.» Ideo dicit: *Vide, ut omnia facias sicut tibi in monte demonstratum est.* Sed hic quaeri potest, de quibus dixisset: *Omnia, sive de tabernaculi constructione;* sive de hostiis et sacrificiis, quae in eo oblaturi essent? sed de utroque melius intelligitur. **(VERS. 6.)** «*Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod melioribus repromissionibus sanctificatum* [Ita Cod.; al., *sancitum*] est. Vides, inquit, quanto melior [haec] illa celebratione. Siquidem illa exemplar et forma; ista vero veritas,» sicut dicitur in Evangelio: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* De qua gratia [Col. 1069D] subsequenter hic significat Apostolus, dicens: *Quod in melioribus repromissionibus sanctificatum est.* Quanto meliora sunt coelestia terrenis, aeterna temporalibus; *tanto melioris est mediator sacerdos Christus* Deus *testamenti.* «Transiens de loco, et a sacerdote, et a sacrificio, tunc demum et testamenti differentiam ponit. Hic autem ad coelum nos elevans et ostendens, quia pro tabernaculo coelum habemus» in promissionibus Dei.

VERS. 7, 8.---*Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.* Vituperans enim eos dicit: Hoc est, si inculpabiles essent observatores sui, nunquam secundi locus relinqueretur. Sed quia illud non fuit perfectum, inventus est locus [Col. 1070A] aptus secundi testamenti; sicut per Prophetam dicit Dominus: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum* **(Jer. XXXI, 33)**. **(VERS. 9.)** *Et non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus.* Hic autem discrete posuit, de quo dictum est, *quod non permanserunt in testamento meo.* Dum dixit: *In die, qua apprehendi manum illorum, ut educerem eos de terra Aegypti;* de lege hoc dixit [*Cod.,* non dixit, *mendose*] lata in monte Sinai, quae quinquagesima die data esse constat, in qua non permanserunt patres eorum, sed fecerunt vitulum in Horeb et adoraverunt [Col. 1070B] illud. Non enim de illo quod patribus eorum proposuit, {691} id est Abraham, Isaac et Jacob. Et omnes filii fidei, filii Abraham dici possunt, sicut de ipso Domino in Evangelio scribitur: *Dico autem vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae* **(Matth. III, 9)**. Et hoc est testamentum, quod consummabit Deus, id est, perficiet super omnes gentes, ut quicunque crediderint in Christum, filii Abrahae, secundum spiritalem generationem, vere sint. (VERS. 10-12.) *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus:* Dando leges meas in mentes eorum et in cordibus eorum superscribam eas. Et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum dicens: [Col. 1070C] Cognosce Deum [Al., *Dominum*]: quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccata eorum non memorabor amplius. Et hic magna distantia est inter legem et legem, inter Scripturam et Scripturam, inter litteram et gratiam. Nam littera legis scripta est in tabulis lapideis, quas Moyses ipse fregit, dum vidit populum ante vitulum ludentem: gratia vero data est in corda credentium per Spiritum sanctum, per quem charitas diffusa est in cordibus credentium. Quod vero in littera latebat et legebatur a populo per magistrorum traditiones, hoc Spiritus sanctus adveniens docebat apostolos. Et hoc est quod ait Propheta: *Et non docebit unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum, dicens:* Cognosce Dominum; omnes [Col. 1070D] enim scient me a minore usque ad majorem eorum: sicut in Evangelio de Domino legitur: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* **(Luc. XXIV, 45)**. **(VERS. 13.)** *Dicendo autem novum veteravit prius.* Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est. «Sumens a Propheta fiduciam Paulus, amplius in illud testamentum invehitur, commode ostendens, quoniam nostra nunc florent; illa vetusta sunt et prope interitum:» Sed renovabitur sicut aquila juventus nostra, si ad fontem vitae currimus; si alas et oculos ad solem justitiae extendimus.

CAPUT IX.

VERS. 1, 2.---*Habuit quidem prius justificationes* [Col. 1071A] culturae et sanctum saeculare. Tabernaculum enim primum factum est, in quo erant candelabra, mensa et propositio panum, quod dicitur sancta. Legimus enim in Josepho, tabernaculum ad instar hujus mundi factum: exteriora vero hujus saeculi figuram habebant. Idcirco

quotidie ministrant sancti sacerdotes, accedentes [*Forte, accendentes*] lumen doctrinae, et pascentes populum Dei. *Panum, qui super mensam a sabbato usque ad sabbatum praesto debent esse;* id est, a sabbato spei nostrae, in qua quasi in Christo, et ab hujus mundi turbinibus securi, usque in illud sabbatum, quod [*Forte, quo*] retineamus quae nunc in spe habemus. Candelabra vero dona sunt Spiritus sancti, quae in Ecclesia lucent intelligentibus per eum, per quem requiescet spiritus sapientiae et intellectus, [Col. 1071B] spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et spiritus timoris Domini. Interius vero tabernaculum, quod dicitur «sancta sanctorum, ipsum coelum significat. (VERS. 3-5.) *Velamentum autem coelum est,»* *intra quod sacerdos noster Christus non sine sanguine intravit. Thuribulum habens aureum, in quo offeruntur orationes sanctorum.* In quo *Cherub in gloria obumbratile* [*Leg.,* obumbrantia] *propitiatorium, hoc est multitudo scientiae.* Apte propitiatorium super arcam positum esse dicitur, quia ipsi mediatori Dei et hominum specialiter a Deo Patre donatum est, *ut esset propitiatio pro peccatis nostris* **(I Joan. II, 2)**. Unde etiam Paulus dicit: *Jesus Christus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui et est ad dexteram Dei,* qui [Col. 1071C] etiam interpellat pro nobis **(Rom. VIII, 34)**. *Et arca testamenti.* Haec est caro Salvatoris nostri, in qua manna divinitatis et tabulae duorum testamentorum *et virga Aaron, quae floruit in sacerdotio Christi; de quibus non est modo per singula dicere.*

VERS. 6.---*His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes,* quod vero supra dixit *sanctum saeculare esse, hoc modo lucidius ostendit, id est, in quo tabernaculo sacrificia fuerunt saecularia, nihil ad perfectum deducentes servientem in eis.* **(VERS. 7.)** *In secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua et pro populi ignorantia.* {692} Iste vero pontifex ex parte significat, quia semel ingressus est coelum, intra [Col. 1071D] velum in sancta sanctorum, ut assistat vultui Dei pro nobis. Quod vero ait: *Ut offerat pro sua et populi ignorantia, hoc est, quod ipse in cruce ait: Deus Deus meus, quare me dereliquisti* **(Matth. XXVII, 46)**? *Verba delictorum meorum;* quae sunt verba delictorum, nisi corporis sui? (VERS. 8, 9.) *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum vitam* [Leg., *viam*], adhuc priore tabernaculo habente statum; quae parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiae offeruntur. «Propterea, inquit, ista ita constructa sunt, ut discamus quia sancta sanctorum, hoc est, coelum adhuc inaccessibile mortalibus solet esse.» Nec putemus et illud ingredi non posse, ubi pontifex noster [Col. 1072A] prior intravit non sine sanguine, sicut Propheta praedixit: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra* (Isaiae LXIII, 1)? Sed patienter exspectamus tempus resurrectionis nostrae, in quo, cum apparuerit, quid erimus; scimus enim quia similes illi erimus, hoc est, immortales: sicut illi mors ultra non dominabitur, nec nostra caro dominata erit. *Quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et potibus,* **(VERS. 10)** *Et variis baptismatis et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Hae vero justitiae carnales, in cibis et potibus, et variis baptismatibus usque ad tempus correctionis impositae sunt. Attende quid hoc est; *nihil enim ad perfectum deduxit lex;* sed secundum [legem] carnalis [Col. 1072B] mundati sordes et ignorantiam potuit emundare: de adulterio vero, capitalibus criminibus nihil potuit purgari; sed damnare paratam absque misericordia. Ideo adulteram mulierem Pharisaei

proposuerunt Jesu **(Joan. VIII, 3)**, ut potuissent eum accusare, si contra legem absolvere juberet; aut laudabilem mansuetudinem amitteret, si legis jussionem custodire praeciperet. Sed utrumque cavebat sapientia Dei, quasi dixisset: Justa est quidem lex, si justos haberet ministros. Qui festucam de oculo alterius tollere videat, justum est, ut prius trabem de proprio tollat oculo. De baptismatis Judaeorum plenius in Evangelio *cata Marcum legitur, ubi Pharisaei vituperabant Dominum et discipulos, non lotis manibus manducare* **(Marc. VII)**. Frustra autem [Col. 1072C] Pharisaei, frustra autem omnes Judaei lavant manus, et a foro dum veniunt, baptizantur, quandiu contemnunt fonte Salvatoris ablui. Sed Pharisaei spiritalia prophetarum verba carnaliter accipientes, quae illi de cordis et operis castigatione praecipiebant, dicentes: *Lavamini, mundi estote* (Isaiae I, 16). Et: *mundamini, qui fertis vasa Domini* **(Ibid. LII, 11)**; isti de corpore solummodo lavando sperantes [*Forte, sperant*]. Cum certum sit Moysen et prophetas, qui vasa populi Dei vel aquis dilui, vel igne purgari, vel oleo sanctificari, quacunque ex causa, jusserunt, non in hac materialium rerum emundatione; sed mentium potius et operum castigatione ac sanctimonia atque animarum nobis mandare salute.

VERS. 11.---*Christus assistens pontifex futurorum* [Col. 1072D] bonorum per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis. Tabernaculum non manu factum coelum significat, unde nos futura bona speramus nobis dari, id est, aeterna, quae non transeunt. *Neque hujus creationis, hoc est, non hujus tabernaculi species, quod in eremo fixit homo, sed hoc longe aliter ab ipso Deo creatum est, spiritaliter, non carnaliter.* In quo tabernaculo modo sunt animae justorum et angeli earum spiritus, exspectantes donec compleatur numerus conservorum suorum. **(VERS. 12.)** *Neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* Omnia quippe permutata sunt. Ibi sanguis hircorum diluit [Col. 1073A] peccata carnis: hic sanguis Christi abluit peccata spiritus. *Qui aeterna redemptione inventa introivit semel in sancta, id est, coelum, ut assistat vultui Dei pro nobis.* Quod dixit *aeterna redemptione inventa, ostendit in prioribus sacrificiis et legalibus caeremoniis non esse aeternam redemptionem.* **(VERS. 13.)** *Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem* [carnis]. Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. «Si enim carnem, inquit, potuit mundare sanguis taurorum, multo amplius animae sordem diluet sanguis Christi. Ne enim audiens *sanctificat, perfectam esse ablutionem aestimet quis, mox subjungit causam differentiae dicens: Qui* per Spiritum {693} *sanctum* [Col. 1073B] semetipsum obtulit immaculatum Deo: hoc est, sacrificium immaculatum. Erat quippe mundum a peccatis hoc sacrificium, hoc est, per Spiritum sanctum aeternum, non per ignem, non per alia quaedam.

Et mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Bene dixit *ab operibus mortuis;* si quis enim tangebat mortuum, polluebatur: Et hic si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur per conscientiam. Opera mortua sunt peccata. *Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea, sic qui per poenitentiam ablutus est ab operibus mortuis, si eadem iterum agit, pejus contaminabitur.* Sicut Petrus apostolus: *Canis reversus ad vomitum* **(II Petr. II, 22)**, ita qui iterat stultitiam

suam. *Ad* serviendum, inquit, *Deo viventi.* Hic manifestat [Col. 1073C] quia opera mortua habentes non possunt servire vero et vivo Deo, quia illa mortua sunt et falsa. Et merito nullus opera mortua habens ingreditur hic. Si enim eum qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum, quanto magis eum qui opera mortua [habet] non potest intrare in coelum? Mortua quippe sunt omnia opera quae vitam non habent.» (VERS. 15-17.) *Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptione earum praevaricationum, quae erant sub priore testamento repromissiones accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis.* Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. «Fortassis enim possent [Col. 1073D] multi, qui infirmius afficiebantur ex eo quod mortuus est Christus, maxime non credere promissiones ejus. Paulus igitur ex abundantia hoc ponit, et exempla ex communi assumens consuetudine dicit quasi dubitanti cordi responderet; propterea igitur oportebat confiteri . . . . . quia non, [*Chrys.,* oportebat confidere. Quare? Quia non, etc.] viventibus testatoribus, sed mortuis, tunc firma sunt testamenta, et fortitudinem accipiunt. Testamentum enim circa novissimum diem fit defunctionis: in simul [testes] debet habere testamentum. Adverte eum dicentem: *Ego sum, qui testimonium prohibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me* **(Joan. XX, 18)**.» Et in lege vestra [scriptum] est, quia duorum [Col. 1074A] hominum testimonium verum est. Si duorum testimonium non est spernendum, quanto magis Patris et Filii, etiam et Spiritus sancti, de quo dicitur: *Ille testimonium perhibet de me.* Et de apostolis: *Et vos quidem testimonium perhibetis de me, quia ab initio mecum estis* **(Joan. V, 36)**. «In offensione quippe eramus, mori nos oportebat.» Misit Filium suum factum ex muliere, qui mori potuisset pro debitoribus mortis; qui mortuus est pro nobis debita [*Forte, debita nobis*] morte. «Effecit nos dignos testamenti et haereditatis promissae. Hoc modo firmum factum est testamentum. In tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non potuisset aliquando, nisi unigenitus Filius Dei pro nobis moreretur.» Quod vero ait infirmum esse testamentum, vivente testatore, [Col. 1074B] hoc significat quod quandiu vivit testator, potest immutare sententiam, et alios atque alios adducere haeredes in haereditatem suam.

VERS. 18.---*Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.* «*Unde,* dixit, *nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est, id est, firmum factum est, roboratum est.* Quod autem dixit, *unde, tale est, quale si diceret, propterea oportebat testamenti solemnitatem compleri etiam per mortem» Christi.* (VERS. 19-22.) *Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipientes* [Ita Cod. leg. *accipiens*] sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum [Col. 1074C] et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit: et omnia pene in sanguine mundavit secundum legem; et sine sanguinis effusione non fuit [Leg., *non fit*] remissio. Quid est quod liber et populus et tabernaculum sanguine aspersus est, nisi pretiosus sanguis Christi Salvatoris nostri ab initio, illo schemate, praenuntiatus est? Quare hyssopo? Hyssopus enim herba humilis est et in petris nascens: humilitas Christi significatur per hanc herbam et fortitudo, qua interiora nostra purgantur. Nam hoc genere herbae pulmonum vitia purgari solent. Quare aquam? Ostendit mundationem futuram per aquam baptismi. Quare lana

coccinea? Ut retineret sanguinem. Ostendit hoc loco idem esse et aquam et sanguinem, {694} Baptisma etiam nostrum [Col. 1074D] [*Chrys.,* baptisma enim ejus] passio ejus est, ideo idem Paulus dicit alio loco: *Consepulti enim estis cum illo in baptismo* **(Rom. VI, 4)**. Quod vero ait, [quod] sine sanguinis effusione non fuerit remissio, quare hoc dixit? Quia in illis plena non fuit remissio, sed semi plena, in minima parte; nunc autem *hic est,* inquit, *sanguis novi testamenti, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum.* Quis est liber qui aspersus est sanguine mystico, et quae sunt vasa unctionis, et quod tabernaculum, nisi populus? Ipsi enim sunt liber, vasa, et tabernaculum. Ideo Dominus dicit: *Inhabitabo in illis, et inambulabo* **(II Cor. VI, 15)**. Sed tota illius Veteris Testamenti fuit corporalis mundatio; nunc vero spiritalis est in [Col. 1075A] animo, sanguinis Christi. Ideo dicit: *Hic est sanguis novi testamenti in remissionem peccatorum* **(Marc. XIV, 24)**. «In illis siquidem in superficie aspergebatur et iterum diluebatur aspersus; neque enim cruentatus semper deambulabat populus: in anima vero non ita est, sed ipsi essentiae commiscetur sanguis, fortem illam faciens et mundam, et ad illam inenarrabilem pulchritudinem perducens.» Propter hoc agni occisio fuit, et sanguis ejus superliminaribus liberandorum illitus; propter hoc etiam omnia sacrificia veteris testamenti leguntur, ut hoc unum sacrificium designaret [*Forte, designaretur*], per quod vera est remissio peccatorum, et mundatio animae in aeternum.

VERS. 23-24.---*Necesse est ergo exemplaria quidem* [Col. 1075B] coelestium his mundari: ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufactis sanctis [Al., *in manufacta sancta*] Jesus introivit exemplaria verorum: sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Quomodo exemplaria sunt eorum, quae in coelis sunt? Coelestia quidem nominavit hanc conversationem nostram, cujus conversationis exemplar fuit et significatio, quaecunque gerebatur in veteri testamento. Unde et Apostolus: *Conversatio nostra in coelis est* **(Philip. III, 20)**, «In coelis ergo sunt ista, quae nostra sunt, et haec nostra coelestia, quamvis in terra celebrentur.» Quae est ista conversatio nostra? Haec est vera philosophia, quam Christus docuit, quam apostoli secuti sunt, quae ducit ad coelestia. Unde et Apostolus: [Col. 1075C] *Primus homo de terra terrenus, secundus de coelo coelestis* **(I Cor. XV, 47)** . Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis coelestis, tales et coelestes, «*Melioribus,* inquit, *sacrificiis quam haec sunt.* Quod melius est, bono aliquo melius. Bona ergo fuerunt exempla [*Chrys.,* exempla eorum], quae in coelis sunt;» sed ipsa coelestia longe excellunt exempla sanctorum, quibus significantur. «Si ergo coelestes sumus nos, et tantum sacrificium adepti sumus, timeamus permanere in terra. Esse autem in terra et non esse quodammodo videmur, dum voluntate in coelo sumus, licet corpore in terris. Si ergo nos animo appropinquemus Deo, in coelo sumus. Quid enim mihi cura est coelum, cum video Dominum coeli, cum ego efficior coelum? *Veniemus, inquit,* [Col. 1075D] Ego et Pater, *et mansionem apud eum faciemus* **(Joan. XIV, 23)** . Coelum quidem per se serenum est et mundum; non in hieme, non in nocte mutatur. Proinde et nos, neque in tribulationibus saeculi, neque in adversitatibus diaboli hoc pati timeamus, sed maneamus immaculati et mundi.» Habet quidem coelum solem; habeamus et nos Christum solem justitiae, semper lucentem in cordibus nostris.

VERS. 25.---*Neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in*

sancta per singulos annos in sanguine alieno. Superius dixit, *exemplaria verorum, exemplaria omnia nominans;* haec etiam vera, quae intrat pontifex. Hoc vero unum templum fuit in toto mundo venerabilius, ad quod undique confluebant, [Col. 1076A] sicut in Actibus Apostolorum legitur **(Act. II, 5)**, die sancto Pentecosten, quando Spiritus sanctus datus est apostolis in omnibus linguis loquentibus, constituisse, ut ex diversis partibus mundi et coeleste audisse miraculum et vidisse. «Sed huic templo totum opposuit coelum Paulus, et non hanc solam differentiam ostendit, sed etiam pontificem magnum, ut assistat vultui Dei (*Sensus corruptus*). Proinde non ex coelo tantum, sed etiam ex ingressu rem venerabiliorem facit. Non enim simpliciter, sicut hic, per signa quaedam,» sed ipsi Deo assistit semper vivus ad interpellandum pro nobis. «Intuere, quantae differentiae! saepe et semel; in sanguine alieno, et in sanguine proprio. Multum ergo interest. Ipse et sacrificium, et sacerdos, et hostia.»

[Col. 1076B] {695} VERS. 26-28.---*Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi:* nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est homini semel mori, post hoc autem judicium: sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo apparebit sine peccato exspectantibus se ad salutem. Christus vero passus est, postquam multa erant peccata. Merito tunc apparuit, quod etiam alibi dicit: *Ubi abundavit peccatum superabundavit gratia* **(Rom. V, 20)**. Si semel oblatus non sufficeret omnium in se credentium peccata exhaurire, oportuisset eum saepius pati ab origine mundi, quod ne fieret, semel in consummatione mundi passus est *ad multorum exhaurienda peccata.* «Quare [Col. 1076C] multorum et non omnium? Quia non omnes credunt. Pro omnibus mortuus est, hoc est, quantum in ipso est. Ejus momenti est unius mors [*Chrys.,* ejus momenti est illa mors], cujus momenti est omnium perditio. Non enim omnium peccata abstulit, propter quod credere noluerunt.» *Statutum quippe est omnibus semel mori, et post mortem judicabitur unusquisque secundum merita sua.* Sic et Christus semel mortuus est pro peccatis alienis; et ideo quia voluntarie, et non necessarie mortuus est. *Secundo* quippe adventu *apparebit sine peccato* (omnis quippe hostia pro peccato dicitur peccatum); non enim erit tunc hostia pro peccato; quia peccatum non erit, sed justitia; sive in remuneratione justorum, sive in retributione peccatorum.

CAPUT X.

[Col. 1076D]

VERS. 1.---*Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* «Hoc est, non ipsam veritatem. Usquequo enim veluti in pictura aspiciat quis lineamenta umbrarum, significans quid pingere velit, umbra quaedam est, et non imago: si enim flores ipsos quis colorum intinxerit, et imposuerit super lineamenta, tunc imago efficitur. Tale quiddam erat etiam lex, umbra veritatis.» *Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere:* (VERS. 2-4) *Alioquin cessassent offerre* [Al., *offerri*]: ideo quod nullam habentes ultra conscientiam peccati, cultores [Col. 1077A] semel mundati; sed in ipsis commemoratio

peccatorum per singulos annos fit. Impossibile est enim sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. «Una est, inquit, ista hostia; illae autem multae sunt. Propterea enim nec fortes erant, quia multae. Quid autem opus erat multis, dic mihi, una sufficiente? Proinde quod multae et semper offerebantur, ostendit nunquam eos purgari. Sicut enim medicamentum, quando fuerit forte et salutis efficax, et valens cunctam valetudinem repellere, semel impositum totum [operatur. Si ergo semel impositum totum] operatum fuerit, ostendit ejus virtutem, ut non ulterius apponatur. [Et hoc est ejus opus, ut jam non apponatur.] Si vero semper apponitur, manifestum indicium est minus illud praevaluisse medicamentum. [Col. 1077B] Quippe virtus illius est ut semel apponatur et non frequenter: sic etiam hic. Qua ratione eisdem sacrificiis semper curabantur? Si enim ab omnibus essent liberati peccatis, nequaquam per singulos dies offerret quis sacrificia. Proinde commemoratio peccati fuit, non absolutio,» quia quotidie eisdem purgabantur hostiis etiam et ipsi sacerdotes et populus pariter. «In Christo e contrario semel oblata est hostia, potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem faciendam mortis ejus. Et una est haec hostia, non multae. Quomodo una est, et non multae? Quia semel oblata est. Illa oblata est in sancta sanctorum; hoc autem sacrificium exemplar illius est, idipsum [*Ms.,* ad ipsum] [Col. 1077C] semper offerimus: nec nunc quidem alium agnum cras, alium hodie, sed semper idipsum. Proinde unum est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam: sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens et illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offert [*Chrys.,* offertur], unum corpus est, et non multa corpora; ita etiam et unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus et nunc, quae {696} tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemoratione fit ejus, quod factum est. *Hoc* enim *facite,* inquit, *in meam commemorationem* **(Luc. XXII)**. Non aliud sacrificium, [Col. 1077D] sicut pontifex; sed ipsum semper offerimus: magis autem recordationem sacrificii operamur.»

VERS. 5-9.---*Ideo ingrediens in mundum dicit:* Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptast mihi; holocautomata et pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio; in capite libri scriptum est de me: Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Superius dicens: Quia hostia et oblationes e holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quae secundum legem offeruntur. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa. Ideo ait: *Holocautomata et sacrificia noluisti, corpus autem aptasti mihi;* hoc est, peccatum humani [Col. 1078A] generis legalia sacrificia non potuerunt expiare; *Corpus autem aptasti mihi.* Hoc ex persona dixit ejus qui corpus suscepit nostrae mortalitatis, ut pro nobis haberet quid offerret. *Tunc dixi:* Ecce venio. Dum tempus fuit, ut ablata essent signa, et veritas promissa veniret, *tunc dixi:* Ecce venio. Illa ablata, haec impleta. Ubi sunt sacrificia Judaeorum? Transierunt et non sunt in Ecclesia Christi; quia venit ille qui figurabatur illis sacrificiis, de quo *in capite,* sive in capitulo *libri scriptum est.* Cujus libri? Utique Psalterii, ubi dicitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus* **(Psal. I, 1)**. Qui psalmus capitulus [*Ita Cod.*] libri totius dicitur a quibusdam; ideo et Apostolus [Col. 1078B] hic dicit: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hoc est, quod in Evangelio

dicitur: *Non* veni, inquit, *facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* **(Joan. VI, 38)**. *Aufert primum, ut sequens statuat.* Id est, primum testamentum, quod Moysi datum est in monte Sinai. *Ut sequens statuat;* hoc est Evangelium quod per Christum allatum est, firmum statuat

VERS. 10.---*In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi Jesu semel.* Haec oblatio semel oblata est, sed semper potens est abluere omnes credentes et omnes optantes in ea mundari; ideo subjunxit, et plenius exponens idem beatus Paulus virtutem hujus hostiae: (VERS. 11-13) *Et omnis quidem sacerdos praesto est, quotidie ministrans,* [Col. 1078C] et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet ad dexteram Dei, de caetero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. «Priores enim ostendit inutiles esse hostias ad integram mundationem, sed formam magis eas esse, et multo minus habere: sed quia occurrebat ei adhuc, id est, si formae erant, quomodo veritate veniente non cessaverunt, neque discesserunt, sed adhuc celebrantur? Adhuc ergo [de] his agit [*Chrys.,* Hoc ergo his ait], ostendens quia jam non celebrantur, neque velut formae; non enim eas acceptabiles habet Deus.» Et hoc soli habent, qui semper Spiritui sancto restiterunt. Quapropter [Col. 1078D] prophetico testimonio redarguit eos dicens: *Holocautomata et pro peccato noluisti.* «De nullo alio nisi de Christo hoc dicitur. Et quid mirum si nunc non est voluntas Dei in sanguine hircorum et taurorum, dum per prophetam Isaiam dicitur: *Quis quaesivit haec de manibus vestris* (Isaiae I, 12)? Dum haec noluisti, *tunc dixi:* Ecce venio; in qua voluntate salvi facti sumus. Quomodo salvi facti sumus? Id est, *per oblationem corporis Jesu semel.* Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans. Ministrare autem famulorum est; sedere vero dominorum; unde et dicit: *Sedet ad dexteram Dei.* Quapropter *unam offerens hostiam, quae salvare potest in perpetuum, sedet ad dexteram Patris, de caetero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.* Qui [Col. 1079A] sunt inimici ejus? Judaei scilicet et omnes infideles,» qui in die judicii damnandi sunt ab eo. «Et hic nimietatem potentiae significat; non dixit, *subjiciantur;* sed ut *ponantur sub pedibus ejus.* Non igitur efficiamur ex numero inimicorum. Non enim soli inimici, qui infideles, sunt; sed etiam qui vita immunda pleni sunt. *Prudentia autem carnis inimica est in Deum:* legi enim non subjicitur, nec enim potest **(Rom. VIII, 6)**.

{697} VERS. 14-18.---*Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Contestatur autem nobis et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc est autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas; [Col. 1079B] et peccata eorum et iniquitatem eorum jam non recordabor amplius. Vera [Ita Cod.; leg.: *Ubi*] autem horum remissio, jam non oblatio pro peccato. Una quippe oblatio corporis Christi perfectos faciet sanctificatos, quae remissionem integram facit peccatorum. Hoc autem et ex testimonio probavit prophetico dicens: *Contestatur autem nobis Spiritus sanctus:* Hoc est autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in cordibus eorum. Non ita, ut scripta fuit lex in tabulis lapideis; sed in tabulis cordis carnalibus perpetualiter scribebat illam. Quae est ista lex, quae in cordibus singulorum scripta est? Utique charitas; ut ea quae nolumus nobis fieri, alteri

non faciamus; haec est quae *cooperit multitudinem peccatorum* (Jacob. V, [Col. 1079C] 20): sicut in Evangelio dicitur: *Omnia quae vultis ut faciant vobis homines, haec eadem et vos facite illis* **(Matth. VII, 12)**. Quapropter non est necesse quotidie sacrificiis quotidianis purgare, sicut in veteri lege.

VERS. 19-21.---*Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei.* Hic ostendit distantiam pontificis et sacerdotis, et hostiarum, et tabernaculi, et testamenti et repromissionis, et multam differentiam, si quidem illa fuerunt temporalia, haec autem aeterna; illa quidem ad horam parentia, haec itaque permanentia; illa infirma, haec perfecta; illa formae, haec veritas; hoc [Col. 1079D] autem testamentum novum, habens remissionem peccatorum, illud autem nihil hujusmodi; illud autem manu factum, hoc autem non manu factum; illud quidem sanguinem hircorum, hoc autem, Domini [*Chrys.,* hoc autem Deum]: illud quidem stantem sacerdotem habebat, hoc autem sedentem. Quoniam igitur illa minora sunt, haec autem majora, *habentes* igitur, inquit, *fratres fiduciam.* Unde? Sicut enim confusionem faciunt peccata, sic fiduciam remissio peccatorum; et quod haeredes effecti sumus, et quod tanta dilectione fruimur. *In* introitu, inquit, *sanctorum.* Hic coelum dixit et accessum ad spiritalia. *Quam dedicavit, hoc est, quam construxit, et quam initiavit.* Dedicatio quippe dicitur initium utendi. [Col. 1080A] Quam praeparavit, inquit, et per quam ipse perrexit, *viam novam et vivam.* Per velamen, inquit, *carnis suae.* Haec quippe caro primum penetravit *viam illam, et dedicavit eam hac ratione, quomodo* [*Idem, quoniam*] ipse in ea perrexit. Velamen autem merito vocamus; cum enim elevatus est in coelum, tunc apparuerunt coelestia.

VERS. 22.---*Accedamus,* inquit, *cum vero corde et in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aquarum unda.* In quo accedamus? Scilicet fide, spiritali cultura, in veraci corde, sine simulatione, in satisfactione fidei; quia nihil est visibile horum. Neque sacerdotes jam, neque sacrificium, neque altare. Propterea inquit, *in plenitudine fidei.* Sic oportet credere, quomodo certi sumus de [Col. 1080B] visibili. Etenim et adhuc amplius. Hic enim aliquando carnis sensus errant in his quae videntur, illic autem nequaquam: quia spiritu spiritalia percipimus, et non licet haesitare de eis. Ideo ait: *Aspersi corda a conscientia mala.* Ostendit quia non fides sola, sed etiam vita cum virtute quaeritur, quia fides sine operibus otiosa est: illi autem corpora mundabant, non conscientiam. *Et* abluti, inquit, *aqua munda.* Lavacrum baptismatis in hoc loco dicit. Baptisma enim corporis mundatio non est, sed animae,» si fides adest baptizato, sive parentum, sive sui ipsa, si ad rationabilem aetatem pervenerit. **(VERS. 23.)** *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, fidelis est enim, qui repromisit.* «Nihil enim scruteris, nil rationis [Col. 1080C] exspectes, fide opus habent haec omnia,» quia sine fide impossibile placere Deo. Sicut Deus fidelis est in promissis suis, ita fideles vult nos esse in promissis nostris, quae vovimus. Diabolo contradicere debemus, et Christo servire.

{698} VERS. 24, 25.---*Consideremus invicem in provocatione charitatis et bonorum operum.* Non deserentes collectionem nostram sicut est consuetudinis quibusdam. Quid est, intelligamus invicem? Si virtute creditur [*Id.,* si quis fuerit virtute praeditus], hunc

imitemur, et in eum intendamus, ut diligamus et diligamur; ex dilectione quippe bona opera fiunt. Magnum quippe bonum est congregatio: ipsa namque charitatem operatur frequentiorem, et ex ea cuncta bona opera generantur. Nihil quippe bonum [Col. 1080D] est, quod non per charitatem fit. Istam igitur confirmemus invicem, quia *plenitudo legis charitas est* **(Rom. XIII, 10)**. Non enim laboribus opus habemus aut sudoribus: si dilexerimus invicem, spontanea nobis via sternitur ducens ad virtutem et ad coelestia.» *Sicut est consuetudinis quibusdam.* In hoc loco non solum admonuit, sed etiam culpavit et terruit unitatem charitatis scindentes. *Sed consolantes, et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Quem diem designat, nisi diem judicii, in quo singulorum merita examinantur? Vel etiam extremum diem vitae nostrae; dicit enim alio loco: *Dominus prope est, nihil solliciti sitis* **(Philip. IV, 5, 6)**, id est, de terrenis. Et item: *Nunc propius est nostra* [Col. 1081A] salus, quam credidimus **(Rom. XIII, 11)**: tempus enim abbreviatum est.

VERS. 26.---*Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Sponte namque peccantibus nobis, postquam accepimus veritatis agnitionem, ultra non relinquitur hostia pro peccatis, sicut in veteri lege donatum fuit hostias offerre saepius pro peccato. Neque enim Christus ipse iterum immolandus est pro peccatis nostris; hoc enim semel factus est, et secundo non est opus; sed magis opus est post acceptam gratiam permanere in fide et veritate bonorum operum. «Mundatus es, liber es a criminibus, factus es Filius Dei. Si ad primum vomitum reversus fueris, aliud te exspectat judicium,» nisi per poenitentiam [Col. 1081B] renovatus fueris. Ideo subsequenter ait: **(VERS. 27)** *Terribilis autem quaedam exspectatio judicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios.* «In hoc non poenitentiam exclusit, neque propitiationem, quae fit per poenitentiam; neque repellit et dejicit per desperationem delinquentem; non enim ita est inimicus salutis nostrae. Sed quid? Secundum namque exclusit lavacrum baptismi. Non enim dixit: Non est ultra poenitentia; neque dixit: Ultra non est remissio: sed hostia, inquit, ultra non est, hoc est, crux secunda ultra non est. Una namque perfecit in perpetuum eos, qui sanctificantur, non sicut Judaicae. Cautos nos volens efficere, ne ultra vel crucem Christi, vel hostias judaicas exspectemus pro peccatis.» Et quicunque poenitentiae medicamentum neglexerit, [Col. 1081C] ignis aemulatio devoret eum. Quapropter unusquisque ad poenitentiae, dum tempus habet, medicamentum confugiat, ne igni tradatur aeterno. **(VERS. 28.)** *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur.* Terrorem enim incutit Christianis de poenis [eorum] qui sub lege peccaverunt. «*Sine miseratione, inquit, ut nulla sit venia, nulla sit misericordia, quanquam Moysi esset illa lex.* Si duo vel tres, sicut ille disposuit, testificantur super eum, confestim judices populi judicant eum ad mortem, si legi contrarius fuit aut inobediens. Et si hoc ita est in veteri lege, ubi lex Moysi irrita fit. **(VERS. 29.)** *Quanto magis,* inquit Apostolus, *putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit,* et sanguinem testamenti pollutum [Col. 1081D] duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit?

Quanto major est Christus quam Moyses, gratia quam lex, tanto majora merebitur supplicia. Et quomodo conculcat quisque Filium Dei? Quando enim ex eo indigne participamur per sacramenta, nonne grande peccatum committit? Nonne illum

conculcat? Nonne ipsum contemnit? Sicut enim ea quae conculcamus, nullius momenti pendimus, sic et qui libere peccant, absque timore, et absque poenitentia, Christum nullius momenti existimant,» nec eum judicem futurum formidant. Factus est per gratiam corpus Christi, et seipsum facit corpus diaboli; et sanguinem Christi impollutum [pollutum] facit, in [Col. 1082A] quo mundatus est, et ad vomitum revertitur pristinum, et seipsum per poenitentiam iterum mundare neglexerit [*Forte, negligit*]. {699} *Et spiritui gratiae injurians.* «Qui vero beneficium dantis grata mente non suscipit, injuriam faciens [*Forte, facit*] benefacienti. Ille facit te filium, tu vero vis fieri servus peccati. Venit enim ad habitandum apud te;» tu vero non praeparas ei domum dignam habitationis suae, alium, id est, diabolum tibi habitatorem concilians.

VERS. 30.---*Scimus enim qui dixit:* Mihi vindicta, et ego reddam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum. De inimicis hoc dixit, et de negligentibus per poenitentiam se purgare; sed securi male faciunt. Judicare enim intelligitur plebem suam, [Col. 1082B] separando [in] plebe sua bonos a malis, fideles ab infidelibus. **(VERS. 31.)** *Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis.* Incidit in manus Dei in die judicii, id est, in potestatem ejus judicis, qui reddet unicuique secundum merita sua, qui non vult modo praevenire in confessione et poenitentia faciem ejus, dum tempus habet. Si non poenituerit de peccatis suis, incidit in horrendum judicium omnipotentis Dei. **(VERS. 32.)** *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.* «Postquam vero Paulus concutit animos eorum dicendo: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis,» fidem faciens, quod omnimodis oportet perire injuriantem gratiam Dei, et Spiritui sancto injuriam facientem, et hoc ex lege Moysi docet.* [Col. 1082C] «Proinde ne multo timore desperantem a tristitia et desperatione absorberi faceret, consolatur eos per laudes et hortationes; et aemulationem domesticam eis proferens. *Illuminati, id est,* confortati per gratiam divinam, *magnum certamen sustinuistis passionum.* Non dicit simpliciter certamen, sed addidit, *magnum.* Nec dixit, tentationes, sed pugnam, quod quidem est multae laudis, et nostrarum praedicatio laudum» pro Christi nomine pati. (VERS. 33, 34.) *Et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti:* in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis. Modo minutatim per partes prosequitur laudes eorum, dicens, eos non solum viriliter sustinere passiones pro Christo verum etiam et vinctis compassos eos [Col. 1082D] esse annuntiat. *Et tribulationibus opprobriisque spectaculum facti.* «Gravis quippe res est opprobrium; et idonea ad fortitudinem animae subvertendam, et ad excaecandam mentem potens, quoniam valde appetens est gloriae genus humanum; propterea etiam et opprobriis facile captatur [*Chrys.,* captivatur]. Et non simpliciter dixit opprobriis, sed etiam augmentum fecit, dicens, *spectaculum* [Cod. semper, *expectaculum*] facti. Cum enim quis secrete exprobratur, contristatur quidem; sed multo amplius cum coram omnibus.» *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Mirabiliter laudat eos in fide; quia si fidem non haberent, meliora recepisse pro hac substantia abrepta, non cum gaudio suscepissent [Col. 1083A] rapinam ejus. Proinde subjungit fiduciam fidei. *Cognoscentes,* inquit, *vos habere meliorem et manentem substantiam.* Quasi diceret: Vestras futuras videntes divitias sustinuistis cum gaudio. Quod necdum apparet, quasi praesens appareret, cernebatis. «Hoc enim totum apostolicum est opus, et dignum illis fortibus animabus, ut flagellis gauderent, sicut in Actibus apostolorum legitur: *Euntes*

autem a concilio, gaudentes quia digni habebantur pro nomine Jesu contumeliam pati **(Act. V, 41)**. Cognoscentes, inquit, vos meliorem habere et manentem substantiam; prout diceret, firmam, et substantiam [*Chrys.,* firmam et stabilem], quae perire non possit, sicut ista terrena perit.» Deinde laudans eos dicit: **(VERS. 35)** *Nolite itaque amittere confidentiam vestram,* quae [Col. 1083B] grandem habet remunerationem apud Deum. Apparet autem quia in magna confidentia erant ad Deum, quam ne amitterent, instantissime eos hortatur; facilius enim integra conservantur quam amissa recuperentur. Nihil enim vobis necessarium est, nisi ut stetis firmiter, et permaneatis in fortitudine vestra, *quae magnam habet remunerationem apud Deum.*

VERS. 36.---*Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* O quanta magnitudo exhortationis istius et consolationis! Unum quippe opus habeatis, id est, ut perseveretis in agone, donec recipiatis coronam condignam [Col. 1084A] labori vestro. Quia non qui coeperit, coronabitur, sed *qui* perseveraverit in certamine *usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. *In patientia siquidem possidebitis,* dicit Dominus, *animas vestras.* Reportetis, dixit, id est, accipiatis promissiones Dei. **(VERS. 37.)** *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet et non tardabit.* Non minima consolatio est laboris, cito sperare venturum judicem, et remuneratorem, et consolatorem, remuneraturum certaminis constantiam. (VERS. 38, 39.) *Justus autem meus ex fide vivit:* Quod si subtraxerit se, non placebit animae meae. Nos autem non {700} *sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae.* Hoc propheticum intulit Apostolus testimomonium ad exhortationem fidei. Sicut displicebit qui [Col. 1084B] dubitat, ita qui crediderit, vivet in fide sua recta. Quapropter credamus velociter venisse [*Forte, venturum*] judicem Christum, et praeparemus nos obviam in bonis actibus, ne simus abstractionis filii a luce sempiterna; sed acquisitionis in gloriam, cum sanctis in die magno audientes vocem desiderabilem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXV, 34)**.

(*Hucusque codex.* Reliqua tria capita hujus Epistolae ad Hebraeos praetermissa sunt, vel ab ipso Alcuino, vel a librario.)

COMMENTATIO BREVIS IN QUASDAM SANCTI PAULI APOSTOLI SENTENTIAS.

[Col. 1083C] Albinus de hoc quod dicit Apostolus ad Corinthios: *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est;* qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (I Cor. VI, 18). Quod ita solvi potest. Aliud est per corpus peccare, aliud in corpore. Per corpus fiunt furta, rapinae, homicidia, et his similia: in corpore vero fiunt fornicationes, et libidinum immunditiae; illa agit corpus, haec patitur. Aliter: In corpus peccat, qui tollit membra Christi, et facit membra meretricis, et templum Dei facit delubrum diaboli (I Cor. VI, 15). Aliter: In corpus peccat, qui fornicationis causa virginitatem perdit, quam recuperare [Col. 1083D] nunquam potest, Propheta attestante: *Virgo Israel cecidit, sed non adjiciet, ut resurgat* **(Amos. V, 1, 2)**. Potest per poenitentiam fornicationis causa dilui; sed perdita virginitatis corona resumi nequit. Sunt et qui de uxore hoc volunt intelligi.

Est et alia quaestio, ubi ad Ephesios Apostolus loquitur: *Exsurge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* **(Ephes. V, 14)**. His etiam dicitur qui in tenebris peccatorum jacent, imo et moriuntur; qui si per poenitentiam surgunt, mox sibi divinae gratiae lumen adesse sentiunt. Sed quis hoc dixerit, quaeris? Utique Spiritus sanctus per Apostolum, ut nos exhortaret ad poenitentiam. Itaque [Col. 1084C] quod Spiritus in eo loquebatur, subito protulit in medium, ut loquentis in se auctoritate firmaret, quam suis auditoribus persuadere voluit. Sunt qui aestimant eum hoc de reconditis antiquorum libris protulisse testimonium, sicut in aliis eum locis legimus fecisse. Sed hoc quaerendum est cur prius quasi viventi diceret, *exsurge, qui dormis;* et posterius quasi mortuo: *et exsurge a mortuis? Animae mortem legimus, ut: Anima quae peccaverit, ipsa morietur* **(Ezech. XVIII, 20)**; spiritus vero non legimus. Ac ideo quod dicit: *Exsurge, qui dormis, ad spiritum referri;* quod dicit: *exsurge a mortuis,* animae coaptari [Col. 1084D] potest

@ [Col. 1083D] Vide S. Hier. in hunc locum..

De Epistola ad Titum. Cur Apostolus cujusdam gentilis poetae comprobaret testimonium: *Cretenses semper mendaces, malae bestiae et ventris pigri* **(Tit. I, 12)**? Scilicet probat quia verum intellexerat tales esse, quales illorum *proprius propheta praedixit, quem alludens prophetam nominavit;* quod scilicet tales Christiani tales mereantur habere prophetas. Sumpsit autem istum versiculum de libro Epimenidis Cretensis poetae, cujus titulus est: *De oraculis.* Quem eumdem aestimaverim legisse Apostolum, ut sciret quid gentilium promitterent oracula; non quod totum comprobaret librum, sed aurum in stercore [Col. 1085A] reperiens, id est, veritatem inter falsitates, retulit illud in donaria Dei, et ut ingenitum Cretensibus vitium falsitatis, illorum proprio potissimum auctore [*Ms.,* auctori] confunderet. Mendaces quippe Cretenses, dixit, et malae bestiae et ventres pigri, qui falsa persuadent et ferarum ritu sanguinem sitiunt deceptorum; et non cum silentio operantes suum panem manducant, *quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum* **(Philip. III, 19)**.

Quarta vero interrogatio fuit de Epistola ad Hebraeos, ubi dicit Apostolus: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt,* renovari rursus ad [Col. 1085B] poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentum [Leg., *ostentui*] habentes **(Hebr. VI, 4, 5)**. Totus hic locus, et anteriora ejus et posteriora, magnis obscuritatibus obvolutus est; tamen ut aliqua dicamus de hujus tantummodo sententiae expositione; et ut brevi sermone ejus aperiam profunditatem, putatur Apostolum hoc dixisse de sacrificiis Judaeorum; vel de baptismo Christianorum, quod *impossibile sit* (impossibile enim fieri non potest) eos, *qui* semel illuminati sunt per fidem, *gustaverunt enim donum coeleste, id est, per baptismum remissionem peccatorum; et participes sunt facti Spiritus sancti,* [Col. 1085C] acceperunt quidem per manus impositionem Spiritum [Col. 1086A] sanctum; *gustaverunt nihilominus bonum doctrinae, verbum* salutare, *virtutesque saeculi venturi, scilicet spem futurae gloriae, quae sanctis promittitur; et prolapsi sunt in aliquo peccato infidelitatis, hos tales impossibile est per sacrificia Judaica mundare, vel* [per] baptismum *renovari iterum ad poenitentiam;* quia sicut semel Christus mortuus est pro salute omnium, ita semel unusquisque baptizari debet in

salutem. Ideo *renovari dixit, quia homo in baptismo novus efficitur.* Si enim sciremus nos semper per baptismum posse mundari, quando cessaremus peccare? Sic enim impossibile est secundo crucifigi Christum (hoc enim est ostentui habere). Quid est nostrum baptisma, nisi crucifixio Christi? Sicut enim Christus in cruce mortuus est, ita et nos in baptismate [Col. 1086B] morimur peccatis; et sicut tres dies in sepulcro fuit, ita nos ter mergimur, dicente Apostolo, *consepulti enim sumus cum Christo per baptisma* **(Rom. VI, 4)**; et sicut resurgente eo mors ultra illi non dominabitur, ita et nobis post resurrectionem baptismi peccata dominare non debent, sicut idem Apostolus praecipit: *Fratres, si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite, non quae super terram;* mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria **(Coloss. III, 1, 4)**.

BEATI ALCUINI COMMENTARIORUM IN APOCALYPSIN LIBRI QUINQUE.

(*Non habentur in edit.* Frobenii haec Commentaria, quae excerpsimus ex Maii Collectione Vaticana.)

MONITUM MAII.

Codex Vaticanus optimae notae et antiquitatis eximiae, nempe saeculi noni vel certe decimi, exhibuit mihi libellos quinque commentariorum in Apocalypseos capita priora duodecim; quibus libellis Alcuini nomen inscriptum est. Quanquam autem in plenissima Alcuini editione per Frobenium curata id opus minime exstat, attamen Joan. Trithemius, Script. Eccl.; Sixtus Senensis, Bibl. sacr.; et Balaeus, Script. Britan., cent. II, Alcuini in Apocalypsin Commentarium diserte commemorant: quare superest ut arbitremur, hunc in deperditis hactenus jacuisse. Nil autem interest quod praedicti auctores unum dicant ejus operis librum; nostri enim libelli quinque tam breves sunt, ut intuentibus ipsorum molem, unius instar videri potuerint. Ne vero lectores mei facile mirentur quod id opusculum in codicibus nostris tandiu latuerit, illud, quaeso, meminerint quod nempe decessor meus in Vaticana praefectura Petrus Fogginius incognitum aliud Alcuini opusculum ex Vat. palatino codice extulerit, libellum scilicet adversus haeresim Felicis Orgelitani, quem a se praefatione instructum preloque jam paratum, deinde ad Frobenium misit, ut in novam quam splendide adornabat editionem **(Tom. I, p. 659 seq.)** insereretur. Id, inquam, Fogginii exemplum, et operis etiam stylus ab Alcuiniano minime discrepans, codicis alta antiquitas, et inscriptum Alcuini, ut dixi, nomen, animos mihi addiderunt, ut confidenter opus in lucem emitterem: cujus quidem erudita praefatio, eos qui ante se Apocalypsin illustrarunt, usque ad aequales suos Bedam venerabilem et Ambrosium Autpertum, enumerat: ratio autem operis pia, moralis, mystica, et ad Christum atque ad Ecclesiam cuncta ut par est referens. Neque illud contemnent philologi, quod col. 1098 et 1106 alteram quoque Alcuinus translationem Apocalypseos demonstrat. Quod si quem non immerito offendat minuta illa, quam interdum persequitur, etymologia nominum propriorum et explicatio, is eam conformem esse sciat alteri Alcuini opusculo **(Opp. tom. I, p. 449)** ubi nominum

Hebraicorum litteralem, allegoricam, et moralem facit interpretationem. Omne scilicet aevum suos quodque patitur manes; neque id tamen impedit quominus Alcuinus saeculi sui fax fuerit, ut ait Baronius ad an. 802, divinarum et humanarum litterarum neritia nemini secundus, et Anglorum certe post beatum Adelmum et Bedam doctissimus, Parisiensis academiae fundator, Magni denique Caroli magister, ut eum veteres appellant, deliciosus: et quem Deus in Occidente pugilem haereticis Adoptianis opposuit, ut in Oriente Cyrillum Nestorianis.

LIBER PRIMUS.

INCIPIT PRAEFATIO ALCUINI IN EXPOSITIONEM APOCALYPSIS. [Col. 1087A]

Beatus Beda in septem periochis dicit Apocalypsin consistere. In prima post salutationem commemorat Domini passiones et glorias ad confirmandos infirmos: deinde commemoratis quae in septem Ecclesiis gesta et gerenda sunt, describit pugnas et victorias universalis Ecclesiae. In secunda videt quatuor animalia, et viginti quatuor seniores, et Agnum stantem, et librum septem sigillis signatum: narrat etiam pugnas et triumphos Ecclesiae. In tertia sub specie septem angelorum tuba canentium varios eventus Ecclesiae describit. In quarta, sub figura mulieris et draconis, pugnas et victorias Ecclesiae narrat, ubi per septem angelos dicta et facta commemorat, [Col. 1087B] etsi non ut prius. In quinta per septem angelos septem plagis terram percutit. In sexta damnationem meretricis narrat. In septima uxorem Agni dicit ornatam de coelo descendere. De septem regulis Tichonii; quarum prima est de Domino ejusque corpore, secunda de Domini corpore vero et simulato, tertia de promissis et lege, quarta de specie et genere, quinta de temporibus, sexta recapitulatio, septima de diabolo ejusque corpore. Hae septem regulae, non solum in Apocalypsi, sed in aliis libris inveniuntur, maxime autem in propheticis.

In Apocalypsin primus commentatus martyr Victorinus; quem sequens beatus Hieronymus quaedam quae ille juxta litteram intellexerat auferens, quaedam [Col. 1087C] ex proprio adjiciens, unum in eam condidit librum, promittens, se in ea potissime laboraturum, si vitae spatium adesset: sed opus illud utrum impletum fuerit, incertum est. Donatista etiam Tichonius multiplicem in eam edidit expositionem, sed perfidiae veneno commiscuit. Post quem Primasius Africanae Ecclesiae antistes, vir per omnia catholicus et in divinis Scripturis eruditus, quinque eam libris enodavit, in quibus, ut ipse asserit, non tam propria quam aliena contexuit, ejusdem scilicet Tichonii bene intellecta deflorans; nihilominus et beati Augustini quaedam exposita capitula adnectens. Et quamvis eam plenius quam alii exposuerit, altissimo tamen sermone composuit. Denique etsi numero [Col. 1088A] pauca, luculentissime tamen a sancto Gregorio exposita sunt capitula per ejus diversa opuscula. Postremo beatus Ambrosius Autpertus presbyter quaedam ex his, multa vero ex suo ponens, pulcherrime pertractavit. *Explicit praefatio.*

EXPOSITIO PROPHETIAE NOVI TESTAMENTI.

@ [Col. 1087C] Hos versus sequenti Commentario (quod, licet [Col. 1087D] haud incompertum, reperire non potuit) praefigendos indicat Frobenius inter *Addenda* et *Supplenda, ad*

calcem Operum beati Alcuini, ex codice pervetusto, de quo sic vir doctissimus: «Paulo antequam hoc opus integre typis absolveretur, forte fortuito ad manus meas delatus est codex ms. pervetustus, nemini adhuc memoratus, conservatus vero in hujus urbis nostrae Ratisponensis celebri collegio seu episcopali gymnasio S. Pauli. Scriptus is est, prout versus primae paginae inscripti testantur, jussu Liuphrammi [Col. 1088C] archiepiscopi Salisburgensis; qui versus ita sonant

[Col. 1088D] Scribere hunc librum fecit jam archisacerdos
Liuphrammus rector, sit cui vita salus. Tenuit Liuphrammus illam sedem metropoliticam ab anno 836 usque ad annum 859; cui tempori scriptura codicis apprime convenit. Porro in hoc codice plurima Alcuini nostri carmina deprehendi, partim jam inter edita comprehensa, partim ibi mutila, partim vero omnino inedita;» etc. Exsul ab humano dum pellitur orbe Joannes
Et vetitus Coici est cernere regna soli. Intret ovans coeli Domino dilectus in aulam
Regis et altithroni gaudet adesse toris. Hinc ubi subjectum sacra lumina vertit in orbem
Currere fluctivagas cernit ubique rotas. Et Babel et Solymam mixtis confligere castris,
Hincque atque hinc vicibus tela fugamque capi.[Col. 1088B] Sed mitem sequitur miles qui candidus agnum,
Cum duce percipiet regna beata polo. Squammeus est anguis per tartara caeca maniplos
Submerget flammis, peste, fameque suos. Hujus quae facies, stadiumve, ordove duelli,
Ars quae, quae phalanx, palma et arma forent, Pandere dum cuperem, veterum sata lata peragrans
Excerpsi campis germina pauca sacris, Copia ne potior generet fastidia mensis,
Convivam aut tenuem tanta parare vetet. Nostra tuis ergo sapiant si fercula labris
Donanti laudes da super astra Deo. Sin alias, animos tamen amplexator amicos
Quae cano, corripiens pumice frange fero.

[Col. 1088C] Inter reliquos Novi Testamenti libros, sola Apocalypsis prophetia vocatur, juxta illud: Beatus qui legit et qui audiunt verba prophetiae libri hujus, et caetera. Quia ergo nova prophetia est, sic excellit veterem prophetiam, sicut Evangelium observantiam legis, quia quae de Christo et de Ecclesia antiqua prophetia revelanda praedixit, haec jam revelata denuntiat. Unde et Apocalypsis, id est revelatio, inscribitur. Hujus autem libri magna auctoritas est, quia a Trinitate per angelum ad Joannem mittitur. A Patre, ut illud: *Quam dedit illi Deus palam facere.* A Filio, ut illud: Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis. A Spiritu quoque sancto, ut illud: Dominus Deus omnipotens Spiritus prophetarum misit angelum [Col. 1089A] suum, et caetera. Igitur quia nihil historicum sonet, ipsius verba docere probantur. Neque enim in coelo sunt fabri qui loricas fabricent, nec mulier in coelo parere potuit. Nunc superest ut qualitatem visionis ejus discutiamus. Tres itaque visionum modos patres nostri intelligendos docuerunt: corporalem, ut videmus per oculos solem, lunam, et reliqua; spiritalem, quae fit per mentis excessum sive vigilantibus sive dormientibus viris, cum non res corporales, sed similitudines rerum corporalium per spiritum intuentur, quemadmodum Pharao vidit septem boves, et Nabuchodonosor lapidem praecisum de monte sine manibus, et Petrus linteum. Tertius est qui intellectualis appellatur, per quem nec corporales res, nec earum similitudines, sed ipsa rerum veritas [Col. 1089B] intuentibus manifestatur, quod huic tantummodo Apocalypsis beatus Hieronymus

ascribit. Sanctus vero Augustinus spiritalem in hac intelligi debere visionem, ac per similitudines rerum corporalium ostensam, omnimodis docet. Sed ipsi viderint quis eorum verius dixerit. Ordo vero narrationis hic est: Aliquando ab adventu Domini inchoat, et perducit usque ad finem saeculi. Aliquando ab adventu Domini inchoat, et antequam finiat, ad initium redit, et ea quae dimiserat, sive quae dixerat, diversis figuris repetens, ad secundum Domini adventum percurrit. Aliquando incipit a novissima persecutione; sed antequam ad finem veniat, recapitulando utraque conjungit. Aliquando ad enarrandum proposita paululum intermittit, et aliud non ad hoc pertinens interponit; [Col. 1089C] post quod ordine conciso quae coeperat perdocet. Aliquando in ipso genere locutionis sic mutata figura quasi alia permiscet, ut non nil aliud significet quam quod narrare coeperat. Et nota quia rarissime in hac revelatione vel angelus, vel Joannes proprias tenent personas. Recurrit autem sermo a specie ad genus, quemadmodum cum Jezabel specialiter increpasset, subjunxit: *Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Quod generaliter sive bonis sive malis congruere videtur. Item a genere ad speciem transit quando cum Ecclesiae, quae habitat inter malos, sub specie pastoris Pergamenorum diceret: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae, et reliqua.* Continuo negligenti pastori intulit: *Habeo adversus te pauca, et caetera.* Ab hac specie transit ad aliam, cum protinus [Col. 1089D] subdit: *Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Qui enim non ait: Habes etiam illic, sed *habes et tu, patenter innuit quia ab una specie ad aliam sermonem convertit.* Invenitur etiam genus in specie. Nam dicendo *Ego Joannes frater, et reliqua, in sua persona totius Ecclesiae persecutiones insinuat, quas quotidie propter verbum Dei patitur.* Jungitur etiam genus generi, cum sedes dicitur posita in coelo. Utrumque enim per se positum, id est et coelum et sedes, in hac revelatione frequenter Ecclesiam designat: cum autem simul junguntur, unam eamdemque Ecclesiam figurant.

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1.---*Apocalypsis Jesu Christi.* Primo notandum [Col. 1090A] quia plenior sensus redderetur, si haec est Apocalypsis diceret; sed Scripturarum mos est brevitatis causa praenominatas particulas sub auditione relinquere. Hinc est quod Salomon non ait: Hae sunt parabolae Salomonis, vel, Haec sunt verba Ecclesiastae. Apocalypsis, ut dictum est, ex Graeco in Latinum revelatio interpretatur. Jesus Hebraice, Graece sotir, Latine autem dicitur salutaris. Christus Graece, Latine unctus. Nam chrisma unctio dicitur. Chrisma vero primus jubente Domino Moyses in libro Exodo composuisse narratur, quo reges et sacerdotes ungebantur, praefigurantes Christum a Patre invisibiliter unctum. *Quam dedit illis Deus palam facere servis suis, quae oportet fieri cito.* Hic quoque notandum quia usitatius diceretur, Qua dedit illi Deus: sed [Col. 1090B] sacrae Scripturae consuetudo est frequenter pro ablativo sine praepositione accusativum ponere. Unde est illud psalmi: *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te.* Et Paulus: *Bonum certamen certavi.* Ostenditur enim his verbis haec revelatio esse Jesu Christi, et hoc a Deo illum accepisse, ut sua revelatione palam faceret servis suis quae oportet fieri cito. Quam ob rem ita distinguendum est, *Apocalypsis Jesu Christi;* et deinde inferendum, *quam dedit illi Deus palam facere servis suis, et reliqua:* quorum unum ad divinitatem redigitur, secundum quam ipse cum Patre cuncta revelat mysteria;

alterum ad humanitatem, secundum quam non solum a Patre et Spiritu sancto, sed et a semetipso accepit, ut ipse sua revelatione ea quae cito oportet fieri, servis suis declaret. [Col. 1090C] Unde non dicitur, quam dedit illi Deus Pater, sed indefinite, *quam dedit illi Deus, id est Trinitas.* Et nota quia dicendo *servis suis, ostendit Filium etiam in forma servi, non servum, dum ejus humanitas domina praedicatur servorum. Suis autem dicit, id est divinae gratiae subjectis;* juxta illud: *Confiteor tibi, Domine, Pater coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* **(Matth. XI, 25)**. In eo vero quod subditur, *quae oportet fieri cito, quanquam innumera possint intelligi, singulari tamen intentione de temporalibus Ecclesiae pressuris gaudiisque perennibus venturis, ac de malorum praesenti felicitate, aeternisque futuris cruciatibus sermonem contexit.* Quae omnia cito fiunt, quia hoc praesens tempus sine aliqua momenti interpositione [Col. 1090D] ad finem transvolare compellitur. Unde idem Joannes alibi dicit: *Filioli, novissima hora est* (II Joan. II, 18).

Et significavit mittens per angelum suum servo suo Joanni. Significavit, id est, sigillavit. Nam signum sigillum dicitur; unde et Danieli dicitur: *Clausi sunt signatique sermones* **(Dan. XII, 9)**. Et Isaiae: Signavi visionem in discipulis meis **(Isa. VIII, 16)**. Sed quid sibi vult quod signata haec visio dicitur, cum in sequentibus dicatur, Ne signaveris verba prophetiae libri hujus? nisi quia piis reserantur, impiis signo clauduntur, neque enim propter fideles servos, sed propter fures divitiae sigillantur. Unde ad Danielem dicitur: *Impie agent impii;* porro docti intelligent [Col. 1091A] **(Dan. XII, 10)**. Dicendo autem *significavit, ostendit non juxta litteram accipi debere, sed ad mysteria altius perscrutanda significationis verbo nos fecit intentos.* Haec igitur visio per angelum missa est; sed incircumscriptus spiritus, qui hanc misit, et in eo fuit per quem misit, et in eo cui misit. Idem autem angelus qui apparuit solius incarnati Verbi figuram gessit, ejusque corporis, quod est Ecclesia. Ipse etiam Joannes, cui apparuit, Ecclesiae typum praetendit. Non autem duas Ecclesias angelum et Joannem praefigurasse credendum est; sed cum angelus typum tenet capitis, Joannes praedicatorum; cum angelus praedicatorum, Joannes auditorum; et cum per angelum praecedentia membra, per Joannem sequentia designantur; sive in angelo Ecclesia intelligitur [Col. 1091B] post resurrectionem glorificata; in Joanne vero praesens erudienda a Christo. Praeterea sciendum quia sic Dominus post ascensionem apparet quemadmodum ante incarnationem patribus apparuit, id est per angelicam creaturam. In quo facto patenter ostendit, non se corporaliter nunc ad docendum requiri debere, qui ubique praesens est majestate: nec enim existimandum est, humanitatem ex Virgine sumptam fuisse in angelo; sed illius figuram angelum expressisse. Nihil etiam mirum quod similis filio hominis vocatur, cum Daniel propheta angelum Gabriel virum nominasse perhibetur. Sic autem per hunc angelum dicitur: *Ego sum primus et novissimus, et reliqua.* Quemadmodum ante incarnationem Deus in assumpta angeli persona dicit: Ego sum Deus [Col. 1091C] Abraham, et caetera. Sicut enim Moyses eum qui sibi in rubo apparuit, modo angelum, modo Dominum vocat; sic Joannes hanc revelationem sibi per angelum missam perhibet, et ipsum in mysterio et figura Dominum Jesum Christum fuisse confirmat. Itaque et Paulo Dominus in via per angelum apparuit; quia si in propriae carnis substantia apparere debuisset, Joanni, quem specialiter dilexit, appareret. Et notandum quia more aliorum Joannes de se quasi de alio loquitur. Moyses quippe ait: *Erat Moyses vir mitissimus* **(Num. XII, 3)**. Et Job: *Vir*

erat in terra Hus nomine Job **(Job. I, 1)**, et caetera. Non enim ipsi a se, sed Spiritus sanctus per eos loquebatur.

VERS. 2.---*Qui testimonium perhibuit Verbo Dei,* [Col. 1091D] et testimonium Jesu Christi quaecunque vidit. Perhibuit tunc Joannes, perhibet nunc Ecclesia, cujus ille figuram gerebat, cum hanc Apocalypsin cerneret. Verbum autem et Jesum Christum distinguit propter duas Christi substantias, qui de utroque testimonium perhibuit dicens: *In principio erat Verbum.* Et item: *Verbum caro factum est.* Vidit autem ad utrumque refertur. Vidit enim spiritalibus oculis Verbum, corporalibus vero omnia quae de humanitate ipsius narrantur. **(VERS. 3.)** *Beatus qui legit et* qui audiunt *verba* prophetiae libri *hujus,* et servant *ea quae in ea scripta sunt.* Tempus enim prope est. Hic claret quanta sit hujus libri auctoritas, qui inter omnes prophetias speciali quodam modo sponsione [Col. 1092A] beatitudinem repromittit. Dicendo autem *qui legit, et qui audiunt, doctorum personam et audientium demonstravit.* Quod vero subditur, *et servant ea, ad utrosque pertinet, quia non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et ut ad haec observanda utrorumque animos incitaret, subjecit: *tempus enim prope est;* scilicet quo vel justi post observantiam mandatorum remunerentur, vel injusti post negligentiam puniantur.

VERS. 4.---*Joannes septem Ecclesiis quae sunt in Asia.* Per septenarium numerum universalis Ecclesia exprimitur, propter septem dona illius qui replevit orbem terrarum. Hinc Eliseus septies puerum oscitare fecit super quem incubuit, quoniam populus infidelitate mortuus, per septem dona sancti Spiritus [Col. 1092B] vivificatur. Septenarius itaque numerus perfectus est, qui a ternario et quaternario formatur; ternarius namque in divinis Scripturis perfectus habetur propter mysterium Trinitatis; sive propter tres virtutes, fidem, spem et charitatem; sive propter tres ordines fidelium, praedicatorum, abstinentium, et conjugatorum. Quaternarius vero perfectus est propter mundi partes, sive propter quatuor principales virtutes, id est prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque justitiam; seu propter quatuor Evangeliorum libros. Quia igitur Trinitatis cognitio quatuor coeli cardines comprehendit; sive quia spes, fides et charitas quatuor principalium virtutum summam perficiunt; seu quia tres ordines credentium, quatuor Evangeliorum praeceptis se subdunt, recte [Col. 1092C] per hunc septenarium numerum universalis Ecclesia figuratur. Attamen sciendum quia specialiter ad septem Ephesiorum Ecclesias haec sacramenta de exsilio scripta mandavit. Non ergo species excluditur, sed in specie genus, id est universalis Ecclesia ostenditur, quae bene in Asia esse dicitur. Asia enim elatio interpretatur. Elatio autem non semper pro vitio ponitur, sed aliquando pro culmine virtutis, ut illud: *Ponam te in superbiam saeculorum* **(Isa. LX, 15)**. Id est, faciam ut voluptates omnes et infimos honores despicias. Et alibi: *Sustulit te super altitudinem terrae.* In hac igitur elationis celsitudine consistit Ecclesia. Aliter, si elatio pro vitio ponitur, non accipiendum est quod sancta Ecclesia elata permaneat, sed quia dudum in elationis fastu erecta, humilis futura superno munere [Col. 1092D] sit praedestinata. Juxta illud: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli* **(Job. XXXVIII, 22, 23)**?

VERS. 5.---*Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a*

septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, et a Jesu Christo. Gratia dicitur venia gratis collata, qua infulgente ex servis peccati in filios justitiae adoptati sumus. Hanc Petrus, hanc Paulus scripturi fidelibus, titulo salutationis praemiserunt, ut populos gratiae exhortaturi, omnem salutationis summam in hac esse monstrarent: et apte gratia paci praefertur, quia nullus ad pacem Dei reconciliatus venire poterat, nisi hunc [Col. 1093A] gratia misericordiae praecessisset. Quod autem dicit *ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, specialiter unigenito Dei Filio assignandum est.* Ipse essentialiter est cum Patre et Spiritu sancto, cui mutabilitas nunquam accidit, juxta illud Pauli: *Non* fuit in illo *est et non;* sed est in illo fuit erat **(II Cor. I, 18)**, quia ante quam de virgine nasceretur in tempore, cuncta cum Patre tempora fecit. Unde idem Joannes: *In principio erat Verbum.* Idem etiam venturus est in assumpta humanitate ad judicandum vivos et mortuos; sicut scriptum est: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* **(Act. I, 11)**. Cum ergo certum sit quia hanc gratiam Ecclesia sicut a Filio et Spiritu sancto, ita a Patre per Filium et Spiritum sanctum acceperit, cur hoc loco [Col. 1093B] persona Patris reticetur? Scilicet quia sacrarum Scripturarum mos est, ut ubi una vel duae de Trinitate personae ponuntur, tota simul Trinitas intelligatur. *A* septem vero *spiritibus dicit propter unius spiritus septenariam operationem: qui* ideo *in conspectu throni, id est Ecclesiae, hoc est in memoria sanctorum solus esse dicitur, quia eidem specialiter remissio peccatorum assignatur;* juxta illud: *Accipite Spiritum sanctum;* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis **(Joan. XX, 22, 23)**. Vel certe in Spiritu tota Trinitas intelligitur. Dicendo autem *a Jesu Christo, ideo Filii personam repetit, quoniam qui dicitur erat ante saecula, homo factus est in fine saeculorum.*

Qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, et [Col. 1093C] princeps regum terrae. Manifesto genere locutionis Christum dicit, specialiter testem fidelem, cum tres sint qui testimonium dant, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et tres unus Deus sunt. Potest et specialiter Filius in assumpto homine dici testis fidelis, eo quod pro testimonio veritatis usque ad mortem pervenerit carnis. Nam *cum omnis Ecclesia in sanctis praedicatoribus testimonium de Christo perhibeat, illi principaliter martyres, id est testes, dicuntur qui pro Christo mortem pertulerunt corporis.* Primogenitus autem ideo dicitur, quia nullus ante ipsum non moriturus surrexit. Aliter omnes sancti mortui sunt mundo, ut illud: Mortui enim estis; sed iste singulariter, in quo nullum fuit peccatum. Reges vero, aut omnes sanctos dicit, qui se bene regere [Col. 1093D] noverunt; aut certe praedicatores, qui bonis se sociant; sed super malos erigunt, sicut Petrus super Ananiam, et Paulus sceptrum vibrat dicendo: *Quid vultis? In virga veniam ad vos* **(I Cor. IV, 21)** . Quia *dilexit nos.* Quomodo nos dilexerit, mala quae pertulit manifestant. Non autem nos quales eramus dilexit, id est impios; sed quales ipso amore nos fecit. Unde continuo subditur: *et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Sed quo ordine in sanguine suo nos laverit, Apostolus indicavit dicens: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* **(Rom. VI, 3)**. **(VERS. 6.)** *Et fecit regnum* nostrum *sacerdotes Deo et Patri suo.* Quia caput nostrum rex est et sacerdos, ideo omnia membra [Col. 1094A] reges sunt et sacerdotes; ut illud Petri apostoli: *Vos genus electum regale sacerdotium* **(I Petr. II, 9)**. Reges autem sunt, seipsos regendo; sacerdotes vero, Deo offerendo; juxta illud: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Dicendo itaque *Deo et Patri, unam personam ostendit;* quanquam Spiritus sanctus secundum praedictam regulam ibi

intelligatur, sicut et apostolus dicit: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi* **(I Cor. I, 3)**; Deum et Patrem unam personam volens intelligi; proinde dicendum est: *Ipsi gloria in saecula saeculorum.* Ipsi, id est qui fecit nos reges et sacerdotes, Patri scilicet et Filio, ubi intelligimus amborum charitatem, quae est Spiritus sanctus: charitas enim Dei diffusa est in cordibus [Col. 1094B] nostris per Spiritum sanctum. Bene autem non sibi, sed ei, a quo accepit, pro his Ecclesia tribuit gloriam; juxta illud: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* **(Psal. CXIII, 1)**.

VERS. 7.---*Ecce venit cum nubibus.* Si juxta litteram intelligamus, veniente Domino ad judicium, erit nubes candida, quae sanctos obumbrans ab igne saeculum cremante defendat. Erit terribilis, cujus fragoribus reprobi terreantur; attamen in hac Apocalypsi non facile juxta litteram quippiam sentiendum est. Itaque in sacro eloquio, cum plurali numero nubes ponuntur, praedicatores sanctos designant, qui et munditia mentis leves sunt, et praedicationum guttis corda audientium rigare non desistunt. Cum his igitur nubibus Dominus ad judicium [Col. 1094C] veniet; juxta illud prophetae: Ecce venit Dominus ad judicium cum senioribus populi **(Isa. III, 13)**. *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Omnis oculus videbit; id est omnis homo, a parte totum, qui tunc resurrexerit, sive ad vitam, sive ad mortem: non autem animalium, quibus non est datum post mortem resurgere. Videbit vero omnis homo in forma servi, in qua ab impiis judicatus est, non in forma divinitatis, quae ab impiis videri non potest. Et nota quod alter interpres ait: Videbit eum omnis terra, talem ac si diceret, qualem hic positum impii futurum non credebant. *Et plangent se super eum omnes tribus terrae.* Hoc loco notandum quia cum adjectione ait *tribus terrae:* ac si diceret terrena desiderantes, et avaritiae studentes, quibus [Col. 1094D] dicitur: *Vae vobis divitibus* **(Luc. VI, 24)**; et item, *Vae vobis qui ridetis* **(Ibid., vers. 25)**. Quae vero sit causa doloris, aperitur cum dicitur, *super eum.* Nam etsi multarum miseriarum ibi luctus erit, ad comparationem tamen fletus ex visione claritatis Christi nullus erit; magis enim tunc dolebunt infelices pro eo quod talem perdiderunt Dominum, quam quod in atrocissimum inciderunt tormentum; sed ecce cum interpositione juramenti quae dicta sunt affirmat cum subdit: *etiam:* amen. Quod apud Latinos est *etiam,* hoc apud Hebraeos *amen.* Utrumque autem adverbium est affirmandi: ait ergo *etiam amen, ac si ingeminando diceret, verum est, verum est.*

VERS. 8.---*Ego sum* α *et* ω, *principium et finis,* [Col. 1095A] dicit Dominus Deus qui est, et qui erat, et qui venturus est. Dicendo *sum, aperte insinuat quia Deus per se loquebatur.* Unde Apostolus: *An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus* **(II Cor. XIII, 3)**? Et David: *Attendite populus meus legem meam* **(Psal. LXXVII, 1)**; cum nec populus nec lex David fuerit. Hoc autem significat α *et* ω, quod principium et finis. Nam α apud Graecos principium est elementorum; ω vero finis eorumdem. Principium autem Christus dicitur, quia ab ipso omnis creatura initium accipit; finis vero, quia ipse quasi terminus omnia concludit. Aliter principium et finis vocatur, quia ipse est Deus ante saecula, et homo in fine saeculorum. Unde Joannes: *In principio erat Verbum* **(Joan. I, 1)**. Et item: *Verbum caro factum est* (Joan. [Col. 1095B] I, 14). **(VERS. 9.)** *Ego Joannes frater, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia Jesu, fui in insula quae appellatur Pathmos, propter verbum Dei et testimonium Jesu.* Hoc loco Joannes, et specialiter suam, et generaliter Ecclesiae personam designat. Et

notandum quia regnum pertinet ad caput, tribulatio ad membra, patientia ad utrumque, quod totum in uno Jesu reperitur. Tribulationem namque patiebatur caput cum membris dicendo: *Saule, Saule, quid me persequeris* **(Act. IX, 4)**? Regnum in capite, ut illud: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi **(Matth. XXV, 34)**; quod est aperte dicere: Venite membra, regnate cum capite, quia ego sum regnum. Se enim dabit suis, ut scriptum est: *Jusjurandum quod juravit ad* [Col. 1095C] Abraham patrem nostrum, daturum se nobis **(Luc. I, 73)**. Patientia vero nos exspectat, juxta illud: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit* **(Rom. II, 4)**? Et nos in patientia nostra possidebimus animas nostras. Per Pathmos autem insulam, quae fretus (*Ita cod.*) interpretatur, in qua Joannes erat religatus, persecutiones et angustiae designantur, quas patitur Joannes et Ecclesia, id est species et genus; sed propter verbum Dei, non pro suis malis; juxta illud Petri apostoli: *Nemo vestrum patiatur quasi fur, sed quasi Christi discipulus* (I Petri IV, 15). **(VERS. 10.)** *Fui in spiritu in Dominica die.* Hinc jam singillatim de specie, singillatim de genere dicendum est. Non autem Joannis spiritus carnem funditus deseruit, quando hoc vidit, quia corpus sine [Col. 1095D] spiritu non viveret, sed in exstasi positus, nihil per corpus vel sentire vel intelligere potuit. Et nota quia non in sabbato, sed in Dominica die se in spiritu fuisse dicit, quia jam vetus illa, quae mortem operabatur, lex transierat, et nova quae vivificat in Christi resurrectione claruerat. Allegorice Ecclesia, quia in electis facta carnis spiritu mortificat, ut in novae vitae conversatione assurgat in spiritu, et Dominica dies esse demonstrat. Unde est illud Apostoli: *Vos in carne non estis, sed in spiritu* **(Rom. VIII, 9)**.

VERS. 11.---*Et audivi post me vocem magnam tanquam tubae dicentem: Quod vides scribe.* Illud sciendum [Col. 1096A] quia sicut Joannes in spiritu audivit, ita vox ad eum facta spiritalis fuit. Sed quaerendum est quod dorsum spiritus habere potuit, ut post se vocem audiret. Videtur itaque facies spiritus illius fuisse ipsa vis divinae contemplationis; dorsum vero oblivio de praesentibus. Idcirco ergo vocem in his quae oblitus fuerat audivit, ut faciem mentis ad ea converteret, et quaeque videret in libro, in libro scriberet. Ac si ei ipsa vox diceret: Ea quae in spiritu Dei videre incipis, hic ubi me audis sine sono sonantem, id est in terris, vel gesta vel gerenda sunt. Sic autem dicitur quae vides scribe; ac si diceret, quae visurus es; necdum enim aliquid viderat. Allegorice Ecclesia de Christi ac sua copula vocem post se audit, a lege et prophetis, ut illud: *Erunt duo in carne una* (Gen. II, [Col. 1096B] 24). Vox autem haec sive in Ecclesia sive in Joanne, recte magna dicitur, quia de summis mysteriis loquitur, quaeque ideo tubae comparatur, et per ora praedicantium diffunditur. Unde uni eorum dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam* **(Isa. LVIII, 1)**. Haec vox in Joanne Ecclesiam admonet, ut quae videt scribat, id est in memoria recondat.

Et mitte septem Ecclesiis, Epheso, Smyrnae, Pergamo, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae, et Laodiciae. Dicendum quomodo interpretatio horum nominum universali conveniat Ecclesiae. Ephesus interpretatur voluntas, sive consilium meum
@ Hanc et sequentes urbicorum nominum interpretationes quis eruditus probet?; et cujus? nisi ejus qui *reprobat consilia principum,* consilium vero ejus *manet in aeternum* **(Psal. XXXII, 10)**. Ecclesia autem voluntas Dei est, cui per prophetam dicitur: *Vocaberis* [Col. 1096C] voluntas mea **(Isa. LXII, 4)**. Et nota quia voluntas pertinet

ad charitatem, consilium vero ad correctionem. Ille enim voluntas Dei est, qui non timore poenali, sed sponte se Creatori subdit. Ille vero qui nec timore, nec amore, se conferre vult, divina agente clementia, fit ad eum correctionis sermo, ut relicto errore, consilium salutis percipiat. Smyrna in Latinum vertitur canticum eorum, id est electorum, canticum vero illud est mandatum novum. Ecclesia igitur canticum hoc quotidie cantat, cum mandatum novum diligendo Deum et proximum implet. Pergamum interpretatur dividendi cornua eorum. Et quorum nisi Christi, et diaboli? In cornibus itaque Christi regnum ejus ostenditur, id est Ecclesia. In cornibus vero diaboli, ejus etiam regnum, id [Col. 1096D] est impii. Audi igitur divisionem cornuorum: *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi* **(Psal. LXXIV, 11)**. Thyatira dicitur illuminata; et quae alia illuminata intelligitur nisi illa cui per Isaiam dicitur: *Surge, illuminare, Hierusalem* **(Isa. LX, 1)**. Et apte illuminata dicitur Ecclesia, ut meminerit se tenebras fuisse. Unde Apostolus ad ejus membra: Fuistis *aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* **(Ephes. V, 8)**. Sardis Latine sonat principi pulchritudinis, ubi subintelligendum est aptata, vel praeparata. Princeps autem pulchritudinis ille est, de quo Psalmista ait: *Speciosus forma prae* [Col. 1097A] filiis hominum **(Psal. XLIV, 3)**. Et quae est huic praeparata? nisi illa de qua eidem principi dicit Propheta: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato* circumamicta *varietate* **(Ibid. vers. 10)**. Philadelphia interpretatur salvans haereditatem Domino. Unde apte intelligitur electorum Ecclesia, quae cum divino adjutorio se ipsam salvare contendit. De hac enim haereditate dicitur: *Dabo tibi gentes haereditatem tuam* **(Psal. II, 8)**. Laodicia interpretatur tribus amabilis Domino, sive, fuerunt in vomitu; quae interpretatio permistos bonos cum malis in Ecclesia ostendit.

VERS. 12.---*Et conversus sum ut viderem vocem quae loquebatur mecum.* Dicendo *viderem, ostendit non corporalem fuisse vocem, quae videri non potest;* sed spiritalem, quam nihil aliud est videre, quam [Col. 1097B] audire. Allegorice Ecclesia conversa est ut vocem videret, quia mentis desiderio ad verba legis et prophetarum se contulit, ut eorum sacramenta impleta jam cerneret. *Et conversus vidi septem candelabra aurea,* **(VERS. 13)** *et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis.* Per septem candelabra septiformis Ecclesia designatur, in cujus medio est Christus, qui ideo similis filio hominis dicitur, quia jam erat immortalis; sive quia non cum peccato, sed in similitudine carnis peccati apparuit. In medio autem apparuisse legitur, juxta illud: *Ubi* duo, vel tres congregati fuerint *in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII, 20)**. Et apte per septem candelabra aurea Ecclesia figuratur. Nam septiformis operatio sancti Spiritus per numerum, et [Col. 1097C] aeternae sapientiae claritas per aurum figuratur. Sicut itaque aurum per ignem probatum, percussionibus perductum candelabrum efficitur; sic Ecclesia igne tribulationis ad purum excocta tentationum ictibus in longanimitatem extenta consummatur. Unde Isaias ait: *Dixit Dominus cujus est ignis in Sion, et caminus ejus in Hierusalem* **(Isa. XXXI, 9)**. Praeterea sciendum quia et per septem candelabra, et per filium hominis una designatur Ecclesia, quoniam una est Christi et Ecclesiae persona. Unde idem Dominus qui vestitus podere in medio candelabrorum apparuit, indutus est ipsa candelabra. Quapropter hoc est vestis Christi quod septem candelabra, id est [Col. 1097D] Ecclesia. Genus enim jungitur generi, cum et per septem candelabra, et per filium hominis intelligitur Ecclesia. Et nota quia ad nos pertinet similitudo filii hominis, quoniam sicut

resurrexit caput nostrum in re, ita et nos in spe.

Vestitum podere. Podes Graece, Latine pedes dicuntur. Quid ergo per poderem, id est talarem tunicam, quam Zacharias sacerdotalem esse dicit, accipimus, nisi specialiter Christi carnem, et generaliter omnem Ecclesiam? Ipse quippe Deo Patri in cruce se offerendo sacerdotium gessit. Sed haec sacerdotalis vestis usque ad talos est, quia corpus ejus, quod est Ecclesia, usque ad novissima membra, ea quae desunt passionum Christi adimplet; vel certe vestis ejus usque ad talos, fuit opus charitatis usque ad passionem mortis. *Et praecinctum ad mamillas zona* [Col. 1098A] aurea. Illud sciendum quod Daniel vidit virum praecinctum renes, Joannes *ad mamillas, quia Vetus Testamentum luxuriam carnis, Novum vero etiam mentis frenat.* Duplex autem illa praecinctio non ad caput, sed ad membra redigitur, cum constet Redemptorem nostrum nec corporis nec cordis luxuria tactum. Haec igitur zona bene aurea fuisse dicitur; quia quisquis supernae patriae civis est, non timore supplicii, sed amore supernae claritatis immunditiam deserit. Quod autem apostolis in Novo Testamento jubetur, *sint lumbi vestri praecincti* **(Luc. XII, 35)**, in eorum persona eis jubetur qui necdum carnis fornicationem frenantes, ad vitae veteris hominem pertinent. Nam ipsi prius carnis immunditiam deseruerant. Aliter, ad mamillas zona aurea angelus praecingitur, [Col. 1098B] quia Ecclesia ex duobus populis veniens, in Christo charitatis compage unitur. **(VERS. 14.)** *Caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix.* Caput Christi est Deus Pater; unde Apostolus: *Caput Christi Deus* **(I Cor. XI, 3)**; cujus aeternitas juxta morem humanae locutionis in candore capitis demonstratur. Allegorice caput Ecclesiae Redemptor ejus est; juxta illud: *Caput viri Christus* (Ibid.). Capilli praecipui sunt in Ecclesia, qui propter innocentiam agnis, id est lanae, propter resurrectionem nivi comparantur. Et quia utrumque Christus in se ostendit, id est innocentiam et resurrectionem, quorum alterum imitari, alterum exspectare jubemur; idcirco non solum capilli, sed et totum caput lanae albae et nivi assimilatur.

[Col. 1098C] *Et* oculi ejus velut *flamma ignis.* Isti oculi illi sunt, de quibus inferius dicitur: *Vidi agnum tanquam occisum habentem oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei* **(Apoc. V, 6)**. Nam quia Spiritus sanctus et ad fidem illuminat Ecclesiam, et in amorem Dei concremat; recte oculorum luminibus, et flammae ignis assimilatur. Possunt et per hos oculos spiritales angeli in Ecclesia designari, qui luce scientiae eamdem Ecclesiam illustrant, et amoris incendium praebent. **(VERS. 15.)** *Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Aurichalci talis perhibetur effectus, quod aes in caminum missum, adhibito vehementi incendio, immisso etiam quodam medicamine, et firmiorem accipiat fortitudinem, et in auri convertatur fulgorem. Unde apte *pedes similes aurichalco* [Col. 1098D] ad illa novissima Ecclesiae membra rediguntur, quae sub Antichristo nimio persecutionis incendio sunt excoquenda; sed adhibito medicamine tolerantiae, fortiora ac clariora reperientur. Et quia in Judaea vehementior erit vexatio, ubi Dominus ab impiis Judaeis crucifixus est, idcirco alia translatio aurichalcum Libani posuit, qui mons in Judaea esse perhibetur. *Et vox ejus tanquam vox aquarum multarum.* Superius hujus qui apparuit vocem tubae comparavit, nunc autem voci aquarum multarum, quia quod prius pauci praedicatores, postea totus mundus clamavit. Aliter per vocem tubae, vox Veteris et Novi Testamenti; et per vocem aquarum multarum charitas potest intelligi, cujus multiplex lex est, ut illud: [Col. 1099A] Et scies *quod*

multiplex est *lex ejus* **(Job. XI, 6)**.

VERS. 16.---*Et habebat in dextera sua septem stellas.* Per septem stellas, ut idem angelus inferius exponit, angeli intelliguntur. Non autem illi coelestis patriae spiritus, in quibus nihil reprehensibile invenitur, sed Ecclesiae praedicatores, de quibus dicitur: *Angeli pacis amare flebunt* **(Isa. XXXIII, 7)**, qui recte per stellas et angelos designantur, quia et in hujus saeculi nocte lucent per munditiam vitae, et auditoribus suis coelestia nuntiando, angeli veritatis existunt. Quia vero septem non numero sunt, sed significatione universitatis, omnes ecclesiae praedicatores haec species comprehendit. Unde in significatione non jam septem, sed unus angelus, id est perfectus ordo praedicatorum. Sicut et septem candelabra, [Col. 1099B] non tantum Asiae Ecclesias, sed universalem Ecclesiam designant. Et si subtiliter intendimus, in his septem stellis etiam candelebra invenimus; id est in sanctis praedicatoribus universalem Ecclesiam. Unde Dominus cum uni angelo loquitur, subdit: *Audiat quid spiritus dicat Ecclesiis* **(Apoc. II, 29)**. Dextera in hoc loco summa beatitudo debet intelligi, quae nunc in spe, tunc erit in re. Unde est illud Isaiae: Suscipiet *te dextera justi mei* **(Isa. XLI, 10)**. Cum ergo Ecclesiam in dextera teneri audimus, a toto partem intelligere debemus, quae in futuro ad dexteram collocanda est. *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exiebat.* Quid per gladium, nisi praedicatio Veteris et Novi Testamenti? ut illud Pauli: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (Ephes. [Col. 1099C] VI, 17). Qui bene utraque parte acutus dicitur, quia hinc culpas operis, illinc resecat illicitas cogitationes. Sive quia imperfectos juxta litteram exterius informat, et perfectos juxta mysticum intellectum interius erudit. *Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Per faciem fulgentem ut sol, electi possunt accipi, ut illud: *Fulgebunt justi sicut sol* **(Sap. III, 7)**. In qua sententia si solem istum visibilem volumus intelligere, sciendum quia tunc majoris erit claritatis quam nunc, et sanctorum tunc gloria major, Isaia attestante qui ait: *Erit lux lunae sicut lux solis;* et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui **(Isa. XXX, 26)**. Unde hoc loco additum est: *in virtute sua.* [Col. 1099D] Aliter, quid per faciem angeli, nisi incarnatio Redemptoris manifesta, quae velut ortum habuit nascendo, occasum moriendo, et item ortum resurgendo? Et quia jam ejus resurrectio per totum orbem claruerat, quasi sol meridianas horas conscenderat, cum Joannes ista cernebat; ideoque cum additamento ait: *sicut lucet sol in virtute sua.*

VERS. 17.---*Et cum vidissem eum,* cecidi ad pedes [Col. 1100A] ejus tanquam mortuus. Joannes hoc loco Christi membra, angelus autem specialiter Christum significat. Joannes ergo quasi mortuus ad pedes angeli cadit, quia Ecclesia ut moriatur mundo, Christi vestigia sequitur. Et apte dicitur quasi mortuus, quia Ecclesia, etsi mundo et vitiis moriatur, vivit tamen Deo. *Et posuit super me dexteram suam dicens:* Noli timere. Per dexteram angeli hoc loco praedicatores designantur. Hinc per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex* **(Deut. XXXIII, 2)**; id est, in sanctis praedicatoribus doctrina Spiritus sancti. Siletur plane quid angelus superposita dextera fecerit; sed certa ratione colligimus, quia sive Joannem, sive Ecclesiam, in illo a terra levavit. Sed nunquid Ecclesia ab imitatione passionum Christi submota est? Absit. [Col. 1100B] Angelum ergo Joanni tanquam mortuo ad pedes suos jacenti dexteram superponere, eumque a terra erigere, est Dominum Redemptorem Ecclesiam passiones ejus imitantem a cordis

moerore ad spem futurae gloriae per sanctos praedicatores exhortando elevare; ut illud: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII, 18)**. Et apte dicit, *Noli timere;* ac si Dominus Ecclesiae dicat: Accepta desuper fiducia, humanum timorem longe propulsa. **(VERS. 18.)** *Ego sum primus, et novissimus;* et vivus fui, et mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum. Hic declaratur quia angelus iste Domini Jesu Christi specialiter personam gessit, cui haec omnia conveniunt. *Et habeo claves mortis et inferorum.* Per claves potestas divini [Col. 1100C] judicii designatur, quam nullus effugere valet, sed cunctos ut clavis includit; juxta illud: *claudit et nemo aperit* **(Apoc. III, 7)**. Per mortem vero ille, de quo scriptum est: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* **(Sap. II, 24)**. Et per inferos, hi qui ad eum pertinent exprimuntur. His itaque clavibus laxatur diabolus ad tentandum Ecclesiam, et istis religatur. Unde scriptum est: *Fidelis Deus qui non* patietur vos tentari supra quam *potestis facere* **(I Cor. X, 13)**. **(VERS. 19.)** *Scribe ergo quae vidisti, et quae sunt, et quae oportet fieri post haec.* Transit a genere ad speciem. Hinc enim Joannes praedicatores specialiter designat. Et nota quia quae jam dixerat repetit, ut culpa torporis amoveatur. *Scribe ergo, ait,* [Col. 1100D] *quae vidisti, tanquam diceret, in lege et prophetis futura de me; et quae sunt, scilicet impleta per me, et quae oportet fieri post haec, id est quae sunt adimplenda in membris meis.* Sed hic liber jam debito fine claudendus est, ne ante lassemur in camporum planitie, quam ad hujus Apocalypsis subeundos montes veniamus.

LIBER SECUNDUS.

[Col. 1099D] Ut praecedenti libro jam diximus, hanc visionem alii spiritalem, alii intellectualem asserunt. Quod si intellectualis fuit, non in sua sed in aliorum dicit [Col. 1100D] [*Cod.,* discit] persona. Si vero spiritalis, quibusdam locis quomodo intelligentiam visionis acceperit dicit, quibusdam autem tacet. Et hoc quidem moderate, [Col. 1101A] quia si per totum aperta visio esset, vilesceret; si ex toto clausa, contemneretur. **(VERS. 20.)**. *Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea;* septem stellae, angeli sunt septem Ecclesiarum; et candelabra septem, septem Ecclesiae sunt. De his sufficienter jam dictum est.

CAPUT II.

VERS. 1.---*Et angelo Ephesi Ecclesiae scribe:* Haec dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. **(VERS. 2.)** *Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam.* Hoc loco beatus Joannes, vel ex propria, vel ex praecedentium praedicatorum persona, verba Domini ipso jubente scribit ad universalem Ecclesiam, [Col. 1101B] quae per angelum demonstratur. In quo angelo modo totum electorum corpus, quod ex sanctis praedicatoribus et bonis auditoribus constat, praeconio laudis attollitur; modo etiam pars specialiter notatur in malis. Quid igitur est Dominum Redemptorem stellas in dextera tenere, nisi electos suos in prosperitatis beatitudine praedestinatos habere? Quid autem est eumdem in medio candelabrorum ambulare, nisi unicuique sanctorum gratiam donorum largiendo per internam discretionem ubique praesentem adesse? Quod si per stellas et candelabra totum corpus

Ecclesiae accipimus, quod ex electis et reprobis constat; per dexteram Christi potentia divinitatis ejus intelligenda est, quam nullus potest evadere, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae; qui inter candelabra [Col. 1101C] ambulat, justos visitando, et injustos deserendo. Opera autem, et laborem, et patientiam sanctorum se Dominus scire perhibet, hoc est per electionis gratiam approbare. Sed ecce ad infirmantem specialem corporis partem sermo recurrit cum subditur:

Et quia sustinere non vales *malos.* Non enim laudis, sed magnae infirmitatis indicia sunt, angelum malos sustinere non posse. Et notandum quia eidem angelo inferius dicit: *Sustinuisti propter nomen meum, quod huic loco contrarium non est, quia in uno infirmitas, in altero membrorum firmitas demonstratur. Et tentasti eos qui se dicunt esse apostolos, et non sunt, et invenisti eos mendaces.* Pullulasse credendum [Col. 1101D] est tunc in Ephesi Ecclesia falsos apostolos, quos idem Joannes in epistola sua antichristos vocat, in quorum persona omnium haereticorum perfidia notatur. Tentatio autem aliquando ad probationem pertinet, ut illud: *Tentat vos dominus Deus vester* **(Deut. XV, 3)**. Ecclesia ergo falsos tentat, cum in praedicatoribus haereticos de fide interrogat, utrum veritatis, an mendacii sint discipuli. **(VERS. 3.)** *Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, nec defecisti.* Haec quia manifesta sunt transeamus. **(VERS. 4.)** *Sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti.* **(VERS. 5.)** *Memor esto itaque unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac.* Absit ut is primam charitatem reliquisse credatur, quem in praecedenti versiculo tanta laude [Col. 1102A] prosecutus est. Sed ab hac specie ad aliam reflectit sermonem, quam dignam judicat reprehensione. Primam autem charitatem usu humanae locutionis dicit prioris temporis.

Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris. Quid est impoenitenti dicere, *venio tibi, nisi praesentiam irae meae sentire te faciam? Et quia angelus et candelabrum* per significationem unum sunt, quid est dicere, *movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi movebo te? ubi non totus angelus, sed pars ejus impoenitens debet intelligi, cujus locus est Ecclesia.* Nam quia non genus sed speciem in angelo tangit, ideo locum speciei in genere ostendit. Et notandum quia non ait, projiciam, sed *movebo,* ostendens impoenitentem [Col. 1102B] quandiu in hac vita versatur, nequaquam ab Ecclesia funditus avelli; sed donum sanctitatis, quo ante humanos oculos lucebat, propter cor impoenitens non mereri. Movere autem Dominus candelabrum dicitur, id est non statuere, sicut cor Pharaonis indurare. Quando igitur quisque crimen admittit, tunc in conspectu hominum movetur candelabrum ejus, qui si cito per poenitentiam surrexerit, quia in eodem loco misericorditer collocatur, et ob hoc multi stant in conspectu Dei, qui in conspectu hominum jacere videntur. Dicit ergo, *movebo* cito *candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris, id est munus sanctitatis post lapsum non recipies, nisi cor ad poenitentiam emollire curaveris.*

VERS. 6.---*Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum,* [Col. 1102C] quae et ego odi; ac si universali angelo diceretur: Non in ea specie, quam nunc terrui, sed in alia hoc habes, quia *odisti facta Nicolaitarum, quae et ego odi.* Quae sunt autem specialia facta Nicolaitarum, beatus Augustinus in libro de Haeresibus ostendit dicens: «Nicolaus, ut fertur, unus fuit ex illis septem diaconibus qui ordinati sunt ab apostolis, quique, cum

zelo pulcherrimae conjugis culparetur, purgandi se causa permisisse fertur ut ea, qui vellet, uteretur, quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua placet usus indifferens feminarum. Sectatores etiam ejus, nec ab his quae idolis immolantur dividunt cibos suos.» Generaliter autem omnes haeretici Nicolaitae sunt. Nicolaus enim interpretatur [Col. 1102D] stultus populus. Quicunque igitur de sapientia Patris, quae est Filius, vera non sentiunt, etsi sapientes sint saeculo, secundum Deum stultos se esse demonstrant. Invenimus et in Ecclesia Nicolaitas; eos scilicet, quos stulte in terreno amore thesaurizare videmus. Notandum denique, quia non ait, odisti Nicolaitas, sed *facta Nicolaitarum, quia non naturam, quae bona in illis creata est, sed pessima facta Dominus, et qui ex parte illius sunt, in eis odisse probantur.*

VERS. 7.---*Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Hoc dicto evidenter ostendit quia in una Ephesiorum Ecclesia, universitatem credentium comprehendit. Aures vero non corporis, sed cordis requirit; juxta illud: *Vobis dico, qui auditis.* Sed [Col. 1103A] cum angelus specialiter Filii personam gesserit, quid sibi vult quod non dicitur, quid Dei Filius, sed *quid Spiritus dicat Ecclesiis? nisi quia ad instruendos mores humanos verba Filii, Spiritus verba sunt.* Vel non specialiter Spiritus sancti persona, sed tota Trinitas in Spiritu accipienda est. *Vincenti dabo ei edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* Lignum vitae sapientia Dei Patris est, juxta illud Salomonis: *Beatus* homo *qui invenit sapientiam lignum vitae* **(Eccli. XXV, 13)**, et reliqua. Et apte lignum vitae vocatur, quia in praesenti electos suos ab aestu vitiorum protegit, et in futura beatitudine cibum aeternae contemplationis se desiderantibus praebet; unde est illud: *Satiabor* dum manifestabitur mihi *gloria tua* **(Psal. XVI, 15)**. Qui ergo vicerit, id est qui in Christo, [Col. 1103B] et per Christum antiqui hostis tentamenta superaverit, dabit ei Christus secundum humanitatem suam edere de ligno vitae, quia ad judicium veniens perducet ad contemplandam divinitatis suae majestatem. Paradisus autem, in quo lignum est vitae, vita est aeterna, quae est in ligno vitae. Et nota quia Deum se habere dicit, secundum humanitatem loquens, quam pro nobis assumpsit. Praeterea quia hunc angelum partim laudat, partim vituperat, secundum suum nomen; quia Ephesus, et lapsus magnus, et voluntas mea dicitur.

VERS. 8.---*Et angelo Ecclesiae Smyrnae scribe:* haec dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit; **(VERS. 9)** *Scio tribulationem tuam, et paupertatem;* [Col. 1103C] sed dives es. Hoc tantum non uni, sed magis unitati sanctorum dicitur, quorum tribulatio multiplex est. Unde alia translatio, *tribulationes plurali numero posuit.* Paupertatem vero geminam intelligere debemus; altera enim est in terrenarum rerum abdicatione; altera in spiritus contritione, qua superbia minuitur, humilitas augetur; de qua Dominus dicit: *Beati pauperes spiritu* **(Matth. V, 3)**; ille enim spiritu pauper est, qui cum bona agit, semper se inutilem attendit. Dicatur itaque: Scio paupertatem tuam, *sed dives es;* ac si diceret: Unde te per humilitatem spiritus pauperem existimas, inde per omnia dives comprobaris. Sic autem dictum est scio, tanquam diceretur, scire te facio. Potest etiam quilibet electus ideo pauper et dives vocari, quia coelestis [Col. 1103D] patriae divitias nondum habet in re, quas possidet in spe. *Et blasphemaris ab his qui se dicunt esse Judaeos, et non sunt, sed sunt synagoga Satanae.* Hoc universali Ecclesiae dicitur, quae in singulis membris per loca, et in toto corpore per orbem, ab inimicis blasphematur. Neque enim in sola Smyrna vel fuisse vel esse Judaeos blasphemantes

credendum est. Quaerendum vero est ubi Judaei proprium nomen amiserint, cum etiam post necem Redemptoris, eos sacra Scriptura ita nominet, ut in Actibus apostolorum. Sed sciendum quia nomen, quod juxta litteram exterius praetendunt, interius spiritu amiserunt, cum Christum confiteri noluerunt. Nam Judaeus confessor interpretatur. Secundum figuram vero, haereticis [Col. 1104A] ista conveniunt, qui falso sibi Judaeorum, id est confitentium, nomen assumunt.

VERS. 10.---*Nihil horum timeas quae passurus es.* Juxta illud evangelicum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* **(Matth. X, 28)**. *Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem.* Hic liquido ostenditur, diversas in uno angelo personas alloqui. Cum enim singulari numero praemiserit, *timeas,* plurali intulit *ex vobis;* et item, *ut tentemini;* sed nec aut tententur, vel habebunt; sed *ut* tentemini, et *habebitis:* ut hoc dicto insinuaret, in uno multos constare. Universas igitur pressurarum angustias nomine carceris designavit. Quod autem non ait, vos, sed *ex vobis,* illos vult intelligi [Col. 1104B] qui ex illatis tribulationibus victores existunt. Sed quid sibi vult quod Ecclesiae tribulationem decem dierum numero concludit? nisi quia contra varias persecutionum passiones, contra diversas cupiditatum illecebras, decalogi mandatis subdita confligitur. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. Hoc generaliter omni Ecclesiae, et specialiter unicuique fideli dicitur. Hinc Dominus in Evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. **(VERS. 11.)** *Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis:* qui vicerit non laedetur a morte secunda. Cum sacra Scriptura tres mortes ponere solita sit: unam scilicet peccati, alteram carnis, aliam vero damnationis, cur hoc loco ultima damnatio non tertia, sed secunda mors [Col. 1104C] appellatur, nisi quia illae hic poni videntur quae nocere probantur? Mors scilicet peccati, et mors aeterni supplicii, ad quarum comparationem, ista quae carnis est, mors dicenda non est. Laesionis vero vocabulo, miseriarum debet intelligi corruptio.

VERS. 12.---*Et angelo Pergami Ecclesiae scribe:* Hoc dicit qui habet romphaeam ex *utraque parte acutam.* Hoc superius dictum est. **(VERS. 13.)** *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae.* Hoc generaliter Ecclesiae dicitur, quae per orbem universum habitat, quo diabolus regnat. *Et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam, et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat.* Haec sententia aut scriptorum vitio corrupta est, aut per subauditiones debet explanari, ut iste sit ordo [Col. 1104D] verborum. In diebus illis Antipas testis meus fidelis qui occisus est apud vos, non negavit fidem meam; vel certe in diebus illis exstitit Antipas testis meus, qui occisus est apud vos. In quo martyre omnes testes praeconio laudis attolluntur. Apud vos autem dicit, non quo ab illis occisus sit; sed inter illos ab his in quibus Satanas habitat. Et nota quia singulari numero praemittitur *tenes,* et plurali infertur *vos, quia plures in una persona affatur.* **(VERS. 14.)** *Sed habeo adversus te pauca:* habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari. Nequaquam ista illi conveniunt, cui praemiserat, *tenes nomen meum, et reliqua.* Sed in alteram speciem sermo [Col. 1105A] convertitur, doctrinam vero Balaam consilium vocat, quod dedit Balac ut poneret mulieres pulcherrimas eoram filiis Israel, quarum speciebus delectati in amplexus illicitos ruerent, earumque blanditiis

deliniti de sacrificiis Behelphegor manducarent; ac per hoc a Deo deserti coram inimicis suis caderent. Sed si a proprietate ad figuram recurrimus, qualiter post vel gesta vel gerenda sunt, invenimus. Balaam quippe interpretatur populus varius; unde apte designat haereticos, qui diversis erroribus evanescunt: Balac autem elidens, per quem hujus saeculi potestates exprimuntur, quae plerumque, haereticis suadentibus, dignitatem Ecclesiae ad tempus inclinant: per Israel vero, virum Deum videntem Dominum, electi figurantur. Docente itaque Balaam, mittit coram [Col. 1105B] filiis Israel Balac scandalum mulierum, scilicet deceptionem cum quibus de idolothytis edant, et fornicentur, quia, haereticis suadentibus, principes hujus saeculi, eorum sectas, quasi pulchras foris ostendunt in locutionibus, quae intus omni spurcitia plenae esse noscuntur. Aliter Balaam, id est diabolus, docet Balac, id est carnem, ut mittat mulieres, id est saeculi voluptates, quibus pereant animae.

VERS. 15.---*Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* De factis Nicolaitarum satis jam dictum est. Dum autem ait, non habes illic, sed *habes et tu, ostendit a specie ad speciem sermonem converti.* Et quia nihil interest utrum quis pro doctrina Balaam an pro Nicolaitarum tacuisse redarguatur, recte subjungitur: similiter poenitentiam age; quo dicto illi [Col. 1105C] etiam ad poenitentiam latenter provocantur, quos idem torpentes praedicatores nequaquam correxisse notantur; unde et subditur: **(VERS. 16)** Sin autem venio tibi, *et pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Cur enim non ait pugnabo tecum, sed *pugnabo cum illis? nisi quia, ut dictum est, illos etiam ad lamentum venire hortatur quos praedicatorum torpore perisse cognoverat.* Quod tale est ac si diceret: Venio tibi, et pugnabo tecum, sicut alia translatio demonstrat. Vel venio vobis, et pugnabo vobiscum. Quid est autem dicere venio tibi, nisi respectum irae meae sentire te facio? Vel quid, *pugnabo cum illis in gladio oris mei, nisi acutis eloquiorum meorum sententiis damnabo?* **(VERS. 17.)** *Qui habet aurem audiat quid* [Col. 1105D] Spiritus dicat Ecclesiis: vincenti dabo manna absconditum. Manna absconditum panem dicit invisibilem qui de coelo descendit, qui ideo factus est homo, ut panem angelorum manducaret homo. Quod manna nunc sumitur in sacramento per fidem, quandoque autem in veritate per speciem; juxta illud Psalmistae: *Satiabor* dum manifestabitur mihi *gloria tua* **(Psal. XVI, 15)**. Manna enim interpretatum sonat, quid est hoc; quod non dicimus, nisi de re quam ante non vidimus. Apte ergo illa satietas coelestis gloriae manna vocatur, quia juxta Pauli vocem, nec *oculus vidit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* **(I Cor. III, 9)**.

Et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum, quod nemo novit, *nisi qui accipit.* Calculus [Col. 1106A] lapis est pretiosus, qui et carbunculus vocatur; quoniam sicut carbo succensus, qua magnitudine subsistit ea in tenebris positus fulget, ita et hic lapis facere perhibetur. Quid itaque per calculum candidum, nisi Christus Jesus designatur? qui sine ulla peccati offuscatione mundus inter homines apparuit, et divinitatis suae luce tenebras nostrae mortalitatis illustravit. Et est sensus: de mortis auctore triumphantem cohaeredem meum in regno Patris efficiam. Alia vero translatio pro calculo margaritum posuit. Nomen novum dicit Christianum pridem inauditum, de quo per Isaiam Dominus Ecclesiae dicit: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini locutum est* **(Isa. LXII, 2)**. Sed cum multi a diabolo victi hoc nomine censeantur, quomodo solis vincentibus hoc se dare pollicetur? [Col. 1106B] nisi quia datio hic illa

accipienda est, qua praedestinatos ad vitam supernae civitatis novimus electos. Ubi apte subditur, *quod* nemo novit, *nisi qui accipit;* tanquam diceret: nullus dignitatem nominis Christiani vita et moribus defendit, nisi qui hoc divina praedestinatione ad vitam aeternam promeruit. Nosse enim Christi nomen, ad custodiam mandatorum pertinet; accipere vero, ad gratiam divinae praedestinationis refertur.

VERS. 18.---*Et angelo Thyatirae Ecclesiae scribe:* Haec dicit Filius Dei, qui habet oculos ut *flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco.* **(VERS. 19.)** *Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam, et opera tua novissima plura prioribus.* Haec universali Ecclesiae dicuntur, cujus Dominus [Col. 1106C] opera, charitatem et fidem novit, quia per electionis gratiam approbat. Sed haec praepostere dicuntur; primum enim est credere, dehinc quod credis amare, postremum quod amor et credulitas compellat operari. Ministerium hoc loco vult intelligi impensam misericordiam extrema facultate. Sed quaerendum est cur Ecclesiae opera novissima plura praedicentur quam priora. Sciendum itaque quia primo ab apostolis quatuor tantum capitula gentibus ad Christum conversis servari praecepta sunt: videlicet ut abstinerent se ab immolatis et fornicatione, suffocato et sanguine. At cum processu temporis parva spatia devoluta fuissent, creverunt ad culmen perfectionis; ita ut multi credentium cuncta mundi postponerent. Vel quia ab Antichristi persecutione amplior [Col. 1106D] in ea virtus enitebit operationis. Quae enim nunc ex gentibus sola laborat, tunc Judaeos etiam ad fidem perducens duplo laborabit.

VERS. 20.---*Sed habeo adversus te quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis.* Haec non illi conveniunt, quem superius tanta laude prosecutus est; sed specialiter ad malos praedicatores, qui sua negligentia fornicationem et idololatriam in Ecclesia sinunt. Non autem credendum est usque ad illud tempus Jezabel uxorem Achab in corpore mansisse, quam equorum ungulis novimus comminutam; sed quia erant tunc in illa qui coitus illius imitabantur, idcirco in eis ipsa mater [Col. 1107A] fornicationum notabatur. Reprobi enim vitiorum parilitate conjuncti, unum antiqui hostis corpus efficiunt: sicut electi virtutum compagine unum Christi corpus de se reddunt. Fornicatio vero Jezabel quatrimoda est. Est enim delectationis, ut illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* **(Matth. V, 28)**. Est et operis, unde Apostolus: *Fugite fornicationem, fratres* **(I Cor. VI, 18)**. Est idololatriae, juxta illud: *Moechata est cum lapide et ligno* **(Jerem. III, 9)**. Est etiam avaritiae, juxta illud: *Avaritia,* quae est idolorum *servitus* **(Col. III, 5)**. Notandum quoque quod Jezabel propheten se dicit, et idcirco Dei servos seducit. Cum igitur quilibet continenti dicit: Veni, fruamur concupitis, quia si hoc Deus fieri nollet, marem et feminam non [Col. 1107B] crearet, quasi prophetando Dei militem seducere quaerit. Jezabel itaque interpretatur sanguinis fluxus, aut fluens, vel sterquilinium. Sanguinis vero nomine peccata figurantur, juxta illud: *Libera me de sanguinibus* **(Psal. L, 16)**. Mulierum autem in patiendo fluxum sanguinis ista consuetudo perhibetur, ut plurimorum dierum collectus humor sanguinis, cum menstruum tempus advenerit, superabundans egeratur. Sic universali Jezabel evenire probatur: diu enim congesta turpis delectatio, cum tempus advenerit, ad apertam operationis deformitatem prosilit. Deinde fit mens vehementius anxia, et ut cera ante faciem ignis pariter homo liquescit: unde recte fluens vocatur.

Postremo et ipsa perpetratae luxuriae iteratione [Col. 1107C] longe lateque malae opinionis fetor emittitur. Unde consequenter Jezabel sterquilinium interpretatur.

VERS. 21.---*Et dedi illi tempus ut poenitentiam ageret, et non vult poenitere a fornicatione sua.* Hinc de quolibet reprobo per beatum Job dicitur: *Dedit ei Dominus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam* **(Job. XXIV, 23)**. Sed cum praecedenti versiculo torpentem praedicatorem pro fornicatione Jezabel redarguerit, cur non dicitur, dedit tibi, et illi, sed tantum *illi? praesertim cum testetur Apostolus:* quia non solum qui faciunt malum, sed etiam qui consentiunt facientibus, aeterna sunt morte plectendi **(Rom. I, 32)**. Sciendum ergo quia sermo Dei a specie ad genus transit, et in eo partem speciei reprobam quasi [Col. 1107D] ex occulto impoenitentem redarguit, quam supra aperte increpaverat; quatenus una eademque species modo rea, modo digna appareat, cum et aperte negligens, et non aperte impoenitens redarguitur. Hoc autem idcirco, ne pars speciei quae in sanctis praedicatoribus constat, illi quae in reprobis est, videretur conjuncta. **(VERS. 22.)** *Ecce* pono *eam in lectum, et qui moechantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam egerint ab operibus ejus.* **(VERS. 23.)** *Et filios ejus interficiam in mortem.* Jezabel ac moechantes in ea et filii ejus unum sunt corpus Satanae, quod in lecto ponitur non ut quiescat, sed ut phrenesim incurrat; lecti enim nomine audacia ac securitas delinquendi accipitur. A Deo autem poni dicitur, non quo ipse impellat, sed quo ab hac [Col. 1108A] securitatis deceptione flagellando non eripiat. Et quia incrementa vitiorum, quasi quaedam supplicia sunt, bene ipse lectus tribulatio magna vocatur. Potest etiam per lectum, aeternum supplicium designari. Unde mihi alter interpres pro lecto luctum posuisse videtur. *Et scient Ecclesiae, quia ego sum scrutans renes et corda.* In renibus ipsam vult intelligi corporalis luxuriae perpetratam nequitiam, quia humanae conceptionis semen de lumbis egreditur virorum; cordium autem vocabulo spiritalis adulterii incentiva. Unde Psalmista: *Ure renes meos et cor meum* **(Psal. XXV, 2)**. Sed nunquid prius quam Dominus idololatras et fornicatores in publicum prodat et trucidet, nescit hunc Ecclesia occultorum cognitorem esse? Aut quomodo Ecclesia dici potest, si hoc [Col. 1108B] exitu rerum, et non potius fide cognoverit? Certa ergo fide tenendum est, quantum ad praesentis temporis qualitatem abdita eos morte puniri. Ut sit iste sensus: cum in abditis atque occultis reprobos condemno, etiam tunc cunctorum me acta cognoscere fideles non ambigunt. *Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Redit a specie ad genus. Hic autem quod exponi debeat amplius non est, sed quod magis timeri.

VERS. 24.---*Vobis dico caeteris qui Thyatirae estis:* qui *non habent doctrinam hanc,* qui non noverunt altitudinem *Satanae.* Hoc loco ad electos verbum recurrit. Altitu o autem Satanae ruinosa illius superbia intelligenda est, qua primus contra Deum elatus tumuit; quam electi ignorare dicuntur, id est nullo [Col. 1108C] consensu imitandam recipere; sicuti sacra Scriptura innuptas mulieres dicit non cognovisse viros, id est nequaquam fuisse expertas opera virorum in concubitis; et sicut hominem veracem dicimus ignorare mentiri. Quemadmodum dicunt, Non ponam super vos aliud pondus. Qui sunt illi qui dicunt, nisi populi Judaeorum, qui super credentium humerum caeremonias veteris legis dicunt imponi? Unde Lucas evangelista: *Quidam descendentes a Judaea docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem*

Moysi, non potestis salvi fieri **(Act. XV, 1)**. **(VERS. 25.)** *Tamen id quod habetis tenete, donec veniam.* Id est onus leve ad quod vocati estis, gratiam scilicet Redemptoris abjicere nolite. Dicendo autem *donec veniam,* [Col. 1108D] ostendit Ecclesiam usque ad restaurationis tempora sub gratia manere. **(VERS. 26.)** *Et qui vicerit,* et qui *custodierit opera mea usque in finem, dabo illi potestatem super gentes.* **(VERS. 27.)** *Et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur.* **(VERS. 28.)** *Sicut et ego accepi a Patre meo.* Hanc potestatem Filius a Patre, non in divinitate, sed in humanitate accepit, qua minor est a Patre. Unde illud: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* **(Matth. XXVIII, 18)**; et quia electi membra ejus sunt, et ipsi hanc potestatem in capite suo accipiunt, juxta illud: *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum et in coelo* **(Matth. XVIII, 18)**, et reliqua. Per virgam ferream regimen praedicatorum exprimitur. Virga enim ferrea rectitudinem sine mollitie habet. Sic [Col. 1109A] et sancti praedicatores nec sibi nec aliis contra vitia parcere noverunt: sed in se et in aliis tantum justitiae tramitem dirigere student. Unde Christo dicitur: *Virga* recta est *virga regni tui* **(Psal. XLIV, 7)**. Et apte credentes vasis fictilibus comparantur; vasa enim sunt portando thesaurum a saeculis absconditum; fictilia autem, quia carnis corruptione gravantur. Unde Apostolus: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus **(II Cor. IV, 7)**. Quod autem haec vasa tactu virgae confringi narrantur, pars vasorum debet intelligi quae adhuc dissipatur ut in melius reformetur. Hinc humani generis figulo dicitur: *Verte impios et non erunt* **(Prov. XII, 7)**; subauditur impii, sed pii. Sed quid sibi vult quod praemittitur, *qui vicerit, et custodierit opera mea usque in finem? Nunquid* [Col. 1109B] non regit credentes aliquis priusquam de diabolo triumphet perveniendo usque ad finem? aut forte postmodum reget? Quapropter sciendum quia futuro Dominus pro praeterito utens, per gratiam praedestinationis jam vicisse, jam opera sua usque ad finem custodisse designat, quibus se potestatem super gentes daturum pronuntiat; ac si diceret: illi bene regendi effectum ministrabo quem victorem et opera mea usque ad finem perseveraturum perspexero. Et hoc ideo, quia futura apud illum praesentia sunt. *Et dabo illi stellam matutinam.* In Scriptura sacra singulari numero stella matutina Christum significat. Unde inferius: *Ego sum stella matutina;* plurali vero angelos. Matutinam ergo stellam Dominus vincentibus dabit, quando corpus humilitatis nostrae reformabit, [Col. 1109C] scilicet quando omnes qui in monumentis audient vocem Filii Dei, et procedent: quos ad perfectum diem perducet, cum divinitatis suae claritatem illis ostendet.

CAPUT III.

VERS. 1.---*Et angelo Ecclesiae Sardis scribe:* Haec dicit qui habet septem spiritus Dei et septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, sed *mortuus es.* **(VERS. 2.)** *Esto vigilans, et confirma caetera quae moritura erant.* Aliter Dominus septem spiritus, aliter habet stellas. Habet enim septiformem Spiritum aequalem sibi in natura divinitatis: habet septiformem Ecclesiam subjectam sibi tanquam ancillam in ditione potestatis. Sed si sola fidei confessione [Col. 1109D] sive in praedicatoribus, seu in quibusdam suis auditoribus, hunc angelum nomen habere quod vivat, operibus vero mortuum designat, quomodo eidem admonendo subinfert: *Esto vigilans, et confirma caetera quae moritura erant? Sciendum itaque quia mortuum ex parte criminibus, ex*

parte vero bonis operibus vivum ostendit. Sed quomodo ex parte vivit, qui vel uno crimine mortuus est? nisi quia si per poenitentiam a peccato surrexerit, nec illa bona quae mortuus gessit, post vivens amittit, quia cum illo et ipsa vivificantur; et ideo audit: *Esto vigilans, et confirma caetera quae moritura erant.* Id est si ea parte qua mortuus es reviviscis, caetera quae adhuc in te vivunt. ne moriantur, confirmas. Aliter, multi sunt [Col. 1110A] intra sinum Ecclesiae, qui vitam ab omni crimine custodientes, vivi apud homines aestimantur: quia intentio recta non procedit, apud Deum mortui deputantur; quibus dicitur: *Esto vigilans, et confirma caetera quae moritura erant;* ac si diceretur: Si vis ut compago virtutum vivat, cave intentionem operationis, elatio vivet. *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Id est quia caput elanguit intentionis, nequaquam plena vel pinguia vigent membra virtutum, sed macilenta ac pene mortua tabescunt.

VERS. 3.---*In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et poenitentiam age.* Haec sententia ad utrumque redditur sensum. Audierat enim: Qui observaverit *totam* legem, offenderit *autem in uno,* [Col. 1110B] factus est omnium reus **(Jacob. II, 10)**: item, *Si oculus* tuus nequam est, *totus corpus tenebrosum erit* **(Matth. VI, 23)**. *Si* autem *non vigilaveris,* veniam ad te tanquam fur, et non scies quando *veniam.* Vigilare est a peccati somno per poenitentiae fletum ad justitiam exsurgere. Apta autem hic furis comparatio introducitur, qui dum improvidus advenit, dormientes quosque reperiens jugulat, et bona eorum depraedat: sic coelestis judex dum insperatus occurrit impoenitentes animadversionis sententia perimit, eorumque acta velut fortissimus praedo disperdit. **(VERS. 4.)** *Sed* habeo *pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis quia digni sunt.* Illi vestimenta sua sordibus non intingunt, qui post baptismatis sacramentum mortale [Col. 1110C] crimen non admittunt. Sed quia rari sunt, idcirco praemittitur, *pauca nomina.* Quo igitur, Domine, tecum ambulaturi sunt? Unde, et quo, nisi de te in te? Tecum enim quotidie ambulant, quia passionis tuae vestigia sequentes observant. Tu quippe praecedis exempla dando, illi haec eadem imitando sequuntur. *Digni autem dicit, aut mundi, aut mea dignatione condigni.* Sed nunquid desperandum est his qui post baptismum vitam coinquinant? Absit. Currant itaque ad sanguinem agni, non quo rursum aqua baptismatis in eo tinguantur, sed lacrymarum fonte a peccatorum maculis abluantur. Unde mox sequitur:

VERS. 5.---*Qui vicerit, sic vestietur albis.* Id est qui pro recipiendis vestibus cum inimico dimicans [Col. 1110D] vicerit, ita rursus eisdem indutus splendebit, ut illi qui eas immaculatas servarunt. Potest hoc et infidelibus aptari, qui hortantur ut vincant, id est credant in Christum; quia haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra. *Et non delebo nomen ejus de libro vitae.* Magna nobis hoc loco oritur quaestio. Sic enim verba sonare videntur, ac si ejus qui non vincit nomen de libro deleatur, cum constet non alios nisi electos in coeli libro beatae praedestinationis stylo teneri ascriptos. Restat itaque ut secundum usitatam sacrae Scripturae locutionem intelligamus reproborum nomina de libro vitae deleri; id est per meritum reprobationis nequaquam scribi; quemadmodum cor Pharaonis a Domino dicitur indurari. Liber autem [Col. 1111A] iste est vis quaedam divina, quae electorum numerum certum ac definitum ante saecula praedestinavit in gloria futurum. Dicatur ergo de victore: *Non delebo nomen ejus de libro vitae;* ac si

diceret: quem victorem futurum scio, nomen ejus jam scriptum in coelis teneo. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo et angelis ejus.* Quid est Filio Dei victoris nomen coram Patre et angelis confiteri, nisi bonis operibus unitum sibi illum ostendere qui vicerit? quod tunc principaliter fiet cum electis dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei* **(Matth. XXV, 34)**, et reliqua.

VERS. 7.---*Et angelo Philadelphiae Ecclesiae scribe:* Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. **(VERS. 8.)** *Ecce dedi coram te ostium apertum,* [Col. 1111B] quod nemo potest claudere. Idcirco Dominus singulariter sanctus ac verus dicitur, quia ad ejus comparationem nullus est sanctus vel verax. Scriptum est enim: Nemo mundus a sorde. Et item: *omnis homo mendax* **(Psal. CXV, 11)**. Clavem autem David incarnationem Redemptoris nostri accipimus, quam sumpsit ex semine David. Ostium quod eadem clavis aperit aut claudit, ipse est Christus; juxta illud: *Ego sum ostium, et caetera.* **(Joan. X, 9.)** Sic enim clavis et ostium sicut in Evangelio pastor, et ostiarius simul et ostium vocatur. Ostium itaque apertum est Christus secundum carnem natus, et passus, ac die tertia suscitatus; apertum vero non incredulis, sed credentibus. Hoc ostium claudere nitebantur Judaei, cum caesis apostolis nuntiarent ne in nomine [Col. 1111C] Jesu loquerentur; sed quia illo aperiente nemo claudit, continuo responderunt: *Non possumus nos quae audivimus non loqui* **(Act. IV, 20)**. Hoc Asianis clausum apostoli aperire tentaverant; sed quia eo claudente nemo aperit, prohibuit eos spiritus Jesu. Potest et per *ostium apertum Scriptura intelligi, per quam fidei gressibus ad Christum intramus.* Aperit itaque ostium clave David, et nemo claudit, quia Scripturae sacrae eloquia, quae per gratiam incarnationis suae electos spiritaliter intelligere facit, nullo Judaeorum velamine in eorum cordibus adumbrare valet. E contrario Judaeis non credentibus claudit, et a quoquam aperiri non potest. Hoc etiam moraliter discuti valet: *quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum.* [Col. 1111D] Hic non parva oritur quaestio; quomodo modicam habeat virtutem, qui verbum Dei servat, et nomen ejus non negat. Sciendum igitur quia juxta aestimationem humanae infirmitatis dictum est, quia electi cum multa per Christum possunt, parum se posse praesumunt. Sic enim dicitur, *modicam habes virtutem, tanquam diceretur, parvam te putas habere virtutem.*

VERS. 9.---*Ecce dabo de synagoga Satanae, qui se dicunt esse Judaeos, et non sunt, sed mentiuntur.* Ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos, et scient quoniam *ego dilexi te.* Hoc loco fides praedicitur Judaeorum, juxta illud: *donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel fiat salvus* (Rom. [Col. 1112A] XI, 25); qui nunc Judaeos se esse dicunt, sed non sunt, quia nomen quod exterius secundum litteram gerunt, intus secundum spiritum amiserunt. Judaeorum quippe nominis expressio, Christi est confessio. Elia autem et Enoch praedicantibus, ante pedes Ecclesiae adoraturi venient, quia actionis ejus exempla imitando venerabuntur. **(VERS. 10.)** *Quoniam servasti verbum patientiae, et caetera.* Verbum patientiae est quod Dominus exemplo monstravit, cum in cruce positus pro persecutoribus oravit, et verbis docuit dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* **(Luc. XXI, 19)**. Quod autem sequitur, *et ego te servabo ab hora tentationis quae ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra, ad Antichristi tempora referendum est, sub quo*

tanta erit tribulatio, [Col. 1112B] quanta non fuit ab initio saeculi. Dura quippe erunt corporum vulnera, sed graviora adversariorum jacula [*Cod.,* miracula]. Sed sancti a tentatione deceptionis reservabuntur, quia non provocabuntur ad Christi negationem. **(VERS. 11.)** *Venio cito, tene quod habes.* Cito se Dominus venturum dicit, ne quis in certamine deficeret. Cito enim fit omne quod transit. Tenere autem illum admonet coelestis vitae conversationem, et reddit causam, subjungens: *ut nemo alius accipiat coronam tuam.* In qua sententia electorum numerum certum ac definitum videmus complecti; stupenda prorsus consideratione intuentes, huic nec addi quemquam posse nec minui.

VERS. 12.---*Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Templum Dei Ecclesia est, juxta illud: [Col. 1112C] *Templum Dei sanctum est quod estis vos* **(I Cor. III, 17)**. Et quia non solum praedicatores, sed et boni auditores, de antiquo hoste triumphant; atque in hoc versiculo omnis qui vicerit, columna in templo Dei fieri perhibetur, fateri cogimur hoc esse columnam quod templum, id est universalem Ecclesiam. In eo vero quod subditur: *et foras non egredietur amplius, aperte ostenditur quia Ecclesia jampridem in juniore fratre al unitate fidei et operationis, quam in prophetis sub lege tenuit, ad errorem perfidiae et pravae actionis transierat;* sed occisione vituli saginati recepta est. Aliter, in Adam omnes exivimus tam Judaei quam gentes; sed introducti victores ad secundum Adam, columna templi Dei efficimur; quia per sanguinem ejusdem mediatoris [Col. 1112D] nostri, antiqui hostis tentamenta superantes, illa mandatorum stabilitate in superna sanctorum gloria solidamur, quam in primo Adam amisisse probamur. Sed nequaquam amplius foras egredimur, quia nullis inimici suasionibus ab illa coelestis patriae communi felicitate avellemur. Et nota quia Deum se dicit habere, secundum humanitatem loquens. *Et scribam super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novae Hierusalem quae descendit de coelo a Deo meo, et nomen meum novum.* **(VERS. 13.)** *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Nomen Patris supra vincentem scribi, est per adoptionem Spiritus Filium ejus effici. Quo enim stylo scribitur, nisi amborum gratia Spiritus? Unde Apostolus: [Col. 1113A] *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* **(Rom. VIII, 16)**. Hierusalem vero, visio pacis interpretatur, quae de coelo a Deo descendere perhibetur, quia electorum Ecclesia, quae ad visionem supernae pacis passibus amoris tendit, cum Domino, cujus corpus est, in uterum Virginis praedestinata descendit: vel quia coelesti gratia quotidie ejus numerus augetur. Nova autem ideo vocatur, quia per baptismum et dilectionem terreni hominis vetustate exspoliatur, et coelesti novitate vestitur. Unde est illud: *transierunt vetera,* [Col. 1114A] et ecce facta sunt omnia nova **(II Cor. V, 17)** . Hierusalem ergo nomen super victorem scribitur, cum sanctorum numero sociatur. Unde nobis haec omnia sint, aperitur cum subditur, *et nomen meum novum, subauditur, scribam;* illud scilicet quod eidem mediatori accessit ex tempore, id est Christus. Hinc nobis dignitas, hinc celsitudo provenit, hinc filii Dei, hinc nova Hierusalem, hinc Christiani vocamur. Igitur ubi totius summa salutis sonat, ibi tandem liber debitum finem accipiat.

LIBER TERTIUS.

[Col. 1113B] VERS. 14.---*Et angelo Laodiciae Ecclesiae scribe:* Haec dicit: Amen, testis

fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei. Amen, verum interpretatur, quod ad illam Veritatem redigendum est quae de se ipsa ait: *Ego sum veritas* **(Joan. XIV, 6)**. Cum autem Dominus multos et fideles et veros habeat testes, apte singulariter ipse fidelis et verus dicitur, quia in ejus comparatione nullus est fidelis et verax: ille enim natura fidelis, et verax, et bonus est, nos vero ejus participatione. Quomodo vero solus Filius testis dicatur, cum tres sint qui testimonium dicunt, in primo libro jam dictum est. Principium denique creaturae Dei Filius dicitur, quia ab illo habent cuncta existendi initium. Nam, sicut scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt* **(Joan. I, 3)**. **(VERS. 15.)** *Scio* [Col. 1113C] opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam calidus esses, aut frigidus! **(VERS. 16.)** *Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Frigidi sunt quos aut Judaeorum perfidia, aut error gentilium tenet astrictos, quoniam ille eos sua glacie constringit qui dixit: *Sedebo in lateribus aquilonis* **(Isa. XIV, 13)**; e contra calidi sunt quorum corda auster, id est Spiritus sanctus adveniens calore fidei tangit, ut resoluta incredulitatis duritia, et amisso erroris frigore, bonorum operum flagrantiam emanent. Tepidus autem et ex frigido solet fieri et ex calido, quia et alius a frigore iniquitatis conversus ad perfectum justitiae fervorem non transit; et alius a calore justitiae descendit ad torporis ignaviam. Omnes igitur experimento didicimus, [Col. 1113D] quia frigidum quid vel calidum facile in corpus trajicitur; tepidum autem cum nausia ab ipso ore projicitur. Sic sic (*Ita cod.*) doctores facilius possunt infidelem ad fidem, aut perversum Christianum ad fervorem boni operis trahere, quam tepidum; ideoque deserunt eum, velut agricola infructuosam terram linquit, et illam excolit de qua jam spinas eruit et est fructuosa, vel illam quae adhuc plena quidem est spinis, sed fructuosa futura praevidetur.

VERS. 17.---*Quia* dicis quia *dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus.* Quisquis pro rectae fidei confessione se divitem jactat, nisi mala agere desistat, non dives, sed pauper est; quod quia tepidorum [Col. 1114B] quilibet non intelligit, recte miser, et miserabilis, et pauper, et nudus et caecus a Domino redarguitur; miser, quia semetipsum decipit; miserabilis, quia non illud intelligit, quod se ipsum illudit; pauper et nudus, quia veris virtutibus vacuus; sed pejus quia nec conscius, unde et merito caecus. Sed quia divina pietas aliquos ex tepidis ad fervorem justitiae vocat, recte subjungitur: **(VERS. 18)** *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Per aurum hoc loco incarnata Dei sapientia intelligitur, de qua alibi dicitur: Accipite sapientiam sicut aurum. Et bene hoc aurum probatum et ignitum vocatur, quia Redemptor noster igne passionis examinatus est. Et est sensus: Si vis virtutibus dives existere, me imitandum assume, ut fias et ipse aurum [Col. 1114C] igne excoctum. Et quod pro hoc auro pauper pretium dabit, nisi devotum petitionis affectum? Cui ad haec subditur: *et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae.* Ad operiendam nuditatis confusionem vestimentis albis induitur, qui aurum ignitum probatum mercatur, qui ad devitandum tepiditatis pudorem in novae vitae conversionem transfertur, qui novo coelestique homini imitationis virtute inhaerere meretur. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Ac si diceretur: Adhibe divina praecepta ad mentem caecam, quatenus virtutum nuditatem quam pateris, videns operire festines. Nisi enim divina praecepta collyrium essent, Psalmista non diceret: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos* **(Psal. XVIII, 9)**. Potest per collyrium [Col. 1114D] quod ex terra fit, et terrae pulverem ab oculis ejicit,

assumpta pro nobis Redemptoris nostri temporalis egestas designari. Qui ergo caecatos oculos pulvere habet, collyrium superimponat, ut lumen recipiat; id est qui per terrena delectamenta defluit, temporalem Redemptoris sui egestatem ad mentem reducat, ut interioribus oculis contempletur futura sanctorum praemia.

VERS. 19.---*Ego quos amo, arguo et castigo.* Redargutio ad verba, castigatio pertinet ad flagella. In hac autem sententia amplius quod exponi debeat non est, sed quod libenter amplecti. Aemulare ergo, et poenitentiam age. Ac si diceret: nisi temporaliter cum illis hic flagella susceperis, sine illis aeternis cruciatibus subjacebis. **(VERS. 20.)** *Ecce sto ad ostium,* [Col. 1115A] et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum. Status hic non corporalis, sed sine loco accipiendus est, quia quem Dominus inhabitat, non deserit ad alium transeundo. Ostium autem mentis aditum significat, quem aut per se sine socio inspirando Dominus pulsat: cujus vocem audit quisquis amore dilectionis praeceptorum illius monita custodit. Et januam aperit cum ad videndum summum aeternitatis bonum cor dilatat. Aperta denique janua, Dominus ad illum intrat, quia per internam dulcedinem desiderio animam aestuantem illustrat. Coenat igitur caput . . . . . quia faciendo voluntatem Patris quotidie . . . . . membra cum capite, quae ut voluntatem Patris faciant, quotidie moriuntur cum [Col. 1115B] illo; ut illud: *mortui enim estis, et reliqua.* (VERS. 21.) *Qui* vicerit, faciam illum *sedere in throno meo,* sicut et ego vici, et sedeo *cum Patre meo in throno ejus.* Vincens Dominus in throno Patris sedet, quia post passionem et resurrectionem aequalem se Patri esse indicavit. Et nos sedere dicit, quia judicii potestatem in Filii virtute percipimus; juxta illud: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super thronos, et reliqua* **(Matth. XIX, 28)**. Nec abhorret a vero quod alibi super duodecim thronos, hic vero in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim, universale judicium; per thronum vero Filii, singulare culmen judiciariae potestatis ostenditur. Hoc ergo duodecim thronis, quod uno throno Filii designatur. Sed quaerendum est quomodo [*Cod.,* [Col. 1115C] quando] omnes victores judicare dicat, cum non omnes judicaturi sint, sed alii ex vincentibus judicabunt, alii judicabuntur? Sciendum igitur quia potestatem quam in se ipsis non habent, habebunt in aliis, sicuti totum hominis corpus potestatem habet loqui per os, videre per oculos. Sed si subtilius hanc sententiam intuemur qua dicitur, *sicut ego vici, clariores in victoria atque excellentiores per eam designari invenimus.*

CAPUT IV.

VERS. 1.---*Post haec vidi, et ecce ostium apertum in coelo.* Recapitulata Redemptoris nativitate, quae jam dicta fuerant sub aliis diversisque figuris; ac si quis unam rem diversis modis enarret, narrationes habebunt diversum tempus, non ipsa res quae uno in [Col. 1115D] tempore gesta est. Sed quaerendum est, cum alii prophetae per reges soliti sint manifestare quantum intervallum fuerit inter visionem et visionem, cur Joannes tempus prophetiae non manifestat? Ob hoc scilicet, quia totum Ecclesiae tempus ad illam continuatam resurrectionis diem docet referendum, de qua dicitur: *Beatus qui habet partem in resurrectione prima* **(Apoc. XX, 6)**. Prima enim resurrectio, id est qua a morte peccati ad vitam justitiae animae resurgunt, toto nunc tempore agitur. Sed quibus

oculis Joannes ostium hoc vidit? Nimirum quantum ad figuratam ostensionem, non carnis sed mentis; quantum vero ad ipsius rei veritatem, quae jam Domino apparente in carne manifestata erat, non solum oculis [Col. 1116A] carnis vidit, verum etiam manibus contrectavit. Per ostium autem apertum Christus designatur, nascendo, moriendo, resurgendo, cunctis jam fidelibus manifestatus; quod apte in coelo, id est in Ecclesia, videtur, quia Redemptor noster natus, et passus, suscitatus, atque ad coelos ascendisse in ea praedicatur et creditur. *Et vox prima quam audivi tanquam tubae loquentis mecum dicens:* Ascende huc. Quo? nisi ad ostium et coelum, id est Christum et Ecclesiam? et quibus gressibus, nisi fidei? Et recte Joannes ad hoc a voce prima invitatur, quia unusquisque electorum, ut inoffenso credulitatis pede per Evangelium ad verae fidei sacramenta pertingat, Veteris Testamenti doctrina, quae novam praecedit, roboratur. Et recte haec vox tubae comparatur, quia [Col. 1116B] ad bellum provocat spiritale. Unde est illud: *Quasi tuba exalta vocem tuam* **(Isa. LVIII, 1)**. In eo vero quod subditur: *ostendam tibi quae oportet fieri post haec, non negat dum esse exaltationes Ecclesiae, sed ostendit quod permaneant usque in finem saeculi.*

VERS. 2.---*Et statim fui in spiritu.* Hoc si ad Joannem referatur, in extasim eum dicit assumptum; si vero ad Ecclesiam, hoc dicto spiritalis ejus conversatio declaratur. *Et ecce sedes posita erat in coelo,* et super *sedem sedens.* Tam per coelum quam per sedem Ecclesia designatur; sic enim genus jungitur generi, ut non duo, sed unum intelligatur. Sedes ergo in coelo ponitur, cum ipsum coelum, id est Ecclesia, a Domino praesideri meretur. *Sedens autem* [Col. 1116C] super *sedem, nil aliud est quam filius hominis in medio candelabrorum aureorum apparens:* nisi quod illic ambulat, id est dona tribuit; hic vero sedet, id est pro collatis muneribus judicium exercens singulos dijudicat. Nam quod per sedentem hoc loco Filius designetur, declaratur cum subditur: **(VERS. 3)** *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardini.* Per jaspidem, qui ex virenti specie constat, illa paradisi virentia pascua designantur. Et quae sunt illa, nisi Christi divinitas, in qua omnia vivunt? Ut idem Joannes: Qui habet *Filium, habet vitam* **(Joan. III, 36)**. Per sardinum vero, qui terrae rubrae similitudinem habet, humanitas nostri Redemptoris exprimitur, quia veritas de terra orta est. Potest etiam per horum lapidum species Ecclesia designari. *Et* [Col. 1116D] iris erat in circuitu sedis, similis visionis smaragdinae. Per irin, quae Graeca Latinaque lingua arcus vocatur, reconciliatio mundi designatur per incarnati Verbi dispensationem facta. Sole quippe nubem illustrante iris apparuit, quia cum Patris Verbum, quod sol justitiae est, humanam naturam suscipiendo irradiavit, ipsa humanitatis ejus susceptio, quae a propheta *nubes vocatur, reconciliatio facta est mundi.* Cujus rei ipsa interpretatio nominis consonat. Si enim una littera addita irini (εἰρήνη), dicas pax a Graeco in Latinum interpretatur. Cum solida sanctorum corda quae nubes sunt vocata, illuminat, arcus speciem reddunt, quia orando Deum ad pietatem inflectuntur. Et apta figurarum connexio, quia inferius [Col. 1117A] fulgora et tonitrua de throno tanquam de nube procedere narrantur. Igitur quia arcus duobus principaliter coloribus resplendet, aquae scilicet et ignis, designatur vel baptismus aquae et Spiritus sanctus; vel judicium praecedens per diluvium, ac subsequens per ignem. Ut per eum hoc loco repropitiata mundo divinitas apertius ostendatur, idcirco visioni smaragdinae comparatur. Hic enim lapis viridissimi coloris est, qui divinitatis naturae non inconvenienter aptatur.

VERS. 4.---*Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes.* Cum Dominus in Evangelio duodecim thronos commemoret, quid sibi vult quod Joannes viginti quatuor dicit? nisi quia propter geminum Testamentum numerus etiam duodecim tribuum duplicatur. [Col. 1117B] Igitur quantum ad distinctionem utriusque Testamenti, viginti quatuor sunt throni, totidemque seniores; quantum vero ad unitatem et concordiam eorumdem, tantum duodecim. Sed nec debemus tantum carnaliter sapere, ut aliud aestimemus unam sedem, aliud viginti quatuor thronos. Nam quia singulariter ac principaliter universam Dominus judicabit Ecclesiam, idcirco seniores et throni una sedes esse dicuntur; quia vero sancti praedicatores utriusque Testamenti cum eodem subditas plebes examinabunt, consequenter in circuitu sedis super viginti quatuor thronos totidem sedent seniores. Quod autem de senioribus subditur: *circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronae aureae;* ad omnem Ecclesiam pertinet, quae vestimentis albis induitur, id [Col. 1117C] est inviolatis baptismi sacramentis. Coronas aureas in capite habet, quia veraciter de mortis auctore triumphat. Aliter, potest per hunc numerum sancta Ecclesia figurari propter senariam perfectionem, quae per quatuor Evangelii libros consummatur; vel certe quia Veteris Testamenti viginti quatuor utitur libris.

VERS. 5.---*Et* de throno procedunt *fulgora, et voces, et tonitrua.* Hic aperte ostenditur per thronum Ecclesiam figurari, cui haec omnia conveniunt. In fulgoribus enim miraculorum signa accipimus. Unde Psalmista: *Illuxerunt* fulgora tua *orbi terrae* **(Psal. LXXVI, 19)**. Per *voces* autem *et tonitrua praedicatio veritatis exprimitur, sicut idem Psalmista dicit: Vox tonitrui tui in rota* (Ibid.). Et nota quia quasi ex obliquo ab una figura ad aliam transiens, de sede haec [Col. 1117D] dicit procedere, cum non sedi, sed nubi conveniant. Ipsam ergo sedem nubem vult intelligi. Bene autem justorum Ecclesia per nubem figuratur, quia praedicatores ejus et verbis pluunt, et comminationibus tonant, et miraculis coruscant. *Et septem lampades ardentes ante thronum, quae sunt septem spiritus Dei;* **(VERS. 6)** *et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Apte Spiritus sanctus lampadibus comparatur, quia ad amorem Dei et proximi electorum animos accendit. Quid autem per mare vitreum, nisi baptismus figuratur? Et quare vitreum, nisi quia fides per eum transeuntium tropica locutione demonstratur? Ab efficiente scilicet illud quod efficitur. Sicut enim in vitro nihil aliud videtur exterius, quam [Col. 1118A] quod gestatur interius; ita Ecclesiae fides intus simplex est credulitate, et foris verax ostenditur confessione. Sed ne fragile putaretur ut vitrum, additum est *simile crystallo.* Sicut enim glacies hiemali frigore pressa post multos annos in similitudinem lapidis obdurata crystallum efficitur, ita fides sanctorum inter pressuras per incrementa temporum solidatur. *Et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro.* Nulli dubium est quin per haec quatuor animalia quatuor figurentur evangelistae. Sed si in medio sedis, quomodo in circuitu sedis esse perhibentur? praesertim cum in medio sedis Dominum, et in circuitu sedis viginti quatuor seniores sedere jam dictum sit. Quapropter sciendum quia in Domino animalia, et in animalibus Dominus; et [Col. 1118B] rursus in senioribus animalia, et in animalibus seniores inveniuntur. Potest et quatuor animalium specie designari generaliter Ecclesia. Plena itaque sunt animalia oculis, quia quot sunt sacrarum Scripturarum eloquia, tot sunt electorum spiritalia lumina, quibus ad fidem illuminantur. Ante autem et retro sunt oculi, quia Veteris et Novi Testamenti sacramenta in se continent. *Ante enim hoc loco*

pro praeterito ponitur. Aliter, ante et retro habent oculos, quia quaedam impleta, et quaedam implenda denuntiant; vel quia praeterita peccata plangunt, et futura cavent.

VERS. 7.---*Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilae volanti.* Quaerendum est quare Joannes primum [Col. 1118C] animal leoni simile dixerit, cum Ezechiel hominis speciem primo animali inesse perhibeat. Igitur aut ordo historicus mutatus est, quem mystica Scripturarum eloquia non semper servant; vel quia non propter nativitatem, aut passionem crediderunt in Christum homines, sed propter resurrectionem, quae in leone figuratur, ejus speciem primam posuit. Denique quia ab humana generatione coepit, recte per hominem Matthaeus; quia a clamore in deserto, recte per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus, bene per vitulum Lucas; qui vero a divinitate coepit, digne per aquilam Joannes. Possunt et haec ad Christum referri, et ad cuncta membra ejus. Sed haec brevitatis causa dixisse sufficiat. **(VERS. 8.)** *Et quatuor animalia, singula eorum habebant senas alas.* [Col. 1118D] In alis quatuor animalium, duorum Testamentorum eloquia accipimus. Cum ergo duae sint hae alae, propter geminatum tamen duodenarium numerum, qui in tribubus Israel et in apostolis invenitur, duodecies multiplicantur, et viginti quatuor de se reddunt. Sic etiam propter Trinitatis notitiam, quam toto orbi diffundunt, ter multiplicantur, et sex in solidum apparent. Aliter, possunt per sex alas sex leges intelligi. Prima naturalis, secunda Moysi, tertia prophetarum, quarta gratiae, quinta apostolorum, sexta synodorum, quibus Ecclesia volat ad coelum. *Et in circuitu, et intus plena sunt oculis.* Animalia *et in circuitu, et intus plena oculis sunt, quia sancta Ecclesia praedicationis lumen ostendit credentibus,* infidelibus [Col. 1119A] claudit: vel quia sancti praedicatores parvulorum mentibus tanquam foris per solam historiam, et perfectorum quasi intus per allegoriam iter fidei et sanctitatis ostendunt; vel quia indesinenter conspiciunt ut foris bona exempla fratribus praebeant, et intus recta intentione persistant.

Et requiem non habent die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est. Requiem non habent, id est a clamore non cessant. Unde claret quod animalia quatuor totam Ecclesiam designant: quia non soli evangelistae, sed et omnes fideles die ac nocte, id est in prosperis et in adversis, Deum laudare non cessant. In eo autem quod ter dicunt *sanctus, tres personas designant.* Dicendo vero, *Dominus* [Col. 1119B] Deus omnipotens, unius substantiae Deum in his tribus ostendunt. Sed quomodo Trinitati congruere potest quod in praefata laude dicitur, *qui venturus est, cum solus Filius ad judicandum in humanitate venturus sit? Sciendum igitur quia invisibilis Trinitas per assumptam Filii personam justos et peccatores examinabit.* Veniet autem non de loco ad locum transeundo, sed per susceptam hominis formam, quae de coelo ad inferiora descendet, manifestam potentiam ostendendo. Potest et hoc loco praesens divinitatis adventus, quo sancti ejus quotidie illustrantur, intelligi. **(VERS. 9.)** *Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum viventi in saecula saeculorum;* **(VERS. 10)** *procidebant viginti quatuor seniores,* et [Col. 1119C] adorabant viventem in saecula saeculorum. Hic animalia non jam genus, sed speciem signant, id est evangelistas. At vero per viginti quatuor seniores universalis Ecclesia in praelatis et subjectis exprimitur. Dant ergo animalia gloriam et honorem sedenti super thronum,

cum sancti evangelistae docent pro omnibus bonis laudandum; ut est illud: *datum optimum, et reliqua.* Illis ita dicentibus, viginti quatuor seniores, id est omnes sancti, cadunt, humilia de se sentiendo. Ubi autem cadunt, ibi adorant; quia unde sibi nihil tribuunt, inde Deum honorant. Casus autem et adoratio spiritalis intelligenda est, juxta illud: *Deus spiritus est, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* **(Joan. IV, 24)**. *Et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes, et reliqua.* [Col. 1119D] Hoc ipsum repetit. Seniores enim ante thronum coronas suas ponere, est electos pia mentis confessione ante conscientias suas, quibus Deus praesidet, de acceptis virtutibus tumorem superbiae deponere, et praesidenti sibi cuncta tribuere; unde et dicunt: **(VERS. 11)** *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem.* Ac si dicant: Tibi principaliter ista conveniunt, a quo et per quem et in quo est gloria et honor et virtus sanctorum. Sed quid est quod sequitur: *quia tu creasti* omnia, et propter voluntatem tuam *erant, et creata sunt? Si enim creata sunt, quomodo antequam crearentur, erant? Sciendum ergo quia erant in praedestinatione, priusquam fierent in opere.*

CAPUT V.

[Col. 1120A]

VERS. 1.---*Et* vidi in dextera sedentis super *thronum librum scriptum intus et foris.* Per sedentem in throno, Patris persona ostenditur: per dexteram vero sedentis, ejusdem Patris Filius per quem facta sunt omnia, et de quo paterna voce dicitur: Tollam in coelum manum meam, et jurabo per dexteram meam. Liber autem scriptus *intus et foris, utrumque Testamentum, Vetus scilicet et Novum, continere videtur;* et Vetus quidem juxta litteram foris patebat, sed juxta mysticum intellectum intus Novum occultabat. Sive intus liber scriptus ostenditur allegoria, foris historia. Idcirco autem Vetus et Novum Testamentum unus liber dicitur, quia nec Novum a Veteri, nec rursum Vetus a Novo valet distingui. Et [Col. 1120B] recte in dextera liber esse dicitur, quia principalis divinarum *Scripturarum intentio ad dispensationem nostri Redemptoris refertur. Signatum sigillis septem.* Septenarius numerus universitatem saepe designat. Septem autem sigillis liber signatus esse perhibetur, quia dispensatio Domini Salvatoris antequam revelata in plenitudine temporum fuisset, in divinis voluminibus omnifaria mysteriorum latentium plenitudine abscondebatur. Si alicui iste intellectus non sufficit, noverit, in septem sigillis septem modos verborum comprehendi. Indicativum, ut illud quod quaerenti prophetae dicitur: *Ego Dominus qui loquor justitiam* **(Isa. XLV, 19)**. Pronuntiativum, ut illud: *Audi me Jacob et Israel quem ego voco, et reliqua.* **(Isa. XLVIII, 12.)** Imperativum, ut illud: *Clama,* necesses [Col. 1120C] **(Isa. LVIII, 1)**. Optativum, juxta illud: *Utinam attendisses mandata mea* **(Isa. XLVIII, 1)**! Conjunctivum, ut illud: *Si custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium* **(Exod. XIX, 5)**. Infinitivum, ut illud: Continere a malo intelligentia est. Impersonale, ut est: *Quis loquetur potentias Domini* **(Psal. CV, 2)**?

VERS. 2.---*Et vidi angelum fortem praedicantem voce magna:* Quis dignus est aperire librum, et solvere signacula ejus? Per angelum fortem praeco legis debet intelligi; labia

enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quoniam angelus Domini exercituum est. Quid est autem requirere, quis dignus sit solvere librum, nisi anxie Christum desiderare? qui possit in se ostendere [Col. 1120D] legem esse impletam et revelatam, quatenus non jam carnaliter, sed spiritaliter debeat servari et intelligi. Et recte prius liber aperitur, deinde septem ejus signacula solvuntur, quia ante in Christo divinae legis praeconia impleta sunt, deinde in toto corpore quadam ratione, sicut declarat singulorum apertio sigillorum. Et quia necdum Christus advenerat, recte subjungitur: **(VERS. 3)** *Et nemo poterat neque in coelo, scilicet angelus; neque in terra, id est homo; neque* sub *terra,* id est anima, *aperire librum, neque respicere illum.* Nam nullus horum humanae salutis dispensationem perficere poterat. Sed, beate Joannes, quomodo nemo potuit respicere librum, cum tu ipse dicas: Vidi librum in dextera Dei? forte nec in [Col. 1121A] coelo, nec in terra, nec sub terra fuisti? Ne ergo contrarium sit, *respicere* pro *comprehendere accipiendum est.* Quis enim comprehendere sufficit, quomodo incarnatur sine semine Deus? Quomodo clauso exiit utero virginis homo Deus? Quomodo Dominus gloriae crucifigatur, cum sola caro moriatur?

VERS. 4.---*Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.* Nequaquam Joannes in sua persona flevisse creditur, qui post hujus libri apertionem ista scribebat, sed in ejus Ecclesiae quae ante adventum Christi fuit, quae gravata oneribus peccatorum, mediatoris sui praesentiam anxia quaerebat. In cujus etiam persona David dicit: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie:* Ubi est Deus [Col. 1121B] tuus **(Psal. XLI, 4)**? Cui consolatio dirigitur in eo quod subditur: **(VERS. 5)** *Et unus de senioribus dicit mihi, Ne fleveris.* Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere signacula ejus. Per unum seniorem ordo intelligitur prophetarum, quorum oraculis consolabatur Ecclesia; juxta illud: *Non* auferetur sceptrum de Juda, nec *dux de* femoribus *ejus, donec veniat qui mittendus est.* Et nota quod hic Christus leo dicitur, quia diabolum vicit: in sequenti versu agnus, quia semetipsum offerens mundum redemit. *Radix autem David, id est genus et filius David.* Notandum praeterea quia dicendo *vicit, praeteritum pro futuro posuit;* juxta illud: *Foderunt manus meas, et reliqua.* **(Psal. XXI, 17.)**

[Col. 1121C] VERS. 6.---*Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium,* et in medio seniorum agnum stantem quasi *occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Ut jam dictum est, thronus, et animalia, et seniores Ecclesiam significant, in cujus medio agnus stat, juxta illud: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te* **(Psal. XXI, 23)**. Non autem contrarium est quod alibi legimus: *Dominus in circuitu populi sui* **(Psal. CXXIV, 2)**, quia et in medio praesidens regit et judicat, et in circuitu ambiens protegit et defendit. Sed quare hic stare, superius autem sedere legitur? nisi quia ibi examen et regnum, hic autem auxilium ostenditur. Sedere enim regnantis est et judicantis, stare vero adjuvantis. [Col. 1121D] Et nota quod non occisus, sed tanquam occisus cernitur; quia etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei. Aliter, toties non occiditur, sed quasi occiditur Christus, quoties membra ejus aut se sponte mortificant, aut persecutiones tolerant, ut in se impleant ea quae desunt passionum Christi. Per septem cornua, ut ipse exposuit, septiformis sancti Spiritus operatio designatur, quae non solum

in capite quievisse, sed etiam totum corpus illustrasse probatur: unde hoc loco septem spiritus Dei in omnem terram missi narrantur. Haec autem septiformis operatio, quae propter regnum et fortitudinem figuratur, recte propter illuminationem Ecclesiae etiam per oculos designatur. Aliter, possunt per cornua, quae carnem excedunt, [Col. 1122A] eminentiores in Ecclesia intelligi, quibus dicitur: *Vos in carne non estis, sed in spiritu* **(Rom. VIII, 9)**. **(VERS. 7.)** *Et venit et accepit librum de dextra sedentis in throno.* Idem est dextera sedentis in throno, qui et agnus tanquam occisus in medio throni; quia Dei Filius, per quem creatus est mundus, et hominis filius, per quem redemptus est, non duo, sed unus est Christus. Quamobrem agnus, id est hominis filius a seipso, id est a sua divinitate, accepit librum, id est humanae salutis dispensationem, cui omnes Scripturarum paginae attestantur.

VERS. 8.---*Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, ac phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum.* [Col. 1122B] Tunc agnus librum aperuit, cum opus voluntariae passionis implevit. Quid vero est animalia et seniores citharas habere, nisi electorum Ecclesiam ea quae desunt pressurarum Christi implere? Apte autem per citharas passiones Christi figurantur In cithara enim aliae fortius, aliae chordae lenius tenduntur; sed tamen dissimiliter tensae, nequaquam dissimile canticum reddunt. Sic sic diversa in Christi corpore membra passiones ejus alia plenius, alia minus, imitantur; sed unam concordiae resonant laudem. Cum citharis ergo animalia et seniores ante agnum cadunt, quia omnes sancti quidquid pro Christo patiuntur, Christo, non sibi, ascribunt. Per phialas aureas charitas intelligitur; quae non solum [Col. 1122C] pro amicis, verum etiam pro inimicis novit exorare: unde plenae fuisse memorantur. Et bene post citharas phialae ponuntur, quia prius Dominus patibulum crucis subiit, et sic pro persecutoribus incomparabili charitate oravit dicens: *Pater, dimitte illis, et reliqua.* **(Marc. XXIII, 34.)** **(VERS. 9.)** *Et cantabant canticum novum dicentes:* Dignus est, Domine Deus noster, *accipere librum, et caetera.* Cantavit Christus canticum novum, verbis praedicando, et factis imitando. Quid est autem dicere, *Dignus es, Domine Deus noster, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, nisi ad comparationem nostrarum victoriarum tua sola judicatur victoria,* qua nos de mortis principe et [Col. 1122D] maledicto legis sumus redempti? In eo vero quod quatuor animalia, et viginti quatuor seniores, ex omni tribu, et lingua, et natione redemptos se dicunt, aperte ostenditur per eos universalem Ecclesiam designari. **(VERS. 10.)** *Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes et regnabimus super terram.* Reges sunt electi, dum corpora sua frenando, quasi super subjectam terram lege virtutis regnant: unde et super terram regnum accepisse confirmant. Sacerdotes sunt, quia seipsos quotidie castigando, Deo offerunt, juxta illud: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* **(Psal. L, 19)**.

VERS. 11.---*Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum.* In eo quod se vocem audisse dicit, qualis haec [Col. 1123A] visio fuerit ostendit. Visus enim ille audit, et auditus videt. Sed si in circuitu sedis, ut jam dictum est, animalia sunt et seniores, quomodo in circuitu ejusdem angelus, nisi quia eadem animalia et seniores angeli sunt? De quibus dicitur: *Angeli pacis amare flebunt* **(Isa. XXXIII, 7)**. Licet coelestis quoque militia angelorum nomine possit intelligi; sive

tamen de his, sive de illis innumerabilis ostenditur multitudo cum subditur: *Et erat numerus eorum millia millium,* **(VERS. 12)** *dicentium voce magna:* Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem, **(VERS. 13)** *et omnem creaturam, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et mari, et quae in eo sunt.* Mare, et quae in eo sunt, praesens [Col. 1123B] saeculum designat. *Omnes audivi dicentes:* Sedenti [Col. 1124A] in throno et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum. Dicendo *omnes, illos repetit ex quibus superius totam Ecclesiam constare dixit;* id est animalia, et seniores, et angelos. In sedente vero et Agno, id est in Patre et Filio, secundum jam dictam regulam, etiam Spiritus sanctus intelligitur. *Et quatuor animalia dicunt: Amen.* Et viginti quatuor seniores ceciderunt, et adoraverunt viventem in saecula saeculorum. Quia animalia et seniores unum sunt, id est una Ecclesia, cum senioribus animalia cadunt et adorant, et ipsas laudes seniores cum animalibus veras esse asserunt, sermone confirmationis respondentes, amen. Casus autem et adoratio, ut jam dictum est, spiritalis accipi debet. Ne itaque longo progressu ultra modum [Col. 1124B] lassemur, hunc librum isto fine claudamus.

LIBER QUARTUS

CAPUT VI.

[Col. 1123B]

VERS. 1.---*Et* cum *aperuisset Agnus unum ex* septem sigillis, audivi unum ex *quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui magni: Veni, et vide.* Apertio sigilli, revelatio est sacramenti. Verum quia non unum, sed multa sunt sacramenta, et de singulis longum est tractare, possunt universa in his tribus modis comprehendi, id est locutionis, cognitionis, et actionis. Locutio omnia praecepta in se concludit. Cognitio regulariter adhibita intelligentiae formas insinuat. Actio vero utrisque concordat. Aperto vero uno ex septem sigillis, unum ex quatuor animalibus in modum tonitrui magni Joannem [Col. 1123C] invitat, ut veniat, et videat; quia manifestata veritate praecedens in apostolis Ecclesia subsequentem ad fidem provocat. **(VERS. 2.)** *Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum habebat arcum.* Per equum album Christi humanitas designatur sine peccati offuscatione, quam Verbum Patris singulariter voluit praesidere; sive omnes electi. Per arcum vero Vetus et Novum Testamentum exprimitur, ex quo tot prodeunt jacula, quot sunt Testamentorum eloquia. De hoc arcu eidem sessori dicitur: tendens et extendens arcum tuum super sceptra. Quod vero sequitur: *et data est illi corona, non solum ad caput, sed etiam ad corpus refertur. Et exiit vincens ut vinceret.* Unde exiit nisi ex aperto sigillo? Nam ex revelato Scripturarum sacramento, ipsa sacramenti veritas [Col. 1123D] manifeste apparuit. *Exiit* autem *vincens, primum caput, ut post in corpore vinceret quotidie diaboli tentamenta, et malorum hominum persecutiones.*

VERS. 3.---*Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens:* Veni, et vide. Quid est quod in causa dissimili similis fit admonitio? nisi quia sicut ibi laetitia de peracta victoria, sic etiam hic sollicitudo de futuro certamine ministratur.

(VERS. 4.) *Et exivit alius equus rufus, et qui sedebat super eum,* datum est ei ut sumeret pacem de [Col. 1124B] terra. Equus rufus antiqui hostis est corpus; omnes scilicet reprobi animarum interfectione sanguinei. Et quidem sessor electorum dicit: *Pacem meam do vobis* **(Joan. XIV, 27)**; sessor vero reproborum pacem sumit de terra, quia ille concordiae auctor est, iste vero discordiae. Et nota quod non de coelo, sed de terra, id est terrena quaerentibus, pacem aufert. *Et ut invicem se interficiant.* In hac sententia non carnalis sed spiritalis interfectio debet intelligi. Unde autem se reprobi interficiant, aperitur cum de Judaeorum principe subditur: *et datus est illi gladius magnus, id est spiritalis, et malignus, quo non corpora, sed animae reproborum jugulantur.* Hunc gladium diabolus duobus modis exercet; cum aut per [Col. 1124C] se spiritali locutione interius decipit, aut per carnalium suorum linguam exterius pulsans ad occisionem animae pertingit. Haec autem omnia illi data dicuntur, id est Deo justo cuncta disponente permissa.

VERS. 5.---*Et cum aperuisset sigillum teritum, audivi tertium animal dicens:* Veni, et vide. Et ecce equus niger, et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. In hujus equi nigredine illa malorum esuries designatur, qua Christi corpus inhianter devorare, et in malitiae suae ventrem trajicere concupiscunt: quorum sessor habet stateram in manu sua, quia temporalibus stipendiis bonorum vitam mercari quaerit, ut suam suorumque esuriem satiare possit. Hanc stateram in manu tenuit quando unum ad manducandum obtulit pomum, et totum ad [Col. 1124D] perdendum mercatus est mundum. Nam sciendum quia diabolus prius audiendi verbum Dei alimentum subtrahit, ut spiritalis cibi inedia affectos in augmentum sui corporis facilius sumat. Unde per prophetam Dominus dicit: *Ecce* ego *mittam famem in terram;* non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Dei **(Amos, VIII, 11)**. Hoc enim Dominus agit deserendo, diabolus invadendo. Sed quomodo possunt pati hanc famem qui sunt frumentum Dei, vinum et oleum? Imo patiantur hanc paleae, [Col. 1125A] vinacia, et amurca; et ipsi occurrant ad stateram nullo pretio digni, non illi qui Christi sunt sanguine redempti. Unde mox subditur:

VERS. 6.---*Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem:* Bilibris tritici denario uno, *et* tres bilibres hordei denario uno, *et vinum et oleum ne laeseris.* Tunc *in medio quatuor animalium, id est in medio Ecclesiae, haec vox sonuit, quando adunatis in fide gentibus, divina potentia diabolum ab electorum laesione compescuit;* ac si ei per irrisionem diceretur: frumentum et hordeum, vinum et oleum ablato denario sessor equi albi praeelegit et comparavit; paleas autem, vinacia, et amurcam, tibi reliquit. Una igitur bilibris, quae fit ex duobus sextariis, Ecclesia est ex duobus Testamentis in Dei [Col. 1125B] proximique dilectione consistens. Sed in hoc loco unam Ecclesiam in sanctis praedicatoribus, vel magnarum virtutum viris, non generaliter in cunctis intelligere debemus. Non enim sine causa hic post frumentum, hordeum ponitur. Designet itaque una bilibris tritici ex duobus populis novos Ecclesiae praedicatores, et eminentiores virtutibus viros, qui tribulationum molendino confracti, et persecutionum igne decocti, panis pulcher Christi et candidus fieri meruerunt. Designent tres bilibres hordei subjectorum et infirmantium vitam, ex utroque populo venientium. Et nota quia unum et pretium tritici et hordei, quoniam etsi dispar est sanctorum labor, uno tamen sunt pretio empti, et unum sunt post laborem denarium

accepturi. Notandum praeterea quia [Col. 1125C] eadem sententia repetitur cum subditur: *vinum et oleum ne laeseris.* Quomodo [*Cod.,* quando] enim Ecclesia vinum et oleum non est, quae in pressurarum torculari ut uva calcatur, et in angustiarum prelo ut oliva contusa liquatur?

VERS. 7.---*Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis:* Veni et vide: **(VERS. 8)** *Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super, nomen illi Mors;* et infernus sequebatur eum. Ipsi designantur per equum pallidum qui et per rufum, quorum nunc spiritalis mors in ipsius equi pallore figuratur. Supra quos bene mors, id est diabolus, contra vivos pugnaturus sedere dicitur; quia per officium eorum, quos jam spiritaliter occidit, electorum vitam exstinguere [Col. 1125D] quaerit. Infernus illi dicuntur, in quibus habitat mors. Infernus ergo sequitur mortem, quia mali imitantur diabolum. Possunt et specialiter per equum pallidum haeretici intelligi. *Et data est illi potestas super quatuor partes terrae, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terrae.* Duae sunt in hoc mundo partes, id est Christi et diaboli; sed Christi pars non est divisa; juxta illud: *Una est columba mea* **(Cant. VI, 8)**. Pars vero diaboli in quatuor dividitur partes, in paganos, Judaeos, haereticos, et malos catholicos. Tot igitur sunt plagae quot diaboli partes. Sed quomodo gladio, et fame, et morte interficiat, jam dictum est. Per bestias autem designantur efferati motus animorum. Bestiis ergo hostis noster reproborum animas interimit; quia dum divinorum [Col. 1126A] praeceptorum caveis carnales animi motus non retinentur, efferati ut ita dixerim impulsu diabolicae suggestionis per abrupta quaeque miserorum vitam praecipitant.

VERS. 9.---*Et cum aperuisset sigillum quintum,* vidi subtus altare Dei *animas occisorum propter verbum Dei, et testimonium quod habebant.* In occisorum animabus omnium electorum animas intelligimus, qui sive corporalibus sive spiritalibus a reprobis impugnationibus angustantur. Martyrum enim duo sunt genera, unum in aperto, alterum in occulto. Per altare vero Christus intelligitur: in quo Deo Patri sacrificia nostra offerimus, cum unigenitum ejus Filium imitantes, hostia viva in conspectu illius apparemus. Sub altare igitur animae occisorum sunt, [Col. 1126B] quia mediatori nostro subsunt. Si vero per altare ipsi electi intelliguntur, sub se sunt; quia necdum corporis immortalitate vestiti sunt. **(VERS. 10.)** *Et clamabant voce magna dicentes:* Usquequo, Domine (sanctus et verus), non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Quid est animas sanctorum vindictam sanguinis de persecutionibus exposcere, nisi diem extremi judicii praestolari? Non autem per organum gutturis folle ventris attracto animarum verba formantur; sed magnus earum clamor magnum est desiderium. Sed cum aliter moveri soleat mens quae petit, aliter quae petitur, et sanctorum animae ita Deo inhaereant ut inhaerendo quiescant, quomodo dicuntur petere, quas et voluntatem Dei certum est, et ea quae futura sunt, non ignorare? [Col. 1126C] Sciendum ergo quia in ipso positae ab ipso petere aliquid dicuntur, non quia vindictam desiderent quod ab ejus quem cernunt voluntate discordet; sed de se ipso accipiunt, ut ab ipso petant quod eum facere velle noverunt. **(VERS. 11.)** *Et datae sunt illis singulae stolae albae, et dictum est illis ut requiescerent modicum adhuc tempus,* donec compleatur numerus conservorum et fratrum eorum *qui interficiendi sunt sicut et illi.* Quid per stolas albas, nisi praemium martyrum? Ante resurrectionem quippe stolas singulas accepisse perhibentur electi, quia in sola adhuc anima aeterna beatitudine perfruuntur.

Et nota quia animarum vox est hoc quod amantes desiderant; respondere Dei est ut collectionem fratrum exspectare debeant, eorum mentibus exspectandi moras [Col. 1126D] libenter infundere. Optant ergo corporum resurrectionem; sed audiunt ut libenter exspectent fratrum collectionem.

VERS. 12.---*Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, terraemotus factus est magnus;* et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus; et luna facta est sicut sanguis. Per terraemotum, ultima sub Antichristo persecutio debet intelligi. Magnus autem dicitur, quia, juxta Domini vocem, erit tunc tribulatio, qualis nunquam fuit, sed nec fiet. Sol autem Christus est, juxta illud: Vobis qui timetis Deum *orietur sol justitiae* **(Malach. IV, 2)**, qui novissimis obscurabitur, cum hi qui quasi in Christi corpore lucere videbantur, ad aperti erroris tenebras devolventur. Potest [Col. 1127A] et per solem fulgens vita praedicantium demonstrari. In extremo ergo tempore sol quasi saccus cilicinus erit, quia fulgens vita praedicantium ante reproborum oculos aspera et despecta monstrabitur. Cilicium quippe criminosis et peccatoribus congruit. Per lunam versam in sanguinem, agnoscimus sanctam Ecclesiam in electis cruore passionis infectam. Tota autem infecta dicitur, quia nullus illa novissima persecutione expers erit qui in fide mediatoris permanserit; unde Joel: *Sol,* inquit, *convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies magnus et manifestus* **(Joel. II, 31)**. **(VERS. 13.)** *Et* stellae coeli *ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos cum a vento magno movetur.* Coelum est sanctorum Ecclesia, quae in nocte vitae praesentis, [Col. 1127B] dum innumeras sanctorum vitas continet, quasi radiantibus desuper sideribus fulget. Stellas ergo de coelo in terram cadere, est eos qui videntur sanctorum fidei vel operibus inhaerere, ex amore terreno ad iniquitatem aperti erroris ruere. Hoc est etiam ficum grossos suos mittere: quasi enim arbor fici a magno vento movetur, cum extrema persecutione omnis Ecclesia concutitur. Porro alia translatio *acerbos posuit.*

VERS. 14.---*Et coelum recessit ut liber involutus.* Sicut reprobi ab Ecclesia, non corpore sed transgressionibus cadunt, sic eadem Ecclesia in electis suis non abscessu corporis, sed fide et operatione de medio malorum recedit. Bene autem per librum Ecclesia designatur, quia totius vitae coelestis mandata [Col. 1127C] in se continet, non in membranis tantum calamo, sed etiam in tabulis cordis carnalibus Dei spiritu scripta. Et nota quia involutus liber dicitur; sicut enim non videtur quid liber involutus contineat, nisi ab illis quibus voluntate aperitur; sic electorum Ecclesia persecutionis tempore intima sua et extraneis claudit, et suis discrete intus aperit.

Et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt. Per montes praecelsae dignitatis viros debemus intelligere, qui alios verbis et virtutibus transcendunt. De quibus dicitur: Levavi oculos meos ad montes **(Psal. CXX, 1)**. Per insulas vero minoris justitiae homines accipimus adhuc in tribulationibus fluctuantes. Quod ergo montes et insulae de locis suis motae dicuntur, [Col. 1127D] ad superiorem sensum pertinet, quo sanctorum Ecclesia fide et opere a malorum recedit consortio. Quasi enim locus ejus erat permixta conversatio malorum. **(VERS. 15.)** *Et reges terrae, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber, absconderunt se in speluncis, et in petris montium.* Reges sunt qui se ipsos bene regunt. Similiter et principes, qui non sicut reges, tamen ut possunt vitiis resistunt. Similiter tribuni jam minoris sunt potestatis, quam principes;

verumtamen et ipsi, ut possunt, resistunt diabolo. Divites dicit virtutibus, non rebus; fortes quoque non corpore, sed animo. Hi igitur extrema persecutione nihil de suis virtutibus praesumentes in cavernis et in speluncis montium se abscondunt, quoniam sanctorum suffragia quaerunt, [Col. 1128A] qui recte montes vocantur, quia virtutibus alti terrena despiciunt. Recte petrae, quia fortes sunt robore; utique in Christo, qui est petra, roborati. Hinc Dominus in Evangelio dicit: *Tunc qui in Judaea sunt fugiant ad montes* **(Matth. XXIV, 16)**. Et Salomon: *Lepusculus plebs invalida collocat in petra cubile sibi* **(Prov. XXX, 26)**. Et Isaias: *Introibunt,* inquit, *in speluncas petrarum, et in voragines terrae, a facie fortitudinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum resurrexerit percutere terram* **(Isa. II, 19)**. Quod etiam agendum admonet dicens: *Ingredere petram, abscondere fossa humo* **(Ibid., vers. 10)**. Possunt et per haec supernae virtutes intelligi; juxta quod in libro Job legitur: *In petris manet,* et in praeruptis silicibus commoratur et *inaccessis rupibus* (Job XXXIX, [Col. 1128B] 28). Quid vero sive ad angelos sive ad sanctos homines fugientes dicant, audiamus.

VERS. 16.---*Et dicunt montibus, Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* Ac si aperte dicant: Misericordia animum flectite, nosque piis interventionibus ab ira judicantis tegite. Non autem a facie parcentis, sed a facie nos abscondite irascentis. Cur ita pertimescant, adhuc subjungunt: **(VERS. 17)** *Quoniam venit* dies magnus irae ejus, *et quis poterit stare? Tanquam dicant:* Si illius Dei iram sanctus pertimescit, quis nostrum subsistet? Praeteriri possunt haec omnia quae de sanctis dicta sunt, et de reprobis intelligi: montes enim, superbi sunt; insulae, cupidi; juxta illud: [Col. 1128C] *Tacete* qui habitatis in insula, negotiatio *Sidonis* **(Isa. XXIII, 2)**. Reges, et principes, et tribuni reprobos designant, juxta qualitatem sui. Divites illos dicit, qui non indigent alieno adjutorio ad malum: fortes autem ad miscendam ebrietatem: servum peccati, liberum justitiae. Hoc omnes non dubium est imminente futuro judicio ad auxilium daemonum currere, cum desperati ad quemlibet sanctorum non praesumunt accedere. Hoc est enim eos in speluncis et petris montium latibula quaerere. Sed quomodo alios ab ira furoris defendent qui hanc primi excipient? Denique haec omnia etiam juxta litteram magnum audientibus timorem incutiunt; sed non propterea figuratae elocutiones violenter ad litteram inflectendae sunt.

CAPUT VII.

[Col. 1128D]

VERS. 1.---Et *post haec vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terrae,* tenentes quatuor ventos terrae, ne flaret ventus *super terram,* neque super mare, neque super *ullam arborem.* Notandum quia a primo usque ad sextum sigillum perveniens ordinem custodisse videtur. Sed praetermisso septimo, ad initium incarnationis Christi redit, et ea quae exsecutus fuerat, mutatis aenigmatum figuris breviter recapitulat: atque easdem duas narrationes septimo sigillo concludit, quae recapitulatio non semper isto modo, sed diversis fit. Quid itaque per quatuor angelos figurari, nisi corpus antiqui hostis intelligimus? Propter quatuor autem principalia mundi [Col. 1129A] regna, Assyriorum scilicet, Medorum, Persarum vel Macedonum atque Romanorum, in quibus diabolus

per idololatriae culturam regnavit, quatuor in reprobam partem angeli ponuntur. Hinc Nabuchodonosor statuam vidit, cujus caput erat ex auro, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex aere, tibiae autem ferreae. In auro enim Assyriorum, in argento Medorum, in aere Persarum vel Macedonum, in ferro Romanorum regnum figuratur. Non autem mirum per angelos malos homines figurari, cum de Juda dictum sit: *Unus ex vobis diabolus est* **(Joan. VI, 70)**. Sciendum quoque hoc esse quatuor angelos quod quatuor ventos; juxta Danielis prophetiam dicentis: *Ecce quatuor venti pugnabant in mari magno;* et quatuor bestiae descendebant de mari [Col. 1129B] diversae inter se **(Dan. VII, 2)**. Ventos enim et bestias unum esse designat, id est quatuor praefata regna. Igitur cum angeli ventos tenent, seipsos utique tenent: et quia omnes hujuscemodi corpus diaboli sunt, et ipse in eis intelligitur. Quid itaque fuit quatuor angelos terrae quatuor ventos, ne flarent, tenere? nisi occultum adversarium, ejusque totum corpus ita se unire atque constringere, ita os omnium praefocare, ut nullus auderet contra idololatriae culturam verbum veritatis efflare. In terra autem diversitas provinciarum; in mari numerositas designatur insularum. In arboribus quoque, quia genus siluit (*Ita cod.*), pro earum diversitate, diversa hominum officia praesignantur. Sed quia a diabolo suffocabantur, Domini sui adventu erepti sunt. Unde mox sequitur:

[Col. 1129C] VERS. 2.---*Et vidi angelum alterum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terrae et mari,* **(VERS. 3.)** *dicens:* Nolite nocere terrae, neque *mari,* neque arboribus, quousque *signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Christus est angelus, quia novae vitae gaudia mundo nuntiasse cognoscitur, de quo scriptum est: *Magni consilii angelus* **(Isa. IX, 6, sec. LXX)**. Ascensus autem ab ortu solis ille intelligitur quo ab ipsa resurrectione, quae tanquam novus sol emicuit, totum mundum crescendo replevit, et evangelica doctrina illustravit. Illa etiam voce quatuor angelorum noxiam potestatem a laesione prohibuit, et in auctoribus simul et [Col. 1129D] ministris confregit. Unde et Nabuchodonosor lapidem de monte praecisum sine manibus praefatam statuam percussisse vidit in pedibus ferreis, et comminuisse. Per quem Dominus Jesus Christus designatur de stirpe Judaica sine maritali opere procreatus, qui in pedibus statuam percussit, et cecidit; quia verbi praedicatione extremitatem regni Romanorum tetigit, et praefata saeculi regna salubriter erigenda convertit. Idem autem mediator signum Dei habere dicitur, id est crucis mysterium. Quod autem non ait, signem, sed *signemus, ostendit plures in se esse per quos illud mysterium adimpletur.* Dicendo vero *in frontibus, interiorem ostendit;* nam sanguine agni utrumque postem linimus, nec prodest exterius [Col. 1130A] quemquam portare, nisi accipiat et interius; quia fides sine operibus otiosa est.

VERS. 4.---*Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* Finitus est numerus pro infinito: nec ad duodecim tantum tribus Israel pertinet; sed omnis Ecclesia per hunc in electis designatur. Nam ternarius in Scriptura sacra perfectus est numerus, praesertim quia Trinitatem ostendit; similiter et quaternarius propter quatuor mundi partes vel quatuor Evangelia sive quatuor principales virtutes: his per se ductis ad duodenarium pervenimus, qui et ipse propter duodecim tribus vel duodecim apostolos sacratus est: millenarius autem universitatem designat, juxta illud: *In mille generationes.* [Col. 1130B]

Ecclesia igitur quia ex universis gentibus Trinitatis notitia aggregatur, et quatuor Evangeliorum libris irrigatur, recte in duodenis millibus figuratur. Sed ut in eo quod credidit perficiatur, necesse est ut duodenarius millium numerus quadra soliditate jungatur. Ducantur ergo duodecim millia per quatuor, et quadraginta et octo millia fiunt. Ut vero ad id quod credidit, id est ad Trinitatis contemplationem, pertingat, quadraginta et octo millia ter multiplicentur, et de se centum quadraginta et quatuor millia reddunt.

VERS. 5 seq.---*Ex tribu Juda duodecim millia signati;* ex tribu Ruben duodecim millia signati; ex tribu Gad duodecim millia signati; ex tribu Aser duodecim millia signati; ex tribu Nephtali duodecim millia signati; [Col. 1130C] ex tribu Manasse duodecim millia signati; ex tribu Simeon duodecim millia signati; ex tribu Levi duodecim millia signati; ex tribu Issachar duodecim millia signati; ex tribu Zabulon duodecim millia signati; ex tribu Joseph duodecim millia signati; ex tribu Benjamin duodecim millia signati. Si ad Geneseos historiam recurrimus, horum nomina juxta singulorum nativitatem, nequaquam hoc ordine inserta invenimus; nam Judas ibi quarto, hic primo ponitur loco. Ruben ibi primo, hic secundo. Gad ibi octavo, hic tertio. Aser ibi nono, hic quarto. Nephthalim ibi septimo, hic quinto. Manasses ibi nono, hic sexto. Simeon ibi secundo, hic septimo. Levi ibi tertio, hic octavo loco subrogatur. Issachar tantum, Zabulon, Joseph, atque Benjamin, sicut ibi, ita hic ponuntur. [Col. 1130D] Dan vero quintus Jacob filius in hoc spiritali catalogo omnimodis non recipitur. Sed hoc cur factum sit, facile animadvertimus si a carnis nativitate mentis intentionem revocemus, et cum interpretationibus nominum spiritalem in eis prosapiem requiramus. Judas itaque confessio interpretatur, sive laudatio, cujus nominis interpretatio, quid aliud designat, quam confessionem peccatorum, et laudem virtutum? Quamvis confessionis vocabulum pro laude poni videatur; unde Dominus nullum omnino habens peccatum ait: *Confiteor tibi, Pater, et reliqua.* **(Matth. XI, 25.)** In Ruben vero, qui videns Filium vel videntes Filium dicitur, ipsa virtutum opera designantur; saepe enim filiorum vocabulo bonorum [Col. 1131A] operum fructus figuratur; juxta illud: *Videas filios filiorum tuorum* **(Psal. CXXVII, 6)**; hoc est virtutes ex virtutibus natas: et quia virtutum opera aliorum provectibus deservire debent, recte videns filium appellatur. Scilicet ut ea in quibus nos profecisse videmus, aliis videnda manifestemus; juxta aliud Domini: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**. Bene igitur primo Judas ponitur.

Deinde Ruben succedit; quia nisi per confessionem renuntiemus actibus malis, non informamur rectis et placitis. Quis itaque jam non videat quod si a primogenito carnis inchoasset, et quarto loco Judam posuisset, spiritalem Ecclesiae prosapiem utique confudisset? Verum quia bene operantes semper tentatio [Col. 1131B] solet probare, jure post Ruben Gad, id est tentatio subrogatur. Et quia contra eamdem divina virtute praecincti fortes existunt, recte eis convenit quod idem Gad etiam accinctus vocatur. Quia vero bonorum certaminum finem ad Deum non ad faciem humanae laudis retorquere debemus, ob hoc praedictus Gad latrunculus vocatur, tanquam bona cordis latenter acquirens Deo offerat approbanda, non humanis obtutibus detegat praeferenda. Igitur quia illata tribulatio electos probat, et post probationem coronat, recte post Gad Aser ponitur, qui beatus vocatur. Et quia beatitudinis promissione roborati bellatores

Ecclesiae, inter ipsos malos dilatantur visceribus charitatis, bene post Aser Nephthalim ponitur, qui latitudo vocatur. Quia per hoc amplissimum dilectionis [Col. 1131C] praeceptum currentes, et ea quae retro sunt obliviscuntur, et ad aeternas divitias, quae venturae sunt, extenduntur; digne post Nephthalim Manasses interseritur, qui oblitus vel necessitas intelligitur: oblitus scilicet, quia unum quod retro fuerat, dimisit; necessitas vero, quia ad hoc quod extenditur, nondum pervenit. Quorum desiderium quia saepe in longum differtur, jure post Manassem collocatur Simeon, qui audivi tristitiam interpretatur. Sed qui audiunt tristitiam, audiant necesse est et nomen habitaculi, quod idem Simeon sonare videtur; ut qui moerent in tabernaculo corruptionis, gaudeant in habitaculo aeternae quietis.

Quales autem omnes isti sint, Levi subjunctus indicat, [Col. 1131D] qui additus sonat. Multa enim tales generalia transcendentes praecepta, addunt non jussa, ut est caelibatus sanctae virginitatis, et caetera hujusmodi; quae dum non jubentur, sed admonentur, utique non jussa consilio superadduntur. Quibus jure congruit quod Issachar post Levi adnectitur, qui interpretatus dicitur merces: nam ista agentibus praecipua et specialis merces debetur. Unde cuidam eorum Jeremias dicit: *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus* **(Jerem. XXXI, 16)**. Sed talia facientes priusquam remunerentur solent illatae persecutiones probare, non autem superare. Unde *non immerito Zabulon post Issachar sequitur, qui habitaculum fortitudinis appellatur;* tunc enim quilibet horum habitaculum [Col. 1132A] efficitur, quando virtus in infirmitate perficitur. Itaque quia non solum pacis tempore amicis, verum etiam in ipsa persecutione talentum divini verbi gratis erogant inimicis, apte post Zabulon Joseph adnectitur, qui augmentum interpretatur. Ut enim de accepta pecunia lucrum referant, nec ipsis inimicis hanc erogare dubitant. Igitur ut hos omnes in dextera regis aeterni locandos intelligas, pulchre Benjamin, id est filius dexterae, postremo loco subrogatur, tanquam ipse sit finis ordinis, in quo felicitas promittitur aeternae mercedis.

Sancta ergo Ecclesia confessione laudabilis in Juda. In Ruben piis operibus claret fecunda. In Gad tentationum exercitiis probata. In Aser post devictas tentationes beata. In Nephthalim charitatis [Col. 1132B] amore dilatata. In Manasse ea quae retro sunt oblita, ad ea vero quae ventura sunt extenta. In Simeon quasi tristis adhuc in convalle plorationis, sed spe gaudens de supernorum civium habitaculis. In Levi virginitate decora, misericordia pietatis uberrima. In Issachar futurae mercedis exspectatione suspensa. In Zabulon martyrio coronata. In Joseph duplicato spiritalis substantiae talento ditata. In Benjamin dexteram felicitatis aeternae comprobatur sortita. Non autem quispiam duodecim in Ecclesia professiones aestimet, cum tres tantum sint, id est virginum, continentium, ac bonorum conjugatorum, virtutes. Inter haec autem nequaquam praetereundum est, cur Dan Jacob utique filius sive in Genesi, sive in Exodo, cum cunctis fratribus annumeretur, in [Col. 1132C] hac Apocalypsi de catalogo spiritali fuerit ejectus; Manasses vero inter alienigenas natus, utique non filius, quanquam in filium adoptatus, sexto videatur loco subrogatus. Dan igitur interpretatur judicium, sive judicans Hebraeorum transeuntium. Et quid est hoc judicium transeuntium Hebraeorum, nisi reprobatio veteris sacerdotii? Dan ergo de spiritali catalogo ejectus, ipsa nominis sui interpretatione docet, quia in sexta mundi aetate occulto quidem, sed justo judicio, Judaica plebs perfida prorsus sedibus expulsa

sacerdotii dignitatem perdidit; atque in ejus loco Manasses, id est gentium populus, per gratiam meruit subrogari.

VERS. 9.---*Post haec vidi turbam magnam,* quam [Col. 1132D] dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis. Hic liquido manifestatur quia praedictus numerus non solummodo Judaeorum est, sed omnium electorum. Hi enim per innumerabilem turbam, qui per centum quadraginta quatuor millia signatos designatur. Innumerabilis autem haec turba non Deo, sed nobis est. Nam ipse ait: *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* **(Psal. CXXXVIII, 18)**. *Stantes ante thronum.* Cum ipsa innumerabilis turba thronus Dei sit, idcirco tamen ante thronum stare dicitur, quia visio figuris obumbrata variatur, cum tamen res figuris ostensa nequaquam varietur. Sed nunquid aliquid significat quod haec turba stare dicitur, cum superius per circuitum throni cum senioribus [Col. 1133A] ipsa sedisse describatur? Significat plane; sedet namque cum per quaedam membra sua aliorum facta examinat; stat vero cum in cunctis suis electis animum in soliditate fidei et dilectionis roborat. *Et in conspectu Agni amicti stolis albis.* Quid per stolas albas, nisi habitus mentis designatur? Quae tamen ante Domini adventum albae non erant, quia humani generis corda originalium peccatorum maculis erant respersa. Et palmae in manibus eorum. Per palmas, victoria; per manus, operatio exprimitur. Palmas itaque in manibus habere, est de antiquo hoste et mundi voluptatibus triumphare.

VERS. 10.---*Et clamabant voce magna dicentes.* Clamor hic non corporis, sed cordis intelligitur. Magna enim haec vox, magnus est devotionis affectus; [Col. 1133B] quia voce tanto magis quisque clamat, quanto amplius Deum amat. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Et est ordo, Deo nostro, et Agno qui sedet super thronum salus. In quibus et Spiritus sancti persona juxta jam dictam regulam intelligitur. Et nota quia mirabili genere locutionis unam in Patre et Filio substantiam et duas personas ostendunt. Praeterea sciendum quia dum omnem suam salutem Deo referunt, Pelagii atque Coelestii [*Cod.,* Coelestini] dogma evacuatur, qui in tantum liberum arbitrium defendunt, ut dicant homines sine gratia Dei posse salvari. **(VERS. 11.)** *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas.* Tam per angelos, quam per [Col. 1133C] thronum, et seniores, nihilominus et per animalia Ecclesia figuratur. Unam ergo eamdemque rem diversis modis significat. Nam quod Christus singulariter in Ecclesia regnat et judicat, recte omnes sancti per unum thronum figurantur: et quia ipsa etiam Ecclesia aliorum facta examinat, digne per seniores: et quia virentibus paradisi pascuis in quibusdam suis membris adhuc per fidem tantum inhaeret, in quibusdam vero jam per speciem fruitur, bene per animalia. Quia vero ventura quaeque praedicando annuntiat, apte per angelos; et quia ex diversis gentibus aggregatur, jure per turbam figuratur. Hi ergo ceciderunt in facies suas in conspectu throni; id est in secreto mentis suae, quo internus judex sedet. *Et adoraverunt* **(VERS. 12.)** [Col. 1133D] *dicentes, Amen;* benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum; quae cuncta Trinitati apte conveniunt. **(VERS. 13.)** *Et respondit* unus de senioribus dicens *mihi:* Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? Cum nullius interrogatio praecesserit, quid sibi vult quod unus de senioribus respondisse perhibetur? Sed mos est sacrae Scripturae hoc verbum ita ponere; nil autem

significationis habere videtur, unde nec ejus ignoratio inutilis est nec laudabilis scientia. In uno igitur seniore unitas praedicatorum utriusque Testamenti, sive ipse senior senioribus, Dominus scilicet Jesus Christus accipitur, qui idcirco Joannem interrogat [Col. 1134A] ut ipse quaerat, quaerens audiat, et intelligat, et ad imitandum semetipsum accendat. In stolis autem albis, et mentis candor, et ea quae eis in futuro tribuetur gloria. Ad haec cum beatus Joannes ex persona bonorum auditorum respondisset: *Domine mi, tu scis;* rursus ille ex persona Domini vel bonorum praedicatorum ejus subinfert:

VERS. 14.---*Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et reliqua.* In *venerunt tria tempora continentur, pro eo quod est, venerunt, veniunt, et venturi sunt.* Quia igitur omnis electorum numerus hac sententia terminatur, valde metuendum est ne, si aliunde quis veniat, ad electorum consortium non pertingat. *Tribulationes* autem *justorum, ut ait Psalmista, multae sunt* **(Psal. XXXIII, 20)**; ex quibus [Col. 1134B] illa generalis est qua nemo nostrum novit si ad electorum consortium pertingat, Salomone attestante, qui ait: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit;* sed omnia reservantur *in futuram incerta* **(Eccle. IX, 1, 2)**. *Et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Omnes electi stolas suas in sanguine Agni candificant; id est in Christi passionibus habitum mentis exornant, eumque ad accipienda futura gaudia praeparant. **(VERS. 15.)** *Ideo sunt ante thronum,* et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno habitat *super illos.* Ac si diceret: Idem thronus Dei, et templum sunt, quia talibus indumentis vestiti, et sanguine Agni videntur abluti. Et nota quia non ait, habitat in illis, sed *super illos, ut eos thronum simul ostenderet,* [Col. 1134C] et templum. *Die* autem et *nocte dicit, in prosperis et in adversis.* **(VERS. 16.)** *Non esurient* neque sitient amplius, et non *cadet super illos sol neque ullus aestus:* **(VERS. 17)** *quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et ad vitae fontes aquarum deducet eos;* idcirco nihil incommoditatis sustinent, quia Agnus regit eos. Sed quo eos perducit, nisi ad fontem aquarum? scilicet ad Trinitatem, quae significatur per fontem. Et per quam viam, nisi per se? Ipse enim ait: *Ego sum via* **(Joan. XIV, 6)**. Notandum etiam quia unus idemque fons, et esuriem aufert quia panis vivus est, et sitim quia potus est vitae. Nam ut ait Apostolus: Erit *Deus omnia in omnibus* **(I Cor. XII, 6)**. Unus igitur fons dicitur propter unitatem naturae Patris, et Filii, et [Col. 1134D] Spiritus sancti. Aquarum vero fons introducitur, ut multiplicitas donationum Dei in sanctis per hanc sententiam exprimatur. Itaque qui Agno regente ad hujus aquae satietatem perducitur, nec solem, nec ullum aestum patitur, quia vitiorum calore non uritur. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* O mirae pietatis affectum! Patrem se demonstrat, matrem ostendit, qui plangentium filiorum lacrymas abstergit. Unde merito Isaias dicit: *Tu enim Pater noster, et Abraham nescivit nos;* tu Domine Pater noster **(Isa. LXIII, 16)**. Sed quae sunt hae lacrymae? Scilicet quia alius plangit malum quod egit, alius quia bonum non fecit, et alia multa similia. Hae autem lacrymae filiorum tunc abstergendae [Col. 1135A] erunt, cum de exsilio ad patriam redierint.

CAPUT VIII.

VERS. 1.---*Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in coelo quasi*

media hora. Coelum, ut frequenter diximus, Ecclesia vocatur, quae dum a frequentia rerum corporalium per quaedam membra sua secessum intimae contemplationis petit, quasi silentium Deo parat; quod quia in hac vita non potest esse perfectum, quasi media hora dicitur factum. Et nota quia ibi recapitulationem finivit ubi ait: *Post haec vidi turbam magnam, nunc autem septimo sigillo concludit narrationem.* (VERS. 2, 3.) *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datae sunt illis septem tubae.* Et alius angelus venit, et stetit [Col. 1135B] ante altare habens thuribulum aureum. Hoc loco narrationis ordinem praeposterat, et interdicit; sicut enim sequentia demonstrabunt, prius ille cum thuribulo veniens ante altare stetit, quam septem tubas acceperint. Interdicit vero, quia antequam de illis finisset, hunc cum thuribulo medium interseruit. Quid itaque in septem angelis intelligimus nisi sanctam Ecclesiam in suis praedicatoribus, qui sunt aeternae vitae annuntiatores? Recte etiam septem dicuntur, quia septiformi Spiritu replentur, vel quia universitati credentium praeponuntur. In conspectu autem Dei stare perhibentur, qui terrenis cupiditatibus calcatis divinae contemplationi inhaerent. Quid autem per septem eorum tubas, nisi perfecta Veteris ac Novi Testamenti praedicatio declaratur? [Col. 1135C] juxta illud: *Quasi tuba exalta vocem tuam* **(Isa. LVIII, 1)**. In eo autem quod sacerdotis officium est altari assistere, et aptatum aromatibus thymiama cremare, agnoscimus quia angelus iste mediator est Dei et hominum, septem angelorum angelus, et ut ita dixerimus septem sacerdotum pontifex; de quo propheta: *Magni consilii angelus* **(Isa. IX, 6, sec. LXX)**. Unde aperte colligimus prius hunc venisse, quam septem angelos tubas accepisse. Per altare vero electi designantur, in quibus spiritale sacrificium celebratur. Venit ergo angelus per carnem, stetit per divinitatem. Quid quoque per thuribulum nisi humanitas Christi? Et apte aureum dicitur, quia caro a verbo Dei suscepta una cum eo est sapientia, de qua dicitur: Accipite sapientiam sicut aurum (Prov. [Col. 1135D] XVI, 16). Potest per thuribulum, quo cremantur aromata, Ecclesia figurari, quae igne divini amoris succensa quotidie dicit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum, et caetera.* **(Psal. CXL, 2.)** Recte autem singulariter de Christo subjungitur:

Et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum; **(VERS. 4)** *et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* Sicut fumus ex crematis aromatibus egreditur, sic virtus compunctionis gignitur ex studio orationis. Sed ut Deo fiant accepta, angelo dantur incensa, id est Redemptori nostro committuntur orationum studia. Nec omnino ad Deum potest loqui corpus, nisi [Col. 1136A] officio capitis. Quod vero super altare aureum incensa offeruntur, ostendit quia non alibi, nisi in corpore Christi, quod totum divini verbi sapientia resplendet, orationum sacrificium ab eo accipitur. Et nota quia thronus, et ante thronum altare, non duas, sed unam Ecclesiam significent; sicut arca Noe, et octo animae in ea. **(VERS. 5.)** *Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram.* Tunc angelus thuribulum accepit, cum Dominus sibi intra uterum Virginis humanam naturam conjunxit; sive de corpore intelligamus, cum primum in Judaea discipulos elegit. Cum autem et angelus, et thuribulum, et altare, unum sint corpus, quia thuribulum de igne altaris dicitur impletum, intelligendum est quasi diceret: Et caput, [Col. 1136B] et corpus non alieno, nisi proprio igne succensum est, id est Spiritu sancto. *Misit* autem *in terram, id est, in hanc gentilitatem perduxit;* unde apte subditur: *et facta sunt tonitrua, et voces,*

id est praedicationum terrores: et fulgura, hoc est miraculorum signa: et terraemotus, id est persecutiones. **(VERS. 6.)** *Et septem angeli praeparaverunt se ut tuba canerent.* Quid est sanctos doctores ad canendum se praeparare, nisi divina eloquia scrutari, ut sciant quid, cui et qualiter loqui debeant? Admonendus itaque lector est ut in sequentibus non plus septem, quam unum angelum intelligat; sed semper in singulis septem cognoscat, cum propter figuratas locutionum causas, quae non possunt sub uno narrari, in septem distinctos inveniat.

[Col. 1136C] VERS. 7.---*Et primus angelus tuba cecinit,* et facta est grando et ignis mistus *sanguine,* et missus est *in* terram, et tertia pars arborum combusta *est, et omne fenum viride combustum est.* Per grandinem ira omnipotentis Dei exprimitur, juxta illud: Ira Domini sicut grando descendens. Per ignem zelus vel odium designatur; et recte mistus sanguine dicitur, quia juxta Joannis vocem: *Qui odit fratrem suum homicida est* **(I Joan. III, 15)**. Ab hoc igne non posse comburi Ecclesiam Dominus per Isaiam pollicetur dicens: *Cum* ambulaveris per ignem, *non combureris, et flamma non ardebit in te* **(Isa. XLIII, 2)**. Notandum autem quia cum tertiam partem deperisse dicit, non duas partes in electis remansisse existimare debemus, contra illud: *Multi sunt vocati,* pauci vero electi [Col. 1136D] **(Matth. XX, 16)**. Non enim ad qualitatem litterae, sed ad quantitatem figurae pertinere videtur numerus iste; quod ipsa immutatio demonstrat, quae uno loco duas tertias, altero tres, alio unam tertiam in reproborum sortem venisse narrat: et quidem superius in quatuor partes distinxit totum diaboli corpus, nunc in duobus tertiis, post in tribus, deinde in una; sed non est una tertia minor a duabus vel tribus. Nam cum in quatuor partes distinguit diaboli corpus, unam vult intelligi in Ecclesia, in falsis fratribus, et tres foris, id est haereticos, Judaeos et paganos. Cum vero totum corpus in tribus tertiis describit, una intus intelligenda est in pravis fidelibus simplex, altera foris in Judaeis atque haereticis duplex, tertia foris in [Col. 1137A] gentibus et ipsa simplex. Cum vero unam corporis partem eodem ternario tertiatoque numero figurat, duas omnino ex tribus tertiis partes constituens, et occultos simul, et apertos intelligi vult haereticos. Restat una tertia intus et foris, quae omnium in se retinet formas. Cum vero in duabus tertiis, unam simplicem vult intelligi intus in malis Christianis; alteram triplicem foris in Judaeis, haereticis atque paganis. Et sciendum quia hoc est terra quod arbores, id est malorum summa in duabus tertiis comprehensa, quarum una simplex, altera triplex est: terra enim sunt peccatores, quia terrena quaerentes; et arbores quia instabilitate nutantes, de quibus per Judam dicitur: *Hi sunt arbores autumnales, infructuosae, eradicatae, bis mortuae* **(Jud., 12)**. Missa itaque [Col. 1137B] grandine, et igne cum sanguine, duae tertiae comburuntur; una illibata servatur, quia exaggerante ira superni judicis, societas antiqui hostis dum praedicatione sanctorum non colligitur, odii sui flammis succenditur. Congregatio vero Christi ipso malorum odio exercetur, sed non consumitur. Quod autem subditur: *Omne fenum viride combustum est, repetitio sententiae videtur.* In duabus scilicet tertiis *omne fenum viride combustum est, id est memorata malorum pars odii sui flammis consumpta.* Viriditas enim feni hoc loco propter illecebras ponitur carnis; juxta illud: *Omnis caro fenum, et reliqua.* **(Isa. XL, 6.)** Unde contra turbae, quae a Domino pascuntur, super fenum sedere memorantur; id est voluptates carnis premendo subigere.

[Col. 1137C] VERS. 8.---*Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare.* Et facta est tertia pars maris sanguis, **(VERS. 9)** *et* mortua est in eo tertia pars creaturae, quae habent *animas, et tertia pars navium interiit.* Mons magnus diabolus dicitur, sive quia similis illi esse voluit, de quo dicitur: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons* **(Isa. II, 2)**; sive quia in novissimo extolletur supra omne quod dicitur, aut quod colitur Deus. *Ardens autem, quia malitia sua atque invidia torquetur, quia angelo tuba canente, id est Ecclesia praedicante a sanctis ejectus, in mare, hoc est in incredulos, mittitur;* non quo in eis ante non erat, sed quia ab istis ejectus, amplius illis incipit dominari. Videtur autem in una tertia, quae in sanguinem versa est, genus [Col. 1137D] mortis quo duae tertiae intereunt figurari; ut in una mors, in duabus numerus morientium assignetur. Aqua in sanguinem versa, sapientia carnalis est, quae animas occidit: unde Apostolus: Sapere secundum carnem mors est **(Rom. VIII, 6)**; quae sapientia, et malam credulitatem, et pravam operationem significat. Nam pro pravo dogmate dicitur: *Littera occidit* **(II Cor. III, 6)**; pro pravo opere: *Libera me de sanguinibus* **(Psal. L, 16)**.

VERS. 10.---*Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de coelo stella magna tanquam facula ardens.* Diabolus sive pro prima dignitate, sive quia transfigurat se in angelum lucis, stella vocatur. *Magna autem, quia caeteris angelis praelatus est.* Ardens vero [Col. 1138A] *facula propter malitiae fervorem.* Casus iste non ille intelligendus est, quo prius de supernis sedibus ejectus est; sed quo angelo canente, id est Ecclesia praedicante, ab electis exclusus est. Nam coelum est Ecclesia, quam Dominus praesidendo inhabitat. *Et cecidit in tertiam partem fluminum et in fontes aquarum;* hoc est in humanam naturam, quae ab ortu suo carnalium voluptatum undis praeterfluens decurrit ad mortem. **(VERS. 11.)** *Et nomen stellae dicitur Absinthius.* Quia a veritatis dulcedine diabolus resiliens in amaritudinem mendacii commutatus est, jure absinthii vocabulum sortitus est. Et quia malorum exemplis plurimi pereunt, apte subjungitur: *Et multi hominum mortui sunt ex aquis, quoniam amarae factae sunt.* Quasi enim ex amaris aquis moriuntur [Col. 1138B] homines, cum perversorum dogmatibus, vel operationum exemplis carnales illecti spiritaliter pereunt.

VERS. 12.---*Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunae, et tertia pars stellarum, ut obscuraretur tertia pars eorum,* et diei non luceret pars tertia, et nox *similiter.* Per solem, et lunam, et stellas Ecclesia figuratur, quorum obscuritas proprie ad haereticorum perfidiam refertur. Et quamvis duae partes sint ex tribus tertiis confectae, una scilicet diei per solem, altera noctis per lunam atque stellas; unam tamen duae faciunt, aut una in duabus subdividitur. Ad hoc scilicet ut apertum ejus errorem per diem, et occultum designet per noctem; publicas videlicet haereticorum [Col. 1138C] conflictationes, et obstrusas machinationes. Ideo autem non dicitur, percussa est tertia pars et obscurata, sed *percussa ut obscuraretur congruo tempore, quia tunc veraciter obscurantur haeretici, cum aperte ab Ecclesia separantur.* Nam prius quasi occulte vulnerantur. Percutiuntur autem ex lumine fidei et divini verbi claritate. Quae perditio non ad Deum redigenda est, sed sic intelligenda, sicut de indurato corde Pharaonis. **(VERS. 13.)** *Et vidi,* et audivi vocem unius aquilae volantis per medium coelum, et *dicentis voce magna:* Vae, vae, vae habitantibus terram. De caeteris vocibus tubarum trium angelorum, qui erant tuba canituri, tam

Joannes, quam aquila, quamque angeli, Ecclesiae figuram gerunt: quae bene una aquila dicitur, quia in unitate fidei consistit, et calcatis [Col. 1138D] terrenis voluptatibus ad coelestia sublevatur. Ipsa ergo in Joanne se ipsam videt. Ipsa in aquila volat; ipsa in tribus angelis postremo tempore mala ventura denuntiat. Et nota quia in spiritali visione hoc est videre quod audire. In eo autem quod non de praecedentibus vocibus, sed sequentium angelorum dicitur lugere, ostenditur Ecclesia venturas plagas diversae calamitatis diversis temporibus lugere et praedicare; lugere scilicet in aquila, praedicare in angelis. Per medium itaque coelum volare dicitur, quia hinc inde orbem terrarum possidet, cujus praedicatio idcirco vox magna vocatur, quia in toto mundo personuit.

CAPUT IX.

[Col. 1139A]

VERS. 1, 2.---*Et quintus angelus tuba cecinit, et vidi stellam cecidisse de coelo in terram,* et data est illi *clavis putei abyssi:* et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnae. Quid autem per angelum et stellam designatur, jam dictum est. Per abyssum iniquorum corda signantur errorum tenebris obscurata: per puteum abyssi, praedicatores errorum debent intelligi. Si enim os abyssi puteus est, recte illi signantur per puteum, per quos malorum iniquitas venena sui cordis effundit. Per clavem putei potestas temporalis exprimitur, qua antiquus adversarius ad perversa dogmata reproborum ora resolvit; quae dogmata recte fumo comparantur, quia lumen veritatis sibi in caliginem vertunt, [Col. 1139B] et claritatem fidei etiam in aliis obscurare videntur. Fornax autem magna, Antichristi est persecutio, de qua fumus egreditur, id est perversa doctrina, quae pereuntium animas in caliginem vertat. Sed quomodo fumus iste similis dicitur fumo fornacis magnae? cum Dominus de illa tribulatione dicat: *Erit tunc tribulatio magna, et reliqua* **(Matth. XXIV, 21)**. Sciendum ergo quia non propter tormenta vel falsa dogmata immanior omnibus illa dicitur, in quibus ista similis est, sed propter miraculorum signa per quae magis decipiet. *Et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Ecce quintus angelus jam factum dicit in sole et aere, quod quartus in sole, luna et stellis futurum praedixerat. **(VERS. 3.)** *Et de fumo exierunt locustae in terram.* Digne per locustas haeretici designantur. [Col. 1139C] Sicut enim ille nec perfecte ut aves volantes, nec gradatim passibus pergentes, sed saltus dantes terrae sata videntur corrodere; sic isti nec plenae scientiae volatum, nec perfectae operationis gressum habentes, sed solis elationum saltibus moti, inaudita praedicando pravorum animas necant. De fumo igitur locustae exeunt, cum ex haereticis haeretici nascuntur.

Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terrae. Potestas scorpionum in cauda est extrema corporis. Sic temporalitas a semetipsa deficiens a tergo relinquitur; quasi enim retro est omne quod transit, ante vero quod permanet. Locustae ergo ut scorpiones terrae nocendi potestatem accipiunt, [Col. 1139D] quia haeretici temporalibus fulti potestatibus, per ea tantum quae retro sunt nocent. **(VERS. 4.)** *Et praeceptum est illis ne laederent fenum terrae, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Superior sensus repetitur, ubi angelus ab ortu solis ascendens, quatuor angelis qui nunc

in locustis intelliguntur praecepit, ne nocerent terrae, et mari, neque arboribus. Nam per fenum, quod non hominum, sed animalium cibus est, parvuli in Christo designantur, de qualibus Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei* **(I Cor. II, 14)**. Per virentia vero, ex quibus plurima in victum hominum solent, in fide proficientes, et ad paradisi virentia desideranda quodammodo aptiores. Per arbores [Col. 1140A] autem robusti, et inter tentationum ventos quadam stabilitate radicati. Quid hoc omne viride, vel omnem arborem locustae laedere laedere prohibentur? A toto pars intelligenda est, quae ab illa laesione servatur. Homines itaque signum Dei in frontibus non habentes, sunt qui ea fide quae per dilectionem operatur, non pollent. **(VERS. 5.)** *Et datum est illis ne occiderent* eos, sed ut cruciarent adhuc *mensibus quinque.* Si reprobi sunt qui signum non habent, quomodo ab eorum interfectione locustae prohibentur? An forte qui signum Dei non habent, vivunt? Quapropter ad superiorem sententiam fit subauditio. Dicatur ergo: *Datum est eis ne occiderent eos,* sed ut cruciarentur *mensibus quinque;* id est ut haeretici non possint signatos decipere; sed cruciando in praesenti vita probare, [Col. 1140B] quae quinque sensibus corporis regitur, quibus apte congruit quod sequitur:

Et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem. Ut videlicet electi posteriora contemnentes, et ad ea quae ante sunt semetipsos extendentes, ex eo ab aliis affligi credantur, quod ipsi per contemptum saeculi respuisse videntur; id est vel potestate saeculari vel malae credulitatis errore. (VERS. 6.) *Et in diebus illis quaerent homines mortem,* et non invenient, cupient *mori, et fugiet mors ab eis.* Dies isti ab adventu Domini usque ad finem saeculi decurrunt. Mortem quippe electi quaerunt, cum secreta conversatione Deo inhaerere cupiunt: sed fugit mors ab eis, quia eos aut regiminis insolubile vinculum, aut inferioris gradus astringit. **(VERS. 7.)** *Et similitudines* [Col. 1140C] locustarum, similes equis paratis in praelium, et super capita eorum tanquam coronae similes auro. Propter velocem discursum, recte haeretici in equis exprimuntur. Parati autem sunt in praelium adversus eos de quibus in Habacuc dicitur: Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas **(Habac. III, 15)**. Sed quia Domino favente non superant, ideo non coronas, sed quasi coronas habere dicuntur. Ac si diceretur: Nec coronae nec ex auro, sed quoddam falsitatis figmentum erant. *Et* facies earum sicut *facies hominum,* **(VERS. 8)** *et habebant capillos mulierum.* Facies locustarum similis faciei humanae, simulatio est rationis. Capilli vero mulierum, sunt effeminati mores haereticorum. Aliter, per facies hominum, [Col. 1140D] viri; per capillos mulierum, ipse sexus potest intelligi. Nam et feminarum favor haereticis fuit. *Et dentes earum ut leonum erant.* Dentes leonum naturalem solent afferre pudorem, in quibus haereticorum fetor ostenditur. Quod autem sequitur: **(VERS. 9)** *Et habebant loricas sicut loricas ferreas;* obfirmata contra veritatem et dura ipsorum corda demonstrat, ne sagitta veritatis penetrentur. *Et vox alarum sicut curruum, vox equorum multorum currentium in bellum.* Per alas locustarum, elatam haereticorum scientiam intelligimus, quarum vox bene curruum multorum equorum et simul in bellum currentium similis esse dicitur: et dogmatibus haeretici semetipsos dividunt, et uniti contra Ecclesiam dimicant. **(VERS. 10)**. *Et habebant caudas similes scorpionum,* et aculei in caudis [Col. 1141A] earum. Potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. De caudis scorpionum jam dictum est. Et nota quod Apostolus *aculeum peccatum dicit.* De quinque mensibus in superiori jam dictum est. Sed illic de bonis, hic de malis dicit, quia

illos cruciant, sed non occidunt; istos autem non cruciant, sed nocendo perimunt, aut doctrina perversa, aut temporali potentia. **(VERS. 11.)** *Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abbaddon,* Graece Apollyon, et *Latine* nomen habet *Exterminans.* Antiquus hostis non adeo perversorum rex dicitur, quia creavit, aut regit, sed quia Deo juste permittente tyrannidem dominationis exercet. Et nota quia, ut jam dictum est, ipsi sunt abyssus. Igitur quia fallaciter sibi Christi nomen per damnatum hominem [Col. 1141B] nititur usurpare, propterea trium linguarum vocabulis profertur, quibus [*Cod.,* quarum] Redemptoris nomen a Pilato expressum in titulo fuisse evangelica testatur auctoritas. Sed quia beatus Hieronymus in Hebraeorum nominum interpretatione non *Abbaddon,* sed *Labbaddon dicit,* constat quia scriptorum vitio primam litteram amisit, et apte diabolus *exterminans dicitur, quia multi per eum ab electorum termino eliminantur, et ad perpetuae mortis exsilium deducuntur.*

VERS. 12.---*Vae annum abiit.* Id est narratione praecessit, vel in operatione praeteriti temporis impletum est. *Ecce veniunt duo vae post haec, id est narratione, vel opere in futuro implenda.* **(VERS. 13.)** Post haec *et sextus angelus tuba cecinit,* et audivi vocem [Col. 1141C] unius ex cornibus altaris aurei quod est ante oculos Dei **(VERS. 14)** *dicentem sexto angelo, qui habebat tubam:* Solve quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Altare Ecclesia est; aureum vero, quia superna sapientia illustratur. Et nota quia ante Dei oculos est altare, quoniam oculi Domini super justos. Cornua altaris sunt sancti praedicatores. Per unum vero cornu princeps intelligitur praedicatorum, id est Christus. Hic dicit sexto angelo tuba canenti, id est Ecclesiae praedicat ut solvat quatuor angelos, quia potestatem ei ligandi et solvendi et in coelis et in terra tribuit; secundum illud: *Quaecunque ligaveris* **(Matth. XVI, 19)**, et caetera. In quatuor autem angelis universum reproborum corpus cognoscimus, quod ex malignis spiritibus [Col. 1141D] et pravis hominibus constat; natura quidem discretum, sed iniquitate conjunctum. Quaternarius enim pro universitate poni solet; unde in fine saeculi a quatuor coeli ventis electi per angelos assumi perhibentur. Per Euphraten, qui in mala significatione poni solet, designatur mundani regni potentia, Christo Ecclesiaeque contraria: in qua ideo antiquus hostis cum corpore suo alligatus dicitur, quia quantum nocere vult non permittitur. Dicatur ergo: *Solve quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate;* ac si Ecclesiae diceretur: Et in angelis homines, et in hominibus angelos solve. Et attende quantum persecutionis angustias aequanimiter ferre debeas, quas adversarii inferre non valent, [Col. 1142A] nisi tuo judicio, quod in capite constat, quodque pro te et in te clamat: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* **(Matth. XXVIII, 18)**.

VERS. 15.---*Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Horum angelorum solutio novissimae persecutionis initium designat. *Parati dicit, quia diabolus semper defectum exspectat bonorum.* In hora, die, mense et anno, quatuor tempora, id est triennium, et sex menses, quibus illa persecutio crassabit, per metalemsin intelligimus. Tertia pars hominum, quae occidi narratur, in praelatis et subditis; id est in suasoribus et suasis constat, quia mortui mortuos occident. (VERS. 16.) *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena* [Col. 1142B] millia audivi numerum eorum. Hic numerus sic ad errorum praedicatores specialiter refertur, ut tamen seductae plebes in seductoribus

intelligantur, qui contra electorum numerum veniens duplex simul et bis millies multiplicatus ostenditur. Nam de electis dicitur, *Currus Dei decem millia* **(Psal. LXVII, 18)**; de istis vero, *vicies millies dena millia.* Duplex itaque est, quia ex malignis spiritibus et reprobis hominibus constat. Restat ergo ut contra geminum malum dimicet simplex bonum. **(VERS. 17.)** *Et ita vidi equos in visione, et qui sedebant super eos habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas.* Equi isti, id est errorum praedicatores, in quibus et seducti intelliguntur, sessores daemones habent, non ad regimen, sed ad praecipitium. Loricarum nomine [Col. 1142C] impiorum tormenta figurantur dura, et nulla prece evacuanda. Hyacinthinas autem fumeas debemus intelligere, ex igne enim fumus egreditur. Hoc etiam ipse color hyacinthinus indicat, qui speciem aeris tenet.

Et capita equorum erant ut *capita leonum.* Capita equorum auctores errorum, qui et fortes sunt ad conterendos infirmos, et fetoribus pleni. Unde recte subditur: *et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur.* **(VERS. 18.)** *Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, et fumo, et sulphure, quae procedebant de ore ipsorum.* Scilicet quia malorum praedicatio suis sequacibus aeterna supplicia praeparat, quae per eam tropice figurantur; ab eo quod procurat, illud quod procuratur. **(VERS. 19.)** *Potestas* [Col. 1142D] equorum in ore eorum est, et in caudis eorum. In ore, doctorum scientia; in cauda vero postponenda, temporalis potentia designatur. In ore ergo et in cauda potestas eorum est, quia perversa suadendo praedicant; sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quae retro sunt exaltantur. *Nam caudae eorum similes serpentibus, habentes capita, et his nocent.* Hic e contrario per caudas, iniqui doctores; per capita vero, ipsa saecularis potentia designatur. Et apte falsi praedicatores similes serpentibus, quia illius voce mala suadent, cujus sibilo delectata est Eva. Et quia potentium favore fulti multos violenter ad illicita pertrahunt, recte capita habere dicuntur, quae juxta aliam interpretationem *capita draconum vocantur.* [Col. 1143A] Et ut ostenderet gentiles etiam ad hoc corpus pertinere, subjunxit: **(VERS. 20)** *Et caeteri homines, qui non sunt, neque poenitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent daemonia, et simulacra aurea et argentea et aerea et lapidea et lignea,* quae [Col. 1144A] neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. **(VERS. 21.)** *Et non egerunt poenitentiam ab homicidiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.* Ac si diceretur: et hi tales ad supradictum numerum pertinere videntur.

LIBER QUINTUS.

CAPUT X.

[Col. 1143A]

Cum per caeteras prophetias quam multa quae mediatori nostro conveniant in terrenis rebus, et pauca in coelestibus reperiamus, Joannes in hac adventum ejus saepius per angelum designavit. Ut quid? nisi ut uberiorem aliis hanc prophetiam ostendat. Unde nunc dicitur: **(VERS. 1)** *Et* audivi *alium angelum* [Col. 1143B] fortem descendentem de coelo amictum nube. Et jure angelus dicitur, quia aeternae vitae novus hominibus

nuntius apparuit, de quo legimus: *Magni consilii angelus:* fortis autem, quia aerias potestates moriendo vicisse probatur; unde est illud: *Dominus potens in praelio* **(Psal. XXIII, 8)**. Quod dicit *alium non est rei diversitas, sed consuetudo recapitulationis, alium angelum vidit, quia aliam visionem repetivit.* Nube amictus apparuit angelus, quia carne indutus inter homines visus est Dominus; cujus de coelis descensio, ipsa carnis assumptio. *Et iris erat in capite ejus.* Caput Christi, ut dicit Apostolus, ipsa est divinitas. Iris autem arcus vocatur, per quam mundi reconciliatio, quae per incarnati Verbi dispensationem facta est, figuratur; cujus mysterium supra [Col. 1143C] dictum est. Et nota quod descripto novissimo certamine, ac praetermisso septimo sigillo, sub quo et finis consummationis, et Domini secundus speratur adventus, ad initium incarnationis Christi, unde modo dictum est, redit, et praedicationem ejus describit. Hac narratione finita, ad ea quae paulisper omiserat redit. Meminerimus autem cum hanc narrationem ad finem usque perduxerit, debere finem ordini conciso subjungi; locus enim ille, quo in sequentibus dicitur *vae secundum abiit, ad hunc subauditionem habet, quo praecedentis libri termino de nequissimorum equorum ac gentium perditione tractavimus.* Et nota quia in hac narratione non solite agens, ambas narrationes non uno fine, sed duobus determinat, quia et ordinem praetermissum, et recapitulationem [Col. 1143D] singillatim distinguit, sicut post paululum apparebit

Et facies ejus sicut sol. Facies angeli incarnatio est Christi, qua a mortalibus est cognitus; de qua Psalmista: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus* **(Psal. LXXIX, 4)**. Haec facies soli non propter claritatem, qua incomparabiliter major est, comparatur, sed quia ut sol ortum habuit nascendo, occasum moriendo, et rursus ortum resurgendo. Unde Salomon: *Oritur sol et occidit, et caetera.* **(Eccle. I, 5.)** Possunt et sancti per faciem intelligi. *Et pes ejus tanquam columna ignis.* Pedes angeli sunt praedicatores, quibus incarnata Dei [Col. 1144A] sapientia totum mundum ut ita dixerim perambulavit; qui bene columnae et igni comparantur, quoniam et superpositum aedificium ecclesiae portant, et Spiritu sancto accensi auditorum corda ad amorem Dei praedicando inflammant. **(VERS. 2.)** *Et habebat in manu libellum apertum.* Manus angeli operatio est nostrae salutis, id est incarnatio Christi. Libellus apertus declarata [Col. 1144B] gratia est Novi Testamenti. Et nota quia nisi prius facies angeli refulsisset, libellum apertum in manu non teneret, quia in ejus dispensatione omnis Scripturarum summa revelata est. *Et posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum vero super terram.* Hac sententia distinctio praedicatorum ac temporum ostenditur: quasi pes dexter fortiores sunt, quos nec prospera levant, nec adversa dejiciunt, dicentes: *Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus* **(Psal. CXXXVIII, 12)**. Hi super mare ponuntur, id est ad perferendas malorum persecutiones. Sinister vero pes, minoris virtutis sunt, qui dum pacis tempore mittuntur, quasi in terrae soliditate ponuntur. Sicut enim rex contra fortiores dirigit, ita et Christus.

VERS. 3.---*Et clamavit voce magna,* quemadmodum [Col. 1144C] cum leo rugit. Sicut leonis clamor timorem incutit bestiis, sic Christus per sanctos praedicatores minando timorem incutit bestialibus hominibus; juxta illud: *Leo* rugit, *quis non timebit* (Amos III, 8)? *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Hoc significant septem tonitrua, quod vox leonis, id est verbi praedicationem; ut illud: *Vox tonitrui tui in rota* **(Psal. LXXVI, 19)**. Et nota quia post leonis vocem, locuta dicuntur tonitrua, quia quod

Dominus docuit, hoc etiam Spiritus septiformis docuit apostolos praedicare: unde *Filii tonitrui dicuntur.* Suas autem voces locuta sunt, quia non Judaeorum fabulas, non philosophorum naenias sancta doctrina in suis dogmatibus recipit. Sed valde nobis perplexa quaestio generatur in eo quod subditur: **(VERS. 4)** Et [Col. 1144D] quae locuta sunt septem tonitrua *scripturus eram, et audivi vocem de coelo dicentem:* Signa quae locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. Si enim sancta praedicatio scripta non fuisset, ad nos unde venisset? Videtur ergo hoc loco quamdam descriptionem intelligi debere. Nam sciendum quia ideo aliquid nos sub sigillo claudimus ne cunctis pateat, sed congruo tempore quibus credimus solvatur; quod autem palam scribimus, ad cunctorum notitiam deducimus. Jubemur ergo eloquiorum Dei sacramenta non omnibus indiscrete propalare; sed ad mensuram, et quasi de sub sigillo, prout idoneos ad accipiendum videmus, [Col. 1145A] ea subministrare; et aliis potum lactis, aliis solidum cibum dare. Clauduntur etiam divina sacramenta sub custodiae signo, ne pandantur minime credituris, quia cum ea non recipiunt, incipiunt irridere.

VERS. 5.---*Et* angelus, quem vidi stare supra *mare* et supra *terram, levavit manum suam ad coelum,* **(VERS. 6.)** *et juravit per viventem in saecula saeculorum.* Cum Dominus jurare prohibeat, quid sibi vult quod ipse jurat? nisi quia homines saepe juramento falluntur, ipse vero qui veritas nunquam fallitur. Levare igitur ad coelum angelo manum, fuit Redemptorem nostrum sua virtute ad sedem paternam suam humanitatem evehere. Jurare vero per viventem in saecula saeculorum, se ipsum quod est Patris Verbum, [Col. 1145B] et carnem, quae totum hominem, qui constat ex carne et anima demonstrat, unam personam Dei et hominis Deum verum ostendere; vel certe per Patrem jurat, quia omnia illi tribuit. In eo quod subditur: *qui creavit coelum et ea quae in illo sunt, terram et ea quae in ea sunt, et mare et ea quae in eo sunt;* haereticorum errorem destruit, qui quaedam a bono, quaedam a principe tenebrarum facta non verentur asserere. Quid autem juraverit, audiamus: *Quia tempus jam non erit;* **(VERS. 7)** *sed in diebus septimi angeli, cum coeperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas.* Septimus angelus ac septima tuba finis est ecclesiasticae praedicationis; in cujus consummatione secundus Domini speratur adventus. Sed si tempus jam non [Col. 1145C] erit, cum sancta praedicatio finem acceperit, quomodo Psalmista dicit: *Erit tempus eorum in aeternum* **(Psal. LXXX, 16)**? Sciendum ergo quia justis, quos aeternitas immortalitatis susceperit, nequaquam tempus varietatis succedit; et injustis, quos aeternus defectus assumet, quasi tempora mutabilitatis occurrent: quia enim tempus per momenta deficit, congrue nomine temporis malorum defectus vocatur. Quod ergo de justis Dominus denegat, hoc de injustis Psalmista confirmat. Denique quod dicit sacramentum Dei consummari, non a consumptione, sed a perfectione dictum est. Quod per prophetas praedictum dicit, quia pene omnis eorum intentio de primo et secundo Domini adventu ac consummatione saeculi fuit.

[Col. 1145D] VERS. 8.---Et vocem quam audivi *iterum loquentem mecum et dicentem:* Vade, accipe libellum de manu angeli stantis supra *mare* et supra *terram.* Vox illa, quae superius propter non credituros vel parvulos, voces tonitruorum claudere jusserat, nunc ad apertum librum sanctam ecclesiam in suis praedicatoribus invitat. Vox autem ista spiritalis intelligitur, qua Deus corda praedicatorum instruit, ut legis et prophetarum

manifestatam intelligant veritatem, quae omnino perituris vel in septem tonitruis vel in septem sigillis clauditur. Gressus vero quibus sancta Ecclesia ad angelum pergit, non corporales sunt, sed spiritales, mentis scilicet desiderium quo Deo propinquare videtur. Igitur quia jubentis vocem paratissimus [Col. 1146A] sequitur sanctorum affectus [*Cod.,* effectus], recte subditur: **(VERS. 9)** *Et abii ad angelum dicens ei ut daret mihi libellum.* Et quia is qui ad promissa invitat, neminem fallit, apte subinfertur; *et dicit mihi:* Accipe libellum, *et devora eum.* Libellum devorare, est Scripturarum intelligentiam in secretis recondere. Sciendum nempe quia sacra Scriptura in obscuris locis cibus nobis est, quae nisi exponendo mandantur, deglutiri non possunt; in apertis vero potus, quae non exposita facile ut inveniuntur bibimus. Unde quamvis sancti praedicatores in Joannis persona jam revelata Scripturarum sacramenta de Domino intelligerent, tamen quia adhuc qualiter ad eum pertinerent, expositione indigebant, nequaquam de aperto libello dicitur: *Accipe librum, et bibe,* sed [Col. 1146B] *devora.* Ac si diceretur: quasi mandens pertracta, et intellige, deinde degluti.

Et faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulcis tanquam mel. Ordo praeposterus est, qui tamen paulo inferius recte invenitur. Nam sequitur: **(VERS. 10)** *Et* accepi libellum *de manu angeli,* et devoravi eum, *et erat in ore meo tanquam mel dulcis; et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.* Recte per os, ex quo praedicatio emanat, hi exprimuntur, qui in lege Dei die ac nocte meditantur: quique cum Psalmista dicunt: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua* **(Psal. CXVIII, 82)**! Per ventrem vero, de quo stercora exeunt, carnales terrenis voluptatibus dediti, de quibus electi dicunt: *Adhaesit in terra venter noster* **(Psal. XLIII, 25)**. Tanquam ergo [Col. 1146C] per os in ventrem cibus descendit, cum per Ecclesiae praedicatores Scripturarum notitia ad eos etiam pervenit, qui carnaliter vivunt. Unde liber in ore dulcis, in ventre amarescit. Quid enim illis amarius quam quod Dominus jubet, *Non concupisces uxorem proximi tui* **(Deuter. V, 21)**, et omnia quae illius sunt? Aliter, in ore liber dulcis est, cum legentibus in eo gaudia aeterna promittuntur, ut illud: *Fulgebunt justi sicut sol* **(Matth. XIII, 43)**. In ventre, id est mentis secreto, amarus, cum austera praecepta in illo opponantur; ut illud: *Nisi efficiamini sicut parvulus* iste, *non intrabitis in regnum coelorum* **(Matth. XXVIII, 3)**. **(VERS. 11.)** *Et* dicit *mihi:* Oportet te iterum prophetare populis, et gentibus, et regibus, et linguis multis. Hoc specialiter Joanni, et generaliter praedicatoribus [Col. 1146D] dicitur, qui idcirco iterum prophetare, id est praedicare, jubentur, ut quod praedicant ore, factis iterato clament.

CAPUT XI.

VERS. 1.---*Et datus est mihi calamus similis virgae dicens: Surge et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo.* Hoc generaliter in praedicatorum loquitur persona. Per calamum, qui Latine arundo dicitur, tropice divina praedicatio, quae per eum scribitur, designatur: *similis* autem *virgae dicitur, quia sancta praedicatio non est flexibilis, sed recta.* Templum Dei fideles sunt, quibus dicitur: *Vos estis templum Dei vivi* **(II Cor. VI, 16)**. Altare in templo est vita religiosorum in plebe fidelium, in [Col. 1147A] quibus principaliter et continue permanet indeficiens ignis sanctae compunctionis. Adorantes in eo dicit in templo et altari, quo dicto ipsi exprimuntur.

Quid est ergo de arundine templum et altare metiri, nisi sancta praedicatione donorum gratiam largiri? quod utique Ecclesia in Christo, id est in capite suo, facit. Et nota quod is qui templum Dei metiri debet, surgere admonetur, id est *ad excelsa virtutum fastigia per exercitium operis exsurgere, quatenus eo quod metitur aedificio altior fiat.* **(VERS. 2.)** *Atrium autem quod foris templum est ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.* Quod foris est, foras ejice, dicit illo locutionis genere, quo pulsantem si intromittere nolumus, foras ejicere jubemus. Quid igitur atrium, nisi Judaeos, haereticos, [Col. 1147B] et gentiles intelligimus? quod *datum gentibus dicitur, quia omnes ad incredularum gentium numerum transeunt. Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Civitas sancta, hoc est templum, et altare, id est coelestis Hierusalem, quae aedificatur ut civitas. Quid est ergo sanctorum Ecclesiam ab his qui foris sunt calcari, nisi verbis et tormentis persequi? Quadraginta et duo menses, tempus, et tempora, et dimidium temporis, id est Antichristi tempus significant; nihilominus et omne tempus vitae praesentis propter septem aetates, et septem quibus volvitur dies. Sexies enim septem quadraginta et duo faciunt. Hoc etiam significabat, quod filii Israel quadragesima secunda mansione terram repromissionis intrarunt.

[Col. 1147C] VERS. 3.---*Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Victorinus martyr duos testes Eliam et Jeremiam intelligit; dicit enim quia nusquam Jeremiae legatur interitus. Sed melius alii Eliam et Enoch. Nos autem in specie genus intelligamus; id est per duos testes Ecclesiam, et per dies mille ducentos quadraginta, non solum Antichristi tempus, sed etiam retroacta tempora volvuntur. Et bene per duos testes Ecclesia, propter duo Testamenta, duos populos, duo mandata dilectionis, et duo martyrii genera. Per saccum vero intelligimus humilitatis confessionem, vel despectam malis claritatem sanctorum. (VERS. 4.) *Hi sunt duae olivae, et duo candelabra, in conspectu Domini terrae stantes.* Ecclesia sive in illis [Col. 1147D] duobus, sive generaliter in omnibus praedicatoribus propter unctionem sancti Spiritus, per olivam; propter lumen fidei et operationis, per candelabra exprimitur. Cum autem una sit ex duobus populis, oliva et unum candelabrum propter duo Testamenta duae olivae et duo candelabra dicuntur. In conspectu Domini stant, quia intima contemplatione conditori suo inhaerent. Hinc Elias, cui specialiter ista ascribuntur, dicit: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* **(IV Reg. III, 14)**. Potest hoc sub alio intellectu specialiter ad Eliam et Enoch referri, qui humanis aspectibus subtracti Deo secretius inhaerent. **(VERS. 5.)** *Et si quis eis voluerit nocere, ignis exiet de ore illorum, et devorabit inimicos eorum:* et si quis eos voluerit [Col. 1148A] laedere, ita *oportet eum occidi.* Quid per ignem, nisi sancta praedicatio Spiritus sancti facibus inflammata? Non autem mirum si ex praedicatione mali moriantur, cum Apostolus dicat: *Christi bonus odor sumus Deo in his qui pereunt, et caetera* **(II Cor. II, 15)**. Aliter de ore testium ignis exiens inimicos eorum interficit, quia Ecclesia in malo perseverantes anathematis fulgore percutit. Aliter, potest a toto illa pars intelligi, quae ideo uritur ut in melius convertatur. Exit ergo ab Ecclesia ignis claritatis, quo mali in melius convertuntur.

VERS. 6.---*Hi habent potestatem claudere coelum, ne pluat diebus prophetiae ipsorum.* Quid per coelum, nisi quod per duos testes, id est sanctos Ecclesiae praedicatores, intelligimus? qui dum coelum ne pluat [Col. 1148B] claudunt, seipsos utique

claudunt. Claudunt autem non ut omnino non pluant, sed ne super terram spinosam, et maledicto proximam: quam potestatem in capite possident membra. *Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem.* Gladius litterae quo spiritaliter utens Ecclesia electorum corda transfigit, ut ea spiritu vivificet in cordibus male intelligentium hominum, hunc sanguinem emanare facit. *Et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.* Quotiescunque fidelibus divina mysteria claudunt, toties eos insanabili plaga percutiunt. Quotiescunque vero fidelibus Dei sacramenta pandunt, toties alios ad vitam, alios ad mortem pertrahunt. Et nota quia non habituri, sed jam habere potestatem dicuntur, ut hoc *non de illis duobus tantum,* [Col. 1148C] sed jam et de praesentibus intelligamus praedicatoribus dictum. **(VERS. 7.)** *Et cum finierint testimonium suum, bestia quae ascendit de abysso faciet adversus illos bellum, et vincet et occidet illos.* Cum finierint, id est, cum ad calcem finiendi testimonium, hoc est ad Antichristi tempus, pervenerint. Unde claret, ante novissimam persecutionem haec fieri; propter brevitatem enim illorum dierum, de quibus Dominus dicit, *propter electos breviabuntur dies illi* **(Matth. XXIV, 22)**, cum illo ventum fuerit, quasi jam finitum Ecclesiae testimonium perhibetur. Bestia igitur, id est totum diaboli corpus, de abysso ascendere dicitur, quia divino judicio effari permittitur: *judicia* enim Domini *abyssus multa* **(Psal. XXXV, 7)**; inde ergo ascendit, unde levari permittitur. Si vero [Col. 1148D] per bestiam solum Antichristum accipiamus, ascensio de abysso carnalis nativitas est ex profundissimae impietatis Judaeorum populo, id est de tribu Dan. Pugna autem et corporalis erit et spiritalis. In eo itaque quod dicitur, *et vincet eos, pars est quaedam admista corpori Christi, quae sive terroribus, sive blanditiis vinci posse narratur.* Unde nequaquam praemissa sententia de duobus tantum testibus prolata est. Si enim esset, quod absit, bestia illos vinceret. Hi ergo in illa parte Ecclesiae intelligantur de qua dicitur, *et occidet illos;* id est in parte electa quae occidi potest, sed vinci non potest.

VERS. 8.---*Et jacebunt corpora in platea civitatis magnae, quae vocatur spiritaliter Sodoma, et Aegyptus,* ubi [Col. 1149A] et Dominus eorum crucifixus est. Per hoc quod sanctorum Ecclesia in platea civitatis magnae mortua jacere describitur, vehementer afflicta et Dei judicio spiritaliter hostibus suis substrata monstratur. Et nota quod non illorum solum corpora, qui ferro occiduntur, sed et illorum, qui adhuc vivunt, oporteat intelligi; de qualibus Apostolus: *Mortui enim estis, et reliqua.* Et quia Hierusalem crudelior erit persecutio, ideo dicuntur ibi esse sanctorum martyria; ubi ostenditur quia Judaei principaliter Antichristo adhaerebunt, quousque Elia et Enoch praedicante, qui salvandi fuerint convertantur. Aegyptum autem, et Sodoma spiritaliter civitas illa vocatur propter ipsorum imitationem. Et quia illa persecutio in toto mundo erit, totus orbis contra Ecclesiam saeviens per hanc civitatem [Col. 1149B] potest intelligi. Nam et Dominus non intra illam civitatem, sed extra portas ejus passus est, ut in toto mundo crucifixus, et totum mundum occupasse crederetur. Per Aegyptum et Sodoma persecutorum iniquitas designatur. **(VERS. 9.)** *Et videbunt de populis, tribubus, et linguis, et gentibus,* corpora eorum tribus diebus et dimidio, *et corpora eorum non sinent poni in monumentis.* Sicut sepulcra ab humanis oculis corpora, sic sanctos a tribulatione contegit tranquillitas temporis. Quia ergo pax sanctis non erit, ideo dicuntur insepulti manere. Nulli vero sit contrarium, si mortuos non solum occisos, sed etiam afflictos dictum est intelligi posse, quoniam tropice a corporibus totos indicat homines.

Itaque trium dierum et dimidii spatio, triennium et sex mensium [Col. 1149C] summa describitur; a parte scilicet totum. (VERS. 10.) *Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur, et munera mittent invicem,* quia hi duo cruciaverunt eos qui habitant *super terram.* Quomodo ab eis crucientur, paulo superius diximus; scilicet devoratione ignis spiritalis, suspensione salutaris pluviae, et conversione aquarum in sanguinem.

VERS. 11.---*Et post tres dies et dimidium, spiritus vitae a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos.* Generalis hoc loco omnium sanctorum resurrectio post illam persecutionem novissimam ventura declaratur. *Spiritus* autem *vitae* a Deo intrabit *in illos, non quo alium accipiant, sed quia eumdem quem habuerunt recipient.* Super pedes vero stare, est [Col. 1149D] nulla jam rerum spiritalium mutabilitate nutare. Sanctis itaque evigilantibus, quid reprobi patiantur audiamus: *et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.* Nec mirum si reprobos timor invadat, cum ipsi etiam electi, etsi securo timore, tamen pavebunt. **(VERS. 12.)** *Et audierunt vocem magnam de coelo dicentem illis:* Ascendite huc. Vox haec illa est de qua Apostolus dicit: *Ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo* **(I Thess. IV, 15)**. *Et ascenderunt in coelum in nube, et viderunt illos inimici eorum.* In nube ascendunt, id est, in potestate judicantis. Hinc est quod Dominus, devicta morte, in nube ad sedem paternam ascendit. Quod autem ex vivis et mortuis duorum [Col. 1150A] testium corpora constare praemisimus, ad hoc confirmandum Paulum idoneum testem introducimus dicentem: *Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* **(Ibid. V, 16)**. Si ergo, ut Apostolus dicit, vivi qui invenientur in nubibus obviam Christo in aera rapientur, ergo mendax est Psalmista dicens: *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem* **(Psal. LXXXVIII, 49)**? Et liber Genesis: Terra, inquiens, es, et in terram ibis? Sed absit. Nam, ut Pater Augustinus dicit, in ipso raptu nubium momentaneam mortem gustabunt. Hoc est autem corpus in terram reverti, quod exeunte anima remanere corpus, quod utique terra est. Quam autem velox sit utraque immutatio, Apostolus [Col. 1150B] indicat, qui omnia *in ictu oculi* **(I Cor. XV, 52)** fieri confirmat.

VERS. 13.---*Et in illa hora factus est terrae motus magnus.* Ostensa resurrectione, a novissima persecutione recapitulat. Non autem mirum si propter electos abbreviatum tempus horam vocet, cum alibi de toto hoc tempore dicat: *Filioli, novissima hora est* **(I Joan. II, 18)**. Et nota quia magnum dicit terraemotum, quoniam juxta Domini vocem, *erit autem tribulatio qualis non fuit ab initio* **(Matth. XXIV, 21)**. *Et decima pars civitatis cecidit.* Decima pars civitatis in illis cadit, qui ad electorum numerum non pertinent. Electi enim novem ordinibus angelorum juncti ruinas daemonum sua numerositate instaurant, et decimum ordinis sui locum adimplent. [Col. 1150C] Non itaque tota decima, sed pars decimae, debet intelligi, quae cadit, id est illa quae ad novem ordines angelorum non pertingens, locum decimi ordinis minime tenet. *Et occisa sunt in terraemotu nomina hominum septem millia.* In his pars illa intelligenda est, quae nunc inter agnos latitat, sed agente novissima persecutione ad publicum errorem deducta in corpus bestiae devoranda trajicitur. *Reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo coeli.* Quos reliquos dicit? Illos qui in fide permanserunt, an illos qui negaverunt et post reversi sunt? an illos qui sine fide fuerunt, et post praedicantibus Elia et Enoch

sunt credituri? Vere omnes possumus intelligere. **(VERS. 14.)** *Vae secundum abiit, ecce vae tertium venit cito.* Hic finis est duplicis recapitulationis; [Col. 1150D] sed non huic secundum vae ascribitur. Dictum enim fuerat superius, peracto praelio locustarum; vae unum abiisse, et alia duo ventura esse. Atque enarratis quae ad secundum vae pertinebant, id est in solutione quatuor angelorum et caeteris, non est redditum vae secundum. Hoc autem idcirco, quia recapitulatio ab adventu Christi sequebatur; ne putaremus, si ibi dictum fuisset vae secundum abiit, tertium vae ad recapitulationem pertinere. Vae ergo secundum non ad hunc, sed ad superiorem locum subauditionem habet. Enarrata enim recapitulatione quae ordinem concidit, ordini conciso redditur. Quid sit autem vae tertium, aperitur cum subditur:

VERS. 15.---*Et septimus tuba cecinit,* et factae [Col. 1151A] sunt voces magnae in coelo. Apparente Domino ad judicium, hic septimus angelus tuba canit; in quo Ecclesia intelligitur non jam praedicans, sed misericordiam et judicium Domino decantans. Hinc est quod angelus super terram et mare stans jurat quod jam non sit tempus, sed in tuba septima consummatio. Voces autem magnae in coelo, id est in Ecclesia, gratiarum sunt actiones; et bene magnae, quia de magnis rebus magnum exoritur desiderium. Sed unde sint hae voces, Joannes ostendit, qui subdit: *dicentes:* Factum est regnum hujus mundi; id est, in quo prius antiquus hostis regnabat Dei et Christi ejus. *Et* regnabunt *in saecula saeculorum.* In his, id est in Patre et Filio, Trinitas intelligitur. **(VERS. 16.)** *Et viginti quatuor seniores,* qui in conspectu Dei sedent [Col. 1151B] in sedibus suis, ceciderunt in facies suas. De senioribus jam dictum est quia praedicatores significant, quod in specie genus intelligi debeat. Bene autem viginti quatuor pro duodecim tribus, et duodecim apostolis. Per sedes et seniores una Christi sedes intelligitur, in praelatis et subditis. Recte autem seniores in conspectu Dei sedere perhibentur, quia subjectorum facta examinantes, non humanam per hoc gratiam, sed Dei gloriam quaerunt. In faciem cadunt, quia omne bonum non sibi, sed Deo tribuunt. *Et adoraverunt Deum, dicentes:* **(VERS. 17)** *Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui eras, et qui es.* In eo quod non dicunt, qui venturus est, claret haec omnia in extremo judicio dicenda vel agenda. Quod autem sequitur:

[Col. 1151C] VERS. 18.---*Quia accepisti virtutem tuam magnam, et iratae sunt gentes;* ad primum ejus adventum pertinet. Accepit virtutem magnam in humanitate, quam semper habuit per divinitatem. Quod vero subditur, quia *advenit ira tua et tempus mortuorum, de secundo dicitur.* Sed cum Dominus dicat, *Diligite inimicos vestros* **(Matth. V, 44)**, quomodo de adventu irae ejus in reprobos isti gratias agere referuntur? Non ergo pro malorum perditione, sed pro sua gaudent resurrectione et glorificatione, quam sciunt nequaquam posse impleri, nisi damnatio praecesserit impiorum. Juxta hunc intellectum, animae occisorum sub altare Dei clamare perhibentur, *Usquequo, Domine, et caetera* **(Apoc. VI, 10)**. Non enim vindictam exposcunt, sed [*Cod.,* in *pro sed*] quo ipsi post malorum vindictam [Col. 1151D] remunerentur. Hinc Psalmista: *Laetabitur justus cum viderit vindictam* **(Psal. LVII, 11)**. Ira igitur judicis, non perturbationem mentis, sed rectitudinem significat. Qualem itaque conscientiam quis tulerit, talem eum videbit. *Judicari et reddere mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis, et magnis.* Cum Apostolus dicat gratia nos salvatos, quomodo Dominus hic mercedem dicitur reddere? Sciendum ergo quia cum Deus mercedem servis suis

reddit, sua in eis dona remunerat. Opus enim mercedis habere nequimus, nisi ab illo ut operaremur accepissemus. Et nota quod in prophetarum nomine apostoli designantur. Interea nullus de sua perfectione desperet, si tamen perfecta [Col. 1152A] agere contendit, et non valet, quia etiam pusilli ad illam mercedem pertingunt. Unde beatus Job: *Parvus et magnus ibi sunt* **(Job. III, 19)**. *Et exterminandi eos qui corruperunt terram.* Idcirco non occidi, sed exterminari dicuntur, ut perpetuum damnationis exsilium aeterna illorum demonstretur inopia. Terram corrumpere est iniquis operibus vitam depravare. Hinc itaque pendet tertium vae malorum, quod in septimo angelo praedictum est cito venturum.

VERS. 19.---*Et apertum est templum in coelo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus.* Haec locutio ad initium fidei recurrit, et conflictus Ecclesiae sub aliis figuris intexit. Quid enim Dei templum, nisi Christum significat? *in* quo *omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter* **(Col. II, 9)**. *Apertum vero* [Col. 1152B] dicitur, quia jam natus, passus, suscitatus et elevatus est Christus; quae omnia quia in Ecclesia Christus fecisse praedicatur, ideo in coelo templum aperire dicitur. Arca testamenti Ecclesia vocatur, in qua duorum Testamentorum virtus digito Dei scripta est: quae juxta fidem Exodi quatuor circulos aureos habet, in quibus quatuor vectibus portetur, id est quatuor Evangelia, per quae a sanctis praedicatoribus gubernatur: in qua est urna aurea manna continens, id est divini verbi sapientia cum pabulo vitae: nec non et virga Aaron, id est approbatio regalis sacerdotii. *Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terrae motus, et grando magna.* Fulgura sunt miraculorum signa, quibus perculsae infidelium mentes, humilitati se subdiderunt. Unde Psalmista: [Col. 1152C] Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos **(Psal. XVII, 15)**. Bene autem post fulgura *voces, id est praedicatores, ponuntur;* quia praedicatores, ut loquendo incredulos ad fidem perducerent, prius nova miracula exhibuerunt. Post verba autem sequuntur *tonitrua, ut qui voces despiciunt, terrore judicii quatiantur.* Deinde *terraemotus, id est persecutio, quae per grandinem signatur.* Sicut enim grando fruges terrae comminuendo comminuitur, et terra denuo fructificat; sic furens turba gentilium, dum nomen Dei de terra auferre conata est, ipsa ad nihilum redacta est, aut viribus aut commutatione in melius. Plures enim de his ad fidem Christi redierunt.

CAPUT XII.

[Col. 1152D] VERS. 1.---*Et signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* Mulier amicta sole beata virgo Maria est, obumbrata Altissimi virtute, in qua etiam genus, id est Ecclesia, intelligitur; quae non propter mollitiem mulier dicitur, sed quia novos quotidie populos parit, ex quibus generale Christi corpus conformatur. Ecclesia itaque sole amicta est, juxta illud: Quotquot *in Christo baptizati estis, Christum induistis* **(Gal. III, 27)**. Christus est enim sol justitiae, et *candor lucis aeternae* **(Sap. VII, 26)**. Per lunam vero, quae per incrementa temporum deficit, mutabilitas temporis exprimitur, quam Ecclesia quia despicit quasi sub pedibus premit. Et nota quia sunt quaedam in sequentibus quae [Col. 1153A] non speciei, sed generi conveniunt. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Duodecim stellae quibus corona aptatur, duodecim sunt apostoli, per quos primo caput Ecclesiae, id est Christus,

victoriam reportavit. Stellae autem vocantur, quia tenebras ignorantiae ratio veritatis illustrat. **(VERS. 2.)** *Et in* utero habens clamat *parturiens,* et cruciatur *ut pariat.* Haec beatae Mariae specialiter aptari nequeunt, sed Ecclesiae quae, dum eos quos jam pepererat, iterum parturit, quamdam partus difficultatem hic patitur; quousque, juxta Apostoli vocem, *Omnes occurramus in virum perfectum* **(Ephes. IV, 13)**. **(VERS. 3.)** *Et visum est aliud signum in coelo;* et ecce draco magnus rufus habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis *septem diademata.* Diabolus propter [Col. 1153B] malitiam draco; propter multiplicitatem insidiarum magnus; propter homicidium rufus vocatur. In coelo autem, id est in Ecclesia videtur, non quo possideat, sed quia ei adversatur. In capitibus et in cornibus totum ejus regnum ostenditur; tanquam septem capita contra septem Ecclesias, septem spiritus nequam contra septiformem spiritum Dei, decem cornua contra decem praecepta legis venientia. Sed de his latius in sequentibus dicetur. **(VERS. 4.)** *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram.* Cauda draconis sunt perversi praedicatores, juxta illud: *Propheta docens mendacium, ipse cauda est* **(Isa. IX, 15)**. Eos qui foris studio vitae coelestis videntur inhaerere, ex amore terreno per falsos praedicatores ad aperti erroris iniquitatem [Col. 1153C] devolvi, de quibus Job: Obscurentur *stellae caligine ejus* **(Job. III, 9)**. Quia vero cauda finis est corporis, potest per eam Antichristus ejusque praedicatores intelligi, ut praeteritum pro futuro accipiamus. Et revera tunc manifestior erit harum stellarum dejectio.

Et draco stetit ante mulierem quae erat paritura, ut cum peperisset filium ejus devoraret. Stetit tunc draco ut natum caput deglutiret; stat semper ut membra capitis deglutiat. Sed, ut sequentia demonstrant, ideo mulieris filius morsum draconis evasit, quia ad thronum Patris raptus est. Unde gravis oritur quaestio. Neque enim mox ut Christus natus est, et ab Herode quaesitus, corporaliter coelos conscendit; [Col. 1153D] nec ejus membra ideo draconis dentes cavent, quia corpus funditus deserentes ad caput suum perveniunt. Sciendum ergo quia fides recta, quae vitae praecepta conservans per sacras Scripturarum paginas declaratur, ascensus mentis est ad Deum, quo draconis malitia vitatur. Ac per hoc non corporaliter ascensum dicit. Et nota quod non retro, sed ante stare illis dicitur, a quibus ejus astutiae cognoscuntur. **(VERS. 5.)** *Et peperit filium masculum.* Illa caput peperit, haec membra capitis gignit. Sed quare *masculum* addidit, cum praemiserit *filium? Scilicet quia aut in bono dicitur pro excellentia fortitudinis, aut in malo pro immensitate sceleris.* Sicut enim hic in bono, sic pro malo ponitur in Jeremia dicente: *Maledictus* homo, *qui annuntiavit patri meo dicens,* Natus [Col. 1154A] est tibi puer masculus **(Jerem. XX, 15)**. Caeterum Ecclesia non effeminatum, non remissum generat. *Qui* recturus erit *gentes in virga ferrea.* Hoc et ad caput, et ad corpus redigitur. Per virgam rectitudo justitiae exprimitur. Unde Psalmista: Virga recta, et caetera. Quid est autem quod subditur: *tanquam vas figuli conterentur* **(Apoc. II, 27)**? nisi quia censura justitiae lutulenta in subditis opera conteruntur, ut fiant ex vasis contemptibilibus vasa honoris et sanctificationis. Quamvis possit hoc etiam ad reprobos Christi referri. *Et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus.* Hoc paulo superius dictum est. **(VERS. 6.)** *Et* mulier fugiet *in solitudinem,* ubi habet *locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta.* Hoc est mulierem in solitudinem [Col. 1154B] fugere, quod filium ejus ad Deum rapi; fugit enim Ecclesia, non corporali, sed spiritali ascensu. Solitudo secretum est mentis. Nam sancti viri, ut

serpentis venenum evadant, seipsos solitudinem faciunt, omnia transitoria et carnalia desideria contemnendo. Et nota quod praedicatorum est hanc mulierem pascere. Locus autem ubi pascitur, ipse est cui dicitur: *Esto mihi in Deum protectorem,* et in locum *refugii* **(Psal. XXX, 3)**. Ipse est et cibus quo pascitur, qui ait: *Ego sum panis vivus* **(Joan. V, 35)**. Numerus autem iste dierum sic tempora Antichristi significat, ut tamen omne tempus vitae praesentis a praedicatione et passione Christi assumat. Eodem enim dierum numero evangelica *praedicatio a Domino edita est,* quo in fine per novissimos praedicatores [Col. 1154C] terminanda.

VERS. 7.---*Et factum est praelium magnum in coelo;* Michael et angeli ejus praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus. Absit a fidelium cordibus, ut hoc praelium tunc factum credant, quando per superbiam antiquus hostis cum satellitibus suis de coelo cecidit. Sed ab initio fidei Christianae usque ad finem vitae praesentis fieri sine ulla dubitatione tenendum est; quod ex eo [*Scilicet, initio*] in coelo, id est in Ecclesia (quo apostolica voce clamatur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritalia nequitiae in coelestibus* [Ephes. VI, 12]) draco ille id est diabolus repugnare semper et adversari probetur. Quod si nos pugnamus [Col. 1154D] contra hanc sententiam, cur Michael pugnare dicitur? Quapropter sciendum, et nostrum et angelorum certamen contra diabolum esse, etiam in multis aliis locis ostendi. Nam quamvis Petrus dixerit: *Cui resistite fortes in fide* **(II Petr. V, 9)**; et Jacobus: *resistite diabolo, et fugiet a vobis* **(Jacob. IV, 7)**; tamen hoc ipsum per angelos fieri David declarat dicendo: *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* **(Psal. III, 8)**. In quibus exemplaribus ostenditur quia nec nos sine angelorum, nec angeli sine nostro conflictu dimicant. *Angeli* autem *Michael non ideo dicuntur, quod ipse eos, juxta quorumdam haereticorum perfidiam, creaverit;* sed quia eos a Deo in adjutorium acceperit; vel quia sub uno rege et ex una civitate militare creduntur: sicut et *draconis* [Col. 1155A] angeli vocantur, qui ad eum pertinere, et ejus voluntatem perficere probantur. In quorum numero mali homines comprehenduntur; sicut et nos in bonorum angelorum. **(VERS. 8.)** *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo.* Quomodo non praevalere dicuntur maligni spiritus cum multos decipiant; et qui fuerunt habitatio Redemptoris, fiant locus deceptoris? A toto ergo pars intelligenda est, cui praevalere ad aeternam mortem malignorum spirituum turba non potest. Ille enim antiquo hosti locum dat, qui mortale crimen admittit. Vel certe haec prophetia ad Antichristi tempus respicit, quo ab electis exclusi, decipiendi tempus ultra non habebunt.

VERS. 9.---*Et projectus est draco ille magnus serpens* [Col. 1155B] antiquus, qui vocatur diabolus; et Satanas qui seducit orbem universum projectus est in terram, et ejus angeli cum eo missi sunt. Hostis noster propter malitiam draco, propter immanitatem sceleris magnus, propter insidias serpens, propter seductionis diuturnitatem antiquus, propter lapsum de coelo, et fidelium et electorum accusationem diabolus vocatur: diabolus enim et deorsum fluens et criminator sonat; Satanas autem dicitur contrarius. In eo vero quod dicit, *qui seducit orbem universum, totum pro parte posuit.* Unde igitur, et quo projectus est, nisi de coelo in terram? id est de mentibus electorum in corda reproborum, non quod in eis et ante non erat, sed quod ab illis exclusus amplius dominatur. **(VERS. 10.)** *Et audivi vocem magnam dicentem in* [Col. 1155C] coelo: Nunc

facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Quia quotidie [Col. 1156A] draco de coelis in terram ruit, constat quia vox haec, id est mentis desiderium in laudem ab adventu Domini incipit, et usque ad finem saeculi in coelo, hoc est Ecclesia, clamare non desinit. Unde adverbio *nunc omne tempus comprehenditur.* Salutem factam dicunt, quia gratuita Dei bonitate sumus salvati; virtutem, quia roborati; potestatem, quia in celsitudinis gloriam sumus erecti. Cuncta enim haec in hominibus facta sunt, quamvis non per hominem, sed per Jesum Christum. In die autem et nocte diabolus accusat, cum alios in prosperitatibus extolli, alios inspicit adversitatibus frangi. Diabolum vero sanctos accusare, est non loquendo exterius, sed audiendo interius. Malitia enim ipsius, accusatio est adversus sanctos. **(VERS. 11.)** *Et ipsi vicerunt illum* [Col. 1156B] propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui. Propter sanguinem Agni vincunt, quia passiones Christi sequuntur. *Propter verbum testimonii, quia fidei rectitudinem custodiunt, de quibus subditur: et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Id est ad mortem se posuerunt ne eas nequiter amarent. **(VERS. 12.)** *Propterea laetamini, coeli, et qui habitatis in eis.* Plurali numero coelos ad laetandum invitat, quia numerositatem Ecclesiarum assignat, quae omnes unam de se reddunt. Habitantes in coelo, angelos vel sanctos homines dicit, quibus concorditer in Domino convenit gratulari cum homines, devicto hoste, ad consortium redeunt angelorum. Ubi non est aliud quod exponi debeat, nisi ut hac manente laetitia, hic liber debitum finem accipiat.

[Col. 1156C] (*Reliquorum capitum expositio deest in codice, sive eam scripserit Alcuinus, sive secus;* quanquam reapse hoc cap., v. 3, plura se scripturum promittit.)

INDEX ANALYTICUS RERUM QUAE IN COMMENTARIIS ALCUINI IN APOCALYPSIN CONTINENTUR.

NOTA 1o *quod primus numerus columnam, secundus vero lineam indicat.*

NOTA 2o *quod ante quasque ejusdem articuli particulas, inter se per lineolam* (---) *separatas, vocabulum a fronte positum prius subaudiendum est.*

INDEX RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

B. FLACCUS ALBINUS, SEU ALCUINUS.

B. F. ALBINI, SEU ALCUINI ABBATIS CAROLI MAGNI REGIS AC IMPERATORIS MAGISTRI OPERA OMNIA.

FINIS TOMI CENTESIMI.

PATROLOGIAE CURSUS COMPLETUS SIVE BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA, OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM QUI AB AEVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT; RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUAE EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICAE TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIAE SAECULA, JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUAE TRIBUS NOVISSIMIS SAECULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURAE SACRAE, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURAE TEXTUS COMMENTATI SINT. EDITIO ACCURATISSIMA, CAETERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTAE QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRAESERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES AETATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM. SERIES SECUNDA, IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINAE A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III. ACCURANTE J.-P. MIGNE, BIBLIOTHECAE CLERI UNIVERSAE, SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIAE ECCLESIASTICAE RAMOS EDITORE. PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRAECO-LATINA.---VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINAE; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRAECO-LATINAE.---MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI

AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.
PATROLOGIAE TOMUS CIII.
S. BENEDICTUS ABBAS,
SEDULIUS SCOTUS.
TOMUS UNICUS.
EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM, IN VIA DICTA *D'AMBOISE,* PROPE PORTAM LUTETIAE PARISIORUM VULGO *D'ENFER NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.* 1851

SAECULUM IX.
S. BENEDICTI ABBATIS ANIANENSIS OPERA OMNIA JUXTA MEMORATISSIMAS HOLSTENII ET HUGONIS-MENARDI EDITIONES ACCURATISSIME DIGESTA. ACCEDUNT SEDULII JUNIORIS NATIONE SCOTI SCRIPTA QUAE SUPERSUNT UNIVERSA, EX BIBLIOTHECIS PATRUM ET MAII COLLECTIONIBUS HAUSTA. ACCURANTE J.-P. MIGNE, BIBLIOTHECAE CLERI UNIVERSAE, SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIAE ECCLESIASTICAE RAMOS EDITORE. TOMUS UNICUS. VENIT 8 FRANCIS GALLICIS. EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM, IN VIA DICTA *D'AMBOISE,* PROPE PORTAM LUTETIAE PARISIORUM VULGO *D'ENFER NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.*1851

ELENCHUS AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CIII CONTINENTUR.

ANNO DOMINI DCCCXX.

SEDULIUS SCOTUS.

NOTITIA HISTORICA. (Joannes Albertus Fabricius)

(Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)[Col. 0009A]

Sedulius junior, natione Scotus, dubium an is qui an. 721 concilio Romano subscripsit, an alius, quem Hepidamnus monachus Sangallensis in Chronico ad an. 818 clarum fuisse narrat. Incertum etiam episcopus an presbyter fuerit. Ejus habemus:

1. *Collectaneum sive Explanationem in Epistolas Pauli, in qua Gregorius Magnus, quamvis supresso nomine, citatur.* Prodiit Basileae apud Henricum Petri 1528 et 1534, in-8o, nec non in Bibliothecis Patrum.

2. *Collectanea in Matthaeum sub nomine Sedulii Scoti citat Sirmondus ad Sidonii Apollinaris Epist.* IX, 4, in quibus, Labbeo teste, Gregorius, Isidorus, Beda et ipse quoque Sedulius senior allegatur.

3. *Commentarii in artem Eutychii, teste Usserio in Bibl.* Thuanea fuerunt. Sic quoque Sedulio *Commentarii* in primam alii *secundam artem Donati et in majus volumen*

Prisciani tribuuntur. [Col. 0010A]

4. Opus *de Regimine principum habuit Goldastus, teste Labbeo.* Sedulius de *rectoribus Christianis et convenientibus regulis, quibus est respublica rite gubernanda, Lipsiae 1619, in-8o, editus memoratur a Fabricio nostro.* Freherus ad Petrum de Andlo de Imperio Romano, II, 16, scribit se an. 1612 hunc librum ἀνέκδοτον ad prelum parare. Ex ejus libello *de Christianis rectoribus, c.* 8, octo disticha adducit Nicolaus Cusanus de Concordantia catholica, praefat. libri III in volumine Sichardii de Jurisdictione imperiali, p. 356.

Vide Usserium, Antiq. Eccles. Britannic., c. 16, et Oudinum tomo II, p. 26.

Psalterium Graecum Sedulii cujusdam Scoti manu scriptum recenset Bern. de Montfaucon, Palaeogr. Graec. III, 7, p. 236.

SEDULII SCOTI COLLECTANEA IN OMNES B. PAULI EPISTOLAS. **(Bibl. vet. Patr., tom. VI.)**

I. IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

[Col. 0009B]

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus. Sciendum est quod in prooemio septiformis divisio elucescit. Primo namque de seipso loquitur. Secundo, evangelium Dei non parva laude extollit. Tertio, mediatorem Dei et hominum, secundum utramque divinitatis et humanitatis substantiam, magnis laudum praedicat praeconiis. Quarto, apostolici gregis electionem demonstrat. Quinto, generalem gentium ad fidem Christi vocationem declarat. Sexto, specialem Romanorum vocationem ostendit. Septimo loco, gratiam et pacem, quae sunt dona septiformis Spiritus, Romanae Ecclesiae a Deo Patre, et Domino Jesu Christo praestari desiderabiliter exoptat. Hac divisione praemissa, nunc ad singulas ipsius [Col. 0009C] prooemii particularitates enucleandas veniamus. Prima itaque nobis quaestio de nomine ipsius Pauli videtur exsurgere: Cur is qui Saulus dictus [Col. 0010B] est in Actibus apostolorum, nunc Paulus dicatur. Invenimus in Scripturis divinis, quorumdam veterum immutata vocabula: ut ex Abram, vocatus Abraham; ex Sarai, Sara; et ex Jacob, Israel In Evangeliis quoque ex Simone, Petrus; et filii Zebedaei, filii tonitrui nuncupati sunt: sed haec ex praecepto Dei facta legimus. Nusquam vero erga Paulum invenimus tale aliquid gestum. De qua re quibusdam visum est quod Pauli proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit, quod nec nos quidem usquequaque evacuandum putamus: tamen quia nulla talis in Scripturis divinis consuetudo deprehenditur, magis ex his quae in exemplo nostris sunt, absolutionem quaeramus. Invenimus igitur aliquantos binis, [Col. 0010C] alios autem ternis usos esse nominibus, ut Salomonem, eumdem Idida;

Sedechiam, eumdemque Joachim; Osiam, eumdem et Azariam, aliosque plurimos [Col. 0011A] binis nominibus vocatos. Sed nec Evangelia hunc morem renuunt: nam Matthaeus, sicut Lucas ostendit, et Levi appellatus est. Secundum hanc ergo consuetudinem videtur nobis et Paulus duplici esse vocabulo: nam et hoc ipsum quod Scriptura dicit: *Saulus autem, qui et Paulus* **(Act. XIII)**, evidenter non ei tunc primum Pauli nomen impositum ostendit, sed veteris appellationis id fuisse designat. Sed requirendum est hic, cur nomen suum in fronte Epistolae posuerit. Ad quod respondendum est causa auctoritatis apostolicae hoc esse factum: sicut enim reges nomen suum in principiis epistolarum ponunt, quatenus magis vereantur hi quibus ipsae epistolae transmittuntur, ita et Paulus apostolus, quia unus ex illis regibus fuerat de quibus Psalmographus dicit: [Col. 0011B] *Dum discernit coelestis reges super eam* **(Psal. LXVII)**, suum nomen huic epistolae, non ignobile decus, praefixit. In Epistola vero quae ad Hebraeos praetitulatur, quoniam apud Hebraeorum ecclesias destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis et veritate Christi reddere rationem, ne odio nominis fronte praelati, utilitatem excluderet lectionis. *Servus Christi Jesu.* Servum autem Christi Jesu se profitens, a lege exutum ostendit. Requiramus nunc cur servus dicatur is qui alibi scribit: *Non enim accepistis spiritum servitutis* **(Gal. V)**; itemque in eum modum Salvator ait: *Jam non lico vos servos, sed amicos* **(Joan. XV)**. Ergo id sive secundum illam humilitatem dictum putemus, quam Dominus docuit dicens: *Discite a* [Col. 0011C] *me quia mitis sum et humilis corde* **(Matth. XI)**; neque per hoc laeditur veritas libertatis in Paulo, dixit enim: *Nam cum liber sim ab omnibus, me servum feci* **(I Cor. IX)**. Servit ergo Christo, non in spiritu servitutis, sed in spiritu adoptionis, quia omni libertate nobilior est servitus Christi; sive quasi imitator ejus pronuntiat, qui dixerat: *Ego sum in medio vestrum, non sicut discumbens, sed sicut ministrans* **(Luc. XXII)**, *et* ejus qui *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* **(Phil. II)**. Quid est autem servum esse Christi, quam servum esse verbi Dei, sapientiae, justitiae, veritatis, et omnino omnium virtutum quae in Christo sunt. Sicut autem scientia quae nunc datur, per speculum datur, et in aenigmate, et prophetia, ita et caetera dona Spiritus sancti, ut libertas, [Col. 0011D] quae nunc sanctis praestatur, nondum plena libertas est, sed velut per speculum et in aenigmate. Et ideo sancti servos se esse dicunt, ad comparationem illius libertatis, quae facie ad faciem tribuitur. *Christi Jesu.* Ideo utrumque, id est, Christi et Jesu, quia in utroque est Dominus. Dicendo Christi, contra Marcionem agit, qui ipsum Dominum verum corpus habere denegat; subjungendo Jesu Judaeorum perfidiam redarguit, qui Jesum negant quod Deus sit. Paulus Graece scribens Graecum nomen anteponit: Matthaeus autem Hebraice, Hebraica nomina praetulit, dicens: *Liber generationis Jesu Christi.*

Vocatus Apostolus. Jam praescientia divina ad hoc vocatus, ut esset apostolus. Item vocatus apostolus [Col. 0012A] in benedictionibus Benjamin, et in via Damasci, sicut scriptum est: *Saule, Saule, quid me persequeris* **(Act. IX)**? Hoc nomen, quod est *vocatus, generale potest videri, quod pertinet ad omnes qui Christum credunt: Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vocatus est Judas, at non erat electus: quia electi separari a Deo non possunt. Ἀπόστολος Graece, שילה Hebraice, missus Latine dicitur. Nam sicut ἄγγελοι Graece, Latine nuntii appellantur, ita Graece ἀπόστολοι, Latine missi vocantur: ipsos enim misit evangelizare per universum mundum.

Segregatus in evangelium Dei. Εὐαγγέλιον, bonum nuntium interpretatur, quo peccatores ad indulgentiam convocantur. Apostolus autem quo modo in Judaismo locum doctoris habebat, ut pote Pharisaeus, [Col. 0012B] ita a Judaismi praedicatione separatum se dicit in evangelium Dei, ut a lege dissimulans Christum praedicaret. Aliter: *Segregatus, hoc est, a grege apostolico separatus, ut gentibus praedicaret.* Sicut in Actibus apostolorum Spiritus sanctus dicit: *Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod elegi eos* **(Act. XIII)**. Segregatus dicitur in evangelium Dei, sicut alibi ipse de se dicit: *Cum autem placuit Deo, qui me segregavit de utero matris meae, ut revelaret Filium suum in me* **(Gal. I)**: ex quo intelligimus, quod justi separentur a ventre. Ergo et Paulus quidem segregatus in Evangelium dicitur, segregatus a ventre matris suae. Causas in eo et merita quibus in hoc segregari debuerit, vidit ille quem non latet mens: praevidit enim quod abundantius quam caeteri [Col. 0012C] omnes laboraturus esset in evangelio, quod in siti, et in fame, et in frigore, et in nuditate, in periculis latronum, in periculis fluminum, in periculis maris praedicaturus esset evangelium Christi. *In evangelium Dei.* Unum atque idem est dicere, et evangelium Dei, evangelium Christi, quod ipse Dominus dicit: *Ego et Pater unum sumus.* Et iterum dicit ad Patrem: *Omnia mea tua sunt, et tua mea* **(Joan. X)**. Ergo evangelium Patris, evangelium Filii est.

Quod ante promiserat per prophetas suos. Ut probet rectam et integram fidem, et spem esse in Christo, jam prius evangelium ejus dicit a Deo promissum, ut Isaias ait: *Consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum.* David quoque: *Dominus,* inquit, *dabit verbum evangelizantibus* [Col. 0012D] **(Psal. LXVII)**. Et iterum: *In omnem terram exivit sonus eorum* **(Psal. XVIII)**. Item: *Faciet Dominus verbum brevissimum super terram.* Utrum simpliciter accipi debeat evangelium per scripturas propheticas repromissum, an discretionem alterius evangelii quod aeternum dicit Joannes in Apocalypsi, quod tunc revelandum est, cum umbra transierit, et veritas venerit **(Apoc. XIV)**, considerato etiam tu qui legis, cui aeterno evangelio convenire videbuntur etiam illi aeterni anni, de quibus Propheta dicit: *Et annos aeternos in mente habui* **(Psal. LXXVI)**. Eique adjungi potest et ille liber vitae, in quo sanctorum nomina scripta dicuntur; sed et illi libri qui apud Danielem, cum judicium consedisset, aperti [Col. 0013A] sunt **(Dan. VII)**. Vel qui apud Ezechielem prophetam deintus et deforis dicuntur inscripti **(Ezech. II)**. Omniaque non atramento, sed Spiritu Dei vivi scripta memorantur. *Per prophetas suos.* Hoc ad laudem evangelii pertinet: nemo enim rem vilem magnis praecursoribus nuntiat. Totus hic locus contra Manichaeos facit, ubi dicit quod ante evangelium sit promissum et per prophetas Dei et in sanctis Scripturis, et quod Christus secundum carnem ex David stirpe, id est, Maria virgine sit creatus, secundum quod praedixerat Isaias: *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel* **(Isai. VII)**. *In Scripturis sanctis.* Hoc ad cumulum protestationis adjecit, ut majorem fiduciam credentium faceret, et legem commendaret. [Col. 0013B] Sanctae autem Scripturae sunt, quia et vitia damnant, et sacramentum illic unius Dei continetur pro salute humana.

De filio suo. Multi filii gratia, hic natura, cujus etiam secundum carnem nativitas dissimilis caeteris invenitur. *Qui factus est ei ex semine David.* Factus est per Spiritum sanctum *secundum carnem.* Addendo *secundum carnem factus est, secundum Verbi*

utique substantiam non est factus. Factus est. Non dicit genitus est. Aliud enim est si dixeris, ex semine admisto sanguinem coagulare et generare, et aliud est non permixtione, sed virtute procreare Ideo *factum dicit non genitum, observans proprietatem, quia factus est secundum humanitatem, genitus est secundum divinitatem.* [Col. 0013C] *Secundum carnem.* Hic synecdoche est, nam carnem pro toto homine posuit. Sed requirendum, quare non secundum animam dixit ἀνὰ κοινὸν.. Nec intelligunt ideo carnem solam nominatam esse, in eo quod dictum est: *Verbum caro factum, quia hominum oculis, propter quos facta est illa susceptio,* caro sola potuit apparere, nec semper *factum esse ad creationem refertur:* scriptum enim est: *Domine, refugium factus es nobis* **(Psal. LXXXIX)**. Et: *Dominus factus est mihi in salutem* (Isai. (XII).

Qui praedestinatus est Filius Dei. Filium Dei dicens, Patrem significavit Deum, addito autem Spiritu sanctificationis, ostendit mysterium Trinitatis. Hic ergo qui incarnatus quidem latebat, sic praedestinatus est secundum Spiritum sanctificationis [Col. 0013D] in virtute ministerii Filii Dei, cum surgit a mortuis, sicut scriptum est: *Veritas de terra orta est* **(Psal. LXIV)**. Omnis enim ambiguitas diffidentiae de resurrectione ejus calcata est et compressa, quia praedestinatus est. Recte quippe Filius Dei non praedestinatus est, secundum id quod Verbum Dei est, Deus apud Deum: quid enim praedestinaretur, quod sine initio et sine termino Deus semper aeternus est? Illud enim praedestinatum est quod nondum fuerat ut sicut in suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora praedestinatum erat ut fieret. Lege cap. 3 in Enchiridion, ubi non solum bonos in gloriam, sed et impios Deum dicit praedestinasse ad poenam. Destinatur ille qui est: praedestinatur is [Col. 0014A] qui nondum est. Quare non dixit, *praepositus est? Inter praedestinationem autem et propositionem hoc interest, quod praedestinatio alicujus rei multo ante in mente ejus qui destinet, quid futurum sit praefiguret:* propositum autem cum vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequatur effectus. *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Tanquam de alio supra diceret: quid est enim Filius Dei praedestinatus, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri, nisi ejusdem Jesu Christi, qui praedestinatus est Filius Dei? Ergo quomodo hic cum audimus, *Filius Dei in virtute* Jesu Christi, an ut Filius Dei *secundum Spiritum* sanctificationis Jesu Christi, aut Filius Dei *ex resurrectione* [Col. 0014B] mortuorum Jesu Christi, cum dici potuisset, visitare in virtute sua, aut secundum Spiritum sanctificationis suae aut ex resurrectione mortuorum ejus, vel mortuorum suorum, non cogimur intelligere aliam personam, sed unam eamdemque, scilicet Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi? Ita cum audimus: *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, quamvis usitatius dici ad imaginem suam possit, non tamen cogimur aliam personam intelligere in Trinitate, sed ipsam unam eamdemque Trinitatem, qui est unus Deus, ad cujus imaginem factus est homo. Secundum Spiritum sanctificationis.* Ut prae omnibus in incorruptibilitatis virtute resurgeret, et vitam resurrectionis Dei filiis aperiret: de quibus ipse dicit: *Qui filii Dei sunt,* cum sint filii [Col. 0014C] *resurrectionis.* Sanctificationis vero Spiritus dicitur Filius, secundum hoc quod praebet omnibus sanctitatem. Ideo non dixit, ex resurrectione Jesu Christi, sed *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi, quia resurrectio Christi generalem resurrectionem praebuit.* Mortuorum Jesu Christi, non omnium resurgentium, sed ad Christum pertinentium in

ipso Christo resurrectionis forma portenditur.

Per quem accepimus gratiam. Remissionem videlicet peccatorum in baptismo, nec non coelestis sapientiae, diversarumque linguarum cognitionem, gratiam nominat. Apostolus vero ad praedicationis auctoritatem comitantibus signis pertinet, quia et ipse Christus apostolus dicitur, id est, missus a Patre, quippe qui ad evangelizandum pauperibus [Col. 0014D] missum se dicit. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Missos ergo apostolos dicit, ut praedicarent fidem omnibus gentibus, ut obedirent et salvarentur, ut donum Dei non jam solis Judaeis, verum etiam omnibus gentibus concessum videretur, ad obediendum fidei, non legi. *Pro nomine ejus.* Hoc est, vice nominis ejus fungimur, ut ipse ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* **(Joan. VIII)**. Et iterum: *Qui vos recipit me recipit* **(Matth. XV)**. Sive *pro nomine ejus, id est, ad gloriam nominis ejus. In quibus et vos vocati estis.* Quia scilicet donum Dei omnibus missum est, ut cum audiunt se inter caeteros vocatos, scirent se sub lege agere non debere. Item, *in quibus estis et vos vocati:* nam et in [Col. 0015A] vobis, id est, Romanis apostolatum accepimus. *Vocatis sanctis.* Hoc est, sanctis vocatione Dei, non merito facti.

Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo. Illud animadvertendum est, quod et in superioribus et in praesenti commate eclipses, id est, defectus necessariarum dictionum esse noscuntur. Itaque ut plena constructio constare queat, ipsa verborum series in ordinem sic disponatur: *Ego Paulus servus Christi Jesu, vocatus Apostolus, et caetera quae subsequuntur, postremoque subinferatur:* precor vel exopto, multiplicentur *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Gratiam et pacem cum his dicit esse, qui recte credunt: gratia, qua a peccatis absoluti sunt: [Col. 0015B] pax vero, quia ex impiis reconciliati sunt Creatori-Bene gratiam et pacem connectit, nam vacua prima sine altera; pax enim observat gratiam. *A Deo Patre nostro.* Deum Patrem nostrum dicit propter originem nostram, qui ab ipso creati sumus, et cujus nos filii sumus adoptione. *Et Domino Jesu Christo.* Christum autem Dominum, quia ejus sanguine redempti sumus filii Dei. Gratia dicta est ab ethymologia, gratim enim interpretatur plenitudo, quod significat charitatem, quia plenitudo legis charitas est.

Primum, quidem gratias ago Deo meo. Finita praefatione ante omnia gaudium suum testatur, ut pote gentium Apostolus, quod cum Romani regnent in mundo, subjecerunt se fidei Christianae: nam fama fidei illorum profectus erat multorum, qui videbant [Col. 0015C] principes suos factos esse Christianos. Gratias ergo se dicit Deo suo agere duntaxat, quia adhuc illorum non erat plene. *Deo meo.* Natura Deus omnium est, merito et voluntate paucorum, ut est Deus Abraham, secundum quod hic suum nominat Deum. Prima vox incipit a gratiarum actione; agit autem Deo gratias per Christum, velut pontificem magnum: oportet enim scire eum, qui vult offerre sacrificium Deo, quod per manus pontificis debet offerre. Sed et hoc quod dixit: *Deo meo, non est otiose accipiendum:* non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum, quorum Deus dicitur, sicut Deus Abraham, vel Isaac, vel Jacob; non enim potest Deum suum dicere is, cui venter Deus est, aut cui gloria saeculi et pompa mundana, aut potentia rerum caducarum Deus est. [Col. 0015D] Quidquid unusquisque supra caetera colit, hoc illi Deus est. Sed videamus quidem pro quo Apostolus gratias agat Deo suo. *Quoniam,* inquit, *fides vestra*

annuntiatur in universo mundo. Si simpliciter accipiamus, hoc videtur designare quod multis locis mundi, hoc est, terrae, eorum qui Romae sunt fides et religio praedicetur. Si vero in hoc loco mundus designatur qui ex coelo constat et terra omnibusque quae in eis sunt, potest etiam illud intelligi, quod Virtutes de quibus dicitur, quia *gaudium habeant super uno peccatore poenitentiam agente* **(Luc. XV)**, multo magis de conversatione et fide quoque Romanorum laetantur, nuntiantibus sibi angelis, qui ascendunt et descendunt ad Filium hominis, et ipsi enim [Col. 0016A] mirantur de conversatione gentium, et quod in omnem terram exivit apostolorum Christi praedicatio. Potest tamen et ita intelligi, quod fides ista quam Romani habent, ipsa eademque sit, et non alia, quae in universo mundo annuntiatur et creditur, quae non solum in terris, sed et in coelis praedicatur. *Deo meo.* Blandientis affectus est, quod communem Dominum omnium, gratiae magnitudine suum et quasi proprium senserit Deum. Observandum sane est, quia ad hoc quod dixit, *primum quidem gratias ago, consequens erat ut diceret:* Secundo. Sed praediximus de locutionibus minus finitis, nisi forte videatur in eo reddi, cum dicit: *Nolo autem ignorare vos, fratres.*

Testis enim mihi est Deus cui servio in spiritu meo. [Col. 0016B] In spiritu meo, inquit, non in circumcisione manufacta, neque in neomeniis et sabbato, et discretione escarum, sed in spiritu meo, id est, in mente: quia enim Deus spiritus est, spiritu vel animo debet illi serviri. *In evangelio Filii ejus.* Hoc est, non in eo quod Moyses servus tradidit, sed in eo quod dilectissimus Filius docuit.

Quod sine intermissione mentionem vestri faciam in omnibus orationibus meis. Dicit Apostolus: *Semper gaudete, sine intermissione orate.* Quis autem potest ita semper orare, et sine defectu vel intermissione precibus insistere, ut nec alimentis sumendis, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare et non deficere, qui canonicis orationibus quotidie juxta ritum ecclesiasticae traditionis, [Col. 0016C] psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit. Et hoc est quod Psalmista dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* **(Psal. XXXIII)**. Aut certe omnia quae justus secundum Deum gerit et dicit, ad orationem esse reputanda: qui enim justus est, sine intermissione quae justa sunt agit, per hoc sine intermissione justus orabit, nec unquam ab oratione cessabit, sive justus esse desistet.

Obsecrans, si quomodo. Id est, aliqua causa, vel qualibet occasione vel ratione. Itaque voluntati ejus sicut occasio data est, ut coactus appellaret Caesarem, sic dirigetur ex aliqua causa, Deo volente, ut impleret propositum voluntatis suae. Denique in [Col. 0016D] naufragio posito astitit Dominus, dicens: *Noli timere, sicut enim testificatus es in Hierosolymis de me, ita et Romae.* Videamus autem quod dicit, *cui servio in spiritu meo.* Servire in spiritu, simile mihi videtur esse, imo et amplius aliquod quam adorare in spiritu; nam adorare quis potest sine affectu, deservire vero ejus est, quem constringit affectus. Deservit ergo Apostolus Deo non corpore, nec anima, sed meliore sui parte, id est, spiritu. Haec enim tria esse in homine designat ad Thessalonicenses scribens, cum dicit: *Ut integrum corpus nostrum, et anima, et spiritus, in die Domini nostri Jesu Christi servetur.* Et Daniel dicit: *Laudate, spiritus et animae justorum, Dominum.* Prosperum iter habeam in voluntate [Col. 0017A] *Dei veniendi ad vos.* Puto quod etiam hoc

vult intelligi, quia non semper itineris prosperitas Dei voluntate perficitur. Denique et Balaam iter habuit prosperum eundi ad Balac, ut malediceret populum Israel, sed non fuit illa ex voluntate Dei prosperitas; et multi in rebus saeculi prosperis utuntur successibus, et exsultant in prosperitatibus suis, sed non est talis prosperitas ex voluntate Dei.

Desidero enim videre vos. Quid est quod cum scriptis illos corrigat et a carnali sensu abstrahat, praesentiam suam necessariam dicit? Nisi aliter dicta ad aliud solent rapi, sicut ab haereticis fit, ideo desiderat videre eos, ut praesens doctrinam evangelicam, sensu quo scribit, tradat, ut magis illis proficiat, additis [Col. 0017B] signis virtutum quae magis auctoritatem dant signis. Cum autem dicit: *Ut gratiam vobis spiritualem ministrem.* Carnalem illos sensum assecutos significat, quia sub nomine Christi non illa quae Christus docuerat fuerant assecuti, sed ea quae fuerant Judaeis tradita. *Ad confirmandos vos.* Haec confirmatio tres personas requirit: adjuvantis Dei, ministrantis apostoli, accipientis populi. Consolari autem se dicit cum illis, si apprehendant spiritualia.

Per eam quae invicem est fidem. Hoc est, ut per communem fidem invicem consolemur. Quod autem dicit: *Ut aliquod tradam vobis donum spirituale, videtur indicare esse aliquid quod donum quidem sit, non tamen spirituale, ut nuptiae, divitiae,* et fortitudo [Col. 0017C] corporis, et formae decor, regnumque terrestre: a Deo enim etiam haec donantur. Beati sunt ergo illi quibus spiritualem gratiam tradere vult Apostolus ad confirmationem fidei, ut ultra parvuli non sint, neque circumferantur omni vento doctrinae. Quod cum sit, Paulus et ipse consolationem capit, opus suum firmum et stabile videns, et illi consolantur, quia apostolicae gratiae sunt participes.

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in caeteris gentibus, Graecis ac barbaris, sapientibus ac insipientibus debitor sum. Itaque quod in me promptum est, et vobis qui Romae estis evangelizare. Est quidem hyperbaton in hoc loco, est et locutionis defectio. Si hyperbaton, [Col. 0017D] hoc modo reddere possumus: Nolo autem ignorare vos, fratres, quia saepe proposui venire ad vos, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in caeteris gentibus, Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus, et prohibitus sum usque adhuc. Defectio vero elocutionis hoc modo adimplebitur, in eo ubi dicit: *Et in caeteris gentibus, Graecis ac barbaris,* sapientibus et insipientibus, videtur deesse, *quibus debitor sum:* ut sit talis consuetudo [*Al.,* compositio]: Sicut fructum habeo et in caeteris, Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus, quibus debitor sum: *ita quod in me est, promptus sum etiam vobis qui Romae estis, evangelizare, et* [Al., *sed*] *prohivitus sum.* Siquidem a Deo putetur prohibitus, [Col. 0018A] ostenditur per hoc id etiam curae Deo fuisse quo unusquisque apostolorum vel debeat ire, vel non debeat. Cur autem prohibitus est? Ideo quia Dominus sciebat imperitos adhuc Romanos, et mittebat Paulum ad alios, ut interim paratiores. *Ut aliquem fructum habeam in vobis.* Unde velut multarum divitiarum cupidus Paulus, congregat fructus ex Graecis, congregat ex barbaris, etc. Verum hos omnes fructus affert Paulus, qui tanquam palmes bonus permanet in vite vera, quae est Christus, quem frequentius Pater purgat agricola, et ideo fructum plurimum affert,

purgat eum in laboribus, in tribulationibus, in persecutionibus. Sunt enim alii palmites, qui in vite quidem permanent, fructum vero non ferunt, sed sunt aridi, qui dicuntur a Patre in ignem [Col. 0018B] mitti. *Fructum dicit, ministerii sui coelestem mercedem. Sicut et in caeteris gentibus.* Exemplo caeterarum gentium; promptior enim fit quis ad rem sibi traditam, si illi multos videat assentire. De Judaeis autem tacuit, quia magister gentium erat. *Sicut et in caeteris gentibus:* subauditur, *habeo.* Sapientes autem illos dicit, qui mundanis rationibus eruditi, sapientes vocantur in saeculo, dum aut siderum speculatores sunt, aut mensuris, aut numeris, aut arti grammaticae student, aut rhetoricae, aut musicae. Requirendum est quomodo Apostolus *Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor est.* Quid enim ab ipsis acceperat unde eis debitor fieret? Arbitror diversis quidem gentibus inde effectum esse debitorem, quia omnium gentium linguis eloqui accepit [Col. 0018C] gratiam Spiritus sancti. Ergo debitor omnibus illis efficitur, quorum causa accepit a Deo linguae notitiam. Sapientibus autem efficitur debitor, per hoc quod accepit sapientiam in mysterio absconditam, quam perfectis et sapientibus loqueretur. Quo modo autem et insipientibus? In quo patientiae gratiam et longanimitatis accepit; summae etenim patientiae ferre insipientium motus.

Non enim erubesco super evangelium. Hoc est, sicut quidam doctores erubescebant, qui doctrinam coelestem adjunctis miraculis corroborare nequibant. *Virtus enim Dei est, etc.* Nulla major virtus est quam quae, devicta morte, homini perditam reddidit vitam, quamvis incredulis infirmitas videbatur? Definiens ergo quid sit evangelium, pronuntiat. *Virtus* [Col. 0018D] *enim* Dei est, inquit, *in salutem omni credenti.* Quod autem dixit quod virtus Dei est in salutem, videtur ostendere, quod sit aliqua virtus Dei quae non sit ad salutem, sed ad perditionem: sicut in Psalmis legitur: *In virtute tua disperde illos;* virtus enim in dextera est qua salvamur, ut virtus in qua disperdit, sinistra dicatur.

Justitia enim Dei revelatur in eo, ex fide in fidem. Justitia Dei est, quia quod promisit, dedit. *Judaeo.* Credenti quod ei promisit Deus prophetas suos. Justum Dominus probat *ex fide Dei promittentis, in fidem hominis credentis. Justitia Dei revelatur.* Qui credit veracem Deum dedisse quod promisit, hoc contra Judaeos loquitur qui negant esse Christum [Col. 0019A] quem promisit. *Sicut scriptum est.* In Habacuc videlicet. *Justus ex fide, id est, non ex operibus legis, Vivit* **(Habac. II)**, hoc est, praesentem vitam ducit, vel vitam aeternam acquirit. Aliter secundum Pil. ć *Justitia Dei est.* Quod justum fuerat, ut quo modo Abraham credens ex gentibus, per solam fidem justificatus est, ita caeteri fidem ejus imitantes, salvarentur. *Ex fide Abraham: In fidem hominis credentis;* sive *ex* fide Judaei, *in fide gentilis:* ideo autem *ex* et *in posuit, ut tautologiae vitium declinaret.* Justitia Dei in evangelio revelatur, per id quod ad salutem nullus excipitur venire, sive Judaeus, sive Graecus, sive barbarus; nam omnibus dicit Salvator: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI)**: Revelatur justitia Dei, quae [Col. 0019B] obtecta prius velabatur in lege; revelatur enim in his qui ex fide Veteris Testamenti ad fidem novi Evangelii veniunt; et cum in Evangelium veniunt, ex fide legis, in fidem Christi diriguntur. Justus autem meus ex fide vivit, id est, Veteris et Novi Testamenti: nam alterum sine altero integritatem vitae non habet. Aliter *ex* fide praedicantium, *in fidem credentium.* Sive ut Augustinus exponit, *ex fide verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fidem rerum, qua in aeternum quod nunc credimus, obtinebimus.* Quare non homo vel vir ex fide vivere dixit, ideo ne

reprobaret opera dum hucusque fidem et gratiam commendavit, hic vero opus ostenditur, dicens: Justus est, fide vivet; quia justum indicat, bona opera habentem.[Col. 0019C]

Revelatur enim ira Dei de coelo. Sicut in illo qui credit justitia Dei revelatur, ut supra memoravit, ita et in eo qui non credit ira Dei revelatur de coelo. Auctoritas celsitudinis hoc loco ostenditur, sic est illud: *Pater noster, qui es in coelis* **(Matth. VI)**. Sic: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* **(Jacob. I)**. Ita et justa vindicta, qui ira Dei appellatur, non nisi de superni judicis throno descendit. Ira Dei videtur interdum virtus ipsa quae praeest poenarum ministris, et quae supplicia infert peccatoribus, dici. Interdum tentationis afflictio ira Dei nominatur, sicut Job dicit: *Ira Dei in corpore meo? Et quia spiritualia nequitiae, adversum quae nobis certamen est, in coelestibus esse dicuntur,* consequenter in [Col. 0019D] eos qui ab his separantur ira Dei de coelo dicitur jaculari. *In omnem impietatem.* Id est, Judaeorum et gentium. Impietas, in Deum peccare est: iniquitas, in homines: in Deum ergo et in homines peccant *qui veritatem in iniquitate detinent.* Non dixit, quod non habent veritatem, sed veritatem quam sciunt, in iniquitate detinent; nam veritatem nominis Dei in injustitia indignae materiae detinent idolorum. *Quia quod notum est Dei.* Notitia Dei manifesta est ex fabrica mundi; ut enim Deus, qui natura invisibilis est, possit sciri, opus factum ab eo est, quod opificem visibilitate sua manifestaret, ut per certum incertum posset sciri. *Quia quod notum est Dei.* Id est, quod cognosci de [Col. 0020A] Deo potest, per conjecturam creaturae, verbi gratia, quod sit, et quod justus sit et omnipotens: ostendens esse aliquid Dei quod notum sit et aliquid ejus quod ignotum sit. Ignotum hoc Dei intelligendum est, cum ratio substantiae ejus vel naturae, cujus quae sit proprietas, puto quod non solum nos homines, sed et omnem lateat creaturam. *Deus enim illis manifestavit.* Id est, manifestavit se, dum opus fecit per quod possit agnosci.

Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta perspiciuntur. Hoc est, mysteria obscura suae virtutis. Sciendum est quod hic invisibilia quae nominat de creaturis, spiritualia alibi dicit; ideoque addidit: *Sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas.* Virtus est qua instituit quae [Col. 0020B] non erant, quaque omnia regit; divinitas est, qua replet universa. *Non magnificaverunt.* Quia nec dignum honorem Deo dederunt. *Aut gratias egerunt.* Pro eo quod tales facti sunt, ut Deum possent agnoscere, si vellent. *Sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Per cogitationum suarum vanitatem dum formas et imagines corporeas requirunt in Deo, in semetipsis Dei imaginem perdiderunt: quos Anthropomorphitas ecclesiastici viri solent nominare. *Obcaecatum est insipiens cor eorum.* Recedentes a lumine veritatis sapientes, quasi qui invenissent quomodo invisibilis Deus per simulacrum visibile coleretur. *Stulti facti sunt.* Non intelligentes nullam similitudinem habere mortuum immortalis, et corruptibile sempiterni conditoris. Quamvis ad omnes [Col. 0020C] homines quibus inest naturalis ratio, maxime tamen haec spectant ad sapientes hujus mundi, et eos qui philosophi nominantur, quibus praecipue creaturas mundi et omnia quae in eo facta sunt discutere disciplina est, et per haec quae videntur ea quae non videntur ratione colligere. *Et mutaverunt gloriam immortalis Dei.* Hoc est, nomen et honorem Dei idolis dederunt; a vivo enim Deo recedentes, mortuis favent. Primi enim Babylonii Deum vocaverunt figmentum Belis, hominis mortui, qui principatum dicitur in eis egisse. Coluerunt et

serpentem, draconem, quem occidit Daniel, homo Dei, cujus similitudinem habent. Aegyptii colebant quadrupedem, quem dicebant Apim, in similitudinem vaccae: quod malum imitatus est Jeroboam; et volucres, [Col. 0020D] quia chronica sacra habebant pagani, id est, ut aquila Jovis, graculus et cornix diceretur. Sed breviter, et omni in unum collecta definitione dicamus: Adorare alium Deum praeter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, impietatis crimen est.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Isti autem vertentes se a Deo, traditi sunt diabolo. Tradere hoc est permittere, non incitare, aut immittere, ut ea quae in desideriis conciperent, explerent in opere. Per hoc quod deserunt, traduntur in desideria cordis sui. Quali judicio erga divinitatis usi sunt venerationem, dum Dei incorruptibilis gloriam, ad foedas et indignas deducunt hominum et animalium formas, tali etiam erga semetipsos utantur [Col. 0021A] vice, ut rationabiles homines vivant more irrationabilium belluarum. Item Augustinus in libro de Gratia Dei, et libero Arbitrio. *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Scriptum est in Proverbiis Salomonis: *Sicut impetus aquae sic cor regis in manu Dei:* quocunque voluerit, inclinabit illud. Et in Epistola Pauli ad Romanos: *Propterea tradidit illos Deus in desideria, etc.* His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua immensa misericordia, sive ad mala pro meritis eorum: judicio autem suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. Ac per hoc, quando legitis in divinis litteris a Deo [Col. 0021B] seduci homines, aut obtundi, aut obturari corda eorum, nolite dubitare praecessisse mala merita eorum, ut juste paterentur. *In immunditia.* Quae est in turpibus mysteriis, ut contumeliis afficiant corpora sua, dum sibi in sacramentis idolorum cauteria et bustiones infligunt, ut quasi amentes ipsi in se suorum sint vindices delictorum. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Hoc est, nomen Dei qui verus est, dederunt his qui non sunt dii, lapidibus scilicet et lignis, atque metallis. Qui simulacrum colit, convertit veritatem Dei in mendacium; nam mare veritas est, hoc est, vera creatura: Neptunus autem mendacium, factum ab homine, conversa veritate Dei in mendacium, quia Deus fecit mare, homo autem simulacrum Neptuni. *Et coluerunt,* et [Col. 0021C] *servierunt creaturae potius quam Creatori.* Id est, non solum dilexerunt, sed etiam servierunt. Sed quicunque alicujus creaturae cupiditate vincitur, ipsi servit; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. *Qui est benedictus in saecula.* Cui si servissent, et ipsi fieri benedicti in saecula potuissent.

Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Omnia perverterunt in Deum perversi; neque enim ordinem naturae servare poterant, qui naturae dereliquerant auctorem. *Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae.* Aliam dare Satanas legem non potest, nisi ut concessa et licita in alium ordinem vertat, ut dum aliter fiunt quam concessa sunt, peccata sint. *Exarserunt.* Quia effrenata libido modum servare [Col. 0021D] non novit. *Et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Oportuisse non est veritus dicere Apostolus, ut qui creaturae potius quam Creatori servierunt, *erroris sui mercedem,* non inviti haec turpia patiendo, sed libenter faciendo, *receperunt:* judicio scilicet non alicujus hominis immundissimi quem talia delectarent, sed justissimi Dei qui tradidit illos in passiones

ignominiae, ut crimina criminibus vindicarentur, et supplicia peccantium non sint tormenta, sed incrementa vitiorum. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia.* Non nescierunt, sed minime probaverunt: ille enim probat Deum habere in notitia, qui semper illum praesentem habens, peccare non audet. *Tradidit illos Deus in sensum* [Col. 0022A] *reprobum.* Deus neminem tradit, sed relinquit, nec adjuvat eum qui peccat. *Repletos omni iniquitate et malitia.* Principales causas ostendit esse omnium vitiorum. Joannes Metropolitanus haec dicit: *Iniquitas est generale nomen omnis peccati ab origine;* nam quisquis de aequitate naturae, vel mandatorum Dei labitur, iniquus dicitur: unde iniquitas dicta est, quasi inaequitas: *Malitia vero, quasi major latio:* molitur enim, vel magis vult quam necesse est. *Fornicatio dicta est, quasi formae necatio, per quam forma bona naturalis animae necatur.* Fornicatio autem est a legitimo conjugio foras exire. Impudicitia est peccatum publicum, et perseverans. *Avaritia dicta est quasi ab auro respecta.* Avarus dicitur, quasi avidus auri. *Invidia est odium alienae* [Col. 0022B] felicitatis. *Homicidium est innocentis occisio. Contentio est, ubi non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur;* ubi non tam veritas quaeritur, sed intentio fatigatur. Contentiosus est qui aliquid contra conscientiam suam nititur defensare. *Dolus est occulta malitia, blandis sermonibus adornata. Malignitas est malitiae opus, dicta a male agendo. Susurrones.* Murmuratores non in faciem, sed in aurem loquentes. *Deo odibiles.* Nihil enim est tam odibile Deo quam idololatrae. *Contumeliosi sunt, qui veloces sunt in verbis injuriae. Superbia est amor alienae excellentiae, qui vult supergredi quod est super se. Inventores malorum.* Quia semper superbia excogitat et invenit mala: sicut auctor superbiae per elationem suam invenit sibi malum quod ante [Col. 0022C] non fuerat. *Elatus autem dicitur, qui se jactat super mensuram suam.* Item elati sunt, qui se jactant habere quod non habent. *Parentibus non obedientes.* Veri parentes sunt qui per semen verbi generant in lucem et vitam aeternam. *Insipientes.* Incompositos: Inordinatos. Qui a fonte sapientiae recesserunt, necesse est ut inordinate ferantur. *Sine affectione.* Affectio est adimpletio charitatis. *Sine misericordia.* Quomodo enim aliorum poterunt misereri, qui sibi crudeles sunt.

Tertio invenimus ab Apostolo positum: *Tradidit illos.* Et primae quidem traditionis causas addidit: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum magnificaverunt, etc. Propter* quod, inquit, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, etc.* Secundae traditionis [Col. 0022D] causam videtur praemittere, cum dicit: *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Propter hoc, ait, *tradidit illos Deus in passiones ignominiae:* quae tamen secunda traditio gravioribus flagitiis videtur obnoxia: etenim *feminae, inquit, eorum mutaverunt naturalem usum, etc.* Tertiae quoque traditionis causas videtur dare, cum dicit: *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, etc.* Verum distinctiones istae causarum, non mihi videntur congruere satis ad ea quae singulis quibusque subjecta sunt crimina. Quomodo enim turpioribus traditur flagitiis is qui creatorem deseruit, magis quam ille qui gloriam incorruptibilis Dei mutaverit in similitudinem [Col. 0023A] imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum? Aut quomodo supra utrumque horum, velut examini cuidam traduntur malorum, hi qui *non probaverunt Deum habere in notitia? Magis itaque mihi videntur omnes hae causae quae traditionibus singulis proferuntur, in unum coacervandae, et rursum traditionum species in unum, ut verbi causa ita dicamus: Quod commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem*

imaginis corruptibilis hominis; et, *quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium:* et, *nec probaverunt Deum habere in notitia;* propter haec omnia tradidit eos Deus in desideria cordis eorum; et *tradidit* in passiones ignominiae, et *tradidit illos Deus in reprobum sensum,* ut facerent quae non [Col. 0023B] *conveniunt, qui erant repleti omni iniquitate et malitia, et caeteris quae scripta sunt malis.* In his autem tribus universas impietatis species enumerasse videtur Apostolus, vel eorum qui idola colunt, vel eorum qui creaturae deserviunt potius quam Creatori, sive eorum, qui non probaverunt Deum habere in notitia. In quorum primo titulo promiscue pagani; in alio sapientes eorum et philosophi designantur; puto quod hoc tertio indicentur haeretici, vel creatorem Deum negantes, vel diversas blasphemias in Excelsum loquentes. Certum est autem quod siquidem tradiderit Deus vel in desideria cordis, vel in passiones ignominiae, vel in reprobum sensum, continuo in eo qui traditur seges criminum surgat.

Qui cum justitiam Dei cognorint, non intellexerunt, [Col. 0023C] hoc est, oculos habent et non vident; non enim intellexerunt tales a Deo, etsi non in praesenti, tamen in futuro esse puniendos. *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Sunt quidam qui se reos non putant, si non operentur quae mala sunt, assentiunt autem facientibus. Assentire autem facientibus est, si cum quis possit reprehendere, taceat: ut audiens fabulas, aduletur; et ita est, ut qui fomitem praebent delictis eorum, dignum est ut pari crimine rei habeantur. Sunt item alii qui non solum faciunt mala, sed etiam consentiunt male facientibus: duplex ergo horum nequitia est; illi enim non tam mali sunt qui faciunt, et facientibus contradicunt.

[Col. 0023D]

CAPUT II.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. Quoniam facientem maligna et consentientem facientibus morte dignos ostendit, ne forte is qui facit et non consentit facientibus excusari se posse putaret, docet hujuscemodi inexcusabiles esse propterea, quia non consentiendo facientibus, sed magis judicando illos se in his judicat, quia haec ipse agit quae in illis damnat.

Scimus autem quoniam judicium Dei est secundum veritatem. Hic terrorem incutit, ut quem incuriosum illi dicunt, iste malos secundum veritatem Dei dicat judicaturum, hoc est severissime reddere secundum mensuram uniuscujusque, non parcere. Si enim tu [Col. 0024A] peccator peccatorem tui similem judicas, quanto magis Deus justus te judicabit injustum? *Secundum veritatem.* Humanum enim judicium multis modis corrumpitur, amore, odio, timore, avaritia. Saepe judicum integritas violatur, et contra justitiae regulam interdum misericordia inclinatur. Illud est quod in hoc loco videtur ostendi quia solius Dei sit secundum veritatem judicium. Sunt enim quaedam quae committuntur opere quidem malo, animo autem non malo: ut si quis, verbi causa, homicidium non voluntate commiserit; et alia fiunt opere quidem bono, sed animo non bono: ut si quis misericordiam non pro mandato Dei, sed ut laudetur ab hominibus faciat; alia vero sunt in quibus sive in bono, sive in malo, animus cum opere concordat; et [Col. 0024B] quia corda hominum nosse solius Dei est, et mentis secreta agnoscere,

idcirco ipse solus est qui secundum veritatem potest habere judicium.

Existimas autem, o homo. Hoc est, nunquid tibi examen datum est vel potestas judicandi de malis et stupris, cum eadem agis, et non est qui de te ad praesens judicet? *Effugies judicium Dei.* Non utique in futuro evades. *An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Divitiae bonitatis Dei, quibus bona pro malis dat.* Patientia vero est, qua peccatores impunitos patienter converti tolerat. Longanimitas est, qua longum spatium poenitentiae dat. Divitias bonitatis ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, tamen his Deum producentem solem [Col. 0024C] suum quotidie, et pluvias ministrantem. Sustentatio vero, vel longanimitas, ac patientia in hoc videtur differre, quod qui infirmitate magis quam proposito delinquunt, sustentari dicuntur: qui vero pertinaci mente velut insultant in delictis suis, patienter ferri dicendi sunt. Sed sicut omnia in mensura fecit Deus, et pondere et numero, ita etiam patientiae ejus certa mensura est. *Tu autem secundum duritiam, et impoenitens cor.* Impunitatem sperans peccatorum non solum durat, inconversibilis et incontrectabilis manens, sed adhuc peccat, securus quod non sit ultio futura. Cor durum in Scripturis dici videtur, cum mens humana, velut cera a frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis divinae non recipit. *Thesaurizas tibi iram.* Hujus verbi in Scripturis [Col. 0024D] significantiam triplicem legimus: dicitur enim in Evangelio thesauros esse quosdam in terris, in quo prohibet Dominus thesaurizari; et alios thesauros in coelo jubet fideles recondere; et hic nunc Apostolus dicit irae thesauros. Ira autem Dei nihil aliud quam justa vindicta intelligitur. Crassitudo vero cordis est, ubi subtilis et spiritualis intelligentiae non recipitur sensus. *Qui reddet unicuique secundum opera sua.* Sciendum quod ex Jeremia Apostolus hoc testimonium sumpserit **(Jer. XXV)**. Illud quod in Ezechiele scriptum est, huic sententiae videtur adversari; dicit enim: *Cum avertit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes iniquitates quas fecit iniquus,* omnes justitiae ejus quas fecerit non commemorabuntur [Col. 0025A] *in lapsu ejus, quo lapsus est:* sed in peccatis qui peccavit, in ipsis morietur **(Ezech. XVIII)**. In quo videtur latenter hujusmodi inseruisse intellectum, ut si forte non secundum omnes iniquitates quas fecit iniquus, fecerit justus, non omnes justitiae ejus de memoria auferantur. *His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam.* Boni operis merces per patientiam exspectatur, quod in praesenti vita non redditur; per fidem enim ambulamus, et non per speciem: patientiam autem boni operis in illis esse certum est, qui agones et certamina perferunt. *Gloriam.* Decus formae qua sancti fulgebunt sicut sol. *Honorem.* Filiorum Dei, quo nihil est majus, per quem etiam angelos judicabunt [Col. 0025B] **(Matth. XIII)**. *Incorruptionem.* Vitae scilicet perpetuae. Signanter autem addidit incorruptionem, propter indiscretionem saecularis gloriae atque honoris, qui corruptibilis est.

His autem qui ex contentione sunt. Subaudi, *erit.* In divinis Scripturis aegritudines animae numerantur, sed unus ex caeteris languor est, et animae quidem pessimus. Contentio animae intelligenda est, per quam omne opus pravum geritur, per quam haereses nascuntur, per quam schismata et omnia scandala quae in ecclesiis fiunt: dum videlicet qui apud semetipsos prudentes sunt, et in conspectu suo sapientes, quidquid libuerit pro lege defendunt. *Diffidunt.* Hoc est, non credunt, vel non obediunt, ut

Origenes ait. *Veritati.* Id est, doctrinae evangelicae. [Col. 0025C] *Credunt autem iniquitati.* Hoc est, idololatriae. Ipse cruciatus, qui ex praedicta conscientia animae incutitur, *ira appellatur; indignatio enim ipsius irae tumor quidam est, et per singula quaeque commotio, ut si, verbi gratia, aliquod pessimum vulnus iram ponamus, hujus autem tumor et distentio indignatio vulneris appellatur. Tribulatio vero,* quam subsequitur *angustia, non est similis putanda illi tribulationi, de qua dicit Apostolus:* Quia *tribulatio patientiam operatur* **(Rom. V)**: illa enim talis tribulatio angustiam non habet subsequentem. *In omnem animam.* Anima pro toto homine dicitur, sicut in Genesi legimus Jacob cum septuaginta ex sex animabus Aegyptum introisse. *Gloria autem, etc.* Hic contraria superioribus opponuntur: nam *gloria contra* [Col. 0025D] *iram,* honor est contra *indignationem,* et quod supra *incorruptionem,* hic *pacem appellat.* Sciendum est quod triplex divisio in his sententiis Apostoli claret. Nam veri Christiani cum bonis operibus in primo ordine ponuntur, ubi dicit: *His qui secundum patientiam boni operis, etc.* In secundo vero loco, incredulos et impios absque bonis operibus ex utroque, sive ex Judaico, sive ex gentili populo posuit, dicens: *His autem qui ex contentione, etc.* Tertio autem loco incredulos, cum bonis tamen operibus, ex Gentibus, vel Judaeis collocavit, dicens: *Gloria autem et honor et pax, etc.* Potest enim fieri ut ex his qui in lege sunt, si quis persuasione quidem communi Christo non credit, operetur tamen quod [Col. 0026A] bonum est, justitiam diligat, misericordiam teneat, charitatem et continentiam servet, modestiam lenitatemque custodiat, atque omne opus bonum operetur, hic etiam si vitam non habeat aeternam, qui credens soli Deo vero, non credit filio ejus Jesu Christo quem misit, tamen gloria operum ejus, et honor et pax poterit non perire. Sed et Graecus, id est, gentilis, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, iste licet alienus videatur a vita aeterna, qui non crediderit Christo, et intrare non possit in regna coelorum, qui renatus non est ex aqua et Spiritu sancto, videtur tamen quod per haec quae dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, et honorem, et pacem perdere penitus non possit. Dubitari igitur non puto, [Col. 0026B] quod is qui pro malo opere condemnari meruisset, idem si operatus est opus bonum, remuneratione boni operis dignus habetur. Vides enim dicentem Apostolum: Quia *omnes non stare oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Judaeo primum et Graeco. Semper Judaeum anteponit praerogativa patrum, ut aut coronetur prius, aut damnetur, qui credens propter Abraham honorificatior est, diffidens pejus tractandus est, qui donum promissum patribus refugavit. Vel Judaeo primum dixit, quia prius credita sunt eis eloquia Dei; Graecum quoque subjunxit, propter sapientiam Graecis traditam. *Ira est, non ei qui judicat, sed ei qui judicatur, dum sit reus.* Irasci enim dicitur Deus, ut vindicaturus credatur. [Col. 0026C] Nam Dei natura ab his passionibus immunis est, et ut non solum irasci, sed et vindicare credatur, adjecit, *et indignatio.* Angustiae vero sunt, quibus sententia constrictus tribulabitur in poena. *Quicunque enim sine lege peccaverunt.* Requirendum est utrum de sola Moysi lege intelligendum sit, an de lege Christi, vel etiam de quacunque humana lege, sub qua unumquemque mortalium vivere contingit, quo secundum ipsam judicari possit qui in ea peccat; an qui extra solam Moysi legem, etiamsi aliqua lege vivat, velut extra legem positus, cum peccaverit pereat. Nam ipse apostolus Paulus, cum dicit his qui sine lege erant, se tanquam sine lege esse (cum sine lege Dei non esset, sed in lege esset Christi), ostendit se in lege quidem Moysi non esse, esse tamen [Col. 0026D] in lege Christi. *Per legem judicabuntur.*

Utique qui in lege Christi est, per legem Christi, et qui in lege Moysi per legem Moysi judicabitur, ut pereat. Neque qui sub lege Christi est, quamvis etiam subditus legi Moysi videatur, judicari tamen secundum eam putandus est, cur non sit circumcisus, vel cur sabbatum non servet: quod et si juxta Moysi legem putandus est judicari, secundum hoc quod lex spiritualis est judicabitur. *Hi peribunt et judicabuntur.* Unum voluit intelligi, quia qui perit, per judicium Dei perit, et qui judicatur, peccator perit.

Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Ne quis forte diceret: Legem gentes [Col. 0027A] non habent, ad quam formam poterunt judicari? *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Certum est quod gentes quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt facere, non pro sabbatis, vel neomeniis dicuntur, vel sacrificiis quae in lege scripta sunt: Non enim haec lex in cordibus gentium dicitur esse scripta; sed hoc est quod naturaliter sentire possunt, verbi gratia, ne homicidium, ne adulterium faciant, ne furentur, ne falsum testimonium dicant, ut honorent patrem et matrem, et horum similia. Fortassis et quod Deus unus Creator sit omnium, scriptum in cordibus gentium; magis tamen mihi videntur haec, quae in corde scripta esse dicuntur, evangelicis legibus convenire, ubi cuncta ad naturalem referuntur aequitatem: quid enim naturalibus [Col. 0027B] sensibus proximius, quam ut quae nolunt sibi fieri homines, haec ne faciant aliis? Legi vero Moysi concordare lex naturalis secundum spiritum, non secundum litteram potest: haec autem lex scripta est, non atramento, sed Spiritu Dei vivi. *In cordibus.* Sciendum est autem rationalem animae virtutem cor solere nominari. Opus legis est fides, quia quod mandat lex ultro facit, ut credat in Christum. *Testimonium ipsis reddente conscientia eorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quod ad praesentis vitae cogitationes pertinere videtur, cum quid faciendum, vel non faciendum sit, diutina deliberatione cogitamus, et invicem se cogitationibus accusantibus, quia cogitationes nostrae erunt in die judicii ante oculos nostros, tanquam [Col. 0027C] quaedam historiae cognoscendae, sicut scriptum est: *Arguam te, et statuam illum contra faciem tuam.* Sed notandum est quod hoc in loco schema, quod χρονισμὸς dicitur, elucet, per quam speciem diversa tempora pro aliis temporibus ponuntur; nam participia praesentis temporis pro futuri temporis participiis posuit, dicens: *Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, pro accusaturis ac defensuris.*

In die cum judicabit Dominus occulta hominum. Duae cogitationes in homine se accusabunt invicem, bona et mala: bona accusat malam, quia contradixit veritati; mala iterum accusat bonam, quia non secuta est ut sensit. Rectum judicium Dei quis dubitet, ubi accusatores et defensores adhibentur, et conscientiae testes? Sed sciendum quod non utique [Col. 0027D] illae cogitationes quae tunc nascentur, vel accusabunt animam, vel defendent, sed istae quae nunc sunt in nobis; cum enim, sive bona, sive mala cogitamus, velut in caeteris, ita in corde nostro tam bonarum quam malarum cogitationum notae quaedam et signa relinquentur, quae in occulto nunc pectoris posita, in illa die revelari dicuntur, a nullo alio, nisi ab eo qui solus potest occulta hominum scire: quorum signorum causas non latere Deum, etiam nostra conscientia testabitur; quod judicium secundum evangelium Pauli, hoc est, quod Paulus annuntiat per Jesum Christum fiet: *Pater* enim *neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio.*

Quod autem erat apostoli Pauli evangelium, hoc etiam caeterorum [Col. 0028A] apostolorum, et omnium fidelium dispensatorum tanti sacramenti. Non omnes illi evangelium conscripserunt, sed tamen omnes evangelium praedicaverunt; narratores quippe dictorum, factorum, passionis resurrectionisque Christi, proprie dicti sunt evangelistae.

Si autem tu Judaeus cognominaris. Hinc convertitur ad Judaeos, docens opere, non nomine tantum debere esse Judaeum, eumque esse verum, cujus occulta sint bona. Notandum est quod non dixit: Si tu Judaeus es; sed *Judaeus cognominaris, quia non idem est esse Judaeum, et cognominari Judaeum:* quia vere ille est Judaeus, qui in occulto circumcisus est circumcisione cordis; qui spiritu, non littera legem custodit; cujus laus non ab hominibus, sed ex Deo [Col. 0028B] est. *Et requiescis in lege.* Id est, securus es in lege. *Et gloriaris in Deo.* Gloriaris te solum nosse Deum, ejusque agnoscere voluntatem. *Et probus quae utiliora sunt.* Ita ut non solum quae sint bona scias, verum etiam quae sint meliora et utiliora discernas. *Confidis teipsum esse ducem caecorum.* Quorum obscuratum est lumen in tenebris ignorantiae. *Insipientium eruditorem.* Erudientem rudes, qui sapientiam non habent. *Magistrum infantium.* Id est, parvulorum, aetate vel sensu. *Habentem formam scientiae.* Ad quam semper respiciens errare non possis. *Qui ergo doces alium, teipsum non doces.* Similiter et gentibus dixerat: *Qui enim alium judicas, teipsum condemnas.* Qui in lege quiescis, o Judaee, cur transgrederis legem? Qui gloriaris in Deo, [Col. 0028C] quare inhonoras Deum, dum testimonium ejus quod dedit Filio suo, non recipis? Ipse enim dixit: *Hic est Filius meus dilectus* **(Matth. III)**. Qui nosti voluntatem ejus, quare non obtemperas voluntati? *Qui probas utiliora, quare inutilia sectaris? Dux caecorum, quomodo viam non vides rectam? si enim videres per ipsam utique ambulares.* Si lumen es aliorum, quare non abjicis opera tenebrarum? *Eruditor insipientium, ut quid timorem Domini, qui est initium sapientiae, reliquisti? Magister infantium, quomodo puer es sensu? Qui habes formam scientiae, et veritatis in lege, quare nec ipse sequeris, nec alios pessimo exemplo perimis? Et qui praedicas non furandum, tu adventum et praesentiam Christi, qui in universo mundo effulsit, furaris. Moecharis.* [Col. 0028D] Non est autem una moecha; nam totum quod debet Deo anima, si alicui praeter Deum reddiderit, moechatur. *Qui negas moechandum.* Tam grave adulterium committis, ut adulterum sensum litterae introducas ad synagogam, et collocas eam cum legis littera quae foris est, cum scriptum de ea legas: *Quia omnis gloria filiae regis intrinsecus.* Qui abominaris idola, sacrilegium committis. Verum Dei templum, quod est Christus Jesus, violans; solvistis enim templum quod in tribus diebus resuscitandum est his qui credunt. Sed et qui ex lege et prophetis sermonem Christum pronuntiantem furatur, et occultat ne populus audiat, et credat, sacrilegium committit, et vere templum Dei violat; item quoque hic qui [Col. 0029A] cognominatur Judaeus, et gloriatur in littera legis Moysi, praevaricator legis arguitur cum non credit Christo. Sacrilegium est quod proprie in Deum committitur, quasi sacrosancti violatio. Per istos ergo tales qui dicuntur Judaei et non sunt, nomen Dei blasphematur inter gentes, non solum pro operibus eorum pessimis, sed et propter humilem et dejectam intelligentiam quam habent in lege et prophetis: ridicula etiam in ipsis gentibus fiunt, cum legis litteram sequentes dicunt: Ne tetigeris, ne gustaveris, ne contaminaveris.

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Hoc ideo dixit Isaias, quia nomen Dei blasphematur inter gentes, non solum pro operibus eorum pessimis, sed quando Judaeos pro obnoxiis suis tradendos [Col. 0029B] non advertebant, sed idolis suis dabant glorias, quasi qui Judaeorum Deum vicissent in Judaeis; et tempore apostolorum Dei nomen blasphemabatur in Christo, quia credentibus gentibus Judaei suadere nitebantur Christum non dicendum Deum, ut blasphemia gentium ab Judaeis auctoribus sit profecta. *Sicut scriptum est.* Praeposterato ordine ante posuit testimonium quam diceret scriptum: ita enim dicentis sermo dilapsus est, ut quod ex propria intentione dicebat, eodem sensu scriptum in propheta reperiret. Sciendum est haec apostolum per ironiam dicere ad Judaeos; neque enim vere requiescit in lege, et gloriatur in Deo, et probat utiliora haec quae enumerat. Possunt tamen haec eadem haereticis aptari; ipsi enim Christiani nominantur, et nonnulli [Col. 0029C] eorum, lege instructi, doctores se esse caecorum et magistros infantium se esse profitentur, probantes utiliora quae latere ab ecclesiasticis dicunt. Sed isti quoniam furantur verba et intellectum eorum perversa expositione usurpant, adulterum fidei sensum ad sponsam Ecclesiam Christi in regios thalamos inducunt. Recte ad eos dicitur: *Qui praedicas non furandum, furaris;* qui dicis non moechandum, moecharis; et qui abominaris idola, sacrilegium committis, pretiosa vasa de templo Dei, id est, verae fidei margaritas de Scripturis sanctis furantes. Per quos et nomen Dei blasphematur inter gentes, dum casta et honesta Ecclesiae Dei dogmata corruptis ac turpibus maculant haereticae pravitatis erroribus.

Circumcisio quidem prodest, si legem custodias. In [Col. 0029D] Genesi scriptum primo de circumcisione mandatum, cum responsa darentur ad Abraham, hoc modo: *Et dixit Dominus ad Abraham:* Tu autem testamentum meum servabis, et omne genus tuum post te in generationes tuas; et hoc est testamentum quod disposui inter me et vos: Circumcidetur omne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, et erit in signo testamenti inter me et vos; et puer octavo die circumcidetur in vobis; omnis masculus in generationibus vestris, vernaculus et pecunia emptus, ab omnibus filiis alienigenarum, et qui non est ex semine tuo, circumcidetur: et erit testamentum meum super carnem vestram. Masculus, qui non fuerit circumcisus in carne praeputii sui die octava, exterminabitur [Col. 0030A] *ille de genere suo, quia testamentum Dei dissipavit* **(Gen. XVII)**. Non nos tamen latere debet quod in aliis exemplaribus non habemus positum, *octava die.* Item in Levitico scriptum est: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens:* Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier quaecunque susceperit semen, et pepererit masculum, immunda erit septem diebus secundum dies purgationis ejus immunda erit, et die octava circumcidetur caro praeputii ejus, et triginta diebus sedebit in sanguine suo immunda. Nec dubitari de hoc potest quod non solum semen Abrahae et vernaculus servus domi genitus, praecepto gentis illius, et pecunia emptus ab alienigenis circumcidebatur, sed quicunque cum Judaeis judaice pascha fecerat, circumcidi debebat. Hactenus nobis de circumcisione [Col. 0030B] carnali pro viribus dictum sit. Age jam secundum eam quae dicit quia lex spiritualis est, quid etiam allegoricis legibus de ea sentiendum sit videamus. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes:* si autem praevaricator legis sis, etc. Circumcisio est ex genitali membro, per quod successio humani generis et carnalis propago ministratur, amputare aliquam partem: per hoc ergo judicari figuraliter reor, amputandum esse ab anima, si qua illi ex consortio carnis adhaeret impuritas, si qui eam libidinis malesuadae sensus

obtexit. Quid autem esset absurdi, si ad discretionem caeterarum gentium, populus qui sub lege Dei instituebatur, proprium aliquod gestaret insigne. Et si necessaria visa est partis alicujus amputatio, quid tam conveniens fuit, [Col. 0030C] quam eam invenire quae videbatur obscena, et illa auferre, quorum diminutio nihil ad officium corporis impediret? Quod vero quidam dicunt, quia si necessaria non erat pars illa membri, fieri a creatore non debuit: si autem necessaria facta est, non debet auferri, interrogemus eos et nos, si necessariam dicunt filiorum procreationem. Necessariam sine dubio respondebunt. Erunt ergo culpabiles, qui continentiae et virginitatis obtentu, necessaria naturae non ministrant, et erunt cogendi ad nuptias omnes qui secundum Evangelii leges *semetipsos castraverunt propter regnum Dei.* In summa vero dicendum est, quod sicut multa necessaria erant baptismata ante baptismum Christi; et multae purificationes, antequam purificatio per Spiritum sanctum [Col. 0030D] fieret; et multae hostiae, antequam una hostia, agnus immaculatus, semetipsum patri offerret hostiam Christus: ita etiam multis circumcisionibus opus fuit, usquequo una in Christo circumcisio omnibus traderetur; et multorum sanguinis effusio praecessit, usquequo per unius sanguinem omnium redemptio fieret. Quod autem octava die circumcisio dabatur, illud designari arbitror quod praesenti quidem saeculo septimana deputata est. Octavus autem dies futuri saeculi mysterium tenet; illorum ergo est circumcisio spiritualis, qui futuro saeculo militant in quo neque nubent, neque nubentur, et quorum in terris ambulantium in coelis est conversatio. Sciendum est secundum allegoriam duo genera esse circumcisionum: [Col. 0031A] cordis circumcisio est, nihil sordidum, nihil indignum sentire de fide; carnis circumcisio est, nihil immundum, nihil contaminatum in opere gestisque committere, secundum Ezechielem qui dicit: *Omnis filius alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non intrabit in sancta mea* **(Ezech. XLIV)**. Jeremias ait: *Ecce circumcisae sunt aures vestrae* **(Jerem. VI)**, hoc est, ne recipiant obtrectationem. Hoc autem modo et incircumcisus labiis dicitur, qui non circumciderit blasphemiam, scurrilitatem, turpiloquium de ore suo, qui non posuerit custodiam ori suo, et ostium circumstantiae labiis suis, qui non etiam a verbo otioso circumciderit os suum. Incircumcisus praeputio carnis suae dicitur is qui erga naturalem coitum immoderatius et intemperantius [Col. 0031B] effluit. Jesus filius Nave, ex praecepto Domini filios Israel secundo circumcidisse cultris saxeis memoratur, quod utique quantum ad litteram spectat, impossibile factu videtur; semel enim circumcisus in carne praeputii, quid invenire possit secundo circumcisio quod auferret? Sed hanc difficultatem melius quidam explanat dicens: Verum de circumcisione quia sermo est libet inquirere quare Moyses ipse, qui legem circumcisionis patribus a Deo datam et sibi toties inculcatam refert, toto ducatus sui tempore neminem circumcidi voluerit, praeter unum solummodo filium suum Gersam, quem mater Sephora arrepta petra acutissima, ne a Domino feriretur, circumcidit? Si omnes qui in eremo nati sunt a Josue circumcidendos reliquerit, morem [Col. 0031C] videlicet divinitus imperatum, quadringentis et sex annis observatum, annis quadraginta continuis intermittens, nequaquam hoc frustra, sed magno mysterio hoc factum crediderim. Moyses enim circumcisionem praedicat, sed Josue perficit. Quia *lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est, nihilque proderit littera jubens, nisi adfuerit gratia juvans.* Omnibus itaque nostris gratia Salvatoris vitiis tunc in nobis completur, quod in Jesu Nave scriptum est: *Hodie a vobis abstulit opprobrium Aegypti.* Opprobria namque Aegypti secum fert is qui in Ecclesia positus et sub Jesu duce militans, Aegyptios mores

et motus animi barbaros non amputat. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* Quae sit circumcisio quam prodesse [Col. 0031D] dicit, vel quae lex custodiatur? Haec, ut opinor, est circumcisio quam prodesse dicit Apostolus, si legem litterae, cujus et circumcisionem [circumcisio est] in carne, non recipit, sed legem spiritus, secundum quam circumciditur corde. *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat* **(II Cor. III)**, quia et lex Dei non refertur atramento scripta, sed digito Dei, qui est spiritus ejus, et non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Verum potest nobis objici, quod si ista circumcisio non alia intelligitur quam animi purgatio et abjectio vitiorum, quomodo addit adhuc, ita prodesse hujusmodi circumcisionem, si legem custodias, cum haec ipsa circumcisio, nisi ex legis observantia fieri non videatur? Sed intuere, ne forte [Col. 0032A] abscindere vitia et cessare a malis circumcisionem significet: agereque quae bona sunt et efficere quae perfecta sunt, custodire sit legem; neque enim in eo perfectio est si cessetur a malo, sed in eo si agantur bona, juxta Psalmographum, qui ait: *Declina a malo, et fac bonum* **(Psal. XXXVI)**. Verum considera si possit hoc in loco et ille intellectus admitti, ut dicatur etiam post adventum Christi carnalis circumcisio, quae ex lege observabatur, prodesse aliquid custodientibus legem, secundum hoc quod initio fidei nostrae adhuc a credentibus observabatur, ut in Actibus apostolorum docetur, vel Petrus in discretione ciborum, vel Paulus in sacrificiis purgationis fecisse. Sed illud attendendum est quod ad Galatas scribens, ait: *Si circumcidamini,* Christus [Col. 0032B] *vobis nihil proderit* **(Galat. V)**. Quod ita est intelligendum, quod nihil prodest circumcisio his qui ex ea putant aliquid justificationis assumi, prodest autem his qui putant sibi ad Christum veniendum non esse si eis circumcidere filios vitaretur. Erant enim nonnulli in initiis qui circumcisionem velut insigne vernaculum gentis suae nimio amore servarent, et impediri videbantur a fide, si hoc eis vitaretur quo carere non poterant. *Circumcisio quidem prodest.* Potest dici e contra: Si prodest, cur praetermittitur? Sed prodest, si legem custodias; tenenda igitur circumcisio est, et ut possit prodesse, servanda est lex. Circumcisionem pro genere posuit Abraham, quia ex Abraham circumcisio: hoc enim ait, ut doceat tunc prodesse generi Abraham, si lex servetur, [Col. 0032C] id est, si in Christo credatur, qui promissus est Abrahae: si autem quis non credit in Christum, transgressor est legis.

Si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est. Hoc est, gentili similis factus es, non credens in eum qui signo circumcisionis filius promissus est Abrahae. Illud observandum est, quod cum dixisset, *circumcisio quidem prodest, si legem custodias, non addit:* Si autem non custodias, sicut consequens videatur; sed ait: *Si autem praevaricator sis legis.* In quo aliud ostendit esse non custodire legem, aliud praevaricari legem, nam et Paulus ipse non semper legem custodit, nunquam tamen praevaricator est legis. Custodit ergo legem is qui secundum litteram custodit; et is praevaricatur eam, [Col. 0032D] qui spiritalem ejus non tenet sensum. *Si, ergo inquit, praevaricator sis legis,* non agendo quae bona sunt, *circumcisio tua praeputium facta est, dum et hoc tibi, quod abstinere a malo visus es, opera fidei et justitiae non agenti, ad infidelitatem reputatur.* Neque enim possibile est alicui carnalem circumcisionem rursus in praeputium verti, cum utique abscisa caro praeputii ultra redire non possit. Dignum est ergo et evidenter intelligitur, quod continentia mali operis quae per circumcisionem significatur, si opera fidei non habeat, ad immunditiam reputetur.

Si igitur praeputium justitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur? Justitia moralis loco est legis. Lex enim generale vocabulum: [Col. 0033A] justitia vero legis pars est. Continet enim lex justitias, et judicia, et mandata, et justificationes, aliasque quam plurimas species. Et bene addit *legem perficiens:* ille enim qui secundum litteram vivit, custodire dicitur legem; iste autem qui secundum spiritum, perficere: custodit autem legem carnalis Judaeus, perficit autem spiritualis, et qui in occulto Judaeus est. *Et judicabit te, quae ex natura est.* Credens gentilis, duce natura in Christum, condemnabit Judaeum, cui lex promiserat Christum, et adventum Dei credere noluit. *Qui per litteram et circumcisionem praevaricator legis es.* Sive dum litterae circumcisionem sectaris, circumcisionem spiritus accipere dedignaris: sive non sequendo quod lex dixit, hoc est, ut Christo credens veram circumcisionem [Col. 0033B] acciperes cordis, de qua scriptum in lege: *In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum, et seminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum* **(Deut. XXX)**. Et iterum: *Circumcidite vos Deo vestro* **(Deut. X)**. Et Jeremias: *Circumcidite praeputium cordis vestri* **(Jerem. IV)**. Item Moyses ait: *Circumcidetis duritiam cordis vestri.* Circumcidere cor, sublata nebula ignorantiae, agnoscere est auctorem. Quod autem in tali membro circumcidebantur, haec causa est prima, ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe, quod publice videretur; item propter gratiae promissionem, in qua erat per castitatem placendum. *Cui laus non ex hominibus.* Hoc est, qui non possunt inspicere spiritualem circumcisionem. *Quid ergo amplius Judaeo? Videtur sermo apostolicus in* [Col. 0033C] dialecticam incurrisse rationem; neque hoc mirandum: nam, ut beatus Hieronymus ait, quidquid in saeculo dogmatum perversorum est, quidquid ad terrenam scientiam pertinet, et putatur esse robustum, hoc dialectica arte subvertitur, et instar incendii in cineres favillasque dissolvitur, ut probetur nihili, quod putabatur esse fortissimum. Est autem dialectica cognomento logica, quae disputationibus subtilissimis ac brevibus, vera sequestrat a falsis, cujus disciplinae veracissimis disputationibus saepe Apostolus proponit, assumit, confirmat atque concludit, quae species proprie artis dialecticae atque rhetoricae sunt. Sed dicit aliquis: Nec partes ipsae syllogismorum, nec nomina schematum, nec alia hujuscemodi ullatenus inveniuntur in Apostolo. Inveniuntur [Col. 0033D] plane, non efflatione verborum, sed in virtute sensuum. Sicut enim vina in vitibus, messes in semine, frondes in radicibus, nucleos contemplamur in nucibus, sic et de profundissima abysso, deliciosus piscis attingitur, qui ante captionem suam humanis oculis non apparet. Merito ergo dicimus esse, quod nihilominus in virtute sentimus.

CAPUT III.

Quid ergo amplius Judaeo est? Quantum igitur datur intelligi, in hac apostolica dissertione duae species principaliter eminent, quae Graece πεῦσις et ἀπόκρισις, Latine percunctatio et responsio appellantur: πεῦσις quidem in eo quod proponit, dicens: *Quid ergo Judaeo amplius est, aut quae utilitas circumcisionis?* [Col. 0034A] Dehinc tertio loco objectionem, quae ab adversario praecedenti responsioni objici poterat, per peusin proponit, perque apocrisin mira brevitate refutat, dicens: *Absit.* Cujus brevissimae responsionis, invincibilem confirmationem subintulit, dicens: *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Sed ut ipsa confirmatio robustissima videretur, Davidicam

subjunxit sententiam, sicut scriptum est: *Ut justificeris in sermonibus tuis* **(Psal. L)**. Et haec quidem quantum ad ordinem sententiarum. Apostolicae disputationis profundius interiores medullas perscrutanti, non in prolatione verborum, sed in virtute sensuum duo principalia syllogismorum genera, cathegoricus videlicet, atque hypotheticus syllogismus, quasi duo deliciosi pisces, sponte sese [Col. 0034B] mentis obtutibus offerunt. Itaque cathegoricum syllogismum hoc modo conteximus: Omnis veracis fidem nullius incredulitas evacuabit; Deus autem verax est: Dei igitur fidem nullius incredulitas evacuabit. Vel hoc modo: Absit, ut omnis veracis fidem aliquorum incredulitas evacuet; Deus autem verax est: absit itaque ut Dei fidem aliquorum incredulitas evacuet. Item hypothetici syllogismi nexilitas hoc ordine contexatur: Si Deus verax est, aliquorum incredulitas fidem Dei non evacuabit. Non est itaque dubitandum quod in apostolicis dictis, velut in profundissima abysso disputatoriae disciplinae, tales suavissimi pisces tranare non desinant, quos amatores sapientiae gratissimae mentis hamo capiunt. O mirabilis profunditas! O mellea fluenta, [Col. 0034C] Hyblaeo nectare dulciora! O novum saporem ex paradisiacis fontibus coelestis Hierosolymae terrigenis allatum! O lac parvulorum, solidum sapientium cibum, medelam aegrorum, mensamque refertam omni copia bonorum! His praegustatis, nunc ad singula exponenda recurramus

In hoc Paulus velut arbiter quidam inter Judaeos residens et Graecos, id est, inter eos qui de gentibus credunt, sive de promissionibus memorat, sive de poenis, ad utrumque populum dividit verbum. Verbi gratia, cum dicit: *His autem qui ex contentione sunt, qui diffidunt veritati;* credentibus autem iniquitati, ira, et indignatio, tribulatio, et angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Judaei primum et Graeci. De [Col. 0034D] promissionibus vero subjungit: *Gloria autem et honor et pax, omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco.* Rursus de gentibus dicere videtur: *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Et iterum de circumcisis: *Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Rursus vero gentes elevans, dicit: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt, hujusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus, etc.* Et ne videatur nimius esse in increpationibus Judaeorum dicit: *Circumcisio prodest, si legem custodiat.* Sed iterum ne erigat eos qui nimium in circumcisione gloriantur: addidit: *Si autem praevaricator legis,* circumcisio tua [Col. 0035A] *praeputium facta est.* Ut autem paululum eorum qui ex gentibus credunt, animos allevaret, subjungit: *Si autem praeputium justitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur? Atque gentes, si legem perfectius servarent, meliores effici Judaeis, dicit: Et judicabit id quod ex natura est praeputium, legem perficiens, te, qui per litteram et circumcisionem praevaricator legis es.* Verum quoniam sciebat multas in lege et prophetis repromissiones, quae ad Judaeos fieri videntur, ne possent desperare gentes, tanquam qui nihil in conscriptis repromissionibus habeant, docet eos quod secundum mysticam rationem etiam ipsi Judaei sint, et habeant circumcisionem: ideo dicit: *Non enim qui in manifesto Judaeus est, etc.* Rursum velut querelis eorum [Col. 0035B] qui ex circumcisione sunt, occurrens, proponit sibi ipsi haec quae in praesenti capitulo continentur, dicens: *Quid ergo amplius est Judaeo? Si ergo, inquit, is qui in manifesto Judaeus est, et quae manifeste in carne est circumcisio, non reputabitur, sed qui in occulto Judaeus est:* et circumcisio cordis, quae fit spiritu, ipsa est vera circumcisio, dices mihi, quid amplius est in his Judaeus, qui hac appellatione censentur? vel quae in

corruptibili circumcisione habetur utilitas? ac ut videatur inter utrumque populum justus arbiter residere, pronuntiat quid amplius habeat Judaeus, et ea quae in carne est circumcisio: dicit eos habere amplius multum per omnem modum. Quid autem multo sit amplius, subjungitur. *Primo igitur, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Quid hoc? nonne [Col. 0035C] et gentibus nunc creduntur eloquia? Sed illis, ait, primo sunt credita. Require tamen quid est quod dicitur, primum eis credita sunt eloquia Dei, utrumne de litteris hoc dicat et libris, an de sensu intelligentiae legis? Considerandum est quia non dixit: litteras esse creditas, sed eloquia Dei: via vobis datur intelligendi, quia his qui legunt, et non intelligunt, et non credunt, littera sola sit credita, illa de qua dicit Apostolus: *Littera occidit.* Eloquia autem illis sunt credita, qui intelligentes, et credentes his quae Moyses scripsit, credunt, et Christo, sicut Dominus dixit: Quia *si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi* **(Joan. V)**. An et ipsis, qui ex gentibus veniunt ad Christum, est ubi habeant aliquod amplius? Audi Dominum dicentem ad centurionem ex gentibus [Col. 0035D] credentem: *Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni* **(Matth. VIII)**. Vide ergo ubi venitur ad fidem, quanto amplius habeant gentes? Quanquam sunt, quae ad honorem et meritum pertinent seminis Abrahae: hoc tamen solum aperte memorat Apostolus, quia maxime laudis eorum, est, ut legem, per quam discerent rectum a perverso distinguere, digni judicarentur accipere.

Quid enim, si quidam eorum non crediderunt, nunquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Non, inquit, quia quidam eorum credere noluerunt quae promisit Deus filiis Abrahae, idcirco praejudicabitur caeteris Judaeis credentibus ne digni judicentur accipere quod promisit Deus. Absit. Quippe cum sic facta [Col. 0036A] est promissio, ut credentibus proficeret. Ubi Apostolus infit, *absit, ibi breviter commendatur veritas. Fidem Dei.* Hoc est, fidem promissorum Abrahae, cui dictum est: *Quia in semine tuo benedicentur omnes tribus terrae* **(Gen. XXII)**. *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est.* Quia ergo omni homo mendax, propterea Judaeorum quidam, ut homines mendaces, non crediderunt. Fiat autem Deus verax. Ita enim in Graecis exemplaribus invenitur. *Omnis homo mendax.* Igitur Paulus et David, qui homines erant, mendaces fuerunt, falsumque erit quod dixerunt? Hos ergo ad quos sermo Dei fit Dominus in Evangelio non homines, sed deos pronuntiat. Quia ergo et ad David, tanquam prophetam, et ad Paulum, tanquam apostolum sermo Dei factus [Col. 0036B] est, sine dubio non erant homines, sed dii. Quomodo autem dicit, *tibi soli peccavi, cum utique et in ipsum Uriam peccavit, et in propinquos ejus, sed et in ipsam Bersabee, atque omnem domum ejus, cum intulisset maculam, videlicet adulterii?* Ideo *tibi soli peccavi, et malum coram te feci, quia caeteri omnes, ut pote animales homines, me qui spiritualis sum,* etiam si erravi, dijudicare non possunt, quia *spiritualis judicat omnia, ipse a nemine judicatur* **(I Cor. II)**. Sed quia addit Paulus spiritualis, et dicit: *Qui autem judicat me, Dominus est, hoc sciens et David, quia solus Dominus est, qui spiritualem dijudicat, idcirco dicit: Tibi soli peccavi, a quo solo possum dijudicari:* Nam humana dies dijudicare non potest spiritualem. Sed quod sequitur ad hunc respicit sensum. [Col. 0036C] *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Judicatur namque Deus in disputationibus sapientium, dum alii hoc modo, alii alio modo, et diverse sentiunt de Deo. Ipse ergo vincit eos qui de se judicant, cum errantibus cunctis de se, quomodo vel qualiter credendus ac venerandus sit, revelat ipse sententiam. *Est enim Deus verax.* In Job hujus est exemplum: Deus itaque

est verax, apud quem quod factum est immutabile perseverat, sicut dicit: *Ego sum, et non immutor:* Hominis est enim falli, quem tempora et causae faciunt esse mutabilem, per id quod praesentiam Dei non habeat. Omnem autem hominem mendacem dicit, et verum dicit; natura enim, quae fallitur, non absurde dicitur mendax. Aliquando itaque studio, aliquando errore mendax dicitur. [Col. 0036D] *Ut justificeris in sermonibus tuis.* Deum justum in promissis et verbis suis propheticus sermo testatur, nec aliquorum perfidia fidem ejus minui, sed dando vincere, quod perfidi non credentes negant eum daturum. Dabit ergo quod judicatur non daturus, ut vincat, faciendo quod negatur facturus. Aliter *tibi soli peccavi, cogitando videlicet flagitiosum facinus perpetrare. Tibi itaque perverse cogitando soli peccavi, qui solus secretas hominum cogitationes nosti.* Sequitur: *Et malum coram te feci.* Duplex facinus in opere perpetrando, adulterium scilicet atque homicidium. In quo notandum quod non ait: Et malum coram te solo feci: quippe cum illud adulterium, et homicidium, etiam coram hominibus factum [Col. 0037A] est. Hoc testimonium pars adversa ita proposuit, quasi dixerit David: Propterea ego peccavi ut tu justus appareas me judicando. Sed verus sensus sic se habet: quia promiserat se Deus sine personarum acceptione in peccantibus vindicare, quidam ejus patientiam mendacium judicabant. Cum judicatur ergo, vincit, quando eorum facta punit, in quibus nemo putaverat vindicari. *Si enim injustitia nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Venientem e latere quaestionem, more suo proponit et solvit.* Aliquando etiam ad cohaerentem disputationem transit, et juxta morem suum, quidquid alius objicere potest, antequam objiciatur, edisserit. Quidam enim superiorem prophetiae sententiam ita perverse interpretabantur, quasi David dixerit: Propterea ego [Col. 0037B] peccavi ut tua, o Deus, justitia, dum meae iniquitati collata fuerit, magis clarescat. Ad gloriam itaque justitiae tuae mea proficit injustitia. Quem sensum Apostolus arte dialectica subvertit. Injustus videbitur Deus, qui iram hominibus inferat, cum per hominum injustitiam suam [justitiam] videat approbari.

Si nostra. Hoc est hominum injustitia. *Justitiam Dei commendat.* Non utique poena digni homines videbuntur, per quos justitia Dei probabilior videtur et clarior. Ubi mihi hypothetici syllogismi formula elucescit, ut sit ita ordinata nexilitas syllogismi: Si injustitia nostra justitiam Dei commendat, iniquus est Deus qui infert iram. Absit autem ut iniquus sit Deus qui infert iram; non igitur injustitia nostra Dei justitiam commendat, hoc est, quasi indigeret [Col. 0037C] Deus nostra injustitia: non quod ipsi hoc dicerent sed quod ex illorum perversitate consequenter infertur. *Secundum hominem dico.* Ut iniquus Deus dicatur, non secundum Deum neque secundum Dei sapientiam illud dicitur, sed secundum hominem; et secundum hoc quod dicitur: *Omnis homo mendax.* Absit autem, inquit, ut hoc ita recipiamus, iniquum videri Deum qui infert iram adversum homines: quomodo enim justus putabitur, qui judicat mundum, cum ipso nomine judicis ostendatur nihil sine judicio facere? Ubi enim judicium est, constat esse justitiam. A justitia namque et judex et judicium nominantur. Item: *Si autem iniquitas nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Hoc juxta sensum prophetae David subjecit Apostolus:* David [Col. 0037D] enim quando peccaverat causa Uriae Cethaei, sciens quod promissio peccantibus dari non potest, exorat ut justificatio verborum Dei vincat judicium, quo judicantur ii qui peccant, et poenitentem reformat sanctificans, ut det eis quod justis se daturum promisit. Ac propter hoc subjecit: *Si enim injustitia nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Id est, si quia nos peccatores sumus, Deus*

justificatur, iniquus erit si vindicet: Absit, ait, *secundum hominem dico, hoc est, hic sensus homini convenit, non Deo:* quia non cadit in Deum ut iniquus sit, sed in hominem: nam si injustitia nostra ei proficeret, sine dubio iniquus esset si damnaret peccantes: quia injustitia nostra Deum facit injustum, si peccantibus [Col. 0038A] nobis det quod promisit sanctis, dicens: Quia quamvis peccatores sumus, reformamur tamen per poenitentiam, ut non jam peccatores, sed abluti promissionem accipere mereamur. Non ergo hic sensus est in verbis prophetae David, cum dicit: *Tibi soli peccavi, etc.* Quia malorum hominum prava interpretatione asseritur, ut peccata hominum, et mali actus Dei justificationi proficiant, et per mala nostra illum justum ostendant. Sed hoc absit: non enim vult nos peccare: ideoque justus est si infert iram. Sequitur. *Alioqui.* Hoc est, quod si aliter, id est, si iniquitas a Deo non abest. *Quomodo judicabit Deus hunc mundum.* In hoc loco, mundum, homines qui in hoc mundo sunt, dicit. Iterum mihi syllogistica connexio in hoc loco arridet, sic: Si, Deus iniquus est, non judicabit [Col. 0038B] hunc mundum: atqui Deus judicabit hunc mundum non igitur Deus iniquus est. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor? Item hypothetici syllogismi formula hac in parte resplendet, ut sit hoc modo nexillis ratiocinatio: Si veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator judicor:* atqui ego tanquam peccator judicor, non itaque veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius. Sed in superficie apostolicae assertionis enthymemata, hoc est, imperfecti syllogismi apparent: in profunditate vero sensuum plena vis syllogismorum latet: sic enim vina in vitibus, nucleos contemplamur in nucibus. *Et non, sicut blasphemamur.* Utquid me ita [Col. 0038C] Deus judicat quasi peccantem, et non potius me judicat quasi ad gloriam ipsius recte agentem? *Sicut quidam aiunt nos dicere.* Quod quanto majora mala faciamus, tanto majora bona recipiemus hoc est, unde quaestionem sibi fecit Apostolus: a perversis enim hoc opponebatur, quasi hic esset sensus praedicantium remissionem peccatorum, ut facerent mala, et venirent bona: hoc est, peccarent, ut remittendo illis Deus videretur bonus, secundum quod supradictum est, quod blasphemiam appellat. Hoc autem fortassis ideo dicebant quia non intellexerunt quod Apostolus dicebat: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Quorum damnatio justa est. Horum qui aemulatione invidi istud de nobis interpretantur, damnatio justa est. *Quid ergo amplius praecellimus* [Col. 0038D] *eos? Adhaeret ista sententia superiori, qua ait: Quid ergo amplius est Judaeo? Nos itaque qui sumus Judaei peccatores, in quo amplius praecellimus gentes? quamvis nobis sint credita eloquia Dei, quibus praevaricatores legis esse convincimur:* Non enim ipsa salvant, sed reos convincunt. Ergo reddita ratione quod lex contempta non prosit, et quod carnalis circumcisionis praerogativa, multis operibus freta, vana sit, quasi interrogat quid amplius habeat Judaeus ex cujus persona respondetur. *Multum per omnem modum.* Nam si ipsius Apostoli sensus est, *multum per omnem modum, quomodo postea contravenit dicens: Si autem iniquitas nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Postremo,* quomodo Judaeos nihil amplius [Col. 0039A] habere confirmat, si hic multum habere commemorat? *Causati enim sumus.* Hoc est, certis causis ostendimus. In hac Epistola Paulus velut arbiter quidam inter Judaeos et gentes residet. Probavit ergo, Graecos quidem, id est gentiles, esse sub peccato cum ait: *Dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, etc.* Judaeos vero, cum dicit: *Si autem tu Judaeus cognominaris, et requiescis in lege, etc. Sicut scriptum est quia non est justus quisquam, etc.* Hi octo

versus neque apud Hebraeos, neque apud quemquam reperiuntur interpretum, neque apud ipsos qui LXX editionem habent vulgatam: et quaeritur a quibusdam cur Apostolus ad Romanos horum facit memoriam; nescientibus de diversis Scripturarum locis, et maxime [Col. 0039B] Psalmorum hos esse textus, et apostolum Paulum in divinis Scripturis eruditissimum, quod volebat exprimere, hinc inde singulos vel binos versiculos texuisse: sicut omnis pene ad Romanos Epistola de veteri structa est Instrumento, sic et hoc testimonium de Psalmis et Isaia contextum est. Nam duo primi versus: *Sepulcrum patens est guttur eorum:* Linguis suis dolose agebant quinti psalmi sunt. Illud autem quod sequitur: *Venenum aspidum sub labiis eorum, CXXXIX psalmi est.* Rursumque quod dicitur: *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, de nono psalmo sumptum est.* Tres autem versiculos qui sequuntur: *Veloces* pedes eorum, usque, *non cognoverunt, in Isaia propheta reperi.* Ultimus autem versus, id est octavus, *Non est timor Dei ante oculos* [Col. 0039C] *eorum, in XXXV psalmi principio est.* Illud etiam necessario ducimus admonendum, quod in nonnullis exemplaribus ea quae subsequuntur, ex integro inveniuntur posita. In Graecis autem pene omnibus non amplius in XIII psalmo quam usque ad illum versiculum scriptum est: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sed quod dixit Apostolus, *quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, non eisdem sermonibus invenietur in psalmo, sed alii permutantur, alii assumuntur, alii relinquuntur, diligentius puto inchoari apostolicam auctoritatem, ut cum Scripturae testimoniis utendum fuerit, sensum magis ex ea quam verba capiamus:* hoc etenim in Evangeliis factum frequenter invenies. In tertio decimo igitur psalmo ita scriptum [Col. 0039D] est: *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, aut requirens Deum.* Et videtur idem sensus servari etiam in eo quod Apostolus posuit: *Non est intelligens, non est requirens Deum.* Et quod dixerit: *Non est justus quisquam, puto, ex eo sumpserit ubi scriptum est: Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* In quo etiam si sermo videtur converti, sensus tamen unus servatur. *Non est justus quisquam.* Ac si diceret: *Non est qui faciat bonum, qui idem sensus est, licet dissimilia verba sint.* Explanari autem potest quod dixit: *Non est justus quisquam, vel quod ait: Non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens, quia donec quis vivit in corpore isto,* plene justificari [Col. 0040A] non potest: sed cum exierit de corpore, et de vitae hujus agone discesserit. Unde Ecclesiastes ait (cap. IV): *Et laudavi omnes defunctos qui mortui sunt magis quam vivos qui adhuc vivunt, sed melior super utrosque qui nondum natus est,* quia quicunque minor est in regno Dei, *major est eo, qui in corpore est.*

Non est intelligens, non est requirens Deum. Quia non intelligit, non requirit; sive ideo non intelligit, quia non requirit, Deus autem quaeritur, cum ejus voluntas inquiritur. *Omnes declinaverunt.* Non dicitur declinasse, nisi is qui aliquando in via recta stetit, naturae rationalis opus a Deo factum est, sed qui ab hac ad laevum peccati iter detorsit, merito nunc dicitur declinasse, sicut Adam de [Col. 0040B] paradisi via recta ad pravas semitas declinavit. *Simul.* Hoc est Judaei et gentes. *Inutiles.* Qui inutilia sectantur. *Non est qui faciat bonum.* Si non est qui faciat bonum, quomodo inferius arguit plebem suam devorantes, et inopum consilium considerantes, plebs enim Dei non erat, si bonum non faciebat. *Non est enim qui faciat bonum, hoc est perfectum et integrum bonum.* Si autem requiramus qui sit vere bonus, is qui dicit: *Ego sum Pastor bonus*

(Joan. X). *Usque ad unum.* Vel cum ipso uno potest intelligi, ut nullus hominum excipiatur, vel praeter unum, ut accipiatur Dominus Christus, sicut dicimus: Iste ager usque ad mare est, non utique simul computamus et mare. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Patens autem sepulcrum dicuntur hi qui immunditias [Col. 0040C] suas in propatulo habent. Vel *sepulcrum patens est guttur eorum, hoc est, fetore doctrinae et adulationis suae contaminans et interficiens audientes.* Ideo enim sepulcrum diligenter clauditur, ne adhuc viventibus exhalationis suae generet pestem. *Linguis suis dolose agebant.* Dolus est, cum aliud quis lingua loquitur et aliud corde volutat. *Venenum aspidum.* Sicut morsu serpentis venenum corpus interimit, ita morsus verbi venenati fraude animum necat: bene addidit *aspidum, quia horum serpentium pessimum fertur esse venenum. Sub labiis eorum.* Hoc est, in corde. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est.* Non est unius generis maledictio, quidquid enim malo voto dicitur, maledictum appellatur. Amaritudo est contraria dulcedini verborum Dei, maledictioni amaritudo [Col. 0040D] conjungitur, quia ex iracundiae felle depromitur: per iracundiam enim ac furorem ad maledicendum lingua compellitur. *Veloces pedes eorum.* Hoc est, impigri ad malum et ad homicidia perpetranda. Pedes hoc loco illos intellige, de quibus dicit Propheta: *Mei autem pene moti sunt pedes* **(Ps. LXXII)**. Hoc est consilium quo agimus iter vitae. *Ad effundendum sanguinem.* Sicut homicida dicitur ille qui corpus ab anima separat, per quam vivificatur; ita etiam verissime vivus ille homicida dicendus est, qui animam a vera vita separat, quod est Deus. *Contritio et infelicitas in viis eorum.* Illam dicit contritionem, qua peccatores conterere jugum Domini dicuntur, et projicere a cervicibus suis. Infelicitas, qua [Col. 0041A] miser homo effectus est, etiam infelix, qui cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis, et similis factus est illis. *Et viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* In timore Dei omnia conclusit; qui si Dei timorem semper ante oculos habuissent, non utique deliquissent: neque enim audet servus peccare praesente domino; neque quia dicit: *Omnes declinaverunt, totam penitus plebem significat, sed hanc partem plebis in qua omnes mali se condiderant:* semper enim duo populi sunt in una plebe. *Scimus autem quoniam quaecunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur.* Ne dicerent Judaei haec in psalmo de gentibus tantum dicta, ostendit quae in lege dicta sunt, his qui in lege sunt, dici. Quaeritur sane quomodo Judaei dixerint [Col. 0041B] non esse Deum, ut in fronte ipsius psalmi legitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* **(Ps. XIII)**, non utique verbo, sed opere: nam quem confitentur se nosse, factis autem negant. Illud autem attendendum quia psalmi sint supplementum legis: idcirco psalmorum testimoniis, quasi auctoritate legali, ad eos confutandos utitur. *Ut omne os obstruatur.* Non solum gentium, sed et Judaeorum, dum non habent unde se glorientur. *Et subditus fiat omnis mundus Deo.* Dum omnes indigent misericordia Dei, tam Judaei, quam Graeci. Aut subditus sit omnis mundus Deo, humili scilicet confessione peccatorum. *Quia non justificabitur ex operibus legis omnis caro coram ipso.* Opera legis, dicit circumcisionem, et sabbatum, et caeteras caeremonias, quae non tam ad justitiam, [Col. 0041C] quam ad carnis laetitiam pertinebant: quia per fidem decrevit Deus justificare homines, non per legem: si qui enim in veteri lege justi erant, non nisi per gratiam justificati sunt. Omnem carnem, omnem hominem dixit, ut est illud: *Et videbit omnis caro salutare Dei* **(Luc. III)**. Sed et hoc quod addidit, *coram ipso, non otiose accipiendum, quia aliud est justificari coram Deo, aliud coram hominibus, hoc est, ad comparationem aliorum hominum, potest qui emendatius vixerit, justus videri;*

ad comparationem autem Dei, non solum homo non justificabitur, sed sicut Job dicit: *Stellae autem non sunt mundae coram ipso* **(Job. XXV)**, quae utique coram nobis mundae sunt, hoc est, ad comparationem hominum mundae habentur. *Per legem enim cognitio peccati.* Non remissio, [Col. 0041D] nec ablatio peccatorum, sed cognitio. Ideo enim per legem quid sit peccatum agnoscitur, quia in oblivionem ierat lex naturae: ante autem legem, leviora quaeque non cognoscebantur esse peccata, id est, quae aliis non nocebant, ut concupiscentia, et ebrietas, et caetera hujusmodi. Sollicite satis haec legenda sunt, ut neque lex ab apostolis improbata videatur, neque eorum liberum arbitrium sit ablatum. Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus: ante legem, sub lege, sub gratia, sub pace. Ante legem, sequitur concupiscentiam carnis; sub lege, trahitur ab ea; sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea; in pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante ergo legem non pugnamus, quia [Col. 0042A] non solum concupiscimus et peccamus, sed etiam approbamus peccata: in lege pugnamus publice, sed vincimur; in gratia pugnamus et vincimus; in pace nulla pugna erit. Joseph in carcerem missus est, licet per calumniam, et pincerna, et pastor Pharaonis causa peccati in carcere trusi sunt, quomodo ergo latebant peccata? Triplex quidem est lex, ita ut prima pars de sacramento divinitatis Dei sit; secunda autem quae congruit legi naturali, quae interdicit: tertia vero lex factorum, id est, sabbata, neomeniae, circumcisio, etc. Haec est ergo lex naturalis, quae per Moysen partim roborata est, partim auctoritatem accepit in vitiis cohibendis: itaque lex Moysi peccatum quidem cognitum fecit, non quod lateret, sicut dixi, sed ostendit peccata quae fiunt, non impune [Col. 0042B] futura apud Deum, hoc ergo est quod lex ostendit. Origenes ait de lege: Sicut ipse justitia est, ex quo omnes justi fiunt, et veritas, et vita, ex qua omnes vivunt; ita et ipse lex est, ex qua omnes in lege sunt: veniet ergo ad judicium, non tanquam qui in lege sit, sed tanquam qui lex sit. Quaerendum utrum justi sub lege sint; ad quod respondendum: Sicut justi Deo subditi sunt, sicutque Deus lex est, ita quoque sancti legi sunt subjecti: caeteri vero Mosaicae legi non subduntur, nam et Apostolus ait: *Non est justo lex posita.* Nunc autem sine lege justitia Dei manifesta est. Justitia Dei est sanctificatio per fidem, et remissio peccatorum. *Sine lege.* Sabbati scilicet, et circumcisionis, et neomeniae, et vindictae: non tamen sine sacramento divinitatis Dei, quippe cum [Col. 0042C] justitia Dei de sacramento Dei sit. *Testificati per legem et prophetas.* Ideo hoc addidit ne indulgentia peccatorum contra legem videatur, quippe quae olim in lege promissa est futura esse per adventum Salvatoris. Ideo autem justitia Dei dicta est, quae videtur esse misericordia, quia de promissione habet originem: et promissio Dei, cum redditur justitia, Dei dicitur. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.* In omnes Judaeos et Graecos, quantum ad interiores ipsorum animas pertinet. Et super omnes, hoc est, super corpora lavacro sacro baptismatis. Aliter, in omnes Judaeos, et super omnes, id est, gentes et gentiles populos. Requirendum sane quare in superioribus dixerit Apostolus, *Per legem enim manifestatio peccati,* [Col. 0042D] nunc sine lege justitia Dei cognita est. Ad quod dicendum, quia *omne quod manifestatur lux est.* Peccatum, quia lux non est, non manifestatur, sed agnoscitur: idcirco et in superioribus agnitionem peccati aptius dixerit. *Omnes enim peccaverunt.* Supple originaliter in Adam, et propriae voluntatis praevaricantia. *Et egent gloria Dei.* Id est, gratia Dei, qui non habent suam gloriam, quia creati sunt. *Justificati gratis.* Hoc est, sine ullis operibus praecedentibus, per baptismum gratis peccata donavit. *Per redemptionem.* Qua nos redemit suo sanguine

de morte, qui per peccatum venditi fueramus, licet sumus nostris alienati ab eo delictis. Christus autem nos redemit, offerens se pro nobis: permisit enim se [morti], [Col. 0043A] nesciente diabolo; sed quia virtutem ejus [superare] non potuit, omnes quos tenebat, simul cum eo dimisit. *Quem proposuit.* Id est, disposuit Deus propitium se futurum esse humano generi, si credant in sanguine ejus se esse liberandos. *Ad ostensionem justitiae suae.* Hoc est, ut promissum suum palam faceret, quo nos a peccatis liberaret, sicut ante promiserat; quod cum implevit, justum se ostendit.

Propositum propitiatorem Deum. Propterea passus est Christus, ut propositum Dei sedaret, quo tandem punire decreverat peccatores. Aliter sciens Deus propositum voluntatis suae, quo censuit peccatoribus subvenire, tam his qui sunt apud superos, quam his qui inferno detinebantur, utrosque diutissime exspectavit, evacuans sententiam qua justum videtur omnes [Col. 0043B] damnari, ut ostenderet nobis quod olim decreverat humanum genus liberare per Christum. *In sustentatione.* Ad hoc spectans ut tandem nos liberaret. *In hoc tempore.* Gratiae videlicet Novi Testamenti. Sustentatio Dei est, ubi peccator non statim ut peccat, sed secundum quod ibidem dixit Apostolus, per patientiam Dei adducitur ad poenitentiam. Bene videlicet addit, *in hoc tempore, praesentis enim saeculi tempore, in sustentatione Dei, est justitia Dei;* futuri vero, in retributione. Certum est in omnibus pene locis, Apostoli sensum ex legis et prophetarum manare thesauris. Inquiramus ergo ubi appellationem propitiatorii invenerit, et unde hoc nomen assumpserit. Memini in Exodo loquentem Dominum ad Moysen, et praecipientem quae oporteret eum facere, [Col. 0043C] primo quidem mandare arcam, et vectes ejus, atque annulos per arcae latera fieri. Post haec *Facies, inquit, propitiatorium ex auro puro, duobus cubitis et semis longitudinem ejus, et unum cubitum et semis latitudinem ejus, et facies duo cherubin aurea intertornata, et superpones ea per singula latera propitiatorii, et facies ut duo cherubin sint ex duobus lateribus ejus, extendentia alas suas, et obumbrantia super propitiatorium, et facies contra se super propitiatorium;* et impones propitiatorium super arcam, et in arcam mittes testimonia quae dabo, et innotescam tibi; inde et loquar ad te desursum super propitiatorium inter medium duorum cherubin, quae sunt super arcam testamenti, secundum omnia quae praecipiam tibi ad filios Israel **(Exod. XXV)**. Evidenter apparet quod [Col. 0043D] nomen propitiatorii Apostolus in his locis inventum, in suis nunc litteris posuit. Potest autem arca testamenti, sancta ejus caro, in qua beata haec anima collocatur, intelligi, habens in se testimonia Dei, quae intelliguntur Christi. Sed et quod latitudo ejus unum et dimidium cubitum habere memoratur, propheta quidem admirandae ac singularis vocationis describitur, non tamen ex toto in dualem numerum, qui interdum etiam pro immundis ponitur, corruisse: quamvis enim carnem naturae susciperet, ex incontaminata tamen virgine assumpsit, et casta sancti Spiritus operatione: propterea ergo Apostolus de mediatore disserens, evidenter distinctione signavit, dicens: *Mediator Dei et hominum,* homo Christus [Col. 0044A] Jesus, quo scilicet mediatorem non ad deitatem Christi, sed humanitatem referendum doceret. Longitudo ergo ejus ponitur et latitudo: longitudo illud significat, quod tendit ad Deum Trinitatique sociatur; latitudo, quod inter homines, qui latam spatiosamque viam incedere solent, conversatur: et ideo mediatoris recte nomine nuncupatur, quia, ut dixi, anima haec sancta, media quaedam fuit inter divinitatem Trinitatis et fragilitatem humanitatis: cherubim plenitudo scientiarum, sicut de Christo dicit Apostolus: *In quo sunt omnes*

thesauri sapientiae et scientiae. Sed et illud observa quod non dixit, Cherub unum ex latere dextro, et Cherub aliud ex latere sinistro; sed ait, Cherub unum ex latere hoc, et Cherub aliud ex latere altero, ut ostenderet in illo propitiatorio, hoc est in [Col. 0044B] anima Christi, sinistrum nihil fuisse: facies quoque contra se invicem, super hanc beatam animam: Cherubim vero habere dicitur, per quod consors ei, et consonum a Filio Dei et Spiritu sancto sensus divinitatis infunditur. *Quem proposuit Deus, etc.* Magis de anima Jesu quam de Deitate dictum sentitur: *proposuit enim intelligitur, quasi prius posuit, hoc est, priusquam esset:* quod enim est, ponitur; quod nondum est, proponitur: non ergo convenit de eo qui semper erat, id est, de Verbo Dei dici, quod propositus erat, sed de anima ejus.

Ubi est ergo gloriatio tua? Reddita ratione, ad Judaeos loquitur qui agunt sub lege, quod sine causa gloriantur, blandientes sibi de lege, propterea quod sint genus Abrahae, aut quod praecepta Dei receperunt [Col. 0044C] per Moysen. *Ubi est ergo gloriatio tua, in qua gloriabaris te operibus meruisse justitiam? per quam* legem, subaudis, ἀπὸ κοινοῦ. *Exclusa est.* Exclusa est gloriatio Judaica, non per legem operum, sed per legem fidei, quae est in Christo. Ubi est ergo gloriatio tua? tanquam interrogantis sermone dixerat Apostolus, et ad haec ipse respondet: *Exclusa est.* Et rursum quasi ipse interroget, ait: *Per quam legem? Operum? et respondet sibi ipsi:*

Non, sed per legem fidei. In praesenti loco duarum legum facit iterum mentionem, et dicit legem operum, et legem fidei. Considera etiam ipse qui legis, utrum ad legem Moysi, et legem naturalem sermo hic debeat inclinari, ad legem litterae, et ad legem spiritus: gloriationem vero talem dicit, qualis erat [Col. 0044D] illa Pharisaei, dicentis: *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut caeteri homines, raptores, injusti, adulteri, sicut publicanus iste.* Haec fortassis vere dixit, sed secundum Domini sententiam, morbo jactantiae corruptus, non descendit justificatus e templo. Talis ergo gloriatio, quae veniebat ex operibus legis, excluditur, quae non habet humilitatem crucis Christi, in qua gloriatur, qui dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Arbitramur enim justificari hominem per fidem, etc. Sine quibus operibus legis Apostolus justificari hominem per fidem dixisse credendus est? scilicet circumcisionis, et sabbati, et caeterorum hujusmodi, non [Col. 0045A] absque justitiae operibus, de quibus beatus Jacobus dixit: *Fides sine operibus mortua est:* Hic autem de illo dicit, quia ad Christum veniens, sola, cum credit, fide salvatur. Addendo autem, *sine operibus legis, ostendit esse etiam gratiae opera, sine quibus mortua est fides.* Quomodo justificatur homo sine operibus legis? Credit aliquis, percipit fidei sacramenta, et mortuus est: defuit illi operandi tempus, plane dicimus justificatum, *credentem in eum qui justificat impium:* ergo iste justificatus, et operatus non est. Impletur sententia Apostoli, dicentis: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, ut latro, qui cum Christo crucifixus credidit, et justificatus est.* Potest ergo homo justificari ex fide sine operibus legis, cum fides per dilectionem operetur [Col. 0045B] in corde, etiamsi foris non exit in opere. Fortassis autem haec aliquis audiens, resolvatur, et bene agendi negligentiam accipiat: siquidem ad justificandum sola fides sufficiat. Ad quem dicemus, quia post justificationem si injuste quis agat, sine dubio justificationis gratiam sprevit, neque enim ob hoc quis accipit veniam peccatorum, ut rursum sibi putet peccandi licentiam datam:

indulgentia namque non futurorum, sed praeteritorum criminum datur. *Quoniam quidem unus Deus, etc.* Id est, Judaeos credentes per praeputium, gentes vero justificatas per fidem Christi significat, id ipsum est ex fide, et per fidem: sed Scripturarum mos hic est ut in eisdem causis malit mutare quam repetere sermonem, sicut in Davide scriptum est: *Propter Abraham servum* [Col. 0045C] tuum, et Isaac dilectum a te **(Ps. CIV)**. Non mihi videtur superflua omnino haberi ista praepositionis nunc commutatio: invenimus enim ab eo in aliis locis differentiam distinctionis hujus esse necessario observatam, sicut de Deo loquitur: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso facta sunt omnia.* Et non solum apostolus Paulus harum distinctionum observantias tenet, sed et Joannes, qui cum de Verbo Dei dicat: Quod *omnia per ipsum facta sunt* **(Joan. I)**, vitam non ipsum, sed in ipso factam esse testatur dicens: *Quod factum est in ipso vita est.* Et quod ait, *ex ipso, primo creationis omnium, et hoc ipsum quod quae sunt ex Deo esse coeperunt, significantiam dedit. Per ipsum, quod ea quae prius facta fuerant, reguntur et dispensantur per eum,* a quo subsistendi [Col. 0045D] initium trahunt. *In ipso, quod hi qui jam correcti et emendati sunt, in ipsius perfectione consistunt.* Potest et in praesenti loco talis quaedam observari differentia, ut circumcisio, quae velut loco primo et ordine justificatur, ex fide, et non per fidem justificata memoretur; praeputium vero, quod secundo loco ad justificationem trahitur, non ex fide, sed per fidem justificatur. Puto in ea differentia designari quod scriptum est: *Sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem* **(I Cor. XI)**; primo etenim loco vir est, ex quo descendere mulier dicitur, et non per virum; secundo vero loco per mulierem vir, quia ministrare quodam modo videatur mulier auctori viro, et ideo per mulierem vir [Col. 0046A] dicitur nasci, et non ex muliere. *Legem ergo destruimus per fidem? Legem ergo, quae circumcidi praecepit, superfluam judicamus? Absit.* Imo stare facimus verum esse quod dixit, legem legi, Testamentum Testamento, circumcisionem circumcisioni, successuram. Quomodo vero se legem confirmare pronuntiat, qui in superioribus dixit quia non justificabitur omnis caro ex operibus legis? Et Salvator in Evangelio dixit: quia Moyses de me scripsit. Qui ergo non credit Christo, legem destruit? legemque confirmat, qui credit in Christum. Sed non est praetereundum quod contraria sibi scribere videtur Apostolus cum in praesenti quidem dicit non destruere se legem, sed confirmare: in secunda vero ad Corinthios ita scribit: *Quod si ministerium mortis in* [Col. 0046B] litteris formatum in lapidibus, factum est in gloria, ita ut non possent filii Israel in faciem Moysi respicere, propter gloriam vultus ejus quae destruitur, quomodo non magis ministerium spiritus erit in gloria? etc. **(II Cor. III)**. Non est idem quod dixit, *legem destruimus, et lex destruitur.* Paulus ergo in praesenti loco hoc pronuntiat, quod legem ipse non destruat: nam etsi destruitur lex per eam, quae supereminet gloriam, non per Paulum, neque per alium aliquem sanctorum destruitur. Unde et ipse Dominus dicebat: *Non veni solvere legem, sed adimplere* **(Matth. V)**. Nullus ergo sanctorum, neque Dominus ipse destruit legem, sed gloria ejus temporalis et praeteriens, a gloria aeterna et permanente destruitur ac superatur. Nam ex comparatione majoris gloriae, [Col. 0046C] quae in Christo est, obtegi et obscurari eam gloriam, quae in lege est, dicit.

CAPUT IV.

Quid ergo invenisse dicemus Abraham patrem nostrum secundum carnem? Revocat

illos ad caput circumcisionis, ut quod ab initio constiterit, id habeatur in toto. Illud praetereundum minime videtur quod patrem nostrum secundum carnem vocavit Abraham: gentium etenim pater Abraham secundum fidem, non secundum carnem videtur. *Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Hoc proposuit sibi: nam Abraham ex fide justificatus est, quod nulli dubium est; sed quod qui legem servant, sive Moysi, sive naturae, justificantur ad praesens, nec rei fiunt praesenti [Col. 0046D] judicio. Ideo ait: *si Abraham ex operibus legis justificatus est, non apud Deum habet gloriam:* quod qui fecerit legem vivet in ea, id est, non morietur ut reus, nec tamen meritum ex hoc habebit apud Deum. Quare meritum apud Deum habet Abraham, sed fidei causa. Cum superius duas proposuerat leges, quarum unam operum, aliam fidei appellavit, per quam legem fidei excludi glorificationem dicit eorum qui in legis operibus gloriantur, et pronuntiaverit fide justificari hominem sine operibus legis, consequenter nunc, ut haec de Scripturis asserantur, Abrahae producit exemplum, et dicit: Quia *Abraham si ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum:* quod quidem sine arte [Col. 0047A] dialectica disserit: nam si is qui ex operibus non habet gloriam apud Deum: Abraham autem constat habere gloriam apud Deum, non ergo Abraham ex operibus legis justificatus est. Per omnem itaque hunc textum Apostolus hoc videtur dicere quod duae quaedam sint justificationes, quarum unam ex operibus nominat, aliam vero ex fide; et aliam quidem quae ex operibus est, dicit habere quidem gloriam, sed in semetipsa, non apud Deum: ut pote apud inspicientem corda hominum, et scientem qui credit in occulto, et qui non credit. Et ideo merito apud solum Deum habet gloriam, qui affectum fidei ejus pervidet in occultis.

Quid enim Scriptura dicit? Ac si diceret, Interrogemus Scripturam. Credidit Abraham Deo. Hic [Col. 0047B] sermo ex Genesi sumitur, ubi non Abraham, sed Abram dicit ad Deum: *Quoniam non dedisti mihi semen, hic vernaculus meus haereditabit me.* Et dixit Dominus ad eum: Respice ad coelum, et numera stellas, si potueris dinumerare eas, et ait ad eum: Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam **(Gen. XV)**. *Ei autem qui operatur merces secundum gratiam.* Quia non illi gratis donatur justificatio, sed merces redditur operum pristinorum. *Et vero qui non operatur.* Convertentem impium per solam fidem justificat Deus, non per opera bona, quae non habuit prius, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Hoc dicit quia sine operibus legis credenti impio in Christum, reputatur fides ejus ad justitiam, sicut [Col. 0047C] Abrahae: et hoc justum est. Credere autem non

@ [Col. 0047D] *Non videtur redundare.* voluntatis est: neque enim potest cogi ad id quod manifestum non est, sed invitatur. Quamobrem assentientibus praemiis afficiendus est, sicut et Abraham, qui quod non vidit, credidit.

Secundum propositum gratiae Dei. Id est, quo gratis proposuit per solam fidem dimittere peccata. *Sicut David dicit, Beatitudo hominis, etc.* Beatitudinem hominis, remissionem peccatorum per fidem appellat: magna beatitudo est, sine labore legis et poenitentiae, Dei gratiam sola fide promereri. Initium justificari a Deo, fides est qui [quae] credit in justificantem, et haec fides cum justificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto haeret in animae solo, ut cum per legem Dei excoli coeperit, rursum in [Col. 0047D] eam surgunt rami, qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix

justitiae, sed ex radice justitiae fructus operum crescit: illa scilicet radice justitiae, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus. *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Quod remittitur, non tenetur, et quod tegitur, non apparet, et idcirco minime imputatur. Vide si potest iste ordo in anima una eademque intelligi, ut quia initium est conversionis animae, mala derelinquere, propter hoc iniquitatum remissionem mereatur accipere. Cum autem coeperit bona facere, velut singula quaeque quae praecesserant mala bonis recentibus obtegens, et abundantiorem bonorum numerum [Col. 0048A] introducens, quam prius fuerat malorum, tegere peccata dicatur. Ubi vero jam ad perfectum venerit, ita ut omnis radix de ea malitiae penitus amputetur, ibi jam summa perfectae beatitudinis promittatur, cum nullum possit Dominus imputare peccatum. Iniquitas sane a peccato hanc habet differentiam, quod iniquitas in his dicitur quae contra legem committuntur: unde et Graecus sermo ἀνομίαν appellat iniquitatem, hoc est, quod committitur contra legem: peccatum vero etiam illud, si contra quod natura docet, et conscientia arguit, delinquatur. *Beatitudo ergo haec.* Id est, remissio peccatorum per fidem. *In circumcisione manet tantum, an etiam in praeputio? Ac si aperte diceret:* In utrisque manet, quia tribus legibus haec beatitudo ascribitur, [Col. 0048B] vult istam beatitudinem tribus temporibus designare, naturae, circumcisionis, Christianitatis. *Dicimus enim.* Hoc est, sensu legis loquimur. *Reputata est fides Abrahae ad justitiam.* Omnes enim confitemur et consentimus, ut quod ratio de Abraham invenerit, hoc de caeteris observemus. Ab origine incipit, ut omnem tergiversationem cavillationis excludat, quae quia a capite excluditur, non habet unde incipiat facere quaestionem. *Quomodo ergo deputata est, in circumcisione, an in praeputio? Hoc est, videamus utrum circumcisio ex justitia, an justitia ex circumcisione sit nata. Et signum accepit circumcisionis.* Ne dicerent ergo, Superflue circumcisus est, signum ait esse justitiae, non augmentum.

Signaculum accepit justitiae. Illius quam praeputii [Col. 0048C] fides meruit: tam enim perfecta fuit et pretiosa, ut signaculum mereretur: semper enim res plena signatur. Sive ut ostenderet quia justus et fidelis esset, qui dolorem sibi mandato Dei non dubitavit inferre, non putans esse superfluum, quod a scientiarum Domino jubebatur: sicut nec parricidium credidit impium, quod fons praeceperat pietatis. Profundam in his Pauli sapientiam contemplamur: fortassis enim aliquibus eumdem sermonem dicere videretur, id est, signum et signaculum: sed mihi uterque sermo multam inter se videtur habere differentiam. Signum namque dicitur, cum per hoc quod videtur, aliud aliquid indicatur: sicuti, verbi gratia, de ipso Domino in Evangelio dicitur: *Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum,* [Col. 0048D] et in signum cui contradicetur **(Luc. II)**: contradicebatur enim, in quo Christus venerat, quia aliud in eo videbatur, et aliud intelligebatur. Caro cernebatur, et Deus credebatur. Sic ergo accepit Abraham signum, et quod esset signum in consequentibus dicit: circumcisionis, inquit, et ostendit quia carnalis tunc illa circumcisio, signum erat spiritualis circumcisionis, quae non in carne suscipitur, sed in corde. Quod vero dixit, *signaculum, ita intelligendum puto:* signaculum dicitur quod alicui rei servandae pro tempore custodiae ponitur: quomodo alius, nisi ipse qui impressit, debeat resignare. Per istud enim signaculum, ut exponit [Col. 0049A] Apostolus, justitia fidei, quam in praeputio positus Abraham accipere meruit, judicatur et pater esse multarum gentium. Et ut adhuc apertius de signo et signaculo disseramus, cum signum sit, ut diximus, ubi indicatur aliquid per hoc quod videtur; signaculum vero, ubi clauditur aliquid et non patet: potest etiam ita intelligi quod

mysteria in lege et patriarchis adumbrantur, hujusmodique erant, quae et signis indicanda essent, consignaculis observanda. Quod ergo signis indicanda erant, in his qui credebant ex gentibus, signum accepisse dicitur Abraham. Quod vero his ex circumcisione non erant credituri, observanda erant et obtegenda, signaculum accepisse dicitur, quod signaculum utique illo in tempore designabitur, cum in novissimis [Col. 0049B] diebus postquam plenitudo gentium introierit, omnis Israel salvus fiet: idcirco ante Abraham justificatur in fide, dum adhuc circumcisus esset, et postea circumciditur, ut ostenderetur primo pater futurus multarum gentium, et postea eorum qui ex circumcisione credituri sunt: neque enim hi qui secundum carnem nascuntur ex Abraham, filii Abraham dicendi sunt, nisi fidem et opera Abraham habeant: efficitur ergo utriusque generis pater. *Non enim per legem promissio.* Quia promissio quae facta est Abraham, non ex Moysi lege constiterat: ante enim quam Moyses legislator existeret, Dominus Abrahae dixit: *Benedicentur in te omnes tribus terrae, hoc est, haeredem factum esse totius mundi. Ut haeres esset mundi.* Sive ut in semine ejus, quod est Christus, [Col. 0049C] benedicerentur omnes gentes, quae sunt datae illi in haereditatem a Patre: sive ut cum eo recumbant gentes in regno coelorum. *Si enim qui ex lege haeredes sunt.* Si illi soli, ut vos vultis, circumcisi haeredes sunt, non implevit Deus promissum Abrahae, ut pater esset multarum gentium: et si ita est, jam videbitur Deo sine causa credidisse. Illud etiam sciendum quod sicut non ex lege Moysi promissio facta est ad Abraham, ita nec per legem naturae, sed per legem fidei justificari promeruit. Quamvis enim lex naturae de bono et malo testimonium reddat, secundum judicium conscientiae, tamen legi fidei non potest exaequari, qua Deo credidit Abraham, et justificari meruit, atque amicus Dei appellari. *Lex enim iram operatur.* Ut penitus ostendat [Col. 0049D] non posset justificari hominem per legem, sed, sicut ante ponit, per fidem. Non ira ergo lex est, sed iram operatur peccanti, id est poenam non agnoscit, sed vindicat: poena vero per iram generatur, ira autem nascitur ex peccato. Vel: Lex enim iram operatur, quia lex non donat peccata, sed damnat; et ideo non potes omnes gentes filios Abraham facere, qui secundum quod omnes sub peccato inventi sunt, omnes erant utique puniendi: fides autem, dimissis per gratiam peccatis, omnes credentes filios efficit Abrahae. *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.* Hoc est, sublatis reis de potestate legis, data venia, praevaricatio nulla est: justificati enim sunt qui per praevaricationem legis fuerant peccatores; cessat [Col. 0050A] enim lex factorum, id est, observatio sabbatorum, neomeniarum, circumcisionis, escarum discretio, animalis mortui sanguis, mustelae observatio. Non omnem praevaricationem generaliter in hoc loco annuntiat appellatam, sed ejus qui in lege positus deliquerit, ut gravius delictum videatur ejus qui per legem prohibitus peccat, quam ejus qui nulla lege fuerit commonitus. *Ideo autem ex fide.* Subauditur, haeredes sunt. *Ut secundum gratiam firma sit promissio.* Firma esse non potest omni homini ex omni gente promissio, nisi fuerit ex fide, quia origo promissionis ex fide est, non ex lege, quia qui sub lege sunt, rei sunt: promissio autem reis dari non potest. *Quia patrem multarum gentium posui te.* Hoc est, non tantum unius generis Israelis. *Ante* [Col. 0050B] Deum. Recte attendit ex sua interpretatione Apostolus *ante Deum.* Cui credidisti. Hoc est, pater positus est multarum gentium, ante Deum cui credidit. Aliter, ut unum Deum doceat omnium, loquitur ad gentiles, Abraham justificatum esse ante Deum, in quem gentes credunt, ut sit talis sensus, cui credidisti, o gentilis popule: qui vivificat mortuos, hic mortuos ad generandum ducit, ut praesenti causae conveniat.

Hoc dicto ad fidem Abrahae gentes invitat, qui cum esset in praeputio, credens Deo justificatus est cum sua conjuge: cum enim essent senes ambo, revixerunt ita, ut non diffideret habiturum se ex Sara filium, quam sterilem sciebat, in qua jam fluxus muliebrium naturae defecerat. *Et vocavit ea.* Id est, viscera muliebria, quae non sunt [Col. 0050C] fecunda scilicet. *Tanquam ea.* Hoc est, viscera. *Quae sunt.* Partu videlicet fecunda, ut Cethura fuit: quamvis in principio creandi vocaverat quae non erant, et statim esse coeperunt, tamen hic quia jam non erant, eis tempora generandi vocavit.

Qui contra spem in spem credidit. Contra spem naturae erat ut centum annorum homo ex muliere aeque jam fessa, quae etiam in juventute sterilis fuisset, semen suum sicut stellas coeli et arenam maris crederet esse futurum. Cum non spem habet generandi Abraham, credit Deo, sperans contra spem generare se, sciens omnia posse Deum. Item secundum alios. *Qui vivificat mortuos.* Id est peccatores, qui secundum interiorem hominem mortui sunt.

Et vocavit ea. Hoc est, genera gentium, ut sint in [Col. 0050D] fide. *Tanquam ea quae sunt.* Id est, tanquam patriarchas, et prophetas, et apostolos, qui sunt in fide perfecta, constituit.

Non consideravit corpus suum emortuum. Nihil naturae considerat fides, quia omnipotentem novit eum qui dixit. Quaeritur quomodo Abraham emortuo corpore de Cethura filios genuerit, qui de Sara ante non potuit. Idcirco ergo de Sara non genuit, quia vetusta erat et sterilis: in illa vero quasi in juvene cursu naturae facile potuit generare. Sic solvi solet et ista quaestio: Quod de Cethura postea genuit Abraham filios, quia donum gignendi quod a Domino accepit, etiam post obitum Sarae uxoris mansit. Item Ambrosius: *Non consideravit corpus* [Col. 0051A] suum emortuum: hortatur gentes ad hanc fidei firmitatem, ut Dei promissionem et gratiam sine aliqua ambiguitate suscipiant, securi exemplo Abrahae. Quomodo is videbitur emortui corporis, qui multo senior effectus quam tunc erat, et uxorem accipere, et sex liberos procreare possit? Itaque dicamus Abraham non infirmitatis emortuum, sed secundum illam virtutem sanctorum, fuit in illo mortificatio etiam membrorum, nam non incitabatur luxuria, non urebatur libidine: hoc idem erat et in Sara, quia defecerant muliebria. Non erat in illa lascivia mulieris, aut incontinentiae solutio, neque in usum libidinis praecipitabantur inviti. Sed et tu si mortificas membra tua, quae sunt super terram: si abjecto omni fervore libidinis, emortuum corpus serves, [Col. 0051B] et nullis obnoxium vitiis, potes generare Isaac, quod est gaudium. Et hic est primus fructus spiritus, potest semen tuum et opera ascendere in coelum, et efficere opera lucis, et stellarum fulgori splendorique conferri, ut cum dies resurrectionis adfuerit, tanquam stella differas in claritate. Amplius adhuc dico, potes, si tam purus mente, tam sanctus corpore, tam immaculatus actibus fueris, etiam ipsum generare Christum, secundum illum qui dicebat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* **(Gal. IV)**; et sicut ipse Dominus dicit: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, hic est meus frater, soror et mater.*

Non haesit diffidentia. Nec de senectute possibilitatis nec de magnitudine promissionis dubitavit: [Col. 0051C] nec enim fides habet meritum, cum humana ratio probet

experimentum.

Dans gloriam Deo. Tanquam de percepto dono gratias agens. *Non est autem scriptum propter ipsum tantum.* Hoc est, non ut ejus fidem solam sciremus, sed ut ejus quasi patris imitemur exemplum, quia si nos ita credamus Deo ut ille credidit, etiam nobis reputabitur fides ad justitiam. Hoc modo competenter videbitur habita comparatio fidei Abraham, et eorum qui credunt in eum. *Qui suscitavit Jesum Christum.* Quia quod ille futurum credidit, sicut de eo Dominus dicit: *Quia Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est* **(Joan. VIII)**, a nobis creditur factum. *Qui traditus est propter delicta nostra.* Ut ostendat quod ea pro quibus Christus [Col. 0051D] traditus est, etiam nos abhorrere debemus et abjicere: quomodo enim alienum nobis et inimicum ducitur omne peccatum, pro quo Redemptor noster traditus memoratur in mortem? *Resurrexit propter justificationem nostram.* Justificat Christus eos tantummodo, qui novam vitam exemplo resurrectionis ipsius susceperunt, et vetusta injustitiae atque iniquitatis indumenta, velut causam mortis, abjiciunt.

CAPUT V.

Justificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. Pertractata causa, quia nemo eorum ex operibus justificatus sit, sed omnes ex fide, quod exemplo Abraham probat, pacem habere eos hortatur ad Deum. Tunc magis in [Col. 0052A] pacem Dei venimus, quando adversus diabolum persistimus, et quando adversum carnis vitia dimicamus. Et quia Dominus Jesus hujus gratiae minister est, per ipsum pacificati sumus Deo.

Per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam. Hoc est, per quem accesserimus prope, qui eramus longe. Quomodo accessum habeamus per Dominum nostrum Jesum Christum, ipse Salvator ait: *Ego sum ostium, nemo venit ad Patrem, nisi per me* **(Joan. X)**. Sed videamus quale est ostium, ut sciamus quales esse debeant qui intrant per ipsum, et accessum habent ad gratiam. Istud ostium veritas est: et si ostium veritas, non possunt introire mendaces. Et rursum: istud ostium justitia est, et per ostium justitiae non ingrediuntur injusti. Istud ostium [Col. 0052B] dicit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* **(Matth. XI)**. Per ostium ergo humilitatis et mansuetudinis, nec iracundus ingreditur, nec superbus.

In qua stamus. Ideo dixit stantes, quia jacuimus prius. *Et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Gloriamur nos sperare gloriam filiorum Dei, qua *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* **(Matth. XIII)**, et erunt sicut angeli Dei in coelo. Movet me cur non dixerit se gloriari in gloria Dei, *sed in spe gloriae Dei, in quo deesse quidem aliquid elocutionis videtur, ita ut subaudiri debeat, in spe videndae gloriae Dei. Non solum autem hoc, sed et gloriamur in tribulationibus.* Non solum in gloriae spe, sed etiam in saluberrimis tribulationibus gloriamur, in magnitudinem praemiorum sperantes, sicut Jacobus ait: [Col. 0052C] *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis* **(Jacob. I)**. Unde et optare debemus aliquid pati pro nomine Domini, ut acquiramus de tribulatione finienda praemium infinitum: considerato enim praemio,

nullum possumus condignum aestimare laborem. Habemus ergo unde gloriemur: magna enim gloria est de imis ad summa crescere, et de nihilo ad maxima pervenire, de limo ad coelum, et de servitute ad regnum: si tamen omni saeculi gloria et jucunditate contempta, in illo solo, quod nobis promittitur, gloriemur: et si hoc feceris, tale est, quale si quis, nummo plumbeo contempto, gemmam regiam consequatur. Quanquam nec sic sit digna comparatio, quia his quamvis pretium distet, manet utrisque comparatio: ibi vero incorruptibilibus corruptibilia, [Col. 0052D] et aeternis caduca comparantur: *Scientes quod tribulatio patientiam operatur.* Hoc est, tribulationem patientiam operari, si tribulatio ipsa motum non patiatur infirmitatis, aut dubitationis.

Patientia enim probationem. Quia patientia si talis fuerit, qualem dixit, firma videbitur probatio, unde Salomon ait: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio* **(Eccli. XXVII)**.

Probatio autem spem. Spes vero quia probatur, videtur nec immerito dici: dignus enim scitur accepturus remunerationem in regno Dei. Tribulatio sanctorum proprie est, impiorum vero et injustorum flagella appellantur: Denique in psalmo sic dicit. *Multae tribulationes justorum* **(Psal. XXXIII)**. De istis [Col. 0053A] autem ait: *Multa flagella peccatorum* **(Psal. XXXI)**. *Spes autem non confundit.* Spes futurorum omnem confusionem expellit, unde probatur non habere fidem, qui in praeceptis confunditur. *Spes non confundit, dum stulti nos et hebetes a perfidis judicamur.*

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Magnitudo beneficiorum excitat in se magnitudinem charitatis, quae confundi et timere non novit. Illud considerandum mihi videtur, utrumne hic charitatem illam dicat, qua nos diligamus Deum, an illam qua diligimur, diffusam esse per Spiritum sanctum in cordibus nostris: et siquidem illa charitas, qua Deum diligamus intelligitur, sermo iste assertione non indiget: si [Col. 0053B] vero diffusa Dei charitas in cordibus nostris ista potius intelligenda sit, qua diligimur a Deo, certum est quod velut summum et maximum donum sancti Spiritus charitatem sonat, quo velut munere prius suscepto, per hoc ipsum diligere possimus Deum, quod diligimur a Deo, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quomodo nos diligat Deus, ex hoc cognoscimus, quia non solum nobis per Filii sui mortem peccata dimisit, sed et Spiritum sanctum nobis dedit, qui jam ostendat gloriam futurorum. *Utquid enim Christus, adhuc cum infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Utquid indebite pro nobis mortuus est, nisi ut manifestaret suam charitatem? cum adhuc peccatorum et scelerum languoribus premeremur. Secundum tempus.* Sive quia [Col. 0053C] in ultimo mundi tempore passus est, sive ad tridui tempus, ut praedicatur, mortuus est. Ad tempus enim mortuus est, qui tertia die resurrexit a mortuis. Apud homines mori visus est, cum apud inferos vivus inferni claustra confringeret potestate virtutis suae.

Vix enim pro justo quis moritur. Idcirco admiranda est passio Salvatoris pro impiis, cum vix pro justo quis moritur. *Forte audeat quis mori pro justo.* Aut forte non audeat, quia ambigue dicendum est. Sed ut hoc facilius intelligatur, cogitemus fieri posse, verbi gratia, ut aliquis piissimus filius pro charissimo proque bono genitore, seu fratre, vel amico quolibet vitam suam affectu charitatis morti objiciat: pro impio vero, proque

inimico, nullus animam suam [Col. 0053D] tradit, nisi ille solus qui est fons summae charitatis, bonus autem ipse est, quia et justus, dicit enim alibi: *Mandatum justum, et sanctum, et bonum.* Commendat autem suam charitatem Deus in nobis. Hoc est, dum inimicis benevolus est, et mittit eum qui salvos faciet eos, cum utique non merentur. *In sanguine ipsius.* Id est, non in brutorum animalium sanguine secundum veterem legem. *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Si per mortem Christi salvati sumus Deo, quanto magis in ejus vita glorificabimur, si eam fuerimus imitati, qui si ut reconciliaret nos sibi Deus, Filium morti tradidit, quanto magis reconciliatos [Col. 0054A] salvos faciet in vita ipsius, cum resurrexit a mortuis! quia sicut mors ejus a diabolo nos eripuit, ita vita de die judicii aeterna morte nos liberabit: item pro persecutoribus Filium mori permisit, quid faciet pro justificatis, nisi servet eos ab ira ventura? *Non solum autem hoc.* Id est, non solum nobis per Christum divinae gloriae, sicut dicit Joannes apostolus: *Nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* **(Joan. III)**. *Per quem nunc reconciliationem accepimus.* Ut qui sequentes Adam, discesseramus a Deo, per Christum reconciliemur Deo. Reconciliatio autem Dei est, cum ejus ira finitur, *Nam quemadmodum per unum hominem in hunc mundum intravit peccatum, etc.* Cum supra aperuisset arcana secreta mysterii, quod cum inimici essemus [Col. 0054B] Deo per mortem Filii ejus reconciliati sumus: nunc et causas cur inimici fuerimus, vel cur morte Filii Dei indiguerit ista reconciliatio, consequenter exponit, ut intuentes quanta nobis praestiterit Deus, et Dominus Jesus, imo et quanta pro nobis pertulerit, radicata erga eum fide, et inseparabili charitate teneamur. Hic cum dixerit, Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit, cur non retulit ut diceret, verbi gratia, Ita et per unum hominem justitia intravit in hunc mundum, et per justitiam vita, et sic in omnes homines vita pertransiit, in quo omnes vivificati sunt? Hoc enim videbatur propositi eloquii sensus expetere. Tamen propter negligentiores quosque, ne forte resolvi possent, si [Col. 0054C] audirent quod sicut mors in omnes homines per peccatum, ita et in omnes pertransivit vita per Christum, consideravit palam haec et publice non debere dici: simul et ostendens illud quod etiam per hominem Christum, justitia introivit in hunc mundum, hoc est, in terrenos homines, et per justitiam vita, et pertransivit in omnes homines, tamen non in praesenti statim contingere, nec otiosis accidere, sed his qui multo tempore pulsant quae clausa sunt, et considerant quae abscondita sunt. Sed huic Origenis expositioni occurrit illud quod alibi Apostolus ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur* **(I Cor. XV)**; nam ibi et publice hanc Salvatoris gratiam, sive praeco gratiae manifestissime praedicat. Nec propter negligentiores quosque immensitatem [Col. 0054D] gratiae voce defectiva reticet. Mihi itaque videtur quod in hoc apostolico eloquio nullus defectus inest, sed analogica quaedam similitudo elucescit. Cum itaque superius nos inimicos Deo fuisse dixerat, nunc modum et causam ipsius inimicitiae ostendit, dicens: nam quemadmodum per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, paucos videlicet primitus homines mordens, et per peccatum mors: sequitur analogica similitudo, et ita in omnes homines pertransiisse. In quo notandum, quod ibi et conjunctio vacat, sicut in multis locis, et in apostolicis dictis hoc saepe comperies. ć Disputamus per quem in mundum introivit peccatum, ubi si requiratur exemplum imitationis, diabolus invenitur: si [Col. 0055A] contagium generationis, Adam. Proinde dicens Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, non*

imitationem, sed generationem volebat intelligi: sicut enim a muliere initium peccati fuit, sic et initium generationis a viro est: prior enim vir seminat, ut femina pariat. Ideo *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit.* Utrum peccatum, an mors, an utrumque per omnes homines pertransiisse dictum sit videtur ambiguum. Sed quod horum sit, res ipsa tam aperta demonstrat: nam si non pertransisset peccatum, non omnis homo cum lege peccati, quae in membris, nasceretur: si mors non pertransisset, non omnes homines quantum ad istam conditionem mortalium pertinet morerentur. [Col. 0055B] *In quo.* Hoc est, in Adam. *Omnes peccaverunt.* Quia omnes originali peccato infantes, immunes esse non possunt, nisi ab ejus reatu per Christi baptismum resolvantur. Manifestum est in Adam omnes peccasse, ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos generavit nati sunt sub peccato. *Usque enim ad legem peccatum in hoc mundo fuit.* Hoc dictum est, non quia deinceps in nemine fuit, sed quia non poterat per litteram legis auferri quod solo poterat spiritu gratiae. *Peccatum autem non deputabatur cum lex non esset.* Quasi ante legem peccatum non fuerit, nec reputatum fuerit, antequam lex daretur Moysi, cum legamus et Cain et Lamech reputatum esse peccatum. Et ne per singulos immoremur, in tantum pro peccatis hominum exacerbatum esse Deum, ut [Col. 0055C] diluvium mundo introduceret. Et rursum Sodomitas igneus imber et sulphurea flamma vastaverat. Quomodo in vindictis talibus negabitur reputatum fuisse peccatum? Putabant se homines apud Deum impune peccare, sed non apud homines. Nec enim naturalis lex penitus obtorpuerat: quia non ignorabant quia quod sibi nolebant fieri, aliis facere non debebant. Non ergo lex naturalis apud Deum reos facere putabatur: ignorabatur enim Deus, qui judicaturus genus humanum, ac per hoc non imputabatur peccatum, quasi peccatum esset apud Deum, incuriosum Deum asserentes. At ubi lex data est per Moysen, manifestum est curare Deum res humanas, et non impune futurum his, qui male facientes in praesenti evadunt. Quippe cum Sodoma et Gomorrha per ignem judicatae [Col. 0055D] sint perire, quod oblivio quidem texerat, Moyses autem ut confirmaret Deum judicem fore, scribendo manifestavit. Lex autem naturalis tres partes habet, cujus prima haec est, ut agnitus honoretur Creator, nec ejus claritas et majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur, modestia gubernante. Tertia vero pars ejus est docibilis, ut creatoris Dei, et exemplum mortis caeteris tradatur. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Quoniam non imputabatur peccatum antequam lex daretur, ipsa usurpationis impunitate regnabat mors, id est, diabolus: omnes enim suos videbat esse, quia *qui facit peccatum servus est peccati:* impune enim peccare putantes, magis delinquebant. [Col. 0056A] Quo facto gaudebat Satanas, quod causa Adae relictum a Deo hominem in possessione haberet. *Usque ad Moysen.* Nam lege data coepit non regnare: coeperunt enim scire homines creatorem Deum judicaturum genus humanum, et paulatim ab ejus dominio recedere. Aliter, regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, novum Moysen, atque coelestem, non susceptorem Testamenti unius, sed auctorem Testamentorum duorum: non famulantem uni legi, sed utrique dominantem: non qui veteres jugo servos genuit, sed qui gratia nos liberos procreavit. *Regnavit ab Adam usque ad Moysen.* Quia nec lex per Moysen potuit regnum mortis auferre ab Adam usque ad Moysen, non super omnes, *sed in eos qui peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Nam [Col. 0056B] introivit quidem mors in mundum, et in omnes pertransivit, non tamen in omnes regnavit. Aliud est enim pertransire, et aliud regnare: peccatum etenim pertransit etiam

in justos, et levi quadam eos contagione perstringit, in praevaricationibus vero, id est, quia se tota mente ac devotione deficiunt, regnum tenet, et omni potestate dominatur. Si vero, ut in nonnullis exemplaribus invenitur, *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem Adae, mors ista, quae in inferno animas detinebat, regnasse dicatur, intelligimus et sanctos quoque sub istam mortem, etiamsi non peccandi, sed certe moriendi lege decidisse.* Christum vero idcirco in infernum descendisse non solum ut ipse non teneretur a morte, sed eos qui ibi non tam praevaricationis, ut diximus, crimine [Col. 0056C] quam moriendi ditione habebantur absolveret. Infantes sunt qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, quia non habent actuale, sed originale.

Qui est forma futuri. Sive ideo forma fuit Christi, quia sicut Adam sine coitu a Deo factus est, ita ille ex virgine et Spiritu sancto processit: et sicut ex latere Adam Eva facta est, ita sponsa Ecclesia ex latere Salvatoris formata est. Sive, ut quidam dicunt, *qui est forma futuri, videns requiri posse e contrario, hoc est, sicut ille peccati caput, ita et iste justitiae. Sed non sicut delictum, ita et donum.* Cum superius dixisset Apostolus de Adam, *qui est forma futuri, videns requiri posse, quod si Adam forma Christi, ergo et in eo quo peccavit, necesse est ut formam Christi habeat:* hoc autem de Christo videbatur [Col. 0056D] absurdum, continuo subjungit: *Sed non sicut delictum, ita et donum:* et incipit ex hoc sermone veluti semetipsum explanare, quomodo dixerit formam Christi esse Adam, nec sine arte profunda dicendi Apostolus formam Christi esse Adam posuit, quae sit per genus similis, forma et specie contraria. Per genus namque similis forma in eo, quod sicut ab uno Adam in plures homines diffunditur. Species vero contraria, quod ex Adam praevaricatione certa peccatores constituti sunt multi, Christi vero obedientia justi constituuntur multi.

Multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures abundavit. Ex his asserit, completa esse, quae defuisse in prioribus videbantur: [Col. 0057A] nam multum interest, quod ibi in omnes homines dixit pertransisse peccatum: hic vero donum et gratiam Jesu Christi in plures abundasse, cum et omnes homines plures intelliguntur, et plures multos intelligi non videtur absurdum, maxime cum in sequentibus dicat apertius: *Sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam omnes homines in justificationem vitae.* Et ut evidentius ostenderet, omnes homines, et multos homines idem esse, addit his: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, sic et per unius obedientiam justi constituentur multi;* quod superius omnes homines dixerat, hic eodem sensu multos nominavit. Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, etc. Ut intelligatur, non [Col. 0057B] magis in multos, cum iniqui magis multi sint qui damnabuntur, sed magis abundavit: quia in his qui per Christum redimuntur temporaliter, valet forma mortis ex Adam. In aeternum autem valebit vitae forma per Christum. Quamvis ergo, inquit, Adam futuri forma sit, e contrario tamen plus praestat Christus eis qui regenerati sunt, quam eis nocuerat ille generatis. *Sed non sicut delictum, ita et donum:* quia mors quidem unius delicto regnavit per unum. Qui autem abundantiam gratiae et doni justificationem accipiunt, non solum ultra non regnat in eis mors, quod et ipsum utique non parvae esset gratiae, sed et alia duo eis feruntur bona: unum, quod pro morte in eis regnat Jesus Christus; aliud, quod etiam ipsi regnabunt per unum Jesum Christum.

[Col. 0057C] Cum ergo necessario haec in eos eveniunt, id est, ut regnum mortis effugiant et pro morte regnet in eis Christus: imo ut cum eo ipsi regnent in vita, manifestum est quoniam non sit delictum ita ut donum. Volens autem Apostolus ostendere quanto majora per Christum anima recipit, quam amiserat per Adam, frequentat istos sermones, ut dicat multo magis et abundantiam gratiae, et doni, et justitiae, et regnabunt per unum Jesum Christum gratia Dei, quae pertinet ad remissionem peccatorum per baptismum: donum abundantia donationis Spiritus sancti, quia multa sunt ipsius dona. *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem:* gratia autem ex multis delictis in justificationem. Ex uno ergo quid nisi delicto? quia sequitur: *Gratia autem ex multis* [Col. 0057D] delictis in justificationem; quomodo ex uno delicto in condemnationem? nisi quia fuit ad condemnationem etiam unum originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit. *Gratia* vero ideo *ex multis delictis in justificationem, quia non solum illud solvit quod originaliter trahitur, sed etiam caetera quae in utroque homine motu propriae voluntatis adduntur.* Igitur sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, subaudis, pervenerunt: nullus enim hominum, nisi per Adam, trahitur ad damnationem, de qua per lavacrum regenerationis homines liberantur, et nullus hominum ab hac damnatione, nisi per Christum liberatur: ideoque ex utraque parte dicti sunt omnes. *Sicut enim per inobedientiam* [Col. 0058A] unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. Sicut exemplo inobedientiae Adae peccaverunt multi, ita et Christi obedientiae justificantur multi. Grande ergo crimen inobedientiae est, quod tantos occidit. *Lex autem subintravit, ut abundaret peccatum.* Ne dicerent Judaei: Sed nobis peccata dimisit. Non, inquit, venit peccata dimittere, sed demonstrare delicta, et dum scienter peccatur, coepit abundare delictum: ac si diceret, Ut video, lex peccata non abstulit, sed adjecit, non tamen suo vitio, sed illorum. *Subintravit autem, hoc est, subito intravit, et ita contigit, ut abundaret delictum:* quia inimicus plus exarsit, videns hominis curam habere Deum, ut illum etiam per legem reum faceret, ne Deo aspici [Col. 0058B] mereretur. Aliter: ut abundaret delictum; nam abundantius et perniciosius est, quando ab sciente et praevaricante peccatur. Nam prohibente lege violentius peccatur, quam si nulla lege prohibita committantur. *Lex autem subintravit, lex scilicet membrorum, repugnans legi mentis.* Ipsa ergo subintravit legi naturae, ut abundaret delictum. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Sicut ait Salvator: *Cui plus dimittitur, amplius diligit* **(Luc. VII)**. Manifesta est enim quantitas peccati, ut sciretur gratiae magnitudo. Est autem grandis superabundantia, quod ubi peccatum fuit et mors, ibi nunc est gratia, et justitia, et vita aeterna. *Superabundavit gratia.* Donum Dei omnium peccata contexit, ut diaboli invidiam nihil profecisse doceat. [Col. 0058C] Superabundavit ergo gratia, quia peccatum ad tempus regnavit, gratia autem in aeternum: Dei enim est regnum gratia regnante, sicut diaboli regnum erat peccato regnante.

CAPUT VI.

Quid ergo dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Quoniam superius dixerat, *quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Nascentem ex hoc quaestionem nunc sibi ipse proponit: Ergo peccandum est, ut gratia plus abundet? Sed

absolutionem citam quaestionis ostendit, cum dicit: *Absit.* Et continuo rationem subjecit, mortuos dicens peccato eos, in quibus abundavit gratia.

Nam qui mortui sumus peccato, quomodo amplius vivemus in eo? Vult tam firmum esse baptizatum, [Col. 0058D] tamque perfectum, quasi qui peccare non possit. Superveniente gratia Dei per Christum, et in nobis per fidem lavacro spirituali regnante, coepimus vivere Deo, mortui autem peccato, qui est diabolus. Sicut Deo vivere dicitur is qui secundum voluntatem Dei vivit, ita et peccato vivere dicitur is qui secundum voluntatem peccati, id est diaboli, vivit.

An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Observa diligentius ordinem dictorum et consequentiam: comparat enim mortem, quae per Adam erat, vitae quae per Christum est, et dicit: *Non sicut delictum, ita et donum.* Et item post haec ait legem subintravisse, ut abundaret peccatum: abundante [Col. 0059A] vero peccato, superabundasse gratiam. Et in his solvit quod videbatur esse contrarium, et dicit: *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo? Volens rebus ipsis ostendere quid sit mortuum esse peccato, dicens: An ignoratis, fratres, etc.;* docens per haec, quia si quis prius peccato sit mortuus, is necessario in baptismo consepultus est Christo. Si vero non ante quis moritur peccato, non potest sepeliri cum Christo: nemo enim vivens aliquando sepelitur. Quod si non sepelitur cum Christo, nec legitime baptizatur. Et intuere diligentius adhuc consequentiam mystici ordinis; morere prius peccato, ut possis cum Christo sepeliri: mortuo enim sepultura debetur. Si enim vivis adhuc peccato, consepeliri non potes Christo, nec in novo ejus sepulcro [Col. 0059B] collocari, quia vetus homo tuus vivit, et non potest in novitate ambulare, in Christo Jesu, id est, in nomine Jesu Christi. *In morte ipsius baptizati sumus.* Hoc est in similitudinem mortis ejus. Cur Apostolus de baptismo nunc loquens, et de Jesu dixerit, *consepulti sumus per baptismum, et nunquam dixit, Christo conbaptizati sumus? cum utique non haberetur legitimum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis.* Sed intuere prudentiam Pauli: quandoquidem in praesenti loco non tam baptismi rationem quam mortis Christi discutere cupiebat, ad cujus similitudinem etiam nos suaderet mori debere peccato, et consepeliri Christo. Et non erat utique conveniens ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum sanctum. *Verbum caro factum* [Col. 0059C] est, et merito ubi caro est, ibi de morte tractatur. Si mortui sumus peccato et consepulti sumus Christo, et consurreximus cum eo, necessario videbitur secundum hanc formam ostendi, quomodo etiam cum ipso tres dies et tres noctes in corde terrae fuerimus sepulti, et vide si possimus tres dies consepulti Christo facere. Cum plenam Trinitatis confessionem capimus: lux enim Pater, et in lumine ejus, qui est Filius, lumen videmus Spiritum sanctum. Faciamus autem et tres noctes, cum tenebrarum ignorantia, Patrem una cum mendacio, quod ex eo natum est calcamus. Sed et tertio loco spiritum erroris destruimus, qui inspirat pseudoprophetis, ut dicant: Haec dicit Dominus, cum Dominus non misit. Sicut Christus triduana morte sepulcro conditus [Col. 0059D] fuit, ita et nos intra aquae, id est, intra cognitae naturae suae trina mersione dispositi, dum descendimus, sepelimur; dum emergimus, suscitamur. Vides quid distet inter aquae interque Spiritus sancti operationem, per quam deduci videmus in tumulum, per spiritum praeparari probamus ad regnum, *ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Novitas autem vitae est ubi veterem

hominem cum actibus ejus deposuimus, et induimus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, et qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum **(Coloss. III)**. Sicut autem vetus semper veterascit, et de die in diem semper vetustior efficitur, ita et novus hic semper innovatur, et quotidie, si dici potest, [Col. 0060A] ipsa novitas innovanda est, ut nunquam sit quando haec innovatio non augescat. Baptismum itaque resurrectionis pignus est et imago, et ideo per aquam celebratur: ut sicut aqua sordes abluit, ita et nos per baptismum ab omni peccato spiritaliter purgatos et innovatos credamus. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus.* Quid est complantari similitudini mortis Christi? quo velut plantam alicujus ostendit mortem Christi, cui nos complantatos vult nunc esse ex succo radicis ejus: radix quippe succrescens producat ramos justitiae, et fructus afferat vitae. Quod si vis de Scripturis agnoscere quae sit ista planta cui complantati esse debemus, et cujus generis arbor, audi quid de sapientia scribitur: Arbor, inquit, vitae est omnibus sperantibus in se, et [Col. 0060B] qui confidunt in ea tanquam in Domino: Christus ergo virtus Dei, et Dei sapientia, ipse est arbor vitae, cui complantari debemus, et novo quodam atque amabili dono, mors illius nobis vitae arbor efficitur. Omnis planta hiemis tempore mortem, resurrectionem veris exspectat: si ergo et nos in Christi morte complantati sumus, in hieme saeculi ejus et praesentis vitae, etiam ad futurum ver inveniemur fructus justitiae ex ipsius radice proferentes. *Simul et resurrectionis erimus.* Duplex intelligitur resurrectio, una, mente et proposito ac fide cum Christo a terrenis resurgimus, ut coelestia cogitemus; altera, quae generalis omnium erit in carne resurrectio. Vel: *Si enim complantati, etc.,* id est, si in baptismo omnia vitia deposuimus, resurgentes in novitate, et de caetero [Col. 0060C] non peccemus, *simul et resurrectionis illius similes erimus, in corporis scilicet gloria, non in divinitatis natura. Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est.* Vetus homo noster intelligendus est vita prior quam duximus in peccatis, cujus finem et interitum facimus, ubi recipimus in nobis fidem crucis Christi, per quam ita destruitur corpus peccati, ut membra nostra, quae serviebant peccato, ultra ei non serviant, sed Deo. *Simul crucifixus est.* Scilicet Deo. Per baptismum cum Christo te crucifixum intellige, qui membrum de corpore ejus factus es, et ille quidem innoxium corpus appendit, ut noxium suspendas a vitiis: in quo mysterio Moyses serpentem aeneum in deserto suspendit **(Num. XXI)**. *Ut destruatur corpus peccati.* Ut destruatur corpus [Col. 0060D] nostrum a servitute peccati, ut fiat mancipium justitiae, quod solebat esse peccati: *Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati.* Corpus est peccati. Id est, iniquitas, cujus caput diabolus, cujus membra enumerat Apostolus esse super terram: *Quae sunt fornicatio, avaritia, contentio, ira, dolus.* Item secundum Ambrosium: *vetus homo noster, malos actus crucifixos dicit, id est, mortuos.* In cruce autem auctor peccati, id est, diabolus destructus est: qui enim mortuus est, justificatus est a peccato, hoc est, alienus est a peccato, mortuus enim omnino non peccat: ita et qui natus de Deo est, non peccat; crucifixus enim, omnibus membris dolore occupatis, peccare vix poterit. *Si autem mortui sumus cum Christo.* [Col. 0061A] Praesenti sermone Apostolus conclusionem omnium facit quae in superioribus astruxerat, et dicit: Si autem mortui sumus cum Christo, per haec scilicet, quae superius ostendit. *Credimus et convivemus ei.* Non dixit, et conviximus ei, sicut dixit *mortui* sumus, sed *convivemus, ut ostendat quia in praesenti mors operatur, vita autem operatur in futuro, tunc scilicet cum Christus manifestus fuerit, qui est vita nostra, abscondita in Deo.* Unde consequenter

intelligitur quod sicut mortui non sumus, non convivemus, quia hujus non sumus membra. *Scientes quod Christus surgens a mortuis, jam non moritur.* Securitatem de resurrectione Salvatoris ostendit, ad quam sic venire continget, si melioris vitae fuerit aemulatio: sive jam non potestis iterum baptizari, quia [Col. 0061B] Christus non potest iterum pro vobis crucifigi, sicut dicit ad Hebraeos. *Impossibile est, qui semel sunt illuminati, etc.* **(Hebr. VI)**. Quibus non poenitentiam negat, sed iterationem baptismi diffitetur. *Qui enim mortuus est peccato.* Quia ipse peccata nostra portavit, et pro nobis doluit, ne de caetero peccaremus: nec Christus iterum passurus erit, nec mors dominabitur in eum. *Quod autem vivit, vivit Deo.* Vivere autem Deo, ita intelligendum est, quasi expleto eo quod in forma Dei positus, *exinanivit semetipsum, formam servi accepit, et factus est obediens Patri usque ad mortem* **(Philip. II)**, rursum permaneat in forma Dei atque aequalis Patri. *Ita et vos aestimate vos mortuos quidem esse peccato.* Non sine causa autem dixit, *existimate vos mortuos esse peccato,* quod [Col. 0061C] melius quidem in Graeco habetur: Cogitate vos mortuos esse peccato @ [Col. 0061D] Οὕτω δὲ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν εἶναι τῇ ἁμαρτιᾳ.. Res enim de qua sermo est, in cogitatione consistit, quia hujusmodi mors non in effectu, sed in cogitatione habenda est: qui enim cogitet vel existimet apud semetipsum mortuum se esse peccato, verbi gratia, si concupiscentia mulieris trahat, si argenti, si auri, si praedii cupiditas pulset, et ponam in corde meo quod mortuus sim cum Christo, et de morte cogitem, exstinguitur continuo concupiscentia, et effugatur peccatum. Sed et hoc quod addit, *Viventes autem Deo in Christo Jesu, non mihi videtur otiosum:* simile enim puto esse viventes Deo in sapientia, in pace, in justitia, in sanctificatione, quae omnia Christus est. In his ergo vivere Deo, hoc est, in Christo Jesu. *Non regnet ergo peccatum* [Col. 0061D] in vestro mortali corpore. Mortale corpus est ex causa praevaricationis Adae, ex fide autem Christi forte creditur in mortale, si non regnet peccatum.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Id est, diabolo: unumquodque membrum, si officium suum in malos usus verterit, arma iniquitatis efficitur, ad justitiam expugnandam.

Sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes. Peccato scilicet mortui, et justitiae viventes. *Et membra vestra arma justitiae Deo.* Ut oculus, qui ante videbat ad concupiscendum, nunc videat nudum ad vestiendum, sic de reliquis membris. *Non estis sub lege.* Non vos vincet peccatum, non enim estis parvuli, [Col. 0062A] sed perfecti, quasi paedagogus puero dicat: Noli facere vitium sermonis, non enim adhuc audis grammaticum, sed oratorem. Si non peccemus, non sumus sub lege, sed sub gratia. Si autem peccemus, vertimur sub lege, et incipiet nostri dominari peccatum, quia *qui facit peccatum, servus est peccati.* Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege? Ne dicerent, Ergo cessante vindicta legis impune peccabimus. *Absit.* Quia si peccatis, sub gratia non eritis, sed quasi sub lege, vel sub dominatione peccati. *An nescitis, cui exhibetis vos servos ad obediendum? Nunc ne aliud profitentes, aliud faciamus, et conservi Dei dicamur, gestis autem zabuli inveniamur, praemonet et denuntiat ejus nos servos esse, cujus voluntatem operibus sectamur:* nam hoc [Col. 0062B] Deus accusat, dicens: *Plebs haec labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* **(Matth. XV)**. Videtur parum integra elocutio, quia ait: Servi estis ejus cui obedistis, sive peccati in

mortem, sive obeditioni: justitiae per obedientiam, cum ratio poposcerit dici, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati, sive justitiae. Sed in eo qui per initium sermonis sponte profitetur, arte compositionis requirere superfluum puto, cum sensus habeatur evidentior: hoc autem est quod in hoc loco Apostolus docet, quia unusquisque in manu sua habet et in arbitrii potestate, ut aut peccati servus sit aut justitiae; sed omnes qui faciunt peccatum, servi sunt peccati. Ad hoc respicit, quamvis non adjecerit: Et omnis qui facit justitiam, servus est justitiae; quod fortassis putet [Col. 0062C] alius idcirco subrelictum, ut cum sequentibus quasi debeat intelligi, mihi tamen consulte videtur non additum; neque enim dici conveniebat, quia omnis qui facit justitiam, servus est justitiae, ut *omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Nam et Deus ipse facit justitiam, et non idcirco servus justitiae dici potest; nam et ipse diabolus sine dubio peccati servus est, quippe qui descendit a servitute justitiae. *Gratias autem Deo, quia fuistis servi peccati.* Unde vereor ne forte plures simus qui videamur suscepisse doctrinam, justitiae videamur obedire, corde vero obediamus peccato. Movet me etiam hoc quod non dixit, obedientes ex corde, in quam traditi estis, sed *formam doctrinae posuit, nec puto quod unum esse senserit Apostolus doctrinam et formam* [Col. 0062D] doctrinae, quod minus esse sciverit formam quam ipsam doctrinam. Et nunc quidem in praesenti vita dum in corpore sumus, formam doctrinae habemus, non ipsam doctrinam, sicut alibi dicit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate* **(I Cor. XIII)**. Ipsa autem doctrina sit de qua dicitur: *Tunc autem videbimus facie ad faciem.* Unde et in praesenti vita puto quod formam et umbram virtutum tenere possimus, ipsas vero virtutes tunc, cum venerint illa quae perfecta sunt. Et ob hoc Jeremias fortassis in Lamentationibus dicit: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui dixit:* in umbra ejus vivemus in gentibus. Quod si Christus est justitia, et sapientia, et [Col. 0063A] veritas, amatores ejus videbimur. *Liberati autem a peccato.* Quis est qui liberet a peccato? sine dubio agnitio veritatis: sic enim dicebat Jesus ad Judaeos qui crediderant ei: Si credideritis verbo meo, agnoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae.* Hoc est, *humanum dico, quia nondum ad plenum potestis audire divinum:* cum enim multo magis debeatis servire justitiae quam peccato, cui ante servistis, ego tamen concedo infirmitati vestrae ut tantum justitiae serviatis; sive ita humana ratione digna loquor, quod omnes mecum sentire possunt et nullus abnuere. Pudorem quemdam per haec incutit Apostolus auditoribus, ut hoc saltem obsequi debeant justitiae et sanctificationi, quod prius immunditiae [Col. 0063B] iniquitatique detulerant. Quid ergo tam humanum, quid tam leve, quid tam sine onere, et quod nulla possit prorsus infirmitas excusare? *Sicut, inquit, exhibuistis membra vestra servire iniquitati.* Multo enim amplius et multo intentius honoranda justitia est: si ergo, inquit, humane et communiter ago, eadem postulo, similia requiro. Dudum requirebant pedes vestri daemonum templa, nunc currant ad ecclesiam Dei; protendebantur prius manus ut aliena raperent, nunc ut propria largiantur protendantur, circumspiciant pauperes, debiles, egenos, ad miserandum; aures delectabantur auditu vano, vel bonorum derogationibus, nunc convertantur ad audiendum verbum Dei, ad explanationem legis, et ad capiendam sapientiae disciplinam; lingua, quae [Col. 0063C] conviciis et maledictis, et turpiloquiis consueta est, convertatur nunc ad benedicendum Deum in omni tempore, sermonem sanum proferat et honestum, ut det gratiam audientibus et veritatem loquatur cum proximo suo. Sed quid opus est haec singula persequi, cum pateat etiam uniuscujusque membri ministerium, quod exhibuit vitiis, aptare virtutibus, et actum

quem exhibuit immunditiae, nunc ad sanctitatem et castitatem convertere? *Itaque et nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificatione.* Videtur hic sane justitiam nominasse pro omnibus simul virtutibus, sicut e contrario iniquitatem pro omnibus simul vitiis posuisse. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae.* Hoc est, in nullo servientes ei, ita et nunc liberi estote ab omni peccato. [Col. 0063D] Quilibet a Deo est, servus peccati est. Sane notandum est esse et libertatem culpabilem, et laudabilem servitutem: nam liberum esse justitiae crimen est, servum vero esse laudabile est. Liberi a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis; liberi autem non sunt a peccato, nisi gratia Salvatoris; unde liberos a justitia dixit, a peccato autem non liberos, sed liberatos, ne sibi hoc tribuerent. *Quem ergo fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis? Nullus sine dubio fructus est in ea re quae per poenitentiam erubescitur, et cujus etiam recordatio verecunda est.* Quadriformis autem varietas in omni iniquitate atque justitia videtur inesse: semen scilicet, arbor, finis, fructus; semen est bona sive mala cogitatio; [Col. 0064A] arbor, bona vel mala voluntas; fructus, opera justitiae vel injustitiae, vel justificatio, vel immunditia; finis vero est mors, seu vita aeterna. Non est omittendum quod fructus quidem eos, pro quibus nunc erubescimus, in quo sint noluit nominare. Eorum vero fructum qui liberati sunt a peccato, et servi facti sunt Deo, dicit esse in sanctificationem: bonorum enim frequentius quam malorum habenda memoria est. *Nam finis eorum mors est.* Finem dixit exitum vitae et actuum, cui aut mors, aut vita succedit, sed huic fini mors, a morte autem ad mortem transit. *Stipendium enim peccati mors.* Stipendium pro opere militiae redditur; peccatum, nam ideo dixit stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret. *Gratia* [Col. 0064B] autem Dei vita aeterna. Bene autem metaphoram, id est, figuram militiae ex initio propositam servat, ut militantibus sub peccato rege, imo potius tyrannide, ei a parentibus stipendia debita mortem dicat. Deum vero non erat dignum militibus suis stipendia, quasi debitum aliquod dare, sed donum et gratiam, quae est vita aeterna. Quinque autem species sunt mortis; nam prima mors est separatio animae a corpore; secunda, separatio animae a Deo, quae per peccatum evenit; tertia est secundum illud quod auctor mortis ipsius diabolus mors appellatur; quarta mors nominatur inferni lacus, quo praevaricatrices animae detinentur. Dicitur vero et illa mors laudabilis, qua peccato quisque moritur et Christo consepelitur.

CAPUT VII.

[Col. 0064C]

An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor. Hinc incipit difficultatem legis ostendere, ut illos hortetur ad gratiam sine ejus timore transire, ut animas eorum firmet in doctrina divina, exemploque legis humanae utitur, ut per terrena suadeat coelestia. Sciunt enim legem Romani quia non sunt Barbari, sed comprehenderunt naturalem justitiam, partim ex se, partim ex Graecis, sed Graeci ex Hebraeis; nam lex Romanis ex Athenis allata est. *Quia lex dominatur in homine, quanto tempore vivit.* Non est occultum, omnem vitam hominis esse sub lege naturae, haec lex generalis est. Nunc vero aliam proposuit specialem, per quam probare vult assertionem suam. *Nam quae*

sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Haec lex de Evangelio est, non ex Moyse, [Col. 0064D] neque ex justitia terrena. Suadet ergo Christianis mundum esse a lege factorum, non ab omni lege, nec ultra jam expedire esse sub lege, ne gratiam Dei evacuet reversus in legem. Neque legis erit adulter, sed Evangelii, qui mortua lege junctus Evangelio, postea redit ad legem. Mortua lex dicitur, quando quem continebant reum incognitus est ei: si autem servientes legi accedere se putant ad Evangelium, rei erunt et adulteri: qui viva lege junxerunt se fidei, erunt in utroque adulteri. Scientibus autem legem loquitur Paulus, id est, scientibus quae sit in lege vetustas litterae et novitas spiritus. Nam sicut morte viri mulier liberatur a lege conjugis, et sociandi viro alio accepit libertatem, ita anima, cujus [Col. 0065A] vir lex est, veluti mortua sibi lege secundum litteram, libertatem accepit nubendi alio viro, qui est spiritus legis, spiritus autem Dominus est.

Quod autem dixit: Lex dominatur quanto tempore vivit, non ad hominem, sed ad legem refertur. Hoc enim et in consequentibus indicat, ubi ait: *Vivente viro alligata est legi.* Et ipsius exempli quod assumptum est, plenius is ordo declarat: legem enim viri loco posuit, et de ipsa dicit:

Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Sed quomodo sit mortuus pervidendum est: potest quidem etiam in hoc videri mortuus, cum spiritualis intelligentia excludit, et velut interimit corporalem, et ostendit refugiendam esse occidentem litteram, et sequendum vivificantem spiritum. [Col. 0065B] *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi.* Noluit juxta comparationem legem illis dicere mortuam, sed quod inter Judaeos dicere non audebat, intellectui nostro reliquit per corpus Christi. Quomodo Salvator corpus suum zabulo crucifigendum permisit, sciens esse pro nobis contra illum: idcirco per corpus Christi salvos nos dicit factos. Cui ergo dimittuntur peccata, moritur legi, hoc est, liberatur a lege. Mori autem legi, vivere Deo est. Per corpus itaque Christi hoc consequimur beneficium. Tradens enim corpus Salvator, mortem vicit et peccatum damnavit, id est, diabolum; in ipso enim peccavit diabolus, cum illum innocentem occidit per corpus Christi, in quo corpore *iniquitates nostras tulit, et peccata nostra portavit,* et qui exuit principatus et [Col. 0065C] potestates, triumphans eos in semetipso.

Ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo. Ille fructificat Deo, qui operibus justitiae, in pomorum modum, primitus in florem, deinde operibus in fructum, postremo ad summam pervenit maturitatem: nullus enim fructus semper in flore est. *Ut sitis alterius.* Hoc dicit, quia ideo mortui sumus, ut de caetero Christi simus servi solius, et hoc inerit fructificare Deo. Acquiritur enim qui in gratia ejus permanet, dignus resurrectione promissa.

Cum enim essemus in carne. Hoc est, cum essemus in carnali conversatione, passio concupiscentiae operabatur in oculis, et in caeteris membris caeterae passiones, quae tamen per legem ostendebantur esse [Col. 0065D] peccata vitiaque. Per legem erant, hoc est, per legem enim ostendebantur: per legem ostendi, non per legem fieri monstrat; index enim peccati lex est, reos faciens peccatores. Quaenam ista lex est, per quam vitia peccatorum operantur? Nunquid lex Moysi, etiam si secundum litteram observaretur,

vitia generat peccatorum? Sed in aperto est quod illam legem dicat membrorum quae resistit legi mentis. Ista ergo lex est quae facit in his qui secundum carnem vivunt, vitia peccatorum abundare, ut fructificarent morti: ad hoc namque est ista in membris nostris, ut resistentes adversum legem mentis, captivos nos ducat peccato, et hos fructus offerat morti, sive ut fructificaret morti, hoc est, ut [Col. 0066A] fructum faceret morti secundae. Lucrum enim tunc facit mors, cum peccatur. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis.* Id est, dum remissionem accipimus peccatorum: non enim habet in nos potestatem, infidis autem et peccatoribus dominatur. Lex autem mortis ideo dicta est, quia punit reos mortis.

Nunc autem soluti sumus a lege mortis. Hoc est, nos mortui cum Christo per baptismum sumus, nisi enim quis mortuus fuerit cum Christo, ab ista lege non solvitur.

Ut serviamus in novitate spiritus. Hoc est, spiritualis gratiae praeceptis, non litterae legis. Lex enim vetus non criminis nomen est, sed temporis vel aetatis. Senuit autem, quia cessavit. Lex autem spiritus est ipsa lex fidei, quia fides in animo est, nec [Col. 0066B] operibus addiscitur, sed corde creditur, et mens ipsa intelligit, naturae suae esse quod credit, nec oculis cernitur, nec manibus palpatur. Est et alia interpretatio legis spiritus, ut quia prior lex ab opere malo inhibuit, haec cum nec in corde debere peccare dicit, lex spiritus vocatur, ut totum hominem faciat spiritualem. Non idcirco nos Christus abstraxit a lege peccati, ut vetustati litterae serviamus, id est, ut circumcisionem accipiamus, et caetera quae vetustas legis litterae continet, sed ut legi Dei in spiritus novitate serviamus, id est, ex omnibus quae in ea scripta sunt spiritualem sensum Spiritu donante capiamus, sicut idem Apostolus alibi dicit: *Quia velamen est positum in facie Moysi:* cum autem conversus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Dominus [Col. 0066C] spiritus est: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas **(II Cor. III)**.

Quid ergo dicemus? Non ergo peccatum est lex, sed index peccati. Bona autem et justa est lex. Ostendere enim imminens periculum bonum est, sed hic magis gratias agit, qui ereptus a periculo vivit. *Nam concupiscentiam nesciebam.* Non dixit, Non habebam, non faciebam, sed *nesciebam, hoc est, nesciebam concupiscentiam esse peccatum.*

Occasione ergo accepta per mandatum. Omnem dicens concupiscentiam, cuncta peccata significat.

Sine lege enim peccatum mortuum est. Hic duplici genere intelligendum est, ut et zabulum in peccato sciat significatum. Mortuus dicitur fuisse zabulus, quia cessavit ab illusione hominis, quia securus erat [Col. 0066D] de possessione ejus. Peccatum autem mortuum dixit, quia putabatur quod non imputaretur apud Deum, ideo apud hominem mortuum erat, quasi impune peccaretur: sine lege enim pene lex in oblivionem ierat naturalis, quae suggerebat quid esset peccatum. Idcirco lex litterae supra dicta est, ut commemoraret oblitos. Quid est sine lege vixisse, cui lex semper sit? nam quia sine timore Dei vivebat, securus quod non esset Deus judicaturus actus humanos.

Sed ubi venit mandatum, peccatum revixit. In fine oblivionis recognitum est peccatum adveniente mandato, ut omnis qui illud fecerit mortuum se esse cognoscat. Peccatum

autem revixit, quia vixerat per [Col. 0067A] scientiam naturalem, et mortuum fuerat per oblivionem, idcirco dicitur revixisse per legem. *Ego autem mortuus sum.* Mortuus est homo, qui videt se reum apud Deum, qui ante se putabat non futurum obnoxium ex his quae peccabat.

Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me. Peccatum hoc loco zabulum intellige, qui auctor est peccati, quique decipit hominem suggestionibus malis, ne faciat quod lex praecipit. *Itaque lex quidem sancta.* Ut nihil suspicionis perversae remaneret in lege, sic illam commendat, ut non solum justam, sed et sanctam et bonam pronuntiet, et *mandatum bonum:* quod enim prohibet malum, bonum est. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* Non enim mihi ipsa lex causa mortis existit, [Col. 0067B] sed ego qui peccando invenio mortem. *Sed ut peccatum appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Inimicus, hoc est diabolus, quem in peccato significat, ut appareat esse inimicus, per bonum accepit occasionem operari homini mortem: dum enim ad illicita illum suadet, apparet esse inimicus. *Ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ante legem modum habebat per ignorantiam, supra modum est cum scienter admittitur. *Scimus autem quod lex spiritualis est.* Quia spiritualia mandat, ardua praecipit opera spiritus, prohibens peccata, et ideo non potest impleri.

Ego autem carnalis sum. Ego quicunque legem accipio, et carnaliter vivere consuevi. *Quod enim operor.* Hoc est, carne, sive carnali concupiscentia. *Non* [Col. 0067C] intelligo. Non intelligit quod operatur, quia videt se aliud scire et aliud agere. *Si autem quod nolo illud facio, consentio legi Dei, quia bona est.* Si ipsum malum nolo facere quod committo, utique cum lege sentio, quae mala non vult, sed prohibet. *Nunc autem non ego operor illud.* Hoc est, secundum spirituale desiderium non ego illud operor. Non ego operor illud, qui velut invitus operor, sed consuetudo peccati, quam tamen necessitatem ipse mihi paravi.

Sed quod habitat in me peccatum. Hoc est, consuetudo peccandi, ab Adam transfusa. Habitat autem quasi hospes, et quasi aliud in alio, non quasi accidentia scilicet non naturalia. Sicut, verbi gratia, si [Col. 0067D] quis jam diu jurare vel irasci consuevit, etiam cum non optat, incurrit. *Scio enim quod non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Non dixit, Non est caro mea bona, sed quod *non habitat in carne, hoc est, in carnali concupiscentia, virtutis bonum. Nam voluntas benefaciendi adjacet mihi.* Est voluntas, sed non est effectus, quia carnalis consuetudo voluntati resistit. *Perficere autem bonum non invenio.* Hoc est, sine adminiculo gratiae non me video facere bonum. *Non enim quod volo facio bonum.* Semper repetit ut dilucidet: hoc ergo est quod praedictum est, quia ut captivus per supradictas causas illud cogitur facere quod non vult, peccatum quod illius dominetur.[Col. 0068A]

Jam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Nunquid qui invitum hominem dicit peccare, immunis debet videri? non utique, ipsius enim vitio et desiderio haec coepta sunt; qui nisi mancipasset se per assensum peccato, non illius dominaretur. Primum enim suadet ut victo dominetur. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum.* Legem Moysi asserit voluntati suae dare consensum contra peccatum quod in

carne habitat, quod aliud cogit facere quam vult homo et lex. Hic elocutiones integrae non videntur, sed tali quodam ordine legere debemus, ut intellectus lucidior fiat: Ergo quia malum mihi adjacet volenti facere bonum, invenio legem Dei, et condelector ei secundum interiorem hominem. Per quod ostendit quod interior homo, [Col. 0068B] hoc est, voluntas, et propositum, quo initium accipit converti ad Dominum, legi Dei consentit, et delectatur in ea, sed, ut diximus, non statim ut voluntatem quis habuerit converti ad bona, etiam usus bonis operis sequitur: cita enim res est voluntas, et sine impedimento vertitur, opus vero tardum est, quia et usum, et artem, et laborem requirit operandi. Verbi gratia: vult aliquis sapiens fieri, nec tamen statim ut voluit sapiens effectus est: voluntas quid praecessit, nec sine voluntate aliquis sapiens fieri potest. Sed tamen cum voluntas fuerit, adhibendus est labor, studium, sollicitudo, vigiliae, doctrina, institutio; et vix aliquando usu longo et meditatione continua sapiens efficitur. Iste ordo de pudicitia habendus, et de mansuetudine, et [Col. 0068C] patientia, et de singulis quibusque virtutibus sciendus est, in quibus omnibus dici convenit, quia *condelector* legi Dei, hoc est, virtutibus, *secundum interiorem hominem.* Video autem aliam legem repugnantem in membris meis. Aliam legem desideria consueta dicit, vel persuasionem inimici. *Repugnantem legi mentis meae.* Conscientiae scilicet naturali, vel legi divinae, quae in mente consistit, quod supra dixit: *velle enim bonum adjacet mihi, hic voluntatem boni legem mentis nominat, quae lex mentis convenit cum lege Dei et consentit ei.* Sed rursum motus corporis et desideria carnis, legem membrorum dicit, quae captivam ducit animam, et peccati legibus subdit. Et sicut lex mentis, quae consentit cum lege Dei, si animam potuerit obtinere, adducit [Col. 0068D] eam ad legem Dei, ita et lex quae in membris est, et concupiscentia carnis, si seduxerit animam, peccati eam legibus subdit. Cum haec Paulus, assumpta fragiliore persona, intra hominem haberi certamina docuisset, exclamatione utitur adhuc ex persona illius quem descripsit, et dicit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Vidit se miserum, intra quem tot leges sibi invicem repugnant, tot praelia commoventur, pugnat caro adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem. De corpore mortis hujus? Merito corpus mortis appellatur, in quo habitat peccatum, quod est mortis causa, hanc dicit mortem, quam ostendit in nece hominis per peccatum inventam apud inferos.* Corpus [Col. 0069A] autem mortis cuncta peccata significat: multa enim unum corpus sunt, secundum singula quasi membra uno auctore inventa, ex quibus homo ereptus gratia Dei secundam mortem evasit. *Gratia Dei.* Quem lex non potuit liberare. Nunquidnam Paulus nondum erat gratia Dei liberatus? Unde probatur quia ex alterius persona loquitur: *Mente servio legi Dei.* Legi Dei cum dicit, Moysi significat legem et Christi. *Ego ipse.* Id est, qui liberatus sum de corpore mortis. *Carne autem legi peccati.* Id est diaboli, qui per carnem subjectam sibi suggestiones malas ingerit animae.

CAPUT VIII.

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Verum [Col. 0069B] est quod nulla erit damnatio eorum qui sunt in Christo, animo legi Dei servientes. Lex spiritus vitae ipsa est lex fidei quae, dum mortis peccata dimittit, lex vitae est, non per litteram constans, sed per spiritum: quia corde creditur, et spiritus est qui credit. Haec itaque lex in Christo Jesu, hoc est per fidem

Christi, liberat credentem a lege peccati et mortis. Lex peccati est, quam in membris dixit habitare. Lex vero mortis Moysi lex est, quia peccatum augebat, ut reum faceret hominem apud legem, ut damnaretur ab ea. Ideoque lex reis mors est, bonis vero spiritualis est. *Aliis* enim est *odor vitae ad vitam, aliis odor mortis ad mortem* **(II Cor. II)**. Utrumque continet lex, et litteram occidentem, et spiritum vivificantem. Unde considera ne forte hujus [Col. 0069C] rei formam teneat et illud lignum, de quo scriptum est, sciendi bonum et malum **(Gen. II)**. Utrumque in uno, sicut in lege, continetur. *Nam quod impossibile erat legi.* Hoc dicit ut baptizatos securos reddat, quia a peccato liberati sunt: quia *quod impossibile erat legi.* Cui impossibile? nobis scilicet impossibile erat mandatum legis implere, quia subjecti eramus peccato. *Ob hoc misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati.* Aliter impossibile erat legi ut homines carnales faceret custodire justitiam mortificandae carnis, exemplo non dato. *In quo infirmabatur per carnem.* Hoc est, in eo quod lex infirmabatur non in se, sed in illis infirmabatur. Unde subinfert *per carnem, hoc est:* per carnalem concupiscentiam. Quod dixit: *in similitudinem carnis* [Col. 0069D] peccati, ostendit nos habere carnem peccati, Filium vero Dei similitudinem carnis peccati. Nam naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem peccati, quae ex concupiscentiae motu conceptis traditur, omnino non habuit.

Et de peccato, vel ut verius habetur apud Graecos, pro peccato, damnavit peccatum in carne. Hostiae quas pro peccato offerebant in lege, peccati nomine vocabantur, cum ipsae delicta nescirent, sicut scriptum est: Et imponent manus super caput peccati sui. Sic et caro Christi, quae pro peccatis nostris oblata est, peccati nomen accepit. Quidam sane dicunt quod peccato Judaeorum, quo Dominum occiderunt, peccatum diaboli, quo hominem deceperat, [Col. 0070A] per hominem condemnarit, sicut ad Hebraeos dicit: *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium* **(Heb. II)**, peccatum peccato proprio condemnavit: Christus enim a peccato crucifigitur, damnavit peccatum in carne: ibi enim damnatus est ubi peccavit, sicut et alio loco ait: *Triumphans illos in semetipso* **(Col. II)**. Hoc itaque peccato reus factus Satanas, amisit dominium retentarum animarum, ut jam signatas signo crucis, in quo victus est, in secunda morte tenere non audeat. Damnavit autem peccatum, dum irrita fecit delicta remissione peccatorum concessa. *Pro* peccato, inquit, *damnavit peccatum in carne sua.* Ut justificatio legis impleretur in nobis. Ut quomodo in illis, repugnante carnali consuetudine, impleri non potuit, in nobis saltem [Col. 0070B] impleatur, qui exemplo Christi mortificamus carnem. Damnatum dicit peccatum, ut impleretur in nobis justificatio legis datae a Moyse. Quomodo impletur? nisi cum datur remissio peccatorum, ut sublatis peccatis, justificatis appareat, mente serviens legi Dei, hoc est non secundum carnem ambulare, sed secundum spiritum. *Qui enim secundum carnem sunt.* Homo ex spiritu et carne constructus est; quando ergo carnalia agit, totus caro dicitur: quando spiritualia, totus spiritualis appellatur; unaquaeque enim substantia, cum eam altera in suam ditionem redegerit, et vim quodammodo propriam et nomen amittit.

Quae carnis sunt sapiunt. Id est, carnalia bona pro summis bonis concupiscunt. *Non enim quod volo* [Col. 0070C] hoc facio bonum, sed quod odi malum hoc ago. Multi hunc locum ita intelligi debere diffiniunt, ut hoc ipsum Apostolum non ex sua, sed ex

peccantium persona dixisse confirment. Quid enim boni quod ille non posset implere? et quid e contrario quod malivolens et odiens admiserit? Ad quam vero peccati legem ille vas electionis, in quo Christus loquebatur, potuit captivus abduci? Non intelligentes, qui hoc diffiniunt, quod supradicta testimonia nonnisi ad solos pertineant perfectos, et eorum tantum qui apostolorum merita subsequuntur, congruant sanctitati. Caeterorum quo pacto, id est, peccatorum personae poterit convenire quod dicitur: *Non quod volo hoc facio? Quis enim delinquentium nolens adulteriis fornicationibusque contaminetur? Quis* [Col. 0070D] invitus proximo tendat insidias? Quis necessitate cogatur, ut falso testimonio hominem opprimat furtove decipiat, aut alterius spolium concupiscat? vel sanguinem fundat, et caetera mala perficiat? Superest igitur ut haec sententia non ex peccatorum persona, sed ex Apostoli, ipsiusque similium dicta esse intelligatur. Sed tamen diligentius indagemus quid sit principale bonum quod Apostolus non poterat perficere cum vellet. Multa enim novimus bona quae beatus apostolus Paulus omnesque illius meriti habuisse credimus, id est, castitas, continentia, prudentia, sobrietas, temperantia, misericordia, justitia, quae omnia in Apostolo ejusque similibus fuisse non dubium est. Quod ergo unum optat facere, scilicet [Col. 0071A] theorica, pro qua vita Maria praefertur Marthae, ut est. *Maria optimam partem elegit.* Haec ergo theorica, id est, contemplatio Dei, omnium justificationum genera vel merita praecellit, et illa quidem omnia, quae in Apostolo fuisse praediximus, non solum bona et utilia, verum etiam magna atque praeclara sunt. Sed sicut, verbi gratia, stanni metallum, quod alicujus utilitatis et gratiae putabatur, fit argenti comparatione vilissimum; et rursum, auri contemplatione meritum evanescit argenti, aurum quoque collatione gemmarum, gemmae vero claritate margaritarum contemnuntur: ita illa ornamenta sanctitatis, quamvis non solum ad praesens bona et utilia sunt, verum etiam donum aeternitatis acquirunt, tamen si divinae contemplationis meritis comparentur, [Col. 0071B] vilia censebuntur, et comparatione theoricae claritatis fuscantur: multum enim sanctos, quamvis bonorum operum, terrenis tamen studiis occupatos, a contemplatione illius boni retrahunt ac tardant.

Nam prudentia carnis mors est. Ipse dicit, prudentiam humanam esse, pro malo vicem reddere. Talis ergo prudentia mortem parit transgrediendo praeceptum. Spiritus vero prudentia pacem habet non reddendo vicem, et vitam in futuro percipiet. Prudentia vero a providendo est appellata. Prudentia ideo dicitur cum res stulta sit, quia industria et astutia illorum in eo est ut peccet. Sapere enim sibi videntur, si istud diligentius curent. Est et alia prudentia carnis quae, mundanis rationibus inflata, [Col. 0071C] negat aliquod fieri quod mundi careat ratione, unde ridet Virginis partum, carnis resurrectionem. *Prudentia autem spiritus vita et pax.* Vere haec est prudentia quae vitam requirit, et pacem sequens spiritualem, contemptis illecebris vitae praesentis, habebit vitam cum pace, id est, sine inquietudine.

Quoniam prudentia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta. Ostendit quid dixerit inimica, ne quis putaret ex adverso aliud venire principium, subjungit et dicit. *Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Ergo facere contra legem, hoc est inimicum esse in Deum, non quia Deo aliquid nocere potest, sed sibi potest nocere, quisquis resistit voluntati Dei, hoc est enim calcem mittere adversus stimulum. Sic est dictum: *Legi enim* [Col. 0071D] Dei non est subjecta, neque enim potest. Tanquam si

diceretur, nix non calefacit, sed resolvi potest et fervere ut calefaciat, sed cum hoc facit, jam nix non est. Sic et prudentia carnalis, cum anima pro magnis bonis temporalia bona desiderare coeperit contemnere, et spiritualia desiderare, desinit esse carnis prudentia, et spiritui non resistit. Ea namque anima cum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur; cum superiora, prudentiam spiritus, non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur anima vel exuitur, sed ipsius animae affectatio est, quae omnino desinit cum se totam ad superna convertit.

Qui enim in carne sunt. Id est, voluntate carnis. [Col. 0072A] Hic apparet quod non carnem, sed opera carnis accuset. Totus mundus caro est: omne enim visibile carni deputatur, cognita enim sunt carnis, ideoque qui mundanis rebus obtemperat, in carne est.

Vos autem non estis in carne. In carne positi, dicuntur non esse in carne, sed in spiritu, hoc est, spiritualibus occupati. *Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* In illo spiritus Dei habitat, in quo apparent ejus fructus, sicut ait ad Galatas: *Fructus autem spiritus est gaudium, charitas, etc.* **(Gal. II)**. Hoc ideo ambigue dicitur quia in legem inducti, non adhuc perfectae fidei erant, sed spem in eis videbat perfectionis, unde aliquando quasi perfectis loquitur, aliquando quasi perfecturis, hoc est, aliquando laudat, aliquando commonet. *Qui enim in carne sunt,* [Col. 0072B] Deo placere non possunt. Id est qui voluptatibus carnis acquiescunt: ne quis enim de his dictum putaret qui de hac vita nondum excesserunt, opportunissime subjunxit: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu:* utique adhuc in hac vita constitutis loquitur. In spiritu enim erant, quia in fide, spe et charitate spiritualium rerum acquiescebant.

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Spiritus autem Christi, humilitatis, patientiae, omniumque virtutum est, qui dilexit inimicos et pro eis oravit. Spiritum Dei, nunc spiritum Christi dicit: quia omnia Patris Filii sunt. Hoc ergo dicitur, quia supradictis erroribus qui subjectus est, ad Christum non pertinet: spiritum enim ejus non habet, quem ut Filius Dei esset, acceperat. *Hic non* [Col. 0072C] est ejus. Cum in Psalmis dicat: *Meae sunt omnes ferae silvarum, jumenta in montibus, et boves* **(Psal. XLVI)**. Et si ferae et jumenta ejus sunt, quomodo homines ejus non sunt? Potest et sic intelligi quod qui non habet spiritum Christi, hic non ejus est: nam hic creatura quidem ejus est, sicut silvarum ferae, et jumenta in montibus, et boves, sed discipulus ejus non est.

Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum. Si Christum imitamini, carnalis sensus quasi mortuus vobis non resistit. Vel propter peccatum, etc., hoc est merito peccati. Peccati causa corpus mortuum asserit: corpus autem dicens, totum hominem significat mortuum peccati causa. *Spiritus vero vivit propter justificationem.* [Col. 0072D] Hoc est, spiritus vivit, ut justitiam operetur: non enim hoc solum quaeritur, ut a carnalibus cessemus, sed spiritualia faciamus. Mors autem corpori peccati causa, id est, ne peccet, imponitur. Quod si corpus peccato mortuum est, spiritus necessario ad faciendam justitiam vivit. Qui enim in corpore mortuus nec servit peccato, necesse est ut in spiritu vivat et justitiae serviat. Sic et idem apostolus in quodam loco dicit tradidisse quemdam in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.

Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis. Quoniam quidem supra dixerat de

his qui ad similitudinem mortis Christi corpora sua mortificant, ne peccent, necessario tunc mentionem ejus facit qui [Col. 0073A] suscitavit Jesum a mortuis, ut similitudine et pari ratione, qua commortui sunt et consepulti, sciant se per spiritum ejus qui Jesum a mortuis suscitavit vivificandos esse, et ad Christi similitudinem resuscitandos esse a mortuis. Et quatenus id fiat, ostendit; dicit enim: *Propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Unusquisque sic habere in se spiritum Christi probatur. Christus sapientia est: si sit sapiens secundum Christum, et quae Christi sunt sapiat, habet in se per sapientiam spiritum Christi. Christus est justitia: si quis habeat in se justitiam Christi, per justitiam habet in se spiritum Christi. Christus pax est: si quis habeat in se pacem Christi, per spiritum pacis habet in se spiritum Christi. Sic et charitatem, sic et sanctificationem, sic et singula [Col. 0073B] quaeque, quae Christus esse dicuntur, hic qui habet spiritum Christi, in se habere credendus est, et sperare quod corporale corpus suum vivificabitur, propter inhabitantem in se spiritum Christi.

Et mortalia vivificabit corpora vestra. Quia supra propter peccatum corpus dixerat mori morte secunda, id est totum hominem, hic iterum propter bonam vitam mortalia corpora vivificare promisit, id est totum hominem. Non autem ait *qui suscitavit Jesum Christum ex mortuis,* vivificabit mortua corpora vestra, cum supra dixisset *corpus mortuum;* sed *vivificabit,* inquit, *et mortalia corpora vestra, ut scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia, cum animale resurget spirituale, et mortale hoc induetur immortali,* absorbebitur mortale [Col. 0073C] a vita.

Ergo, fratres, debitores sumus non carni. Hoc totum ait, ut ostendat eis legem non esse necessariam, quae carnalibus data est. Spiritum Christi habitare in nobis, et dona spiritus in nobis collata superius docuit: consequenter ergo nunc addidit, quia debitores eorum sine dubio quae a spiritu consecuti sumus. Carni autem, inquit, non sumus debitores, neque enim propterea fecit nos Deus ad imaginem suam, ut carnis servitio essemus obnoxii, sed ut potius creatori suo anima deserviens, ipsa servitio ac ministerio carnis utatur. Sed fortasse dicat aliquis: Quomodo non sumus debitores carni, cum victum ei et indumentum providere naturae necessitate cogamur? Non ergo hoc negat nos esse debitores, sicut [Col. 0073D] alibi dicit: *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.* Non utique negat curam carnis habendam in necessariis, sed in concupiscentiis.

Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Nihil verius quam si secundum carnem vixerimus, moriemur. Adam enim praevaricans vendidit se peccato, carni deputatus. Omne enim peccatum caro est, propterea enim quod deforis peccatum tantum est. *Si autem per spiritum facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hoc est, si spiritualibus actionibus carnis opera subjeceritis, vivetis. Notandum sane opera carnis, non substantiam condemnari; mortificat autem quis hoc modo actus carnis. Fructus est spiritus charitas; odium carnis est actus: odium igitur [Col. 0074A] per charitatem mortificatur et exstinguitur. Gaudium similiter fructus est spiritus; tristitia vero hujus saeculi, quae mortem operatur, carnis est actus: haec ergo exstinguitur, si sit in nobis gaudium spiritus. Pax fructus est spiritus; dissensio et discordia, carnis est: sed certum est discordiam mortificari posse per pacem; sed et caetera vitia caeteris virtutibus mortificantur. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Hos dicit spiritu

Dei agi, in quorum actibus consilia principum et potestatum hujus mundi non videntur: in quorum enim videntur, non sunt filii Dei, sed Zabuli.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Judaei acceperunt spiritum qui illos ad servitutem cogeret per timorem. Timere enim servorum [Col. 0074B] est; diligere, filiorum. Qui ergo opera charitatis voluntate nolebant, timoris vindictae necessitate coguntur. Nos vero omnia voluntarie operemur, ut filios nos probemus. Hoc ergo est quod docet Paulus: Qui posteaquam commortui sumus Christo, et spiritus ejus factus est in nobis, non iterum spiritum servitutis in timorem, hoc est, non rursum parvuli et initia habentes effecti simus, sed quasi perfecti semel.

Jam accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba pater. Neque enim pater alius quisquam, nisi filius, vocat: Abba pater. Qui vocat patrem, filium se profitetur: debet ergo in moribus similis inveniri, ne pro nomine quoque in vacuum usurpato, majori poenae subjaceat. *Abba pater,* hic duo verba [Col. 0074C] unum significantia posuit, propter duos populos in unum redactos, ut unum semen Abrahae fierent.

Ipse spiritus testimonium reddidit spiritui nostro, quod sumus filii. Testimonium adoptionis quod habemus spiritum, per quem ita oramus: tantam enim arrham non poterant, nisi filii accipere.

Si autem filii, et haeredes. Cum Deus Pater nullo modo mortuus dici possit, Christus ejus Filius mortuus dicitur. Causa incarnationis quidem est, ut hic qui mortuus est, semper viventis haeres esse dicatur, cum haeredes utique non nisi mortuorum sint. Sed haec causa humanitatis est: nam apud Deum, quae apud nos haereditas dicitur, donum est patris in filios obedientes transfusum. Haeres quis efficitur Dei, cum quae Dei sunt meretur accipere, id est, incorruptionis [Col. 0074D] et immortalitatis gloriam, thesauros sapientiae et scientiae reconditos.

Cohaeredes vero Christi. Cum *transformabit corpus humilitatis nostrae, conforme corpori gloriae suae,* sicut Apostolus ad Hebraeos dicit, *Testamentum testatoris morte firmatur* **(Heb. IX)**: propterea mortuo pro nobis Christo, novum testamentum esse asserit, cujus similitudo vetus testamentum erat, in quo mors testatoris per victimam praefigurabatur. Si ergo quaeratur quomodo simus secundum verba ejusdem Apostoli cohaeredes Christi, fiatque haeres Dei, cum haereditas morte decessoris firma teneatur, nec ullo alio modo haereditas possit intelligi, respondetur, ipso quidem mortuo nos factos esse [Col. 0075A] haeredes, quo filii etiam ejus dicti sumus. *Non jejunant, inquit, filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus.* Haeredes ergo ejus dicemur, quia reliquit nobis pacis ecclesiasticae possessionem, quod testatus est dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* **(Joan. XIV)**. Cohaeredes autem ejus efficimur, quoniam videbimus eum sicuti est. Haereditatem nos ejus patris quomodo morte adipiscimur? quia mori non potest, quandoquidem, inquit, ipse fit haereditas nostra, secundum illud quod scriptum est: *Dominus pars haereditatis meae* **(Psal. XV)**. Sed quomodo convocati sumus adhuc parvuli, et ad spiritualia contemplanda minus idonei? Usque ad humillimas nostras cogitationes se misericordia divina porrexit. *Cum autem venerit quod perfectum est,* auferetur quod [Col. 0075B] ex parte est. Convenienter enim dicitur

moriturum esse quod auferetur: ut quomodo cum cernere niteremur quod non evidenter atque perspicue coeperamus, ita nobis quodammodo moritur Pater in aenigmate, et idem ipse fit haereditas, cum facie ad faciem possidetur: non quia ipse moriatur, sed quia imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur, et tamen nisi illa prior nos nutriret, ad illam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei. Quod si etiam de Domino nostro Jesu Christo, non secundum Verbum in principio Deum apud Deum, sed secundum puerum, *qui proficiebat aetate et sapientia* **(Luc. II)**, pius intellectus admittit, propria illa susceptione servata, quae communis ei cum caeteris hominibus non est, manifestum est [Col. 0075C] cujus tanquam morte possideat haereditatem; non enim nos cohaeredes ejus esse possumus, nisi et ipse haeres sit. Si autem pietas non admittit ut primo ex parte videret homo Dominicus, deinde ex toto, quanquam in sapientia proficere dictus sit, corpore suo intelligitur haeres, id est, Ecclesia, cujus cohaeredes sumus, quamvis ex nobis constet. Sed rursum quaeri potest cujus morte simus nos etiam haereditas Dei, secundum illud: *Et dabo tibi gentes in haereditatem* **(Psal. II)**, nisi forte hujus mundi, quo prius tanquam dominante tenebamur. Post autem cum dicimus: *Mundus mihi crucifixus est et ego mundo* **(Gal. VI)**, possidet nos Christus, mortuo illo qui nos possidebat, cum ei renuntiamus, morimurque illi et ipse nobis.[Col. 0075D]

Si tamen compatimur. Videamus ergo quid sit compati. Compati est persecutiones tolerare, et carnem crucifigere cum vitiis et concupiscentiis. *Existimo enim quod non sint condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Hinc vult futuram gloriam commendare, ut praesentes pressuras facilius toleremus. Nihil quidem dignum inveniri vel comparari ad futuram gloriam potest: in quo enim mortale immortalibus conferas? aut invisibilibus visibilia? aut aeternis temporalia? aut perpetuis caduca? Puto quod in praesenti vita consolatio quae datur justis, secundum mensuram cruciatuum detur. Gloria vero futura, de qua dicit Apostolus, quae revelabitur in nobis, non secundum mensuram passionum: [Col. 0076A] *Non enim condignae sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat. Diversi hunc locum diversis modis exponunt. Sive omnis creatura resurrectionis tempus exspectat, quia tunc in melius commutabitur; sive angelica rationalis creatura: Petrus enim dicit etiam angelos desiderare gloriam sanctorum. *Revelationem filiorum Dei exspectat.* Hoc est, cum revelabuntur ea quae praeparata sunt his qui filii Dei merebuntur esse; aut certe cum, sublato ab his velamine quo obteguntur, manifesti fuerint ipsi qui filii Dei sunt. Quae autem est creatura quae revelationem filiorum Dei exspectat? Haec, inquit, quae vanitati subjecta est. Subjecta autem non ea conditione, [Col. 0076B] ut maneat semper subjecta vanitati, sed cum quadam spe. Quae autem spes, ita commemorat, dicens: *Quoniam* et ipsa, inquit, *liberabitur a servitute.* Quid est ergo quod vanitati subjecta est, nisi quia quae generat caduca sunt: operatur enim ut fructus faciat corruptibiles. Omnia enim quae nascuntur in mundo, infirma, caduca, et corruptibilia, ac per hoc vana sunt, quae statum suum tenere non possunt. *Non* autem *sponte subjecta est vanitati,* non enim sibi proderit quod subjecta est, sed nobis, et *propter eum qui subjecit eam in spe:* quoniam contradicere non potest creatura creatori suo, ejus causa subjecta est in spe. Vide ipsius solis et lunae, ac stellarum coeli, et totius mundi

ministeria, quomodo subjecta sunt vanitati, corruptionique deserviunt. Ad usum namque [Col. 0076C] hominum alunt segetes, fructus producunt arborum, herbamque camporum, atque eosdem in se revertentes anni circulos volvunt: reparant enim quae praetereunt, et praeterire rursum quae reparata sunt sinunt. Ipsos quoque angelos huic rationi credo subjectos, etiam non volentes, sed *propter eum qui subjecit in spe:* voluntati enim ejus quis resistit? Ego etiam de archangelis tale aliquid intelligere propheticis invitor eloquiis. Quid enim tantae vanitatis et tantae corruptionis invenies, quam bella gerere in hoc mundo, pugnas adversum me, regnum, et gentes commovere? Vide ergo quod in his praecipuum archangelici operis habetur officium, sicut Daniel propheta testatur, cum dicit, quia archangelus loquatur ad eum, qui diceret ei quod pugnaret [Col. 0076D] adversum principem Persarum: *et* nemo, inquit, *fuit mihi in adjutorio, nisi Michael princeps vester* **(Dan. X)**. Ergo per singula deprehenditur rationabilis *creatura vanitati esse subjecta, non volens, sed propter eum qui subjecit in spe.* Spes namque est ab his rebus corporeis et corruptibilibus aliquando cessandum: hanc enim habet exspectationem creatura ista rationalis, ut revelatio fiat filiorum Dei, propter quos angeli mittuntur in ministerium, ut et ipsi cum his quibus ministraverunt haereditatem capiant salutis, ut coelestium et terrestrium fiat unus grex et unus pastor, *ut sit Deus omnia in omnibus.* Omnis enim creatura congemiscit, et comparturit, et dolet. Sicut gaudent angeli super poenitentes, ita dolent super [Col. 0077A] converti nolentes. Requirendum est cur in superioribus nominaverit creaturam, et nunquam dixerit, *omnis creatura, ad ultimum vero dicat: Scimus enim quoniam omnis creatura congemiscit, et condolet, hoc est, quae necessitati corruptibilis corporis subjacet.* Omnis autem creatura est, quae dolentibus condolet, et quae gementibus congemiscit. Omnis autem creatura superior agones et certamina nostra spectat, et condolet cum vincimur, cum vincimus congaudet. Ipsa igitur elementa cum sollicitudine opera sua exhibent, quia et sol et luna non sine labore statuta sibi spatia implent, et spiritus animalium magno gemitu arctatur ad exhibenda servitia, satis de nostra salute sollicita sunt, scientes ad suam liberationem proficere, si modo nos citius [Col. 0077B] agnoscamus auctorem.

Non solum autem illa. Non solum angeli, qui benigniores sunt nobis, de hujusmodi dolent, *sed etiam nos, qui jam spiritum habemus, de talibus ingemiscimus. Primitias spiritus habentes.* Hoc ergo quod in eos prae caeteris sublimius et praeclarius collatum est, sancti Spiritus donum appellavit, et ideo dicitur, *sed et nos ipsi, in quo specialiter designare videtur apostolicam dignitatem. Nos* ergo, inquit, *ipsi,* hoc est, apostoli, *primitias habentes, qui electi sumus ad hoc, ut primitias spiritus acciperemus,* nos ipsi *intra nos gemiscimus.* In tantum, inquit, nulla creatura est quae doloribus et gemitibus vacet, ut etiam nos ipsi, qui summa a Spiritu sancto et electa dona percepimus, tamen exspectantes redemptionem [Col. 0077C] corporis nostri, necessario dolemus et gemiscimus. Scrutare librum Quaestionum, ut scias quid de hac lectione beatus Augustinus sentiat. *Spe ergo salvi facti sumus.* Hoc dicitur quia sperando quod promisit Deus in Christo, meritum nobis fecimus ut liberemur. Ergo in spe liberati sumus, quia non aliud putamus quam credimus. *Spes autem quae videtur, non est spes.* Quod videtur, non speratur, sed proprium est ac possidetur. Nulla enim in rebus visibilibus Christianis spes est, nec nobis praesentia promissa sunt, sed futura. *Non est spes.* Nihil est ergo prorsus sperandum in futuro de his quae videntur. *Oculus* enim *non vidit quae praeparavit*

Deus his qui diligunt eum. Videt autem oculus coelum et terram. Non ergo oportet hoc quod videtur credi praeparatum [Col. 0077D] esse a Deo his qui diligunt eum, sed coelum quidem, imo potius coelos multo eminentiores et celsiores quam est istud firmamentum quod videri potest. Et terra speranda est, non tamen haec arida quae oculis subjacet, sed illa erit mansuetorum terra quam oculus non vidit. *Spes quae videtur, non est spes.* Tunc ergo erit res, quae nunc spes est, cum apparuerit quid erimus, id est, similes illi, quoniam videbimus eum sicuti est. Manifestum est non esse spem quae videtur, sed quae non videtur, ac per hoc sperantes praemiis reficiendi sunt, quia quae non vident sperant. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Ideo fides per patientiam grandis est praemii, quia quod non videt, credit, et [Col. 0078A] quasi jam acceperit, ita secura est de nondum acceptis, sicut dicit ad Hebraeos: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem* **(Hebr. X)**. Spes enim sine patientia esse non novit, per patientiam exspectamus: haec exspectatio patientia est.

Similiter enim Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Quia quae ante petuntur quam peti debeant, et sunt contraria, non sinit fieri. Quae autem sit infirmitas nostra, Dominus docet cum dicit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* **(Matth. XXVI)**. Ergo infirmitas nostra ex carnis infirmitate descendit. Ipsa enim est quae concupiscit adversus spiritum, et dum concupiscentias suas ingerit, virtutem et libertatem spiritus impedit, et sinceritatem [Col. 0078B] orationis suffocat. Sed ubi viderit Spiritus Dei laborare spiritum in adversando carni et adhaerendo sibi, porrigit manum, et adjuvat infirmitatem ejus; et velut magister ejus suscipiens rudem discipulum et ignorantem penitus litteras, ut eum docere possit et instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, et ipse prius dicere nomen litterae, ut respondendo discat, et fit quodammodo magister ipse incipienti discipulo similis, ea loquens et ea meditans quae incipiens loqui debeat ac meditari. Quid orare, quid a Deo petere oporteat ignoramus: interdum enim quae contraria saluti sunt petimus vel cupimus infirmitate cogente. Sicut enim quis in aegritudine corporis positus non ea quae sanitati conducunt, sed ea quae praesentis infirmitatis [Col. 0078C] desiderium suggesserit, poscit a medico, ita et nos in hujus infirmitate languentes, interdum a Deo petimus quod non expedit nobis. Infirmitatem nostrae orationis ignorantiam significare declaravit: fallimur enim putantes quae poscimus prodesse, cum non sint. Denique eidem Apostolo deprecanti ut tentationes a Deo cessarent, quia crebrae erant, dictum est a Domino: *Sufficit tibi gratia mea:* nam virtus in infirmitate perficitur **(II Cor. XII)**.

Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hic gratiam Spiritus Spiritum nominavit; postulat autem, quia postulare nos facit gemitibus qui enarrari non possunt. Sicut tentare nos dicitur Deus, ut sciat, hoc est, scire nos faciat quales sumus. Sed et usu communi quo aliquis fieri jubet, [Col. 0078D] ipse dicitur operari, ut: ille aedificavit domum, aut, ille codicem fecit, cum nec ille scripserit, nec ille struxerit. *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Ostendit quidem, non tam verba nostra in oratione, quam cor mentemque perpendi: ipse enim est qui scrutator est cordis et renum. *Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Hoc dicit, quia si imperite precati sunt, non illis oberit, quia propositum cordis eorum sciens Deus, non illis imputat quae

adversa postulant, sed ea annuit quae danda sunt a Deo amantibus; unde et Dominus ait: *Scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis ab eo* **(Matth. VII)**. *His qui* [Col. 0079A] secundum propositum vocati sunt sancti. Secundum quod proposuit salvare sola fide quos praescierat credituros, et quos gratis vocavit ad salutem, multo magis glorificabit operantes.

Quos praescivit et praedestinavit. Hos quos praescivit futuros devotos sibi, ipsos elegit ad promissa praemia capessenda. Puto quod sicut non de omnibus dixit, *quos praedestinavit, ita nec de omnibus dixit, quos praescivit.* Non enim secundum opinionem vulgi communem putandum est bona malaque praescivisse Deum, sed secundum sanctae Scripturae consuetudinem sentiendum est. Observet enim qui studiosus est in Scripturis, sicubi invenit Scripturam dicere quod malos praescierit Deus, sicut in praesenti loco de bono manifeste dicit: Quia *quos praescivit,* [Col. 0079B] praedestinavit conformes imaginis Filii Dei, de bonis tantum dici; caeteros vero non praescire, sed nescire dicitur Deus: *Novit enim Deus qui sunt ejus.* Ad eos autem qui non sunt digni ut sciantur a Deo, Salvator dicit: *Discedite a me, quia nunquam cognovi vos, operarii iniquitatis* **(Matth. VII)**. Non quod aliquid potest illam naturam, quae ubique est, subterfugere, sed quia omne quod malum est, scientia ejus vel praesentia habetur indignum. Fortassis ab attentis lectoribus etiam hoc requiri videbitur, cur non dixerit conformes filii, sed *conformes imaginis.* Et quamvis arduum hoc videtur et difficile, tamen vide si possumus illud dicere: Quia specialis et propria imago, quae eam totam atque ex integro suscipit, et in semetipsa formabitur, ipsa Jesu anima dicenda [Col. 0079C] est, quae semper omnia verbo ac sapientiae Dei ita coaptat, ut nullo prorsus ab hujus similitudine decolor habeatur: ita ut quicunque summam perfectionis ac beatitudinis consectatur, ad illius imaginem ac similitudinem tendat, quae primo loco et super omnes caeteros Filii Dei imago est: ita ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, in his videlicet quorum conformatione imaginis Filii Dei primatum tenet. *Similes ei erimus, id est, Deo, sed tantummodo Filio, qui solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus fuerat, et resurrexit, atque ad suprema provexit.* Et in ista parte imago Filii Dei facti sumus, quia sicut ille habet, sic et nos conformes facti immortale habebimus corpus, non Patris imaginis ac Spiritus sancti.[Col. 0079D]

Ut sit primogenitus in multis fratribus. Recte *primogenitus, qui ante creaturam non factus, sed natus est.* Est et primogenitus in regeneratione spiritus; est primogenitus ex mortuis, cujus natura mori ignorat: est primogenitus, post victoriam ascendens in coelos; primogenitus igitur in omnibus frater noster dicitur, quoniam homo dignatus est nasci; Dominus vero, quia Dominus noster est.

Quos autem praedestinavit, hos et vocavit. Quos praescivit credituros, hos vocavit. Vocatio autem volentes colligit. Ergo vocantur per praedicationem ut credant; credentes justificantur per baptismum, glorificantur in virtutibus gratiarum, sive in resurrectione futura. Aliud est praescire, aliud praedestinare. [Col. 0080A] Praescientia itaque gerenda praenoscit, postmodum praedestinatio retribuenda describit. Illa praevidet merita, haec praedestinat praemia. At adversum eos qui nobis hujusmodi suscitant quaestiones etiam hoc possumus dicere: Si quos praescivit, illos et praedestinavit: non autem omnes praedestinavit, ergo non omnes praescivit, et

secundum eos erunt aliqua quae ignorat Deus. Si vero praenoscere secundum hoc accipiatur quod praediximus, hoc est in affectum recipere, sibique sociare, verum erit, quod sicut non omnes praedestinavit, ita neque omnes praecognovit: sic enim et Jesus dicitur non cognovisse peccatum, hoc est, qui nescierit homicidium, vel adulterium, et his similia. An neque adhaesit ei peccatum, sicut scriptum est: *Qui servat* [Col. 0080B] *mandatum, non cognoscet verbum malum, hoc est, non recipiet verbum malum.* Illos *vocavit.* Vocare est cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum quem sciat adjuvare.

Quid ergo dicemus ad haec? Hoc est beneficia quae praedicta sunt. Deus quomodo pro nobis sit, manifestum est ex his quae supra exposuit, id est, quod spiritus Dei habitat in nobis, et quod spiritus Christi, vel Christus, in nobis est, quod *spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat in nobis.* Vel spiritu Dei agimur. Vel quod *spiritum adoptionis accepimus.* Vel quod *sumus filii Dei et haeredes et cohaeredes Christi;* vel primitias spiritus accepimus; vel quod nobis omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum: vel quod *secundum propositum* [Col. 0080C] vocati sunt, et praecogniti, et praedestinati, et sanctificati, et glorificati. Horum omnium memoriam faciens, et simul omnia repetens ait: *Quid ergo dicemus ad haec? hoc est ad haec omnia quae supra diximus, quia si sic Deus pro nobis est ut haec nobis cuncta concesserit, quis esse adversum nos poterit? Non quod omnino neminem nobis dicat adversum, alioquin quomodo stabit quod dictum a Petro: Adversarius vester diabolus sicut leo rugiens circuit, quaerens quem transdevoret* **(I Pet. V)**. Sed hoc est quod ostendit, quia, Deo agente pro nobis, contemptibilis et nullus efficitur adversarius vester, dicente David: *Dominus illuminatio mea, et salus mea:* quem timebo? **(Psal. XXVI.)** *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit,* sed pro nobis omnibus tradidit [Col. 0080D] illum. Pro omnibus ergo tradidit eum, non solum pro sanctis, non solum pro magnis, sed pro minimis omnino, qui sunt in Ecclesia. Tradidit Filium proprium Pater, et ideo etiamsi minorum aliquem et infirmorum laedat quis percutiens infirmam conscientiam, in Christum peccare dicitur, quoniam quidem scandalizet animam pro qua Christus mortuus est. *Quomodo non per illum omnia nobis donavit? Quid potest habere charius quod nobis neget, qui Filium suum non negavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Multa sunt in Scripturis quae nisi proprio modo enuntientur, in contrariam recedunt sententiam, sicuti est: Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat.* Quod si quasi [Col. 0081A] confirmative observato genere pronuntiationis suae dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est ac si diceret. Deusne est, et subauditur, non utique, sed justificat. Quos ergo Deus elegit credentes, ac signis et virtutibus justos ostendit, quis de pristinis audebit accusare delictis? vel pro contemptu legalium mandatorum? Videtur mihi quod ait: *Quis accusabit adversus electos Dei? de diabolo dicere:* nullus enim electus, et ita magnus, quem ille non audeat accusare, nisi illum solum qui peccatum non fecit, qui et dicebat: *Nunc venit princeps mundi, et in me nihil invenit* **(Joan. XII)**. Sed diligentius intuere quod non dixit Apostolus: *Quis* accusabit adversum vocatos, sed *adversum electos;* nisi enim fueris electus, et in omnibus [Col. 0081B] te probabilem exhibueris Deo, habebis accusatorem. Si enim causa tua mala est, quid tibi proderit advocatus, etiamsi Jesus sit qui interpellet? Jesus enim veritas est, non potest ergo pro te veritas fallere. *Deus qui justificat, hoc in Isaia propheta est, quod hic quasi suum ponit quia omnino est alius, qui quidem nos arguet, ne forte nos*

ipse Deus accuset, sed non potest quos justificat accusare simul.

Jesus autem Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ut cum ipso simus ubi ipse est. Solent Ariani ex interpellationis causa movere calumniam, dicentes: Quod qui interpellatur, interpellante sit major. Quibus respondendum est, [Col. 0081C] Deum oblivionem non pati, ut cum illis moveatur semper quos elegit. Sed hoc est interpellare eum, dum semper Patri hominem quem suscepit quasi nostrum pignus ostendit et offert, ut verus pontifex et aeternus.

Quis ergo nos separabit a charitate Dei? Post tanta praeclara beneficia vel promissa, quae poterit tam gravis esse pressura quae nos ab ejus charitate divellat? Tribulatio? id est, omnis malorum perpessio. Angustia? Carceris.

Periculum? Maris, sicut scriptum est in psalmo videlicet quadragesimo tertio. Quia propter te mortificamur, hoc est, non propter aliud crimen, sed propter eum qui dixit: Beati estis cum vos persequuntur, etc. Tota die: non enim sufficit mihi una [Col. 0081D] hora mori pro Christo vel cruciari, sed tota die, hoc est, omni vitae meae tempore; et ideo: *In his* omnibus, inquit, *superamus.* Non nostra virtute, sed propter eum qui nos dilexit, sed in his omnibus superamus, hoc est, has tribulationes pro nihilo ducimus.

Qui nos dilexit. Etiam ut moreretur pro nobis, et quando pro ejus nomine morimur, tunc maxime triumphamus.

Confido enim quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, etc. Pro certo confido quia nec si mihi quis mortem minetur, nec si vitam promittat, nec si se angelum dicat a Domino destinatum, nec si se angelorum principem mentiatur, [Col. 0082A] nec si in praesenti honorem conferat, nec si polliceatur gloriam futurorum, neque si virtutes operetur, nec si coelum promittat, et in inferno deterreat, vel profunditatem scientiae suadere conetur, unquam nos poterit a Christi secernere charitate.

Neque creatura alia. Omnem pene creaturam nominavit, et non fuit hic contentus, nisi adderet: etiam si sit alia creatura, nec ipsa poterit separare. Nimirum hyperbolice hoc dicit Apostolus, hoc est, non solum per ea quae accidere possunt, sed nec per ea quidem quae evenire omnino non possunt, ullo pacto a Dei charitate deflectemus: verbi causa, ut si alia nobis daretur vita quam haec quae a Deo data est, aut si futurorum spes alia nobis promitteretur, [Col. 0082B] vel altitudo, vel etiam creatura, quae pro nobis congemiscit, quod fieri utique non potest, nec haec quidem a charitate Dei separare nos possunt. Cum pro his, inquit, omnibus beneficiis, quae consecuti sumus, fixi et radicati sumus in charitate Dei, quis nos ab ea poterit separare? Tribulatio si venerit: *In tribulatione dilatasti me* **(Psal. IV)**. Angustia si fuerit mundi, et ex necessitate corporis veniens, sapientiae Dei et scientiae latitudinem requiremus, in qua nos angustare non potest mundus; fames si adfuerit, turbare me non potest: habeo enim panem qui de coelo descendit, et reficit esurientes animas, nec aliquando potest panis iste deficere, est enim perfectus et aeternus; et nuditas non me confundit, indutus sum enim Dominum [Col. 0082C] nostrum Jesum Christum, et habitaculum nostrum quod de coelo est semper indui spero. *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem* **(I Cor. XII)**. Periculum non timebo: *Dominus* enim *illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?*

(Ephes. V.) Gladius terrenus terrere me non potest: habeo enim meum, *gladium* spiritus, quod est verbum Dei, qui est *penetrabilior omni gladio ancipiti* **(Hebr. IV)**: si ergo gladius mundi venerit super cervices meas, majorem mihi conciliat charitatem. Dicam namque ad eum, sicut scriptum est: *Propter te mortificamur tota die:* dum enim illius amore pendimus poenas, sensum doloris non recipimus: illius enim charitas, qua nos dilexit et nostrum ad se capit affectum, cruciatum corporis et dolorem sentire nos non facit: [Col. 0082D] ideo ergo in his omnibus superamus. Item: *Neque creatura alia.* Quod ita potest intelligi, quando quidem sciebat Apostolus, multas et innumerabiles creaturas Dei, quarum etiam ipse non omnem, sed ex parte ceperit scientiam, quarumque non solum species, sed et nomina in praesenti saeculo ignorarentur

Confido enim. Confidentia est enim haec de sponsione Christi, quia promisit in tribulatione adjuvare se dedicatam sibi fidem. Neque angelus, hoc est, nec si se angelus nobis ostendat ad seducendos nos, subornatus fallaciis patris sui diaboli, praevalere debebit adversum nos. Neque si virtus ab aliquo facta sit, sicut dicitur de Simone Mago in [Col. 0083A] aere volasse; nec si in altitudine se nobis ostendat, de qua dicit Apostolus: An ignoratis altitudinem Satanae? a juvatione nos Domini Jesu debebit auferre. Neque si per phantasiam profundam, qua seducere meditatur, nobis ostentet horrorem mirandum. Neque si futura nobis spondeat, quae promisit Aevae, assensum dabimus illi. Nec si arte et subtilitate astutiae suae aliam creaturam adjungat adorare, sicut junxerunt Jamnes et Mambres palam Pharaone, conveniens est ut per haec a Deo creatore nos evocet, quem ignoravimus creaturam condidisse in aeternum existentem. Quibusdam videtur *aliam creaturam de idolis dictum, sed non est verum, quia hanc debuit significare quam sub admiratione seductionis videtur fingere* [Col. 0083B] Satanas.

CAPUT IX.

Veritatem dico in Christo Jesu. Contra Judaeos acturus, primum illis satisfacit, non se odii causa haec dicere, sed amoris, eo quod doleat illos Christo non credere, ad quos primum salvandos advenerit. Videamus quare dixerit *Veritatem in Christo, quasi ostendens esse aliquam veritatem quae non sit in Christo, et vide si possumus tali modo veritatem quae in Christo est ab ea quae non est in Christo distinguere:* veritas ergo Christi esse credenda est, ubi et reliquae virtutes, quae Christus esse describitur, id est, ubi justitia, ubi pax, ubi est verbum Dei, ubi est et veritas Christi. Est autem veritas et injusta, ut si, verbi causa, dicamus: Daemonium [Col. 0083C] illud Pithonis, quod in Actibus apostolorum refertur in ancilla quadam habitasse et clamasse ad apostolos quod hi servi Dei summi sunt, qui annuntiant, hominibus viam Dei. Erat veritas in his verbis, verum enim erat quod dicebatur, sed non erat ista veritas in Christo, et propterea conversus ad eam Paulus dixit: *Obmutesce, et exi ab ea.* Et ideo Apostolus ad distinctionem veritatis ejus, quae extra Christum est, in Christo loquitur veritatem. Sed et hoc quod dicit: *Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, similem mihi videtur habere intelligentiam:* reddit enim testimonium conscientia etiam gentibus, secundum quod in superioribus idem Apostolus ait: *Testimonium reddente eis.* Nam non potest [Col. 0083D] dici quod in malis actibus in Spiritu sancto conscientia testimonium reddat, ubi cogitationes inter se invicem sunt accusantes. In Apostolo

vero, ubi cogitatio jam non habet quod accuset, recte conscientia in Spiritu sancto testimonium reddit.

Quoniam tristitia mihi est, et continuus dolor cordi meo. Esto, habeas tristitiam, esto, dolorem capias de perditione fratrum tuorum, qui sunt cognati secundum carnem, nunquid eo usque ut optes anathema fieri a Christo? Et quid tibi prodest illorum salus, si tu a salute separaberis? et quod salvaveris alios, si ipse pereas? Non, inquit, ita est, sed ego a Magistro et Domino meo [didici] [Col. 0084A] quia *qui vult animam suam salvam facere, perdet eam;* ideo et mihi videtur ille haec omnia praemisisse, quod nulla possint a Dei charitate divellere, ut cum se offert anathema pro fratribus suis, non lapsum ejus passibilem judices, sed sicut ille qui inseparabilis a Patre est per naturam, et immortalis in mortem venit, et ad inferna descendit, ita et iste imitando Magistrum cum separari a Christi charitate non possit, a Christo anathema fiat pro fratribus suis, devotione utique, non praevaricatione. Hieronymus in libro Quaestionum ad Algasiam: *Optabam enim anathema esse pro fratribus meis.* Cerne Apostolum, quantae charitatis in Christo sit, ut pro illo cupiat mori, et solus perire, dummodo in illum credat omne hominum genus: perire [Col. 0084B] etiam non in perpetuum, sed impraesentiarum. Vult ergo Apostolus perire in carne, ut alii salventur in spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animae conserventur. *Optabam, inquit, non opto, qui scit fieri non posse effectum, tamen dilectionem circa genus humanum ostendit.*

Qui sunt cognati secundum carnem. Qui propinquos et fratres appellat secundum carnem, in spiritu a se ostendit alienos. *Quorum adoptio est filiorum.* Quae significantius Graece dicitur υἱοθεσία,, de quibus quondam Dominus loquebatur: *Primogenitus meus Israel.* Adoptati enim sunt filii Israel a Deo tunc *cum divideret Excelsus gentes, et dispergeret filios Adam secundum numerum angelorum* [filiorum Israel], et facta est portio domui Jacob funiculus haereditatis [Col. 0084C] *ejus Israel* **(Deut. XXXIII)**. Adjecit adhuc ut et alios pro his dolere faciat, dicens: *Et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa.* De gloria datae legis saepe jam dictum est, sicut et ipse Apostolus dicit: Si enim quod evacuatur per gloriam est, hoc est Vetus Testamentum, multo magis quod manet in gloria est, Evangelii scilicet praedicatio. Sed quod dicit, Testamentum et legislatio, unum fortasse dicere nonnullis videtur: lex enim quae data est ipsa etiam Testamentum appellatur. Sed ego hanc esse distinctionem puto, quod legislatio quidem una fuerit, et semel habita per Moysen. Testamenta vero frequenter statuta sunt: quoties enim peccaverunt et abjecti sunt, toties exhaeredati videntur. Et rursus quoties repropitiatus [Col. 0084D] dicitur Deus, revocavit eos in haereditatem suae possessionis, toties reparasse testamenta, et haeredes eos scripsisse credendus est. Obsequium sacerdotalia dicuntur officia. Promissiones, quae patribus factae sunt, et separatim dandae his qui per fidem filii dicuntur Abrahae.

Quorum patres ex quibus est Christus secundum carnem. Hoc est, Abraham, Isaac, Jacob et caeteri. *Qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Super omnia, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum* **(Phil. II)**. Haec sunt omnia super quae dixit Deus, Christus est: nulla autem discretio est, quia qui adorat Filium adorat et Patrem: et qui servit Patri servit et Filio. *Non* [Col. 0085A] *enim*

excidit verbum Dei. Apostolus hanc sententiam profert de reprobatione Judaeorum, et de electione gentium in fidem secus Judaeos; quod plangit Apostolus dicens: *Quoniam tristitia est mihi.* Hic etiam incipit ratiocinare quare, alto et justo judicio Dei repulsis Judaeis, gentes sint intromissae: quia superius dixerat dolere se quod genus Israel proprio vitio excluderetur a regno, quorum haec omnia fuerant: hic ostendit illos qui non crediderunt, non esse filios Abrahae, ne omnibus Judaeis praedicare putaretur et objiceretur illi: Nunquid ergo Deus mentitus est Abrahae?

Nec enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitae. Hoc est quod vult intelligi, non ideo dignos posse omnes quia filii sint Abrahae: sed illos esse [Col. 0085B] dignos qui filii promissionis sunt, id est, quos scit Deus promissionem suam suscepturos, sive ex Judaeis, sive ex gentibus: hi enim digni sunt dici Israelitae, id est, videntes Deum. Nam de Isaac utique omnes hi filii sunt Abrahae, quia omnis propago generis Judaeorum per Isaac est: sed quia, sicut dixi, hi sunt vere filii Abrahae, qui promissionem sequuntur quae in Isaac facta est. Ac per hoc reliqui filii non sunt dicendi Abrahae: Abraham enim credens Isaac accepit propter fidem, quia credidit Deo, in quo mysterium futurae fidei designatum est, ut illi essent fratres Isaac qui eamdem fidem haberent in qua Isaac natus est, quia Isaac habuit typum Salvatoris. Natus est ex repromissione, ut qui credidit Christum Jesum promissum Abrahae, hic filius sit [Col. 0085C] Abrahae, frater vero Isaac. *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* In Isaac solo vocati sunt etiam tunc filii Abraham, non etiam in Ismael, cum et ipse ex ejus stirpe descendat: Ismael enim secundum usum carnalem natus est ex ancilla, Isaac vero super naturam ex senibus, ex repromissione Dei est generatus. Ita nunc Christianos promissio facit filios Abrahae, qui meruit fide ut pater sit plurimarum gentium. *Promissionis enim verbum hoc est.* Proposuit ergo Apostolus persequi, quia licet repudiatus sit populus Israel per infidelitatem, non tamen promissiones Dei quae erga eos habitae fuerant, decident et frustratae sint: docetque quia cum multi fuerint filii Abrahae, in solo Isaac sit facta promissio. *Non enim,* inquit, *qui filii carnis, hi sunt filii.* Contendit ostendere [Col. 0085D] quomodo Isaac non filius sit carnis, sed sit filius Dei, et redit ad ea quae de ipso in Genesi scripta sunt. *Promissionis,* inquit, *verbum hoc est:* Ad hoc tempus veniam, et erit Sarae filius. Non ergo, inquit, per ordinem nativitatis carnalis Isaac nascitur: Quippe cum et Abraham emortui jam corporis haberetur, et vulva Sarae emortua esset, sicut supra dictum est, sed per virtutem ejus qui dixit: *Ad hoc tempus veniam, et erit Sarae filius.* Merito ergo non carnis, sed filius dicitur, qui ex adventu et sermone nascitur Dei. Haec ergo, inquit, ratio, non solum de Isaac, sed et de Jacob recipienda est: Nam et Rebecca, inquit, non secundum carnalis nativitatis ordinem protulit partum. Cum enim ex uno concubitu [Col. 0086A] Isaac geminos concepisset, nondum partu edito, neque ullis actibus puerorum bonis malisve inter homines habitis, erga Jacob divina habetur electio, et dicitur, *quia major serviet minori:* Jacob dilexi, Esau autem odio habui: Seir, pilosus; Edom, sanguineus. *Ad hoc tempus veniam.* In Genesi ita legitur haec sententia, trium Abrahae loquentium in valle Mambre qui dixerunt ad eum: *Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit:* In tabernaculo est. Cui dixit: Revertens veniam ad te tempore isto, et habebit filium Sara uxor tua, et erit Sarae filius. Hic ostendit posteriorem populum more Isaac esse promissionis, hoc est, in Genesi, quod praefiguratum in Christum est, ut futurus Christus promitteretur filius Abrahae, in quo promissionis verbum impletur, ut in Christo [Col. 0086B] benedicerentur omnes gentes terrae. Quando enim promissio facta

est Abrahae, in qua promissione et audivit Abraham: Quia *in semine tuo benedicentur omnes gentes terrae, Christus utique illi promissus est ex traduce Isaac, in quo hoc completum videmus. Non solum autem illi, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Hoc est, non solum Isaac et Ismael, qui quamvis uno patre, diversa tamen matre generati sunt, non sunt unum apud Deum, sed etiam Jacob et Esau, qui ex uno sunt de Rebecca nati concubitu, antequam nascerentur, apud Deum fidei sunt merito separati, ut propositio jam maneret. Ita ergo et nunc quos praescivit de gentibus credituros, elegit, et ex Israel rejecit incredulos. Non tantum ergo Sara in typum dicitur [Col. 0086C] generasse Isaac, sed et Rebeccam uxorem Isaac. Sed alia causa est in Isaac, alia in Jacob et Esau, quia Isaac in figura Salvatoris natus est, Jacob et Esau duorum populorum habent typum, id est credentium et non credentium. Ut ex uno sint diversi, sint tamen unum. In singulis enim et gens significatur, ut unius generis dicantur, qui in causa fidei unum sunt, vel perfidiae, unus enim significatur in multis, non per traducem carnis, sed per communem causam, quae ex Esau et Jacob laudatur. Omnes ex eo nati, filii ejus merito dicendi sunt, aut quia Esau displicuit, omnes ex ejus origine reprobi sunt, cum videamus et de Jacob traduce natos factos perfidos, et Esau fideles, et Deo charos. Nam quia de Jacob multi sunt perfidi, dubium non est. Omnes [Col. 0086D] enim Judaei non credentes ex eo habent originem: et quia de Esau sunt boni et fideles, probat Job, qui est filius Esau, quintus ab Abraham, hoc est, nepos Esau. *Ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Quae intelligitur prima geminos edidisse, in eo quod quasi novum aliquid accesserit, praeterita Deum interrogaret. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret:* non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori. Praescientia Dei flagitatur in his causis, quia non aliud potest evenire quam novit Deus futurum. Unum elegit praescientia et alterum sprevit; et in illo quem elegit, propositum Dei manet, quia aliud non potest evenire quam scit, et proposuit, ut salute dignus sit. Et in illo [Col. 0087A] quem sprevit, simili modo manet propositum, quod proposuit de illo, quia salute indignus erat. Sciendo enim quid unusquisque illorum esset facturus, dixit: Ille erit dignus qui erit minor; et qui erit major, erit indignus salute; hoc quasi praescius, non personarum acceptor, dicit: Nam neminem damnat antequam peccet, et nullum coronat antequam vincat. Praescientia enim diffinitum habet, qualis uniuscujusque futura voluntas sit in qua mansurus est, per quam damnatur aut coronatur. Denique quos scit in bono mansuros, frequenter ante sunt mali: et quos malos scit permansuros, aliquoties sunt prius boni. Unde cessat querela, quia Deus personarum acceptor non est.

Major serviet minori. Majorem populum Judaeorum [Col. 0087B] minori Christiano serviturum dicit. Aut *major, id est,* Idumaeus populus, *serviet minori, id est Israelitico populo.*

Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid mirum est si justitia diligat innocentiam, et si respuat iniquitatem apud quem etiam futura sunt facta? Sed requirendum quare hoc dicatur, cum alibi scriptum sit: *Non est acceptio personarum apud Deum* **(Malach. I)**. Si quis habet duos debitores, et alteri vult dimittere debitum, ab altero exigere, cui vult donat, sed neminem fraudat. Ambo gemini natura filii irae nascebantur: nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed quod dixit: *Miserebor cui misertus ero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam,* Esau

autem [Col. 0087C] odio habuit per judicium debitum. Sentiens autem quemadmodum hoc quod dictum est permoveret eos qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiae,

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? Absit? Iniquitas enim videtur, ut sine ullis bonorum malorumve operum meritis, unum Deus diligat, alterum oderit. Qua in re, si futura opera vel bona ejus, vel mala illius, quae Deus utique praesciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret: *non ex operibus, sed diceret ex futuris operibus:* eoque modo istam solveret quaestionem: Moysi enim dicit: *Miserebor cui misertus ero* **(Exod. XXXIII)**. Hoc in Exodo dictum est, quando ad rationem vituli Deus in populum vindicare proposuit. Haec elocutio ita [Col. 0087D] intelligenda est: Cujus justitiam esse cognovero, cujus promptam fidem videro, quem praeceptis meis obedire perspexero, quem meam voluntatem facere probavero.

Et misericordiam, inquit, *praestabo cui miserebor.* Id est, cum collatam a Deo misericordiam subdita et sollicita mente servaverit, ampliorem consequetur. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex persona contradicentis sibi dicit Apostolus: *Nunquid iniquitas est apud Deum? et initiis respondet: Absit, ut ad omnia caetera, quae ex persona contradicentis objicienda sunt, ab Apostolo semper responderi videatur: Absit.* Iste ergo qui contradicit utitur Moysi verbis, quibus dicit ad [Col. 0088A] eum Deus: *Miserebor cujus misertus ero.* Quod si ita est, inquit, *non* ergo *volentis, neque currentis est salus, sed ejus cui miseretur Deus. Nam et Pharaoni inquit Deus:* Quia ad hoc ipsum te suscitavi, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ut ex hoc videatur ostendi quia si ad hoc electus est Pharao ut per eum virtus Dei omnibus declaretur, non fuit in sua potestate quod periit. Et addit post haec omnia:

Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat. Hoc est, inquit, quod asseverasti qui contradicis: quod sine causa conqueritur, et arguit homines Deus. Si enim ipse quem vult eligit, et quem vult abjicit, *Voluntati ejus quis resistet? Per quae omnia* [Col. 0088B] illud sine dubio contradictio ista molitur, quod in hoc non sit libertas arbitrii, nec habeat unusquisque sui potestatem ut salvetur, aut pereat. Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum. *Non volentis, neque currentis, etc.* Cum procul dubio si homo ejus aetatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, neque ad palmam supernae vocationis Dei pervenire, nisi voluntate cucurrerit: quomodo non volentis, neque currentis est, nisi quod ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Domino praeparatur? Et in alio loco Apostolus dicit: *Deus enim, qui operatur in nobis et velle et operari.* Alioqui si propterea dictum est, *non volentis, quia ex utraque sit, id est, ex voluntate hominis et Dei misericordia.* Ut sic [Col. 0088C] dictum accipiamus, *non volentis, neque currentis, tanquam diceretur, Non sufficit hominis voluntas sola, si non sit etiam misericordia Dei:* non ergo sufficit sola misericordia Dei, nisi sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc si recte dictum est: Non volentis hominis, sed miserentis Dei est, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non e contrario recte dicitur: Non miserentis Dei, sed voluntatis est hominis? quia id misericordia Dei non implet. Porro si nullus dicere Christianus audebit: Non miserentis Dei est, sed voluntatis hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea

recte dictum intelligatur: *non volentis, neque currentis, sea Dei miserentis, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam praeparat ad adjuvandum,* et adjuvat [Col. 0088D] praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa: nam utrumque legitur in sanctis eloquiis: *Et misericordia ejus praeveniet me, et misericordia ejus subsequetur me;* nolentem praevenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique volentibus pie vivere, nisi ut Deus operetur in eis et velle? Item cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Oremus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia ejus praeveniat eos, sicut praevenit nos. Oremus pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos. Item *non volentis,* [Col. 0089A] *neque currentis;* nam libero arbitrio male utens nomo, et se perdidit, et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, neque seipsum poterit resuscitare cum occiderit: ita cum libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est liberum arbitrium: *a quo,* enim *quis devictus est, huic et servus addictus est, sed ad benefaciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat, cujus illa vox est: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis:* Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Qui vult et qui currit, hoc videtur esse quod est ille qui plantat: et eum qui rigat nil esse dicit Apostolus, non quo nihil habeant, sed quoad comparationem Dei qui incrementum operi vel effectum dat, [Col. 0089B] illi nihil esse ducantur. *Quia in hoc ipsum te excitavi ut ostendam in te virtutem meam.* Hoc autem fecit Deus more sapientissimi patrisfamilias, qui unicuique servorum suorum opera virtutibus et artibus eorum convenientia proponit. Si quis vero inobediens et rebellis corrigi verberibus noluerit, poena digna ei promittitur et mors, ut caeteri servi illas poenas videant, et terrore correpti similia committere non audeant. Sic nimirum Pharao rebellis, decemque plagis percussus, corrigi non valuit, donec iram judicis emeruit, per quam suum populum emendare Deus voluit. Ponamus ergo patremfamilias istum, id est Deum, vel regem, vidisse tempus quo emendari deberent hi qui in ejus mores ac disciplinam multa commiserant, et eis dedisse aliquem [Col. 0089C] durissimum, et his ipsis qui corripiendi sunt multo duriorem, qui pro sceleribus suis jam non sit dignus emendatione, sed morte. Volens vero interitum ejus ad emendationem proficere caeterorum, mittit eum ad illos quos morte ejus corrigi cupit, et dicit ei: Quia *ad hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam.* Vide enim quod non dixit, Ad ipsum te feci, ne ad conditorem referri culpa videretur, sed ait: *Ad hoc ipsum te suscitavi, ut per animi tui malitiam, quam infrenis et sine Dei timore vivendo quaesisti, et in alios irrogetur utilis ac fructuosa correctio, et in te ipsum, ad posteritatis exemplum, famosissimus conferatur interitus.* Cum Dei misericordiam commendasset, in eo quod ait: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* [Col. 0089D] deinde, ut etiam commendaret judicium, quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed judicium debitum: non est quippe iniquitas apud Deum, continuo subjunxit atque ait: *Dicit enim Scriptura Pharaoni:* Quia in hoc te excitavi. Quibus dictis utraque concludens, id est, ad misericordiam et judicium. *Ergo,* inquit, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Miseretur scilicet magna bonitate, et obdurat nulla iniquitate, ut neque liberatus de suis meritis glorietur, neque damnatus nisi de suis meritis conqueratur: sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreaverat massam, ab origine ducta causa communi. Ergo per misericordiam, cui vult miseretur, [Col. 0090A] et

per judicium, quem vult obdurat, nec tamen inique aliquid facit. Vis scire quia divina moderatio in Pharaone causam induratae mentis operatur: id est, ipse Pharao in decem plagis positus cum percuteretur, mitigabatur; cum relaxaretur, ingravabatur, ac impium divina severitas inclinabat, bonitas obdurabat: castigante Deo populum, dimittebat, parte revocabat. Perspicue quomodo rebellem spiritum coelestis lenitas obdurat, accedentibus mitescit flagellis, recedentibus insolescit. Dei patientia induratus est Pharao, cessante enim plaga Dei durior fiebat; et quamvis sciret eum non converti, tamen etiam in ipso suam clementiam voluit demonstrare. *Et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Ut in hoc caeterae gentes addiscerent non esse alium Deum [Col. 0090B] praeter hunc qui Judaeorum erat: ad hoc ergo servatus est Pharao, ut multa signa et plagae ostenderentur in illo, quasi jam mortuo: suscitatus autem dicit ei quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit ut vivere videretur. *Quid igitur queritur adhuc? Tanquam propterea non videatur esse malus culpandus, quia Deus cui vult miseretur, et quem vult obdurat. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Hoc loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendae rationis repressisse audaciam contradictoris.* Sed magnum habet pondus quod dictum est: *O homo, tu quis es, etc.* Et ut in talibus quaestionibus ad suae capacitatis considerationem revocaret hominem: verbo quidem sed reipsa magna conredditio rationis; si enim haec [Col. 0090C] non capit, *quis est qui respondeat Deo? si capit, magis non invenit quod respondeat.* Vide enim universum genus humanum tam justo judicio divinoque in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam. Et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis atque damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, quod etiam justos debitum judicium Dei damnaret, nisi in ejus debitum misericordia subveniret, ut volentium de suis meritis gloriari omne os obstruatur: et *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Nec Apostolus hoc loco sanctos prohibuit a quaerendo, sed eos qui nondum sunt in charitate radicati et fundati, ut possint comprehendere cum omnibus [Col. 0090D] sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, quae in eodem loco exsequitur. Non ergo prohibuit a quaerendo qui dicit: *Spiritualis autem omnia judicat, ipse autem a nemine judicatur.* Quos ergo prohibuit, nisi luteos atque terrenos qui, nondum intrinsecus generati atque nutriti, imaginem illius hominis portant qui primus factus est *de terra terrenus? Talibus dicit Apostolus: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se fingit, Quare sic me fecisti? Quandiu ergo figmentum es, nondum perfectus filius, quia nondum hausisti plenissimam gratiam, qua nobis data est potestas filios Dei fieri, qua possis audire: Jam non dicam vos servos* **(Joan. I)**, *Tu quis es qui respondeas,* [Col. 0091A] et velis nosse Dei Filium? Legimus et in Evangelio eos qui proterve et infideliter inquirebant a Domino *in qua potestate haec faceret, et quis ei dedisset potestatem hanc* **(Matth. XXI)**, responsione quidem indignos habitos. Similiter quoque et in praesenti loco, motum videmus Apostolum, et adversum insolentes quaestiones per ea quae respondit proponentis contumaciam confudisse: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Certe hoc est homo apud Deum quod apud figulum lutum;* et sicut servus nequam, si forte videbit domino fieri debere aliquod opus, quod et rationis et utilitatis plenum sit, ille autem operari nolens ea quae is jubet, discutere incipiat, et requirere a domino ut quid hoc opus fieri jubes? cui prodest? ubi necessarium est? contumaci servo quae erit tam [Col. 0091B] digna responsio, nisi ut dicatur

ei: *Tu quis es qui respondeas Deo? ita placet, ita Domino videtur.* Si fidelis servus et prudens interroget, volens intelligere et mirari sapientiam Domini, quod dicatur ei: *Tu quis es? denique cum Daniel propheta voluntatem desiderasset agnoscere:* unde et *vir desideriorum appellatus* est, non est ei dictum, *Tu quis es? sed missus est angelus, qui eum de omnibus Dei dispensationibus et judiciis edoceret* **(Dan. IX)**. Et nos si aliquid de secretis Dei et reconditis desideramus agnoscere, desideriorum et non contentionum viri sumus, occultius in divinis litteris inserta Dei judicia fideliter et humiliter requiramus, propterea namque et Dominus dicebat: *Scrutamini Scripturas* **(Joan. XV)**. Legentem haec meminisse convenit attentius similitudinis [Col. 0091C] illius, quia in superioribus libris apostolici sermonis dispensatione posuimus: ut tanquam regiae cujusdam domus, quae multiplicibus sit ingressibus egressibusque distincta, et ex uno in aliud conclave ita transeatur ut vix ingredientis indicia aut egredientis appareant: ita etiam Paulum divinorum secreta paululum quidem subaperientem videri, non tamen plane aperteque pandentem. Denique cum pro his quae superius dixerat de Isaac, et de Jacob, quid per electionem exposito Dei antequam aliquid operis boni malive gessissent Deus dixerit, vel de illo: *Ad hoc tempus veniam, et erit Sarae filius.* Vel de hoc: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Cum in praesenti autem capitulo introduxisset aliquam personam, velut contradicentem sibi, et quaestiones moventem, [Col. 0091D] et diceret: *Nunquid iniquitas est apud Deum?* et si *non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est:* et si Pharaonem propterea elegit, ut in ipso potentiam suae virtutis ostenderet, et si ipse cujus vult miseretur, et quem vult indurat: utquid de omnibus, inquit, queritur, et cur qui peccat culpatur? cum talis de uno quoque ipsius voluntas habeatur. Haec ergo et his similia commoventi, atque in hujusce mysterii cubiculum protervius et importunius ingerenti, cum increpatione dignissimae exclamationis occurrit: *O homo, tu quis es,* qui contra *respondes Deo? quasi diceret, Tu quis es, qui te in aulam regis immergis, et interioris cubiculi ausus es secreta penetrare? Nunquid dicit figmentum ei qui se* [Col. 0092A] *finxit, Quid me fecisti sic?* **(Isai. XLV.)** Hoc de Isaia propheta est, quod hic proprium quasi ponit, per quod ostendit, contra auctorem opus ejus non posse: in potestate enim auctoris est qualem velit condere creaturam. Quid sibi vult homo de hac massa perditionis, ut Deo respondeat, et dicat: Quare sic me fecisti? Si vis ita cognoscere, noli esse lutum, sed efficere filius Dei per illius misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus: non autem, ut tu cupis, antequam credant divina nosse cupientibus.

Aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. De Pharaone facile respondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduretur cor, ut nec manifestissimis [Col. 0092B] signis jubentis Dei cederet. *Ex eadem enim massa.* Id est, peccatorum et misericordiae vasa protulit, quibus subveniret cum deprecarentur filii Israel. *Et vasa irae.* Quorum supplicio illos erudiret, id est, Pharaonem et populum ejus, qui quamvis essent utrique peccatores, et propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui uni Deo ingemuerant, ut eis subveniret: aliter illi, quorum injustis oneribus ingemuerant. *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam.* Quia illum diu sustinuit blasphemantem, et duris operibus suum populum affligentem; praeterquam quod innoxiam aetatem parvulorum crudeliter jusserat enecari. Vasa autem misericordiae Israelitas dicit, qui digni erant misericordia, quia et minora admiserant, [Col. 0092C] et graviter fuerant afflicti. Saepe de incompositis

elocutionibus Apostoli, defectibusque earum commonuimus, quod in praesenti loco nihilominus invenitur: non enim redditur ad aliquid hoc quod ait in principio capituli, quod si volens Deus, verbi causa, ut in aliis ipse dixit: *Quod si primitiae, sancta est et massa.* Nihil mortale reddit, sed quasi vagam conjunctionem istam reliquit, quae etiamsi non assumatur, lucidior absque ea dabitur intellectus. Verbi causa, ut ita legamus: *Volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, in perditionem apta, ut notas faceret divitias gloriae suae in vasis misericordiae.* In quo videtur intelligi quia, dum sustinet Deus et patienter fert incredulos et infideles, notam facit hominibus et [Col. 0092D] patientiam et potentiam suam. Patientiam, dum diu sustinet si forte resipiscant et convertantur; potentiam, dum aliquando punit. Et rursus in vasis misericordiae, hoc est, qui semetipsos emundaverunt, notas facit divitias gloriae: quae vasa non irrationabili aliqua, aut fortuita gratia, sed quoniam a peccati sordibus se expurgaverant praeparavit in gloriam. Notam ergo facit Deus potentiam suam, dum impios castigat et corripit, ut secundum Scripturae sententiam, dum flagellatur pestilens, innocens astutior fiat **(Prov. XIX)**. Quidam vero a superioribus repetunt: *O homo, tu qui es, qui respondeas Deo? Quod si volens Deus ostendere iram, etc.* Patientia et longanimitas est Dei, quae sicut malos praeparat ad interitum, [Col. 0093A] ita et bonos praeparat ad coronam: divitiae autem gloriae sunt, dignitas multiplex praeparata credentibus. Eo ipso quod ait: *In multa patientia, satis significavit priora eorum peccata, in quibus eos pertulit, ut opportune tunc vindicaret, quando illorum vindicta subvenienda erat:* his qui liberantur innotescunt divitiae Dei, cum erga eos qui inter homines spernuntur, et humiles sunt, misericordia ejus ostenditur quod non in divitiis suis, nec in potentia sua, sed in Domino sperant: sicut et tunc Hebraeorum gens dispersa inter homines et abjecta, a Deo misericordiam consecuta est. Ita ergo etiam populus gentium qui spernebatur et desperabatur ab his qui in circumcisione gloriantur, misericordiam consecutus est. *Vocabo non plebem meam, plebem meam.* [Col. 0093B] Apertum est de gentibus dictum, quia prius non erat plebs Dei, postea autem ad opprobrium Judaeorum misericordiam accipientes vocatae sunt, ut in loco ubi non vocabatur plebs Dei vocarentur ibi filii Dei vivi: prius enim nusquam vocabantur filii, nisi in Judaea, hoc est, in Hierusalem, ubi domus Dei erat; ut: *Notus in Judaea Deus* **(Psal. LXXV)**. *Isaias autem proclamat pro Israel, hoc est, clamat pro his qui credunt in Christum, hi enim vere Israelitae, sicut dicit Dominus ad Nathanael? Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* **(Joan. I)**. *Reliquiae salvae fiant.* Paucitatem eorum credituram esse demonstrat. Providens de futuris propheta videbat quod plurimi ex Israel futuri erant vasa irae non credentes vitae suae, sed Dominum majestatis crucifigentes, illi qui non salvantur, [Col. 0093C] tanquam arena maris sunt: reliquiae vero salvae fiant, tanquam stellae coeli sunt: utrumque enim promissionis, quae ad Abraham facta est, continet sermo: *erit,* inquit, *semen tuum sicut arena maris.*

Verbum enim consummans et brevians in aequitate. Historiae habet hoc sensus: Sicut ego verbum abbrevio et cito diffinio, ita Deus hoc omni velocitate perficiet. In prophetia autem breviatum verbum Novum Testamentum accipitur, quia in eo omnia breviter comprehensa sunt et clausa. Salvari hos promittit, quos reliquos dicit per verbum quod breviavit Dominus super terram, hoc est, per fidem, cum sublatis omnibus neomeniis, et sabbato, et circumcisione, et lege escarum, et oblationibus pecorum, sola

fides proposita est ad salutem quae abbreviata [Col. 0093D] est ex lege: quia quae in fide sunt habentur, dicente Salvatore: *De me enim scripsit Moyses.* Sive verbum breviatum est totius doctrinae, ut quod prius lex et prophetae continebant in latitudine praeceptorum, veniens Dominus pronuntiaret, et diceret: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum:* in his duobus mandatis pendet omnis lex et prophetae **(Matth. XXII)**, in quo evidenter prophetas et legem duobus his sermonibus breviavit. Potest et breviatum verbum dici symboli, quod credentibus traditur, in quo totius mysterii summa paucis connexa sermonibus continetur.

Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, etc. **(Isai. I)**. Quia non est passus [Col. 0094A] paucos justos perire cum multitudine impiorum. Quod semen Isaias Domino dicit derelictum: illud sine dubio quod idem Apostolus exponit in aliis, cum dicit ad Abraham dictum: *Tibi dabo terram hanc, et semini tuo:* Non autem dicit et seminibus tanquam in multis, sed semini tuo, tanquam in uno, qui est Christus. Non autem otiose Isaias semen nominavit quod reliquum est: semen namque dicitur quod seminatur in terra, et inde resurgentem fructum plurimum totius Ecclesiae multitudines prolaturum, sicut ipse Dominus dicit: *Nisi granum frumenti in terram ceciderit, et mortuum fuerit, fructum non affert;* aut fructus hujus seminis est indulgentia peccatorum. *Quid ergo dicemus? quod gentes, quae non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam.* Quomodo [Col. 0094B] hic dicit quod gentes non sectabantur justitiam, et comprehenderunt justitiam? Vide ergo si hoc modo possimus respondere: aliud est sectari, aliud est insitam habere. Sectari dicitur, qui doctrina et lectione multa assequi aliquid cupit: unde et a sectando sectae appellatae sunt hujusmodi doctrinae quae hominum traditione discuntur. Gentes ergo quae legem tabulis vel litteris scriptam non habuerunt, non dicuntur secutae esse justitiam, habuerunt tamen insitam, quam lex eos naturalis edocuit: idcirco ergo proximi fuerunt justitiae ei quae ex fide est, id est, Christo.

Israel vero sectans legem justitiae, in legem non pervenit. Et hic locus, sicut supra diximus, observandus; in uno eodemque versiculo diverse nominat [Col. 0094C] legem. Certum est enim quia sectabatur legem justitiae secundum litteram, sed in legem non pervenit: quam legem? sine dubio spiritus. Neque enim hoc diceret Apostolus, quia legem quam sectabatur, et quam tenebat, et quam habebat, in hanc non pervenit. Prima justitia est cognoscere Creatorem, de inde custodire quae praecepit.

Quare? Quia non ex fide: sed quasi ex operibus. Reddit causam quare non invenerit justitiam, quia falso in operibus gloriati credere noluerunt.

Offenderunt enim in lapidem offensionis. Id est, in Christum, quia non crediderunt in eum. Ideo lapis offensionis est: cui videre licet lapidem non offendit; qui autem caecus impingit se, quod contigit Judaeis, quos sua malitia excaecavit, ut Christum non agnoscentes [Col. 0094D] crucifigerent. Sed idcirco lapis offensionis et petra scandali praedictus est Christus, quia multi in nativitate ejus et passione scandalum patiuntur. *Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali.* Sciendum est quod in Isaia propheta hoc testimonium scriptum sit. Compertum est in petra vel in lapide Christum esse significatum. Daniel enim propheta lapidem hunc dicit, *qui abscissus a monte sine*

manibus, percussit et comminuit omnia regna, et replevit omnem terram **(Dan. II)**, quod evidenter de Christo dictum est. Et in lege petra, de qua fluxerant aquae, Christus est appellatus: *Petra autem,* inquit, *erat Christus.* Offensio ergo posita in Sion Christus est: Sion vero altitudo est, sive civitas ipsa [Col. 0095A] Hierusalem, quae propter notitiam Dei non immerito excelsa dicta est, in qua Salvator a Deo Patre positus praedicator, offensio factus est Judaeis, dum se Filium Dei praedicat, natum de Spiritu sancto ex muliere. Per corpus autem contra scandalum passi sunt, et dicebant: *Nonne mater ejus et fratres ejus apud nos sunt* **(Marc. VI)**? quomodo ergo hic dicit, quia de coelo descendit? Haec itaque petra scandalum est Judaeis et petra offensionis, quae petra sine dubio corpus intelligitur Salvatoris, haec excisa sine manibus, propterea quod sine viro de Spiritu sancto nata est. *Omnis qui credit in eum non confundetur.* Non Judaeus solus, sed omnis qui crediderit, de pristinis delictis non confundetur.

CAPUT X.

[Col. 0095B]

Fratres, voluntas quidem cordis mei, etc. In his quae nuper exposita sunt, multis testimoniis adversum Israel usus est prophetarum, ita ut proferret de Isaia: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset semen, etc.,* propterea solari nunc rursus populum volens, et per hoc invitare ad fidem, dicit: *Fratres, voluntas quidem cordis, etc.,* et causam cur voluntas sua et obsecratio pro illis apud Deum habeatur, ostendit. *Testimonium* enim, inquit, *perhibeo illis, quod aemulationem, etc.* Quamvis, inquit, tot et tantis sint involuti peccatorum suorum malis, tamen, quia ineffabilis zelus et aemulatio Dei est apud illos, haec me commovit causa obsecrare Dominum pro ipsis, ut vel in fine aliquando perveniant ad salutem: habent enim zelum Dei, sed non secundum scientiam. [Col. 0095C] Et probat quomodo non secundum scientiam zelum: Dei habeant: *Quia* ignorantes, inquit, *Deijustitiam, suae justitiae obtemperant.* Non multum ergo prodest habere zelum Dei, et non habere scientiam zeli. Denique Judaei putantes se zelo Dei agere, sacrilegi exstiterunt in Filium Dei, quia non secundum scientiam zelati sunt: sicut Phinees, filius Eleazar, qui secundum scientiam zelatus interemit Madianitam pariter et Israelitam fornicantem cum ea. Poterat autem dicere et de aliis Apostolus qui charitatem Dei habent, sed non secundum scientiam: si enim habeat quis affectum erga Deum, ignoret autem *quia charitas patiens est, benigna est, non invidens, non perperam agens, non inflata, non est ambitiosa, non quaerens quae sua sunt,* haec et his similia si in charitate non [Col. 0095D] habeat, solo affectu diligat Deum competenter, et ad ipsum dicetur quia charitatem Dei habet, sed non secundum scientiam. Similiter autem dici potest et de alio qui fidem Dei habet, sed non secundum scientiam, si ignoret quia *fides* Dei *sine operibus mortua est.* Potest et de alio dici qui castitatem habet, sed non secundum scientiam, quippe si ab hominibus laudari vult. Et alius abstinens potest dici, sed non secundum scientiam, si propterea ut hominibus appareat. Et sic per singula quaeque quae gerimus. Denique et apostoli dicebant ad Salvatorem: *Auge nobis fidem* **(Luc. XVII)**: hoc est, habentes eam fidem quae non est secundum scientiam, habeamus eam fidem quae est secundum scientiam. Interim Judaeis [Col. 0096A] testimonium perhibet Paulus quod aemulationem Dei, licet non secundum scientiam,

tamen quia utcunque habeant causam docet Apostolus, qua obsecratione pro illis offerret Deo: melius est enim habere zelum Dei, licet non secundum scientiam, quam penitus non habere. *Sed non secundum scientiam.* Veteris scilicet legis, quae prophetavit quod crederet totus mundus Christo adveniente: sed non cognoverunt quia Christus advenit. *Ignorantes justitiam Dei.* Ignorantes enim hunc esse Christum quem promiserat Deus, alterum exspectandum dicebant, huic justitias suas quas ex lege habebant anteponentes, qui est Dei justitia in fide: justitia enim ipse est, quia quod promiserat Deus, in ipso implevit. *Finis enim legis Christus.* Hoc est, perfectionem [Col. 0096B] legis habet qui credit in Christo; cum enim nullus justificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, nisi qui speraret in promissionem Christi, fides posita est, quae crederet pro perfectione legis, ut in omnibus praetermissis fides satisfaceret pro tota lege. *Moyses enim scripsit.* Ipse Moyses distinxit inter utramque justitiam, fidei scilicet atque factorum, quia altera operibus, altera sola credulitate justificet accedentem. *Quoniam qui fecerit ea vivet in eis.* Id est, vindictam legis effugiet et bona terrae accipiet. Quidam ex hoc loco putant Judaeos praesentem tantum vitam ex legis operibus meruisse, quod verum non esse Domini verba declarant, qui de vita interrogatus aeterna, mandata legis opponit, dicens: *Si vis in vitam venire,* serva [Col. 0096C] *mandata* **(Matth. XIX)**. Unde intelligimus quod qui suo tempore legem servavit, aeternam vitam habuit. *Quae autem ex fide est justitia, sic dicit.* Id est Moyses. *Ne dixeris in corde, etc.* Hoc est, nec de passione, neque de ascensione ejus, quia a semetipso factum est, in corde tuo debeas dubitare. Quod ergo ait, *Ne dixeris in corde tuo,* exceptis his quae media interserit, *hoc est Christum deducere, vel a mortuis reducere, de Deuteronomio videtur assumptum, ubi hoc modo scriptum est: Mandatum hoc quod ego mando tibi hodie, non est superexaltatum a te, nec longe a te:* non est in coelo, ut dicas: Quis ascendet a nobis in coelum, et accipiet illud nobis, ut audientes faciamus illud? neque trans mare, ut dicas: Quis transibit nobis mare, et accipiet [Col. 0096D] *illud, ut audientes faciamus illud? Verum juxta te est valde in ore tuo, et in manibus tuis, ut facias illud* **(Deut. XXX)**. Justitiam hanc dicit esse fidei, si non dubitet de spe Dei quae in Christo est, quia ideo passus est, ut exspoliatis inferis, virtute Patris devicta morte resurgens, cum animabus ereptis in coelum ascenderet. *Sed quid dicit Scriptura? Hoc est, ut ascendamus deducere Christum, confitendo eum nostro ore, quod est quasi coelum nostrum, et intremus in abyssum nostri cordis, de quo oportet nos revocare Christum, ut quod corde credimus, ore confiteamur.* Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia non est longe ab animo nostro vel ore, quod nobis dicitur ut credamus: quamvis enim oculis [Col. 0097A] non videatur, a natura tamen animorum et loquendi ratione non discordat quod credimus. In ipsa enim natura inserta sunt velut semina, quae auditu et voluntate ex cultura fructificant testimonium creatoris, hoc est, verbum fidei. Nullum opus dicit, sed solam fidem dandam in causam Christi.

Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum. Quae superius locutus est, hic illa manifestavit: hanc esse regulam fidei, credere Dominum esse Jesum, et non erubescere quia Deus illum ex mortuis deduxit in coelum, confiteri *Quod Deus illum suscitavit a mortuis.* Certum est quia suscitavit eum, ad justificationem sui credit: alioqui quid proderit scire me et credere quod Jesum Deus suscitavit a mortuis, si in me ipso eum non habeam suscitatum? [Col. 0097B] Ego si in novitate vitae non ambulo, et vetustate

peccandi consuetudinem non fugio, nondum mihi Christus resurrexit a mortuis. Ad hunc autem sensum ea conveniunt quae sequuntur. *Dicit enim Scriptura.* In Isaia: *Quia omnis qui credit in eum, non erubescit* **(Isa. XLV)**. Erubescit autem omnis qui peccat, sicut et Adam peccavit, et erubuit, et abscondit se. Qui ad hunc ruborem peccati incurrit, credere non videtur.

Corde enim creditur ad justitiam. Ergo si fides sufficit ad justitiam et confessio ad salutem, inter Judaeum et Gentilem credentes nulla discretio est. *Omnis qui credit non confundetur.* Cum examen coeperit fieri omnium rerum in die judicii, et omnia falsa commenta vel dogmata in confusionem deduci, tunc [Col. 0097C] in Christum credentes gaudebunt videntes omnibus manifestari quia quod crediderunt verum est: aspicient enim inter caeteros se gloriosos et prudentes, qui aestimati fuerant contemptibiles et stulti. Illic enim est vera probatio, ubi et remuneratio et condemnatio. *Non est enim distinctio Judaei et Graeci.* Generaliter autem confundi propter diffidentiam dicit aut sublimari causa credulitatis, quia sine Christo apud Deum nulla salus, imo poena est. *Dives in omnes qui invocant eum.* Unus Dominus omnium et abundantiam misericordiae et salutem habet unde largiatur. Non dixit, Dominum divitem credentibus, sed invocantibus illum: credentibus enim sola datur remissio peccatorum. Sequitur autem ut precibus [Col. 0097D] deditus liberetur a malo, et possit consequi quod promisit Deus toto corde vigilantibus. Hae sunt divitiae Domini, si justitia nobis, et veritas, et sapientia, et sanctificatio, quod totum est Christus Dominus, dominetur. Hae enim sunt ejus divitiae, utpote in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Videtur mihi grande aliquod in Scripturis divinis sub invocationis nomine designari: non enim de qualibuscunque viris, sed ingentibus et praecipuis scribitur, quia Enos *primus coepit invocare nomen Domini* **(Gen. IV)**.

Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit **(Joel. II)**. Apud Joelem prophetam hoc scriptum est: *Quomodo ergo invocabunt eum, in quem non crediderunt? Christum enim Judaei non* [Col. 0098A] crediderunt, et ideo nec invocant eum in quem non crediderunt. In hoc autem arctissima eos conclusione constringit: Salus, inquit, non est nisi invocanti; nemo vero invocat qui non credit: ergo quia non creditis, non invocatis; et quia non invocatis, non salvamini.

Sed quomodo, inquit, *credent ei quem non audierunt? Possumus sic intelligere, ipsum in carne positum, vel Apostolos ejus praedicantes de eo audire noluerunt.* Potest autem et hoc intelligi, quia etiam nunc Christus semper tanquam verbum et ratio unicuique loquitur in corde, et de pietate docet, de justitia, de castitate, de pudicitia, et de omnibus simul virtutibus protestatur, sicut et ipse dicit: *Oves meae vocem meam audiunt* **(Joan. XXX)**. Sic [Col. 0098B] denique in corde Pauli loquebatur, ita ut ille diceret: *An experimentum ejus quaeritis qui loquitur in me Christus? Sequitur: Quomodo autem audient sine praedicante? In hoc magis praedicantium sermone Christum ostendit audiri, in quibus secundum ea quae supra diximus, Christus loqui et docere monstratur.*

Quomodo autem praedicabunt nisi mittantur? Difficultas mihi quaedam in hoc sermone videtur exsurgere. Si enim ita intelligamus quod propterea non praedicent

quia non mittantur, nullo autem praedicante non audiant, non credentes enim non invocabunt, non invocantes non salvabuntur, colligitur ex his, ut causa qua non sunt salvati, ad vitium redeat auctoris qui non miserit praedicantes. Sed magis ad [Col. 0098C] illum nos, qui rectior est, in intelligentiae tramitem deflectamus, et quod dixit, *Quomodo autem praedicabunt nisi mittantur? sic accipiamus, quasi dicat Apostolus:* Nos praecones et praedicatores Christi non possumus praedicare, nec annuntiandi nobis virtus ulla subsisteret, nisi adesset nobis ipse qui misit. Quod si praedicantibus audire non vultis, vestra jam culpa est; et si audientes non creditis, et non credentes non invocatis, salvi esse nequitis. Quia ergo missi sunt ad praedicationem, idcirco de his qui ab ipso missi sunt scriptum est: *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Hoc propheta dicit Nahum.* Pedes dicendo, adventum significat apostolorum circumeuntium mundum et regnum Dei praedicantium: adventus [Col. 0098D] enim ipsorum illuminavit homines, viam ostendens qua itur in pace ad Deum. Aut certe pedes in hoc loco pro sensibus posuit: de his pedibus et in Evangelio Salvator ait: *Sicut ego Dominus et magister lavi pedes vestros, et invicem lavate pedes alterutrum:* exemplum enim dedi vobis **(Joan. XIII)**. Videamus quod sit istud exemplum, quo magistri discipulorum lavare debeant pedes, aut de qua aqua lavare. Si quis inveniat aquam vivam, et si quis accipiat de baptismo, et aqua illa fiat in eo fons aquae salientis in vitam aeternam, iste de hac aqua doctrinae spiritualis potest lavare pedes discipulorum, et omnes ex animo ipsorum immunditias sordesque diluere; et hoc faciens, datum a magistro implevit exemplum. [Col. 0099A] Quae autem bona sint quae evangelizant (quamvis hoc ipsum quod dicit evangelizare, interpretatur, bona annuntiare), quae sint tamen bona quae bonis addidit, requiramus. Unum et verum bonum est Deus, cujus imago bonitatis est Filius, et Spiritus ejus qui dicitur bonus: illud ergo unum, quia in Deo Patre, et Filio, et Spiritu sancto est, bona nominavit; hoc est enim quod annuntiant evangelistae secundum praeceptum Dei et Salvatoris nostri dicentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* **(Matth. XXVIII)**. Exemplum vero hoc de Isaia videtur assumptum; sed ibi propheta ad ipsum Dominum evangelizandi officium retulit. Ita enim ait: *quia ego ipse qui loquebar ecce adsum.* Quam pulchri in montibus ut pedes [Col. 0099B] *evangelizantis auditum pacis, ut evangelizantis bona* **(Isai LII)**! Verum mihi videtur Paulus, quia propheta dixerat, *ut pedes evangelizantis bona, et hoc quasi ex alterius comparatione commemorasse, velut si diceret:* Ita adero, ut homo qui evangelizat pacem et evangelizat bona.

Sed non omnes obediunt Evangelio. Ergo si nec illi omnes obedierunt ad quos isti missi sunt, quanto minus isti ad quos nemo est destinatus. *Quis credidit auditui vestro? Firmavit exemplo prophetico Judaeos esse contradictores evangelicae veritatis:* hunc autem numerum tangit qui fidem non recipit, quod ponit Apostolus, quia Isaias dixerit: *Domine, quis credidit auditui nostro? Quis pro raro dictum est.* Et observare debemus quod sermo hic in Scripturis [Col. 0099C] interdum pro raro, interdum pro nullo omnino ponitur. Verbi gratia, ut cum dicitur: *Quis sapiens, et intelligit haec? Ubi vero dicitur: Quis ascendit in coelum, hoc est, Christum deducere;* vel quis descendit in abyssum, hoc est, Christum a mortuis reducere? Hic *quis nullus intelligitur:* nullus enim est qui ascendit in coelum Christum inde deducere. Nunc ergo *Domine, quis credidit auditui notro? quod dicit Isaias, rarum quemque significat.* Videtur tamen Isaias haec ex

persona apostolorum prophetare, quibus creditum fuerat praedicationis officium; nam et ipsi cum raritatem credentium de populo Israel viderent, dicunt ad Dominum: *Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex* [Col. 0099D] *auditu est, auditus autem per verbum Dei.* Quia nisi dicatur aliquid, nec audiri potest, nec credi. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Hoc de Psalmo XVIII assumitur, ubi ait: *Non sunt loquelae, neque sermones.* In quo pro linguarum et sermonum varietate Gentes sine dubio intelliguntur, et dicitur quia apostolorum Christi in omnem quidem terram sonus exierit, in fines vero orbis terrae, non sonus, sed verba pervenerint: quod ita intelligi potest, quia terram imperitos quosque et indocibiles omnes dicat, ad quos non verba, in quibus ratio fidei commonetur et explanatio sapientiae, sed sonus fidei communi et simplici praedicatione pervenerit. Finem vero orbis terrae, eruditores quosque appellaverit; finis enim perfectionem indicat rerum. Ad hos ergo [Col. 0100A] tales non solum vocis, sed verba et rationem pervenisse pronuntiat: quod utique audientes sermonem fidei etiam perscrutari possunt. *Sed dico:* Nunquid Israel non cognovit? Gentes scilicet esse vocatas ad fidem. Videtur ea quae superius dixit de Gentibus prolocutus: nunc vero, ut sibi moris est, etiam de Israel subjungit, et vult quod inexcusabilis sit Israel testibus idoneis comprobare. *Ipse, inquit, Moyses dicit, ex persona Dei: Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem, de Christianis sine dubio dicens, qui a Deo ad aemulationem prioris populi increduli concepti et assumpti sunt. Ad aemulationem vos adducam.* Quia per se Judaei in ira missi excruciantur, quando audiunt prophetas et legem ad nos pertinere qui Christum credimus. *In gentem insipientem.* [Col. 0100B] Hoc est, sine lege et non adorantem Deum verum. *Isaias autem audet et dicit.* Dicit Apostolus de Isaia quia audet et dicit: hoc indicat, quia mortem contemnens et persecutiones quae inferebantur, quamvis sciret sibi imminere periculum, audet tamen et praedicat Verbum Dei. Et ex persona Christi dicit: Hic Israel carnalis est, hoc est, Abrahae filius, sed non secundum fidem: nam Israel verus et spiritualis est, qui credendo videt Deum. *Inventus sum ab his qui me non interrogabant.* Quia non Deum sed daemonia interrogabant, per augures et astrologos, atque aruspices idolorum. *Ad Israel autem quid dicit? Superiora quidem ad Gentes, sequentia vero exponit ad Israel esse referenda. Tota die expandi manus meas.* Hoc est, toto tempore mirabilia [Col. 0100C] vel plagas extendi: nec sic crediderunt. Certum est autem quod gentes erant quae Christum nec quaerere noverant, nec de eo interrogare didicerant; invenerunt tamen quem non quaesiverunt, quia ipse eos quaesivit prior. Pastor enim bonus et ovem quae perierat requisivit, et sapientia est quae drachmam perditam quaerens invenit. Judaei autem interrogant Scripturas de eo, et inveniunt quia crux ejus Judaeis est scandalum. Ideo dicit ad eos: *Tota die expandi manus meas, hoc est cum penderet in cruce, illi non solum invenerunt eum, sed insuper dixerunt ei: Si Filius Dei es, descende nunc de cruce, et credimus.* In exemplaribus autem Hebraeorum non habet contra dicentem, Apostolus autem secutus LXX interpretum [Col. 0100D] veritatem in suis Scripturis, sicut illi interpretati sunt, ponit.

CAPUT XI.

Dico igitur: Nunquid repulit Deus haereditatem suam? Quia satis illos humiliaverat, modo quasi bonus doctor consolatur eos, ne illos nimium exacerbare videretur. *Absit.*

Non omnes, ait, repulit, nisi illos qui non crediderunt. *Nam et ego Israelita sum.* Quia non idcirco expulsi sunt, quod genus sunt Israel. Non ergo repulit Deus plebem suam, quam praescivit esse credituram. Et ut hoc probaret exemplo, subjungit, dicens: *Nam et ego Israelita sum.* An nescitis in Elia quid dicit Scriptura **(III Reg. XIX)**? Ne videretur parvum quod exemplo sui non esse repulsam plebem Dei docebat Apostolus, validiora requirit [Col. 0101A] exempla, dicit: *An nescitis, etc.* In quibus docet, quod propheta aliquando Deo repletus, cum apud Deum querelam populi praevaricatoris exponeret, qui non solum prophetas occidisset et altaria subvertisset, verum et Eliam, qui videbatur solus superesse ex prophetis Domini, conaretur exstinguere, Domino dicebat *Et ego relictus sum solus, et quaerunt animam meam.* Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. Aperta sunt haec. Ostendit enim non solum Eliam remansisse, qui devotus Deo non adoraverit idola, sed multos qui in fide Dei permanserunt. Huic rei et historiae congruit quod multi per speluncas occultati sint, propter Achab regem Samariae et Jezabel uxorem ejus, [Col. 0101B] qui per pseudoprophetas credentes Dei prophetas persequebantur, et populum ad idololatriam cogebant. Quid autem et ipse numerus septem millia virorum indicet, videamus. Septenarius numerus ad requiem pertinet: in septima enim requievit Deus. Audi ergo quomodo Christus credentes sibi invitat ad requiem, et dicit: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego reficiam vos.* Ad istum ergo septenarium numerum pertinet omnis qui veniens ad Christum deposuit onera peccati, et requiem salutis invenit. *Sic igitur et hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae Dei salvae factae sunt.* Reliquias dicens eos qui ex circumcisione crediderunt, tam apostolorum quibus se quoque annumerat, quam et caeteros qui cum ipsis secuti sunt fidem Christi. Quod dicit *secundum* [Col. 0101C] *electionem gratiae Dei salvas factas esse reliquias, non mihi videtur esse superfluae lectionis adjectio:* potuit enim dicere, reliquiae per gratiam, et sine electione, et cum electione. Nam omnes quidem qui per fidem salvantur, per gratiam sine dubio salvantur: qui autem per electionem gratiae salvantur, perfectiores animae mihi videntur ostendi. *Si autem gratia, non ex operibus.* Sciendum est opera quae Paulus repudiat et frequenter vituperat, non esse opera justitiae quae mandantur in lege, sed ea quibus hi, qui secundum carnem legem custodiunt, gloriantur: id est, vel circumcisionem, vel ritus sacrificiorum, vel observationem sabbatorum et neomeniarum. Haec et ejusmodi ergo sunt opera, ex quibus dicit neminem potuisse salvari, et de quibus [Col. 0101D] in praesenti loco dicit, quia non ex operibus, etc. *Alioqui gratia non est gratia.* Hoc est, si ex operibus salvae factae sunt, non erit gratia, sed merces operis: quia a gratuito munere gratia appellatur. *Quid enim? quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus;* electio autem consecuta est, caeteri vero excaecati sunt. In his Apostolus Israel in duas divisit partes, quarum unam electionem vocat, quae consecuta sit quod quaerebat; aliam caeteros appellat, qui non solum consecuti non sunt quod quaerebant, sed excaecati sunt spiritu compunctionis. Ideo autem totus Israel non est consecutus justitiam, quia illam non ex fide quaerebant, sed ex solis operibus legis se justificari putabant, cum maxima legis [Col. 0102A] mandata contemnerent, unde a Salvatore arguuntur: *Culicem linquentes, camelum autem glutientes* **(Matth. XXIII)**. *Dedit illis spiritum compunctionis.* Hoc est, spiritum erroris vel infidelitatis, seu invidiae. *Oculos ut non videant, et aures ut non audiant.* Quaestio nobis quomodo de bono digne dictum videatur, quod ipse dederit oculos residuo Israel quibus non videat et aures quibus non

audiat: et vide ne forte haec magis retributio sit et merces incredulitatis, secundum ea quae in superioribus exposuimus, ubi quia non probaverunt Deum habere in notitia, *tradidit illos Deus in reprobum sensum:* hinc etenim oculus et auris cordis, non corporis dicitur, quibus excaecati sunt, et non audiunt, hi utique Christum videntes in corpore, et audientes doctrinam ejus, [Col. 0102B] nec credere operibus quae videbant, nec verbo quod audierant obedire voluerunt. *Usque in hodiernum diem.* Hoc est, usque convertantur, sicut de velamine cordis ad Corinthios dicitur **(II Cor. III)**. Vel: *Usque in hodiernum diem, hoc est, usque ad consummationem saeculi. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Quia in passione Christi laetati sunt pascha comedentes: hoc enim de illis prophetatur qui Salvatorem aceto et felle potabant. Quod dicit, *fiat mensa eorum in laqueum et captionem, non habetur scriptum in Psalmo, neque in nostris Septuaginta interpretum exemplaribus, neque in Hebraeorum.* Sed rursum in Psalmo habetur: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum* **(Psal. LXVIII)**. Apostolus autem non posuit, *coram ipsis.* Ergo sciendum [Col. 0102C] quod auctoritas apostolica nunquam Hebraeorum exemplaribus fidem facit, nec verbis semper interpretum servit, sed Scripturarum sensum verbis quibus competit explicat. Omne quod appellatur Vetus Testamentum mensa est Israel, in qua mensa, si quis volebat edere verbum Dei, appositis sibi legis et prophetarum sermonibus pascebatur. Et hanc puto esse mensam, de qua dicit Salomon: *Si redieris coenare ad mensam potentis, intelligibiliter intellige quae apponuntur tibi, et mitte manum tuam, sciens quia talia te parare oportet? Omnis ergo Scriptura mensa est sapientiae.* Aliter, *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum;* hoc impletum est quando occisi sunt in vindictam crucis pascha manducantes, in laqueum scilicet obsidionis? Sive in [Col. 0102D] laqueum mensa divinae Scripturae Judaeis efficitur, quando ea quae de Christo prophetata sunt, non nisi ad litteram perverse interpretantur, in captionem scilicet transmigrationis, quae sub Tito et Vespasiano facta est. Potest autem et illa captio mensae hujus videri, quia Dominus eos cepit, cum ad eos dixit: *Quid vobis videtur de Christo? Sequitur: Et non potuerunt ei respondere verbum* **(Luc. IV)**. *Et in retributionem.* Hoc est, in mali operis vindictam: fit autem et in scandalum mensa hoc modo. Ex Scripturis didicerunt Judaei, *quia Christus in aeternum manet;* Jesum vero videntes in carne, et non solum in carne, sed in morte, et morte crucis, scandalizabantur in eum, nescientes quia *etsi passus est* [Col. 0103A] *ex infirmitate carnis, sed vivit ex virtute Dei.* Dorsum eorum curvatum est semper. Neque enim debent ultra coelum despicere, qui in escatorem coeli peccaverunt: sed dorsum significat fortitudinem Judaeorum ad servitutem redactam extraneis gentibus. *Dico enim, nunquid sic offenderunt ut caderent? Id est, non ita propter improbitatem suam caecati sunt, ut curari non possint:* sicut et Zabulon legimus cecidisse, dicente Isaia propheta: *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer* **(Isai. IV)**? Casum apostaticum significavit: non ergo hos sic offendisse dicit ut caderent, sed offensionis suae causa ad tempus obtusos. *Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos aemulentur.* Quomodo ex illorum delicto salus gentibus detur ostendit, hoc est, ut conversionem gentium videntes, et [Col. 0103B] testamentum Dei, quod ipsi prius acceperant, illis traditum, et legem et prophetas apud eos majore et digniore haberi observantia, zelum capiant etiam in novissimis saltem temporibus. Et sicut nunc illorum lapsus salutem gentibus dedit, ita gentium fides et conversatio Israeli aemulationem conversionis et salutis conferat: usque adeo illos dilexit, ut propter salutem illorum gentes vocaret, quo eas videntes ad regnum Dei admitti, vel sic facilius convertantur.

Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium, quanto magis plenitudo eorum. Si delictum illorum tantum vobis profuit, ut sine operibus legis vos illis faceret cohaeredes; et si pauci eorum credentes omnes vos ad salutem vocarunt, quanto magis si omnes crederent [Col. 0103C] prodesse vobis poterant per doctrinam. Considera in his Dei sapientiam, quomodo apud Deum ne ipsa quidem delicta et lapsus inutiliter cedunt: sed cum unusquisque ex propositis in voluntate vel libertate delinquat, dispensatione divinae sapientiae hoc ipsum, in quo illi damno suae negligentiae pauperes fiunt, alios divites facit. *Vobis autem dico gentibus:* Quandiu quidem ego sum gentium Apostolus. Quandiu in corpore fuero constitutus. *Honorificabo ministerium meum.* Dum exemplo meo plures eorum salvare contendo. Ostendit gentibus, quonam affectu diligat Judaeos; nam ministerium suum, quod Apostolus gentium est, honorificat, si propter affectum generis sui data opera etiam Judaeos acquirat ad fidem: honorificatior enim fit, si et illos, ad quos [Col. 0103D] non missus est, lucretur ad vitam. Patribus enim in laude maxima erit, si fratres invenerit qui perierant. Quid tam dignum quam ut unusquisque ministerium suum, quod Dei providentia suscepit, exornet? Exornat autem et illustrat ministerium, qui bene ministrat: sicut ex contrario dehonestat ministerium suum, et notabile facit, qui negligenter et indigne ministravit. Verbi causa, ministerio Ecclesiae diaconus, inquit, bene ministravit, bonum sibi grande acquirit, et multam fiduciam in fide Christi Jesu: si vero non bene ministravit, hoc est, si non se talem exhibuerit qualem describit Apostolus: Gravem, *non multo vino deditum, non turpis lucri appetitorem,* sed habentem ministerium fidei in conscientia [Col. 0104A] *pura* **(I Tim. III)**, non jam bonum grande, sed jam malam sibi poenam conquirit, tanquam qui contumeliam fecerit divino ministerio, quod similiter de caeteris et omnibus ecclesiasticis gradibus intelligendum est. *Si quo modo ad aemulandum carnem meam provocem.* Hoc est, ut omni modo talem me exhibeam, quatenus me desiderent imitari. *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi.* Unde Gentibus assumptio, nisi ex illorum viverent morte, ex Judaeis mortuis? Christus vel apostoli vita fuerunt Gentibus, si quos inde liberavero, ad vestram proficient vitam. Si ergo, inquit, Israelitae hujus gentis adjectio reconciliationem praestitit mundo, et tanta fuit erga gentem istam gratia, quae sublata ab ea universum mundum Deo reconciliare sufficeret, [Col. 0104B] quantum putas tunc merebit mundus, cum etiam gens ista reconciliari meruerit? Et quid aliud sit, quod ex reconciliatione Israel mundus acquirat breviter ostendit, dicens: *Vita ex mortuis.* Tunc enim erit assumptio Israel, quando jam et mortui vitam recipient, et mundus ex corruptibili incorruptibilis fiet, et mortales immortalitate donabuntur. Absurdum namque videretur, si cum offensio ipsorum reconciliationem mundo donaverit, assumptio ipsorum non majus aliquid mundo et praestantius largiretur. *Quod si delibatio sancta est, et massa.* Hoc est, si qui crediderunt pauci sancti sunt, et omnes sancti si credant. Quod unius substantiae est, unum est; ideoque ostendit non posse indignos dici ad fidem hos quorum jam parentes adepti sunt fidem: quia [Col. 0104C] si pars Judaeorum credidit, cur non et alia pars posse credere dicatur? *Et si radix sancta est, et rami.* Immutatis verbis eadem repetit, ut sensum commodet duobus exemplis. Radix patriarcharum, hoc est, primi et novissimi sancti ex ipsis. Radicem vero hanc quidam Abraham, alii Seth, alii unum aliquem ex patribus ponunt. Ego autem radicem aliam, quae sancta sit, et sanctas primitias nescio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum; ipse est enim primitiae omnium, vel delibatio secundum id, quod alibi de eo dicitur: *Qui*

est primogenitus omnis creaturae **(Col. I)**, huic namque radici, omnis qui salvatur, inseritur: et hac deliberatione sancta omnis massa humani generis sanctificatur. Et sicut radix sancta manentibus in se ramis sanctificatis pinguetudinem [Col. 0104D] praebet, dum per Spiritum suum sanctum adhaerentes sibi vivificat, verbo excolit, sapientia floridos reddit, et in omnium virtutum plenitudine afferre fructus uberes facit, ita et ipse dicat de eis: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* **(Psal. LI)**. Etenim si rami qui fracti sunt, propter incredulitatem fracti sunt; et qui stant, fide stant: qui salvi erunt in quo stant, nisi in Jesu Christo? et quis alius est, a quo per incredulitatem fracti sunt, nisi ipse cui non crediderunt? Sed tamen ex tempore adventus ejus multus oleaster inseritur huic radici, vel ramis ejus, apostolis scilicet et prophetis, et qui inseruntur eis, socii fient radicis pinguedinis Christi. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.* Hoc est non [Col. 0105A] propter te illi fracti sunt, sed propter illos tu insertus es, quia illi fracti. *Tu autem cum oleaster esses.* Oleaster, olea quidem, sed inculta ac silvestris. *Noli gloriari adversus ramos.* Hoc est, noli de illorum perditione gaudere, alioquin audies: Quia non illi per te stant, sed tu per illos; nec illis vitam praestas, sed illi tibi. *Dicis ergo:* Fracti sunt rami ut ego insererer. Dicis illos ideo fractos, ut tu inseraris: videamus si propterea, et non magis *propter incredulitatem suam ceciderunt. Tu autem fide sta.* Quia Judaei per diffidentiam lapsi sunt, hos fide dicit stare, quia cum prius jacerent, credendo stare coeperunt. *Noli altum sapere, sed time.* Id est, noli dicere quod fidem Abrahae habeas, ultra populum Judaicum fidelem. Quidam hunc locum non intelligentes, [Col. 0105B] nec attendentes causam vel personas, de qua et de quibus loquitur Apostolus, putant hic sapientiam esse prohibitam: quod si ita est, secundum illos invenietur sibi ipsi esse contrarius, cum hic vetet quod alibi, ut Ephesii et caeteri accipiant, magnis supplicationibus a Domino deprecatur. *Noli ergo altum sapere, hoc est, noli contra eos esse superbus, sed cave ne tu offendas.* Memento quod *omnis qui se exaltat, humiliabitur:* nam possibile est etiam te peccare. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Hoc est, si illis non pepercit propter incredulitatem, quia ex radice sancta sunt, quanto minus tibi si peccaveris? *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei.* Bonum Deum gentibus esse testatur: quia cum idola sequerentur, [Col. 0105C] et nec sic requirerent, ipse ultro vocavit illos, et peccata remisit eis. Judaeis autem severus est, et excaecavit illos, quia donum Dei spreverunt; potest enim Deus iterum inserere illos. Apud homines quidem impossibile est aridos surculos reformare, apud Deum autem omnia possibilia atque facilia. *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro.* Quia jam olim patres eorum per naturalem legem degeneraverunt a natura, et per successiones peccandi consuetudine permanente, quasi naturaliter amari et infructuosi esse coeperunt. *Et contra naturam insertus es in bonam olivam.* Contra naturam olivae est inserere oleastrum, quia magis solet ramus radicis vim mutare, quam radix ramorum in suam vertere qualitatem. Ideo insertum dicit oleastrum, ut surculus fructum [Col. 0105D] radicis afferat, socius ejus effectus. Olivam fidem, per quam Abraham justificatus est, accipiamus: oleastrum vero, quia sterilis et infructuosa natura est, perfidiam significat. Ac per hoc si hi qui semper inimici Dei fuerunt, conversi in fidem Abrahae inserti sunt ex cujus origine non sunt, quanto magis Judaei, si post diffidentiam credant, paternae reddendi sunt naturae, inserti iterum in suam promissionem? Sed nec hoc quidem lateat nos in hoc loco, quod non eo ordine Apostolus olivae et oleastri similitudinem posuit, quo apud agricolas habetur: illi magis olivam oleastro inserere, et non olivae oleastrum solent, Paulus vero apostolica auctoritate ordine commutato, res

magis causis quam causas rebus aptavit. [Col. 0106A] *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc.* Adhuc ad eos qui ex gentibus crediderunt, quasi elatos et superbientes adversum ramos qui fracti sunt, et putantes quod hoc non Dei bonitate et ineffabili dispensatione sapientiae ejus, sed suis meritis consecuti sunt, ut, illis detractis, ipsi cum essent oleastri insererentur in bonam olivam. Mysterium autem dicit arcanum, quod hominibus ignoratum est, quare salvatae sunt Gentes, quia occasionem eis salutis etiam caecitas praestitit lsrael. Est mysterium quod ignorabatur ab his qui insultabant hujusmodi, quomodo in dispersione filiorum Adam, caeteris quibusque gentibus secundum angelorum numerum distributis, propria quaedam pars facta est Israel, ad quos et repromissiones bonorum, et testamenta, et legislatio [Col. 0106B] facta est. Manente ergo illa parte Domini in statu suo, possibile non erat nos, qui eramus gentes, introire in haereditatem Dei, et in sceptri ejus jura succedere. Sequitur: *Ut non sitis vobis ipsis sapientes.* Hoc est, ne secundum humanam sapientiam dicatis: Nos Deus elegit, et illos abjecit. Quia insultare lapsis et gloriari adversum ramos qui confracti sunt, non fit per Dei sapientiam, sed per humanam, mutabilem et ignorantem mysterium Dei. Quod enim secundum Deum sapit, in beneficiis Dei non insultat abjectis: sed cum timore gratias agit misericordiae largientis. *Quia caecitas ex parte Israel contigit.* Id est, non omnibus patitur Deus, sed aliquibus ex Israel fieri caecitatem. Aut in tantum Israel et delicta et perfidia occupaverat, ut [Col. 0106C] veniret tempus quo gentes omnes admitterentur in vitam, et ita omnis Israel per fidem solam salvaretur, quomodo gentium plenitudo, ut aequales essent in Christo qui aequales fuerant in delictis. *Donec plenitudo gentium intraret.* Id est, multitudo credentium ex omni gente. Non omnes omnino gentes, juxta figuram synecdochen. *Sicut scriptum est:* Veniet ex Sion qui eripiat et auferat iniquitates ex Jacob **(Isa. LXXIX)**. Quod si vis, inquit Apostolus, scire quomodo etiam post caecitatem salvandus sit Israel, audi quomodo scriptum sit: *Veniet ex Sion qui eripiat, etc.* Sciendum sane est quod de propheta Isaia unum testimonium istud Paulus assumpsit, pro eo quod dixit Apostolus: *veniet ex Sion,* scriptum inveniet, *propter Sion.* Et quod ait hic, *cum abstulero* [Col. 0106D] *peccatum eorum, ibi omnino scriptum non est, sed nec apud Hebraeos quidem, Apostoli tamen auctoritate sumptum est.* Verum meminisse debemus quod praesentem locum Apostolus quasi mysterium haberi voluit: quo scilicet hujusmodi sensus, fideles quique et perfecti inter semetipsos velut mysterium Dei silentio tegant, nec passim imperfectis et minus capacibus proferant. Mysterium regis, ait Scriptura, celare bonum est **(Tob. XII)**. *Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Novum scilicet Testamentum, quod promittit Jeremias, quod non nisi novi, abolitis per baptismum peccatis, accipiunt: *Fratres secundum Evangelium inimici propter vos.* Causa incredulitatis inimici sunt Evangelio, ut [Col. 0107A] gentibus error et delictum illorum aperiat viam ante tempus intrandi ad fidem, sicut supra memoravi. Hoc dicit ut non insultet his quorum delictum profuit gentibus: illis enim insultandum est quorum peccatum obfuit aliquibus. Eadem persequens, adhuc de Israel et gentibus Apostolus, et ramis oleastri, qui insultabant ramis olivae, defractis, imputans etiam hoc addidit: quia Israel secundum Evangelium quidem inimicus factus est Deo, quia non credidit Christo: quantum autem spectat ad honorificentiam patrum, electus et charissimus habetur apud Deum. Sed et quod dicit: *Propter vos;* quorum saluti scilicet invident, prohibentes apostolos gentibus loqui, et persequentes qui annuntiant Christum. Secundum reliquias vero, quae salvandae dicuntur, in quibus [Col. 0107B] electio credentium subsecuta est ex Israel. *Charissimi*

propter patres. Quorum scilicet fidem sequentes, credunt in eum qui suscitavit Christum Jesum a mortuis. *Sic enim aliquando et vos non credidistis Deo.* Post haec etiam latentes et profundiores incredulitatis eorum aperit causas, et dicit: Quia sicut vos Gentes quondam non credebatis Deo, nec tamen idcirco penitus reliquit vos Deus. *Sed aliquando ad ultimum misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum.* Occasio tamen conferendae in vos misericordiae populi Israel incredulitas exstitit, ita etiam nunc hi qui de populo Israel non crediderunt, non usque relinquuntur in incredulitate sua. Postquam plenitudinis gentium impleta fuerit dispensatio, etiam ipsi misericordiam consequentur. *Sine poenitentia* [Col. 0107C] enim sunt donationes et vocationes. Si crediderint, illis non poterunt imputare peccata, quia Deum non poenitet Abrahae semini promisisse. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Non vi inclusit, sed ratione, quos invenit in incredulitate, hoc est Judaeos omnes et gentes conclusit, quia ante Judaei peccatores tantum erant, non etiam perfidi. Postquam autem Christo non crediderunt, gentibus sunt aequales, ut omnes similiter misericordiam consequantur. Hoc est, omnia conclusisse in incredulitate, ut tunc decretum donum a Deo veniret, quando omnes diffidentia laborarent, ut gratia muneris esset gratissima. Itaque nemo se jactet: miserum est enim superbum esse eum cui ignotum est: *O altitudo divitiarum sapientiae et* [Col. 0107D] scientiae Dei. Miratus tantum profundum, nullis praecedentibus meritis gentes intromissas, et in perfidia Judaeos derelictos; unde exclamat dicens: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei.* Laudat sapientiam Dei, quae tam diu exspectavit secundum praescientiam, donec omnes misericordia indigerent; ut hominibus de falsa jactantia gloria tolleretur. Excelsum et immensum Deum in divitiis sapientiae et scientiae suae, cum omni laude gratiarum actionis testatur: est enim consilium et judicium ejus incomprehensibile. Nam ab initio sciens conversationes et opera hominum, quia neque sola severitate justitiae salvari posset humanum genus, neque sola misericordia ad profectum meritorum [Col. 0108A] pervenire, unoquoque tempore decrevit quid esset praedicandum, ante tamen permittens unumquemque sibi: quia natura ipsa duce, cognitio justitiae obtorpuerat, consuetudine delinquendi data lex est, ut humanum genus terroris metu lege frenaretur: quia non se cohibentes rei tenebantur a lege praedicta. Misericordia est, quae ad se confugientes salvaret, refugientes autem caecaret ad tempus, ad promissionem eorum gentes, quae prius justitiam Dei datam per Moysen sequi noluerant, advocans, ut horum saluti dum invident, ipso zelo ad radicis salutaris originem se reformarent promissi in lege. Haec est *altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, qui tam Judaeos quam gentes manifestata providentia acquisivit ad vitam.* Considerans sanctus apostolus, [Col. 0108B] tantas esse bonitatis Dei divitias, et tantum divitiis sapientiae opus erga rationabiles agi creaturas, et quod tantum Deus *dives* est in misericordia, et *dives in omnes qui invocant eum, et tantae sunt bonitates ejus, et longanimitates, et sapientiae, repente ut interioribus eas cordis oculis intuens, immensitatemque earum perspiciens, stupore simul ac pavore perculsus, exclamet et dicat: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt indicia ejus! Judicia Dei abyssus multa, ad liquidum enim comprehendi non possunt. Inscrutabilia.* Ut scrutari judicia ejus, quibus unamquamque animam atque naturam rationabilem dispensat, nemo sufficiat. Sed requirendum quare dicat inscrutabilia esse judicia Dei, cum Psalmographus dicat: *In labiis* [Col. 0108C] meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. Ad quod ita respondendum est. Nam addendo *oris tui quae scripta sunt a prophetis, et quae facilia sunt ad*

intelligendum significat. Et investigabiles viae ejus, hoc est cogitatio dispensationum ejus, sive viae Domini, scilicet misericordia et judicium. Quis enim cognovit sensum Domini? An nemo cognovit? Nam in praesenti ipse Paulus sciebat, qui aliis ostendebat: sive sine lege ipsius per se nemo cognovit, hoc certe de creaturis dicit: quippe cui nihil sit cum creatura commune. *Quis enim cognovit sensum Domini? hoc in Isaia scriptum habetur.* Manifestum est, solum Deum esse qui novit omnia consilia, et hunc unum esse qui nullius eget, quia ab ipso sunt omnia, et per hoc consilium ejus a nullo nec metitur, nec comprehenditur, [Col. 0108D] quia inferiora superioris sensum capere non possunt. Denique Judaeis non credentibus impossibile videbatur, consilium et voluntatem Dei esse ad redemptionem gentium. Simili modo et gentibus arduum et incredulum Judaeos, qui non crediderunt, Salvatore posse converti, et credere ut salvarentur. *Aut quis consiliarius ejus fuit? Hoc est, quasi minus ipse consilio sufficiens, indigeret alterius, sed consilii participem nullum quidem inter creaturas esse pronuntiat:* consilium vero sapienti necessarium in sapientia sua est, qui est Christus, et in sanctitate est Spiritus sanctus. *Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Nemo enim aliquid factori suo prior contulit,* quippe cum etiam hoc ipsum unusquisque [Col. 0109A] a Conditore suscepit. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Vides quomodo in ultimo ostendit quod in omnibus quae supra dixerat segregaverit mysterium Trinitatis, nam cum dixit: *Altitudo divitiarum, Patrem ex quo omnia dicit esse, significat:* et sapientiae altitudinem, Spiritum sanctum, qui etiam alta Dei novit et declarat. Verumtamen quod dicit, *ex ipso, hoc ipsum quod sumus indicat; per ipsum autem, quod per ejus providentiam dispensamur in vita; in ipso vero, quod perfectio omnium, et finis in ipso erit, tunc cum Deus erit omnia in omnibus.* Ab ipso omnis creatura accipit initium, et per ipsum regitur, et in ipso omnia concluduntur, nec ipse continetur ab ullo. *In saecula.* Propter hoc quod perfectio omnium non intra [Col. 0109B] unum saeculum concluditur, sed in multa protenditur. *Amen.* Ut intelligamus per illum ad istam beatitudinem veniendum, de qua scriptum est in Apocalypsi.

CAPUT XII.

Obsecro itaque, fratres, per misericordiam Dei. Non per salutem illorum, neque per Christum obsecrat, quamvis misericordia Dei in Christo sit, tamen per misericordiam Dei orat illos, per quam ex mortuis vivere coeperunt, ut memores ejus sollicite agant circa obsequium ejus a quo illis data est, per quem ex impiis gratis justificati sunt. Cum per omnem textum Epistolae in superioribus docuisset Apostolus quomodo a Judaeis ad gentes, a circumcisione ad fidem, a littera ad spiritum, ab umbra ad veritatem, [Col. 0109C] ab observantia carnali ad observantiam spiritualem religionis summa translata sit, et haec ita ad futura propheticis vocibus ostendisset designata: jam nunc spiritualis hujus observantiae, ad quam cultus Dei ritum docuit esse translatum, aggreditur mores et instituta sancire, et ait: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei.* Et haec doceo, non quasi imperans: nihil enim proficit legis imperium, sed quasi qui officium suscepimus reconciliando vos Deo. Quid est autem quod vos obsecro? *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem;* non animalium, sicut in veteri lege, quae tamen, licet in figura fierent, immaculata offerebant et viva. *Rationabile obsequium vestrum.* Omne opus bonum tunc placet Deo, si rationabiliter

fiat: nam [Col. 0109D] alias mercede privatur: ut pote si quis hominum causa jejunet, bonum obsequium insipienter facit. Obsequium hic cultum dicit, qui cultus, quoniam dudum in corporibus multorum pecorum consistebat, nunc, inquit, in corpore rationabilis hominis offeratur, et corpora magis vestra quam pecorum fiant sacrificium Deo. Pro viribus autem explanare tentabimus quomodo unusquisque rationabili obsequio cultus Dei exhibeatur. Si superbiam corporis sui vincat, immolat vitulum; si iracundiam superet, arietem jugulat; si libidinem vincat, holocaustum offert hircum; si vagos et lubricos cogitationum resecet volatus, columbas et turtures immolaverit. Nunc autem Paulus obsecrat in Christo credentes, ut [Col. 0110A] corpora sua exhibeant *hostiam viventem, sanctam, placentem Deo.* Viventem dicit *hostiam, quae vitam, hoc est Christum, in se gerit;* sanctam dicit, in qua Spiritus sanctus habitat, ut Apostolus dicit: *An nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Placentem Deo, ut pote a peccatis et vitiis separatam.* Haec autem omnia rationabilis est cultus Dei. Potest enim pro tali cultu reddi ratio, et ostendi quia dignum est Deo tales hostias immolare: arietes autem, et hircos, et vitulos immortali et incorporeo Deo offerri, nulla ratio honesta sinit. *Et nolite conformari huic saeculo.* In quo ostendit esse quamdam formam hujus saeculi, et aliam esse saeculi futuri. Vide ergo ne forte cum venit ira in cor tuum, conformem te faciat huic saeculo. [Col. 0110B] Similiter autem et concupiscentia mala, et avaritia, caeteraque quibus praesens saeculum delectatur, formam tibi saeculi praesentis imponant. Si vero e contrario mansuetudo, patientia, lenitas, continentia, fides, veritas caeteraeque virtutes habitent in sensu tuo, conformem te futuri saeculi facient, et ita pulchram animae tuae speciem reddent, ut Verbum Dei quo despondet eam sibi in misericordia et fide, dicat ad eam: *Tota es formosa, proxima mea, et macula non est in te* **(Cant. IV)**. *Sed reformamini in novitate sensus vestri.* Renovatur autem sensus noster per exercitia sapientiae, et meditationem Verbi Dei, et legis ejus intelligentiam spiritalem, et quanto quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quantoque altius intellectus ejus accedit, tanto novior semper [Col. 0110C] efficitur. *Quod bonum, et placitum, et perfectum.* Hoc est, quod bonum sit, et melius, et optimum, verbi causa: Bonum conjugium, melius autem continentia, optimum virginitas. *Dico enim per gratiam, quae data est mihi.* Prohibitus humana sapientia, quae praeter legem est, non sensu proprio loqui se dicit, sed auctoritate gratiae spiritualis. Haec gratia peritia intelligitur doctrinae Dominicae, per quam humilitati studendum tradit. Videndum est quia Paulus, sicut et alias dicit, *non in suasoriis sapientiae carnalis verbis, sed per gratiam quae sibi data est, loquitur.* Est enim multa differentia per gratiam loquentis, et per humanam sapientiam. Denique compertum est, nonnullos eloquentes et eruditos viros, cum multa in Ecclesiis dixerint, et ingentem [Col. 0110D] plausum laudis acceperint, neminem tamen auditorum ex his quae dicta sunt, compunctionem cordis accipere, nec proficere ad fidem, nec ad timorem Dei incitari: saepe autem viros non magnae eloquentiae, nec compositioni sermonis studentes, verbis simplicibus et incompositis multos infidelium convertere. Denique scriptum est quia et Joseph *invenit gratiam in conspectu principis carceris, et Esther invenit gratiam apud regem.* Reperimus autem nos in quodam secretiore libello Scripturarum, quasi angelum quemdam gratiae, qui etiam vocabulum ex gratia traheret? Anachel enim dicitur, quod interpretatur gratia Dei. Hoc ergo Scriptura illa continet quod missus esset a Domino iste angelus ad Esther, ut ei [Col. 0111A] gratiam daret apud regem. Videamus quid est quod per gratiam quae data est sibi Apostolus dicit: *Omnibus* qui sunt inter vos,

non plus, inquit, *sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Videtur adhuc ad superbientes ramos oleastri, et insultantes ramis qui de bona oliva defracti sunt, etiam hunc aptare sermonem, et dicere eis: Non debere plus, hoc est, superbe sapere. Ego autem dico quia et haeretici plus sapiunt de Christo quam oportet sapere, qui negant eum in carne venisse, et natum esse ex Virgine, sed coeleste ei corpus assignant. Plus vult sapere qui illa scrutatur quae lex non dicit; unde et Salomon ait: *Altiora te ne scruteris, et majora te ne quaesieris, sed quae praecepit tibi Deus illa cogita semper* **(Eccl. III)**. Aperte ostendit hoc [Col. 0111B] nos debere sapere, quod justitiae terminos non egrediatur, *sed* sapere, inquit, *ad sobrietatem,* quod in Graeco dicitur σωφροσύνη,, in nostris codicibus, hoc est, in Scripturis divinis, sobrietas a majoribus interpretatum est: ab aliis tamen eruditis viris temperantia ponitur. Sapere ergo ad temperantiam, hoc est, ut in omnibus, vel quae agimus, vel loquimur, vel sentimus, temperantiam teneamus. *Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Mensuram fidei, virtutum intelligenda est gratia, quam non nisi fideles accipiunt. *Sicut divisit Deus mensuram fidei, hoc est, ut sciat unusquisque et intelligat quae in eo sit mensura gratiae Dei, quam consequi meruit per fidem.* Interdum enim accepit quis a Deo ut sapiat in opere charitatis, aut ut sapiat in officio visitandi, [Col. 0111C] aut erga viduarum et pupillorum defensionem, aut erga hospitalitatis sollicitudinem: haec ergo singula divisit unicuique Deus secundum mensuram fidei: sed si is qui accipit gratiam ut denuo alicui horum sapere velit, et non intelligat mensuram gratiae sibi datae, sed velit sapere de sapientia Dei, de verbo doctrinae, de profundioris scientiae ratione, in quo gratiam non accepit, et non tam discere velit quam docere quae nescit, iste cum minus sapiat, plus vult sapere quam oportet: non enim sapit ad temperantiam, ut custodiat unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Verum, ut evidentius adhuc de iis Apostolus assignaret, introducit exemplum, dicens: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus.* Per comparationem corporis eos ad concordiam cohortatur, [Col. 0111D] ne vel hinc moveantur, quia dona accipere diversa, et omnia habere singuli non poterant, ne superbirent nullius egentes, nec omnes eadem, ut corporis Christi nobis similitudo demonstretur. *Membra autem omnia non eumdem actum habent.* Non enim potest oculus audire, nec auris videre, etc. *Sic singuli alter alterius membra.* Ut praestando alterutrum quod habemus, magis ac magis charitas confirmetur, ordinatissime per haec componens omne corpus Ecclesiae: ut sicut proprios actus habent, et officiis suis unumquodque deservit, nec tamen possibile est ut non consensu mutuo sibi invicem cedant; ita, inquit, et in Ecclesia, quae est corpus Christi, diversos singuli habemus actus, verbi gratia: alius omne [Col. 0112A] studium erga sapientiam Dei et doctrinam verbi adhibet, et in meditatione legis divinae die ac nocte persistit, et est magni hujus corporis oculus; alius erga ministerium fratrum et indigentium curam et est sancti corporis ejus manus; alius studiosus auditor est verbi, et auris est corporis: alius ad videndos decumbentes et requirendos tribulantes, et positos in necessitanbus eruendos est impiger, qui pes sine dubio ecclesiastici appellatur corporis: et ita invenies unumquemque propensius erga unum aliquod officium et specialius operam dare, caetera vero sequentia habere. Quomodo autem corpus istud in Christo sit, id est, in veritate, et sapientia, et justitia, et sanctificatione, quae omnia Christus est, saepe jam diximus. *Habentes autem donationes diversas.* [Col. 0112B] Cum dixisset singulos quosque credentium membra esse unius corporis Christi, nunc quasi diversorum membrorum diversitatem operis enumerat, et verbi causa, velut oculorum, ita menti, quae est

interior oculus, prophetiae assignat officium, et alii tanquam manui ministerium ascribit, et alii tanquam linguae doctrinam tribuit, similiter etiam caetera secundum rationem mensurae fidei. Nunc autem illa officia deputata membris merito fidei enumerat, ut quod viderit membrorum, quod sibi deputatum officium est, non perstrepat alteri, cui videt aliud traditum, sed congaudeat ut corpus Ecclesiae sit perfectum. *Sive prophetiam secundum rationem fidei.* A prophetia incipit, quae prima probatio est, rationabilem esse fidem nostram; denique credentes accepto spiritu prophetabant [Col. 0112C] pro modo capientis, hoc est, causa quantum exigit propter quam datur. Prophetia intelligenda est, quam docet Paulus, non illa per quam dicitur, Haec dicit Dominus. *Sive ministerium in ministrando, hoc est, ministerium sacerdotale, vel diaconatus officii ministratio.* Possumus haec omnia ad illam regulam revocare, quae superius est dicta, hoc est, *non plus sapere quam oportet sapere, ut verbi causa dicamus:* non debere eum qui ministrat in ministrando plus sapere quam oportet sapere; et qui docet, in doctrina non plus sapere quam oportet sapere: multi enim accepto ministerio vel accepta doctrina plus sapuerunt quam oportuit sapere, et elati in arrogantiam, vel in delicias resoluti praecipites corruerunt. *Sive qui docet, in doctrina? Similiter dicitur* [Col. 0112D] adjuvari doctorem in doctrina, ut in quantum fides ejus est ad docendum, in tantum inspiretur ad tradendam doctrinam coelestem. *Sive qui exhortatur in exhortando.* Qui docet major est eo qui exhortatur: exhortari enim possunt etiam minus periti, lacessit enim fratres ad bonum aut incredulos ad fidem. *Qui tribuit in simplicitate.* Qui tribuit indigentibus et praestat, oportet, inquit, ut in simplicitate cordis hoc faciat, hoc est, ne videatur quidem benefacere indigentibus, corde vero laudem quaerat ab hominibus. Non ergo simplicitas est, si aliud agi videatur in manibus, et aliud quaeratur in corde. *Qui praeest in sollicitudine.* Qui praeest in Ecclesia vel fratribus, debet esse sollicitus, non de saecularibus, [Col. 0113A] sed de Ecclesiae necessitatibus: qui Ecclesiae praesunt, recipiant sollicitudinem, qualem Apostolus dicit: Concursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* **(II Cor. II.)** *Qui miseretur in hilaritate.* Videtur fortassis unum atque idem esse, quod supra diximus, qui distribuit in simplicitate, et hic qui miseretur in hilaritate, sed mihi videtur unum fortasse opus esse, non tamen et operis ipsius unum effectum: aliud est enim dare indigenti, et aliud est affectu misericordiae cum indigente partiri in hilaritate: *Hilarem enim datorem diligit Deus* **(II Cor. IX)**. *Dilectio sine simulatione.* Tota puritas debet esse in Christiano, sicut Deus pura lux est: fingere enim servorum est; ut diligamus [Col. 0113B] non lingua tantum, sed opere et veritate, ita ut etiam, si necesse fuerit, pro nobis invicem moriamur. *Adhaerentes bono.* Non magnum dicit vitare malum, nisi adhaereat quis bono: nec benignum esse fraternitatis amorem, si non mutuis se obsequiis praevenerint. Observandum etiam hoc quod sicut in aliis dicit: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est* **(I Cor. VI)**, ita et hic dicit, *adhaerentes bono,* sine dubio ut contingat nobis unum esse cum bono, *Charitate fraterna invicem benigni.* Ita vos diligite, quasi ex una matre generati. *Honore mutuo praevenientes.* Hoc est, quod et Dominus docuit, cum notaret Scribas et Pharisaeos, prima sibi loca in conviviis vindicantes, ut cum vocatus fueris tu ad coenam, in novissimo loco recumbas **(Luc. XIV)**. *Sollicitudine impigri.* Ne per [Col. 0113C] saeculi sollicitudinem pigri in Dei opere efficiamini vel inertes. *Spiritu ferventes.* Quia frigidos Dominus non amat, et in tepidis nauseatur. Tunc plane spiritu fervemus, si saeculo frigeamus. *Domino servientes.* Non

saeculo, nec vitiis, sed omnia propter Dominum facientes. *Spe gaudentes.* Spe gaudet, qui non respicit ea quae videntur, sed ea quae non videntur exspectat, et qui scit *quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII)**. *Orationi instantes.* In quo enim non sufficit humana fragilitas, auxilium Dei orationibus implorandum est. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Manifestum est quia qui preces suas exaudiri vult, aemulus debet esse vitae sanctorum, ut hoc sit memorem esse et communicatorem, [Col. 0113D] imitari actus illorum. Aliter, memores sanctorum communicantes: hoc est ministrantes eis qui, propter Christum omnia contemnentes, alienis ad tempus indigent ministeriis. *Hospitalitatem sectantes.* Non illud solum ostendit ut venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed et quaeramus et solliciti simus, et sectemur, ac persequamur ubique hospites, ne ubi forte in plateis sedeant, ne extra tectum lateant. Recordare Lot, et invenies quod non illum hospites, sed ipse quaesierit hospites, et hoc erat hospitalitatem sectari. *Benedicite persequentibus vos.* Sermo benedictionis in Scripturis diverse invenitur, nam et benedicere inter homines vel caetera quae creaverit invenitur Deus, et homines vel [Col. 0114A] caeterae creaturae Deum benedicere jubentur: sed Dei quidem benedictio aliquid muneris semper his qui ab eo benedicuntur impertit. Homines vero Deum benedicere, pro eo quod est laudare et gratias referre dicuntur. Sed in hoc prohibet Apostolus, ne pro maledictis maledicta reddamus, sed faciamus quod ipse de semetipso scribit, ubi dicit: *Maledicimur et benedicimus* **(I Cor. IV)**. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Non cum illis qui flent mortuos suos jubemur, aut qui flent damna saecularia, scientes quia hujus saeculi tristitia mortem operatur; non sunt ergo lacrymae cum talibus, sed cum illis flendum est, de quibus dicit Dominus: *Beati qui flent, quoniam ipsi consolabuntur* **(Matth. V)**. *Gaudete cum gaudentibus, id est, gaudio spirituali, in bono proximi,* [Col. 0114B] et in conversatione ejus ad Deum. *Id ipsum invicem de vobis sentientes.* Sermo iste non natura sui, sed interpretatione obscurus factus est: hoc est enim quod dicit, ut ita de fratre sentiamus, ut de nobis ipsis, et ita velimus proximo, sicut et nobis volumus, ut Dominus in Evangelio dixit: *Omnia quae vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* **(Matth. VII)**. *Id ipsum, id est, compati in fratris tribulatione. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Alta sapere, superbe sapere est, ut elatio sit in animo ut praesumens forte de incolumitate actus sui, non condoleat fratri, sed exprobret peccatum, quod denotat Dominus dicens: *Ejice trabem de oculo* tuo, et tunc videbis ejicere *festucam de oculo fratris tui* **(Luc. VI)**; ipsa enim elatio peccatum est. *Sed* [Col. 0114C] *humilibus consentientes, id est, ut deposita superbia alienam causam suam faciat, et suam alienam. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Hoc in Isaia scriptum est **(Cap. V)**, quod hic Apostolus quasi suum ponit: Nolite in humana sapientia gloriari, sed stulti estote saeculo, ut Domino sitis sapientes, sicut scriptum est: *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* **(Psal. XCIII)**. Qui sibi prudens videtur, hic cum arrogantia stultus est: nec potest veram Dei sapientiam scire, qui suam stultitiam quasi sapientiam colit. Ergo qui apud seipsum sapiens est, non potest esse sapiens apud Deum. *Nulli malum pro malo reddentes.* Si malum inferre peccatum est, et reddere malum, non ut quibusdam videtur justum est, sed simile peccatum est, et ut ego arbitror [Col. 0114D] etiam gravius: nam ille qui malum prior intulit, non sentit malum esse quod fecerat; qui autem reddit malum, eo ipso quod ad ulciscendum motus est, confessus est sensisse se malum esse quod reddidit. *Nemini malum pro malo reddentes.* Hoc est quod dicit Dominus:

Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, etc. Mandatum enim in lege erat: *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Haec quantum videtur justitia est, sed ut abundet justitia Christianorum, docentur non reddere malum pro malo, ut perfecti esse possint. *Providentes bona.* Providere est futura ante oculos habere, ut ea gerantur quae possint, postquam facta fuerint, in reprehensionem [Col. 0115A] non venire, sed magis laudi esse, sive apud Deum, sive apud homines, ne quis existimet quia apud Deum illicita non displicent, idcirco non curandum, si fratri scandalo sint. Hoc ergo praemonet, quia illud fieri debet quod et Deo non displicet, et fratri scandalum non sit. Coram hominibus providet quis bona, ut non placeat singulorum vel vitiis, vel moribus, alioquin contraria erit illa Apostoli sententia quae dicit: *Ego si hominibus placere vetlem, Christi servus non essem* **(Gal. I)**. *Si fieri potest quod ex vobis est, etc.* Quod vestrum est, vos cum omnibus pacem habetote, et dicite cum Propheta: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* **(Psal. CIX)**. Optantes conversionem eorum atque salutem, sicut in vobis est ut fieri possit. Quomodo potest fieri ut [Col. 0115B] pacem cum omnibus habeamus? et quid faciemus de Scriptura quae dicit: *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* **(Psal. XLIX)**. Ideo ergo bene Apostolus addit, *quod ex vobis est, hoc est proposito vestro et fidei vestrae convenit:* cum malis enim habere pacem et societatem, fidei vestrae proposito fideique convenit. Quamvis et alio in loco possit haberi distinctio: aliud est enim crimina amare, aliud homines diligere: Qui homines, creaturam Dei diligit; qui crimina diligit, diaboli sectatur inventa. Qui ergo perfecti sunt, hoc ipsum quo oderunt crimina, homines amant, et odio habentes in eis illud quod peccant, illud quod Deus creavit amare non desinunt. *Non vosmetipsos vindicantes, sed date locum irae.* [Col. 0115C] Aut a fugiendo, aut a permittendo noceri, hi qui seipsos mox vindicant quomodo locum dant irae? Verbi causa: manum manui non referunt, aut convicio convicium reddunt, irae illius qui fecit injuriam, pertranseundi et evanescendi locum dederunt: nemo enim ita rabidus invenietur qui, illata injuria, si invicem non recipiat, iterum saeviat, sed quasi effuso ac digesto furore necessario mitescat. Est ergo grande lucrum, ubi et multitudo compescitur peccatorum, et injuriam passi patientia probabilis apud Deum. Est autem et hoc modo irae locum dare, pro his quae inferentur injuriis, quod hi qui peccant secundum Pauli sententiam, *iram* sibi thesaurizant in die irae, tunc *reddet* Deus *unicuique secundum opera sua.* Si esurierit inimicus [Col. 0115D] *tuus, ciba illum.* Noli illi negare quod Deus nulli negat, quamvis sit blasphemus et impius. Non solum vindictam Deo reservari debere ostendit, sed et beneficia dare inimicis. *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Fortassis isti carbones ignis qui congregantur super caput inimici, in adjutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri ut animus ferus ac barbarus inimici, si beneficium nostrum sentiat, si humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compunctionem cordis capiat, commissi poenitudinem gerat: et hoc ipso ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro commissi conscientia torqueat et adurat, et isti erunt carbones ignis, qui super caput ejus ex nostra misericordia, [Col. 0116A] et pietatis opere congregantur. Aliter, si inimicus bona pro malis recipiens, nulla malitiae suae poenitentia movetur, ipse sibi thesaurizat iram. Caput vero principale cordis appellatur, et merito caput dicitur, cujus intellectu et prudentia membra reguntur universa. *Noli vinci a malo, sed vince in bono matum.* Vincitur a malo, qui a malis provocatus reddit malum. Bono autem vincit malum, qui acceptis malis restituit bona. Certum est enim hanc esse mali naturam, ut ex similibus

sui augeatur et crescat, sicut ignis, si ei ignem jungas; sicut noctis tenebris si aeris nubilum sociatur. Bonum vero si adhibeas, exterminatur malum. Contraria namque contrariis perimuntur, sicut per aquam ignis exstinguitur, per lucem tenebrae fugantur.

[Col. 0116B]

CAPUT XIII.

Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote. Omnis haec causa adversus illos prolata est qui se putabant ita debere libertate Christiana uti ut nulli honorem deferrent aut tributa dependerent. Quocunque ergo modo eos humiliare desiderat, ne forte propter superbiam magis quam propter Deum contumeliam patiantur. Ideoque docet illos humilitate tempus redimere. *Non enim est potestas, nisi a Deo.* Quid, et illa potestas, quae servos Dei persequitur, fidem impugnat, religionem subvertit, a Deo est? Ad quod respondendum quod etiam talis potestas a Deo data est, ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum. *Itaque qui resistit potestati.* Non hic de illis potestatibus dicit, quae persecutiones [Col. 0116C] inferunt fidei: ibi enim dicendum: Deo obtemperare magis oportet quam hominibus **(Act. V)**, sed de istis communibus dicit quae non sunt timori boni operis, sed mali, quibus utique qui resistit, sibi damnationem pro gestorum suorum qualitate conquirit. *Nam qui principantur non sunt timori boni operis, sed mali.* Malus debet timere potestatem: nam bonus non habet quod timeat, quia si juste occidatur, gloriatur. *Vis autem non timere potestatem, hoc est, accipe consilium meum, et nunquam timebis.* Quod autem dicit de potestate: *Fac quod bonum est? In die judicii, et habebis laudem ex ea, altius mihi requirendum videtur:* non enim consuetudo est potestatibus saeculi laudari hos qui non fuerint criminosi; nam peccantes quidem puniunt, nec peccantes vero [Col. 0116D] collaudare eis mos est nullus. Ergo sciens Paulus quod omnes qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur, unumquemque enim in judicio illa lex sine dubio arguet secundum quam vixit. Ostendimus autem Spiritum sanctum in multis humanae legi locum dedisse. Certum enim est quia in die judicii habebit etiam ex ipsis legibus laudem apud Deum is qui nihil contra statuta commiserit, cum ei dicetur: *Euge, serve fidelis, intra in gaudium domini tui.* Et habebis laudem ex illa. Laus ex potestate tunc fit, cum quis innocens invenitur. *Si autem malum feceris time.* Nam in te habet officium si peccaveris, nec tibi proficit ad mercedem, sive sacerdotes portant gladium spiritualem, sicut Petrus [Col. 0117A] percussit Ananiam, et Paulus Magum. *Dei enim minister est tibi in bonum.* Quia pro tua sollicitus est quiete, quoniam futurum judicium Deus statuit, et nullum perire vult in hoc saeculo, rectores ordinavit, ut terrore interposito hominibus velut paedagogi sint erudientes illos, quos servent, ne in poenam futuri judicii incidant. *Ideoque subditi estote non solum propter iram.* Recte dixit *iram, id est, ultionem praesentem:* ira enim judicium parit, sed et propter judicium futurum, ubi accusante conscientia punientur. Ob hoc mihi videtur dicere: Ideo necesse est subditos esse, non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam. Conscientiae quoque quis subditur, cum habet in se quo accusetur a conscientia. His ergo etiam tributa pendimus, dum adhuc [Col. 0117B] secundum carnem vivimus, et quae carnis sunt cogitamus: nam si vineam Domini colamus, et vitam veram, quae est Christus, exerceamus in nobis, de ista vinea non

ministris saeculi tributa pendimus, sed ipsi Domino fructus in tempore reddimus, secundum quod ipse Salvator in Evangelio dicit: Quia colonis malis vineam tulit, et dabit eam aliis colonis, *qui reddent ei fructus in tempore suo* **(Luc. XX)**. *Reddite ergo omnibus debita.* Potest etiam eleemosyna debitum appellari, dicente Scriptura: Inclina pauperi aurem tuam, et redde debitum tuum. *Cui tributum, tributum, hoc est, reddite tributum, cui reddendum est tributum.* Tributum est quod manu tribuitur. Vectigal autem quod vehiculis vehitur. Primum ea quae sunt potestatis [Col. 0117C] regiae debite exsolvi jubet, quia major his necessitas est. *Cui timorem, timorem.* Potestati timorem exhibendum dicit, quia timor prohibet peccatum, deinde Domino, parenti terreno, ut gratias agat, a filio, a servo Christiano. *Cui honorem, honorem.* Potest hic honor circa eos esse qui sublimes videntur in mundo, ut videntes humilitatem servorum, Christum laudent potius quam vituperent doctrinam evangelicam. *Nemini quidquam debeatis.* Hic incipit praedicare charitatem. Pacem vult fieri, si potest, cum omnibus, dilectionem vero cum fratribus, et hic tamen honore servato. Idcirco autem debitores dicit, quia homini qui dignus est honore sive praesenti sive futuro, dignum est et justum inclinari. [Col. 0117D] Illi enim quis inclinatur, a quo honorem accipit, idcirco debitor dicitur: si enim non hoc feceris principi tuo, superbies: aut enim merito quis, aut aetate honorandus est. *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Legem datam a Moyse implebit, qui proximum diligit; nam novae legis mandatum est etiam inimicos diligendos; aliter secundum parabolam Domini sine discretione cunctis misericordiam fieri jubentem, omnis homo proximus censendus est. Quomodo possit quis legem in uno sermone complere plenissimam reddit rationem, dicens: *Dilectio proximi malum non operatur:* et ideo plenitudo legis est dilectio. Ponit enim per singula mandata legis dilectionem, et vide quam facile cuncta complentur. Nunquid enim qui diligit proximum [Col. 0118A] occidere eum potest? non etiam. Et iterum, nunquid qui proximum suum diligit, in uxorem ejus adulterium committit? Nunquam profecto. Sic et in caeteris. Hoc ipsum intelligendum est hoc verbo *restauratur:* quia in proximi dilectione omnis justitia recapitulatur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hoc in Levitico **(Cap. XVI)** scriptum est. *Et hoc scientes tempus.* Haeret cum superioribus, ubi dixit: *Subditi estote.* Quoniam hora est jam nos de somno surgere. Ut ad perfectiora tendatis: non enim debetis semper parvuli et lactentes esse. Ergo de somno inertiae et ignorantiae consurgite, jam enim scientia lucet. *Nunc enim propior est salus nostra, quam cum credidimus.* Quotidie propior est nostra salus, sicut et Dominus cum consummationis saeculi [Col. 0118B] signa distingueret, dixit: *Cum audieritis haec omnia, allevate capita vestra, quoniam appropiat redemptio vestra* **(Luc. XII)**. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Comparat diei scientiam, et ignorantiam nocti. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Cum ignorantia abjiciamus simul et opera ignorantiae, et arma lucis, hoc est, opera luminis induamus; qui enim male agit, odit lucem: qui vero veritatem facit, venit ad lucem. Tenebrarum sunt opera vitia carnis, arma vero lucis gesta sunt bona. Boni ergo actus arma lucis sunt; impugnant enim tenebras, quae sunt vitia carnis. Quae sint autem opera tenebrarum quae abjicienda sint, consequenter enumerat et dicit: *Non in comessationibus.* Comessationes autem, sicut inhonesta et [Col. 0118C] luxuriosa convivia, quibus necessario comes est turpissima temulentia, et quid aliud subsequitur, nisi cubilia et impudicitiae. *Non in contentione et aemulatione.* Recte ab his coerceri monet, quia omnis contentio et zelus inimicitiam parit: haec enim omnia tenebras vocat, quae ad lucis praemia pervenire non possunt

Sed induite vos Dominum Jesum Christum. Frequenter diximus, Christum sapientiam esse, et justitiam, et sanctificationem, et veritatem, et omnes simul virtutes, quas utique qui assumpserit, Christum dicitur induisse. Si enim haec omnia Christus, necessario qui haec habet, habet et Christum: qui autem haec habet, carnis curam in concupiscentiis non facit: *Et carnis curam ne feceritis in decideriis.* [Col. 0118D] Sic Salomon ait: Post concupiscentias tuas ne eas. In hoc necessaria non prohibuit sed concupiscentias resecavit.

CAPUT XIV.

Infirmum autem in fide accipite. Hoc est, Judaeum, nuper in Christum credentem nequaquam offendite, sed adjuvate, ut arundinem quassatam non confringatis **(Matth. XXI)**. *Non in disceptatione.* Ne dixeritis ei, vel ne imputetis, quod non oporteat fieri quae carnaliter observat; nam quo pacto ausi sumus ferre sententiam de alterius corde quod non videmus? *Qui autem infirmus est, olus manducet.* Hinc probatur, quia non de Judaeis, ut quidam putant, sed de abstinentibus dicat; non enim carnes secundum [Col. 0119A] legem mundas, sed sola olera manducabant. *Qui manducat, non manducantem ne spernat.* Habebant inter se scandala: illi illos quasi carnales judicabant, et illi illos tanquam stultos irridebant, et superstitiosos putabant. *Deus enim illum assumpsit.* Hoc est, ita illum Deus vocavit in unitatem fidei, sicut et te. *Tu quis es qui judicas? Cujus auctoritatis es, ut judices eum quem non judicat lex? Unde Jacobus ait:* Qui judicat fratrem judicat legem, scilicet sapientiorem se judicat lege. Caeterum ipse Paulus contra mandatum facientes judicavit, et aliis judicandi tribuit facultatem. *Suo Domino stat aut cadit.* Hoc est, sive vivit, sive moritur, quia et ille propter Deum abstinet, et ille secundum Deum non abstinet. *Stabit autem,* potens est enim Deus statuere [Col. 0119B] illum. Qui tres pueros leguminibus pastos meliores apparere fecit quam illos qui de mensa regis edebant, potest et illos facere diutius in corpore stare vel statuere, hoc est, in fide robusta ponere. *Nam alius judicat diem inter diem.* Subaudis jejunare, hoc est, modicum edere. Judaei in escis diem inter diem judicare non poterant. Ergo de jejunio et abstinentia dicit, quae non sunt sub certo modo legis redacta: unusquisque tantum faciat quantum potest, et quantum mercedis habere voluerit. Unde sequitur, ut unusquisque id faciat in tali causa duntaxat, quod melius judicaverit. *Et qui manducat, Domino manducat.* Quia propter Deum manducat, ut praedicando evangelium possit habere virtutem, per quam conversi gratias referant Deo, non suae gulae [Col. 0119C] studens, sed aliorum saluti. *Eo qui non manducat, Domino non manducat.* Quia per exemplum illius multi salvantur. Et gratias agit Deo, hoc est, non solum labiis, sed exemplis et operibus. *Nemo,* fidelium *sibi vivit, et nemo sibi moritur.* Quia Christus pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed illi. Cavendum est autem, ne nos e contrario aut nobis vivamus manducando, aut propter homines moriamur jejunando. *In hoc enim vixit Christus et mortuus est.* Adventus Christi et vivos inveniet, et mortuos suscitabit, quoniam vivis ostendit viam salutis, et se obtulit pro eis, mortuos vero liberavit de inferno, tam vivorum quam mortuorum dominatur; ex perditis enim iterum reformavit sibi illos in servos. Puto quod duobus modis constat in [Col. 0119D] omnem creaturam Christi dominatio: uno quo vi majestatis et necessitate potentiae dominatur; altero, quo rationabilis spiritus exspectat, ut sponte veniat, ut

voluntate et non necessitate bonum quaerat, et docendo magis quam imperando, invitando potius quam extorquendo persuadeat. Inde denique usque ad mortem dignatur volentibus peccato et vitiis immori, derelinquere exemplum, et propter hoc in praesenti loco Apostolus dicit idcirco eum mortuum esse et vixisse, ut et vivorum, et mortuorum dominetur: vivorum profecto illorum, qui resurrectionis ejus exemplo novam et coelestem in terris exigunt vitam; mortuorum illorum, sine dubio, qui mortificationem Christi in corpore circumferunt, et mortificant [Col. 0120A] membra sua quae sunt super terram.

Tu autem quid judicas fratrem tuum? Docet non oportere in hac re judicare, quia nec continetur in lege; propterea Deum judicem exspectemus. *Et confitebitur omnis lingua Deo.* Hoc est, tria genera filiorum Noe, de Sem enim 27, de Cham 22, de Japheth 22 linguae, hoc est 72 natae sunt. *Sed in hoc judicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandulum.* Hoc est, ut non carnem manducetis coram abstinente quolibet, vel coram infirmo Judaeo in fide. *Nam si propter escam frater tuus contristatur.* Non dixit, propter jejunium; sed ne illum qui aut infirmatur, aut abstinet, tuo exemplo provoces aut compellas.

Jam non secundum charitatem ambulas. Quia invitus [Col. 0120B] manducat, quod illi non expedit. Etiam non diligis proximum sicut te, si non illius utilitatem cogitas quasi tuam. *Noli cibo tuo illum perdere.* Non dixit abstinentia tua, sicut quidam volunt. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Bonum, hoc est, libertas, quam habemus in Domino, ut omnia nobis munda sint; non ea ita debemus uti, ut videamur propter gulam et epulas ambulasse. Bonum nostrum, hoc est, doctrina Dominica, cum sit bona et salutaris, non debet blasphemari per rem fragilem: blasphematur autem, cum dubitatur de Dei creatura. *Non est enim regnum Dei esca et potus.* Hoc est, non propter escam justificamur, etc. Sed et hoc notandum, quia non dixerit jejunium et sobrietas non est regnum Dei, sed esca et potus. *Sed justitia et pax et* [Col. 0120C] gaudium in Spiritu sancto. Quae per abstinentiam facilius custoditur. Ubi vero justitia, sicut se proximum diligendo, ibi et pax: et ubi pax, ibi et gaudium spirituale, quia ex dissensione semper tristitia et molestia generantur. *Itaque quae pacis sunt sectemur.* Hoc est, ut non invicem de hujusmodi judicemus. *Et quae aedificationis sunt invicem custodiamus.* Hoc est, quae fratrem non offendunt, aedificat autem abstinentia. *Noli propter escam destruere opus Dei.* Hominem scilicet creatum a Deo. *Omnia quidem sunt munda.* Repetit quod superius dixerat, ne creaturam damnare videatur. *Bonum enim est non manducare carnem, et non bibere vinum.* Exponit quid sit per quod offendi dicebat infirmum: offenditur sensu, scandalizatur fide, quae est offensio major. *Aut infirmatur.* [Col. 0120D] Scilicet pudicitia; *vinum* enim *et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes* **(Eccl. XIX)**. Quod autem dixit: *Habes penes teipsum.* Jactantiam resecat, ne magis in ostentatione sit, quam virtute quod credimus, vel quod non mordet conscientiam in eo quod facit. *Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat.* Hoc est, qui non suam firmitatem probando se considerat, sed alterius infirmi salutem. *Qui autem discernit:* Si manducaverit damnatus est. Id est, qui se ita dijudicat: idipsum est enim discretio et judicium, quia et judicium discernendo fit, et discretio judicando; vel, discernit credens malum esse illud, vel illud manducare, et tamen manducat contra fidem suam, jam damnatus est.[Col. 0121A]

Quia non ex fide. Quae per charitatem operatur; quidquid enim alium destruit, ex fide non est, et idcirco peccatum est.

CAPUT XV.

Et non nobis placere. Id est, ut propria commoda quaerentes, nostram faciamus voluntatem.

Ad bonam aedificationem. Ostendit modum placendi et causam, ne ad vanam gloriam placeamus. Simul et cum dicit: *Bonam aedificationem, esse ostendit et malam, ut est illud: Aedificabitur ad manducandum idolothyta*

Etenim Christus non sibi placuit. Ideo vos qui membra Christi estis, non debetis placere vobismetipsis. Imitator et discipulus Christi non quaerit suum commodum: ille enim ob aliorum salutem etiam [Col. 0121B] mortuus est, et improperia amarissima supportavit dicentium: *Vah! qui destruebas templum Dei, etc.* **(Marc. XXV)**. Quod si requiras cur exemplum, quod e psalmo protulit, ita habeat, quasi improperia, quae improperantur Deo, ceciderint super Christum **(Psal. LXVIII)**, ita possumus explanare, quod sicut dixit: *Qui me recipit, recipit eum qui me misit* **(Matth. X)**, ita et hoc accipi potest: Quia qui mihi improperat, improperat ei qui misit me.

Ut per patientiam et consolationem Scripturarum. Per Scripturarum consolationem et solatia, spem futurorum patientissimi exspectamus, sicut scriptum est: *Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est in illis scandalum* **(Psal. CXVIII)**. Hoc est, qui consolatione legis utuntur, moveri nulla tentatione possunt, [Col. 0121C] ut per exempla patientiae et consolationis eorum quae scripta sunt, speremus consolationem et in praesentibus, et sicut Lazarus in futuro. Magni etenim causa solatii est, si quod nos patimur, Dominum nostrum et sanctos ejus sciamus esse perpessos. Item et consolationem Scripturarum, id est, ut ipsa exhortatione proficiamus ad spem, non diffidentes de promissis, si adhuc tardent. *Spem habeamus.* Id est, promissionis, ut spes praemii solatium sit laboris.

Secundum Jesum Christum. Ut unusquisque quaerat alterius salutem quasi suam, sicut Christus sua morte omnes salvavit a morte. *In uno ore honorificetis Deum.* Unum os dicitur, ubi unus atque idem per diversorum ora sensus et sermo procedit. *Propter* [Col. 0121D] quod suscipite invicem. Propter honorem Dei invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi: qui nos suscepit in se, cum essemus impii, quanto ergo magis nos invicem, ut similes nostri sustinere debemus! *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis.* Iterum utrumque populum ad unitatem hortatur. Consentio vobis, o Judaei, quia Christus vobis promissus, ad vos venerit primum, et Gentes propter misericordiam Dei vocatae sunt, tamen unum estis corpus effecti: *Non* enim *venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis.* Ad confirmandas promissiones patrum. Ut videlicet impleret quod promisit patribus; *Cui plus dimittitur, plus diligit.* Sicut [Col. 0122A] *scriptum est:* Propter hoc confitebor tibi in gentibus, Domine. Hoc est, faciam gentes confiteri tibi in gentibus, Domine. Vox Christi est ad patrem. Tulitque Judaeis arrogantiam, cum de Gentium

salute dicit esse praedictum: Christus autem in Gentibus confitetur eos misericordiam consecutos, quia et ipsi sunt in corpore ejus per baptismum.

Laetamini, gentes. Hoc in Deuteronomio scriptum est. *Cum plebe ejus.* Hoc est, cum Israel. *Erit radix Jesse.* Radix Jesse est arbor David quae fructum fecit per ramum, qui est Maria virgo, quae Christum genuit. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio.* Omne gaudium fidelium in spe debet esse futura. *Deus spei, id est, in quo speratur vita futura.* Ibi autem omne gaudium, ubi pax est: nullum vero in [Col. 0122B] dissensione gaudium, sed universa moestitia. *In virtute Spiritus sancti.* Si enim qui credit virtute Spiritus sancti munitur, certum est quod plenitudinem gaudii semper habeat, et plenitudinem pacis. Aliter. *Et virtute Spiritus sancti, quia abundantia spei in Spiritus virtutibus consistit et signis.*

Certus sum autem et ipse de vobis. Bonus doctor laudando provocat ad profectum, ut erubescant tales non esse, quales ab Apostolo esse putabantur.

Et repleti omni scientia. Hoc est, Veteris et Novi Testamenti. *Audacius autem scripsi vobis.* Ideo magis scribendi fiduciam habui, quia novi vos ut prudentes cito accipere rationem, sicut scriptum est: *Argue sapientem, et amabit te* **(Prov. IX)**. *Tanquam rememorans.* Hoc est, recordans vos esse prudentes, [Col. 0122C] sive ut non ignaros doceo, sed ut scientes commemoro.

Propter gratiam quae data est. Non propter commoda terrena, vel laudem, sed ut impleam officium quod accepi.

Sanctificans evangelium. Meo exemplo sanctum esse demonstrans. Quidam enim ut humanum contemnunt, quod praedicant ut divinum, et ita fit ut res sancta videatur esse non sancta, cum non perficitur sancte. Unde dicitur: *Sanctificate jejunium, hoc est, sanctum facite, sive monstrate. Ut fiat oblatio Gentium accepta.* Ut exemplo meo Gentes efficiantur hostia Deo accepta, non igne sanctificata, vel suscepta, sed Spiritu sancto, sicut scriptum est: Quia *sedit super apostolos quasi ignis,* et visae sunt illis [Col. 0122D] *variae linguae* **(Act. II)**. *Habeo igitur gloriam in Christo.* Sciendum sane est quia hic Latini *gloriam* pro *gloriatione posuerunt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Gloriam igitur habeo ad Dominum, licet apud homines infamer et maculer.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus. Non ausus sum dicere aliquid me in his duntaxat rebus propria virtute fecisse, et non omnia per me esse Dominum operatum, Signa minora, hoc est sanitates vivorum. Prodigia majora, veluti est suscitatio mortuorum. Signa vocantur, in quibus sit aliquid mirabile, indicant quoque aliquid futurum. Prodigia vero in quibus tantummodo mirabile aliquid ostenditur.[Col. 0123A]

Sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt de eo, intelligent **(Isai. LII, 5)**. Ostendit suum laborem antee praedictum. *Videbunt.* Videtur Christus in apostolis per virtutes quas in ejus nomine faciebant. *Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos.* Fundavi ecclesias occupatione detentus in his regionibus, Achaiae, et Macedoniae, vel ab Hierusalem in Illyricum. *Sed*

cum proficisci coepero in Hispaniam. Utrum vero in Hispaniam venerit, incertum habetur. *Spero quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc.* Quia ita vos exhibetis, ut nec apud vos locum aut necessitatem habeam diutius remorandi, ideo et ex parte illis fuisse dicit, quia credere non indigebant, sed tantummodo confirmari; sive ideo ex parte, [Col. 0123B] quia nulla magnitudo temporis faciat charitatem. *Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis.* Sancti erant in Hierusalem, qui omnibus suis distractis, et ante apostolorum pedes depositis, orationi, lectioni ac doctrinae vacabant.

Probaverunt enim Macedones. Probaverunt autem hoc sibi utile fore, si collationem aliquam sumptuum facerent sanctis. *Quod autem placuit Macedoniae et Achaiae.* Subtiliter ac verecunde dum Corinthios laudat, hortatur Romanos: facilius enim devotae mentes ad benefaciendum exemplis quam sermonibus invitantur. *Quomodo si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles.* Id est doctrinae et orationis. Reliqui doctores ex ipsis habebant, et socii fuerant pinguedinis radicis: ideoque unusquisque, [Col. 0123C] qui quo abundat, debet alteri impartire.

In abundantia benedictionis Christi veniam. Quia abundantius in adventu meo Christus in vobis benedicetur: sive benedictionis, id est gratiae Christi. *Obsequii mei oblatio.* Id est eleemosyna quam porto. *Accepta.* Grata. *Ut cum gaudio veniam ad vos.* Si videlicet sancti acceperint hanc eleemosynam. *Ut refrigerer vobiscum.* Non corporalem utique requiem quaerit Paulus, sed illam quae consolationem habet ex Deo, sicut et ipse in primis hujus Epistolae partibus dixit: *Consolari in vobis, per eam quae invicem est fidem vestram atque meam.*

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Deus pacis Christus est, qui non nisi in pacificis habitat. [Col. 0123D] Pulchre autem in pace finivit, duobus populis ad pacis concordiam revocatis

CAPUT XVI.

Commendo vobis Phoebem sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae, quae est Cenchris. Hoc jam quasi finito textu Epistolae, ut solent, commendationis vel salutationis gratia subter adnexuit. *Quae est in ministerio Ecclesiae.* Sicut etiam nunc in Orientalibus locis diaconissae mulieres in suo sexu ministrare videntur in baptismo sive in ministerio verbi, quia privatim docuisse feminas invenimus, sicut Priscilla, cujus vir Aquila vocabatur: hi duo caesum Paulum virgis, vino oleoque, et aliis rebus medicati sunt. Hanc ministram esse Ecclesiae Cenchris ait; et quia multis adjutorio fuit, etiam ipsa ad adjuvandum [Col. 0124A] peregrinationis causa dicitur. Cenchris portus Corinthi, quia omnes qui ad Corinthum veniunt, mansionem Cenchris habent. *Ut assistatis ei.* Sive sumptibus, sive solatio adjuvetis eam.

Adjutores meos. Id est in opere doctrinae. Omnes autem quos salutat, intelligimus ex hominibus fuisse peregrinis, per quorum exempla ac doctrinam, non absurde existimamus credidisse Romanos. *Qui est primitivus Asiae.* Hoc est qui primus credidit Christo in Ecclesia. *Quae multum laboravit in vobis.* Docet et in hoc debere etiam

feminas laborare pro Ecclesiis Dei. Nam et laborant, cum docent adolescentulas sobrias esse, diligere viros suos, filios enutrire, pudicas esse, castas, domum bene regentes, benignas, subditas viris suis, hospitio recipere, sanctorum [Col. 0124B] pedes lavare.

Cognatos meos. Potest quidem fieri, ut et secundum carnem isti cognati fuerint Pauli, et ante ipsum crediderint in Christo. *Qui sunt nobiles in apostolis.* Et nobiles habiti sunt in apostolis Christi, de quibus possibile est et illud intelligi, quod fortassis ex illis septuaginta duobus, qui et apostoli nominati sunt fuerint, et ideo nobiles suorum et in apostolis dicat, et in his apostolis qui ante eum fuerunt. *Concaptivos.* Tolerando ab Judaeis persecutiones. *Salutate Ampliatum.* Hunc quasi amicum salutat, sed in Domino amicum, non tantum qui interfuerit labori ejus aut captivitati. *Adjutorem meum.* Adjutor autem apostoli in Christo, non alius intelligitur quam apostolici operis particeps. *Probum in* [Col. 0124C] *Domino.* Hoc est probatum, qui in multis tribulationibus probatus est. *Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo.* Quoniam nihil otiosum et in litteris apostolicis additur vel minuitur, istos qui sunt vel de domo, vel de familia Aristoboli, non frustra, neque dilectos, neque probos, neque adjutores in Christo nominat, sed forte qui nihil tale habebant in meritis, idcirco eos solo titulo salutationis honoravit. Aristobolus iste intelligitur congregator fuisse fratrum in Christo. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo.* Videntur quidem plures fuisse ex domo, vel familia Narcissi, sed non omnes in Domino fuisse, et ideo addidit, eos salutandos esse qui sunt in Domino. *Salutate Rufum.* Huc usque Judaeos, nunc Romanos salutat. *Et matrem ejus et meam.* Aetate, [Col. 0124D] non partu. *Salutate Asyncritum, etc.* De istis simplex est salutatio, nec aliquid eis insigne laudis adjungitur. Suo exemplo nos docet quales amicos debeamus nostris litteris salutare: non divites saeculi facultatibus, vel dignitatibus honoratos, sed gratia ac fide locupletes. *Herman.* Puto autem quod Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui pastor appellatur, quae scriptura valde mihi utilis videtur, et ut puto divinitus inspirata; quod vero nihil ei laudis ascripsit, illud declarat, post multa peccata ad poenitentiam fuisse conversum. *Salutate Philologum.* Hi homines unanimes intelliguntur fuisse, quos hac causa simul salutat, quorum meritum ex his qui simul cum eis erant dignoscitur; sanctos nuncupat eos, ut merito [Col. 0125A] illos salutare videatur. *In osculo sancto.* Ex hoc sermone, ahisque nonnullis similibus, mos ecclesiis traditus est, ut post orationem osculo se invicem suscipiant fratres. Hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus, quo nomine illud docet ut casta sint oscula quae in ecclesiis dantur, tum deinde ut simulata non sint, sicut fuerunt Judae, qui osculum labiis dabat et proditionem corde tractabat. Osculum vero fidelis primo, ut diximus, castum sit, tum deinde pacem in se simplicitatemque habeat, in charitate non ficta. *Fratres, obsecro vos, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Alienus vobis sit, nec omnino recipiatur inter vos qui certamina commovet, qui serit jurgia, qui lites excitat, et studia contentionis [Col. 0125B] exercet. Qui enim tales sunt, Christo Domino nostro qui est nostra pax, non serviunt. De illis dicit qui ex circumcisione illo tempore venerant, jejunia et abstinentiam destruentes, et neomenias, et sabbata, et caeteras ferias ventris gratia praedicabant, dissentientes ab apostolica doctrina, et fratribus offendicula praeparantes. *Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est.* Hoc est, si illis obedistis quibus obedire non debuistis, quanto magis nobis obedire debetis! Subtiliter sane Paulus indiscretam et facilem Romanorum obedientiam notat, eamque asserit

ubique non laudatam, sed pervulgatam: sed ne eos rursum, si pro hoc apertius castigaret, inobedientes efficeret, addidit:

In vobis igitur gaudeo. Gaudet Paulus super obedientes, [Col. 0125C] certus quod cum docuerit eos non vulgari obedientia, quam incaute omnibus praebent, uti debere, sed illa sola qua obedire oportet Deo magis quam hominibus, relictis caeteris ipsa sola utantur. *Volo enim vos sapientes esse in bono.* Simile est hoc illi dicto, quod ad Corinthios scribit, dicens: *Malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis* **(I Cor. XIV)**. Sed et illud quod Dominus ait: *Quia filii hujus saeculi prudentiores sunt quam filii lucis in generatione sua* **(Luc. XVI)**. Huic convenit dicto: Filii autem saeculi hujus prudentiores sunt in malitia, pro eo quod aliquid semper profundius et subtilius inveniunt in ea, unde plus noceant et vehementius laedant. In bono autem stulti sunt: vix enim inveniunt quid faciant boni. E contrario vero Paulus [Col. 0125D] vult nos sapientes esse in bono, hoc est semper plus invenire aliquid, plus exquirere, et profundius cogitare quid faciamus boni, ita ut, etiamsi impediamur per alicujus malitiam ab opere bono, nos si sapientes sumus excogitemus quomodo si bonum opus non possumus, vel sermonem bonum proferamus: quia si nec hoc licet, votum saltem bonum et animum demonstremus. Sic ergo *sapientes esse in bono debemus, simplices in malo, ut si pulsamur malitia et injuria, non simus callidi et versuti artes et argumenta quaerentes, quibus reddere malum pro malo, et nequitiam pro nequitia debeamus.* Sed in tali loco meminisse debemus illius sententiae, quae dicit: *Si quis vult sapiens esse apud Deum,* stultus fiat in [Col. 0126A] *hoc mundo* **(I Cor. III)**. Simus ergo stulti, accipientes injuriam, et non reddentes, ut sapientes simus apud Deum, qui dixit: *Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus* **(Ezech. IX)**. Quomodo potest idem ipse et sapiens esse et stultus? Respice ad artes istas quae in usu hominum habentur, quomodo ille qui, verbi causa, sapientissimus grammaticus, in arte fabrili insipientissimus: vel rursus sapientissimus gubernator, quomodo in arte medicinae invenitur insipiens: sic ergo possibile est in his quae ad Deum pertinent esse sapientem et in his quae ad saeculum pertinent insipientem. *Deus autem pacis conterat Satanam.* Ut est illud: *Dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones et serpentes* **(Luc. X)**. *Sub pedibus vestris velociter.* Hoc est sensibus mundis et [Col. 0126B] simplicibus. Videtur mihi in hoc loco dixisse *Satanam, omnem spiritum qui credentibus adversatur.* Satanas enim nostra in lingua adversarius interpretatur. Quidquid ergo animae tendenti ad Deum resistit et adversatur, et quidquid paci ejus contrarium est, hoc ei Satanas esse nominatur. Ideo denique praemisit, dicens: *Deus pacis, hoc est, Deus cui pax placet, conterat eum qui contrarius est paci, et dissensiones operatur. Salutatvos Timotheus.* Huc usque salutatos, nunc salutantes dicit. Videtur mihi de his quos sequestravit ab omni catalogo salutantium plus aliquid sensisse. Denique Timotheum adjutorem suum dicit et omnes simul cognatos suos. Et quidem de Timotheo plenissime refertur in Actibus apostolorum, quod fuerit Derbensis cujusdam filius mulieris [Col. 0126C] Judaeae fidelis, ex patre gentili. Lucium quidam perhibent esse Lucam, qui Evangelium scripsit, pro eo quod soleant nomina interdum secundum patriam declinationem, interdum etiam secundum Graecam Romanamque proferri. Sosipater vero qui his jungitur, suspicor quod sit in Actibus apostolorum scriptus: *Sosipater pater Pyrrhi Beroensis:* hi cognati sunt fide catholica Paulo. Jason autem Thessalonicensis erat. *Ego Tertius.* Proprium nomen est non ordinis, sicut ex Graeco codice evidenter cognoscitur, ubi scriptum est:

Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος,; *qui scripsi epistolam in Domino, id est in adjutorio Domini. Salutat vos Caius.* Fertur majorum traditione, quod hic Caius primus episcopus fuerit Thessalonicensis ecclesiae. *Hospes meus.* Cum quo maneo [Col. 0126D] nunc in hospitio. *Erastus arcarius civitatis.* Ipsum puto esse Erastum, quem dicit quia remansit Corintho, videtur dispensator civitatis ostendi. Sed non puto quod ex hoc officio magnopere Paulus mentionem ejus in Epistola sua fecerit, nisi forte aliquid in eo amplius sensit, et arcarium eum, id est dispensatorem illius civitatis dixerit, cujus artifex et conditor Deus; et ideo nec nomen posuerit cujus civitatis, sed tantum eum arcarium nominaverit. *Gratia Domini nostri Jesu Christi.* Sciendum sane est quia omne quod habent homines a Deo gratia est; nihil enim ex debito habent: quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei. Item: *Gratia Domini nostri Jesu Christi:* haec est subscriptio manus ejus in omnibus [Col. 0127A] Epistolis, et in ea etiam commemorat beneficia Christi. *Ei autem qui potens est vos confirmare juxta evangelium meum.* Subaudis *commendo vos, haeretque cum superioribus, ubi dixit: Commendo vobis Phoeben sororem nostram, etc.* Duas mihi causas Paulus videtur ostendere quibus roborantur hi qui in fide evangelii confirmantur: unam qua eis praedicatio Pauli, quae est et Christi praedicatio, innotescit; et aliam qua reveratur eis sacramentum, quod omnium temporibus saeculorum in silentio habitum est. *Nunc vero.* Hoc est in adventu Christi, et praesentia corporali manifestum est et apertum, et quantum exspectat non sine idoneis testibus, sed Scripturis propheticis astipulantibus declaratum existit, ut per praedicationem quidem evangelii, Gentes ad obedientiam fidei vocarentur; ex revelatione vero sacramenti [Col. 0127B] agniti a Dei sapientia gloria et claritas soli sapienti Deo redderetur in saecula saeculorum. *Mysterii.* Absconditae vocationis Gentium ad fidem Christi. *Quod temporibus aeternis in silentio fuit.* Quod scirent quidem prophetae; ex Scripturis enim propheticis manifestatur, sed hominibus, id est vulgo non manifestaverint, nec patefecerint, sed silentio texerint. *Secundum praeceptum aeterni Dei.* Usquequo tempus adesset ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis, et manifestaretur omnibus Gentibus ad obedientiam fidei. *Soli sapienti Deo.* Sapientem Deum non ita accipias, quasi quem sapientia fecerit sapientem, ut inter homines habetur. Sapiens enim inter homines dicitur unusquisque ex [Col. 0127C] participatione sapientiae; Deus vero non quasi qui ex sapientia sapiens factus sit, sed qui auctor et genitor sapientiae, sapiens appellatur. Merito soli sapienti Deo. Solus est enim ita sapiens Deus, ut sapientiam ipse magis genuerit, cum ex sapientia factus sit sapiens. *Cui gloria.* Recte ei gloria per Jesum Christum refertur, qui ita sapientem esse solum Deum, ut ipse sapientiam genuerit Christum Jesum qui est Dei virtus, et Dei sapientia, declaravit. [Col. 0128A] *In saecula saeculorum.* Moris est divinae Scripturae immensitatem per hoc temporum designare.

Amen. Aut quasi ad confirmationem omnium quae superius scripta sunt in fine posuit, per quod vernaculo Hebraeorum sermone vera et fidelia esse, quae sunt scripta signaret.

Achaia, frater meus, vel Dominus quis. Andronicus, decorus quod standum. Apelles, congregaris eos. Apollo, mirabilis. Arethe, distentio. Aquila, dolens vel parturiens. Arabes, humiles vel campestres. Appia, continens vel libertas. Arastus, frater videns, vel mons operis amplioris. Aristarchus, suscitans coronam. Aristobulus, suscitans

dolore germen. Archippus, longitudo operis. Barnabas, filius consolationis. Bithynia, filia speciosa. Corinthus, oritur [Col. 0128B] ipse. Corinthii cives, sive decuriones eorum. Claudius, spes tranquillitatis. Cilicia, coetus, vel luctus, vel assumptio, vel vocatio, lamentabilis. Colceia, vox facta. Crispus, sciens. Chloes, investigantes, vel omnes, sed melius conclusio, vel consumptio. Damascus sanguinis potus. Demas, silens. Erastus, frater meus videns. Epaphroditus, frugifer. Epaphra, videns, vel recens. Evodiam, apprehendentem Dominum. Ephesum, voluntas ejus, sive consilium meum. Philetus, declinans. Philologum, ore principium. Galatia, magnifica vel translatio. Junia, incipiens. Julium, incipientem. Lucius, ipse suscitans. Onesimus, respondens. Philippenses, os lampadum. Persida, tentans. Priscilla, agnoscens. Philemon, mire donatus. Paulus, mirabilis. Quartus, plangens [Col. 0128C] superflue. Saulus, tentatio respicientis vel securitas. Saul, expetitus vel petitio. Silvanus, missus. Sodoma, pecus silens. Sosthenis, gaudium da mihi. Sosipater, narrans. Sosipatruus, salvans dispersos. Thessalonicenses, festinantes. Tharsis, exploratio gaudii. Tertius, adjungens vel applicans se. Thessalonicam, festinam umbram statuere. Tyberius, visio ejus, sive bonitas ejus. Tyranni, continentes. Timotheus, beneficus. Titus, quaerens, vel bonum. Tychicus, tacens. Urbanus, luce gaudens.

II. IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

[Col. 0127D]

CAPUT PRIMUM,

Paulus vocatus Apostolus. Quod nomen suum praeponit Epistolis, auctoritatis esse noscendum est: sicut reges longe positi his qui sub eorum potestate sunt scribunt, et quia minoribus epistolas mittunt, sua his nomina praeponunt.

Vocatus. In via, vel Benjamin, vel in praesentia Dei. Porro quod ait, *Apostolus, cujus autem? Christi Jesu:* tale mihi videtur, quasi dixisset: Praefectus praetorii Augusti Caesaris, magister exercitus Tiberii Caesaris? Ut enim judices hujus saeculi, qui nobiliores esse videntur, ex regibus quibus serviunt [Col. 0128D] et ex dignitate qua intumescunt vocabula sortiuntur: ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, Apostolum se Christi titulo praenotavit, ut et ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. *Et Sosthenes frater.* Hunc idcirco secum scribentem inducit, quia et ipsis doctor erat, et pro his valde sollicitus. *Ecclesiae Dei.* Notat Ecclesiam quae non est Dei, ut: *Odivi ecclesiam malignantium* **(Psal. XXI)**. *Cum omnibus qui invocant nomen Domini.* Hoc est, non solum opto ut gratia et pax vobis multiplicetur vocatis sanctis, [Col. 0129A] sed omnibus qui invocant nomen Domini nostri. *In omni loco.* In tota Corinthia. *Ipsorum.* Id est, Corinthiorum. *Et nostro.* Quia nostrum est quod ipsorum est. Aliter, invocare nomen Domini proprie est sacerdotum. Unde scriptum est: *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* **(Psal. XCVIII)**. Quem sacerdotem fuisse probatur, quia Heli sacerdoti successit, et hostias offerebat, et de eo Dominus ait:

Suscitabo mihi fidelem sacerdotem. Qui licet non ex genere Aaron, tamen de tribu Levi in Paralipomenon fuisse describitur. Hieronymus in tractatu libri Isaiae: In Epistola quam scripsit Paulus ad Corinthios, cum ad unius scribatur populum civitatis, pro varietate habitantium, id est, sanctorum et peccatorum, nunc laudat eos, nunc corripit, nunc dolet, [Col. 0129B] nunc reprehendit, nunc provocat ad continentiam, nuptias non recusat, retrahit ab idololatria, instruit in resurrectionem, digamiae porrigit manum, ne locum tribuat fornicationi. *Gratias ago Deo meo.* Ut solet primum provocat profectum laudando, et dicit se quidem gaudere de eorum scientia, sed scire illos debere quia vera scientia non inflat, neque dissentit. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Testimonium Christi est totum Evangelium, vel illud: *Omnis scriba doctus in regno coelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Ita ut nihil vobis desit. Unde Salomon ait: *Venerunt mihi omnia bona cum illa.* Exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi. Ille vere exspectat adventum Domini, qui in omnibus [Col. 0129C] praeparatus est. Ideo autem revelatio dicitur adventus Domini, quia modo absconditus est a nobis. *Qui et confirmabit vos.* Sua scilicet doctrina. *Usque in finem.* Vel vestrae praesentis vitae, sive perfectionis. *Sine crimine.* Principali. *Fidelis Deus.* Qui reddet vobis mercedem sicut promisit. *Per quem vocati estis.* Ut: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum* **(Joan. VI)**. *In societatem Filii ejus.* Si enim socii fuerimus passionum, erimus socii in gloria. *Obsecro autem vos, fratres.* Hucusque cum laude praefatio: hinc jam contra dissensiones aggreditur, ut idem ipse dicit: *Unum sit verbum, et unus sensus in omnibus vobis.* Schismata. Contentiones pro doctoribus. *Significatum est mihi ab his qui sunt Chloes.* Quaeritur quomodo Apostolus credit de absentibus, cum scriptum [Col. 0129D] sit: *Ne credas auditui vano.* Sed hanc gratiam ipse habebat ut sciret quid absentes agerent, ut ad Colossenses dicit: *Et si corpore absens, spiritu tamen praesens.* Chloes, civitas Colossensium est.

Ego quidem sum Pauli. In Apostolorum personis hoc de pseudoapostolis dicit, qui per sapientiam mundi circumveniebant eos, ut unusquisque se diceret esse hujus, cujus doctrinam diligebat, cum diversas doctrinas haberent. Si ergo de veris apostolis non permittit dici, quanto magis de falsis dici non licebit? Item. *Ego quidem sum Pauli.*. Hac causa prohibitum est, duos episcopos esse in una civitate, ut Hieronymus dicit in tractatu Epistolae ad Titum. *Ego autem Christi.* Pauci dicebant, quod omnes dici [Col. 0130A] debuerunt. *Divisus est Christus? Dividitur corpus, cum membra dissentiunt. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ideo in solo Christo gloriandum vobis est, quia ipse vobis haec duo, id est crucem et baptismum tribuit, non Paulus, nec Apollo. Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi.* Idcirco neminem vestrum baptizavi, ne quis me putaret in meo nomine baptizasse. *Nisi Crispum et Caium.* Qui se non dicunt in meo nomine baptizatos. *Non enim misit me Christus baptizare.* Non usurpavi minora facere, qui potui implere majora. Item: Qui ad majora mittitur, minora non agit. *Sed evangelizare.* Quod majus est, *ut portet nomen meum coram regibus et gentibus.* Non in sapientia verbi. Mundanae philosophiae, in qua vos gloriamini. *Ne evacuetur* [Col. 0130B] *crux Christi.* Id est, ut non eloquentiae fides crucis Christi deputetur, quia crucem Christi evacuat, qui aures hominum declamatione permulcet: quia auribus sapientium hujus saeculi displicet dicere Dominum, qui fecit coelum et terram, posse crucifigi; et tamen si hoc dici evitetur, evacuatur crux Christi. *His autem*

qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est. Quia diabolum superavit et mortem. *Perdam sapientiam sapientium.* In Isaia sic legitur: *Peribit* enim *sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur* **(Isai. XXIX)**. *Ubi sapiens? Subauditur apparebit? Sapiens, ex gentibus. Scriba? Doctor legis ex Judaeis. Conquisitor hujus saeculi? Qui quaerit de occultis naturis hujus saeculi. Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam* [Col. 0130C] *Deum.* Factura mundi Dei sapientia est fabricata, in qua per sapientiam naturalem, quae ad hoc data et creata fuerat, debuit cognosci ipse qui fecerat: sed quoniam non cognoverunt homines, alia illis succurritur medicina. Ergo per sapientiam suam intelligendum, per naturalem sapientiam, quae ad hoc data est ut cognoscatur Deus; quae naturalis sapientia, et Dei sapientia dici potest, quod a Deo sit creata, aut certe Dei sapientia fons est et creatrix naturalis in hominibus sapientiae.

Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Non quod vere stultitia sit praedicatio crucis, sed quia secundum putationem infidelium sic haberetur. *Quoniam Judaei signa petunt.* Ut ad Christum dicunt: *Quod signum ostendis nobis* [Col. 0130D] **(Matth. XIV)**? Hoc autem faciunt ex consuetudine prophetarum, qui saepe signa ipsis faciebant Judaeis. *Et Graeci sapientiam.* Artis scilicet dialecticae et humanae sapientiae rationem. *Judaeis quidem scandalum.* Judaei scandalizantur, si audiunt Christum a se crucifixum. Sive scandalum illis est audire Christum mori potuisse, quem illi quasi immortalem exspectant, dicebant enim: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum: non intelligentes, quia primum illum pati oportebat, et sic intrare in gloriam suam. *Gentibus autem stultitiam.* Hoc est, Deum credere crucifixum. *Ipsis vero vocatis.* Id est, credentibus ex utrisque. *Christum Dei virtutem.* Judaeis petentibus signa, quae devicta morte hominem [Col. 0131A] revocant ad vitam. *Et Dei sapientiam.* Graecis quaerentibus sapientiam, quae nos a dominatione diaboli liberavit.

Quia quod stultum est Dei. Velle crucifigi. *Sapientius est hominibus.* Quia crux Christi diabolum fefellit, et vicit, hominesque liberavit, quod nemo hominum per sapientiam suam potuit. *Et quod infirmum est Dei.* Id est, mori fortius est hominibus: quod enim nec gigantes evadere potuerunt, infirmitas crucifixi evasit. *Videte enim vocationem vestram.* Ac si diceret: Videte eos per quos vocati estis ad fidem, quod non sapientes, sed stulti, et piscatores erant, quando et ipsi vocati sunt. Aliter: Videte vocationem vestram, hoc est, in vobis ipsis, o Corinthii, probate quod dico, quod stultos vos vocavit, [Col. 0131B] et non sapientes.

Quia non multi sapientes. Hoc contra illos oblique qui se legis peritos, et fortiores apostolis et nobiliores ex sacerdotali stirpe descendere jactabant. *Sed quae stulta sunt mundi.* Stulta, id est, corda, vel ingenia. *Ut confundat sapientes.* Id est, saeculares, dum non ipsos elegit. *Et ea quae non sunt.* Id est, sapientia, fortia, nobilia. *Ut ea quae sunt.* Talia, hoc est, sapientia, fortia, nobilia dissiparet. *Qui factus est nobis sapientia.* Qui sibi semper sapientia fuit, nobis factus est sapientia, ut nos faceret sapientes, et justos, et sanctos. *In Domino glorietur.* Non enim sibi, sed Deo dona quae accepit reputet.

CAPUT II.

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non cum [Col. 0131C] eminentia sermonum. Noluit pomposum eloquentiae sermonem jactare in praedicatione divina mysteriorum Dei, hoc est, incarnationem Christi, et vocationem Gentium. *Et hunc crucifixum.* Quod stultum apud homines videtur esse. *Et ego in infirmitate.* Non jactantia, sed humilitate, seu quod nec plagas, et vindictam potenter in aliquos dedi. *Timore.* Ne vos Christum negaretis. *Et tremore.* Ne meo aliquo exemplo offenderem vos.

Et sermo meus. Id est, quotidiana exhortatio. *Praedicatio mea.* Publica coram populo doctrina. *Non in persuasione humanae sapientiae.* Quia dialectici erant Corinthii, noluit apud illos disputatione uti, ne hoc quoque illis nova aliqua philosophia videretur, sed magis illis virtutes et miracula monstravit. [Col. 0131D] *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Ac si diceret, ne putetis nos sapientiam non habere, quia nos habemus sapientiam divinam, sed vos eam nunc capere non potestis, quia adhuc lacte nutrimini, et in fide parvuli comprobamini. *Neque principum.* Hoc est, regum, vel philosophorum, qui in hoc saeculo primatum tenere videntur. *Dei sapientiam.* Christum qui est absconditus ab incredulis et insipientibus. *Quam nemo principum hujus saeculi cognonit.* Hoc est, Pilatus, et Caiphas, et Herodes, et principes sacerdotum, vel daemones. Unde Apostolus de principibus et potestatibus hujus saeculi dicit: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Et contra Marcus evangelista [Col. 0132A] de daemonibus ait: *Sciebant enim ipsum esse.* Si daemones sciebant, quomodo potestates ignorabant? Quibusdam videtur principes et potestates hujus saeculi, Judaeorum majores et principes dixisse, qui juxta Petri Apostoli dicta, ignoraverunt quod malefacerent: ait enim: *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis hoc malum, sicut et principes vestri* **(Act. III)**. Judaeorum principes hi fecerunt, non tamen hujus saeculi principes dici potuerunt, quippe qui in potestatem redacti fuerant Romanorum, profilentes non se habere regem nisi Caesarem, hi autem principes, quos alio loco signavit Apostolus dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi tenebrarum harum rectores* **(Ephes. VI)**. Si [Col. 0132B] ergo hi sunt principes, qui nescientes Dominum majestatis Christum esse, illum crucifixerunt quomodo a daemonibus potuit sciri? Non aliter scierunt daemones, quam sciebant principes hujus saeculi: sciebant enim ipsum esse qui promissus erat in lege per signa prophetiae, non tamen mysterium ejus, quod Filius Dei erat, ex aeterno sciebant, neque sacramentum incarnationis. *Nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Pro unitate personae, et Deus dicitur crucifixus, et Filius hominis esse in coelis, cum quando ista dicebantur Dominus esset in corpore. *Quod oculus non vidit.* In Isaia sic habetur: *A saeculo non audierunt auribus, neque perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quae praeparasti exspectantibus te* **(Isai. LXIV)**. Ergo memoratorum [Col. 0132C] principum mens haec videre non potuit, quia credere noluerunt. Quidam sane dicunt: Oculus non vidit virginem peperisse; non auris audivit illud: *Tunc justi fulgebunt sicut sol* **(Matth. XIV)**. *Qui habet, inquit, aures audiendi audiat.* Nec in cor hominis ascendit **(Rom. VIII)**, cohaeredes Christi futuros. Quid videt oculus? Colores. Quid audit auris? Crimina. Quid in cor hominis ascendit? Sapientia. Praecellentius est autem omnibus, quod praestat Deus diligentibus se in vitam aeternam. Item quid est quod Apostolus dicit ex Isaia propheta; quod oculus non vidit? Hoc sensu Apostolus dixisse credendus est, quod carnalibus oculis, et aure carnali, et cogitatione mortali, non possunt spiritualia comprehendi, dicit enim

Apostolus: *Nobis autem revelat Deus per Spiritum* [Col. 0132D] suum **(I Cor. III)**. Si autem revelatum est Apostolo, intelligere debemus, quod et ille aliis revelavit, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, hoc est, non merito nostro, sed sua gratia, quia per fidem accepimus Spiritum sanctum, qui voluntatem Dei nobis ostendit. Sancti videbunt, quod Paulus testatur: nobis autem revelavit per Spiritum sanctum, quod futuri sumus, ut Joannes testatur, quia eum videbimus sicut est. *Quis enim scit hominum quae hominis sunt.* Id est, quae cogitationes versantur in homine. *Nisi spiritus hominis.* Hoc est, conscientia, ut Hieronymus exponit. *Non doctis humanae sapientiae verbis.* Quae vonis annuntiamus, non a philosophis, vel grammaticis, sed a [Col. 0133A] Spiritu Dei eruditi sumus. *Spiritualibus.* Hominibus, qui capere possunt. *Spiritualia.* Documenta. *Comparantes.* Praedicantes.

Animalis autem homo, etc. Qui spiritum Dei non habet, animalis est, qui ritu animalium vivit, sola commoda carnis sectans. Animalis enim habet animam, non habet intellectum, ideo non percipit quae sunt spiritus Dei, id est, spiritualia, quae spiritus docet, verbi gratia, quomodo Christus incarnatus sit, vel quid gratiae credentibus confert crux Christi. *Stultitia enim est illi.* Primo stultitia est illi, quando audit natum Dominum, et passum, et resurrexisse; secundo, contemnere quae sua sunt; tertio praebere maxillam, et caetera similiter. *Spiritualis autem omnia dijudicat.* Quia omnia discernit, et intelligit, [Col. 0133B] et sensus illius non intelligitur ab homine carnali. *Quis enim cognovit sensum Domini? Nisi videlicet spiritualis homo. Nos autem sensum Domini habemus.* Dum spirituales sumus? Hoc autem dicit, ne putarent quod ille deficeret ad docendum, cum ipsi imbecilles essent ad audiendum.

CAPUT III.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Infirmis in fide, et contentiosis.

Quasi parvulis. Non aetate carnali, sed in Christo. Si ergo parvuli adhuc illi sunt qui omnem malitiam abjecerunt, quia nondum sunt in virtute perfecti, quid de illis censendum est quibus omni malitia [Col. 0133C] dominatur? *Lac.* Rudem doctrinam. *Non escam.* Obscura mysteria solidamque doctrinam. *Aemulationes.* In mente zelus. *Contentiones.* Verbo erga magistros.

Secundum hominem. Carnalem conversationem, non secundum Deum. *Nonne homines estis? Vult eos plus esse quam homines. Quid est ergo Apollo? Si nos nihil sumus, vel quos ministros ipsi constituimus, quanto magis pseudoapostoli quibus credidistis? Et unicuique sicut Dominus dedit.* Hoc ipsum non ex nobis, sed Dei donum est, ut per manus meas signa fierent, quae vos excitarent ad fidem; et Apollo sua vos doctrina firmaret: quia sicut plantatio sine aqua, sic fides sine doctrina marcescit. Si ergo et plantatio et fons Dei est, quid nobis [Col. 0133D] ascribitis, quasi aliquid nostra virtute fecerimus? *Ego plantavi.* Fide. *Apollo rigavit.* Baptismo, vel doctrina. *Sed Deus incrementum dedit.* In bonis operibus. *Ita neque qui plantat est aliquid.* Nisi Dominus incrementum dederit, sine causa laboramus. Nos mercenarii sumus in agro alieno,

alienis utimur ferramentis: nihil habemus proprium, nisi mercedem nostri laboris. *Dei enim sumus adjutores.* Plantantes et rigantes vineam ejus. *Dei aedificatio estis.* Hoc est templum Dei. *Alius superaedificat.* Id est, Apollo, vel alius quilibet doctor. Quomodo superaedificat? ut diligenter doceat, et rationabiliter.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere. Non est alius Christus, quem possit vobis aliquis [Col. 0134A] praedicare, praeter Jesum, cui fide firmissima credidistis. *Aurum, argentum, lapides pretiosos.* In Ecclesia tria genera sunt bonorum: est bonum, et melius, et optimum. Quod autem primo aurum posuit, ut sermo melius texeretur, id ad fortitudinem, non ad speciem comparavit: quia argentum fortius auro, ideo meliori ponitur loco. Tria e contrario genera malorum: malum, pejus, pessimum, quae lignis, feno, stipulae comparantur. Aut certe aurum, poenitentes significat; argentum conjugatos; lapides pretiosi virgines. Item, ligna virginitas, sed imperfecta; fenum, irrationabile matrimonium; stipula poenitentia, sed non vera. Item aurum, cogitationes bonas; argentum, sermones justos; lapides pretiosi, opera perfecta: ligna, vana opera, non integra [Col. 0134B] materia; fenum, vanas cogitationes, quae materia sunt fructuum; stipula, otiosa verba, arida, sine fructu. *Et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Aurum et argentum non solum non ardebunt per ignem, sed et splendidiora radiabunt: ligna vero et caetera concremabuntur. Sed examinationem judicii igni voluit comparare, juxta consuetudinem Scripturarum. *Sic tamen quasi per ignem.* Quia igne purgatorio judicii probabitur. Augustinus autem aliter exponit: Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo dicitur: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* **(Eccl. XXVII)**. Iste ignis in hac interim vita facit, quod Apostolus dicit: sic accidet duobus fidelibus, uni cogitanti quae sunt Dei, quomodo placeat [Col. 0134C] Deo, hoc est, aedificanti aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri cogitanti quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, id est, aedificanti ligna, fenum, stipulam: illius opus exuritur, quia ea dilexit quorum amore cruciaretur. Exuritur autem hujus, quoniam sine dolore non pereunt quae cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius maluit carere quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem, quia urit eum dolor rerum quas dilexerat amissarum, non subvertit fundamenti stabilitatem. *Nemo vos seducat.* Ac si diceret: Dum templum Dei estis, nemo vos violet per mundanam sapientiam. *Si quis videtur sapiens esse in hoc saeculo.* [Col. 0134D] In humana sapientia. *Stultus fiat.* Hoc est, credat Deum crucifixum, quod stultitia est Gentibus, percutienti praebere alteram maxillam, non reddat malum pro malo: quae omnia quasi stulta esse videntur: *Sapientia enim hujus mundi.* Haec est: malum pro malo reddere: vel philosophorum inflata scientia atque ventosa. *Nescitis quoniam templum Dei estis.* Ac si diceret: Ideo aurum, et argentum, et lapides pretiosos superaedificate, quia templum Dei estis, et dum non bene aedificans privabitur, quanto magis violans peribit? Violat vero corpus suum peccando, sive Ecclesiam per malam doctrinam seducendo, sive exemplum perversum ostendendo. *Reprehendam sapientes.* Ad effugiendam [Col. 0135A] manum Dei nulla suffragabitur illorum astutia. Sive hoc sub Christo impletur, quando vincebat Scribas et Phariseos, astute tentantes eum in quaestionibus.

Nemo glorietur. Ut est illud: *Maledictus qui habet spem in homine* **(Jer. XVII)**, in

doctore Paulo, et Apollo, et pseudoapostolo. *Sine vita.* Dum per illam servitis Deo, ut mereamini vitam futuram. *Seu mors.* Quae porta est per quam itur ad regnum. Ergo omnia creata sunt propter sanctos, quia cum nihil habeant, cuncta possident.

CAPUT IV.

Ut ministros Christi. Non ut fundamentum. *Hic jam.* Id est, in ministerio praedicationis, vel in praesenti saeculo. *Quaeritur.* A nobis dispensatoribus. [Col. 0135B] *Ut fidelis quis inveniatur.* Hoc est ut unusquisque dispensator fidelis fiat; ac si diceret: Hoc tantum quaerimus, ut fideles inveniamur, et non quaerimus laudari a vobis: unde subjecit: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer.* Laude dignus. *Aut ab humano die.* Sed Domini die, id est, die judicii; non ab humano die, in praesenti saeculo judicari, hoc est, laudari appeto. *Sed neque meipsum judico.* Hoc est, ego qui conscientiam meam optime novi, neque aliis me excellentiorem esse judico. *Nihil enim mihi conscius sum.* Unde super omnes debeam gloriari. Si hoc Paulus dicit, quid a nobis dici debeat cogitandum est. *Sed non in hoc justificatus sum.* In quo me quidam laudant: quia ita quisque aliena [Col. 0135C] laude non justificatur, ut nec maculatur infamia. Unicuique apud Deum quod est, non quod dicitur, imputatur. *Occulta tenebrarum.* Id est, opera quae in tenebris aguntur. *Propter vos.* Propter vestram utilitatem. *Nihil enim mihi conscius sum.* Id est, in aliquo criminali peccato, postquam per gratiam Salvatoris liberatus sum, et ab omni peccato purgatus. *Sed non in hoc justificatus sum.* Licet non sim mihi conscius in aliquo capitali crimine, non tamen ob hoc perfectam justitiam mihi vindico, propter levia et minima peccata, quibus nullus sanctus in praesentis vitae curriculo carere potest.

Ne supra quam scriptum est. Ut supra scripsi: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et: *Nemo glorietur in nomine.* Et: *Nolite judicare ante tempus.* [Col. 0135D] Quis enim te discernit? Aliis scilicet meliorem esse; aut quis te discernit a massa perditionis, nisi Deus? non merita tua, neque scientia. Et tanquam respondenti: Fides mea me discernit, merita mea, propositum meum: statim occurrit Apostolus: *Quid autem habes quod non accepisti? Quid habes ex teipso nisi peccatum? Jam saturati estis.* Doctrina. *Divites.* In sapientia. *Sine nobis regnatis.* Non indigentes nostra doctrina, exemploque. *Nos stulti.* Ironice loquitur: aut increpantis affectu pronuntiandum est.

Utinam regnaretis! Id est, utinam non essetis falsa gloriatione decepti! forsitan simul regnassemus. Puto enim, quod Deus nos. Non ut vos qui regnatis [Col. 0136A] apostolos novissimos, nos omnium ultimos ad Gentes tanquam ad mortem direxit. Novissimos autem dicit tempore, non merito. Sed quidam ex vobis putant nos esse novissimos apostolos, nec dignitatis merito primis apostolis comparandos, qui praesentem in carne Dominum comitati sunt. Primi autem apostoli prophetae intelliguntur, qui missi sunt a Deo. Novissimi vero duodecim apostoli, aut primi duodecim apostoli, qui ante passionem suam a Domino electi sunt. Novissimi autem Paulus, et Barnabas, et Apollo, qui postea sunt electi. Vel novissimos, non ad ordinem, sed ad ministrationem pertinet, quasi dixisset novissimos esse miseros, et ultimos omnium, sicut statim subjungit. *Spectaculum facti sumus.* Omnes spectant nostras injurias. *E t* [Col. 0136B] *angelis et*

hominibus. Bonis videlicet et malis. *Nos stulti propter Christum.* Hoc est, in tormentis positi pro Christo. Ironice quae videtur confirmare, negat; et quae videtur negare, confirmat. *Vos autem prudentes in Christo.* Ut putatis. *Nos infirmi.* Dum nolumus reddere malum pro malo. *Vos nobiles.* Vobis nobilitatem terrenam vindicatis. *Usque in hanc horam.* A quo tempore coepimus praedicare usque nunc. Item: Vos autem prudentes in Christo, hoc est, vos ita vultis Christiani esse, ut prudentiam saeculi teneatis

Peripsema. Abjecti, humillimi. Peripsema, rasura, aut limatura cujuscunque rei. *Non ut confundam vos haec scribo.* Ac si diceret: Non pro gloriatione operum meorum bonorum haec dico; sed haec potius [Col. 0136C] commemoro, ne vos gloriemini in mundana sapientia. Poterant confundi de sua gloria, si eos non relevaret: non enim ruborem illorum cupiebat, sed perfectionem: *Decem millia.* Finitus numerus pro infinito. *Paedagogorum.* Doctorum, nutrientium et custodientium vos in fide Christi.

Ego vos genui. In novam vitam reformavi. *Imitatores mei estote.* Quia bonorum filiorum est bonos imitari parentes. *Qui vos commonefaciat vias meas.* Et meis litteris, et suo exemplo docebit: aliud enim sine alio perfectum esse non potest. *Tanquam non venturus essem ad vos.* Hinc incipit causam fornicationis arguere. *Inflati sunt quidam.* In humana scilicet sapientia: quia omni peccato, et viro accipienti [Col. 0136D] uxorem patris sui vos consentitis. Et in sapientia humana vos contenditis, quasi non peccata essent. *Virtutem.* Operum et fidei. *Non enim in sermone.* Nihil enim prodest doctrina sine justitiae operibus, ei qui non facit quod faciendum docet. *Regnum Dei.* Id est, acquisitio regni Dei. *Quid vultis.* Benignus magister est, qui discipulorum correptionem in eorum posuit voluntate.

In virga veniam. Id est, vindicta: quali virga Petrus ad Ananiam et Saphiram, et ipse Paulus ad Magum usus est.

CAPUT V.

Et vos inflati estis. Quia vana scientia inflamini, et curam de his qui pereunt non habetis, ut aut [Col. 0137A] corrigantur, aut ab Ecclesia separentur. *Et non magis luxistis.* Quia boni pastores semper pro populi peccatis flent. *Praesens autem spiritu.* Praesentem dicit spiritu, ne ex solo auditu absentem damnare putaretur: secundum illud Elisaei dicentis ad Giezi: *Nonne spiritus meus tecum erat in via? Cum virtute Domini nostri.* Qui pro me erat praesens, litterarum mearum auctoritate, per quam Domini quoque virtus assistere judicetur. *Tradere hujusmodi hominem Satanae.* Id est, tortori diaboli, ut tormento carnis spiritus salvaretur: oportebat enim ut per diabolum sanaretur, qui per Diabolum peccavit. *Non bona gloria vestra.* Dicendo, *Ego sum Pauli, etc.* Non bona, dum non corrigitis adulterium. *Totam massam.* Ecclesiae. *Corrumpit.* In Graeco, fermentat [Col. 0137B] [ζυμοῖ] *Vetus fermentum.* Fornicationem. *Ut sitis nova conspersio.* Ut in gratia sacri baptismatis conspergamini, sicut conspergitur farina aqua. *Azymi.* Sine fermento peccati. *Etenim pascha nostrum.* Ideo debetis azymi esse, quia Judaei quando agnum immolabant, azyma comedebant, sic et nos debemus.

Sed in azymis sinceritatis. Similitudine Hebraeorum: quia ipsi postquam immolabatur agnus, et post diem Paschae azyma comedebant per septem dies: sic nos vero agno immolato, tota vita nostra, quae septem diebus peragitur, azymis bonorum operum vescamur. *Et veritatis.* Id est, aequitatis judicii. Si enim lactuca erat cum filiis Israel pro fermento, ne cibum insulsum comederent pro celeritate ambulandi, sic aequitas judicii et sinceritatis [Col. 0137C] cum Christianis. *Scripsi vobis.* Pro scribo. Vel ideo praeteritum dicit, quia cum legerent, tempus scribendi praeteritum esset. *Non utique fornicariis hujus mundi.* Quod luce clarius est. Ab illis enim olim separati estis, et idcirco nolite iterum illis commisceri. *Si quis frater nominatur.* Id est, solo nomine appellatur cum fornicator detegatur, aut fur, ab hoc separari jubemur. *Qui foris sunt.* Infideles extra Ecclesiam. *Qui intus sunt.* Hoc est, fideles intra Ecclesiam. *Eos autem qui foris sunt Deus judicabit.* Foris Ecclesiam sunt haeretici, Judaei, Gentiles.

CAPUT VI.

Audet aliquis vestrum, negotium habens adversus aiterum, judicari apud iniquos. Notandum quod aliquando Apostolus in media causa quam agit, quosdam [Col. 0137D] inserat sensus, et de latere jactet: quibus explicitis, rursum revertitur. *Audet ergo aliquis vestrum, etc.,* contra scilicet praeceptum Domini dicentis: Si quis vult tecum contendere judicio, tunicam tuam dimitte ei, et pallium.

An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt. Sicut Dominus apostolis promisit, dicens: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* **(Matth. XIX)**, omnibus hoc promittens, qui apostolos fuerint imitati. Si ergo sancti de hoc mundo judicabunt, cur de minimis vestris negotiis non judicant? *In vobis judicabitur.* Id est, per vos. *Angelos judicabimus.* Illi angeli judicabuntur in judicio, in comparatione sanctorum [Col. 0138A] hominum ad acquirendum multos ad vitam per coelestem doctrinam. *Qui contemptibiles sunt in Ecclesia.* Hoc est, qui minimi sunt in Ecclesia, aut certe qui injurias suas contemnunt; ac si diceret: Qui minores sunt in ecclesiis, et nullis magnorum donorum pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent, quatenus per quos nequeunt majora, minora bona suppleantur, quos contemptibiles nominat, et tamen sapientes vocat, cum dicit: *Si non est inter vos sapiens quisquam.* Qua ex re quid aliud colligitur, nisi ut hi causas terrenas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam accipiunt? Qui autem spiritualibus addicti sunt, terrenis non debent negotiis implicari. Ac si apertius diceret: Qui penetrare intima sapientiae nequeunt, saltem necessaria foris [Col. 0138B] operentur. Item contemptibiles, qui minores sunt in doctrina, quos dona spiritualia non exornant. Vel contemptibiles, id est, sancti qui a vobis despiciuntur.

Ad verecundiam vestram dico. Nam erubescere debetis eo quod nemo sit inter vos tam sapiens, qui noverit causas inter fratres discernere. *Et hoc apud infideles.* Duplex peccatum est, et quod judicio contenditis, et quia apud infideles ad jurgia provocatis. *Jam quidem omnino delictum est in vobis.* Ideo hoc iterat: nam potuit putare, judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo peccatum esse extra Ecclesiam velle judicari, nisi adjungeret: *Jam quidem omnino delictum est inter vos,*

quia judicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, et diceret justum se habere negotium, [Col. 0138C] et iniquitatem se pati quam vellet a se judicum sententia amoveri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, et ait: *Quare non magis injuriam accepistis? Ut impleretur illud: Si quis vult contendere judicio tecum, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* **(Matth. V)**. Sed tamen talia negotia per infirmos judicari in Ecclesia secundum indulgentiam concessit fratribus inter fratres judicantibus: extra Ecclesiam vero judicari terribiliter vetat. *Sed vos fraudatis.* Cum illatam injuriam secundum praeceptum Evangelii et Domini exemplum patienter sustinere deberetis, vos e contrario non solum non suffertis, sed etiam non facientibus irrogatis. *Et hoc fratribus.* Id est, vobis, quibus nec quidem vicem reddere inimicis [Col. 0138D] concessum est. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Ac si diceret:* Dum iniqui regnum Dei non possidebunt, nolite vos ipsi iniqui fieri fraudando, et injuriam faciendo. *Nolite errare.* Hoc est, seduci, existimantes de multis, et non etiam de uno peccato puniendos. Aut nolite errare vosmetipsos et alios iniquos putantes regnum Dei possidere. *Et hoc aliquando fuistis.* Sed nunc non estis. Nolite ergo timere de praeteritis, tantum ne post baptismum criminosum aliquid committatis. Molles sunt, cum quibus virile perficitur scelus, et quorum virilia in pueritia castrabantur, ut semper essent imberbes, et muliebria, hoc est, mollia corpora haberent. Hi ergo apud gentiles in honorem [Col. 0139A] Matris deorum castrabantur: ut Augustinus in libro septimo de Civitate Dei ostendit dicens: His autem amputatur virilitas, ut nec convertantur in feminam, nec viri relinquantur. Et iterum de mollibus: Eidem Matri magnae contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecrati sunt, qui usque in extremum [hesternum] diem madidis capillis, et facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo per plateas vicosque Carthaginis, etiam a populis, unde turpiter viverent, exigebant. Nihil Varro dicere voluit, nec uspiam legisse me commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. *Sed abluti estis.* Scilicet per baptismum. *Sed sanctificati estis.* Per Spiritum sanctum ac verbum. *Sed justificati estis.* In bonis operibus. *In nomine* [Col. 0139B] Domini. Id est, in confessione nominis Domini. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quae de fornicatione tractat, vult materiam fornicationis, id est, gulae intemperantiam ostendere, simul atque destruere. Licet ergo nobis manducare et bibere; sed si subjecerimus nos comessationibus, ipsum licitum perducet nos ad illicitum, hoc est, ad fornicationem: ita et de omnibus intelligendum est quaecunque peccata non sunt, occasiones possunt tamen dare delictorum. *Sed ego sub nullius redigar potestate.* Id est, cibi et rei licitae redigar potestate, hoc est, non mei dominabitur: non enim sic succumbam ut serviam. Paulus cui cuncta licent, sub nullius potestate se redigit, quia semetipsum a licitis restringendo, ea quae delectata premerent, despecta [Col. 0139C] transcendit. *Esca ventri.* Id est, convenit vel creata est. *Sed Domino.* Hoc est, ad serviendum Domino, vel ut sit templum Domino. *Et Dominus corpori.* Quasi proprio templo. *Deus autem suscitavit Dominum Jesum.* Quia caput nostrum suscitavit, et nos quoque membra ejus, si per sanctitatem fuerimus, suscitabit. Ergo debemus membra nostra sanctificare, ut in eo manere mereamur. *Corpora vestra membra Christi sunt.* Quia omnis Ecclesia corpus est Christi; singuli autem membra: caput autem Christus est. *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Abscindens me a corpore Christi, faciam membra meretricis? Non dixit fornicatoris, ut ostenderet eum ejusdem esse criminis et nominis, cujus illa est;* apud homines [Col. 0139D] enim minus videtur viri quam mulieris admissum. *An nescitis quoniam qui*

adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Corporis unitate per immunditiam. Erunt enim, inquit, *duo in carne una.* Haec est prima prophetia Adam. Quomodo autem cum uxore licita, sic et cum meretrice una caro efficitur, propter amorem illicitum. *In carne una.* Propter conjugalem connexionem, aut in generando et concipiendo filio. *Fugite fornicationem.* Id est, mente, et loco, ut fugit Joseph. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo.* Nunc ostendit quantum reatum fornicatio habet, quae illis per consuetudinem levis videbatur. Quid si homo seipsum occiderit? Quid si [Col. 0140A] ebriosus et gulosus fuerit? Nunquid

@ [Col. 0139D] Videtur hic aliquid deesse.. . . . . . . in corpus suum non peccat? Fornicatio est foras exiro a legitimo conjugio. Omne autem peccatum potest ab uno committi, qui membrum dici potest, non tamen corpus. In fornicatione autem duo pereunt, etiam totum corpus. Grande ergo malum est, in quo duae animae pereunt vel moriuntur. Vult ergo gravare fornicationis causam, quae illis per consuetudinem levissima videbatur. Aut *in corpus suum peccat:* quia hoc vitium magis voluntatem carnis praestat, quam caetera vitia. Lege Augustinum. Corpus vero templum Dei est: Deum ergo decet habitare in domo sua, non peccatum, nec diabolum. Quod si in vobis Spiritus sanctus est, scitote quod non ad fornicationem facta sunt membra vestra, sed [Col. 0140B] ad laudem Dei, vel ad serviendum Deo. *Non estis vestri.* Qui non est suus, non debet sibi vivere, sed illi cujus sanguine emptus est. *Empti enim estis.* Non auro, non argento, sed sanguine Christi. Sanguis aegrorum aliis nocet; sanguis vero Christi mundum redemit. *Glorificate Deum.* Hoc est, agite ut glorificetur Deus per opera vestra. *Et portate.* Spiritum scilicet sanctum cujus superius membra vestra templum esse testati sumus.

CAPUT VII.

De quibus autem scripsistis mihi. Huc usque gratis docuit, nunc ad interrogata respondet. Nunc autem incipit de conjugiis tractare; ante enim expugnavit illicita, quam de licitis loqueretur. Corinthii namque ad Paulum epistolam miserunt, ut illos doceret, [Col. 0140C] si post acceptam fidem licitum esset uxores dimittere, aut quomodo uxores licite haberentur. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Bonum fuerat illud quod vobis in primordio praedicavi, hoc est, secundum conjugii usum non tangere mulierem; sed quoniam multos continentes huic doctrinae loco scripsistis refragari, concedatur remedium ne fornicando moriantur. Ergo Apostoli hoc exemplo in primis virginitas et continentia praedicanda est. Sed objicere amatores luxuriae solent: Ut quid ergo prima Dei benedictio *Crescite et multiplicamini, concessit? Ut terra scilicet repleretur.* Quia jam impleta est, debemus ab incontinentia nos temperare. *Suam.* Non alienam. *Uxorem.* Non uxores. Similiter autem et uxor virum. In hoc optimum legitimumque conjugium [Col. 0140D] videtur, quando hi ambo secundum Apostolum in sua voluntate fiunt. *Mulier sui corporis potestatem non habet.* Scilicet ad continentiam carnis, nisi ex consensu viri. *Nolite fraudare.* A debito conjugii. *Ad tempus.* Hoc est, specialibus alternisque diebus, aut quadragesimali tempore, vel ad tempus orationis, sive per dies purificationis. *Ne tenter vos Satanas.* Ne uno se subtrahente alter fornicetur, et Satanas tentandi locum inveniat.

Secundum intelligentiam. Infirmis hoc indulgeo, non perfectis praecipio, qui omnes

homines velim me imitari. *Sicut meipsum.* Id est, viduum, seu castum, virginemque, quod magis creditur. *Alius guidem* [Col. 0141A] *sic.* In castitate. *Alius vero sic.* In matrimonio. *Melius est enim nubere.* Ante votum. Dicit autem melius esse nubere, in comparatione deterioris ac pejoris rei, nisi culpa scilicet ad conjugium veniant, si tamen nondum meliora devoverunt, quam uri vel ardore effrenatae libidinis, vel infernali igne post fornicationem. *His autem dico, qui matrimonio.* Proprie loquitur ad conjunctos, ne dimitterent uxores, et alias ducerent, aut pulchras, aut divites, sicut Judaei faciebant. *Non ego, sed Dominus.* Qui dixit: *Qui dimiserit uxorem sine causa, facit eam moechari* **(Joan. XVI)**. *Manere innuptam.* Id est, ut non nubat alii viro. *Aut viro reconciliari.* Quia melius est, si ad virum suum revertatur, quam ut alii viro nubat. *Nam caeteris.* Qui videlicet neque ambo Christiani [Col. 0141B] sunt. Quapropter? Scilicet ut dimittatur conjux infidelis, ut in consequentibus Apostolus dicit, quamvis melius sit non dimittere. Attamen non licet secundum praeceptum Domini ut dimittatur conjux, nisi causa fornicationis. Fornicatio est etiam ipsa infidelitas. Dicimus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti; sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quia sic fortasse possit fidelis fieri. *Alioqui filii vestri immundi essent.* Ac si dixisset; si permitterem virum infidelem cum filiis suis discedere a muliere fideli, filii ipsius viri immundi essent. Item si ambo infideles essetis necessario filii vos imitarentur, nunc autem forsitan fidelem imitabuntur. *Nunc autem sancti sunt.* Quia fideles [Col. 0141C] per praedicationem suorum parentum. Item filii vestri immundi essent, si infidelem parentem comitarentur jam non baptizati, aut, si baptizati essent, ex Christianitate in paganismum transirent infidelem parentem sectando. Non ergo ab invicem discedant. *Non est enim servituti deditus frater.* Hoc est, ut serviat et pereat propter alterum infidelem; non enim ita ligatus est in hujusmodi causa, quasi vere illi servire necesse sit, et propter alterum interire. *In pace enim vocavit vos.* Caeterum non ad dissidium sumus vocati; ultro ergo discedere non debemus. Ad id autem redit quod praedixit, ne discedendi praeparetur occasio. *Nisi unicuique sicut Dominus divisit.* Nisi hoc unum scis, quod unicuique est sicut Dominus illi divisit. *Sicut vocavit Deus.* Sive cum [Col. 0141D] fideli conjuge, sive etiam cum infideli, sive sine uxore, sive in praeputio, sive in circoncisione, sive servus, sive liber. *Ita ambulet.* Hoc est, conversetur. *Circumcisus aliquis vocatus est.* Infert subito parabolam circumcisi, ethnici, servi, et liberi, et sub metaphora eorum de nuptis disputat et innuptis. Ac primum quia nonnullos hanc intelligentiam reprehensuros arbitror, interrogare libet, quae sit consequentia, ut de maritis et uxoribus disputans repente transiret ad comparationem Judaei, et ethnici, servi et liberi, et rursum hac disputatione finita, rediret ad virgines dicens *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo.* Ergo *circumcisus aliquis vocatus est, Id est, castus sine muliere,* quoniam [Col. 0142A] instar circumcisionis est non habere uxorem, dum mulier quasi membrum corporis est viri, et una sunt caro. At vero uxorem habere instar praeputii est: quia sicut plenitudo corporis est in praeputio, ita in conjugali consortio. *Non adducat praeputium.* Id est, uxorem, ut diximus. Aliter: Non putet se superflue circumcisum, ne de hoc poeniteat: fuit enim necessarium suo tempore. Sive hoc modo: Non adducat praeputium, ut quis sine legis ceremoniis vivat, quia tum quibusdam apostoli permittebant opera legalia custodiri, ne subito a lege retracti scandalum paterentur. *Non circumcidatur.* Hoc est, non dimittat uxorem. *Circumcisio nihil est.* Id est, virginitas, vel castitas, sine bonis operibus. *Et praeputium nihil est.* Conjugium absque operibus.

[Col. 0142B] *Servus vocatus es.* Id est, conjugatus. *De libertate.* Id est, de continentia. *Sed et si potes liber fieri.* Hoc est, si potes habere dissidii occasionem, et repellere eam abs te, magis utere legitimo conjugio. Servus conjugatus, libertus est Domini; quoniam enim fuit in conjugio, in paganismo tunc servus fuit, quia non legitimo usus est conjugio: quoniam vero ad fidem Christi vocatus est, libertus Domini est, dum legitimo conjugio utitur: nam libertus est liber de servo factus. *Similiter et quilibet.* Id est, a conjugio servus est Christi, quia virgines et conjugales serviunt Christo. *Nolite fieri hominum servi.* Dum scilicet Christi sanguine empti estis. *De virginibus autem praeceptum non habeo.* Scriptis respondet, quia illi dicebant: Ubi praecepta est virginitas? ut [Col. 0142C] superfluum demonstraret, quod sub praecepto non est. Ita virginitatem praetulimus, ut tamen nuptiarum ordinem servemus: quia si Dominus virginitatem imperaret, condemnare videretur conjugium, et seminarium hominum excideret, unde virginitas procreata est. Quare praeceptum Domini de virginibus non habuit, quia majoris mercedis est quod non cogitur, sed offertur. *Existimo enim.* Hic *existimo non pro dubio ponitur, sed pro certo. Propter instantem necessitatem.* Id est, dolorem parturiendi et servitutis in matrimonio. *Quoniam bonum est homini.* Duplex bonum est, et sollicitudinibus mundi carere, et virginitatis praemium exspectare. *Noli quaerere solutionem.* Nisi forte ex consensu illius. *Solutus es ab uxore.* Per continentiam, vel morte ipsius. *E t* [Col. 0142D] *si acceperis uxorem, non peccasti.* Id est, ante votum virginitatis. *Et si nupserit virgo, non peccabit.* Id est, antequam voverit virginitatem, quia nuptiae per se peccatum non habent, sed per sollicitudinem saeculi saepe peccatum incurrunt. Aliter illos dicit non peccare si nubant, quia nondum voverunt Deo castitatem, caeterum qui vel in corde suo promisit, si aliud fecerit, *habet damnationem, quia primam fidem irritam fecit;* quod enim erat licitum, per votum sibi fecit illicitum, sicut Ananias et Sapphira. *Tribulationem carnis habet.* Maledicto Evae subjacentes per sollicitudinem saeculi, tribulationem et tristitiam patientes. *Hujusmodi.* Id est, virgines nubentes. *Ego autem vobis parco.* Hoc suadeo vobis, quod minus [Col. 0143A] laboris, et quod plus praemii habet. *Itaque dico, fratres.* Hic omnes ad continentiam hortatur. *Fratres autem dicit, ut libentius audiant. Tempus breviatum est.* Dicamus breve, etiamsi nongentis viveremus annis, ut antiqui homines; tamen breve putandum esset quod haberet aliquando finem; nunc vero quod brevis sit non tam laetitia quam tribulatio nuptiarum, quid accipimus uxores quas cogimur amittere? *Quasi non habentes.* Ille uxorem habens, sed quasi non habet, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat creatori. *Flet quoque, sed tanquam si non fleat.* Qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de aeternis lucris semper animum consoletur. *Gaudet quoque tanquam si non gaudeat.* Qui sic temporalibus bonis hilarescit, ut tamen [Col. 0143B] semper perpetua tormenta consideret, et in hoc quod mentem gaudio sublevet, hanc continuo pondere providi timoris premat. *Emit quoque quasi non possidens.* Qui et ad usum terrena praeparat, et tamen cauta cogitatione praevidet, quod haec citius derelinquat. *Mundo quoque utitur, sed quasi non utatur.* Qui et necessaria cuncta exterius ad vitae suae ministerium redigit, et tamen haec non sinit suae menti dominari, sed ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alia tendentis frangant. Aliter: Sunt qui patiuntur labores et pressuram in praesenti quasi non paterentur: quia ista in brevi spatio pertransibunt et finientur. Sic et sequentia exponi possunt. *Praeterit enim figura hujus mundi.* Hoc saeculum quasi umbra pertransit. Nolite ergo [Col. 0143C] de eo multum esse solliciti, ne possessionem perdatis

aeternam, et figuram quaerentes incipiatis amittere veritatem. Hic enim mundus imago futuri est. Si ergo talis est imago, ipsa veritas qualis est? Unde si hoc tam impense diligitis, quanto magis illud impensius amare debetis; nam secundum hoc nos dimissuros quotidiana morientium exempla testantur? An forte nos solos esse credamus immortales, quasi non simus ex hominibus generati. Item, *Praeterit enim figura hujus mundi.* Si mundus transit, quo universa clauduntur, imo figura et conversatio hujus mundi quasi nubes praeterit, et inter caetera mundi opera, et nuptiae praeteribunt. Si enim mors finis est nuptiarum, cur necessitatem in utilitatem non vertimus? Divisa est mulier et virgo, id est, dissimiles [Col. 0143D] sunt. *Ut sit sancta et corpore et spiritu.* Quid prodest carnem habere virginem, si menti quis nupserit, ut sit frequens oratio? impedit enim conjugium jugitatem orationis. *Si quis.* Id est, pater. *Turpem se videri existimat.* Turpis videbitur, si cum ad perfectam aetatem pervenerit, neutrum deliberet, vel virginitatem servare, vel nubere, si nubere volenti non permittat, et illa fuerit fornicata. *Quod vult.* Id est, pater vel filia faciat, id est pater non peccat, si ipsa puella nubat. *Qui autem statuit in corde suo.* Id est, si pater quisque disposuit. *Firmus.* Id est, dum consentit ei filia sua. *Non habens.* Id est, pater. *Necessitatem.* Quia non cogitur a filia sua, ut daret eam viro. *Potestatem autem habet.* Ipse pater. [Col. 0144A] *Suae voluntatis.* Ut faciat quod voluerit de filia sua. *Judicavit.* Praefatus pater. Aliter ut Hieronymus exponit: Si quis, hoc est, quisquis homo; super virginem, id est, carnem propriam suam; quid vult ipse homo, id est, virginitatem an conjugium; quia liberum arbitrium habet, non peccat, quia matrimonium non est peccatum. *Statuit.* Id est, permanere in virginitate. Non habens necessitatem, quia non cogitur a carnali voluptate. Potestatem habet, id est, facere quod vult. *Mulier vincta est legi.* Nunc incipit de digamis et viduis. *Liberata est.* A vinculo conjugali libera facta secundum legem post mortem viri, si nec tunc potuerit se continere. *Cui voluerit nubat.* Tantummodo Christiano, non Gentili, tantum in Domino propter continentiam. *Puto enim quod et ego* [Col. 0144B] *spiritum Dei habeam.* Ideo sic loquitur, quasi dubie, ne jactanter de se loqui videatur. *Spiritum Dei habeo.* Hoc est, nolite contemnere, quia non ex me hoc ipsum est quod dico, sed spiritus Dei est, qui loquitur in me, quem contemni non expedit.

CAPUT VIII.

De his autem quae idolis immolantur. Subaudis, dico, de quibus scripsistis mihi. Hic autem Paulus scriptis Corinthiorum respondet, quia illi epistolam scripserunt ad eum, ut sciret quid facerent. Nam alii eorum in templis idolorum idolothyta manducabant, ut contemnerent idolum; quidam vero qui erant infirmi in fide et conscientia, non audebant manducare, et contristabantur valde alios videntes coram se manducare, qui dicebant: Quia omnis [Col. 0144C] creatura bona sit, et nihil sit idolum; et hac imagine magis quam ratione veritatis errabant. Idolothytum, id est, idolum occisum, vel immolatum. Θύω Graece, occido. Itaque solas carnes immolatas hoc nomine significabant. *Scimus quia omnes scientiam habemus.* Hoc est, non plus illi sciunt qui inflati sunt, quam vos. *Scimus.* Id est, quod nihil sit idolum. Scientia autem sine charitate inflat per superbiam. Illa scientia inflat, quae ex sensu proprio et humano descendit, et quae conjecturis magis utitur quam exemplis. *Charitas vero aedificat.* Quia non quaerit quae sua sunt, sed quae aedificant fratres. Illius ergo charitas aedificat qui dicit: Licet me non

impediat manducare idolothyta, tamen propter idolum, ne aliis displiceat, non manducabo. *Quod si quis se* [Col. 0144D] *existimat scire aliquid, nondum cognovit.* Hoc est, si quis sibi videtur sapiens, et si quem inflat scientia. *Quemadmodum oporteat eum scire.* Id est, sine elatione, cum humilitate et charitate. *Si quis autem diligit Deum.* Ille diligit Deum, qui aedificat fratres. *Hic cognitus est ab eo.* Hic diligitur a Deo, ut est illud: *Novit Dominus qui sunt ejus* **(II Tim. II)**. *De escis autem quae idolis immolantur, scimus.* Nunc repetit quod superius dixerat, et quid sit evidentius ostendit. *Quia nihil est idolum.* Sive in coelo, id est, angeli; aut sidera coeli, ut Saturnus; sive in terra, ut idola. *Sed non in omnibus est scientia.* Non omnes sciunt quod propter contemptum idoli hoc facitis, sed putant vos propter venerationem hoc facere. *I n* [Col. 0145A] *conscientia usque adhuc idoli, quasi idolothytum manducant.* Adhuc si habent in conscientia idolothytum, quomodo antequam crederent manducabant. *Et conscientia ipsius, cum sit infirma, coinquinatur.* Declinando: ad idololatriam per malum exemplum vestrum, aut putando aliquid religionis esse in vescendis idolothytis. *Esca autem nos non commendat Deo.* Sed charitas aedificans fratres. *Qui habet scientiam in idolo.* Hoc est, quod idolum nihil sit, et quod munda sit omnis visibilis creatura, nonne conscientia ejus id putabit, quod idolis immolare sit licitum? *Aedificabitur.* Corroborabitur, suscitabitur. *Et peribit infirmus.* Dum contra fidem et conscientiam manducat. *Omne autem quod ex fide non est peccatum est.* In tua conscientia. Quia firmiter credis idolum [Col. 0145B] non esse. *Percutientes conscientiam eorum infirmam.* Nondum validam in fide Christi. *Non manducabo carnem in aeternum.* Dat exemplum de se, sed tamen quod licitum erat non facit, ne aliis offendiculum faceret.

CAPUT IX.

Non sum liber? Liber sum omnia visibilia manducare, dum apostolis dicitur: Manducate quae apud illos sunt. Non sum apostolus? Ita legendum est: Nunquid non sum apostolus? Suum illis exemplum replicat, quod cum habuisset omnia in potestate, noluerit facere quod illi licebat, propter aliorum salutem. *Opus meum, id est, apostolatus mei opus. Etsi aliis non sum apostolus.* Id est, Judaeis, ad quos non sum missus, sive caeteris gentibus praeter vos. *Nam* [Col. 0145C] signaculum. Indicium apostolatus est, quod vos per me credidistis, signis et virtutibus provocati. *Mea defensio.* Mea defensio apud illos qui dicent: Qualis est Paulus, utrum apostolus est, an non? Hic respondebitur quod Paulus apostolus sit Corinthiorum. *Nunquid non habemus.* Ego et Barnabas? *Potestatem.* Nobis a Deo concessam. *Manducandi.* De vestris, ut dignus est operarius mercede sua. *Mulieres.* In Graeco sorores [ἀδελφὴ], non mulieres legitur. *Circumducendi.* Per provincias ad ministrandum. *Sicut et caeteri apostoli.* Nonnullos contemnit, sed suum dat exemplum. Illi enim fidelioribus praedicabant: et apud Judeos antiqua consuetudo erat, ut necessaria doctoribus a discipulis praeberentur, quod gentes adhuc rudes poterat scandalizare. *Quis plantat* [Col. 0145D] *unquam? Per comparationem vineae et gregis, populum vult intelligi, sicut scriptum est: Vineam de Aegypto transtulisti* **(Psal. LXXIX)**: Et: *Dabo vobis pastores secundum cor meum* **(Jer. III)**. *Non alligabis os.* Hoc est, non fraudes doctorem cibo et vestimento. *Bovi trituranti* **(Deut. XXV)**. Id est, doctori triticum virtutum a palea vitiorum separanti. *Quoniam in spe.* Debet fructum laboris sperare. *Qui arat.* Id est,

praedicat. *Si alii potestatis vestrae participes sunt.* Pseudoapostoli, qui nihil utilitatis praestiterant. *Ne quod offendiculum demus evangelio Christi.* Ne per nos pseudoapostolis occasio cupiditatis detur, aut ne alii dicant, quod causa avaritiae praedicemus evangelium Christi. *In sacrario.* In templo, vel in [Col. 0146A] tabernaculo. *Quae de sacrario sunt edunt.* Quia quae offerebant filii Israel ad templum, hi qui in templo erant manducabant. *Et qui altari deserviunt.* Id est, sacerdotes et levitae. *Gloriam meam.* Praemium quo gloriatus sum, non comedere de evangelio. *Evacuet, Si necessaria ministret. Si enim evangelizavero, non est mihi gloria.* Hoc est, si evangelizavero ut ista fiant in me, id est, si propterea evangelizavero, ut ad illa perveniam, et finem evangelii in cibo, et potu, et vestimento locavero. Sed quare non est gloria? *Necessitas* enim mihi, inquit, *incumbit.* Id est, ut ideo evangelizem. *Vae* enim mihi, inquit, *si non evangelizavero.* Sed quomodo debet evangelizare? scilicet ut in ipso evangelio, et in regno Dei ponat mercedem: ita enim potest non coactus evangelizare, sed [Col. 0146B] volens. *Si* enim, inquit, *volens hoc facio, mercedem habeo:* si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Id est, si coactus inopia earum rerum quae temporalis vitae sunt, necessario praedico evangelium, alii per me habent mercedem evangelii, qui evangelium ipsum me praedicante diligunt: ego autem non habeo, qui non ipsum evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporibus constitutum, quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisque evangelium, sed tanquam servus, cui dispensatio credita est, ut tanquam alienum eroget, nihil inde ipse capiat praeter cibaria, quae de participatione sustentaculum miserae servitutis dantur extrinsecus, quanquam alio loco et dispensatorem se dicat. Potest enim et servus in filiorum numerum adoptatus, eam rem, [Col. 0146C] in qua cohaeredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc ubi ait,: *Dispensatio mihi credita est, talem dispensationem intelligi voluit, qui alienum dispensat, unde ipse nihil accipiat. Ut non abutar potestate mea.* Sive, ne utar potestate qui accepi vivere de fructu evangelii, sive dum voluero accipere, vilem faciam potestatem meam, cum propter ventrem docere existimor. *Nam cum liber essem.* Id est, licita edendo propter doctrinam. *Ab omnibus.* Id est, necessitatibus. *Omnium me servum feci.* Omnibus compassus sum. *Et factus sum Judaeis Judaeus.* Circumcidendo scilicet Timotheum, quod tempore gratiae sciebat esse superfluum.

Tanquam sub lege essem. Id est, caput radendo, et purificando se in templo. *Tanquam sine lege essem.* [Col. 0146D] Quia non tam legalibus doctrinis quam rationalibus argumentis illos ad fidei credulitatem provocabam, sicut dicit in Actibus apostolorum: *Circuivi aras vestras, et inveni aram in qua scriptum erat:* Ignoto Deo **(Act. XVII)**. Cumque de eorum superstitione sermonem fuisset orditus, tanquam et ipse sine lege esset, sub occasione profani illius tituli fidem Christi intulit, dicens: *Quod ignorantes vos colitis, hoc ego annuntio vobis.* Et post pauca, velut si divinae legis penitus esset ignarus, gentilis poetae versum potius quam Moysi aut Christi maluit proferre sententiam: *Et* sic quidam, inquiens, *vestrorum poetarum dixit:* Ipsius enim genus sumus.

Factus sum infirmis infirmus. Dicens de matrimonio, [Col. 0147A] revertitur in idipsum; et sic propter infirmos olera manducavi, cum possim securus carnibus vesci. *Omnia omnibus factus sum.* Ac si diceret: Ut in brevi comprehendam quod per partes dixi, *Omnia omnibus factus sum, non mentientis astutia, sed compatientis affectu;* id est,

non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum malis tanquam si sua essent, misericordem medicinam procurando, haec aliis faciens quae sibi ab aliis fieri vellet, si hoc illi opus esset. *Ut particeps ejus.* Id est, mercedis ejus efficiar. *Nescitis quod hi qui in stadio currunt.* Stadium est octava pars milliarii, 125 passus habens: passus vero quinque habet pedes. Hic autem stadio cursum justitiae vel fidei comparavit. Bravium est lamina argentea ad palmae mensuram quae a rege [Col. 0147B] militibus datur: et est sermo Graecus. *Sic currite.* Per viam mandatorum in abstinentia, caeterisque virtutibus, sicut in theatro quidem omnes currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando, corpus castigando. *Ut comprehendatis.* Coronam vitae aeternae, de qua ipse dicit: *Reposita est mihi corona justitiae.* Non quasi in incertum. Non enim in incertum currit, qui ad coelestem Hierosolymam festinat. Incertum vero est, qui in stadio currunt, utrum percipiant palmam, an non. *Non quasi aera caedens.* Hoc est, non inania consectans, sicut qui in agone contendit, aerem verberat telis.

CAPUT X.

Nolo enim vos ignorare, fratres. Hic comparat duas plebes, Veteris videlicet et Novi Testamenti, et [Col. 0147C] exemplo prioris terret secundum populum. *Quod patres nostri omnes sub nube fuerunt.* Ideo hoc dicit, ne quis confidat in eo solo quod baptizatus est, aut in esca spirituali, aut potu, et putet sibi Deum parcere, si criminosum aliquid commiserit. Aliter. Patrium promittit exemplum, tunc ista merito profutura, si praecepta servarentur. Sicut enim de Aegypto a servitute Pharaonis Israel liberatus est, sub nube et in Moyse baptizatus est, ac in desertum venit, sic nos a tenebris peccatorum liberati a servitute venimus, atque sub nube, hoc est, divino auxilio sumus. *Et omnes in Moyse.* Id est, in merito et potestate Moysi, mystice in Christo.

Baptizati sunt in nube. Baptizati sunt figuraliter, quia nubes proprium humorem portabat; mystice: [Col. 0147D] *in nube, id est in Spiritu sancto. Et in mari.* Mystice in baptismo. *Escam spiritualem.* Ideo manna spiritualis cibus dicitur, quia spiritualiter per angelos ministratum fuit: ut: *Panem angelorum manducavit homo;* sive quia figuravit spiritualia, id est corpus Christi. Similiter et potus dicitur spiritualis. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.* Quia Christus postmodum erat secuturus, cujus figuram tunc petra gerebat, idcirco dixit, *consequente eos petra.* Alii putant, quod fluvius secutus sit eos per desertum. *Sicut illi concupierunt.* Carnem, ut: *Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum.* Et surrexerunt ludere **(Exod. XXXII)**. Id est, vitulum adorare. *Et ciciderunt* **(Num. XXVI)**. Per angelum hoc factum est. [Col. 0148A] *Neque tentemus Dominum.* Dicentes: *Nunquid potest Deus parare mensam in deserto* **(Psal. LXXIX)**? *Et a serpentibus perierunt.* Propter quos aeneus serpens factus est. *Neque murmuraveritis.* In tribulationibus pro Christo. *Ab exterminatore.* Id est, ab angelo percutiente eos in extremis castris per ignem, cui plagae succurrit Aaron cum thuribulo offerens pro eis.

Ad correctionem nostram. Si enim parvulis adhuc et rudibus non pepercit, quanto magis nobis, qui legem perfectionis accepimus non parcet, si talia fecerimus? *In quos*

finis saeculorum devenit. Id est, in quos tota perfectio temporum cadit, vel qui sumus in fine saeculi. *Itaque qui se existimat stare.* Id est, forti conscientia manducando idolothyta, nunc incipit reverti ad superiora. *Videat ne cadat.* Offendendo infirmum. [Col. 0148B] *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana.* Id est, quae per fragilitatem, et inscientiam fit, et non ex consilio et perseverantia: humanum est enim peccare, diabolicum est perseverare. Aliter: *Tentatio vos non apprehendit nisi humana.* Dicitur nobis pugnam carnis non sustinentibus per beatum Apostolum, cum his inter quos fornicatio nominatur: *Tentatio vos non apprehendit nisi humana:* non enim meremur mentis robore conquisito graviores pugnas nequitiarum coelestium experiri, qui carnem fragilem resistentem spiritui nostro subjugare non quivimus. Quod Apostoli testimonium non intelligentes quidam posuerunt pro indicativo optativum modum, id est, *tentatio vos non apprehendat nisi humana, quod ab ipso dici manifestum est, non optantis,* sed [Col. 0148C] pronuntiantis, vel exprobrantis, affectu. *Fidelis autem Deus est.* Qui se pollicitus est sui nominis causa in tribulationibus adfuturum, ut ibi: *Multae tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* **(Psal. XXXIII)**. *Sed faciet cum tentatione etiam proventum.* Illud faciet provenire, quod possitis sustinere. *Fugite ab idolorum cultura.* Non vescendo idolothytis. *Quasi prudentibus loquor.* Suadet ut prudentibus, quo libentius audiatur. *Nonne communicatio est sanguinis Christi? Sicut ipse ait: Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* Quasi dixisset: Sicut e contrario calix idolorum daemonum communicatio, ita et panis idolothyti daemonum participatio esse monstratur. *Quoniam unus panis.* Sicut enim panis ex [Col. 0148D] multis granis copulatur, sic nos ex multis gentibus, fidelibusque in unum corpus Christi congregamur. *Unum corpus multi sumus.* Si cum idololatris de uno pane comedimus, unum cum illis corpus efficimur. *Videte Israel secundum carnem.* Id est, hospitalis Israel, carnalis Israel, carnales hostias offerebat; spiritualis spiritualia sacrificia offert Christo. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Sicut illi edentes hostias participes fiebant divini altaris, ita isti similiter idolorum. Quid ergo dico? Praevenit, ne quis diceret:* Ergo dicis vim aliquam habere idolum, vel posse polluere. Non, inquit, idolum insensibile polluit, sed daemones qui templis praesident ad homines defraudandos et suo servitio mancipandos. [Col. 0149A] *An aemulatur Dominum? Nunquid non irritamus eum ad zelum contra nos, et ad iracundiam provocamus hoc facientes. Nunquid fortiores illo sumus? Hoc est, nunquid possumus furorem ejus sustinere pro hoc malo quod facimus? Aliter: An aemulamur Dominum? id est, nunquid exemplum Domini habemus:* qui conversatus in carne, nunquid comedit idolothyta? *Nunquid fortiores illo sumus, fide et scientia, ut faciamus quod Dominus ipse non fecit, nec manducavit, quasi diligentiores Deo essemus? Omnia mihi licent.* Id est, omnia quae lege non prohibentur, licent: quia per se non habent peccatum; sed non semper expediunt, quia occasionem nonnunqum generant delinquendi, vel offendendi fratres. Omne autem quod expedit licet, non omne quod licet [Col. 0149B] expedit. *Omne quod in macello venit manducate.* Si vultis manducare carnes, saltem de macello comportate; tantum ne in idolio comedatis, et nolite interrogare utrum immolatae sint: ne cognoscentes vos, omnia immolata esse respondeant, et non possitis propter conscientiam manducare. *Domini est terra et plenitudo ejus* **(Psal. XXIII)**. Si Domini sunt, munda sunt omnia simpliciter utentibus; et plenitudo ejus, id est, omnia quae in terra sunt. *Et ibitis.* Non dixit ite: quia tunc debet Christianus ire ad infidelem, si novit esse profectum, id est, si

scit posse eum lucrari. *Nolite manducare.* Ne quis putet illa vos quasi sancta comedere. *Propter eum.* Infidelem. *Non tuam.* Qui fortis es. *Sed alterius.* Infirmi, ne vel vos blasphemet, vel ipse idolis immolata comedat. [Col. 0149C] *Utquid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia? Hoc est, ad quem profectum utar libertate mea, ut me alius reprehendat? Ab infideli conscientia.* Id est, vituperantis. *Judicetur.* Id est, blasphemetur: Si enim idola detestamur, quare idolothytis vescimur? *Si ergo gratiae participo.* Non ideo sub gratia sumus, ut libertatis specie occasionem demus infidelibus blasphemandi.

Quid adhuc blasphemor? Id est, irritando contra me blasphemiam, non me oportet blasphemiam praebere de beneficiis Dei. Pro eo quod gratias ago. Id est, manduco idolothyta cum gratiarum actione. *Omnia in gloriam Dei facite.* Hoc est, nihil faciatis, nisi in quo glorificetur Deus. *Sine offensione estote.* Quia et Judaei tanquam de idololatriis scandalum patientes, [Col. 0149D] credere non audebant: Gentes vero cum in colendis idolis firmabantur, et Christiani tali destruebantur exemplo.

Sicut et ego omnibus placeo per omnia. Cur alibi dicit: *Si hominibus placerem, servus Christi non essem* **(Gal. I)**? Placet ergo Paulus et non placet: placet exhibendo pietatem; et non placet, quoniam nulli consentit in malis. *Quid mihi utile est.* Id est carnalibus commodis.

CAPUT XI.

Imitatores mei estote. Sine offensione estote, sicut et ego sum. *Laudo autem ros.* Quid est quod subito laudat, quos ante vituperavit? Idem ubi legis praecepta non habet, blandimentis provocat ad rationem. [Col. 0150A] *Aut prophetans velato capite.* Id est, futura praedicans; ideo autem non velato capite vir praecipitur orare, quia nulla potestas mulieris debet esse super virum. *Mulier vero velato capite.* Dum illa sub potestate viri est. *Deturpat caput suum.* Notat consuetudinem Corinthiorum, qua mulieres eorum intecto capite ad ecclesias veniebant, gloriantes in crinibus: quod non solum inhonestum erat, sed etiam concupiscentiae fomenta praestabat videntibus: et viri comam nutrirent indifferenter, et vescebantur in templis, et inflati sapientia saeculari, resurrectionem carnis negarent. *Quoniam imago est et gloria Dei.* Ergo, sicut inter imaginem et eum cujus imago est nullum velamen interponitur, ita vir non debet velamen habere, quia nulla creatura inter ipsum et [Col. 0150B] Deum interposita est, si generaliter ad naturalem viri gloriam respexeris. *Sed mulier propter virum.* Id est, adjutorium viri, ut: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Propter angelos. Id est, sacerdotes, vel ministros altaris, vel omnem clerum, qui Dei praecepta annuntiat, sicut scriptum est: *Quia angelus Domini exercituum est, ne videlicet carnali concupiscentia eorum impediantur sensus:* sive propter honorem angelorum, qui Ecclesiae assistere perhibentur. Item Hieronymus in expositione Ezechielis: *Cumque ingredientur portas atrii in interioribus, cidares lineas habent super capita sua.* Si virorum est, secundum Apostolum non operire caput, videtur esse contrarium quomodo nunc sacerdotes capite tenus, vel cidare operti videntur. Sed si legamus diligentius, [Col. 0150C] ex prioribus solventur praesentia: supra enim dicitur, quando ministrant in portis atrii interioribus et

intrinsecus: si enim ingrediamur ad sancta, et stemus in conspectu Domini, capita nostra operire debemus: quia *non juctificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Denique et feminalibus utimur intrinsecus, ne ulla in conspectu Domini pollutae conscientiae et operis nuptialis turpitudo appareat.

Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Consolatur eas, ne nimium mulieres gravasse videatur: et dicit quod nec alterum tantum Deus elegit ut alterum reprobaret, quia non pro uno, sed pro utroque sexu Christus passus est.

In Domino. Id est, in fide et unitate Domini. Aliter: [Col. 0150D] Nec vir sine muliere, nec mulier sine viro nasci potest, et hoc in Domino, id est, in potestate Domini. *Vos ipsi judicate.* In ipsorum judicio ponit, ut ex sua conscientia convincantur.

Ignominia est illi. Comam videlicet nutrire ad similitudinem mulieris, licet Nazaraei, ut comam nutrirent, ex Dei praecepto devotissime faciebant. *Si quis autem videtur contentiosus esse.* Praevenit illos, ne quis diceret, Ubi hoc scriptum est? vel ne aliis argumentis huic rationi resisterent, ac se diceret: Nos diximus quae nobis honesta videbantur et justa: si quis autem volens acquiescere veritati, quaerit quid respondeat, sciat se responsione indignum, qui magis contendere paratus est quam doceri. *Talem consuetudinem.* [Col. 0151A] Sive contendendi, sive talia faciendi. *Hoc autem praecipiens.* Id est, qui primus hortatur de ordine virorum et mulierum. *Non laudo.* De consequenti causam dicit. *Sed in deterius convenitis.* Hic enim tria principalia peccata in eis reprehendit, ut in sequentibus demonstrat, quod cibum corporalem in ecclesia sumebant, quod ante communionem corporis Christi ipso cibo vescebantur, quod nihil pauperibus dabant, et quod contentiosi erant. *Oportet enim haereses esse.* Non quod haereses Deo placeant, sed quod per eas fideles exercentur, ut qui Deo noti sunt, hominibus manifestentur: unde enim gubernator laudabitur, si navis in portu vel in tranquillitate consistat? *Ut et qui probuti sunt.* Sive doctores in resistendo, sive fideles in permanendo. [Col. 0151B] *Suam coenam praesumit.* Quia ante sacrificium edebant, et pauperibus nihil afferebant, neque impertiebant. Apud Corinthios quondam, ut alii asserunt, prava invaluit consuetudo, ecclesias passim dehonestare conviviis, in quibus vescebantur ante Dominicam oblationem, quam coenam noctibus adoriebantur; cumque divites ebrii ad Eucharistiam venirent, vexabantur inopes fame. Mos vero iste, ut referunt, de gentili adhuc superstitione veniebat, unde etiam in quibusdam locis per Aegypti vel Syriae loca, die Sabbati nocte, post coenam dicitur ad ecclesiam conveniri. *Aut ecclesiam Dei contemnitis? Facientes eam triclinium epularum. Accepit panem.* Id est, in convivium, ut vos facitis: hinc jam de sacramentis quasi oblitos commemorat, quam magnum sit hujus [Col. 0151C] mysterii sacramentum. *Hoc facite, et dixit, accipite, hoc est corpus meum.* Quasi Paulus: Cavete ne illud corpus indigne comedatis, dum corpus Christi est: indigne hoc comedetis, si pauperes confundatis, sique escam aliquam ante spiritualem et Dominicam coenam sumatis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Suam memoriam nobis reliquit, quemadmodum si quis peregre proficiscens, aliquod pignus ei quem diligit derelinquat, ut quotiescunque illud viderit, possit ejus beneficia et amicitiam recordari, quoniam ille si perfecte dilexit, sine ingenti desiderio et fletu illud non potest videre. *Hic est calix Novi Testamenti.* Quia Vetus hoc

per sanguinem brutorum animalium portendebatur. Ideo autem calix testamenti vocatur, quia testatus est, post paululum passionem [Col. 0151D] futuram, et nunc testificatur factam. *In meo sanguine.* Vetus et Novum per sanguinem dedicatur, quia sine morte firmum esse non potest testamentum, secundum Epistolam ad Hebraeos. *Reus erit corporis et sanguinis Domini.* Quasi illum occiderit, ut Judaei, qui tanti mysterii sacramentum pro vili despexerunt. *Probet autem.* Id est, mundet: nam si in linteum, vel in vas sordidum nemo illud mittere audet, quanto magis in cor pollutum? *Non dijudicans corpus Domini.* Id est non discernens ipsum a cibo communi. *Ideo inter vos multi infirmi.* Id est, dolore totius corporis. *Et aegri.* Id est, imbecilles quibusdam membris, ut caeci et claudi: erat igitur praesens correptio et nunc est, et multi talia patiuntur; [Col. 0152A] sed putamus consuetudinem esse potius quam culpam. Tribus sane causis infirmitates adveniunt corporales: aut ex tentatione, sicut Job et Tobiae; aut ex peccato, sicut Assa regi, qui dolore pedum aegrotans mortuus est, quem ei Dominus immisit, quia amicitiam Benadab regis Syriae habebat: aut ex aliqua intemperantia, ut Timotheo et his qui jubentur medicum honorare. Huic tantum causae humana potest succurrere medicina. *Dum autem judicamur a Domino.* Id est, per aliquam praesentem infirmitatem corripimur. Correptio paternae pietatis est, ut poeniteamus, ne cum infidelibus mundi damnemur. *Judicem exspectare.* Id est, usquequo sacrificium accipiatis. *In judicium.* Id est, in vindictam, *Caetera vero.* Id est, de ipsius mysterii sacramentis.

[Col. 0152B]

CAPUT XII.

De spiritualibus autem. Nunc de divisionibus gratiarum praedicit, et de volentibus novis loqui linguis. *Ad simulacra muta.* Hoc dicit ut cognoscant, qui ante misericordiam illius fuerunt, muta adorando idola: et ut sciant quanta munera illis per Spiritum sanctum collata sunt. *Prout ducebamini.* Id est, a magistris et aruspicibus et philosophis. *Nemo in spiritu dicit anathema Jesu.* Quia fortasse alii per spiritum diaboli dixerunt anathema Jesu, quasi dixisset, Si aliquis dixerit anathema Jesu, non spiritu Dei, sed spiritu diabolico loquitur. Anathema, perditio, detestatio interpretatur. Jesum tamen in spiritu Dei [non] loquitur, quandiu paganus est. *Et nemo* [Col. 0152C] *potest dicere Dominum Jesum.* Id est, corde, ore, opere. Mos est Scripturarum dicta pro factis ponere: ergo dicere, invocare est, vel credere Dominum Jesum, hoc est, ut ipse sit servus Domini Jesu, ac Dominus ejus Jesus. *Nisi in Spiritu sancto.* Id est in dono Spiritus sancti: Unde statim disserit, quibus et quot donis Jesum quisque fateatur, dicens; *Divisiones autem gratiarum sunt:* idem autem spiritus. Ne tot putarentur spiritus quot sunt dona. Gratiarum vocabulum spiritui gratis inspiranti omnia dona convenit. *Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.* Dominus, qui servis suis diversas ministrationes et ecclesiastica officia largitur. *Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Id est, insignium virtutum [Col. 0152D] ac miraculorum Deo nomen competit, qui potentialiter haec per suos electissimos operatur. Haec itaque tria nomina, id est, spiritus, et Dominus, et Deus, Spiritui sancto conveniunt, qui gratis et non merito cuncta spirando ac servus ministrat

et potentialiter quasi Deus perficit. *Manifestatio spiritus.* Unumquodque donum, per quod se manifestat. *Ad utilitatem.* Non ad inanem gloriam, ut vultis variis loqui linguis, sed ad utilitatem incredulorum et infidelium. *Sermo sapientiae.* Sapientia pertinet ad intellectum aeternorum. Scientia vero ad ea quae sensibus corporis exprimuntur. *Gratia curationum.* Ut quis curet aegros. *Operatio virtutum.* Opus virtutum est daemones ejicere vel mortuos suscitare. *Alii discretio spirituum.* [Col. 0153A] Ut quisque sciat quod spiritus suggerit aliquid agendum esse vel non. *Alii interpretatio sermonum.* Hoc est, ex alia in aliam linguam aut difficilium sermonum explanatio. *Operatur unus atque idem spiritus.* Potest unus esse, licet diversus, ut unus mihi illam rem heri donavit, vel ministravit, et unus hodie: nam talis locutio etiam de diversis personis potest convenienter intelligi, sed ne diversus spiritus aliqua successione temporis, vel sui mutatione intelligeretur, signanter ab Apostolo hoc additum est: *Atque idem spiritus.* Ne quia diversa sunt dona, diversus spiritus ac varius putaretur. Sed unus et idem semper sine ulla mutabilitate cum Patre et Filio manens prout vult, non ait, ut homines merentur, quia dona diversa et indignis tribuuntur, ut est [Col. 0153B] illud: *Nonne in tuo nomine daemonia ejecimus* **(Matth. VII)**? Et sicut alibi scriptum est: *Spiritus ubi vult spirat* **(Joan. III)**. *Sicut enim corpus unum est.* Per comparationem corporis ostendit, non naturam membrorum, sed officia esse diversa, et neminem curare debere cujus sit officii, dum omnes eodem spiritu animentur. *Et omnes unum spiritum potaverunt.* Id est, doctrinam spiritus, quam Christus fluminibus aquae comparavit dicens: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* **(Joan. VII)**. *Ita et Christus.* Notandum quod tota Ecclesia cum suo capite Christus appellatur: nam ut corpus non est unum membrum, ita non potest totum corpus unum officium agere, hoc est, ut totum corpus vel videat, vel audiat, sed unumquodque membrum [Col. 0153C] suum officium habet. *Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore.* Pes Ecclesiae dici solet, qui ad intercedendum egreditur; manus, ille qui operatur; os, ille qui docet vel qui loquitur linguis. *Num ideo non est de corpore? Decebat enim non esse de corpore Ecclesiae, qui hanc, quam alii acceperant, gratiam non habebant. Si totum corpus oculus.* Hoc est, si omnes doctores sunt. *Ubi auditus? Id est, ubi sunt auditores? Si totum auditus.* Si omnes sunt auditores. *Ubi odoratus? Hoc est, quis erit boni odoris malive discretor? Nunc autem posuit Deus membra.* Id est, in prima conditione hominis. *Non potest oculus.* Id est, vir theoricae vitae. *Dicere manui.* Homini actualis vitae. Ideo invicem indigemus, ut magis ac magis charitas confirmetur: nam [Col. 0153D] si unus omnia haberet, adversus caeteros inflaretur. *Infirmiora membra.* Venter et caetera intestina. *Necessariora.* Id est, dum vitam corporis custodiunt. Itaque membra quae spernitis in Ecclesia, majoris utilitatis approbantur; si in corpore sine manibus pedibusque vivitur, sine intestino omnino non vivitur. *Abundantiorem circumdamus honorem.* Dum cautius vestimentis et diligentius custodiuntur. *Quae autem honesta sunt.* Id est, quae per se pulchra sunt, ut caput et manus. *Et cui deest.* Id est, honestas. *Abundantiorem honorem tribuit.* Hoc est, minoribus Ecclesiae membris majora dona concedens, ut qui honore minor erat, gratia abundet. *Si dixerit auris.* Id est, sapiens auditor. *Oculus.* Doctor, quique futura [Col. 0154A] praevidet. *Ut non sint schismata in corpore.* Id est, ut pro invicem solliciti simus, dum altero indigeamus. *Sive laetatur.* Incolumitate. *Congaudent omnia membra.* Ut Sallustius ait: Corde laetante vultus floret. *Vos autem estis corpus Christi.* Nunc physicam similitudinem mystice explanat. *Secundo prophetas.* Novi Testamenti, ut fuit Achab et filii Philippi. *Deinde*

virtutes. Facientes majora signa, ut mortuos suscitare. *Gratias curationum.* Ut leprosos mundare. *Opitulationes.* Id est, eleemosynae erga pauperes. *Gubernationes.* Ecclesiarum Dei. *Nunquid omnes apostoli? Sicut nec totum corpus oculus est.* Quod enim in singulis hominibus universa dona Spiritus sancti esse non possunt, non Spiritus sancti, sed hominis infimitati deputandum est. *Aemulemini.* Id [Col. 0154B] est imitemini *Charismata meliora.* Id est, dona meliora quam loqui linguis. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Id est, charitatem, per quam pervenitur ad Deum.

CAPUT XIII.

Si linguis hominum loquar et angelorum. Id est, non solum omnium linguis, sed etiam si quae angelorum linguae. *Et noverim mysteria omnia.* Id est, notitiam omnium secretorum, hic et in futuro. *Et omnem scientiam.* Id est, Veteris et Novi Testamenti. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* Hoc est, si non propter Deum, sed propter gloriam humanam. *Et tradidero corpus meum ita ut ardeam.* Id est, in martyrium, si in ipso martyrio adversus fratrem retineam iram: contemnens eum [Col. 0154C] qui jussit nos malitiam proximi oblivisci, et in ipsa etiam morte praevaricator existens. *Charitas patiens est.* Quia multa mala aequanimiter tolerat. *Benigna.* Etiam inimicis. *Charitas non aemulatur.* Bona alterius. *Non agit perperam.* Id est, contra rationem, ut Gennadius dicit. Vel perperam, vitiose, corrupte. *Non quaerit quae sua sunt.* Non quaerit quod sibi tantum utile, sed quod multis. *Non irritatur.* Ad jurgia. *Non cogitat malum.* Non solum non facit, sed nec cogitat. *Congaudet autem veritati.* Quia ut sit diligens, caeterum per hoc quod rectum aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit. *Omnia suffert.* Suffert injurias, satisfacienti credit. *Omnia sperat.* Ejus emendationem, et donec corrigatur patienter exspectat. Aliter, omnia sperat, id [Col. 0154D] est, praemia. *Omnia credit.* Promissa a Deo, ac retributa malis et bonis. *Omnia sustinet.* Id est, promissa. *Charitas nunquam excidet, sive prophetiae evacuabuntur.* Superveniente enim completione, cessabit prophetia, quia nihil futurum erit. Sive linguae cessabunt, quia tunc non necessariae erunt. *Sive scientia destruetur.* Id est, imperfecta et dubia. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus:* Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. Hic physice loquitur. Nam praesens tempus aetati parvuli comparat, futurum vero tempus viro perfecto. *Videmus nunc per speculum.* Nostrae scilicet mentis, vel divinae Scripturae. *In aenigmate.* Id est, obscuritate. *Tunc autem* [Col. 0155A] *facie.* Nostrae mentis. *Ad faciem.* Dei. *Tunc autem cognoscam.* Deum, et quae sunt Dei. In tantum cognosco, quantum potest de Deo mens humana cognoscere: nullus enim Deum, sicut est, scire potest. Item, tunc cognoscam, hoc est, sicut me perfecte Dominus novit. Ita tunc ego, in quantum creatura potest intellectualis, quae sunt divina cognoscam. *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum Non ait, In tantum cognoscam, quantum a Deo cognitus sum, sed, sicut et cognitus sum:* et sicut non aequalitas, sed similitudo ostenditur. *Tria haec.* In praesentia *tria haec, in futuro sola charitas permanebit. Majus est.* Ergo quod semper erit, quam quod aliquando cessabit.

CAPUT XIV.

[Col. 0155B]

Aemulemini spiritualia. Id est, spiritualia dona vos quaerere non prohibeo, id est, etiam loqui linguis. *Sed magis ut prophetetis exhortor.* Id est, praedicetis. Ideo autem praedicatio prophetia dicitur; sicut enim prophetia in tribus temporibus continetur, ita et praedicatio in praesenti corrigit, et praeteritas passiones sanctorum in memoriam revocat, et de poenis praemiisque futuris terret ac solatur. *Qui enim loquitur lingua.* Id est, ignota qualibet lingua. *Non hominibus loquitur.* Dum non intelligunt, quia barbara est. *Sed Deo.* Qui intelligit, sive dum per hoc ipse magnificatur. *Nemo enim audit.* Id est, intelligit. *Spiritu enim loquitur mysteria.* Spirituali dono praeditus, vel suo spiritu loquitur. *Loquitur aedificationem, exhortationem, consolationem.* [Col. 0155C] Exposuit quot modis intelligenda sit prophetia. Quicunque ergo haec habet, propheta dicendus est. *Aedificationem.* Suadendo fidem. *Exhortationem.* Exempla sanctorum Patrum proponendo. *Consolationem.* Praemia coelestis regni promittendo. *Seipsum aedificat.* Dum solus ipse intelligit vel glorificatur. *Ecclesiam aedificat.* Dum multis proficit. *Nisi interpretetur.* Ex ignota lingua in aliquam notam. *Major est enim qui prophetat quam qui loquitur.* Lingua. Sicut profectu sic et merito major est. *Nunc autem fratres si venero ad vos lingua loquens.* Suo exemplo hortatur eos, illud non pro magno quaerere quod non prodest Ecclesiae. Quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in [Col. 0155D] scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? In revelatione. In allegorico sensu, cum aliquid ex futuris revelatur, sicut ipse Paulus dicit: *Patres nostri sub nube fuerunt, quod significat baptismi sacramentum. Aut in scientia.* Id est, tropologico vel morali sensu, ut *omnis vir orans vel prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Aut in prophetia. Id est, anagogico sensu, ut est illud: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ubi futuram corporum resurrectionem prophetat. Aut in doctrina.* Id est, in historia secundum litteram, ut est, *In hoc enim vixit Christus, et mortuus est, et resurrexit, ut viventium et mortuorum dominetur, ubi nuda historia docetur. Eritis enim in aera loquentes.* Hoc est, si etiam tam multa loquamini, ut genera sunt linguarum, [Col. 0156A] quid proderit? cum omnia in aera solvantur, et nulli proficiant, et nihil eorum sine voce est: proprium est enim uniuscujusque linguae habere vocem. *Ero cui loquar barbarus.* Omnis enim sermo qui non intelligitur barbarus judicatur. *Et ideo qui loquitur lingua.* Id est, ignota. *Oret ut interpretetur.* Oratio hoc loco oris elocutio intelligitur. Sic ergo loquatur, ut grammatica verba quae dicturus sit intelligantur, vel oret ut illi interpretandi gratia donetur. *Nam si orem lingua.* Mihi ignota. Nunc divertit sermonem ad seipsum: *Si enim sine fructu est.* Mens in ipso homine, si absente mente et intellectu spiritus oret, quanto magis quae ignorantur ab auditoribus dici non prodest? *Mens autem mea sine fructu est.* Dum non intelligo quod loquor: est autem [Col. 0156B] spiritus vis quaedam animae mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. *Orabo spiritu.* Oratio hoc loco oris narratio intelligitur. Ergo orabo spiritu, hoc est, ignota lingua in spiritu meo expressa eloquar. *Orabo et mente.* Id est, intellectu mentis meae aliis praedicabo: qui enim interpretatur, necesse est ut ipse prius intelligat quod aliis dicturus est. Non ergo sufficit ut quis solo spiritu aliena lingua loquatur, nisi mens et intellectus accesserit, quatenus ipse cognoscat quid loquatur, aut aliis interpretando patefaciat. *Caeterum si bene dixeris spiritu.* Id est, sine interpretatione, quatenus aliis clarescat quod loqueris. *Quis supplet locum idiotae? Quod ipse diceret idiotae, id est, nuper baptizati, et qui nullam*

praeter propriam intelligit linguam, [Col. 0156C] quod proprium est auditoribus. *Quomodo dicet Amen.* Hoc est, quomodo tuae benedictioni perhibebit testimonium, vel consensum, cum ignoret ipsius linguae qualitatem? *Nam tu quidem bene gratias agis.* Quod superius dixerat, *si benedixeris spiritu, hoc ipsum exponit:* nam benedicere spiritu, est gratias agere, licet ignota idiotis lingua. *Gratias ago Deo, quod omnium vestrum linguis loquor.* Hoc ideo dicit, ne putarent quod ipse linguas ignoraret, et propterea linguas condemnaret. *Sed in Ecclesia volo sensu meo quinque verba loqui.* Mavult pauca verba lucida sensu recto loqui, quam innumerabilia obscura et incognita, quae auditores non aedificant: quia meliora sunt pauca verba quae [Col. 0156D] prosunt, quam multa quae non prosunt. *Nolite pueri effici sensibus.* Ac si diceret: Puerilis est variarum linguarum cupiditas, in qua sola delectatio est, non utilitas, nisi accedat interpretatio. Aut *nolite pueri effici sensibus, sed scire debetis quare datae sunt linguae. In lege scriptum* (lsai. XXVIII). Legem vocat prophetiam Isaiae. *Quoniam in aliis linguis.* Ideo hoc dicit ut ostendat quod in isto tempore linguis aliis non indigetur, dum multi fideles sunt, et unaquaeque lingua doctorem habet ex se. Nam linguae in principio ideo datae sunt, ut infideles crederent ipsarum admiratione, atque sua lingua docerentur. Unde sequitur: *Itaque linguae in signum sunt non fidelibus.* Hic ergo ostenditur crescente fide signa cessare, quando infidelium causa danda esse [Col. 0157A] praedicantur. *Prophetiae.* Id est praedicationes. *Non infidelibus.* Qui adhuc non recipiunt. *Sed fidelibus.* Dum recipiunt et credunt. *Nonne dicent quod insanitis? Sicut Judaei Apostolis dixerunt: Nonne musto repleti sunt isti* **(Act. II)**? *Occulta cordis ejus.* Quoniam ejus conscientia per doctrinam pulsatur. *Manifesta fiunt.* Sibi ipsi in sua conscientia, aut aliis pure confitendo. *Quid ergo est, fratres.* Id est, quid ergo faciendum, vel quid diffinimus esse tenendum? *Psalmum habet.* Id est, intellectum psalmi, vel nihil habet nisi cantare psalmum. *Doctrinam habet.* Historica gesta narrans, vel sermone quotidiano mores corrigit. *Apocalypsin habet.* Revelationem mysteriorum, aut si aliqua visio illi reveletur. *Interpretationem habet.* Ea quae obscura sunt dilucidans. *Linguam* [Col. 0157B] *habet.* Id est, variis loquens linguis. *Et unus interpretetur.* Unus quilibet ex ipsis tribus. *Sibi autem loquatur.* Id est, in sua conscientia. *Et Deo.* Qui scit. *Quod si alii revelatum fuerit.* Si sentit sedens plus quam ille qui praedicat. *Ut omnes discant.* Tacendo *Et omnes exhortentur.* Praedicando. *Et spiritus prophetarum prophetis subjectus est.* Quia spiritualis gratia, qui suis [quae fuit] in prophetis, subjecta est nobis apostolis, et apostolicis viris, ac praedicatoribus. Sive, spiritus humilitatis et charitatis, qui est in prophetis, id est, praedicatoribus, debet subjectus esse aliis prophetis, id est, praedicatoribus, et idcirco alterutrum sibi invicem cedant: ut uno loquente prior taceat, quia Deus qui in ipsis est, non est dissensionis, sed pacis. Itaque per haec omnia hortatur eos [Col. 0157C] ad concordiam, ne magnitudine donorum et sapientiae nascantur discordiae. *An a vobis Verbum Dei processit? Nunquid a vobis doctrina Christi initium sumpsit? Aut in solos vos devenit? Id est, ut neminem vos sinatis praedicare? Propheta.* Id est, praedicator. *Aut spiritualis.* Id est, linguis loquens. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Ex hoc probatis verum esse prophetam, si ista cognoverit. Si quis autem ignorat haec, ignorabitur, et a nobis et a Deo, licente eis qui se in ejus nomine prophetasse dicent: *Nescio vos* **(Matth. V)**. *Omnia vestra honeste.* Nihil perverso ordine, aut per contentionem, aut inanem gloriam faciatis. *Mulieres taceant.* Supra dixit. *Prophetae duo aut tres dijudicent:* scilicet ne putarentur feminae in hoc concludi, ideo subjungit et [Col. 0157D] dicit: *mulieres taceant.* Sicut et lex

dicit ut in Genesi: *Sub viri potestate eris, et erit reversio tua ad virum tuum, et ipse tui dominabitur* **(Gen. III)**. Turpe est enim mulieres in ecclesia loqui. Alibi autem concedit eas docere suam prudentiam et castitatem, sed hoc privatim.

CAPUT XV.

Notum autem vobis facio. Nunc de resurrectione incipit disserere, quam quidam Corinthiorum negabant. *Quod et accepi.* Per revelationem. *Secundum Scripturas.* Prophetias, ut: *Traditus est propter iniquitates nostras* **(Isai. XI)**. *Et quia sepultus.* Ut est illud, *Et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Et quia surrexit tertia die. Sicut in Osee: *Vivificabit nos in* [Col. 0158A] *biduo, die tertia resurgens* **(Ose. XVI)**. *Plus quingentis fratribus.* Hoc quidem factum esse credimus, licet in Evangelio non sit scriptum. *Deinde Jacobo.* Alphaei filio, qui se testatus est a coena Domini non comesurum panem, usquequo videret Christum resurgentem: sicut in Evangelio secundum Hebraeos legitur. *Tanquam abortivo.* Id est, de cujus vita desperabatur. *Visus est et mihi.* In via, vel in templo Hierusalem. Hoc ideo dicit, ne putarent eum audita potius quam visa narrare. *Vacua non fuit.* Id est, sine fructu et multorum utilitate, sicut in illo qui abscondit talentum in terra. *Sed plus illis omnibus laboravi.* Hoc est, quod neque cessaverit ab Evangelio praedicando, neque tamen ab Evangelio vitam suam sustentaverit. *Obtinui.* Id est, apostolatum. *Sicut* [Col. 0158B] *praedicavimus.* Id est, quod Christus resurrexit, et omnes per illum resurgent. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Alterum ab altero pendet: aut utrumque negare, aut utrumque confiteri necesse est. Si vero caput resurrexit, quomodo membra non resurgent? *Neque Christus resurrexit.* Cum ipse mortuus est secundum carnem. *Adhuc enim estis in peccatis vestris.* Quia non justos vos efficit resurrectio Christi, de qua Paulus dicit: *Resurrexit propter justificationom nostram* **(Rom. IV)**. Item estis enim adhuc in peccatis vestris, quia si mentitus est post triduum resurrecturum, mentitus est se etiam peccata dimittere, quod absit. *Et qui dormierunt in Christo.* Id est, qui in Christo mortui sunt: sine causa enim hanc vitam perdiderunt, [Col. 0158C] si vitam aeternam non habebunt. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Si in hac vita tantum sperantes sumus, nulla praemia sperantes vitae futurae. *Nunc autem Christus resurrexit, a mortuis.* Id est, quod nullus Christianus dubitat. *Primitiae dormientium.* Quia prius in incorruptione surrexit; si ergo caput resurrexit, necesse est etiam ut et membra caetera subsequantur. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur.* Quia sicut ille morientium forma est, ita et iste resurgentium. *In suo ordine.* In suo scilicet honore, vel ordine, tempore servato, quia primitiae Christus. *Deinde hi qui sunt Christi.* In quo tacetur de resurrectione mortuorum iniquorum, quia non ad gloriosam vitam resurgent. *Deinde finis.* Mundi ac mundanae conversationis. *Cum tradiderit.* Cum quasi [Col. 0158D] laborem et opus suum. *Regnum.* Id est, Ecclesiae Deo assignaverit, et in illius contemplationem perduxerit. *Deo Patri.* Deo Christo secundum humanitatem, et Patri secundum deitatem. Traditio regni nostra est perfectio, cum etiam ex integro filii esse meruerimus, ut Joannes: *Videbimus,* inquit, *eum* **(Joan. V)**. Regnum Dei naturaliter quidem per omnia est, sed tunc proprie regnare dicitur, cum illi homines fuerint voluntate subjecti, sicut regnum diabolicum, cum illi se homines sponte subjecerint. *Cum evacuerit omnem principatum.* Nam evacuatis peccatis, evacuabuntur a nobis

omnes contrariae potestates. *Omnem principatum.* Id est, ab eo qui nobis sequentibus principatur. *Et potestatem.* Qua [Col. 0159A] nos eorum dominatui subjecti sumus. *Et virtutem.* Qua nos vicerunt: virtus enim eorum nostra peccata sunt. *Oportet enim illum regnare.* Istud de homine dictum non negamus, de eo qui passus est crucem, qui postea sedere jubetur a dextris. Quid sibi vult hoc quod ait: *Oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus? Nunquid tam diu regnaturus est Dominus, donec incipiant inimici sub pedibus ejus esse, et postquam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet? cum utique tunc magis regnare incipiat. Donec ponat omnes inimicos sub pedibus.* Id est, aut voluntate, aut necessitate subjectos. *Sub pedibus ejus.* Aut sub Christi humanitate, aut sub apostolis, quibus mundum peragravit. *Destruetur mors.* Id est, diabolus, qui auctor est mortis, [Col. 0159B] sive mors corporis destruetur sorbente immortalitate: potest hic excludi haereticus, ne ipsum patrem subjiciendum Christo dici putaret. *Tunc et ipse subjectus erit illi, qui subjecit sibi omnia.* Hoc dicit pro parte humanitatis, vel pro membris Ecclesiae. Aliter, subjectio non semper ad diminutionem honoris pertinet, sed etiam ad charitatis officium, maxime cum et spiritus prophetarum prophetis dicatur esse subjectus, ut non sit Deus dissensionis, sed pacis, cum et ipse Dominus Joseph et Mariae scribatur fuisse subjectus. *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Salus, vita, victus, et copia, gloria, et honor, et pax, et omnia bona. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, id est,* ut jam quasi [Col. 0159C] commortui cum illo simus, quid ergo prodest nobis mundo mori, si hunc contemptum voluptatum vita non sequitur aeterna? Aliter, *pro mortuis, id est, operibus quae generant mortem. Ut quid periclitemur? Si nihil esset in futuro, nonne eramus stultiut tantas tribulationes pro aliis pateremur? Quotidie morior pro vestra gloria*

@ [Col. 0159D] Sedulium legisse *per vestram gloriam patet ex commentario.*. Id est, causa vestrae gloriae: semper enim sum paratus, et quotidie me exspecto pro vestra gloria moriturum. *Per non semper significatio juramenti est:* nam si dicam, Per puerum misi, non statim per puerum jurasse putabor. *Quam habeo in Christo.* Bonus enim doctor particeps est gloriae discipulorum. *Si secundum hominem.* Hoc est, si nihil remunerationis a Deo pro hoc certamine spero. *Quare pugnavi Ephesi contra bestias? Id* [Col. 0159D] est, haereticos, et saevos homines. An ut hominibus placerem? *Manducemus.* Increpat exemplo prophetae Isa. XXII), gulae deditos desperatione futurorum. *Nolite seduci.* Id est, ab his qui talia dicunt. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Hieronymus in expositione Epistolae ad Titum dicit: Ad Corinthios quoque de Menandri

@ [Col. 0160D] Menandri Arati in Phoenomenis. comoedia versum sumpsit iambicum: *Corrumpunt mores bonos.* Mos est apostolis de mundana sapientia accipere testimonia, et si non ad auctoritatem, tamen aedificationem, ut illud Virgilii in Actibus apostolorum: *Ipsius enim genus sumus.* Sobrii estote. Non seducat vos ignorantia resurrectionem [Col. 0160A] negantium. *Ignorantiam Dei.* Id est, putantes Deum non posse suscitare. *Sed dicet aliquis.* Ipse sibi ex contradicentium persona proponit. *Quomodo resurgent mortui? Id est, dum corpora in pulverem redeunt. Quali autem corpore redeunt? Hoc est, utrum ut sepeliantur, sic resurgunt? verbi gratia:* Si caecus et leprosus sepelitur, utrum idem caecus et leprosus resurget? Atque his duabus interrogationibus statim respondet, dicens. *Insipiens tu.* Quia non attendis quid quotidie coram tuis oculis geritur. *Quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur, et quod*

seminas? non corpus. Ad illud respondet quod praemisit: quali autem corpore veniunt? *Non corpus quod futurum est.* Ac si diceret, Non spicam seminas in terram, sed granum et sicut cum grano secundior [Col. 0160B] cum granis resurget arista, ita et incorruptibile corpus in gloriae resurget augmento. *Deus autem dat illi corpus.* Id est, ab initio disposuit ut omnia semina cum putruerint, in amplius reformentur. *Proprium corpus.* Non alienum, sed secundum genus suum proprium: ut pote triticum de tritico, hordeum ex hordeo, sic homines sua propria corpora recipient, non aliena. *Non omnis caro eadem caro.* Tota comparationis hujus diversitas ad hoc valet, ut credas unum genus facile reparare posse, qui tanta fecit ex nihilo, sive tantam meritorum ostendit esse distantiam justorum a peccatoribus, quantum distant coelestia a terrestribus: et ipsorum inter se justorum in tantum distare fulgorem ostendit quantum differunt luminaria a luminaribus. *Corpora coelestia.* [Col. 0160C] Ut sol et luna, ita et resurrectio mortuorum, non omnium, sed tantummodo sanctorum. *Seminatur in contumelia.* Quid tam ignobile, ut cadaver? *Seminatur in infirmitate.* Id est, doloris et mortis. *Surget in virtute.* Sanitatis et immortalitatis. *Seminatur corpus animale.* In corporibus resurgentium tanta felicitas erit, propter quod et spiritualia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus anima non est, ita tunc corpus spirituale erit, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quae non aggravat animam et vitam, quibus caro adversus spiritum concupiscit, tunc non erit caro, sed corpus, [Col. 0160D] quia coelestia corpora perhibentur, propter quod dictum est: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et tanquam exponens quid dixerit, neque corruptio incorruptionem possidebit, et quod prius regnum Dei, hoc posterius incorruptionem; quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Idem in libro de generibus visionum: Corpus quod futurum est in resurrectione mortuorum, spirituale appellat Apostolus, ubi ait: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, eo quod miris modis ad omnem felicitatem et incorruptionem spiritui subdatur, et sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivificetur spiritu:* non quod incorpoream [Col. 0161A] substantiam sit habiturum, neque enim et hoc corpus quod nunc habemus animae habet substantiam. *Sicut scriptum est.* Id est, in Genesi **(Cap. I)**. *Et factus est homo in animam viventem.* In spiritum vivificantem. *Norissimus Adam in spiritum vivificantem.* Non prius, sed quod spirituale est: sicut prior est terrenus Adam, et posterior coelestis, ita prius animale, posterius spirituale corpus accipimus. *De coelo coelestis.* Non quod corpus de coelo attulerit, sed quod conceptus sit de Spiritu sancto. *Sicut portavimus imaginem terreni.* Peccator imaginem Adae, portat justus vero imaginem Christi. Ergo sicut portavimus veterem hominem ante baptismum, ita et post baptismum portemus novum. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Id est, vitia et opera [Col. 0161B] carnalia, quae postea nomine corruptionis appellat: frequenter enim Scriptura carnem pro operibus carnis nominat, ut alibi: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Sed non omnes immutabimur. In gloriam et vitam aeternam: quia de morte in mortem transire non est immutatio: nam gehennalis poena mors secunda est, ideo peccatoribus immutatio non deputatur. *Et in ictu oculi.* Per ictum oculi nimiam brevitatem vult significare momenti, ut quanta sit potentia ex resurrectione cognoscas. *In novissima tuba.* Id est, voce archangelica, ut *Media nocte clamor factus est* **(Matth. XXV)**. *Et mortui resurgent incorrupti.* Id est, quia mortem carnis ultra non habebunt, aut cum integritate membrorum suorum resurgent. *Oportet enim.* Id est, necesse est [Col. 0161C]

fieri, quod Deus promisit. *Absorpta est mors.* Hoc in Osee prophetia scriptum est. *Ubi est mors.* Jam vivemus, jam non moriemur in illo qui pro nobis mortuus est et resurrexit. *Aculeus autem mortis peccatum.* Stimulus vel sagitta mortis peccatum est, per quod animae jugulantur. *Virtus vero peccati lex.* Dum fortius et violentius fit peccatum per scientiam [Col. 0162A] commissum. *Victoriam.* Vel peccati contra legem commissi, vel illam qua mors absorbebitur in victoria. *Stabiles.* Id est, in fide resurrectionis permanentes. *Abundantes in opere Domini.* Id est, ne sit fides vestra mortua. *Non est inanis.* Propter spem resurrectionis.

CAPUT XVI.

Nam de collectis, quae fiunt in sanctos. Nunc incipit de sumptibus qui, per singulas ecclesias collecti, in Hierosolymam sanctis pauperibus mittebantur. *Per unam sabbati.* Una sabbati, Dominica dies est, ut Dominica die semper paulatim congregarentur per tempus, ne plus gravarentur: ideo autem in Dominico hoc permissum est, quia non opus est servile eleemosynam congregare. *Gratiam.* [Col. 0162B] Eleemosynam, quia gratis datur. *Quod si dignum fuerit.* Ut eos ad largiorem provocaret collationem, infert: *Quod si dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt.* Id est, si talis fuerit oblatio vestra, quae mea quoque mereatur prosecutione deferri. *Ostium enim mihi, etc.* Hoc est, aditus praedicandi, fideique ipsorum. *Per Epistolas hos mitto.* Ad commendandos eos in Hierusalem. *Cum fratribus.* Id est, mecum exspectantibus, sive commeantibus. *Vigilate.* Oculis scilicet mentis, ad astutias diaboli praecavendas. *Subjecti sitis ejusmodi.* Id est, ut consilium eorum vos regat. *Laboranti.* In ministerio praedicationis. *Quod vobis deerat.* Id est, quod mihi a vobis deerat de necessariis, ipsi suppleverunt. *Maranatha.* Syrum [Col. 0162C] est, et interpretatur, Deus noster venit, quasi ergo aperte Apostolus diceret: Qui non amat Dominum, sit perditio, id est, pereat in adventu Domini. *Charitas mea.* Id est, ut quomodo ego vos diligo, ita et vos invicem diligatis. *In Christo Jesu.* Id est, non secundum saeculi charitatem. *Amen.* Confirmatio benedictionis.

III. IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS.

[Col. 0162D]

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Non hominum voluntate. Simul et ostendit, non sine Patris voluntate se missum a Christo, ut: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Ecclesiae Dei. Signanter dixit *Dei, quia est Ecclesia quae non est Dei, id est, haereticorum et malignantium. Pater misericordiarum.* Id est, a quo est omnis misericordia. Multas dicit autem misericordias, quia multae sunt humanae miseriae. Sed requirendum quare de misericordia et consolatione in primis dicit, quia de misericordia et consolatione eorum hanc Epistolam scripsit. *Totius consolationis.*

Perfectae consolationis: nam homo ex parte consolatur. *Ut possimus et ipsi.* Propterea consolamur et liberamur, ut et nos alios [Col. 0162D] consolari et de tristitia liberare possimus. Aut ita formam dat nobis alios consolandi. *Per exhortationem.* Qua ipsi a Domino consolamur: agnoscimus quod Deus timentium se neminem derelinquat, et multo magis in futuro remuneret, quando nos in praesenti etiam non deserit. *Abundat etiam consolatio nostra.* Ut: *Dominus mortificat et vivificat.* Ut Petrus de carcere liberatus, ut ipse Paulus in visione Domini voce confirmatus in templo. *Pro vestra exhortatione.* Quia vos ad salutem hortamur: sive ut nobis exemplum tolerantiae praebeamus. *Sive exhortamur.* Ideo liberamur, ut ipsa re confirmemini non pertimescere tribulationes, sive ut vos hortemur patienter ferre illa, quae et praesentem consolationem obtinent et futuram. *Non enim volumus ignorare vos.* Suas [Col. 0163A] passiones narrat, ut illi se ad illarum comparationem parva pati cognoscant. *Onerati sumus.* Ipso pondere passionum. *Supra vires.* Nisi Dominus adjuvasset. *Ut taederet nos etiam vivere.* Id est, ut mori omni desiderio cuperemus. *Responsum mortis habuimus, etc.* Id est, ipsa mors docuit nos omne humanum auxilium defecisse, et ab illo sperandum esse remedium cui etiam suscitare possibilie est. Aliter, mortem quasi ante oculos habere se dicit, denique eripi de ipsa pressura, resuscitatum se asserit: aut certe minantibus eis mortem, responsum mortis habuerunt. *Et adhuc eripiet.* Scit se multa passurum, qui sperat se etiam liberandum. *Adjuvantibus etiam vobis per orationem.* Multum valet oratio Ecclesiae, quae etiam Petrum de carcere liberavit. *Ut ex multarum personis facierum,* [Col. 0163B] *ejus quod in nobis est donationis per multos pro nobis gratiae referantur.* Hoc dicit sensus; ut ex multorum conventu pro eo quod vobis donamur, Domino gratiae referantur. Aliter *per multos, qui sunt ejus donationis et gratiae participes, quae in nobis est. Nam gloria nostra haec est.* Ideo in ipsis passionibus gloriamur, quia conscientia nostra minime nos reprehendit, quod nec temporalis gloriae, vel lucri causa docere videamur. *In simplicitate.* Non aliud ore dicentes, et aliud corde retinentes. *Abundantius autem ad vos.* Id est, dum necessaria ab aliis accipimus, a vobis autem nihil. *Non enim alia scripsimus.* In hoc apparet quia non in carnali sapientia, sed in simplicitate et sinceritate et gratia Dei praedicavi vobis, dum non aliud legistis in Scriptura sacra; qui enim [Col. 0163C] habet carnalem sapientiam commutat quod verum est, causa placendi hominibus et cupiditatis. *Ex parte.* Quod quaedam pars ex vobis intelligit nostram doctrinam et simplicitatem, sive quod etiam nunc multi vestrum integre et perfecte non sapiunt, sed ex parte. *Gloria vestra sumus.* Sic gloriantur discipuli de bono magistro, quomodo et magister in bonis discipulis gloriatur. Unde Salomon dicit: *Gloria senum filii filiorum, et gloria filiorum patres eorum.* In die Domini. Quando et veri magistri et boni discipuli probabuntur. *Et hac confidentia.* Quia gloria vestra sumus. *Ut secundam gratiam haberetis.* Quia priorem in priore meo habuistis adventu, sive ut secundam gratiam praesentiae meae post litteras habeatis, aut gratiae poenitentiam post baptismum. [Col. 0163D] *Nunquid levitate usus sum? Quia promissum non impleverat, ne levitatis putaretur excusat. Aut quae cogito secundum carnem cogito? Secundum carnalem scilicet voluntatem:* carnale est enim nulla majore causa existente, non facere quod promittitur, sicut multi carnales homines facere solent. *Ut sit apud me est et non.* Quia qui secundum carnem cogitat, fit apud illum *est et non, id est, verum et mendacium.* Carnalis enim cum aliquid proponit, si ei aliud aliquid supervenerit quod magis commodis earnis proderit, suo proposito non constringitur: non sic qui spiritualiter cogitat. *Est* autem *et non dicitur, quando quod*

spondendo promittitur, non implendo denegatur. Dei enim Filius. Ac si diceret: [Col. 0164A] ab illo discimus ut non mentiamur; sicut enim ille non mentitur, sic nos membra ejus. *Non fuit in illo est et non.* Si in Christo non fuit *est et non, quare cum promisisset se ire ad centurionis puerum, non perrexit? sed adfuit spirituali gratia, qui non adfuit corporali praesentia:* quod etiam de Paulo similiter dicere possumus. *Sed est in illo fuit.* Hoc est, incommutabilis veritas. Sicut illud Moysi: *qui est, misit me.* Ille enim vere est, qui semper idem est. *Quotquot enim promissiones. . . . .* in illo est. Quia per illum impletae sunt. *Ideo et per illum.* Christum: nam per ipsum incarnatum omnes figurationes legis, et promissiones Dei verae sunt et impletae. *Amen.* Verum, vel est *amen, id est, veritatis impletio. Ad gloriam.* Per nos. Omnis veritas [Col. 0164B] promissionis Patris in Christo est, quae per nos ad Dei gloriam praedicatur. *Qui confirmat nos.* Ac si diceret: Non possumus ire ad vos et praedicare vobis, nisi quando Dominus voluerit. Et ideo non levitate usus sum non veniendo ad vos. *Et qui unxit.* Spiritu sancto. *Et qui signavit.* Signo crucis in fronte: illud autem signatur, quod aliquid intrinsecus continet pretiosum; unde subjungit: *Et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ego autem testem Deum invoco. Reddit causam non impleti promissi, hoc est, non suae levitati, sed illorum infirmitati asserit deputandum. *Parcens vobis.* Ne in vobis acrius vindicarem. *Non veni ultra.* A Macedonia, in qua scripsit hanc Epistolam. Et sic disponendo, *non veni Corinthum ultra.* Ergo ire distulit, ut tunc iret [Col. 0164C] quando emendatiores essent. *Nam fide statis.* Ideo non dominamur vestrae fidei, sed adjutores tantum sumus.

CAPUT II.

Si enim ego contristo vos. Duriter increpando vos. Sed propterea hoc facio, ut possim gaudere de vobis. *Et quis est qui me laetificet? Nullus est, nisi quos contristo:* et tunc me laetum facietis, si emendaveritis ea pro quibus contristo vos. *Nisi qui contristatur ex me? Si enim contristatur, intelligit se peccasse;* sic aeger qui dolorem sentit potest percipere sanitatem, et ad medici laetitiam pertinere. *Tristitiam.* Non emendandi vos. *Super tristitiam.* Meae pressurae in Asia. *Confidens.* Confido quod me taliter diligitis, ut meum gaudium vestrum esse ducatis. *Per multas lacrymas.* Flens vestra peccata. *Si quis* [Col. 0164D] *contristavit.* Filius, qui thorum patris polluit. *Nonne contristavit.* In quantum ipse tristis poenituit. *Sed ex parte.* Ex ea sola parte qua sibi nocuit, non ea qua tristificus poenituit. *Ut non onerem omnes.* Ideo scribo vobis cum recipi, ut non oneremini, et multum contristemini, si per durissimam increpationem de salute sua desperavit. *Sufficit.* Cum poenituit. *Ne forte abundantiore tristitia.* Hoc est, ne forte per dispensationem indulgentiae. *Absorbeatur.* Gurgite vitiorum, et a diabolo persuasus, ad infidelitatis et blasphemiae majora praecipitia deducatur. *Ad hoc enim scripsi.* Hanc secundam Epistolam. *Ut cognoscam experimentum.* Id est, ut videam si quomodo Deo obedistis in vindicando, ita obediatis indulgendo. *Propter* [Col. 0165A] *vos.* Id est, ne vos gravemini vel contristemini. *In persona Christi.* Quia vice fungimur Christi, vel in persona Christi, qui dixit: *Quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in coelis.* Ut cum circumveniamur a Satana. Per nimiam increpationem, ut peccatores desperent. *Nec enim versutiae ejus ignorantur.* Astutia diaboli est ut sub specie justitiae fallat incautos, id est, vertendo bonum in malum, hoc est, poenitentiam

in desperationem. *Cum autem venissem Troadem.* Modo illis vult probare, quanto amplius eos diligat, quorum causa tantum sollicitus est, ut cum illi omnia prospera sint, nullam requiem habuerit, quia Titum quem ad eos visendos miserat, non invenit, timens scilicet quod eos minime correxisset, quia nondum ei quidquam renuntiaverat Titus. [Col. 0165B] *Ostium.* Opportunitas praedicandae fidei, quia Deus corda eorum aperuit. *Eo quod non invenerim Titum.* Id est, quod non redisset ad me, quatenus me de vobis faceret certiorem. *Sed valedicens eis.* Quamvis habuerim occasionem praedicandi in Macedonia, per quam a vobis Titus erat utique rediturus: vicinior est enim Macedonia Achaiae quam Troadi. Denique dum ibi esset, Titum postea advenisse dicit. *Triumphat nos.* Hoc est, triumphare nos facit de tribulationibus per Christum, sive in nobis ipse triumphat, quod alii credunt in virtute Christi. *Et odorem notitiae suae.* Sicut sentitur antequam videatur illud, cujus odor est, sic odor notitiae Dei antequam Deus ipse videatur, per praedicationem apostolorum sentitur, ut est illud: *In odorem unguentorum tuorum* [Col. 0165C] *currimus.* Odor autem dicitur, quia primo credentes aliquid tanquam per modicum odorem sentire volebant. *Odor bonus.* Bona fama est. Per Christianos vero qui male vivunt, nomen Domini blasphematur, super bonos laudatur. *Odor mortis.* Id est, animae, vel corporis. *In mortem.* Ut Petrus Ananiam et Saphiram multavit. *Odor vitae in vitam.* Id est, corporis et animae, sicut umbra Petri sanabat infirmos. Aliter: Amasti bene agentem, unxisti bono odore: invides et detrahis bene agenti, mortuus es bono odore. *Et ad haec quis idoneus? Id est, ad haec ministranda et facienda quis potest tam idoneus esse quam nos qui ad hoc sumus electi? Adulterantes verbum Dei.* Pseudoapostolos tangit, humanum sensum divinae praedicationi miscentes, ut est: *Caupones* [Col. 0165D] *tui miscent aquam vino.* Sicut ex Deo. Hoc est, ex Deo processit doctrina quam scimus, ipso praesente, in persona loqui Christi, id est, sicut ipse praedicavit?

CAPUT III.

Incipimus iterum nos ipsos commendare? Non ut commendemus nos vobis, ista docendo laudare nos volumus, sed haec ne ab aliis seducamini cogimur memorare. Commendatitiis epistolis. Quos non commendat gratia virtutum, illos digne commendant epistolae amicorum. *Epistola nostra vos estis.* Ut alibi: *nam signaculum apostolatus mei vos estis* **(I Cor. IX)**. *Inscripta cordibus nostris.* Id est, in nostro amore conclusa, et in spiritu vinculo charitatis expressa. [Col. 0166A] *Epistola Christi.* Id est, imago Christi per nos informata, ut sicut portavimus imaginem terreni, ita et portemus imaginem coelestis. *Ministrata a nobis.* Per praedicationem. *Non atramento.* Sicut commendatitiae epistolae. *Sed in tabulis cordis.* Ut: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* **(Ezech. XI)**. *Fiduciam autem talem.* Hoc est, quia quia novimus vos per nos credidisse, vel quia nos non humana epistola, sed gratia Dei commendat. *Sed sufficientia nostra.* Id est, doctrina, quae nobis a Deo donata est. *Novi Testamenti.* Evangelii. *Non litterae.* Id est, legis. *Sed spiritus.* Id est, gratiae ministrantes? *Littera enim occidit.* Quomodo ergo alibi dicit legem esse spiritualem? Sed spiritualibus spiritualis est. Caeterum peccatores occidit, ut, quicunque [Col. 0166B] hoc vel illud commiserit, morte moriatur: gratia vero impium convertentem justificat. *Quod si ministratio mortis.* Lex quae mortificat peccatores. Caeterum ipse eam et sanctam,

et justam, et bonam alibi appellat. *Ita ut non possent filii Israel.* Significat quia postea futurum Christum videre non potuissent. *Quae evacuatur.* Quia gloria legis per gloriam Evangelii evacuatur, sed ita evacuatur, ut perficiat sicut infantiam ipse dixit evacuari in viri perfecti aetatem, semen quippe evacuatur in fructum. *Ministratio spiritus.* Id est, praedicatio spiritualis legis. *In gloriam nostram.* Scilicet quandoque futuram, quae, ut perfecta, non poterit evacuari. *Si enim ex ministerio damnationis.* Exposuit quod superius dixerat, litteram occidere, ministrationem esse mortis, [Col. 0166C] scilicet damnando peccatores. *Ministerium justitiae.* Quod ministrat justitiam dimittendo peccata. *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte.* In comparatione evangelicae gloriae umbratur gloria legis, sicut orto sole obtunditur lunae lumen, cum tamen suo tempore magnum habeat fulgorem. *Si enim quod evacuatur.* Hoc est, Vetus Testamentum. Evacuatur autem in neomeniis et sabbatis, et talibus observationibus. *Quod manet.* Id est, Novum Testamentum, quod est initium vitae aeternae. *Habentes igitur talem spem.* Futurae gloriae: quia spe salvi facti sumus. *Et non sicut Moyses.* Id est, non ita agimus: quia omnes jam Christiani vident gloriam Christi, sancto Spiritu revelante, licet ex parte, quia non est nunc velamen super faciem Christi. *Usque* [Col. 0166D] *in finem ejus.* Videlicet vitae ejus; ita et lex non intelligitur usque in finem, id est, usque dum Christus credatur. *Quod evacuatur.* Quod velamen nunc evacuatur in Christo. *Idipsum velamen.* Scilicet infidelitatis, cujus figuram ille gestabat in facie. *Quod non revelatur.* Dum non credunt in Christum. *Velamen.* Ignorantiae et infidelitatis. *Conversus fuerit.* Judaeus infidelis. *Dominus autem spiritus est.* Nihil ergo per obscurum velatum, sed sensus spiritualis apparet. *Ubi autem spiritus, ibi libertas.* Liber est spiritus, et idcirco non potest velamen accipere, cum magis omnia ipse revelet. Qui ergo spiritum Dei habet, omnia illi nuda sunt et aperta, quia spiritus omnia scrutatur. *Nos autem revelata facie Domini* [Col. 0167A] *gloriamur.* Videmus nunc, dixit, *per speculum in aenigmate.* Certum est, quod speculo nisi imago cernitar: hoc ergo facere conati sumus, ut per hanc imaginem, quod nos sumus, videremus utcunque a quo facti sumus. *Tanquam per speculum.* Hoc significat etiam illud quod ait Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini videmus.* Speculantes dixit speculum videntes, non de specula prospicientes, quod in Graeca lingua non est ambiguum, unde in Latinam translatae sunt apostolicae litterae. Quod vero ait, *in eamdem imaginem transformamur, utique imaginem vult intelligi eamdem, dicens istam ipsam scilicet quam speculamur, quia eadem imago est et gloria Dei.* Transformamur ergo de forma in formam, mutamur atque transimus de forma obscura [Col. 0167B] in formam lucidam, quia et ipsa imago Dei. *De gloria in gloriam.* De gloria creationis in gloriam justificationis, vel de gloria fidei in gloriam speciei. De gloria in qua filii sumus, in gloriam qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quod vero adjunxit. *Tanquam a Domini spiritu.* Ostendit gratum nobis conferri tam optabilis transformationis bonum.

CAPUT IV.

Non deficimus. In tribulationibus nostris. *Occulta dedecoris.* Id est, omnis peccati. *Non ambulantes in astutia.* Id est, non turpis lucri gratia praedicantes. *Adulterantes.* Hoc est falsa permiscentes. *Sed in manifestatione veritatis.* Ut ita manifestum sit apud homines

verum esse quod dicimus, ut etiam eorum [Col. 0167C] conscientia testimonium nobis perhibeat. *In quibus Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium.* Ordo est: In quibus Deus excaecavit sensus infidelium hujus saeculi. *Quid est imago Dei.* Hoc est, imago substantiae Dei expressa, sicut scriptum est ad Hebraeos. Sed haec imago aequalis est ipsi Patri. *Non enim nosmetipsos praedicamus.* Id est, laudamus. Qui enim propria commoda quaerit, non Christum, sed se praedicat. *Propter Jesum.* Hoc est, propter amorem Christi populum ejus conquirentes. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere.* Ut: *Fiat lux, et facta est lux* **(Gen. I)**. *Ad illuminationem scientiae claritatis Dei.* Id est, ut sciatis claritatem ejus. *In facie Jesu.* Hoc est vice Jesu: ut pro quo legatione fungimur. *Habemus autem thesaurum in vasis fictilibus.* Thesaurum [Col. 0167D] gratiae spiritualis in fragili corpore bajulamus, in quo etiam cum alios sanemus, ipsi aliquoties infirmamur; ut quod facimus non nostrae virtutis, sed Dei esse noscatur. *In vasis fictilibus.* Hoc est, in corporibus fragilibus. Hinc Isaias dicit: *Absconde hunc librum in vase fictili, id est, Evangelium. Sed non coangustamur.* Propter spem coelestium praemiorum. Aporia vulnus, angor, tristitia. *Non destituimur.* Id est, Dei auxilio non deserimur. *Humiliamur.* Coram regibus et judicibus. *Sed non confundimur.* Quia ipse loquitur per nos, ut: *Nolite putare quomodo, aut quid loquamini* **(Matth. X)**. *Manifestetur.* In resurrectione. *Mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes.* Quia parati sumus semper [Col. 0168A] mori pro illo, sicut ille pro nobis mortuus est. *Ut et vita Jesu Christi manifestetur in corporibus nostris.* Si enim commorimur ei, vita ei in corpore nostro manifestabitur in gloria resurrectionis.

Vita autem in vobis. Ideo morimur, hoc est, parati sumus ad mortem, dum evangelizamus ut vos vitam possideatis aeternam, et bene sit vobis. *Habentes eumdem spiritum.* Fidem incarnationis Christi, sicut patriarchae et prophetae priores, de quibus dicitur: *Sic enim persecuti sunt prophetas.* Credidi **(Psal. CXV)**. Ut: *Corde creditur ad justitiam* **(Rom. X)**. *Scientes quoniam qui suscitavit Jesum.* Firmiter tenentes hanc fidem, a qua nec morte divellimur.

Omnia enim patimur propter vos. Omnia enim ideo patimur, quia fideliter vestram salutem quaerimus [Col. 0168B] et optamus. *Ut gratia abundans.* Est sensus: Ut per multitudinem credentium propter abundantem gratiam, gratiarum actio abundet in gloria. *Propter quod.* Id est, propter vos, et propter gloriam Dei. *Exterior homo.* Id est, vivum corpus. *Interior homo.* Id est mens, ubi imago Dei reformatur. *Supra modum.* Tribulationis: nulla enim comparatio aeternis ad temporalia potest esse. *Aeternum pondus.* Quia illud leve dixerat, ideo hic pondus posuit, servans metaphoram staterae *Quae enim videntur, temporalia sunt.* Sive bona, sive mala sint, sive prospera, sive adversa. *Quae autem non videntur.* Praemia et poenae.

CAPUT V.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra [Col. 0168C] *hujus habitationis dissolvatur.* Domus nostra, inquit, terrenum corpus, in quo in hoc saeculo adhuc corruptibiliter habitamus. Si ante adventum Domini vel passionibus, vel conditione naturae fuerit dissolutum, coelestem incorruptionem ex Deo, corpore reviviscente,

sumemus. *Etenim in hoc.* Id est in corpore. *Ingemiscimus.* Id est, desiderio flemus. *Habitationem nostram.* Spirituale corpus. *Quae de coelo est.* Id est, quam in coelo habebimus. *Si tamen vestiti, non nudi, inveniemur.* Nam etsi volumus aeterna vita et immortalitate vestiri, tamen timemus hac vita nudari. Non enim volumus cum dolore, et morte istam amittere, etsi nos ab ipsa gravati ingemiscimus, sed *ut absorbeatur quod mortale est a vita aeterna sine mortis labore.* [Col. 0168D]

Eo quod nolumus exspoliari. Id est, corpore nostro. *Sed supervestiri.* Id est, in immortalitate superveniente, absque separatione sarcinae tunicaeque corporis nostri. *Ut absorbeatur mortalitas.* Hoc est, sicut a vitae sanitate infirmitas, ita immortalitate mortalitas absorbeatur. *Qui autem perfecit nos.* Ideo Deum dicit hoc facere, ne cui impossibile videretur. *Qui dedit nobis pignus spiritus.* Id est, ut credamus absorbendam esse mortalitatem. Vel ut sciamus, quia templum sui spiritus perire non patitur. *Peregrinamur a Domino.* Quia non sumus adhuc in haereditate paterna. *Audemus ergo.* Id est, prorsus hoc audenter eligimus. Sicut alibi ait: *Cuvio dissolvi et esse cum Christo* **(Philip. I)**. *Peregrinari* [Col. 0169A] *de corpore.* Bene ait peregrinari, quia ad id sumus iterum in resurrectione reversuri.

Ideo contendimus. Jam modo tales esse actu conamur, quales futuri sumus in regno, natura incorporales sine dubio et perfecti. *Absentes.* Id est, in praesenti vita. *Sive praesentes.* In futura beatitudine, ut: *Placebo Domino in regione vivorum* **(Rom. XIV)**. *Ante tribunal Christi.* Pro magnitudine potentiae sedentis magnitudo tribunalis et terror judicii aestimanda sunt. *Scientes ergo.* Scientes quantus metus sit divini judicii, hominibus suademus ut caveant. *Deo autem manifesti sumus.* Si non et nos formidamus, vel qua causa suademus. *Manifestatos esse.* Id est, probatos. *Gloriandi pro nobis.* Contra pseudoapostolos, qui eis primo per detractionem odium apostolorum [Col. 0169B] volebant inserere. *Ut habeatis vos.* Ut sciatis quid respondere debeatis contra pseudoapostolos. *Qui in faciem.* Qui in superficie tantum et in hypocrisi, non in pura conscientia, nec in virtute Dei sese jactant. *Sive ergo mente excedimus Deo.* Evangelium dicit: *Videbitis coelum apertum, et angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis.* Audi in uno loco ipsum apostolum ascendentem et descendentem in una sententia. *Sive* enim, inquit, *mente excedimus Deo, sive temperantes sumus vobis.* Quid est, *mente excedimus, ut illa videamus quae non licet et homini loqui?* Quid est, quod *temperantes sumus vobis? Nunquid judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum? Si ipse enim Dominus ascendit et descendit,* manifestum est [Col. 0169C] quod et praedicatores ipsius ascendunt in illuminatione, descendunt in praedicatione. Verbum *ecstasis Graece, Latine quantum datur intelligi,* verbo uno exponi potest, si dicatur *excessus.* In excessu vero mentis duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna. In hac ecstasi fuerunt omnes sancti, quibus arcana Domini mundum istum excellentia revelata sunt. Hoc ergo ait, *sive mente excedimus Deo, id est, ad meditationem Dei.* Ille enim videt quod videmus in mentis excessu; ille solus revelat secreta sua, quippe hoc ille loquitur, qui se dicit abreptum esse, et ablatum usque ad tertium coelum, et audisse ineffabilia verba, quae non licet hominibus loqui. Tantus autem fuit ille mentis excessus, *sive* [Col. 0169D] *in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit.* Charitas enim Christi urget nos. Ascendere mente ad coelum, et descendere

ad terram ad proximos. *Ut et qui vivunt.* Ei debemus vitam nostram, qui illam in omnibus sua morte servavit. Si quis ergo potius suam quam Dei voluntatem facit, sibi vivit, et non illi.

Qui mortuus est, et resurrexit. Propter calumniam semper morti resurrectionem adjungit. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem.* Id est, dum Christus pro nobis mortuus est secundum carnem, id est, carnaliter viventem, vel secundum observationes veteris legis in sabbatis et neomeniis, et reliquis. *Et sic cognovimus secundum carnem Christum.* [Col. 0170A] Quia eis pseudoapostoli exempla veterum proponebant, ait Christum carnaliter cum Judaeis circumcisum omnia celebrasse, sed nunc jam istam non novimus, quia post resurrectionem Christi Novum est Testamentum. Aliter: Etsi ante resurrectionem secundum carnalem fragilitatem et indigentiam Christus vixerat, tamen post gloriam illius resurrectionis, nihil imbecillitatis in eo est. *Nova creatura.* Id est, Ecclesia per sanguinem Christi renovata. Aut si quis credit in Christo, nova est creatura, per sacramentum baptismatis renovata. Ac sicut novitate vitae intelligens vetera suo tempore defuncta fuisse, ita modo novo more vivendum, vitam transire, peccatum videlicet Adae et vetus lex.

Omnia nova. Id est, evangelia, mandata et vita [Col. 0170B] nova in Christo secundum corpus et animam, et spiritum, et mentem. Gratias autem Deo, cum non a nobis sit hoc tam magnum beneficium. *Ministerium reconciliationis.* Id est opus, vel officium evangelizandi. *Quoniam Deus erat in Christo.* Tribus modis Deus erat in Christo. Primo, secundum infinitatem omnis creaturae, quod ubique est, ut: *Nonne ego impleo coelum et terram? Eo autem modo est Deus etiam in peccatoribus.* Secundo, juxta sanctificationem et peculiarem inhabitationem qua in sanctis est, ut est illud: *Inhabitabo in eis, et inter eos ambulabo.* Tertio, secundum plenitudinem divinitatis, quod Christo signillatim convenit, juxta illud quod *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Tanquam Deo exhortante. Id est, non [Col. 0170C] ex nobis loquimur, sed ex Deo. *Cum qui non noverat peccatum.* Hoc est, Pater pro nobis Christum, qui peccatum nesciebat, *Peccatum fecit.* Quia sicut hostia pro peccato oblata peccatum vocabatur in lege, sicut in Levitico scriptum est: *Et imponet manum super caput peccati sui, ita et Christus pro peccatis nostris oblatus, peccati nomen accepit. Ut nos essemus justitia Dei.* Non nostra, non in nobis, sed in ipso, id est, in Christo, quasimembra in capite.

CAPUT VI.

Adjuvantes. Id est, exemplo. *Et obsecramus.* Id est, verbo doctrinae. *Gratiam Dei.* Indulgentiam peccatorum in baptismo. *Tempore enim, inquit.* Sicut Deus Pater per Isaiam **(Is. XLIX, 8)**. *Acceptabili tempore.* Id est, Novi Testamenti. *Exaudivi te.* Ad Christum ejusque [Col. 0170D] Ecclesiam hoc dicitur. *Ecce nunc dies salutis.* Nunc autem dicit: *Nemo enim in inferno confitebitur tibi.*

Nemini dantes ullam offensionem. Id est, neminem malo exemplo laedentes. Sic enim non vituperabitur ministerium praedicationis nostrae. *Sicut Dei ministri.* Dei ministri

debent prout possibile est, Deum imitari. *In necessitatibus.* Per aliquam vim illatis. *In angustiis.* Angustia est omnis egentia. *In laceratione.* Id est, membrorum. *In laboribus.* Seu manuum, sive huc et illuc discursuum. *In castitate.* Corporis ac mentis. *In scientia.* Scripturarum. *In longanimitate.* In sustinentia longa. *In Spiritu sancto.* Dum dignos nos ejus habitaculo praeparamus. *In charitate non ficta.* Verbo non tantum diligentes, [Col. 0171A] sed opere et veritate. *In virtute Dei.* Non nostra facultate, sed auxilio Dei. *Per arma justitiae.* Quae ad Ephesios describit, quae sunt, lorica justitiae, fidei scutum, zona continentiae, calceati pedes in praeparatione evangelii pacis, galea salutis, gladium verbi Dei. *A dextris et a sinistris.* Hoc est, ne prosperis elevemur, ne frangamur adversis. *Per gloriam.* Virtutum a Deo. *Et ignobilitatem.* Id est, carcerum. *Per infamiam.* Cum blasphemamur ab inimicis. *Et bonam famam.* Cum laudamur ab amicis et fidelibus.

Ut seductores et veraces. Hoc est, ab aliis ut veraces laudamur, ut seductores ab aliis infamamur: quae omnia aequaliter ferimus, nec extollunt nos laudantes nec dejiciunt detrahentes, quia solet utraque pars aliquando mentiri. Unde ad conscientiam [Col. 0171B] redeuntes, non debemus fidem aliis magis accommodare quam nobis. *Sicut ignoti.* Id est, perfidis et ingratis. *Cogniti.* Fidelibus et justis. *Quasi morientes.* Hoc est, usque ad mortem pervenimus, et ecce vivimus; sicut quando lapidatus est, et mortuus aestimatus, surgens docebat in Lystris. *Sicut egeni.* Rebus corporalibus. *Multos autem locupletantes.* Eleemosynis, divitiis coelestibus. *Et omnia possidentes.* Nam excepto quod omnia Dei nostra sunt, nemo plus habet quam qui nullius eget: ille enim nullius eget, qui praeter necessaria nihil requirit. Per prospera et adversa in alio loco idem Apostolus se transisse describit, cum dicit: *Par arma justitiae,* quae a dextris sunt, et a sinistris, id est, *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam,* ut [Col. 0171C] seductores et veraces, etc. Omnia ergo quae prospera reputantur, dextrae dicuntur partis, quae sanctus Apostolus *gloriae* et *bonae famae vocabulo designavit;* illa etiam quae existimantur adversa, quae per *ignobilitatem* e t *infamiam evidenter expressit, quaeque a sinistris esse describit, efficiuntur vero perfecto arma justitiae, si allata sibi magnanimiter sustentaverit, quod videlicet per haec dimicans, et istis ipsis quibus impugnari putatur adversis tanquam armis utendo, eisque velut arcu, vel gladio, scutoque validissimo contra illos qui haec ingerunt communitus, profectum suae patientiae ac virtutis acquirat, gloriosissimum constantiae triumphum ex ipsis quae lethaliter inferuntur capiens hostium telis.* Nec prosperis duntaxat elatus, nec dejectus adversis, sed [Col. 0171D] itinere plano, ac via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu, nequaquam laetitia superveniente quasi in dexteram motus, nec ingruentibus adversis, tristitiaque dominante velut ad laevam rursus impulsus.

Os nostrum patet ad vos. Ita sumus vestro profectu ad uberem praedicationem provocati, ut tacere penitus non possimus: profectus enim discipuli provocat os magistri, et cor dilatat atque amplificat, id est, facit sensibus abundare. *Non angustiamini in nobis.* Ac si dicat, non nos angusti in doctrina, sed vestra viscera non recipiunt. *Eamdem autem habet mercedem.* Quia similis retributio doctoris, et obedientis discipuli, ut: *Qui recipit prophetam in nomine* [Col. 0172A] *prophetae, etc.* **(Cat. V)**. *Dilatamini.* Id est, lato corde ac mente spiritualem accipite doctrinam. Cum autem dilatantur, imperat quid facient. *Et nolite jugum ducere cum infidelibus.* Quia jugum

simul non trahunt, nisi ejusdem generis pares. Non ergo arandum, jugato bove simul et asino. *Aut quae societas luci? Id est, sanctis, ut: Vos estis lux mundi* **(Matth. V)**. *Cum tenebris.* Id est, peccatoribus, ut: *Fuistis aliquando tenebrae.* Quae autem conventio Christi ad Belial? Belial diabolum significat, interpretaturque absque jugo. *Vos enim estis templum Dei vivi.* Cum ubique Deus est, tamen in illis proprie habitare se dicit, qui ejus gratia perfruuntur. *Habitabo in illis.* Hoc ex Isaia sumptum est: *Et ero illorum Deus.* Deus natura omnium est, voluntate vero [Col. 0172B] paucorum. *Exite de medio eorum.* Non tantum loco, quantum simili conversatione ac familiaritate. *Et immundum.* Id est peccatum. *Et ero vobis in patrem.* Si vos parentes infideles abdicaverint, me patrem habebitis sempiternum, ut: *Pater meus, et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me* **(Psal. XXVI)**. *Dicit Dominus.* Ne cui impossibile videretur, addidit *omnipotens.* Haec ergo promissa habet. Id est, *Et ero illorum Deus.*

CAPUT VII.

Mundemus nos. Talem hospitem, id est, Deum recepturi. *Ab omni inquinamento.* Inquinamentum carnis est peccatum quod per carnem admittitur; spiritus vero, quod sola cogitatione peccatur. *In timore Dei.* Non propter laudem hominum, vel timorem. [Col. 0172C] *Accipite nos.* Hoc est, capite quod dicimus, sive quod vivimus, ut exemplum nostrum teneatis.

Neminem circumvenimus. Malo scilicet exemplo, ut per avaritiam aliquid ejus tolleremus. *Neminem corrupimus.* Id est, mala doctrina. *Non ad condemnationem dico.* Hoc est, non me excusando vos tales expono; non enim possum de vobis hoc sentire quos diligo, ut superius memoravi, sive, dilectio tantum facit habere fiduciam. *Praedixi enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum.* Id est, *epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.* Multa mihi libertas. Id est, multam mihi fiduciam dedistis loquendi, quia in omnibus obedistis, sive, quod multum me a vobis diligi non ignoro. *Multa gloriatio* [Col. 0172D] pro vobis. Id est, ad alias ecclesias. *Repletus sum consolatione.* Id est, audiens profectum vestrum et emendationem, post multam tristitiam consolatione repletus sum.

Superabundo gaudio. In tantum gaudeo, ut omnium pressurarum obliviscar. *Nam et cum venissem in Macedoniam.* Vult illis ostendere, quantam pressuram magnitudo gaudii superaverit. *Foris pugnae.* Id est, contra infideles. *Intus timores.* Id est, propter falsos fratres. *Non solum autem in adventu ejus.* Hoc est, non solum qui desideratus advenit, sed etiam qui vestrum profectum nuntiavit, propter quod ejus maxime exspectabamus adventum. *Vestrum desiderium.* Id est, ad bona perpetranda, vel propter adventum meum. *Vestrum moerorem.* Propter [Col. 0173A] peccata, vel absentiam meam. *Vestram aemulationem pro me.* Id est, qui vice mea aemulati estis Dei aemulatione peccantes. Sane triplex est aemulatio, aut imitationis, aut invidiae, aut zeli. *Et contristavi vos.* Et si me poenituisset, eo quod durius vos corripuerim, tamen vester facit profectus ut non me poeniteat. Quasi medicus dicat: Licet doleam tam ardenti me usum esse cauterio, sed nunc gaudeo, non quia doluistis, sed quia dolor ille profuit ad salutem.

Poenitentiam in salutem. Ea est enim poenitentia diabolica adversa saluti, si quis de bono opere poeniteat. *Saeculi autem tristitia.* Saeculi tristitia est, aut de amissis rebus propriis, aut de alienis invasis dolere, vel de alterius felicitate torqueri. *Mortem* [Col. 0173B] operatur. Id est, desperatione torqueri, vel mortem animae: secundum Deum autem tristitia est, sive sua, sive aliena lugere commissa. *Quantam efficit in vobis sollicitudinem.* Id est, ut caveatis, ne de caetero peccetis. *Sed excusationem.* Id est, non superbiam, aut contemptum, sed satisfactionem. *Sed indignationem.* Id est, adversum peccantes, non negligentiam. *Sed timorem.* Id est, timorem Dei, non securitatem. *Sed desideria.* Scilicet bonorum operum, non fastidium. *Sed aemulationem.* Id est, contra peccantes, ne ultra peccent, non remissionem. *Sed vindictam.* Id est, non veniam noxae, sed vindictam salutarem in eum qui inter vos peccatum commisit.

Exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. Id est, peccato illius, qui uxorem patris stupravit. Ideo [Col. 0173C] incontaminati estis, quia eum corripuistis. Ideo consolati sumus, dum vos castos probatis esse negotio. *Magis gavisi sumus super gaudium Titi.* In hoc amplius gratulati sumus, quia ita a vobis Titi spiritus est refectus, ut nunquam de ejus mente possitis recedere: profectus quippe discipulorum spiritualia gaudia sunt magistrorum. *Et si quid apud illum.* Quasi peritus medicus ait, qui vulnus jam prope sanatum blandis unctionibus fovet, ut facilius cauterii ustura sanetur. *Quoniam cum timore.* Timebant enim contristare quem dilexerant. *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.* Ideo gaudeo, quia omnia quae de vobis audio, credo et confido vera esse.

CAPUT VIII.

Notam autem facio vobis. Nunc incipit de eleemosynis, [Col. 0173D] et ad aemulationem Macedonum provocat eos. *Gratiam Domini.* Id est, eleemosynam. *In multis probatus.* In fame, quae facta est sub Claudio Caesare. *Profunda paupertas.* Id est, nimia. *In divitiis simplicitatis.* Multum quidem pauperes sunt in terrena facultate, sed in magna simplicitate sunt divites, cupientes plus dare quam quod habeant, ac propterea Deus magis animum probat, quam quod porrigitur dextera. Qui enim quantum potest facit, totum facit. *Quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt.* Verbis praeposteris hoc dicit, *testimonium illis reddo, quoniam secundum virtutem facientes, supra virtutem voluntarii fuerunt. Cum multis precibus orantes.* Multum [Col. 0174A] suadentes nos rogaverunt, ut gratanter quod offerebant susciperemus in ministerium sanctorum. *Et non sicut speravimus.* Amplius enim quam speravi mus fecerunt. *Ita.* Id est, in tantum aemulati sunt, *ut rogaremus Titum.* Et scientia. Scientia est Deum nosse, virtus vero colere. Sicut ergo in itinere celebrando nihil prodest viam nosse, nisi conatus ac vires suppetant ambulandi, ita vere scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat.

Ut ex hac gratia. Id est, faciendae eleemosynae. *Abundetis.* Id est, ne cum in aliis vincatis, in hoc ab aliis superemini. *Non quasi imperans dico.* Hoc est, non impero, nec exigo, sed consilium do, ut sicut in multis formam aliis praebuistis, ita et in isto opere praebeatis. Est enim ingenita pietas in vobis, ut ab [Col. 0174B] aliis eam discere non

indigeatis. *Qui propter vos pauper factus est.* Ergo si ipse Dominus vos divites bonis coelestibus fecit, sic et ipsum vos ditate; ipsi enim datur quidquid ejus pauperibus porrigitur **(Matth. XXV)**. *Et consilium.* Id est, imperium. *Sicut et velle coepistis.* Ostendit quosdam posse facere non volentes, cum aut importunitas petentis, aut auctoritas praecipientis exegerit. *Non enim ut aliis sit remissio.* Non dico, ut vobis nihil servetis, sed quod utrisque sufficiat. *Sed ex aequalitate.* Omnes enim aequaliter dabunt, si unusquisque tantum dederit quantum potest. Aliter: *Ex aequalitate, hoc est, quo modo vos illorum vivitis spiritualibus, ita et illi vestris carnalibus fruantur.* Aliter: *Ex aequalitate,* [Col. 0174C] id est, ut vobis et illis sufficiat, ita distribuite. *Illorum abundantia.* Id est, doctrina et oratione.

Ut fiat aequalitas. Id est, sufficientia utrisque in spiritualibus et carnalibus bonis. *Sicut scriptum est.* Hoc de manna Dei dicitur, quod populus accepit in deserto: cujus exemplo docemur, quod omnis superabundantia generet vermes: simul et ostenditur quae Deus dat omnibus aequalia esse debere, et propter hujus testimonii auctoritatem vult nobis Apostolus praesentia omnia esse communia, ut perfecti doctrinam non abscondant, et habentes substantiam mundi non denegent eis victum. *Eamdem sollicitudinem.* Id est, quam habeo. *Consolationem.* Id est, exhortationem ad docendum vos. *Accepit.* Id est, a Deo, vel a nobis. *Sed cum sollicitior esset.* Id est, [Col. 0174D] qui aliorum eleemosynas aemulatus est. *Destinatam.* Id est, propositam, seu aptatam. *Devitantes hoc.* Ne quis dicat: Quomodo Christus legem implevit, cum non videamus Christianos tantum eleemosynam facere, quanta fieri in lege praecepta est? *Misimus autem cum illis.* Id est, Tito et Luca. *Et fratrem nostrum.* Quidam hoc de Apollo asserunt dictum. *Nunc vero multo sollicitiorem.* Eum probamus, confidentes quia vestra obedientia provocetur, sive quam audivit a Tito, sive qua per se ipse est probatus. *Sive pro Tito.* Quod dicit hoc est, ut tam Titi causa qui eorum obedientiam collaudaverat, quam eorum qui ad ipsos fuerant pariter destinati, ita se exhibeant, ut et charitatis sinceritatem, et apostolicae pro ipsis [Col. 0175A] gloriae veritatem in conspectu omnium comprobarent.

CAPUT IX.

Ex abundantia est mihi scribere. Id est, plus quam scripsi. *Parata est.* Id est, ad dandam eleemosynam. *Et vestra aemulatio.* Id est, imitatio. *Nam Achaia.* Tota provincia, cujus caput estis, per vos ad hoc ministerium provocata est. *In hac parte.* Id est, praeparandae eleemosynae. *Erubescamus nos.* Id est, ego et Titus. *Hanc benedictionem.* Ideo benedictionem eleemosynam vocat, ne parva fiat; quod enim benedicitur, ad abundantiam benedicitur. Ideo benedictio abundans eleemosyna vocatur.

Sive hanc benedictionem. Id est, benedictam Deo consecratamque eleemosynam. *Sic quasi benedictionem.* [Col. 0175B] Ita enim benedictio erit, si grato animo tribuatur. *Hilarem enim datorem diligit Deus* **(Eccli. XXXV)**. Avarus autem hilariter dare non novit. *Nunc circumventionem.* Id est, fraudationem. *Qui parce seminat.* Hoc est, qui parce et avare tribuit eleemosynam. *Parce et metet.* Id est, praemia in futuro. *Et qui*

seminat in benedictione. Hic apparet, quod in hoc loco benedictio abundantiam significat. *Secundum propositum cordis.* Id est, voluntarius, non coactus. *Hilarem enim datorem.* Secundum sententiam Salomonis: *In omni dato hilarem facito vultum tuum.* Potens est Deus. Hoc dicit, ne inopiam formidarent. *Dispersit.* Id est, divisit, ut multis proficiat. *Justitia ejus manet.* Quare justitiam, et non misericordiam dicit? Quia pauperibus dare justum est. [Col. 0175C] Nam te oportet, ut quod Deus tibi gratis dedit, pauperibus tu gratis des. Jus enim est, ut des egeno, qui partem illius tecum habes. *Manet.* In aeterna retributione.

Qui autem administrat semen seminanti. Hoc est, Deus qui dedit tibi unde dispenses, esurire te minime permittet. *Incrementa frugum justitiae.* Fruges justitiae sunt facultates, cum juste dispensantur. Cum vero aut inique corraduntur, aut ad avaritiam vel superbiam possidentur, fruges iniquitatis fiunt. *In omnem simplicitatem.* Ut simplici oculo bonae intentionis erogetis, cum multiplici ea fenore recepturos. *Non solum supplet.* Duplicem potestis habere mercedem, et refectionem sanctorum, et gratiarum in Domino actionem, et in ipsorum oratione haec omnia [Col. 0175D] operatur. *Ministratio hujus officii.* Quae etiam abundat ipsorum pauperum oratione pro vobis. *Desiderantium vos.* Id est, amantium. Quis enim non desideret talem propter gratiam et misericordiam eminentem? *Gratias autem Deo.* Qui tantam nobis gratiam pietate sua ferre dignatus est.

CAPUT X.

Ipse autem ego Paulus. Qui prius rogavi fratres, ut irent et obsecrarent vos, hoc autem per meipsum, non per fratres. *Obsecro vos per mansuetudinem.* Ea vos mansuetudine rogo, qua Christus cum se posset de injuriosis ulcisci, noluit, ut vel sero corrigerentur. Mansuetudo autem in corde, modestia in verbis est.[Col. 0176A]

Qui in facie quidem humilis sum. Semper sanctorum praesentia propter nimiam humilitatem minus intelligentibus potest esse contemptui. Absentes vero, si necesse fuerit, confidenter suam indicant potestatem, qui praesentes sic sunt quasi nihil possint habere virtutum, si tamen nihil vindicandum reperiant in subjectis. *Audere in aliquos.* Vindicare in peccantes.

Qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. Qui putant eos caeteris hominibus nihil amplius habere virtutis. *In carne enim ambulantes.* In corpore videmur incedere, sed ut Dei ministri spiritualiter militamus. Arma quippe militiae nostrae non sunt facta de ferro, nec manu hominis fabricata sunt, sed potentia Dei, qui plus verbo valemus, [Col. 0176B] quam alii homines armis corporeis possunt. *Ad destructionem munitionum.* Muniunt enim et circumdant doctrinam suam falsi doctores astutia argumentisque, quae aries apostolicus destruit virtute gratiae spiritualis, sicut et illum Magum vias Domini subvertentem perversis disputationibus verbo delevit.

Et omnem altitudinem. Id est, superbiam. Quid enim tam superbum, quam divinis contradicere praeceptis? *Quae sunt secundum faciem videte.* Manifesta est rei probatio, et facillima intellectu. Sive ab hypocritis vos cavete, qui in praesenti

gloriantur. *Si quis confidit se Christi esse.* Nemo tam stultus quam qui se solum servum Christi esse gloriatur. *Si enim abundantius gloriatus fuero.* Hoc est, et si me magis [Col. 0176C] potestatem a Christo accepisse dixero quam caeteros apostolos. *Non erubescam.* Qui et verum dicam, et non meae gloriae, sed vestrae aedificationis causa compulsus haec facio. *Graves.* Longitudine. *Fortes.* Dura increpatione. *Non enim audemus.* Scilicet ita Deum contemnere, ut coaequemur aliquibus, qui suis malunt laudibus quam Dei gratia commendari. Nec de nobis possumus majora jactare quam sumus.

Et comparantes nosmetipsos nobis. Id est, non majoribus, sicut illi pseudoapostoli, cum nihil sint, apostolis se non modo aequant, sed etiam anteponunt. *Non in immensum gloriabimur.* Id est, super id quod possumus, nihil supra humanam mensuram facimus, sed in apostolatus gratiam, quantum nobis [Col. 0176D] Dominus donare dignatus est, per quam etiam vobis Corinthiis praedicavimus. Nec enim hoc ipsum usurpatione fecimus, sed praecepto Dei. *Non enim quasi non pertingentes usque ad vos.* Id est, per Dei consilium ac praeceptum superextendimus nos, hoc est, ut sine praecepto Dei quadam usurpatione nosipsos vestros doctores, superiores, ac sublimiores quam vos constitueremus. Nam se Apostolus superextenderet, si non Dei praecepto seipsum eorum magistrum constitueret. *Usque ad vos enim pervenimus.* Dei scilicet praecepto. Aliter. *Non enim superextendimus.* Id est, non ad alios transivimus. *Quasi non pertingentes usque ad vos.* Id est, ut vobis dimissis atque imperfectis, quasi non per divinum [Col. 0177A] praeceptum ad vos non perveniremus, ad alios transiremus.

Non immensum gloriantes. Immensum est in alienis laboribus gloriari aliorum doctorum. *Spem autem habentes crescentis fidei.* Id est, non munera a vobis, sed mercedem a Deo vestrae fidei exspectamus. *Secundum regulam nostram.* Hoc est regula nostra, post aliorum salutem ad alios transire. Aut secundum regulam nostram, id est, non secundum alienam.

In abundantia etiam. Non enim usque ad vos sufficit pervenisse, sed cum vestra fides creverit, ad alios transibimus. *Non in aliena regula.* Sicut pseudoapostoli in praeparatis jam ab aliis gloriantur impudenter. *Qui autem gloriatur.* Etiam qui debet gloriari, [Col. 0177B] in Domino cujus in eo virtutes operatae sunt, glorietur. *Quem Dominus commendat.* Id est, virtutibus signorum et doctrinae.

CAPUT XI.

Utinam sustineretis. Id est, sustinete me vel modicum, qui alios multum sustinere consuevistis. *Insipientiae meae.* Id est, gloriationis, quae quasi quaedam insipientia videtur esse. Insipientem se dicit, quia illi necesse erat aliqua de se dicere, licet vera, ut ostendat quam vere insipientes sint, qui falso se laudant.

Sed et supportate me. Stultitiam meam sustinete, dum pro amore vestro hoc dico. *Aemulor enim vos.* Non stimulo livoris inflammor, sed vos tanquam pater divina aemulatione custodio, ut possim vos [Col. 0177C] immaculatos Christo conjungere, tanto

majore studio conservatos, quanto meliori estis sponso jungendi.

Timeo ne sicut serpens seduxit Evam. Sicut enim serpens majora promisit, ut propria subtraheret, sic majora haeretici quam quae doctrina Christi habet promittunt, ut sanam doctrinam corrumpant. Simplex autem sensus est verus sensus, nulla falsitate intermixta compositus atque corruptus. *Alium Christum.* Meliorem nostro Salvatore. *Aut alium spiritum.* Hoc est, si vobis aliquid amplius gratiae praestiterint quam per nos accepistis, recte eos nobis praeponi forsitan pateremini. *Existimo enim me in nullo inferiorem a magnis apostolis.* Quanto magis ab his qui nihil sunt. Sive ne putetis vos quam illos quibus [Col. 0177D] Petrus et caeteri apostoli praedicaverunt minus aliquid accepisse. *Sed non scientia.* Ut pseudoapostoli, qui cum sint scientia imperiti, in sermone tumido gloriantur.

In omnibus autem manifesti sumus. Ostendit integritatem suam, qua secundum Deum omnia fecerit, cum nec avaritiam nec gulam, nec gloriam ab eis aliquando quaesierit. *At nunquid peccatum feci? Si forte hoc solum peccavi, qui propter vos et illicita et concessa contempsi. Est veritas Christi in me.* Sicut Christus quod semel statuit non mutavit, nec est aliquando mentitus, sic faciam. *Haec gloriatio.* Id est, nihil a vobis recipiendi. *Deus scit.* Quod vos diligo. *Ut amputem occasionem.* Reddit hic causam [Col. 0178A] quare non acceperit, ut adversarii, qui docerent gulam, avaritiamque sectarentur, quaerentes per Paulum aditum invenire lucrandi, non haberent; ut hic si vel panem acciperet, illi aurum licentius exigerent. Ideo tollit occasionem Apostolus, ut in hoc appareat, quod propter Dominum docent, si a discipulis nihil expetunt.

Operarii subdoli. Subdolus est, qui aliud fingit dum aliud agit. *Quorum finis secundum opera ipsorum.* Mala opera malus finis exspectat. *Iterum dico vobis.* Jam superius dixerat: *Sustinete me modicum, et non reddiderat rationem, quod zelo Dei eos zelaret, et non gloriae desiderio esset de se aliquid narraturus, ne in ejus odium versi, falsos apostolos sequerentur.* [Col. 0178B]

Ne quis existimet insipientem. Ne me aliquis ex vobis putet quod jactantiae causa, et non alicujus profectus meipsum glorior. *Velut insipientem accipite.* Hoc est, audite me quasi insipientem, non revera insipientem, sed quasi insipientem.

Quod loquor. Id est, laudem meam. *Non loquor secundum Deum.* Videtur [*Deest* insipiens, vel *quid simile*] esse, ut homo seipsum laudet, licet verum dicat, nisi propter aliorum utilitatem, Deique gloriam hoc faciat. *Secundum carnem.* Id est, secundum nobilitatem carnalem. *Libenter enim suffertis insipientes.* Ideo dixi: *Accipite quasi insipientem, si vos suffertis insipientes, id est, pseudoapostolos. Si quis vos in servitutem redigit.* Id est, veteris legis et Judaismi. *Si quis devorat.* Id est, muneribus. *Si quis* [Col. 0178C] accipit. Pecuniam vestram. *Si quis extollitur.* Id est, Judaica superbia vel scientia, vel de generis nobilitate. *Si quis in faciem vos caedit.* Hoc est, si quis etiam praesentes vos objurgat.

Secundum ignobilitatem dico. Ignobilitas quippe maxima est, si filii Dei de terrena nobilitate se jactant. *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.* Id est, quasi nos in ista parte ab illis minus aliquid habeamus. *Audeo et ego.* Id est, possum audere gloriari, si

volo. *Hebraei sunt.* Id est, linguam Hebraeam habent. *Israelitae sunt.* Ideo addit, quia multum gloriabantur in hoc nomine, cujus interpretatio est, vir videns Deum.

Ut minus sapiens. Notandum si quis de Christi saltem ministerio glorietur, non sapienter hoc faciet. [Col. 0178D] *In laboribus plurimis.* Quorum species enumerat. *In plagis.* Sicut caesus est in Creta. *Supra modum.* Fortitudinis meae. *In mortibus.* Id est, exspectatione mortis.

Quinquies quadragenas. Quinquies flagellatus sum quadraginta percussionibus juxta legem, non enim plagae secundum legem quadragesimum numerum excedunt. *Una minus.* Id est, causa nobilitatis meae, quia mos erat apud Judaeos, ut servi quadraginta percussionibus, liberi vero triginta et novem flagellarentur plagis; quinque vicibus trigenas et novenas, quasi transgressor legis accepi, quia lex quadraginta diebus in monte Sina data est.

Ter virgis caesus sum. Id est, a gentibus. *Semel lapidatus* [Col. 0179A] sum. Id est, a Judaeis in Lycaonia civitate, sicut in Actibus apostolorum legitur. *Periculis in civitate.* Id est, Hierusalem a contribulibus illatis. *Periculis in mari.* Id est, in minoribus tempestatibus, quasque supra dixi. *In falsis fratribus.* Qui nostram explorare subintroierunt libertatem. *In laboribus.* Id est, manuum. *In miseriis.* Id est, inopia cibi et vestimenti. *In fame et siti.* Ex necessitate. *In jejunio.* Ex voluntate. *Praeter illa quae extrinsecus sunt.* Id est, quae per consuetudinem leviora esse videntur: in proprio enim corpore sustinuit praedicta, non sic supposita. *Instantia mea.* Id est, qua insto semper, ut omnes audiant evangelium et credant.

Quis infirmatur. Cum infirmantibus infirmor, cum [Col. 0179B] pereuntibus perire me compatior; sic uror tristitia, ut animo ardere me sentiam.

Quis scandalizatur. Id est, animo, fide, opere. *Si gloriari oportet.* Jam si gloriari necesse est, in his quae non ad laetitiam, sed ad meliorationem pertinent gloriabor. *Infirmitatis meae.* Omnes superiores necessitates uno infirmitatis nomine definiuntur, eo quod humanae imbecillitati ista praevaleant.

Scit quod non mentior. Rem quasi difficilem dicturus, quod Judaei contra eum etiam principes Gentium concitassent, ante implorat testimonium Dei, ne jactantiae putaretur, quod adversus eum etiam regna surrexerint, et nihil potuerint praevalere. Haec autem omnia ideo dinumerat, ut ostendat quid inter veros falsosque apostolos intersit. Aut idcirco Deum [Col. 0179C] testem invocat, ut visiones quas sequenter exponit credantur.

Praepositus gentis. Id est, praepositus gentis illius, ubi regnaret Aretha. *Et per fenestram.* Id est, domus adhaerentis muro.

CAPUT XII.

Non expedit mihi. Id est, non mihi expedit, quia qui necessitate compellor, sed vobis in me gloriantibus contra haereticos.

Veniam autem ad visiones. Ideo hoc dicit, ne quis ei objiceret: Quid in his gloriaris, cum multa sint flagella peccatoris? *Ad visiones.* Quae in somnis vidi. *Et revelationes.* Absque somno. *Domini.* Sibi in firmitates reputat, Domino visiones ascribit.

Scio hominem. Hoc de se humilitatis causa, quasi [Col. 0179D] in alterius persona loquitur. *Sive in corpore, etc.* Putabat quod in corpore erat quia non sensit mortem: putabat se extra corpus fuisse, pro excelsitate, atque evidentia visionis. *Tertium coelum.* Ubi angelicae virtutes continentur, intelligitur.

Et scio hominem hujusmodi. Quod iterum repetit, ostendit aliam visionem fuisse. *In paradisum.* Id est, Adae, vel coelestem.

Verba inaudita. Id est, sive quae nulli fas est dici, sive quae impossibile est humanam naturam capere. *Parco autem.* Quia sufficiunt manifesta, etiam si celentur occulta, ne quis existimet me angelum, vel Deum esse, non hominem. *Et ne magnitudo revelationum extollat me.* Quanta putatis esse quae celo, [Col. 0180A] ut merito mihi esset stimulus necessarius, qui me hominem esse semper demonstrat.

Angelus Satanae. Sive diabolus, qui tribulationes et plagas suscitabat, sive dolor capitis, qui Satanas, vel contrarius sanitati dicitur esse: vel lex in membris posita legi mentis suae contraria, de qua alibi dicit: *Video aliam legem in membris meis.*

Sufficit tibi gratia. Id est, ad me glorificandum, et ad utilitatem multorum, tibique a stimulo ad protegendum. *Gratia mea.* Id est, gratia apostolatus quam donavi tibi. *Nam virtus.* Id est, animae, vel sanandi alios. *In infirmitate.* Id est, carnis. *Libenter itaque gloriabor.* Id est, postquam cognovi prodesse quod nocere putabam. *In contumeliis.* Non in honoribus. *In necessitate.* Non in otio, sed in necessitate famis [Col. 0180B] et sitis.

Pro Christo. Non pro aliquo crimine. *Cum infirmor tunc potens sum.* Maxima potentia est infirmari pro Christo, et magnae divitiae indigere. *Vos me coegistis.* Id est, ut me gloriarer, dum pseudoapostolos sese gloriantes recepistis. *Commendari.* Id est, laudari. *Nihil minus fui.* Virtute et doctrina non solum se pseudoapostolis excellit, sed etiam bonis coaequavit, ne aliud quaererent quam quod ipse docuerat.

Etsi nihil sum. Pro humilitate hoc dicit: vel, et si nihil sum, ut pseudoapostolis videtur. *In omni patientia.* In hoc apparet, quod per patientiam signa fiunt.

Virtutibus. Id est, sanitatibus. *Non gravavi vos.* [Col. 0180C] Id est, non accipiens a vobis stipendia militiae meae. *Donate mihi.* Ironice loquitur. *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos.* Primo ad illos venit, quando ipsis praesentialiter praedicavit; secundo voluit ire cum prima epistola, vel per ipsam epistolam; tertio quod paratus erat ire cum hac epistola, vel per hanc epistolam, quod credibilius.

Sed vos. Quaerens salutem vestram. *Ego autem libenter impendam.* Hoc est, quidquid habeo boni exempli, et laboris praedicationis meae, impendo, id est, solvo. *Et plusquam possum impendar.* Perfecta enim dilectio non solum totum quod habet impendit, sed etiam libenter ipsa superimpenditur, si necesse est. *Dolo vos coepi? Est interrogatio.*

Per omnia se [Col. 0180D] purgat, ipsorum semper conscientiam testem invocans.

Nunquid circumveni vos? Id est, nunquid aliquis a vobis abstulit ad me perferendum? Eodem spiritu. Id est, sancto. *Eisdem vestigiis.* Id est, exemplis. *Quid excusemus nos.* Id est, purgemus nos et laudemus, ut vobis placeamus, non coram Deo.

In praesentia Dei. Patris, quem fallere impossibile est. *In Christo.* Id est, in persona Christi ideo mendacium non loquimur.

Et ego inveniar a vobis qualem non vultis. Vel severus in vindicta: hic autem blandimentis minae junguntur. *Contentiones.* Praeferendo magistros magistris. *Aemulationes.* Minorum contra majores. *Animositates.* Elationes animorum. *Dissensiones.* In cordibus. [Col. 0181A] *Super immunditia.* Id est, fornicatione contra naturam. *Et fornicatione.* Adulterio.*Impudicitia.* In consanguineos.

CAPUT XIII.

Praedixi enim. In prima epistola. *Et praedico.* In hac epistola, antequam veniam ad vos. *Qui in me loquitur Christus.* Qui potest in vos vindicare, nisi poenitentiam agatis. *Non infirmatur.* Id est, in vindicta super vos, vel in virtutibus, quas operatus est in vobis. *Nam etsi crucifixus.* Quod crucifixus est, nostrae infirmitatis est, et quod vivit, suae virtutis est.

Sed vivemus cum eo ex virtute Dei. Dabit nobis virtutem, ut possimus vindicare in vos: vel in illo vivemus in futura beatitudine. *Si estis in fide.* Quae per dilectionem operatur. *Non ut nos probati appareamus.* [Col. 0181B] Si enim aliquid mali feceritis, nos vindicando apparebimus probati; sed malumus vel non [Col. 0182A] vindicando in vos nos reprobos videri, tamen ut vos quod bonum est faciatis. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem.* Cum vos non merueritis vindictam, super vos dare non possumus.

Gaudemus enim cum nos infirmi fuerimus. Si non sit necesse ut nostra virtus appareat, sicut Petri apparuit in Anania, et Saphira.

Infirmatur. Non dando vindictam. *Vos hic fortes estis.* Id est, in fide, et in bonis operibus. *Vestram consummationem.* Id est, perfectionem. *In aedificationem.* Ut vos de caetero emendetis, et alii formident peccare. *Et non in destructionem.* Ad quam sibi pseudoapostoli potestatem suscipiunt. *Gaudete.* In tentationibus. *Perfecti estote.* In bonis operibus. *Deus pacis.* Qui est pax. *Et dilectionis.* Qui est dilectio [Col. 0182B] et charitas. *In osculo sancto.* Id est, non subdolo.

IV. IN EPISTOLAM AD GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus non ab hominibus. Hoc est, non ab humana praesumptione, ut dicunt illi. Hoc contra eos qui Paulum dicunt subito prorupisse in apostolatum, vel a majoribus ordinatum. Ergo non ab hominibus, [Col. 0181C] vel per apostolos alios.

Neque per hominem. Ut Aaron per Moysen. Quatuor sunt apostolorum genera. Unum, quod *neque ab hominibus, neque per hominem est, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, ut Isaias et caeteri prophetae, et ipse Paulus.* Aliud, quod a Deo, sed per hominem, ut Jesus filius Nave a Deo, sed per Moysen. Tertium, quod ab hominibus, et non a Deo, cum vel hominum fayore aliquis ordinatur, ut nunc videmus plurimos non judicio, sed redempto favore vulgi in sacerdotium subrogari. Quartum, quod neque a Deo, neque ab homine, neque per hominem, sed a semetipso, ut omnes pseudoprophetae et pseudoapostoli.

Sed per Jesum Christum. Qui Petrum et caeteros [Col. 0181D] apostolos elegit. *Et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.* Quo ostenditur una operatio Patris et Filii. *Qui suscitavit eum a mortuis.* Ideo commemorat Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, ut per hunc virtutem sui apostolatus commendet, dum ab ipso Patre missus est. *Gratia vobis.* Quia gratis nobis donantur peccata. In hoc subaudis, *precor multiplicetur.* Et pax. Qua remissis omnibus delictis fuerant reconciliati Deo. *Qui se dedit.* Ostendit beneficia Christi, quibus existebant ingrati, in lege quae peccatoribus data fuerat vivere cupientes. *De praesenti saeculi malo.* Id est, de malis saeculi operibus: mundus enim bonus est. *Secundum voluntatem Dei.* Id est, non secundum facultatem et merita nostra. *Amen.* Conclusio praecedentis prologi. *Miror quod sic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud evangelium.* Nescio quae vos aura a fidei rectitudine deflectit. *Quod non est aliud.* Nam evangelium verum aliud esse non potest, nisi Christi: quod enim veritati contrarium, evangelium non [Col. 0182C] est dicendum. *Et volunt avertere evangelium Christi.* Evangelium ad legem revocant, dum litteram tantum sequuntur; posteriora in faciem ponunt, et quod in facie, post tergum faciunt. *Sed et si nos.* Id est, evangelizaverimus.

Anathema. Detestatio. *Sicut praediximus.* Id est, praecedenti testimonio. *Et nunc iterum dico.* Quia repetitum fortius commendatur. *Modo enim hominibus suadeo, an Deo? Hoc est, nunquid propter homines vos suadeo, quod propter traditionem Judaeorum ante faciebam? Ostendere vult se odia hominum non timentem, libere defendere veritatem.*

Si adhuc hominibus placerem. Id est, si Judaeis placerem. *Christi servus non essem.* Quia assererem legem et in fide evangelii Christo non servirem. [Col. 0182D] *Quia non est secundum hominem.* Id est, quia neque a me finxi. *Neque edoctus sum.* Neque aliquis me docuit ut intelligerem parabolas, et obscura evangelii. *Sed per revelationem Jesu Christi.* In via Damasci, vel Spiritus sancti revelatione. *Audistis enim conversationem meam.* Ostendere vult quia firmiter tenuerit Judaismum, et fideliter pro traditionibus Patrum expugnaverit Ecclesiam: ut intelligamus eum non potuisse inde humano consilio, nisi revelatione divina separari.

Quoniam supra modum. Aliorum persecutorum. *Paternarum traditionum.* Id est, non Dei mandatorum. *Qui me segregavit.* Id est, elegit. *Ab utero matris.* Unde apparet,

quod quamvis non ab utero statim in apostolatum vocatus est, tamen in praescientia electus [Col. 0183A] est. Et hic quaeritur, cur Paulus ab utero segregatus Ecclesiam persequitur, et Petrus a Christo electus, abnegat Christum: scilicet ut sciant compati infirmis, et ut ostenderet exemplum poenitentiae p g [*Id est, per gratiam*] dicendo: *Saule, Saule, qui etiam me in praescientia ab utero segregaverat, quoniam ut voluit fecit quod sciebat esse futurum.*

In me. Id est, per me. *Non acquievi carni et sanguini.* Sive ut ego eo melius habens non contuli, vel nihil ab apostolis didici, ut alii putant. Non contulit plane Paulus post revelationem Christi cum carne et sanguine, quia noluit margaritas projicere ante porcos, sed paulatim de carne et sanguine vertit in spiritum. Aut *non acquievi carni et sanguini, id est, Judaico generi. Neque veni in Hierusalem ad* [Col. 0183B] antecessores meos apostolos. Id est, ad dicendum. *Sed abii in Arabiam, et reversus sum Damascum.* Quaeritur quomodo Paulus dicit se non venisse in Hierosolymam, duae [quae] vero factae sunt ei insidiae in Damasco **(Act. IX)**. Ideo ergo Lucas praetermisit de Arabia, quia nihil dignum forsitan in Arabia Paulus perpetravit. *Sed abii in Arabiam.* Sed de Damasco in Arabiam ivi protinus, ut docerem quod mihi a Domino fuerat revelatum.

Deinde post triennium veni Hierosolymam. Ostendit se non indiguisse doceri, qui jam tribus praedicaverat annis. *Videre Petrum.* Id est, videndi gratia, non discendi. *Et mansi apud eum diebus quindecim.* Septem et octo significat Vetus et Novum Testamentum, propter sabbatum, et octavum diem resurrectionis [Col. 0183C] Dominicae.

Alium autem apostolum non vidi. Ne ab aliis discere videretur. *Nisi Jacobum fratrem Domini.* Ne autem hic Jacobum putes filium Zebedaei, lege Actus apostolorum, qui jam ab Herode fuerat peremptus; sic enim in Actibus legitur: *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.* Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio **(Act. XII)**. Eusebius in libro secundo Ilistoriarum dicit: Deinde occiderunt Judaei Jacobum, qui dicebatur frater Domini, pro eo quod esset filius Joseph, qui Christi quasi pater habebatur, quoniam desponsata ei fuerat virgo Maria. Hunc, inquit, Jacobum, qui et Justus cognominatus est ab antiquis, virtutum merito et insignis vitae privilegio, primum historiae tradiderunt [Col. 0183D] suscepisse Ecclesiae quae Hierosolymis est sedem.

Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Quae scribo vera sunt, et Deo testante confirmo. *Eram autem ignotus facie.* Hoc ideo dicit, ne quis putaret eum ab illis evangelium didicisse. *Et in me magnificare Deum.* Qui solus potest hoc efficere.

CAPUT II.

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam. Quoniam de oneribus legis quaestio movebatur.

Cum Barnaba. Id est, circumciso. *Et Tito.* Ex Gentibus praeputium habente. *Et contuli cum illis* [Col. 0184A] evangelium. Non didici tantum, sed contuli. *Seorsum autem.* Id est, secreto per Judaeos adhuc judaizantes. *Ne forte in vacuum currerem.* Judaizantes amputabant libertatem nostram, qui non sumus sub lege circumcisionis. *Quibus ad*

horam cessimus. Qui nec Titum circumcidimus. Male in Latinis codicibus legitur, *quibus ad horam cessimus.* [*Graece legitur:* Οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ. *Quales aliquando fuerint.* Quando eos Dominus sua praesentia docuit. *Nihil mea.* Doctrina. *Interest.* Id est, refert, vel distat. *Deus enim personam hominis non accipit.* Quia nec tempus praejudicat fidei, nec persona labori. *Dexteras dederunt.* Quod est signum pacis et unitatis. Consenserunt enim ita nos docere debere. *Mihi et Barnabae.* Ambo enim missi erant, ut Gentibus [Col. 0184B] praedicarent. *Tantum ut pauperum memores essemus.* Vel sanctorum qui erant Hierosolymis, qui omnia sua distribuentes ad apostolorum pedes pretia deponebant, vel quorum bona fuerant a Judaeis invasa, sicut legimus ad Hebraeos. *Sed cum venisset et Petrus.* Galatarum infirmitas eum compellit narrare, quod non solum caeteri apostoli nihil ei contulerint, nec minor eis fuerat, sed ipse in Petro aliquid correxit, qui princeps apostolorum fuit. Aliter licet dextras concordiae et pacis mihi dederunt, tamen Petro restiti, videns quod contra Evangelii regulam ageret. Hoc autem totum agit ut ostendat se nunquam circumcisionis fuisse factorem, quod de illo falsi apostoli confingebant.

Quoniam reprehensibilis erat. Id est, dignus reprohensione. [Col. 0184C] *Cum Gentibus manducabat.* Ut in vase demonstratum. *Et simulationi ejus.* Id est, hypocrisi, dum aliud coram Deo credebat, et aliud coram hominibus agebat

Ita et Barnabas. Qui tunc mecum ad Gentes missus fuerat. *Dixi Petro coram omnibus.* Dum enim coram omnibus culpa commissa fuit, coram omnibus argui debuit. Ideo autem hoc dixit, ut Judaeis de circumcisione superbia, et Gentibus desperatio tolleretur. *Si tu cum sis Judaeus gentiliter vivis.* Hoc est, si tu non tenes quod natus es, quomodo illos facis tenere quod nati non sunt? Rationem reddit, non injuriam facit.

Gentiliter. Id est, non Judaice, hoc est, non ex operibus legis, sed sola fide. Sic et Gentes vitam in [Col. 0184D] Christo invenisse tu nosti. *Quomodo Gentes cogis Judaizare? Id est, dum te subtrahis tanquam a peccatoribus. Judaizare.* Id est, honorem dare circumcisioni, et litteram observare. *Nos natura Judaei, et non ex Gentibus peccatores.* Nos, inquit, ego et tu Petre; illius miscuit personam et suam, ne illi facere videretur injuriam. Hieronymus de hac quaestione dicit, quod subtiliter hoc fecit Paulus, non vere Petro resistendo, sed in forma vituperat Petrum, alios per eum observantes litteram percutiendo. Cur enim ille vituperet Petrum consentiendo Judaeis, dum ipse circumcidit Timotheum per Judaeos? Augustinus vero asserit, quod vere Paulus Petrum reprehendit, nec falsum sit quod superius [Col. 0185A] in hac Epistola dixit: *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quod non mentior:* non enim ita laudandi sunt sancti viri ut frangatur Scriptura. Sicut alii dicunt Petrum Deum non negasse, et in hoc mendacem faciunt Salvatorem dicentem: *Ter me negabis.* Quoniam non justificatur homo ex operibus legis, vel sabbatis, et circumcisione, caeterisque quae non per justitiam, sed ad edomandam populi duritiam sunt mandata. Sive non justificatur, hoc scilicet tempore Novi Testamenti.

Nisi per fidem Jesu Christi. Nam patriarchae et prophetae non ex operibus legis, sed ex fide justificati sunt. *Inventi sumus et ipsi peccatores.* Dum nec ipsis operibus legis justificatur homo. *Nunquid ergo Christus minister peccati est? Hoc est,* si hos pro

[Col. 0185B] quibus passus est, non absolvit, tanquam non valens indulgere.

Ego enim per legem legi mortuus sum. Per legem Christi, legi litterae, sive per ipsam venientem ipsi mortuus sum, quia ipsa se cessaturam esse praedixit. *Ut Deo vivam.* Qui legem suam innovavit.

Cum Christo crucifixus sum. Qui omnibus peccatis quibus lex data est, sum mortuus. Ergo lex mihi minime necessaria. *Vivo autem.* Vivo hic vita spirituali. *Jam non ego.* Id est, vetus homo, vel non mea facultate. *In fide vivo Filii Dei.* Id est, in sola fide, qui nihil debeo legi. *Non irritam facio legem Dei.* Hoc est, non debeo illi esse in gemitum, qui me tantum dilexit, ut pro me etiam moreretur. Abjecta enim et irrita gratia est, si mihi sola non sufficit. Irritam ergo [Col. 0185C] gratiam facit, qui post evangelium vivit in lege, et peccatis post baptismum sordidatur. Hucusque contra Petrum. Nunc ad Galatas sermonem retorquet.

CAPUT III.

O stulti Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati? Hoc non est contrarium verbo Salvatoris, quo fratrem fatuum vocari prohibuit: qui more diligentis bene corripit, sicut Dominus dicit: *Et vos sine intellectu estis, et modicae fidaei.* Jus enim est magistris peccantes increpare discipulos. *Quis vos fascinavit? Quis vobis invidit? Fascinatio enim Graece invidia interpretatur. Ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est.* Vel quibus per meam praedicationem ita manifestata est passio ejus, ut ipse ante vos sententiam damnationis excepit. *Et in* [Col. 0185D] vobis crucifixus. Quasi apud vos omnia facta sint. Sive sic: Quem vere pro damnato et mortuo etiam nunc vilem habetis, dum putatis eum vobis non sufficere ad salutem. *An ex auditu fidei? Si enim ex merito fidei Spiritum sanctum accepistis, quid vobis lex amplius dare poterit? Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis.* Magna stultitia est in servitutem Veteris a libertate Novi Testamenti et gratiae divertere. *Nunc carne consummamini.* Id est, in legem carnalem euntes. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Galatae in crucifixum credentes, a Judaeis et Gentibus tormenta et opprobria multa perpessi sunt. Dicit ergo tanta sine causa pro Christo tolerastis, si tamen non iterum corrigatis. *Si* [Col. 0186A] tamen in hoc non dubitantis sermo est, sed potius confirmantis, secundum illud: *Si tamen justum est apud Deum retribuere his qui vobis tribuant tribulationem.* Operatur virtutes in vobis. Ostendit Galatas accepto per fidem Spiritu sancto dona habuisse virtutum, vel prophetiam et genera linguarum. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Non dixit operatus est per legem, sed sola fide credidit, hoc est, quod exiit de terra sua in terram quam ignorabat; quod Saram nonagenariam et sterilem credidit esse parituram; quod in Isaac vocaretur sibi semen, et quod obtulit filium suum. *Providens hoc Scriptura.* Non quod atramentum et membrana, quae insensuales sunt, possint futura praenoscere, sed quod Spiritus sanctus, et sensus qui in [Col. 0186B] littera latet, futura praedicant. *In te.* Non lege: sed in te, hoc est, in fide tua, qui es caput fidei. *Benedicentur omnes gentes* **(Gen. XXII)**. Non una gens tantum Judaica, sed omnes gentes. *Sub maledicto sunt.* Quia ita praevaluit consuetudo peccandi, ut nemo jam perficiat legem, sicut Petrus Apostolus ait: *Quod neque putres nostri, neque*

nos portare potuimus **(Act. XV)**. Si qui vero justi non erant maledicti, non ex operibus legis, sed fidei gratia salvati sunt. *Sed qui facit illa.* Mandata legis. *Vivet in eis.* Carnali scilicet vita, quia non est reus mortis, dum implet mandata legis. *Christus redemit nos de maledicto legis.* Emere et redimere hoc est: quia qui emit, alienum; qui autem redimit, id est, proprium quod suum fuit, et suum esse desivit.[Col. 0186C]

Maledictus omnis qui pendet in ligno. Non ideo maledictus quia pependit, sed ideo pendet quia maledictus. Ille negat Christum maledictum, qui negat Christum mortuum. Qui autem confitetur mortuum, et negare non potest mortem de peccato esse, et ob hoc etiam ipsum peccatum vocari, audiat ipse Apostolum dicentem: *Quo modo vetus homo noster simul cum illo crucifixus est, et intelliget quod maledictum Moyses dixerit* **(Deut. XXI)**. Ideoque secutus Apostolus ait de Christo: *Factus pro nobis maledictum, sicut non timuit dicere:* Pro omnibus mortuus est, hoc est, non mortuus quia maledictus, quia mors ipsa ex maledicto est, et maledictum est esse peccatum, sive ipsum quo fit ut sequatur supplicium, sive ipsum supplicium, quod alio modo vocatur [Col. 0186D] peccatum, quia fit ex peccato. Quod autem additum est, *omnis, ut diceretur: Maledictus omnis qui pendet in ligno, non sane Moyses minus praevidit etiam justos in cruce futuros;* sed bene praevidit haereticos veram mortem Domini negaturos, et ideo volentes ab hoc maledicto Christum sejungere, ut a mortis etiam unitate sejungerent? Si enim vera illa mors non erat, nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno, quia nec vere crucifixus est. Ac per hoc additum est *omnis, ne Christus ad veram mortem non pertinere diceretur, si a maledicto, quod morti conjunctum est, insipienti honorificentia separetur. Ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.* Quae per Joelem omni carni promissa [Col. 0187A] est, vel universo generi humano, ut: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* **(Joel. II)**. *Fratres secundum hominem dico.* Hoc est, humano utor exemplo. Sive *secundum hominem:* nam excelsiorem et profundiorem sensum habeo in his promissionibus, si dicerem; tamen non profunda profero, sed quae potest homo intelligere. *Nemo irritam facit.* Quasi dixisset: Si hominis testamentum nemo spernit, quanto magis Dei testamentum, hoc est, promissionem! Ac si diceret: Quamvis lex data est antequam impleretur promissio, tamen non in illa lege impleta est Abrahae promissio, sed ad hoc tantum lex data est, ut per illam aleremur, donec adveniret promissio. Simplex autem sensus, qui est in hoc loco textus, talem vim habet, ut docet Apostolus, [Col. 0187B] non posse per legem quae postea data est, repromissio, nec quae antea facta sunt ad Abraham destrui, et posteriora prioribus praejudicare. *Non irritum facit.* Id est, quae post tantum temporis data est lex, testamentum illud non potest evacuare, quod Abraham Deus confirmavit in Christo. *Ad evacuandam promissionem.* Vel ut non postea impleretur promissio post datam legem, quasi in illa impleretur. *Quae post quadringentos et triginta annos facta est lex.* Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit 430 annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti, ut Scriptura testatur Exodi. Quorum tamen summam annorum, chronographi a 75 anno nativitatis Abraham, quo terram repromissionis intravit, [Col. 0187C] computant sequentes editionem Septuaginta interpretum, quae dicit: *Habitatio autem filiorum Israel, quam habitaverunt in Aegypto, et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum anni 430.* Quam necessario sequendam et ipsa Hebraica veritas ostendit, quae narrat Caath filium Levi, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixisse annos 133, et filium

Amram patrem Moysi annos 137, et ipsum Moysen 80 fuisse annorum tempore egressionis de Aegypto, quia nimirum horum summam annorum constat 430 implere non posse. Annuit autem horum translationi et Apostolus, cum ait: *Abrahae dictae sunt promissiones, etc.* Abrahae autem per repromissionem, id est, non per legem, quae nondum erat, sed per repromissionem: ut: *In semine tuo benedicentur* [Col. 0187D] omnes termini terrae.

Quid igitur lex? propter transgressionem posita est. A latere venientem quaestionem sibi ipse proponit: Quare ergo data est lex, dum non illa promissio est, nec implet promissionem, nemoque per eam salvatur? ad quod respondet: *Lexpropter transgressionem posita est, et mortis pignus fuit, donec veniret semen.* Hic autem hyperbaton est, ex omni parte confusum, est enim hic ordo: Lex posita in manu mediatoris propter transgressionem, disposita per angelos. *Disposita per angelos.* Quia per angelos lex ministrabatur. *In manu mediatoris.* Sive Moysi, ut quidam putant. Nam et Moyses, aiunt, inter Deum et populum medius fuit; sive Christi. *Deus autem.* [Col. 0188A] Id est, Christus. *Unus est.* Ideo hoc addidit, ne quis putaret Christum ab unitate divinae naturae divisum, quia mediatoris suscepisset officium. *Lex ergo adversus promissa Dei? absit.* Quia nec lex prohibuit, ut promissa quae praedicta sunt postea complerentur.

Sed conclusit. Id est, deprehendit. Ostendit arguendo peccata, quia vetus lex pestem non detulerat, sed ostendit omnia sub peccato, dicendo: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, id est Veteris Testamenti. Ut repromissio.* Id est, *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ex fide. Id est, ut sola fide salvarentur credentes. *Sub lege custodiebamur.* Hoc est, servabamur a lege huic fidei, quae erat suo tempore revelanda. *Conclusi.* Id est, unius [Col. 0188B] Dei. *Itaque lex paedagogus.* Ad disciplinam nos arctius retentans perfectam doctrinam vero magistro reservabat. *Non sub paedagogo sumus.* Nam perfectae aetatis discipuli non indigent paedagogo. *Omnes enim filii Dei estis.* Ad hoc valet, ne Gentes de se desperarent, quia non custodiebantur sub paedagogo, et ideo se filios non putarent, sed per fidem induendo Christum omnes fiunt filii, non natura, ut unicus qui etiam sapientia Dei est, praestante mediatoris fide, quam fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut Christo induti sint, qui in Christum crediderunt, et ideo Dei filii fratresque mediatoris effecti, in qua fide non est distantia Judaei neque Graeci.

Non est Judaeus neque Graecus. Ante enim non solum inter Judaeum et Graecum, sed etiam inter [Col. 0188C] tribum et tribum erat diversitas magna. Sed notandum, quod in hoc tres differentias, generis videlicet, conditionis, et sexus posuit. *Omnes enim vos unum.* Etsi omnes unum corpus Christi effecti estis. *Abrahae semen ejus.* Ut tres haeredes non ex carnali semine, sed ex divina promissione generati.

CAPUT IV.

Dico autem quandiu parvulus est. Parvulus filius vel populus, propter unam fidem ad unum semen Abrahae pertinens, sed partim sub paedagogo fuit ex parte Judaeorum,

partim sub elementis hujus mundi, quibus tanquam procuratoribus serviebant ex parte Gentium. *Nihil differt a servo.* Quia filius sub correctione disciplinae, est quomodo servus. *Sed* [Col. 0188D] sub curatoribus. Qui haereditatem puero custodiunt.

Et actoribus. Qui eum ad bonos mores cogunt. Item, sub tutoribus, vel angelis, vel prophetis, quorum verbis in adventum Salvatoris quotidie erudiebantur.

Sub elementis hujus mundi. Quibus quasi diis usque ad adventum Christi Gentiles serviebant. Alii legem et eloquia prophetarum, quibus quasi quodam alphabeto erudiebantur, dicunt. *Factum sub lege, quia circumcisus est, et hostia pro illo oblata est, quia si sub lege factus non esset, Judaei in eum credere non poterant. Ut adoptionem filiorum.* Nos enim beneficio et dignatione misericordiae ejus Dei sumus filii. *Reciperemus.* Non accipiamus, sed recipiamus, [Col. 0189A] ut significaret et hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. *Clamantem.* Nos clamare suscitantem. *Abba pater.* Consuetudo Scripturae est, ut Hebraeum verbum cum interpretatione ponat, ut in Genesi est, *mesech vernaculus.* Imo cogniti estis a Deo. Quia non illum vos quaesistis, sed ille vos perditos requisivit: non quod tunc cognovisset illos Deus, praecognitos videlicet ante constitutionem mundi, sed quia tunc ipsi eum illius munere, non suo merito vel facultate cognoverant. Maluit Apostolus tropice loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, cum eis cognoscendum se praestitit, et maluit verbum suum corrigere quo dixit: *Nunc autem cognoscentes Deum, quasi hoc minus recte dixerit,* quod proprie dixerat, et dicere *imo cogniti estis ab eo,* [Col. 0189B] quam sine revocatione sibi arrogare se potuisse quod eis posse ille donaverat. *Ad infirma et egena elementa.* Quae nunc infirma et egena dicit, superius mundi elementa posuit. Infirma autem dicuntur, quia nihil possunt his qui se adorant. Egena vero, quod divina gubernatione egeant. *Dies observatis.* Sunt quaedam quae levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis aestimaret enim quod magnum peccatum sit dies observare et menses, et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis, volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum doctrinas vanas hominum fausta vel infausta existimentur tempora, nisi mali hujus magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus? qui talibus [Col. 0189C] ait: *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Nibil enim profeci vos faciendo Christianos, si ista iterum observetis.

Estote sicut et ego. Vel veteres errores relinquite, sicut et ego reliqui, vel in omnibus imitatores mei estote. *Quoniam et ego sicut et vos.* Id est, errans fui aliquando, vel homo sum sicut et vos. *Nihil me laesistis.* Id est, ut merito putaretis me inimicitiarum, et non salutis vestrae causa moveri. Laedit discipulus magistrum, si per negligentiam suam praecepta ejus laboremque disperdat. *Scitis quia per infirmitatem carnis.* Vel passionibus, vel dolore corporis; ac si diceret: Ideo dico quod non me laesistis, quia quomodo vobis praedicavi infirmus fui, et tamen nec me tunc laesistis, neque sprevistis, sed mihi compassi [Col. 0189D] estis.

Et tentationem vestram. Tentati sunt enim cum persecutionem pateretur Apostolus, utrum desererent eum, an charitate amplecterentur; et dicit: Neque sprevistis, ut non susciperetis communionem periculi mei: grandis itaque tentatio discipuli est, si vir

sanctus aut infirmetur, aut impune laedatur.

Quae ergo est beatitudo vestra? Vel illa quam in vobis in initiis laudabam, nunc nulla est. Quoniam si fieri posset oculos eruissetis. Hoc hyperbolice pro maxima dilectione dictum est. *Verum praedicans vobis.* Non quidquid verum, sed ut non circumcidantur. *Aemulantur vos.* Id est, invident vobis, qui [Col. 0190A] carnales vos de spiritualibus facere conantur. *Non bene.* Id est, dum seducere vos volunt. *Ut illos aemulemini.* Id est, ut sub jugo legis teneamini. *Charismata.* Id est, dona. *Aemulamini.* Id est, sectamini. *Filioli mei quos iterum parturio.* Id est, per hanc epistolam, quia prius parturivi vos per evangelium genitos in lucem veritatis, sed eundo in veterem legem, vanasque hominum doctrinas, novam vitam, Christique formam perdidistis; sed nunc vos iterum parturio, ut per poenitentiam renascamini. *Et mutare vocem.* Id est, quia magis viva quam mortua prodest.

Quoniam confundor in vobis. Confunditur, quia filii effecti servi esse coeperunt. *Quoniam Abraham duos filios habuit.* Dedit autem regulam ex hoc loco [Col. 0190B] Apostolus, intelligendi allegoricas rationes, scilicet ut manente historiae veritate, figuras Testamenti Veteris exponamus; nam cum dixisset Abraham duas uxores verissime habere, postea quae praefiguraverint demonstravit.

Unum. Ismael. *De ancilla.* Id est, de Agar Aegyptia. *Et unum.* Isaac. *De libera.* Id est, Sara. *Secundum carnem.* Id est, secundum usum carnalem Ismael natus est, quia Abraham carnalem concupiscentiam in juventute habens, de juvenili ancilla eum genuit, ... * enim repromissionis suscitavit illum ex senili praesterilique matre, aliud ex alio significantia, quia qui litteram sequitur, filius est Agar; qui vero intelligentiam spiritualem, filius liberae. *Nam haec sunt testamenta.* Per ancillam vetus lex [Col. 0190C] designatur: per liberam, nova lex; filii autem Agar, filii Veteris legis sunt, in servitutem generantis: filii autem liberae, filii Novi Testamenti intelliguntur. *In servitutem generans.* Judaei metu etiam in praesenti cogebantur ut servi; nos vero praemiis invitamur ut liberi. *Sina enim mons est in Arabia.* Hoc dicit, quia sicut confinis est Sina et Hierusalem, terminus enim tribus Juda pertingit Sina montem, qui est in extremo Arabiae, ita utraque conveniunt in figuram Agar, id est, Veteris Testamenti. Sina videlicet in quo lex data est, et Hierusalem in qua lex custodita et impleta est. *Serviens.* Terrestris Hierusalem. *Cum filiis suis.* Id est, Judaeis. Item secundum Ambrosium apta est similitudo Agar ad [Col. 0190D] Vetus Testamentum, eo quod in illo sit data loco, qui locus ad gentem pertinet illam, unde erat et Agar: Agar enim Aegyptia erat, et tamen ex Arabia fuerat, quoniam non modica pars Aegypti in Arabia concludebatur. Nam quod dicit: *Affinis est ejus, qui nunc est Hierusalem, de Agar dicitur, quoniam illa quae apud nos est Hierusalem, hoc est, quae in saeculo hoc esse videtur, aequam virtutem habet ad Agar.* Sara autem Hierusalem coelestem significat. Quod autem dicit:

Et servit cum filiis suis. Non de Agar dicit, sed ad testamentum quod datum est in Sina redigit illud. *Quae autem sursum est Hierusalem.* Id est, quam praefiguravit Sara cum filio, vel spiritualis Ecclesia, quae mater est, tam Gentilium credentium, quam [Col. 0191A] etiam Judaeorum, cujus filii servi esse non possunt: bene autem addit *sursum, quia Christiana Ecclesia spe et conversatione coelesti desiderio sublevabatur,* ut *nostra*

conversatio in coelis est **(Phil. III)**. Quatuor figurae, ut historia, allegoria, tropologia, anagoge, hoc solo nomine quod est Hierusalem significantur. Nam secundum historiam civitas est Judaeorum; secundum allegoriam Ecclesia Christi; secundum anagogen civitas Dei illa coelestis, quae est mater omnium nostrum; secundum tropologiam anima hominis, quae frequenter hoc nomine aut increpatur, aut laudatur a Domino. *Laetare sterilis.* Hoc in Isaia scriptum est **(Isai. LIV)**. Hoc autem vel Ecclesiae ex Gentibus, vel Hierusalem coelesti congruenter aptatur: utraque enim sterilis erat, Ecclesia [Col. 0191B] quidem Gentium, quod nec spirituales per baptismum filios Deo peperit; nec non coelestis Hierusalem apostaticis angelis derelicta, hominibusque vacua usque ad adventum Salvatoris sterilis permanebat.

Quae non paris. Pro non pariebas. *Erumpe.* In gaudium. *Et clama.* Id est, in tuba doctrinae, vel jubilo laetitiae exsulta. *Desertae, id est, Ecclesiae. Quam ejus, id est, synagogae, vel terrestris Hierusalem. Quae habet virum, id est, sermonem legis. Persequebatur eum, id est, Isaac:* In Genesi quidem hoc scriptum est: *Quia luserit cum Isaac Ismael* **(Gen. XXI)**. Sed Apostolus ostendit, non simplicem lusum fuisse, quem persecutionem appellat: unum intelligitur, quia scurrilem eum et levem, sicut ipse erat, [Col. 0191C] facere cupiebat, ne illi posset in haereditate praeferri, ideo Abraham de ejiciendo eo vocem Sarae jubetur audire.

Secundum spiritum. Id est, secundum promissionem et virtutem spiritus. *Ita et nunc.* Hoc est, ita et isti servos sibi similes vos facere nituntur. *Non enim haeres erit.* Sic filii circumcisionis increduli atque haeretici, cum filiis gratiae Novi Testamenti haeredes non erunt.

CAPUT V.

State. Id est, in fide Evangelii. *Christus vobis nihil proderit.* Si solum illum ad salutem vestram sufficere non putetis. *Quoniam debitor est universae legis.* Qui caput operum legis, vel circumcisionem suscipit, necesse est ut caetera membra sustineat, [Col. 0191D] ne maledictioni subjaceat. *Nos enim in spiritu.* Vel spirituali gratia et conversatione, non littera.

Neque praeputium. Id est, ne aliquis praeputium tantum sufficere putaret circumcisione evacuata. *Currebatis.* Id est, fidei passibus. *Persuasio vestra non ex eo est, qui vos vocavit.* Persuasio haec, quam nunc sequimini, non est ex eo qui in principio vos vocavit, sed ex his qui postea vos conturbarunt: Non ut male in Latinis codicibus legitur, *persuasio vestra ex Deo est.* Modicum fermentum totam massam fermentat. Ne quis diceret: Cur omnes corripis, cum non omnes erraverunt? Ostendit quod modicum erroris fermentum totam possit Ecclesiae massam corrumpere. Parva scintilla moenia urbis, latissimos [Col. 0192A] saltus, regiones consumit; unius pecudis scabies totum maculat gregem. Ita doctrina perversa ab uno egrediens, multos invadit auctores. *Fermentat* [Ζυμοῖ]. Non ut male in Latinis codicibus, *corrumpit.* Ego confido de vobis in Domino. Non per conjecturam, sed spiritu prophetico pronuntiat, Galatas ad veritatis viam reversuros. *Nihil aliud sapio.* Id est, nisi quod doceo per epistolam. *Si circumcisionem*

praedico. Hoc ideo dicit, quia quidam ex ipsis dicebant, quod Paulus observaret circumcisionem, dum circumcidit Timotheum. *Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Vel scandalum quod patior propter praedicationem crucis evacuatum est, si non crucem praedico, sed circumcisionem. *Utinam abscindantur.* Hoc est, utinam a malo in bonum convertantur, vel [Col. 0192B] utinam totis potius virilibus suis castrentur, qui modicam corporis sui partem circumcidi praedicant. Aliter, utinam aliqua vindicta tales a vobis penitus separentur, ne vos ultra conturbent.

Vos enim in libertatem vocati estis. Potest locus iste sic melius explanari, quasi unum corpus se invicem complectens et non discrepans. *Fratres, de servitute legis vocati estis.* In libertatem evangelii. Unum obsecro vos, ne libertate pro licentia abutamini, detisque occasionem carni et luxuriae; quin potius discite, quia libertas haec major sit servitus. An lex ab invitis extorquebat obsequium hoc?

Per charitatem vobis serviatis invicem. Vos autem, fratres, propterea secundum legem spiritualem debetis [Col. 0192C] vivere, ut desideria carnis non perficiatis. Caro enim frigus timet, fame attenuatur et vigiliis, etc. E contra spiritus quae carni contraria sunt expetit. Ita fit, ut non ideo quia sub servitute legis esse cessastis, putetis vos esse liberos, quia non statim etsi lex non imperat natura cessavit, non enim ita de servitute in libertatem vocati sumus, ut carni serviamus. *Sed per charitatem spiritus.* Id est, non superbiam insinuo sub specie libertatis, sed spontaneum volo esse servitium. *Quod si mordetis.* Id est, oculum reddentes pro oculo, vel blasphemiam. *Ne ab invicem consummamini.* Id est, ne aliquis alicui causa mortis existat. *Spiritu ambulate.* Id est, spiritualibus desideriis et operibus. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Non quod caro sine anima concupiscat, [Col. 0192D] sed ipsa anima, quoniam carnalia cogitat, caro dicitur: quoniam vero spiritualia, unus cum Deo fit spiritus. Item *caro concupiscit adversus spiritum, hoc est Scripturae carneus intellectus adversus allegoriam spiritualem.* In hoc loco carnem non hominem, vel non hominis substantiam, sed voluntatem carnis et desideria pessima debemus accipere, sicut spiritum non aliquam substantiam, sed animae desideria bona et spiritualia designare, quem idem Apostolus superius evidenter expressit, ita incipiens: *Dico hoc, spiritu ambulate, et desideria carnis ne perficiatis.*

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Spirituali, vel Spiritu sancto. *Manifesta autem sunt opera* [Col. 0193A] *carnis.* His tantum manifesta sunt, qui in Christo credunt. Plurimi quippe gentilium in suis ignominiis gloriantur. Hic opera carnis magis videntur mihi ad simplicem carnem, et spiritus intelligentiam, quam ad carnem legis, et parvulos in Christo referri. *Adulterium.* Superflue in Latinis codicibus legitur, *adulterium.*

Fornicatio. A legitimo conjugio declinatio. *Immunditia.* Ut masculi in masculos turpitudinem operantes.

Luxuria. Quae in duas species, in gulam et fornicationem dividitur. *Irae.* Inter iracundiam et iram hoc interest, quod iracundus semper, iratus pro tempore concitatur. Quaerendum est quomodo haec opera carnis vocat, cum multa ex his etiam animae sint [Col. 0193B] opera, sicuti ira, et caetera similia. Itaque quo modo caro, id est, carnale desiderium regnat, etiam animae opera illi deputantur: quomodo vero spiritus regnat, si

qua bona opera caro fecerit, in fructibus spiritus reputantur. *Sicut praedixi.* Cum praesens inter vos eram. *Fructus spiritus est charitas.* Mater in primis debuit numerari. *Gaudium.* Spirituale. *Pax.* Etiam cum odientibus pacem. *Patientia.* Multas injurias patienter sustinere. *Benignitas.* Semper bene velle facere.

Bonitas. Bonum facere omnibus. *Modestia.* Nulli injuriam irrogare. *Lenitas.* Nec laesus irasci. *Continentia.* In cibo et conjugio. *Castitas.* Virginitas corporis et mentis. *Adversus hujusmodi virtutes non est lex.* Non enim ista lex prohibet, sed qui talibus [Col. 0193C] pollent supra legem sunt. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Si omnia simul vitia sunt crucifixa, si et caro quasi pendens in ligno non concupiscit, ad quid est nobis lex necessaria, quae data est ad vitia coercenda?

CAPUT VI.

Si autem spiritu vivimus. Hoc est, si spiritualem vitam habemus, spiritualiter conversemur, et non legi carnaliter serviamus. Inanis gloriae cupidus est, qui alterius quamvis veram doctrinam evacuare conatur. *Provocantes alios in iram.* Instigantes. *Fratres, etsi occupatus fuerit homo.* Hoc illis dicit, qui non fuerant persuasi, ut praeventos corrigant mansuete. *Considerans teipsum.* Hic Paulus ab aliis [Col. 0193D] arguitur, quod post pluralem singularem numerum posuit; sed tamen Hebraeus in vernaculo doctissimus profundos sensus aliena exprimere lingua non valet, nec curabat magnopere de verbis, cum sensum haberet in tuto. *Ne et tu tenteris.* Quia et ipse homo cum sis, potes in aliquo praeveniri, et adjutorio indigere, sicut sani infirmos sustinent, et mortuos sepeliunt, quia et ipsi infirmari et mori posse se credunt. *Invicem onera vestra portate.* Compatiendo peccantibus. [Col. 0194A] *Legem Christi.* Lex Christi charitas est, ut: *Mandatum novum do vobis.* Nam si quis ex Israel. Qui se putat non posse tentari, sive qui plus de se laudanti se quam conscientiae credit. *Cum nihil sit.* Eo ipso quo arrogans est. *Probet.* Id est, conscientiae testimonio examinet. *In semetipso.* Id est, in sua conscientia. *Et non in altero.* Id est, in alterius adulatione. Bonum enim alterius non illum adjuvat, sicut nec malum ejus illum infuscat. *Onus suum portabit.* Id est, qui meruerit vindictam, sustinebit eam, sic et qui praemium. *Communicat autem is qui catechizatur.* Superius spirituales docuerat, ut instruerent in spiritu lenitatis; nunc imbecillioribus imperat, ut sicut ipsi a magistris spiritualia metunt, sic magistris carnalia praebeant. *Nolite errare.* Ac si [Col. 0194B] aliquis diceret: Non habeo unde doctori meo communicem. *Deus non deridetur.* Ipse scit si habes, an non.

Quae enim seminaverit homo. Roborat eos ad considerationem earum rerum quas non vident, per eas quas vident. *In carne sua.* Id est, in carnalibus desideriis. Aut *in carne sua, id est, in avaritia carnali non communicando doctori. De carne metet.* De ipsa avaritia. *Corruptionem.* Id est, defectionem divitiarum. *In spiritu.* Id est, in spiritualibus desideriis, vel in spirituali largitate. *Metet vitam.* Largitatis retributionem. *Non deficientes.* Indeficientem enim justitiam indeficiens praemium subsequitur: qui enim perseverarit usque in finem, salvus erit. *Ad domesticos fidei.* Domesticos fidei supradictos magistros [Col. 0194C] nominavit. *Videte qualibus litteris scripsi mea manu.* Intelligite si istae litterae carnalem circumcisionem probant an non. Ab hoc loco usque

ad finem manu sua scripsit, ostendens superiora ab aliquo arata.

Quicunque placere volunt. Id est, quicunque Judaeis carnalibus placere desiderant. *In carne.* Id est, in littera carnali. *Non patiantur.* Scilicet a Judaeis. *Ut in vestra carne glorientur.* Hoc est, de carne vestra circumcisa laudem apud Judaeos habeant, sive quod discipulos ad se traxerint. *Nisi in cruce.* Id est, in carne vestra gloriabor, nec in mea doctrina, sed in fide crucis, per quam mihi omnia peccata dimissa sunt, ut ego mundo morerer et ille mihi.

Mundus Crucifixus est. Ut me non teneat. *Et ego* [Col. 0194D] *mundo.* Ut eum quasi mortuum non teneam, neque concupiscam.

Sed nova creatura. Id est, si quis renatus in Christo nova conversatione utatur. *De caetero nemo mihi molestus sit.* Id est, nemo mihi resistat interrogando, Quare hoc dicis? *Ego enim stigmata.* Id est, signa et characteres non circumcisionis, sed crucis et passionis Domini in corpore meo circumfero, ut, *Ter virgis caesus sum, et reliqua.*

V. IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

[Col. 0195A]

CAPUT PRIMUM.

Refert Scriptura, testante Hieronymo, quod Paulus Ephesi triennio praedicaverit Jesum Christum. Inter omnes Pauli Epistolas vel maxime et verbis et sensu involuta est. *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Id est, ex voluntate Dei Patris. Ergo per voluntatem Dei, non meis meritis. *Sanctis.* Non omnibus Ephesiis, sed his qui credunt in Christo. *Et fidelibus.* Omnes sancti fideles sunt, non omnes fideles sancti. Qui etiam catechumeni possunt ex eo quod Christo credunt fideles dici, non tamen sancti sunt, quia non sunt per baptismum sanctificati. Non solum ergo sanctis, sed etiam fidelibus, qui non adhuc sanctificati sunt, Paulus gratiam Christi exoptat.[Col. 0195B]

Qui sunt in Christo Jesu. Plures fideles sunt, sed non in Christo: verbi gratia, si quis fideliter reddat depositum. Ad distinctionem ergo posuit, in Christo. *Gratia vobis et pax.* Gratia et pax, sive utrumque tam ad Patrem quam ad Dominum Jesum, sive ad singulos singula referenda sunt, ut gratia ad Deum Patrem, pax vero referatur ad Christum, siquidem sequitur: *In laudem et gloriam, et gratiam, in qua gratificavit nos in dilecto, ut gratia Patris sit, quod filium pro salute nostra mittere dignatus est;* pax vero Filii, in eo quod per ipsum Patri reconciliati sumus, destructo medio pariete. *Benedictus Deus.* Quod nos benedictos facit. Laudat Deum, quod donaverit infra scripta. *Et Pater Domini nostri.* Hoc est, qui est et Pater Domini nostri Jesu Christi, vel benedictus [Col. 0195C] Deus ejus qui assumptus est hominis, et Pater ejus qui in principio apud Deum erat. *Qui benedixit nos omni benedictione salutari.* Vel in omni abundantia et gratia, non in una, sed in cunctis benedictionibus; non quod omnes omnia consequamur, sed dum singuli singulas, vel plures habemus, omnes per singulas

possidemus. *In coelestibus.* Id est, ipse Deus qui est in coelestibus. Aliter, non in carnali prosperitate, nec in terrena abundantia, sed in coelestibus donis virtutibusque nos benedixit. *In Christo Jesu.* In capite namque omnia membra benedixit. *Sicut elegit nos in ipso.* Sic nos benedixit, sicut elegit nos. *Ante mundi constitutionem.* Cui omnia futura praesentia facta sunt.

Ut essemus sancti et immaculati coram ipso. Id est, [Col. 0195D] non in hypocrisi coram hominibus. Quaerendum quare hoc dicat, cum scriptum sit: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* **(Psal. CXLII)**, in praesenti scilicet vita. Caeterum ad hoc nos elegit, ut essemus sancti et immaculati in futura vita, quoniam Ecclesia Christi non habebit maculam, neque rugam, licet etiam in praesenti vita justi, et sancti, [Col. 0196A] et immaculati, quamvis non ex toto, tamen ex parte non inconvenienter dici possunt. Inter sanctum et immaculatum hoc interest, quod sanctus immaculatus quoque intelligi potest, immaculatus vero non statim sanctus, sed sicut parvuli quoque immaculati sunt, qui integri sunt corpore, tamen non sancti, quia sanctitas voluntate comparatur. *In adoptionem filiorum.* Nam Salvator ejus natura filius est, nos vero adoptione. *In ipsum.* Id est, Christum, ut simus membra ipsius. *Secundum propositum vero sanctum.* Id est, non secundum meritum nostrum. *In laudem.* Id est in gloriam, id est, ut laudemus gloriam gratiae ipsius. *In qua gratificavit nos.* Id est, in qua gratos nos sibi fecit.

In dilecto. Ab omnibus subauditur: nam etiam ab [Col. 0196B] impiis Christus diligitur. Nam cum sit Christus sapientia veritas, pax, gaudium, quis hunc etiam impiissimus non diligat? *Secundum divitias cognitionis gloriae.* Id est, ut *Copiosa apud Deum redemptio* **(Psal. CXXIX)**. *Quae superabundavit in nos.* Hoc est plus quam abundavit, ut non solum a morte redemptis gratis peccata dimitteret, sed etiam tantam nobis sapientiam donaret, ut voluntatis ejus occulta mysteria nosceremus. *In omnia sapientia.* Visibilium et invisibilium. *Et scientia.* Tantum visibilium: non tamen in nobis est haec omnis sapientia et scientia, sed in Deo. *Mysterium voluntatis.* Scilicet redemptionem nostram per suum sanguinem. Sed Deus in omni sapientia sua haec fecit.[Col. 0196C]

Quod proposuit in eo. Inter propositum et praedestinationem hoc interest, quod praedestinatio est alicujus rei praefiguratio, multos annos in mente ejus qui destinat quod futurum sit. Propositum vero, cum vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequitur effectus. Item praedestinatio est gratiae praeparatio: gratia vero est ipsa donatio. *In dispensatione plenitudo temporis.* Id est, postquam venit plenitudo temporum, quoniam omnis jam dispensatio temporum legis et naturae, prophetarumque transacta est.

Recapitulare omnia in Christo. Pro *recapitulare in* Latino codice scriptum est *restaurare.* Sensus atque in praesenti loco iste est: Omnis dispensatio quae ante mundum, et postea coepit esse in mundo, tam [Col. 0196D] invisibilium, quam visibilium creaturarum, adventum Domini pollicebatur. Itaque universa mysteria et omnis dispensatio vetustatis, non solum quae in terris, sed etiam quae in coelis, in Christi passione brevi recapitulatione completa sunt. Verbi gratia: Sicut Isaac oblatus praefigurat Salvatorem **(Gen. XXII)**, et Abel a Cain occisus. Instaurantur quae in [Col. 0197A] coelis sunt, cum id quod in angelis lapsum est, ex hominibus redditur.

Instaurantur vero quae in terra sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt in aeternam vitam, a corruptione vetustatis renovantur. *In quo etiam nos sorte.* Id est, gratuita gratia. *Vocati sumus.* Id est, qui nos qui ex Judaeis Christo credimus. *Praedestinati.* Id est, praeparati.

Nos qui ante speravimus in Christo. Nos apostoli vel Judaei, qui priores Gentibus credidimus Christo, sive ex lege exspectavimus Christum. *In quo et vos charissimi.* In quo etiam vobis Gentibus annuntiata est salus. Hucusque alloquitur specialiter qui in Epheso erant Judaeos, de sacramento incarnationis Christi; deinde Gentes, ut sint grati de beneficiis Dei. *Signati estis.* Ubi imago quae perdita est, reparata est. Primus [Col. 0197B] homo ad imaginem et similitudinem Dei conditus est; secundus in secunda generatione cum Spiritum sanctum acceperit, figuram Conditoris accepit. *Spiritu promissionis.* Qui omni carni per Joelem prophetam promissus est: *Ut effundam de spiritu meo super omnem carnem.*

In redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. Quos redimendo suo sanguine acquisivit, ut etiam in hoc laudemus gloriam ejus, quod non Deo, sed laudatoribus prosit. *Non cesso gratias agens.* Non cesso agens et faciens, per soloecismum, pro, *non cesso gratias agere et facere.* Notandum vero, quia fidem et charitatem habentibus, sapientiam a Deo deprecatur: noverat enim eam adjutricem omnium esse virtutum. *Pater gloriae.* Id est, secundum [Col. 0197C] divinitatem. Christus enim gloria Patris est, sicut et sapientia. *Deus Domini nostri.* Id est, secundum carnem. *Et revelationis.* Id est, ut revelata facie gloriam Domini contemplemini. *In agnitionem ejus.* Id est, ut perfecte cognoscatis magnitudinem ejus atque virtutem, qua potest promissa praemia, vel implere poenas. Magnitudinem, qua cum ubique sit, nihil eum potest omnino latere; qui enim hoc cognoverit pro certo, nullo poterit in loco peccare; nam qui humanum testimonium erubescit, multo magis divinum poterit revereri. Unde et Joannes apostolus omnem qui peccat, Deum non cognovisse confirmat. *Oculos cordis.* Id est, non corporis: spiritualia enim promissa non nisi spiritualibus oculis pervidentur. *Ut sciatis quae sit species vocationis.* [Col. 0197D] Si enim sciretis ad quantam spem vocati estis, omnem spem saeculi facile contemnetis: et si divitias haereditatis Dei videretis, omnis terrena vobis horrebit haereditas. Nemo enim regnum cum opibus suis sperans curator esse, et mediocrem substantiam possidere dignatur. *Et constituens ad dexteram suam.* Non quod Pater solium ponat et in eo sedeat, et Filium ad dexteram habeat, sed per humanam similitudinem potentiam demonstrat divinam. *Super omnem principatum, et potestatem, et virtutem et dominationem.* Novem angelorum scimus ordines, angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim, seraphim. Qui minima nuntiant, angeli; qui summa, archangeli vocantur. Virtutes, [Col. 0198A] per quos signa et miracula fiunt. Potestates, super virtutes adversas, quorum potestate virtutes adversae refrenantur, ne corda hominum quantum volunt tentent. Principatus, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus praesunt. Dominationes sunt, qui etiam principatus et potestates dissimilitudine alta conscendunt, quibus caetera agmina ad obedientiam subjecta sunt. Throni sunt, qui tanta divinitatis gratia replentur ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia discernat. Cherubim quoque, id est, plenitudo scientiae sunt qui tanto perfectiori scientia pleni sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur. Seraphim autem, id est ardentes vel incendentes,

qui tanto magis Conditoris sui ardent amore, quanto hunc vicinius vident, inter quos et [Col. 0198B] Deum nulli alii spiritus intersunt. *Et dedit ei nomen.* Id est, filius. *Quod est super omne nomen.* Ut: *Magnificasti super omne nomen sanctum tuum* **(Psal. CXXXVII)**. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Id est, sub dominatione humanitatis ejus: contrarium videtur esse, quod alibi ait: *Necdum videmus ei omnia subjecta, etc.* Aut secundum praescientiam id quod futurum est, quasi jam factum esset commemorat, secundum eum sensum, quem exposuimus: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus;* aut certe si de praeterito accipiendum est, sic debemus accipere, quod etiam ea quae non sunt ejus voluntati subjecta, naturae conditione deserviunt: verbi causa, daemones, Judaei, Gentiles. Sic intellige: *Et dedit caput super omnem Ecclesiam.* [Col. 0198C] Id est, non solum hominum, sed etiam angelorum. *Qui per omnia in omnibus adimpletur.* Nam quando omnes crediderint, tunc erit corpus ejus perfectum in omnibus membris; totus enim in membris omnibus, non in singulis adimpletur, ne ulla sit diversitas membrorum; aut omnia, id est, dona in omnibus, quia singula dona, vel plura per partes sunt in singulis. Nam in alio Deus justitia est, in alio castitas, in alio temperantia est.

CAPUT II.

Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris. Incipit collecta beneficia replicare, ut ad officium mandatorum ex contemplatione donatae indulgentiae avidius concitentur, παραπτώματα hoc est, delicta, quasi initia peccatorum sunt, dum cogitatio tacita [Col. 0198D] subrepit; ἁμαρτία vero peccata sunt, cum quod opere consummatum pervenit ad finem. *Secundum principem.* Id est, diabolum. Multi sane opinantur quod diabolus in hoc aere satellitibus suis ad decipiendos diversis peccatis homines diviserit potestatem. *Et cogitationum.* In Graeco mentium [διανοιῶν], quod ad dogmata pertinet contraria veritati. *Et eramus natura filii irae.* Id est, quod ab adolescentia mens hominum apposita sit ad malitiam: non est enim homo qui non peccet. Filii irae, sive perditionis, sive diaboli, qui ira dicitur, propter eam quam exercet adversus homines feritatem. *Deus hoc.* Hoc vocat. *Per multam charitatem.* Nimiae charitatis est, rebelles servos quasi filios diligere. *Convivificabit* [Col. 0199A] *nos.* Id est, in justitia peccata per baptismum et fidem dimittendo et purgando. *Et conresuscitabit.* Quia quod in capite praecessit, certum est in membris aliquando futurum. *Simulque fecit.* Pro faciet. *Abundantes divitias.* Id est, quod daturus sit, quae nec oculus vidit nec auris audivit. Vere abundans gratia est, quae nec solum peccata donavit, sed etiam cum Christo resuscitatos in dextra Dei in coelestibus collocabit. *Per fidem.* Id est, non per opera. Sed ne sibi salutem ipsam fide arrogaret securus, adjunxit: *Et hoc non ex vobis, quoniam ipsa fides non ex vobis, sed ex eo qui vocavit nos. Ne quis glorietur.* Id est, suis meritis, et non a Deo esse salvatum. *Creati in Christo.* Id est, renati per baptismum. *Memores itaque estote.* Commemorat [Col. 0199B] illos de quanta ignobilitate ad summam regni producti sint dignitatem, ut non sint ingrati beneficiis largitoris. *Quae dicitur circumcisio.* Id est, non virtute, sed nomine. *In carne.* Id est, non spiritu. *Manufacta.* Id est, manu humana facta, non spiritu Dei in corde.

Alienati a conversatione Israel. Id est, qui tunc erat populus Dei. *Et peregrini.* Etiamsi

ex parte credebatis, proselyti tamen, id est, advenae habebamini. *Sine Deo.* Errantes. *In hoc mundo.* Nullos falsos Deos colentes, unum verum Deum amisistis. *Gratis longe.* Deus cum ubique sit praesens, longe tamen ab impiis dicitur.

Facti estis prope. Id est, ut Judaeis aequaremini, qui cum Deo erant. *In sanguine Christi.* Id est, [Col. 0199C] credendo vos ejus sanguine et passione liberatos. *Ipse est enim pax nostra.* Ipse est reconciliatio utriusque populi adinvicem et ad Deum. *Et medium parietem maceriae.* Medius paries, et sepis, et materia onera legis erant, duos populos dividentia, et ideo ipse paries inimicitiae nominantur.

Solvens inimicitias. Id est, circumcisionem, etc., quae non tam Dei voluntas, quam temporis ratio a populi duritia exegerat. Aliter, solvens inimicitiam, id est, sapientiam carnis, quae inimica est Deo. *In carne sua.* Id est, passione carnis suae. *Legem mandatorum.* Id est, in qua sunt mandata, circumcisio, et sabbata, et neomeniae. *Decretis.* Id est Evangelii dogmatibus evacuans. Item, *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Caeterum tota intelligentia ad [Col. 0199D] angelos transferenda est, virtutesque coelorum, et ad animas humanas, quod in suo sanguine terrena et coelestia copulavit, quae inter se ante dissidebant, et bonus pastor morbidam ad montes revectans ovem, fecerit esse cum caeteris; atque ita crux Domini non solum terrestribus, sed etiam coelestibus profuit. Idem in expositione Habacuc: *Ipse solvit enim medium parietem Israel, id est, obscuritatem veterum prophetarum, et omnia antiquae legis aperuit sacramenta.* Quod autem ait, *Ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, magis videtur superiori de Judaeis et Gentibus sensui convenire, sic intellige:* Hominem juxta imaginem et similitudinem Dei factum, eamdem per reconciliationem [Col. 0200A] formam recepturum, quam et nunc angeli habent, et ipse perdiderit; *novum* autem *hominem, qui quotidie renovatur et habitaturus est in novo mundo.* Aliter, *in unum novum hominem, id est, in unum populum Christianum effectum:* in uno spiritu pulchre tres personas dicit. *In accessu duorum populorum.* Id est, totius Christiani populi generis humani. *Ergo jam non estis hospites.* Ad id quod praemiserat: *hospites testamentorum Dei, nunc respondet: Sed estis cives.* Praemiserat, *alienati a conversatione Israel.* Hic locus adversum eos vel maxime facit, qui diversas naturas nituntur introducere. Quomodo enim peregrini facti sunt cives sanctorum, et quomodo domestici Dei fuerunt quondam alienati a conversatione Israel, si non potest natura vel in [Col. 0200B] melius, vel in pejus mutari? *Supra fundamentum apostolorum.* Apostoli fundamentum sunt, vel Christus fundamentum est apostolorum. Christus est fundamentum qui etiam lapis dicitur angularis, duos conjungens et continens parietes. Ideo hic fundamentum et summus est lapis, quia in ipso et fundatur, et consummatur Ecclesia. Summus hic angularis lapis, quia populum utrumque continet; sive juxta interpretationem coelestia jungit atque terrena. Christus est lapis pretiosus de monte, reprobatus a Pharisaeis legem aedificantibus.

In templum sanctum in Domino. In templo sancto non possunt lapides poni nisi sancti. Ad comparationem templi Hierosolymae dicit exstrui corpus Christi, id est, Ecclesiam, ut multo majorem munditiam [Col. 0200C] et sanctitatem habeat veritas quam imago. Sensuum magis in Apostolo quaerendus est ordo quam verborum.

CAPUT III.

Hujus rei gratia. Id est, hujus rei, quam superius memoravi, quod Filius Dei et gentes salvaverit, et Judaeos et utrosque fecerit unum. *Ego Paulus.* Id est, cognovi mysterium, vel docui. *Vinctus Christi.* Id est, Christi amore ligatus Romae. *Si tamen audistis.* Si tamen firmiter retinetis me in vobis dispensationem accepisse doctrinae. *Notum mihi factum est mysterium.* Id est, Judaeos et Gentes unum populum esse factum in Christo. *Sicut supra scripsi.* In superioribus hujus epistolae; quoniam dixit: Ut *notum faceret vobis sacramentum voluntatis suae.* In [Col. 0200D] brevi prout potestis. Non quoniam poteram ego scribere, sed quoniam vos assequi valebatis. *In mysterio Christi, non in eloquentia saeculari. Non est agnitum filiis hominum.* Signanter et caute ait filiis hominum fuisse absconditum sacramentum, non tamen filiis Dei, patriarchis et prophetis, de quibus ait: *Ego dixi:* Dii estis. Aliter: Qoniam revelatum est apostolis, ignorabant prophetae; aliud est enim spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa. Unde et Joannes major omnibus Prophetis esse dicitur, quia quem caeteri prophetaverunt, ipse conspexit, et digito demonstravit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* In Spiritu esse Gentes cohaeredes. Per Spiritum mihi revelatum [Col. 0201A] est, sive in Spiritu, illos sociatos esse, non carnis circumcisione. *Cohaeredes.* Id est, Israelis, vel quod melius est, Christi: ut haereditas Deus nostra sit, et cohaeres Christus. *Et concorporales.* Id est, unius corporis; non solum cohaeredes, quod possunt diversi generis esse; non solum concorporales, quia id possunt ejusdem generis filii, non ejusdem substantiae et gloriae. Ideo sequitur: *Et comparticipes promissionis secundum operationem virtutis ejus.* Cujus virtus me confirmat, sive cujus virtutes meum confirmant evangelium. *Mihi enim minimo omnium sanctorum data est gratia haec.* Non puto Apostolum cum mentis suae concordasse secreto, ut vere omnibus sanctis minimum se esse dixerit; verbi gratia, his qui erant in Epheso, Corintho, [Col. 0201B] Thessalonica, vel in toto orbe. Quod cum humilitatis indicium sit se omnibus sanctis minimum dicere, mendacii est reatus, aliud in pectore clausum habere, aliud in lingua promere. Sed hoc praecepto Domini fecit Paulus, dicentis: *Qui vult in vobis major esse, fiat omnibus minor:* et qui vult esse primus, fiat omnium novissimus **(Marc. IX)**. Omnibus enim qui se propter Christum infirmos esse cupiebant, apostolus Paulus infirmior erat, et idcirco major omnibus. *Plus,* inquit, *aliis laboravi.* Evangelizare investigabiles divitias Christi. Quaeritur, si investigabiles, cur evangelizantur in populo? Si absconditae, qua ratione per Paulum referuntur? Hic ergo investigabile absconditum dupliciter sentiendum: quod investigabiles ante divitiae fuerunt, et [Col. 0201C] tunc post Domini apertae sunt passionem; aut certe, quia natura sua homini investigabiles erant, haec Deo revelante, in quantum tamen possumus, nobis sunt cognita.

Et illuminare omnes. Tunc illuminat, quando Gentes et Judaeos ad fidem Christi vocat. *Sacramenti absconditi.* Id est, incarnationis Christi et vocationis Gentium ad fidem, prioribus temporibus soli Deo cognitum erat. *Ut innotesceret principibus.* Ut per me his qui rebus coelestibus, donisque per omnem Ecclesiam principantur, multiformis sapientia innotescat. Item: Si principibus et potestatibus in coelis (licet quidam principem aeris istius et angelos ejus interpretantur), ignota fuit multiplex sapientia Dei, quae nunc eis per Ecclesiam revelata est, quanto magis [Col. 0201D] patriarchis et prophetis

ignota fuit? quos supra non ignorasse mysterium Christi, sed ita ut apostoli, nescisse monstravimus. Ex quo intelligimus, quia crux Christi non solum nobis, sed et angelis profuit, et aperuit sacramentum quod ante nesciebant. Denique interrogant: Quis est iste rex gloriae? *Quam fecit.* Quam olim Deus in sua mente decrevit. *In quo habemus libertatem.* Id est, conscientiam puram, vel conscientiae puritatem. *Et accessum.* Id est, ut noster ad Deum sensus accedat. *Propter quod peto.* Sed magis gloriari debetis, intelligentes me tanta absque certae spei fiducia sustinere non posse, quae apud infideles poenae, apud fideles victoriae sunt. *Quae est gloria vestra.* Pro: *quae sunt.* Ex quo omnis paternitas. [Col. 0202A] Hoc solus *pater omnium praestat caeteris, ut patres dicantur;* sive per naturam pater Domini, sicut caeterae quoque creaturae paternitatis nomen adoptione meruerunt. Quoniam autem nos, qui non sumus de genere Abraham, si fidem illius habuerimus, filii Abraham vocamur, et patriarchas et prophetas patres vocamus, ita puto angelos et habere principes sui generis, quos patres gaudeant habere in coelestibus. *In interiore homine.* Ubi interior per fidem robustus est, ibi habitat Christus, non ubi exterior saginatur. *Ut possitis comprehendere quae sit latitudo.* Quidam dicunt, quod latitudo spatiosa via, quae ducit ad mortem, intelligatur, longitudo vita aeterna, altitudo coelestes virtutes, profundum contrariae inferorum virtutes ac potestates, ut scilicet [Col. 0202B] horum omnium notitiam habentes, noverint quid eligant, vel quid refutent. Nulla rotunditas longitudinem et latitudinem habet, altitudinem quoque et profundum, sed ex universis partibus coaequalis.

Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi. Hoc est, ut digni simus, per scientiam et bonam conversationem habere Christi supereminentem charitatem. Supereminet autem scientiae charitas Christi, cum ex ipso nascatur, sicut supereminet fructus. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quia non prodest scientia sine charitate. Plenitudo namque donorum Dei non erit, si charitas desit. *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Redit ad id, quod supra dixit: *Propterea flecto genua,* [Col. 0202C] etc. Nuncque subinfert. *Ei autem, etc. Secundum virtutem, quae operatur in nobis.* Non secundum merita nostra. *In omnia saecula saeculorum.* Immensa beneficia immensis laudibus sunt celebranda.

CAPUT IV.

Ego vinctus in Domino. Carcere scilicet vinctus, vel quod melius est, Christi charitate. Quidam vinculum animae corpus dicunt. *In Domino.* Id est, non meo delicto, vel obsecro vos in Domino. *Ut digne ambuletis.* Id est, non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram. *Et mansuetudine.* Mansuetus nulli nocet. *Sufferentes invicem in charitate.* Quia sufferunt philosophi, sed non in charitate. Nos vero non ut laudemur, sed ut ille, quem sustinemus proficiat, diligentes sustinere debemus. *Solliciti servare unitatem* [Col. 0202D] *spiritus in vinculo pacis.* Nec dicentes: *Ego Apollo, ego Cephae* **(I Cor. I)**. Quidam hic non Spiritum sanctum, sed mentis affectum dicunt, ut: *Erat illis cor unum, et anima una.* Unum corpus. Id est, Ecclesia unum consensum debet habere in uno corpore, omnium compago membrorum, quae ad unam spem sunt vocata salutis. *Et unus spiritus.* Id est, quamvis multa largitur. *Unum baptismum.* Quamvis sub tribus personis datur. Et hoc contra Valentinianos, qui duo baptismata dicunt. *Qui super*

omnes est. Super omnia Pater, quia auctor est omnium. *Per omnes.* Filius, quia per ipsum creata sunt. *In omnibus.* Spiritus sanctus, ipse enim credentibus datur, et templum ejus sumus. *Unicuique autem nostrum* [Col. 0203A] *data est gratia secundum mensuram.* Nunc de differentia donorum dicit, ne ab hoc invidi fiant invicem, cum Christus singulis dividit. *Secundum mensuram.* Tam nostrae capacitatis quam illius largitatis. Quamvis immensus est Deus, tamen juxta mensuram gratiam donat, id est, ut capere possimus. *Captivitatem.* Nam quos diabolus tenebat in morte, Christus captivavit ad vitam. *Dedit dona.* In Psalmo ait: *Accepisti dona* **(Psal. LXVII)**. Ipse ergo et dat, et in suis membris accipit. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit? Exponit, cur dicatur ascendisse, quem ubique esse non dubium est.* Secundum formam scilicet servi, ad quam non localiter, sed dignanter descenderat. *Super omnes coelos.* Nunquid corporaliter super omnes coelos, [Col. 0203B] quos philosophi sphaeras vocant, transiens, stetit in summo coeli fornice? Aut certe omnia corporalia contemnens, et aeterna contemplans, super coelos, id est, super invisibilia sedisse credendus est? quod ego melius puto. *Ut adimpleret omnia.* Ut non solum prophetas compleret, sed etiam has occultas dispensationes: neque scire possumus, quomodo et angelis in inferno sanguis Christi profuerit

Et ipse dedit quosdam. Nunc tractat donorum praedictorum differentiam secundum mensuram donationis Christi. *Alios pastores et doctores.* Non autem ait alios pastores et alios doctores; sed alios pastores et doctores, ut qui pastor est, debeat esse doctor. *Alios vero evangelistas.* Omnis apostolus evangelista est, non omnis evangelista apostolus. [Col. 0203C] *Donec occurramus omnes in unitate fidei.* Ex libro de Civitate Dei vigesimo secundo: Si dixerimus ad Dominici corporis modum etiam quorumcunque majora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cum ipse capillum non periturum esse promiserit. Restat ergo, ut suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex sit mortuus, vel fuerat habiturus, etiamsi est ante defunctus. Atque illud quod commemoravit Apostolus de *mensura aetatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus dictum esse, id est, ut illo capite populi Christiani accedente, omnium perfectione membrorum aetatis ejus mensura compleatur;* aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec [Col. 0203D] infra, nec ultra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ejus aetate et robore, ad quam usque Christum hic pervenisse cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam saeculi hujus doctissimi hominum juventutem: quae cum fuerit proprio spatio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac senilis aetatis. Et ideo non esse dictum in mensuram corporis, vel in mensuram staturae, sed *in mensuram aetatis plenitudinis Christi, id est, in eo debet esse, qui est vir perfectus, caput et corpus, quod constat omnibus membris, quae suo tempore complebuntur.* Quotidie enim eidem corpori accedunt, dum aedificatur Ecclesia, cui dicitur: *Vos estis corpus Christi,* et [Col. 0204A] *membra.* Secundum operationem, inquit, *in mensuram uniuscujusque partis.* Si ergo est mensura uniuscujusque partis, ita totius corporis, quod omnibus suis membris constat, est utique mensura plenitudinis Christi, de qua dictum est, *in mensura aetatis plenitudinis Christi.* Quam plenitudinem etiam illo commemoravit loco, ubi ait de Christo: *Et ipsum dedit super omnem Ecclesiam, quae est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet.*

Parvuli fluctuantes. Instabiles adinstar fluctus, qui a vento movetur.

Et circumferamur omni vento doctrinae. Ut non simus ignorantes, nec dubie vacillantes, et more imperiti gubernatoris omnis doctrinae vento nostrae fidei vela pandentes, ne facile naufragemus, aut ad [Col. 0204B] portum perfectionis nunquam pervenire possimus. *Et astutia.* Id est, dialecticae artis.

Veritatem autem facientes. Omnia in veritate propter charitatem Christi, et nihil in hypocrisi facientes. *Per omnia.* Incrementa seu dona, vel opera. *Ex quo totum corpus compactum.* Singulis membris, id est, justis quibuslibet. *Et connexum.* Nervis et cute. *Per omnem juncturam.* Membrorum scilicet a capite usque ad pedes, ex capite connexum corpus per omnem juncturam, vel subjunctionem operationis crescit, dum se alterutrum membra aedificant diligendo, ita ut unumquodque membrum in sua membra augeatur, hoc est, ut qui est per sapientiam oculus, in eorum numerum crescat, qui oculi officium erunt, et singula suo loco proficiant [Col. 0204C] membra.

In charitate. Dum dicit in charitate, ad sensum pertinet, quia hoc totum spiritualiter intelligendum est. Haec idcirco apud nos obscura sunt, quia metaphoricws dicuntur.

Hoc igitur dico et testificor in Domino. Quos superius rogaverat, hic Domini obtestatione constringit: hoc ergo dico vobis, qui occursuri estis in mensura aetatis plenitudinis Christi.

Ne ambuletis sicut gentes ambulant, qui desperantes semetipsos. Id est, nullam spem coelestium praemiorum habentes. *Et avaritiae.* Non ad avaritiam, ut sonat, simpliciter pertinet, sed ad libidinem atque luxuriam, quod nonnunquam luxuriando patiuntur. *Non ita didicistis Christum.* Discere Christum, idem [Col. 0204D] est, et sapientiam audire. *Si tamen illum audistis.* Si autem omnes, qui Christum audire videntur, audirent, nunquam ad Ephesios, et certe illos, quibus sacramenta Christi revelaverat Apostolus, diceret: *Si tamen illum audistis.* Et in illo docti estis. Aliquando per semetipsum docet nos in cordibus nostris, aliquando per doctores.

Sicut est veritas in Jesu. Nam sancti per speculum et aenigmata vident, in Jesu autem veritas. *Secundum desideria erroris.* Faciens omnia secundum desideria cordis carnalium cogitationum.

Et induite novum hominem. Id est, Christum, cujus conversatione induimur. *Qui secundum Deum creatus est in justitia.* Ecce manifestum est, quod [Col. 0205A] amisit Adam justitiam et sanctitatem, et veritatem. *Justitia.* In judiciis. *Sanctitas.* In operibus. *Veritas.* In verbis. *Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo.* De Zacharia sumptum. *Quia sumus invicem membra.* Non possunt alterutrum membra se fallere, neque laniare, ita et vos. *Irascimini, et nolite peccare* **(Psal. IV)**. Evidenter hoc dicit vitiis et furori vestro, ne conniventibus vobis sol justitiae Christus incipiat propter iracundiam vestram mentibus obscuratis occidere, et discedente illo locum diabolo in vestris cordibus praebeatis. Aliter: *Sol non occidat super iracundiam vestram* **(Jacob. IV)**, hoc est, ut ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur. *Neque locum detis diabolo.* Porta enim diaboli peccatum est, quemadmodum [Col. 0205B] Spiritus sancti

justitia. *Qui furabatur, jam non furetur.* Hoc est, alienos labores aliquando direptos, nunc suo labore compenset, et operando tribuat indigentibus, qui multos furando fecit egentes. *Magis autem laboret, et operans manibus.* Operatur bonum, qui declinat a malo, et facit bonum, et operatur in agro animae suae, ut spiritualibus panibus impleatur, et possit commodare esurienti et necessitatem sustinenti, dans in tempore cibaria coelestis dogmatis conservis suis. Si autem talis est qui operatur bonum, ergo et is qui furatur consequenter verba furatur et dogmata, de furto vivens, de furto sibi cervicalia consuens, et Scripturarum pannos hinc inde colligens, ut possit tunicam facere conscissam. Diabolus est Graecum verbum quod Latine dicitur criminator, [Col. 0205C] lingua vero Hebraica Satanas appellatur adversarius, sive contrarius. Et ab Apostolo Belial, id est, absque jugo, quod de collo suo Dei ejecerit servitutem, quem Aquila *apostatam transtulit. Operans manibus quod bonum est.* Non quod malum, ut sunt multae inhonestae vel malae artes, ut maleficia, etc. *Sed si quis bonus.* Sermo qui docet virtutes. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Non quod ipsa Spiritus sancti substantia contristari potest, cum habeat aeternam atque incommutabilem beatitudinem, sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant, profectu fidelium et bonis operibus. Et ideo necesse est ut etiam constristentur lapsu vel peccatis eorum de quorum fide ac pietate gaudeant: [Col. 0205D] quae tristitia laudabilis est quia venit ex dilectione quam Spiritus sanctus infudit. Propterea et ipse spiritus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum sanctum habent, quo dono tam boni sunt, ut eos mali moestificent, hi maxime quos bonos fuisse sive noverunt, sive crediderunt: quae profecto tristitia non solum non culpanda, verum etiam praecipue laudanda atque praedicanda est. Item: *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Hominibus loquentes, comparationes inducit humanas, ut ex nobis intelligamus quantam Spiritui sancto injuriam facimus cum donum ejus in nobis aliqua peccati sorde polluimus. *In quo signati estis.* Signati autem sumus [Col. 0206A] Spiritui sancto. *In die redemptionis.* In die baptismi. *Amaritudo.* Rancor in corde. *Ira.* Quae in vultu apparet, furore restincto desiderat ultionem. *Indignatio.* Est ex superbia, cum aliquem judicamus indignum, et ideo nolumus eum sustinere. *Clamor.* Scilicet ille qui ex furore descendit. Caeterum Isaias bene clamare jubetur, et ipse Dominus in templo clamabat: *Qui sitit, veniat et bibat* **(Joan. VII)**. Peccatum perpetrare crimen est; peccatum praedicare, clamor. *Cum omni malitia.* Comprehendit omnia mala, dicendo *malitia.* Aut malitia est, quae inimico vicem reddere potest. *Estote autem invicem benigni.* Postquam vitia eradicavit, virtutes plantat, ut Jeremias dicit: *Ut evellas et plantes.* Benigni. Ex corde. *Misericordes.* Operibus. *Donantes.* Id est, remittentes peccata.

[Col. 0206B]

CAPUT V.

Estote autem imitatores Dei. Indulgendo peccata, ut est: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt **(Luc. XXIII, 34)**.

Et tradidit semetipsum. Ergo sicut ille animam suam pro nobis tradidit, ita et nos pro

fratribus animas ponamus. *Oblationem et hostiam.* Omne sacrificium oblatio vocatur, hostia vero de vivis; at in Christo continetur utrumque, quia ipse oblatus est et vivus. *In odorem suavitatis.* Odor suavitatis charitas est. *Fornicatio autem.* Omnia crimina breviter comprehendit, duas criminum designando radices, id est, fornicationem et avaritiam. *Et omnis immunditia.* Titillatio carnis, et fluxus sanguinis ex qualicunque attritu ventris.[Col. 0206C]

Aut turpitudo. Id est, libidinosa cogitatio. Inter stultiloquium et scurrilitatem hoc interest quod stultiloquium nihil in se sapiens et corde hominis dignum habet. Scurrilitas vero de prudenti mente descendit, et consulto appetit quaedam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare, ut risum moveat audientibus. Verum et haec a sanctis viris propellenda, quibus magis convenit flere atque gaudere.

Sed magis gratiae actio. Non ut Deo gratias agamus, sed ut grati sive gratiosi simus apud homines, ut: *Sit sermo vester sale conditus.* Hoc enim scitote. Hoc contra illos agit qui solam fidem posse sufficere dicunt. *Aut avarus.* Qui sic honorat divitias ut deos. [Col. 0206D] Nam in avaro idololatria est, quod scripturam ipsius nummi colit, ut voracium Deus venter est, ita cupidorum Deus dicitur pecunia. *In filios diffidentiae.* In Sodomitas, vel in eos qui diluvio perierunt. Notandum est quod sex vitiis supra prohibitis, fornicatione, immunditia, avaritia, turpitudine, stultitia, scurrilitate, nunc tantum tria posuerit, fornicationem, immunditiam et avaritiam, quibus qui fuerit obnoxius, haereditatem in regno Christi et Dei non possit habere. Si enim ita stultiloqui et scurrae alieni essent a regno Dei, quomodo iniquos specialiter separavit, videretur sententia esse crudelis, non ignoscere imbecillitati fragilitatis humanae, cum etiam per jocum nos dicta damnarent. Qui enim in sermone [Col. 0207A] non labitur, perfectus est. Neque vero ista dicentes locum stultiloquio et scurrilitati damus, dum non excludantur a regno, sed quoniam apud Patrem diversae sunt mansiones, et *stella a stella differt in gloria, sic et resurrectio mortuorum, quamvis aliquis a fornicatione, immunditia atque lascivia alienus sit, tamen si stultiloquus fuerit et scurra, non tenebit eum locum quem possessurus erat si haec vitia non haberet:* respondeat, quia stultiloquium et scurrilitas non eumdem habeant reatum quem fornicatio, immunditia et avaritia, nunquid et turpitudinem cum tribus superioribus debuit nominare? Ad quod dicendum hic turpitudinem significare absconditam cogitationem, cui inflammatur sensus noster ad libidinem, et carnis titillationibus anima ignita succenditur, [Col. 0207B] et nihilominus Dei timore in judicio refrenatur: et quomodo stultiloquium et scurrilitas, sic ista turpitudo non perdit, nec in perpetuum excludit a regno. *Participes eorum.* Fornicatio, immunditia, avaritia. *Filii lucis.* Id est, Christi, vel fidei, vel scientiae. *In omnibus bonitate.* Id est, in benignitate ad omnes, ut: Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos* **(Matth. V)**. *Justitia.* Operum et judiciorum. *Et veritate.* Verborum. *Probantes quid sit beneplacitum Deo.* Quia videtur tota scatere sententia, ordine tenenda est: Nolite fieri participes eorum, probantes quid sit beneplacitum Deo; etsi enim aliquando eratis tenebrae, nunc lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Fructus lucis ostendite, in bonitate, et justitia, et veritate. *Et nolite communicare operibus infructuosis* [Col. 0207C] *tenebrarum.* Id est, quia lux non potest communicare cum tenebris. Tenebrarum opera sunt, quae ad tenebras ducunt. *Redarguite.* Id est, peccantes, dum lux estis. *Quae enim*

in occulto fiunt. Fornicatio, immunditia, avaritia. *Ab eis.* Filiis scilicet diffidentiae. *Etiam dicere.* Aliquando nominat turpia propter utilitatem, aliquando pro verecundia non nominat. *Omnia quae arguuntur.* Quae occulta fiunt a filiis diffidentiae, ut ex eo quod corripiuntur, mutentur in melius, et mutata manifestentur in publico, et publicata fiant lumen. *Omne autem quod manifestatur, lumen est.* Incipit lumen esse cum crediderit, et vobis adjungitur.

Propter quod dicit: exsurge a mortuis. Ego secundum ingeniolum meum omnes editiones veterum Scripturarum, [Col. 0207D] ipsa quoque Hebraeorum volumina diligenter eventilans, nusquam hoc scriptum reperi, nisi forte hoc dicamus, quemadmodum olim prophetae in concione populi loquebantur: *Haec dicit Dominus.* Et: *Quoniam Dominus locutus est, ita et Apostolum Spiritu sancto plenum, repente in verba quae in se Christus loquebatur, erupisse atque dixisse: Haec dicit Dominus.* Nec non et illud est disserendum, quomodo uni atque eidem dicatur, quasi dormienti: *Surge qui dormis, quasi mortuo, exsurge a mortuis.* Igitur quia et spiritus est hominis, quem semper in bona parte scriptum invenimus, et anima, cujus infirmitates et mortes legimus peccatorum, id quod nunc dicitur: *Surge qui dormis, refertur ad spiritum.* [Col. 0208A] Et quod sequitur: *Exsurge a mortuis, animae coaptatur: Anima enim quae peccaverit, ipsa morietur:* Spiritus mortem nunquam legimus. Christus vero lux vera orietur ei, qui surrexit a mortuis, et ex mortuis fuerit suscitatus.

Quomodo caute ambuletis. Non ad insidias faciendas, sed ad cavendum peccatum, ut est illud: *Astutus dirigit gressus suos* **(Prov. XIV)**. Aliter caute, id est, discernentes bonum et malum.

Redimentes tempus. Hoc est, poenitentia residuo tempore in bonis operibus perseverantes, tempus praeteritum in peccatis redimentes, quod tempus malitia hominum venditum erat.

Quoniam dies mali sunt. Per metanomiam, pro his qui in diebus sunt, quia dies mali esse non possunt. [Col. 0208B] *Sed intelligentes.* Id est, scrutamini legem, in qua voluntas ejus continetur. *Et nolite inebriari vino.* Quomodo non possumus duobus dominis servire, Deo et mammonae, sic non possumus spiritu impleri pariter et vino: qui enim spiritu impletur, habet prudentiam, mansuetudinem, verecundiam, castitatem; qui vino, habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem: hoc quippe aestimo uno verbo significare luxuriam.

In psalmis. Hymni sunt, qui fortitudinem et majestatem Dei praedicant, et ejusdem semper vel beneficia, vel facta mirantur, quod omnes psalmi continent, quibus alleluia vel propositum, vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quod faciendum [Col. 0208C] et quod vitandum sit, noverimus. Qui vero de superioribus disputat, et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spirituale canticum canit, vel certe propter simpliciores manifestius, quod volumus, eloquamur. Psalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere igitur et psallere, et laudare Deum, magis animo quam voce debemus, hoc est quippe quod dicitur: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus.* Id est, quae accidunt vobis,

sive prosperis, sive adversis.

Subjecti invicem in timore Christi. Propter timorem Christi fiat subjectio, dum illum offendere timemus. Audiant hoc episcopi, audiant presbyteri, [Col. 0208D] audiat omnis ordo doctorum, subjectis suis esse subjectos, et imitentur dicentem Apostolum: *Cum enim liber essem ex omnibus, omnium meipsum servum feci, ut omnes lucrifacerem.* Et in alio loco: *Servite invicem.* Salvator quoque formam servi accepit, ut serviret discipulis suis, et pedes eorum lavit. Hoc interest inter gentium principes et Christianorum, quod illi dominantur subditis, nos servimus, et in [hoc] majores sumus, si minimi omnium fuerimus. *Mulieres viris suis.* Hucusque in commune, nunc singulatim unumquemque docet, ut debita officia singulis non cessent.

Sicut Christus caput est Ecclesiae. Id est, quomodo in Christo et Ecclesia sancta conjunctio, sic in viro et muliere debet esse sancta copula. *Ipse salvator* [Col. 0209A] *corporis.* Id est, Ecclesiam Christus salvavit, vel vir salvator corporis mulieris in necessitatibus et doloribus dum infirmioris sexus est. *Viri, diligite uxores vestras.* Sanctus amor hic intelligendus, ut voluptates resecentur, ut praegnantes ad partum usque non coeant.

Sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Ita et vos pro sanctitate uxorum, nec mori, si necesse fuerit, recusetis. *Ut eam sanctificaret.* Aqua enim lavit corpus, animam doctrina: ita et vos corpora uxorum continentia, et animam mundate doctrina. *In verbo vitae.* Id est, in doctrina per baptismum, vel verbum quod cantatur a sacerdote ad baptismum. *Ut sit sancta.* Id est, anima. *Et immaculata.* Id est, corpore. *Sed nutrit et fovet.* Ut uxoribus vestimentum et victum [Col. 0209B] et quae necessaria sunt praebeamus. *Sicut Christus Ecclesiam.* Ut: *Quoties volui congregare filios tuos, etc.* **(Luc. XIII)**. *Quia membra sumus.* Membra ejus debent in omnibus eum imitari, de carne ipsius sive hominis, quem assumpsit ex Maria, sive Ecclesiae.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam. Spiritualiter reliquit Christus Deum Patrem, et matrem Hierusalem coelestem, et venit ad terras ad Ecclesiam. *Et adhaerebit uxori suae.* Spiritualiter Ecclesiae Christus ex utroque populo collectae. *Sacramentum hoc magnum est.* Sunt enim alia minora sacramenta. *Verumtamen singuli.* Hoc est, licet in Christo et Ecclesia dixerim, tamen oportet servari in conjugio. *Ut unusquisque uxorem sicut semetipsum* [Col. 0209C] *diligat.* Diliges proximum tuum sicut teipsum **(Matth. XXII)**, juxta interpretationem Salvatoris. Proximus est omnis homo. Nulla ergo erit inter uxorem et quorumlibet hominum dilectionem differentia charitatis? quod dicere absurdum est: in proximo enim similitudo ponitur, ut sic eum diligas sicut te, et cupias esse salvatum: in uxore autem comparationis adverbium dicitur. *Sicut non similitudinem, sed probationem et confirmationem sonat, sicut de Christo dicitur:* Quasi unigeniti a Patre. *Uxor ut timeat virum.* Duae significantiae in verbo timoris sunt: Una est qua servi spiritum servitutis habent in timore; altera pro reverentia dici potest, ut uxor revereatur virum suum.

CAPUT VI.

[Col. 0209D]

Filii, obedite parentibus. Id est, in parentibus ea quae non sunt Domini contraria voluntati.

Quod est mandatum primum. Quaeritur quare nunc dixerit: *quod est mandatum primum, cum sit quartum vel quintum:* Primum enim mandatum est: *Non erunt tibi dii alieni praeter me* **(Exod. XX)**. Ideo alii distinguunt, quod est mandatum primum in repromissione, quasi quatuor alia mandata, quae ante haec dicta sunt, non habeant promissionem. Sed videntur mihi non observasse subtiliter, sed in secundo mandato repromissionem esse sociatam. Ait enim, *Non facies tibi idola, neque omnem similitudinem,* usque, *et facio misericordiam his qui diligunt me, etc.* Observa verba sponsionis, faciens misericordiam, [Col. 0210A] etc. Forsan ergo quia decalogus exeuntibus de Aegypto, et prima lex data est, unumquodque mandatum decalogi primum est, ad comparationem eorum praeceptorum quae postea in lege scripta sunt. Qui priorem excusationem defendit, in secundo mandato non seorsum dicet, sed sub uno textu atque sermone non tam promissionem datam, quam sententiam et laudes Dei esse finitas, facientis misericordiam, etc. *In simplicitate cordis.* Id est, deposita priore superbia et simulatione. Hic autem providet Apostolus, ne doctrina Christi in aliquo blasphemetur, si credentes servi dominis inutiles fiant.

Sicut Christo. Pulchre addidit, *sicut Christo, ut scilicet non audiat servus carnalem dominum, si contraria praeceptis Dei voluerit imperare.* [Col. 0210B]

Non ad oculum. Praesentibus tantum dominis. *Sicut Domino.* Domino servit, qui cum bona voluntate animi servitium dominis facit. *Cum bona voluntate.* Non cum murmuratione, ne apud homines gratia, et apud Deum mercede privemini. *Remittentes minas.* Ne vestrae malitiae imputetur, si effugerint. *Quia illorum et vester Dominus est in coelis.* Id est, sicut super servos vindicare potestis, magis autem super vos vindicare potest Deus. *Personarum non est acceptio apud Deum.* Qui solus tantum vindicat voluntates, et juxta eas deteriori praefert meliorem, eligens facta, non homines.

De caetero. Post specialia mandata virorum ac mulierum, nunc generaliter omnes admonet. *Rectores hujus mundi.* Qui regunt in aere suos angelos. [Col. 0210C] Diabolus enim suis angelis [Satellitibus] diversa officia divisit; aut rectores hujus mundi, id est, amatorum et carnalium hujus mundi.

Tenebrarum harum. Tota ista terrena vita tenebrae dicitur: lux quippe lucet in tenebris.

In coelestibus. Id est, in aere discurrentibus. *In die malo.* Diem autem malum praesens tempus ostendit, de quo supra dixerat: *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt, propter angustias et vitae hujus labores, aut certe consummationis atque judicii, quando diabolus inimicus et vindex sua nos cupiet in parte retinere.*

State ergo. Ne moveamini de acie, sed stabilem figite gradum super petram Christum.

Succincti lumbos. Zona continentiae: quia igitur [Col. 0210D] lumbi in generatione semper

accipiuntur et semine, videtur nobis accinxisse lumbos suos, qui nequaquam uxori debitum reddit, nec servit libidini. *In veritate.* Non in hypocrisi, nemo enim coronabitur, etc. *Loricam justitiae.* Sicut lorica multis circulis et hamulis intexitur, ita justitia diversis virtutum connectitur speciebus.

Scutum fidei. Sine scuto omnis armatus inermis est; ita et hae virtutes sine fide salvare non possunt, in omnibus certaminibus fide muniamur. *Et calceati pedes.* Docet fiduciam praedicationis opportunae et importunae, ut calceatus audenter ambulet.

Sumite, inquit, *scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita restinguere.* Ergo fides est quae, [Col. 0211A] excipiens ardentissima libidinum tela, metum futuri judicii ex coelestis regni credulitate mortificat. *Et loricam, inquit;* charitas ipsa nempe est quae vitalia pectoris nostri circumdans atque communiens, lethalibus perturbationum objecta vulneribus, contrarios retundit ictus, nec ad interiorem hominem nostrum jacula zabuli penetrare permittit, omnia suffert, omnia patitur, omnia sustinet.

Et galeam spei salutis. Galea capitis est munimen: quia ergo caput nostrum Christus est, debemus semper istud spe futurorum bonorum, velut inexpugnabili galea, in cunctis tentationibus ac persecutionibus communire, et principaliter fidem ejus illaesam atque integram custodire; aliis enim membris truncatum quempiam licet et debilem, possibile tamen est utcunque superesse, sine capite vero, nemini [Col. 0211B] vel brevis vitae spatium prorogatur.

Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Penetrabilius namque est *omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis* **(Hebr. IV)**, dividens scilicet et abscindens quidquid in nobis carnale terrenumque reperit.

Per omnem orationem. Semper hunc gladium portare vel postulare.[Col. 0212A]

Ad apertionem oris mei. Ut: *Domine, labia mea aperies* **(Psal. L)**, etc

Cum fiducia. Sine metu persecutionis. *Omnia nota faciet Tychicus.* Dupliciter intelligendum: vel ideo Tychicus missus est ad Ephesum ut nuntiaret eis vincula Apostoli ad fidem Evangelii profecisse, eo tempore quo ad Colossenses scripsit, dicens: *Omnia vobis nota faciet Tychicus* **(Col. IV)**; grandis enim consolatio erat audire populum Romanum in domina urbium triumphantem de vinculis: vel certe ob id Tychicus missus est, ut conversationem Pauli, quam ignorabant, annuntiaret eis, quasi quoddam vivendi exemplar daret discentibus gesta Apostoli atque virtutes, et eum imitari volentibus, nec parva esse poterat consolatio[Col. 0212B]

Pax fratribus et charitas. Pax, et charitas, et fides, perfectum faciunt Christianum: tam enim sine fide infructuosa est charitas, quam fides sine charitate vel pace. Nam charitas major est pace: potest enim odio non haberi quis, non tamen et amari. *In incorruptione.* Sive castitate, sive in quorum corde nullo adulterino saeculari amore Christi delectatio violetur.

VI. IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

[Col. 0211C]

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis. Metropoli Macedoniae.

Cum gaudio. Non cum tristitia alicujus peccati vestri. *Super communicatione vestra.* Quia mihi communicatis in Evangelio praedicando.

A primo die. Quo accepistis fidem. *Usque in diem Christi.* Usque in adventum Christi. *Sicut justum.* Charitas enim omnia sperat. *Eo quod habeam vos in corde.* In tantum vos diligo, ut mihi memoriam vestri nec vis tribulationis, nec sollicitudo defensionis auferat. *In defensione.* Quia defendo Evangelium adversus haereticos. *Et confirmatione.* Id est, exemplo et doctrina. *Socios gaudii mei.* Hoc sentio de vobis [Col. 0211D] et credo quia sicut meae tribulationis socii estis, ita Evangelio credidisse, ut etiam in tribulationibus meis pro ejus defensione mecum pariter gaudeatis. *Quemadmodum desiderem.* Diligam. *In visceribus Christi Jesu.* Sive ejus inesse visceribus, sive ita vos desidero, tanquam viscera Christi. *In scientia.* In agnitione Dei. *Et omni sensu.* Mysteriorum. *Ut probetis.* Id est, sciatis. *Potiora.* Id est, altiora mysteria. *Fructum justitiae.* Bonis operibus. *In gloriam.* Ut glorificetur Deus in actibus vestris. *Scire vos volo.* Tribus causis hoc dicit, ut magnificaret potentiam [Col. 0212C] Dei, ut exemplum fieret aliis, ut consolaretur Philippenses, moestos de vinculis et tribulatione ejus in Roma.

In omni praetorio. In domibus regum, ubi praetores solent esse.

Abundantius ut auderent. Vinculorum meorum exemplo sunt incitati, dum me pro Christo viderent libentissime sustinere. *Alii quidem propter invidiam.* Hic subjungit quatuor ordines praedicantium verbum Dei. Propter invidiam, hoc est, dum mihi apud credentes gloriam auferre se putant, ne solus mihi vindicare videar scientiam praedicandi.

Aliqui autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant. Quia alios salvare volentes Christum annuntiant. *Alii ex charitate.* Id est, ut mihi adjutores [Col. 0212D] fiant, quia sciunt me a Deo ad defendendum Evangelium ordinatum. *Non sincere existimantes pressuras se suscitare vinculis meis.* Alii vero dolose praedicant ad me gravandum, quasi plures discipulos facientem, et doctrina mea totum orbem implere cupientem, ut ex hoc saltem mihi major invidia cumuletur vel pressura. *Quid enim? Dum omnimodo.* Non mihi cura est qua mente praedicent, dummodo quod cupio, Christi nomen omnibus innotescat, quapropter et modo gaudeo et in futuro gaudebo. *Sive occasione.* Odii vel invidiae contra me. *Et in hoc* [Col. 0213A] *gaudebo.* Vinculo vel opere praedicationis eorum. *Nam scio.* Quod mihi nocere putant in salutem proveniet, quia non solum per verbum et passionem meam, sed etiam per odium Christi Ecclesia

augmentatur.

Subministrationem. Ideo subministratio dicitur, quia non quod adversarii volunt, sed aliud in occulto spiritus subministrat.

Exspectationem. Id est, patientiam. *Quia in nullo confundor.* Tormento, neque in vita, neque in morte, neque in contumeliis, neque in opprobriis nos omnibus erubescimus. *Sed in omni fiducia.* Nulla res me poterit deterrere.

Et nunc magnificabitur Christus in corpore meo. Inimicis suis insultat, quod ei nocere non valeant. [Col. 0213B] Si enim eum occiderint, martyrio coronabitur: si servaverint, Christum annuntiando plurimum faciet fructum

Sive per vitam. Ad praedicationem.

Sive per mortem. Id est, pro illo in martyrio.

Mihi enim vivere Christus est. Non alia causa vivere volo, nisi Christi, id est, ut ejus corpus aedificem. *Fructus operis.* In aedificationem aliorum. *Et hoc confidens scio.* Spiritu prophetico promittit. *Et gaudium fidei.* Ut per profectum de fructu fidei vestrae gaudium habeatis. *Per meum adventum iterum ad vos.* Hoc pro consolatione eorum dicit, quia suo spiritu pervenit ad eos, licet non corpore. *In uno spiritu.* Ut: *Erat eis cor unum et anima una* **(Act. IV).**[Col. 0213C]

Unanimes. Quia omnis pugna unanimiter aggressa victoriam parit. *Quae est illis causa perditionis.* Id est, tentatio qua terrent vos. *Et hoc a Deo.* Qui vult suos coronari probatos, sicut Job permittitur tentari. *Non solum ut in eum credatis.* Non solum ut fidei meritum, sed etiam martyrii meritum praemium habeatis, dum vos tentari Deus patitur ut vincatis.

Idem certamen habentes quale et vidistis in me. Nihil novum patiemini, sed hoc quod et praesentes vidistis in me, et nunc absentes de me audistis me. Non sit ergo vobis indignum illa pati, in quibus conspicitis nos gloriari.

CAPUT II.

[Col. 0213D]

Si qua ergo consolatio in Christo. Rogo vos hoc mihi praestate, ut gaudium meum unitatis dilectione impleatis. *Si* qua est *consolatio in Christo, id est, consolamini me umbra Christi, pro vobis passum, si vos consolatus est Christus. Si qua allocutio charitatis.* Si aliquam charitatem ei rependere vultis. *Si qua societas spiritus.* Si spiritum ejus in vobis esse cupitis. *Si qua viscera misericordiae.* Si in eum misericordes estis. *Implete gaudium meum.* In talibus discipulis doctor exsultat.

Eamdem charitatem habentes. Ergo nolite scindere charitatem sentiendo diversa. *Non quae sua sunt singuli considerantes.* Non quae vobis solis expediunt, sed quae aliis

prosunt. *Hoc sentite in vobis,* quod et [Col. 0214A] *in Christo Jesu.* Vult ostendere Christum non propter se, sed propter alios passum; sive, tam humilis sensus in vobis sit, quam fuit in Christo.

Qui cum in forma Dei esset. In forma Dei erat, et videns unius hominis delicto mortem regnare per populos, creaturae suae non oblitus est. *Nec rapinam ducit se aequalem esse Deo.* Quia vere secundum divinitatem aequalis erat Patri. *Sed exinanivit semetipsum.* Non substantiam evacuans, sed honorem inclinans. *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Naturam hominis induendo. *Mortem autem crucis.* Qua morte nulla formidolosior erat. *Propter quod et Deus illum exaltavit.* In resurrectione et ascensione, et caeteris: ita et nos si exaltari cupimus, exemplo Christi fratribus serviamus[Col. 0214B]

Et donavit illi nomen. Quod est Filius. *Quod est super omne nomen.* Cui enim angelorum dixit: Filius meus es tu **(Psal. II)**? itaque donavit illi nomen, non quod ante non habuit. Unde rectius locus hic secundum humanam naturam intelligendus est, quam divinam. *Omne genu flectatur.* Non ad corporis genua, sed ad humilem subjectionem inclinationemque mentis pertinet.

Coelestium. Id est, angelorum. Coelestes autem genua flectere dicuntur more precario, non quod haberent genua, qui incorporales sunt, sed, ut diximus, pro humili subjectione et adoratione dicitur.

Terrestrium. Hominum. *Infernorum.* Angelorum qui praesunt infernalibus locis. *In gloria Dei Patris.* In natura et gloria Deitatis. *Cum timore.* Non cum [Col. 0214C] negligentia, sed sicut ait Job: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* **(Job. IX)**. *Vestram salutem operamini.* Hoc est, custodite per bonum opus salutem a Deo vobis donatam. *Sine murmuratione.* De gravitate praeceptorum Dei, vel de pressura tribulationum. *Et haesitatione.* Qui murmurat de praeceptis, haesitat de praemiis.

Ut sitis sine querela. Apud homines et Deum. Quod conqueritur Deus saepe de hominibus in Scripturis, apparet quod nolint credere et recte vivere. Unde fideles et facientes voluntatem Dei conversari dicuntur sine querela, quod de illis Scriptura non queratur.

Et simplices. Nihil praeter voluntatem Dei facientes vel scientes, sicut filii Dei immaculati, qui cum [Col. 0214D] sit purus et sanctus, filios non potest habere degeneres. *In medio generis.* Judaeorum et gentium.

Pravi. Mente. *Perversi.* Operibus. *Sicut luminaria, ut: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* **(Matth. V)**.

Ad gloriam mihi. Gloria enim patris filii filiorum ut ait Salomon **(Prov. XVII)**. *Non in vacuum cucurri.* Qui talem populum Deo acquisivi. *Sed et si immolor super sacrificium vestrum.* Sed etiam si occidar, quia sacrificium et obsequium fidei vestrae

obtuli Deo. Vincit profectus vestri gaudium tristitiam poenae vel mortis, sive jam non timeo mori sacrificio vestrae fidei consummato, sive quia vestrae fidei ministravi. [Col. 0215A] *Nam omnes sua.* Commoda quaerunt, nolentes pro aliena laborare salute.

Et commilitonem meum. Propter honorem, quia ipse acceperat in illis apostolatus officium. *Ut mox videro quae circa me sunt.* Hoc est, si liberer ab hac catena, vel non. *Et ministrum negotii mei.* Id est, qui mihi vestra vice ministrat. *Et moestus erat, propterea quod audieritis illum infirmatum.* Tristitiae vestrae causa moestus fuerat. Non esse contristandum de mortuis Apostolus significat, nam desperantium est contristari. Et ipse inquit de Epaphrodito: *Infirmus fuit prope mortem, sed Deus misertus est illi, non solum autem illi, sed et mihi, ne tristitiam super tristitiam haberem.* Quomodo ergo contristandum vetat, cum ipse contristandum se, si mortuus fuisset, declarat? [Col. 0215B] Aliter de morte Epaphroditi si provenisset contristandum significavit, et aliter prohibet contristandum. Nam hic propter solatium adjutorii ejus quo utebatur in Evangelio, si mortuus fuisset, contristandum se dicit, nos autem contristari prohibet, ne obitu quasi exstinctos et perditos lugeamus, desperantes de resurrectione. Aliud est igitur solatium requirere quasi absentis, et aliud dolore jam non futuri: hic cessat consolatio, illic excluditur. *Et ego sine tristitia sim.* Id est, pro gaudio vestro in adventu ejus. *Accessit sicut usque ad mortem.* Qui vincto mihi in carcere non timuit ministrare.

CAPUT III.

Eadem vobis scribere. Id est, eadem documenta repetere, [Col. 0215C] quae jam praesens dixeram. *Vobis autem necessarium.* Sicut horto crebrius irrigari necessarium est. *Videte canes.* Cavete pseudoapostolos, Evangelium Christi lacerantes. *Videte concisionem.* Quia concisio potius quam circumcisio sunt dicendi.

Nos ergo circumcisio sumus. Nos sumus veri Judaei, qui non unius membri pellem, sed totius carnis vitia resecamus, illi vero concisio. *Qui spiritu.* Id est, mente, non littera Deo servimus. In Graeco, melius, *spiritui, id est sancto, qui est Deus. Non confidentes in carne.* In carnali circumcisione, nos enim circumcisio. *Ego magis circumcisus octava die.* Ne aliquis putaret ideo se non gloriari, quia non fuerit circumcisus circumcisione octavi diei, non post aliquot annos, ut aliquis peregrinus circumciditur.[Col. 0215D]

De tribu Benjamin. Quae semper fuit cum tribu Juda conjuncta. *Hebraeus ex Hebraeis.* Non ex gentibus proselytis. *Pharisaeus.* Non quasi indoctus, sed peritus legis. *Sed quae lucra mihi fuerunt.* Ad comparationem inventi auri contemnitur aeramentum, quamvis utrumque ab uno sit conditum, et pro temporis qualitate necessarium.

Et arbitror ut stercora. Stercora sunt quae ejiciunt homines vel caetera animalia ex utero, cum quod forte et solidum est ad confirmandum et satiandum corpus remanet intus, sic littera legis ejicitur, et sensus spiritualis ad cibum animae in corpore Ecclesiae remanet. Hieronymus in expositione Habacuc: Non Veteris Testamenti doctrina, sed

Pharisaeorum, [Col. 0216A] et praecepta hominum, et deuterosis Judaeorum stercora dicuntur ab Apostolo.

In fide ad cognoscendum illum. Ut: *Nisi credideritis non intelligetis.*

Et virtutem resurrectionis. Ut sciam viam resurrectionis ejus, quia ideo resurrexit ut et nos similiter resurgamus: qui autem vere cognoscit, satis agit omnino ne peccet.

Et societatem passionum ejus. Si quomodo occurram ad resurrectionem, etc. Si compatimur et convivemus. Si quomodo habeam gloriam in resurrectione: non enim particeps gloriae resurrectionis erit, qui nunc ad configurationem mortis ejus non vult pervenire.

Non quod jam acceperim. Perfectionem, quam [Col. 0216B] omnis homo et universa creatura per gratiam et non ex merito possidere potest. Aliter, *non quod acceperim, quia finis mundi nondum advenit, sed in spe quod credimus, non in re. Aut jam perfectus sim.* Adhuc de hac perfectione, et de tali resurrectione suspensus sum. *Si comprehendam.* Si comprehendam meritum apostolatus, in quo apostolatu a Christo sum comprehensus. *Non arbitror comprehendisse.* Se humiliando omnibus gloriam tulit [tollit], et universos provocat ad profectum.

Unum autem. Subaudis, arbitror comprehendisse, hoc solum scio, quia quotidie proficio, et praeteritum laborem non computans ad priora festino. *Sive legis obliviscens.* Ad perfecta Evangelii praecepta me teneo. *Bravium supernae vocationis Dei in* [Col. 0216C] *Christo Jesu.* Quando sanctis dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus. Hoc est, quicunque volumus esse perfecti. Aut, perfecti sumus ex parte, non ex toto. *Hoc sentiamus.* Non comprehendisse perfectionem. Aut vetera obliviscenda, et nova sectanda, vel futura praemia semper cogitemus. Vel sic se habet sensus hujus loci, ut ad comparationem hominum caeterorum, qui non habent curam vel notitiam Scripturarum, nec mysteriorum Dei, se et similes sui perfectos dicat. Ad comparationem autem scientiae divinae majestatis dicit se non accepisse perfectionem scientiae, nec perfectum esse in scientia.

Et si quid aliter sentitis. Hoc est, si nec plene [Col. 0216D] futura intelligitis. *Hoc vobis Dominus revelabit.* Scilicet in futuro, ipsis rebus praesentibus. Aut, si quid aliter sentitis praeter quod dico, hoc est, putando vos comprehendisse perfectionem, hoc vobis Deus revelabit, id est, vos nosse imperfectos esse. *Verumtamen ad quod pervenimus.* Ad cognitionem licet imperfectam, seu ad fidem.

Et in eadem ambulemus. Non enim scire sufficit absque facto. *Et cognoscite.* Honorate, et imitamini. *Qui sic ambulant.* Sicut et nos. *Sicut habentes formam nostram.* His tantummodo credite qui formam exempli nostri portant. *Multi enim ambulant.* Pseudoapostoli, a quibus cavete ne vos seducant.

Et gloria in confusione. Quia gloriantur in circumcisione [Col. 0217A] vitiisque. *Conformabit.* Post resurrectionem. *Corpori gloriae.* In monte scilicet Thabor.

Secundum operationem. Secundum hanc potentiam, quia sibi cuncta subjecit, etiam hoc illi possibile est.

CAPUT IV.

Gaudium et corona mea. Propter vos enim in praesenti laetificor, et in futuro coronabor. *Evodiam rogo et Syntichen deprecor.* Hae mulieres scientes erant legis, quas similiter ut istos eadem sentire commonet et hortatur. *Quorum nomina sunt in libro vitae.* Ne moleste ferant sua nomina in hac Epistola non comprehensa, scripta dicit in coelis. *Gaudete in Domino.* Non in terrena felicitate. *Semper.* Tam in prosperis quam in adversis.[Col. 0217B]

Et iterum dico gaudete. Repetit, ut magis ac magis confirmetur gaudium. *Dominus prope est.* Scit quid opus sit vobis antequam petatis eum. *Nihil solliciti sitis.* Quid manducetis, aut quid induamini **(Matth. V)**, haec enim gentes inquirunt. *Sed in omni oratione.* Lege epistolam ad Timotheum: obsecrationes fiunt pro peccatis praeteritis vel praesentibus, orationes pro adipiscendis quae speramus.

Postulationes. Cum pro aliis intervenimus. *Gratiarum actiones.* Cum pro immensis Dei beneficiis grates laudesque rependimus. *Quae superat omnem mentem.* Non solum hominum, sed etiam angelorum. *De caetero, fratres.* Id est, ad extremum omnium, ut omnia breviter comprehendam, vel de reliquo vitae nostrae.[Col. 0217C]

Quaecunque sunt vera. Permanentia, vel carentia mendacio. *Pudica.* Moribus. *Sancta.* Sine immunditia. *Justa.* Debita. *Amabilia.* Deo. *Quaecunque bonae* [Col. 0218A] *famae.* Ut est illud: Provide bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Si qua virtus. Tolerantiae. *Si qua laus.* Bonae conversationis. *Didicistis.* Verbo. *Accepistis.* Exemplo. *Audistis.* Auribus. *Vidistis.* Oculis. *Haec agite.* Non enim sola sufficit cogitatio. *Quoniam tandem refloruistis.* Hoc est, iterum flore boni operis florere coepistis, dando mihi quod prius dabatis, hoc est, eleemosynam ministrando.

Pro me sentite. Id est, mihi eleemosynam date. *Sicut ante sentiebatis.* Eleemosynam mihi tribuentes antequam tribulationibus occupati fuissetis. *Non quasi propter penuriam dico.* Non propter meam inopiam, sed propter vestrum profectum dico me esse gavisum.[Col. 0218B]

Ego enim didici. A Christo omnia aequanimiter ferre sum doctus. *Scio humilitatem.* Non desperans fame. *Scio abundare.* Quia non extollor in abundantia. *In omnibus.* Id est, bonis, sive prosperis, vel adversis. *Scitis autem et vos Philippenses, quando profectus sum.* Scitis quia vos solos, a quibus sumptus acceperimus elegimus, fideliores omnibus vos judicantes.

In ratione dati. Eleemosynae donatae. *Fructum abundantem.* Mercede coelesti pollentem. *In odorem suavitatis.* Odor suavitatis non in re oblata, sed in mentis oblatione consistit. *Hostiam acceptabilem.* More veterum oblationum. *Impleat omne*

desiderium vestrum. Quia ut perfecti alia desiderare non poterant, nisi quae sunt secundum divitias Dei, non [Col. 0218C] saeculi, et quae ad gloriam pertinent Christi. *Qui de Caesaris sunt domo.* Qui nuper ex Caesaris Neronis familia Christo crediderunt.

VII. IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, et Sylvanus, et Timotheus. Quod non dicit *apostolus, significat auditorum perfectionem.* [Col. 0217D]

Et Sylvanus, et Timotheus. Hi specialiter nominantur, quod eorum doctores erant. *Charitatis et patientiae spei.* Qui perfectae charitatis est, sustinet omnia patienter, propter spem futuram. *Sed in virtute.* Id est, signorum, miraculorum.

Et Spiritu sancto. Cujus virtutem per signa monstravimus. *In plenitudine multa.* In perfectione justitiae, conversationis et vitae.

Cum gaudio Spiritus sancti. Sicut apostolos legimus fecisse. *A vobis enim diffamatum est.* Id est, vestro exemplo caeterae provinciae ad credendum sunt provocatae. Nam natura famae est, sive bonum vel malum nuntiantis, ubique omni celeritate discurrere.

Aliquid loqui. De vestra scilicet laude. *Qui eripuit nos.* Dimittendo peccata, et doctrina sua, et exemplo.

CAPUT II.

Non inanis fuit. Non est inanis sermo quem implet [Col. 0218D] constantia passionis. *Ante vexati.* Multa enim passi sumus, antequam ad vos venissemus.

Sicut scitis in Philippis. Quia aliquanti vestri viderunt nos Philippis passos, non expavisse persecutiones, nec praedicare cessasse.

In multa sollicitudine. Id est, non negligenter, nec transitorie, sed in multa sollicitudine. *Non ex errore.* Id est, perversae doctrinae. *Neque ex immunditia.* Id est, avaritiae seu perversi operis. *Neque in dolo.* Sermone adulationis, aut non contra conscientiam nostram docentes ac suadentes. *Sed sicut probati sumus.* Sicut probavit nos Deus dignos esse ad praedicandum Evangelium.

Neque in occasione avaritiae. Omnis qui adulatur, aut propter avaritiam, aut propter vanam gloriam [Col. 0219A] adulatur. Ille ergo probatur propter Deum docere, qui istam non quaerit. *Sed fuimus parvuli inter vos.* Id est, humiliantes nos, et nec debitum quaerentes honorem. *Tanquam si nutrix foveat filios suos.* Humilians se in omnibus parvulo coaequat, ut illos ad majora sua imitatione perducat. Nam et balbutit interdum lingua, et manducare fingit, et cum eo [eis] lente ambulare consuescit. Ita nos omnia

fecimus per quae proficere poteratis. *Sed etiam animas nostras.* Ut: *Ego sum pastor bonus, bonus autem pastor ponit animam suam pro ovibus suis* **(Joan. X)**. *Charissimi.* Propter fidem et conversationem nostram. *Laborem nostrum.* Id est, manuum. *Fatigationem.* In itineribus ad praedicandum Evangelium. *Ut nullum vestrum gravaremus.* Non gravat Corinthios, propter [Col. 0219B] pseudoapostolos munera quaerentes; hos autem non gravat, ut inquietos qui erant ex illis exemplo suo coerceret.

Quam sancte. Secundum mentem. *Juste.* Secundum bona opera. *Et sine querela.* Non alios gravando in sollicitudinibus. Si quis enim sanctus fuerit doctor, non tamen sine querela est, si alios sollicitudinibus supra modum aggravat. *Verbum auditus Dei.* Id est, quod primum de Deo audistis, sive ut audiretis Deum. *Non ut verbum hominum.* Ut verbum hominum accipit, qui contemnit. Vos autem ita credidistis, ut ab ipso Deo vos audire putaretis. *Ecclesiarum Dei quae sunt in Judaea.* Id est, quibus dicitur: Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. *Qui et* [Col. 0219C] *Dominum occiderunt.* Quid mirum si nos persequuntur, qui nec Domino pepercerunt. *Prohibentes nos gentibus loqui.* Non solum Judaeos impediunt, sed etiam gentibus invident ad suorum cumulum peccatorum. *Praevenit enim super illos ira Dei.* Sive quia praedico qua poena capti sunt, sive quia ablatus non credentibus est intellectus, sive hic prophetizat vindictam crucis quasi prius facta esset. *Usque in finem.* Usque dum credunt, vel usque ad diem judicii, ut: *Opprobrium sempiternum dedit illis* **(Psal. LXXVII)**. *Ego quidem.* Festinavi. *Paulus.* Non aliquos a me nuntios destinavi. *Impedivit nos Satanas.* Tribulationibus persequentium, sive omnis labor contrarius Satanas dici potest. Nam Satanas aliquando non potest impedire virtutem animi; quae autem ad [Col. 0219D] labores corporis pertinent, saepe potest impedire. *Quae enim spes nostra? Non immerito vos deseramus, per quos et laetitiae gaudium speramus, et gloriae coronam non sustinentes, non patiemur ut nemo ad vos veniret.*

CAPUT III.

Solitarii. Maluimus enim soli remanere quam nescire quid agatis. *Et misimus Timotheum.* Quaeritur quomodo Timotheus missus sit, qui pariter scriptus est. Non ergo hac vice missus sit, sed prius. *In hoc.* Labore, ut: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, etc.* **(Matth. X)**. *Positi sumus.* A Deo.*Praedicabamus vobis.* Ut non vos ipsa novitas deterreret, sed magis prophetiam nostram firmaret, sicut et [Col. 0220A] Dominus passurum se ante praedixit. *Labor noster.* Doctrina nostra. *In omni necessitate.* Omnem necessitatem et tribulationem non sentimus, pro multitudine gaudii status vestri. *Quoniam nunc vivimus.* Etiamsi occidamur, vivimus, quorum vita in vestra firmitate consistit. *Super omne gaudium.* Triplicem, ostendit, causam laetitiae nobis vestra conversatio praestat, quia et vos profecistis, et Dominus per vos benedicitur, et aliis praebetis exemplum. *Quae desunt fidei vestrae.* Non ipsa fides deest, sed confortatio, ut in fide permaneant usque in finem. *Dirigat viam nostram.* Id est, remotis diabolicis scandalis, quibus noster impediatur adventus. *Vos autem Dominus multiplicet.* Sicut et nos multiplicavit in charitate. *Sine querela.* Id est, peccati principalis apud Deum [Col. 0220B] et homines. *Cum omnibus sanctis.* Sive angelis, sive hominibus.

CAPUT IV.

De caetero ergo rogo, fratres. Post laudem et confirmationem incipit exhortatio. *Abundetis magis.* Quia cum aetate fidei debent augere profectum et mores, sicut accessu carnalis aetatis et corpus crescit et studium. *A fornicatione.* Tam spirituali quam corporali. *Suum vas possidere.* Proprium suum corpus sive conjugem caste habere. *Quae non noverunt Deum.* Auctorem castitatis. *Ut ne quis supergrediatur.* Ne quis suam conjugem derelinquens, alterius polluere quaerat uxorem, sive in quolibet negotio ne quis alterum fraudet, ut qui pecuniam suam non ad usuram dederat. *Non hominem spernit, sed Deum.* [Col. 0220C] Non mea verba despicit, sed ejus qui in me loquitur Christi, cujus spiritui injuriam facit omnis qui non sancte conversatur. *A Deo didicistis.* A Christo, qui dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* **(Matth. XXV)**. Et ideo novum est, ut pro alterutro moriamur, quia hoc Vetus non jusserat Testamentum. *In universa Macedonia.* Id est, non in Thessalonica tantum. *Ut abundetis magis.* Hoc est, etiam ignotos quosque diligatis. *Ut quieti sitis.* Quidam eorum inquiete per diversorum discurrebant domus, aliqua etiam ad religionis opprobrium ab infidelibus postulantes, quam causam plenius ad eosdem exsequitur.

Et ut vestrum negotium agatis. Necesse est enim otiosum inhonestum esse, dum necessaria victus [Col. 0220D] requirit, adulationi quoque operam dare, novitates etiam rumorum sectari, causarum fabularumque occupationes conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret ad facultatem, qua diversorum valeat domus penetrare. Qui haec omnia facit, inhoneste ambulat. Honeste hic ambulat processionis, et visitationis et Dei verbi causa ambulans.

Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. Id est, ne vos ipsi denotent, qui praestare videntur.

De dormientibus. Id est, de mortuis dormiunt, quas certum est resurgere.

Verbo Domini, Ut: Qui credit in me etsi mortuus fuerit, vivet. Verbo Domini, qui in Paulo loquebatur illud quod sequitur. *Quia nos qui vivimus,* qui residui [Col. 0221A] *sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt.* Hoc autem dicendum reputat secum his quos vivos inveniet dies judicii, dum adhuc vivunt in corpore. Aliter Verbum Domini est: Non praevenimus eos qui dormierunt, quia tam velox erit resurrectio eorum quam nostra assumptio.

In jussu Dei, ut: Mortui audient vocem Filii Dei **(Joan. V)**. *Et in voce archangeli, hoc est coelestium virtutum, aut in manifestatione vocis archangelicae;* aliter, in voce Christi, sive Michaelis, aut Gabrielis, quod interpretatur fortitudo Dei, qui dicit: surgite, expergiscimini. *In tuba.* In clamore. *Descendet de coelo.* In aera, sive supra montem Oliveti, unde corpus ejus elevatum est, ibi praesentia ejus demonstratur.[Col. 0221B]

Resurgent primi. Non tempore, sed primatu gloriae. *Rapiemur in nubibus.* Sicut corpus Domini in nube elevatum est. In hoc autem velocitatem resurrectionis significat; unde Isaias dicit: *Sancti sperantes in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut*

aquilae volantes, etc. **(Isai. XL)**.

CAPUT V.

Sicut fur. Quando omnes scierit dormire securos in nocte, ut: *Media nocte clamor factus est, etc.* **(Matth. XXV)**. *Pax et securitas.* Post occisum Antichristum. *Tunc repentinus eis superveniet interitus.* Ut in diebus Noe et Sodomorum contigit. *Sicut dolor partus.* Sicut illa veniente partu dolores non effugit. *Non estis in tenebris.* Non estis ignorantes, ut nesciatis vos semper debere esse paratos. *Filii lucis.* [Col. 0221C] Scientiae, vel Christi. *Filii diei.* Veritatis. *Noctis.* Daemonis, vel peccati. *Tenebrarum.* Ignorantiae. *Sed* [Col. 0222A] *vigilemus.* Id est, oculos semper ad Dominum vigilantes

@ [Col. 0221C] Deest fortassis *habentes.,* vel elevantes. *Et sobrii simus.* Ne curae hujus vitae inebrient mentem nostram. *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt.* Ideo occisi et ebrii sunt, quia in tenebris sunt, sed hic magis nox et ebrietas allegorice pro ignorantia et libidine accipiendae sunt. *Induti loricam.* Quia alii nudi sunt qui ebrii sunt.

Fidei et charitatis. Omnis justitia fide et charitate constat, quam loricae alibi comparavit. *Qui mortuus est pro nobis.* Id est, ne nos moreremur. *Ut sive vigilemus, sive dormiamus.* Hoc est, ut sive in corpore, sive extra corpus inveniamur, semper cum ipso vivamus. *Ut noveritis.* Honorificetis. *Laborant.* Scilicet in doctrina. *Pacem habete cum illis.* Etsi contraria vestris moribus dixerint. *Corripite inquietos.* Vagos [Col. 0222B] huc et illuc discurrentes. *Pusillanimes.* Id est, intentione desperantes vel deficientes. *Suscipite.* Sustinete. *Patientes estote.* Etiam ad correptos, quia impatientia non corrigit, sed irritat. *Invicem et in omnes.* Non solum in vos Christianos, sed in omnes homines. *Spiritum.* Loquentem varias linguas, vel spiritum exhortantis, nolite perversis quaestionibus opprimere. *Prophetias nolite spernere.* Sive futura praedicantes, sive praeterita disserentes. *Tantum ut probetis.* Si legi non sunt contraria quae dicuntur, et si quid tale fuerit refutate. *Omnia probate.* Si a diabolo, an a Deo sint. *Integer spiritus.* Mens in qua est imago Dei expressa, sive formata. Alii spiritum conscientiam dicunt, ut: Nemo scit ea quae sunt hominis, nisi spiritus qui in eo est. *Fidelis est.* Et verax [Col. 0222C] in promissionibus.

VIII. IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Gratias agere debemus Deo. Qui sibi talem Ecclesiam quaesivit. *In exemplum justi judicii Dei.* Ut exemplum detis justum Dei judicium exspectandi, [Col. 0221D] quem ita creditis venturum. *Si tamen justum est.* Hic *si tamen confirmantis est, non dubitantis, quasi dicat, si tamen fons justitiae potest judicare quod justum est.* Nam sicut indubitanter pro nomine Domini patientibus requiem, ita incunctanter tribulationem his qui eos tribulant repromisit. *In flamma ignis.* Id est, ut ignis ante ipsum praecedat. Quod si potuit flamma Dei imperio tres pueros omnino non tangere, quare non eadem potentia aliis saevior, aliis mitior, fieri posse credatur? *Et qui non obediunt ejus*

Evangelio. Peccatores licet non fuerint. *A facie Domini.* Ut illud: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Mirificari in omnibus. Cum ipse in suis glorificandus erit membris, quae solis splendore fulgebunt. Tunc enim mirabuntur impii et irrisores humilitatis in subitatione salutis insperatae justorum. *In quo et oramus.* In exspectatione illius diei judicii. *Ita et glorificetur nomen Domini.* Ut Christi nomen in vestris actibus clarum sit, et nos in ejus signis et virtutibus gloriosi [Col. 0222D] simus.

CAPUT II.

Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini. Primum, vel secundum, quo vobis charius nihil esse sum certus. *Et nostram congregationem.* Quando a quatuor ventis coeli congregabuntur electi: Ut ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilae **(Matth. XXIV)**. *Neque per spiritum.* Neque signa vos terreant tanquam per spiritum facta, quia hoc et Salvator praemonuit. *Neque per verbum.* Ne sermo dialecticae fallaciae vos seducat ullo modo sub qualibet specie boni vel mali. *Quasi instet dies Domini.* Dicendo: Ecce est Christus hic, vel illic. *Quoniam nisi venerit discessio* [Al., *dissensio*]. Hoc est, nisi Antichristus venerit, non veniet Christus. Quod autem *discessionem* [Col. 0223A] hic dicit, alibi eum *refugam appellavit in Latinis exemplaribus.* Utrumque autem ita intelligendum est, quod nisi venerit refuga veritatis, sive sui principatus desertor, sive discessio gentilium a regno Romano, sicut in Daniele per bestiae imaginem dicitur. *Homo.* Antichristus. *Peccati.* Diaboli scilicet. *Super omne quod dicitur Deus.* Super omnem videlicet potentiam et aeternitatem se jactabit. Et sacramenta culturae divinae corrigere, vel augere se dicat. Et templum Hierosolymae reficere tentabit, omnesque legis caeremonias restaurare, tantum ut veritatis Christi Evangelium solvat, quae res Judaeos eum pro Christo suscipere persuadebit, in suo non in Dei nomine venientem. *Quid detineat.* Hoc est, quae mora est ut veniat. *Ut reveletur.* Id est, Antichristus. *Suo* [Col. 0223B] *tempore.* Id est, apto tempore. *Jam enim mysterium iniquitatis operatur.* Antichristus per sua membra agit, ut Joannes dicit: *Multi Antichristi facti sunt* **(Joan. II)**. In his ergo mysterium iniquitatis operatur, qui falsis doctrinis ejus pervium faciunt iter, quos beatus Joannes in mundum dicit exisse. Sicut enim Christus nunc per membra sua operatur, sic Antichristus. *Qui nunc.* Rex Romanorum. *Tenet.* Regnum. *Teneat.* Regnum suum. *Donec de medio fiat.* Hoc est, donec regnum, quod nunc tenet, de medio auferatur, priusquam Antichristus reveletur. Aliter: Ut qui nunc tenet, id est, Nero, teneat tunc ejusdem nominis alter Nero. *Donec de medio, hoc est, regno mediante illius tunc Neronis, nascatur Antichristus in medio regno alterius tunc Neronis.* Hoc de imperio [Col. 0223C] Romano dictum est, et propterea Paulum non id aperte scribere voluisse dicunt, ne calumniam incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur aeternum. *Spiritu oris sui.* Ut Isaias dicit: *Et spiritu labiorum suorum interficiet impium* **(Isa. XI)**. *Prodigiis mendacibus.* Praestigiosis, sicut ante praedictum est, dabunt signa, ita ut seducantur, si fieri potest, etiam electi, per phantasticam virtutem, sicut Jamnes et Mambres coram Pharaone fecerunt. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris.* Id est, permittet venire; nam si Deus mittit, non est operatio Satanae.

Ut judicentur. Poenam patiantur. *Consenserunt iniquitati.* Homini diabolica arte

fallenti. *In constitutionem gloriae Domini nostri Jesu Christi.* Ad hoc enim [Col. 0223D] vocati sumus, ut Christi gloriam acquiramus. *Scimus enim quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater, contra [Col. 0224A] Arianum, qui ideo Patrem majorem putat, quia prior in Scripturis soleat nominari. *Et dedit consolationem.* Promissionem, sive consolatorem spiritum. *Et spem bonam.* Quia potest et spes mala esse.

CAPUT III.

De caetero, fratres, orate pro nobis. Dat humilitatis exemplum, et occasionem charitatis, ut pro alterutro audacius oremus. *Et glorificetur.* Auditorum profectu. *Fidelis est Deus.* Id est, qui non relinquit nisi relinquentes se. *Et patientia Christi.* Sicut Christus patientiam habuit.

Denuntiamus autem vobis, ut abstrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Quia in primis lenius commonuimus, et tamen emendare se noluerunt, [Col. 0224B] ut vel hoc modo quo sancti se ab eis separant, erubescant. Hujus plane loci auctoritate subtrahendus est ab omni Christiano qui non secundum apostolica praecepta incedit. In prima rogat, hic denuntiat; in illa blandientis affectus est, in hac obtestantis severitas et minantis. *Denuntiamus vobis fratres.* Quia prius rogantes contempsistis audire, saltem nunc denuntiamus voci obedire. Ipsamque denuntiationem non nudo verbo, sed cum obtestatione nominis Domini nostri Jesu Christi terribilem infert, ne forte simplicem, velut humana voce prolatam, rursum contemnerent. *Imitari nos.* Qui sumus forma credentium. Non quia non habuerimus potestatem, non quia indignus est operarius mercede sua, sed ut nos formam daremus vobis ad imitandum [Col. 0224C] nos, ne cui occasionem avaritiae, vel otii, quod fons est inquietudinis, praeberemus. *Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Aut sedeant quieti, aut si veri sunt apostoli, nos sequantur, si non avaritiae, sed Dei causa ambulare se ducunt. *Ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Comitatur enim loquacitas inquietudinem et instabilitatem. *Suum panem.* Non alienum. *Nolite deficere bene facientes.* Aliis qui non sunt hujusmodi; aliter, etiam hujusmodi benefacite, licet eis non commisceamini. *Ut erubescat.* Ut non penitus abscindatur.

Corripite ut fratrem. Aeger enim curandus est, non negandus, ne in apostasiam inquietudo vertatur. *Ipse autem Dominus pacis.* Ut possitis omnes curare pacifice. *Quod est signum.* Agnitionis. *In omni Epistola* [Col. 0224D] *ita scribo.* Sic enim subscribebat, excepta Galatarum, quam ex integro propria manu subscripsit, ut post eam nec sibi, nec angelo crederent.

IX. IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus. Hac vice apostolatus auctoritate utitur: in aliquibus enim auditores

reprehendit. *Audita fide vestra.* Non visa, vel cognita, quia ad hos non pervenit. *Propter spem.* Non propter hominum laudem, sed propter vitam aeternam, quae est in Christo. *In coelis.* Ut est: *Exsultate quia merces vestra copiosa est in coelis* **(Matth. V)**. *Sicut in omni* [Col. 0225A] *mundo.* Synecdochicws, pro parte maxima mundi. *Fructificans et crescens.* Aliud XXX, aliud LX, aliud C, secundum parabolam seminantis **(Matth. XIII)**.*Et cognovistis gratiam Dei in veritate.* Ille gratiam in veritate cognovit, qui ejus beneficia malis actibus non evacuavit. *Qui est pro vobis fidelis minister Christi.* Fideliter pro vobis in oratione incumbens, ministerium Christi exhibet voluntate. *In spiritu.* Id est, in spirituali dilectione. *Et postulantes.* Pro his virtutibus quae sequuntur. *Ut impleamini agnitione voluntatis.* Quia aliter voluntatem ejus non potestis facere, quod Propheta intelligens dicebat ad Dominum: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* **(Psal. CXLII)**. *In omni virtute.* Exsuperando vitia spiritus et carnis. *Secundum majestatem.* Per auxilium. [Col. 0225B] *In omni patientia et longanimitate cum gaudio.* Ibi vera est longanimitas et patientia, ubi aliquis etiam gaudet se sustinere quod patitur. *Sorti sanctorum.* Sortem haereditatis Scriptura cognominat, quia Jesus terram divisit in sorte. *In lumine.* Fidei et sapientiae. *Et transtulit in regnum.* In Ecclesiam praesentem, regnumque coelorum. *Filii dilectionis suae.* Hoc est, filii dilecti sui, ut: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Qui est imago Dei invisibilis. Similitudo est in habitu formae, aequalitas in mensura magnitudinis et parvitatis, imago in expressa re de altera; nam duo ova similia et aequalia possunt esse, non est tamen imago, quia alterum non est expressum de altero, in filiis vero imago potest esse. Christus autem non solum imago est Dei [Col. 0225C] Patris quia de illo est, et similitudo quia imago est, sed et aequalitas tanta, ut nec temporis intervallum impedimento sit. *Primogenitus universae creaturae.* Primogenitus secundum assumpti hominis formam, non tempore, sed dicitur juxta illud: *Filius meus primogenitus Israel* **(Exod. IV)**. Aut primogenitus dicitur, quia ante omnem creaturam divinitate natus est, vel primogenitus nominatur universae Ecclesiae. *Primogenitus ex mortuis.* Incorruptibilitatis gloria. *Ut fiat in omnibus.* Tam visibilibus, quam invisibilibus; sive mortuis, sive vivis. *Primatum tenens.* Sive secundum carnem, sive secundum divinitatem. *Complacuit.* Patri. *Omnem plenitudinem.* Habet divinitatis: in aliis, hoc est, apostolis, patriarchis, prophetis, gratia fuit ex parte; in Christo autem tota divinitas [Col. 0225D] abundat. *Reconciliari omnia.* Coelestia et terrestria, quae vitae dissonantia olim dissidebant. *Per sanguinem crucis ejus.* Hoc est, per sanguinem qui effusus est in cruce. Notandum quare non dicit per crucem, sed *per sanguinem crucis:* aliud namque est crux in alto stans, aliud sanguis decurrens; ascendens ergo in crucem, quasi coelestia obtulit et sanavit, sanguis autem ejus de summo stillans sanavit terrestria, et hoc in sanguine hostiarum praefigurabatur, de quo aliud super altare offerebatur, et aliud ad basim altaris fundebatur. *Reconciliati in corpore.* Ecclesiae. *Stabiles.* In charitate. *In universa creatura.* Scilicet rationali, ut: *Praedicate Evangelium omni creaturae.* Minister. Praedicator. *Et adimpleo ea quae* [Col. 0226A] *desunt passionibus Christi.* Patitur enim Paulus in suis membris ea quae desunt passionum Christi: omnia enim quae potuit adimplere in vita passionum Christi assecutus est, adhuc tamen mori restat, ad quod paratus erat. *Secundum dispensationem Dei.* Doctrinae evangelicae, quam vobis gentibus visus sum erogare. *Divitias majestatis.* Quia idem Deus omnium, dives in omnes qui invocant illum. *Quod est Christus.* Ipse est enim mysterium. *Corripientes.* Propter mala opera, ut: *Declina a*

malo, et fac bonum **(Psal. XXXVI)**. *Omnem hominem.* Servos et liberos, nobiles et ignobiles. *Et docentes.* Id est, ad bonum faciendum, ut *fac bonum.* In omni sapientia. Veteris et Novi Testamenti. *Contendens.* Contra haereticos et daemones. *In virtute.* Potentiae ejus, in [Col. 0226B] signis et miraculis.

CAPUT II.

Volo autem vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro his qui sunt in Laodicea. Quae est civitas in Asia Minore. *Hoc ita dico.* Quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, ut sermonem, vel sensum philosophiae, qui contra illum est, non solum non miremini, sed etiam stultitiae deputetis. *Sed spiritu vobiscum sum.* Habebant hanc gratiam Apostoli, ut alibi positi, quid alibi ageretur agnoscerent, sicut Elisaei spiritus cum Giezi fuit in via **(IV Reg. IV)**. *Et supplens.* Id est, litteris implens quod corporali praesentia non possum implere. *Radicati.* Fide. *Et superaedificati.* Virtutibus aliis: nam secundum robur fundamenti validi supercrescit aedificium. [Col. 0226C] *Et confirmati fide.* Bonorum scilicet futurorum spe. *Abundantes in illo in gratiarum actione.* Id est, semper crescentes in illo, et pro omnibus beneficiis ejus gratias referentes. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Contra philosophos agit, quorum omnis pene disputatio de elementis est, ex visibilibus creaturis, et qui ex rebus naturalibus virtutem aestimant Dei, dicentes, ex nihilo fieri nihil posse; et: animam, aut initium non habere, aut esse mortalem; et: virginem parere omnino non posse, sed et Deum ex homine nasci, mori atque resurgere, credere stultum esse. Aliter, inanem seducat fallaciam, id est, Judaismum. *Secundum traditionem hominum.* Saeculares litteras. *Elementa.* Mandata carnalia. *Non secundum Christum.* Non secundum [Col. 0226D] fidem Evangelii Christi. *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Sciendum corporale aliquid vel proprie dici, cum de corporibus agitur, vel etiam translato vocabulo, sicut dictum est: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta Veteris Testamenti appellat umbras futuri, propter umbrarum corpus, corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quod in illo impleantur omnia quae umbris illis figurata sunt, ac si quodam modo illarum umbrarum ipse sit corpus, hoc est, figurarum et significationum illarum ipse sit veritas. Sicut ergo ipsae figurae significationesve translato vocabulo utique non proprie dictae sunt umbrae, [Col. 0227A] ita quod ait plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitare, translato verbo usus est. *In exspoliatione.* In circumcisione Christi, per quam totum veterem exspoliastis hominem. *Consepulti in baptismo.* Quia peccata sepeliuntur in baptismo. *Et surrexit.* In novitatem vitae. *Operationis Dei.* Id est, resurrectionis Christi. *Convivificavit.* Auferendo causas mortis, id est, peccata. *Delens chirographum quod adversum nos erat.* Chirographum dicit maledictum legis, unde alibi ait: Christus nos redemit de maledicto legis, quo continetur: *maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Quidam vero dicunt chirographum esse, quasi scriptam quamdam apud Deum, memoriam peccatorum; unde ipse in Cantico dicit: *Nonne* [Col. 0227B] *haec congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? Et Jerem.* ait: *Peccatum Judae scriptum est in stylo ferreo, in ungue adamantino* **(Jer. XVII)**. Etiam haec ergo deleta est in cruce, dum dimissis peccatis, etiam memoria est

abolita peccatorum. Aliter chirographum dicit, quod adversum genus humanum diabolus alta memoria reconditum habebat. *Affigens illud cruci.* Quia nos de ligno tulimus illud chirographum, ideo non potuit deleri, nisi affigeretur ligno, ut dicit: *Tulit peccata nostra super lignum* **(I Petr. IV)**. Nam titulus qui scriptus est super crucem, istum titulum chirographi delevit. *Exspolians principatus.* Daemones, quia praedam generis humani ab eis rapuerat. *Traduxit.* Alligavit. *Et captivavit.* Mortem. *Fiducia.* Sine timore. *Palam.* Non latenter. *Triumphans* [Col. 0227C] *illos in semetipso.* Devicit palam, et crucifixus *confusione contempta triumphavit;* non occidendo, sed moriendo; nec vim inferendo, sed sustinendo, ut nobis, confracta omni superbia, vincendi daret exemplum. *Nemo vos judicet.* Nullum enim in hoc debet esse judicium, quod cum umbra esset, cessavit corpore veniente, quia imagine non est opus, veritate praesente. *Corpus autem Christi.* Id est, rei veritas. *Nemo vos seducat in humilitate.* Nemo ficta humilitate superbus, et angelos videre se mentiens, frustra super homines jactet, quia visiones a suo loquitur corde. Sive nemo tam humilis sibi et religiosus videatur, ut Angelos qui Deum vident, se videre mentiatur. *Sensu carnis suae.* Non spiritualiter intelligens. *Non tenens caput.* Christum non credens, [Col. 0227D] qui omnium sanctorum caput est. *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum.* Quicunque igitur extra hoc corpus est, quantumlibet se jactet, ille non vivet, quia caput non habet Christum, qui est vita. *Crescit in augmentum Dei.* In augmentum corporis illius, quod est Ecclesia. *Ne tetigeritis.* Judaeis dicit. *Neque gustaveritis.* Immundos cibos secundum legem. *In interitu ipso usu.* Ideo non debent pro magno haberi, quia intereunt et vadunt in secessum ventris. *Quae sunt rationem quidem habentia.* Hoc est, videntur habere aliquam rationem, si mystice et non secundum solam litteram exponantur, et ut non ad honorem vel ad saturitatem ventris historialiter fiant.

[Col. 0228A]

CAPUT III.

Si ergo consurrexistis cum Christo. Consequenter primo commortuos, deinde consurrexisse nos dicit, nec solum terrae mori, sed etiam coelo vivere nos hortatur: Nihil, inquit, terrenum vos ambiatis, neque mortale quaeratis. *Quae sursum sunt sapite.* Hoc est, coelestem sectamini sapientiam, sed nos nunc celerius humanae sapientiae studium impendimus. *Mortificate igitur membra vestra quae sunt super terram.* Prius ergo quam caetera perscrutemur, quae ista sint membra quae mortificare praeceperit, indagemus. Neque enim beatus Apostolus abscissionem manuum aut pedum praeceptione compellit, sed corpus peccati, quod utique constat ex membris, quantocius destrui desiderat; de quo corpore alibi: *Ut* [Col. 0228B] *destruatur,* inquit, *corpus peccati.* Et quae sit ejus destructio consequenter exponit: *Ut jam, inquit, non serviamus peccato;* a quo liberari etiam cum ejulatu postulat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis* **(Rom. VI)**? Hoc itaque corpus peccati multis vitiorum membris probatur exstructum, et ad ejus pertinet portionem quidquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur, cujus membra rectissime super terram esse dicuntur; non enim possunt hi qui eorum ministerio utuntur veridice profiteri,

Nostra autem conversatio in coelis est. Primo itaque fornicationem credidit in ferendam, quae carnali permixtione perficitur. Tertium peccati membrum libidinem ponit, quae in secessibus animae coalescens, accedere cupit etiam [Col. 0228C] sed sine passione corporis non potest: libidinem enim ab eo quod *libeat dictam esse non dubium est.*

Concupiscentiam malam. Quae non solum ad praedictam impudicitiae passionem, verum etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri potest, quae corruptae tantummodo voluntatis est aegritudo, de qua Dominus in Evangelio: *Qui* viderit, inquit, *mulierem ad concupiscendum, moechatus est illam* **(Matth. V)**. Fornicationis autem genera sunt tria. Primum, per quod commixtio utriusque sexus perficitur. Secundum absque femineo tactu, quo Her, filius Judae patriarchae a Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur. Tertium, quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus inquit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum,* [Col. 0228D] *moechatus est illam.* Quae tria genera beatus Apostolus pari modo exstinguenda pronuntians: *Mortificate,* inquit, *membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, etc. Quae est idolorum servitus.* Cernis itaque ad quantam labem rabies haec per gradus singulos crescat, ut etiam idolorum vel simulacrorum servitus Apostoli voce pronuntietur, eo quod figura Dei imagine praetermissa, quam devote serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro, et diligere pro Deo maluit, et intueri. *Indignationem.* Ipsa est quae inebriat mentem. *Nolite mentiri.* Filios enim veritatis non licet mentiri. *Qui renovatur in agnitione Dei.* Cum quis cognoveri [Col. 0229A] cujus imago est, et in quantum potest nititur simulare. *Ubi non est masculus.* Quia apud Deum non praedicatur sexus, vel genus, vel patria, vel conditio, sed sola conversatio: nam carnalis est ista diversitas. *Sed omnia in omnibus Christus est.* Quod ita fiet, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit, illaque unitas, quae nunc est Patris cum Filio, et Filii cum Patre in nostrum fuerit sensum mentemque transfusa, id est, ut quemadmodum nos ille sincera et pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua et inseparabili dilectione jungamur. *Induite ergo vos sicut electi Dei.* Illa deponentes, haec induite cum estis electi. *Sufferentes* [Col. 0229B] invicem. Exemplo Christi, qui infirmitates nostras portavit. *Quod est vinculum perfectionis.* Charitas enim multa membra in unum colligit corpus. *Et pax Christi.* Qui pro omnibus mortuus est, et suos dilexit inimicos. *In cordibus vestris.* Non in facie fallaciter arridente, vel sermone doloso. *Grati estote.* Beneficiis Christi. In nonnullis exemplaribus habetur: *Et gratia estote;* hoc est, nolite legi assimilari, quae vicem reddit, sed gratiae, quae ignoscit etiam inimicis. *In nomine Domini.* Id est, ad gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi facite omnia. *Gratias agentes Deo.* Qui Filium suum ad haec docenda destinare dignatus est. *Sic oportuit in Domino.* In his quae Deo placent. *Nolite amari esse ad illas.* Vult cessante voluptate non contumelias et odium, sed [Col. 0229C] dilectionem crescere. *Patres, nolite provocare ad indignationem filios vestros.* Ne exasperati iracundi fiant, qui exemplo vestro patientiam discere debuissent. [Col. 0230A] *Timentes Dominum.* Qui ubique semper videt, et odit omne quod fictum est. *Scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* Etiamsi ingratos dominos habeatis, nolite putare infructuosum esse servitium, quod propter Deum exhibitum, coelesti remuneratione

pensabitur. *Qui enim nocet, recipiet id quod inique gessit.* Sive servus qui Dominum contempserit, sive Dominus qui contra servum inique egerit. *Et non est personarum acceptio apud Deum* **(I Petr. II)**. Hoc dicit, ut consolationem haberent, scientes suam injuriam non esse apud Deum inultam.

CAPUT IV.

Domini, quod justum est et aequum, servis praestate, scientes quoniam et vos Dominum habetis in coelo. [Col. 0230B] *Orationi instate.* Nunc generalis exhortatio subsequitur. *Sermo vester semper in sale sit conditus.* Id est, gratum proferte sermonem, sale sapientiae et rationis conditum, ne stulta nostra religio a philosophis et gentibus aestimetur. *Ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Aliter enim paganis, aliter Judaeis, aliter haereticis, et caeteris contradicentibus veritati.

Quae circa me sunt. Securos illos vult esse de sua incolumitate, ne hac essent tristitia occupati. *Concaptivus meus.* Simul vinctus erat, sive compatiebatur charitatis affectu. *Consobrinus Barnabae.* Filius sororis Barnabae. *Qui ex vobis.* De vestro genere. *Hieropoli.* Civitate, in qua sepultus est Joannes Baptista. *Vide ministerium.* Hic diaconus fuisse perhibetur. [Col. 0230C] *Memores estote vinculorum meorum.* Sive orate, ut reddar vobis; sive imitamini tolerantiam mearum passionum.

X. IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi, secundum imperium Dei. Non secundum praesumptionem meam. *Et Salvatoris.* Unum imperium Patri et Filio esse demonstrat. [Col. 0229D] *Qui est spes nostra.* Id est, in quem speramus. *Timotheo.* Iste Timotheus episcopus fuit in Epheso ut in libro Historiarum dicitur. *Gratia et misericordia.* Misericordiam addit propter ejus honorem nimiamque ejus dilectionem. Aut quia Timotheus stomachi dolore laborabat, ideo misericordia indiguerat. *Sicut rogavi te.* Addit infra hoc praeceptum: *Commendo tibi, fili Timothee, hoc est,* sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, sic et *hoc praeceptum iterum commendo.* Neque intenderent fabulis. Quas deuteroses appellant. Unde in Evangelio docentes doctrinas hominum, condemnantur. *Et genealogiis.* Id est, generationibus antiquorum, in quibus sibi summam scientiam vindicant, si omnes generationes enumerant. *Finis autem praecepti.* Hoc est, adimpletio, quia in praecepto mendacium non invenitur, et finem habet in charitate, non ut genealogiae. *Praecepti autem dicit omnium mandatorum, ut est: Omni consummationi* [Col. 0230D] vidi finem latum. Charitas igitur. Dilectio Dei et proximi. *Finis praecepti est.* In qua tota lex pendet et prophetae. Haec si de corde puro sit, difficile delinquere poterimus. *De corde puro.* Sine vitiis. *Et conscientia bona.* Ut conscientia tua testimonium perhibeat charitati. *Et fide non ficta.* Ne aliud corde, aliud ore proferamus. *Bona est lex.* Hoc dicit, ne quis putaret eum spernere legem. *Quia justo lex non est posita.* Novam legem implentibus, lex vindictae non est posita.

Plagiariis. Qui innocentibus plagas inferunt. *Evangelium gloriae Dei.* Per quod glorificatur Deus, sive in quo narratur de gloria Dei. *Quod ignorans feci.* Levius ergo esse peccatum ignorantiae demonstrat. *Superabundavit gratia.* Non solum peccata dimisit, sed bona dedit. *Fidelis sermo.* Quem omnes credunt, et omnium conscientiae verum [Col. 0231A] esse cognoscunt. *Et omni acceptione dignus.* Id est, auribus et corde acceptabilis. *Ut peccatores salvos faceret.* Ut: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Quorum primus ego sum. Ante Paulum non erant peccatores? Certe vel ipse Adam ante omnes, et plena peccatoribus deleta diluvio terra, et deinceps quam multi? Unde ergo verum est, Ego primus sum? Primum se dixit non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine, magnitudinem sui peccati attendit, unde primum se dixit peccatorum, quomodo dicuntur inter advocatos, verbi gratia, primi: Primus est iste, non quia plures annos habet ex quo causas agit, sed quo coepit caeteros superare. Primum ergo se dixit, quia nemo acerbior inter persecutores erat, qui primitivam Ecclesiam post ascensum Domini persecuti [Col. 0231B] sunt. *Ad informationem.* Ad exemplum, ut nemo desperet. *Regi autem saeculorum honor.* Qui mihi tribuit veniam non merenti.

Hoc praeceptum commendo tibi. Hucusque de statu suo quomodo debeat adversariis respondere; hinc dat auctoritatem ordinandi docendique. *Secundum praecedentes prophetias.* Secundum quod etiam hoc officium habebat gratiam prophetandi. Sive prophetiae vocantur, quae in baptismo, vel in ordinatione de eo prophetice cantata sunt, id est, quia in illo completa sunt; sive prophetiae praedicationis intelliguntur. *Habens fidem.* Pro armis. *Et bonam conscientiam.* Implens quod docet. *Quam quidam repellentes.* Male vivendo. *Circa fidem.* Quae est quasi quaedam navis. *Quos tradidi Satanae.* Ut ex praesenti [Col. 0231C] correptione discant futurum judicium non negare. Traditi sunt autem ad emendandum, non ad perdendum.

CAPUT II.

Primum ergo omnium obsecro fieri obsecrationes. His verbis Apostolus quadripartitam orationis speciem evidenter distinxit; sed tamen vobis indagandum est, quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur. *Obsecrationes itaque sunt, imploratio seu petitio pro peccatis, qua vel pro praesentibus, vel praeteritis admissis unusquisque compunctus veniam deprecatur. Orationes sunt, quibus aliquid offerimus, seu vovemus Deo:* Graece enim oratio [προσευχὴ], votum Latine sonat. Oramus enim cum renuntiantes huic [Col. 0231D] mundo spondemus nos mortificatos cunctis actibus et conversationi mundanae. Oramus, cum promittimus nos firmissimam corporis castitatem, seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuo, vel cum e corde nostro radices irae, sive tristitiae vovemus funditus eruendas. *Postulationes.* Quas pro aliis quoque, dum sumus in fervore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro charis scilicet nostris, vel pro totius mundi parte poscentes: et ut ipsius Apostoli verbis eloquamur, cum *pro omnibus hominibus, pro regibus, et pro omnibus qui in sublimitate sunt supplicamus. Gratiarum actiones, quas mens vel cum praeterita Deo recolit beneficia, vel cum praesentia contemplatur,* seu cum in futurum quae et quanta [Col. 0232A] praeparaverit Deus his qui diligunt illum prospicit, per ineffabiles excessus Domino refert. *In omni pietate et castitate.* Ad hoc

vult nos esse quietos, ut pietati et castitati, non dissensioni atque luxuriae tranquillitas nostra proficiat. *Hoc enim acceptum est.* Id est, ut etiam pro talibus oretur. *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Si ipsi jam vocanti Deo consentire voluerint, aut *omnes homines, scilicet praedestinatos;* sive *omnes homines, hoc est, omnem sexum, gentem, conditionem, etc. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum.* Ac si diceret, ideo omnes vult salvare, quia unus Deus omnes creavit, et unus mediator recreavit. *Homo Christus Jesus.* Quia de traditione erat dicturus, ideo hominem solummodo nominavit. *Cujus* [Col. 0232B] *testimonium.* Ut est: *In hoc enim veni ut testimonium perhibeam veritati.* Veritatem dico. Quod in hoc positus sum, ut doctor Gentium sim. *Orate in omni loco.* Non ut Judaei, qui in templo tantum Hierusalem adorandum dicebant. *Non in tortis crinibus.* Ne occasionem dent concupiscentiae. *Mulier discat.* A viro suo. Honorem Deo tribuimus, quando pro collatis bonis dignas gratias referimus; gloriam vero, cum nostris bonis operibus ipse glorificatur. *Docere autem mulieri non permitto.* Id est, publice non permittitur: nam filium vel fratrem debet docere privatim. *Sed esse in silentio.* Ne mysterium sibi usurpando superbiat, taceat in Ecclesia. *Adam enim primus formatus est.* Reddit causas cur eas velit esse subjectas, scilicet quia posteriores in factura sunt, et priores [Col. 0232C] in culpa. *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Ex libro de Genesi ad litteram undecimo. *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei.* Mulier autem gloria viri est, non quod mens feminae eamdem imaginem capere non possit, cum in illa gratia dicat nec masculum esse, nec feminam, sed quia fortassis illa hoc nondum perceperat, quod sit in agnitione Dei, et viro regente ac dispensante paululum fuerat perceptura. Neque enim frustra et illud Apostolus ait: *Adam enim primus formatus est, deinde Eva, et Adam non est seductus, mulier autem seducta est.* In praevaricatione facta est. Ut per illam etiam vir praevaricaretur. Nam et ipsum dicit praevaricatorem, ubi ait: *In similitudinem praevaricationis Adae,* qui est [Col. 0232D] *forma futuri;* seductum tamen negat: nam et interrogatus non ait: Mulier quam dedisti mihi, seduxit me, et manducavi, sed: *Ipsa* mihi, inquit, *dedit a ligno, et manducavi* **(Gen. III)**. Illa vero: *Serpens,* inquit, *seduxit me.* Ita Salomon, vir tantae sapientiae, nunquidnam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperierat atque deflebat mortiferas delicias contristaret. Ita et Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab [Col. 0233A] ejus alienaretur animo, et omnino illis interest discordia, Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suae, sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico inimicus fiat: quod eum facere non debuisse divinae sententiae justus exitus indicavit. Ergo alio modo quodam etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, qua idem quod suadebatur cum falsum esset, verum putatum est, id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerat, quod sciret eos, si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui [Col. 0233B] eos homines fecerat. In praevaricatione mulier seducta fuit, sed non ideo desperet mulier, quia per baptismum, quod est filiorum Dei veneratio, et ipsa salvabitur, non Eva, sed credens mulier: quia Eva ad

exemplum adducta est creationis, nec de ipsius salute proprie tractabatur. *Si permanserint in fide.* Sicut superius de plurali numero mulierum ad singularem transivit, dicens: *Mulier in silentio discat, ita et hic redit ad pluralem.*

CAPUT III.

Humanus sermo: Si quis episcopatum desiderat. Prius laicos instituit, de quibus optimi quique in sacerdotium eliguntur, et sic dicit quales debeant ordinari. *Bonum opus desiderat.* Ad boni operis desiderium provocatur, non honoris. *Oportet enim* [Col. 0233C] *hujusmodi irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Primum itaque sine crimine sit, quod puto alio verbo ad Timotheum irreprehensibilem ordinatum, non quo eo tantum quo ordinandus est sine ullo sit crimine, et praeteritas maculas nova conversatione deleverit, sed ex eo tempore quo in Christo renatus nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest praeesse Ecclesiae, auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruerit? Aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat eadem se admisisse quae corripit? Quod autem ait ante gradum: *Unius uxoris virum, sic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem, sed quo is possit ad monogamiam et continentiam* [Col. 0233D] coarctari, qui sui exemplo praefuerat in docendo. Esto quippe aliquem adolescentulum conjugem perdidisse, et carnis necessitate superatum, accepisse uxorem secundam, quam et ipse statim amiserit, et deinceps vixerit continenter; alium vero usque ad senectutem habuisse matrimonium, et uxoris usum, ut plerique aestimant, felicem, nunquam a carnis opere cessasse: quis nobis videtur de duobus melior esse, pudicior ac continentior? Utique qui infelix etiam in secundo matrimonio fuit, et postea pudice et sancte conversatus est, et non is qui ab uxoris amplexu nec senili est separatus aetate. *Ornatum.* Id est, his omnibus spiritualibus ornamentis. *Hospitalem.* Laicus enim unum, aut duos, aut tres, [Col. 0234A] aut paucos recipiens, implevit hospitalitatis officium: episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. *Docibilem.* Id est, sapientem. *Non vinolentum.* Ut fiducialiter possit corripere ebriosos. *Non percussorem.* Ne sit petulans ad caedendum. *Sed modestum.* Qui omnia facit cum mensura. *Non neophytum.* Id est, nuper instructum. *Ne in superbiam elatus.* Id est, ne nuper renatus cito possit per ignorantiam extolli, et putet se non tam ministerium humilitatis quam administrationem saecularis potestatis adeptum, et condemnationem superbiae mereatur sicut diabolus, qui per jactantiam judicatus atque dejectus est. *Ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Ut non vituperetur ministerium nostrum. *Ab his qui foris sunt.* Judaeis infidelibus, et Graecis, et paganis. [Col. 0234B] Omnes enim naturaliter norunt culpare vitia, et laudare virtutes. *Diaconos similiter pudicos.* Hoc est, oportet similiter eos irreprehensibiles esse, ut episcopi eligantur. Sed quaeritur cur de presbyteris nullam fecerit mentionem. Sed etiam ipsos in episcoporum nomine comprehendit. *Non bilingues.* Quia susurro et bilinguis multos conturbat pacem habentes. *Non turpe lucrum sectantes.* Turpe lucrum est, de coelestibus mysteriis terrena sectari. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Id est, ut non propter lucrum Christum praedicent, et pro Christo laborent, ut non quaestum esse existiment pietatem. *Mulieres similiter pudicas.* Similiter eas ut diaconos eligi jubet. Unde intelligitur quod de his dicat, quas adhuc hodie in Oriente diaconissas appellant. *Diaconi* [Col. 0234C] *sint unius uxoris viri.*

Non ut haberent dicit, sed ne duas habuerint. *Qui enim bene ministraverit.* Ostendit non ministerium tantum, sed qualitatem ministerii praemium promereri. *Et multam fiduciam in fide.* Et apud Deum petendi, et apud homines docendi, et etiam arguendi. *Columna et firmamentum veritatis.* Id est, in qua nunc sola veritas stat firmata, quae ante in lege erat posita. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum.* Cum te oporteat Ecclesiam Christi docere, non est tibi ambiguum quid doceas, dum manifeste apparet, quod magnum est sacramentum. Dicitur hoc sacramentum, quod primitus occultabatur. *Quod manifestatum est in carne.* Quod nunc in carne Christi declaratum est, magis videlicet primo et pastoribus. *Justificatum est in* [Col. 0234D] *spiritu.* Justum esse in spiritu demonstratum est, in forma scilicet columbae, sive quod prophetatum est per Spiritum sanctum. *Apparuit angelis.* Quando dicebant: *Gloria in excelsis Deo;* et quando illi in eremo ministrabant, in dieque ascensionis. *Assumptum est in gloria.* Ut apostolis videntibus ascendit in coelum.

CAPUT IV.

Spiritus autem. Sanctus. *Manifeste dicit.* Per ipsum scilicet Paulum prophetalem inducit affectum, quomodo antiqui dicebant: Haec dicit Spiritus sanctus. *Quia in novissimis temporibus.* Postquam de sacramento intimavit, nunc indicat quod illud sacramentum haereticorum nubibus obscuratur. *In hypocrisi.* [Col. 0235A] Id est, aliud in corde, aliud in labiis proferentes, vel retinentes. *Cauteriatam.* Vitiatam, vel maculatam. *Prohibentium nubere.* Id est, cum ipsi nubant, ut: *Qui praedicas non furandum, furaris* **(Rom. II)**. Illi autem hoc non amore castitatis et abstinentiae faciebant, sed ut sanctiores caeteris viderentur. *Per verbum Dei.* Id est, quo sanctificatur cibus ac benedicitur. *Haec proponens fratribus.* Libram justitiae in omnibus tenens, et omnia rationabiliter et moderate dispensans. *Verbis fidei.* Verba proprie fidei sunt traditio symboli: bona vero doctrina, qua vita instituitur Christiana. *Inanes fabulas.* Arte compositum mendacium. *Pietas autem ad omnia.* Et ad praesens tempus, et in futurum. Nam et ipsa vidua et in praesenti est pasta, et merces ejus manet in [Col. 0235B] aevo. Unde Salomon ait: *Longitudo dierum in dextera ejus* **(Prov. III)**. *Fidelis sermo.* Quem de pietate praedixit, *fidelis, id est, verax apud omnium bonorum conscientiam, et cui nemo bonus resistat. Qui est salus omnium.* Omnium in praesenti. *Fidelium.* Etiam in futuro. *Haec, praecipe, et doce.* Praecipe, ut fiant; doce, quo modo fiant, vel quali praemio remuneranda sunt. *Dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinae.* Primo lege, deinde exhortare ut fiant, postremo doce quomodo intelligantur obscura, ut possint fieri quae leguntur. *Noli negligere gratiam.* Ille negligit gratiam, qui acceptum talentum non exercet. *Per prophetiam.* Id est, benedictionem. *Cum impositione manuum.* Mearum. *Presbyterii.* Episcopi. *Haec meditare.* Omnis enim perfectus ex [Col. 0235C] meditatione descendit. *In his esto.* Non enim omnis in his est qui meditatur. *Ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* Hoc est, ut exemplo tuo omnes ad meliora proficiant. *Attende tibi et doctrinae.* Primo tibi, deinde doctrinae, ut ubique sollicitus et te actu salves, et illos doctrina pariter et exemplo.

CAPUT V.

Seniorem ne increpaveris. Ne indigne ferens se a juniore correptum, exasperetur, et non proficiat. *Sed obsecra.* Ut suo quasi pater ex senio [exemplo] instituat juniores. *Juvenes ut fratres.* Fratres ut coaevi, liberi vel commonentur similiter ut sorores. *Viduas honora.* Id est, necessaria eis praebendo, solatia conferendo. *Quae vere viduae sunt.* Id est, sine viro nuptiisque. *Si qua autem vidua filios,* aut nepotes [Col. 0235D] *habet.* Tandiu regat domum, quandiu edocet filios parvulos, aut nepotes, ut quod a parentibus pietatis acceperit, filiis reddat: ita tamen, ut non hac excusatione avaritiae studeat, sed sufficientiam tantum sibi servet et liberis, ne in eis ipsa occasionem det saeculo serviendi.

Desolata. A conjugio maritali. *Et instet orationi.* Qualis fuit Anna filia Phanuel, tales praecepit honorari, quae in templo die et nocte orationi vacabat. *Vivens mortua.* Secundum animam; ergo si quae in deliciis est mortua, quanto magis quae in peccatis versatur? *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet.* Si quis viduas abjicit, aut pupillos, vel maxime parentes et pauperes, deterior [Col. 0236A] est infideli, quia etiam illi naturaliter habent circa proximos pietatem; sive si qua vidua filios orphanos negligat, hujus sententiae crimen incurrit. Simul notandum est quosdam fideles esse in nomine, qui infidelibus conversatione pejores sunt. *Vidua eligatur.* In ministerium diaconatus, vel ut sustentetur opibus Ecclesiae. *Non minus annorum sexaginta.* Nam juniores viduae possunt ad suum opus laborare, ut non aggravent Ecclesiam. *Unius viri uxor.* Unde intelligitur, quod illa quae cum plurimis viris fuit, vidua non sit. *Tribulationem patientes.* In carcere vel aegritudine positis. *Si omne opus bonum subsecuta est.* Breviter universa conclusit. *Juniores autem viduas.* Id est, minoris aetatis quam sexaginta annorum. Tales ergo devita aliis in ministerio diaconatus [Col. 0236B] praeponere, ne malum pro bono detur exemplum. *In Christo nubere.* Id est, in societate Christi, et statu viduitatis nubere volunt.

Quia primam fidem. Id est, fides qua se viduas promiserant permansuras. Haec autem regula non solum in viduis, sed etiam in virginibus continentibusque servatur.

Otiose discurrunt. Divino minime timore detentae, nec mariti potestati subjectae, nullaque cura domesticae occupationis astrictae. *Curiosae.* Id est, de rebus sibi non pertinentibus loquentes. *Volo ergo juniores.* Id est, non voventes. *Nullam occasionem dare.* Hoc est, ne per illarum incontinentiam religio blasphemetur. *Adversario.* Id est, diabolo, vel cuilibet perverso homini. *Jam enim quaedam conversae sunt.* [Col. 0236C] Reddit causam quare eas nubere velle praedixerat. *Ut his quae vere viduae sunt sufficiat.* Id est, quae omni auxilio desolatae sunt. *Duplici honore.* Magno honore, vel propter gradum officii et doctrinae. *Bovi trituranti.* Id est, doctori praedicanti: *Ut et caeteri timorem habeant.* Videntes te nemini pepercisse.

Sine praejudicio. Ut Salomon ait: *Cum consilio omnia fac.* In declinatione. Ut: *Neque ad dextram, neque ad sinistram declines.* Neque communicaveris peccatis alienis. Si enim cito ante tempus manus cuidam imposueris, peccatis ejus communicabis. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt.* Statim in ipsa examinatione apparent.

Praecedentia. Antequam quis gradum ecclesiasticum accipiat. *Ad judicium.* Manifesta sunt ad judicium, [Col. 0236D] hoc est, sive dum dejecti excommunicantur, sive dum plagis

praesentibus praedamnantur. *Quosdam autem et subsequuntur.* Post ordinationem sciuntur aliorum peccata, quae celaverunt ante ordinationem, ideo praedixit: *Sine praejudicio nihil faciens.* Et manus cito nemini imposueris, donec scias si lateant peccata, an non. *Subsequuntur.* Hoc est, sive subsequitur in futurum judicium, sive hic diu latere non possunt. Non ergo debent facile ordinari. *Similiter et facta bona manifesta sunt.* Non enim *potest abscondi civitas supra montem posita* **(Matth. V)**, sed etiam quae ad tempus latent, non possunt diutius occultari.

CAPUT VI.

[Col. 0237A]

Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Id est, ne videantur per religionem in deterius profecisse. *Qui autem fideles habent dominos.* Hoc est, ne sibi aequalitatem vindicent, eosque contemnant, quorum fratres sunt per fidem. *Beneficii.* Fidei et baptismatis.

Exhortare. Praemium ostendendo. *Et superbus nihil sciens.* Super alios se extollens, cum non sit desursum veniens quem praedicat sapientia. *Sed languescens.* Quia nec solidae veritatis scientia convalescit, sed diversis occasionibus languet, et pugnas verborum observat. *Suspiciones malae.* Sive haeresim de altero suspicantur, sive audientes putant deficere [Col. 0237B] veritatem. *Existimantes quaestum esse pietatem.* Quia putant quaestus sui causa novum venisse testamentum. *Est autem quaestus magnus.* Multum acquirit, qui habet pietatem cum sufficientia, non luxuriae, sed naturae: quia quae tantum naturae sufficiunt, pietas exigit.

Nihil enim intulimus in hunc mundum. Nudi nati sumus, nudi etiam morituri **(Job. I)**: quidquid enim hic invenitur, hic relinquitur. Non est nostrum, quod non semper nostrum est. Ergo illas divitias acquiramus, quas nobiscum ad coelestem patriam ferre possimus.

Et desideria multa. Divitiarum enim desideria nunquam satiantur. *Quae mergunt in interitum.* Dum ambitione honorum tumentes, in coelos usque elevati [Col. 0237C] usque ad inferos demerguntur. Sive desiderantes alienas opes, ut Achab, usque ad homicidium perveniunt. *Radix enim omnium malorum cupiditas.* Merito initium omnis peccati superbiam diffinivit Scriptura, dicens: *Initium omnis peccati superbia* **(Eccl. X)**. Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud, quod ait Apostolus: *Radix omnium malorum avaritia est, si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque aliquid appetit amplius quam oportet propter excellentiam suam et propter quemdam propriae rei amorem,* cui sapienter nomen Latina lingua indidit, cum appellavit *privatum.* Specialis [Col. 0238A] vero avaritia quae usitatius appellatur amor pecuniae, cujus nomine Apostolus per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi, dicendo: *Radix omnium malorum est avaritia.* Hac etenim diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Radix excisa semper densos reparat ramos; evellenda est ergo radix, ne rami superflue excidantur: quia in transgressione Adae multa erant vitia, ut est: *Si de hoc ligno gustaveritis, aperientur*

oculi vestri, et eritis sicut dii **(Gen. III)**. Denique cum dixerit *aperientur, hic ostenditur cupiditas;* et quando dixerit *gustaveritis, hic gula videtur;* et quando dixerit *eritis sicut dii, ibi superbia revelatur. Et inseruerunt se doloribus multis.* Quanto amplius habuerint, tanto plures sollicitudinum [Col. 0238B] sustinent cruciatus.

Sectare autem. Id est, in his esto dives. *Justitiam.* In judiciis. *Certamen fidei.* Id est, ut fidem defendas.

Apprehende vitam aeternam. Ut illi cupiunt temporalem tenere. *Coram multis testibus.* Coram sacerdotibus, vel ministris virtutibus coelestibus. *Praecipio tibi.* Praecipit autem auctoritate magistri. *Sine macula.* Maculat enim quodammodo, et reprehendi facit mandata, qui peccat.

Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato. Dicens ad Pilatum: *Ego ad hoc veni in hunc mundum, ut testimonium perhibeam veritati, scilicet pro ea etiam moriendo. Qui solus habet immortalitatem.* Id est, non accipit. *Quem vidit hominum nemo.* Nemo vidit sicuti est, sed unusquisque pro merito. Nam et solem [Col. 0238C] tanto amplius vident singuli, quanto purior fuerit acies oculorum. *Non superbe sapere.* Raro enim invenies divitem, nisi superbum. *Ad fruendum.* Id est, non ad occultandum, vel ad negotiandum. *Neque sperare in incerto divitiarum.* De quibus incertus es utrum illae tibi, an tu illis celerius subtraharis. *Veram vitam.* Id est, futuram, affirmat praesentem vitam non esse veram. *Depositum custodi.* Id est, commendatum a nobis serva mandatum, sive fidei depositum custodi. *Fallacis scientiae.* Dialecticae. *Gratia tecum.* Permaneat in aeternum.

XI. IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

[Col. 0237D]

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei secundum promissionem vitae. Quam promittit Christus condignum exhibentibus promissione servitium. *Cui servio a proavis meis.* Id est, a patriarchis. Nam et ego Ecclesiam Christi non malevolentia, sed legis aemulatione vastabam. *In conscientia pura.* Nullum habens criminale peccatum.

Quod sine intermissione habeam tui memoriam. Eo quod meruisti, ut te cogitem semper. *Memor lacrymarum* [Col. 0238D] *tuarum.* Quas me abeunte a te fudisti. Unde et me ad tristitiam provocasti, quam tua opto praesentia relevari. *Ut gaudio implear.* Propter tuam iterum praesentiam. *Ut resuscites gratiam Dei.* Hoc est, ut de die in diem studium praedicandi renoves. *Per impositionem manuum.* Id est, juxta ordinationem tuam in episcopatum. *Spiritum timoris.* Ut timeamus persecutores, qui nos prohibent praedicare. *Sed virtutis.* Id est, fiduciae praedicandi. *Et dilectionis.* Ut sive pro Deo, sive pro alterutro libenter etiam [Col. 0239A] moriamur. *Et sobrietas.* Ut omnia sobria mente faciamus. *Noli ergo erubescere.* Non te pudeat praedicare, et testificari Christum

crucifixum meque vinctum pro eo.

Sed collabora. Mecum simul. *Secundum virtutem Dei.* Quae nos confortat virtutibus per nos factis. *Ante tempora saecularia.* Ut: *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem.*

Qui destruxit quidem mortem. Peccatum et diabolum. *Illuminavit autem vitam.* Ostendit quomodo vita et incorruptio quaereretur. *Sed non confundor.* In tentationibus et in catenis. At nos e contrario solis opprobriis confundimur. *Scio enim.* Christum cui credidi, id est, scio eum fidelem et potentem. *Depositum meum.* Animam vel praemium. *Exemplum* [Col. 0239B] *habe.* Regulam custodi. *Sanorum verborum.* Quae parant sanitatem. *Bonum depositum.* Doctrinam, vel mandatum, seu gradum. *Scis hoc, quod averterunt se a me.* Idcirco te commoneo, quia quos me non putabam deserere, dereliquerunt. *Omnes.* Pro parte. *Ex Asia.* Minore. *Onesiphori domui.* Non sibi soli, sed omni domui ejus.

CAPUT II.

Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu. Et quae audisti a me per multos testes. Sive praesentibus multis tibi dedi mandata, qualiter docere debeas; sive quae dixi, multis prophetarum testimoniis et exemplis confirmavi. *Haec commenda fidelibus hominibus.* Qui fideliter possunt Dei gratiam dispensare, hoc est, solius Dei causa praedicare. [Col. 0239C] *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* Comparatione militantium utitur, et ostendit multo magis nos a negotiis saecularibus liberos esse debere, ut Christo placeamus, cum etiam saeculi milites a reliquis actibus vacent, ut possint regi suo placere perfecte. *Cui se probavit.* Se obtulit. Nemo enim, inquit, duobus dominis servire potest. *Nam et qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.* Alia comparatione idipsum dicit: multi enim certant, sed ille solus qui tota virtute vicerit coronatus erit. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.* Ne quis diceret: Unde ergo victurus sum, si me totum occupavero in doctrina? ostendit eum primitias frugum a populo debere percipere, mercedem quam a Domino messis [Col. 0239D] percipiet in futuro.

Intellige quae dico. Quia parabolam dixit. *Memor esto Christum Jesum resurrexisse.* Hoc est contra illos qui carnis resurrectionem negabant, et adversus illos qui negant Christum in carne venisse, quos Jesus antichristos appellat; vel sicut ille post mortem resurrexit, ita et tu habebis solatium post tribulationem.

Secundum evangelium meum. Secundum quod me praedicare non nescis. *Sed sermo Domini non est alligatus.* Quia praesentes doceo fiducialiter, et litteris absentes confirmare non cesso. *Propter electos.* Id est, ut sim exemplum electis. *Ut et ipsi salutem consequantur.* Id est, sustinentes meo exemplo [Col. 0240A] tentationes. *Ille fidelis permanet.* Nam omnia quae promisit, implebit, quia veritas contra se non faciet, ne se negare videatur. *Commone.* Id est, impera.

Testificans. Id est, fortiter docens. *Coram Deo.* In voluntate Dei. *Non per*

contentionem. Ne tibi nullus credat contendenti. *Probabilem exhibere Deo.* Hoc est, ita vive, ne dicta factis deficientibus erubescas. *Stulta autem et inaniloquia devita.* Hoc est, irreligiosas haereticorum fabulas, qui negant resurrectionem. *Proficient.* Crescent.

Et sermo eorum sicut cancer serpit. Cancer esse dicitur vulnus, quod in mamillis nascitur feminarum, quibus nisi cito subventum fuerit, cum virus ad cor serpserit, nullum ultra remedium est. Ita haereticorum [Col. 0240B] sunt colloquia vitanda, ne per aures irremediabiliter vulnerent mentes.

Jam factam esse resurrectionem. Id est, eo quod succedunt filii post parentes. Aut illi tantum resurrexerunt, de quibus in Evangelio: *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Aut factam esse resurrectionem. Id est, animas in alia corpora transire putantes, secundum Platonicum errorem. *Sed firmum fundamentum Dei stat.* Quia ii in quorum corde fides Christi fundata, non sunt seducti, vel moti. *Novit Dominus qui sunt ejus.* Hoc testimonium in Numeris scriptum est. *Qui sunt ejus.* Id est, qui praedestinati sunt ad vitam aeternam, sicut Moysi tempore ii qui a Dathan et Abiron subversi non sunt, non simul cum impiis perierunt, Deo illos [Col. 0240C] optime cognoscente. *Et discedat ab iniquitate.* Ut non simul pereat cum iniquis. *Qui nominant nomen Dei.* Dum illud sanctum et justum sit. *In magna autem domo.* Magnam domum non Ecclesiam dicit, ut quidam putat, quae non habet maculam, neque rugam, sed mundum in quo zizania sunt mista tritico. Nam resurrectionem negantes certum est in Ecclesia esse non posse. *Vasa aurea.* Sensum mundum habentes, vel apostoli. *Argentea vasa.* Loquelas habentes doctrinae. *Alia quidem in honorem.* Vitae aeternae. *In contumeliam.* Poenae. *Si quis emundaverit se ab istis.* Id est, si quis a doctoribus se haereticis emundaverit, et crediderit resurrectionem futuram, et judicium Dei, per hoc omne opus bonum implere contendet. *Juvenilia desideria fuge.* Id est, [Col. 0240D] fornicationem. *Pacem cum his qui invocant Dominum.* Ad illos enim pax jungenda est, qui jungunt se Domino. *De corde puro.* Id est, non tantum labiis.

Servum autem Domini. Servum Christi, qui non clamabit, neque contendet. *Sed modestum esse ad omnes.* Non solum ad amicos. *Docibilem.* Qui bene alios doceat. *Cum modestia.* Id est, non cum furore.

CAPUT III.

Hoc autem scito, quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Non sit tibi hoc mirum, quod quotidie pejora perveniunt. *Seipsos amantes.* Non Dei gloriam, sed suam quaerentes. *Parentibus.* [Col. 0241A] Id est, et corporalibus, et spiritualibus non obedientes. *Sine affectu.* Misericordiae. *Incontinentes.* Per luxuriam. *Speciem pietatis.* Id est, in habitu, seu doctrina. *Abnegantes.* Operibus. *Qui penetrant domus.* Ad praedicandum vel seducendum. *Et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis.* Id est, impunitatem illis et veniam promittentes, sive infirmas animas quae feminis comparantur, haeretica perversitate corrumpunt. *Semper discentes.* Nova semper discere cupientes.

Quemadmodum enim Jamnes et Mambres restiterunt Moysi. Hi sunt magi, qui fecerunt

signa in Aegypto contra signa Moysi. Et haec nomina inveniuntur non in libris legis, sed Paulus protulit, sive [Col. 0241B] per Spiritum, sive per peritiam aliarum Scripturarum.

Circa fidem. Quia non intrant in fidem, sed foris sunt. *Non proficient.* Ad nocendum aliis. *Sicut et aliorum.* Id est, magorum fuit, cum confessi sunt digito Dei se fuisse superatos.

Tu autem assecutus es meam doctrinam. Id est, idcirco tibi non timeo, quia scio te doctrinam et vitam meam cognovisse optime. *Et ex omnibus liberavit Dominus.* Ita et de omnibus te eripiet. *Et in errorem mittentes.* Ut est: *Non solum non intratis in regnum coelorum, sed intrantes prohibetis* **(Matth. XXIII)**. *Et credita tibi.* A Deo per nos. *Sciens a quo didicisti.* Sive a vero apostolo, sive per legem a Deo. *Per fidem quae est in Christo Jesu.* Sine fide enim Christi litterae legis non jam sufficiunt ad salutem. *Omnis* [Col. 0241C] *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Docere convenit de his quae agi debent. Arguere vero peccatores, corrigere vero poenitentes, erudire, adducere hominem ad justitiam.

CAPUT IV.

Testificor coram Deo et Jesu Christo. Contestatur illum per universa quae credit religio Christiana, ut verbum Dei instanter annuntiet. *Qui judicaturus est vivos et mortuos.* Quia vivos inveniet, et mortuos suscitabit.

Insta. Commode. *Opportune.* Opportunum est libenter audientibus; importunum vero invitis et nolentibus praedicare.[Col. 0242A]

Argue. Peccatores. *Obsecra.* Seniores. *Increpa.* Superbos et resistentes. Sed haec omnia cum patientia, et secundum doctrinam perfice legis.

Magistros. Haereticos. *Pruriens.* Placentes auribus scilicet auditorum. Aliter: Prurientes auribus, hoc est, ipsi auditores auribus considerantes. Pruritus est enim incendium carnis, sine effusione sanguinis vel seminis, sic verbum haereticorum sollicitat aures audientium sine veritate praedicationis.

Ad fabulas autem convertentur. Ad fabulosas assertiones.

Ministerium tuum imple. Scilicet episcopatus, non enim semper ero in corpore ut valeam commonere. *Certamen bonum certavi.* Modo jam confidenter hoc [Col. 0242B] dicit in extremo vitae limite constitutus, comparatione utitur sane in agone certantium. *Certavi.* Contra octo vitia, daemones, haereticos, persecutores. *Cursum consummavi.* In mandatis divinis. *Fidem servavi.* Suscepti officii fidem in finem usque servavi. *Reposita est mihi corona justitiae.* Id est, hucusque labores passus sum, nunc autem mercedem exspecto. *Justus Judex.* Qui non personas, sed merita respiciet. *Festina ad me.* Ab Epheso ad Romam. *Demas me dereliquit, diligens hoc saeculum.* Necesse enim erat, ut diligens saeculum relinqueret saeculum relinquentem: omne enim animal ad simile sibi jungitur. *Titus in Dalmatiam.* Isti autem missi sunt et deseruerunt.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum. Penula est enim lacerna in [Col. 0242C] modum cucullae. Item lacerna stola, aut genus cucullae subtilis. Penula Latinum est, id est, lacerna clarata. *Reddat illi Dominus secundum opera ejus.* In hoc prophetat, non optat, secundum Hieronymum, ut in tractatu Ecclesiastici ipse ait. *Verbis meis.* Quanto magis tuis?

In prima defensione. Quando defendi in Roma evangelicam fidem, secundo anno Neronis. *De ore leonis.* Neronis. *Ab omni opere malo.* Ab insidiantium malignitate. *Erastus.* Pauli discipulus. *Claudia.* Quaedam mulier. *Cum spiritu tuo.* Quia carne mortuus spiritualiter vivis.

XII. IN EPISTOLAM AD TITUM.

[Col. 0241D]

CAPUT PRIMUM.

Hanc Epistolam scribit de Nicopoli, quae in Actiaco littore sita est, ad Titum discipulum suum, quem Cretae reliquerat, ad ecclesias instruendas.

Paulus servus Dei. Id est, non peccati, aut veteris legis. *Apostolus autem Christi.* Quia ab ipso missus fuit praedicare. *Secundum fidem electorum* [Col. 0242D] *Dei.* Id est, secundum eamdem fidem, qua credentes electi sunt, cum cognoscerent veritatem. *Et agnitionem veritatis.* Quam praedico, ut agnoscant veritatem Novi Testamenti, relicta littera. *Quae secundum pietatem est.* Non severitatem veteris legis. Aliter: Haec est plane veritas, quae non habet pietatem; verbi gratia, si quia grammaticam noverit artem et dialecticam, ut inter falsa et vera dijudicet, absque pietate notitia veritatis delectat [Col. 0243A] ad praesens, sed aeternitatem non habet praemiorum.

Ante tempora saecularia. Ante mundi omnia tempora, apud se proposuit per Filium salvare credentes. *Tempora autem saecularia dicit.* Hoc est, quae multis saeculis cyclisve ab initio mundi revolvuntur: sunt etenim tempora quae non sunt saecularia, ut unius horae, vel diei tempus, quae non saeculis sed momentis constant. *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in praedicatione.* Attende textum et ordinem lectionis: quoniam vita aeterna, quam non mendax Deus ante saecula aeterna promisit, non alia sit absque verbo Dei: *Manifestavit enim,* inquit, *temporibus suis verbum suum,* quod in principio [Col. 0243B] erat apud Deum Patrem. *Secundum imperium Salvatoris nostri Dei.* Cum Paulum et Barnabam segregari praecepit, ut Gentes docerent. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae.* Postquam credentium dura corda mollierat, tam in signis quam sermone, et fundamentum fidei jecerat, id est, Christum, reliquit Titum Cretae discipulum, ut rudimenta nascentis ecclesiae confirmaret, ipse pergens ad alias nationes. Quod autem ait: *Ut ea quae desunt corrigas, ostendit necdum eos ad plenam venisse scientiam veritatis, et licet ab Apostolo correcti fuerint, tamen adhuc indigere correctione. Corrigas.* In Graeco autem supercorrigas [Ἐπιδιορθώσῃ]. *Unius uxoris vir.* Id est, quo possit ad monogamiam et continentiam alios cohortari, qui sui

exemplum praeferat in docendo. *Filios* [Col. 0243C] *habens fideles.* In domo propria prius doctrina sua noscatur. *Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem.* Ipsum dicit episcopum, quem prius presbyterum nominavit, antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et dicerent in populis: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur.* Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus, superponeretur caeteris, ad quem omnis cura ecclesiae pertineret, et schismatum semina tollerentur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miserat Ephesum, et vocaverat presbyteros ejusdem ecclesiae, [Col. 0243D] quibus postea inter caeteros sic locutus est: *Attendite vobis et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum.* Et hic diligentius observato, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea episcopos dixerit. Haec propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos episcopos. Paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. *Non iracundum.* Iracundus est, non qui aliquando irascitur, sed qui semper ad levem responsionis auram quasi a vento folium movetur. *Non percussorem.* Id est, ne aliorum conscientiam mala conversatione percutiat. *Non turpis lucri* [Col. 0244A] *cupidum.* Turpis lucri appetitio est plus quam necesse est de praesentibus cogitare.

Sed hospitalem. Hucusque quid non debeat habere episcopus sive presbyter, nunc quid habere debeat explicatur. *Benignum.* Ante episcopatum. *Justum.* In judiciis. *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* Non fabulas saeculares. *Et seductores.* In Graeco, mentium deceptores [[φρεναπάται]. *Maxime qui de circumcisione sunt.* Id est, qui humanas potius traditiones quam divina mandata loquuntur. *Qui universas domus subvertunt.* De ciborum differentia, et de circumcisione, et sabbato tractantes, et hoc non zelo Dei faciunt, sed turpis lucri gratia. *Dixit quidam ex illis proprius illorum propheta.* Quoniam ad exitum sermonis, et ad continentiam [Col. 0244B] loci pertinet hoc quod ait: *Dixit quidam ex illis proprius illorum propheta, videtur ad eos referre de quibus superius est locutus: Maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia, ut sequatur: Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta.* Quia vero in nullo prophetarum qui apud Judaeam vaticinati sunt, hic hexameter versiculus reperitur, videtur mihi dupliciter legendum, ut hoc quod ait: *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, id est, Cretensium.* Sed quia multa in medio sunt, et hoc absurdum videtur, et forte nemo recipiat, propterea cum superioribus quae magis vicina sunt aliter aptandum est, ut legamus: *Sunt autem multi et non subditi, vaniloqui et seductores,* [Col. 0244C] *maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet turpis lucri gratia.* Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta. At id quod ait: *Proprius eorum propheta, non ad Judaeos specialiter, qui maxime de circumcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, et vaniloqui, et mentium deceptores, qui utique quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt. Cretenses semper mendaces.* Hoc Epimenides sive Callimachus Cyrenensis, de Laudibus Jovis contra Cretenses dixit, qui dicebant apud eos sepultum quem raptum putabant in coelum. Hunc totum versiculum

Epimenides de oraculis scriptitans dixit; et proprium vitium gentis, quod est mendacium, arguit. Et ideo hoc versiculo [Col. 0244D] Paulus abutitur scribens ad Titum ut falsos Cretensium doctores proprio in suo doctore conterat; quem ideo prophetam dicit, sive ad id alludens, quod tales Christiani tales mereantur habere prophetas, quo modo et prohetae erant Baal; sive vero quia de oraculis scripserat atque responsis, quae futura multo ante praedicebant. Denique ipse liber Oraculorum titulo praenotatur. *Malae bestiae, ventres pigri.* In Cretensibus arguitur falsitas et ferocitas, ac ingluvies et pigritudo. *Testimonium hoc verum est.* Quod dixit de illis proprius eorum propheta. *Non intendentes Judaicis fabulis.* Si quis post adventum Christi circumciditur, Judaicis servit fabulis. *Et mandatis hominum.* Traditionibus hominum. *Adversantium* [Col. 0245A] *se a veritate.* Novi scilicet Testamenti. *Omnia munda mundis.* Quia adhuc secundum legem *immunda vocabant. Omnia munda.* His videlicet qui in Christo credunt, et sciunt omnem creaturam bonam esse, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. *Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia.* Propterea etiam quae sunt munda per naturam, eis immunda fiunt, non quo vel mundum aliquid vel immundum sit, sed pro qualitate vescentium, et mundum mundis, et immundum contaminatis fiat, alioqui infideles quosque et pollutos, etiam panis benedictionis et calix Dominicus non juvat, quia *qui comederit indigne de pane illo, et de calice biberit, judicium sibi manducat et bibit* **(I Cor. XI)**. [Col. 0245B] Communia autem et illicita in lege prohibebantur; adventu Christi purgata sunt omnia: quae ille mundavit, nos communicare nunc possumus: in nobis utique est vel munda comedere, vel immunda. Si enim mundi sumus, munda nobis est creatura: si autem immundi et infideles, fiunt nobis universa communia, sive per inhabitantem in cordibus nostris haeresim, sive per conscientiam delictorum. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.* Aestimant quidem in eo Deum tantum negari, si in persecutione quis a gentibus comprehensus renuerit Christum. Ecce Apostolus omnibus quae perversa sunt factis Deum asserit denegari. Christus sapientia est, justitia est, veritas est, sanctitas est, [Col. 0245C] fortitudo est: negatur per insipientiam sapientia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescunque vincimur vitiis atque peccatis, toties Dominum negamus; ut e contrario quoties bene agimus, Dominum confitemur. Nec arbitrandum est in die judicii illos tantum a Dei filio denegandos, qui martyrio Christum negaverunt; sed per omnia opera, sermones, cogitationes Christum vel negatus negat, vel confessus confitetur. Est et quaedam laudanda negatio, de qua et ipse Paulus apostolus ait: *Apparuit enim gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in praesenti saeculo, exspectantes beatam spem,* et adventum [Col. 0245D] *gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quam negationem qui negaverit, et sequi Salvatorem voluerit loquentem: *Quicunque voluerit venire ad me, abneget semetipsum, et sic exutus veterem hominem cum operibus ejus, et indutus novum sequatur Dominum suum.* Quomodo autem quis se abneget contemplandum est. Pudicus fornicatorem, quod prius fuerat negat, sapiens imprudentem, justus injustum, fortis infirmum. Et ut in commune de omnibus loquar, toties nos negamus, quoties, vitia priora calcantes, desinimus esse quod ante fuimus.

CAPUT II.

Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam. [Col. 0246A] Aliud est enim sanam doctrinam loqui, aliud ea quae sanae doctrinae conveniunt docere: quia in altero simplex tantum est institutio; in altero cum eo quod doceas vitae quoque correptio: *Qui enim solverit unum de mandatis minimis, et docuerit sic, minimus vocabitur in regno coelorum* **(Matth. V)**. Salvatore praecipiente discipulis, non solum in meditatione Scripturarum eos laborare debere, ut quae scripta sunt replicent, et condant in memoria thesauros, sed prius faciant quae praecepta sunt. *Quicunque ergo fecerit et docuerit, ille magnus vocabitur in regno coelorum.* Nisi enim supergressa fuerit justitia nostra Scribarum ac Pharisaeorum justitiam, non possumus ingredi in regnum coelorum. Qui supra Moysi cathedram sedentes, dicunt et non faciunt, et [Col. 0246B] alligant onera importabilia quae cervicibus hominum imponunt, et ipsi minimo digito nolunt ea contingere. Hoc igitur nunc Apostolus discipulum suum docet, ut ea loquatur quae sanae doctrinae conveniunt, quia tunc doctrinae fit sanitas, cum doctoris doctrina pariter et vita consentiunt.

Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Generaliter Tito ante praecipiens quid loqui deberet ad cunctos, in eo quod ait: *Tu vero loquere ea quae decent sanam doctrinam, nunc per singulas species quid unamquamque aetatem deceat, exprimit.* Primum senibus viris convenientia, secundo, anus quid deceat, tertio quae adolescentibus apta sunt, tam maribus videlicet quam feminis mandata subjicit, extremo de servis. *Senes ut sobrii* [Col. 0246C] *sint.* Id est, non luxuriosi. *Pudici.* Non libidinosi. *Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes ut prudentiam doceant.* Hoc est, ita sint ut viri senes, in omnibus sobriae, et honestae, pudicae, sanae in fide, et charitate, et patientia, et pro sexu suo habeant hoc proprium: *Ut sint in habitu sancto.* Id est, non in tortis crinibus. *Non criminatrices.* Blasphematrices, vel accusatrices: hoc utique quia ipsae adolescentiam jam transgressae sunt, de adolescentularum aetatibus non disputent, et dicant: Illa sic ornatur, illa sic comitur, sic illa procedit; amat illum, amatur ab illo. Cum etiam si haec vera sint, non tam apud caeteros debeat accusare quam ipsam secrete Christi charitate corripere, et magis docere ne faciat, [Col. 0246D] quam in publico accusare quod fecerit. *Non vino multo servientes.* Signanter et expresse ait: *Non vino multo servientes.* Servitus enim quaedam est, et extrema conditio, vino sensus hominis occupari, et non suum esse, sed vini. *Bene docentes filias suas ut prudentiam doceant.* Quia docuit quales primo anus esse deberent, et post quae cum senibus viris habent communia, etiam propria eorum exposuit, ut honestae, et habitu sancto, et omni decore sint plenae, nec accusatrices, nec aliis detrahentes, nec vino sensibus occupatis, nunc consequenter doctrinae eis frena permittit, ut cum tales fuerint, docendi habeant libertatem, ut scilicet doceant ea quae bona sunt. Licet enim alio loco dixerit: *Docere* [Col. 0247A] *mulieribus in congregatione non permitto, sic intelligendum est, ut in viros illis sit doctrina sublata.* Caeterum adolescentulas doceant quasi filias suas, primum castitatem, quia adversum hanc magis in aetate florente pugnat inimicus, et virtus ejus omnis contra feminas in umbilico ventris est, deinde ut ament viros suos, diligant filios. Quae doctrina est amare viros, cum hoc non

in eloquio docentis, sed in corde amantis sit constitutum? Vult eas amare viros suos caste; vult inter virum et mulierem esse pudicam dilectionem, ut cum pudore et verecundia, et quasi necessitate sexus reddat potius debitum viro quam ipsa exigit ab eo. *Et filios suos ament.* Id est, ut eosdem in Dei erudiant disciplina.

Ut non blasphemetur nomen Domini vel verbum. [Col. 0247B] Verbum Domini blasphematur, vel cum contemnitur Dei prima sententia, et pro nihilo ducitur; vel Christi infamatur evangelium, dum contra legem fidemque naturae, ea quae Christiana est, ex Dei lege subjecta, viro imperare desiderat, cum etiam gentiles feminae viris suis serviant communi lege naturae. *Juvenes similiter exhortare, ut sobrii sint.* Sicut in eo quod supra praeceperat, dicens: *Anus similiter in habitu sancto, similitudinem anuum dixeramus ad senes necesse referendam, ita nunc in eo quod intulit, Juvenes similiter hortatur, ut pudici sint, similitudinem juvenum ad anus, et per anus ad senes arbitramur aptandam, ut senum habeant sobrietatem, et honesti sint, et pudici, et sani in fide, et charitate, et patientia:* anuum in habitu sanctitatem [Col. 0247C] habeant, ut *non* sint *accusatores, non vino multo servientes, bene docentes, et caetera.* Proprium adolescentiorum hoc posuit, ut pudici sint in omnibus, tam scilicet mente quam corpore, tam opere quam cogitatione, ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis. Et licet quidam de Latinis ita aestiment legendum: *Juvenes similiter hortare ut pudici sint,* ut postea inferant, *in omnibus te ipsum formam praebens* bonorum operum, tamen sciamus *in omnibus ad* superiores esse referendum, id est, *hortare ut pudici sint in omnibus.* Sciendum quoque hoc, quod continentia non solum carnis opere et animi concupiscentia, sed in omnibus rebus necessaria sit: ne honores indebitos appetamus, ne accendamur avaritia, ne ulla passione superemur. *In omnibus te* [Col. 0247D] *ipsum praebens formam bonorum operum.* Nihil prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit quam verbo. Denique qui impudicus est, quamvis disertus sit, si ad castitatem audientes cohortetur, sermo ejus infirmus est ex auctoritate cohortandi: ut e contrario quamvis sit rusticanus et tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitae similitudinem compellere.

In integritate. Id est, in virginitate. *In gravitate.* Id est, mentis pudicitia. *Illuxit enim gratia Dei et Salvatoris nostri.* Ideo omnes indifferenter doce. *Omnibus hominibus.* Nullam conditionem excipiens. *Et* [Col. 0248A] *juste, et pie vivamus in hoc saeculo.* Ne justitia temerata sit, pietas adjungitur. *Et mundaret sibi populum acceptabilem.* Caveamus ergo, ne beneficium irritum faciamus. *Haec loquere.* Doctrina. *Exhortare.* Exemplo. *Argue.* Eos qui non ita vivunt. *Cum omni imperio.* Sic intelligo quod ait: *Argue cum omni imperio, ut specialiter ad increpationem, et non ad duo superiora in commune referatur;* neque convenit dicere, exhortare cum omni imperio, sed tantummodo, increpa cum omni imperio. *Nemo te contemnat.* Id est, talem te exhibe, ut contemni non possis.

CAPUT III.

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse. Ut in Evangelio dicitur: *Reddite*

quae sunt Caesaris Caesari **(Luc. XX)**. *Dicto obedientes.* Si bonum [Col. 0248B] fuerit quod praecipiunt: si vero malum, responde eis de Actibus apostolorum: *Obedire oportet Deo magis* quam principibus vel *hominibus* **(Act. XV)**. *Non litigiosos.* Nam Christi, id est, pacis filios non oportet litigare.

Ad omnes homines. Non solum ad bonos vel amicos. *In malitia.* Cum persequeretur Ecclesiam. *Odibiles.* Odientes invicem. Quae major potest malitia et invidia esse, quam contra absentes epistolas sumere, et odisse Christianos, et consequenter ab hominibus odium promereri? Sive sub persona sua de aliis loquitur. *Cum autem benignitas et humanitas apparuit.* Diligentius attendamus, et inveniemus in praesenti capitulo manifestissimam Trinitatem. Benignitas quippe atque clementia Salvatoris nostri Dei, [Col. 0248C] non alterius quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis, et renovationem Spiritus sancti, quam effudit in nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, justificavit nos in vitam aeternam. *Secundum spem vitae aeternae.* Id est, non secundum carnalem haereditatem. *Fidelis sermo est.* Ad superiora jungendum est, ubi ait, haeredes simus.

Et de his. Id est, de supradictis. *Volo te confirmare.* Id est, confirmare, non inscientem instruere. *Stultas autem quaestiones.* Plurima exempla sunt quaerentium non recte Deum. Judaei prave quaerunt Deum, sperantes eum inveniri posse sine Christo. Haeretici vano sermonum strepitu concrepantes, quaerunt quem invenire non possunt. Philosophi quoque et barbari, de Deo varia sentientes, quaerunt [Col. 0248D] Deum; sed quia non recte quaesierunt, fuerunt eorum fatuae quaestiones, putantium Deum humanis sensibus posse comprehendi. Ab his igitur nos Paulus revocat. Quod autem ait: *Genealogias, et contentiones, et rixas, quae non veniunt ex lege, devita, proprie pulsat Judaeos, qui in eo se jactitant et putant legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum:* quae quia barbara sunt, et etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur a nobis. Et si forte erravimus in accentu, extensione et brevitate syllabae, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiae, maxime in spirationibus, et quibusdam rasura gulae litteris proferendis. Hoc autem evenit vel maxime quod Septuaginta [Col. 0249A] interpretes per quos in Graecum sermonem lex divina translata est, specialiter ה heth litteram, et ע ajin, et caeteras istiusmodi, quia duplici aspiratione in Graecam linguam transferre non poterant, aliis litteris expresserunt. Verbi causa, ut *Rahel,* Rachel dicerent, et *Jeriho,* Jericho, et *Hebron, Chebron,* et *Seor, Segor.* In aliis vero eos conatus iste defecit. Nam nos et Graeci unam tantum litteram, S, habemus, illi vero tres, שעם , quae diversos sonos possident: Et *Sion* per צ scribitur, *Israel* per שׂ, et tamen non sonat hoc quod scribitur. *Seon rex Amorrhaeorum* per ם litteram et pronuntiatur et scribitur. Si igitur a nobis haec nominum et linguae idiomata, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur ab Hebraeis, solent cachinnum [Col. 0249B] attollere, et jurare se penitus nescire quod dicimus. Est alia occasio superbiae: quemadmodum enim nos qui Latini sumus, Latina nomina et origines de lingua nostra habentia, facilius memoriae tradimus, ita illi a parva aetate vernacula sui sermonis vocabula peritissimis sensibus imbiberunt, et ab exordio Adam usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos suum putes referre nomen. Si ea forte non ita novimus, putant se in nominibus referendis, et in supputatione annorum, et in nepotibus ac

pronepotibus, avis, proavis, atavis doctiores. *Et contentiones.* Dialecticorum, quorum Aristoteles princeps est. *Sunt enim inutiles.* Quid enim prodest scire quot annos vixerit Mathusalam, quoto aetatis suae [Col. 0249C] Salomon anno sortitus sit conjugem?

Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita. Nec circa ipsos nos occupari permittit, si correpti non corrigantur, ne tempus inani contentione perdamus.[Col. 0250A]

Proprio judicio condemnatus. Propterea a semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et caetera vitia per sacerdotes de Ecclesia repelluntur. Haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes: quae recessio proprie conscientiae videtur esse damnatio.

Cum misero ad te. Ex quo paternos Pauli in Cretenses probamus affectus. Necessarium habebat Titum; tamen non eum vult ad se venire, nisi in locum ejus Artemas, aut Tychicus successor advenerit, ne absque doctore relinquerentur. *Nicopolim.* Ipsa est quae ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superavit, nomen accepit. *Et Apollo.* Apollo vir Alexandrinus, ex Judaeis episcopus [Col. 0250B] Corinthiorum, quem propter dissensiones quae in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam cum Zena legis doctore putandum est transisse, et Pauli epistola dissensionibus quae Corinthi fuerant intemperatis, rursum Corinthum revertisse. *Praemitte.* Ut nihil eis desit. Praecipit Tito, ut quoniam de Creta ad Graeciam navigaturi erant, ut non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea quae ad viaticum necessaria erant. *Discant autem et nostri bonis operibus praeesse.* Nostros suos vocat, qui in Christo crediderant, qui quia Christi erant, recte Pauli et Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in discipulos potestatem, doce eos non esse infructuosos; sed evangelistis, et apostolicis viris, qui bonis operibus serviunt, ministrare.[Col. 0250C]

Ut non sint infructuosi. Omnis enim arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.

XIII. IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

CAPUT UNICUM.

[Col. 0249D]

Paulus vinctus. In carcere vel in catena. *Christi Jesu.* Id est, pro confessione nominis Christi. *Philemoni dilecto.* In Graeco non habes dilecto, sed diligibili [Τῷ ἀγαπηῷ]. Inter dilectum autem et diligibilem hoc interest, quod dilectus appellari potest etiam ille qui dilectionem non meretur. Diligibilis vero is tantum qui merito diligitur.

Et Archippo commilitoni nostro. Hic diaconus erat, de quo ad Collossenses: ait: *Dicite Archippo:* Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Et in omnes sanctos. Qui diligit caput, diligit et membra. *Quia viscera.* Non tantum corpora, sed

viscera sanctorum, id est, quos hospitio recipiens per te refecisti.

Quod ad rem attinet. Scilicet Christianae pietatis. *Propter charitatem magis obsecro.* Cum nobis fiduciam [Col. 0250D] causa ipsius dederit imperandi, tamen charitate faciente obsecrare maluimus quam jubere. *Cum sis talis.* Moribus talis, quales illi qui in senectute etiam pro Christo vincula non recusant. *Nam tu senex es ut ego, nunc autem vinctus Jesu Christi.* Etsi ambo senes sumus, tamen te in aliquo quod nunc vinctus sum Christi, supero. Hoc addit ad cumulandum verba, ut non negetur petitio.

Quem ego genui. Quia eum credentem ei in carcere baptizavit. *Nunc autem et mihi utilis.* Postquam credidit mihi. *Et tibi.* Ac si diceret, quia tua vice mihi ministravit. *Ut pro te mihi ministret.* Ex hoc cognosce qualis sit, qui ita mihi placuit, ut possim eum credere tua vice mihi ministrare.

In vinculis evangelii. Quae patior propter dilectionem [Col. 0251A] evangelii. *Sed sine consilio tuo.* In hoc exemplum dat nobis, nullius servum fraudare. *Forsitan enim ideo discessit ad horam a te.* Hoc est, fortasse hoc Dei providentia procuravit, unde nonnunquam malum occasio bonorum fit, ut fuit Joseph fratribus suis: sic nunc iste si non fugisset, Deum non invenisset, si Paulum in vinculis non vidisset, fidem non recepisset.

Ut in aeternum illum recipias jam non ut servum. Id est, fratrem in Christo reciperes, non secundum conditionem servitutis, quae temporalis est. *Sed pro servo fratrem.* Quia servus recessit, frater autem in Christo revertitur. *Si autem nocuit aliquid tibi, aut debet.* Fugam furto cumulans, quaedam domestica rapuit a domino. *Hoc mihi imputa.* Id est, quod [Col. 0251B] Onesimus furto rapuit, ego spondeo redditurum, hujus sponsionis epistola haec, et manus propria testis est. *Ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes.* Haec autem dico quasi ad extraneum loquens. Caeterum si ad jus meum redeam, propter sermonem Christi, quem evangelizavi, et Christianus effectus es, te mihi ipsum debes: quod si tu meus es, et tua [Col. 0252A] omnia mea sunt; si autem tua omnia mea sunt, Onesimus quoque, qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti ut meo; sed voluntati tuae relinquo, ut mercedem habeas ignoscendo.

Te fruar in Domino. Id est, in voluntate Domini. *Viscera mea.* Onesimum, quem Paulus in vinculis Christi genuit. *Simul et para mihi hospitium.* Quod amplitudine sui multorum audientium possit esse capax, ut in ipso Paulus doceret plurimos.

Salutat te Epaphras concaptivus meus. Vinctus Romae cum Paulo. *In Christo Jesu.* Non alicujus criminis causa, sed fidei societate. Aliter simul Epaphras, in Geschalis oppido Judaeae cum parentibus Pauli a Romanis captus, et in Tharsum Ciliciae translatus. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum* [Col. 0252B] *spiritu vestro.* In toto quidem homine, et in omni parte sanctorum gratia est Domini nostri Jesu Christi, sed a meliori et a majori parte, id est spiritu, de toto homine dicitur. *Cum spiritu vestro.* Cum autem in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem, ut caro spiritui serviat, et anima non jungatur a carne.

XIV. IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

[Col. 0251C]

CAPUT PRIMUM.

Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis. Quoniam apud Hebraeorum ecclesias destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis, et veritate Christi reddere rationem, ne odio nominis fronte praelati utilitatem excluderet lectionis. Tota intentio beati Apostoli fuit in hac epistola Hebraeos, id est, gentem suam ad Christi convocare fidem, eminentiamque gratiae, quae per fidem data est, a legalibus discernere umbris, quae angelicis ministrationibus fuerunt. Idcirco primo posuit prophetas diversis modis patribus locutos esse, dicens: *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus nostris in prophetis.* Proinde non secundum hoc solum eminentia [Col. 0251D] Novi Testamenti declaratur, quia patribus quidem prophetae missi sunt, nobis autem Filius, sed quod etiam prophetarum vel patriarcharum nemo nisi in similitudinibus vidit Deum, Filium vero unigenitum incarnatum esse, atque in ea carne visum constat, qua idem homo a verbo Dei susceptus, unigenitus est Filius Dei. Ideo mox addixit: *Novissimis autem diebus locutus est nobis in Filio.* Multifarie, id est, multis et variis locutionibus, ut decem verba legis, et alia pene innumerabilia testimoniis variis commendata. *Multisque modis.* Ostensionibus, id est, multis formis in quibus loquebatur: nunc autem in hominis et hospitis forma, ut Abrahae; nunc in forma militis, ut Jesu; nunc in igne, ut Moysi in rubo; nunc in nube et aliis signis; aliquando [Col. 0252C] per semetipsum loquitur, ut est: *Audiam quid loquatur in me Dominus;* aliquando per angelum loquitur; aliquando per subjectam creaturam, ut in nube: *Hic est Filius meus dilectus* **(Matth. III)**; aliquando lucidis, ut: *Si audiretis me, bona terrae comeditis;* aliquando obscuris, ut: *Gladius vos devorabit.* Olim Deus locutus est duobus modis; locutioque divina distinguitur, cum aut per semetipsum loquitur, aut per angelicam creaturam ad nos verba promuntur. Cum autem per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis et syllabis cor docetur. Cum vero per angelum, aliquando verbis sine imaginibus, aliquando imaginibus et rebus sine verbis.

Patribus nostris. Abraham, Isaac, et Jacob, et Loth, et Moysi. Et habebis sibilum quando dicis in [Col. 0252D] prophetis, id est, a nominativo prophetia. Aliter *patribus, qui cominus fuerunt in tempore prophetarum, id est, toti plebi Israel, et tunc dicis in prophetis sine sibilo. Novissimis diebus.* Novi scilicet Testamenti, ut: *Melior est finis orationis quam principium, ut Salomon ait:* quia firmius est quod non audimus, quam quod illi olim audierunt. *In Filio suo.* Hoc dicitur secundum assumptionem carnis, ut: *Qui proprio Filio suo non pepercit* **(Rom. VIII)**. *Suo.* Id est, proprio. Multi enim filii gratia, hic autem natura est. *Quem proposuit.* Secundum carnem, quia secundum divinitatem non constitutus, sed constitutor dicitur. *Haeredem omnium.* Alii post patrem haeredes sunt, hic autem vivente Patre haeres est. *Omnium.* Visibilium et invisibilium, coelestium et terrestrium, [Col. 0253A] ut ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* **(Matth. XXVIII)**. *Per quem.* Secundum divinitatem. *Etiam fecit, et*

saecula. Tempora, aut creaturas, ut: *In principio fecit Deus coelum et terram.* Qui est splendor gloriae. Patris splendor: quia sicut splendor a sole non separatur, sic ipse splendor paternae gloriae ab ipso Patre inseparabilis est. *Et imago substantiae ejus expressa.* Ejusdem naturae et substantiae formam signatam et expressam habet. *Portans quoque omnia.* Gubernans, quia nisi ab eo portarentur, laberentur. *Verbo virtutis suae.* Seipso, qui et verbum est et virtus. *Purgationem peccatorum perficit.* Sacerdotes enim in veteri lege non per semetipsos, sed per hostias hominum peccata auferebant: hic autem sacerdos exstitit et hostia, purgavitque [Col. 0253B] peccata per sanguinem et gratiam baptismi. *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Hucusque breviter Paulus dixit de divinitate et humanitate Christi, ut de his primitus indicaret Judaeis, deinde per epistolam de his redderet rationem. *Tanto melior angelis effectus.* Quare non eum meliorem prophetis dixit, id est, legem ministrantibus, dum Christum prius prophetis praetulit? Ideo, quia vetus lex per angelos ministrata est, nova autem per Christum. Ergo hoc dicit, ut praecellentiam Novi Testamenti ostenderet, dum Christus angelos praecellit. *Filius meus es tu.* Secundum divinitatem. *Ego hodie genui te.* Quia in aeternitate semper natus est. Aliter: *Ego hodie genui te, secundum incarnatam humanitatem intelligendum est. Ego ero illi in patrem.* Hoc in [Col. 0253C] libris Regum et Paralipomenon legitur **(II Reg. II)**. *Cum introducit primogenitum in orbem terrae.* Id est, Mariae; vel cum ducat de ejus incarnatione in terra. *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Nam licet incarnatus, adoratus est ab angelis, quanto magis secundum divinitatem? *Qui facit angelos suos spiritus.* Duplex angelorum officium est: aut enim spiritum consolationis, aut ignem vindictae hominibus ministrant, ut Hieronymus dicit. Aliter hic hyperbaton est, et est ordo: Qui facit spiritus suos angelos, id est, ut sint angeli, hoc est, nuntii supernae voluntatis. Nam *angelus officii est nomen, non naturae;* nam omnes virtutes coelestes naturaliter *spiritus appellantur. Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi.* Significat autem principatum Christi super angelos. [Col. 0253D] *Virga aequitatis.* Virgam, sceptrum regni et potestatis intelligimus, qua Deus alios remunerat, alios condemnat, reddens unicuique secundum opera sua. *Unxit te Deus.* O Deus. *Oleo laetitiae.* Spiritu sancto. *Prae consortibus tuis.* Regibus, sacerdotibus prophetis. *Et tu in principio.* In Filio. *Terram fundasti.* Stabilem eam fecisti super stabilitatem suam. *Et opera manum tuarum sunt coeli.* Spiritus sancti, qui etiam digitus dicitur. Noandum quod hic prius dicit *terram,* deinde subinfert, *sunt coeli.* Sermo enim divinus aliquando de terrestribus ad coelestia mentem elevat, aliquando de coelestibus ad terrestria descendit, ut currus Eliae de coelo emissus, et in coelum iterum cum gloria elevatus est. *Ipsi peribunt.* [Col. 0254A] Quia figura eorum in melius transformabitur, non autem substantialiter interibunt. *Tu autem idem ipse es.* Non dicit, eras, vel eris, sed es. *Et anni tui non deficient.* Id est, aeternitas tua. *Sede a dextris meis.* Ideo a dextris dicit, quia nihil est in coelestibus sinistrum. *Donec ponam inimicos tuos.* Donec eos superatos et subjectos in vindicta sub te habeas in futuro. *Scabellum pedum tuorum.* Pedes Domini ejus incarnatio intelligitur, sive apostoli et sancti.

CAPUT II.

Propterea abundantius oportet observare nos ea quae audivimus. Dum ministri spiritus nobis serviunt, et haereditatem salutis capimus; vel conjunge hoc ad qualitatem

omnium supradictorum. *Abundantius* [Col. 0254B] autem dixit, id est, diligentius, dum major est auctoritas nostrae legis, quam auctoritas angelorum ministrantium veterem legem. *Ne forte effluamus.* Ne a salute discedendo pereamus. *Etsi omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.* Id est, per legem acceptam. Inobedientia vero legem non suscepit. *Quae cum initium accepisset.* Ut: *Exinde coepit Jesus facere et docere* **(Act. I)**. *In nobis.* In omnibus Christianis fidelibus. Nam se conjungit cum reliquis fidelibus. *Contestante Deo signis.* Praesentibus. *Et portentis.* De futuris ostensa. *Et variis virtutibus.* Sanitatibus, ut: *Daemones ejicite, leprosos mundate, mortuos suscitate* **(Matth. X)**. *Secundum suam voluntatem.* Secundum voluntatem Dei, non secundum meritum, [Col. 0254C] vel facultatem nostram. *Non enim angelis subjecit Deus orbem terrae.* Sed Christo subjecit Deus orbem terrae futurum, id est, Ecclesiam post peractum judicium multiformem. *De quo loquimur.* Dicendo: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Testatus est autem in quodam loco. Spiritus sanctus per prophetam. *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis.* Aliud est homo, et aliud est filius hominis. Adam enim non genitus, neque ex homine factus; Christus vero ex homine suscepit carnem. Sed quod ait: *Quid est homo? dignitatis significatione interrogat. Quoniam visitas eum.* Scilicet in passione, vel resurrectione. *Minorasti eum paulo minus ab angelis.* Assumendo carnem, patiendo crucem, quod utrumque angelis evenire non potest. *Et constituisti eum super* [Col. 0254D] opera manuum tuarum. Omnis creatura homini servit, ut est: *Et dominetur piscibus maris, et volatilibus coeli* **(Gen. I)**. Sed quamvis haec Adam conveniunt, et unicuique homini, hic tamen secundum sensum Pauli tantum Salvatori competit. Ergo *constituisti eum super opera manuum tuarum, ut: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* **(Matth. XXVIII)**. *In eo enim quod omnia sibi subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.* Praeter eum qui sibi subjecit omnia. *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.* Quia non simul impletur prophetia; licet enim ei subjiciuntur multi, alii tamen non, in judicio vero omnia ei subjicientur. *Ut gratia Dei.* Gratia Dei Filius Dei dicitur, quia per suam gratiam [Col. 0255A] gratis peccata dimisit, nullis praecedentibus hominum meritis. *Pro omnibus gustaret mortem.* Celeritas mortis in gustu significatur, ut: *Et cum gustasset, noluit bibere* **(Matth. XXVII)**. *Decebat enim eum propter quem omnia.* Restaurata sunt, sive in coelis, sive in terris. *Et per quem omnia.* Consistunt, sive dum per ipsum facta sunt. Aliter: *Per quem omnia, id est, creata sunt. Propter quem omnia, id est, propter gloriam ipsius facta sunt omnia. Per passionem consummari.* De humilitate mortalis carnis in gloria resurrectionis exaltari, in exemplum eorum quos adducet in gloriam. Aliter *consummare, ipsum videlicet salutem perficere. Qui enim sanctificat.* Christus. *Et qui sanctificatur.* Homo justificatus per fidem. *Ex uno omnes.* Id est, Deo Patre, [Col. 0255B] sive ex Adam. Hic autem ostenditur secundum carnem ex una eademque massa et Christum esse qui sanctificat, et nos qui sanctificamur ab eo. *Non confunditur.* Christus. *Fratres eos vocare.* Dum scilicet unum habent Patrem Deum. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Apostolis et omnibus sanctis. *In medio Ecclesiae.* In conventu et in cordibus eorum. *Laudabo te.* Faciam te sanctos laudare. *Et iterum:* Ego ero. Vox Christi. *Fidens in eum.* Patrem. *Ecce ego et pueri mei.* Hoc in Isaia habetur. *Pueri mei.* Apostoli omnesque in Christum credentes; non autem secundum aetatem, sed secundum innocentiam pueri dicuntur. *Communicaverunt carni et sanguini.* Omnes communiter carnem habuerunt et sanguinem. *Particeps eorumdem.* Puerorum assumendo [Col. 0255C] carnem et sanguinem. *Ut per mortem destrueret eum.* Ut

suis armis diabolus vinceretur, quibus aliis insultabat. *Mortis imperium.* Mittere in mortem, poenamque perpetuam. *Obnoxii erant servituti.* Vel veteris legis, sive peccati. *Nusquam enim angelos apprehendit.* Non enim in angelica forma venit in mundum, quia non ad redemptionem angelorum venit; sed ideo carnem apprehendit, ut per quam peccatum admiseramus, ipsa redimeremur. *Sed semen Abrahae.* Hoc est, assumendo carnem de genere Abrahae: pro toto autem genere semen Abrahae dicitur. *Unde debuit per omnia fratribus similari.* Verum corpus hominis, animamque sumendo. *Fidelis pontifex.* Hoc est, verus et potens, et idoneus implere suum officium. *In eo enim.* Corpore seu jure. *Potens est eis* [Col. 0255D] qui tentantur auxiliari. Non ut pontifices legis.

CAPUT III.

Unde fratres sancti vocationis coelestis participes. Ut: *Venite ad me, omnes qui onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI)**. Vel: *Venite, benedicti, etc. Considerate apostolum.* Missum a Patre. Haec dicens, ostendit Jesum obedisse Patri usque ad mortem, et fidelem fuisse ei, et nos admonet, ut capiti nostro pareamus, id est Christo. *Et pontificem confessionis nostrae.* Fidei nostrae. *Qui fidelis est ei.* Patri. *Qui fecit illum.* Sacerdotem esse ex semine David secundum carnem. Ipse itaque fidelis ei, ut scriptum est de eo: *Ut faciam voluntatem tuam;* et illud: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis* **(Matth, XIV)**. *Sicut* [Col. 0256A] et Moyses. Fidelis fuit. Aliter hoc interrogantis affectu pronuntiandum est. *Si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Per fiduciam fides, per gloriam spei spes, per finem charitas intelligitur, ut: *Finis praecepti est charitas.* In his domus supradicta continetur, quia fides fundamentum est, spes vero paries, charitas culmen eminet. *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus.* Dum domus Domini esse non possumus, nisi illa retineamus vel dum talis apostolus et pontifex Filius est. *Hodie si vocem ejus audieritis.* Hodie significat omne tempus quo vivimus in praesenti. Vel *hodie,* in Novo Testamento, ac si *heri sit Vetus, quasi dixisset:* Si heri vocem Domini non audistis, tamen si eam hodie audieritis, nolite obdurare corda vestra. Tres [Col. 0256B] autem requies Apostolus in subsequentibus ostendit: unam sabbati, qua Dominus requievit ab operibus suis; secundam terrae repromissionis; tertiam, coelestis regni requiem. *Secundum diem tentationis in deserto.* Ad aquam contradictionis, quando populus murmuravit, et Moyses dubitavit. *Probaverunt me.* Exploraverunt me. *Et dixi.* Cognovi. *Semper errant corde.* Licet oculis magnalia viderunt. *Sicut juravi.* Id est, immobiliter proposui, vel destinavi. *In ira mea.* In vindicta. *Si intrabunt in requiem meam.* Id est, non intrabunt: quia genus juramenti, interrogationisque, et negationis est. *In requiem meam.* Id est, in terram repromissionis, quae requies Israel erat post laborem deserti, in figuram vitae aeternae, sanctis post mundi labores donatae. *Donec hodie* [Col. 0256C] cognominatur. Praesentis vitae tempus. *Participes enim Christi effecti sumus.* Unum corpus effecti sumus cum illo, id est, concorporales illi secundum interiorem hominem facti conformes illius gloriae et immortalitatis. *Si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus.* Quasi dixisset: Si credamus quod ille quia coaequabilis est Patri, initium carnis sumpsit ex matre, et si credamus resurrectionem ejus, per quam magna virtus facta est, id est, salus et resurrectio omnium; sive si credamus humanitatem ejus et divinitatem. *Retineamus.* Id est, per fidem credamus. *Nolite obdurare corda vestra.*

Admonet Apostolus fideles Judaeos et Gentes, ut caveant ne praeceptum Domini praevaricentur, ut in requiem Dei, id est, regnum coeleste ingredi mereantur, [Col. 0256D] qui de Aegypto transierunt. *Sed non omnes.* Exacerbaverunt, praeter duos tantum, id est, Caleph et Josue.

CAPUT IV.

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione. Desperando de vita futura, vel non sectando opera, quibus ad illam requiem pervenitur. *Deesse.* Scilicet requiei. *Sermo auditus.* Id est, doctrina legis. *Quemadmodum dixit.* Id est, quemadmodum illi non introierunt in requiem, sic nos e contrario intrabimus in requiem. *Et quia de operibus requievit Deus.* Sicut enim Deus die septimo requievit ab omnibus operibus bonis, ita erit requies aeterna, cum consummata fuerint opera, quae ab initio facta sunt. *Et* [Col. 0257A] in isto rursum. In isto psalmo post legem. *Si introibunt in requiem meam.* Hic *si pro affirmatione positum est, quasi diceret:* Si introibunt, bene habebunt. *In requiem meam.* Id est, in terram viventium. Hic autem virtus propheticae sententiae secundum Apostolum est, ut ostendat requiem aeternam. *Quoniam ergo superest introire quosdam in illam.* Credentes propter eos qui venerant ex Aegypto. *Introire.* Dum illi introierunt. *In illam.* Requiem scilicet beatae vitae. *Iterum alium diem.* Id est, requiem aeternam, non illam terrae repromissionis. *Terminat.* Deus prophetam. *Post tantum temporis.* Post tot annos egressionis filiorum Israel de Aegypto. Ex quo manifestum est, quod non de requie terrae repromissionis dixerit. *Itaque relinquitur sabbatismus.* Id [Col. 0257B] est, aeterna requies, quam Judaicum sabbatum significavit. *Populo Dei.* Id est, omnibus recte credentibus. *Qui enim ingressus est in requiem ejus.* Per mortem temporalem. *Etiam ipse requievit ab operibus suis.* Id est, ab hujus mundi laboribus. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Cum alacritate mentis per fidem cum operibus curramus. *Vivus est enim sermo Dei.* Hic ostenditur eumdem nos habere judicem, qui illos propter illorum incredulitatem damnavit. Sermo enim Dei Filius Dei est, sive Evangelium. *Et efficax.* Id est, potens ad inferendam vindictam vel beatitudinem. *Et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Id est, ad vindictam super corpus et animam. *Omni gladio.* Quoniam tantum corpora gladio secantur. *Ancipiti.* Id est, bicipiti. *Usque ad* [Col. 0257C] divisionem animae ac spiritus. Id est, carnalium ac spiritualium cogitationum; scit enim et probat quid interest inter animam ac spiritum: non quod aliud est anima, aliud spiritus, quantum ad substantiam pertinet. *Compagum quoque ac medullarum.* Per similitudinem corporis de anima loquitur. *Et est discretor.* Idem sermo vivus. *Cogitationum.* In anima. *Et intentionum.* In spiritu. *Omnia autem nuda et aperta sunt.* Duobus modis res corporalis celatur: latens sub tecto, ideo dicit nuda; aut conclusione, ideo ait aperta. *Oculis ejus.* Id est, inspectionibus divinis. *Ad quem nobis sermo est.* De quo, hoc est, Christo, quoniam reddituri sumus coram ipso rationem de omnibus quae gessimus. Itaque ad quem nobis sermo est, ac si diceret: Hic Deus est de quo [Col. 0257D] loquimur. *Qui penetravit coelos.* Morte sacerdotis, ultra velum in sancta sanctorum intrantis. *Tentatum autem per omnia.* Esuriendo, sitiendo, etc. *Ad thronum gratiae.* Ubi ipse nunc sedet, ne damnemur dum sedebit in throno aequitatis suae. *Ut misericordiam consequamur.* Id est, peccatorum indulgentiam. *Et gratiam inveniamus.* Vitae aeternae. *In auxilio opportuno.* Sive in praesenti tempore,

ut Apostolus dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* **(II Cor. VI)**. Aut in periculo die judicii: ut adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

CAPUT V.

Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, [Col. 0258A] ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Quod de omnibus oblationibus dicitur. Aliter *dona, id est, aurum et argentum, et caetera donaria. Sacrificia.* Quae ad cibum tantum pertinent de pane, verbi gratia, et vino. *Qui ignorant.* Deum. *Et errant.* A mandatis legis. *Quoniam et ipse.* Sacerdos. *Circumdatus est.* Ideo oportet eum condolere, infirmitate scilicet carnis. *Secundum ordinem Melchisedech.* Quia Melchisedech vinum et panem obtulit Abraham, in figuram Christi corpus et sanguinem suum Deo Patri in cruce offerentis. *Qui in diebus carnis.* Quibus in carne conversatus est. *Preces.* Verbis. *Supplicationes.* Genu flexo. *Liberare.* Per resurrectionem. *Cum clamore valido.* Dicens: *Pater, si fieri potest, transfer a me calicem istum:* verumtamen [Col. 0258B] non mea voluntas, sed tua fiat **(Marc. XIV)**. *Et lacrymis.* Pro nostra salute, non timore mortis profusis. *Et exauditus est.* A Deo Patre, angelo eum confirmante. *Pro suo reverentia.* Illius apud Patrem, vel pro reverentia Patris apud illum, dicendo: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Est autem reverentia mistus dilectioni pavor. Didicit obedientiam.* Expertus est obedientiam, ut: *Factus obediens Patri usque ad mortem.* Et consummatus. In passione, ut: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Causa salutis aeternae. Quia non aeterna salus per alios sacerdotes ministrabatur. *Juxta ordinem Melchisedech.* Eusebius dicit in libro Historiarum: Hic Melchisedech in divinis voluminibus sacerdos fuisse Dei summi refertur. Sed qui non oleo communi peruntus [Col. 0258C] sit, neque qui ex successione generis susceperit sacerdotium, sicut apud Hebraeos fieri mos erat: et ideo secundum ordinem ipsius sacerdos futurus dicitur Christus, qui non olei liquore, sed virtute coelestis spiritus consecretur. *Et in interpretabilis ad dicendum:* quoniam imbecilles facti estis. Non quod valeret Apostolus per spiritum interpretari, sed quod imbecilles erant auditores ad audiendum sermonem.

Quae sint elementa. Rudia documenta fidei. *Propter tempus.* Quia longum tempus est ex quo didicistis fidem.

Expers est sermonis justitiae. Id est, perfectae scientiae.

[Col. 0258D]

CAPUT VI.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem. Fidei initium, aut de incarnatione et passione ejus loqui. *Ad perfectionem feramur.* Ad perfectam fidem cum bonis operibus feramur, aut de ejus nativitate quaedam loquamur, sive de arcano mysterio incarnationis Dominicae disseramus.

Non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis. Id est, post acceptam semel fidem et poenitentiam, non iterum de poenitentia, et de fide Trinitatis, et baptismo, et impositione manuum, et resurrectione, et judicio vos instruamus. Nam haec omnia quasi lac sunt, et ad initium fidei pertinent. *Ab operibus mortuis.* Quae interimunt animam. *Et* [Col. 0259A] fidei ad Deum baptismatum. Pluraliter loquitur, pro varietate accipientium.

Impositionis quoque manuum. Scilicet episcopi. *Et hoc faciemus.* Scilicet ad perfectionem feramur. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati.* Sicut enim impossibile est Christum iterum crucifigi, ita criminosi homines non possunt iterum baptizari. Non autem in hoc poenitentiam excludit de peccatis, sed sicut secundum humanam nativitatem impossibile est homines iterum carnaliter nasci, ita secundum spiritualem regenerationem homines non possunt rebaptizari. *Et participes facti sunt Spiritus sancti.* Habentes diversas donationes Spiritus sancti.

Virtutesque saeculi venturi. Scilicet resurrectionis, [Col. 0259B] et praemiorum, et vitae post mortem. *Iterum renovari.* Per baptismum, vel per hostias carnales, sed per solam fidem Christi, quae per dilectionem operatur. *Ad poenitentiam.* Id est, per poenitentiam. Quid ergo? Exclusa est poenitentia? Absit, sed impossibile est renovari, hoc est, per baptismum renasci. *Rursum crucifigentes.* Non vere, sed quasi crucifigentes. Sicut enim semel Christus mortuus est carne, id est, in cruce, ita nos semel morimur peccato in baptismate.

Et ostentui habentes. Id est, quasi despectui. *Terra enim saepe venientem.* Per metaphoram loquitur. Nam hic terram fideles homines appellat, qui de imbre doctrinae Christi irrigantur, et faciunt fructum, alium centesimum, etc.[Col. 0259C]

Et generans herbam. Florentes virtutes. *Accipit benedictionem.* Abundantiam fructuum mystice, ut: *Venite, benedicti Patris mei, etc. Proferens autem spinas.* Curas hujus saeculi. *Ac tribulos.* Peccatorum; sic per metaphoram loquitur de peccatore, qui vitiis et peccatis noxius tenetur, cui dicitur: *Ligatis manibus pedibusque, ejicite eum in tenebras exteriores* **(Matth. XXII)**. *Cujus consummatio in combustionem.* Quia peccatores igni inexstinguibili comburentur.

Confidimus autem de vobis. Ideo hoc addidit, ut bene agerent. Bonus doctor laudando eos provocat ad profectum. *Et viciniora salutis.* Subaudi, consequi. *Et si ita loquimur.* Exprobrantes vobis, quod facti estis quibus lacte opus sit. *Qui ministrastis sanctis.* [Col. 0259D] Habitantibus Hierusalem. *Et eamdem sollicitudinem ostentare.* Eleemosynae et doctrinae. *Ad expletionem fidei.* Per bona opera. *Usque in finem.* Ut: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* **(Matth. X)**. *Ut non segnes efficiamini.* Pigri in mandatis Dei. *Haereditabunt promissiones.* Nondum enim omnes promissiones completae sunt. *Juravit.* Firmiter promisit. *Per semetipsum.* Ut: *Vivo ego, dicit Dominus.* Nisi benedicens benedicam tibi. Genus est juramenti, ut est illud: *Si intrabunt in requiem meam.* Non enim *nisi semper pro dubitatione ponitur, nam hic pro affirmatione est positum.* Aliter: *Benedicens benedicam te, id est, in sanctis et fidelibus, qui stellis coeli comparantur.* [Col. 0260A]

Et multiplicans. Id est, numerosa peccatorum progenie, qui arenae maris assimilantur. *Et sic longanimiter.* Patienter, id est, Abraham. *Ferens.* Per trecentos annos. *Ut per duas res immobiles.* Deus, et promissio et juramentum Dei. Item duas res immobiles dixit, Dei Patris promissiones de Filio suo, et adventum ipsius Filii in hunc mundum pro salute nostra. *Qui confugimus.* Id est, ab Judaismo et Gentilitate. *Quam sicut anchoram habemus.* Similiter quomodo anchora navim in tempestate maris, sic spes hominem in tentationibus mundi fundat. Et ista anchora non in mare mittitur, sed in coelum, ad interiora praemia capessenda. *Usque ad interiora velaminis.* Nostram anchoram sursum mittimus ad interiora coeli, sicut anchora ferrea mittitur ad interiora [Col. 0260B] maris. *Secundum ordinem Melchisedech.* Non secundum ordinem Aaron, quia ex tribu Levi introiit Jesus, id est, sicut pontifex semel introibat intra velum sanctuarii, sic Christus introivit semel in coelum.

CAPUT VII.

Hic enim Melchisedech rex Salem. Salem est oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem; et ostenditur ibi palatium Melchisedech ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam; ad quam civitatem etiam legitur Jacob descendisse; quae fuit in terra Chanaan regionis Sichem. *Sacerdos Dei summi.* Non idolorum et daemonum. TLH* per T mysterium crucis Christi designatur, quia Christi passio nos liberat a [Col. 0260C] dominatu quinque carnalium sensuum quibus captivati sumus per fidem sanctae Trinitatis cum bonis operibus, quae sunt X et VIII, hoc est, ter sex. Nam Abraham secum in praelio contra quinque reges Syriae CCCXVIII vernaculos habuit. *A caede regum.* Quinque regum Syriae, quia Loth, filium fratris, Abraham cum sua pecunia eripuerat. Occisis autem ab Ahraham in via, praedamque magnam ab eis rapuit. *Et benedixit.* Melchisedech. *Ei, Abrahae.* Melchisedech, quasi *melchos sadec, id est, rex justitiae interpretatur, quod mystice Domino Salvatori congruenter aptatur, qui est quoque rex pacis. Sine patre.* Id est, sine patre sacerdote de tribu Levi. *Sine matre.* Similiter de tribu Levi. *Sine genealogia.* Ex sacerdotali tribu. *Neque initium dierum.* Hic ostenditur [Col. 0260D] istum Melchisedech non fuisse Sem. Nam initium dierum Sem Scriptura describit, Melchisedech vero nec initium dierum habere describitur. Aliter: *Nec initium dierum, id est, electionis ejus in sacerdotium administrandum aetate legitima annorum XXV vel potius XXX secundum Hebraicam veritatem, ut Hieronymus in tractatu Ezechielis. Neque finem.* Ipsius ministerii L anno. Tunc enim cessabant sacerdotes ministrare, sed custodes vasorum erant; haec Origenes dicit. Hunc Melchisedech, alii angelum, alii Spiritum sanctum propter excellentiam suam esse suspicantur: quod absit. Hebraei vero hunc affirmant esse Sem filium Noe, quem vivum fuisse dicunt in tempore Abrahae, habens tunc annos antiquitatis [Col. 0261A] CCXC: Apostolus vero ostendit non ex Sem fuisse, ex quo Abraham fuit, sed ex Cham, cujus posteritatem Scriptura non memorat. Quisquis enim ille est, de Gentibus fuit. Omnis enim primogenitus cum gentibus sacerdos vocabatur. Et non quod ille patrem et matrem non habuisset, dicitur sine patre et sine matre; sed quia genealogia illius in Genesi non annumeratur, sed subito introducitur. *Assimilatus autem Filio Dei.* Quia et ipse sine patre in terra, et sine matre in coelo, sine genealogia secundum divinitatem, ut: *Generationem ejus quis enarrabit? Similiter sine initio*

secundum divinitatem, et sine fine. Manet sacerdos in perpetuum. In prolixum temporis spatium, non unius tantum anni curriculo, aut usque ad quinquagesimum annum. [Col. 0261B] *Intuemini autem quantus sit hic.* Convertit sermonem ad Hebraeos, quibus hanc epistolam scripsit, ac si diceret: Intelligite quam magnus sit hic sacerdos, qui figuram Christi gestavit, dum tam magnus patriarcha ei decimas dedit ex melioribus quae habebat Abraham patriarcha. Ergo si Melchisedech excellentior sit quam Abraham, sicque Christus secundum ordinem Melchisedech sacerdos manet in aeternum, concluditur quod Christus excellentior sit quam Abraham, in quo Judaei se jactant. *Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes.* Hinc more suo per dialecticam loquitur, dicendo et quidem de filiis Levi, ne quis Levi sacerdotium Melchisedech praecellere putaret: et secundum solitam objectionem Leviticum sacerdotium prius exaltat, quod [Col. 0261C] Dei mandato non ab aliquibus, sed a Dei populo, id est, filiis Abraham decimas accipere jubentur, cui tamen sacerdotem Melchisedech superexaltat, quem genus non nobilitat, et qui a patre, a quo omnes nobilitantur, id est, Abraham, decimas sumpsit. *Et cui Levi.* Quamvis in patre decimas dedit. *Decimas sumere a populo.* Tanta est enim sacerdotii excellentia. *Quanquam et ipsi.* Pro, *quoniam.* Cujus autem generatio non annumeratur in eis. Filiis Levi, quoniam Christus non e tribu Levi, sed magis de tribu Juda esse perhibetur; vel quoniam Christi generatio secundum divinitatem non ex eis numeratur.

Decimas sumpsit Abrahae. His ergo duobus modis sacerdotium filiorum Levi Melchisedech suo sacerdotio [Col. 0261D] superexaltat: quia decimas ab Abraham omnium sacerdotum patre accipere meruit, et quia hunc qui repromissiones accepit benedixit. *Et hic quidem.* Filii Levi, et in veteri lege. *Decimas morientes homines accipiunt.* Filii Aaron, qui mortales homines sunt. *Ibi autem.* Id est, in Psalmo. *Contestatus est.* Spiritus sanctus per os David. *Quia vivit.* Ut: *Tu es sacerdos in aeternum.* Et ut ita dictum est per Abraham. Hoc est, per Abraham decimas dedit Levi ad Melchisedech; quia quod Abraham obtulit, Levi secum obtulit, dum in lumbis ejus fuit. *Qui decimas.* Levi. *Accepit.* Postea a populo Israel. *Decimatus est.* Decimas dedit ad Melchisedech. *Ad hunc in lumbis Abraham positus.* Ut sit verbum deponens [Col. 0262A] *decimor, decimaris.* Aliter secundum Augustinum: Abraham et Levi decimati sunt a Melchisedech, propter panem et vinum a Melchisedech acceptum. Ipsaque decimatio quaedam praefiguratio erat futurae medicinae per Dominum Salvatorem, idcirco Levi in Abraham decimatus est, quia curaretur. Non autem Christus decimatus est, quamvis et ipse fuerat in lumbis Abrahae secundum originalem substantiam, per quem humanum genus curaretur. In quo Christi excellentia sacerdotii ostenditur, cum in lumbis Abrahae non necesse habebat decimari. *Secundum ordinem Melchisedech.* Habens regale sacerdotium sicut Melchisedech. *Et non secundum ordinem Aaron.* In observationibus legalibus. *Translato enim sacerdotio.* A Levi et Aaron. *Ad Melchisedech.* [Col. 0262B] Ad Christum. *Necesse est, ut legis translatio fiat.* Neque enim potest sacerdos esse sine lege, et testamento, et praeceptis. *In quo enim.* In Christo, hoc est, quod secundum ordinem Melchisedech sacerdos sit in aeternum. *De alia tribu est.* Juda, et non Levi. *Exsurgeret alius sacerdos.* Propter sacerdotes Leviticos. *Mandati carnalis.* Quia non per hominem pontifex ordinatus est. *Vitae insolubilis.* Id est, aeternae vitae, ut: *Tu es sacerdos in aeternum.* Contestatur enim. Spiritus sanctus per David. *Reprobatio quidem fit.* Ut gratiae locus daretur. *Propter infirmitatem ejus.* Quia neminem potuit salvare. *Et*

inutilitatem. His videlicet, qui in Christo non crediderunt. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quia usque ad passionem Christi in infernum omnes [Col. 0262C] ibant, postea autem coelos penetrant. *Introductio vero melioris spei.* Melior est enim spes, qua vita aeterna speratur, quam illa qua bona terrae exspectantur. *Juravit Dominus.* Per semetipsum. *Et non poenitebit eum.* Sicut poenituit eum hominem fecisse, et Saul ordinasse in regem. *In tantum.* Ut sacerdotium ejus maneret in aeternum, velut cum jurejurando stabiliretur. *Melioris testamenti.* Novi et vitae aeternae, quod multos ad perfectum duxit. *Sponsor.* Promissor. *Quod morte prohiberentur.* Hic ostendit non sacerdotium secundum ordinem Levi manere, sed Christi sacerdotium perpetuum esse. *Accedens per semetipsum ad Deum.* Ut: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Semper vivens. Non ut alii sacerdotes. *Innocens.* Nulli nocens. *Impollutus.* Sine peccato. *Segregatus* [Col. 0262D] a peccatoribus. Quod nullum in eo peccatum fuit. *Excelsior coelis factus.* Id est, angelis et firmamento, ut: *Adorent eum omnes angeli ejus.* Qui non habet quotidie. Ut sacerdotes legis. *Necessitatem.* Immolandi, offerendi. *Sermo autem jurisjurandi.* Qui dicit: *Tu es saccerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Filium in aeternum perfectum. Sacerdotem.

CAPUT VIII.

Capitulum autem super ea quae dicuntur. Summam vel recapitulationem. *Qui sedet in dextera sedis magnitudinis.* Secundum suae majestatis excellentiam. *Sanctorum minister.* Sive sanctorum hominum secundum suam misericordiam; sive minister [Col. 0263A] eorum quae Sancta sanctorum dicuntur. *Et tabernaculum.* Spiritus animarum sanctarum, templique multiformis Ecclesiae, in quo Deus inhabitat. *Ad offerenda munera.* Aurum et argentum. *Et hostias.* De oblationibus vivis. *Nec esse sacerdos.* Id est, ipse Dominus Salvator, qui sic non esset necessarius, si per alios justificatio fieri posset. *Qui exemplari et umbrae serviunt coelestium.* Exemplaria dicuntur, quia coelestium exempla ostendebant. Umbrae autem in comparatione supervenientis veritatis. *Coelestium.* Spiritualium donorum, quae nobis per Christi sacerdotium donantur. Aut coelestium, id est, operum, quia ex his coelestia promerentur. *Tabernaculum.* Exemplar Ecclesiae. *Facies omnia.* Tam de tabernaculi constitutione, quam de hostiis [Col. 0263B] sacrificiis quae in eo immolarentur. *Secundum exemplar.* Quia prius formam ejus in mente perspexit in monte, antequam ipsum tabernaculum faceret. *Nunc autem melius est sortitus ministerium.* Ac si diceret: Dominus Jesus Christus melius sortitus est ministerium Novi Testamenti, ubi peccata nostra remittuntur, et vita aeterna promittitur, non tantum bona terrae. *Nam si illud prius culpa vacasset.* Ac si diceret: Si legis prioris observatores inculpabiles essent, nec secunda lex demum inquireretur. *Vituperans enim eos dicit.* Deus per Jeremiam prophetam: *Et consummabo.* Lege veteri transeunte, perfectiorem legem introducam, ubi non figura, sed veritas ostendetur. *Domui Juda.* Ecclesiae Deum confitenti. *Testamentum Novum.* [Col. 0263C] Evangelium, et legem gratiae, hoc est, ut quicunque ex omnibus gentibus in Christo crediderint, filii Abraham secundum spiritualem generationem vere sint. *Quod feci patribus eorum in die.* Quinquagesimo post Pascha die in monte Sina. *Et ego neglexi eos.* Reliqui eos secundum desideria cordis eorum. *Post dies illos.* Veteris Testamenti. *In sensibus eorum.* Non in tabulis lapideis. *Superscribam eas.* Id est, super

legem naturae et litterae. *A majore.* Divite, nobili, sene. *Usque ad minorem.* Egenum, ignobilem, juvenem.

CAPUT IX.

Habuit quidem et prius testamentum. Ac si diceret: Fuerunt in tabernaculo vasa Dei, quod apud homines magnum ac mirabile videtur. Sed tamen [Col. 0263D] illa omnia umbrae erant bonorum futurorum. *Constitutiones culturae.* Circumcisionem, sabbata, neomenias, hostiasque corporales. *Sanctumque saeculare.* Tabernaculum, quod erat pro tempore. Non sic Sancta sanctorum aeterna. *Tabernaculum primum.* Quod mystice significat praesentem Ecclesiam. Candelabrum vero carnem Christi, septem donis Spiritus sancti resplendens, vel ipsa septem dona. *Et mensa.* Aurea in aquilonari parte tabernaculi, significans sacram Scripturam: *Propositio panum.* Mystice corpus Christi, seu doctrina apostolica intelligitur. *Quod dicitur Sancta Sanctorum.* In quod solus sacerdos semel in anno introibat. Secundum tabernaculum, Hierusalem coelestem significat. [Col. 0264A] Aureum vero thuribulum, corpus Christi cum divinitatis splendore. Arca vero, ipsa Ecclesia secundum mysticum sensum, anima secundum tropologicum exprimitur, aut certe arca Testamenti caro Salvatoris Christi animadvertitur, in qua manna divinitatis inhabitat. *Urna aurea.* Humanitas Christi cum divinitate. *Virga Aaron, regnum Christi significat, vel vexillum crucis.* Tabulae duae Testamenti. *Cherubim.* Plenitudo scientiae. *Propitiatorium.* De quo propitiabatur Dominus populo suo. Mystice propitiatorium Dominus Salvator exprimitur, *qui est propitiatio pro peccatis nostris.* Ministeria. Sacrificia. *Semel in anno.* Decima die mensis septimi secundum lunarem supputationem, quae solemnitas erat sanctificationum. *Non sine sanguine.* Sicut non [Col. 0264B] sine sanguine Christi nos redempti sumus. *Hoc significante Spiritu sancto.* Propterea ista ita constructa sunt in figuram Salvatoris nostrae salutis, quod videlicet Christus pateretur semel pro genere humano. *Sanctorum via.* Introeundi in coelum. *Et justitiis carnis.* Carnalibus justificationibus per circumcisionem. *Non hujus creationis.* Terrestris tabernaculi. *Et cinis vitulae.* Vaccae rufae, roseae, carnis Christi. *Qui per Spiritum sanctum.* Quasi per ignem: quomodo hostiae prius ignem de coelo accipiebant. *Ab operibus mortuis.* Quae ducunt ad mortem, sicut si quis in lege mortuum tangeret, mundabatur. *Earumdem praevaricationum.* Quae deleri non poterant oblationibus prioribus. *Ubi enim Testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.* Animalis [Col. 0264C] cujus sanguis testatur indulgentiam peccatorum. Poterat aliquis ex eo, quod mortuus est Christus, maxime non credere promissiones ejus. Paulus igitur exempla ex communi assumit consuetudine, quibus ostendit tunc firmissimum esse testamentum, morte testatoris intercedente. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est, quia testamentum tunc firmum erit, postquam homo de hoc saeculo migraverit.* Vivens vero quoties voluerit mutabit, ut sequitur: *Alioqui nondum valet.* Quia quandiu vivit testator, potest immutare sententiam, et alios atque alios haeredes ducere in haereditatem suam. *Unde nec primum quidem.* Tabernaculum. *Sanguinem vitulorum et hircorum.* Quia uterque sanguis sanguinem Salvatoris significat. *Cum aqua.* Mystice [Col. 0264D] baptismatis, vel aquam et sanguinem de latere Christi manantem significat. *Et lana coccinea.* Quae significat lenitatem charitatis Christi, qui passus est pro nobis, aut certe per lanam

coccineam Christi passio designatur. *Et hyssopo.* Quae herba humilitatem Christi significat ac fortitudinem, qua interiora nostra purgantur. *Ipsum quoque librum.* Deuteronomium, quod significat Evangelium consecratum sanguine Christi. Hic est sanguis Testamenti, sic et Christus dicit: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti* **(Matth. XXVI)**. Vasa ministerii significant ministros Ecclesiae. *Sanguine.* Fide passionis Christi aspersos. *Non fit remissio.* Ex aliqua parte. *Exemplaria coelestium Tabernaculum et vasa ministerii.* [Col. 0265A] *His mundari.* Hostiis praeteritis. *Nam ipsa coelestia.* Opera Novi Testamenti, sive conversamini, ut Apostolus dicit: *Nostra conversatio in coelis est* **(Phil. III)**, quae est vera Christianorum philosophia. Aliter: coelestia, id est, vasa. *Sed in ipsum coelum.* Quasi quoddam tabernaculum. *In sanguine alieno.* Hircorum, vitulorum. *Alioquin oportebat eum.* Id est, si una ejus oblatio mundum totum non salvaret ante passionem ejus et post passionem, oportebat eum pati ab origine mundi, dum per singulas generationes homines peccaverunt, quia semper habuisset quod redimeret: sed noluit nisi ut semel tantum passus mundum in consummationem saeculi liberaret. *Secundo.* In die judicii. *Sine peccato.* Sine similitudine carnis peccati, aut sine oblatione pro peccato. [Col. 0265B] Aliter: sine peccato, exspectantibus se.

CAPUT X.

Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem. Speciem veritatis; umbra etenim fuit non veritas. Nam requiescebant peccata ad tempus, non remittebantur. *Consummare.* Perfectos facere. *Non cessassent offerre.* Non iterum offerrent, si per unam hostiam mundati essent, et quamvis nos non cessemus offerre, tamen idipsum offerimus sacrificium, non alium agnum hodie, alium cras offerentes. *Commemoratio peccatorum.* Commemorantur peccata, dum quotidie et per singulos annos hostia pro peccatis offerebatur. Nos vero in commemorationem Dominicae semel passionis quotidie nostraeque salutis offerimus. *Impossibile est enim.* [Col. 0265C] Si impossibile, cur ergo faciebant propter praefigurationem? Non enim veritas sine praeeuntibus figuris venire debuit. *Introiens in mundum.* Christus apparens in carne. *Hostiam.* Vivam. *Et oblationem.* De vino et pane. *Noluisti.* O Pater. *Corpus autem perfecisti mihi.* Corpus ad offerendum, quia haec est hostia viva Deo placens. *Tunc dixi.* Dum tempus fuit, ut auferrentur umbrae legalium hostiarum. *In capite libri scriptum est de me.* In fronte Geneseos, ut: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Item: *In principio erat Verbum, et illud: Liber generationis Jesu Christi;* et item: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Ut faciam voluntatem tuam, Deus. Ut corpus quod aptasti mihi pro genere humano offeram, quia haec est tua voluntas. *Aufert* [Col. 0265D] primum, ut sequens statuat. Ac si diceret: Reprobat Vetus, et affirmat Novum Testamentum. *Sedet in dextera Dei.* Quasi Dominus, nam ministrare famulorum est. *Contestatur autem Spiritus sanctus nobis.* Per Jeremiam, ac si diceret: Quod dicimus, Spiritus sanctus dicit; diximus enim quod consummavit in aeternum sanctificatos, et hoc Spiritus sanctus testatur, quod in Novo Testamento non recordabitur Deus peccatorum. *Postquam enim dixit.* Ordo, dicit enim Dominus: *Dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccata eorum non recordabor amplius, postquam dixit: Hoc est testamentum quod testabor ad illos.* Ubi ergo horum. Peccatorum remissio. *Jam non fit oblatio.* [Col. 0266A] Quia non

oblatione quae offerebatur in lege, sed sanguine Christi dimittuntur peccata. Hic ostendit distantiam pontificis, et sacerdotis, et hostiarum, et tabernaculi, et testamenti, et repromissionis, siquidem illa fuerunt temporalia, haec autem aeterna; illa formae, haec veritas. *Habentes itaque fiduciam.* Propter remissionem peccatorum, et quod cohaeredes effecti sumus. Unde nos plus habemus fiduciam per sanguinem Christi mundari, quam illi qui carnaliter hostias offerebant. *In introitum sanctorum.* In introitum regni coelestis, vel fidei: *Quam initiavit nobis.* Consecravit, eo quod ipse primus illa via propria carne conscendit in coelos. *Viam novam.* Aut fidem Christi, aut introitum regni coelestis. *Aspersi corde a conscientia mala.* Quia fides *sine* [Col. 0266B] operibus mortua est **(Jac. II)**. *Et abluti corpus.* Sicut illi ablutiones carnales habebant. Nam foris lavamur aqua, intus autem Spiritu sancto, ut: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc.* **(Joan. III)**.

Aqua munda. Baptismatis aqua consecrata a benedictionibus. *Confessionem spei indeclinabilem.* Non declinemus ab ea, dum verum erit quod promisit, sicut Israelitae, qui declinabant. *Fidelis enim qui promisit.* Ut alibi fidelis dicitur, per quem vocati estis. *In provocatione dilectionis.* Ut unusquisque alterum provocet ad charitatem. *Non deferentes collectionem.* Ecclesiam in qua collecti sumus in una fide. *Sed consolamini invicem.* Dicentes: Brevis est tentatio, et longa remuneratio. *Diem appropinquantem.* Sive [Col. 0266C] mortis, sive judicii. *Offerre Deo hostiam.* Scilicet legalem secundum veterem legem. Aut crux secunda nobis ultra non est, huic autem simile est, quod in superioribus dixit: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, iterum renovari.* Terribilis quaedam exspectatio judicii. Si autem exspectatio terribilis est, quanto magis ipsa praesentia, quae consumptura est adversarios? non ita ut non sint, sicut aurum non consumitur in igne, sed quod immundum est in eo. *Communem aestimans.* Putans nihil prodesse effusionem sanguinis Christi. *Et spiritui gratiae contumeliam fecerit.* Legales hostias offerens: vel non credens remissionem peccatorum per gratiam Spiritus sancti. *Mihi vindictam;* et ego retribuam. Vindictam, contumeliam spiritui gratiae facienti. *In manus incidere* [Col. 0266D] Dei viventis. In potestatem judicii ejus, *qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Rememoramini igitur pristinos dies. Hoc dicit, ut perdurantes in tribulationibus essent longanimes, sicut jam post acceptam fidem benefecerunt. *Et in altero quidem opprobriis.* Vocibus. *Et tribulationibus.* Martyriis pressurisque. *Spectaculum.* Propter manifesta opprobria. *Estis effecti.* Ministrando tribulatis. *Confidentiam vestram.* Fortitudinem fidei, et patientiam in tribulationibus. *Nam justus meus ex fide vivit.* Quia vita corporis anima, vita animae fides est, a qua si quis se subtraxerit, non placebit Deo.

CAPUT XI.

Est autem fides. In Habacuc sperandarum rerum [Col. 0267A] substantia. Nam quod videt quis, quid sperat? Sed si quod non videmus speramus, per patientiam exspectemus. *Sperandarum rerum.* Synecdochicos hoc dicit, ab insigni parte fidem definiens. Nam fides est trium temporum: creduntur enim praeterita quod fuerint, praesentia quod sint, futura quod erunt. *Fide Abel majorem hostiam quam Cain obtulit Deo.* Meliorem. Abel pastor ovium erat, Cain vero agricola; sed Abel primitias ovium Deo offerebat,

praespiciens et credens, quod Christus postmodum tanquam ovis ad occisionem duceretur. *Per quam testimonium consecutus est.* Ut in Evangelio legitur: *A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae* **(Matth. XXIII)**. *Testimonium prohibente muneribus ejus Deo.* Quia ignis descendebat super hostias ejus, [Col. 0267B] sicut dicitur: *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus, ad Cain vero non respexit.* Adhuc loquitur, ut: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* **(Gen. IV)**. *Fide Enoch.* Propter fidem suam transferri meruit, credens quod Jesus postmodum in coelum sublevandus esset: ante translationem enim testimonium habuit, ut est: *Ambulavit Enoch cum Domino.* Et alibi: *Et placuit Deo anima ejus* **(Gen. V)**. *Quia est et inquirentibus se remunerator fit.* In his duobus modis totum symbolum et plenam fidem habemus. *Fide Noe.* Credens responsum a Deo acceptum. Aliter: Praevidit namque Ecclesiam navigaturam per mare saeculi hujus, ad portum vitae aeternae. *Per quam.* Fidem. *Condemnavit saeculum.* Peccatores, qui non meruerunt arca salvari. *Fide* [Col. 0267C] qui vocatur Abraham. Signanter ait, vocatur, non enim sic prius vocabatur quando obedivit, sed Abraham tunc nominatus est. *Haeres.* Noe. *Institutus.* Mundi haeres. *Obedivit.* Quando dictum est ei: *Exi de terra tua.* Exspectabat enim fundamenta. Christum, et apostolos, et prophetas. *Civitatem.* Hierusalem coelestium. *Fide et ipsa Sara.* Ecclesiam gentium respexit de qua dicitur: *Laetare, sterilis quae non paris.* Propter quod et ab uno. Homine, ex Abraham scilicet et Sara, ut: *Erunt duo in carne una.* Et hoc emortuo. Concupiscentia carnali. *Juxta fidem defuncti sunt.* Qui usque ad mortem fidem servaverunt. *Non perceptis.* Ante mortem repromissionibus. *Et salutantes.* Dicentes: Beata tempora quando haec ventura erunt. *Et si quidem illius meminissent.* Terrae Chaldaeorum, [Col. 0267D] de qua exierunt, id est, de Mesopotamia Syriae. *Non pudet Deum.* Id est, non confunditur Deus vocari eorum Deus, ut: Deus Abraham, Deus Isaac. *Paravit enim illis Deus civitatem.* Hierusalem coelestem. *Fide obtulit Abraham Isaac.* Cum tentaretur, ut: *Offer mihi filium tuum Isaac.* Triplex autem bonum fecit, quod filium, et quod unigenitum, et repromissionem in quo accepit offerebat. Hoc autem factum est in figuram Dei Patris, Filium suum pro nostra salute offerentis. Unde sequitur, quod eum in parabolam accepit, hoc est in similitudinem Christi morientis et resurgentis. Sic Christus ait: *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Fide etiam de futuris benedixit Isaac, spiritu praecognoscens, [Col. 0268A] quod Jacob figuram Christiani, Esau vero Judaici populi gerebat. *Et adoravit.* Jacob. *Super fastigium virgae ejus.* Significans quod reges futuri essent adorandi ex genere Joseph, scilicet ex Ephraim, ut Josue filius Nun mystice designans regnum Christi in fine saeculi adorandum, sicut ipse virgam filii sui adoravit. Aliter: In hoc loco quidam frustra simulant adorasse Jacob summitatem sceptri Joseph, quod videlicet honorans filium, potestatem ejus adoraverit, cum in Hebraeo multo aliter legatur. *Et adoravit, inquit, Israel ad caput lectuli sui, quod scilicet postquam juraverat ei filius, securus de petitione quam rogaverat, adoravit Deum contra caput lectuli sui.* Sanctus quippe Deo deditus, et oppressus senectute, sic habebat lectulum suum positum, ut ipse jacentis [Col. 0268B] habitus absque difficultate ad orationem esset paratus. *Et de ossibus suis mandavit.* Ut: *Extolletis ossa mea hinc vobiscum.* Mystice ossa Joseph ex Aegypto ad terram repromissionis translata, significant Christi mandata ex Judaeis in Gentes exitura. *Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus.* Significat Christum occultatum ab Abraham usque ad David: primus enim mensis est; dehinc secundus mensis a David usque ad transmigrationem Babylonis; tertius vero est a transmigratione

Babylonis usque ad adventum Salvatoris. *Improperium Christi.* Vel tribulationes pati pro Christo, vel in figuram improperiorum Christi, quod enim postea Christo evenit, ille sustinebat. *Remunerationem.* Mercedem a Christo. *Fide celebravit Pascha.* Per agnum namque cum populo [Col. 0268C] intellexit Christum verum agnum, de quo dicitur: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus* **(I Cor. V)**. Praevidit namque quod hi qui in crucifixum crederent, in futuro vindicta carerent. *Ne qui vastabat primogenita.* Id est, angelus. Sic diabolus vastator est, a quo liberamur per sanguinem Christi. Fide praedaverunt Aegyptios, quia crediderunt se iterum in Aegyptum non reversuros. *Fide muri Jericho.* Jericho defectio, vel luna interpretatur, figuram mundi tenens. Septem vero tubas, septem epistolas apostolicas intelligimus, in quibus septiformis Spiritus sancti gratia, doctrinaque intonat. Per septem vero muros, septem principalia vitia designantur. *Fide Raab.* Quae significat Ecclesiam gentium, suscipiens exploratores, id est, doctores catholicos, vel, [Col. 0268D] ut alii dicunt, Petrum et Paulum, seu duas leges. *Deficiet enim me tempus.* Aut hyperbolica locutio est, aut tempus destinatum, quod ad hanc scribendam epistolam in corde suo proposuit. *De Gedeon.* Id est, quid adhuc dicam de Gedeon cum trecentis viris. *Barach.* Pugnante simul cum Debbora prophetissa contra Sisaram Chananaeum. *Jephte.* Offerente filiam suam contraque Moab pugnante. *Obturaverant ora leonum.* Ut Daniel, et Samson, et David, quando pastor ovium fuit. *Exstinxerunt impetum ignis.* Ut tres pueri in camino ignis. *Effugerunt aciem gladii.* Sicut David aciem gladii Saulis effugit. *Convaluerunt de infirmitate.* Ut Ezechias. *Castra verterunt exterorum.* Ut Gedeon, et Ezechias, caeterique. *Acceperunt* [Col. 0269A] mulieres de resurrectione mortuos suos. Ut Elias suscitavit filium viduae Jonam, et Elisaeus filium Samaritis. *Alii autem distenti sunt.* Cruciati sunt, ut Machabaei. *Non suscipientes.* In praesenti vita. *Alii vero ludibria et verbera experti.* Ut Jeremias. *Insuper et vincula, et carceres.* Ut Joseph. *Lapidati sunt.* Ut Naboth. *Secti sunt.* Ut Isaias. Haec per syllepsin dicuntur, quia verbi gratia, non multi secti sunt, sed unus tantum, id est, Isaias. *Tentati sunt.* Ut Job et Tobias. *In occisione gladii mortui sunt.* Ut Zacharias filius Joiadae sacerdotis, qui occisus est inter templum et altare. *Circumierunt in melotis.* Ut Elias et Joannes, aliique multi. Est autem melota pellis caprina ex uno latere dependens, qua monachi utuntur Aegyptii. *Quibus dignus non erat mundus.* Praesens [Col. 0269B] videlicet mundus, propter spem supernae gloriae. *Non acceperunt promissionem.* Donec advenit Christus. *Ne sine nobis consummarentur.* Hoc est, ne ante nos in regnum Dei coelestemque coenam exirent, donec omnes in novo exiremus

CAPUT XII.

Ideoque et nos. Hucusque de fide locutus est, nunc de praedicatione incipit. *Tantam habentes nubem.* Multitudinem, vel collectionem. *Testium.* Patriarcharum et prophetarum. *Deponentes omne pondus.* Peccati. Non enim quisquam bene currit cum onere gravi. *Per patientiam curramus.* Per viam, scilicet mortem militiis mandatorum transcurrentes. *Certamen.* Tribulationum pressurarumque in praesenti constitutarum. *Ne fatigemini.* Ne in tentationibus [Col. 0269C] lassescatis. *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis.* Hoc est, nondum sanguinem vestrum in martyrio effudistis. *Fili mi, noli negligere.* Hoc per Salomonem dicitur **(Prov. III)**. *Disciplinam Domini.*

Tribulationem. *Cujus participes facti estis.* Scilicet diaboli. *Omnis autem disciplina.* Omnis a Deo saluberrima correctio. *Fructum pacatissimum.* Aeternae videlicet mercedis. *Remissas manus.* Pigras ad bene operandum, atque laxatas. *Et soluta genua.* Propter confessionem infirmam. *Erigite.* In bonum opus. *Gressus rectos.* Opera recta. *Pedibus vestris.* Sensibus. *Ut non claudicans quis erret.* Inter Deum et idolum, ut aliquando Deum, aliquando idolum adoret, sicuti qui claudicatis in me et Baal. *Neque radix amaritudinis.* Alicujus peccati. *Sursum germinans.* [Col. 0269D] Id est, in superbiam crescens. *Ne quis fornicator.* Esau enim fornicator fuit: nam contra praecepta patris de alienigenis, id est de infidelibus Heth uxorem accepit, et jura primogeniti causa gulae vendidit. *Qui propter unam escam.* Lenticulam, vendidit primitias suas. Ille autem propter unam escam vendit primitiva, qui animae suae virtutes fornicatione perdit. Nam sicut per unam escam unius diei esuries reficitur, sic et per fornicationem unius horae reficitur desiderium. Unde et Salomon pretium scorti pani comparavit. *Non enim invenit locum poenitentiae.* Recte poenitentiam non invenerunt lacrymae quae causa superbiae et invidiae fuere. *Non enim accessistis.* [Col. 0270A] Ac si dicat, Non ad visibile et palpabile lumen accessistis, sed ad invisibilem et incomprehensibilem Deum. *Ignem et turbinem.* Haec omnia fuerunt in monte Sina´. *Et tubae sonum.* Id est, angelicae vocis. *Exterritus sum.* Corde. *Et tremebundus.* Corpore. *Ad Sion montem.* Ad praesentem Ecclesiam. *Et Ecclesiam primitivorum.* Apostolorum qui primi Deo crediderunt. *Melius loquentem.* Quia sanguis Abel accusabat, sanguis vero Christi redemit. Item ut est illud: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* **(Luc. XXIII)**. *Ne recusetis loquentem.* Christum. *Cujus vox movit terram.* Montis Sina´. *Tunc.* Quando lex data est. *Nunc autem.* In Novo Testamento. *Repromittit.* Commovere terram coelumque. *Dicens.* In Aggaeo propheta. *Et ego movebo.* In die judicii. *Ut maneant ea.* [Col. 0270B] Specimina meliora creaturarum. *Habeamus gratiam.* Novi Testamenti, remissionisque peccatorum. *Ignis consumens.* Peccata comburens.

CAPUT XIII.

Mementote vinctorum. In vestra misericordia. *Tanquam in corpore.* Forsitan haec eadem patiemini. *Honorabile connubium.* Matrimonium legitimum in Domino cum pudicitia fiat. *Et thorus.* Lectus. *Immaculatus.* Sine fornicatione. *Contenti praesentibus.* Ut: *Nolite cogitare de crastino.* Praepositorum. Doctorum vestrorum. *Jesus Christus heri et hodie.* Ac si dicat, ante saecula, et in saecula, et post saecula semper permanet, ut propheta dicit: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* **(Psal. CI)**. *Et peregrinis.* Antea non audistis. *Abduci.* A vera doctrina [Col. 0270C] separari. *Quam escis.* Hostiis legalibus seu perversis doctrinis. *Habemus.* Nos fideles. *Altare.* Praeter altare Judaeorum, unde corpus et sanguinem Christi participamus. *Qui tabernaculo deserviunt.* Veteris videlicet legis. *Exeamus itaque ad eum extra castra.* Despicientes praesentia, et amantes futura. *Improperium ejus.* Crucem et passiones varias. *Hostiam laudis.* Ut: *Immola Deo sacrificium laudis.* Fructum labiorum. Quasi vitulum Deo offerentes. *Et communionis.* Largiendae eleemosynae. *Promeretur Deus.* Ut nobiscum sit Deus. *Quasi rationem de animabus vestris reddituri.* Ut: *Quorum animam et sanguinem de manu vestra requiram, dicit Dominus* **(Ezech. III)**. *Deus autem pacis.* Deo hoc adjungitur, quia aliquid dissensionis habuerunt. *Pastores.* Ut:

Ego sum [Col. 0270D] pastor bonus **(Joan. X)**. *Testamenti aeterni.* Non enim aeternum erat Vetus Testamentum. *Aptet vos in omni bono.* Faciat vos aptos esse in omni bono. *Faciens in vobis, quod placeat coram se.* Ut: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est.* Ut sufferatis. Ut avida mente suscipiatis. *Verbum solatii.* Id est, rectae praedicationis, quod solatium vestris animabus praestat. *Cognoscite.* Illi vos benefacientes. *Demissum.* A me ad vos missum. *Videbo vos.* Id est, conversationem vestram per ipsum intelligens. *Salutant vos de Italia.* Hic evidenter ostenditur, quod hanc epistolam Romae scripserit.

EXPOSITIO.

SEDULII SCOTI EXPLANATIUNCULA DE BREVIARIORUM ET CAPITULORUM CANONUMQUE DIFFERENTIA.

(Mai., Script. Collect. nova, tom. IX.) [Col. 0271A]

INCIPIT BREVIARIUM SECUNDUM MATTHAEUM. Nativitas Christi. Magi cum muneribus veniunt, et reliqua. Perquirendum est quid inter breviarium et capitulum atque canonem distet. His etenim tribus, quasi quibusdam clavibus, cuncta evangelici voluminis arcana reserantur. Nam sublatis breviariis, capitulis et canonibus, omnia confusa erunt et ambigua, et quae sunt eadem, vel vicina, vel sola, et qui vel quot evangelistae in quibuslibet sententiis consonent, aut de quibus rebus edisserant, hoc totum sine praedictis clavibus amphibolum erit. Itaque haec tria propriis differentiis ab invicem discernamus. Breviarium est rerum in contextu Evangelii [Col. 0271B] narratarum compendiosa et brevis expositio. Unde et breviarium brevis causa nominatur, eo quod per hoc totus Evangeliorum textus breviter comprehenditur. Capitulum est quaelibet in Evangeliis sententia seu narratio. Canon est titulus, quo cognoscitur concordia evangelistarum, id est quis, vel qui, vel quot evangelistae unumquodque capitulum ediderunt. Ob necessarias itaque causas haec tria reperta sunt. Nam breviarium ob hoc repertum est, quatenus ipsae res quae evangelico volumine narrantur, hoc breviter praemisso et considerato compendio, citius et lucidius patescant, ut quod in Evangelio quisque invenire desiderat, breviariorum consideratione cum summa facilitate reperiat. Canones ob hanc causam reperti et vocati sunt, quatenus eorum [Col. 0271C] distinctione, concordia evangelistarum, id est qui et quot evangelistae eadem vel vicina vel sola in Evangeliis capitula dixerunt, agnoscatur. Capitula ob hoc inventa et notata sunt, ut per haec quaelibet sententia vel narratio in quolibet Evangelio agnoscatur. Notandum quoque quod nec capitulum sine canone, nec canon sine capitulo, per totum Evangelii contextum esse possunt, quia haec duo sibi invicem inseparabiliter connexa sunt. Licet enim fieri possit ut ex negligentia scriptorum, quodvis capitulum numerum sui canonis non habeat subscriptum, vere tamen aliquo canone carere non poterit. At breviarium sine canone vel capitulis subscriptis, licet non absque capitulorum sensu, consistit. Non enim in [Col. 0272A] breviario qui vel quot evangelistae quolibet sensu ediderunt, neque capitulorum numerus perquiritur: alioquin quomodo contextui evangelico, sic et breviario, uterque numerus canonum et capitulorum superscribendo apponeretur. Quod

quia non agitur, manifestum est quod illud in breviario proprie discitur, ut quae in evangelico textu diversis capitulis et canonibus multiplici narratione exponuntur, ea in breviario, quasi quodam pugillo, brevi assertione demonstrentur.

Illud quoque notandum quod sicut breviarium sine canone et capitulis consistit, sic et capitula sine breviario saepe posita reperiuntur. Nam in exordio Evangelii secundum Matthaeum, in quo ter XIV, hoc est XLII generationes describuntur, duo capitula [Col. 0272B] duoque canones, tertius videlicet ac decimus canon, absque breviario includuntur. Si quidem in eo quod subsequitur, *Christi autem generatio sic erat, et reliqua, initium breviarii exorditur.* Nam ibi nativitas Domini exponitur. Cur autem non a principio XL et duarum generationum breviarium Evangelii secundum Matthaeum sumat exordium, investigandum est. Poterat enim tale breviarium, nulla obsistente ratione, sic constare, XL duarum generationum enumeratio, nativitas Christi, et reliqua: sed propter nativitatis Dominicae excellentiam, ab ultima, id est quadragesima secunda generatione, seu nativitate Salvatoris, exordium breviarii sumpsit. Nec mirum si in breviario sicuti quaedam in brevi colliguntur, ita nonnulla causa brevitatis omittuntur, cum utrumque [Col. 0272C] breviarii sit proprium: alioquin breviarium non erit breviarium. Notandum quoque in caeteris evangelistis, quod in his quaedam capitula et canones ante initium breviarii posita reperiuntur, ut in exordiis Evangeliorum Marci, Lucae et Joannis, post quaedam capitula vel canones, initia breviariorum exordiuntur. Illud quoque sciendum est quod cum canones et capitula, aliquando in principio, aliquando in medio, nonnunquam etiam prope finem cujuslibet sensus adnotentur, breviaria nonnisi in primordialibus sensuum locis exordiuntur. Unde evenit ut ipsa breviaria saepe in principio, aliquando in medio, nonnunquam etiam prope finem capitulorum, sed tamen in principio sensuum, exordia sumant.

EXPOSITIO IN MATTHAEUM.

ARGUMENTUM IN MATTHAEUM

[Col. 0273B]@ Argumentum hoc, in quod commentatur Sedulius, exstabat mendosissimum apud Sabatierium, Vulg. vers. T. III, p. 1, quod nos demum nunc emendamus.. **(Mai., ibid.)**[Col. 0273A]

Matthaeus sicut in ordine primus ponitur, Evangelium in Judaea primus scripsit: cujus vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit. Duorum patrum in generatione Christi principia praesumens: unius, cujus prima circumcisio carnis; alterius, cujus secundum cor electio fuit: et ex utrisque patribus Christus; sicque quaternario denario numero triformiter posito, principium a credendi fide in electionis tempus porrigens, ex electione in transmigrationis diem dirigens; atque a transmigratione usque ad Christum definiens, decursam adventus Domini ostendit generationem: ut et numero satisfaceret et tempori; et sic quod esset ostendens, et Dei opus in [Col. 0273B] se monstrans, etiam in his quorum genus posuit, Christi operantis a principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus, ordo, numerus, dispositio vel ratio, quod fidei necessarium est, Deus [Col. 0274A] Christus est, qui factus est ex muliere, factus sub lege,

natus ex virgine, passus in carne, omnia in cruce fixit: ut triumphans ea in semetipso, resurgens in corpore, et Patris nomen Patri restituens in filiis; sine principio, sine fine, ostendens unum se cum Patre esse, quia unus est. In quo Evangelio utile est desiderantibus Deum sic prima, vel media, vel perfecta cognoscere, ut et vocationem apostoli, et opus Evangelii, et dilectionem Dei in carne nascentis, per universa legentes intelligant; atque in eo quo apprehensi sunt, et apprehendere expetunt, recognoscant. Nobis enim hoc in studio argumenti fuit, et fidem factae rei tradere, et operantis Dei intelligendam [Col. 0274B] diligenter esse dispositionem quaerentibus non tacere.*Explicit argumentum.*

EJUSDEM SEDULII SCOTI IN ARGUMENTUM SECUNDUM MATTHAEUM EXPOSITIUNCULA.

(Mai., ibid.) [Col. 0273C]

Inter argumentum et argumentationem hoc distat quod argumentum est sensus totius orationis, argumentatio vero est argumenti elocutio verbisque competentibus explicatio. In argumentis autem evangelicis hoc praecipue attendendum est quod in his et sermonis brevitas, et sensuum clandestina subtilitas scintillare cernitur; unde nostrum torpens ingenium ex inertiae somno suscitant, et ante introitum doctrinae evangelicae nos exercitatiores evigilantioresque reddunt, ne lippidulis fortasse oculis, pedibusque sensuum titubantibus, prata Dominica segniter incedamus, sed illustrata mentis acie florida Christi rura, coruscis praecedentibus lucernis, percurramus. Quid etenim sunt argumenta evangelica, nisi quaedam coelestium thesaurorum provenientes lampades [Col. 0273D] simul et aureae claves gazas reserantes Dominicas? Matthaeus ex Judaea, sicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Judaea primus scripsit. Primo notandum quod in hujus argumenti exordio, VII circumstantiae elucent, quae sunt: persona, res vel factum, causa, tempus, locus, modus, materia. Persona dignoscitur, cum ipse evangelista proprio nomine Matthaeus nominatur: cujus personae gens et origo ostenditur, cum idem Matthaeus ex Judaea fuisse commemoratur. Nec parvae quoque laudis praeconium ipsi personae cumulatur: Matthaeus namque donatus interpretatur, in eo quod ei Dominus VII [Col. 0274C] praecipua dona largitus fuerit: primum donum, fidem; secundum, apostolatum; tertium, virtutes atque miracula; quartum, linguarum peritiam; quintum, Evangelium scribere; sextum ante caeteros evangelistas primum esse in ordine; septimum, martyrii gloria coronari. Notandum vero est quod cum ipse evangelista ex tribu Levi fuisse tradatur, hic ex Judaea fuisse refertur. Quod tripliciter intelligi poterit: aut enim ex utraque tribu et Juda et Levi ortus est; aut, licet prosapia non sit ipse Judaeus, tamen ex Judaea fuisse asseritur, eo quod forte parentes ejus, quomodo et multi ex Levi tribu, ibidem habitaverunt. Aut si neque hoc est neque illud, ex Judaea Judaeus ob hoc συνεκδοχικῶς nominatur, eo quod omnes Israelitae generaliter Judaei appellantur.[Col. 0274D]

Sequitur factum, hoc est Evangelium ab eodem Matthaeo conscriptum. Locus facti describitur, cum illud Evangelium in Judaea fuisse scriptum declaratur. Tempus Evangelli conscribendi ostenditur, cum is Matthaeus primus ante alios evangelistas

suum Evangelium scripsisse perhibetur. Causa ipsius facti manifestatur, cum subjungitur: cujus vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit. Idcirco enim tam magnificum divinumque opus scripserat, quia ex publicanis operibus in apostolatum a Domino electus erat. Itaque a perversis actibus segregatus, [Col. 0275A] ad actum evangelicum a Domino fuit vocatus. In quo et modus seu qualitas ejusdem facti latenter insinuatur: quomodo enim vel qualiter, nisi ordinate vel veraciter, nisique sapienter suum Evangelium conscripserit, qui a vero Deo, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, vocatus atque electus fuit? Porro principalis materia conscribendi Evangelii ostenditur, cum subinfertur: «duorum patrum in generatione Christi principia praesumens.» Non enim ab alia materia, nisi a Salvatoris genealogia, exordium Evangelii sumendum esse censuit: ut dum Christum filium et duorum id est, David et Abraham, originaliter ostenderet, ipsum esse intimaret qui utrisque patribus quondam promissus fuerat. Abrahae quidem, ut: *In semine* [Col. 0275B] tuo benedicentur omnes tribus terrae. David vero: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ac ne quis dubitaret quanti meriti sint illi duo patres, quorum principia Matthaeus in genealogia Christi praesumpsit, continuo exponit cum subdit: «unius, cujus prima circumcisio in carne; alterius, cujus secundum cor electio fuit.» Ex praecedentibus, id est ab eo quod est principia, per syllemsim, principium assumendum est, atque ἀπὸ κοινοῦ participium, quod est praesumens, repetendum est, ut sit sensus: unius, cujus prima circumcisio in carne, principium praesumens, alterius, cujus secundum cor electio fuit, principium praesumens.

Ob quam vero causam Matthaeus Abraham et David [Col. 0275C] in genealogia Salvatoris principaliter poneret, ostendit subdens «et ex utrisque patribus Christus.» Siquidem Christus ex utroque patre, id est Abraham et David, secundum carnem exortus est. Oportebat enim ut Salvator noster, qui spiritualis circumcisionis auctor existit, cujus fidei dono nos ab omnibus peccatis circumcidimus, ex Abraham, cujus prima circumcisio per fidem in carne fuit, secundum carnem originem duceret. Et quomodo Deus de Deo natus est secundum divinitatem, ita et rex filiusque Dei ex David rege, cujus secundum cor electio fuit, nasceretur secundum carnem. Quot autem generationibus genealogia Christi in multis patribus contexitur, protinus enumerat subdens: «sicque quaternario denario [Col. 0275D] numero triformiter posito;» et reliqua usque: «generationem.» Facile est quod proloquitur. Nam sic, id est tantum duobus patribus Abraham et David in fronte genealogiae antepositis, ter XIV, id est XLII, generationes in Dominica genealogia continentur. Atque in ipsa serie triplex ordo dignoscitur. Primus XIV generationes ab Abraham usque ad David. Secundus XIV generationes a David usque ad transmigrationem Babylonis. Postremus a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Sed hunc numerum ac temporis ordinem non sine certi mysterii ratione Matthaeus in Christi genealogia digessit, unde subditur, «ut et numero satisfaceret, et tempori.» Numero satisfecit, dum ter XIV [Col. 0276A] generationes in ipsa genealogia posuit; quo numero et decalogus legis et evangelica doctrina exprimitur. Tempori quoque satisfecit, dum Abraham patriarcham in exordio Dominicae genealogiae posuit. Nam prima mundi aetas, quasi quaedam infantia, ab Adam usque Noe protenditur. Secunda aetas, quae est veluti ipsius mundi pueritia, a Noe usque ad Abraham computatur. Tertia aetas, quae est quasi florida mundi adolescentia, ab Abraham usque ad David regem extenditur, quae quidem aetas habilis

ad generandum habetur. Ideoque ab Abraham, quasi ab exordio adolescentiae mundi, Matthaeus ipsas generationes in genealogia Christi congruenter enumerat, quia ipsa aetas ad generandam sobolem apta esse videtur.[Col. 0276B]

Sequitur: «et sic quod esset ostendens, et reliqua usque: «non negaret.» Ob hoc praecipue genealogiam Christi Matthaeus contexuit, ut non ore tacito negaret testimonium Christi. Nam testimonium perhibet de Christo, dum in ipsa genealogia ipsum filium David et Abrahae esse testatur, et praeterea conceptionem ejus de Spiritu sancto, et nativitatem ex Virgine, et caetera ejusdem miracula in suo Evangelio narrat. Qui Christus non solum in apostolis Novi Testamenti, suo adventu multa divina operatur, sed a principio, id est a credendi fide, hoc est ab Abrahae tempore, etiam in his patriarchis et prophetis et justis, quorum genus in Christi genealogia Matthaeus posuit, in signis et miraculis potentialiter operatus est. Sanctus itaque [Col. 0276C] evangelista testimonium perhibere de Christo non denegat; sed quod esset ostendens, id est, quod a Domino ex publicanis actibus vocatus sit atque in apostolatum electus, ostendit se apostolicum ministerium accepisse, cum testimonium perhibet de Salvatore. Et Dei opus vel Evangelium Christi in se demonstrat, dum ipsum Evangelium non solum Hebraicis litteris scripserit, sed etiam ut verus apostolus aliis praedicavit. Sequitur: «quarum omnium rerum,» et reliqua usque: «Deus Christus est.» Illud quod ait: «necessarium est,» per syllemsin ad omnia conjungendum est ut sit sensus, quarum omnium rerum tempus necessarium est. Ordo quoque et numerus necessarius est. Dispositio vel ratio necessaria est. Quod autem fidei necessarium [Col. 0276D] est, Deus Christus est Omnes itaque res dicit, cuncta quae superius in hoc argumento dixerat, hoc est, quod Matthaeus ex Judaea primus in Judaea evangelium scripserit, quod a publicanis actibus ad Deum vocatus sit, quod duo principia, id est Abraham et David in generatione Christi praesumpserit, et reliqua consimilia. Quarum omnium rerum tempus necessarium est, id est ad dignoscendum quo tempore haec gesta sunt. Ut, verbi gratia, a tempore Abraham series genealogiae Salvatoris exordium sumit, caeteraque consimilia.

Ordo quoque et numerus in supra dictis evidenter cognoscuntur. Ordo, quod Matthaeus in ordine primus ante alios evangelistas ponitur. Item quod [Col. 0277A] ipse prius publicanus, dehinc vocatus atque electus sit apostolus: nec non et ordo in genealogia Salvatoris cernitur, cum ab Abraham usque ad David atque a David in transmigrationis tempus, dehinc usque ad Christum, ordinata genealogiae series percurrit. Numerus in ter replicatur, id est in XLII generationibus elucescit. Dispositio, quae significantius ratio nominatur, abdita et occulta causa ipsius temporis vel ordinis seu numeri intelligitur. Nam cum subtiliter discutitur cur a tempore Abraham usque ad David, dehinc a David ad transmigrationem, atque a transmigratione usque ad Christum, tempus et ordo ac numerus XLII generationum, in genealogia Salvatoris causa mysterii disponitur, hoc solum dispositio vel ratio nominatur. [Col. 0277B] Quae prorsus omnia supradicta omnibus veritatis amatoribus ad cognoscendum dicit esse necessaria. Quod autem fidei necessarium est, Deus Christus est, ac si dicat: Si omnia supradicta de Christo cognoscimus, necessarium est ut ea per fidem firmiter credamus. Quod est autem quod credere debeamus? Illud profecto quod Deus Christus est, id est, quod unigenitus Filius, qui verus et aeternus Deus est secundum divinitatem, idem quoque

Christus, id est, unctus sit oleo laetitiae prae participibus suis secundum susceptam humanitatem. Nam hoc totum negotium in genealogia Christi Matthaeus ostendit. Quomodo autem qui verus Deus est secundum divinitatem, Christus homo sit secundum carnem, continuo explanat subdens: «qui factus [Col. 0277C] est ex muliere,» et reliqua usque: «in cruce fixit.» Nam qui omnium factor est secundum divinitatem, ipse homo factus est secundum nostrae fragilitatis participationem. Sed caeteri homines ex utroque sexu fiunt; ipse vero, qui supra homines verus Deus est, non ex virili semine, sed de superna Spiritus Dei gratia conceptus ex muliere verus homo est factus. Et qui suae divinitatis excellentia, summa lex supra legem est, sub lege Mosaica factus est. Ideoque quasi legi subditus octavo die circumcisus est. Et quia ex muliere eum dicit esse factum, ne ulla nuptialis copula in hoc cogitetur, ipsum ex virgine Maria natum esse consequenter asserit. Qui dum secundum divinitatem impassibilis et immortalis existat, tamen ut nos ab aeternae [Col. 0277D] mortis passione et cruciatu eriperet, passus in carne, spontaneam pro nobis mortem susceperat, omnia nostra et originalia et propria peccata in cruce figens.

Sed audisti passum in carne, audi quoque victoriam triumphantis gloriamque ab inferis resurgentis. Nam sequitur: «ut triumphans ea in semetipso,» et reliqua usque «in filiis.» Omnia, inquit, in cruce fixit, ut triumpharet ea, scilicet peccata peccatorumque tormenta, ipsaque daemonia vincens. Tunc enim triumphator factus est, cum post passionem suam et mortem ad inferos descendens, ipsum qui habebat mortis imperium sua morte detraxit, atque captivam captivitatem ad superos secum [Col. 0278A] eduxit. Hoc autem fecit, non in aliorum coelestium vel terrestrium confidens fortitudine, sed in semetipso. Quo triumpho peracto, gloria resurrectionis est ejus subsecuta. Unde ipse resurgens in corpore cunctis credentibus ad vitam aeternam praedestinatis, spem gloriae resurrectionis sua prima resurrectione praemonstravit. Sicque nomen summi patris in patribus, id est, Ecclesiae pastoribus et doctoribus, sibi Filio quasi capiti Ecclesiae, ad sui nominis gloriam suamque ad imaginem restituens. Ut quomodo coelestis Pater natura sit Pater, sic ejusdem Patris dono, pastores Ecclesiae, per Filii resurgentis gratiam, spirituales Patres nominentur. Quomodo autem nomen Patris summi, catholicae Ecclesiae Patribus qui dono superni genitoris patres [Col. 0278B] nominantur, per Filium donatum est, sic et nomen Filii, in multis Ecclesiae filiis, per eumdem unigenitum Filium Patri restitutum est. Nam per Redemptoris passionem mortemque ac resurrectionem, utrumque donum Ecclesiae collatum est, ut in Patris et Filii gratiam, multi tam patres quam filii in Ecclesia spirituales superni muneris largitione fiant. Sequitur: «sine principio, sine fine, ostendens unum se cum Patre esse quia unus est.» Brevis superiorum conclusio esse videtur, ac si aperte dicat: Cum Christus ex Virgine sit natus, passus in carne, omniaque delicta in cruce fixit, atque ea triumphans in semetipso propria in carne gloriose resurrexit, sicque spirituales patres et filios in Ecclesia restituit, hisque omnibus a nullo angelorum [Col. 0278C] hominumque sed sola suae divinitatis potentia gestis, evidentissime ostendit unum Deum se cum Patre esse. Non quomodo carnales filii temporali spatio suis patribus sunt aetate minores; sed sine principio, sine fine, secundum aeternam divinitatis substantiam, unus ipse Deus est cum Patre. Quare? Quia unus est. Siquidem unicus est secundum naturam Patris filius. Nam caeteri filii non natura, sed adoptione et gratia, filii Dei nominantur. Hic vero unus est natura Filius.

Itaque decursa secundum Matthaeum Evangelii periocha, sequitur totius argumenti anacephaleosis, id est recapitulatio, qua conscripti Evangelii utilitas ostenditur «In quo Evangelio utile est,» et reliqua usque: «recognoscant.» In ipso Evangelio, [Col. 0278D] in doctrina scilicet evangelica, tria quaedam utilia esse ad cognoscendum asserit. Id est vel prima, vel media, vel perfecta: et quae sunt illa prima, media et perfecta, protinus exponit dicens: «ut et vocationem apostoli et opus Evangelii,» et reliqua. Primo namque Matthaeus ex publicanis actibus a Domino vocatus est ut esset apostolus. Secundo Christi Evangelium ab eodem est conscriptum, in quo prorsus opere donum perfectae dilectionis Dei in carne nascentis erga humanum genus, per universa dicta et facta Dominica, quilibet studiose legentes intelligere possunt. Sicque in eodem Evangelio ipsum charitatis donum in quo a Deo apprehensi sunt atque electi, ipsique toto mentis ardore [Col. 0279A] Deum fontem dilectionis apprehendere expetunt, legendo et perscrutando recognoscant. Licet et aliter prima et media et perfecta intelligi possunt, id est quaeque in doctrina evangelica, utilia, utiliora atque utilissima. Ut, verbi gratia, conjugium, viduitas, virginitas, quae per tricesimum et sexagesimum atque centesimum fructum allegorice designantur. Aliter prima sunt ea quae in Evangelio a conceptione Domini [*Cod.,* ac receptione Deum] usque ad ejus baptismum narrantur. Media, quae a baptismo usque ad imminens passionis tempus in eodem Evangelio continentur. Perfecta, quae in ultimis Evangelii partibus de ejus passione morteque ac resurrectione conscribuntur. Sequitur: «nobis enim hoc in studio argumenti fuit,» et reliqua usque: [Col. 0279B] «non tacere.» Quia argumentum est oratio, rei dubiae faciens fidem, ob duas causas hoc argumentum [Col. 0280A] composuimus. Prima causa est ut nos factae, id est, cujuslibet gestae rei, et in Evangelio per Matthaeum narratae, fidem, hoc est, simplicem veritatem rerum gestarum, brevi sermone a genealogia Salvatoris usque ad ejusdem triumphum resurrectionis, summatim hoc argumento monstraremus. Secunda causa est ut illud non taceremus, sed potius lectores hoc argumento admoneremus, quod in omnibus quae in Evangelio de dictis et factis Dominicis narrantur, operantis Dei mirabilis dispositio a piis quibusdam Deumque desiderantibus diligenter intelligenda sit. Nam in argumentis utrumque necessarium est ut et fides rei dubiae efficiatur, et certa rerum intelligentia monstretur, quia fidei rerum gestarum intelligentia necessaria est: non enim sufficit credere, [Col. 0280B] nisi etiam intelligatur quod creditur.

Explicit in argumentum secundum Matthaeum.

EXPOSITIO IN MARCUM.

ARGUMENTUM IN MARCUM.

(Mai., ibid.)

Marcus evangelista, Dei et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israel agens, secundum carnem Levita, conversus ad fidem Christi Evangelium in Italia scripsit, ostendens in eo quid et generi suo deberet et Christo. Nam initium principii in voce propheticae exclamationis instituens, ordinem Leviticae electionis ostendit, ut praedicans Joannem praedestinatum filium Zachariae, in voce

angeli annuntiantis emissum, non solum Verbum caro factum, sed et corpus [Col. 0279C] Domini in omnia per verbum divinae vocis animatum initio evangelicae praedicationis ostenderet: ut qui haec legens sciret, cui initium carnis in Deo et Jesu advenientis habitaculum caro deberet agnoscere, atque in se verbum vocis, quod in consonantibus perdiderat, inveniret. Denique et perfecti Evangelii opus intrans, et a baptismo Domini praedicare Deum inchoans, non laboravit, nativitatem carnis, quam in prioribus viderat, dicere; sed totus in primis expositionem deserti, jejunium numeri, tentationem diaboli, congregationem bestiarum, et ministerium protulit angelorum: ut instituens nos ad intelligendum, ac singula in brevi compingens, nec auctoritatem factae rei demeret, et perficiendo operi plenitudinem non negaret. Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Sed tantum consentiens fidei praedestinata potuit electio, ut nec sic in opere verbi perderet quod prius meruerat [Col. 0280C] in genere. Nam Alexandriae episcopus fuit, cujus per singula opus scire, Evangelii in se dicta disponere, et disciplinam in se legis agnoscere, et divinam in carne Domini intelligere naturam, quae in nos primum requiri, dehinc inquisita volumus agnosci, habentes mercedem exhortationis: quoniam qui plantat, et qui rigat, unum sunt; qui autem incrementum praestat, Deus est.

Explicit argumentum.

EJUSDEM SEDULII SCOTI INCIPIT EXPLANATIUNCULA IN ARGUMENTUM SECUNDUM MARCUM.

[Col. 0279D]

Hoc argumentum genus officiumque et electionem Marci evangelistae prima sui parte declarat, secunda intentionem ejusdem evangelistae in scribendo Christi Evangelio ostendit, tertia ipsius Marci episcopatus dignitatem cum laudis praeconio describit. Postremo qualiter per singula ipsum opus evangelicum intelligere debeamus admonet. Itaque nomen et officium ipsius personae in argumenti fronte ponitur, cum Marcus evangelista ipse designatur. «Marcus evangelista:» Marcus Hebraeo sermone excelsus dicitur; evangelista Graece bona nuntians [Col. 0280D] interpretatur. «Dei et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus.» Ob hoc excelsus merito et evangelista fieri promeruit, quia divina praestante gratia prius baptismate in Christo renatus, in divina sapientia instructus est. Sic autem distinguendum est, ut primo pronuntietur «Marcus evangelista,» ac deinde subinferatur: «Dei et Petri in baptismate filius.» Marcus filius Dei est in baptismate, quia baptismatis fonte in Deo renatus, per adoptionis gratiam Filius Dei efficitur. Filius Petri in baptismate esse dicitur, quia ab ipso baptizatus [Col. 0281A] et instructus, recte spiritualis ejus filius nominatur. De qua re Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* «Sacerdotium in Israel agens secundum carnem Levita.» Pristinum sacerdotale officium et nobilitas carnalis prosapiae ejusdem Marci ostenditur, ut non immerito ad apicem spiritualis et excellentioris sacerdotii postmodum transcenderet, qui prius carnale sacerdotium juste ac legitime in Israel agebat, cum ex Levi sacerdotali tribu ortus est. Sed quando et ubi Evangelium scripserit, demonstratur cum subditur:

«conversus ad fidem Christi Evangelium in Italia scripsit. Tunc, inquit, Evangelium scripsit, postquam ad fidem Christi conversus est. Nam antequam fidem Christi perciperet, digna de Christo [Col. 0281B] scribere non poterat. Locus conscribendi Evangelii Italia esse monstratur, in qua ipsum opus scriptum fuisse traditur: non quod Italico vel Romano, sed Graeco sermone, conscriptum sit.

Cur autem Marcus Evangelium scripserit, demonstratur cum subjungitur: «Ostendens in eo opere quid generi suo deberet et Christo.» Nam cum ipse Levita erat, ex qua tribu multi prophetae orti fuerant, suum Evangelium a voce prophetica rite inchoavit: et tanquam Levitam, de Joanne Baptista similiter Levita et Altissimi propheta, ipsum oportebat prophetica voce testimonium perhibere. Quin etiam cum Christus non solum ex tribu Juda, sed ex tribu quoque Levi carnis originem duxit, ipsi Domino Leviticus evangelista debitor erat ut ejus Evangelium [Col. 0281C] conscriberet. Unde subditur: «nam initium principii in voce propheticae exclamationis instituens, ordinem Leviticae electionis ostendit.» Claret namque quod beatus Marcus debitum Levitarum ministerium in opere evangelico demonstravit, dum non alibi exordium sui Evangelii quam in propheticis eloquiis instruere procuravit, et quasi bonus opifex et architectus super prophetarum fundamentum opus evangelicum construere coepit: non quod prophetae ex aliis tribubus orti non essent, sed quia praecipue Leviticae tribui secundum electionem Domini propheticum ministerium fuerat concessum. Non ergo quasi per rapinam indebitum sibi ministerium Marcus usurpavit, sed juxta electionem suae prosapiae Evangelium scribere inchoavit.[Col. 0281D]

Quod vero ait «initium principii,» difficile est ad intelligendum. Nam hujus argumenti repertor, usitatius dicere poterat: initium Evangelii, vel principium Evangelii: sed magis abstruse quam usitate eloqui voluit. Sciendum est itaque hanc distantiam esse inter principium et initium, quod principium plures in se sententias comprehendit, initium autem pars est principii, id est quaelibet sententiola principalis intra ipsum principium conclusa. Ergo principium Evangelii secundum Marcum totum illud intelligamus quod in quatuor principalibus capitulis de Joanne Baptista refertur. Initium vero inchoamentum esse ipsius principii, id est propheticum illud vaticinium quod de ipso Joanne praecursore [Col. 0282A] Domini quondam fuerat praedictum; hoc est quod sit angelus ante faciem Domini praemissus, et vox verbum Patris praecurrens. Cur autem in voce propheticae exclamationis, initium ipsius principii Marcus inchoaret, causa ostenditur cum subditur: «ut praedicans praedestinatum Joannem filium Zachariae,» et reliqua usque: «ostenderet.» Dum beatus Marcus Joannem praecursorem Domini praedicat, quod angelus sit ante faciem, id est, manifestam apparitionem incarnationis Christi, praemissus, et quod vox sit verbum Patris, conceptione, nativitate, doctrina, baptismate, praecurrens, ibi procul dubio non solum Verbum, id est unicum Dei Filium, carnem sumpsisse ostendit, sed et veram animam inseparabiliter habuisse declarat. Non enim juxta haereticam [Col. 0282B] pravitatem, Christi divinitas solam sine anima carnem, sed totum hominem secundum corpus et animam assumpsit. In eo autem quod ait «corpus Domini in omnia per verbum divinae vocis animatum,» non aliud ibi verbum quam divinam vocem intelligere oportet, ut sit sensus, per verbum divinae vocis, per ipsum verbum, quod nihil aliud est quam divina vox. Verbum namque Patris id ipsum est et vox. Patris, per quod verbum quomodo omnia facta sunt, sic anima Christi creata

est. Ob hoc namque dicitur: «corpus Domini in omnia per verbum divinae vocis animatum.» Audito itaque verbi vel vocis nomine, non nobis carnalis consuetudo obstrepat, ut tale verbum vel vocem Patris cogitemus, qualia verba sonantia et transitoria proferimus. Sed hoc melius [Col. 0282C] in sequentibus advertemus.

Nam subditur. «Ut qui haec legens sciret cui,» et reliqua usque: «inveniret.» Ordo verborum est: Ut qui haec legens sciret qui deberet scire et praedicare agnoscere initium carnis in Domino, et caro, id est habitaculum Jesu advenientis; atque id se verbum vocis inveniret, quod in consonantibus scilicet aliis evangelistis perdiderat. Aptum, inquit, erat ut Marcus Levita de Domino Salvatore, qui ex Levi ortus est, scriberet, ut quisquis haec legeret principatum, ordinem et quoddam privilegium Leviticae electionis pernosceret. Nam quae congruentius quam Levitae caro, id est carnalis prosapia et origo, debuit agnoscere initium sumendae carnis in Domino vel in unitate personae Domini? Quae Salvatoris caro, [Col. 0282D] quid aliud dicenda est quam Jesu in hunc mundum advenientis habitaculum, qui habitu carnis inventus est ut homo? Illis enim evangelistis qui ex Levi orti sunt, ut Matthaeus et Marcus, dignius quam caeteris, mysterium incarnationis Domini, ex Levi quoque oriundi, scribere congruebat. Aptum quoque erat ut eadem Levitica caro, vel Marcus qui carnalem originem ex tribu Levi traxerat, in se, id est in suo animo et intellectu, verbum vocis inveniret. Ubi nobis est advertendum quod quamvis Joannes Baptista vox, et Christus verbum nominetur, non tamen Christus vocis vel Joannis, sed potius Patris Verbum est vel Filius. Possumus tamen Jesum ipsum verbum vocis, Jesum incongrue dicere verbum [Col. 0283A] Joannis, qui vox nominatur, quia Verbum vel Christum praeeundo praedicabat. Nam verbum vocis, verbum vel sermonem, quem vox loquitur, dicere possumus. Non quod Joannes illud verbum genuerit, sed quod tanquam vox, ipsum Verbum, vel Christum, prophetando antecesserit. Quis enim dubitet quod vox nostra prius sonat, ut postmodum verbum audiri possit?

Illud autem quod ait: «quod in consonantibus perdiderat,» quasi inextricabilis nodus esse videtur. Nam si hujus argumenti effector sic diceret, quod consonantibus prodiderat, ut esset sensus, quod Marcus hoc verbum vocis, vel sermonem Joannis, etiam aliis evangelistis simul cum Marco consonantibus, manifestaverat, facilis intelligentia [Col. 0283B] esset. Sed cum non *prodiderat* sed *perdiderat, in exemplaribus scriptum habetur, perquirendum est quomodo Marcus hoc verbum vocis in consonantibus aliis evangelistis perdiderit.* An forte in ipsis hoc verbum vocis non invenerat, ut hoc sit perdere quod est non invenire? Constat namque quod mysterium incarnationis Christi Marcus Petri apostoli discipulus, tam ex prophetica quam ex apostolica doctrina perceperat. Tamen verbum divinae vocis, vel Christum, secundum deitatem Verbum esse Patris, in consonantibus evangelistis, vel Matthaeo et Luca, qui secundum quosdam, ut ecclesiastica dicit historia, ante Marcum primo sua conscripsere Evangelia, monstratum non invenerat, siquidem hoc verbi mysterium aliquando monstrandum soli Joanni [Col. 0283C] tanquam altius volanti aquilae fuerat reservandum. Et cum Marcus vocem clamantis, hoc est Joannem, vocem fuisse dictum, etiam aliis evangelistis consonantibus, invenerat, Christum quoque verbum vocis, licet non in aliorum scriptis, tamen in se, id est in sua mente, procul dubio invenit. Quamvis itaque Marcus in consonantibus evangelistis, vel Matthaeo et Luca, ipsum Joannem nomine

vocis nuncupatum esse invenerat, tamen verbum vocis, vel unicum Dei Filium, nomine Verbi designatum, in consonantibus evangelistis non legerat, dum neque adhuc beatus Joannes arcanum ipsius Verbi mysterium scriptis monstraverat; quod tamen Verbum in se, id est, in suo intellectu, divina revelante gratia, Marcus procul [Col. 0283D] dubio invenerat. Neque enim sanctum evangelistam, qui templum Dei electum erat, mysterium verbi divinae vocis latebat, quamvis aliorum evangelistarum scriptis hoc verbum non didicerat.

Sequitur: «Denique et perfecti Evangelii opus intrans,» et reliqua usque: «protulit angelorum.» Perfectum Evangelium dicitur quod per triennium et semis post perceptum ab Joanne baptismum usque ad tempus suae passionis et resurrectionis ab ipso Domino fuerat praedicatum. Ideoque per hominis formam Marcus designatur, cum ea praecipue quae homo Christus in carne gesserat, breviter enarravit, omisso scilicet Verbi, quod est Christus, mysterio, atque carnis genealogia quam in prioribus evangelistis, id est, Matthaeo et Luca, pleniter descriptam [Col. 0284A] esse agnoverat. Totus itaque dicitur vel plenus vel perfectus, quia plena et perfecta de Domino retulit. In primis dicitur, vel in principalibus Evangelii sui locis: non enim per omnia in mediis neque in ultimis locis, totus tota protulit, cum multa in quibusdam tota praetermisit, sed in primis totus haec tota breviter narravit; expositionem videlicet deserti, jejunium numeri, tentationem diaboli, congregationem bestiarum, et ministerium angelorum. Ubi notandum quare jejunium numeri, et non potius numerum jejunii dixerit, nisi quia eminentior est numerus quam jejunium. Non enim numerus propter jejunium, sed propter sacratum numerum, jejunium illud tot dierum et noctium fuerat transactum. Nam quadragenarius numerus magnum in se mysterium [Col. 0284B] continet, et ab hoc illud jejunium proprii juris est ipsius quadragenarii numeri. Cur autem totus haec tota protulerit? «Ut instituens, inquit, nos ad intelligendum,» et reliqua usque: «non negaret.» Aptum namque erat ut singula Dominica gesta quasi in brevi pugillo sive tabella astringeret, quia sicut nihil est fastidiosius prolixitate, ita nihil est gratius lucida brevitate. Ut nec sic auctoritatem factae rei demeret. Auctoritatem nominat auctorale magisterium, quo ex ore Petri apostoli de dictis et factis Dominicis Marcus fuerat instructus. Ergo sicut ex magisterio Petri apostoli ipsam factam rem, id est, gestam Dominicam historiam didicit, sic decurtans, prout Spiritus sanctus ejus intellectum gubernabat, eamdem historiam litteris tradidit, et tamen de ipsis [Col. 0284C] quae scripserat, tacendo et celando nihil dempserat. Sicque suo operi evangelico perficiendo plenitudinem non negavit, dum plenum opus ex omnibus quae scribere coeperat, licet brevi sermone, perfecit.

Marcum itaque ad opus evangelicum divina praedestinatione fuisse electum, et quod nulla occasione praedestinatio Domini possit impediri, attendamus in eo quod sequitur. «Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur,» et reliqua usque: «episcopus fuit.» Mos fuerat Hebraici populi ut nullus inhonestam habens in corpore maculam, ad sacerdotium perveniret. Quo mystice insinuatum est ut nemo peccatorum maculis contaminatus sacerdotio dignus sit. Quod Marcus secundum litteram attendens, propter humilitatem amputavit sibi pollicem, [Col. 0284D] ne fastigium melioris sacerdotii quasi jam reprobus ascenderet. Sed in eo ipso quo se indignum sacerdotio aestimavit, magis factus est dignus. Nam secundum divinam praedestinationem non utcunque sacerdos vel doctor, sed etiam praeclarissimae urbis Alexandriae episcopus exstitit, ut qui

Graeco sermone Evangelium scripserat, Graecis ibidem habitantibus et cunctis Africae gentibus, quasi terrae inaquosae, divini dogmatis fluenta ministraret.

His expositis, brevis argumenti conclusio subditur: «cujus per singula opus scire,» et reliqua usque: «volumus agnosci.» His sententiolis omnibus verbum quod est *volumus per zeugma subnectendum est.* Ut sit sensus, cujus per singula opus scire volumus, [Col. 0285A] et Evangelii in se dicta disponere volumus, et divinam in carne Dei intelligere naturam volumus, quae nos primum requiri volumus, dehinc inquisita agnosci volumus. Quod vero ait, disciplinam legis nos in Marco agnoscere, tam propheticas sententias quam testimonia ex divina lege sumpta, ubicunque in Evangelio Marci introducuntur, non incongrue accipimus. Saepe namque nomine legis et Mosaica lex, et prophetia, et psalmus, designantur. Itaque hujus argumenti repertor pro suo labore se mercedem accepturum sperat, ita subjungens: «habentes mercedem exhortationis: qui plantat et qui rigat, unum sunt, qui autem incrementum [Col. 0286A] praestat, Deus est.» Hunc sensum Apostolus ita scribit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Apostolus plantat, dum in vinea Dominica, vel in Christi Ecclesia, fidem radicando laborat: Apollo vero, tam baptismate quam subsequenti exhortationis doctrina, eosdem irrigat: Deus tamen incrementum fidei suis fidelibus tribuit. Ergo et qui plantat et qui rigat, unum sunt, quia id ipsum credunt, id ipsum desiderant: si quidem inquirendo, inveniendo, exhortando, docendo, veritatem apprehendere desiderabiliter exoptant. Ex quibus et unus fuit hujus argumenti repertor.

Finit in argumentum secundum Marcum.

EXPOSITIO IN LUCAM.

ARGUMENTUM IN LUCAM.

(Mai., ibid.) [Col. 0285B]

Lucas natione Syrus, Antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea vero Paulum secutus usque ad passionem ejus, serviens Domino sine crimine (nam neque uxorem unquam habuit, neque filios), septuaginta et quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Qui, cum jam scripta essent Evangelia; per Matthaeum quidem in Judaea, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu, in Achaiae partibus hoc scripsit Evangelium: significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta. Cui, extra ea quae ordo evangelicae dispositionis exposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum Graecis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem Dei Christi manifestata humanitate, ne Judaicis fabulis attenti in solo legis [Col. 0285C] desiderio tenerentur, ne vel haereticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti exciderent a veritate, elaboraret: dehinc ut in principio Evangelii, Joannis nativitate praesumpta, cui Evangelium scriberet, et in quo electus scriberet, indicaret: contestans in se completa esse quae essent ab aliis inchoata. Cui ideo post baptismum Filii Dei, a perfectione generationis [Col. 0286B] in Christo impletae, repetendae a principio nativitatis humanae potestas permissa est: ut requirentibus demonstraret in quo apprehendens erat, per

Nathan Filium introitu recurrentis in Deum generationis admisso, indisparabilis Dei: ut praedicans in hominibus Christum suum, perfecti opus hominis redire in se per filium faceret, qui per David patrem venientibus iter praebebat in Christo. Cui Lucae non immerito etiam scribendorum apostolicorum Actuum potestas in mysterio datur: ut Deo in Deum pleno, et filio perditionis exstincto, oratione ab apostolis facta, sorte Domini electionis numerus compleretur; sicque Paulus consummationem apostolicis Actibus daret, quem diu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegisset. Quod legentibus ac [Col. 0286C] requirentibus Deum etsi per singula expediri a nobis utile fuerat, sciens tamen quo operantem agricolam oporteat de fructibus suis edere, vitavimus publicam curiositatem, ne non tam volentibus Deum videremur, quam fastidientibus prodesse.

Explicit argumentum.

EJUSDEM SEDULII SCOTI EXPOSITIUNCULA IN ARGUMENTUM SECUNDUM LUCAM.

(Mai., ibid.) [Col. 0285D]

In hujus argumenti exordio, evangelistae nomen, genus, patria, et ars humana, coelestisque disciplina, breviter ostenditur cum dictum est: «Lucas Syrus, Antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea Paulum secutus usque ad passionem ejus, serviens Domino sine crimine.» Haec omnia magnam evangelistae laudem ostendunt. Unde et Lucas elevans vel consurgens interpretatur, quia divina praestante gratia, de vitiis ad virtutum culmina consurgens, ac veritatis lucem elevatis mentis oculis videns, ex corporali medico, in spiritualis medici [Col. 0286D] eminentiam transcenderat. Unde et Syrus nominatus, quod interpretatur sublimis, scilicet fidei meritis sublimatus. Hic ex paupertatis silentio, quod Antiochia sonat, ad evangelicas delicias translatus est, ut quod prius propter inopiam scientiae longo silentio propalare non poterat, postmodum coelesti doctrina opulentus effectus, thesauros evangelicae doctrinae largiter dispensaret. Hic primitus apostolorum discipulus, postea Paulum magistrum gentium, quasi gentilis, et virgo virginem secutus fuerat, non tantum ad Evangelii praedicationem, sed [Col. 0287A] etiam, quod est laude praeclarius, usque ad ipsius Pauli sub Nerone principe confessionem. Quod dicitur «serviens Domino sine crimine,» significat quod virgo intactus, sine fornicationis vitio, castam duxerit vitam. Hinc apte sequitur: «nam neque uxorem unquam habens neque filios, septuaginta et quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto.» Valde consequens esse videtur, ut si uxorem non habuit, filios quoque non haberet. Quod certus annorum ejus numerus describitur, non vacat a mysterio. Nam denarius numerus propter decalogum perfectionem designat. Septenarius numerus septiformem Spiritus sancti gratiam exprimit. Itaque quia Lucas legis decalogum, praestante Spiritus sancti gratia, impleverat, [Col. 0287B] recte in ejus aetate hic numerus supputatur: unde et Spiritu sancto plenus esse refertur.

Quo vero tempore, vel quo loco, seu pro qua causa, suum scripserit Evangelium, mox declaratur cum subditur: «qui cum jam scripta essent Evangelia, per Matthaeum

quidem in Judaea, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu, in Achaiae partibus hoc scripsit Evangelium, significans etiam ipse, in principio ante aliorum evangelistarum Evangelia alia esse descripta.» Tempus et locus conscribendi Evangelii est, quia post Matthaeum et Marcum, in Achaia suum scripsit Evangelium. Causa conscribendi Evangelii est quod nonnisi instigante sancto Spiritu illud opus scripsisse [Col. 0287C] commendatur. Sed et aliam multiplicem fuisse causam ejusdem operis adhuc declarat, ita subdens: «cui, extra ea quae ordo evangelicae dispositionis exposcit,» et reliqua usque: «elaboraret.» Ordo vel ratio evangelicae dispositionis illud exposcebat ut non solum tres, id est Matthaeus, Marcus et Joannes, sed potius quatuor evangelistae, adjuncto scilicet Luca, Christi Evangelium conscriberent. Hoc namque apud Deum ante tempora saecularia fuerat praedestinatum, hoc postmodum per quatuor animalium formas praefiguratum fuit et ostensum. Sed praeter illa praedestinata, praefigurata et ostensa, quae ad ordinem evangelicae dispositionis pertinent, ea maxime necessaria et multiplex causa hujus evangelici laboris exstitit, quatenus Graecis fidelibus [Col. 0287D] venturi in carnem Dei Christi manifestata esset humanitas

Sed unde illa manifestaretur? «Omni, inquit, prophetatione,» id est, per omnem prophetationem illa fuerat manifestata. Nam, ut beatus Lucas in exordio sui Evangelii pleniter narrat, conceptio et nativitas Dominica, et ab archangelo praenuntiata, et ab omni sexu, tam viris quam feminis, et ab angelis hominibusque, demonstrata est. Sed in his omnibus ob hoc evangelista pro studio elaboravit, ne idem Graeci fideles nuper in Christo renati, Judaicis fabulis deciperentur. Constat enim quod usque adhuc reprobi Judaei Christum in carne venisse denegant, et alium Christum venturum esse confingunt: ideoque spreta Christi gratia nequaquam [Col. 0288A] Evangelium, sed sola legis constituta persuadent esse sectanda. Contra hos evangelista Christum jam natum fuisse ostendit, et hoc non sine idoneis testibus astruit, sed omni prophetatione indubitabiliter approbat, ut omne os reprobum obstruatur. Et cum nonnulli haeretici Christum in mundum venisse, non tamen veram carnem habuisse, sed aethereum corpus suum de coelestibus traxisse dogmatizabant, non minus hos quam illos idem vitulus spiritualibus cornibus convincit, dum Christum secundum carnem et conceptum et ex Maria virgine natum fuisse asserit. Ob hoc itaque cornutus evangelista laboravit, ne alii laborent. Bos spirituali stylo exarante laboravit, ne Graeci fideles a veritate discederent, Christumque, qui est veritas, relinquerent, et in [Col. 0288B] erroris flexibus laborarent.

Alia quoque pars causae ostenditur cum subditur: «dehinc ut in principio Evangelii,» et reliqua usque: «inchoata.» Non solum, inquit, propter Graecos fideles Lucas in opere evangelico laboravit, sed et alia causa ejusdem operis exstitit, hoc est, quod ipse Lucas a beato Theophilo postulatus erat, quatenus Christi Evangelium conscriberet, quod et Lucas in prooemio sui Evangelii indicat, id est Evangelium se Theophilo poscente edidisse, et quod in Spiritu sancto ad hoc ministerium electus fuerat, contestans in se completa esse Evangelia, quae ab aliis pseudoevangelistis erant non perfecta, sed prave inchoata. Sed in principio sui Evangelii non Christi genealogiam proposuit, quomodo Matthaeus in suo fecit [Col. 0288C] Evangelio, sed potius Joannis tanquam praecursoris Domini nativitate, quam in aliis descriptam esse non viderat, praesumpta, sic tandem apto temporis ordine conservato, Christi nativitatem aut genealogiam pleniter enarravit. Unde sequitur: «cui ideo post baptismum Filii Dei,» et reliqua usque: «permissa est.»

Non caret ratione quod post Christi baptismum Lucas ejusdem Salvatoris genealogiam edisserit. Haec namque facultas repetendae nativitatis humanae, evangelistae a Domino concessa est, et quamvis a fine septuagesimae et septimae generationis in Christo impletae, ipsa series genealogiae per filios in patres ascendendo recurrit, non proprio tamen principio caret. Etenim a principio, id est Christo, qui est totius creationis principium, retrograda genealogia [Col. 0288D] incipit, ut quomodo ad patrem principium recurrit, sic a Christo principio exordium ipsa generationum series sumat.

Sequitur: «ut requirentibus demonstraret,» et reliqua usque: «indisparabilis Dei.» Studiosis et prudentibus evangelista intimare curavit in quo arcano mysterio non per Salomonem, quomodo Matthaeus, sed per Nathan filium David, introitum recurrentis in Deum generationis apprehenderat. Sed quomodo ipsa genealogia in Deum recurrit, protinus declaratur cum subditur: «admisso;» hoc est, cum admissione seu receptione in ipsam genealogiam indispertibilis Dei, id est summi Patris, qui est a Filio inseparabilis. Tanquam apertius diceret: Apte Deus [Col. 0289A] Pater in Christi genealogia admittitur, cum Adam filius in eadem genealogia pronuntiatur, quoniam ipse Pater a Filio inseparabilis est. Alii namque et loco et tempore a filiis suis sunt dispertibiles. Quia vero summus Pater semper in Filio, et Filius in Patre inseparabiliter manet, in eadem filii etiam secundum carnem genealogia pater admitti debuit. Perquirendum tamen est cur per Nathan filium David, introitus recurrentis in Deum generationis exordiri fertur, cum non ab ipso Nathan, sed potius a Christo series generationum recurrere incipit. Nisi forte introitum, non totius genealogiae initium, sed quolibet in loco in quemlibet patrem, generationis ingressum intelligere debemus. Sequitur: ut «praedicans in hominibus Christum suum,» et reliqua usque: «in Christo.» [Col. 0289B] Pater inter homines Christum suum praedicat, non solum cum ad horam baptismatis vox paterna de nube intonuit dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacuit, sed et quotidie usque ad consummationem saeculi, unigenitum Filium toto orbe terrarum per ora doctorum evangelizat, quatenus opus perfecti hominis, id est, opus Dei, quod est perfectus homo ad imaginem sui conditoris recreatus, redire in se per Filium faciat, dum nemo venit ad Patrem, nisi per Filium, quomodo nemo venit ad Filium, nisi Pater traxerit eum. Ad hoc enim attinet illud quod protinus adjungitur: «Qui per David patrem venientibus iter praebebat in Christo.» Nam in eo quod Matthaeus per patres in filios seriem genealogiae Salvatoris enarrat, hoc specialiter insinuat, [Col. 0289C] cum per Patris notitiam pervenitur ad Filium. In eo vero quod Lucas per filios in patres recurrit, illud procul dubio indicat quia nemo ad Patrem nisi per Filium venit.

Sequitur: «cui Lucae non immerito etiam scribendorum apostolicorum Actuum potestas in mysterio datur.» Non sine arcani gratia mysterii, idem Lucas Actus conscripsit apostolicos, cui Deus illi tanquam apostolorum dilecto discipulo, qui nonnunquam gestis eorum intererat, hanc potestatem concesserat. Quod protinus mysterium panditur cum subinfertur: «ut Deo in Deum pleno,» et reliqua usque: «Dominus elegisset.» Nota historia est, sicut [Col. 0289D] in Actibus apostolorum refertur, quod oratione ab apostolis facta, cecidit sors super Matthiam, qui [Col. 0290A] locum Judae proditoris suppleverat. Unde duodenarius numerus, qui mysticus est, divina disponente Sapientia, fuit completus; ut non tantum undecim sed potius duodecim apostoli essent. Duodenarius quippe numerus magnum in se continet mysterium, quem tres quater, aut quatuor ter,

consummant. Illudque nimirum insinuat quod sanctae Trinitatis fides per quatuor mundi plagas ore apostolico praedicari deberet, qui duodenarius numerus tunc in apostolis pleniter fuerat completus, Deo in Deum pleno, et filio proditionis exstincto, cum post triumphalem resurrectionis et ascensionis Dominicae gloriam Christus Deo plenus, discipulis claruit, quando iidem discipuli, viso Domino pleni erant laetitia, pleni Scripturarum scientia, pleni quoque musto spiritualis [Col. 0290B] gratiae; qua plenitudine miser Judas caruit, ut cum vitae auctorem morti tradidit, ipse vitam amitteret, ac pessimam sibi tanquam pessimus mortis occasionem inveniret. Sequitur: sicque Paulus consummationem apostolicis Actibus daret. Sic, id est ut Lucas apostolorum Actus scribendo, in Paulo ipsos Actus apostolicos consummaret, id est in quo ipso finem illorum faceret, quem diu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegisset. Hoc ita potest intelligi quod fortasse Dominus Paulum in loco Judae statim elegisset, nisi quod diu contra stimulum Dei recalcitrabat. Sed haec cuncta diligentioribus exponenda relinquimus, ne in vulgum cuncta haec mysteria propalare videamur. Unde etiam hujus argumenti repertor subintulit: «Quod legentibus ac requirentibus [Col. 0290C] Deum,» et reliqua usque: «prodesse.» Haec, inquit, occulta mysteria utile quidem fuerat ut a nobis per singula exponerentur, quod tamen non egimus, scientes quod operantem agricolam, id est doctorem quemlibet, oporteat non tantum de alienis sed etiam de suis fructibus propriis edere, quatenus copiosum afferat fructum. Nulli namque dubium est quod cibi alienis dentibus commoliti nauseam generent. Quod ne fiat, nos vulgarem vitamus curiositatem, ne fastidiosis lectoribus plus alienae curiositatis vitio, quam proprio elaborata studio cupientibus, sed potius veritatis amatoribus et inquisitoribus aliquam utilitatem conferre videremur

@ [Col. 0289D] Hactenus Codex Vat. Pal. saec. IX, adeoque contemporaneus fere Sedulio ipsi; desideratur commentarius ad argumentum Joannis. [Col. 0290D]

Explicit in argumentum secundum Lucam.

DE RECTORIBUS.

MAII PRAEFATIO SEDULII OPUSCULO POLITICO SEQUENTI.

(Mai., Spicileg. Rom., tom. VIII.)

I. Utrum Sedulii Scoti opus *de Rectoribus Christianis prelo committerem, parumper dubitavi, quia nec deerat qui semel editum diceret, et tamen eruditis plerisque omnibus ignotum erat, neque in publicis bibliothecis, quod sciam, exstabat.* De hoc ita scribit Faustinus Arevalus in prolegomenis ad Sedulium seniorem, cap. 2, num. 61. «Goldastus, ut ex Labbeo, num 45, liquet, possidebat ms. opus Sedulii inscriptum *de Regimine principum.* Schoettgenius, qui bibliothecae Fabricianae medii et infimi aevi volumen sextum edidit, refert, Sedulium *de Rectoribus Christianis et convenientibus regulis quibus est res publica* [Col. 0291A] *rite gubernanda, Lipsiae an.* 1619 editum in 8, memorari a Fabricio, fortasse in paucis schedis mss. quas ad sextum volumen paratas reliquit. Addit Schoettgenius, Freherum ad Petrum de Andlo *de Imperio Rom.,* II, 16, scribere, se anno 1612 hunc librum anecdotum ad prelum parare, ex eodem libello octo

disticha adducere Nicolaum Cusanum de Concordantia cathol., praef. lib. III. Non invenio quisnam alius librum viderit, aut de eo locutus fuerit: neque indignum opus certe est quod ad hujus temporis novitates convellendas recudatur. Exstat in codice Vat. Palat. 591, etc. Is, cap. 9, laudat pietatem Caroli Magni, et Ludovici (filii) qui regnare coepit (post patrem) anno 814; adeoque Sedulius hujus operis auctor ante saeculum IX non floruit, et videtur esse ille ipse quem laudat Hepidamnus, et fortasse Sedulius Scotus, cujus manu Psalterium graecum scriptum recenset Montfauconius Palaeogr. Gr., III, 7, p. 236.» Hactenus Arevalus. Unus ergo Schoettgenius Scoti Sedulii hoc editum opus dixit, et quidem [Col. 0291B] alieno testimonio fretus. Jam vero etiamsi id forte dictum sit vere (de quo dubitare licet), nihil tamen impedit quominus liber ex hominum conspectu usuque ereptus, ineditorum instar haberi possit. Nunc ad meas quoque manus Palatinus codex venit, qui non est alius, ut suspicor, quam ille ipse a Goldasto olim in Germania visus: etenim id exemplar anno 1619 in Palatinatu apud Heidelbergam adhuc erat, neque Romam nisi anno 1622 cum Palatina bibliotheca migravit. Cum vero hunc codicem et tantulae molis et summae raritatis esse viderem, veritus sum ne quo casu aliquando periret, atque ita opus priscum, et pro illa aetate non contemnendum, sempiterno exitio intercideret. Haec potior, inquam, graviorque libri imprimendi mihi causa fuit.

II. Etsi autem vocabulum *Scotus ad Sedulium in codice non adjungitur, attamen de re dubitare prorsus non licet.* Etenim Hepidamnus in suis Annalibus ad annum Christi 818 scribit: *Sedulius Scotus clarus* [Col. 0291C] habetur. Item Trithemius (quanquam Sedulios varios confundit) postremum inter Sedulii Opera librum [Col. 0292A] epistolarum recenset, quem ait incipere *Sedulius Scotigena.* Est autem notissimum quot docti viri religiosi sub Carolo ejusque posteris ex Anglia atque Hibernia (quae tunc erat Scotia) in Gallias ad florentissimam Carolingiorum aulam venerint, praesertim post Alcuini magnam apud eos regnatores gloriam. Annum quoque scripti libri praecise mihi videor deprehendisse. Etenim Sedulius, cap. 9, pag. 28, Carolum Magnum postremum in Romanis imperatoribus nominat, et mox addit, a Deo fuisse *adordinatum Ludovicum imperatorem.* Illud, inquam, vocabulum *adordinatum, videtur prorsus significare imperii cum patre societatem, quae coepit anno 813, Caroli ultimo;* sequente enim excessit e vivis, solum post se relinquens Ludovicum imperatorem. Libri igitur ortus extra annum 813 statui vix potest. Hinc etiam factum puto, ut titulus non singulariter *de Rectore Christiano sit positus, sed pluraliter, quia duo Christiani rectores illo anno erant.* Atque hoc opere per imperii provincias vulgato, Sedulii nomen celebre [Col. 0292B] evasit, ita ut auctoris claritatem quinto post editionem anno Hepidamnus adnotaverit. Neque inutilis Ludovico Caesari liber fuit; etenim his quoque Sedulii praeceptis ad regias virtutes informatus, clementissimus et justissimus princeps evasit, et religioni ac praelatis ejus summe addictus. Certe post illos veteres Constantinum ac Theodosium nulli principes religiosiores fuere quam Caroli Magni majores ac posteri, quorum illustrem memoriam et annales retinent et alia innumera monumenta testantur. Est autem hic ipse Sedulius Scotus, cujus in divi Pauli Epistolas exstant Collectanea (hujus voluminis col. 9), in Matthaeum autem conservabantur Parisiis mss. apud Jesuitas, teste Labbeo. Nobis quidem non injucundum accidit ut tria Sedulii opuscula lectoribus offerremus. I. Expositiones in argumenta Evangeliorum Matthaei, Marci, et Lucae, quas tomo IX Script. vet., p. 159-181, exhibuimus (supra, col. 271). II. Praesens

opusculum *de Rectoribus Christianis.* [Col. 0292C] III. Explanationes in praefationes sancti Hieronymi ad Evangelia *(infra)*
@ [Col. 0291C] Latinae eruditionis studiosos nolo hac obiter notitia fraudare, nempe me scholia quaedam in prisco codice vidisse ad Mart. Capellam, cujus in calce litteris quadratis legitur haec inscriptio: *Expliciunt glossae secundi libri de nuptiis Philologiae et Mercurii, Mynei Martiani Felicis Capellae Afri Carthaginiensis,* quas fertur composuisse SEVERUS *scholasticus urbis Romae.*

[Col. 0291C]

SEDULII SCOTI LIBER DE RECTORIBUS CHRISTIANIS AD CAROLUM MAGNUM VEL LUDOVICUM PIUM INCIPIT OPERIS PRAEFATIO SUBSEQUENTIS.

@ [Col. 0291D] Videsis capitulum 9. **(Mai., ibid.)**

[Col. 0291D] Omne ministerium trifido quod praeminet orbe, Arte gubernandum. Sunt artis plurima dona. Omnicreans Dominus terras, mare, sidera, coelos Arte creat, totum pulchrum regit arteque mundum. Artibus egregiis sapientia celsa Tonantis Praeposuit hominem cunctis animalibus orbis. Ars currum regitat, naves ars rite gubernat, Atque triumphalis res artem bellica spectat. Indiget artis apes. Sic ut res publica felix[Col. 0292D] Esse queat, rectore bono populoque beato. Ob hoc coelestum transcurrens prata librorum Florida congessi vobis, rex, inclyta serta, Quae capitis vestrae mentis diadema perornent, Sceptraque glorificent Christi dominantia nutu Atque salutiferas divini dogmatis herbas Pollice decerpsi nardo redolente calathis. Sumite de liquidis Israel fontibus undas Quae satient bibulum praedulci rore palatum. Gloria nam regum, nitidis et stemmata sceptris[Col. 0293A] Dogmata sunt Domini, nec non exempla priorum, Gestaque nobilium procerum famosa per orbem. Artibus his vigeat vestri res publica victrix, Atque gubernetur multis feliciter annis, Donec sideream vos ascendatis in aulam,[Col. 0294A] Juste regnantum qua perpes gloria pollet.

Explicit praefatio.

Tecum principium, finis, rex Christeque, tecum.
Alpha operis famuli sis, Deus, uque tui.

INCIPIUNT
CAPITULA EJUSDEM LIBRI.

INCIPIT LIBER SEDULII DE RECTORIBUS CHRISTIANIS ET CONVENIENTIBUS REGULIS QUIBUS EST RES PUBLICA RITE GUBERNANDA.

CAPITULUM PRIMUM.

Postquam regale sceptrum regnique gubernacula rector Christianus susceperit, primum quidem gratiarum actiones atque condignos Omnipotenti sanctaeque Ecclesiae honores oportet ut rependat. Res [Col. 0293C] etenim publica tunc suo initio pulcherrime consecratur, cum regia sollicitudo et sacra devotio sancto superni regis timore simul et amore accenditur; cumque de gloriosa Ecclesiae utilitate provido consilio procuratur; ut quem regalis purpura caeteraque regni insignia exterius condecorant, eumdem laudabilia vota erga Deum et sanctam Ecclesiam interius perornent; quia nimirum ad temporalis regni fastigium tunc insigniter ascenditur, cum omnipotentis regis gloria vel honor pio studio pertractatur. Pius itaque princeps summi donatoris omnium voluntati et sanctis praeceptis obedire magnopere studeat, cujus superna voluntate atque ordinatione se ad culmen regiminis ascendisse non dubitat, testante [Col. 0293D] Apostolo qui ait: *Non est potestas nisi a Deo;* quae autem sunt, a Deo ordinata sunt **(Rom. XIII, 1)**. Quantum se bonus rector a Deo ordinatum esse cognoscit, tantum pia sollicitudine invigilat, quatenus omnia coram Deo et hominibus secundum trutinam rectitudinis ordinabiliter disponat atque perpenset. Quid enim sunt Christiani populi rectores, nisi ministri Omnipotentis? Porro idoneus et fidelis quisque est minister, si sincera devotione fecerit quae ei jusserit suus dominus atque magister. Hinc piissimi et gloriosi principes plus se ministros ac servos Excelsi quam dominos aut reges hominum nuncupari et esse exsultant. Unde beatus David rex et propheta eximius saepe servum Domini se nominat. Nec non et [Col. 0294C] inclytus Salomon ejusdem filius Omnipotentem deprecans, inter caetera sic ait: *Respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus;* audi hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum de qua dixisti: Erit nomen meum ibi **(III Reg. VIII, 28, 29)**.

Unde et celeberrimae memoriae magnus Constantinus imperator, credito atque perfecto salutaris crucis et catholicae fidei mysterio, cum laetanti ejus imperio etiam religio valde florebat, non sibimet arrogans, gratias omnipotenti Deo referebat, quia ministrum opportunum eum habere dignatus fuerat Deus sui consilii. Ecce imperator eminentissimus plus gratulabatur se Dei fuisse ministrum, quam terrenum [Col. 0294D] habuisse imperium. Hinc ipse, quia minister supernae voluntatis fuerat, a Britannico mari usque ad loca Orientis regnum dilatavit pacificum; et quoniam Omnipotenti semetipsum subdiderat, cuncta hostilia bella, quae sub eodem sunt gesta, potentialiter atque fideliter superavit. Construebat et amplis opibus Christi dotabat ecclesias. Hinc ei superna gratia triumphales concessit habere victorias. Quia procul dubio sacri rectores quanto plus se Regi regum humiliter [Col. 0295A] subjiciunt, tanto magis ad gloriosae dignitatis eminentiam sublimiter ascendunt. Quis autem non miretur quantos honores Domino praefatus Salomon rependerit, postquam regni sceptrum Deo auctore suscepit? quam sapientissima devotione templum Domini construxerit atque mirifice ornaverit? quantas denique pacificas hostias Deo obtulerit? Hinc fructum suae devotionis atque orationis percepit, sicut apparens ei Dominus locutus est dicens: *Audivi orationem tuam et deprecationem quam deprecatus es coram me;* sanctificavi domum hanc quam aedificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum; et erunt oculi mei et cor

meum ibi cunctis diebus. Tu quoque, si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis et in aequitate, et feceris [Col. 0295B] *omnia quae praecepi tibi, et legitima mea et judicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo dicens:* Non auferetur de genere tuo vir de solio Israel (III Reg. IX, 3-5). Itaque si ille rex Salomon pro sacra devotione proque construenda domo terrestri Domini, tantam remunerationis gloriam habere promeruit, quam inaestimabilem habebit gloriae palmam si quis Deo amabilis rector sanctam perornaverit Ecclesiam, quae est Dei vivi spirituale tabernaculum? Sed haec quae breviter stylo prosali diximus, aliqua versuum dulcedine concludamus.

Quisquis florigeri sceptrum fert nobile regni,
Primum Celsithrono vota precesque ferat. In cujus sacro sunt omnia numine sceptra,[Col. 0295C]
Et pax nobilium, vita salusque ducum. Nam regale decus radians diademaque regni
Est timor altithroni sanctus amorque Dei. Lilia florigerum comunt ceu lactea campum,
Ut rosa punicei schematis ore rubet, Sic justus rector virtutum flore virescit,
Germinet ut fructus mentis in arce sacros. Pulchra Salomonem decoravit purpura regem,
Nec non Davidis fulgida sceptra patris, Sed magis interius prudens devotio cordis
Ornavit juvenem glorificando Deum. Instar luciferi niteat res publica vestri,
Exortuque novo splendida vota gerat.

CAP. II.

Qui apicem regiae dignitatis, Domino praestante, [Col. 0295D] ascenderit, oportet ut se ipsum primum regat, quem divina dispositio alios regere ordinavit. Rex enim a regendo vocatur. Tunc autem hoc nomine se veraciter appellari intelligat, qui semet rationabiliter gubernare non ignorat. Rex itaque orthodoxus summopere studeat, ut qui subditis bene concupiscit imperare, aliorumque errata disponit corrigere, ipse mala non admittat, quae stricte malus corrigit, et bona quae imperat, ante omnes implere contendat. Sex autem modis bonus rector sese laudabiliter regit: primo quidem dum illicitas cogitationes animi severitate reprimit; secundo dum salubria consilia tam ad suam quam ad populi utilitatem pertinentia pertractat; tertio cum otiosa et inutilia seu noxia inanium [Col. 0296A] verborum folia profluere devitet; quarto cum gloriosorum principum prudentiam simul et verba, nec non divinae Scripturae eloquia super mel et favum mentis faucibus sapificet; quinto cum perniciosae actionis omne dedecus perpetrare expavescat; sexto vero cum si qua sunt laudabilia, si qua sunt gloriosae dispositionis opera magnifica insigniter ostendat, ut qui interius coram Domino devota fulgescit voluntate, exterius coram populo sermone clarescat et opere. Quem decet trinam observare regulam, terrorem scilicet et ordinationem atque amorem. Nisi enim ametur pariter et metuatur, ordinatio illius constare minime poterit. Ergo per affabilitatem et beneficia procuret ut diligatur, et per justas vindictas non propriae victoriae sed legi Dei studeat ut metuatur.[Col. 0296B]

Hunc ergo oportet esse humilem in suis oculis, sicut scriptum est: *Rectorem te*

posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex ipsis **(Eccli. XXXII, 1)**. Nec solum juste hominibus, sed sui corporis et animae dominari passionibus, quatenus rector jure queat nuncupari, sicut quidam sapiens ait: Rex erit, qui recte faciet; qui non faciet, non erit. Sit ergo consilio prudentissimus in sermone, nunc ut possit terribilis; saepius vero gratia dulcedinis affabilis, victor libidinis, superbiae atque vesanae ferocitatis, amicus bonorum et inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum, in bello cautissimus, in pace constantissimus, fidelibus promissionibus probatissimus, divina humanis praeponens, subjectos deterrens a malo, invitans ad bona, remunerans copia, indulgentia [Col. 0296C] liberans, ex malis bonos, ex bonis faciens optimos. Sit sanctus et utilis rei publicae, clementia commendabilis, in bonitate conspicuus, pietate, fortitudine, castitate, justitia praeclarus, vir optimus et apice principali dignissimus, Dei timorem semper prae oculis habens, et secundum Omnipotentis decreta, justa perpensans judicia, qui dat salutem regibus, et omnia quaecunque vult facit in coelo et in terra et in omni creatura; quia ipse est Dominus omnium, cui *omne* genu flectitur *coelestium, terrestrium et infernorum* **(Philip. II, 10)**, in cujus manu omnis potestas in coelo et in terra, qui est rex regum, et spes gloriae juste et pie dominantium.

Qui regit affectus animi, rex jure vocatur,
Et fluxas carnis qui domat illecebras.[Col. 0296D] Quamvis qui fulvum superat virtute leonem
Rex teneat clarum laudis honore locum; Sed plus est laudum fastos calcare superbos,
Iram ceu rabidam mitificare feram. Magnus et ille cluit saevos qui triverit hostes,
Lauriger ac victor clara tropaea refert. Gloria sed major comptum coelestibus armis
Hostes aereos vincere posse ducem. Est magis imperium mentem frenare per artem,
Quam si quis habeat triplicis orbis opes. Nam templum Domini justi mens regia fulget,
Fit thronus excelsi judicis ipsa Dei. Comitur illa domus flavo speciosior auro,
Justitiae solem gaudet habere suum.

[Col. 0297A]

CAP. III.

Regnum hujus saeculi momentaneum volubilis rotae vertigini sapientes esse consimile judicaverunt. Nam sicut omnis rotae vertigo, quae superiora habet modo dejicit, et quae dejecta sunt modo superius extollit, ita subito erectiones, subito elisiones terrestris gloria regni sustinet; unde nec veros, sed imaginarios et citius fugitivos honores habet. Illud enim verum regnum est, quod in sempiternum perdurat; hoc autem quod transitorium est et caducum, non veritatem, sed quamdam mediocriter similitudinem veri et permanentis semper regni ostendit. Sicut enim arcus coeli varios pingens ornatus arcuato curvamine celeriter refugit, ita nimirum saecularis gloriae dignitas, quamvis ad praesens ornata, tamen est citius [Col. 0297B] fugitiva. Qua itaque arte et quali industria quantaque sollicitudine haec instabilitas ad aliquam stabilitatis effigiem refrenatur? Forte vero aut armorum violenta fortitudine, aut pacifica tranquillitatis concordia terrestre regnum stabilitatur? Sed rursus in ipsis armis bellorumque fragoribus grandis instabilitas inesse cernitur. Quid enim incertius est magisque instabile bellicis eventibus,

ubi nullus est certus laboriosi certaminis exitus, nulla certa victoria, et saepe ab inferioribus sublimiores superantur, nonnunquam vero in alterutros vergentia mala eveniunt coaequalia; et qui se praesumebant habituros esse victoriam, utrique in fine non habent nisi calamitosam miseriam. Quanta quoque mala sub ficto nomine pacis proveniunt, quis explicare potest? cum [Col. 0297C] etiam illa pax quae stabilis ac firma inter bonos esse credebatur, interdum per prava malorum consilia in exitiosas discordiarum tempestates transfertur. Unde in armis instabilitas, in pace transitorium videtur.

Quid ergo aliud restat, nisi ut cor regis et tota spei fiducia non in armorum hominumque fortitudine, neque in pacis transitoriae fallacia, sed in Omnipotentis clementia figatur? qui regnum quod donavit, sive in adversis sive in prosperis stabilire novit. Cor itaque principis, et fidelis in ministerii regimine devotio, ipsum non deserat a quo tantum beneficium et gloriosum ministerium donatum fuit; ne forte ille summus rector indignatus ab eo abstrahat [Col. 0297D] beneficium quod dederat, si infidelem esse senserit quem tanquam fidelem ministrum ordinavit. Nam si rex terrenus a quolibet sibi homine infideli datam auferre valet potestatem, aliique tribuit quem fideliorem comperit esse, quanto magis supernus universorum donator, quem nullius perfidiae nubila fallere possunt, potens est a reprobis sua abstrahere beneficia, aliisque praestare quos idoneos suae voluntatis ministros noverit esse? Unde et impius ille Saul rex Israel privatus fuit regno et vita, quoniam neque fidelis minister exstitit coram Domino. At vero David virum electum secundum cor suum Omnipotens invenit, quem ob hoc in apicem regiae potestatis sublimavit, quia illum fidelem fore ministrum elegit praesciendo. Itaque prudens rector cor suum in Excelsi [Col. 0298A] gratia stabilire studeat, si transitorium regnum quod est ei commissum, aliquam stabilitatis habere similitudinem desiderat. Et quoniam justus et misericors est Dominus, cui cordis affectu debet inhaerere, opera multipliciter exhibeat misericordiae, ut multam mercedis gloriam metat. Justitiam diligat simul atque custodiat; injusta vero atque maligna opera in subjectis repudiet, ac laudabili zelo, qui est secundum scientiam, corrigat. Qui dum sit in divinis praeceptis stabilis, illius regnum magis magisque in hoc saeculo stabilitur, et ad aeterna stabilitatis gaudia superno juvamine perducitur.

Ceu rotae cyclus celeri recursu Volvitur, summas reprimitque ad ima Quas rotat partes rapidum per axem[Col. 0298B]
Mobilitate: Regna sic mundi trifidum per orbem Gloriae celsum stabilire culmen Nesciunt, lapsum sed habere norunt
Aurea sceptra. Inclytae plebis fuit Israelis Floridum regni decus adlevatum Quando servabant sacrosancta legis
Mystica jura. Unde pollebat Domini triumphis, Atque crudeles superabat hostes, Dum suam plebem pietas Tonantis
Glorificabat. Rursus, heu! quantis premitur ruinis Abrahae sanctum speciale patris,[Col. 0298C] Dum creatori sua prona tempsit
Subdere colla! Una sed tantae medicina gentis Jam fuit votis rogitare celsum, Qui potens noscit stabilire regna
Perpete nutu. Principes terrae Domino potenti Ferte gaudentes thymiama voti, Quem tremunt coeli proceres superni

Magnificate.

CAP. IV.

Omnis autem regia potestas, quae ad utilitatem rei publicae divinitus est constituta, non tam caducis operibus ac terrestri fortitudine, quam sapientia cultuque [Col. 0298D] divino est exornanda; quoniam procul dubio tunc populus providi arte consilii gubernabitur, adversarii Domino propitiante profligabuntur, provinciae regnumque conservabuntur, si regia sublimitas religione et sapientia perornetur. Namque hominis naturam Deus hanc esse voluit, ut duarum rerum ipse homo cupidus et appetens esset, religionis et sapientiae. Est autem religiosa sapientia saluberrimum decus, devotarum lumen animarum, coeleste donum et gaudium sine fine mansurum. Qui ergo vult gloriose regere, ac sapienter populum gubernare, et vehemens in consiliis esse, a Domino postulet sapientiam, *qui dat omnibus affluenter, et non improperat* **(Jac. I, 5)**, ipsamque sapientiam studiose, labore simul et amore perquirat; quatenus ei congruat illud [Col. 0299A] quod scriptum est: *Beatus* est *qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia* **(Prov. III, 13)**, caeteraque quae in laudibus sapientiae describuntur. Ille itaque rector vere beatus est celebrandus, qui splendore illuminatur sapientiae, quae est fons consiliorum, fons sacrae religionis, corona principum, origo virtutum, in cujus comparatione omnes pretiosarum claritates gemmarum vilescunt. Haec cautissima est in consiliis, mirabilis in eloquiis, magnifica in operibus, fortis in adversis, temperans in prosperis, oculosa in judiciis. Haec suos amatores coelesti gratia venustat, et tanquam sidereum firmamentum eosdem clarificat, sicut scriptum est: Justi fulgebunt quasi stellae, et intelligentes quasi firmamentum.

Haec Salomonem prae cunctis terrae regibus sublimavit, [Col. 0299B] quia illam amavit ab adolescentia sua, et amator factus est decoris ejus. Unde sicut in Regnorum libris legitur, ipsi apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: *Postula quod vis ut dem tibi* **(IV Reg. II, 9)**. A quo cum Salomon cum esset puer, cor docibile postularet, ut judicare posset populum Domini, et discernere inter malum et bonum, tale responsum a Domino recepit: *Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos nec divitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit.* Sed et haec quae non postulasti dedi tibi, divitias scilicet et gloriam, ut nemo [Col. 0299C] *fuerit similis tibi in regibus cunctis retro diebus.* Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris praecepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit David pater tuus, longos faciam dies tuos (III Reg. III, 11-14). O quam ineffabile est divinae largimentum gratiae! quae si recto corde et pia intentione poscitur, plus donat quam quod rogatur. Ecce rex Salomon non argentum, non aurum, non alias opes terrenas, sed sapientiae gazas poposcit a Domino. At qui simplum recte postulaverat, duplum accepit. Nam non solum ditatus est sapientia, sed et sublimatus est indita regni gloria. Unde regibus terrae egregium datur exemplum, quatenus spiritualia dona plus quam carnalia pio desiderio ab Omnipotenti exposcant, si diu et feliciter in hoc saeculo regnare desiderant. [Col. 0299D] Decet igitur amabilem Deo principem discendi habere voluntatem desideriumque coelestium. Sic

enim vere et cor habet in manu Dei, et regnum cum pace multis annorum curriculis, favente Domino, gubernabit.

Qui cupit rector probus esse judex, Lance qui justi trutinaque gaudet, Inhians pulchri terebrare falsa
Cuspide veri, Luminum patrem rutili creantem Solis ac lunae nitidique cosmi Poscat, ut sensis niteat coruscis
Luce sophiae. Vota cognoscat Salomonis aequi [Col. 0300A] Quae volaverunt subito per aethram, Ac penetrarunt Domini sabaoth
Aurea tecta. Ipse percepit docilemque sensum Mente lustratus, sapiensque factus. Insuper regni columen gubernat
Gentis Hebraeae. Quid valet flavi nitor omnis auri? Ostra quid prosunt rosei decoris? Gloriae quid sunt Scythicaeque gemmae?
Quid diadema? Orba si mentis acies hebescat, Lumen ut verum nequeat tueri, Unde discernat bona, prava, justa
Fasque nefasque. [Col. 0300B] Ergo rectori decus est amare Te Patris Verbum sapiensque lumen, Christe, qui sceptris dominaris orbem
Celsaque regna. Cujus in dextra requies beata Constat, in laeva locuplesque gaza. Gloriae princeps humiles coronans
Tollis opimos.

CAP. V.

Rex pius et sapiens tribus modis regendi ministerium gerit. Nam primo se ipsum, quomodo in superioribus ostendimus; secundo uxorem propriam et liberos suosque domesticos; tertio populum sibi commissum rationali et glorioso moderamine regere debet. Bonum itaque principem non solum sibimet [Col. 0300C] dominari oportet, dum a malis declinet, et quae bona sunt eligat et firmiter teneat; sed etiam alios sibi conjunctiores, uxorem videlicet, liberos atque domesticos, provida sollicitudine ac familiari charitate gubernet. Hoc autem faciens duplicem thesaurizat sibi gloriae palmam, ut dum in se bonus et sanctus sit, alios sibi conjunctos bonos faciat et sanctos, juxta Psalmistam, qui ait: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris* **(Psal. XVII, 27)**, et reliqua. Non enim sufficit propriam habere honestatem, nisi pudicae et castae conjugis, nec non etiam filiorum et comitum ac ministrorum pudore decoretur, dicente David: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* **(Psal. c, 6)**. Nam sicut lilium agri aliorum olerum ac violarum multiplici pulchritudine [Col. 0300D] venustatur, et sicut luna stellarum splendore circumstantium gratius emicat, ita nimirum rex justus ac sapiens aliorum societate bonorum perornetur. Is ergo perspicaciter procuret ut non solum nobilem pulchram ac divitem, sed et castam, prudentem quoque atque in sanctis virtutibus morigeram habeat conjugem. Nam quantum conjux jure est conjunctior, tantum aut felle malitiae noxia fit, aut morum dulcedine mellea. Etenim mulier inepta domus est ruina, divitiarum defectio, iniquorum saturatio, omnium malorum et vitiorum commoratio; quae diversis superstitionibus multum se exterius ornans, interiora animae suae nescit decorare. Quem diligit hodie, odit in crastino. Et sicut quidam ait: Naufragium [Col. 0301A] rerum est mulier male fida marito. Ita e contrario

casta et prudens mulier utilibus rebus disciplinabiliter intendens, humili facie hilarique sermone pacifice liberos et familiam regit, proque viri salute, si necesse fuerit, suam animam opponit morti, ac divitias quae sunt mariti sui cum bona fama custodit. Qui est amicus ejus heri, idem amicus ejus hodie. Fit ergo ipsa divitiarum deductio, et domus confirmatio, viri jucunditas, familiae pulchritudo, omniumque virtutum connexio. Talem autem decet non solum viro suo casta copula esse connexam et subditam, sed pietatis et sanctae conversationis semper ostendere formam, ac prudentium consiliorum esse repertricem. Sicut enim persuasione malae conjugis damnosa nascentur pericula, ita prudentis [Col. 0301B] uxoris consilio multa proveniunt utilia quae sunt Omnipotenti beneplacita. Unde et Apostolus ait quoniam vir infidelis salvabitur per mulierem fidelem **(I Cor. VII, 14)**.

Nec solum infideles, sed etiam sancti et orthodoxi principes mirabilem saepe in uxoribus perpendunt et auscultant prudentiam, non sexum fragilem considerantes, sed fructus bonorum consiliorum carpentes. Unde et de gloriosi imperatoris Theodosii venerabili conjuge nomine Placilla refertur quod ipse princeps, dum in se bonus et justus et sapiens erat, habebat et aliam utilitatis occasionem per quam de bonis operibus triumpharet. Conjux enim ejus divinas leges eum saepius admonebat, se ipsam tamen perfecte prius erudiens. Non enim regni fastigiis elevata est, [Col. 0301C] sed potius divino amore succensa. Beneficii namque magnitudo majus ei desiderium benefactoris adhibebat. Repente namque venit ad purpuram. Claudorum atque debilium maximam habebat curam, non servis, non aliis ministris utens, sed per semetipsam agens, et ad eorum habitacula veniens, et unicuique quod opus haberet praebens. Sic etiam per ecclesiarum xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, offerens cochlearia, panem frangens cibosque ministrans, calicem deluens, et alia cuncta faciens quae servis et ministris mos est solemniter operari. His autem qui eam talibus de rebus nitebantur prohibere dicebat: Aurum distribuere, opus imperii est; ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi [Col. 0301D] omnia conferenti. Nam viro suo saepe dicebat: Oportet te semper, marite, cogitare quid dudum fuisti, quid modo sis. Haec si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, sed imperium quod suscepisti, legaliter gubernabis, et harum rerum placabis auctorem. His ergo sermonibus velut optimam quamdam utilitatem virtutisque abundantiam conjugi suo offerebat.

Rex pius et sapiens terno moderamine regnat
Semet suosque subditos. Gloria regnantis proba moribus eminet uxor,
Sicut honesta vinea. Illam nobilitas triplici virtute venustet
osis pudici pectoris.[Col. 0302A] Lactea formoso niteant si colla decore,
Magis nitescat castitas. Christus ut Ecclesiam sibi casto junxit amore,
Uxor viro sic haereat. Mitis simplicitas in cujus mente redundet
Velut columbae gratia. Quam decoret pietas, prudentia, sacra potestas,
Esther ut alma floruit. Vincula pacis ament rex et regina, duobus
Sit foedus et concordia. Invida non dirimat geminos discordia pacis
Quos lex superna junxerat. Disciplina regat quorum praenobile germen
Rami decori floreant. Aridus ut viridi bene crescat in arbore palmes,[Col. 0302B]
Cultor bonus hoc providet. Princeps et rectrix populum si rite gubernant,

Suam regant prosapiam. Abrahae veluti generosa stirpe creatis
Ornent polos nepotibus.

CAP. VI.

In humanis rebus nulla quidem ars, ut dicunt, difficilior est quam inter turbulentissimas hujus saeculi procellas bene imperare, et provide rem publicam gubernare. Sed haec ars tunc ad finem perfectionis pervenit, cum ipsa res publica prudentes et optimos consiliarios habet. Trina autem regula in consiliis est observanda; prima quidem ut divina praeponantur humanis, cum *obedire oporteat Deo magis quam hominibus* **(Act. V, 29)**. Si quis ergo navim [Col. 0302C] rei publicae tanquam bonus gubernator regere feliciter disponit et exoptat, optima Domini consilia, quae in sacris eloquiis sunt propalata, non negligenter custodiat. Secunda vero consiliorum est regula, quatenus providus rector non tam in suo quam in suorum prudentissimorum innitatur consilio. Unde illa Antonini imperatoris praecipua semper in consiliis fuit sententia: Aequius est ut ego tot et talium amicorum consilium sequar, quam ut tot et tales amici meam unius voluntatem sequantur. Salomone quoque hoc ipsum attestante, qui ait: *Dissipantur cogitationes ubi non est consilium:* ubi vero plurimi sunt consiliarii, confirmantur **(Prov. XV, 22)**, et erit salus ubi multa consilia sunt **(Prov. XI, 14)**. Nam prudens prudentes in consilium vocat, et sine eorum [Col. 0302D] consilio nihil facit. Stultus vero in semetipso cogitat, et quod sine consilio aliorum cito vult facit. Porro tertia norma in consiliis est obtinenda, ne bonus rector dolosos et perniciosos habeat. Quis enim debet in consiliis malignantium confidere? Nam sicut vallis per campos, et laquei in plateis, et pedicae ubi non putantur, pedes aliorum retinent, ita impiorum consilia felle nequitiae permixta justos et sanctos in itineribus male impediunt. Sicut enim boni consiliarii sursum rem erigunt publicam, sic mali ruinosa calamitate praecipitant. Tales ergo repudiandi sunt consiliarii atque omnimodis detestandi; quia nunquam erga principem terrenum devoti erunt, qui Dei praecepta male vivendo contemnunt. [Col. 0303A] Qui enim possunt esse boni, qui sibi sunt mali?

Sed sicut omnipotentis Dei saluberrima divulganda sunt consilia atque praecepta, ita nonnunquam prudentium rectorum hostibus sunt occultanda consilia. Siquidem in re publica nulla sunt meliora consilia, quam alia quae ignoraverit adversarius. Etenim securum iter agitur, quod agendum hostes minime suspicantur. Duo vero maxime contraria sunt consilio, festinatio et ira. Nam ira obcaecat animum ne utile videat consilium, et quomodo longa consilia plerumque *non labuntur.* Tunc autem praecipue consilium ad prosperitatis eventum perducitur, cum regia fiducia in Omnipotentis auxilio figitur. Unde vero post Deum bona prodeunt consilia nisi a fidelibus et [Col. 0303B] optimis amicis, qui promerentur superna illustrari gratia, ut non errent in consilio? Quorum provida deliberatione, divina inspirante clementia, saepe salubris consilii botrus carpitur. Absit vero ut crudeles tyrannos tanquam infestos dracones bonus habeat princeps amicos, quod pantheris exemplo animalis astruitur. Siquidem panther, genus quadrupedis, est ut physici perhibent omnium animalium amicus, excepto dracone. Illorum itaque amicitiam habeat, quos probos esse cognoscit. Qui sunt autem boni amici? nisi illi qui sunt sancti ac venerabiles, non malitiosi, non furaces, non

factiosi, non callidi, non ad malum consentientes, non bonorum inimici, non libidinosi, neque crudeles, non circumventores sui principis; sed sancti, continentes, religiosi, amatores [Col. 0303C] principis sui, et qui de illo nec ipsi rident, nec risui esse volunt, qui neque mentiuntur, neque fingunt, et nunquam decipiunt; sed veraces, sobrii, prudentes atque in omnibus suo principi fideles. Talibus itaque personis salva efficitur res publica, piique regnatoris fama crescit et gloria.

Absque gubernaculo navis ceu nutat in alto
Fluctibus, ac tumidis tunditur illa notis, Gloria sic regni praeclaraque secptra labascunt,
In pessumque cadunt, heu! sine consilio. Nam sunt nonnulli quorum fit mellea lingua,
Aspidis at subtus tetra venena latent. Qui delenificiis persuadent omnia verbis,
Quorum sermo strepit subdola ceu fovea. Horum consilio res publica fulta videtur[Col. 0303D]
. . . . Ob hoc consilii praedulcem carpere botrum
Cum submersa ruat o miseranda nimis!. . . . .
Jam decet excelsum qui tenet imperium. Dorcades ut vigili montis de vertice visu
Quo cito transfugiant cuncta pericla notant, Sic adversa cavet speculari lumine mentis
Dux bonus arte bona consiliisque probis. Ceu margaritum bibulis praenobile conchis,
Quomodo dulcifluo mel legiturque favo, Sic et amicorum puro de fonte legendum
Et decet et prodest utile consilium. Verus amicitiae custos sine felle probatur,[Col. 0304A]
Cui placet omne bonum, displicet omne malum. Est est qui vere, seu non non dicere norit,
Cui cor secretum consonat atque pium. Olli firma fides vita fit charior ipsa,
Nescit arundineas texere mente strophas. Non illum nutare facit clangorque tubarum,
Anchora nam stabili corde manet fidei. Talem non gazae, non auri pondera norunt
Fallere, ne laesa sit pretiosa fides.

CAP. VII.

Nunc autem ordo exposcit ut de malis etiam principibus aliqua nos breviter perstringamus, quoniam de bonis quaedam utilia sceptris, quae rei publicae necessaria diximus. Ubi primo quaeritur quae causa etiam ex bonis malos principes faciat? Ad quod dicendum: [Col. 0304B] Jam primum regalis licentia, deinde rerum copia, cum ipsa abundantia rerum causa malorum fiat. Amici praeterea improbi, satellites detestandi, eunuchi avarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, per quos omnes etiam in illo dominatore qui videbatur bonus esse nascitur oblivio mandatorum Dei. Postremo, quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia. Hinc colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum imperatorem seu regem capiunt. Dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non novit; cogitur hoc tantum quod illi loquuntur, facit judices quos fieri non oportet, amovet a re publica quos debeat obtinere. Unde etiam venditur bonus et cautus et optimus imperator, qui eo ipso miser efficitur cum [Col. 0304C] apud ipsum vera reticeantur. Hinc saepe tumultuosa indisciplinatione et Dei cultrix pietas et veritas opprimitur, cum multum derogatio praevaleat quando derogatores creduntur fide digni, quos gemina pestis corrumpit acerbissima, amor videlicet falsitatis et odium veritatis.

Quam praecipitans turbo regentes Subvertit nimium copia rerum! Qui primumque boni regimine clarent, Fiunt saepe mali fine profano. Sacris qui fuerant moribus aurum, Mox plumbo similes viliter horrent. Et qui vitis erant ubere laeti, Agrescunt veluti spreta labrusca. Incautum dominum mente strophosa[Col. 0304D] Fallunt praecupidi sic et amici. Multis inde dolis optimus ille Anceps fit titubans sicut arundo, Ignoratque miser figmina falsi, Nec lucent domino lumina veri. Nam caecant oculos regis honores, Aurum, divitiae, nubila, mendae, Vultus feminei blanda voluptas, Chari falsidici, pompa, potestas.

CAP. VIII.

Modo consequens esse videtur quatenus de impiis rectoribus nos disseramus, ut agnita illorum malitia et pessimo in hoc saeculo fine, perpetua quadam ratione, qui prudens est rector a malis operibus se abstinendo [Col. 0305A] cautior et melior fiat, atque summo benefactori placere magnopere procuret. Quid sunt autem impii reges, nisi majores terrarum latrones, feroces ut leones, rabidi ut ursi? sicut scriptum est de illo: *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem* **(Prov. XXVIII, 15)**. Rex siquidem impius tanquam leonis personam habens ad omne responsum acriter verbum nequam sine prudentium consilio cum omni malitia profert, bonos humilians malosque exaltans; cujus dies abbreviantur, et ejus memoria cum sonitu peribit. Peccavit enim plus quam potuit. Tales itaque sunt amici malorum, inimici bonorum, servi libidinis et avaritiae, servi totius nequitiae, ministri diaboli, semper laborantes ac nihil facientes, gurgites humani generis, miseriae, [Col. 0305B] pabula aeternae gehennae, ut cedrus subito exaltati, sed in profunda tartari praecipitati. Hinc Psalmista dicit: *Vidi impium superexaltatum et elevatum ut cedros Libani, et transivi et ecce non erat, et quaesivi eum, et non est inventus locus ejus* **(Psal. XXXVI, 35, 36)**. Florent enim sicut olera et fenum agri, quod hodie cum speciositate oritur, et in crastino arescens non reperitur. De quibus per prophetam dicitur: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et ego ignoravi; qui neque recte et regia via sciunt seu volunt incedere, sed ad dexteram sinistramque norunt declinare. Quibus competit illud quod per Isaiam Dominus loquitur dicens: Dereliquerunt Dominum sabaoth, et ambulaverunt per vias distortas **(Isa. I, 4)**. Dolosi in consiliis, atroces [Col. 0305C] et mendosi in verbis, maligni in operibus, quorum finis erit secundum opera eorum. De quibus per eumdem prophetam dicitur: *Dominus exercituum cogitavit, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret inclytos terrae* **(Isa. XXIII, 9)**. Sed et beatus Job: *Laus,* inquit, *imperium brevis est, et gloria hypocritae est instar puncti* (Job XX, 5). Haec etenim vita temporalis in comparatione aeternitatis minimo puncto comparatur. Vae autem illis qui pro parvo puncto praesentis felicitatis vendunt gloriam aeternae beatitudinis!

Quanta vero vel eosdem subditos mala vel ipsos rectores ultio divina consequatur, non est nostrae facultatis enarrare; sed pauca de multis placet in manifestum propalare. Regis Pharaonis impietas, quae [Col. 0305D] ex cordis duritia inoleverat, sibi suisque Aegyptiis decem plagas intulit, atque insuper Rubro mari tartareique Acherontis imo ipsum suosque submersit. Antiochum et Herodem ac Pontium Pilatum, quis nescit quanta districti judicis ultio perculit? Quid dicam de Nerone, Aegea, et impiissimo

Juliano, aliisque eorum in nequitia consimilibus? Nonne omnes cum suis sequacibus post mortem pessimam os inferni devoravit? Sed ut innumeros praeteream, Theodorici crudelissimi regis de hoc saeculo exitum infelicem explicabo, qui cum esset Arianae sectator invidiae, ac bonorum insecutor Christianorum, postremo, sicuti cuidam viro revelatum fuerat, inter Joannem papam et Symmachum patricium discinctus [Col. 0306A] atque discalciatus et vinctis manibus deductus, in Vulcani ollam jactatus est. Nam quia Joannem papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque patricium ferro trucidavit, ab illis in ignem immissus apparuit, quos in hac vita injuste judicavit. O quam districta et justa sunt Omnipotentis judicia! cujus disponente nutu digna ultio immitem secuta est tyrannum. Nam qui servis Domini injuste transitoriam mortem intulit, duplici morte corporis et animae juste deperit. Qui alios praesenti vita spoliaverat, ipse tam momentanea quam aeterna vita spoliatus fuit. Idem itaque geminum peregit ministerium; nam sibi gehennae supplicium ubi cruciabitur in saecula saeculorum, sanctis vero supernae gloriae palmam administravit. Injuste judicati fiunt repente [Col. 0306B] coronati, atque judices a Domino in crudelem tyrannum transmissi. At vero injuste judicans fit subito judicatus, atque aeternae damnationis flammis addictus. Qua in re nimis terribile exemplum proponitur, ne terrae potentes servos Domini persequantur, quos valido virtutis suae brachio Deus omnipotens ulciscitur. Sed haec de reprobis dicta sint rectoribus. Nunc ad potiora stylo consequenti transeamus.

Reges terrae quos male gesta Dedecorant, similesne videntur Apris, ursis tigridibusque? Hi majores suntne latrones Terrigenum, rabidive leones, Unguibus accipitresque rapaces?[Col. 0306C] Contigit Antiocho et Pharaoni, Herodi miseroque Pilato Momentanea perdere regna, Cum sociis Acheronta subire. Sic semper reprobos mala damna Affligunt nimis hic et in aevum. Quid floretis tempora proles Ardentes ostroque decori, Quos exspectat clibanum ignis, Quem nec laedet roscidus imber? Qui Dominum lucis nec amatis, In tenebras vos exteriores Ibitis; illic gloria vestra Arens marcebit sine fine. Justos vero celsa corona Glorificabit luxque beata.

CAP. IX.

Septem speciosiora sunt aliis creaturis Dei, ut sapientes ferunt, coelum innubiale quando argenteo colori mirabili similitudine comparatur; sol in virtute sua, quando reciprocis cursibus in splendore gloriae suae habitatores mundi illuminat; luna in integritate nudataque facie nubibus recedentibus, quando proprio cursu solis vestigia investigat; ager fructuosus, quando diversis floribus nodisque crispantibus depingitur; varietas maris, quando serenitas coeli nubiumque placidis fluctibus in littoribus pulcherrime ostenditur; chorus justorum in una fide habitantium; rex pacificus in gloria regni sui, [Col. 0307A] quando in aula regia ostensis muneribus donisque traditis multa beneficia praestat. Rex etenim justus et pacificus laeta facie bona dividit, et uniuscujusque causam diligenter meditatur, et infirmos et pauperes populi non despiciens, cum seniorum et prudentiorum consilio et judicio vera judicia loquitur, malos humilians bonosque exaltans. Dies ejus cum gloria extendentur, et ejus memoria in aeternum manebit. Princeps pacificus tanquam floridus et fertilis est in proximo paradisus, et quasi vinea honesta copioso abundans fructu, omnem a splendore

conspectus sui conturbans discordiam, qui dum pacem in aula suae mentis amplectitur, procul dubio mansionem praeparat Christo, quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit. Porro ubi pax est, in disputationibus [Col. 0307B] veritas, et in operibus justitia invenitur. Sicut ergo providus gubernator procellosi maris pericula arridente temporis serenitate evadere nititur, sic rector pacificus serena mentis tranquillitate ac pacis concordia impetus discordiarum sedula deliberatione compescere meditatur. Quem trinam pacis regulam conservare oportet, hoc est: supra se, in se, juxta se; quia erga Deum, et in se ipso, et circa proximos debet esse pacificus. Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo melius inveniri. Fructus autem pacificae mentis est, erga subjectos et amicos benignam ostendere misericordiam simul et clementiam, quibus virtutibus tam pius regnator quam ejus [Col. 0307C] regnum gloriose conservatur; testante Salomone, qui ait: *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus ejus* **(Prov. XX, 28)**. Non enim quidquam est quod bonum rectorem melius populo favorabilem atque amabilem commendet, quam clementia et pacifica serenitas.

Haec, ut alios causa brevitatis omittam, Augustum Caesarem fecit celeberrimum; haec Antoninos, magnum quoque Constantinum, Theodosios caeterosque magnificos principes sublimiter beatificavit. Eadem quoque magnum Carolum inter caetera virtutum insignia in sacratissimum prae caeteris terrarum principibus Augustum dedicavit. Haec Ludovicum piissimum adordinavit imperatorem. Et quid plura referam? Certe serenissima pietatis clementia gloriosos [Col. 0307D] principes et glorificavit in terra, et consortes sanctorum collocavit in coelo. Quippe qui non solum sua, sed et totos semetipsos Omnipotenti dederunt. Nihil autem ab justo et pio rege donandum est, nisi quod sit beneficium. Beneficium autem si ad aliquam mercedis remunerationem in hoc saeculo refertur, interit atque finitur. Nec enim possumus id habere integrum, cujus pretium nobis persolutum est. Unde non tam beneficium, sed potius commercium dicenda est talis largitio. Danda sunt vero beneficia, quae data boni principis famam pietatemque et justitiam non laedunt, juxta dignitates personarum et utilitates rerum, non secundum cupiditates accipientium, qui facile sibimet denegant; quia quod difficile aut impossibile [Col. 0308A] est, improbe atque atrociter exposcunt. Unde Nerva imperator dicebat: Amici cum se mereri omnia praesumunt, si quidquam non extorserint, atrociores fiunt. In omnibus itaque largitionibus temporalibus servanda est mensura rectaque in donatione intentio, ut pro salute rei publicae et sanctae utilitate Ecclesiae proque coelestis indeptione gloriae bonis melioribus optimis cuncta per sereni principis munificentiam distribuantur.

Conditor supernus orbis imperator omnium Ipse cuncta quae creavit pulchra fecit artifex. Inter haec creata, septem pulchriora praeeminent, Picta coeli sphaera lucis emicante gratia, Alma solis inter astra candidansque gloria, Ac referta post bicorne luna stemma lumine,[Col. 0308B] Fructuosus et virescens hortus flore germinum, Thetyos serenitas quae visa mulcet omnium, Sanctus et chorus piorum te Deum colentium, Gloriosus atque rector optimus per omnia, Liberalis et serenus sanctitate praeditus, Aequitate, puritate cordis ille praeminet, Quem tremit superbaque reprobum celsitas, Qui bonos honorat sponte largitate regia. Pacifer et beatus ille fit sicuti vinea, Trinitatis

est imago digna sorte coelitum.

CAP. X.

Sed inter haec aliud quod est sciendum, quoniam ut sapientes perhibent, sunt octo columnae quae fortiter regnum justi regis sustentant. Prima columna veritas est in omnibus rebus regalibus. Secunda columna [Col. 0308C] patientia in omni negotio. Tertia, largitas in muneribus. Quarta, persuasibilitas seu affabilitas in verbis. Quinta, malorum correctio atque contritio. Sexta, bonorum amicitia atque exaltatio. Septima columna levitas tributi in populos. Octava, aequitas judicii inter divites et pauperes. Hae sunt itaque octo columnae quae regnum justi principis et in hoc saeculo stabilitant atque ad aeternae stabilitatem gloriae perducunt.

Fabrica nulla tenet stabilem per tempora formam,
Si non fulturis nixa sit illa suis. Nec stabilire queunt splendentia lumine templa,
Aula nec et regum his sine firma potest. Justi rectoris propriis sic stare columnis
Publica res poscit propitiante Deo.[Col. 0308D] Prima columna micat veri speciosa decore.
At patiens regimen rite secunda tenet. Tertia largiflua meritis dat munera dextra.
Quartaque blandiloquax dulcia verba sonat. Quinta malos reprimit, miro zeloque coruscat.
Gaudet sexta potens magnificare bonos. Septima clementer populi levigatque tributum.
Ast octava regit justitiae trutinam. Nititur his solidis res publica fulta columnis,
Sicuti mons Sion his stabilisque manet.

CAP. XI.

Cum itaque his octo columnis regiae potestatis eminentia fulciatur, decet amabilem Deo rectorem causam sui personalem utilitatibus postponere ecclesiasticis, [Col. 0309A] ut in quantum memor est beneficiorum Dei quae illi superna gratia concessit, in tantum beneficii largitorem honoret. Tunc vero honorare Altissimum bonus princeps cognoscitur, cum illorum qui laborant in agro Dominico, tanquam magni regis dispensator, adjutor et protector efficitur. Certum namque est quod tanto propitius causas terreni principis Omnipotens sua pietate disponet, quanto de sua, sanctae videlicet Ecclesiae, causa illum sollicitum esse viderit. Itaque providus rector studeat facere quae Deo sunt beneplacita, si ipse desiderat ut Deus faciat quae sunt illi prospera et gloriosa. Isque diligenti cura solerter provideat quatenus synodales conventus per singulos annos bis vel ter fieri jubeat, ut quod ad verum Dei cultum pertinet, quod [Col. 0309B] ad ecclesiarum ipsius reverentiam, et ad honorem pertinere cognoscitur sacerdotum, vel quid contra mandata Domini gestum sit, in ipso reverendo atque unanimo discutiatur conventu, ut quidquid bene actum sit, corroboretur; si qua vero sunt male gesta, in melius corrigantur. Ubi et ipsi praepositi oportet ut investigentur qualiter suis ministeriis fungantur, vel quomodo plebem sibi commissam tam coelesti informent doctrina, quam sanctae conversationis imbuant exemplo. Quae omnia si cum pacis unanimitate et canonica justitia subtiliter pertractentur, fructuosa

utilitas sanctae Ecclesiae gignitur, ac reverendi rectoris, cujus benevola deliberatione scilicet et auctoritate haec aguntur, magni seminarium propagatur meriti.[Col. 0309C]

Nam pretiosa religiosi principis est corona sanctum episcoporum concilium, in quo famosissimus magnus videlicet Constantinus imperator exsultans in Domino gloriabatur, qui collectos ex omnibus fere gentibus quae sub coelo sunt, quibus Christi praedicatum erat Evangelium, viros sacratissimos plus quam trecentos episcopos tam doctrina quam miraculis coruscantes, propter catholicae discussionem fidei in unum, hoc est Nicaenum, congregavit concilium. Unde et hic huc usque mos Christianus inolevit, ut apud omnes orthodoxos Ecclesiarum principes synodales fieri conventus decernatur, propter necessarias sanctae Ecclesiae utilitates, quae non nisi synodalibus investigari conciliis atque canonicis definiri sanctionibus debent. Unde cautum et humilem [Col. 0309D] et valde circumspectum oportet esse regem; nec quidquam de negotiis ecclesiasticis judicare praesumat, antequam synodalia statuta cognoscat. Siquidem ecclesiastica judicia valde sunt coram Deo periculosa, nisi cum maxima proferantur justitia; praecipue si per calumniosos accusatores et mendosos testes, qui innocentes sunt examinentur absentes, quod est Christianitatis alienum. Unde et illud in Evangelio legitur: *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat?* **(Joan. VII, 51.)** Pius itaque rector tanquam luminosa pupilla primo quod justum et legitimum est secundum canonicas sanctorum episcoporum sanctiones perspicaciter attendat; dehinc [Col. 0310A] consensum atque auctoritatis adminiculum his quae sunt vera et justa adhibeat. Per se vero nullatenus de talibus praejudicium faciat, ne forte errando ante conspectum Domini culpam aliquam detestabilem incurrat.

Unde venerabilis memoriae Valentinianus imperator cum a sanctis episcopis rogaretur quatenus dignaretur ad emendationem sacri dogmatis interesse, Mihi, inquit, cum minimus de populo sim, fas non est talia perscrutari; verum sacerdotes, quibus haec cura est, apud semetipsos congregentur ubi voluerint. Et haec quidem dicebat imperator tam virtute humilitatis praeditus quam Dei timore munitus, ne forte offenderet Altissimum si suam propriam praetulisset potioribus sententiam. Hoc ipsum feeit, [Col. 0310B] ut praedixi, magnificus et sapientissimus imperator Constantinus, non in sua, sed in sanctorum prudentia sapientiaque episcoporum confidens. Hoc beatus Jovinianus Deo amabilis princeps fide inconcussa servavit; qui dum hostis esset Arianae perfidiae atque sectator Nicaeni decretorum concilii, ex momentaneo terrestris imperii fastigio aeterni sibi gloriam regni comparavit. Quid referam de duobus sacratissimis divina praestante gratia imperatoribus Theodosiis? qui in tantum Omnipotenti placuerunt, ut regias purpuras, sceptra quoque et apicem imperatoriae dignitatis divinis praeceptis et canonicis institutis Domino inspirante subderent, ac pium zelum erga Dei ecclesias indefessa charitate semper haberent. Unde illos universorum Dominus sublimavit [Col. 0310C] in terris, et post praesentis gloriam felicitatis tanquam dilectos sibi ministros in aeternum beatificat in coelis. Sed si quis est tantorum aemulus gloriae principum, si quis Christianus rector feliciter et gloriose in hoc saeculo regnare desiderat, et ad palmam sempiternae beatitudinis pervenire contendit, illorum fidelissimam erga cultum Omnipotentis imitetur devotionem, seque benevolum, clementem, in judiciis districtum, in cordis humilitate mansuetum, in visceribus

misericordiae compatientem, in largitate munificum, in zelo qui secundum Deum est fulmineum circa Dei Ecclesiam solerter exhibeat, si consortio supernorum civium cum sanctis et justis rectoribus regnare perenniter procurat.[Col. 0310D]

Princeps magnificus quem Deus extulit Ut praesit populo sceptriger inclytus, Debet Celsithrono se bene subdere, Cedros qui Libani conditor edidit, Montes qui superos vertice sublevat, Qui gemmare facit ruraque floribus, Pinxit quique polos sideribus pater, Qui coeli cherubim rex supereminet. Reges terrigenas malignos is ordinat. Ob hoc provideat rector honoribus Excellens superis quos Deus attulit, Olli quo placeat qui regit omnia, Regnum qui tribuit maximus arbiter. Illum magnificat quisquis eum colit,[Col. 0311A] Verbo, corde pio, regimine, moribus. Christi quique volens Ecclcsiae favet, Servator canonum, ductor et optimus Claret justitiae stemmate fulgidus Rex est jure sacer qui sacra dogmata Ac decreta Patrum servat in omnibus. Illum clarificat pontificum chorus, Ceu gemmae radiant in diademate, Ut campum decorant violae ac lilia, Illustrantque polum fulgida sidera.

CAP. XII.

Oportet autem modestum dominatorem pondere humilitatis et obedientiae virtute fieri praeditum, ut virtutes humilitatem videlicet atque obedientiam, quam ipse in subjectis diligit, in se ipso recognoscat. [Col. 0311B] Itaque si contigerit ut a prudentibus reprehendatur, se quidem reprehensibilem esse acriter doleat, ac protinus ad poenitentiae medicamenta currere festinet; et qui libenter peccaverat, virgam correctionis libenter atque gratanter accipiat; et priusquam Creator manum suam ad feriendum excutiat, de correctione commissi sceleris summopere studeat, ne tam postmodum acrius destrictus judex feriat, quantum diutius et clementer exspectat. Praeoccupet faciem Domini in confessione, si quis regni gubernator in abscondito peccavit vel publico. Quomodo de sancto rege et propheta David legitur, qui cum post stuprum Bersabee et homicidium commissum in Uriam Hethaeum per Nathan reprehenderetur prophetam, non erat reprehensori indignatus, [Col. 0311C] sed sibimet, recognoscens suum peceatum, jam fuerat iratus; et qui post culpam hilarescebat perpetratam, se ipsum per amaram deflevit poenitentiam. Hinc lacrymis veniam promeruit qui coram Domino gravia scelera commisit, et ex fonte lacrymarum venit ad manipulum gaudiorum, sicut ipse alibi dicit: *Qui seminant in lacrymis,* in exsultatione *metent, et reliqua.* **(Psal. CXXV, 5.)**

Sed et illud quod de gloriosi principis Theodosii admiranda humilitate atque poenitentia traditur, nec praetereundum esse videtur, qui cum post injustam multorum millium necem Mediolanum venisset, et solemniter in sacrum voluisset intrare templum, ei sanctus Ambrosius hujusmodi cladem, plenam valde gemitibus, audiens occurrit foris ad januas, et ingredientem [Col. 0311D] his sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit: Nescis, imperator, perpetratae a te necis quanta sit magnitudo? Neque post causam tanti furoris mens tua molem praesumptionis agnoscit? Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii. Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pavimentum? Quomodo manus extendes de

quibus adhuc sanguis stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Dei corpus? Qua praesumptione ore tuo poculum pretiosi sanguinis percipies, dum furore sermonum tantus injuste sit sanguis effusus? Recede igitur, recede, nec secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe [Col. 0312A] vinculum quo te omnium Dominus nunc ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis.

His sermonibus obediens (erat enim divinis eruditionibus enutritus, et aperte sciens quae sunt propria sacerdotum, quae regum), gemens et deflens ad regalia remeavit. Cumque octo mensium continuo transissent tempora, propinquavit nativitatis Salvatoris nostri festivitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lacrymas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus tunc magister, et singularem apud principem fiduciam habens, et videns principem in lamentatione prostratum, accessit ut lacrymarum causas inquireret. At ille amarissime ingemiscens et vehementius lacrymas fundens, Tu, inquit, Rufine, ludis et mala [Col. 0312B] mea non sentis; ego autem lamentor et gemo calamitatem meam, quia quidem servis et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum libenter exorant, mihi vero ingressus non est ad eum. Insuper etiam clausi sunt coeli. Haec dicens, verba singula singultibus irrumpebat. Quem cum idem Rufinus beato reconciliare Ambrosio persuaderet, neque tamen potuisset, haec imperator in media jam platea cognoscens, Pergo, inquit, et justas in facie suscipio contumelias.

Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non praesumpsit intrare, sed veniens ad antistitem, et inveniens eum in salutatorio residentem, supplicabat ut ejus vincula resolveret. At ille tyrannicam dicebat ejus praesentiam, et contra [Col. 0312C] Deum vesanire Theodosium, ejusque calcare leges. Verum imperator, Non, inquit, insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra contendo, sed te solvere vincula mea deposco, et communis Domini pro me exorare clementiam, nec mihi januam claudi, quam cunctis poenitentiam agentibus Dominus noster aperuit. Tunc antistes, Quam, inquit, poenitentiam ostendisti post tantas iniquitates? Quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque curasti? At imperator, Tuum, inquit, opus est et docere et medicamina temperare, meum vero oblata suscipere. Quibus verbis imperatoris auditis, quae illius humilitatem atque ipsum spontaneam poenitentiae suscipere afflictionem monstrabant, sanctus Ambrosius salutarem ei medicinam tantorum [Col. 0312D] vulnerum apposuit, qua percepta imperator magnas gratias referebat. Tali ergo tantaque et praesu. et imperator virtute clarescebant, quorum opus valde fuit admirabile, illius fiducia, hujus obedientia, illius zeli fervor, hujus autem fidei puritas. Porro regulas pietatis quas a magno sacerdote percepit, etiam reversus in Constantinopolitanam urbem servavit. Nam dum festivitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altari muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius praesul ecclesiae mandasset cur intus stare noluisset, mandavit princeps: Vix, inquit, potui discere quae differentia sit imperatoris et sacerdotis; vix enim veritatis inveni magistrum; Ambrosium namque solum novi vocari digne pontificem. [Col. 0313A] Tantum itaque prodest increpatio a viro virtutis prolata!

Unde perspicuum est quod decet bonos et pios rectores salubres antistitum, quasi spiritualium medicorum, humiliter et libenter auscultare correctiones, testante

Salomone, qui ait: *Inauris aurea et margarita fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem* **(Prov. XXV, 12)**. Melius est enim a sapiente corripi quam stultorum adulatione decipi. Nam si nostrorum vulnera corporum a medicis sanari vehementer desideramus, et in praesentia medicorum eadem ostendere non erubescimus, et in dolore medicinae spe salutis oblectamur, quanto magis de vulneribus et plagis animarum nostrarum nos majorem habere curam oportet, quousque spiritualis [Col. 0313B] medicus, quamvis acerrimam medelam adhibeat, per quam spes certa nostrae sanationis fiat? Sicut enim scalpellus medici non ob hoc malus est quod resecet vulnera et putridas amputet carnes, sic et correctio salubris.

Quam lux rutilo nova coelo Fit grata habitantibus orbem Post nubila noctis opacae Phoebi radiante corona; Quam ros sitientibus arvis Post torrida caumata Cancri, Boreae post frigora saeva Ver florigerumque serenum; Sic praeveniente piaclo Animae fit chara medela.[Col. 0313C] Morbis medicantur anhelis Jam quisque salubribus herbis Tulerint quo corporis aegra. Cura vigilante sagaci Famulae si tanta rependunt Fragili medicamina carni: Cur non potior medicina Dominam medicatur honoram, Simulando jura creantis Animam deitate beandam? Quis vulnera tollere culpae Medico potest sine docto? Caveant igitur dominantes; Vitiis si mente labascunt; Adeant medicosque peritos,[Col. 0313D] Christi pietate ministros Quis discant subdere colla, Qui possunt pellere morbos Oleo vinoque salubri. Nec non coelestibus herbis Paradisi flore creatis Exstinguunt dira venena. Revocant animas et ab imis Verbo virgaque potenti, Quas sancta coelitus arte Revehunt ad pascua vitae.[Col. 0314A]

CAP. XIII.

Non est facile hominibus universas vitare hostis insidias. Nam dum quispiam libidinis effugerit passionem, incurrit in avaritiam; qua declinata, invidiae fovea praeparatur; hanc si transcenderit, vitium furoris incurrit, et alios plurimos laqueos ponit inimicus, quo capere possit incautos. Et corpus quidem passiones habet facile ministrantes, ut animam possit occidere; sed mens divino solatio vigilans machinationum ejus destruit argumenta. Humanam naturam participatus Theodosius praefatus imperator habuit passionum quoque communionem, justoque furori immensam permiscens crudelitatem, injustam operatus est passionem. Quam rem narrare necessarium [Col. 0314B] est propter utilitatem legentium
@ [Col. 0313D] Sumitur sequens narratio ex Theodoreti Historia, lib. V, cap. 17, 18, ut ex capitulo ejusdem 19 derivata fuerunt quae noster dixit de Placilla, cap. 5.: Thessalonica civitas est grandis et populosa, in qua dum fuisset orta seditio, quidam judicum lapidati sunt atque tracti. Hinc indignatus Theodosius non refrenavit infirmitatem iracundiae, sed jussit injustos gladios super omnes evaginari, et una cum nocentibus innocentes interimi. Septem millia etenim hominum, sicut fertur, occisi sunt, non praecedente judicio, sed tanquam in messibus omnes simulincisi sunt. Quam ob rem, ut diximus, beatus Ambrosius praefatum imperatorem sancto zelo succensus graviter redarguit, ac furorem principis irrationabilem et scelus nefandum severa invectione detestatus fuit.

Unde bonus et prudens rei publicae gubernator aptum est ut illud praecaveat, ne dum

suam suorumve [Col. 0314C] injuriam ulcisci supra modum disponit, irrationabilis reatum furoris incidat; sed propriam iram refrenare non negligat, et justi furoris stimulos affectu pietatis removeat, ne forte si plus justo desaeviat in subjectos, incurrat rabiem leoninae ferocitatis. Unde scriptum est: *Noli esse sicut leo in domo tua, subvertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi* **(Eccli. IV, 35)**. Nam sicut debellare superbos, ita et parcere subjectis, justum et misericordem dominum oportet. Unde et Antoninus imperator dicebat malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. In corrigendis itaque criminibus miscenda est lenitas cum severitate; faciendum ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Nec ulla [Col. 0314D] correctionis seu vindictae habeat modum, nisi recte praecedat judicium. Nec decet serenum rectorem furore iracundiae, tanquam felle amaritudinis, esse perturbatum, si justum vult proferre judicium, cum nimis irascentium caeca sint judicia. Non enim potest serenum lumen justitiae ac veritatis cernere, qui caligine obnubilatur iracundiae. Opponatur itaque fortis patientiae clypeus, contra irrationabilis impetum furoris. Nam, sicut scriptum est, *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* **(Prov. XVI, 32)**. Fortior enim est qui [Col. 0315A] violentiam et in se ipso inclusam feram superat iracundiam, quam qui leonem perimit.

Quanta vero mala per subitaneum furorem et impatientiae vitium eveniant, quis explicare potest? Rex Saul, furoris impetum non refrenans, immani saevitia sacerdotes Domini trucidavit. Salomon quoque quamvis splendore sapientiae fuerat illuminatus, tamen furoris passione repletus, suum fratrem interfici praecepit, pietatem tyrannidi postponens. Quid referam de reprobis Judaeis? qui dum zelum, sed non secundum scientiam habuerunt, in Filium Dei et sanctos ejus discipulos homicidae exstiterunt. At patientis virtute mansuetudinis sanctus David praeditus, etiam inimicis suis saepe pietatis affectu pepercit; nonnunquam vero Dei zelo stimulatus inimicos [Col. 0315B] Domini usque ad mortis exitium protrivit. Decet enim dilectum Deo principem contra hostes et blasphemos Christiani nominis fulmineum frequenter habere zelum. Nam si Nabuchodonosor rex alienigena, ne blasphemaretur Deus Israel in tantum saeviit, ut tale decretum firmaret dicens: Quicunque dixerit blasphemiam in Deum Sidrac, Misac et Abdenago, ipsi in interitum erunt, et domus eorum in perditionem **(Dan. III, 96)**; quanto magis orthodoxos rectores contra inimicos Christianae fidei et doctrinae atque religionis zelare oportet? quatenus Omnipotenti, cujus ministri gratia sunt ordinati, tanto magis placeant, quanto ferventius ea quae Christi sunt, laudabili zelo satagere anhelant.

Post inclytos labores[Col. 0315C] Ac laurea tropaea, Toga candente pacis, Et regia corona Lectis micante gemmis Auroque compta flavo; Cum purpura coruscat, Aulae decorus ordo, Feliciter regentem Cum sors beata comat, Quam saepe mentis aulam Perturbat ira praeceps, Ac zelus ardet intus Caeco furore cretus! Aenea fervet olla Nec sic furens in astra,[Col. 0315D] Ceu principis severa Cor saevit ut leaena. Nolens modum tenere[Col. 0316A] Infecta mens veneno. Misceatur ergo menti, Flagransque odore pacis Dux fiat, ac serenus Grato nitente vultu. Nec judicans sit ante Quam veritas patescat. Nam notione nocte Cor splendet ut lucerna.

CAP. XIV.

Sed dum boni rectores fastum superbiae tyrannidis in adversariis debellare student, non in se nec in suorum fortitudine, sed in Altissimi virtute et gratia totam confidentiam stabilire debent, quia ipse est solus et potens protector omnium in ipso [Col. 0316B] fiducialiter sperantium. Unde per Psalmistam dicitur: *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* **(Psal. CXVII, 9)**; *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* **(Ibid. V. 8)**. Et alibi: *Nolite confidere in principibus neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* Exiet spiritus ejus et revertetur in terram suam. Et reliqua **(Psal. CXLV, 3, 4)** . Cui etiam Jeremias concinit dicens: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur;* recedentes a te, in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum **(Jerem. XVII, 13)**. *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.* Et reliqua **(Ibid., V. 5)**. Nullus ergo debet confidere in homine, aut praesumere quod nullus ei possit resistere. [Col. 0316C] Praesumebat et silurus piscis quod hamum sibi nemo jaceret, nemo tenderet retia; et si incidisset, omnia disrumperet, et tamen fuscinam

@ [Col. 0315D] Piscatorium instrumentum fuscina est, bidens aut tridens, qua velociter et perite vibrata confixi pisces capiuntur. Id ex veterum scriptis constat, et usus etiam hodiernus demonstrat. Nam et ego autumnalibus feriis in Circaea palude ad Luculli villam jacta fuscina breve piscibus bellum intuli. Hinc, ut pote deus marinus, tridentem fuscinam gestat Neptunus, eique ipsam sub pedibus sternit Martianus Capella; quo loco, doctus alioqui vir Caylusius ridicule legit *lusciniam* pro *fuscina.* Causam hanc verissimam, cur detur Neptuno fuscina, unus fortasse inter mythographos novit Phornutus, cap. de Neptuno, quanquam et ipse immerito dubitans: φέρει δὲ τρίαιναν, πότερον ἐπεὶ αὐτῇ χρῶναι πρὸσ τὴν τῶν ἰχθύων θῆραν ἢ ὡς ἐπιτηδείου τούτου τοῦ ὀργάνου πρὸς τὴν κίνησιν τῆς γῆς; caeteri, quod valde miror, in alias abeunt, quas piget referre explicationes, hanc unice veram, ut reor, ignorantes; veluti Servius, ad Aen. I, 138; Fulgentius, lib. I, 3; et Vaticani mythographi, Class. AA. T. III, pp. 39, 86, 183; nec non Graeci auctores laudati a Munckero ad Fulgentium loc. cit. Pictores vero ac statuarii, hoc aptius, prae caeteris piscatoriis, instrumentum Neptuno distinguendo adhibent; etenim tridens, cum marinum deum denotat, tum etiam sceptri vicem gerit, et omnino decoram atque speciosam aquarum domino dignitatem conciliat. non evasit. Quod si quis singulari fortitudine excellens ob hoc singulos non timeat, idem multos necesse est ut caveat. Nam qui ab uno vinci non potest, interdum a multis vincitur. Elephas grandis est, et occiditur; leo fortis est, tigris fortis est, et occiditur. Prudentis autem rectoris est etiam metuere vel praecavere inferiores, cum saepe ab inferioribus superiores superentur. Quam immanis est crocodilus et dentibus atque unguibus intolerabilis! qui tamen ab enideo bestiola ventre perimitur. Monoceron elephantem cornu perforat. Formidabilis elephantus murem timet. Leo rex ferarum exiguo scorpionis aculeo [Col. 0316D] occiditur. Nemo itaque in suis viribus temere praesumat.

Sed ne quis in suorum fortitudine ac numerositate [Col. 0317A] confidat, Xerxes rex Persarum bellum adversus Graeciam a patre susceptum per quinquennium instruxit; qui videlicet Xerxes DCC millia armatorum de regno, et CCC millia de auxiliis, rostratas

etiam mille ducentas, onerarias tria millia numero habuisse narratur; ut merito inopinato exercitui, immensaeque classi vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum suffecisse memoratum sit. Sed Leonidas rex Spartanorum cum quatuor millibus hominum contra mille millia armatorum ejusdem Xerxis in bellum processit, ac, deletis Persarum copiis, victor et bello clarissimus cum suis paucis pro amore liberandae patriae occubuit. Xerxes vero, bello in Graecia infeliciter gesto, contemptibilis suis factus, in regia circumventus occiditur. [Col. 0317B] Nam saecularis gloriae et incurvabilis superbiae pedisequa est ignominia. Hinc per Salomonem dicitur: *Dominus exercituum hoc cogitavit ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret omnes inclytos terrae* **(Isa. XXIII, 9)**.

Non ergo glorietur fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis. Nam si eruca parvusque vermiculus fortior homine est, utquid se jactat terra et cinis, et elata per superbiam, cum ex humo sit, humana contemnit? Itaque *qui gloriatur, in Domino glorietur* **(I Cor. I, 31)**, qui arcum potentium infirmat, et infirmos robore accingit; cujus adinventiones sunt ut superbi cadant et humiles surgant; cui omnis potestas a Patre data est in coelo et in terra, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. In quo si [Col. 0317C] quis fiducialiter anchoram spei fixerit, misericordia circumdabitur, sicut scriptum est, *Qui sperat in Domino, sublevabitur* **(Prov. XXIX, 25)**. Exspectatio justorum laetitia, Psalmista attestante, qui ait: *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit* **(Psal. XXXI, 10)**. Et iterum: *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus* **(Psal. XXXIX, 5)**. Quis enim speravit in Domino, et confusus est? Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est? Quis invocavit Dominum, et despectus est? *Quoniam pius et misericors Dominus* **(Eccli. II, 13)**.

Quisquis bellipotens saevis confidit in armis,
In se sive suis spem male fidus habens, Instabili tremulans folio simulabitur ille,
Grando quod excussit, quod notus atque movet.[Col. 0317D] Cujus loricae textura rigente metallo
Ut fragilis telae nutat araneolae. Plumbeus ut pugio gladius lentescit acutus,
Nec fidus dominum protegit et clypeus. Quem galeae tutela premit ceu lanea cassis,
Lancea vulnipotens sicut arundo valet. Talibus horrendus jactabat saepe Golias,
Quem funda missus stravit ab hoste lapis. Illum non vicit clypeus, non arma tremenda,
Nonque minax sermo profuit Allophylo. Si leo, si tigris, perimitur, si crocodilus,
Ingens si murem trux elephasque timet; Ergo nec in proprii fidendum viribus ulli
Belligero, quamvis aenea membra gerat.[Col. 0318A] In Domino potius vivo spes tota locetur,
Qui regit altithronus numine regna Deus. Qui dat et omnipotens ducibus sperare superna,
Virtutem valida vincere posse manu.

CAP. XV.

Unde si quando bellici rumores crebrescant, non tam in armis corporalibus et fortitudine confidendum, quam assiduis ad Dominum orationibus est insistendum,

Deique sunt imploranda auxilia, cujus in manibus consistit salus, pax atque victoria; qui si pia devotione invocatus fuerit, nunquam se invocantes deserit, sed eisdem misericorditer adjutor in importunitatibus assistit. Nam cum suorum electorum manus et voces ad Patrem misericordiarum elevantur, [Col. 0318B] hostium ferocitas annihilatur, ac nonnunquam hostibus subitanea ignominia mortisque fovea, piis vero inopina victoria disponitur; dum pii viam desperatae salutis, impii autem decipulam insperatae mortis intrant. Sed quod dicimus, evidentibus exemplis nos approbemus.

Moyses legislator cum manus suas in oratione elevabat ad Dominum, vincebat Israel; cum paululum remittebat, vincebat Amalec. Sic et rege Ezechia non corporalibus armis pugnante, sed cum lacrymis exorante, angelus Domini centum octoginta quinque millia Assyriorum una nocte interfecit. Josaphat rex laudes Domino personabat, et Dominus pro laudante hostes superabat, ita ut converteret hostium insidias in semetipsos, vel mutuis caderent [Col. 0318C] vulneribus. Israelitae vero ingentem praedam de spoliis occisorum tollentes, ita onusti sunt ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre prae praedae magnitudine. Quid referram de Machabaeis, qui divino freti adjutorio saepe victores fuerunt? Unde et famosissimus ille Judas atque in bellis Domini invictissimus, ad plebem formidantem ac dicentem, *Quomodo poterimus pauci pugnare adversus multitudinem tantam et tam fortem, et nos fatigati sumus jejunio hodie? respondit: Facile est concludi multos in manus paucorum;* et non est differentia in conspectu Dei coeli liberare in multis vel in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superba, ut disperdant nos [Col. 0318D] *et uxores nostras et filios nostros, et ut spolient nos;* nos vero pugnemus pro animabus nostris et legibus nostris, et ipse Dominus conteret eos ante faciem vestram. Vos autem ne timueritis eos (I Mach. III, 17-22). Sicque irrumpens in hostes, contrivit eos, et victoriam accepit de inimicis suis.

Nec solum in Veteri Testamento haec facta sunt, sed etiam in Novo his similia contigerunt. Unde historiae tradunt quod Constantinus imperator cruce Christi pro vexillo utens, universos hostes suos superavit. Similiter et Theodosius Augustus magis orando quam bellando quosdam tyrannos eorumque exercitus prostravit; cui Dominus tempestates, fulgura et tonitrua in auxilium contra adversarios [Col. 0319A] misit, et eos vindicta coelesti protrivit, de quo quidam eleganter poeta
@ [Col. 0319D] Claudianus, de tertio Consulatu Honorii. sic ait:

O nimis dilecte Deo, tibi militat aether,

Et conjurati veniunt ad classica venti.

Quid autem mirum si per magna elementa magnus Dominus magnalia operetur, cum etiam in minutis volatilibus stupenda miracula ipse facere praedicetur? Ecclesiastica namque refert historia quod tempore Constantii imperatoris rex Persarum Sapores nomine, Nisibin civitatem, quam quidam Antiochiam Mygdoniam vocant, multis cum millibus obsidebat, cujus urbis episcopus atque rector et dux erat sanctus Jacobus apostolicae gratiae radiis illustratus. Per idem ergo tempus Ephraim vir mirabilis et

conscriptor egregius apud Syros sacratissimo Jacobo [Col. 0319B] supplicabat ut veniret ad muros, et videns barbaros, maledictionis jacula contra eos emitteret. Flexus ergo venerabilis homo ascendit in murum, et cum millia millium videret exercitus, aliam maledictionem eis non petiit, nisi sciniphes et culices, ut per parva animalia supernam virtutem potuissent agnoscere. Orationem vero secutae sunt nebulae sciniphum et culicum. Et elephantorum quidem proboscidas, cum sint cavae, equorum vero aliorumque jumentorum aures simul et nares implerunt. At illi ferre vim parvorum animalium non valentes, sessores suos ductoresque excussos dorsis projecerunt, et disruptas acies confuderunt, exercitumque relinquentes, summo impetu fugiebant. Hoc modo territus imperator parvam clementemque correptionem [Col. 0319C] in se cognscens factam a Deo habente providentiam animarum eum pie colentium, suum exinde reduxit exercitum, confusionem non victoriam ex illa obsidione percipiens.

Legimus et alios sanctos viros, quos contigit aliquando cum Christiano populo in expeditionem exercitus esse, magis oratione contra hostes quam armis saecularibus pugnasse; quomodo sanctus Germanus Antissiodorensis episcopus fecisse legitur, qui cum beato Lupo, episcopo Tricassinae civitatis, in Britanniam ad exstirpandam Pelagianam haeresim missus fuerat, quo tempore necessitas belli Britonibus contra Pictos et Saxones imminebat, quia Picti et Saxones, confidentes in multitudine exercitus sui, Britones opprimere disponebant, quos eadem necessitas [Col. 0319D] in castra contraxerat
@ [Col. 0319D] Sumit hanc narrationem Sedulis a Constantio, antiquo S. Germani biographo, lib. I, cap. 28, quem videsis apud Surium die 31 Julii.. Et cum trepidi partes suas impares judicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimae venerabiles dies, quos religiosiores reddebat praesentia sacerdotum in tantum ut, quotidianis praedicationibus instituti, certatim populi ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit. Ecclesia ad diem resurrectionis Dominicae frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, [Col. 0320A] fides fervet in populo, et contempto armorum praesidio, divinitatis exspectatur auxilium. Tunc Germanus ducem se praelii profitetur, eligit expeditos, et e regione qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur, quo in loco novum componit exercitum ipse dux agminis. Et jam aderat ferox multitudo hostium, quam cum appropinquare intuerentur in insidiis constituti, tunc subito Germanus signifer universos admonet, et praedicat ut voci suae uno clamore respondeant; securisque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, alleluia jam tertio repetitam sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, et elatum clamorem repercusso aere montium conclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur, et super [Col. 0320B] se non solum rupes circumstantes, sed etiam ipsam coeli machinam contremiscunt, trepidationique injectae vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore praecipites flumen quod transierant devoravit. Ultionem suam innocens exercitus intuetur, et victoriae concessae otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, et coelestis palmae gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant pontifices, hostibus fusis sine sanguine; triumphat victoria, fide obtenta, non viribus.

His itaque et talibus exemplis evidenter ostenditur quod magis homines sanctis orationibus ac divino auxilio, quam armis saecularibus a periculo mortis protegantur. [Col. 0320C] Unde autem solatia praesentis vitae, et defensio contra universa pericula, et victoria de hostibus maxime quaerenda sit, ipse Dominus in veteri lege priorem populum instruens ita ostendit dicens: *Si in praeceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluviam in temporibus suis, et terra gignet fructum suum, et pomis arbores replebuntur.* Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem, et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris; dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, [Col. 0320D] *et centum ex vobis decem millia.* Cadent inimici vestri in conspectu vestro. Gaudio respiciam vos, et crescere faciam, multiplicabimini. Et firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque haec faciam vobis: visitabo vos in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros et consumat [Col. 0321A] *animas vestras.* Frustra seretis sementem, quae ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemimini his qui oderunt vos. Fugietis, nemine persequente. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam; et percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium ultorem foederis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medium vestri, et trademini in hostium manus. Et reliqua. (Levit. XXVI, 3-25.)

Haec ergo licet priori populo, qui terrena bona ambiebat, per legislatorem dicta sint, tamen Christiano nunc populo convenienter aptari possunt, cui a Domino suo in praesenti tribulatione consulitur, et [Col. 0321B] insuper bona futura in coelis praemittuntur. Huic ergo optime convenit, ut mandata Domini sui servet, et totam spem suam in eo constituat, qui potens est ab omnibus adversis in se sperantes eripere, atque ad prosperitatis eventum et hic et in futuro suos electos transferre.

Ventosa cum desaeviat Euri procella perstrepens, Altitonans de montibus Cum nubilosa grandine, Sylvae ruantque protinus, Turbetur et actus maris, Minas et astris inferat Ventus crepanti fulmine; Ferit pavor mortalium [Col. 0321C] Tunc corda contrementium, Ne sternat ira coelitus Propaginem terrestrium. Quisquis sapit pericula Vitare corde provido, Fugit timens haec omnia, Tutum capessat ut locum. Sic ingruente maximo Adversitatum turbine Totis petenda viribus Coelitonantis dextera. Beatus ille praeminet Qui tunc volante praepete Oratione machinam Poli penetrat arduam! [Col. 0321D] Alas habet haec aureas Volucris ore lucida. Laevam regit jejunium, Dextram tenetque largitas. Hanc noscit ordo coelitum, Gaudens salutat advenam, Offert eamque gloriae Tribunal ante principis. Votiva mentis xenia Tunc prendit, ipsa lactea Poli revisit climata, Donisque omnia gratiae.

CAP. XVI.

At vero si bene regentibus et praecepta Dei custodientibus [Col. 0322A] aliqua in hoc mundo adversa contigerint, nec mox debent contristati ab eo refugere atque de ejus auxilio desperare, sed fiducialiter agere, ac de Dei bonitate pleniter confidere. Siquidem haec transitoria vita est justo tentatio tota, in qua plus interdum nocent prospera quam adversa; quia Dei electos prospera dejiciunt, adversa vero erudiunt. Ut enim sapientes perhibent, quinque temporum varietatibus regnum terrenum consistit. Nam primum tempus laboris est, quando per fragores hostium et bella contenditur. Secundum vero quando ipsum regnum suis incrementis ut luna usque ad plenitudinem tendit. Tertium tempus est ipsius plenitudinis, quando undique ab omnibus non offenditur, sed in plenitudine gloriae suae tanquam plenilunii [Col. 0322B] claritas nobilitatur. Quartum tempus est in quo ipsius regni sublimitas instar lunae decrescere incipit. Porro quintum, quod est novissimum, tempus est colluctationis et contradictionis, quando rei publicae quasi turris Siloa summa corruit, ac nullus ad ipsam rem publicam stabiliendam quidquam boni facere vult. Unde colligendum est quam mobilis et quam variabilis sit terreni regni gloria, quae nunquam in eodem statu perseverat, sed sicut luna ut per momenta crescit in prosperis, ita et decrescit in adversis. At vero gloria sine mobilitate nequaquam in terrestri, sed in coelesti regno invenitur. In momentanea enim hujus saeculi potestate, et confusa rerum transibilium inconstantia, quomodo saepe ex procellis adversitatum serenitas redditur, ita in procellas [Col. 0322C] serena mutantur.

Itaque si aliqua contigerint adversa, qui providus est rei publicae gubernator, non statim talibus tempestatum turbinibus infringatur, sed e contra valida mentis fortitudine in Domino confortetur, atque Omnipotenti gratias in adversis referat, qui in prosperis successibus de Domini sui clementia grates agebat. Parum est enim quando in Dei beneficiis, quae nobis accidunt, gratulamur. Nam et hoc gentilis facit et Judaeus et publicanus et ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in iis quae adversa putantur, referre gratias Creatori, ut in Dei praeconium mens laeta prorumpat, dicamusque: *Nudus* exivi *de utero matris meae, nudus et redeam.* Sicut placuit Domino, ita factum est; sit nomen Domini [Col. 0322D] *benedictum* **(Job. I, 21)**. Quoties enim aliqua tribulatio in mundo evenerit, qui boni sunt, velut vasa sancta, gratias agunt Deo qui eos castigare dignatur; illi vero qui sunt superbi, vel luxuriosi, vel cupidi, blasphemant contra Deum et murmurant dicentes: O Deus, quod tantum mali fecimus ut talia patiamur? At vero de bonis tribulatis ita in Job legitur: *Beatus homo qui corripitur a Domino! Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt* **(Job. V, 17, 18)**. Nam fomentis lenibus, quibus nos Deus consolatur saepe, saepe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adjungit, et quasi clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes et [Col. 0323A] cariosa vulnera adurere, cauterio non parcit; non miseretur, ut magis misereatur.

Interdum vero plus nobis utilia sunt bella et quaelibet adversa quam pax et otium, quia pax delicatos et remissos facit ac timidos; porro bellum et mentem acuit, et praesentia quasi transeuntia contemnere persuadet. Ac saepe superna disponente gratia

dulcissimos fructus majoris pacis et concordiae progenerat. Unde et Constantinus imperator, Suaviores, inquit, sunt amicitiae post inimicitiarum causas ad concordiam restitutae. Quisquis vero bonus et justus rector spirituales et carnales hostes nec non quaelibet adversa vel evadere vel triumphaliter vincere desiderat, armamentis spiritualibus munitus atque ordinatus fiat, juxta Apostolum indutus lorica [Col. 0323B] justitiae, galea spei, nec non clypeo fidei protectus, ac divini sermonis gladio coruscus emineat. His enim et talibus armis sanctos atque clarissimos terrarum reges fuisse munitos, et superasse adversarios, et ampla tropaea de hostibus retulisse, atque inclyta regna diu et feliciter gubernasse, multis Scripturarum locis saepissime legimus. Quomodo sanctus David, ut alios causa brevitatis omittam, armis spiritualibus praeditus, quia Deum verum toto corde timebat et amabat, multa evaserat pericula, atque hostes Domini digna saepe perculit ultione.

Ut globus lunae modo luce crescit Ductus in sphaeram radiis coruscam, Nuncque decrescit variante motu
Corniger orbis:[Col. 0323C] Regna sic terrae bifido tenore Gloria creseunt modo prosperante, Nunc et adversis minuuntur ortis
Aulica sceptra. Res quid humanas querimur fugaces Esse ceu fumus fluviusque praeceps? Nonne sic mundi variant recursum
Haec elementa? Post diem claram tenebrae sequuntur, Post serenatas placidas et auras, Illico surgit nebulis opacis
Saeva procella. Taliter dulcem sequiturque pacem Litium gurges subitae ruinae. Unde marcescit hominum propago[Col. 0323D]
Flos velut agri. At pius princeps Domino potenti Corde contrito hilarique vultu Gratias, postquam nova damna sentit,
Taliter offert. Patris excelsi benedicta proles, Qui creas totum renovasque mundum, Nunc tuae grates ferimus salubri
Nos medicinae. Tune castigas medicante virga Nos volens salvos nitidos ut agnos In tui sacra gregis esse caula,
Optime pastor. Unde myrrhati calicem liquoris[Col. 0324A] Quem pie nobis tua dextra porgit, Simus ut salvi, bibimus libenter
Dona salutis. Nosque lorica renitente justi, Ac spei tuta galea, flagrante Ense sermonis, fideique scuto
Quaesumus arma. Et crucis signo radiante cornu Exhibe votis populi precantis Hostium cunctos superare fastus
Te dominante.

CAP. XVII.

Qui bonus est princeps, multis virtutum praeconiis adornatur, maxime vero clementia, mansuetudine, animae tranquillitate, nunquam recipiens tempestatem, [Col. 0324B] sed pacis concordiam quam fieri potest semper amplexans, non solum erga suos, sed etiam circa inimicos; quos exemplo patientiae atque clementiae pium et magnanimum rectorem vincere oportet, testante Psalmista, qui ait: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* **(Psal. CXIX, 7)**. Prudens igitur dominator per pacis connexionem studet

semper amplificare, ordinare atque gubernare imperium; cum pax sit omnium rerum tranquillitas ordinis et connexio et incrementum regiae potestatis. Ut enim discordia maximae res labuntur, ita concordia pacis etiam minima crescunt. Unde Publio Scipione interrogante, qua ope res publica Numantiae prius invicta durasset, aut post fuisset eversa, Tyrseus quidam Numantinus respondit: Concordia, invicta; [Col. 0324C] discordia, exitio fuit. Siquidem Numantia civitas per annos XIV, solis IV millibus suorum, XL millia Romanorum non solum sustinuit, sed etiam vicit. Concordia dissensiones reprimit, aspera ad lenitatem, adversa in prosperitatem, inimicitias ad amicitiarum tranquillitatem reducit; amabilis inter amicos, inexpugnabilis ab adversariis, desiderabilis etiam ab inimicis. Haec serena est domi, victrix in praelio; licet neque bellis velit esse implicata, nisi cum pernecessaria et justissima exegerit causa.

Sed sunt nonnulli qui successu terrenae felicitatis et tumore superbiae in tantum existunt elati, ut pacem ab hostibus oblatam spernere, et injusta bella suscipere non pertimescant; et, quod est gravius, duobus forte bellis impliciti, tanquam Spartanorum [Col. 0324D] furore, tertium non recusent. Sed saepe tales virga divinae ultionis juste intereunt, quoniam pacis donum sibi oblatum suscipere nolunt. Quomodo Amasiae regi Judae contigisse legimus, qui misit nuntios ad Joas filium Joachaz filii Jehu regis Israel dicens: *Veni et videamus nos* **(IV Reg. XIV, 8)**. Remisitque Joas rex Israel ad Amasiam regem Judae dicens: *Carduus Libani misit ad cedrum quae est in Libano, dicens, Da filiam tuam filio meo uxorem.* Transieruntque bestiae saltus qui sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloria, et sede in domo tua. Quare provocas malum, ut cadas tu et Judas tecum? Et non acquievit Amasias. Ascenditque [Col. 0325A] *Joas rex Israel, et viderunt se ipse et Amasias rex Judae in Bethsames oppido Judae;* percussusque est coram Israel (IV Reg. XIV, 9-12).

Libet etiam commemorare quod de ipso Juliano principe in historia refertur ecclesiastica, qui multos vicos castraque detinens, jam etiam civitates Persarum capiebat. Cumque venisset Ctesiphontem civitatem, in tantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur, offerens dare suae patriae partem, si soluto bello discederet; quod Julianus noluit, neque supplicantibus est misertus, neque mente percepit, quia vincere quidem bonum est; supervincere, nimis invidiosum. Credens utique magicis artibus, et falsa spe victoriae praesumens; qui dum fuerat in equo et exercitum confortabat certum sperans triumphum, [Col. 0325B] contra illum jaculum repente delatum, discurrens per brachium in ejus latus immersum est. Ex hoc vulnere suscepit terminum vitae. Qui vero justissimum intulit vulnus, hactenus ignoratur, sed alii quemdam invisibilium hoc intulisse ferunt, alii vero unum pastorem Ismaelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum. Sed sive homo, sive angelus fuerit, palam est quia divinis jussionibus ministravit. Aiunt enim quia dum fuisset vulneratus, mox manum sanguine suo compleverit, et in aerem projecerit dicens: Galilaee, vicisti! Et in eo ipso confessus cum blasphemia victoriam.

Nullus ergo pacis gratiam fastu temerario debet spernere, aut post hostes prostratos elato corde superbire, quomodo praefatus Amasias et Julianus fecerunt. [Col. 0325C] Unde

scriptum est: Non laeteris super inimici tui interitum, ne forte superveniant in te similia **(Eccli. VIII, 8)**. Et iterum: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum* **(Prov. XXIV, 17)** . Nam Deo displicet quisquis exaltat se in malis alterius. Unde beatus David de suorum interitu inimicorum non solum non erat laetatus, sed vehementer fuerat contristatus, affectu charitatis plangens fortes Israel a Philisthaeis fuisse prostratos, et dicens: *Inclyti Israel super montes suos interfecti sunt.* Quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte laetentur filii Philisthiim, ne exsultent filiae incircumcisorum. Et caetera **(II Reg. I, 19)**. Quibus evidenter ostenditur quantum pietatis [Col. 0325D] affectum sanctus David etiam erga inimicos habebat.

O quam pacificos Cunctipotens amat! Quis regnum Solymae perpetis annuit Illos angelici gratia schematis Ornans clarificat pectore vultibus, Quorum simplicitas cordibus insita, Sicut mos avibus felle carentibus. Hac gaudet sobole celsithronus Pater, Haeredesque suos hos Deus eligit. Pacem qui sequitur, splendidus enitet, Et verbis redolet mel velut Atticum. Qui pacem renuit, in tenebris manet, Et caecus gradiens in foveam cadit. Nam discors animi turbida motio[Col. 0326A] Expers consilii naufraga parturit Incautis ducibus saepe pericula, Quam mortis sequitur mox violentia. Pax vero medicans dissona glutinat, Pax lites reprimens gaudia seminat, Pax jungit populos perpete foedere, Regnum pace regit rector et optimus. Quis charisma placet pacis aromate Virtutum redolent sicut olivifer Mons pinguis Domini, quo fluit affatim Lac mel Christicolis nectaris ubere.

CAP. XVIII.

Gloriosi principes et reges atque duces timorem Altissimi ante oculos habentes, neque de pacis tranquillitate, neque de triumphis victoriae sibimet [Col. 0326B] arrogabant, sed totum Omnipotentis gratiae deputantes, dignas gratulationes sacraque vota, seu pro statu pacis, seu pro transacta victoria, Domino persolvebant, qui dat salutem et gloriam regibus in ipso fiduciam spei habentibus, qui voluntatem diligentium se faciet, et orationes eorum exaudiet, salvosque faciet eos; quia custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet: Sapientia quoque hoc ipsum attestante atque dicente: *Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectatione veniet vobis misericordia* **(Eccli. II, 9)**. Unde per Joel prophetam dicitur: *Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel* **(Joel. III, 16)**. Quem pro multitudine misericordiarum suarum, et abundantia consolationum, et largitate beneficiorum, quibus humano [Col. 0326C] generi ineffabili bonitate consulit, admirari et praeconiorum laudibus ac benignis devotionibus exaltari et honorari oportet; Psalmista nos exhortante atque dicente: *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum* **(Psal. CVI, 21)**. Cui et illud concinit quod in Deuteronomio legitur: *Ipse est laus tua et Deus tuus, qui fecit tibi haec magnalia et terribilia, quae viderunt oculi tui* **(Deut. X, 21)**. Unde et Israel populus duce Moyse pertransito mari Rubro, submersisque pelago Aegyptiis, canticum exsultationis Domino personuit, quia ejus magnifica in se beneficia persensit. Quid autem referam de famosis et sanctis ducibus ac regibus ejusdem populi, qui quoties de manibus inimicorum liberati, vel de hostibus fuerunt victoriosi, liberatori

[Col. 0326D] et protectori suo tam hymnicas laudes quam pacificas hostias caeteraque vota Domino acceptabilia retribuebant? Inter quos ille devotus hymnidicus David pro collatis sibi a Domino beneficiis spiritualiter exsultans aiebat: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi* **(Psal. XII, 6)**. Hinc ille populus per Nahum prophetam admonetur dicentem: *Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua* **(Nah. I, 15)**. Quanta vero bona ipsa plebs Domini consequebatur, per Joel prophetam breviter ita describitur: *Et comedetis vescentes et saturabimini, et laudabitis nomen Dei vestri qui fecit vobiscum mirabilia, et non confundetur populus meus in aeternum* **(Joel. II, 25)**.[Col. 0327A]

Sed et in Novi Testamenti tempore multi sanctissimi rectores, beneficiorum Altissimi non fuerunt immemores; sed quanto caeteris divina largiente gratia fortiores eminebant et gloriosiores, tanto magis Omnipotenti dignos recompensabant honores; qualis erat magnus et optimus imperator Constantinus, qui insigni pietate decoratus, superna disponente providentia, potitus est Europa universa atque Libya; super has etiam maximam Asiae partem tenens, subjectos habuit ubique devotos. Sed etiam barbarorum alii quidem sponte serviebant, alii devicti. Ubique triumphi videbantur, et victor cernebatur in omnibus imperator, qui divinae celsitudinis potentiam cognoscens atque admirans, et tanta sibi et humano generi collata per Omnipotentis [Col. 0327B] gratiam beneficia enumerans, divitias divina laude atque honoris gloria refertas in hunc modum descripsit dicens: Sacratissimam custodiens fidem, veritatis luce participatus sum; luminis veritate gubernatus, sacram agnosco fidem. Denique per hoc, sicuti res ipsa confirmat, venerabilem religionem esse conspicio, et doctrinam agnitionis sanctissimi Dei omnibus offerentem. Hujus cultum me habere profiteor, quia hujus Dei virtutem in auxilio habens, inchoans a finibus Oceani, omnem terrarum orbem firma spe salutis obtinui. Hunc Deum colo, cujus signum Deo dicatus meus exercitus portat in humeris, et a quo dum justo sermone aliquid poscitur impetratur. Ex ipsis autem tropaeis insignibus beneficia repente suscipio. Hunc itaque Deum immortali [Col. 0327C] memoria me honorare profiteor, eumque summa puraque mente super omnia esse credo. Hunc inclinatis genibus invocabo, qui puram tantummodo mentem et immaculatam animam ab omnibus exigit; virtutis et pietatis actus exquirit, mansuetudinis et clementiae delectatur operibus, mites amat, habet odio turbulentos, diligit fidem, punit perfidiam, omnemque potentiam cum fastu despicit, superborum punit asperitatem, ad fastum elevatos perimit, humilibus autem ac patientibus digna retribuit. Quibus omnibus consideratis, multas Deo refero gratias, quoniam integra providentia omne genus humanum colens legem divinam, reddita sibi pace decenter exsultet.

Et haec quidem piissimus atque Christianissimus [Col. 0327D] imperator dans gloriam Deo pro immensis ipsius beneficiis dicebat. Quis enim rector sub Christiani nominis titulo insignitus, atque ab infantia tutela matris Ecclesiae ubere lacte sinu educatus, et in principali dignitatis apice divina disponente gratia sublimatus, non jugiter Omnipotenti victimas gratiarum offeret, non illius voluntati humiliter atque ardenter obedire, et sanctis ejus servis placare non magnopere contendet? si rex impius Nabuchodonosor Deum Israel honorat, si Alexander Magnus cum esset paganissimus illius templum adiit, illius majestati cervicem subdidit, se genibus provolutus curvat, ab illo auxilium efflagitat, illi victimas immolat, atque insuper sancti pontificem templi Jaddum plurimis

[Col. 0328A] honoribus sublimat. Theodosius quoque lux imperatoriae dignitatis sacratissima, pro beneficiis a Deo sibi collatis creberrimas gratias referebat, multis honoribus Christo suo vota compensans, quibus Christi amore refertis, tam Hierosolymis ecclesias constitutas quam per singulas civitates positas multum honoravit, et cum Hierosolymam pergeret, et cum denuo remearet.

Si pax proveniat, seu plaudant ampla tropaea,
Arroget incautus talia nemo sibi. Nam Deus omnicreans, ingratos atque superbos
Mente sui cordis spernit ubique duces. Diligit et mites, grates Dominoque ferentes,
Cujus multiplices gratificantur opes. Nam neque divitiae faciunt neque regna beatos,[Col. 0328B]
Si non celsithrono laus sit honorque Patri. Ob hoc eximius divino munere princeps
Hymnidicas laudes vota Deoque ferat. Dum pax arridet, tumidus dum sternitur hostis,
Dum pollet terris copia plena bonis, Dum Deus ex alto regem populumque triumphet
Magnifice plebem glorificando suam. Absit murmurium populo, cum manna redundet
Tranquillae pacis multiplicisque boni. Cantica laetitiae potius tollantur in astra,
Tantis pro donis organizare decet. Spiritus omnipotens orbis dum climata refert,
Dum quoque terrigenis regna superna patent.

CAP. XIX.

Nam quisquis est prudens et sanctus Christiani [Col. 0328C] populi dominator, beneficiorum Domini semper fit memor; ideoque beneficii largitorem honoribus magnificat, atque honoratum se esse cognoscit, piaque affectione de privilegiis et causis sanctae matris Ecclesiae, quae est sponsa Dei vivi, conservandis et augendis, nec non de honore ac reverentia sacerdotali laudabilem sollicitudinem habet. Tunc enim se fidelem Dei esse cultorem ostendit, dum Christiana devotione quidquid ad honorem et gloriam Christi sanctaeque ejus Ecclesiae pertinet, ordinabiliter disponere fideli sermone studet, seque omnibus adversitatibus, si necesse fuerit, ob defensionem populi Dei, tanquam scutum objicit, qui se suumque regnum divina protectione defendi exoptat. Nec cessat augere honoribus Dei Ecclesiam, qui vult suum augeri [Col. 0328D] et amplificari imperium; ac de pace et securitate pia solertia pertractat ecclesiastica, qui transitoriam et aeternam pacem ac securitatem desiderat obtinere. Sit ergo fortis imitator ipsorum principum, qui ante ipsum juste et pie in voluntate Dei regnaverunt, et Christianum populum bene rexerunt, Christique Ecclesiam opportuno solatio foverunt, Dei timorem et coelestis remunerationis spem semper, ante oculos habentes, et omnia quae agebant sive disponebant, secundum voluntatem ejus perficere festinantes, non pravorum iniquitatibus consentientes, sed prava in directa summo studio secundum trutinam justitiae transferentes. Sciebant enim quia qui emendare potest et negligit, participem se procul dubio delicti [Col. 0329A] constituit, quomodo in libris Regum narratur de Heli sacerdote, qui filiis suis in cultu divino delinquentibus, et populo oblationes suas Deo offerenti vim facientibus, insuper et cum mulieribus quae observabant ad ostium tabernaculi dormientibus pepercit, et non eos auctoritate paterna acriter corripuit. Quanta vindicta super eos venit, et super omnem populum! Quoniam traditi sunt ipsi filii simul cum arca Domini et universus populus in manus Philisthiim, et caesus est

Israel plaga magna nimis, ita ut triginta millia peditum ibi cecidissent, quoad arca Domini capta est. Duo quoque filii Heli, Ophni et Phinees, mortui sunt, ipseque Heli cum audiret arcam Dei captam et filios suos mortuos, cecidit de sella retrorsum, et fractis cervicibus mortuus est; [Col. 0329B] sicque sacerdotium ab ejus domo ablatum ad aliam domum translatum est; nec quisquam de stirpe Heli ultra in templo Domini ministravit.

Hoc itaque exemplo et aliis similibus, quae in Scripturis sacris referuntur consideratis, sacratissimi principes atque rectores non recipiebant personas adulatorum, mel dulcedinis verborum pravae persuasionis veneno intermiscentium, nec consentiebant fraudibus iniquorum nequiter blandientium; quoniam si illis consentiatur in talibus nequitiis, non solum ipsi peccantes, sed et eis consentientes pariter interibunt. Ac boni et prudentes reges, quoniam ipsi recte vivunt, pio zelo praevaricantes disciplinabiliter redarguunt et corrigunt; unde sibi duplicem remunerationis a Domino palmam acquirunt, dum male [Col. 0329C] in subjectis redarguere, et eosdem ad bona verbo et exemplis provocare student. Oportet enim Deo amabilem regnatorem, quem divina ordinatio tanquam vicarium suum in regimine Ecclesiae suae esse voluit, et potestatem ei super utrumque ordinem praelatorum et subditorum tribuit, ut singulis personis et quae justa sunt decernat, et sub sua dispensatione prior ordo devote obediendo fideliter subditus fiat. Et ideo in bono rectore debet laudabilis intentio esse, et bono studio illud providere, quatenus praepositi ecclesiarum Dei suum locum legitime teneant, eisque ad hoc adminiculum regia clementia tribuat, ut officium suum secundum mandata Dei et sacrorum canonum instituta pleniter agere valeant; nec eis saeculares potestates impedimento fiant, sed potius ad [Col. 0329D] fidem Dei servandam et cultum justitiae perficiendum faveant. Ideoque, ut in superioribus praediximus, per singulos annos synodales fieri conventus necesse est, ubi ecclesiastica jura et negotia juste et legitime discutiantur. Idcirco diligentissime bono et pio rectori providendum est, ut sanctificatio nominis Domini, quae in locis Deo consecratis manet sine ulla reprehensione, in quantum possibile fuerit, servetur. Et tales rectores atque dispensatores in eis constituantur, qui sine inexplebili avaritia atque luxuria res bene tractent divinas, et Dei servis atque famulabus sufficientem victum atque vestitum tribuant, viduisque et orphanis atque pauperibus juxta canones provisionem condignam primum impendant, et [Col. 0330A] servitutem congruam regi orthodoxo de rebus quae supersunt exhibeant; ut primo ordine fiat quod ad divinum, et in sequenti quod ad humanum pertinet obsequium. Nam si provida solertia erga carnales milites cura sit exhibenda, quatenus eis cuncta necessaria erogentur impendia; et qui plus in bellicis tumultibus laborant, et ad profectum rei publicae devotiores et fortiores, atque utiliores fiunt, plus mercedis et honoris accipiunt; quanto magis providendum de spiritualibus Christi militibus, quorum sanctis laboribus et orationibus ipsa res publica servatur incolumis et illaesa? Hostes quoque visibiles et invisibiles superantur, copia rerum temporalium cum prosperitatis eventu cumulatur. Sancti angeli in adjutorium populo invitantur, serenitas pacis [Col. 0330B] redditur, imperium amplificatur. Postremo regia dignitas et honorificentia diu atque feliciter potestate extenditur, ac filii filiorum in apice regni nobilitantur.

Orthodoxus ac beatus ille rector eminet Qui Dei timore mactus atque amore fervidus Anteponit illa semper aulicis negotiis Christiana quis ubique crescit alma gloria. Qui pio

tenore servat omne privilegium, Unde regis candidata sponsa Christi gaudeat. Qui lupos rapaces arcet aequitate regia, Christiana ne premantur improbis ovilia. Ipse zelotes et instat ardens more fulminis, Emicans et ultor ensis insequendo reprobos. Auribus modestis ille verba temnit aurea,[Col. 0330C] Ne mel ore suggerentis det venena toxica. Nam colax in ore gestat arte verba mellea, Cordis ac sinu retentat intus felle machinas. His homunculis resistat Christianus arbiter. Scita legum mos et ordo patriaeque regulae, Ac Dei colat ministros sanctitate fulgidos, Qui Deo placere norunt ore, corde, moribus. His precantibus beatis res beata publica Omnibus bonis abundat, sicut arva fructibus. Principis honor thronizat, ac tropaea buccinant Laeta pax ubique regnat quieta gaudia.

CAPUT XX.

Has autem paucas de multis, divinas et humanas historias percurrens, vestrae, domine rex, excellentiae commonitorias obtuli litteras, vestro amore ad hoc [Col. 0330D] opusculum instigatus, sciens me debitorem esse vestrae celsitudinis obsequio; utile fore perpendens, si quae sparsim in divinis et humanis eloquiis de quibusdam malis regibus sive principibus leguntur, in unum breviter deflorarem opusculum; unde possit vestrum delectari ingenium, et nostrae devotionis erga vestrae claritudinem intelligentiae manifestari benivolum queat obsequium. Sic et apes ex diversis floribus mella in utilitatem dominorum transitura colligunt, quibus gratissimos favos artificiosa dispositione componunt.

Hos itaque apices velut enchiridion vestri sagacitas ingenii saepius transcurrendo perlegat, quatenus facilius animadvertere possit quanta mala malis, et [Col. 0331A] quanta bona bonis rectoribus superna et divina justitia rependat. Ut enim reprobis praesentes offensiones, calamitates, captivitates, filiorum orbitates, amicorum strages, frugum sterilitates, pestilentias intolerabiles, breves et infelices dies, diuturnas aegrotationes, mortes pessimas, et insuper aeterna supplicia retribuit; ita e contra justis et sanctis rectoribus multa in praesenti solatia, divitiarum abundantiam, triumphorum gloriam, pacis tranquillitatem, praeclaram sobolis indolem, multos et felices annos ac perpetuum regnum in futuro donat. Nam sicut impiis sive prospera sive adversa cuncta in exitiosos fines accidunt, sic electis Dei omnes adversitates seu felicitatis eventus in bonum concurrunt, testante Apostolo qui ait: *Omnia autem concurrunt* [Col. 0331B] *in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti* **(Rom. VIII, 28)**. In adversis quidem pro tempore exercitati, sed in prosperis abundanter a Domino consolati; fastu superborum despecti, sed coelesti juvamine victoriosi. Quorum meritis et sanctarum precum intercessionibus hostes superati, principes capti, urbes munitissimae fractae sunt tanquam tela araneae, maria fuerunt pervia, fortia quaeque facta sunt infirma, et quae infirma existimabantur mox exstiterunt fortia. Aer quoque saepe ventis, nubibus et grandine contra rebelles decertavit, ultoribus aether ignibus atque tonitruis super hostes intonuit, aequora violentissimas exercuerunt tempestates, angelica deservierunt ministeria, sol luna caeteraque sidera cursum stabiliri statuerunt, terra vivos [Col. 0331C] deglutivit ac mortuos, ab inferis eadem evomuit. Omnes enim creaturae eis erant subjectae, quoniam ipsi Creatori corde, verbo et opere subditi permanserunt. Quippe quorum erat sanctum studium Deum timere simul et amare, sacra perscrutari eloquia,

[Col. 0332A] noscentes gloriam regum esse investigare sermonem et Dei sapientiam, sicut scriptum est: *Posside sapientiam, posside prudentiam principium sapientiae;* arripe illam et exaltabit te, glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus; dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te (Prov. IV, 5-9).

Has igitur artes Omnipotenti beneplacitas studiose didicerunt, juste judicare, humiles ac benevolos esse erga bonos, superbos vero et invectos in malos; pauperes alere, ecclesias Dei adjuvare, nec spem in transitorio et caduco regno ponere, sed in coelesti et permanentis semper regni beatitudine votum ac desiderium collocare. Quorum exempla et insignia gesta, atque felicem transitoriae vitae cursum, insuper aeternae retributionis gloriam vos semper [Col. 0332B] amare, cogitare, atque imitari, domine rex, summopere decet. Sic enim Dominus omnipotens erit custos et defensor vester contra omnes adversarios vestros, quos magnifica potentia sua conteret pedibus vestris, vel bellico seu pacis jure subjiciet, et corona gratiae suae vos in omnibus adornabit, dies vestros cum felicitate et gloria in hoc saeculo extendens, atque justorum consortio regum qui Deo placuerunt in perpetua felicitate constituens. Et erunt *filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae* **(Psal. CXXVII, 3)**. Sedebunt post vos in solio regni vestri. Dabit eis longaevam in hoc mundo aetatem scilicet ac felicitatem, si in viis Domini ambulaverint atque mandata ipsius custodierint; insuper vero regnum coelorum, potestate et gratia Salvatoris et [Col. 0332C] Domini nostri Jesu Christi, cui est perpes gloria et potestas cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Explicit Sedulius de Rectoribus Christianis
@ [Col. 0331C]

Sequuntur in Sedulii codice poematia XI brevia de virtutibus. Deinde de vitiis poematia X. Cuncta haec, quia neque auctoris neque aetatis notam praeseferunt, nunc certe omittenda censuimus. Postremo carmina in basilica Romana Sancti Petri olim prostantia, quae videre est apud Gruterum, inter epigr. Christ., T. II, part. I. Sed pauca quaedam nec ibi, neque apud me in inscript. Christ., Script. vet. t. V, videbar mihi reperire, quae ita se habent:

1. *In dextro atrio sancti Petri.* Ingrediens quisquis radiantis limina templi, In varias operum species dum lumina tendis, Inclusum mirare diem fulgore perenni. Cuncta micant, si lux tota luminatur in aula. Ornavit praesul venerandas Symmachus
@ [Col. 0332C] Hic vides epigrammatis aetatem. aedes Priscaque cesserunt magno virtutis honore.

2. *In arca super corpus sancti Petri.* RUFINUS IUVENTIUS GALLUS VIR INLUSTRIS EXPRAEF. URBIS PRO BENEFICIIS DOMINI APOSTOLICI VOTUM SOLVIT.

3. *In fronte foras in ecclesia Sancti Petri, ubi quatuor animalia circa Christum sunt picta.* MARINIANUS VIR INLUSTRIS EXPRAEF. ET CONS. ORD. CUM ANASTASIA INL. FEMINA DEBITA VOTA BEATISSIMO PETRO APOSTOLO PERSOLVIT QUAE PRECIBUS PAPAE LEONIS INVOCATA SUNT ATQUE PERFECTA..

SEDULII SCOTI EXPLANATIONES IN PRAEFATIONES SANCTI HIERONYMI AD EVANGELIA.

(Mai., ibid.) [Col. 0331D]

Beatissimo papae Damaso Hieronymus. Novum opus me facere c. e. v. Damasus papa cum quatuor [Col. 0332D] Evangeliorum volumen Romano sermone variis et inter se discordantibus exemplaribus perspexisset [Col. 0333A] fuisse conscriptum, sanctum Hieronymum pia jussione ad hoc compulit, quatenus per collationem
@ [Col. 0333D] Glossa Teutonica interlinearis, *cesamene prahti.* Graecorum, sed veterum codicum correctum Evangelium Latino sermone conscriberet. Itaque tanti praesulis votis beatus Hieronymus assensit. *Novum opus, et reliqua.* Novum opus se facere dicit, Evangelium scilicet per authentica Graecorum exemplaria correctum, ac Romano sermone conscriptum, quod nemo alius ante ipsum Romanus fecerit, et ideo novum opus appellatur. Satis autem honeste ac verecunde adversus aemulos se excusat, cum non praesumptiosa temeritate
@ [Col. 0333D] Gl., *fravali.* se hoc fecisse, sed beatissimi papae jussione coactum se ad hoc opus accessisse asseveret. *Cogis, pro eo quod est coegisti, per chronismon positum esse intellige,* quo schemate diversa [Col. 0333B] tempora pro aliis temporibus ponuntur. *Ex veteri.* Ex eo quod est opus, per syllemsin, opere assumendum est, ut plena constructio fiat: novum opus me cogis facere ex veteri opere. Vetus autem opus dicit authenticum quodlibet Evangelium Graeco sermone conscriptum, ex quo novum opus suum, correctum videlicet Evangelium et Latine conscriptum, se facere coactum testatur. Unde recte subditur: *ut post exemplaria Scripturarum t.* o. d. q. q. a. s. Exemplaria
@ [Col. 0333D] Gl., *pilid puoch.* dicit non solum Graecos, sed etiam Romanos Evangeliorum codices; neque solum authenticos atque veros, sed etiam novos atque vitiatos libros, et maxime in Latino sermone conscriptos, qui apud varias nationes utriusque linguae per totum terrarum orbem dispersi sunt. Inter exemplar autem et [Col. 0333C] codicem hoc interest, quod codex sit jam scriptum quodlibet volumen, etiamsi ex ipso codice adhuc nihil scribatur; cum vero ex ipso alter codex scribatur, tunc exemplar esse incipit. Multi quoque codices, id est decem vel centum seu plures, unum exemplar appellari possunt, si sensu verbisque nihil discrepent. Codex vero nonnisi unum volumen nominatur.

2 . *Sedeam.* Cum jacendo vel stando vel recumbendo sanctus homo vera a falsis discernere possit, in hoc quod dicit *sedeam, dignitas sancti viri judicantis ostenditur.* Cur autem variorum exemplarium arbiter sedere jubetur, causam subjungit: *et quia inter se variant q.* s. i. q. c. g. c. v. d. Multa namque discrepantia in Romanis exemplaribus erat, quando [Col. 0333D] pene tot exemplaria quot codices fuerant; quando vix ullus codex alteri codici collatus, in sensu et in verbis concordabat. Cujus erroris causas ipse in sequentibus ostendit. Idcirco necesse erat diligenti indagatione discutere, quae sint illa Latina exemplaria quae cum Graeca concordent veritate; ex cujus linguae fontibus pene tota divina Scriptura in Latinum sermonem translata est. Cum enim varii rivuli turbulenti esse sentiuntur, fons purus est requirendus, atque ex authenticis exemplaribus melleus [Col. 0334A] veritatis sapor gratissime percipiendus. *Arbiter,*

comprobator. Hoc distat inter judicem et arbitrum, quod judicis officium est damnare vel absolvere, arbitri vero ministerium est aliquid eligere vel refutare. *Variant, discordant, discrepant. Decernam, dijudicem, comprobem. Pius labor, sed periculosa p.* i. d. c. i. a. o. i. Opus pietatis est Evangelica verba cunctis erroribus eradicatis expurgare; sed quantum ad toxicam aemulorum invidiam imperitorumque judicium attinet, in hoc periculosa praesumptio esse videtur, quod de aliorum scriptis et erroribus ipse judicet; cujus novum opus, quamvis Graecae veritati consentaneum, ab omnibus legentibus erit judicandum. Non quod revera periculosa praesumptio in hoc pio labore esset, cum nullus [Col. 0334B] reprehensor veritatis sectatori formidandus sit, nisi quantum ad invidorum caecum judicium pertinet, quibus talis labor quasi periculosa praesumptio esse videtur. Et bene suum laborem praesumptionem nominat, quod nullus ante eum Latinum Evangelium per recta Graecorum exemplaria sic correxerit.

3. Senis mutare linguam. Subintelligitur ex praecedentibus, periculosa praesumptio est. Senis linguam mutare, est cujuslibet catholici senis loquelam, longo usu in vitiis tritam et usitatam, informare ac meliorare. Per linguam locutio vel loquela intelligitur. In quod autem ipsa lingua mutari debeat, subjungit: *et canescentem mundum ad i.* r. p. Et est sensus: non parvae difficultatis est, sed periculosae [Col. 0334C] praesumptionis esse videtur, ut canescens mundus, id est homines in mundo canescentes, cuncto pristino errore deterso, novum et per me correctum Evangelium, ad similitudinem parvulorum discere incipiant; quatenus senilis lingua more puerili ad recte loquendum instruatur; cum senilis aetas prae omnibus tardior sit ad discendum; majorisque difficultatis sit, hos a pristino usu ad veritatem revocare, quam alios cujuslibet aetatis instruere. *Quis enim doctus,* et reliqua usque *sacrilegum.* Supra dixit quod propter hunc novum susceptum laborem, ab omnibus esset judicandus: nunc enumerat qui sint illi omnes a quibus ipse judicetur, videlicet *doctus quilibet sive indoctus.* Doctum dicit quemlibet in Romano Evangelio, quamvis vitioso, verbis ac sensibus instructum; [Col. 0334D] indoctum, verbis quidem evangelicis imbutum, sed mysticis et abditis sensibus doctrinae evangelicae minus eruditum. Qui utrique, cum in manus correctum ab ipso evangelicum codicem assumpserint, et a prima saliva, id est suo Evangelio, quod prolixo jam tempore usitatum recitant, hoc novum Evangelium distare conspexerint, statim voce judiciaria proclamabunt, talis novi Evangelii auctorem falsarium esse et sacrilegum. *Saliva*

@ [Col. 0334D] Gl., *quasi salivam imbiberant, keslunten.* Imbibit, keslant., priori sensu *Falsarium, erraticum.*

@ [Col. 0334D] Gl., *errare, lugenare* (id est *luegen*) . *Sacrilegum, furem,* violatorem [Col. 0335A] sanctarum sententiarum. Unde autem a temerariis

@ [Col. 0335D] Gl., *fravallen.* judicibus arguendus sit, ostendit subjungens: *quidquid audeam in veteribus libris a.* m. c. Veteres libros, antiquos ac vitiosos Romanorum codices nominat, in quibus necesse erat quae deerant addere; et pro vitiosis, congrua et recta ponere; et quae superflue sunt addita, corrigere, scilicet penitus resecare atque auferre: cum, sicut ipse in sequentibus refert, plura propriaque capitula aliorum evangelistarum in aliis sint addita evangelistis.

4. Huc usque pravas adversum se invidorum objectiones breviter intimavit. Nunc eos arguta dispulsione in sequentibus devincit, et seipsum probabilibus et idoneis causis defendit simul et expurgat. *Adversus quam invidiam d.* c. me. c. Invidiam, alienae

[Col. 0335B] felicitatis odium dicimus. Sed hic invidiam, falsam de se suspicionem

@ [Col. 0335D] Gl., *Vuidarsitht, zurtriuuida.,* qua falsarius et sacrilegus a temerariis judicibus ipse aestimetur, designat. Sed quae sit ipsa duplex causa, qua se adversus aliorum invidentiam dicit consolatum esse, subjungit: *quod et tu, qui summus sacerdos es f.* i. Summum sacerdotem, id est summum pontificem, beatum Damasum nominat. Sacerdos autem dicitur quasi sacrum dans. Cujus piae jussioni consentire laudabile erat; non obedire autem, nota superbiae fuisset. Altera quoque causa, scilicet mendosa codicum varietas subditur: *et verum non esse quod variat, e.* m. t. c. Solidissimum argumentum

@ [Col. 0335D] Gl., *chleini list.* est adversus maledicos

@ [Col. 0335D] Gl., *skeltara.* Infra: *maledicorum, skaltarro.* adversarios, quod et ipsi absque ulla contradictione ore consentaneo comprobant, verum scilicet [Col. 0335C] non esse omne quod variat. Sed haec sententia diligenter investiganda est. Nunquid enim omnia quae varia sunt, vera non sunt? Quid enim magis varium sit atque discrepans quam lux et tenebrae, vita et mors, dulcia et amara, alba et nigra, formosa et deformia, et caetera pene innumerabilia? Nunquid tamen haec omnia vera non erunt, quia varia sunt? Quod valde absurdum est dicere vel credere. Sed ita intelligendum est, quod lux vera non erit, si quidquam tenebrarum in se mixtum habuerit. Nec vera vita, neque vera dulcedo aut albedo vel formositas appellanda est, cui aliqua mors aut amaritudo vel nigredo, aut aliqua deformitas immixta fuerit. Sic etiam quod ait, verum non esse quod variat, sentiendum est, quod liquidum et purum per [Col. 0335D] se verum non erit omne quod aliquo mendacio aut intermixta falsitatis nebula variatum fuerit. Ideoque Romana Evangelia vera non erant, in quantum varia falsitate corrupta fuerant.

5. Quod statim approbat cum subinfert: *si enim* Latinis exemplaribus, et reliqua usque *quot codices.* Unum prorsus exemplar quatuor Evangeliorum apud Latinos esse oportebat, ut licet innumeros codices haberent, tamen ipsi inter se codices nihil in verbis et in sensu discreparent; et sic tot codices unum [Col. 0336A] exemplar fierent. Sed quia tot erant exemplaria pene quot codices, id est quando inter se fere omnes codices sensu et verbis variabant; et verum non erat omne quod mendosa falsitate varium fuerat; liquido concluditur quod Latinis tunc exemplaribus fides adhibenda non erat. In hac itaque sententia ipsos erraticos convincit, ac si evidenter diceret: Si Latinis exemplaribus fides est adhibenda, non multa et varia exemplaria, sed unum absque varietate exemplar habere Latini deberent. At vero Latini non unum ac verum, sed varia falsaque exemplaria habent; ideo Latinis exemplaribus fides non est adhibenda. Nec mirum, centum vel mille aut etiam plures codices, si inter se nihil verbo sensuque discrepent, unum exemplar appellari, cum etiam quatuor [Col. 0336B] Evangelia unum Evangelium appellantur, licet et ipsum Evangelium ex quatuor voluminibus constet. Nec non et multos Veteris et Novi Testamenti codices unum volumen vel exemplar nominare solemus.

6. Quibus autem exemplaribus seu codicibus fides sit accommodanda, insinuat subdens: *sin autem veritas est quaerenda de pluribus,* et reliqua usque *corrigimus.* Graecam originem esse dicit authentica Graecorum exemplaria, ex quibus veluti liquidis purisve fontibus divina Scriptura in Romanum sermonem manasse cognoscitur. In quibus fontibus meram et simplicem veritatem quaerendam, et corrigenda admonet *quae vel a*

vitiosis interpretibus sunt male edita, vel a praesumptoribus imperitis emendata [Col. 0336C] *perversius,* aut a librariis dormitantibus

@ [Col. 0336D] Gl., *ungevuren.* addita vel mutata sunt. A vitiosis interpretibus, id est seu Graeca seu Latina sive utraque lingua minus eruditis; quod ipse in sequentibus dicit, in Marco plura Lucae et Matthaei; rursusque in Matthaeo plura Joannis et Marci; et in caeteris, reliquorum, quae in aliis propria sunt interserendo, posuerunt. *Aut a librariis dormitantibus, id est pervigiles mentis oculos non habentibus, caeca ignorantia detentis. Aut addita sunt aut mutata.* Vitiosi scriptores saepe non solum ex vitiosis exemplaribus eadem vitia scriptitant, sed etiam, sua propria incuria, quaedam superflua addunt, quaedamque vitiosa pro rectis immutant. Nonnunquam etiam rectum ordinem vel verborum vel sensuum, sive utrorumque, transmutando [Col. 0336D] pervertunt. Et quod gravius, nonnulla quae valde necessaria sunt, frequenter omittunt. Quibus quatuor vitiis, id est adjectione, detractione, immutatione, transmutatione, cuncta erroris silva nascitur.

7. Sed ut reprehensibiles erraticos

@ [Col. 0336D] Gl., *fersluoc.* notavit, ita et eos quos quantum ad hoc institutum

@ [Col. 0336D] Gl., *kemeintaz.* opus pertinet, praetermittendos esse existimat, competenter enumerat, cum subjungit: *neque vero ego de veteri* disputo, et reliqua usque *pervenit.* Nota historia est, [Col. 0337A] quod Ptolemaeus Philadelphus rex Aegypti petivit ab Eleazaro pontifice dari sibi divinas Scripturas. Itaque LXX seniores, qui in sacris erant eloquiis edocti, Vetus Testamentum maxima cum industria

@ [Col. 0337D] Gl., *keuuerido, khleini klerti uuistuome.* ex Hebraeo in Graecum transtulerunt sermonem, quorum editionem multi orthodoxi Patres sequentes, in Latinam linguam tertio jam gradu transtulere. Pulchre autem ad nomen Veteris Testamenti alludit, cum ipsum nonnisi a grandaevis et senioribus refert fuisse translatum; ut videlicet Vetus Testamentum veteres et seniores conscriberent. Et quia multa etiam utilia a LXX interpretibus, quasi quadam incuriosa oblivione praetermissa sunt, quod apostolica auctoritas approbat, apte illos seniores nominat, quae aetas obliviosa esse a physicis perhibetur. [Col. 0337B] Quod autem LXX interpretum editionem tertio gradu ad Romanos pervenisse asseverat, in hoc latenter ostendit, propter varios ac vitiosos interpretes, multa vitia in Latinis codicibus fuisse conscripta, quando non ex Hebraicae veritatis liquido fonte, sed per varios turbulentos rivulos tertio tandem gradu sacra veteris Instrumenti Scriptura in Romanum manavit eloquium. In hoc itaque loco et in subsequentibus incuriam suggillat interpretum.

8 . *Non quaero quid Aquila, Symmachus et Theodotion,* et reliqua usque *incedat.* Ecclesiastica refert historia quod hi tres interpretes Ebionitae haeretici fuerunt, quae haeresis asserit Christum, de Joseph et Maria natum, hominem purum fuisse, et legem [Col. 0337C] ritu Judaico esse servandam. Symmachus Graecus fuit temporibus Severi imp. Sed Aquila Ponticus sub Commodo, Theodotion Ephesius sub Adriano, ambo tamen Judaei proselyti in eadem historia fuisse leguntur, ideoque ex Hebraicis voluminibus quasi Hebraei in Graecum sermonem, quem proselyti didicerant, interpretandi peritiam habuerunt. Porro Theodotionem inter novos et veteres idcirco medium incedere dicit, quod aliquando LXX seniorum, nonnunquam vero Aquilae et Symmachi editioni consentaneus invenitur. In quo tacite insinuat Hieronymus quod ipsi Theodotioni, quasi

subtilis ingenii viro, non per omnia LXX interpretum, neque Aquilae et Symmachi editio probabilis fuerit visa; sed nunc istos nunc illos assequens, nunc quaedam peculiaria ex [Col. 0337D] Hebraica veritate assumens, elegantiora quaeque ut sibi visum fuerat edidit. *Sit illa vera interpretatio q.* a. p. Non ego, inquit, nunc, discutio an sit etiam illa vera interpretatio, qua ego ipse ex Hebraica veritate Vetus Testamentum in Latinum transtuli sermonem, cum evidentissime ipsam veram esse constet, quam apostolica mecum simul auctoritas comprobet. Multa namque testimonia ex Veteri Instrumento in apostolicis dictis posita reperiuntur, quae non in LXX interpretum editione, sed in Hebraica veritate, ex qua Hieronymus transtulit, inveniri [Col. 0338A] possunt. Sicuti est illud «Ex Aegypto vocavi filium meum,» et alia plurima.

9. Satis autem honeste ac verecunde de sua tanquam de alterius interpretatione loquitur cum dicit: *sit illa vera interpretatio, quam apostoli probaverunt;* ne videlicet arroganter de seipso loqui videretur *Non* igitur, inquit, *de Veteri Testamento, nec de variis ejusdem interpretationibus nunc disputando judico;* de Novo nunc loquor Testamento, quod Graecum esse non dubium est, et reliqua usque *edidit.* Novum Testamentum proprie vocatur perpetuae haereditatis coelestisque beatitudinis firma Dei promissio, omnibus per fidem in gratia baptismatis justificatis. Testamentum instrumentum dicitur, quod Graecum esse non dubium est, quia nimirum [Col. 0338B] omnes codices Novi Instrumenti primum Graeco sermone sunt editi, excepto apostolo Matthaeo; non quod ipsius quoque Evangelium Graeco sermone non esset conscriptum, sed quia primitus Hebraicis litteris est editum, ac dehinc in Graecum sermonem fuit translatum. *Hoc certe cum in nostro sermone discordat, et in diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quaerendum est.* In Romano sermone varium et inter se dissonum fuisse Evangelium saepe commemorat, quod non limpido puroque fonti, sed propter discrepantes ac varios codices diversis ac turbulentis rivulorum tractibus allegorice comparat; ideoque ex Graeci sermonis fonte purissimo dulcem veritatis haustum quaerendum esse dicit, id est veritatem ex veris Graecorum exemplaribus quaerendam; [Col. 0338C] falsos vero codices penitus refutandos asserit. Unde apte subditur: *praetermitto eos codices,* et reliqua usque *quae addita sunt.* Hi duo, Lucianus et Hesychius, emendarios
@ [Col. 0337D] Gl., *puozzila puoch.* imo falsarios de Veteri et Novo Testamento codices ediderunt, quibus LXX Interpretum editionem praesumptiosa temeritate absque Hebraicae veritatis consideratione
@ [Col. 0338D] Gl., *keuuerido.* emendare conati sunt; nec non ad erroris sui cumulum, in Novo Testamento quaedam superflua et inepta superaddiderunt. Quorum merito codices praetermittendi sunt, in quibus ridiculosa emendatio falsaque additio perspicue cernitur. Potest et aliter intelligi, quod praefati codices nec revera a Luciano et Hesychio facti sunt, sed sub eorum nomine falso titulo a quibusdam perversis sunt nuncupati. Non enim dicit [Col. 0338D] ipsos codices a Luciano et Hesychio factos, sed nuncupatos esse confirmat; sicut quidam pseudoevangelistae sub nomine apostolorum falsa sua Evangelia praetitulaverunt.

10. *Igitur haec praesens praefatiuncula,* et reliqua usque *sed veterum.* Hoc est quatuor tantum Evangelia per authentica Graecorum exemplaria emendata esse proposuimus, omissa de Veteri Testamento disputatione, deque variis interpretibus sive veridicis sive

erraticis. Signanter autem ordinem ipsorum describit Evangeliorum cum dicit: *quorum ordo iste* [Col. 0339A] *est, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes, propter discretionem ostendendam ad falsa Evangelia, quae a quibusdam pseudoevangelistis sub quorumdam sive omnium apostolorum nomine praenotata sunt.* Μετωνυμικῶς autem loquitur, ipsos scriptores pro scriptis Evangeliis nominans. Proprie enim diceretur, quorum ordo iste est κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην *Calamo.* Calamo imperare

@ [Col. 0339D] Ergo Sedulius legebat in textu Hieronymi *calamo* imperavimus, non *temperavimus.* scribere est, sed maluit tropice loqui. Hunc autem ordinem quatuor Evangelia sumpserunt a differenti tempore conscribendi. Nam primo Matthaeus, secundo Marcus, dehinc Lucas, postremo Joannes Evangelium scripsit. Igitur quatuor tantum Evangelia se emendare promittit. Sed qualis sit ipsius emendationis modus, utrum scilicet in verbis et in [Col. 0339B] sensu, an in solis verbis, an potius in solo sensu perturbato, ipsa correctio fiat, breviter explanat subdens: *quae ne multum a lectionis Latinae,* et reliqua usque *ut fuerant.* Facilis sensus est ad intelligendum; nam se asserit ea tantum corrigere quae sensum videbantur immutare, ut non tam

@ [Col. 0339D] Gl., *nols so filo.* de verborum foliis, quam de sensuum fructuosis thesauris procuraret. Hoc autem fecit, ne si verba et sensum per omnia quae discrepabant loca corrigeret, nimia sui operis novitate cunctos offendens, ab utilitate tam magnifici laboris excluderet.

11. Solent autem sancti Patres propter charitatem non solum ab aliis postulata implere, verum etiam quaedam utilissima et necessaria addere. Qua virtute beatus Hieronymus praeditus, non solum [Col. 0339C] Evangelia, sicuti jussum ei fuerat, corrigit; sed etiam quasdam insuper novas ac valde necessarias evangelici voluminis regulas descripsit; de quibus consequenter edisserit, cum subdit: *canones quoque,* et reliqua usque *expressimus.* Canones

@ [Col. 0339D] Gl., *kerihtida.* Graece, Latine regulae dicuntur; quorum nomine non solum evangelicas, sed generaliter omnes quaslibet normales regulas appellare solemus. Ipsos itaque Evangeliorum canones, non sua propria industria

@ [Col. 0340D] Gl., *klerti.,* sed ab aliis illustribus et sapientibus viris inventos, in Latinum se asserit transtulisse sermonem. Tres autem Caesareas legimus, unam Caesaream Cappadociae, quae est metropolis Syriae, et duas in terra promissionis, id est Caesaream Philippi ad radices montis Libani, et Caesaream Palaestinae quae est in littore [Col. 0339D] maris Magni sita, quae quondam Turris Stratonis dicta est, ubi nepos Herodis ab angelo percussus est, et Cornelius centurio baptizatus, cujus Caesareae Eusebius chronicorum scriptor, historiarum expositor, notissimus episcopus floruit.

12. Ob quas vero causas X canones Evangeliorum notati sint atque ordinati, continuo explanat: *quod si quis de curiosis*

@ [Col. 0340D] Gl., *forsklinen, firuizgernen.,* et reliqua usque *cognoscat.* Triplicem, inquit, ob causam canones expressimus, id est interpretati sumus, quatenus quilibet studiosus [Col. 0340A] per eosdem distinctos canones, singula quaeque in Evangeliis capitula, utrum eadem, vel vicina, vel sola sint, cognoscere possit. Eadem autem capitula sunt quae in verbis et in sensu nullum inter se distamen habent. Vicina vero

nominantur, quae vel in verbis vel in sensu, seu in utroque, ut quamdam similitudinem habere noscuntur, ita et ex parte nonnullam dissimilitudinem habent. Sola vocantur, propria quaeque apud singulos evangelistas capitula. Sed sola in decimo canone, eadem vero vel vicina in aliis novem canonibus sparsim posita reperiuntur. Cum igitur aperto codice, quodlibet in Evangelio capitulum perspexeris, canone quolibet ex novem canonibus reperto, procul dubio cognosces qui et quot evangelistae ipsum capitulum ediderint; atque [Col. 0340B] eodem, uno seu pluribus concordantibus evangelistis, perspecto ac recitato capitulo, utrum idem an vicinum sit ipsum apud duos, aut tres, aut quatuor evangelistas capitulum statim praenotabis. Sin vero decimum canonem superscriptum esse videris, proprium ejusdem evangelistae quem recitas, cuncta erroris nebula subtracta, capitulum esse non dubitabis.

13. Quem detestandum errorem competenter describit cum ait: *magnus siquidem,* et reliqua usque *inveniantur.* In Latinis codicibus duos praecipue erroris modos crevisse dicit, adjectionem videlicet et immutationem. Adjectionem in illis capitulis quae in quibusdam evangelistis plus posita, in aliis qui minus dixerunt sunt addita. Immutationem vero quoties [Col. 0340C] quilibet temerarius ad similitudinem illius Evangelii, quod primum ipse legerat, caetera Evangelia emendaverit, alia scilicet verba pro aliis, licet in eodem sensu, ponendo. Unde accidit ut omnia quae variis in locis vicina vel sola reperiuntur, in aliis evangelistis immutata vel addita ponerentur. Nam vicina immutata; sola vero, quae etiam propria dicuntur, sunt addita. Eadem autem, quia nulla secundum erraticorum aestimationem ratio exigebat, nec mutata nec addita fuerunt.

14. Quaeritur cur etiam alios duos erroris modos, quibus Latinum Evangelium vitiatum fuerat, scilicet detractionem et transmutationem, in hoc loco non commemorat. Ad quod respondendum, quod errorem eorum hic specialiter redarguit, qui pleraque [Col. 0340D] addendo sua industria, nonnulla vero immutando, quatuor Evangelia emendanda esse censuerunt. Caeterum
@ [Col. 0340D] Gl. *andarstabo.* quae recta et plenaria sunt, vel minuere vel transmutare, vitiosa negligentia vitiosorum interpretum, vel librariorum dormitantium, sicut etiam supra dictum est, contingit. Potest autem nomine immutationis, etiam transmutatio, adjectio et detractio intelligi. Cum enim quodlibet capitulum pro alio capitulo ponebatur, aut majus pro minori, in quo quaedam adjectio fiebat; aut minus pro majori, in [Col. 0341A] quo detractio erat; aut aequale pro aequali capitulo immutabatur. Notandum autem quod μετωνυμικῶς ipsos evangelistas pro Evangeliis nominavit. Quali autem remedio, vel quibus regularibus normis praefatis erroribus succurratur, subjungit: *cum itaque* canones legeris, et reliqua usque *restitues.* Quomodo per distinctos canones cognoscantur, quae sunt in Evangeliis eadem vel vicina vel sola, supra expositum est. Nunc notandum est, quod similia nominando, eadem ac vicina capitula designat. Quid enim plus simile dici potest, quam quod idem aut vicinum est?

15. Ostenso in superioribus canonum numero, modo ipsos canones propriis definitionibus describit dicens: *in* canone primo, et reliqua usque *ediderunt.* [Col. 0341B] In primis sciendum est, horum canonum quatuor esse modos; primus modus est, in quo quatuor evangelistae concordant, qui primum solummodo canonem continet. In quo

primo canone quatuor species esse videntur: aut enim unus evangelista semel in uno aliquo capitulo aliquam causam ex toto vel ex parte dicit, aliique tres diversis capitulis mulpliciter narrant. Aut duo semel, et duo multipliciter. Aut omnes aequaliter, hoc est semel omnes, quando quatuor evangelistae nonnisi singulis capitulis eumdem sensum exprimunt. Secundus canonum modus est, in quo tres evangelistae consonant. Sed ipse modus tres canones complectitur; in quibus tribus canonibus tres formulae reperiuntur. Nam aut unus semel, et duo multipliciter; aut duo semel, [Col. 0341C] et unus multipliciter; aut omnes tres aequaliter in ipsis consonant canonibus. Tertius modus est, in quo duo evangelistae concinunt, quo tertio modo quinque canones concluduntur, in quibus quinque canonibus biformis varietas elucescit. Aut enim alter semel, et alter multipliciter; aut ambo aequaliter in his quinque canonibus ipsa capitula contexunt. Quartus modus est, in quo nulla concordantia, nullaque inter evangelistas invicem dissonantia habetur. Ubi enim nulla inter plures collatio est, nec concordantia nec dissonantia fieri potest. Iste autem quartus modus decimum solummodo canonem continet.

16. De ordine horum quatuor modorum quaestio oritur, cur iste quartus modus, qui ad decimum canonem [Col. 0341D] pertinet, non primum locum ante caeteros modos obtinet, cum in decimo canone singuli evangelistae sola vel propria narrent; vel cur non est secundus modus, ubi duo; et tertius, in quo tres; et quartus, ubi quatuor evangelistae concordant, cum hic ordo melior sit, qui a singulis ad binos ac ternos quatuorque consurgit? Sed respondendum quod non ab ordinabili numero, sed ab excellentia numerosioris concordantiae isti quatuor modi ordinati sunt. Nam ubi maxima inter quatuor evangelistas concordantia est, primus modus esse debet; [Col. 0342A] secundus, ubi inter tres; tertius, ubi inter duos evangelistas consonantia habetur. In quarto limite ille modus collocandus est, in quo nulla concordantia, sed absoluta singularitas evidentissime cernitur. Notandum quoque quod hic numerus X canonum in quatuor Evangeliis, attestatur doctrinam evangelicam decalogo legis esse concordissimam. Caeterum de numero et ordine eorumdem canonum, in *Plenario*
@ [Col. 0341D] Notemus Sedulii *opus plenarium, quod non aliud esse puto quam ejus Collectanea in Matthaeum.* Nos vero laetamur saltem excerpta ejus inediti adhuc operis edere potuisse. (*Vide supra.*), de quo et haec excerpta sunt, reperies. Illud quoque notandum quod praefati canones non omnes in singulis evangelistis positi reperiuntur. Nam in Matthaeo octo positos esse videbis, excepto octavo et nono canone. In Marco sex, praetermisso tertio, quinto, septimo ac nono canone. In Luca septem, exceptis quarto septimoque canone. In Joanne sex, [Col. 0342B] praeter secundum, quintum, sextum et octavum canonem positos reperies, sicut etiam superior canonum descriptio manifestat.

17. Nunc ad ipsorum argumentationem
@ [Col. 0342D] Glossa Latina, *demonstrationem, notitiam.* canonum stylus sermonis vertendus est, in quo prorsus argumento fructus et utilitas cujusque canonis subtili consideratione discutitur. Singulis vero Evangeliis, ab uno incipiens usque ad finem librorum, dispar numerus increscit. Per singulos Evangeliorum codices bipertitus numerus, capitulorum videlicet et canonum, qui est ad invicem dissimilis, singulis capitulis appositus, id est superscriptus habetur; qui uterque numerus, ab uno, primo

scilicet capitulo atque canone, in singulis Evangeliis incipiens, usque ad finem cujusque Evangelii per ordinem conscendit. Sed [Col. 0342C] non similiter uterque numerus capitulorum et canonum in Evangeliis principium sumit. Nam capitulorum numerus in fronte cujuslibet Evangelii ab uno incipit, ac dehinc per ordinem usque ad finem ipsius Evangelii percurrit. At vero canonum numerus in nullius fronte Evangelii ab uno exordium sumit, cum primum capitulum secundum Matthaeum et Joannem, tertii; secundum Marcum, secundi; secundum Lucam, decimi canonis sit. Sed ab eo loco specialiter incipit, ubicunque in quolibet Evangelio primus canon primum superscribitur; secundo quoque canone ibi incipiente, ubi in Evangelio etiam ipse primo apponitur. Quod et de caeteris canonibus similiter intelligendum est, id est ut tertius et quartus et reliqui omnes canones ibi quisque primus incipiat, ubi in [Col. 0342D] quolibet Evangelio primus superscribitur. (Quod tamen primum capitulum secundum Marcum non in exordio ejusdem canonis, sed quasi in medio ipso canone invenies, id est ubi Matthaeus CIII et Lucas LXX capitulum e regione habent notatum. Prima autem capitula Matthaei et Joannis in exordio tertii canonis habes; et primum capitulum Lucae in principio decimi canonis invenies
@ [Col. 0342D] Haec erant in margine codicis..)

18. Igitur, ut dictum est, capitulorum numerus in fronte cujuslibet Evangelii ab uno inchoat. Canonum vero calculus, licet non in principio cujuscunque [Col. 0343A] Evangelii, tamen ab uno similiter, hoc est primo canone, in quolibet Evangelio exordium habet, secundo et tertio reliquisque canonibus deinceps sequentibus
@ [Col. 0343D] In margine legitur: «nam capitula primi canonis primo loco in quolibet Evangelio usque ad finem computare debemus; dehinc secundo loco capitula secundi canonis; tertio tertii, caeterorumque canonum capitula in quolibet Evangelio secundum ordinem sunt numeranda.». Itaque canones secundum Matthaeum ab octavo (secundum Marcum secundo, juxta Lucam septimo, secundum Joannem decimo capitulo) ab uno, hoc est primo exordiuntur. Quod vero ait utrumque numerum disparem esse, quomodo hoc verum est, cum tertium in Joanne capitulum, hoc est, *erat* autem *lux vera quae illuminat, et reliqua, tertium canonem habeat subscriptum, in quo nulla disparilitas sed numeri aequalitas habetur? Sed disparem numerum dissimili colore designatum appellat.* Unde per se ipsum explanans, continuo subjungit: *hic nigro colore praescriptus sub se habet a.* ex. m. n. d. Nam capitulorum [Col. 0343B] numerus ex nigro, canonum vero rubicundo ex minio colore perscribitur. Et quia capitula ante canones inventa, nigro colore sicut ab initio coeperunt, describuntur, recte canones per capitula inventi, rubicundo colore ob causam discernendae ambiguitatis adnotantur. Sed licet uterque numerus, id est capitulorum et canonum, ab uno incipiat, non tamen in eumdem numeri articulum terminatur. Nam capitulorum numerus diverso limite in singulis Evangeliis clauditur. Canonum vero calculus in decimum semper numerum desinit. Unde recte subditur: *qui ad decem usque procedens indicat p.* n. in quo sit c. r. Numerus canonum juxta unumquemque evangelistam ab uno, id est primo, canone incipiens, in decimo canone terminatur. Siquidem in singulis [Col. 0343C] Evangeliis, licet quidam mediales canones non reperiantur, primus tamen ac decimus canon semper apud omnes evangelistas communiter invenitur.

19. Itaque ne ipsa capitula, quodam confuso errore, in alio nisi in suis canonibus

computentur, subtili indagine praecavet cum subnectit: *cum igitur* aperto codice, et reliqua usque *doceberis.* Rerum ordinem attentius inspice: nam primo nos admonet evangelicum volumen aperire: secundo, quodlibet capitulum ex subsequenti numero per minium subscriptum, cujus canonis sit, dignoscere. Sed quoniam neque in hoc solummodo perfecta ipsius rei cognitio percipitur, nisi etiam illud sciatur, in quibus capitulis vel unus, vel duo, vel tres evangelistae, in eodem vel vicino sensu alii evangelistae concordent, nos ad [Col. 0343D] distinctam seriem canonum recurrere insinuat, ita subnectens: *et recurrens ad principia,* in quibus canonum est distincta congeries, et reliqua usque *adnotabis.* His etenim verbis ad distinctos canonum ordines recurrere nos admonet, ut illud in congerie canonum discamus, in quibus capitulis vel tres, vel duo, vel unus evangelista in consimili sensu cuilibet evangelistae concordet.

20. Et ex hoc loco manifeste intelligitur quod unumquodque Evangelium, non alium nisi suorum capitulorum numerum, debet habere superscriptum. [Col. 0344A] Nam si numerus capitulorum secundum alios etiam evangelistas in unoquoque Evangelio superscriptus fuisset, non nos ad canonum congeriem recurrere admoneret; siquidem hoc necessarium non esset, si in quolibet Evangelio sicut et in congerie canonum, iidem capitulorum numeri secundum plures evangelistas invenirentur. Sed quia nos ad canonum congeriem recurrere admonet, perspicuum est quod illud in congerie canonum discere debemus, in quibus capitulis vel tres, vel duo, vel unus evangelista, in consimili sensu cuilibet evangelistae concordet, quod non in ipso Evangelio, sed in canonum serie discendum esse ostendit: quippe cum unumquodque Evangelium non alium nisi suorum capitulorum numerum debet habere superscriptum. Unde et in [Col. 0344B] superioribus non plures quam duos in Evangelio numeros crescere confirmans, *hic,* inquit, *nigro colore praescriptus, sub se habet alium ex.* m. n. d. Nam si quodlibet in Evangelio capitulum non solum suum numerum, sed etiam numeros capitulorum secundum alios evangelistas haberet superscriptos, non singulariter numerum ipsorum capitulorum, sed pluraliter enumeraret ac diceret: Hi nigro colore praescripti sub se habent alium ex. m. n. d. Sed quia capitulorum numerum quomodo et canonum singulariter describit, illud insinuat quod unumquodque in Evangelio capitulum, non alium nisi suum numerum debet habere superscriptum. At vero huic oppositos secundum alios evangelistas capitulorum numeros, in congerie canonum perquirendos esse admonet.[Col. 0344C]

21. Quaeritur autem cur ipsa aliorum evangelistarum capitula cum proprio cujuslibet evangelistae capitulo conjunctim superscribantur, cum sancti Hieronymi sententia unumquodque Evangelium nullum nisi purum capitulorum numerum habere superscriptum astruere videatur. Sed forte aliquis benevolus ipsorum capitulorum numerum Evangeliis inscripsit, quatenus infirmioribus sensu laborem et difficultatem recurrendi ad congeriem canonum tolleret; aut si forte quilibet ipsam congeriem canonum in suis codicibus adnotatam non haberet, saltem numerum eorumdem capitulorum Evangeliis inscriptum teneret. Unde sicut jam propria cujuslibet evangelistae capitula cognovit, sic etiam qui vel quot evangelistae alii, in suis capitulis huic evangelistae [Col. 0344D] concordent, cognoscere possit.

22. Itaque postquam in Evangelio, cujus canonis sit quodcunque capitulum didicimus,

ad principia, hoc est ad titulos singulorum canonum, recurramus. Nam principium canonis est suus proprius titulus, qui sic praescribitur: *Incipit primus canon, in quo quatuor, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes.* Similiter et caeteri usque ad X canones sua principia, id est proprios titulos habent praenotatos. Sed cognito canone ex inscriptionis titulo, subsequentem capitulorum ejusdem evangelistae tramitem perspice; atque [Col. 0345A] in ipsius serie tramitis, eumdem capituli numerum quem in Evangelio superscriptum notasti, si non mendosus codex fuerit, incunctanter invenies. Sed in aperto codice Evangelii utrumque didicisti, id est numerum capituli, et canonem cujus sit ipsum capitulum. Quid autem proprie discatur in distincta canonum congerie, continuo explanat dicens: *atque e vicinia caeterorum tramitibus inspectis, quos numeros e.* r. h. a. Caeterorum namque est ut in distincta novem canonum serie illud proprie cognoscatur, quod in diversis tramitibus cuilibet capitulo oppositi capitulorum numeri apud unum seu plures evangelistas intelligantur.

23. Sed quid prodest in canonum tramitibus numerum capitulorum solummodo dignoscere, nisi eorum [Col. 0345B] vim ac sensum in contextu ipsius Evangelii ad purum comprehendere possimus? Unde nos ad ipsos Evangeliorum codices recurrere hortatur, cum subinfert: *et cum scieris, recurres ad volumina singulorum,* et reliqua usque *dixerunt.* Cum in quolibet canone intellexeris varios capitulorum numeros, et qui vel quot evangelistae in ipsis variis capitulis cuilibet alii evangelistae concordent, tunc recurrens ad volumina singulorum evangelistarum, statim eosdem capitulorum numeros, quos ante in subnotatis canonum tramitibus signaveras, per singulos evangelistas, id est per singula Evangelia, appositos et superscriptos esse videbis, atque eosdem evangelistas in suis propriisque locis eadem vel similia dixisse reperies. Recurres subinde cum fixa mente [Col. 0345C] et firma memoria. *Volumina, codices singulorum evangelistarum.* Repertis enim subinde in voluminibus singulorum evangelistarum numeris propriorum capitulorum, quos signaveras in canonibus, reperies intus in textu evangelico et loca, id est capitulorum aliorum evangelistarum, in quibus locis vel eadem vel vicina, id est ipsum vel similem sensum, in ipsis capitulis iisdem evangelistae dixerunt. Primo itaque nos admonet, ordinalem cujuslibet capituli numerum in Evangelio scire. Secundo cujus canonis sit ipsum capitulum in ipso Evangelio suspicere. Tertio eidem capitulo apud unum vel plures evangelistas oppositos capitulorum numeros in canonem distinctis tramitibus dinumerare. Quarto vim ac sensum eorumdem capitulorum in contextu evangelico [Col. 0345D] quaerere, id est quatenus utrum eadem sint vel vicina capitula, dignoscere possimus.

24. Sequitur praefationis conclusio: *opto ut in Christo valeas, et memineris mei, beatissime papa.* Magno dilectionis affectu beato Damaso, ut in Christo valeat, exoptat. Deinde praemium suscepti a Damaso operis charitative poscit, cum beatissimum papam, ut in sacris precibus et quolibet spiritali juvamine ipsius meminerit, desiderabiliter exorat. Finit praefatio.[Col. 0346A]

ITEM HIERONYMUS DAMASO PAPAE

@ [Col. 0345D] Negat Vallarsius, sancti Hieronymi editor, alterum hunc prologum, qui specialiter ad canones pertinet, habere auctorem sanctum Hieronymum. Noster tamen Sedulius, quin germanus aeque fetus beati doctoris sit, dubitasse non videtur..

25. *Sciendum etiam, ne quis ignarum ex similitudine numerorum error involvat.* Hoc argumentum de continuatis
@ [Col. 0346D] Glossa, *samahaften.* capitulorum similitudinibus, et de oppositis eorum collocationibus indistincta canonum serie pertractat. Cujus argumenti causam ostendit dicens, ne quis ignarum ex similitudine numerorum, scilicet capitulorum, error involvat. (Ut verbi gratia, in primo canone secundum Matthaeum, capitulum undecimum quater notatur; secundum Marcum capitulum quintum quater notatur; secundum Lucam, capitulum decimum quater notatur
@ [Col. 0346D] Haec erant in margine..) Sicut enim ex rerum differentia certa scientia percipitur, sic e contrario ex indiscreta similitudine, erroris caligo nascitur. Sed quomodo huic errori succurratur, [Col. 0346B] videamus. *Quod sicubi in subnotatione canonum distinctorum, in canone quolibet,* et reliqua usque *continuatas similitudines.* Sensum hujus loci breviter perstringamus. Ubicunque in subjectis canonum tramitibus videris tres evangelistas id ipsum capitulum bis vel ter vel quater eo amplius adnotando iterantes, et quartum evangelistam oppositis in suo tramite diversis capitulis conspexeris decurrentem, nihil aliud ibi intelligendum est, nisi quia illud quod tres evangelistae in singulis capitulis semel dixerunt, quartus evangelista toties multipliciter narraverit, quoties diversis capitulis eumdem sensum replicaverit.

26. Sed cum haec sententia ad primum solummodo pertineat, in quo quatuor evangelistae concordant, quaerendum cur dicat *in quolibet canone,* cum [Col. 0346C] non in alio nisi in primo solum canone haec inter tres et unum evangelistam concordantia sit. Itaque sciendum est quod nomen primi canonis commune sit quatuor evangelistis, quibus ipse primus canon communiter deputatur. Nam in quatuor canones ipse primus canon dividitur, qui sit primus canon secundum Matthaeum, item primus canon secundum Marcum, dehinc primus canon secundum Lucam, postremo primus canon secundum Joannem. Quod autem ait, in canone quolibet tres evangelistas bis vel ter vel quater aut etiam eo plus eumdem numerum per ordinem habere adnotandum, non ita sentiendum est quasi quolibet primo canone, verbi gratia secundum Matthaeum, tres evangelistae in uno ipsius Matthaei tramite, eumdem capituli numerum [Col. 0346D] multipliciter adnotarent; sed ita intelligendum quod tres evangelistae singuli per se in quolibet primi canonis tramite eumdem capituli numerum replicare solent. Nam in canone primo secundum Matthaeum, itemque in canone primo secundum Marcum, dehinc in canone primo secundum Lucam, deinde in canone primo secundum Joannem, hanc replicationem crebro invenies. Haec autem replicatio fit, non quod in contextu sui Evangelii quilibet evangelista unum capitulum bis, vel ter, vel quater aut plus iteraverit, [Col. 0347A] cum prorsus illud capitulum nonnisi semel dixerit; sed ob hoc numerus ejusdem capituli in canone replicando praenotatur, quatenus ipsum capitulum quibusque oppositis apud alios evangelistas capitulis in eodem vel consimili sensu respondere monstretur.

27. Ex quo mira res fit, quod quando in Evangelio suo quilibet evangelista consimilem sensum per varia capitula iterat, tunc in distinctis canonum tramitibus, nullus eorumdem capitulorum similis numerus replicatur. At vero cum in evangelico volumine a quovis evangelista semel aliquid dicitur, tunc in canonum congerie ejusdem capituli numerus recapitulatur; quia nimirum hoc quartus evangelista variis capitulis edisserit

quod alii tres semel dixerunt: [Col. 0347B] ideoque numerus ejusdem capituli in canonum tramitibus repetitur, eo quod sensus ipsius in oppositis apud alios evangelistas variis capitulis continetur. Itaque quod Matthaeus undecimo, Marcus quarto, Lucas decimo capitulo, in exordio primi canonis semel proloquuntur, quartus Joannes eumdem sensum quatuor capitulis, hoc est VI, XII, XIV et XXVIII, multipliciter edisserit.

28. *Item si uno quolibet eorum, aut etiam duobus,* et reliqua usque *quotiens praetulerint in numerorum adnotatione distantiam.* Sensum hunc breviter explicemus. Hoc etenim dicit: Ubi in canonum distinctis tramitibus unus vel duo evangelistae eumdem capitulorum numerum bis, vel ter, vel quater, aut plus iteraverint, [Col. 0347C] et diversus capitulorum numerus in caeteris evangelistis, uno scilicet vel duobus, inveniatur oppositus, nihil aliud in hoc sciendum est, nisi quia illud quod unus aut duo evangelistae bis vel ter vel plus replicaverint, toties unus aut duo alii evangelistae eumdem sensum proloquantur, quoties oppositis diversis capitulis ipsum sensum proferunt.

29. Sciendum autem quod haec argumentatio ad omnes canones, excepto decimo canone, communiter pertineat. Cum enim duo evangelistae semel aliquid dicunt, et alii duo multipliciter, hoc primo canoni deputatur: cum vero unus semel, et duo multipliciter narrant, secundo et tertio quartoque canoni ascribitur: quando vero unus semel, et alter multipliciter quemlibet sensum pronuntiat, in quinque canonibus, [Col. 0347D] hoc est quinto, sexto, septimo, octavo ac nono canone hujuscemodi consonantia reperitur. Unde recte subjungitur: *hoc et in omnium novem canonum collatione servabitur;* illud procul dubio insinuans quod haec posterior argumentatio omnibus, praeter decimum, canonibus communis sit. Quod ipse ostendit cum subinfert: *caeterum in decimo, quoniam propria s.* t. c. non potest contra id comparatio e. q. s. est. Nam si comparatio est, vel similium, vel diversorum ad minora, vel minorum ad majora collatio, nulla comparatio fieri potest de his quae per se absoluta existunt. Sequitur conclusio: *opto ut in Christo valeas et memineris mei, beatissime papa.* Ille [Col. 0348A] in Christo valere dicendus est, quisquis cunctis vir tutibus per Christum confortatus existit.

ITEM PROLOGUS QUATUOR EVANGELIORUM HIERONYMI PRESBYTERI AD EUSEBIUM.

30. *Plures fuisse qui Evangelia scripserunt, et Lucas evangelista testatur dicens:* quandoquidem multi conati sunt, et reliqua usque *et ministri fuerunt sermonis.* In hoc prologo de numero et ordine Evangeliorum expositurus, prius pseudoevangelia eorumque temerarios auctores eleganter refutat. Ac ne suo quasi quodam praejudicio illos respuere videretur, beatum Lucam evangelistam hujus rei testem esse ostendit. *Et perseverantia usque ad praesens tempus monimenta declarant.* Nec solum, inquit, ipse Lucas ipsos notat, sed et propria illorum volumina, quae usque ad praesens [Col. 0348B] tempus perseverant, eosdem erraticos multis modis produnt. Cur autem reprehensibiles existant, causam declarat dicens: *quae a diversis auctoribus edita, diversarum haereseon fuere principia;* ut est illud juxta Aegyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomaeum, XII quoque apostolorum. Illorum, inquit, scripta diversarum

haeresium fuere seminaria: ideoque non immerito tam detestandi auctores haeresiarchae digno vocabulo censentur, qui sub falso titulo, quasi sub apostolorum nomine conscripto, falsa evangelia condiderunt. Quibus Basilides atque Apelles merito subjunguntur, quorum unus CCCLXV coelos, alter duos invicem contrarios deos inter alia nefanda dogmatizabant.

31. *Ecclesia autem, quae super petram, Domini V.* [Col. 0348C] f. e. Petra Christus intelligitur, juxta Apostolum qui ait: *Petra autem erat Christus;* super quam petram fundatam esse dicit. Unde Dominus in Evangelio dicit: *Tu es Petrus, et super h.* p. ae. E. m. Quam introduxit rex in cubiculum suum. Cubiculum regis aeterni interna sunt gaudia patriae coelestis, in quae nunc introducta est Ecclesia per fidem, in futuro plenius perducenda per rem. *Et ad quam per foramen descensionis o.* m. m. s. Manum suam dilectus sponsus ad nos per foramen mittit, cum nos Dominus occulta invisibiliter compunctione ad opus virtutum accendit. *Similis dammulae hinnuloque cervorum.* Capreoli etenim pernicitate pedum, insuper et hostium insidias cominus praevidentes, per anfractus montium sagaciter declinare solent. Hinnuli [Col. 0348D] quoque, quomodo et capreoli, pernicitate pedum multum valent. Sic sancta Ecclesia mundis sui cordis oculis, quae agenda sint quaeque vitanda discernit; quae errorem declinandi anfractus mente sagaci perspicit, et cursu pernici bonae operationis de convalle lacrymarum in locum quietis [ad sponsum suum vivere medi] tatur; quatenus ambulans de virtute in virtutem, illum videre mereatur in Sion, hoc est in specula sempiternae habitationis.

32. *Quatuor flumina paradisi instar eructuans.* Quatuor flumina paradisi dicit Geon, Phison, Tigrin, Euphraten; quae quatuor flumina quatuor evangelistas designant @ [Col. 0347D] Sic est videre in priscis basilicarum Romanarum musivis., hoc est Geon Matthaeum, Phison [Col. 0349A] Joannem, Tigris Marcum, Euphrates Lucam. *Quatuor et angulos et anulos h.* per quos quasi arca t. et custos l. d. lignis m. evehitur. Per arcam Ecclesia Christi designatur; per vectes doctores exprimuntur, qui aurea Veteris ac Novi Testamenti geminaque doctrina exornantur; quibus vectibus arca Ecclesiae ad coelestem patriam vehitur. Quatuor anguli diffusam per quatuor plagas orbis terrarum Ecclesiam designant. Quatuor circuli doctrinam evangelicam, quatuorque virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam.

33. *Primus autem Matthaeus est publicanus, cognomento Levi.* Cognomento Levi dicit, quia ex prosapia tribus Levi ipse originem ducit. Matha in Hebraeo sermone domum dicitur; unde Matthaeus donatus [Col. 0349B] interpretatur, eo quod ei donatum est ut non solum apostolus, sed etiam evangelista esset. Matthaeus apostolus evangelista, qui etiam ex tribu sua Levi sumpsit cognomen, ex publicano a Christo electus, primum quidem in Judaea evangelizabat, postmodum in Macedonia praedicabat. Hic requiescit in montibus Parthorum. *Secundus Marcus interpres apostoli Petri, et reliqua.* Quaeritur, cum Petrus scientiam multarum linguarum, quomodo et caeteri apostoli, perceperit, cur dicat Marcum ejus discipulum, ipsius Petri fuisse interpretem? Nisi hoc ita dictum esse sentiamus, quod quando ipse Petrus Hebraeo sermone Hebraeis evangelizabat, tunc Marcus ut pote ejus discipulus vel idiotis Hebraeis vel certe Graecis, seu quibuslibet barbaris audientibus minusque intelligentibus, [Col. 0349C] eumdem sermonem plane interpretabatur. Item cum Graeco sermone tantus apostolus

evangelizabat, tunc Marcus vel Graecis minus eruditis, sive Judaeis, et quibuslibet Graecum sermonem ignorantibus, per illorum propriam loquelam explanabat. Is autem Marcus octavo Neronis anno mortuus placida quiete sepultus est.

34. *Tertius Lucas medicus n.* s. a. cujus laus in Evangelio, et reliqua. Achaia provincia Graeciae, cujus metropolis est Corinthus. Bithynia provinciae est Asiae. Obiit autem Lucas LXXIVo vitae suae anno, et sepultus est in Bithynia, cujus ossa regnante Constantino Constantinopolim sunt translata. *Ultimus Joannes apostolus et evangelista, quem Jesus amavit plurimum, et reliqua.* Hic anno LXVIIo post [Col. 0349D] passionem Domini Salvatoris, sub Trajano principe longo vetustatis senio fessus, cum diem transmigrationis suae imminere sibi sentiret, jussisse fertur effodi sibi sepulcrum, atque vale inde dicens fratribus, facta oratione vivens tumulum introivit, deinde in eo tanquam in lectulo requievit; unde accidit ut quidam eum vivere asserant, nec mortuum in sepulcro, sed dormientem jacere contendant; maxime pro eo quod illic sensim terra ab imo scaturiens, ad superficiem sepulcri conscendat, et quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora ebulliat. Quievit autem apud Ephesum VI Kal. Jan.

35. *Haec igitur quatuor Evangelia,* et reliqua usque *et in medio sicut similitudo quatuor animalium.* Quod [Col. 0350A] dicitur *in medio ejus sive electri sive ignis, nihil obstat intelligi, quod quatuor haec animalia, sancti scilicet evangelistae, et ex Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, et in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti.* Nam in specie electri Christus mediator Dei et hominum designatur. Electrum quippe ex auro et argento est. Sic noster redemptor verus Deus et verus homo ex divinitate et humanitate constat. *Et vultus eorum, facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilae.* Per haec quatuor animalia, sicut ipse Hieronymus mox exponit, quatuor evangelistae designantur. Secundum moralem autem intelligentiam, justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis voluntatis suae vitulus, per fortitudinem securitatis [Col. 0350B] contra omnia adversa leo, per contemplationem coelestium efficitur aquila. *Quae evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote s.* i. p. A Zacharia, inquit, *sacerdote;* id est tanquam ab eo cujus sit ministerium saepe vitulos immolare.

36. *Crura eorum recta, et p.* p. Per pedes gressus actuum designantur. Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur, quia sanctorum evangelistarum atque omnium perfectorum opera, ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quae reliquerunt reflectuntur. Per pennas autem volatus contemplativae vitae designatur. *Et quocunque spiritus ibat, ibant, et non revertebantur.* Pennata animalia, videlicet evangelistae et caeteri praedicatores [Col. 0350C] sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritalia pertranseunt, ut ad ea quae reliquerint, ulterius nullo modo reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. *Et dorsa eorum plena oculis.* Ea etenim quae sunt ante faciem nostram videmus, dorsa autem nostra alius in nobis videt, et nos videre non possumus. Quia namque sancti viri solerter se aspiciunt, in quibus ab aliis judicari possunt, et districte se vident, sicut saepe ab aliis districte videntur, qui in se nec ea quae se latere poterant, ignorant, lumina in dorso portant. *Et rota in rota.* Rota in rota est Novum Testamentum in Veteri Testamento.

Rota namque sacram Scripturam designat, quae ex omni parte ad auditorum [Col. 0350D] mentes volvitur. Circulus quippe praeceptorum illius more rotae modo sursum, modo deorsum est, quia quae perfectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et quae parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri spiritaliter intelligendo in altum ducunt.

37. *Viginti quatuor seniorum, et reliqua.* Viginti quatuor seniores in illis intelliguntur qui perfectionem operis, quae senario numero commendatur, clara Evangelii praedicatione consummant. Nam quater seni XXIV faciunt. *Qui tenentes citharas, id est corda laudibus Deo dicata gerentes; et phialas, id est orationes Deo effundentes.* Vel phialas dicit mundas cordium conscientias. *Adorant Agnum Dei,* [Col. 0351A] id est pro adventu regni Dei supplicantes. *Introdusit fulgura et tonitrua.* Cum in fine saeculi talis fuerit tribulatio, qualis non fuit ab initio, signa pariter maxima clarebunt. *Et septem spiritus discurrentes.* Unum Spiritum dicit septiformem. Unus est enim spiritus; septiformitas vero perfectio est et plenitudo [Col. 0352A] donorum. *Mare vitreum.* Baptisma refertur ad vitrum, in quo non aliud videtur exterius, quam quod gestat interius. *Animal primum simile est leoni, et reliqua.* De quibus quatuor animalibus supra dictum est.

ANNO DOMINI DCCCXXI.

S. BENEDICTUS ANIANENSIS ABBAS.

VITA S. BENEDICTI ANIANENSIS *Auctore* ARDONE *seu* SMARAGDO *ejus discipulo.*

(Mabill. Act. SS. ord. S. Bened., saec. IV.)

[Col. 0351B]

OBSERVATIONES PRAEVIAE.

1. In Gallia Narbonensi (*le Languedoc*), quam Septimaniam, Gothiam Occitaniamve appellant, multa loca sunt sancti Benedicti nomine ac factis illustrata. Huic ortum dedit comitatus cujus caput Magalona seu Magdalona (*Maguelone*), urbs ad oram maris Mediterranei, episcopalis sedes quondam, ante annum 1536, quo cathedra Pauli papae tertii auctoritate Montem-Pessulanum translata est. Ea in dioecesi exstat insigne monasterium ab Aniano amne *Aniana dictum, cujus auctor Benedictus, idem ipse multorum coenobiorum postea rector, Benedictus Anianensis vulgo appellatus.* Ejus Vitam edidit Ardo seu Smaragdus, tanti viri discipulus, rogatu Indensium monachorum; eamdemque Menardus noster cum eruditis notis et observationibus praemisit Concordiae Regularum a Benedicto conditae; tum Godefridus Henschenius in Martio Bollandiano novo rursus commentario illustravit; nosque demum auctiorem ex ms. codice Anianensi recudimus hoc loco. Sanctus Ardo huic scriptioni dabat operam superstite Ludovico [Col. 0351C] Augusto, ut patet ex num. 40. Theodulfus eleganti elogio

Benedictum Anianensem Benedicto Basinensi comparat in carmine quod huic Vitae subjiciemus.

2. Benedictum celebrant Martyrologia vetera, tum Anianense, tum Gellonense, *tertio Idus Februarii.* Sic enim in apographo Gellonensi legitur: «III Id. Febr. obitus beati viri Benedicti, qui in provincia Gothia exortus sub Pippino rege Francorum,» etc., iisdem fere verbis quibus usi sunt monachi Indenses in epistola ad Ardonem in calce istius Vitae referenda. Eodem die sancti Benedicti officium legitur in vetusto Breviario Anianensi, nec alio die ejus memoria colitur Anianae, ut fallunt nonnulli. Ex quibus corrigenda recentiora Martyrologia, etiam Benedictinum, quae ejus depositionem rejiciunt in diem sequentem.

3. Anianense monasterium suis impendiis excitavit Benedictus, adjuvantibus Carolo Magno ejusque [Col. 0351D] filio Ludovico Augusto: cujus Ludovici quanta fuerit cum in Benedictum, tum in ipsius monasterium animi propensio, probant varia quae concessit, quaeque ego ipse legi diplomata minimum tredecim; quatuor quidem Benedicto abbati inscripta, quintum Senegillo [Col. 0352B] Benedicti successori, sextum Georgio abbati, Trutesindo itidem abbati quatuor, tria Ermenaldo; omnia in gratiam Anianensium monachorum. Istorum diplomatum summaria capita et chronologicas notas referre juvat, quo primorum Abbatum Anianensium ordinem ac seriem delibemus.

4. Benedictus e monasterio Sancti Sequani egressus, postquam annos aliquot in cella prope Anianum exstructa vixit cum discipulis suis, grande coenobium *Anianam dictum aedificavit, et basilicam Salvatori ac beatae Mariae nuncupari jussit circiter annum 782.* Tum Carolus Magnus ei privilegium immunitatis concessit in sequenti Vita relatum, cujus characteres chronologici exciderunt. Privilegium hoc Ludovicus Augustus, petente Benedicto, confirmavit «VIII Kl. Mail, anno primo imperii, indict. 7, Aquis palatio, Durando diacono ad vicem Helisacaris recognoscente:» cum pridie ejus diei immunitatem ab itinerariis censibus eidem concessisset. Dein «vir venerabilis Benedictus abbas una cum consensu [Col. 0352C] Georgii venerabilis abbatis Anianensis monasterii, quem ipse ibidem successorem elegerat, et monachis ibidem consistentibus, seu etiam Nebridii archiepiscopi,» privilegium ab eodem impetravit *de Bellacella, concessum «VII Id.* Martii, anno 6 imperii, indict. 12, Aquisgrani palatio.» Denique idem imperator, suggerente Benedicto, monachis Anianensibus fecit potestatem, «ut advocati monasterii perdita quaererent, et justa possessa ubique secundum legem defenderent,» litteris datis «Idib. Octob., anno imperii 3, indict. 11, Compendio palatio, quas Durandus Diaconus ad vicem Fridigisi recognovit.»

5. Benedictus Aquisgranum ab Ludovico vocatus, et Indae monasterio praefectus, Senegillum Anianae abbatem substituit anno 815. Id patet ex ipsius im peratoris diplomate de Casa nova sive Gordanico, dato «anno 2» imperii ejus, quod postea integrum referemus.[Col. 0352D]

6. Senegillo Georgius suffectus a Benedicto est anno 819, uti discimus ex aliis Ludovici litteris de Bella-cella, quas modo citavimus, integras inferius adducendas.

7. Georgium excepit Trutesindus anno 822, cujus [Col. 0353A] abbatis electionem

confirmant Ludovici Augusti litterae ab Acherio nostro editae in Notis ad Guibertum; aliaeque ejusdem imperatoris ad eumdem abbatem litterae exstant in tabulario Anianensi de immunitate monasterii, «datae XIII Kal. April., anno 9 imperii Ludovici, indict. 15, Aquisgrani palatio.» Item aliae de Gellone, Monte-calmensi, aliisque de rebus, datae Aquisgrani die insequente ejusdem anni. Denique aliae de quibusdam rebus villae Cinciani «in pago Biterrensi,» quas res «Arnaldus comes domno Benedicto tradiderat;» sed postea fisco «a missis dominicis revocatas» Ludovicus Tructesindo restituit «anno 9 imperii, XIX Kal. Septemb. Carbonaco villa, Hirminmario diacono ad vicem Fredugisi recognoscente.»

8. Trutesindum sequitur Ermenaldus, cui Ludovicus privilegium ab ipso jam pro advocato donatum confirmavit «XII Kal. Aug. anno 22 imperii, indict. 13, Strennaco villa,» quas litteras legesis in Notis ad Guibertum, pag. 647. Eidem abbati concessae [Col. 0353B] item sunt aliae litterae inferius referendae, quibus Ludovicus confirmat omnes possessiones monasterii, [Col. 0354A] «XII Kal. Novemb., anno 24 imperii, indict. 15, Aquisgrani palatio:» quod alio diplomate jam praestiterat de cella Gellonensi «XIV Kal. Octob.» anno et loco iisdem.

9. Ermenaldo successit Arnulfus, ad quem exstat diploma Caroli Calvi, datum «in Pontione fisco regio, anno 13 regni» ejus. Haec de primis Anianae abbatibus dicta sint ad corrigendos indices vulgatos. Alios investigare mihi non promptum, aliis rebus occupato.

10. Nec mirum si tot tantisque privilegiis et immunitatibus donatum est Aniana monasterium, ut pote «cunctorum caput coenobiorum, non solum quae in Gothiae partibus constructa esse videbantur, verum etiam et illorum quae aliis in regionibus ea tempestate et deinceps per hujus exempla aedificata atque de thesauris illius ditata sunt,» inquit Ardo. In ms. codice Anianensi Vitae sancti Benedicti Anianensis praemittitur inscriptio in hunc modum: *Vita beati Benedicti abbatis Anianae scripta et missa* [Col. 0354B] *per S.* Ar., id est (ut conjicio) *Smaragdum Ardonem,* aut certe, *sanctum Ardonem.*

[Col. 0353B]

VITA. (Ardo sive Smaragdus)

PRAEFATIO AUCTORIS.

1. Dominis merito venerabilibus Patribus, Fratribusque, Inda monasterio Deo Jesu famulantibus, Ardo servorum Christi famulus salutem dicit. Jam pridem, dilectissimi fratres, vestrae ad me delatae fuerunt litterae (*infra*), amore piae recordationis Patris nostri Benedicti abbatis stipatae, exitumque ac migrationem ejus ad Christum breviter, sed amabiliter continentes. In quibus exiguitatem meam admonere estis dignati, ut latius initium conversationis [Col. 0353C] ejus audire cupientibus scriberem: sed hactenus virium mearum cernens pondus excedere, distuli. Siquidem sagaci industria scribentibus

praecedentium vitam meritis venerabilem, virtutibus celebrem, curandum est, ne aut negligentia torpentes omittant utilia, aut inducti gratia adjiciant supervacua: sed diligentissime exquisita, nec non evidentium relatione testium roborata currente calamo scribant, non rusticitatis vitium redolentes peritorum aggravent aures, sed urbanitatis salefacientie

@ [Col. 0353D] Menardus habet *sale facientis.* Henschenius expunxit vocem *facientis, cum tamen habeatur in codicibus mss. salefacientie.* condita proferant verba, politisque sermonibus, ut ita dixerim, derogantium demulceant aures. Meae vero ipse imperitiae expertus, vestris quandoque pariturus praeceptis longo silui tempore, et ut ab eruditioribus explicaretur sustinui: periniquum nempe decernens, [Col. 0353D] si tanti patroni vitam imperitis attingerem verbis, peritioribusque debitum auferrem laborem, qui queunt, copia verborum affluentes, pompatice quaeque volunt enucleare, et inter syrtes nihil paventes regere cymbam, soloecismorumque vitare fetorem; facundiaque eloquentiae praediti, ex abundanti eis est copia fandi derogantium comprimere linguas. Pavebam ne hi dum vitiose composita corrigere vellent, a male contextis exacerbati adjudicarent negligenda: praesertim cum noverim vos sacrae aulae palatii assistere foribus, nec turbulenti rivuli sitire potum, quin potius ab indeficienti vena purissimi fontis sedulo sapientiae haurire fluenta. Haec me ratio annali continuit spatio.

2. Interea coeperunt me mordacissimis verbis ab inerti studio expergescere fratres, quos ipse pio conamine genuerat Christo, et ut eis illum gestis vitae religiosae resuscitarem compellere; a quo absentes esse solo constat consortio corporis, non plenitudine charitatis. Sic tandem aggredior explicare opus. Dedit ausum ac consilium veniale etiam locus, [Col. 0354C] qui ab eo primitus constat esse constructus, fratresque qui ejus noverant conversationis initia. Nam quod aliis contigit vix non audiri, ab his potuit vix non videri. Igitur pro captu rebus ex parte collectis, impensas operi accuratius explicaturi paramus, et quasi quoddam seminarium latius promulgaturi nimium arctamus; hoc humili prece poscentes, ut si quis hoc despexerit opus, linquat aut corrigat: sin alias, legere et sequi volentibus sinat, seque ad praecedentium Patrum Vitam legendum convertat. Et si hanc ab eorum tramite juxta vires non aberrasse repererit, gratuletur: sin autem, non temere judicando refutet; sed lacrymabiliter interveniendo ei aequissimum Judicem pacatissimum reddat.

3. Vestris quia parui jussis, o sanctissimi fratres, [Col. 0354D] precor, ut me orando adjuvetis ad Deum quatenus orantibus vobis, et meorum mihi detur venia delictorum, et posteris proficiat in augmentum. Rursusque obnixe postulo, ut hanc pervigili studio relegatis, et quaeque vitiose contexta fore probaveritis, elimando corrigite: si qua vero utilia, in arcano pectoris vestri excolenda servate. Siquidem imperio vestro silentii vi subtracta affectum praebuimus, non effectum; loqui nostrum vobis imputabitis, qui non tacere nos imperasse recolitis. Et quoniam ei unicae dilectionis affectu migranti de saeculo Helisacar

@ [Col. 0354D] De eo item infra in epistola Indensium Monachorum [Col. 0355A] de obitu Benedicti. Abbas erat monasteriorum Sancti Maximini apud Treviros, Centulae in Pontivo, [Col. 0355B] Gemetici in Neustria; Ludovici Augusti etiam cancellarius, laudatus apud Amalarium in praefatione Antiphonarii, in Chronici Centulensis lib. I, in consultatione [Col. 0356A] Agobardi de baptismo Judaicorum mancipiorum, et in libro de

dispensatione; anno 827 a [Col. 0356B] Ludovico missus cum aliis ad motus Hispanicae marcae comprimendos, teste Eginhardo. haesit abbas, sicut ipsius auro pretiosor nobis directa [Col. 0355A] testatur epistola; post vestram examinationem illi singulariter censeo praesentari. Esto, occulendam esse decreverit, veniam de meo posco errore: sin vero utilem, qui libenter paruerunt viventi, imitari satagant vitam absentis. Perantiquam siquidem fore consuetudinem, hactenus regibus usitatam, quaeque geruntur acciduntve annalibus tradi posteris cognoscenda, nemo, ut reor, ambigit doctus. Et quoniam mens diversis rebus partita oblivione caecatur, divinitus credimus esse consultum, ut quae oblivio prolixa percurrente tempore poterat abolere, litteris mandarentur servanda, quarum lectione jucundantur, hilarescunt. totosque se ad gratiam inflectunt [Col. 0356A] hi qui talia concupiscunt legere: nec ab his temerarius judicatur auctor scripturae, etiam si contingat minus politis perstrepere verbis, ad quam avide cognoscendam desudant. Concedant igitur nobis et praecedentium legere Vitam, et posteris mandare quae ipsis nostris temporibus vidimus, vel audivimus, ad augmentum animarum profutura: nec condemnemur de imperitis sermonibus, et rusticitatis vitium redolentes, quoniam ratum ducimus normam salutiferam licet rudibus depromere verbis, et in abjectis virgulis pulcherrimum pandere favum. Suo quisque sumat arbitrio, quae animo comperit placitura.

INCIPIT VITA.

4. Igitur vir venerabilis, nomine et merito Benedictus Abbas, ex Getarum
@ [Col. 0355D] Id est Gothorum, qui ab anno 412 Tolosam insederunt in vicinas inde regiones effusi: quanquam Getas, Danubii juxta Daciam accolas indigenas, a Gothis adventitiis distinctos esse constat. genere partibus Gothiae oriundus fuit. Nobilibus natalibus ortus, sed eum superna pietas potiori virtutum claritate nobilitavit. Pater siquidem ejus comitatum Magdalonensem, quoadusque vixit, tenuit; et Francorum genti fidelissimus [Col. 0355C] totis viribus exstitit, fortis et ingeniosus: hostibus enim valde erat infestus. Hic nempe magna prostravit strage Wascones, qui vastandi gratia fines regni Francorum fuerant ingressi: e quibus nullus evasit, nisi quem pernix fuga salvavit. Hic pueriles gerentem annos praefatum filium suum in aula gloriosi Pippini regis reginae tradidit inter scholares nutriendum; qui mentis indolem gerens, supra aetatem diligebatur a commilitonibus: erat quippe velox et ad omnia utilis. Post haec vero pincernae sortitur officium. Militavit autem temporibus praefati regis: post cujus excessum, cum regni gubernacula Carolus gloriosissimus rex potiretur, ei adhaesit serviturus.

5. Interea illustrante divina gratia, superno coepit [Col. 0355D] flagrare amore, et ut saeculum linqueret totis aestuare nisibus, periturumque fastidire honorem, ad quem cum labore attingere posse cernebat, sed adeptum cito amittere. Per triennium autem hoc corde tegens, soli Deo secretum tenuit, corpore, non mente se saeculi actibus inserens. Tentabat igitur infra hoc spatium, si continentiae culmen arripere posset, subtrahere corpori somnum, reprimere linguam, abstinere a cibo, parcius sumere vinum, et veluti peritus athleta ad futurum se componere bellum. Praemeditabat siquidem in saeculari adhuc habitu sistens, quae postea devotus implevit; sed

quanquam se a saeculi actibus exuere vellet, haesitabat tamen quibus hoc modis faciendum esset: utrum peregrini assumeret habitum; an forte se alicui conjungeret, et hominum oves aut armenta gratis pasceret; an etiam in civitate sutoris exerceret artem, et quae habere [Col. 0356C] posset pauperibus erogaret. Sub tali quippe certamine fluctuante animo ad amorem se vitae regularis convertit.

6. Eo namque anno quo Italia gloriosi Caroli regis ditioni subjecta est, cum frater ejus incaute fluvium quemdam transfretare vellet, et a tumentibus raperetur undis, hic equo sedens, periculum conspiciens fratris, sese inter undas praecipitem dedit, ut pereuntem a periculo redderet extorrem, atque natante equo fratris attigit manum; quem cum tenuit, tentus est; vixque qui eripere morientem voluit, mortis evasit periculum. Tunc se voto Deo constrinxit, saeculo deinceps non militaturum Patriam petit, sed hoc patri non patefecit. Quidam autem erat religiosus Widmarus nomine, corporea [Col. 0356D] luce carens, sed cordis luce resplendens, cui velle suum ostendit; isque secretum tenuit, et consilium salubre praebuit. Praeparatis itaque omnibus iter quasi Aquis iturus arripuit; sed ubi sancti Sequani ingressus est domum, redire suos ad patriam jubet, seque in eodem coenobio Christo Deo servire velle indicavit. Postulat ingrediendi licentiam; qua adepta, mox capitis comam deposuit, et veri monachi habitum
@ [Col. 0355D] Anno scilicet 774, quo recepta a Carolo Italia. Certe Benedictus obiit anno 821, post annos monasticae professionis quadraginta octo. De sancti Sequani monasterio diximus ad Vitam sancti Sequani saeculo I et saeculo III, ubi de sanctis Altigiano et Hilarino monachis. sumpsit.

7. Factus vero monachus incredibili inedia per biennium et sex mensium spatia corpus suum affligere [Col. 0357A] coepit. Sic quippe carni suae, ac si cruentae bestiae erat infestus, cibum permodicum sumens, pane videlicet et aqua corpus sustentans, mortem potius quam famem arcens, vinum siquidem ceu pestiferum virus devitans. Somnum si quando devictus animus sumere vellet, vili se strato paululum quieturus collocans, aliquando nuda humo prostratus nimium defessus quievit, ipsa sua se plus requie lassaturus. Saepe etiam pervigil in oratione pernoctans, nudis plantis in pavimento glaciali rigore perfusus, persistens in divinis nempe meditationibus ita se totum contulit, ut quamplures continuaret dies, sacris psalmodiis deditus, silentii legem non interrumpens. Quiescentibus cunctis, hic eorum calceamenta aquis mundans tergebat, eaque locis [Col. 0357B] congruis lota restituebat. Heu, proh dolor! quidam veluti illudentes insano prorsus, procul posito caligas jactabant, quorum vesanam insipitudinem hic altiori consilio bene tranquillus ferebat. In vestitu namque suo tanta se vilitate dejecit, ut vix persuaderi nescientibus veri simile forte possit. Erat itaque ei vilis et pervetusta tunica, quam non nisi post plures exactos mutabat dies. Quapropter copia pediculorum in squalenti surgebat cute, a quibus jejuniis attenuata depascebantur membra. Cucullae illi nimia erant vetustate consumptae; et si quando veterascentia rumperentur fila, ex dissimili colore foramen patens pannum repertum sarciebat: quae res eum satis reddebat deformem. Quam ob rem a compluribus deridebatur, impellebatur, conspuebaturque: [Col. 0357C] sed coelo animus fixus, viliora appetens, cum in festis diebus cultioribus se reliqui componerent vestibus, hic sine reverentia coram obtutibus omnium utebatur. Balnearum usus per idem tempus suo corpori nunquam indulsit; munditias autem monasterii, quoties opportunitas expetiit, exercuit.

8. Compunctionis gratia, ope divina concedente, tanta ei largita est, ut quoties vellet, fleret. Quotitidie lacrymis, quotidie gemitu ob gehennae metum alebatur, illud Davidicum amabiliter canens: *Cinerem sicut panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam* **(Psal. CI, 10)**. Pallebant ora jejuniis, et macie exhausta carne, pellis ossibus inhaerebat, ac in modum paleariae boum rugata pendebat. [Col. 0357D] Hoc modo tenerum quasi indomitum animal non tam mansuefaciens, quam, ut ita dicam, mortificans corpus, cum cogeretur ab abbate parcius erga semetipsum exercere rigorem, assensum minime praebuit. Regulam quoque beati Benedicti tironibus seu infirmis positam fore contestans, ad beati Basilii dicta nec non Pachomii regulam scandere nitens, quamvis exiguis possibilia gereret, jugiter impossibiliora rimabat. His se poenitentiae lamentis [Col. 0358A] praelibans, quoniam inimitabilis erat vel nullis vel paucis, coopitulante gratia divina, ut multorum fieret documentum salutis, in amorem praefati viri Benedicti regulae accenditur, et veluti de singulari certamine novus athleta ad campum publice pugnaturus accessit. Interea coepit aliorum corrigere mores, negligentes arguere, exhortari tirones, ut proficerent admonere probos, ut corrigerentur increpare improbos.

9. Injungitur ei post haec custodiendum cellarium, quo memoriae Regulam praefati Patris commendavit, et juxta praeceptum illius totis viribus sese componere, ac licita petentibus sine mora studebat largiri, male petentibus denegare, impossibilia exquirentibus blande excusare. Et quoniam pro libita [Col. 0358B] voluntate eis pocula non praebebat, aequis obtutibus a compluribus non intuebatur. Hospitum, infantum, pauperumque omni sagacitate curam gerebat. Abbas quoque eum summo colebat affectu, eo quod esset in omnibus utilis, et suae vitae cautus, de aliorum salute sollicitus et circa ministerium frequens, in loquendo ratus, ad obediendum promptissimus, in monendo affabilis. Contulerat siquidem illi divina pietas inter alias quamplures virtutes etiam intelligentiae donum, eloquentiae spiritalis copiam.

10. Decurso quinquennii et octo mensium in salutiferis rebus spatio abbas praefati monasterii migravit e saeculo. Tunc omnes uno animo parique consensu Benedictum sibi praeferri optant. At ille suis illorumque non convenire moribus cernens, ad [Col. 0358C] patrium concitus solum contulit pedem, ibique in patris suamque possessionem super rivulum, cui nomen est Anianus, nec non prope fluvium Arauris, cum praefato viro Witmaro paucisve aliis, juxta beati Saturnini permodicam ecclesiam, cellam exiguam ad habitandum construxit: quo in loco nonnullos annos magna cum penuria vixit, noctibus diebusque cum gemitu et lacrymis clementiam implorans divinam, ut velle suum effectum proveheret efficacissimum. Erant autem per idem tempus in provincia illa quidam summae sanctitatis strenui viri, Atilio videlicet et Nibridius
@ [Col. 0357D] Theodulfus Aurelianorum episcopus hos laudat in carmine inferius adducendo: ex quo mihi fit veri simile id quod ait Menardus, Nebridium seu Nibridium hunc esse ipsummet Nebridium monasterii Urbionensis seu Crassae abbatem, et archiepiscopum Narbonensem, qui *Nifridius appellatur tum ab Alcuino in epistola praefixa libris duobus contra Elipandum, tum in diplomate quodam Caroli Magni concesso anno 6 imperii. Nimfridius vero in Necrologio Crassensi notatur his verbis:* «Kal. Januar. Nimfridius abbas et archiepiscopus Narbonensis.», necnon et Annianus religiose degentes, sed regularem ignorantes custodiam: a quibus compertus non

modice diligebatur. Siquidem dum eum aliqua adversa impulsio [Col. 0358D] paululum superare tentaret, mox strato asello ad Atilionem, qui ei vicinior erat, propere festinabat.

11. Primo siquidem tempore ardenti animo perplures, saeculo relicto, cum eo religiose vivere tentabant; sed fracti animo, novum formidantes genus vitae, dum inauditam cogebantur arripere abstinentiae viam, ut panem in pondere, vinumque in mensura perciperent, mox ut sues ad coenum canisque [Col. 0359A] ad vomitum in calle salutis positum retrahebant pedem. Quorum instabilem vir Dei intuens fidem, turbatus ad proprium voluit redire coenobium. Qua de causa consulendum praefatum adiit virum: cui cum velle suum narrasset, increpavit eum ille dicens, sibi esse ostensum coelitus, lucernam illum datum hominibus. Quapropter coeptum constanter oporteret implere bonum; fraude hoc antiqui fieri hostis, qui semper invidens bonis infestus est actibus, cui assensus praebendus est nunquam, sicque ejus consilio adminiculatus intrepide aggressus est, quod ardenti perficere optabat animo, non super alienum fundamentum aedificans, sed novo opere construere domos coepit, ignotamque salutis pandere curabat viam.[Col. 0359B]

12. Igitur venerabilis vir Benedictus cum paucis sibi aggregatis fratribus, qui ejus comperta opinione ad eum confluxerant, in jam memoratum locum coepit florere in religione pia, et coeleste iter volentibus pandere gratis, propriis laborare manibus: et ne aliis praedicans ipse reprobus inveniretur, quae sequenda monebat, prior implere curabat. Non enim perterritus inopia coeptum deseruit opus; sed, ut ait Apostolus, *in fame, et siti, in frigore et nuditate* **(II Cor. XI, 27)** positus hortabatur inconcusso subjectos persistere corde, docens arctam et angustam viam esse quae ducit ad vitam, et non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelanda est sanctis. Quo documento roborati, majoribus se atteri optabant laboribus. Nulla eis [Col. 0359C] tunc erat possessio, non vineae, non pecora, non equi; unus tantum erat asellus, cujus solamine cum alicubi pergendum esset, vicissim fratrum arcebatur defectio. Vinum tantum diebus Dominicis solemnibusque percipiebant. Pellebatur aliquoties eorum esuries lacte delato a vicinis mulieribus: quoniam ariditate tabuerant corpora eorum, solo viventes pane et aqua. Quapropter ut pigrum depellerent frigus, lectaria
@ [Col. 0359D] Menardus interpretatur *culcitra.* At quid culcitrae cum officio divino? Consentit tamen Henschenius, qui legit *lectariis.* Forsan lectaria dicuntur saga nocturna, quibus lecti insternuntur. utebantur, cum in vigiliis divinis assisterent. Erant quippe pauperes rebus, praedivites meritis; et quo eorum atterebantur inopia corpora, eo magis saginabantur virtutibus animae. Aestuabant siquidem amore coelesti, solaeque lacrymae illis in angustia ferebant solamen. Quorum invictam fraternam unitatem hostis cernens antiquus [Col. 0359D] hac eam scindere arte molitur.

13. Unum eis erat circa molinum, in quo quae habere poterant molebant cibaria. Instigatus autem maligni cogitationibus quadam eis nocte hospes advenit, quem juxta posse refectum in strato aselli collocant. At ille male vigil quiescentibus illis surrexit, et secum in quo jacuerat perferens, situlamque [Col. 0360A] de qua hauserat aquam, sed et ferramenta molini non oblitus abscessit; pro bonis mala rependens. In crastinum vero

damnum compertum magistro discipuli narrant, quos benevole ferre illatas contumelias docuit, damnaque lucra putare, illique potius dolendum asseverans, qui dum nisus est acquirere lucrum, perdidit fidem.

14. Coepit interea paulatim turba discipulorum crescere, et fama piae religionis sensim per circa habitantium ora volitare, seseque extendens ad longe posita decurrere loca. Et quoniam vallis, in qua primum insederat, perangusta erat, paululum extra confinia ejus monasterium novo opere construere coepit, laborantibusque fratribus ipse aliquando collaborare, aliquando autem eorum ad vescendum [Col. 0360B] decoquere victum, librumque etiam pariter circa coquinam occupatus scribere satagebat. Lignamina vero saepe propter penuriam boum humeris propriis cum discipulis deferebat. Domus enim in eo erat loco, quo fundare moliebantur monasterium, quam auctam in honore sanctae Dei genitricis consecrarunt Mariae. Concurrentibus undique, et illius se certatim subjicere magisterio postulantibus, et fabrica monasterii cito perficitur, et in rebus locus ditatus augmentatur, dantibus singulis quae habere poterant. Non enim ornatis parietibus tegulisque rubentibus, vel pictis laquearibus, sed stramine vilique maceria cooperire, vel facere domos decreverat. Licet enim multiplex numerus fratrum augeretur, ille semper viliora et humiliora [Col. 0360C] appetebat. Quapropter si quis de possessionibus suis aliquid conferre monasterio vellet, suscipiebat; sin vero servos ancillasque copulari niteretur, refugiebat, nec passus est quemquam per idem tempus per chartam monasterio tradi, sed ut fierent liberi imperabat. Vasa autem ad Christi conficiendum corpus nolebat sibi esse
@ [Col. 0359D] Et tamen vasa pretiosa postea in rem sacram admisit, ut patet ex num. 27. Porro ex hoc loco et ex Regula Magistri patet etiam temporibus illis in usu fuisse calices vitreos, quorum usus abrogatus in concilio Triburiensi anno 895, perseveravit tamen ad saeculum usque undecimum, quo Henricus Germaniae rex Richardo Verodunensi archiepiscopo calicem unum de onychino, et alium crystallinum donasse perhibetur. Quanquam calices etiam ex sapphiro *vitrei dicebantur, ex charta 5 Patriciacensi apud Perardum, quae est Heccardi comitis,* Rotardo cuidam legantis *calicem vitreum de sapphiro.* argentea: siquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea; sic tandem conscendit ad stannea; planetam vero refutabat habere sericeam: et si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum praestabat.

15. Praeterea surrexerunt in regione eadem vel circumquaque nonnulli viri religiosi aedificantes monasteria, aggregantes monachos, seseque ad exemplum beati viri exercitantes et ex ejus magisterio [Col. 0360D] imbuti, vitam pristinam priscosque amputantes errores, quibus ipse ut pater erat, subsidium opemque ferens, non spiritualium solummodo rerum, verum et corporalium: quos saepe visitans hortabatur coeptum non deserere opus, ne egestate perculsus terroribusque attritus retro respiceret animus. Sicque documento salubri fulta numerosa adsunt [Col. 0361A] coenobia, et maxima monachorum exstat multitudo.

16. Orta autem fame
@ [Col. 0361D] Id accidit ante conditum amplius monasterium, anno proinde, non 793, ut censet Henschenius, sed 779, quo *famis magna in Gallia fuisse perhibetur in Annalibus Loiselianis.* gravissima per idem tempus, coepit multitudo pauperum,

viduarum et pupillorum ad eum confluere, ac portas monasterii viasque stipare. Quos ille intuens inedia tabidos, imo ipsa jam pene morte glutitos, angebatur, quoniam unde tantam pasceret multitudinem ignorabat. Sed quia nihil deest timentibus Deum, quousque fruges attingerent novas, quae fratribus sufficere possint, seorsum jussit reponi, caetera per constitutos fratres per singulos dies praecepit largiri. Carnes etiam armentorum oviumque dabantur per singulos dies, lac etiam vervecum praebebat auxilium. Siquidem fecerant sibi tuguria congruis locis, in [Col. 0361B] quibus usque ad novas habitarunt fruges. Deficiente cibaria, rursus ea quae in fratrum reponi jusserat usus, mensurare praecepit: quod factum est ter. In fratrum vero animis tantus inerat affectus misericordiae, ut libenter etiam impenderent, si fas esset, cuncta. Nam quae sibi subtrahere poterat quisque, clam deferebat inedia consumptis: sicque vix erepti a famis fuere periculo. Aliquoties enim in ore panem habens mortuus reperiebatur.

17. Nec illud silendum puto, quia cum pene provinciam illam eodem tempore perversum Feliciani
@ [Col. 0361D] Felicianum dogma, a Felice Orgelitano Hispaniae episcopo male fabricatum, ab Elipando Toletano pejus assertum: id erat, Christum esse filium Dei adoptivum. Ad quod revincendum coacta concilia Ratisponense, Francofurtense, et Aquisgranense; missus in Hispaniam non semel Benedictus cum aliis, ut testatur Alcuinus in epistola praefixa libris quatuor adversus Elipandum, inscripta Leidrado episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, et Benedicto abbati, cum *essent in procinctu itineris, ut ait in fine*. V. C. Stephanus Baluzius, in calce Notarum ad Agobardum, refert synodum Urgellensem anno 799 ea de re habitam, cui Benedictus noster interfuit. invaserit dogma, hic ab omni pestifero perfidiae errore illaesus ope divina intus evasit, multosque, non solum infimos, verum etiam praesules Ecclesiae suo eripuit studio, et adversus nefandum dogma [Col. 0361C] veris disputationum jaculis armatus saepe congressus est.

18. Erat enim eo tempore et numerosa jam turba fratrum, et in fervore perpetuae vitae succensa. Certabant siquidem quis eorum esset humilior, quisve in obedientia promptior, in abstinentia ardentior, in vigiliis anterior, in loquendo posterior, in vestitu vilior, in charitate ferventior: quibusdam etiam revelationes fiebant. Quidam namque erat frater qui juxta humanam honestatem minus erat compositus, quem negligenter incedentem dum Pater perspiceret, in animo eamdem rusticitatem judicare coepit. Hic autem in extasi ductus, gregem columbarum aggregatum cernens, quaedam mirae candoris fulgentes, quaedam vero erant mira varietate distinctae, [Col. 0361D] quaedam autem solo capite tetrum colorem gestabant. Qui cum sciscitasset quid hoc esset, dicta sunt nomina singulorum, quorum aut negligentia fecerat nigros, aut studium splendore nitentes. Is rediens ad se, Patri quae viderat retulit, eumque ne se despiceret, admonuit. At ille singulorum acta discutiens, mentes fratrum, de quibus a fratre didicerat, [Col. 0362A] turbatas reperiens, et benignum malagma castigationis impositum ad congruam formam instituit.

19. Sed antiquus hostis, aegre ferens unitatem et augmentum boni gregis, nisus est quorumdam concutere corda, ut bonum institutorem a proprio ovili redderet extorrem. Plures quidem sua arte a monasterio pepulit, pluresque turbavit, sed paratam

tribulationibus non valuit concutere mentem. Confractas rursum recuperat perituras vires: sibi subjectos instigat, inferre damna imperat, equos bovesque furtim patenterque auferri jubet. Sed qui Deum cunctis praeposuerat rebus, sine dolore amittit quae sine amore possidebat. Certe pro nulla amissa re unquam eum quisquam vidit commotum, perditam nunquam repetiit, furatam nunquam quaesivit, furanti, [Col. 0362B] si captus est, beneficium praestitit, latentem ne caperetur dimisit. Quidam enim cum equos monasterii furtim auferret, a vicinis non sine vulnere captus, et Patri est praesentatus. Cui ille impensas praebuit, medicum instituit, sanatum incolumem direxit. Contigit autem vice alia, cum venerabilis Pater iter conficeret, alio secum comitante fratre, quemdam equum a monasterio sublatum sedentem obviare. Frater vero curiosis luminibus intuens eum qui furatus fuerat esse cognovit, mox voce prorupit monasterii esse equum. At ille silere eum jubet. Saepe similare equus equum solet, ait. Seorsum autem increpavit fratrem dicens: Et ego agnovi; sed melius silendum censeo, quam verecundiam inferamus.[Col. 0362C]

20. Et quoniam omnipotens Deus qui cuncta creavit, mira etiam congruis temporibus per servos agit suos, quae per hunc gesserit, pauca relatione perstringam. Ignis quodam tempore domum juxta beatae Mariae Virginis basilicam sitam invasit. Sed cum vorax flamma stipulam lamberet siccam, concurrerunt dolentes fratres, domum quam non sine magno labore construxerant, a rapidis flammis videntes consumi, summoque studio satagunt, ne ignis vicinam succenderet ecclesiam: illo enim omnis impetus ignis ferebatur. Ad quod spectaculum etiam Benedictus Pater accessit, cui protinus fratres, ut orationibus eos adjuvaret, imperant. At ille festinus obtemperans jussis fratrum, sese cum lacrymis ante beatae Virginis et Dei genitricis Mariae altare prostravit. [Col. 0362D] Illo autem orante, mox divina opitulante misericordia in contrarium impetus ignis convertit.

21. Locustarum etiam tanta eodem tempore adfuit multitudo, ut sua densitate radios absconderent solis; quae conglobato impetu in vineam, quae monasterio vicina est, vastaturae resident, ex qua quam [Col. 0363A] maxime pocula fratres percipere soliti erant. Vir vero venerabilis beatae Dei Genitricis adiit basilicam, et flebili voce perfusus lacrymis divinum implorat auxilium. Sed post paululum male quiescentes abscedunt locustae.

22. Rursus vice alia montem vicinum ignis invasit, et arentem stipulam frondesque, ac solis ardore perustam coepit lambere terram, suoque impetu ruinam vineae ac monasterio minitans ibat. Ad quem exstinguendum omnis turba fratrum cucurrit, cum quibus et venerabilis Benedictus Pater adiit; sed ignis coeptum mox deseruit iter, dextra laevaque exstinguendus properans. Non enim nisi oratione ejus credendum puto tantum incendium superatum fore.[Col. 0363B]

23. Cuidam etiam fratri custodia boum erat injuncta. Is cum a monasterio ad suum vellet ire officium, Patri benedictionem petiit; cui protinus ille signum crucis dedit, dicens: Dominus te custodiat. At cum frater in diversorium venisset, duobus latronibus occurrit; a quibus, dum incaute accessisset, tentus est per habenam equi, quem sedebat; se vero diutius aspicientes, nihil loquentes dimiserunt eum. At ille cito discessit, et postquam Patri retulit, ait: Benedictio te Dei servavit illaesum.

24. Nec silentio illud praetereundum est, quod ipse aspexit. Frater enim quidam praepositus est constitutus, sed in superbiam lapsus, ab ordine praepositurae deponitur. Ad tantam demum malitiam ruit, ut a monasterio egressus latrocinia exerceret, [Col. 0363C] ita ut ab ipso monasterio clam educeret equum. Quem tentum junctis pedibus subter equum ad monasterium deduci jubet vociferantem et jurantem nunquam se illo abiturum. Ob cujus insipitudinem virgis eum laevigare jussit; sicque deinceps juste pieque vivens in coenobio quievit, ac si ipse in eo hostis malignus caesus fuisset.

25. Hactenus de vita tanti Patris, qualiter divina illustrante clementia saeculum reliquerit, qualiterque in Gothiae partibus transmigraverit, ac de novo opere monasterium construxerit, dicta sufficiant. Nunc, opitulante Christo, ex praecepto Caroli quibus modis aliud in eodem loco coenobium aedificaverit, evidenti ratione pandamus.

26. Anno igitur 772
@ [Col. 0363D] Mendum hic non advertit Menardus. Legendum potius anno 782 quo jacta amplioris monasterii fundamenta; nam ab anno 776 Anianensem locum Benedictus incolere coepit., Caroli vero Magni regis [Col. 0363D] 14, adjuvantibus eum ducibus et comitibus, aliam rursus in honorem Domini et Salvatoris nostri ecclesiam praegrandem construere coepit; sed et claustra novo opere alia cum columnis marmoreis quam [Col. 0364A] plurimis, quae sitae sunt in porticibus; non jam stramine domos, sed tegulis cooperuit. Tanta autem sanctitate idem locus est praeditus, ut quisquis fideliter petiturus advenerit, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, statim quod poposcerit, impetrare licebit. Quia ergo mira religiositate praefulget, ratum ducimus, si de positione ejusdem loci aliquid post futuris pandamus. Siquidem venerabilis Pater, Benedictus pia consideratione praeventus, non in alicujus sanctorum praetitulatione, sed in deificae Trinitatis, uti jam diximus, nomine praefatam ecclesiam consecrare
@ [Col. 0363D] Non me fugit quid de hac dedicatione legatur in quibusdam codicibus mss. Verum id totum praetermittere satius est, quam criticorum censurae exponere. Sufficiet hac de re sermo quondam habitus in festo dedicationis, infra in Appendice hujus Vitae. disposuit. Quod ut dico luce clarius agnoscatur, in altari, quod potissimum prae caeteris videtur, tres aras censuit supponi, ut in his personalitas Trinitatis typice videatur significari. [Col. 0364B] Et mira dispositio, ut in tribus aris individua Trinitas, et in uno altari essentialiter firma demonstretur Deitas. Altare vero illud forinsecus est solidum, ab intus autem cavum: illud videlicet praefigurans, quod Moyses condidit in eremo, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusae tenentur capsae cum diversis reliquiis
@ [Col. 0363D] In Anianensium reliquiarum indice ms. numeratur inter alias particula verae Crucis, *quae est in arca aurea, quae fuit imperatoris Constantinopolitani;* item alia, *quae est incastrata in auro, et semper manet in scutella, quae est argentea Karoli Magni;* item *una spina de corona Domini nostri Jesu Christi, incastrata in auro, quae itidem in praedicta scutella semper asservatur.* In vetusto libro Caeremoniarum ejusdem monasterii praescribitur, ut sacerdos hebdomadarius panem solemni ritu benedicturus, *accipiat scutellam Karoli cum vera cruce, etc.* Scutella haec cum pluribus aliis rebus sacris deperdita est. Lege Sermonem de dedicatione in Appendice. Patrum. Haec de altario dicta sufficiant. Ad instrumentum domus quo ordine vel

numerositate compositum succincte pergimus. Cuncta siquidem utensilia, quae in eadem domo habentur, in septenario numero consecrata noscuntur. Septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia, sphaerulaeque ac lilia, calami ac scyphi in nucis modum ad instar videlicet illius facta, quod Beseleel [Col. 0364C] miro composuit studio. Ante altare etiam septem dependent lampades mirae atque pulcherrimae, inaestimabili fusae labore, quae a peritis, qui eas visere exoptant, Salomoniaco dicuntur conflatae. Aliae tantumdem in choro dependent lampades argenteae, in modum coronae, quae in se insertis circulis cyathos recipiunt per gyrum: morisque est praecipuis in festivitatibus oleo repletas accendi, quibus accensis veluti in die, ita in nocte tota refulget ecclesia. Tria denique altaria in eadem sunt dicata ecclesia vel basilica, unum videlicet in honorem sancti Michaelis archangeli, aliud in venerationem beatorum apostolorum Petri et Pauli, tertium in honorem almi protomartyris Stephani. In ecclesia vero beatae Dei genitricis Mariae, quae primitus est fundata, sancti [Col. 0364D] Martini, necnon et beati Benedicti haberi videntur altaria. Illa vero quae in coemeterio fundata consistit, in honorem sancti Joannis Baptistae consecrata dignoscitur, quo inter natos mulierum majorem neminem [Col. 0365A] surrexisse divina attestarunt oracula. Considerare libet quanta humilitate ac reverentia iisdem metuendus sit locus, qui tot principibus videtur esse munitus. Siquidem Dominus Christus Princeps est omnium principum. Rex regum, et Dominus dominantium: beata vero ejusdem Dei genitrix Maria cunctarum virginum creditur esse regina; Michael cunctis praefertur angelorum; Petrus et Paulus capita sunt apostolorum; Stephanus protomartyr principatum tenet in choro testium; Martinus vero gemma refulget praesulum; Benedictus cunctorum est Pater monachorum. In septem item altaria, in septem candelabra, et in septem lampades septiformis gratia Spiritus sancti intelligitur.

27. Cognoscat quisquis ille est, qui hanc cupit [Col. 0365B] legere vel audire Vitam, cunctorum hoc caput esse coenobiorum, non solum quae Gothiae in partibus constructa esse videntur, verum etiam et illorum quae aliis in regionibus ea tempestate, et deinceps per hujus exempla aedificata, atque de thesauris illius ditata, sicut inantea narratura est schedula. Dedit autem cor suum ad investigandam beati Benedicti Regulam, eamdemque ut intelligere possit satagere circumiens monasteria, peritos quosque interrogans quae ignorabat; et omnium sanctorum, quascunque invenire potuit regulas congregavit. Normamque utilem, et monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit monachis observandas. Instituit cantores, docuit lectores, habuit grammaticos, et scientia Scripturarum peritos, de [Col. 0365C] quibus etiam quidam post fuere episcopi, aggregavit. Librorum multitudinem congregavit, pretiosa vestimenta ecclesiastica, calices argenteos praegrandes, offertoria argentea, et quidquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo cum studio acquisivit. Notus itaque factus est omnibus, et fama sanctitatis ejus regias imperialesque penetravit aures. Abiit deinde ad gloriosissimum imperatorem Carolum ob utilitatem monasterii, illique coenobium pia consideratione praeventus, ne incommoda a parentibus [*Id est, consanguineis*] suis paterentur post ejus discessum superstites, per chartam tradidit possidendum: a quo mox immunitatem percepit
@ [Col. 0365D] Quae sequuntur usque ad numerum 42, desunt in editis apud Menardum et Bollandum. continentem ita:[Col. 0365D]

«In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Carolus [Col. 0365D] Dei gratia rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum.

Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benevola devotione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur notum sit omnibus episcopis, abbatibus, comitibus et vicecomitibus, vicariis, centenariis, judicibus seu omnibus fidelibus praesentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio quod ipse novo opere jure proprietario a fundamentis [Col. 0366A] in honore Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, seu sanctae semperque virginis ejusdem Dei genitricis Mariae, seu aliorum sanctorum aedificavit in loco nuncupante Aniano, in pago Magdalonense subtus castro Monte-Calmense, ad nostram accessit clementiam, et praedictum monasterium cum omnibus rebus et ornamentis ecclesiae, seu appendiciis vel adjacentiis suis in manibus nostris plenissima deliberatione visus est delegasse, et ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione ad regendum nobis visus est tradidisse. Idcirco ad ejus petitionem tale pro aeterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in ecclesiis et locis vel agris seu aliis possessionibus ipsius monasterii, quas moderno tempore per nostram donationem ac confirmationem seu caeterorum fidelium juste possidere videtur, in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quaeque etiam deinceps in jure ipsius sancti [Col. 0366B] loci, aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri; praecipientes jubemus atque anathematizamus, ut nullus comes, neque episcopus, aut ulla judiciaria potestas ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quamque servos, qui supra terram memorati monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones perquirendas, aut ullum omnino censum inquirendum, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare praesumat. Sed hoc ipse abbas vel successores sui aut monachi memorati loci, praesentes scilicet et futuri, propter nomen Domini sub integrae immunitatis nomine absque cujuslibet inquietate aut contrarietate valeant dominare, et nulli unquam homini pro qualicunque re nullum censum omnino audeant impendere: sed ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione volumus constare. Statuentes ergo atque jubentes, ut neque vos, neque [Col. 0366C] juniores seu successores vestri, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesiis et locis vel agris seu reliquis possessionibus suprascripti monasterii, vel de omnibus quae supra scripta sunt, nullo unquam tempore inquietare aut exactare praesumatis: sed quod nos propter nomen Domini et aeterna remuneratione ad jam fatum monasterium indulsimus, perennibus temporibus proficiat in augmentis. Et quandoquidem divina vocatione suprascriptus venerabilis Benedictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint ad Dominum, qualem meliorem et nobis per omnia fidelem ipsa sancta congregatio de suprascripto monasterio aut de qualicunque loco voluerint eligere abbatem, qui ipsam sanctam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, per hanc nostram auctoritatem et permissa indulgentia licentiam habeant, et ubicunque voluerint ordinari, aut ipsi aut monachi ipsorum, vel a quolibet pontifice ex praecepto et consensu [Col. 0366D] nostro potestatem habeant, quatenus ipsi servi Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis ac conjuge proleque nostra et stabilitate totius regni a Deo nobis commissi vel conservandi

attentius Domini misericordiam exorare delectentur

@ [Col. 0365D] In quibusdam istius diplomatis exemplis apponitur haec clausula: *Data* VI *Kl.* Augustas, anno nono decimo regni nostri. Actum in Ruganesburg palatio; quae clausula certior videtur quam appositio *Bartholomaei notarii ad vicem Ludovici recognoscentis.* Constat enim Ludovicum fuisse cancellarium Caroli Calvi, non Caroli Magni, qui tum apud Bajoarios cum exercitu erat. Istud privilegium postea Benedicto confirmavit Ludovicus Augustus litteris datis VIII *Kl.* Maii, anno primo imperii, Indict. 7, Aquis palatio..»

28. Haec gloriosissimus rex Carolus, venerabili viro Benedicto per praeceptum contulit: sed et circumquaque utilia pecorum laboribusque apta per chartam imperialem loca ab eo suscepit. Honore autem magno ab imperatore donatus, scilicet argenti [Col. 0367A] libras ferme XL, ad suum in pace rediit quantocius monasterium. Mox autem patrium ut attigit solum, divisum per partem quod attulerat argentum benedictionis gratia per singulorum direxit monasteria. Fuit enim illi hoc nostris temporibus prae cunctis singulare donum, benevola scilicet circa omnes piaque consideratio, atque sollicitudo omnium monasteriorum circa longeque positorum. Etenim ea crebro visitabat, et ordine sanctae vitae imbuebat: de his autem quae illi a fidelibus conferebantur, juxta numerum habitantium, vel secundum posse transmittebat, his qui magis indigebant amplius, exigua autem indigentibus minus. Noverat utique singulorum monasteria, eorumque nomina retinebat. Pallia vero, quia singulis dare non poterat, per partes divisa ad [Col. 0367B] cruces saltem faciendas mittebat. Omnium denique monasteriorum, tam in Provincia quam in Gothia seu Novempalitana

@ [Col. 0367D] Aliis Novempopulonia dicta, inter Garumnam fluvium et montes Pyrenaeos Oceanumque comprehensa, vulgo *la Gascogne, sic dicta a novem populis quos ambitu suo complectitur.* provincia consistentium erat quasi nutrix fovens juvansque; atque ab omnibus amabatur ut pater, venerabatur ut dominus, reverebatur ut magister.

29. Pauperum quoque summo cum studio secernebatur portio, viduarum non patiebatur in alios expendere usus particulas. Omnium siquidem sanctimonialium viduarumque circa positarum noverat nomina Captivis hilariter praebebatur redemptio, nullus illo habente indonatus, ut reor, abiit, sed pro posse omnibus omnia factus est. Quapropter ultro quisque ei suam ferebat substantiam, quam in usus pauperum, egenorum, viduarum captivorumque ac [Col. 0367C] monachorum expendendam compererat: ita ut a quibusdam pene IV aut V susciperet millia solidorum, vasorumque indigentibus distribuenda.

30. Cura illi etiam erat ingens suos non solummodo praedicationis reficere cibo, verum etiam quoscunque obviare contingeret, mox coelesti eos alebat pane; et ne oblivione salubrem amitteret escam, verbis talibus ut tenacius inhaererent cordi inculcare consueverat: Esto, inquiens, casto corpore et humilis corde, quoniam Deo accepta non est superba castitas aut humilitas inquinata. Quibusdam vero hoc inculcare solitus erat: Si plurima tibi impossibilia esse praecepta noscuntur, hoc exiguum serva praeceptum: *Declina a malo, et fac bonum* **(Psal. XXXVI, 27)**. Quae [Col. 0367D] sententia ita ei familiaris exstitit, ut tempore mortis collectis omnium Patrum sententiis, unum ex ea vellet conficere librum. Fratribus vero sibi subjectis omni hora, in nocturnis scilicet, in

capitulo, in refectorio, pabula vitae praebebat.

31. Et quoniam, dum benevolentiam ejus pandere tentavimus, virtutum ejus copia palam occurrerunt; pro viribus commodum decernimus quantulumcunque de his nescientibus desiderantibusve enucleare. Hoc enim comperit omnis qui ejus familiaritati adhaesit, charitate eum vincere cunctos. Nunquam [Col. 0368A] enim quod sibi, sed potius quod utile aliis judicavit, agere voluit: quod si fecisset, cito correxit. Charitatis enim amore ut plures faceret salvos, aliorum circuibat cellas, et eis Regulae sanctae pandebat absconsa. Charitate itaque plenus, Arelato cum quampluribus episcopis, abbatibus, monachis per plures resedit dies, canonum decreta pandens, et beati Gregorii papae homilias enucleans ignorantibus. Plenus nempe charitate, ex diversis locis in suo coenobio susceptos alebat clericos ac monachos, quibus magistrum praeponens sacris imbuebat sensibus. Charitate sibi injuriam facientibus munera destinabat. Neque laborandum est ut pandamus quae melius cuncti viderunt, perplures obsequio experti sunt.

32. A rigore vero suae primae conversionis paululum [Col. 0368B] declinarat, quoniam impossibile opus assumpserat: sed voluntas eadem permanebat. Siquidem cum arantibus ipse arabat, cum fodientibus socius erat, cum messoribus metebat. Et quamvis regio illa solis calore esset adusta, et ita vapor ignis velut a clibano procedens incendat potius quam calefaciat; hic suis nimio fervore aestuantibus vix ante horam refectionis aquae poculum indulsit. Nam labore defessi, igne perusti, frigidam potius desiderabant aquam quam vinum: nec erga eum quisque murmurare poterat, quoniam similia patiebatur. Quae eis res non modicum ferebat solamen, quoniam dum se arentem siti cerneret, humanius erga suos agebat; nec laborantium quis fabulis perstrepere audebat, sed manus opere, linguae occupabantur psalmodiis. Euntium [Col. 0368C] enim et redeuntium ac laborantium ora divinis meditationibus erant intenta. Saepe eum etiam palmas caedere vidimus, eorum videlicet qui erga eum in potu ciboque humanius agere conati sunt. Saepe sibi positum vas mensurare conspeximus; et, sicut hi qui cellario praefuerint narrant, aliis bibentibus vinum, aquam excepto sabbato aut Dominica die saepe bibebat. Saepe a cibo ejus pinguedinem subtraximus, et ne vel exigua particula casei triti in eo inveniretur, summopere curabatur. Carnem quadrupedum a die conversionis suae usque ad extremum vitae edere noluit: jus e pullo
@ [Col. 0368D] Vides majori cum religione Benedictum abstinuisse a quadrupedum carnis esu, quam a jusculo volatilium; qua de re deque usu pinguedinis alias. compositum sumebat, si aliqua accessisset debilitas. Multos etiam per annos primaevo tempore pinguedinem vetuit: caeteris [Col. 0368D] vero, quoties opportunum fuit, ea quae sibi negabat, praebebat. Tanta enim ejus erat sollicitudo, ut si vel modica grana leguminum, vel exiguae porri comae cauliumque folia ab eo neglecta invenirentur, mox digna excommunicationis animadvertebatur sententia, cujus probaretur esse delictum. Sin autem quis ei aquam ad lavandum porrigeret, et ut solet largius quam decet effunderet, peccatum incurrere fatebatur, eo quod discretionis non incederet calle.

33. Erat illi et hoc singulare bonum. Nam si quis cogitationibus concussam mentem gerens, mox ut [Col. 0369A] ad eum accederet, ejus salubre consilio tumultuosa turba cogitationum abibat. Saepe etiam cum infestis cogitationibus pulsatus quis, sicut a vero

fratre didici, diceret, quia ibo et pandam vos domno Benedicto; illico importunus ab eo recedebat tumultus. Si quis vero gravioribus esset detentus delictis, illi cor suum pandens, consolationis recipiebat fomentum. Si tristitiae morbo angeretur, accedens ad eum mox laetus discessit.

34. Aucta est autem turba monachorum Deo famulantium, ita ut plusquam trecenti fierint, ob quorum eximiam congregationem talem mansionem construere jussit, quae mille et eo amplius homines capere videtur, centum recipiens cubitos in longitudinem et viginti in latitudinem: et quia caetera loca [Col. 0369B] eos capere non quibant, constituit locis congruis cellas
@ [Col. 0369D] En causa erigendarum cellarum, quas modo praeposituras et prioratus vocamus., quibus praefectis magistris posuit fratres.

35. Accidit denique eodem tempore inundatio pluviarum, quiescentibusque magistro cum fratribus, subito ab ambobus ostiis ingredi redundans aqua coepit ac quiescentium occupare domum. Pavore vero fratres perterriti concite surgunt. Domus autem latrinarum super torrentem magno cum labore fuerat sita, quam tumens torrens nitebatur subvertere, ita ut ab inferioribus conquatientes rauco cum murmure undae in jam jamque ruituram prosilirent domum. Concurrunt pariter media ferme nocte ad ecclesiam, ubi ipse Pater perveniens primus, signi funem arripuit, jussitque canere laudes, sanctorumque implorare suffragia, atque cum lacrymis una Dei flagitare [Col. 0369C] clementiam. Post multas quoque preces adeunt visere si jam domus foret subversa. Quo eunte venerabile viro obscura sub caligine noctis, vepris cruribus ejus haesit, nimioque taedio affectus, lacrymabiliter, ut sedaretur inundatio, Deum deprecatus est. Sed cum ad locum devenerunt, integro descendisse pede aqua reperta est. Confisi jam de Dei adjutorio, ad socios in ecclesia constitutos redeunt, et beneficia Dei narrantes pariter benedixerunt Deum.

36. Interea audientes ejus sanctitatis famam gregisque ejus sanctam opinionem, postulare instanter exempli gratia monachos nonnulli episcopi coeperunt, de quibus Leidradus
@ [Col. 0369D] De Leidrado et monasterio Barbarensi, deque Theodulfo et Mitiacensi inferius agendum, ubi de aliis monasteriis per Benedictum ordinatis. Lugdunensium pontifex volens monasterium quod vocatur Insula-Barbara reaedificare, quaesivit instanter qui ei initium bonae vitae [Col. 0369D] ostenderent, et accepit. Siquidem electos ferme a grege XX discipulos, quibus praeposuit rectorem, eosque Burgundiae partibus ad habitandum direxit: quo praestante Christo Domino nunc in sancta religione pollentes et florentes, praegrandis est turba aggregata monachorum. Theodulfus quoque Aurelianensium praesul, cum monasterium Sancti Maximini construere vellet, a jam praefato viro postulat regularis disciplinae peritos: cui mox assensum praebuit, et bis denos illi monachos praefecto magistro misit. Qui constanter in sancto studio decertantes, non [Col. 0370A] parvam monachorum turbam coadunarunt: quos cum visitandi gratia Pater venerabilis adisset, quae ibidem acta sint pandam. Siquidem ejus praestolantes adventum, omni studio satagunt, quatenus ejus pro amore copia, piscium ciborumque apparatus non solum illi, verum etiam omnibus fratribus foret abunde. Fit concursus fratrum, sollicitantur piscatores, perscrutantur nundinae: sed tanta evenit

difficultas, ut nec ad emendum invenirentur, nec ab eis capi posset, qua de sterilitate nimio afficiebantur moerore. Advenit interdum magister, gaudentes suscipiunt, gaudensque eorum profectibus resalutat: sed verecundiam fratres laeto celabant sub vultu. Praeterea accidit ut frater quidam quippiam operis exercens juxta fluvium Ligeris sisteret: et ecce subito [Col. 0370B] praegrandem piscem, quem isicem vocant, conspicit circa littus natantem: ad quem non tardus capiendum insiluit, abstractumque fratribus detulit. Fit quoque hac de re gaudium, sed admiratio major: omnes tamen meritis hoc venerabilis viri Benedicti evenisse confessi sunt, hoc enim ego a fideli fratre, ni fallor, ita didici. Alcuinus quoque ex genere Anglorum, ordine levites, sapientia praeclarus, sanctitatis merito venerabilis, regens monasterium beati Martini confessoris, qui fuit Turonensium pontifex, quique in aula gloriosi imperatoris Caroli omni honore dignus habebatur, auditam [audita, etc.] expertamque viri Dei sanctitatis famam, inviolabili se illi charitate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei saepe directis aggregatis in unum unus conficeretur [Col. 0370C] libellus. Datis itaque illi muneribus postulat obnixe sibi monachos dari. Cui cum protinus venerabilis Pater assensum praebuisset, equos misit qui eos ferrent: quos in monasterio, cui nomen est Cormarine, quod aedificaverat, collocavit. Fuere etiam et hi, ut reor, XX cum praelato sibi magistro: ad quorum bonum conversationis exemplum, magna est aggregata multitudo monachorum.

37. Quae autem per idem tempus propitia Divinitate sint acta miracula, non ab re puto si huic operi inserantur. Quidam siquidem frater tabulam sacratam, in qua beati Dionysii erant reliquiae aliorumque Sanctorum plantatae, missus est ab alia cella ad aliam deferre: isque secum pergens catulos detulit, tabulam vero sacratam post aliquos dies revertens [Col. 0370D] non lotis vestibus incautus deferre nititur. Ingressus navigio properat (erat enim cella ipsa inter stagnum et mare sita), sed ut mox terram attigit, equumque ascendens in quo catulos pertulerat, tabulam portaturus suscepit, divina hunc ultio perculit. Equus quidem eadem hora se in circulo rotando conversus est, quousque frater in terram rueret, tabula quoque manibus ejus elapsa illaesa suscipitur; equus siquidem statim exstinctus est; sed et is, qui ceciderat, frater non sine magno est languore evectus, a quo diu confectus tandem sanitatem recepit. Hi vero [Col. 0371A] fratres qui petendas reliquias miserant, quae acciderant audientes, alium rursus fratrem mittunt. Qui quoniam erat sacerdos, secum crucem, in qua lignum erat Dominicum, tulit. In stagnum vero ingressus, valida tempestate vexatur navicula: sed mox ut crucem quam collo gestabat undis tumentibus opposuit, quieverunt procellae. In cella vero quiescens per somnum vidit miri candoris virum, qui eum ita affatus est: Nisi, inquit, lignum Domini mei tecum attulisses, nequaquam abhinc quo velles tempore exires. Admonetur itaque ut pedester eas deferret: et quia non obtemperavit, deductas [deductis, etc.] ad praefatam cellam reliquias, gravi est infirmitate percussus. Post haec autem in ecclesia eadem qua reliquiae fuerant delatae, pharum pendebat, [Col. 0371B] in cujus vascula permodicum erat oleum, sed in crastino plena reperta sunt. Hoc autem contigit per ter. Haec nempe his quibus languor acciderat narrantibus comperi.

38. In montibus autem in quibus fratres soliti erant alendarum ovium curam habentes habitare, sibi ad orandum exiguum oratorium construxerunt, in quo ingressae sunt mulieres postquam fratres ab eo discesserant loco, et deridentes habitacula monachorum dicebant ad invicem: Tu vicem abbatis habeto in loco ejus stans. Sicque

singulae ordinatim stantes in loco orationis quasi orantes, male surrecturae recumbebant. Vacua siquidem remanserant habitacula, in quibus aestatis tempore solummodo morabantur, sed eas statim digna subsequitur ultio. [Col. 0371C] Tornutionibus vero vexari coeperunt, a quo dolore non sunt ereptae, quousque viri earum subsecuti sunt monachos a montibus cum ovibus descendentes, eosque precati sunt ut pro temerariis preces funderent. Orantibus autem fratribus sanitati continuo sunt redditae.

39. Quidam energumenus vice etiam quadam ad monasterium parentibus deducentibus suis venit, qui in basilica beatae semperque virginis Dei genitricis Mariae collocatur: pro quo dum orationem cum vigilia fratres fudere, sanitatem [sanitate, etc.] perceptam discessit in pace. Femina rursus immundo spiritu plena ad monasterium pervenit, eamque in oratorium sancti Joannis Baptistae, quod in coemeterio situm est, fratres cum vigiliis et orationibus [Col. 0371D] custodiunt, quae praestante Deo sospes abscessit. Ad oratorium vero quod in honore sancti Saturnini martyris dedicatum est, ubi venerabilis vir primum habitare coepit, si quis febricitans abierit et paululum dormierit, si fide non haesitaverit, incolumis revertetur ad propria. Quae multorum relatione didici, eorum videlicet qui per semet beneficium sanitatis experti sunt. Haec de miraculis nostris temporibus actis pauca dixisse sufficiat. Ad ordinem coeptum, juvante Deo, redeamus.[Col. 0372A]

40. Gloriosissimus autem Ludovicus rex Aquitanorum tunc, nunc autem divina providente gratia totius Ecclesiae Europa degentis imperator Augustus, sanctitatis ejus vitam compertam permaxime diligebat, ejusque consilium libenter obtemperabat: quem etiam omnibus in suo regno monasteriis praefecit, ut normam salutiferam cunctis ostenderet. Erant enim quaedam monasteria instituta canonica
@ [Col. 0371D] Quale erat Dionysianum prope Lutetiam Parisiorum, quod a monasticis ritibus ad canonicorum mores deflectebat, dum Ludovicus Augustus per Benedictum abbatem ad primaria instituta revocare tentavit, idque tandem perfecit anno 817, cujus rei litterae imperatoriae exstant apud Sirmondum in tomo II Conc. Galliae; quale itidem erat monasterium Sanctae Columbae, apud Senonas. Hujus rei litteras legesis in Appendice ad Lupum abbatem editionis Baluzianae. servantes, Regulae autem praecepta ignorantes. Cujus ille obediens jussis, circumivit singulorum monasteria, non solum semel et bis, sed et multis vicibus, ostendens monita Regulae, eamque eis per singula capitula discutiens, nota confirmans, ignota elucidans: sicque actum est, providente Deo, ut omnia pene monasteria in Aquitania sita regularem susciperent [Col. 0372B] formam.

41. Sed is qui bonis actibus semper invidet innocentiae adversarius et pacis inimicus, non aequum decernit, si pii regis diutius adhaereret amicitiis, damnum suae parti inferre non dubitans, horum si eminus indivisa charitas permaneret; et quoniam naturae suae gloriam superbiendo amisit, in ea bona quae perdidit ne homo introducatur, totis viribus cavet: dolet enim hominem miseratione Dei recuperari. Sed nec mirum si piorum probitate hostis crucietur antiquus, et eorum quos invincibiles cernit profectibus torqueatur; cum sint etiam plures qui hujus malignitatis opera imitentur. Multi enim (quod dolendum valde est) uruntur alienis utilitatibus, atque in eorum armantur odium quorum sequi nolunt [Col. 0372C] exemplum. Praefatis ergo proficuis actibus Deoque dignis

agnitis, quorum stipatus agmine, invidiae jaculis armatus male pugnaturus processit. Et primum quidem clericorum in ejus derogatione accendit animos; tunc demum aulae regiae militum stimulat corda, quorumdam etiam comitum subvertit mentem: omnesque pariter invidiae face succensi non clam, sed jam palam virus pestiferae mentis vomentes, circillionem rerumque cupidum et praediis aliorum invasorem, suarum animarum jugiter oratorem, publica voce clamabant, quorum vesana saevitia ad tantum nefas prorupit, ut animum serenissimi imperatoris Caroli erga eum concitare tentarent. Sed vir Dei bene secura conscientia, nec derogationibus commovetur, nec fraudulentis assertionibus [Col. 0372D] perterretur. Palatium deinceps hac de re adiit; quo eunte prohibere nonnulli conantur, attestantes si conspectibus imperatoris astiterit, patriam ultra non visum iri, quoniam erga se imperialis ira nimis foret accensa. Pergit tamen intrepidus, Dei miseratione confisus, illi spem suam committens, cujus pro amore certabat non pigrus. Esto, exsilii decerneretur subire laborem, mentem suam agebat famulari Deo securiorem. Quod si ab officio ne praeesset pelleretur, omni desiderio hactenus hoc se concupisse [Col. 0373A] narrabat. At priusquam in conspectu imperatoris astitit, ad tantam superna pietas tranquillitatem ejus inflexit mentem, ut viso eo deoscularetur, eique poculum propria porrigeret manu: et quem aemuli a proprio solo autumabant fieri extorrem, ad eum rediit magno cum honore: sicque divina ordinante misericordia eum dum infamare conati sunt, praedicarunt; et quem mentiendo odiosum reddere studuerunt, hunc non solum minimis, verum etiam magnatibus venerandum ostenderunt.

42. Guillelmus quoque comes, qui in aula imperatoris prae cunctis erat clarior, tanto dilectionis affectu beato Benedicto deinceps adhaesit, ut, saeculi dignitatibus despectis, hunc ducem viae salutaris eligeret, qua pertingere posset ad Christum: acceptaque [Col. 0373B] tandem convertendi licentia, magnis cum muneribus auri, argentique, ac pretiosarum vestium speciebus subsequitur venerabilem virum. Nec moram inde ponendi comam fieri passus est, quin potius die natalis apostolorum Petri et Pauli auro textis depositis vestibus, Christicolarum induit habitum, sese coelicolarum ascisci numero quantocius congaudens. Vallis vero a beati viri Benedicti monasterio ferme quatuor distat millibus, cui nomen est Gellonis, in qua construere praefatus comes in dignitate adhuc saeculi positus cellam jusserat; illic se vitae suae tempore Christo tradidit serviturum: et quoniam nobilibus natalibus ortus, nobiliorem se fieri Christi amplectendo pauperiem studuit, et summum quem genuino perceperat, pro Christo abjecit honorem; [Col. 0373C] ratum puto si de piis conversationis ejus actibus pro nescientibus pandam. Etenim in cellam praefatam venerabilis Pater Benedictus suos jam posuerat monachos, quorum exemplo imbutus, infra paucos dies, eos a quibus edoctus est, virtutibus antecellit. Adjuvantibus quoque eum filiis, quos suis comitatibus praefecerat, comitibusque vicinis, ad perfectum fabricam monasterii, quam coeperat, cito deduxit. Qui locus ita secretus est, ut solitudinem non desideret habitator. Cingitur denique nubiferis undique montibus: neque cuiquam illic accessus est, nisi quem ultroneus orandi causa deduxerit animus. Tanta vero amoenitate est perfusus, ut si Deo servire decreverit, aliorum non desideret loca: siquidem adsunt vineae, quas praefatus vir plantare praecepit, [Col. 0373D] hortorum quoque copia variis stipata diversarum generibus arborum. Possessiones acquisivit plurimas. Petenti siquidem eo serenissimus rex Ludovicus spatioso hoc dilatavit termino, de fiscis suis ad laborandum concedens

loca, vestes sacras perplurimas dedit, calices argenteos aureosque et offertoria praeparavit, libros secum perplures attulit, altaria auro argentoque vestivit. In hanc nempe ingressus cellam totum se dedicavit Christo, nihil mundanae pompae relinquens vestigii. Tantae autem deinceps [Col. 0374A] humilitatis fuit, ut rarus aut nullus ex monachis ita flecti posset, dum obviare contingeret, ut ab eo humilitate non vinceretur. Vidimus saepe eum caedentem asinum suum, flasconem vini in stratorio deferre, eumque super insedentem, calicem in terga humeris vehentem nostri monasterii fratribus tempore messis ad refocillandum sitim eorum occurrere. In vigiliis quoque ita pervigil erat, ut vinceret cunctos. In pistrino, nisi occupatio aliqua praepediret aut aegritudo tardaret, propriis operabatur manibus. Coquinam vice sua complebat. In habitu summae humilitatis assumpserat formam; jejunii amator exstitit, orationibus instans, compunctioni continuus: vixque corpus Christi poterat percipere, priusquam lacrymarum ejus in terram decurrerent [Col. 0374B] guttae. Lectuli quoque duritiem avide expetebat; sed propter ejus invaletudinem Benedictus Pater culcitram, eo nolente licet, substerni fecit. Aiunt nonnulli, se quia saepe pro Christi amore flagellis caedi, nullo alio praeter eum qui aderat conscio jussit. Mediis fere noctibus glacialibus profusus rigoribus, uno perraro tectus tegmine, saepe in oratorio quod in honorem sancti Michaelis construxerat, soli Deo notus, vacans orationibus stabat. His aliisque virtutum fructibus intra exiguos stipatus annos, imminere sibi diem mortis cognoscens, cunctis monasteriis in regno domini Caroli pene sitis per scripturam notum fieri jussit, se ab hoc jam saeculo migrasse: sicque deinceps copias virtutum reportans Christo vocante migravit e mundo. Haec perscire cupientibus [Col. 0374C] dixisse sufficiant: ad coeptum rursus redeamus opus.

43. Piissimus quoque Ludovicus rex, quo ab insanis magis magisque irridebatur Benedictus venerabilis abbas, eo sibi eum in dilectionis sociabat multocius amore, sciens mundi amatorum esse consuetudinem profectibus obesse justorum. Regina quoque pio affectu colebat eum; et quia justum noverat, libenter auscultabat, suisque muneribus saepissime honorabat. Et quoniam turba discipulorum ejus succreverat, et locus in quo ipse degebat, infecundus humoque sterilis pene et ardore solis super ustus est, dedit illi monasterium quod est in Arvernis territorio situm

@ [Col. 0373D] Menatense scilicet, quo de monasterio agitur in Vita sancti Menelei abbatis, qui ejus auctor esse dicitur, id est instaurator; nam altero ante Meneleum saeculo exstitisse monasterium illud constat tum ex Actis sancti Carilefi abbatis, tum ex Gregorio Turonensi episcopo, qui *Manatensis monasterii meminit in libro de Vitis Patrum, cap.* 12., quod sanctus Meneleus regio de semine ortus fundavit, in quo et jacet in corpore: [Col. 0374D] ubi duodecim direxit monachos, constituens eis abbatem summae reverentiae virum, nomine Andoarium, qui a primaevo tempore conversionis suae ei adhaeserat, virum probatum et multis laboribus attritum: quibus laborantibus pioque studio decertantibus ferme septuaginta, vel eo amplius illis, monachicam vitam pro posse servantes adhaeserunt. Ad quod monasterium dum quadam vice egregius abbas visendi gratia fratres adiret, ex alia parte ejus adventum dum quidam abbas cum fratribus suis expeteret, [Col. 0375A] contigit eum ipsius monasterii cellam, ubi ecclesia in honorem Dei et Salvatoris nostri sita est, advenire. Siquidem ibi primum habitare fratres coeperant: sed quia angustus erat locus, ad jam praefatum monasterium serenissimus rex eos transtulerat. Fratres autem qui ad providendam cellam remanserant, videntes

abbatem una cum suis gavisi sunt. Et quia erat eis ingens paupertas, tristabantur. Sed quoniam ubi charitas est, etiam exigua sufficiunt, jubet qui praeerat fratribus, juveni vinum afferre, cui mox ille: Nihil, inquit, est in vasculo vini. Duo siquidem illis vascula euntes permodica reliquerant fratres, in quibus modicum erat vinum, ex quo vel missas canerent, vel Dominicis diebus singulas potiones perciperent. Audito autem magister [Col. 0375B] cellae illius non esse vinum in vasculo, doluit, et confidens ait: Perge et affer nobis, quoniam pro amore Patris nostri bibent hi qui ad eum properant, et non deficiet eis. Perrexit frater, et abstracto duce
@ [Col. 0375D] Male in editis *vasculo.* Dux enim sive duciculus, vulgo *un duiset, serraculum dolii est.* egreditur vinum. Jam quidem prius voluerat accipere, sed nequaquam invento recesserat. Nuntiat quod acciderat: glorificant Deum qui aderant, et meritis domni Benedicti fieri profitentur. Biberunt ergo pro velle, et secum benedictionis causa tulerunt. Domnus quoque Benedictus cum suis adveniens, juxta quod opus fuit accepit, secumque ex eo in via tulit: sicque post haec cessavit vas fundere vinum. Ipsis nempe fratribus haec qui viderunt referentibus comperi, qui usque nunc testes horum existunt.[Col. 0375C]

44. Alia rursus vice in eodem monasterio venit: post longum vero praedicationis sermonem piumque confabulationis alloquium, discessurus pacis osculum fratribus praebet. Quidam autem frater inter alios osculaturus accessit: quo perspecto vir Dei protinus substitit, pacisque osculum paululum negavit: post increpationem vero congruam nobis mirantibus fratrem deosculatus est. Post hunc quoque inter alios alter adfuit frater, cui similiter fecit; tum demum ultimum vale dicens fratribus abiit. Illo autem abeunte in crastino compertum est quoniam fratres illi fugam arripere disposuerant. Intelleximus tunc quoniam ob hanc causam eos, revelante sibi sancto Spiritu, venerabilis abbas osculari tardabat, quorum perversam voluntatem, etsi non patenter [Col. 0375D] ostendit, turbatas tamen conscientias salubriter increpavit.

45. Aliud demum illi monasterium gloriosissimus rex dedit, ubi (ut reor) viginti monachos misit, abbatemque illis constituit. Situm vero est monasterium illud in territorio Pictavense, et dedicatum in honore sancti Savini
@ [Col. 0375D] Hactenus nomen retinet sancti Savini., in quo positi fratres, dum in piis studiis vigilant desudantque, turba monachorum non parva eis adjungitur. Rursus ei aliud contulit monasterium, quod est in territorio Bituricensi situm, illoque quadraginta ferme posuit monachos, [Col. 0376A] constituitque abbatem: et quoniam locus ille novo opere erat fundandus, adjutorium praestitit, libros vestesque sacras dedit. At illi in sanctae religionis habitu florentes, sanctaeque conversationis normam pandentes, unitatem quoque spiritus servantes in vinculo pacis, permaximum intra Christi ovile gregem monachorum aggregarunt.

46. Ulfarius
@ [Col. 0376D] Wlfarius comes Bellam-Cellam in pago Albigensi ad fluvium Agotum aedificasse dicitur. etiam quidam nomine, nullum habens consanguineum, vir illuster et nobilis, per chartam ei ad aedificandum monasterium locum tradidit in Albiensis confinio, ubi etiam monachos ordinato illis abbate fere duodecim misit: et his etiam quoniam novo opere fabricam monasterii coeptam perficere satagebant, libros plurimos

contulit, vestes sacras praebuit, calicem argenteum ac offertoria, [Col. 0376B] crucemque et omnia quae illis necessaria fore prospexit, administravit. Ipsi vero tam in aedificiis rerum corporearum, quam etiam in aedificatione animarum, sanctaeque Regulae institutis decertantes, magnam Christo Deo famulantium congregationem religiosorum fratrum acquisierunt.

47. Post obitum quoque serenissimi imperatoris Caroli, cum filius ejus Ludovicus rex Aquitanorum imperii curam suscepisset, Franciae eum partibus ire jussit, eique in *Alsat Maurum-Monasterium designavit, ubi plures suae vitae sequaces ex Aniano monasterio collocavit.* Et quoniam magnum a palatio distat spatium locus praefatus, nec congruo occurrere tempore cum vocaretur poterat; et quia imperatori multis pro causis erat necessarius, placuit imperatori [Col. 0376C] ut non longe a palatio provideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset. Sicque praefecto abbate fratribus Mauro degentibus, ipse cum nonnullis imperatoris voluntati obtemperaturus accessit.

48. Vallis autem erat vicina, quae a palatio, ut reor, sex non amplius millibus distat, quae viri Dei placuit oculis: ibique imperator jussit construere miro opere monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo ejusdem vallis nomine. In dedicatione vero ecclesiae adfuit imperator, eamque de suis copiosissime ditavit fiscis immunitatemque jussit, atque per scripturam, ut triginta ibidem Deo fratres Christo famulantes persisterent monachi, statuit. Qua de re ut numerus impleretur, venerabilis [Col. 0376D] abbas de notis monasteriis lectos jubet venire fratres, quos suo instrueret exemplo, essentque aliis documentum salutis, quousque instinctu divinae gratiae saeculari pompa relicta aeterno Regi militare desiderantes ex eadem provincia in eorum subrogarentur ordine.

49. Coepit autem post haec vir Dei palatinas terere fores, olimque dimissum ob multorum utilitatem ferre tumultum. Omnes siquidem qui aliorum pressi incommodis imperialia petebant suffragia, cum ad eum accederent, alacriter susceptos osculabatur, [Col. 0377A] eorumque querimonias in schedulis impressas tempore opportuno offerebat imperatori. Ex quibus assuetus aliquoties serenissimus imperator mapulam manicasque ejus palpans reperiebat, repertasque legebat, atque ut utilius noverat decernebat; propter oblivionem quippe talibus in locis eas ferre solitus erat. Libenter etenim hujuscemodi querimonias audiebat imperator, et ob id quam maxime sedulo illum in palatio fore jubebat. Etenim qui eum ex regni moderamine, ex dispositione provinciarum et ex suis consulerent utilitatibus, erant perplures; nullus prorsus afflictorum miseriis ita compatiebatur, nullusque monachorum inopiam ita regi ut ipse pandebat. Erat quippe miserorum advocatus, sed monachorum pater; pauperum consolator, sed monachorum [Col. 0377B] eruditor; divitibus pabulum vitae praebebat, sed monachorum mentibus Regulae disciplinam inculcabat; omnium licet utilitatibus consuleret, monachorum tamen necessitatibus sedulo interveniebat.

50. Praefecit eum quoque imperator cunctis in regno suo coenobiis: ut sicut Aquitaniam Gothiamque norma salutis instruxerat, ita etiam Franciam salutifero imbueret exemplo. Multa denique monasteria erant quae quondam regulariter fuerant instituta; sed

paulatim tepescente rigore, regularis pene deperierat ordo. Ut autem, sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium monasteriorum salubris una consuetudo, jubente imperatore aggregatis coenobiorum

@ [Col. 0377D] Id factum anno 817, in synodo Aquisgranensi. Patribus una cum quampluribus [Col. 0377C] monachis perplures resedit dies. Omnibus ergo simul positis Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, utiles consuetudines affectusque confirmavit. Judicia igitur Regulae cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus Regula pandit consuetudines, assentientibus cunctis protulit: de quibus etiam capitularem institutum imperatori confirmandum praebuit, ut omnibus in regno suo positis monasteriis observare praeciperet: ad quem lectorem scire cupientem dirigimus. Cui protinus imperator assensum praebuit, inspectoresque per singula posuit monasteria, qui utrum ea quae jussa fuerant sic observarentur inspicerent, quique etiam formam salubrem ignorantibus traderent. Perfectum itaque [Col. 0377D] propagatumque est opus divina opitulante misericordia, et una cunctis generaliter posita observatur Regula, cunctaque monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, ac si ab uno magistro et in uno imbuerentur loco. Uniformis mensura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus cunctis observanda est tradita. Et quoniam alia per monasteria ut observaretur instituit Regula, suos in Inda degentes ita omni intentione instruxit, ut ex diversis regionibus [Col. 0378A] adventantes monachi non, ut ita dixerim, perstrepentia, ut imbuerentur, indigerent verba: quia in singulorum moribus, in incessu habituque formam disciplinamque regularem pictam cernerent.

51. Propter plurimorum quoque indiscretum fervorem et quorumdam ineptum teporem, minusque capacium sensum obtunsum, constituit terminum, ordinemque

@ [Col. 0377D] Hinc colligunt nonnulli Benedictum hunc auctorem esse libelli qui inscribitur *Ordo conversationis monasticae, ab Haefteno editus et illustratus in fine Disquisitionum monasticarum.* observandum cunctis tradidit: illos retrahens ne superflua peterent, hos imperans ut torporem excuterent, alios nihilominus admonens, ut saltem visa implere expeterent. Denique multa Regula implere jubet: sed permulta sunt quae usus expiere quotidianus expetit, ipsa tamen reticet: ex quibus omnibus habitus monachi veluti gemmis ornatur, et sine quibus dissolutus ac fluxus incompositusque [Col. 0378B] esse probatur. Nonnulla autem praecipit quae aut propter concordiam unitatis, aut certe propter observantiam honestatis, seu propter considerationem fragilitatis admittuntur. Quapropter piae recordationis venerabilis abbas quaeque observanda comperit, absque ulla cunctatione vel excusationis fuco implere decrevit: ea vero quae certis pro causis aut dimittenda cognovit, aut commutanda inspexit, nihilominus, prout rectius et secundum posse locique positionem dirimere quivit, suis observanda discipulis tradidit: si qua nempe minus lucide pagina Regulae pandit, aut omnino silet, rationabiliter apteque instituit atque supplevit, de quibus ope divina jutus pauca relatu perstringam.

52. Primitus siquidem quam signum horis nocturnis [Col. 0378C] pulsetur, in fratrum dormitorio squillam

@ [Col. 0377D] Id campanulae seu tintinnabuli genus, quod Lanfrancus signum minimum vocat in Decretorum cap. 1, et in secretario locat Durandus in triclinio, lib. I de divinis

Officiis, cap. 4. tangere jussit, ut prius monachorum congregatio oratio nibus fulti propria residerent per loca, tunc demum ecclesiae ostiis patefactis hospitibus pateret ingressus. Surgentes vero concite juxta quod Regula praecipit, fratres aquis se sanctificatis perfundant, et cuncta altaria humiliter et cum reverentia percurrant; sic demum ad propria loca accedant sintque parati, ut cum tertium pulsaverit signum, absque mora surgentes attonitis auribus sacerdotem exspectent, qui officium incipiendi sortitus est. Nec cuiquam liceat per hoc spatium per angulos ecclesiae sistere, eorum scilicet quibus ingredi justum est; sed in choro sedentes institutos secrete concinant psalmos. Psalmos autem cantare jussit, quinque [Col. 0378D]

@ [Col. 0378D] Hi sunt psalmi graduales, quos Quadragesimae tempore singulis feriis quartis etiam nunc ante matutinum officium frequentamus. pro omnibus fidelibus in toto terrarum orbe vivis, quinque etiam pro omnibus fidelibus defunctis; pro eis quoque qui nuper defuncti sunt, quia ad notitiam singulorum non statim causa pervenit, ut jugiter canerentur instituit nihilominus quinque. Decursis vero psalmis quinque pronus orationi incumbat, eos pro quibus cecinit Deo commendans: et tunc demum pro aliis rogaturus initium sumat. Nec pigritandum est pio, certis defixisque psalmodiis [Col. 0379A] aeterno Regi demerso in terram corpore supplicare: cum potentibus ad singula verba non revereatur quis inflectere caput; maximeque quia hoc modo gratia provocetur divina, et compunctionis suscitetur fervor. Tempore siquidem aestatis post expletum Matutinorum officium, mox egredi ab ecclesia propter somnolentiam jussit, seseque calceantes lotis faciebus denuo ad ecclesiam concite redeant, et juxta praefatum ordinem altaria cum reverentia circumeant, sanctisque se aquis perfundant: et sic deinceps ad loca sibi constituta accedant, diurnum expleturi honeste officium: quae officia juxta Romanum

@ [Col. 0379D] Ergo jam tum Romanae Ecclesiae mos obtinebat ut psalmus centesimus octavus decimus, uti et nunc, in horis diurnis psalleretur. Aliter diurnum psallendi officium distribuit sanctus Pater Benedictus in Regulae cap. 17. psalmo CXVIII persolventur, sintque parati, ut pulsato signo horae primae, mox ad chorum occurrant. Signum autem ita prolixe tangere jussit, ut [Col. 0379B] omnes illo sonante occurrant, illo cessante sacerdos incipiat horam. Expleta Prima in unum aggregati solvant capitulum: quo expleto, cum silentio, aut psalmos

@ [Col. 0379D] Sic psalmos inter laborandum decantari praescribunt Adalardus abbas in statutis suis, et Cluniacenses apud Udalricum, in Consuetudinum Cluniacensium lib. I, cap. 30. decantando exeant ad opus sibi injunctum. In monasterio quoque remanentes non fabulis occupentur otiosis, sed bini et bini, aut certe singuli in coquina, in pistrino, in cellario psalmos canant. Post completorium vero instituit ut non pro libita quis voluntate aut egrediatur, aut moretur in oratorio; sed hiemis tempore decem prius canant psalmos, aestate vero quinque: sicque pulsato signo omnes pariter juxta praefatum modum altaria cuncta circumeant, et sic ad lecta sua singuli pausaturi accedant. In his tribus per diem vicibus circumire cuncta praecepit altaria, et ad primum ex eis orationem Dominicam [Col. 0379C] dicant et symbolum, caeteris orationem Dominicam, vel sua confiteantur delicta. Diurnis autem orationum horis ad suum quisque accedat oraturus locum: si autem peculiariter sibi vult orare, quibuscunque vacat horis, licenter peragat. Has igitur tres ideo constituit orationis vices, ut hi qui torpore pigrescunt, et orare fastidient, saltem compulsi agant quae libenter nolunt, et constitutas non praesumant relinquere horas: hi vero qui nimio succenduntur amore, ne

extera indiscrete petant retrahantur. Sic enim accidere solet ut nimiis vigiliis atterantur unius noctis

@ [Col. 0379D] Eamdem rationem suggerit Cassianus in Collat. II, capp. 16 et 17. indiscretione: horis autem quibus divinis psalmodiis esse intentum oportet, praeoccupatus somno non valeat divinum exsolvere censum. In habitu quoque dissimiles fecerat [Col. 0380A] multorum consuetudo. Siquidem nonnullis usque ad talos cucullae pendebant. Quam ob rem vir Dei uniformem cunctis tenendum monachis instituit modum, ut non amplius a duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset. Concessit etiam necessitatis causa, propter quam Regula jubet, duas scilicet stamineas

@ [Col. 0379D] Jam ergo tunc vigebat usus staminearum, seu interularum lanearum, quas tamen Rotbertus Molismensis abbas repudiasse fertur apud Ordericum in Hist. lib. V. Certe sanctus Pater Benedictus de stamineis seu quibuslibet interulis silet. Et tamen stamineas duas monachis concedit. Fructuosus in Regulae primae cap. 4, et S. Ethildrita, non lineis, sed laneis vestimentis in monasterio usa est, teste Beda in Historiae lib. IV, cap. 19. Denique Ansegisus abbas Fontanellensis *drappos* albos XX, *de quibus camisiae* X X *fieri possent, Fontanellensibus assignavit.,* et femoralia, pelliceas quoque et tegumenta eorum, cappas duas; et quaecunque necessaria prospexit, ut omnem amputaret occasionis ambagem, tribuit et concessit.

53. Ostendit quoque per scripturam imperatori rationem de his quae jubet Regula, sed certis ex causis intacta remanent; et de his quae illa prorsus reticuit, sed utiliter supplentur. Omne quippe desiderium suum in observationem Regulae converterat, [Col. 0380B] suumque hoc permaxime erat studium, et nihil intellectui ejus excederet. Quam ob causam quos peritos esse compererat, attente sciscitabatur circa longeque positos, eos etiam qui istis in partibus ad montem Casinum accederent, veluti qui non audita solummodo, sed visa perciperent. Ob quam dilectionem intelligentiae cum quislibet ei aliquid novi panderet, mox humiliter suscipiens summa reverentia aiebat, necdum se posse occultos sensus Regulae nosse: et cum cunctis non dicam tironibus, sed ipsis sapientibus ipse eam elucidaverit, nova et inaudita se non tantum a peritis, verum etiam a simplicioribus reperire fatebatur. Fecit denique librum ex Regulis diversorum Patrum

@ [Col. 0380D] Nempe, ut quidem existimo, Codicem Regularum omnium, qualem exhibent mss. codices, Corbeiensis veterrimus aliique; qualem, inquam, Holstenius edendum reliquit, editumque typis Romanis et Parisiensibus habemus. Eo in codice Regulae, unaquaeque post aliam, integrae referuntur, cum in Concordia Regularum singulis Regulae sancti Benedicti capitulis singula aliarum regularum capitula instar commentariorum aptentur. collectum, ita ut prior beati Benedicti Regula cunctis esset, quem [Col. 0380C] omni tempore ad collectam matutinam legere jussit. Ex quo rursus ut ostenderet contentiosis nulla frivola cassaque a beato Benedicto edita fore, sed suam ex aliorum fultam esse Regulam; alium collectis Regularum sententiis composuit librum, cui nomen Concordia

@ [Col. 0380D] Hunc librum edidit, notisque eruditis illustravit Menardus noster, qui etiam Benedicti Collectionem ex homiliis Patrum in codice Floriacensi legisse se testatur: quem tamen codicem ego perquisitum reperire non potui. Regularum dedit, ita duntaxat ut beati Benedicti praecederet sententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps. Alium nihilominus ex sanctorum doctorum homiliis, quae in exhortationem

monachorum sunt prolatae, conjunxit librum, eumque omni tempore in vespertinis collectis legere jussit.

54. Cernens quoque nonnullos totis nisibus anhelare in acquirenda monachorum coenobia, eaque non tantum ut precibus obtineant, verum etiam [Col. 0381A] decertare muneribus, suisque usibus stipendia monachorum expendi, ac per hoc diruta nonnulla, alia vero fugatis monachis a saecularibus obtineri clericis; adiit hac de causa piissimum imperatorem precibusque pulsat ut ab hujuscemodi contentionibus clericos, monachos vero ab hoc redderet periculo extorres. Assensum praebet gloriosissimus imperator, monasteria in Regno suo cuncta praenotata, in quibus ex his Regulares Abbates esse queant decernit: ac per scripturam ut inconcussa omni maneant tempore, firmare praecepit, suoque annulo signavit: sicque multorum cupiditatem, monachorum nihilominus pavorem extersit. Erant etiam quaedam ex eis munera
@ [Col. 0381D] Quae ad munera, quae ad militiam olim tenebantur monasteria, recensentur apud Chesnium in tomo II, Historiae Francorum, et apud alios. In editis aliter hic versus legitur. militiamque exercentes: quapropter ad tantam devenerant paupertatem, ut alimenta [Col. 0381B] vestimentaque deessent monachis. Quae considerans suggerente praefato viro piissimus rex, juxta posse servire praecepit, ita ut nihil Deo famulantibus deesset, ac per hoc alacres pro eo ejusque prole, totiusque regni statu piissimum precarentur Dominum. His vero monasteriis quae sub canonicorum relicta sunt potestate, constituit eis segregatim unde vivere regulariter possint, caetera abbati concessit.

55. Quae autem cum ad generale placitum jubente imperatore pergeret, nutu Dei acciderint, non silendum puto. Ibat nempe aegritudine nimisque caloribus fessus, jussis obtemperans regiis, sed charitatis armis stipatus, multorum explere utilitatem paratus. Sed is qui piis semper invidet actibus inimicus, ut piorum detrimentum ferret saluti, hunc a tramite [Col. 0381C] coepto tali arte retardare molitur: equos siquidem, quibus ipse vehendus erat, per vasta silvarum deturbans custodibus fere ignota. Sed vir Dei nullo dolore de amissis equis perculsus, alacer regias prope pervenerat fores. Expletis siquidem monasteriorum monachorumque, de quibus illi ingens et jugis piaque erat sollicitudo, utilitatibus, numerus equorum imminutus a rege fulcitur [*id est suppletur*]. Sed et post unius mensis spatium amissi reducuntur equi; sicque divinitus actum est ut quia de amissis non doluit, duplicatum susciperet lucrum.

56. Coepit post haec diversis variisque atteri aegritudinibus, et multos per annos continuis vigiliis, assiduis lacrymis, acerrimisque jejuniis atque laboribus meditationibusque attritum corpusculum [Col. 0381D] novo certamini praeparare: ut qui subactis vitiis virtutum obtinuerat arcem, nobiliter infirmitatibus patientiae armis accinctus decertans, geminatam a rege suo superatis hostibus victricem perciperet palmam. Quo enim validius pulsabatur aegritudine, eo intentius magis magisque aut orationibus vel lectionibus persistebat. Nullus otiosum reperit, nullus omnino in opere Dei pigrum, nullus vanis frivolisque fabulis occupatum invenit. Aut enim ipse per se lectioni instabat, aut legentem studiose [Col. 0382A] audiebat. Quis unquam solum nisi flentem reperit? quis ad eum subito ingrediens siccas ejus reperit genas? et non prorsus aut humi prostratum, aut coelo erectis manibus stantem, aut ne sacri voluminis nimiis

humectarentur fletibus paginae, pugnis recipientem lacrymas invenit? Carnis deficiebant vires, sed animi adamante durior persistebat intentio, rigor semel coeptus pene ipse perdurans. Carnium quadrupedum esus non suscepit a die conversionis suae: balneis etiam in ultimo suo tempore languoribus attritus vix unquam indulsit. Vestimentum post quadraginta vel eo amplius dies mutare solitus est. Legere siquidem coram se sanctorum Patrum Vitam obitusque jubebat: qua lectione recuperatus animus fortior perdurabat. O bone Jesu, quibus suspiriis [Col. 0382B] fletibusque perfusus aestuabat animus cupiens dissolvi, et esse cum Christo! non tamen si necessarius fratribus foret, laborem ferre recusans.

57. Invalescente autem aegritudine imperatorem familiariter allocutus in monasterio deducitur, fratribusque valefaciens, tota nocte orationibus psalmodiisque pernoctans, ipsius diei regulare officium peregit. At cum alterius diei regulare explesset officium, et cursum persolvere vellet, ventum est ad clausulam: *Justus es, Domine;* quem versiculum decantans ait: Deficio; et adjecit: *Fac cum servo tuo, Domine, secundum misericordiam tuam* **(Psal. CXVIII)**; sicque inter verba orationis virtutibus decoratum emisit spiritum

@ [Col. 0382D] Sepultus in monasterio Indensi, ubi hactenus in lapideo sarcophago quiescit, coliturque die 11 Februarii, supra in observationibus praeviis, et infra in fine Vitae.. Adsunt autem ejus omnibus divitiis dulciores epistolae, quas pridie quam [Col. 0382C] migraret a saeculo, fratribus Aniano positis proprio dictavit ore, in quibus testatur faciem suam amplius non visuros. Aiunt etiam quidam quoniam hora qua migravit ad Christum, episcopo Stabili Magalonensi obitus ejus revelatus est; a somno siquidem surgens mox suis quod acciderat retulit. Obitum autem ejus ob id cursim attigimus, quoniam fratres qui eo tempore praesentes adfuerunt, latius explicaturi sunt, quod sequens demonstrat pagina.

58. Benedictus igitur abbas in provincia Gothiae exortus sub Pippino rege Francorum, et post ejus decessum sub Carolo filio ejus ab infantiae tempore usque in adolescentiam militavit. Post haec autem relicto palatio in monasterio Sancti Sequani in provincia [Col. 0382D] Burgundiorum habitum veri monachi suscepit: ibique duobus ac semis annis [*supra, num.* 10, quinquennii et octo mensium spatio; *an biennii?*] consistens, Deo jugiter militavit. Sed quia ibi regularem usum minime reperit, in Gothiae partibus migravit, ibique super fluvium Anianum manu propria cellam primitus postmodum vero cum ipsis fratribus qui ob amorem Christi sub ejus regimine venerant, monasterium ex novo opere construxit, in quo non longo post tempore trecentos sub suo regimine monachos [Col. 0383A] habuit. Defunctoque Carolo imperatore Ludovicus filius ejus imperium suscipiens, Benedictum venerabilem virum una cum suis quibusdam discicipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense monasterium ei Maurum dedit: postmodum vero pro ejus amore juxta Aquis palatium super fluvium Indam ex novo opere ei monasterium aedificavit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni regno Francorum Regulam sancti Benedicti restauravit. Hic habuit sub regimine suo monasteria duodecim, id est Anianum, Gellonem, Casam-Novam, Insulam-Barbaram, Menatem, Sanctum Savinum, Sanctum Maximinum, Massiacum, Cormariacum, Cellam-Novam in Tolosano, Monasterium-Maurum in Alsatz, Indam ex jussu [Col. 0383B] imperatoris ob illius ac discipulorum ejus usum

aedificatam, et de fiscis regalibus ditatam. In his omnibus ex doctrina sua monachos et rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine ecclesiastico, videlicet monachorum, canonicorum atque laicorum, maxime autem monachorum. Imperator autem omne ejus consilium libenter audivit et fecit, unde et a quisbusdam Monachus vocitatur, videlicet quod monachos sancti viri pro ejus amore semper suos proprios appellavit, et post ejus decessum hactenus abbatem se monasterii illius palam esse profitetur. Sanctus igitur vir usque ad obitum suum in palatio regis pro augmento fidelium, non pro terrenis rebus perseveravit, quia juxta erat monasterium in quo degebat. Ante quartum vero exitus [Col. 0383C] sui diem adhuc sanus omnia imperatori, quae ei solitus erat dicere, replicavit: et in ipsa die febre correptus, ad mansionem suam usque pervenit. Altera vero die audientes hoc omnes magnates imperatoris, ad eum visitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo episcoporum, abbatum ac monachorum, ut nobis qui eum ibi custodiebamus, vix ad eum accedere facultas esset. Helisacar autem abbas primus ad eum venit, et cum eo usque ad obitum perseveravit. Quinta siquidem feria aegrotavit, in [Col. 0384A] sexta autem feria nocte misit imperator Tanculfum camerarium, jubens ut eum ipsa nocte ad monasterium ferremus: quem levantes ante gallorum cantum una cum Helisacar et suis ac nostris hominibus, prima hora diei ad monasterium deduximus. Cumque esset tertia diei hora, omnes a se exire praecepit, et usque ad sextam horam solus permansit. Post haec ingressus supra dictus abbas cum praeposito nostro, percunctati sunt quomodo ageret. Quibus ipse respondit, nunquam se tam bene fuisse; adjunxitque: Usque modo inter choros sanctorum coram Domino astiti. In crastina autem fratibus ad se vocatis eis monita salutis dedit, et tunc professus est quia quadraginta octo anni essent ex quo monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem [Col. 0384B] comedit, donec coram Deo lacrymas funderet. In ipsa die brevem admonitionem imperatori misit, et alias per diversa monasteria direxit. Isdem vero venerabilis vir omne officium suum de quinque annis et duobus mensibus ante obitum suum, sicut in ejus tabulis post ejus decessum reperimus, et ipse vivens quibusdam dixit, cantatum [*id est recitatum*] per semetipsum liquit. Obiit autem septuagenarius, tertio Idus Februarii, anno ab incarnatione Domini octingentesimo vigesimo primo, indictione decima quarta, concurrente 1, epacta decima quarta, anno nono imperii Ludovici piissimi imperatoris. Post tertium vero diem sepulcrum ejus aperuimus, et eum in vas lapideum, quod imperator paraverat, mutavimus: discooperientes autem faciem ejus, vidimus [Col. 0384C] in fronte et circa oculos ac labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exceptis, et ita se habentibus, nos famuli ex monasterio Inda, videlicet Deidonus, Levigildus, Bertadus et Desiderius, tibi Ardoni magistro nostro salutem in Domino optamus, petimusque charitati tuae, ut secundum a Deo datam tibi sapientiam de Vita Patris nostri Benedicti libellum componas, et cum nobis dirigas. Salutant vos omnes fratres nostri, et vos salutate omnes fratres nostros. Amen.

[Col. 0383C]

APPENDIX PRIMA. DE SYNODO AQUISGRANENSI, DEQUE MONASTERIIS ANIANAE SUBJECTIS, AUT PER BENEDICTUM ORDINATIS.

(Mabill., ibid.) [Col. 0383D]

1. Quid in rem ecclesiasticam praestiterit Benedictus, hactenus vidimus ex ipsius Vita, in qua et contra Felicianam haeresim, tum in legatione Hispanica, tum in synodo Urgelitana laborasse, et concilio Arelatensi, quod ad restituendam Ecclesiae Gallicanae disciplinam anno 813 celebratum est, interfuisse memoratur num. 31. Nunc quid pro republica monastica, maxime in synodo Aquisgranensi, egerit, expendendum est. Cum rem Benedictinam fere ex aequo promovere studerent Ludovicus Augustus et Benedictus noster, anno 817 imperator Aquisgrani convenire jussit abbates quamplurimos Regulae nostrae servantes, ad resarciendam sacri instituti disciplinam, quam Benedictus scriptis, monitis exemplisque [Col. 0384D] suis revocare modis omnibus tentabat. Nimirum «monasteria monachorum, in quibus olim beati Benedicti Regula conservabatur, tum negligentia subrepente remissius ac dissolutius custodiebatur, vel certe penitus abolita negligebatur,» aiunt Patres concilii Turonensis tertii, canone 25. Quam ob rem varia tum a Carolo Magno, tum a Ludovico ejus filio convocata concilia, ut collabenti reipublicae nostrae opem ferrent. Anno 817 Aquisgrani congregata est plurimorum abbatum synodus, cui praefuit Benedictus. Sancita hac de re capitula septuaginta duo; tot enim enumerant Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. I, cap. 16, novae editionis, et Chronographus coenobii Sancti Vincentii ad Vulturnum, lib II, quo [Col. 0385A] ex coenobio Josues abbas eidem conventui interfuisse memoratur, Apollinarius ex Flaviniacensi, et alii, de quibus in Praefatione actum est. Peracto concilio «constituit idem Deo amabilis imperator Benedictum abbatem et cum eo monachos strenuae vitae, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis tam viris, quam sanctimonialibus feminis vivendi secundum Regulae sancti Benedicti incommutabilem morem,» ut legitur in Vita Ludovici Pii. Etsi enim universa Galliae monasteria eamdem sancti Benedicti regulam profitebantur, non una tamen omnium erat vivendi ratio, sed varia pro locorum, personarum morumque diversitate. Benedicto socius et adjutor adhibitus Arnulfus abbas, testante Ludovico Augusto in diplomate quod de restituto ordine monastico in monasterio S. Dionysii confecit VII Kal. Septembris, anno 19 imperii. «Mox, inquit, ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris inniti voluit, piae intentionis nostra sollicitudo [Col. 0385B] exsequi procuravit, ut religio, decor et omnis honestas a domno et genitore nostro divae memoriae Carolo coepta et instituta liquido et veraciter, remota omni simulatione, in propriis quibusque maneret et vigeret ordinibus. Unde ad monasticae institutionis normam corrigendam duos religiosos et venerabilis vitae viros Benedictum et Arnulfum abbates constituimus, qui per nostrum a Deo gubernandum et conservandum imperium seduli huic negotio studiose insisterent.» Exstat hoc diploma integrum apud Sirmondum in tomo II Conciliorum Galliae, egregium sane pietatis imperatoriae monumentum. Arnulfus is erat abbas, ut puto, monasterii Glonnensis seu Sancti Florentii ad Ligerim in dioecesi Andegavensi, et forsan etiam abbas Heriensis.

2. Quam Anianae disciplinam instituit Benedictus, eamdem in varia Franciae ac Germaniae monasteria propagavit. Tria primo nobis proponit Ardo, Insulam Barbaram, Mitiacense, et Cormaricense, quibus [Col. 0385C] addit Gellonense, Menatense, S. Savini Masciacense, monasterium a Wlfario conditum, Maurum-Monasterium, et Indam.

Indenses in epistola sua addunt Casam novam, et Cellam-novam in Tolosano; addo et ego Monasterium Sanctae Columbae apud Senonas. De quibusdam actum est in superioribus notis: de aliis hic nonnulla observanda.

3. Leidradus archiepiscopus Lugdunensis in epistola ad Carolum Magnum, «Monasterium regale Insulae Barbarae, inquit, situm in medio Araris fluvii, quod antiquitus est dedicatum in honore sancti Andreae apostoli et omnium apostolorum, nunc autem in honore sancti Martini recens videtur esse fundatum; jussu domni Caroli imperatoris, qui ibidem praefecit domnum Benedictum abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices, ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, et aliqua de maceriis a fundamentis erecta: ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam numero triginta habitare videntur.» Hic [Col. 0385D] est Leidradus seu Laidradus archiepiscopus, cui in Hispaniam cum Benedicto adversus Elipandum profecturo Alcuinus libros suos dedicavit, quique postea dignitatem Agobardo resignavit, in Sancti Medardi Suessionense monasterium secessurus. Alcuinus in epistola 69 (nunc 90) monachis Barbarensibus, quos *Fratres Lugdunenses vocat, gratulatur de restituta monasticae vitae disciplina, eosque praemunit adversus gliscentes errores.* Insulae-Barbarae monasterium, cujus non semel alibi facta mentio, nunc saeculari toga donatum est.

4. Quid in Mitiacensi asceterio prope Aurelianos, nunc sancti Maximini dicto, praestiterit Benedictus, declarat Theodulfus ejus facti auctor in Carminum libro II, ex quo quia carmen totum est in laudibus Benedicti nostri, juvat quosdam versus adducere in hunc locum. Sed prius ex Letaldo monacho Mitiacensi discamus qualis tum fuerit istius monasterii status; sic enim ille in libro de Miraculis sancti Maximini [Col. 0386A] abbatis, cap. 3: Nempe eo tempore «devotio Mitiacensis coenobii et studium monasticae vitae emollita erat a saeculi dilectoribus, partim cupiditate, partim incursione hostica, quae ex Aquitanica impugnatione crebro obtingere solebat. Per idem enim tempus inter Pippini duces et Waifarium Aquitanorum regem gravis et diuturna conflictatio rempublicam Francorum non modico profligavit damno, tandemque apud Toarcense castrum capto Waifario summa rerum ad Pippinum concessit. His fere temporibus locus supradictus adeo est adnullatus, ut nemo ibi posset manere monachorum: sed habitacula eorum aut essent diversoria saecularium et feminarum, aut stabula equorum et pastiones canum. Temporibus igitur divae memoriae Caroli Augusti, disponente rerum omnium Domino, eumdem locum pristinae reddere nobilitati, Theodulfus nobilissimus et moribus et genere acerrimique ingenii Aurelianensis Ecclesiae episcopus subrogatur. Hic itaque multa industria certans quatenus idem locus in antiquum [Col. 0386B] revocaretur honorem, dum in contiguis regionibus minus idoneos invenisset ad id efficiendum monachos, ex Septimaniae partibus ascivit, quibus et locum dedit, et res illi loco olim attributas de suo insuper addens contradidit. In qua re non poenituit eum facti sui, quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria enituit, ut veteris ignominiae dedecus honestas superveniens obumbraret, et praeteritorum dispendia lucra sequentia compensarent.» Duos hanc in rem monachos Theodulfus obtinuerat a Benedicto, cui hoc nomine gratias agit, eumdemque de aliis mittendis interpellat, ac cum S. P. Benedicto Casinate comparat his versibus:

I, mea charta, celer Benedicti ad tecta beati,
Hocque salutato tecta revise Patrum. Huic salveque valeque meum, huic singula narra,
Prospera quae nobis sunt tribuente Deo. Inde refer multas misso pro munere grates:[Col. 0386C]
Utque libens mittat plura, precare libens. Utque pium consurgat opus fundamine jacto,
Quod me jam mulcet, jam mea corda fovet Sit melius culmen: bonus est fundaminis ordo,
Quem gemini numeri sorsque decusque sacrat. Ecce duo monachi duo sunt praecepta salutis,
Divino ut vinctus sit quoque fratris amor. Et infra: Semina tu nostros misisti parva per agros,
Plurima mitte, seges hic tibi grandis erit. Non distes merito, cujus non nomine distas:
Nominis et meriti sors beet una duos. Quod fuit Ausoniis Benedictus rector in arvis,
Hoc modo tu in nostris es, Benedicte, locis. Ut cerebro Euphorbi Samius satus esse putatur,
Sic Nursi Patris in te revocatur opus. Ut per Teudulfum Teudulfi verba precantis
Imples, cumque una it hinc prece nomen idem.[Col. 0386D] Sic Benedictus ei per te, Benedicte, quod optat
Conferat, et voti tu mediator eas. Quodque fuit, Casine, tibi pius hic Pater olim.
Hoc modo sit cellae urbs Aureliana tuae. Quam bene Mitiacum vocitavit prisca vetustas,
Quae fuit auspicium mitibus ante choris! Maximinus ibi fratrum vernante corona
Praefuit, his junctus scandit ad astra poli. Corpora sunt quorum variis tumulata sepulcris,
Sunt animae in finibus sed, patriarcha, tuis, Has fera barbaries exempto munere pacis
Dejecit sedes, destituitque locum.

Quid his verbis significare velit Theodulfus, explicat Letaldus superius relatus. Pergit Theodulfus, et poetico more carmen suum dirigit ad Benedicti coenobium, tum post aliquot versus subdit:

Inde salutandi fratrem pietate revise,
Sum cui junctus ego nomine, non merito.[Col. 0387A] Hinc pete Nebridii Patris venerabilis aedes,
Mox et Donati sit tibi visa domus. Sed nec praetereas sancti loca fratris Atili,
Annianique mei tecta verenter adi. Nam pius aspiciat dantem sibi dona salutis,
Atala te videat, dicque, Olemunde, vale. Ac si forte vales mundanas ire per urbes,
Singula perlustrans oppida, rura, casas, Praesulibus nostras in carmine pande salutes,
Atque omni clero, quosque referre mora est. Attila, Clarinus, Teutfredus, Leubila, et omnis
Turba Patrum nostrum sentiat alma vale.

Quos hic primos salutat Theodulfus, erant ii ipsi quos Benedictus operis sui adjutores primarios habuisse dicitur apud Ardonem supra. Crediderim Annianum esse eum, qui sancti Anniani (*Saint-Chignan*) monasterio in Gallia Narbonensi hactenus existenti nomen dedit, quod cave confundas cum monasterio Aniana seu Aniano.[Col. 0387B]

5. Gellonense monasterium excitavit Willelmus comes, postea ibidem monachus, atque Anianensi abbati subjectum esse voluit. Benedictus loco praefuit abbas primus, dein permissi nonnunquam abbates peculiares alii ab Anianensibus, qui Gellonensium abbatum electionem probabant. Exstant non unae Ludovici Augusti aliorumque regum litterae Cellam Gellonensem Anianae attribuentes. Demum Gellonenses sui juris esse coeperunt, reclamatumque non semel ab Anianensibus saeculo XI, quo Emmeno Anianae abbas graves hac de re querelas deposuit apud Gregorium papam VII, quae in tabulario Anianensi leguntur. Sed tandem praevaluit Gellonensium pervicacia Urbani secundi pontificatu, qui Gellonense monasterium a jure abbatiae Anianensis absolvit: Callistus vero papa secundus Romanae sedi proxime seu, ut aiunt, immediate subjecit, et post eum Alexander tertius.

6. Masciacensis coenobii in Biturigibus fundamenta [Col. 0387C] jecit Ego comes anno 738, ut docet ejus loci breve Chronicon a Labbeo editum in tomo II Bibliothecae novae. Adventus monachorum in Masciaco anno 814 collocatur, nimirum post coenobii restitutionem ab Ludovico Augusto factam, de qua in ejus Vita. Monasterium istud, quod hactenus persistit sub ordine sancti Benedicti, vulgo *Massay appellatum, rexit Abbo abbas, qui «natus anno 817, ordinatus anno 847, anno 866, quo urbs Aurelianorum cremata est, mortuus est,» et quidem «VII Kal.* decembris,» ex Kalendario. «Et anno 967 Odo abbas bonae memoriae VIII Idus Junii» decessisse fertur; et «Arduicus monachus Nonis Septembris.»

7. Wlfarius vir illuster et nobilis locum in Albigensis pagi confinio tradidit Benedicto, ubi is «monachos duodecim» cum abbate collocavit. *Casamnovam interpretatur Henschenius:* sed Ludovici Augusti litterae, quas videre non potuit, nos docent esse *Bellam-cellam.* [Col. 0387D]

Bellae 1 cellae statum hodiernum necdum rescire potui.

8. Maurum Monasterium primitus *cella Sancti Leobardi a primo auctore dictum, «in honorem apostolorum Petri et Pauli et sancti Martini» constructum in Alesatia prope Tabernas* (*Saverne*) principatu Childeberti secundi; postea *Maurum Monasterium cognominatum est a Mauro abbate, cui Theodoricus quartus, Kalensis dictus, privilegium concessit, editum apud Jodocum Coccium et Carolum Cointium in Annalium Francorum tomo II ad annum 586, num.* 43.

9. Inda, celeberrimum coenobium prope Aquasgrani, vocabulum traxit ab amne praeterfluente, *Sancti Cornelii etiam appellatum a Cornelio papa et martyre, cujus caput et brachium istic observari dicuntur.* Eo in loco sepultus est Benedictus noster ejus loci abbas ex dictis.

10. Casa Nova sive Gordanicus in pago Ucetico, [Col. 0388A] nunc usque prioratus Anianae subjectus, vernacule *Goudargue, primitus a Willelmo comite constructa dicitur in diplomate Ludovici Augusti.*

Variae hac de cella exortae sunt lites tum adversus Casae Dei monachos pontificatu Paschalis secundi, et Callisti itidem secundi; tum adversus Arelatensem archiepiscopum

Callisto item Pontifice. «Et quidem, ait Callistus papa in litteris hac de re concessis, Anianenses monachi cellam illam, per Lodoici imperatoris, Caroli Magni imperatoris filii, et filii ejus Caroli regis scripta et largitiones Anianensi monasterio vindicabant. Archiepiscopus vero se Lodoici filii Bosonis regis chirographo tuebatur.» Sed tandem auditis utriusque partis momentis Callistus ipse de concilio cardinalium jus Anianensium possessione roboratum confirmavit. Exstant hae litterae in lucem editae tomo VI Spicilegii.

11. De Cella Nova, vulgo *Celle-Neuve, quae hactenus ab Aniana pendet,* exstat diploma Caroli Magni [Col. 0388B] in haec verba:

Karolus Dei gratia rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum, etc. *Reliqua vide inter Opera Caroli Magni hujusce Patrologiae tomo XCVII, col.* 988.

12. Ad haec in monasterio Sanctae Columbae apud Senonas monasticam disciplinam restituere conatus est Benedictus, testante Ludovico Augusto in diplomate, quod editum a V. C. Stephano Baluzio in appendice ad Lupum habet haec verba: «Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, et nostris, praesentibus scilicet et futuris, quia olim dum monasticum ordinem usquequaque depravatum esse constaret, et ad eum corrigendum atque emendandum, imo ad pristinum debitumque modum et rectitudinem auxiliante Domino reducendum, quemdam abbatem ejusdem ordinis ferventissimum, Benedictum cognominatum, per monasteria imperii a Deo nobis commissi destinaremus; contigit ad monasterium [Col. 0388C] quod dicitur Sanctae Columbae, haud procul ab urbe Senonensi devenire: in quo cum caetera regulariter ordinare satageret, quia tunc temporis abbatem canonicum, Jacob vocabulo, inibi praeesse contigerat, quasdam villas, quae priscis temporibus ad usum fratrum Deo famulantium fuerunt destinatae, segregavit,» etc.

13. Praeterea Ludovicus Augustus «ad monasterium quod dicitur Aniana, ubi Georgius abbas praeerat, quamdam cellam juris sui, quae est constructa in honore S. Martini infra muros Arelatensis civitatis, cum his quae ad eam pertinent, memorato monasterio ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium vel ad subsidia pauperum concessit pridie Non. Decemb., anno imperii 3, indict. 10, Aquisgrani palatio regio;» tum postea addidit «cellam quae dicitur Massacia cum appendiciis suis, habentem plus minus quadraginta mansos, quae est ex ratione praedictae cellae S. Martini,» litteris datis «IV Id. Mart., anno 7 imperii, Aquisgrani palatio regio.» Demumque [Col. 0388D] piissimus imperator monasterii Anianensis res omnes confirmavit generali diplomate concesso Ermenaldo abbati.

14. His omnibus haud ab re visum est subjicere sermonem aliquando habitum in festo dedicationis basilicae Salvatoris, factae circiter annum 782, de qua in Vitae num. 26. Sermo iste nomen Ardonis seu Smaragdi praefert in ms. codice: sed falso, ut colligo ex ipsius auctoris verbis, dicentis *veternosa suo* tempore fuisse Anianensis basilicae aedificia et *antiquam* ejus dedicationis *relationem vocat.* Ad haec *priscam* vocat *consuetudinem, quae feminis negabat aditum in utrumque templum, Salvatoris scilicet et beatae Mariae:* aitque *interjectis annis, id est suo tempore concessum sequiori sexui ingressum in basilicam Salvatoris;* quae verba convenire nequeunt Ardoni,

Benedicti discipulo. Neque scio an non satis exploratum videatur id quod refert auctor iste, «trecentos scilicet et sexaginta episcopos» (quorum fallacem [Col. 0389A] catalogum legi) ipsumque Carolum Magnum huic dedicationi interfuisse: cujus rei nullam mentionem facit Ardo in Vitae superioris num. 26. Eodem loco haberi debet id quod legitur de absolutione peccatorum Carolo divinitus concessa ac revelata: quo spectat «miraculum in consecratione Anianensis archisterii revelatum,» relatum in Vita Caroli Magni, tribus libris scripta tempore Frederici Ahenobarbi apud Lambecium in Caesareae Bibliothecae tomo II, pag. 333. Sermonis titulus ita se habet in codice ms. «Sermo sancti Ardonis, cognomento Smaragdi, monachi et confessoris, ac magistri in sacra pagina, monachi quondam monasterii Anianae, ordinis sancti Benedicti, Magalonensis dioecesis: qui sermo fuit celebratus in consecratione altaris Sancti Salvatoris ejusdem monasterii die vigesima nona mensis Decembris, anno ab Incarnatione Domini DCCLXXI [*Leg.* DCCLXXII].

Sequitur tenor sermonis. [Col. 0389B]

Ad gloriam et honorem tui nominis, Christe Jesu Salvator saeculi, auribus catholicae Ecclesiae antiqua rei relatio per novos futurorum temporum decursus transfert notitiam, qualiter venerabile tuum Anianensis coenobii templum sui fundaminis suscepit exordium. Nam cum patricius Romanorum et rex Francorum Carolus per Gallias ad honorem Dei templa et admiranda aedificia passim constitueret, quoddam insigne in Christi Salvatoris nomine constituit, quod sui stemmatis veternosa congeries mortalium oculis adhuc pandit. Post cujus constitutionem, de Narbonensis urbis obsidione remeans, in qua Angaricam gentem expulerat, ibi synodo peracta trecentos sexaginta sex pontifices invitavit, et ad consecrationis opus congregavit. Vere felix locus ille a tanto principe honorabiliter electus, et ubi coelestis Hierusalem in terrenis conversationibus activam vitam ad suam contemplativam gaudet exeuntem, et in coelestibus claustris exspectat transferendos [Col. 0389C] filios adoptionis, quos ibi nutrit Regula sanctae religionis, quam secundum pii Patris Benedicti auctoritatem traditam alter quoque Benedictus nomine primitus ibi edocuit, qui in domo Domini ibi in atriis ejus justus ut palma floruit: cujus paternitatis principium Anianense promeruit coenobium, et per eumdem abbatem primum, et gloriosum regem Carolum piae dedicationis diem vidit optatum. In quo praefulgida venerabilium episcoporum pontificalis caterva praefata magnifici regis in cantu [*Forte coetu*] conglomerata, solemne opus exercuit, et praetactum finem gratia dedicandi adhibuit. Tunc illud dedicationis peractum officium Deo placuisse coelitus est demonstratum. Nam eidem regi sequenti nocte pernoctanti, et cuidam pontifici Coloniensi et Benedicto abbati (ut in ore duorum vel trium stet omne verbum) quaedam visio spiritualis apparuit, quam ipsi tres postea professi sunt, videlicet quod Deo sacrata Anianensis aula, tota intus [Col. 0389D] quasi ardens resplenduit, et lux erumpens ad coelum emicuit. Quis igitur in die consecrationis, quam sic Deus approbavit, interesse non laetabitur? Jam tunc illa nostri Salvatoris quam felix aula canoris vocibus jucundata reboans coeleste dedit jubilum, et [Col. 0390A] harmonica suavitas humanis auribus illata, per aethereas auras invitata super eos, uranico concentui subriguit. Audita est populorum plausibus permixta vox laetabunda, et omne vulgus utriusque sexus divinum opus admirans Deo gratias laudifluo rependit praeconio. Magnum quidem est et difficile per singulas causas

spiritualiter retexere omne genus divini operis, quod illic Deo dispensante per religiosorum manus decenter exhibitum est. Sed ne videamur acervare superflua, hactenus opus, nostra titillante manu brevitatis compendio facili stylo laboratum, futuris saeculis in altam tradimus memoriam, quod fidelibus legendum et audiendum, sicuti relata gestorum didicimus, manifestum aperimus, etc. Adest hic ara triplex, solius columnae unitate subnixa, significans Trinitatis unitatem, ut in personis proprietas intelligatur, et deitatis unitas credatur, etc.

@ [Col. 0389D] Lege Vitae num. 26. Adest etiam Dominicae crucis figura, quam in suo tempore sancti Salvatoris aula per sui fabricam depinxit, monstrans fidelibus Christi crucem spiritualiter esse gestandam, [Col. 0390B] quam Deus Salvator crucifigendus sibi corporaliter bajulavit, et crucifixus omnia de se dicta a vatibus consummavit: cujus crucis venerabile signum suo praecipuo Salvatoris conservat altario, et multis beatorum pignoribus penetrale imbuit arcanum, quod obtinens reliquias in se, coelestes habet margaritas, etc. Nullus hic quoque haesitet suum tandem pectus pugillo, et quadam quasi pugni cordis manu excitare ignaviam, piaeque confessionis modo illum Evangelii sequi publicanum, qui suam de suis peccatis damnans conscientiam, sibi propitiari divinam quaesivit clementiam. Cujus exemplo in hac Anianensi aula confessio Caroli fertur gemebundis patuisse suspiriis, et pro quadam admissi sceleris noxa crebris obsecrationibus institisse, divinaeque misericordiae aures lacrymabili propulsasse querela: quatenus ei Salvator ignosceret, ille qui pro hominibus cunctis venisset redemptor. Ad ostendendam vero redemptionis adeptam gratiam, exauditor supremus notatis [Col. 0390C] apicibus cuidam pontifici signum direxit, dum pro eo veniam peteret inter eucharisticas eulogias ad altare: persensitque Carolus celebrantis sibi manus impositas, qua impositione recreatus indultum sibi peccatum intellexit, etc.

Exsultet Galliae tellus, et Anianensis spatii templo nobilitata laetetur: in quo ad indicium nobilitatis et pignus regalis amoris Carolus princeps divinum munus ibi lecturis reliquit. Cum igitur sit ita quod locus iste regalibus polleat rebus, et sacris ad coelum aedibus assurgat, decet omnem cujuslibet aetatis hominem ipsum reverenter honorare, et Deum in illo devotius adorare, qui in tanta prioribus habitus est religione, ut mulieribus ad ipsum arceretur accessus, ne quaelibet occasio sanctos regularis observantiae corrumperet mores. Convenit namque pudicitiae cultoribus illud evangelicum sequi, succingere lumbos, et in manibus habere lucernam. Hinc est quod gloriosa mater virgo sexum a suis liminibus exclusit [Col. 0390D] femineum, et intra peculiare Filii sui templum interjectis annis recipit, quos prisca consuetudo in utrumque templum penetrare non sivit. O felix virtus in domo Dei, sed multo jam felicior si sobrietatis custodia sit, etc.

APPENDIX II. DE TRIBUS BENEDICTIS, ANIANENSI, FOSSATENSI ET MEDIOLANENSI ABBATIBUS,

Ubi de EUTICIO *abbate Gallo* **(Mabill., ibid.)**

1. Ne ex communione aut diversitate nominum, ut fit, confusionem oriri contingat, hic seorsim de tribus Benedictis agere constitui, deque Euticio, abbate [Col. 0391B] quem cum

benedicto Anianensi unum et eumdem esse vehemens aliquando suspicio mihi injecta est, nunc vero penitus perspectum habeo.

2. Benedicti abbatis Anianensis Acta supra retuli ubi res ab eo gestas accurate describit Ardo ejus discipulus, refertque Indensium monachorum epistolam de obitu magistri sui. In his Actis et epistola quinque res in praesenti observandae sunt. 1. Benedictus «fecit librum ex regulis diversorum Patrum collectum, ita ut prior beati Benedicti Regula cunctis esset,» etc. 2. Cum esset Ludovico Pio acceptissimus, in ejus gratiam «imperator jussit construere miro opere monasterium» apud Indam, «quae vallis a palatio Aquisgranensi sex non amplius millibus distat.» 3. Pridie quam decederet Benedictus, cum solus ab hora tertia ad sextam manere voluisset, ait, «nunquam se tam bene fuisse, adjunxitque: Usque modo inter choros sanctorum coram Domino astiti.» 4. Ipsa obitus sui die fratribus ad se vocatis professus est, «quia quadraginta octo anni essent [Col. 0391C] ex quo monachus fuerat,» ubi mendose quidam codices habent, *quadraginta anni.* 5. Adjecit, in his omnibus anni se «nullo die antea panem comedisse, donec coram Deo lacrymas funderet.» Quae tria postrema refert epistola Indensium monachorum.

3. Eadem omnino Euticio abbati tribuit Joannes monachus, qui unus e veteribus Euticii mentionem facit in lib. I de Vita sancti Odonis abbatis Cluniacensis. 1. Euticius «cum esset laicus, et peregrinis studiis eruditus, totum se dedit beatorum Patrum Regulis et institutionibus: ex quibus auctoritatibus diversas consuetudines sumpsit, unoque volumine colligavit.» Haec est *Concordia Regularum Benedicti abbatis Anianensis;* aut certe *Ordo monasticae conversationis ejusdem auctoris;* et forte utrumque: quos tamen libros, non *laicus* (ut falsus est Joannes), sed monachus et abbas collegit Benedictus. 2. «Fuit isdem vir Euticius temporibus Ludovici Magni imperatoris, clarus videlicet regi, [Col. 0391D] omnibusque amabilis. Quippe in tanto amore apud regem est habitus, ut intra palatium suum illi construeret monasterium.» Scilicet Indense, quod intra fines villae seu palatii Aquisgranensis conditum est: nec aliud in gratiam cujusquam intra palatium ab Ludovico Augusto constructum legimus.

3. Euticius «circumstantibus undique fratribus subito emisit spiritum; et dum a discipulis pii Patris pararentur obsequia, ecce rediit vivus, qui fuerat mortuus. Illis vero attonitis et mirantibus dixit: Deo gratias, scitis quia ex his quadraginta annis unum tantum diem non memini me cibum sumpsisse, nisi prius flevissem. Hodie namque sublato moerore consolatus est me Dominus, et inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum.» Benedictus inter choros sanctorum Domino astitit;» Euticius «inter choros angelorum.» Ardo raptum et orationis excessum Benedicto tribuit; Joannes rem auget, et pro raptu mortem, pro raptus fine reditum ad vitam Euticio affingit. Per quadraginta annos Euticius cibum non sumpsit, «nisi prius flevisset.» Idem totidem annos praestitit Benedictus, nisi quod [Col. 0392B] *quadraginta octo annos habent melioris notae codices quadraginta sequioris, quos praetulit Joannes.* Ex his Benedictum Anianensem cum Euticio abbate unum eumdemque esse asserere non dubitem. Nec quemquam movere debet nominis diversitas. Nam praeterquam quod Benedictus et Euticius non ita significatu differunt, certe illo aevo familiare erat uni eidemque homini duo habere nomina, unum proprium, alterum asciticium, ut in Rabani

Elogio videbimus. Quod si Benedictus ab Euticio diversus non est, alii auctori tribuendi sunt Dialogus de Statu Ecclesiae et liber de Vita Ludovici Augusti: quos post annum 840, hoc est annis ab obitu Benedicti minimum novemdecim, editos fuisse constat. De aliis Benedicti Anianensis operibus infra.

4. Sunt qui Benedictum abbatem Fossatensem a Benedicto item Anianensi non distinguendum esse opinantur: qua in sententia est eruditissimus Carolus Cointius tomo VI. Mihi vero alium ab alio diversum esse indubitatum videtur. Vixit quidem uterque [Col. 0392C] eodem tempore: et sicut Benedictus Anianensis omnia fere Galliae monasteria, sic Benedictus Fossatensis Fontanellense ad Regulae cultum revocasse perhibetur in Chronici Fontanellensis cap. 16, ubi ejus loci monachi «olim a viro justo Benedicto Fossatensis coenobii abbate eruditi in philosophia» monastica dicuntur. At Benedictus Anianensis nusquam *Fossatensis appellatur;* sed tantum Anianensis atque Indensis abbas fuit, dictusque est: tametsi pleraque Galliae monasteria, suo quaeque abbati singulari subjecta, sub cura sua haberet. Verum unius ab altero distinctionem illud evincit, quod Benedictus Fossatensis diu superstes fuit Anianensi, quem anno 821 decessisse constat. Quippe Fossatensis basilica «elegantiori opere a religioso abbate Benedicto constructa, et a S. Aldrico Senonensium archiepiscopo aliisque praesulibus dedicata est,» ut in libro de Miraculis S. Baboleni saeculo XI scripto legimus. Idem attestatur libellus de Vita sancti Aldrici, qui [Col. 0392D] prece «Fossatensis abbatis templum quod ipse abbas construxerat, in honorem beatae Mariae dedicasse» memoratur. Atqui Aldricus non ante annum 829 sedem episcopatus Senonensis iniit. Itaque ad annum minimum 830 pervenit Benedictus Fossatensis, cujus «prece templum quod ipse construxerat» Aldricus archiepiscopus dedicavit. Fuerit ergo alius necesse est Benedictus Anianensis, qui anno 821 ineunte e vivis excessit, annis amplius novem ante Fossatensis basilicae perfectionem ac dedicationem, quae Benedicto Fossatensi procurante peracta est.

5. His tertium adjungo Benedictum abbatem Italum, ambobus aequalem, quem Petrus Mediolanensis antistes coenobio anno 784 in honorem sanctorum Ambrosii, Gervasii atque Protasii, ab se constructo praeposuit, confirmante Carolo Magno. Petri archiepiscopi et Caroli Magni hac de re litteras refert Ughellus in Italiae sacrae tomo IV. Petrus litte ris suis abbatem instituit Benedictus praesbyterum, [Col. 0393A] «ita ut abbas cum fratribus omnia secundum instituta venerabilis Patris Benedicti ejusque Regulam disponat et ordinet. Sed neque abbas ibidem ordinetur extraneus, nec nullo unquam tempore, nisi aut eodem in monasterio prius monasticum sumpserit habitum ex ipsa jam congregatione, aut quem fratres eligant, qui eos secundum divinas leges et Patrum regulas valeant gubernare;» seu, ut Carolus Magnus in diplomate suo loquitur, «secundum divinas leges et Regulam sancti Benedicti.»

6. Tres ergo habemus Benedictos abbates eodem tempore clarissimos, qui rem monasticam mirifice illustrarunt auxeruntque: tametsi potiorem locum obtinere debet Benedictus Anianensis, a quo Cluniacenses congregationis suae formam rituumque suorum modum ac specimen accepere: quandoquidem ipse est Euticius qui, referente Joanne monacho jam laudato, fuit auctor earum Consuetudinum, «quae hactenus in nostris, inquit, monasteriis habentur.»[Col. 0393B]

7. His ita expositis de pluribus Benedictis, hic ex occasione quaedam de Benedicti Anianensis operibus retractare juvat; siquidem praeter Concordiam Regularum, earumque Codicem, de quibus actum est in ejus Actis, nonnulla eum composuisse postea comperimus. Nam in ms. codice Colbertino n. 1310, ut mihi indicavit vir de litteris optime meritus Stephanus Baluzius, invenitur primo *Benedicti abbatis Anianensis forma fidei tomorum XV, quae veluti summula theologica est.* Deinde *Confessio fidei Benedicti levitae;* tum *Benedicti levitae testimoniorum nubecula de incarnatione Dominica, et sancta et individua Trinitate, et iterationis baptismatis devitanda pernicie.* Ad haec *ejusdem disputatio adversus Felicianam impietatem.* Denique *ejusdem epistola ad Guarnarium filium.* Primum ex illis opusculis esse Benedicti Anianensis ex titulo manifestum est, probaturque ex ejus Actis, ubi Benedictus «perversum Felicianum dogma,» quod «pene provinciam illam invaserat, [Col. 0393C] illaesus ope divina» non modo «evasisse» perhibetur, sed et «multos, non solum infimos, verum etiam praesules Ecclesiae suo eripuisse studio; et adversus nefandum dogma veris disputationum jaculis armatus saepe congressus fuisse.» Hac de causa in Hispaniam profectus est non semel, ut testatur Alcuinus in epistola praefixa libris quatuor adversus Elipandum, inscripta Leidrado episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, et «Benedicto abbati,» cum «essent in procinctu itineris.» Quin etiam interfuit synodo Urgellensi anno 799 ea de re habitae, uti observavit [Col. 0394A] eruditissimus Baluzius in calce notarum ad Agobardum. Hinc etiam valida conjectura eruitur, ejusdem esse auctoris opuscula illa contra Felicem, quae ex codice Colbertino mox commemoravimus. Sed illud obstat, quod Benedicto *levitae tribuuntur:* cum Benedictum Anianensem sacerdotii honore praeditum fuisse indubium videatur. Is quippe, teste Ardene, «vasa ad Christi conficiendum corpus nolebat sibi esse argentea: siquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea; sic tandem conscendit ad stannea.» Quod ait *sibi* et *ei, vix potest de alio quam de Benedicto ipso explicari, sicuti et subsequentia.* «Planetam vero refutabat habere sericeam: et si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum praestabat.» *Aliis, inquit, id est monachis suis presbyteris, quibus ejusmodi planetam ad usum praestabat, cum ille ad suum ipsius adhibere nollet,* nam si de presbyteris extraneis hic sermo esset, non *ad utendum praestari planeta diceretur, sed in donum tradi et concedi.* Itaque praedicta opuscula, quae quidem Benedicti [Col. 0394B] Anianensis esse videnter, ab eo nondum presbytero, sed levita scripta sunt, si non fallit codicis inscriptio in titulo *levitae.* Certe Benedictum illum, quisquis tandem sit, abbatem exstitisse inde colligitur quod Guarnarium *filium suum nominat.*

8. Praeter haec in codice Caunensis monasterii *(Monastère de Caunes)* dioecesis Narbonensis habetur ejusdem Benedicti *libellus ex diversis Patrum sententiis collectus de Confessione, cum epistola nuncupatoria ad Ludovicum, ut puto, augustum quam damus infra inter epistolas sancti Benedicti.*

9. Hanc epistolam sequuntur nudae Patrum sententiae de revelandis cogitationibus. Patres illi sunt Gregorius Magnus, sanctus Pater Benedictus, Basilius, Macarius abbas, Paulus Aegyptius, Antonius abbas, Vitae Patrum, Cassianus, Augustinus de perjurio, et Isidorus. Ipsa est sine dubio Benedicti Collectio ex homiliis Patrum, quam Menardus noster quondam legerat in codice Floriacensi. Illam porro [Col. 0394C] ex codice sancti Petri

de Caunis congregationis nostrae eruit mihique cum aliis fragmentis bene multis transmisit noster Claudius Stephanotius, cujus indefessum in litteris studium nunquam satis praedicare possim. Titulus et exordium libri sic habent: *In Christi nomine incipit libellus ex diversis Patrum sententiis.* Sententiae sancti Gregorii de lib. Moral. in Job, Pars I: *Et fuit possessio ejus septem millia ovium, etc.* Hactenus de Benedicto Anianensi et aliis.

CODEX REGULARUM MONASTICARUM ET CANONICARUM

Quas SS. Patres monachis, canonicis et virginibus sanctimonialibus servandas praescripserunt. COLLECTUS OLIM A S. BENEDICTO ANIANENSI ABBATE (Juxta editionem Lucae Holstenii, anno MDCCLIX recusam Augustae Vindelicorum et a R. P. Mariano Brockie observationibus critico-historicis illustratam.)

[Col. 0393D]

Praefatio Ad lectorem benevolum, aliosque antiquitatis Christiano-monasticae amatores.

[Col. 0393D]

I.

Quamprimum jacentibus litteris pristina dignitas restitui coeperat, et jam eruditorum animis crevit [Col. 0394D] antiquitatis existimatio, quod ubique veterum scriptorum libri ex intimis archivorum pluteis in lucem publicam prodierint, doctissimis quidem notis hinc [Col. 0395A] inde honorati, qui tamen plerumque ad profanos scriptores spectabant. Notum quippe est illos solummodo inter eruditiores numeratos fuisse, qui in ethnicorum scriptis explanandis operam dabant, atque in exornandis Graecis Romanisque ritibus vitam suam consumere voluerunt. Pauci siquidem circa Christianorum instituta laborabant, vel vetera sanctorum Patrum scripta evolvebant, aut eorum acta, sacra et salutaria monita de tenebris in lucem eruere conati sunt.

II.

Et quamvis nonnulli ex illis restitutae rei litterariae primis cultoribus aggressi sint quaedam celebriorum sanctorum Patrum opera, cum quibusdam qualitercunque elaboratis commentationibus in publicum [Col. 0395B] proferre, quemadmodum praestitit celeberrimus Erasmus, sanctos Ecclesiae doctores Augustinum et Hieronymum exhibens orbi erudito; attamen et has lucubrationes valde inopes agnoscunt hodierni viri docti, ut pote potioribus adjumentis destitutas. Nondum enim scriptores illi, alias celeberrimi, intima bibliothecarum et archivorum scrinia inspexerant, nec piissima primorum Christianorum acta rimari, vel sincera a spuriis discernere cogitaverant,

posteris hanc egregiam artis criticae spartam relinquentes.

III.

Postquam autem ineunte saeculo XVII plures viri eruditi, et ob id aeterna memoria digni, bibliothecas hucusque neglectas paucisque pervias perscrutari coeperant, tunc plura antiquitatis Christianae monumenta, [Col. 0395C] quae nimis diu pulvere obsita latebant, in publicam lucem prodierunt, atque historia tam sacra quam profana mirifice exculta est, sinceris veterum scriptorum actis ab omni fraude discretis. Nulli igitur ignotum est, a talibus excellentissimis ingeniis praestantissima emolumenta reipublicae Christianae simul et litterariae accrevisse, cum per laudabilissimum hoc studium abditissima religionis nostrae mysteria clarius patescant, primaevi Christianorum mores, ritus, et laudabiles caeremoniae aperiantur, atque orbi erudito ad imitandum proponantur.

IV.

Inter hos purioris doctrinae cultores prae reliquis in arte critica apprime versatis eminuit Dom. Lucas [Col. 0395D] Holstenius, vir ad abdita antiquitatis monumenta illustranda natus, et in utroque reipublicae litterariae foro optime versatus. Natus ille est Hamburgi in Germania anno 1596, ubi sub doctissimis magistris eximio cum fructu studia humaniora absolvit, lingua Hebraica et Graeca de more imbutus, ut ex ephebis vix egressus egregia nobiliorum studiorum specimina ediderit, prout eruditae ejusdem notae in varios veteres profanos scriptores testantur. At relictis juvenilibus musis, ut altioribus studiis animum excoleret, relicta patria, primum Lugduni Batavorum arcanis medicinae artibus aliquo tempore operam dedit. Verum animae medicinam anxius inquirere cupiens in Gallias secessit, ubi Lutetiae Parisiorum studiis theologicis assidue incubuit. Dum sacrarum Litterarum [Col. 0396A] et sanctorum Patrum dogmata sedulo revolveret, agnitis Protestantium erroribus, ad gremium orthodoxae et catholicae Ecclesiae Romanae conversus est, apud viros doctos magnam solidae eruditionis famam adeptus. Tandem Romam vocatus bibliothecae instructissimae Barberinae praeficitur, atque cardinali Barberino a secretis stetit, a summo pontifice Urbano VIII canonicus basilicae Vaticanae constitutus.

V.

Dum igitur clarissimus Holstenius omnigenae virtutis et doctrinae radios ubique spargeret, summus pontifex Romanus Innocentius X perspectam habens ejusdem singularem in eruendis antiquitatis monumentis peritiam, atque in scrutandis veterum sanctorum manuscriptis praeclaram notitiam, illum celeberrimae [Col. 0396B] bibliothecae Vaticanae primarium praefectum ordinavit. Quod etiam summum officium ipsi confirmavit Alexander VII papa, et ipse doctorum virorum phoenix, puriorisque doctrinae cultor eximius, qui proin Holstenium nostrum debito honore cumulare voluit.

Nam anno 1655 illum ad serenissimam Christinam Suecorum, Gothorum, et Vandalorum reginam misit legatum, ut ab eadem publicam catholicae fidei professionem susciperet: quam piissima regina festivo gaudio ad manus ejus emisit in publico nobilium virorum consessu apud Oenipontum sub solemni sacrae missae sacrificio.

VI.

At reversus Romam Holstenius cum religiosissima regina jam in gremium Ecclesiae catholicae solemniter [Col. 0396C] recepta, cum in perscrutandis antiquitatis Christianae monumentis, et veterum sanctorum Patrum scriptis colligendis sedulam operam impenderet jam doctis laboribus fractus ad aeternae quietis gaudia vocatus est IV Nonas Februarii anno 1661, cujus quidem morte respublica litteraria jacturam passa est irreparabilem. Ante mortem in ecclesia B. Mariae de Anima nationis Germanicae sepulturae sibi locum elegit, ubi piissimae animae justis persolutis ad perpetuandam tanti viri memoriam eminentissimus cardinalis Barberinus erigi curavit superbum ex marmore tumulum cum insigni hoc epitaphio, quod memorabilia vitae acta complectitur.

D. O. M. [Col. 0396D] LUCAE HOLSTENIO SAXONI HAMBURGENSI, QUI CLARUS IN GALLIIS, ROMAE CLARIOR GENTIUM OMNIUM AETATUMQUE HISTORIAS ET ECCLESIAE RES MENTE COMPLEXUS, DIVERSIS REGIONIBUS PERAGRATIS, DIVERSOS EARUM FINES ET NOMINA PROBE TENUIT, VARIAS QUOQUE LINGUAS PRAETER GRAECAM LATINAMQUE, QUARUM SCRIPTORIBUS PLURIMUM LUCIS ATTULIT, ANTIQUAM PHILOSOPHIAM CALLUIT: AB URBANO VII CANONICATU BASILICAE VATICANAE, AB INNOCENTIO X PRAEFECTURA BIBLIOTHECAE ORNATUS, AB ALEXANDRO VII SAPIENTER UNUS ELECTUS, UT OCCURRERET SUECORUM GOTHORUMQUE REGINAE INCOMPARABILI, QUAE MIRAM IN TANTO VIRO SUMMI INGENII SUMMAEQUE MODESTIAE CONJUNCTIONEM SUSPEXIT ET PRAEDICAVIT: VITAE DENIQUE LAUDATISSIMAE ET ILLUSTRIUM OPERUM CURSU INTERRUPTO [Col. 0397A] EXIMIUS PATRIAE GERMANIAE AMATOR, PROPUGNATORQUE RELIGIONIS CATHOLICAE OBIIT ANNO AETATIS SUAE LXV, IV NONAS FEBRUARII ANNO MDCLXI. FRANCISCUS BARBERINUS CARD. S. R. E. VICE-CANCELL. HAERES EX ASSE AMICO OPTIMO P.

VII.

Inter praestantissima autem hujus clarissimi viri opera, et doctissima veterum monumenta ab ipso collecta, haud ultimum locum meretur praesens *Codex Regularum monasticarum, quem tenebris erutum luci publicae parabat locupletandum eruditissimis animadversionibus simul ac dissertationibus ad historiam monasticam illustrandam perquam necessariis, nisi immatura morte praeventus fuisset.* Etsi enim

hanc veterum Regularum collectionem non collegerit [Col. 0397B] Holstenius, prout ipse fatetur, sed eamdem ab antiquo codice Coloniensi descriptam a summo pontifice Alexandro VII ad corrigendum susceperit, attamen et illam cum aliis antiquis codicibus collatam correxit, et doctissimis notis hinc inde illustravit, testimonia veterum scriptorum cuilibet Regulae praefigens.

VIII.

Primus autem qui Regulas monasticas in unum codicem collegit et redegit, erat sanctus Benedictus abbas Anianensis, cujus Acta primus edidit vir doctissimus Hugo Menardus congregationis S. Mauri monachus Benedictinus, quae postea eruditissimi hagiographi Bollandus et Henschenius de novo illustrata ad diem 12 Februarii inter aliorum sanctorum Vitas [Col. 0397C] collocaverunt. Sanctus quippe Benedictus Anianensis abbas multorum coenobiorum pater et auctor, a monasterio per ipsum in paterno solo apud Anianae fluminis ripam erecto cognomentum hoc *Anianensis, sortitus est:* qui nobilissima comitum Magalonensium stirpe ortus, ex aulico gratioso et forti milite, factus est monachus monasterii sancti Sequani in dioecesi Lingonensi, circa annum 774, ac post quadriennium in paterna possessione Anianense hoc coenobium in Aquitania condidit, arctamque Regulae Benedictinae disciplinam observavit. Hinc Carolo Magno imperatori in primis charus, ac deinde ejusdem piissimo Filio Ludovico Aquitaniae regi, et post mortem patris imperatori perquam familiaris, plurima monasteria per Aquitaniam et provinciam [Col. 0397D] Narbonensem exstruxit, ac sanctissime gubernavit. Sed tandem ab eodem imperatore Ludovico Pio Aquisgranum vocatus, Indae coenobium instituit, unde et *Indensis abbas saepe appellatur, sub cujus praesidio, anno 818, Aquisgrani habitus est conventus abbatum Franciae cum suis monachis pro reformatione monasteriorum, prout Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi capite 18 notavit, atque in praefatione ad capitula ibi sancita disertis verbis reperitur.*

IX.

Ad reformandum igitur statum monasticum constitutus sanctus Benedictus Anianensis a piissimo imperatore Ludovico primarius praeses omnes Regulas monasticas ante exordium saeculi IX conscriptas [Col. 0398A] in unum volumen collegit, ex quibus insignem tractatum composuit, quem *Concordiam Regularum recte nominavit.* Quo quidem tractatu piissimus abbas unitatem et conformitatem status monastici monstrare voluit; quamvis primi institutores scripserint diversas vivendi normas, quas tamen inter se concordare probavit, ex omnibus coarctans in unum sententias, quae cum praescriptis Regulae Benedictinae convenire noscuntur praeceptis, singula aliarum Regularum capita ejusdem argumenti singulis Benedictinae Regulae capitulis subjiciens. Jam dudum igitur sanctus abbas Anianensis in unum corpus collegerat celebriores Regulas monasticas, ex quibus hanc *Regularum Consensionem monstravit.*

X.

[Col. 0398B]

Quisquis enim prima illa religiosae vitae saecula vel obiter consideret, omnino perspiciet, sanctissimum monachorum Occidentalium patriarcham Benedictum Cassinensem non instituisse novum monasticum statum, sed solummodo per suam *Regulam discretione praecipuam, sermone luculentam perfecisse, prout eamdem commendat sanctus Gregorius Magnus, Dialog.* lib. II. Nam ab exordio introducti monastici ordinis tanta vigebat unitas, tanta morum conformitas, ut ubique unus idemque exstiterit status monasticus, facilisque fuerit ex uno ad aliud monasterium transitus, monachis eamdem vivendi rationem eamdemque monachatus professionem observantibus, non obstante diversarum Regularum observatione, quae quidem uniformes censebantur, nullamque [Col. 0398C] inducebant ordinum diversitatem.

XI.

Hoc ex variis sanctorum Patrum Actis omnino constat, atque clarius patebit ex Leonis Allatii praefatione ad praesentem Regularum Codicem mox adducenda, ubi vir doctissimus exertis verbis contendit, nullatenus tali unitati obstare ordinum diversitatem. «Etenim illae, inquit, a singulis, ut praesens usus poscebat, Patribus scriptae aliorum similia cupientium studiis descriptae in commune proponebantur: ut ex his quique pro locorum et nationum differentia vitam uniformi, quoad praecipua, disciplina temperarent. Primaria sane et quasi fundamentalis monachorum Regula Evangelium erat; illa, inquam, Christi consilia, quae castrare seipsum propter [Col. 0398D] regnum coelorum; quae abnegare se, et crucem tollere; quae patrem et matrem, uxorem, et agros propter Christum relinquere; quae vendere patrimonia, et dare pauperibus, sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulae particulares nihil nisi ejus primae Regulae applicationes aut declarationes locis et personis plerumque aptatae habebantur.» Hinc in uno eodemque monasterio plures aliquando receptas Regulas reperimus, prout Gregorius Turonensis, lib. X, cap. 18, de Attanensi apud Lemovicas monasterio testatur, in quo «non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrabantur Regulae.» Multa talia hujus rei exempla adducit clarissimus [Col. 0399A] Mabillonius in suis praefationibus ad Acta Sanctorum Ord. S. Benedicti, et praecipue in praefatione ad tomum I Annalium Benedictinorum, ubi ex professo agit de hac status monastici unitate, non obstante tot Regularum varietate, quae saepius in uno eodemque loco observabantur, etiam post promulgatam Regulam Benedictinam. Sic sanctus Philibertus Gemetticensis coenobii conditor et abbas «sancti Basilii Chrismata, Macarii Regulam, Benedicti Decreta, Columbani Instituta sanctissima, assidua lectione frequentasse legitur.»

XII.

Unde perspicuum est Regularum multiplicitatem nullatenus induxisse ordinum monasticorum diversitatem, qualem nunc videmus; quando diversi monachorum [Col. 0399B] ordines certo charactere discriminati, et certis ac cuique propriis legibus,

officiisque Deo militant: nec facilis ab uno ad alium ordinem conceditur transitus, absque annua probatione et nova noviter suscepti ordinis solemni professione. Adeoque primis illis saeculis monachi sub una particulari Regula educati, de uno ad aliud monasterium etiam alia monastica Regula gubernatum facile transire potuerunt, nulla emissa nova professione, neque admissa annua probatione. Hujus unitatis etiam apud monachos diversarum Regularum cultores evidens argumentum nobis suppeditat ipse sanctus Benedictus monachorum Occidentalium patriarcha in Regulae suae capite 61, ubi sic praecipit: «Si quis monachus peregrinus e longinquis provinciis in [Col. 0399C] monasterium supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, et contentus fuerit consuetudine loci, suscipiatur quanto tempore cupit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, et *si quidem vir frugi erit, non solum, si petierit, suscipiatur in congregationem, verum etiam suadeatur, ut stet;* ut ejus exemplo alii erudiantur, et quia in omni loco uni Domino servitur et uni regi militatur.»

XIII.

In susceptione igitur peregrini monachi etiam sub aliena Regula educati, sanctus Benedictus non exigebat annuam probationem, vel novam Regulae suae professionem, sed tantum requirebat *stabilitatis promissionem ob mutuum initum inter utrosque* [Col. 0399D] contractum. Hujus promittendae stabilitatis formulam ex Hildemaro antiquo Regulae Benedictinae commendatore, adducit laudatus Mabillonius Annal. Bened. tom. I, lib. VIII, pag. 215, quae talis erat: «Ego N. veniens de longinquis provinciis in hoc monasterium, quia placuit mihi conversatio fratrum istius loci, et illis placuit mea conversatio: ideo stabilitatem meam in hoc monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuo confirmo.» Adeoque non aliam rationem et caeremonias ad suscipiendum peregrinum monachum exigebat sanctus Benedictus, licet et Regulam peculiarem jam condiderit, ad hoc tamen attendens, ut monachus ille peregrinus, si ex monasterio noto [Col. 0400A] et vicino venerit, haberet abbatis sui consensum, ac litteras commendatitias, ne alias haec monachi admissio scandalum vel offendiculum inter illa duo monasteria generaret.

XIV.

Non ergo distinctum ordinem monasticum sanctus Benedictus instituit, nec praescribendo *stabilitatem et morum conversionem* (Regulae Benedictinae cap. 58) aliquid essentiale innovavit, sed solum ex aliis praecedentibus monachorum Regulis et Constitutionibus statum monasticum reddidit praestantiorem, praescribendo *Regulam discretione praecipuam, sermone luculentam.* Pari modo discurrendum est circa rigidam Scotorum monachorum disciplinam, quae tamen mirifice propagata est non solum in Britannia [Col. 0400B] et Hibernia, verum etiam apud Gallos et Italos per sanctum Columbanum ejusque socios, etiamsi nonnulla ab aliorum monasteriorum ritibus abhorrentia complecteretur. Notum quippe est hos Scotos monachos ex errore calculi aliter festum Paschatis celebrasse, quam alii Christiani, ipsa namque quarta decima

luna, si in Dominicam incidisset, Pascha celebrantes. Dein eorum tonsura clericalis longe dissimilis erat a Romana et Graeca: rasa scilicet anteriori capitis parte ab aure ad aurem, posteriori intonsa. Verum his aliisque diversis ritibus non obstantibus nusquam legimus hos Scotos monachos constituisse diversum ab aliis monasticum ordinem

XV.

[Col. 0400C]

Nam si *ordinem monasticum in monasterio Culrosensi saeculo V usitatum inspiciamus, quem inter hujus Codicis additamenta collocavimus, tunc perspiciemus, eamdem disciplinam ab Orientalibus aeque ac Occidentalibus monachis usitatam, si excipias frequentes in aquam immersiones Scotis monachis peculiares.* Et quamvis sanctus Columbanus natione Scotus, et paternarum traditionum etiam exoticarum acerrimus vindex, cum turma monachorum, anno 590 in Gallias secesserit, atque aedificatis pluribus monasteriis Regulam peculiarem suis monachis praescripserit; attamen non novum monasticum ordinem instituit, sed ad imitationem sancti Benedicti, ex aliis peregrinis monasteriis advenientes monachos libere et absque aliquo annuae [Col. 0400D] probationis exemplo, in suam congregationem suscepit. Sic Attala monachus Lirinensis, postquam plures annos illic vitam monasticam egisset *regularis disciplinae studio ad sanctum Columbanum se recepit;* quem mox vir sanctus *suo ministerio junxit, ac divinis monitis erudire tentavit.* Aliud quoque exemplum adducit saepe laudatus Mabillonius, asserens Eustasium Luxoviensem abbatem, et sancti Columbani successorem ex Agaunensi monasterio abduxisse secum B. Amatum istius coenobii monachum, et in suorum fratrum societatem immediate admisisse.

XVI.

Quae sane omnia satis superque declarant unitatem [Col. 0401A] et conformitatem status monastici non obstante diversarum Regularum observantia, quae locis et personis adaptatae tanquam diversi vitae monasticae commentarii considerari debent, ut pote non nisi particulares ipsius mandati evangelici applicationes et declarationes. Et quidem ipsi scoti monachi ad observationem catholici Paschatis perducti et exoticam suam tonsuram rejicientes, tandem hanc monasticae vitae unitatem ubique manifestabant, non obstante rigida eorum disciplina. Nam, post synodum Matisconensem anno 525 celebratam, in omnia sancti Columbani monasteria facili negotio introducta est Regula sancti Benedicti; atque teste Ven. Beda, Hist. Eccli. lib. V, et in Vita sancti Cuthberti, post conflictum Pharensem inter Columbanum Scotum, [Col. 0401B] et Wilfridum Anglum initum, in omnibus Norththumbrani regni coenobiis per Scotos monachos erectis, Regula Benedictina cum rigida Scotica disciplina floruit, donec haec omnino obsoleta et illa sola ubique praevaluit; immediate enim sanctus Euta Melrosiae in hodierna Scotia abbas, coenobii Lindisfarnensis gubernationem suscepit, cui et successit sanctus Cuthbertus ejusdem etiam olim praepositus. Postea autem Scoti, et Picti, per sanctum Ceolfredum, et sanctum Eggbertum Anglos Benedictinos ad rectum celebrandi

Paschatis tramitem perducti, circa annum 718 Regulam Benedictinam amplexi sunt, nulla alia interveniente vitae monasticae mutatione, nisi quod rejecta sua deformi *tonsura* Scotica susceperint *tonsuram coronalem.* Haec [Col. 0401C] omnia fusius tractantur in *Monastico Scotico, ubi in ejusdem propyleo exhibentur peculiares dissertationes circa mores et disciplinam veterum monachorum Scotorum, qui olim nuncupabantur Kildei et Kiledei, ab ipsis cellis, quas inhabitabant, non vero a cultu, quem ibidem exercebant, denominationem sumentes.*

XVII.

Stabilita igitur monastici status unitate et unione, quam Regularum multiplicitas non magis variabat, quam variae nunc commentationes in Regulam sancti Benedicti, ex quibus exortae sunt tot Benedictinae Regulae propagines, quales sunt, Cluniacensis, Camaldulensis, Cisterciensis, et plures aliae monachorum congregationes, quae pro vitae et morum norma [Col. 0401D] primaria constituunt Regulam sancti Benedicti, et per sua peculiaria statuta solummodo inter se differre videntur, quoad majorem vel minorem regularis disciplinae observantiam.

Nunc autem ad status monastici antiquitatem indagandam progredimur, cum nonnulli antiquitatum ecclesiasticarum mangones hujus status exordium apud *Nazaraeos et Rechabitas in Veteri Testamento requirunt, vel ejusdem originem ex anachoresi Eliae et Elisaei prophetarum deducunt, quamvis ante tertium aerae Christianae saeculum nusquam reperiamus verum et perfectum status monastici exemplum.*

XVIII.

Nam quidquid de Nazaraeis, et Rechabitis, vel [Col. 0402A] prophetarum anachoresi dici potest, nunquam exempla illa probare possunt perfectum et sincerum monachismum, sed ad summum tantum figuram et imaginem potius exhibebant quam ipsam formam et essentiam; ita, ut in Veteri Testamento, status monastici quaedam quasi praeludia et praesagia reperire sit, nunquam tamen vera et authentica exempla. Idem esto judicium de Essenis vitam quamdam communem in rerum divinarum contemplatione ducentibus, quorum mores Philo Judaeus libro proprio describit. Eruditi enim omnes hoc nostro aevo consentiunt, Hebraeos istos vita et moribus quam longissime discrepasse a vero monachorum instituto, etiamsi cum sancto Hieronymo admittamus Essenos istos Christiana religione fuisse imbutos. Non enim [Col. 0402B] omnes primi Christiani etiam Jerosolymis habitantes ad consilia evangelica amplectenda obligabantur; nam plerique erant conjugati, nec uxores dimittere volebant, prout de Nicodemo et Gamaliele constat, liberumque erat cuique fundos suos retinere vel dimittere, siquidem sanctus Petrus dixit Ananiae: *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum erat in tua potestate* **(Act. V, 4)**. Fatendum tamen est, plures Jerosolymorum Christianos, miracula ab apostolis patrata considerantes, ad perfectionem evangelicam obtinendam omnia pro Christo reliquisse, vitam communem ducentes. Nam sanctus Lucas in Actis apostolorum sic de quibusdam primis illis fidelibus loquitur: *Multitudinis autem*

credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, [Col. 0402C] *aliquid suum dicebat, sed erant iis omnia communia* **(Act. II, 45; IV, 32)**.

XIX.

Adeoque ex his primis Jerosolymitanis Christianis status monasticus sumpsit exordium, cujus quidem primaria et praecipua principia cognoscuntur ipsa Evangelii consilia, quibus equidem hortamur *nos castrare propter regnum coelorum, crucem tollere, patrem, matrem, uxorem, et agros relinquere propter Christum, et per omnium rerum temporalium, imo propriae voluntatis abnegationem, Christi vestigia sequi.* Nec minus certum est alios Christianos hanc evangelicam vivendi formam amplexos fuisse; Metaphrastes enim initio Vitae sancti Pauli primi eremitae [Col. 0402D] refert primis duobus Ecclesiae saeculis plurimos exstitisse vitae monasticae professores; Vita quoque sanctae Eudoxiae martyris, quae temporibus Trajani imperatoris floruit, monasteriorum jam tum institutorum meminit. Cum vero ecclesiastica illorum saeculorum monumenta plerumque perierint, partim Diocletiani imperatoris impio mandato flammis consumpta, partim injuriis temporum perdita, haud ante pacem Ecclesiae per Constantinum Magnum imperatorem redditam authentica et indubitata vitae monasticae primordia certo ostendi possunt, quae sancto Paulo primo eremitae et sancto Antonio abbati merito referuntur.

XX.

In hoc igitur *Regularum monasticarum Codice,* jure [Col. 0403A] primum locum occupat abbatis sanctissimi Antonii Regula, ex ipsius ad viros monachos epistolis collecta, a quo tempore usque ad nostra saecula habemus sine interruptione continuatum vitae monasticae progressum, et quidem ex sinceris et induditatis monumentis manifestatum, quae in hoc codice variis additamentis amplificato, secundum regulas chronologicas et criticas exhibentur. Hanc vitae monasticae unitatem et primam originem sic explicatam, jam pridem doctissimus Holstenius noster eruditis dissertationibus illustrare meditabatur, nisi dum primam hujus Codicis Regularum editionem prelo committere parabat, immatura morte surreptus fuisset. Jacturam hanc ex schedis posthumis Holstenianis reipublicae litterariae quodammodo supplevit [Col. 0403B] vir eruditissimus et Holstenio charissimus Leo Allatius, qui sequentem dissertationem prooemialem quatuor capitulis exaravit quam proin hic adducimus, cum hucusque dicta perspicue ex eadem deducantur, reservato tamen quarto ejus capite, donec ordinem ipsius Codicis Regularum ostenderimus.

MATERIA DISSERTATIONIS PROEMIALIS AD REGULAS MONASTICAS, E SCHEDIS POSTHUMIS LUCAE HOLSTENII.

CAPUT PRIMUM.

---*Origines instituti monachorum, et eorum diversae species.*

Frustra sunt qui verum et perfectum monachismum Christianismo vetustiorem faciunt: ejus in Veteri Testamento figura magis quam forma, praesagia potius quam exempla reperiuntur. Eliae anachoresis, hujus et Elisaei discipulorum convictus, [Col. 0403C] Nazaraeorum, et Rechabitarum instituta, tum si quae occurrunt alia ejus generis, videri possunt quaedam quasi rudimenta gratiae monachos facere exordientis. Esseni quoque, quorum Hebraei meminerunt, uti et quos Philo libro primo describit (quanquam hos sanctus Hieronymus fuisse Christianos putat) multis, ut palam est, differentiis a monachorum instituto discrepabant. Judicat Metaphrastes, initio Vitae sancti Pauli eremitae, non defuisse primis duobus Ecclesiae saeculis monasticae vitae multos professores. Sane Vita sanctae Eudoxiae martyris, quae temporibus Trajani floruit, monasteriorum jam tum institutorum meminit. Verum, ut alia multa ecclesiastica monumenta illorum temporum, sic memoria distinctior primaevae illius vitae regularis Diocletiani flammis, quibus Christiana tabularia conflagrarunt, abolita fuit; ex his porro quae supersunt monumentis aetati Constantini Magni vitae regularis initia imputanda sunt; tunc scilicet per [Col. 0403D] Ecclesiae pacem ea perpetuari sine interpellatione, dilatari sine obstaculo potuit. Auctores porro ejus primi Paulus et Antonius fuere, quorum exemplis duo genera monachorum informantur, alterum *eremitarum* seorsim sine arbitrio degentium, *coenobitarum alterum in domo communi conviventium, et miscebantur in illis principiis haec duo genera plerumque, ut iidem ex eremo in coenobium, ac vicissim e vita communi in solitariam transirent;* quanquam haec cum multis experimentis esset deprehensa, periculosior coepit prae illa coenobitica celebrari disciplina, praesertim post editam a Pachomio Regulam, dictante angelo exceptam, quam Latine Hieronymus [Col. 0404A] transtulit. Ex hoc tempore duo laudabilia distingui genera monachorum coeperunt, solitariorum, et communiter viventium, quibus alterum submistum est non probum, *Sarabaitarum ut vocabant, qui bini aut terni passim per urbes aut castella proprio arbitratu viverent.*

CAP. II.

---*Propagatio monachismi ex Aegypto in omnes terras.*

Instituta per hunc modum in Aegypto vita monastica auctoribus Paulo, Antonio et Pachomio, in omnes inde se terras salutari propagatione diffudit. Primus Hilarion ex Antonii schola monasticam in Syria disciplinam et exercuit et docuit. Basilius Magnus monasticam professionem ex Aegypto acceptam in Pontum et Asiam minorem intulit. Audaeus relegatus monasteria in Gothia fecit. Penetravit quoque idem institutum in Aethiopiam, Persidem et Indiam, ex quibus provinciis turmas monachorum se Bethlehemi suscepisse scribit sanctus [Col. 0404B] Hieronymus. In Italiam institutum monasticum partim ex Aegypto, partim ex Syria transiit. Primum enim Romam adveniens sanctus Athanasius cum Vitam a se scriptam sancti Antonii publicasset, juventutem utriusque sexus plurimam ad ejus imitationem inflammavit. At sanctus Eusebius Vercellensis disciplinam monasticam e Syria petitam in suam ecclesiam intulit, et clerum etiam suum sub Regulam adegit. Sanctus quoque Isaac Syrus prope

Soletum in loco deserto monasterium posuit, ut docet sanctus Gregorius, Dial. lib. III, cap. 14. Ex alterutra istarum originum vel Aegyptia, vel Syriaca prodiisse videntur monasteria, quae multa per Italiam fuisse SS. Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, aliique testantur. Abbates quoque et ascetae insignes, Eutychius, Florentius, simulque multi a sancto Gregorio memorati, ante sancti Benedicti aetatem. Item virgines et sanctimoniales. Non solum autem in continenti Italiae, sed et in insulis Dalmatiae et Maris Etrusci plurimos fuisse per ea tempora monachos, [Col. 0404C] sanctus Hieronymus indicat. In Sicilia quam ingens jam olim multitudo monachorum fuerit, Rochus Pirrhus testatur in Notitia Abbatiarum ejus insulae, uti et de aliis majoribus Mediterranei Maris insulis alii qui de ipsis scripserunt. E Capraria insula, ubi greges monachorum fuisse indicat Rutilius Numantinus scribens circiter annum Christi 416, missi ad sanctum Augustinum monachi id institutum in Africam intulerunt, quod ibi receptum est, necquidquam Donatistis obstantibus. Monasteria Carthagine, Tagaste, Hippone, fuisse testatur Paulinus. Capraríense postea et Palmariae monasteria reformavit sanctus Gregorius Magnus. Sed inter insulas monachismo claras, Lerina in primis celebrata est, ubi auctore Honorato sancti senes divisis cellulis Aegyptios Patres in Galliis aemulabantur, ut sanctus Eucherius tradit. Hinc eductus ad episcopatum est sanctus Honoratus anno Christi 426: quod [Col. 0404D] exemplum postea frequentatum legimus, ut merito Lerina seminarium episcoporum diceretur. Quintum inde saeculum Barbarorum irruptionibus imperio et Ecclesiae funestum multos publicorum malorum pertaesos ad vitam monasticam locis secretis colendam perpulit, tutum asylum pandens humanarum miseriarum. Per Gallias nihilominus floruisse professionem monasticam, ex historiis regum primae stirpis, Actis sanctorum Hilarii, Martini aliorumque, tum ex Gregorio Turonensi, aliisque monumentis, manifestum est. In insulas Oceani per eadem tempora monachismus penetravit, auctore Patritio Brittone

@ [Col. 0403D] Ex antiquis monumentis constat, longe ante sancti Patritii tempora apud veteres Britannos et hodiernos Scotos monasticam vitam floruisse. Sic apud primos celebre erat monasterium Beanchorense, et in hodierna Scotia notum coenobium de *Kil-Ruel a sancto Regulo cum reliquiis sancti Andreae apostoli in Scotiam veniente erectum circa* annum 369, et ideo *Cella Sancti Reguli olim nuncupata.* Deinde sanctus Palladius ad exstinguendam Pelagianam haeresim apud Scotos grassantem a sancto Coelestino papa missus, circa annum 428 per se suosque discipulos Ternanum et Servanum varia monasteria condidit. Cirea ea quoque tempora omnino certum est, sanctum Niniam vel Ninianum sancti Martini discipulum *Candidae Casae in hodierna Scotia episcopum, ibidem ex lapidibus albis nobile construxisse monasterium, unde et nomen hoc* (*Candidae Casae*) traxit, teste Ven. Beda, sanctus [Col. 0405D] Servanus circa annum Christi 440 ad borealem Forthae fluminis ripam celebre Culrosense condidit coenobium, ex quo prodiit sanctus Kentigernus primus Glasquae episcopus, eximius vitae monasticae propagator, cujus monasterii *Ordinem monasticum inter Additamenta ad hunc Codicem collocavimus.* Sanctus Patritius Hiberniae apostolus Britannoduni in Scotia natus, priusquam Hiberniae apostolatum subiit, jam in patria sua apud Britannodunum monasteria aliqua erexit, quorum rudera et situs etiamnum apparent ab ipso sancto denominationem habentia, prout testatur *Kil-Patrick, id est cella Patritii, et iterum sedes sancti Patritii.* Dein postquam sanctus Columba non Columbanus, Scotorum monachorum patriarcha anno 565 Jonam insulam a Congallio Scotorum rege obtinuerat, et celebre Hyense coenobium construxerat, per Scotorum et Pictorum regna

institutum monasticum maxime floruit, referente in sua Historia Ecclesiastica ipso Ven. Beda. Ex Hyensi siquidem monasterio sanctus Oswaldus Northumbrorum, sive Anglorum borealium rex, ad subditos suos in fide Christiana instruendos evocavit sanctum Aidanum et socios suos Scotos, qui episcopus Northumbriae declaratus Lindisfarnense coenobium condidit, atque in omnibus aliis ecclesiis vitam monasticam instituit juxta Scotorum rigidam disciplinam. Similiter circa annum 590 sanctus Columbanus [Col. 0406D] cum monachorum turma in Gallias secedens, Luxoviense apud Burgundiones erecto monasterio vitam monasticam insigniter propagavit, Scoticarum suarum traditionum acerrimus vindex, uti ex ejus Regula et Poenitentiali in hoc Codice exhibita constat. Sanctus quoque Maurus, sancti Benedicti discipulus, etiam ante medium hujus saeculi constructis monasteriis apud Gallos Benedictinam disciplinam ubique introduxit, cui tandem, ut pote discretissimae rigida Scotorum religio lubentissime cessit. Omnes etenim illi Scoti et Angli monachi, qui cum sancto Wilibrordo et sancto Bonifacio Germanorum apostolo ad convertendos Frisones et Saxones in Germaniam venerunt, cum ipsa Christiana religione apud tunc barbaras illas nationes, monasticam sancti Benedicti Regulam introduxerunt, erectis coenobiis amplissimis, et introductis ubique in ipsas cathedrales ecclesias Benedictinis monachis. EDIT. GERM., qui peragratis Gallia atque Italia, insulisque Tyrrheni Maris, cum in juventute sanctum Martinum vidisset, [Col. 0405A] et sancto Germano Antissiodorensi praeceptore usus esset, missus postea a sancto Coelestino papa ad convertendos Hibernos anno Christi 431, monasteria ibi plurima instituit, ut ex antiquis monumentis Usserius docet, obiit sanctus Patritius anno 49. David Menarensis episcopus nobile monasterium construxit. Monasterii Benchorensis meminit Beda. Sanctus Columbanus Armaccanum et Tyrrhense monasteria fundavit anno 565: haec erant in Hibernia et Britanniae illa parte, quam non occupaverant Anglo-Saxones, ad quos deinde ipsos monasticum institutum simul cum Christiana religione penetravit, magnis et paribus utriusque incrementis. Sanctus Augustinus monachus et monasticarum Regularum peritus, missus deinde a sancto Gregorio Magno in Angliam, monasticam ibi disciplinam propagavit, Doroverniensi praesertim monasterio fundato, ut auctor est Beda. Apud Northumbros et septentrionales illius insulae populos sanctus Aidanus vitam religiosam [Col. 0405B] induxit. Prodierat hic e schola sancti Columbani, et in Lindisfarnensi insula monasterium habuit. Haec omnia confirmant celebratae in historiis illarum gentium dissensiones inter utriusque scholae monasteria varia, praesertim de Paschate ac tonsura: et videntur per ea tempora monachi in ecclesiis episcopalibus functiones sacras obiisse, quod indicat Beda. Unde cathedrales Ecclesiae *Munster,* sive *Monasteria vocantur Anglis.* De Hispanis, Germania, Dacia, Pannonia, Sarmatia, caeterisque regnis ac provinciis sigillatim dicere infinitum sit. Exstant historici cujusque, qui plane doceant, ubicunque Christi religio viguit, etiam regulare institutum floruisse. Porro ubivis gentium viri ascesim coluere, feminae quoque eos aemulatae pro captu sexus, perfectioni studuerunt: idque vel coenobiis, aut cellulis clausae, vel in domibus propriis virginitatem Deo sacratam, aut sanctam viduitatem exercentes. Sed de his satis.[Col. 0405C]

CAP. III.

---*Unitas regularis instituti usque ad sanctum Benedictum.* Obiter de patria Cassiani.

Ex hactenus dictis de multitudine ubique colentium vitam monasticam in utroque sexu, facile cuipiam vetera ex praesentibus aestimanti persuadebitur, fuisse primis illis temporibus diversos et certo charactere discriminatos monachorum ordines, prout postea institutum, praesertim in Mendicantibus, quorum universae, quamvis late sparsae, familiae sub uno peculiari capite certis et cuique propriis officiis [Col. 0406A] ac legibus Deo militant. Valde fallor, si jam tum primis sex septemve Ecclesiae saeculis iste usus invaluerat. Certe vestigia mihi quidem non apparent, qui, quocunque intueor, uniformem ubique mona chatus rationem, et facilem ac promiscuum invicem transitum, mutuumque commeatum professionum et coenobiorum cerno. Orientales monachi, quando in Occidentem venerant, cum ibi profitentibus religiosam vitam sine discrimine censebantur: vicissim Occidentales in Oriente; quod cum innumeris exemplis possit demonstrari, unum tantum hic afferam, Cassiani et Germani Gallorum monachorum, qui Aegypti monasteria peragrarunt instituti monastici cognoscendi causa et animo in patriam referendi haustam inde notitiam disciplinae, in suum et popularium suorum usum; unde satis apparet existimasse ipsos unum esse in commune omnium ubique monachorum modum et usum religionis profitendae. Moverit forte quempiam (ut hunc obiter scrupulum lectori eximam contraria vulgi opinione praeoccupato) [Col. 0406B] quod Cassianum Gallum dixi. Quidni vero id ego ipsi de se affirmanti crederem? Legimus cap. 1, coll. 24, Cassianum cum suo unanimo abbate Germano fassos esse abbati Abrahamo: «quia (verba sunt ipsius) ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revisendos parentes, quotidianis acrius aestibus urgebamur.» Quam aliam hic provinciam intelligamus, nisi illam Orienti obversam Galliae oram, quae jam tum quasi proprio nomine, quod hodieque retinet, *Provincia vocabatur, in quam deinde certo constat rediisse Cassianum, in eaque vixisse, consenuisse, obiisse.* Addit de parentibus suis, fuisse illos magna religione et pietate praeditos; unde non impedituri putarentur, ne monasticam ibi vitam coleret; tum eosdem copiosos, qui affatim praebituri essent necessaria, et sollicitudinem victus parandi dempturi. Quae omnia mire conveniunt indigenis illarum uberrimarum regionum, ubi praecipuus tum erat religionis vigor, et passim nobilissimi [Col. 0406C] quique Lerinum confluebant profitendae causa vitae monasticae. Unde sibi (quod mox subdit) merito ambo blandiebantur, spe verisimili de conversione multorum, «qui velut nostro essent, inquit, ad viam salutis exemplo et monitis dirigendi.» Videant autem qui in solitudines Scytharum Cassiani patriam submovent, quam apte illi desertorum squalori et Caucaseis rigoribus conveniat, quod de sua patria Cassianus subjicit: «Tum praeterea ipsorum locorum situs, in quibus erat a majoribus nostris [Col. 0407A] avita professio, ipsarumque amoenitas jucunda regionum ante oculos pingebatur, quam gratae et congruae solitudinis spatiis tenderentur: ita ut non solum delectare monachum possent secreta silvarum, sed etiam magna victus praebere compendia.» Denique dictio ipsa et stylus, quam non Scythiae barbariem redoleat, palam est. Qua etiam ratione refelluntur, qui Atheniensem Cassianum putant. Inde enim potius Atticam Graecismi proprietatem ducere potuisset, quam eum quem praefert ubique latinitatis Gallicanae genuinum succum ac leporem, qualis in Eucherio, in Vincentio Lirinensi, in Fausto, in aliis ejus tractus scriptoribus passim floret; sed de his plura dicendi locus hic non est. Ad uniformitatem instituti monastici revertamur, adversus quam nihil praescribit Regularum hoc Codice relatarum numerus et diversitas.

Etenim illae a singulis, ut praesens usus poscebat, Patribus scriptae, aliorum similia cupientium studiis descriptae, in commune proponebantur, ut ex his quique pro locorum et nationum [Col. 0407B] differentia, vitam uniformi, quoad praecipua, disciplina temperarent. Primaria sane, et quasi fundamentalis monachorum Regula Evangelium erat: illa, inquam, Christi consilia, quae castrare seipsum propter regnum coelorum; quae abnegare se, et crucem tollere; quae patrem, et matrem, uxorem, agros propter Christum relinquere; quae vendere patrimonia, et dare pauperibus, sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulae particulares nihil nisi ejus primae ac universalis Regulae applicationes, aut declarationes locis et personis plerumque aptatae habebantur. Quod adeo verum est, ut ne ipse quidem sanctus Benedictus, qui antiquum, quem reperit in Ecclesia, monasticum ordinem suscepit, excoluit, dilatavit, Regulam universalem suis ubique omnibus promulgaverit; sed peculiarem duntaxat Cassinensi coenobio, cui praeerat, quae inde privata diligentia descripta, et imitandi studio publicata, adeo non quasi abrogasse priores caeteras [Col. 0407C] est credita, ut sanctus Benedictus Anianensis, hujus, quam damus, Collectionis auctor, idem aliud Opus elucubraverit, nuper a viro doctissimo Hugone Menardo, luci publicae cum eruditis observationibus datum, cui *Concordiae Regularum nomen fecit, quae singulorum Benedictinae Regulae capitum consensionem cum caeteris omnibus aliis Regulis clare demonstrat.* Haec disputari pluribus debebant; verum metus erat, ne in contentionem res abiret ab hoc aditu tranquilli pacificique operis alienam: certorum quippe hominum, quos abundare in suo sensu facile sinimus, obnixa in contrarium armataque studia noveramus, cum quibus rixari nunc quidem nolumus.

XXI.

Diximus supra Leonem Allatium ex schedis Holstenianis posthumis hanc Dissertationem Prooemialem exarasse; sic enim prodit clarissimus Mabillonius [Col. 0407D] in praefatione ad tom. I Annal. Benedict., n. 19, ubi ad monstrandam instituti monastici unitatem, sub nomine *Allatii adducit prolixum textum ex allato capite 3 Dissertat.* Prooemial. desumptum. Cum igitur tot viri graves et eruditi, inter vitae monasticae primos cultores plenarium consensum repererint, atque ipsius instituti ratio, ut pote in consiliis evangelicis fundata, hoc ipsum manifestet, hinc non obstante Regularum diversitate, talis concordia in dirigendis monachis mansit inconcussa, donec posterioribus saeculis Ordines Mendicantes insurrexerunt, qui monasticum statum tam circa habitum quam circa vitae cursum quodammodo mutaverunt, quamvis omnes Ordines Religiosi ad eumdem terminum [Col. 0408A] tendant, nimirum ad excolenda consilia evangelica.

XXII.

Existimat quidem vir doctissimus Ludovicus Thomassinus, Oratorii Gallicani presbyter, de Veteri Disc. part. I, lib. III, cap. 24, Cluniacenses monachos primos fuisse, qui in ordinem monasticum induxerunt diversitatem ab omnibus aliis distinctum corpus conflando, et singulari Regulae sese addicendo, cum ante saeculum decimum sub uno

generali monachorum ordine, cuncta monasteria ita constituta fuerint, ut suam Regulam amplectendo non excluderent alias, sed diversas Regulas admitterent. Verum pace eruditissimi viri, nec Cluniacenses, vel postea Camaldulenses, Cistercienses, aliique [Col. 0408B] plures Benedictinae disciplinae reformatores tantam in ordinem monasticum induxerunt differentiam, ut pote pro primaria vitae norma constituentes sancti Benedicti Regulam solam, a monachis Occidentalibus observatam, longe ante Cluniacensis congregationis exordium, adeoque omnes illae congregationes ab eodem fonte emanantes, haud aliunde suam diversitatem hauserunt, quam laxiori vel strictiori Regulae Benedictinae observantia, ad quam in suo rigore conservandam peculiaris cujusque congregationis constitutiones, diversis personis et locis excogitatae sunt, quarum proin praecipuae inter hujus Codicis Additamenta exhibentur.

XXIII.

Ex quibus omnibus omnino patescit, statum monasticum [Col. 0408C] ab exordio uniformem, simulque cum ipsa Christiana religione sumpsisse originem, et cum eadem per orbem simul propagatam fuisse. Cum autem hodierni *Canonici Regulares, qui sub communi Regula sancti Augustini Deo militare gloriantur, etiam a primis Christianis Hierosolymitanis suum exordium repetant, sic de eorum instituto pauca proponere lubet, etsi in Codice Regularum Holsteniano nullum suae originis monumentum meruerint, etsi constet, hos viros religiosos ad obtinendam evangelicam perfectionem, mores, et actiones suas semper composuisse, vitamque vere apostolicam tribus solemnibus votis suffultam duxisse;* ast eosdem a primis Christianis Hierosolymitanis evangelica consilia amplexis exortos esse, ac perpetua [Col. 0408D] serie propagatos, omnino vanum est asserere, nisi inquantum cum monachis conveniunt.

XXIV.

Nemo enim vel leviter in historia ecclesiastica versatus ignorat, nomen *Canonicorum primis Ecclesiae saeculis inauditum fuisse, neque ante saeculum sextum illud auditum est apud Occidentales auctores, prout Canonicorum regularium propugnator eximius Eusebius Amort,* in suo laudabili opere de *Veteri et nova Disciplina canonica part.* I pag. 2, agnoscit. Imo ante saeculum octavum per *canonicos solummodo intelligebantur clerici illi,* qui ascripti erant matriculae alicujus ecclesiae, tanquam *beneficiarii* sive *praebendarii,* quibus *canon* sive *dimensum* [Col. 0409A] dispensabatur. Nec sane magni refert objicere matricularios seu matriculae ecclesiarum inscriptos quosdam exstitisse, qui non erant *canonici;* quales existimantur viduae et pauperes catalogo ecclesiarum olim inscripti, et ex oblationibus fidelium certas et determinatas eleemosynas singuli accipientes, uti nec sanctus Cornelius papa ad Fabium Antiochenum scribens circa annum 254 omnes clericorum gradus simul ac viduas et pauperes Ecclesiae Romanae catalogo inscriptos recensens, ullam *canonicorum mentionem facit.* Cum enim primis illis Ecclesiae saeculis cuncti viri ecclesiastici, imo et pauperes utriusque sexus in matriculam ecclesiarum relati, ex oblationibus fidelium quotidianis viverent, neque proprios fundos possiderent, sic nec *beneficiarii,* [Col. 0409B] aut *praebendarii,* multo

minus *canonici appellari potuerunt,* ut pote nullo certo et determinato *canone gaudentes, licet catalogo ecclesiae inscripti.* Postquam autem ecclesia fundis et possessionibus abundare coeperat, sic et plurimi clerici ecclesiis tam cathedralibus quam aliis immatriculati, *praebendas* et *beneficia certa et ordinaria acquisierunt, quatenus liberius officio divino insistentes annuam idcirco pensionem accipiebant,* sic jure optimo *canonici nuncupari potuerunt; canon enim apud* veteres nihil aliud erat, quam *regulata quaedam pensio, prout varii juris civilis textus testantur.*

XXV.

Utcunque vero *canonici nomen suum derivare* aveant, sive a *matricula* vel *canone ecclesiarum,* [Col. 0409C] quibus inscripti erant, sive a *canone* vel *regulata quadam pensione ipsis annuatim dispensata, hoc unum certum est, ante Pippini Magni tempora nullam determinatam Regulam vivendi ipsis praescriptam fuisse, quia Ecclesiae universalis canones omnibus clericis et Christianis communes erant.* Fatentur enim omnes ecclesiasticae historiae scriptores, sanctum Eusebium Vercellensem episcopum primum fuisse, qui vitam communem clericis suis mandavit circa annum 330, vitam clericalem cum monastica conjungens. Neque sanctus Augustinus clericis suis in communi viventibus peculiarem Regulam tradidisse legimus; nullam enim aliam vivendi normam scripsisse affirmant viri docti, nisi vulgarem illam Regulam sanctimonialibus feminis praescriptam, [Col. 0409D] quam in hoc Regularum Codice inter alias sacrarum virginum Regulas collocavit Lucas noster Holstenius. Reperimus quidem sanctissimi praesulis duos sermones de *communi vita clericorum, qui tamen potius dicendae sunt exhortationes, quam vitae communis norma vel regula.*

XXVI.

Nec sane clerici illi in communi viventes a sancto Augustino instituti, ullatenus appellari possunt *canonici, quorum nomen in Ecclesia nondum auditum erat, sed potius Coenobitae dicendi sunt, quia episcopium, ubi cum episcopo degebant, in modum coenobii erectum fuerat, et forsan ipsummet erat monasterium ante initum episcopatum erectum,* [Col. 0410A] prout Possidius in ipsius Vita insinuare videtur. Frustra quoque in suas partes trahere conantur canonici sanctum Basilium et sanctum Caesarium Arelatensem, quatenus *regulares nominari valeant;* nam uterque sanctissimus antistes vitam *monasticam* non *canonicam excoluit, atque sancti Basilii Regula monachis non clericis adoptata est;* quam proin sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha sanctus Benedictus, Reg. cap. LXXIII, omnibus monachis legendam proponit, ejusque auctorem *sanctum Patrem Basilium nominat.* Certum quoque est, sanctum Caesarium in celeberrimo Lirinensi monasterio educatum, monasticam vitam semper excoluisse, Regulasque suas pro monachis et sacris virginibus in monasterio degentibus praescripsisse, [Col. 0410B] prout ex observationibus ad utramque Regulam praeviis satis superque monstravimus.

XXVII.

Quidquid ergo adducunt canonici regulares ad probandam perpetuam successionem suam a primis Christianis Hierosolymitanis usque ad nostra tempora, nullis omnino solidis argumentis fulciri potest; etiamsi concedamus quosdam semper exstitisse clericos bonis suis omnibus *renuntiantes;* aliaque consilia evangelica *observantes;* nunquam tamen primis septem saeculis adduci possunt integrae clericorum congregationes, quae se ad tria vota solemnia, *paupertatis, castitatis et obedientiae, observanda astringebant, vel ad haec praestanda per aliquam expressam Regulam obligabantur.* Omnes enim [Col. 0410C] tales congregationes a sanctissimis episcopis aliisque piissimis viris institutae potius erant *monasticae,* quam *canonicae,* quemadmodum cunctae Regulae in hoc *Codice Regularum adductae perspicue satis demonstrant.* Adeoque clerici in communi viventes, quorum nonnulli omni bonorum proprietati forsan renuntiabant, nunquam tamen tria solemnia vota emittebant, vel communem Regulam vivendi, distinctam ab Ecclesiae canonibus ante medium saeculi octavi admittebant; licet his temporibus nomen *canonicorum in aliquibus locis florere coeperit.*

XXVIII.

Primus enim qui canonicis Regulam peculiarem praescripsit, erat sanctus Chrodogangus seu Rodingangus, et Trotongangus anno 743 vel sequenti, [Col. 0410D] in episcopum Metensem electus, quam sedem piissime rexit usque ad annum 767, sub quo tempore hanc Regulam pro canonicis Metensibus promulgavit, quae inter hujus Codicis Additamenta habetur. Hanc omnium primam Regulam canonicis traditam ex Regula Benedictina plerumque desumptam agnoscunt viri eruditi; nusquam tamen legimus eamdem in ecclesias alias introductam fuisse, neque ab illa canonicos appellatos fuisse *regulares.* Nam hoc tempore etiamsi exstiterint *Canonicorum* capitula, non tamen illa *regularia nuncupabantur, prout exerte probat saepe laudatus Thomassinus part.* I, lib. III, cap. *De capitulis sub imperio Caroli Magni,* ubi in testimonium adducit canonem concilii [Col. 0411A] Vernonensis anno 755 celebrati, quo monachi dicuntur *regulares* (nulla de canonicis regularibus mentione facta) etiamsi de *Ordine canonico hoc concilium loquatur, cujus verba haec sunt:* «De illis hominibus, qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, et modo res eorum vel pecunias habent, et nec sub manu episcopi sunt, nec in monasterio regulariter vivunt, placuit, ut in monasterio sint sub Ordine regulari, aut sub manu episcopi sub Ordine canonico.»

XXIX.

Cum igitur hoc concilium manifeste distinguat *Ordinem Regularem, tanquam monachis proprium,* ab *Ordine Canonico,* sic aevo Caroli Magni nullus exstabat *Canonicus regularis.* Quicunque enim dicebantur [Col. 0411B] *regulariter vivere, erant monachi,* et e contrario illi *canonici nominabantur,* qui sub obedientia episcopi, professionem observandi *sacros canones faciebant;* nec *regulares potuerunt dici,* cum per concilium

monachis opponantur, qui proprie vocantur hic regulares, prout argute discurrit laudatus Thomassinus loco citato, qui ultra progrediens, non dubitat asserere per *Ordinem canonicum intelligi debere statum clericalem,* cui quidem nullus *vitam regalarem adhuc praescripserat, quamvis circa medium hujus saeculi octavi jam clerici cathedralium ecclesiarum vitam communem inire coeperint.*

XXX.

Verum postquam sanctus Chrodogangus Regulam [Col. 0411C] canonicis promulgaverat, atque in Aquisgranensi concilio, anno 816, pro omnibus Galliae et Germaniae canonicorum collegiis peculiaris Regula condita est, tunc et ipsi *canonici* appellari *regulares coeperunt,* et eorum collegia nominata sunt aliquando *monasteria, ob quamdam cognationem inventam inter ipsos jam regulariter viventes, et monachos, qui ab exordio proprie regulares erant, ut pote vi instituti monastici peculiari et determinatae regulae astricti.* Fusius quidem tractat haec omnia laudatus Thomassinus loco citato, monstratque sub his temporibus quaedam monasteria laxioris vitae amore *ad institutum canonicum descivisse, tandemque inter utrumque institutum quamdam commixtionem* [Col. 0411D] exortam fuisse, quod saepius haec *monachorum,* et *canonicorum nomina indiscriminatim adhiberi coeperint.* Sic piissimus imperator Carolus Magnus in *Epistola ad Alcuinum, Turonensibus monachis sancti Martini exprobrat inconstantiam et levitatem* animi et morum, quod nunc *monachi,* nunc *canonici dici vellent:* «Aliquando enim monachos, aliquando canonicos, aliquando neutrum vos esse dicitis.» Sic etiam concilia temporibus his celebrata testantur, praesertim Vernonense supra citatum, quorum canones hoc ipsum monstrantes adducit praelaudatus Ludovicus Thomassinus.

XXXI.

Labente ergo saeculo octavo, et ineunte sequenti [Col. 0412A] quidam *canonici omnibus bonis suis renuntiantes appellari coeperunt regulares, vel ob observantiam Regulae sancti Chrodogangi, vel intuitu Regulae Aquisgranensis, nulla enim alia determinata vitae regularis norma ipsis praescripta erat ante medium saeculi octavi;* et quidem in confesso est apud omnes regulam Aquisgranensem nunquam ab Ecclesia universali approbatam vel receptam fuisse, sed solum auctoritate Caesarea ordinatam; unde et illa vitae regularis norma haud dici potest, ut pote nimis vaga, atque quibusdam canonicis *non renuntiantibus bonorum suorum dominium permittens, renuntiantibus etiam nimis prodigam cibi et potus mensuram, aliasque laxitates concedens.* Hinc raro hanc Regulam adducunt in testimonium vitae asceticae [Col. 0412B] scriptores, neque ejusdem mentionem facit sanctus Benedictus Anianensis in sua *Regularum Concordia, quamvis tempore conditae Regulae vixerit, et post concilium Aquisgranense tam ipsum Regularum* Codicem, quam earum *Concordiam cum Regula Benedictina conscripsisse credatur.*

XXXII.

Verum cum intuitu Regulae Aquisgranensis, et exhortatione Patrum concilii, sed praecipue Ludovici Pii imperatoris admonitionibus excitati plurimi utriusque sexus canonici vitam regularem excolere coeperint, sic et eamdem inter Additamenta apponere cogitavimus, sed ejusdem prolixitas prohibuit, et praesertim quia hodierni canonici regulares illam pro sua vitae asceticae norma agnoscere renuunt, [Col. 0412C] quamvis nuper vir eruditus Eusebius Amort supra laudatus hanc Regulam inter alia *Veteris et Novae Disciplinae canonicae monumenta collocaverit.* Quae et in Conciliorum Collectione Labbeana tom. IX, reperitur. Ut autem in hac Regularum Collectione nihil omittatur, quod ad canonicae vitae cognitionem conducere valet, inter Additamenta collocavimus antiquam *Canonicorum Regulam ex sancti Chrodogangi et Aquisgranensis Regulis collectam, et forsan auctoritate Ludovici Pii imperatoris per Amalarium ecclesiae Metensis decanum promulgatam, prout in observatione ad eamdem praevia existimamus.* Deinde cum praeviis observationibus exhibemus tres Regulas sancto Augustino imputatas, quas canonici [Col. 0412D] regulares ante saeculum undecimum sibi non adoptarunt, sed labente hoc et sequenti saeculo florente sese *Augustinianos nominabant, quorum proin antiquas consuetudines adducimus.* Denique eximium vitae canonicae monumentum proferemus, nimirum Regulam beati Petri de Honestis ecclesiae Portuensis conscriptam, atque anno 1117 oblatam summo pontifici Paschali II, quam nuper edidit saepe laudatus Eusebius Amort, agnoscens eamdem exstare primam *Canonicorum Regularium Regulam juxta hodiernum institutum, cui proin observationem praeviam satis amplam praefiximus.*

XXXIII.

Igitur in hoc *Codice Regularum Holsteniano aucto et locupletato,* nullum vetus monumentum ad vitam [Col. 0413A] *monasticam et canonicam pertinens quod ad nostras manus pervenit, praeterire voluimus, nisi, quod nonnulla statuta sacrorum ordinum ob nimiam prolixitatem omittere coacti fuerimus, ne forsan hoc praesens volumen justam molem excederet.* Hic studio missa fecimus antiqua *Cluniacensium monachorum* Statuta in *Spicilegio Dacheriano descripta,* cum illa sola, si sancti *Guilielmi Hirsaugiensis abbatis Institutiones superadditae fuissent, integrum volumen perfecissent, quorum proin loco Statuta disciplinam apud pios illos monachos observatam satis declarat.* Pari quoque modo cogitavimus circa *Statuta Cisterciensium, aliorumque plurium ordinum, ad quorum cuncta amplissima statuta exhibenda non unum, sed plura volumina vix sufficerent,* prout fusius [Col. 0413B] in praefatione ad tomum secundum hujus Codicis monstrabimus.

XXXIV.

Interea ad ipsum Codicem Regularum redeamus, cum circa eumdem quaedam scitu digna occurrant. Etiamsi enim certum sit, sanctum Benedictum Anianae abbatem Regulas veterum monachorum collegisse, et in unum codicem redegisse, attamen dubitavit supra laudatus Hugo Menardus hanc *Regularum Collectionem amplius existere,* quia scrutatis nobilioribus Galliae bibliothecis, nullibi *Codicem Regularum a*

sancto Benedicto Anianensi compositum reperire potuit, prout in praefatione ad *Concordiam Regularum testatur, numerans ibidem bibliothecas, ex quibus latentes sanctorum Patrum* [Col. 0413C] Regulas eruere conabatur. Hinc merito etiam dubitatur, an saepe nominatus sanctus Benedictus Anianensis, omnes Regulas monasticas ante medium saeculi octavi scriptas in unum codicem redegerit, easque suae *Regularum Concordiae inseruerit, cum haud minimum discrimen appareat inter Regulas in* hoc praesenti Codice contentas, et illas ad *Concordiam componendam adhibitas.*

XXXV.

Quod primum dubium attinet, et illud perspicue resolvit clarissimus Holstenius asserens, hunc ipsum *Codicem Regularum eumdem esse, quem sanctus Benedictus Anianensis conscripsit, cum ejusdem vetustissimum exemplar in celeberrimo sancti Maximini prope Treviros monasterio conservatum,* hujus [Col. 0413D] sanctissimi abbatis nomen et titulum praeseferat, uti et ipsius apographum ante aliquot saecula conscriptum testatur, quod ex bibliotheca canonicorum regularium domus beatae Virginis Coloniae acceptum, primus typis mandare jussit; quae omnia ex Holstenii schedis posthumis Leo Allatius disertis verbis declarat in *Materia Dissertationis Prooemialis, sic de hoc Codice Regularum ejusque Appendice disserens.*

DISSERTATIONIS PROOEMIALIS
CAP. IV.---*De hoc Codice Regularum, ejus Appendice, et utriusque compilatore.*

Circiter annum Christi 820 floruit in Galliis opinione sanctitatis atque doctrinae Benedictus abbas Anianensis, qui ortus e nobilissima comitum Magalonensium [Col. 0414A] stirpe, ex aulico gratioso et forti milite, Deo ad meliora vocante, primum religiosam vitam suscepit in monasterio sancti Sequani; unde postea in patriam reversus Anianese monasterium in paterno fundo, tum non procul inde Gellonense in gratiam Guilielmi comitis instituit. Mox aliis permultis Ludovici Pii imperatoris voluntate praefuit. Ad extremum aulam sequi coactus, quod imperator ejus consiliis juvari cuperet, erecto prope Aquisgranum, ubi plerumque degebat imperator, monasterio Indensi, sanctam ibi vitam sancta morte conclusit. Exstant ejus Acta ab ipsius discipulis conscripta, quae primus edidit Hugo Menardus, tum Bollandus et Henschenius de novo illustrata recitant ad diem 11 Februarii. In iis Actis ita legitur: «Fecit librum de Regulis diversorum Patrum.» Ad quem locum sic adnotat Menardus: «An iste liber adhuc exstet, non mihi compertum est. In testamento sancti Gennarii episcopi Asturicensis, inter libros, qui ab eo dantur monasterio sancti [Col. 0414B] Petri de Montibus, recensentur Liber Regularum virorum illustrium; qui an idem sit cum eo qui a nostro Benedicto collectus est, non adeo constat.» Haec ille; qui si vidisset Codicem nostrum titulo Benedicti abbatis Anianensis praenotatum, non opinor, dubitasset, quin hoc opus illud ipsum sit, cujus auctor vitae ejus loco recitato meminit. Servatur, ut aiunt, apud sanctum Maximinum prope Treviros antiquissimum exemplar hujus collectionis, unde apographum exscriptum custoditum apud canonicos regulares domus beatae Virginis Coloniae, cum vidisset ante hos annos circiter viginti illustrissimus tunc Fabius Chisius episcopus Neritinorum, et nuntius illic apostolicus (hodie S. D. N. Alexander VII pontifex

Maximus) describendum curavit, et exemplum inde sumptum nobis benignissime communicavit, nos ex eo editionem hanc curavimus. Sed, ut subinde occurrebant antiqui codices exhibentes aliquam ex hisce regulis, edita nostra cum iis conferebamus, [Col. 0414C] diversitates adnotabamus ad marginem, inde notulae paucae ad calcem operis conjectae formatae sunt. Cum autem eo studio ferremur conquirendi antiqua monumenta, ex quibus haec editio locupletari possit, occurrunt ecce nobis in lectis ima bibliotheca serenissimae dominae Christinae Alexandrae, Gothorum, Vandalorum, Suecorumque reginae, vetusti duo codices exhibentes paraenetica quaedam opuscula antiquorum Patrum ad instituta monachorum utriusque sexus accommodata, quae cum statim judicassemus aptissime utiliterque posse adjungi ad jam editum Regularum Codicem: tum ad idem nos multo magis illud impulit, quod satis verisimilis conjectura esset, hanc quoque Collectionem Paraeneseon ad vitam monasticam, ejusdem esse manus atque ipsam collectionem Regularum. In hunc videlicet modum scribit auctor Vitae sancti Benedicti Anianensis: «Alium nihilominus composuit librum ex sanctorum doctorum homiliis,» [Col. 0414D] quadrat satis hoc indicium in nostrum hoc Opus ex Patrum variorum opusculis contextum, qui partim monachos, partim sanctimoniales erudierunt. In quo apte respondet haec appendix suo operi Regulas virorum mulierumque perfectionis studentium digerenti. Scio Hugonem Menardum, cum in fine codicis ex quo Concordiam Regularum edidit, reperisset congesta quaedam fragmenta Patrum ad virtutes et vitia, quae in monachis desiderantur aut caventur pertinentia, opinatum esse illum ipsum librum contextum ex sanctorum doctorum homiliis, quem fuisse a sancto Benedicto compositum auctor ejus Vitae refert; sed mihi quidem non persuadet, qui non homilias aut opuscula integra Patrum, sed sententias duntaxat, et testimonia ipso fatente Menardo congesta, sciam in illam farraginem codici Concordiae Regularum assutam: nostra autem collectio integras exhibet adhortationes, aut conciones Patrum aptissime congruentes ad argumentum Regularum: [Col. 0415A] quare consentance iis subjici aequus, opinor, et prudens lector, ubi cognoverit, fatebitur. De singulis Regulis, vel auctoribus earum nihil hic praefari opus duximus; praemisimus enim suis locis ad singulas testimonia veterum, quae notitiam, quanta fere haberi potest, tum ipsarum, tum auctorum legenti suggerent.

XXXVI.

Adeoque extra omnem controversiam statuit Holstenius sanctum Benedictum Anianensem esse hujus Codicis Regularum verum et indubitatum collectorem, simulque adhortationes, ac nonnullas sanctorum Patrum conciones in Appendice exhibitas, in unum collegisse, atque ipsi Codici assuisse, cujus proin in hanc rem adductas satis probabiles rationes fusius in Observatione praevia ad ipsam Appendicem examinavimus. Jam ad alterum dubium [Col. 0415B] supra propositum, de quo major restat difficultas, veniamus; cum enim in hoc *Regularum Codice,* sicut et in ipsa *Concordia Regularum desint plures Regulae ante medium saeculi noni conditae, quarum Supplementum vulgaverat saepe laudatus Hugo Menardus teste hujus Codicis typographo, Ludovico Billaine, sic ad finem catalogi Regularum in eodem contentarum loquente:* «Idem sanctus Benedictus Anianensis abbas Regularum Concordiam cum Regula sancti Benedicti abbatis Cassinensis composuit, quam R. P.

D. Hugo Menardus congregat. sancti Mauri monachus edidit, et observationibus doctissimis illustravit, quae loco esse possunt earum, quas doctissimus Holstenius in hunc Codicem meditabatur, quae quidem Concordia in eadem officina Ludovici [Col. 0415C] Billaine venalis prostat, qui pollicetur Supplementum hujus Codicis, in quo sanctorum Patrum Regulae et Constitutiones ab Holstenio praetermissae, et alia plurima ope doctorum virorum ex variis bibliothecis conquisita, continebuntur.»

XXXVII.

Ex quibus omnino constat in hoc Codice non omnes veterum Patrum Regulas monasticas comprehensas esse, nec sane ad nostram notitiam adhuc pervenit, facta etiam diligenti inquisitione, promissum Supplementum, secus omissas Regulas inter *Additamenta collocassemus.* Et quidem ut taceam *Regulam sancti Chrodogangi inter Additamenta nostra positam,* certum est sanctum Benedictum [Col. 0415D] Anianensem omisisse eximium veteris Disciplinae monasticae monumentum, scilicet Regulam *sancti Joannis abbatis Biclarensis, post medium saeculi sexti scriptam a sancto Isidoro Hispalensi, ac postea ab ipso Trithemio commemoratam, quorum tempore et ipsa Regula exstabat, quamvis nunc nullibi appareat.* De hac autem Regula sic scribit clarissimus Calmetus in suis Observationibus criticis ad religiosorum et canonicorum Regulas, ad calcem Commentariorum in Regulam sancti Benedicti: «Scripsit Joannes Abbas Biclarensis e Valclara in Catalonia Regulam monasticam, quam sanctus Benedictus Anianensis ignoravit, aut saltem invenire non potuit, siquidem eam nullibi citat, quamvis ab Isidoro Hispalensi laudatur, sicut et a [Col. 0416A] Trithemio. His temporibus omnino ignoratur tam Regula quam monasterium Biclare. Postea Joannes abbas de Biclare sedem episcopalem Gerundiae tenuit, ac Chronicon ad annum 589 pertingens scripsit.» Nos quoque admiratione afficimur, nec sanctum Benedictum Anianensem, nec Holstenium mentionem fecisse illarum Regularum, quae pro canonicis utriusque sexus in concilio Aquisgranensi sancitae erant, cum primus Regularum collector illis temporibus vixerit, atque falente ipso Holstenio, ipsi synodo adfuerit, a piissimo imperatore ad collapsam disciplinam monasticam simul ac ecclesiasticam restaurandam destinatus. Nec sane alia hujus silentii causa assignari potest, nisi quod Regulae illae Aquisgranenses appareant nimis vagae et [Col. 0416B] indeterminatae ad introducendam veram et solidam vitam Regularem, nec unquam a sede apostolica approbatae fuerint.

XXXVIII.

Cum vero haud parum discriminis in numerandis et ordinandis Regulis in hoc Codice contentis, atque in exhibendis illis in *Concordia Regularum relatis, exortum videatur, sic operae pretium diximus utriusque ordinem tam ab Holstenio quam ab Hugone Menardo observatum proponere, quatenus legentibus omne dubium auferatur circa hujus Codicis* αὐθεντίαν. Tota enim diversitas exorta est, quod doctissimus Menardus publicando *Concordiam Regularum* nusquam reperire potuerit *Codicem Regularum ab eodem sancto Benedicto Anianensi conscriptum,* [Col. 0416C] et ideo nomina Regularum in

hoc eodem Opere hinc inde dispersa solummodo notaverit, cum e contra Holstenius invento vero Regularum Codice ediderit Regulas in ipso ms. antiquo repertas, quas in unum codicem collegerat sanctus Benedictus Anianensis, priusquam *Concordiam exarare coeperat.* Hinc clarissimus Holstenius, juxta fidem ms. codicis, Regulas distribuit in tres partes, quarum prima Regulas Orientalium Patrum complectitur, altera Occidentalium, tertia vero sanctorum Patrum Regulas pro sacris virginibus scriptas, quibus et Appendicem adjunxit, quasdam sanctorum Patrum Exhortationes continentem, juxta hanc praesentem methodum:[Col. 0416D]

CATALOGUS REGULARUM ET ALIORUM TRACTATUUM,

Qui in hoc CODICE REGULARUM *continentur.*

PARS PRIMA.

Regulae SS. Patrum Orientalium ad monachos.

Saeculum. I. S. Antonii abbatis. IV. II. S. Isaiae abbatis. IV. III. SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, etc. IV. IV. SS. Patrum alia. IV. V. Tertia. IV. VI. S. Macarii Alexandrini, abbatis Nitriensis. IV. Ejusdem epistola. IV. VII S. Pachomii, abbatis Tabennensis, cum praefatione sancti Hieronymi in eamdem. IV. Ejusdem Monita. IV. [Col. 0417A] VIII. Ejusdem et Theodori epistolae et verba mystica. IV. IX. S. Orsiesii, abbatis Tabennensis, doctrina de institutione monachorum. IV. X. Regula Orientalis, ex Patrum Orientalium Regulis collecta a Vigilio diacono. IV. XI. S. Basilii, episcopi Caesariensis. IV.

PARS II.

Regulae SS. Patrum Occidentalium ad monachos. I. S. Benedicti, abbatis Cassinensis. VI. II. Regula consensoria monachorum. VI. III. Alia Regula incerti. VI. IV. SS. Pauli et Stephani abbatum. VI. V. S. Caesarii, episcopi Arelatensis. VI. VI. S. Aureliani episcopi Arelatensis. VI. VII. S. Ferreoli, episcopi Ucetiensis. VI. VIII. S. Columbani abbatis. VI. Ejusdem Poenitentiale. VI. IX. Tarnatensis monasterii. VI.[Col. 0417B] X. S. Isidori, episcopi Hispalensis. VII. XI. S. Fructuosi, episcopi Bracarensis. VII. XII. Ejusdem monastica communis. VII. Ejusdem Pactum. XIII. Patris cujusdam. VI. XIV. Regula Magistri. VII. XV. Grimlaici presbyteri Regula solitariorum. IX.

PARS III.

Regulae SS. Patrum ad virgines. I. S. Augustini, episcopi Hipponensis. V. II. S. Caesarii, episcopi Arelatensis. VI. Ejusdem Sermo. VI. Ejusdem epistola ad Oratoriam abbatissam. VI. Ejusdem testamentum. VI. III. S. Aureliani, episcopi Arelatensis. VI. Joannis, episcopi Arelatensis, epistola. VI. IV. S. Donati, episcopi Vesontiensis.

VII.[Col. 0417C] V. Patris cujusdam. VII. Sententia de Regulis Devotarum, una cum decreto concilii Hispalensis. VII. VI. S. Leandri, episcopi Hispalensis. VI. VII. B. Aelredi, abbatis Rievallensis. XII.

APPENDIX.

Complectens EXHORTATIONES SS. Patrum ad monachos et virgines DE OBSERVANTIA VITAE RELIGIOSAE, *Quas* a sancto BENEDICTO *abbate Anianensi olim collectas,* LUCAS HOLSTENIUS *e duobus mss.* Floriacensibus serenissimae reginae Christinae edidit. I. S. Athanasii Alexandrini liber de Observationibus monachorum. IV. II. Ejusdem Exhortatio ad sponsam Christi. IV. III. S. Basilii M. Admonitio ad filium spiritualem. IV. IV. Evagrii monachi Sententiae ad monachos. IV.[Col. 0417D] V. Ejusdem Sententiae ad virgines. IV. VI. Fausti, abbatis Lirinensis, Sermones quatuor ad monachos. V. VII. S. Eucherii Exhortatio ad monachos. V. VIII. Ejusdem Sententia ad monachos. V. IX. Ejusdem Admonitio ad virgines. V. X. S. Caesarii, episcopi Arelatensis, epistolae duae ad Caesariam abbatissam. VI. XI. Ejusdem Epistola hortatoria ad virginem Deo dedicatam. VI. XII. Novati, catholici, Sententia de humilitate et obedientia, et de calcanda superbia. IV. XIII. S. Paulini ad monachos de poenitentia. V. XIV. Eutropii abbatis Epistola ad Petrum papam de districtione monachorum et ruina monasteriorum. VII. XV Incerti Sermones duo de decem virginibus. VII.[Col. 0418A]

XXXIX.

Atque haec est oeconomia quam adhibuit Holstenius in publicando hoc *Regularum Codice, nec ambigere licet, quin Regulas eodem modo ordinatas in suo ms.* repererit, prout ex ipsis schedis posthumis eruitur, etiamsi quaedam adsint ibidem Regulae sancto Benedicto Anianensi omnino ignotae, ut pote longe post ipsius obitum conditae, quales sunt: Regulae pro inclusis monachis utriusque sexus scriptae a beato Grimlaico, et sancto Aelredo abbate Rievallensi. Nec sane hoc in praejudicium hujus Codicis verti debet, quasi ille non sit, quem sanctus Benedictus Anianensis scripserat; nam amanuensis, labente saeculo XIII, vel sequenti inchoante, exscribens verum et authenticum *Regularum Codicem,* [Col. 0418B] prudenter judicavit superaddi posse has duas Regulas, ut pote ad perfectam vitae monasticae normam apprime pertinentes. Pari quoque libertate Holstenius huic Codici assuere voluit nonnulla aliunde petita; in alio enim veteri ms. reperiens *Sententiam de Regulis Devotarum, eamdem voluit inserere, simul ac concilii Hispalensis caput 11 ad sanctimonialium* clausuram spectans, quam etiam *Sententiam de Regulis Devotarum, et nos observationi praeviae ad Regulam sancti Isidori conjunximus, tanquam illius Regulae caput ultimum, prout ibidem notavimus.* Cum igitur agnoscat Holstenius hunc *Codicem Regularum eumdem esse, quem composuerat sanctus Benedictus Anianensis, sic ejusdem authenticitati nec assuta Additamenta,* nec diversus Regularum [Col. 0418C] ordo in *Concordia observatus, ullatenus praejudicare debent, prout supra monstravimus.*

XL.

Nam sanctissimus abbas Anianensis condendo *Concordiam Regularum diversum omnino ordinem inire debuit, cum ex collectis sanctorum Patrum Regulis solas quasdem sententias excerpserit, necessarias quidem ad monstrandam disciplinae monasticae uniformitatem cum ipsa Regula Benedictina, quam solum deinceps ubique observandam mandaverat piissimus imperator Ludovicus I, licet hucusque in aliquibus monasteriis plures Regulae simul observatae fuerint.* Sic enim ex Vita Ludovici Pii, et ex Aimonio lib. V *de Gestis Francorum instruimur:* «Itidemque constituit idem Deo amabilis imperator [Col. 0418D] Benedictum abbatem, et cum eo monachos strenuae per omnia vitae, qui per omnia monachorum euntes redeuntesque monasteria, uniformem cunctis traderent monasteriis tam viris quam sanctimonialibus feminis morem vivendi secundum Regulam sancti Benedicti.» Adeoque sanctus Benedictus Anianensis conferendo Regulam sancti Benedicti cum aliis sanctorum Patrum Regulis, quatenus ex illis uniformem cum eadem doctrinam monstraret, necessario ordinem in *Codice Regularum observatum invertere debuit, sententias et instituta sanctorum Patrum cuilibet capiti Regulae Benedictinae approprians,* quatenus *veram Regularum Concordiam conderet.* Hinc doctissimus Hugo Menardus in edendo *Concordiam* [Col. 0419A] Regularum anno 1658 talem Regularum Catalogum contexuit, ut Regulam sancti Benedicti primo loco posuerit, tanquam principalem, ad quam reliquae reducuntur.

HUGONIS MENARDI *Catalogus in sua CONCORDIA* REGULARUM *observatus.* 1. Regula S. Benedicti. 2.---S. Pachomii. 3.---S. Orsiesii. 4.---Orientalis. 5.---S. Macarii. 6.---Itidem S. Macarii. 7.---SS. Patrum. 8.---Itidem SS. Patrum. 9.---Itidem SS. Patrum. 10.---S. Basilii. 11.---S. Hieronymi. 12.---S. Augustini. 13.---S. Cassiani. [Col. 0419B] 14.---SS. Stephani et Pauli. 15.---Tarnatensis. 16.---S. Caesarii episcopi. 17.---S. Aureliani episcopi. 18.---S. Ferreoli episcopi. 19.---S. Isidori episcopi. 20.---S. Fructuosi. 21.---Alterius Fructuosi. 22.---S. Columbani. 23.---S. Donati. 24.---Magistri. 25.---Cujusdam Patris. 26.---Item cujusdam Patris.

XLI.

Et quidem ex Catalogo Regularum *in Concordia observato, omnino apparet, quasdam Regulas ibidem nominari, quae in ipso Codice non reperiuntur,* [Col. 0419C] et vicissim: prout cuilibet utrumque Catalogum conferenti facile patebit. Sic de Regula sancti *Cassiani observavit saepe laudatus Menardus illam desumptam esse ex primis quatuor libris ejusdem* sanctissimi abbatis *de Institutionibus monasticis, quas proin inter Additamenta ipsius Codicis Regularum primo loco posuimus;* quod autem attinet *Regulam sancti Hieronymi hic nominatam, existimat idem laudatus Menardus, illam nihil aliud esse, nisi epistolam praefixam Regulae sancti Pachomii,* de qua eruditus ille *Concordiae Regularum editor loco citato sic loquitur:* «Regula sancti Hieronymi nihil aliud est quam epistola illa, quam praefixit Regulae sancti Pachomii; nam quaedam ex illa Regula hic citata videre est in eadem epistola, alia vero sapiunt stylum [Col. 0419D] sancti Hieronymi, nec discrepant ab Institutis sancti Pachomii, quae in illa

epistola recensentur: quam si integram haberemus, haud dubie in ea omnia reperirentur, quae hic ex ea proferuntur, maxime cum sanctus Hieronymus nullam scripserit Regulam monachorum.» Deinde in hac *Regularum Concordia* citatur tantum una Regula *sancti Caesarii,* quemadmodum et una *sancti Aureliani, cum tamen omnino constet, unumquemque ex his duobus Arelatensis Ecclesiae episcopis duas Regulas distinctas scripsisse, unam pro monachis,* alteram pro sanctimonialibus feminis, prout ex ipso *Regularum Codice instruimur, ubi binae utriusque episcopi Regulae reperiuntur.* Nec sane Regulae *sancti Leandri de distinctione* [Col. 0420A] Virginum ad sororem Florentinam scriptae mentionem facit, quamvis illa constans 21 capitulis inter alias sacrarum virginum Regulas in ipso *Regularum Codice sit collocata.*

XLII.

Hinc mirari non debemus in Regulis monasticis numerandis tantam diversitatem apparere inter *Codicem* Regularum earumque *Concordiam, praesertim si admittamus auctoris intentionem in condendo utroque opere fuisse quodammodo dissimilem.* Sanctissimus enim abbas Anianensis colligendo sanctorum Patrum Regulas in unum codicem, id solummodo mente agitasse videtur, ut religiosi viri aeque ac feminae percurrendo diligenter tot eximia vitae monasticae instituta, per talia monita salutaria, diversis [Col. 0420B] temporibus et locis data, ad arctam disciplinam observandam excitarentur, cum e contra componendo Concordiam Regularum ad id animo ferebatur, ut monachismi unitatem ab exordio instituti probaret, atque omnium aliarum Regularum conformitatem cum Regula Benedictina monstraret, quam solam deinceps observandam praeceperat piissimus imperator, prout supra indicavimus. Cum igitur in Regula Benedictina, quamvis monachis utriusque sexus adaptata, nulla sacrarum virginum memoria reperiatur; sic facile omittere potuit Regulas illas solis sacris virginibus praescriptas, etiamsi easdem in ipso *Regularum Codice collocaverit.*

XLIII.

Existimat quidem doctissimus Menardus sanctum [Col. 0420C] Benedictum Anianensem in sua Concordia, proferendo sententias ex Regula sancti Caesarii, sancti Aureliani et aliorum, in usum sanctimonialium scriptis, solummodo nomina feminina in masculina mutasse, neque ad eorum Regulas monachis praescriptas attendisse. Verum in eam opinionem adductus est vir eruditissimus nondum de illorum sanctorum Patrum Regulis ad monachos scriptis certior factus. Si enim praesens hic Codex Regularum ab ipso sancto Benedicto Anianensi olim scriptus ad saepe laudati Menardi notitiam pervenisset, tunc aliter judicasset, cum ibidem geminae istorum sanctorum Regulae inveniantur, una ad monachos, altera ad sacras virgines ordinata. Fatendum tamen est sanctum Benedictum Anianensem conferendo Regulam [Col. 0420D] sancti Augustini cum Regula Benedictina coactum fuisse nomina feminina in masculina commutare, quia sanctissimus ille Ecclesiae doctor nullam aliam Regulam scripsit, nisi illam quae desumpta est ex illa celebri Epistola ad feminas sanctimoniales missa, et nunc religiosis Augustinianis utriusque sexus accommodata. Haec quidem omnia ex ipsa *Concordia*

Regularum clarius innotescent, quae prodiit Parisiis anno 1638, doctissimis observationibus nunquam non laudandi Menardi illustrata, quae etiam hujus *Codicis Regularum aucti et amplificati quasi quaedam interpretatio considerari possit, ut pote clarius explicans illa quae in antiquis Regulis obscura apparent.*

[Col. 0421A]

XLIV.

Atque haec sunt de quibus circa praesentem *Regularum Codicem lectores benevolos certiores reddere cogitavimus, quatenus et illi percipere valeant verum vitae monasticae statum ab exordio Christianae religionis ad haec nostra tempora propagatum.* Nullus enim inficias ibit, haec vetera monumenta monastica eximiam historiae ecclesiasticae partem comprehendere, cum certam Evangelii observantiam a primis saeculis usitatam exhibeant, atque sanctorum Patrum nobiliores asceticas admonitiones proferant, quibus homines excitabantur ad vovenda Christi consilia, non quidem omnibus Christianis necessaria, sed illis qui ad veram perfectionem nituntur condere utilissima. Hinc convelluntur novatorum aliquorum iniquae [Col. 0421B] contumeliae, qui monachatum otiosorum hominum statum existimant; ex illis quippe authenticis monumentis discimus, doctissimos simul ac sanctissimos Christiani nominis athletas, sanctum Athanasium, sanctum Basilium, sanctum Augustinum, aliosque maximos viros exstitisse vitae monasticae cultores et legislatores. Hinc etiam primarii rei litterariae restauratores ad excolendum statum monasticum summopere laborarunt, vetera monumenta ad eumdem pertinentia ex tenebricosis bibliothecarum plateis eruentes, atque eruditissimis observationibus illustrantes, quemadmodum et clarissimus noster Holstenius praestitit, in publicam lucem emittens hunc praesentem *Regularum Codicem, quem iterum recusum multisque aliis diversorum ordinum monasticorum* [Col. 0421C] monumentis amplificatum hic exhibemus.

XLV.

Interim tempus est ut paucis re eramus quid in hac nova editione actum sit; non enim ob aliam rationem illam aggressi sumus, nisi quod distractis tam Romanae quam Parisiensis editionum exemplaribus plures viri docti conquererentur, se tanti operis utilitate privari. praesertim cum in Germania hucusque nulla ejusdem comparuerit. Comparato igitur Editionis Parisinae exemplari anno 1663 a Ludovico Billaine factae, percelebris bibliopola Augustanus

@ [Col. 0421D] Morte anno 1755 praeventus, finem vasto operi imponendum filiis suis reliquit. Martinus Veith novam hanc meditari coepit, variis Additamentis auctam, eamque in folio; quatenus idem Codex sic amplificatus in justi voluminis molem accresceret, celebriorum ordinum, tam monasticorum [Col. 0421D] quam canonicorum, Regulas et Instituta complexus atque in sex tomos divisus.

XLVI.

Et quidem tomus primus ipsum *Codicem Regularum ab Holstenio editum complectitur,* cujus ordinem [Col. 0422A] et distributionem invertere non praesumpsimus, grande piaculum existimantes, si quid ex illo demere, vel augere praetenderemus, cum vir clarissimus exerte asserat, se Regulas ita coordinatas ad fidem codicis Coloniensis edidisse, nec timeat affirmare, eumdem esse Codicem, quem sanctus Benedictus Anianensis collegerat. Nihil ergo immutatum est, sed codex Holstenianus quoad omnia etiam minutissima integer prodiit, ut ille a Ludovico Billaine praenotato anno typis est impressus. Quod ante quamlibet Regulam praemissa sit quaedam *Observatio critica, hoc nullatenus integritati codicis obesse potest, sed potius ad majorem splendorem conducit,* prout ad easdem Regulas praemisit Holstenius *testimonia veterum Patrum de cujuscunque Regulae legislatore,* [Col. 0422B] quae tamen in veteri ms. non reperit, ex quo Codicem Regularum exscripsit. Nec sane magni refert, quod in hac nova editione *Materiam Dissertationis Prooemialis alio ordine referamus;* hoc quippe haud alio fine factum est, nisi ut clarius mens primi editoris innotescat, qui praematura morte surreptus hoc prooemium non condidit, sed aliud magis elaboratum meditabatur, prout supra praenotavimus ex clarissimo Mabillonio, asserentes hoc prooemium ex posthumis Holstenii schedis Leonem Allatium composuisse.

XLVII.

Quod autem *Observationes ante quamlibet Regulam praemissas attinet, et illas quodammodo necessarias duximus,* ut per easdem cujuslibet Regulae [Col. 0422C] vera ratio pateat, et sub uno obtutu dubia circa Regularum legislatores obvenientia, dissolvantur. Hinc et *Observationes criticas nominavimus.* Si quis enim artem criticam sano sensu consideret, tunc praefatas observationes vere criticas agnoscere debet, cum de qualibet Regula ejusque auctore justum et aequum judicium proferant, de eruditissimis rerum religiosarum scriptoribus, Mabillonio, Calmeto, et Edmundo Martene desumptum. Non enim eo consilio observationes exaravimus, ut censoris officium usurparemus, sed solummodo aliorum doctorum judicia proferre voluimus, ut ex rebus illis sua antiquitate obscuris veritas magis elucescat. Non diffitemur, in his observationibus quaedam scitu digna omissa, non studio, sed ex quadam illarum rerum ignorantia, [Col. 0422D] quae tamen facile suppleri possunt ex iis, quae doctissimus Menardus praemisit ad *Concordiam Regularum, quod eximium opus ad manus meas non pervenit, nisi post jam impressas observationes criticas.*

CODICIS REGULARUM PARS PRIMA, SS. PATRUM ORIENTALIUM REGULAE AD MONACHOS.

S. ANTONII ABBATIS REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0423A]

DE S. ANTONIO ABBATE VETERUM QUAEDAM TESTIMONIA.

Martyrol. Rom. ad diem 17 Januarii.

In Thebaide, sancti Antonii abbatis, qui multorum monachorum pater, vita et miraculis praeclarissimus vixit: cujus gesta sanctus Athanasius insigni volumine prosecutus est.

S. Hieronymus, de illustr. Script., cap. 88.

Antonius monachus, cujus Vitam Athanasius Alexandrinae urbis episcopus insigni volumine prosecutus est, misit Aegyptiace ad diversa monasteria apostolici sensus sermonisque epistolas septem quae in Graecam linguam translatae sunt; quarum praecipua est ad Arsenoitas. Floruit Constantino et filiis ejus regnantibus. Vixit anno 105.

S. Athanasius in Vita S. Antonii, cap. 15, interprete Evagrio.

Quadam die cum sanctus Antonius a congregatis fratribus rogaretur, ut eis institutoria largiretur praecepta, cum prophetica fiducia exaltans vocem aiebat: Ad omnem quidem mandatorum disciplinam Scripturas posse sufficere, etc.

[Col. 0423C]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Ex adductis sanctorum Patrum testimoniis constat, sanctum Antonium non scripsisse Regulam monasticam proprie sic dictam; neque, teste Calmeto, monachi Orientales sub sancti Antonii nomine militantes Deo, vel canonici sancti Antonii in Gallia et Italia adhuc florentes, observant hanc Regulam. Primi enim sequuntur praecipue Regulam sancti Basilii, quae in ejus asceticis comprehenditur; secundi tanquam canonici Occidentales tenent Regulam sancti Augustini. Existimamus ergo hanc Regulam sancto Antonio recentiorem; et forsan ex septem epistolis ad diversa monasteria Aegyptiaca scriptis desumpta est, quae tamen haud sancto Antonio indigna videtur, cum stylo sententioso, conciso et nervoso scripta sit; sed eremitis potius quam coenobitis consona. Hoc etiam nostram conjectura magis auget, quod in hujus Regulae primo exemplari solummodo articuli 35 inventi fuerint, in alio autem 13, ita ut tota Regula constet 48 articulis, quorum nonnullos, praesertim tredecim ultimos, ex Isaiae abbatis Regula desumptos animadvertimus, prout suo loco dicemus. De reliquo, auctor hujus Regulae dicitur fuisse celebris ille sanctus Antonius primus eremita, qui anno 270 in solitudinem secessit, et anno 356 piissimam animam Deo reddidit.

[Col. 0423D]

REGULAE AC PRAECEPTA S. P. N. ANTONII AD FILIOS SUOS MONACHOS,

Petentes hoc ipsum ab eo in monasterio Nacalon. IN PACE DOMINI. [Col. 0423A]

Dicam Canones sive Regulas, prout loquetur Dominus per os meum, illis qui sese tradere volunt sub gravi hoc jugo, scilicet monachatu. Oportet ergo ut audiant haec praecepta: qui solverit aliquid ex eis, *vilis vocabitur in regno coelorum* **(Matth. V, 19)**.

I. Ante omnia ora sine intermissione, et gratias Deo age pro omnibus quae tibi eveniunt.

II. Cum autem surrexeris mane singulis diebus, [Col. 0424A] inquire de aegrotis qui apud te sunt, et jejuna usque ad nonam singulis diebus, excepto sabbato et Dominico die; adveniente vero nona ne adeas cellam cujusquam fratrum. Et cum sederis ad comedendum, ora prius, tum comede. Ora et lege perpetuo.

III. Ne loquaris cum juvene, neque cum puero, et ne converseris omnino cum illo; nec ligabis illum monachum, nec assumes in filium, antequam [Col. 0425A] induat habitum, ne reconciliet hostem diabolum; neque cubes super eadem storea cum minore te.

IV. Serva etiam horas orationum, nec praetermittas ullam earum, ne rationem pro illa reddas.

V. Ne obstringas aegrotum ad manducandum, nec retrahas ab illo cibum, ne conturbes animam illius afflictam

VI. Si venerit ad te aliquis frater post temporis intervallum, laetare de illo: gratias enim aget Deo et tibi. Saeculari nullo modo commiscearis; nec ostentes teipsum, sicut Pharisaeus ille qui ad ostentationem omnia sua agebat.

VII. Nec appropiare sinas ad te mulierem, nec permittas ingredi domicilium tuum; ira enim graditur post illam. Neque revertaris invisere consanguineos [Col. 0425B] tuos carnales, nec faciem tuam illis videndam praebeas, nec adeas illos.

VIII. Ne reserves tibi plus quam indiges; nec elargiaris plus quam potes, sed eroga eleemosynam infirmis monasterii.

IX. Persolve orationem tuam noctu priusquam adeas ecclesiam.

X. Ne comedas cum aliquo qui impendat pro te.

XI. Si scandalum ortum fuerit de juvene aliquo, qui hactenus habitum non induerit, ne induat illum; et ejice eum a monasterio; nec loquaris cum puero penitus, ne fiat tibi offendiculum.

XII. Si coegerit te necessitas adire civitatem, ne contendas illuc solus.

XIII. Ne seras terram tributis subjectam, nec societatem [Col. 0425C] et contractum ineas cum magnatibus.

XIV. Ne commoreris in loco ubi vinum exorimitur, nec comedas carnem omnino.

XV. Ne frangas jejunium feria quarta et sexta, nisi ob gravem morbum.

XVI. Ne murmures in opere manuum tuarum: nec improperes alicui ulla de causa.

XVII. Si adieris aliquem fratrem, ne diu moreris in domicilio ejus.

XVIII. Ne loquaris in ecclesia; nec resideas in exedris monasterii.

XIX. Non jurato penitus vel veritatem vel dubium.

XX. Ne petas ecclesiam ad quam congregantur [Col. 0425D] homines. Eroga eleemosynam quantum potes. Ne sepelias mortuum in ecclesia.

XXI. Ne facias convivia; nec ad symposium vocatus accedas.

XXII. Addisce quotidie disciplinam a senioribus; nec ullum aggrediaris opus, nisi consulto Patre monasterii.

XXIII. Cum abis ad hauriendam aquam, interim dum iter conficis, lege quantum potes.

XXIV. Si erogaveris eleemosynam, ne ostentes illam. Si adfueris aliquo in loco, ubi erogatur eleemosyna, comede et gratias age Deo.

XXV. Contristare noctu diuque pro peccato tuo. Esto devinctus in cuculla tua, et in tunica tua noctu [Col. 0426A] atque die. Accende lampadem tuam oleo oculorum tuorum, nempe lacrymis. Si pietatis actus edideris, ne glorieris. Ne dimittas quemquam, qui quaerit Christum. Ne propales cogitationes tuas cunctis hominibus, sed solum iis qui possunt salvare animam tuam.

XXVI. Si abieris ad messem, ne moreris, sed cito revertere ad monasterium.

XXVII. Ne induas vestimenta, quibus extollaris. Ne ostentes vocem tuam, nisi in oratione praecepta. Ora in domo tua, antequam venias ad ecclesiam.

XXVIII. Mortifica temetipsum quotidie.

XXIX. Ne improperes cuiquam causa dolorum et afflictionum quas patitur.

XXX. Ne glorieris, neque rideas omnino. Da [Col. 0426B] operam ut lugeas ob peccatum tuum, sicut luget is penes quem aliquis mortuus est. Fac quantum potes ut glorificetur Pater tuus qui est in coelis.

XXXI. Corrige filium tuum, nec parcas damnatio enim illius a te exigetur.

XXXII. Ne comedas ad satietatem; ne dormias, nisi parum et moderate, et venient ad te angeli.

XXXIII. Cum oraveris et memor fueris Dei, fac tibi indumenta tua sint alae, et evolabis super mare igneum.

XXXIV. Visita aegrotos et infirmos, et imple mensuras seu vasa eorum aqua.

XXXV. Ne pugnes lingua. Ita te praesta, ut benedicant [Col. 0426C] te omnes. Et Dominus Jesus Christus opem nobis afferat ad operandum secundum ipsius beneplacitum: cui gloria cum Patre suo, et Spiritu suo sancto in saeculum. Amen.

Quae sequuntur, habentur in alio exemplari.

XXXVI. Coge teipsum in opere manuum tuarum, et timor Domini inhabitabit in te.

XXXVII. Si conspexeris fratrem aliquem perpetrantem peccatum non ad mortem, ne contemnas et despicias, neque condemnes illum: incides quippe in manum inimicorum tuorum.

XXXVIII. Cave tibi, ne seducatur intellectus tuus, memorando peccata tua priora, ne renoventur in te.[Col. 0426D]

XXXIX. Dilige humilitatem, quae proteget te a peccato. Ne sis pertinax ad statuendum verbum tuum, ne occupet te malum. Ne reputes te sapientem, et gloriaberis, et incides manum inimicorum tuorum. Assuescat lingua tua dicere: Ignosce mihi; et consequeris humilitatem.

XL. Cum sederis in cella tua, sollicitus esto de tribus hisce rebus perpetuo: nimirum, de opere manuum tuarum, de meditatione tuorum psalmorum, et de oratione tua.

XLI. Cogita apud teipsum et dicito: Utique non manebo in hoc mundo nisi praesenti hac die; et non peccabis Deo.[Col. 0427A]

XLII. Ne sis helluo ciborum, ne resuscitentur in te priora peccata.

XLIII. Ne taedeat te laboris, et superveniet tibi cito requies. Sicuti parietinae ruinarum extra civitatem fiunt locus fetoris omnibus, ita anima pigri, qui coepit monachatum, fiet mansio passionibus et fetoribus.

XLIV. Coge teipsum, ut ores perpetuo cum lacrymis, ut forte misereatur tui Deus, et exuat te veteri homine.

XLV. Persevera in hisce rebus quas dicam: scilicet, in labore, paupertate, peregrinatione, afflictionibus et quiete, et afferent tibi humilitatem; humilitas vero dimittet omnia peccata. Humilitas autem est, ut homo reputet seipsum peccatorem, et quod [Col. 0427B] nihil boni perpetret coram Deo; et adhaereat quieti, et non aestimet seipsum quidquam; et non sit pertinax ad statuendum verbum suum: ut abscindat concupiscentiam suam, et demittat vultum, ponatque sibi mortem ante oculos, et servet semetipsum a mendacio, et non loquatur verba otiosa; nec respondeat superiori; et opprobrium sustineat, et odio habeat desidiam, et instet laboribus et moeroribus.[Col. 0428A]

XLVI. Curate igitur, fratres mei, haec servare praecepta, ne vita vestra sit sine fructu. Et sollicitus esto semper ad singula verba, quae audis, ut dicas: Ignosce mihi: quia humilitas fugat omnia negotia inimici. Ne reputes teipsum quidquam propter opera tua.

XLVII. Sit tristis vultus tuus, nisi advenerint tibi exteri fratres; tunc gaude cum illis, ut inhabitet in te timor Domini. Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis parumper, ut sis in silentio, et dum incedis per viam, ne te convertas sinistrorsum et dextrorsum; sed meditare psalmos tuos, et ora in mente tua ad Deum, quocunque in loco ingrederis; nec perfidenter agas cum incolis illius.

XLVIII. In omnibus rebus tuis esto modestus, et [Col. 0428B] ad ea quae opponentur tibi, extende manum tuam lente. Si vero fueris juvenis, ne extendas manus tuas primus ad cibos; nec ingeras quidquam ciborum in os alterius. Et si cubaveris in aliquo loco, ne tegas te uno eodemque stragulo simul cum alio: et ora multum, antequam cubes. Et Dominus noster Jesus Christus opem nobis praestet ad operandum secundum ipsius beneplacitum. Amen.

Explicit Regula sancti Antonii abbatis

ISAIAE ABBATIS REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0427C]

DE ISAIA VETERUM TESTIMONIA.

Rufinus in Vitis Patrum, lib. I, *cap.* 10; *et Palladius, lib.* VIII, *cap.* 55:

Abbas Syrus aliquando, et Isaias, et Paulus occurrerunt sibi invicem ad ripam fluminis; erant autem viri isti justi, summae abstinentiae et totius religionis. Hi pergebant visitare quemdam nomine Anuph., etc.

Ibidem, lib. V, *de Verbis seniorum.*

Interrogavit eumdem sermonem abbas Isaias: Dicit abbas Pastor: Sicut capsa plena vestibus, etc.

R. Bellarminus S. R. E. card. de Script. eccl.

Isaias abbas, qui quo tempore vixerit, invenire non potui, scripsit homilias 28 valde utiles, praesertim monachis ad perfectionem tendentibus.

[Col. 0427D]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Haec Regula edita est sub nomine Isaiae abbatis, continetque sexaginta octo parva capita, quae potius dicenda sunt tot axiomata sive praecepta moralia eremitis congrua, atque coenobitis, qui aequo et pari jure vivere debent, accommodata. De hac Regula pari modo discurrendum est, ac de sancti Antonii Regula, ut ibidem dictum est. Nam desumpta esse videtur ex Sermonibus ad monachos ab Isaia abbate habitis, qui religiosis ad virtutis apicem aspirantibus valde utiles, effatis et praeceptis moralibus ubique repleti sunt, et quidem iisdem quae in hac Regula continentur. Erat autem Isaias abbas coaetaneus sancto Antonio, abbati Pastori, et abbati Ammoni, et abbati Anupho; et quamvis ejus annus obitualis ignoretur, tamen Christi fidem inter cruciatus gloriose confessus est. Plurima hujus sanctissimi abbatis axiomata moralia in Vitis Patrum reperiuntur, atque viginti octo ejusdem sermones supradicti editi sunt in tertio tomo Bibliothecae Patrum Margarini de La Bigne, pag. 885.

[Col. 0427D]

PRAECEPTA SEU CONSILIA ABBATIS ISAIAE POSITA TIRONIBUS IN MONACHATU.

Ejus orationes nos custodiant, Amen. [Col. 0427C]

Frater dilectissime, si jam reliquisti mundum hunc vanum, et Deo teipsum dedisti, poenitentiam [Col. 0428C] age de peccatis tuis, et serva propositum quod amplexus es; et ne auscultes cogitationibus tuis, cum [Col. 0429A] animum tuum affligent et dicent: Nequaquam peccata tua priora tibi condonata sunt; et serva haec praecepta.

I. Cave ne comedas cum muliere, aut fraternitatem ineas cum puero, aut dormias cum adolescente super eadem storea. Cum exuis vestem tuam, ne aspicias corpus tuum.

II. Si ad potum vini coactus fueris, ne bibas plus quam tres scyphos mediocres: cave ne solvas praeceptum propter amicitiam.

III. Ne persolvas horarias preces negligenter, ne incidas in manus inimicorum tuorum. Da operam quantum potes meditationi psalmorum, quia hoc servabit te ab immunda vita.

IV. Dilige laborem et afflictionem, ut leventur [Col. 0429B] passiones tuae. Ne reputes teipsum quidquam in ulla re, et vacabis gemitibus pro peccatis tuis.

V. Custodi teipsum a mendacio quia expellit a te timorem Domini. Ne aperias omnibus tua benefacta, ne rapiat illa inimicus tuus.

VI. Aperi morbos tuos patribus tuis, ut experiaris opem per ipsorum consilium.

VII. Coge teipsum ad opus manuum tuarum, et habitabit in te timor Domini.

VIII. Ne judices fratrem tuum cum peccat, nec despicias illum; incides enim in manus

inimicorum tuorum.

IX. Ne sis contentiosus ad statuendum verbum tuum, ne inhabitent in te mala.

X. Dilige humilitatem, et non acquiescas tuo consilio. [Col. 0429C] Assuescat lingua tua dicere: Ignosce mihi et superveniet tibi humilitas.

XI. Cum sederis in cella tua, de tribus sollicitus esto: nempe de assiduitate in oratione, meditatione psalmorum, et opere manuum tuarum.

XII. Cogita apud te: Utique non sum superstes in hoc mundo, nisi hac die; et eripieris a peccato.

XIII. Ne sis helluo, ne renoventur in te priora peccata tua. Ne pigeat te laboris; et da operam meditationi psalmorum, et adveniet tibi requies a Deo.

XIV. Coge teipsum ad fletum in orationibus, et Deus miserebitur tui, et exuet te homine vetere.

XV. Scito, quod labor, et paupertas, et peregrinatio, et afflictio, et silentium afferunt humilitatem; [Col. 0429D] humilitas autem peccata omnia condonat. Humilitas autem est, ut homo reputet seipsum peccatorem, et injustum, et ne statuat verbum suum, et abscindat suam concupiscentiam, et defigat oculos ad terram, et sustineat injuriam, et laborem, et odio habeat honorem, et requiem, et dicat in omnibus: Ignosce mihi; beneficio autem humilitatis fugantur hostes.

XVI. Perpetuo tristis esto; si vero venerint ad te fratres, exhilareris cum illis, ut inhabitet in te timor Dei.

XVII. Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis, ut silere possis; nec te convertas huc et illuc, sed meditare psalmos tuos, et ora ad Deum in mente tua Et quemcunque locum ingressus fueris, ne [Col. 0430A] praefidenter agas cum habitatoribus ejus. Serva modestiam, et verecundiam in omnibus, et ad ea quae apponuntur coram te, manum non nisi invitus extendas.

XVIII. Ne cubes cum alio sub eodem stragulo. Ora multum ante cubitum, quamvis defatigatus sis ab itinere.

XIX. Ne permittas ut quisquam ungat oleo corpus tuum, nisi propter gravem morbum.

XX. Cum sederis ad mensam cum fratribus, ne comedas cum delectatione, et extende manum tuam tantum ad ea quae sunt ante te. Et complicata sint genua tua, nec eleves visum tuum ad alium. Nec bibas aquam avide, nec cum sonitu.

XXI. Si excreandi te urserit necessitas, cum sederis [Col. 0430B] inter fratres, surge, et longius projice ab illis. Ne pandiculeris inter homines, et si acciderit tibi pandiculatio, ne hies ore tuo, et deseret te.

XXII. Ne aperias os tuum ad risum; hoc enim indicat tibi deesse timorem Dei.

XXIII. Ne concupiscas rem alienam. Si feceris librum, ne exornes illum, hoc quippe affectum tuum ostendit.

XXIV. Si peccaveris in aliquo, non pudeat te confiteri illud, neque excuses te mendacio; sed genua flecte, et confitere delictum tuum, et pete veniam, et condonabitur tibi.

XXV. Si quis mentitus fuerit apud te, ne irascaris, sed dicito: Ignosce mihi, non revertar.

XXVI. Non pudeat te quaerere a tuo magistro.[Col. 0430C]

XXVII. Si quis pulsaverit januam cellae tuae, dum sedens incumbis operi tuo, desere opus tuum, et cura ejus requiem.

XXVIII. Ne loquaris cum quoquam, nec attendas verbis cujusquam sine utilitate.

XXIX. Si miserit te magister tuus ad iter faciendum, postula ab illo quomodo te regas, et fac juxta mandatum ejus. Ne transferas verba. Si custodieris oculos tuos et aures tuas, minime peccabis lingua tua.

XXX. Si habitaveris cum aliquo fratre, esto cum illo ut peregrinus, nec praecipias illi quidquam, nec te superiorem illi facias, nec praefidenter agas cum illo; et si praeceperit tibi aliquid quod nolles, abscinde voluntatem tuam, et ne contristes illum, ne [Col. 0430D] abscindatur pax a vobis; et scias quod obediens est major.

XXXI. Si habitaveris cum fratre aliquo, et dicet tibi: Coquito; dic: Quid vis? et si electionem tibi reliquerit, coquito, quod tibi venerit ad manus cum timore Dei.

XXXII. Cum e somno surrexeris, ora antequam ullum opus attingas, et meditare prius verba Dei; tunc aggredere impigre opus.

XXXIII. Hilariter occurre extero, et saluta illum; ne discessus vester ab invicem sit cum detrimento; et cave ne statim atque advenerit ad te, interroges illum inutilia tibi, sed postula ab illo ut oret, et cum sederit, die illi: Quomodo vales, frater mi? et exhibe [Col. 0431A] illi librum aliquem legendum. Si vero est defatigatus ab itinere, permitte illi quiescere, et lava pedes ejus. Si autem loquetur verba inania, dic ei cum charitate: Parce mihi, frater mi, quia infirmus sum, et non valeo audire haec. Si autem dissuta fuerint ejus vestimenta, consue illa. Si vero infirmus est, et ejus vestimenta sunt sordida, lava illa. At si vagus est, et fuerint apud te sancti, ne permittas ingredi ad illos, sed fac ei misericordiam, et dimitte illum. Si est autem pauper, ne tristem illum dimittas, sed da ei quod concesserit tibi Deus.

XXXIV. Si quis frater deposuerit apud te aliquid, ne perscruteris depositum, nisi ipso praesente.

XXXV. Si quis reliquerit te in cella sua, et egressus fuerit, ne eleves visum ad perspiciendum quid [Col. 0431B] in ea sit, sed dic ei dum egreditur: Da mihi opus aliquod, cui operam navem, donec revertaris; et quidquid tibi praeceperit diligenter perfice.

XXXVI. Ne ores cum pigritia et indiligenter; hac enim ratione pro eo quod Deo placeas, ad iracundiam eum provocabis; sed sta cum timore et tremore, et ne innitaris muro, nec remittas pedes tuos, ut uno stes, et alium extendas. Obsiste cogitationibus tuis, nec permittas, ut sollicitae sint de rebus carnalibus, ut sit accepta Deo oratio tua.

XXXVII. Si autem adfueris missae, custodi cogitationes tuas, et sensus tuos, et stes coram Deo altissimo cum timore; ut dignus fias, qui sumas corpus Christi et sanguinem ejus, et sanes passiones tuas.[Col. 0431C]

XXXVIII. Dum juvenis es, ne induas vestem bonam, donec pervenias ad senectutem.

XXXIX. Si iter feceris cum majore te, ne praecedas illum. Si assurrexerit major te ad alloquendum alios, ne parvi ducas illum, et maneas sedens; sed sta cum illo, donec tibi ut resideas praecipiat.

XL. Cum urbem aut oppidum ingressus fueris, ad terram dimitte visum tuum, ne visa abs te sint tibi certaminis causa in cella tua.

XLI. Ne dormias in loco, in quo corde peccare times. Ne comedas cum muliere nec aspicias illam, neque etiam vestimenta ejus, si potes.

XLII. Si iter feceris cum sene, ne permittas ut ille portet quidquam. Si autem fueritis juvenes, unusquisque portet partem aliquam. Si vero fuerit [Col. 0431D] modicum, portet illud unusquisque per horam, et praecedat, qui portat, et praeeat infirmus, ut si lassus sederit ad capiendam requiem, sedeatis cum illo.

XLIII. Si quem senem interrogaveris de cogitationibus tuis, aperi illas libere uti se habent ei quem tua arcana servaturum confidis; nec rationem habeas illius qui provectae aetatis est, sed qui doctrina, opere, et spirituali experimento pollet, ne referas damnum, si augeantur passiones tuae.

XLIV. Adnitere ut multum ores noctu, ut illuminetur intellectus tuus. Pensita peccata tua, et deprecare Deum pro illis, et ipse parcet tibi.

XLV. Si quis fratrem suum te praesente judicare [Col. 0432A] apponat, quamvis judicatus ex eorum sit numero, qui te judicant, dicito illi cum humilitate: Parce mihi, frater mi, quia peccator et infirmus sum, et obnoxius illis quae dicis, quare illa audire non possum.

XLVI. Praefer fratres tuos in omnibus, et si quis amicus praestiterit tibi honores, dicito: Propter vos hos mihi praestitit honores; neque gustes quidquam absque sociis.

XLVII. Mutuo aliquid a te postulanti ne deneges.

XLVIII. Ne frequentius corde verses memoriam eorum, quos propter Dei charitatem

deseruisti; sed mortis et damnationis memento, et quod nullus illorum eo tempore tibi opem ferre poterit.

XLIX. Si dum sederis in cella tua, memineris quod aliquis tibi male fecerit, surge statim, et ora [Col. 0432B] pro illo in corde tuo, ut parcat illi Deus; ita enim passio quam ejus causa patieris, evanescit.

L. Si corpus Christi sumere velis, cave ne cordi tuo ira aut odium insit contra quempiam: et si quem adversus te iratum noveris, pete ab illo prius veniam, quemadmodum praecepit Dominus noster **(Matth. V)**.

LI. Si oppugnatus fueris noctu a libidine, cave ne cogitatione repetas species illas interdiu, ne delectatione coinquinetur cor tuum; sed prosterne te coram Deo, et ipse miserebitur tui: novit quippe infirmitatem hominum.

LII. Si operam dederis nimio jejunio et continuae orationi, ne fidas quod haec te salvabunt; sed confide quod Deus miserebitur afflictioni corporis tui, et [Col. 0432C] infirmitati tuae opitulabitur.

LIII. Si morbo correptus fueris, ne taedeat te et deficiat spiritus tuus; sed gratias age Deo, quod de tuo emolumento sit sollicitus.

LIV. Dum habitas in cella tua, constitue cibo tuo praefinitam mensuram, et statutum tempus, et ne praetereas illud; et da corpori tuo quantum indiget, ut valeat orare et colere Deum. Si vero oblatus tibi fuerit extra cellam tuam delicatus cibus, ne ad satietatem ex illo sumas, ut cito reverti valeas ad cellam tuam.

LV. Si severint in te diaboli laborem quem ferre non valeas, ne acceptes ab eis; quoniam occupant cor hominis quibusdam rebus quas superare non valet, ut taedio illum afficiant et deludant. Omnia [Col. 0432D] sane eorum negotia sunt sine mensura ac sine ordine.

LVI. Comede semel in die, sed non ad satietatem. Praebe corpori tuo quantum indiget, juxta exigentiam naturae.

LVII. Mediam noctem ad invigilandum orationi decerne, alteram vero medietatem requiei corporis tui. Antequam autem cubitum eas, vigila per duas horas in oratione et laudibus, tum corpori tuo da requiem. Si pigretur corpus tuum, dum ad orationem surgendum est, dicito illi: Visne requiem capere hoc tempore, deinde abire ad longum supplicium? Nonne praestat ut parum hic labores, tum requiescas illic cum sanctis in aeternum? Tunc enim statim [Col. 0433A] recedit a te pigritia, et adveniet tibi divinum auxilium.

LVIII. Cum monachatus institutum amplexus fueris, manumitte servum tuum; qui, si monachatum sequi velit, ne permittas ut habitet tecum.

LIX. Si abieris ad vendendum opus manuum tuarum, ne disceptes de pretio, ut

saeculares. Idem quoque praestabis, si quid emas. Inopiam rerum Deo te propinquum facere scias.

LX. Si deposuerit apud te frater quispiam vas, illoque indigueris, ne tangas illud, nisi ipso consulto.

LXI. Si quis frater rogaverit ut illi aliquid emas dum peregrinaris, facito; si autem fratres fuerint tecum, sit in praesentia eorum.[Col. 0433B]

LXII. Si quid tibi mutuo datum fuerit, restitue illud cum eo fueris usus; nec detineas illud, donec abs te repetatur; et si quid illius fractum, resarcito. Si quid mutuo alicui dedisti, ne repetas illud, si noveris illum non posse restituere, praesertim si illo tibi opus non fuerit.

LXIII. Si egressus jam a cella tua, postea repetis illum, et invenies aliquem fratrem jam ibi habitare, quaere tibi aliam; et cave ne illum inde expellas, ne contra te irascatur Deus. At si ipse sponte illam relinquere voluerit, jam justificatus es; si autem acceperit aliquid ex ejus supellectile, ne requiras id ab illo.[Col. 0434A]

LXIV. Si volueris egredi ab aliqua cella, cave ne asportes aliquid ex ejus supellectile, sed relinque illam alicui fratri pauperi, et Deus largietur tibi quocunque abieris.

LXV. De nulla re ita laetantur diaboli, sicuti laetantur de eo qui cogitationes suas spiritualem suum magistrum celat. Ne putes te Patribus similem evasurum, nisi imitatus fueris eorum labores.

LXVI. Serva teipsum a divitiis, earumque amore, quoniam corrumpunt fructum monachi.

LXVII. Si pugnas adversus tentationem aliquam quae te oppressit, ne desistas, sed prosterne te coram Deo, et dic: Adjuva me, Domine, quoniam ego infirmus non valeo sustinere hanc pugnam; et ille opitulabitur tibi, si ex recto corde processerit deprecatio [Col. 0434B] tua. Si certaveris, et viceris, ne glorieris, neque confidas; sed tibi cave, quoniam hostis difficiliorem priore pugnam in te machinabitur.

LXVIII. Si deprecaris Deum, ne dicas: Domine, remove hoc a me, et concede mihi hoc; sed dicito: Domine Deus meus, tu scis quid mihi magis conducat, quocirca adjuva me, et ne permittas ut peccem tibi, et peream in peccatis meis, quia sum peccator infirmus; nec tradas me inimicis meis, quoniam confugi ad te; libera me, Domine, quia tu es fortitudo mea et spes mea; et tibi est potentia, et gloria, et beneficentia, et gratiarum actio in aeternum. Amen.

Explicit Regula Isaiae abbatis.

SANCTORUM PATRUM SERAPIONIS, MACARII, PAPHNUTII, MACARII ALTERIUS, REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0433C]

DE S. SERAPIONE, CAETERISQUE HUJUS REGULAE AUCTORIBUS VETERUM TESTIMONIA.

Palladius, Hist. Lausiac., cap. 7.

Cum toto anno in monte Nitriae habitassem apud beatos et sanctos Patres, magnum Arsitium, et Putaphastum, et Hagionem, et Cronium, et Serapionem, et multis antiquorum Patrum spiritualibus narrationibus ab ipsis essem stimulatus, veni in intimam solitudinem.

Idem, cap. 117.

Ingressa est (Melania) in montem Nitriae, sanctos Patres conveniens beatum Pambo, et Christi famulum Arsitium, et magnum Serapionem, sanctum quoque Paphnutium et venerabilem Isidorum.

Rufinus, Hist. eccles., lib. XI, *cap.* 4.

Per idem tempus Patres monachorum vitae et antiquitatis merito, Macarius, et Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides, et Pambus, Antonii discipuli per Aegyptum, et maxime in Nitriae deserti partibus habentur viri, qui consortium vitae et actuum non cum caeteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere credebantur

Ibidem, cap. 8.

Florebat igitur Aegyptus ea tempestate non solum eruditis in Christiana philosophia viris, verum etiam his qui per vastam eremum commanentes, signa et prodigia apostolica simplicitate vitae et cordis sinceritate faciebant. Ex quibus interim quos ipsi vidimus, et quorum benedici manibus meruimus, hi sunt: Macarius de superiore eremo, alius Macarius de inferiori, Isidorus in Sciti, Pambus in cellulis, etc.

Palladius, Hist. Lausiac., cap. 91.

Cum quodam die convenisset (cum Cronio, et Jacobo claudo) etiam Papnnutius cognomento Cephala, qui dono cogitationis sacrae Scripturae Veteris Novique Testamenti pollebat, totam illam interpretabatur, cum Scripturam non legisset: ea autem erat modestia, ut virtutem propheticam celaret.

Idem, cap. 20.

Narravit nobis et Dei servus Paphnutius, praeclari hujus sancti (Macarii) discipulus, quod cum quodam die sederet in aula sanctus Macarius, etc.

Sanctus Benedictus Anianae abbas hanc ipsam et sequentes duas Regulas aliquoties in Concordia Regularum laudat, easque indiscriminatim communi appellatione *Regulas Patrum vocat.*

Smaragdus quoque abbas multa ex iisdem ad Regulam sancti Benedicti affert, et

antiquos monachorum Patres earumdem auctores citat.

[Col. 0435A]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Haec quidem Regula quatuor illis sanctis abbatibus supranominatis inscribitur, cum tamen ad ejusdem calcem haec verba legantur: *Explicit Regula Patrum abbatum XXXVIII.* Quae quidem verba, prout in impressis sic et in manuscriptis reperiuntur, omnino denotant hanc Regulam compositam fuisse in congregatione plurium abbatum, qui in unum congregati ardentissimis precibus Deum rogabant, ut Spiritum suum mitteret ad illos instruendos, qualiter monachorum conversationem rite dirigerent, atque sanctam vitae monasticae Regulam ordinare et statuere possent, prout ex ipsius Regulae praefatione instruimur. Cum vero inter omnes praesentes majori sanctitatis fama floruerint praenominati abbates, sic et eorum quatuor piissimis sancitis acquieverunt et reliqui; quod exinde composita sit haec Regula, complectens vera praecepta moralia ad recipiendos novos monachos necessaria, et jam receptis instruendis adaptata; praesertim circa jejunandi modum et laborem manuum, nec non circa praestandam debitam superioribus obedientiam, atque exhibendum aegrotis necessarium auxilium. Et quidem prima tria praecepta composuit sanctus Serapion, quatuor sequentia abbas Macarius, alia quatuor sunt abbatis Paphnutii, et ultima quatuor abbas Macarius secundus.

[Col. 0435B]

INCIPIUNT CAPITULA

Regulae monachorum vel Deum timentium pro discipulorum eruditione, id est, Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, et aliorum XXXIV. [Col. 0435B]

1. Praefatio. 2. Serapion dixit, de prima conjunctione coenobitarum. 3. Idem ipse, de unanimitate, et jucunditate fratrum. 4. Qui supra, de abbate et quomodo ei obediant monachi. 5. Macarius dixit, qualiter spirituale exercitium ab his, qui praesunt, Patribus teneatur. 6. Idem ipse, ut in oratione astantibus nullus sine praecepto Patris psalmum imponat. 7. Idem ipse, quomodo examinentur, qui ex saeculo convertuntur. 8. Idem ipse, qualiter peregrini hospites suscipiantur.[Col. 0436A] 9. Paphnutius dixit, qualiter jejuniorum ordo teneatur. 10. Item ipse, qualiter debent fratres operari. 11. Item qui supra, qualiter infirmitas vel possibilitas corporum ab eo qui praeest Patre consideretur. 12. Item ipse, qualiter officiis se fratres praeveniant. 13. Alius Macarius dixit, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant. 14. Idemque, qualiter clerici hospites suscipiendi sunt in monasterio. 15. Qualiter culpae singulorum emendentur. 16. Ut sine personarum acceptione aequaliter judicetur.*Expliciunt Capitula.*

[Col. 0435C]

INCIPIT REGULA SANCTORUM SERAPIONIS, MACARII, PAPHNUTII ET ALTERIUS MACARII

CAP. I.

Praefatio.

Sedentibus nobis in unum consilio saluberrimo, cum prece Dominum nostrum rogavimus, ut nobis distribueret Spiritum sanctum, qui nos instrueret, qualiter fratrum conversationem, vel Regulam vitae ordinare possimus.[Col. 0435B]

CAP. II.

De prima conjunctione coenobitarum. Serapion dixit.

Quoniam *misericordia Domini plena est terra* **(Psal. XXXII)**, et multorum agmina ad vitae fastigium tendunt, et quia eremi vastitas et diversorum monstrorum terror singillatim habitare fratres non permittit, optimum videtur Spiritus sancti praeceptis obedire. Nec nostra propria verba possunt firma perseverare, nisi firmitas scripturarum, e centesimo tricesimo secundo psalmo, nostrum ordinem firmet, quo dicit: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* **(Psal. CXXXII)**. Et iterum: *Qui habitare facit unanimes in domo* **(Psal. LXVII)**; firmam jam nunc Regulam pietatis per Spiritus sancti ostensionem fratribus ordinare prosequamur.

CAP. III.

Idem ipse, de unanimitate et jucunditate fratrum.

Volumus ergo fratres unanimes in domo cum jucunditate habitare, sed qualiter unanimitas ipsa vel jucunditas recto ordine teneatur, Deo adjuvante, mandamus.

CAP. IV.

Qui supra, de abbate, et quomodo ei obediant [Col. 0436B] monachi.

Volumus ergo unum praeesse seniorem super omnes fratres, nec ab ejus consilio vel imperio quemquam sinistrum declinare, sed sicut imperio Domini cum omni laetitia obedire; dicente Apostolo ad Hebraeos: *Obedite praepositis vestris, quia ipsi vigilant pro vobis* **(Hebr. XIII)**. Et Dominus dixit: *Nolo sacrificium, sed obedientiam* **(Matth. IX)**. Considerandum est quoque ab his qui se tali opere unanimes esse cupiunt, quia per obedientiam Abraham placuit Deo, *Et amicus Dei appellatus est* **(Jac. II)**. Per obedientiam ipsi apostoli meruerunt testes Domino in tribubus et populis esse. Ipse quoque Dominus noster de supernis ad inferiora descendens ait: *Non veni facere*

voluntatem meam, sed ejus qui me misit (Joan. [Col. 0437A] VI). His ergo tantis virtutibus firmata obedientia magnopere magnoque studio teneatur.

CAP. V.

Macarius dixit, qualiter spirituale exercitium ab his qui praesunt Patribus teneatur.

Quoniam fratrum insignia virtutum, habitationes quoque, vel obedientia superius conscripta sunt, nunc qualiter spirituale exercitium ab his qui praesunt Patribus teneatur Deo juvante ostendamus. Debetis, qui praeestis Patres, tales vos exhibere, ut Apostolus ait:*Estote forma credentibus* **(I Thes. I)**: hoc est, ut per qualitatem mysticae pietatis et severitatis fratrum animos ad coelestia de terrenis erigatis, dicente Apostolo: *Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia et doctrina* **(II Tim. IV)**. Et alio loco inquit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos,* an in [Col. 0437B] spiritu mansuetudinis **(I Cor. IV)**? Decernendum est ab illo, qui praeest, qualiter circa singulos debeat pietatis affectum monstrare; et qualiter tenere debeat disciplinam, non immemor Domini dicentis: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* **(Matth. VII)**.

CAP. VI.

Idem ipse, ut in oratione astantibus nullus sine praecepto abbatis psalmum imponat.

Astantibus ergo ad orationem nullus praesumat sine praecepto qui praeest Patris psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, ut nullus Priorem in monasterio ad standum vel psallendum ordine praesumat praecedere, dicente Salomone: *Fili, primatum concupiscere noli;* neque accubueris prior in convivio, ne veniat melior te, et dicat tibi: Surge, et confusionem patiaris in die illa **(Luc. XIV)**. Et iterum dicitur: [Col. 0437C] *Noli altum sapere, sed time* **(Rom. XI)**. Quod si tardat is qui praeest, oportet primum in notitiam ejus differre, et secundum ejus imperium obedire convenit, fratres.

CAP. VII.

Idem ipse, quomodo examinentur qui ex saeculo convertuntur.

Qualiter vero examinatio erga eos, qui de saeculo convertuntur teneri debeat, ostendamus vobis. Amputandae sunt primo ab hujuscemodi divitiae saeculi. Et si quis pauper converti videatur, habet et ipse divitias, quas amputare debeat, quas Spiritus sanctus ostendit per Salomonem dicens: *Odit anima mea pauperem superbum, et divitem mendacem* **(Eccl. XXV)**. Et alio loco dicit: *Sicut vulneratum superbum* **(Psal. LXXXVIII)**. Debet ergo is qui praeest Pater, magno [Col. 0437D] studio hanc Regulam tenere: ut si pauper convertitur, primo exponat sarcinam superbiae, et sic examinatus suscipiatur. Debet ante omnia humiliter imbui, ut quod magnum et Deo acceptum sacrificium est, suam voluntatem non faciat unusquisque vestrum, fratres; sed ad omne opus bonum parati estote. Quidquid acciderit, aut justum quid fuerit, memores esse

debetis: *In tribulatione patientes* **(Rom. XII)**; in operibus honesti. *Nolite vos invicem ad iracundiam provocare, sed semper bona sectamini* **(Eph. VI)**. Ii qui tales sunt, cum de saeculi hujus illecebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada pro foribus jaceant: nulli cum eis de fratribus jungantur, et semper dura et laboriosa eis [Col. 0438A] proponantur. Si vero perseveraverint pulsantes, eis non negetur ingressus; sed is qui praeest Pater hujusmodi homines introire permittat, et qualiter vitam fratrum, vel Regulam tenere possint, ostendat. Quod si dives est, et habens multas divitias in saeculo, et converti voluerit, debet primo Dei voluntatem implere, et consequi praeceptum illud praecipuum, quod adolescenti diviti dicitur: *Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et sequere me* **(Marc. X)**. Deinde instruendus est ab eo qui praeest Patre, ut nihil sibi relinquat, nisi crucem Christi, quam tenet, et sequatur Dominum. Crucis vero fastigia quae tenenda sunt, primo omni obedientia non suam voluntatem facere, sed alterius. Quod si voluerit monasterio partem conferre, noverit [Col. 0438B] quo ordine sive ipse, sive ejus oblatio suscipiatur. Et si voluerit de servis suis secum in monasterio conducere, noverit jam non eum servum habere, sed fratrem, ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille.

CAP. VIII.

Idemque, qualiter peregrini hospites suscipiantur.

Venientibus eis nullus nisi unus, cui cura circa hospitale fuerit injuncta, occurrat, et responsum det venientibus. Orare, vel pacem offerre non liceat ulli, nisi primo videatur ab eo qui praeest Patre; et oratione simul peracta, sequatur ordine suo pacis officium reddere. Nec licebit alicui fratri cum superveniente sermocinari; non sit ulli cura interrogandi unde venerit, ad quid venerit, vel quando ambulaturus [Col. 0438C] sit, nisi soli qui praeest Patri, aut quibus ipse jusserit. Venientibus vero fratribus ad horam refectionis, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare, nisi cum eo qui praeest Patre, ut possit aedificari. Nulli licebit cum eo loqui, nec alicujus audiatur sermo, nisi divinus, qui ex pagina proferatur, et ejus qui praeest Patris, vel quibus ipse jusserit loqui, ut aliquid de Deo conveniat.

CAP. IX.

Qualiter jejuniorum ordo teneatur. Paphnutius dixit.

Magna et utilia ad animae salutem dicta sunt, fratres: nec hoc tacendum est, qualiter jejuniorum ordo tenendus sit. Nec aliud huic firmitati testimonium convenit, dulcissimi fratres, nisi illud, quod dicit: *Petrus autem et Joannes ascendebant in templum circa* [Col. 0438D] *horam orationis nonam* **(Act. III)**. Debet ergo iste ordo teneri, fratres, ut nullo die, nisi hora nona, reficiantur fratres in monasterio, excepta Dominica die et quinquagesima Pentecostes. Die autem Dominica nihil aliud agant, nisi Deo vacent, ne pro aliqua occasione se velint, aut alios excusare. Tamen contestor, fratres, quod nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis, et psalmis, et canticis

spiritualibus dies illa transigatur.

CAP. X.

Idem ipse, qualiter fratres debent operari.

Itemque praecipimus. Debent ergo fratres istum ordinem tenere. A prima hora usque ad horam tertiam Deo vacent fratres; a tertia vero usque ad nonam, quidquid injunctum fuerit a Patre, sine aliqua [Col. 0439A] murmuratione faciant; meminisse debent hi, quibus injungitur, dictum Apostoli: *Omnia quae facitis, sine murmuratione facite* **(Phil. II)**. Timere debent illud dictum terribile: *Nolite murmurare, sicut quidam eorum murmuraverunt, et ab exterminatore perierunt* **(I Cor. X)**. Debet etiam, qui praeest Pater, opus quod faciendum est uni injungere, ut caeteri ejus praecepto, cui injunctum fuerit, fratres obediant sine querela.

CAP. XI.

Qualiter infirmitas vel possibilitas corporum ab eo qui praeest Patre cognoscenda sit.

Si quis ex fratribus pro jejunio, vel operibus manuum suarum, quae Apostolus praecepit: *Operantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus* **(I Cor. IV)**; si is qui talis est, fuerit infirmitate obsessus, [Col. 0439B] providendum est ab eo qui praeest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. Quod si infirmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari, considerando Apostolum, qualiter corpus suum servituti redigit **(I Cor. IX)**. Hoc autem observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

CAP. XII.

Qualiter officiis mutuis se fratres praeveniant.

Si congregatio multa est, debet is qui praeest Pater disponere hebdomadarios, et ordinem officii quo sibi invicem succedant ad ministrandum; et decernere debet ille, quomodo debeat esse, qui cellarium fratrum contineat. Debet talis tantummodo eligi, qui possit in omnibus gulae suae suggestionibus dominari, et evangelico ordine fratribus suis victum [Col. 0439C] gubernare: qui timeat Judae sententiam, qui ab initio fur fuit. Studere debet qui huic officio deputatur, ut audiat: *Quia qui bene ministraverit, bonum gradum acquirit* **(Joan. XII)**; et animae suae lucrum facit **(I Tim. III)**. Nosse debent etiam fratres, quia quidquid in monasterio tractatur, sive in vasis, sive in ferramentis, vel caetera omnia, esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis, cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam **(Dan. V)**. Custodienda sunt ista praecepta, et per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt, ut non condemnentur in peccatis suis.

CAP. XIII.

Qualiter inter se monasteria pacem firmam [Col. 0439D] obtineant, alius Macarius dixit.

Quoniam veritas protestatur, quae dicit: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* **(Matth. XVIII)**; firmanda ergo est Regula pietatis, nec tacendum est, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio monasterio, sine voluntate ejus qui praeest Patris, fratres recipere; sed nec videre oportet, dicente Apostolo: *Quia qui primam fidem irritam fecit, est infideli deterior* **(I Tim. V)**. Quod si precatus fuerit ab eo qui praeest Patre, ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo ei qui praeest ubi esse desiderat, et sic suscipiatur. Nam sine voluntate qui praeesse debet in monasterio Patris, nullatenus alibi recipiatur frater. [Col. 0440A] Quod si praesumpserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum, aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire: et tunc recedet tanquam junior suus, donec ab eo cui injuriam fecit, veniam petat, ut non per ipsius vitium alii despiciantur Patres. Ille vero monachus quantos fratres in alio monasterio invenerit, tantos se noverit habere priores. Nec attendendum est, qui fuit antea; sed probandum est, qualis esse coeperit. Susceptus vero si habere videtur aliquid, sive in rebus, sive in codicibus, ultra ei possidere non licebit, ut possit esse perfectus, quod alibi non potuit. Residentibus vero fratribus, si fuerit aliqua de Scripturis collatio, et fuerit ex his talis scitus, non ei licebit aliquid dicere, nisi praeceptum ei fuerit a Patre.

[Col. 0440B]

CAP. XIV.

Idemque, qualiter clerici hospites suscipiendi sint in monasterio.

Cum omni reverentia ut ministri altaris, non licebit nisi ipsis orationem complere, sive ostiarius, sive minister est templi Dei. Quod si aliquo casu lapsus est, et in eo, quod dicitur, probatus crimine, non liceat ei ante eum qui praeest Patrem, vel secundum complere. Nulli permittatur clerico in monasterio habitare, nisi ei tantummodo quem lapsus peccati ad humilitatem deduxit, et est vulneratus, ut in monasterio humilitatis medicina sanetur. Haec vobis tenenda sufficiant, fratres, custodienda conveniant, et eritis irreprehensibiles in populo Dei.

CAP. XV.

Qualiter culpae singulorum emendentur [Col. 0440C]

Nec hoc tacendum est, qualiter culpae singulorum emendentur, pro qualitate culpae erit excommunicatio. Ergo iste ordo teneatur. Si quis ex fratribus sermonem otiosum emiserit, ne reus sit concilii, praecipimus eum triduo a fratrum congregatione vel colloquio esse alienum, ut nullus cum eo jungatur. Si vero aliquis deprehensus fuerit in

risu, vel in scurrilitate sermonis, sicut ait Apostolus, *quae ad rem non pertinent* **(Ephes. V)**, jubemus hujusmodi duarum hebdomadarum spatio in nomine Domini omni flagello humilitatis coerceri, dicente Apostolo: *Si quis frater nominatur iracundus aut superbus, aut maledictus, hunc notate* **(I Cor. V)**, et non odite ut inimicum, sed corripite ut fratrem **(II Thes. III)**. Et in alio loco: *Si quis frater fuerit praeventus in aliquo* [Col. 0440D] delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi **(Gal. VI)**, et corripite fratrem; ita ut per humilitatis frequentiam non reprobus, sed probatus in congregatione perseveret.

CAP. XVI.

Ut sine personarum acceptione aequaliter judicetur.

Hoc ante omnia praecipimus vobis, qui huic officio praeestis, ut personae a vobis non accipiantur, sed aequali affectu omnes diligantur, et per correptionem omnes sanentur, quia aequalitas placet apud Deum, dicente Propheta: *Si vere utique justitiam loquimini, juste judicate, filii hominum* **(Psal. LVII)**. Nec latere vos volumus, quia qui non corripit errantem, noverit se pro eo rationem redditurum. Estote [Col. 0441A] fideles et boni doctores ad omnes; corripite inquietos; suscipite infirmos; patientes estote ad omnes; et quantos fueritis lucrati, pro tantis mercedem accipietis, [Col. 0442A] in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Explicit Regula Patrum abbatum XXXVIII.

SEQUITUR ALIA PATRUM REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0441A]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

An haec secunda Patrum Regula compilata fuerit a suprarelatis abbatibus, merito dubitatur, cum nomen nullius auctoris praescribatur: quamvis praefatio fateatur plures sanctos Patres in unum convenisse, ad ordinandam Regulam profectui fratrum aeque ac praepositorum adaptatam; quatenus in monasterii regimine tam superior quam inferior sine haesitatione ad operandum procedere valeat. Adeoque apparet, quod sit supplementum alterius Regulae a quatuor praefatis abbatibus praescriptae; quia haec praesens Regula pro coenobitis composita est, ut pote praescribens tempora et modum recitandi Officii divini, laboris manuum. Deinde disserit de infantium submissione, de fraterna correctione, de vitando omni murmurandi genere, etc. Quae omnia praecepta, septem numero et quidem sat compendiosa, monachis in commune viventibus omnino necessaria sunt.

[Col. 0441B]

INCIPIUNT CAPITULA REGULAE A SANCTIS PATRIBUS PROLATAE.

[Col. 0441B]

1. De unanimitate charitatis, et de diligendo ac obtemperando abbati. 2. Ut non se fabellis vanis destruant, et ut in conventu nisi interrogatus quis loquatur. 3. Ut advenienti peregrino nihil plus exhibeat quis, quam occursum humilem et pacem. 4. Ut praesente seniore psallendi loquendive non habeat [Col. 0442B] facultatem. 5. De cursu orationis, et horis operandi, ac de correctione delinquentium. 6. De his, qui ad opus Dei tarde occurrunt. 7. Ut frater qui pro qualibet culpa arguitur patientiam habeat, et ut ad mensam nemo loquatur.*Expliciunt Capitula.*

[Col. 0441C]

INCIPIUNT PATRUM REGULAE.

[Col. 0441C]

PRAEFATIO.

Cum resideremus in unum in nomine Domini nostri Jesu Christi, secundum traditionem Patrum sanctorum virorum, visum est nobis conscribere vel Regulam ordinare, quae in monasterio teneatur ad profectum fratrum; ut neque nos laboremus; neque sanctus praepositus, qui constitutus est in loco, dubitationem aliquam pati possit: ut omnes unanimes, sicut scriptum est, et unum sentientes: invicem honorantes **(Phil. II)**, ea quae statuta sunt a Domino jugi observatione custodiant.

I. Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, vel caetera quae docet sanctus Apostolus (Col.

III); ita ut nemo quidquam [Col. 0441D] suum vindicet, sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum, habeant omnia communia **(Act. IV)**. Ille vero qui praepositus est, Dei judicium, et ordinationem sacerdotis in omnibus timere, diligere et obaudire debet secundum veritatem: quia si quis illum putat se spernere, Deum spernit: sicut scriptum est: *Qui vos audit, me audit;* et qui vos spernit, me spernit: Et qui me spernit, spernit eum qui me misit **(Luc. X)**. Ita ut sine ipsius voluntate nullus frater quidquam agat, neque accipiat ab aliquo aliquid, neque det, nec usquam prorsus recedat sine verbo.

II. Observantes etiam hoc, ut non se invicem fabulis vanis destruant, sed unusquisque opus suum meditetur et custodiat, et cogitationes habeat apud [Col. 0442C] Deum. In conventu omnium nullus junior quidquam nisi interrogatus loquatur. Caeterum si quis vult consolationem accipere, vel verbum audire, secretum et opportunum tempus requirat

III. Advenienti peregrino nihil plus exhibeat quam pacem, reliquum non sit illi cura, unde venerit, pro quo venerit, vel quando ambulaturus sit, nec se jungat ad fabulas cum illo

IV. Illud quoque observandum est, ut praesente seniore quocunque, vel praecedente in ordine psallendi, sequens non habeat facultatem loquendi, vel aliquid praesumendi, nisi tantum is qui in ordine, ut dictum est, praecedere videtur. Hoc usque ad imum ante omnia in oratione, seu in opere, sive in [Col. 0442D] responso dando erit servandum. Si vero simplicior fuerit, vel impeditior sermone, et dederit locum, ita demum sequens loquatur. Omnia tamen in charitate fiant, non per contentionem, vel aliquam praesumptionem.

V. Cursus vero orationum vel psalmorum, sicut dudum statutum est, ultra tempus istud meditandi operandique servabitur. Ita meditationem habeant fratres, ut usque ad horam secundam legant; si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam praetermissa meditatione aliquid fieri in commune. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit: et usque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit, *sine murmuratione vel haesitatione* **(Phil. II)** perficiat, sicut docet sanctus Apostolus. [Col. 0443A] Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exstiterit, aut opponens in aliquo contrariam voluntatem praeceptis, digne correctus tam diu abstineat, quandiu vel culpae qualitas poposcerit, vel se poenitendo humiliaverit atque emendaverit. Correctus autem non audeat usquam recedere. Si quis vero de fratribus, vel qui in cellis consistunt, ejus errori consenserit, culpabilis erit atque excommunicatione dignissimus.

VI. Ad horam vero orationis dato signo, si quis non statim praetermisso omni opere quod agit (quia nihil orationi praeponendum est) paratus fuerit, foras excludatur confundendus. Operam vero dabunt singuli fratres, ut tempore quo missae fiunt, sive die sive nocte, quando diutius ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluo foras recedant; quia [Col. 0443B] scriptum est in Evangelio: *Oportet autem semper orare, et non deficere* **(Luc. XVIII)**. Et alio loco: *Non impediaris orare semper.* Si quis autem non necessitate, sed magis vitio procedendum putaverit, cisat se, cum deprehensus fuerit, culpabilem judicandum; quia per suam negligentiam et alios in [Col. 0444A] vitium mittit. In vigiliis observandum est, quando omnes conveniunt, quicunque gravatur somno, et exit foras, non se fabulis occupet, sed statim redeat ad opus, ad quod convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aurem semper ad Scripturas habeant, et silentium observent omnes.

VII. Hoc etiam addendum fuit, ut frater, qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti; sed humiliet se in omnibus, secundum praeceptum Domini dicentis: *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* **(I Petr. V)**. Et, *qui se humiliat, exaltabitur* **(Luc. XIV)**. Qui vero saepius correptus non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur; sicut Dominus dixit: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [Col. 0444B] **(Matth. XVIII)**. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui praeest, vel qui interrogatus fuerit.

Explicit Regula.

SEQUITUR TERTIA PATRUM REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0445B]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Haec est tertia Patrum in unum convenientium Regula, et quidem maxime coenobitis praescripta: constat XIV praeceptis tam ad monachos quam abbates et praepositos directis, quorum nonnulla sapiunt recentiorem disciplinam monasticam. Nam in primaeva vitae monasticae institutione monachi ad clericatum communiter non evehebantur; prout hic supponitur: neque primis illis saeculis, praesertim tempore sancti Antonii, Serapionis, Pachomii, Paphnutii, etc., reperitur Regula monastica Latine scripta; quemadmodum et haec conscripta fuisse videtur ob varios terminos ab Occidentalibus sive Latinis monachis communiter usitatos, qui raro inveniuntur in Regulis ex lingua Aegyptiaca vel Graeca translatis. Denique novitatem sapit praescriptus niger cuculli color, cum ante saeculum septimum, imo tardius, vix reperiri possit aliquis determinatus color monachis designatus fuisse; recens enim est distinctio exorta inter monachos nigros et albos.

[Col. 0443C]

INCIPIUNT CAPITULA REGULAE A SANCTIS PATRIBUS PROLATAE.

[Col. 0443C]

Expliciunt Capitula.

[Col. 0443D]

INCIPIT REGULA.

[Col. 0443D]

I. Cum in nomine Domini, una cum fratribus nostris convenissemus, inprimis placuit ut Regula et instituta Patrum per ordinem legerentur: quibus lectis placuit, si de saeculo quis in monasterio converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Quod si omnia apte susceperit, sic digne a fratribus in cellula

suscipiatur, tum si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, [Col. 0444D] velut Regula continet. Quod si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa judicabit hora.

II. Abbati vero nulli liceat sibi quidquam proprie vindicare, cum omnia Deo propitio in illius maneant potestate. Si quis vero, quod in Regula junioribus prohibetur, sibi aliquid ex successione parentum, seu quolibet donato retinere praesumpserit, et non omnia in commune posuerit, a fratribus arguatur. [Col. 0445A] Si in vitio perstiterit, in notitiam episcopi deferatur; qui si ab episcopo correptus nec sic emendaverit, deponatur.

III. Vestimenta vero fratribus necessaria ita abbas omnibus ordinare debet, quae monachis deceant; non diversis coloribus tincta, exceptis cucullis quae comparantur, si fuerint nigrae, uti eas debere censemus.

IV. Familiaritatem omnium mulierum, tam parentum quam extranearum, pro custodienda vita vel cavendis laqueis diaboli, ab omnibus monasteriis vel culturis monachorum; seu frequentationem monachorum a monasteriis puellarum, sicut Regula docet, prohibere censemus. Neque ulla mulier in interius atrium monasterii ingredi audeat. Quod si [Col. 0445B] cum consilio vel voluntate abbatis monasterium vel cellulas monachorum quaedam fuerit ingressa, merito ipse abbas et nomen abbatis deponat, et inferiorem se omnibus presbyteris recognoscat, quia talis sancto gregi praeponi debet, qui eos immaculatos Deo offerre procuret; non per quaslibet familiaritates diabolo sociare festinet.

V. Matutino dicto fratres lectioni vacent usque ad horam secundam: si tamen nulla causa exstiterit qua necesse sit etiam praetermissa lectione aliquid fieri in commune. Post horam secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam: quod injunctum fuerit, sine murmuratione perficiat.

VI. Ad horam vero orationis dato signo, qui non [Col. 0445C] statim praetermisso omni opere quod agit (quia nihil orationi praeponendum est) paratus fuerit, ab abbate vel praeposito corripiatur: et nisi prostratus veniam petierit, excommunicetur.

VII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui praeest, vel qui interrogatus fuerit.

VIII. Ad necessaria quaerenda in cellula, bini egrediantur vel terni fratres: et ita illi, quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectantur.

IX. Si quis vero extra conscientiam abbatis vel praepositi, qualemcunque locum egressus, gulae vel [Col. 0446A] ebrietati se sociaverit; aut si in proximo transmissus, pro sua levitate vel gula, non statim expedita necessitate ad cellam redierit, cum in id facinus fuerit detectus, ut canones docent, aut triginta diebus a communione separetur, aut virgis caesus emendetur.

X. Quod si casu quis frater de cellula ex qualibet scandali causa exire voluerit, nihil penitus nisi nugalissimo induatur vestimento, et extra communionem infidelis discedat.

XI. Illud quoque statuimus ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant: quia eo tempore quo fratres aut pro negligentia arguere, aut spiritali debent sermone imbuere, absque certa necessitate se removere non debent.[Col. 0446B]

XII. Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus, ut nullus monachus in infirmitate positus relicto monasterio parentum suorum studio commendetur: quia magis eum saecularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab aegritudine posse purgari.

XIII. Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, ut junior virgis caesus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat; si vero jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur: cui sufficere potest pro actus sui levitate, impleta poenitentiae satisfactione communio.

XIV. Monachum nisi abbatis sui aut permissu aut [Col. 0446C] voluntate ad aliud monasterium commigrantem, nullus abbas aut suscipere, aut retinere praesumat. Quod si ad districtiorem Regulam non pro actus sui levitate tendentem abbas suus ipsum ad alterum monasterium transire permiserit, ut inde postea sub aliqua occasione egredi praesumat, nulla ratione permittimus. Sane si quis post hanc diligentissimam sanctionem, non observare quae sunt superius comprehensa, praesumpserit, reum se divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

Explicit Regula a SS. Patribus prolata.

S. MACARII ALEXANDRINI ABBATIS NITRIENSIS. REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0445D]

DE S. MACARIO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

Martyrologium Rom. postridie Kal. Jan.

In Theba´de commemoratio S. Macarii Alexandrini abbatis.

S. Hieronymus, epistola 23.

Quid ante non plures annos Nitriae gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus, parcior magis quam avarior, centum solidos, quos lina texendo acquisiverat, moriens dereliquit. Initum est inter monachos concilium (nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant) quid facto opus esset: alii pauperibus distribuendos; Macarius vero, et Pambo, et Isidorus, et caeteri, quos Patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eodem, dicentes: *Pecunia tua tecum sit in*

perditionem.

Socrates, Hist. eccl. lib. IV, *cap.* 18.

Macarius Alexandrinus cum caetera quidem omnia Aegyptio Macario esset similis, in hoc tamen dispar fuit quod iis qui eum conveniebant hilarem et jucundum se praebuit, et urbanitate quadam faceta adolescentulos ad monasticam vivendi disciplinam allexit.

Sozomenus, Hist. eccl., lib. III, *cap.* 13.

Altero vero Macarius diu post presbyter factus, omnia fere vitae ac disciplinae severioris exercitia expertus est, quorum nonnulla ipse excogitavit, quaedam ab aliis accepta omni perfectiori modo excoluit.

Vita S. Posthumii, cap. 7, *lib.* I *de Vitis Patrum.*

Nota facta est sancto Macario, scilicet beati Antonii discipulo, conversatio Posthumii. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio monachorum fere quinque millia susceperat gubernanda.

Jonas abbas in Vita S. Joannis Reomaensis, lib. I, *cap.* 7.

Regressus ergo ad praefatum locum studuit denuo salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Aegyptiorum indidit monachis ministrare.

Vita S. Philiberti abbatis, apud Surium.

Legebat studiose Basilii praeclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Sanctus Benedictus Anianensis, et Smaragdus abbas saepius hanc Macarii Regulam citant, et multa inde capita ille in Concordiam regularum, hic in Expositionem regulae sancti Benedicti transcribunt.

[Col. 0447B]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Plures olim exstiterunt abbates Macarii, atque jam supra in Regula Serapionis duo specialiter nominantur, ad quorum distinctionem hujus Regulae auctor dicitur Macarius Alexandrinus, quia forsan in illa civitate natus vel educatus erat, priusquam in solitudinem secesserat. Hic est ergo Macarius ille sancti Antonii discipulus, cui moriens hic sanctissimus abbas fere quinque millium monachorum regimen in Nitriae monasterio reliquit, si fides auctori Vitae sancti Posthumii adhibenda sit. Hoc unum certum est ex Historia Lausiaca, quod sanctus Macarius Alexandrinus aliquando visitans, sanctum Antonium invisens, ab illo haec verba audierit: «Video quod sanctus Spiritus in te resideat, teque deinceps ut omnium gratiarum a Deo mihi concessarum

haeredem aspiciam.» In eadem quoque Historia Lausiaca narratur quod mortuo sancto Antonio hic noster sanctus Macarius, consulturus sanctum Pachomium, incognitus accesserit Tabennas in Theba´de, ubi aliquo tempore moratus tanta virtutum specimina edidit, ut Tabennarum abbas divinitus ipsum agnoscens, ei gratias egerit pro exhibitis monachis suis tam singularibus abstinentiae omnisque perfectionis exemplis. Hinc mirum non est quod antiqui praesentem sancti Macarii Regulam in tanto pretio habuerint, eamque Occidentales monachi in celebrioribus suis monasteriis excoluerint. Sic sanctus Joannes, monasterii Reomensis primus abbas et fundator, sub sexti saeculi exordio, ex celeberrimo coenobio Lirinensi in suam novam abbatiam introduxit hanc sancti Macarii Alexandrini Regulam, prout in ejus Vita apud Mabillonium, tom. I, pag. 635, de sanctis Benedictinis, de hoc sancto Joanne legimus: «Studuit denuo ipse salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Aegyptiorum indidit monachis, ministrare.» Nec sane desunt magni nominis auctores apud saepe laudatum Calmetum in suis Observationibus criticis, qui existimant Lirinenses monachos hanc Regulam cum aliis sanctorum Patrum institutis ab exordio coenobii observasse, nam nulla alia specialis Regula ibidem observata reperitur; donec sanctus Aigulphus Lirini abbas Regulam sancti Benedicti introduxit circa annum 661. Ut ut haec sint, hoc unum certum est quod sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ex hac sancti Macarii Regula in suam plurima inseruerit, prout cuilibet utramque Regulam attentius legenti apparebit. Interea praeter hanc suam Regulam triginta sat brevibus, sed nervosis capitibus constantem scripsit etiam ad monachos instruendos epistolam hic insertam, in qua, stylo figurato et ad Proverbia Salomonis accedente, reperiuntur pauca, sed egregia praecepta contra gulam, impuritatem, avaritiam et vanitatem. Existimant nonnulli quaedam tam in Regula quam in epistola ex sancto Hieronymo mutuata esse.

[Col. 0447C]

INCIPIT REGULA S. MACARII,

Qui habuit sub ordinatione sua quinque millia monachorum. [Col. 0447D]

I. Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes, *Deum ex tota anima diligere, et ex toto corde, et ex tota virtute sua* **(Marc. XII)**.

II. Invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non praesumptuosi, non sibi placentes, sed Deo cui militant Christo: non blasphemiam sectantes, nec dicentes quidquam praeter quod bonum est: ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia praecincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares.

III. Nullus se alio justiorem arbitretur; sed unusquisque [Col. 0448A] omnibus se inferiorem contemnat: *Quia qui se exaltat, humiliabitur;* et qui se humiliat, exaltabitur **(Luc. XIV)**.

IV. Praeceptum senioris ut salutem suscipias; non murmurando ullam operam facias: non responsionem contra praeceptum usurpes.

V. Non te extollas, aut magnifices aliquam utilem operam fecisse: non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris.

VI. Non te familiaritas ulla saecularis trahat, sed tota delectatio tua in cellula demoretur. Cellam ut paradisum habeas; fratres tuos spirituales ut aeternos confidas habere parentes.

VII. Praepositum monasterii timeas ut dominum, [Col. 0449A] diligas ut parentem. Similiter quoque omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidis videre gloriam Christi.

VIII. *Non oderis laboriosam operam* **(Eccl. VII)**; otium quoque ne sectatus fueris. In vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum tuum venias, et cum Christo requiescere te credas.

IX. Cursumque monasterii super omnia diligas. Qui vero saepius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

X. Matutinoque dicto ita meditationem habeant fratres usque ad horam secundam: si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam praetermissa meditatione aliquid fieri in commune.[Col. 0449B]

XI. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam, ut quidquid injunctum fuerit, *sine murmuratione perficiat, sicut dicit sanctus apostolus* **(Phil. II)**.

XII. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exstiterit, aut referens in aliquo contrariam voluntatem praeceptis, digne correptus secundum arbitrium senioris vel modum culpae, tandiu abstineat, quandiu vel culpae qualitas poposcerit, vel se poenitendo humiliaverit, vel emendaverit; ita ut correptus non audeat usquam recidere.

XIII. Si quis frater, vel qui in oratorio sunt, vel qui per cellulas consistunt, quicunque ejus errori consenserit, culpabilis erit.

XIV. Ad horam vero orationis dato signo, qui [Col. 0449C] non statim praetermisso omni opere quod agit paratus fuerit, foras excludatur, ut erubescat; quia nihil orationi praeponendum est.

XV. Operam Deo dabunt singuli fratres tempore quo missae in vigiliis observandis fiunt, quando omnes conveniunt, ne deficiant. Quicunque gravatur somno, exeat foras, non se fabulis occupet: sed statim redeat ad opus, quo convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aures semper ad scripturas habeant, et silentium observent.

XVI. Hoc etiam attendendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat et non respondeat arguenti se; sed humiliet se in omnibus,

secundum praeceptum Domini [Col. 0449D] dicentis: *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* **(Jac. IV)**. Et, *qui se humiliat, exaltabitur* **(Matth. XXIII)**.

XVII. Qui vero saepius corripitur et non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur. Qui, si nec sic quidem se emendaverit, extraneus habeatur, sicut Dominus dixit: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* **(Matth. XVIII)**.

XVIII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui praeest vel qui interrogatus fuerit.

XIX. Nullus se in sua peritia neque in voce exaltet, sed per humilitatem et obedientiam laetetur in Domino.

XX. *Hospitalitatem sectantes per omnia* **(Rom. XII)**, [Col. 0450A] et ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem: ne forte Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, et videat te haesitantem, et contemnaris; sed omnibus hilarem te ostende, et fideliter age.

XXI. Passus injuriam taceas. Injuriam facere, non nosse, factam posse tolerare. Non te inania seducant consilia, sed magis te specialiter in Christo confirma. Non tibi aestimes ullos proximiores parentes quam qui tecum sunt in cellula fratres.

XXII. Si ad necessaria requirenda e monasterio bini egrediantur vel terni fratres, tales fiant, quibus creditur, qui timorem Dei in se habere videntur, non qui verbositatem aut gulam spectantur.[Col. 0450B]

XXIII. Ergo si quis de saeculo ad monasterium converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Qui si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio.

XXIV. Nam si aliquam in cellula voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Qui si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se ipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum ut aliquid habeat in sua potestate.

XXV. Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem inde exire voluerit, nihil penitus accipiat, [Col. 0450C] nisi in veste qua venit. Quod si casu transierit, nullus haeredium ejus adire debeat. Quod si impulsare voluerit, Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus, quia et illi a quo repetit fuerat recitata.

XXVI. Ergo ex qualibet causa quis peccaverit frater, ab oratione suspendatur et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus fratribus prostratus veniam postulaverit, dimittatur illi.

XXVII. Nam si in sua voluerit perseverare nequitia et superbia, et dicat: Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, et eam, ubi voluerit Dominus, quisquis de fratribus eum hoc dixisse prius audierit, referat praeposito, et praepositus [Col. 0450D]

abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et eum exhiberi jubeat, et virgis purgetur: et oratio fiat, et sic ad communionem recipiatur. Ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur.

XXVIII. Quod si casu quis frater de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi **(Matth. V)**, et pretiosas splendidasque accipient coronas: filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta. *Super quem requiescam, dicit Dominus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* **(Isa. LXVI)**?

XXIX. Quarta et sexta feria qui infringunt jejunium, [Col. 0451A] Judae aestimantur participes, qui Christum tradidit.

XXX. Illud etiam attendendum fuit, ut intra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cujus [Col. 0452A] fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii faciat quod poterit facere.

Explicit Regula sancti Macarii.

[Col. 0451A]

EPISTOLA BEATI MACARII

Data ad monachos.

Lignorum copia ingentem excitat flammam: multitudo autem escarum emittit concupiscentiam. Pessima concupiscentia escarum et inobedientia generat mortem. Indigens venter in orationibus vigilantiam praestat, et coronam animae acquirit; repletus [Col. 0451B] autem, somnum inducit gravissimum. Oculus gulosi convivia scrutatur, oculus autem sapientum meditatur continentiam. Formidolosus miles horrescit ad tubam, quae bellum significat, et gulosus si abstinentiam praedicantem audierit, non libenter auscultat. Flamma cum marcescit, elucescit iterum si acceperit lignum; et libido sopita rursum crescit in saturitate. Non miserearis corpori, si lassitudine defecerit: equus consentiens indigens corpus nec ascensorem dejicit unquam. Concupiscentia gulae mater est libidinis. Oleum nutrit lampada lucernae, et ignem reaccendit confabulatio mulieris. Facies mulieris sagitta est truculenta; infigit vulnus in animam. Ut venenum fuge confabulationem mulieris, [Col. 0451C] si castus esse volueris: absconsum namque in eis est venenum bestiarum nequissimum. Magis appropinqua igni ardenti quam mulieri novellae. Cum sis juvenis, fuge impetum libidinis et confabulationem mulieris. Qui repleverunt ventrem, et promiserunt castitatem, sibi mentiuntur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Species mulieris si semel mentem contriverit, etiam ipsam mentem contemnere persuadet. Ut enim si paleis remoretur ignis, excitat flammam, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Ut enim cumulata navis undarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus non salvabitur. Nihil possidens monachus athleta insuperabilis: nihil possidens monachus

cursor levis, velociter ad bravium [Col. 0451D] vocationis pervenit. Avarus monachus operari negligit: [Col. 0452A] nihil possidens monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Avarus monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis: nihil possidens monachus thesaurizat in coelo, et dabit laudem cum angelis Deo. Gloriatio monachi, patientia [Col. 0452B] in tribulationibus ejus. Gloriatio monachi, longanimitas cum charitate. Gloriatio monachi nullas, res praesentis vitae possidere. Gloriatio monachi, vigiliae et fletus in orationibus. Gloriatio monachi, mansuetudo et cordis silentium. Gloriatio monachi, quando Dominum ex toto corde dilexerit, et proximum suum tanquam seipsum. Gloriatio monachi, abstinentia escarum et a multiloquio linguae. Gloriatio monachi, quando proximum suum sicut seipsum patitur. Gloriatio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi, longanimitas. Sicut lampas in loco tenebroso, sicut sol radians, sic monachus mente sobria et corde pervigili [Col. 0452C] in tempore salutis suae. Sicut pondus salis deprimit virum infirmum, sic somnus monachum. Sicut spinae et tribuli agro opimo, sic et cogitationes turpes pessimae in corde monachi. Sicut tinea exterminat vestimentum, sic distractiones animam monachi. Noli te dare ad colloquium mulierum, ne fias separatus a regno Dei, et ne velis dicere: Loquar cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens suis manibus operatur, et victum sibi quotidianum acquirit, et lucratus est orationes et jejunia sua; si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat et vigilat? Sicut mercenarius malus, nudus evadit; quia scriptum est: *melius est dare quam accipere* **(Act. XX)**. Qui legis, intellige in Domino semper.[Col. 0452D]

Explicit epistola beati Macarii.

[Col. 0451D]

SANCTI PACHOMII ABBATIS TABENNENSIS REGULA AD MONACHOS, PRAECEPTA, EPISTOLAE.

(*Vide hujusce Patrologiae tomum XXIII, col.* 65.)

SANCTI ORSIESII ABBATIS TABENNENSIS DOCTRINA DE INSTITUTIONE MONACHORUM.

[Col. 0451D]

DE S. ORSIESIO EJUSQUE REGULA SIVE DOCTRINA MONASTICA VETERUM TESTIMONIA.

Auctor Vitae S. Pachomii, cap. 53.

Petronius paucis diebus totam fraternitatem gubernans et hic in pace defunctus est, relinquens post se virum justum et acceptum Deo Orsiesium nomine.

Gennadius Massil., Illust. Script. cap. 9.

Orsiesius monachus, amborum, id est Pachomii et Theodori collega, vir in sanctis Scripturis ad perfectum instructus, composuit librum divino conditum sale, totiusque monasticae disciplinae instrumentis constructum: et ut simpliciter dicam, totum pene in eo Vetus et Novum Testamentum compendiosis dissertationibus, juxta monachorum duntaxat necessitatem, invenitur expositum: quem tamen vice testamenti prope diem obitus suis fratribus obtulit.

Sanctus Benedictus Anianae abbas saepius hanc Orsiesii doctrinam laudat in Concordia Regularum.

[Col. 0453A]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM

Habemus hic sancti Orsiesii doctrinam, merito a Gennadio laudatam; quia illa divino condita sale totius monasticae disciplinae instrumenta, tam superioribus quam inferioribus scitu necessaria, comprehendit. Quae proin et Regula monastica dici potest, ut pote compendiosis sed necessariis praeceptis ex sacra Scriptura collectis et monachorum usui apprime adaptatis referta. Erat autem sanctus Orsiesius dilectus sancti Pachomii discipulus, a quo moriente constitutus est Tabennarum abbas, atque totius ordinis praeses generalis, quod officium piissime per quenquennium peregit; sed deficientibus viribus sibi diffidens, tantam monachorum multitudinem posse rite gubernare, in manus sancti Theodori, discipuli etiam sancti Pachomii, munus hoc resignavit: quo tandem mortuo et illud anno 365 reassumere coactus est. Denique sanctus Orsiesius senio et laboribus confectus sanctissimam animam Deo reddidit circa annum 368, atque per modum testamenti monachis suis reliquit hanc doctrinam asceticam, sive Regulam monasticam 56 capitibus constantem, et eximiis consiliis spiritualibus refertam, quam ex Graeco in Latinum sermonem vertit sanctus Hieronymus.

[Col. 0453B]

INCIPIT DOCTRINA ATQUE TRACTATUS PATRIS NOSTRI ORSIESII.

[Col. 0453A]

I. Audi, Israel, mandata vitae; auribus percipe, et intellige prudentiam. *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena;* commaculatus es cum mortuis; comparatus es cum his qui in inferno sunt, et dereliquisti fontem sapientiae. Per viam Dei si ambulasses, forsitan habitaveris in pace. Disce ergo, ait, *ubi est prudentia tua, ubi est fortitudo gloriae atque virtutis, ubi est intelligentia, ubi lex oculorum, et pax.* Qui invenit locum ejus, et quis ingressus est ad thesauros illius **(Bar. III)**? Haec loquebatur Baruch propter eos qui in terram Babylonis et inimicorum

suorum ducti sunt in captivitatem, quia noluerunt prophetarum suscipere mandata, et obliti sunt legis Dei, quae data est per Moysen. Idcirco induxit Deus super eos poenas atque [Col. 0453B] supplicia, et captivitatis subdidit jugo: erudiens ergo eos ut suos, et quasi pater filios emendans, nolensque perire correctos, sed salvare cupiens per poenitentiam.

II. Unde et nos apostolicorum debemus meminisse verborum, qui ait: *Si naturatibus ramis non pepercit, nec nobis parcet* **(Rom. XI)**, et Dei praecepta complere negligimus? *Haec omnia in figuris contingebant illis:* scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt **(I Cor. X)**. Et illi quidem de urbe Judae translati sunt in urbem Chaldaeorum, in terris mutantes loca: nos autem si Deus viderit negligentes, in futuro saeculo amittemus civitatem nostram; et laetitiam deserentes, trademus poenarum captivitati, perdemusque gaudium [Col. 0453C] sempiternum, quod patres nostri et fratres labore instabili repererunt.

III. Igitur non nos vincat oblivio, nec patientiam Dei existimemus ignorantiam, qui idcirco sustenta et differt, ut ad meliora conversi cruciatibus non [Col. 0454A] tradamur. Quando peccamus, non putemus Deum consentire nostris peccatis, quia non statim vindicat; sed illud cogitemus, quod cito exeuntes de saeculo separabimur in futuro a Patribus et fratribus nostris, qui locum victoriae possident. Quem et nos habebimus, si illorum voluerimus calcare vestigia, et illud attendere, quod apostolus Paulus hic quoque sanctos a peccatoribus separat, et tradit delinquentes *in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* **(I Cor. V)**. Beatus homo qui timet Dominum, et quem corripit ut emendetur, et legem suam docet eum, ut ambulet in mandatis ejus omnibus diebus vitae suae; qui non murmurat pro peccato suo.

IV. Itaque et nos scrutemur vias nostras, et gressus proprios dijudicemus; revertamurque ad Dominum, [Col. 0454B] et levemus cum manibus nostris corda nostra in excelsum et in coelum: ut in die judicii adjutor noster sit, et non confundamur cum loquimur inimicis nostris in porta, sed magis digni simus illud audire: *Aperite portas, ut ingrediatur populus qui custodit justitiam et veritatem* **(Judit. XV)**. Cui veritas cordi est, et qui possidet pacem, dicere potest: Quia in te speravimus, Domine, in aeternum. Recordemur Domini, et Hierusalem ascendat super cor nostrum. Ne obliviscamur illius hominis, de quo scriptum est: *Benedictus homo qui confidit in Domino, cujus est spes in eo.* Erit quasi lignum fructiferum juxta aquas, et ad humorem mittit radices suas: non timebit, cum aestus advenerit, habebitque frondentes ramos, et in tempore siccitatis virebit, poma sollicita [Col. 0454C] germinans. Grave cor in omnibus, et homo est, et quis cognoscit eum? Ergo Dominus scrutans corda et renes, ut reddam unicuique secundum vias suas **(Jer. XVII)**.

V. Meminerimus nostri, nec contemnamus delicta quae fecimus; et singula mandata Patris nostri [Col. 0455A] et eorum qui nos docuerunt, corde sollicito pertractemus: non solum credentes in Christo, sed et pro ipso patientes, et scientes illud de quo dicitur: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus* **(Thren. IV)**. Et alibi: *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis.* Et iterum: *Eloquium Domini vivificavit me, et, Lex Domini immaculata, convertens animas.* Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos

(Psalm. CXVIII). Et Apostolus, *Lex,* inquit, *sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* **(Rom. VII)**. Quae omnia intelligentes, digni erimus audire: *Cum ceciderit justus non allidetur, quia Dominus sustentat manum illius* **(Psalm. XXXVI)**. Et iterum: *Septies cadet justus, et resurget* **(I Petr. III)**.

VI. Nunc ergo, fratres, Deo agente patienter, et [Col. 0455B] nos ad poenitentiam provocante, de gravi somno evigilemus, quia adversarius noster *quasi leo rugiens circuit quaerens quem devoret* **(I Petr. V)**, cui acriter resistendum est, et sciendum eadem etiam certamina nostris evenisse majoribus. Non deficiamus laborantes jacientesque virtutum semina, ut in futuro gaudia metere possimus, audiamusque Paulum docentem: Tu autem qui servasti doctrinam, eruditionem, studium, patientiam, persecutionem, et sanctorum exempla sectantes permaneamus in eo quod coepimus, habentes principem et perfectorem Jesum. Intelligamus comam capitis nostri in via, ut sit unguentum in barba nostra, ut ad oram perveniat vestimenti, ut possimus implere universa, quae scripta sunt **(Psalm. CXXXII)**.[Col. 0455C]

VII. Quapropter, o duces et praepositi monasteriorum ac domorum, quibus crediti sunt homines, et apud quos inveniuntur T, sive E, sive A, ut in commune dicam, quibus crediti sunt homines, singuli cum turmis suis exspectent Salvatoris adventum, ut conspectui illius ornatum armis exercitum praeparent. Ne refrigeretis eos in carnalibus, et spiritalia non tribuatis alimenta. Aut rursum doceatis spiritalia, et in carnalibus affligatis, in escis videlicet atque vestitu. Sed et spiritales et carnales cibos pariter tribuite, et nullam detis eis occasionem negligentiae. Aut quae est ista justitia, ut fratres labore affligamus, et ipsi otio vacemus? aut eis jugum imponamus, quod ipsi ferre non possumus. Legimus in Evangelio: *Qua mensura mensi fueritis remetietur* [Col. 0455D] vobis **(Matth. VII)**. Unde et laborem et refrigeria cum ipsis habeamus communia, nec discipulos servos putemus, et illorum tribulatio sit nostra laetitia; ne evangelicus nos cum Pharisaeis corripiat: *Vae vobis legisperitis, qui ligatis onera importabilia, et imponitis ea super humeros hominum, et ipsi ne digito quidem audetis attingere* **(Matth. XXIII)**.

VIII. Sunt aliqui attendentes semetipsos, ut viventes juxta mandatum Dei sibi loquuntur, et dicunt: Quid mihi est cum aliis? Ego vero ut serviam Deo, et mandata ejus impleam, non ad me pertinet quid alii faciant. Hoc Ezechiel corripit dicens: *O pastores Israel, nunquid semetipsos pascunt pastores? nonne oves pascunt? Ecce lac comedistis, et lanis operimini,* [Col. 0456A] quod pingue est non immolastis, et quod infirmum est non confortastis; quod fractum est non ligastis; quod errabat non reduxistis; quod perierat non quaesistis; quod forte erat fecistis labore deficere, et dispersistis oves meas, eo quod non haberent pastores **(Ezech. XXXIV)**. Propterea ipse Dominus veniet cum senioribus et principibus suis, et complebitur illud in nobis: *Exactores vestri depraedantur vos, et qui repetunt, errare vos faciunt* **(Isai. III)**. Quin magis audire debemus: *Beata terra, cujus rex filius:* ingenui et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non confundentur **(Eccl. X)**.

IX. Ideo, o homo, usque ad unam animam, quae tibi credita est, monere non cesses et docere quae sancta sunt, et teipsum bonorum operum praebere exemplum, [Col. 0456B] et

cavere quam maxime, ne alterum ames et alterum oderis, sed et cunctis exhibeas aequalitatem: ne forte quem tu diligis Deus oderit, et quem tu oderis Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia consentias, et alterum premas, et alterum subleves, et pereat labor tuus. Sedentes in locis humilioribus, in quibus Pater noster praecipit penitus non sedendum, caveant praepositi domorum, ne forsitan quilibet unus ex fratribus praeposito injuriam fecerit, et iratus ille discernat ac dicat: Quid causae habeo ad hominem contemptorem? Faciat quod vult, ad me non pertinet; nec eum moneo, nec errantem corrigo, sive salvetur, sive pereat, ad me non pertinet. O homo, quid haec loqueris? Intellige quo furore supereris et odium occupavit cor tuum, ut magis tuo vitio quam [Col. 0456C] suo peccato frater pereat; cui debes ignoscere, et eum suscipere poenitentem, ut possis illud evangelicum dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* **(Matth. VI)**. Si ergo vis ut Deus peccata tua tibi dimittat, et tu dimitte fratri tuo quidquid illud est quod in te peccavit, memor illius praecepti: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo* **(Luc. XI)**. Et Salomonis monentis: *Suscita civem tuum pro quo spopondisti* **(Prov. VI)**. Et iterum: *Ne cesses erudire parvulum, si enim virga percusseris eum, non morietur* **(Prov. XXIII)**. Moysen quoque ausculta dicentem: *Correptione corripies proximum tuum, ne habeas peccatum pro eo* **(Levit. XIX)**. Ne eveniat rursum illud Salomonis: *Qui non praedicit filio,* ut se custodiat [Col. 0456D] a perditionibus, velociter dissolvetur **(Prov. XIX)**.

X. Omnes quibus fratrum cura commissa est, parent se adventui Salvatoris et formidoloso tribunali ejus. Si enim pro se ipso reddere rationem plenum est discriminis ac timoris, et quanto magis pro alterius culpa subire cruciatum, et incidere in manus Dei viventis? Nec possumus obtendere ignorantiam, cum scriptum sit: *Omne factum Deus adducet in judicio, in omnibus quae neglecta sunt, sive bonum, sive malum* **(Eccl. XII)**. Et in Apostolo legimus: *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut unusquisque recipiat pro eo quod operatus est, sive bonum, sive malum* **(II Cor. V)**. Isaias quoque diem constitutam significat, in qua judicaturus sit Deus orbem terrae in justitia, dicens: *Ecce dies Domini insanabilis* [Col. 0457A] venit furoris et irae, ut ponat orbem terrae in deserto, et perdat peccatores de eo **(Isai. III)**. Scimus quia omnia quae in lege scripta sunt, et prophetarum nobis vaticinia praedixerunt, sanctus quoque Pater noster erudivit, nos esse retinendos et reddituros rationem de singulis, quare non fecerimus ea, aut negligentius fecerimus. Loquitur enim cui traditum est a Patre omne judicium, et veritas erudit veritatem: *Non putetis quia ego accuso vos ad Patrem;* est qui vos accuset Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me enim ille scripsit **(Joan. IV)**.

XI. Ex quibus omnibus discimus, quod oporteat nos stare ante tribunal Christi, et de singulis non solum operibus, sed et cogitationibus judicari: et post rationem vitae nostrae, etiam pro aliis qui nobis [Col. 0457B] crediti sint reddituros esse similiter rationem. Et hoc non solum de Praepositis domorum audiendum est, sed et de monasteriorum principibus, et de singulis fratribus qui reputantur in plebem: quia omnes invicem debent sua onera portare, ut adimpleant legem Christi **(Gal. VI)**, et audiant Apostolum scribentem ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et professionem falsi nominis scientiae* **(I Tim. VI)**. Et nos habemus depositum a Deo traditum, conversatione fratrum, pro quibus laborantes et

exspectamus futura praemia: ne forsitan dicatur et nobis: *Dimitte populum istum, ut abeat* **(Exod. V)**; et traditiones Patris nostri deserentibus ingeratur: *Qui habent legem non noverunt me,* pastores egerunt impie in me [Col. 0457C] **(Jer. II)**. Unde alios corripit dicens: *Ego dedi haereditatem meam in manu tua, tu autem non dedisti ullam misericordiam:* senes aggravasti jugo **(Isai. XLVII)**. Quod et nos non solum audire, verum etiam intelligere necesse est: qui enim ignorat ignorabitur. Et in alio loco scriptum est: *Quia tu scientiam meam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* **(Oseae IV)**.

XII. Itaque, fratres charissimi, qui coenobiorum vitam et praecepta sectamini, state in arrepto semel proposito, et implete opus Dei, ut Pater, qui primus instituit coenobia gaudens pro nobis loquatur ad Dominum: Sicut tradidi eis, sic vivunt. Quod idem et Apostolus adhuc in corpore constitutus loquebatur: [Col. 0457D] *Laudo autem vos, quod in omnibus meministis mei, et sicut tradidi vobis traditiones meas custodistis* **(I Cor. XI)**.

XIII. Et vos ergo monasteriorum principes, esstote solliciti, et adhibete omnem curam pro fratribus cum timore et justitia Dei: nec abutamini potestate in supplicia, sed exemplum praebete vos cunctis et subdito gregi; sicut et Dominus noster in omnibus exemplum se praebuit, qui posuit quasi oves familias: ut misereamini gregi vobis credito, et memineritis apostolicae sententiae, in qua ait: *Nihil subtraxi, ut non annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei.* Et iterum: *Non cessavi deprecando unumquemque vestrum, et docendo vos publice* **(Act. XX)**. Videte quanta viscera et quanta misericordia fuerint [Col. 0458A] in homine Dei, qui non solum sollicitus est pro omnibus ecclesiis, sed languet cum languentibus, et omnium sustinet passiones. Caveamus, ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur, et corruat, et obliviscamur verborum Domini Salvatoris, qui in Evangelio loquitur: *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam* **(Joan. XVII)**. Nullam animam contemnamus, ne quisque per nostram duritiem pereat. Si enim aliquis propter nos fuerit mortuus, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem et Pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, et monebat, ne illud eloquium impleretur in nobis: *Singuli opprimunt proximum suum:* et iterum: *Si invicem mordetis et devoratis, videte ne adinvicem consumamini* **(Gal. V)**. Ex quo [Col. 0458B] apparet quod qui alterius servat animam, custos animae suae sit.

XIV. Sed et vos qui secundi estis monasterii, primos vos exhibete virtutibus, ne quis vitio vestro pereat. Ne incurratis in illud opprobrium in quod incurrit ille qui comedit et bibit cum ebriis, et non dedit in tempore suo conservis cibaria: *Et veniet Dominus in die qua non sperat, et in hora qua nescit, ut dividat eum, et ponat partem ejus cum hypocritis, ubi fletus et stridor est dentium* **(Matth. XXIV)**. Ne quos apprehendat e vobis similis condemnatio, sed cum tempora venerint refrigerii mereamur audire: *Euge, serve bone et fidelis:* quia super modicum fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium [Col. 0458C] Domini tui **(Luc. XIX)**.

XV. Vos quoque Praepositi domorum singularum, parati estote ad respondendum omnibus qui a vobis exigunt rationem super ea fide quae in vobis est. Monete eos qui inordinati sunt; consolamini pusillanimes; sustinete infirmos; patienter agite ad omnes,

et audite Apostolum monentem: *Et, vos patres, nolite ad iram provocare filios vestros, sed enutrite illos in disciplina et admonitione Domini* **(Ephes. VI)**, et scitote quia *cui plus datum est, plus quaeretur ab eo;* et cui plus creditum est, amplius exigetur **(Luc. XII)**. Nec tantum ea consideretis, quae vobis prosint, sed illa quae proximis, et impleatur in vobis Scriptura dicens: *Quia vos sequimini unusquisque utilitatem domus suae, idcirco continebit coelum rorem suum,* et terra non dabit fructus [Col. 0458D] suos, quoniam ingravastis contra me sermones vestros **(Reg. I)**. Dicitur et alibi: *Quia non fecistis uni ex minimis, nec mihi fecistis* **(Matth. XXV)**.

XVI. Saepius dicam, et eadem repetam: Cavete ne alios diligatis, et alios oderitis; ne hunc sustentetis, et illum negligatis; et cassus inveniatur labor vester, et omnis sudor pereat; et quando exieritis de corpore et de mundi hujus turbine liberati, portum vos putaveritis quietis intrare; tunc inveniatis injustitiae naufragia, et in qua mensura mensi estis, remetiatur vobis ab eo qui personas in judicio non accipit. Si quid mortale, aut aliquid turpitudinis ob negligentiam Praepositorum in domibus commissum fuerit, post illorum propria supplicia, Praepositus [Col. 0459A] quoque reus tenebitur criminis: quod nobis semper sanctae memoriae Pater noster solebat ingerere.

XVII. Quamobrem cum omni cautione et sollicitudine singuli commissum sibi gregem custodiant, et imitentur pastores de Evangelio, ad quos non dormientes, sed vigilantes venit Angelus Dei, et Salvatoris eis annuntiavit adventum **(Luc. II)**. Qui et ipse loquitur: *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis:* qui autem mercenarius est, non est pastor, cujus non sunt oves, videt lupum venientem, et dimittit gregem, et fugit, et lupus rapit eum, atque devastat, quia mercenarius est, et non ad eum pertinet de ovibus **(Joan. XII)**. De bonis autem pastoribus Lucae scribit historia: *Erant autem pastores observantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum;* et [Col. 0459B] angelus Domini venit ad eos, et gloria Dei circumfulsit eos, et timuerunt timore magno; dixitque eis angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia est hodie vobis natus Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hujus rei signum erit vobis, invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio **(Luc. II)**. Num illi soli eo tempore pascebant oves, et per desertum sequebantur gregem? Sed quia soli erant solliciti, et naturalem noctium somnum insidiantium luporum timor superabat, idcirco primi audire meruerunt, quod in vicino sit: at Hierosolyma dormiens ignorabat. Unde et David dicit: *Ecce non dormiet, qui custodit Israel* **(Psal. LXX)**. Itaque et vos cum tremore et timore vigilate, operantes vestram salutem, [Col. 0459C] et scientes quod universitatis Dominus, per quem omnis caro receptura est quidquid operata est, post resurrectionem solis apostolis apparuit, et dixit apostolorum principi, Petro: *Simon Joannis, diligis me plus his? Respondit ei:* Domine, tu scis quia ego diligo te. Dicit ei Jesus: Pasce agnos meos. Dicit ei rursum secundo: Simon Joannis, diligis me? Respondit ei: Etiam, Domine, tu scis quia diligam te. Dicit ei: Pasce oves meas **(Joan. XXI)**. Tertio praecepit ut pasceret oves: et in illo omnibus nobis hoc injunxit officium, ut diligenter pascamus oves Domini, et in die visitationis ejus pro labore ac custodia recipiamus, quae nobis in Evangelio promisit dicens? *Pater, volo ut ibi sum ego, et isti sint mecum.* Et iterum: *Ubi ego sum,* ubi et minister meus erit [Col. 0459D] **(Joan. XII)**. Respiciamus ad promissa et ad praemia creduli, facilius omnem perferamus laborem, ambulantes sicut ambulavit ipse Dominus, qui promissor

est praemiorum.

XVIII. Vos quoque qui secundi estis singularum domorum, humilitatem sectamini et modestiam, et singula praecepta majorum vitae communis normam putate, ut in illis conservandis vestras servetis animas, et similes sitis ei qui ait: *Anima mea in manibus meis semper* **(Psal. CXVIII)**. Filius glorificet Patrem, et laetamini fructibus vestris: quia absque operibus et fructibus nullus Domini societate laetabitur: ut cum habueritis fructum in Domino, ipso haerede et cohaerede potiamini.[Col. 0460A]

XIX. Sed et vos omnes fratres, qui subjecti estis per ordinem liberae servitutis, *habetote accinctos lumbos vestros, et ardentes lucernas in manibus, similes servorum qui exspectant dominum suum, quando revertatur de nuptiis, ut cum venerit, et pulsaverit, statim aperiant ei.* Beati servi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes **(Luc. XI)**. Sic et vobis fiet, si longus labor lassitudinem non operetur in vobis, vocabimini ad coeleste convivium et angeli ministrabunt vobis. Hae sunt repromissiones custodientium mandata Dei, et ista praemia futurorum, *Gaudete in Domino;* rursum dico, gaudete **(Phil. IV)**. Subjecti Patribus cum omni obedientia; sine murmurationibus, et cogitationibus variis, simplicitatem animae ad bona opera perferentes, ut pleni virtutibus [Col. 0460B] et timore Dei, digni efficiamini adoptione Dei. *Arripite scutum fidei, in quo possitis omnes sagittas diaboli ardentes restinguere, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei* **(Ephes. VI)**. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* **(Matth. X)**. Audite Paulum loquentem: *Filii, obedite parentibus* **(Col. III)**, et possidete salutem animarum vestrarum, per eos qui vobis praepositi sunt. Et in alio quoque loco scriptum est: *Acquiescite principibus vestris et subjicimini, quia ipsi vigilant pro animabus vestris, rationem reddentes pro vobis* **(I Cor. III)**. Et semper illud timete, quod idem Apostolus loquitur: *Templum Dei estis, et Spiritus Domini habitat in vobis.* Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus **(Ephes. IV)**. Et iterum: *Nolite* [Col. 0460C] contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis justi judicii (Ibid.).

XX. Servate pudicitiam corporis vestri, ut sitis *hortus conclusus, fons signatus* **(Cant. VI)**. *Qui enim natus ex Deo non peccat, quoniam semen illius in eo permanet* **(I Joan. III)**. Idem Joannes loquitur: *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et sermo Dei in vobis permanet, et vicistis malignum* **(I Joan. II)**. Cum et vos viceritis inimicum, Deo vobis praebente auxilium, tunc et ipse dicet: *Eruam eos de inferno, et redimam eos de morte.* Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, stimulus tuus **(Oseae, XIII)**? Si vero mortem devorabimus, superabimus eam, et dicetur nobis: *Mors ei nequaquam dominabitur* [Col. 0460D] **(Rom. VI)**: quoniam mors, qua peccato mortui semel sumus, in nobis mortua est, et vita, qua in Christo vivimus, semper vivimus **(Rom. VII)**. Qui enim in carne moritur, justificabitur a peccato. Nequaquam ultra vivamus in desideriis hominum, sed reliquam vitam in voluntate Dei expleamus. Qui timetis Dominum armate vos castitate, ut audire mereamini: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (Ibid.). Et scitote quod perfectis perfecta tribuantur, et inanibus reddantur inania, juxta sermonem Evangelicum: *Qui habet, dabitur ei, et abundabit;* qui autem non habet, et quod videbatur habere, auferetur ab eo **(Marc. IV)**. Imitemur virgines sapientes, quae cum sponso thalamum ingredi meruerunt, quae habebant in vasis suis et lampadibus

oleum bonorum operum. [Col. 0461A] Porro stultae virgines clausam thalami januam repererunt, quia ante nuptias parare sibi oleum noluerunt **(Matth. XXV)**. *Haec in figura contingebant illis;* scripta sunt enim ad correctionem nostram **(I Cor. X)**, ut evitemus vetera, et servemus praecepta sapientis, qui ait: *Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, laetificabis cor meum, et commemorabunt labia mea sermones tuos* **(Prov. XXIII)**, si tamen recti fuerint. Et iterum: *Non aemuletur cor tuum peccatores, sed in timore Dei esto tota die, et Dei cultum observa jugiter* **(Prov. XXIII)**.

XXI. Vigilemus attentius, et sciamus quod magnam nobis Deus praestiterit gratiam per Patrem nostrum Pachomium, ut renuntiaremus saeculo; et omnem sollicitudinem mundi, et curas rerum [Col. 0461B] saecularium pro nihilo poneremus. Quae nobis occasio relicta est, ut habeamus quidquam proprium a funiculo usque ad corrigendum calceamenti; cum habeamus Praepositos, qui pro nobis cum timore et tremore solliciti sunt tam in cibo, et vestitu, et corpusculi languore, si forte obvenerit, ut in nullo timeamus, et per occasionem carnis animae emolumenta perdamus? Liberi sumus, jugum de cervicibus nostris mundanae servitutis abjecimus; cur rursum volumus reverti ad vomitum nostrum, et aliquid habere unde solliciti simus, et quod perdere metuamus? Ad quos usus superfluum palliolum, aut epulae lautiores, aut melior lectus? cum omnia in commune sint praeparata, et nihil cruce Christi durius sit, juxta quam viventes Patres nostri aedificaverunt [Col. 0461C] nos super fundamentum apostolorum et prophetarum, et evangeliorum disciplinam, quae angulari continetur lapide Domino Jesu Christo **(Ephes. II)**: quem sequentes de mortifera altitudine ad vitalem descendimus humilitatem, divitias paupertate mutantes, et delicias simplici cibo.

XXII. Nolite, obsecro vos, oblivisci semel arrepti propositi, et traditiones Patris nostri scalas putemus ad coelorum regna tendentes. Ne desideretis quae ante calcastis. Sufficit nobis habere, quod homini satis est, duo levitonaria, et alium attritum, et palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicas, pellem, et virgam. Cui ministerium aliquod et dispensatio est credita monasterii, et si ex ea lucrum [Col. 0461D] faciat, scelus putetur, et sacrilegium quidquam ex ea contingere et in propriam vertere requiem, quasi despiciens eos qui non habent et felici paupertate sunt divites: ut non solum ipse perierit, sed et caeteros provocet ad pereundum. Et illi quidem qui incurvaverunt cervicem suam, et cum omni humilitate et afflictione lugentes atque plangentes in praesentiarum placuerunt Deo, cum de corpusculo isto exierint, ducentur, et accumbent cum sanctis patribus Abraham, Isaac, et Jacob, prophetis, et apostolis, et consolatione digna fruentur, sicut et Lazarus fruitus est in sinu Abraham. Qui autem vixerunt in coenobio, et de communi in suos aliquid averterunt usus, vae eis cum de corpore exieriat, dicetur illis: *Mementote,* quia recepistis bona in vita [Col. 0462A] vestra **(Luc. XVI)**; fratribus laborantibus, et jejuniis et continentia, et incessabili labore sudantibus. Idcirco videte eos in gaudio atque laetitia, qui reliquerunt praesentem vitam, ut futuram consequerentur: vos autem in squalore ac tormentis, et miseria constitutos, quia noluistis evangelicum audire sermonem, et Isaiae contempsistis verba dicentis: *Ecce qui serviunt mihi, comedent, vos autem esurietis.* Ecce qui serviunt mihi, bibent, vos autem sitietis. Ecce qui serviunt mihi, exsultabunt, et vos clamabitis propter dolorem cordis vestri, et ob contritionem spiritus ejulabitis **(Isai. LXV)**. Audistis omnes beatitudines Scripturarum, et noluistis suscipere disciplinam.

XXIII. Ideo, fratres, aequales simus, a minimo [Col. 0462B] usque ad maximum, tam dives quam pauper, concordia et humilitate perfecti, ut de vobis quoque possit dici: *Qui multum, non abundavit;* qui parum, non indiguit **(II Cor. VIII)**. Ne quis suis provideat deliciis, cernens fratrem in paupertate et angustia constitutum, et dicatur ei illud propheticum: *Nonne Deus unus creavit vos? Nonne Pater unus omnium vestrum? Quare dereliquistis unusquisque fratrem suum, ut abominabile facerent testamentum patrum vestrorum? Derelictus est Juda, sed abominatio facta est in Israel* **(Malac. II)**. Quapropter juxta illud quod Dominus atque Salvator praecepit apostolis dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos:* et in hoc scietis, quod vere discipuli mei estis **(Joan. XIII)**; nos invicem amare [Col. 0462C] debemus, et ostendere, quod vere simus famuli Domini Jesu Christi, et filii Pachomii, et discipuli coenobiorum.

XXIV. Si Praepositus domus aliquem corripuerit ex fratribus qui sibi subjecti sunt, erudiens eum in timore Dei et cupiens ab errore corrigere, et alius voluerit pro eo loqui, et eum defendere, subvertens cor illius; qui hoc facit, peccat in suam animam, quia subvertit eum qui corrigi poterat, et consurgentem dejicit in terram, atque ad meliora tendentem mala persuasione decepit, errans ipse, et alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter: *Vae qui potum dat proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum* **(Habac. II)**. *Vae qui errare* [Col. 0462D] facit caecum in via **(Deut. XXVII)**. *Qui scandalizat quempiam de his, qui credunt Deo, expedit ei ut appendatur ei mola asinaria super collum ejus, et praecipitetur in mare* **(Matth. XVIII)**. Quia subvertit, ut diximus, sublevantem se, et obedientem transtulit ad superbiam, et eum qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, convertit in amaritudinem; et subjectum legibus monasterii, malis consiliis depravavit, fecitque odisse eum, et contristari contra illum, qui eum docebat Domini disciplinam, lites ferens inter fratres atque discordias, et non timens illud quod scriptum est: *Tu quis es, qui judicas alienum serrum? Suo domino stat, aut cadit.* Stabit autem, potens est autem dominus rursum statuere illum **(Rom. XIV)**. Considera quid dixerit: *Potens est* [Col. 0463A] autem Dominus statuere illum. Non ille potens est, qui verba Domini praeterit.

XXV. Unde, fratres, magnopere devitemus alicujus mentem subvertere contra doctorem et monitorem suum; et meminerimus Scripturae dicentis: *Libera cor tuum a malitia, ut salveris* **(Jer. IV)**. Nec pro obedientia superbiam et contumaciam in cordibus nostris invicem seminemus. Qui enim timet Dominum suum, si viderit fratrem suum errare et labi, magis debet monstrare quae sancta sunt, et rectum iter ostendere, ut cum omni castitate et tremore Dei incedens, illam Salomonis exsequatur sententiam: *Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redimere de interfectione non cesses* **(Prov. XXIII)** Nec dicas, Nescio hunc. Scito quoniam Deus corda [Col. 0463B] omnium novit. Et Judas in Epistola loquitur sua: *Et hos quidem de igne rapientes, et odio habentes commaculatam tunicam* **(Jud. I)**. Caveamus hujuscemodi vestimentum, et *induamur potius armaturam Dei, ut possimus resistere contra insidias diaboli.* Non est enim nobis pugna contra carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principatus, adversus rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiae in coelestibus **(Ephes. VI)**.

XXVI. Hoc quoque maxime providendum est, ne quis in alteram domum et in alterius cellulam commendet aliquid, et contra monasterii faciat disciplinam. Qui talis est, non est in numero fratrum, sed mercenarius et advena; nec Pascha Domini inter sanctos debet comedere, quia factus est lapis scandali [Col. 0463C] in monasterio, et de eo posset dici: *Lapides de via mea projicite* **(Jer. XX)**. Si enim levitonaria nostra, quando lavamus, sicca non fuerint, usque ad vesperam non habemus potestatem apud nos tenere, damusque Praeposito cui crediti sumus, vel ei cui creditum est cellarium, ut deferat ad eum locum, ubi vestimenta pariter omnium reservantur, et mane nobis dantur, ut expandamus illa ad solem, et cum sicca fuerint, non apud nos tenemus, sed damus in commune servanda, juxta praecepta majorum; quanto magis ea quae proprie visus es possidere, si alteri commendaveris, aut in tua volueris esse potestate, peccas in monasterii disciplinam, et non intelligis Paulum tibi loquentem: *Vos autem in libertatem vocati* [Col. 0463D] estis, tantum ne libertate in occasionem carnis abutamini, sed charitate servite invicem **(Gal. V)**. Et iterum: *Dominus juxta est, nolite esse solliciti, sed estote in oratione intenti et deprecationibus* **(Phil. IV)**. Sciat quoque ille qui ab alio susceperit commendatum, et rem se arbitratur facere piam, ut fratrem refrigeret, quod peccet contra animam suam, subvertens regulam monasterii. O stulte, anima tua commissa est Praeposito tuo, et qui animam tuam corpusque custodit, indignus habebitur ut peritura conservet? Amemus justitiam, ut justificemur. Legimus enim: *Misericordia occurrit his qui faciunt veritatem.*

XXVII. Hoc quoque observandum est, ne quis stulta cogitatione deceptus, imo diaboli laqueis irretitus, [Col. 0464A] dicat in corde suo: Quando moriar, tunc dono fratribus quod habuero. O stultissime hominum, ubi hoc scriptum invenisti? Nonne omnes sancti servientes Deo statim omnem saeculi sarcinam deposuerunt? Nonne in Actibus apostolorum, omnia quae habebant ad pedes apostolorum deferebant **(Act. IV)**? Aut quomodo poteris mortuus justitiae induere vestimentum, qui illud vivus habere non meruisti? Quare oblitus es illud, quod scriptum est: *Quod seminaverit homo, hoc et metet* **(Gal. VI)**; et, *Unusquisque recipiet, juxta quod egit* **(Ephes. VI)**; et, *Reddet unicuique juxta opera sua* **(Rom. II)**; et iterum: *Ego Dominus scrutans corda et probans renes, ut reddam unicuique juxta vias suas, et juxta fructum adinventionum ejus* **(Psal. LXI)**? Quare nondum [Col. 0464B] versaris in vita, et in hoc corpusculo constitutus non audis David loquentem: *Thesaurizat, et ignorat cui congregat ea* **(Psal. CXLV)**, et sermonem evangelicum, avarum corripientem: *Stulte, hac nocte animam expetent a te:* quae autem praeparasti, cujus erunt **(Luc. XII)**? Et iterum: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Stulte, quare non vis audire Dominum cohortantem: *Vade, et vende omnia quae habes et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et veni, et sequere me* **(Matth. XIX)**? Quod adolescens audiens conversus est retro; non enim erat rectum cor ipsius, et ideo non potuit gravem divitiarum sarcinam deponere. Habebat quidem voluntatem, et Scriptura testatur, perfectae vitae, et splendore virtutum trahebatur ad laudem; sed retrahebant eum [Col. 0464C] currentem divitiae, nec poterat Salvatoris audire doctrinam, quia adhuc de mundi deliciis cogitabat. Unde et Salvator loquitur: *Difficile est eos, qui habent divitias, intrare in regna coelorum* **(Matth. XIX)**. Et iterum: *Nemo potest duobus dominis servire:* aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut uni est obediens, et contemnet alterum. Non potestis Deo servire et mammonae **(Luc. VI)**. Pharisaei autem cum essent avari,

haec audiebant et irridebant: quorum incredulitatem devitemus, nec irridemus eos qui nos provocant. Renuntiemus mundo, ut perfecti perfectum sequamur thesaurum. Quorum animam possidet avaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas. *Quaestus est magnus pietas cum sufficientia.* [Col. 0464D] Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid possumus: habentes enim victum et vestitum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum, in concupiscentias multas, quae sunt stultae et noxiae, et demergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas **(I Tim. VI)**.

XXVIII. Usque hodie Elias Israelem corripit dicens: *Quousque claudicatis pede? Deus est, ite et sequimini eum* **(III Reg. XVIII)**. Et nobis loquitur: Si mandata sunt Dei, quae per Patrem nostrum tradidit nobis, et quae sequentes possumus pervenire ad regna coelorum, toto eadem desiderio compleamus: si autem sequimur cogitationes nostras, et ad aliud tendit animus, cur non errorem simpliciter [Col. 0465A] confitemur, et ostendimus nos esse quod videri erubescimus? Ne forte dicatur et nobis: *Quare polluistis locum meum sanctum* **(Ezech. XXII)**? Et, *Ejiciam eos e domo mea* **(Oseae, IX)**. Siquidem conciliabula monachorum vere Dei domus est, et sanctorum vinea, sicut scriptum legimus: *Vinea facta est Salomoni in loco, qui vocatur Beelamon, dedit eam custodibus, unusquisque affert pro fructibus ejus mille argenteos.* Vinea mea in conspectu meo est, mille Salomoni, et ducenti his qui custodiunt fructum ejus **(Cant. VIII)**. Nec igitur polluentes eam projiciamur, sicut in Evangelio legimus ejectos esse de templo, qui vendebant in eo oves et boves; nummularios quoque ingrediens Dominus atque Salvator, et faciens sibi flagellum de funiculis, ejecit e templo, [Col. 0465B] et fundens aera mensasque vendentium, et his qui vendebant columbas ait: *Auferte haec omnia, et nolite facere domum Patris mei domum negotiatonis.* Scriptum est enim: Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus; vos autem fecistis eam speluncam latronum **(Luc. XIX; Marc. XI)**. Et alibi: *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus* **(Psal. LVI; Jer. VII)**.

XXIX. Obsecro vos, fratres, ne de nobis quoque dicatur: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est:* an domos non habet, ut bibatis et comedatis? Nisi forte Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent; ad quos dicitur: *Si quis esurit, domi comedat, ut non in judicium conveniatis* (I Cor. XI). Non sit domus nostra vocis alienae, ne illud [Col. 0465C] nobis congruenter aptetur: *Opera Aegypti non abstulerunt a se.* Et iterum: *In praeceptis meis non ambulaverunt, et sabbata mea contaminaverunt;* propterea cum clamaverint ad me, ego non exaudiam eos **(Ezech. XX)**. Non permaneamus in cordis duritia, et ad iracundiam provocemus Deum, et fiat inimicus noster, et dicat: *Ego autem dabo eis praecepta non bona, et justificationes in quibus non vivant* (Ibid.); quia comederunt fructum mendacii, et adoraverunt opera manuum suarum, et repleta est terra eorum a principio augurio, ut terra alienigenarum.

XXX. Ne postquam renuntiaverimus saeculo, et coeperimus vexillum crucis sequi, iterum ad posteriora conversi, quaeramus refrigerium temporale, imitantes Ephraim dicentem: *Dives factus sum,* et [Col. 0465D] inveni refrigerium mihi **(Oseae XII)**; ne audiamus illud, quod et ille meruit audire: *Omnes labores illius non inveniuntur prae iniquitatibus, in quibus peccavit.* Et ne illud impleatur in nobis: *Coepistis spiritu, et*

nunc carne consummamini: tanta passi estis sine causa **(Gal. III)**? Et ille contra nos sermo dicatur: *Lex periit a sacerdote, et consilium a senioribus;* et manus populi dissolutae sunt, senes de porta quieverunt, electi a psalmis suis cessaverunt **(Ezech. VII)**. Rursumque dicatur: *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus* **(Rom. II)**: et contemptis institutionibus Patris nostri subrepat oblivio, mediatoremque Dei atque sanctorum nostro vitio negligamus.[Col. 0466A]

XXXI. Quis enim fructus, aut quod signum praeceptorum Dei inveniatur in nobis, aut in quo professionem impleamus arreptam? Nonne omnia dimisimus, et avaritiae subjacemus, et dicitur nobis: *Unde bella, et pugnae* **(Jac. IV)**? Nonne ex avaritia? Nam quia unusquisque quaerit utilitatem suam, non proximi, usque hodie vivens Ezechiel prophetali sermone nos corripit dicens: *Negationes erant in te.* Filius inhonorat patrem, et Pater exprobrat filio **(Ezech. XXVII)**. Quid in die judicii respondebimus, aut quid in novissimo tempore pro defensione nostra poterimus obtendere? Haec omnia facta sunt nobis, quia *Sacerdotes plauserunt manibus, et populus dilexit similiter.* Quia sicut populus, sic sacerdos **(Jer. V)**. *Propterea* reddam ei, inquit, *secundum vias suas,* et [Col. 0466B] cogitationes illius restituam ei **(Oseae IV)**.

XXXII. Non de omnibus vobis haec loquor, sed de his qui majorum praecepta contemnunt; multoque *melius erat illis ignorare viam justitiae, quam scientes reverti ab eo quod traditum est illis sancto mandato* **(II Petr. II)**. De hujuscemodi hominibus moerens Jeremias scribit: *Defecerunt in lacrymis oculi mei, conturbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea, super contritione filiae populi mei;* quia defecit parvulus et lactens in plateis civitatis. Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis urbis, cum funderent animas suas in sinu matrum suarum **(Thren. II)**. Scimus quod *non in fortitudine equi velit Deus, neque in femoribus viri sibi complaceat* (Psal. [Col. 0466C] CXLVI).[Col. 0466C]

XXXIII. Et idcirco revertamur ad Dominum Deum nostrum, ut quando oraverimus, exaudiat nos qui quotidie hortatur ut vacemus et cognoscamus eum. Et alibi loquitur: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos.* Et iterum: *Revertimini ad me, filii recedentes, et ego dominabor vestri* **(Jer. III)**. Ezechiel similiter contestatur ac dicit: *Quare moriemini, domus Israel? Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut revertatur de via mala sua, et vivat* **(Ezech. XVIII)**. Et clementissimus ac totius honitatis caput clamat in Evangelio ad nos Dominus atque testatur: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis [Col. 0466D] requiem animabus vestris **(Matth. XI)**. Consideremus quod bonitas Dei ad poenitentiam nos provocet, et sancti viri cohortantur ad salutem. Non induremus corda nostra, neque thesaurizemus iram nobis in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua **(Rom. II)**; sed ex toto corde revertamur ad Dominum, et secundum Moysi verba memorantis: *Si revertaris ad Dominum ex toto corde tuo, mundabit cor tuum, et cor seminis tui* **(Deut. XXX)**.

XXXIV. Laboremus sicut boni milites Christi, et observemus illud quod scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei cui militat placeat* **(II Tim.**

II). Si autem quis et in agone [Col. 0467A] contendat, non coronatur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus ejus participare. Scriptum est: Omnes populi ibunt unusquisque in viam suam. *Nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur;* ipsi impediti sunt et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus **(Psal. XIX)**.

XXXV. *Qui ambulat in die, non impingit;* qui autem in nocte graditur, impingit, quia lumen non est in eo **(Joan. XI)**. *Nos autem, sicut dixit Apostolus, non sumus filii praevaricationis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae* **(Heb. X)**. Et alibi: *Omnes,* inquit, *filii lucis estis, et filii Dei* **(I Thes. III)**. Non sumus filii noctis, neque tenebrarum. Si ergo sumus filii lucis, debemus scire quae lucis sunt, et [Col. 0467B] facere fructus luminis in omni opere bono: quod enim manifestatur, lux est. Si in toto corde revertamur ad Dominum, et in praeceptis sanctorum illius et Patris nostri simplici corde conversamur, abundabimus in omni opere bono. Quod si superemur carnis voluptatibus, in die quasi in media nocte parietem palpabimus: et non inveniemus viam civitatis et habitaculi nostri, de quo dicitur: *Esurientium et sitientium anima deficit* **(Psalm. CVI)**; quia contempserunt legem sibi a Deo traditam, et vocem prophetarum non audierunt: et idcirco non potuerunt ad promissam requiem pervenire.

XXXVI. Vigilemus et attenti simus: si enim naturalibus non pepercit, nec nobis parcet. Non de cunctis, sed de negligentibus loquor, quibus jure [Col. 0467C] aptabitur illa deploratio: *Vae eis qui recesserunt a me.* Manifesti sunt, quia impie egerunt in me, quia dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi contritos lacus, qui non possunt aquam continere **(Jer. II)**. Et quia non audierunt judices ejus, audiant dicentem Deum: *Constitui super vos speculatores.* Audite vocem tubae. Et dixerunt: Non audiemus **(Jer. II)**. Unde ista incredulitas? Nonne ex eo quia alienos cognoverunt, et non adversati sunt? Loquitur et alibi Spiritus sanctus per prophetam: *Ego enim sum Deus Dominus tuus, qui formavi coelum, et creavi terram;* cujus manus condiderunt omnem coeli militiam, et non ostendit ea tibi, ut ambulares post illam **(Isai. XLV)**. Quod quidem et per Moysem praecepit, dicens: *Non cum suspexeris coelum,* et videris solem [Col. 0467D] et lunam ac stellas, et omne ornamentum coeli, errore coeli deceptus adores ea **(Deut. IV)**. *Ego sum Deus, qui eduxi te de terra Aegypti, et Deum extra me nescis, et qui salvos posset facere, non est praeter me.* Ego sum, qui te pavi in solitudine, in terra inhabili, et impleti sunt saturitate, et elevata sunt corda eorum **(Exod. XX)**. Idcirco *obliti sunt mei, et ego tradam eos dispersioni in gentibus cunctis* **(Jer. IX)**.

XXXVII. Quae audientes quasi de somno expergiscamur, et praebeamus nos dignos Domini servituti, ut misereatur et dicat nobis: Invocate me, et ego exaudiam vos. Ipse enim ait: *Qui dispersit Israel, congregavit eum.* Et alibi: *Non faciam, inquit, juxta iram furoris mei, nec sic relinquam,* ut [Col. 0468A] deleam Ephraim. Et iterum: *Non in aeternum puniam vos, nec semper irascar vobis.* Spiritus enim a me egreditur, et omne quod spirat ego feci. Et in eodem loco jungit ac dicit: *Dedi eis consolationem veram, pacem super pacem his qui erant prope et longe:* dixitque Dominus: Sanabo eos **(Jer. XXXI)**. Cujus ut plene misericordiam cognoscamus, Jeremiae sermone docet, dicens: *Si elevatum fuerit coelum in sublime, et si humiliatum pavimentum terrae deorsum, ego non replebo gentem Israel pro omnibus quae fecerunt* **(Jer. III)**.

XXXVIII. Cumque tanta clementia sit Salvatoris Domini, et nos provocet ad salutem, convertamus corda nostra ad eum: *Quia jam hora est, ut de somno evigilemus;* nox praecessit, dies autem appropinquavit; [Col. 0468B] deponamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis **(Rom. XIII)**. Filioli mei, primum ex toto corde diligamus Deum, deinde nosmetipsos amemus mutuo, memores praeceptorum Dei Salvatoris, in quibus ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis:* non sicut mundus dat pacem, ego do vobis. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, et prophetae**(Joan. XIV)**.

XXXIX. Si quis in domo monasterii sub Praeposito manens, nulla re indigens quam in monasterio habere permissum est, et habet patrem fratremque et amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem. Si autem comprobatum fuerit quod minus habeat de his quae praecepta sunt, culpa omnis [Col. 0468C] atque correctio ad Praepositum convertetur.

XL. Vos igitur qui estis principes monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere, et esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes vos reddituros rationem pro omni grege, *super quem vos Spiritus sanctus constituit inspicere, et pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine* **(Act. XX)**. Propterea *nos, qui fortiores sumus, debemus infirmitates invalidorum portare, et non nobismetipsis placere, sed proximo in bono ad aedificationem.* Nam et Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me **(Rom. XV)**. Et iterum: *Non* quaero, inquit, *quod mihi expedit, sed quod omnibus, ut salvi fiant* (I Cor. XX)[Col. 0468D]

XLI. Si autem Dominus ac Salvator noster ita praecipit, et sancti ita conversati sunt, patres quoque nostri ita nos docuerunt, consurgamus a somno, et quae sunt nobis praecepta faciamus. *Quaecunque scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* **(Rom. XV)**, et nullus nostrum causa sit erroris alieni, nec aemulemur eos qui prospere agunt in vita sua. Cum enim omnia necessaria carni fuerint consecuti, morientes nihil secum asportabunt. Filii saeculi hujus habent in hoc saeculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, et mundus amat quod suum est. Qui autem filii Dei sunt, illius sermonis evangelici recordantur: *Si mundus vos odit,* scitote [Col. 0469A] quod me primum oderit **(Joan. XV)**. Et iterum: *Qui voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus fiet Deo.* Et rursum: *Tribulationem habebitis:* sed confidite, ego vici mundum. Et iterum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum **(Matth. V)**. De filiis autem noctis quid e contrario dicitur? Nonne illud? *Vae vobis, divites, quoniam recepistis consolationem vestram.* Vae vobis qui saturati estis nunc, quia esurietis. Vae vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis ac flebitis **(Luc. VI)**.

XLII. Quamobrem mundi amicitias devitemus, ut illud mereamur audire: *Ad vesperam demorabitur* [Col. 0469B] fletus, et ad matutinum laetitia. Audivit Dominus, et misertus est mei. Scidisti saccum meum, et accinxisti me laetitia. Quis enim sanctorum non in luctu ac tristitia per mundi hujus transivit viam? Jeremias: *Non* sedi, inquit, *cum consilio ludentium, sed tremebam a facie manus tuae.* Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum **(Jer. XV)**. David quoque scribit: *Quasi lugens ac moerens sic humiliabar*

(Psal. XXXIV). Quorum nos vestigiis insistentes intelligimus quod salus nostra in tempore tribulationis sit, et prophetae pollicitatio impleatur dicentis: *Non relinguuntur, qui in angustia sunt usque ad tempus.* Si ergo habet tempus tribulatio et angustia, et non erit sempiterna, seminemus in lacrymis, et metamus in gaudio, non deficientes; quod noverimus Dominum [Col. 0469C] de tentatione liberare cultores suos.

XLIII. Dominus pater noster est; Dominus judex noster est; Dominus princeps, Dominus rex noster; Dominus ipse nos salvabit; cujus praecepta si neglexerimus, permanebimus in angustia. Ipse enim dicit: *Qui sequuntur me, possidebunt terram, et haereditabunt montem sanctum meum* **(Isai. LVII)**: quem et nos possidebimus, si impleamus legem ejus, et audiamus illud quod dicitur: *Mundas facite in conspectu ejus vias vestras.* Et iterum: *Tollite offendicula de via populi mei.* Et alibi: *Ejicite de consilio pestilentem, et egredietur cum eo contentio* **(Jer. XV)**. Qui justum dicit injustum, et injustum judicat justum, uterque in conspectu Dei immundus est. Caveamus ne dicatur et de nobis: *Filii alienati sunt ei* [Col. 0469D] **(Psal. XVII)**. Et illud: *Filiae Sion elevatae sunt, et ambulaverunt in excelso collo, et in superbia oculorum, trahentes pedibus tunicas, et pedibus simul ludentes* **(Isai. III)**, et in correptione nostra rursum prophetalis sermo concordet, dicens: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion, plena judicio, in qua justitia dormit? Nunc autem latrones* **(Isai. I)**. Et: *Populus intelligens commiscebatur meretrici.* Tu ergo, Israel, ne ignoraberis **(Oseae IV)**. Si vero divina meditemur, poterimus illud dicere, quod et David: *Exsultabo super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* **(Psal. CXVIII)**. Et: *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel et favum ori meo.* Cantabiles mihi erant justificationes tuae in loco peregrinationis meae [Col. 0470A] **(Psal. CX)**. Et in alio loco: *Non proposui ante oculos meos rem iniquam:* facientes iniquitatem odio habui. Et non adhaesit mihi cor pravum, declinantes a me malignos non agnoscebam; detrahentem in absconso proximo suo, hunc persequebar, superbo oculo et insatiabili corde cum hoc simul non edebam. Oculi mei super fideles terrae, ut facerem eos sedere mecum.

XLIV. Quorum omnium nos imitemur opera, ut sit in diebus nostris pax et justitia, et non nobis illud eveniat, quod alibi legimus: *Super terra populi mei spinae et fenum consurgent* **(Isai. XXXII)**. Sed magis innovemus nobis novalia, et non seminemus super spinas. Cumque custodierimus quae mandata sunt nobis, manifesti erimus quod diligamus Deum, [Col. 0470B] sicut testatur et in alio loco Scriptura divina: *Qui audit mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Qui autem diliget me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et veniemus ego et Pater meus, et mansionem apud eum faciemus, et ostendam ei meipsum **(Joan. XIV)**. Et, *Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis* **(Joan. XV)**. Tollamus nobiscum multos sermones, et convertamur ad Dominum Deum nostrum, et dicamus ei: *Potes dimittere peccata, ut accipiamus bona, et reddamus ei fructum labiorum nostrorum* **(Oseae XIV)**, et delectetur in nobis anima nostra.

XLV. Atque utinam poeniteat nos erroris et negligentiae, et conversi ad priora dicamus: *Assur non salvabit nos;* super equos non ascendemus; nec [Col. 0470C] jam dicemus: Dii nostri opera manuum nostrarum. Deus qui in te est miserebitur pupilli, sanabo habitacula eorum **(Oseae XIV)**. Rursumque dicet de nobis: *Diligam eos manifeste, et*

avertam iram meam ab eis. Ero quasi ros; Israel florebit ut lilium, et mittet radices suas quasi Libanus. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva fructifera, et odor ejus ut thuris. Revertentur et sedebunt unusquisque in tabernaculis suis, et vivent, et confirmabuntur frumento: florebit sicut vinea memoria eorum, sicut odor thuris Ephraim. Quid ei et idolis? Ego humiliabo eum, et confortabo eum. Ego ut juniperus condensa; ex me fructus ejus inventus est. Quis sapiens, et intelligit haec; aut intelligens, et cognoscit ista (*Ibid.*)? Atque utinam et nos ex eo fructum afferre valeamus, sine quo nihil [Col. 0470D] boni operis fieri potest.

XLVI. Revertamur ad Dominum, ut de nobis quoque possit dicere: *Peccatorum et iniquitatis eorum memor amplius non ero* **(Isai. XLIII)**. Non relinquamus legem Dei, quam Pater noster ab eo accipiens nobis tradidit, neque parvi ejus mandata pendamus; ne et super nos planctus ille dicatur: *Quomodo obscuratum est aurum, et immutatum argentum bonum:* effusi sunt lapides sancti in omni viarum principio **(Thren. IV)**? Nec post plurimos labores Patris nostri, quos pro salute nostra suscepit, seipsum exemplum virtutis tribuens, glorians de nobis, et apud sanctos loquens. Isti filii mei sunt, et populus meus filii mei, et non denegabunt; et post hujuscemodi testimonium [Col. 0471A] non perdamus fiduciam bonae conscientiae, spoliati vestibus quibus nos induit; et introducti ab eo in stadium, ut legitime certemus, non superemur ab inimicis nostris. Et postquam venerimus ad illud tempus quo egrediamur de corpore, ne inimici efficiamur Patris nostri thesauris servientes: ut qui jejuniis et afflictione corporis debuimus acquirere animae libertatem, carni et deliciis, et pulchrioribus vestimentis, stratisque mollioribus nos dedicemus, non solum ipsi pereuntes, sed et alios qui proficere potuerunt exemplo nostro ducentes ad ruinam, de quibus scriptum est: *Non accepistis spiritum servitutis timorem* **(Rom. VIII)**, sed fortitudinis, et charitatis, et pudicitiae. Et: *Cibus nos non commendat Deo.* Neque enim si comederimus, abundabimus: nec si [Col. 0471B] non comederimus, indigebimus. Non est enim regnum Dei cibus et potus, sed justitia, gaudium, et pax in Spiritu sancto **(Rom. XIV)**. Qui in hoc servit Christo, placet Deo, probatus est omnibus. Isaias quoque dicit: *Qui exspectant Lominum, immutabunt virtutem, assument pennas ut aquilae;* current, et laborabunt; gradientur, et non esurient **(Isai. XL)**. *Idcirco elevabit signum in gentes, et congregabit profugos Israel.* Cito velociter venient: non esurient, neque dormitabunt. Non dormient, nec solvent zonas de lumbis suis, neque rumpentur in calceamentis eorum corrigiae. Quorum jacula acuta sunt, et intenti arcus; pedes equorum, ut petra fortissima: rotae curruum quasi tempestas; impetum facient ut leones, et aderant ut catuli leonum **(Ibid. V)**.[Col. 0471C]

XLVII. Et nos igitur sanctorum imitatores simus, nec obliviscamur institutionis, qua nos erudivit Pater noster, dum adhuc esset in corpore. Ne exstinguamus lucernam ardentem, quam posuit super capita nostra. Ad cujus lumen hujus saeculi incedentes, meminerimus, quod per studium illius Deus nos in propriam familiam receperit, peregrenis hospitium tribuens, in maris turbinibus constitutis portum ostendens, panem in fame, umbram in aestu, vestimentum in nuditate; imperitos praeceptis spiritalibus erudivit; vitiis servientes castitate circumdedit; procul positos sibi junxit. Ne post illius dormitionem obliviscamur tantae bonitatis et beneficiorum immortalium, vertentes furorem in judicium, et fructum justitiae in amaritudinem, et loquatur contra [Col. 0471D] nos: *Judicate inter me et vineam meam.* Exspectavi ut faceret fructum, et fecit

iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem **(Isai. V)**; et veniat super nos illa maledictio, quam prophetalis sermo ille prosequitur, et quam omni studio fugere ac vitare debemus, sequentes conversationem eorum qui nos in Domino praecesserunt Patrum pariter ac fratrum: qui renuntiantes saeculo, et inoffenso ad Dominum pergentes gradu, nunc ejus haereditate potiuntur: quam vereor ne perdamus nostra desidia, et illud nobis propheticum aptetur, quod dictum est in Ephraim: *Oleum in Aegyptum mercatur* **(Oseae XXII)**. *Mixti sunt in gentibus, et didicerunt opera eorum* **(Psal. CV)**. Ne postquam vocati sumus in libertatem, [Col. 0472A] sicut scriptum est: *Tollam vos unum de populo, et duos de familia, et inducam vos in Sion, et dabo vobis pastores secundum cor meum, qui pascant vos cum disciplina* **(Jer. III)**; resolvantur vincula charitatis, et dicatur de nobis: *Filius glorificat patrem, et servus dominum suum.* Si pater ego sum, ubi est gloria mea? Si Dominus, ubi est timor meus **(Malach. I)**?

XLVIII. Idcirco unusquisque nostrum clamat ad Dominum: *Muri Sion deducant sicut torrentes iacrymas die ac nocte.* Ne des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Surge, et lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum: effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. Leva ad illum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt in capite [Col. 0472B] universorum gressuum **(Thren. II)**. Ne illud contra nos dicatur: *Luxit et corruptus est orbis.* Luxerunt excelsi terrae, et terra impie egit propter habitatores suos: dereliquerunt enim legem, et immutaverunt praecepta mea testamentum aeternum. Idcirco maledictio devorabit terram, quia peccaverunt habitatores ejus, et dereliquerunt homines pauci **(Isai. XXIV)**. Ne et nostrum vinum lugeat et vinea, et ingemiscant, qui prius toto animo laetabantur, dicaturque de nobis: *In domo insaniam confinxerunt, corrupti sunt sicut dies collis.* Aut illud: *Captio ex vobis est.* Et, *Dixistis enim, fecimus testamentum cum inferno, et cum morte pactum* **(Isai. XXVIII)**. Quae verba vitantes, credimus magis, quod in tempore suo *Orietur stella ex Jacob,* et exsurget homo de [Col. 0472C] Israel, qui percutiet principes Moab, et filios Seth **(Num. XXIV)**. *Ut non sit in domo Israel stimulus furoris, et spina doloris* **(Ezech. XXVIII)**. *Quia facta est Domino pars ejus Jacob, funiculus haereditatis ejus Israel* **(Deut. XXXII)**. Et alibi loquitur Jeremias: *Si cessaverit in conspectu meo lex ista, gens etiam Israel cessare poterit* **(Jer. XXXI)**. Et rursum: *Dabo laborem eorum justis, et tastamentum aeternum ponam cum ipsis, et scietur in gentibus semen eorum, ac nepotes.* Omnis, qui viderit eos, cognoscet, quia isti sunt semen a Domino benedictum, et gaudia perfruentur Domini **(Isai. LXI)**.

XLIX. Et nos ergo scrutemur vias nostras, et gressus dijudicemus, et sequamur odorem scientiae: abscondentes semper verba ejus in cordibus nostris, [Col. 0472D] ut simus immaculati in via, et in lege Domini ambulemus. Non nos terreat fragilitas corporis, et longi temporis labor. *Patres vestri ubi sunt, et Prophetae,* ut scriptum est, *nunquid aeternum vivent? Verba autem mea et legitima mea suscipite, quae ego praecipio in Spiritu meo servis meis prophetis, qui fuerunt cum patribus vestris* **(Zach. I)**. Sentiamus ineffabilem clementiam Dei nostri, qui usque hodie ad poenitentiam nos hortatur, dicens: *Nunquid qui cadet non resurget? aut qui aversatur, non revertetur? Quare aversatus est populus meus aversione impudenti, et obtinuerunt in voluptatibus suis, et noluerunt reverti* **(Jer. VIII)**? Si reversi fuerimus ad eum, aedificabit nos

Spiritu suo, juxta illud quod scriptum est: *Aedificans* [Col. 0473A] Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit **(Psal. CXLVI)**.

L. Quod autem nostri coetus et communio ex Deo sit, qua nos invicem copulamur, Apostolus nos docuit dicens: *Bonorum operum communionis oblivisci nolite, talibus enim victimis placatur Deus* **(Hebr. XIII)**. In Actibus apostolorum quoque idem legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, et nullus suum quid dicebat, sed erant eis universa communia.* Et virtute magna dabant apostoli testimonium resurrectionis Domini Jesu **(Act. IV)**. Et Psalmista in eadem verba consensit, dicens: *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum* **(Psal. CXXXII)**. Et nos in coenobiis commorantes, et nobis mutua charitate sociati, demus studium, [Col. 0473B] ut quomodo sanctorum Patrum in hac vita meruimus consortium, ita in futuro quoque participes eorum simus: scientes quod crux vitae nostrae doctrinaeque principium sit, et oporteat nos cum Christo pati, et nosse, quod absque tribulationibus et angustiis nullus victoriam consequatur. *Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, coronam vitae accipiet* **(Jac. IV)**. Et iterum: *Laboravit in saeculum, et vivet in aeternum.* Si tamen compatimur, ut et glorificemur. Aestimo, inquit, *quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII)**. Et alibi scriptum est: *Existimavi, ut cognoscerem hoc, labor est in conspectu meo* **(Psal. LXXII)**. Et iterum: *Ego laboravi sequens te,* et diem hominum non consideravi [Col. 0473C] **(Jer. XVII)**. Et alio loco: *Multae tribulationes justorum, et ex omnibus his liberabit eos Dominus* **(Psal. XXXIII)**. Et Dominus noster loquitur in Evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X)**. Et alibi: *Hic est liber mandatorum, et lex scripta in sempiternum.* Omnes qui observaverint eam, vivent; qui autem dereliquerint, morientur. Revertere, Jacob, et apprehende eum; ambula in splendore luminis ejus, et non des alteri gloriam tuam, et ea quae conducunt tibi, genti alienae. Beati sumus, Israel, quia placita Deo nostro nota sunt nobis. Confide, popule meus, memoriabilis Israel **(Baruch. IV)**. Et iterum Isaias loquitur: *Laetare, Israel, et festum agite diem, omnes qui diligitis eum.* Gaudete, qui confiditis in eo, ut fugatis, et impleamini ex uberibus consolationis [Col. 0473D] ejus **(Isai. LXVI)**.

LI. Habeamus curam legendarum et discendarum Scripturarum, et in earum semper meditatione versemur, scientes scriptum: *Ex fructu oris sui vir saturabitur, et merces labiorum ejus reddetur* **(Prov. XIII)**. Haec sunt quae nos ducunt ad aeternam vitam quae nobis tradidit Pater noster et jugiter meditanda praecepit; ut impleatur illud in nobis, quod scriptum est: *Erunt haec verba, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo et in anima tua;* docebis ea filios tuos, et loqueris in eis sedens in domo, et ambulans in via, et accubans, atque consurgens. Scribe ea pro signo in manu tua, et erunt immobilia ante oculos tuos. Scribes quoque ea in postibus domuum tuarum, [Col. 0474A] et in liminibus, ut discatis timere Dominum cunctis diebus quibus vivitis **(Deut. XI)**. Salomon quoque ipsum significans dicit: *Scribe ea in latitudine cordis tui* **(Prov. III)**.

LII. Considerate quantis testimoniis ad meditationem sacrarum Scripturarum nos sermo Domini cohortetur, ut quae ore volvimus, corde possideamus. *Bonum est homini, cum*

levaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit, quoniam levabit super se jugum, dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, quoniam non semper abjiciet Dominus **(Thren. III)**. Et alibi scriptum est: *Recordatus sum misericordiae infantiae tuae.* Et iterum: *Laetare, juvenis, in adolescentia tua, et exsultet cor tuum in diebus juventutis tuae,* et ambula in viis cordis tui [Col. 0474B] absque macula, et in conspectu oculorum tuorum, et scito quoniam in omnibus his adducat te Dominus in judicio. Aufer furorem a corde tuo, et malitiam a carne tua, quoniam adolescentia et stultitia vanitas est **(Eccl. XI)**. Et, *Memento creatoris tui in diebus adolescentiae tuae, donec veniant dies pessimi, et occupent anni, in quibus dices:* Non est mihi in eis voluntas; donec obtenebrescat sol, et lux, et luna, et stellae, et convertantur nubes post pluviam. In die qua movebuntur custodes domus, et subvertentur viri virtutis, et cessent molentes, quia paucae factae sunt; et obscurabuntur, quae vident in foraminibus, et claudent vias in foro in infirmitate vocis molentis. Et exsurgent ad vocem passeris, et humiliabuntur omnes filii cantici. Et quidem ab alto aspicient, et pavores in via, et floreat [Col. 0474C] amygdalum, et ingrassetur locusta, et scindatur capparis. Quoniam abiit homo in domum saeculi sui, et gyraverunt in foro qui plangunt, quoadusque evertatur funiculus argenti, et conteratur monile auri, et confringatur hydria ad fontem, et impediatur rota super lacum, et convertatur pulvis in terram, sicut fuit, et spiritus revertatur ad Dominum, qui dedit eum **(Ibid. XII)**. In Evangelio quoque scriptum est: *Pueri, nunquid habetis pulmentum? Mittite in dexteram partem navis, et invenietis* **(Joan. XXI)**. Et iterum: *Omnis puer ac juvenculus, qui nescit hodie bonum ac malum, ipsi intrabunt in terram bonam.* Ac rursum: *Omne masculinum quod aperit vulvam, sanctum vocabitur* **(Exod. LIV)**. Et in Evangelio: *Puer autem ibat, et crescebat,* et proficiebat apud Deum et apud [Col. 0474D] homines **(Luc. II)**. Jesus quoque minister Moysi juvenis erat, et non egrediebatur de tabernaculo Dei. Et de David scriptum legimus: *Puer flavi coloris, elegantibus oculis* **(I Reg. XVI)**. Timotheus quoque adhuc puer et adolescens sacris litteris eruditus est, ut ad fidem Domini Salvatoris illarum semita perveniret. Et de Daniele, quia eruditus erat, scriptum legimus, quod vir desideriorum appellatus sit **(Dan. X)**. Joseph quoque erat dilectissimus patri suo, quoniam ejus imperiis serviebat, et decem ac septem adhuc natus annos praecepta illius legem vitae suae arbitrabatur.

LIII. Et haec cuncta replicavi, ut sanctorum vitas considerantes, non circumferamur omni vento doctrinae [Col. 0475A] **(Ephes. IV)**, sed laboremus, et eorum conversationem nostrae vitae propositum habeamus exemplum, ut simus populus Dei peculiaris. Nec contristemus Spiritum sanctum, in quo signati sumus in die redemptionis; ne illum exstinguamus in nobis: et prophetias non contemnamus; ne forsitan volenti Spiritui sancto habitare in nobis non demus locum. Nullum alium timeamus, praeter Deum, qui ultor et judex est operum singulorum, et cum sancto sanctus est, et cum viro innocente innocens **(Psal. XVII)**; et dicit: *Ego amantes me diligo, et qui me quaerent invenient gaudium* **(Prou. VIII)**. Et alibi loquitur: *Si ambulaveritis contra me perversi, ego ambulabo contra vos perversus* **(Lev. XXVI)**.

LIV. Non irascamur invicem **(Psal. IV)**: etiamsi [Col. 0475B] ira nos vicerit, non peccemus irati, solis occubitum poenitentia praeoccupantes **(Matth. XVIII)**. Meminerimus esse praeceptum, quoties peccanti in nos ignoscere debemus, et munus nostrum relinquere

ante altare: quod nequaquam suscipitur, si non fuerit reconciliatione placabile **(Ibid. V)**: ut possimus dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* **(Luc. XI)**. Et Apostolus praecepit: *Si quis habet adversus aliquem querimoniam, sicut et Christus donavit nobis, sic facite* **(Col. V)**. Simus discipuli mansuetudinis sanctorum omnium, et praecipue David, de quo scriptum est: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* **(Psal. CXXXI)**. Et Moysi, de quo legitur, quod fuerit mansuetus super omnem terram **(Num. XII)**. Et Dominus [Col. 0475C] in Evangelio de mansuetis ac mitibus loquitur: *Beati mansueti et mites corde, quoniam ipsi possidebunt terram* **(Matth. V)**. Magnae sapientiae est, mansuetudinem possidere, et audire: *Sapiens esto, fili, ut laetetur cor meum* **(Prov. X)**. Et iterum: *Imitatores estote Dei, filii charissimi* **(Ephes. V)**. Et, *Estote perfecti, sicut et Pater vester, qui in coelis est, perfectus est* **(Marc. V)**. Et alibi: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus* **(Lev. V)**.[Col. 0476A]

LV. Quae legentes testimonia, seminemus nobis justitiam, ut metamus fructum vitae. Illuminemus lucem scientiae, quia tempus est ut cognoscamus Deum, donec veniat fructus justitiae nobis. *Ecce nunc tempus acceptabile, et dies salutis* **(II Cor. VI)**. Et vere, secundum quod scriptum est, *Plenitudo legis est dilectio* **(Rom. XIII)**. Joanne in haec eadem concinente: *Hoc praeceptum accepimus a Patre, ut diligatis invicem* **(Joan. XV)**. Et, *Qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* **(II Joan. IV)**. Et, *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, occidit fratrem suum.* Et quare occidit? quia opera ejus maligna erant; fratris autem ejus bona. Non admiremur, fratres, si oderit nos mundus: nos scimus, quia transivimus de morte ad vitam, eo quod diligamus fratres **(I Joan. III)**. Ergo [Col. 0476B] diligamus nos mutuo.

LVI. Loquar aliud ad vos audentius, filii charissimi. Ex quo credidit mihi Deus conversationis vestrae et sanctae conversationis gregem, non cessavi lacrymis monere, et docere singulos, ut placeatis Deo; nec subtraxi aliquid, quod vobis utile sentiebam, ut dicerem: *Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae ejus, qui potest vos aedificare, et dare vobis haereditatem cum sanctis* **(Act. XX)**. Vigilate, omni studio curaque contendite, ne obliviscamini propositi vestri, sed implete quod vos scitis esse pollicitos. *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae adest:* qui certamen bonum ex parte certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De caetero reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi [Col. 0476C] Dominus in illa die justus judex: non solum mihi, sed et omnibus qui dilexerunt justitiam ejus **(II Tim. IV)**, et omnia Patris mandata fecerunt. *Finis verbi:* omnia audi, Deum time, et mandata ejus custodi; quoniam omnis homo: universum opus Deus adducet in judicium, sive bonum, sive malum sit **(Eccl. XII)**.

Explicit doctrina sancti Orsiesii.

REGULA ORIENTALIS ORIENTALIUM REGULIS COLLECTA A VIGILIO DIACONO.

[Col. 0475D]

DE REGULA ORIENTALI VETERUM TESTIMONIA.

Gennadius Massiliensis Script. Eccl., cap. 51.

Vigilius diaconus composuit ex traditione Patrum, monachorum regulam, quae in coenobio ad profectum fratrum in conventu legitur, breviato et aperto sermone, totius monasticae professionis in se tenentem disciplinam.

Sanctus Benedictus Anianae abbas Concordiae Regularum multa Orientalis, sive Orientalium regulae capita inserit.

Smaragdus quoque abbas in expositione Regulae sancti Benedicti, cap. 28, Regulam Orientalem, capite autem 31, Regulam Patrum Orientalium appellat.

Annales Trevirenses in Apologia monasterii sancti Maximini part. II, cap. 1. Et apud Christoph. Broverum lib. VII Annal. Trevir.

Erecta fuit ibidem religio Christiana monastica sub Regula Orientalium Monachorum.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hucusque octo Regulae Orientalium Patrum exhibitae sunt in hoc Lucae Holstenii Codice, ex quibus Vigilius diaconus hanc monachorum Regulam composuit, quae proin merito et *Orientalis dici potest, quamvis in Occidente scripta videatur*. Laudat quidem hane Regulam Gennadius, asseritque illam breviato et aperto sermone totius monasticae professionis disciplinam continere, ex qua proin sanctus Benedictus, Anianae abbas, suae Regularum Concordiae multa inseruit; quemadmodum et Smaragdus, Sancti Michaelis in Lotharingia abbas, in sua Regulae Benedictinae Expositione. Constat autem haec Regula XLVII capitibus, quibus includitur quidquid ad bonum cujusque monasterii regimen pertinet, et quae ex Regula sancti Pachomii plerumque desumitur; cum persaepe ibidem propriae sancti Pachomii sententiae reperiantur. Vixit quidem Vigilius diaconus saeculo quinto, sed ignoratur cujus ecclesiae fuerit diaconus, quamvis apud Gallos floruisse supponi possit, cum nonnulli contendant hanc Regulam Orientalem, ab ipso compositam, in monasterio Sancti Maximini Trevirensis eodem saeculo fuisse observatam.

[Col. 0477B]

INCIPIT REGULA ORIENTALIS.

[Col. 0477A]

I. Ut neque seniores in regendis fratribus inaniter laborent, neque disciplina juniorum vacillet, quae abbatis conversatione stabilita firma sit, oportet abbatem irreprehensibilem esse, severum, patientem, jejunum, pium, humilem: ut doctoris et

Patris locum impleat seipsum formam praebens bonorum operum. Ad cujus ordinationem omnes fratres respiciant; nihil sine consilio et auctoritate ipsius facientes. Qui sustinens monasterii necessitates de omnibus quae in monasterio sunt libere judicabit; nullius personam accipiens, nec ulli gratiam praestans, seu unumquemque secundum merita quotidianae conversationis in veritate judicans, admoneat, hortetur, castiget, condemnet, vel suscipiat, si ita utile videtur, venientes ad monasterium; vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, [Col. 0477B] male habitantes.

II. In monasterio seniores sint duo, ad quos vel praesente abbate vel absente omnium fratrum disciplina et omnis cura monasterii pertineat: dantes sibi vices per dies, et dividentes inter se pondus ac necessitatem monasterii; ex quibus unus tempore suo praesens in monasterio semper erit, ad praestandum abbati solatium, vel obsequium advenientibus fratribus; et ad procedendum, ubi necessitas communis exegerit, atque diligentiam circa omnia quae ad quotidianam custodiam et conversationem monasterii pertinent adhibendam: ut quaecunque ad obsequium usumque monasterii facienda sunt, sine negligentia et querela faciant. Alius cum fratribus erit, tempore suo exiturus cum ipsis ad omnia [Col. 0477C] opera et omnem necessitatem, providens ne quid contra disciplinam faciant. Qui considerans omnes actus singulorum, si quae contra rationem facta viderit, sed per se emendet, vel abbati indicet.

III. Ille vero, qui secundum ordinem disciplinae ordinatione abbatis ex consilio et voluntate omnium fratrum fratribus praepositus est, omnem ad se curam de disciplina fratrum et diligentiam monasterii revocabit; habens potestatem abbate absente faciendi omnia quae abbas praesens facit. Ille autem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, charitatem, aequitatem, sine personarum acceptione servabit; ita agens, ut nec abbati taedium generet, nec fratres intemperantia illius laborent. Haec observabit senior [Col. 0478A] monasterii qui fratribus praepositus est, referens ad abbatem omnia, vel praecipue illa quae per se non voluerit explicare.

IV. Commendatum aliquod etiam a germano fratre nullus accipiat: nihil in cella sua absque Praepositi jussione quispiam habeat, nec poma quidem vilissima, et caetera hujuscemodi.

V. Operantes vero fratres nihil loquantur saeculare: sed aut meditentur ea, quae sancta sunt, aut certe silebunt.

VI. Qui autem coquinat, antequam fratres reficiant, non gustabit quidquam.

VII. Nemo in cella aut in domo sua habeat quidquam praeter ea, quae in communi monasterii lege praecepta sunt.[Col. 0478B]

VIII. Cumque ad dormiendum se collocaverint, alter alteri non loquatur. Cellam alterius, nisi prius ad ostium percutiat, introire non audeat.

IX. Mutare de his quae a Praeposito acceperit cum altero non audebit. Nec accipiet melius et dabit deterius, aut e contrario dans melius et deterius accipiens. Nemo ab altero accipiat quidpiam, nisi Praepositus jusserit.

X. Clausa cella nullus dormiat, nec habeat cubiculum quod claudi possit, nisi forte aetati alicujus vel infirmitati Pater monasterii concesserit.

XI. Nemo a terra solvat funiculum absque jussione Patris. Qui in monasterio fratrum invenerit quidpiam, suspendat ut tollat qui cognoverit.

XII. Ad collectam et ad psallendum nullus sibi [Col. 0478C] occasiones inveniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit. Et si in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi et psallendi tempus non praetermittat.

XIII. Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in monasterio. In qualicunque omnino arte, quae exercetur a fratribus, si quid perierit, et per negligentiam fuerit dissipatum, increpetur a Patre minister operum; et ipse iterum increpet alium qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem et praescientiam principis, absque quo nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

XIV. Si inventus fuerit unus a fratribus aliquid [Col. 0479A] per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabit juxta mensuram peccati sui.

XV. Qui mentitur, aut odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus joco quam honestum est deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut habens consuetudinem fratribus detrahendi vel his qui foris sunt, et omnino quidquid contra Regulam Scripturarum est et monasterii disciplinam, et audierit Pater monasterii, vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

XVI. Si omnes fratres viderint Praepositum nimium negligentem, aut dure increpantem fratres, et mensuram monasterii excedentem, referant hoc Patri, et ab eo increpetur. Ipse autem Praepositus nihil faciat, nisi quod Pater jusserit: maxime in re nova. [Col. 0479B] Quae ex more descendit, servabit Regulam monasterii.

XVII. Praepositus vero non inebrietur, nec sedeat in humilioribus locis. Ne rumpat vincula quae Deus in coelo coadidit ut observentur in terris. Ne lugeat in die festo Domini Salvatoris; dominetur carni suae juxta mensuram Sanctorum. Non inveniatur in excelsis cubilibus, imitans morem gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cordis sui cogitationes, sed legem Dei. Non resistat sublimioribus tumenti animo potestatibus. Ne fremat, nec hirriat iratus super humiliores; nec transferat terminos Regulae. Non sit fraudulentus, neque in cogitationibus verset dolos; nec negligat peccatum animae suae; nec vincatur [Col. 0479C] carnis luxuria. Non ambulet negligenter. Non loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes caeci. Non doceat voluntatem animam suam. Non resolvatur risu stultorum ac joco. Non capiatur cor ejus ab his qui inepta loquuntur et dulcia. Non vincatur muneribus; non parvulorum sermone ducatur. Non deficiat in tribulatione. Non mortem timeat, sed Deum; non praevaricator sit propter imminentem timorem. Non relinquat verum lumen propter modicos cibos. Non nutet ac fluctuet in operibus suis. Non mutet sententiam, sed firmus sit solidique decreti; justus, cuncta considerans; judicans in veritate absque appetitu gloriae; manifestus Deo et hominibus, et a fraude procul. Ne ignoret conversationem suorum, nec ad eorum scientiam [Col. 0479D] caecus existat. Nulli noceat per superbiam; nec sequatur

concupiscentias oculorum. Veritatem nunquam praetereat: oderit injustitiam. Secundum personam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros: non deserat veritatem timore superatus. Non despiciat eos, qui indigent misericordia. Non deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam: ne respiciat dapes lautioris mensae: nec pulchra vestimenta desideret; nec se negligat, sed semper dijudicet cogitationes suas. Non inebrietur vino, sed humilitati junctam habeat veritatem. Quando judicat, sequatur praecepta majorum et legem Dei, quae in toto orbe praedicata est.[Col. 0480A]

XVIII. Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias aetatis infirmae, tertio commoneatur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis, et timoris Dei: si non cessaverit, corripiatur, ut dignus est correptione severissima.

XIX. Qui contemnunt praecepta majorum, et Regulas monasterii, quae Dei praecepto constitutae sunt, et parvipendunt seniorum consilia, corripiantur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

XX. Majores, qui cum fratribus mittuntur foras, quandiu ibi fuerint, habebunt jus Praepositorum, et eorum regentur arbitrio. Docebunt fratres per constitutos dies; et si forte inter eos ortum fuerit aliquid simultatis, audient ipsi majores, et dijudicabunt [Col. 0480B] causam, et dignum culpa increpabunt; vel ad imperium eorum statim pacem pleno corde consocient.

XXI. Si quis frater contra Praepositum suum habuerit tristitiam, aut ipse Praepositus contra fratrem aliquam querimoniam, probatae fratres conversationis et fidei eos audire debent, et dijudicabunt inter eos. Si tamen absens est Pater monasterii, vel alicubi profectus, primum quidem exspectabunt eum: sin autem diutius vident foris demorari, tunc audient inter Praepositum et fratrem; ne diu suspenso judicio tristitia major oriatur, ut et ille qui Praepositus est, et ille qui subjectus est, et illi qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, et non dent in ullo occasionem discordiae.[Col. 0480C]

XX. Nullus mittatur foras ad aliquod negotium solus. Missi vero non singuli, sed bini vel terni ambulent: ut dum se invicem custodiunt et consolantur, et seniores eorum de honesta eorum conversatione securi sint, et illi non periclitentur. Observantes tamen hoc, ut non se invicem fabulis inanibus destruant, neque negligentiae dent locum destructionis; sed unusquisque in actu suo attentus sit, prout tempus fuerit.

XXIII. Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint aliquem quaerentem suorum affinium, de his qui in monasterio commorantur, non valebunt ire ad eum, et nuntiare, vel evocare. Et omnino quidquid foris gesserint, in [Col. 0480D] monasterio narrare non praesumant.

XXIV. Omnibus erit potestas legendi usque ad horam tertiam: si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam aliquid fieri. Post horam vero tertiam si quae statuta sunt, sicut scriptum est, per superbiam, vel negligentiam, vel desidiam intercedentem non custodierit, sciat se cum in hoc errore deprehensus fuerit, culpabilem judicandum;

quia per suum errorem et alios in vitium mittit.

XXV. Cellarii vero cura sit, ut abstinentiam et sobrietatem studens illata in monasterio ad sumptus fratrum diligenter et fideliter servet: nihil suscipiens, nec quidquam tradens sine auctoritate vel seniorum consilio. Qui etiam omnia utensilia, quae in monasterio sunt, id est, vestem, vas, ferramentum, et [Col. 0481A] quidquid usibus quotidianis necessarium est, custodiat; et unamquamque rem proferens, cum fuerit necessarium, ab eo iterum ad reponendum, cui utendo consignaverit, recepturus. Ad victum vero fratrum proferat ac tradat septimanariis, ad condiendos cibos det necessaria secundum quotidianae expensae consuetudinem, neque profuse, neque avare; ne vitio ipsius vel monasterii substantia gravetur, vel fratres patiantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nihil aegrotantium desideriis neget ex his, quae habuerit, quantum illis necesse fuerit. Advenientibus diversis fratribus escas parabit. Haec erit cura custodis cellarii, recurrens semper ad seniorum consilium, et requirens de omnibus, vel praecipue de his quae proprio suo intellectu [Col. 0481B] non potuerit adimplere.

XXVI. Ostiarii cura sit, ut omnes advenientes intra januas recipiat; dans eis responsum honestum cum humilitate et reverentia, ac statim nuntians vel abbati, vel senioribus, quis venerit, et quid petierit. Nec ullus extraneorum patiatur injuriam; neque habeat cum aliquo de fratribus necessitatem ac facultatem loquendi, absque scientia abbatis vel seniorum praesentia. Si quid vero cuicunque de fratribus missum mandatumque fuerit, nihil ad ipsum perveniat priusquam abbati vel senioribus indicetur. Ante omnia ostiarius monasterii haec observabit, ne quemquam de fratribus foris januam exire permittat.

XXVII. Si quis accesserit ad ostium volens saeculo renuntiare, et fratrum aggregari numero, non [Col. 0481C] habeat libertatem intrandi; sed prius nuntietur Patri monasterii, et manebit paucis diebus foris ante januam, ac docebitur orationem Dominicam, et psalmos quantos potuerit discere; et diligenter sui experimentum dabit, ne forte mali quidpiam fecerit, ut turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit; et utrum possit renuntiare parentibus suis, et propriam contemnere facultatem. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas; quae facere debeat, quibusque servire, sive in collecta omnium fratrum, sive in domo cui tradendus est, sive vescendi ordine: ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Haec observabit custos januae, referens [Col. 0481D] omnia, sicut superius scriptum est, et annuntians senioribus.

XXVIII. Septimanarii ad cibos parandos, vel ad luminaria concinnanda, vel ad nitores faciendos, et quae ad obsequium ususque monasterii pertinent, semper parati sint. Hos nulla alia necessitas occupet, sed in hoc studium impendant, ut rem susceptam utiliter et diligenter impleant. Et si quid forte nesciunt, de his quae agere debent, sine dissimulatione seniores suos semper interrogent.

XXIX. Hi itaque quibus disciplina, vel utilitas, vel opinio, vel obsequium monasterii creditur, officia sibi injuncta fideliter custodiant et impleant. Hos enim errare non decet, qui ad omnes errores emendandos praepositi sunt. Qui si vel superbia, vel

[Col. 0482A] negligentia, vel desidia aliqua ex his praetermiserint, quae in Regula continentur; per ipsosque destructio esse coeperit, per quos debet aedificatio crescere, omnibus condemnationibus, quas Regala continet, subjacebunt.

XXX. Inter omnes fratres hoc observabitur, vel obedientes senioribus suis, et deferentes sibi invicem, habeant patientiam, moderationem, humilitatem, charitatem, pacem sine figmento et mendacio, et maledictione, et verbositate, et jurandi consuetudine, ita ut nemo suum quidquam vindicet, neque ullus aliquid peculiariter usurpet; sed habeant omnia communia.

XXXI. Sine seniorum verbo et auctoritate nullus fratrum quidquam agat: neque accipiat aliquid, neque [Col. 0482B] det; neque usquam prorsus procedat.

XXXII. Cum vero inventa fuerit culpa, ille qui culpabilis invenitur, corripiatur ab abbate secretius. Quod si non sufficit ad emendationem, corripiatur a paucis senioribus. Quod si nec sic emendaverit, excommunicetur, et non manducet quidquam. Cui si nec hoc quidem profuerit, in quolibet loco fuerit, postremus inter omnes in psallendi ordine ponatur. Quod si in pravitate perseverat, etiam psallendi ei facultas auferatur. Quem si vel haec confusio non commoverit, abstineatur a conventu fratrum; ita ut nec mensae, nec Missae intersit, neque cum eo ullus frater de junioripus colloquatur. Abstinebitur autem tamdiu, quandiu vel qualitas culpae poposcerit, secundum abbatis ac seniorum arbitrium; vel se ex corde pro culpa [Col. 0482C] poenitens humiliaverit, et veniam erroris sui omnibus praesentibus petierit. Quod si in fratrem peccavit, etiam ab eo fratre veniam petat, cui injuriam fecit.

XXXIII. Si quis errori ejus consenserit, et secundum duritiam illius magis consilium dederit, ut se tardius humiliet, sciat se, cum in hoc errore fuerit deprehensus, simili modo culpabilem judicandum.

XXXIV. Hoc etiam addendum fuit, ut frater, qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti se: sed humiliet se in omnibus et emendet.

XXXV. Si vero fuerit aliquis tam durus, et tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio, et velut extraneus habeatur: ne vitio ipsius [Col. 0482D] alii periclitentur.

XXXVI. Quod si aliquis locutus fuerit, vel riserit in vescendo, increpetur, et agat poenitentiam.

XXXVII. Si quis ad manducandum tardius venerit absque majoris imperio, similiter agat poenitentiam, aut ad cellam suam jejunus revertatur.

XXXVIII. Si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signum soni dabit. Ministri vero absque his quae in commune fratribus praeparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant praeparare.

XXXIX. Nemo plus alteri dabit quam alter accepit; quod si obtenditur infirmitas, Praepositus domus [Col. 0483A] perget ad ministros aegrotantium, ab his quae necessaria sunt accipiet.

XL. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipientur: lavabuntque pedes eorum, juxta Evangelii praeceptum, et praebebunt eis omnia quae apta sunt usui monachorum.

XLI. Si quis ad ostium monasterii venerit, dicens velle se videre fratrem suum vel propinquum, janitor nuntiabit abbati, et permittente eo accipiet comitem, cujus fides probata est; et sic mittetur ad fratrem videndum vel proximum.

XLII. Si propinquus alicujus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit licentiam, nisi Pater [Col. 0483B] monasterii praeceperit.[Col. 0484A]

XLIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

XLIV. Nemo alteri loquatur in tenebris; nullus in psiatho cum altero dormiat; manum alterius nemo teneat; sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit, uno cubito distet ab altero.

XLV. Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus; et sic agat poenitentiam publice in collecta.

XLVI. Si Praepositus injuste judicaverit, injustitiae ab aliis condemnabitur.

XLVII. Qui consentit peccatis, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, corripietur increpatione severissima.[Col. 0484B]

Explicit Regula Orientalis.

SANCTI BASILII CAESAREAE
CAPPADOCIAE EPISCOPI REGULA AD MONACHOS.

[Col. 0483B]

DE S. BASILIO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

S. Gregorius Nazianz., orat. 20, *in S.* Basilium.

Quis magis quam ille aut virginitatem coluit, aut carni leges imposuit; idque non suo tantum exemplo, sed etiam opera aliis impensa? Cujus sunt virginum coenobia, et scripto comprehensa Regularum statuta; quibus et sensus omnes castigabat, et membra omnia componebat, et veram virginitatem servare admonebat.

Gregorius presb., orat. de S. Greg. Naz.

Hic porro commorantes (*Gregorius et Basilius*) et mutua exstimulatione virtutem augebant, et vitae monasticae leges piis Deoque devotis hominibus atque a mundi societate disjunctis ferebant, Lycurgi legibus placidiores, Solonis graviores, Minois aequiores. Imo vero ut de his virissublimius aliquid dicam, Moysem imitantur, nubeque obtecti, atque ut a tumultuaria et turbulenta hac vita procul se removerent, in montem secedentes, legislatoris officio fungebantur.

S. Hieronymus, Script. Eccl., cap. 116.

Basilius Caesareae Cappadociae, quae prius Mazaca vocabatur, episcopus, egregios contra Eunomium elaboravit libros, et de Spiritu sancto volumen, et asceticum, et breves variosque tractatus.

Rufinus, Hist. eccl., lib. II, *cap.* 9.

Basilius Ponti urbes et rura circumiens, desides gentis illius animos, et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, et praedicatione succendere, callumque ab his longae negligentiae coepit abolere, subegitque, abjectis inanium rerum et saecularium curis, suimet notitiam recipere, in unum coire, monasteria construere, psalmis et hymnis et orationibus docuit vacare; pauperum curam gerere, eisque habitacula honesta, et quae ad victum necessaria sunt praebere, virgines instituere, pudicam castamque vitam omnibus pene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provinciae facies, ut in arido et squalenti campo videretur seges fecunda ac laeta vinea surrexisse.

Et mox: Exstant quoque utriusque ingenii monumenta magnifica tractatuum, quos ex tempore in Ecclesiis declamabant: ex quibus non denas ferme singulorum oratiunculas transfudimus in Latinum; Basilii praeterea Instituta monachorum: optantes, si poterimus, et Dei favor adjuverit, eorum plura transferre.

Sozomenus, Hist. Eccl., lib. III, *cap.* 13.

Apud Armenios, Paphlagones et Ponti incolas Eustachius Ecclesiae Sebastiae in Armenia antistes primus vitam monasticam ejusque exercitium accuratum coepisse dicitur, ita ut librum de Institutis monachorum, qui Basilii Cappadocis nomine inscribitur, ab hoc conscriptum nonnulli affirment.

Ita et Nicephorus Callist., lib. IX, cap. 16, et lib. XIII, cap. 29.

Photius P. CP. Biblioth. cod. 191.

Legi sancti Basilii episcopi Caesareae Cappadociae Ascetica, ut vocant, duobus libris comprehensa. Utile sane opus si quod aliud cuivis pietatis studioso et aeterna bona consectanti; maxime vero his qui in coenobio religiosae vitae exercitio incumbunt. Continet autem variarum quaestionum ex sacris litteris, quae ad mores componendos faciant, succinctas cum explanatione solutiones.

Idem, cod. 144.

Legi ejusdem sancti Basilii Ascetica, hoc est, monasticae vitae praeceptiones; ex quarum praescripto qui vixerit, regno coelesti potietur.

Theodorus Studita, Orat. in sanctum Platonem.

Primum dedit operam ut studiose magni et divini Basilii Constitutiones legeret, ex quibus sui temporis consuetudinem a monastica constitutione alienam esse didicit.

Sanctus Benedictus, Regulae, cap. 73.

Collationes Patrum, et instituta et Vitae eorum; sed et regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum exempla, et instrumenta virtutum?

Gregorius Turon., Hist. Franc., lib. X, *cap.* 29.

Aredius ex familia propria tonsuratos instituit monachos, coenobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum qui monasterialem vitam instituerunt celebrantur Regulae.

Vita sancti Eugendi abbatis, cap. 14.

Prout memoriae, Christo inspirante, suggeritur, abrenuntiantium exordia primitus intimamus. Sic namque quod non omnino illa quae sanctus ac praecipuus Basilius, Cappadociae urbis antistes, vel ea quae sanctorum Lirinensium Patres, sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus abbas, sive illa quae recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa praesumptione calcemus: sed ea quotidie lectitantes, etc.

Vita sancti Philiberti abbatis.

Legebat studiose Basilii praeclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Justinianus quoque imp. epistola ad Menam P. CP. contra Origenem, locum affert sancti Basilii, ἐκ τοῦ κανονικοῦ αὐτοῦ βιβλίου, sive ex libro ejus Regularum: quo etiam frequentissime utuntur sanctus Benedictus Anianensis et Smaragdus, vetusti Regulae Benedictinae expositores.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Testimonia sanctorum Patrum allata, atque varia edita eruditissima scripta satis denotant doctrinam et pietatem sancti Basilii Magni, jam dudum fastis sanctorum ascripti, et inter primos utriusque Ecclesiae doctores numerati. Ille enim Caesariensis archiepiscopus vitam monasticam apprime excoluit, et inter erudita ejus Opera tribus voluminibus contenta, a Juliano Garnerio Benedictino edita Parisiis anno 1722, reperiuntur varia Ascetica in duas partes, quasi Regulas distinctas monasticas, divisa, quae proin Regulae sancti Basilii appellantur, et quas ex Graeco in Latinum transtulit,

atque eruditam praefationem praemisit Rufinus Presbyter Aquileiensis. Et quidem prima pars appellatur *Regula fusius tractata,* quemadmodum et secunda dicitur *Regula brevius tractata;* quas tamen Rufinus in unum conjunxit, atque ex illis hanc praesentem Regulam sub nomine sancti Basilii observandam monachis proposuit. Tota autem haec Regula constat 203 quaestionibus cum earum responsionibus, ex sancta Scriptura desumptis, quibus continentur omnia quae ad perfectionem Christianam pertinent, vel ad essentialia monachorum munia speciatim spectant. Etsi enim sanctus Basilius non tangat exteriores caeremonias et observationes, ab aliis monasticae vitae legislatoribus praecriptas circa divini officii ordinem, susceptionem hospitum, laborem manuum, formam vestimentorum, correctionem culparum potus et cibi, etc.; attamen ad reformandum interiorem hominem salutaria praecepta tradit, maxime attendens ad morum constitutionem et cordis directionem. Hinc sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ad calcem suae Regulae inter alias sanctorum Patrum doctrinas summopere laudat hanc Regulam, sanctumque Basilium nominat suum Patrem spiritualem. Atque etiamnum hodie monachi Orientales pro norma vitae hanc Regulam amplectuntur, observantes tamen pro externis ritibus et caeremoniis aliarum Regularum diversa statuta; nec sane solum in Oriente, sed etiam in Occidente reperiuntur monachi Basiliani, praesertim in Polonia, Italia et Hispania. Natus est autem sanctus Basilius anno 329; atque anno 355 saeculum reliquit, quamvis Ascetica sua, sive hanc praesentem Regulam, ante annum 355 non conscripserit, anno 379 defunctus.

[Col. 0485D]

INCIPIT PRAEFATIO RUFINI PRESBYTERI AQUILEIENSIS IN REGULAM S. BASILII AD URSEIUM ABBATEM.

[Col. 0485A]

Satis libenter, charissime frater Ursei, adventantes de partibus Orientis, et desiderantes jam fratrum consueta consortia, monasterium tuum ingressi sumus; quod superpositum angusto arenosi tramitis dorso hinc atque hinc passivi et incerti maris unda circumluit: rara tantummodo latentes locos eminus arguit pinus, ex qua et Pineti clarum nomen saeculo dedit. Eo tamen maxime delectati sumus, quod non, ut aliquis mos est, vel de locis, vel de opibus Orientis sollicite percontatus es; sed quaenam ibi servorum Dei haberetur obervatio, quae animi virtus, quae instituta servarentur in monasteriis, requisisti. Ad haec ego ne quid tibi minus digne, non dico quam geritur, sed quam geri debet, exponerem, [Col. 0485B] sancti Basilii Cappadociae episcopi, viri fide et operibus, et omni sanctitate satis clari *instituta monachorum;* quae interrogantibus se monachis velut sancti cujusdam juris responsa statuit, protuli. Cujus [Col. 0486A] cum definitiones ac sententias mirareris, magnopere poposcisti ut hoc opus in Latinum verterem, pollicens mihi quod per universa Occiduae partis monasteria, si haec sancti et spiritualis viri sancta et spiritualia innotescerent instituta, omnis ille servorum Dei profectus, qui ex hujuscemodi institutionibus nasceretur, mihi quoque ex eorum vel meritis, vel orationibus, aliquid gratiae vel mercedis afferret. Exhibui ergo, ut potui, ministerium meum: imple et tu, et omnes qui legitis et observatis gratiam, ut et agentes et orantes

sic, quemadmodum instituta haec continent, mei quoque memores sitis. Tui sane sit officii etiam aliis monasteriis exemplaria praebere: ut secundum instar Cappadociae, [Col. 0486B] omnia monasteria eisdem, et non diversis vel institutis vel observationibus vivant.

Explicit praefatio Rufini.

INCIPIT REGULA SANCTI BASILII EPISCOPI CAPPADOCIAE AD MONACHOS.

[Col. 0487A]

Humanum genus diligens Deus, et docens hominem scientiam **(Psal. XCIII)**, his quidem quibus docendi contulit gratiam, praecepit per Apostolum **(II Tim. III)**, permanere in doctrina: his vero qui aedificari divinis institutionibus indigent, per Moysem protestatur, dicens: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi;* presbyteros tuos, et dicent tibi **(Deut. XXXII)**. Propter quod necesse est, nos quidem quibus ministerium verbi creditum est, in omni tempore paratos esse et promptos ad instructionem perfectionemque animarum: et quaedam quidem in communi Ecclesiae auditorio simul omnibus de praeceptis Domini contestari; quaedam vero secretius perfectioribus quibusque disserere, et inquirentibus manifestare, atque interrogare [Col. 0487B] volentibus de fide et veritate Evangelii Domini nostri Jesu Christi, et de conversatione perfecta, copiam nostri sermonis facultatemque praebere, qua possit ex his perfectus effici et consummatus homo Dei. Vobis autem convenit nullum tempus vacuum praeterire, quo minus ad ea quae communiter cum omni Ecclesia discitis, etiam secretius de eminentioribus et perfectioribus inquiratis: ut omne aevum vitae vestrae in inquirendo de melioribus et percontando de utilioribus transigatis. Quoniam ergo et in hoc nos congregavit Deus, ut paululum quid a molestiis segregati turbarum silentii agamus et quietis; neque in aliud opus animum demus, neque residuum temporis somno rursus et remissioni corporeae mancipemus; sed in inquisitione [Col. 0487C] et sollicitudine medium noctis hoc, quod superest spatium, exigamus, adimplentes illud quod dictum est per beatum David: *Beatus qui in lege Domini meditabitur die ac nocte* **(Psal. I)**. Si quid ergo unusquisque vestrum deesse sibi ad scientiam putat, ad communem id proferat inquisitionem. Facilius enim pluribus simul conferentibus, si quid difficile vel obtectum videtur esse, clarescet, Deo sine dubio inveniendi gratiam quaerentibus largiente. Sicut ergo nobis necessitas imminet, et secundum illud Apostoli, *vae mihi erit, si non evangelizem* **(I Cor. IX)**; ita etiam vobis, si ab interrogatione et inquisitione cessetis, vel si remissiores ac resolutiores ad ea implenda quae recta inventa fuerint, simile discrimen [Col. 0487D] impendit. Propterea enim et Dominus dixit: quia *sermo quem locutus sum vobis, ille judicabit vos in novissimo die* **(Joan. XII)**. Et iterum: *Servus qui ignoravit voluntatem domini sui, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis:* qui autem cognoverit, et fecerit contra voluntatem domini, vapulabit plurimis **(Luc. XII)**. Oremus ergo misericordiam Domini, ut et nobis verbi inculpabile tribuat ministerium, et vobis fructuosum doctrinae concedat eventum. Tanquam ergo scientes quia stabunt ante faciem vestram [Col. 0488A] verba haec ante tribunal Christi; *Arguam enim* te, inquit,

et statuam ea ante faciem tuam **(Psal. XLIX)**; ita et intendite animum vigilanter ad haec quae dicuntur, et ad opus dignum quae audistis, festinanter adducite: *Quia nescimus qua die, vel qua hora Dominus noster veniet* **(Matth. XXIV)**.

INTERROGATIONES.

PRIMA INTERROGATIO FRATRUM.

Quoniam dedit nobis sermo tuus potestatem ut interrogemus, primo omnium doceri quaesumus si ordo aliquis est et consequentia in mandatis Dei; ut aliud quidem sit primum, et aliud secundum, et sic per ordinem caetera: an omnia mandata ita sibi invicem cohaereant, et sint aequalia, ut unde voluerit quis possit initium sumere, tanquam in modum circuli vel coronae.

RESPONSIO. Interrogatio vestra antiqua est, et [Col. 0488B] olim proposita in Evangelio, in eo cum accedens ad Dominum quidam legis doctor ait: *Magister, quod est mandatum primum in lege? Et Dominus respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis;* hoc est primum et maximum mandatum. Secundum vero simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum **(Matth. XXII)**. Ipse ergo Dominus ordinem mandatis imposuit: primum dicens et magnum esse mandatum, Deum ex toto corde et ex tota mente diligere; secundum vero ordine et consequentia, et quod illi esset simile per virtutem, imo quod illud expleret et quod penderet ex primo, diligere proximum sicut seipsum. Sed et de aliis similiter in sanctis Scripturis invenies; et servatur, [Col. 0488C] ut ego arbitror, in omnibus mandatis ordo quidam et consequentia praeceptorum.

INTERROGATIO II.

Quoniam igitur de charitate Dei primum ais esse mandatum, inde nobis primum omnium dissere. Nam quia oportet diligere audivimus, quomodo tamen hoc possit impleri desideramus addiscere.

RESPONSIO. Optimum sumpsistis sermonis exordium, et proposito nostro valde conveniens. Deo itaque juvante, nos quod dicitis, faciemus. Sciendum ante omnia est quod mandatum istud unum quidem videtur esse; sed omnium in se mandatorum virtutem complectitur et constringit, ipso Domino dicente: *Quia in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII)**. Ne tamen nos per [Col. 0488D] singula discutere aggrediamur ordinem mandatorum; alioquin videbimur totum opus introducere in partes: sed quantum ad propositum sufficit, et praesens ratio postulat, inquiremus: illud ante omnia designantes, quod omnium mandatorum quae a Deo accepimus virtutes in nobismetipsis insitas gerimus. Quo scilicet neque difficultas in nobis sit, tanquam novum aliquid et alienum a nobis expetatur: neque rursum elationis dari nobis aliqua videatur occasio, si putemus nos plus aliquid offerre Deo, [Col. 0489A] quam ab ipso in natura nostrae creationis accepimus. Quoniam quidem ea quae nobis a Deo insita sunt, si recte et competenter moveamus in opus, hoc est secundum virtutem

vivere. Si vero naturae beneficia corrumpamus, hoc est in malitiam vergere. Est ergo mali ista definitio, non recte uti motibus animi a Deo nobis insitis. Et rursum virtutis ista definitio, recte uti, id est secundum mandatum Dei, et secundum conscientiam, animi motibus a Deo insitis. Cum ergo haec ita se habeant, idem hoc inveniemus etiam de charitate constare. Mandatum accepimus diligere Deum. Dilectionis virtutem in ipsa statim prima conditione a Deo anima sibi insitam gerit: in quo nequaquam extrinsecus testimonio indigemus: unusquisque enim in semetipso [Col. 0489B] et ex semetipso horum quae dicimus sumit indicia. Omnis homo desiderat omne quod bonum est, et affectu quodam naturali constringimur ad omne quod bonum putamus. Sed et erga consanguineos et carnis proximos, nullo docente, in amore constringimur: his quoque quorum affectum et beneficia accepimus, omni affectu et officiis copulamur. Et quid aliud tam bonum habetur quam Deus? Imo quid aliud bonum, nisi solus Deus? Qui decor? qui splendor? quae pulchritudo, quam naturaliter diligere provocamur, usquam talis qualis in Deo est et esse credenda est? Quae usquam talis gratia? quae amoris flamma, quae et animae secreta et interiora succendat, sicut amor Dei inflammare debet mentis arcana? praecipue si sit ab omni pollutione purgata; si sit munda anima, et [Col. 0489C] quae vero affectu dicat: *Quoniam vulnerata charitate ego sum* **(Cant. III)**. Ineffabilem prorsus ego sentio amorem Dei, et qui sentiri magis quam dici possit. Inenarrabilis quaedam lux est: etiam si fulgura, si coruscum adhibeat, vel comparet sermo, non patietur, non recipiet auditus. Si luciferi fulgores, si Lunae splendores, si ipsum solis lumen assumas, ad comparationem gloriae illius obscura sunt omnia, et multo tetriora, quam si caeca nox et obscuritate profundae caliginis mersa limpidissimo meridiani solis lumini comparetur. Decor iste corporeis oculis non videtur, anima sola et mente conspicitur. Qui decor si cujus forte sanctorum mentem animamque perstrinxerit, flagrantissimum in eis amoris sui stimulum defigit. Propterea denique velut amoris cujusdam ignibus [Col. 0489D] tabescens, et praesentem vitam perhorrescens, dicebat aliquis ex eis: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* **(Psal. XLI)**? Et iterum dicebat istius ardoris ignibus flagrans: *Sitivit anima mea ad Deum vivum* **(Psal. XXVI)**. Et insatiabiliter ardens ejus desiderio orabat, ut *videret voluntatem Domini, et protegeretur in templo sancto ejus* (Ibid.) Ita ergo naturaliter et concupiscimus quae bona sunt et amamus. Nihil autem, ut diximus, tam summum bonum est quam Deus: et ideo debito quodam exsolvimus hanc quam ab eo accepimus charitatem. Quae utique si denegetur, et non exsolvatur, irae nos inexcusabiliter obnoxios facit. Et quid dico irae obnoxios? Quae enim poterit esse major ira, quae ultio gravior, quam hoc [Col. 0490A] ipsum si accidat nobis, alienos effici nos a charitate Dei? Quod si parentibus inest naturalis affectus erga eos quos genuerunt; et non solum hoc in hominibus, verum etiam in mutis animalibus invenitur: videte ne inveniamur vel pecudibus hebetiores, vel belluis feris immaniores, si nullo erga Genitorem constringamur affectu. Quem etiamsi quantus et qualis sit scire non possumus, ex hoc tamen solo quod ex ipso sumus, venerari et diligere parentis debemus affectu, atque indesinenter erga ejus memoriam pendere, sicut erga genitrices suas faciunt parvuli. Sed multo amplius multoque promptius; quanto et immensorum nos beneficiorum ejus obnoxios scimus. Quod ipsum nobis commune esse puto etiam cum caeteris animalibus: meminerunt namque etiam [Col. 0490B] illa, si quid eis quis contulerit bonum. Si mihi non creditis, audite Prophetam dicentem: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepium domini sui* **(Isa. I)**. Absit autem de nobis dici ea quae sequuntur: *Quia Israel me non cognovit, et populus*

meus me non intellexit (Ibid.). Quod si etiam eos qui beneficii aliquid nobis contulerunt, nullo docente diligimus, et omni studio, quantum fieri potest, referre gratias nitimur; quomodo sufficiemus gratiam referre beneficiis Dei, quae tanta sunt, ut effugiant numerum; et talia, ut sufficiat unum aliquod ex omnibus per totam vitam nostram efficere nos obnoxios largitori? Nam omitto caetera omnia, quae quidem et ipsa magna sunt et praeclara, verum a majoribus et melioribus, velut stellae quaedam splendidioribus [Col. 0490C] solis radiis obteguntur; quoniam quidem nec tempus nobis est amplius dilatare sermonem, ut possimus etiam de minimis divina erga nos enumerare beneficia. Sileamus igitur quotidianos solis ortus, et unius lampadis fulgore illuminatum universum mundum. Silcamus lunae circuitus, aeris permutationes vicissitudinesque; imbres ex nubibus, flumina fontesque de terra; latitudines atque altitudines maris: universitatem terrae, ac nativitates eorum animantium quae in aquis gignuntur, et quae coalescunt vel oriuntur in terris, nostris ministeriis vel usibus deputata. Haec ergo omnia et caetera innumerabilia praetermitto: hoc solum, quod ne volenti quidem praeterire possibile est, silere non possumus: et quamvis reticere gratiam non sit possibile, multo [Col. 0490D] tamen impossibilius est ut dignum est et ut competit proloqui: hoc, inquam, quantum est, quod scientiam sui donavit homini Deus, et rationabile animal esse fecit in terris, et ineffabilis paradisi abuti voluptate ac decore concessit? quemque serpentis arte deceptum, et in peccatum lapsum, ac per peccatum in mortem devolutum, nequaquam despexit; sed legem in adjutorium dedit, praefecit angelos, destinavit prophetas; conatus malitiae comminationum severitate compescuit; bonorum desideria munificentissimis repromissionibus provocavit, et finem utriusque viae nostrae in multis imaginibus praesignavit. Verum cum post haec omnia in malis nostris incredulitatibus duraremus, non est aversus, nec dereliquit nos pii Domini [Col. 0491A] bonitas; neque cum beneficiis ejus essemus ingrati, avertere potuimus et excludere misericordiam ejus a nobis: sed revocamur a morte, et iterum vivificamur per Dominum nostrum Jesum Christum, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo:* sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens **(Phil. II)**. *Infirmitates nostras accepit, et aegritudines nostras portavit, et pro nobis vulneratus est, ut livore illius sanaremur* **(Isa. LIII)**. *Et a maledicto nos redemit, factus pro nobis maledictum* **(Gal. III)**. Et morte turpissima condemnatus est, ut nos revocaret ad vitam. Nec sufficit ei vivificare nos mortuos, sed et divinitatis suae participium tribuit, et munus aeternitatis indulget; et supra omne quod vel petere vel intelligere possumus, [Col. 0491B] credentibus vel diligentibus se praeparat, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* **(I Cor. II; Psal. CXV)**. Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus quae retribuit nobis? Verum ille tam benignus et clemens est, ut ne retributionem quidem reposcat; sed sufficit ei ut pro his omnibus quae largitus est diligatur. Quis ergo ita irremediabiliter ingratus est, ut propter tanta et talia beneficia non diligat largitorem?

Et de charitate quidem Dei ista sufficiant: propositum namque est, ut superius diximus, non omnia dicere, impossibile enim est; sed breviter et succincte commemorare ea quae amorem Dei inserere animae et suscitare sufficiant. Consequens jam nunc est, etiam de eo mandato, quod ordine et virtute secundum [Col. 0491C] diximus, explicare. Et quidem quoniam lex eas virtutes quae animae a Creatore insitae sunt, elimet et excolat, jam superius diximus. Quia ergo praecipimur diligere proximos sicut nos ipsos,

videamus etiam si inest nobis virtus et facultas ad hujus quoque mandati expletionem. Et quis ignorat quoniam humanum animal et communicabile homo est, et non agreste aliquod ac ferum? Nihil enim tam proprium est naturae nostrae, quam alterum alterius indigere, et requirere invicem, ac diligere quod requiritur. Quia ergo Dominus harum in nobis virtutum semina seminavit, sine dubio horum etiam fructum requiret, et testimonium nostrae erga se dilectionis dilectionem accipiet proximorum. *In hoc* [Col. 0491D] *enim,* inquit, *scient omnes, quia mei discipuli estis, si invicem diligatis* **(Joan. XIII)**. Et ita in omnibus ista mandata conjungit, ut etiam misericordiae opera quae in proximo fiunt, transferat in semetipsum. *Esurivi* enim, inquit, *et dedistis manducare mihi* **(Matth. XXV)**. Et reliqua quae in proximo gesta sunt, se dicit esse perpessum, cum adjecit: *Quandiu fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis* (Ibid.). Ergo per primum completur et secundum; per secundum vero ascenditur et reditur ad primum: ut qui diligit Dominum, sine dubio diligat et proximum. Ait enim Dominus: *Qui diligit me, mandata mea custodit.* Hoc est autem mandatum meum, inquit, *ut invicem diligatis* **(Joan. XIV et XV)**. Ita et qui diligit proximum, explet in Deo charitatem; quia ipse in se recipit [Col. 0492A] quidquid confertur in proximum. Et quidem in his qui initia hahent ad timorem Domini, et ad primos aditus religionis accedunt, prima institutio est utilior per timorem, secundum sententiam sapientissimi Salomonis, dicentis: *Initium sapientiae timor Domini* **(Prov. I)**. Idipsum etiam in psalmis legitur **(Psal. CX)**. Vos vero fratres, qui jam parvuli in Christo esse desiistis, nec ultra lacte indigetis, cibos solidos ex dogmatum firmitate perquirite, ad nutriendum et pascendum interiorem hominem **(I Cor. III)**; quo per eminentiora quaeque mandata perveniat ad perfectum, et in omni, quae in Christo est veritate, confirmetur. Observandum sane est ne forte copiosioris gratiae pondus causa nobis gravioris condemnationis existat, si ingrati inveniamur in muneribus largitoris. [Col. 0492B] Illud autem ante omnia considerandum est, quia neque aliud ullum mandatum, neque hoc quod de charitate Dei et proximi praecipitur, implere quis poterit, si per varias et diversas occupationes animus aberret. Sed neque artificium ullum, vel ullius industriae disciplinam possibile est adipisci eos qui frequenter ex aliis ad alia transferuntur. Omni ergo custodia oportet nos servare cor nostrum, ne forte desiderium Dei mala desideria et sordidae cogitationes depellant nostris animis ac detrudant **(Prov. IV)**; sed e contrario assidua recordatione et memoria Dei, formam quodammodo ac figuram ejus animae nostrae signaculis singuli infigamus, quae nullis queat perturbationibus aboleri. Sic enim et desiderium in nobis divinae charitatis accenditur, dum frequens ejus [Col. 0492C] memoria mentem atque animum illustrat; et ad opus mandatorum Dei erigimur ac suscitamur. Et ex ipsis rursum charitatis operibus vel conservatur Dei in nobis charitas, vel augetur. Et hoc puto ostendere volentem Dominum dicere, aliquando quidem: *Si diligitis me, mandata mea servate* **(Joan. XIV)**; aliquando autem: *Si facitis quae ego dico vobis, permanetis in charitate mea;* sicut et ego servavi mandata Patris mei, et maneo in charitate ejus (Ibid.). Ex quibus edocet nos, prospectum operis nostri debere ex sua voluntate pendere; ut tanquam speculum quoddam ipsum habentes, et semper ad ipsum respicientes, opus nostrum fixo ad ipsum cordis oculo dirigamus. Sicut enim artificia quae in hac vita sunt, [Col. 0492D] prospectum quemdam animi gerunt, et ita secundum hoc quod animo conceperint, etiam in opere utuntur manuum ministerio; sic et in hoc nostro opere unus manet nobis iste prospectus, atque unus terminus fixus est, quo Deo placere debeamus. Secundum hunc ergo prospectum opus dirigamus mandatorum.

Impossibile namque est aliter constare posse operis nostri formam, nisi voluntas ejus qui injunxit opus semper in memoria habeatur: ut ejus voluntate servata, et labore operis ac diligentia competenter expleta, semper jungamur Deo, dum semper ejus memores sumus. Sicut enim, verbi causa, faber securem faciens aut falcem, meminit semper ejus qui opus injunxit, et retinet in corde suo cujus magnitudinis, vel qualitatis, vel formae injunxerit fieri securem; [Col. 0493A] et in illud semper intendens quod sibi meminit a domino operis injunctum, ad hoc dirigit manuum ministerium, ut forma operis cum ejus qui injunxit animo ac voluntate conveniat: si autem obliviscatur quid vel quale sit quod sibi fuerat imperatum, sine dubio aliud aliquid quam injunctum fuerat, faciet; ita etiam Christianus omnem conatum et omne studium in actibus suis adhibere debet, ut secundum voluntatem Dei, qui opus injunxit, suum quoque dirigat opus; ut actus sui ornentur, et possit ejus qui praecepit voluntatem implere. Tunc etiam illud complere potest quod scriptum est: *Sive manducetis, sive bibatis, sive aliud quid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite* **(I Cor. X)**. Si vero declinet quis a regula, et corrumpat observantiam mandati, ex hoc [Col. 0493B] ipso arguitur, si quis sit immemor Dei. Plurimum autem prodest ad conservandam memoriam Dei, etiam secretius et remotius habitare. Nam permixtim vivere cum his qui negligentius agunt circa timorem Dei, et contemptum habent mandatorum ejus, plurimum nocet; sicut et Salomonis sermo testatur, dicens: *Cum homine iracundo ne habitaveritis, ne forte discatis vias ejus, et accipiatis laqueum animae vestrae* **(Prov. XXII)**. Et iterum quod dicit: *Exite de medio eorum, et separabimini ab eis, dicit Dominus* **(Isa. LII)**, ad hoc ipsum respicit. Igitur neque per oculos, neque per aures recipiamus illecebras ad peccandum, et paulatim longo usu inhaereamus consuetudini pessimae. Et rursum ut possimus orationi vacare, oportet primo secretius habitare. Hoc enim [Col. 0493C] modo et praecedentes consuetudines excidemus, in quibus contra mandatum Dei agebamus. Non enim parvus labor est, ut se aliquis a priore non bona consuetudine reflectat ac revocet; quoniam quidem mos longo tempore confirmatus vim quodammodo naturae obtinet. Oportet ergo nos primo omnium abnegare nos ipsos, et tollere crucem Christi, et sic eum sequi **(Matth. XVI)**. Abnegamus autem nos hoc modo si, per omnia praeteritae consuetudinis obliti, voluntates proprias abnegemus; et ita non solum ab hominibus non recte agentibus, verum etiam a nostris ipsis inordinatis et incompositis moribus secedamus. Alioqui ut in eadem quis consuetudine atque in priore conversatione permanens, emendare se possit et corrigere, difficillimum est; imo, ut verius [Col. 0493D] dicam, penitus impossibile. Sed ad hoc ipsum, ut tollat quis crucem suam et sequatur Christum, plurimum impedit societas et permixtio eorum qui vitam dissimilem ducunt. Nam paratum esse ad mortem pro Christo, et mortificare membra quae sunt super terram **(Coloss. III)**, et pro nomine Christi libenter ferre omne discrimen, hoc est tollere crucem suam. Ad quod grande videmus impedimentum posse nobis oboriri ab his qui dissimiles sunt vel vita vel moribus. Et ad caetera alia quae multa sunt, accedit etiam hoc, ut respiciens anima ad multitudinem nequiter viventium, primo quidem occupetur et impediatur, ne suorum malorum capiat intellectum, et possit vel purgare per poenitentiam quae deliquit, vel [Col. 0494A] causas culpae resecare emendatione vitiorum. In comparatione etenim pessimorum aliquid se jam magni perfecisse aestimat. Tum deinde impedimentis et perturbationibus atque occupationibus, quas communis hominum vita habere solet, praetermissis, illud quod majus est et pretiosius omnium, memoriam Dei non potest custodire: qua depulsa ab

animis et exclusa, non solum omni laetitia et gaudio caret divino, et delectationis Domini sustinet detrimenta, sed et dulcedinem non sentit divini eloquii, ut dicat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! super mel et favum ori meo* **(Psal. CXVIII)**; sed et in neglectum et oblivionem pervenit judiciorum Dei, et in contemptus consuetudinem decidit: quo majus malum et perniciosius pati nihil potest.

[Col. 0494B]

INTERROGATIO III.

Quia ostendit nobis sermo tuus periculosum esse cum his qui mandata contemnunt vitam ducere, nunc discere cupimus si oporteat eum qui ab hujuscemodi consortiis discesserit, remotum esse et solum, an vero cum fratribus ejusdem propositi et ejusdem animi vitam suam sociare.

RESP. In multis utile esse video vitam communem ducere cum his qui ejusdem voluntatis sunt atque propositi. Primo, quia etiam ad usus corporales victusque ministerium unusquisque nostrum solus sibi non sufficit: et vero ideo pro his quae ad ministerium vitae nostrae necessaria sunt, invicem opera nostra egemus. Sicut enim pes hominis in alio quidem suis viribus utitur, in alio vero indiget alienis, et sine adjumento caeterorum membrorum nec explere [Col. 0494C] suum opus, nec sufficere suis viribus potest **(I Cor. XIII)**; ita etiam vita solitaria mihi pati videtur cum neque quod ei inest, utile esse, neque quod deest ab aliquo possit acquiri. Praeter hoc autem nec ratio quidem charitatis unumquemque permittit quod suum est quaerere, dicente Apostolo: *Charitas non quaerit quae sua sunt* (I Cor. XIII). Deinde, sed nec culpas quidem suas unusquisque ac vitia facile dignoscit, cum qui arguat nemo est: et facile hujusmodi homini accidere potest illud quod scriptum est: *Vae soli, quia si ceciderit, nemo est alius qui erigat eum* **(Eccle. IV)**. Sed et mandata a pluribus quidem facilius adimplentur; ab uno vero dum unum videtur impleri, aliud impeditur. Ut puta, [Col. 0494D] quomodo quis solus visitabit infirmum? aut quomodo suscipiet peregrinum? Si vero omnes corpus sumus Christi, singuli autem alterutrum membra, per consonantiam velut in unius corporis compagem in Spiritu sancto aptari et conjungi debemus adinvicem **(Rom. XII)**. Quod si unusquisque nostrum solitariam eligat vitam, scilicet non tali aliqua causa vel ratione quae Deo sit placita, vel quod ad communem caeterorum pertineat dispensationem, sed propriae voluntati et passioni satisfaciens; quomodo possumus discissi et divisi adimplere, et integram assignare membrorum ad se invicem consonantiam? Iste enim talis neque cum gaudentibus gaudet, neque cum flentibus flet **(Rom. XV)**; quoniam quidem separatus ac divisus a caeteris nec cognoscere quidem [Col. 0495A] necessitates poterit proximorum. Tum deinde nec sufficere potest unus ad suscipienda omnia dona Spiritus sancti, quia secundum uniuscujusque mensuram fidei et donorum spiritualium distributio celebratur: ut id quod per partes unicuique distributum est, rursum tanquam membra ad aedificationem unius corporis coeat et conspiret. *Alii enim datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii prophetia, alii gratia sanitatum* **(I Cor. XII)**, et caetera; quae singula utique non tam pro se unusquisque quam pro aliis suscipit a Spiritu sancto. Et ideo necesse est

uniuscujusque gratiam, quam susceperit a Spiritu Dei, et in commune prodesse. Accidit ergo ut is qui remotus vivit et separatus, unamquamcunque suscipiet gratiam, et hanc ipsam inutilem faciat, dum [Col. 0495B] nihil per eam operatur, sed defodit eam in semetipso **(Matth. VII)**. Quod cujus et quanti sit periculi, nostis omnes qui legitis Evangelium. Si autem caeteris communicat gratiam, et ipse perfruitur proprie ea ipsa quam suscepit; et multiplicatur in eo, dum communicatur et caeteris; et ipse nihilominus fruitur gratia reliquorum. Habet autem et alia quamplurima bona communis vita ista sanctorum, quae non est nunc possibile omnia dinumerare. Interim, ut diximus, ad conservanda sancti Spiritus dona commodior est multorum societas, quam si degamus in solitudine. Sed et adversus insidias inimici, quae extrinsecus inferuntur, multo cautior est et utilior societas plurimorum: ut facilius suscitetur e somno, si quis forte obdormierit somnum illum qui ducit ad [Col. 0495C] mortem **(I Cor. XI)**. Sed et delinquenti delictum suum facilius apparebit, cum a pluribus vel arguitur, vel notatur: secundum quod et Apostolus dicit: *Sufficit ei qui ejusmodi est, objurgatio haec quae fit a pluribus* **(II Cor. VI)**. Sed et in oratione non parvum emolumentum a pluribus nascitur, cum consensu et universitate orantibus; ut ex multorum personis, per gratiam quae in nobis est, Deo gratiae referantur. Sed interdum et periculo proxima est vita solitaria. Primo quidem illi periculo subjacet, quod certe gravissimum est, in quo ipse sibi placet, et neminem habens qui possit opus ipsius probare, videbitur sibi ad summam perfectionem venisse. Tum deinde sine ullo exercitio degens, neque quid sibi vitii abundet, neque quid virtutis desit, agnoscit. Neque discretionem [Col. 0495D] habere poterit in operum qualitate, pro eo quod operandi materia omnis exclusa sit. In quo enim humilitatem suam probabit, neminem habens cui humilem se praebere debeat? In quo misericordiam demonstrabit totius consortii et societatis alienus? Ad patientiam vero quomodo seipsum exercebit, nullum habens qui videatur ejus voluntatibus obviare? Si quis autem dicat sufficere sibi doctrinam Scripturae et apostolica praecepta ad emendationem morum vitamque formandam, simile mihi aliquid facere videtur his qui semper fabrile artificium discunt, nunquam tamen fabrifaciunt opus, vel his qui in structorum arte semper docentur, nunquam tamen aedificandae domus operam dabunt. Ecce enim et Dominus [Col. 0496A] non aestimavit sufficere sibi solam verbi doctrinam, sed et opere ipso voluit nobis tradere humilitatis exempla, cum praecinctus linteo lavit pedes discipulorum suorum **(Joan. XII)**. Tu ergo cujus pedes lavabis? quem curabis officiis? cujus inferior aut ultimus eris, cum solus vivas? Sed et aliud quod dicitur: *Bonum et jucundum habitare fratres in unum* **(Psal. CXXXII)**, quod unguento pontificali in barbam de capite descendenti sanctus Spiritus comparavit, quomodo in solitaria habitatione complebitur? Stadium namque est quoddam, ex apostolico praecepto, ad emendationem morum vitamque formandam, in quo per virtutis exercitium proficitur; in quo meditatio divinorum mandatorum effulget amplius et clarescit, haec communis inter se unanimorum fratrum [Col. 0496B] habitatio: habens in se illam similitudinem et exemplum, quod in Actibus apostolorum refert de sanctis Scriptura divina, dicens: *Quia omnes credentes erant in unum, et habebant omnia communia* **(Act. IV)**.

INTERROGATIO IV.

Oportet primum renuntiare omnibus, et ita venire ad hanc vitam vel conversationem

quae secundum Deum est?

RESP. Domino et Salvatore nostro Jesu Christo dicente: *Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* **(Matth. XVI)**; et iterum: *Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* **(Luc. XXIV)**. Qui ad hoc venit ut Dominum sequatur, etiam seipsum [Col. 0496C] neget, et tollat crucem suam. Certum est autem quia jam et ante diabolo renuntiavit et operibus ejus. Quod tamen non ab his qui in profectu sunt vitae, vei qui jam ad perfectionem tendunt, sed ab his qui a prima statim confessione initiantur, fieri solet. In hoc autem renuntiat, sicut superius diximus, etiam ipse sibi homo, id est, si priori consuetudini suae vel vitae renuntiet, aut etiam moribus suis, vel delectationibus saeculi hujus, sed et consanguinitati corporali; illi maxime quae impedire ejus propositum potest: et parentes quidem eos qui se in Christo Jesu per Evangelium genuerunt, magis putabit; fratres autem eos qui eumdem adoptionis spiritum susceperunt: possessiones vero omnes simul a se ducit alienas. Et ut breviter dicam, hic [Col. 0496D] cui pro Christo mundus omnis crucifixus est, et ipse mundo, quomodo potest servus effici cogitationum et sollicitudinum mundi; cum Dominus jubeat etiam animam ipsam abnegandam esse pro se? Perfecta itaque est abnegatio in eo, ut passionibus penitus careat, dum adhuc in corpore est. Sed haec incipit agere ab his primo quae extrinsecus sunt, id est, a passionibus, vel inani gloria, et si quae sunt alia similia, ut ab his primum efficiatur alienus. Et hoc est quod nos docuerunt apostoli Jacobus et Joannes, qui reliquerunt patrem suum Zebedaeum, et navem ipsam in qua erant **(Marc. I)**. Sed et Matthaeus relinquens vectigal, et surgens, ac sequens Dominum **(Matth. IX)**; qui non solum lucra reliquerat [Col. 0497A] vectiganum, sed et periculum contempserat; quod utique poterat evenire a principibus saeculi, pro eo quod vectigalium rationes imperfectas atque incompositas reliquisset. Ita autem cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut nullum prorsus hujus vitae respectum vel cogitationem sibimet servaverit. Quod autem neque ad affectus parentum, si adversantur Dominicis praeceptis, neque ad ullam aliquam humanam delectationem oporteat aliquem respicere, et per hoc ab eo quod proposuit impediri, Dominus edocet, dicens: *Si quis ergo venerit ad me, et non odit patrem suum et matrem suam, et uxorem et filios, et fratres et sorores, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus* **(Luc. XIV)**. Quod est simile illi quod dixit, ut [Col. 0497B] deneget quis seipsum.

INTERROGATIO V.

Si oportet eum qui servis Dei sociari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facultatum suarum?

RESP. Domino dicente: *Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni, sequere me* **(Luc. XVIII)**; et iterum: *Vendite omnia quae habetis, et date eleemosynam* **(Luc. XII)**; arbitror quidem quod is qui accedit ad Dei servitium, non debeat contemnere et ut libet relinquere ea quae sibi competunt; sed tentet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta, tanquam ea quae jam Domino sacrata sunt, quantum fieri potest rationabiliter dispensare: sciens [Col. 0497C] quia

non est absque periculo in opere Dei agere negligenter **(Jer. XLVIII)**. Si vero propinqui ejus vel parentes contra fidem veniant, debet rursum meminisse Domini dicentis: *Quia non est qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centuplum in praesenti tempore, et in futuro saeculo vitam aeternam* **(Matth. XIX)**. Verumtamen oportet eum his qui sibi quae sua sunt denegant et resistunt, et desidem faciunt, protestari et denuntiare quia sacrilegii crimen incurrunt, secundum mandatum Domini dicentis: *Quod si peccat in te frater tuus, et argue eum, et reliqua* **(Matth. XVIII)**. Judicio vero experiri de his apud judices saeculi, abnuit religionis auctoritas, [Col. 0497D] per id quod dixit Apostolus: *Audet aliquis vestrum, negotium habens adversus alium, judicari apud injustos, et non apud sanctos* **(I Cor. VI)**? Et rursum: *Quia jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos* (Ibid.).

INTERROGATIO VI.

Si oportet omnes qui inveniunt ad nos suscipere; aut cum probatione? et qualis ista debet esse probatio?

RESP. Cum Dei clementia omnes vocet, per illam praedicationem qua dicit: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI)**, non est absque discrimine abjicere quempiam venientem ad nos. Verumtamen neque immundis, ut aiunt, pedibus indulgendum est introire quempiam [Col. 0498A] in sanctam doctrinam; sed sicut Dominus noster Jesus Christus juvenem illum qui ad se venerat interrogavit de priore vita sua, et cum audisset quia recte transacta esset, quod deerat ei praecepit adimplere, et ita demum jussit eum sequi se: ita etiam non oportet inquirere de praeterita vita et conversatione, ne forte simulata quis mente et fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demum dignoscitur, si facile omnem laborem corporis qui injungitur ferat, et ad castigationem vitae pronus inclinatur; vel si etiam delictum aliquod suum, cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare confunditur, et medelam delicti quae adhibita fuerit gratanter assumit: et si ad omnem humilitatem absque ulla verecundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus [Col. 0498B] artificiis, si ita ratio poposcerit, tradi se non accipiat aspernanter. Cum ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus quia firma mente, et stabili consilio, ac prompto animo sit, tunc suscipi eum decet. Prius autem quam corpori fraternitatis inseratur, oportet ei injungi quaedam laboriosa opera, et quae videantur opprobrio haberi a saecularibus; et observari oportet si libenter haec et libere ac fideliter expleat, nec confusionem eorum graviter ferat: vel etiam si in labore impiger inveniatur et promptus.

INTERROGATIO VII.

Ex qua aetate oportet nosmetipsos offerre Deo: vel virginitatis professionem quando oportet firmam ac stabilem judicari?[Col. 0498C]

RESP. Dicente Domino: *Sinite infantes venire ad me* **(Luc. XVIII)**; et apostolo Paulo

collaudante eum qui ab infantia sacras litteras didicisset, et rursum praecipiente educari filios in doctrina et correptione Domini; omne tempus a prima aetate opportunum quidem esse ducimus ad suscipiendum timorem et eruditionem Domini: firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam aetas esse coeperit, et ea quae solet nuptiis apta deputari ac perfecta. Oportet tamen infantes, voluntate et consensu parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi; ut omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam. quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter [Col. 0498D] institui, tam in verbo quam in intellectu et opere. Quidquid in tenero quis et parvo inseruerit, firmius et tenacius imposterum conservabit. Injungenda est ergo infantium cura his qui ante omnia in virtute patientiae documenta sui probabiliter praebuerunt: qui possint pro merito delicti et aetatis singulis quibusque etiam correptionis adhibere mensuram: et qui servent eos proximo omnium a sermonibus otiosis, et ab iracundia, atque ab incitamentis gulae, et a cunctis indecentibus atque inordinatis moribus. Si vero cum aetatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industriae, sed vaga mens et animus cassus ac tumens etiam post instituta probabilia infructuosus permanserit, hujuscemodi [Col. 0499A] abjici oportet, et maxime cum uvenilis fervor rudem lacessit aetatem. Eorum vero qui aetate jam robusta accedunt ad servitium Dei, oportet inquirere, ut diximus, qualitatem vitae praeteritae, et sufficere etiam hoc ipsum, si satis instanter hoc expetunt, et si verum et ardens desiderium est eorum erga opus Dei. Hujuscemodi vero fieri documenta ab his oportet, qui valde prudenter de his discutere potuerint et probare. Cum autem fuerint suscepti, si forte propositum suum transgressi fuerint, nec videri eos oportet amplius, tanquam eos qui in Deum deliquerunt; quo teste confessionis suae pactum transgressi sunt. *Etsi* peccaverit, inquit, *homo in hominem, orabunt pro ipso ad Dominum:* si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo (I [Col. 0499B] Reg. II)?

INTERROGATIO VIII.

Si oportet eum qui se piae ac religiosae vitae dederit, etiam continentiam observare?

RESP. Quia in omnibus necessaria sit continentia, manifestum est, primo omnium ex eo quod Paulus inter fructus Spiritus sancti etiam continentiam nominat **(Gat. V)**. Tum deinde etiam immaculatum ministerium per hanc servari posse designat, cum dicit: *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate* **(II Cor. VI)**. Et iterum alibi: *In labore et fatigatione, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis frequenter* **(II Cor. XI)**. Et iterum: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus continens est* **(I Cor. II)**. Et rursum: *Macero corpus meum,* et servituti [Col. 0499C] subjicio (Ibid.); quod utique non aliter quam per continentiam videtur impleri. Et juventutis tumor, ac fervor aetatis velut freno quodam restringi et reprimi per solam continentiam potest. *Non enim expediunt stulto deliciae, secundum Salomonem* **(Prov. XVIII)**. *Et* carnis, inquit Apostolus, *curam ne feceritis in concupiscentiis* **(Rom. III)**. Et iterum: *Vidua quae in deliciis est, vivens mortua est* **(I Tim. V)**. Sed exemplum illud divitis in deliciis viventis necessariam nobis ostendit esse continentiam, ne forte et nos audiamus quod audivit et dives: *Quia consecutus es bona in vita tua* **(Luc. XVI)**. Quomodo autem incontinentia periculosa

sit, etiam Apostolus docet, cum eam proprie illis ascribit quos recedere a Domino dicit; ait enim: *In novissimis diebus instabunt* [Col. 0499D] *tempora periculosa:* erunt enim homines seipsos amantes **(II Tim. III)**, et cum plura malitiae genera enumerasset, ad ultimum posuit: *Comessores, incontinentes, immites.* Sed et Esau malorum suorum quasi fomitem quemdam habuit incontinentiam, qui pro uno cibo vendidit primitiva sua **(Gen. XXV)**. Sed et prima illa praevaricatio non aliunde homini nisi per incontinentiam accidit **(Gen. III)**. Omnis vero sanctorum vita, atque ipsius Domini in carne positi praesentia, quae nobis alia, nisi continentiae proponit exempla? Moyses quidem, dum continuatio quadraginta dierum jejunio astitisset indefectus, dicitur a Deo meruisse legis auxilium humano generi deferre. Elias quoque visione Dei [Col. 0500A] tunc dicitur dignus effectus, cum et ipse simili spatio temporum a cibo se continuisse perscribitur (III Reg. XIX). Sed et Danielis et trium puerorum meritum apud Deum, quo de omnibus inimicis suis et de ipso tyranno triumphum ceperunt **(Dan. I)**, non aliunde nisi per continentiam venit. Joannis autem omnis vita continentia fuit **(Matth. III)**. Ab hac etiam Dominus manifestationis suae initia prima patefecit **(Matth. IV)**. Continentiam autem dicimus, non quo a cibo penitus abstinendum sit, hoc est enim vitam violenter dissolvere, sed eam qua vitae usus non superfluus, sed necessarius constat: cum refugimus quod suave est, explemus ea quae sola corporis necessitas poscit. Et, ut breviter dicam, omnia quae per passibilem concupiscentiam requiruntur, [Col. 0500B] ab his abstinere, virtus est continentiae. Et ideo ergo non solum in esu cibi et in libidine continentiae virtus agnoscitur; sed cum ab omnibus in quibus delectamur quidem carne, sed in anima laedimur, abstinemus. Verus ergo continens nec gloriam humanam desiderat; sed a vitiis se continet, et ab ira, et a tristitia, et ab omnibus quae occupatas tenere consueverunt ineruditas animas et incautas. Pene autem in omnibus mandatis Dei hoc invenimus, quod unum alteri cohaeret, et separatum aliud ab alio compteri impossibile est. Id tamen praecipue in hac ipsa continentia deprehenditur; quoniam quidem humilis ille judicatur qui se a superbia continet, et ille renuntiat omnibus facultatibus suis, et secundum Evangelium vendit [Col. 0500C] omnia sua et pauperibus dividit, qui sine dubio continet se a pecuniae desiderio. Sed et mansuetus ille erit qui iram continet, et cohibet furorem. Quid vero jam vagos oculi visus, et auris auditus, et linguae intemperantiam aliud quam continentia moderatur et cohibet? Sed et intemperatos risus continentia coercet: sicut incontinentiae signum est, inordinatis et incompositis motibus agere in risu: cum utique subridendo tantummodo laetitiam mentis oporteat indicari; indecorum autem sit crepitantem cum sonitu elevare risum: quod certum est per incontinentiam mentis accidere solere etiam invitis; quae res gravitatem et constantiam animi emollire ac resolvere solet. Unde et Salomon: *Risum,* inquit, *dixi amentiam* **(Eccle. II)**. Et: *Sicut* [Col. 0500D] *vox spinarum sub olla, ita risus stultorum* **(Eccle. VII)**. Et iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam:* vir autem sapiens vix tacite ridebit **(Eccli. XXI)**. Ostendit autem et Dominus in semetipso necessarias quidem carnis se habuisse passiones, id est, quae virtuti testimonium ferrent, velut laborem et fletum ac tristitiam; nusquam autem invenitur etiam risu usus, quantum ad historiam pertinet Evangelii. Sed et deflere magis invenitur eos qui rident, dicens: *Vae vobis qui nunc ridetis, quia flebitis* **(Luc. VI)**. Nec sane seducere nos debet similitudo nominis risus. Mos namque est Scripturae interdum laetitiam animae et affectum quemdam laetiorem risum nominare. Sicut ibi Sara, *Risum,* inquit, *mihi fecit Deus* [Col. 0501A] **(Gen. XXI)**. Et iterum: *Beati qui flent nunc, quia ridebunt* **(Luc. VI)**. Et in Job quoque dictum est: *Os autem veracium*

replebitur risu **(Job IV)**. Haec enim omnia nomina pro gaudio animae accipiuntur. Qui ergo liber est ab omni passione, et nihil per incitamenta libidinum gerit, sed continenter et sobrie adversus omne quod potest laedere, nititur, hic perfecte continens dicitur, qui et sine dubio per hoc alienus invenitur ab omni genere peccati. Libido namque est totius mali muscipula; et per hanc omnes decipimur ad peccatum. per quam qui non resolvitur, neque inclinatur ab ea, omni ex se peccati pessimum germen excidit.

INTERROGATIO IX.

Quae est mensura continentiae? [Col. 0501B]

RESP. Quantum spectat ad vitia vel passiones, penitus abstinere, nec unquam superari: quantum autem ad cibos, prout usus deposcit, vel aetas, vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas ejus, ita etiam modus et qualitas temperabitur cibi. Ne que enim possibile est omnes fratres unum ordinem vel modum ac regulam in cibis custodire. Hi vero qui sani sunt possunt omnes eamdem mensuram tenere in abstinentia. Immutari vero oportet per singulos, in quibus causa aliqua diversitatis existit, providentia ac provisione eorum, quibus dispensandi haec cura commissa est. Neque enim per singula sermonem complecti possumus; sed ea tantummodo comprehendimus quae ad communem vel generalem pertinent institutionem. Solatia vero incommodorum [Col. 0501C] in cibis, videlicet eorum qui jam fessi sunt ex opere continentiae, sive ex aliis quibuslibet laboribus, quos pro religione pertulerunt, ii qui praesunt, secundum quod res et ratio deposcit, adhibebunt. Neque ergo tempus reficiendi omnibus idem statui potest, neque modus cibi, neque qualitas; sed prospectus iste sit omnibus unus, ut non usque ad satietatem persistamus in edendo. Repleri enim ventrem, et gravari ex cibo, valde inutile est etiam corpori ad omne opus. Tum deinde quia et gravatur in somnum, et quia etiam laedi ex his facile potest. Sed nec suavia quaeque in fine ciborum sectanda sunt; sed sufficit usum explere vivendi, refutata luxuria. Si enim libidini serviamus, nihil aliud est quam Deum facere ventrem nostrum. Quoniam quidem [Col. 0501D] corpus humanum semper exolescit et defluxit, idcirco et repleri indiget et reformari: propter quod et naturale est cibi desiderium, id quod secundum rectam rationem usus ipse ad reparationem deposcit eorum quae exinanita fuerint et assumpta, tam aridi, quam etiam humidi alimenti. Si quid ergo illud est quod potest vel brevius vel facilius explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potius eligendum est. Sed et Dominus hoc, ut opinor, ostendit, cum esurientes reficit in deserto: quia cum utique posset majore miraculo copiosiores eis cibos parare, nihil horum fecit, sed simplicem eis exhibuit victum: et secundum Joannem **(Cap. VI)**, quinque panos hordeaceos, et pisciculos duos apponit; de [Col. 0502A] potu vero nec mentio quidem ulla fuit. Ex quo illud sine dubio designatur, quod omnibus sufficiens esse possit aquae usus et pernecessarius; nisi forte aliquis per infirmitatem corporis laedi ex hoc videatur: cui sine dubio, secundum consilium apostoli Pauli ad Timotheum scribentis **(I Tim. V)**, cavendum est quod est noxium. Sed et quaecunque manifestant inferunt noxam corpori devitanda sunt. Absurdum enim videtur propter substantiam corporis cibos sumere, et rursum per ipsos cibos corpori inferre perniciem, et illud inutile reddere ad ministerium mandatorum. Oportet tamen omni modo illis uti cibis qui et facilius et vilius comparantur; ut ne occasione

abstinentiae inveniamus pretiosiora quaeque et difficiliora sectari, dum suavitate condimentorum [Col. 0502B] viles natura cibos in suavem et delicatum saporem extollere conamur. Sed si quid est quod in unaquaque provincia facilius et vilius comparatur, et quod in usu hominum communiter habetur, hoc ad usus nostros oportet assumi, et ea tantummodo requiri quae ad vitam pernecessaria sunt, id est, oleum, et alia hujuscemodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur.

INTERROGATIO X.

Quomodo oportet observare nos circa cathedras et accubitus, cum tempus poposcerit.

RESP. Quoniam praeceptum Domini habemus quod nos in omnibus instruit ad humilitatem, in quo etiam de hoc pronuntiat **(Luc. XIV)**, ut cum ad convivium eamus, discumbendi locum novissimum requiramus, [Col. 0502C] et non occupemus locum priorem; illud nos scire oportet, quia ubi omnes eodem prospectu ac proposito convenimus, maxime si in multis et in majoribus humilitatis nostrae documenta jam dedimus, cupere quidem praevenire unumquemque inferiorem locum, secundum mandatum Domini, condecens est. Sed rursum, si res ad contentionem veniat de hoc, et unus alium detrudere velut de loco inferiori conetur, valde est improbabile. Causa enim ex hoc perturbationis et inquietudinis nascitur, si incipiat nemo alteri cedere; et si pro hoc certamina moveantur, simile erit tanquam si de primatibus contendatur. Propter quod oportet etiam in hoc considerantius pervidere, vel quid unicuique nostrum competat; vel certe indulgere ei cui cura [Col. 0502D] commissa est, et in caeteris, et in recumbendo ordinem custodire, et obtemperare ei, ut impleatur in nobis illud quod dictum est: *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* **(I Cor. XIV)**.

INTERROGATIO XI.

Quis est dignus vel decens habitus Christiani?

RESP. Quoniam sermo in superioribus humilitatem necessariam docuit, ita ut qui vult religiose ac pie vivere in omnibus et simplicitatem et vilitatem requirat, id est, ea quae parvo sumptu acquiruntur; id observandum puto in corporalibus usibus per quod occasiones nobis majorum occupationum minime fiant. Hoc ergo etiam in observatione indumen torum custodiendum puto. Si enim studium nobis [Col. 0503A] habendum est omnium esse minimos et omnium novissimos; certum est quia et indumentis omnium nos novissimos deputare debemus. Nam si hi qui gloriam sibi ex indumentorum splendore conquirunt, satis agunt quomodo pretiosis et magnificis vestibus videantur induti, ita consequens est eum qui de ultimis et novissimis, id est, per nimiam humilitatem placere studet, eligere debere hoc in quo omnium et ultimus et novissimus appareat: sicut ille e contrario, id est, de summis et pretiosis videri clarior et nobilior gestit. Si enim in publica coena arguuntur Corinthii quod per suam abundantiam confundant eos qui non habent **(I Cor. XI)**, certum est quia et in hoc simplici et communi omnium indumento quod ad communem habitum vel usum pertinet, [Col. 0503B]

si alter altero differat habitus, vel pretiosior inveniatur, ex ipsa comparatione confundimus non habentes. Sufficienter quoque Apostoli hujuscemodi usibus brevi sermone regulam posuit, dicens: *Habentes autem victum et vestitum, his contenti simus* **(I Tim. VI)**. Ostendens indumento solo quo contegamur indigere nos, et non varietate aliqua vestis et ornamento ejus ac decore jactari. Quae utique postmodum introducta sunt, humanae vitae artificiis et luxuriae ingenio conquisita. Sed et primus ille indumenti usus haec eadem indicat, cum dicitur Deus fecisse primis hominibus pellicias tunicas **(Gen. III)**. Sufficiebat enim ad confusionem contegendam hujuscemodi indumenti usus. Verum quoniam nobis prospectus est indumentis etiam calefieri [Col. 0503C] et foveri, necessarium videtur ut ad utrumque usus ipse temperetur, quo et operiri nuditas videatur, et vel vis frigoris, vel omne quod intrinsecus laedit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidem sunt meliora, alia inferiora, consequens est ea eligere quae nobis usum exhibeant longiorem: ita tamen ut in nullo laedatur regula voluntariae paupertatis, id est, ne alia quidem nobis sint vestimenta ad procedendum praeparata, et alia ad usum domesticum; et rursum alia in aliud tempus, vel in nocte alia et in die: sed oportet unum illud ipsum tale esse indumentum, quod nobis sufficere possit ad omnia, et ut in die honestum videatur indumentum, et in nocte expleat necessitatem. Ex hoc enim fiet [Col. 0503D] ut et habitus noster communis et similis atque unius formae sit omnium, et Christianum etiam visio ipsa designet. Ea enim quae uno prospectu ac proposito geruntur, similia, imo eadem esse omnibus debent. Utile autem est etiam ex ipsa proprietate vestitus et habitus intelligi unumquemque, et professionem ejus agnosci in ea vita qua secundum Deum vivit, ut sciat sibi etiam actus consimiles esse debere; et ad eos qui nos vident secundum habitum nostrum, aequales etiam in actibus apparere debere. Non enim similiter turpe est in quolibet alio, si inhoneste quid agat, sicut in his qui vitam sobriam etiam ipso habitu profitentur. Si enim quis videat de trivio aliquem hominem caedentem alium, [Col. 0504A] aut vapulantem publice, vel turpiter proclamantem, aut in tabernis aliisque locis vitam cum dedecore agentem, nec observabit quidem facile hujuscemodi hominem, vel notabit, sciens eum consequentur haec ad reliquam vitam suam gerere. Si vero eum qui gloriosam vitam profitetur, videat quis vel parum aliquid contra quam condecet agere, observant omnes, et increpant, et ad religionis opprobrium ducunt. Itaque velut paedagogus quidam est infirmioribus habitus iste religiosior, ut etiam invitos eos ab opere inhonesto indecentique custodiat. Denique et Apostolus episcopum ordinatum esse designat **(I Tim. III)**: quae res ad habitum magis revocatur. Sed et de mulieribus dicit, in habitu ordinatas eas esse debere. Ordinatus autem habitus [Col. 0504B] Christiani dicitur is, qui secundum propositum ac professionem ejus aptus intelligitur. Sicut enim proprium est aliquid militi in habitu vestimenti, et alius est habitus senatoris, ex quo praecipue intelligitur, vel iste qui senator est, vel ille qui miles est; ita etiam Christianus habere aliquid proprium etiam ex ordinatione indumenti ipsius debet. Sed et de calceamentis eadem ratio observabitur: ut quod simplicius est et paratius, et aptum proposito, et usibus sufficiens, id assumatur. Zonae quoque usum ostendunt necessarium esse etiam qui praecesserunt nos sancti. Nam Joannes zona pellicea constringere lumbos suos dicitur **(Matth. III)**, et Elias antea: tanquam enim proprius habitus quidam ipsius designatur, cum dicitur: *Vir hirsutus,* et [Col. 0504C] *zonam pelliceam habens circa lumbos suos* **(III Reg. I)**. Sed et Petrus zona usus ostenditur, sicut ex verbis angeli, quae ad eum dicta sunt, recognoscimus: *Accinge* te, inquit, *et calcea te caligas tuas* **(Act. XII)**. Sed et beatus

Paulus zona usus ostenditur per Agabi prophetiam, dicentis: *Virum eum cujus est zona haec, ita alligabunt in Hierusalem* **(Act. XXI)**. Sed et Job audit a Domino: *Accinge sicut vir lumbos tuos* **(Job. XXXVIII)**. Virtutis namque cujusdam et prompti ad opera animi signum videtur esse usus cinguli. Sed et discipulis Domini zonae usus fuisse videtur ex more, quibus prohibebatur ne pecuniam haberent in zonis suis **(Matth. X)**. Revera enim necessarium videtur, eum qui manuum opere uti in aliquo debet succinctum esse et in omnibus praeparatum ac sine [Col. 0504D] ullo impedimento inveniri, ad omne boni operis ministerium. Unde et cingulo indiget, ut vel colligata circa corpus sit tunica: ex qua magis confoveri possit, si undique constrictus sit; vel non impediri ad omnem rem quam agere parat. De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, cum manifesta definitione praescriptum sit, in quo dicit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti unam* **(Luc. III)**. Ex quo sine dubio plures habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diversitate indumentorum praecipi potest?[Col. 0505A]

INTERROGATIO XII.

Si licet alicui ex proprio sensu dicere quod videtur sibi bonum, absque testimonio Scripturarum?

RESP. Domino nostro Jesu Christo dicente de Spiritu sancto: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, haec loquetur* **(Joan. XVI)**. De se ipso autem: *Non potest filius a se facere quidquam* **(Joan. V)**. Et iterum: *Ego a me ipso non sum locutus, sed qui me misit Pater, ipse mihi dedit mandatum, quid dicam, aut quid loquar;* et scio quia mandatum ejus vita aeterna est. Quae ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, ita loquor **(Joan. XII)**. Quis potest in tantum temeritatis progredi, ut audeat a se quidquam vel loqui, vel cogitare? Imo vero sciendum est quia omnes duce itineris indigemus Spiritu sancto, ut [Col. 0505B] ipse nos in viam dirigat veritatis, et in cogitatione, et in verbis, et in actibus. Caecus est enim et in tenebris degit omnis qui est absque sole justitiae, qui est dominus noster Jesus Christus; cujus mandatis, velut radiis quibusdam, illuminamur. *Mandatum* enim, inquit, *Domini lucidum est, illuminans oculos* **(Psal. XVIII)**. Quia ergo in omnibus negotiis quae inter nos versantur, vel verbis, quaedam quidem per mandatum Dei in divinis Scripturis distinguuntur, quaedam vero reticentur; de his quidem quae scripta sunt, nulla prorsus licentia permittitur cuiquam, vel admittere quod prohibendum est, vel omittere quod praeceptum est: cum ipse Dominus ita praeceperit, dicens: *Et custodi verbum hoc, quod ego tibi mando hodie:* non adjicies ad illud, neque [Col. 0505C] *auferes ab eo* **(Deut. IV)**. Sed et terribilis quaedam exspectatio est judicii et ignis zelus, qui consumpturus est adversarios, et eos qui ausi sunt tale aliquid operari. De his vero quae Scriptura reticuit, regulam nobis Apostolus posuit evidenter dicens: *Omnia licent, sed non omnia expediunt;* omnia licent, sed non omnia aedificant. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius **(I Cor. VI)**. Itaque omni modo non quae nobis licita sunt, sed quae aedificant proximos, agere debemus, et non nobis placere, sed proximis ad aedificationem. Scriptum est enim: *Subjecti invicem in timore Christi* **(Ephes. V)**. Sed et rursus Dominus ait: *Si quis vult in vobis major esse, fiat omnium novissimus, et omnium servus* **(Luc. XXII)**. Quod utique qui implere vult,

sine dubio [Col. 0505D] proprias sibi amputat voluntates, secundum imitationem ipsius Domini dicentis: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit, Patris* **(Joan. VI)**. Et iterum praecepit Dominus: *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo* **(Matth. V)**.

INTERROGATIO XIII.

Si oportet omnibus vel quibuscunque obedire?

RESP. Horum quidem qui imperant differentia vel diversitas non debet impedire obedientium propositum: quia neque Moyses intemperans exstitit cognato suo Jethro, cum utilia moneret et justa **(Exod. XVIII)**. Commonitionum sane non parva est diversitas: aliae namque contrariae videntur esse mandatis [Col. 0506A] Dei, aliae vero interrumpere mandatum, vel contaminare illud videntur, aliae vero ad explendam id atque aedificandum veniunt. Necessarium ergo est meminisse apostolici praecepti dicentis: *Prophetias nolite spernere:* omnia probate, quod bonum est retinete; ab omni specie mala abstinete vos **(I Thes. V)**. Et iterum: *Cogitationes purgantes, vel destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum, ad obediendum Christo* **(I Cor. X)**. Si quid ergo est quod conveniat cum mandato Dei et animae expediat, et hoc nobis ab aliquo fuerit imperatum, velut voluntatem Dei prompte et libenter debemus accipere, et explere quod dictum est: *Obtemperantes in charitate Christi* **(Ephes. IV)**. Sin autem contrarium aliquid [Col. 0506B] mandatis Dei, vel quod ea corrumpere videatur aut contaminare, facere jubemur ab aliquo, tempus est nos dicere: *Obtemperare Deo magis quam hominibus* **(Act. V)**. Et rursum meminisse Domini dicentis de omnibus suis: *Alieni autem vocem non sequuntur, sed fugiunt ab eo:* quoniam nesciunt alienorum vocem **(Joan. X)**. Sed et sancti Apostoli memores esse debemus, qui ad nostram cautelam ausus est, ne angelis quidem parcere, dicens: *Etiamsi angelus de coelo evangelizaverit vobis praeterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit* **(Gal. I)**. Ex quo edocemur, ut etiamsi valde nobis charus sit aliquis, etiamsi magnificus habeatur, et in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere, quod a Domino praeceptum est, vel rursum imperat, quod Dominus [Col. 0506C] prohibuit, exsecrabilis debet esse qui ejusmodi est omnibus qui diligunt Dominum.

INTERROGATIO XIV.

Quali affectu debet servire, qui servit Deo? et iste ipse affectus quid est?

RESP. Affectum bonum vel animum illum esse arbitror ego, cum desiderium vehemens et inexplebile atque immobile inest nobis placendi Deo. Impletur autem iste affectus per theoriam, id est, scientiam, per quam intueri et perspicere possumus magnificentiam gloriae Dei, et per cogitationes pias et puras, et per memoriam bonorum, quae nobis a Deo collata sunt; ex quorum recordatione venit animae dilectio Domini Dei sui, ut eum diligat ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota [Col. 0506D] mente sua, secundum

illum qui dicebat: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* **(Psal. XLI)**. Cum tali affectu ergo servire oportet Domino, adimplentes illud quod ab Apostolo dictum est: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an gladius? et reliqua* **(Rom. VIII)**.

INTERROGATIO XV.

Quid sentire de se debet is qui praeest, in quibus praecipit, vel imperat?

RESP. Apud Deum quidem, sicut minister Christi et dispensator mysteriorum Dei **(I Cor. IV)**; timens ne praeter voluntatem Dei, vel praeter quod in sacris Scripturis evidenter praecipitur, vel dicat aliquid, [Col. 0507A] vel imperet, et inveniatur tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus, vel introducens aliquid alienum a doctrina Domini, vel certe subrelinquens et praeteriens aliquid eorum quae Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet, tanquam si nutrix foveat parvulos suos: paratus autem, secundum voluntatem Domini, et secundum quod unicuique expedit, communicare cum eis non solum Evangelium Dei, sed etiam animam suam; memor praecepti Dei ac Domini nostri dicentis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut ego dilexi vos* **(Joan. XIII)**. *Majorem hac charitatem meo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis suis* **(Joan. XV)**.

INTERROGATIO XVI.

[Col. 0507B]

Peccantem quomodo corripiemus, vel emendabimus?

RESP. Sicut praeceptum est a Domino, dicente: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, argue eum inter te solum et ipsum.* Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si vero non te audierit, assume tecum alium unum, vel duos: ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si etiam ipsos non audierit, dic Ecclesiae: si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus **(Matth. XVIII)**. Si forte increpatio haec, quae a pluribus fit, eveniat ei in salutem: et sicut dixit Apostolus: *Argue, increpa, consolare in omni patientia et doctrina* **(II Tim. IV)**. Et rursum: *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo* **(II Thes. III)**; sine dubio ad mensam.

INTERROGATIO XVII.

Si quis autem in parvis delictis affligere voluerit fratres, dicens: quia debetis poenitere per singula, ne forte et ipse immisericors videatur, et dissolvere charitatem?

RESP. Cum affirmaverit Dominus: *Quia iota unum, vel apex unus non transiet a lege, usquequo omnia fiant* **(Matth. V)**; et rursum definierit: *Quia de omni sermone otioso,*

quemcunque locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii **(Matth. XII)**, nihil oportet contemni tanquam parvum. *Qui enim spernit minima, paulatim defluit* **(Eccli. XIX)**. Sed et quomodo quis audebit breve dicere aut parvum delictum, cum Apostolus dicat, manifesteque definiat: *Quia per praevaricationem legis Deus exhonoratur* [Col. 0507D] **(Rom. II)**? Sed et *aculeus mortis peccatum esse dicitur* **(I Cor. XV)**. Et non dixit, tale vel tale peccatum, sed omne peccatum. Magis ergo immisericors est, qui intermittit et negligit, quam ille qui arguit: sicut is qui morsu serpentis permittit delitescere venenum, quam ille qui educit et attrahit. Sed et charitatem destruit ille, qui, secundum quod scriptum est, *parcens baculo, odit filium suum:* qui autem diligit, diligenter corripit **(Prov. XII)**.

INTERROGATIO XVIII.

Quomodo quis debet poenitere in unoquoque delicto?

RESP. Affectum illum in se recipiens, quem gerebat ille, qui dicit: *Iniquitatem odio habui;* et abominatus sum **(Psal. CXVIII)**. Sed et ea quae scripta sunt in sexto Psalmo, atque in aliis quamplurimis: [Col. 0508A] vel ea, quae Apostolus dixit ad eos qui secundum Deum contristati sunt: *Quantam operatus* est vobis, inquit, *sollicitudinem? sed excusationem, sed indignationem, sed timorem, sed aemulationem, sed vindictam.* In omnibus exhibuistis vos castos esse negotio **(II Cor. VII)**. Sed et ex his ipsis, in quibus delinquit, agens multa contraria, sicut et Zacchaeus fecit **(Luc. XIX)**.

INTERROGATIO XIX.

Qui sunt fructus digni poenitentiae?

RESP. Opera quae contraria sunt peccato, isti sunt fructus justitiae; quos debet afferre ille, qui vult, secundum quod scriptum est, in omni opere bono fructificare **(Coloss. I)**.

INTERROGATIO XX.

[Col. 0508B]

Qui se verbo dicit poenitere, peccatum autem suum non emendat, quid est?

RESP. De isto scriptum est: *Si te rogaverit inimicus tuus magna voce, non acquiescas ei:* septem enim nequitiae sunt in anima ejus **(Prov. XXVI)**. Et alibi: *Sicut canis revertens ad vomitum suum odibilis fit, ita homo qui per malitiam suam revertitur ad peccatum suum* (Ibid.).

INTERROGATIO XXI.

Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri, sive quibuslibet, aut certis quibusque?

RESP. Clementia Dei erga eos qui deliquerunt manifesta est; secundum quod scriptum est: *Quia non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat* **(Ezech. XVIII)**. Quia ergo et conversionis [Col. 0508C] modus aptus esse, et convertentis se a peccato fructus dignus ostendi debet per poenitentiam, secundum quod scriptum est: *Facite fructus dignos poenitentiae* **(Luc. III)**: ne forte secundum comminationem illam eveniat his qui non poenitent, quod scriptum est: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* **(Matth. III)**, necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim et hi qui antiquitus poenitebant, inveniuntur apud sanctos confessi esse peccata sua. Scriptum est enim in Evangelio, quia Joanni Baptistae confitebantur peccata sua **(Matth. III)**; et in Actibus apostolorum, apostolis a quibus baptizabantur **(Act. III)**.[Col. 0508D]

INTERROGATIO XXII.

Qui poenituerunt pro aliquo peccato, et rursum in hoc ipsum peccatum inciderunt, quid faciunt?

RESP. Qui semel delinquit, et iterum in idem peccatum incurrit, indicare de se videtur hoc primum quod ab illo peccato priori non fuerit expurgatus: ex quo velut a radice quadam pessima, eadem quae antea pullularunt. Sicut enim quis ramos arborum excidens, si radicem relinquat, ubi radix permaneat fixa, virgulta denuo ejusdem seminis germinabunt, ita etiam peccatum. Quoniam non omnes qui delinquunt, ex ipsis peccatis initium sumunt, sed ex aliis interdum delicti occasio nascitur. Necessarium ergo ei est qui vult omnino se [Col. 0509A] purgare a peccato, primas ipsas causas culpae succidere. Verbi gratia: si ex contentione, vel ex invidia fuerit, non a se sumit exordium; sed radicem habet ex arrogantia et cupiditate gloriae humanae venientem. Dum enim gloriam quaerit unusquisque ab hominibus, aut contentionibus studet, aut recte agentibus invidet: huic scilicet, per quem videtur ipse minus in laude vel in admiratione haberi. Si quis ergo semel notatus fuerit invidiae vel contentionis vitio, et rursus in hoc ipsum inciderit, sciat se primam illam causam, de qua superius diximus, ex qua invidia vel contentio nascitur, in interioribus medullis habere reconditam. Oportet ergo eum et per contraria atque adversa curari; id est, per humilitatis exercitium. Exercitia vero [Col. 0509B] humilitatis sunt, si se vilioribus officiis subdat, et ministeriis indignioribus tradat. Ita namque arrogantiae et humanae gloriae vitium curari poterit, ut consuetudine humilitatis affectus, ultra jam non incidat in arrogantiae et vanae gloriae delictum. Sed et in singulis hujuscemodi vitiis cura similis adhibeatur.

INTERROGATIO XXIII.

Quali affectu, vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat?

RESP. Ad eum quidem tali mente esse debet, qualem indicat beatus David, dicens: *Vidi*

non servantes pactum, et tabescebam; quoniam eloquia tua non custodierunt **(Psal. CXVIII)**. Ad eos autem quos increpat, hunc debet affectum servare, quem pater [Col. 0509C] et medicus erga aegrotantem filium servat: et tunc maxime, cum qualitas curae tristior videtur et gravior.

INTERROGATIO XXIV.

Quali affectu debet quis suscipere correptionem?

RESP. Sicut aeger filius patris et medici de vita sua solliciti: qui etiamsi aliquid asperum offerat vel amarum ad curandum filium, scit utique filius, quod nec pater in aliquo negligere potest de salute filii, nec medicus falli.

INTERROGATIO XXV.

Qui tristatur adversus eum qui se increpat, qualis est?

RESP. Neque periculum peccati agnovit iste, maxime ad Deum, neque lucrum poenitentiae; nec [Col. 0509D] credidit illi qui dixit: *Quia qui diligit, diligenter corripit* **(Eccl. X)**. Sed et seipsum alienum facit ab illa utilitate dicentis: *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* **(Psal. CXL)**. Sed et ad laesionem caeterorum iste talis permanet inter fratres: resolvit enim et impedit animos eorum qui possunt proficere.

INTERROGATIO XXVI.

Quale judicium esse debet de his, qui peccantes defendunt?

RESP. Ut mihi videtur, gravius ab illo quod dixit Dominus: *Quia expedit illi, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, et praecipitetur in mare, quam ut scandalizet unum ex minimis istis* **(Matth. XVIII)**. Non enim jam correptionem ad emendationem, sed [Col. 0510A] defensionem ad confirmandum peccatum suum suscipit, qui delinquit, sed et alios ad simile provocat malum. Ita ut conveniat ei, qui peccantes defendit, illud quod dictum est: *Quia si non ostenderitis fructus dignos poenitentiae, excidemini, et in ignem mittemini* **(Luc. III)**. Vel rursum quod a Domino dictum est: *Quia si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, et projice abs te.* Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur in gehennam **(Matth. XVIII)**.

INTERROGATIO XXVII.

Poenitentem ex corde quomodo oportet suscipi?

RESP. Sicut Dominus ostendit, cum dicit: *Quia convocavit amicos et vicinos, dicens:*

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram.[Col. 0510B]

INTERROGATIO XXVIII.

Erga eum qui pro peccato non poenitet, qualiter esse debemus?

RESP. Sicut Dominus praecepit, dicens: *Sit tibi sicut gentilis et publicanus.* Et sicut Apostolus docuit, dicens: *Subtrahite vos ab omni fratre inquiete ambulante, et non secundum traditionem, quam tradidimus vobis.*

INTERROGATIO XXIX.

Si debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est?

RESP. Huic contrarium est illud testimonium quod in Actibus apostolorum de illis qui credebant primitus, scriptum est. Ibi enim ita dicitur: *Quia nemo* [Col. 0510C] *quidquam ex bonis suis proprium dicebat esse:* sed erant illis omnia communia **(Act. IV)**. Si quis vero proprium sibi esse dicit aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis Dei et a charitate Domini, qui docuit verbo, et opere complevit, et animam suam posuit pro amicis suis **(Joan. XV)**. Si ergo ipse animam suam pro amicis dedit, quomodo nos etiam ea quae extra animam sunt, propria vindicamus?

INTERROGATIO XXX.

Si quis dicat: Quia neque accipio a fratribus, neque do; sed contentus sum meis propriis: quid de hoc observare debemus?

RESP. Si non acquiescat doctrinae Domini, dicentis: *Diligite invicem sicut et ego dilexi vos, acquiescat Apostolo dicenti: Auferte malum ex vobis ipsis* **(II Cor. V)**: ne forte accidat, ut modicum fermentum [Col. 0510D] totam massam corrumpat.

INTERROGATIO XXXI.

Si debet quis a carnalibus propinquis accipere aliquid?

RESP. Propinquis quidem reddere quae sua sunt, his qui ad servitium Dei accedunt, necessarium est; et nihil subtrahere, ut non crimen sacrilegii incurrant. Verumtamen haec praerogari in conspectu eorum ad quos visa sunt pertinere, non expedit: ne et illis ipsis occasionem praestet elationis ac superbiae; et aliis fratribus ejusdem propositi pauperioribus tristitiam generet. Ita ut accidat illud, in quo Corinthii increpantur ab Apostolo dicente: *Quia confunditis non habentes* **(I Cor. XI)**. Et ideo [Col. 0511A] his qui per loca singula ecclesiis praesunt, si sunt fideles et prudentes dispensatores, ipsis offerri debent, secundum imitationem eorum, qui in Actibus apostolorum id fecisse

perscribuntur, de quibus dicitur: *Quia afferentes pretia praediorum suorum, ponebant ante pedes apostolorum* **(Act. III)**. Certe quoniam non est omnium hujuscemodi dispensationes explere fideliter, illis offerri convenit, qui apud omnes in hoc officio probati habentur. Verumtamen etiam de his probabit ille qui praeest, per quem debeant dispensari.

INTERROGATIO XXXII.

Quomodo videre debemus eos, qui nobis vel familiares, vel consanguinei fuerunt et proximi?

RESP. Sicut Dominus ostendit, tunc cum ei nuntiaverunt: [Col. 0511B] *Quia mater tua et fratres tui foris stant, volentes te videre;* ad quos cum increpatione respondit, dicens: *Quae est mater mea? et qui sunt fratres mei? Qui enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, iste meus frater, et soror, et mater est* **(Luc. VIII)**.

INTERROGATIO XXXIII.

Quod si deprecantur nos, volentes ut eamus cum ipsis ad domos eorum, si oporteat nos acquiescere?

RESP. Si quidem pro aedificatione fidei aliquis ire potest, si probaverit ille qui praeest, mittatur. Si vero propter humanam aliquam gratiam, audiat Dominum dicentem ad illum qui ei dixit: *Magister, permitte mihi primum ire, et renuntiare his qui in domo sunt.* Quia nemo mittens manum suam in aratrum, et retro respiciens, aptus est regno coelorum **(Luc. IX)**. [Col. 0511C] Quod si pro renuntiando hoc dictum est volenti ire ut renuntiaret, quid dicemus de caeteris?

INTERROGATIO XXXIV.

Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversae ascendunt in corde nostro? et quomodo possumus hoc emendare?

RESP. Vagatur quidem mens interdum etiam otio, cum non occupatur in necessaria sollicitudine; sed in remissione posita et securitate, non credit praesentem esse Deum, scrutantem corda et renes. Si enim hoc crederet, faceret quod superius dictum est: *Providebam Dominum in conspectu meo semper;* quia a dextris est mihi, ne commovear **(Psal. XV)**. Qui enim hoc agit, vel horum similia, neque vagabitur unquam, neque habebit otium vanis cogitationibus [Col. 0511D] indulgere; vel aliquid cogitare, quod non ad aedificationem fidei pertineat, et ad aliquam animae utilitatem spectet. Quanto magis nihil audebit, quod adversum sit Deo, et non ei placeat, cogitare?

INTERROGATIO XXXV.

Unde et nocturnae phantasiae inhonestae et turpes accidunt nobis?

RESP. Veniunt quidem haec maxime ex diurnis animae motibus et actibus, indignis et incongruis. Si enim vacet in judiciis Dei, et expurgetur anima per meditationem legis divinae, et studium verbi Der, ibique indesinentem curam gerat, semper requirens et scrutans quid sit quod placeat Deo, talia etiam habebit somnia.[Col. 0512A]

INTERROGATIO XXXVI.

Quali affectu debemus infirmis fratribus ministrare?

RESP. Sicut ipsi Domino offerentes obsequium, qui dixit: *Quia cum fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis* **(Matth. XXV)**. Expedit autem ad conservandum hujuscemodi affectum in obsequiis, ut et hi qui obsequia a nobis suscipiunt, tales sint, quibus merito deferri obsequium debeat. Et ideo oportet eos qui praesunt curam gerere, ne hi quibus ministratur tales sint qui carni indulgeant et ventri, sed potius in amore Dei et Christi ejus probabiles inveniantur, et per patientiam suam ac vitae meritum fratrum mereantur obsequia: ut habeantur ad gloriam Christi, et opprobrium diaboli sicut fuit et sanctus Job.[Col. 0512B]

INTERROGATIO XXXVII.

Cum quali humilitate debet quis suscipere a fratribus obsequium?

RESP. Sicut servus a domino, et sicut ostenuit Petrus apostolus, cum ei Dominus ministraret **(Joan. XIII)**. In quo simul etiam periculum eorum, qui nolunt recipere obsequia fratrum, docemur.

INTERROGATIO XXXVIII.

Qualem debemus habere charitatem ad invicem?

RESP. Qualem Dominus ostendit et docuit, dicens: *Diligite invicem, sicut et ego dilexi vos*. Majorem autem charitatem nemo habet, quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis **(Joan. V)**. Si autem et animam poni oportet, quanto magis in aliis votum et studium debet ostendi? Sine dubio non secundum [Col. 0512C] humanas voluntates, sed secundum illum prospectum, in quo est commune omnium propositum placendi Deo.

INTERROGATIO XXXIX.

Quomodo poterit quis implere charitatem circa proximum suum?

RESP. Primo quidem metuens judicium praevaricantis mandatum Domini; quia ipse

dixit: *Qui non crediderit Filio, non habebit vitam:* sed ira Dei manet super eum **(Joan. III)**. Tum deinde velut cupiens ad aeternam vitam pervenire, quia mandatum ejus vita aeterna est. *Primum autem et magnum mandatum est:* Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota mente tua, et ex tota anima tua. Secundum vero simile illi: Diliges proximum tuum sicut teipsum **(Matth. XXII)**. Et si quis desiderat similis effici Domino [Col. 0512D] dicenti: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos* **(Joan. XIII)**. Sed et ex communi sensu sentire hoc possumus: quia si beneficium consequamur a fratre, in eo quod diligimur a fratre, debitores ei efficimur, ut eum merito diligamus; quod etiam inter gentiles observari solet, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? quia et peccatores et gentiles, diligentes se diligunt* **(Luc. VI)**. Si autem in aliquo vel laedit nos, vel adversatur quis, hunc non solum propter mandatum, sed et propter hoc ipsum, quia plus nobis praestat in quo laedit, diligere debemus. Siquidem credimus Domino dicenti: *Beati estis cum exprobrabunt vos et persequentur,* [Col. 0513A] *et dicent omne malum adversum vos, mentientes propter me:* gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in coelis **(Matth. V)**.

INTERROGATIO XL.

Usque ad quae verba otiosus sermo judicabitur?

RESP. Generaliter omnis sermo, qui non proficit ad aliquam gratiam fidei Christi, otiosus est: et tantum est periculum hujuscemodi sermonis, ut etiamsi bonum esse videatur quod dicitur, et ad aedificationem fidei tamen non pertineat; non in sermonis bonitate ille qui locutus est, periculum effugiat, sed in eo, quod non proficit ad aedificationem sermo prolatus, contristat Spiritum sanctum Dei. Hoc enim manifeste demonstrat Apostolus, dicens: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat:* sed [Col. 0513B] *si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et super haec adjecit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in die redemptionis* **(Ephes. IV)**. Quo utique gravius malum nullum esse poterit.

INTERROGATIO XLI.

Quis est maledicus, id est Λοίδορος?

RESP. Omnis sermo, qui ob hoc profertur, ut infamet aliquem, vel deroget, vel male commendet, maledicus est, etiam si videatur non esse injuriosus. Et hoc manifestum est ex sententia Evangelii, cum dicit de Judaeis: *Quia maledixerunt eum, dicentes:* Tu sis discipulus ejus **(Joan. IX)**.

INTERROGATIO XLII.

Quid est detractio, vel derogatio? [Col. 0513C]

RESP. Duas opinor esse causas, in quibus licet alicui dicere et retractare aliena mala: si quando consilium habere necesse est cum caeteris, qui in hoc ipsum videntur assumi, quomodo corrigatur is qui peccavit, vel mali aliquid egit; et rursum, si quando necesse est praeveniri aliquem et commoneri, ne forte incurrat in consortium alicujus mali, dum eum putat esse bonum. Quia Apostolus dicit: *Nolite commisceri cum hujusmodi* **(II Thes. III)**. Item in Salomone: *Noli manere cum homine iracundo;* ne forte vias ejus discas, et sumas laqueum animae tuae **(Prov. II)**. Quod et ipsum Apostolum fecisse invenimus, per hoc quod scribit ad Timotheum, dicens: *Alexander aerarius multa mihi ostendit;* quem tu quoque devita. Valde enim restitit nostris sermonibus **(II Tim. III)**. [Col. 0513D] Praeter hujuscemodi autem necessitates, quicunque dicit aliquid adversus alium, ut vel deroget ei, vel obtrectet, istud est detrahere: etiamsi vera esse videantur quae dicit.

INTERROGATIO XLIII.

Qui detrahit fratri, aut audit detrahentem, et patitur, quid dignus est?

RESP. Excommunicari debet. *Detrahentem, inquit, occulte adversus proximum suum, hunc persequebar* **(Psal. C)**. Et alibi dictum est: *Noli libenter audire detrahentem:* ne forte eradiceris **(Psal. XX)**.

INTERROGATIO XLIV.

Quod si de eo qui praeest quis detraxerit, quomodo eum observabimus?

RESP. Et in hoc manifestum est judicium iracundiae [Col. 0514A] Dei, quae facta est super Mariam, cum detraxit de Moyse, et peccatum ejus nec ipso quidem Moyse orante inultum esse Deus permisit **(Num. XII)**.

INTERROGATIO XLV.

Si quis acerbiori sermone, vel insolentiori voce respondeat; et admonitus dicat quia nihil mali habeat in corde, si oportet ei credi?

RESP. Non omnes animae passiones manifestae sunt omnibus, nec ipsis quidem qui patiuntur eas. Sicut enim sapientioribus medicis signa quaedam dantur absconsa et occulta ex corporum motibus, quae ipsos qui patiuntur effugiunt et latent, ita etiam in anima sunt quaedam vitia, etiamsi non sentit ille qui peccat. Sed credere oportet Domino, dicenti: *Quia malus homo de malo thesauro cordis sui profert* [Col. 0514B] *mala* **(Matth. XII)**. Et ideo non potest fieri, ut malus de corde malo bonum proferat sermonem, nec bonus de bono corde malum proferat verbum. Sed interdum quidem potest esse mali cordis bonitas simulata: bonum autem cor, malum non potest simulare. Dicit enim Apostolus: *Quia providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* **(Rom. XII)**

INTERROGATIO XLVI.

Quomodo possit aliquis non irasci?

RESP. Si Deum omnia credat inspicere, et Dominum praesentem semper intueatur: quoniam quidem neque is qui judici suo subjectus est, ausus est in oculis judicis sui aliquid suae indignationis ostendere, id est, cum non ipse sibi alios putat esse subjectos, [Col. 0514C] sed se praeparat ad alterius obedientiam: hoc est enim omnes ducere superiores sibi. Si enim non ad suos usus vel ad suam utilitatem obedire sibi quaerit eos qui obediunt, scire debet quoniam sermo Domini unumquemque docet aliis obsequi vel ministrare. Ob quod etiamsi videt aliquem mandatum Domini praeterire, non ira erga eum moveatur, sed miseratione et compassione secundum eum qui dicit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor* **(II Cor. XI)**?

INTERROGATIO XLVII.

Quis est mansuetus?

RESP. Qui non transfertur a judiciis suis, quibus statuit vel studet Deo placere.

INTERROGATIO XLVIII.

Quomodo quis non vincatur in voluptate, et libidine [Col. 0514D] *ciborum?*

RESP. Si statuat expetendum esse, non id quod delectat, sed id quod expedit, et quod usui, non voluptati, sufficiat.

INTERROGATIO XLIX.

Quomodo excidemus vitium mali desiderii.

RESP. Desiderio meliore: si magis ignimur et accendimur ad amorem Dei, secundum illum qui dicit: *Eloquium Domini ignivit eum* **(Psal. CIV)**. Et: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum nimis multum, et dulciora super mel et favum* **(Psal. XVIII)**. Semper enim desiderium meliorum, si in opere sit et in re, et possideat totos animos nostros, atque eorum quae desideramus perfrui contendamus contemnere [Col. 0515A] nos facit et despicere inferiora, sicut docuerunt nos omnes sancti, quanto magis ea quae mala sunt et turpia?

INTERROGATIO L.

Quae est tristitia secundum Deum, et quae est secundum saeculum?

RESP. Secundum Deum est tristitia, cum pro mandati negligentia vel praevaricatione tristamur, secundum quod scriptum est: *Tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam* **(Psal. CXVIII)**. Saeculi autem tristitia est, cum ob aliquid de rebus humanis, vel quae ad saeculum pertinent, contristamur.

INTERROGATIO LI.

Quae sunt in Domino gaudia, vel quid facientes gaudere debemus? [Col. 0515B]

RESP. Si quae secundum mandatum Domini gerimus, vel in gloria Dei agimus, hoc est in Domino gaudium: vel cum pro nomine Domini aliquid patimur et gaudemus, vel aliis recte agentibus congratulamur.

INTERROGATIO LII.

Quod lugere debemus, ut beatitudinem consolationis consequi mereamur?

RESP. Cum illa interrogatione, in qua exposuimus quae est secundum Deum tristitia, etiam ista interrogatio continetur: id est, si pro peccatis lugemus, vel si eos deflemus, qui per praevaricationem legis Deum inhonorant: vel propter eos, qui periclitantur in peccato. *Quia anima quae peccaverit, ipsa morietur* **(Ezech. XVIII)**: secundum illum qui dixit: [Col. 0515C] *Et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam* **(II Cor. XII)**.

INTERROGATIO LIII.

Si ex toto ridere non licet?

RESP. Cum Dominus eos qui nunc rident, condemnet **(Luc. VI)**, manifestum est quia nunquam tempus est risus fideli animae: et maxime cum plurimi sint, qui per praevaricationem legis Deum non honorent, et in peccatis suis moriantur: pro quibus tristari indesinenter convenit et lugere.

INTERROGATIO LIV.

Quae est sollicitudo saecularis?

RESP. Omnis sollicitudo animi, etiamsi nihil habere videantur illicitum, tamen si non ad religionem [Col. 0515D] pertineat et ad virtutem, saecularis est.

INTERROGATIO LV.

Unde accidit nobis importune dormitare, et quomodo hoc possumus abjicere?

RESP. Evenit quidem importune dormitare, cum languidior est anima erga Deum, et memoriam Dei, et cum judiciorum ejus eam incessit oblivio. Abjicere autem id possumus, cum dignam de eo assumpserimus cogitationem, et ad voluntatem ejus extendimus desideria nostra; secundum illum qui dixit: *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, usquequo inveniam locum Domino, et tabernaculum Deo Jacob* **(Psal. CXXXI)**.[Col. 0516A]

INTERROGATIO LVI.

Quomodo quis ad gloriam Dei facit omnia?

RESP. Cum omnia propter Deum, vel ex mandato Dei facimus, et in nullo sectamur hominum laudes, et in omnibus meminimus Domini dicentis: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* **(Matth. V)**.

INTERROGATIO LVII.

Quomodo manducet quis et bibit in gloriam Dei.

RESP. Si in memoria habeat eum, a quo pascitur, Deum: et si non solum anima, verum etiam corpore per singula contestetur, se ei gratias agere, et non securum manducare; sed quasi operarium Dei ab ipso refici, ad hoc, ut ad laborem, vel expletionem [Col. 0516B] sufficiat mandatorum.

INTERROGATIO LVIII.

Quomodo faciat dextera, quae non cognoscat sinistra?

RESP. Cum intenta mente, et fixo desiderio placendi Deo, agimus opera Dei, et omni sollicitudine constringimur, ne decidamus a via recta, et ab opere legitimo; tunc nullius prorsus extrinsecus, neque membri nostri alicujus percipimus cogitationem, nisi solius Dei, et ejus operis quod explemus. Tanquam si artifex faciens vas aliquod indesinenter et ejus meminit qui opus injunxit; et vas quod versat in manibus, si recte et fabre veniat, intuetur.

INTERROGATIO LIX.

[Col. 0516C]

Quomodo apparebit eis qui hominibus vult placere?

RESP. Cum praesentibus quidem iis qui laudare possunt, agit aliquid operis boni: nullo autem tali praesente, vel etiam iis qui vituperare possunt astantibus, segnis et pigrior est in opere. Si enim Domino placere vellet, semper utique et in omni loco idem esset, atque eadem gereret: adimplens illud quod dictum est: *Per arma justitiae, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem;* per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces **(I Cor. VI)**.

INTERROGATIO LX.

Quomodo quis effugiet vitium hominibus placendi vel captandi laudem ab hominibus? [Col. 0516D]

RESP. Si certus sit de praesentia Dei, et fixam habeat sollicitudinem Deo placendi; et multo desiderio teneatur earum beatitudinum quae a Domino repromissae sunt. Non enim oportet sub praesentia Dei placere conservis, ad injuriam Domini, et ad sui perniciem; non Domino, sed conservorum nutibus intuentem.

INTERROGATIO LXI.

Quomodo intelligitur superbus? vel quomodo curatur?

RESP. Intelligitur quidem ex eo, quoniam ea quae eminentiora sunt quaerit. Curatur autem, si credat sententiae ejus, qui dixit: *Deus superbis resistit* **(Jac. IV)**. Illud sane sciendum est, quod quomodo [Col. 0517A] quis timeat damnationem superbiae, impossibile est curari hoc vitium, nisi abstrahat se, et secedat ab omnibus occasionibus elationis: sicut impossibile est exstingui linguae alicujus vel gentis loquelam, vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se penitus abstrahat, non solum ab agendo, vel loquendo, vel movendo, sed etiam audiendo eos qui loquuntur, vel videndo eos qui agunt id quod oblivisci cupit. Et hoc observandum est de omnibus vitiis.

INTERROGATIO LXII.

Quid est humilitas; et quomodo eamdem implere possimus?

RESP. Humilitas quidem est haec, ut omnes homines aestimemus superiores nobis, secundum definitionem [Col. 0517B] Apostoli **(Phil. II)**. Implere autem id possumus, si memores fuerimus Domini dicentis: *Discite a me quia mansuetus sum et humilis corde* **(Matth. XI)**: quod in multis saepe et ostendit et docuit. Et credere debemus promittenti: *Quia qui se humiliaverit, exaltabitur* **(Luc. XVIII)**. Deinde ut indesinenter et absque ulla cessatione in omnibus actibus, et in omni negotio humiliores caeteris inveniri studeamus, et in hoc exercitium nostrum ponamus. Vix enim sic poterimus pristinae a nobis arrogantiae abolere memoriam, et affectum humilitatis assumere, sicut etiam in artificiis fieri solet. Idemque modus erit etiam in caeteris virtutibus obtinendis, quae ex mandato Domini nostri Jesu Christi veniunt.

[Col. 0517C]

INTERROGATIO LXIII.

Si oportet honorem quaerere?

RESP. Reddere quidem cui honorem honorem edocti sumus **(Rom. XIII)**; requirere autem honorem prohibiti, Domino dicente: *Quomodo potestis credere, gloriam quaerentes ab invicem:* et gloriam quae est ab uno Deo, non quaeritis **(Joan. V)**? Itaque requirere ab hominibus gloriam vel honorem, indicium est infidelitatis, et alienos nos esse a pietate Dei, maxime cum et Apostolus dicat: *Si adhuc hominibus placere vellem, Christi servus non essem* **(Gal. I)**. Si ergo hi qui ab hominibus gloriam vel honorem sibi oblatum suscipiunt, ita condemnantur, hi qui nec oblatum quidem requirunt, quali judicio digni sunt?

[Col. 0517D]

INTERROGATIO LXIV.

Quomodo invicem obaudire debemus?

RESP. Sicut servi dominis, secundum quod praecipit Dominus: *Quia qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium novissimus, et omnium servus* **(Matth. XX)**. Quibus addidit, ut magis nos inclinet ad humilitatem: *sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Sed et aliud quod ab Apostolo dictum est: *Per charitatem spiritus servit invicem* **(Gal. V)**.

INTERROGATIO LXV.

Usque ad quem modum obaudire oportet eum, qui placendi Deo implere regulam cupit?

RESP. Apostolus ostendit, proponens nobis obedientiam Domini: *Qui* factus est, inquit, *obediens* [Col. 0518A] *usque ad mortem, mortem autem crucis* **(Phil. II)**. Et praedixit: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.*

INTERROGATIO LXVI.

Qui piger est erga mandatum, quomodo potest industrius et vigilans effici?

RESP. Si certus sit praesentiam Domini Dei ubique esse, et omnia intueri **(Prov. XX)**; et comminationem illam quae adversus pigrum prolata est, ante oculos habeat, et spem multae retributionis Dei, qui repromisit per Paulum apostolum dicens: *Quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* **(I Cor. III)**: et si

qua similia in Scripturis sanctis inveniuntur, quae de labore patientiae et operum sollicitudine ad Dei gloriam referuntur.

[Col. 0518B]

INTERROGATIO LXVII.

Si quis non contentus est quotidie sibi aliquid injungi de his quae pro mandato Dei incidunt, sed artificium vult discere; quali vitio aegrotat? aut si oportet ei acquiescere?

RESP. Iste talis et praesumptor est, et sibi placens, et infidelis, qui non timet sententiam Domini dicentis: *Estote parati;* quia hora qua non putatis, filius hominis veniet **(Luc. XII)**. Si enim quotidie exspectat quis dominum, sollicitus est et trepidus, quomodo praesentem diem non transeat otiosus, et nihil amplius quaerit. Si autem imperatur ei artificium discere, obedientiae suae habeat lucrum, et in hoc placeat Deo; et non in eo, quod sibi placet, assumat judicium.

[Col. 0518C]

INTERROGATIO LXVIII.

Si quis industrius sit, et promptus ad implenda mandata, agat autem, non quod ei injungitur, sed quod ipse vult: quam mercedem habebit?

RESP. Merces ejus illa ipsa est, quod sibi placet. Cum autem Apostolus dicat: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad aedificationem* **(Rom. XV)**. Et ut amplius inclinaret et constringeret audientes, addidit dicens: *Quia ipse Christus non sibi placuit, scire debet unusquisque periculum suum esse in eo, quod vult sibi placere:* simul enim inobediens invenitur.

INTERROGATIO LXIX.

Si licet alicui excusare opus quod ei injungitur et [Col. 0518D] *aliud quaerere?*

RESP. Cum definitum sit mensuram obedientiae usque ad mortem esse, qui devitat hoc quod ei injungitur, et aliud quaerit, primo omnium inobedientiae reus est, et manifeste ostenditur qui nondum negavit semetipsum. Deinde multorum malorum causa efficitur tam sibi quam etiam caeteris, quia aditum contradictionis pluribus aperit, et seipsum ad contradicendum insuescit; et cum non possint singuli discernere quod melius est et eligere, potest fieri, si talis est licentia, ut aliquid quod deterius est eligat. Tum deinde etiam suspicionem dabit fratribus, quod passione aliqua, vel ad opus illud quod eligit, astringatur, vel certe erga eos cum quibus necesse est operari. Itaque omni modo non obedire, [Col. 0519A] multorum malorum causa est et radix. Si autem ratio est aliqua qua sibi recte excusare videatur opus illud, quod excusat, exponat hanc ipsam causam huic

qui praeest, et relinquat ejus judicio, ut ipse probet si excusatione dignum est quod allegat.

INTERROGATIO LXX.

Si injunctum fuerit aliquid fratri, et contradixerit, postea autem sua sponte obedierit, quid est?

RESP. In eo quod contradixit, quasi non obtemperans judicandus est, et velut caeteros ad simile concitans malum. In quo sciat se illi sententiae obnoxium, quae dixit: *Contradictiones suscitat omnis malus:* Dominus autem angelum immisericordem immittet ei **(Prov. XVII)**. Cum autem certus sit quia [Col. 0519B] non homini obtemperat, sed Domino dicenti: *Quia qui audit vos, me audit, et qui spernit vos, me spernit* **(Luc. X)**: si compunctus est recordatione mandati, prius satisfaciat; et ita, si permittitur, quod injunctum est impleat.

INTERROGATIO LXXI.

Si autem obediens quis murmuret?

RESP. Apostolo dicente: *Omnia facite sine murmuratione et haesitationibus* **(Phil. II)**; alienus sit a fratrum unitate qui murmurat, et opus ejus abjiciatur. Manifestum enim est iste qui talis est, quia infidelitate aegrotat, et certum futurae spei fiduciam non gerit.

INTERROGATIO LXXII.

Si frater fratrem contristaverit, quomodo debet emendari? [Col. 0519C]

RESP. Si quidem contristaverit, sicut Apostolus dicit: *Contristati enim estis, ut in nullo detrimentum pateremini ex nobis* **(II Cor. VII)**; non ille qui contristavit emendari debet, sed ille qui contristatus est; et indicia ejus tristitiae, quae secundum Deum est, debet ostendere. Si vero indifferenter contristavit, id est, non secundum Deum, memor sit is qui contristavit Apostoli dicentis: *Si autem propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas* **(Rom. XIV)**. Et cum cognoverit tale delictum esse suum, impleat illud quod a Domino dictum est: *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris ibi quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare,* et [Col. 0519D] *vade prius reconciliari fratri tuo;* et tunc veniens offeres munus tuum **(Matth. V)**.

INTERROGATIO LXXIII.

Quid si non acquiescat ut satisfaciat, quid agendum est?

RESP. Implere debemus in eo illud, quod a Domino dictum est de eo qui peccavit, et non egit poenitentiam, cum dixit: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* **(Matth. XVIII)**.

INTERROGATIO LXXIV.

Quid si, satisfaciente eo qui contristaverit, noluerit reconciliari is qui contristatus est?

RESP. Manifesta est de hoc Domini sententia, quae refertur in illa parabola de servo qui rogatus [Col. 0520A] est a conservo suo, et noluit patienter agere: *Et* videntes, inquit, *conservi renuntiaverunt domino suo* **(Matth. XVIII)**. Iratus autem dominus revocavit omnem gratiam quam concesserat debiti, et tradidit eum tortoribus usquequo redderet omne debitum.

INTERROGATIO LXXV.

Quomodo quis debet habere eum, qui ad orationem suscitat fratres?

RESP. Si quis cognoscit damnum quod de somno patitur, cum neque sui ipsius sensum habet; et intelligit quantum sit lucrum vigiliarum, et praecipue cum vigilatur ad glorificandum Deum in orationibus; ita debet habere eum qui ad hoc se invitat et suscitat dormientem, tanquam eum per quem divina [Col. 0520B] lucra et coelestia dona consequitur; sive is ad orationem, sive ad aliud quodcunque mandatum Dei invitat et provocat.

INTERROGATIO LXXVI.

Quod si contristatur ille qui excitatur, aut etiam si irascetur, quid dignus est?

RESP. Interim excommunicari debet et non manducare; si forte compunctus agnoscat quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet, et ita conversus recipiat gratiam; ejus in se affectum sumens, qui dixit: *Memor fui Dei, et delectatus sum* **(Psal. LXXVI)**. Quod si permanserit in stultitia, non intelligens gratiam, abscindatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim: *Quia expedit ut pereat unum membrorum tuorum,* [Col. 0520C] *et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* **(Matth. V)**.

INTERROGATIO LXXVII.

Quid est, Nolite judicare, ut non judicemini; nolite condemnare, ut non condemnemini?

RESP. Cum Dominus aliquando dicat: *Nolite judicare, ut non judicemini* **(Matth. VII)**; aliquando vero: *justum judicium judicate* **(Joan. VII)**; non utique omni modo prohibet judicandi facultatem; sed differentiam judicii nosse nos docet, ut sciamus in quibus oporteat non judicare et in quibus non. De hoc autem manifeste nobis Apostolus tradidit, dicens de his causis quae uniuscujusque arbitrio esse debent: *Tu autem quare judicas fratrem tuum* **(Rom. XIV)**? Et iterum: *Non ergo invicem judicemus* (Ibid.). [Col. 0520D] In his vero actibus qui aperte Deo non placent, notat eos qui non judicant, et ipse suam sententiam prodit per haec quae dicit: *Ego quidem sicut absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi tanquam praesens eum, qui haec operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi;* tradere hujuscemodi hominem Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi **(I Cor. XV)**. Si quid itaque in nostra potestate vel arbitrio positum et insertum est, non oportet de his judicare fratrem, secundum hoc quod Apostolus dicit, tanquam de his quae ignorantur: *Itaque nolite ante tempus quid judicare, usquequo veniat Dominus,* [Col. 0521A] *qui illustrabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* **(I Cor. IV)**. Dei autem judicia vindicare omni modo necessarium est; ne forte et nos simili ira absorbeamur, si quid sciamus erga peccantes et sileamus. Nisi forte quis eadem faciens, fiduciam non habeat arguendi, neque auctoritatem judicandi fratrem, Domino dicente: *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* **(Matth. VII)**.

INTERROGATIO LXXVIII.

Quomodo intelligitur quis, si zelo Dei moveatur adversus peccantem fratrem, aut a propria iracundia?

RESP. Si ad omne peccatum fratris patitur illud, quod scriptum est: *Consumpsit me zelus domus tuae,* [Col. 0521B] *quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei* **(Psal. XXXIII)**. Manifestus est enim et in hoc Dei zelus. Verumtamen etiam in his oportet prudenter omnia dispensari. Si ergo hunc affectum etiam antea non habuit in animo suo, motus suos sciat magis ex passione quam ex Deo descendere, et in nullo posse officium pietatis implere.

INTERROGATIO LXXIX.

Dicunt quidam quia impossibile est non irasci hominem?

RESP. Sicut nec possibile est militi in conspectu sui regis irasci. Sed nec sic quidem habebit rationem hoc quod dicitur. Humanus enim vultus ejusdem formae hominis ad hominem propter unitatem naturae, [Col. 0521C] ubi cum sola sit dignitatis eminentia, tamen prohibet passionem; quanto magis Deus, quem certi sumus etiam cordi nostro praesentem et omnes motus nostros inspicere? Cujus manifestum est quanta sit eminentia, etiam hoc ipso quod scrutatur corda et renes, et videt motus animae.

INTERROGATIO LXXX.

Si oportet ire quocunque, non commonito eo qui praeest?

RESP. Cum Dominus dicat: *Non enim veni ut a me faciam quidquam, sed ab illo qui me misit* **(Joan. V)**; quanto magis unusquisque nostrum sibi permittere nihil debet? Qui enim sua auctoritate aliquid agit, manifestissimae superbiae morbo detinetur: et [Col. 0521D] subjectus est illi sententiae quae dicit: *Quod in hominibus superbum est, abominatio est in conspectu Dei* **(Luc. XVI)**. Sed in omnibus sua sponte vel auctoritate aliquid agere, culpabile est?

INTERROGATIO LXXXI.

Si omnino volenti litteras discere, vel lectioni vacare, indulgendum est

RESP. Apostolo dicente: *Ut non quae vultis, ea faciatis* **(Gal. V)**; in omni negotio sua voluntate permittere unumquemque agere, perniciosum est; sed oportet illud suscipere quod ab his qui praesunt injungitur, etiamsi contra voluntatem sit ejus cui injungitur; secundum Domini exemplum, dicentis: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat* **(Luc. XXII)**.

[Col. 0522A]

INTERROGATIO LXXXII.

Si licet unicuique vitare opus quod gravius videtur.

RESP. Qui fideliter et pure Deum diligit, et certus est de retributione Domini, ne sufficere sibi putat ea quae injunguntur; sed semper augmenta operis quaerit, et majora quam injunguntur, desiderat et exoptat, etiamsi supra vires videatur esse quod facit. Nec aliquando securus est, tanquam opere expleto; sed e contrario sollicitus est et anxius, tanquam qui nihil dignum praeceptis evangelicis egerit: memor illius Dominici sermonis dicentis: *Cum autem feceritis omnia quaecunque praecipio vobis, tunc dicetis:* servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus **(Luc. XVII)**. Sed et imitabimur Apostolum: [Col. 0522B] cui cum mundus esset crucifixus, et ipse mundo, erubescit dicere: *Quia ego meipsum nondum aestimo apprehendere:* unum autem, ea quidem quae retro sunt obliviscens, ad ea autem, quae ante me sunt, me extendens, secundum propositum sequor ad palmam supernae vocationis Dei in Christo Jesu **(Phil. III)**. Et qui cum haberet potestatem, ut Evangelium annuntians de Evangelio viveret: *Magis in labore* et fatigatione, inquit, *nocte ac die operans vixi.* Non quia non habemus potestatem; sed ut nos formam daremus vobis, ad imitandum nos **(II Thes. II)**. Quae cum ita sint, quis ita stultus est vel infidelis, ut putet se majoribus quam debet oneribus praegravari, cum in hoc quod mensura poscit nondum possit implere?

[Col. 0522C]

INTERROGATIO LXXXIII.

Quomodo quis promptus fiat etiam ad pericula propter mandatum Domini?

RESP. Primo quidem, ut consideret quia et ipse Dominus obedivit Patri pro nobis usque ad mortem: et certus sit quia mandatum Domini in vita aeterna est, sicut scriptum est. Tunc deinde etiam, ut credat Domino dicenti: *Quia quicunque voluerit animam suam salvam facere, perdet eam:* qui autem perdiderit animam suam propter me, et propter Evangelium, salvam faciet eam **(Joan. XII)**.

INTERROGATIO LXXXIV.

Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur? [Col. 0522D]

RESP. Eo affectu quo esuriens parvulus nutrici obedit ad ubera invitanti; vel quo affectu omnis homo suscipit ab aliquo ea quae ad vitam pertinent, imo et si quid amplius; pro eo quod multo est pretiosior futura vita quam praesens, sicut et Dominus dixit: *Quia mandata mea vita aeterna sunt* **(Joan. XII)**. Sicut ergo praesens vita constat in cibo panis, ita aeterna vita constat in opere mandati, sicut ipse Dominus iterum dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, Patris* **(Joan. IV)**.

INTERROGATIO LXXXV.

Quali animo debet esse quis pro hoc ipso quod dignus habitus est in opere Dei inveniri?

RESP. Eo quo erat ille qui dicebat: *Quis ego sum, Domine? aut quae est domus patris mei? quoniam* [Col. 0523A] *dilexisti me?* **(II Reg. VII.)** Explens per singula id quod scriptum est: *Gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine:* qui et liberavit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii claritatis suae **(Coloss. I)**

INTERROGATIO LXXXVI.

Quomodo debent hi qui processerunt in labore operis Dei, instruere vel instituere eos qui nuper accedunt?

RESP. Si quidem corpore adhuc vegeti sunt per hoc quod impigre ad cuncta habilitatis officia semetipsos paratos exhibent, aedificant eos, et formam eis utilem ad omnem profectum praestant. Si vero infirmiores sunt corpore, per hoc quod ostendunt [Col. 0523B] eis se in omnibus vel actibus, vel motibus, vel etiam ipso vultu, Dei semper habere et cogitare praesentiam, sed et in his quae ab Apostolo enumerata sunt, specialibus charitatis affectibus, quibus ait: *Charitas patiens est, et benigna est:* non zelatur, non

agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia sperat, omnia patitur: charitas numquam excidit **(I Cor. XIII)**. Haec enim omnia etiam in infirmo corpore impleri possibile est.

INTERROGATIO LXXXVII.

Si dicat quis: Volo apud vos parum aliquid temporis facere, ut proficiam ex vobis; si oportet eum suscipi?[Col. 0523C]

RESP. Domino pronuntiante: *Quia venientem ad me non ejiciam foras* **(Joan. VI)**; et Apostolo nihilominus dicente: *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu:* quibus nec ad horam cessimus subjectioni; ut veritas Evangelii permaneat apud vos **(Gal. II)**; concedi quidem ei convenit ingressum, propter incertos exitus rerum. Interdum enim potest fieri ut per tempus proficiat, et delectetur sanctitate vitae, et permaneat in coeptis, sicut et frequenter factum scimus. Sed et ut manifesta fiat veritas institutionum nostrarum, de quibus fortassis homines aliter opinantur. Oportet tamen circa eum cautius agi et diligentius; ut sive in veritate permaneat vel proficiat, sive institutionum nostrarum [Col. 0523D] libertas exploretur, probabilis inveniatur et pura. Ita namque et nos Deo placebimus; et ille, aut proficiet, si verax est; aut si simulator est, erubescet.

INTERROGATIO LXXXVIII.

Si quis supra vires vult abstinere, ita etiam, ut in opere mandatorum impediatur per nimietatem abstinentiae; si oportet ei concedi?

RESP. Interrogatio vestra non mihi videtur competenter adhibita. Non enim continentiam in cibis solum esse diximus: nam haec ab apostolo Paulo etiam culpabilis invenitur, si non cum fide et ratione fiat, cum dicit: *Abstinentes se a cibis quos Deus creavit* **(I Tim. IV)**. Sed illam diximus esse perfectam continentiam, [Col. 0524A] qua se quis a prioribus suis voluptatibus continet. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam vult facere, et non Domini, certum est ex his quae Apostolus dicit: *Facientes voluntatem carnis et cogitationum, eramus natura filii irae sicut et caeteri* **(Ephes. II)**.

INTERROGATIO LXXXIX.

Qui satis jejunat, et in refectione non potest communem cibum cum omnibus sumere; quid magis eligere debet, jejunare cum fratribus et cum ipsis reficere, aut propter majora jejunia alios cibos requirere?

RESP. Jejunii mensura non debet ex uniuscujusque voluntate pendere, sed ex jussu et institutione eorum qui communiter Deo serviunt: sicut et illorum in omnibus unanimitas

et consonantia refertur, [Col. 0524B] qui in Actibus apostolorum cor et animam unam habuisse signantur **(Act. IV)**. Si quis ergo rationabiliter et fideliter jejunat, etiam virtutem, ut sustinere possit, a Domino consequitur: *Fidelis enim est, qui repromisit* **(Hebr. X)**

INTERROGATIO XC.

Quomodo oportet jejunare, cum necessarium jejunium injungitur; si aliquando aliquid quod religio deposcit, explendum est, tanquam ex necessitate, an voluntarie?

RESP. Domino dicente: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* **(Matth. V)**, omne quod ad religionem pertinet, nisi ex proposito et devotione fiat, periculum generat. Debet ergo jejunio sociari devotio. Quia autem necessarium sit jejunium in talibus quibusque [Col. 0524C] causis, et maxime cum desideramus aliquid impetrare a Domino, etiam sanctus Apostolus docet, qui inter caeteras suas virtutes addidit etiam hoc: *Quia in jejuniis frequenter* **(I Cor. XI)**.

INTERROGATIO XCI.

Qui non vult ipsis cibis vesci ex quibus fratres reficiuntur, sed alios requirit, si recte facit?

RESP. Specialiter hoc ipsum, quaerere cibum, est contra mandatum Domini, dicentis: *Nolite quaerere quid manducetis, vel quid bibatis* **(Matth. VI)**. Et ut nos magis attentos faceret ad ea quae dicebat addidit: *Haec enim gentes inquirunt.* Sane debet sollicitudo ejus esse qui praeest, ut impleat illud quod scriptum est: *Dividebatur autem unicuique secundum id quod opus erat* **(Act. IV)**.

INTERROGATIO XCII.

[Col. 0524D]

Qui dicit, quia laedit me hoc, et contristatur si ei alius cibus non fuerit datus, qualis est?

RESP. Apparet quia hic non est fixus in spe illa quam Eleazarus habuit **(II Mach. VI)**; nec de charitate ejus qui praeest, et sollicitudinem tam sui quam omnium gerit, certus est. Verumtamen absolute neque de his quae laedunt, neque de his quae prosunt, permittitur unicuique judicio suo vel voluntate aliquid agere; sed ejus qui praeest judicio committendum est, ut unicuique, prout res vel necessitas expetit, consulat: primo omnium in his quae animae prosunt; tunc deinde secundo loco etiam ut in corporalibus usibus secundum Dei voluntatem moderetur.

[Col. 0525A]

INTERROGATIO XCIII.

Si vero etiam quis murmuret propter escam, quae erga eum sententia servabitur?

RESP. Ea quae circa illos qui murmuraverunt in deserto. Dicit enim Apostolus: *Ne murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore* **(I Cor. X)**.

INTERROGATIO XCIV.

Si oportet eum qui plus laborat, requirere plus aliquid a consuetudine?

RESP. Si propter retributionem Dei laborem suscipit, non hic requirere debet laboris sui mercedem vel requiem, sed pro his ad promissa Domini festinare: sciens quia sicut pro laboribus mercedes paravit Dominus, ita etiam pro angustiis consolationes. Verumtamen hi qui praesunt, observabunt regulam, [Col. 0525B] quae dicit: *Dividebatur unicuique prout opus erat* **(Act. IV)**. Debent enim unumquemque praevenire, ut secundum laborem etiam solatia refectionis inveniat.

INTERROGATIO XCV.

Quali affectu oportet accipere vel vestimentum, vel calceamentum, qualecunque fuerit?

RESP. Siquidem breve aut grande est, ad mensuram staturae suae hoc judicare debet, sed cum omni verecundia et mansuetudine. Si vero pro abjectiori et viliori movetur, aut quia non est novum, meminerit mandati Domini, dicentis: *Quia dignus* est, non quicunque, *sed operarius mercede sua* **(Luc. X)**. Discutiat seipsum, si digne operatus est opera [Col. 0525C] Dei, et adimpleverit omnia, quaecunque praecepta sunt; et tunc non aliud requiret, sed de eo ipso quod ei datur adhuc erit sollicitus, quia super suum meritum accipit. Hoc enim quod esca dictum est, etiam de omni re quae ad usus corporis pertinet eadem forma servari potest.

INTERROGATIO XCVI.

Si quis iratus fuerit, nolens accipere aliquid eorum quae ad usum praebentur?

RESP. Iste talis dignus est etiam ut si quaerat non accipiat, usquequo probet is qui praeest: et cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis usibus necessarium fuerit, praebebit.

INTERROGATIO XCVII.

Si necesse est omnes convenire ad horam prandii, eum qui remanet et post venit, quomodo transigimus?

RESP. Siquidem necessitate vel loci vel operis remansit a communi ordine, qui praeest probabit et ignoscet. Si vero cum posset, non satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiae suae, et maneat sine cibo usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem.

INTERROGATIO XCVIII.

Pauperes venientes ad ostium et petentes, quomodo dimittimus? Et si debet unusquisque porrigere panem, vel quodcunque aliud; aut oportet hoc ad eum qui praeest pertinere?

RESP. Cum Dominus dixerit: *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus:* sed et canes manducare de micis, quae cadunt de mensa puerorum, [Col. 0526A] *libenter accipiunt* **(Matth. XV)**; is cui dispensatio injuncta est, cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem praeter illius voluntatem facere hoc praesumit, tanquam inquietus et indisciplinatus confundatur, usquequo discat loci sui ordinem custodire; secundum quod Apostolus dixit: *unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat* **(I Cor. VII)**.

INTERROGATIO XCIX.

Si licet unicuique veterem suam tunicam aut calceamentum dare cui voluerit, misericordiae causa propter mandatum?

RESP. Dare aliquid mandati gratia, non est omnium, sed eorum quibus istud officium creditum est. Sic ergo ad quem pertinet dispensatio, sive novum, sive vetus vestimentum ipse det cui dari debet et ipse suscipiat a quo suscipi debet.

[Col. 0526B]

INTERROGATIO C.

Si frater junior fuerit jussus docere aliquem seniorem secundum aetatem, quomodo debet agere cum illo?

RESP. Tanquam ministerium exhibens ad implendum mandatum Domini, cum omni reverentia; timens illam sententiam quae dicit: *Maledictus qui facit opera Dei negligenter* **(Jer. XLVIII)**: observet autem, ne elatus in judicium incidat diaboli.

INTERROGATIO CI.

Si debent peregrini intrare usque ad illa loca ubi fratres operantur: vel etiam si alii de eodem monasterio debent relictis suis locis intrare ad alios?

RESP. Praeter illum cui creditum est requirere operantes; id est, ad quem opus pertinet et dispensatio, [Col. 0526C] si quis inventus fuerit hoc faciens, tanquam interturbans disciplinam et ordinem fratrum, a communi conventu excludatur, et omnino etiam a licitis progressibus inhibeatur; et sedens in uno loco, in quo judicaverit is qui praeest, apto ad correptionem et vindictam, nusquam prorsus permittatur abscedere, sed urgeatur in opus, multo plus quam consuetudo est; et quotidie exigatur, usquequo discat implere hoc quod Apostolus dixit: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* **(I Cor. VII)**.

INTERROGATIO CII.

Si oportet eos qui noverunt artificia suscipere ab aliquo opus absque scientia vel jussione ejus qui praeest et operum sollicitudinem gerit?

RESP. Furti reus erit ejusmodi, vel similis eis qui [Col. 0526D] furibus concurrunt.

INTERROGATIO CIII.

Quomodo debent hi qui operantur, curam gerere ferramentorum, vel utensilium eorum de quibus operatur?

RESP. Primum quidem sicut vasis Dei, vel his quae jam Deo consecrata sunt, uti debent. Deinde tanquam qui non possint sine ipsis devotionis et studii sui emolumenta consequi.

INTERROGATIO CIV.

Quid si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur?

RESP. Is quidem qui contemnit, velut sacrilegus judicandus est; et qui perdidit per negligentiam, et ipse simile crimen incurrit: pro eo quod omnia [Col. 0527A] quae ad usus servorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt.

INTERROGATIO CV.

Quid si a seipso commodare voluerit alicui, aut accipere ab alio?

RESP. Tanquam insolens et temerarius habendus est. Haec enim eorum qui praesunt, et curam dispensationis gerunt, officia propria sunt.

INTERROGATIO CVI.

Quid si necessitas poscat ut is qui praeest requirat ab aliquo eorum vas vel ferramentum, et contradixerit?

RESP. Qui seipsum et membra sua tradidit in alterius potestatem propter mandatum Domini, quomodo licebit ei de utensilibus contradicere, huic praecipue cui cura commissa est.[Col. 0527B]

INTERROGATIO CVII.

Si is qui circa cellarium, vel coquinam, vel alia hujuscemodi opera occupatus est, non occurrat adesse ordini psallentium vel ad orationem, nihil damni patitur in anima.

RESP. Unusquisque in opere suo observare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore; et damnum habebit, si neglexerit in eo quod injunctum est ei, et de communi fratrum utilitate negligens amplius periclitabitur. Et ideo tota mente et devotione complere debet id quod scriptum est: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* **(Ephes. V)**. Si enim corporaliter non occurrat adesse cum caeteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat. Oportet [Col. 0527C] tamen observare, ne forte possit quis implere in tempore suo quod complendum est et occurrere: sed dum loqui vult, occasiones nectit tanquam in ministerii opere occupatus. Quod si facit, et offendiculum caeteris praestat, et ipse negligentis crimen incurrit.

INTERROGATIO CVIII.

Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur?

RESP. Si certus sit assistere se ante oculos Dei. Si enim quis judicem suum videns vel principem, et loquens cum eo, non sibi credit licitum esse vagari oculis, et aliorsum aspicere, dum ipse loquitur; quanto magis qui accedit ad Dominum, nusquam debet movere oculum cordis, sed intentus esse in eum, qui scrutatur renes et corda **(Psal. VII)**? ut [Col. 0527D] impleat illud quod scriptum est: *Levantes sanctas manus sine ira et disceptatione* **(I Tim. II)**.

INTERROGATIO CIX.

Si possibile est obtinere hominem, ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua; vel quomodo id fieri potest?

RESP. Quia possibile est ostendit ille qui dixit: *Oculi mei semper ad Dominum* **(Psal. XXXIV)**. Et iterum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper;* quia a dextris est mihi, ut non commovear **(Psal. XV)**. Quomodo autem possibile sit, praediximus; id

est, si non demus animae nostrae otium, sed in omni tempore de Deo et de operibus ac de beneficiis ejus, et de donis cogitemus, et haec cum confessione et [Col. 0528A] gratiarum actione semper volvamus in mente, sicut scriptum est: *Psallite sapienter* **(Psal. XLVI)**.

INTERROGATIO CX.

Et quid est, psallite sapienter?

RESP. Quod est in omnibus cibis gustu unumquemque dignoscere cujus saporis sit, hoc est et in verbis sanctae Scripturae prudentiae sensus. *Fauces enim,* inquit, *escas gustabunt, sensus autem verba discernit* **(Job. XXXIV)**. Si quis ergo ita animam suam intendat in singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste est qui compleat hoc quod dicitur: *Psallite sapienter.*

INTERROGATIO CXI.

Qua mensura debet temperare potestatem dispensationis suae is cui cellarii cura commissa est?

RESP. Erga eum quidem qui ei credidit hujuscemodi [Col. 0528B] dispensationem, meminisse debet Domini dicentis: *Non possum ego a me ipso facere quidquam* **(Joan. V)**. Ad caeteros vero sollicite scire debet quid unusquisque opus habeat, ut compleat illud quod scriptum est: *Dividebatur autem unicuique prout opus erat* **(Act. IV)**. Eadem autem ratio observari debet ab omnibus quibuscunque aliqua ministerii vel dispensationis sollicitudo commissa est.

INTERROGATIO CXII.

Qua sententia observabitur erga dispensantem, si aliquid secundum personae acceptionem, vel per contentionem faciat?

RESP. Apostolo praecipiente, aliquando quidem: *Ne quid facias secundum favorem, vel in alteram partem declinando* **(I Tim. V)**; aliquando autem dicente: [Col. 0528C] *Quia si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia* (I Cor. XI). Si quis hoc facit, notetur, usquequo corrigatur. Verumtamen oportet cum summa diligentia et probatione discutere et considerare ad quam partem unusquisque aptus sit vel opportunus, et ei injungi quodcunque illud operis est vel officii: ut neque illi qui injungunt ex hoc ipso condemnentur quod non aptum alicui officium injunxerint, et inveniantur mali dispensatores esse sive animarum, sive mandatorum Dei; neque illi ipsi quibus injungitur, occasionem peccati ex hoc habere videantur.

INTERROGATIO CXIII.

Si autem neglexerit dare fratri quod opus est?

RESP. Manifesta est de hoc sententia ex ipsius [Col. 0528D] Domini verbis, dicentis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus.* Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi bibere, et ea quae sequuntur **(Matth. XXV)**. *Quia maledictus omnis qui facit opera Domini negligenter* **(Jer. XLVIII)**.

INTERROGATIO CXIV.

In profectibus mandatorum Dei una est mensura omnium? An alius amplius, alius minus debet aliquid?

RESP. Quia non sit una mensura in omnibus, sed quia alii plus creditur et alii minus, manifestum est haec ipsius Domini verbis, nunc quidem dicentis: *Aliud semen cecidit super terram bonam:* et hic est [Col. 0529A] *qui audit verba mea et intelligit, et fructum affert, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero trigesimum* **(Luc. VIII)**. Hoc idem autem etiam in his, qui dispensandam pecuniam susceperunt, invenitur; cum dicitur, alii quidem data esse quinque talenta, alii duo, alii unum **(Matth. XXV)**.

INTERROGATIO CXV.

Si oportet aequaliter haberi eos qui plus proficiunt et eos qui minus?

RESP. Illud observandum est in hoc quod de remissione peccatorum Dominus statuit, dicens: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* **(Luc. VII)**. Cui autem parum remittitur, parum diligit. Et iterum, quod de presbyteris Apostolus [Col. 0529B] statuit, dicens: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore honorentur, maxime qui laborant in verbo et doctrina* **(I Tim. V)**. Hoc in omnibus hujuscemodi causis observandum puto.

INTERROGATIO CXVI.

Quid si contristatur is qui minus honoratur, cum praeferri sibi viderit eum qui in timore Domini praecedit, quomodo eum habebimus?

RESP. Is qui talis est, certum est quia malignitatis vitio non caret, secundum Evangelii parabolam, in qua dicit Dominus ad eos qui contristati sunt, quia aequaliter cum ipsis honorati sunt alii: *An, inquit, oculus tuus malus est, quia bonus sum?* **(Matth. XX.)** Et manifesta est Domini sententia de his talibus, quae dicit per Prophetam: *Ad nihilum deductus* [Col. 0529C] *est in conspectu ejus malignus;* timentes autem Dominum magnificat **(Psal. XIV)**.

INTERROGATIO CXVII.

Anima post multa peccata et multas vitae miserias, cum quali timore et qualibus lacrymis debet recedere a peccatis? et cum quali spe et affectu accedere ad Dominum debet?

RESP. Primo quidem odisse debet illa priorem suam vitam notabilem, et ipsam memoriam ejus perhorrescere atque execrari. Scriptum est enim: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum;* legem autem tuam dilexi **(Psal. CXVIII)**. Deinde ut majorem timorem habeat maximo utatur ignis aeterni metu et poenae perpetuae. Sed et lacrymarum tempus agnoscat per poenitentiam, sicut David docuit in sexto [Col. 0529D] psalmo purgationem peccatorum fieri posse ubertate lacrymarum in sanguine Christi, per potentiam misericordiae ejus, et per multitudinem miserationum Dei, qui dixit: *Quia si fuerint peccata vestra sicut phoenicium, ut nivem dealbabo:* si autem fuerint sicut coccus, ut lanum candidam efficiam **(Isa. I)**. Et post haec recepta virtute et facultate placendi Deo, dicit: *Convertisti planctum meum in gaudium;* conscidisti saccum meum, et praecinxisti me laetitia, ut psallam te gloria mea **(Psal. XXIX)**. Et ita accedens ad Dominum psallat et dicat: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me;* et non delectasti inimicos meos super me (Ibid.).[Col. 0530A]

INTERROGATIO CXVIII.

Quoniam scriptum est: Redemptio animae viri propriae divitiae ejus: nobis quibus non accidit dispergere pro animae redemptione divitias, quid faciemus

RESP. Siquidem volumus, et non potuimus: memores simus responsionis Domini ad Petrum, qui cum de hac re esset sollicitus, et diceret: *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te;* quid ergo erit nobis **(Matth. XIX)**? Respondit ei dicens: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, centuplum accipiet, et vitam aeternam consequetur* (Ibid.). Quod si per negligentiam accidit cuiquam omisisse divitias, vel nunc adhibeat propensius studium, ut ex [Col. 0530B] opere manuum largiens, neglectum resarciat pensum. Quod si ne nunc quidem vel tempus nobis superest, vel virtus ad hujuscemodi ministerium, consolatur nos Apostolus dicens: *Non quaero quae vestra sunt, sed vos* **(II Cor. XII)**.

INTERROGATIO CXIX.

Si quis audiens sermonem Domini, dicentis **(Luc. XII)**: *Quia servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multum:* qui vero non cognovit, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis; negligat et dissimulet scire voluntatem Domini, si habet aliquid excusationis?

RESP. Manifestus est, qui hujuscemodi est, quia simulat ignorantiam, nec ullo genere

effugiet peccati sententiam. *Si enim non venissem, inquit Dominus,* [Col. 0530C] *et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent;* nunc vero excusationem non habent pro peccato suo **(Joan. XV)**. Sic ergo sancta Scriptura omnibus et voluntatem Dei denuntiat, ut non inter eos qui ignorant iste talis judicetur, sed cum illis magis de quibus scriptum est: *Quia sicut aspides surdae obturantes aures suas, ne exaudiant vocem incantantium, et curentur medicamento, quod componitur a sapiente* **(Psal. LVII)**. Verumtamen is qui praeest, et verbi Dei ministerium exhibet, si neglexerit annuntiare unicuique, et intimare de singulis, velut homicida judicabitur animarum, secundum Scripturas **(Ezech. XXXIII)**.

INTERROGATIO CXX.

Si is qui facit voluntatem alicujus, etiam particeps [Col. 0530D] ejus est vel socius?

RESP. Si credimus Domino dicenti: *Quia qui facit peccatum, servus est peccati* **(Joan. VIII)**. Et iterum: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis* (Ibid.); scimus, quia non solum socium et participem, sed dominum sibi ac principem ascribit eum cujus opus facit. Testatur autem de his et Apostolus, dicens: *An nescitis, quia cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis;* sive peccati in mortem, sive obedientiae ad justitiam **(Rom. VI)**?

INTERROGATIO CXXI.

Si is qui consentit alterius peccato, etiam ipse peccati reus est?

RESP. Haec sententia est manifesta ex verbis Domini, [Col. 0531A] quibus ait ad Pilatum dicens: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* **(Joan. XVIII)**. Manifestum namque est ex hoc, quia et Pilatus acquiescens his qui tradiderunt Dominum, peccatum habeat, licet minus quam illi. Ostenditur autem hoc etiam in eo quod Adam acquievit Evae, vel consensit, quae acquieverat serpenti. Nullus enim ex ipsis aut innocens judicatus est, aut impunitus abscessit. Sed et ipsa Dei indignatio, quae adversus eos habita est, hoc ipsum indicat. Cum enim Adam pro excusatione sua objecisset: *Quia mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit, et manducavi* **(Gen. III)**. *Quia* audisti, inquit Deus, *vocem mulieris tuae, et manducasti de ligno, de quo praeceperam tibi, ne de eo manducares,* maledicta terra erit in operibus tuis [Col. 0531B] (Ibid.)?

INTERROGATIO CXXII.

Si oportet peccantibus fratribus silere et acquiescere?

RESP. Quia non oportet manifesta est haec ipsius Domini praeceptis, quibus in Veteri quidem Testamento dicit: *Argue proximum tuum, et non assumes ex eo peccatum* **(Lev. XIX)**. In Evangelio autem dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et argue eum inter te et ipsum solum.* Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si vero non audierit te,

assume adhuc tecum alium unum, aut duos; ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si autem et ipsos non audierit, dic Ecclesiae. Si vero nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus **(Matth. XVIII)**. Quantum autem sit crimen hujus peccati, [Col. 0531C] dignoscitur primum quidem ex sententia Domini, quae dicit: *Qui incredulus filio fuerit, non habebit vitam aeternam;* sed ira Dei manet in eo **(Joan. III)**. Tunc deinde ex historiis quae vel in Veteri, vel in Novo Testamento referuntur. Nam Achor ille cum furatus esset regulam auream, super omnem populum facta est ira Dei **(Jos. VII)**. Et quidem populus peccatum quod commiserat ignorabat usquequo manifestatum est, et pertulit cum omni domo sua horrendum illum ac famosissimum interitum. Sed et Heli sacerdos, et quidem cum siluisset peccantibus filiis, qui erant filii pestilentiae, imo frequenter monens et castigans dixit: *Nolite, filii:* non bona ego audio de vobis, et caetera **(I Reg. II)**: qui cum peccatum argueret, et de Dei judicio commoneret, tamen [Col. 0531D] quoniam non vindicavit, neque digno zelo Dei adversus eos motus est, in tantum iracundiam Dei provocavit, ut etiam universus populus pariter cum filiis suis exstingueretur, et arca testamenti ab alienigenis raperetur, et ipse insuper omnibus subversis miseranda morte corrueret. Quod si vel in populum ignorantem de unius peccato, vel in patrem qui corripuerat filios, pro peccato, tanta Dei iracundia incensa est, quid sperandum est de his qui cognoscunt aliorum delicta et reticent, nec qualemcunque adhibent correptionem? Quos utique conveniret observare illud quod Apostolus ad Corinthios dicit: *Quare non potius luctum habuistis;* ut tolleretur e medio vestrum, qui hoc opus fecit? et reliqua [Col. 0532A] **(II Cor. XV)**. Vel illud: *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari, quantum operatum est in vobis sollicitudinem, sed excusationem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam* **(II Cor. VII)**? Unde et metuere debent, ne forte etiam nunc similem veteribus interitum sumant, hi qui similiter negligunt, imo et tanto gravius, quanto spernere legem Christi perniciosius est quam legem Moysis. Et his compedit illud aptari, quod dixit: *Septies vindicatum est de Cain:* de Lamech vero septuagies septies **(Gen. II)**.

INTERROGATIO CXXIII.

Cur aliquoties animae, etiamsi non satis agat, sponte tamen quodam genere incidit ei dolor quidam cordis et compunctio timoris Dei; aliquoties tanta securitas et negligentia animam tenet, ut etiamsi [Col. 0532B] *cogat se homo, non possit dolorem aliquem vel compunctionem cordis assumere?*

RESP. Hujuscemodi quidem compunctio ex Dei dono venit, ad provocandum desiderium; ut degustans anima dulcedinem hujuscemodi compunctionis vel doloris, provocetur et incitetur ad imitandum similem gratiam. Ostenditur enim quia si datur etiam non satis agentibus, quanto magis dabitur et his qui desiderant et laborant semper esse in compunctione timoris Dei? et ut sint inexcusabiles, qui per negligentiam istam gratiam perdunt. Quod vero aliquoties compellimus nosmetipsos, et non possumus obtinere, indicatur ex hoc quod in alio tempore multum negleximus. Non enim possibile est ut is qui neque meditationibus, neque institutionibus [Col. 0532C] divinis seipsum jugiter exercuit, subito veniat ad orationem, et continuo obtineat quod requirit. Sed ostenditur

per hoc, hujuscemodi animam aliis vitiis vel passionibus praegravari, quorum dominatione ad ea quae vult habere, non permittitur libertate uti: secundum illud quod et Apostolus tractat, dicens: *Quoniam ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* Non enim quod volo ago; sed quod odi, hoc facio **(Rom. VIII)**. Et rursum: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (Ibid.). Quod et ipsum permittit Deus nobis pro nostra utilitate provenire; ut per haec ipsa quae contra voluntatem anima patitur, corrigatur aliquando, et convertatur ad eum qui repleat in bonis desiderium ejus, et relevet eam ab oneribus suis: et cognoscat tandem [Col. 0532D] semetipsam, ac resipiscat; et intelligat quod in laqueis diaboli capta detinetur. In quos sua quidem sponte incidit; sed jam quasi captiva, non quae vult agit; sed quod odit, illud facit **(Rom. VII)**. Sed si convertatur ad Dominum, qui liberet eam de corpore mortis hujus, statim inveniet misericordiam, si integre et ex toto corde poeniteat.

INTERROGATIO CXXIV.

Quomodo quis dignus efficitur particeps fieri Spiritus sancti?

RESP. Dominus noster Jesus Christus docuit nos, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate;* et ego rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem hic mundus non potest [Col. 0533A] *accipere* **(Joan. XIV)**. Donec ergo non servamus mandata Domini; nec sumus tales ut ipse de nobis testimonium ferat, dicens: *Quia vos non estis de hoc mundo, Spiritus sancti participium habere non possumus.*

INTERROGATIO CXXV.

Qui sunt pauperes spiritu?

RESP. Domino dicente, aliquando quidem: *Quia verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* **(Joan. VI)**; aliquando autem: *Quia Spiritus sanctus vos docebit omnia, et commonebit vos, quae dixi vobis.* Non enim loquetur a se, sed omnia quae audit, haec loquetur **(Joan. XVI)**. Isti sunt pauperes spiritu qui non alia aliqua causa pauperes sunt nisi propter doctrinam Domini, dicentis: *Vade,* vende omnia quae [Col. 0533B] habes, et da pauperibus **(Matth. XIX)**. Si autem etiam quis quacunque ex causa impositam sibi paupertatem secundum voluntatem Domini dispenset, et ferat, sicut ille Lazarus **(Luc. VI)**, etiam iste a beatitudine non erit alienus, Domino praecipiente: *Nolite esse solliciti quid manducetis, vel quid bibatis, vel quid induamini* **(Matth. VI)**.

INTERROGATIO CXXVI.

Usque ad quem modum est observatio mandati? vel quomodo adimpleri potest?

RESP. Mandati quidem observatio est usque ad mortem, quia et Dominus obediens est factus usque ad mortem: adimpleri autem potest per hoc quod habet unusquisque

desiderium et amorem Dei. Dominus enim cum exclusisset sollicitudinem saeculi, [Col. 0533C] conjungit statim promissionis spem, dicens: *Scit enim Pater vester, quibus opus habetis, antequam petatis* **(Luc. XII)**. Sed et Apostolus dicit: *Quia nos ipsi in nobis ipsis responsum mortis habemus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos* **(II Cor. I)**. Secundum propositum ergo nostrum et animae praeparationem, quotidie morimur, voluntate autem Dei reservamur. Propter quod et Apostolus cum omni fiducia dicebat: *Ut morientes, et ecce vivimus* **(II Cor. VI)**. Juvat autem hujuscemodi propositum etiam circa mandata Dei, ardentior animus et desiderium insatiabile: quo qui constringitur, non habebit otium nec tempus occupari erga corporales usus vel actus.

INTERROGATIO CXXVII.

[Col. 0533D]

Si ergo neque sollicitudinem habere oportet de necessariis usibus ad vitam; et aliud est praeceptum Domini dicentis **(Joan. VI)**: *Operamini cibum, qui non perit;* superfluum est manibus operari?

RESP. Ipse Dominus in alio loco praeceptum suum explanavit. Nam ibi quidem dixit, non oportere requiri aliquid ad vitam, cum dicit: *Nolite quaerere quid manducetis, aut quid bibatis:* haec enim omnia gentes hujus mundi requirunt **(Matth. VI)**; et addidit: *Quaerite autem regnum Dei, et justitiam ejus* (Ibid.). Et quomodo oporteat quaeri, indicavit: cum enim dixisset: *Nolite operari cibum qui perit* **(Joan. VI)**, addidit: *Sed eum qui permanet in vitam aeternam* (Ibid.). Et quid hoc esset ipse in alio loco ostendit, dicens: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus,* [Col. 0534A] *qui misit me, Patris* **(Joan. IV)**. Voluntas autem Patris est esurientibus cibum dare, sitientibus potum; nudos operire, et caetera hujuscemodi. Tum deinde necessarium est et Apostolum imitari, dicentem: *Omnia ostendi vobis, quia oportet nos laborantes suscipere infirmos* **(Act. XX)**. Et cum iterum doceat: *Magis autem laboret unusquisque, manibus suis operans quod bonum est, ut possit impertire necessitatem patientibus* **(Ephes. IV)**. Cum ergo haec ita nobis vel Dominus in Evangelio, vel Apostolo tradat, manifestum est quia pro nobis ipsis solliciti quidem esse non debemus neque laborare: sed propter mandatum Domini et propter necessitatem proximorum solliciti esse debemus et operari attentius; et maxime quia Dominus in seipsum recipit ea quae in servos [Col. 0534B] ejus fecerimus, et regnum coelorum pro hujusmodi promittit obsequiis

INTERROGATIO CXXVIII.

Si quis in corde suo cogitat de cibis, tunc deinde notet seipsum et arguat; si et hic quasi cogitans de talibus judicandus sit?

RESP. Siquidem non id temporis est, quo naturaliter requirere cibos famis necessitate commonemur, manifestum est, id esse vagae mentis indicium, et animae erga

praesentia affectum gerentis, et erga voluntatem Dei desidis et remissae: proximam tamen habet Dei misericordiam, et pro hoc ipso, quod seipsum arguit et notavit, nota criminis exsolvitur si tamen servet de caetero cogitationum lapsus memor Dominici sermonis, quo ait: *Ecce sanus fa* [Col. 0534C] *ctus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* **(Joan. V)**. Si autem id temporis sit, quo naturaliter de cibis appetendis commonemur; mens autem in melioribus occupata, inferiora spernit et despicit, non recordatio ciborum notabilis, sed contemptus laudabilis invenitur.

INTERROGATIO CXXIX.

Si licet nocturnam tunicam habere alteram, vel cilicinam, vel aliam quamlibet?

RESP. Cilicii quidem usus habet proprium tempus, non enim propter usus corporis, sed propter afflictionem ejus inventum est hujuscemodi indumentum, et pro humilitate animae. Cum autem duas tunicas habere prohibeat sermo divinus, quomodo potest hoc suscipi, nisi ad eos usus quos superius [Col. 0534D] diximus **(Matth. X)**?

INTERROGATIO CXXX.

Si licet ei qui ministrat, majore voce, id est cum clamore, loqui?

RESP. Vocis mensuram definit audiendi modus. Si ergo brevior fuerit et compressior vox quam res poscit, prope est ut murmur potius vel susurratio videatur quam sermo. Si vero major sit quam res requirit, cum possit audire ille cui loquitur, jam non erit vox, sed clamor; quod est notabile: nisi forte gravior sit auditus ejus cui loquimur, et necessitas nos cogat ad clamandum. Propterea et de Domino scriptum est: *Quia Jesus clamabat dicens:* Si quis credit in me, non credit in me, sed in eum qui [Col. 0535A] *me.* misit **(Joan. XII)**. Clamare enim dicitur pro his quorum interior auditus surdus et obturatus erat.

INTERROGATIO CXXXI.

Si quis die suo, quo ministrat in coquina, laboraverit supra vires ita ut impediatur, et non possit etiam reliquis diebus exercere opus suum, si oportet imperari ei hujuscemodi officium?

RESP. Jam supra diximus quia is cui injuncta est operum cura, et qui praeest, considerantius observare debet uniuscujusque vel vires vel possibilitatem; et prout quis aptus est, ita etiam opus injungere: ne audiat ipse et id quod scriptum est: *Quia fingit laborem in praecepto* **(Psal. XCIII)**. Ille tamen cui injungitur, contradicere non debet; quia obedientia usque ad mortem servari definita est.

INTERROGATIO CXXXII.

[Col. 0535B]

Et ille cui lana credita est, quomodo debet habere hanc curam; et quomodo observare eas quae operantur?

RESP. Lanam quidem, tanquam opus Dei sibi commissum: sorores autem, ut absque ulla contentione, vel personarum acceptione unicuique sorori opus apte et competenter injungat.

INTERROGATIO CXXXIII.

Si quis condemnatus est, ut eulogiam non accipiat, et dicit: Quia si non accepto eulogiam, non manduco; si debemus audire eum?

RESP. Siquidem tanti modi est culpa, pro qua condemnatus est, ut dignum sit etiam cibo eum vetari, probet ille qui praeest. Si autem a sola benedictione aliquis abstentus est, et indulgetur ei cibus; condemnatus autem et inobediens est, etiam in hoc [Col. 0535C] contentiosi notam suscipere debet, et cognoscere, quia per hoc non curat culpam sed multiplicat delictum.

INTERROGATIO CXXXIV.

Quali timore, fide, vel affectu percipere debemus corporis et sanguinis Christi gratiam?

RESP. Timorem quidem docet nos Apostolus, dicens: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* **(I Cor. XI)**. Fidem vero docet nos sermo Domini, dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro multis datur:* hoc facite in meam commemorationem **(Matth. XXVI)**. Et sermo Joannis dicentis: *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis* **(Joan. I)**. Sed et Apostolus [Col. 0535D] scribens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu repertus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis **(Phil. II)**. Cum ergo anima fidem habet his dictis, et considerat magnificentiam gloriae ejus, et admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus et talis obediens fuit Patri usque ad mortem pro vita nostra; puto quia provocari possit ad affectum et dilectionem, et ipsius Dei patris, qui unico Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: et ad amorem unigeniti ejus eo amplius provocabitur, qui eum videat mortem turpissimam [Col. 0536A] pro nostra redemptione tolerasse. Sicut et Apostolus de eo dicebat: *Quia charitas Christo constringet nos, judicantes hoc;* quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est; ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit **(II Cor. V)**. Talem ergo affectum vel fidem praeparare debet in animo suo is qui de pane et calice percipit.

INTERROGATIO CXXXV.

Quis est bonus thesaurus, et quis est malus?

RESP. Prudentia quidem et sensus qui in Christo est, et virtus animi, quae ad Dei gloriam pertinet, thesaurus bonus est. Prudentia autem et sensus malitiae; et in his sapere, quae Deus fieri non vult, thesaurus est malus: ex quibus proferuntur, secundum [Col. 0536B] Dei vocem **(Luc. VI)**, suo quoque tempore utrique fructus vel boni vel mali, in operibus et verbis.

INTERROGATIO CXXXVI.

Si bonum est penitus tacere?

RESP. Silentium et taciturnitas tunc bonum est, cum vel ad personas vel ad tempus aptatur, sicut a sacra Scriptura edocemur, quae dicit, aliquando quidem: *Quia qui intelligit, in illo tempore tacebit;* quia tempus malum est **(Amos. V)**. Aliquando autem: *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me.* Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis **(Psal. XXXVIII)**. Et alibi: *Quod si alii sedenti revelatum fuerit, prior taceat* **(I Cor. XIV)**; et iterum: *Mulieres vestrae in ecclesiis taceant* (Ibid.). Sed et [Col. 0536C] alio tempore his qui incontinentem linguam habent, dicitur: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat;* sed si quis bonus ad aedificationem fidei **(Ephes. IV)**. Necessario vero est taciturnitas, usquequo vitia si qua illa sunt linguae vel sermonum temeritas resecetur, et discat opportune et in tempore utiliter loqui, ut sicut scriptum est: *Sermo eorum sale conditus sit, ut det gratiam audientibus* **(Col. III)**.

INTERROGATIO CXXXVII.

Si oportet tempore orationum vel psalmorum loqui aliquem in domo?

RESP. Praeter eos qui ministerii sollicitudinem gerunt, vel eos quibus disciplinae cura commissa est vel dispensationis operum; qui et ipsi tamen considerantius agere debent, ut quantum necessitas [Col. 0536D] exigit, hoc solum loquantur, et hoc ipsum cum quiete et honestate, ne interturbent aut offendiculum faciant; caeteris cunctis silentium habere convenit. Si enim prophetis in Ecclesia docentibus Apostolus dicit: *Quia si alii sedenti revelatum fuerit, prior taceat* **(I Cor. XIV)**; quanto magis in tempore psalmorum vel orationum tacere et silentium agere cunctis convenit; nisi quem forte, ut superius diximus, communis providentiae causa aliquid proloqui cogit.

INTERROGATIO CXXXVIII.

Quomodo possumus timere judicia Dei

RESP. Naturaliter exspectatio omnis mali timorem incutit. Ita namque bestias etiam timemus et principes; scientes imminere ex eis aliquid quod ad vitae [Col. 0537A] exitium pertinet. Si ergo credamus quia verae sunt comminationes futuri judicii Dei, et recordemur terribile illud futuri examinis tribunal, timebimus judicia Dei.

INTERROGATIO CXXXIX.

Quomodo lata est porta, et spatiosa via quae ducit ad mortem **(Matth. VII)**?

RESP. Dominus pro multa sua clementia et nominibus et verbis his utitur, quibus possit nobis in notitiam adducere dogmata veritatis. Sicut ergo ii qui ambulant in via, si a recto itinere declinent, quod certis lineis et manifesto calle concluditur, spatia multa et vaga incedunt; ita ergo et is qui excesserit de vita quae ducit ad regnum coelorum, multam latitudinem incurrit erroris, per quam ad [Col. 0537B] perditionem pervenitur.

INTERROGATIO CXL.

Quomodo angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam?

RESP. Et hic similiter angustum et arctum hoc indicat, quia via haec, id est vita nostra, angustatur et coarctatur in tribulationibus. Constringimur enim ex utraque parte nos qui iter agimus, ne prorsus in aliud aliquod declinemus. Periculum enim est, in utramlibet partem declinare: sicut in exigui pontis transitu, ubi ex utraque parte eum qui forte declinaverit, conciti unda fluminis rapit et aufert. Propterea ergo scriptum est: *Ne declinaveris in dextram neque in sinistram* **(Num. XX)**. Et David ait: *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* **(Psal. CXXXIX)**.[Col. 0537C]

INTERROGATIO CXLI.

Avaritia usque ad quem modum definitur?

RESP. Cum transgressus quis fuerit modum legis statutum. Quod designatur, secundum Vetus quidem Testamentum, in eo, si quis plus se diligat, vel plus in pecunia vel necessariis de se sit sollicitus, quam de proximo. Scriptum est enim: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* **(Luc. XIX)**. Secundum Evangelium vero, si quis plus sollicitus sit quam de praesenti die, sui videlicet causa vel corporis, iste sine dubio audiet: *Stulte, hac nocte repetent abs te animam tuam;* et quae praeparasti, cujus erunt **(Luc. XII)**? Quibus addidit Dominus dicens: *Ita erit et is qui sibi thesaurizat, et non est Domino dives* (Ibid.).[Col. 0537D]

INTERROGATIO CXLII.

Quid est perperam agere?

RESP. Quidquid non propter usus necessarios, sed vel ornatus causa vel decoris alicujus fit, hoc est perperam agere.

INTERROGATIO CXLIII.

Quis est, qui ab Apostolo dicitur, habitus ordinatus?

RESP. Is qui secundum propositum uniuscujusque honestus est usus, vel secundum locum, vel secundum tempus, vel secundum personam. Non idem usus esse potest in tempore hiemis et in tempore aestatis: neque idem habitus est operantis et quiescentis; nec militis idem est et privati, neque viri idem qui mulieris.[Col. 0538A]

INTERROGATIO CXLIV.

Si quis pretiosas vestes abjiciat, ipsa autem indumenta viliora quibus utitur, vel calceamenta, ita composite utatur, ut studeat decorem inde aliquem capere; si peccat, aut vitio aliquo id facere putandus est?

RESP. Qui vult per decorem habitus placere hominibus, manifestum est eum hujus ipsius vitii aegritudine laborare, id est, hominibus placendi; et certum est mentem ejus a Deo longius evagari. Sed et hoc ipsum est vitium, perperam agere, cum indumentis vel calceamentis, non usus causa utitur, sed decoris.

INTERROGATIO CXLV.

Quid est Raca?

RESP. Provincialis, id est, gentilis illius sermo est [Col. 0538B] velut convicii levioris, quod domesticis et his quorum fiduciam quis gerit, dici solet **(Matth. V)**.

INTERROGATIO CXLVI.

Quid est quod dicit Apostolus: Non efficiamur inanis gloriae cupidi **(Gal. VI)**. *Et iterum:* Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes **(Ephes. VI)**; *quis est inanis gloriae cupidus, et quis est hominibus placens?*

RESP. Puto quod inanis gloriae cupidus est, qui propter solam gloriam saeculi, id est, propter eos qui vident et audiunt de se aliquid quod vel laudari possit vel admirari, facit aliquid vel dicit. Hominibus autem placens ille est qui voluntate alicujus hominis, ut placeat ei, facit aliquid vel dicit, etiamsi indignum sit et injuriosum hoc ipsum quod facit.[Col. 0538C]

INTERROGATIO CXLVII.

Quid est inquinamentum carnis, et inquinamentum spiritus? Et quomodo ab his emendari possumus? Et quae est sanctificatio, et quomodo possumus eam obtinere?

RESP. Inquinamentum carnis est commisceri cum his, qui illicita et nefanda committunt **(II Cor. VII)**. Spir itus autem inquinamentum est, cum indifferenter habemus commisceri eis qui de fide impie sentiunt. Emundamur autem ab his, cum implemus illud quod Apostolus dicit: *Cum ejusmodi nec cibum sumere* **(I Cor. V)**; et quaecunque his similia statuit. Vel certe cum illud patimur in corde nostro quod ait David: *Tristitia tenuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam* **(Psal. CXVIII)**. Vel cum ostenderimus talem nostram tristitiam, qualem Corinthii [Col. 0538D] ostenderunt, cum objurgati sunt a Paulo; cum erga eum qui peccaverat, indiscrete egerunt, cum dicit **(II Cor. VII)**: *In omnibus exhibuistis vos castos esse negotio.* Sanctificatio autem est, adhaerere Deo ex integro, et sine aliqua intermissione in omni tempore sollicitum esse, et studium gerere placendi ei. Quoniam quidem neque pollutum aliquid in donis Dei offerri potest, vel sanctificari; neque rursum quod semel oblatum est Deo et sanctificatum, ad communem humani ministerii usum adduci potest; alioquin et sacrilegum erit et impium.

INTERROGATIO CXLVIII.

Quis est mundus corde?

RESP. Qui seipsum non reprehendit, quia vel praevaricatus [Col. 0539A] sit mandatum Dei, vel contempserit, vel neglexerit.

INTERROGATIO CXLIX.

Quomodo potest aliquis odium habere adversus peccatum?

RESP. Si semper ex iis quae tristem et infaustum finem habent, odium nascitur hominibus adversus eos qui causa sibi hujuscemodi negotii exstiterunt. Si quis ergo certus sit, quantorum et qualium malorum causa nobis fiunt peccata, sponte et sine ulla comminatione ex intimo affectu odium ei adversus ea nascitur, sicut ostendit ille qui dicebat: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum* **(Psal. CXVIII)**.

INTERROGATIO CL.

Quomado potest aliquis ex animo et ex affectu facere [Col. 0539B] *mandata Domini?*

RESP. Naturaliter delectamur his quae bona sunt et prosunt. Si ergo credimus de his quae promissa sunt, ex eo ipso quod speramus, inseritur animae nostrae affectus et desiderium ad explenda ea quibus id consequi possimus quod desideramus. Si quis ergo odio habuerit et exsecratus fuerit iniquitatem, et emundaverit se ab omni peccato; ex quo, sicut corpus a languore delectationem non habet cibi, ita et anima a peccati morbo

non habet desiderium erga mandata Dei. Si recordetur quia mandatum Dei vita aeterna est, et omnibus qui custodiunt illud permanet adimpletio promissorum, potest per haec nasci animae affectus ille de quo David dixit: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa,* et desiderabilia supra [Col. 0539C] *aurum, et lapidem pretiosum nimis;* et dulciora super mel et favum. Nam et servus tuus custodit ea; in custodiendo illa retributio multa **(Psal. XVIII)**.

INTERROGATIO CLI.

Quae est mensura in charitate Dei?

RESP. Ut supra vires semper quis extendat animam suam ad voluntatem Dei, prospiciens et desiderans ea quae ad gloriam Dei pertinent.

INTERROGATIO CLII.

Quomodo quis obtineat ut possit in se habere charitatem Dei?

RESP. Si grati et fideles existamus erga beneficia ejus, quod etiam in mutis animalibus fieri videmus. Nam et canes interdum diligunt eos qui sibi cibum [Col. 0539D] praebent. Sed et Isaias propheta hoc docet, cum arguit ingratam gentem, et dicit in persona Domini: *Filios genui, et exaltavi:* ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus praesepium domini sui, Israel vero me non cognovit, et populus meus me non intellexit **(Isai. I)**. Sicut enim bovi et asino pro eo beneficio quo pascitur dilectio spontanea nascitur erga pastorem, ita etiam nos, si gratanter et fideliter beneficia Dei suscipiamus, sine dubio diligimus beneficiorum praebitorem Deum; et absque ulla doctrina, naturali quodam instinctu, in ejus concitamur affectum, si tamen sanitas animae praesto sit.[Col. 0540A]

INTERROGATIO CLIII.

Quae sunt indicia, esse in nobis charitatem Dei?

RESP. Quae Dominus docuit, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate* **(Joan. XIV)**.

INTERROGATIO CLIV.

Quid est, seipsum diligere? vel quomodo vitium suum cognoscit qui seipsum diligit?

RESP. Multa abusive dicuntur, sicut et illud: *Qui amat animam suam, perdet eam;* et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam servabit eam **(Joan. XII)**. Philautus ergo Graece dicitur, qui seipsum diligit. Intelligi autem potest is qui talis est

hoc modo: si ea quae facit pro semetipso facit, etiamsi videantur secundum mandatum Dei esse quae facit. Qui enim pro sua requie patitur aliquid [Col. 0540B] deesse necessitati vel usibus fratris, sive eorum quae ad animam necessaria sunt, sive quae ad corpus, manifeste philautus, id est seipsum diligens, deprehenditur: cujus vitii finis interitus est.

INTERROGATIO CLV.

Quomodo apparet qui diligit fratrem secundum mandatum Domini; et quomodo arguitur qui non diligit?

RESP. Charitatis duo ista praecipua signa sunt, cum contristamur et graviter ferimus in iis in quibus laeditur ille quem diligimus; et cum vel satis agimus, ut fiant; vel gaudemus, si provenerint aliqua, in quibus utilitas vel profectus est ejus qui diligitur. Beatus ergo est qui luget super eum qui delinquit, cujus videt vitae imminere periculum: et gaudet pro eo qui proficit, et lucrum suum deputat [Col. 0540C] profectum proximi sui. Contestatur autem hoc ipsum apostolus Paulus, dicens: *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* **(I Cor. XII)**; quod utique secundum rationem charitatis Christi dicebat: *et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (Ibid.). Qui autem talem non habet affectum erga fratrem, certum est quod non secundum charitatem Dei diligit proximum suum. Qui autem non diligit, in eo arguitur quod Joannes ait: *Qui non diligit, manet in morte* **(I Joan. III)**. Et iterum: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem pati et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo* (Ibid.)?

INTERROGATIO CLVI.

[Col. 0540D]

Qui sunt inimici quos diligere jubemur? et quomodo diligamus inimicos nostros, praestantes ei beneficia tantummodo, aut etiam affectum eis exhibentes? et si hoc possibile est fieri?

RESP. Inimici proprium est laedere et insidiari; et ideo omnis qui quomodocunque laedit aliquem, inimicus dicitur, maxime hi qui peccant. Isti enim, quod in se est, laedunt diversis modis, et insidiantur vel his qui vident vel his qui simul vivunt. Et quoniam ex corpore et anima constat homo, secundum animam quidem diligamus, arguentes, et commonentes, et omni modo ad conversionem eos provocantes. Secundum corpus vero praestemus eis beneficia et misericordiam; et si indigent, victum: quoniam nemo dubitat quin charitas in affectu sit. Quod [Col. 0541A] autem possibile sit, docuit Dominus per charitatem Dei Patris et per suam obedientiam, usque ad mortem, quam utique pro inimicis adhuc et impiis nobis sustinuit, sicut et Apostolus testatur, dicens: *Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* **(Rom. V)**. Sed et nos ad hoc ipsum cohortatur, dicens: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi;* et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et semetipsum tradidit pro nobis hostiam et

oblationem Deo **(Ephes. V)**. Nunquam autem praeciperet hoc justus et clemens Dominus, nisi utique etiam possibilitatem nobis donasset. Inesse enim hoc naturae nostrae ostenditur, cum etiam bestiis vel animalibus erga eos qui sibi beneficii aliquid praestiterunt [Col. 0541B] inest naturalis affectus. Quis autem tantum beneficii amicis praestat quantum inimicis? cum nobis causa beatitudinis efficiatur illius de qua dicit Dominus: *Beati estis cum persequentur vos et exprobrabunt, et dicent omne malum adversus vos, mentientes propter me, gaudete et exsultate, quia merces multa est in coelis* **(Matth. V)**.

INTERROGATIO CLVII.

Quid est quod dicit Apostolus: Irascimini et nolite peccare **(Ephes. IV)**; *et, Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ibid.), cum in aliis dixerit: Omnis amaritudo, vel ira, vel indignatio auferatur a vobis (Ibid.)?

RESP. Arbitror in hoc loco Apostolum secundum imitationem Domini haec locutum: sicut enim in [Col. 0541C] Evangelio Dominus dicebat **(Matth. V)**: Audistis quia dictum est antiquis illud vel illud; et ipse addebat dicens: Ego autem dico vobis hoc vel hoc; ita etiam Apostolus, cum prius meminisset antiquitatis, per hoc quod docitur: *Irascimini et nolite peccare* **(Ephes. IV)**, paulo post addidit quod ex se erat et quod nobis conveniret, dicens: *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor auferatur a vobis* (Ibid.).

INTERROGATIO CLVIII.

Quid est, Date locum irae?

RESP. Non resistere malo **(Rom. XII)**, secundum quod scriptum est; sed et ei qui te percusserit in dexteram maxillam, praebere et alteram **(Matth. V)**, et implere ea omnia quae sequuntur: vel illud: *Cum* [Col. 0541D] *persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in alteram* **(Matth. X)**.

INTERROGATIO CLIX.

Quae est differentia amaritudinis, et furoris, et irae, clamoris et irritationis?

RESP. Furoris quidem et irae differentiam puto in animo constare et motu: quia qui irascitur, intra animum suum adhuc vitium volvit; sicut ex hoc ipso judicatur quod dicit: *Irascimini et nolite peccare* **(Psal. IV)**; qui vero furit, amplius aliquid per motum gerit. *Furor* enim, inquit, *eis secundum similitudinem serpentis* **(Psal. LVII)**. Vehementius vero furorem concitare, irritatio nominatur. Amaritudo autem illa est, cum malitia in corde etiam arte quadam [Col. 0542A] componitur et armatur. Clamor quoque est, cum quis ira vel furore permotus, per vocis indignationes, aut in blasphemiam, aut in maledictionem rapitur.

INTERROGATIO CLX.

Quis est qui a Domino beatificatur pacificus?

RESP. Qui Christi adjutor est, secundum quod dicit Apostolus: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* **(II Cor. V)**. Et iterum: *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum* **(Rom. V)**. Illa enim alia pax repudiata est a Christo, dicente: *Pacem meam do vobis, non sicut hic mundus dat, etiam ego do vobis* **(Joan. XIV)**.[Col. 0542B]

INTERROGATIO CLXI.

Quomodo converti quis potest et fieri sicut infans?

RESP. Ipsa lectio Evangelii **(Matth. XVIII)** docet nos omnem causam; in qua hoc ostenditur uti ne arrogantiam requiramus vel elationem, sed aequalitatem naturae cognoscamus, et exsequemus nos eis qui videntur inferiores. Hoc enim est proprie infantium, aequales esse his quibus non nobilitate sed aetate junguntur; donec processu temporis et monitorum nequitia elationis inficiantur venenis.

INTERROGATIO CLXII.

Quid est, prudentem esse sicut serpentem et simplicem sicut columbam **(Matth. X)**?[Col. 0542C]

RESP. Prudens quidem ut serpens est, qui cum circumspecte et considerate quae sint possibilia et quae honesta vel utilia pervidens, doctrinam suam dispensat, et aptat ea arte qua suaderi auditores ad obedientiam possint. Simplex autem ut columba est, qui nec in cor prorsus recipit cogitationem ulciscendi in eos qui laedunt; sed permanet in benefaciendo, secundum quod Apostolus dicit: *Vos autem nolite deficere benefacientes* **(II Thes. III)**. Dominus ad praedicationem mittens discipulos, haec eis praecipiebat: ubi sine dubio opus erat sapientia, ad suadendum eis qui docebantur; et patientia, adversus eos qui insidiabantur. Ut sicut sibi serpens per prudentiam intellexit quam personam ad persuadendum aggredi deberet **(Gen. III)**, eam scilicet quae [Col. 0542D] fragilior videbatur ad persuadendum, quo eam a Deo abstractam, peccato sociaret: ita et nos personam, et mores, et tempus considerare et eligere debemus, et omni modo ita ordinare sermones nostros in judicio, ut possimus abstrahere homines a peccato et sociare Deo.

INTERROGATIO CLXIII.

Quomodo debemus suscipere regnum Dei sicut infans?

RESP. Si tales fuerimus ad doctrinam Domini, qualis est infans in discendo: qui neque contradicit doctoribus, neque rationes et verba componit, adversus eos resistens; sed fideliter suscipit quod docetur, et cum metu obtemperat et acquiescit[Col. 0543A]

INTERROGATIO CLXIV.

Domino dicente: Qui se exaltat, humiliabitur **(Luc. XVIII)**; *et Apostolo praecipiente:* Nolite superbum sapere **(Rom. XI)**. *Et alibi:* Arrogantes, superbi, inflati **(II Tim. III)**. *Et iterum:* Charitas non inflatur **(I Cor. XIII)**; *quis est elatus? et quis est jactans vel arrogans? quis vero superbus? et quis inflatus vel tumens?*

RESP. Elatus est qui seipsum effert pro his quae forte recte vel prospere gesta sunt, et pro hoc magnus sibi videtur et elatus; secundum illum Pharisaeum qui et ipse inflatus dici potest **(Luc. XVIII)**. Sicut et Apostolus Corinthios arguit, quibus dicit. *Et vos inflati estis* **(I Cor. IV)**. Jactans autem vel arrogans est ille qui non acquiescit his quae a prioribus vel majoribus statuta sunt pro utilitate communi, nec acquiescit verbis Apostoli dicentis: *Ut* [Col. 0543B] *eadem sentiatis et unum sapiatis* **(Phil. II)**; sed propriam quamdam vitam justitiae ac sanctitatis inquirit. Superbus est, qui etiam nihil usquam in se virtutis ac rectorum gestorum habens, elatus est et erectus, et videri vult se plus esse quam est. Similis autem esse huic potest etiam is qui inflatus dicitur vel tumens, secundum hoc quod Apostolus dicit: *Sed inflatus est, nihil sciens* **(Col. II)**.

INTERROGATIO CLXV.

Quid est, Charitas non dehonestatur?

RESP. Sicut quis dicat, de statu honestatis suae non deducitur. Est enim propria quaedam honestas charitatis, et habitus ejus atque ornatus: ille sine dubio quem per singulas charitatis virtutes enuntiavit [Col. 0543C] Apostolus **(I Cor. XIII)**: quae singulae honestates quaedam ejus sunt et ornatus.

INTERROGATIO CLXVI.

Scriptura dicente: Nolite gloriari neque loqui alta **(I Reg. II)**, *et Apostolo confitente:* Quia quae loquor, non secundum Deum loquor; sed sicut in insipientia, in hac substantia gloriandi **(II Cor. XI)**. *Et rursum:* Factus sum insipiens gloriando (II Cor. XII). *Et iterum ipso dicente:* Quia qui gloriatur, in Domino glorietur: quae est gloriatio in Domino et quae est culpabilis gloriatio? **(I Cor. I, II Cor. X.)**

RESP. Apostoli quidem manifestum est propositum, quod adversus vitia loquebatur. Non enim ut seipsum commendaret haec dicebat, sed ut quorumdam insolentiam et arrogantiam retunderet. Gloriatio ergo in Domino est, cum quis ea quae recte gerit [Col. 0543D] non sibi, sed Domino ascribit, dicens: *Omnia possum, sed in eo qui me confortat Christus* **(Phil. IV)**. Culpabilis autem gloriatio est, et duplici ratione

dignoscitur: vel secundum hoc quod dicit: *Quoniam laudabitur peccator in desideriis animae suae* **(Psal. IX)**; et: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate* **(Psal. LI)**? vel secundum illud, cum faciunt aliquid boni operis: *ut videantur ab hominibus* **(Matth. VI)**; et per hoc ipsum quod volunt laudari, gloriantur in his quae fecerunt. Sed hujuscemodi homines etiam sacrilegi designantur, cum gratiam quae a Deo donata est propriam faciunt, et gloriam quae debetur Deo in semetipsos convertere conantur.[Col. 0544A]

INTERROGATIO CLXVII.

Qualem intellectum vel prudentiam a Deo petere debemus? vel quomodo eam possumus promereri?

RESP. Intellectus quidem quis sit ab ipso Domino per Prophetam discimus, dicentem: *Non glorietur fortis in fortitudine sua;* neque glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, in intelligendo et cognoscendo Dominum **(Jer. IX)**. Et iterum per Apostolum sic dicit: *Sed intelligentes, quae sit voluntas Domini* **(Ephes. V)**. Qui rursus ait: *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus, vita est et pax* **(Rom. VIII)**. Possumus autem hoc modo promereri, si faciamus illud quod scriptum est: *Vacate et cognoscite, quoniam ego Dominus sum* **(Psal. XLV)**; et si credimus omne verbum Dei verum [Col. 0544B] esse: *Si* enim, inquit, *non credideritis, neque intelligetis* **(Isai. VII)**.

INTERROGATIO CLXVIII.

Si Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus est **(Prov. XI)**; *et si, alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae* **(I Cor. XII)**; *quomodo increpat Dominus discipulos suos dicens:* Quia adhuc et vos insensati estis, et non intelligitis **(Matth. XV)**? *et Apostolus culpat Galatas insensatos* **(Gal. III)**?

RESP. Si quis scit bonitatem Domini, volentis omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem verbi veritatis venire **(I Tim. II)**; et studium Spiritus sancti didicit, qui unicuique dividit gratiam Dei; iste cognoscit tarditatem intellectus non ex culpa ejus descendere qui dona distribuit, sed eorum qui desidia et infidelitate sua id suscipere non merentur. [Col. 0544C] Et ideo recte culpatur insipiens vel insensatus, qui velut sole orto claudit oculos suos ne videat, sed in tenebris ambulet.

INTERROGATIO CLXIX.

Si ab aliquo quid beneficii consequimur, quomodo poterimus et Domino digne et integre gratias agere, et ei qui beneficium praestitit? Quali mensura uti debemus in utroque?

RESP. Si Deum auctoritatem et consummatorem omnium bonorum esse credamus;

eum vero per quem boni aliquid consecuti sumus ut ministrum Dei gratiae et muneris agnoscamus.

INTERROGATIO CLXX.

Quid est dignum vel sanctum, Graeci ὅσιον dicunt? et quid est justum?[Col. 0544D]

RESP. Ὅσιον quidem, id est, sanctum vel dignum esse arbitror hoc quod decet et debetur ab inferioribus deferri superioribus, secundum hanc ipsam rationem qua eminentiores videntur. Justum autem hoc, quod operis pro merito unicuique tribuitur. Et in illo quidem alio optimorum quorumque indicatur obsequium, in hoc vero tam boni quam mali retributio designatur.

INTERROGATIO CLXXI.

Quomodo dat quis sanctum canibus, et mittit margaritas ante porcos **(Matth. VII)**? *aut quomodo accidit illud quod additur:* Ne forte conculcent aut pedibus, et conversi disrumpant vos? (Ibid.)

RESP. Manifeste nobis tradidit Apostolus ex his quae adversus Judaeos dicit: *Quia qui in lege gloriaris* [Col. 0545A] *per praevaricationem legis Deum inhonoras* **(Rom. II)**. Injuriam ergo hanc quam per praevaricationem legis verbo Dei inferre dicuntur hi de quibus sermo est, prohibet hic et abdicat Dominus. Et quia evenit ut etiam infideles et non credentes, cum vident nos praevaricari mandata, contemptum habeant religionis et doctrinae Domini, et ex ipsis his arguunt nos quae scripta sunt in lege nostra, et velut rumpant nos, et afficiant exprobrantes et confundentes, tanquam legis propriae transgressores.

INTERROGATIO CLXXII.

Quomodo Dominus aliquando quidem prohibet portari sacculum vel peram in via **(Luc. X)**; *aliquando autem dicebat:* Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet gladium, vendat vestimentum suum, et emat gladium **(Luc. XXII)**.[Col. 0545B]

RESP. Hoc explanat ipse Dominus dicens *(Ibid.): Quia oportet adhuc compleri in me quod dictum est; quia cum iniquis deputatus est* **(Esa. LIII)**. Denique posteaquam completa est prophetia de gladio ait ad Petrum: *Converte gladium in locum suum.* Omnes enim qui gladium accipiunt, in gladio peribunt **(Matth. XXVI)**. Ita ut non videatur praeceptum esse quod dicitur: *Nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram;* Et qui non habet gladium, vendat vestimentum suum, et emat gladium; sed prophetia praedicentis Domini, quia futurum erat ut apostoli, obliti gratiae Domini et legis ejus, assumerent gladium. Quod autem videtur quasi imperativo modo dici propositio haec verbi futura, in Scripturis propheticis satis frequenter invenitur, sicut

est illud: *Fiant filii* [Col. 0545C] *ejus orphani, et diabolus stet a dextris ejus* **(Psal. CVIII)**; et multa alia similia.

INTERROGATIO CLXXIII.

Quid est, Panem substantivum da nobis hodie, quod in oratione dicere jubemur?

RESP. Cum operantes manibus memores simus Domini dicentis: *Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, aut quid bibatis* **(Luc. XII)**. Et Apostoli praecipientis: *Operamini, ut habeatis unde praestare possitis necessitatem patienti* **(Ephes. IV)**. Id est, cum non ad proprios usus, sed pro mandato Domini operamur: *Quoniam dignus est operarius mercede sua* **(Luc. X)**: tunc substantivum panem, id est, qui vitam quotidianam substantiae nostrae conferat, a Deo poscimus, et non a nobis ipsis praesumimus; [Col. 0545D] sed ut necessitati, in quantum sufficit, satisfiat, et agnoscamus eum qui sufficientiam praestat.

INTERROGATIO CLXXIV.

Si omni volenti accedere ad sorores oportet indulgere: an certis quibusque et personis et temporibus? vel quomodo videndae sunt sorores?

RESP. De his superius diximus jam sufficienter, quia nec ad virum vir accedere utcunque et sine causa ex arbitrio suo vel potestate debet, sed cum omni observatione, probante eo qui praeest; id est, ut vel prosit quis ei quem videt, vel proficiat ex eo. Quanto magis erga mulieres id observare convenit majore cautela. Si quis ergo meminerit Domini dicentis: *Quia de omni sermone otioso reddes rationem in die judicii* **(Matth. XII)**, timebit in omni negotio [Col. 0546A] hanc sententiam. Acquiescendum est enim et sancto Apostolo dicenti: *Sive manducetis, sive bibatis, sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite* (I Cor. XIV). Et iterum: *Omnia ad aedificationem fiant* (Ibid.). Nihil ergo vel otiose vel inutiliter agendum est: sed certus quis, et certo tempore, et certo in loco, et certis personis vel apparere, vel loqui debet: ut excludatur omnis nefanda suspicio, et servemus sine offensione esse apud omnes, et ad aedificationem fidei unicuique apparere. Certe solum ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit. Melius est enim esse duo quam unus: simul enim et fidelius et tutius res geritur. *Vae enim uni;* quia si ceciderit, non est alius qui erigat eum **(Eccle. IV)**.

INTERROGATIO CLXXV.

[Col. 0546B]

Si quis habet aliquod vitium quod corrigere non potest, et frequenter notatus in pejus proficit, si eum expedit intermitti?

RESP. Et de hoc alibi jam diximus quia oportet peccantes corripere patienter, secundum eum quem supra ostendimus modum a Domino positum **(Matth. XVIII)**. Quod si non sufficit ei ad emendationem, sicut illi Corinthio **(I Cor. II)**, objurgatio haec quae fit a pluribus; sicut gentilis de reliquo et publicanus haberi debet, qui ejusmodi est. Quia ei parcere quem Dominus condemnavit nulli tutum est, maxime cum Dominus dicat: *Quia expedit unicuique ut unum oculum, aut unam manum, vel unum pedem perdat, et ita intret in regnum* **(Matth. XVIII)**, quam dum parcit uni ex his membris, totum corpus mittatur in gehennam ignis, ubi est fletus et stridor dentium. [Col. 0546C] Sed et Apostolus de his ipsis testatur, dicens: *Quia modicum fermentum totam massam corrumpit* **(Gal. V)**.

INTERROGATIO CLXXVI.

Si quis contristetur quia ei non permittitur facere illud quod non potest apte et recte facere, si debemus ei permittere?

RESP. Et de his jam dictum est in multis, quia propria voluntate nulli quidquam facere permittendum est, sed judicio et probatione, vel multorum, et eorum qui praesunt. Qui autem non obtemperat his, sententiam praesumptoris et contradicentis excipiat.

INTERROGATIO CLXXVII.

Quomodo debent fortiores fratres infirmitates infirmorum [Col. 0546D] *portare?*

RESP. Portare est tollere et curare, secundum quod scriptum est: *Ipse infirmitates nostras tulit, et aegritudines nostras portavit* **(Isa. LIII)**. Non quia in semetipso susceperit infirmitates, sed quia abstulit eas ab his in quibus erant et curavit eos. Ita ergo et hic poenitentia interveniente curabuntur infirmiores, ex constantia et integritate fortiorum: qui dicuntur portare, id est, exportare et auferre infirmitates eorum qui invalidi sunt.

INTERROGATIO CLXXVIII.

Quid est, Invicem onera vestra portate **(Gal. IX)**? *et quam legem Christi adimplebimus hoc facientes?*

RESP. Idem est quod in superioribus explanavimus. Gravia enim sunt onera peccati quae trahunt [Col. 0547A] animam in profundum inferni; quae a nobis invicem auferimus et portamus, id est exportamus, ad conversionem provocantes eos qui peccant. Portare autem pro auferre et exportare consuetudo est etiam ritu provincialium dici, sicut et ego saepe audisse me memini. Legem autem Christi replere, illius qui dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores in poenitentiam* **(Luc. V)**

INTERROGATIO CLXXIX.

Domino docente nos, orandum esse ut ne intremus in tentationem; sed oportet orare ne accidant nobis dolores corporales: vel si inciderimus in eos, quomodo oportet ferre?

RESP. Non discrevit tentationum qualitatem, sed generaliter praecepit orandum esse ne intremus in tentationem. Si vero inciderimus, ut det nobis [Col. 0547B] exitum evadendi; et ut sustinere possimus, a Domino posci oportet, ut possimus implere quod est dictum: *Quia qui permanserit in finem, hic salvus erit* **(Matth. X)**.

INTERROGATIO CLXXX.

Quis est adversarius noster? et quomodo ei consentire debemus in via?

RESP. Hic specialiter Dominus eum, qui auferre quid a nobis conatur, adversarium nominavit. Consentimus autem ei, si servemus praeceptum Domini dicentis: *Si quis autem voluerit tecum judicio contendere, et auferre tunicam tuam, dimitte ei et pallium* **(Matth. V)**. Quod et in omnibus fideliter observari oportet.

INTERROGATIO CLXXXI.

[Col. 0547C]

Si bonum est statuere ad certum tempus, verbi causa, abstinere se tali vel tali cibo sive potu?

RESP. Domino dicente: *Non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* **(Joan. VI)**, omnis hujuscemodi definitio incongrua est. Quod sciens David, dicebat: *Juravi, et statui custodire judicia justitiae tuae* **(Psal. CXVIII)**, et non meae voluntatis. Et iterum Dominus: *Non mea voluntas, sed tua fiat* **(Luc. XXI)**

INTERROGATIO CLXXXII.

Si quis voluntate peccaverit, condemnatur? an etiam ille qui per ignorantiam extra veritatem aliquid fuerit locutus?

RESP. Judicium Dei etiam in his qui per ignorantiam peccant manifestum est, cum dicit: *Quia qui nescit, et non fecerit digna,* plagis vapulabit paucis [Col. 0547D] **(Luc. XII)**. Ubique tamen digne gesta poenitentia veniae spem praesumat.

INTERROGATIO CLXXXIII.

Si quis cogitaverit tantum facere aliquid, et non fecerit, si et ipse mendax judicandus

est?

RESP. Si secundum mandatum est quod cogitavit facere, non ut mendax, sed ut contemptor a Domino condemnatur.

INTERROGATIO CLXXXIV.

Si quis praeventus fuerit ut definiat aliquid agere eorum quae non placent Deo, quid oportet magis irritum revocare, quod male fuerat definitum, an timore eo, ne mendax sit, implere peccatum?

RESP. Cum dicat Apostolus: *Non quod ex nobis ipsis idonei simus cogitare aliquid quasi ex nobis* [Col. 0548A] **(I Cor. III)**. Et Dominus nihilominus: *Quia non possum ego a meipso facere quidquam* **(Joan. V)**. Et rursum: *Verba quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor* **(Joan. XIV)**. Et in alio quoque loco: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit Patris* **(Joan. VI)**; poenitentiam debet agere primo, qui ita aliquid temere definiit, quodcunque illud fuerit quod definitum est. Quia ne ipsa quidem bona propria auctoritate et definitione facere oportet; multo autem magis ea quae non placent Deo, statuere non licet. Quia autem oportet et in irritum revocare quaecunque ex praesumptione contra mandatum Domini statuantur, manifeste ostenditur in apostolo Petro; qui temere quidem statuerat et dixerat: *Non lavabis pedes meos in aeternum* [Col. 0548B] **(Joan. XIII)**. Audiens autem a Domino definitam sententiam: *Quia si non lavero te, non habebis partem mecum* (Ibid.), statim mutavit definitionem suam et ait: *Domine, non tantum pedes, sed et manus, et caput* (Ibid.).

INTERROGATIO CLXXXV.

Si is cui commissa est dispensatio eorum quae Domino offeruntur, necessitatem habet implere quod dicit mandatum: Omni petenti te da: et eum qui vult abs te mutuum sumere non avertas.

RESP. Hoc quod dictum est: *Omni petenti te da* **(Luc. VI)**: Et: *volentem mutuari abs te, non avertas* **(Matth. V)**; quasi tentationis habet locum, sicut ex consequentibus demonstratur. Propter malos enim praeceptum est, non principaliter, sed quasi quod in necessitate fieri debet, principale enim praeceptum [Col. 0548C] Domini est: *Vende omnia tua bona, et da pauperibus* **(Matth. XIX)**. Et iterum: *Vendite bona vestra, et date eleemosynam* **(Luc. XII)**. Quod ergo aliis delegatum est vel deputatum, in alios transferre non est absque discrimine, Domino dicente: *Quia non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel.* Et quia non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus **(Matth. XV)**; sed et abs te ipse judicare debes quod justum est.

INTERROGATIO CLXXXVI.

Quod si frater nihil habens proprium petatur ab aliquo hoc ipsum quo vestitus est, quid debet facere, maxime si nudus sit ille qui petit?

RESP. Sive nudus, sive malus, id est, sive veram necessitatem patiatur, sive fallit, vel si quid aliud [Col. 0548D] est, semel dictum est quia dare vel accipere non est omnium, sed illius solius cui commissum est istud officium. Qui utique cum omni providentia et cautela hujuscemodi dispensationem debet implere, ut possit unusquisque in quo vocatus est permanere.

INTERROGATIO CLXXXVII.

Quomodo potest quis sine charitate tantam fidem habere, ut montes transferat, aut substantiam suam pauperibus dividat, et corpus suum tradere ut ardeat **(I Cor. XIII)**?

RESP. Si memores simus Domini dicentis: *Faciunt enim omnia, ut videantur ab hominibus* **(Matth. XXIII)**. Sed et illud quod respondit illis dicentibus: *Domine, nonne in tuo nomine daemonia ejecimus? et in tuo nomine virtutes multas fecimus* **(Matth. VII)**? cum ait [Col. 0549A] ad eos: *Nescio vos unde sitis;* non quia mentiti sunt, sed quia Dei gratia abusi sunt ad proprias voluntates, quod utique alienum est a charitate Dei. Si ergo horum meminimus, facile quae dicta sunt advertimus. Quia autem gratiam Dei vel donum accipiunt etiam indigni, non est novum aut mirum. Deus enim in tempore hoc benignitatis et patientiae suae, etiam *solem suum oriri facit super bonos et malos* **(Matth. V)**. Interdum autem etiam ad profectum eorum qui adhuc infideles sunt, ut gloria ejus multiplicetur, secundum quod et Apostolus dicit: *Quia quidam per invidiam et contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem Christum annuntiant* **(Phil. I)**; et addidit dicens: *Verumtamen omni modo sive occasione, sive veritate Christus annuntietur,* in hoc [Col. 0549B] *ego gaudeo* (Ibid.).

INTERROGATIO CLXXXVIII.

Quis est qui abscondere dicitur talentum et propterea condemnatur **(Matth. XXV)**?

RESP. Qui quamcunque gratiam Dei detinet et assumit in suis usibus, et non ad aliorum utilitatem, iste tanquam occultati talenti crimine condemnetur.

INTERROGATIO CLXXXIX.

Quid est immunditia, et quid est impudicitia?

RESP. Immunditiam quidem lex ostendit. Hoc enim nomine usa est super his qui inviti per naturalem necessitatem patiebantur ea quae homines pati consueverunt. Impudicitia vero mihi videtur esse, cum quis naturalem libidinis motum impudentius et inverecundius concitat et irritat.[Col. 0549C]

INTERROGATIO CXC.

Quid est proprium furoris? et quid est proprium indignationis justae? et quomodo aliquoties quasi ab indignatione incipientes inveniuntur decidere in furorem?

RESP. Furoris quidem proprium est, concitatio animae mala meditantis adversus eum, qui se concitat et irritat. Indignationis vero justae proprium est, peccantem corripere eo affectu vel proposito quo avertimur a peccatis; et quod displicet nobis, quod non recte gestum est. Quod autem interdum a bono incipiens anima decidit in malum, nihil mirum est. Multa enim invenies hujuscemodi, propter quod meminisse oportet sacrae Scripturae, dicentis: *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* **(Psal. CXXXVIII)**. Et iterum: *Nisi enim quis legitime certaverit,* non [Col. 0549D] *coronabitur* **(II Tim. II)**. Et ideo in omnibus observanda est rerum mensura, et tempus, et ordo quia ex aliqua horum causa accidit ut id quod videtur bonum inveniatur malum.

INTERROGATIO CXCI.

Ex quibus fructibus probari debet is qui ex affectu arguit fratrem peccantem?

RESP. Primo omnium ex eo quod praecipuum est, si cum misericordia redarguit, et est in eo illud quod dixit Apostolus: *Quia si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* **(II Cor. XII)**. Vel illud: *Quis scandalizatur, et ego non uror?* **(II Cor. XI.)** Tum deinde, si in omni peccato similiter affligitur et contristatur, et erga omnes qui peccant, vel si in se [Col. 0550A] delinquat aliquis, vel in alium, similiter contristatur et luget. Et si arguens observat illam regulam quam Dominus posuit, id est, ut inter semetipsum solum, vel alio uno, vel duobus adhibitis **(Matth. XVIII)**. Super omnia autem, si observat quod dixit Apostolus: *cum omni patientia* **(II Tim. III)**.

INTERROGATIO CXCII.

Si oportet eos qui ingrediuntur ad fratres statim artificia discere?

RESP. Qui praesunt, probent; ut quem sociari voluerint corpori congregationis, artibus erudiant diversis, secundum modum et qualitatem propriae aetatis et conditionis: ut verbi gratia: si ad meditanda vel agenda spiritualia minus inveniatur idoneus, alterius negotii sollicitetur occupationibus, ne torpentem otio atque vacantem Satanas expositum quodammodo [Col. 0550B] suis telis occupet. Dicit enim Apostolus: *Qui non laborat, non manducet* **(II Thes. III)**. Et Salomon: *Otiositas inimica est animae.*

INTERROGATIO CXCIII.

Si quis non desiderio corrigendi fratres arguat eum qui delinquit, sed sui vitii explendi gratia; quomodo oportet hunc corrigi, si post multam communicationem in

eisdem permaneat?

RESP. Iste velut suis commodis prospiciens et primatus desiderans notetur, et emendationis ei modus ex institutionum discipulis intimetur. Quod si permanserit in obstinatione, manifesta est sententia eorum qui non poenitent pro delicto.

INTERROGATIO CXCIV.

Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad [Col. 0550C] emendationem eorum qui delinquunt.

RESP. Hoc sit in judicio positum eorum qui praesunt, vel quanto tempore, vel quali modo corripi debeant: quia et aetas et eruditio multam haberi facit differentiam poenitentiae.

INTERROGATIO CXCV.

Si in omni peccato, sive secundum cogitationes, sive secundum verbum, sive secundum actum, Satanam in causa esse convenit dici?

RESP. Generaliter arbitror quod Satanas ipse per seipsum causa peccati existere nulli potest; sed motibus animae nostrae, sive naturalibus, sive etiam ex vitio conceptis abutitur ad voluntatem malitiae suae; et de nostris nos motibus, si forte non vigilemus, trahit in hoc quod ipsi gratum est, id est, in peccatum. Naturalibus ergo motibus nostris abutitur: [Col. 0550D] sicut illud quod in Domino facere conatus est, cum eum sensisset esurire, ait ad eum: *Si Filius es Dei, dic ut lapides isti panes fiant* **(Matth. IV)**. Motibus autem ex vitio conquisitis abutitur, sicut fecit in Juda: quem quoniam cupidum vidit et avaritiae morbo aegrotantem, abusus hoc vitio ejus, usque ad proditionis eum, ob triginta argenteorum lucrum, pertraxit ruinam **(Luc. XXII)**. Quia autem mala ex nobis ipsis oriuntur, manifeste ostendit Dominus dicens: *Quia de corde procedunt cogitationes malae, et reliqua.* **(Matth. XV.)** Hoc autem accidit eis qui per negligentiam inculta et squalentia naturalium in se bonorum semina derelinquunt, dicente Salomone: *Quia sicut agricultura, ita vir insipiens;* et sicut [Col. 0551A] *vinea, ita homo cui deest prudentia;* et si relinquas eam, fiet deserta, et ascendent in ea spinae, et erit derelicta **(Prov. XXIV)**. Huic ergo animae quae ex hujusmodi negligentia squaluerit, et in desertum venerit, consequens est suspicere illam sententiam quae dicit: *Spinae et tribuli oriuntur in te* **(Gen. III)**, et pati illud quod scriptum est: *Exspectavi ut faceret uvas;* fecit autem spinas **(Isai. V)**, de qua dixerat: *Plantavi vineam Soreth, et tunc merito dicetur ad eam illud quod per Jeremiam praedictum est a Domino, dicente: Ego te plantavi vineam fructiferam, totam veracem, quomodo conversa es in amaritudinem vineae alienae* **(Jer. II)**.

INTERROGATIO CXCVI.

Si quis relinquens fiscalia debita, intret ad fratres, [Col. 0551B] et parentes ejus pro ipso exigantur et tribulentur; si non affert hoc culpam aliquam, vel his qui eum susceperunt, vel illi ipsi qui ita egerit?

RESP. Dominus noster Jesus Christus his qui interrogaverunt se: *Si licet dari censum Caesari, aut non;* ait: *Ostendite mihi denarium, cujus habet imaginem et subscriptionem* **(Matth. XXII)**? Cum autem dixissent quia Caesaris, respondit dicens: *Reddite ergo quae Caesaris sunt, Caesari, et quae Dei sunt, Deo* (Ibid.). Et hoc ergo manifeste docemur quia hi obnoxii sunt tributis Caesaris, apud quos invenitur Caesaris census et imago. Si quid ergo tale etiam iste veniens ad fratres secum detulit, obnoxius est ad exsolvendum debitum. Si vero omnibus derelictis in manibus propinquorum abscessit, nullus vel ipsi [Col. 0551C] vel fratribus scrupulus debet existere.

INTERROGATIO CXCVII.

Si oportet eum qui praeest, extra eam quae sororibus praeest, loqui aliquid quod ad aedificationem fidei pertineat virginibus?

RESP. Et quomodo servabitur praeceptum illud Apostoli dicentis: *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* **(I Cor. XIV)**?

INTERROGATIO CXCVIII.

Si convenit eum qui praeest cum ea quae sororibus praeest frequenter loqui; et maxime si aliquid de fratribus pro hoc laeduntur?

RESP. Apostolo dicente: *Ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia* **(I Cor. X)**? bonum est imitari eum dicentem: *Quia non sum usus potestate* [Col. 0551D] *mea, ne offendiculum aliquod darem Evangelio Christi* **(II Cor. IX)**. Et quantum fieri potest, et rarius videndae sunt, et brevior est sermocinatio instituenda.

INTERROGATIO CXCIX.

Si oportet, cum aliqua soror confitetur quodcunque delictum suum presbytero, etiam matrem monasterii adesse?

RESP. Honestius mihi videtur esse et religiosius, ut per seniorem matrem presbyter, si quid illud sibi videtur, statuat, et modum vel tempus poenitentiae imponat ad emendationem ejus quae corrigi desiderat a peccato. Non est enim honestatis, ut arbitror, aut ordinis, ut aliquis sine testimonio matris illius, quae praeest, vel cum paucis, vel cum pluribus statuat aliquid, vel loquatur.[Col. 0552A]

INTERROGATIO CC.

Si oportet gesta turpia vel obscena confitentem inverecundius pronuntiare omnibus, aut certis quibusque et quibus illis?

RESP. Confessio peccatorum hanc habet rationem quam habet vulnus aliquod corporis vel passio quae medico demonstranda est. Sicut ergo non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui revelat, nec quibuslibet, sed his tantummodo qui summae peritiae testimonium habent, et curae ac medelae disciplinam; ita et confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo qui curare haec praevalent ac emendare, secundum quod scriptum est: *Vos qui fortiores estis, infirmitates infirmorum portate* **(Gal. VI)**, hoc est, exportate et auferte per curationem.

INTERROGATIO CCI.

Si ignorante matre seniore presbyter aliquid fieri praecipiat sororibus, recte videbitur indignari senior mater cum ipsa nescierit?

RESP. Et valde: alioquin janitori praecipit frustra ut vigilet, si alius in domo vult quodlibet disponere. Sic et Aaron cum absente et ignorante Moyse in populo quippiam praesumit **(Exod. XXXII)**, conflato idolo, tam super se quam super reliquum populum inducit grave peccatum. Ab hoc idololatriae reatu Paulus Corinthiis provisum esse voluit, quibus pro corrigendo eo qui patris uxorem violaverat, licet corpore absens scribit: *Congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi* **(I Cor. III)**. Timotheo etiam quamvis proposito omnibus, de utendo modico vino praecipit. Quaedam ordinantur [Col. 0552C] a diversis personis, disponente seniore, qui habere possunt congregationem; quaedam vero nullatenus, nisi praesente seniore, et praecipue in conventu sororum. Siquidem discipuli, qui etiam potentia virtutis Dei multa signa operabantur, a quodam spiritum immundum ejicere non possunt, nisi prius magister hunc ad se allatum reddidit sanum **(Matth. XVII)**. Ne vero persona potens disponere per se quid praesumat in congregatione, absque eo ad quem cura pertinet animarum, hinc colligitur, quoniam rarius sanitates contulit Dominus a majore persona rogatus, ut reguli filio et servo centurionis, quam forte his qui, liberi ab imperio alieno, suo vivebant arbitrio, ut docet mulier illa peccatrix quae per se currit ad medicum salutis.[Col. 0552D]

INTERROGATIO CCII.

Si potest impedire propositum sancti hominis Satanas, quia scriptum est: Ego quidem Paulus semel et bis venire volui ad vos et impedivit nos Satanas **(I Thess. II)**.

RESP. Eorum quae in Domino geruntur quaedam quidem solo proposito et judicio animae efficiuntur, quaedam etiam per corpus adimplentur, id est, vel labore, vel patientia corporis. Quaecunque ergo in animae proposito consistunt, haec impedire nullo modo potest Satanas; ea vero quae etiam ministerio corporis adimplentur, frequenter, permissu tamen Dei, impediri possunt, ad probationem ejus qui impeditur, ut appareat si a bono proposito nequaquam per hujusmodi impedimenta mutatur. Sicut

hi qui [Col. 0553A] super petram seminati dicuntur, quod ad praesens quidem audientes verbum cum gaudio susceperunt, facta autem tribulatione vel persecutione, continuo recesserunt **(Luc. XVIII)**. Vel certe si permanserint in bonis, majoribus praemiis digni sunt, quasi in certamine vicerint: sicut et ipse Apostolus, cum frequenter proposuisset Romam proficisci, et prohibitum se esse fatetur, tamen non cessavit a proposito usquequo quod proposuerat expleret **(Rom. I)**. Sed per patientiam sustinuit, sicut sanctus Job, qui tanta a diabolo passus est, cogente se loqui aliquid impium adversus Deum, et in nullo penitus, nec in sermone quidem, regulam pietatis excessit, quo minus ea sentiret de Deo quae pia erant. Sicut scriptum est de eo: *Quia in his omnibus nihil peccavit* [Col. 0553B] *Job labiis suis in conspectu Domini, nec dedit insipientiam Deo* **(Job I).**[Col. 0554A]

INTERROGATIO CCIII.

Quomodo fit aliquis in praesenti saeculo stultus?

RESP. Si timeat sententiam Domini dicentis: *Vae qui prudentes sunt apud seipsos, et in conspectu suo sapientes* **(Isa. V)**. Et imitetur eum qui dixit: *Sicut jumentum factus sum apud te* **(Psal. LXXII)**. Et omnem arrogantiam prudentiae abjiciens, non prius credat sensibus suis inesse aliquid boni, quam mandato Domini illuminetur, ut intelligat quid est quod placeat Deo, sive in opere, sive in verbo, sive in cogitatione, secundum quod et Apostolus dixit: *Confidentiam autem talem habemus in Christo ad Deum:* non quia a nobis ipsis idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. III).[Col. 0554B]

Explicit Regula sancti Basilii episcopi.

CODICIS REGULARUM PARS SECUNDA

[Col. 0553B]

REGULAE SS. PATRUM OCCIDENTALIUM AD MONACHOS. SANCTORUM AURELIANI ET FERREOLI ARELATENSIS ET UCETENSIS EPP. REGULAE AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiae tom.* LXVIII, col. 385, *et tom.* LXVI, col. 959.)

[Col. 0553C]

SANCTI COLUMBANI ABBATIS ET CONFESSORIS REGULA COENOBIALIS CUM POENITENTIALI.

(*Vide tom.* LXXX Patrologiae, col. 209.)

[Col. 0553D]

REGULA TARNATENSIS MONASTERII.

(*Vide tom.* LXVI Patrologiae, col. 977.)

SANCTI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI REGULA MONACHORUM.

[Col. 0553D]

DE ISIDORO EJUSOUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

Martyrologium Rom. pridie Nonas April.

Hispali in Hispania S. Isidori episcopi, sanctitate et doctrina conspicui; qui zelo Catholicae fidei, et observantia Ecclesiasticae disciplinae Hispanias illustravit.

Braulio Caesaraugustan. Episcopus in praenotatione librorum S. Isidori.

Isidorus, vir egregius, Hispalensis Ecclesiae episcopus, Leandri episcopi successor et germanus, floruit a tempore Mauritii imperatoris, et Reccaredi regis: in quo quiddam sibi antiquitas vindicavit, imo nostrum tempus antiquitatis in eo scientiam imaginavit: vir in omni elocutionis genere formatus, ut imperito doctoque secundum qualitatem sermonis existeret aptus; congrua vero opportunitate loci incomparabili eloquentia clarus. Jam vero quantus sapientia fuerit, ex ejus diversis studiis et elaboratis opusculis perfacile prudens lector intelligere poterit. Denique de iis quae ad notitiam nostram venerunt, ista commemoravi.... Monasticae Regulae librum unum: quem pro patriae usu et invalidorum animis decentissime temperavit, etc. Obiit temporibus Heraclii imperatoris, et Christianissimi Chintiliani regis, sana doctrina praestantior cunctis, et copiosior operibus charitatis.

Sanctus Benedictus Anianensis abbas in Concordia Regularum, et Smaragdus monachus in Comment. ad Regulam sancti Benedicti, ubique hanc sancti Isidori Regulam citant.

[Col. 0555B]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM

Auctor hujus Regulae est sanctus Isidorus Hispalensis episcopus, et sancti Leandri in episcopatum successor, ejusque frater uterinus. anno 636 defunctus, et fastis sanctorum ascriptus. Sanctissimus enim episcopus hanc Regulam scripsisse videtur ante adeptum episcopatum, cum a teneris annis monasticam vitam secutus sit; sed utrum in hoc coenobio Honoriacensis tirocinium posuerit, merito dubitatur: cum ad ejusdem monachos instruendos Regulam praesentem composuerit XXIII capitulis

comprehensam, atque alias vitae monasticae normas a sanctis Patribus scriptas suis monachis summopere commendet, prout ex praefatione constat. Et quidem, quamvis modo ignoremus hujus monasterii situm, tamen illud Benedictinis institutis imbutum facile supponere possumus, cum Regula sancti Benedicti jamdudum per sanctum Aemilianum apud Hispanos promulgata fuerit, atque sanctus Leander eamdem amplexus sit. Denique, si hanc sancti Isidori Regulam recte attendamus, tunc et illam ex disciplina Benedictina desumptam agnoscere debemus; nam eodem modo manuum laborem, jejunia, lectiones, divinum officium aliaque munia monastica praescribit: vult etiam monachos in eodem dormitorio pausare, in eadem mensa reficere, atque singulis denis decanum invigilare mandat. Quae omnia ex Regula sancti Benedicti desumpta esse videntur, quam proin suis monachis observandam proposuit, paucis superadditis loco et regioni magis accommodatis. Unde non desunt auctores asserentes utramque Regulam simul in eodem monasterio observatam fuisse.

Ad Regulam sancti Isidori addendum est hoc caput 24, quod Edmundus Martene in tomo IX Anecdotorum eruit ex ms. Elnonensi ante 800 annos exarato:

SENTENTIA DE REGULA DEVOTARUM.

Nemo ad eas vadat visitandas, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut filiam, et propinquas, et consobrinas, sive matrem filiorum suorum. Si autem necessitas fuerit, ut videant eas, aut, antequam renuntiarent saeculo, et intrarent in monasterio, paterna eis debetur auctoritas, aut aliqua causa manifesta est; mittent cum his probatae virum aetatis ac vitae, videbunt eas, et pariter revertentur. Nemo vadat ad illas, nisi quos supradiximus. Si eas videre voluerint, primum faciant nuntiari Patri monasterii, et ille mittet ad seniores, qui ad monasterium virginum delegati sunt. Qui occurrunt eis, et cum ipsis videbunt, quas necesse habuerint, cum omni disciplina et timore Dei. Cumque eas viderint, non eis loquentur de rebus saecularibus. Quicunque de his mandatis praeterierit, absque ulla retractatione negligentiae atque contemptus aget publice poenitentiam, ut possidere valeamus regna coelorum.

[Col. 0555C]

CAPITULA.

INCIPIUNT CAPITULA REGULAE. [Col. 0555A] 1. De monasterio. 2. De eligendo abbate. 3. De monachis. 4. De conversis. 5. De familiaris vitae reique appetitu. 6. De opere monachorum. 7. De psallendi officio. 8. De collatione. 9. De codicibus. 10. De mensis. 11. De feriis. 12. De jejuniis.[Col. 0556A] 13. De habitu monachorum. 14. De strato, sive de illusionibus nocturnis. 15. De delinquentibus. 16. De qualitate delictorum. 17. De excommunicatis. 18. De rebus monasterii. 19. Quid ad quem pertineat. 20. De infirmis. 21. De hospitibus. 22. De professione. 23. De defunctis.*Expliciunt Capitula.*

[Col. 0555D]

INCIPIT REGULA. (Isidorus Hispalensis)

PRAEFATIO.

Sanctis fratribus in coenobio Honoriacensi constitutis Isidorus.[Col. 0555B]

Plura sunt praecepta vel instituta majorum, quae a sanctis Patribus sparsim prolata reperiuntur; quaeque etiam nonnulli altius vel obscurius posteritati composita tradiderunt. Ad quorum exemplum nos haec pauca vobis eligere ausi sumus, usi sermone plebeio vel rustico, ut quam facillime intelligatis quo ordine professionis vestrae morem retineatis. [Col. 0556B] Praeterea quisquis vestrum illam universam veterum disciplinam contendit appetere, pergat in quantum placet, et arduum illum limitem atque angustum laevigato cursu incedat. Qui vero tanta jussa [Col. 0557A] priorum explere nequierit, in hujus limitis disciplinam gressum ponat, neque ultra declinandum studeat; ne dum declinatus appetit inferiora, tam vitam quam nomen monachi perdat. Quapropter sicut illa praecepta priorum perfectum reddunt ac summum, ita facient ista vel ultimum. Illa custodiant perfecti, ista sequantur post peccatum conversi.

CAPUT PRIMUM.

De monasterio.

Inprimis, fratres charissimi, monasterium vestrum miram conclavis diligentiam habeat, ut firmitatem custodiae munimenta claustrorum exhibeant: inimicus enim noster diabolus, sicut leo rugiens, circuit ore patenti quaerens unumquemque nostrum quem devoret. Monasterii autem munitio tantum januam [Col. 0557B] extrinsecus habeat, unumque posticum per quem eatur ad hortum. Villa sane longe remota debet esse a monasterio, ne vicinius posita aut labis inferat periculum, aut famam inficiat dignitatis. Cellulae fratribus juxta ecclesiam constituantur, ut possint properare quantocius ad officium. Locus autem aegrotantium remotus erit a basilica vel cellulis fratrum, ut nulla inquietudine vel clamoribus impediantur. Cellarium monachorum juxta coenaculum esse oportet, ut secus positum sine mora mensis ministerium praebeat. Hortulus sane intra monasterium sit inclusus quatenus, dum intus monachi operantur, nulla occasione exterius evagentur.

CAPUT II.

De eligendo abbate. [Col. 0557C]

Abbas interea eligendus est institutione sanctae vitae duratus, atque inspectus patientiae, et humilitatis expertus: quique etiam et per exercitium vitam laboriosam toleravit, ac transcendens aetatem adolescentiae, juventutem seu senectutem tetigerit: cui etiam majores non dedignentur parere, obedientes ei tam pro aetate, quam etiam pro morum probitate. Ipse se imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit, neque enim aliquid imperare cuique illi licebit quod ipse non fecerit. Singulos autem hortamentis mutuis excitabit: alloquens cunctos, exhortans vel aedificans in eis, si quid

eorum vitae pro uniuscujusque gradu prodesse perspexerit. Circa omnes quoque servans justitiam, contra nullum livore odii inardescens, omnes ex corde amplectens, [Col. 0557D] nullum conversum despiciens, paratus etiam quorumdam infirmitati compatiendi misericordiam, Apostolum sequens, qui dicit: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat pullos suos* **(I Thes. II)**.

CAPUT III.

De monachis.

Monachis autem summopere studendum est ut apostolicam vitam tenentes, sicut in unum constituti esse noscuntur, ita unum cor habeant in Deo: nihil sibi proprium vindicantes, nec quantulumcunque amorem rei privatae gerentes; sed juxta exemplum apostolicum, omnia communia habentes **(Act. IV)**, in praeceptis Christi fideliter permanendo proficiant. [Col. 0558A] Patri honorem debitum referentes; erga seniores obedientiam, erga aequales incitamentum virtutum, erga minores boni exempli magisterium conservabunt. Nemo caeteris se judicet meliorem, sed inferiorem se omnibus deputans, tanta humilitate clarescat, quanto plus caeteris culmine virtutum coruscat. Abstineat etiam a furore et a detractione. Parcat monachus linguae. Indecenter quoque vel notabiliter non incedat. Philargyriae contagium ut lethiferam pestem abhorreat, a turpibus verbis vel otiosis linguam avertat atque indesinenter cor mundum labiaque exhibeat. Affectus quoque animi turpes ab intentione cogitationis abstergat, seque per compunctionem cordis in studio sanctae meditationis exerceat. Torporem somni atque pigritiae fugiat, vigiliisque [Col. 0558B] et orationibus sine intermissione intendat. Gulae concupiscentiam deprimat, atque abstinentiae virtutibus semetipsum pro studio domandarum libidinum affligat, domans jejuniis carnem, quantum valetudo corporis sinit. Livore quoque invidiae de fraternis profectibus nequaquam tabescat, sed quietus atque pacificus per amorem fraternae dilectionis de cunctorum gaudeat meritis. Iracundiae perturbationem a se rejiciens, et patienter omnia sustinens, nulla tristitia, nullo temporali moerore afficiatur: sed contra omnia adversa interiori gaudio fretus, ipsam postremo vanae gloriae laudem procul a se abjiciat, et Deo tantum interius humili corde placere studeat: ut dum his virtutibus radiat, merito nomen suae professionis retineat.[Col. 0558C]

CAPUT IV.

De conversis.

Qui renuntians saeculo ad monasterium venerit, non statim in coetum delegandus est monachorum. Vitam enim uniuscujusque in hospitalis servitio tribus mensibus considerari oportet, quibus peractis ad coetum sanctae congregationis accedet; neque enim intus suscipi quemquam convenit, nisi prius foris positus, ejus humilitas sive patientia comprobetur. Qui relicto saeculo ad militiam Christi pia et salubri humilitate convertuntur, omnia sua primum aut indigentibus dividant, aut monasterio conferant.

Tunc enim servi Christi liberum animum divinae militiae offerunt, quando a se spei saecularis vincula cuncta praecidunt. Qui non rigida intentione convertitur, [Col. 0558D] cito aut superbiae morbo, aut vitio luxuriae subditur. Nequaquam ergo debet a tepore inchoare, qui mundo renuntiat, ne per ipsum teporem rursus in amorem saeculi cadat. Omnis conversus non est recipiendus in monasterio, nisi se prius ibi scriptis suae professionis spoponderit permansurum. Sicut enim hi qui ad saecularem promoventur militiam in legionem non transeunt nisi antea in tabulas conferantur, ita et ii qui in spiritalibus castris coelesti militia sunt signandi, nisi prius professione verbi aut scripti teneantur, in numerum societatemque servorum Christi transire non possint. Quicunque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum. Nam Anna [Col. 0559A] Samuel puerum natum et ablactatum Deo pietate qua voverat obtulit; quique et in ministerio templi, quo a matre fuerat functus permansit, et ubi constitutus est, deservivit **(I Reg. I)**. Qui in monasterium prior ingreditur, primus erit in cunctis gradu vel ordine. Nec quaerendum est si dives sit aut pauper, servus an liber, juvenis an senex, rusticus an eruditus: in monachis enim nec aetas, nec conditio quaeritur, quia inter servi et liberi animam nulla est apud Deum differentia. Quicunque jugo alienae servitutis astrictus est, nisi dominus vincula ejus dissolverit, nequaquam recipiendus est; scriptum est enim: *Quis dimisit onagrum liberum? et vincula ejus quis solvit* **(Job. XXXIX)**? Onager enim liber dimissus monachus est, sine dominatu et impedimento saeculi [Col. 0559B] Deo serviens et a turbis remotus; tunc enim libera servitute Deo quisque famulatur, quando nullius carnalis conditionis pondere premitur: ubi enim jam suave jugum, et leve onus Christi est **(Matth. XI)**, durum et grave est portare servitium saeculi. Habemus hoc exemplum etiam in lege mundiali, ubi servi non militant nisi servitute deposita. Si quis vult conjugatus converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus: nam si illa, vivente illo, per incontinentiam alteri nupserit, uxor procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum ejusmodi conversio, quam sequitur conjugalis fidei prostitutio. Tales tunc sine culpa sequuntur relicto saeculo Christum, si habeant ex pari voluntate consensum castitatis. [Col. 0559C] Qui aliquid habentes in saeculo convertuntur, non extollantur si de suis facultatibus quodcunque monasterio contulerunt; sed potius timeant ne per haec in superbiam labantur et pereant, quibus melius esset, si divitiis suis cum humilitate in saeculo perfruerentur, quam ut jam pauperes effecti de earum distributione elatione superbiae extollantur. Hi qui saeculi divitias relinquentes conversi sunt, non despiciant eos qui de paupertate venerunt; quia apud Deum unius ordinis habentur omnes qui convertuntur ad Christum. Neque enim differt utrum ex inopi vel servili conditione ad servitium Dei quisque venerit, an ex generosa et locuplete vita. Multi enim ex plebeio censu documentis virtutum eximiis enitentes, praelatiores nobilibus facti sunt, eosque [Col. 0559D] virtutum excellentia praevenerunt, et qui erant conditione infimi, virtutis merito effecti sunt primi. Nam propterea *infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia:* et ignobilia mundi, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt evacuaret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus **(I Cor. I)**. Qui ex paupertate ad monasterium veniunt, non extollantur in superbiam; quia se ibi aequales aspiciunt iis qui aliquid in saeculo videbantur: neque enim dignum est ut ubi divites, celsitudine deposita saeculari, ad humilitatem descendunt, ibi pauperes elatione mentis superbi efficiantur; quibus oportet ut, deposita arrogantia, humiliter sapiant suaeque paupertatis et inopiae

memores semper existant.

[Col. 0560A]

CAPUT V.

De familiaris rei vitaeque appetitu.

Monachi in communi viventes nihil peculiare sibi facere audeant, neque in suis cellulis quidquam quod ad victum vel ad quamlibet rem aliam pertineat sine regulari dispensatione habere vel possidere praesumant. In Pentecoste autem, qui est dies remissionis, omnes fratres sub divina professione se alligent nihil peculiare apud conscientiam suam habere. Si quid a parentibus vel extraneis monacho collatum fuerit, non erit sub jure privatae rei habendum, sed in potestate abbatis in commune redactum, cui necesse erit praebeatur. Monachus enim quidquid quomodocunque acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit. Nullus peculiariter separatam [Col. 0560B] sibi ad habitandum cellulam expetat, in qua privatim a coetu remotus vivat, praeter eum qui fortasse morbo vel aetate defessus, hoc ex consulto Patris monasterii promeruerit. Caeteri vero quibus nec languor, nec senectus inest, in sancta societate communem vitam et conversationem retinebunt. Nullus separatam cellulam a coetu remotus sibi expetat, in qua sub studio reclusionis aut instanti otio aut latenti vitio serviat, et maxime vanae gloriae aut mundialis opinionis famae. Nam plerique proinde reclusi latere volunt ut pateant: ut qui viles erant aut ignorabantur foris positi, sciantur atque honorentur inclusi. Nam revera omnis qui propter vitae quietem a turbis discedit, quanto magis a publico separatur, tanto minus latet. Oportet ergo tales in sancta societate commorari, [Col. 0560C] atque sub testimonio vitam suam transigere: ut si quid in eis vitiorum est, dum non celatur, curetur; si quid vero virtutum, ad imitamentum proficiat aliorum, dum humilitatis eorum exempla alii contuentes, erudiuntur. Nullus monachorum propinquitatis causa terrenis curis se subdat. Sequendum est enim, qui dicit patri suo et matri nescio vos; et fratribus suis ignoro illos, et nescierunt filios, hi custodierunt eloquium tuum, et praecepta servaverunt. Multi enim monachorum, juxta cujusdam Patris sententiam, amore parentum saecularibus actibus et forensibus negotiis involuti, dum propinquitati prodesse cupiunt, suas animas perdiderunt. *Nemo quippe militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit* **(II Tim. II)**. Proinde et [Col. 0560D] nos liberi ab actibus saeculi esse debemus, ut Christo placeamus: nam et qui mundo militant, a reliquis saeculi negotiis vacant, ut expediti suo principi placeant. Non est praesumendum sine conscientia abbatis egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere; nec cum alio fratre quidpiam commutare, nisi abbas vel praepositus illi jusserit, nulli licebit, nec habebit quidquam praeter illa quae communi monasterii lege concessa sunt.

CAPUT VI.

De opere monachorum.

Monachus semper operetur manibus suis, ita ut quibuslibet variis opificum artibus laborisque studium [Col. 0561A] suum impendat, sequens Apostolum, qui dicit: *Neque panem gratis manducavimus, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes* **(II Thes. III)**. Et iterum: *Qui non vult operari, non manducet* (Ibid.). Per otium enim libidinis et noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt; per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nequaquam debet monachus dedignari versari in opere aliquo monasterii usibus necessario. Nam et patriarchae greges paverunt; et gentiles philosophi sutores et sartores fuerunt: et Joseph justus, cui virgo Maria desponsata exstitit, faber ferrarius fuit. Siquidem et Petrus princeps apostolorum piscatoris officium gessit, et omnes apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant. Si igitur tantae [Col. 0561B] auctoritatis homines laboribus et operibus etiam rusticanis inservierunt, quanto magis monachi, quos oportet non solum vitae suae necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigentiam aliorum laboribus suis reficere? Qui viribus corporis et integritate salutis consistunt, si in opere otiosi sunt, dupliciter peccare noscuntur: quia non solum non laborant, sed etiam alios vitiant, et ad imitationem suam invitant. Propterea enim quisque ad Deum convertitur ut ei serviens laboris habeat curam, non ut otio deditus inertia pigritiaque pascatur. Qui sic volunt lectioni vacare ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim scriptum est: *Operantes suum panem manducent* **(II Thes. III)**. Et [Col. 0561C] iterum: *Ipsi enim scitis quomodo oportet imitari nos, quia non inquieti fuimus inter vos;* neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus (Ibid.). Qui per infirmitatem corporis operari non possunt humanius clementiusque tractandi sunt; nec contra eos murmurandum est ab eis qui vires laborandi habent, sed magis consulendum est eis quos sciunt corpore infirmos. Ipsi autem qui non possunt, eos qui laborant et possunt, meliores sibi felicioresque fateantur. Qui vero languidus est et laborem operum corporalium sustinere non potest, consulendum est illi, et ejus infirmitas temperanda est. Qui vero sani sunt et fallunt, procul dubio dolendi atque lugendi sunt, quia [Col. 0561D] non corpore, sed (quod pejus est) mente aegroti sunt; quique etsi humanis oculis convinci non possunt, Deum tamen latere non possunt. Tales igitur aut ferendi sunt, si aegritudo latet; aut distringendi, si sanitas pateat. Monachi operantes meditari aut psallere debent, ut carminis verbique Dei delectatione consolentur ipsum laborem. Si enim saeculares opifices, inter ipsos labores suorum operum, amatoria turpiaque cantare non desinunt, atque ita horam suam in cantibus et fabulis implicant, ut ab opere manus non subtrahant: quanto magis servus Christi, qui sic manibus operari debet, ut semper laudem Dei in ore habeat, et lingua ejus psalmis et hymnis inserviat? Laborandum est [Col. 0562A] ergo corpore, animi fixa in Deum intentione; sicque manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur a Deo. Propriis autem temporibus oportet operari monachum, et propriis orationi lectionique incumbere. Horas enim debet habere monachus congruas ad singula officia deputatas. Patres autem temporum suis quibusque operibus taliter deputantur. Aestate enim a mane usque ad horam tertiam laborare oportet; a tertia autem usque ad sextam lectioni vacare; dehinc usque ad nonam requiescere; post nonam autemus que ad tempus vespertinum iterum operari. Alio autem tempore, id est, autumno, hieme, sive vere, a mane usque ad tertiam legendum. Post celebrationem tertiae usque ad nonam laborandum est; post refectionem autem [Col. 0562B] Nonae, aut operari oportet, aut legere, aut sono vocis

aliquid meditari. Quaecunque autem operantur monachi manibus suis, praeposito deferant, praepositus autem principi monachorum: nihilque operis apud fratres remaneat, ne sollicitudinis ejus cura mentem ab intentione contemplationis avertat. Hortos olerum vel apparatus ciborum propriis sibi manibus fratres exerceant; aedificiorum autem constructio, vel cultus agrorum, ad opus servorum pertinebunt. Nullus monachus amore privati operis illigetur, sed omnes in commune laborantes Patri sine obmurmuratione obtemperabunt. Monachi praepositis suis sine ulla murmuratione obtemperare debent, ne forte murmurando pereant, sicuti perierunt qui in deserto murmuraverunt. Si enim [Col. 0562C] parvulis adhuc in lege et rudibus nequaquam indultum est, quanto magis iis qui perfectionis legem perceperunt, non parcet, si talia gesserint?

CAPUT VII.

De psallendi officio.

In psallendi autem officio ista erit discretio: dato enim legitimis temporibus signo ad horas canonicas festinabunt fratres cum properatione, omnes ad chorum occurrant: nullique ante expletum officium licebit egredi, praeter eum quem necessitas naturae compulerit. Recitantibus autem monachis, post consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humi, pariter adorabunt, celeriterque surgentes psalmos sequentes incipient, eodemque modo per singula officia facient. Quando celebrantur [Col. 0562D] psalmorum spiritalia sacramenta, refugiat monachus risus, vel fabulas; sed hoc meditetur corde quod psallitur ore. In tertia, sexta et nona tres psalmi dicendi sunt, responsorium unum, lectiones ex Veteri Novoque Testamento duae: deinde laudes, hymnus atque oratio. In vespertinis autem officiis, primo lucernarium, deinde psalmi duo, responsorium unum, et laudes, atque oratio dicenda est. Post vespertinum autem congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de quibusdam divinae lectionis quaestionibus disputare, conferendo pie atque salubriter, tantumque meditando disputandoque immorari, quoadusque completorii tempus possit occurrere. Ante somnum autem, sicut mos [Col. 0563A] est, peracto completorio, valedictis invicem fratribus, cum omni cautela et silentio quiescendum est, usquequo ad vigilias consurgatur. In quotidianis vero officiis vigiliarum, primum tres psalmi canonici recitandi sunt, deinde tres missae psalmorum, quarta canticorum, quinta matutinorum officiorum. In Dominicis vero diebus, vel festivitatibus martyrum, solemnitatis causa singulae superaddantur missae. Verum in vigiliis recitandi aderit usus; in matutinis psallendi canendique consuetudo: ut utroque modo servorum Dei mentes diversitatis oblectamento exerceantur, et ad laudem Dei sine fastidio ardentius excitentur. Post vigilias autem usque ad matutinum reficiendum est, post matutinum autem aut operandum aliquid, aut legendum. Lectiones [Col. 0563B] autem ex Veteri et Novo Testamento tempore officii quotidianis diebus recitentur: sabbati autem die atque Dominico, ex novo tantum pronuntientur. Monachus autem corporis sanitate consistens, si vigiliis vel quotidianis officiis defuerit, perdat communionem.

CAPUT VIII.

De collatione.

Ad audiendum in collatione Patrem tribus in hebdomada vicibus fratres post celebratam tertiam, dato signo, ad collectam conveniant. Audiant seniorem docentem, instruentem cunctos salutaribus praeceptis. Audiant Patrem studio summo et silentio intentionem animorum suorum suspiriis et gemitibus demonstrantes. Ipsa quoque collatio erit vel pro corrigendis [Col. 0563C] vitiis instruendisque moribus, vel pro reliquis causis ad utilitatem coenobii pertinentibus. Quod si talia desunt, pro consuetudine tamen disciplinae nequaquam erit omittenda collatio; sed in praefinitis diebus, cunctis pariter congregatis, praecepta Patrum regularia recensenda sunt: ut qui necdum didicerunt percipiant quod sequantur; qui vero didicerunt, frequenti memoria admoniti sollicite custodiant quod noverunt. Sedentes autem omnes in collatione tacebunt, nisi forte quem auctoritas Patris praeceperit ut loquatur.

CAPUT IX.

De codicibus.

Omnes codices custos sacrarii habeat deputatos, [Col. 0563D] a quo singulos singuli fratres accipient, quos prudenter lectos, vel habitos, semper post vesperum reddent. Prima autem hora codices singulis diebus petantur: qui vero ante vel tardius petierit, non est dandum illi. De his autem quaestionibus quae leguntur, nec forte intelliguntur, unusquisque fratrum aut in collatione, aut post vesperum abbatem interroget; et recitata ad locum lectione, ab eo expositionem accipiat, ita ut, dum uni exponitur, caeteri audiant. Gentilium autem libros, vel haereticorum volumina monachus legere caveat: melius est enim eorum perniciosa dogmata ignorare, quam per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere.[Col. 0564A]

CAPUT X.

De mensis.

Tempore quo refectionis debitum solvitur, claustra monasterii obserentur, nec ullus extraneus interesse praesumat, ne quietem fraternam praesentia sua impediat. Refectionis tempore dato signo pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardius venerit, aut poenitentiam agat, aut jejunus ad suum opus vel cubile recurrat. Nemo autem ad vescendum ibit, antequam ad vocandum omnes vox signi solita insonuerit. Refectorium pariter cunctis fratribus unum erit, ad singulas mensas deni convescentes resideant, reliqua turba parvulorum astent. Tempore convescentium fratrum omnes disciplinae gerant silentium, Apostolo obtemperantes, qui dicit: [Col. 0564B] *Cum silentio operantes suum panem manducent* (II Thess. III). Unus tamen in medio residens, benedictione accepta de Scripturis aliquid legat, caeteri vescentes tacebunt, lectionem attentissime audientes: ut sicut illis corporalis cibus refectionem carnis praestat, ita mentem eorum spiritalis sermo reficiat. Nullus ad mensas clamor excitetur; soli tantum praeposito sollicitudo maneat in his quae sunt vescentibus necessaria.

Abbas, citra languoris necessitatem, cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat: nec aliud quam caeteri, nec cultius quam quae in commune consistunt, praeparari sibi quidpiam expetat; sicque fiat ut dum praesens est, omnia diligentius administrentur, et dum communia sunt, salubriter et cum charitate sumantur. Aequalia [Col. 0564C] quippe erunt mensarum omnium fercula, similibusque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres. Quidquid praesens refectio dederit, omnes sine murmuratione percipiant: nec id desiderent quod edendi voluptas appetit, sed quod naturae necessitas quaerit; scriptum est enim: *Carnis curam ne feceritis in desideriis* **(II Cor. VII)**. Per omnem autem hebdomadam fratres viles olerum cibos ac pallentia utantur legumina, diebus vero sanctis interdum cum oleribus levissimarum carnium alimenta. Non erit usque ad satietatem reficiendum corpus, ne forte intereat animus; nam ex plenitudine ventris cito excitatur luxuria carnis. Qui autem appetitum edacitatis reprimit, sine dubio lasciviae motus restringit. [Col. 0564D] Tanta cum discretione reficiendum est corpus, ut nec nimia abstinentia debilitetur, nec superflua edacitate ad lasciviam moveatur. In utroque ergo temperantia adhibenda est: scilicet, ut et vitia carnis non praevaleant, et virtus ad ministerium bonae operationis sufficiat. Quicunque ad mensam residens a carnibus vel vino se abstinere voluerit, non est prohibendus: abstinentia enim non prohibetur, sed potius collaudatur; tantum ne ex contemptu creatura Dei humanis concessa usibus exsecretur. Nullum esus furtiva contaminatio polluat, aut impudens vel privatus extra communem mensam appetitus: excommunicationis enim sententiae subjacebit, qui vel occulte vel extra ordinariam mensam aliquid degustaverit. Ante refectionis [Col. 0565A] tempus nullus vesci audeat, praeter eum qui aegrotat: qui enim tempus edendi antecesserit, subsequentibus poenis abstinentiae subjacebit. Sitienti cuipiam aut defectum patienti ante edendi tempus consulendum est, abbate vel praeposito ordinante, non tamen palam, ne forte sitire, vel esurire alios cogat. Hebdomadarius solus cibos degustet, nec quis id alius audeat: ne sub occasione degustandi, gulae vel gutturi satisfaciat. Laici ministri mensis monachorum nullatenus intererunt: nec enim poterit illis mensae communis esse locus, quibus diversis est praepositus. Monachi cum a mensis surrexerint, ad orationem omnes concurrant: quod mensae redundaverit, omni cura servatum egentibus dispensabitur. In refectione monachorum a diebus [Col. 0565B] Pentecostes usque ad autumni principium tota aestas interdiana prandia, coena tantum apponatur. In utrisque temporibus refectio mensae tribus erit pulmentis, olerum scilicet et leguminum, et si quid tertium fuerit, pomorum. Ternis quoque poculis fraterna reficienda est sitis. In observatione autem Quadragesimae, sicut fieri solet, post expletum jejunium, pane solo et aqua contenti omnes erunt, vino autem et oleo abstinebunt.

CAPUT XI.

De feriis.

Hae sunt feriae monachorum, in quibus jejunia conquiescunt. In primis venerabilis dies Dominicus nomini Christi dicatus; qui sicut propter mysterium resurrectionis ejus solemnis est, et ita apud omnes [Col. 0565C] servos ejus celebritatem convivii votivo gaudio retinebit. Item a primo die Paschae usque ad Pentecosten, quinquaginta scilicet

continuis diebus, jejunium a sanctis Patribus dissolutum est; propter resurrectionem videlicet Christi, et adventum Spiritus sancti: ut hi dies non in figura laboris, quod Quadragesimae tempus significat, sed in quiete laetitiae laxatis jejuniis celebrentur. Placuit etiam Patribus a die natalis Domini usque ad diem Circumcisionis solemne tempus efficere licentiamque vescendi habere. Non aliter et dies Epiphaniae ex veteri regula reficiendi indulgentiam consecuta est: siquidem et dum quisque fratrum convertitur, alii ex aliis monasteriis fratres gratia visitandi concurrunt, pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia, si [Col. 0565D] tamen non fuerint generalia. Praeter haec alia tempora libere licenterque jejuniorum inserviunt. Si qui autem monachorum praedictis temporibus jejunare disponunt, nequaquam prohibendi sunt: nam multi antiquorum Patrum his diebus in eremo abstinuisse, nec aliquantum jejunia solvisse leguntur nisi tantum diebus Dominicis, propter resurrectionis Christi laetitiam.

CAPUT XII.

De jejuniis.

Jejuniorum autem hos dies potissimum veteres elegerunt. Primum jejunium Quadragesimae quotidianum, in qua major abstinentiae observantia in monachis, quoniam non solum a prandiis, sed etiam [Col. 0566A] a vino et ab oleo abstinetur. Secundum jejunium interdianum post Pentecosten alia die inchoatum, usque ad aequinoctium autumnale protenditur ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas, propter aestivum solis ardorem. Tertium sequitur quotidianum jejunium, ab octavo decimo Kalendas Octobris, usque ad Natale Dominicum, in quo quotidiana jejunia nequaquam solvuntur. Quartum item quotidianum jejunium post diem Circumcisionis exoritur, peragiturque usque ad solemnia Paschae. Hi autem qui vetustate corporis consumpti, aut tenerae aetatis fragilitate detenti sunt, non sunt quotidianis exercendi jejuniis: ne aut senescens aetas, antequam moriatur, deficiat; aut crescens priusquam proficiat, cadat, et ante intereat quam bonum [Col. 0566B] facere discat.

CAPUT XIII.

De habitu monachorum.

Cultus vestium vel indumentorum insignia monacho deponenda. Munitus debet esse monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet in monacho esse notabilis habitus, ita nec satis abjectus. Nam pretiosa vestis animam ad lasciviam pertrahit; nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanae gloriae contrahit. Vestimenta non erunt aequaliter distribuenda omnibus, sed cum discretione, prout cujusque aetas vel gradus expostulat. Ita enim et apostolos fecisse legimus, sicut scriptum est: *Erant illis omnia communia;* et distribuebatur unicuique prout opus erat **(Act. IV)**. Uniuscujusque [Col. 0566C] autem fratris supplementum vel indigentia inspiciatur: ut qui habent, contenti sint; et qui non habent, accipiant. Nam habenti non dabitur, ut sit unde egentibus tribuatur. Porro linteo non oportet monachum indui: orarium, birros, planetas non est

fas uti, neque illa indumenta vel calceamenta, quae generaliter caetera monasteria abutuntur. Ternis autem tunicis, et bonis palliis, singulisque cucullis contenti erunt servi Christi, quibus supra adjicietur melotes pellicea, mappula, manicae quoque pedules, et caligae. His tantum contenti erunt, nihil praeterea in habitu aliud praesumentes. Pedules autem utentur in monasterio, quandiu hiemis coegerit violentia; sive dum fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad urbem. Monachi autem [Col. 0566D] in monasterio palliis semper operiantur, ut pro honestate tecti incedant, et in ministerio operis expediti discurrant. Sane si forte quis pallium non habeat, humeris mappulam superponat. Nullus monachorum vultus curam gerat, per quod lasciviae et petulantiae crimen incurrat: non est enim mente castus, cujus aut corporis cultus, aut impudicus exstat incessus. Nullus monachorum comam nutrire debet: nam qui hoc imitantur, etsi ipsi hoc ad decipiendos homines per speciem simulationis non faciant, alios tamen scandalizant; ponentes offendiculum infirmis, et sanctum propositum usque ad blasphemiam perducentes. Tondere ergo debent isti, quando et omnes, imo simul ac pariter omnes. [Col. 0567A] Nam reprehensibile est, diversum habere cultum, ubi non est diversum propositum.

CAPUT XIV.

De strato, sive de illusionibus nocturnis.

Abbatem cum fratribus pariter in congregatione commorari oportet; ut communis conversatio, et testimonium bonae vitae, et reverentiam praebeat disciplinae. Fratres quoque omnes, si possibile est, in uno conclavi commorari decet. Quod si difficile fuerit, certe vel decem, quibus unus est praeponendus decanus, quasi rector et custos. Speciosam vel variam supellectilem monachum habere non licet, cujus stratus erit storea, et stragulum, pellesque lanatae duae, galnabis quoque et faecistergium, geminusque ad caput pulvillus. Per singulas hebdomadas [Col. 0567B] abbas sive praepositus lectulos cunctorum perspiciat, ne quid indigeat frater, seu superfluum habeat. Nocte dum ad dormiendum itur, seu postquam quiescitur, alteri nemo loquatur. In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri cui obviat. Duobus in lecto uno jacere non liceat. Lux autem nocte dormientium locum illustret, ut depulsis tenebris testimonium pateat singularis quietis. Monachi stratus in nulla turpi cogitatione versetur, sed in sola contemplatione Dei accubans, et requiem corporis et quietem habeat cordis, cogitationesque pravas a se repellat; bonis objectis, turpes a se removeat: nam animi motus imaginibus suis agitur, et qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis et imago per soporem occurrit. Qui nocturna illusione polluitur, publicare hoc [Col. 0567C] Patri monasterii non moretur, culpaeque meritis hoc tribuat et occulte poenitentiam agat: sciens quia nisi praecessisset in eo fluxus animi turpia cogitantis, non sequeretur in eo fluxus sordidae atque immundae pollutionis. Quem enim praevenerit cogitatio illicita, tentatio illum foedat immunda. Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit; nec audebit eadem die ecclesiam introire, antequam sit lotus et aquis et lacrymis. In lege quippe **(Deut. XXXII)** qui somnio nocturno polluebatur, egredi jubebatur e castris, nec regredi priusquam ad vesperam lavaretur. Et si illi in carnali populo ita, quid spiritalis servus Christi facere debeat? qui magis

contaminationem suam debet respicere, et longe ab altero positus mente et corpore pertremiscere, [Col. 0567D] atque in figura aquae poenitentiae lacrymas adhibere: ut non solum aquis, sed etiam fletibus studeat ablui, quidquid forte per occultam culpam immunda contaminatio polluit. Qui fornicationis tentamentis exaestuat, oret indesinenter atque abstineat, nec erubescat confiteri libidinis aestum quo uritur; quia vitium detectum cito curatur, latens vero, quanto amplius occultatum fuerit, tanto magis profunde serpit: quod revera qui publicare negligit, curari minime cupit.

CAPUT XV.

De delinquentibus.

Si quis in aliquo levi delicto titubans oberraverit, semel atque iterum admonendus est: qui si post [Col. 0568A] secundam admonitionem a vitio nequaquam fuerit emendatus, congrua facti sui animadversione coerceatur. Peccantem nullus occultet: criminis enim est consensio post secundam admonitionem celare quempiam peccatorem. Si quis saepius peccantem viderit, prius hoc uni vel duobus demonstret fratribus, quorum testimonio possit convinci, si negaverit qui deliquit. Peccatum palam commissum palam est arguendum: ut dum peccans manifeste emendatur, hi qui eum in malo imitati sunt, corrigantur. Sicut autem unius delicto saepe multi pereunt; ita unius emendatione plerumque multi salvantur. Qui vero in fratrem peccaverit, si statim reminiscens ad veniam poscendam fuerit inclinatus, percipiat ab eo indulgentiam cui cognoscitur intulisse injuriam. Qui autem [Col. 0568B] non petit, aut non ex animo postulat, in collationem deductus juxta excessum injuriae congruae subjaceat disciplinae. Qui sibi invicem convicia objiciunt, si iterum invicem sibi celeriter laxando ignoscunt, hi jam ab alio judicandi non sunt, quia pariter sibi veniam dare festinaverunt: si tamen excedere in semetipsos frequentius non praesumant. Qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet quam expetit. Oretur igitur pro eo, eique confestim, si levis culpa est, postulata indulgentia praebeatur. Qui pro gravi vitio saepe excommunicatus emendare neglexerit, tandiu damnationi subjaceat, quousque vitia inolita deponat: ut quem semel illata animadversio non coercuit, frequens severitas censeat emendandum. Quamvis frequentium gravissimorumque [Col. 0568C] vitiorum voragine sit quisquam immersus, non tamen a monasterio projiciendus, sed juxta qualitatem delicti coercendus est: ne forte qui poterat per diuturnam poenitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.

CAPUT XVI.

De delictis.

Delicta autem aut levia sunt aut gravia. Levioris culpae reus est: qui otiosus esse dilexerit, qui ad officium, vel ad collationem, vel ad mensam tardius venerit; qui in choro horis riserit fabulisve vacaverit; qui relicto officio vel opere, extra necessitatis causam foras discesserit; qui torporem aut somnum amaverit; qui saepius juraverit; qui

multiloquus fuerit; qui ministerium cujuslibet operis injunctum sibi [Col. 0568D] sine benedictione susceperit, ac peracto opere benedictionem minime postulaverit, qui injunctum opus negligenter vel tardius expleverit; qui casu vas aliquod fregerit; qui damnum rei parvae intulerit; qui codice negligenter usus fuerit; qui alicubi ad momentum secesserit; qui occulte litteras ab aliquo vel quodlibet munus acceperit; vel epistolam suscipiens occultaverit, aut sine abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum, vel saecularium, sine jussu senioris aut viderit, aut cum eo locutus sit; qui seniori inobediens fuerit; qui contumaciter seniori responderit; qui erga seniorem linguam non represserit; qui lascivus in lingua fuerit; qui inhoneste incesserit; qui jocaverit; qui satis riserit; qui cum [Col. 0569A] excommunicato locutus fuerit, oraverit, aut comederit; qui illusionem nocturnam Patri non patefecerit. Haec igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt. Graviori autem culpae obnoxius est, si temulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altae et erectae cervicis, si mente tumidus vel jactanti incessu immoderatus; si detractor, susurro, vel invidus; si praesumptor rei peculiaris, si pecuniae contagio implicatur, si aliquid praeter regularem dispensationem superfluum possideat, si fraudator rei acceptae, vel commissae sibi, aut minus commissae. Inter haec si se de rebus secum allatis extulerit, vel de iis per inobedientiam murmuraverit; si rei majoris damnum intulerit, si furatus fuerit, [Col. 0569B] si perjuraverit; si falsum dixerit; si contentiones et rixas amaverit; si manifestum convicium fratri intulerit; si personam innocentis falso crimine maculaverit; si contumaci animo seniorem despexerit; si rancorem adversus fratrem tenuerit; si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit; si cum parvulis jocaverit; si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit; si alicubi extra consultum praepositi vel abbatis discedens medio die vel amplius commoratus fuerit: si, ut otiosus sit, falsam infirmitatem praetenderit. Haec et similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione purganda sunt; ut qui graviter peccare noscuntur, acriori severitate coerceantur.[Col. 0569C]

CAPUT XVII.

De excommunicatis.

Satisfactio delinquentium haec est: fratribus in ecclesia constitutis, peracto poenitentiae tempore, excommunicatus vocatus solvet statim cingulum extra chorum humo prostratus, quousque celebritas expleatur; cumque jussum fuerit ab abbate de terra consurget, ingrediensque chorum oret. Post haec data oratione pro eo ab abbate, et respondentibus cunctis, Amen, surget, atque ab omnibus pro negligentia veniam poscat, adepturus indulgentiam post hujus emendatoriae satisfactionis censuram. In minori aetate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiae congruis emendandi sunt plagis; ut quos aetatis infirmitas [Col. 0569D] a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat. Excommunicatis autem, ab his locis quibus fuerint constituti, ante poenitentiae tempus expletum progredi prohibeatur. Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium senioris. Cum excommunicato neque orare, neque loqui cuique licebit; cum excommunicato nulli penitus vesci licet,

nec ipsi quidem qui alimentum victui praebet. Cujus biduana vel triduana fuerit illata excommunicationis suspensio, sola panis et aquae in vespertinum erit adhibenda refectio. Excommunicatis, praeter hiemis violentiam, cubile humus erit tantum, sive storea; amictus autem tegmen rasum aut forte cilicium: calceamentum vero spartea, aut quodlibet genus solearum. [Col. 0570A] Excommunicandi potestatem habebit Pater monasterii, sive praepositus; reliqui autem excessus monachorum in collecta abbati vel praeposito deferentur; ut is qui deliquisse cognoscitur, competenti severitate coerceatur

CAPUT XVIII.

De rebus Monasterii.

Abbati vel monacho monasterii servum non licebit facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienae dare non debet. Nam, sicut et saeculi leges sanxerunt, *non potest alienari possessio nisi a proprio domino.* Omne quod in monasterium in nummo ingreditur, sub testimonio seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est: quarum una erit pro infirmis et senibus, [Col. 0570B] et pro aliquo coemendo in diebus sanctis cultius ad victum fraternum; alia pro egenis; tertia pro vestimentis fratrum et puerorum, vel quibusve ad necessitatem monasterii coemendis. Quas tres partes custos sacrarii suscipiat, ac praecipiente abbate sub testimonio praepositi vel seniorum de singulis partibus pro suis necessariis causis expendat

CAPUT XIX.

Quid ad quem pertineat.

Ad praepositum pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio culturaque vinearum, diligentia gregum, constructio aedificiorum, opus carpentariorum, sive fabrorum. Ad custodem sacrarii pertinet cura vel custodia templi, signum quoque dandi in vespertinis [Col. 0570C] nocturnisque officiis; vela vestesque sacrae, ac vasa sacrorum, codices quoque, instrumentaque cuncta, oleum in usus sanctuarii, cera et luminaria. Iste vestiaria monasterii suscipiat, quique etiam fila diversa pro consuendis vestibus fratrum habebit, et quibuscunque ut necessum est ministrabit. Ad hunc quoque pertinebit aurum et argentum, caeteraque facta infectaque aeris ferrique metalla: ordinatio quoque lintreariorum, fullonum, cerariorum atque sartorum. Ad janitorem pertinebit cura hospitum, denuntiatio advenientium, custodia exteriorum claustrorum. Ad eum qui cellario praeponitur, pertinebit sollicitudo eorum quae in promptuario sunt. Iste praebebit hebdomadariis quidquid necessarium est victui monachorum, hospitum et infirmorum. Isto praesente dispensantur [Col. 0570D] ea quae mensis deferenda sunt. Is etiam quidquid residuum sumptui fuerit pro pauperum usibus reservabit. Huic quoque hebdomadarius expleta hebdomada vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique si negligenter habita non sunt: ac denuo succedenti hebdomadario coram isto tradentur. Ad hunc quoque

pertinent horrea, greges ovium et pecorum, lana et linum, aviaria, sollicitudo cibaria ad ministrandum pistoribus, jumentis, bobus et avibus; industria quoque calceamentorum, cura pastorum seu piscatorum. Ad hebdomadarium pertinet cura ferculorum, administratio mensarum, signum dandi in diurnis officiis, sive in collatione, vel in collecta post solis occubitum. Ad hortulanum [Col. 0571A] pertinebit munitio custodiaque hortorum, alvearia apum, cura seminum diversorum, ac denuntiatio quid quando oporteat in hortis seri aut plantari. Ars autem pistoria ad laicos pertinebit: ipsi enim triticum purgent; ipsi ex more molant. Massam tantumdem monachi conficiant, et panem sibi propriis manibus ipsi faciant. Porro pro hospitibus vel infirmis laici faciant panes. Strumentorum custodia et ferramentorum ad unum, quem Pater monachorum elegerit, pertinebit, qui ea operantibus distribuat, receptaque custodiat. Et licet haec cuncta specialiter singulis maneant distributa, omnia tamen a Patre monasterii ordinata ad curam praepositi pertinebunt. Ad custodiendam in urbe cellam unus senior et gravissimus monachorum cum duobus parvulis monachis [Col. 0571B] constituendus est ibi, qui si culpa caret, convenit eum perpetim perdurare. Porro cura nutriendorum parvulorum pertinebit ad virum, quem elegerit Pater, sanctum sapientemque, atque aetate gravem, informantem parvulos non solum studiis litterarum, sed etiam documentis magisterioque virtutum. Cura peregrinorum vel pauperum eleemosyna pertinebit ad eum cui dispensationis potestas commissa est. Iste quod habet distribuat, communicet quod potest, non ex tristitia aut necessitate: *Hilarem enim datorem diligit Deus* **(II Cor. IX)**.

CAPUT XX.

De infirmis fratribus.

Cura infirmorum sano sanctaeque conversationis viro committenda est, qui pro eis sollicitudinem [Col. 0571C] ferre possit, magnaque cum industria praestare faciat quidquid imbecillitas eorum expostulat. Ipse autem sic aegrotis deserviat, ut de sumptibus eorum vesci non praesumat. Aegrotis delicatiora praebenda sunt alimenta, quousque ad incolumitatem perveniant; postquam autem salutem receperint, ad usum pristinum revertantur. Infirmi pro quo delicatius aluntur, fortiores inde nequaquam scandalizentur: qui enim sani sunt infirmos tolerare debent; qui autem infirmi sunt, sanos et laborantes anteponendos sibi non dubitent. Nullam oportet vel veram cordis et corporis infirmitatem tacere, vel falsam praetendere; sed qui possunt, gratias Deo agant et operentur; qui vero non possunt, manifestent suos languores, [Col. 0571D] et levius humaniusque tractentur. Sub praetextu infirmitatis nihil peculiare habendum, ne lateat libido cupiditatis sub languoris specie. Lavacra nulli monacho adeunda studio lavandi corporis, nisi tantummodo pro necessitate languoris. Nec differendum est propter medelam, si expedit; nec murmurandum est; quia non fit pro appetitu voluptatis, sed pro remedio tantum salutis.

CAPUT XXI.

De hospitibus.

Advenientibus hospitibus prompta atque alacris susceptio adhibenda est; scientes ob hoc novissimam consequi retributionem, sicut et Dominus dicit: *Qui vos recipit, me recipit:* qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, [Col. 0572A] *mercedem prophetae accipiet:* et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: et qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis non perdet mercedem suam **(Matth. X)**. Et licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri, uberior tamen clericis et monachis deferenda est honorificentia hospitalitatis. Praebeantur eis habitacula, laventur eorum pedes, ut praeceptum Dominicum impleatur. Congruis etiam sumptibus eisdem humanitatis gratia praebeatur.

CAPUT XXI.

De profectione.

Nullus monachorum inconsulto abbate audeat uspiam progredi, nec aliquid praesumere sine imperio [Col. 0572B] ejus seu praepositi. Si quando abbas vel praepositus alicubi proficiscuntur, ille ferat fratrum sollicitudinem, qui est post praepositum secundus in ordine. Nullus propinquum vel extraneum hospitem vel monachum familiarem seu parentem videre absque imperio audeat senioris: neque sine abbatis jussu quisque accipere epistolam, vel dare cuiquam praesumat. Quando fratres foris proficiscuntur, vel redeunt, congregatis omnibus in unum in ecclesia benedictionem accipiant; eodemque modo hebdomadarii vel quarumlibet rerum dispensatores, sive dum promoventur, sive dum recedunt. Propter necessitatem aliquam monasterii duo fratres spirituales ac probatissimi eligantur, qui ad urbem vel ad possessionem mittantur. Adolescentuli autem vel nuper [Col. 0572C] conversi a tali ministerio removendi: ne aut infirma aetas carnis desiderio polluatur, aut rudis conversio ad saeculi desideria revertatur. Monachus dum ad aliud monasterium mittitur visitandum, quandiu cum eis fuerit ad quos destinatus est, ita eum oportet ibi vivere sicut reliquum coetum sanctorum videt, propter scandalum scilicet et perturbationem infirmorum.

CAPUT XXIII.

De defunctis.

Transeuntibus de hac luce fratribus, antequam sepeliantur, pro dimittendis eorum peccatis sacrificium offeratur. Corpora fratrum uno sepelienda sunt loco: ut quos viventes charitas retinuit unitos, morientes [Col. 0572D] locus unus amplectatur. Pro spiritibus defunctorum altera die post Pentecosten sacrificium Deo offeratur, ut beatae vitae participes facti purgatiores corpora sua in die resurrectionis recipiant. Haec igitur, o servi Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita vobis custodienda volumus, ut majorum praecepta Patrum per omnia conservetis. Suscipite igitur inter illa et hanc admonitionem nostram, humili corde custodientes quae dicimus, libenter sumentes

quod dispensamus; quatenus vobis de effectu operis sit gloria, et nobis pro ipsa admonitione postulata proveniat venia. Deus autem omnipotens custodiat vos in omnibus bonis, et quomodo coepit, sic confirmet gratiam suam in vobis. Amen.

Explicit Regula sancti Isidori.

REGULA SANCTI BENEDICTI ABBATIS CASSINENSIS.

(*Vide tom.* LXVI hujus Patrologiae, col. 215.)

[Col. 0573A]

REGULA CONSENSORIA MONACHORUM.

(*Vide ibid.,* col. 993.)

[Col. 0573A]

REGULA INCERTI AUCTORIS.

(*Vide ibid.,* col. 995.)

[Col. 0573B]

SANCTORUM PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA AD MONACHOS.

(*Vide ibid.,* col. 949.)

[Col. 0573C]

SANCTI CAESARII ARELATENSIS EPISCOPI REGULA AD MONACHOS.

(*Vide tom.* LXVII Patrologiae, col. 1097.)

[Col. 0573C]

SANCTI FRUCTUOSI BRACARENSIS EPISCOPI REGULA MONACHORUM ET REGULA MONASTICA COMMUNIS.

(*Vide Patrologiae tom.* LXXXVII, col. 1097 *et col.* 1110.)

[Col. 0573D]

CUJUSDAM PATRIS REGULA AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiae tom.* LXVI, col. 987.)

[Col. 0573D]

REGULA MAGISTRI AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiae tom.* LXXXVIII, col. 943.)

GRIMLAICI PRESBYTERI REGULA SOLITARIORUM.

[Col. 0573D]

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Per solitarios hic nominatos non intelligit auctor eremitas vel anachoretas, sed *inclusos et sponte incarceratos monachos, qui ex diuturna monasterii probatione, ut loquitur sanctus Benedictus, ad singularem non eremi, sed angustae cellae pugnam descendunt.* De quibus inclusis ita scribit Petrus Venerabilis, lib. I, epist. 20: «Obserata quidem est janua, vel forte lapidibus obturata; sed per angustum fenestellae aditum recipit quidquid per ostii latitudinem admisit.» Adeoque pro talibus sponte incarceratis monachis scripta est haec Regula, qui non in campestribus cellis aut in pagis, sed in subterraneis monasterii locis includebantur, perpetuos quasi carceres sponte et lubenti animo eligentes. Quod admirabile vitae genus non cuilibet amplecti permissum est; quicunque enim talem inclusionem desiderabat, non solum abbatis et conventus licentiam obtinere debuit, sed post diuturnam probationem etiam episcopi facultas et potestas requirebatur, cujus auctoritate et sigillo ostium cellulae occludebatur, ut omnis fallaciae suspiciones removerentur. Celebris erat hujus inclusionis ceremonia, prout haec Regula praescribit, atque *inclusus vestibus ad finem usque vitae gestandis indutus angusta cellula ex omni parte muris septa obcludebatur, ut nec egredi, nec saeculares ingredi valerent:* fenestra quoque talis intus et foris obsignabatur, ut ipse nec videre aliquem, nec ab aliis videri potuerit. De talibus sponte incarceratis monachis scripsit doctum syntagma Matthaeus Raderus S. J. sacerdos, et in sua Bavaria sancta exhibet quamdam brevem sed mancam Regulam pro illis saeculo duodecimo scriptam, quam proin huic operi inserere haud operae pretium esse duximus: nam haec praesens Regula pro omni genere reclusorum fusissima est, in 69 capitula partita, plerumque ex Regula sancti Benedicti desumpta, quae sola tempore auctoris apud coenobitas floruit, ex quibus hi *inclusi desumebantur.* Quod autem auctorem Regulae attinet, vix aliquid certum determinari potest; cum duo Grimlaici hic nominentur: unus qui scripsit Regulam, alter cui et haec dedicata est, et quidem uterque sacerdos. Refert quidem Mabillonius in Annalibus Benedictinis, ad annum 900, tempore Formosi papae floruisse

quemdam presbyterum, nomine Grimlaicum, papae familiarem et episcopatu dignissimum, qui an hanc Regulam scripserit, an vero illa eidem nuncupata fuerit, non determinavit vir doctissimus. Utcunque sit, auctor monachum se, et vitam solitariam egisse, satis indicat; et cum Aquisgranensem Regulam aliquando adducat, sic eum longe post annum 816 floruisse certum est, et forsan in urbe Metensi vel in vicina aliqua abbatia solitariam vitam excoluit; cum sanctum Arnulphum episcopum metensem jam dudum defunctum prae reliquis piissimis praelatis summopere laudet. Nolo hic asserere quod piissimus auctor eo consilio hanc Regulam condiderit, ut aliquis monachorum ordo secundum illam viventium exoriretur; nunquam enim aliquam horum *inclusorum congregationem alicubi floruisse legimus,* quamvis reperimus plures *sponte incarceratos, sed in diversis coenobiis viventes.* Sic Marianus Scotus in suo Chronico refert duos tales *inclusos, nimirum S.* Annunchadum Fuldae inclusum, et admirandum illum S. Paternum, qui ob amorem talis vitae solitariae permisit se vivum comburi, dum tota civitas Paderburna igne consumpta est. Et quamvis beatus ille chronographus, tum Fuldae tum Moguntiae, hanc spontaneam incarcerationem per plures annos amplexus sit, atque in pluribus monasteriis antiquis cellae talium *inclusorum adhuc supersint;* tamen a pluribus saeculis nullus hoc vitae genus ambivit. Verum de reclusis feminis sanctimonialibus plura mox dicemus, cum Regulas sacris virginibus praescriptas observabimus.

[Col. 0575B]

IN NOMINE DEI SUMMI, INCIPIT PROLOGUS REGULAE SOLITARIORUM. (Grimlaicus presbyter)

[Col. 0575A]

Dilectissimo Patri in Christo atque aequivoco meo Grimlaico venerabili sacerdoti perennem in Salvatore salutem.

Saepenumero dum in auribus vestris omne quod mihi de meipso displiceret, exposui, suggessistis mihi ut Regulam solitariorum, videlicet coenobitarum, describerem, mihique ipsi jugum servitutis imponerem. Ego autem hoc diu multumque renisus sum agere, ne forte vires meas excederem, imo ne jactantiae lapsum incurrerem; verens pariter ne ab aliquibus quasi nova condens praesumptuosus putarer, ac ne mihi illud antiquum objiceretur proverbium: Quid necesse est in mari mittere pisces aut in flumine aquas? Sed cum post multos dies reminisci coeperim quod nunquam moris fuerit sanctis [Col. 0575B] Patribus invicem provocare, invicem invidere, sed unumquemque in ordinanda domo Dei pro viribus suis obtulisse, malui imperio jussionis vestrae obtemperare quam voluntatem meam facere. Unde et ego mox injuncti me operis labori supposui, atque hinc inde orthodoxorum Patrum sententias exemplaque diversa decerpsi, et ex his hanc Regulam componere sategi. Eorumdem quippe nomina, quorum sententias ad hoc opus assumpsi, ob prolixitatem capitulorum vitandam, partim intus in serie, partim deforis in ipsis marginibus impressi. Et ne aliquis compilatorem vocitaret, hoc potissimum fieri curavi. Scio namque, Domino pronuntiante, quia [Col. 0576A] *qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit* **(Joan. VII, 18)**. Mea quoque dicta licet sint exigua, tamen

inter sanctorum flores eloquiorum solito nomine meo imprimere curavi. Qua de causa humiliter obsecro ut si cui haec scribilis videtur, praefata sanctorum vocabula, sicuti nunc sunt adnotata, adnotare non omittat. Nostracismos denique et barbarismos, necnon et ipsos praepositionum casus in hoc opusculo servare contempsi: quia indignum vehementer fore censui, ut verba Christi vel sanctorum Patrum sub regula perstringerem Donati.

Hanc nimirum regulam de sanctorum floribus, quasi de magis fluminibus pelagique gurgitibus excerptam, in modicos rivulos, hoc est, in sexaginta [Col. 0576B] novem capitula dividere curavi. Et primo omnium de abrenuntiatione saeculi, et de activa vita et contemplativa pauca collegi capitula. Deinde quomodo solitaria conversatio constare debeat, et de vita ac moribus solitariorum aliqua adnexui capitula. Inter haec quidem de praeceptis Redemptoris nostri tria tantum capitula inserui, quatenus solitarii in lege Domini die ac nocte meditantes, et ipsa Christi mandata sedulo ante oculos mentis simul et corporis revolventes, semper devotiores atque ferventiores existant. Postea quoque ad activam vitam veniens, quid vel quantum de cibis et potibus, quidve de vestimentis aut lectualibus habere vel uti debeant, [Col. 0577A] determinavi. Addidi etiam modum et tempus jejuniorum atque abstinentiae. Subjunxi quoque locis congruis pauca de virtutibus et vitiis, et ut cautos facerem solitarios, quibus modis miracula operari soleant intimare curavi. Ad ultimum autem de perseverantia boni operis unum tantum capitulum posui.

In his ergo omnibus ubicunque aliquibus clausulis enucleandis necessitas exstitit, morem fluminis imitari studui. Fluvius quippe dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum divertit; cumque illas sufficienter impleverit, repente se in alveum refundit. Ita nimirum ubicunque inter sacra sanctorum eloquia aliquam obscuritatem congruae aedificationis reperi, quasi ad vicinam vallem explanationis undam retorsi; et dum ipsam obscuritatis vallem sufficienter [Col. 0577B] expositam perspexi, rursus ad sermonis propositi alveum recucurri. Sed non hoc meo sensu vel studio, sed sanctorum Patrum oraculis annuentibus peregi.

Hoc sane, Pater venerande, tam vos qui ad istud opusculum peragendum me excitastis, quam omnes qui haec forte lecturi sunt, contestor et obsecro, ut quidquid in rebus istis quae utcunque digestae sunt, reprehensionis invenerint, vitio meae rusticitatis ascribant mihique dignanter indulgeant: ea autem quae secundum fidem catholicam dicta probaverint, Deo deputent, qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Ego quippe dum studui praeceptum jubentis implere, etiam majora viribus meis praesumpsi, suscipere; sed tamen ipsa obedientia valde [Col. 0577C] mihi erat necessaria? Hac quidem nactus occasione Regulam, quam non habebam, modo habeo. Caeterum de accuratione dictionis elucubratae non satago; quia quod a magistris negligendo non didici, id exhibere loquendo nequivi.

Id ipsum autem quod scripsi, non ingenio meo fretus, sed orationibus vestris auxiliantibus peregi. Solent namque medici ex multorum speciebus pigmentorum in salutem poscentis quoddam genus medicamenti componere, nec seipsos praesumunt fateri creatores herbarum vel aliarum specierum, sed ministros se esse in colligendo et

conficiendo asserunt. Ita et ego, non auctor hujus operis, sed [Col. 0578A] minister in colligendo exstiti. Ex quarum tamen compositione specierum salus efficitur aegrotantium. Sic etiam, sic forsitan meae devotionis labor vestrae charitati, Domino opitulante, aliquid proficere valebit. Non enim, ut reor, tam sollicite mihi hanc Regulam scribere injungeretis, nisi eam diligeretis, et nisi ad propositum vitae solitariae quandoque venire voluissetis. Sicut enim me piae devotionis affectu exhortati estis ut eam scriberem, ita nunc vos humiliter deposco ut eamdem saepius diligenter legere studeatis; quatenus animus vester, quodammodo exterioribus molestiis fatigatus, ad seipsum redeat, et quo maxime festinare debeat, intelligat. Quid ergo in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis aestuare? Aut quid securius quam de hujus saeculi vanitate nil appetere? Qui enim hunc mundum diligunt, turbulentis ejus curis et sollicitudinibus conturbantur. [Col. 0578B] Qui autem ab eo recedunt, et solitariam vitam expetunt, futurae pacis requiem, quam illic exspectant, hic jam quodammodo habere inchoant.

Quapropter quaeso tam vos quam omnes Deum diligentes, ut nemo hanc Regulam spernat, neque ab hac instructione pavore perterritus refugiat, quia via salutis non aliter nisi angusto initio est incipienda. Unde Dominus ait: *Contendite intrare per angustam portam* **(Matth. VII, 13)**. Et iterum: *Arcta et angusta via est, quae ducit ad vitam;* lata et spatiosa, quae ducit ad mortem (Ibid.). Nihil ergo in hac constitutione asperum, vel onerosum, nihil grave spero me scripsisse; sed si quid paululum restrictius, [Col. 0578C] dictante aequitatis ratione in ea institui, hoc propter emendationem vitiorum et conservationem virtutum feci. Quisquis igitur hanc Regulam bono animo et plena devotione voluerit observare, in praesenti adhuc saeculo positus, ad virtutum culmina, Deo favente, poterit scandere; et post hujus vitae terminum, cum sanctis et electis Dei in coelesti regno gaudere, et cum ipso Domino et angelis ejus in perpetuum feliciter poterit vivere; et non solum vivere, sed etiam conregnare. Cunctipotens Deus animum vestrum ad hanc institutionis observantiam festinanter adducat, et per eamdem observantiam ad regna coelestia perducat. Amen.

Explicit prologus.

[Col. 0577D]

INCIPIT TEXTUS REGULAE.

CAPUT PRIMUM.

De generibus solitariorum.

Primum igitur indagare oportet cur monachus, vel cur solitarius vocatur, et sic demum, auxiliante divina clementia, ad caetera exponenda rite transeamus. [Col. 0577D] Monachus enim Graeca etymologia vocatur, eo quod sit singularis. Monas enim Graece, Latine singularitas dicitur. Ergo solitarius interpretatur vocabulum monachi. Idcirco enim sive dicatur monachus sive solitarius, unum atque idem est. Sed jam videamus quot sunt

genera solitariorum. Duo sunt namque genera solitariorum; unum anachoretarum, id est, eremitarum; alterum vero coenobitarum, hoc est, monasteriale. Haec autem amborum [Col. 0578D] genera non conversionis fervore novitio debent institui, sed diuturna monasterii exercitatione prius debent probari, quatenus probati ad perfectionis culmen, Domino miserante, conscendere valeant. Praeterea quoque saepe dubitatum est a multis, a quo potissimum monachorum eremus coepta sit habitari. [Col. 0579A] Quidam enim altius repetentes, a beato Elia et Joanne sumptum dicunt exordium; alii autem asseverant beatum Antonium hujus propositi esse caput. Macarius vero discipulus beati Antonii affirmat Paulum quemdam Thebaeum in Novo Testamento rei istius fuisse principem; quod et verum est. Sciendum vero quod a tempore beati Antonii coeperunt coenobitarum solitarii, hoc est, retrusi. Sed quis primus fuisset retrusus, difficile reperitur; non enim solummodo in coenobiis, sed etiam in ipsis eremis antea habitabant retrusi. Priscis denique temporibus hi qui prius in monasteriis erant retrusi; qui jam didicerant per multa experimenta contra diabolum pugnare, ipsi quoque bene instructi, atque sicut aurum in fornace probati, fraterna ex [Col. 0579B] acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, dimicaturi pergebant. Horum exemplum beatus Arnulphus episcopus tenuit, qui secundum Domini praeceptum omnia quae habuit vendidit pauperibusque distribuit. Et non solum temporalia reliquit omnia, sed etiam episcopatum, quem post amissionem bonorum temporalium, Domino largiente, suscepit, ipsum dimisit; et postea cellulam retrusionis expetiit; ibique multis diebus sese ad exercitandum in divinis cultibus Domino mancipavit. Deinde vero post multorum curricula annorum assumpsit alas sicut columba, hoc est, virtutes spirituales, et ad eremum convolavit; ibique Dominum nostrum Jesum [Col. 0579C] Christum exspectavit, ut illum salvum faceret a pusillanimitate spiritus et tempestate. Qui veniens non solum salvavit eum, sed ad aethera transvexit feliciter coronandum. Idcirco enim exemplum tanti viri hujus hic inserere studui, ut ab eo discant solitarii omnia caduca despicere et coelestia totis viribus appetere.

CAPUT II.

De praeceptis altioribus monachorum vel solitariorum.

Altiora enim sunt praecepta quae dantur monachis vel saeculo huic renuntiantibus, quam illa quae dantur fidelibus in saeculo communem vitam agentibus. Monachis et solitariis dicitur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus;* et veni, [Col. 0579D] *sequere me* **(Matth. XIX, 21)**. Et rursum: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* **(Ibid., vers. 21 et 29)**. Haec et hujusmodi praecepta specialiter solis congruunt monachis solitariisque. Et quanto singularia, tanto potiora et eminentiora. Haec vero quae sequuntur quasi minora minoribus generaliter dicta sunt omnibus. *Qui non* accipit, inquit Dominus, *crucem suam, et venit post me, non est me dignus* **(Matth. X, 38)**. Et iterum: *Omnia quae vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* **(Matth. VII, 12)**. *Dico autem vobis:* Nolite resistere malo **(Matth. V, 39)**. Item ipse: *Diligite*

[Col. 0580A] inimicos vestros; benefacite his qui vos oderunt, etc. **(Ibid., 44)**. Monachis enim sive solitariis dicitur ut sua omnia derelinquant; saecularibus vero, ut sua omnia bene gerant. Illi praecepta generalia bene vivendo transcendunt, isti praeceptis generalibus astringuntur. Ad perfectionem enim non sufficit cuiquam sua derelinquere, nisi etiam semetipsum abneget. Sed quid est semetipsum abnegare, nisi voluntatibus propriis renuntiare? ut qui superbus erat, sit humilis; qui iracundus, studeat esse mansuetus; qui luxuriosus, sit castus; qui ante ebriosus, sit sobrius; qui invidus et malevolus, sit benignus et benevolus. Nam si ita quisque renuntiat omnibus quae possidet, ut et suis non renuntiet moribus, non est pro certo Christi discipulus. Qui enim [Col. 0580B] suis rebus renuntiat, sua abnegat; qui vero pravis moribus renuntiat semetipsum abnegat. Unde et Dominus: *Qui* vult, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me* **(Luc. IX, 23)**.

CAPUT III.

De quatuor ordinibus hominum qui erunt in die judicii.

Sciendum quoque est quia quatuor ordines hominum erunt in die judicii, duo bonorum, et duo malorum. Primus ordo salvabitur et non judicabitur, id est, qui sua omnia pro Christo derelinquunt, ipsi quidem cum Deo judices venturi sunt ad judicium. Unde est illud Isaiae: *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui* **(Isa. III, 14)**. Ipsi alios judicabunt, et non judicabuntur ab [Col. 0580C] aliis. Secundus ordo judicabitur et salvabitur, id est, boni Christiani, qui res hujus mundi possident et eas pauperibus quotidie erogant, qui nudos vestiunt, infirmos visitant, et alia his similia implent quae Christus facere docet. Hi tales judicabuntur et salvabuntur; quibus dicturus est in judicio Dominus. *Esurivi, et dedistis mihi manducare:* sitivi, et dedistis mihi bibere **(Matth. XXV, 35)**. Et post pauca: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Ibid., v. 34)**. Tertius ordo judicabitur simul et condemnabitur, id est, mali Christiani, qui fidem habere videntur, sed operationem non habent. Isti ad sinistram partem deputabuntur in judicio, et istis dicturus est idem ipse Dominus: *Esurivi,* et non dedistis mihi [Col. 0580D] *manducare;* sitivi, et non dedistis mihi bibere **(Ibid., v. 42)**. Et post pauca: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et Angelis ejus* **(Ibid. v. 41)**. Isti enim judicabuntur et non salvabuntur. Quartus vero ordo erit infidelium, qui non judicabuntur, sed condemnabuntur. De his ait Psalmista: *Non surgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum* **(Psal. I, 5)**. Resurgent enim impii, non ut judicentur, sed ut condemnentur; scilicet ut qui sine lege peccaverunt, sine lege pereant **(Rom. II, 12)**. Primus vero ordo, qui sua dereliquerunt et Christum secuti fuerunt, judicabunt alios duos sequentes, id est, bonos Christianos, ut recipiant bona; et malos e contra, ut recipiant mala.[Col. 0581A]

Cum summa igitur devotione rogemus Deum ut corda nostra misericorditer tangendo omnia visibilia nos despicere faciat, quatenus ad primum ordinem pertinere possimus. Vindicemus itaque in nobis bene vivendo gratiam tanti honoris, si enim vitam nostram perfecte custodierimus, judices cum Deo et apostolis ejus in die judicii erimus.

Firmissime enim hoc credere debemus, quia fidelissimus est ille qui hoc nobis promittit. Veritas est ipse, fallere non potest. Solitarii, qui sua omnia pro Christi amore derelinquunt, cum Petro apostolo dicere poterunt: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* quid ergo erit nobis **(Matth. XIX, 27)**? Hoc pro certo scire convenit, quod Petro tunc respondit omnibus [Col. 0581B] solitariis in Petro respondit. Forsitan est aliquis qui dicat: Imitari hujus mundi contemptores volo, sed quod relinquam non habeo. Ad hoc vero respondendum est: Multum dimittit ille qui voluntatem habendi dimittit. Attendere etiam debemus quod non dixit: *Vos qui reliquistis omnia solummodo, sed addidit, et secuti estis me* **(Ibidem, v. 28)**, quia multi relinquunt sua, et Christum non sequuntur; sicut Crates philosophus et alii multi: sequitur enim Christum qui illum imitatur.

Pensemus igitur quid Petrus dimisit, qui sic confidenter loquitur. Retia tantum dimisit et navim, tamen loquitur confidenter. *Reliquimus omnia.* Ac sic diceret: Fecimus, Domine, quod jussisti; scire volumus quale pro hoc praemium daturus es nobis. [Col. 0581C] Jesus autem non solum illis, sed et caeteris respondit, dicens: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (Ibid.). Magna laetitia et inenarrabilis gloria nobis est promissa. Haec sententia ad omnes pertinet qui sua omnia pro Dei amore derelinquunt.

Transcendamus autem visibilia omnia, despiciamus transitoria cuncta, ut mereamur perfrui cum beatis apostolis aeternae beatitudinis gloria; et ut hoc citius fiat, Domini clementiam quotidie humiliter exoremus, dicentes: Cunctipotens Deus, qui nos per sanguinem Filii tui redemisti, et ex aqua et Spiritu sancto voluntarie regenerasti, fac nos de [Col. 0581D] hac miserrima peregrinatione ad diu desideratam citius patriam transire, in qua cum beatissimis angelis et felicissimis hominibus saeculo renuntiantibus, per infinita saecula regnemus.

CAPUT IV.

Quae sint verae divitiae.

Quae sint verae divitiae beatus Gregorius patenter insinuat, dicens: Solae, inquit, divitiae verae sunt, quae nos virtutibus divites faciunt. Quae vero nobis appetendae sunt divitiae, vel quae fugiendae, beatus Prosper satis evidenter ostendit, dicens: Illae nobis ambiendae sunt divitiae, quae nos ornare possint pariter et munire; quae nos etiam contra impetus hostiles armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant [Col. 0582A] animos nostros atque nobilitant. Nobiscum sint, intra nos sint. Divitiae nostrae credendae sunt, pudicitia, quae nos pudicos faciat; et justitia, quae justos; pietas, quae pios; humilitas, quae humiles; mansuetudo, quae mansuetos; innocentia, quae innocentes; puritas, quae puros; prudentia, quae prudentes; temperantia, quae temperantes; et supra omnia charitas, quae nos facit Deo et hominibus charos, vitiorum impotentes, saeculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Haec sunt non omnium, sed sanctorum solae virtutes; non divitum superborum, sed humilium

pauperum facultates, patrimonia cordium, divitiae incorruptibiles morum, quibus non abundant, nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant. Quae quamvis ipsa sint bona, ut [Col. 0582B] pote a bono Deo creata; tamen quia sunt bonis malisque communia, student ea spirituales viri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quae sunt bonorum omnium propria pervenire. Quoniam non est tale bonum quod habent et mali, quale illud quod non habent nisi boni. Corporale bonum, quando habent iniqui, ipsorum est praemium; quando habent justi, non est eorum praemium, sed temporale solatium. Item, boni temporalis amissio fit exercitium justi et injusti supplicium, quia et justus desiderio coelestium captus omnia temporalia sive habeat, sive amittat, omnino non sentit; et iniquus, qui cum delectatione habuit, sine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis qui militant Deo fugiendae sunt ex toto corde divitiae, [Col. 0582C] quas qui habere volunt, sine labore non quaerunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine gravi dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit: *Volo vos sine sollicitudine esse* **(I Cor. XXXII)**. Et idem: *Radix omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes a fide erraverunt, et inseruerunt se doloribus multis* **(I Tim. VI. 10)**. Ac sic census iste terrenus eis, a quibus vitiose diligitur non est voluptatum materia, sed dolorum. Haec de veris et fallacibus divitiis dicta sufficiant. Quomodo autem quis ad perfectionis culmen conscendere possit, audiamus.

CAPUT V.

De perfectione justitiae. [Col. 0582D]

Si quis ergo vult esse perfectus, et tollere crucem suam, et sequi Dominum Salvatorem, et imitari Petrum dicentem: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* **(Matth. XIX, 27)**, faciat hoc quod praecepit Dominus adolescenti, et sufficere ei potest ad perfectionem; id est: *Vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus;* et veni, sequere me **(Matth. XIX, 21)**. In potestate nostra est utrum velimus esse perfecti an non. Non nobis jugum necessitatis imponit, sed potestati nostrae liberum arbitrium concedit, dicens: *Vis esse perfectus, et in primo stare vestigio dignitatis? Vende omnia quae habes, et da pauperibus;* et veni, sequere me. Quicunque ergo perfectus esse voluerit, debet vendere omnia quae [Col. 0583A] habet, et non ex parte, sicut Ananias fecit et Saphira, sed totum vendere; et cum vendiderit, nihil fraudare, sed dare omne illud pretium pauperibus; et sic sibi thesaurum in regnum coelorum praeparare. Neque enim hoc ad perfectionem solummodo sufficit, nisi post contemptas divitias sequatur Salvatorem, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius, inquit beatus Hieronymus, sacculus contemnitur quam voluntas et voluptas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur enim Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare* **(I Tim. II, 6)**. Bonum est ergo Dei servo corporaliter remotum esse a mundo; sed multo melius, [Col. 0583B] voluntate. Utrumque vero optimum et perfectum. Ille ergo perfectus est, qui huic saeculo et corpore et corde discretus est. Magna apud Deum refulget gratia, qui huic saeculo contemptibilis fuerit. Servis autem Dei cuncta hujus mundi contraria esse debent, ut dum ista adversa sentiunt, ad coeleste desiderium

ardentius excitentur. Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis aestuare? Aut quid securius quam de hujus saeculi vanitate nihil appetere? Qui enim hunc mundum diligunt, turbulentis ejus curis et sollicitudinibus conturbantur. Qui autem ab eo recedunt, propter internae quietis tranquillitatem, futurae pacis requiem quam illuc exspectant, hic quodammodo habere inchoant.

CAPUT VI.

[Col. 0583C] *Quod qui saeculo renuntiant, non debent habere haereditates nec possessiones.*

Hi ergo qui saeculum perfecte derelinquunt, nihil debent possidere praeter Dominum. Unde in libro Prosperi ita legitur: Quemcunque ergo possidendi delectat ambitio, Deum, quem colit, quia omnia possidet, expedita mente possideat; et in eo habebit quaecunque sancte desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo, fit ipse primitus Dei possessio, et efficitur ei Deus possessor et portio. Deinde quid ultra quaerit, cui omnia suus conditor sit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat et ab illo possidebatur ille qui dicebat in spiritu: *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam* **(Psal. CXVIII, 57)**. Et iterum: [Col. 0583D] *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei* **(Psal. XV, 5)**. Qui enim possidet Dominum, et cum propheta dicit: *Pars mea Dominus* **(Thren. III, 24)**, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus Dominus non erit: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si ergo, inquit Hieronymus, pars Domini sum, et funiculus haereditatis ejus, non accipio partem inter caeteras tribus, sed quasi Levita et sacerdos vivo de decimis, et altari deserviens altaris oblatione sustentor: unde habens victum et vestimentum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Ad Ezechielem [Col. 0584A] quoque dicitur: *Sacerdotes mei, qui mihi in templo meo ministrant, non habeant possessiones:* ergo Dominus possessio eorum; nec haereditatem, ego Dominus haereditas eorum **(Ezech. XLIV, 28)**. Et ipse Dominus alibi dicit filiis Levi: *Non dabitis partem inter fratres suos, ego Dominus portio eorum* **(Num. XVIII, 20)**. Hic satis evidenter ostendit quod hi qui terrenae haereditatis portionem contempserint, tales se exhibere debent ut possideant Dominum, et ipsi possideantur a Domino. Qua de re etiam in Collationibus Patrum tale datur exemplum. Quidam frater renuntians saeculo, et dans quae habebat pauperibus, retinens autem pauca ad opus suum, venit ad abbatem Antonium. Quem cum agnovisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, [Col. 0584B] et eme carnes, et impone corpori tuo nudo et sic veni huc. Et cum ille sic fecisset, aves lacerabant carnes et corpus ejus. Cum autem pervenisset ad senem, interrogavit si fecisset quae dixerat ei. Ille autem ostendit corpus suum laceratum. Tunc dixit sanctus Antonius: Qui renuntiant saeculo et volunt habere divitias, ecce ita impugnantur et a daemonibus discerpuntur. Hoc igitur de non habenda possessione dictum sufficiat. Aliud autem de non habenda haereditate dicamus. Venit quidam homo, nomine Magistratus, ad beatum Arsenium, deferens ei testamentum cujusdam parentis ejus, qui reliquerat ei haereditatem magnam valde. Et accipiens senior testamentum voluit scindere illud. Magistratus autem cecidit ad pedes

ejus, dicens: Deprecor [Col. 0584C] te propter Deum, ne scindas illud. Et dixit ei abbas Arsenius: Ego prius mortuus sum quam ille. Ipse autem modo mortuus est, quomodo nunc me fecit haeredem? et remisit testamentum, nihil exinde accipiens. Unde datur intelligi quod hi qui saeculum relinquunt nihil debent habere praeter victum, vel possidere extra vestimentum. Praecipue vero Solitarius, qui imitator apostolorum esse cupit, his tantum debet esse contentus. Et quia non potest quis servire Deo simul et mundo, propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, ut exclusa mundi cupiditate, divina in eis charitas posset augeri vel perfici.

CAPUT VII.

[Col. 0584D] *Quod post abrenuntiationem saeculi non debet quisque divitias colligere.*

Solitarii ergo funditus saeculo renuntiantes, ita huic mundo mori debent, ut soli Deo vivere delectentur. Quantoque ab hujus saeculi cupiditate se subtrahunt, tanto interna mentis acie praesentiam Dei et sanctorum ejus perspicacius contemplantur. Sed sunt multi qui cupiunt convolare ad gratiam Dei, sed timent carere oblectamentis mundi. Provocat eos quidem amor Christi, sed revocat cupiditas saeculi, sicut legitur in Collationibus Patrum fecisse quemdam solitarium, qui in horto suo sedule laborat, et omnem laborem suum in eleemosynam expendebat, et tantum sibi retinebat quantum ad victum ipsius sufficeret. Postea vero Satanas, [Col. 0585A] immisit ei in corde dicens: Collige tibi aliquam pecuniam, ne cum senueris aut aegrotare coeperis, aliquid indigeas. Et collegit, et implevit lagenam unam nummis. Contigit autem eum infirmari, et putrefieri pedem ejus. Et expendit hoc, quod collectum habuerat in medicos, et nihil ei prodesse potuit. Postea vero venit quidam de expertis medicis, et dixit ei: Nisi incideris pedem tuum, totum corpus tuum putrefiet. Et constituerunt ut in castrinum inciderent ei pedem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, et poenitentiam agens de his quae gessit, ingemuit et flevit dicens: Memor esto, Domine, operum meorum priorum, quae faciebam cum laborarem in horto meo, ex quo pauperibus ministrabam. Et cum fleret, astitit ei angelus Domini, [Col. 0585B] et dixit ei: Ubi sunt nummi quos collegisti, et ubi est spes de qua tractasti? At ille respondens ait: Peccavi, Domine, et ignosce mihi, ulterius hoc non faciam. Tunc angelus tetigit pedem ejus, et statim sanatus est, et surgens mane abiit operari in agro. Venit ergo medicus cum ferramentis ut secaret pedem ejus, et ait: Ubine est ille aegrotus? Et dixerunt ei: Exiit mane operari in agro; tunc admiratus medicus, perrexit, et vidit eum terram fodientem, et glorificavit Deum, qui ei reddiderat sanitatem. His satis evidenter ostenditur quantum malum sit post abrenuntiationem saeculi pecunias colligere et avare retinere. Unde scriptum est: *Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* **(Luc. IX, 62)**. Novi autem [Col. 0585C] ego ipse quemdam fratrem, quem utinam non nossem! cujus etiam nomen, si aliquid prodesset, dicere possem: qui sub obtentu religionis relinquere se saeculum finxit, et ad solitariam vitam, non corde, sed corpore tantum pervenit. Quia autem non solum ante habitas possessiones et divitias funditus non distribuit, sed etiam si qua forte ei a fidelibus fuerant oblata, avare retinebat. Postea vero immisit ei diabolus in cor, ut ad perferendas divitias, quas male servaverat, foras de cella retrusionis exiret. Quod ita et fecit; qui quandiu in praesenti saeculo vixit, non solum sibimetipsi, sed etiam nobis

omnibus in opprobrium fuit; et non solum tunc ejus exemplum nocuit, sed adhuc his qui eum noverunt obest, et futuris scientibus nocebit. Quia sunt nonnulli, [Col. 0585D] qui, despectis carnis desideriis, cuncta relinquere pertractant, sed cum cecidisse illum post operis initium conspiciunt, hoc ipsum facere quod deliberaverant pertimescunt. Nam et isti in hoc etiam arguendi sunt, ut si malos pertimescunt imitari in malum, cur pigri sunt bonos imitari in bonum? Unde scriptum est: De bonis sumamus exempla. Ob hanc ergo causam aliorum scribuntur ruinae et perditiones, ut nos de nostra vita simus sollicitiores. Hactenus autem de saeculi abrenuntiatione, et de non colligendis divitiis satis abundeque, ut opinor, dictum est. Modo enim de contemplativa vita, Deo auxiliante, et beato Prospero suffragante, aliqua dicenda sunt capitula.

[Col. 0586A]

CAPUT VIII.

Quid sit proprie activa, quidve contemplativa vita.

Quia igitur per activam vitam ad contemplativam venitur, idcirco prius dicendum reor quid sit proprie activa vita; et sic demum ad contemplativam transeundum est. Activa scilicet vita est conversatio religiosa, quae docet quomodo Praepositi sub se regant viventes ac diligant; et non minus de eorum quam de sua salute solliciti, quod eis expedire sciunt paterna cura provideant: et qualiter subjecti praeposito suo, tanquam capiti membra deserviant, ac praecepta ejus velut imperium Dei summo amore custodiant. Ipsa namque actualis vita panem esurienti tribuit, verbo sapientiae nescientem docet, errantem corrigit, superbientem ad humilitatis viam revocat, [Col. 0586B] infirmantis curam gerit; quae singulis quibusque expediunt dispensat, et commissis sibi qualiter subsistere valeant, sollicite providet. Quae et cum corpore et in praesenti fiunt, et cum corpore deficiunt, et tamen merces hujus vitae permanet in aeternum. Contemplativa quoque vita est dilectionem Dei et proximi tota mente retinere, transitoria cuncta despicere, visibilia postponere, tantummodo quae coelestia sunt desiderare. Nam contemplativa vita a contemplando, hoc est videndo, nomen accepit; in qua creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata visura est. Sed et si eam diligenter considerare velimus, et jam in hoc fragili tabernaculo, ubi quotidie ingemiscimus, contemplativae vitae quodammodo participes fieri possumus. Quia, [Col. 0586C] secundum quorumdam opinionem, nihil aliud est contemplativa vita quam rerum latentium futurarumque notitia, sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium litterarum. Quando autem infirmum visitamus, mortuum sepelimus, errantem corrigimus, tunc in activa sumus. Quando vero in conspectu Dei lacrymas fundimus, et qualis beatitudo, qualis lux, qualis gloria sit sanctis in coelo, cogitare volumus, tunc in contemplativa sumus. Sed activa vita cum corpore incipit, et hic cum ipso finitur; contemplativa vero vita hic inchoatur, et in futuro saeculo perficitur. Ex his enim signatur una, id est activa per Martham; et altera, id est contemplativa, per Mariam: sed necessaria est omnino Martha Mariae.

[Col. 0586D]

CAPUT IX.

Qualis debet esse in activa vita, qui ad contemplativam conscendere conatur.

Ad fastigium ergo vitae contemplativae quisquis conatur conscendere, semetipsum debet prius per multa experimenta in activa vita probare: si injurias poterit ferre, si opprobria, si derisiones, si contumelias, si detractiones, si flagella poterit sustinere. Si haec et alia hujusmodi, sive a diabolo, sive ab aliquo illata patienter poterit sustinere, hic merito ad contemplativam quandoque poterit convolare. In ista enim prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, ut in illa jam pura mentis acie ad contemplandum Deum quisque [Col. 0587A] pertranseat. Et licet conversus statim ad contemplationem conscendere cupiat, tamen ratione cogitur ut prius in activae vitae operatione versetur; quia qui prius in activa vita proficit, postea ad contemplationem bene conscendit. Merito enim in ista sustollitur, qui in illa utilis invenitur. Quicunque ergo temporalem adhuc gloriam aut carnalem concupiscentiam affectant, a contemplatione quietis prohibeantur, ut potius in operatione actualis vitae purgentur. Sciendum vero est quia viri sancti a secreto contemplationis egrediuntur ad publicum actionis, et rursus ab actionis manifesto ad secretum contemplationis intimae revertuntur. In activa vita intentio perseveranter incedit; in contemplativa autem sese per intervalla quisque resumit, quia diuturnitate [Col. 0587B] contemplandi lassatur. Sicut enim aquilae moris est semper oculum in radium solis infigere, nec deflectere, nisi escae solius obtentu; ita et sancti a contemplatione ad actualem vitam interdum reflectuntur, considerantes illa summa sic esse utilia, ut tamen humilia sint paululum nostrae indigentiae necessaria. Nam et visio animalium in Ezechielis prophetia **(Cap. I)**, quae ibant nec revertebantur, pertinet ad vitae activae perseverantiam. Et iterum ea animalia quae ibant et revertebantur, pertinent ad contemplativae vitae mensuram; in qua dum quisque intenderit, sua reverberatus infirmitate reflectitur, atque iterum renovata intentione, ad ea unde descenderat rursus erigitur. Idcirco enim haec praemisimus, ut hi qui in contemplativa vita volunt [Col. 0587C] perfecte vivere, per intervalla temporum unde vivant propriis manibus non negligant laborare. Caveant tamen ut non de ullo inhonesto negotio victum quaerant, propter hoc scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se saecularibus negotiis, ut ei placeat, cui se probavit* **(II Tim. II, 4)**.

CAPUT X.

Quantum inter contemplativam et activam vitam intersit.

Jam nunc quid inter contemplativam et activam vitam intersit breviter disseremus: quod ut evidenter eluceat, ipsas sibi invicem vitas, contemplativam scilicet et activam, prolatis earum virtutibus conferamus. Ad activam namque vitam pertinet inter humana proficere, et rebellis corporis motus [Col. 0587D] rationis imperio temperare. Ad contemplativam vero pertinet supra humana desiderio perfectionis ascendere, et indesinenter in augendis virtutibus incubare. Habet enim activa vita profectum; contemplativa fastigium. Haec facit hominem sanctum, illa perfectum. Hujus vitae est

nulli prorsus injurias irrogare, illius irrogatas aequanimiter sustinere. Imo, ut proprius dicam, exsecutor activae studet in se peccanti dimittere; contemplativae sectator offensas, quibus pulsatur, ne omnino concutiatur, ignorare magis paratus est quam donare. Iste iram patientiae virtute compescit, immoderatis cupiditatibus parcimoniae frenum imponit; tangitur desideriis carnalibus, nec consentit; mundi curiositate [Col. 0588A] pulsatur, nec rapitur; quatitur diabolica impulsione, nec vincitur, et Deo suo devota mente subjectus, non atteritur diversis tentationibus, sed probatur. Ille vero omnes affectiones, quibus vita mortalium variatur, sanctis virtutibus vincit, cupiditatum ac perturbationum omnium liber beata quiete perfruitur; et illecebris ac voluptatibus factus expedita mente superior, ineffabili gaudio divinae contemplationis afficitur. Iste suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subjectum, redimendo captivum, tuendo violenter oppressum, jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, et vitam suam bonorum operum fructibus ditat. Ille facultatibus suis in usus pauperum distributis simul se exspoliavit mundo, et admovit totis viribus coelo: res mundi [Col. 0588B] mundo projecit, et seipsum Christo devota mente restituit, a quo sibi donari immortales divitias orat; ut pauper protegi se quotidie postulat; ut infirmus immortalitatis indumento vestiri cupit; ut nudus defendi se ab impugnatione invisibilium hostium supplicat, ut fragilitate carnis oppressus; et coelestem sibi patriam donari desiderat, ut peregrinus. Activa enim vita habet sollicitum cursum; contemplativa vero gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur. Haec igitur facit pulsare bonorum operum velut quibusdam manibus januam, illa vocat consummatos in patriam. In hac contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. Et ut multa praeteream quae commemorare non valeo, in activa qui immundis spiritibus exstiterint fortiores, in illa [Col. 0588C] contemplativa, quae summe beata est, remunerante Domino, fiunt sanctis angelis aequales, atque in aeternum cum illo regnabunt in superna illa civitate felices.

CAPUT XI.

Quod praesentium contemptores etiam hic contemplativa vita delectat.

Igitur vitae contemplativae felicitati promerendae ille suspirat qui praesentibus omnibus pro futurorum contemplatione renuntiat, atque domesticis occupationibus, quae nonnumquam perfecte vivere cupientium processus impediunt. Ipsos etiam suae carnis affectus in illam sublimitatem divinae contemplationis evectus exsuperat, et infra se universa despiciens, quae plerumque animas de praeterita sanctitate [Col. 0588D] securas dejiciunt in terrena, ipsis jam coelestibus appropinquat, tanto vicinior factus divinis, quantum supra humana omnia studio perfectionis ascendit. Certus namque quod si contemplativam vitam hic incertis honoribus, divitiis anxiis, et caducis delectationibus plena voluntate praetulerit, veros honores, securasque divitias et delectationes aeternas inveniet, cum ad perfectionem contemplativae virtutis in illa beata vita, ubi futura est, Deo remunerante pervenerit.

Et revera quid erit honoratius eo quem divina clementia gloria angelicae dignitatis beaverit? Quid ditius eo quem regni coelestis ineffabiliter affluens beatitudo ditaverit? Aut quid etiam hic delectabilius [Col. 0589A] contemplatione divina, quae sibi veraciter

inhianti incorruptibilem suavitatem futurae remunerationis infundit? Quoniam quidem contemplativa vita hic quoque amatores suos futurorum bonorum consideratione delectat, ac sibi tota mentis intentione vacantes, quantum in hac vita fieri potest, dono sapientiae spiritualis illuminat, et ad illam divinae visionis plenitudinem, cujus spem studiis intenti coelestibus gerunt, incentivo quodam ipsius consequendae perfectionis inflammat, ut quod nunc in aenigmate cernunt nec perfecte discernunt, tunc in illa revelatione conspiciant.

CAPUT XII.

Quae et quanta sit in hac carne contemplativae vitae perfectio. [Col. 0589B]

Denique contemplativae vitae sectator ad Conditorem suum corde illuminandus accedat; ipsi contemplando ac insatiabiliter perfruendo vigilanter inserviat; ipsum jugiter concupiscat, prae amore ejus omnia quibus inde potest averti refugiat. Omnes cogitationes suas ac spem totam in illius delectatione suspendat. Litterarum divinarum sacris meditationibus vacet, in eis se divinitus oblectet. Ibi se totum velut in speculo quodam refulgente consideret, et in se quod pravum deprehenderit, corrigat; quod rectum, teneat; quod deforme, componat; quod pulchrum, excolat; quod sanum, servet; quod infirmum, assidua lectione corroboret; Domini sui praecepta infatigabiliter legat, inexplicabiliter diligat, efficaciter impleat; et quid sibi [Col. 0589C] cavendum quidve sectandum sit, ex eis sufficienter instructus agnoscat. Mysteriis earumdem divinarum Scripturarum perscrutandis insistat. Christum sibi promissum legat, repraesentatum videat; prophetatam perditionem populi contumacis intelligat, impleri lugeat; de salute gentium gaudeat; et praeteritis, quae praedicta et impleta tenet, et futuris promissionibus credat. A strepitu negotiorum saecularium remotissimus, ea ferventer excogitet quibus animum suum in desiderium futurae remunerationis inflammet. Studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior ac eruditior fiat, invigilet. Amet otium sanctum, in quo exerceat animae suae negotium. Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandimentis et illecebris exhibeat crucifixum. Delectationi [Col. 0589D] spectaculorum praesentium incomparabiliter anteponat sui creatoris intuitum; semper proficiente successu in fastigium divinae contemplationis attollat. Nunquam, ne ad momentum quidem, a promissionibus futuris considerandis aversus ad terrena respiciat. Eo aciem mentis indesinenter attendet quo pervenire desiderat. Beatitudinem vitae futurae ante oculos animi sui proponat ac diligat. Nec metuat aliquid temporale, nec cupiat: ne aut metus amittendae rei temporalis, aut cupiditas acquirendae intentionem mentis emolliat. Non cum blanda corrumpant, nec adversa concutiant; non inflet opinio secunda, non sinistra dejiciat; non falsa vituperatio, sive laudatio, augeat ejus gaudia vel imminuat. Non [Col. 0590A] gaudeat omnino de temporalibus nec lugeat. Inter laeta ac tristia unam faciem animi constantis obtineat. Nec pectoris stabilem firmitatem quidquid promittit mundus, aut minatur, excutiat; sed idem semper ac sibi similis perseverans, mundi hujus damna simul et lucra non sentiat.

Et cum haec atque his similia contemplativae vitae affectus impleverit, non se hic jam ex omni parte perfectum, sed perficiendum in illa vita beata, quae futura est,

immobiliter credat, atque ad eam se, ubi Dei substantiam revelata facie videre possit, extendat. Nam sicut hic comparatione juste viventium dicitur quisque perfectus: justus namque praecepta facit, perfectus autem praecepta transcendit; ita idem collatus illis absolute perfectis qui in [Col. 0590B] illa vita beata futuri sunt, non est, ut ita dicam, perfecte perfectus; cui etsi dimissa est omnis iniquitas, non est adhuc sanata, sed sanatur ejus infirmitas. Et ideo si non peccat, ut sit vere perfectus, peccare tamen potest, quia non est consumpta omni infirmitate sanatus. Ac per hoc ubi ab omni peccato mundatus peccare non poterit, ibi perfecte sanus et summe perfectus erit. Hic autem quantalibet excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, potest quidem pro modulo hujus vitae fieri perfectus, sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus. Et utique ubi est sollicitudo, non absoluta beatitudo, quae nequaquam perfecta credenda est, si secura non fuerit; nec secura erit, nisi omnem [Col. 0590C] sollicitudinem securitas aeterna consumpserit. Quapropter ibi omnium sanctorum beatitudo perfecta erit, ubi natura humana sui gloriam conditoris visura est, atque ei sine ullo defectu beatitudinis adhaerebit.

CAPUT XIII.

Quod Deum perfecte sancti videre non possint, nisi cum ad beatitudinem futurae vitae pervenerint.

Quocirca sic hortandi sunt ad contemplativam vitam, quicunque plene voluerint, et Deo auxiliante potuerint, ut meminerint ipsius sibi contemplationis divinae perfectionem in illa vita beata, quae futura est, reservari: ut ibi Deum sicuti est perfecte videant, ubi et ipsi vitae aeternae ac regni coelestis consecutione sint perfecti. Caeterum si hic perfecte [Col. 0590D] potuisset Dei substantiam humana fragilitas contemplari, nunquam sanctus evangelista dixisset: *Deum nemo vidit unquam* **(Joan. I, 18)**. Non dixit, *nemo videbit*. Denique ut evidenter ostenderet visionem Dei non negatam sanctis hominibus, sed dilatam, quod in praesenti tempore negavit, in futuro promisit, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**. Nec hic dixit, quoniam ipsi Deum vident. Igitur si Deus, qui in hac vita sine alicujus elementi assumptione nec potuit videri nec potest, in futura vita videndus est; ibi profecto contemplationis divinae est speranda perfectio, ubi erit bonorum omnium plenitudo. Quapropter non sic contemplativae vitae sublimitatem in futuro, ubi [Col. 0591A] perfectio perficienda est, nuntiavi, ut in praesenti eam negarem posse ab hominibus mundi contemptoribus apprehendi, si modo se ad eam tota devotione convertant; si desiderio ejus accensi praesentia blandimenta fastidiant, et longe fortiores effecti, quam ut eos terrenae occupationes illaqueant, divinis rebus ac futuris promissionibus inhaereant. Isti tales etiam in hac vita contemplativae vitae possunt fieri participes. Itaque quoniam de contemplativa vita in superioribus capitibus multa jam dicta sunt, sufficiunt ista quae diximus, ut et reliqua consideremus quae de vita solitariorum dicenda sunt.

CAPUT XIV.

Quod pro perfectione vitae contemplativae a sanctis Patribus solitaria vita primitus fuit inchoata. [Col. 0591B]

Antiqui Patres nostri supernam patriam desiderantes, et contemplativa vita perfecte frui cupientes, non solum mores hominum saecularium, sed et consortia fugiebant, atque in saltibus specubusque latitabant; scientes quia quanto se separabant a voluptatibus mundi, tanto frequentabantur ab angelis; et quanto remotiores a saeculo, tanto propinquiores fiebant Deo. Corporaliter autem separari desiderabant a saecularibus, ne forte in eorum aliquando volverentur actibus. Nos vero eorum exempla, in quantum possibile est, sequi cupientes, si in contemplativa vita cupimus aliquid proficere, a consortio saeculi nitamur cito separari. Quia licet in medio carnalium saepe Deus vitam protegat electorum, tamen satis rarum est ut quisque inter saeculi voluptates [Col. 0591C] positus, a vitiis maneat illibatus. In quibus denique etsi non cito implicetur, aliquando tamen abstrahitur. Neque enim diu securus esse poterit, qui periculo proximus fuerit. Unde in Collationibus Patrum ita loquitur: Bonum est enim fugere saeculum. Quando autem est homo juxta saeculum, assimilabitur viro stanti super lacum profundissimum, ut qua hora visum fuerit inimico ejus, facile eum impingat deorsum. Si autem a saeculo remotus fuerit, assimilabitur viro longe posito a puteo, ut vel si nitatur eum inimicus projicere deorsum, dum eum violenter trahit, Deus ei auxilium dirigit. Item ibi: Homo fugiens homines similis est uvae maturae; qui autem cum hominibus conversatur, sicut uva acerba erit. Et rursum: Imperforabilis enim manet a sagittis [Col. 0591D] inimici, qui amat quietem; qui autem miscetur multitudini, crebra suscipit vulnera. Hoc quippe metuebat beatus Arsenius, cum adhuc esset in palatio: et ideo oravit Dominum dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et confestim venit ei vox dicens. Arseni: fuge homines, et salvus eris. Postea vero accessit ad monasticam vitam, et rursum oravit ad Dominum eumdem sermonem dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et iterum audivit vocem dicentem sibi: Arseni, fuge, tace, quiesce; hae enim radices sunt non peccandi. Praeterea quoque narravit quidam Patrum quia tres fratres studiosi facti sunt monachi; et unus quidem ex eis elegit litigantes in pace revocare, juxta illud quod scriptum [Col. 0592A] est: *Beati pacifici, etc.* **(Matth. V, 9)**. Secundus vero visitare infirmos, secundum illud: *Infirmus fui, etc.* **(Matth. XXV, 36)**. Tertius autem abiit quiescere in solitudine. Primus ergo laborans propter lites hominum, non potuit in pacificando proficere; et ideo victus venit ad eum qui serviebat infirmis, et invenit etiam ipsum animo deficientem, et non praevalentem mandatum perficere. Et concordantes hi duo abierunt videre illum qui in eremo discesserat, et narraverunt ei tribulationes suas, et rogaverunt ut diceret eis quid ipse proficeret. Et reticens paululum misit aquam in scyphum, et dixit eis: Attendite in aquam. Et erat turbulenta. Et post modicum rursus dixit eis: Attendite modo quomodo limpida facta est aqua. Et cum intenderent in aquam, [Col. 0592B] viderunt tanquam in speculo vultus suos. Et tunc dixit eis: Sic est qui in medio hominum consistit; prae turba enim non videt peccata sua; cum autem quieverit, et maxime in solitudine, tunc delicta sua conspicit. Hic evidenter ostenditur quantum emolumentum praestat vita solitaria. Est enim stadium quoddam ad emendationem morum formandam. Qui enim in solitudine, hoc est in retrusione, sedet, a tribus bellis eripitur, id est, auditus, locutionis, et visus; et contra unum tantummodo habebit pugnam, id est, cogitationem cordis. Sciendum vero est quia multo melius est alicui ut cum multis sit et solitariam agat vitam, quam sit in eremo et proposito mentis desideret

esse cum multis. Nam et homines saeculares, si in isto saeculo aliqua commisesunt [Col. 0592C] crimina, etiam nolentes mittuntur in carcerem. Ita ergo et nos propter peccata nostra redigamus nosmetipsos in carcerem retrusionis, ut per voluntariam mentis nostrae vindictam futuras a nobis poenas excludere mereamur. Quia igitur, ut ait Apostolus: *Si nosmetipsos dijudicemus in hoc saeculo, non utique a Domino judicabimur in futuro* **(I Cor. II, 31)**.

CAPUT XV.

De disciplina suscipiendorum fratrum ad retrusionem.

Dominus noster Jesus Christus omnes ad suum vocat servitium, omnesque ad se venientes pie misericorditerque recipit. Idcirco enim omnes vocat et recipit, quia ipse novit qui sunt ejus, et non est [Col. 0592D] opus ei ut quis testimonium perhibeat de homine: ipse enim scit quid est in homine. Nos vero qui notitiam bonorum malorumve hominum minime habemus, nisi eos probaverimus, debemus tenere consilium apostoli dicentis: *Probate spiritus si ex Deo sunt* **(I Joan. IV, 1)**. Sic quoque noviter venientem quemque ad Dei servitium, oportet per multa prius experimenta probare, et postea recipere, ne forte quis simulata mente ac fallaci animo ad hanc solitariam vitam praesumat accedere. Ergo oportet de praeterita ejus vita et conversatione inquirere, si est moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si sapiens, si humilis, si obediens, si affabilis, si in lege Domini instructus, si in ipsa instructione cautus. [Col. 0593A] Cum ergo his singulis aliisque experimentis fuerit probatus, si perseveraverit pulsans; et illatas sibi injurias, et difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere affectu petitionis suae, annuatur ei sive ab episcopo, sive ab abbate suo, ingressus. Sine licentia autem et consensu episcopi, aut abbatis proprii, atque omnium fratrum ejusdem monasterii, in quo idem frater educatus fuerit, nihil omnino de hac re fiat. Prohibendum est etiam ut in nullo alio loco hoc religionis propositum a quoquam assumatur, nisi in coenobiorum congregationibus tantum. In villis autem aut in campestribus ecclesiis, sive in aliis quibuslibet locis nullatenus praesumatur assumere, nisi forte quis more antiquorum Patrum ad eremum [Col. 0593B] velit secedere. Postquam autem episcopus aut praelatus monasterii licentiam ei retrudendi concesserit, unum annum habitet inter fratres, ita ut extra claustra, nisi tantum in ecclesiam, non exeat; quatenus in ipso ejus probetur voluntas vel stabilitas. Si autem in eodem monasterio, aut in circumvicinis monasterii solitarius est, probatus aliquis ei deputetur ad probandum. Si vero solitarius ibidem minime reperitur, deputetur ei senior talis qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiose intendat, et sollicitus sit si revera Deum quaerit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad orationem, ad lectionem, et caetera hujusmodi. Praedicentur ei omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum. Et si promiserit stabilitatis suae perseverantiam, [Col. 0593C] legatur ei haec Regula, et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis, si potes servare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, legatur ei haec Regula sedule, ut sciat ad quod ingreditur, et probetur in omni patientia. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, tunc blande leniterque suscipiatur ad destinatum propositum, sciens se lege Regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi ex ipsa retrusione; nec

collum excutere de sub jugo Regulae, quam sub tam morosa deliberatione licuit ei excusare aut suscipere. Suscipiendus autem in oratorio coram episcopo et omni clero promittat verbis tantum de stabilitate sua, et conversione morum [Col. 0593D] suorum, coram Deo et sanctis ejus; ut si aliquando, quod absit, aliter fecerit, a Deo se damnandum sciat, quem irridet. Tunc frater ipse prosternatur ad pedes episcopi et omnium fratrum ibidem astantium, ut orent pro eo. Ipsi omnes illico orent pro eo, quantum eis visum fuerit. Signa autem ad ejus ingressum, si episcopus aut abbas jusserit, sonent, ut omnes illud signum audientes, pro eo orent. Res vero si quas habet, sicut in superioribus capitulis continetur, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus. Cum talibus autem vestimentis intret cum qualibus manere debebit, et sic deinceps in solitaria vita permaneat. Post ingressionem autem praecipiat episcopus ostium retrusionis [Col. 0594A] cellulae aposphragismo suo sigillare, ne fortassis aliqua in aliquo remaneat opinio.

CAPUT XVI.

Qualis debet esse cellula retrusionis.

Cellula igitur retrusionis debet esse exigua, et firmissimis undique munitionibus circumsepta, quatenus nec solitario foras evagandi facultas maneat, nec cuiquam ad eum, quod non decet, introeundi aditus pateat. Ut autem omnis obstruatur necessitatis occasio, habeat interius praeparatas habitationes suis usibus necessarias, hoc est, oratorium ab episcopo consecratum, si tamen ipse solitarius est sacerdos. Idipsum quoque oratorium ita sit domui ecclesiae contiguum, quatenus idem solitarius per fenestram ejusdem oratorii possit ad missas per manus [Col. 0594B] sacerdotum oblationes offerre, ac cantantes et legentes fratres congrue audire, atque simul cum eis possit psallere; et etiam ad venientes quosque ibidem valeat responsa dare. Sint etiam ante ipsam fenestram deintus et deforis vela appensa, ne facile a foris videri vel videre queat, ne forte per oculorum portam mortuus extrahatur; unde scriptum est: *Cave ne intret mors in animam tuam per fenestras tuas* **(Jer. IX, 21)**. Et Apostolus praecipit, spectaculis et pompis praecaveri. Habeat autem infra septa retrusionis hortulum exiguum, si fieri potest, in quo per tempus exire et aliqua olera plantare vel colligere, atque ab aere tangi possit, quia multum ei proderit tactus aeris. Sit etiam extra septa retrusionis et alia cellula, in qua discipuli illius habitent, [Col. 0594C] quae ita sit cellulae ipsius contigua, ut aptissime possint discipuli illius congruo tempore per fenestram ei ministrare ea quae ei fuerint necessaria. Si autem duo in unum solitarii fuerint, sicut multis in locis noscitur esse, sit inter eos silentium ingens, quies magna, charitasque perfecta. Sint autem singuli in singulis cellulis separati, sed animo, et fide, ac charitate inseparabiliter conjuncti. Cellulae quoque illorum nulla intercapedine inter se dividantur, sed ita sint ad invicem connexae quatenus ad unam fenestram venientes, alterutrum se valeant ad Dei servitium excitare, sacris orationibus simul vacare, divinas Scripturas simul recitare, et ad corporalem etiam refectionem simul tempore congruo possint convenire. Sint etiam eorumdem cellulae, ita ut praefatum [Col. 0594D] est, ecclesiae valde contiguae. Feminis namque non solum in cellulis solitariorum eorumque discipulorum prandendum aut requiescendum non est, quin potius nec in eas intrandi

ulla eis tribuatur facultas, quia hoc a sanctis Patribus valde legitur inhibitum. Si quando autem eis de confessione aut de consilio animarum sermocinandi necessitas incubuerit, in ecclesiam veniant; et ante fenestram oratorii coram omnibus simul loquantur, et quod deliberandum est, prudenter utiliterque deliberent atque disponant. Decet enim solitarios, ut sicut in caeteris rebus, ita etiam in mulierum confabulationibus bonum exemplum omnibus praebeant; ut scilicet hujusmodi confabulatio nullam possit a quoquam [Col. 0595A] sinistrae opinionis afferre suspicionem. Non solum autem a collocutione mulierum, verum etiam ab ipso visu et tactu illis est observandum. De locutione autem earum sanctus Basilius dixit: Ne accommodes aures tuas ad percipienda verba mulierum, ne concipias ex eis nequitiam in anima tua. Hinc beatus Hieronymus ait: Prima quidem tentamenta sunt servorum Dei, feminarum frequentes accessus. Nam flammigero igne percutit femina conscientiam eorum, et exurit cor eorum. De tactu vero idem Basilius ait: Mulieris carnem ne velis tangere, ne per tactum ejus inflammetur cor tuum: sicut enim stipula proximans igni comburitur, ita et qui tangit mulieris carnem, non evadet sine damno animae suae; et licet corpore castus evadat, mente tamen [Col. 0595B] et corde laesus abscedit. Neque osculari debent a solitariis omnino, quia osculum una est ex quatuor speciebus amoris carnalis. Diligendae sunt autem mulieres non carnaliter, sed spiritualiter. De visu autem illarum quid dicam? cum Dominus manifestat dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* **(Matth. V, 24)**. Unde etiam idem Basilius ait: Ne improbo oculo intuearis speciem mulieris, ne per oculorum tuorum fenestras intret mors in anima tua. Frequens denique visus feminarum devitandus est, et maxime his qui inter saeculares exstiterunt vel conjugati fuerunt. Compatres quoque et commatres minime faciant; quamvis liceat, non expedit tamen.

CAPUT XVII.

[Col. 0595C] *Quod nunquam minus quam duo vel tres sint simul solitarii.*

Praecipue vero hoc solitariis satagendum est, ut, si fieri potest, nunquam minus quam duo vel tres simul sint solitarii, in singulis tamen cellulis retrusi; ita videlicet ut per fenestram ad invicem loqui possint, et ad opus Dei alterutrum se valeant excitare. In multis denique causis societatem duorum solitariorum his qui ejusdem voluntatis ac propositi sunt, utilem video esse; in plurimis vero solitariam vitam ducere absque ullius societate, discrimen esse conspicio. Primum quidem periculum imminet solitario, quod certe gravissimum est, in hoc quod ipse sibi placet, et videtur sibi ad summam perfectionem jam venisse, et putat se esse quod [Col. 0595D] non est. Hoc enim illi accidere solet, qui non habet cum quo opus suum probet. De talibus enim ait Apostolus: *Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* **(Gal. VI, 3)**. Postea vero neque si aliqua virtus in eo abundat, neque si aliqua desit, agnoscit. Neque etiam hoc quod utile est, neque quod deest, cum solus sit, ab alio aliquo quaeri potest. Denique, sed nec culpas quidem suas aut vitia facile agnoscit, cum qui arguat vel reprehendat, nemo sit. Hujusmodi solitario facile illud potest accidere quod scriptum est: *Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevuntem* **(Eccl. IV, 10)**.

Quomodo ergo solitarius seipsum ad prava desideria non exercebit, neminem habens qui videatur [Col. 0596A] ejus voluntatibus obviare? Aut quomodo humilitatem, aut patientiam, sive charitatem suam probabit, neminem habens cui haec exhibeat? Neque enim sufficere potest unus, quamvis summus, ad suscipienda omnia sancti Spiritus dona; quia, ut ait Apostolus, *Alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae* **(I Cor. XII, 8)**, et caetera hujusmodi. Quapropter si secundum dispensationem Spiritus sancti uni datur quod alteri negatur, necesse est ut sint duo, vel tres, aut eo amplius, et de charismatibus quae singuli acceperunt, utrique consolentur pariter et aedificentur. Sed et adversus insidias inimici, quae intrinsecus et extrinsecus inferuntur, multum prodest societas plurimorum. Facilius enim excitantur a somno, et incitantur ab omni opere bono. In oratione [Col. 0596B] autem non parvum emolumentum nascitur a duobus fratribus, maxime cum Dominus dicat: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illlis a Patre meo, qui est in coelis* **(Matth. XVIII, 19)**. Et iterum idem ipse: *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Ibid., V. 20)**. Praeterea quoque plures orationes duo peragere possunt quam unus. Habet autem et alia quamplura bona communis solitariorum vita, quae non est possibile nunc dinumerare omnia. Sed ita duos solitarios in unum esse dicimus, ut unus, si fuerit probatus, ad hanc vitam perfruendam non prohibeatur.

CAPUT XVIII.

Si oportet suscipere ad solitariam vitam suburbanos [Col. 0596C] presbyteros vel juvenes aetate.

Cum Dei clementia omnes vocet per illam piissimam vocationem qua dicit: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI, 28)**, non est absque discrimine quempiam ad servitium Dei venientem abjicere. Verumtamen neque absque subtilissima probatione indulgendum est cuiquam intrare in sanctam conversationem: sed sicut Dominus juvenem illum qui venit ad eum de priori vita sua interrogavit, et cum audisset quia recte transacta esset, quod ei deerat praecepit adimplere, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus* **(Matth. XIX, 21)**, et ita demum jussit eum se sequi: ita ergo et nos oportet prius probare spiritus, si ex [Col. 0596D] Deo sunt, et sic advenientes quosque cum charitate ad Dei servitium suscipere.

Si quis autem ex ordine sacerdotum extraneorum se suscipi rogaverit, ita ut ad solitariam vitam quandoque venire desideret, non ei quidem citius assentiatur. Tamen si omnino in hac supplicatione perstiterit, recipiatur, sciatque se omnem Regulae disciplinam servaturum. Sed ne forte quis simulata mente ad hoc propositum venire pertentet, primitus duriter probandus est. Quod ita demum facile dignoscitur, si omnem laborem corporis qui ei injungitur aequanimiter ferat, et ad austeriorem vitam libenter inclinetur; vel si etiam delictum aliquis suum cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare [Col. 0597A] confunditur, et medelam delicti, quae ei adhibita fuerit, gaudenter assumat; et si ad omnem humilitatem absque verecundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus artificiis, si ita ratio poposcerit, tradi se non erubuerit. Cum autem his

atque aliis exercitiis probatus fuerit, si stabilis et prompto animo perstiterit, tunc eum suscipi decet. Sit autem, sicut supra dictum est, duos annos inter fratres in congregatione, et postea, si ejus voluntas firma manserit, ad solitariam vitam suscipiatur.

Similiter quoque et si monachus aliquis peregrinus vel clericus de longinquis provinciis supervenerit, et pro eadem causa se suscipi rogaverit, pro hospite suscipiatur, et probetur ita ut prius dictum est. Et si contentus fuerit consuetudine loci quam invenerit, [Col. 0597B] et stabilitatem suam firmare voluerit, non renuatur ejus voluntas. Quod si superfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, quia his temporibus maxime dignosci poterit, non solum non debet recipi, verum etiam dicatur ei honeste ut recedat, ne etiam ejus miseria alii vitientur. Si vero talis non fuerit qui mereatur projici, nullatenus projiciatur, sed suadeatur ut stet, quatenus ejus exemplo alii erudiantur. Cavendum est autem ne aliquando de alio noto monasterio monachus ad habitandum suscipiatur sine consensu abbatis ejus aut litteris commendatitiis. De juvenum autem aetate nulla ambiguitas est an recipi debeant, cum Dominus de eis dicat: *Sinite parvulos venire ad me:* talium est enim regnum coelorum **(Matth. X, 14)**. Non enim [Col. 0597C] alicui obest aetas puerilis, si fuerit mente perfectus. Nec senilis cuiquam proderit aetas, si fuerit sensu parvulus. Perfectus enim dicitur, non qui aetate, sed qui sensu perfectus est. Unde in libro Sapientiae dicitur: *Cani sunt autem sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata* **(Sap. IV, 8)**. Nam et David cum puer esset, et perfectum sensum haberet, a Domino in regem electus est, et prophetiae spiritus ei creditus est. Saul vero cum senilis esset aetate, pro sua nequitia de culmine regali expulsus est, et maligno spiritui traditus est. Senissimi etiam erant sacerdotes illi qui Susannam violare conati sunt; et Daniel adhuc puerulus erat qui eos ore suo condemnavit. Et Dominus noster Jesus Christus ingressus Hierosolymam a parvulis collaudatur et a [Col. 0597D] senioribus postea crucifigitur. Nam et arhor, multorum licet annorum sit, nisi fructuosa fuerit, abscindetur; si tamen novella fuerit, fertilis et fructuosa, magis colitur, ut uberiorem proferat fructum. Omne autem tempus a prima aetate opportunum esse dicimus ad suscipiendum aliquem in eruditione et timore Dei. Ex eo tamen firma erit professio virginitatis, ex quo jam quisque adultus fuerit, ex quo solent saeculares nuptiis apte deputari. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam, quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter institui. Sint autem in ipsa pulsatione, quo supra, usque ad praefinitum tempus duorum annorum, et si viriliter ac ferventer perstiterint, recipiantur eodem [Col. 0598A] modo quo supra. Praeterea quoque si aliquis ex catholicis venit ad nos dicens: Volo apud vos manere aliquod spatium temporis ut proficiam ex vobis, illum etiam suscipi oportet, Domino pronuntiante, qui ait: *Omnem ad me venientem non ejiciam foras* **(Joan. VI, 37)**. Interdum enim potest fieri ut per tempus proficiat, et delectetur ei permanere in sanctitate vitae. Oportet autem nos in conversatione nostra et religione, de qua fortassis homines aliter opinantur, caute et sollicite agere, et praeceptum illius implere qui dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est* **(Matth. VII, 46)**.. Ita denique fiat ut si ille bonus et verax est, de nobis proficiat; et si explorator et fallax est, erubescat.

[Col. 0598B]

CAPUT XIX.

Qualem vel quam sanctum oportet esse solitarium.

Talem ergo oportet esse solitarium qualem Apostolus jubet fore episcopum, ubi ait: *Oportet episcopum sine crimine esse* **(Tit. I, 7)**. Similiter autem et solitarium oportet esse sine crimine; non protervum, non iracundum et vinolentum, non multum edacem, non percussorem, non bilinguem, non neophytum, non turpis lucri appetitorem. Primum itaque quod dicimus sine crimine esse solitarium, non ita intelligendum est ut si ante conversionem aliquod crimen habuerat, ad solitariam vitam non recipiatur, cum ipso proposito pro ante admisso scelere poenitentiam agere possit; sed sic dictum est, ut ex eo tempore quo in solitaria vita manere [Col. 0598C] coepit, nulla peccati conscientia mordeatur: qui enim vitia non habet, sine crimine est. Omne enim crimen peccatum est, sed omne peccatum crimen non est. Et ideo sive solitarius, sive quilibet alius, sine crimine esse potest, sine peccato nunquam esse potest. Sequitur: *Non protervum, id est, non superbum eum esse oportet, ne elatus incidat in laqueum diaboli. Non iracundum:* iracundus enim est, qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram, quasi a vento folium commovetur. Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est, sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. *Non vinolentum, et non multum edacem eum esse dicimus;* quia ubi ebrietas et nimia edacitas fuerit, ibi libido dominatur et furor. Solet enim ille [Col. 0598D] qui his duobus vitiis fuerit occupatus, contra gravitatis decorem in risu vocem exaltare, et labiis dissolutis turpiter cachinnare. *Non percussorem, id est non facile manum porrigat ad caedendum.* Sed non ita dictum est, ut si discipulum habuerit, et facultas permiserit, non pie verberetur, cum Salomon dicat: Latera puerorum virgis assidue tundenda sunt, ne indurescant **(Prov. XXIII, 13)**. Sed ideo dictum est ut is qui mansuetus et patiens esse debet, ne in os alterius vel caput verberandum insanus erumpat. *Non bilinguem eum esse oportet, ne conturbet habentos pacem. Non neophytum, ne incidat in laqueum diaboli, dum nesciat praecavere tentamenta inimici.* Ignorat enim momentaneus solitarius [Col. 0599A] humilitatem et mansuetudinem. Ignorat etiam divitias saeculi contemnere; ignorat semetipsum despicere. Non jejunavit, non flevit, non mores suos saepe reprehendit, non assidua meditatione correxit. De cathedra enim transfertur ad cathedram, de superbia ad superbiam. *Non turpis lucri appetitorem, ne de servitio Dei lucra terrena quaerat.* Turpis lucri appetitio est plus de praesentibus quam de futuris cogitare: solitarius enim habens victum et vestitum, his tantum contentus esse debet. Unde ait Apostolus: *Qui altari serviunt, de altari vivant* **(I Cor. IX, 13)**. Vivant, inquit, et non, divites fiant. Oportet ut non sit turbulentus et anxius, non sit nimus et obstinatus: non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia hujusmodi solitarius nunquam requiescit. Non sit [Col. 0599B] etiam murmurosus, quoniam scriptum est quod murmurantes a serpentibus perierunt. Non sit detractor, propter hoc quod scriptum est: *Qui detrahit fratrem suum eradicabitur* **(I Cor. X)**. Non odium habeat in corde, quia scriptum est: *Qui odit fratrem suum, homicida est* **(I Joan. III, 45)**. Non sit vaniloquus, quia scriptum est: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* **(Matth. XII, 36)**. Non sit piger, propter hoc quod scriptum est: *Serve male et piger, etc.* **(Matth. XXV, 26)**. Non sit somnolentus, nec aliis quibuslibet vitiis substratus, quatenus

fiducialiter audeat dicere cum Propheta: *Ero immaculatus coram Deo, et observabo me ab iniquitate mea* **(Psal. XVII, 24)**. Hucusque qualis non debet esse Dei servus ostendimus, [Col. 0599C] nunc qualis esse debeat dicamus. Dei autem servum oportet esse pudicum, id est, a libidine continentem, et, ut ita dixerim, in tantum eum inter cunctos oportet esse eminentem, ut non solum ab opere immundo se abstineat, verum etiam et a cogitationis errore mens ejus sit libera. Oportet etiam eum esse justum, sanctum, continentem, abstinentem, hospitalem, bonorum operum amatorem, modestum, sobrium, patientem, benignum, humilem, charitativum, obedientem; et non solum a pravis actibus se abstineat, verum etiam ab oculi, et verbi, et cogitationis instinctu se contineat, et sic fiat ut dum nullum in se vitium regnare permittit, impetrare apud Deum veniam pro suis populorumque facinoribus valeat. Talis insuper sit idem solitarius, ut qui religioni detrahunt, [Col. 0599D] vitae ejus detrahere non audeant. Si enim talis fuerit et ista supradicta sectatus fuerit, tunc Dei minister utilis erit, et propositum suum, opitulante divina clementia, perfecte consummabit.

CAPUT XX.

Quomodo solitarii debeant esse docti, et qualiter alios doceant ac semetipsos discrete provideant.

Solitarius itaque debet esse doctor, non qui doceri indigeat; etiam debet esse sapiens et doctus in lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera. Multis modis etiam necessarium est solitariis, ut instructi sint in divinis eloquiis. Primum propter astutias et fraudes diaboli per quas seipsum solet in cordibus [Col. 0600A] insipientium saepe demergere. Deinde ut advenientium quorumdam corda arentia proximorum, fluentis rivis doctrinae valeat irrigare. Nam et si quos habet discipulos, affatim possit instruere eos. In his denique, et in aliis quibuslibet rebus, scientia Scripturarum valde solitario necessaria est; quia si ei tantum sit sancta vita, sibi soli prodesse potest quod sancte vivit. Porro et si doctrina fuerit eruditus, potest caeteros quosque imbuere, et haereticos, sive Judaeos, seu alios quoslibet adversarios repercutere vel refutare; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex et apertus, plenus gravitate et honestate; plenus suavitate, gratiaque, et lenitate. Ipsius namque speciale officium [Col. 0600B] est tractare de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiae, de disciplina justitiae. Scripturas divinas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari, ut videlicet praenoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat; quia non omnibus una eademque semper exhortatio est adhibenda, sed unumquemque diversa exhortatione admoneat, juxta professionis morumque qualitatem. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero increpatio corrigit blanda. Sicut enim periti medici juxta vulnerum varietates diversa adhibent medicamina, ita et solitarius singulis quibusque congruum exhortationis adhibere debet remedium; et quid cuique oporteat pro aetate, pro sexu, ac professione annuntiet. Non omnibus quae sunt clausa aperienda sunt: multi [Col. 0600C] sunt enim qui capere non possunt. Rudibus praecipue hominibus atque carnalibus plana seu communia praedicanda sunt, non summa atque ardua. Unde et Apostolus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus:* tanquam parvulis in Christo lac

vobis potum dedi, non escam **(I Cor. III)**. Carnalibus quippe animis, ut diximus, nec alta nimis de coelestibus, nec terrena convenit dicere, sed mediocriter et discrete. Corvus enim dum suos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantumdem attendit donec paterno colore nigrescant, et sic illos frequenti cibo reficit. Ita et strenuus solitarius nisi eos quos monet viderit ad suam similitudinem poenitentiae confessione nigrescere, et nitore saeculari deposito, lamentationis habitum peccati recordatione [Col. 0600D] induere, non expedit eis aperire intelligentiae spiritualis profundiora mysteria; ne dum audita non capiunt, prius incipiant contemnere quam venerari coelestia praecepta. Propter quod et Dominus inter caetera ait: *Nolite mittere margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis* **(Matth. VII, 6)**.

Hactenus autem diximus quam doctus vel quam discretus in doctrina debet esset solitarius. Nunc autem ad sententiam beati Gregorii venientes, videamus quam discreta circumspectione in docendo nosmetipsos oportet providere. Nos, inquit, quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quid sumus, ut ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine fratribus [Col. 0601A] consulamus. Consideremus igitur quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut aliquando tales fuimus; et si jam divina gratia operante tales non sumus, oportet ut tanto eos temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his flagitiis aliquando fuisse agnoscimus. Si nos quoque tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare per poenitentiam cupimus, videamus ne forte cor nostrum de ipsa innocentia superbiat, et in pejus quam hi quorum mala corrigimus ruat. Nam et alia eorum bona opera nobis ante oculos revocemus, quae si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus; quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernae virtutis infundere, [Col. 0601B] ut excitati, posterius etiam ipsa possint bona, quae nos ante accepimus, praevenire. His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitates increpare.

Sciendum vero est quia aliter convenit praedicare episcopis et presbyteris, atque aliter solitariis. Illis utique tanquam sibi commissis plebibus oportet arguendo, increpando, et obsecrando praedicare; istis vero non tanquam commissis, sed pro sola charitate convenit advenientes quosque spiritualium verborum dapibus reficere, et ad Dei servitium ut convertantur humiliter et secrete suggerere: non tamen eos oportet quasi pro gratia hominum acquirenda exhortationis rigorem reticere. Praeterea quoque debemus et nos quotidie etiam tacendo praedicare; [Col. 0601C] tunc etenim tacendo praedicabimus cum aliis hominibus formam bene vivendi praebebimus, et lucis exempla monstrabimus.

CAPUT XXI.

Ut solitarii lucis exempla omnibus dent; et ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant.

Vita ergo et conversatio solitariorum normam et exemplum ab Apostolo sumere debet,

qui dixit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (I Cor. IX, 22). In tantum enim idem Apostolus se imitabilem cunctis praebeat, ut cum fiducia clamaret, dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I Cor. XI, 1). O quam felix, o quam secura conversatio Pauli, qui praetermittens prophetas et apostolos, caeterosque sanctos, jubet se imitari Christianos. [Col. 0601D] Quapropter et solitarii, licet inferiores quam Paulus, tamen debent se imitabiles praebere omnibus. Nam sicut pretiosum atque praecipuum est in medio multorum bene agere, et plurimos ad profectum et exemplum boni operis incitare; ita periculosum ac perniciosum est negligentius agendo multorum fidem frangere multorumque animas depravare. Hoc autem ideo dico quia, quod pejus est, facilius inveniuntur qui ea quae sunt deteriora quam qui meliora sectentur. Quamobrem sicut ille valde admirandus atque laudandus est cujus cursus bonus multorum est profectus, ita ille merito lugendus est cujus vita multorum ruina est. Plerique igitur solitarii prave viventes forma caeteris in malum existunt, qui in [Col. 0602A] bonis exemplum esse debuerunt. Hi autem quoscunque exemplo malae conversationis suae perdunt, simul cum eis procul dubio in aeternum peribunt, si tamen in malo perseveraverint. Multo enim deteriores sunt hi qui sive exemplis, sive doctrinis, vitam moresque bonorum corrumpunt, quam illi qui substantias aliorum praediaque diripiunt. Hi enim quae extra nos, sed tamen quae nostra sunt, auferunt; corruptores vero morum proprie nos ipsos decipiunt, quoniam divitiae hominum mores eorum sunt.

Quapropter nos qui solitariam vitam expetimus, semper ea quae ad aedificationem pertinent, agere studeamus. Videamus autem ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum fervorem tepor noster debilitet, ne aliorum patientiam nostra ira [Col. 0602B] commaculet, iracundia violet, ne aliorum humilitatem superbia nostra depravet, ne aliorum sanitatem infirmitas nostra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem foeditas nostra contaminet, ne aliorum ardentes exstinguamus lampades; ne, quod absit, simul cum fatuis virginibus a regno Dei excludamur. Sed tales nos econtra exhibeamus, ut nostra humilitas aliorum confundat superbiam, nostra patientia proximorum exstinguat iracundiam, nostra obedientia pigritiam aliorum tacite increpet, noster fervor aliorum teporem excitet. Tales insuper nos exhibeamus, ut cunctis in exemplo luminis simus. Unde Dominus praecipit dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**. Hinc [Col. 0602C] Paulus apostolus ait: *In omnibus ergo teipsum praebe exemplum bonorum operum, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, etc.* **(Tit. II, 7; I Tim. IV)**. Hinc etiam Gregorius doctor egregius in expositione Ezechielis dicit: Quisquis igitur in occulto bene vivit, sed alieno provectui minime proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus lumen ex se rectitudinis multis demonstrat, lampas est, quia et sibi ardet et aliis lucet. Item ipse: Qui enim, inquit, vitam suam ab aliis sciri refugiunt, sibimetipsis accensi sunt, sed aliis in exemplum luminis non sunt. Hi autem qui exempla virtutum praerogant, et lumen per vitam boni operis, et verbum praedicationis aliis demonstrant, jure lampades appellantur. Hinc etenim beatus Hieronymus [Col. 0602D] ait: Innocens et absque sermone conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Hinc enim satis evidenter ostenditur quod et conversatione et verbo omnibus esse debemus in exemplum.

Sed valde cavendum est solitariis ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant, ne

pro ipsa laude in elationem aut vanam gloriam incidant, ne in ipso quidem pestifero vitio vanae gloriae ruant: oportet ut semper illud Apostoli exemplum in corde teneant: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* **(I Cor. I, 31)**. Et iterum: *Si gloriari oportet, non expedit quidem* (II Cor. XI, 30). Idcirco enim hoc dico quia satis rarum est ut laudabiliter viventem laus humana non capiat, et vana gloria non subripiat. Ille igitur modis omnibus [Col. 0603A] se dedit ad exemplum pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit et vanam gloriam contemnit.

CAPUT XXII.

De his qui in regimine prodesse possunt, et propter quietam vitam praeesse refugiunt.

Sunt nonnulli qui magnis muneribus sapientiae et scientiae ditati, dum solius contemplationis studio inardescunt, parere utilitati proximorum in praedicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt. Qui nimirum si vocati culmen regiminum suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quae non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua et non [Col. 0603B] aliorum lucra cogitant, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus enitesceret, secretum praeponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? Denique ipsa Veritas discipulis in Evangelio dicit: *Non potest civitas abscondi supra montem posita* **(Matth. V, 14)**. Et iterum: *Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* **(Luc. XI, 33)**. Hinc Petro ait: *Simon Joannis, amas me* **(Joan. XXI, 15)**? Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas* **(Ibid., V, 16)**. Si ergo testimonium dilectionis est cura pastionis, quisquis virtutibus [Col. 0603C] pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare. Si curam proximi sicut nostri gerimus, quasi utrumque pedem per calceamenta munimus. Qui vero suam cogitans, utilitatem proximarum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt etiam nonnulli qui ex sola humilitate aliis praeesse refugiunt, ne his quos superiores sibi aestimant praeferantur: quorum profecto humilitas, si caeteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc quod utiliter subire praecipitur pertinax non est. Neque enim vere est humilis, qui superni nutum arbitrii ut debeat praeesse intelligit et tamen contemnit. Cum enim sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis praeventus est, quibus aliis [Col. 0603D] praeesse et prodesse possit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire. Huc usque beatus Gregorius. Nam de eadem re ait sanctus Isidorus: Vir, inquit, ecclesiasticus et crucifigi mundo per mortificationem propriae carnis debet, et dispensationem ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat. Multis intercipit Satanas fraudibus eos qui vitae sensus et utilitate praestantes praeesse et prodesse aliis nolunt; et dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, consultius arbitrantes otiosam vitam degere quam lucris animarum insistere. Quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli fallentis eos per speciem boni, ut dum illos a pastorali officio retrahit, [Col. 0604A] nequaquam proficiant qui eorum verbis atque exemplis instrui poterant.

CAPUT XXIII.

De vita et moribus solitariorum, et qualiter eis in solitaria vita conversandum sit.

Beatus igitur Paulus apostolus de nostra vita ac conversatione, ut ita dicam, sollicitus, more paterno nos admonet diceens: *Videte vocationem vestram, etc.* **(I Cor. I, 26)**. Quapropter et nos videamus vocationem nostram, quia aut aliquid aut nihil prodest quod solitariam vitam expetimus, si tales in ea sumus quales in saeculo esse potuimus. Venire quidem ad solitariam vitam summa perfectio est, sed non perfecte in solitudine vivere, summa damnatio est. Quid enim prodest si locus quietus tantum corporaliter [Col. 0604B] teneatur, et inquietudo in corde versetur? Quid, inquam, prodest si in habitatione silentium sit, et in habitatoribus vitiorum sit tumultus, et conluctatio passionum, si exteriora nostra serenitas teneat, et interiora tempestas? Non ideo ad solitariam vitam venimus, ut rebus omnibus abundantes omni quiete frueremur. Non utique ad requiem nec ad securitatem, sed ad pugnam huc venimus, ad agonem processimus, ad exercenda cum vitiis bella properavimus. Vitia enim nostra hostes nostri sunt. Caveamus autem ne unquam cum eis habeamus foedus. Necessaria enim nobis est pervigil cura indefessaque custodia, quia hostis iste sine pace est: vinci potest, et recipi in amicitia non potest. Et ideo praelium istud quod suscipimus satis arduum, [Col. 0604C] satis durum, satis periculosum est, quia intra hominem geritur et nisi cum ipso homine non finitur. Ideo ergo ad hanc tranquillam, secretam et spiritualem vitam venimus, ut quotidie contra passiones nostras infatigabili congressione decertemus, ut cordis nequitias circumcidamus vel linguae gladium retundamus. Turrim namque excelsam exstruere volumus, praeparemus nobis sumptus ad structuram, ut coeptum aedificium ad perfectionem deducamus; ne quando praetereuntibus veniamus in derisum, et gratulentur de nobis inimici nostri, et dicant: Isti coeperunt aedificare, et non potuerunt consummare. Avertat autem Dominus hoc improperium a nobis **(Luc. XIV, 30)**. Haec enim turris non ex lapidibus construitur, sed ex virtutibus animae; nec auri et [Col. 0604D] argenti sumptibus indiget, sed conversatione fideli: nam terrenae opes plurimum ad aedificandum impediunt. Difficile namque est duobus dominis servire, nec potest quisquam serviens mammonae spiritualia arma portare, sed jugum suave Christi repellit et projicit a se; et quidquid grave et onerosum est animae suae, suave ei videtur ac leve. Istiusmodi solitarius a propriis armis vulneratur, et cum diligit periculum, incidit in mortem. Nos autem si cupimus militare Deo, illi soli serviamus, et terrenas opes postponamus. Peculiariter autem ad professionem nostram pertinet, nihil honoris in hac vita requirere, sed honores fugere, et ad aeternae remunerationis promissa animum praeparare, subjectione atque abjectione [Col. 0605A] gaudere, voluntariam paupertatem amplecti, et non solum facultates, sed etiam ipsas cupiditates de cordibus nostris eradicare; quia nihil prodest non habere divitias, cui voluntas suppetit habendi eas. Non enim tantum habere debemus, quantum cupiditas concupiscit, sed quantum necessitas poscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis et plus torquetur in minimis. Est autem et alia causa valde dura et nimis dolenda, hoc est omni intentione studium laboris impendere, et fructum non recipere post laborem. Quid enim prodest jejunare et vigilare, et mores non corrigere? Sic est quomodo si aliquis extra vineam aut circa vineam exstirpet et excolat, et vineam ipsam desertam ac

incultam relinquat, ita ut spinas [Col. 0605B] et tribulos germinet. Aut quid prodest afflictio corporalis, si linguae nequitiis et obtrectationibus polluamur, cum apostolus dicat: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* **(Jac. I, 26)**. Nonne omne opus nostrum velut fumus atque umbra evanescit, et velut favilla stupae in nihilum redigitur? Quapropter frustra nobis de corporis cruce et pectoris afflictione blandimur, si exterior homo noster, hoc est corpus nostrum, sanctis laboribus exercetur, et interior a passionibus, hoc est, a detractione, ab ira, ab indignatione, ab hypocrisi et caeteris hujusmodi vitiis non curatur. Hujusmodi quippe solitarius talis videtur mihi esse, quomodo si a foris statuam auream faciat aliquis quae intro lutea sit; vel quomodo [Col. 0605C] si domus magnifica arte exstructa, a foris pulcherrimis depicta videatur coloribus, ab intus serpentibus et scorpionibus plena sit. De talibus enim Christus in Evangelio dicit: *Vae vobis, hypocritae, qui similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris hominibus parent speciosa;* intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate **(Matth. XXIII, 27)**. Ipse quoque Dominus velut pius medicus hac de causa nobis infirmis paulo superius dat consilium, dicens: *Munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id quod deforis est, mundum* **(Ibid., V. 26)**. Hoc est, munda prius cor tuum ab omni hypocrisi et iniquitate, et ab omni ira et detractione, et tunc erit opus tuum lucidum totum, et non habens aliquam partem tenebrarum.

CAPUT XXIV.

[Col. 0605D] *Item de eadem re quae supra.*

Certi enim simus, secundum Domini nostri sententiam superius dictam, quod nisi nostras quotidie caveamus et circumcidamus passiones, deteriores nos multum effici quam fuimus dum in saeculo viveremus, ita ut fiant extrema nostra pejora prioribus. Quapropter non solum nobis a capitalibus criminibus caveamus, sed etiam ipsas parvas negligentias quotidie quasi venenum diaboli respuamus. Sicut enim per minutissimas rimulas in sentinam navis guttae concurrunt, sic et minuta peccata quotidie in animas nostras confluunt. Et sicut navis posteaquam de fluctibus pelagi evasit, si in portu exsentinata non fuerit, de minutissimis guttis impletur et mergitur; ita [Col. 0606A] et solitarius, devictis et superatis mundi hujus criminibus, quasi periculosis fluctibus, cum ad portum solitudinis venerit, si repentina et minuta peccata de animae suae sentina exhaurire neglexerit, in ipso quietis portu naufragii discrimen incurrit.

Sed dicit aliquis: Quomodo potest anima exsentinari? Utique orando, vigilando, jejunando, abstinendo, ipsa peccata confitendo, veram charitatem, veram humilitatem, veram patientiam exhibendo. Quanquam enim solitarius sit justus et sanctus, nunquam necesse est ut in hac vita sit securus, quia, ut ait Scriptura: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futuro reservantur incerta.* Multi enim adhuc laquei tensi sunt ante pedes animae nostrae. Sicut enim quis transiens super flumen, [Col. 0606B] per angustias arctissimi pontis, etiamsi majorem partem inoffenso pede jam periculi evasisse se credat, cum in ultimo pontis spatio venerit, et si paululum titubaverit, casum quem in medio pontis timebat, incurrere poterit. Sic nos etiamsi magna pars vitae istius

prospere videatur jam fuisse transacta, non ideo fiduciam praesumamus, cum adhuc periculi pars extrema minetur. Nemo ergo securum se esse judicet, antequam ad finem felici consummatione perveniat. Quid ergo prodest si mihi vinea spem omnem in flore ostendat, et vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis, spem omnem in consummatione subducat? Ideoque omnis prosperitas, omnis labor felicitatis in fine consistit. Ne ergo nimia securitate solvamur, adducatur illa Domini sententia [Col. 0606C] in medium, de qua dicitur: *Utinam calidus esses, aut frigidus! nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* **(Apoc. III, 15)**. Ac si dicatur: Melius tibi fuerat in saeculo remansisse frigidum, quam in solitaria vita esse tepidum. Nunc autem quia de saeculo recessisti, et fervorem spiritualem prae negligentia apprehendere noluisti, tepidus effectus es, vix iterum ex ore Domini respiciendus evomeris. Et ideo necesse est nobis diligenter attendere illam divinae Scripturae sententiam dicentis: *Omni custodia serva cor tuum* **(Prov. IV, 23)**. Oportet itaque ut invicem opera nostra quotidie consideremus et perspicaciter attendamus: quis nostrum in opere Dei sit promptior, quis in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate purior, in lacrymarum [Col. 0606D] ubertate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior; quis in ira sit mitior, in mansuetudine modestior, in risu rarior, in compunctione ferventior, in gravitate fundatior, in charitate jucundior; et sic nosmetipsos quotidie ipsi nobiscum de conversatione nostra rationem habeamus ad invicem dicentes: Videamus si hunc diem sine peccato, sine invidia, sine murmuratione, sine ira ac detractione transegimus. Videamus si hodie aliquid quod ad profectum nostrum et ad aedificationem aliorum pertinet, operati sumus. Videamus si plus hodie risui, si plus cibo ac potui, si plus otio ac somno quam decebat, indulsimus. Si minus legimus, si minus oravimus quam debuimus: ac sic de omnibus negligentiis [Col. 0607A] nostris compungamur in cubilibus, hoc est, in cordibus nostris; et si aliquod bonum in nobis, Domino largiente, conspicimus, illi, a quo est omne bonum, gratias referamus. Si vero, quod absit, aliquod vitium in nobis deprehenderimus, illud nobismetipsis reputemus, et ad poenitentiam denuo recurramus. Haec autem quae supra breviter praelibavimus, generaliter ad omnes pertinent solitarios; et non solum ad eos, verum etiam ad omnes Dei servos et catholicos Christianos. Praeterea quoque si duo fuerint simul, ita ut praefatum est, solitarii, oportet ut non otio torpeant, non detractionibus et obscenis confabulationibus incumbant, sed aut psalmorum modulationibus, aut divinis lectionibus, aut certe manuum operationibus insistant, horas canonicas cum omni [Col. 0607B] devotione custodiant, et in his divinum officium impleant, moxque ut datum fuerit signum, ad oratoria propria conveniant. Quotidie quoque ad collationem simul veniant, ubi de Dei servitio et de communi profectu tractent, et pro admissis sibi invicem veniam postulent. Si autem unus solummodo fuerit solitarius, ipse etiam quotidie collationem secum habeat. Sedeat quidem quotidie in tribunali mentis suae, et statuat se ante faciem suam, atque ita in corde suo constituto judicio adsit accusatrix ejus cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: deinde sanguis animae confitentis per lacrymas profluat; postremo in conscientia sua se indignum et peccatorem fore judicet. Haec quidem de uno.

Si autem, ut praedictum est, duo fuerint, honorem [Col. 0607C] sibi invicem humiliter deferant. Junior natu eum qui aetate senior est obsequio sanctitatis veneretur: senior vero aetate juniorem dictis et exemplis ad bene vivendum informet. Nobilis genere

nequaquam ignobili se praeferat. Sciat autem quia non est personarum acceptio apud Deum. Neque enim is, qui scientiae doctrinis, et caeterorum bonorum operum praerogativis pollet, se alteri praeferat, sed potius de muneribus sibi divinitus collatis Deo gratias agat, semper illud Apostoli perpendens, quo dicitur: *Qui se stare putat, videat ne cadat* **(I Cor. X, 12)**. Et illud Hieronymi: Timendum est, inquit, et cavendum, ne veterem gloriam et solidam firmitatem unius horae procella subvertat. Charitatis autem officio se alterutrum humiliter praeveniant. Ad illorum [Col. 0607D] autem infirmitates procurandas invicem condescendant, et eorum necessitates invicem provideant: et quotidie, si locus ita fuerit congruus, ita pariter reficiantur utrisque et spiritualibus et carnalibus dapibus. Una prosperitas sit utriusque similiter et adversitas, si forte contigerit. Unius voluntas alterius voluntati succumbat. Utrorumque illorum voluntates Domini voluntati, imo servituti subjiciantur; et non quod singuli singillatim cupiunt, sed quod utrique disponunt, agant; illam Dominicam semper reminiscentes sententiam: *Non veni, inquit, voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me, Patris* **(Joan, VI, 38)**.

[Col. 0608A]

CAPUT XXV.

De instrumentis bonorum operum.

Cum ergo omnium sanctarum Scripturarum paginae instrumentis bonorum operum sint refertae, et per earumdem sanctarum Scripturarum campos inveniri possint arma quibus vitia comprimantur et virtutes nutriantur, necesse est tamen huic regulae sententiam cujusdam Patris inserere de instrumentis bonorum operum; in qua sub magna brevitate quid solitariis agendum quidve vitandum sit, continetur. Oportet enim eos 1. Imprimis Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. 2. Deinde proximum tanquam seipsum. 3. Deinde non occidere: hoc est, non detrahere; quia, ut ait apostolus: *Qui detrahit fratri suo, homicida est* **(Joan. III)**. [Col. 0608B] 4. Deinde non adulterare. 5. Non furtum facere. 6. Non concupiscere. 7. Non falsum testimonium dicere. 8. Honorare omnes homines. 9. Et quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat. 10. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. 11. Corpus castigare. 12. Delicias non amplecti. 13. Jejunium amare. 14. Pauperes recreare. 15. Nudum vestire. 16. Infirmum visitare. 17. Mortuum sepelire.

Quaerendum est itaque quomodo possit solitarius infirmum vel in carcere positum visitare, aut mortuum sepelire, qui non habet quidem facultatem de cellula foras exire. Infirmum enim, vel in carcere positum, ille procul dubio visitat, qui in lecto vel in tenebris vitiorum videt aliquem jacere, et morbo suae iniquitatis laborare, eumque suo exemplo operationibus [Col. 0608C] atque antidoto salubris exhortationis roborat, quem in bona actione titubare ac debilitari cernebat. Mortuum quoque ille sepelit qui pro eo devote seduleque preces ad Dominum fundit: non solum autem mortuum sepelit, sed etiam eum, ut ita dicam, a morte suscitat, quando videt aliquem funibus peccatorum suorum obstrictum, et in tenebris suae iniquitatis quodammodo sepultum, eumque ad confessionem ac poenitentiae lamenta per sacrae admonitionis studium provocat, atque

ut ad viam salutis redeat salubriter instigat. Quocirca sciendum est nobis quia major merces est, peccatorem suscitare de vitiis quam mortuum de sepulcro. Sequitur. 18. In tribulatione subvenire. 19. Dolentem consolari. 20. A saeculi actibus se facere alienum. [Col. 0608D] 21. Nihil amori Christi praeponere. 22. Iram non perficere. 23. Iracundiae tempus non reservare. 24. Dolum in corde non tenere. 25. Pacem falsam non dare. 26. Charitatem non derelinquere. 27. Non jurare, ne forte perjuret. 28. Veritatem corde et ore proferre. 29 Malum pro malo non reddere. 30. Injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre. 31. Inimicos diligere. 32. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. 33. Persecutionem pro justitia sustinere. 34. Non esse superbum. 35. Non vinolentum. 36. Non edacem. 37. Non somnolentum. 38. Non pigrum. 39. Non murmurosum. 40. Non detractorem. 41. Spem suam Deo committere. 42. Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, [Col. 0609A] non sibi. 43. Malum vero semper a se factum sciat et sibi reputet. 44. Diem judicii timere. 45. Gehennam expavescere. 46. Vitam aeternam omni concupiscentia spirituaii desiderare. 47. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. 48. Actus vitae suae omni hora custodire. 49. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. 50. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere. 51. Et seniori spirituali patefacere. 52. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire. 53. Multum loqui non amare. 54. Verba vana, aut risui apta, non loqui. 55. Risum multum et excussum non amare. 56. Lectiones sanctas libenter audire. 57. Orationi frequenter incumbere. 58. Mala sua praeterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in [Col. 0609B] oratione Deo confiteri; et de ipsis malis in reliquo emendare. 59. Desideria carnis non perficere: voluntatem propriam odisse. 60. Praeceptis seniorum in omnibus obedire, etiamsi ipsi aliter, quod absit, agant; memores illius Dominici praecepti: *Quae dicunt facite;* quae autem faciunt facere nolite **(Matth. XXIII)**. 61. Non velle dici sanctum antequam sit; sed prius esse, quod verius dicatur. 62. Praecepta Dei factis quotidie adimplere. 63. Castitatem amare. 64. Nullum odisse. 63. Zelum et invidiam non habere. 66. Contentionem non amare. 67. Elationem fugere. 68. Seniores venerari. 69. Juniores diligere. 70. In Christi amore pro inimicis orare. 71. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. 72. Et de Dei misericordia nunquam desperare.[Col. 0609C]

Ecce haec sunt instrumenta artis spiritualis; quae cum fuerint a nobis die noctuque ineffabiliter adimpleta, et in die judicii reconsignata, illa nobis merces a Domino recompensabitur, quam ipse promisit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus his qui diligunt eum* **(I Cor. II, 9)**. Officina vero ubi haec diligenter operemur, claustra vel cellulae sunt solitariorum, et stabilitas in retrusione.

CAPUT XXVI.

De observatione mandatorum Dei.

Omnibus quidem Christianis expedit observare et obedire mandatis Domini nostri Jesu Christi, et maxime solitariis. Sed sciendum nobis est quod ad conservandam memoriam Dei, et ad obediendum [Col. 0609D] praeceptis ejus plurimum prodest etiam secretius et

remotius habitare. Nam permixtim vivere cum his qui negligentius agunt circa timorem Dei, et contemptum habent mandatorum ejus, plurimum nocet; sicut et Salomonis sermo testatur dicens: *Cum homine irreligioso ne habitaveris, ne forte discas semitas ejus, et facias laqueos animae tuae* **(Eccli. XXXVII, 12)**. Et iterum: *Ne aemuleris hominem injustum, ne imiteris vias ejus* **(Prov. III, 31)**. Unde et Petrus apostolus ait: *Justum igitur et valde justum est separari eum qui salvari vult, ab eo qui non vult.* Hinc Paulus sub magna denuntiatione dicit: *Denuntiamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante* [Col. 0610A] **(II Thess. III, 6)**. Hinc etiam Hieronymus ait: Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, et ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge: corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimae. Tu aurum contemnis, alius diligit; tu calcas opes, ille sectatur; tibi cordi est mansuetudo, silentium, secretum; illi loquacitas. Hic satis evidenter ostenditur quod plurimum impedit societas et permixtio eorum qui vitam dissimilem ducunt.

Igitur ut neque per oculos, neque per aures recipiamus malas delectationes ad peccandum, et ut orationi possimus vacare liberius, oportet omnino habitare secretius atque remotius: hoc enim modo et praecedentes consuetudines a nobis excidere poterimus, in quibus contra praecepta Dei agebamus. [Col. 0610B] Non enim parvus labor est ut se aliquis a priori non bona consuetudine reflectat ac revocet. Unde illud vulgare proverbium dicitur: Mala consuetudo aut vix aut nunquam tollitur. Quapropter si volumus mandata Dei observare et custodire, studeamus primo omnium nos ipsos abnegare, et crucem Christi tollere et sic eum sequi. Ipse Dominus ad amorem sui et observationem mandatorum suorum nos provocat, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate* **(Joan. XIV, 15)**. Et iterum dicit: *Qui habet mea mandata, et servat ea, ille est qui diligit me* **(Ibid., v. 21)**. Tunc namque diligimus Deum, si ejus mandata servamus, et omnia visibilia pro amore ejus contemnimus. E contrario tunc nequaquam eum diligimus, cum ejus praecepta non custodimus. Unde [Col. 0610C] Joannes apostolus ait: *Qui dicit quoniam diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* **(I Joan. IV, 20)**. Vere enim diligimus Deum, si ejus mandata observamus. In operatione autem mandatorum ejus cognoscere possumus utrum Deum diligamus an non. Non enim ordinem mandatorum Christi hic inserere per omnia disposuimus, sed ex parte, et quantum ad propositum nostrum sufficit, et praesens ratio postulat. A parte enim totum intelligitur. Primum itaque ea commemorare oportet quae nos ad amorem Dei et proximi provocent, id est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis;* hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. [Col. 0610D] *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 37)**. Unde beatus Gregorius ait: Praecepta Dominica multa sunt et unum. Multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Si in his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae, et si utilitas omnium mandatorum una est, et si omnia mandata unum esse videntur, tunc non est nobis necesse cuncta mandata Dei in hoc capitulo sigillatim inserere. Sed videamus quid sit quod nobis praecipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quid enim est Deum ex toto corde diligere, nisi ut cor nostrum non sit inclinatum ad ullius dilectionem amplius quam Dei? Verbi gratia, si aurum, si argentum, si varias possessiones et honores [Col. 0611A] temporales, si mancipia, et animalia, caeteraque

hujusmodi toto affectu diligimus, Deum ex toto corde non amamus. Pro quanta enim parte in aliquo horum amor cordis nostri fuerit occupatus, pro tanta parte minus est ad Deum, et pro tanta parte minus diligimus Deum. Sicut enim casta mulier, quae virum suum amat, nullum alium amat, ita et homo, si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non diligit. Et ideo reflectamus cor nostrum, et mentem nostram, et omnes actus nostros ab amore visibilium rerum, et Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute diligamus. Tunc enim Deum diligimus, si omnes sensus nostri, qui pertinent ad mentem, Deo vacant: si intellectus noster [Col. 0611B] Deo ministrat, si sapientia nostra circa Deum est, si omnis cogitatio nostra ea quae Dei sunt tractat. Tunc etiam vere Deum diligimus, si semper de ejus servitio cogitamus et loquimur, et ejus mandata juxta vires adimplere satagimus. Deus enim non se verbis tantum vult diligi, sed corde puro et operibus justis. Non postulat a nobis aurum neque argentum, neque aliquid hujusmodi; sed si fuerint nobis ista, dispertiri egentibus praecipit. Nos ipsos quaerit, in nobis requiescere cupit. Hoc solummodo a nobis exigit ut eum ex toto corde diligamus, et mandata ejus custodiamus, et templa nostra impolluta ei servemus, quatenus ipse semper in nobis habitet, et nos in illo permaneamus. Quapropter accedamus ad eum et copulemur in affectu ejus.[Col. 0611C]

Sequitur: *Diliges,* inquit, *proximum tuum sicut teipsum.* Qui diligit proximum, inquit Apostolus, *legem implevit* **(Rom. XIII, 8)**; qui autem e contrario odit, homicida est. Qui proximum suum diligit sicut seipsum, non occidit illum, non mentitur illi quem diligit, non falsum testimonium de eo dicit, nec illius rem concupiscit; non insuper hoc quod non vult ut faciat ei aliquis, facit illi quem sicut seipsum diligit. Sequitur: *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**; jam enim supra diximus, ut omnium mandatorum una est utilitas, et omnia mandata unum videntur esse mandatum, ita sibi invicem cohaerent, ut alterum sine altero esse non possit. Nec enim Deus vere sine proximo, nec [Col. 0611D] proximus vere diligitur sine Deo. Nam, sicut supra diximus, impossibile est omnia mandata Dei in hoc capitulo inserere, sed breviter succincteque ea commemoravimus quae nos ad amorem Dei possint excitare. Sciendum tamen nobis est quia non solum praecepta evangelica, verum etiam prophetica et apostolica mandata diligentissime scrutari, et fidelissime observare, et obedire eis debemus. Ideoque studeamus Deum ex toto corde diligere, et mandata ejus scrutari, et semper ante oculos mentis habere, et ea non ex parte, sed per omnia diligere; quatenus illam beatitudinem consequi mereamur quam ille hymnidicus rex et propheta commemorat dicens: *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum* **(Psal. CXVIII, 2)**. Studeamus etiam, [Col. 0612A] fratres mei, et proximos nostros ut propria viscera diligere, ut simul cum eis ad gaudia sempiterna feliciter pervenire et gaudere mereamur.

CAPUT XXVII.

Lamentabilis descriptio de his qui praecepta Christi non observant.

De praeceptis ergo Domini nostri Jesu Christi unum adhuc capitulum excipere volui; sed cum reminiscerer quod istis temporibus pene jam nemo sit qui ea observare valeat

vel satagat, majus mihi desiderium exstitit flendi quam scribendi. Merito enim lugendum est praesentis vitae tempus, in quo tot mala tantaque flagitia videmus quotidie cumulari; quae si velimus per singula considerare, nunquam poterimus a lacrymis temperare. Sic autem omnia [Col. 0612B] confusa, sic cuncta sunt resoluta, ut jam nec virtutis quidem vestigium usquam appareat. De spurcitiis enim et luxuriis, atque de caeteris nequitiis, nostris diebus mundum repletum esse perspicimus: et, quod est omnium malorum infelicius, jam nec ipsi emendamur, nec aliis emendandi exemplum praebemus; sed sumus velut sepulcra dealbata, quae a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Et contigit nobis hoc quod illis solet evenire qui vel phrenesin patiuntur, vel mente capti sunt; a quibus cum multa turpia et periculosa vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris aliquid, nec etiam poenitudinis capiunt, quinimo, et magnifici sibi ac sapientiores videntur esse sanis ac sapientibus. Ita ergo et [Col. 0612C] nos, cum omnia quae sanitati contraria sunt gerimus, nec hoc ipsum quidem quod est sanitas novimus. Si forte enim in corpore parum aliquid morbi nos pulsaverit, statim medicos adhibemus, et pecunias eis damus, et omni observantia, quod nobis competit, gerimus, nec prius cessamus quam ea quae nobis molesta sunt mitigentur. Anima vero cum quotidie vulneretur, lanietur, uratur, praecipitetur, et modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ipsa nos cura sollicitat. Certum est enim quod nos omnes pariter corrumpit et absumit incuria, dum nemo est qui opportuna praebeat et inopportuna prohibeat, et cum omnes cura indigeamus, nemo est qui medicinam praedicationis adhibeat et poenitentiam [Col. 0612D] curationis imponat. Etenim si religiosus homo aliquis extrinsecus undecunque in his partibus adveniret, et praeceptorum Christi ac nostrae conversationis confusionem videret, nescio si alios aliquos magis quam nos inimicos esse et contrarios praeceptorum Christi judicaret, et quasi qui studium quoddam habuerimus in omnibus contraria agere quam Christus nobis praecepit. Sed ne quis putet forte exaggerationis causa a me haec verba proferri, probamenta jam nunc adhibebo, non aliunde quam de ipsis Christi mandatis; Christus enim noster in Evangelio ait: *Audistis quia dictum est antiquis:* Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, [Col. 0613A] *racha, reus erit concilio;* qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis **(Matth. V, 21, 22)**. Haec quidem Dominus Jesus. Nos autem tanquam increduli et infideles calcamus hanc legem, et quotidie innumeris injuriis fratres nostros afficimus, quasi inde aliquid praemii exspectemus. Sed videamus nunc quantum sit inter justitiam Pharisaeorum et Christianorum discrimen. Illos occisio reos facit judicio, nos autem ira similiter reos facit judicio. Et si nos ira reos facit judicio, quomodo audemus quotidie tam leviter non solum contra juniores, verum etiam contra aequales ac majores nostros irasci? Non solum autem de ira, verum etiam de omni verbo otioso, secundum ejusdem Domini nostri sententiam, reddituri sumus Deo rationem. Racha enim [Col. 0613B] dicitur inanis et fatuus. Et cum frater noster ita credat in Christum sicut et nos, quomodo illum audemus inanem, vel fatuum, vel absque mente vocare? Nam quod Dominus racha et fatue dicit, hoc ostendit quia nec leve quidem, nec minimum in fratre collatum convicium nobis relaxabitur, ut non pro omnibus judicemur, nisi laeso satisfecerimus, et condignam poenitentiam in hac vita agamus. Et ideo de istis levioribus mandatis sententiam dedit nobis Christus, ut et de caeteris omnibus quae praevaricamur similiter sentiamus. Praeterea quoque in tantum humanus metus timori Dei praeponitur, ut si fortiores ac

potentiores nostri aliquam injuriam aut contumeliam nobis faciant, ipsas etiam prompte et [Col. 0613C] mansuete sustinemus; erga coaequales vero vel inferiores interdum nec laesi commovemur et irascimur. Quis ergo erit immunis aut alienus ab hac culpa? Si autem miles terrenus in conspectu regis terreni non ausus est irasci, neque aliquid suae indignationis ante oculos ejus ostendere, quomodo audemus coram Rege aeterno irasci, et indignationem nostram ante faciem ejus ostendere? Rex ergo terrenus deforis tantum videt hominum corpora, et ipsa solummodo habet in potestate: Rex vero coelestis cordis nostri conspicit arcana, et potestatem habet utrumque, et corpus et animam, perdere in gehennam. Propter quod nec erga famulos quidem negligendum est istud praeceptum: neque enim sine causa debemus contra ipsos irasci, quia et illi a [Col. 0613D] Christo simili ut nos libertate sunt donati. Neque etiam si aliquem videmus mandatum Domini praeterire, irasci contra cum debemus, sed potius miserationem et compassionem erga illum nos habere oportet, secundum eum qui dixit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor* **(II Cor. XI, 29)**? Illud autem quod in sequentibus habetur, quis non infidelium etiam fabulosum judicet, cum aeterna Dei voce sancitum sit? ait enim: *Si autem offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo;* et tunc veniens offeres munus tuum **(Matth. V, 25)**. Nos autem e contra pugnas habentes ad invicem, et dolos in corde versantes, accedimus ad altare Dei. Et cum [Col. 0614A] Deus et Dominus tantam curam reconciliationis nostrae habeat, ut patiatur munera sua relinqui, et ante altare imperfecta manere, atque interrumpi mysteria sua, donec eamus, et iracundiam cum fratribus nostris solvamus, et nodos et inimicitias: nos vero nec hoc quidem erubescimus, sed dies multos manemus in inimicitiis, et trahimus sicut funem longum iram et voluntatem malam, ignorantes quod tantum longa erit nobis poena quantum et discordia. Hoc etiam ad cumulum nostrae confusionis est, ut si quid boni nobis dicatur de inimico, non credimus; si quid autem mali, hoc solum credimus et confirmamus. Et si forte irasci nobis accidat, praecipit Dominus ut ante solis occasum iracundiam nostram finiamus. Unde dicit: *Sol non occidat super iracundiam* [Col. 0614B] *vestram* **(Ephes. IV, 26)**. Nos autem e contra ne hoc quidem contenti sumus ut iracundiam nostram ultra solis terminum producamus, sed insidias invicem ponimus, et sive verbis sive rebus supplantare proximos nostros cupimus. Nam osculum pacis quo tempore munera sacra offeruntur, porrigere invicem in usu habemus; sed vereor ne plures ex nobis hoc labiis tantummodo faciant, cum Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret. Unde per haec Deus potius exacerbari quam placari credendus est. Puritas enim et veritas in conspectu Dei placent; respuit autem et odit omne quod simulatur et fingitur. Nam pro his singulis lacrymae nobis fundendae sunt, et confusio habenda est. Caetera vero praecepta quae restant, in sequenti capitulo, [Col. 0614C] ob compendii causam, breviter et diligenter discutienda relinquimus.

CAPUT XXVIII.

Item de eadem lamentatione quae supra.

Jam vero quae de consentiendo adversario, vel de concupiscentia illicita, et de oculo dextro, et de manu dextra, et de relinquendis uxoribus praecipiuntur **(Matth. V)**, quasi

nec scripta sint nec audita, ita contemnuntur. In oculo enim dextro et manu dextra parentes nostros atque propinquos intelligimus: quod si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento sunt, debemus truncare istiusmodi portiones; ne dum volumus caeteros lucrifacere, ipsi in aeternum pereamus. Nam de non jurando erubesco [Col. 0614D] proferre in medium, non solum propter juramenta, sed etiam propter perjuria. Si enim vere jurare crimen est et praevaricatio mandati, de perjurio quid dicamus? Evangelica autem veritas juramentum non recipit, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Post haec autem Dominus ait: *Si quis te percusserit in dextram maxillam, praebe illi et alteram;* et volenti tecum judicio contendere, et tunicam tuam auferre, relinque illi et pallium. Et si quis angariaverit te mille passus, vade cum illo alia duo. Petenti te, da ei. Et volenti mutuari a te, ne avertaris **(Matth. V, 39)**. Ad haec enim quid dicimus? Pro singulis autem his lacrymae nobis tantummodo proferendae sunt, et confusio habenda est: aperte enim contra haec omnia militamus. Pati autem aliquid [Col. 0615A] ex his quae scripta sunt ac ferre, neque in verbis, neque in rebus unquam volumus. Sed etsi in aliquo saltem vel leviter pulsemur, continuo velut ferae bestiae contra eos insurgimus. Sed licet nos in omnibus contraria agamus quae praecipit nobis Christus, tamen eminentius ab eo docemur; qui diripuerit, inquit, quae tua sunt, qui te laeserit, qui tibi nocuerit, non solum pro his quae tibi abstulit, non indigneris; sed et dilige, et tota charitate constringe, et etiam pro ipso ad Deum diligenter preces funde. Ac si dicatur: Cum ille qui ad diripienda quae tua sunt iniquo spiritu fuerit accensus, si te prolixiorem invenerit in largiendo quam ille venerat in diripiendo, quamvis ille sit ferus et barbarus, erubescet tamen bonitatem tuam, mitigabitur a furore, [Col. 0615B] resipiscet continuo et facti poenitebit, ac suum quidem peccatum exhorrescet, tui vero animi virtutem mirabitur et amabit. Sed hoc ubi nunc invenio? Cujus enim talem vitam mirabor? Neminem autem nunc invenire queo qui hanc injuriam patienter ferre velit. Christus enim nos orare pro persequentibus et calumniantibus jubet; nos autem non solum contra inimicos, sed etiam contra amicos saepe inimicitias et insidias ponimus. Christus maledicentibus benedici jubet, nos e contra non solum multiplicatas maledictiones restituimus, sed etiam, si possumus, pro verbis flagellis eos caedimus. Nonne tibi videntur, o homo, omnimodis contraria esse, ut dixi, praeceptis Christi quae gerimus? Nonne magis pugnam habemus contra mandata ejus, quam obedientiam? [Col. 0615C] Et ideo merito lugemus, et inobedientiam nostram merito plangimus. Sed dicit aliquis: Impossibilia nobis praecipit Christus. Quid agis, o homo? nunquid ignoras quid David in Saul fecit? Quid Stephanus martyr, qui pro lapidantibus exoravit? Oblitusne es quid ipsemet Christus docuit et fecit, dicens: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt* **(Luc. XXIII, 34)**? Volentibus enim observare Christi praecepta, non sunt impossibilia, sed levia; nolentibus vero et inobedientibus videntur esse dura et impossibilia, cum idem Dominus dicat: *Onus meum leve, et jugum meum suave* **(Matth. XI, 30)**. Jam vero quid dicam de hoc quod scriptum est in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* **(Matth. VI, 12)**? [Col. 0615D] Quisnam est ex omnibus nobis qui cum fiducia haec Deo dicere audeat? Nam etsi nihil faciamus inimicis et debitoribus nostris, habemus tamen intra nos insanabile vulnus irae retentum in corde. Et si tantummodo non laedas eum qui te laesit, avertis te tamen ab eo, nec libenter eum vides, manet sine dubio vulnus in pectore, et dolor augescit in corde. Nunquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum, ut non quidem te laedat, avertat se tamen abs te, et peccatorum tuorum memoriam teneat et videre te nolit?

Igitur qualem vis esse erga te Deum, cum peccatorum veriam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te, sicut et sapientium quidam dixit: *Homo homini servat iram,* et a Deo [Col. 0616A] *quaerit medelam* **(Eccli. XXVIII, 3)**. Et si homo erga hominem non habet misericordiam, quis propitiabitur delictis ejus? Vellem silere jam et huc usque progressus finem sermonibus meis imponere. Erubesco enim et confundor ultra procedere. Sed quid iterum tacere proderit, cum ab ipsis mandatis Christi, quae impugnamus, silenter etiam arguamur? Quomodo autem latebimus, cum qui novit corda nostra, judicaturus est ea? Quid ergo dicam de illo mandato quo jubemur non thesaurizare super terram? Caeteri vero quasi e contrario audierint praeceptum, et quasi dictum sit ad eos: Thesaurizate omni modo super terram; ita relinquentes coelum adhaeserunt terrae, et insaniunt erga pecunias congregandas, totoque affectu odiunt Deum, diligunt autem [Col. 0616B] mammonam. Quod autem dictum est. *Nolite cogitare de crastino, nec audire scio aliquem, nec omnino servare.* Et propterea de hoc mandato dicere aliquid erubesco. Etenim oportebat nos quocunque pacto loquente Christo et pronuntiante non dubitare, sed credere. Nunc vero etiam cum et causas et rationes adhibeat mandatorum suorum, atque exemplis ea validissimis muniat, nec sic quidem erubescimus. Propter hoc enim et avium quae non arant, neque seminant, et liliorum, quae non nent, similitudines posuit, ut nemo dubitaret, et tamen nos sicut gentes, aut forte etiam aliquid desperabilius gentibus de his cogitando consumimur. Sed de hoc, ut dixi, mandato plura dicere erubesco, ad sequentia tamen veniam, si forte alicubi solatium qualecunque [Col. 0616C] mei pudoris inveniam. Quid ergo sequitur post haec? *Nolite judicare, ut non judicemini* **(Matth. VII)**. Ego enim solatium mei pudoris invenire credebam, augmenta nunc confusionis reperi. Si autem nullum nobis peccatum aliud fuisset admissum, pro hoc solo gehennae nos tradi satis abundeque sufficeret; quippe qui in alienis delictis severi et amarissimi judices residemus, nostras autem trabes in oculis propriis infixas non videmus: a quo vitio neque saeculi hominem, neque monachum, neque etiam solitarium ullum facile reperies liberum. Neque etiam de hoc exhorrescimus quod idem ipse ait: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini* (Ibid.). Nam dic mihi, quid laboris habet ut non judices alium? Nos autem qui cum possimus sine labore mandatum [Col. 0616D] Dei servare, laboramus et nitimur ut illud praevaricemur. Quia et revera ipse pronuntiavit de praeceptis suis quod nihil in eis onerosum sit, sicut paulo ante retuli, id docens: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* **(Matth. XI, 30)**. Nos namque e contra gravia efficimus quae ille levia constituit. Quamvis enim sint aliqua in quibus paululum laboris adhibendum est, tamen quidquid ipse praecepit leve est, etiam si sit tribulatio. Et si tribulatio, quomodo leve est? Leve, inquam, est, quia immensum pondus futurae gloriae levem facit praesentis temporis tribulationem. Sequitur: *Nolite,* inquit, *dare sanctum canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos* **(Matth. VII, 6)**. Nos vero e contra laudis [Col. 0617A] amore et jactantiae vitio corrupti, etiam huic praecepto contraria gerimus, atque hominibus neque intellectum purum habentibus, neque fidem sanam retinentibus, et insuper peccatorum maculis innexis, sine ulla discretione mysteriorum secreta nudamus. Multum est enim, si velimus singula quaeque mandata discutere, quae omnimodis in contemptu habentur ab hominibus, ut illud: *Quodcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (Ibid.). Nos namque e contrario omnia facimus hominibus quae ipsi nolumus pati. Et rursum, qui jussi sumus per angustam viam incedere, per latam semper incedimus. Hi autem qui videntur sustulisse crucem suam et

sequi Christum, de lata et spatiosa via sollicite requirunt. Sic enim facere [Col. 0617B] solent illi qui saeculum relinquere disponunt. Cum autem de monasteriis aut retrusione vel etiam de locis habitantium percunctantur, ante omnia de requie tractant et de opportunitate. Prima tamen sollicitudo statim et prima verba ista sunt: Estne ibi requies quo eundum est? Inveniuntur ibi ea quae necessaria sunt abundanter? Primum enim, ut dixi, sollicite requirunt si nihil horum desit quae lata et spatiosa via deposcit. Quid agis, o homo? Quid loqueris? Arctam et angustam viam jussus es ambulare, utquid de requie, utquid de abundantia percunctaris? Verum ne me existimet aliquis haec dicendo alios incusare, jam nunc de meipso narrabo. Quondam cum de saeculi abrenuntiatione et de solitaria habitatione cogitare coepissem, ego scio quam [Col. 0617C] sollicite infra memetipsum perscrutabar, unde viverem, et unde mihi in ipsa habitatione ea quae necessaria sunt corpori praeberentur? Sed et illud non segniter requirebam, unde haberem vestimenta, unde luminaria, unde etiam ligna, et legumina, et caetera talia. Ita enim ego cum omni sollicitudine de requie corporis apud memetipsum tractabam. Heu! quam subtiliter ille artifex mali diabolus nos decipit, et quanta caecitate oculos nostrae mentis obducit! Ad regnum coelorum cupimus ascendere, et interrogamus si aliqua nobis difficultas occurrat in itinere. Ad coeli fastigium et divitias festinamus: ad ipsas, inquam, divitias, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt; et de requie corporis percunctamur.[Col. 0617D]

Nam sicut diximus supra, multum est si velimus singula quaeque mandata Christi in hoc loco discutere. Tamen oportet nos flere et lugere pro his singulis quae impugnamus, et in contemptu habemus, quatenus ab ipsis sceleribus quae per inobedientiam et contemptum eorumdem mandatorum Christi incurrimus, uberrimis lacrymarum fletibus ablui expiarique, Deo opitulante, mereamur.

CAPUT XXIX.

De compunctione cordis.

Compunctio etenim cordis est humilitas mentis, cum lacrymis, et recordatione peccatorum, et timore judicii. Nam ex humilitatis virtute compunctio cordis nascitur. De compunctione cordis confessio [Col. 0618A] peccatorum propagatur. De confessione peccatorum poenitentia generatur. De poenitentia autem indulgentia peccatorum percipitur. Quatuor enim sunt qualitates affectionum quibus mens justi taedio salubri compungitur; hoc est, memoria praeteritorum peccatorum, recordatio futurarum poenarum, consideratio peregrinationis suae in hujus vitae miseria, desiderium supernae patriae, quatenus ad eam quantocius valeat pervenire. Quando ergo ista in corde fiunt, credendum est tunc esse Deum per gratiam cordi humano praesentem. Praeterea quoque oportet nos, qui compunctionem cordis perfecte desideramus habere, prius animo et mente ab omni perturbatione ac fluctuatione visibilium rerum secedere, atque ad illa conscendere silentia ubi quies [Col. 0618B] summa, jugis tranquillitas et pura est serenitas; ibique oculum mentis nostrae tota intentione semper debemus defixum habere. Oportet etiam nos diem mortis ante oculos mentis habere, et praeterita peccata ad memoriam revocare; et eorum qui in inferno gemunt rememorari, et quomodo ibi

sunt animae, in quam amaro silentio, aut in quam pessimo gemitu, vel metu, sive cruciatu, aut in quali exspectatione et dolore; et pro his infinitas debemus lacrymas fundere. Recogitemus autem diem resurrectionis, et illud terribile, et horrendum, atque tremendum judicium Christi; et praemium justorum, et repositam peccatoribus poenam, quam passuri sunt in conspectu Dei. Sed et supplicia omnia, et ignem inexstinguibilem, et vermes immortales, [Col. 0618C] et tartarum tenebrarum ad memoriam revocemus: et super haec omnia dentium stridorem et tormenta perpetua pertimescamus. Adducamus etiam ad medium bona, et gaudiosa gaudia, quae sunt justis reposita coram Deo et angelis ejus in aeterna gloria. Cogitemus autem quam gloriosi sint illi angelorum chori, quae societas beatorum spirituum, et quae sit majestas aeternae visionis Dei. Utrorumque horum commemorationem jugiter in cordibus nostris habeamus: super judicia quidem peccatorum ingemiscamus, super bona vero justis reposita gaudeamus: sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis.

CAPUT XXX.

Quod duo sunt genera compunctionum. [Col. 0618D]

Duo igitur sunt compunctionum genera, hoc est, irriguum superius, et irriguum inferius **(Jos. XV, 19)**. Irriguum quippe inferius quisque accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Irriguum vero superius accipit, cum sese in lacrymis coelestis regni desiderio affligit. Sciendum namque est quia nullum habebit accessum ad compunctionem cordis, is qui in risu et jocis immoderatus fuerit. Non enim convenit ei qui ad perfectionem nititur ascendere, in modum parvuli insensati jocari, nec dissolutis labiis risum proferre, sed subridendo tantum mentis laetitiam indicare. Amentia namque est cum strepitu ridere. Parvuli enim est ludere, perfecti autem viri lugere, jocus vero et risus negligentem [Col. 0619A] et tepidum efficiunt virum justum erga Dei servitium. O quantam perniciem praeparant risus et jocus! et e contrario quantum lucrum afferunt fletus ac luctus! Quem enim delectat hic ridere, postmodum flebit amarissime; qui autem hic lugere voluerit, inposterum sine fine gaudebit. Nam et Salvator noster beatos vocat lugentes; et qui nunc laetantur, flere eos dicit in novissimo. Unde Jacobus apostolus ait: *Miseri estote et lugete, risus vester in luctum eonvertatur, et gaudium in moerorem* **(Jac. IV, 9)**. Hinc per Salomonem dicitur: *Risus dolore miscebitur* **(Prov. XIV, 13)**. Hinc Gregorius ait: Nemo potest et hic gaudere cum saeculo, et illic regnare cum Christo. Hinc etiam in collationibus Patrum legitur: Vidit, inquit, senex quemdam ridentem, et ait [Col. 0619B] illi: Coram coelo et terra rationem totius vitae nostrae reddituri sumus, et tu rides? Quapropter non nos oblectet puerilis jocus ac risus, sed lectiones sacrae et spiritualis melodiae cantus. Quamvis enim dura sint corda nostra ad lacrymas producendas, mox tamen ut psalmorum dulcedo insonuerit, ad compunctionem cordis animum nostrum inflectit. Multi enim reperiuntur qui cantus suavitate commoti sua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lacrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavitatis. Sed studendum nobis est ut etiam post compunctionis tempora, in quantum Deo largiente possumus, ipsam vim lacrymarum in nosmetipsos conservemus; ne nos post compunctionem cordis cogitatio fluxa dissolvat; ne mentem nostram [Col. 0619C] vana laetitia subripiat, ne lucrum compunctionis anima nostra per

incuriam fluxae cogitationis perdat. Sic quippe quod poposcerat, obtinere anima meruit, quia se post lacrymas in eodem mentis vigore servavit. De qua nimirum scriptum est: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* **(I Reg. I, 18)**. Quia igitur non est oblita quae petiit, non est privata munere quod poposcit. Nos autem quia post baptisma inquinavimus vitam, rebaptizemus in lacrymis conscientiam nostram. Qui ergo lacrymas indesinenter fundit, et tamen peccare non desinit, lamentum habet, sed mundationem non habet. Ubi autem lacrymae abundant, ibi cogitationes sordidae non approximant. Compunctio sanitas animae est, compunctio illuminatio mentis est; compunctio remissio [Col. 0619D] peccatorum est; compunctio Spiritum sanctum habitare facit in se.

CAPUT XXXI.

De reverentia et instantia orationis.

Oportet itaque nos certissime scire et veraciter credere, quia assiduitate orationum adipisci possumus remissionem omnium peccatorum; si tamen actus orationi et labia cordi non discrepaverint. Melius enim est corde orare cum silentio sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis; quia non verba deprecationis Deus intendit, sed cor orantis aspicit. Nam negligentes orationes nec ab ipso homine impetrare valent quod volunt.
@ [Col. 0619D] Ex regula sancti Benedicti, cap. 20. Si enim [Col. 0620A] cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum cordis humilitate et puritatis devotione supplicandum est! Et non in multiloquio, sed in puritate cordis nos exaudiri sciamus: et ideo brevis et pura debet esse oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur. Cum enim in oratione assistimus, gemere et flere debemus, reminiscentes quam gravia sunt scelera quae commisimus, quamque dira inferni supplicia quae timemus. Longe quippe a Deo est animus qui in oratione cogitationibus saeculi fuerit occupatus. Et tunc veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. Sed valde perpauci sunt qui tales orationes habeant; et licet in [Col. 0620B] quibusdam sint, difficile tamen est ut semper sint. Tunc autem magis diabolus cogitationes curarum saecularium nostris mentibus ingerit, quando nos orantes aspexerit. Sed nos e contra tam perseveranter in oratione persistere debemus, quousque importunas saecularium rerum cogitationes ab inimico latenter immissas superemus. Quoties enim quilibet aliquo tangitur vitio, toties se ad orationem subdat; quia frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit. Et qui laeditur, non desistat orare pro se laedentibus: quia sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit, ita nihil illius oratio proficit, cujus adhuc dolor est in mente et odium manet in pectore.

Tantus ergo debet esse orantis affectus erga [Col. 0620C] Deum, ut non desperet precis effectum. Inaniter autem oramus, si spei fiduciam non habemus: *Petat* autem unusquisque, ut ait Apostolus, *in fide nihil haesitans.* Nam qui dubitat, similis est fluctui maris, quae a vento movetur, atque dispergitur **(Jac. I, 6)**. Diffidentia enim nascitur ex hoc quod adhuc se quisque sentit circa peccandi affectionem versari. *Multum* enim, inquit Apostolus, *valet deprecatio justi assidua* **(Jac. V, 16)**. In tantum

utique valet, ut etiam per eam daemonia vincantur, et aditus eorum per ipsam obstruantur, ut non quocunque volunt, vadant. Unde in Tripertita historia legitur ita. Temporibus Juliani Apostatae missus est daemon ab ipso in Occidentem, ut iret velociter et afferret ei inde aliquod responsum. Cum autem pervenisset daemon [Col. 0620D] ille in quodam loco ubi quidam monachus habitabat, stetit ibidem per decem dies immobilis, eo quod non poterat ultra progredi, quia monachus ille non cessabat orare neque nocte neque die; et regressus est sine effectu ad eum qui miserat illum. Cui revertenti dixit Julianus: Quare tandiu tardasti? Respondens daemon ait: Et moram feci, et sine actione reversus sum. Sustinui enim decem dies Publium monachum, si forte cessaret ab oratione et transirem; et non cessavit, et prohibitus sum transire, et redii nihil agens. Tunc impiissimus Julianus indignatus dixit: Cum illuc ingressus fuero, faciam in eo vindictam. Et intra paucos dies Julianus Dei [Col. 0621A] providentia interiit. Et continuo unus ex praefectis qui cum eo erant, abiit, et vendidit omnia quae habuit, et veniens ad senem illum factus est monachus magnus, et sic permansit cum eo, donec quievit in Domino. Ubi datur intelligi quia oratio servorum Dei continua non solum homines salvat, sed etiam diaboli tela exsuperat. Per orationes autem purissimas omnia nobis utilia a Domino tribuuntur, et cuncta noxia procul dubio effugantur. Idcirco necesse est nobis et ore et corde sine intermissione orare.

CAPUT XXXII.

Quomodo possit aliquis sine intermissione orare.

Dei servum autem, et maxime solitarium, oportet sine intermissione orare, legere et operari, ne forte [Col. 0621B] mentem otio deditam spiritus malignus invadat. Orationibus autem mundamur, lectionibus instruimur, operationibus vero corpus, ne forte superbiat, fatigamus. Sed quaerendum nobis est quomodo quis possit sine intermissione orare. Quidam enim dicere volunt quod ille sine intermissione orat qui canonicas horas observat. Nobis vero non expedit caeteris horis ab oratione vacare; sed secundum Apostolum sine intermissione debemus orare. Sic autem Domino miserante poterimus illud praeceptum implere, id est, si jugiter lingua orare non possumus, vel corde oremus: et si ore, vel corde nequimus, vel etiam actus nostri tales sint ut semper pro nobis Deum exorent.

Under in Collationibus Patrum tale datur exemplum: [Col. 0621C] Lucius abbas interrogavit quosdam fratres, dicens: Quod est opus manuum vestrarum? At illi dixerunt: Nos non contingimus aliquod opus manuum; sed, sicut Apostolus dicit, sine intermissione oramus. Dixit eis senex: Et non manducatis? illi autem dixerunt: Etiam manducamus. Et dixit eis: Quando ergo comeditis, quis orat pro vobis? Et iterum interrogavit eos dicens: Non dormitis? Et illi dixerunt: Etiam dormimus. Et senex adjecit: Cum dormitis, quis orat pro vobis? Et non invenerunt quid ad haec responderent ei. Et adjecit: Ignoscite mihi, fratres, quia ecce non facitis sicut dixistis. Ego autem ostendam vobis quia operans manibus meis sine intermissione oro. Sedeo namque, juvante Domino, infundens mihi paucas palmulas, et facio ex eis plectam, [Col. 0621D] et dico: *Misereremei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam:* et secundum multitudinem

miserationum tuarum dele iniquitatem meam **(Psal. L, 1)**. Et dixit eis: Oratio haec est, an non? Et dixerunt ei: Etiam. Ille autem dixit: Quando permansero tota die laborans, et orans ore vel corde, facio plus aut minus sex nummos, et duos ex his dono pauperibus foras ad ostium, et residuos expendo in usus meos et discipulorum meorum. Ille vero qui accepit illos duos denarios orat pro me tempore quo ego manduco vel dormio, atque ita per gratiam Dei impletur in me hoc quod scriptum est: *Sine intermissione orate* **(Rom. I, 9)**. Quapropter oportet nos, sicut praedictum est, ore vel corde indesinenter [Col. 0622A] orare, vel tale opus facere ut ipsum pro nobis Deum exoret.

Illud quoque huic apostolico praecepto quasi contrarium esse videtur quod Dominus ait: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt* **(Matth. VI, 7)**. Itaque animadvertendum est quod Dominus non dixit: Nolite multum orare, sed *Nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, qui secundum politam eloquentiae facultatis facundiam orant.* Ille enim sine intermissione ad Deum orat, qui peccanti in se fratri dimittit; qui non ab hominibus, sed a Deo laudem quaerit, qui adversus turbam vanorum phantasmatum ostium cubilis cordis sui claudit: et ne aliquod impedimentum ejus oratio patiatur, in amore Dei mentis oculum figit.

[Col. 0622B]

CAPUT XXXIII.

Quod omnes vanae cogitationes ex illusione daemonum fiunt.

Nulla ergo virtus est in conversatione servorum Dei quae talem habeat laborem quomodo oratio. Dum enim voluerit homo Deum suum orare, semper daemones festinant orationem ejus interrumpere, scientes quia ex nulla alia re tantum impediuntur, quantum per orationem ad Deum fusam. Siquidem omnem alium laborem quem homo in conversatione religiosa positus assumpserit, quamvis instanter agat, habet tamen aliquam requiem. Oratio autem, ut dictum est, nullam habet requiem. Qua de re in Vitis Patrum ita legitur: Quodam tempore, nocte daemon ad ostium cellulae beati Macarii pulsavit, [Col. 0622C] dicens: Surge, abba Macari, et eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille, qui gratia Dei repletus erat prudentia, falli non poterat, intellexit diaboli esse fallaciam, et ait: O mendax et veritatis inimice! quae tibi societas cum collecta et congregatione sanctorum? At ille: Latet ergo te, inquit, o Macari, quod sine nobis nulla congregatio monachorum agitur? Tum ille: Imperet, inquit, tibi Dominus, immunde. Et ille adjecit: Veni denique, et videbis opera nostra. His dictis, daemon discessit. Et abbas conversus ad orationem petiit a Deo ut ei ostenderet si hoc verum esset quod gloriatus est daemon. Abiit ergo ad collectam ubi a fratribus vigiliae celebrabantur, et iterum in oratione Dominum deprecatur ut sibi verbi hujus veritatem ostendat; [Col. 0622D] et ecce vidit per totam ecclesiam quasi parvulos quosdam Aethiopes discurrere huc atque illuc et velut volitando deferri. Discurrentes ergo illi Aethiopes pueruli singulis quibusque sedentibus alludebant: et si cui duobus digitulis oculos compressissent, statim dormitabat. Si cui vero in os misissent digitum, oscitare eum faciebant. Ubi vero post psalmum ad orandum projecissent se fratres, percurrebant nihilominus singulos, et ante alium jacentem in oratione quasi in mulierum

speciem vertebantur; ante alium autem quasi aedificantes, aut aliquid portantes, ac diversa quaeque agentes apparebant; et quaecunque daemones quasi ludendo formassent, haec illi orantes in cordis sui cogitatione versabant. A nonnullis tamen [Col. 0623A] ubi aliquid horum agere coepissent, quasi quodam repulsu praecipites dejiciebantur, ita ut nec stare quidem prorsus aut transire juxta eos auderent. Aliis vero etiam supra dorsa et cervices ludebant. Haec cum vidisset sanctus Macarius, ingemuit graviter, et ait cum lacrymis: Exsurge, Domine, ut dispergantur inimici tui, et fugiant a facie tua; quoniam impleta est illusionibus anima nostra. Post orationem autem vocatis seorsum singulis quibusque fratribus ante quorum faciem daemones variis imaginationibus ludentes, requisivit ab eis si in oratione vel aedificandi, vel portandi cogitationes habuerint, vel ita agendi talia diversa quae unicuique imaginata per daemones viderat; et singuli eorum confitebantur ita fuisse in corde suo ut ille arguebat eos. Et [Col. 0623B] tunc intellectum est quod omnes vanae et superfluae cogitationes, quas somniorum, vel psalmorum, seu orationum tempore unusquisque conceperit, illusione daemonum fiant. Ab his autem qui omni custodia servant cor suum facile repelluntur Aethiopes. Deo enim conjuncta mens, et in ipso tempore praecipue orationis intenta, nihil alienum, nihil superfluum recipit.

CAPUT XXXIV.

Quod cantantibus et psallentibus praesentia Dei et angelorum semper adsit.

Quoniam quamvis ubique Deum per potentiam divinitatis esse noverimus, et oculos ejus speculari bonos et malos credamus, praecipue tamen sine aliqua dubitatione, cum divino officio assistimus, per [Col. 0623C] gratiam nobis eum adesse praesentem credimus. Ideoque semper memores simus quod Propheta ait: *Servite Domino in timore* **(Psal. II, 11)**. Et iterum: *Psallite sapienter* (Ibid.).. Tunc etiam angelici spiritus maxime nobis praesentes adesse credendi sunt, cum divinis specialiter mancipamur obsequiis, id est, cum lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiae operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam missarum solemnia celebramus. Unde idem Propheta ait: *In conspectu angelorum psallam tibi* **(Psal. CXXXVII, 2)**. Quapropter solerter nobis studendum est ut cum ad divinum officium vel ad missarum solemnia celebranda convenimus, semper memores simus qualiter nos oporteat esse in conspectu Dei et angelorum ejus. Et sic stemus ad psallendum [Col. 0623D] ut mens nostra concordet voci nostrae. Sic enim Apostolus ait: *Psallam spiritu, psallam et mente* **(I Cor. XIV, 15)**.

Cavendum est autem ut non negligenter, nec tepide, vel inhoneste divinum officium celebremus, neque ad perficiendum pigre adveniamus; ne, quod absit, in illam sententiam incidamus qua dicitur: *Maledictus homo qui opus Dei fecerit negligenter* **(Deut. XXVII, 15)**. Observandum est ut ne quid in oratoriis, vel in cellulis nostris inhonestum vel indecens, ne quid ineptum, vel perversum, aut cogitationibus, aut verbis, aut actibus perpetremus; sed cum timore et veneratione coeleste compleamus officium, quatenus in conspectu Dei et angelorum ejus digni efficiamur [Col. 0624A] astare, et Dominus ad nos veniens non quod condemnet in nobis, sed potius quod remuneret, inveniat.

CAPUT XXXV.

De laude psalmorum et dispositione horarum in quibus psallere debemus.

Psalmorum denique assidua decantatio tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint corda nostra, tamen mox ut psalmorum dulcedo insonuerit, ad profectum pietatis animum nostrum inflectit. Omnis enim duritia cordis eorum dulcedine emollitur: et sicut orationibus regimur, ita psalmorum studiis delectemur. Oratio autem in praesenti tantum vita pro remedio [Col. 0624B] peccatorum effunditur; psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat, et gloriam sempiternam. Sic enim scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te* **(Psal. LXXXIII, 5)**. Cujus operis frequentiam quicunque fideliter intentaque mente exsequitur, quodammodo angelis sociatur. Quocirca necesse est ut certis horis certisque temporibus nostrae servitutis officia persolvamus, id est, matutino, prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorio. De his diurnis horis ait propheta David: *Septies in die laudem dixi tibi* **(Psal. CXVIII, 64)**. De nocturnis autem vigiliis idem ipse propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* **(Ibid., V. 62)**. Et rursus dicit: *Memor fui nocte nominis tui, Domine* **(Psal. LXII, 7)**. [Col. 0624C] Et rursus dicit: *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te* (Ibid.).

Propterea quoque de divinis in noctibus officiis caeterisque horis diei ab oratione nos non oportet vacare, sed semper per intervalla horarum aut oremus, aut legamus, aut aliquod opus manuum exerceamus, quatenus taedium cordis et cogitationum evadere possimus, sicut legitur fecisse beatus Antonius. Qui quodam tempore cum sederet in eremo, animus ejus taedium et confusionem cogitationum incurrit, quia nondum adhuc instanter laborabat, et ait ad Deum: Domine, volo salvus fieri, et non permittunt me cogitationes meae. Quid faciam in hac tribulatione, et quomodo salvus ero? Et post pusillum surgens exiit foras, et vidit quemdam tanquam [Col. 0624D] seipsum sedentem et operantem; denique vidit eumdem ipsum ab opere surgentem et orantem, et iterum sedentem, et flectam de palmis facientem; inde rursus ad orationem surgentem. Erat autem angelus Domini missus ad correctionem et cautelam dandam Antonio. Post haec audivit vocem angeli dicentis: Sic fac, et salvus eris. Ille autem hoc audito, magnum gaudium sumpsit atque fiduciam. Et ita postea faciens, salutem quam quaerebat invenit. Ita et nos facientes, Deo opitulante, salvabimur. Numerum quoque et mensuram psalmorum quos quotidie canere debemus hic minime describimus, quia hoc quod Apostolus sine intermissione praecipit agere, ego nullatenus praesumo determinare. Testis [Col. 0625A] sit unicuique conscientia sua, quia Deum, quem nulla fallunt occulta, inspectorem cordis sui omni hora habebit. Oportet praeterea nos orare indesinenter pro nostris benefactoribus, et pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam habere possimus. Sciendum vero est quia quanto quisque magis assiduus fuerit in oratione, tanto feliciorem remunerationem recepturus est in aeterna beatitudine. Luminaria vero cum omni diligentia sive de propriis laboribus seu de fidelium oblationibus in suis oratoriis noctis tempore provideant solitarii.

CAPUT XXXVI.

Si quotidie corpus Domini quilibet audeat sumere vel missam cantare. [Col. 0625B]

Non mea itaque opinione, sed sanctorum Patrum assertione haec utraque reor fieri posse, id est, et missas quotidie celebrare, et sacrosancta corporis et sanguinis Domini mysteria quotidie cum tremore et timore sumere; ab his tamen, qui mundi sunt ab omni inquinamento carnis ac spiritus, et hoc cum metu magno et pavore: quia qui tantum hospitem cupit intra se suscipere, castus debet esse non solum in corpore, sed et mundus in corde. Nam fuit quidam venerabilis Pater nomine Apollonius, qui hoc monebat fratres, ut, si fieri posset, quotidie communicarent mysteriis Christi, ne forte, qui se ab his longe facit, longe fiat a Deo. Qui autem, inquit, frequentius hoc suscipit, frequentius ipsum sine dubio Salvatorem suscipit; quia idem ipse ait: *Qui* [Col. 0625C] *manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* **(Joan. VI, 53)**. Sed et ipsa commemoratio Dominicae passionis cum assidue sit a servis Dei celebrata, primum per hoc commonitio datur, ut studeat unusquisque ita paratus inveniri, ne indignus Dominicis mysteriis habeatur. De hac denique re beatus Gregorius in libro Dialogorum ait: Debemus itaque praesens saeculum tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia offerre, quotidianas carnis et sanguinis ejus hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat. Sed necesse est ut cum haec agimus nosmetipsos in cordis contritione mactemus. Et fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo hostia [Col. 0625D] ipsi fuerimus. Quapropter bonum est ut quod quisque post mortem suam sperat pro se agi per alios, agat ipse dum vivit per se. Beatius quippe est liberum exire de carcere, quam post vincula libertatem quaerere. Hinc iterum idem papa in eodem libro adnectit dicens: Nam vir vitae venerabilis Cassius Narniensis episcopus fuit, qui quotidianum sacrificium Deo offerre consueverat, ita ut pene nullus dies vitae ejus abscederet quin omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Dum autem sese cum lacrymis mactaret, mandatum Domini per cujusdam sui presbyteri visionem suscepit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natalitio apostolorum venies ad [Col. 0626A] me, et retribuam tibi mercedem tuam. Qui cum post annos septem ipso natalitio apostolorum die missarum solemnia peregisset, et mysteria sacrae communionis accepisset, e corpore exivit. Qua in re pensandum est quantum praesidium sit quotidie sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi hostias immolare; et patenter ostenditur quam salubre est vesci tanto medicamine. Unde quidam venerandus poeta dixit:

Magnum praesidium est sacro libamine pasci Si cor participis crimina nulla premunt. Hinc etiam egregius doctor Augustinus dixit: Nihil sic debet formidare Christianus quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a copore Christi, non est membrum ejus; si non est membrum ejus, [Col. 0626B] non vegetatur spiritus ejus. Unde ait Apostolus: *Quisquis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* **(Rom. VIII, 9)**.

Quapropter faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim inter se litigaverunt, aut quisquam eorum alterum alteri se praetulit, Zachaeus scilicet et centurio; cum alter eorum gaudeus susceperit Dominum, alter vero

dixerit: *Non sum dignus, Domine, ut intres sub tectum meum* **(Luc. VII, 6)**. Ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Sic et sacramentum Dominici corporis et sanguinis unus honorando non audet quotidie sumere, alter similiter honorando non audet ullo die praetermittere.

[Col. 0626C]

CAPUT XXXVII.

Si post illusionem, quae per somnium solet accidere, debeat quis missam celebrare an non?

Nam, ut ait beatus Gregorius, in ipsa illusione, quae per somnium solet accidere, necessaria est valde discretio, quae subtiliter pensare debeat ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturae superfluitate vel infirmitate, aliquando contingit ex cogitatione. Et quidem cum ex naturae superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo haec illusio non est timenda. Unde ait Propheta: Quoniam *Dominus cognovit figmentum nostrum* **(Psal. CII, 14)**. Sed quando hoc acciderit, lotus tantummodo aqua, valet se sociare divinis sacramentis. [Col. 0626D] Cum vero appetitus gulae ultra modum in sumendis alimentis rapitur, atque ideo humorum receptacula gravantur, habet exinde animus quemdam reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacramenta vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi ministerium, pro eo quod Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compulit, vel amor sacrificandi animum ad hoc ipsum compellit. Nam si adsunt alii qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione divini Sacramenti abstinere, ut arbitror, humiliter debet, quousque dignis fletibus reconciliatus et aquarum effusione [Col. 0627A] lotus, accedere iterum valeat ad sacra mysteria. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio menti dormientis, patet animo reatus suus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit; quia quod sciens cogitavit, hoc nesciens pertulit. Et quando hoc fit, necesse est ut humiliter se subtrahat divinis mysteriis, et prius per aquam abluat sordes corporis, et per poenitentiam abstergat vulnus cordis; et sic demum, Domino propitiante, reconcilietur vivificis sacramentis. Nam in Evangelio Dominus dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* **(Matth. V, 28)**. In corde suo, inquit, non in corpore. Ideo Scriptura alibi nos admonet, dicens: *Omni custodia serva cor tuum* **(Prov. IV, 23)**. Nam sunt alii quibus [Col. 0627B] ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in sonmo positus turpibus imaginationibus non foedetur. Qua in re unum ibi ostenditur, si ipsa mens non tamen sit rea, vel suo judicio libera, cum se et dormiente corpore nihil meminit vidisse. Siquidem, ut quidam Patrum ait, si tale aliquid evenerit per somnum absque phantasiis mulierum, non est peccatum. Ingenitus, inquit, humor in corpore, cum propria repleverit receptacula, suis necesse est ut meatibus digeratur. Ubi vero visus mulierum et blandimenta carnis per somnia occurrunt, si per superfluas et illecebrosas cogitationes contigerit, peccatum esse dicebat. Praeterea quoque sciendum est quia tres

sunt motus corporales: unus quidem naturalis, alius autem ex plenitudine ciborum, quando [Col. 0627C] nutritur et fovetur corpus cibis ac potibus, ex quibus calor et sanguis crescunt et excitant corpus ad libidinem; propter quod Dominus ait: *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* **(Luc. XXI)**. Tertius vero motus est ex insidiis et invidia veniens daemonum. Quapropter oportet ut ipsam nimiam abundantiam fluxusque libidinum per multam continentiam, et per multa jejunia, et per continuas orationes restringamus; quia, ut ait beatus Augustinus, sicut occisus inimicus non facit nobis injuriam, sic mortificata caro non turbabit animam nostram. Denique hi qui in deliciis vivunt, si forte corporis sui aegritudo deposcat, ab omnibus quae judicaverit medicus esse noxia abstinebunt absque mora; cur non multo magis hoc nos facimus, quibus sanitas [Col. 0627D] animae et spiritus est expetenda? Tales enim debet Dominus habere ministros, qui nulla carnis contagione corrumpantur, sed potius castitatis continentia splendeant mente et corpore.

CAPUT XXXVIII.

De assiduitate lectionis et orationis.

Oportet autem nos assiduitatem habere legendi et instantiam orandi. Nam assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta Prophetam qui ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* **(Psal. CXVIII, 11)**. Haec sunt enim arma, lectio videlicet et oratio, quibus diabolus expugnatur et aeterna beatitudo acquiritur. His enim armis vitia comprimuntur [Col. 0628A] et virtutes nutriuntur. In his ergo, quasi in speculo quondam seipsum considerare potest homo, qualis sit, vel quo tendat, aut qualiter se dirigat. Ideoque qui vult cum Deo semper esse, debet frequenter legere et frequenter orare. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum autem confert donum lectio sacrarum Scripturarum: unum, quia intellectum mentis erudit; alterum, quia a mundi vanitate hominem abstrahit, et ad amorem Dei perducit. Lectio assidua timorem gehennae incutit, animam purificat et ad gaudia superna legentis cor instigat. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis nutritur ac pascitur interior homo; unde ait Propheta: *Quam dulcia faucibus* [Col. 0628B] *meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo* **(Ibid. v. 103)**! Omnis plane Scriptura sancta ad nostram scripta est salutem et doctrinam, ut per consolationem Scripturarum in bonis actibus proficiamus. Sicut enim caecus saepius offendit quam videns, sic ignorans Dei legem ignoranter saepius peccat quam ille qui eam novit. Multi namque habent intelligentiae ingenium, sed negligunt lectionis studium; et quod legendo scire potuerunt, negligendo nesciunt. Multi etiam legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt; de quibus ait Propheta: *Seminastis multum et intulistis parum;* comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis ebriati (Aggaei I, 6). Multum cordi suo seminat, sed parum recipit, qui de mandatis coelestibus vel legendo, vel audiendo multa [Col. 0628C] cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, et non satiatur, qui verba Dei audiens lucra vel gloriam saeculi concupiscit. Bibit, et non inebriatur, qui ad vocem lectionis vel praedicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Bibit, et inebriatus non est, qui ea quae sunt hujus saeculi adipisci desiderat. Solet enim per ebrietatem bibentium mens turbari. Si enim quis debriatus

esset, mentem procul dubio mutasset, ut terrena jam non quaereret, jam vana et transitoria, quae amaverat, non amaret. Ille enim beatissimus est, qui divinas Scripturas legens verba vertit in opera. Nemo enim potest sensum Scripturae sacrae plene cognoscere, nisi legendi familiaritate. Nam sicut terra, quae quanto amplius excolitur, tanto uberiorem fructum [Col. 0628D] reddit; sic quanto quisque frequentius legit, tanto ex ea uberiorem intelligentiam capit. Non oportet solitarios gentilium libros legere, ne forte per oblectamenta inanium fabularum vel figmenta poetarum mentem excitent ad incentiva libidinum. Neque etiam secreta Dei nimis oportet rimari, Scriptura dicente: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* **(Eccl. III, 12)**. Unde Apostolus mirans aiebat: *O altitudo divitiarum scientiae et sapientiae Dei, quam inscrutabilia sunt judicia, et investigabiles viae ejus* **(Rom. XI, 33)**! Quapropter caute meditanda, cautoque sunt sensu ea quae leguntur rimanda; et juxta Apostoli mandata, teneamus quae recta sunt, et refutemus ea quae contraria veritati existunt. Sicque [Col. 0629A] in bonis instruamur, ut a malis Deo auxiliante illaesi permaneamus.

CAPUT XXXIX.

De quotidiano opere manuum solitariorum.

Si quando enim ab oratione et lectione cessemus, manuum operationibus insistere debemus, propter hoc quod scriptum est: *Otiositas inimica est animae.* Antiquus etenim hostis eum quem otiosum invenerit facile ad vitia rapit; nam sancti Patres nostri et apostoli de labore manuum suarum vivebant. Unde Apostolus Thessalonicensibus scribens, ait: *Ipsi enim scitis quemadmodum oportet imitari nos;* quoniam non inquieti fuimus inter vos; neque panem gratis manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes manibus nostris, ne quem vestrum [Col. 0629B] *gravaremus.* Non quasi non habuerimus potestatem, sicut et caeteri, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, denuntiabamus, quoniam si quis non vult operari, nec manducet (II Thess. III, 7-10). Cum enim iste sanctus apostolus, qui Evangelium praedicabat, nolebat panem gratis manducare, sed in labore et fatigatione victum quaerebat, quo nos fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quibus non solum nulla praedicatio verbi commissa est, sed ne ulla quidem, nisi animae nostrae solius cura mandatur? Proinde necesse est nobis laborare manibus nostris quod bonum est, ut habeamus unde vivamus, et unde aliquid necessitatem patientibus tribuamus. Unde sanctus Caesarius dixit: sic lectioni [Col. 0629C] et orationi debetis incumbere, ut etiam manibus possitis aliquid exercere; majorem quoque diei partem sancto operi dedicare. Sed quaerendum nobis est cur doctor gentium et praedicator Evangelii dicit se non panem ab aliquo gratis manducasse, qui novit Dominum praecepisse, ut *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant* **(I Cor. IX, 14)**. Et rursum: *Dignus est operarius mercede sua et cibo suo* **(Luc. X, 7)**. Ideo quippe manibus operabatur unde vivebat, quia indignum erat ab his aliquid accipere qui errori studebant. Peccat enim, et libertatem praedicandi amittit, qui ab eo accipit munus, qui ideo dat ne corripiatur. Unde idem apostolus dicebat: *Omnia mihi licent, sed non omnia mihi expediunt* **(I Cor. VI)**. Hoc ideo dixit quia licebat illi ab his [Col. 0629D] queis praedicabat sumptus accipere; sed quoniam sciebat pseudo-apostolos

occasionem accipiendi quaerere, noluit ab his accipere, ne causa ventris vigor evangelicae veritatis torpesceret. Non enim instanter potest argui, a quo accipitur. Quamvis enim idem apostolus pro occasione superius dicta elegerit manibus suis laborare unde viveret, tamen quoties illi necessitas erat, a fidelibus victum accipiebat. Itaque cum esset quodam tempore in magna indigentia, missum est illi a fratribus unde necessitati et indigentiae ejus ministraretur. Respondit autem illis gratias agens, et dixit: *Bene fecistis communicare necessitatibus meis.* Ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio enim esurire et abundare, novi et [Col. 0630A] *penuriam pati.* Omnia possum in eo, qui me confortat. Verumtamen vos bene fecistis mittere usibus meis **(Phil. IV, 14)**. Hic autem ostenditur quia aliquando accipiebat sustentationem necessitatis a fidelibus. Qua de causa beatus Augustinus nobis dat consilium, dicens: Qui ergo non possunt facere sicut Paulus, ut manibus suis se transigant, accipiant a populo unde sustentent suam necessitatem, sed non negligant eorum infirmitatem. Si in nostra, inquit, domo vel societate aeger est aliquis, non prohibeo religiosos, vel religiosas mittere illi, quod eis videtur, ut mittant; neque istis prohibeo, ut non recipiant. Nam et ipse Dominus, cui angeli ministraverant, loculos habebat, et a fidelibus oblata suscipiens, et suis discipulis et aliis indigentibus, necessaria [Col. 0630B] tribuebat.

Quanquam autem ita dictum sit, oportet tamen solitarios propriis manibus instanter laborare, etiamsi aliunde habuerint unde vivant. Sic faciebat Paulus primus et probatissimus eremitarum. Cum esset in eremo vastiore, securus erat de victu, quia de fructibus palmarum, et de oleribus herbarum vescebatur tantum; tamen colligebat folia palmarum, et quotidianum pensum, velut exinde sustentandus esset, a semetipso jugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum ejus fuisset impletum, id quod sollicita cura laboraverat annis singulis, igne supposito concremabat. Iste enim non pro necessitate victus, ut dictum est, laborabat, sed pro corporis afflictione, et cordis purgatione, atque cogitationum [Col. 0630C] soliditate, seu perseverantia cellae faciebat. Dicebat autem, sine opere manuum nec in loco posse perdurare solitarium, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere. E contra vero fuit alius frater, qui veniens ad abbatem Silvanum in monte Sina, vidit ibi fratres operantes, et dixit eis: Nolite operari cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. Maria optimam partem elegit. Et dixit senex discipulo suo: Vade, voca fratrem istum, et mitte illum in cellam ubi nihil est. Et cum facta fuisset hora nona, intendebat idem frater ad ostium si mitterent alii, et vocarent eum ad manducandum. Et cum nemo loqueretur ei, surgens venit ad senem, et dixit ei: Abba, manducaverunt hodie fratres? Et dixit ei senex: Etiam jam comederunt. Et ille: [Col. 0630D] Et quare, inquit, me non vocasti? Et senex respondit: Tu homo spiritualis es, et hoc cibo non indiges; nos autem carnales sumus, et manducare volumus, ideo manibus nostris operamur: tu vero bonam partem elegisti, tota die legens, et nolens sumere carnalem cibum. Qui cum hoc audisset, prostravit se in terram humiliter poenitentiam agens, et dixit: Ignosce mihi, abba. Et senex dixit ei: Puto quod opus habet omnino Marthae Maria. Per Martham enim Maria laudatur. Quapropter opus habent solitarii propriis manibus laborare et operari unde pascantur; quia qui otiosa quiete perfruitur, nisi operi manuum institerit, et nisi spiritualiter vixerit, more pecudum se componit.[Col. 0631A]

Si quid vero ex operibus solitariorum venundandum est, videant ipsi per quorum manus

transeunda sunt, ne aliquam fraudem praesumant inferre. Memorentur semper Ananiae et Saphirae, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non subripiat avaritiae malum, sed semper aliquantulum vilius detur quam ab aliis saecularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

CAPUT XL.

Quod certis horis occupari debent solitarii in labore manuum.

Ergo statutis certisque temporibus occupari solent solitarii in oratione et lectione, et certis iterum in labore manuum. Ideoque hac dispositione credimus [Col. 0631B] utraque tempora ordinari, id est, ut omni tempore a mane usque ad horam pene tertiam orationi et lectioni vacent. Ab hora autem tertia usque ad horam quasi nonam laborent, quod necessarium fuerit, nisi forte paululum in stratis suis aestivo tempore pausare voluerint; et semper intermisceatur oratio cum opere. A nona quoque hora usque ad vesperam iterum orationi et lectioni vacent.

Si vero necessitas loci aut paupertas exegerit, magis in labore manuum demorentur. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes. Dominicis vero diebus sive festis, orationi tantum et lectioni vacent. In noctibus quoque vigilias sacras et orationes purissimas devotissime peragant. Infirmi namque [Col. 0631C] solitarii talia opera agant, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur. Qui vero ita fuerint infirmati, aut senectute gravati, ut neque legere, neque operari queant, vel orationi tantum juxta vires suas devotissime instent. Hoc sane praecipue monentes, ut si forte cui haec dispositio displicuerit, ordinet si melius aliter judicaverit. Quibus autem horis reficere debeant, in antea, Domino miserante, dicturi sumus.

CAPUT XLI.

Ut solitarii nihil proprium habeant, et oblationes fidelium suscipiant.

Nihil ergo proprium solitarii habeant praeter utensilia et vilia supellectilia sine quibus vivere nullatenus possunt. Victum vero rationalem, et vestem [Col. 0631D] simplicem, aut de proprio labore, aut de fidelium oblatione habeant. Quidquid autem his superfuerit, pauperibus tribuant. Nam, sicut in superiori capitulo continetur, licitum est eis a populo oblata suscipere, ad suam et pauperum indigentiam sustentandam. Unde in libro Prosperi ita legitur: Propterea, inquit, Deus voluit cultores suos omnibus quae habentur in mundo renuntiare, ut exclusa mundi cupiditate, divina in eis charitas possit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita et sacrificia pro peccato, et vota quae sibi Dominus jussit offerri, sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit, ut devotissimo populo vitae necessaria ministrante, ipsi Creatori ac pastori suo liberis mentibus ministrarent, atque in ejus [Col. 0632A] cultu sine ulla sollicitudine corporali proficerent; ne terrenis occupationibus implicati, officio suo dignas excubias strenue curare non possent. Item ibi: Denique sanctus Paulinus, et beatus Hilarius omnia sua aut parentibus reliquerunt, aut vendita pauperibus erogaverunt. Sed postea

cum facti fuissent episcopi, non contempserunt Ecclesiae facultates, sed fidelissime dispensaverunt. Isti ergo tam sancti viri tamque perfecti pontifices factis evidentibus clamant posse et debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines, tam saecularium quam divinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiae debere contemni, nunquam eas haberent, qui omnia sua reliquerant. Unde datur intelligi quod tanti ac tales viri qui, volentes fieri discipuli Christi, [Col. 0632B] renuntiaverunt omnibus quae habebant, non ut possessores, sed ut procuratores Ecclesiae facultates possidebant. Et ideo res Ecclesiae nihil aliud scientes esse nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Item ibi: Sacerdos, inquit, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta; quia omnia sua aut reliquit aut Ecclesiae rebus junxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ita ut unde pauperibus subministrat, inde etiam tanquam pauper voluntarius vivat.

De eadem re etiam in Regula canonicorum legitur ita: Monachi namque sive solitarii, qui evangelicum [Col. 0632C] praeceptum sequentes distractis atque renuntiatis omnibus patrimonia sua Christo dederunt, merito de facultatibus Ecclesiae subsidium temporale accipiunt; ut quia toto mentis desiderio coelestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus Dominicis sustententur, quatenus ad ea quae contempserunt minime redire qualibet necessitatis causa compellantur. Item ibi: Clericos, quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in congregatione viventes, necessaria vitae accipiant; quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas. Porro si tales fuerint qui nec suas nec Ecclesiae velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissima gubernatione de [Col. 0632D] facultatibus Ecclesiae praelati debent subvenire, illud Prosperi attendentes: Quod habet, inquit, Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune habeat. Sed et eorum curam nihilominus gerere debent, quos aut infirmitas aut senectus aggravat. Post haec autem memorari oportet hoc, quod in Actibus apostolorum legitur: *Afferentes,* inquit, *pretia praediorum suorum:* et ponebant ante pedes apostolorum. Distribuebantur autem singuli, prout unicuique opus erat **(Act. IV, 35)**. Item: *Neque egens quisquam erat inter illos* **(Ibid., v. 34)**. Et rursum: *Nec quisquam suum esse aliquid dicebat;* sed erant illis omnia communia **(Ibid., v. 32)**. Ita ergo et solitarii nec suum quidquam dicant, sed sint fideles dispensatores, et ea quae pauperibus dare debent, non nimis in suos [Col. 0633A] usus reflectant: ne quod absit, cum Juda, qui loculos Domini furatus fuerat, sententiam damnationis incurrant; sed potius de fideli administratione ab ipso, cujus ministri esse noscuntur, ineffabiliter remunerari mereantur

CAPUT XLII.

Quibus horis oporteat solitarios reficere.

Statuendum itaque censeo quibus horis reficere debeant solitarii, ne forte quis propriam sequatur voluntatem, et remissius vivat quam necesse sit. Quapropter tali dispositione reor utraque tempora ordinari, hoc est, ab octavis Paschae usque ad Pentecosten bis in

die reficiant. His ergo diebus quarta et sexta feria usque ad nonam jejunent: quia sicut equis frena sunt imponenda, ita corpora nostra jejuniis [Col. 0633B] sunt infrenanda. A Pentecoste usque ad Kalendas Septembris quarta et sexta septimaque feria jejunent usque ad nonam. Reliquis vero diebus ad sextam reficiant, et ad vesperam coenent. A Kalendis autem Septembris usque ad caput Quadragesimae, ad nonam semper reficiant; nisi forte quis voluerit jejunium usque ad vesperum protelare. In Quadragesima vero usque ad Pascha, ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernae non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei manente omnia consummentur. Sed et omni tempore, sive coenae, sive refectionis hora sic temperetur, ut de luce fiant omnia. Praeterea quoque si quis voluerit omni tempore jejunare, exceptis Dominicis et aliarum festivitatum diebus, non prohibeatur ei; [Col. 0633C] quia sic faciebant sancti Patres nostri Antonius, et Benedictus, nec non Macarius, et caeteri alii.

Sed licet omni tempore vita solitariorum Quadragesimae debeat observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus ipsis diebus Quadragesimae omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis nos temperemus; orationi cum fletibus, lectioni et compunctioni cordis atque abstinentiae operam demus. Ergo his diebus augeamus aliquid ad pensum solitum servitutis nostrae, orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam; ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid cum [Col. 0633D] propria voluntate et gaudio sancti Spiritus offerat Deo: id est, subtrahat corpori suo de cibo et potu, de somno et quiete, de loquacitate et scurrilitate; et cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet.

Deinde omni tempore, sive prandii, sive coenae, mox ut surrexerint a refectione, sedeant, si duo fuerint simul, et legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certe aliquid unde aedificentur. Et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permiserit, si meridies fuerit, aut paululum in stratis suis requiescant, aut aliquod opus manuum agant. In tempore autem jejunii lectione lecta, si vespera fuerit, confestim ut a lectione surrexerint, ad completorium celebrandum veniant. Exeuntes autem a completorio [Col. 0634A] nullatenus loquantur aliquid denuo, excepto si necessitatis causa praelatus aut aliquis e fratribus aliquid alicui indicare voluerit; quod tamen et ipsum cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat. Si autem unus solummodo fuerit solitarius, similiter faciat. Omni siquidem tempore silentio studere debent solitarii, et maxime nocturnis horis. Si quis autem eorum nocturno tempore peculiariter voluerit orare, aut aliud aliquid agere, sic agat ne alium inquietet.

CAPUT XLIII.

De mensa solitariorum.

Quotiescunque solitarii aut de proprio labore aut de fidelium oblatione aliquam sufficientiam ciborum et potus habuerint, semper ad mensulam suam pauperes [Col. 0634B] et peregrinos habeant, et cum illis Christum convivam esse noverint. Si vero pauperes minus habuerint, quos de fratribus voluerint vocare, charitatis causa in eorum pendeat

arbitrio. Eis autem quos vocant, hoc quod Deus eis dederit, cum charitatis officio exhibeant. Ipsi tamen solitarii non solum a qualitate ciborum, sed etiam a quantitate se custodiant, et in pondere et mensura, cum sine hospitibus fuerint, vivant. Cum autem aliqui simul fuerint cum eis, communes in cibo et potu se exhibeant, ob vanam gloriam devitandam, sed constitutionem Regulae non transcendant.

Sufficere enim credimus ad refectionem quotidianam duo pulmentaria cocta, propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno edere non potuerit, [Col. 0634C] ex alio reficiatur. Et si fuerint poma, aut leguminum nascentia, addatur et tertium. Cibus autem illorum talis sit: aliquando olera et legumina, aliquando caseum et ova, interdumque pisciculos pro summis deliciis ducant. Quidquid enim, inquit Hieronymus, post gulam non sentitur, idem tibi quod panis et legumina. Panis autem libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et coenae. Sunt enim qui plus, et sunt qui minus indigent; quia nec robur unum inest cunctis corporibus: et ideo de ciborum qualitate et quantitate non facile a nobis oportet disputari, quia nec ab omnibus potest uniformis regula custodiri. Tamen studendum est ut non semper saturitas edendi finem faciat, sed voluntas; nec impleat ventris saturitatem edacitas, [Col. 0634D] sed comprimat parcitas. Unde ait Apostolus: *Et carnis curam ne feceritis in desideriis* **(Rom. XIII, 14)**. Non enim carnis curam omnimodis interdixit, sed ut in desideriis ne fieret, prohibuit. A carnibus vero tam quadrupedum quam volucrum omnino abstineant, nisi forte aliqui in gravi aegritudine fuerint detenti. Ipsis enim pro reparatione tantum concedatur. Illico autem ut validiores effecti fuerint, a carnibus more solito abstineant.

CAPUT XLIV.

De crapula cavenda.

In quantum ergo solitarii possunt, delicias et ciborum opulentias fugiant; et non solum a cupiditate pretiosorum ciborum, sed etiam a nimia perceptione [Col. 0635A] vilium se contineant: remota prae omnibus crapula, ut nunquam subripiat eis indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano quomodo crapula. Unde Dominus ait: *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* **(Luc. XXI, 34)**. Nihil enim sic inflammat et titillat membra genitalia quomodo indigestus cibus ructusque convulsus. Escae enim multae non solum corda nostra, sed etiam corpus et animam debilitant. Saepe enim per ciborum aviditatem stomachi franguntur vires, necnon et abundantiam sanguinis, et choleram, et plurimas aegritudines escarum nimietate patimur. Idcirco tantum cibum unusquisque sibi concedat, quantum sustentatio corporis, non quantum desiderium carnis exposcit. Oportet itaque ut caro nostra subjecta sit animae nostrae, et [Col. 0635B] sicut ancilla famuletur dominae suae. Non enim bene possumus vigilare, cum dapibus fuerit venter noster onustus; sed somno oppressi vigiliarum fructus amittimus, et maximum detrimentum animae nostrae acquirimus. Nam sicut miles plurimo onere praegravatur et praepeditur ad bellum, ita praepeditur solitarius ad vigilias cum escarum largitate fervescit.

Sed et diabolus plurimum inde gaudet, cum Dei servos viderit nimio cibo refertos, sicut

legitur de quodam viro venerabili, sancto Philiberto. Hic cum esset in quodam monasterio, et jugum Christi suave et onus ejus leve susciperet, in tantum religionis cultum excrevit, ut etiam viris perfectioribus in abstinentia et caeteris virtutibus imitabilis fieret. Cumque antiquus hostis ejus invideret abstinentiam, [Col. 0635C] quadam die pulsavit animum illius ut ampliora sumeret cibaria. Post haec vero in ipsa nocte, dum fuisset cibo saturatus, nutu Dei detectus inimicus sancto Philiberto per somnium est ostensus, et coepit ventrem ejus velut gaudens palpare ac dicere: Modo hic bene, modo hic bene. Tunc miles Domini agnoscens jacula inimici, crucis se vallavit munimine, rigorem abstinentiae deinceps studuit triplicare. Qua in re ostenditur qualibus quantisve muscipulis diabolus Dei servos praepedire molitur, quantum de nimia edacitate laetatur

Ideoque studeamus nos taliter ab escis temperare, ut si quando inimicus de nimia nostra edacitate exstiterit gavisus, de nostra iterum abstinentia abscedat confusus. Omnia tamen mensurate et cum [Col. 0635D] discretione fiant; quia nimia abstinentia ciborum non solum vires corporis frangit, sed etiam intentionem animae minuit, mentisque ingenium marcescere facit, et vigorem orationis amittit. Quapropter quidquid cum temperamento fit, salutare est; quod vero nimis et ultra modum fit, perniciosum est studiumque suum in contrarium vertit. Unde sanctus Antonius dixit: Sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia, et quia non habuerunt discretionem, longe facti sunt a Deo. Hinc beatus Gregorius ait: Plerumque enim dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter intus superbitur. Ideo admonendi sunt abstinentes, ut sollicite [Col. 0636A] se semper aspiciant, ne dum gulae vitium fugiunt, in superbiam aut vanam gloriam incidant. Et rursum admonendi sunt, ut abstinentiam suam et semper sine intermutatione custodiant, et nunquam hanc apud occultum judicem eximiae virtutis credant; ne forte magni meriti se esse aestimantes, corda in elationem levent. Sic enim corpora nostra, vel etiam corporum incentiva rigore districtioris abstinentiae castigemus, ut a carnalibus desideriis absoluti, sanctis virtutibus floreamus.

CAPUT XLV.

De mensura potus solitariorum.

Eamdem quippe mensuram potus quam sanctus Benedictus constituit monachis, eamdem et nos infirmorum contuentes imbecillitatem constituimus solitariis, [Col. 0636B] id est, unicuique heminam vini per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant: *Unusquisque* enim, ut ait Apostolus, *proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* **(I Cor. VII, 7)**. Quod si loci necessitas, vel labor, aut infirmitas amplius poposcerit, in eorum consistat arbitrio; considerantes tamen in omnibus ne eis satietas aut ebrietas subripiat. Licet enim legamus vinum omnino monachorum vel solitariorum non esse, sed quia nostris temporibus id monachis aut solitariis persuaderi non potest, saltem et hoc consentiamus ut non usque ad satietatem bibant, sed parcius, quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec suprascripta mensura

[Col. 0636C] inveniri posset, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, et non contristentur; sed gaudeant, eo quod a tali peste sunt liberati. Haec autem ante omnia admonentes, ut absque murmurationibus sint.

De vino autem abstinendo Apostolus certam fixit regulam, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* **(Ephes. V, 18)**. Quasi diceret, luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, non natura. Et ideo solitarios non uti vino, sed inebriari prohibeo; quandoquidem infirmum stomachum usus moderatus vini confortat, ebrietas vero animum corpusque debilitat. Denique Timotheo discipulo suo praecipit Apostolus dicens: *Noli aquam bibere;* sed modico vino utere, propter stomachi dolorem et propter frequentes [Col. 0636D] *tuas infirmitates* **(I Tim. V, 23)**. Ac per hoc nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt; nec hoc eis offert voluntas, sed permittit infirmitas. Si autem infirmitas defuerit, a vino est abstinendum; ne vini perceptio, quae infirmum corpus sustentat, sanum incendat. Quoniam quidem vino uti et usui habere oleum nullus dixerit esse peccatum; in his autem regionibus ubi defuerit oleum, si necessitas exposcerit, adipe utantur interdum.

CAPUT XLVI.

De ebrietate carenda, et de laude sobrietatis.

Ante omnia autem ebrietatis vitium solitarii caveant, quia scriptum est: *Homo ebriosus servus est* [Col. 0637A] *omnium vitiorum.* Nullum enim peccatum vincere valet, qui multo vino captus est. Unde Salomon dixit: *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas;* quicunque in his delectatur, non erit sapiens **(Prov. XX, 1)**. Et iterum: *Non intuearis in vino quomodo flavescit, dum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed novissime mordebit ut coluber;* et sicut regulus venenum diffundet **(Prov. XXIII, 31)**. *Nullum secretum est, ubi ebrietas regnat* **(Prov. XXXI, 4)**. Hinc beatus Hieronymus ait: Ebrietas semper flagitiorum mater est, radix criminum, materia culparum, et origo omnium vitiorum. Venter enim mero aestuans cito despumat in libidines. Quapropter ebrietatem fugiamus, ne crimen luxuriae incurramus. Plerique homines per vinum maximam debilitatem corporis [Col. 0637B] contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam sanitatem, quia non temperaverunt gulae ardorem. Per vinolentiam enim armatur os ad maledicta et convicia proximorum, et mens immutatur atque balbutit lingua. Hujusmodi enim vir cum se putat bibere, bibitur; sicut piscis cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, repente hamum inter fauces reperit, ita et ebriosus inimicum intra se vinum suscipit, et, heu! homo rationabilis ut irrationabile animal capitur. Nihil est aliud ebrietas quam manifestissimus daemon. Idcirco non quantum gula exigit, sed quantum naturae imbecillitas poscit, bibamus. Vinum enim nobis Dominus non ad ebrietatem, sed ad laetitiam cordis creavit. Nam sicut ebrietas mater est omnium vitiorum, ita sobrietas mater est omnium [Col. 0637C] virtutum. Sobrietas quippe est corporis et animae utilis medicina. Conservat autem memoriam, acuit sensum, sincerat (*sic*) mentem, mitigat vitia, frangit libidinem, propagat senectutem, revelat divini sacramenti arcana, atque stantem et in omnibus castum hominem facit. Itaque in omnibus exhibeamus nos

sobrios, ut sobrietas nos per omnia exhibeat sanos et castos.

CAPUT XLVII.

Si omnes aequaliter necessaria vitae debent accipere.

Beatus igitur Augustinus, vir per omnia discretus, ait: Victus et tegumentum non aequaliter omnibus tribuatur, sed potius sicut unicuique opus fuerit. Sic enim legitur in Actibus apostolorum: *Distribuebatur* [Col. 0637D] *singulis prout unicuique opus erat;* et nullus egens erat inter illos **(Act. IV, 34, 35)**. Ubi non dicimus quod personarum sit apud Deum acceptio, sed infirmitatum consideratio: ut qui minus indiget, gratias agat Deo; qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, et non extollatur pro misericordia, et tamen Deo gratias agat, quatenus in omnibus benedicatur Deus. Qua de re in Collationibus Patrum tale datur exemplum, et licet sit prolixum, est tamen in hac re proficuum, ut mihi videtur. Venit aliquando quidam monachus ab urbe Roma, qui in palatio magnum locum habuit, et habitabat in Sciti in vicinitate ecclesiae. Habebat autem secum unum ex servis suis qui ministrabat ei. Videns autem presbyter ecclesiae infirmitatem ejus, et recognoscens [Col. 0638A] quia vir ille esset de deliciis, ex hoc quod Deus ei donabat mittebat ei. Qui cum viginti quinque annos fecisset in Sciti, factus est vir contemplator praevidens et nominatissimus. Audiens autem quidam de magnis monachis Aegyptiorum opinionem ejus, venit videre eum, sperans conversationem corporalem invenire apud eum plus arduam. Qui cum intrasset, salutavit eum, et facientes orationem sederunt. Videns autem eum Aegyptius vestitum mollibus rebus, et pellem stratam sub ipso, et modicum capitale sub caput ejus, sed et pedes mundos habentem cum galliculis, scandalizatus est intra se de eo, quia in illo loco non erat consuetudo taliter conversandi, sed magis duram abstinentiam habere consueverant. Senex autem ille Romanus habens contemplationem, [Col. 0638B] sive praevidentiae gratiam, intellexit quia scandalizatus fuisset Aegyptius monachus in ipso, et dixit ministro suo: Fac nobis hodie propter abbatem qui venit bonam diem. Coxit autem parva olera quae habebat, et surgentes hora competenti comederunt. Habuit etiam modicum vini senex propter infirmitatem suam, et illud biberunt. Et dum factum esset vespere, dixerunt duodecim psalmos et dormierunt. Similiter et in nocte. Surgens autem mane Aegyptitis ille dixit ei: Ora pro me. Et egressus est non aedificatus in eo. Et cum paululum discessisset, volens eum senex ille Romanus sanare, misit post illum et revocavit eum. Qui cum venisset, iterum suscepit eum cum gaudio. Et interrogavit eum dicens: Ex qua provincia es? Et ille respondit: Aegyptius sum. [Col. 0638C] Et dixit: Cujus civitatis? At ille dixit: Ego omnino non fui de civitate, nec habitavi in ea. Et senex dixit ei: Antequam monachus esses, quid operabaris in possessione qua manebas? Et ille: Custos eram agrorum: Et dixit ei: Ubi dormiebas? Respondit Aegyptius: In agro. Et Romanus ait: Habebas aliquod stratum? Et ille: Ego in agro debui habere stramenta? Et senex: Quomodo dormiebas? Respondit Aegyptius: In terra nuda. Et Romanus ait: Quid manducabas in agro, aut quale vinum bibebas? Et ille: Manducabam panem siccum, et si inveniebam aliquid de salsamentis, et bibebam aquam. Ad haec senex Romanus dixit ei: Grandis tibi labor erat. Et adjecit: Erat tibi vel balneum in possessione ubi [Col. 0638D] lavares? Et Aegyptius: Non; sed in flumine lavabam quando volebam. Cum ergo haec

omnia senex ab eo inquisisset et cognovisset modum prioris vitae ejus atque labores, volens eum proficere, narravit ei vitam suam praeteritam, quam habebat, dum esset saecularis, dicens: Me miserum quem vides, de magna civitate Romana sum, habens in palatio maximum locum apud imperatorem. Cumque audisset Aegyptius initia verborum ejus, statim compunctus est, et sollicite quae dicebantur ab eo, auscultabat. Et senex adjecit: Reliqui ergo Romam, et veni in solitudinem istam. Et iterum dixit: Me quem vides, habui domos amplas et magnas, et pecunias multas, et contemnens eas veni, et maneo in ista parvula curva cella. Audi adhuc: Habui etiam lectos ex [Col. 0639A] auro vestitos, et pretiosissima stramenta: et pro his dedit mihi Deus stramentum hoc de papyro et hanc pellem. Sed et vestes meae inaestimabili pretio erant, et pro his utor has viles rescellas. In prandio quoque meo multum aurum expendebatur, et pro illo dedit mihi Deus modica olera haec et parvulum calicem vini. Erant et qui serviebant mihi plurimi servi, et pro omnibus illis, istum Deus compunxit ut ministraret mihi. Pro balneo autem profundo, aqua modica utor ad pedes meos, et galliculis propter infirmitatem meam. Et rursum pro calamis et cithara et alio musico opere quo delectabar in conviviis meis, decanto in die duodecim psalmos, similiter et in nocte; sed et pro peccatis meis quae ante faciebam exhibeo Deo modicum servitium. Unde rogo te, abba, [Col. 0639B] ut non scandalizeris propter infirmitatem meam. Et haec audiens Aegyptius atque in semetipso reversus dixit: Vae mihi, quia de multa tribulatione et labore saeculi magis ad repausandum in conversationem monachi veni, et quae non habebam tunc, modo habeo: tu autem ex multa delectatione saeculi, voluntate propria, in tribulationem hanc venisti, et ex multa gloria ac copiosis divitiis, hanc humilitatem atque paupertatem arripuisti. Ex quo multum proficiens Aegyptius, vale dicto discessit; et dehinc factus ei amicus saepe ad eum veniebat suae utilitatis causa. Erat autem idem Romanus vir discernens in bonis, et repletus optimo odore Spiritus sancti. Quapropter habenda est inter nobiles et ignobiles, inter sanos et infirmos, inter senes et juvenes magna discretio. [Col. 0639C] Non enim possunt hi qui de deliciis veniunt, et hi qui nunquam in deliciis fuerunt, aequalem tenere rigorem abstinentiae. Neque sani et infirmi aequaliter abstinere possunt. Idcirco secundum consilium Apostoli: *Is qui non manducat, manducantem non spernat;* et qui manducat non manducantem non judicet **(Rom. XIV, 3)**. Sed alterutrum pie supportantes considerent infirmitates illorum.

CAPUT XLVIII.

De infirmis et senibus solitariis.

Infirmorum autem et senum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur: Ipsemet enim in judicio dicit justis: *Infirmus fui, et visitastis me* **(Matth. XXV, 36)**. Et *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Ibid.). [Col. 0639D] Sed et illi imbecilles et infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri; et non superfluitate sua atque nugacitate verborum contristent fratres servientes sibi. Qui tamen, si excesserint, patienter sunt portandi; quia de talibus copiosior merces acquiritur in regno Dei. Ergo cura maxima sit praelatis ac caeteris fratribus, ne aliquam negligentiam patiantur; sed eis compatiendo subveniant, et assiduis visitationibus sanctarumque Scripturarum consolationibus, necnon et propriarum rerum facultatibus

adminicula praebeant necessaria. Deputetur autem frater timens Deum, et diligens atque sollicitus, qui eis ea quibus opus habuerint misericorditer administret, et balnearum usus quoties expedit, offerat: [Col. 0640A] Sed et carnium esus, si voluerint, pro reparatione tantum usque dum meliorati fuerint, comedant. Cellulae infirmorum infirmitatis tempore sub sigillo minime habeantur, quatenus a fratribus visitari possint. Ipsi tamen caveant ne foras ultra constitutum terminum exeant, si ab episcopo sunt reclusi et sigillati. Non enim eos teneat sigillum cerae vel plumbi, sed sigillum Christi. Sic namque legitur in libro Dialogorum fecisse quondam venerabilem virum, nomine Martinum: qui cum in quodam monte necdum clauso specu habitaret, catena sibi ferrea pedem ligavit, eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi quam catenae ejusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitae venerabilis Benedictus audiens, ei per discipulum suum mandare curavit: [Col. 0640B] Si servus es Christi, non te teneat catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Martinus eamdem protinus solvit compedem, sed nunquam postmodum tetendit pedem ultra locum quo hunc tendere consueverat ligatum. Atque postea in tanto se spatio sine catena coercuit, in quanto et antea ligatus permansit. Ita ergo et reclusi faciant. Illico autem ut ab infirmitate convalescere coeperint, more solito ostium cellulae sigilletur, et soli iterum maneant.

Curam autem habeant maximam praelati, ut diximus, ne a cellariis negligantur senes et infirmi; quia ad magistros respicit quidquid a discipulis delinquitur. Consideretur autem semper eorum imbecillitas, et nullatenus in eis districtio regulae teneatur in alimentis sive caeteris necessariis; sed sit in [Col. 0640C] eis pia consideratio, et praeveniant, si necesse fuerit, horas canonicas.

CAPUT XLIX.

De vestimentis et calceamentis solitariorum.

Oportet itaque solitarios sanctarum Scripturarum auctoritati parere, sanctorumque Patrum documenta vigilanter perpendere, ut humilitatem, quam corde gestant, actu, habitu, etiam ipso incessu religiosissime demonstrent: plusque velint sancta conversatione eximiisque moribus quam ornatu vestium fulgere. Quantum igitur a superfluo et immoderato cultu vestium se compescere debeant, multis sanctorum Patrum exemplis perdoceri potest. Ait enim beatus Gregorius: Nemo aestimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse; quia si [Col. 0640D] hoc culpa non esset, nullo modo Dominus Joannem de vestimenti sui asperitate laudasset. Hinc rursus ait: Nemo quippe vestimenta praecipua nisi ad inanem gloriam quaerit, videlicet ut honorabilior caeteris esse videatur. Nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Pro sola enim inani gloria vestimenta pretiosa quaeruntur. Hinc Basilius dixit: Si enim studium nobis habendum est omnium nos esse minimos, et omnium novissimos, certum est quia et indumentis omnium nos putare debemus novissimos. Hinc Cassianus dicit: Oportet ut talis sit vestis solitarii, quae corpus contegens, tantum verecundiam nuditatis cooperiat, et frigoris injuriam repellat, non quae occasionem [Col. 0641A] vanitatis enutriat. Quae ita sit vilis, ut nulla coloris vel compositionis novitate inter caeteros fratres spirituales insignis habeatur. Hinc Isidorus

ait: Vestimenta solitariorum nec multum vilia, nec multum sint pretiosa: quia nimis pretiosa vestis animum ad lasciviam pertrahit; nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanae gloriae contrahit. Hactenus de qualitate vestium diximus, nunc autem et de quantitate aliquid dicamus. Vestimenta quippe non multa, nec superflua sint solitariis, imitantes dictum Dei nostri ad discipulos suos: *Neque duas tunicas habeatis* **(Luc. IX, 3)** Quas duas tunicas non numero intelligere debemus, sed si alia gestamus, et alia causa avaritiae servamus, haec superflua sunt, et haec pauperibus dare praecipimur. [Col. 0641B] Unde sanctus Hieronymus ait: quidquid corpora nostra defendere potest, et humanae succurrere imbecillitati, hoc una appellanda est tunica; et quidquid in praesentibus alimentis necessarium est, unius diei victus appellatur. Unde et praeceptum a Domino est ne cogitemus de crastino, hoc est, de futuro tempore. Et Apostolus: *Habentes,* inquit, *victum et vestimentum, his contenti simus.* Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa, et inutilia, et nociva, quae hominem mergunt in interitum et perditionem **(I Tim. VI, 8)**. Qua de causa ad Regulam beati Benedicti recurrimus, et quantum ipse concessit monachis habere de vestimentis, et nos concedamus solitariis: id est, propter noctes, et propter ipsa vestimenta [Col. 0641C] lavanda habeant, si monachi sunt, duas tunicas et duas cucullas. Si vero nondum assumpserunt propositum monachale, cucullas non induant, sed cappas; in aestate puram, in hieme villosam. Habeant enim pelliceam unam de pellibus, et duas stamineas, et duo femoralia. Femoralium autem usus cuiquam permittendus est, et maxime his qui in ministerio altaris implicantur. Reliqui vero gradus utrum ea velint gestare, an non, in ipsis sit. Sint etiam illis indumenta pedum, caligae, et pedules, et subtelaria. Haec autem consideratio in eorum pendeat arbitrio, ut secundum qualitatem locorum ubi habitant et aerum temperiem vestimenta habeant, quia in frigidis regionibus amplius indigetur quam [Col. 0641D] in calidis. Praeterea quoque sacerdotes vestimenta sacerdotalia et altaris lineamina cum summa diligentia conservent nitida; id est, unusquisque casulam unam, albas duas, amictus duos, stolas duas cum manipulis, duos etiam corporales, et duos linteos semper habeant nitidos, sicut tantum decet ministerium.

CAPUT L.

De lectisterniis solitariorum.

Solitarii autem sicut in caeteris, ita etiam in lectisterniis modum tenere debent discretionis, id est, non pretiosa velint habere lectualia, sed vilia: vestimenta quippe et calceamenta, vel lectualia eorum, nec nitida nimium, nec abjecta sint plurimum. Inter utrumque enim, ut diximus, virtus discretionis [Col. 0642A] tenenda est. Sufficiant autem eis stramenta lectorum, matta et cilicium, sagum, vel toxa et capitale. Vestiti quoque dormiant et cincti, ut semper sint parati. Quiescentes autem in lectulis suis frequenter decantent cum Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* **(Psal. VI, 6)**. Et iterum: *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam* **(Psal. CXVIII, 55)**. Et si ante non surrexerint, vel facto signo absque mora surgentes, festinent ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Cum autem surrexerint, primum signum crucis frontibus suis imprimant, et cum silentio

dicant: *Deus, in adjutorium meum intende:* Domine, ad adjuvandum me festina **(Psal. LXIX, 1)**. Et hoc cantantes mox ad oratorium [Col. 0642B] pergant, et prostrati in terra humiliter cum lacrymis et gemitu orent. Expleta autem oratione, necessaria corporum suorum provideant. Inde revertentes illico nocturnum officium solemniter et devote incipiant. Euntes autem aliquo vel redeuntes semper ore et corde aliquid psallant, quatenus cum Propheta fiducialiter dicere queant: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* **(Psal. XXXIII, 1)**.

CAPUT LI.

Ut certo tempore sese radant, ne sint comati.

In barbis quoque radendis et capillis tondendis tenendus est etiam a solitariis modus discretionis. Nam, sicut legitur in Vitis Patrum, fuit quidam vir [Col. 0642C] sanctus, nomine Apollonius, qui eos valde reprehendebat, qui barbam et comam capitis nutriebant. Dicebat autem: Certum est quod isti ab hominibus laudem quaerunt, et ostentationis causa barbam vel comam capitis nutriunt; cum mandatum sit etiam ipsa jejunia in occulto celebranda, ut Deo soli sint cognita, qui videt quae in occulto sunt, et reddit in palam. Sed ut mihi videtur, isti non sunt contenti ejus remuneratione qui videt in occulto, sed manifestari se apud homines volunt. Unde etiam ad quemdam Romanum fertur dixisse beatus Gregorius istud proverbium: Si sanctitas, inquit, in barba est, tunc nemo sanctior est hirco. Quapropter juxta considerationem rationis arbitror congruum fore ut solitarii, et praecipue illi qui sacra mysteria contrectant, [Col. 0642D] de quadraginta in quadraginta diebus se radant, et capillos tondeant, ut juxta Apostolum: *Exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus eum qui renovatur in agnitionem Dei* **(Coloss. III, 3)**. Id est, criminibus carnis nostrae, quasi crinibus capitis exuamur, atque inde innovatis sensibus enitescamus. Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Habeant etiam infra cellulam retrusionis dolium, et quoties expedit, sacerdotes pro munditia corporis balneorum usibus fruantur. Sed fortasse aliqui dicent: Sanctus Antonius nunquam se balneavit. Quibus breviter respondendum est: Si sanctus Antonius nunquam se balneavit, nec unquam missam cantavit; ideoque balneorum [Col. 0643A] usus in sacerdotum relinquitur arbitrio, ut mundi et digni habeantur sacra mysteria celebrare.

CAPUT LII.

De discipulis solitariorum, et de eorum obedientia.

Discipuli ergo solitariorum saepe admonendi sunt, ut sic vivant, quatenus aliis bonum exemplum praebeant, et humiliter magistrorum imperiis subjaceant. Mox ergo ut aliquid eis imperatum a magistris fuerit, ac si divinitus imperetur moram pati nesciant in faciendo. Sed ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non tarde, non tepide aut cum responso nolentis efficiatur; quia obedientia quae majoribus praebetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit, etc.*

(Luc. X, 16). Nam cum [Col. 0643B] malo animo si obediat discipulus, et non solum ore, sed etiam corde si murmuraverit, quamvis impleat jussionem magistri, tamen acceptabile non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit. Quapropter hi tales relinquentes statim quae sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, secundum Domini sententiam qui dixit: *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me* **(Joan. VI, 38)**; mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis sequantur. Unde in Collationibus Patrum tale datur exemplum: Abbas Sylvanus habuit discipulum quemdam, nomine Marcum, et hic [Col. 0643C] fuerat magnae obedientiae, quique etiam scriptor erat. Diligebat autem eum senex propter obedientiam suam. Habebat autem alios undecim discipulos, qui contristabantur pro eo quod eum diligeret plus eis. Quod cum audissent vicini seniores, quia plus eum caeteris suis discipulis diligeret, moleste tulerunt. Una autem die venerunt ad eum: quos assumens secum abbas Sylvanus, egressus coepit singulorum discipulorum suorum cellas pulsare, dicens: Frater, veni, quia opus te habeo; et unus ex eis non est mox secutus eum. Venit autem ad cellam Marci, et dixit ei: Veni, frater, quia opus te habeo. Ille autem scribebat, et non perfecit litteram O, et venit. Et dixerunt senes: Vere, abba, quem tu diligis, diligimus, quoniam et Dominus diligit [Col. 0643D] eum. Ideo istud hic posui exemplum, ut discant discipuli agere obedientiam sine mora. Ipsi quoque discipuli non sint superbi, non tardi, non turbulenti, non vinolenti, non multum edaces; sed sint moribus honesti, ac Deum timentes. Qui etiam ea quae Deus dederit tempore opportuno diligenter magistris administrent, et in ministrando nullatenus eos contristent; memores semper divini sermonis, ubi ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis, qui in me credunt, etc.* **(Matth. XVIII, 6.)** Illud etiam ad memoriam revocent quod ait Apostolus: *Qui bene ministrat, gradum bonum sibi acquirit* **(II Cor. IX, 7)**. Et rursum: *Hilarem datorem diligit Deus* (Ibid). Cui autem substantia non est quae tribuatur, sermo [Col. 0644A] responsionis porrigatur bonus. Sicut scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum* **(Eccli. XVIII, 16, 17)**. Omnia autem vasa eorum cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciant. Nihil ducant negligendum, neque avaritiae studeant, neque sint prodigi, et exstirpatores substantiae illorum; sed omnia mensurate faciant, et secundum jussionem magistrorum. Non enim velint habere solitarii plures discipulos, quia nequaquam vincere avaritiam possunt quando ad multorum sustentationem intendunt. Habeat autem unusquisque unum, aut duos, vel ad plurimum tres discipulos. Paucos tamen condiscipulos ad convivendum et plures ad docendum. Non tamen dicimus ut scholas generaliter teneant; quamvis liceat, non tamen expedit. [Col. 0644B] Unde Apostolus: *Omnia,* inquit, *mihi licent, licet non omnia expediunt* **(I Cor. VI, 12)**.

CAPUT LIII.

De zelo bono quem debent habere solitarii erga discipulos.

Ut autem ait sanctus Benedictus, sicut est zelus bonus qui separat hominem a vitiis et ducit ad Deum et ad vitam aeternam, ita est et zelus amaritudinis qui separat a Deo et ducit ad infernum. Hunc ergo zelum qui ad vitam ducit aeternam, ferventissimo amore

exerceant solitarii erga discipulos, id est, ut infirmitates illorum sive corporum, sive morum, patientissime tolerent, et si forte aliquid deliquerint, cum omni moderatione eos corripiant. In ipsa autem correptione prudenter agant, et plus studeant [Col. 0644C] amari quam timeri. Et ne quid nimis, ne dum nimis eradere cupiunt rubiginem, frangatur vas; suamque fragilitatem semper suspecti sint; meminerintque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittant nutriri vitia, neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox ut oriri coeperint, quantum praevalent, radicitus ea amputent; memores semper quia Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est **(I Reg. II)**. Quapropter teneant consilium Apostoli dicentis: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* **(I Tim. IV)**. Id est, indisciplinatos durius argue, obedientes et mites, ut in melius proficiant, obsecra; negligentes et contemnentes increpa; omnia tamen cum patientia. Improbos autem, et duros, et [Col. 0644D] superbos, vel inobedientes, si aetas siverit, verberum castigatione et corporum afflictione coerceant, sicut scriptum est: *Percute filium tuum virga, et animam ejus de inferno liberabis* **(Prov. XXIII, 14)**. Hoc summopere perpendentes ut juxta qualitatem vulnerum exhibeant fomenta curationum. Caveant autem ut, dum alios de admonitionibus suis emendare procurant, ipsi ab omnibus vitiis emendati inveniantur; ne forte aliis praedicantes, ipsi (quod absit) reprobi efficiantur.

CAPUT LIV.

Quomodo jejunare debeant solitarii.

Sic enim necessaria nobis sunt jejunia sicut vulneribus medicina, ita tamen ut duarum rerum testimonio [Col. 0645A] comprobentur, id est, oratione et eleemosyna. Unde beatus Augustinus ait: Bonum est jejunare, sed melius est eleemosynam dare. Eleemosyna enim sufficit sine jejunio, jejunium vero non sufficit sine eleemosyna. Tale est jejunium sine eleemosyna qualis est sine oleo lucerna. Et sicut lucerna quae sine oleo accenditur, fumigare potest, lucem habere non potest; ita jejunium sine eleemosyna, carnem quidem cruciat, sed charitatis lumine animam non illustrat. Sed quaerendum nobis est quomodo solitarii eleemosynam dare jubentur, qui non solum facultates, sed etiam seipsos Domino fideliter obtulerunt. Ad haec non ego, sed Dominus per prophetam respondit, dicens: *Frange esurienti panem tuum, etc.* **(Isai. LVIII, 7)**. Non enim dixit: Da esurienti totum [Col. 0645B] panem tuum, sed ait: *Frange esurienti panem tuum.* Unde Apostolus: *Non,* inquit, *ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio.* Sed ex aequalitate vestra abundantia aliorum sustentet inopiam; ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum **(II Cor. VIII, 13)**. Et alias scriptum est: *Si multum tibi fuerit, multum tribue;* si autem exiguum fuerit, etiam exiguum da **(Tob. IV, 8)**. Tria sunt enim genera eleemosynarum quae indesinenter agere debemus, unum corporale, egenti dare quidquid poterimus: alterum spiritale, dimittere a quo laesi fuerimus; tertium, delinquentes corrigere, et errantes in viam veritatis reducere. Ad haec autem jungatur oratio, et erit jejunium perfectum. Unde dictum est: *Bona est oratio cum jejunio* **(Tob. XII, 8)**. Per jejunia enim [Col. 0645C] et orationes occulta mysteriorum coelestium revelantur, divinique sacramenti arcana panduntur. Non enim quispiam potest virtutem perfectionis attingere, nisi prius ventris edomaverit ingluviem. Jejunia

quippe moderata debent esse, ne nimis debilitent stomachum, quia modicus et temperatus cibus utilis est corpori et animae. Quaerendum est etiam si biduana ac triduana jejunia facere oporteat solitarios. Ad quod beatus Hieronymus respondens, ait: Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis jejuniis praefertur, multoque melius est quotidie parum comedere, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est quae sensim descendit in terram; nam subitus et nimis imber in praeceps arva subvertit. Qua de re in Collationibus Patrum ita legitur: Interrogavit, [Col. 0645D] inquit, abbas Joseph abbatem Pastorem dicens: Quomodo opus est jejunare? Et respondit: Bonum est ut monachus vel solitarius quotidie comedat, et paululum subtrahat sibi de cibo ne satietur. Et dixit abbas Joseph: Ergo quando juvenis eras, non jejunabas biduanas: Dixit senex: Crede mihi, quia et triduanas et hebdomadam; sed haec omnia probaverunt senes magni, et invenerunt quia bonum est quotidie manducare, et parum, ut sit quotidie esuries. Hanc enim viam regiam levem nobis esse demonstraverunt. Nam biduana et triduana jejunia vanam gloriam ostendunt. Alius quidam frater interrogavit dicens: Jejunia et vigiliae quas facit homo, quid proficiunt? Dixit ei senex: [Col. 0646A] Quoniam ipsa sunt quae faciunt humiliari animam. Unde dicebat David: *Humiliabam in jejunio animam meam;* oratio mea in sinu meo convertetur **(Psal. XLIII, 13)**. Nam justi et prophetae nostri, quando a Deo aliquid impetrare volebant, jejunio se affligebant; et sic quod postulabant, impetrare se gaudebant. Ita et nos jejunando humiliemus animas nostras, et tunc quod poposcerimus, a Deo impetrabimus. Non ergo nos praeferamus eis qui jejunii nostri non valent obtinere mensuram, ne forte plus humilitatis aliarumque virtutum habeant illi unde jure nobis jejunantibus et abstinentibus praeferantur. Neque enim istud jejunium corporale ad perfectionem nobis proficit, nisi fuerit huic animae quoque jejunium copulatum. Habet namque [Col. 0646B] anima suos noxios cibos, a quibus impinguata etiam sine escarum abundantia ad luxuriae praerupta devolvitur. Nam superbia, vana gloria, detractio, et invidia, et caetera talia cibus ejus sunt. Nihil ergo nobis prodest ab escis carnalibus abstinere, et talibus vitiis pectus replere. Quocirca si volumus nobis abstinentiam jejuniaque proficere, ab his et ab aliis omnibus vitiis nobis caveamus, et ad sanctarum culmen virtutum, divina opitulante gratia, nitamur conscendere.

CAPUT LV.

Quod solitarii pro hospitibus jejunium solvant.

De susceptione itaque supervenientium fratrum ob causam charitatis beatus Prosper ita loquitur, dicens: si enim propter quoslibet advenientes jejunio [Col. 0646C] intermisso reficio, non solvo jejunium, sed impleo charitatis officium. Caeterum si propter abstinentiam vel jejunium meum spirituales fratres, quos novi mea remissione delectari, contristo, abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium. Quoniam quidem ipsa abstinentia ac jejuniorum continuatio, nisi fuerit, quando res exigit, praetermissa, et me inflat, et fratrem meum, cui charitas jubet servire, contristat; vel certe mihi nihil inesse charitatis supernae demonstrat. Hinc sanctus Benedictus ait: Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: *Hospes fui, et suscepistis me.* Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis. Et

post pauca: jejunium, inquit, frangatur a [Col. 0646D] monacho vel solitario propter hospitem, nisi forte praecipuus sit dies jejunii qui non possit violari. Aliis vero temporibus consuetudines jejuniorum prosequantur. Pauperum vero, et peregrinorum maxime, cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem. Qua de re in Collationibus Patrum tale datur exemplum. Abbas Sylvanus, dum cum discipulo suo Zacharia ad quoddam monasterium visitandi gratia pervenisset, fecerunt eos monachi, antequam egrederentur, charitatis causa reficere. Erant autem dies jejunii. Postquam autem egressi sunt, invenit discipulus ejus aquam in via, et voluit bibere; et respiciens abbas Sylvanus ait: Zacharia, [Col. 0647A] noli bibere, an nescis quia jejunium est hodie? At ille divit: Nunquid non manducavimus hodie, Pater, ad monasterium et bibimus? Dixit senex: illud manducare charitatis fuit; nos autem teneamus jejunium nostrum, fili. Hinc patenter ostenditur quia cum discretione utrumque possumus agere, et cum supervenientibus hospitibus charitatis causa aliquando reficere, et jejunii regulam non praetermittere. Itaque sanctus Cassianus de eadem re interrogavit quemdam senem, dicens: Cur sic indifferenter apud vos quotidiana jejunia pro hospitibus solvuntur? Respondit senex: Jejunium semper mecum est: Vos autem continuo dimissurus sum, et mecum jugiter tenere non potero; ideo charitatis officium in vobis impleo, et adjecit dicens: Non enim *possunt* [Col. 0647B] *filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus:* Cum autem discesserit, tunc jejunabunt (Matth IX, 15). Ita et nos vobis dimissis licite jejunii nostri regulam observabimus.

CAPUT LVI.

De charitate.

Charitas est dilectio Dei et proximi in toto corde et in tota mente. Inter caeteras quippe virtutes charitas obtinet principatum: sine ipsa quidem ad perfectionis culmen nemo conscendere valet. Tunc enim homo perfectus est, quando charitate plenus est, quam nos habere Apostolus praecipit, dicens: *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* **(Col. III, 14)**. Et iterum: *Charitatem fraternitatis invicem diligentes* **(Rom. XII, 10)**. Hinc [Col. 0647C] Petrus apostolus ait: *Ante omnia autem charitatem in vobismetipsis continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* **(I Petr. IV, 8)**. Hinc Joannes apostolus ait: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* **(I Joan. IV, 8)**. Quamobrem tenenda est ab omnibus sanctis viris unitas charitatis, et praecipue a solitariis; quia quanto se subtrahunt mundo, tanto necesse est ut habeant dilectionem in Deo et proximo; tunc servant in se dilectionem Dei, quando a charitate non dividuntur proximi. Unde ipsa Veritas ait: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. Quantam enim charitatem sancti Patres nostri habebant ad invicem, in praesenti exemplo manifestatur quod [Col. 0647D] subditur: Quodam tempore venit quidam frater ad sanctum Macarium, et obtulit ei causa charitatis uvam unam. Ille autem gratias egit Deo pro fratris officio; statim ad alium fratrem, qui ei infirmior videbatur, secundum charitatem detulit eam; sed et ipse nihilominus plus de proximo quam de semetipso cogitans, ad alium fratrem detulit eamdem uvam: et ille iterum ad

alium detulit eam; et rursus ille ad alium; et sic per omnes cellulas, quae longe lateque per eremum erant dispersae, ipsa uva circumportata est, ignorantibus omnibus quis eam primus misisset. Gratulans autem sanctus Macarius quod tantam videret in fratribus charitatem tantamque continentiam, ad ampliora semetipsum spiritualis [Col. 0648A] vitae extendit exercitia. Credo enim quod inter istos sanctos fratres erat perfecta charitas, quia nemo ex eis quaerebat quae sua sunt, sed quae alterius. Tanta est enim virtus charitatis, sicut Apostolus testatur **(II Cor. XIII)**, ut nec martyrium, nec saeculi contemptus, nec eleemosynarum largitio sine ipsa quidquam prosit. Quocirca si volumus ad supernam patriam feliciter pervenire, charitatem Dei et proximi studeamus veraciter habere: quia sicut sine via nemo potest pervenire quo tendit, ita sine charitate, quae dicta est via, non ambulare possumus, sed errare. Omnis insuper bonitas ex charitate et humilitate procedit. Et sicut ignis sine calore et splendore esse non potest, ita et charitas sine humilitate et vera obedientia esse non potest. Sciendum [Col. 0648B] est autem quia humilitas et obedientia ac reliquae virtutes cum corpore incipiunt, et cum corpore deficiunt, et tamen merces earum permanet in aeternum; charitas vero in praesenti incipit saeculo, et in futuro permanet cum Deo.

CAPUT LVII.

De humilitate.

Ad fastigium ergo verae humilitatis suo nos Dominus exemplo provocare dignatus est, dicens: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde;* et invenietis requiem animabus vestris **(Matth. XI, 29)**. Hinc Petrus apostolus ait: *Humiliamini sub potenti manu Dei et exaltabit vos* **(I Petr. V, 6)** . Hinc enim datur intelligi, quia quanto quisque se pro Christi amore inclinat ad ima, tanto proficit in excelso; et quanto [Col. 0648C] superbus gloriosior apparet inter homines, tanto dejectior erit ante Deum. Unde idem Dominus ait: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* **(Luc. XVIII, 14)**. Nam cum haec dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiae. Deus enim humilis factus est nostrae salutis causa: erubescat homo superbus esse, quia, ut ait Salomon, *ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia;* ubi autem humilitas, ibi et sapientia **(Prov. XI, 2)**. Et, Super eum requiescet Spiritus sanctus. Unde ait Dominus per prophetam: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea* **(Isa. LXVI, 2)**? Quapropter quicunque humilis et quietus non erit, non potest in eo habitare gratia Spiritus sancti. Illi autem panduntur secreta, [Col. 0648D] et quod latet in divinis sermonibus, qui humilitatem tenet in moribus. Semper autem conscientia solitariorum humilis debet esse et tristis, scilicet ut per humilitatem non superbiat, et per utilem moerorem cor ad lasciviam non dissolvat. Per humilitatem etiam spiritus immundi Dei servis subjiciuntur. Unde in Collationibus Patrum ita legitur: Homo qui a daemonio vexabatur, et fortiter spumabat, vidit quemdam senem solitarium, et elevans manum percussit eum in maxilla; senex vero secundum Domini praeceptum convertit ei alteram. Statim autem daemon non ferens incendium humilitatis illius, clamans et ejulans discessit ab eo. Alio denique tempore transiens abbas Macarius per eremum, ecce [Col. 0649A] occurrit ei diabolus in via cum falce messoria. Voluit autem illum percutere de falce illa, et non potuit. Et dixit daemon:

Multam violentiam patior a te, o Macari, quia non possum praevalere adversum te. Ecce enim quidquid tu facis, et ego facio. Tu jejunas, ego nihil comedo; tu vigilas, ego omnino non dormio. Unum est autem solum in quo me superas. Et dixit ei abbas Macarius: Quid est illud? et respondit diabolus: Humilitas tua me vincit, propter quam non praevaleo adversum te. O quanta est virtus humilitatis, quae non solum homines salvat, sed etiam daemones superat! Quanta autem sit virtus humilitatis iterum beatus Antonius ostendit, dicens: Vidi omnes laqueos Satanae tensos in terra, et ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? et audivi [Col. 0649B] vocem dicentem mihi: Humilitas. Quocirca inclinemus cervicem cordis in vera humilitate, ut omnes laqueos Satanae possimus illaesi transire. Tunc enim veram humilitatem habebimus, si quando peccaverit in nos frater noster, antequam ille poeniteat, indulserimus ei. Et tunc veram humilitatem habemus, quando nec laesi irascimur, nec alios irasci permittimus; sed potius pro ipsis ex corde oramus. Praeterea quoque si cui de humilitate altius libuerit perscrutari, ad Regulam sancti Benedicti recurrat, ibique duodecim humilitatis gradus satis luculenter expositos inveniet.

CAPUT LVIII.

De obedientia. [Col. 0649C]

Obedientia itaque dicitur obtemperantia, eo quod humiliter quis obediat vel obtemperet imperanti. Recte enim ille obediens vocatur, qui per obedientiae humilitatem Deo se toto animo subdit, et ejus praecepta humilitate implet. Ille etiam recte obediens vocatur, qui praecepta magistri juxta vires humiliter implere studet. Nam Christus Dominus noster qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, factus est obediens pro nobis Patri usque ad mortem, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Ideoque omne quod solitario injunctum fuerit ab aliquo religionis gratia, libenter obtemperet imperanti: et si forte aliqua gravia aut impossibilia ei injunguntur, libenter quidem et cum omni [Col. 0649D] mansuetudine jubentis imperium suscipiat. Quod si omnino virium suarum mensuram hoc quod ei injungitur viderit excedere, non resistendo illud spernat, sed causam impossibilitatis suae ei qui sibi injunxerat humiliter et patienter enarret, quatenus ejus moderamine quod illi onerosum fuerit, sublevetur, ut contradictionis vitio careat. Sancti quoque Patres nostri per obedientiae laborem ad celsitudinis perfectionem pervenerunt. De pluribus autem unum, mirae obedientiae virum, hic inserere studeamus. Quidam enim saecularis homo renuntiavit saeculo, et venit ad monasterium, relinquens tres filios suos in civitate; et cum fecisset tres annos in monasterio, coeperunt ei cogitationes suae filios ad memoriam frequenter adducere, et contristabatur pro eis [Col. 0650A] valde. Videns autem eum abbas tristem, dixit ei: Quid habes quod tristis es? Et narravit ei quia tres filios haberet in civitate, et quia vellet eos ad monasterium adducere. Praecepit autem ei abbas ut adduceret eos. Qui cum perrexisset in civitatem, invenit duos ex his jam fuisse defunctos, unum vero solummodo remansisse. Quem assumens venit ad monasterium. Erat autem abbas ad pistrinum. Ille vero tollens filium suum quem adduxerat, abiit ad abbatem in pistrinum; et videns eum abbas venientem salutavit, et tenens infantem, quem adduxerat, amplexatus est eum et osculabatur. Et dixit patri ejus: Amas eum? Et ille respondit:

Etiam. Et rursus dixit ei: Omnino diligis eum? Et respondit: Etiam. Haec audiens abbas, dixit ei: Tolle ergo, si [Col. 0650B] amas eum, et mitte in furnum sic modo dum ardet. Et tenens eum pater suus jactavit eum in clibano ardenti: statim autem factus est clibanus velut ros. Ex qua re acquisivit gloriam in tempore illo, quemadmodum patriarcha Abraham. O quam magnam obedientiam habuit iste sanctus vir, qui nec proprio filio suo pepercit, sed ad unius jussionem abbatis ignibus eum tradidit! Puto enim quia si illi praecepisset abbas obedientiae causa in clibanum intrare, intrasset utique. Nos ergo qui per inobedientiam mandatorum Dei ac sanctorum ejus, necnon et magistrorum nostrorum, recessimus a Deo, per obedientiae laborem redeamus ad illum, qui dixit: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI, 28)**.

[Col. 0650C]

CAPUT LIX.

De virtute patientiae.

Patientia enim vera est, in praesenti injurias fortiter sustinere, et in futuro vindictam non quaerere, sed ex corde ei qui mala irrogat ignoscere. Nam sunt nonnulli qui ideo per aliquod spatium temporis patienter sufferunt injuriam, ut subsequenter facilius vindicare se queant: isti tales veram non habent patientiam. Ille enim vere patiens est, qui et ipsum amat quem portat: nam tolerare et odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. In patientia enim quaerenda est virtus mansuetudinis et ignoscendi facultas, non vindicandi opportunitas. Sicut enim patienter sufferre debemus injurias ab aliis in nos illatas, ita et tribulationes infirmitatum [Col. 0650D] quae nobis eveniunt patienter sufferre necesse est. Probabitur enim homo flagellis Dei, quo animo bene faciat, et qua fortitudine tentationes sibi supervenientes sufferat. Unde ait Apostolus: *Tentat enim vos Deus, ut sciat si diligatis eum* **(Deut. XIII, 3)**. Tribus enim modis solent accidere tentationes Dei servis. Uno modo tentantur a Deo per flagella; alio modo a diabolo per illusiones et diversas machinationes; tertio modo tentantur a proximo per damna, et contumelias ac persecutiones. Sed ille beatus est qui haec omnia patienter tulerit; de tali enim viro dicit Scriptura: *Beatus vir qui suffert tentationem, etc.* **(Jac. II, 13)**.

Sine ferro autem martyres esse possumus, si patientiam [Col. 0651A] veraciter in animo servamus. Tanto enim quisque minus ostenditur doctus, quanto minus convincitur patiens. Unde per Salomonem dicitur: *Doctrina viri per patientiam noscitur* **(Prob. XIX, XI)** Super omnia autem contumelias detrahentium patientia superemus; sagittas contumeliae patientiae clypeo frangamus; contra linguae gladium patientiae scutum praebeamus. Et si quis nobis intulerit mala, nequaquam irascamur contra illum; sed potius doleamus pro illo, quia Deus illi irascitur. Videamus autem quantam patientiam iste sanctus senex habebat, de quo hic locuturi sumus. Erat in eremo magnus quidam senex, qui de labore manuum suarum vivebat: et erat alius frater vicinus ei, qui saepe ingrediebatur, et rapiebat quidquid senex habebat in cella. Videbat [Col. 0651B] autem eum senex, et non objurgabat eum; sed extorquebat sibi plus solito manibus operari, dicens:

Credo, opus habet ille. Astringebat autem ventrem suum, et cum indigentia manducabat panem. Cum autem mori coepisset senex ille, circumsteterunt eum fratres, et respiciens in eum qui furabatur, dixit ei: Junge te huc ad me; et tenuit manus ejus, et osculatus est eas, dicens: Gratias ago istis manibus, frater, quia propter istas vado ad regnum coelorum. Ille autem, compunctus et poenitentiam agens, factus est etiam ipse probatus monachus, exempla sumens de actibus magni illius senis. Valde enim laudabilis est patientia ejus sancti monachi, sed valde laudabilior est patientia Christi. Senex iste rapientem fratrem vidit et tacuit; Christus vero opprobria, [Col. 0651C] contumelias, irrisiones, alapas, sputa, flagella, spineam coronam crucemque sustinuit, et nec contumeliosum cuiquam verbum respondit. Iste enim raptoris manus deosculans gratias egit; Christus autem in cruce positus pro persecutoribus exoravit. Sed in his omnibus exemplum patientiae nobis reliquit. Quapropter studeamus patientes esse ad omnes et in omnia, quia, ut ait Christus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras* **(Luc. XXI, 19)**. Simus mansueti, quia, ut ait Propheta: *Mansueti haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* **(Psal. XXXVI, 11)**. Quisquis igitur lenis, mitis et patiens est, Dei filii imitator est. Et quisquis amplectitur pacem in mentis suae hospitio, mansionem in se [Col. 0651D] praeparat Christo, quia Christus pax est et in pace requiescere consuevit.

CAPUT LX.

De discretione.

Discretio namque est mater omnium virtutum, et ideo in omnibus tam spiritualibus quam corporalibus operibus tenenda est a solitariis temperantia discretionis, ne superflue laborantes corde pariter et corpore deficiant. Sed sic omnis eorum actio temperetur, quatenus alacri animo plus se adhuc cupiant in bonis operibus exercere. Sive enim sint vigiliae, sive jejunia, sive abstinentia, et caetera his similia, sic temperentur, ut nec animi virtus succumbat, nec corporis fortitudo lassescat. Unde quidam Patrum dicebat: Corpus nostrum sic est fragile [Col. 0652A] sicut vestimentum. Si diligenter tractabimus illud, stabit; sin autem, in parvo tempore corruet. Praeterea quoque supervenit quidam venationem faciens in silva agrestium animalium, et vidit abbatem Antonium gaudentem cum fratribus, et displicuit ei. Volens autem ei senex ostendere quia oportet aliquando condescendere fratribus, dixit ei: Pone, quaeso, sagittam in arcu tuo, et trahe. Et fecit sic. Et dixit iterum: Trahe; et traxit. Trahe adhuc; et traxit. Dixit ei venator: Si super mensuram traxero, frangetur arcus. Dixit ei abbas Antonius: Ita est in operibus Dei; si plus a mensura tendimus, fratres cito deficient. Expedit ergo vel ad momentum relaxare rigorem eorum. Haec audiens venator compunctus est; et multum proficiens in sermone senis discessit: et [Col. 0652B] fratres confirmati tum reversi sunt ad locum suum. Haec ergo aliaque testimonia discretionis consideranda sunt a solitariis; et sic omnia temperent atque discernant, ut ipsi nimis fatigati non deficiant, et alii a coepto itinere non refugiant.

CAPUT LXI.

De taciturnitate.

Taciturnitas autem virtus est humilitatis et indicium gravitatis, nutrix virtutum et custos animarum. Hinc Salomon ait: *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam* **(Prov. XXI, 23)**. Quanto igitur quisque sub silentio deprimit se, tanto compunctionis aciem in coelo figit; et quanto taciturnitatis freno constringit linguam, tanto ad coelestia erigit mentem suam. Ideoque solitarius taciturnitatem [Col. 0652C] diligat, et a malo ac pravo, vel omni stultiloquio linguam suam coerceat dicatque cum Propheta: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* **(Psal. XXXVIII, 1)**. Et iterum: *Posui ori meo custodiam* (Ibid.). Et rursum: *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* **(Ibid., v. 3)**. Ille enim bene vias suas, id est actus vitae suae, custodit, qui in lingua minime offendit. Ille etiam bene ori suo custodiam ponit, cujus lingua nec in maliloquium, nec in vaniloquium, nec in multiloquium procaciter fluit. Ne ergo in maliloquium labatur lingua, ponat unusquisque nostrum ori suo custodiam, et diligenter attendat quid de male loquentibus dicat Propheta: *Disperdat,* inquit, *Dominus universa* [Col. 0652D] *labia dolosa, et linguam magniloquam* **(Psal. XI, 4)**. Quid etiam de multiloquio Salomon dicat, audiamus: *In* multiloquio, inquit, *non effugies peccatum;* et qui multis utitur verbis, laedit animam suam **(Prov. X, 19)**. Hinc iterum Propheta: *Si quis vult veram et perpetuam habere vitam, et cupit dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo;* et labia ejus ne loquantur dolum **(Psal. XXXIII, 14)**. Hinc Apostolus ait: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* **(Jac. I, 26)**. Hinc beatus Ambrosius ait: Est homo qui silentium quidem affectat, sed cor ejus multum se condemnat: iste talis multum loquitur; et est alius qui a mane usque ad vesperam loquitur, et cum discretione, silentium magnum custodit. Hoc [Col. 0653A] autem dicebat de illo qui sine utilitate audientium nunquam loquitur. Ille enim bene taciturnitatem custodit, qui usque ad interrogationem non loquitur. Quapropter solitarius modum loquendi non transeat; maneat in verbo ejus mensura, in sermone statera. Semper verbo ejus sint moderata, et plus diligat semper audire quam loqui; et ne prius respondeat verbum quam audiat. Unde scriptum est: *Qui ante respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat* **(Prov. XVIII, 13)**. Nam loqui et docere, ut ait sanctus Benedictus, magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit. Et si qua sunt requirenda a magistro, cum omni humilitate et subjectione reverentiae requirantur. Scurrilitates vero, vel verba otiosa et risum moventia, aeterna [Col. 0653B] clausura in omnibus locis damnamus, et ad talia eloquia discipulum os aperire non permittimus.

CAPUT LXII.

De cavenda detractione, et quod duobus modis potest aliquis sine peccato alieni peccata dicere.

Quanquam enim beatus Hieronymus dicat quia non est detrahere verum dicere, tamen cavenda est omnimodis detractio a solitariis, monente beato Jacobo apostolo: *Nolite,* inquit, *detrahere alterutrum, fratres mei, quia qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem* **(Jac. IV, 11)** . Hinc Salomon ait: *Remove*

a te os pravum, et detrahentia labia procul sint a te **(Prov. IV, 24)**. Et iterum: *Cum detractoribus non commiscearis,* [Col. 0653C] quoniam repente consurget perditio eorum **(Prov. XIV, 21)**. Hinc Hieronymus ait: Cave ne linguam aut aures habeas prurientes, id est, non ipse detrahas, aut alios detrahentes audias; quia qui detrahit, et qui detrahentem libenter audit, utrisque unum crimen est. Hinc Isidorus ait: Ne detrahas peccanti, sed condole; et quod in alio detrahis in te potius pertimesce. Hinc etiam in Vitis Patrum dicitur: Melius est, inquit, quotidie carnem comedere et vinum bibere, quam lacerare carnes fratrum in obtrectatione. Denique, ut ait sanctus Basilius, duobus modis possumus sine detractione aliorum peccata dicere, vel retractare. Id est, si quando necesse est cum caeteris consilium habere quomodo corrigitur is qui peccavit, tunc possumus [Col. 0653D] ipsius peccata in medium adducere et publicare absque detractione. Et rursum, si quando necesse est praevenire et commonere aliquem, ne forte incurrat in consortio vel societate alicujus mali hominis, tunc etiam possumus sine detractione illius peccata manifestare. Quod et ipsum Apostolum fecisse invenimus, dum dicit ad Timotheum: *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, quem tu quoque devita:* valde enim restitit sermonibus meis. Reddet illi Deus secundum opera sua mala **(II Tim. IV, 14)**. Praeter hujusmodi autem necessitates quicunque dixit aliquid adversus alium, ut vel deroget ei, vel obtrectet, illud est, detrahere, etiamsi videantur vera esse ea quae dicit.[Col. 0654A]

CAPUT LXIII.

Consolatio solitariorum de detractione.

Non ergo solitarii multum contristari debent, si forte ab aliquibus pravis hominibus sine culpa detrahantur; quia in consolatione nostra, sua Dominus opprobria adducere dignatus est, dicens: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* **(Matth. X, 25)**? Et iterum: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret;* sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus **(Joan. XV, 19)**. Hinc Apostolus ait: *Nolite mirari si odit vos mundus* **(I Joan. III, 13)**. Sunt autem plurimi qui vitam solitariorum fortasse amplius quam debent, laudant; et ne eis de laude elatio subripiat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectatione et [Col. 0654B] objurgatione prorumpere; ut si qua culpa ab ore laudantium in corde solitariorum nascitur, per obtrectationem malorum ad poenitentiam revocentur. Sed inter haec verba laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrere debemus; et si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magna laetitia prosilire debemus. Unde beatus Job dicebat: *Ecce enim in coelo testis meus, et conscius meus in excelsis* **(Job, XVI, 20)**. Qui enim vitae suae in coelo testem habet, detractiones hominum in terra pertimescere non debet. Hinc Paulus ait: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* **(II Cor. I, 12)**. Nisi enim fuissent qui eidem Apostolo malam [Col. 0654C] famam imponerent, et seductorem vocarent, nequaquam diceret: *Per infamiam et bonam famam;* ut seductores, et veraces **(II Cor. VI, 8)**. Sed quid de Redemptore nostro agimus, qui a Judaeis daemoniacus, et blasphemus, atque persecutor vocatus est? Beatus quoque Arnulphus cum esset episcopus, postea

solitarius factus, detractiones pravorum hominum aequanimiter toleravit. Unde in gesta ipsius ita legitur: Quidam namque homo, nomine Noddo, cum complicibus suis eidem beato Arnulpho derogare ausus est. Dicebat autem illum non esse cultorem Dei, sed potius hominem voluptati deditum. Cumque idem detractor stratum una cum detrahente socio petiisset, jubente Deo, omnia vestimenta illorum flamma circumdans vallavit. Illico exsilientes aquam [Col. 0654D] urgentibus vocibus deposcebant, sed aqua injecta flammam divinitus missam non exstinguebat. Ardebant autem nequiter circa nates vel genitalia loca camisiae illorum, nec a se ardentia vestimenta exuere praevalebant. Quid plura? Quia aliud facere non poterant, exsiliunt foras, et ad instar porcorum in volutabro luti sese vociferantes involvunt: sed magis ac magis genitalia ipsorum ignis immissus cremabat. Tunc quippe, ut reor, impletum est super illos quod scriptum est: *Detrahentem occulte proximo suo, hunc persequebar* **(Psal. C, 5)**. Sicque divina censura jubente actum fuit, ut de quibus virum sanctum detraxerant, in ipsis poenam sentirent. Ipse quoque sanctus episcopus atque solitarius nec pro [Col. 0655A] detractione illorum fuit tristior, nec pro vindicta divinitus facta exstitit laetior; sed potius, juxta praeceptum Domini, eos dilexit, atque pro eis oravit. Ubi nos pariter docemur non contristari pro detractione, sed magis gaudere de contumeliis, reminiscentes hoc quod scriptum est: Quia *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* **(Act. v, 41)**. Si illi non contristabantur de contumeliis et verberibus, neque nos contristari debemus de verbis atque detractionibus. Quid ergo aliud faciunt detrahentes, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant? Vocandi tamen sunt et patienter increpandi, juxta praeceptum Domini, qui dixit: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum.* Et si dixerit, Poenitet me, [Col. 0655B] *dimitte illi:* et si septies in die peccaverit in te, et septies dixerit, Poenitet me, dimitte illi **(Luc. XVII, 3)**. Quisquis igitur hoc fecerit, et seipsum salvabit, et detrahentem proximum de peccati fovea liberabit.

CAPUT LXIV.

De cogitationibus et diabolicis illusionibus.

Sicut enim a malis operibus et perversis locutionibus oportet solitarios abstinere, ita etiam a pravis cogitationibus debent se corda illorum custodire. Unde beatus Hieronymus admonet dicens: Non sinas cogitationes malas in corde tuo crescere. Et alibi: Caput cogitationis exclude, et caetera superantur. Non enim potest corrumpi corpus, nisi prius corruptus sit animus; et nihil potest facere caro nisi quod [Col. 0655C] voluerit animus. Idcirco munda prius a pravis cogitationibus animum, et caro non peccabit in aeternum. Bonae autem cogitationes semper a Deo procedunt, malae cogitationes vero aliquoties a nobismetipsis veniunt, et aliquoties instinctu diaboli excitantur. Nemo enim potest a diabolo decipi, nisi is qui ei suae voluntatis assensum praebere voluerit. Si enim repugnamus ei, fugiet a nobis. Unde beatus Jacobus apostolus: *Resistite,* inquit, *diabolo, et fugiet a vobis* **(Jac. IV, 7)**. Qua de causa ita in Collationibus Patrum legitur: Quodam tempore beatus Macarius habitabat in loco deserto solus, et erat prope alia solitudo in qua habitabant plurimi fratres. Et vidit senex Satanam venientem in habitu hominis, ut transiret per cellam ejus. Videbat autem eum

quasi [Col. 0655D] tunica uti linea omnino vetusta, et per omnia foramina ejus pendebant ampullae. Et dixit ei senex: Quo vadis? Et ille respondit: Vado commemorare fratres. Senex autem dixit: Et utquid tibi ampullas istas? Et dixit: Gustum fratribus porto. Dixit ei senex: Totas istas cum gustu portas? Et respondit: Etiam; ut si unum alicui non placet, offeram aliud; si autem nec illud, dabo tertium, et ita per ordinem, ut omnino vel unum ex eis placeat ei. Et cum haec dixisset, transiit. Et observabat senex, custodiens vias, donec ille remearet. Et cum videret eum senex, dixit ei: Sanus sis. Et respondit: Ubi mihi salus? Et dixit senex: Quare? Et respondit? Quia mihi modo omnes sanctificati sunt, et nemo mihi acquiescit. [Col. 0656A] Et dixit senex: Neminem amicum habes illic? Et respondit: Unum tantummodo fratrem habeo ibi, vel ipse solus mihi acquiescit; et quando me videt, convertitur velut ventus. Senex vero dixit ei: Quomodo vocatur frater ille? Respondit: Theoctistus. Et cum haec dixisset, transiit. Surgens autem abbas Macarius perrexit ad fratres. Qui cum audissent, acceperunt ramos palmarum et occurrerunt ei obviam; et parabant singuli eorum cellas suas, incerti apud quem declinaret. Senex autem inquirebat quis inter eos Theoctistus vocabatur; et inveniens eum, intravit in cellam ejus. Theoctistus ergo suscepit eum gaudens. Cum autem coepissent secrete loqui, dixit ei senex: Quomodo circa te est frater? Et ille dixit: Orationibus tuis adjuvantibus, bene. Et dixit [Col. 0656B] senex: Non impugnant te cogitationes tuae? Respondit iterum: Bene sum: erubescebat enim dicere ei. Et dicit ei senex: Ecce quot annos habeo in conversatione loci istius, et omnes honorant me, et tamen in hac senectute infestus est mihi spiritus fornicationis. Et respondit Theoctistus, dicens: Crede, abba, quia et mihi. Senex autem simulabat etiam alias cogitationes sibi esse molestas, donec faceret eum confiteri. Deinde dicit: Quomodo jejunas? Et ille dixit: Ad nonam. Dixit ei senex: Jejuna usque ad vesperam, et abstine, et lege Evangelia, ut memoriter retineas. Sed et alias ex animo meditare Scripturas; et si tibi ascenderit cogitatio mala, nunquam deorsum aspicias, sed semper sursum, et statim te Dominus adjuvabit. Et corrigens senex fratrem [Col. 0656C] illum, reversus est in solitudinem suam. Et cum observaret, vidit iterum daemonem illum, et dixit ei: Quo vadis iterum? Et ille respondit: Visitare fratres, et abiit. Dum autem reverteretur, dixit ei senex: Quomodo sunt fratres illi? Et respondit: Male. Senex autem: Quare? Et ille respondit: Quia toti sancti sunt: et magis malum, quia unum quem habui amicum et obedientem, mihi etiam ipse, nescio unde, subversus est: nec ipse mihi jam acquiescit, sed omnibus sanctior factus est, et propterea juravi me jam non calcare ad illum locum, nisi post longum tempus. Haec dicens transiit, relinquens senem. Sanctus vero senex intravit cellam suam adorans et gratias agens Deo. Hic datur intelligi quia nisi quis voluntatibus diaboli se sponte subdiderit, potestatem [Col. 0656D] adversus hominem non habet. Et sicut superius patefactum est, nescit Satanas a qua passione anima seducatur: et ideo seminat quidem in ea zizania sua, aliquando spargit semina fornicationum, aliquando detractionum et caeterorum vitiorum; similiter passiones, et in qua passione videt animum declinare, hanc ei subministrat. Nihil enim sic extaediat daemonem, quomodo si revelentur stimulationes ejus: et nihil eum sic laetificat, quomodo si abscondantur cogitationes ejus. Quia ergo Dominus noster Jesus Christus dedit nobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, hoc est, malas cogitationes, mundemus per humilem confessionem corda nostra, et parvulos cogitatus nostros allidamus ad [Col. 0657A] Christum, quatenus de nobis dicatur hoc quod scriptum est: *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram* **(Psal. CXXXVI, 6)**. Et rursum:

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt **(Matth. V, 8)**.

CAPUT LXV.

De diversis tentationibus solitariorum.

Multis ergo calamitatum tentationibus mentes solitariorum in hac vita pulsantur, sed non amplius tentat eos diabolus quam Dei voluntas permittit. Tentando autem, eorum profectus erudit; etsi nolens, tamen eorum utilitati diabolus servit, quando tentationibus suis non decipit, sed potius erudit; multis enim modis, ut diximus, mentes solitariorum diabolus tentat. Tentat autem eos aliquando per [Col. 0657B] stimulos paupertatis: nam cum per stimulos paupertatis non potest eos movere, divitias adhibet ad seducendum. Et dum per contumelias et opprobria non praevalet, laudes et gloriam adhibet. Si per salutem corporis non potest, aegritudines mittit. Et dum per delectationes seducere eos non potest, per molestias, quae contra votum eveniunt, eos conatur evertere. Infirmitates etiam quasdam graves adversus eos qui tentandi sunt adhibet, ut per eas pusillanimes faciens solitarios, conturbet charitatem eorum quam habent ad Dominum. Sed quamvis concidatur corpus, et febribus validissimis inflammetur, insuper etiam si intolerabili contritione affligatur, quisquis es qui haec sustines, recordare futuri saeculi poenas, et aeternum ignem, ac perpetua tormenta, ut [Col. 0657C] haec cogitans non deficias ad ea quae in praesenti contingunt. Insuper etiam gaude quia visitavit te Deus; et illud famosissimum dictum in lingua habeto, id est: *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* **(Psal. CXVII, 18)**. Et illud: *Quem enim diligit Dominus, corripit;* flagellat autem omnem filium quem recipit **(Hebr. XII, 6)**. Si ferrum es, post adhibitum tibi ignem emittes aeruginem. Quia si justus es, et haec pateris, de magnis ad majora provocaris. Aurum es, sed per ignem probatior eris. Datus est tibi angelus Satanae, stimulus carnis tuae; exsulta videns cui similis factus es; Paulo apostolo simile donum accipere meruisti. Audi quemadmodum gloriabatur Apostolus in infirmitatibus suis, ita et tu gloriare dicens: *Libenter igitur gloriabor* [Col. 0657D] *in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* **(II Cor. XII, 5, 9)**. Et rursum: *Quando enim infirmor, tunc fortior sum et potens* **(Ibid., v. 10)**. Si febribus, si rigore frigoris castigaris, memor esto quid Scriptura dicit: *Transivimus per ignem et aquam* **(Psal. LXV, 12)**; residuum est ut inducaris in refrigerium. Clama etiam cum Propheta: *In tribulatione dilatasti mihi* **(Psal. IV, 1)**. Perfectus enim eris per hujusmodi tribulationes. Si forte amittis oculos, non feras graviter, extollentiae enim instrumentum amisisti, sed interioribus oculis gloriam Dei speculari stude. Surdus factus es, non contristeris; quia auditum vanum amisisti. Manus tuae ex aliqua passione debilitatae sunt? sed interiores paratas habeas adversus [Col. 0658A] inimici tentationes. Infirmitas totum tuum corpus tenet? sed interiori homini sanitas crescit. Nihil enim aliud est aegritudo corporis quam sanitas mentis. Si infirmitas tibi talis fuerit, ut non possis stare ad orandum et psallendum, non contristeris pro eo, quia infirmitas orat pro te. Si jejunas, non tibi invenias occasionem, dicendo: quia exacerbatus in aegritudinem incurristi: quoniam et qui non jejunant, similes aegritudines incurrunt. Inchoasti aliquid boni? non revoceris per impedimenta inimici; quoniam jejunia et labores nobis constituta sunt propter turpes delectationes. Haec omnia nobis proficiunt ad destruenda

corporis desideria. Tentari autem oportet justum, sed tentatione plagae, non tentatione luxuriae. Quapropter discat non murmurare, [Col. 0658B] qui mala patitur, etiamsi ignorat cur mala patitur. Et per hoc juste se pati arbitretur, quod ab illo judicatur cujus nunquam judicia injusta sunt. Qui ergo in flagellis murmurat, justitiam judicandis accusat; qui vero juste se recognoscit a justo judice pati quod sustinet, etiamsi super quo patitur ignorat, per hoc jam justificatur per quod semetipsum accusat, et Dei justitiam laudat. Beatus qui haec omnia tulerit patienter.

CAPUT LXVI.

De tentamentis somniorum.

Plerumque daemones in noctibus solitariis occurrentes, ut formidolosos eos faciant, per soporem conturbant; et quos vigilantes intus tentant, nec superant, dormientes acriter impugnant. Nonnunquam [Col. 0658C] autem et aperta impugnatione grassantes humana corpora verberant, sicut beato Antonio fecerunt. Quod tamen, Deo permittente, malorum fit ad vindictam, justorum vero ad tolerantiam et gloriam. Plerumque immundi spiritus eos quos incumbere in saeculi amore conspiciunt, dormientes quadam vana spei prosperitate illudunt, sicut legitur in Dialogorum libro cuidam contigisse; qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia hujus vitae promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitae stipendiis collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono opere portaret. Nonnunquam etiam Satanas in angelum lucis sese non solum dormiendo, sed etiam vigilando transformat, ut quemlibet [Col. 0658D] aliqua erroris fraude decipiat; sicut legitur in Collationibus Patrum de quodam sene, qui sedens in cella sua et sustinens tentationes, videbat daemones manifeste, et contemnebat eos. Cum autem diabolus videret se vinci a sene, venit et ostendit se ei, dicens: Vis videre Christum? Et respondens senex dixit: Anathematizo te, et eum de quo dicis; ego autem Christo meo credo dicenti: *Si quis vobis dixerit:* Ecce hic Christus et ecce illic; nolite credere **(Matth. XXIV, 23)**. Et dixit diabolus: Ego sum Christus. Videns autem senex clausit oculos suos. Et dixit ei diabolus: Quare clausisti oculos tuos? Et dixit senex: Ego hic Christum nolo videre, sed in vita beata. Haec audiens diabolus discessit ab eo. [Col. 0659A] Hic ergo patenter obstenditur quantis machinamentis Dei servos conatur decipere inimicus. Illi autem qui aut nullis, vel raris conscii sunt delictis, aut nunquam aut raro terroribus fatigantur nocturnis: et si ad momentum hujusmodi commoveantur, mox tamen evigilantes illusionum vanitates despiciunt intentionemque suam ad Deum convertunt. Interdum etiam quaedam arcana ac mystica Dei servi per visionem videre solent. E contra vero peccatores qui corda sua gravioribus vitiis polluerunt, conscientiae pavore illusi species tremendas aspiciunt; et quos vigilantes diabolus traxit ad vitia, dormientes fatigat, ut nunquam eos requiescere sinat. In oculis autem peccatorum diabolus terribilis est; in oculis autem justorum terror ejus vilis est. Sciendum [Col. 0659B] quippe est quia diversae sunt qualitates somniorum. Aliquando namque ex ventris plenitudine vel inanitate somnia generantur; aliquando vero ex cogitatione accidunt, sicut scriptum est: *Multas curas sequuntur somnia* **(Eccl. V, 2)**. Nam saepe quae in die cogitamus, in noctibus recognoscimus. Aliquando autem ex

illusione immundorum spirituum oriuntur, dicente Salomone: *Multos errare fecerunt somnia et illusiones vacuae* **(Eccl. XXXIV, 2)**. Aliquando quippe ex revelatione procedunt, sicut legitur in lege de Joseph filio Jacob, qui somnio fratribus praeferendus praedicitur. Vel sicut in Evangelio de Joseph sponso beatae Mariae, qui ut fugeret cum puero in Aegyptum, somnio admonetur. Aliquando nempe ex revelatione simul et cogitatione generantur, dicente [Col. 0659C] Daniele: *Tu, rex, cogitare coepisti in strato tuo quid esset futurum post haec;* et qui revelat mysteria ostendit tibi quae ventura sunt **(Dan. II, 9)**. Saepe etiam daemones deceptoria fraude multa solent vera praedicere, ut ad extremum valeant animam ex aliqua falsitate decipere vel illaqueare. Sed quamvis nonnulla vera sint somnia, facile tamen non oportet credere illa, ne forte aliquando ex illusione diaboli procedant, et simplicium corda decipiant, recolentes testimonium Scripturae dicentis: *Si dixerint vobis, et ita evenerit, nolite credere* **(Matth. XXV, 23)**. Somnia enim similia sunt auguriis, et qui eis intendunt, revera augurare noscuntur. Solitarii autem inter illusiones ac revelationes discreta circumspectione discernant, ut [Col. 0659D] sciant quid a bono spiritu percipiunt, vel quid a malo spiritu patiuntur.

CAPUT LXVII.

Ut solitarii signa et miracula fieri non quaerant.

Signa igitur et miracula a solitariis non sunt quaerenda, propter ostentationem et vanam gloriam. Nam quisquis signorum et mirabilium indiciis vult probari, non potest probus videri. Quia ipse Dominus et Salvator non dixit: Ex signis et mirabilibus cognoscetis eos, sed ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* **(Matth. VII, 20)**. Neque enim in die judicii remuneraturum se promittit eos qui signa et prodigia faciunt, sed eos qui praeceptis suis obediunt, dicens ad eos: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc.* **(Matth. XXV, 34.)** Sed et beatos non dicit [Col. 0660A] eos qui signa et mirabilia fecerunt, sed humiles spiritu, mansuetos, lugentes et hujuscemodi opera exsequentes. Nusquam in signorum opere beatitudo ponitur, sed in expletione mandatorum Dei. Vita enim bona, atque actus probi, etiam sine signis et mirabilibus merentur coronam; iniqua autem conversatio, etiamsi signa et prodigia fecerit, supplicia non evadit. Et ideo superflue haec quaeruntur, imo et periculose. Per ostentationem vero nihil faciant solitarii. Nam quantum malum sit per ostentationem aliquid agere, praesens exemplum ostendit, cum subditur: Fuit quidam juvenis monachus, qui cum vidisset quosdam senes iter agentes, ostentationis causa jussit onagris venire, ut portarent eos, donec pervenirent ad se. Illi autem senes indicaverunt hoc [Col. 0660B] beato Antonio. Et dixit abbas Antonius: Videtur mihi monachus iste similis esse navi omnibus bonis oneratae, de qua incertum est utrum pervenire possit ad portum an non. Et modicum post subito abbas Antonius flere coepit, et capillos sibi trahere et lugere. Quod cum vidissent discipuli ejus, dixerunt: Quid ploras, abba? Et respondit: Magna Ecclesiae columna cecidit modo. Dicebat autem hoc de illo juvene monacho. Ite, inquit, fratres, ad eum, et videte quid agat. Perrexerunt ergo discipuli ejus, et invenerunt monachum illum sedentem et flentem peccatum quod fecit. Videns autem discipulos senis, ait eis: Dicite seni ut roget Deum, decem tantum dierum dari mihi inducias. Qui intra quinque dies mortuus est. Quapropter caveant omnino solitarii, ut [Col. 0660C] nihil per ostentationem

faciant. Insuper autem morbum vanae gloriae fugiant: quae non solum in carnalibus vitiis, sed etiam in spiritalibus causis solitarios pulsat; ut qui non valent carnalibus vitiis decipi, spiritalibus successibus acrius saucientur. Nam quem diabolus sub specie pretiosae vestis ac nitidae non potest in vanam gloriam immergere, pro squalida et inculta conatur decipere. Et quem non potest per honorem dejicere, per humilitatem supplantat; et quem scientiae et elocutionis ornatu nequit extollere, gravitate taciturnitatis elidit. Si jejunat quis palam, gloriae vanitate pulsatur. Si illud causa vanae gloriae contemnendae contexerit, eodem vitium elationis incurrit. Alius enim oratione, alius vigiliarum prolixitate pulsatur. Multi enim vanam gloriam [Col. 0660D] fugiendo in ipsam incidunt; et multi in hoc ipso cupiunt laudari quod laudes contemnunt; et mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. Ideo pulchre sancti Patres nostri naturam morbi hujus in modum caepae conscribunt, quae uno decoriata tegmine, alio rursum invenitur induta, totiesque reperitur obtecta quoties fuerit exspoliata. Quapropter oportet solitarios, juxta consilium Apostoli **(II Cor. VI, 7)**, *per arma justitiae a dextris et sinistris transire;* per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam incedere. Et ut per Salomonem dicitur: *Non divertant ad dexteram, neque ad sinistram* **(Prov. IV, 27)**; id est, nec de virtutibus et dextris successibus se extollant, nec ad sinistrum vitiorum [Col. 0661A] tramitem flectantur; sed medium tenentes ad ipsum qui via, veritas et vita est, prospero incessu pervenire mereantur.

CAPUT LXVIII.

De trimoda charismatum gratia.

Usque ad spiritualium narrationem charismatum proferendam praecedens disputationis ordo pervenit, quam tripartitam esse, majorum traditione percepimus. Prima siquidem curationum causa est, cum pro merito sanctitatis electos quosque ac justos viros signorum gratia comitatur, sicut apostolos multosque sanctorum signa et prodigia secundum auctoritatem Domini fecisse manifestum est, ita dicentis: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemonia ejicite:* gratis accepistis, gratis date [Col. 0661B] **(Matth. X, 8)**. Secunda, cum ob aedificationem Ecclesiae, vel eorum qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curandi sunt fidem, sanitatum virtus etiam a peccatoribus indignisque procedit. De quibus Dominus in Evangelio: *Multi,* inquit, *dicent mihi in illa die:* Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, daemonia ejecimus, et multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis quia non novi vos: discedite a me, operarii iniquitatis **(Matth. VII, 22)**. Propter hoc autem et discipulos monebat dicens: *Nolite gaudere quod daemonia vobis subjecta sunt, sed quia nomina vestra scripta sunt in coelis* **(Luc. X, 20)**. Tertius curationum modus etiam colludio daemonum ac factione simulatur: ut dum homo apertis criminibus fuerit obligatus, propter admirationem signorum [Col. 0661C] sanctus ac Dei servus credatur; vel certe ut is qui curationum dona habere se credit, per superbiam cordis elatus gravius elidatur? Inde est quod Dominus in Evangelio loquitur: *Exsurgent, inquit, pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* **(Marc. XIII, 22)**. Quapropter nunquam de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse

quisquam laudabilis. Et revera majus miraculum est de propria carne fomitem eradicare luxuriae, quam expellere immundos spiritus de alienis corporibus; et magnificentius signum est virtute patientiae truculentos motus iracundiae coercere quam daemonibus imperare ac de alienis corporibus infirmitates pellere: et praecelsior [Col. 0661D] virtus est animae propriae languorem curare, quam corporis alieni. Quanto enim anima sublimior carne est, tanto praestantior ejus et salus est. Et major merces est peccatorem suscitare de vitiis, quam mortuum de sepulcro. Ideoque a sanctis Patribus signorum opera nequaquam legimus affectata, sed quanquam ea Spiritus sancti gratia possiderent, nunquam exercere voluerunt, nisi forte inevitabilis necessitas illos coarctasset, ut beatum Macarium, qui fuit discipulus sancti Antonii. Hunc enim ferunt aliquando cum homicidium in locis vicinis fuisset admissum, et innocenti cuidam impingeretur crimen homicidii, eum qui calumniam patiebatur confugisse ad ejus cellulam: adfuisse etiam eos qui innocentem [Col. 0662A] perurgebant, jurantes, et dicentes periclitari seipsos, nisi comprehensum homicidam legibus traderent. Ille vero cui crimen impingebatur, cum sacramentis affirmabat conscium se non esse sanguinis illius. Et cum diu hoc certamen haberetur, interrogat sanctus Macarius ubi jaceret ille qui dicebatur occisus. Cumque designassent locum, cum omnibus qui ad perurgendum hominem venerant, ivit ad sepulcrum, et ibi fixis genibus, invocato nomine Christi, ad eos dixit qui astabant: Nunc Dominus ostendet si reus est hic quem perurgetis. Et elevata voce defunctum ex nomine clamavit. Qui cum de sepulcro respondisset, ait ei: Per fidem Christi te obtestor, ut dicas si ab eo qui calumniatur pro te occisus es? Tum ille de sepulcro elata voce respondit, dicens, [Col. 0662B] non se esse ab eo laesum. Hoc audito cum stupefacti omnes decidissent in terram, rogaverunt pedibus ejus advoluti ut interrogaret eum a quo esset occisus. Tunc ille: Hoc, ait, non interrogabo; sufficit nunc mihi ut innocens liberetur, non est meum ut reus prodatur. Haec igitur ejus virtus et gratia, quantum in ipso fuit, forte semper lateret, nisi eum necessitas periclitantis hominis et amor sincerus erga Christum hoc exercere miraculum compulisset. Sciendum itaque est quia sicut thesaurus apertus cito expenditur, sic et virtus quaelibet, cum publicata fuerit, exterminabitur; et ut cera solvitur a facie ignis, ita et anima laudibus inaniter exaltata perdit virtutum vigorem. Proinde necesse est solitariis, ut si eis cujusque conscientia boni operis fuerit, occultent [Col. 0662C] illam, et cum omnia fecerint quae Deus praecipit, dicant: *Servi inutiles sumus* **(Luc. XVII, 10)**. Virtutes quoque si forte in se esse senserint, sileant et celent; Deus divulgabit opera eorum, et adducet ad medium, cum venerit Dominus, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium:* et tunc laus erit unicuique a Deo **(I Cor. IV, 5)**; tunc reddet singulis secundum opera sua.

CAPUT LXIX.

Ut solitarii post retrusionem ad saecularem vitam minime redeant; et de perseverantia boni operis.

Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, ut solitarii post retrusionem, causa elationis vel negotiationis, ad saeculum veluti praeda daemonum facti infeliciter redeant. Nam quam grave crimen solitarios [Col. 0662D] apostatare, hoc est, a priori

proposito recedere, Dominus in Evangelio testatur: *Nemo,* ait, *mittens manum suam in aratro, et respiciens retro, aptus est regno Dei* **(Luc. IX, 62)**. Hinc Paulus apostolus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saeculi, ut ei placeat cui se probavit* **(II Tim. II, 5)**. Non enim liber est a laqueis diaboli, qui se negotiis mundi post retrusionem voluerit implicare. Talibus enim convenit illa beati Petri vera et multum timenda sententia: *Melius enim illis fuerat viam vitae non agnoscere, quam post agnitam retrorsum reverti* (II Petr. II, 21). Et iterum: *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti* **(Ibid., v. 22)**. Si quis ergo suadente diabolo haec perficere tentaverit, [Col. 0663A] nisi inevitabilis necessitas eum compulerit, excommunicetur omnimodis ab episcopo suo, vel a caeteris praelatis, quousque ad prius propositum redeat, quod propter Deum primitus elegerat. Non enim quaeritur in solitariis initium boni operis, sed finis; quia de fine suo unusquisque judicabitur, non de vita praeterita, dicente Domino per Prophetam: *Qualem te invenero, talem te judicabo* **(Ezech. VII, 3)**. Sunt enim, quod pejus est, qui bene incipiunt, sed male finiunt conversationem, ut Judas, qui bene coepit, sed male finivit: et Paulus male coepit, sed bene finivit. Coepisse enim multorum est, sed culmen perfectum attigisse rarorum est. Ideo non insipientibus praemium promittitur, sed perseverantibus datur, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem,* hic salvus [Col. 0663B] *erit* **(Matth. X, XXII et XXIV, 13)**. Si autem solitarius aliquis ideo securum se putat de solitaria vita aliquando posse discedere, quod in ipso proposito bene cucurrerit, quod ibi multum laboraverit, hic talis agit ac si aliquis oneratam mercibus navim a portu solvat, et tempestati tradat, et ad scopulos et saxa detorqueat. Hic talis videat quam incerti et quam [Col. 0664A] lubrici sunt exitus vitae hominum, sicut per Salomonem dicitur: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit;* sed omnia in futuro reservantur incerta **(Eccli. IX, 1)**. Ideoque nemo de praeteritis sit securus, quia quamvis solitariorum conversatio probabilis sit, incertum tamen est hominibus quo sint fine destinati. Tunc enim felix et beata eorum inchoatio, et tunc placet Deo eorum conversatio, dum absque ullo erroris titubationisve naufragio ad optatum finem perfectionemque prospero cursu perveniunt. Quapropter studeant solitarii hanc Regulam breviter de sanctarum floribus Scripturarum collectam, et sanctorum Patrum exemplis hinc inde munitam, sedula meditatione perlegere, et per singula verba discutere, ac memoriae commendare, et divina auxiliante [Col. 0664B] gratia, juxta vires adimplere, quatenus ad eamdem gloriam valeant pervenire quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam praeparavit Deus diligentibus se **(I Cor. II, 9)**; ipso opitulante qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Explicit Regula Solitariorum.

CODICIS REGULARUM PARS TERTIA. REGULAE SS. PATRUM AD VIRGINES.

[Col. 0663C]

SANCTI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI EPISTOLA CIX, REGULAM SANCTIMONIALIBUS PRAESCRIPTAM CONTINENS.

(*Vide Patrologiae tom.* XXXIII. col. 958.)

[Col. 0663C]

SANCTORUM CAESARII, AURELIANI, DONATI, ARELATENSIS, ITEM ARELATENSIS ET VESONTIONENSIS EPISCOPORUM, REGULAE AD VIRGINES.

(*Vide Patrologiae tom.* LXVII, col. 1103 ; *tom.* LXVIII, col. 399 ; *tom.* LXXXVII, col. 273.)

[Col. 0663D]

CUJUSDAM PATRIS REGULA AD VIRGINES.

(*Vide Patrologiae tom.* LXXXVIII, col. 1151.)

[Col. 0663D]

SANCTI LEANDRI HISPALENSIS REGULA SIVE DE INSTITUTIONE VIRGINUM ET CONTEMPTU MUNDI, AD FLORENTINAM SOROREM LIBER.

(*Vide Patrologiae tom.* LXXII, col. 871.)

CODICIS REGULARUM APPENDIX. SANCTORUM PATRUM EXHORTATIONES AD MONACHOS ET VIRGINES DE OBSERVANTIA VITAE RELIGIOSAE, *Collectae olim a sancto Benedicto Anianensi.*

[Col. 0665A]

OBSERVATIO CRITICA IN APPENDICEM AD CODICEM REGULARUM.

In hac quidem Appendice continentur insignes quaedam adhortationes SS. Patrum, quae, etiamsi non monachorum Regulae appellari possint, attamen ad monasticam vitam recte dirigendam omnino pertinent; cum paraeneticam doctrinam utriusque sexus monachis accommodatam complectantur. Haec adhortationum opuscula eruit Holstenius ex duobus vetustis codicibus, in lectissima bibliotheca serenissimae Suecorum reginae conservatis, cui etiam et hanc Appendicem consecravit.

Existimat quoque doctissimus editor, has adhortationes ex sanctis Patribus collectas esse idem opus quod sanctus Benedictus Anianus composuit, atque collectioni Regularum monasticarum adjunxit; prout ex Vita ejusdem sanctissimi abbatis constat,

ubi exerte dicitur, illum praeter Regularum Codicem *alium nihilominus composuisse librum ex sanctorum doctorum homiliis.* Quod sane assertum satis quadrat in hoc praesens opus ex Patrum variorum opusculis contextum, et partim monachos, partim sanctimoniales apprime erudiens, et ideo dignissimum ut Codici Regularum adjungatur; quamvis in ipso mss. codice Coloniensi inventum non fuerit. Nam Codices illi mss. olim pertinebant ad monasterium Floriacense, atque eadem manu scripti erant ac ipse Codex Regularum. Adeoque simillimum vero videtur, haec pia opuscula ab ipso sancto Benedicto Aniano collecta fuisse, atque ipsi codici Regularum assuta ad majorem disciplinae monasticae perfectionem procurandam. Fatetur quoque Hugo Menardus in suis eruditissimis notis ad Vitam sanctissimi hujus abbatis, se reperisse ad calcem vetusti codicis Floriacensis, ex quo eruit Concordiam Regularum, etiam tale opusculum sed mancum, quod ideo cum ipsa Concordia non edidit, quia in fine deerant quaedam folia. Quemadmodum igitur piissimus abbas Anianus ad calcem Concordiae Regularum appendere voluit sententias et testimonia quorumdam sanctorum Patrum, qui non Regulas monasticas scripserunt, sed selectam asceticam doctrinam ad evitanda vitia et excolendas virtutes tradiderunt: sic etiam veritati consentaneum videtur, quod Codici Regularum monasticarum adjecerit integra opuscula SS. Patrum, ex quibus tales sententias desumpserat. Notum quippe est, Concordiam Regularum solummodo continere selectas sententias et testimonia ex ipsis Regulis monasticis collecta; pari quoque modo et opusculum illud Concordiae Codici assutum solummodo comprehendebat farraginem sententiarum excerptam ex his integris sermonibus et adhortationibus quae hanc Appendicem apte conficiunt.

[Col. 0665D]

INCIPIT LIBER SANCTI ATHANASII EPISCOPI ALEXANDRIAE DE OBSERVATIONIBUS MONACHORUM

Etsi gloriari in Christo licet quod hujusmodi principiis sitis initiati, ut sit inchoatio vestra perfectio, et ad veram vivendi frugem gradus interpositos [Col. 0665A] praevolantes, apice ipsius culminis occupato, disciplinae summam teneatis, ut in votis habere debeat imitari quisque vos potius quam posse credat institui: mihi tamen hujus licentiam praerogativae paternus ascripsit affectus, et amplectenda mihi vestrae expostulationis exactio; qui dum me auditis non solum libenter, sed etiam avide, impudentem me vestro amore fecistis. Praecedentes duco, et ultra mensuram meae possibilitatis extensus quos sequi cupio ducere compellor. Pergam igitur per tramitem vitae vestrae, et quasi qui primis litterarum imbuatur elementis depictis, adumbratas praefigurationibus notas stylo imitatore calcabo, accedentibus ad speranda beati instituti praemia quae sequenda sunt.

Primum abstinentiae cura, jejunii patientia, orandi assiduitas, legendi, vel si quis adhuc litterarum expers sit, audiendi sit desiderium cum cupiditate discendi. Haec enim sunt prima quasi lactentium in Dei [Col. 0666A] agnitione crepundia: quibus homo admonitus ortus sui, divini tramitis ingredi viam velle incipiat, dum posse consuescat. Et quidem ista tradens, non de vulgi promiscua fide loquor, quem omnipotentis Dei misericordia insinuata confessio, et innocentiae singularis instillata doctrina venia sola efficit esse contentum. Quanquam Dominus noster, sicut legimus, omnes velit salvos fieri, et ad

agnitionem veritatis venire: tamen quia praeeminentis gratiae cuncti capaces esse non possunt (*Non enim omnes qui ex Israel sunt, Israelitae sunt* **(Rom. IX, 6)**; nam et Ismael a consortio fraternae haereditatis excluditur, et compugnantes Jacob atque Esau unius uteri claustra ruperunt), vel contenti puteo aquae vivae, nos in holocaustum nostri hostiam voluntariae oblationis aptemus, [Col. 0667A] desiderantes escas et parantes ac primatibus praevertamus, illis ad mensuram veniae hanc sententiam largientes: *Omnis creatura Dei bona, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* **(I Tim. IV, 4)**. Nos ad praemium gloriae illo labore nitentes: *Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum* **(Rom. XIV, 21)**. Et rursum: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, et ille quidem ut corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam* **(I Cor. IX, 25)**. Abstinentia enim continentiae nutrix est, qua innupta sive nupta facilius passibilitatis frena patitur, si non deliciarum calcaribus incitetur. Quam sic eos qui ad summa nituntur, vel cupio vel mando colere, ne putent in aliis crimen esse nupsisse, scientes scriptum esse: *Bonum est* [Col. 0667B] *nubere:* melius est non nubere **(I Cor. VII, 25)**. Qui hoc enim illicitum credunt, ipsi praemium sui laboris imminuunt. Illicitis enim cavere, jugum necessitatis est; permissa vincere munus arbitrii. Malis abstinere, disciplinae merces est; bona supergredi, libertas meriti est, non finis imperii. Illud legis indultum est terminis; hoc gratiae reservatum est incrementis.

Jejuniorum quoque non sit volentibus certa mensura: sed in quantum possibilitas valet, nisu laborantis extensa; quae praeter Dominicam diem semper sint solemnia, si votiva sunt. His sese Moyses beatissimus praeparans affatibus Dei dignus ingessit. His praedictas per Jonam Ninivitae minas in placidam rursus flexere sententiam. His Bethuliae populus Assyria [Col. 0667C] obsidione conclusus, et usque ad deditionem sui experta plurima virtute conterritus, ab Holofernis tumentibus minis constantis manu feminae meruit vindicari. His Mardochaeus Aman crudelem superbia praeparato sibimet ligno, acceptae poenae conversione suspendit. His Jesus Salvator noster in carne hominis quam assumpserat eruditus, suadelas diaboli tentantis obtudit: quas etsi aliter potuisset expellere, docendos tamen sibi populos voluit hac imitatione formare.

Orationibus vero ita frequenter instandum est, ut vix eas aliquod tempus interpolet. Scriptum est enim: *Orationi instate, vigilantes in ea* **(Colos. IV, 8)**. Et iterum: *Quaerite et invenietis;* pulsate et aperietur vobis **(Matth. VII, 17)**. Per has amicus dormiens excitatur; [Col. 0667D] et quamvis omnem familiam sopor altus obsederit, depromi tamen sibi panes ac porrigi importunus expostulator extorquet.

Has, si fieri potest, sola legendi intercapedo disrumpat. Cujus rei cura in canonicis ponenda est monimentis: non quod apocrypha debeamus praesertim ignorata damnare; sed quod ad scientiam Dei digestam canonis seriem putemus posse sufficere. Illa enim si consentiunt, supervacua sunt; si dissentiunt, vitanda sunt. Sine legendi autem studio nemo ad Deum valebit esse intentus. Primum, quod hujusmodi opera ab aliis actibus caducae occupationis abducunt: et diversorum exemplorum insinuata cognitio vel bonorum appetentiam, vel malorum facit [Col. 0668A] esse cautelam. Neque enim alias Petrus apostolus admoneret: *Praeparati semper estote ad rationem reddendam ad omnes poscentes vos de verbo fidei vestrae et spei vestrae* **(I Petr. III, 16)**. Et

Apostolus: *Non cessamus pro vobis orantes, ut impleamini agnitione ejus in omni sapientia et intellectu spiritali* **(Col. I, 9)**. Et rursus; *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia* **(Col. III, 16)**. Nam et in Veteri Testamento similem hominibus curam sacrae praeceptionis inculcavit eloquium. Sic enim David ait: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit;* sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte **(Psal. I, 1)**. Et ad Jesum Nave Dominus loquitur: *Non recedet liber iste* [Col. 0668B] *de manibus tuis, et meditaberis in eo die ac nocte* **(Jos. I, 8)**. His quoque se negotiis malarum cogitationum lubrica frequenter interserunt; et quamvis ipsa sedulitas animum ad Deum praestet intentum, efficit tamen in sese mordax saeculi cura sollicitum. Quod si haec frequenter et importune patitur religioso labori deditus, nunquam profecto illis carebit otiosus.

Nunc quoniam studiorum membra digessimus, morum augmenta cumulemus. Illud autem non extra commonitionem puto, ut sit victus facilis, vilisque vestitus: cum et haec tegendi corporis gratia reperta sint, non ornandi; et illa sustinendae animae potius quam obruendae. His igitur quae supra ostendimus actibus mancipatus omne odium deponat inimici. Nec hoc tantum fine contentus, simultates amore [Col. 0668C] commutet; iram patientiae temperet freno; avaritiam abstinentiae vincat imperio; ac praecipue linguam custodia taciturnitatis obsepiat; ne in litigium contentiosa fervescat; ne in maledictum procax incurrat; ne in obtrectationem maledicta serpat; ne in jurationem facilis prolabatur; ne in mendacium ficta dissimulet; ne in circumventione astuta calleat: ne in elatione superba jactetur; sedulo servans tempus tacendi et tempus loquendi, omne otiosum verbum obnoxium sciat esse rationi. Nam ideo et David beatissimus ori suo custodiam deposcit: et condiendum sale sermonem beati Pauli pagina sacra constituit et nullum indomabile membrum esse quam linguam testifica Jacobi praecepta signarunt.

Sit igitur qui hujusmodi viam scandit, tacitus, [Col. 0668D] mitis, benignus; et quia charitatis insolubilis nexus habetur, abjiciendus in studio parili semper alium judicans potiorem. Hoc enim freno astringit invidiam, quam vicinae sibi elationis saepius incitatam judicio, dum gratias referendi sibi honoris appetit, notam miseri livoris incurrit. Nec praemium a Deo unusquisque percipit, si ab hominibus id requirit. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* **(Jacob. IV, 6)**; qui cum de hujusmodi studio discipulos erudiret, ipsum pronuntiat maximum, qui minimus velit esse cunctorum. Esto, ab aliquibus frater tuus propensius honoretur, nec illos minus amicos habeas, nec hunc aemulum praelatae venerationis attendas. Quinimo judica circa te augmentum [Col. 0669A] illius honoris accrescere, sciens scriptum: *Si enim glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra;* vos autem estis corpus Christi et membra **(I Cor. XVI)**. Nam quicunque aliquem vestrum diligit, omnem dignitatem Deo, in quem vos coitis, ascribit. In hoc mite silentium placet; in hoc affabilitas blanda diligitur: hunc rudis et innata simplicitas, hunc scientia erudita commendat: hujus in jejunii jugitate patientia, hujus in abstinentiae virtute contemptus, hujus in lectionis assiduitate sedulitas pro divinorum munerum diversitate laudatur. *Haec autem,* sicut scriptum est, *operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Sicut enim corpus unum membra habet multa, omnia autem membra de corpore uno cum sint multa, corpus unum sunt:

ita et [Col. 0669B] *Christus.* Omnes enim nos in unum corpus baptizati sumus **(I Cor. III, 10, 8)**. Singuli vobis potestis omnium bonorum summam praesumere, si nullus se incipiat in eo quod alteri praecellit efferre. Sed cum vos invicem nexu astrictae charitatis arctabitis, tunc eos qui foris sunt, et in saeculari adhuc actu mundialibus vinculis colligantur, nolite attentioris vitae austeritate damnare, scientes scriptum: *Nolo judicetis, ne judicemini* **(Matth. VII, 1)**. Et iterum: *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* Potens est enim statuere illum Deus **(Rom. XIV, 4)**. Magis benignis adhortationibus, et illiciente blandimento via veritatis ostensa nubem erroris aperite; ut non trahi incipiat unusquisque, sed sequi pedetentim. Semper duriora flectenda sunt, ne viribus [Col. 0669C] inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens fragmen offendat. Hic enim saepius scandala vulgi gignuntur, dum ad religionis jugum censorium arrogatur imperium. Vita nostra jubeat, lingua persuadeat; quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui morum lenis formatio. In omni igitur actu vestro quasi speculo relucente fulgete, ubique circumsepti, ubique solliciti; ne quid livor inveniat, ne quid rumor falsus infligat.

Feminas probatas et religionis studio deditas cum mensura venerationis honorate: ut nec austeritas inhumana, nec sedulitas sit remissa. Accessus ad vos invicem vester non ingestus sit, sed innatus; quem causa fecerit; non quem supervacuitas relaxarit. Plures audite cum pluribus: aut si quando alterius [Col. 0669D] sexus frequentia deerit, vel annorum cujusdam probata gravitas, vel celebritas loci, vel ratio temporis id honestet, quia praecipue vobis aetas, hora, solitudo vitanda sunt. Non quod mihi fas sit de his, qui vere semel devota Deo pectora dicaverunt secus aestimare aliquid; sed ut ex abundanti sic vitetis omne, quod fingi potest, tanquam possit et credi. Caveamus ne in nullo famae nostrae vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famae semina priusquam linguis nutriantur intereant. Non tantum vobis fides facti, sed possibilitas etiam releganda mendacii. Beata enim vita est et praeclara, de qua nil licet falsitati. Nec enim ego hoc judicium meum austerus censor arripui; sed coeleste imperium monitor blandus assumpsi. [Col. 0670A] Nam sic ait Apostolus: *Zelans vos zelo, despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* **(II Cor. XI, 2)**. Sciens scriptum esse: *Non ponatis offensionem vel scandalum fratri* **(Rom. XIV, 13)**. Et iterum: *Sine offensione estote Judaeis et gentibus, et Ecclesiae Dei* **(I Cor. XIII, 32)**. Et iterum: *Non blasphemetur bonum nostrum* **(Rom. XIV, 16)**. Et iterum: *Ut quid libertas nostra judicetur ab infideli conscientia* **(I Cor. X, 29)**? Et iterum: *Omnia autem vestra honesta fiant* **(I Cor. XIV, 40)**. Et iterum: *Commendantes nosmetipsos in omnem conscientiam hominum coram Deo* **(II Cor. IV, 2)**. Et iterum: *Provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* **(Rom. XII, 17)**. Et iterum: *Ut is qui ex adverso est confundatur,* nihil habens de nobis [Col. 0670B] *dicere mali* **(Tit. II, 8)**.

Neque me praeterit saecularis livoris invidia in obtrectationem semper religionis ardere, et mordacem malignis rumoribus dentem impressum dicacitatis infigere. Utatur sua mundus natura, dum nihil in nostra inveniat disciplina. Falsitas ex more jactetur, dum ne verisimile quidem possit esse quod dicitur. Nemo ideo debet contemnere vulnus infamiae, quia semper consueverit rumor simulare: sed ideo intentius praecavere, quod soleat etiam ficta componere. Nemo ab obtrectationis metu redditur obtrectandi solemnitate securus; neque est negligentiae causa sollicitudinis continuata materia. Sit

igitur pudoris ac verecundiae vestrae tuta et circumspecta custodia. Necessarius e domo et rarus egressus, quem aut religionis [Col. 0670C] ratio extulerit, aut ad substantiam victus causa exercendi operis ordinarit; a muneribus cunctis nisi quae ad quotidianum cibum annuumque vestitum suppetant, abstinentes; scientes scriptum esse: *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* **(I Tim. VI, 8)**. Et iterum: *Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis* **(I Thes. IV, 12)**. Ne quidem praebendae eleemosynae gratia ultra supradictos victus ab ullo quippiam praesumatis; scientes scriptum: *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet acceptum est, non secundum id quod non habet* **(II Cor. VIII, 22)**. Sic illa evangelici sermonis divina sententia anum pauperem, inter larga locupletum munera gemina [Col. 0670D] tantum aera mittentem, magnifica accepta largitione ditavit. Quia non potest parum esse quod totum est; neque quisquam amplius dedit, quam qui sibi nihil reservavit. Haec si qui praeter vos nimium videbuntur astricta, qui Dei claustra pulsare tentaverit, prout ratio sua tulerit, relaxabit: ne quis forte aut connexus sit conjuge, aut liberis impeditus. Habet praeter haec arcta substantia plura quae sequantur. Neque se repulsum credat, sed aditu alterius vocationis admissum, sicut scriptum est: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* **(I Cor. VII, 20)**. Non tamen propensiorem curam patrimonio quam religioni in caducis magis occupatus intendat, agnoscens scriptum esse: *Et possidentes tanquam non possidentes* **(I Cor. VII, 30)**. Si quem tamen [Col. 0671A] posteritatis compede felicior natura si intelligatur absolverit, causam haerendi in mundo, nisi ignarus est Dei munerum, non habebit. Cur enim vivendi voluntate non solvat, quod moriendi lege rumpendum est; faciens de sorte mercedem, ut de necessitate virtutem augeat? Quinimo qui in sua re familiari de parvis magna, de vilibus pretiosa, aeterna facit de caducis; solus est cum pervenerit, ut sempiternus patrimonii sui possit esse possessor. Si avarus non est, debet terminanda contemnere; si avarus est, debet desiderare perpetua, sciens scriptum esse: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur.* Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque tinea, neque aerugo exterminant, ubi fures [Col. 0671B] *non effodiunt nec furantur* **(Matth. VI, 19)**.

Hoc ei qui non caret filiis hortamentum est; qui caret, imperium. Ista vos cuncta congrua temporibus, apta personis, referta exemplis, condita blanditiis, hortamento mites ingerite: facilius potest persuadere qui facit. Neque enim aliquo horum omnium fructu invidi estis cujusquam aestimatione fraudandi. Erat vobis certe corpus firmum, aetas integra, rudes [Col. 0672A] animi, quamvis angusta pro humani generis varietate substantia: patebat vel negotiandi usus, vel studium militandi: diversae artes, et innumera in actibus mundi augendae facultatis officia. Postremo non deerat vel pauper uxor, quae vivendi pararet voluptatem, et insita humanis sensibus pignorum blandimenta. Quae vos omnia quidem corpore et castis sensibus respuentes, divinae sententiae formam religiosis actibus custoditis, dicente Scriptura: *Quicunque plus me fecerit domum, aut uxorem, aut filios, non est me dignus* **(Matth. X, 37)**. Vestra igitur intuentes exempla, nec illi de meritorum summa angusta sui aestimatione desperent, qui substantia parili ad studium vitae hujus advenerit. In hoc ergo, filii charissimi, vivendi tramite constituti, *vacate et* [Col. 0672B] *videte quoniam suavis est Dominus* **(Psal. XXV, 9)**.

Dies noctesque lectionibus atque orationibus ducite; et mei semper, quem in opere et scientia abortivum omnium sacerdotum praeceptorem tanti vobis habuistis eligere, mementote. *Vigilate, state in fide, confortamini, omnia vestra in charitate fiant, et Deus pacis erit vobiscum* **(I Cor. XVI, 13)**.

[Col. 0671C]

EJUSDEM S. ATHANASII EXHORTATIO AD SPONSAM CHRISTI.

[Col. 0671C]

Quantam in coelestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, praeter Scripturarum testimonia, Ecclesiae etiam consuetudine edocemur: quia discimus peculiare illi subsistere meritum, cujus specialis est consecratio. Nam cum universa turba credentium paria gratiae dona percipiat, et eisdem omnes sacramentorum benedictionibus glorientur, istae proprium aliquid prae caeteris habent, cum de illo sancto et immaculato Ecclesiae grege, quasi sanctiores purioresque hostiae pro voluntatis suae meritis a sancto Spiritu eliguntur, et per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino hostia tam pretiosi animalis oblatio, et nulla magis ei quam imaginis suae hostia placitura. De [Col. 0671D] ejusmodi enim Apostolum praecipue dixisse reor: *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* **(Rom. XII, 1)**. Possidet ergo virginitas et quod alii habent, et quod alii non habent: dum et communem et peculiarem obtinet gratiam, et proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam et Christi sponsas virgines dicere ecclesiastica nobis permittit auctoritas; dum in sponsarum modum quas consecrat Domino velat: ostendens eas vel maxime habituras spiritale connubium, quae subterfugerint carnale consortium. Et digne Deo per matrimonii comparationem spiritualiter copulantur, quae ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quam maxime impletur [Col. 0672C] illud Apostoli: *Qui autem adhaeret Domino unus spiritus est* **(I Cor. VI, 17)**.

Grande est et immortale, et pene ultra naturam corpoream, sopire luxuriam et concupiscentiae flammam adolescentiae facibus accensam animi virtute restringere, et spiritali conatu vim genuinae oblectationis excludere, vivere contra humani generis morem, despicere solatia conjugum, dulcedinem contemnere liberorum, et quaecunque praesentis vitae esse commoda possunt, pro nihilo spe futurae beatitudinis computare. Magna haec, ut dixi, et admirabilis virtus est, et non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti praemio destinata. *Dabo,* inquit Dominus, *spadonibus meis in domo mea,* et in muro [Col. 0672D] *meo locum nominatum meliorem a filiis et filiabus Israel, nomen aeternum dabo eis, quod non deficiet* **(Isai. LVI, 4)**. De quibus spadonibus Dominus in Evangelio repetit dicens: *Sunt enim spadones qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum* **(Matth. XIX, 12)**. Magnus quidem est pudicitiae labor, sed majus praemium: temporalis custodia, sed remuneratio aeterna. De his enim et beatus Joannes apostolus loquitur, quod *sequuntur Agnum quocunque ierit* **(Apoc. XIV, 4)**. Quod ita intelligendum puta, nullum eis locum in coelesti aula claudendum, et cuncta eis

divinarum mansionum habitacula reseranda.

Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et quam Deo digna sit manifestius possit intelligi, illud cogitetur, quod Dominus et Salvator noster Deus, [Col. 0673A] cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit uterum. Et ut hujusmodi plurimum sibi placere monstraret, et pudicitiae bonum utrique sexui intimaret, virginem habuit matrem virgo mansurus; in se viris, et in matre feminis praebuit virginitatis exemplum: quo demonstraretur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis haberi, et plenitudinem meruisse; dum totum in matre fuit, quidquid habebatur in filio. Sed quid ego satago excellens ac sublime pudicitiae meritum revelare, et gloriosae virginitatis bonum ostendere; cum de hac re plerosque perorasse non nesciam, et ejus beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse, et nulli sapienti venire in dubium posse, eam rem majoris esse meriti [Col. 0673B] quae sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam aut nullius praemii, aut parvi existimat, certum est illum aut ignorare, aut non voluntarium ferre laborem. Unde illi semper castitati derogant, qui eam aut non habent, aut habere coguntur inviti.

Nunc itaque quoniam paucis licet, tam laborem quam meritum integritatis ostendimus; ne res, quae grandi virtute constat, et ingenti praemio destinatur, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quanto enim quaecunque species pretiosior fuerit, tanto majori sollicitudine custoditur. Et quoniam multae sunt quae bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio; ut est mellis species, quae nisi cerarum custodia et favorum cellulis conservetur, [Col. 0673C] et (ut verius dixerim) nutriatur, naturalem gratiam perdit, et subsistere per se ipsam non potest. Sicut et vini species, quod nisi boni odoris vas sit, et reparatis crebrius picibus foveatur, genuinae vim suavitatis amittit. Attentius ergo providendum est, ne forte et virginitati alia sint necessaria, sine quibus nequaquam fructum afferre sufficiat; et tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur, quod absque rebus necessariis possidetur. Nisi enim fallor, ob coelestis regni praemium pudicitiae servatur integritas, quod sine aeternae vitae merito neminem consequi posse satis certum est. Aeternam vero vitam non nisi per omnem divinorum praeceptorum custodiam promereri posse Scriptura testatur dicens: *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (Matth. [Col. 0673D] XIX, 17). Vitam ergo non habet, nisi qui cuncta legis mandata servaverit: et qui vitam non habuerit, coelestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas sola proficiet, quae coelestis regni gloriam sperat; nisi et illud habuerit, cui perpetua vita promittitur, per quam coelestis regni praemium possidetur. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque servantibus, et ejus remunerationem a Dei aequitate sperantibus mandatorum sunt custodienda praecepta; ne gloriosae castitatis et continentiae labor in irritum deducatur.

Supra mandatum vel praeceptum esse virginitatem sapiens et legens nullus ignorat, Apostolo dicente: [Col. 0674A] *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do* **(I Cor. VII, 23)**. Cum ergo obtinendae virginitatis consilium dat, non praeceptum statuit; supra mandatum vel praeceptum eam esse professus est. Quicunque ergo virginitatem servant magis quam praeceptum est faciunt. Tunc enim proderit amplius fecisse quam jussum est, si quod jussum est facias. Cupiens divinum

implere consilium, ante omnia serva mandatum: volens virginitatis praemium consequi, vitae amplectere merita, ut tua remunerari castitas possit: nam ut vitam praestat remuneratio mandatorum; ita e contrario eorum generat praevaricatio mortem. Et qui per praevaricationem in mortem fuerit deputatus, virginitatis coronam sperare non poterit; neque pudicitiae praemium [Col. 0674B] exspectare constitutus in poena.

Tres enim species sunt, per quas coelestis regni possessio introitur. Prima est pudicitia; secunda mundi contemptus; tertia vero justitia: quae ut connexae plurimum se possidentibus praestant, ita divisae prodesse difficile possunt: dum unaquaeque earum non propter se tantum, sed propter aliam efflagitatur. In primis ergo quaeritur pudicitia, ut facilius subsequatur mundi contemptus: quia ab illis mundus contemni levius potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, ut justitia conservetur; quam implere difficile possunt, qui saecularium bonorum et mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiae, et secundam, [Col. 0674C] quae est mundi contemptus, non obtinet, pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam prima quaesita est. Et si primam et secundam habeat, cui tertia, quae est justitia, desit, frustra laborat: quoniam superiores duae propter justitiam praecipue requiruntur. Quid enim prodest propter mundi contemptum pudicitiam habere, et propter quod eam habeas non habere? Vel cur res mundi contemnas, si justitiam, propter quam pudicitiam et mundi contemptum habere te convenit, non custodias? Quia ut prima species propter secundam est, ita prima et secunda propter tertiam: quae si non fuerit, nec prima nec secunda proficiet.

Dicis forsitan, Doce ergo me quid sit justitia; ut eam si cognoverim, facilius implere sufficiam. Dicam [Col. 0674D] breviter ut valeo, et verborum utar simplicitate communium: quia causa de qua agimus talis est, quae dissertioribus facundiae sermonibus nequaquam debet obscurari, sed simplicioribus eloquentiae narrationibus pandi: res enim in commune necessaria communi debet sermone monstrari. Justitia ergo non est aliud quam non peccare. Non peccare autem est legis praecepta servare. Praeceptorum autem observatio duplici genere custoditur: ut nihil eorum quae prohibentur facias, et cuncta quae jubentur implere contendas. Hoc est quod dicit: *Recede a malo, et fac bonum* **(Psal. XXXIII, 15)**. Nolo enim putes in hoc constare justitiam, ut malum non facias; cum et bonum non facere malum sit; et in utroque [Col. 0675A] legis praevaricatio committatur. Quoniam qui dixit: *Recede* a malo, et ipse dixit, *Fac bonum.* Si a malo recesseris, et non feceris bonum, transgressor es legis; quae non tantum in malorum actuum abominatione, sed et in bonorum operum perfectione completur. Neque enim hoc solum tibi praecipitur, ut vestitum suis non spolies indumentis, sed et ut spoliatum operias tuis: neque ut habenti panem non auferas suum, sed ut non habenti tuum libenter impertias: neque solum ut pauperem suo non pellas hospitio, sed ut pulsum et non habentem recipias tuo. Praeceptum enim nobis est, *Flere cum flentibus* **(Rom. XII, 15)**. Quomodo cum illis flemus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquod eis in his propter quas lacrymantur causis praebemus [Col. 0675B] auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum quaerit humorem: sed quia lacrymae doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas; et quomodo tibi in tali tribulatione si esses subveniri cuperes, ita alteri subvenias propter illud: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis similiter* **(Matth. VII, 11)**.

Nam cum flente flere, et nihil, cum possis, flenti conferre, subsannationis non pietatis indicium est. Denique Salvator noster cum Maria et Martha Lazari sororibus flevit, et immensae misericordiae affectum lacrymarum contestatione monstravit, et verae pietatis indicia mox opera subsecuta sunt, cum suscitatus Lazarus, cujus causa fundebantur, sororibus redditur **(Joan. XI)**. Hoc fuit pie cum flentibus [Col. 0675C] flere, occasionem fletus auferre. Sed quasi potens, inquies, fecit. Verum nec tibi impossibile aliquid imperatur. Implevit omnia qui quod potuit fecit.

Sed, ut dicere coeperamus, non sufficit Christiano a malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit. Quod illo vel maxime testimonio comprobatur, quod comminatur Dominus aeterni ignis reos fore, qui quamvis mali nihil gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens: *Tunc dicet rex his qui ad sinistram sunt:* Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, quem praeparavit Pater meus diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc. **(Matth. XXV, 41)**. Non dixit: Discedite a me, maledicti, quia homicidium, quia adulterium, aut quia furta fecistis: non enim quia malum fecissent; sed quia bonum non fecerant, condemnantur et aeternae gehennae suppliciis addicuntur: nec quia quae prohibita sunt admisissent; sed quia quae praecepta erant implere noluere. Unde advertendum est quam spem habere possint, qui adhuc aliquid eorum faciunt, quae prohibentur; cum etiam rei sunt, qui non fecerunt quae jubentur. Nolo enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua non feceris, quia aliqua feceris; cum scriptum est: *Qui universum legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* **(Jac. II, 10)**. Adam enim semel peccavit, et mortuus est; et tu te vivere existimas illud saepe committens quod alium dum semel perpetrasset occidit? [Col. 0676A] An grande illum commisisse crimen putas, unde merito poena damnatus sit acriori? Videmus ergo quid fecerit contra mandatum. De fructu arboris edit. Quid ergo? Propter arboris fructum Deus hominem morte mulctavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adae, ut de arboris fructu non ederet, ipse tibi praecepit ut non maledicas, non mentiaris; non detrahas; non detrahentem auscultes; ut omnino non jures; ut non concupiscas; non invideas; non sis tepidus; non sis avarus; ut nulli malum pro malo reddas; ut inimicos tuos diligas; ut maledicentibus benedicas; ut pro calumniatoribus et pro persecutoribus tuis ores; ut percutienti maxillam [Col. 0676B] alteram praebeas; ut in judicio saeculari non litiges; ut si quis tua auferre voluerit, gratanter amittas; ut nec iracundiae, nec zeli, nec livoris malum intra pectus admittas; ut crimen avaritiae fugias; ut omnis superbiae ac jactantiae malum caveas, et humilis ac mitis Christi vivas exemplo: malorum consortia in tantum vitans; ut cum fornicatoribus, aut avaris, aut maledicentibus, aut invidis, aut detractoribus, aut ebriosis, aut rapacibus, nec cibum capias. Quem si in aliquo contempseris, si pepercit Adae, parcet et tibi. Imo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis et novellus erat, et nullius ante peccantis et propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo: tibi vero post tanta documenta, post legem, quo modo indulgere possit ignoro.[Col. 0676C]

An tibi de virginitatis praerogativa blandiris? Memento Adam et Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quae peccat, Evae non Mariae comparanda est. Non negamus in praesenti tempore poenitentiae remedium; sed hortamur magis praemium sperare debere, quam veniam. Turpe est

enim illis delicti indulgentiam postulare, quae palmam virginitatis exspectant; et illicitum aliquid incurrere, quae se etiam a licitis castravere. Licitum quippe est matrimonii inire consortium. Et ut laudandae sunt, quae propter Christi amorem et coelestis regni gloriam copulam contempserint nuptiarum; ita damnandae non sunt, quae propter innocentiae voluntatem, nondum Deo devotae remedio apostolico abutuntur. Ergo, ut diximus, [Col. 0676D] quae connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent; si maledicant; si detrahant; si detrahentes patiantur audire; si malum pro malo reddant; si cupiditatis in alienis, aut avaritiae in propriis crimen incurrant; si zeli aut livoris venena possideant; si contra legalia et apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur aut cogitent; si in carne placendi studio compte et ornate procedant; si aliqua quae, ut assolet, illicita sunt faciant, quid proderit eis sprevisse quod licuit, et exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licitum contempsisti, vide ne quid eorum quae non licent facias. Stultum enim est timuisse quod minus est, et non timere quod majus est: aut ab his non [Col. 0677A] vitari quae prohibentur, si subterfugerint quae conceduntur. Dicit enim Apostolus: *Innupta cogitat quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu.* Quae autem nupta est, cogitat quae sunt hujus mundi, quomodo placeat viro **(I Cor. VII, 34)**. Nuptam placere viro asserit, cogitando quae mundi sunt: innuptam vero Deo, eo quod nulla cura illi sit saeculi. Dicat ergo mihi quae virum non habet, et tamen quae sunt mundi cogitat, cui placere desiderat? Nonne incipiet illi nupta praeponi? quia illa cogitando quae mundi sunt, complacet vel marito: ista vero non marito, quae non habet, potest placere, nec Deo.

Sed nec illud silentio praeterire nos convenit, quod dixit: *Innupta cogitat quae Domini sunt,* quomodo [Col. 0677B] *placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu* (I Cor. VII, 34). Quae sunt ergo Domini dicat Apostolus. *Quaecunque sunt sancta, quaecunque justa, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae.* Si qua virtus, si qua laus disciplinae **(Philip. IV, 8)**. Ista sunt Domini, quae sanctae, et verae, et apostolicae virgines die noctuque sine ullo temporis intervallo meditantur et cogitant. Domini est regnum coelorum, Domini est resurrectio mortuorum; Domini immortalitas; incorruptio Domini est; splendor solis, qui sanctis promittitur, Domini est, sicut in Evangelio scriptum est: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* **(Matth. XIII, 43)**. Domini sunt plures sanctorum in coelestibus mansiones; Domini est fructus tricesimus, et sexagesimus atque centesimus. Haec cogitant, [Col. 0677C] et quibus possint operibus promereri, quae Domini sunt cogitant. Domini est etiam lex Novi et Veteris Testamenti, in quibus oris ejus eloquia sancta refulgent; quae si quae virgines sine intermissione meditantur, quae Domini sunt cogitant; et completur in eis illud propheticum: *Fundamenta aeterna super petram solidam:* et mandata Domini in corde mulieris sanctae **(Eccles. XXVI, 24)**. Sequitur: *quomodo placeat Deo;* Deo, inquam, non hominibus: *ut sit sancta corpore et spiritu* **(I Cor. VII, 34)**. Non dixit, Ut sit sancta membro aut corpore tantum; sed, *ut sit sancta corpore et spiritu.* Membrum enim una corporis pars est, corpus vero omnium compago membrorum est. Cum ergo dicit, *ut sit sancta corpore, ex omnibus membris eam sanctificari debere* [Col. 0677D] testatur. Quia non proderit caeterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Et jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quae vel unius fuerit coinquinatione polluta.

Sed ut quod dico manifestius et lucidius fiat; esto, sit quaecunque omnium membrorum sanctificatione purgata, et lingua tantummodo peccet, qua aut blasphemet, aut falsum testimonium dicat; nunquid liberabunt omnia membra unum? an propter unum judicabuntur et caetera? Ergo si nec aliorum membrorum sanctificatio proderit, cum in uno sit vitium; quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, unius nihil proderit integritas? [Col. 0678A] Unde quaeso te, virgo, neque in sola tibi pudicitia blandiaris; ne in unius membri integritate confidas: sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omni inquinamento caput: quia crimen est illud post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius cujuslibet pigmenti fuco vel pulvere sordidari; aut auro vel gemmis cujuscunque terrenae speciei comi: quod jam coelestis ornatus splendore refulget. Grandis quippe divinae gratiae contumelia est: mundani et saecularis ornamenti praelatio. Munda frontem, ut humana non divina opera erubescat, et illam confusionem recipiat, quae non peccatum, sed Dei gloriam parit, Scriptura dicente: *Est confusio adducens peccatum:* et est confusio adducens gloriam **(Eccl. IV, 25)**. Munda [Col. 0678B] collum, ut non aurea reticula capillus portet, et suspensa monilia, sed illa potius ornamenta circumferat, de quibus Scriptura dicit: *Misericordia et fides non deficiant a te, suspende autem illa in corde velut in collo tuo* **(Prov. III, 13)**. Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, et ab intuitu pauperum nunquam avertis, et ab omnibus fucis liberos ea qua a Deo facti sunt sinceritate custodias. Munda linguam a mendacio: quia *os quod mentitur occidit animam* **(Sap. I, 11)**. Munda eam a detractione, a juramento, ab adulatione, a perjurio. Nolo praeposterum ordinem putes, quod prius a juramento, quam a perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium facilius effugies, si in toto non jures. Impleatur in te illa sententia: *Cohibe linguam tuam* [Col. 0678C] *a malo, et labia tua ne loquantur dolum* **(Psal. XXXIII, 14)**. Et memor esto dicentis Apostoli: *Benedicite, et nolite maledicere* **(Rom. XII, 14)**; sed illud crebrius recordare: *Videte ne quis malum pro bono alicui reddat, neque maledictum pro maledicto;* sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis **(I Petr. III, 9)**; et illud: *Si quis autem in lingua non ostendit, hic perfectus est* **(Jac. III, 2)**. Nefas est enim ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, et laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia et lingua quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus; et ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. Munda aures, ut non [Col. 0678D] nisi sermonibus sanctis et veris auditum praebeant; ut nunquam obscena, aut turpia, aut saecularia verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* **(Eccl. XXVIII, 29)**; ut cum eo habere partem possis, de quo dicitur, quoniam auditu et visu justus erat; hoc est, nec auribus, nec oculis delinquebat. Manus ne porrectae ad accipiendum sint, ad dandum autem collectae, nec ad feriendum paratae, sed ad omnia misericordiae et pietatis opera satis promptae. Munda pedes, ne latam et spatiosam pergant viam, quae ducit ad splendida saeculi et pretiosa convivia; sed arduum magis et angustum gradiantur iter, quod [Col. 0679A] tendit ad coelum: quia scriptum est: *Iter rectum facite pedibus vestris* **(Isa. LVII, 14)**; agnosce tibi a Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutem membra formata: et cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, et toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, et cum omni fiducia palmam virginitatis exspecta.

Quid sit sanctam esse *corpore, breviter quidem, sed plene exposuisse me arbitror:* nunc quod sequitur, *et spiritu, nosse debemus:* hoc est, ut quod opere nefas est fieri, nec fas sit cogitatione concipere. Illa enim est sancta tam corpore quam spiritu, quae nec mente nec corde delinquit; sciens etiam cordis esse inspectorem Deum: et idcirco satagit ut omni modo etiam animum cum corpore mundum habeat [Col. 0679B] a peccato, sciens scriptum esse: *Omni custodia serva cor tuum* **(Prov. IV, 23)** . Et iterum: *Diligit Dominus sancta corda;* accepti sunt autem ei omnes immaculati (Ibid.). Et alibi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* **(Matth. V, 8)**; quod de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati. De quibus et Joannem in Epistola dixisse reor: *Si cor nostrum nos non reprehendit, fiduciam habemus ad Deum, et quaecunque petierimus accipiemus ab eo* **(I Joan. III, 20)**. Nolo existimes te crimen fugisse peccati, si voluntatem non sequatur effectus, cum scriptum sit: *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo* **(Matth. V, 27)**. Nec dicas, Cogitavi quidem [Col. 0679C] sed non perfeci: quia etiam concupiscere nefas est. Unde beatus Petrus praecepit dicens: *Animas vestras castificantes* **(I Petr. I, 22)**, qui si nullam animae constuprationem nosset, nec castificari eam desiderasset. Sed et locum illum quo continetur: *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt:* hi sequuntur Agnum, quocunque ierit **(Apoc. XIV, 4)**. Attentius considerare debemus et animadvertere, si solius integritatis pudicitiae merito ipsi divino comitatui copulentur, et per omnia coelorum tabulata discurrant: an et alia sint, quibus adjuncta virginitas tantae beatitudinis gloriam consequantur. Sed unde hoc scire poterimus? De sequentibus, nisi fallor, in quibus scriptum est: *Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium:* sine macula [Col. 0679D] *enim sunt* (Ibid.). Vides ergo quod non in uno tantum membro Dominicis referantur inhaerere vestigiis; sed illi qui praeter virginitatem ab omni contagione peccati immaculatam gesserint vitam. Idcirco virgo vel maxime nuptias spernit, ut dum securior est, facilius, quod etiam a nubentibus quaeritur, ab omni se delicto custodiat, et universa legis mandata perficiat. Nam si non nubat, et ea nihilominus faciat, a quibus et nuptae esse jubentur immunes, non nupsisse quid proderit? Quanquam enim nulli Christianorum peccare liceat, et omnes quicunque spiritalis lavacri sanctificatione purgantur, immaculata decurrere conveniat vita; ut Ecclesiae quae sine macula, sine ruga, sine aliquo ejusmodi esse describitur, [Col. 0680A] possint visceribus intimari: multo magis tamen hoc virginem implere necesse est, quam nec mariti, nec filiorum, nec alterius necessitatis causa prohibet, quominus divinam Scripturam perficiat; nec aliqua, si peccet, poterit excusatione defendi.

O virgo, serva propositum tibi magno praemio destinatum. Praeclara est apud Deum virginitatis et pudicitiae virtus, si non aliis peccatorum et malorum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa diceris; vide ne quid indignum eo, cui desponsata videris, admittas: cito scribet repudium, si in te vel unum viderit adulterium. Quaecunque enim humanorum sponsaliorum pignoribus subarrhatur, statim a domesticis, a familiaribus, ab amicis sponsi sollicite et [Col. 0680B] diligenter requirit et a servulis, quales juvenis habeat mores, quid potissimum diligat, quid accipiat, quo usu vivat, qua se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, quibus praecipue rebus delectetur et gaudeat. Quae cum didicerit, ita se in omnibus temperat, ut sponsi moribus suum obsequium, sua jucunditas, sua diligentia, sua vita concordet.

Et tu quae Christum sponsum habes, a domesticis et familiaribus ejus, sponsi tui mores interroga, et strenue ac solerter inquire, in quibus praecipue delectetur, qualem compositionem in te vestium diligat, cujusmodi concupiscat ornatum. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui ne nuptis quidem corporalem permittit ornatum, sicut in Epistola sua scripsit: [Col. 0680C] *Mulieres similiter subjectae viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant:* considerantes in timore Dei castam conversationem vestram, quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconsus cordis est homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, quod est in conspectu Dei locuples **(I Petr. III, 1)**. Dicat et alius apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens episcopum, eadem de fidelium feminarum disciplina testatur: *Mulieres similiter in habitu ornato cum verecundia et sobrietate, ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa;* sed quod decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem **(I Tim. II, 9)**.

Sed forsitan dicis: Cur haec iisdem apostoli virginibus [Col. 0680D] non jusserunt? Quia non necessarium judicabant: ne talis virginibus commonitio potius injuria quam emendatio videretur? Sed nec eas unquam tantae temeritatis fore credidissent, ut ne nuptis quidem concessa carnalia ornamenta et terrena praesumerent. Revera ornare se et componere virgo debet: nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita et ornata processerit? Ornetur plane, sed interioribus ornamentis, et spiritaliter non carnaliter componatur: quia Deus non corporis sed animae decorem in illa considerat. Ergo et tu, quaecunque animam tuam a Deo diligi et inhabitari concupiscis, omni eam diligentia compone, et spiritualibus indumentis exorna. Nihil in ea dedecorum, nihil foedum [Col. 0681A] appareat. Resplendeat auro justitiae, gemmis refulgeat sanctitatis, ac pretiosissimo pudicitiae margarito coruscet. Pro bysso et serico, misericordiae et pietatis tunica vestiatur; secundum quod scriptum est: *Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, etc.* **(Col. III, 12)**. Et non decorem cerussae aut alterius pigmenti quaerat, sed innocentiae ac simplicitatis candorem habeat. Roseum verecundiae colorem et purpureum ruboris pudorisque possideat. Coelesti abluatur nitro doctrinae, et lamentis spiritalibus emundetur. Nulla in ea malitiae, nulla diaboli macula relinquatur; et ne quando male redoleat odore peccati, unguento suavissimae sapientiae et scientiae perfundatur.[Col. 0681B]

Hujusmodi Deus quaerit ornatum, et animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici secundum quod ait: *Audi, filia, et vide* **(Psal. XLIV, 11)**. Sed et tu ipsa quotiescunque Deum Patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si Dei filia es, vide ne quid eorum facias quae Deo Patri incongrua sint: sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo hujus saeculi nobilium filiae se gerant, quibus assuescant moribus, quibusve se disciplinis instituant. Tanta quibusdam verecundia est, tanta gravitas, tanta modestia, ut caeterorum hominum ritum intuitu humanae ingenuitatis excedant: et ne quam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiae inurant notam, alteram sibi quodammodo inter homines consuetudinis studeant facere naturam. Et tu [Col. 0681C] ergo originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte: agnosce te non hominis, sed Dei filiam, et divinae nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe,

ut in te coelestis nativitas pateat, et ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et verae pudicitiae habitus, et sermo semper modestus, et suo in tempore proferendus: ut quisquis te viderit, admiretur et dicat: Quae haec novae inter homines gravitatis patientia est? quae pudoris verecundia? quae honestatis modestia? quae maturitas sapientiae? Non est ista humana institutio, nec disciplina moralis: coeleste mihi aliquid in terreno corpore redolet. Puto quod habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te [Col. 0681D] Christi famulam esse cognoverit, majore stupore tenebitur, et cogitabit qualis ille sit Dominus, cujus talis ancilla est.

Si vis ergo esse cum Christo, et partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia et nequitia ita fuit extraneus, ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius et pro ipsis oraret. Nolo enim eas animas Christianas existimes, quae aut fratres aut sorores non dico oderunt, sed quae proximos toto corde et conscientia coram Dei testimonio non diligunt; cum Christianis Christi similitudine inimicos etiam amare necesse sit. Si sanctorum cupis habere consortium, a malitiae et nequitiae cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, [Col. 0682A] nemo te fallaci sermone seducat. Non nisi sanctos et justos et simplices et innocentes et puros coelestis aula suscipiet. Nullum apud Deum habet malitia locum. Ab omni nequitia et dolo mundum esse necesse est, qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam exsecrabile Deo, quam aliquem odisse, aliquem velle laedere; nihil tam probabile, quam omnes amare. Quod Propheta sciens testatur dicens: *Qui diligitis Dominum, odite malum* **(Psal. XCVI, 10)**.

Vide ne in aliquo humanam gloriam diligas; ne et tua inter illos portio computetur, quibus dictum est: *Quomodo vos potestis credere, gloriam ab invicem quaerentes* **(Joan. V, 44)**? Et de quibus per prophetam dicitur: *Auge eis mala,* auge mala gloriosis terrae [Col. 0682B] **(Isa. XLV)**. Et alibi: *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobrio in conspectu Dei.* Nolo enim illas respicias, quae saeculi non Christi sunt virgines; quae propositi sui et professionis immemores gaudent in deliciis, in opibus delectantur, et corporeae nobilitatis origine delectantur. Quae si profecto Dei filias se esse crederent, nunquam post divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in patre quolibet honorato: si Patrem Deum se habere sentirent, nobilitatem carnis non amarent. Quid tibi in generis nobilitate blandiris, et complaces? Duos homines fecit ab exordio Deus, ex quibus totius generis humani silva descendit: mundanam nobilitatem non naturae aequitas praestitit, sed cupiditatis ambitio. Certe omnes per divini lavacri generationem [Col. 0682C] aequales efficimur, et nulla inter eos potest esse discretio, quos nativitas secunda generavit; per quam tam dives quam pauper, tam liber quam servus, tam nobilis quam ignobilis Dei efficitur filius; et terrena nobilitas splendore coelestis gloriae adumbratur, et nusquam omnino jam comparet: dum qui retro in saecularibus honoribus impares fuerant, coelestis et divinae nobilitatis gloria aequaliter vestiuntur. Nullus jam ignobilitati locus, nec degener quisquam est, quem divinae nativitatis sublimitas ornat, nisi apud illos, qui non putant humanis coelestia praeponenda: aut si putant, quam vanum est, ut se illis in minoribus praeferant, quos sibi in majoribus pares sciunt, et quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi aequales in coelestibus credunt? Tu autem [Col. 0682D] quaecunque Christi, non saeculi virgo es, omnem praesentis

vitae gloriam fuge, ut eam quae in futuro promittitur consequaris.

Contentionum verba, et animositatis causas evita; discordiarum quoque et litium occasiones subterfuge. Nam si, juxta Apostoli doctrinam, *Servum Domini litigare non oportet* **(II Tim. II, 24)**, quanto magis Dei ancillam? cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam a maliloquio cohibe, et ori tuo frenum legis impone, ut tunc, si forte loquaris, quando tacere peccatum sit, cave ne quid quod in reprehensionem veniat dicas. Lapis emissus est sermo prolatus; quapropter diu antequam proferatur cogitandus est. Beata quippe labia [Col. 0683A] sunt, quae nunquam quod revocare iterum velint emittunt. Pudicae mentis sermo etiam debet esse pudicus, qui aedificet semper magis, quam aliquando destruat audientes, secundum quod praecepit Apostolus dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat:* sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus **(Ephes. IV, 29)**. Pretiosa Deo lingua est quae non sine divinis rebus novit verba construere, et sanctum os unde coelestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos Scripturae auctoritate deterre, quia hoc inter virtutes perfecti hominis Propheta commemorat **(Psal. XIV, 5)**, si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit. Non licet tibi alterius vituperationem [Col. 0683B] patienter audire; quia nec ab aliis optas recipi tuam. Injustum quippe est quidquid contra Christi Evangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inferri **(Matth. VII, 12)**. Semper linguam tuam de bonis loqui assuesce, et auditum tuum ad bonorum magis laudem quam ad malorum vituperationem accommoda.

Vide ut omnia quaecunque benefacis, propter Deum facias; sciens ejus rei tantum te a Domino recepturam esse mercedem; quam ejus timoris et dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse quam videri stude: quia nihil prodest aestimari quod non sit: et duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, et quod non habeas simulare.

In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius [Col. 0683C] viduae memor, quae non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus Deo serviens die ac nocte. Et si vidua quidem in Judaea talis erat, qualem nunc virginem convenit esse Christi? Divinae magis lectionis convivium dilige, et spiritalibus te saturari dapibus concupisce; et illos potius quaere cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. Carnis et vini species quasi caloris fomenta et libidinis incitamenta fuge; et tunc, si forte, vino exiguo utere cum stomachi dolor et nimia corporis compellat infirmitas. Iracundiam vince; animositatem cohibe; et quidquid illud est, quod post factum poenitentiam ingerit, velut proximi criminis abominationem declina. Satis tranquillam et quietam convenit esse mentem, et ab omni perturbatione furoris alienam, quae Dei habitaculum [Col. 0683D] esse desiderat; qui per Prophetam testatur et dicit: *Super quem requiescam alium, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea* **(Psal. LXVI, 2)**? Omnium operum et cogitationum tuarum speculatorem Deum crede, et cave ne quidquam quod divinis [Col. 0684A] oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites.

Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe quasi quae sis cum Domino locutura. Cum psalmum dicis, cujus verba dicis agnosce; et in compunctione magis

animi quam in tinnulae vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis quam vocis gratiam comprobat: sicut Propheta dicit: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* **(Psal. II, 11)**. Ubi timor et tremor est, ibi non vocis elatio est, sed animae flebilis et lacrymosa dejectio. Omnibus actibus tuis diligentiam adhibe, quia scriptum est: *Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter* **(Jer. XLVIII, 10)**. Crescat in te cum annis gratia, crescat cum aetate justitia; et fides eo perfectior videatur, quo senior es: quia Dominus noster [Col. 0684B] Jesus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, proficiebat non *aetate* tantum corporea, sed et *sapientia et* gratia spiritali *coram Deo et hominibus* **(Luc. II, 25)**. Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc te aestima perdidisse. Coeptum virginitatis propositum ad finem usque conserva; quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtutis est, sicut in Evangelio Dominus ait: *Qui perseveraverit usque in finem.* hic salvus erit **(Matth. XXII, 10)**. Cave ne cui vel concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est; criminosior est enim Christi adultera quam mariti. Unde pulchre Romana Ecclesia apostolico, sine dubio, cujus sedem obtinet, spiritu animata, tam severam nuper hujusmodi sententiam statuit, ut vix vel poenitentia dignam judicaret, quae [Col. 0684C] sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset.

Esto ergo omnibus vivendi forma, esto exemplum: praecede et in actu quos in castitatis sanctificatione praecurris. Virginem te in omnibus exhibe; nihil corruptionis objiciatur capiti tuo, cujus corpus integrum est; ut et tua sit inviolabilis conversatio. Et quoniam sicut in exordio epistolae praefati sumus, te Dei sacrificium factum; quod utique sanctitatem suam etiam aliis impertit, ut quisquis ex eo digne sumpserit, sanctificationis et ipse sit particeps: ita ergo et per te, quasi per divinam hostiam, sanctificentur et caeterae; cum quibus te ita in omnibus exhibeas, ut quisquis vitam tuam aut auditu contigerit aut visu, sanctificationis vim sentiat; et in tantum [Col. 0684D] sibi intelligat gratiam ex tua conversatione transfundi, ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio et ipse sit dignus.

Explicit.

[Col. 0683D]

SANCTI BASILII CAESAREAE CAPPADOCIAE EPISCOPI ADMONITIO AD FILIUM SPIRITUALEM.

PROOEMIUM.

Audi, fili, admonitionem Patris tui, et inclina aurem tuam ad verba mea, et accommoda mihi libenter auditum tuum, et corde credulo cuncta quae [Col. 0685A] dicuntur ausculta. Cupio enim te instruere quae sit spiritualis militia, et quibus modis regi tuo militare debeas. Intensissime ergo audiat sensus tuus, et animam tuam nullus praegravet somnus; sed ad vigilandum excita eam, et ad studium intelligendi sermonem meum. Verba enim ista sunt ex me, sed prolata ex divinis fontibus. Neque enim nova doctrina

instruam te, sed ea quam didici a patribus meis. Hanc enim si immiseris in cor tuum, in pace dirigentur itinera tua, nec approximabit ad te ullum malum, sed procul abscedet a te omnis adversitas animae

CAPUT PRIMUM.

De militia spirituali.

Si ergo cupis, fili, militare Deo, illi soli militabis. [Col. 0685B] Sicut enim qui militant regi terreno omnibus jussis ejus obediunt, sic et qui militant regi coelesti, debent coelestia custodire praecepta. Miles terrenus quocunque loco mittitur, paratus ac promptus est, neque se uxoris vel liberorum gratia excusare audebit; multo magis miles Christi sine aliquo impedimento regis sui debet imperio obedire. Miles terrenus contra hostem visibilem pergit ad bellum; tecum vero hostis invisibilis quotidie praeliando non desinit. Illi contra carnem et sanguinem est dimicatio; tibi vero adversus spiritalia vitia in coelestibus eluctatio. Ille contra carnalem hostem carnalibus armis utitur; tu vero contra spiritalem hostem spiritalibus armis indiges. Ille in praelio galeam ferream gestat; sed tua galea Christus sit, qui est caput [Col. 0685C] tuum. Ille lorica, ne vulneretur, indutus est; sed pro lorica sis fide Christi circumdatus. Ille contra adversarium suum mittit lanceam et sagittas; tu contra adversarium divina eloquia jaculare, et percutiens eum verbis propheticis dicito: *Dominus mihi adjutor est, et ego deridebo inimicos meos* **(Psal. CXVII)**. Ille donec pugna geritur, arma a semetipso non projicit, ne ab adversario vulneretur; ita et tu nunquam debes esse securus, quia tuus hostis hoste illius est astutior. Illius quidem hostis ad tempus dimicat; tuus vero hostis, quandiu in stadio vitae hujus consistis, tecum pugnare non cessat. Illius arma laboriosa et gravia sunt ad portandum; tua vero arma volentibus portare suavia ac levia sunt. Ille cum superaverit adversarium, ad domum conjugis [Col. 0685D] ac liberorum revertetur; tu vero, hoste prostrato, in illud coeleste regnum cum omnibus sanctis intrabis. Ille pro labore terreno terrenum accipit donarium; tu vero pro spiritali labore coeleste recipies praemium. Coeleste enim donum exspectet monachus, qui terrenos actus a semetipso projicit, ne implicet se negotiis saecularibus militans Deo. Difficile namque est servire duobus dominis; nec potest quisquam serviens mammonae spiritalia arma portare, sed jugum Christi suave ac leve a semetipso repellit ac projicit: et quidquid grave et onerosum est animae suae, hoc ei videtur suave ac leve. Istiusmodi vir a propriis armis vulneratur, et cum diligit periculum, incidit ad mortem. Tu autem considera [Col. 0686A] cui regi te ad militandum probasti; et quanto superius est rege terreno imperium coeleste, tanto praecellentior est gradus excellentiae tuae terreno milite. Turrim excelsam construere cogitas, praepara ergo tibi sumptus ad structuram, ut coeptum aedificium ad perfectum deducas; ne quando praetereuntibus venias in risum, et gratulentur de te inimici tui. Haec turris non ex lapidibus construitur, sed ex virtutibus animae: nec auri, nec argenti indiget sumptibus, sed conversatione fideli: nam terrenae opes plurimum ad aedificandum impediunt.

CAPUT II.

De virtute animae.

Unus profectus sit tibi, fili, si domino uni servire [Col. 0686B] desideras, nec alicui in vita tua placere coneris nisi illi soli; nec occupes in diversis rebus animum tuum; sed abscinde a te carnalem amorem, ne a te Dei timorem excludat. Omne vitium expelle ab anima tua, ut virtutes animae conquirere possis. Audi igitur quae sit virtus animae, et quam maximum ei conferat lucrum. Virtus animae est diligere Dominum, et odisse quae non diligit Deus. Virtus animae est et patientiam sectari, et ab impatientia declinare. Virtus animae est castitatem tam corporis quam animae custodire. Virtus animae est vanam gloriam contemnere, et omnia caduca calcare. Virtus animae est humilitati studere, et tumorem superbiae abominari. Virtus est animae veritatem amplecti, et omne mendacium fugere. Virtus est animae iram [Col. 0686C] cohibere, et furorem reprimere. Virtus est animae pacem diligere, et invidiam exsecrari. Virtus animae est ab omni stultitia declinare, et sapientiam divinam amplecti. Virtus animae est omnem voluptatem carnis subjicere menti. Virtus animae est avaritiam spernere, et voluntariam assumere paupertatem. Has igitur virtutes facile poteris obtinere, si saecularium rerum curas neglexeris, et caducis ac terrenis rebus coelestia praeposueris: et si voluntas tua in laudibus Dei fuerit occupata, et judicia ejus die ac nocte impensius meditatus eris; eris autem *Tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* **(Psal. I, 3)**, et omnes fructus spiritales orientur ex te, et ex servo amicus vocaberis Dei.

[Col. 0686D]

CAPUT III.

De dilectione Dei.

Ex tota igitur virtute tua dilige Dominum, ut in omnibus actibus tuis placeas illi. Si enim qui conjugium contraxerit, festinat placere uxori suae, multo magis monachus omnibus modis debet placere Christo. *Qui diligit Dominum, ejus praecepta custodit* **(I Joan. II)**. Deus enim non se vult verbis tantummodo diligi, sed ex corde puro et operibus justis. *Qui enim dicit:* diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (Ibid.). Hujusmodi enim vir fallit semetipsum, et a semetipso seducitur. Deus enim non verborum sed cordis inspector, et diligit eos qui in simplicitate cordis serviunt ei. Si terrenos parentes cum tali affectu diligimus, qui in tam parvo [Col. 0687A] tempore pro nobis sustinuerunt laborem, nonne magis nobis coelestis amandus est? Nam et circa nos, quod fuit eorum obsequium, Christi est beneficium, qui omnium dispensator optimus est. Nam antequam nasceremur in hoc saeculo, parentes nobis sua providentia antea praeparavit, quorum obsequio nutriemur. Sed et matris ubera tunc lacte replentur, quando infans fuerit natus. Ergo magis omnibus diligamus Deum, qui nos et propinquos nostros propriis manibus finxit; et cuncta bona quae erga nos geruntur quotidie ejus beneficiis ascribamus. Nam et parentes nostros quasi propria viscera diligamus, si accedere nos ad servitium Christi non prohibent: si autem prohibent, nec sepultura illis a nobis debetur. Christus diligendus est super [Col. 0687B] parentes, quia non tribuunt nobis parentes ea quae Christus tribuit. Et quis beneficia ejus congruenter enarret? Vel quantum nobis tribuit, et quotidie praebendo non desinit? Videns enim Deus innumeris

peccatis nos obnoxios, non despexit, sed liberavit; nec cum alienati ab eo in diversis erroribus vagaremur, in praecipitium mortis non duxit, sed ad vitam perpetuam revocavit. Et cum ingrati beneficiorum ejus fugeramus ab eo, ut Pater clementissimus exquisivit nos: et cum in sede sublimi sederet, nostri gratia descendit ad terras, et in tanta humilitate venit, ut servilem formam assumeret; et qui in pugillo suo continet orbem terrarum, pannis in praesepio involutus est: et qui coelum palma metitur, non habuit ubi caput reclinaret. Cum esset [Col. 0687C] dives, pauper est factus, ut nos ditaremur in illo; et qui in nubibus venturus est ad judicandos vivos et mortuos, judicium hominis pertulit; et cum sitientibus sit fons aeternalis, cum sitisset postulavit aquam a Samaritana muliere: et qui in carne propria nostram esuriem saturavit, esurivit cum tentaretur in eremo; et cui ministratur cum Patre ab angelis, hominibus ministrare dignatur: et manus ejus per quas virtutes plurimas operatus est, pro nobis confixae sunt clavis; et ori ejus per quod salutarem doctrinam annuntiavit hominibus, pro cibo fel dederunt: et qui nullum laesit vel nocuit, caesus et opprobria pertulit; et cujus nutu omnes mortui resuscitati sunt, voluntate sua mortem crucis sustinuit. Et ideo haec omnia passus, ut nobis vitam [Col. 0687D] aeternam donaret. Et cum nobis immensa beneficia praestet, nihil exigit a nobis, nisi ut templa nostra impolluta ei servemus, ut semper in nobis habitet, et nos permaneamus in illo. Non postulat a nobis aurum, aut argentum, vel quidquid hujusmodi; nam et si fuerint nobis ista, dispertiri egentibus praecipit: nos ipsos quaerit, nos desiderat, in nobis requiescere cupit.

CAPUT IV.

De dilectione proximi.

Accedamus ergo ad eum, et copulemur in affectu ejus, et ut nos ipsos amemus et proximos. *Qui diligit,* inquit, *proximum, filius Dei vocatur.* Qui autem e contrario odit, filius diaboli nuncupatur. Qui diligit [Col. 0688A] fratrem suum, in tranquillitate est cor ejus; fratrem vero odiens tempestate maxima circumdatus est. Vir benignus etiamsi patitur injuriam, pro nihilo ducit; iniquus etiam proximi actus contumeliam arbitratur. Qui charitate plenus est, serenissimo vultu procedit: vir autem odio plenus ambulat iracundus. Tu autem, fili, benignitati stude in vita tua, et proximum tuum habeto tanquam unum ex membris tuis. Omnem hominem judica fratrem tuum. Memento quod unus artifex ac verus est qui condidit nos. Non moveas cuiquam scandalum in vita; et non quod tibi utile est, sed illi, facito. Quod tibi accidere non vis, nec ei cupias evenire. Si eum videris in bonis actibus conversantem, congratulare ei, et illius gaudium tuum ducito; et si aliquid patiatur [Col. 0688B] adversum, compatere ei, et illius tristitiam tuam deputa: omnem malitiam expelle ab anima tua, et odiorum flammae non comburent cor tuum. Contra impotentem aut subjectum tibi noli iracundia commoveri; sed tanquam tuum membrum proprium eum habeto in omnibus. Ne diligas fratrem tuum simulato corde, nec eum labiis osculans ex alia parte insidias facias ei. Dolosus enim vir pacifica verba profert ex ore, et in abdito mentis supplantare proximum suum meditatur. In his ergo operibus ad iracundiam provocatur Deus. Puritas enim quae placet in conspectu Domini, respuit omne quidquid simulato corde efficitur.

CAPUT V.

De studio pacis. [Col. 0688C]

Tu autem omnem simulationem longe fac a te, et ne cupias supplantare proximum tuum, neque mordere aut laniare membrum tuum. Quod et si quandoque ut homo iratus fueris, ultra solis terminum non producas iracundiam tuam; sed et reconciliare ad pacem, et deprime omnem furorem ab anima tua. Qui enim amplectitur pacem in mentis suae hospitio, mansionem praeparat Christo; quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit; vir autem invidus omnibus modis exsecratur. Vir pacificus in tranquillitate est semper cor ejus; invidus autem similis navi cum jactatur a fluctibus maris. Homo pacificus securam possidet mentem: invidus autem in perturbatione est semper; qui autem sectatur pacem, tutus est semper undique ac munitus. [Col. 0688D] Nam invidus ut lupus rapax insanit inaniter. Pacificus est ut vinea honesta abundans fructu copioso; invidi autem opus indigentia ac miseria detinetur: et quantum pacificus gaudens in Domino delectatur, tantum invidus tabescens ad nihilum redigitur. Ex abundantia laetitiae pacificus homo dignoscitur; ex vultu marcido et furore pleno invidus demonstratur. Pacificus homo consortium angelorum merebitur: invidus homo particeps daemoniorum efficietur: et sicut pax secreta mentis illuminat, ita invidia occulta cordis obcaecat. Pax enim effugat et perturbat omnem discordiam, invidia autem iracundiam cumulat. A splendore autem pacis effugatur omnis caligo; et ubi obsederit invidia, ibi obscuritas et exteriores [Col. 0689A] tenebrae. Sectare ergo, fili, desiderabile nomen pacis, ut fructus pacis possis acquirere; et exsecrare invidiam, ne malorum fructibus replearis. Rationabile namque animal creavit te Deus, ut possis discernere inter bonum et malum, ut quae sint optima eligas, et inutilia respuas, omnia examines, quae sint bona teneas, ab omni specie mala abstineas.

CAPUT VI.

De patientia.

Fili, patientiam arripe, quia maxima est virtus animae, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiae tuae ne quaeras ab homine, ut in futuro possis accipere ab aeterno Domino aeternam retributionem. Patientia [Col. 0689B] grandis est medela animae, impatientia autem est pernicies cordis. Per patientiam enim exspectatur futurorum bonorum spes; et quod non videtur, quasi quod videtur amplectitur.

CAPUT VII.

De continentia et castitate.

Castum te in omnibus serva, fili, ut videas Dominum in gloria consistentem. Ab omni pollutione mundum sit cor tuum, et ne des inimico aditum eundi ad te. Ab aspectu

nefando averte oculos tuos, et ne delecteris pulchrarum vultibus feminarum, ne per talem oblectationem ultima exsolvas supplicia. Memento cui dedicasti membra tua, et ne commisceas illa meretricibus. Reflecte amorem ab amore mulieris, neque ab amore Domini te amor excludat. [Col. 0689C] Noli minima contemnere, ne paulatim diffluas in malo. Non te simules simpliciter accedere ad virginum domus, nec velis cum eis uti longis et otiosissimis fabulis, ne per plurimas sermocinationes utrorumque mens polluatur. Noli, fili, graviter ferre sermones meos, nec stultum arbitreris eloquium meum, sed crede mihi et gratanter accipe verba mea. Si ad feminarum domus importune accesserit clericus vel monachus, et virgo patiatur hujusmodi introire ad se, statim immutant pristinam dignitatem, et quod Domino polliciti sunt sua voluntate amittunt. Nec enim poterunt hujusmodi mansionem in se Domino praeparare, sed desolabuntur ut lignum aridum: nunquid virginitatem Dominus extorquet invite? Hoc enim munus voluntarie Christo offertur [Col. 0689D] in propria voluntate. Nec enim licitum est profanari aliquid quod Domino promissum. Non peccabis, homo, si non voveris votum: si enim vovisti, jam ne facias moram reddere illud quod Dominus quasi suum requirit illud a te; nec pollutione vult misceri membra tua, quae sibi jam dedicata sunt. Vide ergo ne te seducat corporis pulchritudo, et decorem animae tuae amittas. Ne improbo oculo tuo intuearis speciem mulieris, ne intret mors per fenestras tuas. Ne aperias aures tuas ad perficienda verba eorum, nec concupisces nequitiam in anima tua. Mulieris carnem non velis tangere, ne per tactum ejus inflammetur cor tuum, et spiritu tuo labaris in perditionem. Sicut enim fenum proximans igni [Col. 0690A] comburitur, ita qui tangit mulieris carnem non evadit sine damno animae suae; et licet corpore castus evaserit, mente tamen et corde corruptus abscedit.

CAPUT VIII.

De saeculi amore fugiendo.

Dic mihi, quaeso, fili, quis sit profectus animae, amare carnis pulchritudinem? Nonne sicut fenum cum a fervore aestatis percussum fuerit, arescit, et paulatim pristinum decorem amittit? Similis est etiam species humanae naturae: succedente sibi senectute omnis decor pristinus deperit, et quos in amorem sui antea concitabat, postmodum odio eorum afficietur. Nam cum intervenerit mors, tunc penitus omnis pulchritudo delebitur; et tunc cognosces, [Col. 0690B] quia vanitas, quod ante inaniter diligebas. Cum videris totum corpus in tumorem et fetorem esse conversum; nonne intuens maximo horrore concuteris? Nonne claudis nares tuas, non sustinens fetorem durissimum? Ubi est postmodum omnis illa oblectatio? Require si est aliquod pristini decoris vestigium. Ubi est suavitas luxuriae et conviviorum opulentia? Ubi sunt blandimentorum verba, quae corda simplicia molliebant? Ubi sunt sermones dulces, qui amaritudinem amantibus infundebant? Ubi est immoderatus risus et otiosus? Ubi est effrenata et inutilis omnis laetitia? Velut fluxus aquae transiens nusquam comparuerunt. Hic est finis carnis pulchritudinis quam amabas: hic oblectationis terminus corporis. Reflecte igitur animum tuum ab his [Col. 0690C] obscenis amoribus, et omnem amorem converte ad splendidissimam pulchritudinem Christi, ut radii fulgoris ejus illustrent cor tuum, et omnis obscuritas caliginis expelletur a te. Haec pulchritudo diligenda est, fili, quae

laetitiam spiritalem amantibus consuevit infundere. Hic decor omnibus modis amplectendus est, unde nobis serenitas tranquillitatis acquiritur. Devitemus perniciosas pulchritudines, ne omnium malorum genera in nos irrogentur. Multi enim admirantes mulierum species, a veritatis via naufragaverunt. Plerique ornamentis earum oblectati, perniciem animarum suarum perpessi sunt, et a perfectionis fastigio in profundum inferni demersi sunt. Caveto ergo, fili, species per quas plurimos cernis periisse. Quaeso ne bibas poculum, unde [Col. 0690D] multos perspicis interiisse: ne percipias cibum quem edi in aliorum perniciem videris. Ne incedas iterum, quo naufragium perpessi sunt plurimi. Devita laqueos, per quos captos caeteros senseris. Postula tibi a Domino cor prudens et pervigilem sensum, ut non ignores fraudes et astutias inimici et in retia ejus non incidat pes tuus. Sapiens non corporis decorem desiderat, sed animae; insipiens homo speciem in carnalibus ornamentis amplectitur. Sapiens vir comptam mulierem respuit, stultus vero concupiscens eam miserabiliter supplantabitur. Vir prudens ab imprudente femina avertit oculos suos, luxuriosus autem vir intuens eam solvetur ut cera a facie ignis. Tu autem cave omnibus modis [Col. 0691A] species perniciosas ac falsas pulchritudines, quia deturpatur anima si earum decorem attendas. Christus non in corporis decore, sed in animae delectatur. Illa ergo dilige, fili, in quibus delectatur Christus.

CAPUT IX.

De avaritia fugienda.

Et ne pecuniarum cupiditati te subjicias, ab omn avaritia declina cor tuum, ut non condemneris sicut adulter et idolorum cultor. Noli amare mammona, ne offendas eum cui membra tua et mentem pariter dedicasti. Ne petas ea quae te avocant et separant a Domino. Noli diligere opes terrenas, ne amittas coelestes. Multi cupientes aliena, et suis privati sunt. Alienatae sunt a nobis saeculi hujus facultates, [Col. 0691B] nostra autem possessio regnum coelorum est. Noli appetere aliena, ne a tuis fias extraneus. Quotidianum victum sufficere tibi contentus esto: quidquid superfluum est projice abs te tanquam propositi tui impedimentum. Ne cupias fieri locuples, ne in tentationes incidas, et in laqueos diaboli. Caveto avaritiam, quia radix omnium malorum ab Apostolo nominata est. Pecuniarum cupidus jam animam suam venalem habet: si enim invenerit tempus, pro nihilo perpetrabit homicidium; et sicut qui effundit aquam super terram, ita est ei effundere sanguinem proximi sui. Plerique per avaritiae ardorem in mortis periculum inciderunt. Propter avaritiam Achan cum suis omnibus lapidatus est **(I Reg. XV)**. Propter avaritiam Saul alienus a Domino effectus est, et ad [Col. 0691C] extremum de culmine regali expulsus est, et ab inimicis suis peremptus. Et Achab propter avaritiam invasit vineam Naboth **(III Reg. XXI)**; et hujus rei gratia in praelio vulneratus defunctus est. Dominus noster et Salvator a corde pharisaeorum volebat pecuniarum amorem excludere: sed quia illi erant cupidissimi, salutaria ejus monita deridebant. Nam et illum divitem cum Dominus vocans ad regna coelorum facultates suas vendere praecepisset, aviditas intrare non permisit **(Matth. XV)**. Et Judae pectus avaritiae ardore exarsit, ut Dominum largitorem sibi cunctorum bonorum in manus traderet impiorum **(Matth. XXVI)**. Avarus enim vir inferno similis est. Infernus igitur

quantoscunque devoraverit, nunquam dicit satis est; sic etsi omnes thesauri [Col. 0691D] terrae confluxerint in avarum, non satiabitur. Alienum te facito, fili, ab hoc vitio, et voluntariam paupertatem libenter assume. Noli esse desidiosus et piger; sed labora manibus tuis, ut habeas unde tribuas indigenti. Secundum possibilitatem tuam mediocriter porrige: tantum enim expetitur a te quantum tibi fuerit creditum. Nemo enim exigit a te quod ipse minime possides. Eleemosyna cum iniquitate acquisita abominatio est coram Christo, sed acceptum est illi quod fuerit fideliter acquisitum. Fili, non habet hanc artem misericordiae bonum. Sunt enim nonnulli qui, diripientes aliena, praestare se eleemosynam simulant; et cum alios premant, aliis misereri se fingunt: sed Deus non delectatur [Col. 0692A] in operibus eorum, et simulationem cordis eorum exsecratur ac respuit. Tu autem, fili, licet exiguum de tuis laboribus porrigas, hoc gratum est et acceptum coram Domino. Non te velis jactare cum porrigis eleemosynam indigenti; et illo cui feneras ne te arbitreris esse meliorem; sed in omnibus operibus tuis humilia te coram Domino, quia non erit gratum Deo quidquid efficitur cum superbia; quod autem fit humiliter, acceptum est ei.

CAPUT X.

De studio humilitatis.

Fili, prae omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere: cum justae institutiones non aliter nisi per humilitatem impleantur, et multorum [Col. 0692B] temporum labores per superbiam in nihilum deputentur. Vir humilis Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. Superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis vero licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. Superbus autem homo, etsi decorus videatur aspectu et clarus, sed tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, et per os, incessus et motus dignoscitur ejus superbia, et ex verbis ejus publicabitur levitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, et virtutibus, quibus alienus est, se praedicare gestit. Non se patitur cuiquam esse subjectum, sed semper primatum cupit, et ad majorem gradum se conatur immergere; et quod ex meritis obtinere non potest, ambiendo festinat invadere; [Col. 0692C] ambulans semper tumens ut uter vacuus et inanis. Et sicut navis absque gubernatore cum jactatur a fluctibus, ita et is levis circumfertur instabilis inter omnes actus suos. Humilis e contrario respuit omnem honorem terrenum, et ultimum se esse judicat omnibus hominibus. Nam etsi mediocris appareat in vultu, eminens apud Dominum intuetur. Cum consummaverit omnia mandata Domini, nihil se fecisse testatur, et omnes virtutes animae suae celare festinat: sed divulgat Dominus omnia opera ipsius, et profert in medium, et mirificat gesta ipsius, et exaltabit et clarum faciet eum, et in tempore precum suarum quod postulat impetrabit.

CAPUT XI.

De oratione. [Col. 0692D]

Et tu, fili, cum accesseris ad precandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu ejus. Ne postules quidquam, quasi ex gratia meritorum tuorum: et si est tibi etiam conscientia boni operis aliqua, cela illam, ut te silente multipliciter restituatur a Deo; et peccata tua cito produc in medium, ut deleat Dominus illa, cum confessus fueris ea. Nec te velis justificare cum ad orandum accesseris, ne sicut Pharisaeus ab illo exeas condemnatus. Memento publicani, vel qualiter pro se oraverit **(Luc. XVIII)**, et aemulare eum, ut veniam peccatorum tuorum invenias. Non clamore vocis orabis eum qui occultorum est cognitor, sed clamor cordis tui pulset aures ejus. Ne longitudinem verborum protrahas [Col. 0693A] ante eum, quia non in multiloquio, sed ex mente purissima placabitur Dominus. In tempore orationis omnem malitiam cordis projice abs te, et remitte si quid habes adversus proximum tuum. Est denique quoddam genus serpentis, quod cum vadit ad bibendum aquam, antequam accedat ad fontem evomit venenum: imitare ergo hujus serpentis astutiam, et omne venenum amarissimum projice ab anima tua. Remitte conservo tuo centum denarios **(Matth. XVIII)**, ut tibi dimittatur debitum decem millium talentorum; et qualem cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservum tuum. Quodcunque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, et ne desinas gratias agere cum perfeceris illud.

CAPUT XII.

[Col. 0693B] *De vigiliis.*

Quaere Dominum et invenies eum, nec dimittas cum tenueris, ut copuletur mens tua in amorem ejus. Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo. Cogitationes non conturbent cor tuum, nec in diversis locis vel rebus rapiatur mens tua. Memento enim te, fili, sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, et abdita mentium novit. Vigilanter ergo assiste in conspectu Domini in tempore orationis vel psalmorum. Non te opprimat somnus animae, et ne dissonans sit sensus et lingua, sed consonantia sint, et utrorumque proferant verba. Sicut impossibile est servire duobus dominis, ita nec duplex oratio poterit ascendere ad [Col. 0693C] Dominum. Ne tibi ullum tempus, fili, otiosum vel vacuum transeat; tam in diebus quam in noctibus vigilare te convenit, ut imminentem tentationem facilius effugere possis. Si enim cogitationes sordidae conturbaverint cor tuum, et si te coarctaverint quod est illicitum perpetrare, per orationes ac vigilias depellantur ab anima tua. Oratio munimentum grave est animae. Per orationes purissimas omnia nobis quae sunt utilia tribuuntur a Domino, et cuncta quae noxia sunt procul dubio effugantur. In tempore psalmodiae sapienter psalle, fili, et spiritales cantus vigilanter cane coram Domino, ut virtutem psalmorum facilius possis advertere. Omnis namque duritia cordis eorum dulcedine mollietur; tunc dulces habebis fauces, gaudensque cantabis: [Col. 0693D] *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo* **(Psal. CXVIII)**! Sed non poteris sentire hanc dulcedinem, nisi cum summa vigilantia ac sapientia cantaveris. Fauces enim, inquit, escam gustabunt, sensus autem verba discernit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita et divinis eloquiis interior homo pascitur ac nutritur. Sed in his omnibus vigiliis sanctis indiges, fili. Hae sunt namque vigiliae inutiles, per quas laeditur et deperit anima, cum vigilaverit quis circa cogitationes turpissimas, vel ad gerendum contrarium aliquid, vel

ad perpetrandum facinus. Sed tu talibus insiste vigiliis, ut possis effici sanctus. In omnibus actibus et moribus tuis convenit te vigilare, [Col. 0694A] ne quando oppressus somno placere hominibus gestias. Praeterquam Domino soli ne studeas placere alteri. In omne opus quod cogitas facere cogita Dominum primum; et si secundum Dominum est quod cogitas diligenter examina; et si est rectum coram Deo, perfice illud, si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua. Quotidie actus tuos discute curiosius; et si te peccatis obnoxium senseris, ad poenitentiam cito confuge. Nolo ut protrahas peccatum tuum de die in diem; sed si quid cogitaveris male, in Deo poenitentiam age, et velociter de corde tuo seca illud. Ne velis dicere: Non est grande hoc facinus quod cogitavi tantummodo, quia in conspectu Domini manifesta et aperta sunt omnia. Ne ut spinas ac tribulos in te crescere sinas cogitationes [Col. 0694B] malas, neque tanquam minima negligas ea: *Qui enim spernit minima, paulatim defluet.* Noli spernere morsum serpentis, ne venenum ejus conspergatur in cor tuum. Abscinde virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices. Scito quod cor tuum ager est Domini, excole eum coelestibus disciplinis, et non sinas in agro Domini zizania seminari. Si igitur taliter vigilaveris, facile poteris ascendere ad perfectionem.

CAPUT XIII.

De jejunio.

Ad vigilandum autem multum jejunium proderit. Sicut enim miles plurimo onere praegravatus praepeditur, ita monachus ad vigilias cum escarum largitate [Col. 0694C] torpescit. Non enim possumus vigilare cum fuerit dapibus venter noster onustus; sed oppressi somno vigiliarum fructus amittimus, et maximum detrimentum animae nostrae acquirimus. Vigiliis ergo copula jejunium; ut cunctis animae virtutibus florere possis, et caro tua subjecta sit animae tuae, et ancilla tua famuletur dominae suae. Ne praebeas vires corpori tuo; ne bellum adversus spiritum exerceat; sed semper subjecta sit caro spiritui, et obtemperet jussis spiritus. Noli incrassare ancillam, ne contemptui habeat dominam suam, sed ut in omnibus ejus obsequiis mancipetur. Sicut enim equis sunt frena imposita, ita jejuniorum frena imponamus corpori nostro. Nam quemadmodum auriga, si equorum frena laxaverit, rapidissimo cursu cum eo in praecipitia deferuntur, [Col. 0694D] ita et anima, si corpori suo non imposuerit frenum, uterque ad inferni praecipitia devolvitur. Esto peritissimus auriga corpori tuo, ut per tramitem rectum possis pergere. Escae enim plurimae non solum animam, sed et corpus nostrum plurimum laedunt. Saepe enim per ciborum aviditatem stomachi franguntur vires; nec non abundantiam sanguinis et cholerarum aegritudines plurimas per escarum largitatem perpetimur. Sicut enim ista sunt animae et corpori contraria, ita etiam medelae sunt utriusque temperata jejunia. Quantum vero possumus mundi delicias et ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flamma guttam aquae quaeramus, nec re frigerium consequamur.

[Col. 0695A]

CAPUT XIV.

De crapula fugienda.

Fugiamus ebrietatem, ne in retia luxuriae incurramus. Vinum enim nobis Dominus ad laetitiam cordis, non ad ebrietatem creavit; non quantum gula exigit, sed quantum naturae imbecillitas postulat. Et Apostolus Timotheo modico praecipit uti vino; et hoc propter dolorem stomachi, et propter ejus frequentissimas infirmitates **(I Tim. V)**. Ne igitur nos quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem deputemus. Plurimi namque maximam per vinum debilitatem contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam firmitatem, qui primum gulae non temperaverunt ardorem. Plerique per vinum homicidium perpetraverunt, nec ipsam mortem recusaverunt. [Col. 0695B] Alii per vinum a daemonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas quam manifestissimus daemon. Ebriosus putat se boni aliquid agere cum per praecipitia devolutus fuerit. Per vinolentiam armatur os ad maledicta et convicia proximorum, et immutatur mens, et lingua balbutit. Quaeso quid minus habetur quam daemonium ebrietas? Hujusmodi enim vir cum se putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis, cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, et repente hamum inter fauces reperit hostem: vel sicut aves cum per escam capiuntur in retibus; ita ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod intra eum morans impellit ad omne opus foedissimum; et homo rationabilis ut irrationabile animal capitur. Tu autem in omnibus exhibe te sobrium, ut te sobrietas [Col. 0695C] in omnibus castum exhibeat.

CAPUT XV.

De vitanda superbia.

Sed caveto hoc, fili, ne per ciborum abstinentiam mergaris in superbiam, et ne infleris adversus eos qui jejunii tui mensuram non valent obtinere: ne quando videaris escis carnalibus abstinere, et vitiis pectus tuum replere. Grandis namque est confusio animae quae cum sibi subjecerit carnem, ipsa sit subjecta vitiis. Quid prodest ventrem ab escis resecare, et animam passionibus obruere! vel carnis amorem vincere, et in corde livoris stimulos machinari! Verus enim continens tam a corporis quam animae se passionibus abstinet, quia in utriusque substantiis homo constare videtur. Nulla est enim perfectio in [Col. 0695D] una parte esse sublimem, in alia esse prostratum; in una parte fulgere, et in alia vitiorum caligine occupari. Qui enim castus cupit esse corpore, castus debet perseverare et spiritu, quia nihil proderit castum esse corpore, et mente corruptum. Civitas si fuerit in una parte munita, ex alia vero destructa, aditum ad se hosti praebebit. Et navis si fuerit forti compage solidata, et unam in se habuerit tabulam perforatam, repleta aquarum fluctibus mergetur in profundum. Verus enim continens cuncta quae vana sunt spernit, nec ullam gloriam sectatur humanam; furorem iracundiae reprimit, exsecrationem despicit, potius sustinet detrimentum, quam dissolvat vinculum charitatis; non detrahit cito proximo, nec [Col. 0696A] libenter audit detrahentem; cupit semper declinare a vitiis, et ad virtutes animae semetipsum instigat.

CAPUT XVI.

De lingua compensanda.

Talem te exibe, fili, cum volueris exercere jejunium, et cum te abstinueris, abstine et linguam tuam ab illicitis verbis. Omnem blasphemiam longe fac a te, nec superflui sermones procedant de ore tuo, quia et pro otiosis verbis in die judicii reddituri sumus Deo rationem. Nec ad maledicendum quempiam assuescas linguam tuam, quae ad benedicendum et ad laudandum Dominum creata est. De quibus ignoras rebus in conventu noli proferre sermonem; sed opportuna verba procedant a te cum opportunum [Col. 0696B] tempus inveneris, ut te audientibus cunctis gratiam praebeant. Ab omni vaniloquio tempera linguam tuam; ne quando qui audiunt horrescentes obturent aures suas, et sit tibi confusio coram omnibus. De quibus molestiam non pateris, noli contendere acriter, nec insuescas consuetudini pessimae, quia mos qui longo usu fuerit confirmatus, non parvo labore vitatur.

CAPUT XVII.

De vano gaudio fugiendo.

Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est cum strepitu ridere, sed subridendo tantummodo mentis laetitiam indica. Nec in modum parvuli jocari velis assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur jocari ut parvulus. Esto in [Col. 0696C] malitia parvulus, et vir perfectus in sensu. In quibusdam te exhibe senem, et in quibusdam te exhibe parvulum. Parvuli namque est ludere, perfecti vero viri lugere; sed praesens luctus laetitiam generat sempiternam; jocus autem remissiorem efficit animam, et negligentem erga Dei praecepta, nec delicta sua potest ad memoriam revocare; sed obliviscens ea non se instigat ad poenitentiam, et ita paulatim ab omnibus bonis privabitur. Nullum enim habebit accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus. Ubi vero fuerint lacrymae, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat et vitia cuncta exurit. Tunc aviditate coelesti anima flagrans, Christi amori copulatur: et in terris degens de coelestibus et supernis jugiter meditatur, calcat [Col. 0696D] saeculi voluptates, et ad praemia se futura extendit, nec ulla saeculari cura ab amore eam segregat Christi; sed ut figura quaedam inter homines versari videtur, et tota ejus conversatio de coelestibus intelligitur. Mors illi praesens tanquam vita ipsa est dulcis: cupit dissolvi, et esse cum Christo **(Phil. I)**, quem in carne vivens intra suum portaverat templum. Vide ergo quantum lucrum afferant fletus et lacrymae, et quantam perniciem praebeat risus ac jocus. Qui enim ridere hic delectatur, postmodum flebit amare; qui autem hic legere voluerit, gaudebit in posterum **(Matth. V)**. Nam et Salvator noster beatos appellat lugentes; et qui nunc laetantur, flere eos dicit in novissimo. Non te ergo delectet [Col. 0697A] puerilis jocus vel risus, sed lectionum spiritualium cantus. Non te solvant in risum verba inania, sed proferant ex te gaudii risum perfectorum virorum virtutes, ut ad eorum spectaculum vitam tuam moresque componas. Perfectus enim ille dicitur, non qui in aetate, sed qui in sensu perfectus est; non enim tibi obest puerilis aetas, si fueris mente perfectus; nec senilis tibi proderit aetas, si fueris puer sensibus. Nam et David cum puer esset, et perfectum cor haberet in Domino, in regem electus est; et Saul cum senili aetate esset perfectus, quia in se

malitiam perfectam habuit, de culmine regali expulsus est. Vetustissimi jam erant presbyteri qui Susannam violare conati sunt, quos Daniel adhuc parvulus detecto eorum scelere condemnavit: et Dominus [Col. 0697B] noster ingressus Hierosolymam a parvulis collaudatur. Nam et arbor, licet sit multorum annorum, si fuerit infructuosa, absciditur: si autem novella fuerit fertilis, colitur ut magis proferat fructus.

CAPUT XVIII.

De malorum contubernio vitando.

Perfectorum vero virorum consortio fruere, et contubernio abstinentium delectetur anima tua, et a colloquiis eorum ne avertas aurem tuam: verba enim vitae sunt verba eorum, et incolumitas animae iis qui ea libenter attendunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita sanctorum doctrina a sensibus tuis expellit tenebras. Talium virorum, quaeso, ne devites consortia; ut eorum monitionibus mens tua [Col. 0697C] erigatur ad coelum, et fluxam saeculi gloriam pro nihilo possis despicere, et virtutes animae hauriant sensus tui. Devita viros quos erga mandata Dei vides negligentes, qui mortui sunt virtutibus et videntur vivere passionibus, quia laetantur in propriis voluntatibus et gaudio carent divino. Cum hujusmodi viris nec sit tibi ulla commixtio, nec velis cum eis sermocinari assidue, nisi poteris solummodo ab erroris itinere revocare eos: caeterum si non vales, devita ut publicum hostem: saepe enim per unam ovem morbidam grex totus polluitur; et modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit, *et fermentum modicum totam massam corrumpit* **(I Cor. V)**. A tali enim fermento Dominus tibi attendere praecipit **(Matth. XVI)**. Fermentum hoc nequissimorum hominum [Col. 0697D] doctrina intelligitur: nam etsi in habitu quis videatur esse clarus et nobilis, et dulcia verba tibi proferat eleganter, simulatio cordis ejus ex subsequentibus actibus intelligitur: non enim ex verbis, sed ex fructibus homo comprobatur. Denique quam plurimi callide vitia sua celare festinant, et apud quosdam videntur esse mirabiles, sed floribus amissis fructus qualis est ostenditur: cum vero diu intra sinum servaverunt serpentem, attacti morsu ejus intumescunt, et palam fiunt omnibus, quia *nihil occultum est quod non revelabitur* **(Matth. X)**.

CAPUT XIX.

De ira cohibenda et differenda poenitentia.

Si quis tibi intulerit mala, ne velis irasci ei aut [Col. 0698A] retribuere illi, etiamsi possis, sed dole potius pro eo, quia Dominus irascetur ei. Qui enim patienter pertulerit mala, in futurum coronabitur; qui vero intulerit mala, in die mala ut reus damnabitur. Ne pro carnalibus damnis frangatur animus tuus, nec vigorem patientiae tuae res emolliant caducae, sed time potius damnum, si a proposito tuo retardaveris. Et quando te peccatis obnoxium senseris, ad poenitentiam cito converti ne confundaris; qui enim hic poenituerit, in novissimo non poenitebit, clementer enim Dominus ad poenitentiam confugientes suscipit. Et ne misericordia Domini fretus peccatis peccata adjicias, neque

velis dicere: Donec viget aetas mea, carnis concupiscentiam exercebo, et postremo in senectute malorum meorum poenitentiam geram: [Col. 0698B] pius namque est Dominus et multum misericors, nec ultra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare, quia summa stultitia est haec mente apud Dominum concipere; cum et impium sit talem licentiam a Deo exspectare quempiam. Noli, inquam, sic cogitare, cum nescias qua die moriturus sis. Quis enim novit hominum diem exitus sui? non enim omnes in senectute privabuntur hac luce, sed in diversis aetatibus in hoc mundo migrabunt; et in quibus actibus vocabitur homo, in iisdem necesse est redere rationem. Nemo enim in inferno confitebitur Domino **(Psal. VI)**, sed nec tu cuncteris ad poenitentiam converti.

CAPUT XX.

De morte cogitanda. [Col. 0698C]

Semper ante oculos versatur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum promissa coelestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent. Esto nunc talis in operibus bonis qualem te vis futurum postmodum. Omnia terrena quae possides in coelestes mansiones transfer, ut cum illuc fueris profectus, fruaris bonis coelestibus. Bonorum operum sumptus tibi in itinere praepara, ut incunctanter libenterque, cum vocatus fueris, pergas ad Dominum. Tunc cum a carnis vinculo anima tua absoluta fuerit, mox in occursum tuum angelorum chorus occurret, omne sanctorum [Col. 0698D] agmen in tuis miscebitur complexibus, et te ad adorandum verum judicem perducent. Tunc tibi fiet pax per girum et summa securitas, nec timebis ultra jacula ignita diaboli. Non tibi terrorem incutiet barbarorum immanitas, nec formidabis hostes ferocissimos, qui cupiunt animas jugulare, non corpora, non ferrum, non ignem, non faciem truculentam tortorum, non famem, non sitim, nec ultam aegritudinem carnis; nec metues invidiam hominum, nec insidias malignorum, verba venenata mulierum luparum; nec ultro adversabitur caro contra spiritum tuum: non timebis periculum maris, nec ullos casus adversos, sed haec omnia sedabuntur. Cum anima tua abjecerit sarcinam carnis, tunc Spiritus sanctus [Col. 0699A] tribuet tibi in coelestibus mansionem, cui paulo ante intra corporis tui hospitium feceras mansionem; et laetus gaudensque exspectabis diem judicii futuri, in quo singulorum animae recipient merita pro suis operibus. Sed frustra tunc peccatores et impii poenitebunt, fornicatores et adulteri ululabunt, nec ullam requiem poterunt invenire. Rapaces et avari flebunt amariter, nec malorum suorum veniam consequentur. In luctu maximo detinebuntur omnes qui carnis [Col. 0700A] suae voluntates secuti sunt. In moerore et fletu maximo in sempiternum erunt qui vitiis et passionibus servierunt. Et cum hi omnes pro suis criminibus gehennae ignibus mancipentur, justis sempiterna praemia tribuentur a Domino, *Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* **(I Cor. II)**

[Col. 0699A]

EVAGRII MONACHI SENTENTIAE.

(*Vide Patrologiae tom.* XX, col. 1181.)

[Col. 0699B]

FAUSTI ABBATIS LIRINENSIS SERMONES AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiae tom.* LVIII, col. 869.)

[Col. 0699B]

SANCTI EUCHERII LUGDUNENSIS EPISCOPI EXHORTATIO AD MONACHOS, ETC.

(*Vide Patrol.* tom. L, col. 865 , 1207 *et 1209* .)

[Col. 0699C]

SANCTI CAESARII ARELATENSIS EPISCOPI AD CAESARIAM ABBATISSAM EJUSQUE CONGREGATIONEM EPISTOLA.

(*Vide Patrologiae tom.* LXVII, col. 1125.)

[Col. 0699C]

NOVATI CATHOLICI SENTENTIA DE HUMILITATE ET OBEDIENTIA ET DE CALCANDA SUPERBIA.

(*Vide Patrologiae tom.* XVIII, col. 67.)

[Col. 0699D]

SANCTI PAULINI AD MONACHOS DE POENITENTIA.

[Col. 0699B]

INTERROGATIO.

Quomodo debemus agere poenitentiam?

RESPONSIO.

Detur utique poenitentia saeculari, cujus adhuc cervix sub jugo dependet saeculi; et huic pro immanitate peccati sive delicti terminetur tempus, quia adhuc tempori servit. Caeterum abrenuntians saeculo et ejus militiae, spondensque se cunctis diebus serviturum Deo, cur poenitentiam mereatur, qui liber effectus, velut onager, sectatur eremi vastitatem? Sicut ait Job: *Quis dimisit onagrum liberum in deserto* [Col. 0700B] **(Job. XXXIX, 5)**? A leone fortiter caveat et arentibus herbis, poculoque exiguo alatur in eremo: erigat in aera caput, et flagrantem nimium sitis ardorem sancti Spiritus aura restringuat: ne dum valde desiderat amoena virentia, nimis deliciis praepeditus periculum salutis incurrat. Igitur abrenuntianti poenitentia publica non est necessaria, quia conversus ingemuit et cum Deo aeterno pactum inivit. Ex illo igitur die non memorantur ejus delicta, quae gessit in saeculo, in quo facturum se justitiam de reliquo promiserit Deo. Ergo chirographum de quo [Col. 0701A] se monachus debitum ex tota fide promiserit implere, etsi fidelis factus peccavit in saeculo, post abrenuntiationem suam iterum factam Dominicum corpus non dubitet accipere, ne occasione humilitatis nimiae prolongetur a corpore ejus et sanguine, cui se junxit ut unum corpus efficeretur. Communicare non desinat qui peccare quievit, tantum ne de reliquo peccet. Nam sicut ignis iste visibilis duas in se quasdam efficacias habet, id est, comburere fragilia et illuminare tenebrosa, ita ignitum illud Dominicum corpus, quando cum metu et reverentia grandi fuerit sumptum, corporis quidem delicta consumit, [Col. 0702A] animae vero sensum illuminat: et idcirco maxime communicare frequentius debet. *Si vero fuerit,* sicut scriptum est, *lepra in pelle, immunda erit* **(Levit. XIII)**: id est, peccatum in monacho: quia pellem esse monachum Scriptura significat mortificantem membra sua super terram; cujus ossibus adhaesit caro, cujusque caro immutatur propter oleum, et a jejunio infirmatur, et genua velut fenum arescunt. Ergo si in hac pelle visa fuerit lepra, immunda erit, et nisi fuerit hyacintha aut rubra pura, ad ornatum tabernaculi non erit apta.

[Col. 0701B]

SANCTI EUTROPII ABBATIS EPISTOLA AD PETRUM PAPAM DE DISTRICTIONE MONACHORUM ET RUINA MONASTERIORUM DIRUTA ROMAE.

(*Vide Patrologiae tom.* LXXX, col. 15.)

[Col. 0701C]

INCERTI AUCTORIS SERMO DE DECEM VIRGINIBUS.

(*Vide Patrologiae tom.* LXXXVIII, col. 1071.)

EXPLICIT SANCTI BENEDICTI CODEX REGULARUM.

SANCTI BENEDICTI ABBATIS ANIANENSIS CONCORDIA REGULARUM. (Ex editione Hugonis Menardi monachi Benedictini.)

[Col. 0701D]

PROLEGOMENA. SANCTO PATRI BENEDICTO MONACHORUM OCCIDENTIS PATRIARCHAE.

Quod summo divini numinis beneficio a te accepimus, Pater sanctissime, id tibi qua par est devotione et grati animi testificatione referimus offerimusque: hoc videlicet opus plane divinum singulari Dei providentia ad hunc usque diem servatum nobisque transmissum. Nam quis dubitet plane divinitus accidisse ut hic sapientiae coelestis thesaurus tot saeculis in agro tuo Floriacensi, quem sacrosancto corporis tui pignore locupletasti, hucusque defossus, hoc potissimum tempore appareret, imo tu nobis ipse traderes, quo primum nascente sub sanctissimi tui nominis auspiciis congregatione tua Benedictina instaurationis florentissimi tui ordinis jacta fundamenta visuntur? maxime cum id ipsius auctoris votis omnino respondeat. Ipse enim tibi cognominis, gratia benedictus et nomine (ut de te quondam sanctissimus pontifex Gregorius Magnus praedicavit) tuus alumnus, ordinis tui primus instaurator hoc suum opus in manus nostras venire gestit, quo tempore sua consilia, suaque vota post tot saeculorum decursus, Deo favente, renascentia conspicit: quippe qui in id potissimum curas et labores suos contulit, ut sopitam pietatem et monasticae vitae vigorem consenescentem excitaret, atque ex institutis sanctae tuae Regulae repararet, cui quam simillimas caeteras omnes sanctorum Patrum regulas in hoc opere esse demonstrans, illi tanto impensius monachos adhaerere debere ostendit, quod una caeteras omnes perfecte cumulateque contineat. Quae cum ita sint, Pater sanctissime, ego, cui a superioribus hujus libri recognoscendi, et a tenebris vindicandi demandata provincia est, illum tibi sane merito auctoris et argumenti natura gratissimum omnium Benedictinorum nomine offerre non dubitavi: quem si non obtulissem, jus omne, natura, superi denique reclamassent: et ipse ingrati filii notam non effugissem, qui sanctissimo aeque ac optimo parenti munus tot nominibus atque titulis debitum subtraxissem. Nec me retrahit a proposito tenuitas nostrarum lucubrationum, quas libro quasi teruncium Croesi thesauris adjeci animo juvandi nonnihil lectoris, et salebras amovendi ad quas potuisset restitare, quod suam ex sese habeat commendationem opus, ex tot Patrum sententiis ab alumno tuo sanctissimo, tuique ordinis assertore ac vindice, multis vigiliis concinnatum. Quin potius, Pater sanctissime, indignus licet tanti parentis filius exsulto, et nova spe erigor, dum ego prospicio hoc opus cum non mediocri accessione gloriae supremi numinis, tuique nominis celebratione, insigni etiam legentium et tui maxime ordinis alumnorum uberiore fructu, ac totius ordinis monastici commendatione sub tuo patrocinio omnibus piis non mediocriter profuturum. Id quod profecto de misericordia Dei nobis longe facilius pollicebimur, si ut tuo nomini librum hunc consecrare ausi sumus, ita tuo patrocinio tum opus hoc, tum nascentem Benedictinam tuam congregationem, ejusque alumnos adeoque meipsum omnium minimum complecti ac protegere velis, nobisque paterno affectu coelestem opem impetrare, cujus adminiculo latentes in sancta tua Regula thesauros investigare, eosque in nostros usus convertere valeamus. Hoc igitur accensi desiderio te cum hoc munusculo adire praesumimus: te

patronum, te ducem, te Patrem suspicimus, teque precamur ut quo spiritu hanc Regulam dictasti, eodem Deo aspirante, vivamus; ut re et nomine Benedictini et tui bene meriti filii coelestium tuarum benedictionum haeredes, eas tecum aeter num possidere mereamur.

Ultimus alumnorum tuorum Fr. HUGO MENARDUS.

[Col. 0703B]

LECTORI BENEVOLO PRAEFATIO.

[Col. 0703A]

Adest tandem, lector benevole, liber CONCORDIAE REGULARUM a multis viris piis et doctis jampridem desideratus, a me quidem, Deo aspirante et adjuvante, editus et illustratus; sed non tam meo arbitrio quam alterius imperio. Non enim audebam tantam materiem aggredi, quam meis semper viribus imparem esse judicavi ob rerum obscuriorum et varietatem et difficultatem. Accedebat antiqua difficultas in regulam sancti Benedicti, quae in hoc opere continetur, enarratio: quae quam difficilis sit, ipsi norunt qui libros οὐκ ἀβασανίστως legere solent. Ab ipsa adolescentia in eam aliquid moliri cupiebam, sed me semper rei difficultas in hoc campo decurrere deterruit, dum hunc librum editurus minus rationi consentaneum esse duxi, si caeteros hujus Concordiae [Col. 0703B] auctores explanans Rugulam sancti Benedicti tacitus praetermitterem. Ego enim in omnibus meis lucubrationibus hoc Sapientis effatum μηδὲν ὑπὲρ δύναμιν *nihil supra vires, semper ob oculos mihi ponendum esse putavi;* simulque illud Horatii praeceptum:

Sumite materiem vestris, qui scribitis, aequam Viribus...... Quod si a quibusdam tractatoribus observaretur, melius profecto cum musis ageretur: cum nonnulli in uno argumento desipiant, qui fortassis in alio saperent. Quamobrem si quibusdam visum fuerit me hoc opus supra vires aggressum esse, quod jussus id egerim, saltem temeritatis notam effugiam, nec propterea Theoninos dentes multum verebor.[Col. 0703C]

Hujus libri auctor est Benedictus abbas, ut habetur in praefationis epigraphe. Sed quis sit hic Benedictus, videndum est. Trithemius, libro de Scriptoribus ecclesiasticis, existimat hujus libri auctorem esse sanctum Benedictum Biscopium Anglum. Sed [Col. 0704A] sine auctore haec scripsit, nec ullus ante eum id asseruit , nec Beda, qui in historia Anglorum, et homilia ultima de sanctis hujus Benedicti Biscopii Vitam et laudes scripsit, nec Guillelmus Malmesburiensis, Florentius Wigorniensis, Matthaeus Westmonasteriensis, nec ullus antiquus Anglorum historicus. Praeter hunc Benedictum Anglum fuerunt alii Benedicti, sed nulli horum hic liber attribui potest, nisi sancto Benedicto abbati Anianae in dioecesi quondam Magalonensi, nunc Montispessulani, deinde abbati sancti Cornelii ad Indam rivulum prope Aquisgranum, ut clarum est ex illius Vita scripta a sancto Ardone, quam huic libro praefiximus: in qua pag. 29 haec habentur: «Alium collectis regularum sententiis composuit librum, cui nomen *Concordia* [Col. 0704B] *Regularum dedit, ita duntaxat ut beati Benedicti praecederet*

sententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps.» Quae verba conveniunt eis quae mox citabuntur ex praefatione ejusdem Concordiae. In cod. Floriacensi ms. hic titulus repertus est: *Liber patroni nostri beati Benedicti abbatis Floriacensis monasterii.* Sed hujus tituli scriptor erravit, quod existimaverit magnum Benedictum monachorum patriarcham, qui est patronus monasterii Floriacensis, esse hujus Concordiae auctorem. Si autem fuerit aliquis Benedictus abbas monasterii Floriacensis, non adeo certum est, nam in catalogo abbatum hujus monasterii nullus hoc nomine abbas reperitur. In glossis tamen veteribus ab Henrico Stephano editis est quoddam Glossarium [Col. 0704C] quod praefert titulum sancti Benedicti abbatis Floriacensis. Si quis autem fuerit sanctus Benedictus abbas Floriacensis, probabile est hunc non esse alium a sancto Benedicto abbate Anianae, et postea sancti Cornelii ad Indam rivulum. Nam hic sanctus [Col. 0705A] Benedictus fuit multorum monasteriorum abbas et sancti Maximini, ut notum est ex ejus Vita. Hoc autem monasterium sancti Maximini situm est in dioecesi Aurelianensi, nec ita remotum a monasterio Floriacensi. Sed quia sanctus Ardo non scripsit hunc sanctum Benedictum Anianae abbatem fuisse etiam abbatem monasterii Floriacensis, omnino non definimus.

Hic liber inscribitur *Concordia Regularum.* Hanc rationem reddit auctor in sua praefatione: «Quapropter seu propter eos, qui eas (regulas) habentes ignorant quibus in locis sit eorum concordia, placuit omnes ex omnibus in unum coarctari sententias, quae cum Patris Benedicti concordare noscuntur regula, quatenus unus ex multis existeret codex, ita ut beati [Col. 0705B] Benedicti praecederent, quibus sequentes caeterae necti possent: quamobrem *Concordia Regularum hic liber sortitus est nomen.*» Ita prorsus docet sanctus Ardo paulo ante citatus et Trithemius libro citato. Hic liber appellari etiam posset Catena regularum, ut sunt catenae Patrum a Niceta et aliis quibusdam Graecis auctoribus compositae in Psalterium, in Job, in Canticum canticorum, in Evangelia, etc., in quibus accumulantur diversorum Patrum sententiae ad horum librorum elucidationem spectantes, licet interdum diversae sint, quemadmodum etiam aliquando contingit in hac Concordia regularum.

Codex ms. quem modo edimus, sumptus est ex bibliotheca monasterii sancti Benedicti Floriacensis; [Col. 0705C] ad cujus elucidationem et castigationem fuerunt nobis auxiliares copiae alter codex ms. Concordiae Regularum, ex bibliotheca monasterii sanctae Trinitatis de Vindocino, quem nobis commodato dedit Reverendus admodum abbas ejusdem monasterii Michael Subletus. Regula Magistri ms. ex bibliotheca Corbeiensi; Regula sancti Fructuosi archiepiscopi Bracarensis ms. ex bibliotheca monasterii Crassensis; Regulae sancti Augustini et Patrum mss. ex bibliotheca [Col. 0706A] Corbeiensi. Regula sancti Columbani et ejus Poenitentialis mss. ex bibliotheca Floriacensi; item duae ejusdem Regulae editae, altera editionis Parisiensis, altera Insulae Goldasti studio et cura edita. Regula Paphnutii, Serapionis, Macarii, et aliorum ms. ex bibliotheca Floriacensi et Corbeiensi. Accesserunt duae Regulae Patrum cum Regula Pauli et Stephani mss. ex bibliotheca Floriacensi, necnon Regulae sancti Caesarii, et sancti Isidori excusae. Nec parum opis attulerunt mihi decreta Burchardi, Ivonis Carnotensis et Gratiani, necnon libellus centum quatuordecim sententiarum de Rectoribus Ecclesiae, in quibus quaedam sententiae et capitula Regularum hujus Concordiae citantur. Adfuerunt etiam mihi septem Regulae sancti Benedicti mss.: una, cui [Col. 0706B]

adjuncti erant commentarii Ruthardi monachi Eremi sanctae Mariae apud Helvetios; duae ex bibliotheca monasterii sancti Germani a Pratis; item duae ex bibliotheca monasterii sancti Victoris Parisiis siti; una ex monasterio sancti Ebrulphi dioecesis Luxoviensis; postrema et recentior sancti Faronis prope Meldas. His accedit Regula sancti Benedicti a sancto Dunstano archiepiscopo Cantuariensi emendata; duae vetustissimae editionis Parisiensis, altera ex officina Colinaei typographi, altera edita studio et opera Guidonis Juvenalis abbatis sancti Sulpitii Bituricensis, cum ejus interpretatione Gallica, et una Coloniensis anno 1575, edita una cum commentariis Smaragdi et Joannis a Turrecremata. Aliquid etiam auxilii nobis contulit Alamannica interpretatio vocabulorum [Col. 0706C] Regulae sancti Benedicti a Kerone discipulo sancti Othmari abbatis elaborata.

Librum notis et observationibus illustravimus in quibus locos obscuriores explicamus, corruptos castigamus, et diversis lectionibus quae inutiles videbantur, rejectis, utiles solas notavimus. Haec est tota nostri instituti ratio. Faxit Deus ut haec omnia in sui nominis gloriam cedant, et in tuam, lector benevole, utilitatem.

[Col. 0705D]

DE HUJUS CONCORDIAE REGULIS EARUMQUE AUCTORIBUS.

[Col. 0705D]

Ad faciliorem hujus Concordiae intelligentiam operae pretium est in ipso limine aliquid de Regulis a nostro auctore prolatis, earumque scriptoribus praelibare; prius hic subjecto earumdem catalogo.

1. Regula sancti Patris Benedicti. 2.---sancti Pachomii. 3.---sancti Orsiesii. 4.---Orientalis. 5.---sancti Macarii. 6.---item Macarii. 7.---Patrum. 8.---item Patrum. 9.---item Patrum. 10.---sancti Basilii. 11.---sancti Hieronymi. 12.---sancti Augustini. 13.---Cassiani. 14.---Stephani et Pauli. 15.---Tarnatensis. [Col. 0706D] 16. Regula sancti Caesarii. 17.---sancti Aureliani episcopi. 18.---sancti Ferreoli episcopi. 19.---sancti Isidori episcopi. 20.---sancti Fructuosi episcopi. 21.---alterius Fructuosi. 22.---sancti Columbani. 23.---Donati. 24.---Magistri. 25.---cujusdam Patris. 26.---item cujusdam Patris.

Quod spectat ad Regulam sancti Benedicti, ejusque auctorem, non est quod immoremur, cum multi de iis multa scripserint.

Regula sancti Pachomii non est ea quae ab angelo dictata apud Palladium in Historia Lausiaca exstat, sed est ea, etiam ab angelo revelata, quam de Aegyptiaca lingua in Graecam versam Latinam fecit sanctus Hieronymus. Quae quidem non est solius Pachomii, [Col. 0707A] sed etiam discipulorum ejus Orsiesii et Theodori, angelo quidem revelante. A tribus enim illis Patribus conscripta est, ut notum est ex praefatione sancti Hieronymi ad eamdem Regulam, et principio ejusdem regulae apud Gazaeum. Nec

obstat quod appelletur vulgo Regula Pachomii: nam praecipui Patris ac magistri nomen retinere potuit. Pachomii meminit idem Hieronymus in epitaphio Marcellae ad Principiam: «Vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachumii et virginum et viduarum didicit disciplinam.» De eo et ejus Regula agit Sozomenus, lib. III, cap. 13; Gennadius in Catalogo, et Palladius in Lausiaca, cap. *de Tabennesiotis.* Ejus Vita ampla satis habetur in Vitis Patrum. Floruit sub Constantino Magno. De eo agit Menologium Graecorum 15 Maii. Ejus Regula exstat excusa, centum supra viginti octo articulos complectens. Quae tamen non est integra: nam in hoc Concordiae libro citantur multi articuli qui in ea non exstant, aliusque articulorum ordo in Concordia [Col. 0707B] videtur quam in edita Regula.

Regula Orsiesii habetur excusa tom. IV Bibliothecae Patrum, ubi liber inscribitur, *Regulae de institutis monasticis.* Fuit sancti Pachomii discipulus, ut multis locis ejusdem Regulae videre est, in quibus sanctum Pachomium Patrem suum appellat. De eo agit Gennadius in Catalogo, ubi eum vocat «collegam Pachumii et Theodori.» Graeci auctores mentionem faciunt; Socrates lib. IV, cap. 14; Sozomenus, cap. citato; Palladius in Lausiaca, cap. 8, a quibus appellatur Ἀρσίσιος apud Socratem legitur Ἀρσήνιος, male: nam Socrates agit de illis Patribus qui tempore sancti Antonii floruerunt sub Constantino Magno et Constantio, cum Arsenius sub Arcadio et Honorio vixerit. Constanter tamen appellatur a Latinis Orsiesius, sive Orsiesis, tum in ejus opere edito, tum apud sanctum Hieronymum, tum apud Gennadium supra citatos, atque etiam in ms. cod. nostrae Concordiae. Quare non assentior cuidam viro [Col. 0707C] docto qui apud sanctum Hieronymum legendum putat *Arsesii,* non *Orsiesii.* In Vita sancti Pachomii, quae est in Vitis Patrum veteris editionis, male appellatur *Orsenius.*

Regula Orientalis affinis est Regulae sancti Pachomii: ita ut saepe eadem verba proferat, ut notavimus in nostris observationibus: quis sit illius auctor, ignoratur.

Regula Macarii duplex est: una quae non solius Macarii est, sed Serapionis, Macarii Paphnutii, alterius Macarii abbatis et aliorum. Duas vidi mss., alteram bibliothecae Floriacensis, quae hunc titulum profert: *Incipit Regula monasteriorum vel Deum timentium discipulorum, id est, Serapionis, Machari, Pacnuti, et alterius Machari.* In fine vero Regulae haec verba habentur: *Explicit regula Patrum abbatum triginta octo.* Alteram bibliothecae Corbeiensis, cui hic titulus praefigitur: *Incipit regula sanctorum Patrum Serapionis Machari Paunuthi et alii Machari.* [Col. 0707D] Ita legitur in mss., sed utrobique legendum, *Macarii, Paphnutii.* Hi autem codices sunt dissimiles quoad verba duntaxat, nam saepissime codex Corbeiensis non modo mutat, sed etiam auget verba, et quodammodo paraphrastice se gerit: at Floriacensis non item, sed convenit cum iis quae in hoc Concordiae codice citantur. Corbeiensis quatuor duntaxat capita complectitur, eaque majora: at Floriacensis octo, sed angustiora. Auctores vero hujus Regulae praenominati videntur esse duo celebres illi Macarii, quorum alter Aegyptius, alter Alexandrinus dicitur: de quibus agunt fere omnes auctores supra citati. Serapion, qui prope Arsenoitem circiter decem millibus monachis praefuit in Aegypto, de quo Sozomenus lib. VI, cap. 28. Paphnutius abbas monasterii in Thebaide, et anachoreta ultimae solitudinis in regionibus Heracleos, de quo in Vitis Patrum. De eo etiam agunt Cassianus, coll. 3, Palladius in Lausiaca, cap. [Col. 0708A] 125. Illius et duorum

Macariorum meminit Sidonius carm. 16, ad Faustum Reiensem:

Nunc duo Macarii, nunc et Paphnutius heros. Ratio est quia eodem tempore in Aegypto, ut ex praefatis auctoribus notum est, vixerunt, et simul de componenda Regula convenire potuerunt. Haec autem Regula in Concordia aliquando sub nomine Regulae Patrum citatur, ut suis locis observavimus, sed et sub nomine Macarii, nunquam Serapionis et Paphnutii.

Altera Macarii Regula quaedam admixta habet ex D. Hieronymo, ut suis locis observatum est. Praeter superiores Macarios multi alii reperiuntur apud scriptores, sed cujus sit haec Regula, dicere obscurum est.

Regula Patrum, praeter eam quae est Serapionis, Macarii et aliorum, triplex est; quarum duas vidi in codice ms. bibliothecae Floriacensis, adeo breves, ut singulae vix tria folia contineant. Prima sic incipit: [Col. 0708B] *Cum resideremus in unum in nomine Domini Jesu Christi secundum traditionem Patrum sanctorum virorum visum est nobis conscribere, etc.* Alterius hoc est initium: *Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris convenissemus, in primo placuit ut Regula et instituta Patrum per ordinem legerentur.* Utrique Regulae in praefato codice tantum hic titulus praefigitur: *Item Regula.* Priorem etiam vidi in vetustissimo codice bibliothecae Corbeiensis, sub hoc titulo: *Incipiunt statuta Patrum;* cujus initium est: *Residentibus nobis in unum in nomine Domini Jesu Christi secundum traditionem Patrum virorum sanctorum visum est nobis conscribere, etc.,* prout habentur in codice Floriacensi. De tertia Regula Patrum nihil me legisse alibi memini.

Regula sancti Basilii hic citata nihil aliud continet quam illius constitutiones, tam fusius quam brevius disputatas ex interpretatione Rufini, quae in vetustissimo codice ms. bibliothecae S. Germani a Pratis [Col. 0708C] dividuntur in ducentas interrogationes.

Regula sancti Hieronymi nihil aliud est quam epistola illa quam praefixit Regulae sancti Pachomii, nam quaedam ex illa Regula hic citata videre est in eadem epistola; alia vero sapiunt stylum sancti Hieronymi, nec discrepant ab institutis sancti Pachomii quae in illa epistola recensentur: quam si integram haberemus, haud dubie in ea omnia reperirentur quae hic ex ea proferuntur, maxime cum sanctus Hieronymus nullam scripserit Regulam monachorum.

Regula sancti Augustini nulla alia est quam ea quae vulgo observatur a Canonicis regularibus, Eremitis Augustinianis, et caeteris hujus instituti professoribus, sumpta ex ejusdem doctoris epistola centesima nona, ad sanctimoniales: quam quidem ut accommodaret suo proposito hujus Concordiae auctor Benedictus, nomina feminina in masculina mutavit, ut fecit in Regulis sancti Caesarii, cujusdam Patris [Col. 0708D] et sancti Aureliani episcopi, quae a suis auctoribus ad sanctimonialium usum scriptae sunt, ut infra docebitur. Haec autem Regula olim divisa est in qua draginta capita. Nam in cap. 71 Concordiae profertur caput quadragesimum Regulae sancti Augustini, quod est ultimum in eadem Regula excusa, quae in editione Coloniensi anni Domini 1575 dividitur in quinque et quadraginta capita, etsi in recentioribus editionibus vulgo dividatur in pauciora. Sed et in bibliotheca Corbeiensi exstat ms. vetustissimis

characteribus exarata sine ulla capitum divisione, etiam ad usum virorum mutato genere accommodata.

Regula Cassiani, quae hic citatur, maxime sumpta est ex libro IV, qui inscribitur *de institutis renuntiantium.* Quaedam sumuntur etiam ex lib. II, *de nocturnis orationibus, atque etiam ex lib.* I, *de vestitu monachorum, nec non ex lib.* III, *de diurnis orationibus, contractius quidem, quam apud Cassianum, descripta, exceptis duobus capitibus;* quibus Regulae [Col. 0709A] nomen non praefigitur: ita ut haec regula compacta sit ex praefatis Cassiani libris. Quae quidem verum Regulae nomen sortiri potest, non enim in ea narrantur monachorum Aegypti mores et instituta, sed quid faciendum sit praecipitur. Regulae Cassiani meminit sanctus Gregorius Turonensis lib. X Hist., cap. 18: «Coenobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulae.» An vero Regula hic citata scripta sit a Cassiano, non adeo certum est, cum Photius, Gennadius et alii qui de operibus Cassiani scripserunt, nullam ejusmodi Regulae mentionem faciant: nisi id forte ex loco Gregorii Turonensis citato conjicere liceat. Quis suspicari poterit ejusmodi Regulam ab Eucherio Lugdunensi fuisse compositam, qui, teste Gennadio in Catalogo, «Cassiani quaedam opuscula lato tensa eloquio angusto revolvens verbi tramite in uno coegit volumine?» Praeterea notandum est in hac Concordia Cassianum saepe appellari sanctum: [Col. 0709B] quam appellationem reliqui, prout inveni in codice ms., neque eam in locis in quibus non erat adjeci. Nec mirum videri debet hunc appellari sanctum: fuit enim sanctus ille vir et admiratione dignus, ut satis ex ejus scriptis constat, quae etsi quibusdam in locis Pelagiana fuligine aspergi quodammodo videantur, maxime collatione XIII, in qua disputat quosdam sine gratia Dei praeveniente solis arbitrii liberi viribus, nonnullos non sine ea ad Deum converti, et eo nomine a Prospero Aquitanico impugnatus sit, et a Gelasio papa inter scriptores apocryphos relatus, nunquam tamen, quoad vixit, ab Ecclesiae communione separatus est, errore ejus multis post annis in concilio Arausicano secundo, quod anno Christi 529 habitum est, tantum condemnato, nempe can. 8. Qui sane errorem emendasset, si illum ab Ecclesia reprobari vidisset. Unde Prosper in suae Disputationis epilego dixit: «Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda [Col. 0709C] est magis intentio quam desperanda correctio.» Accedit quod in Ecclesia Massiliensi hic Cassianus tanquam sanctus quotannis solemni officio colatur 23 Julii, ut videre est in Proprio Sanctorum dioecesis Massiliensis, ubi ejus officium est duplex minus per annum. Colitur etiam in parochia de Tabernis dioecesis Reiensis, ut videre est in Proprio Sanctorum ejusdem dioecesis. Adnotaturque ejus solemnitas in veteri Martyrologio ms. coenobii S. Sabini in Valle Lavitania dioecesis Tarbensis, nuper edito a doctissimo viro Andrea du Saussay, pastore ecclesiae SS. Lupi et Aegidii Lutetiae Parisiorum, ad calcem eruditissimi sui Martyrologii Gallicani. Ejus caput Urbanus V pontifex maximus, S. Victoris coenobii Massiliensis quondam abbas, thecis argenteis jussit includi et venerari, inquit idem Proprium Sanctorum ecclesiae Massiliensis. Collocatum est ad sinistrum latus altaris, caput S. Victoris ad dextrum in crypta ejusdem monasterii. Corpus vero ejusdem Cassiani conditum [Col. 0709D] est in eadem crypta, in tumulo marmoreo. Sed plura vide in praefationibus Henrici Cuichii episcopi, et Alardi Gazaei ad Cassiani opera, et in vindiciis pro sanctitate Joannis Cassiani ejus operibus Duaci praefixis.

Regula Pauli et Stephani fere ubique in hoc Concordiae codice horum duorum Patrum nomina praefert, raro alterius tantum. Qui sint isti Patres, et quando vixerint, non mihi compertum est. Haec Regula exstat in cod. ms. bibliothecae Floriacensis, unum et quadraginta capitula complectens, ut ex serie capitulorum Regulae praefixa manifestum est sub hoc quidem titulo: *Incipiunt capitula pro quibus sunt ammonendi fratres, Pauli et Stephani.* Et initio Regulae haec habentur: *Incipiunt tituli pro quibus sunt fratres ammoniti, Pauli et Stephani.*

Regula Tarnatensis, vel, ut in quibusdam codicibus legitur, *Regula Tarnatensis monasterii, a quo et quo tempore condita sit,* nondum mihi exploratum [Col. 0710A] est. Quidam putant Regulam esse celeberrimi illius monasterii Agaunensis, quod in Helvetiis de nomine S. Mauritii et sociorum conditum est: eo quod Tarnadae locus, cujus meminit Antoninus Augustus in itinerario, idem sit cum Agauno horum sanctorum passione celebrato: quod quidem probabile est; sed de eo amplius est inquirendum; haec autem Regula Tarnatensis quaedam sumit a Regula sancti Augustini, ut in notis est a nobis observatum.

Regula sancti Caesarii est magni illius Caesarii epipiscopi Arelatensis, cujus scripta habemus et Vitam duobus libris compositam auctore Cypriano. Floruit sub Symmacho papa et Theodorico Italiae rege. Hujus Regulae meminit Fortunatus, lib. V, carm. 1, ad sanctum Martinum Galliae episcopum:

Atque ascita sibi servetur in urbe Genesi
Regula Caesarii praesulis alma pii, Qui fuit antistes Arelas de sorte Lirini. Lib. VIII, carm. 1: [Col. 0710B]

Regula Caesarii linea nota tibi est. Et carm. 4 ejusdem libri:

Concipiente fidem Christi Radegundis amore
Caesarii lambit, regula quidquid habet. Mentio fit apud sanctum Gregorium Turonensem, lib. IX Hist., cap. 41, in epist. episcoporum ad sanctam Radegundem: «Tamen specialiter definivimus si qua, sicut dictum est, de locis sacerdotaliter nostrae gubernationi commissis in Pictaviensi civitate vestro monasterio meruerit sociari secundum beatae memoriae domni Caesarii Arelatensis episcopi constituta, nulli sit ulterius discedendi licentia.» Et cap. seq.: «Arelatem urbem expetunt, de qua Regula sancti Caesarii atque Caesariae beatae suscepta, regis se tuitione munierunt.» Et cap. seq., in epist. sanctae Radegundis: «Insuper congregationi per me Deo praestante collectae Regulam sub qua sancta Caesaria degit, quam sollicitudo beati Caesarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum convenienter collegit, [Col. 0710C] adscivi.» Hanc Regulam, ut clarum est ex locis citatis, sanctus Caesarius sorori suae sanctae Caesariae scripsit, ejusque sanctimonialibus. Id etiam videtur in eadem Regula, quae exstat excusa: sed auctor hujus Concordiae mutato sexu eam aptavit suo proposito. Scripsit etiam sanctus Caesarius ejusdem Regulae recapitulationem, in qua addit novas constitutiones; sed nihil de illa citat auctor noster.

Regula sancti Aureliani episcopi est illius Aureliani episcopi Arelatensis successoris Auxanii, cujus decessor fuit sanctus Caesarius, ut habetur in epistola Vigilii papae ad

episcopos Galliae: «Unde, quia dudum Auxanio quondam Arelatensis civitatis antistiti vicum nostrarum sollicitudinem dederamus, sed cursum vitae praesentis implendo de hac luce migravit: in cujus loco Aurelianus frater noster noscitur successisse.» Duas ei scripsit epistolas Vigilius papa, alteram qua ei suas vices in Gallia delegat; alteram, qua eum certum facit nihil a se contra fidem [Col. 0710D] quatuor conciliorum generalium et decreta Romanorum pontificum in causa trium Capitulorum factum. Subscripsit Aurelianensi concilio quinto, anno Domini 549, sub Childeberto rege. Apud Smaragdum scribitur, ubique, *Aurelius:* sed mendum est manifestum. Nam in epistolis et concilio citatis, et apud Trithemium, de Proprietate monachorum, cap. 5, semper scribitur *Aurelianus, atque etiam in codice ms.* Concordiae nostrae, uno aut altero loco exceptis. Ratio autem cur hunc Aurelianum hujus Regulae faciamus auctorem, haec est, quia Regula quae in hac Concordia citatur sub nomine Aureliani episcopi majori ex parte sumpta est ex Regula sancti Caesarii Arelatensis episcopi, etiam iisdem verbis saepe transcriptis, quemadmodum suis locis a nobis observatum est. Scripsit autem duas Regulas sanctus Aurelianus, alteram sanctimonialibus, ut videre est apud Trithemium, lib. de Proprietate monachorum, cap. 5: «Aurelianus episcopus in Regula ad moniales, [Col. 0711A] «capitulo tertio, sic dicit: Nihil occulte accipiatis; sed «si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento «aut in auro, vel aliud quodcunque dederit aut «transmiserit, in potestate sit abbatissae,» etc.; quae verba ita citantur in hac Concordia mutato feminino genere personarum in masculinum pro more auctoris nostri. Cap. 60: «Nihil occulte accipiatis: sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit abbatis, etc.» Alteram monachis, ut planum est ex cap. 69 Concordiae, ubi haec habentur ex Regula sancti Aureliani episcopi: «Nullus honorem presbyterii aut diaconatus accipiat, praeter abbatem. Si voluerit ordinari presbyterum et unum diaconum et subdiaconum quos ipse voluerit, ordinandi habeat potestatem; si vero Deo propitio ita profeceritis, ut aliquis ex vobis ad episcopatum petatur, ipse solus egrediatur.» Quae quidem verba nullatenus monialibus convenire possunt.

Regula sancti Ferreoli a Trithemio capite laudato [Col. 0711B] citatur sub nomine sancti Ferreoli episcopi et martyris. Sed duos lego martyres Ferreolos, non tamen episcopos: alterum qui Vesuntione, alterum qui Viennae passus est; alios duos Ferreolos historiae commemorant, episcopos quidem, sed non martyres: alterum Lemovicensem, de quo sanctus Gregorius Turonensis lib. V, cap. 28, qui subscripsit concilio Matisconensi II sub Guntranno rege; alterum Uceticensem seu Uceciensem in prima Narbonensi, nepotem et successorem sancti Firmini Uceciensis episcopi, ut habetur in ejusdem Firmini Vita ms., nullum vero episcopum et martyrem. Hujus Regulae auctor se in praefatione episcopum nominat, et multis locis hujus Concordiae ita appellatur. Ex his igitur duobus Ferreolis episcopis probabilius est Uceciensem hujus Regulae esse auctorem. Stylus enim hujus Regulae aliarum stylis praestat, sanctus vero Ferreolus Uceciensis fuit vir litteratus, qui epistolas instar Sidonii composuit, teste Gregorio Turonensi, lib. VI Hist., [Col. 0711C] cap. 8. Praeterea hic Ferreolus dedicat suam Regulam Lucretio episcopo, qui sane nullus videtur alius esse quam Lucretius episcopus Deensis, ut suo loco dicetur. Cum enim Ucecia sit in prima Narbonensi non procul a Rhodano, nec adeo remota a Dea civitate sita in provincia Viennensi; civitas vero Lemovicum remotissima, quippe quae jaceat in prima Aquitania; Ferreolum Uceciensem familiarem

fuisse Lucretio episcopo Deensi, quam Ferreolum Lemovicensem credibilius est. Hi autem tres episcopi eodem tempore floruerunt.

Regula sancti Isidori episcopi est Magni illius Isidori Hispalensis episcopi, quae exstat inter ejus opera Coloniae edita 1617. Hanc recenset inter sancti Isidori scripta sanctus Braulio episcopus Caesaraugustanus: «Monasticae Regulae librum unum quem pro patriae usu et invalidorum animis decentissime temperavit.» Non multum differt a sancti Benedicti Regula.[Col. 0711D]

Regula sancti Fructuosi duplex hic citatur: altera Magni illius Fructuosi pontificis Bracarensis, quae complectitur quinque et viginti capita, ut est in codice ms. abbatiae Crassensis, cujus primum caput ita incipit: *Post dilectionem proximi.* Id satis notum est ex cap. 18 ejusdem Regulae, in quo statuitur una Quadragesima jejunanda ante festum sanctorum Justi et Pastoris: quam sane instituit sanctus Fructuosus, quia suum monasterium dedicatum erat sub patrocinio horum sanctorum martyrum, quod ideo Compluticum appellatum est, quia dicti martyres Compluti passi sunt, ut habetur in Fructuosi Vita, quae ex membranis exiit a Prudentio Sandovaldo episcopo Pampilonensi. Floruit anno 656. Altera Regula est cujusdam alterius Fructuosi, qui in hac Concordia a superiori distinguitur, etsi interdum hi duo Fructuosi exscriptoris incuria confundantur. Quis [Col. 0712A] autem sit alter hic Fructuosus, non mihi plane compertum est. In Chronico sancti Maximi Caesaraugustani episcopi ad annum 569, fit mentio cujusdam Fructuosi abbatis Constantinae in agro Bracarensi; «Sanctus Fructuosus Benedictinus abbas floret Constantinae in agro Bracarensi sancti Romani, de quo supra, discipulus.» Quis sit autem hic Romanus, declarat idem Chronicon ad annum 568: «Sanctus Romanus, abbas, sancti Lupicini frater, natione Gallus, veniens ad Hispanias, aliqua monasteria condidit, moriturque in agro Aurichensi in Lusitania, oppidoque Pannoniis ejus corpus in pretio habetur et honoratur.» Quod spectat ad hunc Fructuosum, juxta hoc Chronicon, videtur esse alius a sancto Fructuoso Bracarensi episcopo. Primo, quia tantum abbas dicitur; 2o, quia sanctus Fructuosus Bracarensis episcopus nunquam fuit abbas Constantinae, sed Complutici in dioecesi Asturicensi, ut habent ejus Acta: qui et altero multo junior fuit, creatus episcopus Bracarensis anno 656. Sed, ne quid dissimulem, [Col. 0712B] hoc Chronicon, ut inter legendum animadverti, multa continet absurda, et sancto Maximo prorsus indigna. Est enim multis erroribus maculatum a quodam nebulone, qui passim huic Chronico multa inepta adjecit pro sua libidine, ut sunt illa quae hic de sancto Romano citata sunt. Nunquam enim hic sanctus Romanus, frater sancti Lupicini. in Hispaniam venit, neque ibi mortuus est, sed in Gallia, et in eadem regione sepultus est a fratre Lupicino in monticulo supra monasterium Condatiscense, in locis Jurensibus sub Chilperico Burgundionum rege, ut videre est apud sanctum Gregorium Turonensem in Vitis Patrum, cap. 2, sub finem. Fuit tertius Fructuosus episcopus Segoviensis. Haec tamen Regula, ut mihi videtur, potius tribuenda est sancto Fructuoso abbati Constantinae: fere sequitur Regulam sancti Benedicti.

Regula sancti Columbani est magni illius Columbani primo Luxoviensis abbatis in Burgundia, [Col. 0712C] deinde Bobiensis in Italia. Sub nomine hujus Regulae multa hic citantur ex Poenitentiali sancti Columbani, quod exstat ms. in bibliotheca Floriacensi,

et citatur a Trithemio capite supra laudato libri de Proprietate monachorum. Vitam sancti Columbani luculente scripsit Jonas; cujus etiam meminit in Vitis sancti Eustasii abbatis Luxoviensis, sanctorum Attulae et Bertulphi abbatum Bobiensium. Mentio fit etiam in Vitis sancti Galli et sancti Magnoaldi. De eo etiam agunt Fredegarius, cap. 36 Chron.; Aimoinus, lib. III de Gestis Franc., cap. 95, et Appendix ad sanctum Gregorium Turonensem.

Regula Donati appellatur Regula a Donato collecta, quia ex multis Patrum Regulis conflata est, maxime ex Regulis sanctorum Caesarii, Benedicti et Columbani, ut suis locis notavi Inter plures Donatos sanctitate insignes unus celebris est monachorum Pater; qui ex Africa trajiciens venit in Hispaniam, ubi Sirvitanum monasterium aedificavit, diciturque [Col. 0712D] prior monasticam observantiam et regulam in Hispaniam intulisse, ut scribit sanctus Hildefonsus lib. de Viris illustribus, cap. 4. De eo agit Joannes Biclariensis in Chronico ad annum 572, et sanctus Maximus Caesaraugustanus in Chronico ad annum 575: «Sanctus Donatus, qui Regulam Eremitarum sancti Augustini locupletiorem mitioremque primus in Hispaniam invexit, et in agro Setabitano monasterium Sirvitanorum construxit: et verborum meritis et miraculis abunde nobilitatus migrat ad Dominum, coliturque Kalendis Novembris.» Sed nonnulla hic videntur addititia. Nullam enim sanctus Augustinus composuit Regulam Eremitarum: nec, si composuisset, eam mitiorem fecisset sanctus Donatus
@ Vide Bellarmin. de Scriptoribus ecclesiasticis.. Quinimo olim sancti Donati discipuli in Hispania graviter impugnabantur, eo quod austeriori vitae animum adjungerent; quod non contigisset, si sanctus [Col. 0713A] Donatus Regulam mitiorem in Hispaniam invexisset. Id satis patet ex Eutropii Valentini episcopi epistola ad Petrum episcopum, quam, cum esset abbas Sirvitanus, scripsit de districtione monachorum, in qua austeriorem monachorum vitam adversus impugnatores defendit. Quod frustra fecisset, si ejus praedecessor sanctus Donatus Regulam Eremitarum mitiorem fecisset. Hujus epistolae mentionem facit sanctus Isidorus lib. de Viris illustribus, cap. 45, exstatque ms. in bibliotheca Floriacensi. Praeterea tanti fuit olim nominis apud omnes nationes beatus Augustinus, ut, si ejus Regulam, etsi non mitiorem, advexisset in Hispaniam sanctus Donatus, ne quidem ullus adversus eum ejusque discipulos hiscere ausus fuisset. Tandem sanctus Donatus non fuit Eremitarum, sed monachorum coenobitarum Pater; ipse enim cum septuaginta monachis in Hispaniam trajecit, quibus monasterium Sirvitanum subsidio et ope Micineae illustris feminae aedificavit, ut docet sanctus Hildefonsus capite citato. Haec fusius [Col. 0713B] prosecutus sum, ut ostenderem quam futilibus ineptiis a nescio quo hoc sancti Maximi Chronicon conspersum fuerit. Fuit alius Donatus sancti Columbani in baptismo filius, archiepiscopus Vesontionensis. Libenter hanc Regulam Donato Afro tribuerem, nisi multis annis ei sanctus Columbanus superstes fuisset, vix, dum vixit, Hispanis notus. Quare si ejusmodi Regulam sancto Donato Vesontionensi archiepiscopo addixerim, non multum abs re erit, cum ille monachus fuerit, et monasterium sub Regula sanctorum Benedicti et Columbani aedificaverit, ut habetur in fragmento Vitae illius apud Chiffletium lib. II de Archiepiscopis Vesontionensibus.

Regula Magistri ita appellatur in hac Concordia, quia in ea discipulus interrogat, et magister respondet. Exstat in veteri codice ms. bibliothecae Corbeiensis sine auctoris

nomine quinque et nonaginta capita complectens, inter quae omnia fere capita Regulae sancti Benedicti recensentur. Hic Pater non [Col. 0713C] raro usurpat sancti Benedicti sententias integras et ipsamet verba, interdum ab eo dissentit, et quae a sancto Benedicto generaliter statuta sunt, specialius ab eo saepe ordinantur. Codex autem citatus videtur esse scriptus circa annum Domini septingentesimum primum. Nam ad calcem illius exstat catalogus Romanorum pontificum scriptus eadem manu litteris quadratis, desinitque in Joanne sexto, qui sedit anno septingentesimo primo. Haec Regula magna cum simplicitate, fervore et regularis observantiae cura procedit. Auctor illius juxta Trithemium, lib. et cap. citatis, est Vigilius abbas et diaconus: «Vigilius quoque diaconus et abbas in capitulo 33 suae Regulae sic loquitur: «Si quid peculiare apud aliquem in- «ventum fuerit, grandi eum abbas et diuturna ex- «communicatione condemnet, ut illius exemplo de- «territi omnes, nullus hoc audeat imitari.» Quae quidem verba exstant in Regula Magistri, cap. 82, ubi agitur de peculiaritate monachorum: ita ut citatio [Col. 0713D] Trithemii sit in notis arithmeticis mendosa. Gennadius in Catalogo scribit de quodam Vigilio diacono, qui etiam monachorum Regulam composuit: «Vigilius diaconus composuit ex traditione Patrum monachorum Regulam, quae in coenobio ad profectum fratrum in conventu legitur, breviato et aperto sermone totius monasticae perfectionis in se [Col. 0714A] tenentem disciplinam.» Sed puto hos Vigilios esse distinguendos. Nam hic Gennadii Vigilius aperto et breviato sermone Regulam scripsit, at hic Magister seu Vigilius Trithemii longo, obscuro atque perplexo, cum vix Latine loqui possit. Vigilius Gennadii vixit circa annum Domini 440, ante tempora Gennadii, at Vigilius Trithemii vixit post sanctum Benedictum; nam multa a sancto Benedicto, ut dixi, emendicat, quae a reliquo ejus sermone rudi et scabro longe discrepant. Vixisse videtur circa tempora Clodovaei secundi, Francorum regis, non multo post sanctum Gregorium Magnum, quia utitur vocabulo *majoris domus, quod tunc maxime erat in usu.* Gallus fuit, aut certe aliquandiu in Gallia vixit, quia phrasis illius Gallicum idiotismum sapit, et quaedam vocabula habet a Gallis usitata. Suspicarer esse sanctum Benedictum Biscopium Anglum; sed amplius quaerendum est.

Regula cujusdam duplex est. Quae prior citatur, est mihi prorsus incognita quoad auctorem illiusque [Col. 0714B] tempus quo scripta sit. Altera, quae secunda post illam citatur, est veluti quaedam Regulae sancti Benedicti paraphrasis. Illius auctor appellatur a Trithemio, libro et cap. citatis, *servus Dei.* Nam ibi citat quaedam ex Regula *servi Dei, quae habentur in hac secunda Regula cujusdam, in cap.* 42 Concordiae, ut ibidem notavimus. Haec Regula ad usum sanctimonialium scripta est, ut liquet ex eodem Trithemio; ita ut existimem ejusmodi Regulam nihil aliud esse quam Regulam sancti Benedicti ad usum sanctimonialium accommodatam, etsi nostrae Concordiae auctor pro suo more femininum genus in masculinum mutaverit. Cum autem multi fuerint nomine *servi Dei nuncupati, quis illorum hujus Regulae scriptor fuerit non constat:* videtur tamen non multo post sancti Gregorii Magni tempora vixisse. Citantur insuper capitulum unicum ex Jona abbate de Vita sanctae Burgundoforae, unum ex divo Gregorio Nazianzeno, unum ex Cassiodoro in psalmos, quaedam etiam ex [Col. 0714C] divo Hieronymo, divo Augustino et Beda, et quaedam capitula Caesariae, de qua dicetur suo loco.

Citatur praeterea caput unicum ex sancto Valerio de generibus monachorum. Hic

Valerius natione fuit Hispanus, civitate Asturicensis (ut ipse scripsit in sua Vita, quam refert Prudentius Sandovaldus prima parte fundationis monasteriorum, n. 3). Appetiit monachatum in monasterio sancti Fructuosi Complutico; sed quibusdam de causis, quas non profert, a proposito deterritus secessit in montem Vergidum, in solitudinem juxta castrum sancti Petri. Varie exagitatus saepe mutare sedes coactus est. Tandem per multas tempestates viginti annis varie tentatus et vexatus conquievit in oratorio sancti Petri, aedificato olim a sancto Fructuoso in solitudine Vergidi. Sed quia litteratus erat, Isidorus episcopus Asturicensis eum inde abstractum Toletum secum ducere voluit invitum; quod tamen morte interveniente episcopi minime perfectum est. Varia opuscula composuit. [Col. 0714D] Floruit circa annum Domini 675. Quod autem dicta sancti Valerii a nostro auctore citata sint hujus Valerii, ex illius verbis clarum est: «Et cum in ista ultimae extremitatis occiduae partis confinia rara videlicet et exigua pullularent sacrae religionis crepundia.» Quae verba homini Hispano eoque Asturicensi plane conveniunt.

[Col. 0713D]

CONCORDIA REGULARUM PATRUM. PRAEFATIO. (Benedictus Anianensis)

BENEDICTUS ultimus abbatum, abbatibus et monachis omnibus in Deo Christo salutem.

@ *Dum communi.* Hac epistola auctor hujus Concordiae sanctus Benedictus Anianensis alloquitur omnes monachos, maxime Occidentalis Ecclesiae, quatuorque praestat. Primo, occurrit quorumdam remissorum monachorum objectioni, qui dicturi essent nihil ad se hunc librum attinere, qui tantum in sancti Benedicti Regulam, non in alias jurassent; 2o suum propositum, totiusque operis rationem aperit; 3o causam reddit propter quam se ad hoc opus accinxerit; aitque se charitatis impulsu, non vanae gloriae motu opus aggressum; 4o mercedis nomine lectoris poscit orationes. Dum communi utilitati consulens attentius quae rerem quomodo utilius possem cunctis prodesse, [Col. 0715A] coepi sanctorum Vitas regulasque legere Patrum. Quas dum sagaci intentione percurrerem, et eadem pene, quae a sancto Benedicto prolata sunt, verba in quibusdam locis, in quibusdam vero sensum eumdem cognoscerem, occurrit animo ea quae a tepidis segnibusque monachis dici assolet. Quid caeterae huic conferunt regulae? Quid ad me,

@ [Col. 0715C] *Quas non promisi.* Cum hic auctor noster omnibus monachis saltem Ecclesiae Occidentalis loquatur, quidamque tepidiores opponant se solam sancti Benedicti Regulam vovisse, alias, quae in hoc opere continentur, ignorare; planum est solam sancti Benedicti Regulam tempore hujus Concordiae auctoris, hoc est, Caroli Magni et Ludovici Pii a monachis Ecclesiae Occidentalis observatam esse: alioqui epistolae dedicatio auctorisque objectio ineptae essent. quas non promisi, pertinet legere? et haec quidem dicunt ignorantes beatum Benedictum

@ [Col. 0716B] *Suam a caeteris Regulam assumpsisse.* Nempe ab iis qui ante eum vixerunt, ut a sancto Pachomio, Basilio, Cassiano, etc. Nam hic citantur Regulae quorumdam Patrum qui aetate sunt sancto Benedicto posteriores; ut sunt sanctus Isidorus,

Fructuosus uterque, sanctus Columbanus, et nonnulli alii, ut ex supra dictis clarum est. suam a caeteris assumpsisse Regulam, et veluti ex manipulis unum strenue contraxisse manipulum. Quapropter, seu propter eos qui eas habentes ignorant quibus in locis sit eorum concordia, placuit omnes ex omnibus in unum coarctari sententias quae cum Patris Benedicti concordare noscuntur Regula, quatenus unus [Col. 0715B] ex multis collectus existeret codex. Ita duntaxat ut beati Benedicti praecederent, quibus sequentes caeterae necti possent. Quamobrem *Concordiae Regularum hic liber sortitus est nomen.* Noverint tamen omnes qui hunc lecturi sunt librum, quoniam non vanae laudis instinctu, nec arrogantiae fastu, quasi meum post in toto orbe diffusam doctrinam in arenti [Col. 0716A] rivulo cupiens ostendere nomen; sed dilectionis affectu, animae meae omniumque legere cupientium salutis augmento a me esse coeptum. Qua de re testem invoco non mei solummodo, sed omnium cordium cognitorem: quoniam ipse novit me non tumoris, sed charitatis causa hoc opus egisse. Quem totis viribus sedulo deprecor, ut, qui se daturum pro calice aquae frigidae mercedem promisit, meorum saltem pro hoc exiguo opere remissionem tribuat omnium peccatorum. Vos vero omnes, qui hunc audituri, lecturique estis librum, supplex exoro ut dum ex vobis spiritalia sumpseritis mella, pro meis reatibus Domino non dedignemini fundere precem: quatenus, dum vobis propriis laboribus merces largietur aeterna, meorum vel mihi vestro [Col. 0716B] suffragio detur remissio peccatorum. Sumite ergo gratanter a nobis utilem vobis contractum libellum. Siquidem invictam robustis condidimus turrem, eamque praeclaris munivimus armis; invalidis vero multigenis ex floribus nectare assumpto lucidum depinximus favum.

Explicit praefatio.

[Col. 0715C]

ITEM PRAEFATIO.

@ [Col. 0715D] *Arbiter ut mundi.* Altera praefatio est versibus conscripta, in quibus non semper servatur quantitas syllabarum. In hac autem praefatione scribit quod quemadmodum Deus creavit solem et lunam ad depellendas tenebras, sic cum homo peccatis obscuratus fuisset, misit alterum solem, nempe Christum, qui Ecclesiam illuminavit; in qua primo fulsere apostoli, tum martyres, tandem monachi et anachoretae, qui non modo virtutis splendore, sed etiam scriptorum suorum luce nobis viam ad coelum munierunt. Ex quorum scriptorum floribus dicit se sertum composuisse, et Regularum Concordiam appellasse, quo horum sanctorum Patrum unam fidem unamque mentem fuisse ostenderet. Tandem subjungit epilogum, quo abbates et monachos ad hujus libri lecturam hortatur; quem sequitur oratio. Arbiter ut mundi tenebras depelleret omnes, Sidus ab Eoo jussit consurgere; cujus Luce peropacae fugiunt ex orbe tenebrae, Multigenaeque simul micuere per aethera stellae. Quas lustrare suo jussit ex lumine noctes Ne frustra pateant oculi sine lumine nostri. Fulsit et extemplo pandens sua cornua luna, Nec mora
@ [Col. 0716D] *Lucifugae.* Scilicet tenebrae. lucifugae fugiunt per concava terrae,

Expavere quidem rutilantia sidera coeli.[Col. 0715D] Caecus erat mundus, paradisi gaudia postquam Perdiderat gestans tetras in corde tenebras, Nec oculis lucem poterat intendere clausis Luce quidem vacuus, male sanus, daemone plenus. Has tamen ut tenebras superus discinderet omnes, Fulgidus in carne patuit sol verus Eoi.

@ [Col. 0716D]

Ecclesiae. Haec ita distinguenda sunt:

Ecclesiae splendere jubar jubet, alta polorum Ut petat, edocuit, typice quae luna vocatur. Et *luna vocabulum ad* τὸ *Ecclesiae est referendum,* hoc modo, *Ecclesiae, quae typice luna vocatur, jubet splendere jubar:* edocuit, ut petat alta polorum. Est hyperbaton. Ecclesiae splendere jubar jubet, alta polorum Ut petat, edocuit, typice quae luna vocatur. Surgit et exinde nimium sat turba beata, Coetus apostolicus reboans per compita mundi[Col. 0716D] Verba Tonantis. Et exsurgit

@ *Post denique fulgens, etc.* Martyres intelligit. post denique fulgens[Col. 0717A] Astrigerus ordo roseo vestitus amictu: Sanguine quippe suo rutilans, quem fundere Christi Fecit amor

@ [Col. 0717B] *Sacrus.* Pro *sacer.* Glossae veteres: θεῖος τόπος, *sacrus, sacer, locus videlicet sacrus.*

@ [Col. 0717B] *Patuit post millia mille exsuperans numerum, etc.* Intelligit monachos et anachoretas. Patuit post, millia mille Exsuperans numerum niveo qui micat amictu Ordo beatus iter gradiens quod tendit ad astra,

@ [Col. 0717B] *Ibicibus.* In Concordia ms. codicis Vindocinensis legitur *Obicibus.* Male. Ibices sunt capreae mirandae admodum pernicitatis. De quibus Plinius, lib. VIII, cap. 53: «Sunt capreae, sunt rupicapreae, sunt ibices pernicitatis mirandae, quanquam oneratae capite vastis cornibus, gladiorumque vaginis. In haec se librant, ut tormento aliquo rotati in petras potissimum e monte aliquo in alium transilire quaerentes atque recussu pernicius, quo libuerit, exsultant.» Comparantur monachi ibicibus juxta illud Cant. cap. II: *Similis dilectus meus capreae hinnuloque cervorum.* Sunt etiam ibices aves streperae et clamosae. Ἴβιξ εἶδος ὀρνέου κρακτικοῦ. Id est, ibix species avis streperae, unde verbum ἰβυκνίσαι; quod per metaphoram significat buccinare, docet Etymologicon vetus. Ibicibus similis temnens morientia cuncta, Et deserta petens, recubans in montibus altis, Aut profunda nimis retinens confinia vallis Mortificare semet cupiens; ut scandere coelum Posset, et angelicis junctus per saecula Christum Conlaudare choris dulci modulamine cantans. Hic opere verbisque suis documenta salutis Demonstravit ovans cunctis, qui regna polorum Scandere quantocius satagunt. Nam multa libellis Conscripsere quidam, potius quos ordo beatus[Col. 0717B] Eximios tenuit, docuit quos maxime Christus Qui pandunt iter astrigerum, qui gaudia vitae Vocibus excelsis reboant, ut terrea linquant Mortales homines: valeant ut vivere semper. Vir Benedictus et Isidorus, Basilius exstant Eximii, quorum renitent sat dicta per orbem.[Col. 0718A] Ex quorum documentis hos decerpere flores Multigenos placuit, unoque scribere libro, Florigerum veluti monachis depingere sertum, In quo valde rosae rutilant, et lilia candent, Ac violae fulgent, redolent vernantia quaeque. Jam quidquid docuere Patres concorditer, atque Verius ut fatear,

@ [Col. 0718B] *Eadem simul unus et ipsa, etc.* Id est, eadem verba, unus sensus non divisus,

etsi dispar, nempe pro varietate sententiarum. eadem simul unus et ipsa Verba, licet sensus dispar, non scinditur unus, Una tenet patria, trames qua duxit et unus, Dicimus ergo libri nomen *Concordia rite.* Sumite, coelicoli Patres, haec munia Patrum. Sumite haec, monachi, monita, quae

@ [Col. 0718B] *Regula sancta.* Id est, Regula sancti Benedicti. Ita appellatur a Paulo diacono, aliisque auctoribus, ut alias docuimus. *Regula sancta Vos monet assidue;* pavido ne corde fugaces Avia sectetis barathri, quod tendit ad ima: Haec est vera via; porgit haec pocula vitae[Col. 0718B] Pabula dulciflua melle, quae dulcius exstant, Haec tribuit codex, tribuit sine fine beate Vivere cum Christo, dignasque promere grates. Te, Trinitas, rogito, nobis iter esto salutis, Ut te dante tuo valeamus vivere regno.

[Col. 0717D]

INCIPIT LIBER.

CAPUT PRIMUM. DE CONCORDIA REGULARUM.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI *(cap. ult.). Quod non omnis observatio justitiae in hac sit Regula constituta.*

@ [Col. 0717D] *Regulam autem.* Quispiam fortasse quaeret cur hujus Concordiae auctor ultimum Regulae sancti Benedicti caput huic suae Concordiae praefixerit; et id quod est Regulae epilogus, operis sui voluerit esse praeludium. Verum, cum auctor noster Regulam sancti Benedicti cum aliorum Patrum institutis conferre in hoc opere instituerit, non abs re fuit hoc ultimum Regulae caput huic libro praeponere; in quo etiam sanctus Benedictus Regulam suam cum aliorum Patrum institutionibus monachicis contulit, ea nimirum ratione, ut eam illis postponeret; etsi illorum vestigiis, quantum maxime potuerit, institerit, quemadmodum hic auctor noster demonstrare contendit, qui et hoc praesens caput in lemmatum recensione Concordiam Regularum appenat. Dici etiam potest: quia suos ad illas institutiones remittit sanctus Benedictus. Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis

@ [Col. 0718D] *Aliquatenus vel honestatem morum.* Haec per extenuationem humilitatis gratia dicta sunt. Nam longe excellentiorem perfectionem sancti Benedicti Regula complectitur. aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Caeterum ad perfectionem conversationis

@ [Col. 0718D] *Qui festinant.* Subaudi, *iis.* Hoc modo: *iis, qui festinant.* Est hellenismus. qui festinant, sunt doctrinae sanctorum Patrum, quarum observatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis.

@ [Col. 0718D] *Quae enim pagina, etc.* Haec non dicta sunt per elevationem, seu extenuationem, sed res ita est ut verba sonant. Nemo est enim adeo ab omni judicio aversus qui sancti Benedicti Regulam divinis illis oraculis aequiparare velit. Quae enim pagina, aut quis sermo divinae auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti non est rectissima norma vitae humanae? [Col. 0719A]

@ [Col. 0719B] *Aut quis liber sanctorum catholicorum, etc.* Hic textus profertur ab Ivone Carnotensi, IV parte Decreti, cap. 88. Quod attinet ad sensum illius, si spectes

aliquorum sanctorum Patrum libros, certum est Regulam sancti Benedicti cum quorumdam Patrum scriptis posse comparari, imo illis praeponi: et haec verba quodammodo humilitatis gratia esse dicta. Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum?

@ [Col. 0719C] *Necnon et Conlationes, etc.* Si Collationes, instituta et vitae sanctorum Patrum in universum spectentur, dubium non est quin eis Regula sancti Benedicti cedere debeat. Certe multa videmus apud Palladium, Cassianum, Severum Sulpicium, Joannem Moschum, sanctum Pachomium et alios antiquos vitae asceticae Patres altioris perfectionis, quam ea quae a S. P. Benedicto praescribuntur: ut sunt assiduus labor, oratio continua, quotidiana jejunia, parcissimus cibus, silentium fere perpetuum, inclusio, vigiliae longiores, brevis somnus, chameuniae, vestis cilicina, vini carentia, crudorum et siccorum esus, et similia, quae praecellentioris sunt perfectionis iis quae in hac Regula statuuntur. Divus enim Benedictus cum videret paucos ad sublimem illam priscorum Patrum perfectionem posse pertingere, sancti Spiritus impulsu Regulam discretione praecipuam, ut loquitur sanctus Gregorius, condidit, eamque veterum Patrum austeritate temperata hominum imbecillitati accommodavit. Nihilominus tamen si ad particularia Regulae veniamus, multa sane in ea reperire est quae veterum Patrum institutis haudquaquam inferiora sunt; ut duodecim humilitatis gradus, perfecta obedientia, etiam in his, quae impossibilia sunt, instrumenta bonorum operum, et multa alia quae eam pervolvendo observare licet. Nec non et Conlationes Patrum: sed et Regula sancti Patris nostri Basilii quid amplius sunt, nisi bene viventium et obedientium monachorum

@ [Col. 0719D] *Instrumenta virtutum.* Ita in mss. S. Germ. et S. Faronis et apud Ivonem. At vulgo cum Smaragdo et sancto Dunstano legitur, *Exempla et instrumenta virtutum.* instrumenta virtutum?

@ [Col. 0719D] *Nobis autem desidiosis.* Est extenuatio humilitatis causa. Nobis autem desidiosis et male viventibus, aut negligentibus, rubor confusionis est. Quisque ergo ad patriam coelestem festinas,

@ [Col. 0719D] *Hanc minimam inchoationis Regulam.* Est etiam extenuatio. Dicitur autem Regula sancti Benedicti inchoatio, quia si ad amussim observetur, facilis erit ad sublimem priscorum Patrum perfectionem aditus, qui patuit summis illis monachicae vitae coryphaeis, Mauro, Placido, Bonifacio archiepiscopo Moguntino, Anselmo Cantuariensi, Oddoni Cluniacensi: et innumeris aliis, seu martyribus, seu confessoribus, qui ab ipsa sancti Benedicti Regula auspicati, eamque studiose observantes virtutum sublimitate et excellentia antiquis illis Patribus haudquaquam inferiores fuere. Quod quidem impensius notandum est: nec sine causa a sancto Benedicto scriptum. hanc minimam inchoationis regulam descriptam adjuvante Christo perfice: et tunc demum ad majora, quae supra commemoravimus, doctrinae virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies.

@ [Col. 0720C] *Facientibus haec, etc.* Haec clausula non exstat in cod. ms. S. Far., neque in editionibus Coloniensi, Parisiensi vetustissima, et Colmaei, neque apud Smaragdum, sanctum Dunstanum, et Turrecrematam. Nihilominus exstat in Concordia ms. monasterii Sanctae Trinitatis de Vindocino, atque in aliis mss. nostris codicibus, et in vulgatis editionibus. Facientibus haec regna patebunt

@ [Col. 0720C] *Superna.* In parvo codice ms. S. Victoris legitur, *aeterna.* superna.

§ II.---*Item ex eadem Regula* (cap. 1).
@ [Col. 0720C] *Tertium vero monachorum teterrimum genus est.* In codice ms. Floriacensi caetera hujus capituli desunt, et sequentia capitula et maxima pars prologi Regulae sancti Benedicti usque ad haec verba, *Evangelii pergamus, quae supplevi ex Concordia ms.* cod. Vindocinensis. Hic autem locus et sequentes, sumpti ex Regula sancti Benedicti proferuntur ab auctore nostro, ut repudiatis imperfectorum monachorum moribus moribus vitam nostram ad antiquorum Patrum instituta componamus. Tertium vero monachorum teterrimum genus [Col. 0719B] est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientia magistri, sicut aurum fornacis, et caetera.

§ III.---*Item ex eadem Regula* (cap. 7).

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla.

§ IV.---*Item in eadem Regula* (cap. 18).

Dum quando legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenue implevisse, quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.[Col. 0720A]

§ V.---*Item ex eadem Regula* (cap. 40).

Licet legamus vinum monachorum omnino non esse: sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus ut non usque ad satietatem bibamus.

§ VI.---*Item ex eadem Regula* (cap. 48).

Si autem aut necessitas loci, aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia vere tunc monachi sunt, si labore manuum suarum vivant, sicut et Patres nostri et apostoli.

§ VII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 49).

Licet omni tempore vita monachi Quadragesimae debeat observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, etc.[Col. 0720B]

§ VIII.---EX REGULA ISIDORI.
@ [Col. 0720D] *Plura sunt praecepta.* Haec habentur in praefatione Regulae excusae sancti Isidori Hispalensis episcopi, quae exstat inter ejus Opera. Plura sunt praecepta vel instituta majorum quae a sanctis Patribus sparsim prolata reperiuntur, quaeque etiam nonnulli altius vel obscurius posteritati composita tradiderunt. Ad quorum exemplum nos haec pauca vobis eligere ausi sumus, ut
@ [Col. 0720D] *Ut sermone plebeio, etc.* Lege ut in excusa Regula: «Usi sermone plebeio et rustico, ut quam facillime.» sermone plebeio vel rustico quam facillime intelligatis quo ordine professionis vestrae
@ [Col. 0720D] *Morem retineatis.* In excusa, *Votum retineatis.* morem retineatis. Praeterea

quisquis vestrum illam universam veterum disciplinam contendit appetere, pergat, in quantum placet, et

@ [Col. 0720D]

Arduum illum limitem. Limes est via, callis. Plautus in Poenulo.

Si male dicetis vostra gradiar limite. Silius Italicus, lib. XV:

At si me comitare, puer, non limite duro Jam tibi decurret concessi temporis aetas. arduum illum limitem atque angustum [Col. 0721A]

@ [Col. 0721B] *Levigato cursu.* Id est, facili, plano, non scabroso. levigato cursu incedat. Qui vero tanta jussa priorum explere nequiverit,

@ [Col. 0721B] *In hujus limitis disciplinam gressum ponat.* In Regula excusa: *In hujus limite disciplinae gressus constituat.* Hoc loco innuit sanctus Isidorus Regulam ad captum imperfectorum et infirmorum a se compositam fuisse; quod confirmatur auctoritate sancti Braulionis episcopi Caesaraugustani, cum agit de scriptis sancti Isidori: «Monasticae regulae librum unum, quem pro patriae usu et invalidorum animis decentissime temperavit.» in hujus limitis disciplinam gressum ponat, neque ultra declinandum studeat: ne, dum

@ [Col. 0721C]

Delicatius. In Regula excusa: *Declinatus.* Lege, *declinatius.* delicatius appetit inferiora, tam vitam quam nomen monachi perdat. Quapropter sicut illa praecepta priorum

@ [Col. 0721C] *Perfectum reddunt.* In Regula excusa, *Perfectum monachum reddunt.* perfectum reddunt, ac summum, ita facient ista vel ultimum: illa custodiant perfecti, ista sequantur post peccatum conversi.

@ [Col. 0721C] *Haec igitur, o servi Dei.* Haec usque ad finem capitis in Regula excusa desiderantur. Haec igitur, o servi Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita a vobis volumus custodiri, ut majora praecepta Patrum per omnia conservetis. Suscipite igitur inter illa et hanc commonitionem nostram humili corde custodientes quae dicimus; libenter sumentes quae dispensamus, quatenus et vobis de effectu sit gloria, nobis pro ipsa admonitione proveniat postulata [Col. 0721B] venia.

§ IX.---EX REGULA STEPHANI ET PAULI.

@ [Col. 0721C] *Regulae quoque Patrum.* Hoc caput ultimum est in Regula Pauli et Stephani, ut constat ex serie lemmatum ejusdem Regulae in cod. Flor., in qua ultimum ita habetur: *Quod et Patrum Regulae legantur assidue.* Hoc tamen caput in eodem codice, quia ultimum folium avulsum est, non exstat. Regulae quoque Patrum ideo a nobis assidue leguntur, ut eorum sanctis exhortationibus interiorem accommodantes auditum, et disciplinae concipiamus amorem dulcissimum, et Domino per omnia adjuvante, vitae ipsorum exempla sequamur. Propter quod festinandum, ut a nostris mentibus tepor excludatur inolitus. Nam et haec quae vobis per singula praesenti loquimur scriptura, non in suggillatione [Col. 0722A] sanctorum ac beatissimorum Patrum Regulae ausu temerario

@ [Col. 0721C] *Ad vos.* Lege, *apud vos.* ad vos proferenda praesumpsimus; sed ea tantum

specialiter ex eorum constitutionibus vobis litteris ingerenda curavimus. Plenitudo autem sanctae conversationis et spiritalis vitae perfecta doctrina in eorum sanctorum Patrum Regulis nobis quotidie recitatur,

@ [Col. 0721C] *Quorum.* Lege, *quibus.* quorum et probata vita divino munere et docendi est attributa auctoritas.

§ X.---EX LIBRO ORSIESII.

@ [Col. 0722B] *Haec cuncta replicavi.* Haec videre est in libro Orsiesii edito circa finem. Haec cuncta replicavi, ut sanctorum vitam considerantes non circumferamur omni vento doctrinae: sed laboremus, et eorum conversationem nostrae vitae propositum habeamus ut simus populus peculiaris Dei. Nec contristemus Spiritum sanctum, in quo signati sumus in die redemptionis **(Eph. IV)**, [Col. 0722B] nec illum exstinguamus in nobis, et prophetias contemnamus: ne forsitan volenti Spiritui sancto habitare in nobis non demus locum. Nullum alium timeamus praeter Deum, qui ultor et judex est operum singulorum, et cum sancto sanctus, et cum viro innocente innocens **(Psal. XVII)**.

@ [Col. 0722B] *Ego amantes me diligo.* Proverb. VIII in versione vulgata: *Ego diligentes me diligo;* et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Fere juxta textum Hebraicum. At sanctus Orsiesius locum citat juxta Interpretes Septuaginta: Ἐγὼ τοὺς ἐμὲ φιλοῦντας ἀγαπῶ: οἱ δὲ ἐμὲ ζητοῦντες εὑρήσουσι χάριν. Id est, *ego diligentes me diligo, et me quaerentes invenient gratiam.* Sed aut Orsiesius, aut ejus interpres qui vertit, *gaudium, legisse videtur* χαρὰν, id est gaudium, pro, χάριν, id est gratiam. *Ego amantes me diligo:* et qui me quaerunt, invenient gaudium **(Prov. VIII)**. Et alibi loquitur:

@ [Col. 0722C] *Si ambulaveritis contra me perversi, etc.* Locus habetur Levit. XXVI: *Sin autem nec per haec audieritis me, sed ambulaveritis contra me, et ego incedam adversus vos in furore contrario.* In textu Graeco: Ἀλλὰ πορεύησθε πρός με πλάγιοι, πορεύσομαι κἀγω μεθ' ὑμῶν θυμῷ πλαγίῳ· id est, *et ambulaveritis contra me obliqui, et ego ambulabo vobiscum furore obliquo.* Apud Arnobium in psal. XVII fere juxta Orsiesii interpretem: *Si vero ambulaveritis perversi, et ego vobiscum perversus ero.* Haec autem verba et versiculus psalmi citatus nihil aliud sonant quam quod Deus bonis bonus est, id est clemens; et malis malus, id est severus, ut fuse enarrat Arnobius. *Si ambulaveritis contra me perversi, et ego ambulabo contra vos perversus* **(Levit. XXVI)**.

CAPUT II. PRAEFATIO S. BENEDICTI ET ALIORUM.

[Col. 0723A]

§ I.---PRAEFATIO REGULAE SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0723A] *Ausculta.* Ita vulgo habetur. Codex Vindocinensis habet, *Obsculta.* Quam lectionem defendit Smaragdus, sicut dicitur, obaudi, obtempera, obsecunda. Et certe in praefatione Regulae Magistri scribitur: *qui me obscultas dicentem.* Ausculta,

@ [Col. 0723B] *O fili.* Particula, *O, non habetur in Regula ms.* cod. S. Ebrulphi, et Vict. P. o fili, praecepta

@ [Col. 0723B] *Magistri.* Nempe Spiritus sancti, non Benedicti. Ita explicat Trithemius.

Recte quidem; nam alienum esset ab humilitate sancti Patris Benedicti se magistrum et pium Patrem appellare, maxime cum nulla sit ei hic se laudandi necessitas. Imo ejus humilitati maxime consentaneum, ut ea quae in hac Regula instituit, non sibi, sed Spiritui sancto attribuat. Eadem est explicatio Petri Damiani, opusculo 13, de Perfectione monachorum, cap. 6: «Quod in ipso libri principio manifeste colligitur, si ad quem sua verba Spiritus sanctus dirigit subtiliter attendatur. Spiritum sanctum dico. Neque enim vir sanctus tantaeque cultor humilitatis protinus, ut in verba prorumperet, magisterii cathedram, et praecipue pii Patris privilegium usurparet, dicens: *Ausculta, o fili, praecepta magistri, etc.*» Smaragdus per magistrum et pium patrem intelligit Christum, quod perinde est. Ruthardus ms. Ista omnia indifferenter habenda esse arbitratur. magistri, et inclina aurem cordis tui,
@ [Col. 0723C] *Et admonitionem.* Hic mentio fit admonitionis et praeceptorum. Nam eorum quae in hac Regula continentur quaedam sunt admonitionis, seu consilii, ut vocant, ut demisso capite ubique esse, etc., quaedam praecepti, ut votorum observatio, officii divini recitatio, etc.; qua de re consule sanctum Thomam. Quodl. 1, art. 20, et 1, 2, qu. 186, art. 9, et Joannem a Turrecremata, tract. 5 et 6 in Prologum Regulae. et admonitionem pii Patris libenter excipe, et efficaciter comple: ut
@ [Col. 0723C] *Ad eum.* Spiritum sanctum. Turrecremata legit, *ad Deum.* Hic autem proponitur scopus Regulae sancti Benedicti, nempe ut homo per Adae inobedientiam lapsus, et a Deo aversus, ad eum redeat per obedientiam: ut possit pristinam illam primae innocentiae gratiam, quam genus humanum per Adae praevaricationem in paradiso voluptatis amisit, recuperare. ad eum
@ [Col. 0723D] *Per obedientiae laborem.* Obedientiae labor dicitur, quia propriae voluntati nuntium remittere perdifficile est. Qui se vitae asceticae addicit, per obedientiam ad Deum redire dicitur, quia obedientia est in religione caput. per obedientiae laborem redeas, a quo
@ [Col. 0723D] *Per inobedientiae desidiam.* Est elegans antithesis. Si labor obedientiae est, ita et inobedientiae desidia. Deses et piger est inobediens, qui nihil quod carni adversetur agit, sed semper suis cupiditatibus obsequelam facit. per inobedientiae desidiam recesseras.

Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero regi militaturus, obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis. In primis,
@ [Col. 0723D] *Ut quidquid agendum inchoas bonum, etc.* Per gratiam Dei videlicet. Nam ne vel minimum bonum quis sine Dei gratia inchoare potest. Quantum autem Dei gratiae tribuat sanctus Benedictus satis hoc capite manifestat, cum ait: «Sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum magnificant.» Cum igitur inchoatio boni bonum sit, et sanctus Benedictus palam dicat bona nostra esse a Deo, qui ea in nobis operatur, facile conficitur sanctum Benedictum credidisse ipsam boni inchoationem a Deo manare. ut quidquid agendum inchoas bonum,
@ [Col. 0724B] *Ab eo perfici instantissima oratione deposcas.* Instantissima, id est, ferventi et assidua; qua quidem oratione indigemus ad Dei dona obtinenda: quae, ut magna sunt, non sine assidua oratione impetranda: ne facile impetrata vilescant, ut praeclare monet Faustus Reiensis serm. ad monachos: «*Petite,* inquit, *et accipietis;* quaerite, et

invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Id est, ut petamus orando, quaeramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando: et in spem coelestium promissorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, ut cum praemiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. Non vult Deus noster bona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa et concupiscibilis merces cupidum amatorem et avidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromissor non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum. Lentum enim et parum gratum quaerere gratiam divini muneris maxima est injuria remuneratoris.» ab eo perfici instantissima oratione deposcas: ut qui nos in filiorum numero [Col. 0724A] dignatus est computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei omni tempore

@ [Col. 0724C] *De bonis suis in nobis.* Id est, per bona sua, quae sunt in nobis. Ita autem loquitur sanctus Pater Benedictus, quia bona, per quae Deo parendum et serviendum est, ab ipso Deo manant, ita ut ne quidem ipsi Deo sine Deo servire possimus. de bonis suis in nobis parendum est: ut non solum

@ [Col. 0724C] *Iratus Pater.* Alias, *ut iratus Pater, recte,* quia sequitur, *ut Dominus.* iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam

@ [Col. 0724C] *Tradat ad poenam.* Est antitheton. In serm. 251 D. Augustini de Tempore (si modo illius sit) eadem verba habentur: «Non ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam.» tradat ad poenam, qui eum sequi noluerunt ad gloriam. Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos Scriptura, ac dicente: *Hora est jam nos de somno surgere* **(Rom. XIII)**. Et apertis oculis nostris ad deificum lumen,

@ [Col. 0724C] *Attonitis auribus.* Smaragdus et Turrecremata illud, *attonitis* exponunt, *intentis.* Sed, quid amplius sonare videtur Servius in illud III AEN.,

Talibus attonitus visis et voce deorum. «*Attonitus, stupefactus.* Proprie is attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis et sonitus tonitruum dant stuporem.» Ergo et hoc loco, *attonitis, est, stupefactis, per metaphoram;* quemadmodum enim is qui, excusso somno, ad repentinam lucem stupet attonitus, sic is qui rerum saecularium sopori immersus repente evigilat, ad divinum lumen obstupescit. Et ita hoc vocabulum usurpavit sanctus Paulinus epist. 12, ad Severum:

Attonitis oculis nova lux aperitur.... attonitis auribus audiamus divina quotidie clamans quid nos vox admoneat. *Hodie si* [Col. 0725A] *vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* **(Psal. XCIII)**. Et item: *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis* **(Apoc. II)**. Et quod dicit: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* **(Psal. XXXIII)**. *Currite, dum lucem vitae habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant* **(Joan. XI)**. Et quaerens Dominus in multitudine populi, cui haec clamat, operarium suum iterum dicit: *Quis est homo qui vult vitam,*

@ [Col. 0725C] *Et cupit videre dies bonos.* Ita in Psalterio Romano, quod ubique sequitur sanctus Benedictus. *et cupit videre dies bonos* **(Psal. XXXIII)**? Quod si tu audiens respondeas: Ego; dicit tibi Deus: Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum; diverte a malo et fac bonum, inquire pacem,

@ [Col. 0725C] *Et sequere eam.* Ita in Psalterio Romano. et sequere eam. Et cum haec

feceritis, oculi mei super vos, et aures meae ad preces vestras:
@ [Col. 0725C] *Et antequam me invocetis, etc.* Isaiae LXV: *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Sed adaptat suo textui hunc locum sanctus Benedictus. et [Col. 0725B] antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce ego adsum. Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi. Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae. Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus; ut mereamur eum, qui nos vocavit in regnum suum, videre. In cujus regni tabernaculo si volumus habitare,
@ [Col. 0725C] *Nisi illuc bonis actibus.* Ut haec sententia superiori annectatur, haec subaudienda: *Sciendum est quod.* Hoc modo: «In cujus regno si volumus habitare, sciendum est quod nisi illuc bonis actibus curratur, minime pervenitur.» nisi illuc bonis actibus
@ [Col. 0725D] *Curratur,* vulgo, *currendo.* curratur, minime pervenitur. Sed interrogemus Dominum cum Propheta, dicentes ei: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo* **(Psal. XIV)**? Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, dicentem: *Qui ingreditur* [Col. 0725C] *sine macula, et operatur justitiam.* Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Qui non fecit proximo suo malum, qui opprobrium non accepit
@ [Col. 0725D] *Adversus proximum suum.* Ita apud Smaragdum ut in Psalterio Romano, juxta textum Hebraicum על קרנו *aal kerono.* In versione communi, *adversus proximos suos. adversus proximum suum.* Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione [Col. 0726A] sua a conspectibus cordis sui deduxit ad nihilum, et parvulos cogitatus ejus tenuit et allisit ad Christum. Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* **(Psal. CXIII)**. Sicut nec Paulus apostolus de praedicatione sua sibi aliquid imputavit dicens: *Gratia Dei sum, id quod sum* **(I Cor. XV)**. Et iterum, *qui gloriatur, in Domino glorietur* **(I Cor. I)**. Unde Dominus in Evangelio ait:
@ [Col. 0725D] *Qui audit verba mea, etc.* Hic locus non videtur ad rem. Nam quaestio est de inani gloria fugienda. Sed notandum est hoc Matthaei capite agi de hypocritis et seductoribus, qui omnia ad ostentationem et vanam gloriam referre solent, et omne quod agunt bonum, sibi arrogant, nec Deo referunt acceptum, sicque non aedificant supra petram, qui est Christus; sed super arenam arrogantiae et inanis gloriolae: ac proinde cum ejusmodi hominum opera Christus reprehendisset, ut veros suos amatores laudaret, subjunxit, *Qui audet verba mea, et facit ea, similabo eum, etc.* Sic sanctus Benedictus, agens de iis qui vere Deum timent, bonaque sua in ejus gratiam refundunt, nec inanis gloriolae fumos venantur, aliis Scripturae locis hunc Matthaei locum bene subjecit, quia ii qui omnia sua Deo referunt accepta, aedificant supra petram; ii vero qui secus faciunt, et plebeculae rumores sectantur, super arenam aedificant. *Qui audit verba mea haec, et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et [Col. 0726B] *non cecidit, quia fundata est supra petram* **(Matth. VII)**.
@ [Col. 0726C] *Haec complens.* Id est, haec absolvens et concludens: de hoc vocabulo

infra. Haec complens Dominus exspectat nos quotidie his suis sanctis monitis, factis respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum hujus vitae dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo:

@ [Col. 0726C] *An nescis quia patientia Dei, etc.* In versione communi vulgata ad Rom. II: *Ignoras quia benignitas Dei.* Juxta textum Graecum, τὸ χρηστὸν, id est, bonitas, benignitas. *An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit* **(Rom. II)**. Nam pius Dominus dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed magis convertatur et vivat* **(Ezech. XVIII)**. Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi

@ [Col. 0726D] *Praeceptum.* Doctrinam virtutum, quae praecipitur eis qui in Dei tabernaculo habitaturi sunt. praeceptum; sed, si compleamus habitatoris officium, erimus haeredes regni coelorum,

@ [Col. 0726D] *Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra.* Corda, ut prompta voluntate et parato animo; corpora ut opere obedientiam impleamus. ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra sanctae praeceptorum obedientiae militatura; et quod

@ [Col. 0726D] *Minus.* Id est *non, saepe apud Tullium.* Et natura nihil habet possibile sine Dei gratia. minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiae [Col. 0726C] suae

@ [Col. 0726D] *Jubeat nobis adjutorium ministrare.* Ita in aliis mss. nostris, cum Smaragdo, sancto Dunstano, cum editionibus Parisiensi vetusta et Coloniensi. Et ut sensus clarus sit, sciendum τὸ *jubeat hic sumi pro velit, ut alibi loquitur sanctus Benedictus. Si tamen jusserit abbas, id est, velit.* In ms. S. Far. in editione Colivaei et vulgatis legitur, *ministrari.* jubeat nobis adjutorium ministrare. Et si fugientes gehennae poenas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et haec omnia per hanc

@ [Col. 0726D] *Lucis vitam.* Ita in utroque ms. cod. S. Ger., S. Ebrul. Far., Vind., Vict. ma. Ita apud Smaragdum, et Turrecrematam. At in ms. P. Vict. apud S. Dunstanum cum vetusta editione Parisiensi, gemina Coloniensi, et Colivaei habetur, *lucis viam.* Quae quidem lectio optima et priori praeferenda. Quia cum lux hoc loco vitam significet, ineptum esset dicere, *lucis vitam, id est, vitae vitam.* Legendum est ergo, *viam.* Et sane haec praesens vita via est ad vitam futuram. De qua via praeclare sane sanctus Columbanus epist. 1: «Via es mortalium non vita, a peccato incipiens usque ad mortem.» Et paulo post: «Quid ergo es, humana vita? non vita, vera es enim via: sed non plena; aliis longa, aliis brevis; aliis lata, aliis angusta; aliis laeta, aliis tristis; omnibus similiter festinans, et irrevocabilis. Via, inquam, via es, sed non omnibus manifesta es. Multi enim te vident, et pauci te viam esse intelligunt. Sic enim subtilis es, et sic seductrix, ut paucorum sit te scire viam; interroganda ergo es, et non credenda vita, nec vindicanda; transeunda, non habitanda misera humana vita. Nullus enim in via habitat, sed ambulat; ut qui ambulant in via, ambulent in patria.» Haec ille. In vulgatis editionibus legitur, *lucis usuram, sed haec lectio nullius optimi codicis auctoritate fulcitur, et videtur esse cujusdam correctoris.* lucis vitam vacat implere, currendum et agendum est modo quod in [Col. 0727A] perpetuum nobis expediat.

@ [Col. 0727D] *Constituenda est ergo.* Conclusio prologi seu praefationis. Constituenda est ergo nobis Dominici schola servitii, in qua institutione nihil asperum nos constituturos speramus. Sed etsi quid paulolum strictius, dictante aequitatis ratione, propter

emendationem vitiorum vel conversationem charitatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quae non est nisi angusto initio incipienda: processu vero conversationis et fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, ut ab ipsius magisterio nunquam discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi usque ad mortem

@ [Col. 0727D] *Participemur.* Ita in utroque cod. ms. Germ. in editione Coloniensi, apud Smaragdum et sanctum Dunstanum. Vulgo *participemus.* participemur: ut regni ejus mereamur esse consortes.

§ II.---PRAEFATIO EX REGULA MAGISTRI. [Col. 0727B]

O homo, primo tibi qui legis, deinde et tibi qui me

@ [Col. 0727D] *Obscultas.* Ita in ms. Regula ejusdem Magistri codicis Corbeiensis. obscultas dicentem, dimitte alia modo quae cogitas, et per os meum Deum te convenientem cognosce. Ad quem Dominum Deum ex voluntate nostra per bona acta vel beneplacita justitiae ire debemus, ne per negligentiam peccatorum inviti rapiamur accersiti per mortem. Ergo auditor qui me audis dicentem, percipe quae tibi non per os meum, sed per hanc scripturam loquitur Deus, qui te, dum adhuc vivis, convenit

@ [Col. 0727D] *De hoc quod.* Lege, ut in Regula ms. cod. Corb., *De hoc de quo.* de hoc, quod ei post mortem redditurus es rationem. Quia quod adhuc vivimus, ad inducias vivimus; cum nos pietas Dei exspectet quotidie emendari, et meliores vult esse nos hodie quam fuimus heri. Ergo, tu, qui me auscultas, ita intende [Col. 0728A] ut dicta mea et auditus tuus per considerationem mentis ambulando in trivium cordis tui perveniant.

@ [Col. 0727D] *In quo trivio unam, etc.* Subaudi viam. Haec dicit Magister ea ratione qua olim Prodicus philosophus apud Xenophontem (*Lib.* II *de dictis et factis Socratis*) finxit malitiam et virtutem Herculi in trivio occurrisse, hinc malitiam ei omnia voluptatum genera promisisse, illinc virtutem initio quidem labores et sudores, postea vero gloriam immortalem; at Herculem labores et sudores amplexatum eos voluptatibus praetulisse. Sic pereleganti fictione apud Silium Italicum, lib. XV de Bello Punico, Scipioni sub umbra requiescenti et animo multa versanti ab aere delapsae laeva dextraque astant voluptas et virtus, utraque eum in suam pertrahere sententiam pro virili enitens. Sic enim ait poeta:

Has lauri residens juvenis viridante sub umbra Aedibus extremis volvebat pectore curas, Cum subito assistunt laeva dextraque per auras Allapsae (haud paulum mortali major imago)Hinc Virtus, illinc Virtuti inimica voluptas. Altera Achaemenium spirabat vertice odorem Ambrosias diffusa comas, et veste refulgens Ostrum qua fulvo Tyrium diffuderat auro. Fronte decor quaesitus acu: lascivaque crebras Ancipiti motu jaciebant lumina flammas. Alterius dispar habitus, frons hirta, nec unquam. Composita mutata coma: stans vultus, et ore, Incessuque viri propior: laetique pudoris Celsa humeros nivea fulgebat stamine pallae, etc. Haec quidem ex doctrina Pythagorae, qui hoc trivium effinxerat ad similitudinem litterae Γ, quae diversam virtutis et voluptatis viam ostendit, de qua Persius sat. 3:

Et tibi quae Samios diduxit littera ramos Surgentem dextro monstravit limite callem. Ausonius, Idillio 16:

Pythagore bivium ramis patet ambiguis, γ Herricus lib. I de Vita sancti Germani episcopi Antissiodorensis:

Cumque iter ambivium ramosa ad compita vexit Proposuitque viam Samio praeeunte bicallem. In quo trivio unam ignorantiae peccatorum, post dicta mea veniens, post te relinque, et duas observantiae praeceptorum ante ingredere vias. Et, dum quaerimus ad Deum ire, stemus in trivio cordis nostri, et consideremus ipsas duas, quas ante nos scientiae conspicimus. In quibus duabus viis, per quam ad Deum possumus pervenire, consideremus. Si sinistram tenemus, timemus, quia lata est, ne ipsa sit quae ducit magis ad interitum. Si dextram corripimus, bene imus quia angusta est et ipsa est quae diligentes servos ad proprium ducit Dominum.
@ [Col. 0728D] *Ergo vacuus.* In Regula ms., *Ergo vacivus, id est qui vacat, optime;* ita etiam infra loquitur Magister. Glossae veteres: *Vacivus* εὔκαιρος, id est opportunus, tempestivus. Ergo vacuus vester auditus sequatur eloquium meum: et intellige, tu homo cujus admonemus intuitum, quia [Col. 0728B] te per hanc scripturam admonet Deus, ut modo, dum adhuc vivis, et tibi emendare vacat, curras, quantum potes, ne jam cum accersitus per mortem fueris, nullam Deo in die judicii, vel in poena aeterna excusationem afferas, quod nullus te de emendatione, quoad vixisti, convenerit: et cum ulterius tibi jam succurrere non potueris, in aeternum te incipiat sine remedio poenitere. Ergo amodo, qui audis, observa, antequam de hac exeas saeculi luce. Quia si hinc exieris, non huc reverteris, nisi in resurrectione: et de resurrectione, si hic modo bene egeris, ad aeternam cum sanctis gloriam deputaberis. Si autem hanc scripturam, quam tibi lecturus sum, factis non adimpleveris, in aeternum ignem gehennae cum diabolo, [Col. 0729A] cujus voluntatem magis secutus es, deputaberis. Audi ergo, et age quod est bonum et justum, per quod Deus invenitur propitius. Haec Regula, quae tibi ostendit, factis adimple. Quae Regula ad perficiendum rectum Regulae nomen accepit, sicut dicit Apostolus in Epistola sua: *Secundum mensuram regulae, quam mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos* **(II Cor. X)**. Nam Regula veritatis habet initium et justitiae finem, sicut dicit Propheta: *Reges eos in virga* **(Psal. II)**. Hoc est, in timoris vigore, sicut item dicit Apostolus: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate* **(I Cor. VI)**? Item dicit Propheta:
@ [Col. 0729B] *Virga rectu est.* Ita in Psalterio Romano. *Virga recta est virga regni tui,*
@ [Col. 0729B] *In qua dilexisti, etc.* Ita in Regula ms. cod. Corb. et in Concordia ms. Vindocinensi, etsi non ita legatur in Psalterio Romano. *in qua dilexisti justitiam et odisti iniquitatem* **(Psal. XLIV)**. Et iterum dicit Dominus: *Visitabo in* [Col. 0729B] virga iniquitates eorum **(Psal. LXXXVIII)**.

§ III.---PRAEFATIO FERREOLI.

@ [Col. 0729C] *Domino.* Haec praefatio nihil aliud est quam epistola dedicatoria, in qua commemorat sanctus Ferreolus monasterium a se aedificatum hortatu quorumdam et regulam monachis conscriptam, quam Lucretii censurae permittit. Domino sancto et caeterorum comparatione santissimo, et socio apostolorum, Christique discipulo
@ [Col. 0729C] *Lucretio.* Quis sit hic Lucretius episcopus, non adeo exploratum est. Puto

tamen hunc esse Lucretium Diensem seu Deensem quondam episcopum Viennensis provinciae, qui subscripsit conciliis Aurelianensi IV an. 541, Parisiensi II, Lugdunensi II, per Vincentium presbyterum, et Parisiensi IV anno 573, ita ut sedisse videatur plus quam quatuor et triginta annos. Ei mittit Regulam corrigendam sanctus Ferreolus tanquam amico, vel quia monasterium in ejus dioecesi situm erat. Lucretio

@ [Col. 0729C] *Papae.* Id est episcopo, ut ex Sidonio et multis aliis patet, honoris causa: nam papa est nomen honoris, nec papa est simpliciter pater, sed πρὸς πατέρα σεπτικὴ φωνή, inquit Suidas, id est venerationis vox ad Patrem. Dicitur et πάπας pater et Jupiter apud Bithynos. Hac voce utitur Juvenalis sat. 6, significatque nutritium, paedagogum:

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa, Quae peperit, timidus praegustet pocula papas. Glossae Isidori: *Papas, paedagogus, qui sequitur studentes.* Dicitur et ἄππα pro παπα, per metathesim apud Suidam. papae Ferreolus episcopus.

@ [Col. 0730C] *Hortatu quorumdam, etc.* Ita emendavi ex alio codice. Hortatu quorumdam operante Deo, et una devotione accensus; in qua servorum Dei habitaculum ipsa sibi Divinitas collocaret, ipsi terra obtuli aliam terram conferens. Quod deputo sanctae congregationi, hoc mei donare saluti credo, ut in unum more [Col. 0730A] apum religiosorum turba collecta, dum pro meis plene peccatis orationum suarum flores offerunt, quam dulcia mihi intercessione mella conficiant. Et quoniam necesse fuit novo huic populo velut jugum novae legis imponi, non quo eorum colla deprimerem, sed ut mentium cervices potius inclinarem; Regulam, quae ab eis pro lege servetur, licentia a vobis tam petita quam accepta, conscripsimus. In qua si quid severitate durum, si quid remissione mollissimum judicio scientiae adjudicaveritis, censuram manus vestrae pagina melius inde lecturis placitura, suscipiat. Ut hoc mihi magis gloriae detur,

@ [Col. 0730C] *Quod digna inventa est, etc.* Ita restitui quae erant transposita. *Digna, id est, bona, congrua:* Virg., II Aen.,

Aut quae digna satis fortuna revisit. quod digna inventa est Regula, quam per vos correxistis, fugiendo a facie verecundiae.

@ [Col. 0730C] *Si vero, ut credo, indicium, etc.* Ita emendavi ex alio codice. Si vero, ut credo, indicium amoris operam veram inflixerit dignae [Col. 0730B] correctione litterae,

@ [Col. 0730C] *Quidquid demum ineptum, etc.* Ita emendavi hunc locum corruptissimum. quidquid demum inepti lectio incastigata protulerit erroris, liberum a culpa erit, cum libellum vestrae me constat subdidisse censurae. Mihi tamen orandum est, ut in primis Deo, deinde vobis illud placeat quod scripsimus, et illis quibus haec servanda mandamus, ut in nomine Jesu Christi obedientes in omnibus divinis praeceptis, aeterna ab eis praemia, et gloria sine fine bonae tantum vitae empta pretio vindicetur, praestante Domino et Deo nostro Jesu Christo in saecula saeculorum. Amen.

CAPUT III DE GENERIBUS MONACHORUM.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0729D] *Monachorum.* Quoniam, ut in unaquaque arte sunt quidam cauponatores qui eam adulterant, et, ut aiunt, aquam miscent vino, sic in vita ascetica quidam

pseudomonachi reperiuntur qui fucata quadam virtutis specie quosvis simplices et parum cautos Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum
@ [Col. 0729D] *Coenobitarum, hoc est monasteriale.* Vide Cassianum, coll. XVIII, cap. 4, et sanctum Hieronymum in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis. coenobitarum, hoc est monasteriale, militans
@ [Col. 0730D] *Sub regula vel abbate.* Ms. Vict. P., *Sub regula vel sub abbate.* Haec autem conjunctim sumenda sunt, ita ut particula *vel ponatur pro copulativa.* Sic etiam loquitur sanctus Eulogius lib. II, Memorialis sanctorum, cap. 4: «Qui dudum sub Regula vel abbate se dediderint.» Et ita passim loquitur sanctus Benedictus et auctores in hac Concordia citati. Nec coenobitae Regulae vel abbati seorsim, sed Regulae et abbati simul subjiciuntur. tos decipere solent.

Fallit enim vitium specie virtutis et umbra, Quod sit triste habitu vultuque et veste severum. (JUVEN., sat. 14.) Ideo magnus ille vitae monachicae magister ac legislator sanctus pater Benedictus prudenter ab ipso limine veros monachos a spuriis et adulterinis discernit, ut hujus vitae studiosus sciat, quos sequi et amplecti, quos fugere et expuere debeat. Quod spectat ad nomen monachi ita glossae veteres interpretantur: μοναχὸς, *solitarius, singularis, monachus.* Consentit Rutilius in Itinerario agens de monachis Caprariae insulae, etsi male feriatus ille paganus eos irrideat:

Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt: Quod soli nullo vivere teste volunt. Et Cassianus coll. XVIII, cap. 5: «A singularis et solitariae vitae districtione nominatos esse,» dicit. Aliter auctor Etymologici veteris, παρὰ τὸ μόνος ἄχει ἔχειν, id est, quod solus doleat, hoc est, solus fleat peccata, sua. Sanctus Dionysius Areopagita, lib. de Hier. Eccl., cap. 6, deducit a nomine μονὰς id est, unitas; quod ex pura Dei servitute, abdicata rerum temporalium diversitate, debeat πρὸς τὸ ἓν ἐνοποιεῖσθαι, καὶ προς ἱερὰν μόναδα συνάγεσθαι, id est, cum eo quod unum est, unum fieri, et ad sacram unitatem aggregari. Ergo monachus ille est qui, quantum in se est, per Dei gratiam ad verae monadis, quae Deus est, similitudinem accedit, ac proinde recte a monade nomen sortitur. Praeclare autem Deus monas appellatur, quae, juxta Mercurium Trismegistum, cap. 4, omnium est principium, radix et origo. Quod et multis disputat Nicomachus Gerasenus in opere de Arithmeticis theologicis; qui e contra, ait dyadem, hoc est, binarium esse ignorantiam atque imprudentiam, falsum, permixtionem, dissidium et mortem. Nam recedit ab unitate et divisionem parit, quam quidem monachus cane pejus et angue odisse debet: quia in monasterio omnia communia sunt: omnibus etiam monachis est cor unum et anima una, si modo veri monachi sunt, et divina charitate conjuncti; imo cum Deo mente conjuncti, qui vera charitas est et unitas, ad quam tendit monachus; qui ideo a dyade discedit, quae est simultas, dissidium, atque etiam permixtio, ut ait Nicomachus, quae etiam monacho ad Dei unitatem et simplicitatem tendenti fugienda est. Quod quidem satis nos Christus docuit, cum Martham, quae turbatur circa plurima, benigne increpans, dixit unum esse necessarium, quod quidem Deus est, vera illa monas et unitas, quam quidem cum Maria tanquam meliorem partem, omnibus, quae mentem perturbant a se amandatis, omni animi contentione appetere et eligere debet monachus. Sunt et aliae sanctae hujus professionis sectatorum denominationes: nam et dicuntur θεραπευταί, a Philone Judaeo in libello Therapeutarum et sancto Dionysio capite citato, id est, ministri, qui singulari quadam

ratione Deo servire debeant. Sic et olim auctore Julio Polluce lib. I Onomastici, cap. 1, gentilium mystae οἱ θεῶν θεραπευταὶ appellati sunt. Dicuntur et philosophi a sancto Joanne Chrysostomo in libello de Differentia regis et monachi, a D. Gregorio Nazianzeno orat. 9 et 21, et a multis aliis sanctis Patribus Graecis, quia monachi divinae sapientiae studiosi sunt et amatores. Quamobrem sanctus Dionysius Areopagita capite citato monachorum vitam τὴν τελειοτάτην φιλοσοφίαν, id est, per fectissimam philosophiam, appellat. Dicuntur etiam ἀσκηταὶ, id est, exercitatores, apud sanctum Basilium, Maximum, Palladium et alios: quia contentiori studio et animo quam caeteri homines se in omni virtutum genere exercere debent. Hoc nomen sumptum est a ludis gymnicis. Nam olim athletae ἀσκεταὶ appellabantur, ut docet Julius Pollux lib. III Onomastici, cap. 5. Veri quidem athletae monachi sunt, qui quotidie adversus cacodaemonis insultus acriter pugnant. Unde et vita monachalis dicitur ἄσκησις, id est, exercitatio. In concilio Gangrensi **(Can. 12, 13, 17, 18)**, et a Palladio in prooemio et passim alibi, ἐνάρετος ἄσκησις, id est eximia exercitatio. Atque etiam λαυρῆται dicuntur monachi cap. 3 Prati spiritalis, a voce λαύρα, id est monasterium, de qua paulo post. Appellantur et nonni. A Latinis religiosi per excellentiam. Sanctus Ferreolus in praefatione Regulae: «Ut in unum more apud religiosorum turba collecta,» etc. Sanctus Hildefonsus, lib. de Viris illustribus, cap. 3: «Aliam vero epistolam ad Turibium religiosum.» Hunc autem Turibium monacham fuisse constat ex Chronico sancti Maximi Caesaraugustani episcopi. Salvianus, lib. IV de Providentia: «Atque videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum saeculares, non multi etiam religiosi, imo sub specie religionis vitiis saecularibus mancipati; qui scilicet post veterum flagitiorum probrosa crimina, titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conversatione alli, sed professione, nomen tantum demutavere, non vitam; et summam divini cultus habitum magis quam actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem.» Idem lib. III ad Ecclesiam catholicam de filiis qui Deo offeruntur in monasterio a parentibus: «Sed praeclaram videlicet, qui haec faciunt, rationem consilii sui reddunt dicentes: Quid opus est ut fiilis jam religiosis aequa cum fratribus suis haereditatis portio relinquatur?» Et paulo post: «Dicitis: Quid opus est religiosis aequam accipere cum fratribus patrimonii portionem?» Concilium Tarraconense I, can. 1: «Si vero religiosus vel monachus in cella monasterii inclusus poenitentiae lamentis incumbat.» Ubi particula, *vel, exposititie sumitur.* Nec locus intelligi potest de clericis, nam paulo ante in eodem canone de illis actum est. Magister, cap. 83 Regulae suae: «Per multorum religiosorum testimonia conventi ab abbate.»

Hinc religio pro vita monachica. Salvianus, lib. III ad Ecclesiam cathol.: «Id agitis, ut saeculi eos cultores faciatis, quibus saeculares filios antefertis. Quid est enim aliud quam religionem interdicere?» Sanctus Ferreolus, cap. 5 Regulae: «Si quis veniens ad religionem expetens monasterium,» etc. Sanctus Fructuosus pontifex Bracarensis, cap. 24 Regulae: «Et multos ex his cognoscimus ob necessitatis imbecillitatem polliceri pactum, non religionis obtentu.» Fructuosus alter, cap. 14 Regulae: «Quod non ob religionis venerit occasionem.» Servus Dei, cap. 3 Regulae: «Intus vero tantummodo qui sacram Deo voverint religionem,» etc. Tandem monachi etiam conversi appellati sunt. Salvianus, lib. IV ad Eeclesiam cathol.: «Et licet de conversorum venerabili choro esse videaris, licet religionem vestibus simules,» etc. Id etiam manifestum est ex Isidoro in libello quem scripsit de Conversis, id est, monachis; quod nomen postea jam satis

longo usu devolutum est ad illos fratres seu monachos qui laici etiam appellantur. Mulier vero hujus vitae cultrix dicitur ἀσκήτρια, ascetria, μονάστρια, monastria. Cod. lege 43, *de episcopis et clericis, etc.* Authentica Justiniani, 124, et apud Manuelem Moschopulum, scheda 3, dicitur et monacha, sanctimonialis, nonna, et barbare, monalis. sub Regula vel abbate. Deinde secundum [Col. 0731A] nus est anachoretarum, id est, eremitarum, horum, [Col. 0732A] qui non conversionis

@ [Col. 0732D] *Fervore novitio.* Novitius hoc loco adjective sumitur, ut apud Plautum in Mostellaria:

Novitium mihi quaestum institui non malum. fervore novitio, sed [Col. 0733A]

@ [Col. 0733A] *Monasterii.* Monasterii vocabulum antiquissimum, quod ab ipso nascentis Ecclesiae primordio in usu fuit. Nam antiqui illi Esseni et Therapeutae Alexandrini, quos sancti Patres Christianos fuisse arbitrantur, sua habuerunt monasteria, ut patet ex Philone Judaeo in libro de eorum Vita, et in libello de Vita theoretica: Ἑκαστῷ δέ τῶν θεραπευτῶν ἐστὶν οἴκημα ἱερὸν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον, κ.τ.λ. Singulis therapeutis seu cultoribus est domus sacra, quod somnium et monasterium appellatur, in quo solitarii venerandae vitae mysteria peragunt: ubi hae voces pro cellulis sacris sumuntur. Ubi et nota σεμνεῖον idem esse quod monasterium, ut etiam videre est apud Suidam et Moschopulum scheda. 3. Σεμνεῖον, τὸ μοναστήριον. Habet et alias appellationes, dicitur μονή in concil. Constantinop., can. II, et apud sanctum Antiochum in lemmate epistolae ad Eustachium. *Monachium* Codicis lege *Generali, de sacrosanctis ecclesiis, etc.* ἀσκητήριον, novella Justiniani 105, et apud Palladium passim, id est exercitatorium et Latine etiam usurpatur. Asceterium apud sanctum Eugenium, epist. ad Willisindum episcopum Pampilonensem. Dicitur et φροντιστήριον apud D. Gregorium Nazianzenum, orat. 21, quod ibi maxime cura salutis geratur. Appellatur et λαύρα apud Joannem Moschum, cap. 3 et 4 multisque aliis, et sanctum Antiochum in epist. ad Eustathium non semel. Estque proprie angustum et parvum monasterium, ut notat Suidas: Λαύρα ἡ στενὴ κατοικία τῶν μοναχῶν, id est angusta monachorum domus. Indifferenter tamen sumitur pro quovis monasterio, ut notum ex Moscho et Antiocho supra citatis. Dicitur et cella, ut infra probabitur: atque etiam coenobium a communi monachorum vita. Hanc tamen differentiam inter coenobium et monasterium Cass. coll. XVIII, cap. 10, refert. Monasterium est diversorii nomen, nihil amplius quam locum, id est, monachorum habitaculum significans; coenobium vero ipsius professionis qualitatem disciplinamque designat. Monasterium potest esse unius monachi habitatio, id est, cella, coenobium tantum plurimorum. Antiquum sane vocabulum coenobium est, notumque olim Pythagorae et ejus sectatoribus apud Agellium, lib. I, cap. 9: «Sed id quoque non praetereundum est quod omnes simul qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiae pecuniaeque habebant, in medium dabant: et coibatur societas inseparabilis. Tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re atque verbo Romano appellabatur κοινόβιον, id est, contubernium.» Sed locus corruptus. Nam quid τὸ *in re sibi velit* non video, quemadmodum nec illud quod κοινόβιον appelletur verbo Romano, cum Graecum sit. Itaque hunc locum ita castigandum puto: *Quod Graece atque* verbo Romano appellabatur κοινόβιον *et contubernium.* Graece quidem κοινόβιον et Latine contubernium. Hujus autem communis inter Pythagoricos vitae meminit Diogenes Laertius lib. VIII in Vita Pythagorae: Καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ κατέθεντο τὰς οὐσίας εἰς

ἓν ποιουμένας. Id est, ipsius discipuli facultates in unum deponebant, communesque faciebant. monasterii probatione diuturna,

@ [Col. 0733D] *Qui didicerunt.* To *qui redundat, quia antea habetur.* Anachoretae seu Eremitae prius in coenobio exerceri debent quam it solitudinem transeant, ubi nullus est vitae spiritalis praeceptor. Ita etiam docet Cassianus capite citato: «Secundus anachoretarum, qui prius in coenobiis instituti, jamque actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta.» Sanctus Hieronymus in epist. ad Rusticum: «Sed de ludo monasteriorum hujusmodi voluerunt egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terrent, qui specimen conversationis suae multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent.» Sanctus Isidorus, lib. VI Origin. cap. 13: «Sunt qui post coenobialem vitam deserta petunt, et soli habitant per desertum.» Idem videre est apud Cassiodorum, lib. de divinis Lectionibus, cap. 29. qui didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. [Col. 0734A] Tertium vero monachorum

@ [Col. 0734A] *Teterrimum.* Ita apud Papiam mox citandum. In cod. ms. S. Germ. et apud Cassianum coll. XVIII, c. 7, legitur, *Deterrimum.* teterrimum genus est

@ [Col. 0734B] *Saraba′tarum.* In Apologia Henrici IV, imperatoris, ubi hic locus citatur, legitur; *saraba′tarum,* id est *sibi viventium.* Lectio quidem vix alibi reperitur, optima tamen interpretatio. Nam saraba′tae sibi vivunt, semetipsos a coenobiorum congregationibus sequestrantes, et ideo Aegyptiae linguae proprietate saraba′tae nuncupati sunt, inquit Cass. cap. citato. Unde in glossis anonymis: *Sarabaitae lingua Aegyptiaca dicuntur renuitae, qui refutant abbatem habere.* Ubi, *refutant, est, recusant.* Recte, quia, qui renuunt abbatem habere, sibi vivunt et suo arbitrio. De saraba′tis hunc sancti Benedicti locum profert Papias, sed mutilum et ex Regula corrigendum. In serm. 21, ad fratres in eremo, dicitur, ejusmodi homines esse hypocritas porcorum vel boum pellibus succinctos, in Aegypto, in foraminibus petrarum habitantes; qui cincti funibus palmarum spinas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas nudis pedibus et cruentatis ad festum Scenopegiae Hierosolymam veniunt, et ejusmodi fictae pietatis nundinatione pecunias corradunt, ut ad sua reversi se vino et cibis ingurgitent: quae quidem auctor hujus sermonis se a sancto Hieronymo per epistolam accepisse asserit. Sed haec esse fictitia nemo est qui non videat, maxime cum hic sermo et alii huic similes ad fratres in eremo non sint sancti Augustini (*Vide Bellarmin.* de Script. eccles.); nec Cassianus aliique scriptores, et sanctus Hieronymus quid simile de saraba′tis scripserint; cum etiam tunc non staret templum Judaeorum, nec sancta sanctorum, in quae tamen ejusmodi auctor scribit solitos fuisse ingredi saraba′tas in festo scenopegiae. sarabaitarum, qui nulla regula approbati,

@ [Col. 0734C] *Experientia.* Lege, *Et experientia, ut in Regula ms.* Magistri. experientia

@ [Col. 0734C] *Magistra.* Ita communiter et in Regula ms. Magistri. At in mss. cod. Ebrulphi S. Germ. ma., S. Vict. P. cum Smaragdo et editione Coloniensi habetur, *Experientia magistri.* Quae quidem lectio non est contemnenda. Nam saraba′tae arguuntur a sancto Benedicto quod sint sine pastore. magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc operibus servantes saeculo fidem,

@ [Col. 0734D] *Mentiri Deo per tonsuram noscuntur.* Per tonsuram Deo mentiuntur saraba ′tae, quia non resecant superfluos appetitus, cujus resectionis signum est tonsura; et

quia etiam tonsura se monachos fingunt, cum saeculi moribus vivant. mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui

@ [Col. 0734D] *Qui bini aut terni.* Divus Hieronymus epistola citata agens de Romoboth pseudomonachis: «Hi bini aut terni, nec multo plures simul habitant.» bini aut terni, aut certe singuli

@ [Col. 0734D] *Sine pastore.* Cassianus coll. XVIII, cap. 7, de saraba´tis: Coenobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subjiciuntur arbitrio: aut eorum traditionibus instituti discunt vincere voluntates, nec ullam sanae discretionis regulam.» Sanctus Hieronymus, epist. supra citata: «Non patiuntur se alicui esse subjectos.» sine pastore [Col. 0735A] non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum; et quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum genus est monachorum quod nominatur

@ [Col. 0735C] *Gyrovagum.* Hujusmodi monachis plenus est mundus, qui et dicuntur circumcelliones; de quo vocabulo infra. Hi sunt pseudo-eremitae, palliata mendicabula, qui urbes et pagos obambulant, ut ventrem et marsupium impleant; quales erant olim illi Ἐρημῖται μελανειμονοῦντες καιφαλὰς κομῶντες, id est nigra veste induti, criniti; quos sexta synodus, can. 42, in monasteria aut in solitudinem amandari jubet. gyrovagum,

@ [Col. 0735D] *Qui tota vita sua.* Codices Victorini, *qui per totam vitam suam.* qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, nunquam stabiles et propriis voluptatibus et gulae illecebris servientes, et per omnia deteriores sarabaitis.

@ [Col. 0735D] *De quorum omnium.* Cod. S. Ebrulphi, *de horum omnium.* De quorum omnium horum misera conversatione melius est silere quam loqui. His ergo omissis ad coenobitarum

@ [Col. 0735D] *Fortissimum genus.* Coenobitarum genus dicitur fortissimum, quia coenobitae multorum solatio adjuti facilius diabolum vincere possunt. fortissimum genus disponendum, Domino adjuvante, veniamus

§ II. EX REGULA MAGISTRI *De generibus monachorum.* [Col. 0735B]

@ [Col. 0735D] *Monachorum Initium hujus capitis sumptum est ex Regula sancti Benedicti usque ad illa verba: et dum in proprio arbitrio, ut pleraque alia ejusdem operis.* Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum coenobitarum, hoc est, monasteriale, militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est anachoretarum, id est eremitarum, qui non conversationis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna, [qui] didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum

@ [Col. 0735D] *Cum Deo et Spiritu.* In Regula sancti Benedicti, *Deo auxiliante.* cum Deo et spiritu

@ [Col. 0735D] *Repugnare.* Ita in Regula ms. Magistri cod. Corb. In Regula sancti Benedicti, *pugnare.* repugnare sufficiunt. Tertium vero monachorum deterrimum genus est sarabaitarum, quod melius adhuc laicum dixissem, si me propositi sancti non impediret censura. Qui nulla Regula approbati, et experientia magistra, sicut [Col. 0735C] aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc

@ [Col. 0735D] *Factis.* In Regula sancti Benedicti, *operibus.* factis servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni certe singuli sine pastore non Dominicis sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Et dum in proprio arbitrio quaerunt habere

@ [Col. 0735D] *Arcellas.* Arcella est arca. Glossae veteres: *Arca* et arcella, κιβωτὸς, κάυπτοα; utitur Caesarius Arelaten., cap. 36 Regulae: *et claves de arcellis:* dicitur et arcellula. Gregorius Turonensis, lib. X Hist., c. 16, *Si quis earum arcellulas scrutaretur.* cellas [Col. 0736A] et

@ [Col. 0736C] *Rescellas.* In Regula ms. Magistri, *recellas.* Rescellae sunt panni et vestes exiles. Pelagius, lib. X de Vitis Patrum, n. 76, «Pro his utor has viles rescellas.» Dicuntur et reculae. Apuleius lib. IV Milesiae fabulae: «Quid, oro, paupertinas pannosasque reculas miserrimae anus donas vicinis divitibus.» Dicuntur et reiculae et recellulae, sumunturque etiam pro ornamentis et supellectile. Legis Burgundionum, tit. 14, § 6, «Nisi forsitan quid ex matris bonis, id est in recellulis et ornamentis, etc.,» lib. VII Capitul. Caroli et Ludovici, tit. 192: «Qui reiculam ecclesiae petunt a regibus.» Sunt etiam res quaelibet exiguae aut parvi momenti rescellas, ignorant quia perdunt suas animellas. Simul et ii, qui nuper conversi immoderato fervore eremum putant esse quietem: et non putantes insidiari et nocere diabolum, singularem cum eo pugnam indocti et securi invadunt, sine dubio inducti lupi faucibus occursuri. Quartum vero genus est monachorum nec nominandum, quod melius tacere quam de talibus dicere. Quod genus dicitur gyrovagum, qui totam vitam suam per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas et monasteria hospitantes; cum pro hospitum adventu a diversis volunt quotidie noviter suscipi, et pro gaudio supervenientium exquisita sibi pulmentaria adparari, et animantia pullorum sibi curant quotidie a diversis hospitibus pro adventu cultello [Col. 0736B] occidi, gravare se ita diversos non credunt, commutando quotidie hospites

@ [Col. 0736D] *Pro adventu novitatis.* Id est pro adventu novo, phrasis Hebraica. pro adventu novitatis sub importuna charitate diversos conantur sibi praeparare diversa; et velut ab invito a diversis hospitibus exigentes praeceptum Apostoli, in quo dicit. *Hospitalitatem sectantes* **(Rom. XII)**, per occasionem praecepti inquietos sibi pedes post viam fomentari expostulant, per occasionem itineris intestina sua latiori coena vel prandio inquinata infinitis poculis magis quam pedes desiderant. Et post exinanitam a famelico hospite mensam et miculas ipsas panis post viam detersas sitim suam sine verecundia hospiti ingerentes, si calix his casu defuerit, rogatur hospes in ipsa patella ut misceat. Et postquam ex utraque parte nimietate cibi et potus percalcatiusque ad vomitum fuerint, [Col. 0736C] totum laboriosae viae imputant quod gula lucravit. Et antequam novus lectus lassum a potionibus magis, vel ab escis, quam a via hospitem suscipiat, laborem suae viae pro magno hospiti enarrantes, dum mercedem repausationis largioribus pulmentariis et infinitis poculis hospitem sibi cogunt

@ [Col. 0736D] *Largire.* Ita in Regula ms., pro, *largiri.* Sic veteres aliquando locuti sunt.

Sanctus Columbanus in Monasticis:

Non perdit pietas quidquid largire videtur.

Idem infra dixit, ulciscere pro ulcisci:

Injuriasque tuas in fratrem ulciscere noli. largire, rationem erroris sui per peregrinationem et captivitatem celando excusant. Et mox de vicinis monachis [Col. 0737A] aut monasterii positione interrogant; ubi cum inde
@ [Col. 0737C] *Levaverint.* Supple *se.* levaverint,
@ [Col. 0737C] *Ponant.* Id est, quiescant, cessent, ambulare videlicet. Nonnius, cap. 4, *ponere, desinere.* Virgilius, lib. VIII:

Cum venti posuere...... ponant vel applicent, velut lassi et quasi quibus jam universus clausus sit mundus, et ex toto eos nec loca, nec silvae, nec lata ipsa Aegypti eremus capiat, nec universa monasteria ad servitium Dei eos suscipiant; et eos, ut diximus, totus mundus non capiat: inde se dicunt juste errare, et ex toto locum repausationis et refrigerium animae et integram se observationem disciplinae nusquam posse se invenire: quasi dicant se ita multum sapientes, ut totum ipsis solis displiceat, quidquid Deo et hominibus placet. Ideoque magis eligunt ambulare, et noviter per diversos hospites mutatos, et varias refectiones; ut per occasionem sitientis viae repropinata pocula sumant. Hoc ergo agunt, ut gulae suae [Col. 0737B] magis quotidie peregrinari videantur quam animae. Et cum eis post biduum ad unum hospitem apparatus ipse in pulmentariis jam minuendo subducitur, et mane, alia die, facto, cum non ad refectionem coquendam, sed ad laborem cellulae suae viderint hospitem occupari, mox quaeri sibi alium hospitem placet. Tunc vale festinant, quasi ab aliquo impellantur, quasi eos jam exspectent aliorum hospitum prandia praeparata; et non longe ab ipso monasterio si cellam invenerint monachi repausantes dicunt se a finibus advenire Italiae, et noviter aliquid de peregrinatione aut de captivitate, et ipsi hospiti quasi humili et inclinato capite mentientes cum proprietate longi itineris cogunt pii hospitis totam paupertatem in
@ [Col. 0737C] *In cacabis.* Cacabus est olla. Varro, lib. IV de Lingua Latina: «Vas ubi cibum coquebant, ab eo cacabum appellarunt.» Sanctus Isidorus, lib. XX Orig., cap. VIII: «Cacabus et cucuma a sono fervoris cognominantur; sed utrum Latini a Graecis, an Graeci a Latinis haec vocabula sumpserint, incertum est.» Tamen dubium non est quin cacabus a Graeco deducatur. Nam Κακάβης, apud Athenaeum lib. IV, ex Aristophane et Antiphane est χύτρα, id est olla; apud auctorem veteris Etymologici dicitur: Κακκάβη σκεῦος πρὸς ἕψησιν ἐπιτήδειον, id est vas aptum ad coquendum. Vide Pollucem, lib. X, cap. 24. cacabis et in mensa exinaniri: sine dubio [Col. 0737C] et ipse hospes nudus, et a
@ [Col. 0737D] *Glutonibus.* Gluto est gulosus, vorax, Gall. *Glouton.* Glossae veteres Latino-Graecae: *Gluto,* λίμβος. Glossae Graeco-Latinae, λίμβος, *lingurius, id est liguritor, gulosus.* Sanctus Isidorus, lib. X Originum, *Gluto,* a gula, id est gulosus, Glossae Isidori, *Ardalio, gluto, vorax, manduco, a nomine glutum, id est, guttur.* Eaedem Glossae: *guttur, guttum.* glutonibus exinanitus post biduum relinquendus. Et cum post triduum et ipse et cella ejus et mores et ejus displicuerit disciplina: et cum subducta eis post biduum ab eo minus exhibuerit mensa, mox et ipse reconsignare
@ [Col. 0737D] *Bisacias.* Bisacia, seu potius bisaccia, est mantica hinc inde ex humero pendens mendicantium usui apta. Papias. *Bisaccia, sarcina, muntica.* Gallice, *Besace.* bisacias cogitur, quam diversorum hospitum jam [Col. 0738A] panes tosti impleverant: cum

in diversorum hospitaliis in mensis recentes sumunt, illos servantes cogunt mucidare. Ergo postquam eis bisaciae consignantur, mox et de pastura miser asinus revocatur, cui post recentes viae labores misera pastura placuerat, si domino ejus hospitalis non displicuisset in biduo: et noviter

@ [Col. 0738C] *Restratus.* Id est, veteribus laciniis abjectis, novis et melioribus instratus. restratus, et diversis tunicis et cucullis resarcinatus, quas aut importunitas a diversis exegerat, aut inventa occasio fraudis diversos hospites nudaverat, et ut alios petant, fingunt se pannos advestiri; et vale et ipsi hospiti dicentes, adhuc non venerunt, et jam vadunt, cum ad alia jam hospitalia in animo invitantur. Caeditur, pungitur, ustulatur,

@ [Col. 0738C] *Lordicat.* Infra eodem capite: *lordicando.* Lordicare est dorso incurvato incedere. Graece λορδὸν ὑπόκυρτον, id est incurvatum, λορδὸς, curvatus, ligno innixus, corpore pendens, notat Suidas. Unde Gallice *lourdaud, qui non recte incedit, facile impingit, ineptus ad omnia.* Et, *lourd, id est grave, ponderosum, quia dorsum incurvat gestantis.* Lordicat ergo Gyrovagus, cum incurvato dorso incedens se valde fessum esse simulat. lordicat miser asellus, et non vadit, vapulant aures ejus, postquam clunes defecerint. Ideo [Col. 0738B] perocciditur et manibus lassus impingitur: quia festinatur et satagitur, ut ad alterius monasterii prandium occurratur. Et cum pervenerint ad alterius monasterii aut monachi

@ [Col. 0738D] *Regias.* Regia est janua, de quo vocabulo infra. regias, ita hilari clamosa voce deforis,

@ [Col. 0738D] *Benedicite clamant.* Mos fuit monachorum, ut adveniens hospes ab hospite benedictionem peteret. Vita sancti Onufrii, cap. 8: «Appropiavi volens sciscitari si forte quispiam intus maneret, secundum consuetudinem monachorum clamare coepi, benedictionem humillime petii.» *Benedicite, clamant:* et quasi jam illum calicem in manum acceperint, quem mox ingressi monasterium pro siti sunt petituri: et intrantes regias adhuc non nuntiati et suscepti

@ [Col. 0738D] *Excarricant.* Supple *se.* Excarricare est exonerare, onus deponere. Magister, cap. 91 Regulae: «Excarricato de se onere facultatum,» a verbo *carrico, id est onero.* Glossae Arabico-Latinae dictae: Carrico, onero. Rufinus, lib. III de Vitis Patrum, n. 73: Stetit ergo, et ipse tanquam peregrinus carricavit animal.» Lib. V legis Wisigothorum, tit. V, 1. 2: «Sin autem nimium caedendo vel fasces carricando, aut quocunque onere, vel percussione mortuum fuerit.» excarricant; et quasi pro aliquo debito aut ex alicujus delegatione ibi adveniant. Ante intus bisaciae porriguntur, quam hospes suscipitur, et non prius ad oratorium festinatur, nisi pro labore desiderandi vini per occasionem viaticae sitis, ut tu pro charitate hospiti vinum porrigas, ab illis sic manu aqua exposcitur. Hi enim tales cum ipsi jejunia ambulando ignorant, et ad [Col. 0738C] quoscunque supervenerint jejunantes, aut superventu hospitali cogunt eos jejunia frangere, aut non erubescunt sua voce hoc eis dicere, magis eos propter avaritiam jejunare, ut non velint hospitem recreare post viam. Et post vagam suae consuetudinis gulam cogunt perseverantium jejunia violari: et nesciunt, [Col. 0739A] quia, ut eis non liceat jejunare aut abstinere; aut

@ [Col. 0739D] *Aliquo nesciant.* Ita in Regula ms., sed Tò *nesciant redundat.* aliquo [nesciant] aliquando loco stare, non eos aliqua ambulare compellit necessitas, sed gulae cogit voluntas; cum securi et supervenientes alieni laboris quaerunt panes comedere, et diversorum lectis peregrinis straminibus sudores suos amant abstergere. In quibus

straminibus cum indigesti per crapulam cibi et potus cupiunt satisfacere somno, vel
@ [Col. 0739D] *Cum quando occupationem.* Lege, *cum quidam per occupationem.* cum quando occupationem gulosae ambulationis psalmos aliquando neglexerint meditari, ipsorum ore respondent se lassis post viam ossibus non posse de lecto surgere, cum visi fuerint sani in mensa serotina manducare. Mox matutinorum expleto opere Dei surgunt velut gementes et lassi. Sic primo mane calefacti mero, petito panis fragmento ficti aegroti [Col. 0739B] succos desiderantes monasteria ipsa aut cellas false exeunt lordicando deficta infirmitate,
@ [Col. 0739D] *Absconse securi quod sanitatis gressus sint, etc.* Lege *absconse securi quod sani sint, gressus ab ipso limine reformantes;* absconse, id est apud se. absconse securi, quod sanitatis gressus sint, ab ipso limine reformantes.
@ [Col. 0739D] *Nam sibi nolunt.* Leg. *nam, cum sibi nolunt.* Ita in Regula ms., et tunc sensus clarus est. Nam sibi nolunt sub imperio monasterii abbatem de omnibus necessariis cogitare, vel ipsi alicubi suo viventes arbitrio facta cellula persistendo [vel ipsi]
@ [Col. 0739D] *Vel ipsi sibi.* Haec verba, *ipsi sibi, redundant, quamvis in Regula ms.* reperiantur. sibi necessaria vitae debuerant cogitare. Et, si nostra illis displicet vita, vel suam nobis ostendant formam. Unde nunquam persistentes
@ [Col. 0739D] *Acti sunt.* Ita in Regula ms. habetur, id est coacti sunt. Nonnius Marcellus, cap. 4: *Actum, coactum, territum Virgilius lib.* VI:

Prodigiis acta coelestibus ossa piabunt. acti sunt quotidie ambulando mendicare, sudare, et gemere, quam uno loco stando laborare, et vivere, quotidie noviter diversorum cellas, ut humiles intrant hospites solo capite inclinati. Deinde superbi et velut ingrati post biduum migraturi, et veluti quibus diversorum vita et actus et omnium monasteriorum disciplina [Col. 0739C] non placeat, eligunt magis ambulare quam sistere. Qui per diversa semper vagando ignorant apud quem taedia sua suscipiant; et, quod est ultimum, nesciunt ubi suam constituant sepulturam. Unde ergo magnum existimantes primum genus coenobitarum, cujus militia vel probatio voluntas est Dei, ad ipsorum Regulam revertamur

Fratres, clamat nobis quotidie Dominus dicens: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* **(Zach. I)**. Conversio ergo nostra ad Deum, fratres, non aliud est nisi a malis reversio, dicente Scriptura: *Diverte a malo, et fac bonum* **(Psal. XXXIII)**. A quibus autem dum avertimur, Dominum intuemur; et ille nos statim illuminans suo vultu, donans nobis adjutorium suum, mox gratiam suam petentibus tribuit, quaerentibus [Col. 0739D] ostendit, pulsantibus patefacit. Haec tria [Col. 0740A] Domini dona concessa ipsis conveniunt, qui Dei voluerint, non suam facere voluntatem. Quia aliud nobis Dominus in spiritu imperat, aliud caro cogit in anima: et quis a quo victus fuerit, ipsius servus est. Ecclesiae suae namque Dominus secundum Trinitatis nomen tres gradus doctrinae constituit, primum prophetarum, apostolorum secundum, doctorum tertium; sub quorum imperio vel doctrina Christi regerentur ecclesiae, vel scholae, ut pastorum vice sanctis ovilibus divinas oves et cludant et doceant, dicente Domino per
@ [Col. 0739D] *Per Isaiam prophetam dabo vobis.* Ita in Regula ms. Hic locus non exstat apud Isaiam, sed reperitur Jeremiae III, de quo infra. Isaiam prophetam: *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina.* Ipso Domino

dicente: *Simon Joannis, pasce oves meas* **(Joan. XV)**. *Docentes servare ea quae mandavi vobis:* et ecce ego vobiscum [Col. 0740B] *sum usque ad consummationem saeculi* **(Matth. XXVIII)**. Ideoque omnes quibus adhuc iusipientia mater est expedit sub unius esse potestate majoris, ut doctoris arbitrio ambulantes iter voluntatis propriae discant nescire. Per doctorem enim nobis imperat Dominus. Quia sicut dixit superius, cum ipsis doctoribus est semper omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; sine dubio non aliud, nisi nos aedificaturus per eos, dicente ipso Domino discipulis suis doctoribus nostris: *Qui vos audit, me audit;* qui vos spernit, me spernit **(Matth. X)**. Ergo si quae a doctoribus audivimus, et facimus non jam quae volumus exercemus; ut in die judicii nihil habeat in nobis quod secum diabolus vindicet in gehennam,
@ [Col. 0740D] *Quando.* Id est *siquidem Servius in VI Aeneid. Quando, si quidem;* nam conjunctio est, non adverbium. quando in nobis egit Dominus quod
@ [Col. 0740D] *Judicaret.* Cod. Vind., *vindicaret, satis recte.* judicaret ad [Col. 0740C] gloriam.

§ III.---EX REGULA SANCTI BASILII EPISCOPI.
@ [Col. 0740D] *Quia ostendit.* Haec habentur apud sanctum Basilium, interrog. 7 Regularum fusius disputatarum, et apud Rufinum interpretem, cap. 4, cujus interpretatione utitur auctor noster in hoc libro. Hoc autem sancti Basilii caput profertur, quia sanctus Pater Benedictus coenobitarum genus fortissimum appellat. Passim autem quaedam lineae hic et in Rufino edito desiderantur, quae habentur in textu Graeco. Quia ostendit nobis sermo tuus periculosum esse cum his qui mandata Dei contemnunt vitam ducere, nunc discere cupimus si oporteat eum qui ab hujuscemodi consortiis discesserit, remotum esse et solum, an vero cum fratribus ejusdem propositi et ejusdem animi vitam sociare.

In multis utile esse video vitam communem ducere cum his qui ejusdem voluntatis sunt atque propositi. Primo quod etiam ad usus corporales victusque ministerium unusquisque nostrum solus sibi non sufficit, et ideo pro his quae ad ministerium vitae nostrae necessaria sunt
@ [Col. 0740D] *Invicem.* In Rufino edito additur, *homines.* invicem opera nostra egemus.
[Col. 0740D] Sicut enim
@ [Col. 0740D] *Hominis pes.* Tò *hominis non reperitur apud Rufinum nec in textu Graeco.* hominis pes in alio quidem suis [Col. 0741A] viribus utitur, in alio vero indiget alienis, et sine adjumento caeterorum membrorum
@ [Col. 0741D] *Nec sufficere suis viribus potest.* In textu Graeco additur: πρὸς διαμονὴν, id est, ad diuturnum tempus, quod quemadmodum hic, sic apud Rufinum desideratur. nec sufficere suis viribus potest; ita etiam vita solitaria mihi pati videtur, cum neque quod ei inest utile, esse; neque quod deest, aliquid possit acquiri. Praeter hoc autem nec ratio quidem charitatis unumquemque permittit, quod suum est, quaerere, dicente Apostolo: *Charitas non quaerit quae sua sunt* **(I Cor. XIII)**. Deinde sed nec culpas quidem suas unusquisque ac vitia dignoscit; cum, qui arguat, nemo sit: et facile hujusmodi homini accidere potest illud quod scriptum est: *Vae soli, quia si ceciderit, nemo est alius, qui erigut eum* **(Eccl. IV)**. Sed et mandata a pluribus quidem facilius adimplentur; ab uno vero, dum unum videtur impleri, aliud impeditur. Ut puta quomodo solus quis [Col. 0741B] visitabit infirmum, aut quomodo suscipiet peregrinum? Si vero

omnes corpus sumus Christi, singuli autem alterutrum membra per consonantiam, velut in unius corporis compagem in Spiritu sancto aptari et conjungi debemus ad invicem. Quod si unusquisque nostrum solitariam eligat vitam, scilicet non ab aliqua causa, vel ratione, quae Deo sit placita, vel quod ad communem caeterorum pertineat dispensationem, sed propriae voluntati et passioni satisfaciens: quomodo possumus discissi et divisi adimplere, et integram assignare membrorum ad se invicem consonantiam? Iste enim talis neque cum gaudentibus gaudet, neque cum flentibus flet: quoniam quidem separatus ac divisus a caeteris, neque cognoscere quidem necessitates poterit proximorum. Tum deinde [Col. 0741C] nec sufficere potest unus ad suscipienda omnia dona Spiritus sancti: quia secundum uniuscujusque mensuram fidei, et donorum spiritalium distributio celebratur, ut id quod per partes unicuique distributum est, rursum tanquam membra ad aedificationem unius corporis coeat et conspiret: *Alii enim datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii prophetia, alii gratia sanitatum, etc.* **(I Cor. II)**. Quae singula utique non tam pro se unusquisque quam pro aliis suscipit ab Spiritu sancto. Et ideo necesse est uniuscujusque gratiam, quam susceperit a Spiritu Dei, in commune prodesse. Accidit ergo ut is qui remotus vivit, et separatus unam quamcunque suscipiet gratiam, et hanc ipsam inutilem faciat, dum nihil per eam operatur, sed effodit eam [Col. 0741D] in semetipso: quod cujus et quanti sit periculi nostis omnes qui legitis Evangelium. Si autem caeteris communicat gratiam, et ea ipsa perfruitur proprie quam ipse suscepit, et multiplicatur in eo dum communicatur et caeteris, et ipse nihilominus perfruitur gratia reliquorum. Habet autem et alia quam plurima bona communis vita ista sanctorum, quae [Col. 0742A] non est nunc possibile omnia dinumerare. Interim, ut diximus, ad conservanda sancti Spiritus dona commodior est multo quam si degamus in solitudine. Sed adversus insidias inimici, quae extrinsecus inferuntur, multo cautior est et utilior societas plurimorum; ut facilius suscitetur e somno si quis forte obdormierit somnum illorum qui ducit ad mortem. Sed et delinquenti delictum suum facilius apparebit, cum a pluribus vel arguitur, vel notatur, secundum quod et Apostolus ait: *Sufficit ei qui et ejusmodi est, objurgatio haec, quae fit a pluribus* **(I Cor. II)**. Sed in oratione non parvum emolumentum a pluribus nascitur cum consensu et unitate orantibus, ut ex multorum personis per gratiam, quae in nobis est, Deo gratiae referantur.

@ [Col. 0741D] *Sed et interdum periculo proxima est, etc.* Quae hic dicuntur de vitae solitariae professoribus, tantum de his qui illotis, ut aiunt, manibus et in nulla coenobii palaestra antea exercitati ad hanc vitam accedunt, intelligenda sunt. Sed et interdum periculo proxima [Col. 0742B] est vita solitaria. Primo quidem illi periculo subjacet, quod certe gravissimum est, in quo ipse sibi placet, et neminem habens qui possit opus ipsius probare,

@ [Col. 0742D] *Videbitur sibi ad summam perfectionem venisse.* Quod unicum est ulterioris progressus in virtute impedimentum. Quod praeclare notat Seneca lib. de Tranquillitate animi: «Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse, nisi quaedam in se dissimulassent, quaedam apertis oculis transilissent. Non est enim quod nos magis aliena judices adulatione perire quam nostra.» videbitur sibi ad summam perfectionem venisse. Tum deinde sine ullo exercitio degens, neque quid sibi vitii abundet, neque quid virtutis desit, agnoscit. Neque discretionem habere poterit in operum qualitate, pro eo quod operandi materia omnis exclusa sit. In quo enim humilitatem suam probabit, neminem habens cui se humilem debeat exhibere? Ad

patientiam vero quomodo seipsum exercebit, nullum habens qui videatur ejus voluntatibus obviare? Si quis autem dicat sufficere sibi Scripturae doctrinam et apostolica praecepta ad emendationem morum vitamque formandam, simile mihi aliquid videtur iis [Col. 0742C] qui semper fabrile artificium discunt, nunquam tamen fabri faciunt opus; vel his qui instructorum artem semper docentur, nunquam tamen aedificandae domus operam dabunt. Ecce enim et Dominus non existimavit sufficere sibi solam verbi doctrinam, sed et opere ipso voluit nobis tradere humilitatis exempla, cum praecinctus linteo lavit pedes discipulorum suorum. Tu ergo cujus pedes lavabis? quem curabis officiis? cujus inferior aut ultimus eris, cum solus vivas? Sed et illud quod dicitur bonum et jucundum habitare fratres in unum **(Pasl. CXXXII)**, quod unguento pontificali de capite in barbam descendenti Spiritus sanctus comparavit, quomodo in solitaria habitatione complebitur? Studium namque est quoddam et apostolica praecepta ad emendationem [Col. 0742D] morum vitamque formandam, in quo per virtutis exercitium proficitur, in quo meditatio divinorum mandatorum effulget amplius et clarescit. Haec communis inter se unanimorum fratrum habitatio habet in se illam similitudinem et exemplum, quod in Actibus apostolorum refert de sanctis Scriptura [Col. 0743A] divina dicens: *Quia omnes credentes erant in unum, et habebant omnia communia* **(Act. II)**.

§ IV.---DICTA SANCTI HIERONYMI.

@ [Col. 0743C] *Monachus.* Haec sumpta sunt ex epistola ad Rusticum de forma vivendi. Citantur ab auciore nostro in vitae coenobiticae commendationem, et ob pseudomonachos, de quibus agit sanctus Pater Benedictus. Monachus vivat in monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum: ut

@ [Col. 0743D] *Ab alio discat humilitatem.* De hac re infra. ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam; unus eum silentium, alter doceat mansuetudinem. Non faciat quod vult, comedat quod jubetur, habeat quantum acceperit, operis sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult, lassus ad stratum veniat ambulansque dormitet, nec demum expleto somno, surgere compellatur; passus injuriam taceat; praepositum monasterii timeat ut dominum, diligat ut parentem; credat sibi hoc esse salutare quidquid ille praeceperit; nec de majoris sententia judicet, cujus officii [Col. 0743B] est obedire et implere quae jussa sunt, dicente Moyse: *Audi, Israel, et tace* **(Deut. XXVII)**. Quidam profitentur se renuntiare saeculum vestimentis et vocis professione, qui nihil de pristina conversatione mutantes, res familiares magis augent quam minuunt. Eadem ministeria servorum, idem apparatus convivii, et inter turbas et examina ministrorum nomina sibi vindicant solitarii. Plerique monachi

@ [Col. 0743D] *Artibus et negotiationibus pristinis.* Monachis, qui omnes suas cogitationes et studia ad Deum convertere debent, turpe est rursus negotiorum saecularium maeandris intricari. Quod docet sanctus Dionysius Areopagita, Ecel. Hier. cap. 6, cum ait multa quae saecularibus permittuntur monachis prohiberi, quae sunt, ut explicat Georgius Pachvmeres in paraphrasi, γάμος, καὶ τὸ στρατείαις καὶ ἐμπορίαις ὁμιλεῖν, καὶ ἑτέροις ἐν οἷς ὁ λαϊκὸς οὐ κατακρίνεται, ιδ εστ, νυπτιαε, in bello et negotiatione versari, et aliis rebus, ob quas laicus non condemnatur. Quod sane prohibuit concil. Chalcedonense, can. 4. artibus et negotiationibus pristinis carere non possunt. Plerique non victum et vestitum, quod Apostolus praecipit, sed majora, quam saeculi homines, emolumenta sectantes, sub religionis titulo exercent injusta commercia, et plenis

sacculis moriuntur divites, qui quasi pauperes vixerant.

§ V.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI [Col. 0743C] (cap. 1).

@ [Col. 0743D] *Solent enim.* Haec non exstant in Regula ms. sancti Fructuosi Bracarencis episcopi ms. cod. Crassensis, sed sunt alterius Fructuosi, non episcopi, sed abbatis. Hujusmodi autem vitae monasticae cauponatores haud dissimiles sunt iis de quibus agit synodus Constantinopolitana prima et secunda, qui suis possessionibus monasterii nomen imponebant, se eas Deo consecrare profitentes, sacratarum rerum dominium usurpabant, easque pro libidine tractabant, tandemque vendebant. Quam rei monasticae cauponationem in posterum fieri prohibet dicta synodus. Solent enim nonnulli ob metum gehennae in suis sibi domibus monasteria componere, et cum uxoribus, filiis, et servis atque vicinis cum sacramenti conditione in unum se copulare, et in suis sibi, ut diximus, villis ex nomine martyrum ecclesias consecrare, et eas falso nomine monasteria nuncupare. Nos tamen haec non dicimus monasteria; sed animarum perditionem et Ecclesiae subversionem. Inde surrexit haeresis et schisma, et grandis per monasteria controversia; et inde dicta haeresis, eo quod unusquisque, suo quod placuerit arbitrio, eligat; et [Col. 0744A] quod elegerit, sanctum sibi hoc putet. Hos tales ubi repereritis, non monachos, sed hypocritas et haereticos esse credatis. Et hoc optamus, et hoc omnino sanctitatem vestram quaesumus cum talibus nullam conversationem jubemus habeatis, neque imitemini eos. Et quia suo arbitrio vivunt, nulli seniorum volunt esse subjecti. Et nihil de propria substantia pauperibus erogant, sed adhuc aliena, quasi pauperes, rapere festinant, ut cum uxoribus et filiis

@ [Col. 0744D] *Plus quam in saeculo erant.* Lege, *plus quam cum in saeculo erant.* Ita in cod. Vindocinensi. plus quam in saeculo erant lucra conquirant. Et haec faciendo de perditione animarum non curant, ut non animarum, sed corporum plusquam saeculares homines emolumenta habeant, et pro suis pignoribus more luporum doleant, et de die in diem non retro acta peccata plangant, sed cum scandalis semper [Col. 0744B] studio rapacitatis anhelant, et non de poena futura cogitant, sed unde uxores et filies pascant, acrius anxiantur. Et cum ipsis vicinis, cum quibus prius se juramentis ligaverant, pro hoc tepefacti cum grandi jurgio et discrimine se ab invicem separant: et res suas, quas ante per charitatem expendendas communiter miscuerant, non jam simpliciter, sed cum exprobratione unus alteri raptat. Quod si alicui ex illis imbecillitas apparuerit, propinquos, quos in saeculo reliquerunt, cum gladiis et fustibus et minis adjutores adducunt. Et qualiter haec disrumpant, in prima dudum conversatione excogitant. Et

@ [Col. 0744D] *Vulgares.* Glossae veteres: *Vulgaris,* κοινὸς, λεώδης, χυδαῖος, id est, communis, plebeius, gregarius. vulgares et ignari cum sint, talem abbatem sibi praeesse desiderant, ut ubi se voluerint convertere,

@ [Col. 0744D] *Quasi cum benedictione.* Quia olim monachi nihil sine abbatis benedictione agebant, de qua re infra. quasi cum benedictione suas voluntates faciant, et quidquid [Col. 0744C] eis placuerit dicere, dicant. Et alios more instigationis dijudicant, et

@ [Col. 0744D] *Servos Dei dente canino.* Fructuosus abbas, cap. 2: «Cum episcopis saecularibus et principibus terrae vel populorum communem regnam servant, et Antichristi discipuli contra ecclesiam latrant.» servos Christi dente canino dilaniant. Et hoc agunt ut semper cum saecularibus et hujus modi principibus commune consortium habeant, et amatores mundi cum mundo diligant, qualiter immundi cum mundo pereant.

@ [Col. 0744D] *Tali se saepe.* Tò *se redundat.* Tali [se] saepe exemplo taliter alios vivere invitant. De talibus Dominus in Evangelio ait: *Cavete a falsis fratribus qui veniunt ad vos in vestibus ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* A fructibus eorum cognoscetis eos, quia non potest arbor mala fructus bonos facere **(Matth. VII)**. In fructu operationem dixit, in foliis [Col. 0745A] verbum. Et ut eos in opere cognoscatis, verba illorum pensare potestis, quia cupiditatis face succensi non possunt Christi pauperibus adaequari. Christi vero pauperes hanc habent consuetudinem, nihil in hoc mundo cupiunt habere, ut possint Deum et proximum perfecte diligere. Et qualiter supra dictos lupos possint evadere per Dominum cognoverunt dicentem: *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum;* non portetis sacculum neque peram **(Matth. X)**. Proinde Christi servus, qui cupit verus esse discipulus,
@ [Col. 0745C] *Nudam crucem, etc.* D. Hieronvmus, epist. ad Paulinum: «Et nudam crucem nudus sequens expeditior et levior scandis scalam Jacob.» nudam crucem ascendat nudus, ut mortuus sit saeculo, Christo vivat crucifixo. Et postquam deposuerit corporis sarcinam, et hostem viderit trucidatum, tunc se putet devicisse mundum, et cum sanctis martyribus aequiparasse triumphum.[Col. 0745B]

§ VI.---DICTA SANCTI ISIDORI DE GENERIBUS MONACHORUM.
@ [Col. 0745C] *Unde autem.* Hoc caput habetur apud sanctum Isidorum lib. II de Officiis ecclesiasticis, cap. 15. Unde autem ad monachos studium
@ [Col. 0745C] *Defert.* Apud sanctum Isidorum legitur, *defluxerit, recte.* defert paupertatis, vel quis hujus conversationis exstiterit auctor, cujus isti habitum imitantur; quantum enim, inquam, attinet ad auctoritatem veterum, hujus propositi principes Elias et discipulus ejus Elisaeus fuerunt, sive filii prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis faciebant sibi casulas prope fluenta Jordanis. Hujus etiam propositi in Evangelio Baptista Joannes auctor exstitit, qui eremi solitudinem incoluit locusta et agresti melle nutritus. Jam deinde progrediens conversationis hujus nobilissimus princeps Paulus, inde Antonius, Hilarion, Macarius, caeterique Patres, quorum exemplis per [Col. 0745C] universum mundum adolevit sancta institutio monachorum. Sex autem sunt genera monachorum, tria optima et praecipua, reliqua vero deterrima, atque omnimodis notanda. Primus est coenobitarum, id est, [Col. 0746A] in commune viventium ad instar sanctorum illorum qui temporibus Apostolorum in Hierosolymis vendita ac distributa omnia sua dabant indigentibus qui habitabant
@ [Col. 0745C] *In sancta communione vitae.* Apud sanctum Isidorum: *in sancta communi vita.* in sancta communione vitae, non dicentes aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, et anima et cor unum **(Act. IV)**. Horum institutione monasteria sumpserunt principium. Secundum genus est eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deserta loca et vastas solitudines sequi atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliae et Joannis Baptistae, qui eremi secessus penetrarunt. Hi quippe incredibili conversationis desiderio, mundo contempto, sola solitudine delectantur, herbis tantum arescentibus aut pane solo vel aqua contenti,
@ [Col. 0745C] *Qui eis per intervalla, etc.* Eremitis olim victus suppeditabatur a coenobiis e quibus discesserant. Severus Sulpitius dialogo I: «transgressis ad eremum abbatis illius ordinatione panis et quilibet cibus alius administratur.» quod his per certa intervalla temporum defertur. [Col. 0746B] Sicque secretissimi penitus ab omni hominum conspectu,

remoti divino tantum colloquio perfruuntur, cui puris mentibus inhaeserunt, et propter cujus amorem non solum mundum, sed etiam hominum consortia reliquerunt.

@ [Col. 0745D] *Tertium genus est anachoretarum.* Hic distinguit inter eremitas et anachoretas. Sed anachoretae sunt in triplici differentia. Primo pro eremitis sumuntur, ut videre est in Regula sancti Benedicti, cap. 1. Secundo pro his monachis qui post coenobiticam palaestram includebantur in cellis, iique duplices. Nam quidam infra septa monasterii in cellis includebantur, ut patet ex Justiniani novella 5: «Nisi quidam illorum in contemplatione et perfectione degentes vitam remotam habeant in hospitio, quos vocare anachoretas, id est discedentes, et hesychastas, id est quiescentes, consueverunt,» etc. Ubi hospitium sumitur pro cella. Ibi enim agitur de iis qui in monasteriis includuntur. Id etiam planum est ex can. 41 sextae synodi, quae ait ejusmodi inclusos ἀναχωρητικήν παιδοτριβεῖσθαι διαγωγὴν, id est anachoreticam exercere vitam. Quidam vero extra septa monasterii inclusi erant, de quibus hoc capite agit sanctus Isidorus. Tertio dicuntur anachoretae ii qui sine tecto per solitudinem errantes nullo certo loco consistebant, de quibus Severus Sulpitius, dialogo primo: «Habitant (inquit) illi plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos anachoretas vocant. Vivunt herbarum radicibus, nullo unquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur.» Id innuit Cassianus, coll. XVIII, cap. 6, cum ait: «Ad imitationem quoque Eliae et Elizaei, atque illorum de quibus Apostolus, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, etc.» Tertium genus est anachoretarum, qui jam coenobiali conversatione perfecti, includunt semetipsos in cellulis procul ab hominum conspectu remoti, nulli ad se praebentes ingressum, sed sola contemplatione Dei viventes.

@ [Col. 0746C] *Quartum genus, etc.* Haec sumuntur ex Cassiano, coll. XVIII, cap. 8, cujus etiam verba proferuntur. Agitur de quibusdam qui sibi anachoretarum nomine blandientes, in primordiis conversionis tepefacti, nec ultra valentes ferre seniorum jugum, se in cellis includunt, ad id etiam humanae laudis applausu compulsi. Quorum stultitiae ut remedium adhibeatur, concilii Toletani VII, cap. 5, cautum est, ne quis prius includatur, quam multos annos in militia caenobitica exercitatus fuerit, adhibito etiam episcopi et abbatis consensu, ut habetur in concilio Francofordiensi, can. 15; et sextae synodi can. 41, statuitur ut qui hujusmodi vitam appetunt, quadriennio probentur: nempe, ut prius ingrediantur monasterium, et per triennium ejusmodi vitam seclusam exerceant abbati monasterii subditi; quo evoluto, ab episcopo interrogentur, qui eorum voluntatem, an firma sit, exploret; qua perspecta e cella exeant, et anno integro maneant in monasterio, ut eorum propositum plenius tentetur: quibus ita perfectis, si modo certa sit eorum voluntas, includebantur. Quartum genus est, qui sibi anachoretarum imagine blandiuntur. Ipsi, ut ait Cassianus, in primordii sui fervore quodam brevi coenobii perfectionem videntur expetere: sed continuo tepefacti, dum pristinos mores et vitia resecare contemnunt, nec jugum humilitatis ac patientiae diutius sustinere contenti sunt; [Col. 0746C] subdique seniorum imperio dedignantes separatas expetunt cellas et solitarie sedere desiderant, ut a nemine lacessiti, mansueti et humiles aestimentur. Quae institutio, imo tepor, eos quos semel infecerit, [Col. 0747A] ad perfectionem nunquam permittit accedere. Hoc enim modo non solum non abscindentur, verum etiam interius convalescunt, dum a nemine provocati, ut quoddam lethale et intestinum virus, quod quantum amplius celatum fuerit, tantum profundius serpens insanabilem morbum generat aegrotanti. Pro reverentia enim cellae nullus jam vitia solitarii audet arguere, quae ille ignorari maluit potius quam curari. [Col. 0748A]

@ [Col. 0747A] *Quintum genus est circillionum.* Haec fere excerpta sunt ex divo Augustino, lib. de opere monachi, cap. 28. Quid sint circilliones, exponunt Glossae Isidori: *Circilliones falsi anachoretae:* Eaedem Glossae: *Circellio monachus per cellas vagans:* Augustinus. De quibus ipse sanctus Augustinus in psalmum CXXXIL: «Quid sibi vult nomen circellionum? Sed non, inquiunt, vocamur circelliones. Forte corrupto sono nominis eos appellamus. Nam circumcelliones dicti sunt, qui circum cellas vagantur.» De qua voce Papias: «Circumcelliones dicuntur, qui sub habitu monachorum usquequaque vagantur.» Idem: «Circumcelliones genus monachorum vagantium, dicti quod circum cellas vagentur.» Sunt et alii circumcelliones haeretici qui, ut martyres haberentur, seipsos perimebant, atque etiam obvios passim Christianos: de quibus sanctus Augustinus in ps. LXXXII, epist. 48, 61, et multis aliis locis: et Philastrius, lib. de haeresibus; meminit collatio tertia Carthaginensis. Quintum genus est circellionum, qui sub habitu monachorum usquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocrisim, circumeuntes provincias: nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii, quae non viderunt, confingunt, opiniones suas habentes pro Deo.

@ [Col. 0747B] *Alii membra martyrum, etc.* Exsecrabilis illa hypocritarum nundinatio, cujus beneficio aeruscatores illi multam stipem cogebant. Hane attribuit circellionibus sanctus Augustinus, lib. de opere monachi, cap. 28. Similem licitationem exercebat falsus quidam eremita Desiderius nomine, qui Parisiis olim cum cruce sacra loca obambulans in sacculo gestabat radices diversarum herbarum, dentes talparum, ossa murium, ungues et adipes ursinos, quibus tanquam sacris reliquiis a plebe occurrente venerationem exhiberi volebat, ut refert sanctus Gregorius Turonensis, lib. IX Hist. Rodulphus Glaber, lib. IV Hist., c. 3, narrat de simili temporis sui balatrone circumforaneo qui ossibus mortuorum, quae e sepulcris eruebat, eis varia prophetarum, martyrum et confessorum nomina imponens, superstitiosos homines passim decipiebat, emunctis eorum marsupiis. Hinc nata est quorumdam superstitio, ut falsas reliquias falsosque sanctos colerent. Qualis fuit olim mulier quaedam Carthagine, Lucilla nomine, quae obscuri et nondum vindicati cujusdam martyris obsequio ita addicta erat, ut antequam sanctam Eucharistiam sumeret, illius caput veneraretur, eoque nomine a Caeciliano archidiacono correpta, ob idque furore incensa a communione Ecclesiae discessit, suaque auctoritate atque opibus Donatistarum partes multum adjuvit, ut refert Optatus Milevitanus lib. I contra Parmenianum. Nota est illa historia sancti Martini, apud Severum Sulpitium in ejus Vita, cap. 8, qui latronis cujusdam aram, qui ab indocta et imperita multitudine pro martyre colebatur, submovit. Sanctus Gregorius papa, lib. III, epist. 30, improbat quosdam Graecos qui Romae ossa mortuorum effodientes, ea pro reliquiis sanctis in suam patriam asportabant. Fuit etiam olim Romanae plebeculae superstitio, ut Dalmaticam, quae corpus papae mortuum, dum efferretur, involvebat, scinderet, et partes pro reliquiis servaret, quod idem Gregorius, lib. IV, epist. 44, fieri prohibuit. Guillelmus Neubrigensis, lib. V Hist., cap. 20 et 21, narrat de quodam Guillelmo Lundoniensi, qui a stolida plebecula martyr habitus est. Ille enim divitum nummis inhians, seditiosis concionibus multitudmem commovebat, seque pauperum salvatorem nominabat: jamque multa ferramenta ad infringendas locupletum aedes circulator ille paraverat, dum captus de sententia regii senatus equis prius distractus de patibulari trabe pendere jussus est. Post cujus mortem quidam sacerdos catenam qua trifurcifer ille et sesquilavernio in carcere vinctus fuerat, cuidam ex febre laboranti

supposuit, eumque inde sanatum impudenti mendacio palam divulgavit. Statim, ut est caeca et piaeceps vulgi devotio, patibulum, in quo pependerat impostor ille, a loco revulsum nocte sublatum est; solumque ipsum, ubi defixum fuerat, a fatuis undique concurrentibus, ut reliquias sibi auferrent, abrasum est. Nonnae quaedam Rumeseiensis in Anglia coenobii quemdam recens defunctum pro sancto colere coeperant; quod cum rescivisset sanctus Anselmus Cantuariensis antistes per epistolam **(Lib. III, ep. 151)** eas ejusmodi superstitione prohibuit. Contigit etiam tempore Alexandri tertii, ut quidam vino madidus ac temulentus, cum petulantius baccharetur occisus, pro martyre coleretur. Olim stultum vulgus quibusdam insomniis et nocturnis visionibus delusum, ficta martyrum monumenta venerabatur. Quod prohibitum fuit in concilio V Carthaginensi, can. 5 *(De reliq. et vener. sanct.)* Sic etiam a quibusdam stolidioribus martyribus haereticis honor exhibitus est. Quod postea vetitum fuit in concilio Laodiceno, can. 34. Alii membra martyrum (si tamen martyrum)

@ [Col. 0748B] *Venditant.* Vendere reliquias martyrum prohibetur. Codicis leg. 3, *de sacrosanctis ecclesiis, etc.: Nemo martyres distrahat, nemo mercetur, et cap. Cum ex eo, de reliquiis et veneratione sanctorum.* venditant.

@ [Col. 0748C] *Alii fimbrias.* More Pharisaeorum et Scribarum. Fimbriae enim sunt quaedam texturae quae assuebantur a Pharisaeis et Scribis quatuor angulis amiculi, eo tempore quo se ab uxoribus abstinebant, ad castimoniae ostentationem, ut nemo tangeret sanctificatos, ut scribit sanctus Epiphanius lib. I de Haeres., tom. I, cap. 15. Alii fimbrias

@ [Col. 0748C] *Et phylacteria.* Phylacteria sunt quaedam notae ex purpura, quas Scribae et Pharisaei palliis suis ostentationis causa apponebant, ut refert sanctus Epiphanius capite citato. Ubi, etsi tantum de Scribis loquatur, tamen capite sequenti ait Pharisaeos Scribarum indumentis uti solitos. Sunt et tabulae parvae, seu chartae, in quibus Decalogus scriptus erat, quas Scribae et Pharisaei memorialis causa in fronte gestabant. Divus Hieronymus in cap. XXIII Matth.: *Pictaciola illa decalogi phylacteria vocabant.* Rabbini, טפילין , *Tephilin.* Sunt etiam quaedam amuleta seu conservatoria, quae magi ad morbos curandos seu averruncandos, aut ad aliquem casum declinandum mulierculis dabant collo appendenda, aut brachiis alliganda, ut docet sanctus Epiphanius cap. 15 libri citati. Glossae veteres: φυλακτήριον, *servatorium, amolimentum, amuletum, praevia.* Glossae Isidori, *Phylacteria Carmina, id est incantamenta, juxta illud Virgilii in Pharmaceutria:*

Carmina vel coelo possunt deducere lunam, Daemonum inventum in seductionem ethnicorum. Meminit Beda lib. IV Hist. Angl., cap. 27: «Aliqui etiam tempore mortalitatis neglectis fidei sacramentis quibus erant imbuti, ad erratica idololatriae medicamina concurrebant: quasi missam a Deo conditore plagam per incantationes vel phylacteria vel alia quaelibet daemoniacae artis arcana cohibere valerent.» Et sexta synodus, can. 41. Hinc capiendus Tertullianus in Scorpiaco: «Nescio quid magia circumligat.» [Col. 0749B] Varia autem fuere haec phylacteria, seu ligaturae, ut nervi, ossa, radices in corio inclusae, ut notat Tatianus Assyrius oratione contra gentiles, pag. 172 editionis Parisiensis. Alii ursos circumducebant [Col. 0749C] per urbes et oppida, et in eorum capite totoque corpore tincturas appendebant, dabantque passim ex pilis eorum cum tincturis tanquam phylacteria ad morbos et fascinos oculorum amoliendos, ut docet Theodorus Balsamo in canonem citatum sextae synodi. Additque praefectum

quemdam fuisse synodice condemnatum, quod deprehensus esset habere ἔνδυμα, id est, indumentum infantis recens nati a muliere acceptum ad os occludendum iis qui in eum dicere conarentur. Hoc autem ἔνδυμα nihil est aliud quam pellicula quaedam capitis instar pileoli, cum qua quidam nascuntur, quam olim ad vocati in sinu gestantes ad eloquentiam conferre credebant, ut refert Lampridius in Antonino Diadumeno: «Solent deinde pueri pileo naturali insigniri, quod obstetrices rapiunt, et advocatis credulis vendunt, si quidem causidici hoc juvari dicuntur.» Litterae solutoriae sunt etiam phylacteria, quas qui apud se gerebant se nullo pacto vinciri posse credebant. Ut [Col. 0749D] videre est apud Bedam lib. IV Hist. Angl., cap. 22: «Quarum celebratione factum est, quod dixi, ut nullus eum possit vincire. Interea comes, qui eum tenebat, mirari et interrogare coepit, quare ligari non posset: an vero litteras solutorias, de quibus fabulae ferunt, apud se haberet.» Huc etiam spectat effigies Alexandri Magni, quam qui apud se gestabant, vel in annulis, vel in dextrocheriis, et in omni ornamentorum genere, se in omni actu juvari credebant, ut scribit Trebellius Pollio in Quieto imperatore. Tandem apud Christianos phylacteria sunt sacrae reliquiae, ut sanctae crucis, martyrum, etc., in auro vel argento, seu crystallo, aut quavis alia materia celatae. Sanctus Gregorius papa, lib. XII, epist. 6: «Excellentissimo autem filio nostro Adulowaldo regi transmittere phylacteria curavimus, id est, crucem cum ligno crucis Domini et lectionem Evangelii theca persica inclusam.» Helgaldus Floriacensis monachus in Vita Roberti regis: «Unde nimirum suos a quibus juramentum recipiebat, volens justificari quemadmodum seipsum, fecerat unum phylacterium holocrystallinum in gyro auro puro ornatum absque alicujus sancti pignorum inclusione, super quod jurabant primates hac pia fraude nescii.» Acta sancti Guillelmi Gellonensis: «Miserat illis ab Hierosolymis per Zachariam magni propositi magnique testimonii sacerdotem, perque duos monachos Hierosolymitanos magnae religionis, nec parvae auctoritatis illud Dominicae crucis venerabile cunctis mortalibus phylacterium adorandum gemmarum splendoribus et auro purissimo, quantum potuit ars humana, decentissime ornatum.» et phylacteria sua magnificant, gloriam [Col. 0749A] captantes ab hominibus. Alii criniti incedunt, ne vilior habeatur tonsa sanctitas quam comata, ut videlicet qui eos viderit, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem, Eliam, et caeteros. Alii honores, quos non acceperunt, habere se protestantur. Alii parentes et consanguineos in illa regione se audisse, videre et ad eos pergere mentiuntur. Et omnes petunt, omnes exigunt aut sumptum lucrosae egestatis, aut simulatae pretium sanctitatis. Cum interea ubicunque in factis suis malis ac verbis deprehensi fuerint, vel quomodo innotuerint, sub generali nomine monachorum propositum blasphematur. Sextum genus est monachorum ipsum deterrimum atque neglectum, quod per Ananiam et Saphiram in exordio Ecclesiae pullulavit, et apostoli Petri severitate [Col. 0749B] succisum est; quique ab eo quod semetipsos a coenobiali disciplina sequestrant suasque liberi appetunt voluntates Aegyptiorum lingua saraba´tae, sive

@ [Col. 0750C] *Sive renuitae.* Tò *sive sumitur ex positis.* Nam τὸ *renuitae Latinum est, non Aegyptiacum.* Et ita Latini saraba´tarum nomen exposuerunt. Smaragdus in cap. 1 Regulae sancti Benedicti: «Saraba´tae autem interpretantur renuitae, eo quod majorum exempla vel virtutem sequi renuant.» Sanctus Odo abbas Cluniacensis, collatione III: «Nos miseri non sumus monachi, ut falso nominamur; sed saraba´tae, id est renuitae, qui jugum regularis disciplinae renuimus.» Glossae anonymae: *Saraba´tae lingua Aegyptiaca;* in Latina dicuntur renuitae, qui refutant abbatem habere. Unde glossae

mss. in Regulam sancti Benedicti, quae Parisiis exstant in bibliotheca S. Victoris: *Saraba'tarum, qui refutant, vel renuunt.* renuitae nuncupati sunt. Construunt sibi cellulas easque falso nomine monasteria nuncupant. Liberique ab imperio seniorum, arbitrio suo vivunt, certatim in operibus laborantes, non ut indigentibus distribuant, sed ut acquirant pecunias quas recondant. Et sicut ait de ipsis Hieronymus, quasi ars sit sancta, non vita, quidquid vendiderint, charioris est pretii. Revera, ut idem dicit, solent certare jejuniis, [Col. 0750A] et rem secreti, victoriae faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, fluxae manicae, caligae follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum: et quando dies festus venerit, satiantur ad vomitum.

§ VII.---DICTA SANCTI VALERII DE GENERE MONACHORUM.

@ [Col. 0750D] *Hinc subsistit.* Non hic citatur integrum caput sancti Valerii, sed ultima pars cujusdam capitis de genere monachorum, in qua septimum genus addit, eorum qui ex famulitio et servitio monasterii, inviti tondebantur ab abbatibus, paucis tunc ad conversionem accedentibus; eorumque mores pessimos describit, invehiturque in eorum praepositos. Hinc subsistit septimum genus monachorum nuper adjectum pejus prioribus. Dum olim secundum superiorem seriem de primo exordio aedificationis Ecclesiae tantus inardesceret

@ [Col. 0750D] *Candor desiderii.* Id est, ardor desiderii. candor desiderii regni coelorum atque timor Domini corda perterreret populorum; ut non solum per coenobialium crebras atque juges congregationes innumerus et infinitus exercitus multiplicaretur monachorum, verum etiam [Col. 0750B] diversa eremi deserta copiosius contegerentur perfectorum

@ [Col. 0750D] *Ergastulis.* Metaphorice vocat cellas anachoretarum ergastula, ubi illi laboriosam vitam agunt, quemadmodum fossores in ergastulis. ergastulis anachoretarum, et cum in ista

@ [Col. 0750D] *Ultimae extremitatis occiduae partis.* Id est, Hispaniae ex qua oriundus est hic sanctus Valerius, ut supra dictum est. ultimae extremitatis occiduae partis confinia rara videlicet et exigua pullularent sacrae religionis crepundia, a paucis electis et perfectis viris in desertis locis rara ope Domini constructa sunt monasteria: ex quibus multas animas Redemptor expiatas fece peccaminum suscepit in regna coelestia. Et quia discedente et ad finem extremante mundi tempore refrigescit charitas, accrescit saevissima iniquitas, et inexplebilis voraxque exardescit mundana [Col. 0751A] cupiditas, atque infestior invidens invalescit daemonum atrocitas, in [quibus] sacratissimis locis paucissimi tandem reperiuntur electi viri, qui de toto corde convertantur ad Dominum. Et ne ipsa monasteria desolata desertaque remaneant, tolluntur ex familiis sibi pertinentibus

@ [Col. 0751B] *Subulci.* Glossae veteres: *Subulcus* συοβοσκὸς, Χοιροβὸσκος, id est, qui porcos pascit. subulci de diversisque gregibus

@ [Col. 0751B] *Dorseni.* Glossae Isidori: *Dorsennus persona parasitorum.* Et sane Dorsennus quidam parasitus introducitur apud Plautum. Hoc tamen loco dorseni videntur esse pueri opiliones, seu pastores. dorseni atque de possessionibus parvuli qui pro officio supplendo inviti tondentur, et nutriuntur per monasteria, atque falso nomine monachi nuncupantur. Qui dum nec pridem foris in activa vita mundanis studiis, sive servitiis vel operibus excocti eruditique patescunt; nec postea in monasteriis citra

electionem Domini non ultronee, sed inviti sanctae religioni sociati concipiunt in corde timoris Domini compunctionem aut desideria regni [Col. 0751B] coelestis, non obedientiae humilitate, aut sincerae charitatis dilectione fundantur, sed crescunt typo superbiae turgidi, fastu elationis inflati, cupiditati

@ [Col. 0751B] *Philargyriae.* Philargyria, inquit Cassianus, lib. VIII, cap. 1, est pecuniarum amor, de qua toto illo capite sapienter disputat. Dicitur et φιλοχρηματία, quod idem sonat. Appellatur a sancto Antiocho, homil. 8, νόσημα δεινὸν καὶ ὀλέθριον, id est morbus gravis et lethalis. philargyriaeque fomiti

@ [Col. 0751C] *Insatiabiliter mersi.* Avaritia insatiabilis est. Sanctus Isidorus Pelusiota, lib. V, ep. 55, Ἣ τὸ προστιθέμενον ὕλη καὶ ὑπέκκαυμα τῆς τοῦ πλείονος ὀρέξεως γίνεται. Πάντοτε γὰρ δεχομένη οὐδέποτε πληροῦται. Οἷον δέ τις πολυκέφαλος ὕδρα μυρίοις στόμασι τὴν τροφὴν γαστρὶ τῇ ἀκορεστῳ παραπέμπουσα, etc., id est, cui id quod adjicitur est materia et fomes cupiditatis multo plura possidendi; undique enim rapiens nunquam expletur. Tanquam multorum capitum hydra, quae per mille ora cibum in alvum inexplebilem demittens, tanto plus eum appetit, quasi nihil antea acceperit. Et praeclare sane Antiochus monachus, homil. citata, ὥσπερ ἡθάλασσα οὐκ ἐμπιπλᾶται δεχομένη πλῆθος ποταμῶν οὕτως ἐπιθυμία φιλάργυρου οὐ πληροῦται χρημάτων, id est, quemadmodum mare ob multitudinem fluviorum quos recipit, non impletur, sic avari cupiditas nullis divitiis satiatur. insatiabiliter mersi, voracitati

@ [Col. 0751D] *Gastrimargiae.* Gastrimargia, juxta Cassianum, lib. V, cap. 3, est gulae concupiscentia, et juxta sanctum Isidorum Pelusiotam, lib. I, epist. 384, περὶ γαστέρα μανία, id est, ventris rabies et insania. Cui suffragatur sanctus Dorotheus doctrina 15, qui deducit, παρὰ τὸ μαργαίνειν, ὅ ἐστι μαίνεσθαι, τὴν γαστέρα, id est ab eo quod venter insaniat. Et γαστρίμαργος apud Suidam ἄπληστος, id est, insatiabilis. Dicitur etiam ἀδδηφαγία, πολυφαγία, id est voracitas, edacitas immoderata apud Athenaeum libro X, et λαιμαργία apud eumdem ibidem, et λαίμαργος, ciborum gurges, seu vorator. Glossae veteres λαίμαργος, *glutto.* Moschopulus, scheda 3, λαίμαργος πολυφάγος μετὰ συντόνου ἐπιθυμίας, id est, multivorus cum vehementi cupiditate. Distinguit tamen sanctus Dorotheus doctrina citata inter laemargiam et gastrimargiam. Nam laemargia est insana gutturis voluptas, παρὰ τὸ μαργαίνειν τὸν λαιμὸν, id est ab eo quod guttur insaniat; estque immoderatus saporis affectus; cum quis opiparas epulas et cupedias immoderate appetit, quales fuerunt Philoxenus Leucadius Euryxidis filius et Melanthius decoctores, qui ut diutius cibos saperent, hic avis oblongi colli, ille gruis collum optavit, atque alter Philoxenus dithyramborum poeta Cytherius, qui ob eamdem causam colluin tricubitale appetiit, ut docet Athenaeus lib. I. Gastrimargia vero non tam ciborum saporem et lautitias, quam abundantiam et ingluviem exquirit. Laemargia igitur plus saporis delectatione, quam eduliorum ingurgitatione trahitur: licet tandem gustus titillatione victa, ut usu venire solet, in gastrimargiam degeneret, quemadmodum docet sanctus Dorotheus doctr. citata. Exempla gastrimargiae vide apud Athenaeum, lib. IX, et Aelianum lib. I de varia Hist., cap. 26 et seq. gastrimargiae et temulentiae inexplebiliter dediti atque atrocissimae invidiae flamma succensi, ut [Col. 0752A] si viderint aliquos toto corde convertentes et Domino fideliter servientes bonaque opera et Deo placita exercentes: cum de ipsis monasteriis originales servi existant juris sui ea debita et sibi pertinentia defendere contendentes, insurgant superbientes invidiae atra obscuritate caecati

@ [Col. 0752C] *Et adversus opus assumant justum.* Haec sunt transposita et ita legenda: *Et*

adversus opus justum assumant saevissimae crudelitatis odium. et adversus opus assumunt justum saevissimae crudelitatis odium, atque diversis publicis et clandestinis insidiis impedire nitentes. Considerate, obsecro, quantum hos punitura sunt mala sua,
@ [Col. 0752C] *Quos etiam bona puniunt aliena.* Nam ex alieno bono contabescit invidus. Sanctus Gregorius, lib. V. Moral., cap. 34: «Livor alieni boni suum punit auctorem; nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit.» Ovidius II Metam., in descriptione invidiae.

Sed videt ingratos intabescitque videndo Successus hominum, carpitque et carpitur una. Sanctus Cyprianus, tractatu de zelo et livore: «Qualis vero est animae tinea, etc., illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam poenam.» Sanctus Prosper, lib. III de Vita contemplativa, cap. 5. «Invidus alienum bonum suum facit invidendo supplicium.» Unde Apollinaris, lib. I, epist. 4: «de cujus culmine datur amicis laetitia, lividis poena. quos etiam bona puniunt aliena. Et quis ei poterit subvenire,
@ [Col. 0752D] *Qui se sibi exhibet invidendo carnificem.* Sanctus Gregorius supra: «Livor alieni boni suum punit auctorem.» Praeclare admodum quidam poeta apud sanctum Isidorum in fine libri de Differentiis:

Justius invidia nihil est, quae protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum. Ovidius, libro citato:

.... carpitque et carpitur una, Suppliciumque suum est.... Et sanctus Cyprianus tractatu citato ait invidos pectori admovere carnifices. qui se sibi exhibet invidendo carnificem? Aut unde sibi parabit salutem, qui de salute bonorum contrahit male utendo perniciem? Cum autem in arcem superbiae atrociter sublimantur, interitum primae perditionis incurrunt. [Col. 0752B] Scriptum est enim: *Quoniam quem dirus superbiae infecerit spiritus, similem eum effecit diabolo:* et quem similem fecerit vitio, simili eum sine fine cruciandum tradet exitio. Insuper hypocrisi falsae religionis ita captantur, ut in conspectantium obtutibus saecularium protendant falsum sacrae religionis [Col. 0753A] habitum: ut etiam ac si desperantes de bono merito vel vacuum adipiscantur sanctitatis vocabulum. Atque in supra dictorum auditum multiplicant diversas crebrasque series officiorum, et in sublimi arte attollunt canentes melodia vocum,
@ [Col. 0753C] *Atque crebris genuflexionibus.* De genuflexionibus monachorum infra dicetur. atque crebris genuflexionibus protrahentes copiam orationum, et quotidianis diurnis atque nocturnis temporibus torporem desidiosum otiumque implicant somnolentum, ut scribitur, *Habentes religionis signum, non religionis meritum:* hippocentauro similes, nec equi, nec hominis facta discretio, uti superius dictum est, adversus fidelissimos Dei servos dolosa et iniqua machinantur odia, atque impiissimae atrocitatis persecutionem incutiunt: et quos noverint esse latrones homicidas, maleficos, adulteros, atque caetera diabolicae [Col. 0753B] infanda crudelitatis opera exercentes, eos summi amoris affectione, ex totoque corde charitatis connexione amplectuntur. Hinc procul dubio aperta ratio manifestat quia, despecto Deo, diabolo obediunt et servi fideles existunt, cujus satellites amant, amplectuntur et diligunt: et Domino, cujus fidissimos servos persequuntur et odiunt, inimici,
@ [Col. 0753C] *Refugae.* Refuga substantivum hoc loco est desertor, apostata. Glossae veteres ἀποστασία, ἀποστατης, *refuga.* Tertullianus, de Habitu muliebri, cap. 5: «De

ignominiis in honores metalli refuga mutatur.» Poemate I contra Marcionem:

Terribilis refuga attribuit fera munera mortis, Et secundo:

Postquam fracta fides refugis spirantibus hostis, etc. Et infra:

Affixit ligno refugarum immane tropaeum. Refuga, qui aliquid refugit. Flodoardus lib. I Hist., cap. 24: «Humanae laudis et mundanae retributionis refuga.» Alias adjectivum est, ut, *refuga caesaries, apud Sidonium lib.* I epist. 2, id est, in occipitium reflexa. refugae, odibiles, et exteri fiunt: qui dixit: *quod fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis* **(Matth. XV)**. Iterum scriptum est: *ille Dominum odit et contemnit qui non solum non timet Deum, sed gratis odit timentes Deum.* Rectores vero eorum, et si se existiment se graviter ante Deum esse culpabiles, sed quia erga gregem sibi creditum negligentes, et mala non prohibentes existunt, non solum propter [Col. 0753C] propria delicta, sed pro subditorum flagitiis dupliciter condemnabuntur. Hinc David deprecans orat. *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo* **(Psal. XVIII)**. Quicunque ex senioribus
@ [Col. 0754C] *Causam delinquentis adornat.* Causa hoc loco est defensio, excusatio. Terentius in Hecyra, act. IV, sc. IV:

Etsi tibi causa est de hac re: Ubi Donatus: «Causam more suo pro defensione posuit.» Et in Phormione:

Justam illam causam, facilem, vincibilem, optimam. Donatus: «causam pro defensione posuit.» Causam ergo adornare est defensionem parare, instruere, quasdam rationes ad delictum excusandum vel extenuandum proferre. causam delinquentis adornat, majorem ei insolentiae fomitem [Col. 0754A] generat: ita ut cor ejus magis magisque indurari faciat: et contumaciam delinquentis differendo non discutit, nec humiliari eum sinit,
@ [Col. 0754D] *Nec dissimulanter quae permittit.* Lege, *nec dissimulando,* et τὸ *quae expunge, quia redundat.* Ut haec ita connectantur: *Nec humiliari eum sinit:* nec dissimulando, permittit de satisfactione et venia *(sup. eum)* cogitare. nec dissimulanter quae permittit de satisfactione et venia cogitare, sed idem denuo iterare, quoniam Scriptura nempe testatur, *Quod omne peccatum quod remissus indisciplinatusque admiserit frater, ad negligentem protinus revertatur seniorem;* et propter se et pro illo duplam redditurus est rationem. Recte namque censetur: ut cum quo participat errorem, aeternam retributionis cum eo sortiatur ultionem, quia:

Ipse jubere nefas, ipse perhibetur amare,
Qui prohibere valet, nec prohibere volet. Horum et similium praevaricatricem clandestinae simulationis perniciem simul cum publica mundanae [Col. 0754B] delinquentiae facinorum contagione debet fideliter juxta sibi creditum supernae veritatis divini imperii vicem et gloriosum terrenae potestatis principium severitas justissimae censurae et zizaniorum ac tribulorum de agro cordium delinquentium pessimam suffocationem falcifera emendationis succisione radicitus exstirpare, atque vomere justitiae et rastro veritatis excolere, ut novalem fructum fidei et sanctitatis creatori suo valeat procreare. Haec exigua verba de exsecranda hypocrisis nequitia dixisse sufficiat. Nam de gravioribus flagitiis delictorum disserere non est meum. Illius semper sententiae

recordabor: *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me* **(Psal. XXXVIII)**. *Ut non loquatur* [Col. 0754C] *os meum opera hominum* **(Psal. XVI)**. Ille justus judex, qui est mentium testis et occultorum cognitor, ipse est et erit bonis bonorum in sempiterna gloria retributor, et malorum secundum merita singulorum veracissimus ultor.

CAPUT IV.

@ [Col. 0755A] *De ordinando abbate.* In omnibus regulis sive editis, sive mss. quas viderim, hoc caput est sexagesimum quartum ordine. DE ORDINANDO ABBATE. [Col. 0755A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0755B] *In abbatis ordinatione.* Haec usque ad illa verba, *constituant dispensatorem, extant Dist.* 61, can. *In ordinatione.* Ubi quaedam variant maxime cum legitur, τὸ *praepositi,* pro, *abbatis;* et infra, *praepositos,* pro, *abbates.* Sed haec mutatio facta videtur ex industria. Quare non video cur huic canoni praefigatur palea. In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur

@ [Col. 0755B] *Quem sibi omnis concors elegerit.* Fuit antiqua Ecclesiae consuetudo, ut monachi sibi suum abbatem eligant. Id praescribunt antiquorum Patrum regulae, et ecclesiasticae civilesque sanctiones. Vide titulum sextum *De Electione et electi potestate;* concilium Lateranense sub Gregorio Magno, ubi etiam praecipitur, ut abbas de ipsa congregatione eligatur, si in ea idoneus quispiam repertus fuerit. Cod. l. 46. *De sacrosanctis ecclesiis.* Justiniani Novellam 5, cap. 10; lib. I Capitularis Caroli et Ludovici imperatorum, titulo 8. Et praxis videtur in epistola monachorum Laubiensium ad Rothardum Cameracensem et Notkerum Leodiensem episcopos apud Baldricum lib. I Chron. Cameracensis, cap. 105. «In cujus electione noveritis non deesse nostram unanimitatem secundum nostrae Regulae institutionem: quae praecipit, vel omnino concordem in hoc fieri congregationem, vel saniori consilio etiam, quamvis minimam partem.» quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei,

@ [Col. 0755C] *Sive etiam pars, quamvis parva, congregationis, etc. Parva id est minor, hellenismus, positivus pro comparativo.* Et sane in epistola Hincmari ad Rotrudem electam monasterii Sanctae Crucis, seu Sanctae Radegundis Pictaviis apud Flodoardum, lib. III Hist. Eccl. Rem., cap. 27, legitur, τὸ *minor.* «Pro qua rex praeceperat Frotario archiepiscopo, et Erardo atque Angenoldo ad praefatum monasterium pergere, et electionem regularem ibi facere; et si cuncta concors congregatio, vel pars, quamvis minor, tamen melior Rotrudem elegerit, constitueretur in ordine abbatissae.» Idem autem Hincmarus in epist. ad Richildem reginam apud Flodoardum eodem capite mentionem facit hujus capitis de ordinando abbate: «Monens ut legat capitula regulae beati Benedicti de ordinatione abbatis vel abbatissae, et inveniet quam graviter pro hac ordinatione in Spiritum sanctum, quo ipsa regula est promulgata, peccaverit.» Monachi Laubienses in epistola citata dixerunt, *minima;* «vel saniori consilio, etiam quamvis minimam partem.» Sed non citaverunt ex codice. Hunc sancti Benedicti locum respicit illud de electione, can. ecclesiast. «Ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major vel sanior pars consentit; subaudi, *quamvis*

parna. Hoc statuit sanctus Pater Benedictus ut pravorum factionibus fenestram ad licentiam praecludat. sive etiam pars, quamvis parva, congregationis saniore consilio elegerit. Vitae autem merito et sapientiae doctrina eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa in notitia episcopi ad cujus dioecesim pertinet locus ipse, [Col. 0756A]

@ [Col. 0756A] *Vel ad abbates.* Ita apud Smaragdum. In cod. mss. Ebrul. et Vict. P. deest praepositio *ad.* In ms. Vict., *vel abbatibus aut Christianis vicinis.* vel ad abbates

@ [Col. 0756B] *Aut Christianos vicinos.* Non tanquam jus habentes in monachos, sed qui sint episcopis et abbatibus aut suasores, aut adjutores, ut nova electio rata habeatur. Quamvis enim haec omnia sub eodem verbo dicantur, sunt tamen secundum personarum qualitatem intelligenda. aut Christianos vicinos claruerint, prohibeant pravorum praevalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud

@ [Col. 0756B] *Caste.* Id est sine corruptela et muneris palpatione. Cicero, Orat. pro lege Manilia: «Et meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus.» Nonius Marcellus, cap. 4: «Castum a furtis et rapinis abstinens.» Varro Andabatis. «Nec manus visco tenaci tinxerat viri casta.» caste et zelo Dei faciant, sicut e diverso peccatum, si negligant. Ordinatus autem abbas cogitet semper quale onus suscepit,

@ [Col. 0756B] *Et cui redditurus est rationem villicationis suae.* In canone Theodori archiepiscopi Cantuariensis ad hunc locum fit allusio: «Fac eam semper agnoscere, quia tibi redditura est rationem villicationis suae.» et cui redditurus est rationem villicationis suae, sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse. Oportet ergo eum esse doctum

@ [Col. 0756C] *Lege divina.* Id est, sacra Scriptura et rerum divinarum scientia, ut infra fusius. lege divina,

@ [Col. 0756C] *Ut sciat et sit unde.* Ita in utroque cod. ms. S. Germ. et apud Ruthardum ms. recte, nam phrasis, *sit unde, est familiaris sancto Benedicto.* Vulgo, *ut sciat et sic unde, etc.* ut sciat, et sit unde proferat nova et vetera; castum, sobrium, misericordem; et semper

@ [Col. 0756C] *Superexaltet misericordia judicio.* Ita Smaragdus. At sanctus Dunstanus, editio Coloniensis, vetus Parisiensis cum vulgatis: *Superexaltautem misericordiam judicio.* In canone Theodori Anglorum episcopi, in antiquo ordine Romano: *Superexaltet misericordiam judicio.* Sed lege cum Turrecremata: *Superexaltet misericordia judicium.* Nam sanctus Jacobus, cap. II, unde haec verba sumuntur, scribit: *Superexaltat autem misericordia judicium, id est, ut in textu Graeco habetur;* κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως; hoc est, *gloriatur misericordia adversus judicium;* unde, *superexaltet misericordia judicium, est, se exaltet misericordia super judicium.* Judicium hoc loco pro justitia ponitur, et saepe in sacra Scriptura. Haec virtus digna rectore monasterii, quia digna Deo, cujus *miseratione;* super omnia opera ejus. Digna principe, ut bene monet Cassiodorus lib. I Variarum epist. 9: «Benigni principis est ad clementiae commodum transire terminos aequitatis: quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant.» Hanc maxime sectatus est sanctus Odilo abbas Cluniacensis, qui etiam se eo nomine arguentibus respondebat, quod si damnandus foret, se malle ob clementiam, quam ob severitatem damnari, ut refert

beatus Petrus Damiani in ejus Vita. Quinimo non descendit in Tartarum misericordia, cui Christus misericordiam pollicitus est. Quod innuit sanctus Ambrosius in obitu Theodosii: «Bonum est misericors homo, qui dum aliis subvenit, sibi consulit, et in alieno remedio vulnera sua curat.» superexaltet misericordia judicio, [Col. 0757A] ut idem ipse consequatur.

@ [Col. 0757A] *Oderit vitia, diligat fratres.* Haec hominis omni perturbatione vacui virtus et perfectio est. Idem praeclare monet sanctus Augustinus serm. 1, 7. «Quando autem judicas, dilige homines, oderis vitium. Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem. Homo proximus est tuus, vitium inimicum proximo tuo. Tunc amas amicum, si oderis quod nocet amico.» Prosper Aquitanicus, Epigram. 2.

Divinum in nullo figmentum despiciatur,
Sola malis studiis addita non placeant. Idem Epigram. 25.

Legem spernentes odit cum legis amator,
Non homines odit, sed reprobat quod agunt. Et Epigram. 65.

Recta volens animus, sapiens et amator honesti
Quosdam odio dignos judicat esse suo. Nec tamen hos toto depellit foedere, gnarus
Naturam errantem dividere a vitiis; Sic generi indulgens proprio, ut peccata recidi
Optet, et ut damnet crimina, non homines. Sanctus Gregorius papa lib. IX, epist. 8: «In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris ut personas diligas, vitia persequaris.» Sanctus Eutropius Valentinus episcopus in epist. ms. de districtione monachorum: «Sed Dominus in Evangelio sic dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Et hoc qualiter intelligatur, adverte. Ille in hoc dicto tenetur obnoxius, qui non vitio quod in homine malum, sed naturae ipsi humanae, quam utique Deus bonam condidit, irasci voluerit, et praerogare stimulum.» Ita se gerebat erga subditos sanctus Fulgentius Ruspensis episcopus, qui, ut in ejus Actis habetur: «Odiens vitia, et diligens homines tandiu severus apparebat, quandiu disciplinae spiritalis severitas exigebat.» Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, et

@ [Col. 0757C] *Ne quid nimis.* Haec est discretionis et prudentiae regula. Hujus sententiae meminit Terentius in Andria.

Nam id arbitror Apprime in vita esse utile, ui ne quid nimis. Ausonius in ludo septem Sapientum.

Dixisse ex isto loco Afer poeta videtur, ut ne quid nimis. Per Afrum poetam intelligit Terentium. Meminit et sanctus Isidorus Pelusiota lib. V, epist. 73: Εἷς μέν τῶν ἕπτα θρυλλουμένων σοφῶν παρηνεσε, μηδὲν ἄγαν, id est, unus e septem Sapientibus hortabatur: Ne quid nimis. Et epist. 528: Σοφὼ δὲ ἄνδρε εἶπα τὴν· ὂ μηδὲν ἄγαν· ὁ δὲ μέτρον ἄριστον; id est, duo viri sapientes dixerunt: alter, ne quid nimis; alter, modus optimus. Idem repetit epist. 413. Sanctus Leander de Institutione virginum, cap. 15: «Unde vera est illa sententia philosophorum: Ne quid nimis.» Hanc sententiam tribuit Soloni Diogenes Laertius lib. I, in ejus Vita. Haec autem regulae verba usque ad illa, *ut diximus.* Et studeat plus amari, etc., citantur in conc. Duziac. II. ne quid nimis:

@ [Col. 0757D] *Ne, dum nimis eradere, etc.* Idem alia similitudine praeclare docet sanctus Gregorius epist. citata: «Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare, quod

sanum est: ne, si plusquam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas.» ne, dum nimis eradere cupit aeruginem, frangatur vas.

@ [Col. 0758A] *Suamque fragilitatem semper suspectus sit.* Ut possit alienae fragilitati compati. Unde praeclare admodum sanctus Ambrosius de obitu Theodosii: «Agnoscit se hominem esse, qui novit ignoscere.» Suamque fragilitatem semper suspectus sit: memineritque

@ [Col. 0758A] *Calamum quassatum non conterendum.* Isaiae XLII; et citatur a Matthaeo, cap. XII, dictum de Christo, quem antistites monasteriorum debent imitari. Calamus quassatus, ut notat sanctus Basilius interr. 291, Regul. brev., is est qui nondum omni fastu vacuus non adeo sincere mandatum exsequitur: qui non ideo conterendus est, et severius increpandus, sed benigne ferendus, ut sanari possit. Quid sit arundo, seu calamus, belle exponit Eusebius Gallicanus, homilia in haec verba: «Arundini quoque, id est, carici, quae a vento movetur, peccatrix et infidelis anima comparatur, ut pote levis, mobilis, inquieta, infirma, fragilis, infecunda velut inutilium numerositate foliorum, plena superfluis, vacua necessariis, inanis gratiis, nodosa peccatis, ad omnia blandientia obnoxia, et facile cujuslibet injuriae commotione cassanda, inconstans radicibus, a foris nitida vanitatibus, intus cava virtutibus. Quam nulla extrinsecus utilitas vestit, nulla intrinsecus fidei medulla corroborat. Quam, sicut carices, quae fluvios amant, ita mundi hujus praeterfluentia, et celeri decursu peritura delectant.» Postea concludit invicem alterius commodis laborandum, et invicem labores atque onera esse portanda. Unde sanctus Hieronymus hunc locum Matthaei explicans sapienter dicit: «Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit.» calamum quassatum non esse conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter [Col. 0758A] et cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, ut diximus.

@ [Col. 0758C] *Et studeat plus amari, quam timeri.* Hic locus habetur in supra citata epistola monachorum Laubiensium. Eamdem sententiam profert regula Tarnatensis cap. 23: *Plus amari appetat, quam timeri.* Praeclare Corippus lib. IV.

Corrector iniqui Censuram gravitate gerens, multoque rigore Terribilis, mitique magis pietate tremendus. Et studeat plus amari, quam timeri.

@ [Col. 0758C] *Non sit turbulentus, etc.* Haec sancti Benedicti verba ita praeclare modificantur et explicantur in libello supplici monachorum Fuldensium ad Carolum Magnum: «Fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio.» Non sit turbulentus et

@ [Col. 0758C] *Anxius.* Ut contingere solet pusillanimis, meticulosis et scrupulosis, qui ad quamlibet, vel levem, difficultatem, trepidare solent, atque etiam ardelionibus, qui omnia facere volunt, quos profecto necesse est nimia anxietate saepius lancinari, cum saepe negotiorum mole obruantur. anxius; non sit

@ [Col. 0758D] *Nimius.* Hoc loco est molestus, importunus. Magister in regula ms., cap. 9: *Ne aut nimius ei appareat, aut improbus.* Nam *improbus, ut infra dicetur, est importunus.* Proprie *nimius, est modum in rebus agendis excedens.* Unde adverbium, *nimie, id est, immoderate, apud Julium Capitolinum in Gordianis:* «Moribus ita moderatus, ut nihil possis dicere, quod ille aut cupide, aut immodeste, aut nimie fecerit.» nimius et obstinatus; non sit

@ [Col. 0758D] *Non zelotypus.* Metaphora ducta est a maritis, qui de uxoribus alquid

sinister semper suspicicantur: quales sunt ii, qui scrupulosius monachorum suorum actiones rimantur, et observant. zelotypus et nimis suspiciosus: quia nunquam requiescit. In ipsis imperiis suis providus et consideratus; et

@ [Col. 0758D] *Sive secundum Deum, etc.* Lege, ut apud sanctum Dunstanum, Smaragdum, et in vulgatis: *Sive secundum Deum, sive secundum saeculum sint.* Opera, quae injungit discernat, et temperet. Ita ut verbum substantivum, *sint, referatur ad* τὸ *imperia.* Unde Smaragdus: «Imperia secundum saeculum sunt, quae ad corpus spectant, ut sunt arare, metere: secundum Deum, quae ad animam, ut orare, jejunare.» sive secundum Deum, sive secundum saeculum sit opera quam [Col. 0759A] injungit, discernat et temperet, considerans discretionem sancti Jacob dicentis: *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die* **(Gen. XXXIII)**. Haec ergo et alia testimonia discretionis, matris virtutum, sumens, sic temperet omnia

@ [Col. 0759C] *Ut sit et fortes quod cupiant, etc.* In cod. ms. Ebrul.: *Et fortes sit quod cupiant;* sed vocabula sunt transposita. In Vict. et S. Germ. legitur, *sint, male.* In vulgatis, apud Smaragdum et sanctum Dunstanum, habetur *sint,* et *qui* pro *quod;* non ita recte. Sed locus corruptus est apud Smaragdum. Nam in Commentario ait: «Sic enim cum discretione, quae est mater virtutum, monachorum opus est temperandum, ut sit, id est, tale opus, et fortes quod cupiant; subauditur, agere, vel implere.» Recte admodum. In hanc lectionem conspirat Arnoldus abbas Lubecensis lib. IV Chron. Slavorum, c. 13, agens de Regula sancti Benedicti: «Ibi enim est quod fortes cupiant et infirmi non refugiant.» Idem sensus habetur in canone Theodori supra citato: «Ut fortes habeant quod cupiant [*Sup.* agere] et infirmi non refugiant.» His consentit editio Colinaei, quae est veluti quaedam hujus loci paraphrasis: «Ut sit, quod fortes agere cupiant, et infirmi, quod non refugiant.» ut sit et fortes quod cupiant, et infirmi non refugiant; et praecipue ut praesentem regulam in omnibus

@ [Col. 0759D] *Conservet.* Ita vulgo habetur. Et ad abbatem hoc verbum refertur: et ita explicat Smaragdus. Sed in utroque ms. cod. S. Germ. et Vict. legitur: *Conservent:* quae lectio satis mihi arridet, quia sequentia melius cohaerent antecedentibus, hoc modo: *Sic temperet omnia, ut sit et fortes quod cupiant, etc., et praecipue, ut praesentem regulam in omnibus conservent.* conservet. Et dum bene ministraverit, audiat a Domino quod servus bonus, qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: *Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum* **(Matth. XXIV)**.

§ II.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 20).

@ [Col. 0759D] *Abbas.* Haec habentur in R. ms. sancti Fructuosi episcopi Bracarensis, Cod. Crassensis eodem capite 20; et referuntur in libello qui inscribitur: *Centum et quatuordecim sententiae Patrum de officio rectorum ecclesiae, Coloniae edito, anno Domini 1531.* Abbas vel praepositus

@ [Col. 0760B] *Ex propriis coenobii monachis.* Abbas eligendus est ex ipsa congregatione coenobii. Ita statuit sanctus Gregorius Magnus in concilio Lateranensi: «Defuncto vero abbate cujusquam congregationis, non extraneus (eligatur) nisi de propria congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit.» Et lib. I Capitularis Caroli et Ludovici impp. tit. 86. e propriis semper coenobii monachis eligatur: vir sanctus, discretus, gravis, castus, charus, humilis, mansuetus et doctus. [Col. 0759B] Qui divinis experimentatus [est] documentis omnibus perfectis rebus bene fuerit eruditus. Qui in abstinentia praecellat, in doctrina refulgeat,

@ [Col. 0760C] *Exquisitas epulas mensae lautioris consuetudinemque contemnat.* In praefato libello *Centum et quatuordecim sententiarum legitur:* «Exquisitas epulas in mensa lautiores consuetudine contemnat,» male. Consuetudo hoc loco est victus, qua de re infra. exquisitas epulas mensae lautioris consuetudinemque contemnat, vini nimii perceptionem respuat, cunctis in commune fratribus, ut pater proprius piissimusque provideat. Quem nec ira subita immoderate dejiciat, nec moeror ac pusillanimitas frangat, nec libido corrumpat. Qui et in patientia discretionem et cum ira exhibeat lenitatem. Quique sic egentibus aut pauperibus pareat, ut ministrum se, non praelatum tantum Christi visceribus recognoscat. [Col. 0760A] Cujusque tanta debet sermonis et vitae consonantia esse, ut id, quod docet verbis, confirmet operibus sedulis. Et bis acuto praecedens gladio quidquid alios informat verbo, jugi ipse gerat studio: ut nec sermonem operatio destruat, nec e contra operationem bonam sermo inconveniens frangat, sed sint sibi cuncta ita in
@ [Col. 0760C] *Patre.* Leg., *pace.* Patre convenientia, sicut chordarum concordia in lyra vel cithara, quae tunc dulcifluum ex se sonum repercussae reddunt cum artificis pulsante manu temperato aequitatis ordine, et non confusae inaequalitatis praecipitatione feriuntur.

§ III.---EX REGULA ALTERIUS FRUCTUOSI (cap. 3).

Primum praevidendus est abbas vitae sanctae institutione duratus,
@ [Col. 0760C] *Non conversatione novellus.* Quia is qui vix monasterii leges didicit, nondumque omnia vitia mortificationis falce resecuit atque etiam artis spiritalis ignarus, vix poterit alios regere. Quod sane maxime cavendum est; ne etiam in superbiam elatus, in judicium, id est damnationem incidat diaboli, quia existimabit monasterium indiguisse sua sapientia et auxilio, et se cito ad eam perfectionem, quae in praelato requiritur, gradum fecisse. non conversatione novellus, sed [Col. 0760B] qui per diuturnum tempus in monasterio sub abbate desudans inter multos est comprobatus;
@ [Col. 0760D] *Et non habet haereditatem in saeculo.* Haec metaphorice dicuntur. Id est, non appetit huius saeculi bona. et non habet haereditatem in saeculo, sed in toto Israel absque sorte in terra repromissionis est Levita verus. In tantum, ut omnem
@ [Col. 0760D] *Causandi usum.* Causari est litigare, causam agere, contendere judicio. Papias: *Caussari, caussas agere, vel reprehendere, calumniari, inculpare.* Sanctus Hieronymus in caput primum Abacuc: «Causatur adversus Deum propheta.» 1 disputat. lib. II legis Longobardorum, tit. 52, l. I: «Si quis causam alterius agere aut causari praesumpserit.» Lib. II Capitul. Caroli et Lud. impp., tit. 34: «Si inventus fuerit aliquis, qui non habeat justitiam causandi aut reclamandi.» causandi usum radicitus a suo corde depellat: et si
@ [Col. 0760D] *Fas fuerit.* Id est, si fieri possit. fas fuerit, per nullam occasionem in judicio cum hominibus contendat. Sed, si quis eum incitaverit, et tunicam tulerit,
@ [Col. 0760D] *Qualiter contendat.* Id est, ita ut inde ad contendendum irritetur. qualiter contendat, ad vocem continuo Dominicam et pallium relinquat. Si certe aliquis insecutor monasterii accesserit, et aliquid auferre conatus fuerit, et per vim tollere voluerit, uni de laicis causam injungat, [Col. 0761A] et ipsi fidelissimo Christiano, quem bona vita commendat, et fama mala non reprobat. Qui res monasterii absque peccato

@ [Col. 0761A] *Judicet.* Lege, *vindicet.* judicet et quaerat. Et, si usus jurandi est, hoc faciat
@ [Col. 0761A] *Sine juramento et poena.* Lege, *Sine juramenti poena.* Poena est difficultas. Jonas in Vita sanctae Burgundoforae: «Cumque mater monasterii saepe anxia quaereret quae poenae foret occasio, ut nullatenus veritatem valerent exprimere.» sine juramento et poena: et non tantum pro rerum lucris, sed ut persecutorem humilem et mansuetum ad veniam postulandam reducat. Quod si persecutor in sua perseveraverit contumacia, et plus lucra dilexerit quam animam, statim
@ [Col. 0761B] *Causator.* Id est, litigator, qui judicio contendit. Legis Salicae tit. 6: «Cum causa discussa fuerit inter duos causatores.» Lib. III Capitul. Car. et Lud. Impp., tit. 10: «Et non soli accusatori liceat testes eligere absente suo causatore.» In Glossis Isidori: *Causarius, litis amator;* eaedem Glossae: *Causarius, reus.* causator cum eo contendere dimittatur.
@ [Col. 0761B] *Abbas vero absque usu ullo causandi.* Laudanda sane constitutio. Neque etiam placuit sancto Gregorio magno ut abbas per se litiget, ut videre est libro II Regesti, cap. 42, ad Joannem abbatem: «Non frequenter foras egrediaris: in causis istis procuratorem institue: et tu ad lectionem atque orationem vaca.» Notent abbates et rectores monasteriorum. Turpe est sane videre abbatem per fora volitantem, qui in litigiorum maeandris misere consenescat. Abbas vero absque ullo usu causandi, et eraso rancore stomachi, simpliciter in monasterio cum suis [Col. 0762A] monachis vivat, et nullam cum saecularibus causandi licentiam habeat.

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 93).
@ [Col. 0761B] *Videte.* Haec habentur in Regula ms. cod. Corb. eodem cap. 93, cujus hoc est initium: *Ideoque judicio Dei, etc.* Ut autem haec intelligantur, notandum est ex cap. 92 et 94 ejusdem Regulae quod hic Magister non vult abbatem eligi a fratribus, propter ambitus, rixas et jurgia; sed statuit ut abbas eum quem magis idoneum judicaverit designet oculo, et cum se videt lethali morbo corripi, convocatis fratribus, eum quem antea apud se designaverat, eis patefaciat, et accersito loci illius episcopo, nominatus frater ab eo ordinetur. Videte, fratres, ne quis hanc ordinationem animo malo suscipiat, et Christum contemnat, cujus vicem in monasterio vobis iste acturus est. Post haec statim oratione ab omnibus facta, accersitus statim
@ [Col. 0761C] *Praesul.* Adhibetur episcopus territorii in quo situm est monasterium, qui abbatem electum benedicat atque ordinet, juxta antiquum morem, quo abbates ab episcopis benedicuntur et ordinantur, ut videre est in antiquo ordine Romano, et statuitur Codicis lege 46, *de episcopis et clericis, etc.* Novella Justiniani 123, cap. 34, et lib. IV Basilicorum. Idem videre est apud sanctum Gregorium Magnum, lib. IX, epist. 42, et can. 14 synodi VII: «Lectori autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli unicuique abbati facere, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χείροθεσια παρ᾽ επισκόπου, id est, Si ipsi abbati ab episcopo manus est imposita.» Abbatissae etiam ab episcopis ordinantur, ut videre est in antiquo ordine Romano, apud sanctum Gregorium, lib. VI, epist. 12: «Quam tamen (abbatissam) si digna hoc monasterio judicata fuerit, ejusdem loci episcopus ordinet.» Et lib. VIII, epist. 43. Id etiam constat ex epistola sanctae Radegundis apud sanctum Gregorium Turonensem, lib. IX Hist., cap. 42: «Quam (abbatissam Agnetem) beatissimi Germani praesentibus suis fratribus benedictio consecravit.» Intelligit sanctum Germanum episcopum Parisiensem. De abbatum dignitate vide Chassanaeum, parte IV Catalogi gloriae mundi,

consideratione 31 et seq. praesul Ecclesiae ipsius territorii vel testimonio ejus
@ [Col. 0761D]

Clericatus officii. Clericatus officium nihil aliud est quam clerici, qui praesto sunt episcopo, eique operam suam in re ecclesiastica administranda commodant: ut in jure civili officium dicitur certus hominum numerus, qui judici jus dicenti assistunt. Cod. l. 6, *de Sententiis et interlocutionibus, etc.:* «Cum sententiam praesidis irritam esse dicis, quod non publice, sed in secreto loco officio ejus non praesente sententiam suam dixit.» Edicti Theodorici regis cap. 4, 10 et 55, apud Optatum Milevitanum, lib. VI adversus Parmenianum: «Per judicia saecularia et leges publicas divinae legis instrumenta exsecutione officiorum a plurimis eripienda esse dixistis.» In collatione Carthaginiensi n. 201 «cujus loco Felix episcopus subscripserit, officium aperte demonstret.» Officium etiam milites sunt aulici. Corippus lib. III de laudibus Justini minoris:

Omnis sacrorum vis adfuit officiorum, Et infra:

Officia stratos jussu monituque jubentis Erexere viros..... Et lib. IV:

Dona Calendarum, quorum est ea cura, parabant Officia, et turmis implent felicibus aulam. clericatus officii mutato,
@ [Col. 0762C] *Episcopi manu ejus in abbatis honorem.* Locus corruptus, qui ita restitui potest: *Episcopi manu nomen ejus abbatis, qui in honorem ordinatur, post nomen prioris ejus scribatur.* episcopi manu nomine ejus in abbatis honorem
@ [Col. 0762C] *In diptyco.* Glossae Isidori: *Diptycha tabellae, quas ferinus.* Δίπτυχον, seu, δελτίον δίπτυχον, adjective, est tabella duas plicas habens dicta ab Atheniensibus γραμματεῖον δίθυρον, id est liber habens duas valvas. Nam illi valvas, seu θύρας appellant, quas alii plicas. Dicitur, et τρίπτυχον, id est, tabella habens tres plicas: et πολύπτυχον, id est, tabella habens plures plicas, ut scribit Julius Pollux lib. IV Onomastici, cap. 2. Quod etiam Latine usurpatum est: apud Cassiodorum, lib. V Var., epist. 4: «Ut omnibus a te sollicite atque aequabili indagatione compertis polytycis jubeantur ascribi;» et Marculphum, formula 3: «Et in polyptyco publico censitus non est.» Dicuntur et diptycha sacra libri in quibus scribebantur nomina defunctorum pontificum orthodoxorum, quorum in sacra Liturgia fiebat commemoratio: qua de re agit sanctus Maximus Caesaraugustanus episcopus in Chron., aera 650, mentionem facit Georgius episcopus Alexandrinus in Vita sancti Joannis Chrysostomi, concilium Constantinopolitanum sub Agapeto et Menna, actione 5 **(Photius, n. 96)**, et multi alii. Seorsum etiam in illis scribebantur nomina pontificum viventium orthodoxorum, ut notum est ex concilio Chalcedonensi, actione 11. Horum diptychorum mentio fit in Liturgia sancti Joan. Chrysostomi Ὁ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα, id est, Diaconus per circuitum incensat sanctam mensam et diptycha. Ubi interpres non ita recte vertit, *corporale.* Consule Onomasticon doctissimi viri Heriberti Rosweidi societatis Jesu. in diptyco post nomen prioris ejus, jam
@ [Col. 0762D] *Missa altaris.* Appellat missam altaris, ut distinguat a missa quae dicitur conclusio seu collecta. missa altaris in oratorio [Col. 0763A] a
@ [Col. 0763C] A *clerico.* Id est, presbytero. Nomen generale pro speciali. clerico recitetur,

ipso oblationem fratrum recitante. Si tamen abbas adhuc defunctus non fuerit, et adhuc deletus a vivis non fuerit, tunc post nomen majoris.

@ [Col. 0763C] *Nam postquam defuncti nomen, etc.* Id est, cum nomen abbatis defuncti in eam partem seu paginam diptychi in qua nomina defunctorum abbatum scribuntur, relatum fuerit; id est, cum abbas mortuus fuerit. Nam postquam defuncti nomen inter quiescentes migraverit, novi nomen in capite scribatur. Mox ergo celebrantes in oratorio missas, cum explicuerint, praesente, ut diximus, pontifice, vel cuncto ordine clericatus officii, data ei a priore pace, vel subsequente congregatione, tradat ei in manum hanc Regulam, simul, et petitas claves a cellerario de

@ [Col. 0763C] *Inticis.* Inticae, id est, enthecae, ut diptycum, pro diptychum; eptatycum, pro heptateuchum. Entheca a Graeco, ἐνθήκη, repositorium, cella, in qua substantia domus seu monasterii reconditur. Cassianus, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14: «Cumque totam enthecam coenobii suam credat esse substantiam.» Sanctus Augustinus, serm. 1, de vita clericorum: «Enthecam nobis habere non licet.» Novella Justiniani 128: «Cum omnibus qui in ea invenientur, agricolis et peculiis eorum, et enthecis, et fructibus.» inticis monasterii et

@ [Col. 0763D] *Brevem.* De hac voce infra dicetur. brevem rerum universarum ferramentorumque et codicum, vel universarum mobilium, et collata singulorum

@ [Col. 0763D] *Testamenta.* Testamenta sunt instrumenta seu chartae donationum et acquisitionum. Lex Ripuariorum, tit. 59, § 1: «Si quis aliquid alteri vendiderit, et emptor testamentum venditionis accipere voluerit,» etc. Marculphus, formula 101: «Sub libertatis testamento solemniter.» Et hoc sensu multa testamenta abbatum intelligenda sunt, quorum fit mentio in historiis et multis sanctorum Vitis. testamenta omnia ante pontificem assignentur. Nam dicat ei cui dat Regulam hanc, praesente pontifice [Col. 0763B] vel universo clero ejus: *Accipe,* frater, *Legem Dei hanc regulam, in qua observantibus aeternam provideas vitam, negligentibus sempiternum proponas judicium.* Hic anima vincit, aut perit; hic vita aut amittitur, aut tenetur. Hic pendet istarum, quas conspicis, animarum a te Dei exactio.

@ [Col. 0763D] *De hoc breve gregis.* Ita loquitur, quia ibi erat breve seu matricula, in qua monachorum nomina scripta erant. De hoc breve gregis istius in judicio Domini post me tu facturus es rationem. Memento, frater, memento, quia plus cui creditur, plus ab eo exigitur: et esto jam sollicitus, et noli esse securus de lupi voracibus faucibus

@ [Col. 0763D] *Diabolicas insidias.* In Regula ms. *Vel diabolicas insidias.* Sed lege, *vel diabolicis insidiis gregi tuo futuris.* diabolicas insidias gregi tuo futuras,

@ [Col. 0764C] *Sed et vulneribus.* Lege: *sed et de vulneribus.* sed et vulneribus animarum vel ruinis culparum, quibus artibus vel monitionibus ad salutem animas valeas instaurare. Esto jam, quantum potes, vigilans et sollicitus, quia usque hodie fuisti securus. Haec [Col. 0763C] cum compleverit, Regulam istam tenenti in manu iterato dicat abbas: Ingredere in oratorium Domini, et sta in loco meo cum congregatione jam tua. Alliget

@ [Col. 0764C] *Summus sacerdos.* Id est, episcopus. summus sacerdos orationibus suis in [Col. 0764A] gestis coelorum quod suscepisti in terris. Et post haec dicta tradat ei pallium suum: quo accepto, qui acceperit

@ [Col. 0764C] *Osculetur, qui accepit, manum dantis.* Veteres olim manus osculabantur in signum honoris et venerationis. Sanctus Hieronymus in Vita sancti Hilarionis: «Et

benedicentes Deum sancti deosculati sunt manus.» Idem in Vita sancti Pauli eremitae; «Osculatis ejus oculis manibusque.» Et epist. ad Asellam: «Osculabantur mihi manus quidam, et ore vipereo detrahebant.» osculetur manum dantis. Et cum acceperit, mox ingressus cum sacerdote novus abbas cum congregatione jam sua in oratorium et stans in loco prioris, postquam sacerdos pro eo orationem fuderit, statim vadat novus abbas ad altare: et ponat super eum Regulam,

@ [Col. 0764C] *Et dum eam ponit, quam accepit.* Haec sunt transposita, et sic legenda: *Et ponat super illud Regulam quam accepit, et dum eam imponit, dicat.* et dum eam ponit quam accepit, dicat retro omnis congregatio una cum ipso hunc versum: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Cum gloria et cantilena. Quae cum praedixerit, mox clara voce prosternens se in orationem pavimento expetat pro se orare sacerdotem:

@ [Col. 0764D] *Quod et retro.* Ita in Regula ms. Nihilominus τὸ *quod videtur redundare.* [quod] et retro stans congregatio similiter pavimento adhaereat; et

@ [Col. 0764D] *Surgentes.* Ita in Regula ms. Nominativus absolutus pro ablativo. Quod saepe occurrit in hoc auctore, a quo non adeo exactam Latinitatem quaerimus. surgentes post completam orationem, [Col. 0764B]

@ [Col. 0764D] *Osculetur genua sacerdotis.* In signum reverentiae et submissionis olim subditi superiorum genua osculabantur, quod etiam paulo post videtur. *Jam ipse* (Abbas) petita benedictione in cathedra sedeat praedecessoris; et venientes primo praepositi, deinde omnes ejus genua osculentur. Apud sanctum Gregorium Turonensem in Vitis Patrum, cap. 8: «At ego cum trepidatione consurgens osculatus sum sancta ejus genua.» osculetur genua sacerdotis, et erigatur ei ad pacem. Deinde omni officio ejus pacem contradat, deinde praepositis vel omni congregationi: et sic exeat disciplinae, tradens claves manu sua cellerario. Mox vadens et orationem cum omnibus complens sine sacerdote jam ipse petita benedictione in cathedra sedeat praedecessoris, primo praepositi, deinde omnes ejus genua osculentur. Mox surgens vadat ad jacentem priorem, et osculetur genua ejus, porrigatur ad pacem ei. Post acceptam pacem quondam prior dicat omnibus: fratres, et pro me orate, ut orationes animarum vestrarum transactus una cum mea possim in die judicii ante Dominum discussorem integras exponere et fideliter consignare: et quomodo vos constabilivit Dominus in terris, et [Col. 0764C] meos bene exitus suscipere dignetur in coelis. Unde si post hoc forte melioratus ipse abbas defunctus non fuerit, omnem licentiam vel potestatem, ordinationemque vel honorem pristinum

@ [Col. 0764D] *Disciplinae.* Vocabulum, *disciplinae, videtur redundare.* disciplinae [Col. 0765A] ipse recipiat: et merito, cui Deus ad hoc ipsum reddidit vitam. Nihilque sibi noviter ordinatus ex illa hora usque in diem verae mortis de honore constituto vindicet. Et cum ei certus advenerit dies mortis, qui jam sub praesentia sacerdotis pridem exstitit ordinatus, sine dubio ipse succedat. Ita tamen si casus superbiae vel elationis ejus non deposuerit merita.

@ [Col. 0765C] *Ergo cum nihil, etc.* Longi et perplexi hujus circuitus sensus est. Si electus nihil altero adhuc vivente sibi arrogaverit, sed se humiliorem exhibuerit, propter honorem ab episcopo sibi traditum, deinceps habeatur secundarius, id est secundus post abbatem in potestate. Ergo cum nihil illo vivo sibi usurpaverit de honore, [sed] hoc tota mentis intentione assumat, et diligenti observatione custodiat: ut non jam de honore designato reddatur elatus, sed in melius magis acta sua de praeceptis Dei in Regula

constitutis quotidie de se coram Deo et fratribus, vel omnibus hominibus praebeat. Et plus se ex tunc in verbis et factis ipso habitu humiliet, quam antea pro ipsius [Col. 0765B] humilitatis gratia fuerat incurvatus, ut omnes aestiment eum humiliorem et viliorem omnibus [magis] post designationem honoris effectum quam ante: ut quasi profectus merito in se Domini impleat sententiam dicentis: *Qui vult inter vos esse*

@ [Col. 0765D] *Fortior.* Id est major, superior. Id postulat textus evangelicus Matth. XX, Marc. X, Luc. XXII. Et certe aliquando fortior significat τὸ *major.* Lib. V Capitularis Caroli et Ludovici imperatorum, tit. 136: «Comites fortiores libram de argento aut valentem donent in eleemosyna.» Et paulo post: «Fortiores comites uncias tres, minores denarios triginta. Lib. III legis Longobardorum, tit. 11, l. I: «Sive etiam nonnulli fortiores vassi comitum.» Regula sancti Benedicti, cap. 14: «Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt, qui in numero suprascripto fortiores inveniuntur, id est majores. Sed hic locus spectat ad quantitatem. *fortior, sit vester*

@ [Col. 0765D] *Ultimus.* Apud Matthaeum et Marcum legitur, *minister. ultimus;* et qui se humiliaverit, merito exaltetur **(Matth. XX)**. Tamen propter honorem quem sacerdos grationibus constituerat: et manu sua post abbatis prioris, cum infirmaretur, in diptyco monasterii nomen scripserat: et suo honorabilius prior et verus abbas indicio elegerat; et quod ante non licebat per regulam pro oratione sacerdotali et ipsius abbatis electione, et magis propter additam et augmentatam in eo humilitatem secundarius jam judicetur. Quod nomen non suo judicio ipse praesumpsit, [Col. 0765C] sed perfectae observantiae merita in eo elegerunt.

@ [Col. 0765D] *Nam Regula vetat ordinari secundarios.* Secundarius hic appellatur is qui declaratus ab abbate moribundo ei successurus est. Quod cap. 92 Regulae magister prohibet sano abbate fieri. Nam regula ideo vetat constitui secundarios propter elationem et superbiam. Nam istum per actum bonae observantiae, vel nimiam humilitatem et Deus elegit, et abbas concessit, et sacerdos ordinavit; sed constitui adhuc vita prioris reddita non permisit. Unde ex illa die

@ [Col. 0766D] *Quasi jam spiritalis Caesar designatus.* Is qui in socium ab imperatore asciscebatur ei successurus Caesar appellabatur, ut vulgo notum ex historicis, qui de gestis imperatorum scripserunt: sic iste secundarius ita ordinatus mortuo abbati successurus est veluti Caesar spiritalis. quasi jam spiritalis Caesar designatus secus abbatem sedeat; alium chorum psallentium contra abbatem teneat in oratorio, post illum calicem ad mensam accipiat, post ipsum in omnibus habeatur: et ubicunque abbas ambulaverit, ipse locum pro se suscipiendi [Col. 0766A] vel vitia fratrum emendandi vel excommunicandi licentiam habeat attributam. Quod si excommunicatus satisfacere ei consuete noluerit, reservata culpa ejus abbati, ipse vero usque ad adventum in reatu excommunicationis permaneat. Omnia ista ex delegatione ambulantis exerceat, et in omnibus absentis agat vices abbatis. Sed hoc ipsum non suo judicio sibi defendens, sed jussu prioris et veri abbatis: cum ei per praeceptum permittitur, tunc licentiam habeat aliquid ordinare aut in hoc honore credat se posse consistere. Nam omni hora omnibus indicans se esse aequalem, et magis, si vult esse perfectus, et digne vult, ad quid deputatus est, pervenire, humiliando se universis fratribus suis, magis se omnibus inferiorem adjudicet, et viliorem se universis [Col. 0766B] ultimo cordis credat affectu. Quia tales novit Dominus exaltare, dicente Scriptura: *Qui se humiliat, exaltabitur* **(Luc. IV)**. Nam hoc cavere semper ipse frater debet, ne aliquando de proviso honore cordis

elationem assumat, et in aliquam prorumpens superbiam in aliqua parte aut humilitatis aut praecepti divini corruens Regulam, sicut prius, observabat, minus aliquid modo adimpleat, jam designato honore securus. Et mox sciat pro certo quia cum abbas frequenter

@ [Col. 0766D] *In aliquas culpas.* Supple *incidentem, vel quid simile.* in aliquas culpas, quem elegerat, non in majus proficientem, sed per negligentiam magis deterioratum eum aspexerit, et monitus ab abbate non emendaverit se; et nomen ejus deleat,

@ [Col. 0766D] *Quamvis sacerdos rogatus ab abbate.* Ita in cod. Vind. In Regula ms. legitur: *Quivis sacerdos, etc.,* ita ut sensus sit delendum esse nomen istius secundarii a quovis sacerdote quem abbas rogaverit. Sed non video rationem cur ipse abbas non possit delere nomen secundarii. Quod si delendum sit a sacerdote, sane non a quovis, sed ab illo qui scripserat. Itaque legendum puto: *Quamvis sacerdos rogatus ab abbate scripserit, ut sensus sit nomen secundarii superbi delendum esse de diptycho etsi prius a sacerdote scriptum fuerit.* quamvis sacerdos rogatus ab abbate, de diptyco: et ipse in suum rediens numerum judicetur negligentibus [Col. 0766C] coaequalis: excommunicationi consuetae subjaceat, qui culpas non vitat, quia per negligentiam perdidit, quod intervenerat; et recipiat quod admiserat. Et postquam fuerit inferiori redditus merito, a latere jam disjungatur abbatis. Et ex illa jam die ab abbate alius frater de omnibus jam oculo et animo quaeratur superior negligenti: Qui et ipse electus absconse quotidie, tempore mortis suae manu sua eum apertius indicet juste et merito omnibus praeponendum in ordinatione primatus. Et reprobi isti, qui per negligentiam de summo honoris culmine cadunt, audiant Apostolum dicentem: *Bene currebatis,* [Col. 0767A] *quis vos impedivit? Satanas, qui electos deponit.* Et antequam deletus reprobus fiat, et in negligentiam convertatur, audiat quid eum quotidie conveniat Scriptura dicens: *Tene quod habes,* ne

@ [Col. 0767C] *Ne alter.* Apocalypsis III, ubi legitur in editione vulgata, *ut nemo. alter accipiat coronam tuam* **(Apoc. III)**. Et qui audierit, et non observaverit, sibi imputet cum ceciderit. Quia a Domino superbi et negligentes et indigni ideo deponuntur, ut digne observantes praeceptum Dei, ut humiles, exaltentur: quia apud judicem justum Dominum non est personarum acceptio. Nec vult aliquid praestare indignis, cum solos justos bonos et sanctos novit diligere, et ipsis solis de praesentis vitae honore et de perpetuae coronae retributione sit debitor.

§ V.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 5).[Col. 0767B]

@ [Col. 0767C] *Abbas.* Haec reperiuntur in Regula sancti Isidori excusa, cap. 2. Abbas interea eligendus est

@ [Col. 0767C] *Institutione sanctae vitae duratus.* Ita sanctus Fructuosus supra: *Vitae sanctae institutione duratus, id est, qui multos annos constanter in sancta observantia perseveraverit.* Quod etiam habetur Codicis lege 46 de Episc. et Clericis, etc. Ubi agitur de electione abbatis: «Sed quem utique et vita optima et mores honesti commendant, καὶ ἡ περὶ τὸν ἄσκησιν συντονία: id est, *circa exercitationem, seu vitam monachicam constantia, et commune reliqorum monachorum complementum, aut maxima pars idoneum ad hoc putaverit.*» institutione sanctae vitae duratus atque inspectus, patientiae et humilitatis expertus, quique etiam et per exercitium vitam laboriosam toleravit, ac transcendens aetatem adolescentiae

@ [Col. 0767C] *Juventutem seu senectutem tetigerit.* Ita in Concodia Vindocinensi. In

Regula excusa legitur *juventute sua senectutem tetigerit.* Sed haec manant a correctore, qui locum non intelligens, dum corrigere voluit, corrupit. Haec enim verba nullum sensum efficiunt. Itaque constanter retinenda lectio nostrorum codicum mss. Nec ineptum est aliquem institui abbatem in juventute, si juventus proprie sumatur: quae juxta eumdem Isidorum lib. II Orig., cap. 2, ab anno vigesimo octavo, quo desinit adolescentia, producitur usque ad annum quinquagesimum: «Tertia, inquit, adolescentia ad gignendum adulta, quae porrigitur usque ad vigesimum octavum annum. Quarta juventus firmissima omnium aetatum finiens in quinquagesimo anno.» Vel juxta Censorinum libello de Natali die, cap. 14, a trigesimo anno usque ad quadragesimum quintum. «Secundo, inquit, ad tricesimum annum adolescentes ab adolescendo sic nominatos; in tertio gradu, qui erant usque quinque et quadraginta annos juvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari possent juvare.» Et certe intra hoc annorum spatium poterit quispiam muneri abbatiali idoneus inveniri, modo neophytus non sit, sed, ut ait sanctus Isidorus, in institutione sanctae vitae duratus. juventutem seu senectutem tetigerit. Cui et majores non dedignentur parere, obedientes ei

@ [Col. 0768C] *Tam pro aetate.* Recte: quia adolescentior senioribus esset despectui. In Regula excusa legitur: *Non tam pro aetate;* male. tam pro aetate, quam etiam pro morum probitate. Iste se imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit.

@ [Col. 0768C] *Neque imperare illi cuiquam, etc.* Recte et apposite: quia quod nunquam quis sustulit pondus, quam grave illud sit, ignorat. Pharisaeorum est imponere onera gravia, et nolle ea minimo digito tollere. Aliud est ferre pondus et aestus religionis, et molam versare monasticam; aliud suae voluntati obsequelam facere suisque affectibus lenocinari. Idem plane docet sanctus Caesarius Arelatensis in epist. ad Oratoriam. «Prius cauta consideratione perpensa, ut quod ore promis, factis impleas, ut quod aliis praedicas, operibus praebeas: scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravibus aut levibus oneribus colla sororum onustes.» Quod servabat sanctus Erminoldus abbas Prufeningensis et martyr, ut habetur in ejus Vita lib. I, cap. 3: «Hic itaque fidelis servus et prudens subjectis tamen non tam praeesse studuit, quam prodesse, nihil subditis faciendum injungens, quod ipse exempli causa non primitus pertulisset.» Neque imperare illi cuiquam licebit quod ipse non fecerit. Singulos autem hortamentis mutuis excitabit, alloquens cunctos, exhortans, vel aedificans in eis si quid eorum vitae pro uniuscujusque gradu prodesse perspexerit. Circa omnes servans justitiam, contra nullum livore odii inardescens, [Col. 0768A] omnes ex corde amplectens, nullum conversum despiciens, paratus etiam quorumdam infirmitatibus

@ [Col. 0768D] *Compatiendi misericordiam.* In Regula excusa legitur: *compati misericordia;* recte. Legi etiam potest: *compati;* misericordiam apostoli sequens. compatiendi misericordiam Apostolum sequens: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix*

@ [Col. 0768D] *Foveat pullos suos.* Ita in regula excusa, aliter tamen in vulgata versione: *Foveat filios suos;* ut in textu Graeco: Θάλπῃ τὰ ἑαυτοῦ τέκνα: quod idem sonat. Itaque apud sanctum Isidorum legendum puto: *Foveat parvulos suos. foveat pullos suos* **(I Thess. II)**.

§ VI.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 12).

Interrog.

@ [Col. 0768D] *Si licet, etc.* Haec habentur apud sanctum Basilium, interrogatione prima Regularum brevium, et apud Rufinum interpretem, cap. 14. Si licet alicui dicere ex proprio sensu, quod sibi videtur bonum absque testimonio
@ [Col. 0768D] *Scripturarum.* In textu Graeco additur, θεοπνευστων, id est, a Deo inspiratarum; quod vocabulum hic desideratur, quemadmodum apud Rufinum. Scripturarum, Domino nostro Jesu Christo dicente de Spiritu sancto: *Non enim loquetur a se, sed quaecunque audierit, haec loquetur* **(Joan. XVI)**. De seipso autem: *Non potest filius a se facere quidquam* **(Joan. V)**. Et iterum; *Ego a me ipso non sum locutus;* sed qui me misit Pater, ipse mihi dedit mandatum. Quid dicam, aut quid loquar et scio, quia mandatum ejus [Col. 0768B] *vita aeterna est.* Sicut dixit mihi Pater, ita loquor **(Joan. XII)**.---*Resp.* Quis potest in tantum temeritatis progredi, ut audeat a se quidquam vel loqui, vel cogitare? Imo vero sciendum est, quia omnes duce itineris indigemus Spiritu sancto, ut ipse nos in viam dirigat veritatis et in cogitatione et in verbis et in actibus. Caecus est enim et in tenebris degit omnis qui est absque sole justitiae, qui est Dominus noster Jesus Christus; cujus mandatis velut radiis quibusdam illuminamur: *Mandatum enim, inquit, Domini lucidum illuminans oculos* **(Psal. XVIII)**. Quia ergo in omnibus negotiis, quae inter nos versantur, vel verbis, quaedam quidem per mandatum Dei in divinis Scripturis distinguuntur, quaedam vero reticentur; [Col. 0769A] de nis quidem, quae scripta sunt, nulla prorsus licentia permittitur cuiquam vel admittere quod prohibitum est, vel omittere quod praeceptum est: cum ipse Dominus ita praeceperit dicens: *Et custodi verbum hoc, quod ego tibi mando hodie:* non adjicies ad illud, neque auferes ab eo **(Exod. XXXIV; Deut. XII)**. Sed et terribilis inest exspectatio judicii, et ignis zelus, qui consumpturus est adversarios et eos qui ausi sunt tale aliquid operari. De his vero quae scripta reticuit, regulam nobis posuit Apostolus dicens: *Omnia licent, sed non omnia expediunt.* Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius **(I Cor. VI, X)**.
@ [Col. 0769A] *Itaque omnimode, etc.* Ita apud Rufinum. Aliter in textu Graeco: Ὥστε παντὶ λόγῳ ἐπάναγκες ἢ τῷ Θεῷ ὑποτάσσεσθαι κατ᾽ ἐντολὴν αὐτοῦ, id est, Quocirca omni ratione necesse est Deo subjici propter mandatum ejus. Itaque omnimode non quae nobis licita sunt, [Col. 0770A] sed quae aedificant proximos, agere debemus; non nobis placere, sed proximis ad aedificationem. Scriptum est enim: *Subjecti invicem in timore Christi* **(Eph. V)**. Sed rursus Dominus ait: *Qui vult in vobis major esse, fiat omnium novissimus et omnium servus* **(Matth. X)**. Quod utique qui implere vult, sine dubio proprias amputat voluptates secundum imitationem ipsius Domini dicentis: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris* **(Joan. XVI)**. Et iterum praecepit dicens: *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo* **(Matth. V)**.

CAPUT V. QUALIS DEBET ESSE ABBAS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 0769C] *Abbas, etc.* Hujus capitis et praecedentis haec mentio fit in concilio Trosleiano, cap. 3: «In ipso ingressu sanctae Regulae legitur de eligendo abbate, et qualis esse debeat.» Ex quo patet caput de ordinando abbate olim primum fuisse Regulae sancti Benedicti. Abbas qui praeesse dignus est monasterio, semper meminere

debet quod dicitur, et nomen majoris factis implere. Christi enim vices agere in monasterio creditur quando ipsius vocatur praenomine, dicente Apostolo: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater* **(Rom. VIII)**. Ideoque abbas

@ [Col. 0769C] *Nihil contra praeceptum Domini, etc.* In Canone sancti Theodori Anglorum apostoli, de ordinatione abbatissae: «Quatenus tua gratia praeventa nihil contra tuum praeceptum faciat, doceat, constituat, vel jubeat.» nihil contra praeceptum Domini, quod absit, debet aut constituere, vel jubere: sed jussio [Col. 0769C] ejus, vel doctrina

@ [Col. 0769D] *Fermentum justitiae divinae.* Non fermentum Pharisaeorum, quod inflet ad vanitatem, sed fermentum Christi, quod pusillos discipulorum animos extollat, et excitet ad grandia operanda atque ferenda propter Deum. fermentum divinae justitiae in discipulorum mentibus conspergatur. Memor semper abbas quia

@ [Col. 0769D] *Doctrinae.* Si apta fuerit ad lucrandas animas earumque fervorem augendum et conservandum. Non sufficit enim pastori multa et praeclara docere, sed bene et apposite ad animarum salutem. doctrinae suae et discipulorum obedientiae, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. Sciatque abbas culpae pastoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias

@ [Col. 0769D] *Utilitatis minus invenerit.* Nota. Non tantum de gregis detrimento, sed etiam de minori illius profectu abbas rationem redditurus est, eoque nomine plectendus, non secus ac opilio, cui juste paterfamilias irascitur non tantum si videat oves suas interiisse, vel saltem morbidas, sed etiam si macras et exiles. utilitatis minus potuerit invenire.

@ [Col. 0769D] *Tantum iterum liber erit, ut si, etc.* Ita apud Ruthardum, ita in cod. mss. Vind. S. Faronis, S. Germani utroque, et in editione Coloniensi. At in Regula ms. Magistri, apud Trithemium et Smaragdum, *Tantumdem iterum erit liber, ut si.* In Vict. p., *tandem.* In vulgatis deest particula *ut;* et ante τὸ *pastor pingitur punctum, ita ut nullus ex tota hac periodo sensus elici possit.* In editione Colinaei ita legitur: «Tantummodo apud Deum liber erit, si (postquam inquieto et inobedienti gregi pastoralis omnis diligentia fuerit attributa, et morbidis earum actibus universa cura exhibita) pastor ipse in judicio Domini absolutus dicat,» etc. Clarus est sensus et plausibilis. Itaque legendum puto hoc modo: *Tantum iterum liber erit si* (ut inquieto, vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa cura exhibita) pastor earum in judicio Domini absolutus dicat, etc. Et particula *ut* hoc loco est *cum* vel *postquam, ut saepe apud classicos auctores.* Tantum

@ [Col. 0770D] *Iterum.* Nempe in judicio, cum antea in vita liber fuerit evadendo negligentis pastoris supplicium temporaneum. iterum erit liber, ut si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in judicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi* **(Psal. XXXIX)**: ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curae suae ovibus

@ [Col. 0770D] *Poena sit eis.* Est phrasis Hebraica, per quam redundat saepe pronomen *is, ut: cujus participatio ejus in idipsum.* poena sit eis praevalens ipsa mors. Ergo cum aliquis [Col. 0770C] suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis; id est, omnia bona et sancta factis amplius, quam verbis ostendat. Ut capacibus

discipulis mandata Domini verbis proponat; duris vero et simplicioribus factis suis divina praecepta demonstret. Omnia vero quae discipulis docuerit esse contraria,

@ [Col. 0770D] *In suis factis.* In Canone Theodori archiepiscopi Cantuariensis legitur, *in operibus suis.* In epistola monachorum Laubiensium ad eprscopos Rothardum Cameracensem et Notkerum Leodiensem, *in suis actibus* (Baldricus, l. I Chroa., cap. 105 in suis factis indicet non agenda: [Col. 0771A] ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur **(I Cor. IX)**: ne quando illi dicat Deus peccanti: *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum:* tu vero odisti disciplinam, et projecisti

@ [Col. 0771B] *Sermones meos post te.* Ita in Psalterio Romano. *sermones meos post te* **(Psal. XLIX)**.

@ [Col. 0771B] *Et qui in fratris tui oculo.* Horatius, sat. 3, lib. I, vers. 24:

Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari, Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitis tam cernis acutum, Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?... Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti **(Matth. VII)**. Non ab eo persona in monasterio discernatur, non unus plus alio ametur, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non praeponatur ingenuus

@ [Col. 0771B] *Ex servitio convertenti.* Huc referri potest id quod scribit sanctus Leander, cap. 12 de Institutione Virginum: «Quas tibi facit, vel fecerit ancillas conditio pares, jam non pro nexu servitutis exulceres, sed pro parilitate professionis honores. Quae tecum Christo virginitatis stipendiis militat, pari tecum libertate exsultet. Nec sic vos provocamus ad humilitatem, ut illas superbia erigamus: quas dum tu accipis ut sorores, gratius illae tibi sint famulae, praebeantque obsequium, non servitute addictae, sed libera charitate. Quoniam quidem non est personarum acceptio apud Deum, sed in distribuendo fides. Ubi pariter consulitur dominae et ancillae, ibi non eligitur domina, et reprobatur ancilla.» Nec omittam praeclare illud dictum a sancto Ambrosio, epist. 55: «Apud Dominum enim servitus et libertas aequa lance penduntur, cum nulla sit major dignitas quam servire Deo.» Quod non sint contemnendi servi, plura vide apud Macronium, lib. I Saturnal., cap. 11, et apud Agellium, lib. II, cap. 18. ex servitio convertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita ratione dictante abbati visum fuerit, et de cujuslibet ordine id faciat: sin alias, propria teneant loca. Quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, et sub uno Domino [Col. 0771B] aequalem servitutis militiam bajulamus **(I Cor. XII)**: quia non est apud Deum personarum acceptio **(Rom. II)**: sed solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores [ab] aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. Ergo aequalis sit ab eo omnibus [Col. 0772A] charitas, una praebeatur

@ [Col. 0771C] *In omnibus secundum merita disciplina.* Disciplina hoc loco est correctio, quae adhibenda est prout quisque meruerit. in omnibus secundum merita disciplina.

@ [Col. 0771C] *In doctrina, etc.* Hic locus citatur in concilio Trosleiano, cap. 3, tom. III Conc. Galliae. In doctrina namque sua abbas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit:

@ [Col. 0771D] *Argue, obsecra, etc.* Est merismus seu distributio, elegans figura, cum omnia simul accumulantur, ut postea debito ordine distribuantur; quod rite praestat

sanctus Benedictus cum subjungit: «Indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant obsecrare: contemnentes autem et negligentes ut increpet et corripiat, admonemus,» Ubi etiam notandum est quam apposite hic sancti Pauli locus a sancto Benedicto expositus sit. *Argue, obsecra, increpa* (II Tim. IV); id est,

@ [Col. 0771D] *Miscens temporibus tempora.* Tempora, id est, occasiones. Miscet temporibus tempora monasterii rector, cum, prudenter arrepta occasione, modo arguit, modo obsecrat, modo increpat, modo terret, modo blanditur. Omnia ergo cum temporis occasione facienda. miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta; dirum magistri,

@ [Col. 0771D] *Pium Patris, etc.* Declarat amplius quomodo est iniscenda severitas lenitati. Cujus doctrinam tanquam sub ejus Regula enutritus sanctus Gregorius Magnus mirifice illustrat parte II Curae pastoralis, cap. 6: «Curandum quippe est ut rector subditis et matrem pietatis, et patrem exhibeat disciplinae.» Et paulo post exponens illud Psalmistae: *Virga tua et baculus tuus.* «Virga enim percutimur, et baculo sustentamur: si est ergo districtio virgae, quae feriat, sit et consolatio baculi, quae sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit pietas, sed non amplius quam expediat parcens; ut, dum se in arce regiminis justitia clementiaque permiscent, is qui praeest corda subditorum et terrendo demulceat, et tamen terroris reverentiam demulcendo constringat.» Sanctus Caesarius epist. ad Oratoriam, «per virgae disciplinam corrigas, per baculum vero disciplinatam sustentes.» His adde illud Senecae, lib. I de Clementia: «Officium bonorum parentum, qui objurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter solent, aliquando etiam admonere verberibus.» Ita se gerebat sanctus Maximus episcopus Reiensis, qui, ut in ejus Actis habetur: «Metuendus severitate, benignitate venerandus, auctoritatem humilitatis mansuetudine superabat.» pium patris ostendat affectum.

@ [Col. 0772C] *Indisciplinatos, etc.* Praeclare sanctus Gregor., lib. IX, epist. 8: «Boni te dulcem, pravi sentiant correctorem.» Indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem et mites, et patientes, ut in melius proficiant obsecrare; negligentes et contemnentes, ut increpet et corripiat,

@ [Col. 0772C] *Ammonemus* pro *admonemus.* Ita passim scribitur in hoc Concordiae codice ms, ut in Victorino utroque et S. Germ. Ita scripserunt veteres, ut docet Papyrianus apud Cassiodorum lib. de Orthographia: «*Ad,* praepositio interdum retinet *d litteram* ut, *adfert, adfuit;* interdum variat, ut, *ammonet, am miniculum.*» Et Beda, lib. de Orthographia. «*Ad, euphoniae causa in sequentem mutabitur, ut, afficio, affluo, allido, ammoneo, annuo.*» Itaque ubique hanc scripturam retinemus. ammonemus.

@ [Col. 0772D] *Neque dissimulet peccata.* Demissi est animi atque angusti pectoris dissimulare peccata delinquentium, nec illa corrigere: qualis fuit Claudius imperator, qui socordi lenitate universum imperiun labefactavit: qui etsi bonus esset, tamen, ut de eo canit Ausonius (In Caesaribus Tetrast. 6):

Non faciendo nocens, sed patiendo fuit. Sic stolidus abbas, qui sibi barbam velli, ut aiunt, a subditis patitur, licet probus, nocens tamen est, non faciendo peccata, sed patiendo. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, ut coeperint oriri, radicitus ea, ut praevalet, amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo **(I Reg. II)**. Et honestiores quidem, atque intelligibiliores animos prima vel secunda admonitione

[Col. 0772B] verbis corripiat: improbos autem et duros, ac superbos, vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat: sciens scriptum:

@ [Col. 0772D] *Stultus verbis non corrigitur.* Prov. XVIII: *Stultus non recipit verba prudentiae.* Sed sanctus Benedictus videtur potius protulisse sensum quam verba. *Stultus verbis non corrigitur* **(Prov. XVIII)**. Et iterum:

@ [Col. 0772D] *Percute filium tuum virga, etc.* Prov. XXIII, Hoc etiam loco protulit potius sanctus Benedictus sensum quam verba. Nam ita habetur hic locus: *Noli subtrahere a puero disciplinam.* Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus ab inferno liberabis. *Percute filium tuum virga,* et [Col. 0773A] *liberabis animam ejus a morte* **(Prov. XXIII)**.

@ [Col. 0773B] *Meminere* pro *meminisse.* Ita apud Keronem discipulum sancti Othmari in expositione Alamannica vocabulorum Regulae sancti Benedicti, apud Smaragdum et sanctum Dunstanum et in ms. S. Faronis. Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur; et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

@ [Col. 0773B] *Sciatque quam difficilem.* Praeclare sane. Nam ut sapienter ait sanctus Gregorius, lib. I Curae pastoralis, cap. 1: «Ars est artium regimen animarum.» Quarum tanta est varietas, ut plus dissideant inter se moribus, ingeniis, propensionibus, studiis et affectibus, quam hominum ora et vultus lineamentis. Sciatque quam difficilem et arduam rem suscepit, regere animas, et multorum servire moribus: et

@ [Col. 0773C] *Alium quidem blandimentis, etc.* Subaudi verbum *regere.* alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus. Et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam se omnibus conformet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne, dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum,

@ [Col. 0773C] *Plus gerat sollicitudinem, etc.* Ita in mss. cod. Vind., S. Ebrul, et S. Germ. min. Ita apud Smaragdum. In vulgatis: *Non plus gerat, etc.* Sed hanc negationem superfluam esse arbitror, quia antea scriptum est, *Ne dissimulans:* Nimia autem rerum temporalium in praelatis cura quantum mali pariat sic docet sanctus Gregorius Magnus parte II Curae pastoralis, cap. 7: «Sicque fit ut dum urgeri se mundanis tumultibus gaudent (rectores) interna, quae alios docere debuerant, ignorent. Unde subjectorum quoque procul dubio vita torpescit; quia, cum proficere spiritualiter sibi appetit, in exemplo ejus qui praelatus est, quasi in obstaculo itineris, offendit. Languente enim capite incassum membra vigent; et in exploratione hostium frustra exercitus sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat, eorumque culpas increpatio nulla castigat.» Sed quomodo circa haec se gerere debeat praelatus, optime docet epistola monachorum Laubiensium ad episcopos Rothardum Cameracensem et Notkerum Leodiensem, cujus locum subjiciam, quia mirifice sancti Benedicti doctrinam illustrat. «Nobiscum provideatis abbatem qui hoc sit quod dicatur, id est, ut et corporibus paterno affectu necessariam curam impendat, et animarum salutem pastoris vigilantia non negligat: sicque interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, et exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens: ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solum interioribus occupatus quae foris debet, proximis non impendat.» Quod facile praestabit, si hoc sancti Gregorii consilium cap. citato sequatur: «Saecularia itaque negotia aliquando ex

compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda: ne, cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de coelestibus immergant.» Recte, quia id quod ex amore suscipitur, aegre relinquitur. Hic autem ex amore saecularia amplectitur, qui seu per agros seu per plateas civitatum volitare delectatur. plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis, atque caducis; sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de [Col. 0773B] quibus rationem redditurus est.

@ [Col. 0774B] *Et, ne causetur de minori forte substantia.* Causari hoc loco est excusationem et defensionem afferre. Ulpianus, ff. l. 2, § *si non propter, si quis cautionibus, etc.* «Neque iterum permittendum est ei, si quid sit, quod ei imputetur causari tempestatem, vel vim fluminis.» Tertullianus, lib. de Fuga in persecutione: «Ne, ut nunc facis, de carnis quidem infirmitate causeris, de spiritus autem firmitate dissimules.» Rufinus, lib. II de Vitis Patrum: «Et cum causaretur non inveniri navigium.» Hinc causatio, praetextus, defensio, excusatio. Tertullianus, lib. de Corona militis: «Caeterum subvertit omnem substantiam sacramenti causatio hujusmodi.» Idem, lib. de Exhortatione ad castitatem. «Scio quibus causationibus coloremus insatiabilem carnis cupiditatem.» Haec autem verba: *Et, ne causetur de minori forte substantia, incipiunt periodum, et jungenda cum sequentibus: Meminerit scriptum, etc.* Et, ne causetur de minore substantia, meminerit scriptum: *Primum* [Col. 0774A] *quaerite regnum Dei.* et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis **(Matth. VI)**. Et iterum:

@ [Col. 0774C] *Nihil deest timentibus eum.* Ita in Psalterio Romano. *Nihil deest timentibus eum* **(Psal. XXXIII)**.

@ [Col. 0774C] *Sciatque quia qui suscepit animas regendas, praeparet se.* Ita in Regula ms. Magistri, in ms. cod. Vind., in vetusta editione Parisiensi, ubi tamen habetur, *susceperit, in cod.* mss. S. Faronis, utroque S. Germ.; recte. In Parisiensi recentiore editione: *Sciatque, quia suscepit animas regendas, et praeparet se.* Ferenda utique lectio. Apud sanctum Dunstanum et Smaragdum: *Sciatque qui suscipit animas regendas, praeparet se.* Videtur deesse particula, *quia.* Lege ergo, ut in nostra Concordia, *Sciatque quia qui suscepit animas regendus, praeparet se.* Estque ellipsis, qua interdum utitur sanctus Benedictus, ut supra, et alibi infra, et subandi, *necesse est.* Quasi dicat, *Necesse est ut praeparet se Sciatque quia qui suscepit animas regendas, praeparet se ad rationem reddendam:*

@ [Col. 0774D] *Et quantum sub cura sua, etc.* In Canone Theodori Anglorum episcopi, de ordinatione abhatissae: «Et quantas sub cura sua animas habuerit, ipsas sine dubio ante sedem majestatis suae sit latura.» et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita et suae animae: et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis

@ [Col. 0774D] *Ratiociniis.* Ratiocinium est ratio quae redditur. Cod. L. *Actuarii, De erogatione militaris annoae. Cujus ratiocinia pertractant.* Et lib. VIII Codicis exstat titulus 13, de Ratiociniis operum pablicorum. ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus; et cum de monitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

§ II.---EX REGULA SANCTI MACARII (cap. 5).[Col. 0774B]

@ [Col. 0774D] *Debetis.* Hoc capat exstat in cod. ms. Floriacensis coenobii, in Regula quae

appellatur Serapionis, Macarii, Paphnutii, alterius Macarii, etc., et edita est Romae cum operibus Cassiani. Debetis, qui praeestis, Patres, tales vos exhibere

@ [Col. 0774D] *Ut Apostolus ait:* Estote. Locus citatur non prout est in Apostolo, sed textui auctoris accommodatur. ut ait Apostolus: *Estote forma credentibus* [Col. 0775A] **(I Thess. I)**. Hoc est,

@ [Col. 0775B] *Pro qualitate quae mysticae, etc.* Pronomen *quae transpositum, et subaudiendum demonstrativum, eorum, et ita locus construendus, ut sensus elici possit. Pro qualitate mysticae vietatis et veritatis eorum, quae fiunt, etc.* pro qualitate quae mysticae pietatis et veritatis fiunt, animas ad coelestia de terrenis erigere, dicente Apostolo *Argue, increpa, obsecra cum omni patientia et doctrina* **(II Tim. IV)**. Et alio loco inquit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in Spiritu mansuetudinis?* **(I Cor. IV.)** Decernendum est ab illo qui praeest qualiter circa singulos debeat pietatis officium monstrare, aequitatem

@ [Col. 0775B] *Tenere debet.* τὸ *aebet redundat.* tenere [debet] non immemor Domini dicentis: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* **(Matth. VII)**.

§ III.---EX REGULA PATRUM (cap. 11).

@ [Col. 0775B] *Abba i vero nulli liceat, etc.* Hoc capitulum reperitur in tertia Regula cod. Flor. supra citati, cujus initium est: *Cum in nomine Domini una cum fratribus.*. Abbati vero nulli liceat

@ [Col. 0775B] *Sibi quidquam proprie vindicare.* Hic notandum est abbates et praelatos monasteriorum non esse dominos bonorum quae sunt in monasteriis, sed administratores duntaxat, ut habetur cap. *Fraternit.* De donat., etc., ac proinde debere illa tantum in eos usus distribuere, ad quos ordinata sunt et destinata, ut recte docet Navarrus in cap. *Nuliam, 18, qu.* 3, n. 6. Quod si ea in usus profanos ac inutiles, ac contra Regulam atque instituta suae religionis profundant, peccant mortaliter, et sunt proprietarii, ut docet Rodericus tom. III, de Regul., qu. 29, art. 10. sibi quidquam proprie vindicare, cum omnia, Deo propitio, in illius maneant potestate.

@ [Col. 0775C] *Si quis.* Abbas videlicet. Si quis vero, quod in regula

@ [Col. 0775C] *Junioribus.* Id est, inferioribus, subditis. junioribus prohibetur, sibi aliquid

@ [Col. 0775C] *Ex successione parentum.* Quod olim poterant monachi parentum haereditatem adire, infra dicetur. ex successione [Col. 0775B] parentum, seu quolibet modo, vel donato retinere praesumpserit, et non omnia in commune posuerit, a fratribus arguatur; si in vitio perstiterit, ad notitiam [Col. 0776A] episcopi deferatur: quod si ab episcopo correptus, nec sic emendaverit, deponatur.

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 11).

@ [Col. 0775C] *Illud quoque.* Haec invenire est in cadem Regula ms. cod. Flor. Illud quoque statuimus ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant: quia eo tempore quo fratres

@ [Col. 0775C] *Aut pro negligentia arguendi sunt.* Si nimirum tardius ad mensam accedant, aut ibi quidpiam quod minus deceat monachum faciant. aut pro negligentia arguere,

@ [Col. 0775C] *Aut spiritali debent sermone imbuere.* Cum nimirum prior de lectura aliquid dicit quod sit ad aedificationem, ut infra habetur in Regula sancti Benedicti. aut spiritali debent sermone imbuere, absque certa necessitate se removere non debent.

§ V. EX LIBRO ORSIESII AD MONACHOS.

@ [Col. 0775D] *Quapropter, o duces.* Haec habentur in editis Orsiesii. Quapropter, o duces et praepositi monasteriorum ac domorum, quibus crediti sunt homines, et

@ [Col. 0775D] *Apud quos inveniuntur, K sive I, etc.* In libro Orsiesii edito haec corrupta sunt. In codice Vindocinensi ita leguntur: *Et apud quos inveniuntur charitas sive justitia, sive aequitas, sive amor.* Sed haec lectio manat a quodam correctore, qui divinare voluit quid sibi vellent hujusmodi litterae quarum sensus pendet ex Vita sancti Pachomii, cujus sanctus Orsiesius fuit discipulus, apud Palladium cap. de Tabennesiotis; Sozomenum lib. III Hist. Eccl., cap. 13, et Nicephorum Callistum, lib. IX Hist. Eccl., cap. 14, qui dicunt monachos sancti Pachomii olim in quatuor et viginti classes seu domos fuisse divisos, et singulis earum nomen unius ex quatuor et viginti litteris Graecis fuisse impositum nempe *alpha, beta, etc.,* convenienter moribus monachorum, qui per ejusmodi classes essent divisi; ita ut simpliciorum classi nomen imponeretur ι, morosiorum classi ξ vel ζ, etc. Fuit haec olim consuetudo, ut quibusdam hominibus nomen alicujus ex quatuor et viginti litteris imponeretur ob diversa eorum studia et mores, atque etiam corporis deformitates. Nam Valerius Crassus tribunus militum sub Tiberio Βῆτα est appellatus, eo quod herba, quam Latini betam vocant, libenter vesceretur. Orpyllis Cyzicenum scortum Γάμμα appellabatur. Antenor, qui Cretensium historiam scripsit, Δέλτα cognominatus est, quod bonus esset, nam Cretenses bonum δελτον dicunt. Apollonius, temporibus regis Philopa oris astronomia clarus, Ἐψιλον appellatus est a figura E, quam luna in suo cursu describit, in quo ille multum studii contulerat. Satyrus, Aristarchi familiaris, Zῆτα est nuncupatus ab investigandi rerum causas studio: nam ζητῶ est investigo. Aesopus ab Idmone hero Θῆτα est appellatus: nam θῆτες Graecis servi dicuntur. Pythagoras, qui numeros omnes descripsit a tertia littera Γάμμα est appellatus. Cypseli, Corinthiorum tyranni mater, quod pedibus valga esset et clauda, Λαμβδά a Pythio Apolline appellata est. Haec habet Ptolemaeus Hephaestion lib. V. novae Hist., in Bibliotheca Photii, n. 190. Idem de matre Cypseli referunt Helladius in Chrestomatbia, apud Photium, n. 279, et Herodotus lib. V, apud quos tamen male legitur λαβδα, pro λάμβδα. Ptolemaeus Hephaestion et Helladius nescio quid de Moyse nugantur, cum aiunt illum appellatum fuisse Ἄλφα, a nomine ἄλφος, id est, vitiligo, quod corpus vitiligine distinctum haberet. Fabula nata videtur ex eo quod Moyses manum a Deo in sinum mittere jussus eam inde lepra maculatam retulerit. Eratosthenes Βῆτα dictus est, quod summis proximus in omni disciplinarum genere secundas teneret, ut scribit Hesychius Illustris libello de Philosophis: Nec Christus Dominus hujusmodi a litteris appellationem repudiavit. Nam Apocalyps. I se ipse nominat Ἄλφα et Ὠμέγα. Est enim ipse prima rerum creatarum causa, et finis ultimus ad quem ipsae referuntur. Sed de his satis. Cum igitur sanctus Orsiesius scribit, *Apud quos inveniuntur K, sive I, etc.,* id est, vos praepositi domorum seu classium monasterii, in quitus sunt discipuli seu monachi, quorum ingenia, et mores sub hujusmodi elementorum figuris designantur, etc. apud quos inveniuntur K, sive I, sive E, sive A (ut in commune dicam), quibus crediti sunt homines singuli cum turmis suis exspectantes Salvatoris adventum; ut in conspectu illius ornatum armis exercitum [Col. 0776B] praeparetis;

@ [Col. 0776D] *Ne refrigeretis eos, etc.* Sensus istorum est. Ne ita suppeditetis temporalia discipulis vestris, ut spiritualia subtrahatis; nec ita spiritalia subministretis, ut temporalia subducatis: sed utraque pro necessitate conferte. ne refrigeretis eos in carnalibus, et

spiritalia non tribuatis alimenta: aut rursum doceatis spiritalia, et in carnalibus affligatis, [Col. 0777A] in escis videlicet et vestitu: sed et spiritales et carnales cibos pariter tribuite; et nullam detis eis occasionem negligentiae. Aut quae est ista justitia, ut fratres affligamus labore, et ipsi vacemus otio? aut imponamus eis jugum quod ipsi ferre non possumus? Legimus enim in Evangelio: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* **(Matth. VII)**. Unde et laborem et refrigerium cum ipsis habeamus communia: nec discipulos servos putemus, et illorum tribulatio sit nostra laetitia: ne evangelicus nos cum Pharisaeis sermo corripiat: *Vae vobis legis peritis, qui ligatis onera importabilia, et imponitis ea super humeros hominum, et ipsi ne digito quidem audetis attingere* **(Luc. XI)**. Sicut aliqui attendentes semetpsos, ut viventes juxta mandatum Dei sibi loquantur et dicant: Quid mihi est cum aliis? ego vero ut [Col. 0777B] serviam Deo et ejus mandata implere possim, non ad me pertinet quid alii faciant? Hos Ezechiel corripit dicens (C. XXXIV):

@ [Col. 0777C] *O Pastores Israel.* In versione communi: *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Nonne greges a pastoribus pascuntur? Sed idem est sensus. *O pastores Israel, nunquid pascunt semetipsos pastores? nonne oves pascunt? ecce lac comedebatis, et lanis operiebamini.* Quod pingue est immolastis et quod infirmum non confortastis; et quod confractum est, non ligastis,

@ [Col. 0777C] *Quod errabat.* Ita in textu Graeco: τὸ πλανώμενον. In versione Vulgata, *quod abjectum est. quod errabat, non reduxistis;* quod perierat, non requisistis,

@ [Col. 0777C] *Quod forte erat fecistis labore deficere.* Juxta textum Graecum καὶ τὸ ἰσχυρὸν κατειργάσασθε μόχθῳ, id est, et forte affixistis labore. In versione Vulgata: *Sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. quod forte erat, fecistis labore deficere, et dispersistis oves meas.* Propterea ipse Dominus ad judicium veniet cum senioribus et principibus suis, complebitur illud in nobis. Exactores vestri depraedantur vos, et qui repetunt, errare vos faciunt. Qui magis audire debemus: *Beata terra,* cujus rex

@ [Col. 0777D] *Filius ingenui.* Ut in textu Graeco: υἱὸς ἐλευθέρου. In versione Vulgata, *nobilis. filius ingenui,* et principes [Col. 0777C] *tui in tempore comedunt in fortitudine, et non confundentur* **(Eccl. X)**. Ideo, o homo, usque ad unam animam, quae tibi credita est, monere non cesses, et docere quae sancta sunt, et teipsum bonorum operum praebere exemplum: et cavere quam maxime ne alterum oderis; sed cunctis exhibeas aequalitatem: ne forte, quem tu diligis, Deus oderit; et quem tu odisti, Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia [Col. 0778A] consentias, et alterum premas, et alterum subleves, et pereat labor tuus:

@ [Col. 0777D] *Sedeas in locis humilioribus.* Respicit ad articulum 128 Regulae sancti Pachomii: «Praepositus non inebrietur: nec sedeat in humilioribus locis juxta vasa monasterii.» Intelligit cellarium, a quo praepositos arcet. non sedeas in locis humilioribus, in quibus

@ [Col. 0777D] *Pater noster.* Intelligit sanctum Pachomium, cujus discipulus fuit sanctus Orsiesius. Pater noster praecipit penitus non sedendum. Caveant praepositi domorum, ne forsitan quilibet unus e fratribus injuriam praeposito fecerit et iratus ille discernat et dicat: Quid causae habeo ad hominem contemptorem? faciat quod vult, ad me non pertinet. O homo, quid haec loqueris? intellige quo furore supereris, et quod odium occupaverit cor tuum, ut magis tuo vitio quam tuo peccato frater pereat, cui debes

ignoscere, et eum suscipere poenitentem, ut possis illud Evangelii dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Si ergo vis ut Deus tua peccata dimittat, et tu dimitte fratri tuo quidquid illud est [Col. 0778B] quod in te peccavit.

§ VI.---*Item ipsius.*

Ex quibus omnibus discimus quod oporteat nos stare ante tribunal Christi, et de singulis non solum operibus, sed et cogitationibus judicari: et post rationem vitae nostrae etiam pro aliis qui nobis crediti sunt reddituros esse similiter rationem. Et hoc non solum
@ [Col. 0777D] *De praepositis domorum.* Praepositi domorum sunt ii qui praesunt aedibus, seu classibus, in quas divisum erat monasterium sancti Pachomii, ut supra dictum est. de praepositis domorum audiendum est, sed et
@ [Col. 0777D] *De principibus monasteriorum.* Principes monasteriorum sunt abbates; ita appellantur in Regula sancti Pachomii, cui addictus erat sanctus Orsiesius. Art. 8: «Vel monasterii principe disputante.» Dicuntur et Patres monasteriorum in eadem Regula, art. 18: «Nuntiabit Patri monasterii.» Art. 33: «Nisi Pater monasterii praeceperit.» de principibus monasteriorum, et de singulis fratribus qui reputantur in plebem, quod omnes invicem debent onera sua portare, ut adimpleant legem Christi **(Gal. VI)**

§ VII.---*Item ejusdem.*

Vos ergo monasteriorum principes, estote solliciti [Col. 0778C] et adhibete omnem curam pro fratribus cum justitia et timore Dei. Ne abutamini potestate in superbia, sed
@ [Col. 0778C] *Exemplum vos praebete.* Nihil est tam efficax ad subditorum salutem promovendam, quam praelatorum exemplum: τὰ ὑδείγματα μᾶλλον ἐνεργέστερα εἰσί, id est, exempla sunt (dictis) efficaciora, inquit sanctus Dorotheus, doct. 17. Quod bene monebat Chaeremon apud Cassianum Coll. 11, cap. 4: «Nunquam erit efficax instruentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.» Et Cassiodorus lib. I Variarum, epist. 4: «Facilis recti persuasor est innocuus judex, sub cujus praedicabili conversatione pudet mores probabiles non habere.» Et lib. VI, epist. 2: «Prima aequitas est, a se praesules inchoare.» Praelatus docens et non faciens est cymbalum tinniens, et crotalus crepitans. His accedat, quod praesul non audet in aliis corrigere id in quo se novit delinquere: «Suos actus nullus damnat in altero,» ait Cassiodorus epist. citata. exemplum praebete vos cunctis, et subdito gregi, sicut et Dominus noster in omnibus se exemplum praebuit. Qui posuit quasi oves familias, ut misereamini gregi vobis credito, et memineritis apostolicae sententiae, in qua ait:
@ [Col. 0778D] *Nihil subtraxi.* In versione Vulgata, ut in textu Graeco: *Nihil subtraxerim vobis utilium. Nihil subtraxi, ut non annuntiarem vobis*
@ [Col. 0778D] *Voluntatem.* In textu Graeco: βουλήν, id est, consilium, ut est in versione Vulgata. *voluntatem Dei.* Et iterum: *Non* [Col. 0779A] *cessavi*
@ [Col. 0779C] *Deprecando.* In textu Graeco: μετὰ δακρύων νόυθετῶν, id est, cum lacrymis monens, ut in versione communi. *deprecando unumquemque vestrum, et docendo vos publice* **(Act. X)**. Videte quanta viscera misericordiae fuerint in homine Dei, qui non solum sollicitus est pro omnibus ecclesiis, sed languet cum languentibus, et omnium sustinet passiones. Caveamus ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur et corruat, et obliviscamur verborum Domini Salvatoris qui in Evangelio

loquitur: *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis aliquem* **(Joan. XVII)**. Nullam animam contemnamus,

@ [Col. 0779C] *Ne quis per nostram duritiam pereat.* Quam perniciosa sit nimia rectorum saevitia ex subjecto patebit exemplo. Quondam prope Salizburgum in monasterio sanctae Erentrudis quaedam erat abbatissa nomine Wiradis, severa nimis in sanctimoniales. Huic erat frater sanctissimus nomine Mazalinus, abbas monasterii sancti Petri, non procul ab eadem urbe. Accidit igitur ut quaedam sanctimonialis monasterii sanctae Erentrudis concepto foetu alvum duceret. Imminente partu misera illa hinc ignominiam, hinc verberum atrocitatem metuens in sacellum sancti Viti se contulit, oravitque ut tantis miseriis levaretur. Post orationem obdormivit, sed expergefacta nihil consolationis retulit. Desperata foetum diabolo in aeternam damnationem transcripsit. Tum vir Dei Mazalinus in cella orans vidit daemones laetos admodum coram se transeuntes. Quid rerum esset, eos interrogavit. Illi grande negotium esse responderunt. Praecepit vir Dei, ut eo peracto ad se quamprimum redirent. Euntes illi puerum natum repererunt, et subito raptum ad sanctum Mazalinum tulerunt, ei rem gestam narrantes. Eos per Deum sanctus abbas adjuravit, ut puerum sibi traderent. Qui parere coacti, infante in cellam viri Dei projecto, abierunt. Surgens sanctus Mazalinus cum puero ante auroram ad sororem abbatissam venit, puerum dedit; et re gesta ex ordine narrata eam ob saevitiam severius adhibuit, puerumque baptizari jussit. ne quisquam per nostram duritiam pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem et

@ [Col. 0779D] *Pater noster.* Sanctus Pachomius. Pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, et monebat, ne impleretur in nobis illud eloquium: *Singuli opprimunt* [Col. 0779B] *proximum suum.* Et iterum: *Si invicem mordetis et devoratis, videte ne invicem consumamini* **(Gal. V)**. Ex quo apparet, quod, qui alterius servat animam, custos animae suae sit. Sed et vos,

@ [Col. 0779D] *Qui secundi estis monasteriis.* Id est, praepositi monasteriorum, secundi post abbates. Quia in hoc libro Orsiesii mentio fit superiorum diversi generis, notandum est plura monasteria a sancto Pachomio, cujus fuit Orsiesius discipulus, aedificata fuisse, quae in multas classes seu domos distincta erant, et domus in cellas. Itaque in singulis monasteriis hi erant superiores: primo princeps monasterii, qui et abbas; post eum praepositus, qui appellatur secundus monasterii; deinde erant singularum domorum, seu classium praepositi, et post eos secundi singularum domorum, ut videre est in eodem Orsiesii libro. Secundus in monasterio, id est praepositus appellatur a Zacharia papa in Dialogis δευτεράριος, a, δεύτερος id est, secundus. qui secundi estis monasteriis, primos vos exhibete virtutibus, ne quis vitio vestro pereat: ne incurratis in illud opprobrium, in quo incurrit ille qui comedit et bibit cum ebriis, et non dedit in tempore suo conservis cibaria **(Matth. XXIV)**.

§ VIII.---*Item ejusdem.*

Et vos, Patres, nolite provocare ad iracundiam filios vestros; sed enutrite eos in disciplina et admonitione: et scitote, quod cui plus datum est, plus quaeritur ab eo; et cui plus creditum est, amplius exigitur **(Ephes. VI; Coloss. III)**. Nec tantum ea consideretis [Col. 0779C] quae vobis prosint; sed et illa quae proximis; [Col. 0780A] et impleatur in vobis Scriptura dicens: *Quia vos sequimini unusquisque utilitatem domus suae* **(Agg.**

I).

§ IX.---*Item ejusdem.*

Saepius dicam, et eadem repetam.
@ [Col. 0780C] *Cavete ne alios diligatis, etc.* Idem sanctus Orsiesius supra, «Ne alterum ames, et alterum oderis, sed cunctis exhibeas aequalitatem.» Cavete, ne alios diligatis, et alios oderitis; ne hunc sustentetis, et illum neglegatis: et cassus inveniatur labor vester, et omnis sudor pereat; et quando exieritis de corpore, et de mundi hujus turbine liberati portum vos putaveritis quietis intrare, tunc inveniatis injustitiae naufragia; et in qua mensura mensi estis remetiatur vobis ab eo qui personas in judicio non accipit. Si quid mortale aut aliquid turpitudinis ob negligentiam praepositorum in domibus commissum fuerit,
@ [Col. 0780C] *Post illorum.* Qui peccaverunt videlicet. post illorum propria supplicia, praepositus quoque reus tenebitur et criminis. Quod semper nobis [Col. 0780B] sanctae memoriae
@ [Col. 0780C] *Pater noster.* Sanctus Pachomius. Pater noster solebat ingerere.

§ X.---*Item ejusdem.*

Vos igitur qui estis
@ [Col. 0780D] *Principes monasteriorum.* Id est abbates, ut supra notatum est. principes monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere, et esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes quod reddituri estis rationem pro omni grege, super quem vos Spiritus sanctus constituit inspicere et
@ [Col. 0780D] *Pascere.* Ita in textu Graeco: ποιμαίνειν. In versione communi: *regere.* pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit
@ [Col. 0780D] *Proprio sanguine.* Ut in textu Graeco: ἰδίου αἵματος. In versione communi: *Sanguine suo.* proprio sanguine **(Act. XX)**. Propterea nos qui fortiores sumus, debemus infirmitates invalidorum
@ [Col. 0780D] *Portare.* Ut in textu Graeco: βαστάζειν. In versione communi, *sustinere.* portare, et non nobismetipsis placere, sed proximo in
@ [Col. 0780D] *In bonum.* In excuso Orsiesii libro: *In bono;* male. In textu Graeco: εἰς ἀγαθόν, ut in versione communi. bonum ad aedificationem **(Rom. XV)**. Nam Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* **(Psal. LXVIII)**.

§ XI.---EX EPISTOLA SANCTI CAESARII. [Col. 0780C]
@ [Col. 0780D] *Cum vero.* Hoc fragmentum est epistolae sancti Caesarii episcopi Arelatensis ad Oratoriam abbatissam, quod etiam habetur in Consilii Aquisgranensis lib. II de institutione sanctimonialium, cap. 7, licet fusius, quamvis multa hic habeantur, quae non exstant in citato concilii libro. Auctor autem noster pro more suo femininum genus in masculinum mutavit. Cum vero annuntiandum verbum Dei te fratribus [Col. 0781A] affectaveris, seu pro utilitate animarum, tenoreque regulae constituendo necessitas incubuerit
@ [Col. 0781C] *Altercandi.* Altercari hoc loco non est φιλονεικεῖν, id est, contendere, sed

disserere, ratiocinari. Glossae veteres *Altercatur,* διαλέγεται, id est, disserit, ratiocinatur. altercandi, prius cauta consideratione perpensa, ut quod ore promis, factis impleas, ut quod aliis praedicas, operibus praebeas: scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravibus aut levibus oneribus colla fratrum onustes; verbi gratia, si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam

@ [Col. 0781C] *Extra consuetudinem.* Ita in cod. Vind., sed videtur deesse verbum, *praecipere, aut quid simile ut sensus ita procedat: Prius sentias utrum gravibus aut levibus oneribus colla fratrum onustes;* verbi gratia, *si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam extra consuetudinem praecipere:* nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Primus in ecclesia inveniaris. extra consuetudinem, nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Primus in ecclesia inveniaris, et postremus exeas; primus suscipias laborem, posterior solvas; et in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his cum quibus pari in mensa uteris

@ [Col. 0781D] *Consensu.* Lege, *consessu, ut in capite concilii citato.* consensu; iisdem denique et tu quibus fratres ferculorum saporibus [Col. 0781B] delectare; et aequalia vobis cibaria potionesque communes exhibeant discoferi vel pincernae. Primatumque tuum, quem prior ad mensam tenes, primus ad virtutem parcimoniae vindices, ut abstinentiam, quam lingua praedicat, proximae fauces vel vicinus sentiat stomachus. Ne forte subditi audientes tacitis cogitationibus dicant.

@ [Col. 0781D] *O quam pulchre nobis abstinentiam praedicat.* Recte: nam, ut ait Juvenalis sat. 1:

Probitas laudatur, et alget. Facile est saturo ventre sobrietatem laudare: «Plenus venter facile de jejuniis disputat,» inquit sanctus Hieronymus, epist. ad Paulinum. O quam pulchre nobis abstinentiam praedicat plenus venter, et

@ [Col. 0781D] *Et contentos non jubet esse.* His satis quadrat locus Juvenalis, sat. 5:

Aspice quam longo distendat pectore lancem Quae fertur domino squilla, et quibus undique saepta Asparagis: qua despiciat convivia cauda, Dum venit excelsis manibus sublata ministri. Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo Ponitur exigua feralis coena patella. Ipse Venafrano piscem perfundit: at is, qui Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit Laternam. Illud enim vestris datur alveolis, quod Canna Micipsarum prora subvexit acuta. contentos nos jubet esse vilissimis cibis ac poculis, accuratis cibis poculisque refertum guttur et eructans. Illa enim de abstientia praedicatio acceptabilis est, quam lurida jejuniis ora decantant. Et in his omnibus hoc noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quae socios ammones

@ [Col. 0782C] *Gradi.* In citato concilio legitur: *Gradiendum.* gradi, prior ipse gradiaris. Omnia quae agenda sunt ante factis impleas, ut postmodum [Col. 0781C] ductilis tuba ex percussione perducta rectius erumpas in voce propter illud Dominicum: *Quicunque,* inquit, *scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, et reliqua* **(Matth. XVIII)**. Inter caetera cum magna tibi cautela custodiendum est, ut omnes in monasterio, quorum gubernacula tuis aequaliter imposuisti cervicibus, diligas: ne unum plus minusve ames;

@ [Col. 0782C] *Sed cuncta, quae sunt.* Deesse videntur haec verba: *in monasterio.* Vel certe haec verba, *quae sunt, redundant.* sed cuncta quae sunt, in quo possibilitas

[Col. 0782A] exstat, aequo moderamine disponas, parique moderatione dispenses, ac parem eis charitatem impertias: et non quibuslibet per privatum amorem, sed cunctis secundum merita singulorum, quae sunt necessaria, largiaris. Non qui tibi vultu intuituque placuerit,
@ [Col. 0782D] *Non quem tibi ad oculum.* Ita in concilio citato. Sed in ms. nostro cod. obliteratum apparet verbum, *Servire:* quod sane restituendum. non quem tibi ad oculum cognoveris, vel a cujus blandiori fueris obsequio delinitus, sed quem amor Christi, et religiosior commendaverit vita,
@ [Col. 0782D] *Praeponas.* Addidi hoc verbum ex praefato concilio. praeponas.

§ XII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 2).
@ [Col. 0782D] *Abbas.* Haec habentur in regula sancti Isidori excusa cap. 9. Quod autem debeat abbas cum fratribus reficere, fusius infra disputabitur. Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat: neque cultius quam ea quae in commune consistunt, praeparari sibi quidpiam expetat. Sicque fiat ut, dum praesens est, omnia diligenter administrentur; et dum communia [Col. 0782B] sunt, salubriter et cum charitate sumantur. Aequalia quippe erunt mensarum omnium fercula
@ [Col. 0782D] *Simillimisque alimentis, etc.* Quidam tamen Patres aliter censuerunt delicate in mundo enutritis aliquid indulgentes, de quo infra. simillimisque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres.

§ XIII. EX REGULA SANCTI FRUTUOSI EPISCOPI (cap. 20).

Abbas vel praepositus divinis semper officiis et vigiliis intersint et prius ipsi agant, quod alios docent.

§ XIV.---EX REGULA FERREOLI (cap. 37).
@ [Col. 0782D] *Ut abbatem.* Videtur deesse verbum, *oportet, vel quid simile.* Ut abbatem cunctis quibus praeest monachis strenuitas quidem, sed mansuetudo et potius vita commendet: ita ut illum sanctum magis timeant quam severum et plus [in] metuant quod meritis est primus quam quod honore primarius.
@ [Col. 0782D] *Habeat in correptione modum.* Nam correptio sanare debet, non vulnerare. Vide supra. Habeat enim in correptione modum et in familiaritate temperamentum; [Col. 0782C] eritque in cunctis ita moribus dispensatus, ut et blandimento vocet et terrore castiget, faciens se ab omnibus, eo quod vitia oderit, plus amari. Tota enim ejus conversatio erit quasi positum fundamentum ut in eo superaedificetur quisquis imitatione illius optat bonis Deo meritis proximare.
@ [Col. 0782D] *Nullus ab ipso erit potestate, sed ratione damnandus.* Ex his manifestum est non oportere abbatem uti libera et absoluta potestate, sed omnia ratione metiri, ut monet sanctus Benedictus, cap. 74: «Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid.» Et sanctus Orsiesius. «Ne abutamini potestate in superbia.» Et Ezechielis cap. XXXIV malis pastoribus exprobratur: *Sed cum austeritate imperabatis et cum potentia.* Et praeclare sane Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. I Var. ep. 12: «Et quanquam potestati nostrae, Deo favente, subjaceat omne quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimur; ut illud magis aestimemus elegisse, quod cunctos dignum est approbare.» Ita

se gerebat sanctus Fulgentius episcopus Ruspensis, «qui (ut in ejus Actis habetur) nullis cum typho dominationis saecularis, quamvis parvulis, imperabat.» Sit ergo abbas, ut de Nerva imperatore scribit Ausonius,

Princeps nomine, mente parens. Paterna mansuetudine imperet, non regio supercilio. Nullus ab ipso erit potestate, sed ratione damnandus; nec tamen ita illi quisquam familiaris, ut caeteris [Col. 0783A] plus praesumat; neque ita offensus, ut ad veniam expleta contritione non redeat. Convenit namque illi omnes timere, qui timetur ab omnibus, totoque studio atque industria providere, ne aliquis ex his quos regendos propria cura suscepit, adverso quolibet casu discedat de numero. Et ideo plurimis medicamentis necesse est illum subvenire monachorum languoribus, et aegritudinibus mentium remedium curae spiritalis inferre. Hoc est, si superbum viderit, jugi exhortatione humilitatis porrigat potionem; si iracundum, patientiae illi afferat unguentum; si mendacium sectantem, veritatis ministret antidotum: beati in hoc ipso Apostoli monitis excitatus, qui dicit: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis.* Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et [Col. 0783B] eos qui te audiunt **(I Tim. IV)**. Et iterum ad Timotheum: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu* **(II Tim. I)**. Et iterum: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple* **(II Tim. IV)**. Similiter et beatus Petrus scribens: *Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior, et testis Christi passionum, et ejus quae incipiet revelari*

@ [Col. 0783D] *Gloriae socius.* In versione communi: *Gloriae communicator.* In textu Graeco δόξης κοινωνὸς, id est, gloriae particeps; ita ut, *communicator, sumatur intransitive,* ut aliquando verbum *communico.* Itaque, *socius, hoc loco nihil aliud est quam particeps. gloriae socius, pascite qui in vobis est gregem Dei* **(I Petr. V)**. Et addidit: *Neque quasi dominantes in clero,*

@ [Col. 0783D] *Sed forma estote gregis.* In editione Vulgata, ut in textu Graeco: *Sed forma facti gregis. sed forma estote gregi, ut cum apparuerit princeps pastorum,*

@ [Col. 0783D] *Ut percipiatis.* In editione Vulgata: *Et percipietis, ut in textu Graeco. percipiatis*

@ [Col. 0783D] *Illam floridam et.* Haec verba non sunt in Epistola Petri. Itaque puto hos textus citatos fuisse ex memoria, non ex codice. *illam floridam et immarcessibilem gloriae coronam* (Ibid.). Jeremias quoque sanctissimus in persona Domini ait: *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (Jer. [Col. 0783C] III). Et iterum: *Haec dicit Adonai Dominus ad pastores* [Col. 0784A] *Israel:*

@ [Col. 0783D] *Nunquid semetipsos pascunt pastores? Ita in Septuaginta:* Μὴ βόσκουσιν οἱ ποιμένες ἑαυτούς; *Nunquid semetipsos pascunt pastores* **(Ezech. XXXIV)**? Et adjungit:

@ [Col. 0783D] *Ob hoc.* In communi versione: *Propterea. Ob hoc, pastores, audite verbum Domini.* Haec dicit

@ [Col. 0784C] *Adonai.* Ut in textu Hebraico. *Adonai Dominus:* Ecce ego ipse ad pastores, et requiram

@ [Col. 0784C] *Oves meas.* Ut in textu Graeco: τὰ πρόβατά μου. *oves meas*

@ [Col. 0784C] *De manibus eorum.* Ita in textu Graeco. ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν. *de manibus eorum* (Ibid.). Dominus vero idem in Evangelio

@ [Col. 0784C] *Petrum si se amet interrogans, etc.* Non prius constituitur pastor universalis Ecclesiae Petrus, quam se Dominum amare ter profiteatur: quia Christus, cui ovilis sui cura magna est, illius regimen ei commisit, qui Deum prae caeteris apostolis amaret, ut recte docet sanctus Eulogius episcopus Alexandrinus lib. III contra Novatianos: Ὁ γὰρ τὸν φίλτρῳ πολλῷ πρὸς τὸν δεσπότην ἀναπτόμενον ἐφιστῶν τῷ ποιμνίῳ, τὴν ὅσην περὶ τὰ λογικὰ πρόβατα, διάθεσιν παρίστησιν ἀναμφιβόλως διὰ τὴν αὐτήν αἰτίαν τρίτον ἐρωιᾶ, τὴν πολλην περὶ τὰ λογικὰ πρόβατα ἐπιμέλειαν ἐνδεικνύμενος, id est, praeponens gregi eum, qui maximo amore in Dominum inflammatus erat, amorem quem in oves habebat exhibuit, et prop er eamdem causam tertio interrogat, multam circa rationales oves curam ostendens. Petrum apostolorum principem, si se amaret, interrogans, adjungit: *Pasce oves meas* **(Joan. XXI)**. Manifestum est ergo, frater, quisquis praeesse videris monachis, magnum tibi per honorem onus impositum, ita ut, cum dignitate sis primus, desudes omnium pondere sarcinatus. Propter quod recti itineris curre semitam quae ad coelum perducit, et ire ostende gregi inoffensum callem, et sanctitatis

@ [Col. 0784D] *Eum quoque.* Lege: *Eumque.* eum quoque passibus antecede. Atque ita stude, ut non erret quicunque te ducem gradibus imitationis insequitur: [Col. 0784B] ut videaris apostolicae monita sententiae complesse, quae habet: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* **(I Tim. IV)**. Et iterum: *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis* **(II Tim. II)**. Hunc itaque tibi, abbas,

@ [Col. 0784D] *Titulum.* Titulus hoc loco sumitur pro capite aut capitulo alicujus libri. titulum, ut praetermissum te sermone regulae non doleas, sicque unum te ex congregatione cognoscas, quasi peculiarius annotamus: monentes, seu coram Deo obsecrantes, ut

@ [Col. 0784D] *Haec omnia.* Quae in hoc titulo, seu capite scripta sunt. haec omnia ferventi studio, etiam

@ [Col. 0784D] *Caetera.* In regula constituta. caetera propter exemplum, quae reliquis sunt dicta, custodias.

§ XV.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 33).[Col. 0784C]

@ [Col. 0784D] *Sanctus abbas.* Hac brevi quidem sententia, sed utili, praecipitur abbati, ut maneat in monasterio, et aegre illo exeat: ut possit nimirum omnibus exercitiis una cum fratribus interesse, eos sua praesentia urgere, et exemplo stimulare, eorumque culpas observare, et prudenter corrigere. Quod si stricte observetur, nescio quid salubrius ad salutem animarum, et ad disciplinae regularis conservationem praestantius inveniri potest. Nihil aeque domum auget ac ditat ut domini praesentia, quemadmodum docet Aristoteles in Oeconomico: «Persica sunt, inquit, instituta, ut paterfamilias ipse omnia statuat, omnia invisat: id quod et Dion de tyranno Dionysio dicebat. Nullus enim sic aliena curat ut sua. Debet igitur eniti ut omnia quae potest, ipse curet. Huc pertinet quod Perses quidam et Libys argute simul et facete dixit. Rogatus ille quid opimum pinguemque faceret equum: Oculus domini, inquit. Libys autem cum ex eo quaereretur, quod stercoris genus optimum putaret: Domini vestigia, respondit.» Quod si haec de domo et familia dicuntur, multo magis de monasterio dicenda sunt, cum familiae administratio humanas tantum divitias, monasterii regimen coeleste spectet. Superior est sui monasterii sol, quo absente omnia tenebrescunt. Sanctus abbas extra

congregationem non maneat.[Col. 0785A]

§ XVI. *Item ex eadem Regula* (cap. 42).

Sancto abbati non liceat aliquid de facultatibus monasterii donare aut vendere, nec aliquid contra regulae instituta agere. Quod si facere tentaverit
@ [Col. 0785C] *Secundum consilium.* Lege, *sine consilio.* secundum consilium et sine consensu fratrum,
@ [Col. 0785C] *Et nostro permisso.* Lege, *et nostro permissu.* Sanctus Aurelianus episcopus prohibet abbati aliquid vendere sine sua licentia. Nam abbates nihil vendere aut alienare possunt de bonis monasterii injussu episcopi, ut cautum est concilii Agathensis can. 56. Idem habetur in concilio Aurelianensi, III, can. 23. et nostro permisso, non ei acquiescatis, et hoc fieri nulla ratione permittite: quia causam se ante Deum noverit esse acturum.

§ XVII.---*Item ipse* (cap. 48).
@ [Col. 0785C] *Sanctus abbas.* Haec sunt emendicata ex regula sancti Caesarii Arelatensis episcopi cap. 39: «Abbatissa nisi inaequalitate aliqua, aut infirmitate, aut occupatione, extra congregationem penitus non reficiatur.» Sanctus abbas, nisi
@ [Col. 0785C] *Inaequalitate.* Inaequalitas morbum significat, ut in Actis sancti Eugendi: «Cum enim ultra sexagenariam aetatem sex fere mensibus praedictus Pater inaequalitate corporea laboraret.» In concilio Carthaginiensi IV, can. 49: «Clericus qui absque corporis inaequalitate vigiliis deest, stipendiis privatus excommunicetur.» Et in loco citato sancti Caesarii: «Abbatissa nisi inaequalitate aliqua aut infirmitate, etc. Sic Graece ἀνωμαλία, id est, inaequalitas, pro morbo sumitur. Synodus Laodicena, can. 40: Παρεκτὸς εἰ μὺ δὶ ἀνωμαλίαν ἀπολιμπάνοιτο, id est, praeterquam si propter aegritudinem non veniat. inaequalitate faciente, extra congregationem non reficiat.

§ XVIII.---EX REGULA FRUCTUOSI (cap. 9).
@ [Col. 0785D] *Abbates.* Hoc caput est alterius Fructuosi, non enim exstat in Regula ms. cod. Crass. In eo sane praeclara documenta continentur, et abbatibus maxime necessaria. Abbates per monasteria tota mentis intentione cum fletu et cordis contritione,
@ [Col. 0785D] *Tulta.* Id est sublata, a *tollo,* cujus praeteritum antiquum, *tetuli.* Plautus in Amphitryone, act. 2: *Osculum tetuli tibi;* et alibi passim: quia antiqui dicebant, *tulo, ut notat Priscianus lib.* X: «A *tulo* quoque, quod veteribus in usu fuit, *tetuli, dicebant.*» Supinum tamen se nunquam legisse dicit. tulta laboris aut [Col. 0785B] itineris occasione, cum omni monachorum congregatione horas canonicas celebrare debent. Et ubi eis
@ [Col. 0786B] *Properandi fuerit necessitas.* Id est, propere eundi aliquo videlicet extra monasterium. properandi fuerit necessitas, et horarum cognoverint metas, continuo humi prostrati indulgentias a Domino supplices petant, et suis horis peculiaribus
@ [Col. 0786B] *Id est, secunda, tertia, etc.* Hic tantum ponuntur decem horae canonicae; cum tamen ex sequentibus intelligere detur ab hoc Fructuoso statui quindecim: ita ut hic videantur omitti prima, duodecima, initium noctis, seu completorium, nocturnae vigiliae, et matutinae laudes. Sed exprimit tantum horas, quae in via recitabantur: quia monachi ante primam non egrediebantur. id est, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta,

[Col. 0786A] septima, octava, nona, decima, undecima orare non pigeant; qualiter septem et octo Salomonis congruant dicto:

@ [Col. 0786C] *Da partem septem.* Partem, in singulari, ut in textu Hebraico חלק , *chelec, id est, partem.* Et in Graeco: δὸς μερίδα τοῖς ἑπτὰ, id est, da partem septem. In versione Vulgata: *Da partes septem. Da partem septem, nec non et octo* **(Eccl. XI, 2)**: ut per septiformis gratiae Spiritum, et octo beatitudines,

@ [Col. 0786C] *Ac resurrectionis diem.* Lege, *ad resurrectionis diem.* Nam, cum hic sint tantum quindecim horae canonicae, quae referunt septem dona Spiritus sancti et octo beatitudines, non potest illo numero comprehendi dies resurrectionis. Sed sensus est quod per illos veluti quindecim gradus in die resurrectionis ad coelum ascenditur. ac resurrectionis diem liberis gradibus per scalam Jacob Christo sibi desuper innitente quindecim gradibus coeli conscendere valeant regionem.

Secundo, ut per capita mensium abbates de uno confinio uno

@ [Col. 0786C] *Se copulentur.* Est deponens. Plautus in Aulularia: *copulantur dexteras.* se copulentur loco, et mensuales litanias strenue celebrent; et pro animabus sibi subditis auxilium Domini implorent: quia de ipsis in tremendo judicio cum grandi discussione sperent se Deo rationem reddere.

Tertio qualiter quotidie vivere debeant, ibi disponant; et tanquam

@ [Col. 0786C] *A saionibus.* Saio est lictor, carnifex, exactor. Glossae Arabico-Latinae dictae: *Saio, poenator, tortor.* Eaedem glossae: *Poenator, tortor, saio.* Sanctus Isidorus lib. X Orig.: *Sagio* (Lege, *Saio*) , *ab exigendo.* Sed puto esse vocabulum Gothicum; cujus saepe mentio in legibus Wisigothorum ut lib. I, tit. 1, l. 17: «Nullus in territorio non sibi commisso, vel illo, ubi judicandi potestatem nullam habet, quemquam praesumat vel per jussionem, aut saionem distringere.» Et multis aliis locis. In concilio Emeritensi, can. 8: «Dioecesim sibi debitam ordinante metropolitano cum suis fratribus per suum saionem recipiat.» Crebra etiam mentio fit apud Cassiodorum, et maxime lib XII, epist. 3, ubi ejus officium describitur. a saionibus comprehensi ad cellas [Col. 0786B] revertantur

@ [Col. 0786D] *Supplacitati.* Id est, citati, in judicium vocati: nam placitum est conventus, in quo lites disceptantur, de quo infra. Est autem hic metaphora: quod nempe ipsi abbates congregati peractis comitiis ita festinanter debeant ad cellas, id est, monasteria sua redire, ac si a saionibus seu lictoribus citati essent. supplacitati.

Quarto retro acta sanctorum Patrum per

@ [Col. 0786D] *Scripturas.* Scripturae hoc loco non sumuntur pro utroque Testamento. scripturas sciscitantes revolvant, ut ab ipsis quid facere debeant agnoscant. Et intus ac foris, ante ac retro, plenam mentem oculis habeant: ne, quod absit, in aliquam haeresim devolvantur, ac pereant. Pro hoc [Col. 0787A] ergo semper in communi concilio fratrum

@ [Col. 0787C] *Aequa lance tanquam in penso persistant.* Haec nihil aliud sonant, quam quod abbates accipere personas minime debent, sed esse tanquam lances in penso, seu libratione, quae si justae sunt, in alteram partem nec tantillum declinant. Idem dicit de lege Leo imperator Novella 21. aequa lance tanquam in penso persistant, ut praeterita recordando, et futura praevidendo,

@ [Col. 0787C] *Et praesentia recordando.* Haec videntur redundare. et praesentia

recordando haeresum non patiantur stimulos.

Quinto, ut cum fratribus advenientibus, hospitibus et peregrinis in una mensa communiter vivant: quia de ipsis Dominus ait: *Hospes eram, et collegistis me* **(Matth. XXV)**.

Sexto talem sibi consuetudinem debent facere, ut omnem
@ [Col. 0787D] *Cupiditiam.* Id est, cupiditatem. cupiditiam et avaritiam a se radicitus arceant. Si hoc malum non esset, idolorum servitutem eam Apostolus non dixisset **(Gal. II)**. Et per hoc virus monachi mentem cognoscimus sauciari. Et a nullo vitio penitus unquam potest liber esse, qui talis consuetudinis vinculo fuerit obligatus, et in Dei [Col. 0787B] et proximi dilectione nunquam erit firmatus. Quia hoc, quod in saeculo concupiscimus, sine dubio proximis invidemus. Unde et Patres sancti Spiritu sancto repleti, ut possent Deum et proximum perfecte diligere, studuerunt in hoc mundo nihil habere. Et quia sine aliquo esse non possumus, ipsum debemus habere, quod nos non pigeat cum necesse fuerit egenti proximo reddere, et a charitate Dei et dilectione proximi nunquam animum relaxare. Cujus videlicet fortitudo charitatis vera sanctae Ecclesiae voce laudatur, cum per Canticorum Canticum dicitur: *Valida est ut mors dilectio* **(Cant. VIII)**. Virtuti enim mortis dilectio comparatur, quia sine dubio mentem, quam semel coeperit, a dilectione mundi funditus occidit. Tales ergo debent esse abbates, ut [Col. 0787C] possint Deum et proximum diligere: oculos lassos a concupiscentia hujus saeculi mala habentes, quales in paradiso habuit Adam ante transgressum.

§ XIX.---EX REGULA CUJUSDAM.

Si quis ex senioribus, sive is qui abbas nuncupatur, voluptuosus existat, et ebriosus et dives, qui huic saeculo conformatur, hoc est,
@ [Col. 0787D] *In curribus et in equis.* De hoc sumptu equestri in abbatibus refrenando vide bullas Gregorii IX, et Nicolai IV. Hac in re singularis modestia eluxit beati Joannis Marre monachi sanctae Mariae de Simora, ordinis sancti Benedicti vicarii generalis, abbatis Cluniacensis, et tandem episcopi Condomensis. Is cum esset episcopus sex tantum alebat equos: duobus equitabat, reliquis quatuor ad convehenda ligna et lapides pro instaurandis suae dioecesis ecclesiis, novisque aedificandis utebatur. Hic beatus vir obiit anno 1521, miraculis in vita et post mortem clarus. in curribus et in equis de loco ad locum discurrat, hic non solum [Col. 0788A] principatu fratrum indignus est, verum etiam
@ [Col. 0787D] *Homicida animarum.* Quia malo exemplo animas necat juxta sanctum Augustinum, lib. de Pastoribus, c. 4: «Tamen (pastor) qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, illum a quo attenditur, occidit.» homicida animarum judicandus est:
@ [Col. 0787D] *Et alius monasterio ejus praeesse constituatur.* Abbas in hujusmodi luxum profusus, ac proinde caeteris vitiis contaminatus abdicandus est, nempe ab episcopo et vicinis abbatibus; ut habetur 18, qu. 2, cap. *Si quis, ex concilio Triburiensi.* Antiqua Regula Patrum, cap. 21, abbatem peculiaritati, hoc est, proprietati studentem deponi praecepit ab episcopo. et alius ministerio ejus praeesse constituatur.
@ [Col. 0788C] *Sin vero non potuerint monachi.* Videntur deesse haec verba: *Eum deponere, vel quid simile.* Sin vero non potuerint monachi,

@ [Col. 0788D] *Ab illo exeant.* Nempe ad aliud monasterium. ab illo exeant, et ille
@ [Col. 0788D] *Excommunicetur.* Ab episcopo. excommunicetur. Sin vero poeniteat, subdat se sub manibus senioris et servituti subjiciat, donec probaveritis qui praeest. Monachos in curribus et in equis discurrere praeter infirmos, debiles et claudos non permittimus. Si autem hoc fecerint,
@ [Col. 0788D] *Alieni sint ab unitate fratrum.* Id est, excommunicentur. alieni sint ab unitate fratrum.

§ XX.---EX REGULA ORIENTALIUM.
@ [Col. 0788D] *Oportet abbatem.* Imitatur divum Paulum, Epist. I ad Timotheum, cap. III. Oportet abbatem irreprehensibilem esse, patientem [
@ [Col. 0788D] *Jejunium.* Puto hanc vocem redundare. jejunium,] pium, humilem: ut doctoris et patris locum impleat, seipsum in
@ [Col. 0788D] *Formam.* Ex Epist. ad Titum, cap. II. In Vulgata editione habetur, *exemplum.* In textu Graeco: τύπον, id est, formam: prout in hac interpretatione regulae Orientalis habetur. formam praebens bonorum operum, ad cujus ordinationem omnes [Col. 0788B] fratres respiciant, nihil sine consilio et auctoritate ipsius facientes. Qui sustinens necessitatem monasterii, de omnibus quae in monasterio sunt libere judicabit, nullius personam accipiens, nec ulli gratiam praestans: sed unumquemque secundum merita quotidianae conversationis in veritate judicans admoneat, hortetur, castiget, condemnet:
@ [Col. 0788D] *Vel suscipiat, etc.* Haec sunt ita jungenda cum hac interpunctione: *Vel suscipiat, si ita utile videtur, venientes ad monasterium;* vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, male habitantes. Id est, vel suscipiat ad monachatum eos qui volunt converti, vel ejiciat malos et incorrigibiles monachos. vel suscipiat, si ita utile videtur. Venientes ad monasterium vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, male habitantes.

§ XXXI.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 45).

Int. Quid sentire de se debet is qui praeest, in quibus praecipit, vec imperat?---*Resp.* Apud Deum quidem sicut minister Christi et dispensator mysteriorum Dei **(I Cor. IV)**; timens ne praeter voluntatem Dei, vel praeter quod in sanctis Scripturis evidenter [Col. 0788C] praecipitur, vel dicat aliquid, vel imperet: et inveniatur tanquam falsus testis Dei, et sacrilegus: vel introducens aliquid alienum a doctrina Domini: vel certe subrelinquens et praeteriens aliquid eorum, quae Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet tanquam si nutrix foveat parvulos suos. Paratus autem secundum quod unicuique expedit, communicare cum eis non solum Evangelium Dei, [Col. 0789A] sed etiam animam suam, memor praecepti Domini ac Dei nostri dicentis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis **(Joan. XV, 13)**.

§ XXII.---*Item ejusdem* (cap. 13).

Int.
@ [Col. 0789C] *Quali affectu.* Exstat apud sanctum Basilium interrog. 99 Regulae brev. et apud Rufinum, cap. 23. Quali affectu vel quali sensu oportet increpare eum, qui

increpat?---*Resp.* Ad Deum quidem tali mente esse debet, qualem indicat beatus David dicens:
@ [Col. 0789C] *Vidi non servantes pactum.* Ita in psalterio Romano. Apud Rufinum: *Vidi praevaricantes, ut in editione Vulgata. Vidi non servantes pactum, et tabescebam:* quoniam eloquia tua non custodierunt **(Psal. CXVIII)**. Ad eos autem quos increpat, hunc debet affectum servare, quem pater et medicus
@ [Col. 0789C] *Erga aegrotantem filium servat.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco additur μετὰ συμπαθείας καὶ εὐπλαγχνίας, id est, cum compassione et misericordia. erga aegrotantem filium servat, et tunc maxime, cum qualitas
@ [Col. 0789D] *Curae.* Cura hoc loco est *curatio.* Nam *curatio proprie medicorum:* cura reliquorum, ait Donatus in Terentii Andrian. curae tristior videtur et gravior.[Col. 0789B]

§ XXIII.---*Item ejusdem* (cap. 24).

Int.
@ [Col. 0789D] *Quali affectu.* Reperitur apud sanctum Basilium interr. 158 Regulae br., et apud Rufinum cap. 23; sed potius reddit sensum, quam verba, maxime sub finem capituli. Quali affectu quis debet suscipere correptionem?---*Resp.* Sicutaeger filius patris et medici de vita sua solliciti: qui etiamsi
@ [Col. 0789D] *Offeratur.* Apud Rufinum legitur, *offerat, rectius.* offeratur aliquid asperum ad curandum filium, scit
@ [Col. 0789D] *Itaque.* Videtur redundare haec particula. [itaque] filius, quod nec pater in aliquo negligere potest de salute filii, nec medicus falli.

§ XXIV.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 1).

Abbas, monasterii non tam genere quam sapientia nobilis esse debet: ut qui sermonem ad erudiendas animas justa eruditione lucubrat, propriis actibus non contradicat. Plus etenim
@ [Col. 0789D] *Subjugati.* Id est, monachi subditi. subjugati praelatorum actuum formam imitantur, quam doctrinae illatae aures accommodant. Debet enim sacris eloquiis [Col. 0789C] opera nectere sacra, ut qui ejus imitatur doctrinam ex voce, imitetur cultum ex opere. Ne, si in aliquo voci opus contradixerit, fructus vocis non obtineat effectum. Sic ergo sit et voce ornatus et opere, ut et opus voci, et vox consentiat operi. Sit continentiae et castitatis flore comptus, et omnium [Col. 0790A] ore laudabilis, omnium desideriis imitabilis exemplo. Sit charitatis benevolentia ornatus, et omnium fidelium laetificet corda: erga peregrinorum et hospitum sollicitudinem
@ [Col. 0789D] *Praestus.* Supple, *sit, id est, praesto sit et praesens.* Glossarium vetus: «Praestos habeat, id est, praesentes.» Lex Salica tit. 47, § 2: «Et testes suos, qui ad placita fuerunt secum praestos habeat.» praestus, erga infirmantium curam sollicitus, erga inopum et aegrotorum juvamen opulentus. Sic delinquentium ignaviam corrigat, ut ad cultum religionis lascivas et
@ [Col. 0789D] *Fessas.* Id est, segnes, desides. fessas mentes reducat. Sic misericorditer bonitatis dona distribuat, quatenus ex nimia bonitate, facinorum fomenta non nutriat. Sit ergo bonus bonis per meritum, sit malis malus per flagellum. Quod mediante
@ [Col. 0789D] *Scientia.* Id est, discretione. scientia agendum est, juxta psalmistae

orationem dicentis:
@ [Col. 0789D] *Bonitatem, etc.* Notanda sane explicatio hujus versiculi. Nam per bonitatem intelligit clementiam et lenitatem; per disciplinam, severitatem; et per scientiam, discretionem. Ita ut David a Deo petat, ut populum suum regat cum lenitate, et severitate, adhibita tamen discretione. Nam discretionis sale tum severitas, tum clementia condiendae sunt, ne, dum rector clemens videri appetit, remittat omnino habenas regulari observantiae; et dum vitia coercere cupit, fortius adducendo frenum monachos potius irritet quam emendet. Quod reprehendit in Urbico abbate sanctus Gregorius papa lib. IX, epist. 42: «Unde vehementer ingemisco, quia aliter esse monasterium vestrum quam putabam invenio. Quod ex nulla alia re evenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cum gravitate aliquid valet disponere: sed modo studet peccantibus leniter blandiri, modo inordinate extra modum nimie irasci.» Sed hoc est stultorum ingenium, ut nullum valeant animi sui affectibus modum statuere; sed statim in vitium oppositum cadant, si velint ab aliquo declinare, juxta illud Horatii **(Sat. 2)**:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me,*
@ [Col. 0790D] *Domine.* τὸ *Domine, translatum est ex superiore versu. Domine* **(Psal. CXVIII)**. In utroque enim abbati cavendum est, ne aut nimia bonitate in subjectorum [Col. 0790B] cordibus vitia nutriat, aut nimia disciplinae austeritate, quae leni increpatione sananda fuerant, rigida correptione diripiantur. Incautis etenim sic blanda persuasione subveniat, ut eorum saniei antidoti quodammodo medendo curam infundat; sanis vero moribus ea hortando praebeat, ut quae agere coeperunt, meliorando usque ad finem perducant. Nihil etenim prodest coepisse, si in bono opere, quod coeperant, non studeant perseverare. Habeat ergo tot animos pater, quot in suo regimine filios: ut juxta omnium mores, omnium noverit vitia coercere. Tuta sit in omnes prudentia, ut nec pietas disciplinae, nec disciplina pietati locum tollat. Agat omnium curam; ut de omnium profectu mercedis recipiat lucrum; ut ex corruptione praesentis vitae [Col. 0790C] quandoque ereptus, tantum laboris recipiat praemium, quantis ad vincendum inimicum praesidiis praebuit supplementum.

§ XXV.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 19).
@ [Col. 0790D] *Abbati.* Haec habentur in Regula sancti Isidori excusa eodem capite 19, quae nulla puto alia ratione huc referri, nisi quia in his aliqua fit abbatis mentio. Abbati vel monacho monasterii servum non licebit
@ [Col. 0791A] *Liberum facere.* Duplex fuit olim libertas seu manumissio: una regia, altera ecclesiastica. Regia fiebat domini consensu coram rege excussione nummi **(Cod. Theod. lib. IV, tit. 7)**. Ecclesiastica instituta a Constantino Magno fiebat in ecclesia ante cornu altaris coram presbyteris, comitibus, baronibus, nobilibus et omni populo tam a laicis quam ecclesiasticis, sive illi servi sacris initiandi essent, sive non. Marculphus formula 91: «Servum juris mei nomine ill. ingenuum esse praecipio, et in sacrosancta ecclesia sancti ill. sub praesentia sacerdotum ibidem consistentium ante cornua altaris ab omni vinculo servitutis absolvo.» Et form. 97: «Quia fratrum testimonio, inter quos nutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem suscipiendum praedicaris, dicaris, censeo te atque ante sacri altaris cornu, in conspectu sacerdotum et

cleri et populi astantis, a praesenti die et deinceps ab omni jugo servitutis humanae absolutum fore, civemque Romanum appellari.» Idem videre est in charta Engiltrudae et in petitorio sancti Ennodii. Porro mamumittere servum abbati prohibetur in conciliis Agath., can. 56, et Epaon., can. 8. [Col. 0791A] facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienae dare non debet. Nam sicut et saeculi leges sanxerunt: *Non potest alienari possessio, nisi a proprio domino.* Omne quod in monasterium in nummo ingreditur, sub testimonio seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est: quarum erit una pro infirmis et senibus, et pro aliquo coemendo in diebus sanctis [Col. 0792A] cultius ad victum fraternum; alia pro egenis; tertia pro vestimentis fratrum et puerorum, vel quibusve ad necessitatem monasterii coemendis. Quas tres partes

@ [Col. 0791B] *Custos sacrarii.* Is est quem *sacristam modo appellamus.* De quo infra. Quid sit sacrarium explicant glossae veteres: *Sacrarium,* ἡρῷον, θυσιαστήριον, id est, heroum, seu herois alicujus templum, altare. Eaedem glossae: *Sacrarium* ἱεροθήκη, id est, locus in quo sacra reconduntur. Item: *Sacrarium* ναϊσκάριον, id est, parvulum templum. Pro altari sumitur D. ad legem Juliam lege ult. Hoc sancti Isidori capite sumitur pro loco in quo sacra reconduntur, ut apud Ulpianum D. lege 4, *De divisione rerum et qualitate.* «Sacer locus est locus consecratus: sacrarium est locus, in quo sacra reponuntur: quod etiam in aedificio privato esse potest.» Graecis σκευοφυλάκιον apud Theodorum Balsamonem in Nomocanonem Photii tit. 2, cap. 2, textu 5, quia in eo sacra vasa reponuntur. Dicitur et διακονικόν in conc. Laodiceno, can. 2. Latinis secretarium in conc. Agathensi, can. 66: «Quoniam non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium (quod Graeci diaconicon vocant) ingredi, et contingere vasa dominica.» Hujus vocis mentio fit a sancto Gregorio lib. IV Regesti, cap. 54. Unde vox Gallica *secretain,* vel, ut alii pronuntiant, *segretain, id est, sacrista, custos sacrarii.* Appellatur et receptorium. Sidonius lib. V, epist. 1: «Et nuntiatum est progredi episcopum de receptorio.» Ad faciendum sacrum videlicet, ut ibi describitur. Atque etiam salutatorium in concil. Matisconensi I, can. 2: «Nec intra salutatorium aut oratorium ingredi permittantur praecipue Judaei.» Ita appellatur, quod episcopus ante missarum celebrationem ibi sederet, et salutationes fidelium exciperet, qui se ejus orationibus commendabant, aut ei aliquid negotii communicabant. Quod videre est apud sanctum Gregorium lib. IV, ep. 98: «Quo (pallio) non aliter uti memineris, nisi in propria tua civitate, dimissis jam filiis ecclesiae, procedens a salutatorio ad sacra missarum solemnia celebranda, etc.» Et ep. 54 ejusdem libri: «In secretario vero secundum morem pristinum susceptis ac dimissis ecclesiae filiis, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad necessaria solemnia ita proficisci.» Quod etiam faciebant presbyteri, aliquando in alio salutatorio seu secretario. Sulpicius Severus lib. II Dial., cap. 1: «Cum quidem in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati.» Fuit etiam sanctimonialibus suum salutatorium; Gallice, *le parloir.* Sanctus Caesarius in Recapitulatione regulae, cap. 8: «Quaecunque ad conversionem venerit, in salutatorio ei frequentius regula relegatur.» In sacrario seu salutatorio sacerdos sacris vestibus missas celebraturus induebatur; quibus completis ibidem exuebatur: ut videre est ex locis Sidonii et Gregorii supra, citatis. custos sacrarii suscipiat, ac praecipiente abbate sub testimonio praepositi vel seniorum de singulis partibus pro suis necessariis causis expendat.

CAPUT VI. DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS.

[Col. 0791D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse,
@ [Col. 0791D] *Unde agitur.* Id est, de quo agitur. Haec phrasis familiaris est sancto Patri Benedicto: ut supra cap. 2: *Ut sit unde promat nova et vetera.* Id est, ut sit id, seu aliquid, ex quo promat nova et vetera. unde agitur: et
@ [Col. 0791D] *Audiens consilium fratrum tractet apud se.* Sanum quidem praeceptum, modo is sit abbas, qualem eum sanctus Benedictus supra depinxit. Quod ut perficiat, solum Dei honorem spectet consilium petens: nec huic potius quam isti opinioni adhaereat, ea interim pendente, dum auditis fratrum sententiis, quaenam praestare videatur, judicaverit. Quod recte monet sanctus Dorotheus, doct. 7, cum ait: «Nihil decretum et praefixum in mente, vel sensu habeat.» Nam si antequam consilium inire velit, aliquam animo agglutinatam habet opinionem, nullo unquam fratrum consilio, quamvis salubri, ab ea deduci poterit. audiens consilium fratrum [Col. 0792D] tractet apud se; et quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus,
@ [Col. 0792D] *Quia saepe juniori Dominus revelat quod melius est.* Hujus rei habetur exemplum apud sanctum Cyprianum, epist. 10: «Per nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens aetas, quae in exstasi videt oculis et audit, et loquitur ea quae nos Dominus monere et instruere dignatur.» Quod sane mirandum est, cum tunc temporis tot insignes essent praelati in Africa, inter quos eminebat sanctus Cyprianus; quibus tamen postpositis, sanctus Spiritus pueris revelabat quae agenda et futura essent: ut discant pastores humilitatem, cujus beneficio ad dona Spiritus sancti, qui maxime praelatis allabitur, suscipienda sint paratiores. quia saepe juniori Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum [Col. 0793A] omni humilitatis subjectione; et non praesumant procaciter defendere quid eis visum fuerit. Et magis in abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut
@ [Col. 0793C] *Discipulos.* Ita legunt codices Victorini. Ita habetur apud Smaragdum et Turrecrematam. Recte. Apud sanctum Dunstanum, *discipulis.* In vulgatis editionibus, *singulis, non ita recte.* discipulos convenit obedire magistro, ita et ipsum provide, et juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere
@ [Col. 0793C] *Declinetur.* Ita in omnibus cod. nostris ms.; ita apud Keronem discipulum sancti Othmari abbatis in expositione Alamanica vocabulorum regulae sancti Benedicti, sanctum Dunstanum, Smaragdum, Trittemium. Ita etiam habetur apud Flodoardum, lib. III Hist. Eccl. Rem., cap. 25, ubi agit de epist. Hincmari ad Fulcramnum praepositum coenobii Corbeiensis. «Qualiter in hac electione eis sit agendum secundum doctrinam beati Benedicti, ut in omnibus magistram sequantur regulam, nec temere ab ea declinetur a quoquam.» Et in Additione 1 Capitularis Ludovici imp. tit. ult: «In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a

quoquam.» Quare illud *devietur.* quod vulgo habetur, explodendum est. declinetur a quoquam. Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem. Neque praesumat quisquam cum abbate suo proterve *intus et foris monasterium contendere.* Quod si praesumpserit, regulari disciplinae subjaceat. Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulae omnia faciat sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis aequissimo judici Deo rationem redditurum. [Col. 0793B] Si qua vero minora agenda sunt in monasterio, seniorum tantum utatur consilio: sicut scriptum est:
@ [Col. 0793D] *Omnia fac cum consilio.* In versione communi, *Sine consilio nihil facias, ut in textu Hebraico et Graeco.* Notanda sententia, cui simile est illud Menandri effatum in Gnomicis:

Βουλὴν δὲ παντὸς πράγματος προλάμβανε. Id est, ante omne negotium consilium cape. Cui sane parebat beatus Aegila abbas Fuldensis, de quo haec refert Candidus monachus in ejus Vita. «Audiebat libenter fratrum consilium. Sciebat enim scriptum: *Omnia fac cum consilio.* Atque ideo non se sublimiorem, nec prudentiorem caeteris aestimabat. Neque etiam inani tumore jactabat se consolatione alterius non indigere. Attamen si quandoque minus prudens in aliquibus errabat, hoc magis aliorum minus prudentium introductione, quam propria inventione concepit.» O virum admirabilem, qui plus ex alieno judicio sapiebat quam suo. In multis libenter aliis cedimus; sed, ut ait poeta,

Qui velit ingenio cedere, nullus erit. *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis* **(Eccle. XXXII)**.

§ II.---Ex REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 8).
@ [Col. 0794B] *Si inventus fuerit, etc.* Habetur in Regula sancti Pachomii excusa, art. 118. Citatur a nostro auctore ob illa sancti Benedicti verba: *Neque praesumat quisquam cum abbate suo, etc.* Fugienda est autem contentio non solum cum superiore suo, sed cum quacunque alia persona. Et si quid difficile occurrit, non per contentionem, sed per ea quae lex spiritalis mandat, nempe per patientiam, precationem et spem dissolvendum erit, ut praeclare monet sanctus Marcus Eremita capitulo 10 Legis spiritalis. De contentione fugienda vide homiliam 56 sancti Antiochi; Ivonem. part. XIII Decreti, et Burchardum lib. X. Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens. Vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ III.---*Item ipsius.*
@ [Col. 0794C] *Igitur.* Hoc caput non habetur in Regula sancti Pachomii excusa, quemadmodum et quaedam alia quae hic ex eadem Regula citantur. Unde signum est eam sancti Pachomii Regulam, quam excusam habemus, non esse integram. Igitur qui animo uno esse concupiscunt, et vivere
@ [Col. 0794C] *Mente communi.* Id est, corde unanimi. mente communi disposuerunt, consiliis majorum [Col. 0794A] inserviant: quid ex consiliis processerit Patrum, id faciant.

§ IV.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 67).

Interrog.

@ [Col. 0794C] *Si quis non contentus.* Reperire est apud sanctum Basilium, interr. 117 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 42. Citatur autem ab auctore nostro ob illa sancti Benedicti: *Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem.* Si quis non contentus quotidie sibi aliquid injungi de his quae pro mandato Dei incidunt, sed artificium vult discere, quali vitio aegrotat? aut si oportet ei acquiesci?---*Resp.* Iste talis, et praesumptor est, et sibi placens et infidelis, qui non timet sententiam Domini dicentis: *Estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet* **(Matth. XXIV)**. Si enim quotidie exspectat quis Dominum, sollicitus est et trepidus, quomodo praesentem diem non transeat otiosus, et nihil amplius quaerit. Si autem imperatur ei artificium discere, obedientia sua habeat lucrum,
@ [Col. 0794D] *Et in hoc placeat Dev.* Haec non sunt apud Rufinum. et in hoc placeat Deo
@ [Col. 0794D] *Et non in eo quod sibi placet, assumat judicium.* In textu Graeco: Καὶ μὴ ἐν τῇ ὑπερθέσει τὸ κρίμα, id est, Et non in procrastinatione judicium. Sed Rufinus legisse videtur ἐν τῇ αὐταρεσκείᾳ, etc., id est, in sibi complacentia. Quod sane propius accedit ad mentem sancti Basilii. Nam hoc loco sanctus Basilius vult monachum, si ei injungatur aliquam artem ediscere, facere lucrum ex obedientia, non vero ex sibi complacentia, nempe ex propria voluntate artem eligendo, Dei judicium seu condemnationem incurrere. et non [Col. 0794B] in eo quod sibi placet, assumat judicium.

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 68).

Interrog.
@ [Col. 0794D] *Si quis industrius.* Habetur apud sanctum Basilium, interr. 118 Reg. br., et apud Rufinum, cap. citato. Affertur autem ab auctore nostro propter rationem ultima interrogatione dictam. Si quis industrius sit et promptus ad implenda mandata; agat autem, non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habebit?---*Resp.* Merces illius illa ipsa est quod sibi placet. Cum autem Apostolus dicat: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad aedificationem* **(Rom. XV)**. Et ut amplius inclinaret et constringeret audientes addit dicens: *Quia ipse Christus non sibi placuit* (Ibid.). Scire debet unusquisque periculum suum [Col. 0795A] esse in eo quod vult sibi placere, simul enim et inobediens
@ [Col. 0795B] *Invenitur.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco: ἐλέγχεται, id est convincitur. invenitur

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 81).

Interrog.
@ [Col. 0795C] *Si omnino volenti.* Invenire est apud sanctum Basilium, interr. 96 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 46. Profertur autem ab auctore nostro propter rationem supra dictam. Pro, *Si omnino, apud Rufinum legitur: Si hoc alicui.* In textu Graeco, εἰ παντί, id est, *Si omni.* Atque hic ita legendum puto, non, *Si omnino.* Si omnino volenti litteras discere, vel lectioni vacare, indulgendum est?---*Resp.* Apostolo dicente: *Ut non quae vultis, ea faciatis* **(Gal. V)**. In omni negotio sua voluntate permittere unumquemque agere perniciosum est: sed oportet illud suscipere quod ab his qui praesunt injungitur: etiamsi contra voluntatem sit ejus cui injungitur,
@ [Col. 0795C] *Secundum exemplum Domini dicentis:* Pater, etc. Ita apud Rufinum, quae in

textu Graeco non reperiuntur, sed ista: Τὸ δὲ ἔγκλημα ἀπιστίας τούτῳ ἁρμόζει, τοῦ κυρίου εἴποντος Γίνεσθε ἕτοιμοι ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱός τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται id est, huic autem incredulitatis crimen convenit, dicente Domino: *Sed estote parati, qua hora non putatis, filius hominis venit.* Sed cum haec verba ad rem non faciant, puto textum sancti Basilii Graecum fuisse corruptum, cum illa conveniant interrogationi 117. secundum Domini exemplum dicentis: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat* **(Luc. XXII)**.

§ VII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 23).

@ [Col. 0795C] *Artificium.* Hoc capitulum hic citatur ob eamdem causam quam de superioribus sancti Basilii capitulis diximus. Quod tamen videtur sumptum ex Regula sancti Caesarii, cap. 6: «Nemo sibi aliquid operis, vel artificii pro suo libito eligat faciendum: sed in arbitrio senioris erit, quod utile prospexerit imperandum,» Idem statuit Tetradius, cap. 7 Regulae: «Operam, non quam unusquisque voluerit, sed quae eis ordinata fuerit, faciant.» Quae quidem sapienter instituta sunt, ut monachus discat suam frangere voluntatem, quod in vita monachica praecipuum est. Artificium vero discendum, aut quamlibet operam [Col. 0795B] faciendam, non pro suo libito eligant, sed in arbitrio abbatis erit, quod utile prospexerit imperandum.

§ VIII.---EX REGULA ORIENTALI.

@ [Col. 0795D] *Si inventus fuerit.* Haec sunt prorsus eadem verba supra hoc capite citata ex Regula sancti Pachomii. Et certe multa hic citantur ex Regula Orientali, quae sumpta sunt ex Regula sancti Pachomii. Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ IX.---EX REGULA PATRUM (cap. 1).

@ [Col. 0795D] *Ante omnia.* Haec habentur in secunda Regula Patrum cod. Flor. cujus initium est: *Cum resideremus in unum in nomine Domini.* Exstant etiam in veteri cod, ms. coenobii Corbeiensis in Gallia, ubi eadem Regula habetur. Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, vel caetera quae docet Apostolus **(Col. II)**; ita ut nemo quidquam suum vindicet; sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum, [Col. 0796A] habeant omnia communia **(Act. IV)**.

@ [Col. 0796C] *Ille vero qui praepositus.* Id est, qui secundus est a sacerdote; quem isti Patres faciunt veluti abbatem, cui debeat subjacere praepositus. Ille vero qui praepositus est, Dei judicium et ordinationem sacerdotis in omnibus timere, diligere et obaudire secundum veritatem debet. Quia si quis illum

@ [Col. 0796C] *Putat se.* Τὸ *se redundat.* putat [se] spernere, Deum spernit, sicut scriptum est: *Qui vos audit, me audit;* qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum qui me misit **(Luc. X)**. Ita ut sine ipsius voluntate nullus frater quidquam agat, neque accipiat ab aliquo aliquid, neque det, nec usquam prorsus recedat

@ [Col. 0796C] *Sine verbo.* Id est, sine jussu, licentia seu permissione, ut in Evangelio: *In verbo tuo laxabo rete.* In eadem significatione Patres Graeci nomen, λόγος, id est verbum, usurparunt, ut videre est apud Palladium, cap. de Tabennesiotis: Εξελθοῦσα μία νεωτέρα τῶν παρθένων λόγῳ ἑαυτῆς id est egressa junior virginum sui ipsius verbo, id est, sine permissu. sine verbo.

§ X.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 2 et 3).

@ [Col. 0796C] *Seniores.* Haec habentur in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Floriac., cujus duo hic junguntur capita, primum et secundum. Seniores junioribus affectum paternum impendant. Et cum

@ [Col. 0796C] *Imperandi.* Lege, *imperare.* imperandi necessarium fuerit,

@ [Col. 0796C] *Non tumenti animositate.* Notanda doctrina: nam aliud est imperium abbatum, aliud regum. Nam *reges gentium dominantur eorum, etc.* Vide supra. non tumenti animositate, et clamosis vocibus, sed fiducialiter [Col. 0796B] tranquilla simplicitate et auctoritate bonae vitae, ad peragendam communem utilitatem, quae fuerint opportuna, injungant.

@ [Col. 0796C] *Juniores.* Hic incipit secundum caput Regulae Pauli et Stephani in dicto cod. Flor. 1. Juniores senioribus sincera subjectione obediant, nec tumenti cervice in quocunque respondeant, aut fastidienti animo, et negligenti aure imperantibus obedire detrectent: sed unanimiter et concorditer, tam in spiritali opere quam in terreno omnes fideli intentione occurrant.

§ XI.---EX REGULA CUJUSDAM PATRIS.

@ [Col. 0796D] *Nullo alio vitio.* Hoc cpitulum exstat collat. II Cassiani, cap. 11. Idem docet sanctus Dorotheus, doct. I: «Ego profecto, inquit, casum ullum alium monachis contigisse nescio, praeter hunc, nempe quia judicio et sensui cordis sui facile credunt, atque obtemperant. Aiunt nonnulli: Propter hoc cadit monachus; alii: Propter illud: ego vero, ut modo dixi, casum alium evenisse cuipiam nescio; nisi quia proprio judicio et cordi suo credit. Itaque, cum videris quempiam cecidisse, scito nullam aliam potiorem esse causam, quam quod cordi suo credidit, et seipsum instruere voluit.» Haec ille. Qui seipsum erudit monachus, diaboli discipulus est. Casus nonnullorum monachorum, qui plus aequo suo judicio tribuerunt, vide apud Palladium in Hist. Lausiaca, capitibus de Valente, Herone, et Ptolemaeo; et apud Cassianum, coll. II, cap. 5. Nullo alio vitio diabolus monacnum perdit, ac trahit ad mortem, quam cum eum neglectis seniorum [Col. 0797A] consiliis suo judicio

@ [Col. 0797A] *Defensionique.* Lege, *definitionique, ut apud Cassianum.* defensionique

@ [Col. 0797A] *Conspexerit.* Lege, *persuaserit, ut apud Cassianum.* conspexerit confidere.

§ XII.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 9).

@ [Col. 0797A] *Maxima.* Habetur in cod ms. Flor. et in editione Parisiensi eodem capite. Sed in editione Insulae apud Goldastum (*Parte* I *Paraen.* veterum), ubi capita Regulae sancti Columbani in plura alia dividuntur, capite 14. Proprii autem judicii et arbitrii abdicatio summa mortificatio est, quae praecipue monachos decet; ac proinde maxima pars Regulae monachorum mortificatio est. Maxima pars Regulae monachorum mortificatio est: quibus nimirum per Scripturam praecipitur: *Sine concilio nihil facias* **(Eccli. XXXII)**. Ergo, si nihil sine consilio faciendum, totum per consilium est interrogandum. Unde etiam per Moysem praecipitur: [Col. 0798A] *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi;* majores tuos, et dicent tibi **(Deut. XXXII)** Sed, licet duris dura videatur haec disciplina, ut scilicet homo de ore pendeat alterius, certis tamen Deum timentibus

@ [Col. 0798A] *Dulcius.* Ita in Reg. ms. cod. Flor. et apud Goldastum. In editione Parisiensi:

incertius, male. dulcis et secura invenietur, si ex integro et non ex parte conservetur. Quia nihil dulcius est conscientiae securitate, nihil securius est

@ [Col. 0798A] *Animae impunitate.* Impunitas animae est, cum nullis maleficiorum stimulis pungitur, maxime quia illi qui praelati judicio innititur, errata non imputantur, nisi ea evidenter legi Dei adversentur. animae impunitate, quam nullus sibi ipsi per se potest tradere, quia proprie

@ [Col. 0798B] *Aliquorum.* Ita in Regula ms. cod. Flor. In editione Insulae apud Goldastum, *aliorum, rectius.* aliquorum est examinis.

CAPUT VII.

@ [Col. 0797B] *Quae sunt instrumenta bonorum operum.* Haec instrumenta sumpta sunt ex epistola prima sancti Clementis papae ad Jacobum fratrem Domini (si modo illius sit, aut saltem ad hunc Jacobum missa) sub finem; in qua haec instrumenta reperiuntur, paucis tamen exceptis et ordine mutato in multis. Haec sanctus Clemens se a sancto Petro hausisse profitetur. Horum initium ita habetur. «Quotidiana enim illius (*Petri*) praedicatio inter caetera diurna mandata haec erat. Quam in ejus exemplum etiam tibi, frater charissime, significare curavi. Bonorum, inquit, operum, inter caetera, semina ac negotia sunt, quantum unusquisque sapit et potest,» etc. Quaedam etiam referuntur in antiquo Ordine Romano ex Canone Theodori Anglorum episcopi, in ordinatione abbatissae.

Haec eadem instrumenta, sed a sancto Benedicto emendicata, ejus tamen nomine suppresso, refert Theodulphus episc. Aurelianensis in suo Capitulari, c. 21: «Libuit nobis, inquit, huic nostro Capitulari inserere sententiam cujusdam Patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate quid agi quidve vitari debeat, continetur. In primis Dominum tuum diligere ex toto corde,» etc. Referuntur etiam a Magistro cap. 3 Regulae suae etiam a sancto Benedicto sumpta, quibusdam tamen aliis instrumentis insertis. Quae quidem a nostro auctore citata non sunt, ne fere eadem res repeteretur. Horum initium ita se habet: «Quae haec est ars sancta? Primo credere et confiteri, et timere Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum in trinitate, et trinum in unitate,» etc. Sed in ipso hujus capitis limine non minima occurrit difficultas, cur ipsamet bona opera, quae hic recensentur, instrumenta bonorum operum, seu, ut loquitur sanctus Petrus, semina appellentur, cum nihil sit sui ipsius instrumentum aut semen. Verum dicendum est hic per ejusmodi bona opera intelligi perfectionis acquirendae certam methodum, seu ut loquitur sanctus Pater Benedictus in fine hujus capitis, artem spiritalem, ad quam illa omnia quae hic commemorantur, viam muniunt, ac proinde recte illius instrumenta ac semina appellantur. Huic sententiae suffragatur Magister, qui in titulo capitis citati haec bona non appellat instrumenta bonorum operum, sed artem sanctam, cum ait: «Quae est ars sancta, quam docere debet abbas discipulos in monasterio?» QUAE SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0798B] *In primis.* In vulgatis et in ms. cod. S. Faronis, apud Smaragdum, et S.

Dunstanum haec verba praeponuntur: *Primum instrumentum.* In ms. cod. S. Ebrulphi post το *in* primis additur, *oportet.* Inprimis Dominum Deum diligere ex toto corde,
@ [Col. 0798B] *Tota anima.* Apud Ruthardum ms. legitur, *tota mente.* In epist. sancti Clementis, *totis intimis cordis visceribus, tantum.* In canone Theodori: *Ex totis viribus suis diligere.* tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquam seipsum.
@ [Col. 0798C] *Deinde non occidere.* Mirabitur quispiam cur monachis, quorum professio est perfectionis studium, tam dira crimina prohibeantur. Sed quamvis rata haec sint in monasteriis, non tamen abs re est illa prohibuisse: ut suae recordentur fragilitatis monachi; nec se ob statum religiosum jam perfectionem attigisse existiment seque ultra peccati metas pervenisse, nec posse amplius cadere: cogitentque angelos in barathrum e coelo ob superbiam esse detrusos, Adam in paradiso peccasse, Judam unum e collegio apostolorum Dominum vendidisse et omni spe salutis abjecta sibi laqueo fauces obstrinxisse. Quamobrem cum timore et tremore salutem suam in monasterio operentur: humilitati acquirendae in primis haud segniter incumbant, ad eamque in omnibus vitae asceticae procellis ac tempestatibus tanquam ad columnam Rhegiam velocius adnatent: curentque diligenter quotidie animae sordes eluere; ne sua negligentia et socordia in eum animi stuporem veniant, ut tandem (quod Deus avertat) gravia illa scelera perpetrent: quae sane olim a profligatis quibusdam monachis admissa fuisse liquido constat. Nam (ut de caeteris taceam criminibus) SS. abbates Ermenoldus, Bercharius, Abbo, Gerardus a parricidis monachis culeo et simia dignis impie trucidati sunt. Recordabatur, qui scripsit haec, sanctus Pater Benedictus, sibi a sceleratis monachis vinum veneno mixtum fuisse propinatum. Illud igitur sacrae Scripturae ad memoriam revocent: *In terra sanctorum impie gessit, et non videbit gloriam Dei.* Et illud: *Dilectus in domo mea male operatus est.* Non locus, sed boni mores sanctum faciunt. Deinde non occidere. Non adulterari. [Col. 0799A] Non facere furtum. Non concupiscere. Non falsum testimonium dicere.
@ [Col. 0799A] *Honorare omnes homines.* Hoc instrumentum non exstat in Regula ms. Magistri; sed loco illius istud: *Honorare patrem et matrem.* Honorare omnes homines. Et quod sibi quis fieri non vult,
@ [Col. 0799A] *Alii ne faciat.* In Capitulari Theodulphi legitur, *alteri ne faciat.* Apud S. Dunstanum, seu in Regula sancti Benedicti a S. Dunstano correcta: *Et quod sibi non vult, alii ne faciat.* Sed puto a chalcographo omissum fuisse verbum, *fieri.* Hoc autem legis naturalis effatum est, quod olim Alexandro Severo imperatori maxime placuit, ut ex his Lampridii verbis in ejus Vita manifestum est: «Si quis de via ad alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi. Aut, si haec omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis; cum diceret: Vis hoc in tuo agro fieri, quod alteri facis? Clamabatque saepius quod a quibusdam sive Judaeis, sive Christianis audierat et tenebat, idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quam sententiam usque adeo dilexit, ut in palatio et in publicis operibus praescribi juberet.» alii ne faciat.
@ [Col. 0799B] *Abnegare semetipsum sibi.* Luc. IX, ubi non est pronomen *sibi in vulgata editione, quemadmodum nec in Regula Magistri.* Est tamen in epist. S. Clementis, in Capitulari Theodulphi et in cod. N. mss. atque etiam in editis quos viderim; ita etiam legit S. Ambrosius in epist. ad Constantium. Illud *sibi* idem est quod, *apud se, in sua conscientia, non coram hominibus.* Et haec phrasis est sancto Benedicto familiaris, ut

cap. 7 Regulae: *Dicens sibi cum propheta.* Et cap. 52: *Ut frater qui forte sibi peculiariter vult orare.* Et paulo post: *Sed si alter vult sibi forte secretius orare.* Qui loci, quid sit illud, *sibi, satis explicant.* Abnegare igitur semetipsum sibi est renuntiare suis affectibus et desideriis vitiosis in sua conscientia et coram Deo, non coram hominibus; conversionis suae suorumque operum se ac solum Deum arbitrum seu testem quaerere, non homines. Abnegare semetipsum sibi,

@ [Col. 0799C] *Ut sequatur Christum.* In epistola S. Clementis: *Ut Jesum Christum Dominum nostrum sequatur.* S. Benedictus contraxit. ut sequatur Christum.

@ [Col. 0799C] *Corpus castigare.* In epistola S. Clementis: *Corpus custodire.* Sed puto locum S. Clementis esse corruptum, et legendum *castigare,* In Regula Magistri adduntur haec verba, *pro anima, hoc modo: Corpus pro anima castigare.* Corpus castigare.

@ [Col. 0799C] *Delicias non amplecti.* In epistola S. Clementis: *Vanas et caducas non amplecti delicias.* In Regula Magistri: *delicias* fugire, pro, *fugere.* In Theodori canone: *delicias non appetere.* Delicias non amplecti.

@ [Col. 0799D] *Jejunium amare.* In dicta epistola: *jejunium et vigilias sanctas amare.* Dicit vigilias sanctas, ut distinguat eas a profanis vigiliis paganorum atque etiam haereticorum. Jejunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire.

@ [Col. 0799D] *Infirmum visitare In epist.* S. Clementis additur *Sitientes potare.* Infirmum visitare.

@ [Col. 0799D] *Mortuum sepelire.* In epist. S. Clementis: *mortuos sepelire, in plurali videlicet, quemadmodum in duobus praecedentibus et subsequentibus, additurque: Et diligenter eorum exsequias peragere, pro eisque orare, et eleemosynas dare.* Mortuum sepelire.

@ [Col. 0799D] *In tribulatione subvenire.* In Canone Theodori: *tribulatis subvenire.* In tribubulatione [Col. 0800A] subvenire.

@ [Col. 0799D] *Dolentem consolari.* In Regula Magistri hoc instrumentum haec duo subsequuntur: *mutuum dare.* Indigenti donare. Quae in nullo alio codice reperire potui. Dolentem consolari.

@ [Col. 0800A] *A saeculi actibus se facere alienum.* In epist. S. Clementis: *Et a malis actibus se alienum facere.* Sed S. Benedictus recte mutavit hoc vocabulum, quia loquitur monachis, at S. Clemens omnibus Christianis. Non enim monachis sufficit se a malis actibus alienos facere, sed etiam a saeculi actibus, etiamsi aliqui boni sint, aut saltem indifferentes, ut sunt mercaturam exercere, negotiari, militare, causas agere et similia quae haud decent monachos, ut docet S. Dionysius Areopagites; ut sunt etiam alia saeculi opera vana et futilia, ut jocari, choreis et lusibus indulgere, lautius epulari, pretiosa veste delectari, et similia, a quibus monachi penitus abhorrere debent. A saeculi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi praeponere.

@ [Col. 0800B] *Iram non perficere.* Recte: nam ad iram perfectam quidam gradus sunt, ut notat S. Dorotheus, doctr. 8. Primus est ταρακή, id est perturbatio, quae est motus seu conflictatio cogitationum, quae cor excitant illudque animosum et audax reddunt. Secundus, θυμός, id est furor, sanguinis fervor circa cor accensus, ut ait S. Basilius, vocaturque ὀξυκολία, id est acuta bilis; quam potes exstinguere, antequam fiat ὀργή, id est ira perfecta, et tertius irae gradus: cum veluti multis lignis aggestis magnum incendium excitatur, et complures prunae inardescunt. Et hac ratione est iram

perficere; quod vetat sanctus Pater Benedictus hoc loco. Quartus gradus est μνησικακία, quam ad verbum injuriae recordationem dixeris. At S. Basilius in Regulis brevibus, interrogatione 55, rem aliter exponit. Nam juxta illum ὀργή est tantum in affectu, θυμός in motu, in quo a S. Dorotheo discrepat; sed quaestio de nomine est. Apud sanctum Basilium sequitur παροξυσμός vehementior furoris motus, et πικρία confirmatio perturbationis acrior; quam Cassianus lib. VIII de spiritu irae appellat amaritudinem tristitiae. Saluberrimum autem iracundiae sedandae remedium est resectio voluptatum, ut monebat senior quidam monachus; ille enim haec dicere solebat: Ob hanc causam illecebras amputo, ut materiam praecidam iracundiae; etenim hanc novi pro voluptatibus perpetuo decertare, tranquillum mentis meae statum, intelligentiae vim auferre, ut refert Socrates lib. IV Hist. eccl., cap. 18. Charitate etiam exardescentes animae partes sanari dicebat Serapion Thmuitensis, ut refert idem Socrates loco citato. Iram non perficere. Iracundiae tempus non reservare. Dolum in corde non tenere.

@ [Col. 0800C] *Pacem falsam non dare.* In Regula ms. Magistri: *De conscientia pacem falsam non dare.* Ubi sequuntur haec tria instrumenta: *Fratri fidem servare.* Non amare detrahere. Promissum complere, et non decipere: quorum duo alibi non reperies. Nam illud: *Non amare detrahere, paulo post exprimitur a S.* Benedicto sub illis verbis: *non detractorem.* Falsam pacem non dare. Charitatem non derelinquere.

@ [Col. 0800D] *Non jurare;* ne forte perjuret. Regula Magistri: *non amare jurare.* S. Ambrosius in exhortatione ad virginitatem: «Non jurandum facile, quia plerumque multi casus accidunt, ut non possimus implere quod juraverimus. Qui autem non jurat, utique non pejerat; qui autem jurat, aliquando necesse est incidat in perjurium: quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.» Non jurare,

@ [Col. 0800D] *Ne forte perjuret.* In epist. S. Clementis: *ne forte perjurium* (quod absit) fiat. ne forte perjuret.

@ [Col. 0800D] *Veritatem ex corde et ore proferre.* Ita apud Ruthardum et alibi etiam vulgo habetur. In epist. S. Clementis deest praepositio *ex,* cujus loco in Capitulari Theodulphi est particula copulativa *et.* Veritatem ex corde, et ore proferre. Malum pro malo non reddere. Injuriam [Col. 0801A] non facere: sed et factam patienter sufferre.

@ [Col. 0801A] *Inimicos diligere.* In Regula Magistri: *inimicos plusquam amicos diligere.* Inimicos diligere.

@ [Col. 0801A] *Maledicentes se non remaledicere.* In Regula Mag., *Maledicentes se non solum non remaledicere.* Maledicentes se non

@ [Col. 0801A] *Remaledicere.* Ita vulgo habetur, quemadmodum et in Regula Magistri: sed apud S. Clementem, Ruthardum, et Theodulphum, *maledicere.* remaledicere, sed magis benedicere. Persecutionem propter justitiam sustinere. Non esse superbum. Non vinolentum. Non multum edacem. Non somnolentum. Non pigrum.

@ [Col. 0801A] *Non murmuriosum.* Optima lectio. Ita apud Keronem. Ita etiam habetur in Regul. ms. Magistri, apud Trithemium, in utroque cod. ms. S. Germani et in editione Coloniensi: a nomine murmurium, id est, murmur. Quod vocabulum non semel in hac Concordia occurrit: a quo, *murmuriosus:* quod reperitur in glossis quae vulgo inscribuntur nomine S. Benedicti abbatis Floriacensis, *Murmuriosus,* γόγγυσος lege, γογγυστής, id est murmurator. Quemadmodum in eisdem glossis habetur, *Memoriosus,* μνήμων, id est memor. Quare illud, *murmurosum.* quod vulgo habetur, excutiendum

est. Apud S. Clementem legitur: *non murmuratorem.* Non murmuriosum.

@ [Col. 0801B] *Non detractorem.* In epist. S. Clementis: *Nec detractorem:* quia qui detrahit non se [lege, *non solum*] *sed alios etiam occidit.* In Regula Magistri hoc instrumentum non exstat hoc quidem loco, sed superius habetur, *non amare detrahere, quod perinde est.* Non detractorem.

@ [Col. 0801B] *Spem suam Deo committere.* In epist. S. Clementis: *Et totam spem Deo semper committere.* Spem suam Deo committere.

@ [Col. 0801C] *Bonum aliquid in se cum viderit, etc.* Praeclare S. Augustinus serm. 7 de verbis Domini secundum Matthaeum «Quid tu juste credis? te sine Deo non posse servare justitiam ipsius? ergo totum reputa quod justus es pietati (*Dei videlicet*). Quod autem peccator es, tuae iniquitati attribue. Esto accusator tuus, et ille erit indultor tuus. Omne enim crimen, facinus, vel peccatum nostrae est negligentiae et omnis virtus et sanctitas Dei est indulgentiae.» *Bonum aliquid.* Ita vulgo habetur. Apud Turrecrematam, *Bonum aliquod.* In epist. S. Clementis, *boni aliquid, et est vera et germana lectio.* Bonum aliquid in se cum viderit, Deo

@ [Col. 0801C] *Applicet.* In epist. S. Clementis legitur, *Applicare, id est attribuere.* In Regula ms. Magistri hoc instrumentum ita habetur: *Bonum aliquid in se cum viderit, a Deo factum magis quam a se existimet.* applicet, non sibi. [Col. 0802A]

@ [Col. 0801C] *Malum vero a se semper factum sciat, et sibi reputet.* Ita vulgo scriptum habetur. In epist. S. Clementis, *Et malum a se factum cognoscat, et sibi imputet.* In Regula Magistri, *Malum a se factum judicet, et sibi et diabolo imputet.* Cui haec instrumenta subsequuntur: *Desideria sua a Deo perfici adoptare.* Substantiam suam non in solo labore manuum suarum, sed plus a Deo sperare. Ubi, *adoptare, est vehementer optare;* ut ab, *amare, adamare.* Malum vero a se factum sciat, et sibi reputet.

@ [Col. 0801D] *Diem judicii timere.* Elegantem judicii descriptionem vide apud Tertullianum lib. de Spectaculis, in fine; et Eusebium Gallicanum, homil. 4, ad monachos. Diem judicii timere. Gehennam expavescere.

@ [Col. 0801D] *Vitam aeternam omni concupiscentia spiritali desiderare.* Ita vulgo habetur. In Regula Magistri: *Vitam aeternam et Hierusalem sanctam desiderare.* In epist. S. Clementis vocabulum *spiritali desideratur, forte a quodam correctore expunctum.* Omni ergo spiritali concupiscentia vitam aeternam desiderare est puro Dei amore, et ad majorem Dei gloriam non ob privatam utilitatem aeternam felicitatem expetere. Et hic appetitus perfectus est, qui monachum maxime decet. Sed ut ardentius a nobis appetatur, illius excellentia hic subjicienda, primo ex S. Prospero lib. I de Vita contemplativa, cap. 2: «Ergo futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata. Ubi est certa securitas et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas; felix aeternitas, aeterna felicitas; ubi est amor perfectus, et nullus timor; dies aeternus, alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, et de sua cum illo permansione securus; ubi ipsa civitas, quae est angelorum sanctorum et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, et aeterna salus exuberat, veritas regnat; ubi nec fallit quisque, ne fallitur; unde nullus ejicitur beatus, quo nullus miser admittitur.» Deinde ex S. Columbano, epistola 2: «Beata familia, quae in altis habitat, ubi senex non gemit, neque infans vagit; ubi laudes Domini nulla vox retinet; ubi non esuritur, ubi nunquam sititur; ubi cibo superno plebs coelestis pascitur; ubi nemo moritur, quia nemo nascitur;

ubi aula regiae coelestis pascitur, in qua male resonans nulla vox audita est; ubi vita viridis veraque futura est, quam nec mortis, nec moeroris, metus consumpturus est. Laeti letho transacto laetum regem videbunt, cum regnante regnabunt, cum gaudente gaudebunt. Tunc dolor, tunc taedium, tunc labor delebitur. Tunc Rex regum, rex mundi a mundis videbitur.» Sed varie a variis Patribus haec beata vita descripta, maxime a Cassiodoro, lib. de Anima, cap. 19, cujus locum non refero, quia prolixior est; quem vide, quia nescio quid jucundius animae spiritali legi potest. Vitam aeternam omni concupiscentia spiritali desiderare.

@ [Col. 0802C] *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.* Hoc instrumentum non exstat apud S. Clementem. Mors ante oculos suspecta habenda est, quia cum certa sit, incerta tamen et perfida est: cum absens putatur, praesens est; cum remota, propinqua; incogitanti repentina advenit; praematura venit; subsidet in insidiis, incautos aggreditur non praemeditata irrumpit, invitos trahit. Suspecta ergo habenda est, ne nos imparatos corripiat, quia mors peccatorum pessima, quae ad perpetuum ducit supplicium, et ut ait S. Prosper Aquitanicus, epigr. 5:

Ille igitur finis malus est, quem poena sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit. At contra sanctorum mors pretiosa in conspectu Domini, quae perpetuum ducit ad gaudium. Et, si liceat mihi in Prosperi versibus ludere, dicam:

Ille igitur finis bonus est, quem palma sequetur,
Et qui perpetuae porta salutis erit. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitae suae omni hora custodire.

@ [Col. 0802D] *In omni loco Deum se respicere pro certo scire.* In epist. S. Clementis: *In omni loco Deum respicere, firmiter scire.* Sed incuria typographi intercidit pronomen *se, quod habetur in capitulari Theodulphi, et in omnibus nostris cod.,* tam editis quam mss.; habetur etiam in Regula Magistri, hoc modo: *In quovis loco a Deo se respici pro certo scire.* Ex quibus omnibus hic S. Clementis locus castigandus est. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere,

@ [Col. 0802D] *Et seniori spiritali patefacere.* Haec instrumenti pars abest a Regula Magistri. In epistola S. Clementis habetur hoc modo. *Et sacerdotibus Domini manifestare.* Sed sanctus Benedictus quaedam mutavit, ut sententiam disciplinae claustrali accommodaret. et seniori spiritali patefacere.

@ [Col. 0802D] *Os suum a malo, vel pravo eloquio custodire.* In epistola S. Clementis: *Os suum a multo vel pravo eloquio custodire.* Os suum a [Col. 0803A] malo vel pravo eloquio custodire.

@ [Col. 0803A] *Multum loqui non amare.* «Multiloquium jactura est monacho,» inquit S. Ephraem paraenesi 46. In epist. S. Clementis additur: *Sed custodire labia sua, ne dolum aut malum loquantur*. Multum loqui non amare.

@ [Col. 0803B] *Verba vana, aut risui apta non loqui.* In epist. S. Clementis: *Verba vana, aut mendacia non loqui:* quia os, quod mentitur, occidit animam. Verba vana, aut risui apta non loqui.

@ [Col. 0803B] *Risum multum, aut excussum non amare.* Hoc instrumentum non exstat in epist. S. Clementis. Mentio fit in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis, lib. 2: «Locutio

vere sua prae nimio gaudio ridere nos cogebat. Sed ille habenas moderationis manu tenens, mox capitulum Regulae nobis apponebat dicens: Risum multum aut excussum non amare.» Risum multum aut excussum non amare.

@ [Col. 0803B] *Lectiones sanctas libenter audire.* In epist. S. Clementis: *Verba divina libenter audire.* Lectiones sanctas libenter audire.

@ [Col. 0803B] *Orationi frequenter incumbere.* In epist. S. Clementis: *Praedicationi et orationi ac lectioni frequenter incumbere:* et eleemosynas veras facere. Recte autem monachis frequentius orationi incumbere praecipitur: nam, ut praeclare monet S. Asterius Amaseae episcopus in homilia in illud Evangelii: *Duo homines ascenderunt in templum:* Εὐκὴ τῆς ζωῆς ἡμῶν βοήθεια, ὁμιλία πρὸς Θεὸν, λήθη τῶν γηίνων ἄνοδος προσ οὐρανόν id est, Oratio vitae nostrae auxilium, conversatio cum Deo, oblivio terrenorum, via ad coelum. Unde recte docet S. Anastasius Sinaita in sermone de sacra Synaxi: Ἡ γὰρ προσεδρεία καὶ σκολὴ τῆς προσευχῆς, καὶ τῶν θείων γραφῶν μήτηρ ὑπάρχει πασῶν τῶν ἀρετῶν διὰ μὲν γὰρ τῆς προσευχῆς πᾶν ἀἰτημα καὶ δώρημα παρὰ Θεοῦ κομιζόμεθα id est, Assiduitas in oratione et in sacrae Scripturae lectione mater est virtutum omnium: per orationem enim omnem petitionem et donum a Deo reportamus. Monachus mundo mortuus coelo per orationem vivit excellentissima sane vita, qua per orationem cum Deo conjunctus est, qui in eo vivit, non jam ipse: ita ut cum Apostolo dicat: *Vivo ego, jam non ego.* sed vivit in me Christus. Orationi frequenter incumbere.

@ [Col. 0803C] *Mala sua praeterita, etc.* Hoc instrumentum non est in epistola S. Clementis. Illud vero eisdem verbis habet S. Eligius episcopus Noviomensis, homil. 9. Mala sua praeterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri: de ipsis malis de caetero emendare. Desideria carnis non perficere.

@ [Col. 0803D] *Voluntatem propriam odire.* Odire, pro *odisse:* sed de hac re inferius. In epistola S. Clementis legitur: *Sed propriam frangere voluntatem.* Illos veros esse monachos praeclare dicebat S. Fulgentius Ruspensis episcopus qui mortificatis voluntatibus suis parati essent nihil velle, nihil nolle, sed abbatis tantummodo consilia vel praecepta servare. Propriam voluntatem odire.

@ [Col. 0803D] *Praeceptis abbatis in omnibus obedire.* In Capitulari Theodulphi: *Praeceptis sacerdotis et praeceptoris, etc.* In epist. S. Clementis: *Eorum praeceptis in omnibus obedire, etc.,* intelligit episcopos, de quibus paulo ante loquitur. Sed sanctus Benedictus mutavit vocabulum S. Clementis, et Theodulphus S. Benedicti. Ille ut suis monachis, hic ut subditis suis sententiam aptaret. Praeceptis abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat

@ [Col. 0803D] *Memores illius Dominici praecepti.* In Capitulari Theodulphi: *Memores illud Dominicum praeceptum;* recte satis, ut cap. 31, de Cellerario, in ms. Concordiae: *Memor semper illud apostolicum;* potest enim nomen *memor regere accusativum aeque ac genitivum juxta syntaxim sui verbi.* memores illius Dominici praecepti: *Quae dicunt facite:* quae autem faciunt, facere nolite **(Matth. XXIII)**.

Non velle dici sanctum, antequam sit:

@ [Col. 0804B] *Sed prius esse quod verius dicatur.* Ita in Regula Magistri, in Capitulari Theodulphi, apud Ruthardum, Trithemium, S. Dunstanum, in cod. mss. S. Faronis, Vict. p. et in utroque S. Germani; quae quidem lectio optima est: ut praedicatio illa sanctitatis non sit causa finalis quae nos moveat ad sanctimoniam acquirendam, sed tantum

consequentia ad illam: nam fama et nomen ex sanctimonia oriuntur. Unde Ruthardus ait: «Sed si forte sine voluntate sua fuerit dictum, verius dicatur.» Vulgo, ut in epist. S. Clementis legitur, *ut verius dicatur.* Quam lectionem, qui admittere volet, dicat, necesse est, particulam *ut hoc loco non significare causam finalem* (ineptum enim esset, si quis famae sibi comparandae gratia sanctus esse vellet), sed tantum consequentiam eventus, quemadmodum saepe in Evangelio occurrit, ut Joan. XIX: *ut Scriptura impleretur dicens:* Partiti sunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem. Non enim haec vestimentorum Christi partitio, et sors in ejus vestem contigere, quia hoc a Davide praedictum est, et ut ejus prophetia vera esset, tanquam illa esset causa finalis ob quam haec facta sunt; quinimo ideo praedicta sunt, quia contingere debebant. sed prius [Col. 0804A] esse quod verius dicatur. Praecepta Dei factis quo tidie adimplere.

@ [Col. 0804C] *Castitatem, etc.* In epistola S. Clementis legitur: *charitatem, male.* Castitatem amare.

@ [Col. 0804C] *Nullum odire.* Odire, pro, *odisse, ut paulo ante: voluntatem propriam odire.* S. Valerianus, orat. de bono disciplinae: *odio colloquium mulieris.* In epist. S. Clementis legitur: *Nullum odio habere:* quia qui odit fratrem suum, homicida est. In Canone Theodori legitur: *neminem odisse.* Nullum odire.

@ [Col. 0804C] *Zelum non habere.* Recte hoc instrumentum distinguitur a sequenti, nempe, *invidiam non exercere.* Nam ita habetur in cod. Vindocinensi, in epistola S. Clementis, et in Regula Magistri. Vulgo tamen, ut in Capitulari Theodulphi, ex his duobus unum conflatur: *Zelum et invidiam non habere.* Et in Canone Theodori, ubi sic legitur: *Zelum injustum et* invidiam non habere, Ruthardus addit *inimicitias non exercere.* Quod certe vix alibi repereris. Zelus autem hoc loco pro zelo malo sumitur, de quo infra. Zelum non habere. Invidiam non exercere. Contentionem non amare. Elationem fugere. Seniores venerari. Juniores diligere.

@ [Col. 0804D] *In Christi amore, etc.* In epist. S. Clementis legitur *in Christi nomine, ut in can.* Theodori. Hoc instrumentum non exstat in Regula Magistri. In Christi amore pro inimicis

@ [Col. 0804D] *Orare.* In Can. Theodori, *Exorare.* orare.

@ [Col. 0804D] *Cum discordante.* Ita apud Keronem. In epist. S. Clementis, legitur. *Cum discordantibus, etc.,* ut vulgo. In Regula Magistri habetur: *Ante solis occasum cum inimicis redire in gratiam.* Ubi et hoc instrumentum additur: *Omnibus bonis ex toto corde obedire.* Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.

@ [Col. 0804D] *Et de Dei misericordia nunquam desperare.* In Regula Magistri: *et de Deo nunquam desperare.* Et de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce haec sunt instrumenta artis spiritalis, quae cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, et in die judicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quae praeparavit Deus his qui diligunt [Col. 0805A] eum. Officina vero ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.

§ II.---EX REGULA SANCTI MACARII.

@ [Col. 0805C] *Milites Christi, etc.* Haec non exstant in Regula Serapionis, Macariii et aliorum cod. Flor. Quaedam, maxime circa finem, habentur in epist. S. Hieronymi ad

Rusticum de forma vivendi. Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes Deum ex tota anima diligere, et ex tota mente, et ex toto corde, et ex tota virtute sua, invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam. Pacifici, mites, moderati; non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non praesumptuosi, non sibi placentes, sed Deo, cui militant, Christo. Non blasphemiam sectantes, nec dicere quidquam praeter quod bonum [Col. 0805B] est. Ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia

@ [Col. 0805C] *Praecincti.* Id est, prompti. praecincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares. Nullus se [ab] alio justiorem arbitretur;

@ [Col. 0805C] *Sed unusquisque, etc.* Lege, *Sed unusquisque se tanquam omnibus inferiorem contemnat.* sed unusquisque omnibus se inferiorem contemnat. Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Praeceptum senioris est, ut salutem suscipias; non murmurando ullam operam facias; non responsionem contra praeceptum usurpes, non te extollas, aut magnifices utilem operam aliquam fecisse. Non acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris. Non te familiaritas aliqua saecularis trahat, sed tota dilectio tua in cellula demoretur.

@ [Col. 0805C] *Cellam ut paradisum habeas.* Consule S. Hieronymum, [Col. 0805D] S. Dorotheum, S. Antiochum, Severum Sulpitium, Cassianum, Palladium, Joannem Moschum, et caeteros, qui de vita ascetica, ejusque cultoribus scripserunt, et videbis, quantum sit e re monastica custodia cellae. Cellam ut paradisum habeas. Fratres tuos spiritales ut aeternos confidas habere parentes. Praepositum [Col. 0805C] monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Similiter quoque et omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidas

@ [Col. 0805D] *Videre.* Pro, *Visurum.* Ut saepe occurrit. videre gloriam Christi. Non oderis laboriosam operam, otium quoque ne sectaveris, in vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum tuum venias: cum Christo requiescere credas.

@ [Col. 0805D] *Cursum monasterii.* Cursus est pensum divini officii, quod quotidie excurritur, et persolvitur a monachis. De quo infra. Cursumque monasterii super omnia diligas. [Col. 0806A] Qui vero saepius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

§ III.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 41).

Interrog.

@ [Col. 0805D] *Quid est maledicus, etc.* Habetur apud S. Basilium, interr. 24 Regulae brev. et apud Rufinum, cap. 33, ubi ita etiam legitur. At in textu Graeco τί ἐστι λοιδορία; id est, quid est maledictum? quibus verbis responsio convenit: *Omnis sermo, etc.* Haec autem S. Basilii capita citantur ob haec sancti Benedicti verba: *non detractorem.* Quid est maledicus, id est λοίδορος.---*Resp.* Omnis sermo qui ob hoc profertur ut infamet aliquem, deroget vel male commendet,

@ [Col. 0805D] *Maledicus est.* Lege, *maledictum est, ut in Graeco.* λοιδορία. maledicus est, etiamsi non videatur esse injuriosus. Et hoc manifestum est ex sententia Evangelii, cum dicit de Judaeis: *Quia maledixerunt eum dicentes:* Tu sis ex discipulis ejus **(Joan.**

IX).

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 42).

Interrog.

@ [Col. 0805D] *Quid est detractio.* Exstat apud S. Basilium interr. seq. et apud Ruf. eod. cap. Quid est detractio vel derogatio?---*Resp.* Duas opinor esse causas, in quibus licet alicui dicere et retractare aliena mala:

@ [Col. 0806C] *Si quando consilium, etc.* Videndum est tamen si is quicum inis consilium de alieno peccato emendando, sit vir prudens, ut ejusmodi peccatum alteri non sit patefacturus. Et ita hic Basilii locus est explicandus. De detractione plura vide apud Toletum, lib. V, cap. 63 et seq., Angelum et alios. si quando consilium habere necesse est cum caeteris, qui in hoc [Col. 0806B] ipsum videntur assumi, quomodo corrigatur is qui peccavit, vel male aliquid egit. Et rursum si quando necesse est praevenire aliquem et commonere ne forte incurrat in consortium alicujus mali, dum eum putat esse bonum: quia Apostolus dicit: *Nolite commisceri cum hujusmodi* **(II Thess. III)**.

@ [Col. 0806C] *Item in Salomone.* In textu Graeco nulla mentio fit [Col. 0806D] Salomonis, sed tantum producitur finis hujus sententiae, mutata secunda persona in tertiam: Μή ποτε λάβῃ βρόχὸυς τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ, id est, Ne quando quis capiat laqueos animae suae. Locum textui suo accommodat. Item in Salomone: *Noli manere cum homine iracundo, ne forte vias ejus discas et sumas laqueum animae tuae* **(Prov. XXII)**. Quod et ipsum Apostolum fecisse invenimus per hoc quod scribit ad Timotheum dicens: *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit;* quem tu quoque devita: valde enim restitit nostris sermonibus **(II Tim. IV)**. Praeter hujusmodi autem necessitates quicunque dicit aliquid adversus aliquem, ut vel deroget ei vel obtrectet, istud est detrahere, etiamsi [Col. 0806C] vera esse videantur quae dicit.

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 43).

Interrog.

@ [Col. 0806D] *Qui detrahit fratri.* Invenire est apud S. Basilium, interr. 26 Regularum brevium, et apud Rufinum, cap. 34. Qui detrahit fratri, audit detrahentem, et patitur, quid dignus est?---*Resp.* Excommunicari debet. *Detrahentem,* inquit, *occulte adversus proximum suum, hunc persequebar* **(Ps. C)**. Et alibi dictum est:

@ [Col. 0806D] *Noli libenter audire detrahentem.* Ita apud Rufinum. Et ad verbum redditur textus sacrae Scripturae, prout a S. Basilio profertur, qui est hujusmodi: Μὴ ἡδεὼς ἄκουε καταλαλοῦντος, etc.; id est, Ne libenter audias detractorem. Aliter tamen Prov. cap. XX, versu 13 ubi hic locus exstat, legitur in versione Septuag. Interpretum, Μὴ ἀγαπᾷ καταλαλεῖ ἵνα μὴ ἐξαρθῇς, id est, *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* In textu Hebraico, אל־תחב שנה ,*al theheb schana,* id est, *noli diligere somnum, ut in versione communi.* Sed si mutatis punctis legas אל־תחב שנה *schone, efficies*τὸ *detractorem.* Quemadmodum cap. XXIV, Prov.: *Et* [Col. 0807D] cum detractoribus ne miscearis, ubi in textu Hebraeo legitur שונים , *Schonim,, id est, detractores. Noli libenter audire detrahentem, ne forte eradiceris* **(Prov. XX)**.[Col. 0807A]

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 44).

Interrog.
@ [Col. 0807D] Interrog. 27 Reg. brev.; Rufin. cap. 2. Quod si de eo, qui praeest, detraxerit, quomodo eum observabimus?---*Resp.* Et in hoc manifestum est judicium iracundiae Dei, quae facta est super Mariam, dum detraxit de Moyse: et peccatum ejus, nec ipso quidem Moyse orante, inultum Deus esse permisit **(Num. XII)**.

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 61).

Interrog.
@ [Col. 0807D] Interrog. 35 Reg. brev.; Ruf. c. 40. Quomodo intelligitur superbus, vel quomodo curatur.---*Resp.* Intelligitur quidem ex eo quod ea semper quae eminentiora sunt quaerit. Curatur autem, si credat sententiae ejus quae dixit: *Deus superbis resistit* **(Jac. IV)**. Illud sane sciendum est quod quomodo quis timeat damnationem superbiae, impossibile est curare hoc vitium, nisi abstrahat se, [Col. 0807B] et secedat ab omnibus occasionibus elationis. Sicut impossibile exstingui linguam alicujus, vel gentis loquelam, vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se penitus abstrahat non solum ab agendo, vel loquendo [vel movendo], sed etiam audiendo eos qui loquuntur, vel videndo eos qui agunt id quod oblivisci cupit. Et hoc observandum est de omnibus vitiis.

§ VIII.---*Item ejusdem* (cap. 90).

Interrog.
@ [Col. 0807D] *Quomodo jejunare.* Reperitur apud S. Basilium, interr. 130 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 50. Hoc caput citatur ob haec verba: *Jejunium amare.* Quomodo oportet jejunare, cum necessarium jejunium injungitur, si aliquando quod religio deposcit explendum tanquam ex necessitate, an voluntarie?---*Resp.* Domino dicente: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* **(Matth. V)**, omne quod ad religionem pertinet, nisi ex proposito et religione [Col. 0807C] fiat, periculum generat. Debet ergo jejunio sociari devotio. Quia autem necessarium sit jejunium in talibus quibusque causis,
@ [Col. 0807D] *Et maxime cum desideramus, etc.* Ita apud Rufinum, sed non exstant in textu Graeco. et maxime cum desideramus aliquid impetrare de Domino, etiam sanctus Apostolus docet, qui inter caeteras suas virtutes addidit
@ [Col. 0807D] *Hoc etiam dicens.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco additur, πρὸς διδασκαλίαν ἡμετέραν, id est, ad nostram instructionem. etiam hoc dicens: *Quia in jejuniis*
@ [Col. 0807D] *Frequenter.* Hoc vocabulum non invenitur apud Rufinum. *frequenter* **(II Cor. XI)**.

§ IX.---*Item ejusdem* (cap. 138).

Interrog.
@ [Col. 0807D] Interrog. 209 Reg. brev.; Rufinus, cap. 72. Quomodo possumus timere judicia Dei.---*Resp.* Naturaliter exspectatio omnis mali timorem incutit. Ita namque etiam bestias timemus et principes, scientes imminere ab eis aliquid quod ad vitae exitium pertinet. Si ergo credamus quia verae sunt [Col. 0808A] comminationes futuri judicii et recordemur terribile illud futuri examinis tribunal, timebimus judicia Dei.

§ X.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 4).

@ [Col. 0807D] *Monachis autem, etc.* Haec habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 3. Monachis autem summopere studendum est ut apostolicam vitam tenentes, sicut in unum constituti esse noscuntur, ita cor unum habeant in Deo, nihil sibi proprium vindicantes,

@ [Col. 0807D] *Nihilque in quantulumcunque.* Dele τὸ*nihilque* in quod redundat, et lege, ut in Regula excusa *nec quamtulumcunque.* [nihilque in] quantulumcunque amorem rei privatae gerentes; sed juxta exemplum apostolicum omnia communia habentes, in praeceptis Christi permanendo proficiant,

@ [Col. 0808D] *Patri honorem debitum reverentes.* Lege: *Patrem honore debito reverentes.* In Regula excusa legitur: *Patri honorem debitum referentes.* Patri honorem debitum reverentes, erga seniores obedientiam, erga aequales incitamentum virtutum, erga minores exempli boni ministerium conservabunt. Nemo caeteris se judicet meliorem, sed inferiorem omnibus deputans tanta humilitate clarescat, quanto [Col. 0808B] plus caeteris culmine virtutum coruscat. Abstineat etiam a furore et detractione, parcat monachus linguae.

@ [Col. 0808D] *Indecenter quoque, etc.* Monachus incedere debet juxta id quod praecipit S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 8 Regulae suae: «Definitum est ut ... in gressu nullos strepitus, neque saltus amplos tensis passibus facerent: nec alibi dum pergunt, aspicerent, nisi ante vestigia sua.» Indecenter quoque vel

@ [Col. 0808D] *Notabiliter.* Id est, superbe et fastuose. notabiliter non incedat. Philargyriae contagium ut lethiferam pestem abhorreat, a turpibus verbis vel otiosis linguam avertat, atque indesinenter cor mundum labiaque exhibeat. Affectus quoque animi turpes ab intentione cogitationis abstergat, seque per compunctionem cordis in studio sancto meditationis exerceat. Torporem somni atque pigritiae fugiat, vigiliisque et orationibus sine intermissione intendat. Gulae concupiscentiam deprimat, atque abstinentiae virtutibus semetipsum pro studio domandarum libidinum affligat, domans jejuniis carnem, quantum valetudo corporis sinit. Livore quoque invidiae de fraternis profectibus [Col. 0808C] nequaquam tabescat; sed quietus atque pacificus per amorem fraternae dilectionis de cunctorum gaudeat meritis. Iracundiae perturbationem a se rejiciens, et patienter omnia sustinens, nulla tristitia, nullo temporali moerore affectus, sed contra omnia adversa interiori gaudio fretus, ipsam postremo vanae gloriae laudem procul a se abjiciat, ut dum his institutis radiat, merito nomen suae professionis retineat.

§ XI.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 24).

@ [Col. 0808D] *Transeuntibus de hac luce fratribus, etc.* Haec habentur in Regula excusa sancti Isidori eodem cap., quae hic citantur ob illa sancti Benedicti verba: *mortuum sepelire.* Transeuntibus de hac luce fratribus, antequam sepeliantur, pro dimittendis eorum peccatis

@ [Col. 0808D] *Sacrificium offeratur.* Antiquus fuit Ecclesiae mos pro defunctis sacrificium offerre, de quo agit sanctus Augustinus, lib. de Cura pro mortuis habenda, cap. 1, et in epistola de octo quaestionibus ad Dulcitium, qu. 2. Mentio fit apud Cassianum, coll. II. cap. 5: «Ab iis qui ejus compatiebantur exitio, vix a presbytero abbate Paphnutio potuit obtineri ut non inter biothanatos reputatus etiam memoria et [Col. 0809B] oblatione pausantium judicaretur indignus.» Et in concilio Bracarensi I, cap.

24; Aurelianensi II, can. 14; Vasensi I, can. 2; Vasensi II, can. 3, et aliis auctoribus infra citandis. Sanctus Isidorus tantum unius diei, quo in exsequiis defunctorum salutaris offertur hostia, meminit; quae tamen offerebatur etiam quibusdam aliis diebus ab ipsius defuncti obitu. Alcuinus, lib. de divinis Officiis, cap. 5; Amalarius Fortunatus, lib. IV de ecclesiasticis Offic., cap. 42, mentionem faciunt tertii, septimi et trigesimi dierum, quos adhuc observat sancta Romana Ecclesia. Sed olim mos iste varius fuit. Nam tempore sancti Ambrosii alii tertium diem et trigesimum observabant, alii septimum et quadragesimum, ut videre est in ejus oratione de Theodosii obitu: «Ejus ergo principis conclamavimus obitum, et nunc quadragesimum celebramus assistente sacris altaribus Honorio principe; quia sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis [Col. 0809C] officia detulit, ita et hic Theodosio patri suo justa persolvit. Et quia alii tertium diem et trigesimum, alii septimum et quadragesimum observare consueverunt, quid doceat lectio, consideremus.» Ita in vetustis editionibus; nam in quibusdam recentioribus corrupte legitur: *alii tertium diem, alii trigesimum, alii septimum, alii quadragesimum observare consueverunt.* Dierum tertii et quadragesimi observationem commemorat Palladius in Lausiaca, capite de Eulogio: Καὶ συνέβη τοῦ μέν μακαρίου Εὐλογίου τὰ τεσσαρακοστὰ ἐπιτελεῖσθαι, τοῦ δέ λελωβημένου τὸ σῶμα τὰ τρίτα παρὰ τῆς ἀδελφότητος id est: Et accidit ut celebraretur a fraternitate beati Eulogii quadragesimus dies, mutilati vero corpore dies tertius. Ecce ut veteres illi monachi Aegyptii dies tertium et quadragesimum celebrahant. An alium addiderint, etsi id non pateat ex Palladio, est tamen simile vero eos addidisse nonum. Nam olim in Orientali Ecclesia agebantur tres hi dies pro mortuis tertius, nonus et quadragesimus. Constitutiones [Col. 0809D] apostolicae: Ἐπιπλείσθω τρίτα τῶν κεκοιμημένων, etc., id est, tertius defunctorum dies fiat cum psalmis, lectionibus et precibus propter eum qui tertio die a mortuis resurrexit; dies nonus, in memoriam eorum qui superstites sunt, et eorum qui defuncti sunt; dies quadragesimus, juxta antiquam formam. Ubi male vertitur: *exsequiae vero defunctorum fiant tertio die.* Justinianus Novella 133, cap. 3: «Sed neque aliquam excogitent occasionem aut vim ad monasteria muliebria ingrediendi, aut mulieres viris deputata occasione horum, quae circa funus aguntur (quas utique memorias vocant) et tertiam et nonam convenientes diem, et dum quadraginta compleantur.» Idem docet Eustratius presbyter magnae Ecclesiae, tractatu 3, de defunctorum animis (Photius in Bibl. n. 171); ipse enim scribit tertiam, nonam et quadragesimam dies agi cum precibus et eleemosynis in memoriam defunctorum; tertiam, ob Christi resurrectionem, quae tertia die contigit; nonam, quia post octo dies suae resurrectionis suis discipulis denuo apparuit, quadragesimam post resurrectionem die ad coelum ascendit. Nec his adversatur sanctus Augustinus, [Col. 0810B] cum ita ait sub finem Quaestionum super Genesim: «Et fecit luctum patri suo septem dies. Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novemdial appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum observant, qui magis est in gentilium consuetudine.» Nam aliud est loqui de nono die, aliud de novem diebus. Novem dies non celebrabant Christiani, sed nonum diem duntaxat. Novemdialis meminerunt glossae veteres: *Novemdial,* ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα, quos dies etiam Athenienses ἔννατα appellabant, ut docet Julius Pollux lib. III Onomast., cap. 19. sacrificium offeratur. Corpora fratrum uno sepelienda sunt loco, ut quos viventes charitatis tenuit unitas, [Col. 0809A] morientes unus locus amplectatur. Pro spiritibus defunctorum

@ [Col. 0810B] *Altera die post Pentecosten, etc.* Mos olim fuit in monasteriis multis ut anniversariae preces et missae stato die pro defunctis fratribus agerentur. Id instituit beatus Aegil abbas Fuldensis in suo monasterio, die sancti Ignatii martyris ad hanc memoriam deputato, [Col. 0810C] ut scribit Candidus monachus Fuldensis in ejus Vita. Sanctus Hugo abbas Cluniacensis idem statuit fieri quotannis feria 5, post octavas Pentecostes in omnibus monasteriis sibi subditis, ut videre est in charta quadam de quibusdam illius decretis (*Bibl.* Clun. in S. Hugone). altera die post Pentecosten sacrificium Deo offeratur, ut beatae vitae participes facti purgatiores corpora sua in die resurrectionis recipiant. Haec igitur, o servi Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita vobis custodienda volumus, ut majorum praecepta [

@ [Col. 0810C] *Patrum.* Lege *potius, ut in Regula excusa.* patrum] per omnia conservetis. Suscipite igitur inter illa et hanc admonitionem nostram, humili corde custodientes quae dicimus, libenter sumentes quae dispensamus: quatenus vobis de effectu operis sit gloria, et nobis pro ipsa admonitione postulata proveniat venia. Deus [Col. 0810A] autem omnipotens custodiat vos in omnibus bonis: et quomodo coepit sic confirmet gratiam suam in vobis. Amen.

§ XII.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 127).

@ [Col. 0810C] *Si frater dormierit, etc.* Hoc caput videre est in Regula sancti Pachomii excusa, art. 71. Si frater dormierit,

@ [Col. 0810C] *Omnis eum fraternitas prosequatur.* Id est, omnes fratres ejus funus prosequantur. omnis eum fraternitas prosequatur.

@ [Col. 0810C] *Nemo remaneat.* Ex art. seq. santi Pachomii, in quo ita habetur: «Nemo exeat foras, nemo loquatur; nemo remaneat excepto majoris imperio.» Nemo remaneat absque majoris imperio,

@ [Col. 0810C] *Nec psallat.* Ex art. 73 ejusdem Regulae, sed paulo aliter: «Nemo ante psallat, nisi et jussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine praepositi jussione audeat jungere.» nec psallat, nisi ei jussum fuerit; nec post alterum psalmum jungat alterum sine praepositi voluntate.

§ XIII.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 23).

@ [Col. 0810C] *Ut jurandi consuetudo, etc.* Perfectionis Christianae studiosis, ut sunt monachi, ab omni jurejurando [Col. 0810D] cavendum est. Quod praeclare docet sanctus Leander, lib. de Inst. virgin.. cap. 19: «Nunquam jurare, sed semper verum dicere pari observa studio. Nam sicut carnalibus pro terrore fraudis jurare permissum est; sic prohibita sunt spiritualibus, etiam dum bene conscii sunt sacramenta. *Sit, inquit, sermo vester, est est, non non.* Quod autem, plus est, a malo est. Cave itaque jurare in bono, quia de malo est. Propterea dicitur esse a malo, eo quod jurandi necessitas ex infideli sit conscientia. Ejus enim hominis jurandi extorquetur necessitas, cujus fides manet in dubio.» Cum autem monachorum fides neutiquam vacillare debeat, non opus est eis juramento, quo dictorum suorum veritas confirmetur. Bona conscientia non indiget juramento; tantus est in ea veritatis amor ut quidquid dicit, juratum putet. Recte olim Solon, teste Laertio lib. I, dicebat: Καλοκαγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχε, id est. Probitatem juramento fideliorem cense (*S.* Hieron., epist. ad Celantiam). Quamobrem lib. II legis Longobardorum, tit. 47, prohibetur episcopis, presbyteris, clericis, monachis

et sanctimonialibus, jurare etiam in judicium citatis, dilatata lege Marciani imperatoris, quae tantum complectitur clericos Constantinopolitanos, ut habetur Cod. l. 25, *De episcopis et clericis, etc.* Quare in citata lege Longobardorum male legitur, *Marco* pro *Marciano,* et *Marci pro Marciani.* Juramentum etiam prohibetur monachis prima add. Capit. Lud. imp., titul. 43. Ut jurandi consuetudo ad integrum, si fieri potest, [Col. 0811A] de monachorum interlocutione tollatur: ut, etsi secundum humanam fragilitatem minus forsitan possunt mendacii cavere peccatum, possint saltem damnandum vitare perjurium. Quos rogo simul atque commoneo ut studeant in usum habere verba sacra, ne unquam necessaria sint sacramenta. Quam enim hujus vitii debeant omnes vitare flagitium, beato apostolo monente, didicimus. *Nolite jurare neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum.* Sit autem verbum vestrum, Est est, Non non; ut non sub judicio decidatis **(Luc. V)**. Et illud similiter divinae Scripturae: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet de domo illius plaga* **(Eccli. XXIII)**. His namque magnis atque evidentissimis documentis etiam lectio Evangelii, [Col. 0811B] quae maxima est plenitudo, similiter attestatur, dicente Domino ad discipulos: *Audistis quia dictum est antiquis:* Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino: neque per coelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est est, Non non **(Matth. V)**. Sufficiat ergo nos propria inserenda monita
@ [Col. 0811C] *Exemplis.* Id est, auctoritatibus. exemplis docuisse vitanda.

§ XIV.---EX REGULA AURELIANI (cap. 9).
@ [Col. 0811D] *Non juretis.* Idem statuitur in Regula Teridii seu Tetradii, cap. 4: «Non jurent, quia Dominus dixit: *Nolite jurare;* sed sit sermo vester, Est est, Non non.» Non juretis, quia Dominus dixit:
@ [Col. 0811D] *Nolite jurare, profert sensum, non verba. Nolite jurare* [Col. 0811C] **(Matth. V)**. Et alia Scriptura: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, nec discedet de domo ejus plaga* **(Eccli. XXIII)**.[Col. 0812A]

§ XV.---*Item ejusdem* (cap. 10).
@ [Col. 0811D] *Non maledicatis.* Eadem habet Tetradius, cap. 6 Regulae suae: «Non maledicant, quia scriptum est: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*» Idem etiam statuit Caesarius, cap. 2 Regulae: Juramentum et maledictum velut venenum diaboli fugere et vitare contendat.» Non maledicatis, quia scriptum est: *Maledici regnum Dei non possidebunt* **(I Cor. VI)**.

§ XVI.---*Item ejusdem* (cap. 11).
@ [Col. 0811D] *Mentiri, etc.* Circa mendacium haec statuit Tetradius in Reg. monach. cap. 5: «Mentiri qui inventus fuerit legitimam disciplinam accipiat, quia *os quod mentitur occidit animam, et: perdes eos qui loquuntur mendacium.*» Mentiri omnino non liceat, quia *os quod mentitur, occidit animam* **(Sap. I)**. Et illud: *perdes*
@ [Col. 0811D] *Eos qui loquuntur.* Juxta textum Hebraicum. In versione communi, *omnes. eos qui loquuntur mendacium* **(Psal. V)**.

§ XVII.---*Item ejusdem* (cap. 12).

Iracundiam nullus usque ad aliam diem protrahere praesumat. Quod si, ut habet humana fragilitas, sermo durior inter fratres ortus fuerit, invicem sibi veniam petere et debita relaxare debebunt propter Domini mandatum, ubi dicit: *Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque munus tuum ante altare,* et vade prius reconciliari [Col. 0812B] fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum **(Matth. V)**. Et:
@ [Col. 0811D] *Si non dimiseritis, etc.* Haec citantur ex memoria, non ex codice. *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester coelestis dimittet vobis peccata vestra* **(Matth. VI)**. Item:
@ [Col. 0812C] *Si septies in die, etc.* Haec citantur ex memoria. *Si septies in die peccaverit in te, et conversus dixerit:* Poenitet me, dimitte illi **(Luc. XVII)**. Et: *Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies* **(Matth. XVIII)**. Et alia Scriptura: Ira enim viri justitiam Dei non operatur **(Jac. I)**. Et Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram* **(Eph. IV)**. Quod si, quod Deus avertat, diabolo instigante, ita fuerit quis furore repletus, ut ista mandata pertinaci corde contemnat, et unus de illis qui discordantes sunt, praevenerit alium veniam ei petens; si ille cui petit non dimiserit,
@ [Col. 0812C] *Legitimam disciplinam accipiat.* Disciplina est verberum supplicium. Lib. II legis Longobardorum, tit. 13, 1. 3: «Ancilla vero pro ipsa illicita praesumtione accipiat talem disciplinam a domino in praesentia servi, ut alia ancilla hoc facere non praesumat.» Legis Boiorum tit. 9, cap. 4, § 3, apnd Marculphum, formula 175. In Regula S. Caesarii cap. 24: «Justum est ut legitimam disciplinam accipiant;» et paulo post: «disciplinam tamen ipsam in [Col. 0812D] praesentia congregationis accipiant; et in Regula Tetrardii supra, cap. V. legitimam disciplinam accipiat, ut ad charitatem [Col. 0812C] se corrigat. Quod si ambo despexerint, pariter a communione
@ [Col. 0812D] *Vel cibo suspendantur.* Particula *vel sumitur copulative.* Suspendi a cibo est jejunio multari, quia monachi excommunicati cum caeteris fratribus non reficiebant, sed aliquot horis tardius, nec ejusdem cibis, ut patet ex multis hujus Concordiae locis. vel cibo suspendantur, donec invicem sibi reconcilientur.

§ XVIII.---INCIPIUNT GESTA A BEATO AUGUSTINO, QUANDO SIBI SUCCESSOREM ELEGIT.
@ [Col. 0812D] *Gloriosissimo Theodosio, etc.* Haec non exstant in Concordia Floriacensi, sed supplevi ex Vindocinensi: quo tamen spectent non video, nisi dicamus esse transposita et spectare ad caput de ordinando abbate, aut certe referri ad instrumentum, *Contentionem non amare.* Haec autem Acta habentur inter epistolas sancti Augustini post centesimam nonam. Hic Theodosius junior est, qui fuit Arcadii filius et duodecies consul cum Valentiniano tertio iterum consule, ut notum est ex chronico Cassiodori. Gloriosissimo Theodosio duodecies et
@ [Col. 0812D] *Valentiniano.* Is est Valentinianus tertius, Theodosii consobrinus, filius Constantii, quem Honorius in consortem imperii assumpserat, et Placidiae amitae Theodosii filius, qui cum triginta annos imperasset, a Trasila Aetii milite confossus interiit. De quo vide Idacium in Chron., Cassiodorum, Olympiodorum, Paulum Warnefridum et alios. Valentiniano [Col. 0813A] Augusto iterum consule, cum Augustinus episcopus una cum Regiliano et Martiniano coepiscopis suis consedisset

@ [Col. 0813C] *In ecclesia Pacis.* Ita appellabatur ecclesia Hipponis civitatis, ut notum est ex concilio Africano, anno Christi 395, ubi ita legitur: *Hippone, in secretario basilicae Pacis.* in ecclesia Pacis Iponiensium

@ [Col. 0813C] *Regionum.* Lege *Regiorum.* Nam haec urbs dicitur Hippo Regius, ut notum est ex Mela, lib. I, et aliis. regionum, praesentibus Saturnino,

@ [Col. 0813C] *Leporio.* Is est Leporius presbyter, de quo sanctus Augustinus, serm. II de Vita et Moribus clericorum: «Presbyterum Leporium, quamvis saeculi [Col. 0813D] natalibus, et apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis quae habebat relictis, inopem suscepi.» Alius est a Leporio monacho et presbytero Gallo, qui in Pelagii haeresim lapsus in Africam trajecit; ubi ab Aurelio Carthaginiensi, sancto Augustino et aliis Africae episcopis susceptus et sanatus, edito emendationis libello, ab eisdem in Gallias remissus est. De quo Gennadius in Catalogo, cap. 59, et Facundus Hiermianensis, lib. I de tribus Capitulis. Leporio,

@ [Col. 0813D] *Barnaba.* Is est Barnabas de quo sanctus Augustinus serm. citato: «Dixi aliquid suum non habere presbyteros cohabitatores meos: inter quos est et presbyter Barnabas,» etc. Barnaba, Fortunatiano, Rustico,

@ [Col. 0813D] *Lazaro.* Is est Lazarus diaconus cujus meminit sanctus Augustinus eodem serm., qui postea presbyter ordinatus est. Lazaro et

@ [Col. 0813D] *Eraclio.* Is est qui hic designatur episcopus Hipponensis, de quo sanctus Augustinus serm. citato: ubi, quemadmodum et in his gestis excusis, male appellatur Eradius. Nam hujusmodi nomen vix in usu fuit antiquis, Heraclius usitatissimum. Error manavit ex commissura litterarum, *c* et *l,* ex qua exsurgit littera *d.* Apponenda est tamen aspiratio, quae saepe in codicibus mss. desideratur. Eraclio presbyteris, astanti clero et frequenti populo, Augustinus episcopus dixit: Quod hesterno die promisi charitati vestrae propter quod volui frequentius convenire, et video frequentius convenisse, mora omni postposita, hoc agendum est. Si enim aliud velim loqui, in illud

@ [Col. 0814C] *Suspensi sumus.* Audistis. In editis: *Suspensi minus audistis.* Rectius. suspensi sumus. Audistis, omnes in hac vita mortales sumus, et dies vitae nostrae ultimus omni homini est semper incertus. Verum tamen in infantia speratur pueritia, in pueritia speratur adolescentia, in adolescentia speratur juventus, [Col. 0813B] in juventute speratur gravitas, in gravitate speratur senectus. Utrum contingat, incertum est. Senectus autem aliam aetatem quam speret, non habet. Incertum est enim ipsa senectus quandiu sit homini: illud tamen certum est nullam remanere aetatem quae possit succedere senectuti. Quia voluit Deus, ad istam civitatem cum vigore aetatis adveni: sed tamen juvenis fui et senui. Scio per obitum episcoporum per contentiosos, ambitiosos aut seditiosos solere Ecclesias perturbari; et, quod saepe sum expertus et dolui, debeo, quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati. Sicut novit charitas vestra, in Milevitana Ecclesia modo fui. Petierunt enim me fratres, et maxime servi Dei, qui ibi sunt, ut venirem. Quia post obitum beatae memoriae fratris [Col. 0813C] coepiscopi mei

@ [Col. 0814C] *Severi.* De quo serm. cit.: «Subdiaconus est cum sancto fratre meo et coepiscopo Severo in Ecclesia Milevitana.» Severi, nonnulla ibi perturbatio timebatur. Veni, et quomodo voluit,

@ [Col. 0814C] *Dominus adjuvit nos.* In editis: *Dominus adjuvit nos pro misericordia sua, ut cum pace episcopum acciperent.* Deus adjuvit nos per suam misericordiam.

Acceperunt episcopum, [Col. 0814A] quem vivus designaverat episcopus eorum. Hoc enim eis cum innotuisset, voluntatem
@ [Col. 0814C] *Praecedentis.* In excusis additur, *et decedentis.* praecedentis episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat. Unde nonnulli contristabantur, quia frater Severus credidit posse sufficere, ut successorem suum apud clericos designaret: ad populum inde non est locutus. Et erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid plura? Deo placuit, fugata est tristitia, gaudium successit, ordinatus est episcopus quem praecedens episcopus designaverat. Ergo, ne aliquid de me quaeratur voluntatis meae, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam
@ [Col. 0814C] *Profero.* In editis, *perfero.* profero. Presbyterum Eraclium mihi successoren volo. A populo acclamatum est *Deo laudes, Chri sto laudes.* Dictum est vicies tercies. *Exaudi, Christe,* [Col. 0814B] Augustino vitam. Dictum est sexies vicies. *Te Patrem, te episcopum.* Dictum est octies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit, Non est opus me de laudibus ejus aliquid dicere; faveo sapientiae, parco verecundiae.

§ XIX.---EX DOCTRINA SANCTI ORSIESII.

@ [Col. 0814D] *Non irascamur.* Haec habentur in editis circa finem. Proferuntur ab auctore nostro ob illa sancti Benedicti: *Cum discordante ante solis occasum, etc.* Non irascamur invicem. Etiamsi ira nos vicerit,
@ [Col. 0814D] *Non peccamus irati.* Nempe contra praeceptum Apostoli, si poenitentia ducti solis occubitum praevenimus. Hic locus caute legendus est, nam ira potest esse peccatum, etiamsi quis ante solis occasum reconcilietur. non peccamus irati solis occubitum poenitentia praevenientes **(Eph. IV)**. Meminerimus esse praeceptum quoties peccanti in nos ignoscere debemus, et munus nostrum relinquere ante altare, quod nequaquam suscipitur, nisi fuerit reconciliatione placabile **(Luc. VII)**; ut possimus dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* **(Luc. XI)**. Et Apostolus dicit: *Si* [Col. 0814C] quis habet adversus aliquem
@ [Col. 0814D] *Querimoniam.* In Vulgata versione, *querelam. querimoniam, sicut et*
@ [Col. 0814D] *Christus.* Ut in textu Graeco. In versione Vulgata, *Dominus. Christus*
@ [Col. 0814D] *Donavit nobis.* Ita in eod. Vind., juxta textum Graecum, ἐχαρίσατό ἡμιν quod idem sonat. At in editione Vulgata, *donavit vobis, quemadmodum et IV ad Eph.* in eadem versione: *Condonavit vobis.* Ubi in textu Graeco: ἐχαρίσατό ἡμιν id est, condonavit nobis. *donavit nobis,*
@ [Col. 0814D] *Sic facite.* Ita in cod. Vind. et in editis Orsiesii. At in versione vulgata, *sic et vos, quemadmodum in textu Graeco:* οὕτω καὶ ὑμεῖς, quod idem sonat. *sic facite* **(Col. III)**[Col. 0815A]

§ XX.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 4).

Interrogatio discipuli.
@ [Col. 0815B] *Quae ferramenta.* Ferramentum est instrumentum proprie ferreum. Glossae veteres: *Ferramenta,* ἐργολεῖα σιδηρᾶ, id est, instrumenta ferrea. Quae sunt ferramenta spiritalia, cum quibus operari possumus artem divinam?---*Resp.* Dei per magistrum. Quae fides, spes, charitas, gaudium, mansuetudo, humilitas, obedientia, taciturnitas, prae omnibus castitas corporum, conscientia simplex, abstinentia,

simplicitas, benignitas, bonitas, misericordia: prae omnibus pietas, temperantia, vigilantia, sobrietas, justitia, aequitas, veritas, dilectio, mensura, modus, et perseverantia usque in finem.

§ XXI---*Item ejusdem* (cap. 5).

Interrogatio discipuli. Quae est materies vel causa malorum quae in fornace timoris Dei excoqui debet, vel quae est aerugo vel sorditatio vitiorum quam de [Col. 0815B] nobis debet lima justitiae mundare?---*Resp.* Dei per magistrum. Cavenda in nobis vitia haec sunt. Primo [Col. 0816A] superbia, deinde inobedientia, multiloquium, falsitas, avaritia, cupiditas, zelus, invidia, iniquitas, odium, inimicitia, ira, contentio, fornicatio, ebrietas, voracitas, murmurium, impietas, injustitia, pigritia, furtum, detractio, scurrilitas, levitas, immunditia, vaniloquium, risus multus, vel excussus, subsannatio, concupiscentia, dolus, ambitio, vacatio. Haec omnia non sunt a Deo, sed opera sunt diaboli, quae in die judicii a Deo meritum suum perpetui ignis gehennam merentur.

§ XXII.---*Item ejusdem* (cap. 6).

Interrogatio discipuli.
@ [Col. 0815B] *Quod est officium.* Lege, *quae est officina.* Ita in Regula ms. cod Corb. id etiam postulat responsio magistri, *officina vero.* Et hic sancti Benedicti locus: *Officina, ubi haec omnia diligenter operentur, etc.* Quod est officium divinae artis, vel operatio spiritalium ferramentorum?---*Resp.* Dei per magistrum. Officina vero monasterium est, in qua ferramenta cordis in corporis clusura opus [Col. 0816B] divinae artis diligenti custodia perseverando operari potest.

CAPUT VIII. DE OBEDIENTIA.

[Col. 0815C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI. [Col. 0815C]
@ [Col. 0815C] *Primus humilitatis gradus.* Obedientia hic statuitur primus humilitatis gradus, quae tamen cap. 7 in tertio gradu collocatur, timor vero in primo. Verum obedientia non est primus humilitatis gradus ordine, sed utilitate potior, quam ita commendat Smaragdus, cap. 13 Diadematis monachorum: «Obedientia salus est omnium fidelium, obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia regni coelorum inventrix [*Al.,* janitrix] est, coelum aperiens, hominem de terra elevans, obedientia cohabitatrix est angelorum, obedientia sanctorum omnium cibus est: ex hac enim ablactati sunt et per hanc ad perfectionem [Col. 0815D] venerunt.» Ipsa est primus humilitatis gradus quae, ut ait S. Antiochus homil. 39, humilitatem parit, proxime quidem, nam timor remote. Ipsa etiam obedientia, ut idem testatur. charitatem gignit, quae est praecipuus humilitatis effectus. Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Haec convenit his qui nihil sibi
@ [Col. 0815D] *A Christo charius.* Ita in cod. Vind. et S. Germ. ma.; ita apud Magistrum, cap. 7, tum hic, tum in cod. ms. Corb.; vulgo tamen deest praepositio *a.* a Christo

charius

@ [Col. 0815D] *Aliquid.* Est pleonasmus; nam satis erat dixisse τὸ *nihil.* aliquid

@ [Col. 0815D] *Existimant.* Ita vulgo habetur. Lege, *existimantes, ut in editione Colinaei, et in Regula Magistri hic citata.* In cod. Corb. legitur, *extimantes, quod perinde est.* Et ita participium cohaeret particulae *mox, et sensus clarus est.* existimant

@ [Col. 0815D] *Propter servitium sanctum.* Id est, propter vitam religiosam. Tria hic ponit sanctus Benedictus quae nos ad obedientiam moveant, servitium sanctum, gehennam ignis et gloriam vitae aeternae, nulla gloriae Dei facta mentione. Sed ea in servitio sancto continetur. Nullum est enim servitium sanctum, nulla religiosa vita, quae non puram Dei gloriam tanquam omnium suarum actionum Cynosuram spectet. propter servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennae, vel gloriam vitae aeternae, mox ut aliquid [Col. 0816C] imperatum a majore fuerit,

@ [Col. 0816C] *Ac si divinitus imperetur.* Rectori monasterii tanquam Deo parendum est; nam, ut ait Corippus, lib. II de laudibus Justini minoris:

.... Deus est in corde regentum Ea erat olim summa militum obedientia, ut immperatori tanquam Deo obedirent ac famularentur, ut notat Vegetius lib. II de Re militari, cap. 5: [Col. 0816D] «Nam imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam praesenti ac corporali Deo fidelis est praestanda devotio, et impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus vel militans servit, cum fideliter eum diligit qui Deo regnat auctore.» ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo; de quibus Dominus dicit:

@ [Col. 0816D] *Obauditu auris.* Ita in Psalterio Romano. *Obauditu oris obedivit mihi* **(Psal. XVII)**. Et item dicit doctoribus: *Qui vos audit, me audit* **(Matth. X)**.

@ [Col. 0816D] *Ergo hi tales, etc.* Est hyperbaton. Nam postrema haec hujus periodi verba: *quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit,* referenda sunt ad superiora, *ergo hi tales, hoc modo: Ergo hi tales, quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit, relinquentes statim quae sua sunt.* Vel dicendum est hic esse duos hellenismos, primum, cum antecedens pronomen demonstrativum subticetur; quod non raro occurrit in Regula sancti Benedicti; secundum, cum dativus jungitur verbo passivo loco ablativi cum praepositione *a,* vel *ab.* Si igitur ita construas, sensus erit clarus: *Ambae res communiter citius explicantur,* id est, *expediuntur ab eis quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit.* Ergo hi tales relinquentes statim quae sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, [Col. 0817A] mox

@ [Col. 0817C] *Exoccupatis.* Uno verbo, id est, evacuatis, ait Ruthardus ms. in hoc caput Regulae. exoccupatis

@ [Col. 0817C] *Mentibus.* Leg. *manibus, ut vulgo habetur.* mentibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis sequuntur: et veluti uno momento

@ [Col. 0817C] *Praedicta.* Id est, ante dicta imperata: nam dicere est imperare; *Dic, ut sedeant hi duo filii mei.* Matth. XX. In regula ms. Magistri cod. Corb. legitur, *Praedicata, id est annuntiata, manifestata.* praedicta magistri jussio, et perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei

@ [Col. 0817C] *Ambae res.* Est pleonasmus. Sic supra cap. 2: *Quia doctrinae suae,* vel discipulorum obedientiae utrarumque [Col. 0817D] rerum, etc., majoris explicationis gratia. ambae res

@ [Col. 0817D] *Communiter.* Id est, simul. Caius Gracchus pro lege Papyria apud Sosipatrum Charisium, lib. II: «Qui et vobis et reip. et sibi communiter prospiciat.» communiter citius

@ [Col. 0817D] *Explicantur.* Explicare est exercere, docet Nonnius cap. 4. Est etiam expedire, absolvere apud Tullium. explicantur, quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt. Unde Dominus dicit: *Angusta via est quae ducit ad vitam* **(Matth. VII)**.

@ [Col. 0817D] *Ut non suo arbitrio.* Ut, hoc loco pro, *sicut, hoc modo: Ideo angustam viam arripiunt, sicut desiderant abbatem sibi praeesse.* Ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in coenobiis abbatem sibi praeesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini

@ [Col. 0817D] *Imitantur.* Id est, sequuntur. imitantur sententiam, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* **(Joan. V)**. Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis [Col. 0817B] erit Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut

@ [Col. 0817D] *Cum murmurio.* Recta lectio, quae etiam habetur in codicibus mss. Vict. p., Vind. et Ebrul.; in Regula Magistri, tum hic, tum in cod. Corb., atque etiam apud Keronem, discipulum S. Othmari, in Expositione Alamannica vocabulorum Regulae S. Benedicti; Smaragdum et Trithemium: quo vocabulo saepe utuntur Patres in hac Concordia citati. Unde adjectivum *murmuriosus, de quo supra.* cum murmurio, vel cum responso nolentis efficiatur. Quia obedientia quae majoribus praebetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit* **(Matth. X)** Et cum bono animo a discipulis praeberi oportet, quia: *Hilarem datorem diligit Deus* **(II Cor. IX)**. Nam cum malo animo si obediat discipulus, et non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor [ejus] respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam. Imo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 4).[Col. 0817C]

Volumus ergo unum praeesse seniorem super omnes fratres, nec ab ejus consilio vel imperio quidquam sinistrum declinare; sed sicut imperio Domini omni laetitia obedire, dicente Apostolo ad Hebraeos:

@ [Col. 0818C] *Obedite, etc.* Ad Hebr. XIII; sensum potius protulit quam verba. *Obedite praepositis vestris, quia ipsi vigilant pro vobis* **(Hebr. XIII)**. Et Dominus dixit:

@ [Col. 0818C] *Nolo sacrificium.* Matth. IX: *Discite quid est, misericordiam volo, non sacrificium.* Ex Osee sexto capite. Sed neque haec verba in tota Scriptura reperire est prout ab hoc Patre citantur. Videtur respicere ad hunc locum I Reg. XV: *Melior est obedientia quam victimae;* sed ne quidem ipsa verba protulit, sed sensum. *Nolo sacrificium, sed obedientiam.* Considerandum [Col. 0818A] est quoque ab his qui se tali opere unanimes esse cupient quia per obedientiam Abraham placuit Deo et Dei amicus appellatus est; per obedientiam ipsi apostoli meruerunt testes Domino in tribubus et populis esse. Ipse quoque Dominus Deus noster de supernis ad inferiora descendens ait: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit* **(Joan. VI)**. His ergo tantis virtutibus firmata obedientia magnopere, magno studio teneatur.

§ III.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 1).

@ [Col. 0818D] *Primo omnium, etc.* Ex S. Benedicto, cap. 4. In editione Insulae legitur, *primum.* Primo omnium docemur Deum diligere ex toto corde, et tota mente, et ex totis viribus; et proximum tanquam nosmetipsos.

@ [Col. 0818D] *Deinde ad-primum.* In Regula ms. cod. Flor. et in editione Insulae apud Goldastum legitur, *Deinde opera, quae verha hac interpunctione a sequentibus disjunguntur: Deinde opera.* Ad primum verbum senioris, etc. Quae quidem innuunt post dilectionem Dei et proximi sequi bona opera, nempe obedientiam, et alia quae in hac Regula explicantur. Deinde ad primum

@ [Col. 0818D] *Verbum.* Id est, mandatum, juxta illud: *Inverbo tuo laxabo rete.* verbum senioris omnes ad obediendum audientes surgere oportet. Quia obedientia Deo exhibetur, [Col. 0818B] dicente Domino nostro Jesu Christo: *Qui vos audit, me audit* **(Matth. X)**. Si quis igitur verbum audiens non statim surrexerit, inobediens judicandus est; qui autem contradixerit, contumaciae crimen incurrit. Et ideo non solum inobedientiae reus est, sed etiam contradictionis aditum multis aperiens, multorum destructor aestimandus est. Si quis vero murmuraverit, et ipse tanquam non ex voto obediens, inobediens putandus est. Idcirco opus ejus abjiciatur, donec illius bona voluntas cognoscatur. Obedientia autem usque ad quem finem definitur? Usque ad mortem certe praecepta est. Quia Christus usque ad mortem obedivit Patri pro nobis, cum ipse nobis per Apostolum insinuat dicens: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu:* qui cum in [Col. 0818C] forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens,

@ [Col. 0818D] *Et specie.* Ita apud Goldastum; in versione communi, *Et habitu. et specie inventus ut homo.* Humiliavit semetipsum factus

@ [Col. 0818D] *Obediens patri.* Ita in Regula ms. cod. Flor., in cod. Vindocinensi, et apud Goldastum; non est tamen τὸ *Patri apud Apostolum, sed addidit S.* Columbanus explicationis gratia. *obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* **(Phil. II)**. Nihil itaque recusandum est obedientibus veris Christi discipulis, quamvis durum et arduum sit; sed

@ [Col. 0818D] *Cum fervore, cum laetitia.* Sumpsit ex S. Benedicto. Hilaris et laeta debet esse obedientia, quam ideo ita definit S. Antiochus, homil. 39: Ὑπακοὴ οὖν ἐστὶν ἀδιάκριτος πειθὼ ἵνα τις τὸ προσταχὲν ἄλυπος ἐπιτελῇ id est, obdientia est persuasio sine discussione, ut quis quod jussum est, sine tristitia perficiat, juxta illud Ecclesiastici **(Cap. XXXV)**: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exsultationem sanctifica decimas tuas.* Et paulo post: *Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.* Munus pravum est obedientia invita et cum murmuratione. cum [Col. 0819A] fervore, cum laetitia arripiendum est. Quia si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo, qui ait: *Et*

@ [Col. 0819C] *Qui non accipit.* Ita in Regula ms. cod. Flor. in editione Insulae apud Goldastum. In versione communi, *qui non bajulat.* In textu Graeco βαστάζει, quod idem sonat. *qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus* **(Luc. XIV)**. Et ideo dicit de digno discipulo: *Ut ubi ego sum,*

@ [Col. 0819C] *Ibi sit et minister meus.* Joan. XII, ubi in versione communi, *illic et minister meus erit;* citavit locum ex memoria, non ex codice. *ibi sit minister meus* **(Joan. XI)**.

§ IV.---*Ex eadem Regula* (cap. 9).

@ [Col. 0819D] *Hoc namque defendit, etc.* Habetur in cod. Flor. et in editione Parisiensi eodem cap. et apud Goldastum, cap. 14, quia ibi Regula S. Columbani in plura capita dividitur quam in aliis libris editis seu mss. Hoc namque defendit a timore judicii, quod jam examinavit judicis censura, cui alieni ponderis imponitur moles, et totum portat quod suscipit.

@ [Col. 0819D] *Majus enim, ut scriptum est.* Hoc testimonium habetur in Sententiis Sixti, sententia 174. *Majus* enim, ut scriptum est, *periculum judicantis quam ejus qui judicatur.*

@ [Col. 0819D] *Quicunque interrogaverit.* Nempe seniorem. Quicunque itaque semper interrogaverit,

@ [Col. 0819D] *Si servaverit.* Senioris seu abbatis responsa videlicet. Notanda S. Columbani doctrina, quae obedientibus tantam securitatem suppeditat. si servaverit, nunquam errabit. Quia si alterius erraverit responsio, fides credentis et labor obedientis non errabunt, neque mercede interrogantis [Col. 0819B] carebunt.

@ [Col. 0819D] *Nam si per se aliquid discusserit.* Debet esse simplex et fidelis obedientia sine ulla discussione et curiositate. Est enim πειθὼ ἀδιάκριτος, id est persuasio si sine discretione et discussione, inquit S. Antiochus, hom. 39. Hac una ratione primos generis humani parentes diabolus circumvenit, dum eis auctor fuit ut Dei mandatum quadam curiositate discuterent; dicebat enim ille veterator: *Cur praecepit vobis Deus, etc.* **(Gen. III)**. Videant igitur illi mandatorum discussores qualem parentem et auctorem habeant. Nam si per se aliquid discusserit, qui debuit interrogare, in hoc ipso arguitur peccasse, quod judicare praesumpserit, qui debuit interrogare seniorem.

@ [Col. 0820C] *Et si rectum fuerit.* Nempe id quod suo arbitrio egit. Etsi rectum fuerit, pravum deputabitur, dum per hoc a recto declinavit. Quia nihil audet per se judicare, cujus officium est tantum obedire. Cum haec igitur ita sint, cavenda ubique est superba monachis libertas, ac vera humilitas discenda sine murmuratione et haesitatione obedientibus,

@ [Col. 0820C] *Quo juxta verbum Domini, etc.* Id etiam docet Eusebius Gallicanus, homil. 2 ad monachos, vel juxta alios, 3: «Sciendum est quod quanto humiliores et obedientiores fuerimus, tanto super nos levius et dulcius jugum Domini sentiemus.» Hanc suavitatem et levitatem jugi et oneris Christi expertus [Col. 0820D] est S. Dorotheus perfectae hujus obedientiae beneficio incredibili laetitia in animo perfusus: non tamen sine scrupulo, cum scriptum sit quod per multas tribulationes oporteat nos introire in regnum coelorum; ac proinde consuluit per epistolam abbatem Joannem discipulum Barsanuphii, qui respondit eum qui se totum dedidit obedientiae, hac animi indolentia et tranquillitate frui, ideoque nihil esse quod vereatur, ut ipse Dorotheus refert doctr. 1. quo juxta Domini verbum jugum Christi suave, et onus ejus leve sentiant. Alioquin donec Christi humilitatem discant, suavitatem jugi ejus et oneris illius levitatem non sentient.

§ V.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 1).[Col. 0819C]

Primum ut monachus, quem proprie manet multas in se virtutes aedificare, obedientiae in se collocet fundamentum, ut compleat illa quae beatus Apostolus nos ammonet, cum

praecipit dicens: *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis:* ipsi enim pervigilant [Col. 0820A] quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Ut cum gaudio hoc faciant non gementes. Hoc enim non expedit vobis **(Hebr. XIII)**.

§ VI.---EX REGULA CUJUSDAM PATRIS.

Si quis ad vocem
@ [Col. 0820D] *Compulsoris.* Compulsor ille est qui horam operis Dei significat, de quo infra. compulsoris, sive invitantis ad aliud quodcunque, non statim surrexerit, hic
@ [Col. 0820D] *Inobediens.* Leg. *inobedientiae, ut in cod.* Vind. inobediens reus est. Petat veniam a Deo et iterare non praesumat. Quoniam oportet unumquemque ad propriam vocem invitantis assurgere,
@ [Col. 0820D] *Velut carbo.* Lege, *Velut si carbo, ut in cod Vindocinensi.* velut carbo ignis ardentis descendisset super eum. Si autem obedientia haec non fuerit quam diximus, mortua est, et non acceptabilis apud Deum. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est* **(Rom. XIV)**. Cum gaudio semper operandum est, et nihil cum tristitia faciendum, et semper dicendum:
@ [Col. 0820D] *Gaudete in Domino, justi.* Ut in Psalterio Romano, sed verbis transpositis. Caetera citantur ex memoria. *Gaudete in Domino,* [Col. 0820B] justi, et semper decet collaudatio **(Psal. XXXII)**. Et iterum Apostolus dicit: *Gaudete in Domino semper, et iterum dico gaudete* **(Ephes. IV)**. Si autem triste aliquid oblatum fuerit a nobis in Dei donis, non erit acceptabile apud Deum.

§ VII.---EX REGULA MAGISTRI *Interrogatio discipuli de obedientia, qualis esse debet.*

Responsio Dei per magistrum.
@ [Col. 0820D] *Primus humilitatis gradus, etc.* Habetur in Regula ms. Mag. cod. Corb. Multa hic a sancto Benedicto sunt emendicata. Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Sed haec forma paucis convenit et perfectis, his qui nihil a Christo charius aliquid aestimantes, propter servitium sanctum quod professi sunt, vel propter metum gehennae, vel divitias vitae aeternae, mox aliquid imperatum a majore viderint, moram pati nesciunt in [Col. 0820C] sequendo. De quibus Dominus Dicit: *Obauditu auris obaudivit mihi* **(Psal. XVII)**. Item dicit doctoribus: *Qui vos audit, me audit* **(Matth. X)**. Ergo hi tales relinquentes statim quae sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et [Col. 0821A] quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis sequuntur: et veluti uno momento praedicta magistri jussio, perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambae res communiter citius explicantur. Sed haec paucorum, perfectorumque forma infirmorum et pigrorum animos in desperatione sua satis non reddat attonitos; sed moneat
@ [Col. 0821D] *Imitandos.* Supple: esse perfectos. imitandos. Nam considerantes in nobis diversa esse vasa
@ [Col. 0821D] *Flevilia.* Vocabulum barbarum, id est debilia. Gallice, *faibles.* flevilia, cum multum in diversis pigritiae contulit tarda natura (nam quorumdam auditus noscuntur surdo stupore
@ [Col. 0821D] *Eviscere.* Lege: *Evirescere, id est languere, vires remittere.* Nonius

Marcellus, cap. 2: *Evirescat.* Varro in Prometheo, lib. XV: «Atque exsanguibus dolore evirescat colos;» ubi, *colos* pro *color.* eviscere, quorumdam etiam animos fusione subita in

@ [Col. 0821D] *Silvosis.* Id est, redundantibus. silvosis cogitationibus cernimus aberrare), ideo remissius districtionem obedientiae in doctoribus relaxamus, ut combinata praeceptione discipulis, et jussionem suam [Col. 0821B] magistrum non pigeat repetere secundum testimonium Domini, qui vocans, *Abraham, Abraham* **(Gen. XXII)**. Quae ergo repetitio manifestat nobis Dominum ostendisse non posse sufficere unam vocem auditui. Nam in ipsis interrogationibus repetita magistri vox repraebetur. Discipulis secunda ideo interrogatio non respondentibus juste indulgetur, ut prima adhuc discipuli taciturnitas non reatui, sed reservatae magistro reverentiae [

@ [Col. 0821D] *Custodia redundat.* custodia] deputetur. In qua reverentia utilis discipulus tarde creditur frangere taciturnitatem, quam continet, ut non ad interrogationem tuam mox praeceps lingua suis te responsis occupet prius. In praeceptionibus vero ideo magistri jussio repetitur, ut quamvis tardi aut negligentes sint auditores, cum secundo eis dicta primitus repetuntur, [Col. 0821C] [usque adeo dignum est] jam obedientibus factis mora rumpatur. Si vero tertio (quod absit ut contingat), reatui deputetur. Nam et illud de duabus viis congrue hic et convenienter

@ [Col. 0821D] *Taxandum.* Id est, definiendum. Glossae veteres: *Taxamus,* ὁρίζομεν, id est, definimus. Festus: «*Taxat verbum ponitur pro his quae finiuntur, etc.* » taxandum est, id est,

@ [Col. 0822D] *Latam quae ducit ad mortem.* Lege, ut in Cod. corb.: *Latam quae ducit ad interitum, et angustam quae ducit ad viam.* latam, quae ducit ad mortem: in quibus viis diversorum hominum obedientiae gradiuntur, id est, per latam viam saecularium, et sarabaitarum et gyrovagorum monachorum, qui aut singuli, bini, aut terni aequaliter viventes, et voluntarie ambulantes, et pro alterno imperio quidquid cuique placuerit, sibi vicibus invicem imperantes, quae noluerint, peculiariter in se defendentes, cum in proprio unusquisque consilio non vult se vinci, scandala sibi tales nunquam faciunt esse absentia; mox post studiosam litem male congregati ac se invicem separantes, [Col. 0821D] et sicut grex sine pastore oberrans per diversa dispersus sine dubio lupi faucibus occursurus: providentes sibi non Deo, sed proprio arbitrio novas iterato cellas, et

@ [Col. 0822D] *De se solo.* Lege, *de se solis, id est, de sua privata potestate sibi, cum soliti sint, abbatis nomen imponentes.* de se solo sibi soli abbatis nomina imponentes, monasteria videas esse pluriora [Col. 0822A] quam monachos. In hoc enim via lata a talibus creditur ambulari, cum in nomine monachi communi more viventes, [cum] a laicis solo tonsurae habitu separati, obedientias suas magis desideriis subministrant quam Deo. Et suo judicio putant sibi licere quae mala sunt: et quidquid noluerint, hoc putant non licere. Et acceptum ducentes,

@ [Col. 0822D] *Ut cogitationibus suis.* Lege. *cogitationibus suis, ut.* ut cogitationibus suis corpori eorum magis provideatur quam animae, id est, victus, vestimentum, et calciarium, magis sibi melius ipsi posse cogitare quam alium. Nam de futuris ratiociniis animae negligendo ita se reddunt securos, ut sine majorum probationibus sub proprio arbitrio militantes credant se omnem legem et justitiam Dei perfecte in cellula operari. Nam si forte supervenientium quorumdam majorum [

@ [Col. 0822D] *Cum emendationum.*Tò cum redundat. cum] [Col. 0822B] emendationum

quaedam eis monita ministrantur, et inutilis eis docetur talis solitaria dispositio habitandi, mox eis displicet cum ipsa doctoris persona consilium; et statim non in consentiendo ei vel in sequendo eum emendationem promittunt, sed respondent se debere vivere simpliciter, nescientes illud quod dixit Propheta: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis* **(Psal. XIII)**. Et illud testimonium Salomonis dicitur: *Sunt viae quae videntur hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* **(Prov. IV)**. Ideo enim via lata a talibus ambulatur: quia quocunque eos desideriorum duxerit pes, mox assensu sequuntur; et quidquid concupierint concupiscentiae eorum, illico et novos sibi licentiae calles, vel liberi sine magistro [Col. 0822C] arbitrii facientes viam vitae suae illicitis voluptatum diversitatibus delectant, et quacunque etiam delectationes voluerint progredi licentes, et patulos sibi praebent gressus, illud semper scire nolentes, quia homini creato, *Mors juxta introitum delectationis posita sit* **(Eccl. XVIII)**. Et quod eis dictum est: *Post concupiscentias tuas non eas,* et

@ [Col. 0822D] *In voluntatibus suis.* Ita in psalterio Romano. *a voluntatibus tuis avertere* (Ibid.), surdo auditu pertranseunt. E contrario quibus ad vitam aeternam ambulandi amor incumbit, ideo angustam viam arripiunt, ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis, et voluntatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, non solum in supradictis desideriis suis et voluntatibus coarctantur, et facere nolunt cum possint arbitrium; sed etiam alieno se imperio subdunt, et in [Col. 0822D] coenobiis degentes abbatem sibi praeesse desiderant. Et sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, quae dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit* **(Joan. VI)**. Et proprium non facientes arbitrium, abnegantes propter [Col. 0823A] Christum semetipsos sequuntur Deum, quocunque abbatis praeceptio duxerit. Et non de solum temporalibus necessariis, id est, victu, vestitu, calciario, non coguntur sibi sub abbatis sollicitudine cogitare: sed et de futuris suae ratiociniis animae solam in omnibus praeceptori obedientiam ministrando de caeteris utilitatibus suis, tam corporis quam animae redduntur securi. Quia sive bene, sive male, pastori incumbit quod in ovibus exercetur: et illum tangit in discussionis judicio rationem reddere qui imperat, non qui imperata perficit, sive bona, sive mala. Ideo enim via angusta a talibus creditur ambulari, quia propria in eis desideria minime adimplentur: et non quod volunt perficiunt, alieni judicii jugum trahentes, quo ire delectationibus suis voluerint repelluntur; [Col. 0823B] et a magistro eis quid agere aut facere voluerint denegatur.

@ [Col. 0823C] *Amaricatur voluntati eorum.* Id est, mortificatur voluntas eorum. Amaricatur quotidie voluntati eorum in monasterio pro Domino, et ad probationem quaeque injuncta fuerint, sustinent

@ [Col. 0823C] *Velut in martyrio.* Obedientia est quoddam martyrii genus. Ita eam appellat sanctus Columbanus capite citato. Unde sanctus Antiochus hom. 39: Τὸ [Col. 0823D] γὰρ ἐκκόψαι τὸ ἴδιον θέλημω αἱματεκχυσία ἐστὶ, καὶ εἰς θυσίαν λογίζεται ἀνθρώπα. Id est, voluntatem propriam resecare, est veluti sanguinis sui effusio, et homini reputatur ad victimam. velut in martyrio patienter, sine dubio illud Domino cum Propheta dicturi: *Propter te morte afficimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis* **(Psal. XLIII)** Et item dicturi postea in judicio Domino: *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum;* induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Cum ergo dicent: *Imposuisti homines*

super capita nostra, noscuntur habere super se debere Majorem constitutum vice Dei. Et subsequentes testimonium convenienter item Domino dicent in [Col. 0823C] illo jam saeculo: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium.* Hoc est, transivimus per
@ [Col. 0823D] *Amaricationes.* Id est, mortificationes. amaricationes voluptatum nostrarum, et servitio obedientiae pervenimus ad tuae refrigerium pietatis. Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tepide, non tarde, vel cum murmuratione nolentis efficiatur. Quia obedientia, quae majoribus praebetur, Deo datur. Sicut dicit Dominus doctoribus: *Qui vos audit, me audit* **(Matth. X)**. Et alibi [Col. 0824A] dicit: *Obauditu oris, obaudivit mihi* **(Psal. XVII)**. Ergo ipsa obedientia cum bono animo a discipulis praebeatur: *Quia hilarem datorem diligit Deus* (II Cor. IX). Nam si cum malo animo discipulus obediat, non solum nobis ore, sed et Deo corde improperat, quod malo animo facit. Et quamvis impleat, quod fuerat imperatum, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor ejus respicit murmurantis. Et quamvis faciat quod jubetur, tamen, cum malo illud faciat animo, nullam de ipso facto mercedem Dominus imputabit, cum scrutans mox Deus corda ejus triste facientis votum in eo invenerit.

§ VIII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 71).

Interrog.
@ [Col. 0823D] *Si autem obediens quis murmuret.* Habetur apud sanctum Basilium interr. 3. Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 41, et citatur ab Ivone Carnotensi par. XIII Decreti, cap. 55. Si autem obediens quis murmuret?---*Resp.* Apostolo dicente: *Omnia facite sine murmuratione* [Col. 0824B] et haesitationibus **(Phil. I)**. Alienus sit a fratrum unitate qui murmurat, et
@ [Col. 0824C] *Opus ejus abjiciatur.* Vetus fuit monachorum consuetudo, ut inobedientium et murmurantium [Col. 0824D] fratrum opus abjiceretur. S. Columbanus cap. 1 Regulae: «Si quis vero murmuraverit, et ipse tanquam ex voto obediens, inobediens putandus est: idcirco opus ejus abjiciatur.» opus ejus abjiciatur. Manifestum est iste qualis est, quia infidelitate aegrotat, et certam futurae spei fiduciam non gerit.

§ IX.---EX REGULA
@ [Col. 0824D] Fructuosi alterius. SANCTI FRUCTUOSI (cap. 5).

Quidquid fecerint monachi, absque murmuratione faciant: ne, quod absit, murmurando ea sententia pereant, qua perierunt hi qui in deserto murmuraverunt. Illi perierunt manna manducando, et isti in monasterio murmuratores Scripturas recitando. Illi manna manducando mortui sunt, et isti Scripturas legendo, et audiendo spiritali fame quotidie moriuntur. Illi murmurando terram promissionis non intraverunt, et isti murmurando paradisi repromissionis terram non ingrediuntur. Grande malum de Aegypto [Col. 0824C] exire, mare transvadasse, tympanum cum Moyse et Maria Pharaone submerso tenuisse, manna manducasse, et terram repromissionis non intrasse **(Num. XI, XIV, XVI, XX)**. Malum pejus de Aegypto istius saeculi exire, mare baptismi cum poenitentiae amaritudine quotidie pergere tympanum [*Leg.,* pulsare tympanum], id est, carnem cum Christo crucifigere, et manna, quod est coelestis gratia, manducare, et coelestis regionis

terram non intrare.

CAPUT IX. DE TACITURNITATE.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Faciamus quod ait Propheta:
@ [Col. 0823D] *Dixi, Custodiam vias meas.* Hujus psalmi versiculum proponit Pater Benedictus pro silentii lege. Beatus Pambo in litteris hospes et peregrinus ad quemdam accessit, ut psalmum disceret, et cum primum versum psalmi 38 audivisset: *Dixi, Custodiam vias meas, etc.,* secundum audire noluit: sed decedens dixit: Unus hic sat est, si modo eum re ipsa et opere discere potuero. Cumque ille qui versum docuerat, illi vitio verteret quod sex continuos menses se non adisset, respondit se versum psalmi nondum re ipsa didicisse. Longo vero post tempore cuidam ex notis quaerenti an versum didicisset, respondit se undeviginti annis integris vix didicisse illum opere complere, docet Socrates l. IV Hist. Eccl., c. 18. *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Posui ori meo custodiam, et obmutui, et humiliatus sum, et [Col. 0825A] silui a bonis **(Psal. XXXVIII)**. Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari.
@ [Col. 0825B] *Ergo quamvis de bonis, etc.* Auctor lib. De conflictu virtutum et vitiorum, cap. 22: «Tenendus est ergo modus in loquendo et ab ipsis nonnunquam utilibus verbis parcendum, sicut beatus Psalmista legitur fecisse. Dicit enim: *Humiliatus sum et silui a bonis.*» Ergo, quamvis de bonis et sanctis et
@ [Col. 0825B] *Aedificationum eloquiis.* Ita omnes codices nostri mss. cum Kerone in expositione Alamanica vocabulorum Regulae sancti Patris Benedicti Ruthardo, [Col. 0825C] Magistro hic et in ejus Regula ms., cap. 8, cod. Corb. Donato, cap. 49. S. Dunstano, et Tritthemio. Vulgo, et apud Smaragdum scribitur: *ad aedificationem eloquiis.* aedificationem eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est: *In multiloquio non effugies peccatum* **(Prov. X)**; et alibi: *Mors et vita in manibus linguae* **(Prov. XIV)**. Nam loqui et docere magistrum condecet; tacere et audire discipulum convenit. Et ideo si qua requirenda sunt
@ [Col. 0825C] *A priore.* Id est, ab abbate, de qua voce infra. a priore, cum omni humilitate
@ [Col. 0825C] *Et subjectione reverentiae.* A cod. ms. S. Germ. τὸ, *reverentiae, abest.* In ms. S. Faronis habetur: *Cum omni humilitate et reverentia.* et subjectione reverentiae requirantur.
@ [Col. 0825C] *Scurrilitates Scurrilitatis vitium S.* Nicetius Trevirorum archiepiscopus fugiendum esse monachis dicebat; quia illius contagione os hominis polluitur, refert S. Greg. Tur., c. 7, de Glor. Confess. Quanta sint mala in anima jocis et scurrilitati obnoxia, praeclare docet S. Joan. Chrysostomus, serm. 17, in Epist. ad Eph. in Morali: Μεγάλα κακὰ ἐν ψυχῇ εὐτραπελευομένῃ οἰκεῖ, μεγάλη διάχυσις καὶ ἠρεμία. κέχηνεν ἡ ἁρμονία σεσάθρωται ἡ οἰκοδομὴ, ὁ φόβος ἐξώρισται εὐλάβεια ἀπέστη· id est, magna mala in scurrili anima habitant, magna diffusio seu relaxatio et solitudo. In ea dissoluta est harmonia, aedificatio diruta, ab ea timor exsulavit, pietas abscessit. In

anima jocis dedita diffusio seu relaxatio magna est; nam anima a Deo per joca aversa in amorem rerum creatarum penitus diffunditur, omnisque honestatis disciplina in ea prorsus relaxatur. In ea maxima solitudo est atque vastitas gratiae Dei et bonorum spiritalium; fitque habitatio draconum, id est daemoniorum: quia ejusmodi anima, quae nisi nugas meditatur, clausa est Christo, et tota patet diabolo. In ea dissoluta harmonia; nam scurrilis homo nec cum Deo, nec secum, nec cum proximo pacem habet: non cum Deo, quem contemnit; non secum, quem negligit; non cum proximo, quem toties suis dicteriis carpit et lancinat. Aedificatio diruta est; nempe virtutum, si quas antea habuerat: cum joculator nihil quod aedificationem spectet, meditetur, et loquatur nugis, et vanis totus immersus. Ab ejusmodi anima timor omnis exsulavit; Dei et hominum videlicet, quae in vanis gaudiis et jocis tota versatur, nulla habita rebus divinis et humanis reverentia. Ab ea tandem pietas abscessit, quae bonis spiritalibus spoliata nihil, nisi profana cogitat. Γλῶσσαν ἔχεις οὐχ ἵνα ἕτερον κωμωδήσης, ἀλλ᾽ ἵνα εὐχαριστήσης Θεῷ, subjungit idem Chrysostomus; id est, linguam habes non ut irrideas alterum, sed ut Deo gratias agas. Quod maxime spectare debent monachi, quorum munus est Deum assidue laudare, eique gratias agere, ne ex eodem ore pollutum et sanctum exeat; ne ex ore scurrilitatibus et jocis polluto laus divina procedat, imo polluatur. Siquidem, ut ex S. Nicetio supra relatum est, verborum scurrilium contagione os hominis polluitur, et quidquid a polluto manat, pollui necesse est. Scurilitates vero,

@ [Col. 0826B] *Vel verba otiosa.* Particula, *vel,* copulative hic [Col. 0826C] sumitur. Verba otiosa vitanda sunt, non solum quia sunt sine fructu, sine quo nihil debet quis loqui, vel agere, sed etiam quia, ut ait S. Joannes Chrysostomus, serm. citato, ἀπὸ γὰρ τοῦ ἀργοῦ καὶ εἰς ἀτόπους καταπίπτομεν, id est, verbo otioso ad inepta et absurda devolvuntur. vel verba otiosa,

@ [Col. 0826C] *Et risum moventia.* Quia ad fletum, non ad risum vocati sunt monachi; quorum est tam sua quam aliena peccata plorare, Christi lacrymas et gemitus, vulnera, passionem et mortem assidue animo versare. Unde ejusmodi ridentibus, joculatoribus exprobrat S. Joannes Chrysostomus sermone citato. «Christus crucifixus est, et tu rides? Ille colaphis caesus est, et tanta passus est propter tuum periculum et tempestatem quae te invasit, tu vero prae gaudio gestis? Et quomodo non eum magis irritas?» Quapropter S. Ambrosius, lib. I de Officiis, cap. 23, joca etiam suavia et honesta proscribit, cum ait: «Nam licet interdum honesta joca ac suavia sint, [Col. 0826D] tamen ab ecclesiastica abhorrent regula: quoniam quae in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus?» Christus mundo, id est, reprobis, gaudium et risum reliquit, suis electis tristitiam et fletum. et risum moventia aeterna clausura in omnibus locis damnamus; et ad talia eloquia [Col. 0825B] discipulum aperire os non permittimus.

[Col. 0826A]

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 40).

Interrog.

@ [Col. 0826D] *Usque ad quae verba.* Exstat apud S. Basilium interr. 23. Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 32. Usque ad quae verba otiosus sermo judicabitur?---*Resp.* Generaliter omnis sermo qui non proficit

@ [Col. 0826D] *Ad aliquam gratiam fidei.* In textu Graeco, πρὸς τὴν προκειμένην ἐν Κύριῳ χρείαν, id est, ad propositum in Domino usum. ad aliquam gratiam fidei Christi, otiosus est. Et tantum est periculum hujusmodi sermonis, ut etiamsi bonum esse videatur quod dicitur, et
@ [Col. 0826D] *Ad aedificationem fidei.* Ita in versione Vulgata, cui correspondet textus Graecus, apud Basilium: Πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως. Apud Apostolum tamen in textu Graeco non est, πίστεως, χρείας, id est, usus: et ita videtur scripsisse Basilius; nam, ut supra monuimus, antea scripserat πρὸς την προκειμένην ἐν Κυρίῳ χρείαν. Itaque in textu Apostoli citato a Basilio reponendum χρείας. ad aedificationem tamen fidei non pertinet, non in sermonis bonitate ille qui locutus est, periculum effugiet, sed in eo quod non proficit ad aedificationem, sermo prolatus contristat Spiritum sanctum Dei. Hoc manifeste demonstrat Apostolus dicens: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat:* sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus **(Eph. IV)**. Et super haec adjecit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei,* in quo signati estis [Col. 0826B] *in die redemptionis* (Ibid). Quod utique gravius malum esse poterit?

[Col. 0827A]

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 136)

Interrog.
@ [Col. 0827B] *Si bonum est.* Reperitur apud S. Basilium, interr. 208, et apud Rufinum, cap. 71, ubi additur τὸ *Pater.* Si bonum est penitus tacere?---*Resp.* Silentium et taciturnitas tunc bonum est, cum vel ad personas, vel ad tempus aptatur, sicut a sancta Scriptura edocemur, quae dicit,
@ [Col. 0827C] *Aliquando quidem.* Ita apud Rufinum, sed male. Nam in textu Graeco illud, καιρῷ μὲν, ita reddendum est: *Quod ad tempus quidem attinet.* Nam ibi duo proponuntur, tempus et persona: prius de tempore loquitur, mox de persona dicturus. aliquando quidem: *Quia qui intelligit, in illo tempore tacebit, quia tempus malum est* **(Amos V)**..
@ [Col. 0827C] *Aliquando autem.* Male. In textu Graeco, καὶ πάλιν, id est, et rursus. Aliquando autem: *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me:* obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis **(Psal. XXXVIII)**.
@ [Col. 0827C] *Et alibi.* Ita apud Rufinum, sed male. In textu Graeco habetur: προσώπῳ δὲ, id est, quod vero ad personam attinet. Nam primo egit de tempore quo loquendum est, nunc vero de persona tacente. Et alibi: *Quod si alii sedenti revelatum fuerit,*
@ [Col. 0827C] *Prior taceat.* Apud Rufinum et S. Basilium haec sequuntur: *Et alibi, mulieres vestrae in Ecclesia taceant. prior taceat.* Sed alio tempore his, qui incontinentem linguam habent, dicitur: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem fidei* **(I Cor. XIV)**. Necessaria vero est taciturnitas usquequo vitia, si qua sunt, linguae vel sermonum temeritas [Col. 0827B] resecetur; et discat opportune, et in tempore utiliter loqui, et sicut scriptum est:
@ [Col. 0827C] *Sermo eorum.* Cap. IV, Epist. ad Coloss. ubi legitur: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Hic tamen locus non exstat in textu Graeco S. Basilii, sed tantum in haec verba: *ut det gratiam audientibus.* Ad Eph. IV. Sed Rufinus ex duobus

locis unum [Col. 0827D] fecit: aut certe S. Basilius, apud quem tempore Rufini forsan prior locus habebatur, verbis Apostoli ex memoria, non ex codice citatis. *Sermo eorum sale conditus sit, ut det gratiam audientibus* **(Coloss. IV)**.

§ IV.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 122).

@ [Col. 0827D] *Quando.* Exstat in Regula excusa S. Pachomii, art. 69. Quando

@ [Col. 0827D] *Domi sedebunt.* In regula excusa: *resident.* Dixit, *domi, quia monasteria S.* Pachomii dividebantur in plures domos, seu classes, quibus singuli praeerant praepositi. domi sedebunt, non eis liceat loqui aliquid saeculare, sed si quid de Scripturis praepositus docuerit, vicissim inter se ruminent, et referant quae quis audierit, vel quae memoriter teneant.

§ V.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 27).

@ [Col. 0827D] *Cavenda est, etc.* Haec videre est in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. ubi legitur, *cavendum est.* Cavenda est omnibus nobis joci et risus immoderata

@ [Col. 0827D] *Luxoria.* Ita in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. In Glossis Cyrilli, ἐξώλεια, *luxoria.* Sic in Glossis Philoxeni: *tonica,* χιτὼν. *Tabola,* σανὶς. Ita passim, *o,* pro, *u, in hoc codice Concordiae et aliis veteribus cod.* mss. juxta veterem orthographiam habetur, de qua Curtius Valerianus in sua orthographia: «Non mirum veteres, *u* littera pro *o usos:* nam et *o* pro *u usi sunt. Poblicum enim,* quod nos *publicum;* et quod nos *culpam,* illi *colpam dixerunt.*» [Col. 0828C] Luxuria autem hoc loco est excessus, seu exuberans alicujus rei copia, atque intempestiva. Nonius Marcellus, cap. 4: «Luxuria intempestiva abundantia.» Virgil. Georg, lib. I:

Luxuriem segetum tenera depascit in herba. Tullius de Oratore libro I: «Et omnis luxuries stylo depascenda.» Virgil. lib. II:

Aut si luxuria foliorum exuberat umbra. Hic igitur risus immoderata luxuria, est risus excessus immodicus. luxoria, per quam plerumque inter fratres amarissima nascuntur

@ [Col. 0828C] *Scandala.* Id est, rixae, jurgia, de quo vocabulo infra. scandala. Nec debet ex hac [Col. 0828A] re occasio discordiae provenire; per quam, etsi non nasceretur litigium, cavendus tamen nobis erat ad aedificationem sermo non pertinens. Scientes quia et de otioso sermone ratio Domino est reddenda. Nam risum supra modum quis nesciat indisciplinationis et levitatis esse januam, per quam perniciosos cibos miserae animae diabolus subtiliter subministrat.

§ VI.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 2).

@ [Col. 0828C] *Silentii regula.* Habetur in Regula ms. S. Columbani cod. Flor. et in editione Parisiensi hoc secundo capite. Sed in editione Insulae apud Goldastum exstat 4 capite. Silentii regula diligenter custodienda decernitur: quia scriptum est: *Cultus autem justitiae silentium et pax* **(Isa. XXXII)**. Et ideo, ne reatus de verbositate conquiratur, exceptis utilitatibus et necessariis, opus est ut taceatur: quia, juxta Scripturam, *In multiloquio peccatum non deerit* **(Prov. X)**. Et idcirco [Col. 0828B] Salvator ait: *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Juste damnabuntur, qui justa dicere noluerunt, cum potuerunt: sed mala, injusta, impia, inania, injuriosa, incerta, falsa, contentiosa, contumeliosa, turpia, fabulosa, blasphema, aspera,

@ [Col. 0828C] *Ac fluxuosa.* Ita in cod. ms. Vind.; sed in cod. Flor. ms. et in editione Parisiensi legitur: *ac flexuosa.* [Col. 0828D] Recte, meo quidem judicio. Flexuosa verba sunt tricis involuta, ambigua, ac duplicia, eorum nempe qui dolos consuere solent. Apud Goldastum uno verbo legitur: *afflixuosa.* Quod ipse ait esse monstrum verbi; quod quidem verum est, sed non est S. Columbani. Nec dubium est quin S. Galli codex sit hoc in loco mendosus. ac fluxuosa loqui garrula verbositate maluerunt **(Prov. X; Matth. XII)**. Tacendum igitur est, et cum cautela et ratione loquendum est monachis: ne aut detractiones, aut tumidae contradictiones
@ [Col. 0828D] *In loquacitatem vitiosam.* In Regula a Donato collecta additur: *ac superfluam.* Codex dom. Jodoci Metzeleri proprioris monasterii S. Galli habet: *Ne aut in detractiones, aut in tumidas contradictiones prorumpatur.* Quae lectio non est contemnenda. in loquacitatem vitiosam prorumpant.

§ VII.---EX REGULA CUJUSDAM.
@ [Col. 0828D] *Silentium in omnibus sectandum est.* De utilitate silentii et excellentia haec aurea S. Antiochi verba notanda sunt, hom. 103. Καλὴ οὖν ἡ εὔκαιρος σιωπὴ, οὐδὲν οὖσα, ἢ μήτηρ ἐννοιῶν σοφωτάτων. Ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀγαθὸν Πνεῦμα ἐκφεύγει τὴν πολυλογίαν ὡς ταραχῆς πάσης καὶ φαντασίας ἐκτὸς ὄν. Id est, speciosum igitur silentium opportunum, nihil prorsus existens quam mater sapientissimarum cogitationum. Benignus enim ille Spiritus vix aliud tam aversatur et fugit, ut multiloquium; cum is se ab omni perturbatione et ludificatoria imaginatione submoveat, Silentium in omnibus sectandum est, et tacendi disciplina per omnia facienda est: maxime autem [Col. 0829A] juxta
@ [Col. 0829C] *Missam.* Missa hoc loco est cursus operis Dei, seu officii divini. Ita etiam capit Cassianus lib. III De diur. orat., cap. 5: «Missa canonica celebrata usque ad lucem post haec vigilias extendunt.» missam et mensam. Sed omnibus nihil loquendum est, nisi quod necessitas poposcerit. Si quis contra hanc disciplinam cum clamore et acerbiore sermone responderit,
@ [Col. 0829D] *Notetur.* Id est, reprehendatur, corripiatur, vituperetur. Notare enim haec significat. Horatius lib. I epist. ad Saevam:

.... Si sciret regibus uti, Fastidiret olus, qui me notat.... et lib. I serm., sat. 3.

Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari. Atque ita nota est vituperatio. Glossae Philoxeni, *nota,* ψόγος, σπίλος, id est, vituperatio, macula. notetur, usque quo corrigatur. Si autem hoc vitio curari non poterit,
@ [Col. 0829D] *Ejiciatur ab unitate fratrum.* Id est, excommunicetur. ejiciatur ab unitate fratrum.

§ VIII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 8).
@ [Col. 0829D] *Haec a fratribus.* Haec sunt in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. sub finem. Quaedam sumuntur ex regula S. Benedicti. Haec a fratribus cautius debent custodiri, id est, cogitatio, eloquium et aspectus [cogitatio]. Ut mox captivaverit mentem mala cogitatio, signata statim a fratribus sua fronte, vel ipsum pectus, mox ad precepta Christi suam convertant memoriam: et dicat sibi frater cum Propheta: *Memor fui Dei, et*

@ [Col. 0829D] *Consolatus sum.* Ita in cod. Vind. In Vulgata editione, et in psalterio Romano: *Delectatus sum. consolatus sum* **(Psal. LXVII)**. Et item dicat: *A te eripiar a tentatione,* et in Deo meo transgrediar murum [Col. 0829B] **(Psal. XVII)**.

@ [Col. 0830C] *Si vero eloquio iracundo, etc.* In Regula ms. *Si vero eloquium iracundum aut pravum negligentia ori armaverit.* Si vero eloquio iracundo aut pravo aut vano negligentia os armaverit, mox clauso ore, et signato crucis sigillo in corde sibi loquatur dicens cum Propheta: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea;*

@ [Col. 0830C] *Posui ori meo custodiam.* Omittit ista: *Cum consisteret peccator adversum me.* Quemadmodum S. Benedictus supra; quae tamen habentur in versione [Col. 0830D] communi, psalterio Romano, textu Graeco et Hebraico, *posui ori meo custodiam,* obmutui et

@ [Col. 0830D] *Humiliatus sum nimis.* Ita in Regula ms. Seo τὸ *nimis, est addititium:* cum non habeatur in versione communi, psalterio Romano, textu Graeco et Hebraico, neque apud S. Benedictum, unde haec sumpta sunt. *humiliatus sum nimis, et silui a bonis* **(Psal. XXXVIII)**. Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis a malis verbis propter peccati poenam debet cessari. Ergo, quamvis de bonis et sanctis, et aedificationum eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia. Tamen ab aliis verbis non interrogati fratres tandiu in taciturnitate silescant, quandiu taciti frena oris eorum abbatis interrogatione [Col. 0829C] laxentur. Ideoque taciturnitas debet magnopere a fratribus custodiri: *Quia in multiloquio non effugietur peccatum* **(Prov. X)**. Et ideo: *Mors et vita in manibus linguae* **(Prov. XIV)**. Nam loqui et docere magistrum condecet, et audire discipulo convenit.

§ IX.---ITEM UNDE
CAPUT IX. *Quo ordine tacentes fratres aliquas interrogationes faciant abbati.*

Responsio Dei per magistrum.

@ [Col. 0830D] *Cum de malis, etc.* Habentur in Regula ms., cap. 9, nihilque aliud sunt quam explicatio et praxis superioris capitis sancti Benedicti. Cum de malis [Col. 0830A] tamque bonis eloquiis freno taciturnitatis constringuntur discipuli, et licentiae eorum aditus praesentis magistri custodia observantur; cum necessariae utilitati eorum aliquae interrogationes advenerint, adhuc clauso ore et signato tacitae gravitatis sigillo stantes ante majorem inclinato humilitatis capite clausum in silentio os

@ [Col. 0830D] *Clave benedictionis.* Id est, dicendo: *Benedic;* quod olim faciebant monachi licentiam loquendi postulantes. clave benedictionis aperiant. Quod si semel

@ [Col. 0830D] *Dictae benedictioni.* Id est, cum dixerint: *Benedic.* dictae benedictioni ad postulandum eloquium adhuc non respondeat magistri permissio, iterata humiliatione capitis, et

@ [Col. 0830D] *Benedictione sola repetita.* Id est, solo repetito *Benedic.* benedictione sola iterum repetita, denuo ab abbate repetatur licentia. Quod si nec sic ab eo responsum fuerit, curvato item in humilitate discipulo, jam ipse frater se tunc demum removeat, ne aut

@ [Col. 0830D] *Nimius.* Id est, importunus, urgens, ut supra. nimius ei appareat, aut

@ [Col. 0830D] *Improbus.* Id est, impudens, de quo infra. improbus; et suo operi deditus

[Col. 0830B] adhuc personam gerat tacentis ut in ipsa humilitate taciturnitatis aestimet semetipsum ideo indignum judicatum ad loquendum abbatis judicio, aut forte ad probationem inveniendae humilitatis putet sibi discipulus taciturnitatis ideo fuisse non apertam clausuram. Ideo enim ipsam solam benedictionem denuo diximus repetere, ut, cum sola est, et sine alio eloquio, tamen reservata diu taciturnitas conservetur; cum denuo repetitur, et post ipsam mox a nolente disceditur, adhuc servari probata humilitas sentiatur. Nam ideo repetitio discipuli reoffertur magistro, ut non solum propter spiritalem probationem ad inveniendam humilitatem discipuli diu possit tacere magister, sed ne et corporaliter per cogitatum animo occupatus vultus ejus aliis occupationibus [Col. 0830C] obstupescens vocem precantis discipuli surdis auribus praetermittat. Et ne ipsum magistrum per nimiam et importunam humilitatem in irae cogat vitium declinare, et importuna humilitas in impedimento scandali deputetur, ideo diximus post secundam suggestam benedictionem nolenti majori tertiam non repetere debere; sed mox discipulum exinde debere discedere; et cum ipsa taciturnitate opus laboris quod faciebat, debere perficere. Haec interrogatio benedictionis, quae vix sola de taciturnitate [Col. 0831A] laxatur cum inclinatione humiliati capitis a discipulis praebeatur. Id est in omni loco per omnem horam, hoc est, in monasterio, in agro, in via, in horto, vel in quovis loco, ut nunquam desit menti nostrae memoria Dei, propter quem aguntur haec omnia: ut cum forte aliquis ignarus

@ [Col. 0831C] *Talem.* Id est, aliquem. talem fratrem interrogaverit dicens: Quare tacitus et tristis es, et inclinato vultu ambulas? respondeat illi: quia fugio peccatum et timeo Deum; et ut custodiam me ab omni quod odit Deus, ideo sum mihi sollicitus semper. Ad mensam vero sedentes, si interrogationes suas abbati voluerint intimare, ante benedictionem dictam cultelli aut

@ [Col. 0831C]

Cochlearii. Cochlearium, cochlear, et cochleare est vasculum sorbendis cochleis et ovis sorbilibus aptum. S. Isidorus lib. XX Orig. c. 4: «*Coclear ab usu prius dictum.*» *Hinc illud veterum distichon* **(Martial. lib. XIV, Epig. 121)**:

Sum cochleis habilis, sed non minus utilis ovis.
Nunquid scis, potius cur cochleare vocor.

De eo Juliux Pollus lib. VI, cap. 12: Τὸ δὲ κοχλιάριον καλοῖς ἄν μυστιλάριον, id est, Cochlearium vasculum ad aliquid sorbendum aptum appellare poteris. Agunt et Glossae veteres: Κοχλιάριον, *Cochliarium, ligula.* Ligula autem seu lingula est vasculum concavum jusculis sorbendis aptum. Cujus meminit [Col. 0831D] Sosipater Charisius: «Lingula cum non a lingendo dicta est, in argento: in calceis vero lingula a ligando. Sed usus lingulam sine, *n, frequentat.*» Qui tamen locus corruptus est, et expuncta particula, *non,* lege *lingula cum a lingendo dicta est,* nam ibi explicat nomen aequivocum, *lingula;* quod a lingendo dictum, est vasculum argenteum sorbendis jusculis aptum: a ligando vero, est corrigia calcei: Alias *Legula, glossae veteres:* μύστρον, *legulam.* Dicitur et μύστλον, id est, cavum, ut docet auctor veteris Etymologici, cujus tamen haec verba corrupta sunt: καί μύστλον, τὸ κοίλῳ τὸ ἄρτῳ ἐσθίειν, μυστίλλας δέ ἔλεγον. Sed legendum τὸ κοίλῳ τῷ ἄρτῳ ἐσθίειν μυστιλᾶθαι ἔλεγον, id est, de concavo pane edere sorbere dicebant. Verbum dicitur a μυστίλη,

quae est buccella cava, de qua jusculum sorbetur, docent Julius Pollux cap. citato et Suidas. Lingula est etiam gladiolus in similitudinem linguae, cujus meminit Naevius in Tragedia Hesiona:

Si ne mihi gerere morem videar lingua, verum lingula. Ut refert Agellius lib. X, cap. 25, id est, si non possum verbis efficere ut mihi obtemperetur, id efficiam gladio. coclearii aut panis percussura indicium sit magistro discipuli postulantis eloquium. Haec omnia animae pro [Col. 0831B] Deo necessaria ideo

@ [Col. 0832C] *Substantiam.* Locus corruptus in Regula ms. *Sub tantam.* Lege, *Sub tanta.* substantiam taciturnitatis constituimus clusura servari, ut ab oblivione quis non decipiatur tam facile, et praeceps sit semper in lingua. Nam cum per clusuram oris taciturnitas continetur, diu tractetur, vel purgetur in corde, quod possit mundum, et sine peccato de ore proferri, dicente Apostolo:

@ [Col. 0832C] *Omne verbum vanum.* Ad Eph. IV in versione communi: *Omnis sermo malus.* In Graeco textu: σαπρὸς, id est, foedus. Glossae Cyrilli: σαπρὸς,*nugatorius, nugax, foedus.* Non male redditum, *vanum:* nam vanum est nugatorium. *Omne verbum vanum de ore vestro non procedat,*

@ [Col. 0832C] *Sed si quid ad aedificationem.* In versione communi: *Sed si quis bonus.* Ita etiam in textu Graeco: ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς, quod idem sonat. *sed si quid est ad aedificationem* **(Eph. IV)**. Et item dicit Scriptura: *Sapiens paucis innotescit verbis.* Et maxime timere ideo, et omni hora nos a multiloquio custodire debemus. Quia non potest fieri, ut inter multa verba,

@ [Col. 0832D] *Aliquanta.* Id est, aliqua. Ita loquitur Magister cap. 8: «Et in aliquantis prolixis hominibus;» et S. Valerianus sermone de bono disciplinae: «Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam.» aliquanta non exeant cum peccato secundum Scripturam dicentem: *In multiloquio non effugietur peccatum* **(Prov. X)**. Unde et Propheta tradens nobis formam [Col. 0831C] ostendit se de his esse sollicitum, et tam a malis quam a bonis eloquiis debere tacere dicens: *Dixi, Custodiam vias meas,*

@ [Col. 0832D] *Ut non peccem.* Accedit ad versionem S. Hieronymi. *ut non peccem in lingua* [Col. 0832A] mea. Posui ori meo custodiam,

@ [Col. 0832D] *Obmutui et tacui a bonis.* Citat locum ex memoria. *obmutui, et tacui, etiam a bonis* **(Psal. XXXVIII)**. Hoc [est] ostenditur profecto discipulo tam de malis quam de bonis eloquiis debere tacere. Quia, etsi loquenda sunt bona eloquia, non discipulis, sed magistro debetur

@ [Col. 0832D] *Doctrinae.* Hoc loco doctrina est docendi actio, non facultas. doctrina. Nam et sicut dicit Scriptura: *Vita, et mors in manibus linguae* **(Prov. XIV)**. Diligenter ergo et juste debet ipsa amplius refrenari. Haec enim tanta taciturnitatis districtae custodia perfectis, et

@ [Col. 0832D] *Pudoris.* Lege, *puris corde, ut in Regula ms.* et cod. Vind. pudoris corde et mundis a peccato, timentibus perpetua gehennae incendia, et quaerentibus vitae aeternae divitias immortales merito praecipitur observanda. Ideoque praesente abbate non loquantur, nisi interrogati discipuli;

@ [Col. 0832D] *Absente vero abbate.* Id est, extra praesentiam abbatis. absente vero abbate, si de verbo Dei, sibi tamen lente et humiliter, non clamosa voce [Col. 0832B] loquantur. Quia omnis lenta locutio ab humilitate descendit. Si vero de inanibus ac saecularibus,

vel quibusve verbis, quae ad Deum non pertinent, inchoaverint discipuli loqui, mox a praepositis suis eis imperetur silentium. Psalmos vero vel Scripturas extra illas tres horas, in quibus quotidie sine labore

@ [Col. 0832D] *Contingit.* Ita correxi, cum antea legeretur: *tangit.* contingit legi, et sic laborantes fratres recensere sibi et animo permittuntur. Hanc vero tantam taciturnitatis clusuram superius praesente abbate de perfectis apud Deum taxavimus, de his quibus nunquam de Deo oblivio

@ [Col. 0832D] *Subripit.* Glossae Philoxeni: *Subripit,* ὑφαιρεῖται, id est, subtrahitur. subripit, et vitia oris quaerunt diligenter cavere, et ex toto mundi velut angeli et a bonis et malis eloquiis quaerunt tacere pro Domino. Sed quia diversitas concessae gratiae secundum mensuram fidei maxime negligentibus [Col. 0832C] poterit minorari, tepidis et imperfectis, et minus in se sollicitis hoc relaxamus, ut de saecularibus inquirendis, [Col. 0833A] duntaxat sine peccato,

@ [Col. 0833B] *Aliquid quae.* Haec sunt transposita, et ita legenda: *Ut de saecularibus inquirendis, duntaxat sine peccato, quae ad aedificationem spiritalem non pertinent, aliquid, etc.* Hoc loco indulget Magister imperfectis monachis, ut de saecularibus rebus loquantur quae tamen sint sine peccato, et petita loquendi licentia. aliquid quae ad aedificationem spiritalem non pertinent, nisi petita benedictione fuerit magis concessa permissio, licentia loquendi non sumatur. De aliquo vero spiritali interrogando sermone post benedictionem petitam mox loqui debere discipulum. Scurrilitates vero, vel verba otiosa, et risum moventia aeterna clausura damnamus et ad talia eloquia discipulum

@ [Col. 0833B] *Non aperire os permittimus.* Lege, ut in Regula sancti Benedicti, *Aperire os non permittimus.* non aperire os permittimus.

§ X.---A DONATO COLLECTA (cap. 49).

@ [Col. 0833B] *Silentii regula.* Initium hujus capitis sumptum est ex Regula S. Columbani, cap. 2. Silentii regula custodienda decernitur, quia scriptum est: *Cultus autem justitiae silentium et pax* **(Isai. XXX)**. Et ideo, ne reatus de verbositate conquiratur, exceptis utilibus ac necessariis opus est, ut taceatur: quia, juxta Scripturam, *In multiloquio* [Col. 0833B] non deerit peccatum **(Prov. X)**. Et alibi ait: *Posui ori meo custodiam, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* **(Psal. XXXVIII)**.

@ [Col. 0833B] *Hic ostendit propheta, etc.* Haec habentur in Regula S. Benedicti. Hic ostendit Propheta. [Col. 0834A] Si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter

@ [Col. 0833B] *Poenam.* Adde, *peccati, ut habetur in Regula sancti Benedicti.* poenam debet cessari.

@ [Col. 0833B] *Tacendum igitur, etc.* Haec sunt emendicata a Regula S. Columbani, ubi sic legitur: *Tacendum igitur de his et talibus.* Tacendum igitur, et cum cautela loquendum, ne aut detractiones aut tumidae contradictiones in loquacitatem vitiosam

@ [Col. 0834B] *Ac superfluam.* Haec verba non exstant in Regula S. Columbani, saltem in nostris codicibus. ac superfluam prorumpant.

@ [Col. 0834B] *Ergo quamvis de bonis, etc.* Excepta sunt ex Regula S. Benedicti. Ergo, quamvis de bonis et aedificationum eloquiis perfectis

@ [Col. 0834B] *Christi.* Hoc vocabulum non est in Regula S. Benedicti. Christi discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia. Quia, ut superius

diximus, *In multiloquio non effugies peccatum* **(Prov. X)**. Et alibi: *Mors et vita in manibus linguae* **(Prov. XIV)**.

@ [Col. 0834B] *Quod si altiori.* In Poenitentiali S. Columbani sic habetur: «Proferens sermonem altum sine suppressione, nisi ubi necessitas fuerit, superpositione silentii vel L percussionibus.» Supple, *poeniteat;* sed S. Donatus videtur locum protulisse ex memoria, non ex codice. Quod si altiori voce praesumpserit,

@ [Col. 0834B] *Duabus silentii superpositionibus.* Quid sit superpositio, infra dicetur. duabus silentii superpositionibus poeniteat, aut L percussionibus poeniteat. Et, si iterare praesumpserit, c. Scurrilitates vero et verba otiosa, et risum moventia aeterna [Col. 0834B] clausura in omnibus locis damnamus:

@ [Col. 0834B] *Et ad tale eloquium famulo Christi aperire os non permittimus.* In Regula S. Benedicti conc. Fl. *Et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.* et ad tale eloquium famulo Christi aperire os non permittimus.

CAPUT X. DE HUMILITATE.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0833D] *Clamat nobis, etc.* Hoc est ad humilitatis gradus praeludium. De humilitate multi multa scripserunt. Multae de ea exstant S. Ephraem Syri paraeneses. De ea scribit S. Ambrosius in epistola ad Demedriadem, S. Dorotheus doctr. 2, S. Antiochus monachus homil. 70, et multi alii. Clamat nobis divina Scriptura, fratres, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur;* et qui se humiliat, exaltabitur **(Luc. XIV)**. Cum haec ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiae. Quod se cavere Propheta indicat, dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei;* neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me **(Psal. CXXX)**.

@ [Col. 0833D] *Sed quid.* Haec vocabula non sunt apud Smaragdum et S. Dunstanum: exstant tamen in Regula ms. Magistri, in qua hi gradus humilitatis retexuntur. In vulgo editis habentur sub interrogatione, et recte Non sunt quidem Psalmistae verba, sed a S. Benedicto adjecta, atque ad horum versiculorum lucem non parum conferunt. Sed quid? *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam,*

@ [Col. 0833D] *Sicut ablactatum.* Hanc lectionem retinent uterque cod. ms. S. Germ., Regula ms. magistri cod. Corb., Kero in Expositione Alamannica vocabulorum Regulae S. Benedicti, Smaragdus, Trithemius, et S. Dunstanus, qui addit substantivum *est, sed minus necessarium,* [Col. 0834D] quia facile subintelligitur. Secutus est S. Benedictus hoc loco versionem Graecam, quae ita habet. ὡς ἀπογεγαλακτισμένον, id est sicut ablactatum, quod substantivatur in neutro genere. Vulgo juxta versionem vulgatam scribitur: *Sicut ablactatus est. sicut ablactatum*

@ [Col. 0834D] *Super matrem suam.* Ita in Regula ms. Magistri et apud Smaragdum, juxta textum Graecum: ἐπὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ. In vulgo editis juxta versionem communem legitur: *Super matre sua. super matrem suam,*

@ [Col. 0834D] *Ita retribues in animam meam.* Ita Regula ms. Magistri, codices mss. nostri, Ruthardus ms., Smaragdus, S. Dunstanus, et Trithemius juxta Psalterium Romanum, et Septuaginta Interpretes, ὡς ἀποδώσεις ἐπὶ τὴν ψυχήν μου. Quod idem sonat. Hanc etiam lectionem retinent vulgo editi codices. In versione communi legitur: *Ita retributio*

in anima mea. Sensus autem Psalmistae est: Sicut ablactatus infans [Col. 0835B] lactis dulcedine privatur, sic homo superbus a divinae gratiae jucunditate et consolatione removetur. *ita retribues in animam meam.* Unde, fratres, si summae humilitatis volumus culmen [Col. 0835A] attingere, et ad exaltationem illam coelestem, ad quam per praesentis vitae humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est quae

@ [Col. 0835B] *In somnio.* Ita in Regula ms. Magistri et cod. mss. S. Germ. p. et Vict. ma.; recte Vulgo habetur: *In somno.* in somnio Jacob apparuit, per quam et descendentes angeli monstrabantur **(Gen. XXVIII)**. Non aliud sine dubio ascensus ille et descensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et

@ [Col. 0835C] *Humilitate ascendere.* His quadrat illud S. Cypriani, lib. de zelo et livore: «Humilitate ad summa crescimus.» humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta nostra est vita in saeculo, quae humiliato corde a Domino erigitur ad coelum. Latera ejus scalae dicimus nostrum esse corpus et animam,

@ [Col. 0835C] *In qua latera.* Ita in Regula ms. Magistri, et apud Keronem. In aliis cod. nostris mss. et apud Smaragdum et Trithemium legitur: *In quae latera, quod est plausibilius.* In vulgatis et apud S. Dunstanum, *in quibus tantum.* in qua latera diversos gradus humilitatis vel disciplinae

@ [Col. 0835C] *Evocatio.* Ita in Regula ms. Magistri, in cod. mss. Vindocinensi et utroque S. Germani. Ita apud Smaragdum, S. Dunstanum et Trithemium. Ubi *evocatio* idem est quod *vocatio, ut in vulgatis legitur.* Ut *evocare* idem est quod *vocare.* Plautus in Amphitruone, actu III.

Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis. evocatio divina ascendendos inseruit.

§. II---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 60).

Interrog.

@ [Col. 0835C] *Quid est humilitas.* Exstat apud S. Basilium, interr. 198 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 41. Quid est humilitas, et quomodo eam [Col. 0835B] implere possumus?---*Resp.* Humilitas quidem est haec

@ [Col. 0835C] *Ut omnes aestimemus superiores, etc.* Haec divina [Col. 0835D] Apostoli doctrina vinculum est Christianae et monasticae charitatis, cum omnibus sibi invicem cedentibus omnis jurgiorum seges resecatur. Id praeclare docet S. Ambrosius epist. 84: «Prima ergo humilitatis ratio in communis vitae versatur officiis, quibus et divina clementia conciliatur, et societas humana connectitur. Multum enim ad roborandam dilectionem valet, cum secundum doctrinam apostolicam invicem se honore praeveniunt, et alter alterum superiorem existimantes, amant servire subjecti, et nesciunt tumere praelati.» ut omnes homines aestimemus superiores nobis, secundum definitionem Apostoli **(Phil. II)**. Implere autem id possumus, si memores fuerimus Domini dicentis: *Discite a me quia*

@ [Col. 0835D] *Mansuetus,* Apud Rufinum, *mitis. mansuetus sum et humilis corde* **(Matth. XI)**.

@ [Col. 0835D] *Quod se.* Tò *se redundat, nec est apud Rufinum nec in textu Graeco.* Quod [se] in multis saepe ostendit et docuit, et credere ei debemus promittenti. Quia *qui se humiliaverit, exaltabitur* **(Luc. XIV)**. Deinde ut indesinenter et absque ulla cessatione

in omnibus actibus et in omni negotio humiliores caeteris inveniri studeamus, et in hoc exercitium [Col. 0836A] nostrum ponamus. Non enim sic poterimus a nobis pristinae arrogantiae abolere memoriam, et effectum humilitatis assumere, sicut etiam in artificiis fieri solet, idemque modus erit etiam in caeteris virtutibus obtinendis, quae ex mandato Domini nostri Jesu Christi veniunt.

§ III.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 9).

@ [Col. 0835D] *Humilitas cordis.* Habetur in Regula ms. cod. Flor. et in editione Parisiensi cap. 9, apud Goldastum cap. 14. Notanda autem S. Columbani doctrina de vera animi tranquillitate, quam humilis quisque possidet. Juxta illud Christi: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde:* et invenietis requiem animabus vestris **(Matth. XI)**. Idem docet S. Dorotheus doctr. 2: «Quod si molesti quippiam viro humili et demisso contigerit, confestim ad se revertitur, se contrahit, secum habitat vir humilis corde, se dijudicat, et [Col. 0836C] quamvis poena ac supplicio dignum se censet, nec vult quemquam accusare, nec causam rejicere in alium patitur. Proinde non immerito absque perturbatione degit et molestia; imo incredibilem animo suo sentit quietem.» Humilitas cordis requies animae est intus a laboribus fatigatae, unicum illius de tot malis refrigerium; et quantum ad hanc considerationem

@ [Col. 0836C] *Tuta.* Ita in Regula ms. cod. Flor.; apud Goldastum legitur, *tota, quod non probo;* sed existimo hoc vocabulum esse transpositum et suo sic loco restituendum: *Et quantum ad hanc considerationem de tantis foris vagis et vanis attrahitur, tantum intus tuta requiescit ac refrigeratur.* Ut sensus sit: Et quantum anima a vanis cogitationibus ad considerationem verae humilitatis attrahitur, tantum intus tuta requiescit, etc. tuta de

@ [Col. 0836C] *Tantis.* Id est, *tot;* de quo vocabulo infra. tantis

@ [Col. 0836C] *Foris vagis.* In editione Insulae additur, *acuminibus.* Sed necesse non est. *Foris vagum est vana et futilis cogitatio.* foris vagis ac vanis attrahitur, tantum intus requiescit ac refrigeratur. Ita ut etiam amara illi sint dulcia, ac dura et ardua ante habita plana ac facilia. Mortificatio quoque superbis ac duris intolerabilis illi est consolatio, cui hoc solum placet quod [Col. 0836B] humile et mansuetum est. Sciendum autem est quod neque hanc mysterii felicitatem, neque aliud quid utile superveniens poterit perfecte complere quis, nisi qui in hoc studium singulare posuerit,

@ [Col. 0836C] *Ut non inveniatur imparatus.* Id est, destitutus [Col. 0836D] armis humilitatis et obedientiae non inveniatur, cum nempe alea mortificationis est subeunda. ut non inveniatur imparatus.

@ [Col. 0836D] *Si enim juxta hoc studium suas aliquas.* Ita apud Goldastum. In Regula mss. cod. Flor. non est τὸ *hoc;* recte: et pro *suas* aliquas, lege, *suum aliquis, ut haec verba referantur ad sequentia, non ad antecedentia hoc modo:* Si enim juxta studium suum aliquis sequitur suas intentiones, id est voluntates, non poterit sequi quo jussio ducit. Si enim juxta hoc studium suas aliquas sectari aut nutrire voluerit intentiones, continuo interpositorum occupatione detentus, turbatus totus sequi,

@ [Col. 0836D] *Qua jussio ducit.* In regula mss. cod. et in editione Insulae apud Goldastum legitur: *Quod jussio dicit.* qua jussio ducit,

@ [Col. 0836D] *Gratus.* Id est, spontaneus, libens. Glossae veteres: *grate,* ἡδέως, id est, libenter. gratus semper non poterit; neque, ut competit, complere poterit, qui

turbulentus est et

@ [Col. 0836D] *Ingratus.* Id est, invitus. Plautus in Mercatore dixit: *tuis ingratiis, id est te invito.* ingratus. Mortificationis igitur triplex est ratio,

@ [Col. 0836D] *Non animo discordare.* Cum suis fratribus videlicet. non animo discordare, non [Col. 0837A] lingua libita loqui, non ire quoquam absolute,

@ [Col. 0837A] *Suum est semper seni dicere.* Ita in ms. cod. Flor. et in editione Insulae. Sed puto locum esse corruptum, sicque restituendum: *Sed suo semper seni dicere, quamvis contraria jubenti, etc.* Et clarus est sensus. suum est semper seni dicere, quamvis contraria jubenti: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (Matth. [Col. 0838A] XXVI). Juxta exemplum Domini Salvatoris, qui ait: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me,*

@ [Col. 0838A] *Patris.* Haec vox non est in hoc loco S. Joannis. *Patris* **(Joan. VI)**.

CAPUT XI DE PRIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0837B] *Primus humilitatis gradus.* Hoc caput in plura capita divisit auctor noster, quemadmodum ejus imitator Smaragdus. Titulos quamvis hic desiderentur, apponere singulis capitulis seu gradibus visum fuit, quemadmodum habentur apud Smaragdum. Porro D. Thomas, 2-2, qu. 161, art. 6, et qu. 164, art. 4, ad 4, demonstrat hos gradus duodecim rite a sancto Benedicto fuisse assignatos, sed tractat rem inverso ordine, et quem sanctus Benedictus duodecimum appellat, ille primum; et sic deinceps. Sed nescio quo exemplari usus sit sanctus doctor. Regula Magistri (cap. 20), qui vixit ante annum septingentesimum ordinem S. Benedicti sequitur in his recensendis, ejus etiam verba usurpans. Quemadmodum auctor noster, Smaragdus, S. Antoninus, [Col. 0837C] tit. 15, cap. 13, § 8, Trithemius et Turrecremata, quem de ordine et serie horum graduum consule. Cassianus, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, etsi tantum decem statuat humilitatis gradus, ordinem eumdem servat, excepto uno aut altero gradu. Albuinus monachus ms., cap. de Remissione monachi, agit etiam de gradibus humilitatis, sed decem tantum statuit, nec ordinem sancti Benedicti sequitur, etsi ex illo hauserit ejus gradus contrahendo hoc modo: «Si humilitas regnat in monacho, cum his decem gradibus comprobatur, et vere dignoscitur. Haec sunt fundamenta virtutum, sine quibus nemo videbit Dominum. Primus si in se habeat mortificatas omnes voluntates terrenas. Secundus, si actus et cogitationes suas non celaverit abbati suo. Tertius, ut nihil disponat cum propria voluntate, sed omnia committat judicio ejus senioris. Quartus, si in omnibus praeceptis servaverit mansuetudinem obedientiae et constantiam patientiae. [Col. 0837D] Quintus, ut nulli inferat injuriam; sed quae sibi illatae fuerint patienter portet. Sextus, si nihil faciat praeter exempla suae Regulae. Septimus, si se judicaverit indignum, et velut operarium malum ad omnia quae illi in operativa [*Leg.* imperata] fuerint. Octavus, si semetipsum pronuntiet viliorem cunctis. Nonus, si linguam suam constringat, et non sit clamosus in voce. Decimus, si non est facilis et promptus in risu.» Haec ille. Qui videtur referre haec ex memoria, non ex codice. Porro in his duodecim gradibus humilitatis septem priores pertinent ad interiorem hominem, reliqui ad exteriorem. Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante

oculos semper ponens

@ [Col. 0837D] *Oblivionem omnino fugiat.* Nempe judicii, mandatorum Dei, aeterni supplicii et felicitatis aeternae. Peccator enim Dei, et sui, et omnium, quae ad salutem spectant obliviscitur; et cum venerit in profundum, contemnit. Nihil sane tam a Dei et salutis recordatione quam peccandi consuetudo et delectatio nos avertit. Quod recte monet Eusebius Gallicanus, homil. 5 ad monachos: «Habet enim hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantum amplius quisque peccaverit, tanto minus peccata sua intelligat, et tanto plus eum peccare delectet; ut eveniat illud quod Propheta peccatoribus clamat: *Non est Deus in conspectu ejus;* auferuntur judicia tua a facie ipsius. Etenim quando subrepit peccati delectatio, statim futuri judicii diem abscondit oblivio.» Ruthardus legit, *Oblivionem praeceptorum omnino fugiat.* oblivionem omnino fugiat, et semper sit memor eorum quae praecepit Deus:

@ [Col. 0838B] *Ut qualiter.* Ita Regula ms., Smaragdus et editio Coloniensis. At vulgatae editiones cum S. Dunstano habent *et qualiter.* Si legas *ut,* referendum est cum sequentibus [Col. 0838C] ad illa verba, *animo revolvat;* si legas *et,* ad illa verba, *sit memor.* Apud Trithemium habetur tantum, *qualiter.* Non ita recte. ut qualiter

@ [Col. 0838C] *Et contemnentes.* Particulam *et agnoscit Regula Magistri ms.,* quae tamen vulgo non habetur. et contemnentes Deum

@ [Col. 0838C] *Gehenna de peccatis incedat.* Lege, ut in Regula Magistri ms., *Gehenna de peccatis incendat.* Ubi praepositio *de* est, pro *ob, propter.* Ita loquitur supra in prologo sanctus Benedictus: *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos.* Ubi *de* est pro *ob, propter.* Vulgo legitur: *In gehennam pro peccatis incidunt.* Sed haec sunt in officina cujusdam correctoris cusa. gehenna de peccatis incedat; et vitam aeternam, [Col. 0837B] quae timentibus Deum praeparata est, animo suo semper

@ [Col. 0838C] *Evolvat.* Ita Magister. Vulgo, *revolvat.* Quod est plausibilius. evolvat: et custodiens se omni hora a peccatis et vitiis,

@ [Col. 0838C] *Id est.* Id est, hoc loco est *nempe, videlicet.* id est, cogitationum et linguae, manuum,

@ [Col. 0838C] *Pedum.* Id est gressus immodesti, praecipitantis, levis et lascivi. pedum vel voluntatis propriae:

@ [Col. 0838C] *Sed et desideria carnis.* Est ellipsis, quae etiam [Col. 0838D] habetur in Regula ms. Magistri, quam etiam agnoscit Smaragdus ad haec verba, cum ait: «Subauditur: *non delectetur implere.*» Quam sane iisdem verbis supplevit S. Dunstanus, apud quem legitur, *Sed et desideria carnis non delectetur implere.* Recte nam in secundo gradu dicitur: *Desideria carnis non delectetur implere.* Itaque illud, *amputare festinet, quod vulgo habetur, amputandum est.* sed et desideria carnis. Aestimet se homo de coelis semper a Deo respici omni hora, et facta sua omni loco ab aspectu Divinitatis videri, 9

@ [Col. 0838D] *Et ab angelis omni hora renuntiari.* In vulgatis legitur *Deo omni hora, etc.* Sed haec vox *Deo non est in Regula ms.* Magistri, neque apud Smaragdum, S. Dunstanum et Trithemium; nec videtur necessaria, cum ex supra dictis satis intelligi possit. et ab angelis omni hora renuntiari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus ita Deum praesentem ostendit dicens: [Col. 0838B] *Scrutans corda et renes Deus* **(Psal. VII)**. Et item: *Dominus*

@ [Col. 0838D] *Novit cogitationes hominum.* Vulgo additur *Quoniam vanae sunt. novit cogitationes hominum* **(Psal. XCIII)**. Et item dicit: *Intellexisti cogitationes meas a*

@ [Col. 0838D] *A longe.* Ut in Psalterio Romano juxta Septuaginta interpretationem: ἀπὸ μακρόθεν. Quod idem sonat. *longe* [Col. 0839A] **(Psal. CXXXVIII)**. Et: *Quia cogitatio hominis confitebitur tibi* **(Psal. LXXV)**. Nam ut sollicitus sit circa cogitationes perversas, dicat semper

@ [Col. 0839B] *Utilis frater.* Ita in Regula ms. Magistri, in cod. ms. Vind. et utroque S. Germ. et in editione Coloniensi. Ita etiam apud Smaragdum, S. Dunstanum et Trithemium, qui ita explicat: «Utilis frater est qui omnibus prodesse et nulli desiderat obesse, qui nihil sapit nisi quod Deo placere cognoscit, qui totam spem suam ponit in Domino, sine cujus auxilio se nihil posse facere certissime credit.» In [Col. 0839C] vulgatis legitur: *Humilis frater.* Sed hoc manat a quodam correctore aut exscriptore. utilis frater in corde suo: *Tunc ero immaculatus*

@ [Col. 0839C] *Coram eo.* Ita in omnibus codicibus, quos viderim, sive excussis, sive mss. cum in psalmo legatur, *cum eo, etiam in omnibus versionibus quas viderim, juxta Septuaginta et textum Hebraicum.* Sed S. Benedictus vocabulum accommodavit suo proposito. *coram eo, si observavero me ab iniquitate mea* **(Psal. XVII)**. Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicat Scriptura nobis:

@ [Col. 0839C] *A voluntatibus tuis.* In textu Graeco: Καὶ ἀπὸ τῶν ὀρέξεών σου. Id est, et ab appetitibus tuis. In versione communi, *et a voluntate tua. A voluntatibus tuis avertere* **(Eccli. XVIII)**. Et item rogemus in oratione, ut fiat voluntas illius in nobis **(Matth. VI)**. Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem, cum cavemus illud quod dicit Scriptura:

@ [Col. 0839C] *Sunt viae, etc.* Haec sententia exstat in duobus locis Proverbiorum cap. XIV: «Est via, quae videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem; et cap. XVI: Est via quae videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. Ita in versione communi juxta textum Hebraicum, sed apud Septuaginta, quos sequitur sanctus Benedictus, paulo aliter. C. XVI: Εἰσὶν ὁδοὶ δοκοῦσαι ὀρθαὶ εἶναι ἀνδρὶ, [Col. 0839D] τὰ μέντοι τελευταῖα αὐτῶν βλέπει εἰς πυθμένα ᾅδου. Id est, Sunt viae quae videntur homini rectae, novissima autem earum respiciunt in profundum inferni. Et cap. XIV. Ἐστὶ ὁδὸς ἣ δοκεῖ ὀρθὴ εἶναι παρὰ ἀνθρώποις, τὰ δὲ τελευταῖα αὐτῆς ἔρχεται εἰς πυθμένα ᾅδου. Id est, Est via, quae recta videtur esse apud homines, novissima vero ejus tendunt in profundum inferni. Interpretatio S. Benedicti conflata est ex utroque loco. *Sunt viae quae videntur ab hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* **(Prov. XIV)**. Et cum item cavemus illud quod de negligentibus dictum est: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis* [Col. 0839B] **(Psal. XIII)**. In desideriis vero carnis ita nobis credamus Deum semper esse praesentem, cum dicit Propheta: *Ante te est omne desiderium meum* **(Psal. XVII)**. Cavendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Scriptura praecipit dicens: *Post concupiscentias tuas non eas* **(Eccli. I)**. Ergo, si oculi Domini speculantur [Col. 0840A] bonos et malos, et Dominus de coelo semper respicit filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum **(Psal. XXXIII)**;; et, si

@ [Col. 0839D] *Ab angelis nobis deputatis.* Hunc locum profert Rupertus in cap. 9 Commentariorum in Apocalypsim: «Denique ab angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur. Si ergo magnum sit opus quod agimus, dum annuntiatur, ipsa annuntiatio quasi cantus tubae est, quasi magnus clamor.» Haymo Halberstatensis in cap. IV Epistolae ad Philippenses, cur opera nostra

Deo ab angelis renuntiantur, hanc profert rationem: «Ut officium et ministerium suum impleant, quia nuntii sunt.» Aliam affert Origenes, sive quis alius, lib. I Commentariorum in Job: «Offerunt nihilominus sancti angeli Dei, non quasi nesciat is qui omnia novit antequam fiant, sed ut testes efficiantur sanctitatis [Col. 0840C] atque pietatis justorum; iterum tanquam deflentes impietates atque injustitias injustorum, atque etiam ipsius diaboli: haec namque demonstrans atque significans Dominus dicit de illis bonis servis, hoc est, angelis: «Venientes autem nuntiaverunt Domino suo omnia quae facta fuerant.» Nuntiant opera nostra mala, ut a Deo accipiant quomodo et quando castiganda ad emendationem; et ideo renuntiatio illa angelorum timenda, et congrua emendatione eorum correptio praeveniena. ab angelis nobis deputatis
@ [Col. 0840C] *Quotidie die noctuque.* Ita in Regula ms. Magistri, in cod. mss. S. Ebrul. et Vind., apud Turrecrematam et Rupertum loco citato. quotidie diu noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur, cavendum est [ergo] omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo Propheta **(Ps. LI)**, ne nos declinantes in malum et inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est et exspectat nos converti in melius,
@ [Col. 0840C] *Ne dicat nobis.* Ita in utroque cod. S. Germ., ita apud Smaragdum, S. Dunstanum, Trithemium et Turrecrematam: sed in Regula ms. Magistri, in cod. ms. S. Faronis, in editione Parisiensi vetusta et recentiore, necnon Colinaei et Coloniensi, particula *ne desideratur:* recte; quid enim attinet illam [Col. 0840D] repetere? ne dicat nobis in futuro: Haec fecisti, et tacui **(Ps. XLIX.)**

§ II.---EX REGULA CASSIANI (cap. 42).
@ [Col. 0840D] *Principium, Haec sumpta sunt ex libro IV Cassiani de Institutis renuntiantium, cap.* XXXIX. Principium ergo nostrae salutis ejusdem custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim [Col. 0840B] initium conversationis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui, cum penetravit hominum mentem, contemptum ei rerum omnium parat:
@ [Col. 0840D] *Oblivionem parentum.* Vix bene conversus est, qui parentum non obliviscitur. Nec bene cum patre coelesti conjungitur, qui terreno patri non omnino renuntiavit. Nam: *Longe a parentibus salus, inquit sanctus Bernardus.* Ea fuit disciplina olim in monasterio Magistri, quem Trithemius Vigilium abbatem et diaconum appellat, ut monachus nunquam in aedes paternas pedem inferret. oblivionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem;
@ [Col. 0840D] *Contemptu autem, etc.* Nam qui terrena sapit humilis esse non potest, sed qui coelestia. contemptu autem et privatione omnium facultatum humilitas acquiritur.

CAPUT XII. DE SECUNDO GRADU HUMILITATIS.

[Col. 0841A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Secundus humilitatis gradus est, si
@ [Col. 0841A] *Propriam quis, etc.* B. Isaias abbas sermon. 26: *Humilitas est obedientia et*

propriae voluntatis abnegatio. propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: *Non veni facere voluntatem meam,*

@ [Col. 0841A] *Sed ejus qui me misit.* In versione communi repetitur τὸ *voluntatem, et in textu Graeco,* θέλημα, id est, voluntatem. Joan. VI. *sed ejus qui me misit* **(Joan. VI)**. Item dicit Scriptura:

@ [Col. 0841A] *Voluptas, etc.* Ita apud S. Dunstanum, Smaragdum, Ruthardum, et Trithemium, et in Regula ms. [Col. 0841B] Magistri, ita ut hic locus ad desideria carnis referatur. In vulgatis legitur *voluntas.* Hic locus non habetur in sacra Scriptura. Quare haec verba: *Item Scriptura dicit, non sunt de sacra Scriptura intelligenda, sed de alicujus sapientis scripto, ut sumunt S.* Fructuosus, cap. 10 Regulae: «Quarto retroacta sanctorum Patrum per scripturas sciscitantes revolvant: ut et ipsi quid facere debeant, agnoscant.» Non dubium est quin per scripturas, sanctorum Patrum anachoretarum et monachorum Vitas intelligat. Magister, cap. 31 Regulae suae: «Monstrante nobis de sancto Heleno scriptura, cum dicit.» S. Valerius supra, capite de genere monachorum: «Quoniam scriptura testatur quod omne peccatum quod remissus indisciplinatusque admiserit frater, ad negligentem protinus revertatur seniorem.» Quae quidem non exstant in sacra Scriptura. Ita etiam aliquando usurpantur ista verba, *scriptum est, ut infra gradu 11:* «Sicut scriptum est, sapiens verbis innotescit [Col. 0842B] paucis.» Haec enim sententia non est in sacra Scriptura, sed in sententiis Sixti. *Voluptas habet poenam et*

@ [Col. 0842B] *Necessitas.* Angustiae, inquit Ruthardus, vel necessitas obediendi et relinquendi proprias voluptates et desideria, ut pareamus Dei mandatis; felix quidem necessitas, quae ad meliora compellit. *necessitas parit coronam.*

[Col. 0842A]

§ II.---EX REGULA CASSIANI (cap. 43).

@ [Col. 0842B] *Humilitas vero.* Haec habentur apud Cassianum loco citato. Humilitas vero his

@ [Col. 0842B] *Indiciis.* Quos *gradus S.* Benedictus, Cassianus *indicia appellat, et S.* Thomas locis citatis *signa, quatenus his tanquam notis exterioribus mentis proditur humilitas.* indiciis comprobatur. Primo, si mortificatas in se habeat omnes voluntates. Secundo, si non solum suorum actuum, verum etiam cogitationum nihil celaverit suo seniori. Tertio, si nihil suae discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens ac libenter auscultet. Quarto, si in omnibus servet obedientiae consuetudinem, patientiaeque constantiam.

CAPUT XIII. DE TERTIO GRADU HUMILITATIS.

[Col. 0841C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore

@ [Col. 0841C] *Omni obedientia.* Id est, faciat monachus quaecunque ei senior praeceperit, sive illa Regulae legibus conscripta sint, sive non. Et haec mens S. Patris [Col. 0841D] Benedicti, cum nullum alium nobis proponit imitandum. quam Christum, qui in omnibus Patri obediens fuit etiam usque ad mortem, juxta antiquorum Patrum usum, qui omnimodam obedientiam non limitatam a suis discipulis requirebant, ut videre est apud Cassianum, S. Basilium et alios. omni obedientia se subdat majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem* **(Phil. II)**.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 45).

Interrog.
@ [Col. 0841D] *Usque ad quem modum.* Habetur apud S. Basilium inter. 116 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 4, ubi ita legitur: *Usque ad quem modum oportet progredi eum.* Usque ad quem modum
@ [Col. 0842C] *Servire.* In textu Graeco est ὑπακόυειν, id est, obedire, rectius ad sensum. servire oportet eum qui placendi Deo implere Regulam cupit?---*Resp.* Apostolus ostendit proponens nobis obedientiam Domini, *qui* factus est, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* **(Phil. II)**. Et
@ [Col. 0842D] *Praedixit.* Id est, antea dixit, juxta textum Graecum. praedixit: *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.*

[Col. 0842C]

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 80).

Interrog.
@ [Col. 0842D] *Cum quali affectu.* Exstat apud Basilium interrogat. 166 R. br., et apud Rufinum, cap. 46. Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur?---*Resp.* Eo affectu quo esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti: vel quo affectu omnis homo suscipit ab aliquo ea quae ad vitam pertinent, imo et si quid amplius: pro eo quod multo est pretiosior futura vita quam praesens,
@ [Col. 0842D] *Sicut et Dominus dixit, quia mandata mea.* In textu Graeco S. Basilii: Ἡ γὰρ ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ, φησὶν ὁ Κύριος, ζωὴ αιώνιός ἐστιν· id est, Mandatum enim Dei, inquit Dominus, vita aeterna est. In Evangelio: Ἡ γὰρ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἴονιός ἐστι_ id est, Mandatum ejus vita aeterna est. Ubi *ejus, id est Patris;* nam eo loci Christus de Patre suo agit. sicut et Dominus dixit: *Quia mandata mea vita aeterna sunt* **(Joan. XII)**. Sicut ergo vita praesens constat in cibo panis, ita aeterna vita in opere mandati, sicut ipse Dominus iterum dicit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, Patris* **(Joan. IV)**.

[Col. 0843A]

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI. EPISCOPI (cap. 8).
@ [Col. 0843B] *Obedientia, etc.* Haec habentur in Regula S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis cod. Crass., eodem capite 8. Sed haec priora verba sunt transposita et ita restituenda: *Praeceptum Regulae est, ut obedientia in impossibilibus, etc.* Obedientia praeceptum est Regulae, ut

@ [Col. 0843B] *Impossibilibus.* Ita in Regula ms., omissa est enim praepositio *in ob sequentis syllabae similitudinem;* quod non semel occurrit in hoc cod. ms. Concordiae. Sed lege, *In impossibilibus, ut in cod.* ms. [Col. 0843D] Vind. Haec erat stricta priscorum Patrum obedientia, ut fusius infra dicetur. impossibilibus quoque rebus opere atque affectu ostentetur, et teneatur usque ad mortem videlicet, sicut et Christus factus est obediens usque ad mortem **(Phil. II)**.

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 5).
@ [Col. 0844B] *In tantum.* Haec non sunt in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi, ut et sequens capitulum. In tantum debent monachi praeceptis obedire majorum, sicut Christus Patri obediens fuit usque ad mortem. Quod si aliter fecerint, sciant se viam, quam quaerebant, perdidisse.
@ [Col. 0844B] *Nemo vadit ad Christum nisi per Christum.* Non itur ad Christum nisi per Christum, quia Christus est via, veritas et vita: via per quam in veritate ambulatur, et via quae ducit ad vitam, id est, Christum: et ita nemo vadit ad Christum nisi per [Col. 0844C] Christum. Nemo vadit ad Christum nisi per Christum. Proinde monachi talem sibi debent facere consuetudinem, per quam a tramite recto nullatenus possint deviare. Primum discant [Col. 0843B] voluntates proprias superare, et nihil suo arbitrio, vel minimum aliquid agere, nihil loqui nisi ad interrogata, et cogitationes de die in diem nascentes jejunio et oratione expellere, et suo abbati nunquam celare, et quidquid fecerint, absque murmuratione faciant.

[Col. 0844A]

§ VI.---*Item ejusdem* (ex eodem capitulo).

Timendum est ergo, charissimi fratres, cogitandum et providendum, qualem viam arripere debeant, qui per Christum ad Christum ire desiderant, et liquido audiant quod observare debeant. Obedientes sint abbati usque ad mortem, in tantum ut nullam faciant proriam voluntatem, sed Patris. Nihil tam charum Deo habetur, si voluntas propria frangatur. Hinc Petrus ait: *Nos qui dimisimus omnia, et secuti sumus te, quid nobis erit* **(Matth. XIX)**? non solum dixit: *Dimisimus omnia, quid nobis erit? Sed addidit: secuti sumus te.* Multi omnia dimittunt, sed Dominum non sequuntur; quare? quia non Patris, sed suam voluntatem faciunt. Qui vult ergo arctam et angustam viam invenire et eam sine offendiculo [Col. 0844B] pergere, et pergendo non perdere, et non perdendo ad Christum pervenire, prius discat voluntates proprias superare, et nihil quod propria voluntas corporis quaesierit, facere, et in Patris obedientia usque ad finem vitae perseverare. Haec propria vita arcta et angusta quae ducit ad vitam.

CAPUT XIV. DE QUARTO GRADU.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 0843C] *Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia, etc.* Haec patientiae virtus compendiosa est ad perfectionem via, ut docet Basilius in ammonitionibus: «Fili, patientiam arripe; quia maxima virtus est animae, ut velociter ad sublimitatem

perfectionis ascendas;» ac proinde maxime amplectenda monacho; quia «Patientia grandis medela est animae: [Col. 0843D] impatientia autem pernicies cordis. Per patientiam autem exspectatur spes futurorum, et quod non videtur, quasi quod videatur, amplectitur,» inquit S. Basilius ibidem. Haec fuit quondam humilitas S. Guillelmi ducis Aquitaniae et fundatoris monasterii Gellonensis, qui cum monachus esset: «Corripiebatur, non irascebatur: interdum caesus et injuriis laesus neque resistebat, neque comminabatur, gaudeat plane in subjectione,» etc., ut in Actis ejus habetur. Nota est humilitas et patientia B. Carlomanni Austrasiae principis, et monachi Casinatis de qua vide Reginonem in Chronico. Quartus humilitatis gradus est, si quis in ipsa obedientia duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis

@ [Col. 0843D] *Tacita conscientia, etc.* Id est, quieto et pacato animo, sine murmuratione. His quadrat illud S. Joan. Chrysostomi sermon. 1 in I epist. ad Cor. Κἂν γὰρ ὑβρίσῃς, κἂν λοιδορήσῃς, κἂν ὁτιουν εἴπῃς, σιγήσεται, καὶ πράως οἴσει, id est, etsi enim contumelia afficias (humilem), etsi vituperes, et quidvis ei dicas silebit, et aequanimiter feret. tacita conscientia patientiam amplectatur, et sustinens

@ [Col. 0844C] *Non lassescat.* Id est, animum non despondeat, [Col. 0844D] metaphorice. Proprie autem lassescere est lassum, fessum, et debilitatum esse. Faustus Reiensis homil. 8 ad monachos. «Lassescant licet membra vigiliis.» non lassescat, vel discedat, dicente Scriptura: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X et XXIV)**. Item: *Confortetur cor tuum et sustine Dominum* **(Psal. XXVI)**. Et ostendens fidelem pro Domino universa, etiam contraria, sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: *Propter te*

@ [Col. 0844D] *Morte afficimur.* Ita in psalterio Romano. Haec et sequentia ex psalterio per accommodationem citantur. *morte afficimur tota die:* aestimati sumus

@ [Col. 0844D] *Ut oves.* Ita in psalterio Romano. *ut oves occisionis* **(Psal. XLIII)**. Et securi de spe retributionis divinae

@ [Col. 0844D] *Subsequantur.* Subsequi est subjungere, et active sumitur: ut paulo post: *Subsequitur, dicens.* Et cap. 11 Regulae sancti Benedicti: *Et subsequatur abbas hymnum:* Te decet laus. Saepe ita usurpat Magister in regula ms. subsequantur gaudentes et dicentes: *Sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos* **(Rom. VIII)**. Et item alio loco Scriptura: *Probasti nos, Deus;* igne nos examinasti, [Col. 0845A] *sicut examinatur argentum;* induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro **(Psal. LXV)**. Et, ut ostendat

@ [Col. 0845B] *Sub priore.* Regula ms. Magistri: *Sub majore.* Prior hoc loco est abbas, de qua voce infra. sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens: *Imposuisti homines super capita nostra* (Ibid.). Sed et praeceptum Domini in adversis et in injuriis per patientiam

@ [Col. 0845B] *Adimplentes.* Nempe patientes monachi: est eclypsis. adimplentes, qui percussi in maxilla praebent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angarianti milliario vadunt et duo **(Matth. V, Luc. VI)**, et cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent, et maledicentes se benedicunt **(II Cor. XI)**.

§ II.---EX REGULA SANCTI MACARII (cap. 83).

@ [Col. 0845B] *Passus injuriam.* Haec non exstant in regula Macarii et aliorum abbatum codicis Floriacensis. Priora quidem verba habentur in epistola sancti Hieronymi ad

Rusticum de forma vivendi. Passus injuriam taceas:
@ [Col. 0845B] *Injuriam facere non nosse, etc.* Lege: *Injuriam facere non nosce:* factam nosce tolerare. injuriam facere non nosse, factam posse tolerare. Nec te inania seducant consilia: sed magis te semper in Christo confirma. [Col. 0845B] Non tibi aestimes ullos proximiores, quam qui tecum sunt
@ [Col. 0845B] *In cella.* Id est, in monasterio, de quo vocabulo infra. in cella fratres.

§ III.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 80).
@ [Col. 0845B] *Quomodo.* Reperire est apud S. Basilium interr. 199 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 46. Quomodo quis
@ [Col. 0845C] *Promptus fiat ad pericula.* Haec est perfecta vitae religiosae obedientia, quae nullis valet succumbere periculis. Cujus exemplum narrat S. Dorotheus Doctr. 1. Quidam monachus ex partibus Ascalonis abbatis sui jussu ad Seridum abbatem venit, sub vesperam ad cellam redire jussus. Interim oborta vehementissima tempestate, imbre et grandine praecipitanter e coelo ruentibus fluvius adeo intumuit, ut torrentis instar extra vadum excurrens in campos restagnaret effusus. Tandem sol occubuit, et monachus in monasterium redire voluit. Eum precibus conatus est prohibere Seridus abbas; sed illis postpositis, vi obedientiae compulsus vestibus in fasciculum ligatis, et capiti impositis, renes maphorio circumcinctus se fluvio tempestatique, seu potius divinae providentiae credidit, et immensum illud aquarum exundantium pelagus natatu, auxiliante Christo, trajecit. Haec est vis perfectae obedientiae, haec virtus, haec miracula. promptus fiat etiam ad pericula [Col. 0846A] propter mandatum Domini? Primo quidem ut consideret, quia et ipse Dominus obedivit Patri usque ad mortem pro nobis **(Phil. II)**. Et certus sit, quia mandatum Domini vita aeterna est, sicut scriptum est **(Joan. XII. Marc. VIII)**. Tunc deinde etiam, ut credat Domino dicenti: *Quia quicunque voluerit animam suam salvam facere, perdet eam;* qui autem perdiderit animam suam propter me et propter Evangelium, salvam faciet eam.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISC. (cap. 8).
@ [Col. 0846C] *Simili quoque.* Habetur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracar. codicis Crassensis, eodem capite. Simili quoque studio et patientiae virtus est observanda, ut nunquam nec odio violetur, nec injuria, nec contumeliis amittatur: sed in sustentatione et tolerantia roboretur.
@ [Col. 0846C] *Nuditas.* Id est, paupertas, quae a priscis illis Patribus appellatur ἀκτμοσύνη, id est, carentia et nuditas omnium rerum, apud Cassianum Coll. 18, cap. 17. Nuditas denique et parcimonia ciborum et lectulorum duritia amplectatur.

[Col. 0846B]

§ V.---EX REGULA CASSIANI (cap. 42).

Si non solum injuriam inferat monachus nulli: nec ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur **(Lib. IV de Instit., cap. 39)**.

CAPUT XV. DE QUINTO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI (cap. 15).

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem
@ [Col. 0845D] *Confessionem.* In Regula ms. Magistri: *Linguae confessionem.* confessionem abbati [Col. 0845D] non celaverit suo,
@ [Col. 0845D] *Hortans.* Ita in Regula Magistri: est nominativus absolutus, vulgo: *Hortatur nos Scriptura de hac re, dicens.* hortans nos de hac re Scriptura dicens: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo* **(Psal. XXXVI)**; et item dicit: *Confitemini Domino, quoniam bonus:* quoniam in saeculum misericordia ejus **(Psal. CV)**. Et item Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci,* et
@ [Col. 0845D] *Injustitias meas non operui.* Ita in Regula ms. Magistri, quemadmodum in psalterio Romano. *injustitias meas non operui.* Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem
@ [Col. 0845D] *Peccati mei.* In Regula ms. Magistri, et in aliis codicibus nostris ms. atque etiam excusis habetur: *Cordis mei.* Rectius quidem: quia ita legitur in psalterio Romano, quod sequitur S. Benedictus. Hoc autem caput intelligitur de revelatione malarum cogitationum patri spirituali directionis causa: nam in confessione sacramentali non solum occulta mala, sed aperta revelanda sunt. *peccati mei* **(Psal. XXXI)**.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII EPISCOPI (cap. 21).

Interrog.
@ [Col. 0846D] *Qui vult confiteri, etc.* Reperitur apud S. Basil., int. 288 Regulae brev. Non exstat apud Rufinum, saltem in nostro exemplari. Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri, aut quibuslibet, aut certis quibusque?---*Resp.* Clementia Dei erga eos qui deliquerunt, [Col. 0846D] manifesta est, secundum quod scriptum est: *Qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* **(Ezech. XVIII)**. Quia ergo et conversionis modus aptus esse, et convertentis [est] a peccato fructus dignus ostendi debet per poenitentiam secundum quod scriptum est: *Facite fructus dignos poenitentiae* **(Luc. III)**; ne forte secundum illam comminationem eveniant his qui non poenitent, quod [Col. 0847A] scriptum est: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* **(Matth. III)**: necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim et hi, qui antiquitus poenitebant,
@ [Col. 0847C] *Inveniuntur apud sanctos confessi esse, etc.* Quibus nempe dispensatio mysteriorum Dei commissa erat. Nam his solis confitendum esse hoc loco docet S. Basilius. inveniuntur apud sanctos confessi esse peccata sua. Scriptum est enim in Evangelio, quia Joanni Baptistae confitebantur peccata sua **(Matth. III)**, et in Actibus apostolorum, apostolis, a quibus baptizabantur **(Act. XIX)**.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 199).
@ [Col. 0847C] Interrog. 11 Ruf. cap. 93: quae tamen non assequuntur textum Graecum. *Interrog.* Si oportet, cum soror aliqua confitetur quodcunque delictum suum, etiam matrem monasterii adesse?---*Resp.* Honestius mihi videtur esse, et religiosius, ut per

seniorem matrem presbyter, si [Col. 0847B] quid et illud sibi videtur, statuat, et modum vel tempus poenitentiae imponat ad emendationem ejus, quae corrigi desiderat a peccato.

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 200).
@ [Col. 0847C] Interrog. 229 Reg. brev.; Rufin. cap. 93. *Interrog.* Si oportet gesta turpia vel obscoena confitentem inverecundius pronuntiare, aut certe quibusque aut quibuslibet?---*Resp.* Confessio peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis, vel passio, quae medicinae demonstranda est. Sicut ergo non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui revelat, nec quibuslibet, sed his tantummodo qui summae peritiae testimonium habent et curae et medelae disciplinam, ita et confessio peccatorum fieri apud eos tantummodo debet, qui [Col. 0847C] curare haec praevalent et emendare, sicut scriptum est: *Vos, qui fortiores estis, infirmitates infirmorum portate* **(Rom. XV)**. Hoc est auferte et exportate per curationem.

[Col. 0848A]

§ V.---EX REGULA SANCTI ISIDORI EPISCOPI (cap. 15).
@ [Col. 0847C] *Qui nocturna, etc.* Haec videre est in Regula excusa S. Isidori, cap. 13. Qui nocturna illusione polluitur, publicare hoc Patri monasterii non moretur; culpaeque suae meritis hoc tribuat, et occulte poenitentiam agat: sciens,
@ [Col. 0847C] *Quia nisi praecessisset, etc.* In Regula excusa paulo aliter: *Quia nisi praecesserit in eo luxus animi turpia cogitantis,* non sequerentur sordidae atque immundae [Col. 0847D] pollutiones. quia nisi praecessisset in eo fluxus animi turpia cogitantis, non sequeretur in eo fluxus sordidae et immundae pollutionis. Quem enim praevenerit cogitatio illicita, tentatio illum cito foedat immunda.
@ [Col. 0847D] *Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, etc.* Haec sunt duriuscula, etsi olim a quibusdam sanctis usitata. Cum B. Herluca per somnum hujusmodi infirmitatem, etsi leviter, passa fuisset, nec propterea ab ingressu templi abstinuisset, apparens S. Wicpertus Augustanus quondam antistes, ei injunxit tres Dominicae orationis recitationes pro foribus templi, totidemque genuflexiones. S. Alto cuidam sanctimoniali nocturna pollutione contaminatae per visionem apparens prohibuit, ne eadem die in templum ingrederetur: quod cum contempsisset, post mortem ignis purgatorii cruciatu culpam expiavit, ut refert Paulus Bernriedensis in Vita B. Herlucae. Sed haec minime in exemplum trahenda. Nam olim sancti Patres nec ecclesiae introitu, nec sacrae eucharistiae perceptione prohibuerunt eos qui citra culpam ejusmodi illusiones patiuntur, ut constat ex epist. Dionysii Alexandrini, can. 5, qui ait unumquemque in his debere suam consulere conscientiam: «Οἱ δὲ ἐν ἀπροαιρέτῳ νυκτερίνῃ ῥύσει γενόμενοι, καὶ οὗτοι τῷ ἰδίῳ συνειδότι κατακολουθείτωσαν, id est, qui autem in non voluntario nocturno fluxu fuerint, ii quoque propriam conscientiam sequantur, et seipsos, an de eo discernant, an non, considerent quemadmodum in cibis, qui discernit, inquit, si comederit, condemnatus est. In his quoque bonae sit conscientiae, et libere loquatur secundum propriam cogitationem, qui ad Deum accedit.» Idem docet Theodorus Balsamo hunc canonem exponens. Id etiam patet ex Collatione 22 Cassiani, cap. 5; et ex epist. S. Gregorii papae [Col. 0848D] apud Bedam lib. I Hist. Angl., cap. 27. Vide D. Thomam par. III, qu. 18, art. 7; et alios. Ejusmodi illusionibus medentur oratio, jejunia et similia spiritualia remedia: quibus etiam accedant medica. Nam semen

lactucae sativae epotum, «assiduas libidinum imaginationes in somno compescit, et Veneri refragatur,» inquit Dioscorides, lib. II, cap. 129. Idem praestat semen lactucae silvestris. Succus etiam lactucae silvestris ad eadem valet, sed viribus infirmior, ait idem auctor cap. sequenti. Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit, nec audebit eadem die ad ecclesiam introire,
@ [Col. 0848D] *Antequam lotus aquis et lacrymis.* Hunc morem tangit S. Gregorius papa epist. citata: «Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat.» Idque juxta ritum Hebraeorum. antequam sit lotus aquis et lacrymis. In lege quippe qui somnio nocturno polluebatur egredi jubebatur a castris, nec regredi priusquam ad vesperam lavaretur **(Deut. XXIII)**. Et si illi in carnali populo ita, quid spiritualis Christi [Col. 0848B] servus facere debet? qui magis contaminationem suam debet respicere, et longe ab altari positus mente et corpore pertremiscere, atque in figura aquae poenitentiae lacrymas adhibere: ut non solis aquis, sed etiam fletibus studeat ablui quidquid forte per occultam culpam immunda contaminatio polluit. Qui fornicationis tentamentis aestuat, oret indesinenter, atque abstineat: nec erubescat confiteri libidinis aestum, quo uritur; quia vitium detectum cito curatur; latens vero quanto amplius occultatum fuerit, tanto magis profundius serpit: quod re vera qui publicare negligit, curare minime cupit.

§ VI.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 13).[Col. 0848C]
@ [Col. 0848D] *Omnes actus.* Haec reperire est in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. ms. Crass., cap. 13. Omnes actus sive occasionum necessitudines semper necesse est ut monachus Patri
@ [Col. 0848D] *Reserat.* Hoc vocabulum addidi ex cod. ms. Vind. quod etiam in cod. Crass. ms. deerat. *reserat, et ex illius cognoscat discretione vel judicio quid attendat.* Cogitationes, revelationes, illusiones et negligentias proprias seniori nullus obcelet, verecundia vel injuria [Col. 0849A] faciente, vel contumacia perurgente. Sed semper hujuscemodi vitia cum lacrymis atque compunctione cordis atque humilitate verissime abbati, praeposito sive praelatis senioribus revelanda sunt: et consolatione, oratione, castigatione, sive etiam
@ [Col. 0849C] *Exercitatione idonei operis.* Opus manuale non parum confert ad tentationes abigendas. Unde Regula Macarii et aliorum abbatum ait: «Quod si infirmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari.» exercitatione idonei operis castiganda.

§ VII.---EX REGULA CASSIANI (cap. 29).
@ [Col. 0849C] *Illud ante omnia.* Haec sumpta sunt ex Cassiano lib. IV de Institutis, cap. 9. Idem docet Cassianus ejusdem libri cap. 37, et Coll. 2, cap. 10. Illud ante omnia a seniore suo debet junior doceri, ut nullam jam penitus cogitationem, quamvis turpiter nascentem, celet seniori suo verecundia faciente quae confusio periculosa est animae. Sed mox, ut
@ [Col. 0849C] *Exortae.* Hoc vocabulum adjeci ex libro Cassiani edito. *exortae fuerint cogitationes, suo eas publicet seniori, ne suo aliquid judicio, vel discretione committat:* sed illud credat malum esse vel bonum, quod senioris judicio fuerit definitum. Non enim poterit [Col. 0849B] diabolus circumvenire vel dejicere juvenem monachum, nisi eum quem viderit aut per superbiam, aut per verecundiam suas

cogitationes seniori celare. Nam evidenter diabolicam cogitationem Patres esse dixerunt; quam junior seniori
@ [Col. 0849C] *Confunditur.* Id est, erubescit, saepe in sacra Scriptura. confunditur aperire.

§ VIII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 15).
@ [Col. 0849C] *Fratres.* Reperire est in Regula ms. Magistri [Col. 0849D] cod. Corb., eodem capite. Fratres, tunc rami arboris mundi sunt, si lignum ejus a radice purgetur. Nec enim dignum est mundatis foris
@ [Col. 0849D] *Regiis.* Regiae sunt fores, januae, portae. De quo vocabulo infra. regiis, intus inquinari de sordibus. Sed decenter efficitur, si de intus foras ejecta sorde jam tum demum et fores juste mundentur. Non enim secura possunt esse
@ [Col. 0849D] *Fossatum.* Fossatum est fossa ambiens muros urbis, aut agri aut domus, aut arcis propugnacula; Gallice, *fossé.* Glossae Cyrilli: Τάφρος, *fossa, sepes, fossatum.* Vegetius lib. IV de Re Militari, cap. 16: «Civitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis aut terra, non solum complent.» Significat etiam exercitum. Moschopulus, Περὶ Σχεδῶν, φωσσάτον, στρατὸς, id est, fossatum, exercitus, et Suidas mox citandus. Sumitur etiam pro castris. Suidas: φοσσάτον, ὁ στρατός, τὸ στρατὸπεδον, id est, fossatum, exercitus, castra. Rufus in legibus militaribus: «Si fossato adhuc integro fuga partis vel aciei totius acciderit, et milites in fugam acti, nec ad defensores cucurrerint, nec ad ipsum fossatum se receperint, etc.» fossata, ubi intus est hostis. Simul et porta clausura sua captiva est, ubi muri non repellunt, sed inclusum retinent inimicum. [Col. 0849C] Nam et vulnus ebullire novit repletum putredine, nisi exprimatur et de eo fuerit sanies ejecta extrinsecus, et
@ [Col. 0849D] *De ipsas operatione.* In cod. Vind. legitur: *de ipsa operatione;* male. Lege, ut in Regula ms. Magistri: *De ipsa suppuratione.* Suppuratio est puris seu saniei expressio. Suppurare est pus seu saniem exprimere. de ipsas operatione purgetur, altius potest suam cavare malitiam. Hoc ergo et nos de nostra [Col. 0850B] anima sentiamus. Hoc est, prius debemus de corde projicere quod in corpore nolumus bajulare, dicentes nobismetipsis: Quid taces anima, et non erumpis in voce, et mentis tuae exponis ardorem, et ejecto de intus ipso fervore malitiae, praestes fatigatae refrigerium passioni? Ergo cum alicui fratri cogitatum malum in corde advenerit,
@ [Col. 0850C] *Et se senserit exinde fluctuari.* Nota eas solas cogitationes malas, quae nos premunt ac urgent ad consensum peccati esse abbati retegendas; non vero eas quae simul ac natae sunt, abeunt. et senserit se exinde fluctuari, statim suis hoc praepositis fateatur, et mox oratione facta nuntient hoc ipsum abbati. Nam ipsi praepositi hoc ipsum ultro semper debent
@ [Col. 0850C] *A susceptis suis.* Suscepti sunt monachi apud Cassianum passim. a susceptis suis exquirere: ne forte aut simplicitate quorumdam, aut certe ipsa verecundia malorum faciente, res pravas ac turpes fratrem pudeat confiteri. Sed cum ultro
@ [Col. 0850C] *Ausus magis.* Id est, majorem audaciam. ausus magis a magistro acceperint, jam fiducialiter sine verecundia indicent cogitata [Col. 0850B] peccati. Quod et ipsi praepositi, et si ipsi hoc senserint, referant et de se abbati. Nam et ipse Major, cum de se hoc senserit, petat in oratorio a congregatione universa pro se debere orari. Ergo cum de aliquo fratre nuntiatum fuerit a praepositis abbati, convocet mox universam congregationem, et dicat omnibus abbas: Venite, fratres, subveniamus per dilectionem

invicem nobis apud Dominum, dicente Apostolo: *Fratres,* et si praeoccupatus fuerit

@ [Col. 0850C] *Quis.* In textu Graeco, ἄνθρωπος, id est, homo, ut in versione communi. *quis in aliquo delicto, vos qui spiritales estis,*

@ [Col. 0850D] *Corripite.* In versione communi, *instruite. corripite ejusmodi in spiritu*

@ [Col. 0850D] *Mansuetudinis.* In versione communi, *lenitatis. mansuetudinis,*

@ [Col. 0850D] *Consolamini pusillanimes.* Haec verba addita sunt a Magistro. *consolamini pusillanimes, considerans teipsum, ne et tu tenteris* **(Gal. VI)**. Et:

@ [Col. 0850D] *Tu qui stas, etc.* I Cor. X in versione communi: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ut in textu Graeco. *Tu qui stas, vide, ne cadas* **(I Cor. X)**. Ergo unanimes pro hoc fratre nostro oremus ad Dominum, ut dignetur in eo cum signaculo crucis [Col. 0850C] suae vel jussione

@ [Col. 0850D] *Poenitentiae.* Leg., *potentiae, ut Regula ms.* poenitentiae suae diaboli tentationes compescere. Cum ergo pro eo ab omnibus diutissime oratum fuerit,

@ [Col. 0850D] *Surgens abbas.* Est nominativus absolutus loco ablativi satis familiaris ipsi Magistro. surgens abbas cum omnibus,

@ [Col. 0850D] *Et complens.* Id est, collectam, seu orationem dicens, ut loquimur, seu concludens. Ita habetur in epist. S. Epiphanii ad Joan. Hierosolym. «Quando autem complemus orationem secundum ritum mysteriorum.» Lib. III Dial. S. Gregorii, cap. 17: «Cumque diu orassent, complere orationem Quadragesimum subdiaconum servus Dei jubet.» Ruperti lib. I de Divinis Officiis, cap. 19: «Collectae quae dicuntur ad complendum, orationes sedentis in coelo capitis nostri Jesu Christi signant.» Abbas autem hic complet orationem: quia olim hoc erat munus ejus, qui caeteris praeeminebat. Walfridus Strabus, lib. de Rebus Ecclesiasticis, cap. 22: «Solebant enim non solum inter officia missae, verum etiam in aliis orationibus, conventibus et collocutionibus, qui caeteris aderant eminentiores, brevi oratione opus concludere, quod et in sanctorum Patrum exemplis agnoscimus, dum alii alios honorificentiae causa orationes colligere postulabant.» Quod satis patet ex citato textu S. Gregorii, ubi monachus Quadragesimum subdiaconum jubet concludere [Col. 0851D] orationem. Formulae collectarum diversae erant. Quaedam nostris utcunque similes, ut videre est in loco citato S. Epiphanii: «Quando autem complemus orationem secundum ritum mysteriorum, et pro omnibus, et pro te quoque dicimus: *Custodi illum qui praedicat veritatem.* Vel certe ita: *Tu praesta, Domine, et custodi, ut ille praedicet verbum veritatis.*» Aliae minime, sed erant quaedam Dei glorificatio in fine officii, ut constat ex Dynamio Patricio in Vita S. Maximi Reiensis episcopi: «Cum igitur ad ipsius arcis vestibulum suspenso me gradu contuli, atque illic beatissimos apostolos Petrum et Andream, ad complendam cum Maximo orationem alternis honoribus se praevenientes ego peccator audivi. Cumque tandem jugi oblatione compulsus beatus Maximus eos diutius differre non posset, his verbis complevit officium: *Sit gloria Dei benedicta in aeternum et in saecula saeculorum.* Reliquis respondentibus: *Amen.*» et complens, mox exientes singuli opus quod faciebant, [Col. 0851A]

@ [Col. 0852C] *Reprehendant.* Id est, rursus capiant. reprehendant; et retento apud se illo solo fratre qui malo cogitationis laborat, proferat codices et adversus necessitatem vulneris ejus similis divina medicina legatur. Nam et per dies quibus ipse frater interrogatus ab abbate, si forte responderit non transisse, illis horis, quibus continget legi sive per hiemem sive per aestatem,

@ [Col. 0852C] *Poenitenita codicum.* Lege: *Pertinentia codicum.* Ita in Regula ms. Mag. et in conc. ms. Vind. id est, pertinentes codices. poenitentia codicum ad ipsam cogitationis necessitatem legantur

@ [Col. 0852C] *In ipsa decada.* Decada, seu decas, aut Graece δεκὰς est decania, decuria. Glossae Cyrilli: Δεκὰς ἡ δεκανία, decuria. in ipsa decada, de qua est frater: verbi gratia, si suaserit fornicationem, legatur illi ex diversis codicibus, ubi castitatem diligit Deus. Si

@ [Col. 0852C] *Mentionem.* Id est, Mendacium. Glossae Philoxeni: *Mentio,* ἀνάμνησις καὶ ψεῦσμα, id est, recordatio et mendacium. Hinc mentiosus, id est, mendax. Lex Alaman. tit. 41, l. 1: «Qui nec mentiosus, nec praevaricator, nec munerum acceptor sit.» Apud [Col. 0852D] Papiam: *Mentiriosus, fallax, aut mendax;* lege: *mentiosus.* mentionem suadet frequenter, legatur ex diversis, ubi praecipit veritatem. Si desiderium aliquod, legatur illi, ubi hoc temporale praecipit Deus contemni, et aeterna quaeri et regnum coelorum. Unde oportet abbatem multum esse de [Col. 0851B] lege

@ [Col. 0852D] *Structum.* Ita in Regula ms. Magistri, id est, instructum, ut strumentum pro instrumentum, de quo supra. structum, ut aut testimoniis omnia doceat, aut pertinentia ad locum legenda consignet. Nonne ergo cum tali fuerit aegrotus refertus succo discipulus, non solum pristinas recipit vires, sed et novas adversus inimicum acquirit; et adversarius perdet, quod ipse putaverat possidere? Unde alio die mane interrogetur ab abbate ipse discipulus, si cogitatio inimica cessavit, aut non. Quod si respondeat non cessasse, superponatur jejunium ab omnibus. Quod iterum si alio die reinterrogatus responderit non transisse reficientibus omnibus mensis, subtrahatur vinum.

@ [Col. 0852D] *Nam si tertia, quod absit jam dictione.* In Regula ms. Magistri: *Nam si tertio, quod absit, jam dici ne, recte;* et subaudi, *interrogatus fuerit.* Et ista, *quod absit jam dici, usque ad illa verba: Ergo quod supra diximus, sunt intercludenda parenthesi.* Nam si tertia, quod absit, jam dictione judicemur modicae fidei, ne videamur tarde credere Dei posse nobis auxilium subvenire; praeterea cum sciamus eum esse nimis misericordem, vel pium et [Col. 0851C] ad praestandum paratum, quia non obliviscitur misereri Deus, nec continebit in ira misericordias suas: ergo, quod supra diximus, si tertio die interrogatus responderit non transisse, item oleum mensis subtrahatur cum vino: ut multorum labore vel abstinentiae [Col. 0852A] cruciatione nullus pereat, sed omnes evadant; ut in afflictione omnium divinae misericordiae remedium speretur, ut apostolicum compleatur praeceptum dicens: *Invicem onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* **(Gal. VI)**. Nam et frater mittendus in via a praepositis suis debet moneri, ut omni hora in quovis loco sit sollicitus adversus diabolum, qui in via secum nos vult trahere in gehennam: cum non patitur bene agendo in coelis ascendere hominem, unde per

@ [Col. 0852D] *Per superbiam causam.* Lege: *Per superbiae causam.* Ita in Regula ms. Magistri et in cod. Vind. causa est culpa, reatus. De quo vocabulo infra. superbiam causam jactatus est. Ideoque debet servus Christi in quovis loco et etiam sine praesentia Majoris cautus consistere, et diligenter se tam a malis factis, quam a pravis cogitationibus observare. Et hoc debet frater moneri, ut, cum cogitatio aliqua ei adversa advenerit, mox fixis in [Col. 0852B] terra cum cervice genibus, vel signo crucis in fronte depicto, precibus debet ad Dominum convolare, ut dignetur suos milites a diabolo defendere. Quia vitia nisi reprimantur cum parva sunt, cum magna fiunt non

stringuntur. Et cum cogitata mala factis implentur, de perfecto peccato perfecta mors acquiritur.

§ IX.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 6).

Confessio quam crebra et sagaci cura sit danda multorum Patrum juxta scripturarum seriem traditio demonstravit. Danda ergo confessio semper est, ut veterascentem mentis statum,
@ [Col. 0852D] *Et peccatorum.* Copula *et translata ante* τὸ *quotidianis, ponatur.* et peccatorum tenebris quotidianis illecebris fuscatum, rudem custodiat, sicut Scriptura docuit dicens: *Omni custodia serva* [Col. 0852C] *tuum cor, quia ex ipso vita procedit* **(Prov. IV)**. Sic quippe beatus David orando dicebat: *Delictum meum cognitum tibi feci,* et
@ [Col. 0852D] *Injustitias meas non operui.* Ita in Psalterio Romano. *injustitias meas non operui.* Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino et tu remisisti
@ [Col. 0852D] *Impietatem cordis mei.* Juxta Psalterium Romanum et Septuaginta: Καί συ ἀφῆκας ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου, id est, et tu remisisti impietatem cordis mei. *impietatem cordis mei* (Psal. [Col. 0853A] XXXI).
@ [Col. 0853C] *Quantum valet.* Est epiphonema. Quantum valet pura et non tarda confessio, ut sic secura eam subsequatur impetratio.
@ [Col. 0853C] *Confessus se.* Lege *confessus est se.* Est autem hic homoioteleuton, id est, similiter desinens. Confessus se, ut facinorum molem pelleret de se. Qui ingemuit confitendo,
@ [Col. 0853C] *Glorificavit.* Supple *Deum.* glorificavit remissionem recipiendo; dolendo patefecit crimen, dando redintegravit spem. Non enim praecessit spei fiduciam, quia meminerat se olim per Spiritum sanctum a Domino illuminatus dixisse: *Quia apud te est propitiatio, et propter legem tuam sustinui te, Domine* **(Psal. CXXIX)**. Et iterum: *quia apud Dominum*
@ [Col. 0853C] *Misericordia est.* Ita in Psalterio Romano. *misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (Ibid.). Apud quem misericordiam perennem agnoscit, apud eum copiosam et redemptionem. Quaeramus ergo ibi misericordiam, ubi redemptionem manere jam novimus copiosam. Crescat dolor post ruinam, ut culpae [Col. 0853B] inveniatur medicina. Confiteamur invicem delicta, ut nostra nobis Omnipotens dimittat peccata. Sic nos Scriptura hortatur: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem* **(Jac. V)**. Quanta clementis Judicis pietas erga nos diffusa dignoscitur, ut quod actibus aerumnosis facinus contractum fuit, mutua prece solvatur. Detur ergo mutuae orationis solatium, ut invicem orando capiatur praesidium. Magna etenim copia fructum habet, quando ex revelatione delictorum salus acquiritur.
@ [Col. 0853C] *Revela Domino.* Locus contextus ex particulis psalmi LIV et LVI. *Revela,* inquit Psalmista, *Domino viam tuam, et ipse te enutriet* **(Psal. XXXVI)**. Si revelando peccata nutritur anima, quotidiano ergo studio per confessionem revelentur, ut quotidiana medicina vulnera sanentur. Sed quibus horis congruentibus quotidiana delicta sunt abluenda, [Col. 0853C] nobis inserendum est:
@ [Col. 0853C] *Ut quid post completorium, etc.* Hic notanda est trina quotidie monachorum confessio. Quae etiam erat in usu in monasterio S. Farae, ut notat Jonas in ejus Vita:

«Erat enim consuetudinis monasterii Regulae, ut ter in die per confessionem unaquaeque earum mentem purgaret.» ut quid post completorium per opacae noctis spatia mens vel caro per fragilitatem [Col. 0854A] deliquerit, post secundam per confessionem curandum est expiari. Quidquid vero diurno actu, vel visu, auditu, cogitatu tepescendo deliquit, nonae horae expleto cursu, ut purgetur, censendum est. Post vero quidquid ab hora nona mens maculae attraxerit;

@ [Col. 0853C] *Ante completam.* Completa est completorium. [Col. 0853D] Unde postea dicit: *Similiter et post nonam, vel ante completorium est faciendum.* ante completam confitendum est. Illud tamen abbas studere debet, ut post secundam,

@ [Col. 0853D] *Scholam ingrediens.* Schola est conclave in quo monachi aliquid agunt, legunt et dormiunt. Concilium Turonense II, can. 15: «Nec liceat monachis cellas habere communes, sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant aut abbate aut praeposito gubernante.» Regula cujusdam Patris, cap. 12: «Focos vero in schola poenitentes, si fuerint, bini per hebdomadas faciant.» S. Caesarius Arelatensis, cap. 3 Regulae: «De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo sit in potestate prioris.» Et in recapitulatione cap. 19: «et quia propter custodiam monasterii aliqua ostia sive in veteri baptisterio, sive in schola, vel textrina aut turre juxta pomarium clausi atque damnavi.» Tetradius, cap. 3 Regulae: «Cellam peculiarem aut armariolum nullus habeat; in una schola omnes maneant.» scholam ingrediens, peracta oratione, nullum foras egredi permittat, nisi prius detur confessio: similiter et post nonam et ante completorium faciendum est.

§ X.---EX REGULA DONATI (cap. 23).

Inter caeteras Regulae observantias hoc magis tam juniores quam seniores monemus fratres, ut assidue et indesinenti studio tam de cogitatu quam de verbo inutili, vel opere, vel aliqua commotione animi confessio [Col. 0854B] omnibus diebus, omnibus horis omnibusque momentis semper donetur, et Patri spiritali nihil occultetur. Quia statutum est hoc a sanctis Patribus, ut

@ [Col. 0854C] *Ut detur confessio.* Haec sumpta sunt ex Poenitentiali S. Columbani circa initium: «Ut detur confessio ante mensam, ante introitum lectus, vel quandocunque fuerit facile dare.» Ubi legendum est, *sive ante introitum, etc.,* quemadmodum legitur apud Donatum. detur confessio ante mensam, sive ante introitum lectorum, aut quandocunque fuerit facile.

@ [Col. 0854C] *Quia confessio.* Ex Poenitentiali ms. S. Columbani, ubi sic juxta cod. Flor. legitur: *confessio et poenitentia, etc.* Quia confessio poenitentiae de morte liberat.

@ [Col. 0854C] *Ergo nec ipsa parva.* Ex eodem Poenitentiali consequenter: «Ergo nec ipsa parva a confessione sunt negligenda peccata, etc.» Ergo nec ipsa parva

@ [Col. 0854C] *Confessione.* Lege, *a confessione, ut habetur in citato Poenitentiali, et in codice Vindocinensi.* confessione sunt negligenda

@ [Col. 0854C] *Cogitata.* In Poenitentiali citato habetur, *peccata.* cogitata, quia scriptum est:

@ [Col. 0854D] *Qui parva, etc.* Eccli. cap. XIX. Ita in Poenitentiali S. Columbani. In versione vulgata: *Qui spernit modica paulatim decidet, in futuro, ut in textu Graeco,* πεσεῖται, id est, *decidet.* Tamen S. Hieronymus habet, *decidit, in praesenti.* In eos qui

minima peccata negligunt sic invehitur S. Hieronymus in epist. ad Celantiam: «Neque vero eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt quae potissimum Dei mandata faciant, quaeque quasi vilia ac parva despiciant: nec metuunt, ne secundum divinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant.» Ex re etiam parva neglecta aliquando magna mala oriuntur; et quod parvum erat, magnum fit. Unde illud cujusdam sapientis apud Dionysium Alexandrinum in epist. can.: Οὐ μικρὸν ἐν βιῳ τὸ παρὰ μικρὸν, id est, *non parum* est in vita quod parum est *Qui parva negligit, paulatim defluit* **(Eccli. XIX)**.

§ XI.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 8).

Abbas vel praepositus, vel quilibet seniorum fratrum, cui ab abbate commissum fuerit, ut confessiones recipiat, crimina majora vel minora
@ [Col. 0854D] *Nullatenus manifestet.* Idem praecipit sanctus Benedictus, cap. 46 Regulae. nullatenus manifestet, nisi soli justo judici, qui omnium confitentium crimina lavat. Ille etenim qui confessus est [Col. 0854C] sua vulnera verecunde; non ad opprobrium recipiendum, sed ad salutem redintegrandam confessus est [Col. 0855A] justum habens testem Deum, a quo et mederi exspectat. Is vero senior qui recipit, cum gravitate et moderatione penes se occultando honestissime teneat, ne, dum alterius vulneri medicinam infundit, suae mentis corrumpat nitorem. Nullus tamen monachorum confessionem recipere; vel poenitentiam dare sine ordinatione abbatis praesumat.
@ [Col. 0855B] *Ne vitium commissum.* Lege: *nec vitium commissum.* Nam haec non intelliguntur de peccato confesso, sed de peccato manifeste coram fratribus perpetrato, [Col. 0855C] qui hac constitutione tenentur illud abbati denuntiare. Et hoc membrum est ab antecedente distinguendum. Ne vitium commissum abbatem celetur,
@ [Col. 0855C] *Sed ei omnia per notitiam agantur.* In Cod. Vind.: *Sed ejus omnia per notitiam agantur.* Sed τὸ *ejus transpositum est, itaque lege: Sed omnia per ejus notitiam agantur.* sed ei omnia per notitiam agantur. Qui vero inventus fuerit, qui hoc propositum regulae violare conetur, gravi poenitentiae sententia corripiatur. Quia delicti fomitem abbati voluit occultare.

§ XII.---
@ [Col. 0855C] *Quid factum sit in monasterio Evoriacas.* Haec historia habetur apud Jonam, in libro qui inscribitur Vita S. Burgundoforae. Evoriacas monasterium est in saltu Brigensi dioecesis Meldensis; in Vita ms. S. Foronis dicitur *Eboriacus, vulgo Farae monasterium, a S.* Fara prima abbatissa, Gallice *Fairmoustier.* QUID FACTUM SIT IN MONASTERIO EVORIACAS.

Denique duas quasdam sorores ejusdem monasterii [Col. 0855B] antiquus hostis aggressus [est] quas noviores et imbecilliores conversatio reddebat, tentare compulit. Primum ut confessionem veram nequaquam ab ore promerent. Erat enim consuetudinis monasterii Regulae ut
@ [Col. 0855C] *Ter in die.* Ex peculiari constitutione hujus monasterii. Nam in Regula S. Columbani, cui hoc monasterium erat obnoxium, non toties in die confessio danda praecipitur, ut ex supra dictis liquet. ter in die per confessionem unaquaeque earum mentem purgaret. Quae diu cum ab omni congregatione objurgarentur, et nequaquam

eis correptio earum proficeret, ultione divina ambae percussae meritas luere didicere poenas. Cumque

@ [Col. 0855C] *Mater monasterii.* Quae a Jona vocatur Burgundofora, sed legendum *Burgundiofara,* ut in citata [Col. 0855D] Vita ms. S. Faronis vetustissima, quae asservatur in monasterio S. Faronis: quia eadem est cum S. Fara, cujus meminit Beda lib. III Hist. Angl., c. 8. Dicitur autem Burgundiofara, quia ex Burgundia originem duxit, ut testatur Fulcoius Belvacensis, Meldensis subdiaconus, in altera Vita S. Faronis ms. ex bibliotheca ejusdem monasterii.

Binis sideribus fulsit Burgundia tellus Agnerico, propria cum conjuge Leodegunda. Fructum condignum duo sidera quattuor edunt Faram, te, Faro, Walbertum cum Chanoaldo. Imo et S. Faro ejus frater in priore Vita citata ms. dicitur Burgundofaro, et in privilegio monasterii S. Dionysii Burgundofar: *Burgundofar episcopus consensi.* mater monasterii saepe anxia quaereret quae poenae foret occasio, et nullatenus veritatem valerent exprimere, hortatur iterato ut inter supremas horas per confessionem [Col. 0856A] facinus pandant. Cumque obdurata corda nihil remedii capere vellent, inter flagella clamare coeperunt: Sustinete paululum, sustinete, nec prorsus exspectantes urgete. Cumque aliae inquirerent a quibus exspectare rogarent: Non aspicitis, inquiunt, turmas Aethiopum adventantium, quae nos rapere, et abducere festinant? Cumque, terribile dictum! quae aderant, mirarentur, audiunt fragorem supra cellae tegumenta personantem, ostiumque cellulae vi

@ [Col. 0855D] *Patefactum.* Lege, *patefactum est, ut in Jona edito.* patefactum; ita ut nigrescentes umbras cernerent, et voces crebro clamantes eas per omnia audirent, ita ut vix quae aderant signo crucis armatae ad psallendi officium valerent assistere. Tanti doloris atque moeroris eventu Mater urget ut per confessionem sua patefaciant vitia, et sic sacri corporis participatione [Col. 0856B] roborentur. At illae audita sacri corporis mentione garrire et fremere coeperunt dentibus et frendentes dicere: Cras, cras, sustinete; inter quas voces extremum halitum dimiserunt. Quas cum

@ [Col. 0855D] *In collegio sororum nequaquam sepeliri.* Mos fuit olim in monasteriis ut monachi, sive sanctimoniales, in eodem coemeterio sepelirentur: ut quos vita conjunxerat, mors ipsa non separaret: S. Antiochus monachus in epist. ad Eustachium, ubi agit de monachis [Col. 0856C] laurae S. Sabae, qui ab Ismaelitis fuerant trucidati: Περιπτύξας (Μόδεστος) τὰ ἅγια, καὶ καρτερικὰ αὐτῶν λείψανα κατεθέτο ἐν ταῖσ θήκαις τῶν πατέρων, id est, Et complexus (Modestus) sanctas et fortes reliquias in Patrum monumentis deposuit. Palladius in Lausiaca, cap. *de Tabennesiotis, ubi agitur de sanctimonialibus quae sub eorum cura erant:* Διαφέρουσι ταύτην εἰς τὸ πέραν, καὶ θάπτουσιν εἰς τὰ μνηματα ἑαυτῶν, id est, Trajiciunt eam in alteram ripam, et sepeliunt in suis sepulcris. S. Isidorus, cap. 24 Regulae: «Corpora fratrum uno sepelienda sunt loco, ut quos viventes charitatis tenuit unitas, morientes unus locus amplectatur.» Joan. diaconus, lib. I Vitae S. Gregorii, cap. 15, de monacho proprietario: «Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur.» Idem videre est in Vita S. Eugendi abbatis, et in Vita S. Leutfredi cap. 23; apud S. Gregorium, lib. III Dialog., cap. 47; Bedam, lib. IV Hist. Angl., cap. 7, et apud Petrum Venerabilem [Col. 0856D] lib. II de Miraculis, cap 27. in collegio sororum nequaquam sepeliri Mater monasterii ratum duxisset, segregatim humandas ac in extremo sepeliendas esse praecepit. Supra quarum tumulos

@ [Col. 0856D] *Globus igneus.* Non absimilis historia narratur a Baldrico lib. I Chron. Cameracensis, cap. 46, de quodam viro excommunicato a S. Theodorico episcopo Cameracensi, quod possessiones et praedia ecclesiae depopulatus esset, nec saepe monitus ab incursionibus cessaret; qui ipsam excommunicationem minimi ducens blasphemando teterrimam mortem obierat fusis per secretam naturam visceribus: «Porro manifesto divinae animadversionis judicio, terra, quo sepulturae locus ambiebatur, tribus per circuitum cubitis ab imo ita exarsit, ut ab occultis meatibus incendio emisso fatisceret: et cum id cernentibus mirum et formidandum esset, illud magis stupebant, quod per triennium in agro illo ros aut pluvia non cecidit, nec gramen apparuit. Expleto vero triennio, cum vir Dei nocte quadam per exstasim in sublime raperetur, vidit miserum miro et formidando supplicio cruciari.» globus igneus in modum clypei intra triennium crebro apparuit, praesertim Quadragesimae diebus usque in adventum sancti Paschae, vel etiam in vigilia Natalis Domini ferventior apparebat. Simulque voces tumultuantis turbae personabant, inter quas duae ululantes [Col. 0857A] erumpebant, prout in tormentis resonare solent: Vae mihi, vae mihi, vae mihi. Cernens itaque Mater monasterii justam sententiam a judice super injustas animas esse illatam, manifestius damnatarum est aggressa comperire sententiam, accedensque ad tumulum experimento quaerit si cadavera, quamvis putredine corrupta, in sepulcro manerent. Itaque [Col. 0858A] menses sex, ex quo functa corpora condita fuerant, transierant. Reperit interius sepulcrum igne exustum, nec quidquam terrae residuum superesse cadaveris, praeter favillam vestium. Mansitque per triennium illatae sententiae severitas, ut terror damnatarum timorem sodalium praeberet remanentium.

CAPUT XVI. DE SEXTO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Sextus humilitatis gradus est,
@ [Col. 0857B] *Si omni vilitate.* Nempe in potu, cibo, vestimento, calceario et quocunque opere injuncto. Tunc beatus vir monachus, qui nihil excellens judicat, nisi id quod cum humilitate conjunctum est ut S. Dositheus, qui viles tantum cibos expetebat, piscium capitibus et similibus aegrotorum reliquiis contentus (*S.* Doroth. in ejus Vita). Porro hujus gradus mentio fit apud Joan. monachum lib. II de Vita S. Odonis: «Videlicet cum in sexto humilitatis gradu praecipiat beatus Benedictus ut omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus.» si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus; et ad omnia quae sibi
@ [Col. 0857C] *Injunguntur.* Reg. ms. Magistri, *praebentur.* injunguntur velut operarium malum se [Col. 0857B] judicet et indignum, dicens sibi cum Propheta: *Ad nihilum reductus sum, et nescivi;* ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum **(Psal. XCII)**.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 22).

@ [Col. 0857C] *Exercitia.* Haec habentur apud sanctum Basilium, interrog. 198 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 41, non eisdem verbis: ita ut auctor noster voluerit hoc loco sensum referre, non verba, maxime cum hanc interrogationem seu caput contraxerit. Exercitia humilitatis sunt si se vilioribus officiis subdat, et ministeriis

indignioribus tradat. Ita namque arrogantiae et vanae gloriae vitium curari poterit; ut consuetudine humilis effectus ultra jam non incidat in arrogantiae et vanae gloriae delictum. [Col. 0858B] Sed in singulis hujuscemodi vitiis cura similis adhibeatur.

§ III.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 42).

@ [Col. 0858B] *Omni vilitate.* Exstat apud Cassianum, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, ubi hic gradus, seu signum, ut ille appellat, ponitur septimo loco. Hic autem particula *si desideratur, et legendum, si omni, etc.,* ut apud Cassianum, loco citato; alioqui sensus vacillaret. Omni vilitate contentus sit monachus, et ad omnia quae ei

@ [Col. 0858C] *Praedicentur.* Lege, *praecipiantur.* Ita apud Cassianum. praedicentur velut operarium malum se judicaverit et indignum.

CAPUT XVII. DE SEPTIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Septimus humilitatis gradus est,

@ [Col. 0857C] *Si se omnibus inferiorem.* Hunc locum tangit Haymo Halberstattensis, lib. I de Varietate, cap. 32: «Humilitas quidem haec est, ut omnes homines aestimemus superiores nobis, et omnibus nos inferiores et viliores non solum humili pronuntiemus sermone, sed etiam intimo credamus cordis affectu.» Non dissimilis est sancti Basilii doctrina interr. 198 Regul. brev., ubi sic humilitatem definit: Ταπεινοφροσύνη μέν ἐστι τὸ πάντας ἡγεῖσθαι ὑπερέχοντας ἑαυτοῦ, id est, humilitas est omnes seipso superiores existimare. Et in Ammonitionibus: «Humilis autem e contra omnes terrenos respuens honores ultimum se judicat omnium.» Nec sanctus Ambrosius abscedit lib. II de Offic., cap. 27: «Haec est enim humilitas, si nihil sibi quis arroget, sed inferiorem se esse existimet.» Subscribit sanctus Isidorus cap. 3 Regulae: «Nemo caeteris se judicans meliorem sed inferiorem omnibus deputans tanto humilitate clarescat, quanto plus caeteris culmine virtutum coruscat.» Et lib. V Sententiarum, cap. 20: «Tunc enim se quisque monachum judicet, quando se minimum judicaverit, etiam cum majora virtutum opera gesserit.» Eamdem humilitatem de monachis Legerensibus praedicat sanctus Eulogius martyr epistola ad Willesindum Pampilonensem episcopum: «Florebat in nonnullis perfecta charitas: plerosque alto culmine extollebat [Col. 0858D] humilitas, qua se unusquisque juniore inferiorem reputans imitator fieri praeceptorum Dei contendebat.» si se inferiorem et viliorem

@ [Col. 0858D] *Non solum sua lingua.* Nota quia nonnulli ad nauseam usque se ore tenus deprimunt, et importunius imperfectiones suas commemorant, sed nihilo humiliores sunt. Nam, ut praeclare monet sancta Theresia a Jesu, plerumque accidit ut ex consuetudine suas imperfectiones divulgandi, tantum sit in ore, non in corde humilitas quam etiam sancta illa mater apposite satis uncinam appellat: quod ejusmodi homines verbali hac sui demissione veluti unco famam et gloriam ad se pertrahant. Sed occasio, quales sint, cito manifestat, cum videlicet ab aliis spernuntur ac deprimuntur; tunc enim aliter quam si agitentur a furiis inquietantur. Adeo ejusmodi cauponatores intemperae vexant. Quidam gestu et fracta voce humilitatem simulant, quod fugiendum esse docet sanctus Hieronymus epist. ad Celantiam: «Humilitatem sequere, non quae ostenditur ac

si mulatur gestu corporis aut fracta voce verborum.» non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians [Col. 0859A] se et dicens cum Propheta: *Ego autem sum vermis et non homo:* opprobrium hominum et abjectio plebis **(Psal. XXI)**. *Exaltatus et humiliatus sum et confusus* **(Psal. LXXXVII)**. Et item: *Bonum mihi, quia humiliasti me,*

@ [Col. 0859B] *Ut discam mandata tua.* Ita in Regula ms. Magistri juxta textum Hebraicum הקים *chechem,* id est mandata tua. In Psalterio Romano et in editione vulgata habetur τὸ *justificationes tuas, secundum Septuaginta. ut discam mandata tua* **(Psal. CXVIII)**

§ II.---EX REGULA CASSIANI (cap. 42).

@ [Col. 0859B] *Semetipsum.* Exstat apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, poniturque octavo loco, atque ita incipit: *Octavo si semetipsum.* Semetipsum cunctis inferiorem non superficie labiorum pronuntiet monachus, sed intimo cordis credat affectu.

§ III.---SANCTI AUGUSTINI, DE EO QUOD SCRIPTUM EST: *Invicem onera vestra portate* **(Gal. V)**.

@ [Col. 0860A] *Illud cogitandum.* Exstat apud sanctum Augustinum, [Col. 0860B] lib. LXXXIII Quaest., quaestione 71. Illud cogitandum nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum, etiamsi lateat, in quo [Col. 0860A] sine dubio

@ [Col. 0860B] *Possit esse.* Apud sanctum Augustinum, *possit te esse.* possit esse superior. Quae cogitatio ad contundendam et edomandam superbiam valet.

@ [Col. 0860B] *Nec arbitreris, etc.* Idem sanctus Augustinus, libro de sancta Virginitate, cap. 52: «Existimate aliquos in occalto superiores, quibus estis in manifesto meliores.» Nec arbitreris quoniam bona tua eminent, et apparent, et ideo alterum nulla habere, quae lateant fortasse, majoris ponderis bona, quibus te superat nescientem. Non enim fallit nos adulatione potius quod Apostolus jubet, cum dicit: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam:* sed in humilitate mentis alter alterutrum existimantes superiorem sibi **(Phil. II)**. Non hoc itaque debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus: sed vere existimemus posse esse aliquid occultum in alio quo [unde] nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.

CAPUT XVIII. DE OCTAVO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Octavus humilitatis gradus est,

@ [Col. 0859B] *Si nihil agat monachus.* Maxima humilitas est [Col. 0859C] Regulae statutis inhaerere, et seniorum suorum vestigia premere, neque ea sincipitis sui nebulis postponere, nec Regula et majorum exemplis praetermissis altiora quaedam venari, quibus apud juniores et imperitos fama acquiritur ab immeritis, imo apud prudentes saepe, nisi forte sint limatioris et emunctioris sagacitatis. Nam communem vitam et Regulam transcendentia eo clariora, quo rariora; quae sane majorem admirationem pariunt quam ea quae trita sunt et vulgaria. Et ex hoc nimio sanctimoniae fulgore, qui

fratrum hebetat aciem eorumque perstringit oculos, quominus ejusmodi hominum maculae et naevi appareant, omnium ordinum religiosorum natus est interitus, cum in abbates et praelatos, non ii qui sapientia praeeminerent, sed qui praefulgerent, electi sunt. Testis est Pontius in ordine Cluniacensi, testis Elias in seraphica S. Francisci religione, qui quia plus fulgoris quam virtutis habebant, cum in suorum ordinum praelatos electi sunt, disciplinam regularem non mediocriter labefactarunt. Neque hic loquor de [Col. 0859D] hypocritis, quorum certa est apud Deum damnatio; sed de iis qui nescio quo sesamo et sale suas actiones aspergunt et condiunt, ut plus famae una aut altera virtutis actione sibi concilient quam alii sexcentis. Quamobrem iis quos Deus vocat ad austeriora, quam Regula praescribat, amplectenda, duo potissimum praestanda sunt, nempe ut regulam ad amussim observare studeant, et ea quae duriora et acerbiora suscipiunt, caeterorum fratrum oculis, quantum fieri potest, minime subjiciant, ne iis admirationis ansam praebeant, sibi vero interitum parent. Addit praeterea sanctus Benedictus majorum sive seniorum vestigiis insistendum, quia seniores ex longo vitae regularis usu sunt in ea magis obfirmati, et, ut ait D. Hieronymus, *Bos lassus fortius figit pedem.* Inest etiam in eis morum gravitas et maturitas, animi motus pacatiores, carnis ardor et caeterorum sensuum pene sopitus; nec praecox, ut in juvenibus, sed concocta prudentia. Sunt praeterea veteris disciplinae, regularis observantiae, et eorum quae ab antiquis [Col. 0860C] Patribus statuta sunt, tenaciores, quod summum est in vita religiosa bonum. «Neque enim milites (inquit Marcus philosophus imperator in epistola ad suum praefectum, apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio) regi possunt nisi vetere disciplina. Scis enim versum a bono poeta dictum:

«Moribus antiquis res Romana, virisque.» At contra juniores quolibet objecto bono inconsiderate trahuntur, bonum quidem amplectentes, sed an id expediat, ignari: eoque periculosius, quod illius gratia saepe a communi Regula monasterii et majorum declinent exemplis. Nec id nos movere debet, si plus fervoris saepe in junioribus lucet. Nam etsi nummus aureus recens cusus plus fulgoris habeat quam vetus, non tamen ideo majoris est pretii: vinum novum etsi vetere jucundius sit ad gustum, non tamen aeque facit ad stomachum. Verum cum sanctus Pater Benedictus proponat majores et seniores imitandos, [Col. 0860D] dent illi operam ut habeant in se quod juniores imitentur. Ad quod ut divino quodam celeumate inflammentur, huc producam quae habet Faustus Reiensis, serm. ad monachos: «Major quanto senior tanto plus debet studere aedificationi et perfectioni. Nullum sibi finem faciat proficiendi, nullumque terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat; Para in exitu opera. Et iterum: Non verearis usque ad mortem justificari. Et iterum: Sapientia in exitu canetur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto plus proficiemus. Nullus ille senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non decet obedientia, quae Deum decuit. Humilitas enim et obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus vero dignitas. Ille enim bene consummavit, qui quotidie sic egit, quasi qui semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta debent esse profectuum.» Sit ergo senior obedientiae sectator, ut junior sit ejus imitator. si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla.

[Col. 0861A]

§ II.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 42)
@ [Col. 0861A] Lib. IV de Instit., cap. 3

Si nihil agat monachus, nihil praesumat quod non [Col. 0862A] vel communis regula, vel majorum cohortantur exempla.

CAPUT XIX. DE NONO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, et taciturnitatem habens
@ [Col. 0861B] *Usque ad interrogationem.* Lex fuit antiqua monasteriorum ut monachus, nisi interrogatus et jussus, non loquatur. Fructuosus episcopus, cap. 12 Regulae: «Coram seniore suo prior nullus ambulet, neque non jussus sedeat vel loquatur.» Fructuosus abbas, cap. 5 Regulae: «Nihil loqui, nisi ad interrogata.» Magister, cap. 8 Regulae: «Tandiu in taciturnitate sileant, quandiu taciti frena oris eorum abbatis interrogatione laxentur.» S. Ferreolus, cap. 29 Regulae: «Nec hoc tantum, sed etiam taciturnitatem tibi praesentia abbatis vel etiam alterius senioris imponat: [Col. 0861C] ita ut nisi interrogatus ab eo vel jussus silentium inrumpere non praesumas.» Regula quorumdam Patrum: «Illud quoque observandum est, praesente seniore quocunque, vel praecedente in ordine psallendi non habeat facultatem loquendi.» usque ad interrogationem non loquatur, monstrante Scriptura quia *in multiloquio*
@ [Col. 0861C] *Non effugietur.* Ita legunt S. Dunstanus, Smaragdus, Turrecremata, editio Coloniensis et mss. S. Ebrul. et S. Far.; ita apud Magistrum cap. 8 suae Regulae in hoc ms. Concordiae. In Corbeiensi legitur, *effugitur.* S. Ferreolus et regulae excusae passim legunt, *effugies, quemadmodum et Regula Magistri in cod.* Corb. hoc capite de humilitate. Quae quidem lectio praevalere videtur. Nam supra capite de Taciturnitate legitur, *non effugies;* idque juxta Septuaginta: οὐκ ἐκφεύξῃ ἁμαρτίαν, id est, non effugies peccatum. *non effugietur* [Col. 0861B] *peccatum* **(Prov. X)**. Et quia, *vir linguosus non dirigetur*
@ [Col. 0862B] *Super terram.* Ita in psalterio Romano et apud S. Ferreolum. In versione communi, textu Hebraeo et Graeco, *in terra. super terram* **(Psal. CXXXIX)**.

§ II.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 29).

Ut loquendi temperantiam monachus in omni locutione teneat: propter quod dicit Scriptura: *In multiloquio non effugies peccatum* **(Prov. X)**. Et iterum in Evangelio: *Noli multum loqui, sicut ethnici* **(Matth. VI)**. Habetur etiam in Psalmo: *Vir linguosus non dirigetur super terram* **(Psal. CXXXIX)**.
@ [Col. 0862B] *Quisquis ille frater.* Supple *sis, id est, qualis sis;* perfectus, sive imperfectus; senior, sive junior. Quisquis ille frater, sint pauci sermones tui. Nec hoc tantum, sed etiam taciturnitatem tibi praesentia. abbatis, vel [Col. 0862B] etiam alterius senioris imponat: ita ut nisi interrogatus ab eo vel jussus silentium
@ [Col. 0862C] *Irrumpere.* Id est, rumpere. Eodem sensu dixit Tertullianus, *irrumpere*

legem, id est rumpere legem, lib. IV adversus Marcionem: «Et cui credibile, ut mulier nullius adhuc Dei conscia, nullius adhuc novae legis initiata, legem irrumperet eam, cui adhuc tenebatur: qua denique fide corrumpit?» irrumpere non praesumas, obediens Scripturae, quae dicit:
@ [Col. 0862C] *Priusquam audias.* Ecclesiastici cap. XI, ubi versio communis ita habet: *Priusquam audias, ne respondeas verbum;* et in medio seniorum ne adjicias loqui *Priusquam audias, ne respondeas, et in medio seniorum noli te injicere* **(Eccli. XI)**. Quod etiam in convivio apertissime pronuntiamus esse servandum.

CAPUT XX. DE DECIMO GRADU HUMILITATIS.

[Col. 0861D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Decimus humilitatis gradus est si
@ [Col. 0861D] *Non sit facilis.* Humilitatis signum est, seu gradus, non facile ridere: quia, *cor stultorum, ubi laetitia.* Superbus facile ridet quia, cum se justum credat, vix compunctioni studet. Itaque, quantum fieri potest, monacho a risu est temperandum. Christus enim nos ad fletum vocavit, non ad risum, cum dixit: *Beati qui lugent.* Quamobrem praeclare dicit S. Ephrem Paraenesi 46, ad Eugenium: «Risus instar veneni novitio abest, et monacho quoque inutilis. Nam illos qui lugent et nunc plorant beatificat Dominus.» Perniciosus sane monacho risus, virtutis et disciplinae corruptela. Salvianus lib. II de Providentia: «Fletus compunctio est animae, risus corruptio disciplinae.» S. Basilius in Ammonitionibus: «Nullum habebit accessum cor ad compunctionem, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus; ubi autem fuerint lacrymae, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat.» S. Antiochus homil. 125: Πολλὰ γάρ εἰσι ἐξ αὐτοῦ τικτομένα ἄτοπα καὶ διαβολικὰ πάθη, τῶν γὰρ ἀφρόνιόν ἐστι γέλως, id est, multae enim ex eo (risu) gignuntur insulsae et diabolicae passiones. Stultorum enim est risus. Subscribunt Paulus et Stephanus cap. 37 Regulae: «Nam risum supra modum quis nesciat indisciplinationis et levitatis esse januam, per quam perniciosos cibos miserae animae diabolus subtiliter subministrat.» Ubi nota risum esse stultitiae et levitatis signum. Ita etiam docet S. Isaias abbas oratione tertia: «Ne aperueris.» S. Basilius in Ammonitionibus: «Noli dissolutis labiis risum proferre; amentia namque est cum strepitu ridere.» Est etiam risus lasciviae et impudicitiae signum, ut recte monet S. Leander libello de Institutione Virginum, cap. 11: «Quale sit cor virginis, plerumque in risu monstratur. Neque enim impudenter virgo rideret, si cor castum haberet: speculum cordis facies est hominis. Non ridet lascive, nisi quae corde lasciva est. *Ex abundantia enim cordis,* ait Dominus, *os loquitur;* ex abundantia vanissimi pectoris ridet facies virginis.» Quare, ut concludam cum S. Hieronymo in epist. ad Demetriadem, «Ridere et rideri saecularibus linque gravitas personam tuam decet.» Quae omnia de risu multo et excusso intelliguntur. non sit facilis [Col. 0862D] ac promptus in risu: quia scriptum est: *Stultus in risu exaltat vocem suam* **(Eccli. XXI)**.

[Col. 0863A]

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 54).

Interrog.
@ [Col. 0863B] *Si ex toto ridere non licet.* Hunc locum videre est apud S. Basilium interrog. 31 Regul. brevium et apud Rufinum, c. 37. Si ex
@ [Col. 0863B] *Si ex toto.* Apud Rufinum additur, *corde.* Sed male et contra sensum; et in textu Graeco est tantum, καθόλου, id est ex toto, omnino. toto ridere non licet?---*Resp.* Cum Dominus eos qui nunc rident, condemnet, manifestum est quia nunquam tempus est risus fideli animae. Et maxime, cum tam plurimi sint qui per praevaricationem legis, Deum non honorent, et in peccatis suis moriantur, pro quibus utique contristari indesinenter convenit et lugere.

§ III.---EX REGULA SANCTI FERREOLI EPISCOPI (cap. 24).

Conveniens etiam hoc credo monachis, ut risu, etsi non assidue, frequenter tamen abstineant. Unde si exemplum legens fratrum quisque requiret, hoc solum ei sufficiet, quod Dominum nostrum Jesum Christum, Evangelio teste
@ [Col. 0863B] *Flevisse legimus, etc.* Ita S. Salvianus episcopus [Col. 0863C] lib. V de Providentia: «Scilicet Christus reliquit exemplum, quem flevisse legimus, risisse non legimus.» Humbertus discipulus S. Bernardi non ridebat, teste eodem S. Bernardo in oratione ejus funebri. Ex ethnicis Anaxagoram Clazomenium nunquam ridere visum, nec omnino subridere, atque etiam Aristomenem valde a risu abstinuisse lib. VIII de Varia Hist., cap. 13, refert Aelianus. Crassum avum illius Crassi, qui bello Parthico peremptus est, nunquam risisse narrat Plinius lib. VII, cap. 19, atque inde ἀγέλαστον, id est, risu abstinentem vocitatum fuisse. Polyzelum Cyrenaeum nunquam risisse, idemque nomen *Agelasti adeptum fuisse refert Ptolemaeus Hephestion apud Photium in Bibliotheca, n.* 190, sed in ejusmodi paganis abstinentiam a risu potius ex nimia bile, aut aliquo naturali defectu, quam ex virtute natam esse credendum est. flevisse legimus **(Joan. XI)**, [Col. 0863B] risisse nescimus, tristatum fletibus, risibus non solutum. Attamen, ne quispiam dicat nullum nos praeter hoc habere testimonium lectionis, Salomonem dicentem audiat: *Risus dolore miscebit, et extrema gaudii luctus occupat* **(Prov. XIV)**. Et iterum: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.*
@ [Col. 0863C] *Cor sapientis.* Ecclesiastici VII, ubi in communi versione est, *cor sapientium juxta textum Hebra'cum et Graecum. Cor sapientis ubi tristitia est;* cor stultorum, ubi laetitia **(Eccli. VII)**. Et iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam:* vir autem sapiens vix [Col. 0864A] tacite
@ [Col. 0863D] *Subridebit.* Juxta textum Graecum, μειδιάσει quod idem sonat. *subridebit* **(Eccli. XXI)**. Quicunque ergo ille in congregatione constitutus, ut assolet, aut mente juvenis aut aetate risibus non parcet, joca non fugerit, quid aliud nisi
@ [Col. 0863D] *Publicanum.* Ita in cod. Vind.; sed quid sibi velit haec vox hoc loco, haud satis capio; sed legendum puto, *planum.* Planus Latine, ut Graece πλάνος, est scurra, circulator, deceptor, impostor, praestigiator. Horatius lib. I epist., ad Scaevam.

Nec semel irrisus triviis attollere curat Fracto crure planum..... [Col. 0864C] Juvencus lib. IV Hist. Evang.

Nunc meminisse decet, quoniam planus ille solebat Vulgari semper jactans promittere plebi. Tertullianus lib. III contra Marcionem: «Et adeo non qua alterius Dei, Christum aversati persecutique sunt, sed qua solummodo hominem, quem planum in signis et aemulum in doctrinis existimabant:» et infra: «Sed nec effectum consilii hujus invenio; cum facilius aut suum crediderint Christum, aut planum potius aliquem quam alterius Dei Christum.» publicanum commutat ex monacho; qui in civitatibus

@ [Col. 0864C] *Amplius populosis.* Ita in cod. Vindocinensi Xenophon lib. I de Cyri institutione appellat οἰκονμένας, id est, populosas. amplius populosis hanc sibi tantum operam deputant vacare jocis, risibus et cachinnis specialiter. Tamen hoc cunctos moneo, servandum mando atque constituo, ut quotiescunque lectio animabus Deo deditis opportune in ecclesia vel in

@ [Col. 0864C] *Refectorium.* Est coenaculum, triclinium in quo edunt monachi vel canonici. Additio 1 Capitul. Lu dovici imperatoris, tit. 52: «Laicus causa manducandi aut bibendi in refectorium non ducatur.» Capitularis Caroli Regis, tit. 16: «Canonici in civitate [Col. 0864D] vel in monasteriis in dormitorio dormiant, et in refectorio comedant.» Graeci appellant ἀριστήριον. apud Joan. Moschum, cap. 166. refectorio, aut quolibet in loco publice recitatur, nullus in risu aut moveatur, aut moveat; similiter etiam eo tempore fabulas fugiendas esse cognoscant. Quod si quis non custodierit, praesenti denuntiatione commonitus triduani eum jejunii multatio castiget. Quod triduum neminem volumus sub [Col. 0864B] uno adimplere jejunio, sed terna jejunia vespertina jubemus quotidie refectione distingui. Hoc etiam de reliquis jejuniis, quibus regulae culpabiles corriguntur, statuimus observari: ita tamen si in reo quolibet abbas superbiam duritiamque non viderit.

§ IV.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 47).

@ [Col. 0864D] *Non sit facilis.* Lib. IV Instit., cap. 29. Non sit facilis et promptus in risu monachus; talibus namque indiciis et his similibus humilitas vera dignoscitur.

CAPUT XXI. DE UNDECIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Undecimus humilitatis gradus est, si, cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia loquatur;

@ [Col. 0863D] *Et non sit clamosus in voce.* Nam superbi, ut notat S. Prosper lib. III de Vita contemplativa, cap. 8, clamosi sunt in loquendo. et non sit clamosus in voce, sicut scriptum est:

@ [Col. 0863D] *Sapiens verbis, etc.* Hic locus in tota Scriptura non habetur, sed exstat in sententiis Sixti, sententia 134. Unde illud, *Scriptum est, non semper de sancta Scriptura intelligitur, ut supra notavi. Sapiens verbis innotescit paucis.*

[Col. 0865A]

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 130).

Interrog.
@ [Col. 0865A] *Si licet ei qui ministrat.* Reperitur apud sanctum Basilium, interr. 151 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 69. Si licet ei qui ministrat, majore voce, vel cum clamore eloqui?---*Resp.* Vocis mensuram definit audiendi modus.
@ [Col. 0865A] *Si ergo brevior fuerit, etc.* Idem docet epist. ad sanctum Gregorium Theologum: Τόνος δὲ φωνῆς ὁ μέσος προτιμήτέος, ὡς μήτε διαφεύγειν τὴν ἀκοὴν ὑπὸ σμικρότητος, μὴ φορτικὸν εἶναι τῷ μεγέθει τῆς διατασεως, «id est, vocis porro intentio mediocritate temperanda est, ut nec exilior fallat aures, nec contentior odiosa radat offensione.» Si ergo brevior fuerit et compressior vox quam res poscit, prope est ut murmur potius vel susurratio videatur quam sermo. Si vero major sit quam res requirit, cum possit audire ille cui loquimur, etiamsi lenius loquamur, jam non erit vox, sed clamor, quod est
@ [Col. 0866A] *Notabile.* Id est, reprehensione et censura dignum. notabile: nisi forte gravior sit auditus ejus cui loquimur, et necessitas nos cogat ad clamandum. Propterea enim de Domino [Col. 0866A] scriptum est: *Quia Jesus clamabat dicens:* Si quis credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit **(Joan. XII)**. Clamare enim dicitur pro his, quorum interior auditus surdus et obduratus erat.

§ III.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 8).
@ [Col. 0866A] *Cum loquuntur.* Habetur in Regula ms. sancti Fructuosi episcopi Bracarensis Cod. Crassensis, eodem cap. 8. Cum loquuntur monachi,
@ [Col. 0866B] *Definitum est.* Haec verba desunt in reg. ms., sed sunt ex hoc codice Concordiae supplenda. definitum est, ut lenta et silens vox esset, juramento et mendacio carens;
@ [Col. 0866B] *Nec fraudem studens.* Ita in Regula ms. recte. nec fraudem studens, neque multiloquium diligens, murmurationem omnino et contradictionem et rancorem nesciens, vituperare et
@ [Col. 0866B] *Judicare indemnem.* Id est, judicare innocentem. judicare indemnem alium pertimescens.

CAPUT XXII. DE DUODECIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Duodecimus humilitatis gradus est,
@ [Col. 0865C] *Si.* Regula ms. Magistri, *si etiam.* si non solum corde monachus,
@ [Col. 0865C] *Sed etiam ipso corpore.* Apud sanctum Dunstanum haec verba sunt post τὸ *monachus.* Pronomen, *ipso, deest in editione Coloniensi et in vulgatis:* habetur tamen in Regula ms. Magistri, in veteri editione Parisiensi, et apud Smaragdum. sed etiam ipso corpore humilitatem
@ [Col. 0865C] *Videntibus.* Quia debent lucere opera nostra bona coram hominibus, juxta Christi doctrinam. Id etiam praeclare docet sanctus Valerianus serm. de bono disciplinae circa finem: «Omnis igitur vita religionis professae integritatis debet famam sentire: ne, quem exspectat corona virtutis, pudoris damno feriat. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat, ut manente utriusque partis

beneficio immaculatum hominem faciat regnare cum Christo. Sed in hoc saeculo constat conversationis nostrae ratio, ut boni simus. Laborandum est igitur ut qui bonitatem sequitur, bonus esse judicetur. Nam, quamvis homo purum corpus immaculatumque custodiat, laceratam vitam [Col. 0865D] apud Deum portat, cujus actus vultum infamat, licet sciamus conscientiam solam bonis actibus posse sufficere: sed quanto melius est, ut semper de te sentiat bene, qui circa januam tuam vanis suspicionibus semper aegrotat. Insitum est quidem naturaliter vulgo, ut de bonis semper male judicet. Sed tu, qui curam bonae famae colis, studio tuo gratiam integrae opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit, ut sit omnibus nota: integritas religioni, pudor serviat humilitati.» Praeclara sane doctrina. Quamobrem humilitatem non solum in corde teneamus, sed etiam in corpore geramus, ut proximus aedificetur. Actus internos Deo, externos proximo debemus: luceant opera nostra, ut mens proximi illuminetur. Nec vana gloria timenda est, si, ut in corpore, sic humilitas teneatur in corde. videntibus se semper indicet;

@ [Col. 0865D] *Id est in opere Dei.* Sic in Regula ms. Mag. et [Col. 0866C] in vetusta editione Parisiensi. Vulgo tamen vocabulum *Dei desideratur;* et recte quidem: nam subjungit sanctus Benedictus, *in oratorio.* Sanctus Dunstanus haec vocabula, *in opere Dei, non agnoscit.* id est, in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans

@ [Col. 0866C] *Inclinato sit semper capite.* Idem praecipit sanctus Basilius epist. ad sanctum Gregorium: Ἕπεται δὲ τῷ ταπεινῷ καὶ καταβεβλημενῷ φρονήματι ὄμμα στυγνὸν καὶ εἰς γὴν συνεννευκὸς, id est, consentaneus humili et abjecto oculus tristis, et deorsum vergens quod observabat sanctus Odo abbas Cluniacensis: «Intantum, inquit Joannes monachus lib II Vitae illius, apud usus inoleverat regulae, ut ubicunque esset, sive stans, sive ambulans, aut sedens, curvato capite, defixisque in terram luminibus incederet.» inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus,

@ [Col. 0866C] *Reum de peccatis suis.* Qui vere humilis est, sibi semper peccata sua ob oculos ponit. B. Isaias abbas dicere solebat humilitatem nec linguam habere, qua de aliquo negligente et improbo loqueretur; neque oculos, quibus aliorum peccata perspiceret; [Col. 0866D] neque aures, quibus ea quae animae suae non prodessent, audiret; nihil denique habere negotii, nisi cum peccatis suis. reum se omni hora de peccatis aestimans jam se tremendo judicio repraesentari aestimet. Dicens sibi in corde semper illud,

@ [Col. 0866D] *Quod publicanus ille.* Proponitur exemplum publicani: quia se huic similem cognoscit humilis. Qui se fatetur peccatorem, longe a se Pharisaei fastum amolitur, cujus superba oratio ad thronum Dei non pervenit: sed publicani humilis deprecatio. Unde praeclare Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmenianum, hunc Evangelii locum enarrans: «Pharisaeus, tumidus, superbus, inflatus, talis quales et vos videmus, non humiliato corpore, non inclinata cervice, sed erecta facie et tumenti pectore: *Gratias tibi* (inquit), *Deus, quia nihil peccavi.* Hoc est dicere Deo: Non habeo, quod ignoscas. Hoc insanus furor, hoc punienda et damnanda superbia. Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Publicanus humilis hominem se esse cognoscens sic rogavit dicens: *Propitius esto peccatori;* sic justificari meruit. Sic superbia in Pharisaeo magistro vestro de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia.» Cui quadrat illud Prosperi in Sententiis, c. 118: «Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba

gloriatio.» quod publicanus [Col. 0867A] ille evangelicus fixis in terram oculis

@ [Col. 0867B] *Dixit:* Domine, non sum dignus, etc. Miror sane: quia in toto Evangelio nunquam repereris haec verba dicta a publicano, sed tantum ista Luc. XVIII: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Verum non ea [Col. 0867C] quae in Evangelio dicta sunt a publicano protulit S. P. Benedictus, sed ea quae ille, vel quispiam ei similis dixisse praesumi potest: praesertim cum hoc de illo dicat sanctus Lucas: *Et publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad coelum levare.* Ad quae verba respexisse videtur sanctus Benedictus. Aut certe dicendum est citasse ex memoria, non ex codice. dixit: *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad coelos* **(Luc. XVIII)**. Et item cum Propheta:

@ [Col. 0867C] *Incurvatus sum, etc.* Ita in psalterio Romano, psal. CXVIII. *Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque* **(Psal. CXVIII)**. Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quae perfecta foris mittit timorem. Per quam universa, quae prius non sine formidine observabat absque ullo labore et

@ [Col. 0867C] *Velut naturaliter et consuetudine.* Ita loquitur, quia ipsa consuetudo veluti in naturam transit, monet sanctus Isidorus Pelusiota epist. 136: «Consuetudo quid magnum et in naturam abit paulatim: Alteram esse naturam quidam affirmant: alii etiam consuetudine superari naturam illud veteris poetae adhibentes effatum:

Πέτραν κοίλανει ῥανίς ὕδατος ἐνδέλεχουσα. Id est,

[Col. 0867D] Gutta cavum reddit saxum, dum decidit usque. Et vere quid saxo durius? Quid aqua mollius? Attamen ictu assiduo naturae vincitur durities?» Difficilis quidem res humilitas, sed quotidiano et assiduo humiliationis usu tandem acquiritur. velut naturaliter, et consuetudine incipiet custodire: non jam timore gehennae,

@ [Col. 0867D] *Sed amore Christi et consuetudine.* Regula ms. Magistri: *Sed amore ipsius consuetudinis bonae.* sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et delectatione virtutum, quae Dominus jam

@ [Col. 0867D] *In operarium suum.* In Regula ms. Magistri: *per operarium suum.* in operarium suum mundum a vitiis et peccatis

@ [Col. 0867D] *Spiritu sancto.* In Regula ms. Magistri: *ab Spiritu sancto.* Quod mihi arridet. Et ita conjunge: *Mundum a vitiis et peccatis ab Spiritu sancto.* Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

§ II.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 8).

@ [Col. 0867D] *In gressu monachi.* Hic textus mutilus est, sed ita restituendus ex cod. ms. Crassensi: *In habitu quoque et gressu monachi ita definitum est, ut nulla diversitas esset:* sed omnes cultu vestimentorum non vario, sed uno et sincero manerent. In gressu nullos, etc. In cod. Vindocin. legitur: *in ingressu.* Nam ingressus est incessus, ingredi incedere saepe apud Tullium et etiam apud sanctam Scripturam. In gressu monachi ita definitum est, ut

@ [Col. 0868B] *Nullos strepitus atque saltus amplos, etc.* Incessus indecens et gestus incompositus haud decent monachum. S. Isidorus cap. 3 regulae suae: «Indecenter quoque vel notabiliter non incedat.» Ista enim sunt superbi, arrogantis ac audaciae perditae hominis, ut videre est apud S. Joan. Chrysostomum, serm. 20, in Epist. ad

Romanos, qui ejusmodi hominem sic interpellat: Τί γὰρ, εἰπέ μοι, τὸν αὐχένα ἀνατείνεις_ τί δὲ βαδίζεις ἐπ᾽ ἄκρων ὀνύχων_ τί τὰς ὀφρῦς ἀνασπᾶς_ τί τὸ στῆθος φυσᾶς_ Id est, Dic mihi, [Col. 0868C] cur enim collum sursum attollis? cur summis unguibus ambulas? cur supercilia contrahis? cur pectus distendis? Quomodo ergo incedendum sit monacho, ita docet S. Basilius, in epist. ad S. Gregorium Theologum: Καὶ τὸ βάδισμα μήτε νωθρὸν, ὡς ἔκλυσιν τῆς ψυχῆς κατηγορεῖν, μηδ᾽ αὖ σφοδρὸν καὶ σεσοβημένον, ὡς ἐμπλήκτους αὐτῆς τὰς ὁρμὰς ὑποφαίνειν, id est, Incessus esto nec segnis, qui animum dissolutum declaret; nec rursus vehemens insolenterque incitatus, ne consternatos impetus animi significet. nullos [Col. 0867B] strepitus, neque saltus amplos tensis passibus facerent, nec alibi, dum pergunt, aspicerent, nisi ante vestigia sua.

§ III.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 42).

@ [Col. 0868C] *Haec cum fuerint, etc.* Habentur apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, citanturque ab auctore nostro, saltem quoad mediam hujus capituli partem ob haec S. Benedicti verba: *Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, etc.* Haec

@ [Col. 0868C] *Cum fuerint.* Lege, *cum fuerit.* Nempe humilitas. Nam immediate antea dixit: *Talibus namque indiciis et his similibus humilitas vera dignoscitur.* cum fuerint in veritate possessa, confestim [Col. 0868A] te ad charitatem, quae timorem non habet, gradu excellentiore

@ [Col. 0868C] *Perducit.* Lege *perducet, ut apud Cassianum.* perducit: pro qua universa quae prius non sine poena formidinis observabas, absque ullo labore velut naturaliter incipies possidere: non jam contemplatione judicii, vel timoris illius, sed amore ipsius boni et delectatione virtutum.

@ [Col. 0868D] *Ad quod ut valeas facilius pervenire.* Cap. seq. ejusdem libri. Haec doctrina Cassiani intelligitur tantum de coenobitis, de quibus hoc loco agit, non de anachoretis seu eremitis, qui ex palaestra coenobitica in solitudines venientes possunt alios imitari solitarios, cum in eis eminentior quaedam eluceat perfectio, justa doctrinam magni illius Antonii de qua Cassianus lib. V de Spiritu gastrimargiae, cap. 4. «Vetus namque est beati Antonii admirabilisque sententia monachum, qui post coenobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere et apprehenso discretionis examine, proprio jam potest stare judicio, atque ad arcem anachoreseos pervenire, minime debere ab uno, quamvis summo, uni versa virtutum genera expetere, etc.» Quidam alii Patres, ut infra ostenditur, hanc singulorum imitationem etiam coenobitis consulunt. Ad quod ut valeas facilius pervenire, exempla tibi sunt institutionis ac vitae perfectae in congregatione commoranti paucissima ab uno vel duobus, non a pluribus expetenda. Nam praeter id quod examinata et ad purum excocta reperitur in paucis, etiam istud ex hoc utilitatis accidit, quod ad perfectionem propositi hujus, id est, coenobialis vitae diligentius quis unius imbuitur ac formatur exemplo.

§ IV.---*Ejusdem* (cap. 43).[Col. 0868B]

@ [Col. 0868D] *Quae omnia.* Haec reperire est apud Cassianum cap. 41 ejusdem libri. Quae omnia ut possis consequi, et sub hac regula spiritali perpetuo perdurare, tria haec in congregatione necessaria custodienda sunt tibi, ut scilicet secundum psalmi sententiam: *Ego autem sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum;* factus sum sicut homo non audiens, et non habens [Col. 0869A] in ore suo redargutiones **(Psal.**

XXXVII). Tu quoque velut surdus, et mutus, et caecus incedas, ut

@ [Col. 0869C] *Absque illius contemplatione.* Id est, praeter contemplationem. Contemplatio hoc loco est consideratio, ut supra: *non jam contemplatione judicii.* absque illius contemplatione, qui tibi fuerit ad imitandum merito perfectionis electus, universa quaecunque videris minus aedificationis habentia velut caecus non videas; ne animatus eorum, qui haec agunt, auctoritate vel forma ad id quod deterius est et quod ante damnaveras, traducaris. Si inobedientem, si contumacem, si detrahentem audieris, vel secus quam traditum est, aliquid admittentem, non offendaris, nec ad imitandum eum tali subvertaris exemplo: sed ut surdus, qui haec penitus nec audieris, universa transmittas. Si tibi vel cuiquam convicia irrogantur injuriae, esto immobilis ad responsionem talionis, ut mutus ausculta semper hunc Psalmistae [Col. 0869B] versiculum in tuo corde decantans: *Dixi:* Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me: obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis **(Psal. XXXVIII)**. Verum et quartum hoc prae omnibus excole

@ [Col. 0869C] *Quod haec quae supra diximus tria ornent te atque commendent.* Lege, *quod haec, quae supra diximus,* [Col. 0869D] tria ornet atque commendet., quod haec, quae supra diximus, tria ornent te atque commendent. Id est, ut stultum te secundum Apostoli [

@ [Col. 0869D] *Praeceptum.* Redundat. praeceptum] sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens **(I Cor. III)**, nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his quae tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate et fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel [

@ [Col. 0869D] *Senioris lex.* τὸ *lex, redundat.* lex] senioris examen indixerit. Tali etenim institutione fundatus sub disciplina [Col. 0869C] hac durare poteris perpetuo: et de coenobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus devolveris.

@ [Col. 0869D] *Ergo patientiam.* Cap. 42 ejusdem libri. Ergo patientiam tuam non debes de aliorum sperare virtute, id est, ut tunc eam tantummodo possideas, cum a nemine fueris irritatus: quod ut possit non evenire, tuae non subjacet potestati, sed potius de humilitate tua vel longanimitate quae in tuo pendet arbitrio.

@ [Col. 0869D] *Et ut haec omnia.* Cap. ult. ejusdem libri. Et ut haec omnia, quae latiori sermone digesta sunt, cordi tuo facilius inculcentur, et tenacissime tuis sensibus valeant inhaerere, quoddam ex iis

@ [Col. 0869D] *Breviarium.* Hoc loco est epitome. Glossae Philoxeni. *Breviarium,* ἐπιτομὴ. Glossae Cyrilli: ἐπιτομὴ. *Hoc breviarium.* breviarium colligam, per quod possis brevitate [Col. 0870A] et compendio mandatorum universa memoriter complecti. Audi ergo paucis ordinem per quem ascendere ad perfectionem summam sine ullo labore ac difficultate valeas. Principium nostrae salutis ac sapientiae secundum Scripturas timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris, de compunctione cordis procedit renuntiatio, id est, nuditas et contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate generatur mortificatio voluptatum, de mortificatione voluptatum exstirpantur atque marcescunt universa vitia, de expulsione vitiorum virtutes

@ [Col. 0869D] *Fructificant.* Lege *fruticant, Id est, pullulant, ut vocabula sequentia demonstrant.* Sidonius lib. I, epist. 2: «Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio. fructificant, atque succrescunt, de pullulatione virtutum puritas cordis

acquiritur, per puritatem cordis apostolicae charitatis perfectio possidetur.

[Col. 0870B]

§ V.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 147).

Interrog.
@ [Col. 0870C] *Anima post multa peccata.* Habetur apud S. Basilium, interr. 10 Regul. brev. Desideratur apud Rufinum. Anima post multa peccata et post multas suae vitae miserias cum quali timore et qualibus lacrymis debet recedere a peccatis, et quali spe et affectu accedere ad Dominum debet?---*Resp.* Primo quidem odisse debet illam suam priorem vitam
@ [Col. 0870C] *Notabilem.* Id est, maculosam. notabilem et ipsam memoriam ejus perhorrescere atque execrari. Scriptum est enim: *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi* **(Psal. CXVIII)**.
@ [Col. 0870D] *Deinde ut majorem.* Non redditur sensus textus Graeci, in quo ita habetur: Ἔπειτα δέ φόβου μὲν διδάσκαλον λαμβάνειν τὴν ἀπειλὴν κρίσεως αἰωνιου καὶ κολάσεως, id est, deinde accipere timoris magistram comminationem aeterni judicii et supplicii. Deinde ut majorem timorem habeat magistro, utatur ignis aeterni metu et poenae perpetuae. Sed et lacrymarum tempus agnoscat per poenitentiam, sicut David docuit in sexto psalmo purgationem peccatorum fieri posse ubertate lacrymarum in sanguine Christi per potentiam misericordiae ejus, [Col. 0870C] et per multitudinem miserationum Dei. *Quia si fuerint peccata vestra*
@ [Col. 0870D] *Sicut Phoenicium.* Sequitur Septuaginta interpretes: Ἐὰν ὦσι αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, id est, *Si fuerint peccata vestra ut Phoenicium.* Hanc versionem agnoscit S. Isidorus in Genesim cap. XXV: *Etsi fuerint sicut Phoenicium.* Phoenicium est purpura, seu puniceus color a Phoenicia regione, ubi inventus est a cane Herculis. Vide Julium Pollucem, lib. I Onomast., cap. 4. *sicut Phoenicium, ut nivem dealbabo:* si autem fuerint sicut coccinum, ut lanam candidam efficiam **(Isai. I)**. Et post haec recepta virtute et facultate placendi Deo dicit: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et praecinxisti me laetitia, ut psallat tibi gloria mea* **(Psal. XXIX)**. Et ita accedens ad Dominum psallat et dicat: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, et non delectasti inimicos meos super me* (Ibid.).

CAPUT XXIII. DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS.

[Col. 0871A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 0871A] *Hiemis tempore.* Omnibus quae ad humilitatem spectant institutis, ordo divini officii sequitur. Et recte admodum: quia non potest opus Dei pro rei dignitate, nisi ab humilibus celebrari, qui et illius fructum consequuntur. Nam, ut habetur Ecclesiastici cap. XXXV: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur:* non discedet, donec Altissimus aspiciat. Hiemis tempore, id est, a Kalendis Novembris usque ad Pascha juxta considerationem rationis [Col. 0872A]

@ [Col. 0871A] *Octava hora noctis.* Vetus ordo Romanus: *Feria quinta Majoris Hebdomadae, eadem nocte, surgant ad vigilias hora noctis octava.* Loquitur autem S. Benedictus de horis juxta antiquum morem, quo nox, sicut dies, duodecim horis constabat, longioribus in hieme, brevioribus in aestate. octava hora noctis surgendum est;

@ [Col. 0871A] *Ut modice amplius de media nocte pausetur.* [Col. 0871B] Circa tempus aequinoctii autumnalis de quo maxime hic agitur, si finita lectura collationum, cum tenebrae terram operire incipiunt, dicatur completorium juxta antiquum morem, ut infra videbitur, hoc est, circa horam septimam nostram nocturnam, et in eo celebrando semihorae spatio circiter consumpto, indultaque brevi mora ad quaedam necessaria peragenda, fiet copia monachis ad lectulos se recipiendi uno quadrante circiter ante horam secundam noctis, hoc est, ante nostram octavam nocturnam: et sic surgendo hora noctis octava, hoc est, nocturna nostra secunda, pausabunt modice amplius de media nocte, hoc est, sex horas cum quadrante circiter; quia nox olim duodecim horas complectebatur. Circa solstitium brumale, quo noctes longiores sunt maxime in regionibus borealibus omnia sic temperanda erunt, ut spatium illud monachis ad pausationem concessum respondeat, seu coaequetur sex illis horis et quadranti, quae conceduntur circa aequinoctium. De tempore aestivo infra dicetur. ut modice amplius de media nocte pausetur, et jam digesti surgant.

@ [Col. 0871C] *Quod vero restat post vigilias, etc.* Sensus est, ut interstitium istud quod intercedit a fine vigiliarum nocturnarum usque ad Matutinos, hi qui psalterii et lectionum ignari sunt, in earumdem rerum meditatione, seu lectione insumant. Cum igitur S. Benedictus dicit, *meditationi inserviatur, subauditur lectionum et psalterii, id est, lectionum et psalterii studio inserviatur.* Nempe ut discant rudiores recte legere et pronuntiare lectiones et psalterium, atque etiam interpretari: imo et ipsum psalterium memoriae mandent, si possint. Et haec fuit antiqua praxis. Quae videtur in Vita B. Gosuini abbatis Aquicinctensis in Belgio: nam hic beatus vir instituit, ut pueri post vigilias nocturnas ad lucernam ediscerent psalmos, lectiones et similia. Quae ante illius aetatem in usu fuit, ut videre est in Concordia S. Dunstani, cap. 2: «Secundum vero regulam temperius ad vigilias surgatur, ut nocturnali perfuncti officio et psalmis supradictis, et vigilia [Col. 0871D] pro defunctis cum laudibus suis et matutinis de omnibus sanctis expletis, fratribus psalmodiae deditis vel lectioni secundum praeceptum regulae; si qui indiguerint, inservientibus, intervallum usquequo lucescat, cum magna vigilantia custodiatur. A lucis crepusculo, dum aedituus signum pulsaverit, ad ecclesiam universi conveniant, factaque oratione laudes psallant matutinas.» Quae verba hunc S. Benedicti locum mirifice illustrant: qui non est intelligendus de oratione mentali, quamvis alibi nulla ei assignetur hora. Quod mirari debet nemo: quia in antiquorum Patrum regulis nullam videmus ejusmodi orationi horam praescribi, cum prisci illi monachi omni loco et tempore divina meditarentur. Quod si ita esset, debuisset S. Benedictus iis qui psalterium et lectiones discunt aliam horam ad ejusmodi orationem assignare: quod tamen minime praestitit; ut nec tempore aestatis, cum ex regulae praescripto vigiliae nocturnae et matutinae laudes difficantur parvo tantum, quod ad requisita naturae suciat, intervallo interjecto. Imo haec interpretatio adversatur menti S. Benedicti, qui vult ejusmodi orationem esse brevem (nisi forte ex affectu divinae gratiae protendatur) et in conventu omnino breviari. Quod tamen secus esset, si monachi tanto intervallo quod superest a vigiliis usque matutinos meditationi [Col. 0872B]

seu orationi mentali incumberent. Nec his obstat olim contraria praxis in monasteriis illis qui erant in loco, qui Sublacus dicitur, tempore S. Benedicti, in historia desidis illius monachi qui expleta psalmodia, hora constituta non poterat in oratione cum caeteris consistere, nam oratio illa juxta regulae praescriptum brevis erat, in qua ipse monachus prae nimia levitate et nimis urgente daemone stare non poterat (*S.* Greg. Dialog. lib. II, *cap.* 4). Nec dicendum est inde sequi absurdum quod S. P. Benedictus quid sit illo interstitio ab aliis, qui non indigent psalterii et lectionum, agendum, non praescripserit. Non enim omnes horas diei minutatim persecutus est, sed quasdam liberas reliquit. Non enim ordinavit quid a matutinis laudibus finita psalmodia agendum esset usque ad primam, saltem extra Quadragesimam; nec quid tempore jejunii agendum sit brevi illo spatio inter Vesperam et lectionem Collationum; nec quid agendum sit feria quarta et sexta [Col. 0872C] a Pentecoste usque ad Kalendas Octobris disponit. Nec sane isti dies ducendi sunt, ut alii in aestate: nam non est eadem refectionis hora; nec, ut in hieme: nam debet esse alia ratio spatii quo laborandum est in hieme, alia quo in aestate, quod sane propter longiores aestatis in die horas prolixius esset, nempe ab hora secunda usque ad nonam protrahendum, et tunc fratres ob calores nimios opprimerentur. Ista reliquit S. Benedictus abbatis arbitrio. His ita positis explodenda est lectio Guidonis Juvenalis abbatis S. Sulpitii, quae est ejusmodi: «Quod vero restat post vigilias a fratribus (nisi qui psalterii vel lectionum aliquid indigent) meditationi inserviatur.» Quia alibi hanc particulam, *nisi, neque etiam in mss.* cod. repereris. Et sane plausibilior esset parenthesis regulae a S. Dunstano correctae hoc modo: *Quod vero restat post vigilias* (a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent) meditationi inserviatur: ita ut praepositio, *a,* idem sit quod, *praeter, juxta illud Psalmistae: Quid mihi* [Col. 0872D] est in coelo, et a te quid volui super terram, nec sit necesse particulam, *nisi, addere.* Sed hanc parenthesim vix credo esse a S. Dunstano; quia sibi non constaret. Alia habetur lectio in editione Colinaei, hoc modo: *Si quid vero noctis restat post vigilias a fratribus* (qui aliis non indigent) psalmis, vel lectioni, aut meditationi inserviatur. Sed hanc lectionem, quia textum omnino pervertit, in morboniam longe amoliendam censeo. Quod vero restat post

@ [Col. 0872D] *Vigilias.* Vigiliae sunt officii nocturni synaxis. Sic veteres Romani nocturna sacra appellabant: ita Plautus Cereris Vigilias dixit (*In Aulularia, in prol.* et act. 5). Παννυχίδας Graeci vocant, quo vocabulo utuntur etiam Christiani pro synaxi nocturni officii, ut Palladius, cap. de Tabennesiotis, S. Chrysostomus et alii. vigilias a fratribus [Col. 0873A] qui psalterii, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha autem usque ad supra dictas Kal. Novembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, ut parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturae exeant, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

§ II.---EX LIBRO II INSTITUTIONUM (cap. 14). *Quare post missam nocturnam dormire non oporteat.*

@ [Col. 0873C] *Quem laborem, etc.* Haec habentur apud Cassianum lib. II de Noctur. Orat., cap. 13, quem auctor [Col. 0873D] noster appellat Institutionum librum secundum: ita ut quatuor hos Cassiani libros, qui totius vitae asceticae oeconomiam complectuntur, nomine institutionum appellet quemadmodum Cassiodorus de Divinis Lectionibus, cap. 19, quos Photius sub unico libro comprehendit. Gennadius tamen in Catalogo librum quartum Institutionum a tribus praecedentibus distinguit. Quem laborem praeter illam

rationem, qua tota industria adnitentes sacrificium Deo de fructu manuum suarum offerre se credunt, duabus ex causis cum omni observatione custodiunt. Quod nos quoque, si perfectioni studemus, eadem diligentia convenit observare. Prima, ne forte purificationem nostram nocturnis psalmis et orationibus acquisitam [Col. 0873B] invidus inimicus livens puritati nostrae, cui maxime semper insidiatur et indesinenter infestus est, quadam somnii illusione contaminet. Qui post illam satisfactionem quam pro negligentiis seu ignorationibus obtulimus, et confessionis nostrae veniam profusis gemitibus imploratam sollicitius nos, si tempus quietis invenerit, maculare festinat; tunc praecipue fiduciam nostram dejicere atque enervare contendens, cum ferventius nos ad Deum tendere orationum nostrarum puritate providerit. Ita ut nonnunquam quos per totum noctis spatium sauciare non potuit, sub illius horae brevissimo tempore dehonestare conetur. Secunda vero quod, tametsi nulla talis verenda diaboli emergat illusio, intercedens etiam purus sopor inertiam monacho

@ [Col. 0873D] *Ne vigilaturo.* Particula, *ne, a Cassiano excuso abest, quae tamen videtur hic necessaria.* ne vigilaturo [Col. 0873C] parturiat, segnemque torporem inferens menti per totum diei spatium vigorem ejus obtundat, illamque hebetet perspicaciam sensus, et pinguedinem cordis exhauriat, quae nos possit per totum diem adversus omnes insidias inimici cautiores, robustioresque servare. Quamobrem canonicis vigiliis privatae ab eis subjunguntur excubiae, ac majore illis observatione succedunt: ut et illa purificatio, quae psalmis est et orationibus acquisita non pereat, et intensior sollicitudo [Col. 0874A] nos per diem custoditura praeparetur medita tione nocturna.

§ III.---EX LIBRO III INSTITUTIONUM, *capite quo supra, quod post matutinas orationes ad somnum reverti non oporteat.*

@ [Col. 0873D] *Cujus solemnitatis, etc.* Haec videre est apud Cass., lib. III de Diurn. Orat., cap. 5. Per hanc solemnitatem intelligitur synaxis matutina, de qua agit Cass. cap. 4 ejusdem libri, ea nimirum, quam nos Primam vocamus, inventa primitus in monasterio Bethlehemitico, aetate Cassiani, ut ipse docet. Quia post matutinum illum cursum, quem nos laudes matutinas nuncupamus, quidam negligentiores monachi somno indulegbant, eo nempe usque ad Tertiam producto: quorum veterno ut occurreretur, a senioribus haec Matutina, quae alias Prima appellatur sole illucescente celebranda instituta est. Ex quo notandum est ante Cassiani aetatem nullum fuisse Primae nostrae usum in Ecclesia, ut etiam clarum est ex Patribus [Col. 0874D] infra citandis ipso Cassiano antiquioribus, qui nullam hujusmodi Primae mentionem faciunt. Nec huic sententiae adversantur haec S. Athanasii verba tractatu de Virginitate: Ἀνατέλλων ὀήλιος βλεπέτω τὸ βιβλίον ἐν ταῖς χερσί σου, id est, oriens sol videat librum in manibus tuis; post quae protinus mentionem facit Tertiae, Sextae et Nonae. Nam hic locus non intelligitur de officio divino seu horis canonicis, sed de lectione et meditatione sacrarum Scripturarum maximeque psalterii, ut illud virgo ediscat: nam antea dixerat: Ἤτω ἔργον σου διαπαντὸς μιλέτη τῶν θείων γραφῶν, ψαλτήριον ἔχε, καὶ τοὺς ψαλμοὺς μάνθανε, id est, sit hoc opus tuum semper meditatio sanctarum Scripturarum, habeto psalterium, et discito psalmos; et continuo dicit: *Oriens sol videat librum in manibus tuis, nempe, ut psalmos discas.* Cujus solemnitatis *ratio, cur statuta sit, vel inventa in hac provincia nonnulli ignorantes, expletis matutinis hymnis, rursum revertuntur ad somnum, in illam causam nihilominus incidentes, ob quam compescendam a senioribus solemnitas instituta est.* Illa namque hora eam

consummare festinant, qua negligentioribus minusque sollicitis rursum dormiendi reddatur occasio. Quod omnimodis fieri non oportet. Et sicut in superiori libello (De Noctur. Orat., c. 13) describentes Aegyptiorum synaxim plenius ex [Col. 0874B] posuimus, ne purificationem nostram confessione supplici, et antelucanis orationibus acquisitam, vel emergens quaedam redundantia humorum naturalium polluat, vel illusio corrumpat inimici, vel certe intercedens etiam puri et simplicis somni refectio interrumpat spiritus nostri fervorem, ac tepefacto somni torpore per totum diei spatium inertes deinceps ignavosque traducat. Quod Aegyptii ne incurrant, et quidem cum soleant certis temporibus, etiam ante gallorum cantum consurgere,
@ [Col. 0874D] *Missa canonica.* Missa hoc loco est synaxis horarum canonicarum, de qua infra. missa canonica celebrata, usque ad lucem posthaec vigilias extendunt; ut eos superveniens lux matutina in hoc fervore spiritus reperiat constitutos, ac per totum diei tempus ferventiores sollicitioresque custodiat, praeparatos eos suscipiens ad conflictum et diurnam colluctationem [Col. 0874C] diaboli, nocturnarum exercitatione vigiliarum ac spiritali meditatione firmatos.

§ IV.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 10).
@ [Col. 0874D] *Nec ulterius.* Lib. II de Nocturna Orat., cap. 13. Nec ulterius quisquam post purificationem nocturnarum vigiliarum in requiem somni iterum resolvatur, donec superveniente die nocturnae meditationi operatio diurna succedat; ne forte puritatem nostram psalmis et orationibus acquisitam invidus diabolus quadam somni illusione contaminet. Quia [Col. 0875A] post illam satisfactionem confessionis, quam Deo pro negligentiis, sive ignorationibus nostris obtulimus, invidus nos inimicus, si tempus quietis invenerit, maculare festinat: et tunc fiduciam nostram praecipue dejicere atque enervare contendit, cum ferventius et purius nos orare providerit. Nam multoties quos per totum noctis spatium sauciare non potuit, post completas vigilias sub unius horae brevissimo tempore quiescentes dehonestare conatur.

§ V.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 28).

Post Matutinas orationes ad somnum reverti non liceat, sed completis Matutinis statim dicatur Prima;
@ [Col. 0875C] *Deinde usque ad tertiam, etc.* Regula Tetradii a S. Caesario Arelatensi dictata: *Omni tempore usque ad Tertiam legant.* deinde usque ad Tertiam omnes lectioni vacent.

§ VI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 33).[Col. 0875B]
@ [Col. 0875C] *In officio nocturno, etc.* Habetur in Regula ms. Magistri cod. Corb. In officio nocturno uno tempore psallantur
@ [Col. 0875C] *Ante pullorum cantum.* Pullorum cantus, quod vocant veteres *gallicinium, est secunda pars diei civilis inter tertiam et quartam noctis vigilias circa horam nonam, ut constat ex Macrobio, lib.* I Saturn., cap. 3, et Censorino, libello de Natali die, qui post sextam noctis horam seu mediam noctem, a qua diem civilem Romanorum incipere scribunt, has partes constituunt, primam noctis inclinationem, [Col. 0875D] quam Macrobius primam diei civilis partem statuit, deinde gallicinium, postea canticinium, cum galli cantare cessant, quarto diluculum, tandem mane. Et hoc gallicinium est

tertius galli cantus, sub quem Petrus tertio Christum negavit, juxta Christi vaticinium: *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* ante pullorum cantum in hieme nocturni dicente Propheta: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* **(Psal. CXVIII)**. Et de aestate item dicit:

@ [Col. 0875D] *De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus.* Juxta Septuaginta interpretes: Ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει τὸ πνεῦμά μου πρός σε ὁ Θεὸς. Quod idem sonat. *Nocte vigilat Spiritus meus ad te Deus* **(Isa. XXVI)**. Hoc est, de parte aliqua noctis post pullorum jam cantum signum fiat surgendi. Sed hoc a vigilantibus in hieme cavendum est, ne nocturnos pullus aut antecedat, aut deprehendat: quia

@ [Col. 0875D] *Largent noctes.* Id est, protrahuntur. In cod. Vind. legitur, *largae sunt noctes.* largent noctes in tempore hiemis. Nam pullorum cantus

@ [Col. 0875D] *Declinantis est terminus noctis.* Quia gallicinium succedit primae noctis inclinationi, ut ex Macrobio notatum est. declinantis est terminus noctis: quia nox diem parit, sicut in circulo solis declinare jam diem

@ [Col. 0875D] *A sexta.* Id est, a meridie. a sexta hora ostenditur, id est,

@ [Col. 0875D] *Propter noctem.* Id est, ad noctem. propter noctem tantum festinare descendere solem, quantum cucurrit, ut medium in circulo ascenderet diem. Sed hoc in hieme agendum [Col. 0875C] est, ut nocturnos jam expletos pullorum cantus sequatur, quia noctes sunt grandes, ut digesti a somno fratres vigilanti, digesto sensu opus Dei, quod dicunt, agnoscant: et ideo intervallum ponitur, ut [Col. 0876A] prolixa nocte somni gravitas finiatur. Nam in verni vel in aestatis tempore, hoc est, a Pascha usque ad

@ [Col. 0875D] *Octavum, Kal.* Octobris. Eodem die statuit aequinoctium autumnale S. Isidorus lib. de Natura Rerum, cap. 8, et lib. V Origin., cap. 34. octavum Kal. Octobris, quod est aequinoctium hiemale, propter rationem brevium noctium

@ [Col. 0876C] *A pullorum cantu.* Id est, circa horam nonam noctis, ut digesti surgant fratres ratione coenae. Et hic Magister declarat haec verba S. Benedicti: «A Pascha usque ad supra dictas Kalendas Octobris sic temperetur hora vigiliarum agenda.» Nam si refecti hora nona in hieme fratres surgunt tantum hora octava noctis, sane sero refecti in aestate ob eamdem digestionem tardius surgere debent ad vigilias. a pullorum cantu Nocturni a fratribus inchoentur: et expleto psalmorum numero mox ei Matutinos subjungant, et secundum psalmorum suorum numerum finiant. Et ideo in brevibus ipsis noctibus post pullorum cantum Nocturnos constituimus inchoari, et cum Matutinis conjungi, ut non se recollocantes post nocturnos ingravescant fratres, et suavi matutino somno oppressi non solum perdant Matutinos, sed etiam Primam jam tarde dicere confundantur. Et ideo post pullos Nocturnos cum Matutinis diximus jungi, ut digesti jam a somno prolixo fratres utrumque [Col. 0876B] opus sobrie compleant, et jam reddito Matutinorum divino debito securi fratres usque Primam jam, qui volent, repausent, ut his horis somni omnem gravitudinem deponentes bene digesti post Primam jam leves laborare incipiant, monstrante nobis de

@ [Col. 0876C] *De S.* Heleno. Fuit hic S. Helenus Heliopoleos episcopus, tempore Commodi imperatoris: de eo agitur in Actis S. Eugeniae, in quibus non eadem quae profert Magister, forte meliore usus exemplari, sed haec verba, quae haud discrepant: «Perfectis [Col. 0876D] igitur matutinis laudibus paululum requievit episcopus:» Fuit alter Helenus professione monachus, qui et Hellen dicitur, de quo Rufinus de Vitis Patrum, cap. 11. S. Heleno scriptura cum dicit: *Consuevit enim factis matutinis repausare.*

@ [Col. 0876D] *Ergo ne ante pullorum cantum.* Locus corruptus, ita, ut mihi videtur, restituendus: *Ergo non ante pullorum cantum, ne, cum in noctibus brevibus coacti fuerint surgere adhuc crudi ab inchoato somno:* (cum in ipso impetu venarum sanguis et humor per venas bullescit, et inarmonia gravedinis succussati somni discoquunt membra escam quam sumpserant in ipso adhuc incocti cibi incendio) non suscitati, sed potius occisi gravi adhuc capite et indigesto rupti effugent S. Spiritus charismata. Sensus est, ut non incipiantur. Nocturni ante pullorum cantum, quia tunc fratres surgere coacti indigesti et crudi, bulliente adhuc in venis sanguine, non poterunt percipere S. Spiritus charismata. Ergo ne ante pullorum cantum cum in brevibus noctibus coacti fuerint fratres surgere adhuc crudi ab inchoato somno, cum in ipso impetu venarum sanguis et humor per venas bullescit, et inarmonia gravedinis succussati somni discoquunt membra escam quam susceperant, in ipso adhuc incocti occisi incendio, non suscitati, sed potius occisi, cum coacti fuerint fratres surgere gravi adhuc capite et indigesto rupti effugent sancti Spiritus [Col. 0876C] charismata. Et cum amaricatur carni eorum (quae quamvis milites Deo, tamen in hac vita interim quaerit quae sua sunt, etsi non in omnibus aliquantis) amarum videatur esse pro Deo quod dulce est; ut [Col. 0877A] non ex integro animo amet Deum frater in psalmis, quando per somnum cupit satisfieri carni. Nam sicut

@ [Col. 0877C] *Luna in circulo minorata.* Cum nempe in aestate describit minorem circulum super nostrum horizontem. luna in circulo minorata deputati nocti minus luminis complet officium, cum tarde surgit orientis exortu, tarde cursu suo in diem ingreditur occasura, sic et brevitas noctium temperata cum die propter fragilitatem carnis humanae cogit divina in psalmis abbreviari, et jungi cum nocte diei officia. Ergo psalmi nocturni hiemis tempore, hoc est, ab aequinoctio hiemali usque ad aequinoctium vernale, id est, ab octavo Kal. Octobris usque octavo Kal. Aprilis, sed melius usque ubi fuerit Pascha, quia noctes majores sunt,

@ [Col. 0877C] *Dici debent antiphonae.* Hic deest aliquid; ut in Regula ms. ubi lacuna est post τὸ *antiphonae,* quae supplenda vocabulo, *tredecim:* quia in Nocturnis hiemis statuit sexdecim impositiones currente psalterio: et perfectus erit hic numerus, si tribus responsoriis addantur tredecim antiphonae. dici debent antiphonae currente semper psalterio, et responsoria tria, ut fiant

@ [Col. 0877C] *Sexdecim impositiones.* In Regula ms. post haec verba sequitur: *Secundum numerum prophetarum extra lectiones, versum, et rogus* [Leg. *rogos*] *Dei,* ut [Col. 0877D] *tam istae sexdecim impositiones.* Quae hic supplenda sunt ad castigationem hujus corruptissimi loci: et postea sequitur, *in nocturnis, quam, etc.* Et sensus est, ut in nocturnis sint sexdecim impositiones juxta numerum sexdecim prophetarum quatuor majorum et duodecim minorum: quibus si addantur octo impositiones Matutinorum, juxta numerum quatuor et viginti seniorum in Apocalypsi, fient quatuor et viginti genuflexiones. Impositiones autem sunt modulationes, pronuntiationes, recitationes. Imponere modulari, canere, recitare, ut imponere psalmum, imponere lectionem, capitulum. Cassianus dixit praebere psalmum: sed de his infra. sexdecim impostiones in Nocturnis, quam octavo Matutinorum [Col. 0877B] impositiones similiter viginti quatuor vicibus secundum viginti quatuor seniorum imitationem genua nostra in nocte Deo flectantur

@ [Col. 0877D] *Cum laudibus.* Id est, cum alleluia, ut infra dicetur. cum laudibus. Nam in

noctibus majoribus ideo plus psalli debent, ut sicut nobis Deus ad repausationem prolixum spatium junxit in nocte, et nos ei per agendas gratias jungamur in laudem. Tempore vero aestatis, hoc est, a Pascha usque octavo Kal. Octobris

@ [Col. 0877D] *Octo dicantur antiphonae.* Ita in Regula ms. cod. Corb.; lege tamen, *novem,* non *octo, ut paulo post habetur: Quia minores sunt noctes, novem dicantur antiphonae.* Quod autem haec lectio praevaleat, patet ex cap. 44 ejusdem Regulae, ubi hic locus clarius distinguitur: «In aestate vero a Pascha usque aequinoctium hiemale, quod est octavo Kal. Octobris, post versum apertionis et responsorium abbatis dici debent antiphonae sex sine alleluia, deinde tres antiphonae cum alleluia, currente psalterio, ut supra diximus, deinde aliud responsorium cum alleluia, ut fiant duodecim impositiones.» octo dicantur antiphonae, currente, ut supra diximus, semper psalterio, et tria responsoria extra lectiones et versum, et

@ [Col. 0878C] *Et rogos Dei.* Rogus a rogando est precatio Litaniae, Kyrie eleison. Idem Magister, cap. 35 Regulae [Col. 0878D] ms., *post ipsam rogus Dei;* cap. 36: *post hoc et rogus Dei;* cap. 37: *rogus Dei, et versus clusoriae;* cap. 40: *et versus et rogus Dei.* rogos Dei: ut tam istae duodecim impositiones Nocturnae quam simul conjunctae, octo Matutinorum impositiones viginti vices cogat parvae noctis ratio Deo genua incurvare. Quia somnus, cum brevis est, dulcis videtur esse carni, cum corpus [Col. 0877C] hominis prolixo fatigatum labore diei minori requie brevi quiescit in nocte. Ergo aestatis tempore, sicut supra designavimus, quia minores sunt noctes, novem dicantur antiphonae, et tria responsoria, ut fiant duodecim impositiones secundum nomina duodecim [Col. 0878A]

@ [Col. 0878D] *Apostolorum cantici inchoati.* Post τὸ *apostolorum, desunt nonnulla sic supplenda ex Regula ms.: Qui nocturni, ut supra diximus, in ipso aestatis tempore a pullorum cantu inchoati et finiti.* apostolorum cantici inchoati et finiti; mox eis Matutini subjungantur propter brevitatem noctium. Sed hoc semper tam in hieme quam in aestate, tam in die quam in nocte seu in vigiliis cum psallitur, caveatur, ne psalmi aliquando combinentur, quod non licet, sed singulos debere definiri cum Gloria: ut nec orationes inter ipsos agendae perdantur, nec Glorias eorum laudi Dei videamur subducere, cum compendiosa negligentia cogimur in se psalmos inserere

@ [Col. 0878D] *Constituit et finem.* Locus mutilus, lege, ut in cod. Corb.: *Quia omni psalmo, cui initium propheta imposuit, constituit et finem.* constituit et finem. Quod si aliqua necessitas omnes psallentes perurgeat, non combinent, sed conternent; tamen cum Gloriis suis subsequantur: et ut citius compleant, et psalmorum numeris non minoretur. Ergo ideo aut singulos aut ternos diximus debere dici: quia sicut [Col. 0878B] unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate agnoscitur; ita aut singulos, aut pro necessitate ternos credamus tamen cum Gloriis suis dici debere. Nam combinari ex toto non licet: quia non plus, neque minus ab unitate et trinitate quod deluerit, Christianum decet. Et tunc perfectam fidem habemus, si Trinitatem perfectam aequaliter in unitate, et unitatem in Trinitate sentimus. Nam si aliqua gravis necessitas quavis hora psallentes perurgeat, dicendorum omnium psalmorum singula capita cum una Gloria compleant; et sic exeant oratorio, ut quavis necessitate tamen opus Dei non videatur praetermitti.

§ VII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 8).

@ [Col. 0878D] *In psallendi officio, etc.* Haec habentur in regula S. Isidori excusa, cap. 6,

ubi sic legitur: *In psallendis autem officiis.* In psallendi officio ista discretio erit. Dato namque [Col. 0878C] legitimis temporibus signo ad orationes canonicas

@ [Col. 0878D] *Festinabunt.* Lege, ut in regula excusa, *festina,* in qua omittitur τὸ *fratres.* Haec lectio confirmatur ex eodem S. Isidoro, lib. II de Officiis Ecclesiasticis, cap. 15: «Conveniunt autem omnes frequenter nocte ac die dato signo, festina cum properatione ad orationem solemnium horarum.» festinabunt fratres cum properatione, omnes ad chorum occurrant, nullique ante expletum officium licebit egredi, praeter eum quem necessitas naturae compulerit. Recitantibus autem monachis post [Col. 0879A] consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humo, pariter, celeriterque surgentes psalmos sequentes incipient: eodemque modo per singula officia facient. Quando celebrantur psalmorum spiritalia sacramenta, refugiat monachus risus vel fabulas; sed hoc meditetur corde, quod psallitur ore. Tertia, Sexta et Nona tres psalmi dicendi sunt, responsorium unum,

@ [Col. 0879B] *Lectiones ex utroque testamento.* In Regula excusa ita legitur et distinguitur: *Lectiones ex Veteri Novoque Testamento, duae deinde Laudes.* lectiones ex utroque testamento duae: dehinc

@ [Col. 0879B] *Laus.* In Reg. exc. *Laudes, rectius, id est, Alleluia.* laus, hymnus atque oratio. In Vespertinis vero officiis primo

@ [Col. 0879B] *Lucernarium.* Nota hic lucernarium distingui ab officio vespertino. Sed de hac re infra. Lucernarium, deinde psalmi tres, responsorium unum, et

@ [Col. 0879B] *Laudes.* Laudes sunt Alleluia, ut planum est ex S. Isidoro, lib. I de Officiis Eccl., cap. 3: «Laudes, hoc est, Alleluia canere, antiquorum est Hebraeorum.» laudes, hymnus, oratioque dicenda est. Post vesperum autem congregatis fratribus oportet vel aliquid meditari, vel de quibusdam divinae lectionis quaestionibus disputare, conferendo pie atque salubriter, [Col. 0879B] tantumque meditando disputandoque commorari, quoadusque tempus Completorii possit concurrere. Ante somnum autem, sicut mos est, peracto Completorio, [Col. 0880A] valedictis invicem fratribus, cum omni cautela et silentio quiescendum, usquequo ad vigilias consurgatur. In quotidianis vero vigiliarum officiis primum tres psalmi canonici recitandi sunt, deinde tres

@ [Col. 0879B] *Missae tres psalmorum.* Missae sunt collectae seu orationes, quae olim dicebantur ad finem psalmorum. Ita collectam appellat Cassianus, lib. II de Nocturnis Orationibus, cap. 7: «Qui necdum bene finito [Col. 0879C] psalmo in orationem procumbere festinamus ad celebritatem missae quantocius properantes.» Ita enim legendum et antiqua lectio est retinenda, pro qua nonnulli supposuerunt: *celeritatem missae, per missam finem intelligentes.* Sed absurda prorsus loquendi formula. Dicimus enim properare ad finem, non ad celeritatem finis. Nec est quod celeritatem interpretentur accelerationem: nam aeque absurdum est dicere properare ad accelerationem finis. Sit ergo missa collecta seu oratio, quae profecto celebratur cum solemniter a sacerdote profertur. Sciendum est enim olim a monachis Aegypti usitatum fuisse ad finem cujusque psalmi in orationem procumbere, qua breviter expedita sacerdos collectam diceret, quae hic *missa appellatur.* Haec plana sunt ex Cassiano capite citato. «Has igitur praedictas orationes hoc modo incipiunt atque consummant, ut finito psalmo non statim in incurvationem genuum corruant, quemadmodum facimus in hac [Col. 0879D] regione nonnulli, qui necdum bene finito psalmo in orationem procumbere festinamus ad celebritatem missae quantocius properantes, etc.» Et paulo post: «Cum autem is, qui

orationem collecturus est e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita ut nullus nec antequam inclinetur ille, genuflectere, ne cum e terra surrexerit, remorari praesumat: ne non tam secutus fuisse illius conclusionem, quam celebrasse credatur.» Et nota, *celebrasse conclusionem, non celerasse.* Et cap. 10: «Ac praecipue cum consummatur oratio, in qua nec sputum emittitur.» Sed fuit diversus hujusmodi missarum seu collectarum recitandarum usus. Nam S. Isidorus hoc loco statuit, ut post psalmos recitentur. Aliter Tetradius, cap. 20 suae Regulae, hoc modo: «Vigilias [*Leg.,* ad vigilias] a mense Octobri usque ad Pascha duos nocturnos faciant, et tres missas: ab una missa legat frater» Et art. seq.: «Omni Dominica sex missas facite: prima missa semper resurrectio legatur: dum resurrectio resurrectio legitur, nullus sedeat. Perfectis missis, dicite Matutinos directaneo.» Per resurrectionem intelligitur Evangelium, quod ita appellatur, quod die Dominica, quae in memoriam resurrectionis Christi celebratur, legeretur in Nocturnis; vel quia certe tantum in vigiliis nocturnis diei Dominicae legebatur Evangelium de Christi resurrectione ob eamdem rationem. Post psalmos igitur et lectiones die Dominica juxta Tetradium dicitur una missa, seu collecta, quam excipit Evangelium, sequuntur caeterae missae, tandem Matutini. In diebus Dominicis et festis numerus missarum augebatur ob solemnitatem. Ita statuit S. Isidorus hoc capite: «Dominicis vero diebus et festivitatibus martyrum solemnitatis causa singulae superadjiciendae sunt [Col. 0880C] missae.» Et S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 2 suae Regulae ms.: «Sabbatorum vero et Dominicarum noctium curriculis seno missarum superadjecto officio senis etiam missis vigiliae cum senis responsoriis celebrantur, ut resurrectionis Dominicae solemnitas ampliori officiorum psalmodia magis honoretur.» Unde Tetradius loco citato, vigilias Dominicae cum sex missis praecipit celebrandas, qui reliquorum dierum nocturnis tres tantum missas assignat. missae psalmorum,

@ [Col. 0880C] *Quarta Canticorum.* Dicenda ad finem Canticorum. quarta vero canticorum,

@ [Col. 0880C] *Quinta Matutinorum.* Dicenda ad finem Matutinorum. quinta matutinorum officiorum. In Dominicis diebus, vel festivitatibus martyrum solemnitatis causa singulae superaddantur missae.

@ [Col. 0880C] *Verum in vigiliis recitandi usus.* Vult vigilias nocturnas tantum recitari, Matutinos vero cani. In Regula excusa legitur: «Verum in vigiliis recitandis aderit usque in matutinis psallendi canendique consuetudo.» Haec corrupta sunt, nec sequentibus [Col. 0880D] cohaerent, quae diversitatis oblectamentum proponunt. Verum in vigiliis recitandi aderit usus, in Matutinis psallendi canendique consuetudo,

@ [Col. 0880D] *Utroque modo.* Lege, *ut utroque modo.* utroque modo servorum Dei mentes diversitatis oblectamento exerceantur, et ad laudem Dei sine fastidio ardentius excitentur. Post vigilias autem

@ [Col. 0880D] *Usque ad Matutinum reficiendum est.* Recta lectio in Regula excusa legitur, *requiescendum est:* sed vocabulum mutatum ab iis qui nesciebant quid sit *reficere.* Nam reficere hoc loco est pausare, requiescere, seu mavis, corpus somno reficere, id est, instaurare. Cassianus lib. III de Diurnis Or., cap. 8: «Ut post excubias totius noctis duabus ferme horis reficientes corpora sua, nequaquam per totum diei spatium somni torpore marcescant.» Hinc refectio, eodem capite: «Requie brevis hujus temporis pro totius noctis refectione contenti.» Et cap. 4 ejusdem libri: «Reliquas horas (noctis) refectioni corporum deputatas a majoribus nostris invenimus.» usque ad Matutinum

reficiendum est. Post Matutinum autem operandum aliquid aut legendum. Lectiones autem ex Veteri et Novo Testamento [Col. 0880B] tempore officii quotidianis diebus recitentur.

@ [Col. 0880D] *Sabbati vero die, etc.* Cass. lib. II de Nocturn. Orat., cap. 2: «In die vero sabbati et Dominico (lectiones) recitent de Novo Testamento, id est, unam de Apostolo, vel Actibus apostolorum, et aliam de Evangeliis.» Sabbati vero die atque Dominico ex Novo tantum Testamento pronuntientur. Monachus autem [Col. 0881A] corporis sanitate consistens si vigiliis vel quotidianis officiis defuerit, perdat communionem.

§ VIII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 29).

@ [Col. 0881B] *Ad vigilias.* Ex S. Caesario Arelatensi in regula Sanctimonialium, cap. 13: «In vigiliis ut nemo per otium somno gravetur, ea opera fiat, quae mentem non retrahat a lectionis auditu. Si qua gravatur somno, aliis sedentibus, jubeatur stare, ut possit a se somni marcorem repellere: ne in opere Dei tepida inveniatur aut negligens.» Sed hunc locum S. Caesarii fuisse corruptum certum est; qui ex hoc S. Aureliani loco castigandus est, his verbis: *Si vero Dominicus aut festi dies sunt, sancto Caesario restitutis, hoc modo: Si vero Dominicus aut festi dies sunt, quae gravatur somno, etc.* Nam statuunt hi patres profestis diebus, dum lectiones leguntur, laborandum esse, si somnus obrepat: festis vero standum; quia illis diebus operari servilia, haud licitum est. Ad vigilias dum lectio legitur, aut

@ [Col. 0881B] *De sparto.* Spartum est funis, restis, Hesychio, Suidae et aliis, παρὰ τὸ σπείρω τὸ εἰλίσσω, inquit auctor veteris etymologici, a σπείρω, id est, implico, [Col. 0881C] involvo, torqueo. Glossae Cyrilli: σπάρτος, *restis.* Idem quod πλεκτὴ, id est, restis, in Vitis Patrum. Est etiam spartum herba Hispanica rusticorum stratis, calceamentis, sportellis, funibus navium conficiendis idonea. Nascitur in regione Carthaginensi, quae est Hispania citerior. Non tota regio profert, sed pars quaedam ob id sterilis, quia nihil aliud parit, docent Plinius lib. XIX, cap. 2; et Varro apud Agellium, lib. XVII, cap. 3. Illius usus diu Graecis ignotus fuit, etsi Homerus illius mentionem faciat Iliad. II:

. . . . . νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται. Id est, sparta navium dissoluta sunt. Nam sparta hoc loco sunt genistae, ut vult Plinius lib. XXIV, cap. 9, vel sativa quaedam, ut canabe, vel stupa suendis olim navibus apta, ut vult Agellius capite citato. Haec herba est animalibus noxia, ut scribit Plinius lib. XIX, cap. 2. de sparto aut de canabe aut aliud hujusmodi manibus operamini, ut non somnus obrepat. Si vero Dominicus, aut festi sunt dies, cui somnus venerit, aliis sedentibus, jubeatur stare, ut possit a se somni marcorem depellere: ne in opere Dei tepidus inveniatur, aut negligens.

§ IX.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 7).

@ [Col. 0881D] *De synaxi vero.* Haec habentur in Reg. ms. S. Columbani cod. Flor. et in editione Parisiensi, quae sumpta fertur ex monasterio Bobiensi fundato a S. Columbano, cum in Italia exsularet. Non exstant tamen in editione Insulae, ubi Regula S. Columbani typis mandata est cura Melchioris Haiminsfeldii Goldasti ex bibliotheca monasterii S. Galli. Quod sane miror. Hoc autem caput multis tricis involutum est ob exemplariorum depravationem, quas tamen evolvere pro virili conabor. De synaxi vero, id est, cursu psalmorum et

@ [Col. 0881D] *Orationum modo canonico.* Modus hoc loco est numerus. orationum modo

canonico quaedam sunt distinguenda; [Col. 0882A] quia varie a diversis memoriae de eo traditum est, ideo juxta vitae qualitatem ac temporum successionem varie a me quoque litteris insinuetur. Non enim uniformis esse debet pro reciproca temporum alternatione. Longior enim per longas noctes breviorque per breves esse convenit. Inde et

@ [Col. 0881D] *Apud seniores nostros.* Ita in Reg. ms. cod. Flor. In editione Parisiensi: *Cum senioribus nostris.* Sed prior lectio praestat. Intelligit seniores amplissimi et celeberrimi illius coenobii Bencor in Hibernia siti. Nam illius monachus S. Columbanus fuit, ut scribunt Jonas in ejus Vita, et S. Bernardus in Vita S. Malachiae. Fuit etiam aliud monasterium nomine Bancor, seu Bancornaburg in Anglia, in regione Britonum, qui pulsi ab Anglis in penitiores insulae partes [Col. 0882B] se receperant, religione et monachorum multitudine clarum, ut testatur Beda lib. II Hist. Angl., cap. 2. Quod ideo notavi, quia nonnulli haec duo monasteria confundunt, cum tamen alterum sit in Hibernia, alterum in Britannia majore. apud seniores nostros

@ [Col. 0882B] *Ab octavo Kal.* Julii. Ita in omnibus codicibus. ab octavo Kal. Jul.

@ [Col. 0882B] *Cum noctis augmentum.* Ita in Regula ms. cod. Flor. In editione Parisiensi legitur: *Cum noctis augmento;* recte. cum noctis augmentum

@ [Col. 0882B] *Sensim incipit crescere cum choris brevissimi modi.* Ita in Reg. cod. Flor.; rectius tamen in editione Parisiensi. *Sensim incipit crescere cursus a duodecim choris brevissimi modi.* Horum autem omnium sensus est: Cum noctis augmento sensim incipit crescere cursus officii divini, qui antea brevissimus erat. Quomodo autem sit paulatim augendus, non dicit: quia a Kalendis Novembris assignat tantum numerum antiphonarum et psalmorum recitandorum tota hieme in noctibus sabbati et Dominicae. sensim incipit crescere cum choris brevissimi modi

@ [Col. 0882C] *In nocte sabbati sive Dominicae.* Hoc loco particula, *sive, non est disjunctiva, sed copulativa, ut infra eodem cap.: Ad mediumque noctis sive pullorum cantum.* Solemnes autem facit vigilias sabbati, quia olim apud multos sabbatum solemne erat perinde ac Dominica, ut infra dicetur. in nocte sabbati sive Dominicae

@ [Col. 0882C] *Usque ad initium hiemis.* Hiems hoc loco paulo latius sumitur. Nam incipit tantum in solstitio brumali. usque ad initium hiemis, id est Kal. Novemb., in quibus XXV canunt antiphonas

@ [Col. 0882C] *Psalmorum ejusdem numeri.* In editione Parisiensi additur τὸ *duplicis,* sed puto legendum, *triplicis.* psalmorum ejusdem numeri,

@ [Col. 0882C] *Qui semper tres loco duobus succedunt.* Ita in Reg. ms. cod. in editione Parisiensi: *Qui semper tertio loco succedunt.* Flor. qui semper tres loco duobus succedunt

@ [Col. 0882C] *Psallites.* Ita in Reg. cod. Flor. male. In editione Parisiensi, legitur *psaltis;* recte. Potest etiam [Col. 0882D] legi *psallitis,* pro *psaltis.* Totum ergo hunc locum ita legendum arbitror: *In quibus viginti quinque canunt antiphonas psalmorum ejusdem numeri triplicis, qui semper tres succedunt psaltis.* Sensus est, ut canantur quinque et viginti antiphonae cum psalmis quinque et septuaginta, qui numerus ex quinque et viginti triplicatis exsurgit; et singulis psalmorum ternionibus una interseratur antiphona: sicque quinque et viginti antiphonae sufficient huic psalmorum numero. Quod autem hic debeat psalli numerus psalmorum in istis vigiliis, patet ex sequentibus: *Ita ut* (inquit) *totum psalterium inter duas supra dictas noctes numero cantent duodecim choris.* Id est, media pars psalterii in nocte Dominicae, altera in nocte sabbati cantetur: et sic

unaquaeque nox habebit quinque et septuaginta psalmos, ut infra declarat: *Pluribus* (ut jam dixi) nocti Dominicae et sabbati deputatis, in quibus sub uno cursu LXXV *singillatim cantantur.* psallites: ita ut totius psalterii inter duas supra dictas noctes [Col. 0883A] numerum

@ [Col. 0883B] *Cantent* XII *choris.* In monasterio S. Columbani erat laus perpetua, id est, perpetuo die et nocte in oratorio Dei laudes canebantur a diversis monachorum choris sibi succedentibus. Notandum tamen est hos duodecim choros in diversis oratoriis officium divinum celebrare solitos. Nam tam prolixum officium non potuisset persolvi integro die a duodecim choris sibi in eodem oratorio succedentibus. Puto igitur plura olim fuisse oratoria in monasterio. S. [Col. 0883C] Columbani, in quibus tres vel quatuor ex his duodecim choris sibi in Dei laudibus celebrandis succederent. Fuit etiam olim haec laus perennis in coenobio Agaunensi, ut planum est ex Eucherio episcopo in Vita S. Mauricii, cap. 13, et in cathedrali ecclesia Misnensi, ut clarum est ex Hieronymo Emsero in Vita S. Bennonis ejusdem urbis episcopi. cantent XII choris

@ [Col. 0883C] *Caeteras noctes.* A supra dictis noctibus Dominicae et sabbati. caeteras temperantes tota hieme noctes, qua finita

@ [Col. 0883C] *Ver.* Lege: *Per ver.* Ita in Reg. ms. cod. Flor. et editione Parisiensi. ver sensim

@ [Col. 0883C] *Per singulas hebdomadas terni semper decedunt.* Id est, ex illis psalmis quinque et septuaginta, qui hieme in noctibus sabbati et Dominicae dicuntur, tempore veris singulis hebdomadibus tres psalmi deducantur et subtrahantur, ut remaneant sex et triginta dicendi in sanctis noctibus sabbati et Dominicae, in ipso solstitio aestivo primo die, quo inciderint. per singulas hebdomadas terni semper decedunt psalmi: ut XII

@ [Col. 0883D] *In sanctis noctibus.* Ita in Reg. ms. cod. Fl. editio Parisiensis habet: *In singulis noctibus, minus recte.* Nam hoc loco, quid dicendum sit in noctibus Dominicae et sabbati, quae S. Columbano solemnes sunt, ordinatur. in sanctis noctibus tantum antiphonae remaneant,

@ [Col. 0883D] *Id* est quotidiani hiemales XXV *psalmi cursus.* Primo τὸ *cursus, transpositum esse videtur, et legendum, quotidiani cursus.* Secundo legendum, *triginta sex, ut in editione Parisiensi, quam lectionem germanam esse existimo.* Quia cum ab octavo Kal. aprilis, usque ad octavum Kal. Julii, quibus vernum tempus circumscribitur, tredecim connumerentur hebdomadae, si ex singulis hebdomadis, ut diximus, deducantur tres psalmi, triginta sex remanebunt. Suadet etiam numerus duodecim antiphonarum. Nam si per singulas antiphonas tres psalmi concinendi sunt, duodecim antiphonarum numero absolventur. Hi autem psalmi dicuntur hiemales quotidiani cursus, quod in ejus monasterio quotidie dicerentur hiemis tempore in nocturnis officiis. id est quotidiani hiemales XXV psalmi cursus.

@ [Col. 0884B] XXIV *autem, etc.* Ita reposui, ut in editione Parisiensi: cum in nostra Concordia legeretur, *aut.* Statuitur hoc loco quot debeant dici psalmi in vigiliis nocturnis quotidie, exceptis Dominica et sabbato, tempore veris, aestatis atque autumni. XXIV autem per totum ver aut aestatem, et usque ad autumnale aequinoctium, id est VIII Kal. Octobris, in quo similitudo synaxeos sicut in vernali aequinoctio, id est, VIII Kal. Aprilis, dum per reciprocas vices paulatim et

@ [Col. 0884B] *Crescit et decrescit.* Nempe divini officii synaxis [Col. 0884C] cum ipsis

noctibus. crescit et decrescit. Igitur juxta vires consideranda vigilia est, maxime cum ab auctore salutis nostrae jubemur vigilare et orare omni tempore, et Paulus praecipit sine intermissione orare **(I Thess. V)**. Sed quia orationum canonicarum noscendus est modus in quo omnes simul [Col. 0883B] orantes horis conveniunt statutis, quibus absolutis unusquisque in cubiculo suo orare debet

@ [Col. 0884C] *Per diurnas horas.* Intelligit primam, tertiam, sextam, nonam, vesperam. per diurnas horas terni psalmi pro operum interpositione statuti sunt a senioribus nostris,

@ [Col. 0884C] *Cum versiculorum augmento.* Sunt hi versiculi, qui dicuntur ante collectam ab iis qui retinent usum antiquorum breviariorum ordinis; et preces vulgo appellantur, quorum consuetudo manat ex hac institutione S. Columbani; quia olim in multis monasteriis utraque regula S. Benedicti et S. Columbani observabatur. Harum precum multus est usus apud Graecos, quae dicuntur εἰρηνικὰ, id est pacifica. Atque etiam σηνάπτη, id est, connexio, estque duplex, altera major, altera minor, ut planum est ex Liturgia Praesanctificatorum. cum versiculorum augmento intervenientium pro peccatis primum nostris, deinde pro omni populo Christiano, pro sacerdotibus et reliquis Deo consecratis sacrae plebis gradibus, postremo pro eleemosynas facientibus, postea [Col. 0884A] pro pace regum, novissime pro inimicis, ne illis Deus statuat in peccatum, quod persequuntur nos et detrahunt nobis: quia nesciunt quid faciunt.

@ [Col. 0884C] *Ad initium noctis.* Quod respondet Completorio. Ad initium vero noctis duodecim psalmi,

@ [Col. 0884C] *Ad medium noctis duodecim.* Hic locus intelligendus est de synaxi nocturna Domincae et sabbati. Quibus duodecim psalmis si adjungas quatuor et viginti psalmos matutinorum, fient sex et triginta [Col. 0884D] psalmi recitandi in brevibus noctibus Dominicae et sabbati, ut supra diximus; unde subjungit: *Per tempora brevium, ut diximus, noctium.* Quae verba superiorem nostram explicationem confirmant. Praeterea notandum est officium nocturnum seu vigilias nocturnas constitui a S. Columbano ex medio noctis et matutino. ad medium noctis duodecim simul psalluntur. Ad matutinum vero bis deni, bisque bini per tempora brevium, ut dictum est, noctium sunt dispositi, pluribus (jam dixi) semper nocte Dominica sabbati vigiliae deputatis, in quibus

@ [Col. 0884D] *Sub uno versu.* Lege: *Sub uno cursu, ut in Reg.* ms. cod. Flor. et editione Parisiensi, quia illis sacris noctibus Dominicae et sabbati propter officii prolixitatem synaxes mediae noctis et matutinorum nullo temporis intervallo distinguuntur. sub uno versu LXXV singillatim cantantur. Haec juxta communem dicta synaxim. Caeterum vero, ut dixi, orandi traditio, ut possibilitas ad hoc destinati sine fastidio voti praevaleat,

@ [Col. 0884D] *Sive.* Reg. ms. cod. Flor. addit: *Suae,* hoc modo, *sive suae perfectio possibilitatis.* sive perfectio possibilitatis permittat, vel capacitas mentis illius cum necessitatum consideratione, vel vitae qualitas possit admittere, quantum [Col. 0884B] uniuscujusque fervor exegerit, si liber ac solus sit, aut eruditionis ejus quantitas postulaverit, aut status otium, aut magnitudo studii, aut operum qualitas, aut aetatis diversitas permiserit. Ita varie unius rei perfectio aestimanda est,

@ [Col. 0884D] *Quia cum labore adorationis partitur.* Lege, ut in editione Parisiensi: *Quia cum labore ac loco adorationis vices partitur.* quia cum labore adorationis partitur. Et ideo, licet longitudo standi aut cantandi sit varia, unius tamen perfectionis erit aequalitas orandi, in corde et mente jugis intentio. [Col. 0885A] Sunt autem quidam catholici, quibus idem est canonicus duodenarius psalmorum numerus sive per breves

sive per longas noctes, sed per quaternas in nocte vices hunc

@ [Col. 0885A] *Canonem.* More Graecorum dixit, qui cursum divini officii *canonem appellant, de qua voce infra.* canonem reddunt, ad initium scilicet noctis, ad mediumque noctis,

@ [Col. 0885B] *Sive pullorum quoque cantum.* Particula *sive hoc loco sumitur copulative, ut supra observatum est:* deest tamen in editione Parisiensi. Pullorum cantus est gallicinium, quam noctis partem inter officii divini synaxes recenset Anonymus in expositione psalmi CXIX. sive pullorum quoque cantum ac matutinum. Cursus sicut in hieme parvus esse videtur, ita aestate satis laboriosus, et gravis invenitur, dum crebris in noctis brevitate expeditionibus non tam lassitudinem facit quam fatigationem. Noctibus vero reverentissimis Dominicae et sabbati ad matutinum ter idem volvitur numerus, id est, ter denis et sex psalmis. Quorum pluralitas

@ [Col. 0885B] *Ad sanctam conversationem.* In cod. Parisiensi: *Ac sancta conversatio.* ad sanctam conversationem

@ [Col. 0885B] *Hunc numerum, etc.* Lege: *Hoc numero canonico, ut in editione Parisiensi.* hunc numerum canonicum multis

@ [Col. 0885B] *Dulci.* Lege, *dulcem, ut in Parisiensi editione.* dulci [Col. 0886A] indixit suavitatem tanquam et reliquam disciplinam: sub quorum nimirum regula nullus invenitur lassus, et cum tanta pluralitas monachorum sit, ita ut

@ [Col. 0885B] *Mille abbates.* Abbates isti erant instar praepositorum seu decanorum qui plures habebant sub [Col. 0885C] se monachos, quibus omnibus praeerat unus archimandrita. Notanda sane in eodem coenobio monachorum quantitas, quae saltem erat undecim millium, [Col. 0886B] cum credendum sit sub singulis abbatibus seu decanis, qui mille erant, saltem decem fuisse monachos; quid si quadraginta sub uno praeposito, ut Pachomiani, erant? Hoc monasterium non erat Bancorense in Hibernia cujus erat monachus S. Columbanus, nam de illo, tanquam de extraneo, loquitur. Nec aliquod erat ex monasteriis Aegypti: nam vix mihi persuadere possum aetate S. Columbani, fuisse in Aegypto tam amplum monasterium. Credibile est hujusmodi monasterium etiam fuisse in Hibernia, cum de eo tanquam de sibi apprime noto loquatur sanctus Columbanus. mille abbates sub uno archimandrita esse referantur, nulla ibi

@ [Col. 0886B] *A conditione.* Praepositionem, *a,* supplevi ex [Col. 0886C] Reg. ms. cod. Flor. et editione Parisiensi. a conditione coenobii inter duos monachos rixa fuisse fertur visa: quod nisi ibi Dei esset habitatio dicentis: *Ego in eis habitabo, et inter illos ambulabo:* et ipsi erunt mihi populus **(II Cor. VI; Lev. XXVI)**, esse non posse manifestum est; merito itaque creverunt, et quotidie, Deo gratias, crescunt in quorum medio Deus habitat, quorum meritis mereamur salvari.

APPENDICES AD CAPUT XXIII.

[Col. 0885C]

MONITUM H. MENARDI.

(In codice ms. Concordiae desunt hic septem capita Regulae sancti Benedicti, a nono

usque ad decimum sextum. Omisit illa auctor noster quia nihil habebat ex antiquis Patribus quod posset cum his capitulis conferre. Magister quidem in sua Regula fuse et enucleate satis officia divina ordinavit, sed in sua ordinatione ita a sancto Benedicto dissidet, ut jure merito auctor noster illam praetermiserit. Nos vero, ne quid ex Regula sancti Benedicti in hoc libro deesse videretur, ea quae ab auctore nostro praetermissa fuerant appendicis nomine transcripsimus a Smaragdo emendicata, tum quia antiquus scriptor est, tum quia textus Regulae quem profert maxime convenit cum hoc ms. codice Concordiae.)

APPENDIX PRIMA.---

@ [Col. 0885D] *Quanti psalmi.* Apud S. Dunstanum legitur: *Quanti et quot.* Sed non videtur necessarium addere: *Et quot.* Quia τὸ *quanti,* idem est ac, *quot, ut supra notatum est. Quanti psalmi dicendi sunt in noctibus.* (Ex Regula sancti Benedicti, *cap.* 9.)

Hiemis tempore
@ [Col. 0885D] *Supra scripto.* Ita apud Smaragdum, quae tamen verba non exstant apud S. Dunstanum, nec in vulgatis editionibus, quemadmodum nec in aliis cod. nostris mss. Referuntur ad illa verba: *hiemis tempore, ut videre est apud Smaragdum.* supra scripto in primis versu praemisso, id est,
@ [Col. 0885D] *Deus in adjutorium meum intende.* Hunc versiculum omnibus actionibus suis praemittebant monachi illi Aegyptii, ut fuse docet Cassianus, collat. X, cap. 10. Walfridus Strabo de Rebus Eccl., cap. 23, ait hunc versiculum etiam praemissum fuisse ab iisdem monachis horis canonicis: quod non puto, quia Cassianus cap. citato nullam facit officii divini mentionem; et lib. II de Nocturnis Orationibus, ut lib. III de Diurnis Orat. in quibus fuse antiquorum illorum Patrum officia divina describit, nihil tale repereris. Mihi facile in animum induxerim hoc esse S. P. Benedicti inventum: cum nihil hujusmodi [Col. 0886D] ante illius aetatem legatur. Porro de officio divino, ut a S. P. Benedicto ordinatum est, vide mysticam interpretationem apud Rupertum, lib. II in Regulam S. Benedicti. *Deus in adjutorium meum intende:* Domine, ad adjuvandum me festina. In secundo,
@ [Col. 0886D] *Tertio.* Id est, ter: ita loquitur S. Benedictus, cap. 35: «Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus.» Et cap. 38: «Et Dicatur hic versus in oratorio *tertio ab omnibus.*» In vulgatis legitur, *ter.* tertio dicendum: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Cui subjungendus est tertius psalmus, et
@ [Col. 0886D] [Col. 0886D] *Gloria.* Hoc loco S. Benedictus versiculos, *Deus in adjutorium;* Domine labia, et psalmum tertium sub una Gloria concludit. Hunc autem hymnum quem vocant glorificationis, traditione apostolorum ad nos manasse certum est, ut docet S. Basilius, lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 7: Διὸ καὶ μετὰ τοῦ Υιοῦ τὴν δοξολογίαν προσάγομεν τῷ Πατρὶ. ἀλλ᾽ οὐ τοῦτο ἡμῖν ἐξαρκεῖ, ὅτι τῶν πατρῶν ἡ παδοράσις; id est, «quapropter glorificationis hymnum Patri simul cum Filio offerimus: sed nonne hoc nobis sufficit, quod haec sit Patrum traditio?» Idem, docet cap. 27 et 29, in quibus agit de traditionibus apostolicis, ejusdem libri. Hic hymnus multipliciter exprimebatur. Primo, Δόξα Πατρὶ καὶ Υἰῷ καὶ τῷ Πνεύματι ἁγιῳ, id est

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, ut notum est ex eodem Basilio, ejusdem lib. cap. 27. Secundo, Δόξα Πατρὶ καὶ Υιῷ σὺν Πνεύματι ἁγιῳ, id est, *Gloria Patri et Filio cum Spiritu sancto.* Tertio: *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto, ut statuitur in conc.* Toletano IV, can. 14: «In fine psalmorum non sicut a quibusdam hucusque, *gloria* Patri, sed *gloria et honor Patri, dicatur, David propheta dicente: Afferte Domino gloriam et honorem.*» Et in conc. Toletano III secundae editionis, quae est Garsiae Loaysae, can. 14, in confessione fidei: «Quicunque non dixerit, *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto,* anathema [Col. 0887B] sit.» Ita olim cecinerunt angeli, ut notum est ex Vita S. Eugeniae, quae floruit Commodo imperatore: «Et angeli transeuntes hymnum Deo dicebant. Hoc solum intelligebatur, quod nomen Jesu Christi et Spiritus sancti in ipsis laudibus resonabat: *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto, et nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.* Ariani vero abutentes verbis Apostoli **(Rom. XI)** ad suae haeresis patrocinium ita efferebant hymnum glorificationis: Δόξα Πατρὶ δι᾽ Υιοῦ εἰς τὸ Πνεῦμα ἁγιον, id est, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto:* ut constat ex Theodoreto, lib. I Hist. Eccl., cap. 24, ubi luridus ille et distorta lineamentorum compage deformis spado, Arianorum satelles et administer Leontius patriarcha Antiochenus, ut dissimularet haeresim, cum esset in synaxi, haec ejusdem hymni verba: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto, submisse dicebat, reliqua vero: In saecula saeculorum, clare et distincte.* Id etiam planum est ex S. Gregorio Turonensi, lib. VI. Hist. cap. 14, ubi Opila [Col. 0887C] Arianus disputans cum dicto Gregorio Turonensi sic ait: «Quia, inquit, Gloriam non recte respondetis, nos juxta Apostolum dicimus: *Gloria Patri per Filium.*» Huic hymno additur clausula maxime a Graecis: Νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς ἀιῶνας τῶν ἀιώνων, id est, *nunc et semper, et in saecula saeculorum.* Quam videre est in Liturgia S. Joannis Chrysostomi, in Vita S. Eugeniae paulo ante citata, apud Joannem Moschum, cap. 119 Prati Spiritualis, ubi additur particula πάντοθεν, id est, *undique,* πάντοθεν νῦν καὶ ἀεὶ, etc. Et apud Walfridum Strabonem mox citandum. Quidam praetermissis primis hujus clausulae verbis dicebant tantum, *In saecula saeculorum, ut apparet ex Theodoreti loco supra citato, et ex concilii Toletani IV can.* 12: «In fine omnium psalmorum dicimus, *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritu sancto in saecula saeculorum, amen.*» Quod spectat ad haec verba: *Sicut erat in principio, in concilio Vasensi.* anno 529 statuitur canendum post hymnum, *Gloria Patri.* «Et quia non solum in sede [Col. 0887D] apostolica (inquit concilium, can. 3), sed etiam per totum Orientem, et totam Africam vel Italiam propter haereticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore fuisse blasphemant, in omnibus clausulis post, *Gloria Patri, etc. Sicut erat in principio dicitur, et nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.*» Ubi puto haec verba, *totum Orientem, esse addititia,* cum nusquam repereris, *Sicut erat in principio, tunc apud Graecos in usu fuisse.* Sed et Walfridus Strabo, capite 25, ait Graecos non dicere, *Sicut erat in principio;* sed hoc modo, *et nunc et semper, et in saecula saeculorum amen.* Canitur autem hic glorificationis hymnus in fine singulorum psalmorum. Ritum manasse a Damaso papa vulgo fertur hortatu D. Hieronymi, ut patet ex ejus quadam epistola ad ipsum Damasum. Sed viri docti hanc epistolam non esse S. Hieronymi asserunt, quia in ea dicitur ita cani in Orientali Ecclesia: quod tamen apparet falsum ex Cassiano qui post S. Hieronymum diu vixit in oriente, cum ait, libr. II de Noctur. Orat., cap. 8: «Illud etiam quod in hac provincia (Massiliensi) vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi omnes

astantes concinant cum clamore, *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, nusquam per omnem Orientem audivimus:* sed cum omnium silentio ab eo qui cantat, finito psalmo orationem succedere: hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo solere antiphonam terminari.» Imo Romani rarius hunc hymnum psalmis adhibebant, ut notum est ex Walfrido mox citando, qui vivebat tempore Ludovici Pii. Sed et varia fuit hujus hymni canendi ratio, ut ex his Walfridi verbis, cap. 25, libr. de Rebus Eccl. clarum est. «Hunc itaque hymnum nonnulli in omnibus pene psalmis, interdum incisionibus psalmorum coaptant. Responsoriis vero paucioribus, ut illi qui [Col. 0888B] statuta Patris Benedicti in horis sequuntur canonicis. Romani vero in psalmis rarius, in responsoriis crebrius usurpant.» Hispani in fine omnium psalmorum canebant, ut patet ex concilii Toletani IV can. 12 supra citato: atque etiam responsoriis, in laetis quidem, non in tristioribus, ut statuitur can. 15 ejusdem concilii infra citando. Unde in officio defunctorum omittitur, ut decernitur prima additione capitularis Ludovici imperatoris, titulo 66 mox citando. Gloria. Post [Col. 0887A] hunc

@ [Col. 0888B] *Psalmus nonagesimus quartus.* In mss. cod. S. Germ. ma. S. Far. Vict. p. additur: *Venite, exsultemus.* Post imploratum praemissis versiculis et psalmo tertio Dei auxilium hoc psalmo se mutuo fratres ad laudes Deo persolvendas excitant: ac propterea appellatur a Magistro, cap. 44 suae Regulae, *responsorium hortationis.* «Oportet, inquit, in nocturno ab abbate dici versum apertionis, Responsorium hortationis.» Appellatur et psalmus invitatorius, qui olim in officio defunctorum non dicebatur, ut notum est [Col. 0888C] ex prima additione Capitul. Lud. imp. titul. 66: «Psalmus invitatorius et gloria pro defunctis non cantetur:» et propter eamdem causam appellatur sonus in officio Mosarabo Isidoriano: «Sonus est, *Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* psalmus nonagesimus quartus cum antiphona [Col. 0888A] aut certe decantandus.

@ [Col. 0888C] *Inde sequitur Ambrosianum.* Ita hunc locum Regulae exponit Walfridus Strabo, cap. 25, lib. de Rebus Ecclesiasticis: «In officiis quoque, quae beatus Benedictus abbas omni sanctitate praecipuus ordinavit, hymni dicuntur per horas canonicas, quos Ambrosianos ipse nominans, vel illos vult intelligi, quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos:» recte. Dicti sunt a S. Ambrosio, ut testatur S. Isidorus, lib. I de Offic. Eccl., cap. 6: «Atque inde hymni ex ejus (Ambrosii) nomine Ambrosiani vocantur, quia ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt: cujus celebritatis devotio posthac per totius [Col. 0888D] occidentis Ecclesias observatur.» Horum meminit concilium Turonense II, can. 24, eosque probat, aliosque cantari dignos: «Licet hymnos Ambrosianos habeamus, etc.» quemadmodum et concilium Toletanum IV, can. 12, etsi non sunt de Scripturis canonicis: «Hymni humano studio ad laudem Dei atque apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut ii quos beatissimi doctores Hilarius et Ambrosius ediderunt, etc.» Nec his obest canon 30 concilii I Bracarensis: «Item placuit, ut Veteris Testamenti nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur, sicut et sancti praecipiunt canones.» Nam concilium tantum vetat Veteris Testamenti textum poetice compositum cani in ecclesia, ne per hujusmodi poesin sanctae Scripturae puritas et majestas adulteretur: non tamen rejicit hymnos ab orthodoxis Patribus elucubratos. De Ambrosianis consule Rupertum, lib. II in Regulam S. Benedicti cap. 5. Inde sequatur Ambrosianum. [Col. 0889A] Deinde sex psalmi; quibus dictis, dicto versu,

@ [Col. 0889B] *Benedicat abbas.* Ita hunc locum explicat Smaragdus: *Id est, post versum a cantante dictum dicat Abbas:* precibus omnium sanctorum suorum salvet et benedicat nos Dominus, vel aliquam aliam ejusmodi benedictionem. Haec ergo benedictio est capitulum illud, quod modo appellatur absolutio. Postea multa addita sunt, ut oratio Dominica, petitio benedictionis a lectore, cujus mentio fit. 1. add. Capitul. Lud. Imp. tit. 67. *Ut lector stando benedictionem postulet,* et, *tu autem Domine, in fine lectionis:* cujus mentio fit eadem additione tit. 69. *Deinde regula, aut Homilia quaedam legatur;* deinde, Tu autem, Domine, dicatur. benedicat abbas, et sedentibus cunctis in scamnis legantur vicissim a fratribus in codice
@ [Col. 0889B] *Super analogium.* Analogium est pulpitum, id quod supponitur libro. Ita Julius Pollux lib. I. Onomastici, cap. 14, qui tamen ait in hac significatione non reperiri apud bonos auctores. Glossae mss. in regulam S. Benedicti cod. S. Victoris Parisiensis: *Analogium, lectorium.* Glossae Isidori. *Lectrum, analogium, super quo legitur.* Eaedem Glossae: *Lampium,* [Col. 0889C] pulpitum, analogium. Eaedem Glossae: *Pulpitum, analogium, lectrum.* A nomine, *lectrum,* fit Gallica vox, *lutrin, id est, analogium.* Papias analogium sumit pro suggestu: *Analogium dicitur quod sermo inde praedicetur, ex S.* Isidori lib. XV Origin., cap. 4. Walfridus rerum Eccl. cap. 6: *Analogium quod in eo verbum Dei legatur et annuntietur.* Est etiam analogium manuale. Glossae Philoxeni: *Manuale* ἀναλόγιον; quid sit Manuale, explicant Glossae Isidori: *Manuale liber ad gerendum aptus, qui enchiridion dicitur.* Mentio fit analogii in Glossis Arabico Latinis, sed sine interpretatione. Αναλογεῖον autem apud Suidam est ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία, id est in quo ponuntur libri: sed est pluteus, repositorium, seu armarium librorum. super analogium tres lectiones, inter quas et
@ [Col. 0889C] *Tria responsoria.* Quid sit responsorium explicat S. Isidorus lib. I de Offic. Eccl., cap. 8. «Responsoria, inquit, ab Italis longo ante tempore sunt reperta, et vocata hoc nomine, quod, uno canente, [Col. 0889D] chorus consonando respondeat. Ante autem id solus quisque agebat: nunc unus interdum duo, vel tres communiter, choro in plurimis respondente.» Idem lib. VI. Etymologiarum, cap. 19: «Responsorios Itali tradiderunt. Quod carmen inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente alter respondeat. Inter responsorios autem et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem versibus alternant chori.» tria responsoria cantentur. Duo responsoria sine Gloria dicantur.
@ [Col. 0889D] *Post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat Gloriam.* Nempe in tertio responsorio. Hunc regulae locum respexit Walfridus Strabo, cap. 25 supra citato, cum ait hunc versum paucioribus responsoriis aptare eos, *qui statuta Patris Benedicti in horis sequuntur canonicis.* Sed fuit diversus usus: nam crebrius Romani hunc glorificationis hymnum canebant in responsoriis, ut notat idem auctor eodem capite. Ab antiquis tamen non adhibebatur, ut notat Amalarius Fortunatus lib. de Ordine Antiphonarii, [Col. 0890B] cap. 2: «Priscis temporibus non cantabatur Gloria post versum, sed repetebatur responsorius.» Concilium Toletanum IV, can. 15, redarguit eos, qui non adhibebant, *Gloria Patri, responsoriis, et statuit cum hac discretione esse canendum:* «Ut in laetis sequatur Gloria, in tristioribus repetatur principium,» quod adhuc est in usu. Post tertiam vero lectionem, qui cantat, dicat Gloriam. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem et reverentiam sanctae Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis Dominicae auctoritatis tam Veteris Testamenti quam Novi. Sed et expositiones earum, quae

@ [Col. 0890B] *A nominatis et orthodoxis catholicis Patribus.* In cod. mss. S. Germ. ma., Ebr. Far. et Vict. ma. scribitur: *A nominatissimis et catholicis et orthodoxis, apud S.* Dunstanum et in vulgatis editionibus: *A nominatissimis doctoribus, orthodoxis et catholicis patribus.* Cod. ms. Vict. p. legit: *A nominatis doctoribus et orthodoxis Patribus.* a nominatis et orthodoxis catholicis Patribus factae sunt. Post has vero sex lectiones cum responsoriis suis sequantur reliqui sex psalmi cum
@ [Col. 0890B] *Cum alleluia canendi.* Ms. cod S. Ebrul., *Cum albis canendi.* alleluia canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur [Col. 0890A]
@ [Col. 0890B] *Ex corde recitanda.* Ex corde recitare est memoriter dicere, quod Graeci vocant, ἀποστηθίζειν, a στῆθος, id est pectus. Palladius in Lausiaca, cap. de [Col. 0890C] Herone: Πεζός βαδίζων ἀπεστήθιζεν ψαλμοὺς δεκαπέντε, id est, pedes ambulans ex corde recitabat quindecim psalmos. ex corde recitanda: et versus et
@ [Col. 0890C] *Supplicatio litaniae.* In cod. ms. Vict. ma., *Supplicatio et litania;* sed de his infra. supplicatio Litaniae, id est, Kyrie eleison. Et sic finiantur vigiliae nocturnae.

APPENDIX II.---

Qualiter aestatis tempore agatur nocturna laus. (Ex eadem Regula, *cap.* 10.)

A Pascha autem usque ad Kalendas Novembris omnis, ut supra dictum est, psalmodiae quantitas teneatur: excepto quod lectiones in codice propter brevitatem noctium minime legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus una de Veteri Testamento memoriter legatur, quam breve responsorium subsequatur. Et reliqua omnia, ut dictum est, impleantur. Id est
@ [Col. 0890C] *Ut nunquam minus a duodecim psalmorum quantitate.* Veteres illi Aegyptii monachi hunc duodenarium numerum psalmorum tam in vigiliis nocturnis quam in synaxi vespertina mordicus retinuerunt, quod esset ipsis angelica revelatione traditus. Nam cum una convenissent, ut certum quemdam psalmorum numerum struerent, alii vero quinquagenos, alii sexagenos, alii plures paucioresve, quisque pro animi sui fervore recitandos contenderent, quaestione usque ad synaxim protracta, angelus eis apparuit: qui duodecim psalmis coram decantatis adhibitoque in fine Alleluia, ab universorum oculis subtractus, quaestioni finem imposuit, scribit Cassianus lib. II de Nocturnis Orationibus, cap. 5 et 6. Eumdem [Col. 0890D] psalmorum numerum cum in vigiliis nocturnis, tum in vespertina synaxi decantandum S. Pachomio angelus revelavit, ut scribit Palladius, cap. de Tabennesiotis. Hacque ratione noluit S. Benedictus ab hoc numero deflectere saltem in nocturnis vigiliis. Nam in synaxi vespertina noluit hunc duodenarium numerum observari brevitati consulens: quia divinis officiis multa adjecit, insuper et completorium, quae non erant in canone priscorum illorum monachorum. Synodus Turonica II, can. 18, ob eamdem angeli revelationem in utraque celebritate nocturna et vespertina statuit, ut non minus, quam duodecim psalmi canerentur: etsi in quibusdam mensibus hunc augeat numerum in vigiliis nocturnis: «Et ad duodecimam, inquit, duodecim cum Alleluia, quod etiam angelo ostendente didicerunt (antiqui Patres) si ad duodecimam duodecim psalmi, cur ad matutinum, non itemque duodecim explicentur?» Hoc autem loco matutinum pro vigiliis nocturnis usurpatur, ut infra explicabitur. Sic in officio monasterii sanctorum Agaunensium, hoc est, S. Mauricii et

sociorum ejus a sancto Avito Viennensi antistite aliisque episcopis instituto non minus quam duodecim psalmi in nocturnis vigiliis recitabantur, ut testatur Aimoinus [Col. 0891B] lib. III de Gestis Franc., cap. 80, ubi de illo officio agit: «Verum in Januario, inquit, et Februario, ut possibilitas sinebat. Hoc tamen observantes, ne minus a duodecim psalmorum quantitate ad nocturnas dicerent vigilias. «Causam non profert Aimoinus: sed satis clara est ex supra citata synodo Turonica, quae cum prorsus idem officium instituat, ac antea S. Avitus, ut ex utriusque loci collatione patet, nullamque aliam referat hujus instituti causam, quam revelationem angelicam, clarum est non aliam ob causam institutum esse a S. Avito, ut saltem duodecim psalmi in vigiliis nocturnis et synaxi vespertina canerentur. Apponam hic textum synodi et explicabo: «Ut in diebus festis ad matutinum sex antiphonae binis psalmis explicentur. Toto Augusto manicationes fiant, quia festivitates sunt et missae sanctorum; Septembri septem antiphonae explicentur binis psalmis; Octobri, octo, ternis psalmis; Novembri, novem, ternis psalmis; Decembri, decem, [Col. 0891C] ternis psalmis; Januario et Februario itidem usque ad Pascha. Sed ut possibilitas habet, qui facit amplius pro se, et qui minus, ut potuerit. Superest, ut vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum (quia Patrum statuta praecipiunt) ut ad sextam sex psalmi dicantur cum Alleluia, ut ad duodecimam duodecim, itemque cum Alleluia, quod etiam Angelo ostendente didicerunt.» Haec divini officii institutio eadem omnino habetur apud Aimoinum capite citato. Primo ergo haec verba hujus canonis: *In diebus festis, sunt castiganda et legendum: In diebus aestivis, ut apud Aimoinum: In diebus enim aestivis sex antiphonae, etc.;* non enim quaestio est de diebus festis, sed de totius anni cursu, qui non integer ordinaretur, si hoc loco de festis diebus ageretur, cum nihil statueretur de tempore aestivo ad Septembrem usque, in quo statuuntur duodecim psalmi canendi. Ita enim intelliguntur illa verba: *Sex antiphonae binis psalmis explicentur, id est, sub unaquaque istarum antiphonarum bini psalmi canantur,* et [Col. 0891D] sic efficies duodecim psalmos; quae explanatio satis est manifesta ex sequentibus Aimoini verbis: *In Septembri vero septem antiphonae canebantur, distributis unicuique binis psalmis, et sic erunt quatuordecim psalmi in Septembri recitandi, et ita explicanda concilii verba: Septembri, septem antiphonae explicentur binis psalmis.* Octobri vero si octo, nempe antiphonae ternis psalmis explicentur, recitandi sunt psalmi quatuor et viginti; Novembri septem et viginti, cum novem antiphonae ternis psalmis explicentur; et Decembri triginta psalmi cum decem antiphonae ternis etiam psalmis expediantur. Porro duodenarius hic numerus mysticus est, significat enim duodecim Patriarchas, apostolos, fundamenta et portas coelestis Hierusalem, duodecim fontes aquarum in Exodo, duodecim stellas, quibus mulier in Apocalypsi coronatur, et si quid simile in Scripturis reperitur. ut nunquam minus a duodecim psalmorum [Col. 0891A] quantitate ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio et nonagesimo quarto psalmo.

APPENDIX III.---

Qualiter Dominicis diebus vigiliae agantur. (Ex eadem Regula, *cap.* 11.)

@ [Col. 0892A] *Dominica die temperius surgatur.* In cod. ms. majori S. Germ. legitur: *Temporius, optima lectio.* Glossae Philoxeni: *Temporius,* ἐνωρότερον. Glossae Cyrilli: ἐνωρότερον, *temporius.* Ita loquitur Tertullianus lib. de Anima: *In masculis, temporius*

effingitur. [Col. 0892B] Vetus Ordo Romanus in ordine Paschae: *Conveniat schola temporius.* Hinc castigandus est locus ejusdem Ordinis in ordine in nocte Parasceves: *In nocte parasceves* temporariae, id est, *media nocte, parvum ligneum signum sonetur.* Legendum est enim, *temporius, alioqui nullus esset hujus loci sensus.* Confirmatur ex ordine in Coena Domini supra, ubi haec habentur: *Feria quinta majoris hebdomadae eadem nocte surgant ad vigilias hora noctis octava, id est, secunda nostra nocturna.* Igitur cum in nocte Parasceves praecipitur pulsare signum media nocte, recte sequitur illa nocte pulsandum seu surgendum temporius, seu citius, aut maturius. Temperius autem S. Benedictus surgendum esse praecipit die Dominica, quia propter solemnitatem et reverentiam hujus diei auget officium nocturnarum vigiliarum juxta morem priscorum illorum Aegypti monachorum, et aliorum qui diebus Dominicis et festivis, vigilias nocturnas augendas esse censuerunt, ut notum [Col. 0892C] est ex Cassiano, lib. III de Diurnis Orat., cap. 8; ex Regula Tetradii, cap. 25; S. Columbani, cap. 7; S. Isidori, cap. 6; S. Fructuosi episc., cap. 3; Pauli et Stephani cap. 11. «Mane dicta Prima nullus se in lecto recollocet praeter die Dominico et festis diebus, in quibus vigiliarum labore et praeteriti diei aestu solito amplius fatigati paululum post primam, qui ex vobis voluerint, membra ponamus [*Leg.,* ponant] in lectis.» Dominica die temperius surgatur ad vigilias: in quibus vigiliis teneatur mensura, id est, modulatis, ut supra disposuimus, sex psalmis et versu, residentibus cunctis disposite, et per ordinem in subselliis, legantur in codice, ut supra diximus, quatuor lectiones cum responsoriis suis: ubi tantum in [Col. 0892A] quarto responsorio dicatur a cantante, Gloria. Quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant. Post lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi cum antiphonis et versu. Post quos iterum legantur quatuor lectiones cum responsoriis suis, ordine quo supra. Post quas dicantur tria

@ [Col. 0892C] *Cantica.* Canticorum, quae in divinis officiis dicuntur, meminit S. Isidorus cap. 6 Regulae et lib. I de Officiis Eccl., cap. 4, ubi hoc discrimen statuit inter canticum et psalmum: *Canticum autem vox humana est, psalmus vero, qui canitur ad psalterium.* cantica de prophetis, quae instituerit abbas. Quae cantica

@ [Col. 0892C] *Cum alleluia.* Ms. S. Ebrulphi, *Cum albis.* cum alleluia psallantur. Dicto etiam versu, et benedicente abbate, legantur aliae

@ [Col. 0892C] *Quatuor lectiones de Novo Testamento.* Non tamen de Evangelio: quia post, *Te Deum, nominatim exprimit dicendam esse lectionem de Evangelio, quam praecipit a fratribus stantibus audiri ob reverentiam:* quod de his lectionibus Novi Testamenti [Col. 0892D] etiam statuisset, si voluisset eas sumi ex Evangelio. quatuor lectiones de Novo testamento, ordine quo supra. Post quartum responsorium incipiat abbas hymnum,

@ [Col. 0892D] *Te Deum laudamus.* Hujus hymni mentio fit in regula Tetradii, in qua praecipit hunc hymnum cani in laudibus matutinis. «Perfectis missis, dicite Matutinos directaneo. *Exaltabo te Deus meus, et rex meus.* Deinde, *Confitemini.* Inde, *Cantemus Domino.* Lauda, anima mea, Dominum. Benedictiones. *Laudate Dominum de coelis.* Te Deum laudamus. Gloria in excelsis Deo; et capitulum. Omni Dominica sic dicatur.» Ubi nota hymnum *Gloria in excelsis Deo, cani in laudibus matutinis, idque juxta antiquum morem.* Sic S. Athanasius in lib. de Virginitate, ubi normam divini officii tradit, hunc hymnum Angelicum ad diluculum recitari jubet: Διάψαυμα δὲ. Εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, etc., id est, «diluculum. Benedicite omnia opera Domini Domino. Gloria in excelsis Deo, etc.» Ut autem ad

hymnum, *Te Deum laudamus, redeamus, praecipitur tum a D.* Benedicto, tum a Tetradio cantari in Dominica, quia proprius hujus celebritatis hymnus est. Unde apud Alcuinum, in libro de Officiis per ferias hic hymnus inscribitur: *Hymnus Dominicalis:* etsi Romani olim illum canerent tantum in natalitiis pontificum, ut scribit Amalarius Fortunatus lib. de Ordine Antiphonarii, cap. 2. «Interrogavi (magistrum Ecclesiae Romanae) si canerent per [Col. 0893B] Dominicas noctes, *Te Deum laudamus.* Responsum est: Tantum in natalitiis pontificum, *Te Deum laudamus, canimus.*» Sed hic mos postea mutatus est. Praeterea notandum est nullum eximi a S. P. Benedicto hujus hymni canendi tempus: ne quidem quadragesimale. Hinc fit ut illum omni tempore cani solitum sit a monachis Benedictinis. Quod cum episcopi in conciliis Galliae et Italiae congregati minime probarent, interpellassentque abbates et monachos nonnullos, cur in Dominicis Adventus et Quadragesimae: *Te Deum laudamus, in suis ecclesiis psallerent, et respondissent illi nullum tempus a S.* Benedicto in sua regula exceptum fuisse, episcopi aliquid de regula S. Benedicti immutari nefas ducentes, monachis hunc hymnum praedictis temporibus psallere permiserunt, ut scribit Radulphus Glaber lib. III Hist., cap. 3. *Te Deum laudamus;* [Col. 0893A] quo perdicto,

@ [Col. 0893B] *Legat abbas lectionem de Evangelio.* Si est sacerdos aut diaconus, alioqui non debet legere Evangelium [Col. 0893C] publice in divino officio, ut monet Smaragdus hoc loco: «Dixit enim (S. Benedictus): Incipiat abbas hymnum, lectionemque Evangelii legat. Tamen non hoc omnes debent, valentque facere abbates. Sunt enim, qui aut impediente culpa non debent, aut impossibilitate nocente non valent. Igitur sunt abbates, qui nec sacerdotis, nec levitae funguntur ministerio, ideo nec sacrosanctum legere possunt Evangelium.» Ex quo loco sequitur non fuisse olim usu receptum, ut omnes abbates essent sacerdotes, vel diaconi. Id docet Rupertus lib. II in Regulam S. Benedicti cap. 10. «Olim non ita erat. Multi abbates erant, qui sacros ordines non habebant; exempli gratia Equitius abbas, cujus Vitam, vel Actus beatus papa Gregorius primo Dialogorum narrat.» Quare quorumdam recentiorum opinioni suffragari non possum, qui dicunt abbatem teneri ad sacerdotium ex Regulae S. Benedicti instituto. His enim antiqua praxis et instituta omnino adversantur. B. [Col. 0893D] Servandus abbas, qui familiaris erat S. P. Benedicti, diaconus fuit, non presbyter. Alcuinus ille magnus diaconus fuit, non sacerdos, ut ex ejus Vita constat. S. Ratbertus Paschasius abbas Corbeiensis nunquam presbyter fuit, sed diaconus. Item S. Adalardus abbas etiam Corbeiensis nunquam presbyter fuit, ut ex eorum Actis notum est **(Sur. 1 Jan.)**. S. item Eugendus nunquam ad hunc ordinem promoveri voluit; et cum de hoc ordine suscipiendo sollicitaretur, dixit utilius multo esse abbati propter juniorum ambitionem liberum a sacerdotio praeesse fratribus. Multique alii quos enumerare longum esset. Petrus Blaesensis **(Epist. 23)** valde probabiliter credit S. P. Benedictum nunquam fuisse presbyterum. Neque ipse S. Maurus S. Benedicti discipulus, unquam sacerdos fuit, sed diaconus tantum, ut ex Fausto manifeste liquet, et certe in missalibus mss. monasterii Fossatensis, et in editis Ecclesiae Parisiensis haec de S. Mauro collecta habetur: *Deus, qui beatum Maurum levitam aeternae gloriae concessisti fieri participem, etc.* **(Sur. 1 Jan.)**. Nec in hac re fuit Regulae praevaricator: cum nullum sit praeceptum in regula S. Benedicti manifestum, quo abbates obstringantur, ut presbyteri fiant. Et loci Regulae, qui opponuntur a Dom. Antonio d'Yepez de audiendis confessionibus, missis faciendis, et similibus, intelliguntur, si abbas sit sacerdos. Nec in comitiis generalibus abbatum Aquisgrani habitis coram Ludovico Pio imperat. ad

ordinis reformationem aliquid ejusmodi praecipitur: imo tit. 62 habetur: «Ut abbas, praepositus et decanus, quamvis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.» Postea tamen institutum est, ut abbates presbyteri ordinarentur, ut statuitur *de qualitate et aetate, tit.* 14, cap. *Ut Abbates.* legat abbas lectionem de Evangelio, cum honore et tremore

@ [Col. 0894B] *Stantibus omnibus.* Ob reverentiam sancto Evangelio debitam; qui sane standi mos, dum Evangelium legitur, est ab apostolis, ut clarum est ex liturgia S. Marci: Στάθητε, ἀκούσωμεν τοῦ ἁγίου Ἐυαγγελιου, id est, «state, audiamus sanctum Evangelium:» Hujus moris meminit S. Germanus in Theoria mystica: Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, ὀρθοὶ ἀκούσωμεν τοῦ ἁγίου Ευαγγελίου, etc., id est, verbum Dei est; recti audiamus sanctum Evangelium.» Anastasius I papa instituit ut, cum recitatur Evangelium, sacerdotes non sederent, sed curvi starent, ut refert Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita. stantibus omnibus; qua perlecta,

@ [Col. 0894B] *Respondeant amen.* Amen, hoc loco est affirmantis [Col. 0894C] non optantis, ut recte notat Smaragdus, et significat *vere,* non vero, *fiat:* hacque particula chorus se Evangelio credere profitetur. respondeant omnes, amen: et subsequatur mox abbas hymnum, *Te decet laus.* Et

@ [Col. 0894C] *Data benedictione.* Nunc loco istius benedictionis dicitur collecta. Quae sane tempore Gratiani dicebatur, ut videre est, qu. 16, cap. 1. Hinc est etiam, cum ait: «Lectionem quoque Evangelii similiter abbati ad legendum tribuit (S. Benedictus) quam subsequenti oratione legere similiter sacerdotalis officii est.» Ubi haud dubie ponit subsequentem orationem loco benedictionis.---*Data benedictione.* A sacerdote. Quare non dixit S. Benedictus *Benedicat abbas;* Quia forte non erit sacerdos: quae benedictio cum detur toti conventui non debet dari, nisi a sacerdote. data benedictione

@ [Col. 0894C] *Incipiant.* Ita vulgo. Tamen in cod. mss, S. Ebrul. et S. Far. legitur: *Incipiat.* Recte satis meo quidem judicio, ut hoc verbum referatur ad abbatem. Moris olim fuit, ut abbas officium inciperet: [Col. 0894D] id manifeste constat ex Regula ms. Magistri cap. 44: «Oportet in nocturno ab abbate dici versum apertionis, etc.,» ubi versus apertionis est, *Domine labia mea aperies.* Nam ab eo versu incipit nocturnos Magister non a versu, *Deus in adjutorium meum intende.* incipiant Matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore tam aestatis quam hiemis aequaliter die Dominico teneatur: nisi forte, quod absit, tardius surgant et aliquid de lectionibus breviandum [Col. 0894A] est, aut responsoriis: quod tamen omnino caveatur, ne proveniat. Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio, per cujus evenerit neglectum.

APPENDIX IV.---

Qualiter matutinorum solemnitas agatur. (Ex eadem Regula, *cap.* 12.)

@ [Col. 0894D] *In matutinis.* Matutini hoc loco sunt Laudes, ut vulgo loquuntur. Sed nunc matutini appellantur vigiliae nocturnae. Et quidem olim aliquando ita sunt appellatae vigiliae nocturnae, ut videre est in synodo Turonensi II can. 18: «In diebus festis [*Leg.,* aestivis] ad matutinum sex antiphonae binis psalmis explicentur. In matutinis Dominico die

@ [Col. 0894D] *In primis dicatur sexagesimus sextus.* Notandum est hic S. Benedictum incipere matutinos a psalmo sexagesimo sexto, non a versiculo, *Deus in adjutotorium*

meum intende. Eadem enim utitur particula, *in primis* [Col. 0895B] explicentur.» Et infra: «Cur ad matutinum non itemque vel duodecim explicentur?» Quod hi loci de nocturnis vigiliis intelligendi sint, patet: quia synodus mentionem facit supra dictae visionis angelicae de numero psalmorum duodenario: at haec revelatio erat de nocturnis vigiliis et de synaxi vespertina, ut supra probatum est. Praeterea Aimoinus loco supra citato idem officium, quod dicta synodus, describens id quod synodus matutinum dixit, nocturnas vigilias appellavit. «Hoc tamen, inquit, observantes, ne minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas.» Quae valdae notanda sunt, ad quosdam locos ex conciliis et Patribus explicandos.

in primis, qua supra cap. 9, cum jubet vigilias incipi a versiculo *Deus, in adjutorium;* et c. 18, de horis diurnis. Accedit quod cum caeteris hunc versiculum diserte praemittendum praecipiat, ut videre est cap. [Col. 0895C] 9, 17 et 18, id nunquam de laudibus matutinis praescripserit. Et ratio est, quia duo primi versiculi psalmi sexagesimi sexti, qui apte sub auroram in hac hora dicitur, quod jam die illucescente mens nostra a Deo illuminanda sit, *Deus misereatur nostri, etc. Illuminet vultum suum super nos, etc.,* implicite continent quidquid versiculo, *Deus, in adjutorium, exprimitur.* in primis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona. Post quem [Col. 0895A] dicatur quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicatur

@ [Col. 0895C] *Centesimus decimus septimus.* Id est, *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Ita capiendus est locus regulae Tetradii: «Dicite matutinos directaneo. *Exaltabo te, Deus meus, et rex.* Deinde, *Confitemini.*» centesimus decimus septimus

@ [Col. 0895C] *Et sexagesimus secundus.* Sic S. Athanasius in tractatu de Virginitate praescribit virginibus, ut mane eumdem psalmum recitent: Πρὸς ὄρθρον δὲ τὸν ψαλμὸν τοῦτον λέγετε· ὁ Θεός μου πρός σε ὀρθρίζω, id est, «mane dicite hunc psalmum: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.*» et sexagesimus secundus. Inde

@ [Col. 0895C] *Benedictiones.* Id est, canticum trium puerorum [Col. 0895D] ex veteri institutione: cum etiam illucescente die recitari illud jubeat tractatu citato S. Anathasius, διὰ φαῦμα, Εὐλογεῖτε πάντα ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον, id est, «illuscescente die, *Benedicite, omnia opera Domini, Dominum.*» In Regula Tetradii, cap. 21, de Matutinis, male legitur: *Benedictionem* pro *benedictiones.* benedictiones, et

@ [Col. 0895D] *Et laudes.* Id est, psalmus centesimus quadragesimus octavus cum duobus sequentibus, qui psalmi olim etiam cantabantur a veteribus Aegypti monachis ad laudes matutinas, ut docet Cassianus lib. III de Nocturnis Orationibus, cap. 6. Hinc etiam capienda sunt verba illa Regulae Tetradii, cap. 21: *Benedictiones, Laudate Dominum de coelis.* laudes, lectio de Scriptura una ex corde, et responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio,

@ [Col. 0895D] *Litania.* Supra, *supplicatio, litaniae.* Litania est oratio, precatio. Glossae Cyrilli: Λιτὴ ἢ λιτανεία, *litatio, precatio.* Suidas: Λιτανεία καὶ λιτὴ, ἡ παράκλησις, id est, oratio. Manuel Moschopulus Scheda 1: Λιτὴ παράκλησις, λιτανέυω, λιτανεία. Idem repetit Scheda 12. Mentionem facit S. Basilius epist. 63. [Col. 0896B] Haec supplicatio est Kyrie eleison, ut S. Benedictus cap. 9, explicat. De hac supplicatione agit S. Augustinus, epist. 178, et concilium Vasense secundum, can. 3, in quo jubetur recitari ad matutinum, missas et vesperam. litania, et completum est.

Qualiter privatis diebus matutini agantur. (Ex eadem Regula, cap. 13.)

@ [Col. 0896B] *Privatis diebus.* Privati dies sunt feriales, non solemnes. Breviarium Mozarabum: «Dies sive sit festiva, sive privata.» Diebus autem privatis Matutinorum solemnitas ita agatur: id est, ut sexagesimus sextus psalmus dicatur

@ [Col. 0896B] *Sine antiphona.* Antiphona a Graeco ἀντιφωνεῖν. Id est, ex adverso reciproce et alternatim seu vicissim canere, idque dupliciter. Primo psalmodia, choris alternos psalmos aut eorum versiculos vicissim modulantibus; secundo per antiphonas, quae olim versiculis constabant, quos duo chori alternatim concinebant, ut planum est ex S. Isidoro, lib. VI Origin., cap. 19: «Inter responsorios autem et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem versibus alternant chori.» Hodie aliter: nam ad antiphonas duo junguntur [Col. 0896C] simul psallendo chori. Sed non est proprie ἀντιφωνεῖν, hoc est, per antiphonas canere: quia nulla est ibi vocum reciprocatio seu alternatio, etsi adversi canant. S. Benedictus psalmis interserit antiphonas: quae tamen olim seorsim a psalmis, illis praemissae canebantur: ut liquet ex Cassiano, lib. III de Diurnis Orationibus, cap. 8: «Nam cum stantes antiphonas tres concinuerunt insidentes tres psalmos uno modulante respondent.» Hodie incoepta antiphona (nisi sit festum duplex) canitur psalmus: qui mos antiquus satis, cujus meminit Amalarius Fortunatus lib. IV de Offic. Eccl., cap. 7: «Antiphona inchoatur ab uno unius chori, et ad ejus symphoniam psalmus cantatur per duos choros.» De Antiphonis insuper vide S. Isidorum lib. I de Offic. Eccl., cap. 7. sine antiphona subtrahendo modice, sicut in Dominica, ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alii duo psalmi dicantur secundum consuetudinem. Id est, secunda [Col. 0896A] feria, quintus, et trigesimus quintus. Tertia feria quadragesimus secundus, et quinquagesimus sextus. Quarta feria, sexagesimus tertius, et sexagesimus quartus. Quinta feria, octogesimus septimus, et octogesimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, et nonagesimus primus. Sabbato autem, centesimus quadragesimus secundus, et canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas glorias. Nam caeteris diebus canticum unumquodque ex prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post haec sequentur laudes. Deinde lectio una Apostoli memoriter recitanda. Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, litania, et completum est.

@ [Col. 0896C] *Plane.* Est *vere, certe, juxta Smaragdum.* Puto significare, *omnino.* Plane

@ [Col. 0896C] *Agenda.* Est officium alicujus horae, officium divinum, [Col. 0896D] cursus divini officii, anniversaria celebritas, *opus Dei:* ut infra hoc capite: *Caeteris Agendis.* S. Gregorii antiphonarius: «In Agenda mortuorum antiphona, requiem aeternam.» Anastasius Bibliothecarius in Leone II: «Sed et ne Mauri episcopi anniversitas seu Agenda celebraretur, etc.» Eadem verba repetit Abbo Floriacensis in Leone II, lib. VI. Capitul. Car. et Lud. impp. tit. 234, et Add. tit 49: «Si quis presbyter inconsulto episcopo Agendam in quolibet loco noluerit celebrare, etc.» Unde in synodo Carthaginensi II, can. 9, ex qua citatae constitutiones sumptae sunt, male bis legitur, *Agenda, in neutro plurali.* Agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando,

@ [Col. 0896D] *Nisi in ultimo per ordinem oratio Dominica.* Idem praecipit concilium Gerundense, can. 10: «Item nobis semper placuit observari, ut omnibus diebus post

Matutinas et Vesperas oratio Dominica a sacerdote proferatur.» Ubi proferre est clara et distincta voce pronuntiare. nisi in ultimo per ordinem oratio Dominica [Col. 0897A] omnibus audientibus dicatur a Priore

@ [Col. 0897A] *Propter scandalorum spinas.* Scandalorum spinae sunt jurgiorum difficultates. Scandala sunt jurgia, rixae; etiam pugnae. Regula ms. Magistri, cap. 83: «Si vero, quod absit, non pacifice, sed magis per [Col. 0897B] scandalum exire noluerint, exuti rebus monasterii duntaxat sine magna injuria, clausa regia excludantur.» S. Gregorius Turonensis lib. III Hist., cap. 6: «Multi tunc filii senatorum in hac obsidione dati sunt, sed orto iterum inter reges scandalo, etc.» Lib. I Capitularis Caroli imperatoris, tit. 89: «Si in hoste, aut infra regnum nostrum litigatio aut scandalum inter quascunque personas videlicet majores aut minores ortum fuerit.» Lib. I legis Longobardorum, tit. 16, l. 3: «Si mulier in scandalum cucurrerit, ubi viri litigant, si plagas, aut feritas factas habuerit.» Ergo scandalum hoc loco Regulae sumitur pro peculiari peccato dissensionis aut rixae, non pro malo exemplo. Quod satis patet ex sequentibus: «Purgent se ab hujusmodi vitio: nempe rancoris, iracundiae, dissidii, contentionis, etc.» Ita etiam explicat hunc locum Regulae Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, epist. ad Rotrudem, apud Flodoardum lib. III Hist. Eccl. Rhemensis, cap. 27: [Col. 0897C] Scitis, quia Regula, quam professae estis, propter scandalorum spinas, quae in monasterio oriri solent, orationem Dominicam in matutinis et vespertinis officiis, ita ut omnes illam audiant, a priore orare praecipit, ut timentes convenientiam, qua dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, omnem rancorem de nostro corde pellamus.*» propter scandalorum spinas, quae oriri solent in monasterio;

@ [Col. 0897C] *Ut conventi.* In cod. mss. S. Ebrul. S. Germ. ma., S. Far. et Vict. p. legitur: *Conversi.* Tamen vulgata lectio potior: *conventi, id est, interpellati, nempe per orationis pactum et sponsionem.* Nam convenire est interpellare; Nonius Marcellus cap. 4: *Convenire, interpellare.* M. Tull. in Verrem actione 2, non dubitat, quin ipse, si Verrem *convenisset.* ut conventi per ipsius orationis sponsionem qua dicunt: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab hujusmodi vitio.*

@ [Col. 0897C] *Caeteris agendis.* Id est horis canonicis, ut supra explicatum est, exceptis tamen nocturnis vigiliis Dominicarum: quia cap. II, illis finitis, data benedictione, jubet incipi matutinos: sicut et natalitiorum, [Col. 0897D] aliarumque solemnitatum nocturnis, quos cap. 14 instar nocturnorum Dominicae celebrari jubet. Caeteris vero Agendis

@ [Col. 0897D] *Ultima pars ejus orationis dicatur.* Subaudi, clara voce: caeteris submissa recitatis. In editione Colinaei sic legitur: *Ultima pars tantum ejusdem orationis cunctis etiam audientibus dicatur.* Sed quaedam hic addita sunt paraphrastice, ut saepe occurrit in ejusmodi editione. Toties autem sacram hanc orationem recitari praecipit S. P. Benedictus, quia, ut ait concilium Toletanum IV, can. 9, ubi quotidie hanc orationem a sacerdotibus recitari praecipit: «Quotidie, vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus.» Additque concilium: «Quisquis ergo sacerdotum, vel subadjacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut privato officio praeterierit, propter superbiam judicatus honoris sui ordine privetur.» Pelagiani, qui se justos existimabant, hanc orationem quidem recitabant, sed petitionem, *et dimitte nobis debita nostra, etc.,* non pro se, sed

pro aliis dicebant: vel si dicerent, tantum humilitatis causa. Quos ideo damnat concilium Milevitanum seu potius Carthaginense, can. 7 [Col. 0898B] et 8; qua de re plura vide apud S. Augustinum, epist. 89, 92 et 94. ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur: *Sed libera nos a malo.*

APPENDIX VI.---

In natalitiis sanctorum qualiter agantur vigiliae. (Ex Regula sancti Benedicti, *cap.* 14.)

In sanctorum vero festivitatibus,
@ [Col. 0898B] *Vel omnibus solemnitatibus.* Vel, hoc loco sumitur copulative, ut infra, *vel lectiones;* per solemnitates intelligit festos dies Natalis Domini, Paschae et similes. vel omnibus [Col. 0898A] solemnitatibus, sicut diximus, die Dominico agendum, ita agatur: excepto quod psalmi aut antiphonae,
@ [Col. 0898B] *Vel lectiones.* Tam illae quae leguntur in nocturnis quam illae quae in caeteris horis, ut moris est, excepta lectione brevi seu capitulo completorii, quam non mutat Ecclesia. Lectiones nocturnorum sunt de Actis sanctorum, praesertim martyrum in eorum natalitiis, ut statuitur in conc. Africano primo et Carthag. IV, can. 47. Porro quamvis nulla hic mentio fiat responsoriorum et versuum, tamen existimandum est ea debere solemnitati convenire. vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.
@ [Col. 0898B] *Modus.* Id est, numerus. Modus autem supra scriptus teneatur.

APPENDIX VII.---

Quibus temporibus dicatur Alleluia. (Ex Regula sancti Benedicti, *cap.* 15.)
@ [Col. 0898B] *A sancto Pascha usque ad Pentecosten.* Hoc temporis interstitio celebre fuit per universam Ecclesiam ob Christi resurrectionem cantare *Alleluia.* S. [Col. 0898C] Augustinus, epist. 119: «Ut autem *Alleluia per hos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur.* Nam aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis tamen diebus ubique.» A sancto Pascha usque ad Pentecosten sine intermissione dicatur
@ [Col. 0898C] *Alleluia.* Est vocabulum Hebraicum, quod ita interpretatur Suidas: Ἀλληλούια, Αἰνεῖτε τὸν Κύριον, παρ᾽ Ἑβραίοις, ἤτοι τὸν ὄντα· id est, «*Alleluia apud* Hebraeos significat, *Laudate Dominum, sive eum qui est.*» Ita etiam transtulerunt hoc vocabulum Septuaginta interpretes. Ps. CXLVI, הללו יה , αἰνεῖτε τὸν Κύριον S. Germanus in Theoria mystica Liturgiae singulas hujus vocabuli partes singulis sanctissimae Trinitatis personis applicat, variasque illius profert interpretationes, a quibus supersedeo brevitatis causa. *Alleluia, tam in psalmis quam in responsoriis.* A Pentecoste autem usque ad caput Quadragesimae omnibus noctibus cum posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur.
@ [Col. 0898C] *Omni vero Dominica.* Mos olim fuit omnibus Dominicis in ecclesia canere, *alleluia.* S. Augustinus, epistola citata: «Unde omnibus diebus Dominicis ad altare observatur, et *alleluia canitur.*» Omni vero Dominica

@ [Col. 0898D] *Extra Quadragesimam.* Quia mos olim fuit ut in Quadragesima non caneretur *Alleluia.* Quod universalis Ecclesiae consensio in cunctis terrarum partibus roboravit, inquit concilium Toletanum IV, can. 10. Non eximit Septuagesimam sanctus Benedictus, quia in illa, ejus aetate, adhuc cantabatur *Alleluia:* quod quidem fiebat etiam in Hispania multis annis post mortem S. Benedicti. Nam S. Isidorus, qui, juxta Redemptum, obiit aera 674, hoc est anno Domini 636, lib. I de Offic. Eccl., cap. 3, ait quotidie *Alleluia cani in Hispania, excepta Quadragesima.* Quidam scribunt S. Gregorium Magnum id primum instituisse, ne *Alleluia in Septuagesima cantaretur* **(Plat. in ejus Vita)**. De intermissione *Alleluia in Septuagesima agunt Alcuinus, cap.* 15 de Offic. eccl., et Amalarius. Postea in synodo Francica statutum est ut monachi in Septuagesima *Alleluia deponerent, ut refert Smaragdus in hujus capitis expositione, atque etiam in synodo abbatum Aquisgrani habito sub Ludovico Pio, tit.* 30: *Ut Alleluia in Septuagesima dimittatur.* Quod tamen statutum non usque adeo observatum est: nam tempore Radulphi Tungrensis, non adeo antiqui scriptoris, qui post institutos Fratres Minores vixit, ut ex ejus scriptis manifestum est, monachi Benedictini adhuc canebant in Septuagesima *Alleluia.* Sic enim ille scribit lib. de Observantia canonum, propositione 16: «Benedictini autem et Ambrosiani servant *Alleluia usque ad Dominicam Quadragesimae, vide in Regula capite 34.*» Sed legendum est 15. Nec mirum est si Benedictini tardius dimiserunt *Alleluia in Septuagesima, cum etiam Ecclesia Ambrosiana illud non deponeret, ut ex hoc loco constat, et quaedam Ecclesiae tempore S.* Gregorii septimi papae illud retinerent; quod patet ex Actis S. Herlucae, quae sub eodem papa claruit, [Col. 0899B] in quibus ait Paulus Bernhriendensis: «Forte contigit ut post septuagesimalem vesperam, in qua plurimi dimittere solent *Alleluia.*» Si plurimi, ergo non omnes. Ex quibus liquet caput Quadragesimae intelligi a S. Benedicto primam Dominicam Quadragesimae, non Dominicam Septuagesimae, ut vult Rupertus lib. II in Regulam sancti Benedicti, cap. 13, hoc pacto arbitratus se S. Benedictum cum Ecclesia Romana conciliare. Loco *Alleluia postea institutum est ut diceretur hic versiculus: Laus tibi, Domine, etc.,* non solum post gloriam versiculi: *Deus in adjutorium, ut nunc, sed etiam in psalmis, hymnis et canticis, ut manifestum est ex Alcuino, lib.* de Offic. eccl., cap. 11: «In his etiam diebus (*Septuagesimae*) ut jam diximus, intermittimus hymnum angelicum, et *Alleluia, quod est Hebraeorum:* et pro *Alleluia, humiliori, id est,* Latina utimur lingua dicentes, in psalmis, hymnis et canticis *Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.*» Haec pro tempore, quo olim dicebatur *Alleluia.* Sed in ipso opere Dei varie canebatur, Hispani illo utebantur in fine psalmorum et lectionum, ut notat S. Isidorus lib. I de Offic. eccl., cap. 3: «Post consummatam psalmorum sive lectionum praedicationem *Alleluia in fine cantatur.* Hoc in spem resurrectionis facit Ecclesia.» Alexandrini ad ternos quosque psalmos illud adjungebant, ut S. Athanasius praecipit lib. de Virginitate. [Col. 0900B] Olim in Gallia persolutis ad sextam sex psalmis, et ad vesperam duodecim, psallebatur *Alleluia, ut clarum est ex conc.* Tur. II, can. 18; ex Aimoino lib. III de Gestis Franc., cap. 80: «Superest, ut vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum (quia Patrum statuta praecipiunt) ut ad sextam sex psalmi dicantur cum *Alleluia, ut ad duodecimam duodecim,* itemque cum *Alleluia.*» Ita hic textus est interpungendus, alioqui juxta veterem interjunctionem, quae non claudit parenthesi haec verba, *Quia Patrum statuta praecipiunt, sensus vacillat.* extra Quadragesimam cantica, matutini, [Col. 0899A] prima, tertia, sexta nonaque cum *Alleluia dicantur.* Vespera vero cum antiphona. Responsoria

[Col. 0900A] vero nunquam dicantur cum *Alleluia, nisi a Pascha usque ad Pentecosten.*

CAPUT XXIV. QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR.

[Col. 0899C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0899C] *Ut ait propheta.* Supp. opera divina agamus per diem. Qualiter, hoc loco, id est quoties. Hoc capitulum profertur a Burchardo lib. II, cap. 105, ubi sic legitur: *Dicente Propheta:* Septies in die, etc. Porro statis quibusdam horis quotidie laudes Deo persolvere vetus est Ecclesiae institutum, quod vellicare olim ausi sunt ecclesiae Neocaesariensis clerici probro vertentes S. Basilio, quod certis horis quotidie laudes Deo caneret, dicentes moris id olim non fuisse Magno illi Gregorio Neocaesariensi episcopo. Sed eos egregie refutat S. Basilius epist. 63, dicitque illos probare non posse id non fuisse usitatum Magno illi Gregorio. Hos secutus est Lampetius haereticus ex coeno Messalianorum exortus, qui dicebat eos qui divina officia statis horis canebant, adhuc legi servire, ut videre est in bibliotheca Photii, n. 52, de synodo Sidetana. Horarum autem canonicarum numerus olim varius fuit pro diversitate locorum et temporum, modo major, modo minor, lib. VIII Constitutionum apostolicarum cap. 34, sex horae canonicae recensentur: Matutinum, tertia, sexta, nona, vespera, et gallicinium. Totidem recenset D. Hieronymus in epitaphio Paulae: «Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant.» Per τὸ *mane intelligit diluculum;* nam in epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis ait: «Horam tertiam; sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat.» Eumdem numerum statuit epist. ad Laetam de Institutione filiae. «Et assuescat exemplo ad orationes et psalmos nocte consurgere: mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum;» et ep. ad Demetriadem de Virginitate servanda: «Praeter psalmorum [Col. 0901B] et orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte, et mane semper est observandum, statue quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas.» Nec obstant illa verba supra citatae epistolae ad Eustochium: «Noctibus bis terque surgendum, revolvenda, quae de Scripturis memoriter retinemus.» Non enim spectant ad divinum officium. Quinarium olim fuisse horarum numerum canonicarum docet S. Cyprianus tractatu de Oratione sub finem, ubi ait tertiae, sextae et nonae, adjunctas fuisse matutinam et vesperam. Ubi per matutinam intelligendi sunt nocturni, ut supra observatum est, et hae quidem in Africa. Sed postea remissiores fuerunt Afri in horarum celebratione: ita ut illis pigritiam exprobrarent Donatistae, ut testatur S. Augustinus epist. 119: «Et pleraque in Africa membra pigriora sunt: ita ut Donatistae nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia cantica prophetarum.» A monachis Palestinae [Col. 0901C] et Mesopotamiae quinque etiam horae liturgicae agebantur, nempe vigiliae nocturnae, tertia, sexta, nona et vespera, ut refert Cassianus lib. III de Diurnis Orat. cap. 1 et 2. In monasterio S. Eupraxiae idem numerus servabatur, ut ex ejus actis planum est: «Et dum haec omnia faceret, nec in nocturna psalmodia deerat, nec in tertia, nec in sexta, nec in nona, nec in vespera.» In quodam

sermone inscripto de feria 4, in capite jejunii inter sermones S. Augustini de tempore quatuor duntaxat commemorantur: «Et ideo rogo vos, fratres charissimi, ad vigilias nocturnas surgite, ad tertiam, ad sextam et nonam ante omnia convenite:» Sed, aut me fallit animus, aut haec verba, *Ad vesperam, omissa sunt.* Fuit enim olim haec hora celebratissima. Monachi Aegyptii duas solum habebant horas, nocturnas vigilias et vesperam. Reliquum tempus in cellis manibus operando transmittebant nunquam psalmodiam intermittentes, ut refert Cassianus lib. citati [Col. 0901D] c. 2. Postea tamen addidere tertiam, sextam et nonam. Tempore S. Epiphanii saltem in Cypro, aut quibusdam aliis locis duae tantum agebantur horae, matutinae et vespertinae, ut ipse in synopsi testatur: Εώθινοί τὲ ὕμνοι ἐν αὐτῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ διηνεκῶς γίνονται, καὶ προσευχαὶ ἐωθιναί, λυχνίκοι τὲ ἅμα ψαλμοὶ, καὶ προσευχαί, id est, «Matutini hymni in ipsa Ecclesia incessanter aguntur, et orationes matutinae, vespertini simul psalmi et orationes.» Orationes autem illae sunt, quae olim psalmorum modulationi inserebantur. Nec alias horas recenset S. Epiphanius: nam synaxes, quas supra in eodem lib. commemorat, sunt sacrificia liturgica. S. Publius Zeugmatensis in suo monasterio instituit tantum hymnos matutinos die incipiente, et vespertinos desinente, ut scribit Theodoretus cap. 5 Hist. sanctorum Patrum. S. Julianus cognomento Sabba duas tantum horas canonicas, in conventu publico decantandas in suo monasterio statuit: vigilias nocturnas et vesperam. Post auroram vero jubebat duos monachos ire in solitudinem; et unum quidem flexis genibus eam offerre, quae Deo debetur, latriam, alterum vero stantem psalmos canere quindecim: deinde commutatione facta liturgiae, alterum quidem surgentem psallere, alterum humi procumbentem adorare, ut narrat Theodoretus ejusdem lib. cap. 2. Monachi Tabennesiotae tres horas canonicas duntaxat persolvebant; vigilias nocturnas, nonam et vesperam, idque angelo revelante, ut scribit Palladius in hist. Laus. cap. de Tabennesiotis: Ἐτύτωσεν δὲ διὰ πάσης τῆς ἡμέρας ποιεῖν αὐτοὺς εὐχὰς δώδε κα καὶ ἐν τῷ λυχνικῷ δώδεκα καὶ ἐν παννυχίσι δώδεκα καὶ ἐννάτην ὥραν τρεῖς, id est: «instituit ut singulis diebus orationes duodecim facerent, et in lucernario duodecim, in vigiliis duodecim, et ad nonam tres.» Duodecim autem orationes per diem sunt potius privatae quam publicae, cum eis nec certum tempus, [Col. 0902B] nec hora assignetur. In monasterio Bethlehemitico septem horae celebrabantur, addita altera matutina oriente sole agenda, primo instituta in eodem monasterio Bethlehemetico, aetate Cassiani, quae nostrae primae respondet, et septenarius horarum numerus ita institutus est, ut testatur ipse lib. III, cap. 3, 4 et 5 ejudem libri: Eumdem horarum numerum agnoscit S. Basilius lib. de Regulis fusius disputatis, interrog. 37; in quo tamen non reponit primam, sed noctis initium addit, seu αἴτησιν. id est, petitionem. Ita autem ab eo enumerantur, ὄρθρον, id est matutinum, τρίτη, tertia, ἕκτη, sexta, ἐννάτη, nona, εὐχάριστια, gratiarum actio, αἴτησις, petitio, et μεσονύκτιον, media nox. Εὐχάριστίαν dicit fieri συμπληρωθείσης ἡμέρας, id est, die completa: ac proinde quidam dixerunt hanc horam nostrum esse completorium; sed potius est nostra vespera, seu lucernarium, ut vocant: quia nonae nullo intermedio succedit: et ipsum lucernarium appellatur Eucharistia, [Col. 0902C] ut infra patebit: et dies completa, hoc loco Basilii, nihil aliud est quam sol occiduus, cum se in alterum horizontem convertit; quae est propria vesperae, seu lucernarii hora, ut infra docebitur. At petitio quae, ut ipse ait, nocte incipiente celebratur, nostro completorio convenit: nam in ea petitur a Deo nox tranquilla et ab omni peccato libera; ideoque in ea recitabatur psalmus XC, id est, *Qui habitat, ut docet Basilius hoc loco.* In Eucharistia

gratiae Deo agebantur, fiebatque culparum confessio; quae quidem hora est, quam cap. 29, lib. de Spiritu sancto appellat ἐπιλύχνιον εὔχαριστιαν, id est, lucernalem gratiarum actionem. Idem Basilius orat. 1 ascetica eumdem numerum, alia tamen ratione, commemorat, nempe mediam noctem, matutinam, nonam, vesperam et meridianam: quam, quia his horis numerus septenarius a Davide celebratus minime perficitur, in duas partitur; ita ut una cibum praecedat, altera subsequatur. Idem numerus a S. [Col. 0902D] Athanasio praescribitur, tractatu de Virgin., nempe tertia, sexta, nona, duodecima, id est, vespera, nocturni, matutini, et dies illucescens. Idem etiam numerus servabatur a monachis tempore Cassiodori, sed diverso modo, quem ita promit in illud psal. CXVIII: «*Septies in die laudem dixi tibi.* Si ad litteram hunc numerum velimus advertere, septem illas significat vices, quibus se monachorum devotio consolatur, id est matutinas, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorios, nocturnos. Hoc et S. Ambrosii hymnus in sextae horae decantatione testatur.» Ex quibus postremis verbis liquet in Ecclesia Ambrosiana ejusmodi horas observari solitas. S. Isidorus Ut ait Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi* [Col. 0900C] **(Psal. CXVIII).**

@ [Col. 0899C] *Qui septenarius sacratus numerus.* τὸ *Sacratus non est apud Burchardum;* vulgo tamen habetur. Sacratus est septenarius numerus, quia mysteria in sacris paginis plurima hoc numero comprehenduntur: ut septem spiritus, qui assistunt ante thronum Dei; candelabrum in septem ramos exsurgens, habens lampades septem et septena lilia; septem oculi [Col. 0899C] super lapidem unum; septem jubilaei tubae, ad quarum clangorem corruit murus Hiericuntis; septem lampades ante thronum Dei; septem sigilla libri, quem tenet sedens in throno; et si qua similia in sacris codicibus reperiuntur. Sed ut ad res physicas descendam, universa hominis natura et perfectio septenario consistit; et cum natus est, per septem aetates tota ejus vita decurrit, ut notant Philo Judaeus lib. de Mundi Opificio. Solon eleganti carmine apud Clementem Alexandrinum lib. VI Stromatum, et Censorinus de Natali die cap. 14. Eumdem sibi numerum musica vindicat. Lyra septem tenta fidibus proportione respondens erraticarum choreae memorabiles harmonias efficit princeps propemodum inter instrumenta musica, inquit Philo, juxta priscorum philosophorum sententiam. Has septem fides primus lyrae apposuit Orpheus ob deprehensum a se septem orbium planetarum concentum, scribit Servius in illud. VI Aen.

Obloquitur numeris septem discrimina vocum. Idem refert Clemens Alexandrinus eodem libro paulo ante locum citatum. Hic septenarius numerus olim virgo et Pallas appellatus est: «Quia nullum ex se parit numerum duplicatus, qui intra denarium coarctetur, quem primum limitem constat esse numerorum,» inquit Macrobius lib. I in Somnium [Col. 00900D] Scipionis cap. 6. Hic numerus totus coelestis est: sunt enim septem planetarum orbes; pleiades septem; Bootes septem stellis conficitur. Castus ergo ille numerus recte in Dei laudibus celebrandis observatur, qui a castis nullaque immunditiae fece conspurcatis mentibus laudari debet. Coelestis ille numerus in Dei quotidiano cultu retinetur, qui ab coelestibus hominibus nullaque rerum terrenarum contagione coinquinatis assidue colendus est. Plura vide apud Agellium lib. III, cap. 10, et Nicomachum Gerasenum in bibliotheca Photii, n. 187. Porro S. Benedictus qui octo horas canonicas quotidie persolvendas monachis edixit, hunc Davidis versiculum intelligit de die artificioso, eo tamen late sumpto, prout aurora, et crepusculo circumscribitur. At S. Basilius orat. I ascetica, Cassianus lib. III de Diurnis Orat. cap. 3,

et quidam alii Patres supra citati, qui septem duntaxat horas quotidie decurrendas decernunt hunc psalmographi versum de die civili, seu naturali, qui lucem et noctem involvit, exponunt. Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primae, tertiae, [Col. 0901A] sextae, nonae, vesperae, completoriique tempore nostrae [Col. 0902A] servitutis officia persolvamus.

@ [Col. 0902D] *Quia de his dixit propheta septies, etc.* Recte apud Burchardum non repetitur: *Septies in die laudem dixi tibi;* est enim haec repetitio superflua; satis enim subintelligitur. S. Isidorus Hispalensis episc. cap. 6 suae Regulae totidem statuit, nempe tertiam, sextam, nonam, vespertina officia, completorios, officia vigiliarum, officia matutina, seu matutinum; auctor anonymus Expositionis psal. CXIX inter opera D. Hieronymi eumdem profert, sed non eodem modo; nempe tertiam, sextam, nonam, lucernarium, mediam noctem, gallicinium, et primum mane: cujus locum a nobis castigandum infra producemus. In Regula S. Augustini secunda (si modo illius est) octo recensentur: matutini, prima, tertia, sexta, nona, vesperae, completorium et vigiliae nocturnae: «Simili modo (inquit) ad sextam et nonam dicuntur sui psalmi cum responsoriis et antiphonis; hoc idem in vesperis et completorio: ad lucernarium autem psalmus unus,» etc. Ubi notandum est lucernarium suo hic ordine non collocari, sed seorsim, quia ei peculiare [Col. 0903C] assignat officium, nam proprius illius locus est ante vesperas; imo idem cum vesperis officium est, ut infra dicetur. Unde paulo post in eadem regula lucernarium sumitur pro vesperis, cum dicitur: «Et opportuno post lucernarium omnibus sedentibus legantur lectiones.» Nam olim monachi post vesperas in unum locum convenientes legere solebant, aut disputare de divinis Scripturis, ut fusius infra dicetur. S. Fructuosus Bracarensis archiepiscopus cap. 2 et 3 Regulae decem horas constituit. Primam, secundam, tertiam, sextam, nonam, duodecimam, initium noctis, synaxim ante mediam noctem, synaxim post mediam noctem et matutinum, cui praemittit tres psalmos cum laude et benedictione. Fructuosus alter cap. 10 suae Regulae quindecim horas suis monachis dicendas proponit: Secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam, octavam, nonam, decimam, undecimam. Caeterae non recensentur, ob rationem supra, quae sunt duodecima, id est, vespera, [Col. 0903D] initium noctis, seu completorium, vigiliae nocturnae, matutini et prima. S. Columbanus cap. 7 suae Regulae constituit initium noctis, medium noctis, matutinum et diurnas horas quae, ut arbitror, non erant aliae quam prima, tertia, sexta, nona et vespera. Idem sanctus vir ibidem refert de quibusdam monachis, qui quatuor synaxes nocte faciebant, quae sunt initium noctis, medium noctis, gallicinium et matutinum, quibus si addideris quinque horas diurnas, novem efficies. Et haec de horarum canonicarum diversitate et numero. Quod autem dicit S. Hieronymus supra epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis: «Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat,» non ita capiendum est, quasi id sit universe verum; nam ex supra dictis certum est omnes istas horas non fuisse olim omnibus in locis celebratas. Sed et S. Caesarius episcopus Arelatensis instituit, ut Arelate in ecclesia S. Stephani tertiae, sextae et nonae officium quotidie celebraretur, ut auctor est Cyprianus lib. I de ejus Vita. Et S. Injuriosus pontifex Turonensis, qui sedebat cum S. Chrotildis regina uxor primi Clodovaei Francorum regis obiit, statuit ut in ecclesia Turonensi tertia et sexta recitarentur, ut testatur S. Gregorius Turonensis lib. X Hist. cap. ultimo. Quia de his [Col. 0903A] horis dixit Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi* **(Psal. CXVIII)**. Nam de nocturnis vigiliis

@ [Col. 0904B] *Idem ipse propheta ait.* Apud Burchardum non repetitur vox: *Propheta.* idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes

@ [Col. 0904B] *Creatori nostro.* Apud Burchardum additur: *Super judicia justitiae suae.* Creatori nostro, id est matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio, et nocte surgamus ad confitendum ei.

§ II.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 34).

@ [Col. 0904B] *In exercendo.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb., cod. cap. 34. In exercendo maxime divino officio prae omnibus sanctae debet militiae ordo constitui; vel quibus vicibus tramis rectae observationis occurrat, ut aetatis mos est, et Patrum instituta sanxerunt, id est, matutinus, prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorium; ut compleatur prophetica ordinatio [Col. 0903B] dicens Domino: *Septies in die laudem dixi tibi* (Psal. [Col. 0904A] CXVIII). Sed prima sic debet dici quomodo duodecima, quae dicitur vespera. Nam prima sic debet dici pungentibus jam radiis solis, et vespera adhuc declinantibus radiis ejus. Quia quomodo inchoatur dies in initio in opere Dei,

@ [Col. 0904B] *In tali.* Id est, sic. in tali debet expleri in fine, ut compleatur Scriptura dicens: *A solis ortu usque ad occasum* **(Ps. CXII)**. Non enim dixit, *post occasum,*

@ [Col. 0904B] *Laudate nomen Domini.* Ita in Regula ms. cod. Corb., ut in veteri versione psalterii apud Fabrum. Laudate nomen Domini; quia exitus matutini et

@ [Col. 0904B] *Vespere.* Ita in Regula ms. et in vulgatis Psalteriis. [Col. 0904C] Legendum tamen est, *vesperae, in genit.* singul., nam apud Septuaginta legitur in genit. ἑσπέρας, et in interpretatione S. Hieronymi legitur, *vespertini.* In expositione Arnobii, *vesperi.* Et ut τὸ *matutini est genit.,* ita etiam sit τὸ *vesperae.* vespere

@ [Col. 0904C] *Delectabitur.* Apud Arnobium in hunc psalmum: «*In exitu matutini et vesperi delectabitur Deus, id est, in oriente et occidente in aedificationibus ecclesiarum delectaberis.*» Unde in commentario qui S. Hieronymo attribuitur: «Matutinis vespertinisque hymnis Ecclesiae delectatur Deus.» In Psalterio Rom., *delectaberis.* Ita etiam in vetustissimo Psalterio ms. biblioth. mon. S. Germani a Pratis, quo usum fuisse ferunt S. Germanum Parisiorum pontificem; et passim ita citat hunc versiculum Magister. delectabitur Dominus **(Ps. LXIV)**. In quibus temporibus ab angelis nostris diurnis in renuntiatis justorum benefactis delectabitur Dominus.

@ [Col. 0904C] *Sicut S.* Paulus in revelatione sua dicit. Citat librum apocryphum, qui appellatur Pauli Apocalypsis, seu revelatio, refertus fabulis et ineptiis, de quo S. [Col. 0904D] Augustinus tractatu 98, in Joannem. «Quidam spiritalium ad ea pervenerunt, quae non licet homini loqui: qua occasione vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima praesumptione finxerunt.» S. Epiphanius lib. I, tom. III, haeresi 38, agit de quodam libro a Cainis conficto nefariis actionibus pleno, qui Ascensus Pauli dicitur, quo et Gnostici utebantur. Sed puto hos duos distinctos esse libros, etsi uterque tractet de Pauli raptu. Nam ille, de quo agit S. Augustinus; sceleratis actionibus, seu narrationibus non videtur redundare. Id enim non praetermisisset S. Augustinus dicere: quem puto eumdem esse qui a Magistro citatur. Etsi enim vana quaedam contineret et futilia, multa tamen utilia complecti poterat, ut sunt verba a Magistro producta, quae neutiquam libro a Cainis

conficto conveniunt, quippe qui nefariis et spurcis narrationibus refertus erat. Sicut sanctus Paulus in revelatione sua dicit: *Filii hominum, benedicite Dominum incessabiliter, magis autem cum occiderit sol.* Nam initium et finem diei sol nobis juste ostendit, qui abscessu suo tenebras [Col. 0904B] introducit. In aestivo vero tempore adhuc altius [Col. 0905A] stante sole

@ [Col. 0905A] *Lucernaria inchoentur.* Ita in Regula ms. Lege tamen: *Inchoetur.* Quia hoc vocabulum, quod alii neutrum, hic Magister femininum facit. Cap. 36, *Psalmi lucernariae in hieme dici debent.* Cap. 41, *Psalmi lucernariae cum antiphonis psalli debent.* Lucernaria, seu lucernarium, ut ex cap. citatis et cap. 46 Magistri est synaxis vespertina; quia in ea lucernae accendebantur, ut infra dicetur. Veteres olim hora vespertina lucernas accendebant. Athenaeus lib. ult.: Ἐπεὶ ἑσπέρα κατελάμβανεν ἡμᾶς, ὁ μέν τις ἔλεγε., παῖ, λύχνειον, id est, «Ubi primum nos vespera comprehendit, quidam dixit, puer, lucernam.» Hoc tempus Graeci vocant λυχνιῶν ἀφὰς. Suidas: Λυχνῶν ἁρὰς, τὸν καιρὸν καθ᾽ ὃν ἅπτουσι τοὺς λυχνοὺς, id est, «Lucernarum accensiones, tempus, quo lucernas accendunt:» [Col. 0905B] et uno vocabulo, λυχναψίαν. Glossae Cyrilli λυχναψία, *lucernarum* accensio, Latine, *Prima fax.* Macrobius lib I Saturn., cap. 3: «Deinde vespera, etc. Ab hoc tempore prima fax dicitur, deinde concubia.» Censorinus tamen subjicit crepusculo primam facem. Horatius lib II, epist. 2, appellat prima lumina:

..... et totidem plagis consumimus hostem Lento Samnites ad lumina prima duello. Est ergo lucernarium vespertina synaxis, in qua lucernae in ecclesia accendebantur, et vespertini officii cursus agebatur. Illius mentio fit in concilio Toletano I, can. 9: «Lucernarium vero nisi in ecclesia non legatur.» In Regulis S. Augustini et S. Isidori infra citandis, et in Vita S. Caesarii Arelatensis lib. I: «Frequenter etiam matutinis ad lucernarium propter advenientes, homiliae recitabantur.» Sed lege, *et ad lucernarium.* Matutini enim et lucernarium distinguuntur. Cassiano lib. III de diurnis Orationibus, cap. [Col. 0905C] 3, dicitur *lucernalis hora.* S. Ambrosio lib. III de Virginibus, *Hora incensi.* Graeci Patres λυχνικὸν dicunt. Ita sexta synodus, can. 91. Palladius cap. *de Tabennesiotis,* καὶ ἐν τῷ λυχνικῷ δώδεκα, id est, et in lucernario duodecim, ubi ab interprete male redditur, et in matutino. Ita in poenis brevibus, quae S. Basilio tribuuntur, art. 30: Στηκέτω εἰς προσευχὴν ἕως τοῦ λοχνικοῦ, id est, «Stet in oratione usque ad lucernarium.» Et in liturgia Praesanctificatorum: Ὁ δὲ ἱερεὺς λέγει τὰς εὐχὰς τοῦ λυχνικοῦ, id est, «Sacerdos vero dicit preces lucernarii.» A S. Basilio lib. de Spiritu sancto, cap. 29, et S. Gregorio Nysseno in Vita S. Macrinae dicitur ἐπιλύχνιος εὐχαριστία, id est, lucernalis gratiarum actio, et a S. Epiphanio in synopsi λυχνικοὶ ψαλμοὶ, id est, lucernales psalmi. Quod autem lucernalis synaxis eadem sit cum vespertina, patet ex canone citato sextae synodi: Δῆλον τοῖς πιστοῖς καθιστῶμεν, ὥστε μετὰ τὴν ἐν τῷ σαββάτῳ ἑσπερινὴν τῶν ἱερωμένων πρὸς τὸ θυσιαστήριον εἴσοδον, κατὰ κρατοῦν ἔθος, μηδένα γόνυ κλίνειν μεχρὶ τῆς ἐφεξῆς κατὰ τὴν Κυριακὴν ἑσπέρας, καθ᾽ ἣν μετὰ τὴν ἐνήτῷ λυχνικῶ εἴσοδον, etc., id est, «Fidelibus manifestum facimus quod in sabbato post ingressum sacerdotum vespertinum ad altare juxta receptam consuetudinem, ut nemo usque ad sequentem vesperam in Dominica genuflectat, in qua post ingressum in lucernario rursus genua flectentes sic orationes Domino fundimus.» S. Basilio cap. citato: Ἔδοξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν μὴ σιωπῇ τὴν χάριν εὑπερινοῦ φωτὸς δέχεθαι, id est, «Visum est Patribus nostris gratiam vespertini

luminis haudquaquam silentio accipere.» Concilio Emeritensi can. 2: «Oportet igitur sicut in aliis ecclesiis vespertino tempore post lumen oblatum, prius dicitur vespertinum.» S. Hieronymo epist. ad Laetam: «Assuescat lucerna accensa reddere sacrificium vespertinum.» Ex his infertur lucernarium celebrari solitum hora duodecima: quia vespertina synaxis cadentibus radiis solis agebatur, ut disertis verbis asserit Magister hoc cap. et compilator regulae monachicae ex Cassiani operibus infra: «Duodecima vero propter terminationem diei, sicut prima inchoatione cantatur.» Quidam recentior existimat celebrari hora undecima, quia Cassianus lib. III de diurnis Orat., cap. 3, dicit: «Ad extremum undecima, in qua lucernalis hora significatur.» Verum Cassianus non vult hoc loco lucernalem horam undecima celebrari; sed quia confert horas canonicas cum his horis, quibus paterfamilias misit operarios in vineam suam, lucernalem, quae tunc erat ultimum monachorum pensum, attribuit undecimae, quae est ultima operariorum hora. Imo ipse Cassianus eodem capite hunc ultimam cursus divini horam appellat vespertinam, quam celebrari solitam olim hora duodecima [Col. 0906B] liquido constat. Sed his videtur adversari secunda explicatio psalmi CXIX, quae vulgo S. Hieronymo tribuitur: «Monachi dicimur, et licet non simus, quales esse debemus, tamen dicimur. Hora tertia oramus, hora sexta oramus, nona lucernarium facimus.» Sed puto locum esse corruptum, et legendum esse: «Nona oramus, vespera lucernarium facimus.» Nam postea distinguit nonam a lucernario: «Videte quibus horis semper in obsequio Dei suscitamur. Videte quid dicat hora tertia, sexta, nona, lucernarii, media nocte, gallicinio, mane primo.» Praeterea constat ex omnibus auctoribus citatis, et citandis nonam distingui a lucernario. Vespere igitur in ecclesiam conveniebant episcopus, clerici et caeteri fideles, monachi in sua oratoria. Tunc lucernae accendebantur, ut constat ex loco citato S. Basilii; et hoc dicebatur, *lumen offerre, ut planum est ex concilio Emeritensi, can.* 2: «Post lumen oblatum prius dicitur vespertinum, quam sonus.» [Col. 0906C] Hac enim hora lumen Deo offerebatur, ut notum est ex Prudentio in Cathemerino, hymno 5:

O res digna, Deus, quam tibi roscidae Noctis principio grex tuus offerat, Lucem, qua tribuis nil pretiosius. Ubi noctis principium late sumitur pro vespera. Dum accendebatur lumen in ecclesia Mozaraba, ejusmodi preces, quae in ejus breviario habentur, dicebantur: «Dies sive sit festivalis, sive privata, semper horae incipiunt a vespertinis ante diem: et principium fit per invocationem Jesu Christi oratione Dominica praecedente, submissa voce dicendo: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster;* et alta voce: *In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace, hoc est, lumen oblatum.* Respondetur a circumstantibus: *Deo gratias.* Et presbyter dicit: *Dominus sit semper vobiscum.* Respondetur: *Et cum Spiritu tuo.* Et ordo vesperarum, sive sit festum, sive non, sequitur per hunc modum. [Col. 0906D] Primo dicitur psalmus quod est vespertinum, quo finito presbyter dicit: *Dominus vobiscum.* Respondetur: *Et cum Spiritu tuo.* Statim dicitur sonus, si sit festum; eo quod dies ferialis caret sono, nisi in tempore Resurrectionis, propter solemnitatem dicitur; haec regula. Sonus est: *Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* Versus, *Praeoccupemus faciem Dei in confessione, et in psalmis jubilemus Deo.*» Et haec clare explicant, quid sit in concilio Emeritano lumen oblatum, vespertinum, et sonus. Quod quidem lumen oblatum, sive precatio lucernalis dicitur etiam lucernarium. Ita enim explicandus est locus Regulae S. Isidori, cap. 6: «In vespertinis officiis primo lucernarium, deinde

psalmi duo.» Ubi lucernarium non sumitur pro tota synaxi vespertina. Et in Regula 2, quae vulgo S. Augustino tribuitur, manifeste distinguitur lucernarium a vesperis, cap. 1: «Hoc idem in vesperis et completorio servetur. Ad lucernarium autem, psalmus, responsorium unum, antiphonae tres, lectiones tres.» Lucernarium igitur sumitur dupliciter: primo pro illa precatione, in qua lumen accenditur ante vesperas, secundo pro ipsa vespertina synaxi, quae a ritu luminis [Col. 0907B] accendendi, antequam agatur, appellata est lucernarium. Huic autem ritui non est absimilis ille, quo utitur Ecclesia in sabbato Paschae, quando, igne benedicto, diaconus trifidum cereum accendens clamat: *Lumen* Christi, et chorus respondet, *Deo gratias.* Graeci in lucernario, lumine accenso, non dicebant, *Deo* gratias, sed, *Laudamus Patrem et Filium et sanctum Spiritum Dei, ut docet S.* Basilius cap. supra citato: «Visum est patribus nostris non suscipere cum silentio gratiam vespertini luminis, sed simul, ut apparet, gratias agere, et quis auctor verborum illorum lucernariae gratiarum actionis, non possumus dicere: Populus tamen antiquam vocem emittit; neque cuiquam unquam visi sunt impietatem admittere, qui dicunt: Ὑμνοῦμεν Πατέρα καὶ Ὑιὸν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα Θεοῦ. *Laudamus Patrem et Filium et sanctum Spiritum Dei.*» Haec autem lucernaria et vespertina synaxis ita olim agebatur ex institutione S. Jacobi. Congregatis ab episcopo in ecclesiam fidelibus, primo dicebatur ἐπιλύχνιος ψαλμὸς, id est, [Col. 0907C] lucernalis psalmus. Deinde diaconus dimittebat catechumenos, energumenos, poenitentes, et illuminatos. His dimissis, clamabat: *Quotquot sumus fideles, oremus Dominum.* Dicebatque primam orationem: qua completa sic orabat: Σῶσον καὶ ἀνάστησον ἡμᾶς, ὁ Θεὸς, etc., id est, *Salva et resuscita nos, Deus, etc.,* qua finita dicebat episcopus: Ευχαριστίαν ἐπιλύχνιον, id est gratiarum actionem lucernalem, hoc modo: ὁ ἄναρχος Θεὸς καὶ ἀτελεύτητος, id est, *Deus sine principio et immortalis, etc.* Subjungebat diaconus: *Inclinate ad impositionem manuum.* Tum dicebat episcopus: Θεὲ Πατέρων, καὶ Κύριε τοῦ ἐλέους, etc., id est, *Deus Patrum et Domine misericordiae, etc.;* tandem dicebat diaconus, *Exite in pace.* Haec habentur lib. VIII Constitutionum apostolicarum cap. 35, 36 et 37. Ignis eliciebatur ex silice, qui Christum repraesentat, ut notum est ex Prudentio, hymno citato:

Quamvis innumero sidere regiam, Lunarique polum lampade pinxeris,[Col. 0907D] Incussu silicis lumina nos tamen Monstras saxigeno semine quaerere. Ne nesciret homo spem sibi luminis In Christi solido corpore conditam, Qui dici stabilem se voluit petram, Nostris igniculis unde genus venit. Hic autem hymnus falso inscribitur, *ad incensum cerei Paschalis:* scribendum enim est *ad incensum lucernae, ut est in veteribus exemplaribus, quemadmodum recte observavit vir doctissimus Jacobus Sirmondus societatis Jesu* (in lib. I Carm. Ennod., hym. 1). Id satis indicat titulus libri nempe Cathemerinon, quo significantur ea quae per diem aguntur; quod suadet etiam hymnorum ordo, primus est ad galli cantum, secundus est matutinus, tertius ante cibum, quartus post cibum, quintus ad accensum lucernae, qui proinde ita incipit:

Inventor rutili dux bone luminis, Qui certis vicibus tempora dividis, Merso sole chaos ingruit horridum, Lucem Christi tuis redde fidelibus. Neque in eo hymno agitur de unico cereo; sed de [Col. 0908B] lychnis plurimis pendentibus de laqueari, ut videre est in eodem hymno:

Pendent mobilibus lumina funibus, Quae suffixa micant per laquearia, Et de languidulis fota natatibus Lucem perspicuo flamma jacit vitro. Nec obstat, quod olim in quibusdam ecclesiis hic hymnus cantaretur in benedictione cerei Paschalis, ut habetur in veteri ordine Romano, cum hoc tantum fieret per accommodationem. lucernaria inchoentur propter breves noctes: ut prolixo aestus labore lassis fratrum et jejunio membris in augmento brevium noctium de lucentis [Col. 0906A] adhuc diei spatio fessae repausationis somnus addatur.

[Col. 0907A]

§ III.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 15).

@ [Col. 0908B] *Apud Palaestinae, etc.* Haec contractius prolata, fusius tractata reperies apud eumdem Cassianum lib. III de diurn. Orat. cap. 3. Apud Palaestinae et Mesopotamiae vel totius Orientis monasteria exceptis matutinis vel vespertinis diurnarum orationum modus trinae confessionis exemplo statutis trinis psalmis quotidie terminatur; ut orationum assiduitas statutis Deo temporibus offeratur, et necessaria operationis officia consummatis justo moderamine spiritalibus obsequiis nullatenus valeant impediri. Horarum autem ipsarum, in quibus Deo per totum spatium diei obsequia reddimus, [Col. 0908A] ratio haec est. Prima pro inchoatione diei.

@ [Col. 0908B] *Tertia quia Spiritus sanctus, etc.* Eamdem rationem proferunt S. Cyprianus lib. de Oratione Dominica, S. Basilius interrog. 37 Regularum fusius disputatarum, Fructuosus abbas cap. 10 Regulae in hac Concordia cap. 53, et Isidorus lib. I de Offic. eccl. cap. 19, aliam S. Athanasius lib. de Virginitate, [Col. 0908C] quod lignum Dominicae crucis hora tertia defixum fuerit; aliam Constitutiones apostolicae lib. VIII, cap. 34: «ὅτι ἀποφασιν ἐν αὐτῇ ὑπὸ Πιλάτου ἔλαβε ὁ Κύριος, id est, quod in ea hora (tertia) Dominus sententiam judicii a Pilato acceperit.» Tertia, quia Spiritus sanctus in eadem hora super apostolos descendisse **(Act. II)** primitus comprobatur.

@ [Col. 0908C] *Sexta quod immaculata pro eo.* Cassianus sextae horae celebrationem refert ad id quod Christus in cruce suspensus nos peccatorum vinculo liberavit. Sed hoc mysterium ad nonam refert S. Cyprianus libro citato: «Ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit: et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit.» Itaque idem Cyprianus, S. Athanasius, et Constitutiones apostolicae mysterium sextae referunt ad id praecise, quod ea hora Christus cruci suffixus est; quibus astipulatur Fructuosus abbas cum ait: «Sexta Dominum in cruce ascendisse.» Sexta, pro eo quod immaculata hostia Dominus noster Jesus Christus eadem hora in cruce suspensus obnoxios de aeternis peccatorum vinculis liberavit.

@ [Col. 0908C] *Hora nona pro eo quod eadem hora Dominus noster descendens ad inferos, etc.* S. Athanasius lib. [Col. 0908D] citato descensum Christi ad inferos horae duodecimae, id est vespertinae applicat. Mysterium vero nonae idem S. Athanasius scribit ideo celebrari, quia Christus eadem hora emisit spiritum. Subscribit Fructuosus abbas, cum ait: «Nona spiritum emisisse.» S. Isidorus, lib. I de Offic. eccl., cap. 19, quia «Christus in nonam patibuli cruciamenta porrexit.» Constitutiones apostolicae, quod tum omnia mota et tremefacta sunt Domino crucifixo: quod horrerent audaciam impiorum Judaeorum, et passionem Domini ferre non possent. S. Cyprianus «quia passione sua nostra peccata abluit, et victoriam suam perfecit.» Sed haec nihil aliud sonant, quam Christi expirationem. Ob eamdem rationem nonam olim Romani

observabant, ut videre est apud Tertullianum, cum de eadem hora agit lib. de Jejunio adversus Psychicos: «Itaque in eam usque horam (nonam) celebranda pressura est, in qua a sexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium.» Nona pro eo quod eadem hora Dominus noster descendens ad inferos sanctorum animas, quae clausae tenebris tenebantur exinde liberavit, et secum transvexit ad coelos. Duodecima vero propter terminationem diei, sicut prima inchoatione. Prima vero et duodecima [Col. 0909A] pro inchoatione

@ [Col. 0909B] *Et terminatione diei.* Hujus horae duodecimae seu vespertinae mysterium S. Athanasius ad Christi descensum ad inferos refert, ut supra notatum est. Tertullianus lib. citato cum aliis conjecturis refutat Psychicorum conjecturas, dicit posse ad Christi sepulturam [Col. 0909C] referri: «Hoc si magis ad religionem sapit Christianam, dum magis Christi gloriam celebrat, possum aeque serae stationis eodem rei ordine statum figere, ut jejunemus ad serum exspectantes tempus Dominicae sepulturae, cum Joseph postulatum detulit corpus et condidit.» S. Isidorus, cap. 20, refert ad sacrificium legis veteris vespertinum: atque etiam ad novae legis augustissimum illud sacrificium vespertinum, quo Christus carnem et sanguinem suum dedit apostolis in suprema illa coena: «In novo quoque testamento eo tempore Dominus et Salvator coenantibus apostolis mysterium sui corporis et sanguinis initio tradidit: ut tempus ipsum sacrificii vesperum ostenderet saeculi: proinde in honorem ac memoriam tantorum sacramentorum in his temporibus adesse decet Dei conspectibus et personare in ejus cultibus orationum nostrarum illi sacrificium offerentes.» S. Cyprianus scribit hanc horam vespertinam celebrari, quod recedente sole orandum sit, ut Christus vera lux ad nos veniat: «Recedente [Col. 0909D] item sole, et die cessante necessario rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus et dies est verus, sole ac die saeculi recedente, quando oramus ac petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis aeternae gratiam praebiturum.» Idem patet ex Prudentio initio hymni supra citati. Sed ut aliquid de mediae noctis synaxi dicamus, S. Athanasius lib. de Virginitate ait eam agendam esse, quia Christus media nocte surrexit a mortuis. S. Fructuosus abbas: «Quia ea hora clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei: ut, ea hora cum ad judicium venerit, non nos dormientes, sed vigilantes inveniat.» Matutinos vero, seu laudes matutinas ad Christi resurrectionem refert S. Cyprianus. «Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur.» Eamdem refert rationem pro Gallicinii synaxi Fructuosus abbas: «Gallicinium, Christum a mortuis resurrexisse.» Nec mirum si Christi resurrectio diversis horis applicetur, quia, qua hora contigerit, SS. Patres ambigunt. Prima hora ob missos operarios in vineam celebratur, ut vult Fructuosus abbas. Sed de his plura vide apud Walfridum Strabonem lib. de Rebus eccl., cap. 25; Amalarium Fortunatum, lib. III de [Col. 0910C] Offic. eccl., cap. 2, et Rupertum lib. I de divinis Offic., cap. 2. et terminatione diei postea a Patribus sunt adjunctae; tertiam autem et sextam et nonam etiam ab apostolis legimus fuisse celebratas.

@ [Col. 0910C] *Nam tertia hora super apostolos in orationum officio constitutos, etc.* Idem habet Tertullianus lib. contra Psychicos: «Porro, cum in eodem commentario Lucae et tertia hora oratioque demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati pro ebriis habentur: et sexta, qua Petrus ascendit ad superiora: nona, qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus salva plane indifferentia semper et ubique omni tempore orandi, tamen tres istas horas, ut insigniores in rebus humanis, quae diem distribuunt, quae negotia distinguunt, quae publice resonant; ita et solemniores fuisse in orationinus divinis?»

Nam tertia hora super apostolos in orationum officio constitutos Spiritus sanctus descendit **(Act. II)**; sexta vero hora legimus Petrum, dum in coenaculo oraret, subito in excessu mentis vas illud, quod quatuor initiis quasi linteum de coelo submissum, vidisse **(Act. X)**; de nona autem legimus: *Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam* **(Act. V)**. Vespertinas autem, vel matutinas orationes non solum ab apostolis, sed etiam in Veteri Testamento legimus eas in templo Domini semper fuisse oblatas.

@ [Col. 0910C] *Unde et David de vespertinis, etc.* Ita Fructuosus abbas, cap. 10 Regulae: «Vespera David cecinisse, dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*» Unde et David dicit de vespertinis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu* [Col. 0909B] tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum **(Ps. XIV)**. De matutinis autem dicit: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et: *In matutinis meditabor in te, quia factus es adjutor meus* **(Ps. LXII)**.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. II).

@ [Col. 0910C] *Primae horae.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi Bracarensis, cod. Crassensis eodem capite. Primae horae observandae mensura sancita est, dicente Propheta: *Mane astabo tibi,*

@ [Col. 0910D] *Et videbo te.* Illud *te nullibi reperiri posse existimo.* S. Hieronymus tamen, sive quis alius auctor horum commentariorum in psalmos subaudiendum esse putat; cum ait: *Et videbo, subauditur, te, videbo. et videbo te, quia tu es Deus nolens iniquitatem.* Et iterum: *Ad te* [Col. 0910A] orabo, Domine, mane exaudies vocem meam **(Psal. V)**. Secunda quoque inter primam et tertiam constituta, quasi quidam limes ponitur. Unde et a monachis necesse est, ne otiosa ducatur. Ideo constitutum est, ut trino psalmorum obsequio frequentetur, quae et primae consummet officium, et subsequenter tertiae incipiat scandere gradum. Ita quoque in reliquis constitutum est hunc servandum esse ordinem horis tertia, sexta, nona,

@ [Col. 0910D] *Duodecima atque vespera.* In Regula ms. legitur: *Usque vesperam.* Rectius, ut arbitror. Nam duodecima non distinguitur a vespera. duodecima, videlicet atque vespera; ut ante et

@ [Col. 0910D] *Post trinas has legitimas horas.* Nempe tertiam, sextam, et nonam. post trinas has legitimas horas peculiaris orationis prosequantur obsequia. Nocturno igitur tempore

@ [Col. 0910D] *Prima noctis hora.* Quam quidam appellant initium noctis, quae respondet nostro completorio. prima noctis hora sex orationibus celebranda est: ac deinde decem psalmorum concentu cum laude et benedictionibus consummanda in Ecclesia est.

@ [Col. 0910D] *Deinde valefacientes.* Ita S. Isidorus, cap. 6 Regulae: «Ante somnum autem, sicut mos est, peracto completorio, valefactis invicem fratribus, cum omni cautela et silentio requiescendum est.» Deinde valefacientes invicem, et [Col. 0910B] reconciliationi et satisfactioni alterutrum insistentes laxant mutuo debita: et pietate paterna, qui

@ [Col. 0910D] *Segregati.* Id est excommunicati: addit, *ob negligentiam suam, ut completatur eos tantum, qui ob leves culpas ab aliis separantur.* segregati a coetu fraterno ob negligentiam suam fuerant, mereantur indulgentiam. Tunc demum pergentes ad cubilia, atque in unum conjuncti coeuntes ad perfectionem pacis, et

reorum absolutionem, cantatis tribus psalmis juxta morem cum laude, et benedictione, symbolum Christianae fidei communi omnes recitent voce; ut fidem suam puram coram Deo [Col. 0911A] ostendentes,

@ [Col. 0911B] *Si quid dubium.* In Regula ms., *Si quod dubium, lege: Sicut dubium.* si quid dubium non est fieri, vel accidere, ut nocturno quisquam tempore vocetur a corpore, commendatam jam fidem suam et expiatam ab omni

@ [Col. 0911B] *Scandalo.* Scandalum hoc loco est offensa, rixa: vide supra. scandalo conscientiam proferant ante Deum. Post deinde adeant cubilia summo cum silentio exhibito, gressuque quieto, nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens alter ad alterum, vel saltim alium respicere audens pergat ad lectum suum: ubi tacitae orationi insistens, psalmosque recensens ultimo orationem suam quinquagesimi psalmi recitatione, atque oratione consummet. Nec strepere, vel mutire ausus aut excreare cum

@ [Col. 0911B] *Gratia.* Ita correctum est a quodam, cum antea legeretur: *Gracitu, ut adhuc in cod.* ms. apparet. In cod. Crassensi legitur *crucitu, quam quidem lectionem retineo:* ut sit crucitus sonus vehementior excreationis per onomatopoeam; nam durum esset excreationem absolute prohibere. gratia nocturni somni capiat silentium.

[Col. 0912A]

APPENDIX I.---

Quanti psalmi per easdem horas dicantur. (Ex Regula S. Benedicti, cap. 17.)

Jam de nocturnis, vel matutinis digessimus ordinem psalmodiae: nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicuntur psalmi tres singillatim, et non sub una gloria. Hymnus ejusdem horae post versum: *Deus in adjutorium meum intende, antequam psalmi incipiantur.* Post expletionem vero trium psalmorum recitetur lectio una, versus: et

@ [Col. 0911B] *Kyrie eleison.* Ms. Vict. p. addit: *Cum precibus. Kyrie eleison,*

@ [Col. 0911B] *Et missae sint.* In commentario Smaragdi legitur: *Et missae sunt.* In ms. Vict. p., *Et missa est.* Sed haec posterior lectio omnibus codicibus, quos viderim, adversatur. Locus obscurus; cujus duas profert interpretationes Smaragdus: «Quod in aliis locis dicit, *et* completum est, hac in clausula, *et missae sunt, dicit: et missae sunt, repetit.* Orationes [Col. 0911C] enim officii, quae a nobis sunt completae, Deo sunt missae, quia in illius honore sunt celebratae; aliter: orationes, id est, collectae, quae in fine cursus a sacerdote dicuntur missae, id est, Deo missae vocantur.» Quae secunda interpretatio potior videtur: praesertim cum alias nullam faciat explicitam collectarum mentionem S. Pater Benedictus quae sane illius aetate erant in usu, quamvis fortasse non sub eadem formula ac nunc. Quod missae collectas significent fuse satis cap. 23, ad S. Isidorum probatum est. Itaque missae hoc loco collectae sunt seu orationes, quae, juxta Cassianum, ad finem cujusque psalmi dicebantur a sacerdote, quarum mentionem tantum in fine horarum facit S. Pater Benedictus brevitatis causa, tanquam rei suis monachis vulgaris et tritae, quemadmodum postea agit de brevi oratione veluti obiter et per transennam, tanquam de re monachis nota, quae majori explicatione non indigeat.

Vel certe dicendum S. Patrem Benedictum juxta aliorum [Col. 0911D] morem, quem supra declaravimus, rejecisse ejusmodi collectas ad finem cujusque horae, ita ut plures dicendae sint, non una, atque ob eam rationem dixisse, *missae* sint, non, *missa sit.* Nec obstat quod agens de nocturnis et matutinis nullam faciat mentionem horarum missarum, sed tantum dicat: *Et completum est.* Nam ob istarum prolixitatem horarum in eis plures hujusmodi collectas recitari noluit: quia his horis multa addidit praeter antiquorum monachorum consuetudinem, ut patebit legenti librum II Cassiani de nocturnis Orationibus. Imo haec objectio nobis favet: quia nulla potest esse alia ratio cur in prima hora et sequentibus ordinandis constanter dixerit, *et* missae sint, vel, *missae fiant,* in superioribus vero, *et completum est, quam nostra de hujusmodi missis interpretatio, etsi non inficiet in nocturnis et matutinis, unam saltem fuisse collectam.* Dicet aliquis per missas significari missionem chori. [Col. 0912B] Sed, si hoc ita esset, dixisset: *Et missa sit, quemadmodum diaconus in fine sacrae liturgiae dicit: Ite, missa est, id est missio:* non, *Ite, missae sunt.* Quemadmodum prisci Graeci perfecto sacrificio, dicebant, ἄφεσις, id est, dimissio, in singulari. Haec sunt quae favere possunt secundae interpretationi Smaragdi, etsi prior non sit omnino repudianda, cum sua probabilitate non careat. Quidam recentior theologus, vir sane doctissimus, hunc S. Benedicti locum, et subsequentes de sacrosancto missae sacrificio exponit. Sed haec explicatio non mihi probatur: primo, quia nimis onerosum esset tot missas communes, seu conventuales, ut vocant, celebrare; secundo, quia vix superesset tempus ad opus manuum, et ad lectionem divinam; tertio, quia olim missa celebrabatur hora tertia, id est, nona nostra matutina, si reficiendum esset meridie, et dies a jejunio vacaret; sexta, si jejunandum esset usque ad nonam; nona in Quadragesima, si tantum refectio esset ad vesperam, ut docet Valfridus Strabo, cap. 23 de Rebus [Col. 0912C] eccl.; Micrologus, lib. de Eccl. observationibus, cap. 49, et Amalarius Fortunatus, lib. III de Officiis eccl., cap. 32. Id videre est apud S. Epiphanium in synopsi Cassianum lib. III de diurnis Orat., cap. 2; Sidonium, lib. V, epist. 17; Gregorium Turonensem de Vitis Patrum de S. Nicetio; Gregorium Magnum, homil. 37 in Evangelia; Joannem Moschum, cap. 27 Prati spiritualis. In concilio Bracarensi I, cap. 16, et Bracar. II, cap. 19, nunquam vero post vesperam et completorium, quod tamen contingeret, si his regulae locis missae de sacrificio liturgico intelligerentur. et missae sint. Tertia vero, et sexta et nona eodem ordine celebrantur:

@ [Col. 0912C] *Oratio, id est versus.* Ita in omnibus cod. nostris mss. excepto Victor. p. in quo sic habetur: *Tertiae vero, sextae et nonae eodem ordine celebretur oratio, id est versus, etc.;* apud S. Dunstanum legitur, *id est, oratio, versus.* Sed quaenam sit hujusmodi oratio, et quare potius tertiae, sextae, et nonae, quam aliis horis praeponatur, non video? itaque lectio [Col. 0912D] vulgaris retinenda est: *Oratio, id est versus, et explicat S.* Benedictus quid sit oratio; nempe versus: *Deus in adjutorium, etc.,* quo Dei auxilium efflagitamus. oratio, id est, versus, hymni earumdem horarum,

@ [Col. 0912D] *Terni psalmi.* Sequitur morem priscorum Patrum, qui has tres horas ternis psalmis absolvendas putarunt Cassianus, lib. III de diurnis Orat., cap. 3: «Itaque in Palaestinae vel Mesopotamiae monasteriis ac totius Orientis supra dictarum horarum (tertiae, sextae, et nonae) solemnitates trinis psalmis quotidie finiuntur.» Hoc etiam institutum sequitur S. Isidorus, cap. 6 sine Regulae: «In tertia, sexta vel nona tres psalmi dicendi sunt.» A quibusdam olim tertia ternis psalmis, sexta senis, et nona novem decurrebantur, ut testis est Cassianus, lib. I de Noctur. Orat., cap. 1. terni

psalmi, lectio. et versus, *Kyrie eleison, et missae sint.* Si major fuerit congregatio, cum antiphonis,

@ [Col. 0912D] *Si vero minor in directum psallantur.* Nempe tertia, sexta, et nona. Ratio hujus instituti est: quia minori congregationi non esset satis temporis ad opera diurna: maxime cum minoris congregationis monasteria sint etiam minoris substantiae: ita ut necesse sit quosdam ex iis foris frugibus colligendis aut operibus puta culinae, et similibus occupari, paucis admodum in choro remanentibus, quibus grave esset has horas solemni cantu persolvere. si [Col. 0913A] vero minor, in directum

@ [Col. 0913C] *Psallantur.* Vict. ma., *Canantur.* psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur. Post quos psalmos

@ [Col. 0913C] *Apostoli.* Abest ab aliis cod. mss. nostris et S. Dunstano. Apostoli lectio recitanda est. Inde responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, et

@ [Col. 0913C] *Oratio Dominica.* Vict. p. addit: *Cum precibus.* oratio Dominica; et fiant missae.

@ [Col. 0913C] *Completorium.* Ita appellat hanc horam S. Isidorus, cap. 6 suae Regulae, sed lib. I de Officiis ecclesiasticis, cap. 21, appellat completas, nonnulli Patres completam: et debet dici sub noctis initium; unde a S. Columbano, cap. 7 suae Regulae dicitur initium noctis, et a S. Fructuoso Bracarensi, cap. 1 suae Regulae prima noctis hora. Et videtur esse illa [Col. 0913D] synaxis quam S. Basilius αἴτησιν, id est, petitionem appellat: in illa enim, quemadmodum in completorio, petitur a Deo noctis quies secura et placida, ut notat S. Basilius. Quae quidem hora in Oriente vix ante S. Basilium reperitur, nec in Occidente ante S. Benedictum. Imo post S. Basilii aetatem in multis locis Orientis non fuit, ut patet ex supra dictis de horarum diversitate. Completorium autem trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi

@ [Col. 0913D] *Directanei.* Ita in cod. nostris mss. cum S. Dunstano, vulgo legitur, *Directaneo.* Jubet S. Benedictus completorii psalmos in directum recitari, ut fratres cito eant cubitum, cum haec hora diceretur sub initium noctis, seu prima noctis hora. directanei sine antiphona dicendi sunt; post quos hymnus ejusdem horae, lectio una, versus: *Kyrie eleison,*

@ [Col. 0913D] *Benedictio.* Cod. ms. Ebrul., *Et benedictio.* Vict. p., *Benedictiones, de hac completorii benedictione hoc statuitur, in add.* I Capitul. Lud. imp., tit. 48: *Ut benedictio post completorium a sacerdote dicatur.* benedictio;

@ [Col. 0913D] *Et post missae fiant.* Particula *post desideratur in aliis cod.* nostris mss., nec habetur apud Turrecrematam, nec in editione Colinaei, nec in veteri Parisensi: sane superflua videtur, cum non sit in aliis horis supra explicatis. post missae fiant.

APPENDIX II.---

Quo ordine psalmi dicendi sunt. (Ex eadem Regula, cap. 18.)

In primis semper diurnis horis dicatur versus: *Deus in adjutorium meum intende:* Domine, ad adjuvandum me festina,

@ [Col. 0914C] *Etc.* S. Dunstanus cum vulgo editis habet, *Et gloria.* etc. Inde hymnus uniuscujusque [Col. 0913B] horae. Deinde prima hora Dominica

@ [Col. 0914C] *Dicenda.* Vict. p. addit: *Sunt,* omittitque verbum *dicantur, quemadmodum vetusta editio Parisiensis,* quae etiam pro *dicenda,* ponit *dicendo.* dicenda, quatuor capitula psalmi

@ [Col. 0914C] *Centesimi octavi decimi.* Cod. p. Vict. addit: *Quae sequatur hymnus de fide catholica, id est, symbolum S.* Athanasii. Sed haec sunt addititia. centesimi octavi decimi

@ [Col. 0914C] *Dicantur.* Hoc vocabulum desideratur in cod. mss. S. Germ. ma., S. Far. et Vict. p. dicantur. Reliquis vero horis, id est, tertia, sexta, vel nona terna capitula supra scripti psalmi octavi decimi dicantur. Ad primam autem secundae feriae dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, et sextus. Et ita per singulos dies ad primam usque

@ [Col. 0914C] *Ad dominicam.* Vict. ma. addit: *Diem.* dominicam dicantur per ordinem terni psalmi

@ [Col. 0914C] *Usque ad nonum decimum.* Inclusive. usque ad nonum decimum psalmum: ita sane, ut nonus psalmus, et septimus decimus partiantur in duas glorias: et sic fiat,

@ [Col. 0914C] *Ut v gilias.* Vict. p., *Ut vigiliae Dominicae semper* [Col. 0914D] a vigesimo incipiantur. Vetus editio Parisiensis, *ut ad vigilias Dominicas.* ut ad vigilias Dominica semper a vicesimo incipiatur. Ad tertiam, vero sextam, nonamque feriae secundae, novem capitula, quae residua sunt de centesimo decimo octavo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso ergo [Col. 0913C] psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id [Col. 0914A] est, Dominica et secunda feria; tertia feria jam ad tertiam, sextam vel nonam psallantur terni psalmi a centesimo nonodecimo usque ad centesimum vigesimum septimum, id est, psalmi novem. Quique psalmi semper

@ [Col. 0914D] *Usque ad dominicam.* In Vict. ma. deest τὸ *usque.* usque ad Dominicam per easdem horas

@ [Col. 0914D] *Itidem.* Haec vox desideratur etiam in Vict. ma. itidem repetantur. Hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata. Et ita scilicet, ut semper Dominica a centesimo octavo decimo incipiatur. Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur a centesimo nono usque ad centesimum quadragesimum septimum, exceptis his, qui in diversis horis ex eis sequestrantur, id est, a centesimo septimo decimo ad centesimum vigesimum septimum, et centesimo tricesimo tertio, et centesimo [Col. 0914B] quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt, qui ex numero supra scripto

@ [Col. 0914D] *Fortiores.* Id est, majores, prolixiores, ut supra observatum est. fortiores inveniuntur, id est, centesimus tricesimus octavus, et centesimus quadragesimus tertius, et centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus, quia parvus est, centesimo quintodecimo conjungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxavimus, impleantur. Ad completorium vero quotidie iidem psalmi repetantur, quartus,

@ [Col. 0914D] *Nonagesimus.* Id est, *Qui habitat, etc.;* eumdem psalmum exsolvi jubet S. Basilius in suprema illa hora, quam αἴτησιν, id est, petitionem appellat, ut supra observatum est. nonagesimus, et centesimus trigesimus tertius. Disposito ordine psalmodiae diurnae, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, aequaliter dividantur in septem noctium vigiliis,

@ [Col. 0914D] *Partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi.* Hanc institutionem

secuta est synodus Narbonensis sub Reccaredo rege: «Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus gloria dicatur omnipotenti Deo. Per majores vero psalmos, si fuerint prolixiores, pausationes fiant; et per quamcunque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur.» Pausationes autem istae sunt psalmorum interstitia, in quibus cessantes a psalmodia breviter et submisse orabant, juxta veterum monachorum institutum, quod videre est apud Cassianum, lib. II de nocturn. Orat., cap. 11: «Et idcirco ne psalmos quidem ipsos, quos in congregatione decantant, continuata student pronuntiatione concludere. Sed eos pro numero versuum duabus vel tribus interscisionibus cum orationum interjectione divisos distinctim particulatimque consummant;» et haec loco citato concilii non minimam lucem afferunt. partiendo scilicet, [Col. 0914C] qui inter eos prolixiores sunt psalmi, et duodecim [Col. 0915A] per unamquamque constituantur noctem.

@ [Col. 0915B] *Hoc praecipue commonentes, etc.* Sciebat S. Benedictus varie a multis Psalterium ordinari. Et vere humilis non ita ordinem suum commendavit, ut noluerit alieno magis stare judicio, quam suo. Quem tamen ordinem nunquam pontifices mutare voluerunt, quemadmodum observat Walfridus Strabo, cap. 23, lib. de Rebus ecclesiasticis: «Et etiam ille ordo laudabilis, quem beatus Pater Benedictus monachis constituit observandum: scilicet, ut qui proposito a caeteris discernuntur, etiam continuae servitutis penso aliquid amplius persolvere studeant. Quam dispositionem ideo a pastoribus ecclesiarum non interdici putamus, quia et vicina est auctoritati Romanae, et quia beatus Gregorius Vitam egregii Patris Benedicti describens, Regulam ab eo descriptam, in qua idem ordo officiorum habetur, sua auctoritate statutis ejus favere videtur.» Sed, quia nonnulli mutationis amatores hunc ordinem immutaverant, in magno concilio Aquisgrani sub Ludovico [Col. 0915C] Pio statutum est, ut omnes monachi hunc ordinem recitarent, ut docet vetus chron. ms. bibliothecae regis Francorum: «Anno tertio Ludovici factum est concilium magnum Aquisgrani in mense Augusto: et praeceptum est ut monachi omnes cursum S. Benedicti cantarent ordine regulari.» Item statutum est etiam Aquisgrani in synodo abbatum sub eodem Ludovico, ut habetur additione I Capitularis Lud. imp., tit. 3: «*Ut officium, quod in Regula sancti Benedicti continetur, celebrent monachi.*» Quare Paulus V, pont. max., qui nostra aetate Breviarium pro omnibus sub Regula S. Patris Benedicti militantibus instituit, eamdem Psalterii dispositionem illibatam servari voluit. Hoc praecipue commonentes, ut si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit,

@ [Col. 0915C] *Ordinet, si melius aliter judicaverit.* Est trajectio; nam τὸ *aliter* referendum est ad verbum *ordinet hoc modo: Ordinet aliter, si melius judicaverit.* ordinet, si melius aliter judicaverit: dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero

@ [Col. 0915C] *Centum quinquaginta psalmorum.* Hunc psalmorum numerum S. Patris Benedicti dedita opera designat ne quis supposititios, peregrinos et apocryphos psalmos interjiceret, juxta canonem 59 concilii Laodiceni, quo privati psalmi prohibentur: Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεθαι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, id est, «Quod non oportet privatos psalmos in ecclesia dici.» Nam fuerunt olim psalmi sub titulo Salomonis et quorumdam aliorum, inquit Theodorus Balsamon, quos quidem concilium privatos appellat, quod non essent auctoritate ecclesiastica recepti.

@ [Col. 0916C] Psalmi et odae Salomonis ante aliquot annos editi sunt a Ludovico de la Cerda. Psalmos et odas Salomonis inter apocryphas Scripturas recenset S. Athanasius

in synopsi sacrae Scripturae, [Col. 0916B] de quibus etiam agit Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in canone, et collocat inter scripturas quibus contradicitur. Sed et ipse S. Athanasius in eadem synopsi inter Davidicos mentionem facit centesimi quinquagesimi primi psalmi, de quo infra tractabitur. Multi etiam haeretici psalmos composuerunt, inter quos Hierax, quemadmodum docet S. Epiphanius, lib. II Panarii, haeresi. 67; Valentinus quoque, ut videre est apud Tertullianum, lib. de Carne Christi: «Sed remisso Alexandro cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam cum psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicujus auctoris interserit, ad unam jam lineam congressionem dirigamus» Et infra. «Nobis quoque ad hanc speciem psalimi patrocinabuntur, non quidem apostatae et haeretici et Platonici Valentini, sed sanctissimi et receptissimi prophetae David.» Donatistae psalmos humano ingenio elaboratos in suis ecclesiis canebant, ut docet S. Augustinus epist. [Col. 0916C] 119: «Donatistae nos reprehendunt, quod sobrie psallimus in ecclesia: cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum quasi tubas exhortationis inflamment.» Cum autem S. Benedictus numerum centum et quinquaginta psalmorum per singulas hebdomadas praecipit absolvi, hoc intelligendum est, si dies festi non occurrant, in quibus psalmi ad ipsam diem pertinentes dicuntur, ut ipse loquitur cap. 14. centum quinquaginta psalmorum psallatur; et Dominico die semper a capite repetantur ad vigilias. [Col. 0916A] Quia nimis iners devotionis suae studium vel servitium ostendunt monachi, qui minus psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanae curriculum psallunt:

@ [Col. 0916C] *Dum quando legamus.* Ita cod. ma. S. Germ., Vict. p.; sed cod. S. Ebrul. et editio Coloniensis habent, *quando legamus.* Vict. ma., *dum quanti legamus.* S. Dunstanus, Turrecremata, et editio Parisiensis vetus, *dum legamus, cod.* ms. S. Faronis, *quia legimus.* In vulgatis scribitur, *cum legamus;* clarius et rectius. dum quando legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenue implesse: quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.

CAPUT XXV. DE DISCIPLINA PSALLENDI.

[Col. 0915D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos. Maxime tamen sine aliqua dubitatione credamus, cum ad [Col. 0916D] opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait Propheta: *Servite Domino in timore* **(Psal. II)**. Et iterum: *Psallite sapienter* **(Psal. XLVI)**. Et: *In conspectu angelorum psallam tibi* **(Psal. CXXXVII)**. Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu [Col. 0917A] Divinitatis et angelorum esse. Et

@ [Col. 0917C] *Sic stemus ad psallendum.* Ex hoc loco satis constat monachis S. Benedicti standum esse inter psallendum. Quod satis etiam colligitur ex cap. 9 Regulae: «Quibus dictis, dicto versu benedicat abbas: et sedentibus omnibus in scamnis legantur vicissim a fratribus,» etc. Idem ferme locus habetur cap. 11; nam qui jubentur sedere dum lectiones recitantur, stetisse cum psallerent, necesse est, maxime cum tantum genua

flecterent in orationibus et collectis, ut infra dicetur et cap. 6: «Concedatur ei post abbatem stare et benedicere;» et cap. 63: «Sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum.» sic stemus ad psallendum,
@ [Col. 0917C] *Ut mens nostra concordet voci nostrae.* Hunc locum [Col. 0917D] citat Haymo Halberstattensis in cap. V ad Ephesios: «Illi vero cantant in corde, quorum mens concordat voci, juxta illud B. Benedicti: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae.*» Idem monet S. Basilius in Ammonitionibus agens de oratione: «Et ne dissonans sit a sono vocis tuae sensus tuus, sed in linguae verba vigil intendat.» S. Prosper Aquitanicus in Sententiis, cap. 6: «Vera confessio est benedicentis, cum idem sonus est et oris et cordis.» S. Isidorus, cap. 6 Regulae suae: «Quando celebrantur psalmorum sacramenta spiritualia, refugiat monachus risus et fabulas; sed hoc meditetur corde quod psallitur ore.» Praeclare sane S. Caesarius Arelatensis, serm. 12: «Orantes autem, charissimi, quantum possumus, adjuvante Domino laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit, ne forte aliud habeamus in corde, et aliud proferamus ex ore; ne forte, dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus vanis occupata ab orationis sensu discedat; et inde acquirat peccatum unde potuit habere remedium.» ut mens nostra concordet voci nostrae.

§ II.---CASSIODORI DE PSALMO CI.
@ [Col. 0918B] *Hunc modum, etc.* Haec reperiuntur apud Cassiodorum Commentario in psalmos, psalmo citato. Hunc modum sanctae orationis servandum devotissimus Christianus intelligat, ut id ipsum cogitet quod orat, ipsum respiciat mente cui supplicat. Omnes superfluas cogitationes excludat, aliud non admittat extraneum: ne, ut ait quidam,
@ [Col. 0918B] *Purissimis fontibus apros immittere.* Ex Virgilio, II Bucolico: [Col. 0918C]

. . . et liquidis immisi fontibus apros. purissimis fontibus apros immittere videatur improvidus. Hinc etiam Ambrosii secundum Apostolum horae sextae roseus ille hymnus redoluit, cum ait:
@ [Col. 0918C] *Orabo mente Dominum, etc.* Hi versus non exstant, in operibus excusis S. Ambrosii. Canebantur hora sexta, ut notum est ex Cassiodoro hoc loco. Orabo mente Dominum, Orabo simul spiritu: Ne vox Deo sola canat, Sensusque noster alibi[Col. 0917B] Ductus aberret et fluctuans Vanis praeventus casibus. Tunc enim
@ [Col. 0918C] *Accepta est.* Lege: *Deo accepta est, ut apud Cassiodorum.* accepta est Oratio canentium, Si pura mens idem gerat Quod explicat vox cantici.

§ III.---EX REGULA BASILII (cap. 110).

Interrog.
@ [Col. 0918C] *Quid est, psallite sapienter? Exstat apud S.* Basilium interr. 279 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 57. Quid est, *psallite sapienter?* **(Psal. XLVI)**.---*Resp.*
@ [Col. 0918C] *Quod est in omnibus cibis.* Praeclare Basilius in Ammonitionibus: «In tempore psalmorum sapienter psalle, fili, et spiritales cantus vigilanter cane coram Domino: ut virtutem psalmorum facilius possis advertere. Omnis enim duritia cordis eorum dulcedine emollitur. Tunc dulces fauces habebis, gaudensque cantabis: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Nec poteris sentire dulcedinem,

nisi cum summa vigilantia et sapientia cantaveris. *Fauces* enim, inquit, *escam gustabunt,* [Col. 0918D] sensus autem discernent. Sicut ergo ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur.» Quod est in omnibus cibis gustu unumquemque dignoscere, cujus saporis sit, hoc est, et [Col. 0918A] ex verbis sanctae Scripturae prudentiae sensus:

@ [Col. 0918D] *Fauces escas gustabunt, etc.* Citatur locus ordine praepostero. *Fauces,* inquit, *escas gustabunt,*

@ [Col. 0918D] *Sensus.* In recentiori interpretatione S. Basilii, *mens.* Utrumque juxta locum citatum a Basilio in quo est νοῦς, id est, mens, sensus. At in Bibliae communi versione est *auris, juxta Septuaginta* οὖς, id est, auris, et textum Hebraicum אזן , *Ozen, quod idem sonat.* Citatio ergo olim corrupta apud Basilium, cum ex οὖς factum est νοῦς. *sensus autem verba discernit* **(Job. XXXIV)**. Si quis autem animam suam ita intendit in singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste complet hoc quod dicitur: *Psallite sapienter.*

§ IV.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 34).

Interrog.

@ [Col. 0918D] *Unde ergo.* Exstat apud S. Basilium, interr. 21 Regul. brev., et apud Ruf., cap. 28. Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversae ascendunt in corde nostro, et quomodo possumus emendare?---*Resp.* Vagatur quidem mens interdum etiam otio, cum non occupatur in necessaria sollicitudine, in remissione posita et securitate, non credit praesentem Deum scrutantem renes et corda. Si enim hoc crederet, faceret [Col. 0918B] hoc quod superius dictum est: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi, ne commovear* **(Psal. II)**. Qui autem hoc agit

@ [Col. 0918D] *Nec horum.* Lege, *vel horum, ut apud Rufinum.* nec horum similia, neque vagabitur unquam, neque habebit otium vanis cogitationibus indulgere, vel aliquid cogitare quod non ad aedificationem fidei pertineat,

@ [Col. 0918D] *Et ad aliquam animae utilitatem spectet.* In textu Graeco, κἂν ἀγαθὸν εἶναι δοκῇ, id est, etsi bonum illud esse videatur. et ad aliquam animae utilitatem spectet, quanto magis nihil audebit quod adversum sit Deo et non ei placeat cogitare.

[Col. 0919A]

§ V.---EJUSDEM (cap. 108).

Interrog.

@ [Col. 0919C] *Quomodo obtinebit.* Habetur apud sanctum Basilium interr. 201 Reg. brev., et apud Rufinum cap. 57. Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur?---*Resp.* Si certus sit se assistere ante oculos Dei. Si enim quis judicem suum videns vel principem, et loquens cum eo, non sibi credit licitum esse vagari oculis et alios aspicere dum ibi loquitur,

@ [Col. 0919C] *Quanto magis qui accedit ad Dominum.* Praeclare idem Basilius in Ammonitionibus: «Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo, neque [Col. 00919D] in diversa rapiatur mens tua. Memento enim te sub Dei stare conspectibus, qui occulta cordis conspicit, et abscondita mentium novit.» quanto magis qui accedit ad

Dominum nusquam debet movere oculum cordis, sed intentus esse in eum qui scrutatur renes et corda **(Psal. VII)**, ut impleat illud quod scriptum est: *Levantes puras manus sine ira et disceptatione* **(I Tim. II)**.

§ VI.---ITEM IPSE (cap. 119).

Interrog.
@ [Col. 0919D] *Si possibile, etc.* interrog. 202 Reg. brev., et Ruf. cap. 57. Si possibile est obtinere hominem ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua, vel quomodo id fieri potest?---*Resp.* Quia possibile est, [Col. 0919B] ostendit ille qui dixit: *Oculi mei semper ad Dominum* **(Psal. XXXIV)**. Et iterum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi, ne commovear* **(Psal. XV)**. Quomodo autem possibile sit praediximus, id est, si non demus animae nostrae otium, sed omni tempore de Deo, et de operibus, ac de beneficiis ejus, et de donis cogitemus, et haec cum confessione et gratiarum actione semper volvamus in mente, sicut scriptum est

§ VII.---EX REGULA SANCTORUM PAULI ET STEPHANI (cap. 9).
@ [Col. 0919D] *Somnus, etc.* In cod. ms. Flor. eod. cap. Somnus cum opus Dei dicitur, cum Dei auxilio omnino a nobis fugandus est. Timentes illud prophetae: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter* **(Jer. XLVIII)**. Et illud: *Dormierunt somnum suum,* et nihil [Col. 0919C] invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis **(Psal. LXXV)**.

§ VIII.---ITEM IPSI (cap. 9).
@ [Col. 0919D] *Nulli, etc.* In cod. Flor. cap. 10. Nulli liceat tempore, quo opus Dei canitur, qualibet occasione sermonem contra alium fratrem proferre: nisi seniori tantum, cui sine dubio solent causae cujuscunque rei aut ordinandae aut corrigendae nonnunquam emergere.

§ IX.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 9).
@ [Col. 0919D] *Ad vigilias.* Supra cap. 23 citatur cap. 29 ejusdem Regulae S. Aureliani huic simile, sed quodammodo prolixius. Ad vigilias
@ [Col. 0919D] *Nullus dormiat, etc.* Idem monet S. Basilius in Ammonitionibus: «Vigilanter igitur assiste in conspectu Dei; in tempore orationum vel psalmorum non te opprimat somnus.» Circa dormientes in synaxi divina monachos haec statuit S. Columbanus in Poenitentiali ms.: «Si quis dormierit cum oratur, si frequens, duodecim psalmos cantet; si non frequens, sex psalmos.» nullus dormiat. Si vero Dominici, [Col. 0920A] aut festi dies sunt, cum somnus venerit, aliis sedentibus stet, ut possit a se somni marcorem repellere, ne in opere Dei aut tepidus inveniatur aut negligens.

§ X.---ITEM IPSE (cap. 25).

Cum psallitur, studeant sanctae animae vestra
@ [Col. 0919D] *Non vagari animo.* In id omnes animi nervos intendere debent monachi, ne praeter irreverentiae noxam, quam incurrunt, assiduae seu orationis seu psalmodiae perdant fructum, juxta illud Aggaei prophetae cap. 1: *Ponite corda vestra super vias vestras.* Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, [Col. 0920D] et non estis satiati;

bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti: et qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum. non vagari animo, verum etiam nec operari aut loqui praesumant: sed, *psallite sapienter* **(Psal. XLVI)**, sicut dixit Propheta: *Psallam et intelligam* **(Psal. C)**. Et illud: *Psallam spiritu, psallam et mente* **(I Cor. XIV)**. Metuens illud: *Maledictus homo qui facit opus Dei*
@ [Col. 0920D] *Negligenter.* Ita apud Septuaginta, ἀμελῶς, id est negligenter, et apud S. Cyprianum, lib. III Testim. ad Quirinum. In versione communi, *fraudulenter. negligenter* **(Jer. XLVIII)**.

§ XI.---TRACTATUS BEATI AUGUSTINI DE EO QUOD SCRIPTUM EST IN EVANGELIO: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo.*
@ [Col. 0920D] *Magnam nobis, etc.* Huic tractatui nomen S. Augustini praefigitur, non tamen exstat inter illius Opera, nec ulla mentio fit in Retractationibus, nec recensetur in Catalogo Possidii. Quaedam hujus tractatus pars exstat in brevi quodam sermone Eusebii Gallicani, cujus initium est: *Multum habent salubritatis.* Magnam nobis, fratres dilectissimi, securitatem [Col. 0920B] in Evangelio Dominus donare dignatus est dicens: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* **(Matth. XVIII)**. Si duobus vel tribus interesse dignatur, quanto magis quando totus populus in ecclesia fideli devotione colligitur, et concurrentium societate membrorum capiti suo Christo Ecclesiae corpus unitur. *Ubi sunt, inquit, duo vel tres congregati in nomine meo.* Cum ergo congregatio ad multos pertineat, videndum est quomodo sermo divinus de duobus vel tribus dicendum esse judicaverit. Ego puto quod de uno possit dici, qui in domo Dei possit congregari, id est, ut ad exorandum Dominum non solum exterioribus, sed etiam interioribus sensibus et desideriis, fide et operibus totus introeat. Nam si intra ecclesiam solo corpore, [Col. 0920C] quisque ille, teneatur, et toto extra ecclesiam corde versetur, et exterior a spiritu suo divisus et separatus ingreditur: et quod est in homine pretiosius, hoc divinis obsequiis peregrinatur: dum solum in praesenti terra retinetur, anima vero per lasciva ludibria in multiplices
@ [Col. 0920D] *Cursus.* Lege, *discursus, ut habetur in praefato sermone Eusebii Gallicani, et quidem convenientius ad sensum.* cursus captiva distrahitur. Et ideo quando quisque nostrum ante judicem suum aeternam causam commendaturus assistit, non aliud appareat intus, et aliud foris sit. Nihil ab homine
@ [Col. 0920D] *De parte hominis obtinetur.* Haec nullum sensum efficiunt; sed lege, ut in sermone praefato: *De parte hominis absentet, ut infra loquitur: De templo Dei absentare non expedit sacerdotem;* et sensus est, ut mens, quae est hominis pars, non absit ab homine dum orat. de parte hominis obtinetur. Nam si dixit: *Ubi sunt* [Col. 0921A] duo vel tres congregati, quomodo probabitur congregatus, qui a semetipso cogitatione et vagatione dispersus est? Et quomodo erit in medio tui, si tecum tu ipse non fueris?
@ [Col. 0921C] *Id est illis qui poscit.* Haec corrupta sunt, nulliusque sensus. Lege ut in sermone citato: *Si deest ille qui poscit.* id est, illis, qui poscit, quomodo aderit ille qui poscitur? Quomodo suscitabitur judex, si dormitaverit advocatus? Opus est itaque ut quod postulat vocis sonus, obtineat sedulitatis affectus: Revoca intus sollicitam mentem, per quam omne sacrificium offerre te convenit. De templo Dei absentare non convenit sacerdotem. Haec ergo considerantes, fratres charissimi, quotiescunque psallimus, aut in oratione procumbimus, jugiter illud Apostoli consideremus quod ait, *orationi instantes et vigilantes in ea* **(Col. IV)**. Et iterum: *Psallam spiritu, psallam et*

mente **(I Cor. XIV)**. Si enim aut [Col. 0921B] dum psallimus aut dum orationi insistimus, saeculares cogitationes intentionem animi nostri a sensu divinae contemplationis averterint, faciunt nos captivis sensibus sine ullo animae fructu huc illucque discurrere. Quam rem Christo auxiliante cito poterimus evadere, si similitudinem peccatorum nostrorum voluerimus attentius cogitare. Si enim pro peccatis nostris, id est, quaecunque male cogitavimus, quaecunque injuste diximus, cum ingenti rugitu et gemitu, sicut expedit, supplicamus, cogitationes superfluae aut non veniunt, aut si se ingesserint, dum eis non praebemus assensum, cito erubescunt atque discedunt. Quid enim homo cogitare debet quando cum Deo loquitur, nisi tota intentione mentis ad illius misericordiam intentus aspiciat? Et quia difficile est [Col. 0921C] ut nobis non subripiant aliquae cogitationes, vel moras habere in nobis non permittantur. Cogitatio enim aut de cupiditate aut de luxuria veniens sic est quomodo si aliquis carbones accensos in suis [Col. 0922A] manibus apprehendat: si eos statim sine mora projecerit, nocere ei ignis ille non poterit; si vero qualemcunque moram habuerit, sine vulnere jactari non poterunt. Et quia de multis negligentiis non solum nos minuta peccata vel ut circumvolantes muscae jugiter inquietant, sed etiam nos crimina capitalia ad aliquod malum perpetrandum frequenter instigant, sicut etiam supra suggessi toto corde et toto animo, diu noctuque contra insidias inimici, de quo scriptum est **(Aen. VI)** quod ei sint

. . . . nomina mille, Mille nocendi artes, ... pugnare fortiter studeamus. Si enim diligenter attendimus conscientias nostras, spiritales ibi pugnas [Col. 0922B] fieri, et secundum apostoli Pauli sententiam (I Cor IV) spectaculum Deo et angelis ejus esse cognoscimus: et

@ [Col. 0921C] *In arena, etc.* Perelegans sane allegoria ducta ab amphitheatro. in arena mundi hujus contra omnia peccata vel crimina, velut contra crudelissimas bestias, nos jugiter pugnare sentimus. Haec enim qui diligenter attenderit, ipse suus aspector assistit, et quaedam animae suae divortia inter utiles et contrarias voluntates anxius pugnas nutantes inspiciet, et quid eum deceat oculo interiore considerat. Diligenter, quaeso, fratres, attendite et cognoscite quia in nobismetipsis habemus amphitheatrum spiritale,

@ [Col. 0921C] *Et illam quam silva barbara.* Lege: *Et illam silvam barbaram, quam, etc.* Appellat silvam quia saepe in amphitheatro et circo silvae pangebantur, in quibus omnis generis ferarum venationem exhibebant, qualis illa de qua Julius Capitolinus in Gordianis, et [Col. 0921D] alia de qua Flavius Vopiscus in Probo; atque etiam historiam seu fabulam repraesentabant, ut videre est in Amphitheatro Martial., epigr. 21:

Quidquid in Orpheio Rodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Caesar, arena tibi. Repserunt scopuli, mirandaque silva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum. Adfuit immixtum pecudum genus omne ferarum, etc. et illam quam

@ [Col. 0921D] *Silvam barbaram.* Ob effusionem humani sanguinis. Cassiodorus, lib. V Var., epist. 42 ejusmodi amphitheatrales ludos et pugnas appellat ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam feritatem; quam quidem belle describit S. Cyprianus epistola 1. silva barbara in spectaculis fingunt, quotidie patimur et in ambitu cordis nostri. Ego enim, fratres, nolo quibuscunque injuriam facere, neminem profero nuncupatim. Videat unusquisque in [Col. 0922C] conscientiam suam quid reperiat.

@ [Col. 0921D] *Nam video in moribus nostris.* Eleganter et apposite admodum prosequitur suam allegoriam, diversarum naturam ferarum cum nostris vitiis industrie satis componens. Profusus sane fuit Romanorum luxus, qui in circi seu amphitheatri munera omnis generis feras undequaque exquirebant; quem eleganter admodum describit Claudianus in Panegyrico de Malli Theodori consulatu:

Conveniunt ursi, magna quos mole ruentes Torva Lycaoniis Helice miratur in astris, Perfossique ruunt populo mirante leones Quales Mygdonio curru frenasse Cybelle Optat, et Herculei mallent fregisse lacerti. Obvia fulminei properant ad vulnera pardi Semine permisto geniti: cum forte leaenae Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter Hi maculis patres referunt et robore matres.[Col. 0922D] Quidquid monstriferis nutrit Getulia campis, Alpina quidquid tegitur nive: Gallica si quid Silva tenet, jaceat: largo ditescat arena Sanguine, consumant totos spectacula montes. Vide Capitolinum, et Trebellium supra citatos. Nam video interdum in moribus nostris

@ [Col. 0922D] *Iras leonum, etc.* Ita eleganter S. Chrysostomus sermone 6 in II ad Cor.: Πόθεν δυνήσομαι μαθεῖν ὅτι ψυχὴν ἔχεις ἀνθρώπου, ὅταν λακτίζῃς ὡς ὄνοι, ὅταν μνησικακῇς ὡς αἱ κάμηλοι, ὅταν δάκνῃς ὡς αἱ ἄρκτοι, ὅταν ἀρτάζῃς ὡς οἱλύκοι, ὅταν κλέπτῃς ὡς αἱ ἀλωπέκες, ὅταν δολερὸς ᾖς ὡς οἱ ὄφεις, ὅταν ἀναισχυντῇς ὡς κύων Id est, «Unde potero discere te habere animam hominis, cum recalcitres ut asini, injuriae recorderis ut cameli, mordeas ut ursi, rapias ut lupi, fureris ut vulpes, sis dolosus ut serpentes, impudens ut canis?» iras leonum, in affectionibus saevitias ursorum, in mente,

@ [Col. 0922D] *Varietates pardorum.* Claudianus:

Hi maculis patres referunt. . . . Vide Plinium, lib. VII, cap. 17. varietates pardorum, in avaritia rapacitatem luporum, in concupiscentia [Col. 0923A]

@ [Col. 0923C] *Sitim onagrorum.* Psal. CIII: *Exspectabunt onagri in sita sua.* Onager, seu ὄνος ἄγριος, id est asinus silvestris apud Indos equi magnitudine, aliquando major, toto corpore albus, capite purpureus, oculis caeruleis. Cornu illi cubitale media procedit fronte, cujus scobs in potu data tuetur a venenis. Ejus inferior pars et fronti proxima ad duos palmos egregie candida est, suprema in acumen desinens cum summo rubore punicea est, quae media intercedit, nigra. Qui de eo cornu, vel poculis ex eo tornatis bibunt, nec spasmo, nec morbo sacro corripiuntur. Nec ulla veneni vis eis nocere potest, qui ante vel post haustum venenum aquam aut vinum de ejusmodi cornu seu poculis biberint. Robustissimus est et velocissimus, ut nec equus, nec aliud animal illum assequi possit; ut refert Ctesias Indicorum libro apud Photium in Bibliotheca, n. 71. sitim onagrorum,

@ [Col. 0923C] *In sensibus stultitiam vulturum.* Lege: *In sensibus* [Col. 0923D] subtilitatem vulturum. Nam haec avis est acutissimi visus inter caetera animalia, ex longo intervallo prospiciens escas ab ortu solis in occasum, ab occasu ad ortum, inquit Orus Apollo. De vulture et aliis animalibus hic enumeratis vide Plinium et Aelianum de animalibus. in sensibus stultitiam vulturum, in memoria oblivionem cervorum, in mendaciis fallaciam vulpium, in invidia venenum viperarum, in jejunio tarditatem boum, in corde inscitiam vitulorum, in superbia cervices taurorum, in impudentia frontem arietum, in levitate mobilitatem capreolorum, in visceribus callum verrium, in cogitationibus volutabra porcorum, in lingua dentes aprorum, in conscientia maculas tigrium, in iracundia

tumentia colla draconum, in peccatis moles elephantorum. Unde deprecor ut, agnoscentes nos tantis periculis circumdatos, attentius pro nobis invicem Domino supplicemus. Fiant, o Benedicti fratres et adjutores, vel conservi in Domino, fiant manus nostrae, id est, sanctae orationes, simul cum [Col. 0923B] operibus bonis ad Dominum, ut introducti in tam periculoso agone, et in theatro mundi hujus in quo nemo coronatur nisi qui legitime certaverit, laetum Deo et angelis spectaculum praebeamus, ut ipso auxiliante, devictis et prostratis adversariis, cum triumpho ad aeternam patriam remeantes illam felicem et desiderabilem vocem audire mereamur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* **(Matth. XXVIII)**. Quam rem ut obtinere cum Dei gratia mereamur, sicut supra suggessimus, quando in oratione aut caput inclinamus, aut genua flectimus, tota intentione animi, totis viribus laboremus, ne nobis cogitatio aut superflua aut iniqua subripiens mentem nostram a [Col. 0923C] perfecta et compuncta possit oratione subtrahere. [Col. 0924A] Et quia quando pro peccatis nostris humiliter supplicamus, ad Dominum nos loqui cognoscimus, timere debemus ne forte si aliud quam id quod petimus cogitare poterimus, divinae majestati, antequam stare videmur, injuriam faciamus. Certi enim esse et tota devotione confidere debemus, quod si quando aut illa psallimus aut oramus, hoc quod proferimus ex ore teneamus in corde. Et tunc oratio nostra omnis exauditur a Domino. Quod ipse praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

§ XII.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 5).

@ [Col. 0923D] *Praedictae autem, etc.* Haec sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de nocturn. Oration., cap. 7. Hic autem sabaudi *orationes, ex capite citato.* Praedictae autem hoc modo incipiuntur atque finiuntur,

@ [Col. 0923D] *Ut finito psalmo.* Arguit morem suae provinciae Massiliensis, juxta quem monachi ad finem psalmi properantes eo nondum finito in genua procumbebant. De his genuflexionibus ad finem cujusque psalmi infra dicetur. ut finito psalmo non continuo ad orationem [Col. 0924B] inflexis genibus corruatur, sed antequam flectantur genua majorem temporis partem stantes in supplicatione expendant: et post haec puncto brevissime procidentes in terram velut adorantes tantum divinam clementiam summa velocitate consurgant: et iterum erecti

@ [Col. 0923D] *Expansis manibus.* Mos fuit priscorum Christianorum expansis manibus orare. Tertullianus in Apologetico, cap. 3: «Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de [Col. 0924C] pectore oramus.» Et libro de Orat., cap. 13: «At qui cum modestia et humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate et probe elatis.» S. Fructuosus episcopus Bracarensis, cap. 3 Regulae: «Sed omnes summa aequalitate consurgant, extensisque ad coelum palmis orando persistant.» Joannes Moschus in Prato spirituali, cap. 55: Ἐκτείνας τὰς χεῖρας αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν πρὸς Θεὸν ἤυξατο λέγων· id est, «Extensis manibus in coelum Deum precatus est dicens.» Et cap. 104 rationem affert S. Asterius episcopus Amaseae enarrans haec verba Evangelii: *Duo homines ascenderunt in templum:* Καὶ τὸ ὄρθιον τῆς προσευχῆς ἐκτεταμένας προβαλλόμενον τὰς χεῖρας τὸ τοῦ σταυροῦ πάθος σχήματι ἐξεικονίζει, κ. τ. λ. Id est, «Et rectas tendere in coelum manus formam est exhibere Christi cruci affixi. Si vero vere orat, et orans placeat Deo, non modo in figura

[Col. 0924D] crucem repraesentat, sed etiam affectu. Ut enim in cruce clavis affixus, sic et orans necat omnem carnis concupiscentiam, memoria expellens omnem divitiarum, gloriae et parentum affectum.» Et praeclare S. Augustinus enarratione in psal. LXII: «Leva ergo manus in oratione, levavit pro nobis Dominus noster in cruce; et extensae sunt manus ejus pro nobis. Ideo extensae sunt manus ejus in cruce, ut manus nostrae extendantur in bona opera, quia crux ipsius misericordiam nobis praebuit. Ecce levavit ille manus, et obtulit pro nobis sacrificium, deleta sunt omnia peccata nostra, levemus et nos manus nostras ad Deum in prece, et non confundantur manus nostrae levatae ad Deum, si exerceantur bonis operibus. Quid enim facit qui levat manus? Unde praeceptum est, ut levatis manibus oremus Deum. Apostolas enim dicit: *Levantes puras manus sine ira et disceptatione;* ut cum levas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua.» expansis manibus, sicut prius stantes oraverant, modicum suis precibus immorentur. Ideo autem sic orare praeceptum est, quia, dum diutius orantes in terra procumbimus, non solum cogitationibus, verum etiam somno gravius impugnamur. Nam multi, qui nesciunt, necdum bene finito psalmo in orationem procumbere festinant, et dum de lassi corporis refectione potius quam de orationis utilitate cogitant, optant incurvatione genuum diutius incurvari. Cum autem is [Col. 0925A]

@ [Col. 0925B] *Qui praecedit.* Id est, *qui praeest.* qui praecedit, de oratione surrexerit, omnes pariter erigantur.

@ [Col. 0925B] *Similiter nec antequam ille.* S. Fructuosus episcopus, cap. citato: «Prosternantur in terram, eo scilicet ordine ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut iterum surgat; sed omnes summa aequalitate consurgant.» Similiter nec antequam ille ad orationem

@ [Col. 0925B] *Inclinetur.* Inclinari hoc loco est prosterni et genuflectere; nam hoc toto capite agitur de genuflexione. inclinetur, aliquis se inclinare praesumat: ne non tam prioris conclusionem, qui precem colligit, quam suam celebrasse videatur.

§ XIII.---EX REGULA SANCTI CAESARII (cap. 20).

@ [Col. 0925B] *Cum vero psalmis, etc.* Haec habentur in Regula S. Caesarii excusa, cap. 20; sed quidem primum membrum sumptum est ex Regula S. Augustini, [Col. 0925C] cap. 9. Cum vero psalmis et hymnis oratis Deum, id versetur in corde quod profertur in voce. Quodcunque operis feceritis, quando lectio non legitur, de divinis Scripturis aliquid ruminate. Aegrotantes vero sic tractandi sunt, ut citius convalescant.

@ [Col. 0925C] *Sed cum vires, etc.* Ex Regula S. Augustini, cap. 17. Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem abstinentiae consuetudinem.

@ [Col. 0925C] *Non sit notabilis, etc.* Item ex Regula sancti Augustini, cap. 18. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis placere vestibus, sed moribus, quod decet propositum vestrum.

[Col. 0925B]

§ XIV.---

@ [Col. 0925C] *Dicta Caesariae.* Duae sunt Caesariae abbatissae monasterii quod S. Caesarius Arelatensis antistes aedificavit prope Arelatem. Prima est S. Caesaria, soror S. Caesarii de qua Cyprianus lib. I Vitae S. Caesarii: «Evocataque e Massiliensi coenobio venerabili sorore sua Caesaria (quam idcirco eo miserat, ut disceret quod

doceret; et prius esset discipula quam magistra), in praeparata domicilia cum duabus aut tribus sodalibus eam introduxit.» Hujus meminit Fortunatus, lib. VIII, poemate 4, de Virginitate:

Has inter comites conjuncta Caesaria fulget
Temporibus nostris Arelatense decus, Caesarii monitis loci sociata perenni,[Col. 0925D]
Si non martyrii, virginitatis ope. Et infra loquens de sancta Radegunde:

Sit tibi dulce decus veneranda Caesaria praesens
Praesule Caesario non caritura tuo. Illos corde sequens, mandataque corpore complens
Ut teneas flores, has imiteris apes. S. Gregorius Turonensis, lib. IX Hist., cap. 41: «Post haec cum pontificis sui saepius gratiam quaereret, nec posset adipisci, necessitate commota cum sua abbatissa, quam instituerat, Arelatensem urbem expetunt, de qua Regula S. Caesarii atque Caesariae beatae suscepta regis se tuitione munierunt.» Et cap. 42 in epistola S. Radegundis: «Insuper congregationi per me collectae Regulam, sub qua sancta Caesaria degit, quam sollicitudo beati Caesarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum convenienter collegit, ascivi.» Qui etiam ultimus locus intelligendus est de prima Caesaria S. Caesarii sorore, sive legatur, *deguit,* sive *degit.* Nam [Col. 0926B] verbum *dego,* habet etiam *degit in praeterito, teste Prisciano, lib.* X, quae sane jam defuncta erat sancta Radegunde superstite, ut notum est ex poemate citato, ubi Fortunatus admonet sanctam Radegundem ut imitetur S. Caesariam jam ad Dominum receptam. Altera est quae successit S. Caesariae in regimen monasterii. Id patet ex Cypriano, libro eodem, cum agit de sanctimonialium sepulturis praeparatis a sancto Caesario: «Non multum igitur post, ipsam monasterii matrem germanam suam Caesariam sanctam ad praemia Christi migrantem, inter has quas praemiserat, ad medium throni, juxta eam quam sibi [Col. 0926C] paraverat, condiderunt sepulturam, succedente eidem quae nunc superest, Caesaria matre.» Ubi duae Caesariae manifeste distinguuntur: prima quae obiit ante Caesarium, altera quae ei superstes fuit. Hujus secundae Caesariae meminit idem Cyprianus, lib. II, cum agit de obitu S. Caesarii: «Alloquitur itaque primam quasi more dulcedinis suae ducentarum puellarum venerabilem Caesariam matrem.» Eique dicat Vitam S. Caesarii, ut ex locis citatis colligere est, non primae Caesariae, ut quidam male arbitrantur. Secundae hujus etiam mentio fit in testamento S. Caesarii: «Ancillae nostrae Caesariae abbatissae mantum majorem quem de cannabe fecit, dari volo.» Et paulo post ibidem atque etiam initio. Quod vero spectat ad dicta Caesariae hic citata, videntur ea esse Caesariae secundae, non primae. Nam loquitur Caesaria in praeterito: quod non fecisset, si adhuc in vivis fuisset S. Caesarius, quando haec scripsit Caesaria; sed in praesenti dixisset. *meditatur,* [Col. 0926D] recitat, etc. DICTA CAESARIAE.

Beatus Caesarius non de superficie labiorum aliquid Scripturae meditatus est; psalmum ipsum quem recitavit, si vel unus sermo cum praeteriit ubi sensum intelligentiae non accommodasset, non ei laboriosum [Col. 0926A] fuit tot vicibus eum repetere, donec nec unus sermo eum subterfugeret, implens illud: *Psallam spiritu, psallam et mente* **(I Cor. XIV)**. Et illud: *Psallam et intelligam* **(Psal. c)**.

§ XV.---*Ejusdem.*

Sicut laudabilis ignis per lectionis assiduitatem acquiritur et nutritur,
@ [Col. 0926D] *Ita iste.* Subaudi, *ignis vituperabilis, seu quid simile.* Est hic quoddam membrum a suo corpore avulsum. ita iste per cogitationes malas et sordidas, seu ad Deum non pertinentes, sicut venenum serpentis et sicut gladius occidit. Qui sicut fieri non potest ut non veniant, ita, si non invitantur, tarde veniunt. Invitatio tunc fiet, quando meditatio sancta defuerit. Dominus dicit:
@ [Col. 0926D] *Invenit mentem vacuam.* Luc. XI, ubi ita habetur: *Invenit eam scopis mundatam, domum videlicet.* S. Caesaria posuit *mentem, explicans nomen allegoricum per proprium.* Nam domus illa scopis mundata nihil aliud est quam mens hominis a vitiis purgata. *Invenit mentem vacuam scopis mundatam et assumit septem spiritus nequiores se,* et fiunt
@ [Col. 0926D] *Novissima.* Hanc vocem, quae deerat, restituimus. novissima illius pejora prioribus **(Luc. XI)**. Quae si venerint, si non teneantur, [Col. 0926B] cito discedunt; si non ruminantur, non urent; non delectentur,
@ [Col. 0926D] *Non maculent.* Locus corruptissimus, quem ita corrigendum puto: *Non maculant, si non delectant;* si cito excutiantur, pulverem suum non relinquunt; si illis non consentiatur, non vulnerant; si non audiantur, ut vel in linguam procedunt, venenum ipsarum non serpit. Quae quidem de pravis cogitationibus intelliguntur. non maculent; cito excutiantur et pulverem suum non relinquant; non illis consentiatur et non vulnerant; non audiantur, ut vel in linguam procedunt, et venenum ipsorum non serpit.

[Col. 0927A]

§ XVI.---*Ejusdem.*

Puritas cordis omnia vitia excludit, omnes virtutes obtinet: *Laetetur cor quaerentium Dominum* **(Psal. CIV)**. Quia ibi est habitaculum Spiritus sancti ubi fuerit puritas cordis. Quam virtutem qui voluerit obtinere,
@ [Col. 0927C] *Nihil praeter quod.* Lege, *quod nihil praeter quam de Deo cogitabit, aut loquetur, etc.* nihil praeter quod de Deo cogitavit, aut loquitur, evidenter scimus. Quod si vel punctum horae meditatio Dei discesserit, statim inimicus aderit. Quod valde devitandum est. Et scriptum est: *Abominatio est Domino cogitatio iniqua* **(Prov. XV)**. Ideoque, quia omnino mens humana otiosa esse non potest,
@ [Col. 0927C] *Talis sit meditatio, etc.* Nam bona cogitatio seu meditatio est innocentiae fons et scaturigo, imo ipsa innocentia, ut est in responsis Cariliphidis: *Quae sit innocentia? Bona cogitatio.* talis sit meditatio, quae non fetorem faciat, sed sit bonus odor Christi.

§ XVII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 47).[Col. 0927B]
@ [Col. 0927C] *Tanta debet esse, etc.* Habetur in Regula Magistri cod. Corb., cap. 47. Tanta debet esse reverentiae gravitas vel disciplina psallendi, ut amabilius a Domino quam a nobis dicitur, audiatur. Sicut ait Scriptura: *Exitus matutini et vespere*
@ [Col. 0927C] *Delectaberis.* Ita in Psalt. Rom. Vide supra. *delectaberis* **(Psal. LXIV)**. Et item:
@ [Col. 0927C] *Bene psallite ei in jubilatione.* Ita in Psalterio Romano. Apud S.

Hieronymum, *in jubilo.* Apud Septuaginta, ἐν ἀλαλαγμῷ, id est, in jubilatione. Glossae Cyrilli: ἀλαλαγμὸς, *jubilatio.* Versio communis habet [Col. 0928C] *in vociferatione. Bene psallite ei in jubilatione, quia rectus est sermo Domini* **(Psal. XXXII)**. Et item: *Exsultate ei cum timore* **(Psal. II)**. Et item:

@ [Col. 0928C] *Psallite Domino.* Ita in Regula ms. cod. Corb.; sed τό *Domino addidit Magister. Psallite Domino sapienter* **(Psal. XLVI)**. Ergo si sapienter et cum timore jubet psalli, oportet psallentem immobili corde,

@ [Col. 0928C] *Inclinato corpore.* Lege, *inclinato capite, ut in cod.* Corb. et apud Smaragdum. inclinato corpore stare, et laudes Domino moderate canere: quippe qui ministerium suum ante Divinitatem implet, docente hoc Propheta, cum dicit: *In conspectu angelorum psallam tibi* **(Psal. CXXXVII)**. Nam considerare debet, qui psallit, semper, ne alibi sensus ejus demigret. Ne, cum in aliam cogitationem [Col. 0928A] sensus noster migraverit, de nobis dicat Deus: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* **(Isa. II, 9)**. Et item de nobis dicatur: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* **(Psal. LXI)**. Ne, cum in sola lingua Deum laudamus, in sola

@ [Col. 0928C] *Regia.* Id est janua. regia oris nostri Deum admittamus; intus in domum cordis introductum diabolum

@ [Col. 0928C] *Collocemus fortiorem.* Locus mutilus, ita restituendus ex Smaragdo: «Et intus in domum cordis nostri introductum diabolum collocemus fortiorem. Fortior enim ab introducente judicatur,» etc. Et sensus clarus est. collocemus fortiorem. Ab introducente judicatur, qui intus ingreditur, quam qui foris exspectat. Ergo ad tantum et ad tale officium cor pariter cum lingua conveniat cum timore Domino quotidianum debitum redhibere. Et notet sibi in corde qui psallit ad singula omnia testimonia quae dicit. Qui singuli versus, si notentur, proficiunt animae ad salutem; et in eis totum invenitur quod quaeritur, quia omnia ad aedificationem loquitur [Col. 0928B] psalmus, dicente Propheta: *Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me* **(Psal. C)**. Quod sonat in voce, ipsum sit in mente psallentis. Psallamus ergo voce et mente communiter, dicente Apostolo: *Psallam spiritu, psallam et mente* **(I Cor. XIV)**. Non solum vocibus, sed et corde ad Dominum clamate. Cavendum namque est, cum psallitur, ne frequens tussis aut anhelitus prolixus abundet, aut salivarum excreatus a psallente inante jactentur: sed debere fratrem post se projicere; quia angeli ante psallentes docentur stare, cum dicit Propheta: *In conspectu angelorum psallam tibi* **(Psal. CXXXVII)**. Cum haec ergo omnia impedimenta psallentibus a diabolo fuerint ministrata, mox sibi, qui psallit, signet os

@ [Col. 0928C] *Christi sigillo.* Id est, signo crucis. Christi sigillo.

CAPUT XXVI. DE REVERENTIA ORATIONIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0927C] *Si, cum hominibus, etc.* Hunc locum citat S. Eligius episcopus Noviomensis, homil. 9: «Nam cum quali devotione et reverentia sit orandum beatissimus et sanctissimus Pater Benedictus demonstrat dicens: *si cum hominibus potentibus,» etc.* Citat et Haymo Halberstatensis, lib. II de Varietate, cap. 20. Apta similitudine qua

reverentia sit orandum ostendit sanctus Benedictus. Eadem utitur Tertullianus, lib. de Oratione: «Si quidem irreverens est assidere sub conspectu contraque conspectum ejus quem cum maxime reverearis et venereris, quanto magis sub conspectu Dei vivi angelo adhuc orationis astante: [Col. 0928C] nisi exprobramus Deo quod nos oratio fatigaverit. Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis [Col. 0928D] commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ipse Publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior procacissimo Pharisaeo discessit.» Et S. Caesarius Arelatensis, serm. 121: «Si enim apud aliquam personam potentem velles aliquam causam allegare necessariam, et subito aversus ab illa, media interlocutione dirupta, aliquibus te velles scurrilitatibus occupare; qualem putas injuriam illi personae cum qua loquebaris inferres? aut [Col. 0929A] quomodo contra te illius injuriam commoveres? Si ergo cum homine loquentes tota intentione animi laboramus ne aliud cogitantes illi cum quo loquimur injuriam facere videamur; cum Deo tamen in oratione loquentes, et ante tantam majestatem peccatorum nostrorum miserias allegantes, non nos pudet, non erubescimus capitis sensibus huc illucque discurrere, et infelicem mentem multis occupationibus a conspectu divinitatis abstrahere.» Si, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum [Col. 0929A] cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est.

@ [Col. 0929A] *Et non in multiloquio.* S. Eligius legit: *Cum non in multiloquio.* Recte. Multiloquium in oratione fugiendum docet etiam S. Basilius in Ammonitionibus: «Ne longitudinem verborum protrahas ante eum, [Col. 0929B] quia non in multiloquio, sed in purissima mente placabitur Deus.» Quid autem sit orare in multiloquio, et quid differant multiloquium et diuturna precatio, erudite admodum docet S. Augustinus epist. 121: «Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud est diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit. Ubi quid aliud pro nobis praebebat exemplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor aeternus?» Et paulo post: «Absit enim ab oratione nostra multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis augere verbis. Multum enim precari est eum quem precamur diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu.» Est quod dicit sanctus Benedictus: «Sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum [Col. 0929C] nos exauditi sciamus.» Multiloquium ergo est in ipsa precatione multa eaque inutilia insulse effutire, quemadmodum Pharisaeus ille qui inter orandum praeclara sua facinora narrabat caeteros homines vituperans. Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, et compunctione lacrymarum nos exaudiri [Col. 0930A] sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu

@ [Col. 0929C] *Inspirationis divinae gratiae.* In cod. ms. S. Ebrul. τὸ *divinae, apud Smaragdum* τὸ *gratiae desiderantur.* Ex hoc loco patet orationem mentalem injungi a sancto Benedicto extra synaxes; quae etsi brevis esset, tamen bis aut ter resumebatur quotidie. inspirationis divinae gratiae protendatur.

@ [Col. 0929C] *In conventu tamen omnino brevietur oratio.* Locus obscurus, ut multi alii in

hac Regula, qui, ut intelligatur, duo notanda sunt. Primum est, sanctum Benedictum in sua Regula veterum Patrum instituta secutum fuisse, et maxime ea quae a Cassiano scripta sunt. Secundum est multa a sancto Benedicto in Regula fuisse tractata fusius, quae contractius a priscis illis, maxime a Cassiano, scripta sunt, ut de [Col. 0929D] abbate ordinando, de ejus qualitate, de praeposito, de decanis, de officio divino, de lectore mensae, de hebdomadariis culinae et similibus: quaedam vero tantum veluti perstricta, et levi quodam penicillo adumbrata, quae ab antiquis: enucleatius explicata fuerant, tanquam monachis trita ac vulgaria, ut sunt maxime orationes et genuflexiones in psalmorum interstitiis, quae jam pridem in oratoriis monachorum aut propter eorum teporem, aut propter divinorum officiorum multiplicitatem et prolixitatem obsolverunt. Locus ergo sancti Benedicti intelligendus est de brevi illa oratione quae fiebat a monachis, maxime ad finem cujusque psalmi (nam bis aut ter interdum fiebat, si prolixior esset psalmus), adhibita genuflexione. Sed quia ejusmodi oratio partim stando, partim genuflectendo fiebat, ideo de orationibus et genuflexionibus simul hic agendum est. Quae quidem satis notae sunt ex Cassiano, lib. II de [Col. 0930A] noctur. Orat., cap. 7: «Apud illos (monachos Aegypti) non item, sed antequam flectant genua, paulisper orant, et stantes supplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque puncto brevissimo procidentes humi, velut adorantes tantum divinam clementiam summa velocitate consurgunt. Et rursus erecti expansis manibus eodem modo, quo prius stantes oraverant, suis precibus intentius immorantur.» Et paulo post: «Cum autem is, qui orationem collecturus est e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur.» Et cap. 10 agens de eadem oratione: «Ideoque praecipiunt eam (orationem) celeri fine concludi ne forte immorantibus nobis in ea redundantia quaedam sputi seu phlegmatis interrumpat [Col. 0930B] nostrae orationis excessum.» Et in fine capitis: «Quamobrem utilius censent breves quidem orationes, sed creberrimas fieri, illud quidem, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohaerere possimus.» Ex his clarum est id quod dicit sanctus Benedictus: «In conventu autem omnino brevietur oratio,» qui postea dixit, «facto signo surgant,» nempe ad collectam, ad orationem persequendam, et reliquam psalmodiam, spectans illa Cassiani verba: «Cum autem is qui orationem collecturus est, e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur.» Id etiam clarum est ex S. Athanasio tractatu de Virginitate: «Ad quemlibet psalmum preces et genuum flexio cum lacrymis addatur;» S. Isidoro, cap. 61 suae Regulae: «Post consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humo pariter, celeriterque surgentes psalmos sequentes incipiant;» S. Fructuoso episcopo, cap. 3 suae Regulae: «Sane in omnibus singularum horarum orationibus nocturno [Col. 0930C] et diurno tempore ad omnem psalmorum finem gloriam cantantes prostrantur in terram, eo scilicet ordine ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut iterum surgat; sed omnes summa aequalitate surgant, extensisque ad coelum palmis orando persistant.» Id etiam notum est ex Regula Magistri, cap. 13, 14 et 33. «Sed et hoc semper tam in hieme quam in aestate, tam in die quam in nocte, seu in vigiliis, cum psallitur, caveatur ne psalmi aliquando combinentur, quod non licet, sed singulos debere definiri cum gloria, ut nec orationes inter ipsos agendae perdantur, nec glorias eorum laudi Dei videamur subducere.» Unde cap. 48: «Nam ideo diximus brevem fieri orationem, ne per occasionem prolixae orationis aut dormiant, aut forte diu jacentes diabolus eis ante oculos diversa ingerat, vel in corde aliud subministret.» Quae sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de noct. Orat., cap. 10, ubi causam reddit ejusmodi breviandae orationis, cujus etiam nullam aliam habuit sanctus Benedictus. In

eadem [Col. 0930D] Regula Magistri, cap. 56, agitur de iisdem orationibus, quas a fratribus in via directis, stantibus, non genuflexis recitari praecipit. Et cap. 21, 33 et 36, de iisdem genuflexionibus agit Magister. Hinc capiendus articulus 126 Regulae S. Pachomii: «Per domos singulas vesperi sex orationes psalmosque complebunt.» Sed et luculentum hujus ritus testimonium habetur in Poenitentiali ms. S. Columbani: «In communi autem omnes fratres omnibus noctibus in tempore orationum, in fine omnium psalmorum genua in oratione, si non infirmitas corporis obfuerit, flectere aequo animo debent, sub silentio dicentes: *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina;* quem versiculum postquam ter in oratione decantaverint, aequaliter a flexione orationis surgant.» En quomodo brevietur oratio. Verbum *decantaverint improprie sumitur pro dixerint, recitaverint.* In conventu autem omnino brevietur [Col. 0931A] oratio; et

@ [Col. 0931C] *Facto signo a priore surgant.* Nempe ad reliquam orationem et psalmodiam persequendam, ut supra explicatum est. Ut dicit Cassianus supra: «Omnes pariter eriguntur.» S. Fructuosus: «Sed omnes summa aequalitate consurgant:» S. Columbanus: «Aequaliter a flexione orationis surgant.» Itaque haec surrectio non est intelligenda de exitu. Nam infra, cap. 52, dixit sanctus Pater Benedictus «Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant et agatur reverentia Deo.» At hoc loco nihil simile praecipit. facto signo a priore, omnes pariter surgant.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 108).

Interrog. Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur?---*Resp.* Si certus sit se assistere ante oculos Dei, etc.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 109).

Interrog. Si possibile obtinere hominem, ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua, etc.

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 48).

@ [Col. 0931C] *Si hominibus, etc.* Exstat in Regula ms. cod. Corb. eod. cap. 48. Si hominibus carnalibus nisi cum humilitate non fit precatio cum beneficia eos aliqua temporalia postulamus, quanto magis convenit ut pro peccatis nostris vel facinoribus omni, qua possumus, Christum prece rogemus. Nulla ergo debet esse

@ [Col. 0931C] *In oratione duplicitas.* Duplicitas orationis appellatur hoc loco a Magistro, cum quis orans aliud in ore habet, aliud in corde, nec mens voci ejus concordat. Est alia orationis duplicitas, de qua S. [Col. 0931D] Antiochus agit homil. 85, quam et pusillanimitatem appellat; cum quis videlicet inter orandum fluctuat et vacillat, nec credit se postulata impetraturum, quia de Dei misericordia dubitat; idque juxta doctrinam S. Jacobi, cap. I Epist. can., ubi ait hominem haesitantem nihil a Deo impetraturum. Et postea subjicit: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis;* ubi Graece, δίψυχος, id est duplex animo. Ille est qui in oratione fluctuat, nec Dei bonitati confidit; ac proinde duplex, quia infidelis, cum per haesitationem in varia distrahitur. Hanc ergo animi labem juxta mentem Apostoli recte admodum S. Antiochus appellat διψυχίαν, id est animi duplicitatem, et ὀλιγοψυχίαν, id est pusillanimitatem. in

oratione [Col. 0931B] duplicitas; non unum in ore, alterum in corde inveniatur. Non in multiloquio protrahi orationem debere, sicut ait sanctum Evangelium hypocritas eos fieri tales.

@ [Col. 0931D] *Non frequens tussis, non excreatus assiduus.* Idem praecipit S. Ambrosius, lib. III de Virginibus: «Et tu, in ministerio Dei virgo, gemitus, screatus, tusses, risus abstine.» Haec notent ii qui crebris sputamentis et screatibus, rauco tussis sonitu, assidua [Col. 0932C] mucoris expressione divinum in choro officium interturbant. Quod quam sit Deo invisum subsequens docebit historia. Antissiodori, in monasterio S. Germani, ut refert Glaber, lib. V Hist., cap. 1. Quidam monachus coram altari S. Mariae multo cum gemitu et lacrymarum effusione frequenter orabat; sed nimio sputamento pavimentum conspurcabat: qui cum aliquando in oratione obdormisset, quidam candidissima veste indutus ad ipsum altare se in ejus conspectum dedit, et pannum candidissimum proferens conquerebatur se totum ejus salivis et pituita coinquinatum esse, addens se ejus preces suscipere et in conspectum divinae majestatis deferre. Hac visione correptus frater erratum emendavit. Quae quidem visio hujus Magistri confirmat institutum, quo praecipitur monachis pone, non ante conspuere, propter angelos, non quod illi nostris possint maculari [Col. 0932D] sputamentis, sed ob reverentiam. S. Nonna, mater S. Gregorii Nazianzeni, devotissima sane matrona, in ecclesia orans nunquam in sacrum templi expuit pavimentum, ut de ea refert ipse Gregorius orat. 19. De hujusmodi sputatoribus haec edixit S. Columbanus in Poenitentiali ms.: «Si quis emittit sputa, et contingit altare XXIV psalmos; si parietem attingit, sex. Supple recitet. Non frequens tussis, non excreatus assiduus, non anhelitus abundet. Quia haec omnia orationibus et psalmis ad impedimentum a diabolo ministrantur. Nam illud quod diximus superius (cap. 47) et in orationibus caveatur, ut, qui orat, si voluerit expuere, aut narium spurcitias jactare, non inante, sed post se retro projiciat propter angelos in ante stantes, demonstrante Propheta ac dicente: *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.* Ergo vides, quia ante Angelos ostendimur et orare, et psallere. Nam ideo diximus

@ [Col. 0932D] *Brevem fieri orationem, etc.* Haec sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de nocturnis Orat., 7. brevem fieri orationem, ne per occasionem [Col. 0931C] prolixae orationis obdormiant, aut forte diu jacentes [Col. 0932A] diabolus eis ante oculos diversa ingerat, vel in corde aliud subministret. Ergo oportet orare cum timore suppliciter, ut qui orat praesentis Christi videatur pedes tenere. Et cum tanto debemus orare timore, ut cognoscamus quia cum Deo loquimur. Orare ergo debemus cum omni mente, sicut Apostolus ait:

@ [Col. 0932D] *Orabo simul, etc.* In communi versione: *Orabo spiritu, orabo autem et mente. Orabo simul et mente et spiritu* **(I Cor. XIV)**.

§ V.---EX REGULA PATRUM, *De accedendo ad Deum.*

@ [Col. 0932D] *Quanta intentione, etc.* Haec videntur potius ex cujusdam Patris concione sumpta quam ex aliqua Patrum Regula. Quanta intentione et custodia inquirendum sit qualiter ad cultum religionis tam operibus quam oratione tendatur, hortante Propheta didicimus, qui ait:

@ [Col. 0932D] *Accedite ad Deum.* Vulgo, *ad eum. Accedite ad Deum,* et illuminamini et

@ [Col. 0932D] *Vultus vestri.* Juxta S. Hieronymum et Psalterium Romanum. *vultus vestri*

non confundentur **(Ps. XXXV)**. Accedendum semper est, ut accessum sequatur illuminatio. Si [Col. 0932B] non accedimus, non illuminamur. Et cum eodem dicere possumus:

@ [Col. 0932D] *Inquisivi Dominum.* Ita in Psalterio. *Inquisivi Dominum, et exaudivit me* (Ibid.). Inquirendo etenim et omni intentione petendo exauditur, qui se exterius a saeculi desideriis atterit et interius cum omni cordis contritione per ardorem compunctionis pollet. *Petite,* inquit, *et dabitur vobis* **(Luc. XI)**. Si omnis qui petit accipit, cur carnis ignavia praepediente et facinorum mole obstante non hoc quotidie petamus quod in aeternum possideamus? beatae scilicet vitae praemium, aeterni muneris perenne suffragium, quod sine grandi labore acquiri non potest: cum primum per desiderium et doctrinam incognitae menti inseritur, et postmodum opus implendo sacratur; quod sine ineffabili omnipotentis Dei praesidio vel adjutorio [Col. 0932C] impetrari non potest: quamvis alius riget, et alius [Col. 0933A] plantet, Deus autem incrementum dat **(I Cor. III)**. Sic Salomon testatur dicens:

@ [Col. 0933C] *Hominis est, etc.* Prov. XVI, ubi in vulgata versione sic habetur: *Hominis est animam praeparare, et Domini gubernare linguam.* In Hebraeo est לב , id est cor. Sed conspirat cum vulgata versione. In Septuaginta interpretatione hic locus non reperitur. *Hominis est praeparare cor, Domini est dare consilium* **(Prov. XVI)**. Datus ergo consilium a Domino, si obstinatae mentis aditus non denegetur. Sic per Apocalypsim dicitur (cap. III): *Ecce ego sto ad ostium et pulso:* si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ille mecum. Ad opus ergo divinae servitutis quando assistimus, tam corpore quam animo parati esse debemus, ut eum pulsantem intra mentis septa recipiamus: eaque, cor nostrum Spiritus sancti igne accensum semper cogitet, quae Creatoris misericordiam ad nostram coenam venientem, nosque ad suam deducentem provocent: in qua quis cum venerit, inebriabitur ab ubertate domus ejus, et torrente [Col. 0933B] voluptatis ejus potabitur, quia apud ipsum est fons vitae; et in lumine ejus lumen videbitur, qui praetendit misericordiam suam scientibus se, et justitiam suam his qui recto sunt corde. Ea ergo semper lingua proferat quae Conditori placeant, juxta illud Psalmographi praeconium: *Servite Domino, inquit, in timore, et exsultate ei cum tremore* **(Psal. II)**. Tunc ergo Creatori timendo servitur, si opus bonum voci laudis jungitur, sicut alibi per Psalmistam dicitur: *Psallite sapienter* **(Psal. XLVI)**.

@ [Col. 0933C] *Sapienter autem quisque psallit, etc.* Idem docet S. Prosper Aquitanicus sententia 72: «Recte in Dei laudem psallit, cujus opera cum voce concordant. Nam finito carmine vox facet: vita autem in [Col. 0933D] bonis actibus permanens nunquam reticet ejus gloriam quem in se gaudet operari.» Sapienter etenim psallit, qui voci laudanti noxiis operibus non contradicit; et qualiter oporteat divinae potentiae famulari, sollicita cura omnique studio prosequitur. Sic ergo mens nostra intenta ad psallendum incedat, qualiter nullo praepedita salutaris desiderii obstaculo, [Col. 0933C] nullo temporis fuscata vitio, sed semper intenta in coelestibus, humilitate et puritate promptissimaque devotione ornata ad aeterna praemia pervenire contendat. Sic cordis compunctione flagret, qualiter in se Creatoris misericordiam excitet. Nec se in multiloquio quisquam, sed potius in puritate cordis et lacrymarum ubertate exaudiri credat. Non enim [Col. 0934A] longae orationis prolixitas, sed promptae mentis intentio pietatem clementis Judicis excitat. Orandus ergo semper est, ut largiatur delinquentibus veniam, qui languenti mundo per crucis passionem infudit medicinam salus mundi aeterna Jesus Christus, qui

cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

§ VI.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 6).

@ [Col. 0933D] *Tantum autem, etc.* Haec sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de nocturn. Orat., cap. 10. Tantum autem ab omnibus qui ad orandum conveniunt silentium praeberi debet, ut in ea hora praecipue, quando curvatis genibus fit oratio, non sputum, aut excreatio obstrepat, non tussis insonet, non oscitatio somnolenta

@ [Col. 0933D] *Dissutis maxillis.* Apud Cassianum, *malis.* Sumptum a Persio, sat. 7:

...... laxumque caput compage soluta Oscitat hesternum, dissutis undique malis. Dissutae maxillae sunt apertae, ut ipse explicat Cassianus, ex ipsa oscitatione hiantes, diductae et pandiculatae. dissutis et apertis trahatur maxillis, nulla suspiria, quae alium impediant, emittantur, nulla vox absque sacerdotis, qui precem [Col. 0934B] concludit, audiatur: nisi quae per excessum mentis intolerabili fervore compunctionis immittitur. Si quis autem in tepore mentis constitutus

@ [Col. 0933D] *Cum clamore orat.* Clamosa oratio ab antiquis Patribus improbatur. Scite admodum Tertullianus, lib. de Oratione: «Sonos etiam vocis subjectos esse oportet. Aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur. Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Daemonium oraculi Pythii, et mutum, inquit, intelligo, et non loquentem exaudio. [Col. 0934C] Dei aures sonum exspectant? quomodo ergo oratio Jonae de ventre ceti per tantae bestiae viscera, ab ipsis abyssis per tantam aequoris molem ad coelum potuit evadere?» S. Cyprianus, lib. de Orat. Dominica: «Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita congruit verecundo modestis precibus orare.» Et paulo post: «Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina [Col. 0934D] cum Dei sacerdote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus; non passim ventilare preces nostras; nec petitionem commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt.» Et S. Caesarius Arelatensis, serm. 12: «Ante omnia igitur, fratres charissimi, quoties orationi incumbimus, cum silentio et quiete mentis et corporis supplicare debemus. Quicunque volunt cum alta voce orare, omnibus juxta se stantibus orationis fructum videntur auferre.» cum clamore orat, aut aliquas excreationes et sputamenta, vel alia quae diximus, a praecipitatione

@ [Col. 0934D] *Se e faucibus.* Tò *se redundat.* [se] e faucibus suis emittit, peccat dupliciter: primum, quia orationis suae reus est, quod eam negligenter offerat Deo; secundum, quod alterius, qui forsitan intentius orare potuit, indisciplinato strepitu obstrepat sensum.

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 7).

@ [Col. 0934D] *Ideoque ergo, etc.* Haec apud Cassianum exstant eodem capite 10, lib. II, etc Ideoque ergo utiliter Patres nostri ipsam orationem celeri fine concludi jusserunt, ne forte immorantibus nobis in ea, quidam tussis vel phlegmatis aliarumque rerum interrumpat strepitus; et dum [Col. 0934C] adhuc fervet oratio velut ex faucibus diaboli velociter rapiatur. Qui cum nobis semper sit infestus, tunc quam maxime assistit infestior, cum nos contra se offerre preces Domino viderit, festinans mentem nostram ab intentione orationis aut cogitationibus, aut excitatis humoribus revocare. Propterea

ergo

@ [Col. 0934D] *Breves quidem orationes.* Idem testatur de monachis Aegyptiis S. Augustinus, epist. 121, ad Probam: «Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas, tantum brevissimas, [Col. 0935A] et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter ejecta, quae oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito interrumpendam.» [Col. 0935B] His postremis S. Augustini verbis conformis [Col. 0936A] est sancti Benedicti doctrina, cum dixit: *Nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur.* Hujusmodi orationes artis spiritualis doctores appellant jaculatorias, quas mens religiosa incalescente divini amoris affectu in coelum vibrat: quae quidem crebro versatae sunt amoris divini fomites [Col. 0936C] et incentiva. breves quidem orationes, sed frequentes fieri Patres [Col. 0935A] nostri jusserunt: breves, ideo ut insidias diaboli, insistentis tunc praecipue cum oramus, in ipsa brevitate vitare possimus: frequentes autem, ideo ut per ipsam frequentiam Deum precantes jugiter ei cohaerere possimus. **(Cap. 11 ejusdem libri.)** Propter hanc frequentiam orationis, et illud utile est ut longiores psalmos non usque ad finem continuata pronuntiatione, sed aequali numero versus divisos duabus vel tribus incisionibus cum orationis intentione finiamus. Quia non in multitudine versuum, [Col. 0936A] sed mentis intelligentia delectari debemus, illud virtute sectantes: *Psallam spiritu, psallam et mente* **(I Cor. XIV)**. Ideoque utilius decem versus cum rationabili assignatione cantare, quam totum psalmum cum confusione mentis effundere. Confusio autem mentis pro hoc generatur, quia dum residuum psalmorum numerum modumque consideramus, non intelligentiam mentis aut distinctionem sensuum requirimus, sed ad finem festinare tepiditatis fastidio perurgemur.

CAPUT XXVII. DE PRAEPOSITO MONASTERII.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0935C] *Saepius quidem.* Hoc caput vulgo habetur sexagesimum quintum. Illud sane sanctus Benedictus postposuit capiti de decanis; nam ait: *Et, si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus.* Saepius quidem contingit ut per ordinationem

@ [Col. 0935C] *Praepositi.* Glossae Philoxeni: *Praepositus,* ἐφεστὼς, προστάτης, id est praelatus, qui praeest. Moschopulus περὶ Σχεδῶν. Πραιπόσιτος ἀξίωμα, id est, Praepositus, dignitas. Satellitii regii praefectus. Theophylactus Simocatta, lib. IV, c. 15: «Quare eunuchum εἰς τὴν βασιλικὴν δορυφορίαν συντεταγμένων αὐτῷ τὸν κορυφαιότατον (ὁν πραιπόσιτον εἴθισται Ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν), id est «Satellitii regii principem (quem praepositum appellare Romani solent, Martyropolim misit.» De quo Harmenopulus, lib. 1, tit. *de dignitatibus:* [Col. 0935D] Πραιπόσιτοι τὴν αὐτὴν ἔχουσιν ἐξουσίαν τοῖς γνομένοις ἐπάρχοις πραιτωρίων, id est, «Praepositi eamdem habent potestatem ac praefecti praetoriorum.» Apud Palladium in epilogo Hist. Lausiacae Lausus dicitur πραιπόσιτος τοῦ εὐσεβεστάτου κοιτῶνος, id est, praepositus sacri cubiculi. In hoc Regulae loco et in auctoribus in hac Concordia citatis praepositus non est princeps monasterii, sed alter ab abbate; et duae olim erant hae dignitates abbas et

praepositus, ut liquet ex concilio Turonensi II, can. 17; S. Isidoro, lib. II de Offic. eccl., cap. 15; S. Gregorio papa lib. II epist. 42; lib. IX, epist. 42: «Ideoque volumus ut Domitius presbyter abbas esse Luciani monasterii debeat, eique praepositus Lucifer monachus fiat;» lib. IV, epist. 4; lib. I Diat., cap. 2 et cap. 7, ubi S. Nonnosus praepositus appellatur, qui tamen subjiciebatur abbati; S. Gregorio Turonensi de Vitis Patrum, cap. 14. Ita in [Col. 0936C] monasteriis sanctimonialium praeposita et abbatissa seu mater monasterii distinguuntur, ut planum est ex Regula S. Caesarii Arelatensis, cap. 16: «Matri post Deum omnes obediant, praepositae deferant.» Cap. 25, 28 et 33, dicuntur etiam praepositi superiores monasteriorum aliquot, quae uni abbati subjiciuntur, ut clarum est ex eodem S. Gregorio Turonensi de Vitis Patrum, cap. 18. Quibus praepositis aliquando olim episcopi dignitatem abbatialem conferebant, praeposituris in abbatias mutatis, ut constat ex fine ejusdem capitis: «Post cujus (Ursi abbatis) obitum praepositi qui per monasteria erant, abbatum officium episcopis largientibus susceperunt.» praepositi scandala gravia in monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiae inflati,

@ [Col. 0936D] *Et aestimantes.* Ita apud Smaragdum, et in editione Coloniensi. Vulgo, *qui aestimantes.* et aestimantes se secundos esse abbates, assumentes sibi tyrannidem

@ [Col. 0936D] *Scandala.* Jurgia, rixae. scandala nutriunt, et dissensiones in congregatione faciunt, et maxime in illis locis ubi ab eodem

@ [Col. 0936D] *Sacerdote.* Id est, episcopo. sacerdote

@ [Col. 0936D] *Vel ab eis.* Apud S. Dunstanum, *vel ab eisdem.* Ubi τὸ *vel sumitur copulative.* Non enim tantum ab abbatibus ordinabantur abbates seu praepositi, sed etiam ab episcopo et abbatibus. vel ab eis abbatibus [Col. 0935C] qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et praepositus ordinatur. Quod quam sit absurdum facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur [Col. 0936B] superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui, quia

@ [Col. 0936D] *Ab ipsis es tu ordinatus.* Haec ponuntur in secunda persona, quasi ipsae cogitationes introducantur interloquentes. Vulgo tamen legitur, *quia ab ipso ordinatus est.* ab ipsis es et tu ordinatus a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiae, rixae, detractiones, aemulationes, dissensiones, exordinationes; et dum contraria sibi abbas praepositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub hanc dissensionem animas periclitari; et hi qui sub ipsis sunt, duma dulantur partibus, [Col. 0936C] eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos respicit

@ [Col. 0936D] *In capite.* Id est, praecipue. in capite

@ [Col. 0936D] *Qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores.* Ita apud Smaragdum, in ms. p. S. Germ. et in cod. Vindocinensi, quasi diceret: *Qui talibus scandalis et dissensionibus se fecerunt auctores in ordinatione praepositi, id est, qui fuerunt auctores hujusmodi scandalorum et dissensionum, dum praepositum ordinarunt,* [Col. 0937C] cum ex hujusmodi ordinatione pendeat omne malum. S. Dunstanus cum vulgatis editionibus legit, *qui talis inordinationis se fecerunt auctores.* Ms. ma. S. Germ., *qui tali in ordinatione se fecerunt auctores.* Editio Coloniensis et vetusta Parisiensis legunt: *Qui talibus inordinationibus se fecerunt auctores.* Sed Concordiae lectio praevalet, ubi *talibus* ponitur pro *talium, dativus pro genitivo.* Ita loquitur S. Ambrosius epist. 25, ad Vercellensem Ecclesiam: «Et huic allegat Stoicos esse auctores sententiae.» Vide Sixtum Senensem, lib. II Bibl., ad vocem *Chirographum.* qui talibus

in ordinatione se fecerunt auctores. Ideo nos videmus expedire [Col. 0937A] propter pacis charitatisque custodiam in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui: Et, si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit:

@ [Col. 0937C] *Ut dum pluribus committitur.* Huc respicit concilium Moguntinum sub Carolo Magno, can. 12: «Deinde decrevimus, sicut sancta Regula dicit, ut monasterium, ubi fieri possit, per decanos ordinetur, quia illi praepositi saepe in elationem incidunt.» ut, dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum,

@ [Col. 0937C] *Ordinet ipse sibi praepositum.* Sublato abusu statuit, ut ipse abbas suum ordinet praepositum. Eadem praxis videtur apud S. Gregorium papam, lib. II, ep. [Col. 0937D] 42, ad Joannem abbatem: «Petiit dilectio tua ut frater Bonifacius in monasterio a te debeat ordinari praepositus. Quod ego valde miror, quia ante factum non est: quin ex quo illum tibi dari feci, jam ordinare debuisti.» ordinet ipse sibi praepositum. Qui tamen praepositus agat cum reverentia quae ab abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem et ordinationem faciens. Quia quantum praelatus est caeteris, ita eum oportet sollicitius observare praecepta regulae. Qui praepositus, si repertus fuerit vitiosus, [Col. 0937B] aut elatione deceptus superbire, aut contemptor sanctae Regulae comprobatus, admoneatur verbis usque quater: si non emendaverit, adhibeatur correptio disciplinae regularis: quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine praepositurae, et alius, qui dignus est, loco ejus subrogetur. Quod si et postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur. Cogitet vero abbas se de omnibus judiciis suis Deo reddere rationem, ne forte invidiaeaut

@ [Col. 0937D] *Zeli.* Mali videlicet. zeli flamma urat

@ [Col. 0937D] *Animam.* Ita apud Smaragdum et in editione vetusta Parisiensi. Vulgo additur, *suam.* animam.

§ II.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 11.).

@ [Col. 0937D] *In potestatem habeant praepositi, etc.* Haec non exstant in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi. In potestatem habeant praepositi omnem regulam [Col. 0938A] monasterii. Et tales praepositi eligentur, quales et ipsi abbates dignoscuntur, ut abbatum curarum onera per eos subleventur.

@ [Col. 0937D] *Et hoc sibi vindicent proprium abbates cibi, etc.* Haec nihil aliud dicunt quam quod abbates a praepositis accipere debeant cibum, vestimentum et similia. Et hoc sibi vindicent proprium abbates cibi aut vestimenti, quod ab ipsis ministratum acceperint. Et excepto adventu fratrum et languoris necessitate

@ [Col. 0937D] *Delicatiores cibos non audeant edere.* Optima institutio: nam qui caeteris praeest, debet etiam sobrietate praecellere, eamque verbo et exemplo praedicare; alioqui periclitatur omnis coenobii disciplina. [Col. 0938C] Idem statuit sanctus Isidorus, cap. 9 Regulae: «Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat: nec aliud quam caeteri, nec cultius quam quae in communi consistunt, praeparari sibi quidpiam expetat.» Idem sancitur add. 1 Cap. Lud. imp., tit. 25: «Ut ea, quam monachi sui habent, mensura sint abbates contenti in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo;» et tit. 17: «Ipse tamen (abbas) ea cibi potusque mensura

contentus sit quam reliqui accipiunt fratres.» Idem monet S. Florentinam abbatissam S. Leander, cap. 4 lib. de Instit. virginum: «Sint tibi accepta quae sunt comitibus tuis communia, et aliorum non sis intemperationis causa: et quibus forma esse debes hortamento, ac bonae vitae documento, scandali non efficiaris occasio.» delicatiores cibos non audeant edere abbates, nisi tales quales et fratres.

@ [Col. 0938C] *Omnem monasterii substantiam, etc.* Id olim usu receptum fuit in quibusdam monasteriis, ut omnis substantiae temporalis cura penes praepositum esset. [Col. 0938D] S. Isidorus, lib. II de Offic. eccl., cap. 15: «Praepositus autem cum magna sollicitudine omnia disponens praesto facit quidquid illorum vita propter imbecillitatem corporis postulat;» et cap. II Regulae: «Ad praepositum autem pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio et cultura vinearum, diligentia gregum, constructio aedificiorum, opus carpentariorum sive fabrorum.» Ita S. Libertinus praepositus monasterii Fundensis exteriora negotia administrabat, ut videre est apud S. Gregorium, lib. I Dial., cap. 2. His intentus erat praepositus, dum abbas animarum regimini vacaret. Omnem vero monasterii substantiam praepositi accipiant dispensandam. Et, si quispiam captivorum aliquid alimenti petierit abbatem, aut pro quacunque causa, ipse praepositus hoc provideat, ut abbas nullum laborem habeat: et exceptis quae supra diximus omni intentione sollicitudinem gerat.

@ [Col. 0938D] *Excommunicandi causam.* Causa hoc loco est potestas, facultas. Id patet ex S. Isidoro, cap. 18 Regulae, ubi idem constituens ait: «Excommunicandi potestatem habeant Pater monasterii, sive praepositus.» Ubi quod dixit *causam Fructuosus S.* Isidorus *potestatem appellat.* Excommunicandi tamen causam, sicut abbas, sic praepositus habeat. Et quod per singulos menses [Col. 0938B] expensum fuerit, per omnium capita mensium rationem suo abbati faciat: et hoc cum tremore et simplicitate, et vera cordis humilitate tanquam redditurus Domino rationem. Et quod fecerit, semper in arbitrio pendeat abbatis. Nihil de sua temeritate praesumat, ne (quod absit) in morbum vanae gloriae cadat. Et non prodigus, sed discretus intra Christi familiam dispensator, piusque gubernator et optimus semper accedat, et evangelicum documentum semper observans, Domino dicente qui ait: *Quis putas fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore.* Beatus ille servus, quem, cum venerit invenerit [Col. 0939A] sic facientem: amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum **(Matth. XXIV)**.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 3).

@ [Col. 0939C] *Praepositus sane, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, cod. Crassensis eodem, cap. 3. Sed exscriptor hujus libri, qui in lemmate posuit τὸ *ejusdem, hos duos Fructuosos non raro confundit.* Praepositus sane in medio consistens

@ [Col. 0939C] *Dormitorio, Dormitorium est conclave in quo multi sunt lecti.* Beda, lib. IV Hist. Angl., cap. 23: «Haec tunc in dormitorio sororum pausans.» Add. I Capitul. Lud. imp., tit. 68: «Ut dormitorium juxta oratorium constituatur.» Capitula Caroli regis, tit. 16: «Ut canonici in civitate vel monasteriis constituti in dormitorio dormiant.» Glossae Philoxeni: [Col. 0939D] «Dormitorium, ἐνκοίμηθρον; a verbo κοιμάω, id est dormio. Dicitur et κοιτὼν; Moscopulus de Schedis: Κοίτων κυρίως μὲν οἶκος περιέχων κοίτας πολλὰς, id est, proprie domus complectens lectos multos.» dormitorio quoad usque cuncti

quiescant, omnibus jam cubantibus

@ [Col. 0939D] *Circumeat silenter lectos.* Idem statuitur in novella Justiniani 133, cap. 1: «Et omnino erunt quidam dormientes inspicientes.» circumeat silenter lecta singulorum, ne quis aut tarde

@ [Col. 0939D] *Se jactet.* Id est, se in lecto collocet. se jactet, aut extra Regulam occultis mussitationibus vacet; et ut plenius perscrutans

@ [Col. 0939D] *Corda.* In Regula ms. legitur, *Gesta, rectius.* corda singulorum et merita, intelligat quem quomodo veneretur atque suscipiat. Similiter et aut decanus alius, aut quisquam e fratribus bene probatus assistat in secessu communi, quousque quieti se tradant cuncti: ne aut fabulas inter se ventilent varias, aut ridiculis studeant, aut quodlibet noxiale vitium consuescant. Quia institutum est [Col. 0939B] regulariter nullum omnino monachum in secessu loqui debere, sed aut psalmos recensere, si plures sunt, aut certe aliquid meditari voce, si solus est. Ita ante mediam surgentes noctem duodenos per choros recitent psalmos secundum consuetudinem. Priusquam tamen surgant caeteri,

@ [Col. 0939D] *A vigilucis.* Ita in Regula ms. cod. Crass. In Glossis Cyrilli reperitur *vigilicius:* ἄγρυπνος, *vigilicius.* Sed forte legendum, *vigilucius;* et in hoc loco Fructuosi, *a vigiluciis,* ut vigilucius sit ille qui a Magistro infra dicitur *vigigallus,* seu *vigiligallus, is qui fratres ad vigilias excitat.* In cod. Vindocinensi legitur, *Ad vigilias a vigilucis fratribus praepositus excitetur, ut cum benedictione sua et signum moveatur et cunctorum lectula ab eo priusquam surgant strenue visitentur.* Hoc quoque in omnibus nocturnis orationibus gerat ut semper prior surgat praepositus quam surgendum reliqui moneantur, ut ipse videat quis quomodo jaceat, ne aliquam lasciviam per incuriam quietionis suae dormiens incurrat. Post pausantes paululum medium noctis persolvunt officium, ubi quatuor responsoria [Col. 0939C] sub psalmorum divisione concinantur. Sic post mediam noctem, si hiemis tempus est, sedentibus cunctis, unus in medio residens releget librum; et ab abbate vel a praeposito disserente caeteris simplicioribus quid legitur, patefiat. Quod quidem et [Col. 0940A] aestate post vesperam conservetur, ut priusquam

@ [Col. 0939D] *Compleant.* Id est, dicant completorium. S. Benedictus cap. 42: *Omnes ergo in unum positi compleant.* compleant, liber legatur. Ita denique duodenis iterum cantatis psalmis adeant cubilia, paululumque quiescentes, gallicinio jam sonante, recitatis tribus psalmis

@ [Col. 0940C] *Cum laude.* Intelligit *Alleluia.* cum laude et benedictione sua, matutinum celebrent sacrificium. Quo peracto, quia meditationi incumbendum est, mox ad locum consuetae meditationis pervenerint, ternos recitent psalmos, et orationem ex integro finientes meditentur usque ad ortum solis. Sane in omnibus horarum singularum orationibus nocturno ac diurno tempore ad omnem psalmorum finem gloria cantantes Deo prosternentur in terram,

@ [Col. 0940C] *Eo scilicet ordine, etc.* Sumptum ex Cassiano, lib. II de noct. Orat., cap. 7. Vide superiori cap. adnotata. eo scilicet ordine ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut iterum surgat, sed omnes summa aequalitate consurgant, [Col. 0940B] extensisque ad coelum palmis orando persistant, sicut et aequaliter

@ [Col. 0940C] *Merguntur.* Id est, in terram procidunt, genuflectunt. merguntur. Sabbatorum vero et Dominicarum noctium curriculis seno missarum superadjecto

officio senis etiam missis vigiliae cum senis responsoriis celebrentur, ut resurrectionis Dominicae solemnitas ampliori officiorum psalmodia magis honoretur.

@ [Col. 0940C] *Quod et praecipuarum festivitate missarum, etc.* Ita in Regula ms. cod. Crass. et cod. Vind. *Festivitate, id est celebratione.* Pro *competenter leg. competenti.* De qualibet, praepositio *de redundat.* Sensus est igitur ut qualibet solemnitate idem fiat praecedenti nocte ac sabbato ac Dominica praecipuarum [Col. 0940D] celebratione missarum, adhibito competenti officio. Quod et praecipuarum festivitate missarum praecedenti nocte competenter officiorum genere de qualibet solemnitate semper est celebrandum.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 17).

Sub abbate personam strenuam et disciplinam valde amantem, quae dignam curam praepositi nomenque suscipiat, decernimus pro solatio abbatis institui, ut honor illi minus sit onerosus, dum labore [Col. 0940C] diviso, a duobus quotidiana sollicitudo suscipitur. Et ideo aequum erit ut cum jussione abbatis ei veneratio et obedientia exhibeatur. Nam et post ipsum, quem supra diximus praepositum, qui in bonis sit forma statuimus

@ [Col. 0940D] *Regulare reformare formarium.* Ita in cod. Vindocinensi. Locus obscurus et corruptus, ita castigandus: *Regularem formare formarium.* Nam, ut ex hoc textu S. Ferreoli clarum est, duo hic instituuntur qui post abbatem regant monasterium, nempe praepositus et alter, qui appellatur formarius, quod «sit forma in bonis,» ut loquitur S. Ferreolus. Quod clarum est ex Regula S. Caesarii Arelatensis, ubi formaria sub abbatissa curam sanctimonialium gerit, cap. 38: «Si quis vero germanam suam vel filiam aut quamlibet parentem, aut sibi cognitam videre voluerit, praesente formaria vel qualibet seniore ei colloqui non negetur.» Et cap. 40: «Primiceria etiam, vel formaria, admoneo et contestor, ut vigilantissime consideretis,» etc. Dixit autem S. Ferreolus formare, id est, creare, instituere, per allusionem ad formarium. regulare reformare formarium, [Col. 0941A] ut facilius adjutoriis istis subjunctis, abbas, cui nomen Pater est, fructus metat de perfectione dulcium filiorum. Ambo tamen sub potestate abbatis cum reliquis atque inter reliquos se esse cognoscant.

§ V.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 11).

@ [Col. 0941C] *Provisores.* Provisores hic potius sunt intelligendi cellerarii quam praepositi, quia cap. seq. in eadem Regula Tarnatensi agitur de praeposito. Itaque existimo hoc capitulum esse transpositum et pertinere ad caput de cellerario. Provisores tales oportet eligi, vel ordinari, qui alios aedificare vitae suae probentur exemplo; quique eleemosynam monasterio deputatam, vel ea quae a fratribus laborantibus colliguntur, summa cura pro Domini timore conservent.

@ [Col. 0941C] *Quia si.* Lege, *quia qui.* Quia si creditam sibi famulorum Dei negligit servare substantiam (sicut ait quidam Patrum), laedit Deum: et dispergens eam, rationem est Domino redditurus. Quae vero ipsis fuerint pro Dei amore donata, in oblatione [Col. 0941B] monasterii adjuncta omni congregationi proficiant. Quia apostolicam vitam optamus eligere, cur quasi propria vindicemus quae novimus continuo peritura?

§ VI.---*Item* (cap. 6).

Praeposito specialiter obediatur, multo magis abbati, qui nostram omnium curam gerit. Quia qui illos spernit, spernit eum qui dixit: *Qui vos audit, me audit;* qui vos spernit, me spernit **(Luc. X)**.

@ [Col. 0941C] *Ut ergo cuncta serventur.* Videtur hic deesse verbum *statuimus aut quid simile.* Ut ergo cuncta ista serventur, et, si quid servatum non fuerit, non negligenter praetereatur, sed emendandum corrigendumque curetur, ad praepositum praecipue pertinebit ut ad abbatem, cujus est apud nos major auctoritas,

@ [Col. 0941C] *Referat quod modum vel vires ejus excedit.* Difficiliora, quae non valet per se expedire praepositus, ad abbatem referre debet, juxta consilium quod suggessit Jetro sacerdos Madian Moysi genero suo, Exodi XVIII. Idem praecipit Regula Orientalis: «Haec observabit [Col. 0941D] senior monasterii, qui fratribus praepositus est, referens ad abbatem omnia, vel praecipue illa quae per se non valuerit explicare.» S. Fructuosus abbas, cap. 12 Regulae suae: «Et quod ipsi (decani) non valuerint emendare, praeposito non morentur accusare: quod et ipsi praepositi sic districte et notabiliter agant, ut abbates suos nullo modo praesumant inquietare, exceptis quod utrique non valuerint accelerare.» referat quod modum vel vires ejus excedit. Ipse vero qui vobis praeest, non se aestimet [Col. 0941C] et

@ [Col. 0941D] *Potestate dominante, etc.* Lege: *Potestate dominari et charitate servire.* potestate dominante, sed charitate serviente: felici honore coram vobis

@ [Col. 0941D] *Praeclarus.* Lege, *praelatus.* praeclarus sit, coram Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum praebeat exemplum. Corripiat [Col. 0942A] inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metum imponat; et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem. Unde vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quantum in loco superiori, tantum in periculo majori versatur.

§ VII.---EX REGULA ORIENTALI.

Ille qui secundum ordinem disciplinae ordinatione abbatis, et consilio et voluntate omnium fratrum fratribus praepositus est, omnem ad se curam de disciplina fratrum, et diligentiam monasterii revocabit, habens potestatem abbate absente faciendi omnia [Col. 0942B] quae abbas praesens facit.

@ [Col. 0941D] *Ille autem patientiam, mansuetudinem, etc.* Ita in Concordia Vindocinensi. Videtur tamen deesse verbum *servabit aut quid simile.* Ille autem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, charitatem, aequitatem sine personarum acceptione: ita agens, ut nec abbati taedium generet, nec fratres

@ [Col. 0941D] *Intemperantia.* Intemperantia hoc loco est excessus praelati, cum nullum in regendis subditis servare modum potest. intemperantia illius laborent. Haec observabit senior monasterii qui fratribus praepositus est, referens ad abbatem omnia, vel praecipue illa quae per se non valuerit explicare.

@ [Col. 0941D] *Commendatum, etc.* Haec constitutio iisdem verbis [Col. 0942C] in Regula S. Pachomii habetur art. 62; idem statuitur a S. Orsiesio in libro de Institutis monachorum: «Hoc quoque maxime providendum est, ne quis in alteram domum et in alterius cellulam commendet aliquid.» Commendatum hoc loco est depositum. Interpres

Orsiesii: «Sciat quoque ille, qui ab alio susceperit commendatum.» Et commendare est in depositum dare, ff., l. Lucius Titius. Depositi vel contra: «Centum nummos, quos hac die commendasti mihi, annumerante servo meo Sthico actore.» Et eodem titulo, l. Publia Maevia. «Publia Maevia cum proficisceretur ad maritum suum, arcam clausam cum veste et instrumentis commendavit [Col. 0942D] Gaiae Seiae.» Et legis Alamannorum tit. 5, § 1: «Si quis res suas ad Ecclesiam commendatas habuerit.» Commendatum aliquid, etiam a germano fratre nullus accipiat.
@ [Col. 0942D] *Nihil in cella sua, etc.* Hoc decretum exstat in Regula S. Pachomii, art. 63. «Nihil in cella sua absque praepositi jussione quidpiam condet, nec pomum quidem.» Nihil in cella sua absque praepositi jussione quispiam habeat, nec poma quidem vilissima, et caetera hujuscemodi.
@ [Col. 0942D] *Operantes fratres, etc.* Haec iisdem verbis exstant in Regula S. Pachomii, art. 35. Operantes fratres nihil loquantur saeculare; sed aut
@ [Col. 0942D] *Meditentur.* Id est loquantur. meditentur ea quae sancta sunt, aut certe silebunt.

§ VIII.---*Item.* [Col. 0942C]
@ [Col. 0942D] *Praepositus, etc.* Haec habentur in Regula S. Pachomii, art. 128, et infra hoc capite iterum citantur a nostro auctore sub nomine S. Pachomii. Praepositus non inebrietur,
@ [Col. 0942D] *Non sedeat in humilioribus.* In Regula S. Pachomii additur, *juxta vasa monasterii.* Hujus institutionis meminit S. Orsiesius, de Institutis monasticis. non sedeat in humilioribus locis, ne rumpat vincula quae Deus in coelo condidit ut observentur in terris.
@ [Col. 0942D] *Ne lugeat in die festo Domini salvatoris.* Id est, ne jejunet in die Dominico, quo olim die interdictum [Col. 0943C] fuit jejunare. Qua de re infra. Sed toto hoc capitulo legendum *nec* pro *ne.* Ne lugeat in die festo Domini Salvatoris; dominetur carni suae juxta [Col. 0943A] mensuram sanctorum;
@ [Col. 0943C] *Non inveniatur in excelsis cubilibus.* Ex instituto S. Pachomii monachi in lectis non dormiebant, sed in sella reclina et supina, ut habetur art. 5 Regulae S. Pachomii: *Non dormiat quis praeter reclinam sellam.* Et apud Palladium, cap. de Tabennesiotis: Καθευδέτωσαν δὲ μὴ ἀνακλινόμενοι, ἀλλὰ θρόνους οἰκοδομητοὺς ὑπτιωτέρους πεποιηκότες, καὶ ἐνθέντες ἐκεῖ τὰ στρώματα ἑαυτῶν καθευδέτωσαν καθήμενοι· id est, Non vero dormiant decumbentes, sed in exstructis supinioribus sedilibus, impositisque ibi suis stragulis dormiant sedentes. non inveniatur in excelsis cubilibus imitans morem gentilium; non sit duplicis fidei; non sequatur cordis sui cogitationes, sed legem Dei; non resistat sublimioribus tumenti animo potestatibus,
@ [Col. 0943C] *Ne refrenet.* Lege, *non fremat, quemadmodum habetur in Regula S.* Pachomii. ne refrenet neve
@ [Col. 0943C] *Nec hinniat.* Lege, *nec irruat, ut in Regula S.* Pachomii. hinniat
@ [Col. 0943C] *Iratus.* Hoc vocabulum non exstat in Regula S. Pachomii. iratus super humiliores, neque transferat terminos
@ [Col. 0943C] *Regulae.* Neque hoc vocabulum est in Regula S. [Col. 0943D] Pachomii. Regulae; non sit fraudulentus, neque in cogitationibus suis verset dolos; non negligat peccatum animae suae; non vincatur carnis luxuria; non ambulet negligenter; non

loquatur verbum otiosum; non ponat scandalum ante pedes caeci;
@ [Col. 0943D] *Non doceat voluntatem animam suam.* Lege, *non doceat voluptates animam suam, ut in eadem Regula.* non doceat voluntatem animam suam; non resolvatur risu stultorum ac joco; non capiatur cor ejus ab eis qui inepta loquuntur et dulcia; non vincatur muneribus;
@ [Col. 0943D] *Non parvulorum sermone ducatur.* Optima institutio. Nam pessima haec est in monasterio pestis, et unica disciplinae corruptela, cum praelatus, cui fixus est animus, clavo cupidinis procacium puerorum lenocinatur affectibus, totusque a proterva eorum lingua sycophantiisque pendet. Tunc enim pueri imperant, et miser ille eorum forma incapistratus in quamvis partem voluerint illi, flectitur: evenitque ei et conventui universo, quod serpenti olim, qui plus nimio caudae suae desiderio, quae praecedere affectabat, indulgens, non a capite, ut solebat, sed a cauda caeca per vepres et sentes ductus, misere cruentatus interiit. non parvulorum sermone ducatur; non deficiat in tribulatione; [Col. 0943B] non timeat mortem, sed Deum; non praevaricator sit propter imminentem timorem;
@ [Col. 0943D] *Non relinquat verum lumen propter modicos cibos.* Quia nihil tam hebetat mentis aciem quam ciborum ingluvies, ut omittam loqui de sancti Spiritus lumine, [Col. 0944C] quod penitus obsoniorum ingurgitatione offuscatur. Evagrius in Proverbiis: *Investigantis convivia exstinguitur lumen;* anima autem ejus videbit tenebras. non relinquat verum lumen propter modicos cibos; non nutet ac fluctuet in operibus suis; non mutet sententiam, sed firmus sit ac solidi decreti, justus considerans cuncta in veritate absque appetitu gloriae, manifestus Deo et hominibus
@ [Col. 0944C] *Et a fraude procul.* Ne ignoret. In Regula S. Pachomii legitur: *Elongans se a fraude non ignoret.* et a fraude procul. Ne ignoret conversationem sanctorum, nec ad eorum scientiam caecus; nulli noceat per superbiam, nec sequatur concupiscentias oculorum; veritatem nunquam praetereat; oderit injustitiam; secundum personam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam.
@ [Col. 0944C] *Non rideat inter pueros.* Quia haec est mera lascivia, non modo puerorum collusoribus, sed etiam ipsis pueris damnosa; ac proinde districtius a S. Pachomio prohibita art. 90: «Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere vel ludere, et habere amicitias aetatis infirmae, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis ac timoris Dei: si non cessaverit, corripietur, ut dignus est, correptione severissima.» Non rideat inter pueros, nec deserat veritatem timore superatus; non [Col. 0944A] despiciat eos qui indigent misericordia, nec deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam, nec respiciat dapes lautioris mensae, nec pulchra vestimenta desideret, nec se negligat, sed dijudicet cogitationes suas; non inebrietur vino, sed humilitati junctam habeat veritatem.
@ [Col. 0944C] *Quando judicat.* In Regula S. Pachomii haec referuntur ad praecedentem sententiam. Quando judicat, sequatur praecepta majorum et legem Dei, quae in toto orbe praedicata est.

§ IX.---*Item ejusdem.*
@ [Col. 0944C] *Hi itaque, etc.* Haec proferuntur a nostro auctore ob ea quae S. Benedictus praecipit de praepositi correptione, submotione et expulsione, si in superbiam [Col. 0944D]

incidat, et tandem in contumacia persistat. Hi itaque quibus disciplina, vel utilitas, vel obsequium monasterii creditur, officia sibi injuncta fideliter custodiant et impleant. Hos enim errare non decet, qui ad omnes errores emendandos praepositi sunt. Qui si vel superbia, vel negligentia, vel desidia aliqua ex his praetermiserint quae in Regula continentur, [Col. 0944B]

@ [Col. 0944D] *Per ipsos destructio.* Lege, *et per ipsos destructio, nempe regularis observantiae.* per ipsos destructio esse coeperit per quos debet aedificatio crescere, omnibus

@ [Col. 0944D] *Condemnationibus.* Id est, poenis. condemnationibus, quas Regula continet, subjacebunt.

§ X.---EX REGULA SANCTI PACHOMII.

@ [Col. 0944D] *Si omnes fratres, etc.* Haec usque ad illa verba, *praepositus non inebrietur, habentur in Regula excusa S.* Pachomii, art. 127, reliqua vero art. 128. Si omnes fratres qui in una domo sunt, viderint praepositum nimium negligentem, aut dure increpantem fratres, mensuram monasterii excedentem, referent ad Patrem, et ab eo increpabitur. Ipse autem praepositus nihil faciet, nisi quod Pater jusserit, in re nova maxime.

@ [Col. 0944D] *Namque ex more servabit, etc.* In nostro codice ms. apparet vestigium cujusdam vocabuli erasi inter illa duo, *more* et *servabit.* In Concordia Vindocinensi, et in Regula S. Pachomii edita legitur: *Nam quae ex more descendit, observabit regulas monasterii.* Sed nullus est horum verborum sensus. Itaque legendum arbitror: *Nam in ea quae ex more descendit, observabit regulas monasterii, ut sensus sit:* Nihil faciet praepositus inconsulto Patre monasterii, maxime in re nova: in ea vero quae ex more descendit, id est, qui in monasterio fieri solet, observabit statuta et regulas monasterii. Namque ex more servabit regulas monasterii.

Praepositus non inebrietur; non sedeat in humilioribus locis juxta vasa monasterii, ne rumpat vincula quae Deus in coelo condidit ut observentur in terris; [Col. 0945A] ne lugeat in die festo Domini Salvatoris; dominetur carni suae juxta mensuram sanctorum,

@ [Col. 0945C] *Et caetera quae supra commemoravimus.* Haec verba sunt nostri auctoris nolentis repetere ea quae paulo ante retulit ex Regula orientali. et caetera quae superius memoravimus.

Manifestus Deo et hominibus, et a fraude procul, ne ignoret conversationem sanctorum, nec ad eorum scientiam caecus existat. Nulli noceat per superbiam, nec sequatur concupiscentias oculorum suorum; non eum superent incentiva vitiorum; veritatem nunquam praetereat; oderit injustitiam; secundum personam non judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam; non deserat veritatem timore superatus; non desideret alienam terram; non opprimat animam propter aliorum spolia; ne despiciat eos qui indigent misericordia; ne falsum dicat testimonium seductus lucro; ne mentiatur [Col. 0945B] propter superbiam; ne contendat contra veritatem

@ [Col. 0945C] *Ob timorem animi.* Lege, *ob tumorem animi, ut in cod.* Vind. et in Regula S. Pachomii excusa. ob timorem animi; ne deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam; ne respiciat dapes lautioris mensae; ne pulchra vestimenta desideret;

@ [Col. 0945C] *Ne se negligat.* Ita in Regula Orientali. In Regula edita S. Pachomii, *Non*

senes negligat. ne se negligat; ut semper dijudicet cogitationes suas, ne inebrietur vino, sed humilitatem junctam habeat veritati. Quando judicat, sequatur praecepta majorum, et legem Dei, quae in toto orbe praedicata est. Si quidquam de his praeterierit,

@ [Col. 0945C] *Reddet ei mensuram.* In Regula edita S. Pachomii, *Reddetur ei mensura.* Recte. reddet ei mensuram juxta quam mensus est, et recipiet secundum opera sua,

@ [Col. 0945C] *Quia moechatus est in lingua sua et propter lapides.* In Regula S. Pachomii excusa: *Quia moechatus est in ligno et lapide.* Non ita recte, quia lectio videtur intelligi de idololatria, de qua hoc loco non [Col. 0945D] agitur. quia moechatus est in lingua sua, et propter lapides, et propter fulgorem auri reliquit judicium; et desiderio temporalis lucri laqueis se induit ethnicorum. Et eveniat ei contritio Heli,

@ [Col. 0945D] *Et ramorum ejus.* In eadem Regula edita legitur: *Et filiorum ejus.* Vide lib. I Regum, cap. IV. et ramorum [Col. 0945C] ejus **(I Reg. IV)**;

@ [Col. 0945D] *Maledictio David, quam imprecatus est Dohaec.* Hic locus corruptus est in Regula S. Pachomii excusa, in qua legitur: *Maledictio Dei, quam imprecatus est Cain.* Sed castigandus est ex hoc Concordiae codice. Maledictio quam imprecatus est David Dohaec Idumaeo, est psalmus quinquagesimus primus, ut constat ex ejus titulo. Historia nota est ex I Regum cap. XXI et XXII. maledictio David, quam imprecatus est Dohaec **(Psal. LI)**;

@ [Col. 0945D] *Signum quo denotatus est Cain.* Est perpetuus membrorum tremor, ut explicat Alcuinus, interr. 88 super Genesim. Vide Theodoretum qu. 4 in Genesim. signum quo denotatus est Cain **(Gen. IV)**; sepultura Asini, de qua loquitur Jeremias (cap. XXII); perditio qua peccatores terrae [Col. 0946A] hiatu absorbuit **(Num. XVI)**; et interitus Chananaeorum (Josue);

@ [Col. 0945D] *Contritio hydriae.* Haec et similia, quae exstant cap. ultimo Ecclesiastae, sunt mortis et judicii aenigmata. contritio hydriae ad fontem **(Eccle. XII)**; et arenarum comminutio in littoribus, quae

@ [Col. 0945D] *Saxis fluctibus.* Lege, *salsis fluctibus, ut habetur in Regula S.* Pachomii edita. saxis fluctibus verberantur, et confractio virgae gloriosae **(Jerem. XLVIII)**;

@ [Col. 0946C] *De Isaia.* Haec verba non sunt in Regula excusa S. Pachomii. Auctor autem respicit ad illud Isaiae, cap. LIX: *Palpavimus, sicut caeci, parietem.* de Isaia (cap. LIX), ut sit quasi caecus manu palpans parietem. Haec omnia ei evenient, quia non servavit veritatem in judicio, et inique egit in omnibus quae ei credita sunt.

§ XI.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0946C] *Qui judex est, etc.* Haec habentur in Regula S. Pachomii excusa, art. 92, citanturque a nostro auctore propter decretum S. Benedicti de abdicatione praepositi. Qui judex est omnium peccatorum, et perversitate metis, vel negligentia reliquerit veritatem, viginti viri sancti et timentes Deum, sive decem, et usque ad quinque,

@ [Col. 0946C] *De quibus omnes dent testimonium.* Id est, omnes fratres testentur de eorum probitate et capacitate. de quibus omnes dent testimonium, sedebunt, et judicabunt eum et

@ [Col. 0946C] *Regradabunt.* Optima lectio. Idem quod *degradabunt.* Sed de hoc vocabulo infra. In Regula excusa legitur, *degradabunt, non ita recte.* regradabunt

@ [Col. 0946D] *In ultimum.* Adde τὸ *gradum, ut in Regula excusa.* in ultimum, donec corrigatur.

[Col. 0946B]

§ XII.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0946D] *Qui viderit de majoribus, etc.* Exstat in Regula excusa S. Pachomii, art. 94, ubi ita legitur: *Qui viderit de majoribus vel praepositis fratrum suorum tribulationem.* Non ita recte. Nam hic agitur de particulari fratre. Qui viderit de majoribus et praepositis fratrem suum in tribulatione, et noluerit causam tribulationis inquirere, eumque contempserit, quaeretur causa a supra dictis judicibus. Et, si deprehenderint negligentia praepositi vel superbia coangustatum fratrem et judicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam,

@ [Col. 0946D] *Regradabitur.* In Regula excusa, *degradabitur.* Male. Sed de hoc vocabulo infra. regradabitur de solio suo donec corrigatur et ab injustitiae sordibus

@ [Col. 0946D] *Emundetur.* Recte. Nam additur, *a sordibus.* In Regula S. Pachomii excusa legitur, *emendetur.* Non ita recte. emundetur, quia non consideravit veritatem, sed personas, et servivit pravitati animi sui, et non Dei judicio.

§ XIII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 20).

@ [Col. 0946D] *Ad praepositum, etc.* Haec reperiuntur in Regula sancti Isidori edita eodem cap. 20. Ad praepositum pertinet sollicitudo monachorum, [Col. 0946C] actio causarum, cura possessionum,

@ [Col. 0946D] *Ratio agrorum.* Lege, *satio agrorum, ut in Regula excusa.* ratio agrorum, plantatio culturaque vinearum,

@ [Col. 0946D] *Diligentia gregum.* In Regula edita legitur, *diligentia legum.* Male. Nam hic agitur de re rustica. diligentia gregum, constructio aedificiorum, opus carpentariorum sive fabrorum.

[Col. 0947A]

§ XIV.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 38).

@ [Col. 0947B] *Quando necessitas, etc.* Haec habentur in Regula S. Augustini excusa, cap. 40. Quando necessitas disciplinae

@ [Col. 0947B] *Minoribus.* Id est, inferioribus. Ita in epist. S. Augustini 109, ex qua haec regula conflata est. Recta quidem lectio, ut ex hujus capitis contextu planum [Col. 0947C] est, quamvis in Regula excusa legatur τὸ *moribus.* minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur

@ [Col. 0947C] *Ut eis veniam postuletis.* In cod. Corb. et praefata epist.: *Ut ab eis veniam postuletis.* In Regula excusa legitur: *Ut a vestris subditis veniam postuletis.* Ita mutavit quidam Regulae corrector, cum videret non posse veniam postulari a moribus, ut ipse legebat. ut eis veniam postuletis: ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus juste forte corripitis, quanta benevolentia diligatis.

@ [Col. 0947C] *Non autem carnalis, etc.* Divina plane institutio. Quid enim est aliud carnalis in monasterio dilectio quam dilectionis fraternae dissolutio (ut omittam caetera mala quae inde nascuntur)? dum per carnalem dilectionem non tota fratrum

congregatio diligitur, sed qui sibi pulcher aut elegans, aut quoquo modo utilis videtur, amatur. Sic dum sibi quisque trahit amicum, se et illum a communi charitate divellit; nec potest ibi esse cor unum, ubi singuli proprium quaerunt amasium, et *rem concordiae per discordias auspicantur, ut loquitur S.* Cyprianus lib. de idolorum Vanitate. Non autem carnalis, sed spiritalis debet esse inter vos dilectio.

§ XV.---EX REGULA SANCTI ORSIESII.

@ [Col. 0947D] *Vos qui secundi estis, etc.* Per secundos singularum domorum intelligit S. Orsiesius eos qui post cujusque domus praepositos monachorum curam gerebant. Supra cap. 5 citatum est caput ubi agit S. Orsiesius de praepositis singularum domorum monasterii, hoc vero agit de secundis earumdem seu vicariis praepositorum; quorum mentio fit in Regula S. Pachomii, art. 102: «Praepositus autem domus, et qui secundus ab eo est, hoc tantum juris habebunt.» Vos qui secundi estis

@ [Col. 0947D] *Singularum domorum.* Per domos intelligit varia domicilia monasterii, in quibus plures monachi habitabant sub singulis earum praepositis, juxta instituta S. Pachomii, cujus erat discipulus S. Orsiesius. Id testatur S. Hieronymus in praefatione ad Regulam S. Pachomii: «Nostrique fratres Aegyptiorum, hoc est, Tabennensium monachorum, exempla sequerentur, qui habent per singula monasteria patres, et dispensatores, et hebdomadarios et ministros, [Col. 0948B] et singularum domorum praepositos: ita ut in una domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant praeposito; sintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus in monasterio; et ternae, vel quaternae domus in unam tribum foederentur: [Col. 0948C] ut vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem.» Ejusmodi domos Palladius Hist. Laus., cap. *de Tabennesiotis,* appellat τάγματα, id est, ordines, classes. Harum mentio fit in Regula S. Pachomii, art. 104: «Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum,» etc. Art. 46: «Si quis transfertur de domo ad alteram domum,» art. 110 et art. 111. In his cellae multae erant, in quibus habitabant monachi, quarum mentio fit art. 7 ejusdem Regulae: «Mane per singulas domos finitis orationibus non statim ad cellas suas revertantur.» Sed de his infra. singularum domorum, humilitatem sectamini et modestiam, et singula praecepta majorum vitae communis normam putate: [Col. 0947B] ut in illis conservandis vestras servetis animas, et similes sitis ei qui dixit: *Anima mea in manibus meis semper* **(Psal. CXVIII)**. Filius glorificet [*Al.,* laetificet] patrem; et laetamini in fructibus vestris, quia absque operibus et fructibus nullus Domini societate laetabitur: ut cum habueritis fructum in Domino ipso haerede, et cohaerede participemini [*Al.,* potiamini]. Sed et vos, fratres, omnes, qui subjecti estis per ordinem liberae servituti, habetote accinctos lumbos et ardentes lucernas in manibus [Col. 0948A] vestris, similes servorum qui exspectant dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit confestim aperiant ei **(Luc. XII)**. Beati servi illi quos veniens Dominus invenerit vigilantes.

§ XVI.---EX REGULA CUJUSDAM.

Praepositus monasterii non aetate senili, sed moribus constituendus est.

@ [Col. 0948C] *Multos prolixitas annorum attollit.* Quod nempe diu in monasterio vixerint atque ideo se sanctos et perfectos esse existimant. At vitae monachicae perfectionem non annorum, sed sanctarum actionum multitudine metiri oportet. Non quandiu, sed

quam sancte in monasterio vixeris a te exigetur in judicio. Unde praeclare Eusebius Gallicanus, seu quis alius, homil. 9 ad monachos: «Solemus annos nostros, [Col. 0948D] et temporum spatia, quibus nunc vivimus supputare. Non te fallat, quicunque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter saeculo consumpsisti. Illum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulae transgressione duxisti. Illum diem te vixisse computa, quem non malitia, non invidia, non superbia maculavit, quem non mendacii, non perjurii culpa respersit, qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit. Illum diem vixisse te computa, qui puritatis et sanctae meditationis habuit lucem. Illum, inquam, diem applica ad tuam vitam, cujus usus provenit ad animam tuam.» Recte. Nam dies illos tantam vivimus quibus bene vivimus. Consule S. Joan. Chrysost. serm. 13 in Epist. ad Rom. Multos enim prolixitas annorum attollit, sed dedecus torpentis vitae ad infantiae immaturitatem tepescendo reducit. Constituendus est ergo praepositus moribus gravis, sermone solers, ingenio fortis, consideratione vigil, cursu impiger, correptione pius, disciplina moderatus, actu castus, moribus sobrius, dispensatione aequus, humilitate ornatus, patiens, mitis, non turbulentus, non iracundus, non superbiae vel arrogantiae [Col. 0948B] vitio maculatus, non prodigus, non garrulus; sed omni actu et religione ornatus, qui sciat languentium moribus subvenire, et tepentium ignaviam excitare; super quem abbas requiescat: ut in nullo ab ejus praeceptis deviet; ut in omnibus subditus, et in jussis senioris detentus,

@ [Col. 0948D] *Nihilque abbatis voluntati sit contrarius aut faciat.* Lege, ut in cod. Vindocinensi: *Nihil quod abbatis voluntati sit contrarium, aut faciat.* nihilque abbatis voluntati sit contrarius, aut faciat aut ordinet faciendum, sed omnia per ejus interrogationem, juxta illud quod scriptum est: *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi* (Deut. [Col. 0949A] XXXII). Interrogandum semper est, ut in nullo a seniorum consilio animae subditae discrepent, in nullo oves a pastoris voluntate declinent. Sprevit namque seniorum consilia Roboam, juvenum secutus consilia. Quae res qualis dispendii fuerit occasio, Scripturae veritas attestatur;

@ [Col. 0949B] *Qui ob missam.* Lege, *qui post amissam.* qui ob missam dominationem undecim tribuum vix cum una tribu inter tot pressurarum dispendia

@ [Col. 0949B] *Absque mortis crudelitate, etc.* Id est, vix inter tot calamitates potuit cruentam mortem evadere. Nam rex Aegypti Sezach Hierosolymam cum exercitu ascendit, et sublatis thesauris domus Domini et regis, abscessit: et nisi Dei misericordia servatus esset rex Roboam, ejus gladios non evasisset, ut habetur III Regum cap. XIV, et II Paralipom. cap. IX. absque mortis crudelitate reliquum vitae peregit **(III Reg. XIV et II Par. cap. IX)**. Debet namque esse omnium necessitatum tam corporis quam animae providus; et ut subsidia praesentis necessitatis porrigat, et corda subditorum ad laudem Creatoris intonandum

@ [Col. 0949B] *Ex sedula.* τὸ *ex redundat.* [ex] sedula admonitione excitando erigat humiles, et propter Christum subjectos honorando in sublime [Col. 0949B] provehat; sese vero attollentes castigationis flagello ad gradus humilitatis retrahat. Curam in rebus monasterii [Col. 0950A] seu vasis, seu supellectilibus, ita habeat intentam, ut in nullo negligentiae tenebris reperiatur fuscatus: ut dum sacri laboris omnem curam adhibet, ab omnipotente fructum laboris accipiat. Omnibus sabbatis, post horam orationis nonam, tam senior quam juniores praepositi lectos omnium fratrum visitent,

@ [Col. 0949B] *Et faciant.* Haec videntur redundare. [et faciant] propter eorum negligentias inquirendas; aut si aliquid inveniatur illicite et

@ [Col. 0949B] *Sine commeatu.* Id est, sine licentia, permissione. Commeatus nomen est militare; estque licentia abeundi a castris ad aliquod tempus: ἐξαίτησις ἀφεθῆναι apud Hesychium et Suidam, id est, impetratio et licentia abeundi. Festus: *Remeare redire, ut commeare ultra citroque ire.* Unde commeatus dari dicitur, [Col. 00949D] id est, tempus quo ire redireque possit. Vegetius, lib. II de Re militari, cap. 19: *Tunc enim difficile commeatus dabatur, nisi causis justissimis approbatis.* ff. l. *Miles, Ex quibus causis majores, etc.: Miles commeatu accepto, si in domo sua est reipublicae causa, abesse non videtur.* C. l. *ne cui liceat.* De commeatu, l. *Quicunque.* De scriniis et l. *Si quis sine commeatu.* Eodem titulo. Et a castris translatum est vocabulum [Col. 0950B] ad Ecclesiam. Conc. Aurel. V, can. 18: «Sine commeatu concilii ipsius discedere fortasse praesumpserit.» Tandem sumitur pro licentia et permissione faciendi vel omittendi aliquid, ut in hoc cujusdam Patris loco; saepe in hac Concordia occurrit. Id etiam videre est in concilio Aurelian. IV, can. 3: «Tamen si aliquis certa necessitate astringatur, ab episcopo postulet commeatum.» Apud Cassianum, lib. de Institutis renuntiantium, cap. 10: «Si Dominus nobis orationibus vestris dederit commeatum», id est, permiserit. Et lib. V. Capitul. Car. et Lud, imp., tit. 18: «Mulier si sine commeatu viri sui velum in caput miserit.» sine commeatu retentum. Itemque

@ [Col. 0950B] *Post completam.* Id est, post Completorium. post completam

@ [Col. 0950B] *Lectos omnium, etc.* Ita S. Fruct. Brac. capite 3 Regulae: «Praepositus, etc. Omnibus jam cubantibus [Col. 0950C] circuit silenter lectulos singulorum, etc.» lectos omnium cum luminaribus visitent ut omnium expergescentem sensum vel tepescentem,

@ [Col. 0950C] *Ex oratione.* Quia solebant monachi in lectulis suis orare. ex oratione cognoscant. Similiter

@ [Col. 0950C] *Ad omnes cursus nocturnos, etc.* Idem statuit S. Fructuosus Bracarensis cap. 3 Regulae suae: «Et cunctorum lecti ab eo (praeposito) priusquam surgant, strenue visitentur.» ad omnes cursus nocturnos est faciendum, ut sciant qui cum fervore vel cum tepiditate ad cursum assurgunt: et eos quos tarditate vel segnitia culpabiles repererint [Col. 0950B] (prout culpa vel aetas fuerit) aut increpatione aut flagello corripiant.

CAPUT XXVIII. DE DECANIS MONASTERII.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0949C] *Si major fuerit congregatio.* Recte in majori congregatione creantur decani, quia tot monachis unus non potest sufficere praepositus. Si major fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratribus boni testimonii et sanctae conversationis, et constituantur

@ [Col. 0949D] *Decani.* Decanus a decem, et decuria, et decurio nomen, inquit Priscianus lib. de Ponderibus. Glossae veteres, Δέκαρχος, *Decanus.* Decanus ille est, qui decem praeest militibus. Vegetius lib. II de Re militari, cap. 8: «Erant decani decem militibus praepositi, qui nunc caput contubernii vocantur. S. Isidorus lib. III Origin. cap. 3: «Et decani eo quod decem militibus praeficiantur.» Alias *decurio, ut notum est ex Prisciano, loco citato;* Modesto, libello de vocabulis rei militaris; Rufo, libello de legibus militaribus, et Glossis Benedicti, *Decurio,* Δεκάδαρχος, id est, qui decaniae seu

decuriae praeest. Vocabulum a castris ad claustra transtulerunt antiqui Patres, ita ut decanus sit, qui praeest decem monachis, ut videre est apud S. Augustinum, lib. I de Moribus Ecclesiae, cap. 31; S. Isidorum, lib. II de Offic. Eccl., [Col. 0950C] cap. 15, et Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 7 et 10. Translatum est etiam ad judicia. [Col. 0950D] Nam decanus est judex, consiliarius, Exodi XVIII: Lib. II Legis Wisigothorum, tit. I, l. 26: «Quingenarius, centenarius, decanus, defensor, numerarius, et qui ex regia jussione etiam ex consensu partium judices in negotiis eliguntur.» Et Legis Longobardorum lib. I, tit. 25, l. 50. Ita et decurio. Glossae veteres, *Decurio,* βουλεύτης, id est consiliarius. Decani etiam olim in Ecclesia dicti sunt qui corpora defunctorum fidelium sepeliebant, ut patet ex novella Justiniani 43 et 59: «Ipsas quoque pecunias quas hactenus non habebant (sicut et ipsi nostram docuerunt potestatem) expendere circa defunctorum exsequias: ut et ex his pecuniis et ex reditibus praediorum distributio fiat, et decanis, et ascetriis, et canonicis.» Ubi canonicae sunt mulieres, quae funerum curam etiam gerebant. Horum etiam mentio fit C. L., *Non plures, de sacrosanctis ecclesiis,* [Col. 0951B] etc.: «Non plures quam nongenti quinquaginta decani sacrosanctae hujus amplissimae urbis deputentur ecclesiae.» Et in pseudosynodo ad Quercum, in qua accusatur S. Joannes Chrysostomus quod Severiano calumniam struxerit, κινήσας κατ᾽ αὐτοῦ τοὺς δεκανοὺς, id est, «cum suscitasset adversus illum decanos.» decani, qui sollicitudinem gerant [Col. 0951A] super decanias suas in omnibus secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui. Qui decani tales eligantur, quibus securus abbas partiat onera sua. Et

@ [Col. 0951B] *Non per ordinem eligantur.* Nempe receptionis aut ingressus in monasterium, ne si habeatur sola antiquitatis ratio, contingat malum praeferri bono, et inutilem utili praeponi. Quod olim legibus civilibus prohibitum est in abbatum electione. C. L. 46, *de episcopis et clericis, etc.:* «Sacris nostris legibus existimamus oportere, et hanc addi, quae ex virtute, non ex temporibus religiosas abbatias seu praeposituras tribuit: ita videlicet ut in piis monasteriis aut asceteriis non omni modo, mortuo abbate, vel abbatissa, [Col. 0951C] is vel ea qui vel quae tempore antiquior, aut secundus, secundave deinceps eligantur» etc. Si tamen alter ab abbate mortuo idoneus est, aliis praeferendus erit, ut habetur eadem lege: «Ita ut si quidem primus post defunctum utilis sit, et monachis praeesse dignus, ille aliis praeferatur; si vero qui post illum est, similiter in ipsum feratur futuri praefecti calculus.» Quod ita tamen intelligendum est, si ille qui ordine sequitur, omnium optimus atque aptissimus esse judicatur. Quod planius declarat novella 5 Justiniani, cap. 9. Et quantum fieri potest ordo temporis servandus est. *Non enim exhonorandum est omnino tempus, sed ex eo ordo, inquit ipsa Authentica.* non eligantur per ordinem, sed secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam.

@ [Col. 0951C] *Quique decani si ex eis.* Apud Smaragdum deest particula *que.* Sed his verbis, *quique decani, expunctis, S.* Dunstanus, editio Coloniensis, vetusta Parisiensis, aliaeque vulgares legunt: *Quod si ex eis, etc.* Superior tamen loquendi ratio satis familiaris [Col. 0951D] est S. Benedicto, ut ejus Regulam volvendo observare licet, et sapit Hebraismum. Quique decani, si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum, atque tertio, si emendare noluerit, dejiciatur, et alter in loco ejus, qui dignus est,

@ [Col. 0951D] *Subrogetur.* In cod. ma. S. Germ. et in utroque Victorino legitur, *succedat.* subrogetur. Et de praeposito eadem constituimus.

§ II.---EX REGULA MAGISTRI.

@ [Col. 0951D] *Superioribus hujus Regulae paginis, etc.* Exstat in Regula ms. cod. Corb. eod. cap. 11. Superioribus hujus Regulae paginis, fratres, actus justitiae nobis Dominus ordinavit, in quibus

@ [Col. 0951D] *Perfectis.* Ita in Regula ms. pro, *a perfectis;* est Hellenismus. perfectis et vita acquiratur aeterna, et gehennae aestus et incendia fugiantur. Sed ne ille hostis bonorum [Col. 0951B] actuum diabolus, ideo est humano generi inimicus, [Col. 0952A] cum non patitur ibi ascendere hominem bene agendo unde ipse per superbiam ejectus est,

@ [Col. 0951D] *Ne venenosis.* Particula *ne redundat.* [ne] venenosis actibus suis bene viventes inficiat, et diversis occasionibus suis

@ [Col. 0951D] *Per oblivionem.* Peccati videlicet, judicii et sempiterni cruciatus. Vide supra. per oblivionem nostros quippe praeoccupet sensus, ut a Deo faciat alienos. Ideoque adjutorio Domini procuratur et constituitur ut duo electi fratres, quorum gravitas, sapientia, moderatio, vigilantia seu humilitas, vel actuum perfectorum fuerit exercitatio approbata, decem fratrum curae praepositi ordinentur. Nam sicut scriptum est, doceant vos terrena quae sunt coelestia, quia sicut in hominis domo, ut securus sit de omnibus praeparandis, Dominus rei ordinat majores familiae, quos vice Domini minores timeant: id est,

@ [Col. 0951D] *Vicedominum.* Vicedominus est oeconomus et procurator domus alicujus, seu familiae. Gallice, *vidame.* Ecclesiae etiam suos habent vicedominos, id est, oeconomos, seu procuratores. Flodoardus lib. II Hist. Eccl. Rom., cap. 13: «Contigit itaque quondam, dum ad Sanctum Cyricum oratum venisset in Culmisciacum locutum cum oeconomo Rhemensis ecclesiae, qui aderat, rogatusque ad prandium excusavit, ut pote missas acturus ad Sanctum Petrum. Interea mulier quaedam anserem attulit vicedomino, etc.» Ubi vides eumdem esse oeconomum ac vicedominum. S. Gregor. papa, lib. IX Regesti, cap. 99: «Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius vicedominum sibi ordinet, et majorem domus.» Paulus apothecarius monachus S. Petri in Valle apud Carnutes in lib. ms. quem apothecam appellavit, agens de Aydoino episcopo Carnotensi haec habet: «Iste monachos exosos habuit. Comitatum Carnotensem fundavit: vicedominum sub episcopo, et vicecomitem sub comite ordinavit.» In Vita S. Mauri, cap. 1, memoratur Arderadus vicedominus episcopi Cenomanensis. Dicitur et alicujus urbis praepositus. vicedominum,

@ [Col. 0952B] *Villicum.* Villicus est gubernator villae, inquit S. Isidorus lib. VIII Orig., cap. 4. Glossae Philoxeni: *Villicus,* ὁ κατ᾽ ἀργὸν οἰκονομῶν, id est agri oeconomus. Glossae Cyrilli: οἰκονόμος ἐπὶ τῆς κώμης, *villicus, id est oeconomus villae.* villicum,

@ [Col. 0952C] *Salutarium.* Lege, *saltuarium, ut in Regula ms.* Saltuarius est quidam magistratus seu judex. Lib. I Legis Longobardorum, tit. 25, l. 50: «Tunc decanus, aut *saltarius, qui in loco ordinatus est.*» In alio codice legitur, *saltuarius.* Et paulo post: «Si vero *saltarius aut decanus hoc facere distulerit.*» Et lib. II, tit. 38, l. 2: «Si quis judex, aut sculdais, aut *saltarius, aut decanus de loco, ubi arioli vel ariolae fuerint, neglexerit a modo intra tres menses eos inquirere.*» Sculda´s autem Longobardico idiomate est rector seu judex loci. Paulus Diaconus, lib. VI Hist. Longobard., cap. 24: «Rector loci, quem *sculda´s nominant.*» Illi subjacebat saltarius, ut ex eadem lege notum est: «Et, si decanus, aut *saltarius ipsos ariolos aut ariolas,* vel suprascriptos sacrilegos invenerit, et *sculda´ suo manifestaverit, etc.*» salutarium et

@ [Col. 0952D] *Majorem domus.* Major domus est quidam judex qui domui alicujus principis, atque etiam episcopi, praeest. S. Gregorius papa loco supra citato: «Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius, et vicedominum sibi ordinet et majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis, quae eveniant, idoneus et paratus existere.» Ubi vicedominus est oeconomus qui provideat hospitibus; et major domus, qui causis praesit. Lex Ripuariorum, tit. 88: «Et legis consuetudine super omnia jubemus ut optimates, majores domus, domestici, comites, grafiones, cancellarii, vel quibuslibet gradibus sublimati, in provincia Ripuaria judicio residentes, munera ad judicium pervertendum non recipiant.» Gundebaldus rex in praefatione legis Burgundionum: «Sciant itaque optimates, comites, consiliarii et majores domus nostrae, etc.» Additio II legis Burgundionum, tit. 13: «Consiliarii et majores domus qui praesentes sunt, ipsas litteras comitis [Col. 0953C] ipsius aspiciant.» Olim in Francia, ut notum est ex Aimoino et aliis, major domus erat, qui praeerat palatio regis, illiusque vice universa regni negotia administrabat. Gallice, *maire du palais;* quem Cedrenus (*Ad an.* 7 *Leonis Isauri*) πρόοικον, id est praefectum, seu principem domus appellat. majorem domus, sic in [Col. 0952B] domibus divinis, id est in ecclesiis et monasteriis, Deus [Col. 0953A] minoribus majores praeposuit, ignaris peritos, astutos simplicibus, et divinae artis discipulis ordinavit magistros: id est, in Ecclesiis episcopos, presbyteros, diaconos quorum vice Domini imperia audiat, et timeat plebs, et notitiam salutiferae legis ab eis addiscant. In monasteriis vero abbates et praepositi, quos pro salute animae suae audiant

@ [Col. 0953C] *Majores.* Ita in Regula ms. Leg. *minores.* majores, et vice Dei propositi militiam timeant; quia sive sacerdotibus in Ecclesia, sive abbatibus et praepositis in monasterio hoc dixit Deus: *Qui vos audit me audit;* et qui vos spernit, me spernit **(Luc. X)**; et item dicit nobis per Isaiam prophetam:

@ [Col. 0953C] *Dabo pastores.* Hic locus non est Isaiae, sed Jeremiae; citaturque juxta veterem interpretationem, qua utitur S. Cyprianus in citatione hujus loci lib. I contra Judaeos, n. 14, et etiam juxta Septuaginta: «Καὶ ποιμανοῦσιν ὑμᾶς ποιμαίνοντες μετ᾽ ἐπιστήμης, id est, *pascent vos pascentes scientia.*» In vulgata interpretatione juxta Hebraicum: *Pascent vos scientia et doctrina. Dabo vobis pastores et doctores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* **(Jer. III)**. Ergo secundum illam figuram humanae domus, quanto [Col. 0953B] magis in divina domo pro causa Dei gradus doctrinae vel timoris debent servari, ut ad purganda vitia vel peccata fratrum, cum praepositi fuerint ordinati, vel quantum abbas de animarum in se fratrum susceptarum custodiendis ratiociniis reddatur secururs. Cujus ergo honoris ordinatio haec sit. Convocatis iisdem decem fratribus ab abbate praesenti omni congregatione in oratorio

@ [Col. 0953C] *Susceptione virgae.* Notanda est praepositorum ordinatio per virgam, cujus tamen ipse Magister [Col. 0953D] nullam in abbatis ordinatione mentionem facit cap. 93 et 94, etsi olim ea abbates uterentur, quemadmodum S. Columbanus, ut videre est in Vitis sanctorum Galli et Magnoaldi, ubi ejusmodi virga appellatur *Cambuta,* ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, id est, curvare, quia abbatum, ut et aliorum Ecclesiae praelatorum virgae sunt in summitate curvae, ad pastorum imitationem, quorum virgae in fastigio curvae erant; cum magistratuum virgae essent rectae, ut notat auctor veteris Etymologici: et in antiquo Ordine Romano ex Canone S. Theodori archiepiscopi Cantuariensis abbates

per virgae susceptionem ordinantur. Ejusmodi praelatorum virgae olim ligneae, aliquando cypressinae fuerunt, ut videre est in epistola abbatis Sylvae Majoris ad Stephanum episcopum Tornacensem, quae est 233 inter epistolas ipsius Stephani: «Mittimus autem vestrae charissimae paternitati in signum devotionis et pignoris perpetuae servitutis munusculum indignum servitute vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cypressinum.» Et seq. epist. ad episcopum Aurelianensem: «Munusculum vobis mittimus, de remotis partibus nobis missum baculum pastoralem cypressinum, officio vestro et qualitate mysterii congruum.» Sane olim sceptrum Jovis cypressinum fuit; quamobrem Pythagorae discipuli ab arca funebri cypressina abstinebant (etsi juxta Thucydidem eorum, qui pro patria mortem oppetierant, corpora in arcis cypressinis conderentur), ut docet Diogenes Laertius lib. VIII: «Ἀπέχοντο δὲ καὶ σοροῦ κυπαρισσίνης διὰ τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον ἐντεῦθεν πεποῖησθαι, id est, «abstinebant ab arca funebri cypressina, quod inde Jovis sceptrum fabricatum esset.» De virgis praelatorum plura vide apud Rupertum, lib. IV in Regul. S. Benedicti, cap. 2, 3 et 4. susceptione virgae decem illis praeponantur voce abbatis, Scripturae testimonio dicentis: *Reges eos in virga, hoc est, in timoris vigore.* Item dicente Apostolo: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate* **(I Cor. IV)**; nam et Moses divina virga virtutis commisso sibi populo per profundum maris salutis viam ostendit (Exod. [Col. 0953C] XIV); quo judicio virgae causam Dei ante Pharaonem [Col. 0954A] egisse monstratur, ut projecta de manibus in terram et mutata

@ [Col. 0954C] *In bestiam.* Id est, in serpentem. Synecdoche, genus pro specie. in bestiam; item de bestia reassumpta sacris virga manibus redderetur **(Exod. IV)**. Ergo secundum hanc constitutionem, si grandis fuerit congregatio, denis fratribus binos

@ [Col. 0954C] *Debere praeponi.* Ita in Reg. ms. pro *debent praeponi.* [Col. 0954D] Solet hic auctor saepe ita loqui; quare nihil muto. debere praeponi, hujus scilicet meriti ordinari

@ [Col. 0954D] *Cujus taxavimus.* Ita in Regula ms. pro *quod.* Est phrasis Graeca, cum relativum subsequens convenit in eodem casu cum antecedente, ut Psalm. IX: *comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant, id est, quae cogitant.* In textu Graeco: Συλλαμβάνονται ἐν διαβουλίοις, οἷς διαλογίζονται. cujus supra taxavimus. Et ideo decem non amplius ordinavimus duorum curam praepositorum debere suscipere, ut sequestrati per laboris loca fratres singulos praepositos ad custodienda vitia praesentes habeant secum, et in paucis creditis

@ [Col. 0954D] *Idoneor.* Ita in Regula ms. pro *magis idoneus.* idoneor sit diligentia custodientis. Nam in multis quod non occurritur, praetermittitur negligenter: quia in paucis fratribus commissis alterna duorum praepositorum exstat diligentior cura: et apud abbatem facilis fit ratio de [Col. 0954B] paucis exacta. Cujus

@ [Col. 0954D] *De paucitatis.* Ita in Regula ms.; sed τὸ *de redundat.* de paucitatis idoneum designat Dominus servatorem; et ejus diligentia curae ampliat creditum dicens: *Euge, serve bone et fidelis:* quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam **(Matth. XXV)**. Ergo hi praepositi cum decem numero fratres sub sua cura suscipiunt, hanc in eis debent sollicitudinem exercere sive in die, sive in nocte, sive in quovis opere cum eis, ut sint primo praesentes, et cum eis operantes in quovis opere: et cum sedent, ambulant vel stant, diligenti sua observantia vel curioso intuitu diaboli ab eis debent actus compescere: sive vitia vel peccata oris, cum voluerint exercere, mox in eis monitionibus emendare, et omne in eis quod contra praeceptum Domini est removere,

[Col. 0954C] agens illud quod

@ [Col. 0954D] *S.* Eugenia. Haec est S. Eugenia virgo et martyr, quae sexum virilem simulans praefuit mulier monachis, filia Philippi Alexandriae Augustalis. Floruit tempore Commodi imperatoris: ejus Acta habentur in Vitis Patrum. De ea agunt Martyrologium Romanum 25 Decembris, et Menologium Graecorum 24 ejusdem mensis. sancta Eugenia, quae ita [Col. 0955A] suis

@ [Col. 0955D] *Minoribus.* Id est, inferioribus. S. Augustinus, epist. 109: «Quando necessitas disciplinae minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit.» minoribus praefuit, dicente ita

@ [Col. 0955D] *Scriptura.* Id est, libro, historia. Non enim sumitur hoc loco pro sancta Scriptura. Vide supra. ibi scriptura ipsius, circa os omnium auribus erat sollicita,

@ [Col. 0955D] *Ut nullius putaretur injuria matri.* Haec corrupta sunt; sed lege, ut in Regula ms.: *Ut nullum pateretur in juramenti verba prorumpere.* ut nullius putaretur injuria Matri verba prorumpere, vel de sermone aliquo otioso garrire; sed monebat S. Eugenia susceptos suos, et dicebat quanta reverentia debeamus Domino servire, ex praeceptis ejus ostenditur, si talem nobis ante oculos personam constituamus, quae non debeat in nullo praecepto contemni. Ideo duos decadae diximus uni praepositos ordinari, ut si forte aliqui fratres ex eadem decada ab abbate in alio sequestrato laboris opere deputentur, uni committantur praeposito sequestratis a se suis fratribus alium relinquentes. Si vero in via unus mittendus sit frater cum praeceptione diversae vitiorum custodiae a praeposito suo monitus itineri [Col. 0955B] dirigatur; sed talis mittatur de eadem decada de quo certus sit praepositus suus sua vitia posse diligenter cavere, et absentia praepositi sui Dei

@ [Col. 0955D] *Magis putare.* Id est, magis curare, magis attendere. magis praesentiam putare, et amplius debere timeri a fratre pro anima sua sollicito praesentiam Dei, qui discussor noster erit et judex, quam hominis. Qui ergo praepositi sunt, propter quod omni hora fratribus praesentes sunt, os eorum et gestum a peccato custodiant: et diversa in eis vitia, vel prava compescant. Id est,

@ [Col. 0955D] *Id est, si audierit praepositus.* Haec et sequentia fusius recenset Magister, ut praepositi seu decani in promptu habeant sacrae Scripturae locos, quibus possint fratres vel leviter a suo munere deflectentes arguere et commonere. Optima sane notandaque institutio. Si enim praepositi seu decani ita essent ut praecipit hic Magister, fratribus in omni exercitio assidui, quanto splendore et gloria se vita religiosa attolleret si audierit praepositus fratrem non interrogatum loqui, moneat eum dicens: Quid agis, frater, quod Regula prohibet? habeto taciturnitatem usque ad interrogationem, dic cum Propheta Domino: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis* **(Psal. CXL)**. Esto promptus ad [Col. 0955C] audiendum, tardus autem ad loquendum. Quod si datus fuerit fratri locus loquendi, custodiat eum praepositus, ne satis clamosa voce loquatur, quod sapientes non decet. Et mox moneat eum praepositus dicens: Cessa, frater, nescit sic humilitas loqui, quia scriptum est: *Vir linguosus*

@ [Col. 0956D] *Non dirigetur super terram.* Ita in Psalterio Romano. *non dirigetur super terram* **(Psal. CXXXIX)**. Quod etiam et silente fuerit alio forte locutus, custodiat eum praepositus, ne verbum aliquod vanum, aut risui aptum, vel quod ad aedificationem et sanctitatem non pertinet, de ore suo emittat. Quod cum audierit, moneat eum praepositus suus dicens: Quid loqueris, frater, quod Regula vetat? quia scriptum est:

@ [Col. 0956D] *De verbo vano.* Ita in Regula ms. Citatur locus prout occurrit memoriae, non ut habetur in sacro textu. *De verbo vano reddetis rationem* **(Matth. XII)**; et item Apostolus [Col. 0956A] dicit: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Quod si quid est ad aedificationem,
@ [Col. 0956D] *Ut detur gratia audientibus.* De hoc loco supra dictum est. *ut detur gratia audientibus* **(Eph. IV)**. Nam ipsa aedificatio ab abbate praebenda est,
@ [Col. 0956D] *Ut magistri, etc.* Haec intricata et ita evoluta clariora erunt: *Ut tacitus auditus discipuli respondeat factis ministratae doctrinae magistri.* ut magistri ministratae doctrinae tacitus auditus discipuli factis respondeat. Ergo moneat prava loquentem discipulum praepositus dicens: Claude os tuum, frater, a malo eloquio: bonum inde aliquid debet exire unde profers malum, ut bonum oris tui eloquium audientes admiremur,
@ [Col. 0956D] *Quam malum.* In Regula ms. additur, *aut vanum.* quam malum tecum pariter potius audientes rideamus. Non enim utilis est, de quo ridetur. Sedeat enim super os tuum sapientia cum clave justitiae et timoris Dei, et ipsa bonis eloquiis aperiat, et malis eloquiis claudat labia tua. Nam cum verbum vanuum, frater, de ore tuo exierit, quamvis [Col. 0956B] per risum, tamen nostro perit auditu: quia exiens per os redire non potest: sed ratio ejus servatur usque ad praesentiam discussoris, et eum non aedificat actum, aggravat causam et vulnerat animam. Et ne de eloquiis nostris in die judicii dicatur: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* **(Psal. XI)**.
@ [Col. 0956D] *Nam et Orienes sapiens.* In Regula ms. *Nam et Originis sententiam sapiens dicit.* In cod. Vind. legitur, *Origenes, rectius.* Sententia tamen habetur inter sententias Sixti 144, hoc modo: *Melius est lapidem frustra jactare quam verbum.* Nam et Orienes sapiens dicit: «Melius est lapidem in vanum jactare quam verbum.» Si vero fratrem audierit mentientem, moneat veritatem, dicens: Quid mentiris, frater, cum scias scriptum: *Perdes eos qui loquuntur mendacium* **(Psal. V)**. Et item cum scias, quia: *Universae sunt viae Domini misericordia et veritas* **(Psal. XXIV)**. Si vero audierit multum fratrem jurantem, moneat eum praesens praepositus dicens: Retine, frater, linguam tuam. [Col. 0956C] Quid tantum juras, cum Scriptura praecipiat: *Non jurare omnino, ne per jurare nascatur causa perjurii:* sed sit sermo tuus, est, est, non non, crede, crede **(Matth. V)**; et mox credimus tibi, quodcunque dixeris. Si vero viderit irascentem fratrem fratri, moneat eum praesens praepositus dicens: Quid agis, frater, in mansuetudine et taciturnitate, et charitate opera tua perfice, quia scriptum est: *Desine ab ira, et derelinque furorem* **(Psal. XXXVI)**. Et item: *Qui fratrem suum odit, homicida est* **(I Joan. III)**. Et item: *Qui fratri suo dixerit racha, reus erit judicio* **(Matth. V)**. Et: *Quia homo iracundus justitiam Dei non operatur* **(Jac. I)**. Et
@ [Col. 0956D] *Non licet unicuique, etc.* Ita in Regula ms. Haec sunt obscura; sed nihil aliud intelligit auctor quam quod redeundum est in gratiam ante solis occasum. non licet unicuique nisi ante solis occasum cum inimico redire in gratiam, dicente Domino [Col. 0957A] per Apostolum: *Sol non occidat super iracundiam vestram* **(Eph. IV)**. Si autem viderit fratrem satis promptum in risum, moneat praesens praepositus dicens: Quid agis, frater? in gravitate fac quod facis: quia conversionis nostrae tempus non est laetitiae ad ridendum, sed poenitentiae tempus ad lugenda peccata, sicut scriptum est: *Procidamus ante Dominum, ploremus ante Deum, qui fecit nos* **(Psal. XCIV)**. Et item: *Qui seminant in lacrymis,*

@ [Col. 0957C] *In gaudio metent.* Ita in Psalterio Romano. *in gaudio metent* **(Luc. VI)**. Et item Scriptura dicit: *Beati qui temporaliter fletis, quia ipsi ridebitis in aeternum.* Nam stultus in risu exaltat vocem suam **(Eccli. XXI)**. Si vero viderit fratrem alium maledicentem, moneat eum praesens praepositus dicens: Compesce os tuum, frater, a maledictione. Memorare [Col. 0957B] Dominum, qui dixit per Apostolum: *Benedicite, et nolite maledicere* **(Rom. I)**. Et sicut non potest fons uno foramine aquam proferre simul amaram et dulcem, sic nec os. Cum de lingua nostra benedicimus Dominum, quomodo possumus per eamdem linguam maledicere homines, qui ad imaginem et similitudinem Dei plasmati sunt? Item si viderit fratres

@ [Col. 0957C] *Fluxis corporibus.* Fluxum corpus, quod huc et illuc movetur prae levitate. fluxis corporibus vel resoluto sensu se aliqua levitate extollere, moneat eos praesens praepositus dicens: Cum gravitate sedete, et ambulate et state, fratres, quia oculi Domini respicicunt nos de coelo in omni hora et quovis loco, bonos et malos, sicut dicit David: *Dominus de coelo respicit super filios hominum, ut videat si sunt intelligentes aut requirentes Dominum* **(Psal. XIII et LI)**. Timeamus ergo, fratres, [Col. 0957C] ne qua nos hora declinantes in malum et inutiles factos aspiciat, et non sit qui faciat bonum, non sit usque ad unum, Et quia dicit Propheta:

@ [Col. 0957D] *Odisti observantem.* Non sequitur versionem communem. *Odisti observantem vanitatem supervacue.* Quia quidquid non est ex Deo, ex peccato est; et qui non aedificat, destruit. Qui praepositi dum haec quotidie, die noctuque omni hora, sollicite in commissis sibi fratribus scrutantur, et ipsi proficiunt, et alios custodiendo, cum a malis evacuant, se omni hora occupant de bonis. Quia beatum os per quod redundant bona in alienum auditum intrantia. Ergo dum in fratribus diligenter custodit praepositus, in assignato sibi aliquo [Col. 0958A] laboris opere ab abbate et caeteris fratribus remissius exigatur: quia

@ [Col. 0957D] *Quia quod minus corporaliter, etc.* In Regula ms. haec contractiora sunt, hoc modo: *Quia quod minus corporaliter in manibus, plus mentibus operatur.* quod minus corporaliter in manibus, plus sollicito sensu spiritaliter ad correptionem pro causa Dei laborat: et quod minus laborat manibus, plus mentibus operatur. Ideo etenim opus cujuslibet laboris remissius exigi praepositos diximus,

@ [Col. 0957D] *Ne urgens eos consignanda, etc.* Ita in Regula ms., quae tamen corrupta sunt et ita legenda: *Ne urgente eos consignanda carnali opera, in spiritalibus custodiis negligentius operentur.* Hoc autem loco Magister vult minus operis exigi a praepositis, quia aliorum fratrum actiones observant: ne forte aequale pensum cum aliis reddere coacti remissius eorum actionibus attenderent. ne urgens eos consignanda carnalis opera in spiritalibus custodiis occupati praepositi negligentia operetur, et causa Dei praevalescentibus vitiis abolescat: quando plus carnis sumptui curritur, quam causa spiritus laboratur. Sed fidem spe sumentes Dominum Deum credamus usibus nostris omnia necessaria ministrare, quod minus nobis potuerint manus nostrae perficere, confortante nos de his omnibus Scriptura sancti Evangelii dicentis: [Col. 0958B]

@ [Col. 0957D] *Nolite cogitare, etc.* Haec citantur ex Matthaei VI, sed ex memoria, non ex codice. *Nolite cogitare quid manducetis, aut bibiatis, aut quid induamini:* quia haec omnia gentes cogitant, quae Deum non cognoverunt: sed quaerite regnum Dei et justitiam ejus; et haec omnia apponentur vobis. Scit enim Pater vester, qui in coelis est, quia his omnibus indigetis, considerate volatilia coeli, quae neque arant, neque

seminant, et Pater vester coelestis pascit ea **(Matth. VI)**. Quanto magis suos.
@ [Col. 0957D] *Vestiaria.* Vestiarium est id omne quod vestitui alicujus necessarium, ut ff., l. *cum hi, De transactionibus.* Gallice, *vestiaire.* Vestiaria fratrum sub cura sua praepositi contineant. Lectis eorum lecta praepositi habeant prope propter aliquam in eis vitiorum culpam in nocte emendandam.

§ III.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 12).[Col. 0958C]
@ [Col. 0958C] *Decani, etc.* Haec non exstant in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Brac., sed videntur esse alterius Fructuosi. Decani qui super decanias sunt constituti, tantum sollicitudinem gerant super quos delegatos habent fratres, ut nullus proprias faciat voluntates. Non loquantur, nisi sint interrogati; suo arbitrio nihil faciant, nisi mandati; alibi non pergant, nisi ordinati;
@ [Col. 0958D] *Seniores timeant, etc.* S. Hieron. in epist. ad Rust.: «Praepositum monasterii timeat ut dominum, diligat ut parentem.» seniores timeant ut dominos, ament ut parentes; faciant quidquid ab eis imperatum acceperint;
@ [Col. 0958D] *Credant sibi salutare, etc.* S. Hieron. ibidem: «Credat sibi esse salutare, quidquid ille praeceperit.» credant sibi salutare quiquid illi praeceperint, si hoc sine murmuratione, cum hilaritate et taciturnitate fecerint, dicente Moyse: *Audi, Israel, et tace* **(Deut. XXVII)**. *Unus alterius onera portate* **(Gal. VI)**.
@ [Col. 0958D] *Et nemo neminem judicet.* Praeceptum Domini est: «*Nolite judicare, et non judicabimini.* Et Pauli Apostoli: *Nolite ante tempus judicare.* Judicium Dei est, qui cuncta novit, qui vera lux est; non hominum, qui caeci sunt et fallaces: ac proinde de rebus ipsis secus ac sunt judicant. Quamobrem praeclare monet S. Prosper sententia 21: «De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est: et eum, cujus non videntur opera, nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere; cum eorum quae homini sunt incognita, solus Deus judex sit justus, qui et inspector est verus.» Divina sane est de ejusmodi judicio vitando S. Columbae virginis et martyris, coenobii [Col. 0959B] Tabennensis prope Cordubam sanctimonialis, doctrina, quam refert S. Eulogius martyr lib. III Memorialis sanctorum, cap. 10: «Nullum unquam peccatorem, quamvis gravioribus oppressum peccatis, sermone suo laesit; de nullius actibus judicavit, de nullis desperavit salute, nec quemquam foedis infamatum despexit rumoribus. Scio, referebat, versutias [Col. 0959C] daemonum, seu insolentiam hominum, qui interdum ipsum maledictionis subsannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet omnipotens. Multa sunt enim judicio condemnata humano, quae divino sunt probata et sanctificata consilio. Et plerumque opinationibus suis transgrediuntur homines divinam sententiam, dum cujus meriti apud illum quisque permaneat, nesciunt; et tamen jam quasi praesagi occultorum vel dignum praedicent, vel reprobum infament: cum utique inculpabilius, si ad se reverterentur, judicarent: et si, quanto vel quali oneri unusquisque subjaceat, vel quo sit debito reus, intenderent, nullatenus culpabiliter de incognitis judicarent.» Hoc judicandi vitium est superborum, qui se aliquos esse existimant: quo non caruit Pharisaeus ille evangelicus, cum de illo dicat S. Asterius homil. in hanc parabolam: Μετριώτερον δὲ φαρισαῖος ἡμάρτανεν, εἰ τὸν τελώνην ἀφῆκε τῆς παροινίας ἐλεύθερον, id est, «Pharisaeus levius peccasset, si publicanum [Col. 0959D] a contumelia liberum dimisisset.» Quam autem acceptum Deo neminem judicare subsequens historia manifestat. Quidam monachus negligenter in monasterio vixerat, ut

narrat S. Anastasius Sinaíta in sermone de sancta Synaxi, qui gravi morbo oppressus jam animam agere videbatur, nihilo magis de suis peccatis et negligentiis sollicitus: sed nullo mortis metu percussus summa cum gratiarum actione singularique animi alacritate vita excedebat. Id miratus unus seniorum assidentium, eum interrogavit quid causae esset ut post tot negligentias nullo mortis pavore afficeretur? Ille respondit, Equidem, reverendi Patres, negligenter admodum vixi, sed nunc hac ipsa hora attulerunt mihi angeli Dei chirographum peccatorum, quae, ex quo nuntium mundo remisi, perpetraveram, hisque lectis dixerunt an ea agnoscerem. Respondi utique me agnoscere: attamen, ex quo monachus factus sum, neque de quoquam homine me judicasse, nec ullius injuriae [Col. 0960B] mihi factae recordatum esse, me itaque cupere, ut in me servetur verbum Christi, qui dixit: *Nolite judicare et non judicabimini;* et *dimittite et dimittetur vobis.* Utque haec angelis dixi, e vestigio fractum est peccatorum meorum chirographum. Et ecce omni cura solutus et incredibili gaudio perfusus ad Deum abscedo: hisque dictis in pace migravit. Et nemo neminem judicet; nemo neminem [Col. 0959A] detrahat, quia scriptum est:

@ [Col. 0960C] *Omnis detractor, etc.* Hic locus non exstat in Scriptura sacra; sed expressus est ex illo Prov. XX: *Noli diligere detrahere:* ne eradiceris. Quantum quis detractionis vitium fugere debeat, patet ex Prov. XXIV: *Et abominatio hominum detractor.* Et infra: *Et cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. Omnis detractor eradicabitur.*

@ [Col. 0960C] *Unus ab alio quod non habet, accipiat.* Ita S. Hieronymus in epist. ad Rusticum: «Monachus vivat in monasterio sub unius disciplina Patris consortioque multorum; ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam, unus silentium, alter doceat mansuetudinem.» S. Leander, lib. de Institutione virginum, cap 16: «Ut in monasterio permaneas, sollicite admoneo, multarum enim societate proficies, et virtutes aliarum videndo eris virgo virtutum.» Non secus ac apes, quae variorum florum libando succum gratissima fingunt mella. Quare S. Publius Zeugmatensis, ut refert Theodoretus de Vitis Patrum, cap. 5, monachos, quos in cellulis dispersos regebat in unum coegit coenobium, ut esset hac sancta aemulatione inter eos veluti commercium communicatioque virtutum, ut unus ab alio mansuetudinem acciperet, alter humilitatem, patientiam ille, hic temperantiam: haud secus ac mercatores in nundinis, a quibus varia mercari possis. Unus ab alio quod non habet, accipiat. Unus ab alio discat humilitatem, unus ab alio charitatem, unus ab alio patientiam, unus ab alio silentium, unus ab alio mansuetudinem. Comedant sine querela quidquid eis appositum fuerit, vestiant quid acceperint. Non celent fratres decanis suis quidquid per singulos dies cogitaverint. Decani vero sint eis quasi rectores et custodes, tanquam pro ipsis rationem Domino reddituri. Negligentias cunctorum ipsi praevideant, et emendandi potestatem habeant; et quid ipsi non valuerint emendare, praeposito non morentur accusare. Qui ipsi praepositi sic hoc districte et rationabiliter agant, ut abbates suos nullo modo praesumant inquietare, excepto quod utrique non [Col. 0959B] valuerint

@ [Col. 0960D] *Accelerare.* Id est, celeriter curare, emendare. accelerare. Et in hoc unus alteri tantam humilitatem habeat ut nunquam ullus ullum offendat, sed unus in altero tanquam

@ [Col. 0960D] *In penso.* Id est, in aequalitate. in penso persistat. Id est, juniores in decanis, decani in praepositis, praepositi in abbatibus, unus alium portans, tanquam in muro lapides quadrati, Apostolo attestante, sicut supra: *Unus alterius onera portantes, et sic*

adimplebitis legem Christi **(Gal. VI)**.

[Col. 0960A]

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 13).

@ [Col. 0960D] *Omnes decani, etc.* Haec habentur in Regula Ms. S. Fructuosi episc. Brac., cap. 25, cod. Crass. monasterii. Omnes decani a suis praepositis commoneantur, ut cuncti fratres a minimo usque ad maximum diebus Dominicis in monasterio uno loco congregentur, ita ut ante missarum solemnia sollicite ab abbate percunctentur: ne forte aliquis adversus aliquem odio livoris stimuletur, aut malitiae jaculo vulneretur; ne intestinum virus quandoque aperte in superficiem cutis prorumpat; et inter palmarum fructus myrrhae amaritudo demonstretur. Primum ergo ipsi abbates cum suis praepositis atque decanis semetipsos discutiant, et ad instar suos juniores subditos arguant, et omne malitiae fermentum praedictis diebus radicitus evellant. Solent enim nonnulli pro suis uxoribus, atque filiis, aut etiam quibusque propinquis curam habere [Col. 0960B] more pietatis. Plerique vero, qui non sunt in talibus implicati, pro alimento sunt solliciti. Alii vero tristitiae morbo interius consumuntur, et tanquam vestimentum a tinea intrinsecus mentis suae aviditate devorantur, et cum ipso rancoris labore dilabuntur in desperationem. Alii namque spiritu fornicationis acrius inflammantur, et saepe tali stimulo carnis incitati, interiore oculo caecati captivi ducuntur vinculo perditionis ligati. Alii

@ [Col. 0960D] *Acediae spiritu.* Ἀκηδία, inquit, Suidas, ἡ ῥαθυμία, ἀχθηδὼν, λύπη. Δάβιδ· καὶ ἠκηδίασεν ἐπ᾽ ἐμὲ τὸ πνεῦμά μου,, id est, «desidia, dolor, tristitia. David: Et anxiatus est super me spiritus meus.» De hoc vocabulo vide Moschopulum in Schedis, et auctorem veteris Etymologici. Hoc vitium maxime infestat monachos. Virus est, inquit Rabanus lib. III de [Col. 0961C] Agone Christiano, per quod tepor mentis et segnities noxia oritur, quae hominem inutilem ad omne opus bonum, et proclivem ad inertiam reddit. Hinc nascitur somnolentia, pigritia operis boni, instabilitas loci, pervagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, taedium cordis, murmuratio et vaniloquium. Acedia juxta Cassianum est taedium et anxietas cordis, quae infestat anachoretas et vagos in solitudine monachos, maxime circa horam diei sextam, hoc est, meridiem, in ipso solis ardore vehementissimo, quam quidam putant seniores in psal. XC daemonium appellari meridianum. Astipulatur S. Antiochus homil. 10: Καὶ σφόδρα βαρύτατος (δαίμων) ὅστις περὶ ὥραν ἕκτην ἐμπίπτει τῷ μοναχῷ, id est, gravissimus (daemon) qui circa horam sextam impugnat monachum: quem vide ibi, et Cassianum lib. X. Et recte sane: licet enim hunc morbum partim ab [Col. 0961D] ipsa corporis constitutione et humoribus, partim a fame, partim ab aestu immodico manare certum sit, diabolus tamen, cujus praecipuum est opus hominibus juxta eorum dispositionem insultare, ejusmodi morbum et languorem non mediocriter intendere solet, humores noxios ad hujus veneni instillationem irritando. Ejus remedium optimum est divinorum librorum lectio, qua fervor devotionis paulatim excitatur. Quod olim expertus est B. Gosuinus abbas Aquicinensis, qui cum ejusmodi tabe corroderetur, Moralium S. Gregorii lectione hunc morbum depulit, ut ejus acta testantur. Sunt et alia remedia, ut assiduitas boni operis, desiderium praemiorum aeternorum, manifestatio tentationis, stabilitas loci et propositi sui, exercitium cujuslibet artis et laboris, instantia orationis et vigiliarum, quae recenset Rabanus loco citato. acediae spiritu [Col. 0961A] inflati, otio et somno vacare cupiunt, et

curiosis fabulis sollicitantur, et quod pejus est,
@ [Col. 0961D] *A proprio monasterio se auferre disponunt.* Idem notat S. Antiochus homil. citata; ejusmodi enim homines sunt vagi et instabiles, atque etiam ex nimia bile

Bellerophontaeis sollicitudinibus pleni, ipsi Bellerophonti haud dissimiles. Nam post casum vere acediosus.

Ipse suum cor edens campis errabat Alaeis. Apud Tullium libr. I de Divinatione. Haec instabilitas manat ex taedio acediosi, qui a rebus creatis consolationem, non a Deo emendicans, nihil quod sibi placeat, invenire potest. a proprio monasterio se auferre disponunt. Alii vanae gloriae elationis telo in diversis partibus confodiuntur, et alii alia defendentes, et suas causas magnificantes, dum volunt Christi pauperibus similes esse, unusquisque in vanis istis cogitationibus elabuntur, et quasi nil a Deo acceperint, de propriis viribus extolluntur; et cum laudatores non inveniunt, ipsi sibi in suis laudibus prosiliunt. Alius de genealogia, et de gente sua fatetur esse principes, alius de parentibus, alius de germanis, alius de cognatis, alius de fratribus et consanguineis, et
@ [Col. 0962C] *Idoneis.* Idonei sunt servi, sive liberti honorabiliores. Id patet ex lib. III legis Wisigothorum, tit. 3, l. 9: «Si idoneus servus est, qui commisisse detegitur, et idoneum libertum rapuisse invenitur; si voluerit Dominus e solido cum eo componat.» Et [Col. 0962D] paulo post: «Sin autem rusticus, et vilissimus servus esse noscitur, etc.» Ubi vides distinctionem inter idoneum servum, et vilissimum servum, et mentionem idonei liberti, qui necessario a communi et vili liberto distinguendus est, juxta mores Wisigothorum, inter quos vivebat hic S. Fructuosus. idoneis, alius de divitiis, alius de specie juventutis, alius de belli fortitudine, alius de perlustratione terrarum, alius de sapientia, alius [Col. 0961B] de artificio, alius de
@ [Col. 0962D] *Assertionis.* Id est, orationis. assertionis eloquentia, alius de taciturnitate, alius de humilitate, alius de charitate, alius de largitate munerum, alius de castitate, alius de virginitate, alius de paupertate, alius de abstinentia, alius de orationum frequentia, alius de vigilantia, alius de obedientia, alius de abrenuntiatione rerum, alius de legendo, alius de scribendo, alius de vocis modulatione. Haec omnia, quae supra perstrinximus unusquisque dum aliquoties talia non jussi immoderate loquuntur, toties in elationem vanae gloriae labuntur; et ex ipso morbo, dum quod dicunt,
@ [Col. 0962D] *Vindicare.* Id est, asserere, probare, confirmare. vindicare contendunt, in superbiam praecipitantur. Propter hoc ergo jugiter jubemus in collecta fratres adesse, et non plusquam septem dies interponere, et per omnes dies Dominicos mores pristinos et vitia [Col. 0961C] emendare. Et quis in quo
@ [Col. 0962D] *Deprehensus fuerit.* Alterius delatione. deprehensus fuerit, [Col. 0962A] contra ipsum vitium debet pugnare, in quod se cognoverit certamen habere. Et quod fortasse ab aliis deprehenditur, absque verecundia debet manifestare, qui hoc patitur. Quod si minime fecerit, non se putet effugere diabolum,
@ [Col. 0962D] *Et se existimet.* Lege, *Nec se existimet, ut habetur in Regula ms.* Non est ille victor, sed victus a diabolo, qui juste accusatus non fatetur, sed procaciter suum defendit errorem. et se existimet victorem, sed victum. Quod si manifestaverit, et se per poenitentiam aut flagella emendaverit, continuo hostem in foveam praecipitabit et impellet.

§ V.---EX
@ [Col. 0962D] *Regula S.* Cassiani. Lib. IV Instit., cap. 8. REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 28).

Decani autem sollicitudo et eruditio haec erit erga eum quem sibi ab abbate traditum susceperit, ut doceat eum primitus suas vincere voluntates; quibus eum diligenter exercens illa ei de industria imperet quae senserit animo ejus esse contraria: [Col. 0962B] quia multis experimentis doctum est nunquam posse monachum suas concupiscentias refrenare, nisi prius per obedientiam mortificare suas didicerit voluntates; nec poterit iram, aut tristitiam, aut spiritum fornicationis exstinguere, nec cum fratribus humilitatem firmam perpetuamque retinere, nec in congregatione diutius permanere, qui prius voluntates suas non didicerit superare.

§ VI.---EX REGULA ORIENTALI.

In monasterio seniores sint duo, ad quos vel praesente abbate vel absente omnium fratrum disciplina et omnis cura monasterii pertineat, dantes sibi vices per dies, et dividentes
@ [Col. 0962D] *Unum pondus.* τὸ *unum videtur redundare.* unum inter se pondus ac necessitatem monasterii:
@ [Col. 0962D] *Ex quibus tempore suo.* Lege: *Ex quibus unus tempore suo.* ex quibus tempore suo praesens in monasterio semper erit ad praestandum [Col. 0962C] abbati solatium, vel obsequium advenientibus [Col. 0963A] fratribus, vel
@ [Col. 0963A] *Ad procedendum.* Quia olim quibusdam in locis praepositi exteriorum negotiorum munera obibant, ut supra observatum est. ad procedendum, ubi necessitas communis exegerit; atque diligentiam circa omnia quae ad quotidianam custodiam et conversationem monasterii pertinent adhibendam: ut quaecunque ad obsequium usumque monasterii facienda sunt, sine negligentia et querela faciant.
@ [Col. 0963A] *Alius cum fratribus, etc.* Juxta regulam S. Pachomii praepositus ad opera cum fratribus, ut videre est art. 35 ejusdem Regulae. «Si signum datum [Col. 0964A] fuerit, ut egrediantur ad opus, praepositus antecedat eos.» Sic supra in Regula Magistri statuitur, ut saltem unus ex praepositis eat ad opus cum fratribus suae decadis propter disciplinam. Alius cum fratribus [Col. 0964A] erit tempore suo exiturus
@ [Col. 0964A] *Cum ipsis.* Particula, *cum, videtur redundare.* cum ipsis ad omnia opera, et omnem necessitatem providens, ne quid contra disciplinam faciant. Qui considerans omnes actus singulorum, si contra rationem facta viderit, vel per se emendet, vel abbati indicet.

CAPUT XXIX. QUOMODO DORMIANT MONACHI.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 0963B] *Singuli per singula lecta.* Ita in cod. ms. S. Faronis et in utroque S. Germani. Ita in vetusta editione Parisiensi, et apud Turrecrematam; nec male: nam lectum aliquando dicitur in neutro genere. Glossae veteres: *Lectum,* κλίνη. Singuli per singula lecta dormiant.

@ [Col. 0963B] *Lectisternia.* Sunt lecti. Sidonius epist. 15, lib. IV: «Epulum multiplex, et capacissima lectisternia para.» Acta S. Findani, cap. 4: «Pro lectisterniis, lapides velatos inter fratres pausans occulte corpori supposuit.» Et in templis lectisternia lecti sunt, ut infra dicetur. Itaque non assentior Turrecrematae qui per lectisternia hoc loco intelligit loca, in quibus multi lecti sunt. Nam huic explicationi haec verba: *Pro modo conversationis, adversantur.* Quia si lectisternium [Col. 0963C] hoc loco esset conclave, oporteret ut ii qui sunt ejusdem conversationis, id est, vitae, debilitatis, aetatis antiquitatis ac necessitatis in eodem conclavi pausarent, quod Regulae repugnaret, quae jubet juniorum lectos seniorum lectis esse permixtos; quod ne vix, ac ne vix quidem fieri posset, si ii qui sunt ejusdem conversationis, in eadem cella decumberent. Alia est enim conversatio senis, alia juvenis. Praeterea in eadem linea secum pugnaret S. Benedictus qui juberet monachos in diversis lectisterniis seu conclavibus jacere pro modo conversationis, et mox praeciperet, ut omnes in eodem loco jaceant, si sit minor congregatio, in qua tamen erunt monachi diversae conversationis. Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem abbatis sui accipiant.
@ [Col. 0963C] *Si fieri potest, in uno loco dormiant.* Fuit haec vetus monachorum disciplina, ut omnes in eadem cella dormiant, maxime propter custodiam castitatis et honestatis. Ita statuitur Justiniani imperatoris [Col. 0963D] Authentica 4: «Volumus enim nullum monasterium sub ditione nostra constitutum sive plurimorum hominum est, sive paucorum, monachos, qui ibi sunt, ab alterutris divisos, et propriis habitationibus uti; sed communiter quidem eos comedere sancimus: dormire vero omnes in communi, unoquoque quidem in propria stratura jacente, in domo vero una collocatos: aut si forte non sufficit ad multitudinem monachorum, in duabus forsan, aut pluribus: non tamen seorsum apud semetipsos, sed in communi testes alterutris sint honestatis et castitatis.» Idem habetur Authentica 133. Suffragatur Concilium Turonense II, can. 14: «Nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares reponi possint: sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut abbate, aut praeposito gubernante; ut dum vel tres [Col. 0964B] vicissim et legunt, et excubant, alii consolentur: ut non solum sit custodia corporum, sed et surgat pro lectione assidua profectus animarum.» Primum membrum obscurum est. Ad illa verba: *Aut peculiares reponi possint,* in margine cum asterisco annotatur τὸ *singulare.* Ex quibus hanc lectionem elicio: *Aut communes, ubi bini maneant;* aut peculiares, ubi singulares reponi possint. Et sic sensus clarus est, cum prohibet concilium, ne monachi bini, aut singuli maneant, sed statuit, ut omnes in eadem schola, id est, conclavi jaceant, tribus vicissim aut legentibus propter consolationem animarum, aut excubantibus propter custodiam corporum. Id etiam probatur ex regula Teridii seu Tetradii, [Col. 0964D] c. 3: «Cellam peculiarem aut armariolum, vel quamlibet clausuram nullus habeat: in una schola omnes maneant.» Quae verba mirum in modum concilii locum citatum illustrant. Confirmatur etiam S. Caesarii auctoritate, cap. 7 Regulae: «Nulli liceat semotam eligere mansionem, vel armariolum, aut aliquid ejusmodi, quod peculiarius claudi possit; sed omnes divisis lectulis in una maneant cellula.» Et in Recapitulatione, cap. 2: «Ut nulla cellam peculiarem habeat.» Eamdem rationem secutus est S. Eugendus abbas, ut in ejus Actis habetur: «Refutato archimandritarum more omnes univit in medium: destructis namque mansionum aediculis uno cunctos secum xenodochio quiescere fecit.» Idem videre est in Regula S. Fructuosi Bracar. episc. c. 5. S. Isidori, Magistri et cujusdam Patris monachorum, qui hic a nostro auctore citantur. Si potest fieri, omnes [Col. 0964B] in

uno loco dormiant.

@ [Col. 0964C] *Sin autem multitudo non sinit, etc.* Idem statuit Justinianus Novellis supra citatis. Sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent.

@ [Col. 0964D] *Candela jugiter, etc.* Idem statuit S. Eugendus abbas, ut in ejus Actis supra citatis habetur: «Et quos causa vitae refectionis una claudebat aedicula, discretis quoque lectulis una ambiret mansio: cui lumen diei, sicut in oratorio indeficiens praebebatur;» ubi leg. τὸ *Dei.* Candela jugiter in eadem cella ardeat usque mane.

@ [Col. 0964D] *Vestiti dormiant, etc. Et ut parati sint monachi semper.* Est hyperbaton; et series orationis sensusque erunt clara, si haec verba referantur ad illa superiora, hoc modo: *Vestiti dormiant, et cincti cingulis et funibus, et ut parati sint monachi semper* (subaudi, ad opus Dei), *et facto signo absque mora surgentes festinent se invicem praevenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia;* et cultellos ad latus non habeant, cum dormiunt, etc. Est etiam polysyndethon. Illis autem verbis causa redditur, cur monachi debeant dormire vestiti et cincti: nempe ut dato signo sint prompti et parati ad opus Dei, et festinent se mutuo praevenire. Sed nostra interpretatio clara est ex Regula Magistri, cap. 11: «Ideo vestitos et cinctos dormire diximus fratres, ut cum hora operis Dei advenerit, et oratorii index sonuerit noctu, mox parati consurgant.» Causa hyperbati est, quia haec verba, *et cultellos ad latus, etc.,* aequum erat his subjungere, *et cincti cingulis aut funibus.* Vestiti dormiant,

@ [Col. 0964D] *Et cincti cingulis.* Idem statuit Isaias abbas, orat. 3: «Iturus cubitum (monachus) zona sua semper praecinctus sit.» Idem faciebat S. Fulgentius episcopus Ruspensis et monachus, ut in ejus Actis scribitur, c. 1: «Nec deposito saltem cingulo somnum petivit.» et cincti [Col. 0965A] cingulis aut funibus; et cultellos suos ad latus suum non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerentur dormientes; et ut parati sint monachi semper, et facto signo absque mora surgentes festinent se praevenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Adolescentiores fratres juxta se non habeant lecta,

@ [Col. 0965B] *Sed mixti cum senioribus.* Supp. *Lecta habeant.* [Col. 0965C] In regula a S. Dunstano archiepiscopo Cantuariensi emendata legitur: *Sed mixtim senioribus.* sed permixti cum senioribus. Surgentes vero ad opus Dei

@ [Col. 0965C] *Se moderate cohortentur.* Gestu quodam, aut nutu, non voce; ne horis nocturnis rumpatur silentium. se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.

§ II.---DICTA SANCTI AUGUSTINI EX LIBRO DE CIVITATE DEI (cap. 3).

@ [Col. 0965C] *Populus, etc.* Haec verba habentur lib. III de Civitate Dei, cap. 17. Nulla autem alia ratione a nostro auctore proferri video, quam quia S. Benedictus lectisterniorum mentionem facit, etsi alio sensu. Populus diu multumque fatigatus nova

@ [Col. 0965C] *Lectisternia.* Servius in 12 Aen.: *Lectisternia dicuntur, ubi homines in templo sedere consueverunt.* S. Isidorus libr. XV Orig., cap. 5: *Lectisternia dicuntur, ubi homines sedere consueverunt.* Sed locus castigandus est ex Servio, unde sumptus est, ut antecedentia, et legendum: *Ubi homines in templo, etc.,* ubi τὸ *sedere, latius sumitur.* Nam in lectisterniis non sedebant, sed recumbebant. Unde in sacris Herculis ad aram maximam non fiebat lectisternium, quia epulantes sedebant, ut clarum est ex

Macrobio libr. [Col. 0965D] III Saturn.: «Non vacat, quod dixit, sedili. Nam propria observatio est Herculis sacris epulari sedentes. Et Cornelius Balbus Ἐξηγητικῶν libro XVIII, ita ait: Apud aram maximam observatum, ne lectisternium fiat.» Sunt autem in hoc S. Augustini loco lectisternia sacra quaedam Romanorum quae stratis in templo lectis in honorem quorumdam deorum ad sedandam pestilentiam aliosque morbos in urbe grassantes fiebant, quorum prima origo manavit a quodam Valesio Sabino, qui in somnio admonitus per alveum Tiberis venit ad quemdam locum nomine Tarentum in campo Martio et calefactam aquam ad fumum inde erumpentem propinavit duobus filiis et filiae ex peste laborantibus; qui cum sanati essent, ad aram Ditis et Proserpinae subterraneam ibi forte repertam nigras hostias mactavit, ludosque et lectisternia tribus continuis noctibus fecit, ut docent Valerius Maximus lib. II, cap. 1, et Zosimus lib. I Hist. Unde Ausonius in gripho de ternario numero: [Col. 0966B]

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo Sacrum hoc primitus Romam invectum est sub tribunatu militari L. Titinii, P. Menevii Racilii, C. Genutii, et L. Attilii, an. U. C. 354, ut docet Livius libr. III, cum post electionem horum tribunorum militum subjungit: «Tristem hiemem sive ex intemperie coeli raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa gravis pestilensque omnibus animalibus aestas excepit: cujus insanabili pernicie, quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex senatusconsulto aditi sunt; duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum tribus, quam amplissime tum apparari poterat, stratis [Col. 0966C] lectis placavere.» Sed Valerius Maximus cap. citato originem refert ad Publicolam, qui primo anno post reges exactos, grassante per urbem pestilentia, ad praedictam Ditis et Proserpinae aram hostias mactavit, ludosque et lectisternia per trinoctium in campo Martio celebravit. lectisternia, quod nunquam antea fecerat, exhibenda arbitratus est. Lecti autem sternebantur in honorem [Col. 0965B] deorum: unde hoc sacrum, vel potius sacrilegium nomen accepit.

[Col. 0966A]

§ III.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 11).

@ [Col. 0966C] *Singulos praecipimus, etc.* Haec habentur in Reg. ms. Magistri cod. Corb. in fine ejusdem undecimi capitis. Singulos praecipimus, non binos per lectos dormire. Elevans se frater si lectum suum bene non cooperuerit, poenae nomine in sequenti refectione

@ [Col. 0966C] *Merum non accipiat.* Per merum intelligit cyathum aut calicem meri, qui initio refectionis fratribus dabatur, ut patebit ex eadem Regula infra. merum non accipiat. Cum dormient, vestiti dormiant, et cincti, id est, aut cingulis, aut

@ [Col. 0966C] *Retibus.* Ita apud Smaragdum, qui hunc locum profert. Sed lege, *restibus, ut habetur in Reg.* ms. cod. Corb., id est, funibus, juxta S. Benedictum, quem ipse Magister sequitur: *Cincti cingulis aut funibus.* retibus, aut corrigia.

@ [Col. 0966C] *Bracili.* Id est, zona, ut ex hoc loco clarum est. Apud Smaragdum legitur: *Bracale, sed male.* De [Col. 0966D] bracili infra commodius. Bracili fratrem in nocte uti ideo prohibemus, ne dum se regyrat per somnum oppressus, exiens per thecam mucro cultelli carni ejus figatur. In die vero cingantur bracilibus, docente de sancto Joanne

Scriptura: *Et*

@ [Col. 0966D] *Et circa lumbos, etc.* Luc. III. Sed haec citantur ex memoria, non ex codice. *circa lumbos erat cinctus zona pellicea* **(Luc. V)**.

@ [Col. 0966D] *Et ideo vestitos, etc.* Prima est ratio, cur vestiti et cincti dormiant monachi. Et ideo vestitos ac cinctos dormire diximus fratres, ut cum hora operis Dei advenerit, et

@ [Col. 0966D] *Oratorii index.* Index hoc loco est, signum, nola, seu campana. oratorii index insonuerit noctu, mox parati consurgant, dicente de hoc Scriptura:

@ [Col. 0966D] *Et index meus.* Haec lectio habetur apud Cassiodorum, et in his commentariis, qui vulgo S. Hieronymo tribuuntur, quae est psalterii Romani. Quamobrem in editione Fabri male legitur: *Judex.* Sed forsan error est typographicus. In Vulgata versione est: *Castigatio mea.* In textu Graeco, ἐλεγχός μου, id est, argumentatio mea, reprehensio mea. In textu Hebraico, ותכחתי , *Vetocachthi, id est, correptio mea.* Sed hic Magister sequitur sensum accommodatitium. Cassiodorus per indicem intelligit Christum. *Et* [Col. 0966B] *index meus in matutinis.* Si dicebam, narrabo sic **(Psal. LXXI)**. Nam ideo index nomen accepit ab eo [Col. 0967A] quod sono suo psallendi indicet horam advenisse. Ideo de eo Propheta dicit: *Si dicebam, narrabo sic.* Hoc est, cum indicat advenisse horam psallendi, sic narrabo laudes Domini.

@ [Col. 0967B] *Inde ergo, etc.* Alteram producit rationem, cur monachi vestiti dormiant. Inde ergo vestiti et cincti debent fratres dormire: quia non licet fratri membra sua nuda contingere. Nam exinde

@ [Col. 0967B] *Immunditiae.* Ita in Reg. ms. legitur, et in cod. Vind. Apud Smaragdum, *incentiva.* immunditiae libidinum in animo ingeruntur. Cum membrorum nuditas tactu contingitur, feminarum illico cordis

@ [Col. 0967B] *Desideria titillantur.* Lege, ut apud Smaragdum: *Desiderio titillatur.* desideria titillantur: unde per somnum coinquinantur membra

@ [Col. 0967B] *Sorditate.* Ita in Reg. ms., apud Smaragdum legitur: *Sordide.* sorditate.

@ [Col. 0967B] *Et maxime ideo vestiti, etc.* Tertia ratio est, cur vestiti dormiant monachi. Et maxime ideo vestiti et cincti debent fratres dormire, ne quaerentes res suas in obscuro vel cingula

@ [Col. 0967B] *Ab ingredientibus.* Particula, *ab, redundat.* [ab] ingredientibus oratorium sollicitis vel paratis fratribus, cum adhuc illi lectos suos per negligentiam in obscuro subvertendo, et dissipando revolvunt,

@ [Col. 0967B] *Aliquot orationes perdant aut psalmos.* Cum tardius veniunt ad oratorium jam inceptis vigiliis. aliquot orationes perdant [Col. 0967B] aut psalmos. Lectis eorum lectos habeant praepositi prope propter aliquam, ut diximus, vitiorum culpam [Col. 0968A] in eis emendandam, et ut reverentius praesente Majore dormiant. Mensae eorum praesentes sint, ut cum eis et moderate manducent.

@ [Col. 0967B] *Huic de numero.* In Reg. ms. legitur: *Huic deno numero;* legendum puto: *Hoc de deno numero, nempe cujusque decadis, seu decaniae.* Huic de numero in aliquo loco si sine praecepto tam abbatis quam praepositi frater foras exierit, ab eis sollicite requiratur.

§ IV.---EX EADEM REGULA (cap. 29).

@ [Col. 0967C] *Aestivo tempore, etc.* Extat in Reg. ms. ejusdem Magistri cod. Corb. cap. 29. Aestivo tempore, dicta Sexta,

@ [Col. 0967C] *Aut in jejunio.* Locus ita intelligendus, ut die jejunii pausent post sextam fratres ante refectionem in aestate. Idem statuitur prima Add. Capitul. Lud. imp., tit. 71: «Ut quando fratres aestivo tempore jejunant, post Sextam dormiant,» nempe ante refectionem, quae fit tantum hora nona, hoc est, tertia nostra postmeridiana. aut in jejunio, aut

@ [Col. 0967C] *Post refectionem.* Id est, post prandium, diebus videlicet, quibus non jejunatur. post refectionem omnes repausent; et noctibus ipsis brevibus sobrii a somno fratres divino operi et rationi

@ [Col. 0967C] *Breves consurgant.* Lege: *Leves consurgant.* breves consurgant. Nam in

@ [Col. 0967C] *Atrio.* Atrium hoc loco pro quadam ampla aula, seu conclavi sumitur. atrio, vel in

@ [Col. 0967C] *Triclinio.* A tribus lectis, ut vulgo notum est. Donatus in Heauton. Terentii: «Lectis enim stratis antiqui coenabant, unde triclinium a tribus lectis.» Ita Servius I Aen. Isidorus Libr. XV Orig. cap. 3: «Triclinium est coenaculum a tribus lectis discumbentium dictum.» Hic tamen non pro loco convivii, sed somni sumitur. triclinio lecta in ordine, in circuitu ordinentur: in quo circuitu

@ [Col. 0967D] *Lectum abbas in medio habeat.* In quo dormiat: non enim olim abbatibus erant palatia, sed in eodem cum fratribus dormitorio pausabant: ut faciebat S. Eugendus abbas Jurensis, quemadmodum videre est in ejus actis apud Surium. 1 Jan.: «Destructis namque mansionum aediculis uno cunctos secum xenodochio quiescere fecit.» Id decretum est in concilio Francofordiensi sub Carolo Magno, cap. 4: *Ut abbas cum suis dormiat monachis secundum regulam sancti Benedicti.* Dixit concilium secundum regulam S. Benedicti, quia S. P. dixit: «Omnes in uno loco dormiant.» Qui dicit *omnes, neminem excipit.* Id etiam satis clarum est ex actis S. Lamberti martyris. Nec est quod quis opponat S. Benedictum et Servandum abbates in turri decubuisse, eorum discipulis in opposito habitaculo quiescentibus. Nam tunc erant extra sua monasteria: et Servandus quidem [Col. 0968B] convenerat S. Benedicto, ut patet ex ea historia; nec S. Benedictus erat in Cassino monte, ut palam est ex his verbis: «Cui tantum hoc obstupescenti miraculum vir Dei per ordinem, quae fuerant gesta, narravit, statimque in Cassinum castrum religioso viro Theoprobo mandavit, ut ad Capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret» (S. Greg. dial. I, cap. 25). Itaque dicendum est tunc dispensatione divina ob futurum miraculum, et alia rationabili causa, factum esse, ut hi abbates seorsum a discipulis decumberent. lectum abbas in medio habeat, considerans omnium ovium suarum gregem intra unum ovile collectum quasi diligens ac sollicitus pastor [Col. 0968B] attendat. In quo atrio pendeat

@ [Col. 0968B] *Cicendelus.* Cicendelus ubique Magistro in sua Regula, alias cicendela, cicendele, et cicindilis, est candela, lucerna, Glossae Graeco-latinae: Κανδήλα, *Cicendela.* Glossae Isidori: *Licini, candelae, lucernae, cicendelia.* Glossae Arabico-Latinae dicae: *Licinius quasi lucius.* Est enim cicindela lucernae, meminit S. Greg. Turonensis l. IV Hist., c. 3: «In sacrarium autem sub velum transiens cicindilem exstinguere voluit.» Et Servius in I Aen.: «Alii funalia appellant, quod in cicendula lucet: lege, *cicendela.*» A cicendela, quod est scarabeorum genus, quod volando lucet, de qua S. Isidorus lib. XII Orig., cap. 8: «Cicendela scarabeorum genus est, eo quod gradiens vel volans lucet.» Festus: «Cicindela genus est muscarum, quod noctu lucet, videlicet a candore, unde etiam, candelabra putantur appellata.» Sunt ergo cicendelae

lampades illae vitreae quae de laqueari pendent. Quod satis patet ex his Vitae S. Caesarii Arelatensis verb. l. II: «Dum cicindile concinnaret, de manibus super lapides lapsa est, quae nec versa est, nec fracta, nec extincta.» Papias: «Cicendela species scarabeorum dicta, quod volans candet, id est, lucet, inde dicitur, cicendele, quia similiter luceat: quae cicendelia vitreas lampades vocamus.» Unde hoc loco magister: «In quo atrio pendeat cicendelus,» et c. 95: «Vel intra eam cicindelum suspensum et factum incendant.» Munitae erant oleo et myxo papyraceo, hoc est, junceo. S. Gregorius Turonensis in Vilis Patrum, cap. 8: «Gratum est illud addi miraculis, quod accensus ad lectum ejus fecerit cicendilis.» Et paulo post: «Lychni in ea jugiter accenduntur. Unus igitur ex his per quadraginta dies totidemque noctes, ut ipse aedituus asseruit, absque ullius fomenti adjutorio perduravit splendens, in quo nec papyrus addita: nec gutta olei est stillantis adjecta.» Itaque cum cicendela appellatur candela, per candelam lampas vitrea est intelligenda, quod patet ex Zacharia papa, qui in Dialogis. S. Gregorii ejusmodi lampades interpretatur κανδήλας libr. I, cap. 5. Ὅθεν τάς κανδήλας ὀφείλῃ ἅψαι, «unde lampades accenderet,» et c. 7: Ἐν ὅσῳ ὁ σεβάσμιος ἀνὴρ κανδήλας ἐν τῷ εὐκτηρίῳ ἔπλυνεν, «cum idem vir Dei lampades vitreas in oratorio lavaret.» cicendelus, qui quotidie a cellerario factus ab hebdomadariis ad seram [Col. 0969A] incendatur, ut videant diversi quomodo se collocent; et postquam se omnes collocaverint, a supra dictis

@ [Col. 0969B] *Tutetur.* Id est, exstinguatur, cap. 19 ejusdem Regulae: «Candelas monasterii a cellerario factas quotidie ipsi incendant et tutent.» Antiquus Ordo Romanus, cap. de officiis in Coena Domini: «Lumen autem ecclesiae apud Romanos ab initio cantus nocturni inchoatur exstingui: hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiae incipiat paulatim tutari.» Et paulo post: «Initio psalmi primi sit custos semper paratus in loco dextrae partis ecclesiae prope lampades. At ubi audierit primam antiphonam in manu sua tutat lampadem unam, in fine vero psalmi tutat aliam sinistrae partis. Sic una ex parte alia ex alia tutentur usque ad Evangelium: in Evangelio vero ante *Benedictus non dicatur lectio.* Sed tantum versus: et statim tutatur mediana lampas. Gallice, *tuer la chandelle.* tutetur, si forte indigentia olei in monasterio sentiatur.

§ V.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 15).

@ [Col. 0969C] *Abbatem cum fratribus, etc.* Haec reperire est in Regula S. Isidori excusa, cap. 13. Abbatem cum fratribus pariter in congregatione commorari oportet, ut communis conversatio et testimonium bonae vitae et reverentiam praebeat disciplinae. Fratres quoque omnes, si possibile est, in uno conclavi commorari decet. Quod si difficile fuerit, certe vel decem, quibus unus est praeponendus decanus, quasi rector et custos. Nocte, dum ad dormiendum itur, seu postquam quiescitur, alteri nemo loquatur. In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri cui obviat.

@ [Col. 0969C] *Duobus in lecto uno jacere non liceat.* Propter castitatis custodiam. Idem S. Isidorus, cap. 17 Regulae suae inter gravia peccata recenset:» «Si cum altero in uno lecto jaceat monachus.» Idem prohibet Magister: «Singulos praecipimus, non binos per lecta jacere.» S. Fructuosus episc. Brac.: «Duo in uno lecto non jaceant.» S. Pachomius, art. 53 Regulae suae: «Nullus cum altero dormiat.» Concilium Turonense II, can. 15: «Ut ergo sinistrae existimationis aditus amputetur, nullus sacerdotum ac monachorum colligere alium in suo lecto praesumat.» Quod etiam satis innuit S. P.

Benedictus cum ait: «Singuli per singula lecta dormiant.» Duobus in lecto jacere [Col. 0969B] non liceat. Lux autem nocte dormientium locum

@ [Col. 0969D] *Illustret.* In Reg. S. Isidori excusa: *Illuminet.* illustret, ut pulsis tenebris testimonium pateat

@ [Col. 0969D] *Singularis quietis.* Quies singularis hic est, cum singuli monachi in singulis stratis jacent. singularis quietis. Monachi stratus in nulla turpi cogitatione versetur;

@ [Col. 0969D] *Sed in sola contemplatione Dei accumbens.* Hoc est etiam animae devotae singulare exercitium, quod praescribit virginibus sacris S. Ambrosius lib. III de Virginibus: «Sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget; [Col. 0970B] ut te in ipso quietis exordio rerum saecularium cura liberam divina meditantem somnus inveniat.» sed in sola contemplatione Dei accumbens, et requiem corporis, et quietem habeat cordis, cogitationesque pravas a se repellat, bonisque objectis turpes a se rejiciat. Nam animi motus imaginibus suis agitur, et qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis et imago per soporem occurrit.

§ VI.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 17).

@ [Col. 0970B] *Duo in uno lecto, etc.* Habetur in Reg. ms. S. Fructuosi episc. Bracar. cod. Crass. cap. 17. Duo in uno lecto non jaceant, nec dormire [Col. 0970A] extra cubile proprium cuiquam licentia pateat.

@ [Col. 0970C] *Intervallum, etc.* In Reg. ms.: «Inter aulam singulorum lectorum singuli cubiti intercedant.» Intervallum singulorum lectorum singulis cubitis intercedat: ne dum invicem proximant corpora, nutriant libidinis

@ [Col. 0970C] *Incentiva.* Glossae Isidori: *Incentiva, aculei vitiorum.* incentiva.

@ [Col. 0970C] *In tenebris, etc.* Sumpsit ex S. Isidoro: «In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri, cui obviat.» In tenebris nemo loquatur alteri; nec accedat junior quilibet ad lectum alterius

@ [Col. 0970C] *Post completam.* Completa est Completorium. post Completam.

§ VII.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 33).

@ [Col. 0970C] *Ut duo quamlibet proximi, etc.* Hic locus corruptus est ob quaedam verba praetermissa, quae ex Smaragdo supplenda sunt hoc modo: *Ut duo quamlibet proximi vel amici propter secretam orationem, quae nullo teste melius apud Deum dirigitur, uno lecto non teneantur.* Et sensus clarus est. Nam hoc toto capite nihil aliud intendit S. Ferreolus, quam ut monachi separati in singulis lectis quiescant, ut possint liberius in ipso lecto orationi vacare. Unde in fine capitis ait: *Hoc ergo ut devotus unusquisque vacatione concessa utilius possit implere, strati sui, ut supra diximus, erit solus possessor.* Ut duo quamlibet proximi, vel amici propter secretam orationem, quae nullo teste melius ad Deum dirigitur, ut majorem licentiam orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliae suae testem timescit aut judicem. Vigilandum ergo, orandum atque psallendum. Curet unusquisque minimam noctis somno ducere portionem, ut [Col. 0970B] non decipiatur ab inimico,

@ [Col. 0970D] *Qui est liber otioso.* Id est, qui facile otioso assidet et vacat. Otiosis enim monachis diabolus delectatur. qui est liber otioso: quia omnino non potest cubile proprium nisi vigilans

@ [Col. 0970D] *Vindicare.* Videntur deesse haec verba: *A turpi cogitatione, et illusione, vel similia.* vindicare.
@ [Col. 0970D] *Imitandum enim videtur quod propheta, etc.* Praeclare S. Ambrosius lib. III de Virginibus: «Jam illud quis non ad nostram institutionem dictum intelligat, quod ait sanctus Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Nam sive lectum juxta litteram intelligas, tantam ubertatem ostendit profundi oportere lacrymarum, ut lavetur lectus, stratum rigetur fletibus obsecrantis (fletus enim praesentium, merces est futurorum; quoniam *beati qui fletis, ipsi enim ridebitis*); sive pro corpore accipiamus propheticum illud, delicta corporis poenitentiae lacrymis abluamus.» Imitandum enim videtur quod Propheta nobis sub quadam admonitione decantat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* **(Psal. VI)**. Et iterum: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum* **(Psal. CXXXIII)**. Et illud: *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam* **(Psal. CXVIII)**. Hoc ergo ut devotus unusquisque vocatione concessa utilius, possit implere, strati sui, ut supra diximus, erit ipse solus possessor habens [Col. 0971A] secum meliori commutatione
@ [Col. 0971A] *Pro dormitorio fratrem.* Locus corruptus. Lege: *Pro dormiente fratre, ut apud Smaragdum.* Sensus est: Solus in strato monachus, dum orationi vacat, pro dormiente fratre Dominum habet secum vigilantem. pro dormitorio fratrem Dominum vigilantem.

§ VIII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 14).

Omnes, si fieri potest, una domus ad dormiendum capiat, praeter si infirmitas,
@ [Col. 0971A] *Aut senilis aetas poposcerit, etc.* Indultum olim fuit senibus et infirmis habere cellas separatas ab aliorum consortio. S. Isidorus, cap. 19 Regulae: «Nullus peculiariter separatam sibi ad habitandum cellam expetat, praeter eum qui fortasse morbo vel aetate defessus, et hoc ex consulto Patris monasterii promeruerit.» Concilium Agathense, can. 38: «Servandum etiam de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem ab abbatibus asperior regula remittatur. Quod ita demum fiet, ut intra eadem monasterii septa manentes sub abbatis potestate separatas habere cellas permittantur.» Per probatos post emeritos labores intelligit concilium senes illos qui diuturna observantia probati, ut emeriti censendi sunt. Probatis indulgentur cellae: nam senibus infrunitis et pueris centum annorum non adeo tutum esset eas concedere. Dabantur etiam cellae separatae iis qui contemplationis studio ab aliorum fratrum consortio secedebant; quos hesychastas, anachoretas, atque etiam inclusos appellabant, ut notum est ex Novella 5 Justiniani: «Nisi tamen quidam eorum in contemplatione et perfectione degentes vitam remotam habeant in hospitio; quos vocare anachoretas, et hesychastas, id est, quiescentes consueverunt, tanquam a communione ad meliora exceptos.» Idem statuitur Novella 133. Hesychastarum mentio fit in Poenis brevibus S. Basilio ascriptis art. 33: Εἴ τις εὑρεθῇ λαλῶν εἰς τὰ κέλλια ἐκτὸς τῶν ἐνοικούντων αὐτὸ ἢ τῶν ἡσυχαστῶν, etc., id est, «Si quis inventus fuerit loquens in cellis praeter illos qui eas habitant, et quiescentes, privetur benedictione.» Ubi male interpres: *Praeter eos qui aedificant illas, et qui quietem et silentium imperant.* At hi quidem infra septum coenobii cellas habebant. Sed alii fuerunt, qui in

cellis haud procul a monasterio habitabant, sive inclusi essent, sive non. Horum est auctor S. Basilius: Ἵνα μήτε τὸ φιλόσοφον ἀκοινώνητον ᾖ, μήτε τὸ πρακτικὸν ἀφιλόσοφον, id est, «ne contemplatio communicationis expers esset, nec vita practica, seu communis contemplatione careret,» ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20. Eum imitatus Cassiodorus non longe a monasterio suo Vivariensi secreta montis Castelli praeparavit, ad quae monachi contemplationis cupidi secederent, ut ipse testatur cap. 29 libri de divinis Lectionibus. Hinc partim sumpsere initium cellae illae, quas prioratus, obedientias seu praeposituras vocant, quae abbatiis subditae unum aut paucos monachos complecti solent. Partim ex fama abbatum ad quos cum multi discipuli confluerent, nec eos angustiae sui monasterii caperent, non longe a monasterio, atque etiam aliquando procul, cellas seu monasteriola aedificabant, ad quae redundantes monachos sub suo tamen regimine victuros mittebant, ut planum est ex multis sanctorum abbatum actis. Partim etiam ex annexione monasteriorum, quae aut bello diruta erant, aut quorum reditus pene exhausti, ut ditiorum monasteriorum facultatibus instaurarentur, eorumque juri cederent; ut videre est libr. VIII Regesti S. Gregorii papae, epist. 39; et libr. IX, epist. 67 et sequenti, in qua ecclesia S. Georgii accrescit monasterio Mariniani abbatis; partim ex munificentia episcoporum, regum, imperatorum, [Col. 0972A] principum et dynastarum, qui multas ecclesias monasteriis adjunxerunt, ut notum est ex libro, qui inscribitur Bibliotheca Cluniacensis, et ex libello de Abbatibus Majoris-monasterii, multisque veteribus chartis et monumentis; partim ex reformatione regularis observantiae, ratione cujus multae abbatiae plurimas cellas et prioratus, imo et abbatias, quae ideo in prioratus mutatae sunt, suae ditioni subjecerunt: et Cluniacus, et Majus-monasterium prope Turones; partim ex ipsis monasteriorum praediis, quae cum redundarent, ex iis abbates prioratus fundarunt. Horum autem prioratuum sive cellarum usus concessus fuit olim abbatibus in synodo abbatum Aquisgranensi, tit. 44: «Abbatibus liceat habere cellas, in quibus monachi sint aut canonici; et abbas provideat, ne minus de monachis habitare permittat, quam sex.» Sed ut redeamus ad cellas coenobitarum, Aegyptii monachi bini in cella habitabant, ut liquet ex Cassiano libr. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 16: «Si cum illo, qui cellae suae cohabitator non est, confabulari quantulumcunque praesumpserit.» Et ejusmodi cohabitator *syncellita appellabatur apud Cassianum, collat.* 20, c. 2. Id etiam fiebat in monasteriis Syriae et Palaestinae, ut videre est eadem collat., cap. 1. Idem institutum secutus videtur S. Columbanus, ut notum est ex ejus Poenitentiali ms., ubi eadem verba profert quae ex libr. IV de Institutis citavimus. Sed Tabennesiotae monachi etiam Aegyptii ex instituto S. Pachomii tres in cella simul habitabant, ut planum est ex Palladio, cap. de Tabennesiotis: Ποίησον δέ κέλλας διαφόρους ἐν αὐτῇ, καὶ τρεῖς κατὰ κέλλαν μενέτωσαν, id est, «fac diversas cellas in eadem domo, et tres per singulas cellas maneant.» Aliquando tamen in coenobiis Aegyptiorum soli in cellis habitabant, ut observare licet apud eumdem Cassianum, lib. II de Orationibus nocturnis, cap. 12: «Ad suam recurrens cellulam, quam aut solus, aut cum alio tantum inhabitare permittitur.» Sed locus de senibus, aut debilibus intelligendus est. aut senilis aetas poposcerit, aut

@ [Col. 0972C] *Culpa damnaverit.* Nempe excommunicatione: nam, ut infra docebitur, excommunicati in cella separata habitabant. culpa damnaverit,

@ [Col. 0972C] *Aut novitas, etc.* Intelligit novitios, quos etiam excludit a communi dormitorio monachorum, juxta Regulam S. Benedicti. aut novitas probata [Col. 0972A] non fuerit,

@ [Col. 0972C] *Ut cella separentur.* Est trajectio. Referendum ad verbum: *poposcerit.* ut cella separentur. Omnes vestiti dormiant. In domo qua dormitur, per totam noctem lucerna ardeat. Ad cursum vero cum festinatione

@ [Col. 0972C] *Surgentes signum crucis, etc.* Ita in Memoriali qualiter in monasterio vivendum sit: «Nocturnis horis, cum ad opus divinum de lectulo surrexerit frater, primum signum sanctae crucis sibi imprimat per invocationem sanctae Trinitatis.» Et in concilio Wintoniensi sub S. Dunstano, cap. 1: «Ideoque omni tempore nocturnis horis, cum ad opus divinum surrexerit frater, primum sibi signum crucis imprimat.» surgentes signum crucis Christi fronti inferant, simulque

@ [Col. 0972D] *Sub silentio dicant:* Deus, in adjutorium, etc. In citato Memoriali, praecipitur recitatio Psalmi: «*Deus in adjutorium, etc.,* praemisso versiculo; *Domine, labia mea aperies, etc.* Deinde dicat versum, *Domine, labia mea aperies;* inde psalmum: *Deus,* in adjutorium meum intende, totum cum *Gloria.*» Ita etiam in citato concilio Wintoniensi: «Deinde dicat versum: *Domine, labia mea aperies, deinde psalmum, Deus, in adjutorium meum intende.*» Quid vero hujus Concordiae auctor ante vigilias nocturnas recitandum vel faciendum statuerit, vide supra in ejus Vita. sub silentio dicant: *Deus, in adjutorium meum intende;* Domine, ad adjuvandum me, festina.

CAPUT XXX. DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM.

[Col. 0973A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 0973B] *Si quis frater, etc.* Hujus loci mentionem facit Joannes Saresberiensis epist. 100; et S. Fructuosus apud Henricum Canisium, tom. V Antiquae Lectionis. Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius existens sanctae Regulae, et

@ [Col. 0973B] *Praeceptis seniorum suorum, etc.* Haec ita distingue: *Vel in aliquo contrarius existens sanctae Regulae, et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit.* Ita distinguunt Smaragdus, editio Coloniensis, cod. uterque ms. S. Germ. et S. Far. Et sensus est: Si frater vitiis supra enumeratis nempe contumacia, inobedientia, murmuratione, aut Regulae ac praeceptorum seniorum suorum violatione contaminatus, ea quae salutis suae sunt contemnere repertus fuerit, nec vitia emendare curaverit, moneatur, etc. Aliter S. Dunstanus, et vetus editio Parisiensis: *Vel in aliquo contrarius sanctae Regulae, et praeceptis:* si seniorum suorum contemptor repertus fuerit. Turrecremata ita distinguit: *Vel in aliquo contrarius sanctae Regulae, et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit;* et sic exponit: «Quintus est (casus) aut si fuerit vel in aliquo contrarius existens sanctae Regulae, et praeceptis per aliquod videlicet malum opus, quod sanctae regulae repugnet, et adversetur. Sextus est, si seniorum suorum contemptor repertus fuerit.» Prior tamen expositio praestare videtur: tum quia τὸ *praeceptis referendum* est ad τὸ *seniorum:* tum quia excommunicatio maxime eorum est, qui non solum seniores, sed etiam ea quae agenda sunt, contemnunt; ac proinde emendare nolunt. In vulgatis editionibus legitur: *Et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit.* Sed hoc tanquam soloeco

assidens repudiandum est. In editione Colinaei: *Et praeceptorum seniorum suorum contemptor, etc.* Sed casus mutatus est ex industria. praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel, et secundo secrete a senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit

@ [Col. 0973D] *Qualis poena sit.* Suppl., excommunicatio. Est autem trajectio: nam juxta communem loquendi usum, dicendum erat: *Excommunicationi subjaceat, si intelligit qualis poena sit.* qualis poena sit,

@ [Col. 0973D] *Excommunicationi subjaceat.* Haec est propria excommunicatio, quam majorem vocant theologi: nam ex parte excommunicati praecedit contumacia, et contemptus, et gravitas culpae: ex parte excommunicantis trina admonitio. excommunicationi subjaceat.

@ [Col. 0973D] *Sin autem improbus.* Glossae veteres: *Improbus,* ἀναιδὴς, id est impudens. Et improbitas ἀναίδεια, id [Col. 0974B] est impudentia. Luc. XI: Διά γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ, id est, propter impudentiam ejus. Recte in versione communi: *Propter improbitatem ejus.* Improbus ergo monachus est impudens, pertinax in malitia. S. Fructuosus apud Canisium supra scribit improbum appellari a S. Benedicto contumacem, aliquando tamen improbum dici eum, qui etsi saepe corripiatur, non tamen contradicit regulari disciplinae. Sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur.

§ II.---EX PRAECEPTIS ET INSTITUTIS BEATI PACHOMII (cap. 9).

@ [Col. 0974B] *Qui mentitur.* Reg. exc. art. 119. Qui mentitur, et odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut plus joco quam honestum est deditus, [Col. 0973B] aut otiosus, aut dure respondens, aut habens consuetudinem fratribus detrahendi, vel his qui foris [Col. 0974A] sunt: et omnino quidquid contra regulam Scripturarum est, et monasterii disciplinam, audiet Pater monasterii, et vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

§ III.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0974B] *Qui facilis ad detrahendum, etc.* Habetur in Regula S. Pachomii art. 84, ubi legitur: *Qui est facilis, etc.* Idem prorsus statuitur in concil. Agathensi apud Ivonem XIII parte Decreti, cap. 64: «Si quis promptus facilisque est ad detrahendum dicensque quod verum non est, septem dies in pane et aqua sequestratus a fraterno consortio poeniteat.» Sed cum haec non exstent in concilio Agathensi, credibile est ex Regula S. Pachomii sumpta, et citationem minus rectam esse. Qui facilis ad detrahendum, dicitque quod non est, si in hoc peccato est deprehensus, monebunt eum secundo. Et, si audire contempserit, separabitur extra conventum fratrum septem diebus, et

@ [Col. 0974C] *Panem tantum cum aqua accipiet.* Antiqua haec multa seu poena clericis et monachis irrogata panis et aquae refectio. S. Isidorus, cap. 18 Regulae: «Certe si plurimorum dierum illata fuerit excommunicationis suspensio, sola panis et aquae in vespertinum erit adhibenda refectio.» Concilium Tarraconense I, can. 1: «Si vero religiosus vel monachus, in cella monasterii inclusus, poenitentiae lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis et aquae victum ex abbatis ordinatione percipiat.» S. Columbanus in Poenitentiali ms.: «Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducat, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua vivat. Si quis dixerit mendacium nesciens, L verbera; sciens et audax, in pane et aqua. Si detegatur mendacium ejus, et

ille contendit, VII dies in pane et aqua.» Concil. Matisconense I, can. 5: «Quod si post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus aqua tantum et pane modico diebus singulis sustentetur.» panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet, se ab hoc vitio recessurum; et sic demittetur ei.

§ IV.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0974D] *Qui falsum.* etc. Videre est in Regula S. Pachomii excusa. art. 86. Qui falsum cupit probare contra alterum, ut opprimat innocentem, tertio commonebitur: et postea [Col. 0974B] reus erit iniquitatis

@ [Col. 0974D] *Sive de prioribus.* In Regula excusa: *Sive de priori loco.* sive de prioribus, sive de inferioribus.

@ [Col. 0974D] *Qui habet pessimam, ete.* Hic incipit art. 87 ejusdem Regulae excusae. Qui habet pessimam consuetudinem ut [Col. 0975A] fratres

@ [Col. 0975B] *Suos sermones.* Lege, *suo sermone, ut in Regula excusa.* suos sermone sollicitet, et pervertat

@ [Col. 0975B] *Animas.* In Regula excusa, *animos.* animas simpliciorum, tertio commonebitur: si contempserit, separabunt eum extra monasterium,

@ [Col. 0975B] *Et verberabitur ante fores.* Lege, ut in Regula excusa: *Et verberabunt eum ante fores triginta novem.* Idem habetur art. 121 ejusdem Regulae: *Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta novem verberabunt eum.* Et in utroque articulo subaudiendum τό *plagis;* ut sensus sit: Monachi verberabunt eum plagis triginta novem, juxta antiquum Judaeorum morem, qui in ipsa flagellatione non excedebant numerum novem et triginta plagarum, ut videre est II ad Cor. cap. II, ubi S. Paulus ait se quinquies quadragenas una minus accepisse. Idque ita fiebat, quia Denteronomii cap. XXV in ipsa flagellatione quadragenarum plagarum numerum excedere prohibetur. Hunc morem etiam Ecclesia servavit, ut videre est in concilio Matisconensi I, can. 8: «Quod si quicunque clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, etc.» In Regula S. Aureliani, cap. 41: «Pro qualibet culpa si necesse est flagelli accipere disciplinam, nunquam numerus legitimus excedatur, id est, triginta et novem.» Eamdem rationem secutus est S. Caesarius Arelatensis, ut scribit Cyprianus in ejus Vita, lib. I: «Solebat vero sanctus vir id accurate observare, ut nemo ex illis qui sibi parebant, sive illi servi essent, sive ingenui, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur.» Difficultas oritur ex D. Columbano qui, in Poenitentiali, hunc plagarum numerum saepe excedit: aliquando enim quinquaginta, aliquando centum, aliquando ducentis verberibus in monachos animadverti jubet. «Qui solus cum sola femina sine certis personis familiariter loquitur, maneat sine cibo vel duobus diebus in pane et aqua, vel ducentis plagis. Qui praesumit facere ambascias non permittente eodem qui praeest, libera et effrenata processione, L plagis inhibeatur. Operis peculiaris praesumptio, centum plagis.» Sed istae plagae simul non dabantur, sed tantum quinque et viginti, ut ipse S. Columbanus in eodem Poenitentiali praecipit: «Et amplius viginti quinque percussiones simul non dentur.» Ita ut, exempli gratia, is qui quinquaginta plagis excipiendus esset, viginti quinque uno die acciperet, et viginti quinque altero. Quod etiam observabat S. [Col. 0976B] Caesarius Arelatensis in eos qui ob graviora delicta plusquam novem et triginta plagis caedendi

erant, ut habetur in ejus Vita loco citato: «Si quis vero in gravi culpa deprehensus esset, permittebat quidem, ut post dies paucos iterum vapularet, sed paucis.» et verberabitur ante fores: dabuntque ei ad vescendum

@ [Col. 0976B] *Foris panem, etc.* Male omittitur in Regula excusa τὸ *foris.* Nam fuit mos Aegyptiorum monachorum, ut rei aliquando manerent extra monasterium aliquot diebus; de quo infra. foris panem et aquam, donec mundetur a sordibus.

@ [Col. 0976C] *Qui habet consuetudinem.* Hic incipit articulus 88 Regulae excusae, ubi legitur: *Qui habet pessimam consuetudinem.* Qui habet consuetudinem murmurandi, et quasi gravi opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine causa murmuret, et ostendent perspicuam veritatem. Si et post hoc inobediens fuerit, et est perfectae aetatis, ita eum habebunt, ut unum de aegrotantibus, et ponetur in loco infirmorum, ibique

@ [Col. 0976C] *Aletur otiosus.* Non ut laute curetur; sed ut pudore suffundatur ob ignaviam, et pectoris angustias. aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Sin autem justa est ejus querela, et a Majore inique opprimitur: qui eum scandalizaverit, eidem sententiae subjacebit.

[Col. 0975B]

§ V.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0976C] *Si inobediens quis fuerit, etc.* Exstat art. 89 Regulae excusae S. Pachomii. Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus aut contradictor aut mendax, et est perfectae aetatis, decies commonebitur, ut desistat a vitiis. Si audire noluerit, monasterii legibus increpabitur.

@ [Col. 0976C] *Quod si per alterius culpam.* In Regula excusa legitur: *Quod si alterius culpa.* Quod si per alterius culpam ad haec vitia

@ [Col. 0976C] *Devolvuntur.* Lege, *devolvitur, ut in Regula excusa.* Hic locus citatur a Burchardo, lib. XVII, cap. 37, sub nomine Isidori; sed est sancti Pachomii. devolvuntur, et hoc fuerit comprobatum, ille qui causa exstitit, reus erit ultionis.

@ [Col. 0976C] *Si deprehensus fuerit.* Hic incipit articulus 90 Regulae excusae. De puerorum amore infra dicetur. Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus [Col. 0976A] libenter cum pueris ridere et habere amicitias aetatis infirmae, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis et timoris Dei: si non cessaverit,

@ [Col. 0976C] *Corripient eum.* In Regula excusa: *Corripietur.* corripient eum, ut dignus est, correptione severissima.

§ VI.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0976D] *Qui contemnunt.* Reg. excusae. art. 91. Qui contemnunt praecepta majorum et regulas monasterii quae Dei praecepto constitutae sunt, et parvi pendunt seniorum consilia, corripientur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

§ VII.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0976D] *Pueri si in domo, etc.* Exstat in Regula excusa, art. 96. Et sequenti articulo haec de pueris qui ab officio deflectunt, statuuntur: «Omnes autem pueri qui non timent confundi pro peccato, et per impudentiam judicium Dei non cogitant, et correpti verbo non emendaverint, verberentur, quandiu disciplinam accipiant et timorem.» Pueri si

@ [Col. 0976D] *In domo.* Id est, in classe, de qua sunt. in domo fuerint dediti lusibus, et otio, et correpti non potuerint emendari, debet
@ [Col. 0976D] *Praepositus.* Domus seu classis, de qua sunt hujusmodi pueri. praepositus usque ad dies triginta ipsos monere et corripere: si viderit in pravitate persistere, et non [Col. 0976B] nuntiaverit
@ [Col. 0976D] *Patri Monasterii, id est, abbati qui universo monasterio praeest.* Patri, et aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpae subjacebit, juxta quod peccatum fuerit inventum.

§ VIII.---*Item ejusdem.*
@ [Col. 0976D] *Qui conturbat, etc.* Reperire est in Regula edita, art. 93. Qui conturbat fratrum animos, et facilis
@ [Col. 0976D] *Ad loquendum.* In Regula excusa legitur, *ad detrahendum.* ad loquendum est, lites ferens et jurgia, decies commonebitur. Et si non fuerit emendatus, corripietur
@ [Col. 0976D] *Ordine monasterii.* Id est, juxta ordinationes et statuta monasterii. ordine monasterii, donec corrigatur.

[Col. 0977A]

§ IX.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 16).

Interrog.
@ [Col. 0977B] *Peccantem, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. 3 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 17. In textu Graeco additur: ἢ μὴ ἐπιστρέφοντα πῶς ἔχειν χρὴ, id est, «vel erga eum qui non convertitur, quomodo se gerere oportet?» Peccantem quomodo corripiemus, vel emendabimus?---*Resp.* Praeceptum sicuti est a Domino dicente: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et argue eum inter te et ipsum solum.* Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si vero non te audierit, assume tecum alium vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si etiam ipse non audierit, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus **(Matth. XVIII)**. Si forte increpatio haec, quae a pluribus fit, eveniat ei in salutem: et sicut dicit Apostolus: *Argue, increpa,*
@ [Col. 0977C] *Consolare.* Apud Rufinum: *Obsecra, consolare.* In textu Graeco, παρακάλεσον, quod utrumque significat; sed unum horum sufficit, ut in versione communi, ubi est tantum, *obsecra. consolare in omni patientia* **(II Tim. IV)**. Et rursum: *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate;* et non commisceamini cum eo [Col. 0977B] sine dubio
@ [Col. 0977C] *Ad mensam.* In Rufino excuso: *Ad mensae participationem.* Sed textus Graecus Pauli aliter se habet: Καὶ μὴ συναμήγνυσθε αὐτῷ, ἵνα ἐν τραπῇ, id est, «et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.» Sed legisse videtur Rufinus, ἐν τραπέζῃ, id est, in mensa. *ad mensam* **(II Thess. II)**.

§ X.---*Item ejusdem* (cap. 22).
@ [Col. 0977C] *Qui poenituerit, etc.* Reperitur apud S. Basilium, interr. 289 Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 22. Qui poenituerit pro aliquo peccato, et rursus in hoc ipsum peccatum inciderit, quid faciet? Is qui semel deliquit et iterum in peccatum incurrit,

indicare de se videtur hoc primum, quod ab illo peccato priori non fuerit expurgatus, ex quo velut a radice quadam pessima eadem, quae antea, pullularunt. Sic est enim quasi quis arborum ramos excidens, si radicem relinquit, ubi radix firma permanet, virgulta denuo ejusdem seminis germinabit, ita etiam peccatum. Quoniam non omnes qui delinquunt, ex his peccatis initium sumant, sed ex aliis interdum [Col. 0978A] delicti occasio nascitur. Necessarium ergo ei est, qui vult omni modo purgare se a peccato primas ipsius causas culpae succidere. Verbi gratia, si ex contentione vel ex invidia fuerit, non a se sumit exordium,

@ [Col. 0977C] *Sed radicem habet ex arrogantia et cupiditate, etc.* Lege, ut apud Rufinum: *Sed radicem habet arrogantiam ex cupiditate humanae laudis venientem.* In textu Graeco: Ἀπὸ ῥίζης τῆς φιλοδοξίας βλαστάνει, id est, «ab radice appetitus gloriae pullulat.» sed radicem habet ex arrogantia, et cupiditate humanae gloriae venientem. Dum enim gloriam quisque quaerit ab hominibus,

@ [Col. 0977D] *Aut contentionibus studet, etc.* Ita habetur apud Rufinum; sed parum deflectit a textu Graeco: Ἐρίζει τῷ εὐδοκιμοῦντι, ἤ φθονεῖ παρευδοκιμοῦντι, id est, «contendit adversus eum, qui est in aliqua existimatione, vel invidet ei, a quo se videt fama superari.» Recte quidem; nam imprudentes atque invidi, ut scribit S. Isidorus Pelusiota lib. V, epist. 256: Τὸ μῖσος τρέφουσιν οὐ̃κ ἀφ᾽ ὧν ἠδικήθησαν (ἧττον γὰρ ἂν ἦν ἴσως κακὸν) ἀλλ᾽ ἀφ᾽ ὧν τῆς κατ᾽ ἀρετὴν εὐκλείας ἀπολιμπάνονται; id est, «Alunt odium non erga eos a quibus affecti sunt injuria (minus enim id malum fortasse foret), sed a quibus virtutis gloria superantur.» aut contentionibus studet, aut recte agentibus invidet, huic scilicet per quem videtur ipse minus in laude, vel in admiratione haberi. Si quis ergo semel notatus fuerit invidiae vel contentionis vitio, et rursum in hoc ipsum inciderit, sciat se primam illam causam, de qua supra diximus, ex qua invidia vel contentio nascitur, in interioribus medullis habere reconditam. Oportet ergo eum et per contraria [Col. 0978B] atque adversa curari, id est, per humilitatis exercitium.

§ XI.---*Item ejusdem* (cap. 17).

Interrog.

@ [Col. 0977D] *Si quis autem, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. IV Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 18. Si quis autem in parvis delictis affligere voluerit fratres, dicens, quia debetis poenitere per singula, ne forte et ipse immisericors videatur, et dissolvere charitatem?---*Resp.* Cum affirmarit Dominus, *Iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege usquequo omnia fiant* **(Matth. V)**, et rursum definierit: *Quia de omni sermone otioso, quemcunque locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii* **(Ibid. XII)**,

@ [Col. 0977D] *Nihil oportet tanquam parvum sperni.* Exiguum vitium seu peccatum non spernendum, quia serpendo crescit,

. . . viresque acquirit eundo Ita S. Isidorus Pelusiota, epist. 17, l. V: Ἴσθι ὅτι ἕρπον τὸ δοκοῦν μικρὸν πταῖσμα εἶναι, εἰς μέγα ἕρπει κακὸν; id est, «scito exiguum in specie vitium serpendo grandius fieri» Et S. Joan. Chrysostomus serm. 8 in I. Epistolam ad Corinthios: Ὁ γὰρ μικρὸν ἀποστὰς, καὶ πολὺ προϊὼν ἀποστήσεται, etc., id est, «parum enim deficiens multum in progressu deficiet. Et enim si corpus gladio vulnus accipit, corrumpitur. Aedificium si parum dehiscit, dissolvitur. Si radix parum scinditur, inutilis

est. Quare hoc parum non est parum, sed propemodum totum est. Cum igitur parum deliquerimus, vel torpuerimus, ne spernamus illud parum: quoniam id quod neglectum est, magnum fit. Sic vestimentum frangi incipiens, et neglectum, tandem omnino scinditur: et tectum cum paucae tegulae ceciderunt, neglectum integram domum pessumdat. Haec igitur considerantes nunquam parva spernamus, ne in magna dilabamur.» Et sermone XII in Epistolam ad Romanos: Τὰ μικρὰ φύγωμεν κακὰ, τὰ γὰρ μεγάλα ἀπὸ τούτων τίκτεται. Ὁ γὰρ καθ᾽ ἕκαστον ἁμάρτημα μαθὼν λέγειν, «οὐδὲν παρὰ τοῦτο_» κατὰ μικρὸν πάντα ἀπολεῖ, etc.; id est; «Parva fugiamus mala, magna enim ab his gignuntur. Qui enim in singulis peccatis novit dicere, *Quid tum postea? brevi omnia perdet.* Hoc enim malitiam introduxit, hoc portas latroni aperuit, hoc urbis muros dejecit, in singulis peccatis dicere, *Quid tum postea? Sicut in corporibus maximi augentur morbi, cum parva spernuntur.* Illud autem, *Quid tum postea? erat loquendi formula eorum, qui modica spernebant, quam videre est etiam apud S.* Isidorum Pelusiotam, epist. citata.» nihil oportet tanquam parvum sperni.

@ [Col. 0978D] *Qui enim spernit minima, etc.* In textu Graeco S. Basilii non citatur hic locus Ecclesiastici, sed alius ex cap. XIII Proverbiorum, hoc modo: Ὃς καταφρονῶν πράγματος, φησὶ, καταφρονηθήσεται ὑπ᾽ αὐτοῦ, id est, *qui* contemnit rem, inquit, *contemnetur ab ea.* In versione Septuaginta, habetur, ἐξ αὐτοῦ, id est, [Col. 0979C] *ex ea.* in communi: *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.* In quibusdam exemplaribus legitur, *regi,* pro *rei, sed male.* In textu Hebraeo: לדבר יחבל לו : *Baz ledavar iachavel lo, id est, «qui contemnit rem, obnoxius est ei,» nempe, ut det poenas ob contemptum.* Quidam exponunt: «Qui contemnit aliquid, corrumpetur propter ipsum.» *Qui* enim *spernit minima,* paulatim [Col. 0979A] defluit **(Eccl. XIX)**. Sed et quomodo quis audebit breve dicere aut parvum delictum, cum Apostolus dicat, manifesteque definiat, quia per praevaricationem legis Deus exhonoratur **(Rom. II)**. Sed et aculeus mortis peccatum esse dicitur: et non dixit tale peccatum, sed *omne peccatum* **(I Cor. XIII)**. Magis ergo immisericors est qui intermittit et negligit quam ille qui arguit: sicut is qui in morsu serpentis permittit delitescere venenum, quam ille qui educit et attrabit. Sed et charitatem destruit ille qui, secundum quod scriptum est, *parcens baculo odit filium:* qui autem diligit, diligenter corripit **(Prov. XIII)**.

§ XII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 16).

@ [Col. 0979C] *Si quis in aliquo levi, etc.* Exstat in Reg. S. Isidori edita, cap. 14. Si quis in aliquo levi delicto titubans oberraverit, [Col. 0979B] semel atque iterum admonendus est: qui si post secundam admonitionem a vitio nequaquam fuerit emendatus, congrua facti sui animadversione coerceatur. Peccantem nullus occultet: criminis est enim consensio post secundam admonitionem celare quempiam peccatorem.

@ [Col. 0979C] *Si quis saepius.* Hic incipit cap. 15 ejusdem Regulae editae. Si quis saepius peccantem viderit, prius hoc vel duobus demonstret fratribus, quorum testimonio possit convinci, si negaverit qui deliquit. Peccatum palam commissum palam est arguendum; ut dum manifeste peccans emendatur, hi qui eum in malo imitati sunt, corrigantur. Sicut enim unius delicto saepe multi pereunt, ita unius emendatione plerumque muli salvantur.

@ [Col. 0979C] *Qui verbo fratrem.* Hic incipit cap. 16 Regulae editae, ubi legitur: *Qui vero.* Rectius. Qui verbo in fratrem peccaverit, si saltem reminiscens ad veniam poscendum fuerit

@ [Col. 0979C] *Inclinatus.* Id est, ejus provolutus genibus. inclinatus, percipiat ab eo [Col. 0979C] indulgentiam, cui cognoscitur intulisse injuriam. Qui autem non petit, aut non ex animo postulat,

@ [Col. 0979D] *In collationem.* Collatio est consessus monachorum, in quo abbas monachos docet, et hortatur, fratrum culpae corriguntur, et ea quae sunt e re monasterii, tractantur. S. Isidorus cap. 7 Regulae: «Ad audiendum in collatione Patrem tribus in hebdomada vicibus fratres post celebrationem Tertiae dato signo ad collectam conveniant; audiant dicentem seniorem instruentem cunctos salutaribus praeceptis; audiant Patrem studio summo et silentio, intentionem animorum suorum suspiriis et gemitibus demonstrantes. Ipsa quoque collatio erit vel pro corrigendis vitiis instruendisque moribus, vel pro reliquis causis ad utilitatem coenobii pertinentibus.» Idem Isidorus, libr. II de Officiis eccl., cap. 15: «Item conveniunt singulis diebus interpositis, dum adhuc jejuni sunt, in collatione ad audiendum Patrem. Audiunt autem cum incredibili studio, summo silentio, affectuque animorum suorum singulis diebus interpositis.» Id est, alternis diebus, seu ter in hebdomade, ut in citato loco Regulae habetur. in collationem deductus juxta excessum injuriae, [Col. 0980A] congruae subjaceat disciplinae. Qui sibimet convicia objiciunt, si iterum invicem sibi celeriter laxando ignoscunt, hi jam ab alio judicandi non sunt: quia pariter sibi veniam dare festinaverunt: si tamen excedere in semetipsos frequentius non praesumant. Qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet, quam expetit. Oretur igitur pro eo qui confessus est. Si levis culpa est, postulata indulgentia praebeatur.

§ XIII.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 17).

@ [Col. 0980C] *Mendacem, etc.* Habetur in Reg. ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass., cap. 16, et in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiae. Ita in mendacem animadvertit S. Columbanus in Poenitentiali ms.: «Si dixerit mendacium nesciens, L verbera; sciens et audax, in pane et aqua.» Mendacem, furem, percussorem quoque et perjurum, quod Dei servum esse non decet, corripi primum a senioribus, verbis oportet, ut recedat a vitio. Post haec

@ [Col. 0980C] *Si nec sic emendare distulerit.* Ita in Reg. ms. Sed particulae, *nec sic, redundant.* Apud Smaragdum legitur: *Si nec sic emendaverit.* si [nec sic] emendare distulerit, tertio [Col. 0980B] coram fratribus convenietur; ut desistat tantisper errare. Si nec sic emendaverit, flagelletur acerrime,

@ [Col. 0980C] *Et trium mensium.* Olim determinatum erat excommunicationis tempus, de quo infra. et trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens sub poenitentiae districtione solus

@ [Col. 0980C] *Recludatur in cella.* Juxta antiquum morem, de quo infra. recludatur in cella

@ [Col. 0980D] *De vespere, etc.* Ita S. Isidorus, cap. 18 Regulae suae: «Certe si plurimorum dierum illata fuerit excommunicationis suspensio, sola panis et aquae in vespertinum erit adhibenda refectio.» de vespere in vesperi ex hordeacei panis sex unciis, et aquae mensura parvula sustentandus.

@ [Col. 0980D] *Ebriosus quis, etc.* Hunc locum ex S. Fructuosi verbis sic proferunt Burchardus libr. XIV, cap. 9, et Ivo Carnotensis, cap. 13. Decreti cap. 77: «Si quis ecclesiastica praeditus ordinatione, aut monachus, repertus fuerit ebriosus, in pane et

aqua, tribus mensibus poeniteat.» Ebriosus quis si repertus in coenobio fuerit, superiori sententiae subjacebit; sive is qui citra permissum abbatis, sive praepositi alicubi litteras destinaverit, vel ab alio destinatas acceperit.

§ XIV.---EX REGULA ORIENTALI.

Cum vero inventa fuerit culpa, ille qui culpabilis invenitur, corripiatur ab abbate secretius. Quod si non sufficit ad emendationem, corripiatur a paucis [Col. 0980C] senioribus. Quod si nec se emendaverit, castigetur in conspectu omnium. Quod si nec sic emendaverit,
@ [Col. 0980D] *Excommunicetur.* Excommunicatio haec non est illa major, quae divinis officiis, sacramentorum usu, etc., aliquem excludit. Nam postea pervicacem et contumacem majori excommunicatione ferit. Sed est quaedam excommunicatio improprie dicta, qua aliquis ad mensae communis participationem non admittitur. excommunicetur, et
@ [Col. 0980D] *Non manducet quidquam.* Nempe hora, qua fratres reficiunt: sed de his infra. non manducet quidquam: [Col. 0981A] cui si nec hoc profuerit, postremus inter omnes ordine ponatur. Quod si in pravitate perseverat, etiam
@ [Col. 0981C] *Psallendi facultas ei auferatur.* Id est, non imponat psalmum, aut antiphonam in choro, ut infra videtur. Nam hic non privatur officio divino: sed postea duntaxat, si ultra perseveret in malitia. psallendi facultas ei auferatur. Quem si vel haec confusio non commoverit, abstineat a conventu fratrum: ita ut nec mensae, nec
@ [Col. 0981C] *Missae.* Hoc loco missa sumitur tam pro sacrificio corporis et sanguinis Christi, quam pro cursu officii divini canonico, quibus arcetur qui majorem ex communicationem incurrit. missae intersit, neque cum eo ullus frater de junioribus colloquatur. Abstinebit autem tandiu, quandiu vel qualitas culpae poposcerit secundum abbatis vel seniorum arbitrium, vel se ex corde pro culpa poenitens humiliaverit, et veniam erroris sui omnibus praesentibus petierit.
@ [Col. 0981C] *Quod si in fratrem peccaverit, etc.* Ita S. Augustinus in epist. 109, et S. Caesarius infra a nostro auctore citatus. Quod si in fratrem peccaverit, etiam ab eo fratre veniam petat, cui injuriam fecit.

§ XV.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 19).
@ [Col. 0981C] *Si quis vero frater, etc.* Haec refert Smaragdus hoc capite, quae sane sumpta sunt ex Regula S. P. Benedicti. Si quis vero frater instigante diabolo contumax, vel superbus, seu inobediens, vel murmurans [Col. 0981B] apparuerit; vel etiam in quocunque casu lapsus seniorum praecepta vel sanctae Regulae normam violare tentaverit, hic secundum praeceptum Domini secreto a senioribus
@ [Col. 0981D] *Semel ab his.* Male, ut apud Smaragdum, apud quem legitur: *Semel verbis.* Sed legendum: *Semel ac bis, ut in codice Vindocinensi, juxta Regulam S.* Benedicti quam hic Pater sequitur; ubi habetur: *Admoneatur semel ac secundo secrete a senioribus suis.* semel ab his corripiatur **(Matth. XVIII)**. Si emendare noluerit, tunc simul ab omni congregatione objurgetur: et si sic emendare noluerit, tunc prout culpae magnitudo poposcerit, secundum Regulam judicetur, id est, aut excommunicationi subjaceat,
@ [Col. 0981D] *Si ejus antea intellectus viguit.* Id est, ut loquitur S. Benedictus. *Si intelligit*

qualis sit poena, nempe excommunicatio. si ejus antea intellectus viguit: aut si obstinatae et durae mentis tenacitas
@ [Col. 0981D] *Culpae.* Hoc vocabulum videtur redundare. Aut leg., *Et culpae improbitas.* culpae, et improbitas perseveret, tunc corporali disciplinae subjacebit.

§ XVI.---EX REGULA SANCTI CAESARII (cap. 31).
@ [Col. 0981D] *Lites nullas habeatis, etc.* Haec habentur in Regula S. Caesarii excusa, eodem cap. 31, et fere sumpta sunt ex epist. S. Augustini 109. Lites nullas habeatis, secundum illud Apostoli: [Col. 0981C] *Servum Dei non oportet litigare* **(II Tim. II)**. Et illud:
@ [Col. 0981D] *Abstine te a lite, etc.* Hic textus non est in Regula S. Caesarii edita. *Abstine te a lite, et minues peccata* **(Eccl. II, 8)**. Aut si fuerint, quam celerius minuantur, ne ira crescat in odium, et festuca convertatur in trabem, [Col. 0982A] et efficiatur anima homicida. Sic enim legitis: *Qui odit fratrem suum homicida est* **(I Joan. III)**. Et: *Levantes sanctas manus sine ira et disceptatione* (I Tim. II). Quicunque convicio, vel maledicto, vel etiam
@ [Col. 0981D] *Criminis objectu.* Ita in epist. S. Augustini citata, et in ejus Regula. In Regula excusa S. Caesarii legitur: *Crimine objecto.* criminis objectu laeserit fratrem suum,
@ [Col. 0982C] *Meminerit culpam satisfactione purgari.* Ita in Regula S. Caesarii excusa. In epist. S. Augustini ejusque Regula: *Meminerit quantocius satisfactione curare quod fecit.* meminerit culpam satisfactione purgare. Quod vitium si iterare praesumpserit, districtione severissima feriatur, usquequo per satisfactionem recipi mereatur. Juniores praecipue senioribus deferant.

§ XVII.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI.
@ [Col. 0982C] *Qui peccatum, etc.* Ex Poenitentiali ms. S. Columbani. Qui peccatum pudendum
@ [Col. 0982C] *Alicubi.* Lege, *Alicui, ut in citato Poenitentiali cod.* Flor. alicubi exprobrat,
@ [Col. 0982C] *Priusquam.* Lege, *Prius.* priusquam inter semetipsum solum [
@ [Col. 0982C] *Arguat.* Hoc verbum videtur redundare. arguat,] sicut Dominus dicit **(Matth. XVIII)**, corripiatur, donec exprobrato satisfaciat; et tribus diebus in pane et aqua poeniteat.

[Col. 0982B]

§ XVIII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 32).

Interrog.
@ [Col. 0982C] *Si oportet, etc.* Exstat apud S. Basilium inter. 47 Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 63. Si oportet peccantibus fratribus silere, et acquiescere?---*Resp.* Quia non oportet, manifestum est ex ipsius Domini praeceptis, quibus in Veteri quidem Testamento dicit:
@ [Col. 0982C] *Argue proximum tuum.* Levit. XIX: Ἐλεγμῷ ἐλέγξεις τὸν πλησίον σοῦ, etc., idest, «correptione corripies [Col. 0982D] proximum tuum.» In versione communi: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum;* nec habeas super illo

peccatum. *Argue proximum tuum, et non assumes ex eo peccatum* **(Lev. XIX)**. In Evangelio autem dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum, inter te et ipsum solum.* Si audierit te, lucratus es fratrem tuum: si vero non audierit, assume adhuc tecum alium unum, aut duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si autem et ipsos non audierit, dic Ecclesiae. Si vero nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus **(Matth. XVIII)**. Quantum sit

@ [Col. 0982D] *Crimen.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco, κρίμα, id est, judicium; rectius. crimen hujus peccati dignoscitur: primum quidem ex sententia Domini, [Col. 0982C] quae dicit:

@ [Col. 0982D] *Quia qui incredulus.* Τὸ *quia redundat:* nec exstat apud S. Basilium, nec apud Rufinum, nec in textu Evangelii. *Quia qui incredulus filio fuerit,* non

@ [Col. 0982D] *Habebit.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco S. Joannis est, ὄψεται, id est, videbit. *habebit*

@ [Col. 0982D] *Vitam aeternam.* Ita apud Rufinum; sed in textu Graeco Evangelii non est: αἰώνιον, id est, aeternam. *vitam aeternam;* sed ira Dei manet in eo. **(Joan. III)**. Tunc deinde ex historiis, quae in Veteri Testamento, sive Novo referuntur. Nam

@ [Col. 0982D] *Achar.* Ita in textu Graeco S. Basilii, ita apud S. Antiochum hom. 41: Ἄχαρ παραβάτης νόμου, id est, «Achar praevaricator legis.» et caeteros Patres Graecos, qui sequuntur Septuaginta interpretes, apud quos habetur Ἄχαρ. Apud Rufinum, et in Vulgata interpretatione est, *Achan, juxta textum Hebraicum Josu.* VII: עכן , *Achan.* Achar ille, [Col. 0983A] [qui] cum furatus esset regulam auream, super omnem populum, facta est ira Dei. Et quidem populus peccatum quod commiserat, ignorabat, usquequo

@ [Col. 0983C] *Manifestatum est.* Ita apud Rufinum. In nostra Concordia ms. *Manifestum est;* sed lege: *Manifestatus est.* Nam in textu Graeco legitur: Μέκρις ἐφανερώθη ὁ προειρημένος, id est, «usque dum praedictus manifestatus est,» nempe *Achar,* seu *Achan.* manifestatum est: et pertulit cum omni domo sua horrendum illum et famosissimum interitum **(Jos. VII)**. Sed et Heli sacerdos, et quidem cum non siluisset peccantibus filiis qui erant filii pestilentiae, imo et frequenter commonens et castigans dixit: *Nolite, filii, non bona audio de vobis, etc.* **(I Reg. II)**. Qui cum peccatum argueret, et Dei judicium commoneret, tamen quoniam non vindicavit, neque digno zelo Dei adversus eos motus est, in tantum iracundiam Dei provocavit, ut etiam universus populus cum filiis suis exstingueretur, et arca testamenti ab alienigenis raperetur, et ipse insuper omnibus subversis miseranda [Col. 0983B] morte corrueret. Quod si in populum ignorantem, vel de unius peccato, vel in patrem qui corripuerat et commonuerat filios pro peccato, tanta Dei ira incensa est, quid sperandum est de his qui cognoscunt aliorum delicta, et reticent, nec qualemcunque adhibent correptionem? Quos utique convenerat observare illud, quod Apostolus ad Corinthios dicit: *Quare non potius luctum habuistis, ut tolleretur e medio vestrum, qui hoc opus fecit* **(II Cor. V)**? et illud: *Ecce enim et hoc ipsum secundum Deum contristari quantam operatum est in nobis sollicitudinem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam* **(II Cor. VII)**? Unde et metuere debent, ne forte etiam nunc similem veteribus interitum sumant, hi qui similiter negligunt: [Col. 0983C] imo et tanto gravius, quanto spernere legem Christi perniciosius est quam legem Moysis. Et his competit illud aptari quod dixit: *Septies vindicatum est de Cain, de Lamech vero septuagies septies* **(Gen. II)**.

§ XIX.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 24).

@ [Col. 0983C] *Si post admonitionem, etc.* Haec habentur in epist. S. Augustini 109, et in ejusdem Regula, quae ex eadem epistola collecta est, cap. 23. Si post admonitionem iterum vel alio quocunque die id ipsum facere videritis, jam velut vulneratum [Col. 0984A] sanandum prodat, quicunque potuerit hoc invenire, prius tamen et alteri vel tertio

@ [Col. 0983C]

Hanc petulantiam oculi demonstratam. Lege: [Col. 0983D] *Hanc petulantiam oculi demonstret:* sed haec verba: *Hanc petulantiam oculi, sunt in praecedenti periodo tum epistolae, tum Regulae.* Itaque in Regula edita legitur: *Prius tamen vel alteri vel tertio demonstrandum.* Hic autem S. Augustinus petulantiam et lasciviam oculorum maxime proscribit, ob mala quae ex immoderato et lascivo aspectu manant: nam

Oculi sunt in amore duces. Pudorque, et verecundia cito effluunt, si libera sit oculis quocunque vagandi facultas: quibus ideo natura cilia, et palpebras tanquam virginibus vela providit, ut facile pudorem suum servent, eorumque [Col. 0984C] pupillas Graeci κόρας, id est, virgines appellarunt, ut notat S. Isidorus Pelusiota, libr. V, epist. 46 et 146; et S. Caesarius frater S. Gregorii Nazianzeni, Dial. 4, cum ait: Παρθενεύειν οὖν χρὴ τὰς κόρας ὀφθαλμῶν ἰσωνυμίαν τῶν παρθένων τετιμημένας, id est, «Oportet igitur pupillas oculorum virgines esse, quae idem nominis ornamentum sortitae sunt cum virginibus.» Si qui ergo aliquam pulchritudinem conspexerint, erubescant, vela trahant, in terram veluti matrem suam aspiciant, quae doceat eos οὐ μόνον τὴν ἡμετέραν φύσιν, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τὸ ὀφθὲν κάλλος ἐξ αὐτῆς ἤνθησε, καὶ εἰς αὐτὴν ὑποστρέψει μαρανθησόμηνον, id est, «non nostram modo naturam, sed et spectatam illam venustatem ex ipsa effluxisse, et rursus marcescentem in illam redituram,» inquit idem S. Isidorus epist. 146. hanc petulantiam oculi demonstratam, ut duorum vel trium possit ore convinci, et competenti [se] veritate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis.

@ [Col. 0984D] *Magis quippe innocentes non estis.* Idem ferme supra dixit S. Basilius, interr. 40 Regul. Brev. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, deperire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timeret

@ [Col. 0984D] *Sanari.* Lege: *secari, ut in epist.* S. Augustini. sanari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo magis debes manifestare, ne

@ [Col. 0984D] *Perniciosius.* Ita in epist. S. Augustini et apud Smaragdum. In Regula legitur, *deterius.* perniciosius putrescat in corde. Sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, prius praeposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi: ne forte possit secretius correptus [Col. 0984B] non innotescere caeteris. Si autem negaverit, tunc

@ [Col. 0984D] *Nescienti.* Lege *neganti, ut in ep.* S. Augustini, Regula, et apud Smaragdum. nescienti adhibendi sunt alii; ut jam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed a duobus et tribus convinci. Convictus vero secundum praepositi, vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictam: quam si ferre non curaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer: ne contagione pestifera plurimos

perdat.

§ XX.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 36).

Si quis alterum viderit illicitum quidquam vel sermone vel opere facientem, et priori distulerit publicare, cognoscat se esse nutriorem peccati, et [Col. 0984C] per omnia aequalem peccanti: quia et animae suae et illi est quem tegit durissimus inimicus. Ex hoc apud Deum, qui mala odit, et apud cunctam fraternitatem exsecrabilis, et infidelis habebitur: quia per abundantiam malitiae noluit prodere, ut corrigere posset errantem: et odio disciplinae dilexit malitiam; et astitit omni viae non bonae.

CAPUT XXXI. QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS.

[Col. 0985A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 0985B] *Secundum modum culpae, etc.* Hoc caput profertur ab Ivone Carnotensi, p. 13 Decreti, cap. 73. Secundum modum culpae excommunicationis vel
@ [Col. 0985B] *Disciplinae.* Id est, vindictae, supplicii. disciplinae debet extendi mensura.
@ [Col. 0985B] *Qui culparum modus in abbatis pendet judicio.* Nam in qualibet culpa et in ejus animadversione multa sunt consideranda: rei gravitas aut levitas, aliaeque ejus circumstantiae; personae aetas et conditio; si senex, si puer, si adolescens, si juvenis, si robustus, aut debilis. Nam eadem poena, ob idem peccatum inflicta, juveni et robusto erit facilis et tolerabilis, quae seni et imbecillo difficilis erit admodum et vix tolerabilis; et robustus punietur juxta modum culpae, imbecillus vero ultra modum. Considerandum est etiam si servus, si ingenuus, si vili loco, si honesto, vel nobili natus, si levis, si petulans, si humilis aut superbus, etc. Qui culparum modus in abbatis pendet judicio. Si quis tamen frater
@ [Col. 0985B] *In levioribus culpis.* In Decreto Ivonis, cap. supra citato, additur τὸ *culpabilis.* in levioribus culpis invenitur
@ [Col. 0985C] *A mensae participatione privetur.* Ejusmodi exclusio a mensa ob delicta videtur etiam in Regula S. Caesarii, cap. 11: «Quae aliquid ex his quae jubentur implere noluerit, a communione orationis, vel a mensa secundum qualitatem culpae sequestrabitur.» Dicit, *secundum qualitatem culpae;* ut sit in graviori, *a communione orationis;* in leviori, *a mensa sequestratio.* Haec autem privatio a mensa communi (ita enim intelligendum est) in Regula S. Benedicti nullam prorsus excommunicationem involvit, ne quidem minorem illam theologorum qua quis excluditur participatione sacramentorum et quibusdam aliis, sed est tantum quaedam poena quae ob leves culpas infligitur. a mensae participatione privetur. Privati autem a mensae consortio ista erit ratio,
@ [Col. 0985C] *Ut in oratorio psalmum vel antiphonam non imponat.* Ac proinde missam conventualem, ut vocant, non celebret. Potest tamen privatam celebrare. Quia haec poena non prohibet monachum sacramentorum perceptione, cum nullo modo fit excommunicatio. ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat, neque lectionem

recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus percipiat, ut

@ [Col. 0985D] *Si fratres hora sexta, etc.* Ita Magister in Regula ms.: «Si fratres sexta reficiant, ille ad horam nonam.» si, verbi gratia, fratres sexta hora, ille frater nona;

@ [Col. 0985D] *Si fratres nona, etc.* Idem statuit Magister in Regula ms.: «Si inculpabiles fratres hora nona reficiant, illius supradicti refectio protrahatur in vesperam.» si fratres nona, ille frater vespera, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 4).[Col. 0985B]

@ [Col. 0985D] *Si quis autem, etc.* Haec habentur in prima Regula Patrum ms. cod. Flor., cujus initium est: *Cum resideremus in unum in nomine Domini nostri, etc.* Quae etiam exstat in vetusto codice ms. bibliothecae Corbeiensis, cujus titulus est, *Incipiunt statuta Patrum.* [Col. 986B] Initium vero: *Residentibus nobis in unum in nomine Domini nostri.* Hoc etiam capitulum exstat in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiae edito Coloniae. Si quis autem murmuraverit vel contentiosus [Col. 0986A] exstiterit, aut opponens

@ [Col. 0986B] *In alio.* Ita in cod. Flor. Sed lege, *in aliquo, ut in cod.* Corbeiensi. In libello CXIV Sententiarum legitur, *in aliqua contraria voluntate.* Male. in alio contrariam voluntatem praeceptis, digne correptus tandiu

@ [Col. 0986B] *Abstineat.* Lege *abstineatur, ut in cod Flor.* et Corb. et in lib. CXIV Sent., id est excommunicetur. Nam abstinere, et abstinere communicatione, idem est ac excommunicare, ut patet ex epist. Caldonii, quae est 39 inter epist. S. Cypriani: *Item abstinuimus Sophronium;* et supra: *Abstinuimus communicatione Felicissimum.* Et excommunicatus dicitur *abstentus.* S. Cyprianus epist. 38: *ut abstentum se a nobis sciat.* Et epist. 55. abstineat, quandiu vel culpae qualitas poposcerit, vel se poenitendo humiliaverit, vel emendaverit. Correptus autem

@ [Col. 0986B] *Non audeat usquam procedere.* Nempe a loco sibi assignato ab abbate, ubi poenitentiam agat. Sed lege *uspiam.* non audeat usquam recedere.

§ III.---EX PRAECEPTIS ET INSTITUTIS SANCTI PACHOMII (cap. 8).

@ [Col. 0986C] *Si quis tulerit, etc.* Exstat in Regula sancti Pachomii excusa, art. 121. Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus 5, et aget poenitentiam publice

@ [Col. 0986C] *In collecta.* Collecta in Regula S. Pachomii est synaxis officii divini. Estque duplex: major, cum omnes fratres simul congregati officium divinum persolvebant in oratorio; minor, quae in singulis classibus seu domibus a fratribus ejusdem classis seu domus in ipsis domibus fiebat. Art. 107 Regulae S. Pachomii:» Sex orationes facient vespertinas juxta exemplum majoris collectae, in qua omnes fratres pariter congregantur.» Art. 126: «Per domos singulas vesperi orationes psalmosque complebunt juxta ordinem majoris collectae, quae a cunctis fratribus in commune celebratur.» Sumitur etiam collecta pro collatione, de qua supra actum est. Eadem Regula, cap. 113: «Quomodo collecta fieri debeat, et fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei juxta praecepta majorum et doctrinam sanctarum Scripturarum.» in collecta, stabitque

@ [Col. 0986D] *In loco vescendi.* Id est, in refectorio, ut art. 2 ejusdem Regulae: «Et vescendi loco, ordine corripietur.» Sed hic locus corruptus est, et legendum: *Ordine monasterii, etc.,* ut art. 104, *monasterii ordine increpabitur.* Et art. 93: «Corripietur

ordine monasterii, donec corrigatur.» Id est, juxta ordinationes et statuta monasterii. in vescendi loco.

§ IV.---*Item ejusdem* (art. 3).

Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens et contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ V.---*Ex libro Institutionum.* [Col. 0986B]

@ [Col. 0986D] *Si quis gillonem, etc.* Haec sunt apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 16, ex quo multa exscripsit S. Columbanus sub finem sui Poenitentialis, et S. Isidorus cap. 17 suae Regulae. Si quis igitur

@ [Col. 0986D] *Gillonem.* Gillo seu gello est aquale. Glossae veteres: ποδόκοιλον, *aquale, gello.* Mentio fit in glossis Isidori mox citandis, et in Catalectis.

Augustum penitus torret PhaŰthontius ardor

Quem recreat fessum gillo, facella, melo. Hinc gillonarii lib. II legis Wisigothorum, tit. 4, l. 4, qui gillonum curam habent. gillonem fictilem, quem illi [Col. 0987A]

@ [Col. 0987B] *Baucalem.* Glossae Isidori: *Baucalem, gillonem.* Eaedem glossae: *Gillonem, baucalem.* Glossae Benedicti: [Col. 0987C] *Gillo,* βαυκάλιον. Mentio fit apud Joannem Moschum, cap. 19 Prati spiritalis: Δός μοι ὀλίγον ὕδωρ κἀἰγώ ἐξενέγκας τὸ βαυκάλιόν μου δέδωκα αὐτῷ, id est, «Da mihi pauxillum aquae. Et ego afferens baucalem meum dedi ei.» baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam quam publica diluet poenitentia; cunctisque in synaxi fratribus congregatis tandiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus veniam, cum jussus fuerit abbatis judicio solo surgere. Eodem modo satisfaciat quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam tardius accesserit, aut si decantans psalmum vel modicum titubaverit; similiter si superflue, si durius, si contumacius responderit; si vel leviter murmuraverit; si negligentius obsequia injuncta compleverit; si lectionem operi vel obedientiae praeferens, officia statuta segnius fuerit exsecutus; si dimissa synaxi non concitam ad cellam recurrere festinaverit; [Col. 0987B] si cum aliquo vel ad modicum substiterit; si ad punctum temporis uspiam recesserit;

@ [Col. 0987C] *Si alterius tenuerit manum.* Optima institutio. Nam ejusmodi attrectationes fomitem libidini subministrant; quas etiam vetat S. Pachomius art. 53 suae Regulae: «Manum alterius nemo teneat; sive ambulaverit, sive sederit, aut steterit, uno cubito distet ab altero. si alterius manum tenuerit; si cum illo qui cellae suae cohabitator non est, confabulari quantulumcunque praesumpserit; si oraverit cum illo qui ab oratione suspensus; si parentum quempiam vel amicorum saecularium viderit, vel collocutus eis sine suo seniore fuerit; [Col. 0988A] si epistolam cujuscunque suscipere vel rescribere sine suo abbate tentaverit. Hucusque et in hujusmodi ac similibus admissis procedit animadversio spiritalis. Residua vero apud nos indifferenter admissa a nobis quoque reprehensibilius sustinentur. Id est, aperta vitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidae, libera et effrenata processio,

@ [Col. 0987C] *Familiaritas apud feminas.* Hanc cum mulieribus familiaritatem etiam inter gravia monachorum peccata recenset S. Isidorus, cap. 17 Regulae suae: «Graviori autem culpae obnoxius est si temulentus quisquam fuerit, si discors, si turpiloquus, si

feminarum familiaris.» Quod sane attentius considerent nonnulli monachi, qui nescio quo praetextu familiariter cum mulieribus confabulantur. Ex quo sane se omni [Col. 0987D] pudore et verecundia vacuos esse manifestant. Nam, ut ait praeclare Tertullianus, lib. de velandis Virginibus: «Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quam sanctae virginis, si a viro visa est.» Quam labem monasteriis attulerit pruriens haec cum mulierculis colloquendi impetigo, horrendum dictu est. Nec mirum. Nam, ut scribit S. Basilius, lib. de vera Virginitate: Μάλαγμα ἡδονῆς ἀῤῥενι θῆλυ. Id est, «Viro mulier est voluptatis illex.» Et, ut recte monet S. Leander, lib. de Institutione virginum: «Dispar sexus in unum locatus eo titillatur instinctu, quo nascitur et naturalis movetur flamma, si incomposita attigerit. Quis colligavit ignem in sinu suo, et non comburetur? ignis et stupa sibi utraque contraria in unum redacta flammas nutriunt: viri sexus et feminae diversus si conjungitur, quo lex naturae provocat, commovetur.» Unde poeta:

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina. . . . . [Col. 0988B] Et sapienter admodum sanctus Antiochus, homil. 17: Ὥσπερ γὰρ τὴν τοῦ λύχνου λαμπάδα τρέφει ἔλαιον, οὕτω καὶ τὸν τῆς ἡδονῆς πύρσον ἐξάπτει ἡ γυναικὸς σοντυχία. Id est, «Quemadmodum lucernae fulgorem oleum nutrit, ita facem libidinis accendit mulieris conversatio.» Quod si ita est, quanto periculo objicit animam is qui frequens adesse mulierum affatibus non pertimescit? familiaritas apud feminas, irae, rixae,

@ [Col. 0988B] *Simulationes.* Lege, *simultates, ut apud Cassianum.* Et hic est synonymia. simulationes et jurgia, operis peculiaris praesumptio, philargyriae contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quae a caeteris fratribus non habentur; extraordinaria ac furtiva cibi refectio. Haec et his similia non illa

@ [Col. 0988C] *Increpatio spiritalis.* Hoc loco increpatio spiritalis est qua monachus palam humiliatur et pudore offunditur, quod fit publica poenitentia, prostratione, rectoris objurgatione et similibus. increpatione, quam diximus, spiritali, sed vel plagis emendantur, vel

@ [Col. 0988C] *Expulsione purgentur.* Expulsio ista erat tantum ad certos quosdam dies, in quibus monachus cogebatur ante fores monasterii manere separatus a consortio fratrum, ad sui purgationem. Quae quidem ad purgationem non valeret, si esset omnimoda rejectio. Id etiam planum est ex Regula S. Pachomii, art. 87: «Qui habet pessimam consuetudinem ut fratres suos sermone sollicitet, et pervertat animas simpliciorum; tertio commonebitur: si contempserit et obstinato animo in duritia perseveraverit, separabunt eum extra monasterium, et verberabitur ante fores, dabuntque ei ad vescendum foris panem et aquam, donec mundetur a sordibus.» Juxta codicem nostrae Concordiae, ut supra notatum est. Et [Col. 0988D] art. 121 ejusdem Regulae: «Si autem in furto fuerit deprehensus triginta novem (plagis) verberabunt eum, et foris dabunt ei edere panem et aquam tantum,» etc. Id etiam clarum est ex Poenitentiali ms. S. Columbani: «Qui transgreditur Regulam jussionis vel disciplinae generalis, maneat expulsus sine cibo, ut in crastinum recipiatur.» Et ita capiendi sunt duo loci ejusdem Poenitentialis: «Qui vero praepositum suum despexerit, aut Regulam blasphemaverit, foras repellendus est, nisi ipse dicat: Poenitet me quod feci.» Et paulo post: «Verbosusque taciturnitate damnandus est, inquietus mansuetudine, gulosus jejunio, somnolentus vigilia, superbus carcere, destitutor repulsione.» expulsione purgantur.

§ VI.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 70).[Col. 0988B]

Interrog.
@ [Col. 0988D] *Si injunctum fuerit, etc.* Habetur apud S. Basilium interr. 38 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 42. Si injunctum fuit aliquid fratri et contradixerit, postea autem sponte
@ [Col. 0988D] *Abierit.* Ad faciendum opus injunctum. abierit, quid est?---*Resp.* In eo quod contradixit, quasi non obtemperans judicandus est, et velut caeteros ad simile concitans malum. In quo sciat se illi sententiae obnoxium quae dixit:
@ [Col. 0988D] *Contradictiones, etc.* Prov. XVII juxta Septuaginta. [Col. 0989C] In versione communi paulo aliter: *Semper jurgia quaerit malus:* angelus autem crudelis mittetur contra eum, juxta textum Hebraicum. *Contradictiones suscitat omnis malus:* Dominus autem [Col. 0989A] angelum immisericordem
@ [Col. 0989C] *Immittit.* Ita apud S. Basilium, ἐπιπέμπει, in praesenti; apud Septuaginta ἔκπεμψει, in futuro. *immittit ei* **(Prov. XVII)**. Cum autem certum sit quia non homini obtemperat, sed Domino dicenti, *Qui audit vos, me audit;* et qui vos spernit, me spernit **(Luc. X)**. Si compunctus est recordatione mandati, prius satisfaciat; et ita (si permittitur) impleat quod injunctum est.

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 71).

Interrog.
@ [Col. 0989C] *Si obediens, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. sequ. et apud Rufinum cap. eodem. Si obediens quis murmuret?---*Resp.* Apostolo dicente: *Omnia facite sine murmuratione et haesitationibus* **(Phil. II)**.
@ [Col. 0989C] *Alienus sit.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco legitur, ἀπηλλοτρίωται. Sed legendum puto: ἀπαλλοτρίουσθω, id est, abalienetur, vel alienus sit, juxta nostram emendationem. Nam hic poena decernitur in murmurantem, nempe a fratrum societate separatio. Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat; et opus ejus abjiciatur. Manifestum est enim, ille qualis est, quia infidelitate aegrotat, certam futurae spei fiduciam non gerit.

§ VIII.---*Item ejusdem*
@ [Col. 0989C] Non exstat apud S. Basil. nec apud Rufinum. (cap. 194).

Interrog. Qualibus correptionibus uti oportet inter [Col. 0989B] fratres ad emendationem eorum qui delinquunt?---*Resp.* Hoc sit in judicio eorum qui praesunt, vel quali modo corripi debeant: quia et aetas et eruditio multam habere facit differentiam poenae.

§ IX.---EX REGULA SANCTI ISIDORI EPISCOPI (cap. 17).
@ [Col. 0989C] *Delicta autem, etc.* Haec reperire est in Regula edita S. Isidori, cap. 17; sed fere sumpta sunt ex capite [Col. 0989D] supra citato Cassiani. Delicta autem levia sunt, aut gravia. Levioris culpae reus est, qui otiosus esse dilexerit; qui ad officium vel collationem, vel ad mensam tardius venerit,
@ [Col. 0989D] *Qui in choro riserit.* Hunc in choro risum ita coercendum censuit S. Pachomius art. 1 Regulae suae: «Si acciderit, ut psallendi tempore, vel orandi, aut in

medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat; solvet cingulum, et inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint.» Adversus eos qui in ecclesia rident, invenitur S. Joannes Chrysostomus serm. 15 in epist. ad Hebraeos. qui, in choro riserit,

@ [Col. 0989D] *Fabulisque vacaverit.* Quam sit utile in ecclesia tacere, at contra quam sit indignum omni homine Christiano et sancto vacare ibi fabulis, praeclare docet S. Ambrosius, lib. III de Virginibus: «Maxima est virtus tacendi, praesertim in ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas;» et paulo post: «An [Col. 0990C] quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur: circumsonari sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferant? Unde illud exemplum proditur. Alexandro sacrificante Macedonum rege puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito poenam indicasse fletu **(Val. Max. l. III, cap. 3)**. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiae, ut naturam vinceret; atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui si idem ignis contigisset, arsissent?» Et paulo post: «Frequens sermo est cum plurima ranarum murmura religiosae auribus [Col. 0990D] plebis obstreperent, sacerdotem Dei praecepisse, ut conticescerent, ac reverentiam sacrae deferrent orationi: tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reverentiam recognoscit quod per naturam ignorat: hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati?» fabulisque vacaverit; qui, relicto officio vel opere extra necessitatis causam, foris discesserit; qui torporem, aut somnum amaverit; qui saepius juraverit; qui multiloquus fuerit, qui ministerium cujuslibet operis injunctum sibi sine benedictione susceperit, ac peracto opere benedictionem minime postulaverit; qui [Col. 0989C] injunctum opus negligenter, vel tardius expleverit; [Col. 0990A] qui casu vas aliquod fregerit; qui damnum rei parvae intulerit;

@ [Col. 0990D] *Qui codice negligenter usus fuerit.* Ita in Regula excusa, sed apud Smaragdum corrupte legitur: *Qui quotidie negligenter visus fuerit.* qui codice negligenter usus fuerit; qui alicubi ad momentum secesserit; qui litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, vel epistolam suscipiens occultaverit, sine abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum seu saecularium sine jussu senioris aut viderit, aut cum eo locutus fuerit; qui seniori inobediens fuerit; qui contumaciter seniori responderit; qui erga seniorem linguam non represserit, qui lascivus in lingua fuerit; qui inhoneste incesserit;

@ [Col. 0990D] *Qui jocaverit.* Joca et facetiae monacho vitanda sunt. Oportet enim eum esse γλυκὺν ἐν ταῖς ὁμιλίαις, οὐ διὰ τῆς εὐτραπελίας τὸ ἡδύ θηρώμενον, id est, «suavem in conversatione, nec facetosis sermonibus jucunditatem venari,» inquit S. Basilius epist. ad S. Gregorium Theologum. Vide supra ad caput de Taciturnitate. qui jocaverit, qui satis riserit; qui cum excommunicato locutus fuerit; oraverit, comederit; qui illusionem nocturnam Patri non patefecerit. Haec igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt.[Col. 0990B]

Gravioris autem culpae obnoxius est, si turbulentus quisque sit, si discors, si

turpiloquus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altae et erectae cervicis, si mente tumidus, si jactanti incessu immoderatus, si detractor, susurro, vel invidus, si praesumptor rei peculiaris, si pecuniae contagio implicatur, si aliquid praeter regularem dispensationem superfluum possideat, si fraudator rei acceptae vel commissae sibi, aut minus commissae, inter haec si se de rebus secum allatis extulerit,

@ [Col. 0990D] *Vel de eis.* Sibi ablatis. vel de eis per inobedientiam murmuraverit, si rei majoris damnum intulerit, si furatus fuerit, si perjuraverit, si falsum dixerit, si contentiones et rixas amaverit, si manifestum convitium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine [Col. 0990C] maculaverit, si contumaci animo seniorem despexerit, [Col. 0991A] si rancorem adversus fratrem tenuerit, si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit, si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit, si alicubi extra consultum praepositi vel abbatis discedens medio die, vel amplius commoratus fuerit, si, ut otiosus sit, falsam infirmitatem praetenderit. Haec et similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione

@ [Col. 0991C] *Purganda sunt.* In Regula excusa additur: *Et flagellis emendanda.* purganda sunt; ut qui graviter peccare noscuntur, acriori severitate coerceantur.

§ X.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 15).

@ [Col. 0991C] *Clamosum, etc.* Habetur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crassensis, et in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiae, usque ad illa verba: *Crebraque curiositate, etc.* Clamosum autem esse monachum turpe est admodum. Nam rusticitatis est symbolum μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαλεῖν, id est, alta voce loqui, inquit Theophrastus, [Col. 0991D] charactere de rusticitate. Unde apud Plautum initio Mostellariae clamosus sic objurgatur.

Quid tibi malum, hic ante aedes clamitatio est? An ruri censes te esse? Abscede ab aedibus. Abi rus, abi directe. . . . . Clamosum in locutione monachum, aut iracundum, ridiculosum, subsanatorem sive detractorem esse non decet. Qui ejusmodi est, et saepe castigatus, non [Col. 0991B] fuerit emendatus, flagellis verberibusque curandus est, et acriter emendandus, crebraque curiositate et industria reducendus. Lascivus, petulans et superbus saepius suspendatur a cibo, et biduanis sive triduanis maceretur inediis, operisque adjectione conficiatur: sermone et colloquio castigetur. Si ista perpessus saepe, minime fuerit correctus, plagis emendetur instantius, reclusionibus diutinae coarctetur angustiis,

@ [Col. 0991D] *Brevissime.* Ita in Regula ms., id est parcissime. Vel certe legendum, *brevissimi? brevissime panis et aquae esu sustentandus, donec se spondeat a vitio recessurum.* Inobedientem, murmuratorem, contradictorem, sive furtivis comestionibus atque

@ [Col. 0991D] *Bibitionibus.* Id est, potationibus. Hoc vocabulo utitur S. Caesarius archiepiscopus Arelatensis, serm. 6. «Nam qui de choro psallentium it ad comessationes inhonestas, bibitionesque furtivas.» bibitionibus vacantem supra scripta coercebit sententia: et in omnibus omnino monachorum

@ [Col. 0991D] *Excessionibus.* Id est, excessibus. excessionibus congrua animadversio

adhibenda est secundum abbatis et seniorum [Col. 0991C] judicium conveniens negligentiae, aetati, sive personae. Eritque summa discretione providendum, ne gravia pro levibus inferantur; aut e contrario pro maximis levis et parva ultio erogetur. Mensura namque et pondere aequo justitiaque pia et miseratione continua Pater vel praepositus debet excellere: ut sic vulnus curet aegroti, quatenus salutem et non [Col. 0992A] debilitatem inferat membris:
@ [Col. 0991D] *Quia sicut subditorum vitia, etc.* Nota. Subditi hic a praelatis judicantur: sed praelati a Deo severius quidem, nempe in illo severissimo et districtissimo judicio judicandi sunt. quia sicut subditorum vitia per praepositos, ita et praepositorum negligentias per semetipsum Deus judicabit.

§ XI.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 19).

Excommunicationis mensura qualis esse debeat, justum scientibus librare judicium
@ [Col. 0991D] *Culpae modus.* Id est, culpae ratio, scilicet gravitas, aut levitas, aliaeque circumstantiae. culpae modus ostendit. Levioribus enim culpis levior est adhibenda correptio; gravioribus vero
@ [Col. 0991D] *Ferventior.* Id est, asperior, acerbior. ferventior exhibenda damnatio. Proinde abbatis studio pensandum est, ut si aliquis frater in levioribus inveniatur obnoxius culpis, usque
@ [Col. 0992C] *Ad indictam sibi horam.* Indicta hora est, ut si fratres sexta, ille nona, ille vespere reficiat. ad indictam sibi horam mensa privetur: de gravioribus vero seu dierum vel mensium definitio in longius protracta correptione
@ [Col. 0992C] *Finiatur.* Id est, determinetur. finiatur.
@ [Col. 0992C] *Ea tamen Regula.* Supp. *servata.* Haec autem spectant ad leves culpas, quorum poenam diffinit, mox de gravioribus acturus. Et sensus est: quemadmodum ob leves culpas excommunicatus suo loco in mensa privatur, ita in ecclesia segregetur, et nullum psalmum cantet: si tamen ejusmodi excommunicatio [Col. 0992D] excesserit septem dierum spatium. Ea tamen Regula, ut si amplius quam septem dierum spatium excommunicationis percurrerit: quandiu [Col. 0992B] poenitentiae sub statuto tempore ordo retentus fuerit
@ [Col. 0992D] *Sicut a mensa.* Legendum videtur, *sicut in mensa.* sicut a mensa suo loco privatur; ita et in ecclesia segregetur: ut
@ [Col. 0992D] *In loco in quo antea fuerat.* Non tamen sequitur, ut in alio loco psalmum cantet. in loco, in quo antea fuit, nec psalmum
@ [Col. 0992D] *Cantet.* S. Benedictus dicit, *imponat.* Ex quo patet idem esse imponere, ac cantare. Sed de hoc verbo infra. cantet, nec ullum ordinem teneat; usque dum satisfactione humili cum cordis contritione ab abbate vel a senioribus veniam mereatur. Excommunicatus vero frater qui culpis gravioribus existentibus aut cellula recluditur, aut consortio congregationis separatur, a nullo penitus aut
@ [Col. 0992D] *Colloquia, etc.* Archaismus. Nam olim verbum *fruor, accusativo jungebatur.* colloquia, aut visitationis munus fruatur: nisi tantummodo cui praeceptum ab abbate fuerit. Si quis transgressus hanc regulam fuerit, regulari poenitentiae subjacebit.

§ XII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 30).

Superbis inobedientibusque, et iracundiam protrahentibus [Col. 0992C] nunquam parcendum, donec corrigantur.

§ XIII.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 22).

Ut convitium vel maledictum ex ore monachi non procedat; neque lingua in impatientiae excitationes soluta effrenatum quid ministret ostiis labiorum; sed commotus ira, (
@ [Col. 0992D] *Ut est humanitatis.* Id est, ut est infirmitatis et imbecillitatis humanae. Phaedrus lib. III Fab.

Humanitati qui se non accommodat, Plerumque poenas oppetit superbiae. Sic *humanum, apud Terentium in Heautontim.,* act. I, sc. I:

Homo sum, humani a me nihil alienum puto. Ut humanum factum, humanus error, ex humana fragilitate manans. ut est humanitatis) dicat: *Pone, Domine, custodiam ori meo,* et ostium circumstantiae [Col. 0993A] labiis meis **(Psal. CXL)**. Adjungat et illud: *Dixi, Custodiam vias meas;* ut non delinquam in lingua mea **(Psal. XXXVIII)**. Habens illud Apostoli ante oculos suos: *Quia neque maledici regnum Dei possidebunt* **(Cor. VI)**. Si quis ergo his indomitus mente proruperit,
@ [Col. 0993C] *Triginta diebus, etc.* Haec fuit olim usitata a priscis illis Patribus excommunicationis ratio, quae certo dierum, aut mensium, aut annorum numero diffinitur pro delictorum modo, et ratione S. Fructuosus episcopus Bracarensis, cap. 17 Regulae: «Si nec sic se emendaverit, flagelletur acerrime, et trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens sub poenitentiae districtione solus recludatur in cella.» S. Isidorus, cap. 17 Regulae: «Haec igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt.» Et cap. 18: «Si excommunicatio biduana fuerit, excommunicato nihil alimenti tribuendum est.» Concilium Epaonense, can. 34: «Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione biennii confusionem sanguinis expiabit.» Concilium Eliberitinum, can. 55: «Sacerdotes si tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis praestant, placuit post biennium accipere communionem.» Concilium Agathense can. 62: «Si quis proprium [Col. 0993D] servum sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione, vel poenitentia biennii reatum emendabit.» Et can. seq.: «Triennio a communione priventur Ecclesiae.» Aurelianense III, can. 4: «Quod si quilibet antistitum, vel clericorum quod supra scriptum est, vitare voluerit, triennii excommunicatione multetur.» Concilium Turonense II, can. 20: «Nam si inventus fuerit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur.» Concilium Nicaenum, can. 11 et multis aliis. Ancyranum, can. IV. S. Basilius, epist. 3 ad Amphilochium, can. 58: Ὁ μοιχεύσας ἐν ιέ ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγασμάτων, id est, «Moechus quindecim annis a sacramentorum communione arcebitur.» Et multis aliis locis. triginta diebus ab omnium fratrum colloquio habeatur alienus, donec agnoscens se
@ [Col. 0993D] *Tantummodo.* Videntur deesse haec verba, *ob id, vel similia.* tantummodo

in congregatione
@ [Col. 0994C] *Solitudinem.* Solitudo hoc loco est a fratrum societate separatio. solitudinem incurrisse, veniam eligat postulare.

§ XIV.---EJUSDEM (cap. 29).

Ad illos qui post correctionem impugnantes judicia seniorum nituntur excusare peccatum, et non ad poenitentiam recordatione delicti, sed ad duritiam indignationis nimium migraverint;
@ [Col. 0994C] *Respice istam sententiam.* Legendum videtur: *Respicit ista sententia.* respice istam sententiam: ut
@ [Col. 0994C] *Quandiu.* Id est, *donec.* S. Caesarius in Recapitulatione: «Quandiu dignam poenitentiam agens humiliter veniam petat.» quandiu a proposita intentione revocentur, [Col. 0993B] et
@ [Col. 0994C] *Cum ore mentis.* Locus corruptus. Lege *tumorem mentis, ut in cod.* Vindocinensi. cum ore mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduae omnino subjaceant disciplinae: quia non dixerunt: *Peccatum meum ego cognosco;* sed dixerunt, quod
@ [Col. 0994C] *In Isaia.* Ita in cod Vind. Sed hic locus exstat, non in Isaia, sed Jeremiae cap. XVIII. in Isaia propheta de rebellibus legitur: *Nullus est qui agat poenitentiam super peccatum suum, dicens:* Quid feci? Illi namque se prioribus anteponunt, et aliorum loca non erubescunt elationis vitio invadere, ac praeceptis Dominicis contradicunt, quibus ita jubemur: *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister* **(Matth. XX)**; *et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* **(Marc. X)**. Abbatis vel etiam reliquorum increpatione confusi ad locum proprium quem reliquerant revocentur: quos ad majorem gradum tardius decernimus [Col. 0994A] promoveri, ne, addita dignitate, radicata in eis praesumptio praevalescat.

§ XV.---*Item ejusdem* (ex eodem capite).

Illos igitur monachos quos vel unius diei finis discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium quam sol eognoscat occasum **(Eph. IV)**, qui
@ [Col. 0994C] *Dicenti Apostolo.* Nempe ut *sol non occidat super iracundiam nostram;* cui non obtemperant ii qui solis occasum non praeveniunt, ut cum fratribus in gratiam redeant. dicenti Apostolo per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. Quibus post longum
@ [Col. 0994C] *Scandalum.* Scandalum est rixa, jurgium, dissensio, pugna, ut supra notatum est. S. Gregorius Turonensis, lib. V. Hist., cap. 10: «Nam hi perpetrato scelere ad Burdegalensem civitatem venientes, orto scandalo, unus alterum interemit.» Et lib. X, [Col. 0994D] cap. 15, agens de illa seditione exorta inter sanctimoniales coenobii S. Radegundis: «Cum autem scandalum quod serente diabolo in monasterio Pictavensi ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem consurgeret.» Id etiam patet ex psalmo CXVIII, cap. 21, *pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Ubi *pax et scandalum opponuntur.* Unde Apollinarius in Metaphrasi, ubi Septuaginta

scribunt σκάνδαλον, posuit νεῖκος, id est contentio, rixa.

.....Οὐδε τι νεῖκος ἔχουσι. Id est, «neque aliquam rixam habent.» scandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas charitatis admittat: sed sit eorum reconciliatio publica, quorum fit discordia manifesta. Fratribus ergo cunctis astantibus veniam invicem postulent, quia uterque reus [Col. 0994B] diuturna simultate notatur, dum unus indulgentiam petere destitit, aut alter rogari desiderans non dimisit. Et ideo impius mansit impoenitens: hic damnandus posterum, ille post culpam. Propterea offensus iste iram in contemptu Evangelii non retineat, sed cito ad illud recurrat
@ [Col. 0994D] *Exemplum.* Id est, testimonium, auctoritatem, ut etiam paulo post dixit: *hujuscemodi exemplo, etc.* exemplum: *Dimittite, et dimittetur vobis* **(Luc. VI)**. Et illud Apostoli: *Induite vos*
@ [Col. 0994D] *Sicut electi Dei.* Omissa est vox *sancti, quae haec verba sequitur. sicut electi Dei, et dilecti viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* **(Col. III)**. Ille vero qui injuriam intulit, hujuscemodi exemplo velociter terreatur: *Facit Dominus judicium injuriam patientibus* [Col. 0995A] **(Psal. CXLV)**. Et alibi: *Quo seminaverit homo, haec et metet* **(Gal. VI)**.

§ XVI.---EX PRAECEPTIS ET INSTITUTIS SANCTI PACHOMII.
@ [Col. 0995B] *Qui injuste judicaverit, etc.* Exstat in edita S. Pachomii Regula, art. 98. Qui injuste judicaverit,
@ [Col. 0995B] *Injuste ab aliis.* Lege, *juste ab aliis, ut in Regula excusa.* injuste ab aliis condemnabitur.
@ [Col. 0995B] *Si unus e fratribus, etc.* Haec non exstant in Regula S. Pachomii excusa. Si unus e fratribus, aut duo, vel tres
@ [Col. 0995B] *Scandalizati.* Id est, opprobriis et contumeliis affecti, aut verberati. scandalizati ab aliquo recesserint
@ [Col. 0995B] *De domo.* Id est, de classe sua. Vide supra. de domo et postea venerint, ventilabitur inter eos et scandalizantem judicium; et si reus inventus fuerit, monasterii regulis emendabitur.

§ XVII.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI.
@ [Col. 0995B] *Si quis, etc.* Haec habentur in Poenitentiali ms. S. Columbani cod. Flor. Si quis detraxerit abbatem suum, septem dies unum
@ [Col. 0995B] *Paximatium.* Supple, *ei detur.* Detractori unicum paximatium datur mulctae nomine, quia quotidie monachi, Aegyptii maxime, quos in multis sequitur S. Columbanus, duo quotidie paximatia viritim accipiebant, [Col. 0995C] ut clarum est ex Cassiano, coll. II, cap. 9: «Praeposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus modum in duobus paximatiis statuerunt.» Coll. XII, cap. 15, et lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14. Paximitium, seu paxamatium, vel paxamas, atque etiam paxamades, et paxamadium (varie enim scribitur hoc nomen) est panis recoctus, bis coctus. Suidas: Παξαμὰς ὁ δίπυρος ἄρτος ἔστι δὲ λέξις Ῥωμαϊκή. Id est, «Paxamas bis coctus panis.» Est autem vox Latina.» Et alibi: Δίπυρος ἄρτος παρὰ Ῥωμαίοις

λεγόμενος παξαμὰς, id est, «recoctus panis a Latinis dictus paxamas.» Quidam nomen deducunt a Paxamo, rei culinariae scriptore, cujus meminere Suidas et S. Hieronymus lib. I contra Jovinianum. In Glossis Isidori dicitur. *Paxamatium, panis subcinericius.* Δίπυρος ἄρτος est denuo coctus panis. Hesychius, δίπυροι ἄρτοι ἐκ δευτέρου ὀπτόμενοι, id est panes secundo cocti. «Athenaeus, lib. III: Οἱ δίπυροι δὲ εἰσίν τινες ἄρτοι τρυφῶντες· id est, «Recocti vero sunt quidam panes deliciosi.» Sed hi non [Col. 0995D] sunt monachorum, quia dulciariorum arte medicati. Idem quod bucellatum. Nam Palladius monachorum panem, quem alias appellat paxamatem, ut cap. *de* Paulo simplice, in Macario Alexandrino vocat βουκελλάτον· κλάσας τὸ βουκελλάτον ὁ εἶχεν, id est, «cum fregisset buccellatum quod habebat.» Et Leo in Constitutionibus militaribus panem siccum militarem, qui vulgo dicitur buccellatum, appellat paxamadium, et paxamadem. Constit. 10,§ 13: Δαπάνην ἔχειν ἤ παξαμαδίου, id est, «sumptum habere vel paxamadii.» Et Constit. 12, § 324, inter alia statuit ut miles in die belli ferat παξαμάδην ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ, id est, paxamatium in sellae marsupio. Buccellati mentio fit Cod. leg., *de erogatione militaris annonae.* Meminit Spartianus in Pescennio Nigro: «Buccellato jubens milites et omnes contentos esse.» Olympiodorus appellat ξηρὸν ἄρτον, id est, panem siccum: scribitque inde milites buccellarios appellatos esse, hancque denominationem datam eis tempore [Col. 0996B] Honorii imperatoris, non modo Romanis militibus, sed etiam Gothis. Sed hoc nomen maxime Galatis seu Gallograecis militibus attributum est. Suidas: Οἱ Βουκελλάριοι Ἑλληνογαλάται ὀνομάζονται, καὶ ἡ Βουκελλαρίων χώρα Γαλλογραικία· id est, «Buccellarii Gallograeci nominantur, et Buccellariorum regio Gallograecia.» Buccellariorum mentio fit Cod. leg., ult. ad legem Juliam, *de vi privata, vel, etc.* paximatium: si fratrem suum, XXIV psalmos: si saecularem, XII psalmos.

§ XVIII.---*Item ejusdem.* [Col. 0995B]

@ [Col. 0996B] *Si quis iracundiam.* Hoc capitulum exstat in Poenitentiali ms. S. Columbani cod. Flor. Si quis iracundiam, vel tristitiam, vel invidiam tenet contra fratrem suum

@ [Col. 0996B] *Ut tempus tenuerit.* Nempe iracundiae, id est, quanto tempore frater ille iracundiam servaverit. ut tempus tenuerit; ita erit poenitentia ejus in pane et aqua. Si vero [Col. 0996A] prima die confessus fuerit,

@ [Col. 0996B] *Viginti quatuor psalmos.* Supple *recitet.* viginti quatuor psalmos.

§ XIX.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0996B] *Qui autem rixam commiserit.* Habetur in eodem Poenitentiali ms. cod. Flor. Qui autem rixam commiserit, septem dies poeniteat. Qui vero suum praepositum despexerit, aut Regulam blasphemaverit,

@ [Col. 0996C] *Foras repellendus est.* Expulsio illa erat tantum ad tempus: ita ut expulsus resideret ante fores monasterii, donec revocaretur, ut supra explicatum est. foras repellendus est; nisi ipse dicat, Poenitet me quod dixi. Si autem non se humiliaverit

@ [Col. 0996C] *Quadraginta diebus poeniteat.* Nempe in choro prostratus coram omnibus in synaxi, cum videlicet expulsus ille revocatus fuerit ab abbate Quae sane nostram opinionem de repulsione ad aliquot certos dies confirmant; quia si is qui non poenitet, foras expellitur, cur ei quadraginta dierum poenitentia imponitur, si postea non sit revocandus? quadraginta diebus poeniteat, quia superbiae morbo detinetur.

§ XX.---*Item ejusdem.*

@ [Col. 0996C] *Si cum illo, etc.* Hic textus habetur in ms. Poenitentiali S. Columbani cod. Flor. emendicatus a Cassiano, quem in quibusdam sequitur S. Columbanus, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 6. Si cum illo qui

@ [Col. 0996C] *Cellae suae cohabitator non est.* Quia monachi S. Columbani duo habitabant in cella juxta institutum monachorum Aegyptiorum, ut supra observatum est; et ejusdem cellae habitator syncellita dicebatur, apud Cassianum, coll. XX, cap. 2. cellae suae cohabitator non est, confabulari quantulumcunque praesumpserit,

@ [Col. 0996C] *Superpositio.* Supple *ei injungatur.* Intelligitur [Col. 0996D] superpositio silentii. Nam in hoc S. Columbani Poenitentiali passim reperiuntur superpositiones silentii; jejunii vix repereris. Unde cum in hoc Poenitentiali dicitur tantum *superpositio, subaudi* τὸ *silentii.* Quid sit superpositio et superponere, infra dicetur. superpositio.

§ XXI.---EX REGULA CUJUSDAM.

Si quis seniori detraxerit, non seniori detrahit, sed Deo,

@ [Col. 0996D] *Cui opus facit.* Lege, *Cujus opus facit, ut in cod.* Vindocinensi, nempe praelaturam. Sunt enim praelati Dei vicarii. «Qui in Christi thronum successerunt, de quo ipsi sermocinantur, de quo Christus dedit eis ministerium reconciliationis,» docet S. Joan. Chrysostomus serm. 3 in epist. ad Colossenses. cui opus facit. Si vero hoc frequenter [Col. 0996B] facit,

@ [Col. 0996D] *Abscindatur a fraternitate.* Id est, separetur a consortio fratrum, excommunicetur. abscindatur a fraternitate ac sollicitudine

@ [Col. 0996D] *Fraterni corporis.* Id est, fraternae congregationis Corpus est congregatio, communitas, collegium. Aelius Lampridius in Alexandro Severo: «Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum, et omnino omnium artium.» fraterni corporis. Si vero poeniteat, remittenda sunt peccata sua, *Detrahentem,* inquit Propheta, *secreto* [Col. 0997A] proximo suo, hunc persequebar. **(Ps. C)**. Si quis inventus fuerit in aliquo spernere seniorem suum, non hominem spernit, sed Deum, et reliqua. Si quis hoc faciat, poeniteat, et reconciliabitur seniori suo: et omnia quaecunque senior praeceperit, secundum mandatum Domini explenda sunt.

§ XXII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 25).

Interrog.

@ [Col. 0997B] *Unde nocturnae, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. XXII Regul., brev., et apud Rufinum, cap. 29. Unde et nocturnae phantasiae inhonestae ac turpes ascendunt ad nos?---*Resp.*

@ [Col. 0997B] *Veniunt quidem haec maxime, etc.* Huic non [Col. 0997C] absimile est id quod docet S. Leander lib. de Instit. vir., cap. 3. «Quos (juvenes) ad hoc diabolus objicit et virgineis opponit oculis, ut formas eorum, quas per diem viderit virgo, meditetur in nocte. Quod si contradicat mentis ratio, talesque imaginationes ab animo respuat, recens tamen visio et corporalis inspectio memoriae exhibet formas quas videndo didicit. Et, si paululum talis imaginatio oblectet mentem, occurret etiam per somnium quod viderit oculis: sic diaboli sagittis corpus virginis vulneratur, et infigitur cordi amor noxius, ut quod in nocte recordata est, cum amore velit adhuc videre in crastinum.»

Veniunt quidem haec maxime ex diurnis animae motibus et actibus indignis et incongruis. Si enim vacet in judiciis Dei, expurgatur anima ejus per meditationem legis divinae, et studium verbi Dei: ibique si indesinenter curam gerat semper requirens et scrutans quid sit quod placeat Deo,

@ [Col. 0997C] *Talia habebit etiam somnia.* Ut S. Caesarius archiepiscopus Arelatensis, qui cum interdiu semper Deum in corde haberet, in convivio, in itinere, in collocutione, in consessu, etiam in somno semper meditabatur, ut scribit Cyprianus lib. II de ejus Vita. talia habebit etiam somnia.

[Col. 0997B]

§ XXIII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 25).

Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit; nec audebit eodem die in ecclesiam introire, etc.

§ XXIV.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 18).

@ [Col. 0997D] *Ad convivium nuptiale.* Nuptiis interesse monachis interdictum est concilio Antissiodorensi, can. 29: «Non licet abbati, nec monacho, ad nuptias ambulare.» Ad convivium nuptiale fratrum nullus accedat, ne per lasciviam saecularem quae sunt saeculi recognoscat,

@ [Col. 0997D] *Quod absit.* Lege, *et quod absit.* quod absit, ad mundi hujus vitam, etsi non corpore, animo revocetur, sicut dixit beatissimus Cyprianus **(Epist. 1)**: «Adulterium dum videtur, discitur.»

@ [Col. 0997D] *Qui joculare aliquid.* Haec et sequentia videntur ascribenda Regulae Orientali, ita ut illis hic titulus praefigendus sit: *Ex regula Orientali.* Nam multa hic sumuntur ex Regula S. Pachomii, quod sane, ut supra notavimus, usitatum est Regulae Orientali, non Tarnatensi. Qui joculare aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre praesumpserit, vel qui [Col. 0998A] cum junioribus verba otiosa narrare voluerit,

@ [Col. 0997D] *Aut habere amicitias aetatis infirmae.* Aetas infirma pueri sunt. In Regula S. Pachomii, art. 90: «Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter [Col. 0998B] cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias aetatis infirmae,» etc. aut habere amicitias aetatis infirmae, increpationi, ut dignus est, subjacebit. Si quis quaelibet invenerit, inventa non celet, et cognoscenda non occultet. Quod si reperta unius diei spatio convincitur retentasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat.

@ [Col. 0998B] *Si quis eum, etc.* Ex Reg. S. Pachomii, art. 124: [Col. 0998C] «Haec est ultio in eum qui fratrem de domo perdiderit, tribus diebus aget publicam poenitentiam. Quod si eadem hora qua fugerit, non nuntiaverit Patri, reus erit peccati.» Si quis eum qui districtionem monasterii non ferens, fugam meditari cognoverit, si non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet: et tandiu a conventu fratrum sequestrandus, quandiu ille valeat revocari. Si quis haec non omni virtute studuerit Domino placitura servare, et semel ac secundo correptus non emendaverit, reprehensa juxta aetatis formam convenit vindicari.

§ XXV.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI [Col. 0998B] (cap. 40).

Superbis, vero inobedientibus, et iracundiam protrahentibus, nunquam parcendum, donec corrigantur.

§ XXVI.---EJUSDEM (cap. 41).

Pro qualibet culpa si necesse fuerit flagelli accipere,
@ [Col. 0998C] *Disciplinam.* Id est, correctionem. Vide superius adnotata. disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est,
@ [Col. 0998C] *Triginta et novem.* Juxta S. Pauli flagellationem, ut supra notatum est: cujus flagellationis ratio, ita describitur apud Bedam quaestione 2 libri Quaestionum variarum, ex quadam pictura de Pauli a Judaeis flagellatione Roma in Angliam allata: «Quod ita intelligendum, ab antiquis ita intellectum testatur etiam pictura ejusdem libri quam reverendissimus ac doctissimus Cudus (alias Chidonius) orientalium Anglorum antistes veniens a Roma secum in Britanniam detulit: in quo videlicet libro omnes pene ipsius Apostoli passiones, sive labores per loca opportuna erant depictae. Ubi ita hic locus depictus, quasi denudatus jaceret Apostolus laceratus flagris, [Col. 0998D] lacrymisque perfusus: superastaret autem ei tortor quadrifidum habens flagellum in manu, sed unam e fidibus in manu sua retentam: tres vero reliquas solum ad feriendum habens exertas. Ubi pictoris sensus facillime patet, quod ideo ternis fidibus eum fecit verberare, ut inde plagarum quadragenarium numerum non compleret. Si enim quaternis fidibus percuteret, decies percutiens sexaginta(lege, quadraginta) plagas faceret; si vero ternis tredecies feriret, inde quadraginta plagas non impleret.» Sed tantum novem et triginta. triginta et novem, et quamlibet juste disciplina teneatur; tamen secundum illud *bonitatem et disciplinam, paternum affectum sanctus abbas circa omnes teneat, secundum Apostolum: Tanquam si nutrix foveat*
@ [Col. 0998D] *Pullos suos.* In communi versione, *Filios suos,* ut in textu Graeco, τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Itaque lege: *Parvulos suos* (I Thess.), ut infra c. 39. *pullos suos.* **(Ps. CXVIII)**.

CAPUT XXXII. DE GRAVIORIBUS CULPIS.

[Col. 0999A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 0999B] *Is autem frater, etc.* Hic agitur de majori excommunicatione, quamvis omnes illius effectus non exprimantur brevitatis causa. Nam excludi a mensae participatione, ab oratorio, a consortio et colloquio hominum, ut hic manifeste habetur, sunt effectus majoris excommunicationis. Quod etiam suadent illa verba: *Sciens terribilem illam Apostoli sententiam, etc.;* ille enim proprie dicitur tradi Satanae, qui majori excommunicatione plectitur. Is autem frater, qui gravioris culpae noxa tenetur, suspendatur a mensa simul, et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens
@ [Col. 0999B] *In poenitentiae luctu.* Concilium Tarraconense I, [Col. 0999C] can. 1, de Monacho poenitentiam agente: *Poenitentiae lamentis incumbat.* in poenitentiae luctu: sciens terribilem illam Apostoli sententiam dicentis: traditum hujusmodi hominem

Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini **(I Cor. V)**. Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura vel hora, qua praeviderit ei abbas competere.

@ [Col. 0999C] *Nec a quoquam benedicatur transeunte.* Nempe cum ipse excommunicatus alicubi solus operatur. Alioqui in cella residere debet, ut postea videbitur. Benedictio autem haec est, quam junior a seniore transeunte petere debet. Unde Magister cap. 13: «Petenti benedictionem nullus respondeat: Deus. Licet tamen assurgere salutanti, caput inclinare, aut nudare humanitatis officio, vel vitandi scandali causa, ut docet Angelus in verbo, *Excommunicatio;* de Graffiis lib. IV, p. 1, c. 12; Millardus, cap. 101; Sairus, lib. II, cap. 11. Nec a quoquam benedicatur transeunte,

@ [Col. 0999C] *Nec cibus qui ei datur.* S. Fructuosus episc., cap. 14 Regulae: «Et hoc ab abbate exsufflatum et non sanctificatum.» Magister, cap. 13: «Quidquid ei porrigitur, a nullo signetur.» nec cibus, qui ei datur.

§ II.---EX REGULA PATRUM.

@ [Col. 0999C] *Si quis vero monachus, etc.* Haec habentur in secunda Regula Patrum cod. ms. Flor., cujus initium [Col. 0999D] est: *Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris convenissemus.* Quamobrem titulum, qui hic desiderabatur, supplevi in haec verba: *Ex Regula Patrum:* fretus etiam auctoritate Smaragdi, qui scribit: «Et alii Patres dixerunt: Si quis vero monachus,» etc. Proferuntur etiam a Burchardo, lib. II, cap. 64, et Ivone Carnotensi, parte XIII Decreti, cap. 51, ex concilio Agathensi, can. 2: «Si quis clericus aut monachus.» etc. Quae tamen non exstant in dicto concilio. Quare arbitror citationem esse vitiosam. Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, [Col. 0999B]

@ [Col. 0999D] *Ut junior virgis caesus.* Furti reos monachos indifferenter flagellationi subjicit S. Pachomius art. 121, et sanctimoniales S. Caesarius Arelatensis cap 24 Regulae. ut junior virgis caesus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat. Si vero

@ [Col. 1000B] *Jam clericus.* Apud Ivonem et Burchardum legitur: *Jam ordinatus.* jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur. Cui sufficere potest pro actus sui

@ [Col. 1000B] *Levitate.* Lege *stultitia.* levitate impleta poenitentiae satisfactione

@ [Col. 1000B] *Communio.* Apud eosdem legitur: *Sola communio.* communio.

[Col. 1000A]

§ III.---EX REGULA SANCTI FERREOLI EPISCOPI (cap. 39).

@ [Col. 1000B] *Furti conscium, si, etc.* Haec habentur in libello c et XIV Sententiarum de Rectoribus, ubi S. Ferreolus appellatur presbyter. Furti conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum secundum flagellis subdi et magna conteri afflictione jubemus, dantes illi

@ [Col. 1000B] *Unam cum fornicatione sententiam.* Lege *cum fornicante, ut in praefato libello. Unam sententiam, id est idem judicium.* unam cum fornicatione sententiam: quia luxuriatus est, cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos invenimus. Dicit ergo Dominus per prophetam: *Non est scientia Dei*

@ [Col. 1000C] *Super terram.* In vulgata versione: *In terra. super terram* **(Ose IV)**; et

paulo post: *Furtum et adulterium inundaverunt* (Ibid.); et iterum in psalmo: *Si videbas furem,*
@ [Col. 1000C] *Simul currebas.* Ita in Regula Magistri, cap. 13, juxta Psalterium Romanum. *simul currebas cum eo,*
@ [Col. 1000C] *Et adulteris.* Lege: *Et cum adulteris. et adulteris portionem tuam ponebas* **(Psal. LXIX)**. Legimus etiam in Evangelio Dominum
@ [Col. 1000C] *Dixisse, Fornicationes, furta.* Apud Smaragdum legitur: «dixisse: *De corde enim exeunt adulteria, fornicationes, furta, et reliqua.*» dixisse: *Fornicationes, furta* (Matth. [Col. 1000B] XV). Nec moratus addidit: *Hoec sunt quae coinquinant hominem* (Ibid.). Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum servi quia, sicut aequaliter his dominantur vitia, aequaliter debetur et poena.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 16).
@ [Col. 1000C] *Monachus, etc.* Haec habentur eodem cap. 16, in Regula ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass. In libello 114 Sententiarum de Rectoribus, ubi post τὸ *monachus, additur: Vel clericus, et apud Henricum Canisium, tom.* V antiquae lectionis, parte II. Refertur etiam a Burchardo, lib. XVII Decreti, cap. 35, ex dictis Basilii, sed non ita recte. Nam hoc capitulum nusquam repereris apud S. Basilium, sed in Regula S. Fructuosi Bracarensis, ut ex dictis notum est: quamvis hic referatur paulo contractius, et varient quaedam. Apud eumdem Burchardum initium hujus capitis ita legitur: *Clericus vel* [Col. 1000D] monachus adolescentium vel parvulorum insectator. Monachus
@ [Col. 1000D] *Parvulorum aut adolescentium consectator, etc.* Ejusmodi cum junioribus familiaritates etiam aliorum Patrum Regulae proscribunt; S. Pachomii art. 90: «Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, et ludere, et habere amicitias aetatis infirmae, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessaverit, corripiatur, ut dignus est, correptione severissima.» Orientalium seu Tarnatensium cap. 14: «Qui joculare aliquid, vel risui aptum in conventu fratrum proferre praesumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias aetatis infirmae, [Col. 1001B] increpationi, ut dignus est, subjacebit.» S. Isidori cap. 17 Regulae, ubi inter gravia peccata annumeratur: *Si* (quis) *cum parvulis jocaverit, riserit, vel eos osculatus fuerit.*» parvulorum aut adolescentium consectator, [Col. 1001A] vel qui osculo, vel qualibet occasione turpi
@ [Col. 1001B] *Reprehensus.* Lege: *Deprehensus, ut in libro CXIV Sententiarum, et apud Canisium.* reprehensus fuerit inhiare,
@ [Col. 1001B] *Probata.* In citato libello, et apud Canisium: *Comprobata.* probata patenter per accusatores verissimos, sive testes
@ [Col. 1001B] *Causa.* Ita apud Canisium, et in citato libello. Causa est culpa, crimen, noxa, offensa, de quo infra. [Col. 1001C] Apud Smaragdum male legitur: *Hujus rei causa.* causa, publice verberetur;
@ [Col. 1001C] *Coronam capitis amittat.* Si sit clericus. coronam capitis, quam gestabat, amittat
@ [Col. 1001C] *Decalvatusque, etc.* Id est ad cutem rasus. Juniorum amatores S. Fruct. jubet caedi verberibus, et decalvari. Ignominiosum olim supplicii genus, raso capite, verberibus aut colaphis caedi. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum: «Paucissima

in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.» S. Gregorius Turonensis lib. V. Hist., cap. 39: «Et graviter verberata, incidi comam ejus capitis jubet.» Lib. I Legis Wisigothorum, tit. 1, l. 7: «Decalvatus tamen centum flagella accipiat;» et titul. 2, l. 7: «Centum accipiat ictus flagellorum, atque turpiter decalvatus,» etc.; lib. III, tit. 3, l. 8 et 10; lib. VII Capitularium regum, tit. 335, et lib. I Legis Longobardorum tit. 17, l. 5. Adam lib. IV Hist. Bremensis, [Col. 1001D] cap. 1: «Alios etiam legatos ad se pro pace directos publice verberari et decalvari jussit.» Juvenalis sat. 5:

. . . . Pulsandum vertice raso, Praebebis quandoque caput, nec dura timebis Flagra pati. Palladius in Lausiaca, cap. *de Philoromo,* ὀνξυρισθῆναι ἐκέλευσεν καὶ ὑπὸ παιδαρίων ἐντονώτατα κοσσισθῆναι, id est, «quem radi jussit, et validissime a pueris verberari colaphis.» decalvatusque turpiter opprobrio pateat,

@ [Col. 1001D] *Omniumque sputamentis.* Olim ignominiae genus faciem sputamentis conspurcare: Gregorius Turonensis, lib. III Hist., cap. 36: «Tunc caedentes eum pugnis, sputisque perungentes, vinctis post tergum manibus, ad columnam lapidibus obruerunt.» Cedrenus ad annum 25 Constantini Caballini, ἐθριάμβευσεν ἐν τῷ Ἱπποδρόμῳ ἐμπτυόμενον, καὶ συρόμενον, id est, «traduxit per circum sputis consputum et tractum.» Paulus Diaconus, sive quis alius, lib. [Col. 1002B] XVIII Hist.: «Misit omnem inimicum ejus injuriis cumulare et conspuere illum.» omniumque sputamentis oblinitus in facie, probraque aeque suscipiat, vinculisque arctatus ferreis carcerali sex mensibus angustia maceretur, et triduana per hebdomades singulas refectione

@ [Col. 1002B] *Panis hordeacei.* Fuit olim panis hordeaceus poenitentium cibus. S. Gregorius Turonensis, lib. IX Hist., cap. 21: «Jussit omnem populum in ecclesiam convenire, et rogationes summa cum devotione celebrari, et nihil aliud in esu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi.» panis exigui hordeacei vespertino tempore sublevetur. Post deinde, expletis his mensibus, aliis sex mensibus succedentibus sub senioris spiritalis custodia segregata

@ [Col. 1002B] *In corticula.* Corticula hic sumitur pro cellula. Notandus mos antiquus retrudendi monachos excommunicatos, [Col. 1002C] seu sanctimoniales, in cellulis separatis ut videre est apud alterum Fructuosum cap. 4 Regulae: «Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram.» In concilio Tarraconensi I can. 1: «Si vero religiosus, vel monachus, in cella monasterii inclusus, poenitentiae lamentis incumbat.» Apud S. Gregorium Turonensem lib. IX Hist. 4: «Petiit, ut se in cellulam secretam recluderet, dicens: Quia multum peccavi in dominam meam Radegundem.» In Regula Teridii cap, 25. «Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in una cella recludatur.» In Regula cujusdam Patris cap. 19: «Excommunicatus vero frater, qui culpis gravioribus existentibus aut cellula recluditur,» etc. Hoc autem S. Fructuosi capite duplex notanda est reclusio delinquentium, una carceris, altera cellae. in corticula degens opere manuum et oratione continua sit

@ [Col. 1002C] *Contentus.* Ita in Regula ms. et apud Canisium. In libello CXIV Sententiarum: *Intentus.* Lege ergo: *Operi manuum et orationi continuae sit intentus.* [Col. 1002D] Quemadmodum est apud Burchardum, apud quem tamen τὸ *continuae deest.* contentus, vigiliis et fletibus, et humilitate subjectus, et poenitentiae lamentis veniam

[Col. 1001B] percipiat: et sub custodia et sollicitudine duorum fratrum in monasterio ambulet, nulla privata locutione vel concilio deinceps juvenibus conjungendus.

§ V.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 6).

Hi vero fratres, qui gravioribus culpis in poenitentia detinentur, in ecclesia cum caeteris, qui communicant, [Col. 1002A] non stent, sed in alia ecclesia secrete

@ [Col. 1002D] *Cursum.* Id est, opus Dei, officium divinum, de quo vocabulo infra. cursum cantent. Expleto cursu, egredientes ante fores ecclesiae, in qua communicantes cursum explent, stare praecipiantur. Et egrediente congregatione supra humum prostrati rogent pro se Dominum exorari, ut gravia commissa contritione deleantur cordis, meminentes illud: *Cor contritum et humiliatum*

@ [Col. 1002D] *Deus non spernit.* Ita in Psalterio Romano et in Regula Magistri cap. 4. Apud S. Cyprianum epist. 77 et 81: *Deus non despicit.* Tertiam personam servant quidem septuaginta interpretes, sed in futuro: ὁ Θεὸς οὐκ ἐξουδενώσει, id est, Deus non despiciet, juxta quos Apollinarius in Metaphrasi:

Ἦτορ ἄναξ χθαμολὸν καὶ μείλιχον οὐκ ὀνόσαιτο. id est, «cor rex humiliatum et lene non despiciet.» In vulgata interpretatione juxta textum Hebraicum: *Deus, non despicies. Deus non spernit* **(Ps. L)**. Et: *In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus* **(Ps. CXXXV)**. In oratione positus semper poenitens dicat: *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* **(Ps. L)**. Ut ira arguentis judicis, et in proximo vindictam reddentis per piae mentis affectum hac humili oratione sedetur.

§ VI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 13).[Col. 1002B]

@ [Col. 1002D] *Cum suggestum, etc.* Habes in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. Cum suggestum fuerit a praepositis abbati

@ [Col. 1002D] *Meritum.* Id est, demeritum. meritum inobedientis, jam non dicendus est frater, sed

@ [Col. 1002D] *Haereticus dicendus est.* Quia pertinax in malitiae proposito, ut haereticus in suae opinionis et judicii tenacitate. haereticus legis: jam non dicendus filius Dei, sed operarius daemonis, qui dissipando sanctorum facta velut quaedam scabies est procreata in grege. Convocet eum abbas praesentibus suis praepositis, vel coram congregatione circumstante. Et interrogati [Col. 1003A] ab abbate praepositi ejus, quid peccaverit, vel quoties monitus de ipso vitio non emendaverit, respondeant qui eum accusant. Quo audito vitio talem abbatis contra se audiat vocem. O misera anima, quod responsum datura es Deo, quem per inobedientiam quotidie irritas, cum accesseris adorare eum? quare sub dominio Dei servis potius mammonae? quid mentiris Christo, alter Judas? Ille Judas iniquitatis portio justitiam vendidit, tu Christianum nomen laceras malefactis? Ille Judas per pacem falsam Domino scandalum generavit, tu sub nomine sancti servitii Deo magis rebellis existis? Ille Judas falsus Magistrum tradidit discipulus, tu sub nomine sancto magis diabolum factis sequeris Christianus? Astare enim tibi habet in judicio nostra monitio, [Col. 1003B] vel tuus spiritus, cui cum carne,

@ [Col. 1003C] *Propria voluntate.* Lege: *Per propriam voluntatem, ut est in Regula ms.* propria voluntate repugnas [

@ [Col. 1003C] *Deo.* Haec vox redundat, nec est in Regula ms. Deo] ante tribunal tremendi

Judicis, dicens: *Domine, noluit intelligere ut bene ageret* **(Psal. XXXV)**. Iniquitatem meditatus est, astitit omni viae non bonae, malitiam autem non odivit, sed magis
@ [Col. 1003C] *Gloriatus.* Lege, *gloriatus es, ut in Regula ms.* gloriatus in ea, potens fuit in iniquitate. Cum haec accusatus fueris in judicio post nostram simul et tremendi Judicis vocem dicentis tibi: Tu es qui odisti disciplinam, et projecisti sermones meos
@ [Col. 1003C] *Post te.* Ita in Psalterio Romano. post te **(Psal. XLIX)**. Si videbas furem, simul currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolum. Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et ponebas scandalum. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum. *Dilexisti* [Col. 1003C] malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui aequitatem **(Psal. LI)**. *Dilexisti omnia verba praecipitationis*
@ [Col. 1003C] *In lingua dolosa.* Ita in Psalterio Romano. *in lingua dolosa.* Haec fecisti, et tacui, et
@ [Col. 1003C] *Existimasti iniquitatem.* Ita in Psalterio Romano, ad verbum ex Septuaginta: ὑπέλαβες τὴν [Col. 1003D] ἀνομίαν. Quod idem sonat, pro, existimasti inique, ut habetur in Vulgata versione. Juxta quod Apollinarius in Metaphrasi dixit,

Ὠΐτης ἀθέμις..... ιδ εστ, εξιστιμαστι ινιθυε. Nam ἀθέμιστα, poetice pro ἀθεμίστως. In Hebraeo tantum habetur, *existimasti me futurum similem tui.* existimasti iniquitatem, quod eram tibi similis, arguam te et
@ [Col. 1003D] *Statuam illam contra faciem tuam.* Ita in Regula ms. cod. Corbeiensis, et in Psalterio Romano. Sed puto legendum, *statuam illa, ut in commentario D.* Hieronymi «*Et statuam illa contra faciem tuam:* ut sic confusus damneris in morte perpetua, hoc est, per illa mandata, quae non custodisti, vel tua peccata, vel aliorum, quae post te reliquisti. Huic lectioni favent septuaginta interpretes: παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου, id est, statuam contra faciem tuam peccata tua.» Quos sequitur Apollinarius in Metaphrasi. [Col. 1004C]

Ἀμπλακίας στήσω σεῦ ἐνάντιον αἰέν ἐλέγχων, id est, «peccata tua statuam contra te semper arguens.» Nec potest referri ad τὸ *iniquitatem, quia hoc vocabulum sumitur hic adverbialiter.* statuam illam contra faciem tuam **(Psal. XLIX)**, ut destruat te Deus in finem; evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Tunc etiam et omnes [Col. 1004A] justi de sua gloria in judicio videbunt te, cum ab eis fueris sequestratus ad sinistram inter haedos, et super te ridebunt dicentes: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorium suum, sed praevaluit in vanitate sua, et non fuit timor Dei ante oculos ejus: quoniam dolose egit in conspectu ejus. Et *dixit insipiens in corde suo, Non requiret Deus;* avertit faciem suam, ne videat in finem, et ignoravit, quia inimici, qui mentiuntur Domino,
@ [Col. 1004C] *Erit tempus eorum in poenam aeternam.* In Psalterio Rom. et in commentario S. Hieronymi: *Erit tempus eorum in aeternum.* In versione vulgata: *Erit tempus eorum in saecula.* Sed Magister secutus est [Col. 1004D] potius sensum quam verba: quia iniqui aeterno supplicio plectendi sunt. Unde Cassiodorus hunc versiculum exponens scribit: «Addit: in aeternum erit tempus eorum: scilicet punitionis; quando illis dicetur, Ite in ignem aeternum.» erit tempus eorum in poenam aeternam **(Psal. LXXX)**. Quid ad haec dicturus es Deo? quas afferre ei habes, miser, excusationes in

peccatis? cum te primum impugnaverint mala, et gehenna exspectaverit, ut incendat. Post hanc increpationis vocem ante congregationem

@ [Col. 1004D] *Abbatis.* Haec vox transposita est. Et legendum: «Post hanc increpantis abbatis vocem ante congregationem statim,» etc. abbatis

@ [Col. 1004D] *Statim erigi jubeatur, etc.* Lege et distingue hoc modo: «Statim erigi jubeatur. Ab oratorio et communi mensa extraneus judicetur.» statim erigi jubeatur ab oratorio, [Col. 1004B] communi mensa [et] extraneus deputetur; et cum inimicis Dei designatus non debet ex illa hora jam fratribus esse amicus. Ideoque ab hac excommunicationis hora soli posito et sequestrato ei aliqua laboris opera propter otiositatem a praeposito suo consignetur: in quo labore nullo fratrum jungatur solatio, nullius eloquio soletur, tacito omnium pertranseatur aspectu: petenti benedictionem nullus respondeat, Deus: quidquid ei porrigitur, a nullo signetur: quidquid vero ultra opus assignatum peculiariter, vel ultro effecerit, dispergatur, vel dissipetur. Sit ubique solus, et ei sola culpa solatium. Quod si forte propter levitatem culpae non ei voluerit abbas duplicare jejunia, si fratres sexta reficiunt, ille ad nonam horam de uno pulmento; et [Col. 1004C] panis cibarii sibi fragmentum et aqua a praeposito suo pro misericordia porrigatur. Si inculpabiles fratres nona hora reficiunt, illius supradicta refectio protrahatur in vesperam, ut sentiat quid ei malorum culpa intulit, quid per negligentiam bonorum amisit.

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 14).

@ [Col. 1004D] *Cum hora, etc.* Haec reperire est in Regula ms. Magist. cod. Corb. eodem, cap. 14, cujus titulus est quomodo excommunicatus debet poenitere? Cum hora divini officii exercetur, id est,

@ [Col. 1004D] *Cum expleto psalmo ab omnibus orationi incumbitur.* Quia olim singulis psalmis breves orationes submissa voce interserebantur, de quibus supra. cum [Col. 1005A] expleto psalmo ab omnibus orationi incumbitur, tunc excommunicationis reus prostratus ante limen oratorii haec cum lacrymis clamet: Peccavi, et peccatum meum ego agnosco: erravi, emendare polliceor; jam de caetero non peccabo. Rogate pro me, sanctae congregationes, a quibus quondam per meam negligentiam et diaboli suasionem separari merui. Rogate pro me, mei quondam praepositi. Ignosce mihi, pastor bone et pie pastor abbas. Relinque nonaginta novem propter unam. Veni, recollige, et porta humeris tuis me perditam ovem, sicut Dominus noster indicio passionis suae tibi monstravit: quia non pro justis, sed pro peccatoribus venit, et mortuus est: ut cum ipso per justitiam ejus resurgeremus, qui fueramus per nostra peccata allisi, [Col. 1005B] dicente ipso Domino: *Non veni, nisi propter oves perditas domus Israel* **(Matth. XV)**. Et: *Non est opus sanis medicus, sed his qui male habent* **(Matth. IX)**. Imitare pium magistrum apostolorum, cujus vices per doctrinam agis in monasterio: quia ipse post prophetas et apostolos posuit vos pastores et disciplinae doctores: quia per beatum Petrum apostolum demonstravit vobis dicens: Non septies, sed septuagies septies debere peccatum fratri dimitti **(Matth. XVIII)**. Subleva ergo allisum salutari tuo consilio: Solve intercessione tua apud Dominum, quod in me negligentia obligavit. Quod peccavi agnosco; quod emendem, credo quia per tuam mentionem invenio. Post hanc vocem cessantibus a psalmis per omnes orationes a reo jacente effusam, cum completum [Col. 1005C] fuerit sanctum oratorii opus, et illo reo adhuc jacente ante limen exeunti abbati

omnium fratrum congregatio humilietur ei pro eo ad genua, simul et

@ [Col. 1005D] *Praepositi ejus.* Nempe decadis seu decaniae cujus est ipse frater excommunicatus. Supra vidimus in singulis decadibus seu decamis ab ipso Magistro constitui duos praepositos, qui alias decani appellantur. praepositi ejus. Quod cum fuerit adimpletum, si tamen propter levitatem culpae eadem hora voluerit abbas veniae consentire, statim erigi eum a praepositis suis praecipiat, et reproperata ei culpa, cum ille responderit se de caetero emendare, statim abbas dicat omni congregationi: Venite, fratres, unanimiter cum lacrymis pro hac ove gregis vestri, quae peccatum suum agnoscens promittit se de caetero emendare, orantes in oratorio reconciliemus eum ante Dominum, quem per inobedientiam irritavit. Et mox ingressus abbas cum fratribus in oratorio, antequam orent tenentes ei manum dextram [Col. 1005D] laevamque foris Praepositi introducant eum in Ecclesia, dicentes ambo hunc versum: *Confitemini Domino,*

@ [Col. 1005D] *Quoniam bonum est.* Ita Apollinarius in Metaphrasi:

.....ἐπεὶ τὸ δὲ καλὸν ἐτύχτη. *quoniam bonum est* **(Ps. CXVII)**. Et subsequatur caetera congregatio: *Quoniam in saeculum misericordia ejus* (Ibid.). Ut cum praepositi foris poenitenti per hunc versum confessionem ingerunt, intus de oratorio per os respondentium fratrum, mox pius Deus misericordiam repromittat. Ergo [Col. 1006A] cum eum in oratorium introduxerint Praepositi ejus, prosternant eum pedibus altaris. Statim omnes una cum abbate se orationi pro eo prosternant. Tunc ille pro culpa prostratus cum lacrymis, his vocibus precetur ad dominum dicens: Peccavi Domino, peccavi, et iniquitatem meam ego agnosco, rogo, peto a te, dimitte mihi, ne simul trahas me cum peccatis meis, neque condemnes me in inferioribus terrae, neque in aeternum imputes mihi mala: quoniam tu es Deus poenitentiae: et in me ostende bonitatem tuam secundum magnam misericordiam tuam: quia tu dixisti, Domine: *Nolo mortem peccatoris, sed convertatur et vivat* **(Ezech. cap. XXXIII)**; quia malis nostris ad emendationem, vitam magis largiris quotidie, monstrante nobis Scriptura, quae [Col. 1006B] de pietate tua ita dicit: *Nunquid irascitur per singulos dies?*

@ [Col. 1006D] *Nisi convertamini.* Ita in Psalterio Romano. *nisi convertamini* **(Ps. VII)**. Et apostolus tuus Paulus ita dicit: *An nescis quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?* **(Rom. II.)** *Gladium ergo suum Dominus vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum:* et in ipso paravit vasa mortis. Quae vasa, Domine, timemus, et ideo festinanter emendare promittimus: et quia dicturus es in judicio peccatori: haec fecisti et tacui. Quid? semper tacebo? quia statues iniquitatem contra faciem nostram, ut cognoscentes eam in reatibus nostris, juste nos ipsi eam damnemus. Tu enim, Domine, mortificas, et vivificas, tu deducis ad inferos et reducis, tu levas allisos, tu solvis in coelo compeditos in terra, tu ad emendandum oculos cordis [Col. 1006C] nostri illuminas tua gratia, vel adjutorio tuo justorum dirigis gressus, dicente Scriptura.

@ [Col. 1006D] *A Domino gressus hominis dirigetur.* Prov. XX: *A Domino diriguntur gressus viri.* Et XVI: *Sed Domini est dirigere gressus ejus. A Domino gressus hominis dirigetur* **(Prov. XX)**. Et nisi custodieris nos, et

@ [Col. 1006D] *Aedificaberis.* Pro *aedificaveris;* b pro *v, ut antea notatum est.* aedificaberis domum, in vanum laborant qui aedificant, et custodiunt eam. Quia velle adjacet nobis, perficere autem tuum est. Et, non est volentis, neque currentis, sed

miserantis Dei. Sed tamen das fiduciam sperandi de te dicens: *Petite, et accipietis;* quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quia qui petit, accipit; qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur **(Matth. VII)**. Et quia dixisti: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* **(Zach. I)**. Et: *cum clamaveris, dicam:* Ecce adsum **(Is. LVIII)**. Et item quasi pius et misericors in factura tua vocas nos ad gratiam tuam, licet indignos [Col. 1006D] servos tuos dicens: *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI)**. Unde non despicias, Domine, servum tuum, suum agnoscentem peccatum: sicut de pietate tua promittit reatui nostro Propheta dicens: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* **(Ps. L)**. Quia potens es de lapidibus istis suscitare filios Abrahae; quia quod in nobis desperatio impossibile putat, tua [Col. 1007A] gratia possibile indicat. Post hanc vocem cum lacrymis impletam statim cum manu sua abbas erigat, dicens ei: Vide, frater, jam de caetero, vide, ne pecces, et secundam

@ [Col. 1007C] *Agas.* Lege, *cogaris, ut in Regula ms.* agas de hac vita poenitentiam exercere. Quae cum secundo fuerit acta in haereticorum incidet sectam. Statim hunc versum quondam reus imponat:

@ [Col. 1007C] *Erravi sicut ovis, quae perierat.* Ita in Regula ms., Psalterio Romano et in commentario S. Hieronymi. *Erravi sicut ovis, quae perierat;*

@ [Col. 1007C] *Recollige.* In vulgata editione, *quaere.* In Psalterio Romano et in Comm. S. Hieronymi, *require. recollige servum tuum, Domine* **(Ps. CXVIII)**. Respondentibus secum cunctis. Post hunc versum vocatis ejus praepositis, reconsignetur ab abbate eis in manu dicens: Recipite ovem vestram, reintegrate numerum, restituite mensae: mortuus enim fuerat, et revixit; perierat, et inventus est. Eadem namque die humilitatis reparatae indicio

@ [Col. 1007C] *Aquam manibus fratrum, etc.* Mos fuit antiquus Christianorum, ut ante sumptionem eucharistiae manus lavare, ut videre est in eadem regula Magistri cap. 89: «Eodem die pro humilitatis indicio aquam manibus fratrum ad communionem intrantibus ipse ministret.» Et cap. 19: «Ad communionem intrantibus fratribus aquam manibus ipsi ministrent,» nempe Hebdomadarii. S. Anastasius Sina´ta sermone de sacra Synaxi, ubi agit de praeparatione ad sumptionem eucharistiae: *Non enim* [Col. 1007D] in Dei Ecclesia et sanctas imagines, venerandasque cruces salutare sufficit, οὐδὲ τῷ ὕδατι ἐκπλύνειν τὰς χεῖρας τοῦτο κάθαροις, id est, «neque aqua manus lavare purificatio est.» S. Dorotheus serm. 9: Καὶ ὡς εἶδεν αὐτόν νίτοντα τὰς χεῖρας· ἵνα εἰσέλθῃ καὶ κοινωνήσῃ, id est, «et ut vidit eum lavantem manus, ut ingrediatur et communicet.» Quaelautio aliquando in ipsa ecclesia fiebat, aliquando extra. aquam manibus fratrum intrantibus ad communionem [Col. 1007B] ipse ministret: et cum dat, osculetur primo abbatis, deinde singulorum fratrum manus: et petat singulos, cum ministrat ipse, pro se debere orare. Qui et ipse, mox ut ingressus oratorium fuerit, omnes clara voce readmoneat pro se debere orare: et sic exiens cum fratribus consuetam accedat ad mensam.

§ VIII.---EX REGULA SANCTI CAESARII (cap. 24).

@ [Col. 1007D] *Quamvis non solum, etc.* Habetur eodem cap. 24, in Regula excusa S. Caesarii. Quamvis non solum cogitari, sed omnino nec credi debeat, quod sancti fratres duris se sermonibus vel conviciis mordeant: tamen si forte, ut se habet humana

fragilitas, in tantum nefas aliqui de fratribus ausi fuerint diabolo instigante prorumpere, ut furtum faciant, aut in se invicem convicia [Col. 1007C] mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus regulae instituta violantur. Necesse [Col. 1008A] est enim, ut in eis impleatur illud, quod de indisciplinatis filiis

@ [Col. 1007D] *Per Salomonem;* qui diligit filium suum. Hic locus non est Salomonis, sed Jesu Syrach in Ecclesiastico. Sed Patres interdum citantes ex memoria attribuunt Salomoni ea quae sunt in Ecclesiastico. per Salomonem dixit Spiritus sanctus: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella* **(Eccl. III)**. Et iterum: *Tu virga eum caedis, animam ejus de inferno liberabis* **(Prov. XXIII)**. Disciplinam tamen ipsam

@ [Col. 1007D] *In praesentia congregationis.* Aliter constituitur in add. I Capitul. Lud. imp., tit. 24: «Ut nudi pro qualibet culpa coram fratrum aspectibus non flagellentur.» in praesentia congregationis accipiant, secundum illud Apostoli:

@ [Col. 1007D] *Peccantes coram omnibus corrigantur.* In Vulgata versione, *peccantes coram omnibus argue.* Sed locus citatur ex memoria, non ex codice. *Peccantes coram omnibus corrigantur* **(I Tim. V)**.

§ IX.---*Item ejusdem* (cap. 32).

@ [Col. 1008C] *Si vero pro quacunque re, etc.* Haec videre est in Regula S. Caesarii cap. 32. Si quis vero pro quacunque re excommunicatus fuerit, remotus ab omni congregatione, in loco, quo abbas jusserit,

@ [Col. 1008C] *Cum uno de spiritualibus fratribus.* Qui illius curam gerat. S. Fructuosus episcopus cap. 16: «Sub senioris spiritalis cura, segregata in corticula degens. «S. Aurelianus cap. 35: «Nulli liceat loqui cum illo qui fuerit excommunicatus, praeter illum quem sanctus abbas custodem dederit.» cum uno de spiritalibus fratribus resideat. Si autem, ut fieri solet, stimulante diabolo invicem se laeserint, invicem sibi veniam [Col. 1008B] petere et relaxare debebunt

@ [Col. 1008C] *Propter orationes.* Quae impurae sunt cum fratri injuriam non dimittimus. Et ideo sine fructu, ut docet Tertullianus libro de Oratione: «Quam autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundia perdere) Quae ut fructum consequantur, [Col. 1008D] Deo sine veneno iracundiae offerendae sunt, ut docet S. Basilius in Admonitionibus: «In tempore orationis omnem malitiam cordis projice abs te, et remitte, si quid habes adversus proximum tuum. Est denique quoddam genus serpentis, (quod) cum coeperit ire ad bibendum aquam, antequam veniat ad fontem evomit omne venenum. Imitare et tu hunc serpentem, et remitte conservo tuo centum denarios, ut tibi Dominus dimittat millia talenta.» propter orationes, quas utique, quanto crebriores, tanto puriores habere debent. Quod si ille, cui venia petitur, indulgere fratri suo noluerit, communione removeatur et timeat illud, quia si non dimisit, non dimittetur ei.

@ [Col. 1008D] *Qui autem nunquam vult petere veniam, etc.* S. Isidorus, cap. 16 Regulae: «Qui autem non petit *(veniam)* aut non ex animo poscit, in collationem deductus juxta excessum injuriae congruae subiaceat disciplinae.» Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, aut a quo petitur, si non dimittit, sine causa in monasterio esse videtur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite: quae si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

§ X.---*Item ejusdem* (cap. 13).

@ [Col. 1008D] *Si quis, etc.* Hoc caput neque in Regula, neque in recapitulatione S. Caesarii reperitur. Itaque puto illius titulum esse falsum, et pro illo hunc esse reponendum: *Ex Regula cujusdam Patris, cap.* 13. Si quis contra Regulae disciplinam inventus fuerit aliquid ex his quae interdicta sunt facere, quasi contumax, aut praevaricator mandatorum non [Col. 1008C] levis culpae reus effectus suspicione

@ [Col. 1008D] *Pravi consilii.* Id est, pravae voluntatis. pravi consilii carere non poterit. Qui nullatenus cum fratribus [Col. 1009A] orare permittatur: nisi prius pro culpa sua publica satisfecerit poenitentia: aut certe, si publicare contempserit, dignam suae praevaricationis vindictam suscipiat.

§ XI.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 25).

Turpiloquium amore pudicitiae sit monacho turpe proferre vitando verba luxuriae quae, ut mentem excitant, ita corpus inflammant. Ait enim Apostolus: *Deponite*

@ [Col. 1009A] *Malitiam blasphemiae.* In versione communi, *malitiam, blasphemiam, ut in textu Graeco:* κακίαν βλασφημίαν. *malitiam blasphemiae turpem sermonem* [Col. 1010A] de ore vestro **(Col. III)**. Interrogo ergo, fratres, quid ille minus facit adulterio, cujus communicat lingua peccato? quid luxuria minus exercuit, qui os castum sermonis corruptione foedavit? Et ut hanc spurcitiam cunctis etiam cavere metus

@ [Col. 1009A] *Damnationis.* Damnatio hoc loco est poenae irrogatio. damnationis

@ [Col. 1010A] *Imponat.* Id est, cogat. imponat, statuimus hujus culpae reum communionem Dominicam

@ [Col. 1010A] *Vel osculum fratrum.* Intelligit osculum pacis, quod datur ante sacram communionem, de quo infra. Particula *vel hoc loco sumitur copulative.* vel osculum fratrum sex anni mensibus non habere.

CAPUT XXXIII. DE HIS QUI EXCOMMUNICANTUR, QUOMODO SATISFACIANT.

[Col. 1009B]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1009B] *Qui pro gravioribus culpis, etc.* Hoc caput vulgo locum quadragesimum quartum obtinet. Citatur in decreto Ivonis p. 14, cap. 73, et in concilio Duziacensi II, cap. 7: «Et alios tres annos secundum capitulum 49 [Lege 44] Regulae sororibus in oratione communicet, etc. Qui

@ [Col. 1009B] *Pro gravioribus culpis.* Ita in cod. mss. S. Ebr., San-Germ. ma., apud Turrecr. et Smarag. S. Dunstanus legit: *Pro gravi culpa;* editio Coloniensis et quaedam aliae, *Pro graviori culpa.* pro gravioribus culpis ab oratorio et a [Col. 1010B] mensa excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio

@ [Col. 1009B] *Percelebratur.* Ita in mss. cod. S. Far., apud Smaragdum et S. Dunstanum. Vulgo, *Celebratur*. percelebratur,

@ [Col. 1009B] *Ante fores ecclesiae prostratus jaceat.* Hic fuit antiquus mos

Christianorum, ut poenitentes pro foribus ecclesiae in luctu poenitentiae jacerent, seu starent pro diverso ecclesiarum usu. Tertullianus lib. [Col. 1009C] de Pudicitia: «Ad Dominum enim remissa, et illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat; quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit; quod Ecclesiae mavult erubescere quam communicare: assistit enim pro foribus ejus: et de notae suae exemplo caeteros admonet, et lacrymas fratrum sibi advocat.» S. Gregorius Neocaesariensis, epist. canonica, canone ultimo: *Fletus seu luctus est extra portam oratorii,* ἔνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα χρὴ τῶν εἰσίοντων δεῖσθαι πιστῶν, id est, «ubi oportet stantem peccatorem rogare intrantes fideles.» Erant autem quinque gradus poenitentium, ut ipse ibi notat. Primus flentium, qui pro foribus ecclesiae stabant, seu prostrati erant, ut diximus. Secundus audientium, qui audiebant sacras Scripturas, ἔνδοθι πύλης ἐν νάρθηκί, inquit idem Gregorius, id est, intra januam in Narthece; vulgo *ferulam interpretantur, non ita recte.* Νάρθηξ locus est infimus et profundus, dictus παρὰ [Col. 1009D] νέρθεν εἶναι τοῦ ναοῦ, quod sit infra templum, inquit auctor veteris Etymologici. Tertius prostratorum seu substratorum, ὑποπίπτοντες Gregorio Nysseno epist. canonica, et dicebantur ὑποπεσείν, seu ὑποπίπτειν locis citatis et citandis, id est substerni. Moschopulus in schedis ὑποπεσεῖν, ὑποκάτω πεσεῖν, ἢ ὑποταγῆναι, id est, infra aliquem cadere, vel alicui subjici. Locus eorum erat post ambonem ecclesiae, id est suggestum, ut scribunt Theodorus Balsamon et Zonaras, quos tamen stetisse volunt non prosterni. Quartus consistentium, S. Basilio epist. ad Amphilochium συστάντες. Ii sunt quibus, expleto substrationis tempore, licebat orare cum fidelibus, non tamen eucharistiam sumere; nec exibant ecclesia cum catechumenis. Audientes vero et substrati una cum catechumenis egrediebantur, quibus non erat integrum divinis interesse mysteriis, ut scribit S. Gregorius Neocaesariensis canone citato. Quintus eorum quibus post injunctum consistendi spatium eucharistiam sumere concedebatur, qui non tam poenitentes quam restituti sacramentis Ecclesiae erant. Poenitentes aliquando omnes istos gradus ascendebant, ut videre est apud S. Basilium, epist. 2, ad Amphilochium, can. 56, 57 et seq.: aliquando minime, sed quibusdam duntaxat ascensis veniam merebantur. Nam can. 11 concilii Nicaeni fidei desertores nulla ad id necessitate interveniente compulsi, omisso primo gradu, caeteris decursis, veniam consequuntur. Et can. 12, resumentes cingulum, si in gradu audientium dignos fructus poenitentiae [Col. 1010C] ostenderunt, omissa substratione transeunt ad gradum consistentium. Can. 4, catechumeni lapsi tribus annis cum audientibus stare coguntur, quibus evolutis cum catechumenis orare jubentur. Et can. 16 synodi Ancyranae animalia bruta ineuntes, praetermissis flentium et audientium gradibus, in substratorum deinde consistentium gradu statuuntur, et can. 17 cum hiemantibus orare jubentur. Qui quidem canon cum antecedente non pugnat, ut quidam putant. Quod ut clarius sit, notandum est hiemantes seu χειμαζομένους esse energumenos seu daemoniacos, ut recte exponunt Dionysius Exiguus et Fulgentius Ferrandus in Breviario, cap. 149, metaphora ducta ab hieme seu tempestate, nam χειμὼν utrumque significat. Etsi haec interpretatio displiceat Balsamoni, eo quod daemoniaci non orent. Sed haec ratio nulla est, cum insint daemoniacis lucida intervalla, in quibus orare possint. Putat Balsamon hos qui subant cum quadrupedibus collocari a synodo [Col. 1010D] inter audientes, quia can. praecedente nulla fit mentio audientium cum de hujusmodi libidinis portentis agitur. Sed, ut supra diximus, non semper hos omnes gradus percurrebant poenitentes. Unde synodus ejusmodi

subatoribus prostrationis annos multiplicat, eo quod non fuerint in gradu audientium. Ac proinde cum praecedens statuit ut ejusmodi homines orent quinque annis, recte sequens decernit cum quibus orare debeant. Nec anxie quaerendum est in quo ordine seu gradu poenitentium erant daemoniaci. Nam hi de quibus agit canon 17 synodi Ancyranae, non erant poenitentes; sed ideo seorsum ab aliis fidelibus in ecclesia stabant, ne eos energumeni suis agitationibus perturbarent; in quorum [Col. 1011B] statione erant ineuntes bruta animalia ob flagitii spurcitiem, cum a prostratorum ordine ad consistentium gradum transmeabant. Itaque non assentior iis qui dicunt hiemantes fuisse in ordine audientium cum catechumenis. Nec locus ex cap. 3 Eccl. Hierar., ubi dicitur Ecclesiam permittere energumenis, catechumenis et poenitentibus, audire sacras Scripturas, illis favet: nam aliud est sacras Scripturas audire, aliud eas audire in loco poenitentium audientium. Catechumeni quidem a Tertulliano lib. de Poenitentia dicuntur: *Audientes* et *auditores, sed alia ratione quam audientes poenitentes.* Si enim peccassent, transibant ad locum poenitentium audientium, ut patet ex synodo Nicaena, quae postquam can. 11 et 12 decretum fecit de fidelibus lapsis, can. 14 hoc statuit de lapsis catechumenis: «De catechumenis et qui lapsi sunt visum est sanctae et magnae synodo ὥστε τριῶν ἐτῶν ἀκροωμένους μόνον, id est, ut sint tres annos tantum audientes.» Postea synodus, dispensans eos a prostratione, decernit μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχομένων, id est, ut postea orent cum catechumenis. Quod ideo statuit quia catechumeni, qui non aderant tremendis mysteriis, non poterant orare cum consistentibus, qui sacris mysteriis cum caeteris fidelibus intererant, nec discedebant post missam catechumenorum, ut supra ex S. Gregorio Neocaesariensi notatum est. Quare minus recte ex hoc loco colligitur a nonnullis catechumenorum gradum non distingui ab ordine substratorum. Nam substrati non dicebantur orare, sed substerni, cum ex audientibus substrati fiebant, ut clarum est ex canonibus supra citatis. Quod spectat ad prostrationem monachorum poenitentium, de ea agunt Cassianus, lib. II de nocturnis Officiis, cap. 16; S. Isidorus, cap. 18 Regulae; S. Fructuosus episcopus, cap. 14; Magister, cap. 13 et 14, et quidam Pater monachorum, cap. 6 Regulae suae. ante fores oratorii prostratus [Col. 1011A] jaceat, nihil dicens nisi tantum posito in terra capite

@ [Col. 1011D] *Stratus pronus.* Ita in cod. ms. S. German. ma., editione Coloniensi, et apud Smaragdum. Codices SS. Ebrul. et Far. habent tantum, *pronus;* vulgati, *prostratus pronus.* stratus pronus omnium de oratorio

@ [Col. 1011D] *Pedibus exeuntium.* Vulgo additur. *se projiciat:* recte; quae desunt in mss. SS. Ebr. et Far., ut apud Smaragdum et S. Dunstanum. Apud Ivonem legitur: *Pedibus exeuntium conculcetur.* pedibus exeuntium. Et hoc tandiu faciat, usque dum abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ab abbate venerit

@ [Col. 1011D] *Volvat.* Ita Smaragdus et Turrecremata. At in vulgatis cum S. Dunstano, Ivone et editione Coloniensi, [Col. 1012B] *provolvat, rectius.* volvat se ipsius pedibus, deinde omnium vestigiis fratrum,

@ [Col. 1012B] *Ut orent pro ipso.* Supple *petens.* ut orent pro ipso: et tunc, si jusserit abbas, recipiatur

@ [Col. 1012B] *In choro.* Apud Smaragdum additur, *psallentium.* in choro,

@ [Col. 1012B] *Vel ordine.* Tò *vel sumitur copulative.* vel ordine quo abbas decreverit; ita sane ut psalmum vel lectionem, vel aliud quid, non praesumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat se in terra, in

loco quo stat, et sic satisfaciat, usque dum ei jubeat iterum abbas, ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, satisfaciant, id est usque [Col. 1011B] ad jussionem abbatis

@ [Col. 1012B] *Hoc perficiant.* Ita cod. ms. S. Ebrulphi, Smaragdus et editio Coloniensis. In vulgatis cum S. Dunstano: *Hoc semper faciant.* Apud Ivonem et Turrecrematam: *Hoc faciant.* hoc perficiant,

@ [Col. 1012B] *Usque dum benedicat.* Ita hunc locum exponit Smaragdus: «Quod autem dicit, *benedicat, intelligitur: dimittat tibi Dominus.*» usque dum benedicat, et dicat: Sufficit.

§ II.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 18).

@ [Col. 1012C] *Satisfactio.* Haec habetur in Regula S. Isidori edita, eod. cap. 18. Satisfactio delinquentium haec est. Fratribus in ecclesia constitutis, peracto poenitentiae tempore,

@ [Col. 1012C] *Solvet statim cingulum.* Notandus mos antiquus, qui fuit ut monachi supplices, cum veniam petebant aut increpabantur, cingulum solverent. S. Pachomius, art. 1 suae Regulae: «Si acciderit ut psallendi tempore vel orandi aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, solvet cingulum, et inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur.» Et art. 78: «Omnis correptio ita fiet, ut discincti sint qui corripiuntur, et demissis manibus, et humiliato capite emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.» S. Fructuosus episcopus, cap. 14 Regulae suae: «Sed omnibus ad orationum studia convenientibus, ille prostratus humo cingulo opertorioque ablato, poscet veniam negligentiae suae.» Fructuosus alter, c. 14: «Et cingulum in manibus gestans vel fratrum pedibus cum lacrymis provolvatur.» solvet statim cingulum

@ [Col. 1012D] *Extra chorum humo prostratus.* In Regula excusa: «Humique extra chorum prostratus jacebit agens poenitentiam quoque.» extra chorum humo prostratus, [Col. 1012A] quousque celebritas expleatur; cumque jussum fuerit ab abbate, de terra consurget ingrediensque chorum

@ [Col. 1012D] *Rursus oret.* Haec verba desiderantur in Regula excusa. rursus oret.

@ [Col. 1012D] *Post haec.* Desunt etiam in Regula excusa. Post haec data oratione pro eo ab abbate, et respondentibus cunctis Amen, surget. Atque omnibus pro negligentia veniam poscat, adepturus indulgentiam post hujus emendatoriae satisfactionis censuram.

@ [Col. 1012D] *In minori aetate, etc.* Ex S. P. Benedicto, cap. 15. In minori aetate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiae congruis emendandi sunt plagis; ut quos aetatis infirmitas a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat. Excommunicatis autem ab his locis, quibus fuerint constituti, ante poenitentiae tempus expletum progredi prohibeatur. Ad excommunicatum nulli liceat egredi citra imperium senioris.

@ [Col. 1012D] *Cum excommunicato, etc.* Hic locus ita citatur a Burchardo, libr. II, cap. 31, et ab Ivone, p. XIV Decreti, cap. 95: «Cum excommunicato neque orare, neque loqui, nisi ea quae ad eamdem excommunicationem pertinent, neque vesci cuiquam liceat.» Cum excommunicato neque [Col. 1012B] orare, neque loqui licebit. Cum excommunicato nulli penitus vesci licet, nec ipsi quidem qui alimentum victui praebet.

@ [Col. 1012D] *Cujus biduana, etc.* In Regula S. Isidori edita: «Si excommunicatio biduana

fuerit, excommunicato nihil alimenti tribuendum est.» Cujus biduana vel triduana fuerit illata excommunicationis suspensio, sola panis et aquae in vespertinum erit adhibenda refectio. Excommunicatis praeter hiemis violentiam cubile [Col. 1013A] humus erit tantum sive

@ [Col. 1013B] *Storia.* Alias *storea, idem quod matta.* Smaragdus in hoc caput S. Benedicti: «*Aut certe storea, id est, matta super humum.*» storia; amictus autem

@ [Col. 1013B] *Tegmen rasum.* Idem statuit S. Fructosus alter, 14: «Indutus tegmine raso, aut cilicio seminudus.» Rasum tegmen est rarioribus filis compactum, denso et crassiori oppositum. Unde jocus Martialis lib. II, epigr. 85:

Dona quod aestatis misi tibi mense Decembri
Si quereris, rasam tu mihi mitte togam. Alias *ralla.* Nonius Marcellus, cap. 14: «Ralla vestis dicta est a raritate.» Isidorus, lib. XV Orig., cap. 22: «Rafla, quae vulgo rasilis dicitur.» Graecis neotericis ῥάσον, id est rasum, vestis monachorum, sed maxime novitiorum, qui ideo dicti fuere ῥασοφόροι et ῥασοφοροῦντες apud Theodorum Balsamonem in can. 5 primae et secundae synodi Constantinopolitanae, et ῥασοφορεῖν, id est rasum ferre, apud eumdem, in canonem 19; epist. 3 S. Basilii ad Amphilochium: κἀν γὰρ μὴ ἀποκαρῇ τις, ἀλλὰ ῥασοφορήσῃ, id est, «etsi qui tonsus non fuerit, sed rasum ferat.» tegmen rasum, aut forte

@ [Col. 1013C] *Cilicium.* Suidas Κιλίκια τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα, ὑφάσματα, id est, telae ex pilis contextae. Cassiano cilicina vestis. A Cilicibus populis, apud quos sunt caprae et hirci densissimi pili, ex quo hujusmodi telae seu textilia conficiuntur, ut docent Varro, l. X de Re rustica, c. 11; Suidas et auctor veteris Etymologici. cilicium. Calciamentum vero

@ [Col. 1013D] *Spartea.* Est calceus ex sparto confectus, Hispanis proprius, apud quos calceamenta ex sparto conficiebantur. Plinius, l. IX, cap. 2, de sparto agens: «Hinc calceamenta et pastorum vestis.» spartea, aut quodlibet genus

@ [Col. 1013D] *Solearum.* «Soleae, inquit S. Isidorus lib. XIX Orig., cap. 34, sunt tantum quibus pedum plantae teguntur, dictae a solo pedum.» Agellius, lib. XIII, cap. 20: «Sed Castricius profecto scite atque incorrupte locutus est, omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, caetera prope nuda et teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt. Haec apte describunt solearum formam. Glossae veteres: Soleas, σανδάλια. Sed hic sandalia non sumuntur pro comptis et concinnis illis antiquorum sandaliis. solearum. Excommunicandi autem potestatem habebit Pater monasterii, sive praepositus. Reliqui autem excessus monachorum in

@ [Col. 1013D] *Collecta.* Est, quam supra diximus appellari collationem a S Isidoro. collecta abbati vel praeposito deferentur, ut is qui deliquisse cognoscitur competenti severitate coerceatur.

§ III.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 14).

@ [Col. 1014B] *Cum excommunicatur, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass. Cum excommunicatur vel arguitur quisquam pro negligentia sua, exercebit humilitatem quousque percipiat

@ [Col. 1014B] *Orationem.* Id est, benedictionem, veniam. orationem; nec se audebit inter alios commiscere vel cuiquam occulte jungere; sed omnibus ad orationum studia convenientibus, ille prostratus [Col. 1013B] humo,

@ [Col. 1014B] *Cingulo.* Sumpsit ex S. Isidoro supra. cingulo opertorioque ablato, poscet veniam negligentiae suae. Hoc etiam his ab officio egredientibus exhibebit. Similiter quoque et refectionis tempore

@ [Col. 1014B] *Coram refectorio.* Id est, ad januam refectorii. coram refectorio astabit

@ [Col. 1014B] *Vultu deposito.* Id est, cervice inclinata, ut praecipit S. Pachomius art. 1: *Solvet cingulum, et inclinata cervice.* vultu deposito et

@ [Col. 1014C] *Habitu.* Supra, *opertorio.* habitu, quousque fratrum compassione solutus veniam percipiat quam deposcit.

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 13).

@ [Col. 1014C] *Frater qui ob levem culpam, etc.* Haec reperire est in Regula ms. cod. Corb., cod. capite sub finem. Frater qui levem culpam habuerit, et post primam, [Col. 1014A] secundam et tertiam monitionem

@ [Col. 1014C] *De uno quocunque.* Adde, *vitio, ut habetur in Regula ms.* cod. Corb. et in libello C et XIV Sententiarum de Rectoribus Ecclesiae. de uno quocunque non emendaverit, a mensa excommunicetur, non ab oratorio. Quae excommunicatio tandiu inoffensa permaneat,

@ [Col. 1014C] *Quandiu a reo majori.* In libello citato legitur, *ab eo.* In cod. Corb. et libello citato deest τό *majori.* Locus corruptus, ita, ut arbitror. castigandus: *Quandiu a reatu humili satisfactione humiliato ad genua capite se de caetero majori promiserit emendare.* quandiu a reo majori humilitatis satisfactio, humiliato ad genua capite, se de caetero promiserit emendari. Qui vero frater gravem culpam admiserit, ipse ab utroque excommunicetur, id est, ab oratorio et a mensa. Et non ipse ad indulgentiam majoris perveniat, nisi ante limen oratorii prostratus lacrymabili voce intervallo

@ [Col. 1014C] *Cessantium a psalmis horarum.* Ita in cod. Corb. Apud Smaragdum, *cessantium in psalmis horarum.* Legendum tamen puto, *orationum,* non *horarum.* Nam intelligit orationes quae fiebant in singulorum psalmorum intervallo, ut constat ex capite sequenti ejusdem Regulae: «Cum hora divini officii in oratorio exercetur, id est, cum expleto psalmo ab omnibus orationi incumbitur, tunc excommunicationis reus prostratus ante limen oratorii haec cum lacrymis clamet: Peccavi, etc.» Et paulo post: «Post hanc vocem cessantibus a psalmis per omnes orationes a reo jacente effusam, cum completum fuerit sanctum oratorii opus, et reo jacente adhuc ante limen exeunti abbati omnis congregatio humilietur.» Ubi vides hic legi, *orationes,* non *horas.* cessantium a psalmis horarum Deo et omnibus emendatione satisfecerit repromissa: si tamen propter

@ [Col. 1014D] *Inanitatem.* Id est, *levitatem, ut habetur cap.* 14. «Si tamen propter levitatem culpae eadem hora voluerit abbas veniae consentire.» inanitatem ponderis culpae citius voluerit abbas consentire, quod dictante Domino sequens pagina demonstrabit. Ille vero frater qui excommunicatus a mensa, non ab [Col. 1014B] oratorio fuerit, tandiu antiphonam, aut lectionem non imponat,

@ [Col. 1014D] *Quandiu.* Id est, *donec.* quandiu de culpa illa emendatione promissa satisfecerit, aut abbatis praesentis, aut praepositi sui ad genua incurvatus: excommunicati vero fratres, si ita superbi exstiterint, ut in superbia cordis perseverantes in tertia die, hora nona satisfacere abbati noluerint, custoditi

@ [Col. 1014D] *Usque ad necem.* Ita in cod. Corb. et in libro CXIV Sententiarum. Quae

tamen verba non exstant apud Smaragdum. Et sane puto esse addititia, aut saltem dicta hyperbolice. usque ad necem

@ [Col. 1014D] *Caedantur.* In libello citato CXIV Sent. additur *virgis.* caedantur; et, si placuerit abbati, de monasterio expellantur, [Col. 1015A] quia

@ [Col. 1015A] *Talis vita.* Monastica videlicet. talis vita necessarios non habet

@ [Col. 1015A] *Corporales.* Id est animales, carnales. corporales, vel societas fratrum, quos in anima superba possidet mors. Nam merito ergo tales debent plagis mactati expelli, qui esse cum Christo humilitatis Domino non merentur: sed sint a perpetuis

@ [Col. 1016A] *Promissis.* Liber citatus addit, *Dei.* promissis cum auctore suo diabolo separati, qui de coelorum [Col. 1016A] regnis propter suam superbiam projectus est. Ergo ad superiorem excommunicationum, vel satisfactionis sensum, ut coepimus, prosequamur. Ergo hujus poenitentiae modum et satisfactionem Deum et abbatem credimus acceptare.

CAPUT XXXIV. DE HIS QUI SINE JUSSIONE ABBATIS JUNGUNTUR EXCOMMUNICATIS.

[Col. 1015B]

§ I.---EX Regula sancti Benedicti.

@ [Col. 1015B] *Si quis frater, etc.* Hoc capitulum profertur ab Ivone, parte XIV Decreti, cap. 34. Si quis frater praesumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere

@ [Col. 1015B] *Aut loqui cum eo.* «Quoniam depravatio bonorum allocutio est malorum,» inquit Haymo Halberstattensis in cap. XV Epist. I ad Cor. aut loqui cum eo, vel

@ [Col. 1015B] *Mandatum dirigere.* Est aliquid per internuntium significare, quod Gallice dicimus, *lui mander quelque chose, juxta versionem Gallicam Guidonis Juvenalis abbatis S.* Sulpitii. Mandatum est nuntium, significatio, legatio. Phaedrus lib. I, fab. 2:

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem, Afflictis ut succurrat. . . . . Et lib. IV:

Mandata dant, legati mittuntur, statim Adeunt. . . . . Caesarius Arelatensis cap. 23 Regulae: «Ut occulte a quolibet litteras, aut quaelibet mandata, aut munuscula accipiat.» Glossae Graeco-Barbarae: μαντάτα [Leg. μανδάτα] ἀπαγγελίας μηνύματα, nuntia. Eaedem Glossae. μαντατοφόρος, [Leg. μανδατοφόρος] πρεσβύτης, id est, nuntius, legatus. Apud Suidam μανδάτωρ εἶδος ἀξιώματος, id est, species dignitatis. Apud eumdem πευθὴν πευθηνὸς, μανδάτωρ, id est, interrogator emissarius, qui mittitur ad interrogandum et sciscitandum. mandatum dirigere,

@ [Col. 1015C] *Similem sortiatur excommunicationis vindictam.* Ita loquitur Callixtus papa, epist. 2, ad episcopos Galliae: «Quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subjacebit.» Circa hunc locum S. P. Benedicti difficultas est non minima, quia qui excommunicatis communicant minorem tantum incurrunt excommunicationem, exceptis quibusdam casibus. Itaque nonnulli per similem excommunicationis vindictam intelligunt minorem excommunicationem, quae cum in

genere excommunicationis conveniat cum majori, ei similis est, ut aiunt, non quidem in specie, sed in genere. Sed haec explicatio, praeterquam quod nimis extorta est, non valet. Nam concilium Aurelianense apud Burchardum lib. II, cap. 5, utitur eodem vocabulo cum ferit anathemate eos qui communicaverint cum excommunicato in operibus ejus malignis, quo in casu docent Summistae majorem excommunicationem incurri. Ita loquitur concilium: «Et, si quis ei se sociaverit, et communicaverit operibus ejus malignis, noverit se simili percussum anathemate.» Et Callixtus papa supra citatus. Itaque dico locum S. Benedicti de majori excommunicatione intelligendum esse juxta veterum morem, qui hanc excommunicationem communicantibus cum excommunicatis infligebant, ut videre est apud Burchardum libro citato, et Ivonem parte XIV, et in multis conciliis, maxime cum olim non esset minor excommunicatio. Sed quia modo multa relaxata sunt a summis pontificibus circa communicationem cum excommunicatis, existimo hanc legem S. Benedicti esse abrogatam, nisi forte quis communicaverit in crimine criminoso, ut loquuntur, et in aliis casibus exceptis a Summistis. similem sortiatur excommunicationis vindictam.

§ II.---EX REGULA SANCTI ISIDORI EPISCOPI (cap. 18).

@ [Col. 1016C] *Ad excommunicatum, etc.* Haec reperire est in Regula S. Isidori excusa eodem capite 18. Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium senioris.

@ [Col. 1016C] *Cum excommunicato, etc.* Hic textus habetur causa II, qu. 3, c. 18, hoc modo: «Cum excommunicato neque orare neque loqui (nisi ea quae ad eamdem excommunicationem pertinent) nec vesci liceat.» Apud Burchardum, lib. II, cap. 31: «Cum excommunicato neque orare, neque loqui (nisi ea quae ad eamdem excommunicationem pertinent) neque vesci cuique liceat.» Ubi lege, *cuiquam, quemadmodum etiam in Decreto Ivonis p.* XIV, cap. 95, ubi idem textus habetur. Sed miror cur in his tribus auctoribus habeantur haec verba, *nisi quae ad eamdem excommunicationem pertinent, cum non reperiantur in hac Concordia, neque apud Smaragdum, qui etiam hunc textum profert, neque etiam in ipsa Regula S.* Isidori excusa. Quod autem citati auctores haec etiam verba *nec vesci, addiderint,* hoc fit quia voluerunt sequentem textum, *cum excommunicato nulli penitus vesci licet, etc.,* cum antecedente contrahendo conjungere. Cum excommunicato neque orare, neque loqui cuiquam licebit. Cum excommunicato [Col. 1016B] nulli penitus vesci licet, nec ipsi quidem qui alimentum victui praebet.

§ III.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 14).

@ [Col. 1016D] *Cum excommunicato, etc.* Haec reperiuntur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crassensis eodem cap. 14; proferunturque a Burchardo lib. 11, cap. 33, et ab Ivone. I parte Decreti cap. 97, ex dictis Fructuosi episcopi, usque ad illa verba: *Quaelibet causa, etc.* Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compassione vel miseratione refoveat, neque

@ [Col. 1016D] *Ad contradictionem.* Ita apud Burchardum et Ivonem locis citatis. In Regula ms. legitur, *contritionem.* Male. ad contradictionem vel superbiam confortare praesumat.

@ [Col. 1016D] *Quaelibet causa.* Haec usque ad finem capituli habentur in decreto Ivonis, p. VI, cap. 399. Laudanda sane institutio, ne ab abbate vel praeposito inferiores opprimantur, et a senioribus juniores; cui non absimilis est haec S. Pachomii sanctio

articulis 92, 94 et 112, qui vult praepositos et majores a fratribus boni testimonii judicari, ne forte illi potentia sua opprimant innocentes. Quaelibet causa

@ [Col. 1016D] *In conventu fratrum.* Apud Ivonem, *in conventu omnium fratrum.* in conventu communi [Col. 1017A] fratrum est ventilanda et juste ac subtiliter perscrutanda: ne forte dolositate et malitia senioris innocens junior opprimatur

@ [Col. 1017C] *Ab abbate vel praeposito.* Haec vocabula desiderantur in Decreto Ivonis. ab abbate vel praeposito

@ [Col. 1017C] *Juxta personarum acceptionem.* Hic locus corruptus est. Apud Ivonem legitur. *Rectori juxta personarum acceptionem, etc.* Recte. Itaque hic locus hoc modo est restituendus: *Ne forte dolositate et malitia senioris innocens junior opprimatur ab abbate vel praeposito.* Rectori juxta personarum acceptionem non liceat judicare. juxta personarum acceptionem: non liceat judicare, neque aliquem fraudulenter vel injuste damnare, sed, ut dictum est, spiritalium et veridicorum fratrum

@ [Col. 1017C] *Hujuscemodi rebus.* Lege, *in hujuscemodi rebus.* hujuscemodi rebus

@ [Col. 1017C] *Est retinenda sententia.* Apud Ivonem corrupte legitur: *Et alia tradenda et retinenda sententia.* In Regula ms. legitur *reddenda.* Male. est retinenda sententia, qui sibi Dei judicium ponentes prae oculis non permittant pessime deprimere animam innocentis.

§ IV.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 35).

Nulli liceat loqui cum illo qui fuerit excommunicatus, praeter illum quem ei sanctus abbas custodem dederit

§ V.---EX REGULA CASSIANI (cap. 14).[Col. 1017B]

@ [Col. 1018C] *Si quis autem, etc.* Exstat apud Cassianum, lib. II de Orationibus nocturnis, cap. 16. Si quis autem pro qualibet culpa fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo orandi habeat licentiam, antequam submissa in terra poenitentia coram omnibus fratribus supplicanti ei venia ab abbate tribuatur. Nam qui se orationi vel confabulationi ejus, antequam

@ [Col. 1018C] *A priore.* Id est, ab abbate. a Priore recipiatur, inconsiderata pietate sociare praesumpserit, similis damnationis reus efficitur,

@ [Col. 1018C] *Tradens semetipsum voluntarie.* Locus corruptus, ex cod. Vind., Cass. et Smaragdo sic emendandus: *Tradens semetipsum voluntarie Satanae, cui ille, secundum Apostoli sententiam pro sui reatus emendatione fuerat deputatus.* tradens semetipsum voluntarie fuerat deputatus. Et in hoc gravius peccat, qui se ipsi conjungit, quia solatium ei tribuens cor ejus amplius facit indurari, et non permittit pro hoc quod ab oratione fuerat segregatus, de satisfactione sua et venia cogitare, majorem superbiae fomitem et contumaciam delinquentis nutrit in pejus.

[Col. 1018A]

§ VI.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 5).

Cum eo qui pro admissa culpa ab orationis vel mensae consortio removetur, praeter eum qui ejecti fratris amaritudinem doctrinae et charitatis possit admixtione dulcare,

nullus audeat conferre sermonem.

§ VII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 13).

@ [Col. 1018C] *Si quis vero, etc.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. 13. Prima pars hujus capituli usque ad illa verba: *Et ab omnibus reus sit, a Burchardo lib.* XI, cap. 32, ex S. Isidoro; et a Gratiano causa 11, qu. 3, cap. 28, ex octava synodo: sed male, nam est hujus Magistri. Si quis vero frater aut palam aut absconse cum eo fuerit allocutus aut junctus, communem statim cum eo excommunicationis contrahat poenam et ab omnibus reus sit, atque in alio laboris ipse opere sequestretur a praeposito suo: et sit ipse tam ab illo reo quam ab omnibus sequestratus et solus, et mox ab omnium et ipse alienus eloquio. Nam non ad veniam [Col. 1018B]

@ [Col. 1018C] *Majoris.* Major est abbas, ut saepe occurrit in his Regulis, qui conc. Carthaginiensi IV, can. 13, dicitur, *major monasterii.* majoris et ipse pertineat, nisi poenitentiae similis satisfactio ab eis aequaliter fuerit operata: illius, propter quod exstitit inobediens in vitio et peccato; istius, quod mercedem consolationis tribuerit malorum artifici.

§ VIII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 19).

Excommunicatus vero frater qui culpis gravioribus existentibus aut cellae suae recluditur, aut a consortio congregationis separatur, a nullo penitus aut eloquii, aut visitationis munus fruatur, nisi tantummodo cui praeceptum ab abbate fuerit. Si quis transgressus hanc Regulam fuerit, regulari poenitentiae subjacebit.

CAPUT XXXV. QUALITER DEBEAT ABBAS SOLLICITUS ESSE CIRCA EXCOMMUNICATOS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres: quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus **(Matth. IX)**.

@ [Col. 1017D] *Et ideo uti debet omni modo.* Id est, uti debet omni ratione et industria artis spiritalis, ut sapiens medicus. In vetusta editione Parisiensi legitur: *Commodo,* pro *omni modo.* Et ideo uti debet omni modo ut sapiens medicus:

@ [Col. 1017D] *Immittere.* Apud Smaragdum: *Immittere debet,* verbum, *debet, repetendo.* Quod, si non repetitur, saltem subaudiendum est. immittere quasi occultos

@ [Col. 1018D] *Consolatores.* In mss. S. Germ. et S. Faronis: *Consiliatores;* sed vulgata lectio praestat. Nam sequitur: *Qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem.* consolatores.

@ [Col. 1018D] *Senpectas.* Ita codices mss. Victorini et S. Germ. min. legunt. Ms. S. Ebr., *sepectas.* Codices. Vind. et S. Germ. ma., *Sinpectas.* Smaragdus et editio [Col. 1019B] Coloniensis, *senipectas.* Cod. S. Far. S. Dunstanus, Turrecremata, editio Colinaei, vetusta Parisiensis et vulgatae: *Senipetas.* Sed quid sit senipeta non video. Smaragdus senipectas putat esse verbum Graecum, cum ait: «Senipectas Graecum est nomen, non

Latinum, quo secundum ipsius beati Benedicti interpretationem seniores, et sapientes fratres intelliguntur.» Quod quam verum sit, judicet doctus lector. Apud Palladium capite de Serapione lego: Συμπαίκτην ἀσκητὴν. Διηθοῦντο δέ οἱ Πατέρες, ὅτι λαβών τινα συμπαίκτην ἀσκητὴν πέπρακε ἑαυτόν ἔν τινι πόλει μίμοις ἕλλησιν οὖσιν, id est, «narrant vero Patres quod assumens quemdam sympaectem monachum, vendidit se in quadam civitate mimis gentilibus.» Ejusmodi ergo Συμπαίκτης monachus videtur esse is qui conspirat cum abbate ad ipsum excommunicatum sapienter ludificandum, se ejus amicitiae, veluti per cuniculos insinuando, ut eum ad sanam mentem revocet. Itaque cum Smaragdus dicit *senipectas esse vocabulum Graecum, credibile est eum legisse sympaectas, vel sinpectas, secundum minus accuratam orthographiam:* quam quidem lectionem germanam esse existimo: etsi S. Pater Benedictus interpretetur hoc vocabulum *Seniores sapientes fratres.* Nam potius habuit rationem personae, quam vocis, quod satis patet, quia hoc nomen quovis modo legatur, non potest haec tria nomina significare. Dicit autem seniores sapientes, quia ejusmodi sympaectae erant senes et sapientes, non quod praecise id significet hoc vocabulum; quod proprie collusorem significat. Senpectas, id est, seniores [Col. 1019A] sapientes, qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem, et provocent eum ad humilitatis satisfactionem, et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur **(I Cor. V)**. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas, et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de ovibus sibi subjectis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem, et metuat Prophetae comminationem, per quem dicit Deus:

@ [Col. 1019D] *Quod crassum videbatis, assumebatis.* Ezech. XXXIV, ubi legitur: *Quod crassum erat, occidebatis, ut habetur in textu Hebraico et Graeco, quibus respondent antiquae versiones.* Itaque subaudiendum hic puto, τό *Ad occidendum, aut certe legendum: Assumebatis, id est devorabatis, mactabatis ad devorandum juxta sensum Prophetae. Quod crassum videbatis, assumebatis;*

@ [Col. 1019D] *Et quod debile erat, projiciebatis.* In vulgata versione juxta textum Hebraicum et Graecum: *Quod infirmum fuit, non consolidastis.* Sed S. Benedictus usus est antitheto juxta prioris membri lectionem, retinens tamen sensum Prophetae, non verba: nam qui projicit, non consolidat. *et quod debile erat, projiciebatis* **(Ezech. XXXIV; Luc. XVI)**. Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui, relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quae erraverat, quaerere: cujus infirmitati intantum compassus est, ut eam sacris humeris suis [Col. 1019B] dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem.

§ II.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 14).

@ [Col. 1020B] *Cum excommunicatur, etc.* Haec non exstant in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi. Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram in solo pane et aqua: ut in vespera post coenam fratrum medium accipiat paximatium, et non ad satietatem aquam: et hoc ab abbate

@ [Col. 1020B] *Exsufflatum.* Id est maledictum, abominatum, eo quod debeat comedi ab excommunicato et tradito Satanae, et verbum exsufflare, id est detestari, abominari. Beda lib. V hist. Angl. cap. 22: «Quis, rogo, fidelium non statim cum ipsa magia primo detestetur et exsufflet?» Fuit quippe mos veterum Christianorum, ut id quod

immundum et abominabile judicarent, exsufflatione rejicerent, Tertullianus lib. II ad uxorem: «Latebisne tu, cum lectulum tuum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu exspuis?» et lib. de Idololatria: «Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, aras exspuet, et exsufflabit, quibus ille prospexerit?» Qui quidem mos ab antiquo baptismi ritu manavit, quo baptizandus ter Satanam exsufflat, ut videre est apud S. Dionysium Areopagitam lib. de Hierarchia ecclesiastica cap. 2, parte II: ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς διακελεύεται Σαθανᾶ, id est, «Jubetur ter exsufflare Satanam.» Hac etiam utebantur exsufflatione sancti viri daemonem abigentes tentatorem. Acta S. Pachomii: «Mox signo crucis frontem muniens exsufflavit in eum (daemonem) moxque fugatus est:» et infra: «Et exsufflans in eum dixit: discede a me, diabole.» Severus Sulpitius dialogo tertio: Memini quodam die ad eum venisse Martinum, qui ubi secretarium ejus ingressus est, vidit post tergum ipsius daemonem mirae magnitudinis assidentem, quem eminus (ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur) exsufflans, Avitianus se exsufflari existimans, quid me, inquit, sancte, sic aspicis?» exsufllatum, et

@ [Col. 1020D] *Non sanctificatum.* Id est non benedictum; vide supra. non sanctificatum. Absque ullo sedeat solatio, vel [in] colloquio fratrum, nisi quem abbatis vel praepositi cum eo praeceperit auctoritas, ut loquatur.

@ [Col. 1020D] *Indutus tegmine raso aut cilicio.* S. Isidorus in Regula cap. 18. *Tegmen rasum, aut certe cilicium.* Indutus tegmine raso aut [Col. 1020A] cilicio seminudus atque discalceatus opus monasterii exerceat excommunicatus. Si biduana vel triduana fuerit excommunicatio ejus, mittat senior, qui eum excommunicavit, unum de majoribus quem probatum habet, qui eum verbis contumeliosis increpet, quod non ob refigionis venerit occasionem, nec pro Christi amore, nec gehennae pavore, sed simplicium fratrum facere disturbationem. Si haec ille patienter tulerit, et de ore ejus nulla iracundia vel murmuratio proruperit, simplicitas mentis et humilitatis apparuerit; sic increpator absque immutatione verborum, quod in eo praeviderit, abbati renuntiet. Abbas vero sollicite et prudenter tractet,

@ [Col. 1020D] *Utrum veram imaginariam.* Lege: *Utrum veram aut imaginariam, ut in cod.* Vind. utrum veram, imaginariam habeat patientiam, per quam possit se ad fratrum reconciliare charitatem. Secundo ejusdem [Col. 1020B] meriti senem probatum ad exprobrandum eum mittat: et quod primitus audivit, non facile credat. Cumque ita tertio fecerit, et pari vitio increpatus fuerit, et in priore promissionis patientia excommunicatus perduraverit, et hoc abbas per tres testes probaverit, post hoc eum

@ [Col. 1020D] *Ejici debeat.* Lege: *Educi jubeat, nempe e cella.* ejici debeat, et sic praesentatum per se increpet coram conventu fratrum. Cum ita quarto fuerit tentatus, et in humilitate fuerit probatus, et fortis fuerit ut ferrum inventus, postmodum ecclesiam ingrediatur et

@ [Col. 1020D] *Cingulum in manibus.* Vide supra hoc capite annotata ad S. Isidorum. cingulum in [Col. 1021A] manibus gestans abbatis vel fratrum pedibus cum lacrymis provolvatur, et cum singultu et gemitu genibus humo properando a cunctis veniam accipere mereatur, et ne talia poenitendo ultra committat, et post haec

@ [Col. 1021C] *Osculatus ab abbate.* In signum reconciliationis. osculatus ab abbate, in suo gradu accipiatur.

§ III.---EX LIBRO GREGORII NAZIANZENI.

@ [Col. 1021C] *Eum qui in Corintho, etc.* Haec habentur in oratione 39 ejusdem sancti Patris, quae inscribitur, Ad sancta lumina. Sed quoniam quae hic citantur, paulo aliter habentur in textu Graeco, quaedam altius repetendo proferemus: Si prius notaverit lector S. Gregorium agere in Novitianos, qui poenitentiam minime admittebant. ἢ οὐδὲ τελειωθέντα δέχα δι᾽ αἵματος_ ἔστι γὰρ καὶτῆς σῆς ἀπονοίας, οὐδὲ τον ἐν Κορίνθῳ παρανομήσαντα· Παῦλος δὲ καὶ ἀγάτην ἐκύρωσεν, id est, «vel neque suscipis sanguine suo consummatum, id est martyrem, id enim est etiam tuae arrogantiae, neque eum qui se Corinthi scelere contaminavit? At Paulus circa eum charitatem confirmavit.» Caetera vero hic satis rite procedunt. Eum qui de Corintho peccavit peccatum,

@ [Col. 1021D] *Quale nec inter gentes.* Haec non sunt apud sanctum Gregorium, sed ex D. Pauli textu addita. quale nec inter gentes, ad poenitentiam Paulus suscepit **(I Cor. V)**: et non solum suscepit, verum etiam in eo charitatem confirmavit. Quando quidem emendationem vidit, et causam facti exposuit dicens: Ne forte ampliori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est, correptionis scilicet nimietate praegravatus.

§ IV.---EX LIBRO SANCTI AUGUSTINI DE PASTORIBUS [Col. 1021B] (cap. 1).

Cum praepositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt, consulant: nec in eo quod praesunt omnino utilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis tamen praepositus est, ut in eo quod praepositus est, gaudeat, honorem suum quaerat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. Ad hos sermo dirigitur: audite tanquam oves Dei et videte, quemadmodum vos securos fecerit Deus, qualescunque sint qui vobis praesunt, id est qualescunque sumus: Vobis securitatem dedit, qui pascit Israel. Nam si Deus non deserit oves suas, et mali pastores debitas poenas luent, et oves promissa percipient.

§ V. *Item ejusdem.*

@ [Col. 1021D] *Sanae et crassae, etc.* Haec habentur eodem libr. de Pastoribus cap. 4, hic citata ob illa S. Benedicti: «Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum,» etc. Sanae et crassae oves perpaucae sunt, id est, solidae [Col. 1021C] in cibo veritatis, utentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus. Parum est, quod illas languentes, et infirmas, et errantes, et perditas, non curant, etiam istas fortes et pingues necant, quantum in ipsis est. Et illi vivunt de misericordia Dei, [

@ [Col. 1021D] *Vivunt tamen.* Tò *vivunt redundat, nec est in editis S.* Augustini. vivunt] tamen quantum ad malos pastores attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? male vivendo, malum exemplum praebendo. Sin frustra dictum est servo Dei eminenti in membris summi pastoris: circa omnes teipsum bonorum operum praebe exemplum, et forma esto [Col. 1022A] fidelibus (ad Tit. 2). Attendendo enim ovis etiam fortis plerumque praeposito suo male viventi, si declinet oculos a regulis Domini, et intendit in hominem, incipit dicere in corde suo: Si praepositus meus sic vivit, ego quid sum, qui non faciam, quod ille facit?

@ [Col. 1022C] *Occidit ovem fortem.* In editis S. Augustini sequitur: *Si fortem, occidit ovem.* occidit ovem fortem. Jam de caeteris quid facit: qui illud, quod non ipse fortificaverat, sed forte aut robustum invenerat, male vivendo interficit? Dico charitati

vestrae, iterum dico; etsi oves, etsi fortes sunt in verbo Domini, et tenent illud, quod audierunt a Domino suo: *Quae dicunt, facite;* quae autem faciunt, facere nolite **(Matth. XXIII)**; tamen qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus: et ille [Col. 1022B] vivit, et ille homicida est. Quomodo cum lascivus homo intendit ad mulierem ad concupiscendum, ecce illa casta est, et moechatus est iste? Domini enim vera et aperta sententia est: *Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* **(Matth. V)**. Non pervenit ad ejus cubiculum, et in interiori cubiculo suo volutatur. Sic omnis, qui male vivit in conspectu eorum, quibus praepositus est; quantum in ipso est, occidit et fortes. Qui imitatur, moritur: qui non imitatur, vivit. *Et* quod crassum est, inquit, *interfecistis, et oves meas non pascitis* **(Ezech. XXXIV)**.

@ [Col. 1022C] *Jam audistis.* Hic incipit caput 35 ejusdem libri in editis: *Quod contributatum est.* Jam audistis, quid diligant. *Quod infirmatum est, non confortastis:* et quod male habuit, non corroborastis: et quod tribulatum est (id est, quod confractum est) [Col. 1022C]

@ [Col. 1022D] *Non colligastis.* Apud S. Cyprianum epist. 54: «Quod contribulatum est, non consolati estis.» *non colligastis:* et quod errabat, non revocastis: et quod periit, non inquisistis:

@ [Col. 1022D] *Et quod forte fuit confregistis.* Apud S. Augustinum legitur: *Confecistis, non: Confregistis, id est, interfecistis, ut ipse explicat.* In epist. 54 S. Cypriani legitur: *Confecistis labore. et quod forte fuit, confregistis,*

@ [Col. 1022D] *Interfecistis.* Lege, ut in editis: *Id est, interfecistis. interfecistis, occidistis.*

@ [Col. 1022D] *Infirmatur ovis, id est.* Haec non exstant in editis. Infirmatur ovis, id est,

@ [Col. 1022D] *Infirmum corrigit.* Locus corruptus, lege *Infirmum cor gerit:* in editis S. August.: *Infirmum quippe animum gerit ovis.* infirmum corrigit,

@ [Col. 1022D] *Ut possit cedere tentationibus, etc.* Haec corrupta sunt, et ita ex editis castiganda: «Quando tentationes sibi profuturas non credit. Pastor negligens, quando sic credit talis infirmus, non illi dicit,» etc. ut possit cedere tentationibus: incauto, et imparato supervenerit pastor negligens. Quando credit talis, non illi dicit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* **(Eccl. II)**. Qui enim hoc loquitur, confortat infirmum et ex infirmo facit firmum: ut non ille, cum crediderit, prospera hujus saeculi speret. Si enim [Col. 1023A] doctus fuerit sperare prospera saeculi,

@ [Col. 1023C] *Ipsa prosperitate corrumpitur.* Metuenda prosperitas, cum saepe in illa homo sibi non metuat, quia nimio illius splendore, et propria cupiditate obcaecatus periculum non videt, quod in sola adversitate positum esse credit. Quod sapienter admodum nos docet S. Augustinus serm. 13, de verbis Domini secundum Matthaeum: «Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus saeculi adversitas. Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum, etiam singulo evenit privata calamitas, tunc putatur ventus adversus, ibi putatur invocandus Deus. Quando autem temporali felicitate saeculum arridet, quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem; interroga sed tuam cupiditatem: vide, si tranquillus es in te: vide, si non te subvertit ventus interior. Hoc vide, magnae virtutis est cum felicitate luctari; ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa

subvertat felicitas. Magnae, inquam, virtutis est cum felicitate luctari, magnae felicitatis est a felicitate non vinci.» His quadrat illud Virgilii X Aen.:

Nescia mens hominum fati, sortisque futurae, Et servare modum, rebus sublata secundis. Et S. Isidori Pelusiotae libr. V, epist. 382: «Multi itaque difficilius existimant a rebus secundis in adversas incidentem celsum servare animum: Ἐγὸ δὲ δυσκολώτατον ἡγοῦμαι τὸ ἀπὸ δυσπραγίας εἰς εὐημερίαν ἀναδραμόντα φυλάξαι μέτριον τὸ φρόνημα, id est, «Ego vero difficillimum arbitror eum, qui ab adversis rebus ad secundas redit, moderatum custodire animum.» Et praeclare Salomon ait Prov. *I:* Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. Quem locum exponens S. Gregorius papa homil. 12 in Ezechielem sapienter admodum dicit: «Qui enim a Deo avertitur, et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinae invenitur alienus. ipsa prosperitate corrumpitur, supervenientibus adversitatibus sauciatur, aut fortassis exstinguitur.

@ [Col. 1024C] *Non ergo cum aedificat.* Tò *cum redundat, et legendum: Non ergo aedificat super petram, qui sic aedificat.* Aut si placet retinere particulam *cum,* lege, *non ergo cum aedificat super petram aedificat, qui sic aedificat.* In quibusdam editionibus legitur: *eum* pro *cum.* Non ergo cum aedificat super petram, qui sic aedificat,

@ [Col. 1024C] *Sed super arenam ponit.* Verbum: *Ponit, non est in editis S.* Aug. sed super arenam ponit. *Petra autem erat Christus* (II Cor. X). Christi passiones

@ [Col. 1024C] *Imitandae.* In editis additur τὸ *sunt.* imitandae, non a Christianis deliciae conquirendae. Confortatur infirmus, cum ei dicitur: Spera quidem tentationes hujus saeculi, sed ab omnibus te eruet Deus: si ab illo non recesserit cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiniri, venit spinis coronari, venit

@ [Col. 1024C] *Opprobria vivere.* Vivere, hoc loco ponitur pro *bibere,* v pro *b, Vasconum more;* in editis S Aug. legitur *audire.* Sed puto legendum *bibere.* Illud enim τὸ *audire non satis significat.* In Concordia Vindocinensi legitur: *Sustinere.* opprobria vivere, venit postremo ligno configi. Omnia haec ille pro te; tu nihil pro illo, sed pro te.

§ VI.---*Item ejusdem.* [Col. 1023B]

@ [Col. 1024C] *Quod infirmatum est, etc, Habetur apud S.* Augustinum, ejusdem libri cap. 6. Quod *infirmatum* est, inquit, *non confortastis.* Pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quaerentibus, non quae Jesu Christi:

@ [Col. 1024C] *Et commoda.* Lege: *Ex commodo, ut in editis.* et commodo lanae et lactis gaudentibus, oves omnino non curantibus, et quod male habuit non corroborantibus,

@ [Col. 1024D] *Id est infirmum, id est non firmum.* Primum, *Id est, abest ab excusis.* id est, infirmum, id est, non firmum.

@ [Col. 1024D] *Nam cum.* Tò *cum redundat, nec est in editis.* Nam [cum] dicuntur infirmi etiam aegrotantes. Sed inter infirmum et aegrotum, id est, male habentem hoc mihi videtur interesse. Etenim ista, fratres, quae distinguere utcunque conamur, forte et nos possumus majore diligentia melius distinguere, et alius peritior, vel lumine cordis plenior. Interim ne fraudemini, quod sentio, loquor. Infirmo ne accidat tentatio, et eum frangat, timendum est. Languens autem jam cupiditate aliqua aegrotat, et cupiditate [Col. 1023C] aliqua impeditur ab intranda via Dei, a subeundo [Col. 1024A] jugo Christi.

Attendite illos homines volentes bene vivere, et minus idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad Christiani firmitatem non solum operari quae bona sunt, sed et tolerare quae mala sunt. Qui autem videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle aut non posse, infirmi sunt. Qui vero cupiditate aliqua mala amatores mundi ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi et aegroti jacent: quippe qui ipso languore tanquam sine ullis viribus nihil honi possunt operari.

§ VII. *Item ejusdem.*

@ [Col. 1024D] *Non frustra ergo, etc.* Haec usque ad illa verba: *Proinde audi quid sequitur, exstant apud S.* Aug. ejusdem libri cap. 7. Non frustra ergo cum jam dixisset superius: *Quod crassum est, interfecistis.* Hic iterum in novissimo posuit. *Et quod forte fuit, confregistis.* Ipsa est [Col. 1024B] enim repetita sententia, nisi quia ex his quae supra dixit nata est. *Quod errabat, non revocastis:* et quod perierat, non quaesistis. Hoc faciendo, *Quod forte est, interfecistis.*

@ [Col. 1024D] *Proinde audi quid sequitur.* Haec usque ad finem habentur initio cap. 8. Proinde audi quid sequatur de ista negligentia malorum, imo falsorum pastorum: *Et dispersae sunt oves meae, et factae sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes,

@ [Col. 1024D] *Cum oves adhaerent pastori.* Ita in Concordia codicis Vindocinensis. In excusis legitur, *Cum oves non haerent pastori.* Sed negatio videtur expungenda, cum sequatur: *Nam praesens est pastor:* Sed male agentibus non est pastor, et inhaerent pastoribus. cum oves adhaerent pastori, nam praesens est pastor, sed male agentibus non est pastor. Et inhaerent pastoribus,

@ [Col. 1024D] *Non pastoribus.* Particula negativa expungenda est, nec est in editis. [non] pastoribus seipsos, non oves pascentibus. Et lethalis error consequitur. Eunt in bestias depraedantes se, et de illorum morte se satiare cupientes. Tales enim sunt qui gaudent de erroribus alienis; bestiae sunt pastae

@ [Col. 1024D] *Montibus.* In cod. Vind. legitur, *mortibus,* recte in editis, *morsibus dispersarum.* Sed τὸ *dispersarum exscriptor omisit, quod tamen necessarium est.* montibus.

CAPUT XXXVI. DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS DELINQUUNT.

[Col. 1025A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1025A] *Si quis, etc.* Hoc caput quadragesimum sextum est in Regula S. P. Benedicti. Cujus titulus sic habetur in cod. ms. ma. S. Germ., *De his qui in levibus rebus delinquunt.* Sed prior inscriptio praevalet. Non enim hic duntaxat agitur de levibus culpis, sed etiam de lethalibus. Hujus capitis meminit S. Fructuosus apud Henricum Canisium tomo quinto antiquae Lectionis, proferturque in conc. Duziacensi II, cap. 8. Si quis dum in labore quovis in coquina,

@ [Col. 1025B] *In Cellario.* Glossae veteres: *Cellarium,* ταμεῖον, id est cella penaria, repositorium. S. Isidorus, lib. XV Orig., cap. 5. «*Cellarium, quod in eo colligantur*

ministeria mensarum, vel quae necessaria victui supersunt.» Aliter Servius (*In* I *Aen.*): «*Cellarium est paucorum dierum:* unde et in cella dicitur importatum frumentum. *Penu vero longi temporis.*» Hoc vocabulum Latinum quidem, sed Graeci illud usurparunt, ut S. Basilius, interr. 147 Regularum brevium: Ὁ περὶ τὸ ἔργον τοῦ κελλαρίου, id est, qui cellarii curam gerit. Auctor tractatus de poenis monasticis, qui exstat inter Opera S. Basilii, art. 42: Εἴ τις ἀκαίρως ἔρχεται εἰς τὸ ἑψητήριον, ἢ εἰς τὸ κελλάριον, id est, «Si quis citra tempus opportunum venit in culinam vel cellarium.» Unde κελλαρικὸν, illud omne quod in cellario reconditur, Palladio cap. 117. Hist. Lausiacae. in cellario, in ministerio,

@ [Col. 1025C] *In pistrino.* Haec desunt in cod. ms. Vict. ma. in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunque loco, aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit

@ [Col. 1025C] *Ubi ubi.* Ita vulgo. Apud Keronem, *ubi vel ubi.* Cod. S. Ebr. et Smaragdus legunt, *ubi et ubi.* Haec autem vox geminata, *ubi ubi, nihil aliud sonat quam ubicunque, ubivis gentium, quocunque in loco.* Plautus in Casina:

Ita quocunque adveniant, ubi ubi sint, duplici damno dominos multant. Tertullianus, lib. de Fuga in persecutione: «Ubi ubi fuero, in manu ejus sum.» Anastasius Bibliothecarius in Constantino: «ubi ubi nominatus contingeret pontifex.» ubi ubi,

@ [Col. 1025C] *Non veniens continuo ante abbatem, etc.* Haec ultronea sui accusatio plurimum confert monacho, idque triplici potissimum nomine. Primo, ut delictum statim sequatur emendatio, atque ita semper ab omni peccato, quantum fieri potest, monachi sit expurgata conscientia; secundo ut nulla ei desit humilitatis exercitatio; tertio, ut omnis occasio excusationi, contentioni atque mendacio praecidatur: ut qui se ultro prodere tenetur, forsitan accusatus non se cum procacitate defendat, sed libens culpam fateatur. *Continuo, est statim, confestim, protinus, nulla intercedente mora.* Sed non puto locum intelligi de minusculis et similibus culparum quisquiliis: hoc enim grave esset fratribus, et molestum abbati. [Col. 1026A] Porro hujus rei praxis videtur in Vita S. Guidonis abbatis Pomposae, ubi agitur de quodam ejus discipulo Sergio templi custode, qui cum lampades mundaret, [Col. 1026B] excidit una e manibus et fracta est: «Territus ille (inquit auctor Vitae) collegit fragmenta et ante altaris crepidinem condens ea, festinans abiit ad Patrem Guidonem, ut multa ab eo propter damnum illatum ipsi irrogaretur. Quod cum factum esset, illico rediit ad altare, et lampadem sanam atque integram invenit.» non veniens continuo ante abbatem

@ [Col. 1026B] *Vel ante congregationem.* De hac re ita statuit S. Columbanus in Poenitentiali ms.: «Si non contemptu, sed casu aliquo amiserit aut fregerit, non aliter negligentiam suam, quam publica diluat poenitentia, cunctis in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terra veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam, cum jussus fuerit abbatis judicio de solo surgere.» Antiqua hujus accusationis ratio habetur in memoriali, qualiter in monasterio conversandum sit. vel congregationem ipse ultro

@ [Col. 1026B] *Satisfecer.* Nempe, humili et publica prostratione. satisfecerit, et prodiderit delictum suum: dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animae vero

@ [Col. 1026B] *Peccati causa.* Causa hoc loco est noxa, offensa. S. Gregorius Turonensis, lib. IV Hist., cap. 14: «Multae enim causae per eum inrationabiliter gerebantur.» Et lib.

VII, cap. 21: «Ideoque si rex mortem fratris desideraret ulcisci, noverit hujus causae hunc esse signiferum.» S. Hieronymus, in epist. ad Damasum qu. 1, de Cain: «Denique respondit Domino: Major est causa mea quam ut merear absolvi.» S. Cyprianus libro de Lapsis: «Nec hoc ideo dico ut fratrum causas onerem, sed ut magis fratres ad precem satisfactionis instigem.» Accedit ratio, quia non sola peccati causa abbati retegenda est, sed ipsum peccatum. Itaque peccati causa nihil aliud est quam culpae noxa, ut qui loquitur cap. 25 S. P. Benedictus. Vel certe dici potest τὸ *peccati redundare, sed quia illud in omnibus codicibus, quos viderim, reperitur, id asserere nolim.* peccati causa latens fuerit, tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat,
@ [Col. 1026C] *Qui sciant curare et sua.* Hanc locum tangit Helgaldus in Vita Roberti Francorum regis: «Tali quippe mandat monachorum Pater et dux confiteri peccata, qui sciret sua et aliena curare vulnera, non autem detegere et publicare.» qui sciant curare et sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

[Col. 1026A]

§ II.---EX REGULA SANCTI CASSIANI (cap. 39).
@ [Col. 1026D] *Si quis autem, etc.* His similia auctor quaedam supra cap. 31 citaverat ex lib. de Institutis renuntiantium; sed quae hic citantur, sumpta sunt ex Regula Cassiani paululum immutata. Si quis autem
@ [Col. 1026D] *Aliquid fregerit aut perdiderit.* S. Pachomius, art. 70 Regulae suae: «Si vas fictile fregerit, vel aliquam utilem rem ad usus monasterii, aget poenitentiam.» Et art. 75: «Si aliquis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur.» aliquid fregerit aut perdiderit, non aliter negligentiam suam delebit, nisi coram omnibus fratribus tandiu supplicaverit Deo in terra prostratus, donec oratione solvatur abbatis. Similiter etiam qui ad orationem tardius venerit, et qui seniori suo superflue, aut durius, aut contumeliose responderit; aut si negligentius, aut tardius obsequia injuncta compleverit; si vel leviter murmuraverit, aut lectionem operi vel obedientiae praetulerit, similiter etiam qui, completis vigiliis aut quavis aliqua ratione, cum aliquo vel modicum steterit, vel ad punctum temporis alicubi secesserit; si alterius [Col. 1027A] tenuerit manum, si oraverit cum illo qui est ab oratione suspensus; si aliquem parentum vel amicorum saecularium aut viderit, aut collocutus eis fuerit sine suo seniore; si epistolam cujusque susceperit, aut rescribere sine suo abbate tentaverit. In his omnibus et his similibus poenitenti et coram omnibus supplicanti venia non denegetur: contemnenti vero, et haec omnia pro nihilo ducenti
@ [Col. 1027C] *Spiritalis vindicta.* Legendum, *corporalis, non, spiritalis, nam Cassianus lib.* IV Inst., cap. 16, unde haec sumpta sunt, leves culpas spiritali animadversione, hoc est, publica confusione, emendari solitas ait, graviores vero et contemptum corporali vindicta. spiritalis vindicta omnimodis imponatur.

§ III.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 16).

Negligentiae culpa, qua per multos casus in multis delinquitur, abbatis judicio pensanda est, id est, in refectorio, in coquina;
@ [Col. 1027C] *In dormitorio.* Lege, *Si quis in dormitorio.* in dormitorio, vel qualibet utilitate aut fregerit, aut perdiderit, aut negligenter dimiserit, omnia secundum suum

modulum sunt pensanda, [Col. 1027B] et juxta aetatem, vel teneram, vel senilem, vel virileni, sunt corrigenda. Quia si in minimis negligentia vitiorum non corrigitur, mens vitiata in minoribus culpis, in majora dilabitur delicta. Si frater qui in his casibus fuerit dilapsus, statim abbati vel praeposito puram dederit confessionem, et compertum fuerit non suae voluntatis fuisse quod casu accidit, hoc tantummodo sufficiat; ut hoc quod deliquit et perpetravit, si possit fieri, non deneget et emendet cum veniae satisfactione. Si vero non sua confessione, sed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpae magnitudo poposcerit, poenitentiae subjacebit, quia culpam per puram confessionem non manifestavit.

@ [Col. 1027C] *Si vero et majoribus culpis, etc.* Haec mendosa quidem, sed ita restituenda ex Smaragdo. *Si vero ex majoribus culpis, quod ad animae majorem pertineat damnationem, aliquam commiserit frater, secretius per puram confessionem, etc.* Si vero et majoribus culpis, quod ad animae majorem pertineat damnationem, hoc secretius [Col. 1027C] per puram confessionem volens suo manifestet abbati: ne dum tepore animi culpam detegere verecundat, [Col. 1028A] cum reatu culpae faciem diaboli interius recondat.

§ IV.---EX REGULA A DONATO COLLECTA (cap. 26).

@ [Col. 1027C] *Quicunque de fratribus, etc.* Haec sumpta sunt ex Poenitentiali S. Columbani, ex quo et nonnullis sanctorum Patrum Regulis hic Donatus suam collegit Regulam. Quicunque de fratribus, cui sollicitudo coquinandi vel ministrandi commissa est, quantulum quid effuderit,

@ [Col. 1027D] *Oratione.* Ita in Poenitentiali citato. Et paulo post: *Oratione in Ecclesia emendare cogatur.* oratione in ecclesia post completum cursum, ita ut fratres pro eo orent, emendare statuitur. Similiter poeniteat, qui humiliationis in synaxi, id est cursu, oblitus fuerit. Haec est humiliatio in ecclesia

@ [Col. 1027D] *Post finem cujusque psalmi.* Cum submissa voce oratur a fratribus juxta sanctionem Magistri supra a nobis explicatam, quam hic locus mirandum in modum illustrat. post finem cujusque psalmi. Simili modo

@ [Col. 1027D] *Qui perdiderit micas.* Circa micarum in mensa collectionem valde religiosi olim fuere monachi. Vide Joannem monachum in Vita S. Odonis. qui perdiderit micas, oratione in ecclesia emendari cogatur. Ita tamen haec parva poenitentia

@ [Col. 1027D] *Judicetur.* In Poenit.: *Ei judicetur.* judicetur, si parvum quid effuderit.

@ [Col. 1027D] *Quod si ex negligentia aut oblivione, etc.* In Poenitentiali citato corrupte legitur: *Quod si negligentia aut oblivionem, seu transgressionem securitas.* Sed legendum: *Quod si ex negligentia aut oblivione, aut transgressionis securitate.* Transgressionis securitas est cum quis facile transgreditur, quia de impunitate securus est. Quod si ex negligentia vel oblivione seu transgressione securitatis tam in liquidis, quam in aridis amplius solito [Col. 1028B] perdiderit, longa venia in ecclesia, dum duodecim psalmos

@ [Col. 1027D] *Ad duodecimam.* Id est, ad synaxim vespertinam, in qua olim canebantur duodecim psalmi, ut supra [Col. 1028C] notatum est. ad duodecimam canunt, prostratus nullum membrum movens poeniteat.

@ [Col. 1028C] *Et qui non custodierit, etc.* Idem Poenitentialis. (qui) *Ordinem sacrificii non custodierit ad offerendum, sex percussionibus.* Et qui non custodierit ordinem ad

sacrificium, sex percussionibus emendetur.

§ V.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 8).

@ [Col. 1028C] *Qui cogitationum, etc.* Haec proferuntur ob illa S. Benedicti verba: *Si animae vero peccati causa, etc.,* ut et sequens capitulum. Qui cogitationum impugnationes consolationis suae causa secretius confitetur, non oportet eum despici, nec aliis publicari, sed quantum in ipso est blanda exhortatione foveri. Qui aliis secreta meditatione psallentibus inconvenienter fuerit locutus, arguatur.

@ [Col. 1028C] *In quocunque ergo opere, etc.* Ex Regula S. Pachomii, art. 35: *Operantes nihil loquantur saeculare, sed aut meditentur quae sancta sunt, aut certe silebunt.* Meditari hoc loco est cantare. In quocunque ergo opere aut meditabuntur quae sancta sunt, aut certe silebunt.

§ VI.---DICTA

@ [Col. 1028C] *Sancti Bedae.* Nota Bedam non hic appellari venerabilem, sed sanctum. Ab Alcuino in epistola ad Virenses monachos et alibi appellatur Magister Beda; a Sangallensi in Vita Caroli Magni, doctissimus; ab Odoranno in Chron., presbyter; a Guillelmo Malmesburiensi de Gestis regum Angliae, Florentio Vigorniensi, Henrico Hunctidoniensi, et Rogerio Houedem dicitur Beda sine adjuncto. Ab Haymone Halberstatensi, Commentariis in cap. III ad Phil., beatus Beda indigitatur. Ex quibus patet Venerabilis appellationem recentiorem esse quam existimaveritiis qui hos in Pauli Epistolas Commentarios a nobis Haymoni, ab aliis Remigio Antissiodorensi attributos ascribit S. Remigio Rhemensi archiepiscopo. Refutando locum citatum ex Beda, tum quod ab omnibus prope auctoribus etiam Bedae aequalibus ipse Beda venerabilis appelletur (quod tamen non probat), tum quod locus citatus ex Commentario in Epist. ad Phil. apud Bedam non exstet: in quo tamen memoria lapsus videtur; nam hic locus, de quo quaestio est: «Beatus Beda locutus in quodam loco de dictis Apostoli, ubi ait: Unusquisquis in suo sensu abundet, etc.,» habetur apud Bedam in libr. Quaestionum [Col. 1029A] qu. 5. Itaque non est ibi legendum: *Beatus Benedictus,* pro, *Beatus Beda, ut vult idem auctor, cum etiam haec verba in Regula S.* Benedicti non exstent. Praeterea, ut fusius probem hos commentarios non esse S. Remigii Rhemensis episcopi, in iisdem Commentariis in cap. II Epist. II ad Cor. citatur alter locus Bedae, ubi etiam beatus appellatur. In hoc Bedae loco describitur quaedam imago a Chidonio Anglorum episcopo Roma allata, in qua repraesentatur S. Pauli flagellatio. Idem locus habetur apud Bedam in eodem libr. Quaeationum, qu. 2. Praeterea citat horum Commentariorum auctor S. Gregorium papam, qui post mortem S. Remigii floruit, ut videre est ad c. VIII ad Rom. «Quod beatus Gregorius aliis verbis, sed eodem sensu ita exponit dicens: Habet, inquit, homo esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, etc.,» quae verba habentur apud S. Gregorium papam, hom. 29. Ad cap. II Epist. I ad Timotheum: «Salvabitur mulier per filiorum generationem, id est, per bona opera, si habuerit charitatem, misericordiam, hospitalitatem, caeteraque talia, quae beatus Gregorius intelligi vult per filios. «Quae habentur libr. XII Moral. in Job., cap. 4. Citatur etiam aliis in locis. In cap. XIV epist. I ad Corinthios citatur Vita S. Caesarii Arelatensis: «Sic et in Vita S. Caesarii Arelatensis episcopi legitur quod Spiritus sanctus ita sermonem ejus disponebat, ut omnium conscientias verbis suis concuteret, quasi sibi eas omnes auditores indicassent, aut prae manibus haberet

scriptas.» Quae in ejus Vita scripta a Cypriano, lib. I, sic habentur: «Habuit peculiare vir sanctus, Deo id in illo agente, ut dum suas quibusque admonitiones proponeret, singulis ipsorum vitam omnem ob oculos statueret: ut qui eum audirent, non solum cordium scrutatorem, sed etiam suae quodammodo conscientiae testem confiterentur.» Quae quidem Vita nunquam potuit in notitiam venire S. Remigii episcopi Rhemensis qui anno 535 non erat amplius inter vivos, ut notum est ex concilio Arvernensi eodem anno celebrato P. C. Paulini junioris, hoc est, consule Belissario juxta Chron. Marii, cui subscribit Flavius episcopus Rhemensis successor Romani, qui S. Remigio successit: cum S. Caesarius Arelatensis nono post anno obierit, nempe post consulatum Basilii anno secundo, ut clarum est ex epist. Vigilii papae ad Auxanium S. Caesarii successorem data XV Kal. Novembr. iterum P. C. Basilii V. C. in qua gratulatur ei de ordinatione sua, differtque usum pallii quoad certiorem fecerit imperatorem. Et ex his patet error eorum **(Flod. lib. II, cap. 1)** qui rejiciunt S. Remigii obitum ad annum 548. Praecipuum contrariae opinionis fundamentum est, quia in nonnullis codicibus mss. haec explanatio in Epistolas Pauli S. Remigio episcopo Rhemensi attribuitur, sed id nos minime movet, cum error ab ignaro exscriptore ad caeteros manare potuerit. Quidam ediderunt hoc opus sub nomine Remigii Antissiodorensis auctoritate Trittemii, ut ipsi existimabant, fulti. Quod tamen falsum est. Nam cum Trittemius libr de Scriptoribus ecclesiasticis illius opera recenset, nullam facit explanationis seu Commentariorum in Pauli Epistolas mentionem. Itaque verus hujus explanationis auctor est Haymo Halberstatensis episcopus, eique hoc opus attribuit Trittemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cujus hoc ponit initium: *A Corintho civitate metropoli Achaiae.* Quod habetur in editione ejusdem Explanationis, quae prodiit Parisiis anno Domini 1550 sub nomine ejusdem Haymonis Halberstatensis: et in codice ms. bibl. Corbeiensis hujusmodi Commentarii exstant sub nomine Haymonis. Nec nos moratur quod hic Haymo, cum fuerit monachus Benedictinus, citando Regulam S. Benedicti, non appellet eum Patrem: nam ista non ita olim scrupulose observabantur, ut hodie. Similes objectiones praetermitto, quae nullius sunt momenti. SANCTI BEDAE (Comment. in cap. V [Col. 1028C] Epist. D. Jacobi).

Si in peccatis sit, dimittentur ei. Multi propter [Col. 1029A] peccata in anima facta infirmitate aut morte plectuntur corporis. Unde Apostolus Corinthiis, qui corpus Domini indigne percipere erant soliti, ait: *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles sunt, et dormiunt multi* **(I Cor. XI)**. Si ergo infirmi in peccatis sint, et haec presbyteris in ecclesia confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti: *Confitemini* [Col. 1030A] *ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini* **(Jac. V)**. In hac autem sententia illa debet esse discretio,
@ [Col. 1030B] *Ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur, etc.* Eamdem doctrinam sequitur Radulphus Ardens auctor satis antiquus, concione in Litania Majore: «Cui debet fieri confessio? Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, qui solus habet potestatem ligandi atque solvendi: sicut et leprae judicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. Confessio vero venialium alterutrum et cuilibet etiam minori potest fieri: quoniam propter venialia non separatur homo a Deo, nisi ultra modum per incuriam excedat, sicut nec per scabiem, vel impetiginem aliquis in lege separabatur a castris. Fit autem haec confessio, non quod possit a peccatis absolvere,

sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, et fratris orationem mundamur a peccatis. Unde et non dicimus: *Ego dimitto tibi peccata tua;* sed dicimus orando: *Misereatur tui omnipotens Deus, etc.* Quando debet fieri confessio haec? Omni tempore quo nos peccasse cognoscimus. Sive enim domi, sive in agro, sive in via peccavero, debeo statim dicere fratri, qui mecum est: *Peccavi, ora pro me.* Qui si non aderit, debeo confiteri Deo, dicens: Domine, peccavi, miserere mei.» Haec ille juxta usum temporis, quo vivebat. Sed ut verum fatear, locus ille S. Jacobi: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, non est intelligendus de ejus modi confessione venialium;* sed hoc loco monet S. Jacobus eos, qui se mutuo laeserint, ut invicem reconcilientur, confitentes se fratrem laesisse, et invicem veniam postulent. ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris leprae immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter et quanto tempore jusserit, purificare curemus.

CAPUT XXXVII. DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI NON EMENDAVERINT.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1029D] *Si quis frater.* Hujus capitis meminit S. Fructuosus apud H. Canisium, t. V, Ant. Lect. Si quis frater correptus frequenter pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat
@ [Col. 1030D] *Correptio.* Ita apud Smaragdum. Vulgo: *Correctio.* correptio: id est, ut verberum [Col. 1031A] vindicta in eum procedat. Quod si
@ [Col. 1031B] *Nec ita correxerit.* Ita in mss. S. Germ. ma. et S. Far., atque etiam apud S. Dunstanum. nec ita correxerit, aut forte, quod ausit, in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus.
@ [Col. 1031B] *Si exhibuit fomenta, Apud Smaragdum: Si exhibuit curationum fomenta.* Fomenta medicamenta, inquit Kero. Si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgae, etiam si viderit nihil suam praevalere industriam: adhibeat etiam, quod majus est, suam et omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam
@ [Col. 1031B] *Utatur abbas ferro abscissionis.* Ita placuit priscis rei monasticae Patribus, ut, qui nulla arte emendari possunt, e monasterio ejiciantur: ut S. Basilio interr. 44 Regularum Brevium: Ἑάν ἐπιμένη ἀναισθητῶν, ἀποκοωτέσθω, ὡς τό σέσηπος καὶ διεφθασμέτον μέλος ἀπό τοῦ σώματος, id est, si vero sine sensu permaneat, abscidatur ut putridum et corruptum membrum a corpore; S. Augustino cap. 23 Regulae suae; S. Isidoro Pelusiotae, libr. I, epist. 318, alteri Fructuoso cap. 8: «Et, si se corripere non permiserint, foras projiciantur.» Lerinensibus ex Eusebio Gallicano, Homil. 3 ad monachos: «Illis ipsis qui gravius apud nos delinquunt, nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus invenire sententiam, quam ut a corpore congregationis abscisi sine pace discedant;» sanctissimo P. N. Urbano VIII, nuper de hujus modi incorrigibilium expulsione bulla edita. Id denique placuit Patribus in hac Concordia

citatis, excepto uno S. Isidoro Hispalensi, qui non vult hujusmodi monachos ejici monasterio, ne eis ad perditionem licentia pateat. Imo et abbas potest ejici monasterio juxta sextam synodum, cap. 12. utatur abbas ferro abscisionis, ut ait Apostolus:

@ [Col. 1031C] *Auferte malum ex vobis.* In communi versione additur, *ipsis. Auferte malum ex vobis* **(I Cor. V)**. Et iterum: *Infidelis, si discedit, discedat* **(I Cor. VII)**.

@ [Col. 1031C] *Ne una ovis morbida, etc.* Quod usu venire solet, ut testatur Seneca, libr. de Tranquillitate animi, cap. 7: «Serpunt enim vitia, et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Itaque ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus: quia pericula trahemus; afflatuque ipso laborabimus. Initium morbi est aegris sana miscere.» Et Juvenalis, Sat. 2:

. . . . Dedit hanc contagio labem Et dabit in plures: sicut grex totus in agris Unius scabie cadit, et porrigine porci, Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. Et praeclare S. Gregorius papa, homilia 9 in Ezechielem: «Unum est pro quo debet vitari societas malorum; ne, si forte corrigi non valent, ad imitationem sui et alios trahant; et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paulus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et sicut per Salomonem dicitur: *Noli esse amicus homini iracundo,* nec ambules cum [Col. 1032B] viro furioso: ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae. Et paulo post: «Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore; et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis assidui iniquitate sermonis.» Ne una ovis morbida totum gregem contaminet.

[Col. 1031B]

§ II.---EX REGULA MACARII.

@ [Col. 1032B] *Qui saepius, etc.* Hoc caput non exstat in Reg. ms. Serapionis. Paphnutii, Macarii, etc. cod. Flor. Qui saepius corripitur, non se emendaverit, novissimus

@ [Col. 1032B] *In ordine.* Id est, in officio divino, in opere Dei: nam ordo est officium divinum, cursus, synaxis, opus Dei: horae canonicae. Rufinus, cap. 56 de Institutis monachorum: «Et non occurrat adesse ordini psallentium.» S. Hieronymus in epist. ad Demedriadem de virginitate servanda: «Praeter psalmorum et orationis ordinem, quod tibi hora tertia, etc.» Concilium Narbonense can. 2: «Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus per quemque psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo.» S. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum, c. 37: «Qui cum apud alios juxta regulas monasteriorum ordini et lectioni insisteret.» in ordine stare jubeatur. Qui

@ [Col. 1032C] *Non se emendaverit.* Lege: *Et non se, etc.,* ut in codic. Vind. se nec sic quidem emendaverit,

@ [Col. 1032C] *Extraneus.* Id est, excommunicatus. extraneus habeatur, sicut dicit Dominus:

@ [Col. 1032C] *Sit vobis.* In versione communi: *Sit tibi, ut in textu Graeco.* Sed suo textui accommodat locum Macarius, quasi suis fratribus loqueretur. *Sit vobis sicut ethnicus et publicanus* **(Matth. XVIII)**.

[Col. 1032A]

§ III.---*Item ejusdem.*

Ex qualibet causa qui peccaverit frater, ab oratione suspendatur, et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus prostratus veniam postulaverit, dimittatur ei. Nam si in sua perseverare voluerit nequitia et superbia, et dicat: Hic ego durare non possum, sed accipiam

@ [Col. 1032C] *Casulam meam.* «Casula (inquit S. Isidorus libr. XIX. Origin. cap. 24), est vestis cucullata, per diminutionem a casa; quod totum hominem tegat.» Fuit haec olim monachorum vestis. Acta S. Fulgentii Ruspensis. «Casulam pretiosam, vel superbi coloris ipse non habuit, nec monachos suos habere voluit.» Fuit etiam servorum indumentum: Procopius libr. II de bello Vandalico: «Vestem indutus neque imperatoriam, neque alii viro militari omnino convenientem, ἀλλὰ δούλῳ ἢ ἰδιώτῃ παντάπασι πρέπον, κασοῦλαν αὐτὸ τῇ Λατινῶν φωνῇ καλοῦσι Ῥωμαῖοι, id est, «Servo aut vili personae omnino convenientem casulam Latina voce dicunt Romani.» casulam meam, ut eam ubi voluerit Dominus. Qui de fratribus hoc eum dixisse prius audierit, referat praeposito et praepositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et cum exhiberi jubeat, et virgis purgetur, et oratio fiat; et sic ad communionem recipiatur, ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur. Quod si casu quis frater exire voluerit, nihil penitus accipiat,

@ [Col. 1032D] *Nisi in notatissimo vestimento.* Id est, saeculari, quo distinguatur transfuga ille a monachis. nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem [Col. 1032B] infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi, et pretiosas splendidasque accipient coronas: filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta: *Super quem requiescam? dicit Dominus,* nisi

@ [Col. 1032D] *Super humilem et quietum.* Ita apud S. Cyprianum ep. 18, et Cassianum coll. 12, cap. 3, ex Septuaginta: ταπεινὸν καὶ ἥσυχον, id est, *humilem et quietum.* In vulgata editione: *Ad pauperculum et contritum corde. super* [Col. 1033A] *humilem et quietum et trementem sermones meos* **(Isai. LXVI)**.

§ IV.---EX REGULA SANCTI ISIDORI EPISCOPI (cap. 14).

Si aliquis excommunicatus in prima interrogatione querelosus vel murmurans apparuerit, et suas sententias superbe vel importune vindicaverit, et hoc senior manifestum esse cognoverit, usque in diem tertium maneat excommunicatus: ita ut nullus cum eo loquatur. Cum tertio vero die ita sciscitatus, et in superbia quam diximus, fuerit deprehensus, quousque ergastulo coarctatus perseveret, donec omnem arrogantiam superbiae deneget. Quod si in malo perseverans perduraverit et prona voluntate poenitentiam agere noluerit, et saepe ac saepe contumax murmurator patule contra seniores vel fratres [Col. 1033B] in facie perstiterit, et cum propinquis se vindicare maluerit: in collatione deductus exuatur monasterii vestibus, et induatur, quas olim adduxerat, saecularibus, et cum confusionis nota a monasterio expellatur: ut caeteri emendentur, dum fortasse solus tali correptione ille delinquens corrigitur.

§ V.---EX REGULA SANCTI BASILII EPISCOPI (cap. 28).

Interrog.

@ [Col. 1033C] *Erga eum qui, etc.* Haec sunt apud S. Basilium interr. 9 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 24. Erga eum qui pro peccato non poenitet, qualiter esse debemus? ---*Resp.* Sicut Dominus praecepit dicens: *Sit tibi sicut gentilis et publicanus* **(Matth. XVIII)**. Sicut Apostolus docuit dicens: *Subtrahite vos ab omni fratre*
@ [Col. 1033D] *Inquiete.* Apud Rufinum, *immoderate.* In textu Graeco: ἀτάκτως, id est, inordinate, ut habet versio communis. *inquiete ambulante et non secundum traditionem,*
@ [Col. 1033D] *Quam tradidimus.* Ita apud Rufinum: aliter in textu Graeco: ἣν παρέλαβον παρ' ἡμῶν, id est, ut habet versio communis, *quam acceperunt a nobis. quam tradidimus vobis* **(II Thess. III)**.

[Col. 1033C]

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 77).

Interrog.
@ [Col. 1033D] *Quod si contristatur, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. 44 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 43. Quod si contristatur ille, qui
@ [Col. 1033D] *Excitatur.* Ad vigilias. excitatur; aut etiam si irascitur, quid dignus est?---*Resp.* Interim excommunicari debet, et non
@ [Col. 1033D] *Non manducare.* Id est, uno aut altero die inediam pati, ut supra vidimus in his Patribus a nostro auctore citatis. manducare, si forte compunctus agnoscit quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet, et ita conversus recipiat gratiam ejus, qui dixit: *Memor fui Dei, et delectatus sum* **(Psal. LXXVI)**. Quod si permanserit in stultitia non intelligens gratiam, abscidatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim: *Quia expedit ut pereat unum membrum,*
@ [Col. 1033D] *Et non totum corpus tuum.* Ad verbum ex textu Graeco Evangelii: Καὶ μὴ ὅλον σῶμά σου. Apud Rufinum: *Quam totum corpus tuum, ut in versione communi. et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* **(Matth. V)**.

[Col. 1034A]

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 75).

Interrog.
@ [Col. 1033D] *Si quis habet, etc.* Reperitur apud S. Basilium interr. 57: Regul. brev. et apud Rufinum cap. 84. Si quis habet aliquod vitium, quod corrigere non potest, et frequenter
@ [Col. 1034D] *Notatur.* Id est, redarguitur, corripitur; vide supra notatur, et in pejus proficit, si eum expedit
@ [Col. 1034D] *Intermitti.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco, ἐπαφιέναι, id est, dimitti. Rectius. intermitti?---*Resp.* Et hoc alibi jam diximus, quia oportet peccantem corripere patienter secundum eum, quem supra ostendimus, modum a Domino positum **(Matth. XVIII)**. Quod si non sufficit ei ad emendationem, sicut illi Corinthio, *objurgatio haec quae fit a pluribus* **(II Cor. II)**, sicuti gentilis de reliquo et publicanus haberi debet, qui ejusmodi est **(Matth. V)**. Quia ei parcere, quem Dominus condemnavit,

@ [Col. 1034D] *Velle tuum non est.* Ita apud Smaragdum. Non ita recte. Melius apud Rufinum: *Nulli tutum est.* Juxta textum Graecum, ἀσφαλὲς οὐδενὶ, quod idem sonat. velle tuum non est; maxime cum Dominus dicat: *Quia expedit unicuique ut unum oculum, aut unum pedem perdat, et ita intret in regnum, quam, dum parcit uni ex his membris,* [Col. 1034B] *totum corpus mittatur in gehennam ignis:* ibi erit fletus et stridor dentium **(Matth. XVIII)**. Sed et Apostolus de ipsis testatur dicens: *Quia modicum fermentum totam massam corrumpit* **(Gal. III)**.

§ VIII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 16).

@ [Col. 1034D] *Qui gravi vitio, etc.* Haec habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 16. Qui gravi vitio saepe excommunicatus neglexerit emendare, tandiu

@ [Col. 1034D] *Damnationi.* Id est, correptioni. Smaragdus legit, *emendationi.* damnationi subjaceat,

@ [Col. 1034D] *Quousque.* In Regula excusa, *quisquam.* Male. quousque vitia inolita deponat: ut quem semel illata animadversio non coercuit, frequens severitas censeat emendandum. Quamvis frequentium gravissimorumque vitiorum voragini sit quisque immersus,

@ [Col. 1034D] *Non est tamen a monasterio projiciendus.* Dissentit ab aliorum Patrum sententia, ut supra monuimus. non est tamen a monasterio projiciendus, sed juxta qualitatem delicti coercendus est: ne forte qui poterat per diuturnam poenitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.

[Col. 1034C]

§ IX.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 15).

Clamosum in locutione monachum aut iracundum, ridiculosum, subsannatorem sive detractorem esse non decet, etc.

@ [Col. 1034D] Vide cap. 31, § 10.

§ X.---EX REGULA ORIENTALI.

Si fuerit aliquis tam durus, tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus, et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio, et veluti extraneus habeatur: ne vitio illius alii periclitentur.

§ XI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 12).

@ [Col. 1034D] Habetur in Reg. ins. eod. aap. In his omnibus supra dictis si quis frater contumax aut superbus, aut murmurans, aut inobediens praepositis suis frequenter exstiterit, et secundum [Col. 1035A] divinam praeceptionem semel, et secundo vel tertio de quovis vitio monitus et correptus non emendaverit, referatur hoc a praepositis abbati: et qui praeest secundum qualitatem vel meritum culpae perpenset, et tali eum excommunicatione condemnet, ut sciat qui Deum contemnit quomodo dignus est judicari propter contemptum majori exhibitum, dicente Domino doctoribus nostris: *Qui vos audit, me audit;* qui vos spernit, me spernit.

§ XII.---EX REGULA CUJUSDAM.

@ [Col. 1035B] *Si quis a senioribus.* Lege, *si quis ex senioribus, ut patet ex sequentibus.* Si quis a senioribus et abbatibus iracundus inventus fuerit, notetur, usquequo corrigatur.
@ [Col. 1035B] *Sive.* Lege, *si vero.* Sive ab hoc vitio insanabilis fuerit,
@ [Col. 1035B] *Ab imperio fratrum.* Id est, non debet ultra fratribus praefici ob iracundiam, quae maximum est in rectore vitium, sive ille sit abbas, sive praepositus, sive decanus. Sed abbas abdicari debet ab episcopo. ab imperio fratrum detrudendus est: quoniam sive juste, sive injuste, irasci non oportet.

[Col. 1035B]

§ XIII.---*Item ejusdem.*
@ [Col. 1035B] *Igitur si saepius, etc.* Haec fere sumpta sunt ex Regula S. Benedicti. Igitur si saepius correptus emendare noluerit, excommunicatione pro modo culpae corrigatur. Si nec sic aliquid proficiat increpantis correptio, verberum vindictae subjacebit. Quod si sic emendare noluerit, sed magis in tumorem superbiae elatus opera, vel actus, de quibus corrigitur, defenderit, tunc abbatis
@ [Col. 1035C] *Sententiae.* Apud Smaragdum legitur, *scientiae.* sententiae regimine corrigatur: *Quia* [Col. 1036A] *scriptum est, qui abjicit disciplinam, infelix est* **(Sap. III)**. Moderante ergo scientia saniei medendae cura adhibeatur.
@ [Col. 1035C] *Si lethale vulnus, etc.* Recte. Nam, ut praeclare monet S. Cyprianus lib. De lapsis, «imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, et secandum, et putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet aeger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem.» Si lethale vulnus per fomenta castigationum et pietatis et lenitatis unguenta sospitati non redditur, saltem incisionibus amputetur. Et si sic sanies desecta tumorem non amiserit, tunc excommunicationis sententiam vel disciplinae corporalis poenam incurrat. Et si nec excommunicationis metu, nec flagelli poena frangatur, augeatur adhuc pietatis fomes: ita ut ab omni congregatione pro eo communis Dominus orationis officio deprecetur, ut qui laqueo diaboli irretitus tenetur, Domini misericordia ac pietate curetur. Quod si nec sic corripi voluerit intra septa monasterii sub poenitentiae tenore ab omnibus
@ [Col. 1035C] *Praeter custodibus.* Lege, *praeter quam a custodibus.* Intelligit eos seniores qui excommunicatorum curam habebant. praeter custodibus segregatus tandiu
@ [Col. 1035C] *Castigetur diversis increpationibus.* Haec statuuntur juxta Regulam alterius Fructuosi, cap. 14: «Mittat senior, qui eum excommunicavit, unum de majoribus, quem probatum habet, qui eum verbis contumeliosis increpet.» castigetur [Col. 1036B] diversis increpationibus, usque dum ejus humilitas omnibus vera credulitate patefiat
@ [Col. 1036B] *Quia et invitis saepe salus praestatur.* Hoc non ita intelligendum est quasi Deus aliquos invitos convertat juxta errorem Cassiani Coll. 13, cap. 17. Dicitur salus praestari invitis, sed saepius correptis, juxta vulgarem loquendi modum: nisi id sponte feceris, verberibus te cogam. Qua ratione Deus peccatores saepe castigat; et rectores discipulos perversos, ut ad cor redeant., quia et invitis saepe salus praestatur.
@ [Col. 1036C] *Nam idem separandus est a congregatione, ut suo vitio, etc.* Vitandum est malorum consortium, quia contagiosum est, ut recte monet sanctus Basilius in

Admonitionibus: «Evita viros, quos erga mandata Dei videris negligentes, qui mortui sunt virtutibus, et videntur vivere passionibus, qui laetantur in prosperis voluntatibus et gaudio carent divino. Cum hujusmodi viris nulla tibi commixtio sit, neque velis cum eis sermocinari assidue, nisi valeas solummodo ab erroris eos itinere revocare. Caeterum si non vales, devita ut publicum hostem. Saepe enim per unam ovem morbidam polluitur totus grex, et modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit, et fermentum modicum totam massam corrumpit. Nam ideo separandus est a congregatione, ut suo vitio non maculet innocentes. Tenera aetas, quae

@ [Col. 1036C] *Excommunicata.* Lege, excommunicatae, id est, *excommunicationis, ut congregata, id est, congregatio.* Sed de his infra. excommunicata vim nescit, non excommunicatione, sed flagello corrigenda est.

CAPUT XXXVIII. SI DEBEANT FRATRES EXEUNTES DE MONASTERIO ITERUM RECIPI.

[Col. 1035D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1035D] *Frater qui proprio vitio egreditur, etc.* Hujus constitutionis mentionem faciunt S. Bernardus, Petrus Venerabilis, et Petrus Blaesensis in epistolis mox citandis. Frater, qui proprio vitio egreditur, *aut projicitur, de monasterio, si reverti voluerit,* spondeat [Col. 1036D] prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est:

@ [Col. 1035D] *Et sic in ultimo gradu recipiatur.* Idem statuit Fructuosus alter cap. 20. *Non prima, sed ultima cathedra recipiantur.* Quidam monachorum Pater: *Sic tamen in extremo loco inter poenitentes receptus.* Sanctus vero Pachomius art. 79, haec statuit: *Non erit in ordine suo absque majoris imperio.*» et sic in ultimo gradu recipiatur; ut ex hoc humilitas ejus comprobetur. Quod si denuo exierit, [Col. 1037A] usque tertio ita recipiatur,

@ [Col. 1037B] *Jam postea sciens.* Apud Smaragdum, et in vulgatis editionibus, *Jam vero postea sciat.* jam postea sciens

@ [Col. 1037B] *Omnem sibi reversionis aditum denegari.* Petrus Venerabilis lib. I, epist. 18, censet fugitivum monachum toties admittendum in monasterium, quoties poenitens regreditur, juxta Christi praeceptum, quo parcendum est inimico septuagies septies, hoc est, quoties veniam deprecatur. Additque S. Benedictum non dixisse, *denegetur,* sed, *sciat sibi denegari:* et cum nullum sit in hujusmodi verbis, praeceptum, ei non esse denegandum introitum. In eadem est sententia Ruthardus cum ait non fuisse abbati prohibitum plusquam ter recipere fugitivum monachum, sed tantum fugitivum constrictum fuisse, cum dixit S. Pater Benedictus: *Jam sciat sibi reversionis aditum denegari.* Sed haec subtiliora sunt. Huic sententiae adversatur S. Bernardus epist. ad ipsum Petrum venerabilem, Magister c. 64 Regulae suae, ubi haec statuit explicans mentem S. Patris nostri Benedicti. «Frater si exierit frequens de monasterio, usque in tertium reversus resuscipiatur, amplius jam non suscipiatur.» Et causam addit: «quia talis apud Deum ejus cognoscitur divini servitii fides, qualis apud homines pedum stabilitas:» Et ita explicat Petrus Blaesensis epist. 88, quam scripsit ad Theoderiensem abbatem nomine Richardi archiepiscopi Cantuariensis: *Quod devote et humiliter*

misericordiam petit, quod omni satisfactioni secundum regulam sancti Benedicti se offert, quod judicium a misericordia non excludit. Misericordiam, quam monastici ordinis institutor ad ternarium numerum coarctavit, Evangelicae mansuetudo gratiae septuagies septies ampliavit. Nec id obstat quod fratri erranti sit septuagies septies, hoc est, semper dimittendum. Nam in hac S. Patris Nostri Benedicti lege agitur de totius conventus conservatione, qui ab uno pestilenti facile funestatur, maxime cum ejus levitas post trinam remissionem satis agnoscatur, ut dictum est: non vero de privatae offensae remissione, de quo locus sacrae Scripturae agit: neque haec S. Patris Benedicti constitutio cum illo pugnat. Maxime cum possit abbas post trinam remissionem ejecto fratri charitatis officia extra monasterium exhibere. Ne autem ejusmodi monachus ejectus pereat, debet manere sub cura, et regimine episcopi, ut statuitur in concilio Meldensi, can. 59, in quo tamen astringitur abbas consulere episcopum, aut ejus vicarium, priusquam monachum ejiciat. «Ut monachus de monasterio sine consultu, et praescientia episcopi, aut vicarii ejus ab hoc regulariter deductus non ejiciatur: cujus dispositione et auctoritate de caetero vita et conversatio ejecti, ne perditus perpetuo fiat, si aliquo modo salvari potest, ordinari debet atque decerni.» omnem sibi reversionis aditum denegari.

§ II.---EX PRAECEPTIS ET INSTITUTIS SANCTI PACHOMII.

@ [Col. 1038C] *Si quis promiserit.* Exstat in Regula excusa Sancti Pachomii, art. 9. Si quis promiserit

@ [Col. 1038C] *Observare se.* τὸ *se redundat, nec habetur in Regula excusa.* observare se Regulas monasterii, et facere coeperit, easque dimiserit: postea autem reversus egerit poenitentiam, obtendens infirmitatem corpusculi, per quam non possit implere quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari: et

@ [Col. 1038C] *Pascetur inter otiosos.* Ut rubore suffundatur. pascetur inter otiosos: donec, acta poenitentia, impleat quod promisit.

§ III.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 20).

@ [Col. 1038C] *Cum aliquis, etc.* Haec non exstant in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi: quamvis a Smaragdo appelletur episcopus. Cum aliquis per vitium elapsus fuerit a monasterio,

@ [Col. 1038C] *In aliud non recipiatur.* De hac re infra. in aliud non recipiatur coenobium, neque in humanitatis charitatem, neque

@ [Col. 1038C] *Neque ad pacis osculum.* Quod juxta Regulam S. Benedicti datur hospitibus. in pacis osculum: [Col. 1037B] sed continuo vinctis post tergum manibus abbati reducatur proprio. Quod si reversus ad saeculum fuerit, et a propinquis fretus cum eis in superbiam surrexerit, et monasterio minas intulerit, pariter et ipsi cum eo sint a laicorum concilio publice expulsi, et ab omni Christianorum conventu maneant anathematizati. Quod si et ipsi laici suo eum receperint consortio, et pariter cum eo contra monasterium [Col. 1038A] exarserint, in contumeliam cuncti a nostra Ecclesia expellantur, et nullo nobiscum charitatis foedere copulentur: quousque veritatem cognoscant; et nobiscum stantes injurias Ecclesiae vindicantes pari devotione consurgant. Si certe ipsi apostatae ab omnibus fuerint expulsi, et huc illucque vagantes diversis locis instabiles atque vacillantes monasterio suo reverti se petierint necessitate compulsi, in conventu majorum deducantur, et ut vasa figuli in fornace probentur, et

cum probati fuerint, suo monasterio

@ [Col. 1038C] *Reformentur.* Id est, restituantur. Reformare enim est reddere, restituere. Sidonius, lib. IV epist. 24: «Ob hoc ipsum publica auctoritas male valentem patremfamilias violentius ad reformandum debitum arctaret.» Conc. Aurel. II, can. 24: «Primum admoneatur, qui abstulit, civiliter reformare.» Conc. Turon. II can. 26: «Et veritate comperta res Dei servis suis dissimulaverit reformare.» Legis Wisigothorum lib. VII, tit. 3, 1. 4: *Et sic postmodum, qui plagiatus est, domino reformetur;* et lib. VIII ejusdem legis tit. 3, 1. 13, et legis Burgundionum tit. 29, § 1: «*Ita ut, si ea quae abstulit, non potuerint inveniri, in simplum de suis facultatibus reformentur.* Inde nomen reformatio, id est, restitutio. Conc. Paris. I can. 3: *Absque praejudicio libertatis regiae integra reformatione restituat.* reformentur: et non prima, sed ultima cathedra recipiantur.

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 64).

@ [Col. 1038D] *Frater si exierit.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb. Frater si frequenter exierit de monasterio,

@ [Col. 1038D] *Usque in tertium.* In Regula ms. *Usque tertio.* usque in tertium reversus resuscipiatur: amplius non [Col. 1038B] jam:

@ [Col. 1038D] *Quia talis apud Deum, etc.* Notanda ratio, cur desertor post tertiam receptionem non sit ultra admittendus: quia ex tertio lapsu, et fuga facile conjicitur hominis levitas et inconstantia in Dei cultu. quia talis apud Deum ejus agnoscitur divini servitii fides, qualis apud homines pedum stabilitas constitit. Et ut quid in monasterio jam opus sit, quem Deus non possidet? Ideoque post tertiam

@ [Col. 1038D] *Correptionem.* Id est, ejectionem, genus pro specie. Synecdoche. correptionem juste monasterio sit ut ethnicus et publicanus.

§ V.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 21).

Si ullo tempore (quod absit a Christiana religione) [Col. 1039A] frater a septis monasterii discesserit, et foras fugiens postea recordatus pristinae religionis, et aeterni judicii perculsus timore reversus fuerit, prius omnium morum emendationem polliceatur. Postea

@ [Col. 1039B] *Si probabilis.* Id est, si recta, bona, approbata. Ita aliquando sumitur hoc vocabulum. Conc. Tolet. IV, can. 4: «Probabilis vita atque doctrina exstiterit;» et can. 35: «Presbyteros probabiles et diaconos mittat.» Conc. Valent., can. 4: «Ejusque probabilem voluntatem in effectum transmittat.» si probabilis ejus

@ [Col. 1039B] *Poenitentia.* Apud Smaragdum legitur: *Patientia.* poenitentia agnoscatur, tunc demum intra septa monasterii recipiatur. Et si bis aut tertio hoc fecerit, simili pietate foveatur; sic tamen, ut in extremo loco inter poenitentes receptus tandiu examinetur, usque dum probabilis ejus vita inveniatur. Si vero post tertiam receptionem fugae culpa maculatus fuerit,

@ [Col. 1039B] *Sciat sibi aditum esse postmodum.* Post verbum: *Sciat,* adde, *denegandum, ut in cod.* Vindocinensi. sciat omnem reversionis aditum esse postmodum.

§ VI.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 136

@ [Col. 1039B] Art. 79 Regulae.).

Qui absque commonitione fratrum recesserit, ac [Col. 1039B] postea poenitentia venerit, non erit in ordine suo [*Al.* om. suo] absque majoris imperio.

§ VII.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 20).

Vagari per loca monachum sicut non decet, ita non convenit: ne
@ [Col. 1039C] *In quorumque.* In cod. Vind. *In quorum, lege: In quocunque.* in quorumque vitio captus saeculi delectatione elabetur, ut redeat ad vomitum [Col. 1040A] suum: dum recidua animi voluntate mundi vetus contemptor, novus quidam amator assurgens a via salutis distortus exorbitet. Quapropter id definivimus observandum, ut praeter illos, qui pro utilitate monasterii ab abbate huc illucque
@ [Col. 1039C] *Abire.* Lege: *Habere, ut in cod.* Vindocinensi. abire jubentur excursus, nullus egredi monasterium loco alio moraturus absque voluntate abbatis pro qualibet re vel necessitate praesumat: ne ad eum respiciat, quod Apostolus de adolescentioribus viduis scribens dicit: *Simul autem et otiosae discunt circuire domos, non solum otiosae, sed etiam verbosae et curiosae, loquentes quae non oportet* **(I Tim. V)**. Et ideo qui praetermissa
@ [Col. 1039C] *Sententia.* Lege: *Hac sententia, id est, edicto.* sententia,
@ [Col. 1039C] *Aliqua contrarietate.* Lege: *Sine aliqua contrarietate.* aliqua contrarietate discesserit, intantum, ut ejus inveniatur esse transgressor, spatio illo temporis, quo monasterio defuit [Col. 1040B] computato, duplici dierum numero jejunet, et condemnatione mulctetur, cibi modum, vino quotidie abnegato, qualem abbas imposuerit, habiturus.
@ [Col. 1039C] *Fugitivum vero monachum, etc.* Transfugam seu fugitivum monachum, ab abbate requiri, et suo monasterio restitui leges ecclesiasticae sanxerunt, ut habetur concilii Aurelianensis I, can. 19; Toletani IV, can. 5; synodi Constantinopolitanae I et II, can. 3. Leges vero imperiales censuerunt hujusmodi refugam, sicubi apprehensus fuerit, ab episcopo, vel a praeside provinciae nudatum primo in monasterium retrudi: si denuo fugiat, militia, aut honore quo fungebatur, spoliatum inter officiales praesidis provinciae servire, ut videre est novella S. Justiniani, cap. 7, et ejusdem novella 123, et lib. III Basilicorum. Si autem desertor monachus fuerit servilis conditionis in quacunque provincia reperiebatur, pristino domino iterum serviturus restituebatur, ut statuitur Cod., l. *Servis, de episcopis et clericis, etc.:* «Alioqui si relicta forte vita solitaria (id est monachica) ad aliam quamlibet sese conditionem transtulerint, certum est eos ad servitutis jugum, quam professionis cultu evaserant, reversuros.» Idem statuitur novella 5 citata, cap. 4, ubi haec verba notanda veniunt: «Non enim injuriam patietur tantam ad verum servitium tractus, quantum ipse injuriatus est Dei culturam refugiens.» Vide Photium in Nomocanone, tit. 9, cap. 32, text. 1 et 2, et Theodorum Balsamonem ibidem. Fugitivum vero monachum deserentem disciplinam, et perdentem se, velut contemptorem placuit revocare.

CAPUT XXXIX. DE PUERIS MINORE AETATE, QUALITER CORRIPIANTUR.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI. [Col. 1039D]
@ [Col. 1039D] *Omnis aetas, etc.* Aetas quae excommunicationi subjacere non debet, ea est

quae nondum attigit decimum quintum annum, juxta magistrum hic citatum a nostro auctore. Omnis aetas
@ [Col. 1039D] *Vel intellectus.* Distinguitur hic aetas ab intellectu, id est, a capacitate intelligendi. Nam etsi pueris mens immaturior sit, sunt tamen nonnulli grandiores aut durae cervicis aut imbecillioris intellectus, quos virga agere solet, non ratio, nec excommunicationis vis. vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quoties pueri, vel
@ [Col. 1039D] *Adolescentiores aetate.* Id est, juniores, qui nondum ex ephebis excesserunt. Ubi particulae: *Vel, aut, sumuntur copulative.* In hac autem constitutione S. Pater Benedictus secutus est S. Orsiesium, [Col. 1040D] seu, ut loquuntur Graeci, Arsesium, qui juniores fratres non excommunicabat, ut docet Socrates lib. IV Hist. Eccl., cap. 14, ubi male legitur Arsenius, pro Arsesius; nam Arsenius non vivebat tempore illorum monachorum, de quibus agit Socrates hoc capite. Idem statuit quidam Pater monachorum: «Tenera vero aetas quae excommunicata vim nescit, non excommunicatione, sed flagello corrigenda est.» adolescentiores aetate, aut qui minus intelligere possunt, [Col. 1040D] quanta poena sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis
@ [Col. 1040D] *Nimiis.* Id est, multis. Ita τὸ *nimis, in sacra Scriptura, est valde multum, ut: Ego autem humiliatus sum nimis.* Et tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Et anima mea cognoscet nimis. nimiis affligantur,
@ [Col. 1040D] *Acris.* Pro: *Acribus.* Ita in multis excusis. Ita in [Col. 1041B] Vita Alcuini: «Non istum verberibus, quia rudis adhuc, acris, etc., castigemus.» Ita legit S. Fructuosus apud Henricum Canisium tom. V, ant. lect. Kero in Alamanica expositione vocum Regulae S. Benedicti habet: *Caris;* sed puto litteras fuisse transpositas pro: *Acris.* Smaragdus et S. Dunstanus legunt: *Acribus;* cod. ms. S. Ebrulphi: *Acrius.* aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur.

[Col. 1041A]

§ II.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 17).

In minori aetate non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiae congruis emendandi sunt plagis: ut quos aetatis infirmitas a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat.

§ III.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 40).

Superbis vero, inobedientibus, et iracundiam protrahentibus nunquam parcendum: donec corrigantur

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 41
@ [Col. 1041B] Supra cap. 31.).

Pro qualibet culpa, si necesse fuerit flagelli accipere [Col. 1041B] disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est, triginta novem. Et quamlibet juste disciplina teneatur, tamen secundum illud: *Bonitatem et disciplinam* **(Psal. CXVIII)**, paternum

affectum sanctus abbas circa omnes teneat, secundum Apostolum: *Tanquam si nutrix foveat parvulos suos* [Col. 1042A] **(I Thess. II)**. Et *Omnibus omnia factus sum:* ut omnes lucrifacerem **(I Cor. IX)**.

§ V.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 14).
@ [Col. 1041B] *Infantulos.* Habetur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem capite. Hic autem nititur efficere Magister eos non esse verbere coercendos, qui annum decimum quintum attigerint: quia in illa aetate imperium mentis est, non corporis: et peccatum imperantis est, non servientis; ac proinde mens peccans excommunicatione ferienda potius, quam corpus verbere. Infantulos usque ad 15 annos non excommunicari, sed praecipimus vapulare pro culpis. Post 15 vero annos jam non vapulare, sed excommunicari condecet. Quia jam intelligunt, quomodo poenitere et emendare debeant de matura aetate quod male committunt. Quia merito corde debet poenitere, qui peccat, et non pro eo corpus vapulare,
@ [Col. 1042B] *Quia animi imperio, etc.* Sententia est Salustii in Catilinario circa initium. Meminit S. Hieronymus libr. II contra Jovinianum: «Unde et Historicus: animi, inquit, imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est.» quia animi imperio, corporis servitio magis utimur. Ergo, cum anima imperat, et corpus servit, agnoscitur amplior esse culpa imperantis, quam servientis. Ideo propter intellectus emendationis radix cordis de spinis peccatorum excommunicatione
@ [Col. 1042B] *Debet purgari.* Legendum videtur: *Debet potius purgari.* debet purgari, quam [Col. 1042B] rami corporis, quibus ab invito a jussione cordis peccatum impositum est,
@ [Col. 1042B] *Injuste pro aliena culpa alter debet poenam sentire.* Lege: *Injuste enim pro aliena culpa alter non debet poenam sentire.* injuste pro aliena culpa alter debet poenam sentire. Illi vero fratres post 15 annos aetatis vapulent, qui satis gravem
@ [Col. 1042C] *Aut furti fugacis.* Ita in cod. Vind. et in Regula ms. Apud Smaragdum legitur: *Aut fasti fugacis, sed ex citatis codicibus est castigandus.* aut furti fugacis, aut criminalem aliquam culpam commiserint.

CAPUT XL. DE CELLARARIO MONASTERII, QUALIS SIT.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1041C] *Celtararius.* Ita apud Keronem mox citandum. Vulgo cellerarius, a cella, ut notum est: dicitur et cellarius. Plautus in Milite glorioso:

Dimisit nardini vini amphoram cellarius. Lampridius in Heliogabalo: «Mittebat parasitis per cellarios salaria annua.» Kero in interpretatione Alamanica vocabulorum Regulae S. Benedicti: *Cellararius, qui et cellarius:* Cyprianus. lib. I Vitae S. Caesarii: «Post breve tempus in congregationis cellarium eligitur.» Graece etiam dicitur, κελλάριος. Constantinus Themate 6: Κελλάριος ὁ φύλαξ ἄρτου, id est, custos panis. Ut in tractatu de Poenis, qui vulgo S. Basilio tribuitur art. 40: Πλὴν τοῦ κελλαρίου, id est, excepto Cellario. Glossae veteres: Κελλάριος, *penuarius.* Et κελλαρία, celleraria Hesychio, in voce ταμιη. Dicitur et κελλαρίτης, cellararius apud S. Dorotheum doctrina. II. Accurate autem hic munus et dotes cellerarii describuntur, quia, cum penes eum sit

totius monasterii substantia, necesse est disciplinam regularem labefactari, si ejus socordia non recte administretur. Praeterea hoc caput exstat in recapitulatione S. Caesarii mutato genere masculino in femininum, potuitque videre S. Caesarius Regulam S. Benedicti: quia illi aequalis fuit, et in Italia aliquandiu commoratus est. Cellararius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus,

@ [Col. 1042C] *Sobrius, etc.* Quia, cum omnia quae ad victum fratrum pertinent, in potestate habeat, pronum illi est servire gulae illecebris. Sobrius autem hoc loco est non temulentus. sobrius, non multum edax,

@ [Col. 1042D] *Non elatus.* Ob potestatem. non elatus,

@ [Col. 1042D] *Non turbulentus.* Quia sic universam congregationem turbaret, et omnia confunderet. non turbulentus,

@ [Col. 1042D] *Non injuriosus.* Ms. p. Vict. *Non jurgiosus.* Quae quidem lectio haud contemnenda: nam multarum rerum administratori non deest jurgiorum occasio. non injuriosus,

@ [Col. 1042D] *Non tardus, ad ea quae sunt suarum partium obeunda, et maxime ad suppeditandum fratribus necessaria.* Ac proinde huic ministerio inepti sunt avari et quovis polypode tenaciores.

Ubi si quid poscas, ad ravim poscas prius Quam quidquam detur. non tardus,

@ [Col. 1042D] *Non prodigus.* Quia ex ejus prodigalitate totius monasterii ruina manaret. non prodigus,

@ [Col. 1042D] *Sed timens Deum.* Hoc est veluti ante dictorum corollarium, ad quod illa omnia referri debent. sed timens [Col. 1043A] Deum,

@ [Col. 1043A] *Qui omni congregationi sit sicut pater.* Ut cum charitate cuncta administret, omnes fratres tanquam filios diligat, eisque necessaria affatim subministret. qui omni congregationi sit sicut pater.

@ [Col. 1043A] *Curam gerat de omnibus.* Rebus sibi commissis videlicet. Ita quidam Pater monachorum hoc capite a nostro auctore citatus: «Curam de omnibus sibi commissis rebus habeat.» Curam gerat de omnibus.

@ [Col. 1043B] *Sine jussione abbatis nihil faciat.* Ne quid plus nimio sibi arroget, et potestatem excedat. Sine jussione abbatis nihil faciat.

@ [Col. 1043B] *Quae jubentur custodiat.* Quia is bene ministrat, qui bene obtemperat. Quae jubentur custodiat:

@ [Col. 1043B] *Fratres non contristet.* Superbe aut injuriose respondendo, aut eis rationabilia denegando. fratres non contristet.

@ [Col. 1043B] *Si quis autem ab eo forte.* S. Dunstanus: *Si quis autem frater ab eo forte.* Smaragdus: *Si quis frater ab eo forte.* Hic autem clarum est, qualis in cellerario inesse debeat humilitas, qui irrationabilia etiam petentibus respondere cum humilitate teneatur. Si quis ab eo forte aliqua irrationabiliter postulet, non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget.

@ [Col. 1043B] *Animam suam custodiat.* A vitiis et peccatis: quia, quo magis rebus exterioribus attendit eo cautius agere debet: ne anima tot negotiis intricata aliquid intertrimenti percipiat. Animam suam custodiat,

@ [Col. 1043B] *Memor semper illud apostolicum.* Ita in cod. Vind., in cod. ma. S. Germ. Ita apud S. Dunstanum, Keronem et Smaragdum: quia adjectivum, *memor, perinde ac*

verbum suum potest cum accusativo construi, ut supra cap. De instrumentis notatum est. In vulgatis legitur: *Memor semper illius apostolici, Cod.* p. S. Germ. addit, *praecepti.* Sed male, nam in sententia ex Apostolo citata non praeceptum proponitur, sed praemium. memor semper illud apostolicum:

@ [Col. 1043C] *Quia, qui bene ministraverit, bonum gradum sibi acquirit.* Paulo aliter in textu Apostoli I ad Timoth. III: *Qui enim bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent.* Sed S. Benedictus textum singulari personae adaptavit: qui tamen Verbum, *acquirit, ponit in praesenti juxta Graecum textum:* βαθμόν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται, id est, «gradum sibi bonum acquirunt.» Sibi autem bonum gradum acquirit bonus cellerarius, nempe in coelo: ut olim Dietmarus monasterii Garstensis in Austria cellerarius, qui etsi in vita reprehensibilis esset, tamen ob charitatem in fratres poenas evasit post mortem. Quod manifestatum fuit Adelrammo abbati monasterii Chrembmunster a quadam energumena, quae interrogata ab ipso abbate de statu praedicti Dietmari ita respondit: «Nostrae sorti deputatus fuit: sed dicente illo monacho, dum iste moreretur: Reddat tibi omnipotens Deus omnia bona quae mihi fecisti; et alio: Retribuat tibi Dominus prius bonum quo me frequenter sustentasti; et aliis similia imprecantibus, dum putaremus eum nostris accessisse partibus, subito raptus est, et noster esse desiit.» Ut habetur in Vita Bertholdi abbatis Garstensis, cap. 23. *Quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit* **(I Tim. III)**.

@ [Col. 1043D] *Infirmorum, infantium, etc.* Quia ii maxime ejus ope indigent, qui pro sua conditione facile spernuntur. Ideoque haec cum interminatione a S. Benedicto praecipiuntur. Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam [Col. 1044A] gerat: sciens, sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam

@ [Col. 1043D] *Quasi altaris vasa sacrata, etc.* Quia monasterium domus Dei est, et omnia quae illius sunt, Dei sunt, et quae Dei sunt, tanquam ei sacrata haud dubie habenda sunt. Haec sane est sanctorum Patrum doctrina, ut vasa monasterii ejusque substantia tanquam Deo sacrata reputentur. Ita habetur in Regula Patrum nempe Macarii et aliorum abbatum. «Nosse jam debent fratres, quia quidquid in monasterio tractatur sive in vasis, sive in ferramentis vel caetera (puto deesse vocabulum *substantia*), omnia esse sanctificata.» Idem docet S. Basilius interr: 143 Regularum brevium, cum ait curam gerendam esse instrumentorum ὡς Θεῷ ἐπονομασθέντων καὶ ἀνατιθέντων, id est, «tanquam Deo sacratorum et dedicatorum,» et sequenti interr. ait ea esse Κυρίῳ ἐπονομασθέντα, καὶ τῷ θεῷ ἀνακείμενα, id est, «Domino dedicata, et Deo consecrata.» Interrog. 153, scribit lanas monasterii existimandas esse ὡς παρακαταθήκην θεοῦ, «ut depositum Dei.» Haec fuit etiam mens veterum Aegyptiorum Patrum, ut planum est ex Cassiano lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 22: «Propter quod, si quid fuerit in monasterio semel illatum, ut sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari.» Idem patet ex Regula Servi Dei, cap. 3: «Vasa vel reliqua utensilia, quae ad hospitium bajulant, ac si sacra Deo, gubernent et custodiant.» Unde praeclare S. Ephraem in sermone ascetico dicit: «Quod si coenobii librum in tua cella teneas, ne projicias eum per negligentiam; sed studiose complicatum serva atque custodi, tanquam Dei esset.» Quae quidem doctrina confirmatur auctoritate concilii Aurelianensis cap. 7: «Omnia quae Deo offeruntur, consecrata habentur in vineis, terris, sylvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus et reliquis possessionibus, et quae ecclesiis sine dubio Christo, qui sponsus earum est, offeruntur.» Quamobrem

Macarius et alii abbates in sua Regula dicunt: «Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis.» Porro hic textus S. Benedicti Regulae citatur a Joanne monacho lib. II Vitae S. Odonis abbatis Clun. quasi altaris vasa sacrata conspiciat.
@ [Col. 1044C] *Nihil ducat negligendum.* Nec etiam minima; quia ex eorum neglectu sensim bona monasterii dissipantur. Nihil ducat negligendum.
@ [Col. 1044C] *Neque avaritiae studeat.* Quia avaritia omnium malorum radix omnem disciplinam pervertit regularem. Haec una est murmuriorum in monasteriis scaturigo. Vae murmurantibus; sed vae per quem murmurium venit. Quamobrem in concilio Francofordiensi sub Carolo Magno statuitur can. 4; «Ut cellerarii in monasteriis avari non eligantur, sed tales electi sint, quales Regula S. Benedicti docet.» Neque avaritiae studeat, neque prodigus sit, et exstirpator substantiae monasterii: sed omnia mensurate faciat secundum jussionem abbatis. Humilitatem ante omnia habeat.
@ [Col. 1044D] *Et cui non est substantia, quod tribuatur.* Ita in cod. mss. S. Ebru. S. Germ. p. et Vind. Sed vulgo legitur, *et cui non est substantia, quae tribuatur.* Lege tamen, ut in cod. ma. ms. S. Germ.: *Et cui non est ex substantia, quod tribuatur.* Ex quo apparet in codicibus mss. frustra non fuisse scriptum, *quod, neutro genere.* Et cui substantia non est, quod tribuatur,
@ [Col. 1044D] *Sermo responsionis bonus.* Hinc patet maximam lenitatem in cellerario requiri. Nec immerito: multi enim sunt meticulosi, maxime pueri et juniores fratres, qui ad morosum et iracundum cellerarium vix auderent accedere, ac proinde multam rerum necessariarum penuriam ferre cogerentur. sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est:
@ [Col. 1044D] *Sermo bonus super datum optimum.* In Regula Servi Dei, cap. 4, et apud Smaragdum habetur: *Nonne* [Col. 1045B] ecce verbum bonum super datum, Ecclesiastici cap. XVIII: ubi sic legitur in versione communi. *Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum.* Nonne ecce verbum super datum bonum; quibus consentit textus Graecus. Sed sanctus Benedictus citans locum ex memoria reddidit sensum, non verba. Nec dubium est, quin in textu Ecclesiastici, in quo bis ponitur, *verbum,* subaudiendum sit, *bonum, ut sensus hujus loci sit:* Quemadmodum ros refrigerat ardorem, sic verbum bonum mitigat iracundiam illius cui aliquid denegatur. Et locum explicavit S. Benedictus cum adjecit adjectivum, *bonus, dicens, sermo bonus, etc.* Quod sane subaudiendum est in loco Ecclesiastici hoc modo: *Sic et verbum bonum melius quam datum.* Nonne ecce verbum bonum super datum bonum. Quod satis liquet ex sententia, quae locum citatum praecedit, in qua sic habetur. *Et in omni dato non des tristitiam verbi mali.* Et clarius quidem ex textu Graeco, et accommodatius ad mentem S. Benedicti, in quo legitur, δεήσει, id est, inopia, quasi dicas, *et in omni inopia non des tristitiam verbi mali, id est, cum nihil habes quod tribuas, ne contristes potentem verbo malo aut dura responsione, et causa est, quia verbum bonum super datum optimum. Sermo bonus super datum* [Col. 1045A] *optimum* **(Eccli. VIII)**. Omnia quae ei injunxerit abbas, ipsa habeat sub cura sua, a quibus eum prohibuerit, non praesumat. Fratribus constitutam annonam
@ [Col. 1045C] *Sine aliqua typho.* In interpetatione Alamanica Keronis, *sine aliquo typho, id est, sine aliqua superbia, arrogantia:* nam τύφος, κενοδοξία, inquit Moschopulus in schedis, id est, superbia: vel, ut ait Suidas, τύφος ἀλαζονεία, μανία, id est, arrogantia,

furor. In aliis tamen codicibus tam editis, quam mss. quos viderim, legitur, *sine aliquo typo.* Quam quidem lectionem magis probo. Et typus est fastidium, contemptus, superbia. Quod satis patet ex Regula Pauli et Stephani, cap. 26: «Conveniente devotione et charissima humilitate, quae necessaria sunt sine mora et fastidio jubente seniore ministrent.» Sed clarius ex D. Augustino qui, epist. 64, typum opponit alacritati: «Et oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosae: atque omnibus petentibus sine typo, et cum alacritate tribuantur.» Quae verba mirum in modum illustrant locum S. Benedicti. Hinc typus superbiae dicitur. S. Valerius supra cap. 3: «Crescunt typo superbiae turgidi.» D. Gregorius Magnus lib. VI, epist. 28: «Tunc [Col. 1046B] enim ostensa charitas vera est, si per typum superbiae inter nos schisma non fuerit.» Et recte quidem superbiae typus opponitur charitati. Quia charitas alacris est atque hilaris; et contra superbia morosa est et fastidiosa. Typi etiam sunt frigidae febres, typi frigoretici passim apud D. Gregorium Turonensem. Et Graece τύπος, id est, accessio et remissio morbi apud Galenum, qui librum composuit περὶ τύπων, id est, de accessionibus et remissionibus morborum. Ex his notandum apud S. Benedictum et auctores citatos typum dici ad similitudinem typi frigoretici. Quemadmodum enim hoc morbo laborantes sunt taediosi, morosi, et fastidiosi, ita et superbi. sine aliqua typho, vel mora offerat: ut non scandalizentur, memor divini eloquii, quid meruerit qui scandalizaverit unum de pusillis **(Matth. VIII)**. Si congregatio major fuerit,

@ [Col. 1046C] *Solatia.* Solatium est auxilium. Regula Tarnatensis: *Solatium ei non denegetur.* S. Gregorius papa lib. X, epist. 25: «Ut homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in ejus transmittere debeant solatium.» Jornandes de Rebus Gotthicis; «In Mundonis solatia veniens Illyricianum exercitum demolivit.» Marculphus formula. 138: «Ipsum in suis servitiis ac solatiis juxta legis ordinem retineat.» solatia ei dentur, a quibus adjutus et ipse aequo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus et dentur quae danda sunt; et petantur quae petenda sunt: ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 12).

@ [Col. 1046C] *Si congregatio multa.* Hoc caput reperitur in Reg. ms. Macarii, Serapionis, etc., Cod. Flor. Si congregatio multa est, debet is qui praeest pater disponere hebdomadarios, et

@ [Col. 1046C] *Ordinem officii.* Officium hoc loco est officialium turba, ut supra notatum est. ordinem officii, quo sibi invicem succedant ad ministrandum: et decernere [Col. 1045B] debet ille, quis debeat esse qui cellarium fratrum contineat. Debet

@ [Col. 1046C] *Tantummodo talis.* Apud Smaragdum additur, *cellarius.* tantummodo talis eligi, qui possit in omnibus evangelico ordine fratribus suum victum gubernare, qui timeat Judae

@ [Col. 1046D] *Sententiam.* Id est, judicium, condemnationem. sententiam, qui ab initio fur fuit. Studere debet, qui huic officio deputatur, ut videat: *Quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit* **(I Tim. III)**, et animae suae lucrum facit. Nosse debent etiam fratres, quia quidquid in monasterio tractatur sive in vasis, [Col. 1046A] sive in ferramentis, vel

@ [Col. 1046D] *Vel caetera.* Ita in cod. Flor., deesse tamen videtur τὸ *substantia.* caetera

omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis **(I Dan. V)**: et qualem meruit vindictam. Custodienda sunt ista praecepta, et per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt: ut non condemnentur in peccatis suis.

§ III.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 3).

@ [Col. 1046D] *Ad eum, etc.* Haec habentur in Regula edita sancti Isidori, cap. 20. Ad eum qui cellario praeponitur, pertinebit sollicitudo eorum quae in promptuario sunt. Iste praebebit hebdomadariis quidquid necessarium est victui monachorum, hospitum, infirmorum. Isto praesente dispensantur ea quae mensis deferenda sunt. Is etiam quidquid residuum

@ [Col. 1046D] *Sumptui.* Hoc vocabulum desideratur in Regula excusa; nec videtur necessarium. sumptui fuerit pro pauperum usibus [Col. 1046B] reservabit. Huic quoque hebdomadarius expleta hebdomada vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique, si negligenter habita non sunt. Ac denuo succedenti hebdomadario coram isto tradentur. Ad hunc quoque pertinent horrea, greges ovium et pecorum, lana, linum,

@ [Col. 1046D] *Aviaria sollicitudo, etc.* In Reg. excusa, *de area sollicitudo, cibaria ministrandi pistoribus.* Sed illud τὸ *aviaria rectum puto, cui si apponantur duo puncta, caetera rite procedent hoc pacto: sollicitudo cibaria administrandi pistoribus.* Aviarium autem est aedificium aptum nutriendis avibus villaticis apud Varronem lib. III de Re Rustica cap. 3; et Columellam lib. V, cap. 8, ὀρνιθῶνα appellant ab ὄρνις, id est, avis. Hanc vocem Latine usurpat Varro cap. citato: «Nunc ornithonas dico omnium alitum, quae intra parietes villae solent pasci.» aviaria sollicitudo cibaria ad ministrandum pistoribus, jumentis, bobus, et avibus: industria quoque calciamentorum, cura pastorum et piscatorum.

[Col. 1047A]

§ IV.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 11).

Interrog.

@ [Col. 1047C] *Qua mensura, etc.* Exstat apud S. Basilium, interr. 148 Regul. Brev., et apud Rufinum cap. 58. Qua mensura debet temperare potestatem dispensationis suae is cui cellarii cura commissa est?---*Resp.*

@ [Col. 1047C] *Erga eum quidem, etc.* Haec nihil aliud dicunt, quam quod cellerarius in sua administratione non suam, sed abbatis sequi debeat voluntatem. Erga eum quidem, qui ei credidit hujuscemodi dispensationem

@ [Col. 1047D] *Meminisse debet.* Tó *debet supplevi ex Rufino et cod.* Vind. meminisse *debet Domini dicentis: Non possum ego a me facere quidquam* **(Joan. V)**.

@ [Col. 1047D] *Ad caeteros vero.* In textu Graeco: Πρός δὲ τοὺς φροντιζομένους, id est; «erga caeteros vero qui ejus curae committuntur.» Ad caeteros vero sollicite scire debet, quid unusquisque opus habeat, ut compleat quod scriptum est: *Dividebatur autem unicuique, prout opus erat* **(Act. IV)**. Eadem autem ratio observari debet ab omnibus quibuscunque aliqua ministerii vel dispensationis sollicitudo commissa est.

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 112).[Col. 1047B]

Interrog.
@ [Col. 1047D] *Quae sententia, etc.* Habetur apud eumdem S. Basilium interr. seq. et apud Rufinum cap. eodem. Quae sententia observabitur erga dispensantem, si aliquid secundum personae acceptionem vel contentionem faciat?---*Resp.* Apostolo praecipiente quidem:
@ [Col. 1047D] *Neque quid facias secundum favorem.* Haec non habentur apud Apostolum, neque in textu Graeco S. Basilii: videntur tamen posita ad alterius partis intelligentiam. *Ne quid facias secundum favorem, vel in alteram partem declinando* **(I Tim. V)**; aliquando autem dicente: *Quia si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei:* si quis hoc facit,
@ [Col. 1047D] *Notetur.* In textu Graeco: Ἀλλότριος τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ὁ τοιοῦτος γνωριζέσθω, id est, «si quis est ejusmodi, alienus ab Ecclesia Dei declaretur,» id est, excommunicetur. notetur usquequo corrigatur. Verumtamen oportet cum summa diligentia et probatione discutere, et considerare ad quam partem unusquisque aptus sit vel opportunus: et ita ei injungi quodcunque illud operis vel officii, ut neque illi qui injungunt ex hoc ipso condemnentur, quod non aptum alicui officium injunxerint, et inveniantur mali esse dispensatores sive [Col. 1047C] animarum, sive mandatorum Domini: neque illi ipsi quibus injungitur occasionem peccati ex hoc habere videantur,
@ [Col. 1047D] *Vel voluntate.* Haec usque ad finem exstant quidem apud Rufinum, sed non reperiuntur in textu Graeco Basilii. vel voluntate aliquid agere: sed ejus qui praeest judicio committendum est. Unicuique, ut res vel necessitas expedit, consulat: primum omnium in his quae animae prosunt: deinde secundo loco etiam ut corporalibus usibus secundum voluntatem Dei moderetur.

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 113).

Interrog.
@ [Col. 1048C] *Si autem neglexerit, etc.* Haec habentur apud S. Basilium, interr. 150, et apud Rufinum, cap. 58. Si autem neglexerit dare fratri quod opus est?---*Resp.*
@ [Col. 1048C] *Manifesta est de hoc sententia.* Idem habet S. Basilius interr. 34 Regularum fusius disputatarum; nec immerito, quia monachi, qui se omnibus facultatibus propter Christum spoliaverunt, veri sunt pauperes, atque etiam vera Christi membra; ac proinde avari ac negligentes cellerarii, qui necessaria fratribus non suppeditant, eamdem perditionis aleam subibunt in die judicii, cum his qui pauperes et egenos non paverunt, et caetera misericordiae opera neglexerunt. Manifesta est de hoc sententia [Col. 1048A] ex ipsius verbis Domini dicentis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere **(Matth. V)**; et ea quae sequuntur: quia *Maledictus omnis, qui facit opus Dei negligenter* **(Jer. IV)**.

§ VII.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 25).
@ [Col. 1048D] *Hi quoque.* In cod. Floriac. cap. 26. Hi quoque, quibus in singulis rebus custodia commissa, convenienti devotione et charissima humilitate, quae necessaria sunt sine mora et fastidio, jubente seniore, ministrent: nec per superbam inflationem differendo occasiones faciant querelarum, per quas murmuratio contra eos justi doloris consurgat. Et e contra injusta murmuratio contra eorum [Col. 1048B] laborem, qui nobis in

assignatis rebus charitate deservient, non debet excitari.

§ VIII.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 10).

Ad cellarium talis ordinetur abbatis judicio, vel concilio seniorum,
@ [Col. 1048D] *Non qui voluntates aliquorum.* Juxta eam animi propensionem seu benevolentiam et sympathiam, quam S. Paulus πρόσκλισιν appellat **(I Tim. V)**, hoc est declinationem in alteram partem, et cellerario praecipue vitandam docet S. Basilius, interr. 34 Regul. fusius disputatarum, et 150 Regul. Brev. Quod ut praestare possit, necessarium est, ut credat se Deo, non hominibus ministrare. Haec autem sententia Tarnatensium exstat in Regula S. Caesarii, cap. 28. non qui voluntates aliquorum, sed necessitates omnium cum timore Domini et fratrum dilectione consideret. Cui tamen absente praeposito concors obedientia praebeatur; et ubi utilitas poposcerit,
@ [Col. 1048D] *Solatium.* Id est, auxilium, ut supra notatum est. solatium non denegetur.

§ IX.---EX REGULA ORIENTALI.

Cellararii cura sit ut abstinentiam et sobrietatem studens illata in monasterium ad sumptus fratrum diligenter et fideliter servet, nihil suscipiens, nec quidquam tradens sine auctoritate vel consilio seniorum. Qui etiam omnia utensilia quae in monasterio [Col. 1048C] sunt, id est, vestem, vas, ferramentum, et quidquid usibus quotidianis necessarium est, custodiat: et unamquamque rem proferens, cum fuerit necessarium, ab eo iterum ad reponendum, cui utendo consignaverit, recepturus. Ad victum vero fratrum proferat ac tradat, septimanariis ad condiendos cibos det necessaria secundum quotidianae expensae consuetudinem, neque profuse, neque avare: ne vitio illius vel monasterii substantia gravetur, vel fratres patiantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nihil [Col. 1049A] aegrotantium desideriis neget ex his quae habuerit, quantum illis necesse fuerit. Advenientibus fratribus escas parabit. Haec erit cura custodis cellarii recurrens semper ad seniorum consilium, et requirens de omnibus, vel praecipue de his quae proprio suo intellectu non poterit adimplere.

§ X.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 16).
@ [Col. 1049C] *Fratres, omnis opera, etc.* Hoc caput habetur in Reg. ms. cod. Corb. eodem cap. 16. Fratres, omnis opera pretium habet, quia digno mercenario mercedes debentur, et *Bovi trituranti non alligabitur os* **(Deut. XIII; I Tim. V)**. Nam labores fructuum suorum beatum faciunt manducantem, quia Dominus homini creato omnia subjecit sub pedibus ejus propter quem creavit cuncta. Ergo si injustis et inimicis Dei, id est, non credentibus paganis et haereticis, vel diversis peccatoribus
@ [Col. 1049C] *Diversa victualis.* Haec usque ad illa verba: *Quanto magis, desiderantur in Regula ms.* diversa victualis [Col. 1049B] creatura famulatur subjecta, ut universus mundus diversis deseruit, quanto magis credentibus in Deo, et bene servientibus ei juste et digne Dominus ad vitam diversam creaturam tradidit quam creavit, et quasi pignus futurae repromissionis in praesenti hoc tempore omnia vitae necessaria ministrando non derelinquet Dominus quaerentes se: quia divites eguerunt et esurierunt; inquirentes vero Dominum non deficient omni bono, et esurientes implet bonis Dominus, et divites dimisit inanes: et, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Ergo cellararius

monasterii non aliunde quam
@ [Col. 1049C] *Dispensator.* Supp. *sit.* dispensator divinarum rerum; intantum divinarum ut Dominus in Evangelio promittat fidelibus dicens: *Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid induamini* **(Matth. VI)**. Simul [Col. 1049C] et de crastino monet non debere quemquam esse sollicitum: sed hoc admonet dicens:
@ [Col. 1049C] *Quaerite regnum, etc.* Matth. VI; sed producta sunt ex memoria, non ex codice. *Quaerite regnum et justitiam Dei, et haec omnia apponentur vobis:* scit enim Pater meus, qui est in coelis, quia haec omnia indigetis (I bid.). Ergo si Deo servientibus vitae necessaria a Domino apponuntur, et scit Pater coelestis [Col. 1050A] Dominus noster quae indigemus, et praeparat: vides ergo quia et
@ [Col. 1049C] *Victualia.* Quae ad victum pertinent S. Ambrosius lib. V Hexameri cap. 21. «Invigilare quaerendo victualia.» victualia nostra, cum ab ipso nobis praeparantur, Dominica dona sunt. Nam sicut carnalis domini servus,
@ [Col. 1049D] *Alter tamen homo.* Ita in Reg. ms. haec claudenda sunt parenthesi; ut sensus sit: Etsi tamen alter, dominus videlicet, sit homo. alter tamen homo, de praebendo servitio suo solummodo est sollicitus; quia de praeparandis a domino suo annonae, vestiarii,
@ [Col. 1049D] *Calciarii.* Calcearium est id omne quod homini calceando aptum est. S. Gregorius libr. II, epist. 37: «Afferat ad calcearium puerorum solidos quadraginta.» calciarii usibus est securus: quanto magis Dominus noster coelestis necessaria vitae nostrae juste nos non praecipit cogitare.
@ [Col. 1049D] *Quasi homo.* Lege: *Quia si homo, ut est in Reg.* ms. et cod. Vind. Quasi homo homini serviens ad praeparandum sibi
@ [Col. 1049D] *Idoneus creditur.* Lege: *Idoneum dominum credit.* idoneus creditur: quanto magis credentibus vel servientibus Deo, qui creavit ipsa omnia, et cuncta potens est adimplere, omnia poterunt famulari. *Qui*
@ [Col. 1049D] *Junior fui, et senui.* Ita in Psalterio Romano. *junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum,*
@ [Col. 1049D] *Nec semen ejus egens.* Ita in Psalterio Romano. *nec semen ejus egens* **(Psal. XXXVI)**: sed magis tota die miseretur et commodat. [Col. 1050B] Ergo cum de solo servitio nostro in inquirendo regno et justitiam ejus fuerimus solliciti, Deum credamus omnia nobis ministrare, qui ultro se nobis necessaria omnia promittit apponere. Ergo omnia victualia monasterii, quae in praebenda operariis suis Dominus annona distribuit, si male et fraudulenter a cellarario distribuantur et pereant, sciat se supra dictus cellararius in die judicii divinis ante tribunal ratiociniis discuti, cum annonam servorum Dominus per negligentiam viderit
@ [Col. 1049D] *Stricari.* Ita Reg. ms. et cod. Vind. Id est, disperdi, consumi, Glossarium vetus: *Instricatum, vulneratum.* stricari: quia quod juste Dominus dignis tradit, indigne ab eversoribus non patitur stricari. Qui cellararius sine praecepto abbatis nihil tribuat, aut eroget, aut expendat, nec infirmo in praesentia ejus extra jussum aliquid porrigat. Cellararius eleemosynam faciat cum jussu abbatis [Col. 1050C] in praesentia ejus: in absentia ejus liceat ei petenti pauperi eleemosynam exhibere propter praeceptum Domini, quod dicit: *Omni petenti tribuite* **(Luc. VI)**. Et item:
@ [Col. 1049D] *Da, ne cui non dederis, etc.* Haec sententia habetur in libello S. Isidori de Norma vivendi, capite ultimo: «Omnibus da: ne forte cui non dederis ipse sit Christus.»

Quam doctrinam secutus est S. Joan. patriarcha Alexandrinus, cum dixit datori: «Da ei duodecim numismata, ne forte Christus meus sit, et tentet nos.» Et S. Reimbertus archiepiscopus Bremensis, ut refert Adam libr. I Hist. Eccl. Bremensis: «Non est, inquiens (S. Reimbertus), tardandum, ut cunctis subveniamus pauperibus: quia quis sit Christus, vel quando ad nos veniat, ignoramus.» «Da: ne cui non dederis ipse sit Christus.»

@ [Col. 1050C] *Quotidie cellararius.* Ex hoc loco inferri potest hujus Magistri monachos quotidie sacram eucharistiam sumere solitos: juxta cujus Regulam, cap. 21, cellararius et hebdomadarii post abbatem communicabant, et facta modica oratione recedebant. Sacrae eucharistiae fuit olim varius apud monachos usus. Monachi Aegypti diebus Dominicis et sabbati sacram eucharistiam sumebant, ut docet Cassianus lib. III de Diurnis Orationibus, cap. 2: «Quamobrem exceptis vespertinis nocturnisque congregationibus, nulla apud eos per diem publica solemnitas absque die sabbati et Dominica, in quibus hora tertia sacrae communionis obtentu conveniunt.» Idem testatur de die Dominica ejusdem libri, cap. II. Magister, ut paulo ante diximus, suos discipulos quotidie sacri hujus mysterii participes esse voluit; quem secutus est S. Dunstanus, qui capite 1 Concordiae ita statuit: «Post pacem fratres quotidie (nisi qui crimine se aliquo, vel carnis fragilitate reos cognoverint) regulari studio prorsus intenti eucharistiam accipere non renuant.» Quid de hac re statuerit S. Benedictus, non satis constat. Tamen ex his verbis capitis 35: *In diebus autem solemnibus usque ad missas sustineant, conjici potest diebus Dominicis et festivis communicandum esse.* Quotidie cellararius cum septimanariis coram abbate in oratorio cum congregatione communicet. [Col. 1051A] Intrantibus in hebdomadam septimanariis vasa coquinae ipse consignet: completa hebdomada ipse recipiat aliis intrantibus consignanda. Quae vasa monasterii si sub aliquo per negligentiam fracta fuerint, non prius qui fregit, accedat ad mensam, nisi poenitens abbati satisfecerit per humilitatem ad genua incurvatus. Ejectis vero de cellario omnibus necessariis cum congregatione ad mensam sedeat tacitus et manducet. Qui cellararius, si se levaverit aliquid adportare, usque dum redeat, omnes de mensa, in qua sedebat, ad manducandum exspectent eum. Opus aliquod laboris faciendum his horis cellararius suscipiat, quando aliqua cura et diligentia, vel dispensatio cellarii minime exercetur, ut otiosus in illis horis non sit. In oratorio absens per occupationem [Col. 1051B] dicente abbate pro eo fratribus,

@ [Col. 1051C] *Ut habeatur in mente.* Ita in Reg. ms.; sed τὸ *ut videtur redundare.* Sensus est: Si cellerarius non intersit divinis officiis, ipse abbas eum fratrum orationibus commendet. ut habeatur in mente, simul et ipse cellararius, si prope oratorium cellarium fuerit, sua voce petat se debere in orationibus memorari.

@ [Col. 1051D] *Et tamen lente, etc.* Sensus est: Si cellerarius habens cellam juxta oratorium faciat aliquod opus quod debitam orationi attentionem minime impediat, officium divinum per se recitabit sequendo fratrum in choro psallentium vocem. Ex quo liquet posse horas canonicas persolvi faciendo leve aliquod opus, quod debitae attentioni non officiat. Idque vulgo docent summistae, Navarrus in Enchiridio de horis canonicis, cap. 13. Soto libr. IV de justitia et jure, q. 3, a. 5; et alii multi. Et tamen lente sic occupatus in facto opus Dei sibi dicat, et ipse sequendo vocem vel versum oratorii. Et merito intus in oratorio debet ab omnibus memorari, quia pro omnium sollicitudine occupatur: et quomodo ab uno communis pro omnibus utilitas procuratur, sic omnium cum uno partiatur oratio. Vitia vero oris et corporis ei custodienda ab ipso abbate custodiantur:

quia cellararius sub nullius decadae numero sub praeposito continetur: ne forte, quomodo caro amat quae sua sunt, propter aliquem appetitum vel subministrationem gulae causa Dei praetermittatur, et pro cibo [Col. 1051C] vel potu

@ [Col. 1051D] *Non exacta excommunicatio.* Ita dicitur, quia eam praepositi non exigerent, ut possent inire gratiam cellerarii. non exacta excommunicatio carnaliter provendatur. Utensilia omnia monasterii ipse recipiat

@ [Col. 1051D] *Ad numerum.* Gallice: *Par compte.* ad numerum, et diversis consignet. De omnibus vero quae sunt in monasterio, extra abbatem nullus sibi aliquid velut suum, sive quod attulit, sive quod invenit, sive quod laboravit, vel acquisivit [nullus] peculiare vindicet, aut defendat. Quia regulae sententia est:

@ [Col. 1051D] *Res monasterii et omnium, et nullius est.* Omnium in communi, nullius in particulari. *Res monasterii et omnium, et nullius est.* Cellararius vero ipse frater ordinetur, qui probatus fuerit ab abbate fidelis et abstinens se: quem nunquam vincit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multum amat manducare aut [Col. 1052A] bibere, ne detur locus diabolo, sicut dicit Scriptura: *Nolite dare occasionem quaerentibus eam;* et videatur gastrimargiae gulae voracibus vel gluttonibus fratribus provideri magis quam refrenari.

§ XI.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 4).

@ [Col. 1051D] *Monasterii cellararius, etc.* Maxima pars hujus capitis sumpta est ex superiori capite S. Benedicti, quem fere in omnibus hic Pater sequitur. Monasterii cellararius sapiens et religiosus ex omni congregatione eligendus est, qui non sibi, nec suis voluntatibus, sed toti congregationi aequanimiter et pie placeat dispensando, nec inde placere studeat unde et se in ruinam peccati, et alios per transgressionis noxam consentiendo introducat. Id est, ut nihil extra debitam mensuram pro qualibet familiaritate,

@ [Col. 1052C] *Pro gratia meriti.* Lege, ut in cod. Vind: *Vel pro gratia meriti.* pro gratia meriti dispensando distribuat, sciens: quia, *Justus Deus*

@ [Col. 1052D] *Justitiam.* Ita in Psal. Rom., psalm. 10. *justitiam*

@ [Col. 1052D] *A saeculo.* Additum ab auctore citans locum ex memoria, non ex codice. *a saeculo dilexit, aequitatem vidit vultus ejus* **(Psal. L)**. Sit ergo [Col. 1052B] omnibus justa dispensatione gratus, sit moribus maturus, sit sobrius, non edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non piger, sed in omnibus actibus sit compositus. Congregationi omni, id est, tam senioribus quam etiam junioribus, pro affectu et paterno ordine debet ministrare. Curam de omnibus sibi commissis rebus habeat. Nihil tamen sine

@ [Col. 1052D] *Sine commeatu.* Id est, sine permissu. Vide superius annotata. commeatu abbatis facere praesumat. Fratres tam seniores aetate quam juniores nullatenus conturbet. Et si aliquis fratrum ab eo irrationabiliter aliquid poposcerit, leni responsione cum voce humilitatis contra rationem petenti deneget. In infirmitate positis fratribus diligenti cura et promptissimo affectu ministret. Similiter pauperum curam gerat in omnibus timorem Domini praeponens, et [Col. 1052C] sciens illi inde rationem redditurum, si non pro ejus praeceptis implendis haec omnia faciat, memor semper illius, qui dixit: *Qui mihi ministrat, me sequatur* **(Joan. XII)**. Omni ergo operi bono quod facimus, Domini timorem jungamus. Sic in omnibus curam agat, ut in nullo negligentiae damna

incurrat.

@ [Col. 1052D] *Avaritiae et cupiditatis pestem, etc.* Praeclare S. Basilius in Admonitionibus: «Cave quoque cupiditatem, nec amori pecuniarum subjicias te, sed ab omni avaritia declina, ne condemneris ut adulter et idolorum cultor. Noli amare mammona; ne te separet a Deo. Noli diligere opes terrenas, ne amittas coelestes. Multi cupientes aliena a suis privati sunt. Alienae sunt a nobis hujus saeculi facultates: nostra autem possessio regnum coelorum est.» Et paulo post: «Cave radicem omnium malorum cupiditatem pecuniarum: cupidus enim animam suam venalem habet.» Avaritiae et cupiditatis pestem omnino fugiat. Similiter sicut non avarus, sic non sit prodigus: id est, sicut dona omnipotentis Dei sub avaritiae vitio occultando subtrahere non debet, sic sine justa dispensatione nimis

@ [Col. 1052D] *Fenerando.* Id est dissipando. fenerando communem substantiam non debet diripere, sed omnia per discretionem temperando [Col. 1053A] pensare. Et si non habeat quod ab eo quaeritur quod tribuat, sermone leni sine ulla asperitate in sermone procedat: ut dulcedo cordis et vocis responsione patefiat, juxta quod scriptum est:

@ [Col. 1053A] *Favus mellis.* Prov. XVI: *Favus mellis composita verba.* In textu Graeco: λόγοι καλοὶ, id est, sermones boni. *Favus mellis sermones boni* **(Prov. XVI)**. Et illud: *Sermo bonus super datum optimum* **(Eccli. XVIII)**. Ita sibi commissum opus ad mercedem noverit pertinere, si omnia cum humilitate et pietate studuerit agere. [Col. 1054A]

@ [Col. 1054A] *Et quamvis quod petitur, etc.* Ita construe: *Et quamvis non sit unde tribuatur id quod petitur.* Et quamvis quod petitur non sit, unde tribuatur, nullatenus respondeat se non habere, sed dicat fideli voce: Dominus dabit. Ea vero quae danda sunt, sine mora tribuantur; ne scandali occasio aut offensionis casus ex ipsa tarditate generetur, memor semper praeceptorum Domini, qui ne minimum suorum patitur scandalizari **(Matth. XVIII)**.

CAPUT XLI. DE FERRAMENTIS ET REBUS MONASTERII.

[Col. 1053B]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1053C] *Substantia.* Lege, *substantiae.* Substantia monasterii in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus

@ [Col. 1053C] *Praevideat.* Lege, *provideat.* praevideat abbas

@ [Col. 1053C] *Fratres.* Quorum alter ferramentorum, alter vestimentorum, alter linteaminum curam gerat. Et sic de caeteris monasterii rebus. fratres, de quorum vita et moribus securus sit, et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus abbas

@ [Col. 1053C] *Brevem.* Ita omnes mss. nostri cod. cum Smaragdo, S. Dunstano, Turrecremata et editione Coloniensi: quaedam tamen vulgatae legunt, *breve.* Brevis igitur, seu breve, nam utrumque dicitur, est index, inventarium, matricula, scheda, in qua quaedam breviter describuntur memoriae juvandae causa. Flavius Vopiscus in Aureliano: «Breve nominum conscripsit.» Concilium Hispalense can. 1: «Brevem mancipiorum Ecclesiae, etc.» Liber V legis Wisigotthorum, tit. 5, lib. III: «Et brevem det illi qui commendata susceperat.» Cassiodorus lib. I Var., epist. 6: «Ut secundum

breve subter annexum, etc.» Dicitur et breviculus. Nomen in linguam Graecam transiit. Nam dicitur βρέβιον, id est, *breve.* Synodus Carthaginensis can. 37: Ἐν τούτῳ τῷ βρεβίῳ, id est, in hoc brevi; et can. 97: Τό βρέβιον τῶν κεφαλαίων, id est, breve capitum. Ad quem locum Theodorus Balsamon, Βρέβιον λέγεται ἡ κατὰ ἐπιτομὴν σύντομος γραφὴ. Βρεβίω γὰρ κατὰ Λατίνους τέμνω, καὶ βρεβίτα (*Leg.,* Βρεβίτας) ἡ συντομία, id est, breve dicitur compendiosa scriptura. Brevio enim Latine *scindo,* et brevitas *conscisio.* brevem teneat: ut dum sibi

@ [Col. 1053D] *In assignata.* Nempe substantia monasterii. in ipsa assignata fratres vicibus succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit.

@ [Col. 1053D] *Si quis sordide, etc.* Hic locus profertur a Joanne monacho lib. II Vitae S. Oddonis abbatis Clun. Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur: si non emendaverit, disciplinae regulari subjaceat.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 12).

@ [Col. 1053D] Hic textus habetur superiore capite. Nosse debent fratres, quia quidquid in monasterio tractatur sive in ferramentis, vel caetera omnia [Col. 1053C] sanctificata esse. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum [Col. 1054B] illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam **(Dan. II)**.

§ III.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 65).

@ [Col. 1053D] *Quando revertuntur.* Hic articulus cum sequente non est in Regula excusa S. Pachomii. In fine tamen articuli 35 haec verba quae hunc spectare videntur, reperiuntur: «Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur.» Quando revertuntur in monasterium, nemo ex ordine remanebit. Cum ad domos suas pervenerint, ferramenta quibus opus fecerant et

@ [Col. 1054C] *Gallicas.* Gallica est calceamentum, soleae species, qua praeter infimam pedis partem caetera nuda fere patebant teretibus habenis juncta. Id patet ex Agellio lib. VII, cap. 20: «Plerique autem ex iis quae audierant, requirebant cur soleatos dixisset. Sed Castritius profecto scite et incorrupte locutus est: omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, caetera prope nuda teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt. Nonnunquam Graeca voce crepidulas. Gallicas autem verbum esse omnino novum, non ante aetatem Ciceronis usurpari coeptum, etc.» Unde Tertullianus adversus senatorem Isiacum:

. . . caligaque remota, Gallica fit pedibus molli redimita papyro. Sed haec gallica comptula erat, ea vero cujus meminit S. Pachomius, rustica et militaris, operi apta, et lignea. Unde et hujusmodi gallicae dictae sunt calones a voce Graeca, κᾶλον, id est, lignum. Glossae Isidori: *Calones, Gallicae militum.* gallicas tradent ei

@ [Col. 1054D] *Ei qui secundus est.* Id est, qui post praepositum domui praesidet. Nam in monasterio S. Pachomii plures domus erant, seu classes, singulisque unus praepositus praeficiebatur, cujus vicarius erat hic secundus. Ut supra notatum est. qui secundus est post praepositum domus: et ille inferet ea vespere in cellulam separatam, ibique concludet.

§ IV.---*Ejusdem* (cap. 66).

Omnia autem ferramenta hebdomade completa reportabuntur in unam domum: ut rursum, qui succedunt hebdomadae, singulis domibus noverint quid distribuant.

[Col. 1054C]

§ V.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 103).

Interrog.
@ [Col. 1054D] *Quomodo debent, etc.* Exstat apud S. Basilium interrog. 93 Reg. Brev., et apud Rufinum cap. 55 Quomodo debent ii qui operantur [Col. 1055A] curam gerere ferramentorun.,
@ [Col. 1055C] *Utensilium.* Lege, *vel utensilium, ut apud Rufinum.* utensilium eorum de quibus
@ [Col. 1055C] *Operantur.* Ita apud Rufinum. Aliter in textu Graeco: Πεπιστευμένων αὐτοῖς, id est, «quae sibi commissa sunt.». operantur?---*Resp.* Primum quidem sicut vasis Dei, vel his quae jam Deo consecrata sunt, uti debent: deinde tanquam qui non possint sine ipsis devotionis et studii emolumenta consequi.

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 104).

Interrog. Quod si per negligentiam pereat aliquid ex his aut per contemptum dissipetur?---*Resp.* Is quidem, qui contemnit, velut sacrilegus judicandus est. Et qui perdidit per negligentiam, et ipse simile crimen incurrit: pro eo quod omnia quae ad usus servorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt. *(Vide supra ad Reg. S. Bened. hoc cap.)*

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 105).

Interrog.
@ [Col. 1055C] *Quod si a se ipso.* Invenire est apud S. Basilium interr. seq., et apud Rufinum eod. cap. Quod si a seipso commodare voluerit, [Col. 1055B] aut accipere ab alio?---*Resp.* Tanquam insolens et temerarius habendus est.
@ [Col. 1055C] *Haec enim eorum qui praesunt.* Haec non sunt in textu Graeco. Mens autem sancti Basilii haec est: Ut, ii soli possint commodato instrumenta seu ferramenta dare aut accipere, qui eorum curam gerunt. Haec enim eorum qui praesunt et curam dispensationis gerunt, officia propria sunt.

§ VIII.---ITEM EJUSDEM (cap. 106).

Interrog.
@ [Col. 1055C] *Quod si necessitas poscat, etc.* Habetur apud S. Basilium interr. sequ. Reg. Br. et apud Ruf. cap. eodem. Quod si necessitas poscat ut is qui praeest requirat ab aliquo eorum vas vel ferramentum, et contradixerit?---*Resp.* Qui se ipsum et membra sua tradidit in alterius potestatem propter mandatum Domini, quomodo licebit ei de utensilibus contradicere
@ [Col. 1055C] *Huic praecipue, etc.* Paulo aliter in Graeco: Τῷ προεστῶτι, ᾧ καὶ τῶν σκευῶν ἡ φροντὶς ἀνῆκεν, id est, «antistiti, et etiam cui cura commissa est

ferramentorum.» huic praecipue, cui cura commissa est?

§ IX.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 20).

@ [Col. 1055D] *Strumentorum custodia, etc.* Haec habentur in Reg. excusa eod. cap. ubi legitur: *Instrumentorum et ferramentorum custodia.* Strumentorum autem, pro instrumentorum. Vide supra. Strumentorum custodia, ferramentorum ad unum, quem pater monachorum elegerit, pertinebit, [Col. 1056A] qui ea operantibus distribuat, receptaque custodiat. Et licet specialiter haec cuncta singulis maneant distributa, omnia tamen

@ [Col. 1055D] *A Patre monasterii.* In Regula excusa deest τὸ *monasterii.* a patre monasterii ordinata ad curam praepositi pertinebunt.

§ X.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 7).

@ [Col. 1055D] *Ferramenta vel utensilia, etc.* Haec reperiuntur in Reg. ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass. eod. cap. 7. Ferramenta vel utensilia quaelibet artificum sub uno recondenda sunt conclavi, et custodia unius fratris industrii et providi. Quique segregatim illa idoneo collocans loco, prout res expetit, poscentibus ad operandum fratribus tribuat, atque ad vesperum suis ea colligens locis curam habebit; ne quid de his aut pereat, aut per negligentiam

@ [Col. 1055D] *Aeruginet.* Id est, aeruginem contrahat, ita etiam loquitur Magister cap. 17: «Quia exinde aeruginat ferramentum.» aeruginet, vel qualibet occasione vilescat.

§ XI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 17).

@ [Col. 1055D] *Ferramenta monasterii.* Haec habentur in R. Ms. cod. Corb. eodem capite. Ferramenta monasterii in uno contineantur cubiculo, [Col. 1056B] et uni fratri, cujus diligentiam abbas cognoverit, eorum conservandorum curam committat. Qui quotidie fratribus ad facienda opera consignet ad numerum, et a

@ [Col. 1055D] *A disjungentibus.* Supple *se, id est, qui se ab invicem separant completo opere.* disjungentibus similiter munda ipsa recipiat et reponat, breve de omnibus tenente abbate. Qui vero frater non mundum ferramentum a terra

@ [Col. 1055D] *De agro.* Sup. reversus. de agro

@ [Col. 1055D] *Revocaverit.* Id est, reddiderit. Nam revocare aliquando significat reddere. Conc. Agathense can. 27 de fugitivo monacho: «Sed ubicunque fuerit, abbati suo auctoritate canonum revocetur,» id est, reddatur. revocaverit, accusatus ad mensam a custode ferramentorum poenae nomine in refectione in portione panis sui unam

@ [Col. 1056C] *Quadram.* Quadra est frustum panis, quarta pars panis. Glossae veteres: *Quadra,* τόπος. Lege, τόμος, id est, frustum, ut olim a doctis est emendatum. Mentio fit apud Juvenalem, Sat. 5:

Ut bona summa putes aliena vivere quadra. Sed proverbialiter dictum. Faciebant Romani panes quadratos habentes incisuras; et unaquaque pars seu incisura dicitur quadra. Athenaeus lib. I: Βλωμίους τὲ ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει τοὺς ἔχοντας ἐντομὰς οὓς Ῥωμαῖοι Κοδρατοὺς λέγουσι, id est, «buccelatos panes appellari dicit, quos Romani quadratos appellant, habentes incisuras:» meminit Suidas: κοδρίτης ἄρτος, id est, «quadratus panis:» ita dictus quod haberet quatuor incisuras seu quadras, ut videre est apud S. Gregorium lib. I Dial., c. II, de S. Martyrio monacho provinciae

Valeriae: «Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent signum crucis imprimere, sicut in hac provincia crudi panes signo signari solent, ut per quadras partiti videantur.» Idem etiam liquet ex epist. Theodemari abbatis Casinensis ad Carolum Magnum, si modo illius sit. quadram minus accipiat usque ad satisfactionem, vel emendationem promissam: quia exinde aeruginat ferramentum, cum mundum non fuerit positum. Simul etiam et ipse frater consignatas habeat cotes, et spongias calciariorum,

@ [Col. 1056D] *Facitergia.* Sunt mappullae, sudaria tergendae faciei idonea. S. Isidorus libr. IX Originum cap. 26: «Facitergium et manutergium a tergendo faciem et manus vocatur.» Glossae-Arabico-Latinae dictae: «Facitergium et manutergium vel a tergendo faciem vel manus vocatum.» facitergia, mappas vel

@ [Col. 1056D] *Sabana.* Idem Isidorus c. 19: «Mappas, sabana et facitergia:» Sabanum est linteum. Glossae-Graeco-Latinae: Σάβανον, *Lentium;* lege, linteum. S. Isidorus cap. citato agens de linteis ait: «Sabanum nomen Graecum.» Idem planum est ex D. Gregorio [Col. 1057B] libr. IV. Dial. cap. 55: «Invenit quemdam incognitum virum ad suum obsequium praeparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, et exeunti de canalibus sabana praeberet.» sabana: similiter et arcam cum rebus abbatis, vel arcas [Col. 1057A] diversarum decadum cum rebus fratrum, cum

@ [Col. 1057B] *Cum clusuris.* Ita in Reg. ms. pro, *clausuris.* Libr. VIII legis Wisigoth., tit. 3, l. 14: «Quod si de domo ejus aut clusura involaverit.» Clausura hoc loco est aliquod armarium seu area. Est etiam clausura munimen, praesidium, quod statuitur in transitu alicujus regionis. Suidas: Κλεισοῦραι οὕτω καλοοῦται τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ, id est, «Clausurae sic appellantur manumenta transituum patria Romanorum lingua.» Mentio fit Cod. l. *In nomine Domini.* § 4, de offic. praef. praet. Afr. Vide Glossarium τακτικὸν eruditissimi viri Nicolai Rigaltii. clusuris praepositorum, simul etiam et arcam cum cortinis et velis, vel ornatu monasterii. Simul etiam arcam cum diversis codicibus et chartis monasterii. Simul namque et arcam cum his rebus fratrum, qui noviter

@ [Col. 1058B] *Ingressi monasterium.* Ita in Reg. ms. Subaudi verbum: *sunt.* ingressi monasterium, quae propter, quod absit, repedationem saeculi jubentur servari, simul et universa

@ [Col. 1058B] *Expensa artificum, ita in Reg.* ms. Lege tamen: *Pensa artificum, ut colligitur ex sequentibus.* expensa artificum, quae ad diem de diversis artibus laborantes consignaverint facta, ipse frater profecto recipiat et reponat; imperfecta, alia die ipse laborantibus consignet. Simul et diversarum artium ferramenta ipse a diversis artificibus sero recipiat; et mane reconsignet. Nam et arcam cum rebus fratrum intrantium noviter in monasterio per donationem collatis simul vel clusura abbatis [Col. 1057B] in cubiculo conservet. Rationes omnes in nummo monasterii expensarum ipse abbati

@ [Col. 1058B] *Suggestu erogationis.* Id est, suggerendo erogationem, quam fecit de rebus monasterii. suggestu erogationis [Col. 1058A] exsolvat. Unde ipsum fratrem fide oportet divina constringi, ut timore vel testimonio Dei fideliter possit commissa implere.

§ XII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 12).

Utensilia monasterii et quaecunque sunt ad commune opus necessaria, abbatis cura disponantur. Et tales in congregatione quaerantur, quorum et sollicitudo animi vigeat et conscientiae firmitas sit probata; et ipsis cura committatur, ut quae cuique necessaria fuerint, oportunitate exigente, tribuantur. Et sic ipsa utensilia, seu quaecunque eis ab abbate commissa fuerint, cum sollicito timoris studio gubernent, ut mercedem commissae curae recipiant et non judicium damnationis incurrant, anteponentes illud mentis oculis: *Maledictus,* qui facit opus [Col. 1058B] *Dei negligenter* **(Jer. XLVIII)**.

CAPUT XLII. SI QUID DEBEANT MONACHI PROPRIUM HABERE.

[Col. 1057C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1057C] *Praecipue.* Graphice depingit hoc loco S. P. Benedictus peculiaritatis, seu, ut nunc loquuntur, proprietatis vitium. Praecipue hoc

@ [Col. 1057C] *Vitium.* Supp. *peculiaritatis, et sic cohaerebunt priora sequentibus.* vitium radicitus

@ [Col. 1057C] *Amputandum est.* Ita in cod. ms. S. Far. ut apud S. Dunstanum et Trithemium cap. 5 libri de proprietate monachorum. Vulgo: *Amputetur.* amputandum est de monasterio: Ne quis praesumat aliquid dare [Col. 1058C] aut accipere sine jussione abbatis

@ [Col. 1057C]

Neque aliquid habere proprium. Proprietatis in monasteriis abdicatio sanctorum conciliorum auctoritate olim cauta fuit Aurelianensis I can. 21; Autisiodorensis can. 23; Lateranensis sub Alexandro tertio apud Guillelmum Neubrigensem libr. III de rebus Angl. can. 3; synodi Constantinopolitanae primae et secundae can. 6. οἱ μοναχοὶ οὐδὲν ἴδιον ὀφείλουσιν ἔχειν, id est «monachi nihil proprium habere debent.» neque aliquid habere proprium,

@ [Col. 1057D]

Nullam omnino rem. Pro: *Neque ullam omnino rem;* supple, *habere praesumat.* nullam omnino rem, neque codicem,

@ [Col. 1057D] *Neque tabulas.* Intelligit tabulas cera illitas, in quibus olim stylo characteres incidebantur, quarum meminit S. Willibaldus episcopus Eistetensis in Vita S. Bonifacii Moguntini praesulis: «Ego Willibaldus episcopus, etc. Vitam et passionem Bonifacii conscripsi in ceratis tabulis.» neque tabulas, neque

@ [Col. 1057D] *Graphium.* S. Benedictus, cap. 55: *Bracile, cultellus, graphium.* Meminerunt Suidas, auctor veteris etymologici: γραφείδιον grafeion. Julius Pollux lib. X, cap. 14: Τῷ παιδὶ δέον προσεῖναι γραφεῖον, παραγραφίδα, id est, «puero convenit habere graphium;» et Cassianus lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 13: «Magnumque sit crimen ex ore monachi processisse codicem meum, tabulas meas, graphium meum.» Quid sit graphium explicant Glossae veteres: γραφεῖον: *hic stylus, quo nimirum in ceratis tabulis litterae incidebantur.* Primum stylo seu graphio ferreo

usi sunt Graeci, Tusci et Romani, postea osseo, ut docet S. Isidorus lib. VI Orig., cap. 8: «Graeci enim et Tusci primum ferro in ceris scripserunt. Postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet: unde et apud scribas dicitur: Ceram ferro ne caedito. Postea institutum est, ut in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satyra dicens:

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus Osseo.

Graphium autem Graece, Latine scriptorium dicitur. Nam γραφὴ dicitur scriptura.» Postea tamen ad Graphium ferreum rediisse Romanos satis indicat locus Suetonii in Julio cap. 82: «Caesar Cassii brachium arreptum graphio trajecit», id enim osseo graphio fieri non potuisset; et locus Martialis mox citandus. Fuit et graphii argentei usus. S. Bonifacius praesul Moguntinus epist. 7 ad Eadburgam abbatissam: «Parva munuscula tuae venerandae dilectioni transmisi, id est, unum graphium argenteum.» Inde graphiarium theca condendis graphiis apta: Martialis libr. XIV, epigr. 21:

Haec tibi erunt armata suo graphiaria ferro
Si puero dones, non leve munus erit graphium, sed [Col. 1059A] nihil omnino:

@ [Col. 1059B] *Quippe quibus.* Ad quod referatur antecedens plurale illud relativum, obscurum est, cum antea numero sit usus singulari, sed dicendum est in his verbis: *Ne quis praesumat, subaudiendum esse* τό *monachorum, quasi dixisset: Ne quis monachorum praesumat, etc. Quippe quibus, etc.* quippe quibus

@ [Col. 1059B] *Nec corpora sua.* Nam sunt in praelati potestate, salvo tamen jure naturae. Non potest enim monasterii antistes praecipere monacho, ut se mutilet, percutiat, fame enecet, et similia. Vide Cajetanum in opusculis. nec corpora sua, nec voluntates licet habere

@ [Col. 1059C] *In propria potestate.* In cod. mss. S. Ebrul. S. Far. et Victorino utroque legitur: *In propria voluntate.* in propria potestate: omnia vero necessaria

@ [Col. 1059C] *A patre sperare monasterii.* Supple, *liceat.* a Patre sperare monasterii. Nec quidquam liceat habere, quod abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia: ut, sicut scriptum est **(Act. IV)**,

@ [Col. 1059C] *Nec quisquam suum aliquid dicat.* Juxta institutio primorum Christianorum, quorum imaginem referunt monachi. Actorum IV: *Nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat, quam veteres illi Aegypti monachi religiosissime observarunt, ut planum est ex Cassiano, loco supra citato.* Eamdem monachis servandam edixit San. Columbanus in Poenitentiali ms: «Meum et tuum dixit, VI plagis;» supple: emendetur. S. Fructuosus archipraesul cap. 4: «Nec quisquam ex monachis suum asserens dicat.» S. Aurelianus cap. 25 regulae: «Nullus praesumat quidquam suum dicere.» Quidam Pater monachorum in sua Regula: «Qui autem dixerit. Meum est et hoc et illud; peccavit coram Deo: nisi tantum per subreptionem sermonis» supple: dixerit. Memoriale qualiter in monasterio conversandum sit: «Nullus ex fratribus suum aliquid dicat, aut rem quamlibet, aut membrum corporis, sed semper: nostrum. Hoc solum oportet dicere proprium, mea culpa.». nec quisquam suum aliquid

@ [Col. 1059D] *Dicat vel praesumat.* Praesumat est arroget. dicat, vel praesumat. Quod si quisquam

@ [Col. 1059D] *Huic nequissimo vitio.* Nequissimum sane vitium est peculiaritas. Illa enim expungit concordiam et charitatem ex monasterio, atque etiam mundi contemptum, ut

praeclare monet S. Gregorius Magnus epist. 22, libr. X: «Quia, si illis peculiaritas monachis debetur, nec concordia nec charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est habitus monachi, nisi contemptus mundi? Quomodo ergo mundum despiciunt, si qui in monasterio positi aurum quaerunt?» Imo nec monachus esse potest, qui peculiaritati studet juxta doctrinam S. Fulgentii Ruspensis in Africa episcopi, ut in ejus Actis habetur. [Col. 1060B] «Dicebat enim frequenter non debere, nec posse monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit. Ut enim monachus lautioribus forsan cibis utatur interdum cogit infirmitas corporis; ut autem cupiat in quamlibet exiguis rebus juris proprii dominium vindicare superbae voluntatis et avarae cupiditatis evidens testimonium est.» Praeterea peculiaritatis vitium adulterii et furti crimen est, ut recte docet S. Leander. libr. de Institutione Virginum cap. 18. «Peculiare quod in coenobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi evita contagione. Adulterium sane est, quia conscientiae bonae integritatem usurpatae rei pravitate maculat. Furti crimen est, quoniam, dum omnia quae habentur in monasterio omnibus sunt communia habere latenter praesumit, quod a caeteris ignoratur; et aliud publice cum omnibus utitur, aliud furtive abscondit.» Quamobrem, o monache, (ut paulo post addit S. Leander), «tantae nequitiae malum velut gehennae evita praecipitium, et quasi iter conducens ad infernum.» huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admonitus semel et iterum, si non emendaverit,

@ [Col. 1060C] *Correptioni subjaceat.* In proprietarios monachos statuit ita animadvertendum S. Columb. in Poenitentiali: «Operis peculiaris praesumptio, c plagis. Possessio alicujus rei, quam non necessitas generaliter fratribus concesserit, amissione ejusdem, et centum plagis coerceatur.» correptioni subjaceat.

§ II.---EX DOCTRINA ORSIESII.

Quae nobis occasio relicta est ut habeamus quidpiam proprium a funiculo usque ab corrigiam calceamenti,

@ [Col. 1060C] *Cum habeamus praepositos.* Intelligit praepositos diversarum domorum, quae erant in monasterio S. Pachomii. cum habeamus praepositos qui pro nobis cum timore et tremore solliciti sunt tam in cibo [Col. 1059B] quam in vestitu, et languore corpusculi, si forte obvenerit. At in nullo timeamus, et per occasionem carnis animae emolumenta perdamus. Liberi sumus, jugum de cervicibus nostris mundanae servitutis abjecimus, cur rursum volumus reverti ad vomitum nostrum, et aliquid habere, unde solliciti simus,

@ [Col. 1060D] *Et quod perdere.* Ita apud Trithemium cap. 5, de Proprietate monachorum. Sed τὸ *quod abest ab editionibus Orsiesii.* et quod perdere metuamus? Ad quos usus superfluum [Col. 1060A] palliolum, aut epulae lautiores, aut melior lectus, cum omnia in commune sint praeparata, et cruce Christi nihil

@ [Col. 1060D] *Durius sit.* τὸ *sit abest ab editis:* exstat tamen apud Trithemium capite citato. durius sit?

@ [Col. 1060D] *Quia juxta quam.* Ita in editis; τὸ *quia, tamen redundat.* [quia] juxta quam viventes patres nostri aedificaverunt nos supra fundamentum apostolorum et prophetarum, et evangeliorum disciplinam, quae angulari lapide continetur Domino Jesu Christo, quem sequentes de mortifera

@ [Col. 1060D] *Altitudine.* Id est, superbia. altitudine ad vitalem descendimus humilitatem,

divitias paupertate mutantes, et delicias simplici cibo.

§ III.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 106).

Nemo ab altero accipiat quidpiam, nisi praepositus jusserit.

§ IV.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 28).

Interrog.
@ [Col. 1060D] *Si debet.* Exstat apud S. Basilium interr. 35 Regul. Brev., et apud Rufinum cap. 25. Si debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est?---*Resp.* Huic contrarium est illud [Col. 1060B] testimonium, quod in Actibus apostolorum de illis, qui credebant primitus, scriptum est. Ibi enim ita dicit: *Quia nemo quidquam ex bonis suis proprium dicebat esse,*
@ [Col. 1060D] *Sed erant illis omnia communia.* Ita apud Rufinum, quae tamen in textu Graeco Basilii desiderantur. *sed illis erant omnia communia* **(Act. IV)**. Si quis vero proprium sibi esse dicit aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis Dei, et a charitate Domini,
@ [Col. 1060D] *Qui docuit verbo, etc.* Apud Trithemium cap. 5 de Proprietate monachorum: *Qui quae docuit, etc.* Sed ista usque ad finem capitis non assequuntur sensum textus Graeci, qui est ejusmodi: Τοῦ διδάξαντος τῷ λόγῳ καὶ ἔργω τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ τιθέναι ὑπὲρ τῶν φίλων, οὐχ ὅτι τὰ ἐκτὸς, id est, «docentis verbo et opere animam suam ponere pro amicis, multo magis res externas.» qui docuit verbo, et opere complevit. [Col. 1061A] Et quia animam suam pro amicis dedit, quomodo nos, etiam quae extra animam sunt, propria vindicamus?

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 118).

Interrog.
@ [Col. 1061C] *Pauperes venientes.* Exstant apud S. Basilium interr. 100 Regul. brev., et apud Rufinum cap. 52. Pauperes venientes ad ostium et potentes quomodo dimittemus: et si debet unusquisque porrigere panem, vel quodcunque aliud:
@ [Col. 1061C] *Aut si oportet ad eum, qui praeest, pertinere.* Ita apud Rufinum, in textu Graeco aliter. ἢ ἑνὶ χρὴ καὶ τοῦτο ἐπιτετάχθαι, id est, «vel uni cuipiam hoc injungi oportet.» aut oportet ad eum, qui praeest, pertinere?---*Resp.* Cum Dominus dixerit: *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus* **(Matth. XV; Marc. VII)**, sed et canes manducare de micis, quae cadunt de mensa
@ [Col. 1061D] *Puerorum.* Ita apud Rufinum juxta Marcum. In textu Graeco Basilii est: κυρίων, id est, dominorum, juxta Matthaeum. puerorum, libenter accipiunt: is, cui dispensatio injuncta est, cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem praeter illius voluntatem facere hoc praesumit, tanquam inquietus et indisciplinatus
@ [Col. 1061D] *Confundatur.* Male apud Rufinum legitur: *Confiteatur.* confundatur; [Col. 1061B] usquequo discat loci sui ordinem custodire, secundum quod Apostolus dixit: *Unusquisque, in quo vocatus est, in eo permaneat.* (1 Cor. VII).

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 109).

Interrog.

@ [Col. 1061D] *Si licet unicuique.* Exstat apud Basilium interrog. 87, et apud Rufinum cap. 53. Si licet unicuique veterem tunicam suam, vel calciamenta dare cui voluerit misericordiae causa propter mandatum?---*Resp.*

@ [Col. 1061D] *Dare aliguid.* In textu Graeco additur ἢ λαμβάνειν, id est, vel accipere; recte, ut ex sequentibus clarum est. Dare aliquid mandati gratia non est omnium, sed eorum, quibus istud officium creditum est. Sic ergo ad quem pertinet dispensatio sive novum, sive vetus, ipse det cui dare debet; et ipse suscipiat a quo suscipi debet.

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 187).

Interrog.

@ [Col. 1061D] Interr. 91. *Si nimirum abbas et cellerarius rite officio fungantur.* Quod si frater nihil habens proprium, petatur ab aliquo hoc ipsum, quod vestitus est, quid debet facere, maxime si nudus sit ille, qui petit? [Col. 1061C] ---*Resp.* Sive nudus, sive malus, id est, sive necessitatem patiatur, sive fallit, vel si quid aliud est, semel dictum est: quia dare vel accipere non est omnium, sed solius, cui commissum est istud officium: qui utique cum omni providentia, et cautela hujusmodi dispensationem debet implere; ut possit in eo unusquisque, in quo vocatus est, permanere (1 Cor. VII).

[Col. 1062A]

§ VIII.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 1).

@ [Col. 1061D] *Haec sunt, etc.* Sunt ultima verba praefationis Regulae S. Augustini: et referuntur a Trithemio lib. De proprietate monachorum cap. 5, ex cap. 14, Regulae Tarnatensis, usque ad illa verba, *ut non dicatis.* Nec mirum, quia Regula Tarnatensis quaedam sumit ex Regula S. Augustmi. Haec sunt, quae ut observetis, praecipimus in monasterio constituti. Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes

@ [Col. 1062C] *Habitetis in domo.* In Regula S. Augustini edita et in epist. haec sequuntur: «Et sit vobis cor unum, et anima una in Deo.» habitetis in domo, et non dicatis aliquid proprium; sed sint vobis omnia communia, et

@ [Col. 1062C] *Et distribuatur unicuique vestrum.* Nempe *victus et tegumentum, ut habetur in eadem Regula excusa.* distribuatur unicuique vestrum a praeposito vestro.

§ IX.---EX REGULA SANCTORUM PAULI ET STEPHANI **(Cap. 23)**.

@ [Col. 1062C] *Nulli liceat.* Habetur in Regula ms. eorumdem Pauli et Stephani cod. Flor. cap. 28, et citatur a Trithemio cap. 5. de proprietate monachorum. Nulli liceat vel instrumentum, vel calciamentum aut tabulas, vel cujusque rei parvissimae tam novum quam vetus quidquam quod alio fratri datum fuerit, prava praesumptione contingere ad utendum. Nec inter se fratribus liceat [

@ [Col. 1062D] *Ut id.* Ita apud Trithem. τὸ *ut, tamen redundat.* ut] id quod de communi quisquam acceperit; nisi permissu prioris [Col. 1062B] cum alio fratre, quasi peculiari amore

@ [Col. 1062D] *Mutuare.* Ita in cod. Vind. et in Regula ms. cod. Flor. sed apud Trithemium legitur, *commutare.* Rectius. mutuare: ne hac occasione nascatur amor illicitus: sed unusquisque quod ei charitatis distributione datur, hoc libens, et bona voluntate accipiat, et ad utendum delectetur habere.

§ X.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 6).

@ [Col. 1062D] *Monachi.* Haec reperire est in Regula sancti Isidori excusa cap. 19. Monachi in commune viventes nihil peculiare sibi facere audeant: neque in suis cellulis quidquam quod

@ [Col. 1062D] *Vel ad victum.* In Regula exc. additur: *Vel ad habitum.* Cautum fuit olim in monasteriis, ut monachi nihil in cellis aut lectis cibi absconderent, ut videre est in Regula S. Pachomii, cap. 43: «Nullus in cella sua reponat aliquid ad vescendum.» In Regula Teridii, cap. 22: «Ad lectum suum nullus praesumat habere quod manducetur aut bibatur.» ad victum vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regulari dispensatione habere vel possidere praesumant. In Pentecoste autem, qui est dies remissionis, omnes fratres sub divina professione se alligent nihil peculiare apud conscientiam suam habere.

[Col. 1062C]

§ XI.---*Item ejusdem* (ex eodem capite).

@ [Col. 1062D] *Non est praesumendum.* Subscribit doctrinae Basilii magni supra. Non est praesumendum sine conscientia abbatis egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere.

@ [Col. 1062D] *Cum alio quoque fratre, etc.* Ita in cod. ms. Vindocinensi, aliter in regula excusa: «Nec cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel praepositus illi jusserit, ulli licebit.» Cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel praepositus jusserit, nulli licebit. Nec habebit quippiam frater praeter illa, quae in communi monasterii lege concessa sunt.

[Col. 1063A]

§ XII.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 6).

@ [Col. 1063C] *Nec quisquam.* Habentur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass. eodem 4 capite. Nec quisquam ex monachis suum asserens dicat,

@ [Col. 1063C] *Meus codex, etc.* Apud Trithem. cap. citato, et in Regula ms.: *Meum codicem tabulam esse.* Male. Codex meus, tabulae meae, vel reliqua. Quod verbum si de ore ejus effugerit, poenitentiae subjacebit, ne velut propria

@ [Col. 1063C] *Quaelibet.* Melius, *quilibet, in Regula ms.,* et apud Trithemium capite citato. quaelibet in monasterio habere videatur, sed sint illis, sicut scriptum est, omnia communia **(Act. IV)**.

§ XIII.---*Item ejusdem* (cap. 6).

@ [Col. 1063C] *Peculiare opus.* Exstat in eodem cod. ms. cap. eodem sub finem. Sed haec verba, *peculiare opus institutum est,* (ut mox videbitur) sunt transposita. Peculiare opus institutum est,

@ [Col. 1063C] *Ut nulla his, etc.* Locus corruptus, in cod. Vind. legitur *nullatenus his.* Apud Smaragdum, *nullus, expuncto, his.* Recte. Et hoc membrum hac verborum serie legendum est: «Institutum est, ut nullus monachus exerceat opus peculiare.» Et sic clarus est sensus. ut nulla his exerceat monachus, quasi sibi proprie vindicandum: aut cuilibet, cum voluerit, sua praesumptione distribuendum. Nec quodlibet opus sine

praeceptione et

@ [Col. 1063C] *Conhibentia.* Ita in cod. Vind. Apud Smaragdum legitur: *conscientia.* In Regula ms. *conniventia.* Recte. conhibentia senioris suscipiendum, sive faciendum est: sed in omni re quidquid abbas vel praepositus praeceperit, hoc agendum.

[Col. 1063B]

§ XIV.---*Item ejusdem* (cap. 8).

@ [Col. 1063D] *Peculiaritas.* Habetur in eodem cap. Regulae ms. cod. Crass. et apud Trithemium, cap. 5 de proprietate monachorum. Peculiaritas aut in utensilibus aut in vestimentis aut quibuslibet rebus vilissimis

@ [Col. 1063D] *Saltim.* Pro *saltem, ut supra notatum est, et saepius occurrit in veteribus codicibus mss.* saltim et abjectis omni modo vitetur: quia abominatio monachis est

@ [Col. 1063D] *Et infamium.* Ita in cod. ms. Vind. et apud Trithemium cap. citato, pro *infamia.* et infamium quidquam possidere

@ [Col. 1063D] *Superfluum autem.* Particula *autem redundat, nec est in Regula ms.* neque in cod. Vind., et ea expuncta omnia rite procedunt. In Regula ms. legitur: *superfluum vanum.* Male. Apud Trithemium haec verba desunt: «Superfluum aut reservare proprium, vel occultum, quod non longe ab Ananiae et Saphirae exemplo segregatur.» superfluum [autem] aut reservare proprium, vel occultum: quod non longe ab Ananiae vel Saphirae exemplo segregatur. Munus vero quodlibet sive epistolas nemo monachus accipiat: neque uspiam sine benedictione sui senioris progrediatur, nec cum laico loquatur, nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur, vel alium aliquem proximum videat, vel extraneum, regulari sententia praefixum est.

§ XV.---EX REGULA SANCTI FERREOLI. [Col. 1063C]

@ [Col. 1063D] *Illud etiam, etc.* Haec referuntur a Trithemio cap. 5 de proprietate monachorum ex capite 10, ejusdem Regulae S. Ferreoli, quem episcopum et martyrem appellat. Illud etiam statui debere perspeximus, ut nullus [Col. 1064A] monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum [

@ [Col. 1064C] *Aliquid vindicare.* Locus corruptus. Lege, *Audeat vindicare.* Expuncto pronomine, *aliquid.* Ut in cod. Vindocinensi et apud Trithemium. aliquid] vindicare: ita ut etiam in his, quae sua sunt, nihil amplius credat sibi juris esse, quam caeteris. Quia cum seipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in aliena potestate transmisit. Quidquid ergo secum rerum detulerit, expedito consortio monachorum,

@ [Col. 1064C] *At ubi.* Lege, *ac ubi:* ut apud Trithemium. at ubi

@ [Col. 1064C] *Ubi corpori congregationis, etc.* Idem statuit S. Joannes Gerundensis episcopus in Regula monachorum apud Trithemium capite citato: «Quicunque in monasterium susceptus fuerit, non solum de substantia, quam intulit, sed nec de semetipso ab illa hora judicabit. Nam si aliquid prius intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum, ut aliquid habeat in sua potestate.» corpori congregationis membrum factus adhaeserit, statim cognoscat omnia in communionem transisse: et hoc tantum judicet proprium quidquid cum fratribus possederit indivisum. Nam et lectio Actuum apostolorum **(Cap. IV)** tempore surgentis Ecclesiae taliter fideles Christi vixisse commemorat: *Nullus* (inquit)

@ [Col. 1064C] *De bonis suis, etc.* Ut in textu Graeco, τὶ τῶν ὑπαρχόντων. In versione

communi: *Eorum quae possidebant, etc. de bonis suis dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia.*

§ XVI.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 25).[Col. 1064B]

@ [Col. 1064C] *Nullus praesumat, etc.* Haec referuntur a Joanne Trithemio capite citato, qui etiam infra eodem capite profert alium textum ejusdem S. Aureliani ex Regula ad Moniales hoc modo: «Aurelianus episcopus in Regula ad Moniales capitulo tertio sic dicit: Nihil occulte accipiatis; sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut in auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit ab batissae. Et si illi cui transmittitur necesse fuerit tribuatur: sin vero illa non indiget, in commune reductum cui est necessarium tribuatur.» Quae quidem habentur in Regula S. Augustini cap. 28, sed non iisdem verbis. Nullus praesumat quidquam suum dicere, aut suum proprium vindicare, sed secundum Actus apostolorum sint vobis omnia communia, sit vobis anima una et cor unum in Domino **(Act. IV)**.

§ XVII.---EX REGULA SANCTI CASSIANI.

@ [Col. 1064D] *Nec quidquam.* Haec sumpta sunt ex Cassiano lib. IV de Institutis renuntiantium cap. 13, et referuntur a Trithemio, cap. 5, de proprietate monachorum. Nec quidquam peculiare licet monacho possidere. Similiter et illud, qui convertitur prae omnibus erudiri debet, ut nihil ei peculiare liceat possidere: sed ita se nudatum ex omni parte cognoscat, ut praeter tunicam, pallium, calciarium vel mattulam suam, nihil amplius habeat. Et nec verbo quidem audeat dicere aliquid suum, quod magnum sit crimen ex ore monachi processisse, tunicam meam, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, et caetera his similia. Nam si hujusmodi verbum per [Col. 1064C] subreptionem vel ignorantiam de ore ejus

@ [Col. 1064D] *Effuderit.* Ita apud Trithemium; sed legendum, *effugerit, ut apud Smaragdum, Cassianum loco citato, et in Regula S.* Fructuosi archiepiscopi cap. 4, effuderit [Col. 1065A] digna pro hoc poenitentia satisfaciens veniam petat in terra prostratus.

§ XVIII.---*Item ejusdem* (cap. 34).

@ [Col. 1065C] *Summa et illud, etc.* Haec sumpta sunt ex Cassiano, lib. IV de Institutis renuntiantium cap. 15. Summa et illud debet verecundia praecaveri,

@ [Col. 1065C] *Ne vel pro vilibus aliquid rebus reponendi.* Lege: *Ne vel pro vilibus aliquibus rebus reponendis.* ne vel pro vilibus aliquid rebus reponendi peculiarem clavem monachus sub priore positus portet. Multum infimus et inutilis est,

@ [Col. 1065D] *Qui quascunque res vilissimas, etc.* Non minima haec hominis infirmitas, ut qui in mundo multas opes et pretiosa quaeque reliquerit, in claustro ad nescio quas gerras et quisquilias animum adjungat, quae sane nos a Deo separant, cum illis affectu serviamus, non Deo; nobisque illae dominentur, non Deus. Quamobrem antiqui illi Patres id unum maxime studebant, ut animum discipulorum ab ejusmodi rerum affectu averterent: quemadmodum fecit S. Dorotheus, qui discipulum suum Dositheum elegantis cujusdam cultelli usu prohibuit, quod animum ejus erga ejusmodi reculam propensum videret. Ut ipse Dorotheus in ejus Vita refert. qui quascunque res villissimas ita velut proprias vindicat, ut nec digito eas tangi ab alio patiatur, sed tanta contra eum iracundia inflammatur, ut furorem cordis sui a conviciis et injuriis revocare vix possit.

§ XIX.---EX REGULA ORIENTALI.

@ [Col. 1065D] *Inter omnia.* Haec proferuntur a Trithemio capite citato. Inter omnia, fratres, hoc observabitur, ut obedientes senibus suis et deferentes sibi invicem habeant patientiam, moderationem, humilitatem, charitatem, [Col. 1065B] pacem sine figmento et mendacio, et maledictione et verbositate et jurandi consuetudine: ita ut nemo suum quidquam vindicet, neque ullus aliquid peculiariter usurpet: sed habeant omnia communia.

@ [Col. 1065D] *Sine verbo.* Id est, sine mandato, ut supra notatum est. Sine seniorum verbo et auctoritate nullus frater quidquam agat, neque accipiat aliquid, neque det, neque

@ [Col. 1065D] *Usquam.* Lege, *uspiam.* Idem autem statuitur in Regula secunda Patrum codicis Floriacensis. usquam prorsus procedat.

§ XX.---EX REGULA CUJUSDAM.

Nihil possidendum tanquam proprium et specialiter inter monachos: sed sint eis omnia communia. Qui autem dixerit meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo, nisi tantum per obreptionem sermonis: sed pro hoc ipso tamen veniam petat a Deo; et caveat de reliquo, et ne iterare audeat. Si quis ex hoc [Col. 1065C] vitio insanabilis existat, expellendus est ab universis fratribus.

§ XXI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 82).

@ [Col. 1066C] *Omnis homo.* Haec reperire est in Regula ms. Magistri codicis Corbeiensis eodem capite 82. Omnis homo in vita saeculi hujus, tribus rebus excitatur, laborat et studet: peregrinus in via, miles in pugna, imperator in palatio, agricola in agro, mercenarius in negotio, omnes excitantur, et laborant ut habeant, dum vivunt, unde vestiantur, calcientur

@ [Col. 1066C] *Et vivant.* Id est, comedant. et vivant. Sed quibus Dominus servitii sui contulit donum, et ostendit eis

@ [Col. 1066C] *Non satis.* Ita in Regula ms. et in cod. Vind.; sed [Col. 1066D] subaudi verbum *esse.* non satis de praesenti saeculo cogitare, quia haec omnia pertranseunt, [Col. 1066A] et omnia ista quae videmus et utimur, paucorum in nobis dierum sunt usus, et momentanea cum vitae nostrae tempore transeunt: et per corporis mortem caecata in nobis saeculi luce, clausis vitae oculis, omnia quae habemus saeculo relinquuntur:

@ [Col. 1066D] *Sed de illa semper aeterna.* Ita in Regula ms. et cod. Vind.; sed particula *de redundat.* Sapienter autem haec dicta sunt a Magistro. Monacho enim non de crastino, sed de aeternitate cogitandum est. sed [de] illa semper aeterna, quae cum venerint ulterius transire non norunt: sed in bonis vitae aeternae justis, aut in poenis gehennae peccatoribus perseverant. De quibus ergo desideriis bonorum, vel timore malorum, quasi jam ibi videamur accersiti mentem nostram in hac vita de supernis semper cogitationibus occupemus. Unde Dominus praecepit servis suis de necessariis vitae hujus non debere quemquam esse sollicitum; etiam fideles in se admonet, de crastino non cogitandum; sed regnum et justitiam ejus solummodo [Col. 1066B] desiderare, dicens in sancto Evangelio: *Nolite cogitare quid manducetis aut quid bibatis aut induamini,*

@ [Col. 1066D] *Sed quaerite regnum et justitiam Dei.* Ita in Regula ms. eamdem lectionem supra in hoc Magistro observavimus. sed quaerite regnum et justitiam Dei, et haec

omnia apponentur vobis **(Matth. XVI)**. Ergo cum haec omnia necessaria nobis a Deo praeparantur, et de omnibus administrandis cum Deo solus est abbas sollicitus, quare discipulus sibi peculiariter aliquid audeat facere, aut habere, aut vindicare? Nam ideo aliquid peculiare habere denegatur, *quia nemo serviens Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit* **(II Tim. II)**: ut, cum omnibus rebus suis alieno cum se imperio subdiderit [
@ [Col. 1066D] *Ut non sit res.* Ita in Regula ms.; particula *ut tamen videtur redundare.* ut] non sit res, ubi propria ejus voluntas extollatur, quae voluntati Dei est inimica. Nam
@ [Col. 1066D] *De peculiari.* Ita in cod. Vindocin. in Regula ms. *de peculiare fraudis.* Sed lege, *de peculiaris fraude.* Nam ea fuit fraus Ananiae et Saphirae retinendo aliquid peculiare de agri venditione. de peculiari Ananias et Saphira fidem ab apostolis non meruerunt [Col. 1066C] percipere **(Act. V)**, cum omnia sua ante pedes apostolorum assignarent, de peculiaribus fraudulenter subtractis judicio subitae mortis damnati sunt: quia fraus Deo fieri non potest; cum nihil est occultum, quod ab eo non revelabitur. Ergo cum victum et vestitum corpori, calciamenta pedibus unicuique fratri abbas praecogitaverit, ut quid alicui sit aliquid peculiare opus habere, aut rem aliquam, aut aurum, aut nummos, aut quodvis necessarium, cum omnia emenda vel habenda Deus ei per abbatem monasterii apparat?
@ [Col. 1066D] *Si quod ergo peculiare.* In Regula ms.: «Quod ergo peculiare aliquid cum inventum in aliquo fuerit.» Rectius apud Trithemium capite toties citato: «Si quid peculiare apud aliquem inventum fuerit.» Si quod ergo peculiare, aut aliquid [cum] [Col. 1067A] inventum in aliquo fuerit, grandi eum abbas et diuturna excommunicatione condemnet, ut exemplo
@ [Col. 1067B] *Illius vindictae.* Apud Trithemium non est τὸ *vindictae;* est tamen in Regula ms.: haec autem penultima periodus refertur a Trithemio sub nomine Vigilii abbatis et diaconi, capitulo 33 suae Regulae: ex quo efficitur hunc magistrum monachorum non esse alium ab hoc Vigilio diacono et abbate, quamvis apud Trithemium citetur capitulum 33, hic vero 82, nam ipsis arithmeticis notis facile potuit error obrepere. illius vindictae nullus hoc audeat imitari. Hoc enim ne sit in aliquo frequenter omnes scrutentur a praepositis suis; et si in aliqua re visus fuerit sibi frater multum
@ [Col. 1067C] *Gavisci.* Quidam in nostro ms. Concordiae correxit, *gaudere;* in Regula tamen ms. legitur *gavisci.* Id est gaudere, quam lectionem retineo, quemadmodum apud Plautum in Rudente, *fruisci pro frui.* gavisci aut plaudere, tollatur ei et alio detur; et alterius illi,
@ [Col. 1067C] *Quod visus fuerit.* Lege, ut in Regula ms., *quodvis fuerit.* Et subintelligendum, *detur.* quod visus fuerit: ut propria in eo non extollatur voluntas.

§ XXII.---EX REGULA SANCTI CAESARII EPISCOPI (cap. 15).
@ [Col. 1067C] *Nemo.* Exstat in Regula sanctimonialium eodem cap. 15, et refertur a Trithemio capite supra citato. Nemo sibi aliquid
@ [Col. 1067C] *Judicet.* Ita apud Trithemium in Regula excusa, et in cod. Vind. plausibilius tamen est, si legatur: *Vindicet.* judicet proprium sive in vestimento, sive
@ [Col. 1067C] *In quacunque alia re.* Apud Trithemium additur: *Magna, vel parva.* in quacunque alia re.
@ [Col. 1068B] *Nemo cum murmuratione.* Hic incipit cap. 16 in Regula excusa. Nemo cum

murmuratione aliquid faciat. Ne simili judicio murmuratorum pereat secundum illud Apostoli: *Omnia facite sine murmurationibus* **(Phil. II)**.

[Col. 1067B]

§ XXIII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 17).

@ [Col. 1068B] *Proprii aliquid.* Haec prima periodus usque ad illa verba: *Qui semel mundo, profertur a Trithemio capite citato ex Regula Servi Dei ad sorores, eodem capite 17.* Ita ut hic Pater monachorum qui fere ultimus a nostro citatur auctore, cujusque Regula ad S. Benedicti Regulam magis, quam caeterae hic citatae, accedit, sit hujus Servi Dei ad sanctimoniales, qui regulam S. Patris Benedicti ad feminarum usum accommodaverit, quam tamen mutato genere feminino in masculinum quemadmodum in Regula S. Augustini et S. Caesarii, et S. Aureliani quasi viris praescriptae essent, auctor noster citare solet. Proprii aliquid in monasterio

@ [Col. 1068C] *Nihil habendum.* Apud Trithemium: *Nihil est habendum.* nihil habendum: sed potius propter nomen Domini omnia contemnenda. Quid enim proprium aliquid suum fidelis anima de rebus mundi vindicet, cui mundus crucifixus est, et ipsa mundo? Qui semel mundo mortuus cur per aliquam temporalium rerum cupiditatem, vel desiderium aerumnosum, denuo incipit vivere mundo, qui contempto mundo coeperat jam vivere Deo? Amputandum ergo est hoc vitium radicitus ab [Col. 1068A] omni monacho: ut nullam rem vel in vestimentis, vel in calciamentis, vel in quibuslibet rebus sibi vindicet, vel suum esse dicat, nisi quantum ex abbatis jussione penes se praecipitur, ac si custos alterius, non propriae rei dominus. Et ea, quae sibi ab abbate fuerint commendata, id est, ad necessitatem praesentem, aut in vestimento, aut in qualibet re nihil exinde aut dare aut commodare cuiquam praesumat; nisi tantum si ab abbate illi fuerit ordinatum. Quid enim de rebus mundi alteri fratri conferat, qui suas in omnibus voluntates propter Christum in abbatis tradidit potestatem?

@ [Col. 1068C] *Omnia ergo.* Haec contractius ita proferuntur a Trithemio: *Omnia ergo quae in monasterio habentur sint omnibus communia:* ut nulla dare aut accipere praesumat sine jussione abbatissae. Omnia ergo, quae in monasterio habentur, sint omnibus communia, juxta quod in Actibus apostolorum legimus: *Et erunt, inquit, eis omnia communia* **(Cap. IV)**. Sic tamen communia [Col. 1068B] sunt habenda, ut nullus dare aut accipere, nisi abbate ordinante, praesumat: ne cupiditatis aut temeritatis malum incurrens in laqueum Judae proditoris consortio numeretur, qui solus in numero apostolorum loculos habuisse refertur, ubi commutantium aut vendentium commercia ponebantur.

@ [Col. 1068C] *Quod si huic vitio, etc.* Brevius apud Trithemium: *Si quae secus fecerit, regulari disciplinae subjaceat.* Quod si huic vitio aliquis frater delectari fuerit deprehensus, et post primam, secundam vel tertiam correptionem emendare noluerit, disciplinae regulari subjaceat.

CAPUT XLIII. SI OMNES AEQUALITER DEBENT NECESSARIA ACCIPERE.

[Col. 1067D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1067D] *Sicut scriptum est, etc.* Idque juxta prudentiam et discretionem optimi rectoris, ut docet S. Leander, cap. 13 de Instit. virginum: «Laudanda tamen est senior, si discrete cum singulis se gesserit, et unicuique, prout opus est, diviserit. Et ista sunt dicta de veste, cibo, potu, vel opere pro invalidis et delicatis: ut quae durius ferre non potest, tractetur lenius.» Quae hunc regulae locum mirum in modum illustrant, in quo post sententiam Scripturae subaudi verbum: *Fiat.* Sicut scriptum est: *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat* **(Act. IV)**. Ubi non dicimus, ut personarum, [Col. 1068D] quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi, qui minus indiget, agat Deo gratias,

@ [Col. 1068D] *Et non contristetur.* Invidendo aliis, quibus ob necessitatem plura suppeditantur. Occurrit enim S. Benedictus invidiae morbo ob ejusmodi indulgentiam circa infirmos. Cui simile est illud S. Leandri cap. 8 ejusdem libri: «Nec debet scandalizari, quae sana est, si remissius et indulgentius, quae infirma est, alitur; sed magis eo se meliorem sanctioremque esse consideret, quod fragilibus rebus non indiget, quibus eget infirma. et non contristetur:

@ [Col. 1068D] *Qui vero plus indiget, humilietur.* Statuit, ne quis [Col. 1069C] infirmus ob indulgentiam animo sit elatior; quasi remissius et lenius secum agatur ob aliquod sui meritum. Ita S. Leander cap. citato: «Illa autem, quae infirmitatis obtentu meretur aliquid lenius, sit prae caeteris humilis, doleatque se non posse quae aliae possunt: et abstinentiam tempore laxatam non reputet virtuti, sed infirmitati.» Eamdem plane in distribuendis necessitatibus rationem et doctrinam secutus est S. Fulgentius episcopus Ruspensis, ut in ejus Actis habetur hoc modo (Apud Sur., 1 Jan) «Distribuebat sane ipse cum summa discretione servis Dei necessaria vitae subsidia, singulorum vires infirmitatemque considerans. Verumtamen quibuscunque plus caeteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat dicens eis: De substantia communi quisquis aliis plus accipit, omnium sit debitor, quorum est illa substantia: debitorem porro sola juvat humilitas; sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando uni propter infirmitatem plus dare videretur.» qui vero plus indiget, humilietur [Col. 1069A] pro infirmitate, et non extollatur pro misericordia: et ita omnia membra erunt in pace.

@ [Col. 1069D] *Ante omnia ne murmurationis malum.* S. Dunstanus legit: *Ante omnia ammonemus, ne murmurationis malum, recte, nam si non addatur verbum, Ammonemus, illud saltem subaudiendum est, aut aliud simile.* Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel

@ [Col. 1069D] *Significatione.* Apud Smaragdum legitur, *consideratione, non ita recte.* significatione appareat. Quod si

@ [Col. 1069D] *Deprehensus fuerit.* In mss. S. Germ. et S. Faronis, *deprehensum fuerit.* deprehensus fuerit, districtiori disciplinae subdatur.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 94).

@ [Col. 1069D] Interrog. 130, Rufin. cap. 50. *Interrog.* Si oportet eum qui plus laborat, requirere plus aliquid a consuetudine?---*Resp.* Si propter retributionem Dei laborem suscipit, non hic requirere debet laboris sui mercedem, vel requiem: sed pro his ad promissa Domini festinare, sciens quia sicut pro laboribus mercedes paravit Dominus, ita etiam pro angustiis consolationes. Verumtamen hi qui praesunt, observabunt

regulam illam quae [Col. 1069B] dicit: *Dividebatur unicuique prout opus erat* **(Act. IV)**. Debet enim unumquemque praevenire, ut secundum laborem etiam solatia refectionis inveniat.

§ III.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 2)
@ [Col. 1069D] Epistola 109, et cap. 2 Regulae excusae..

Victus et tegumentum non aequaliter omnibus distribuatur, quia non aequaliter valetis omnes: sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus apostolorum: *Quia erant eis omnia communia, et distribuebatur unicuique prout cuique opus erat.*

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 15).
@ [Col. 1069D] *Si eis qui venerunt.* Haec habentur in citata epistola, et cap. 15 Regulae. Quibus in locis legitur, *et si, quemadmodum in codice Corbeiensi.* Intelligit divites, qui a delicatiori consuetudine vivendi ad austeriorem transeunt. Si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, [Col. 1070A]
@ [Col. 1069D] *Stramentorum.* Hoc vocabulum exstat in epistola, et in cod. Corbeiensi, non tamen in Regula editionis Coloniensis et Duacensis. stramentorum, operimentorum datur quod aliis fortioribus et felicioribus non datur, cogitare debent
@ [Col. 1070C] *Quantum de sua saeculari vita.* Id est, ex quam splendida saeculi vita ad humilem monasterii vitam descenderint. quantum de sua saeculari vita illi ad istam descenderint,
@ [Col. 1070C] *Qui quamvis.* Qui, expungendum. Nec reperitur in Regula, nec in epistola citata. [Qui] quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint,
@ [Col. 1070C] *Nec debent velle omnes, etc.* Ita in Regula S. Augustini; at in epistola praefata aliter hoc modo legitur: *Nec debent illae conturbari, quod eas vident amplius, etc.* Haec autem notanda sancti Augustini doctrina: quia, ut aiunt jureconsulti, privilegium paucorum non facit legem communem. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda perversitas: ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

§ V.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 7).

Ut nullius in congregatione murmur,
@ [Col. 1070C] *Aut detractio sit.* Tò *sit redundat, nec est apud Smaragdum.* In cod. Vind. haec ita leguntur: *Ut nullus in congregatione murmurator, seu detractor sit, quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem, aut quodlibet aliud de fratribus audiatur*. Hoc autem caput citatur ob illa S. Benedicti: *Ne murmurationis malum, etc.* aut detractio [sit], quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem, aut quodlibet aliud de fratribus [Col. 1070B] audiatur: ne ira Dei, quae saepe ob hanc culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turbae excitetur, et terram repromissionis,
@ [Col. 1070D] *Quam nos recte accipimus locum futurae beatitudinis.* Id est, quam nos

recte appellamus locum futurae beatitudinis; et ideo interpunctiones, quae habentur apud Smaragdum, delendae. quam nos recte accipimus locum futurae beatitudinis, perdat murmuratio propria, quae debetur sponsione divina. Sic enim damnandos hujus vitii sectatores Psalmus annuntiat:

@ [Col. 1070D] *Detrahentem adversus, etc.* Ita in Psalterio Romano. *Detrahentem adversus proximum suum occulte, hunc persequebar* **(Psal. CX)**. Et iterum arguens Apostolus dicit: *Susurrones, detractores, Deo odibiles* **(Rom. I)**. Et iterum: *Hi sunt murmuratores,*

@ [Col. 1070D] *Querelosi.* In cap. I Epist. S. Judae legitur, *querulosi, quod perinde est.* In textu Graeco, μεμψίμοιροι, quod idem sonat. Μεμψίμοιρος, inquit Suidas, φιλεγκλήμων, id est, criminandi studiosus. Ad verbum, qui de parte sua, aut portione, quasi caeteris deteriore conqueritur. Et μεμψιμοιρία, juxta Theophrastum, Charactere 49, est ἐπιτίμησις παρὰ τὸ προσῆκον δεδομένη, id est, expostulatio, seu objurgatio, et criminis objectio nullo jure. Latinis *querela.* Cornelius Fronto in differentiis: «Querimonia certae rei est: querela supervacua est. Itaque prior gravitatis est, posterior levitatis.» Glossae veteres: *Querela,* μέμψις ματαία, id est, accusatio vana. *querelosi, secundum desideria sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam* **(Jud. I)**.

[Col. 1071A]

§ VI.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 9).

@ [Col. 1071C] *Haec sunt.* Hoc caput fere totum emendicatum est a Regula S. Augustini. Initium sub nomine ejusdem Regulae Tarnatensis profert Trithemius cap. 5 tractatus de Proprietate monachorum. Haec sunt quae in monasterio constitutis pro Dei amore et timore convenit observare, propter quod in unum estis pro timore Domini congregati. Oportet, ut in domo Domini unanimes habitetis, et sit vobis anima una et cor unum

@ [Col. 1071C] *Per timorem.* Apud Trithemium, *in timore.* per timorem Domini pervigilans, nihilque habere vos proprium reputetis; sed sint vobis cuncta communia, quae vobis abbatis imperio dispensentur, non aequaliter omnibus, sed sicut ratio dispensationis, aut causa infirmitatis exegerit. Unicuique tamen secundum quod opus fuerit, tribuatur, sicut in Actibus apostolorum legimus: *Quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique secundum quod cuique opus erat* **(Cap. IV)**.

@ [Col. 1071C] *Qui enim aliqua habuerint.* Eadem reperire est apud S. Caesarium Arelatensem in Regulae cap. 19. Qui enim aliqua habuerint in saeculo, [Col. 1071B] quando expetere monasterium meruerint, libenter tradant omnibus profutura, studentes ut cum dimiserint ipsam facultatem, ipsam simul concupiscendi exuant voluntatem; et cum dimittitur possessio, abjiciatur et passio. Qui autem non habuerunt, et turpe est ut quaerant quae se non recolunt reliquisse. Et non ideo aestiment se felices, quia invenerunt in monasterio quod foris invenire non poterant. Nec superbiant quia sociantur eis ad quos ante accedere pro divitiarum ubertate, aut pro natalium splendore non poterant; sed sursum cor habeant, et quae sunt caduca vel cursu celeri peritura non quaerant.

@ [Col. 1071C] *Ubi autem divites humiliantur.* Regula S. Augustini cap. 4: «Ne incipiant monasteria divitibus utilia, non pauperibus: si divites illic humiliantur et pauperes illic inflantur.» Monasteria ergo fiunt utilia divitibus, si aequo animo propter Christum paupertatis incommoda ferant: at contra noxia pauperibus, si quas non habebant in

saeculo facultates, in monasterio quaerant. Ubi autem divites humiliantur, pauperes non inflentur: ne incipiant monasteria utilia plus esse divitibus, quam egenis. Nam et illi qui locupletes videbantur [Col. 1071C] in saeculo fratres ad sanctam societatem ex paupertate venientes non fastidiose suscipiant; sed talium personarum societate et contubernio gratulentur.

@ [Col. 1071D] *Nec ob hoc extollantur.* Haec sane notanda; non leve enim impendet monasterio dispendium, si qui erant in saeculo divites, fastum et superbiam non exuerint in monasterio. Saepe enim sua ambitione scandalis et seditionibus monasterium perturbant: ut contigit olim in monasterio S. Radegundis, in quo Chrodieldis Chariberti, et Basina Chilperici regum filiae sanctimoniales multas procellas et tempestates excitaverunt, multas strages ediderunt, ipsamque abbatissam leves quasdam culpas ei objiciendo multis ignominiis affectam loco submoverunt, ut fuse narrat S. Gregorius Turonensis lib. IX Hist. Nec ob hoc extollantur, si ad juvandas fraternitatis expensas quamcunque facultatum suarum particulam [Col. 1072A] contulerint; et inde postmodum cadant, unde prius ascendere cupiebant.

@ [Col. 1071D] *Quid prodest, etc.* Recte S. Caesarius loco citato. «Quid prodest dispergere et dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolica infletur superbia.» Quid prodest opes dispergere, et pauper fieri pauperibus erogando, si anima misera superbior efficiatur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergo in unanimitate perstantes honorate in vobis Deum, cujus templa effici meruistis. In primis diligamus Deum tota virtute animi, deinde proximum. Ista enim vobis sunt praecepta specialiter data: Abbati postmodum impendatur honor, et reverentia reservetur; praeposito, sicut Dei servos decet, plena dilectio et concors obedientia commodetur.

§ VII.---*Ex eadem Regula* (cap. 16).

Si attenuatus abstinentia frater non valuerit jejunia suscepta portare, nisi, prandii hora completa, [Col. 1072B] aliquid accipere

@ [Col. 1072C] *Judicet indecorum.* Tò *indecorum non exstat in cod.* Vind., quod tamen est necessarium. Eximit a jejunio attenuatos nimiis jejuniis: ita tamen ut nihil comedant ante prandium. Nam olim jejunantes non prandebant, sed coenabant tantum sive hora nona, id est, tertia postmeridiana, sive vespere. judicet indecorum. Illis vero qui incommodo detinentur, et designatas horas non possunt custodire, licite concedatur ut percipiant quomodo possunt.

@ [Col. 1072C] *Nec debet aliis molestiam generare, etc.* Idem statuitur in Regula S. Augustini supra hoc capite a nostro auctore citata. Subscribit S. Leander lib. de Institutione virginum et contemptu mundi cap. 13: «Quae potuit honorari in mundo et dives fuit in saeculo, blandius fovenda est in monasterio; et quae reliquit in saeculo vestem pretiosam, cultiorem in monasterio mereatur. Quae vero sub penuria vixit, et tegumento victuque eguit, grate ferat si in monasterio nec algeat, nec esuriat; nec murmuret, si ea tractatur indulgentius, quae vixit in saeculo delicatius. Nam si prout cuique opus est non dividitur, fit superba in monasterio, quae fuit vilis in mundo; et quae erat potens in saeculo, humiliatur in monasterio. Sic agit qui discrete non sapit, ut superbire faciat ex vili censu conversas, et dolore stimulet honesto loco natas.» Nec debet aliis molestiam generare, si largior illis fuerit victus impensus, qui in conversatione saeculari sumptuosius tractabantur. Atque ab hoc non beatiores

aestiment se

@ [Col. 1072D] *Videri.* suppl., *iis.* videri, quos facit aut natalium mediocritas, aut consuetudo alia fortiores. Nec feliciores

@ [Col. 1072D] *Judicent.* Supp., *sani, ex Regula S.* Augustini cap. 14: *Nec illos feliciores putent quia sumunt quod non sumunt ipsi.* judicent quibus in infirmitate praestatur quod sanis pro observantiae rigore subtrahitur; et si eis quos parentes deliciosius aluerunt victus aut vestimenta largius tribuuntur, non ob hoc commoveri debet fraternitas, quod fortioribus corpore pro constitutione regulae denegatur, quod illis charitatis ratione tribuitur. Quia debet esse respectus [Col. 1072C] quanta amore religionis contempserint, cui se abjectioni divina miseratione summiserint. Nec decet supra memorata praesumptio paucis impensa ab universitate quasi canonica reputari. Aequum namque non est, ut in beata habitatione, ubi

@ [Col. 1072D] *Inclinantur.* Id est, humiliantur. inclinantur [Col. 1073A] divites, pauperes erigantur. Sane

@ [Col. 1073A] *Inaequalitate.* Id est, morbo. Vide superius annotata. inaequalitate constricti, ita sunt tractandi, ut vires incommoditate confectas velocius praestolatio larga roboret. Nec in infirmitate manentibus discretionem victus afferat distantia personarum. Qui tamen cum [Col. 1074A] integram fuerint virtutem corporis assecuti consuetudinariis habenis abstinentiae tenentur. Quia decet famulos Dei boni operis consuetudinem non minuere, sed augere.

CAPUT XLIV. DE SEPTIMANARIIS COQUINAE.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1073B] *Fratres sibi invicem serviant.* Ita S. Dunstanus. Cod. S. Faronis non habet pronomen, *sibi.* Vulgo autem: *Fratres sic sibi invicem serviant.* Hujus loci mentio fit in Vita S. Sturmii abbatis Fuldensis. Praxis videtur in Vita S. Bathildis, Reginae Franciae, cap. 8: «Ita autem humilitatis magnae forti animo omnibus ministrabat exemplum, ut ipsa quoque in officio coquinae ministraret sororibus, ipsa munditias omnes faceret.» Fratres sibi invicem serviant, ut nullus excusetur [Col. 1073B] a coquinae officio,

@ [Col. 1073C] *Nisi aut aegritudine.* Cod. Vict. p. *nisi aut aegritudo sit.* nisi aut aegritudine,

@ [Col. 1073C] *Aut in causa.* Apud sanctum Dunstanum deest praepositio, *in.* aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde major merces et charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia

@ [Col. 1073C] *Secundum modum congregationis.* Id est, secundum numerum fratrum. secundum modum congregationis

@ [Col. 1073C] *Ac positionem loci.* Si longius quaerendae sunt aquae, herbae, ligna, et similia. ac positionem loci. Si major fuerit congregatio, cellararius excusetur a coquina,

@ [Col. 1073C] *Vel, si qui, etc.* Particula, *vel, hoc loco sumitur copulative.* vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur: caeteri sibi sub charitate invicem serviant. Egressurus de septimana sabbato

@ [Col. 1073C] *Munditias faciat.* Id est, verrat monasterium. Unde Magister cap. 19

Regulae, *munditias monasterii exerceant.* Et paulo post: *munditias oratorii exhibeant.* Munditias facere est verrere. Plautus in Sticho:

Munditias volo fieri; afferte scopas. Neque hic locus S. P. Benedictus comprehendit vasa et lances: nam quotidie tergendae sunt. munditias faciat. Linteamina cum quibus sibi fratres

@ [Col. 1073D] *Manus, aut pedes tergunt.* Ita vulgo habetur cum Kerone in expositione regulae Alamanica, «tergunt *swerben, scilicet manus ac pedes.*» Cod. S. Germ. ma. *tergent.* Vict. p. *terserint.* manus aut pedes tergunt, lavet. Pedes vero tam ipse qui egreditur, tam ille qui intraturus est, omnibus lavent.

@ [Col. 1073D] *Vasa ministerii sui, etc.* Hujus loci meminit Joannes monachus lib. II Vitae S. Odonis abbatis Cluniacensis: «Sic enim alibi septimanariis coquinae idem ipse (S. Benedictus) praecipit, ut vasa ministerii sui munda et sana cellerario reconsignent: quae videlicet sunt fictilia atque vilia.» Ex quibus ultimis verbis notandum est olim vasa, quibus utebantur monachi, fuisse fictilia ac proinde vilia. Idem autem ac S. Benedictus praecipit S. Isidorus cap. 20 suae Regulae: «Huic (cellerario) hebdomadarius expleta hebdomada vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique, si negligentius habita sunt, et ad denuo succedentem hebdomadarium coram isto tradentur.» Regula Magistri cap. 16 de cellerario: «Intrantibus in hebdomada septimanariis vasa coquinae ipse consignet: completa hebdomada ab exeuntibus munda ipse recipiat, aliis intrantibus consignanda.» Per vasa intelligit lances et similia. Vasa ministerii sui munda et

@ [Col. 1074C] *Sana.* Id est, integra. sana cellarario [Col. 1074B] reconsignet. Qui cellararius item intranti consignet, ut sciat

@ [Col. 1074C] *Quod dat, aut quod recipit.* Ms. S. Faronis, *quot dat, aut quot recipit.* Vulgo, *quid dat, aut quid recipit, rectius.* quod dat, aut quod recipit. Septimanarii autem

@ [Col. 1074C] *Ante unam horam refectionis.* Ms. Cod. S. Faronis omittit τὸ *unam.* ante unam horam refectionis accipiant

@ [Col. 1074C] *Super statutam annonam.* Ita ut vinum de heminae, panis de librae statuta mensura sumantur. super statutam annonam

@ [Col. 1074C] *Singulas biberes.* Vulgo, *singulos.* Apud Sosipatrum Charisium reperitur *biber, sed est* πίνειν, ut ipse interpretatur, id est, bibere: ita ut fit apocope biber, pro *bibere.* Biberis hoc loco est vas potorium parvulum: cujus mentio fit in Capitulis Hincmari, cap. 15: «Et singulos biberes accipiant.» Hinc castiganda Regula Teridii cap. 22: «In prandio liberis et in coena accipiant, in jejunio ternas.» Sed locus corruptus ita castigandus est. *In prandio biberes duo, et in coena accipiant, in jejunio ternas;* id est, cum non jejunatur, accipiant duos biberes in prandio et in coena; cum jejunatur, tres nempe in coena, quia tunc nullum est prandium. Hic autem locus de potu intelligendus est: nam immediate antea de ferculis egit. singulas biberes et panem, ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus.

@ [Col. 1074D] *In diebus autem solemnibus.* Dies solemnes sunt Dominicae et festa de praecepto. In diebus autem solemnibus

@ [Col. 1074D] *Usque ad missas sustineant.* Inclusive. Id est, usque ad missas completas exspectent, maxime ob sacram communionem. Missae hoc loco sunt sacrificium liturgicum corporis Christi. usque ad missas sustineant. Intrantes et exeuntes

hebdomadarii in oratorio mox matutinis finitis Dominica omnium genibus provolvantur postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versum:

@ [Col. 1074D] *Benedictus es.* Hic versiculus sumptus est partim ex psal. CXVIII, partim ex psalmo LXXXIII. *Benedictus es, Domine Deus, quoniam adjuvisti me, et consolatus es me.* Quo [Col. 1075A] dicto tertio,

@ [Col. 1075B] *Accepta benedictione egrediens.* Ita codex ma. S. Germ. cum Smaragdo. At cod. S. Ebrulp. et Victorini cum S. Dunstano et vulgo editis habent, *accipiat benedictionem egrediens.* Quae lectio potior est. Codex S. Far. *accipiant benedictionem egredientes.* Unus Turrecremata legit: *Quo dicto tertio accepta benedictione egrediatur.* Praeterea in Victor. ms. cod. p. post τὸ *egrediens, haec reperiuntur: Quae in hunc modum ab abbate vel quopiam sacerdote inibi prosequatur.*---Mirifica misericordias tuas. R. *Qui salvos facis sperantes in te, a resistentibus dexterae tuae.*---Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. R. *Et de Sion tuere eum.*---Salvum fac servum tuum. R. *Deus meus sperantem in te.---Sequitur oratio.* Deus, qui dixisti: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, hunc famulum tuum ministratinum suarum praemio refice sempiterno. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, etc. Quamvis autem haec benedictio seu collecta non sit ex textu Regulae, est tamen antiquissima et olim in monasteriis usitata. Hanc enim eamdem profert Smaragdus hoc loco. «Hanc egrediens, inquit, a sacerdote accipiat benedictionem: *Deus qui dixisti, Venite ad me omnes qui laboratis, etc.*» Sed utitur plurali numero: *Hos famulos tuos.* accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens et dicat:

@ [Col. 1075C] *Deus in adjutorium.* Praecipit S. P. Benedictus ab ingrediente hebdomadario hunc versum recitari: quia olim ab antiquis Aegypti monachis hic versiculus omni operi praemittebatur, ut patet ex Cassiano, Collat. 10, cap. 9. *Deus in adjutorium meum intende;* Domine, ad adjuvandum me festina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus,

@ [Col. 1075C] *Et accepta benedictione ingrediatur.* Post haec verba in Cod. p. Vict. haec habentur: *Quae sequitur in hunc modum:*---Faciem tuam, Domine, illumina super servum tuum. R. *Et doce eum justificationes tuas.*---Fiant aures tuae intendentes. R. *In orationem servi tui.*---Apud Dominum misericordia. R. *Et copiosa apud eum redemptio.*---Adjuva, quaesumus, omnipotens Deus, famulum tuum in obsequio ministrantem fraterno, et sine murmuratione illi misericorditer propriae ministrationis mercedem concede perpetuam. Per Dominum nostrum. Quae quidem formula collectae, quamvis non videatur esse ex Regula, est etiam antiquissima, ut patet ex Smaragdo, qui etiam eamdem hoc loco producit, cum ait: *Et hanc ingrediens accipiat benedictionem:* Adjuva, quaesumus, Domine, hos famulos tuos in obsequio laborantes fraterno, et sine murmuratione illis perseverantiam et proprii laboris mercedem concede propositam. Per, etc. Ubi notandum est in Victorino codice deesse illa vocabula, *perseverantiam, etc.* et accepta benedictione ingrediatur.

§ II.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 11).

@ [Col. 1075D] *Hebdomadarius.* Haec habentur in Regula S. Isidori typis mandata, capite. 9. Hebdomadarius solus

@ [Col. 1075D] *Cibos degustet.* Contrarium statuit S. Pachomius art. 21 suae Regulae: *Qui pulmentaria coquunt, ipsi nihil gustantes edentibus ministrabunt.* cibos degustet;

neque alius id audeat, ne sub occasione degustandi suae gulae vel gutturi satisfaciat.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 20).
@ [Col. 1075D] *Ad hebdomadarium.* Haec reperiuntur in Regula S. Isidori excusa, eodem cap. 20. Ad
@ [Col. 1076B] *Hebdomadarium.* Graeci appellant, Ἀρχιεβδομάριον eum qui uniuscujusque rei operae per hebdomadem praeest, ut planum est ex Poenis monachorum delinquentium, quae inter opera S. Basilii exstant, art. 4: Πλὴν κελλαρίου, καὶ ἀρχιεβδομαρίου γενέσθω ἀπευλογίας, id est, «exceptis cellerario et archiebdomario fiat sine benedictione;» et art. sequenti: Ἵνα ἑκάστης ἐφημερίας ἀρχιεβδομάριος, id est, «ut uniuscujusque diurnae operae archiseptimanarius, etc.» hebdomadarium pertinet cura ferculorum, amministratio mensarum.

§ IV.---EX REGULA CASSIANI (cap. 33).
@ [Col. 1076B] Lib. IV de Inst., cap. 14.

Si quis autem de opere ac sudore proprio plus ab [Col. 1075B] aliis reditus conferet monasterio, in nullo infletur, [Col. 1076A] nec sibi de tanto operis sui acquisito blandiatur; nec amplius sibi aut delicatius aliquid solita quotidiani victus parcitate praesumat, sed tanquam peregrinum se hujus mundi reputans arreptae nuditatis virtutem ad finem usque perducat.

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 37).
@ [Col. 1076B] *Quotidiana autem.* Haec sumpta sunt ex cap. 19 ejusdem lib. Quotidiana autem fratrum obsequia in coquina, seu in diversis officiis ita reddantur singulis hebdomadis:
@ [Col. 1076B] *Alteramenta.* Lege: *Ut alternamenta.* In cod. Vind. legitur: *Alterna tamen.* Alteramenta fratrum secundum ordinem ad haec officia reddenda succedant, ita ut secundum multitudinem congregationis ministrorum quoque numerus aut minor, aut amplior deputetur,
@ [Col. 1076B] *Suscipientes quorum ordo est.* Locus corruptus; apud Cassianum ita legitur: *Has autem septimanas unusquisque suscipiens usque ad coenam Dominici diei ministraturus observet.* Ex quibus ita hunc locum castigabis: *Suscipientes, quorum ordo est, septimanam usque ad coenam Dominici diei ministraturi observent.* suscipientes quorum ordo est septimanam diei Dominici ministraturi observent. Peracta autem coena convenientibus in unum fratribus ad
@ [Col. 1076C] *Ad hymnos commendationis.* Semper haec pia viguit in Ecclesia consuetudo, ut sero dormituri se Deo hymnis et orationibus commendarent. S. Athanasius in tractatu de Virginitate: «Sive cubitum vadis ad somnum capiendum, sive cubitu surgis, non absistat hymnus Dei a labiis tuis.» S. Ambrosius lib. III de Virginibus: «Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendae, etc., cum denique cubitum pergimus.» S. Fructuosus episcopus cap. 5 Regulae monachorum: «Tum demum pergentes ad cubilia, atque in unum cuncti coeuntes ad perfectionem pacis et reorum absolutionem cantatis tribus psalmis juxta morem cum laude et benedictione symbolum Christianae fidei communi omnes recitent voce, ut fidem suam puram coram Domino ostendentes, sicut non dubium est fieri vel accidere, ut nocturno quisquam tempore

vocetur a corpore, commendatam jam suam fidem et expiatam ab omni scandalo conscientiam perferat ante Deum. Post deinde adeuntes cubilia summo cum silentio exhibito gressuque quieto, nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens ad alterutrum, vel saltem alium respicere non audens pergat ad lectulum suum: ubi tacite orationi insistens psalmosque recensens ultimo orationem suam quinquagesimi psalmi recitatione consummet.» Memoriale quomodo in monasterio conversandum sit: «Expleto eodem officio (Completorii) summum silentium custodiatur, et ore et corde fiant orationes secretae, recordatio peccatorum cum fletu et lacrymis et gemitu seu suspirio, ut unus alium non noceat. Tunc iterum agant gratias Deo dicendo: *Gratias tibi ago, Domine sancte Pater omnipotens, qui me dignatus es in hac die custodire;* per tuam sanctam misericordiam concede mihi hanc noctem mundo corde et corpore sic pertransire, qualiter nunc [Col. 1077B] surgens gratum tibi servitium exsolvere possim. Et cum magna cautela ambulent in ecclesia et dormitorio. [Col. 1077C] Et cum ad proprium stratum venerit frater, dum se collocaverit, dicat psalmum: *Deus, in adjutorium meum intende;* et post Gloriam dicat versum: *Pone, Domine, ori meo custodiam, etc.* Et sicut sibi mane postulat aperiri a Domino, sic requiescens roget poni ori suo custodiam.» Regula cujusdam Patris cap. 9: «Ab hora vero completionis, cum oratio ad somnum capiendum datur.» Hinc capiendi sunt loci Poenarum Brevium apud S. Basilium, art. 15: Εἴτις ἑσπέρας μετὰ τὸ πατὴρ ἡμῶν εὑρεθῇ ὁμιλῶν, ἀφοριζέσθω, id est, «si quis vesperi post Pater noster, inveniatur colloquens, excommunicetur;» et art. 26: Εἴτις ἑσπέρας μὴ φτάσῃ τῷ Πατὴρ ἡμῶν ἐκτός αἰτίας, στηκέτω εἰς προσευχὴν ἕως πάντες κοιμηθῶσι, id est, «si quis vesperi non occurrerit ad Pater noster sine causa, stet in oratione, donec omnes decubuerint;» ex quibus liquet solitam recitari orationem Dominicam ab illis monachis ante cubitum. Id etiam notum est ex Constitutionibus Apostolicis S. Clementis, lib. VII, cap. 49, ubi ponitur haec serotinae orationis formula: Αἰνεῖτε παῖδες Κύριον, αἰνεῖτε ὄνομα Κυρίου, etc., id est, *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini.* Laudamus te, celebramus te, benedicimus te propter magnam gloriam, Domine rex. Pater Christi agni immaculati, qui tollit peccata mundi. Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, etc. hymnos commendationis, [Col. 1076B] quos dormituri decantent, omnibus in [Col. 1077A] ordinem fratribus pedes lavent, hanc ab eis benedictionem et retributionis mercedem pro labore totius septimanae fideliter expetentes: ut complentes eos Christi mandatum generaliter ab omnibus fratribus emissa prosequatur oratio; quae et eorum consummata officia velut pium sacrificium Deo commendet, et quidquid per ignorantiam, aut per humanam fragilitatem peccaverint, suppliciter intercedant.

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 38).

@ [Col. 1077D] *Acto autem.* Apud Smaragdum legitur, *peracto;* haec autem habentur apud Cassianum capite citato. Acto autem Dominico ingredientes secunda feria, aliis iterum succedentibus, hi qui egrediuntur utensilia in quibus ministraverint, et vasa consignent, quae tanta sollicitudine curaque custodiant, ne aliquid ex eis imminuatur aut pereat, ut credant [Col. 1077B] se etiam pro minimis quibusque vasculis tanquam pro sanctis et magnis rebus rationem non solum homini, sed etiam Domino reddituros, si forte ex his negligenter fuerit fractum aut perditum. Ita enim septimanarius obsequium suum fideliter peragat,

@ [Col. 1077D] *Ne unum quidem granum leguminis.* Vide eumdem Cassianum capite 20 ejusdem libri. Haec autem attentius consideret monachus, et recogitet quanto numero habenda sit vita monastica, quam sedulo leviores culpae sint declinandae, quanto studio anima custodienda, si tanta esse debet unius grani leguminis cura, de quo sit Deo etiam rationem redditurus. Lege autem: *Ut ne unum quidem.* Cap. sequenti profert exemplum cujusdam fratris, qui propter tria lenticulae grana quae in ferram ceciderant neglecta, ab oratione suspensus est. ne unum quidem granum leguminis negligenter perire de suis manibus patiatur: quia omnia quae in monasterio fuerint semel ingressa tanquam sacrosancta, et quasi jam Deo consecrata cum summa reverentia Patres nostri tractare jusserunt. Tanta ergo fide universa debet monachus agere, ut etiam

@ [Col. 1078C] *Pro despectis rebus.* Quia minima actio ad Dei gloriam facta meritoria est: calix aquae frigidae ob Christum datus sua mercede non carebit; nec ullus capillus de capite justi peribit. pro despectis rebus ac parvis, id est, si aliquid quod non recte positum est, competentius collocaverit, [Col. 1078A] aut tenuem festucam de cella submoverit, mercedem

@ [Col. 1078C] *Se Domino.* Lege, *se a Domino, ut in cod.* Vind. se Domino recipere tota credulitate confidat.

§ VII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 17).

@ [Col. 1078C] *Superius diximus.* Cap. 11 suae Regulae. Quae autem hic tractantur, habentur in eadem Regula ms. codicis Corbeiensis, eodem capite. Superius diximus decadam fratrum sub sua cura duos praepositos continere. Qui decem fratres in coquinae servitio vicibus combinati septenos expleant dies. Et cum in vicibus suis unius decadae fuerit adimpletum servitium, consignatis omnibus a cellarario utensilibus, sibi alia in exercitatione decada succedat. Qua expleta succedant singillatim per singulas septimanas.

@ [Col. 1078C] *Singuli autem praepositi coquant.* Non eximit praepositos decadum a coquinae officio: ita tamen ut nunquam duo unius decadis praepositi simul coquant, sed sigillatim assumendo unum ex suae decadis fratribus in solatium, ut uno praeposito coquinae munus obeunte, alter remaneat qui fratrum actiones observet diligenter; et hic est sensus hujus textus. Singuli tamen ambo praepositi coquant cum solatio fratris

@ [Col. 1078D] *Cujus voluerint.* Pro *quem voluerint, phrasis graeca, ut supra notatum est.* cujus voluerint sui. Et ideo quamvis cum solatio cujuslibet fratris singulos septimanas singulas diximus praepositos

@ [Col. 1078D] *Coquinare.* Id est, coquere. Plautus in Pseudolo:

An tu coquinatum te ire quoquam postulas? coquinare, [Col. 1078B] ut cum non ambo in coquinae simul servitio occupantur, unus foris cum decadae suae remaneat fratribus, qui in eis culpas vel vitia diversa custodiat, ut et si alii fratres sequestrantur in alio laboris opere, tales sequestrentur qui Dei plus possunt praesentiam timere, praeoccupato in coquina praeposito,

@ [Col. 1078D] *Cum negligentiore.* Lege: *Cum negligentioribus, ut in Reg.* ms. sensus est: Cum alii fratres in aliquo opere sequestrantur a praepositis, soli ii sequestrentur, qui plus possunt Dei praesentiam timere: ut cum unus praepositus coquinae officio fungitur, alter qui ab hoc opere vacat, remaneat cum negligentioribus fratribus cum eis

aliquid operans. cum negligentiore remanente

@ [Col. 1078D] *Vacivo.* In Reg. Ms.: *Vacibo;* b pro *v, id est, vacante, nempe a culinae officio.* vacivo praeposito: ut et vicibus honorem impleant emendandi, et vicibus humilitatem exerceant serviendi. Ergo sic omnes explicando decadae

@ [Col. 1078D] *Recapitent.* Id est, iterum incipiant a prima decade. recapitent. Nam unaquaque decada tali actione septenos expleant dies.

@ [Col. 1078D] *Bini fratres.* Subaudi, deputantur ad coquinam. Bini fratres a praepositis suis in coquinae servitio per hebdomadam deputentur; quibus a cellarario omnia [Col. 1079A] coquinae vasa intrantibus consignentur. Et ideo bini fratres, ut invicem se suis solatiis

@ [Col. 1079C] *Jubent.* Ita in Reg. ms. pro: *Juvent.* jubent. Cujus ordinationis in hebdomada talis debet esse introitus.

§ VIII.---*Item ejusdem* (cap. 19).

@ [Col. 1079C] *Introituri fratres.* Haec videre est in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. 19. Introituri, fratres, in hebdomadam

@ [Col. 1079C] *Post Primam.* Dissentit a S. Benedicto qui vult ejusmodi benedictionem seu orationem dari post Matutinos. post Primam in oratorio dictam adducantur a praepositis suis ante abbatem,

@ [Col. 1079C] *Et fiat de eis majoris suggestio.* Id est, major seu senior duorum horum praepositorum suggerat abbati, ut ob septimanariorum benedictionem universam congregationem arcessat, etc. et fiat de eis majoris suggestio dicens: Jube, domne abba, vocari universam congregationem et orari pro his fratribus qui ingrediuntur in hebdomadam coquinae: ut mereantur commendati orationibus vestris diaboli impedimenta non timere, et congregationi Dei omnia sine culpa perficere. Post haec verba prosternant se illi duo fratres [Col. 1079B] orationi ante abbatem. Quod et retro omnis congregatio una cum abbate facere debet; et postquam se levaverint omnes, illi duo dicant hunc versum:

@ [Col. 1079C] *Custodi nos, Domine.* Dissentit a S. Benedicto. *Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi:* sub umbra alarum tuarum protege nos. Postquam vero oratum pro eis ab omnibus fuerit, surgentes supra dicti duo fratres osculentur genua abbatis,

@ [Col. 1079C] *Et pacem suis tradant praepositis.* Id est, suos praepositos osculentur. et pacem suis tradant praepositis, vel omni congregationi. Quibus post datam pacem praepositi sui dicant: Ite, fratres, in nomine Domini Jesu Christi, intrate in hebdomadam,

@ [Col. 1079C] *Et petita benedictione.* Nihil prisci illi monachi faciebant sine majoris benedictione ob rationem a Magistro prolatam. Poenae Breves monachorum sancto Basilio vulgo ascriptae, art. 11: Εἴτις οὐκ αἵρῃ εὐλογίαν εἰς τὸν ὄρδινον αὑτοὺ γενέσθω ἀπευλογίας, id est, «qui non acceperit benedictionem ad ordinem ministerii sui, careat benedictione;» ὄρδινον, est ordo, vocabulum Graeco-Barbarum. De quo vide Joannem Meursium in Glossario Graeco-Barbaro. Memoriale quomodo in monasterio conversandum sit: «Cum domnus abbas aut certe alius ex senioribus alicui ex fratribus aliquod opus facere praecipit, suscipiat junior cum magna humilitate jubentis imperium: sit auris prompta ad audiendum, ac si divinitus dicatur; sint pedes directi, manus vero expeditae ad faciendum; et humiliatus dicat: Benedicite. Expleto

opere revertens cum humilitate dicat similiter: Benedicite.» S. Isidorus cap. 17 Regulae inter delinquentes commemorat, «qui ministerium cujuslibet operis injunctum sine benedictione susceperit, aut perfecto opere benedictionem minime postulaverit.» Ex quibus ultimis locis patet benedictionem etiam perfecto opere petitam fuisse. et petita benedictione omnia facite, dicentes per exercenda omnia: Benedicite; et cum benedictum fuerit quodcunque feceritis, maledictus diabolus impediendi ibi non habeat potestatem. Mox ab eodem die, si ad sextam

@ [Col. 1080C] *Habent.* Id est, debent. habent fratres [Col. 1079C] reficere, dicta Tertia exeuntes cum congregatione de oratorio hebdomadarii cum cellarario

@ [Col. 1080C] *Oculos ad abbatem.* Lege, ut in Regula ms.: *Oculos habeant ad Abbatem.* Sup. conversos. oculos ad abbatem inquirentes eum quid jubeat congregationi ad [Col. 1080A] refectionem parari: ut mox inchoantibus coquinam a tertia paratis omnibus, dicta Sexta eant ad mensas. Si vero hora nona erit refectionis praeparatio, exiens abbas interrogetur ab hebdomadariis et cellarario; et statim post Sextam inchoent coquinare: ut dicta Nona omnes eant ad mensam. Quod si non forte occurrerint hebdomadarii

@ [Col. 1080C] *Excommunicationis poenam suscipiant.* Haec non est proprie dicta excommunicatio: quia paulo post eam declarans jubet reum tantummodo aliquot dies una panis quadra multari. excommunicationis poenam suscipiant, quia lassatam congregationem utrisque operibus, id est, jejunii et laboris, sua pigritia cruciaverunt. Excommunicationis vero haec sit sententia. Si sexta, VII; si nona, X; hoc est, si ad sextam horam

@ [Col. 1080C] *Refectionem tricatam offenderint.* Id est, non expeditam et non paratam. Nam tricae, inquit Nonius cap. 1, sunt impedimenta et implicationes (et intricare, impedire, morari) dictae quasi tericae, quod pullos gallinaceos involvant, et impediant capilli pedibus implicati. Unde et tricari in parvo morari. Glossae Isidori: *Acinari, tricari, in parvo morari.* refectionem tricatam hebdomadarii offenderint, et non occurrerint, singulas quadras panis per sequentes septem refectiones perdant;

@ [Col. 1080D] *Si nonam tricaverint.* Ita in Reg. ms.; sed legendum puto, *si ad nonam tricaverint, id est, si ad nonam expedite et opportune refectionem non paraverint.* si nonam tricaverint, item singulae quadrae per sequentes [Col. 1080B] decem refectiones eis subtrahantur. Quae sententia excommunicationis tandiu in damno annonae excommunicatis permaneat,

@ [Col. 1080D] *Quandiu.* Id est, donec S. Ferreolus cap. 29 Regulae: «Ut, quandiu a proposita intentione revocentur, et tumorem mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduae omnino subjaceant disciplinae.» quandiu satisfactio in sequenti die promissa visa fuerit emendasse. Nam si grandis fuerit congregatio, vel aliqui extranei multi supervenerint, adjunctis in solatio fratribus, a Prima dicta interrogando abbatem de refectione, incipiant coquinare, ut hora constituta refectioni occurrant. In eadem namque hebdomada servitium ad mensas omnium ipsi adimpleant. Omnem diligentiam monasterii ipsi exerceant. Ipsi omnes fratres in hebdomada ipsa discalcient, adjunctis in solatio de decada sua fratribus cum quibus et discalcient, et ipsa calciaria faciant, et facto mane sedentibus ad ordinem fratribus ipsi consignent simul; [Col. 1080C] et in eadem hebdomada munditias monasterii exerceant,

@ [Col. 1080D] *Refrigeria.* Id est Latrinas. Cap. 79 ejusdem Regulae: «Ipse sibi custodes excitet, cum clavem requirit; quo praesente incipiat ad ignotum refrigerium foras exire.

refrigeria lavent, ligna concidant, aquam faciei tradant,
@ [Col. 1080D] *Ad communionem intrantibus.* Vide supra de hac re notata capite 32, § 7. ad communionem intrantibus fratribus [Col. 1081A] aquam manibus ipsi ministrent.
@ [Col. 1081B] *Mappas.* Mappa est linteum tergendis manibus aptum, Gallice *serviette.* Aimoinus lib. IV de Gestis Francorum, cap. 2: «Austregesillus quoque Bituricensis archiepiscopus sub rege Guntranno diu quoque in palatio commoratus mappam ei ad tergendas praebere consueverat manus.» Meminit Martialis lib. XII, Epigram. 29:

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.
Mantile a mensa surripit Hermogenes.

Ubi mappa a mantili distinguitur. Nam mappa est qua manus terguntur, quam quisque conviva afferebat: at mantile quod mensae sternitur; et Martialis quidem tempore. Nam Varronis aetate mantile dicebatur, quo manus terguntur, ut ipse Varro docet lib. V. de Lingua Latina: *Mantelium, quasi manuterium.* A mappa *mapparius, qui mappam tergendis manibus porrigit.* Acta S. Austregesilli: «Et erat sane regi gratissimus, eique manus abluenti offerebat linteum, quo eas extergeret: quo factum est, ut eum mapparium id temporis vocitarent.» Dicebatur etiam mapparius sive μαππάριος, is qui mappam in circum mittebat signum aurigis, quo viso e carceribus erumperent: vide Glossarium Graecobarbarum Joan. Meursii. Mappa vox est Punica a Romanis usurpata, ut docet Fabius lib. I Instit., cap. 5: «Et mappam quoque usitatum circo nomen Poeni sibi vindicant.» Mappas
@ [Col. 1081D] *Sabana.* Vide superius annotata. et sabana, et facitergia vel res sordidas fratrum ipsi lavent illis horis in quibus non coquent.
@ [Col. 1081D] *Candelas.* Hoc vocabulo utitur Athenaeus lib. XIII sub finem. De quo haec habet Suidas: Κανδήλα παρὰ καίειν δῆλα, id est, «candela dicta quod clarum lumen suppeditat, dum uritur.» Sed merum putum Latinum, a *candeo deducendum.* Candelae sunt lampades, ut videre est in Dialogis Zachariae papae, ubi lampades passim κανδήλας vertit. Candelas monasterii a cellarario factas quotidie ipsi incendant et
@ [Col. 1081D] *Tutent.* Id est, exstinguant. Vide supra. tutent. Mox enim in hebdomadam, ut diximus, prima die post Primam dictam intraverint, primum opus servitii sui munditias oratorii exhibeant, et
@ [Col. 1081D] *Mattas.* Quae substernuntur monachis psallentibus, de quibus infra. mattas oratorii pavimento
@ [Col. 1081D] *Retendant.* Id est, iterum tendant, quia abstulerant eas, ut pavimentum oratorii verrerent. retendant. Quod in totis septem diebus hebdomadae suae post matutinos dictos opus primum servitii sui oratorio exhibeant. Cum astant vero in septimana sua, coquinam
@ [Col. 1081D] *Intrantes ad se fratres.* In Reg. ms. Haec vocabula, *ad se, desiderantur.* Sensus est: Si qui fratres in coquinam ad hebdomadarios intrent, mox hebdomadarii petant ab eis, ut secum pro se orent. intrantes ad se fratres mox petant eos pro se secum orare.

§ IX.---*Item ejusdem* (cap. 23).
@ [Col. 1082B] *Hebdomadarii.* Haec habentur in Reg. ms. Magistri cod. Corb. in fine ejusdem capitis 23. Hebdomadarii cum servitium mensarum exercent, [Col. 1081B] si forte

ad ministrandum omnibus
@ [Col. 1082C] *Non occurrerint.* Id est, non potuerint occurrere. In Reg. ms. legitur, *non occurrunt.* non occurrerint, insinuent hoc ipsum suis praepositis: a quibus ordinatus de eadem decada unus frater in eorum solatio adjungatur. Quotiesque hebdomadarii in servitio mensarum negligenter mensis deserviunt, alia die hora refectionis levet se abbas, et cum uno de praepositis aut duobus, si grandis fuerit congregatio, ipsi faciant servitium ad omnes mensas, ut et doceat eos quomodo faciant quod non possunt implere: et agnoscentes omnes fratres erubescant
@ [Col. 1082C] *Incommunicatura.* Id est, in communi natura. incommunicatura hominum vel pari servitio [Col. 1082A] Dei aequalem non mereri divinae sapientiae gratiam cum
@ [Col. 1082C] *Utilibus.* Id est, bonis, piis. S. Benedictus cap. 7: *Dicat semper utilis frater.* Ita enim legendum ibi animadversum est. utilibus fratribus invenire.

§ X.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 12).

Coqui vero per hebdomadas
@ [Col. 1082C] *Coquinent.* Id est, coquant. coquinent. Unaquaque hebdomada tres, vel amplius, si necesse fuerit, ad coquinandum deputentur, ne impositus sine discretione labor unde mercedem mercari debuit, inde murmurii fructum reportet. Ingredientes autem pro se orari rogent omnem coetum fratrum, orantes in oratione dicant:
@ [Col. 1082C] *Adjutorium nostrum.* Hac in re non convenit cum S. Benedicto. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram* **(Psal. CXXIII)**; et *adjuva nos, Deus salutaris noster* **(Psal. LXXVIII)**. Exeuntes vero lavent omnium fratrum pedes, et omnia vasa quae ad necessarium usum habuerunt lavata
@ [Col. 1082C] *Praepositis.* Qui tamen eadem vasa cellerario consignent. praepositis repraesentent: similiter
@ [Col. 1082C] *Pro se orari rogent.* Completa hebdomada. pro se [Col. 1082B] orari rogent, et hunc versum in oratione dicant:
@ [Col. 1082C] *Quoniam tu, Domine, adjuvisti me.* Videntur haec verba ex Reg. ms. S. Benedicti desiderari, *Benedictus es, Domine Deus, istis praeponenda. Quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me* **(Psal. LXXXIII)**. Propter singulas negligentias tam coqui quam cellararii XXV palmarum percussionibus quotidianis diebus emendentur: ne minimas parvi pendentes culpas, in majoribus procliviores reperiantur.

§ XI.---EX REGULA SANCTI CAESARII EPISCOPI (cap. 12).
@ [Col. 1082C] *Qui coquunt.* Haec videre est in Regula S. Caesarii excusa, quae est sanctimonialium eodem capite 12, ubi legitur, *coquent.* Qui coquunt,
@ [Col. 1082C] *Singuli illis meri.* Ita in cod. Vind. In Regula excusa habetur: *Singulae illis merito pro labore addantur;* sed locus corruptus, nullumque sensum efficit. Itaque ex hoc Concordiae codice restituendus. Sensus ergo est, ut qui, vel quae coquunt singulos meros ad levandum laborem accipiant, nempe antequam se operi coquinae accingant. Merus autem hoc loco substantivum est mascul. gen., estque vasculum vini, sive cynthus, sive scyphus. Magister in Regula, cap. 27: «Mox cum sederint ad mensas fratres singulos meros accipiant. Quos meros accipientes singuli porrigunt abbati.» Et

paulo post. «In suos meros quisque frater de suo pone ternas sibi et non amplius buccellas intingant.» Et postea: «Post ergo primos meros aestivo tempore ad refectionem tam sextae quam nonae, caldelli omnibus quaterni sufficiant.» singuli illis meri pro labore addantur. In omni ministerio corporali tam in coquina, vel quidquid quotidianus exigit usus, vicibus sibi, excepto Patre,
@ [Col. 1082D] *Vel praeposito.* Particula, *vel, sumitur hoc loco copulative, non disjunctive.* vel praeposito, succedere debent.

CAPUT XLV. DE INFIRMIS FRATRIBUS.

[Col. 1083A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est: ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit: *Infirmus fui, et visitastis me.* Et: *quod fecistis uni*
@ [Col. 1083A] *De his minimis.* Ita apud Smaragdum. In cod. S. Germ. cum S. Dunstano, et vulgo editis. *De iis minimis meis.* In textu evangelico: *Uni de iis fratribus meis minimis. de his minimis, mihi fecistis* **(Matth. XXV)**. Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri; et non
@ [Col. 1083A] *Superfluitate sua.* Petendo irrationabilia. superfluitate [Col. 1084A] sua contristent
@ [Col. 1083A] *Fratres suos servientes sibi.* Si monachi sanis fratribus serviunt, aequum est etiam ut aegrotis; et si maxima charitas et merces acquiritur ab iis qui sanis serviunt, quanta mercede cumulabuntur ii, qui aegrotos fovent. Quanta sollicitudine et cura suam operam circa infirmos fratres contulerit S. Dositheus, ejus Acta testantur. Qui toto quinquennio, quo in monasterio vixit, infirmis in nosocomio ministravit. Singulos quosque humili suo obsequio refocillabat, lectos concinne et commode sternebat, omnia munde pureque agebat. Si casu aliquid ex negligentia omisisset, aut subiratus verbum aliquod protulisset, statim dimissis omnibus cellulam ingressus in lacrymas erumpebat. fratres suos servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis
@ [Col. 1083B] *Sit cella.* Idem instituit S. Eugendus abbas, ut in ejus Actis apud Surium habetur: «Verum etiam propter laborem infirmitatis, donec sanitas suppeteret, praestitit sequestratim reficere vel manere.» Cella hoc loco est cubiculum. Est et cella locus in quo necessaria reponuntur. Varro lib. IV de Lingua Latina: «Ubi conditum esse volebant, a celando cellam appellabant.» Locus in templo, ubi sedes Dei erat. Idem Varro eodem libro: «Et ideo in aedibus sacris ante cellam, ubi sedes Dei sunt, Graeci dicunt πρόδομον.» Et lib. V: «Hinc etiam amplius dicunt eloqui et reloqui in fanis Sabinis, e cella Dei qui loquuntur.» Nomen postea ad claustra monachorum translatum significat angustum monachi cubiculum, ut saepe occurrit in hoc libro, et apud Cassianum, Dorotheum, Palladium, Moschum et caeteros, qui de re ascetica scripserunt, Diminutivum cellula. Unde et *cellulani monachi a S.* Sidonio Apollinare appellati sunt lib. IX, epist. 3, ubi celebre monasterium Lerinense nominat. «Senatum

Lerinensium cellulanorum.» Sumitur etiam cella pro monasterio. S. Gregorius lib. I, epist. 54. «Festivitatibus sanctorum desiderabiliter insistentes praesentis praeceptionis nostrae paginam ad experientiam tuam necesse duximus dirigendam, indicantes ei oratorium beatae Mariae, quod nuper in cella fratrum aedificatum est, ubi Marinianus abbas praeesse cognoscitur.» Idem lib. VI, epist. 10: «Si ergo qui vos ex ordine sequitur talis est ut circa cellae ordinationem fratrumque custodiam, etc.» Hinc capiendus locus lib. II Dial., cap. 23: «Cui ille respondit: Quid est quod loqueris soror? Manere extra cellam nullatenus possum.» Cella enim ibi sumitur pro monasterio, alioqui falsum dixisset S. Benedictus; nam poterat in oratorio pernoctare, aut in dormitorio fratrum jacere. Sumitur etiam pro parvo monasterio, quod subest alicui majori monasterio, et vulgo dicitur prioratus seu praepositura. Lupus abbas Ferrariensis epist. 11: «Cellam S. Judoci, quam Magnus Carolus Alcuino, etc.» Addit. 1 Capitul. Lud. imp., tit. 44: «Ut abbatibus liceat habere cellas in quibus aut monachi sint aut canonici.» Et abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat, quam sex.» Hoc vocabulum Graeci Patres usurparunt, sanctus Basilius, Palladius, Dorotheus et alii, apud quos legitur: κέλλη et κελλίον. Meminit Moschopolus in schedis Κελλίον κοινῷς, παρὰ Ἀττικοῖς δωμάτιον, id est, «communiter, apud Atticos domuncula.» sit cella

@ [Col. 1084B] *Super se.* Ita codices S. Germ. S. Faronis et Victorini et Vind. cum Kerone, Smaragdo et editione Coloniensi. Sanctus vero Dunstanus et vulgatae editiones legunt: *Per se.* Unus Turrecremata: *Desuper.* Sed sive *per* se, sive *super se legatur, nihil aliud est quam seorsum et separatim:* ita ut non jaceant aegroti in communi fratrum cella, quam dormitorium appellant, sed in altera. super se deputata et

@ [Col. 1084B] *Et servitor.* Per servitorem intelligit aliquem monachum qui aegrotis serviat. Nam supra dixit. «Et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi,» et in fine capitis: «Cura autem maxima sit abbati, ne a cellerariis et servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid a discipulis delinquitur.» Nam passim in Regula monachi discipuli appellantur, cap. 2. «Memor sit semper abbas, quia doctrinae suae et discipulorum obedientiae utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio.» Et paulo post: «Et capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat.» servitor

@ [Col. 1084C] *Timens Deum.* Idem statuit S. Caesarius in Regula sanctimon. cap. 30: «Aegrotantium cura, sive aliqua imbecillitate laborantium uni satis fideli et compunctae debet injungi, quae de cellario petat quodcunque opus esse prospexerit: et talis eligi debet, quae et monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat.» timens Deum, et diligens ac sollicitus.

@ [Col. 1084C] *Balnearum usus.* Additio 1 Capitul. Lud. imp., tit. 7: «Balnearum usus in arbitrio Prioris consistat.» Intelligitur autem de balneis tam artificiosis quam naturalibus, tam de publicis quam domesticis, quae quidem ad sanitatem conducant, non ad voluptatem. Balnearum usus infirmis, quoties expedit, offeratur:

@ [Col. 1084C] *Sanis autem, etc., tardius concedatur.* Tardius, id est, rarius. Hanc enim balnearum voluptatem, tanquam Veneris irritamentum, carnis titillationem atque enervationem sancti Patres abhorruerunt. S. Hieronymus in epistola ad Rusticum: «Balnearum fomenta non quaerat qui calorem corporis jejuniorum cupit frigore exstinguere.» Sanctus Athanasius libr. de Virginitate, balnearum usum virgini interdicit, dum sana erit. Eumdem prohibet S. Florentinae sorori S. Leander lib. de Institutione Virginum, cap. 10: «Balneo non pro studio vel nitore utaris corporis, sed tantum pro

remedio salutis. Utere, inquam, lavacro quando poscit infirmitas, non quando suaserit voluntas. Quod enim necesse non est, si egeris, peccabis. Scriptum est enim: Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Cura carnis veniens ex concupiscentia habetur [Col. 1085B] in vitio; non ea, quae saluti recuperandae convenit. Quamobrem non te illiciat lavare saepius carnis voluptas, sed infirmitatis imperet necessitas: caret omni culpa, si quod necesse est egeris.» S. Theodericus abbas monasterii S. Huberti, nunquam balneis uti voluit, vel aegrotus: dicebat enim illam carnem non indigere lavatione, quae putredo et vermibus cibus paulo post debebat esse. S. Epiphanius episcopus Ticinensis, balneis non utebatur: «Ne nitorem animae et interioris hominis fortitudinem balnea magis sordibus amica confringerent,» inquit S. Ennodius episcopus Ticinensis in ejus Vita. S. Georgius monachus Bethlehemiticus, martyr in Hispania sub persecutione Arabica. «A die qua monasterium petiit, et cohortibus monachorum ascitus est, usque ad coronam martyrii sui (ut ipse nobis secretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis usus est,» inquit, S. Eulogius libr. II, cap. 10. sanis autem, et maxime juvenibus [Col. 1085A] tardius concedatur.

@ [Col. 1085C] *Sed et carnium esus.* Idem statuit S. Caesarius in Recapitulatione, cap. 17: «Pulli vero pro infirmis praebeantur, nam in congregatione nunquam ministrentur. Carnes vero a nulla unquam penitus in cibo sumantur: si forte aliqua in desperata infirmitate fuerit, jubente providente abbatissa accipiat.» Sed et carnium esus

@ [Col. 1085C] *Infirmis omnino debilibus.* Codex S. Faronis, Vind. Smaragdus, S. Dunstanus, Turrecremata, editio Coloniensis legunt: *Infirmis omnino debilibusque;* editio Colinaei: *Infirmis omninoque debilibus.* Optima lectio: nam cap. 39 ait: *Praeter omnino debiles et aegrotos.* infirmis omnino debilibus pro reparatione concedatur; at ubi meliorati fuerint

@ [Col. 1085C] *A carnibus more solito omnes abstineant.* Tam quadrupedum quam volatilium, quia idem prohibet sanis quod indulsit aegrotis, nempe esum carnium, nec solum quadrupedum, sed etiam volatilium, quas nunquam prohibuit aegrotis, quia hoc absurdum prorsus fuisset. a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat abbas,

@ [Col. 1085D] *Ne a cellarariis et servitoribus, etc.* S. Caes. c. 40 Reg. sanctimonialium: «Celleraria vero et ea quae infirmis servitura est, super omnem sollicitudinem cura illis et diligentia infirmarum coram Deo et angelis ejus denuntietur.» ne a cellarariis aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit quidquid a discipulis delinquitur.

§ II.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 40).

@ [Col. 1085D] *Quod si obtenditur, etc.* Habetur art. 18 Reg. sancti Pachomii. Quod si obtenditur infirmitas,

@ [Col. 1085D] *Praepositus domus.* In qua residet ille frater aegrotus: nam, ut saepius dictum est, monachi S. Pachomii in plures domos, seu ordines, divisi erant sub singulis praepositis. praepositus domus perget ad ministros aegrotantium, et ab eis quae necessaria sunt accipiet.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 41)

@ [Col. 1085D] Art. 19. Regulae editae..

Si de ipsis ministris aliquis languerit, non habebit licentiam introeundi in coquinam vel

cellarium, et sibi aliquid auferendi; sed caeteri ministri id quod [Col. 1085B] ei necessarium viderint, dabunt. Nec permittatur coquere sibi quod desideraverit; sed praepositi domorum quae necessaria viderint ei ab aliis ministris accipient.

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 42).

@ [Col. 1085D] *Nec poterit languidus.* Habetur in Regula S. Pachomii, art. 20. Nec poterit languidus ingredi

@ [Col. 1086B] *Cellam vescentium.* Id est, commune refectorium fratrum. cellam vescentium [Col. 1086A] et comedere quod desiderat, nisi a ministro qui huic rei praepositus est ducatur ad vescendum. Non ei licebit de his quae acceperit in loco aegrotantium

@ [Col. 1086B] *Ferre ad cellam.* Juxta id quod in eadem Reg. cautum est art. 43: *Nullus in cella sua reponat aliquid ad vescendum, absque his quae a dispensatore acceperit.* ferre ad cellam suam, nec pomum quidem.

§ V.---*Item ejusdem* (cap. 16).

@ [Col. 1086B] *Si aliquis eorum.* Reperire est in Regula S. Pachomii capite 23. Si aliquis eorum qui peregre mittuntur, in itinere

@ [Col. 1086B] *Vel in navi.* Ita in cod. Vind. Male in Regula excusa legitur, *vel in via;* nam antea dixit, *in itinere:* ac proinde superfluum subjungere, *vel in via.* quod autem nostrae Concordiae lectio recta sit, patet ex eadem Regula, in qua fit mentio navis et navigationis, ut art. 49: *Si quis ambulaverit in via, vel navigaverit;* art. 66: *In navibus similis disciplina est:* Nemo a terra solvat navigii funiculum absque jussione Patris. In interiore parte navis, caeteris fratribus super transtra et tabulata quiescentibus, nullus dormiat; et paulo post: *Vasa infirmiora cum eis non navigabunt.* Accedit quod S. Pachomii monasterium situm erat in insula Nili Tabenna, in Theba´de, ut dictum est. vel in navi aegrotaverit, et habuerit necessitatem sive desiderium comedendi

@ [Col. 1086C] *Liquamen de piscibus.* De hac re infra. liquamen de piscibus, vel aliarum rerum quae in monasterio

@ [Col. 1086C] *Comedere consueverunt.* Lege, ut in Regula S. Pachomii: *Comedere non consueverunt.* Non enim Pachomiani illi monachi comedebant liquamen, et multa alia quae deliciosa erant. Unde art. 32 dicitur: *Nec vescentur, nisi iis quae edere in monasterio consueverunt.* Soli autem aegroti edere liquamen et vinum bibere permittebantur, ut videre est cap. 22 ejusdem regulae: *Vinum et liquamen absque loco aegrotantium nullus attingat.* comedere consueverunt, non manducabit cum fratribus caeteris, sed separatim ei dabitur a ministris ad omnem abundantiam, ne in ullo languidus contristetur.

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 47).

@ [Col. 1086D] *Aegrotantem.* Invenitur in Regula S. Pachomii, art. 24. Optima sane institutio. Nam in cella infirmorum, dum aegrotorum recreatio praetexitur, usu venire solet multa otiosa et scurrilia verba insulse effutiri. Aegrotantem absque concessione Majoris nullus [Col. 1086B] audeat visitare: nec propinquus quidem atque germanus sine imperio praepositi domus ministrandi habebunt potestatem.

§ VII.---*Item ejusdem* (cap. 129).

@ [Col. 1086D] *Qui infirmus est, etc.* Hic articulus non exstat in Reg. exc. S. Pachomii. Qui

est infirmus
@ [Col. 1086D] *In funere.* Lege: *In itinere, ut sequentia satis indicant.* in funere,
@ [Col. 1086D] *Habebit ministrum.* Optima institutio, ut fratri laboranti in ipso itinere non desint solatia. Hinc capienda sunt illa verba regulae S. Pachomii art. 23: «Et dabitur ei a ministris ad omnem abundantiam; ut in nullo frater languidus contristetur.» Ibi enim agitur de aegrotantibus in itinere: ita ut ministri hoc loco sint illi hebdomadarii, qui aegrotantibus in itinere servire debeant, juxta hunc nostrae Concordiae textum. habebit ministrum ut eum sustentet. Et omnino ad quemcunque [Col. 1087A] locum missi fuerint fratres, habebunt de hebdomadariis qui aegrotantibus serviant, si forte in itinere vel agro languor obrepserit.

§ VIII.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 10)
@ [Col. 1087C] In cod. Crass. eod. cap..

Aegroti omni miseratione et compassione fovendi sunt; eorum languores congruo revelandi sunt ministerio. Tales tamen sunt eis ministri deligendi, qui et pulmenta strenue praeparent, et devoto eis ministerio obsecundent, et de his quae illis residua sunt, neque fraudem faciant, neque occulte comestione se illicita polluant.

§ IX.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 37).

Interrog.
@ [Col. 1087C] *Quali affectu.* Exstat apud S. Basilium interrog. 160 Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 30. Quali affectu debemus
@ [Col. 1087C] *Infirmis.* Ita apud Rufinum; non exstat in textu Graeco. infirmis fratribus ministrare?---*Resp.* Sicut ipsi Domino offerentes [Col. 1087B] obsequium, qui dixit:
@ [Col. 1087C] *Quia cum.* Ita apud Rufinum et Smaragdum; at in textu Evangelii: *Quandiu.* In textu Graeco ἐφ’ ὅσον, id est, quandiu. S. Benedictus habet: *Quod. Quia cum fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis* **(Matth. XXV)**. Expedit autem ad conservandum hujusmodi affectum in obsequiis, ut et hi qui obsequia a nobis suscipiunt, tales sint
@ [Col. 1087C] *Quibus merito deferri obsequium debeat.* Ita apud Rufinum et Smaragdum. Quae tamen verba desiderari videntur in textu Graeco. quibus merito deferri obsequium debeat. Et ideo oportet eos qui praesunt curam gerere, et ne hi quibus ministratur tales sint qui carni indulgeant et ventri, sed potius in amore Dei et Christi ejus probabiles inveniantur, et per patientiam suam ac vitae meritum fratrum mereantur obsequia, ut habeantur ad gloriam Christi, et opprobrium diaboli, sicut et sanctus Job.

§ X.---*Ex eadem Regula* (cap. 37).

Interrog. Cum quali humilitate debet quis suscipere [Col. 1087C] a fratribus obsequium?---*Resp.* Sicut servus a domino, et sicut ostendit Petrus apostolus cum ei Dominus ministraret. In quo simul etiam periculum eorum ostendit, qui nolunt recipere obsequia fratrum.

[Col. 1088A]

§ XI.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 22).

@ [Col. 1087C] *Cura infirmorum.* Reperitur in Regula S. Isidori excusa, cap. 21. Cura infirmorum sano sanctaeque conversationis viro committenda est, qui pro eis sollicitudinem ferre possit, magnaque cum industria praesto faciat quidquid imbecillitas expostulat. Ipse autem sic aegrotis deserviat,

@ [Col. 1087D] *Ut de sumptibus eorum.* Ita docet S. Fructuosus cap. 10: «Et de his quae illis residua sunt neque fraudem faciant, neque occulte se illicita comestione polluant;» recte. Cavendum est enim infirmorum ministris, ne dum aegrotis simul etiam gulae illecebris serviant; et dum circa alieni corporis sanitatem occupantur, animae suae salutem negligant. Quibus S. Dositheum imitandum propono, qui cum infirmis serviret, lautiores cibos eorum ne primoribus quidem labris degustabat, sed viles tantum reliquias, ut pisciculorum capita, jocinora, et insipida quaedam exsta comedebat, quemadmodum in ejus Actis narrat sanctus Dorotheus. ut de sumptibus eorum vesci non praesumat. Aegrotis delicatiora praebenda sunt alimenta, quousque ad incolumitatem perveniant; postquam autem salutem receperint, ad usum pristinum revertantur. Infirmi pro quo delicatius aluntur, fortiores inde nequaquam scandalizentur. Qui enim sani sunt infirmos tolerare debent: qui autem infirmi sunt sanos et laborantes anteponendos sibi non dubitent. Nullam oportet vel veram corporis infirmitatem tacere, vel falsam praetendere; sed qui [Col. 1088B] possunt gratias Deo agant, et operentur: qui vero non possunt, manifestent suos languores et levius humaniusque tractentur. Sub praetextu infirmitatis nihil peculiare habendum; ne lateat libido cupiditatis sub languoris specie. Lavacra nulli monacho adeunda studio lavandi corporis, nisi tantummodo

@ [Col. 1087D] *Pro necessitate languoris.* In Reg. S. Isidori excusa legitur: *Propter necessitatem languoris;* additurque, *et nocturnam pollutionem:* quae ultima verba hic desiderantur, omissa forsan ex industria. pro necessitate languoris. Ne differendum est propter medelam, si expedit;

@ [Col. 1088C] *Nec murmurandum.* In Regula S. Isidori excusa additur: *Si fiat.* nec murmurandum est: quia non fit pro appetitu voluptatis, sed pro remedio tantum salutis.

§ XII.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 13).

@ [Col. 1088C] *Qui infirmi.* Haec videre est in Regula S. Augustini, eodem cap. 14, et in epist. 109. Qui infirmi sunt

@ [Col. 1088C] *Ex pristina consuetudine.* Delicatius vivendi. ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri, quos facit

@ [Col. 1088C] *Alia consuetudo.* Duriter et parce vivendi. Apud Smaragdum legitur: *Aliqua.* alia consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt [Col. 1088C] quod non sumunt ipsi; sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

§ XIII.---*Item ejusdem* (cap. 16).

@ [Col. 1088C] *Sane quemadmodum, etc.* Haec habentur in Reg. S. Augustini excusa eodem cap. 16. Sane quemadmodum aegrotantes necesse habent

@ [Col. 1088C] *Minus accipere.* Supp., *Cibi.* Id docent omnes medici. Quod tamen pensandum est juxta morbi intensionem et remissionem et vires aegroti. Cum morbus in suo vigore constiterit, tenuissima diaeta, seu victu utendum est, ut docet Hippocrates

libr. I aphorismo 8. In morbis etiam peracutis, quae cito veniunt ad suum statum, celerrimeque suam absolvunt historiam, quam tenuissima diaeta utendum est, ut docet Hippocrates ejusdem libr. aphor. 7. Hinc capienda sunt haec verba Cornelii Celsi libr. II, cap. 16: «Initia morborum primum famem sitimque desiderant.» Nam in diuturnioribus morbis, si sub eorum initium quam tenuissima diaeta praescribitur cum ad suum vigorem effloruerint, ubi quam tenuissimo victu utendum est, vires aegroto ad sanitatem recuperandam non suppetent, juxta Hippocratem libr. I aphor. 10. Qua in re consilio peritissimi medici stare debet aegrotus. «Neque ulla res magis adjuvat laborantem quam tempestiva abstinentia,» inquit Celsus eodem capite. Et aegrotus sanitatis recuperandae studiosus non debet animo suo obsequi: «Cui vehementer nocet, quoties in ejus quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur,» inquit Celsus capite citato. minus accipere, ne graventur, ita

@ [Col. 1088D] *Exposita.* Id est, deposita. De quo vocabulo infra. exposita aegritudine

[Col. 1089A]

@ [Col. 1089B] *Sic tractandi sunt, etc.* Si modo lente et pedetentim recreantur, maxime si ex morbo diuturno corpus extenuatum sit, juxta illud Cornelii Celsi libr. I, cap. 3: «Neque vero ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames idonea est.» Ex doctrina Hippocratis libr. II, aphor. 7: Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ, id est, «longo tempore extenuata corpora lente reficere oportet.» Quo enim diutius vacavit pars nutritioni dicata a suo officio, eo difficilius ad illud redit. Quae vero brevi extenuata sunt, celeriter refici poterunt, ut docet idem eodem aphorismo, servata tamen moderatione debita. Nam subitaria cibi satietas admodum periculosa est ab inedia. sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiam hi qui de humillima saeculi paupertate venerunt: tanquam hoc illis contulerit recentior aegritudo, quod divitibus anterior consuetudo.

§ XIV.---*Idem ipsius* (cap. 17).

@ [Col. 1089C] *Sed cum vires pristinas, etc.* Haec reperiuntur in epist. S. Augustini 109, et in Regula excusa, eodem cap. 17. Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quae famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent:

@ [Col. 1089C] *Ne cibi eos teneat voluptas.* Ita in cod. Corb. et in Reg. excusa. Smaragdus legit: *Nec eos ibi teneat voluptas.* In epist., *nec eas ibi teneat voluptas.* Sed prior lectio potior est, quam etiam agnoscit codex Vind. ne cibi eos teneat voluptas

@ [Col. 1089C] *Jam vegetos.* Ita in cod. Corb. In epistola, *jam vegetas.* In Regula excusa et apud Smaragdum legitur, *jam vegetatos.* Rectius. jam vegetos, quos necessitas levaverat infirmos.

@ [Col. 1089C] *Illi se existiment.* Ita in cod. Corb. recte; nam in epist, ad sanctimoniales legitur, *illae.* Smaragdus legit, *illos aestiment.* In Regula excusa *illos existimet, non ita recte.* Illi se aestiment ditiores, qui in superanda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere

@ [Col. 1089D] *Quam plus agere.* Lege, *quam plus habere.* Ita in cod. Vind. et Corb. In Regula excusa, in epistola, et apud Smaragdum. quam plus agere.

§ XV.---*Item ejusdem* (cap. 29).

@ [Col. 1089D] *Lavacrum.* Habetur in Regula edita S. Augustini cap. 31. Apud Smaragdum

legitur, *lavacrum infirmis.* Lavacrum

@ [Col. 1089D] *Etiam corporum.* Ita in cod. ms. Corb. et in epistola D. Aug. in Regula excusa, *etiam corpori.* etiam corporum,

@ [Col. 1089D] *Cujus infirmitatis necessitas.* Ita in mss. Vind. et Corb. Ita etiam in epistola. In qua tamen post τὸ *cujus* legitur, *autem:* quia ibi incipit nova periodus ob quaedam verba, quae τὸ *cujus praecedant, quae neque hic, neque in Regula S.* Augustini exstant. In Regula excusa legitur, *cum infirmitatis, etc.* Recte. Apud Smaragdum, *si necessitas.* cujus infirmitatis [Col. 1089B] necessitas cogit, minime denegetur; sed fiat sine murmurio

@ [Col. 1089D] *De consilio medicinae.* Ita in cod. Corb. et in Reg. excusa; sed in epistola habetur, *De consilio medici.* de consilio medicinae: ita ut etiam si nolit, jubente praeposito faciat quod faciendum est pro salute. Si autem ipse velit, et forte non expedit, [Col. 1090A] suae cupiditati

@ [Col. 1089D] *Non obaudiat.* In epistola et in Regula edita et [Col. 1090B] apud Smaragdum legitur, *non obediatur.* In ms. cod. Corb. *non obediat.* non obaudiat. Aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quod sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen utrum sanando illi dolori quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.

§ XVI.---*Item ejusdem* (cap. 30).

@ [Col. 1090B] *Neque.* Haec habentur eodem cap. 30 Regulae excusae ubi legitur, *nec, quemadmodum et in epistola.* Neque eant ad balneas, sive quocunque necesse ire fuerit,

@ [Col. 1090B] *Minus quam duo vel tres.* Ita in Reg. ms. et excusa. In epistola vero, *minus quam tres.* Notanda antiqua institutio, ut nunquam monachus sine socio foras progrediatur. Regula cujusdam Patris, quae S. Augustini nomine circumfertur cap. 3: «Si opus fuerit ad aliquam necessitatem mitti, duo eant.» S. Isidorus cap. 23 Regulae: «Sed dum pro necessitate aliqua monasterii diriguntur, duo fratres spiritales ac probatissimi eliguntur.» Additio 1 Ludovici imp. tit. 15: «Ut soli et sine alio fratre in via non dirigantur.» S. Pachomius in Regula cap. 21: «Si fuerit nuntiatum quod de propinquis quis aegrotet, janitor primus nuntiabit Patri monasterii, et ille accitum interrogabit praepositum domus. Videbunt virum, cujus fides et disciplina probata sit, et mittent cum eo, ut visitent aegrotantem.» Recta institutio, ut custodiatur qui forte levis esset a sapiente. Quamobrem S. Isidorus loco citato non vult juniores fratres et recens conversos foras progredi: ne forte citius non satis alte defixa avolet devotio. «Ne infirma aetas, inquit, carnis desiderio polluatur, aut rudis conversatio ad saeculi desiderium revertatur.» minus quam duo vel tres.

@ [Col. 1090C] *Nec ille qui habet, etc.* Praeclara sane institutio et tanto Patre digna, qua occurritur peculiari inter monachos familiaritati, qua nihil pejus vita unquam monastica tulit. Sed de hac re infra. Nec ille qui habeat aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipse voluerit, sed cum quibus praepositus jusserit, ire debebit.

§ XVII.---*Item ejusdem* (cap. 31).

@ [Col. 1090D] *Aegrotantium cura, etc.* Habetur in Regula excusa S. Augustini, cap. 33. Aegrotantium cura, sive post aegritudinem reficiendorum, [Col. 1090B] sive aliqua

imbecillitate
@ [Col. 1090D] *Etiam sine febribus.* Recta lectio. Nam sensus est, ut aegrotantium cura, sive eorum qui post aegritudinem reficiendi sunt, sive eorum qui aliqua imbecillitate seu morbo laborant, etsi nullo febris ardore decoquantur, alicui detur. Et haec lectio habetur in cod. Vind. etsi a correctore appareat scriptum, *sive,* cum antea esset, *sine.* At in Regula excusa legitur, *sive aliqua imbecillitate, sive etiam febribus laborantium.* In epistola vero: *sive aliqua imbecillitate etiam;* sive febribus laborantium. Sed uterque locus corruptus est, et ex nostris codicibus mss. castigandus. Nam cum febris sit imbecillitas, quorsum repetitur, *sive etiam febribus laborantium? etiam sine febribus laborantium, uni alicui debet injungi ut ipse*
@ [Col. 1090D] *De cellarario.* Lege de cellario. Ita in mss. cod. Corb. et Vind., in Regula excusa, in epistola, atque etiam Regula S. Caesarii excusa capite 30, et hoc capite Concordiae citata de cellarario petat quod cuique opus esse perspexerit.

[Col. 1091A]

§ XVIII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 52).
@ [Col. 1091C] *Infirmis vero, etc.* Haec sumpta videntur ex Regula S. Caesarii, cap. 30: «Et si hoc infirmarum necessitas exegerit, et Matri monasterii justum visum fuerit, et cellariolum et coquinam suam infirmae communem habeant.» Recta institutio, ne conventus aegrotantium multitudine turbetur, et ipsi aegrotantes negligentius habeantur. Infirmis vero ita obtemperandum est, ut si sancto abbati justum visum fuerit, etiam cellariolum suum in communi, et coquinam sequestratam habeant, et cura illis vel studium impendatur, donec convalescant.

§ XIX.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 21).

Infirmantibus quoque, vel aliqua
@ [Col. 1091C] *Inaequalitate.* Id est, morbo, ut toties dictum est. inaequalitate laborantibus satis fidelis et strenua debet persona praeponi, quae et aegrotis cum pietate serviat,
@ [Col. 1091C] *Et monasterialem disciplinam.* Quia in cura aegrotorum multae sunt occasiones disciplinam regularem praevaricandi. Idem statuit S. Caesarius capite citato, cum de infirmis agit: «Et talis eligi debet, quae et monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat.» et monasterialem disciplinam regulariter custodiat, et quae conveniant infirmis, rationabiliter expendat.

§ XX.---EX REGULA SANCTI CAESARII EPISCOPI (cap. 28).
@ [Col. 1091D] In Regula excusa, eodem capite. Quia solet fieri, ut cella monasterii non semper vinum bonum habeat, ad sancti abbatis curam pertinet, [Col. 1091B] ut tale vinum provideat, unde aut infirmi, aut illi qui sunt delicatius nutriti, palpentur.

§ XXI.---*Item ejusdem* (cap. 29).
@ [Col. 1091D] *Lavacra etiam.* Exstant in Regula S. Caesarii eodem cap. 29, sumpta quidem ex Regula S. Augustini, cap. 31. Juxta hanc constitutionem S. Radegundis quae S. Caesarii Regulae serviebat, fundatrix coenobii sanctae Crucis in urbe Pictavensi balneum in eodem monasterio construi jussit ad usum sanctimonialium, ut notum est ex

S. Gregorio Turonensi, lib. X Hist., cap. 16. Lavacra etiam,

@ [Col. 1091D] *Cujus infirmitas exposcit.* Ita in reg. excusa, alias, *cum infirmitas.* cujus infirmitas exposcit, minime denegentur. Sed fiat sine murmuratione de consilio

@ [Col. 1091D] *Medicinae.* Ita in Regula excusa. Alias, *medici.* medicinae. Ita ut etiam sive lavari nolit ille, qui infirmus est, jubente seniore fiat, quod opus fuerit pro salute. Si autem nulla infirmitate compellitur cupiditati suae non praebeatur assensus.

§ XXII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 30).

Aegrotantium cura, sive aliqua imbecillitate laborantium, uni satis fideli et compuncto debet injungi, qui de cellario petat quodcunque opus perspexerit. Et talis eligi debeat qui monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat. [Col. 1091C] Et si hoc necessitas infirmorum exegerit, et Patri monasterii justum visum fuerit, etiam cellariolum et coquinam suam infirmi in commune habeant.

§ XXIII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 37).

Infirmis vero ita obtemperandum est, ut si sancto [Col. 1092A] abbati justum visum fuerit, etiam cellariolum suum in commune, et coquinam sequestratam habeant. Et cura illis vel studium impendatur, donec convalescant.

§ XXIV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 7).

@ [Col. 1091D] *Infirmi quolibet morbo.* Haec non reperiuntur in [Col. 1092C] Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass., sed videntur esse alterius Fructuosi. Infirmi quolibet morbo defessi

@ [Col. 1092C] *In una domo jaceant.* In cella infirmorum ut loquitur S. Benedictus. S. Caesarius in Regula sanctimonialium, cap. 7: «Quae vero senes sunt et infirmae, ita illis convenit obtemperari vel ordinari, ut non singulae singulas cellas habeant, sed in una recipiantur omnes, ubi et maneant.» in una jaceant domo, et unus qui aptus est deligatur; et tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus, nec urbium delicias requirant, sed quod necesse habuerint, cellararius et praepositus praevideant.

@ [Col. 1092C] *Ipsi vero infirmi.* Haec statuuntur juxta sancti Benedicti mentem. Ipsi vero infirmi tanta sollicitudine admoneantur, ut de ore eorum nec quantuluscunque vel levis sermo murmurationis procedat; sed in sua infirmitate cum hilari mente sine intermissione et

@ [Col. 1092D] *Tulta.* Id est, sublata. Ἀρχαϊσμὸς. tulta murmurationis occasione, et vera cordis compunctione [Col. 1092B] semper Deo gratias agant. Et

@ [Col. 1092D] *Frater.* Haec confirmant superiorem nostram opinionem quod monachi debeant infirmis monachis ministrare. Lege tamen τὸ *fratrem.* frater qui eis ministrat, nullo pacto offendere

@ [Col. 1092D] *Audeat.* Lege, *audeant.* audeat. Quod si aliquis, ut diximus, ex ore eorum murmurationis processerit scrupulus, ab abbate increpentur, et ne talia supra dicta facere praesumant, admoneantur: ita ut ille eos accuset, qui hoc ministerium injunctum habet.

§ XXV.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 15).

@ [Col. 1092D] *Horum cura, etc.* Hoc caput est veluti quaedam paraphrasis superioris capitis S. Benedicti. Cod. Vind. ita legit: «Horum qui in infirmitatibus detinentur, qualis debet esse pietas, auctoritas declarat.» Male. Horum cura qui infirmitatibus detinentur, qualis esse debet,

@ [Col. 1092D] *Auctoris.* Id est, principis, capitis, nempe Christi. pietas auctoris declarat, cum dicit: *Quaecunque vultis, ut vobis faciant homines, et vos facite eis*

@ [Col. 1092D] *Similiter.* Hoc vocabulum non est in textu Evangelii. *similiter* **(Matth. VII)**. Licet hoc in omnibus sit agendum, praecipue tamen in infirmantium cura haec praeceptio est exhibenda: quia Dominus dixit, *infirmus fui,* et

@ [Col. 1092D] *Venistis ad me.* In textu evangelico habetur, *et visitastis me.* Sed ad sequens opus misericordiae illa verba spectant: *In carcere eram, et venistis ad me.* Itaque videtur hic Pater hunc locum citasse ex memoria, non ex codice. *venistis ad me* **(Matth. XXV)**. [Col. 1092C] Ita ergo cura infirmis quaerenda est, ac si praesenti Christo ministrare putetur. Re vera etenim quicunque pro Christo infirmis curam impendit, Christo in infirmis ministrat. Sic tamen abbatis cura sit, ut separatim cellam habeant cum omnibus opportunitatibus, ut nullum exteriorem laborem sentiat, qui [Col. 1093A] infirma carne poenam portat. Quod si tempus poposcerit, sicut tempus quadragesimae, ut caeteri vitam mutent, infirmis semper

@ [Col. 1093C] *Cedendum.* Id est permittendum. cedendum est, ut tam potus quam cibaria uberius ministrentur. Balnearum usus vel cura medendi summo adhibeatur studio. Sanis vero praecipue juvenculis tardius concedatur. Abbas talem curam de infirmis habeat, qualem se recipere a Domino sperat: ut nec a cellarario nec a ministro negligentiam infirmi sentiant. Decrepita vero aetate fessis talis sit cura, quatenus nulla in eis negligentia, sed juxta arbitrium abbatis, prout cuique necessarium esse viderit consideratione pia eorum imbecillitati concedatur. Non enim hi possunt Regulae subjacere, sed potius pietatis in eis impendendus est affectus.

[Col. 1093B]

§ XXVI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 28).

@ [Col. 1093C] *Infirmis certa jejunia, etc.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem 28. Infirmis certa jejunia resolvantur, et quando fratres ad sextam reficiunt, infirmi tertia recreentur, absque illis qui graviter

@ [Col. 1093C] *Defessi.* In ms. Concordiae, *prodefessi.* Sed, *pro, apparet obliteratum.* In cod. Corb. legitur, *perdefessi, id est, multum defessi.* Recta lectio. defessi sunt: quia illis nulla hora decernitur, in quibus timetur mortis eventus. Ideoque quomodo necessitas visa, et pro certo probata quosdam permiserit, recreentur. Si vero sani fratres nona, infirmi sexta reficiant. Sed hoc debet diligenti curiositate probare quibusdam signis, vel agnoscere abbas. Ne quis se fingat

@ [Col. 1093C] *Propter refectionis vitium edacitatisque.* Ita in cod. Concordiae, ubi: *Vitium* et *que, apparent addita alia scriptura.* Itaque lege, ut in cod. Corb. et Vind.: *Propter refectionis edacitatem.* Ita etiam legit Smaragdus, qui hunc locum citat sine auctoris nomine. propter refectionis vitium edacitatisque infirmum. Nam ideo infirmis resolvi jejunia diximus, propter fragilitatem corporis, per quam non possunt adimplere quod cupiunt dicente Scriptura,

@ [Col. 1093D] *Spiritus promptus, caro infirma.* Matth. XXVI in Vulgata versione: *Spiritus*

quidem promptus est, caro autem infirma. In textu tamen Graeco non est verbum substantivum: Tὸ μέν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δέ σὰρξ ἀσθενής, id est, *spiritus quidem promptus, caro autem infirma. spiritus promptus, caro infirma* **(Matth. XXVI)**.

[Col. 1093C]

§ XXVII.---*Item ejusdem* (cap. 69).

@ [Col. 1093D] *Fratres aegrotos.* Haec habentur in Regula ms. cod. Corb. eodem cap. 69. Fratres aegrotos qui se dixerint esse, et ad opus Dei se non levaverint, et continuo jacuerint, ad culpam non vocentur; sed in refectione solummodo

@ [Col. 1093D] *Succus.* Lege: *Succum, ut apud Smaragdum, id est, jusculum.* succus vel ova aut calidam aquam accipiant, quod vix possunt

@ [Col. 1093D] *Viri taediosi.* Lege: *Veri taediosi, ut in Reg.* ms. taediosi, hoc loco, id est, aegroti. viri taediosi accipere: ut, si se fingunt, vel fame compellantur levari. Si vero post [Col. 1094A] diei dictum surrexerint, excommunicentur. Et ad mensam carnalem non accedant, qui ad spiritalem oratorii non adfuerunt, quia laborem fugerunt, et opus Dei contempserunt. Nam in his talibus agnoscitur diabolus per excusationem taedii

@ [Col. 1093D] *Somnique.* In Reg. ms. *Somnii, tantum;* sed lege, *somni, et textus hoc modo rite procedet: Nam in his talibus agnoscitur diabolus per excusationem taedii somni pigritiam ministrare;* taedii autem, id est, [Col. 1094C] morbi, ut paulo ante taediosi aegroti. somnique pigritiam ministrare. Ideoque talem mercedem recipiant. Qui vero frater sine febris membrorumque dolore lassatur, si poenam supra dictae [

@ [Col. 1094C] *Lassitudini.* Hoc vocabulum redundat, nec ha betur in codice Corbeiensi. lassitudini] excommunicationis sustinere non vult, intret tamen in oratorium consueta cum fratribus hora; et si stare non potest jacens in matta velut in oratione psallat. Cui a vicino fratre stante insidietur tamen, ne dormiat. Si vero postea ex toto nihil laboraverit, unam quadram panis minus in annona sua accipiat, et potiones duas subductas. Et hoc tantum, [Col. 1094B] quia vel ad opus Dei surrexit.

@ [Col. 1094C] *Quia nec justum est, etc.* Sensus est, quia injustum est, ut desidiosus frater aequalem portionem accipiat, cum eo qui laboravit. Quia nec justum est, ut otiosus frater contra laborantem fratrem, cui digni laboris merces debetur, aequaliter judicetur; et quia bovi trituranti non alligabitur os **(Deut. XXV; I Cor. IX)** ; sic et qui non laborat, si propter justitiam.

@ [Col. 1094C] *Jam si.* Ita in Reg. ms.; sed particula *si redundare videtur, ut sit sensus: Sic et qui non laborat, si propter justitiam ex toto non manducat,* id est, *non* manducare debet, vel, id est, saltem, *pro taedii, seu morbi qualitate tantum non manducet, quantum laborans, aut sanus.* Jam si ex toto non manducat, vel pro taedii qualitate tantum manducet quantum laborans aut sanus, quia impotens, quia ad laborem proclamat se non posse, item ad manducandum judicetur non posse, quia utrumque non posse justitiae convenit, et veram necessitatem ostendit. Si vero ad laborandum non possumus, et ad manducandum juste debere non posse. Per pigritiam enim otiosi gluttonis talis

@ [Col. 1094D] *Agnoscitur aegritudo.* Adde: *Mentiri, ut in Reg.* ms. agnoscitur aegritudo, cum ad laborandum suo ore praeclamat se non posse, ad manducandum tacet [Col. 1094C] illud non posse. Si sua non vult dicere, aliena mox incipiat lingua audire se ad

manducandum

@ [Col. 1094D] *Non velle nolle non posse.* In Reg. ms., *velle nolle non posse.* Sed lege: *Nolle non posse;* tantum sensus est, cum est manducandum ejusmodi glutto tacet illud non posse. Id est, non dicit se non posse manducare, si non ipse profitetur sua lingua, aliena audiat lingua se ad manducandum nolle non posse, id est nolle carere desiderio et appetitu manducandi. non velle nolle non posse: quia justitia hoc ostendit,

@ [Col. 1094D] *Ut si in uno homine, etc.* Hac ultima capitis parte nihil aliud dicit, quod si in sanitate unum trium istorum valet, ita et caetera; sic in necessitate, id est, in morbo, cum unum istorum nihil potest facere, ita et caetera. ut si in uno homine anima, venter, membra aequaliter conveniunt, sic et una necessitas in his tribus communiter debet sentiri; ut quod in sanitate tres istae res supra dictae communiter possunt, in necessitate [Col. 1095A] vero communiter agnoscitur simul non posse. Nam quare uni rei non posse permittat necessitas,

@ [Col. 1095B] *Et aliae non posse.* Aliae pro *alii,* quemadmodum et, *alio* pro *alii:* ut supra notatum est. Tò *non redundat, nec habetur in Codice Corbeiensi.* et aliae [non] posse permittat, cum in uno hominis corpore anima, venter et membra separatim ipsam necessitatem sentire et sufferre non possunt: quia adhuc anima in nobis omnes sentit dolores, qua abscedente, quid passum fuerit mortuum corpus nescit sentire. O injustitiae nefas! caput torquetur doloribus propter laborem, et venter non torquetur

@ [Col. 1095B] *Propter dilectionem cibi.* Apud Smaragdum legitur: *Propter cibi distentionem.* propter dilectionem cibi, quasi in alieno corpore ipse venter sit positus.

§ XXVIII.---EX REGULA PATRUM (cap. 11).

@ [Col. 1095B] *Si quis, etc.* Habetur in Regula Serapionis Macarii et caeterorum abbatum cod. Flor. et cod. Corb. Si quis ex fratribus pro jejunio vel operibus manuum suarum, quae Apostolus praecepit: *Operantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus* **(I Thess. II; II Thess. III)**. Is qui talis est monachus [Col. 1096A] est dignus in omnibus. In his si fuerit aliquis infirmitate obsessus, providendus est ab eo qui praeest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur.

@ [Col. 1095B] *Quod si infirmitas est ex animo.* Maxime ob acediam per quam nonnulli opinione et imaginatione sunt aegroti, quemadmodum et ii, qui, plusquam par est, sanitatis conservandae studiosi ob nescio quos leves et pene quotidianos morbos inquietantur: quos eleganter describit Petrus Blaesensis cap. 1 lib. in Job: «Illud prae caeteris multis materiam doloris importat, quod hodie viri religiosi et sancti Ordinis professores de ferculorum numerositate contendunt. Si invenerit religiosus circa se pulsum velocem, aut urinam intensam aut hebetem appetitum, consulit medicos, examinat species, electuaria facit, nullis utitur salsamentis, quae non sint condita ex cinnamomo garyophyllo et nuce muscata. O quam odiosum est in homine, quod qui semper de hierarchia coelesti debuerat loqui, de hiera picra et hiera Logadii disputare discit. Religiosus iste discipulus potius est Epicuri quam Christi. Hoc capiti, inquit, hoc oculis, hoc stomacho, hoc hepati nocet. Butyrum convertibilis est naturae, cervisia ventos facit, caules melancholici sunt, porri choleram accendunt, pisa guttam generant, faba constipat, lentes excaecant, caseus universaliter est pessimus; diu ad orationem stare nervos debilitat, jejunare cerebrum turbat, vigilare desiccat. Nunquid inveniuntur istae differentiae in Evangelio aut prophetis? Certe non habet hoc institutio D. Benedicti; sed miseris hoc revelat caro et sanguis.» Haec est sane doctrina hominum,

quibus plus est negotii cum Aesculapio quam cum Christo, qui plus versantur in nosocomio quam in oratorio, qui multos annos languidi et inertes in monasterio non tam vivunt [Col. 1096B] quam cum anima misere colluctantur; Asae regi Juda haud dissimiles, qui, ut scribitur II Paral. cap. XVI, cum vehementissimo pedum dolore conflictaretur: *Nec in infirmitate sua quaesivit Dominum, sed magis in arte medicorum confisus est.* Itaque ejusmodi quotidiani morbi spernendi sunt, qui saepe a daemone excitantur, ut fervorem nostrum, si non omnino exstinguere, saltem tepefacere possit; quibus si obsequi volumus, ut praeclare monet S. Teresia a Jesu, vitae religiosae nuntium est remittendum. Non timendum est corpori, sed animae. Nam, ut praeclare monet S. Eucherius epist. ad Valerianum: «Major aegritudo est languere animam vitiis quam corpus morbis.» Quod si infirmus est animo hujuscemodi frater,
@ [Col. 1096B] *Oportet eum frequentius operari.* Quia otiositas inimica est animae, ait S. P. Benedictus; et e contra assiduus labor ad impugnationes diaboli retundendas plurimum confert; multumque etiam valet ad sanitatem corporis conservandam. «Si quidem ignavia corpus hebetat, labor firmat,» inquit Celsus lib. I, cap. 10. Desidem ac torpentem monachum statim corporis invadit languor. Quare monasteriorum praefectis in id maxime incumbendum est, ut monachi, quantum vires eorum ferre possunt, semper in aliquo occupentur; credendumque est ejusmodi laboris occupationem plus eis ad sanitatem prodesse quam medicos; non secus ac militibus, de quibus haec praeclare notat Vegetius lib. II de Re Militari, cap. 2: «Rei militaris periti plus quotidiana armorum exercitia ad sanitatem militum putaverunt prodesse quam medicos.» oportet eum frequentius operari, considerans Apostolum, qualiter corpus suum servituti redegit **(I Cor. IX)**. Hoc autem observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

§ XXIX.---*Item ex alia* (cap. 12).
@ [Col. 1096C] *Id etiam, etc.* Haec habentur in tertia Reg. ms. cod. Flor. eodem cap. 12. Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus, ut nullus monachus in infirmitate positus relicto monasterio
@ [Col. 1096C] *Parentum suorum studio.* Id etiam alterius Fructuosi Regula cautum est cap. 7: «Et tanto ministerio foveantur, ut nec parentum effectus, nec urbium delicias requirant.» Id enim monacho periculosum, ut qui corporis sanitatem quaereret, animae salutem perderet. parentum suorum studio commendetur. Quia magis eum saecularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab aegritudine posse purgari.

CAPUT XLVI.

@ [Col. 1095D] *De senibus vel infantibus.* Hoc titulo particula *vel sumitur copulative, non disjunctive, quia caput agit de utrisque.* DE SENIBUS VEL INFANTIBUS.

[Col. 1095D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam [Col. 1096D] in his aetatibus,

@ [Col. 1095D] *Senum.* Eorum aetas, juxta Varronem, anno sexagesimo incipit, ut Censorinus refert libro de Natali Die, cap. 14, aut sexagesimo secundo, quo vires [Col. 1096D] minui incipiunt, juxta eorum mentem qui annorum hebdomadas percurrendo singulas hominis aetates numerant, ut videre est apud Macrobium, lib. I in somnium Scipionis, cap. 6. senum videlicet et

@ [Col. 1096D] *Et infantum.* Si stricte haec vox, *infans, sumatur, ab hac Regulae indulgentia eos qui septimum* [Col. 1097B] aetatis annum transgressi sunt, excludi necesse est. Nam primam aetatem, quae est infantum, hoc annorum termino circumscripsit Hippocrates Cous medicus, quo, ut ait Macrobius capite citato, dentes, qui primi emerserant, aliis aptioribus ad cibum solidum nascentibus cedunt, et plene absolvitur integritas loquendi. Idem docet Moscopulus de Schedis ex eodem Hippocrate παιδίον μὲν ἄχρις ἑπτὰ ἐτέων, ὀδόντων ἐκβολῇ, id est, «infans quidem usque ad septem annos missis dentibus.» Sed B. Pater Benedictus non ita stricte hoc vocabulum sumpsit, secutusque est Varronis sententiam, qui pueros ab infantibus non distinguit, eorumque aetatem usque ad quintum decimum annum protrahit, ut refert Censorinus loco citato. Quod manifeste patet ex cap. 70 Regulae: «Infantibus vero usque ad quintum decimum annum aetatis disciplinae diligentia et custodia adhibeatur ab omnibus.» Sed si velimus Regulam percurrere, liquido constabit nullum discrimen inter duo haec nomina [Col. 1097C] ab eodem Patre Benedicto statui cap. 30, ubi pueros excommunicationi subjici vetat: «Ideoque, quoties pueri vel adolescentiores aetate, aut qui minus intelligere possunt quanta poena sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt,» etc.; quo in loco non est dubium quin loquatur etiam de infantibus. Idem patet ex capitibus 39, 59, 63. Porro de aetatibus quae facilius difficiliusve famem ferunt, haec docet Hippocrates libro I Aphor., aphor. 13: Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. Id est: «Senes patientissime inediam ferunt, secundo ii qui sunt constantis aetatis, postea adolescentes, minime omnium pueri.» Sed hic locus de his senibus intelligendus est quibus est cruda viridisque senectus, non de iis qui sunt senectute confecti, qui famem minime ferunt, ut docet Cornelius Celsus libro I de Re medica, capite 3: «Quod ad aetates vero pertinet, inediam facillime sustinent mediae aetates, minus [Col. 1097D] juvenes, minime pueri, et senectute confecti,» de quibus intelligendus est hic sancti Benedicti locus. Itaque senes vegeti, qui patientissime inediam tolerant, non sunt a jejunio eximendi. infantum, tamen et Regulae auctoritas eis prospiciat. Consideretur [Col. 1097A] semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio Regulae teneatur

@ [Col. 1097D] *In alimentis.* Non quoad quantitatem, quia cap. 39 Regulae eamdem cibi et potus mensuram pueris perinde ac grandioribus distribui vetat: quia angustior eorum stomachus tot cibos concoquere non valeret; sicut nec frigidior senum stomachus, cujus calor nativus nimia cibi copia exstingueretur, ut docet Hippocrates aphorismo seq. Itaque hic de qualitate alimentorum quaestio est: ita ut succulentiores et delicatiores cibi eis apponantur, ut stomachus recreetur; quod viliores cibi minime praestare possent, ut S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 24, praecipit de senibus: «Cibi tamen quibus reficiuntur teneri et molles ex industria ab hebdomadariis coquantur. in alimentis; sed sit in eis pia consideratio,

@ [Col. 1097D] *Et praeveniant horas canonicas.* Hunc locum ita [Col. 1098D] enarrat Smaragdus: «*Praeveniant,* dicit, *horas canonicas, id est:* Si fratres sexta comedunt, illi

hora tertia reficiant; si fratres nona, illi sexta cibum accipiant.» Magister hic citatus idem ferme dicit, nec ullam tertiae saltem refectionis mentionem facit, sed tantum praeventionis horarum, modo sextae, modo nonae. Haec quidem explicatio stricta est, et juxta horum Patrum praxim: ita tamen ut bis quotidie reficiant; alioqui ejusmodi anticipatio eis parum prodesset. Sed S. Fructuosus, cap. 6 Regulae, addit tertiam et quartam refectionem infantibus hoc modo: «A sancto Pascha usque ad Kalendas Octobres manducent per singulos dies quatuor vices, ab octavo Kalend. Octob. usque ad Kalendas Decembres tres vices, a Kalendis Decembribus usque ad sanctum Pascha, in potestate sit ipsius cellararii.» et praeveniant horas canonicas.

§ II.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 28).

@ [Col. 1098B] *Infantuli, etc.* Haec habentur in Regula ms. Cod. Corb. eodem capite circa medium. Infantuli

@ [Col. 1098C] *Quarta sexta.* Supple *feria.* quarta, sexta et sabbato, in diebus tamen minoribus, hoc est, in hiemis tempore jejunent: aliis vero diebus ad sextam reficiant horam. In aetatis vero diebus quarta, sexta et sabbato infantuli sexta hora reficiant: aliis vero diebus tertia recreentur. Quia in majoribus diebus

@ [Col. 1098C] *Minor est aetas in viribus.* Id est, aetas hominis minus virium habet. minor est aetas in viribus,

@ [Col. 1098C] *Sicut et sustinendi sensu discreta.* Id est, sustinendi facultate distincta, quia omnis aetas non habet easdem sustinendi jejunia vires. sicut et sustinendi sensu discreta. Sed infantes ad hanc relaxationem tales permittimus, qui

@ [Col. 1098C] *Intra duodecim annos.* Ita in Regula ms. et cod. Vind. Apud Smaragdum legitur, *Intra quindecim annos.* In margine, al. *duodecim.* intra duodecim annos degunt aetate. Ampliori vero qui fuerit, ad formam teneatur majorum. Nam [Col. 1098A] justo judicio infantuli, et senio provecti, et infirmi aequali debent refectionum judicio relaxari.

§ III. EX REGULA SANCTI CAESARII EPISCOPI (cap. 5).

@ [Col. 1098C] *Servum proprium.* Haec reperire est in Regula S. Caesarii excusa in fine capitis quarti, usque ad illa verba, *Et si potest fieri, a quibus incipit caput quintum ejusdem Regulae:* nec a S. Caesarii mente abest S. Benedictus, qui nullos abbati servos assignavit, sed in coquina abbatis et hospitum duos monachos ad annum ministrare voluit. Servum proprium nulli nec abbati liceat in servitio suo habere: sed, si opus habuerit, in solatium suum de junioribus accipiat. Et si potest fieri, aut difficile, aut nullus unquam in monasterium infantulus parvulus, nisi ab annis sex aut septem, qui jam et litteras discere, et obedientiae possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filii, sive ignobilium, ad nutriendum aut

@ [Col. 1098C] *Ad docendum.* Hac institutione monachorum tranquillitati consulitur. Idem statuitur Addit. I Capitularis Ludovici imperatoris, tit. 45: *ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* [Col. 1098D] Contrarius tamen usus videtur in epistola synodica Theodulfi episcopi Aurelianensis, n. 19: «Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in ecclesia S. Crucis aut in monasterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liphardi, aut in caeteris iis coenobiis quae nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam concedimus.» In monasterio Fuldensi scholae fuerunt, ut videre est apud Browerum, cap. 9, lib. I, Antiq.

Fuldensium; in monasterio S. Galli, ut constat ex Ekkeardo juniore libro de Casibus monasterii S. Galli, et ex Actis S. Notkeri et S. Udalrici episcopi Augustani, et in multis aliis. ad docendum penitus non accipiantur.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 8). *Qualiter debeant senes gubernari in monasterio.*

@ [Col. 1098D] *Solent plerique.* Haec habentur quidem in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed cap. 24, quod mihi dubitandi locum praebet an sit alterius Fructuosi. Solent plerique novitii senes venire ad monasterium, et multos ex his cognoscimus

@ [Col. 1098D] *Necessitatis imbecillitatem.* Paulo post legitur: *Ob religionis obtentu;* sed transferendo praepositionem [Col. 1099C] *ob, hic locus ita legendus est: Ex his cognoscimus ob necessitatis imbecillitatem polliceri pactum, non religionis obtentu:* necessitas hoc loco est morbus, senilis videlicet, juxta illud poetae: [Col. 1099D]

. . . . Subeunt morbi, tristisque senectus. necessitatis [Col. 1099A] imbecillitatem polliceri

@ [Col. 1099D] *Pactum.* Est monastica professio, seu votum. pactum, non ob religionis obtentu. Cum tales reperti fuerint, acrius necesse est arguantur: et inter caetera

@ [Col. 1099D] *Instrumenta.* Id est: *instructiones.* instrumenta, nisi ad interrogata non loquantur. Habent enim et ipsi consuetudinem mores pristinos nunquam abhorrere, et ut olim fuerunt docti, vanis fabulis evagari. Et cum forte ab aliquo fratre spiritali corriguntur, continuo in iracundiam prosiliunt, et per diuturnum tempus tristitiae morbo stimulantur; et a rancore malitiae penitus non desistunt. Et cum frequenter et immoderate in tali vitio dilabuntur, tristitia cum deserit, solita consuetudine in fabulis et risu frena laxantur. Proinde cum tali cautione in coenobio introducantur, ut die noctuque non fabulis evagentur, sed singultu et lacrymis, cinere et cilicio versentur, et retroacta [Col. 1099B] peccata cum gemitu cordis poeniteant, et poenitendo ulterius non committant. Et quantum habuerunt in peccando pravam suae mentis intentionem,

@ [Col. 1099D] *Duplum habeant in lamentando plenam devotionem.* Haec desunt in Regula ms. duplum habeant in lamentando plenam devotionem.

@ [Col. 1099D] *Quia* per LXX *annos.* Ita etiam legitur in Regula ms.; sed hoc admiratione dignum. Quia per LXX et eo amplius annos

@ [Col. 1099D] *Arrupte.* Ita etiam in Regula ms.; id est, continuo, sine interruptione. arrupte peccaverunt, et ideo congruum est ut arcta poenitentia coerceantur. Quia et medicus tanto profundius vulnera abscidit, quantum putridas carnes videt. Tales ergo per poenitentiam veram corrigantur

@ [Col. 1099D] *Ut si.* Id est: *Ita ut si.* ut si noluerint, excommunicatione continuo emendentur. Quod si bis sexies admoniti, ab hoc vitio non fuerint emendati, deducantur in conventu majorum, et ibidem denuo discutiantur. Et si se corripere non permiserint, foras projiciantur. Eos vero senes, quos quietos, simplices et obedientes,

@ [Col. 1099D] *In oratione frequentes.* Ita in Regula ms. Apud Smaragdum legitur: *In oratione frequenter assistentes.* in oratione frequentes, et tam [Col. 1099C] propria quam aliena peccata deplorantes et quotidie de vita periclitantes, et Christum semper in ore habentes

@ [Col. 1099D] *Si secundum.* Tò *si redundat.* [si] secundum vires otio non vacantes, et non suo, sed majorum arbitrio pendentes, et propinquitatis affectum perfecte deserentes, et

cuncta, quae possident non suis, sed Christi pauperibus erogantes, et nihil sibimet servantes, et dilectionem Dei et proximi tota mente et fortitudine tenentes, et die noctuque in lege Domini meditantes esse cognoscimus, pia miseratione sicut infantulos foveri, sicut patres honorari [Col. 1100A] mandamus: ita ut a pistrino et coquinarum vice excusentur, ab agro et duro labore quieti,
@ [Col. 1099D] *Vacentur.* Ita in Regula ms. In cod. Vind., *vacent.* vacentur, excepto quod aliqua leviora opera eis injungantur, ne fessa aetas ante tempus frangatur. Cibi tamen quibus reficiuntur, teneri et molles ex industria ab hebdomadariis coquantur, et carnes et vinum propter imbecillitatem moderate eis praebeantur, et omnes ad edendum in una mensa copulentur, aequaliter cibo et potu uno reficiantur. Vestimentum vero et calceamentum sic eis praebeatur, ut
@ [Col. 1099D] *Absque foco.* Cum nempe erunt in templo et opero quovis. absque foco frigoris ab eis asperitas arceatur.

§ V.---*Item ex eadem Regula* (cap. 6)
@ [Col. 1100C] *Eligatur cellararius.* Haec non exstant in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass., sed arbitror esse alterius Fructuosi. Eligatur cellararius bonae patientiae probatus, quem communis elegerit
@ [Col. 1100C] *Collatio.* Id est, congregatio. collatio, et ab omni excusetur monasterii servitio et
@ [Col. 1100D] *Coquinae officio.* Excusat tantum eum S. Benedictus ab hoc officio, si major est congregatio. coquinae officio, ita ut semper [Col. 1100B] cellarium teneat propter ipsos parvulos, senes, infirmos vel hospites. Si major fuerit congregatio, junior ei detur pro ipso servitio discurrendo, qualiter ipsi infantes ab ipsius imperio ad horas congruas copulentur, et accipiant alimentum. A sancto Pascha usque ad Kalendas Octobres manducent per singulos dies quatuor vices,
@ [Col. 1100D] *Ab octavo Kalendis Octobribus.* Tò *octavo redundat.* Lege, *a Kalendis Octobribus.* Nam paulo ante dixit, *usque ad Kalendas Octobres.* ab [octavo] Kalendis Octobribus usque ad Kal. Decembres tres vices. A Kalendis Decembribus usque ad sanctum Pascha in potestate sit ipsius cellararii. Caeterum vero sic instruantur, ut absque benedictione et imperio nihil in ore suo mittere debeant. Qui et ipsi infantes suum habeant decanum,
@ [Col. 1100D] *Qui plus de eis intelligit.* Lege, *intelligat, ut in cod Vind.;* id est, qui sit magis sollicitus super eos quam caeteri monachi. qui plus de eis intelligit
@ [Col. 1100D] *Ut regulam.* Id est, disciplinam, ut paulo post, *ne aliquid absque regula faciant.* Id est, disciplina., ut Regulam super eos observet; et ab eo semper admoneantur, ne aliquid absque regula faciant aut loquantur, ne in [Col. 1100C] mendacio, furto vel perjurio deprehendantur.
@ [Col. 1100D] *Quod si in aliquo quae diximus.* Supple, *eorum.* Phrasis Graeca. Quod si in aliquo, quae diximus, deprehensi fuerint, continuo ab ipso decano virga emendentur. Et ipse cellararius eis pedes et vestimenta lavet. Et qualiter in sanctitate proficiant, cum omni intentione edoceat: ut a Domino plenam remunerationem accipiat, et veritatis praecepta dicentis audiat, qui ait: *Sinite parvulos venire ad me,*
@ [Col. 1100D] *Ne prohibeatis eos.* Lege, ut in textu Evangelii Marci X, *Et ne prohibeatis eos. ne prohibeatis eos,*

@ [Col. 1100D] *Talium est enim regnum coelorum.* Ex Matth. XIX, ubi ita legitur. Nam Marci loco citato et Lucae XVIII habetur, tam in Latino quam in Graeco, *talium est enim regnum Dei.* Ita ut auctor videatur locum citasse ex memoria, non ex codice. *talium est enim regnum coelorum* **(Matth. IX; Marc. X; Luc. XVIII)**.

[Col. 1101A]

§ VI.---ITEM EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 13
@ [Col. 1101B] Cap. 11 Regulae excusae. .

Hi autem, qui vetustate corporis consumpti, aut tenera aetatis fragilitate detenti sunt, non sunt quotidianis exercendi jejuniis. Ne aut senescens aetas, antequam moriatur, deficiat, aut crescens priusquam proficiat, cadat: et ante intereat, quam bonum facere discat.

§ VII.---ITEM EX REGULA MAGISTRI
@ [Col. 1101B] Ex cap. 59 Reg. ms. cod. Corb..

Infantuli vero intra duodecim annos non solum nullo tempore in via jejunent: sed etiam nullo die jejuni de monasterio egrediantur, duntaxat si in proximo non mittuntur, unde ante tertiam in aestate, aut ante sextam in hieme exspectentur, in quibus horis constitutum est eis debere reficere.

§ VIII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 24).[Col. 1101B]

Infantes in monasterio quanta cura et disciplina sint nutriendi, multis didicimus documentis. Debent [Col. 1102A] enim nutriri cum omni pietatis affectu et disciplinae ministerio, ne desidiae vel lasciviae vitio sub tenera aetate maculati
@ [Col. 1101B] *Aut vix aut nullatenus possint postea corripi.* Cum a pueritia correctioni haud assueti, grandiores facti jugum pati nesciunt, et jam in prava consuetudine obduruerunt et occalluerunt. Quamobrem, dum tenera est aetas, ad virtutem flectenda est.

Udum et molle lutum es: nunc nunc properandus et acri Fingendus sine fine rota..... inquit Persius sat. 3. aut vix aut nullatenus possint postea corripi. Sit ergo in eis tanta cura,
@ [Col. 1101B] *Ut nunquam sine seniore.* S. Fructuosus, cap. 4: «Qui et ipsi infantes suum habeant decanum.» ut nunquam sine seniore huc atque illuc liceat deviare; sed semper
@ [Col. 1101B] *Ab eis disciplinae.* Lege, *ab ejus disciplina.* ab eis disciplinae retenti, et timoris Dei ac amoris doctrina imbuti ad cultum instruantur religionis. Habeant lectionis usum, ut sub puerili aetate discant
@ [Col. 1101B] *Quod ad perfectam deductam perficiant.* Locus corruptus, ita tamen castigandus, si legas: *Quod ad perfectam aetatem deductis proficiat.* quod ad perfectam deductam proficiant. In refectorio per se mensam habeant juxta seniorum mensam positam. Seniores tamen vel duo, seu amplius, de quorum religione non dubitatur, cum eis sedeant: ut semper timore anteposito sub metu seniorum nutriantur. Quibus vero horis reficiant, vel somnum capiant, abbatis arbitrio pensandum est, ut in

omnibus virtutum

@ [Col. 1102B] *Custodia.* Ita correxi ex codice Vind. Custodia sane virtutum discretio est, quae ubi modum excesseris, illico pereunt. Optima ergo discretio, et modus optimus, ut monet eleganter Phocylides:

Μέτρω μὲν φάγειν καὶ πίειν, καὶ μυθολογεύειν. Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασὶη δ᾽ ἀλεείνη. Id est, «Moderate cibum potumque sumas et loquaris. Modus autem optimus, excessus autem vitandus est.» Et Hippocrates lib. II Aphor., 4:«Οὐ πλησμονὴ, οὐλιμὸς, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθόν, ὅτι ἄν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ Id est, «Neque satietas, neque abstinentia cibi, neque aliud quidquam bonum est quod supra naturam fuerit.» custodia [Col. 1102B] discretio reperiatur.

CAPUT XLVII. DE HEBDOMADARIO LECTORE.

[Col. 1101C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1101C] *Mensis fratrum edentium.* Lectio in mensa statuitur, ut mens Dei verbo saginetur, et verba futilia, jurgia, rixae et detractiones vitentur. Haec semper valuit consuetudo in monasteriis, ut patet ex auctoribus hic citatis. Ejus etiam mentio fit in Regula Pauli et Stephani, cap. 19: «Reficientes cum gratiarum actione et timore Dei lectiones audiamus.» Idem decernitur in Regula S. Augustini, cap. 5: «Cum acceditis ad mensas, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur sine tumultu et contentionibus audite: ne solae vobis fauces sumant cibum; sed et aures percipiant Dei verbum.» In Regula Tetradii, cap. 9: «Ad mensam, [Col. 1101D] dum manducant, nullus loquatur: sed unus legat quemcunque librum, ut sicut corpus reficitur tantum cibo, ita anima reficiatur Dei verbo: sic dicit Dominus: *Non* autem *solo* pane vivit homo, sed *ex omni verbo Dei.* Qualis est terra sine pluvia et caro sine cibo, talis est anima, si non reficiatur Dei verbo.» Et in Regula S. Caesarii, quae est sanctimonialium, cap. 16: «Sedentes ad mensam taceant, et animum lectioni intendant.» Id etiam fuit a clericis usitatum ex sanctorum canonum praescripto, ut statuitur in concilio Toletano V, can. 7: «In omni sacerdotali [Col. 1102C] convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur. Per hoc enim animae aedificantur ad bonum, et fabulae non necessariae prohibentur.» Fuit et mos antiquorum paganorum. Spartianus in Aelio Vero: «In conviviis tragoedias, comoedias, Attellanas, sambucas, lectores pro re semper exhibuit.» Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet. Nec

@ [Col. 1102C] *Fortuitu casu.* Ita in utroque cod. ms. S. Germ. et S. Victoris atque etiam in cod. S. Ebrulphi cum Kerone. Optima lectio si interposita copula, quae sane scriptorum incuria videtur intercidisse, legas, *fortuitu* et casu, idem quod, *casu et fortuitu, apud Tullium lib.* I de Divinatione, et Auctorem ad Herennium. *Fortuitu, idem quod forte et fortuito,* de quo [Col. 1102D] Priscianus lib. XV. Vulgo legitur, *fortuito casu.* Sed haec lectio ex deperditae copulae occasione nata est, cum pro *fortuitu* scriptum fuit *fortuito.* fortuitu casu, qui arripuerit codicem legere audeat ibi: sed lecturus tota hebdomada, Dominica [Col. 1102C] ingrediatur. Qui ingrediens post missas, et communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis, et dicatur hic versus in

oratorio tertio ab omnibus

@ [Col. 1102D] *Ipso tamen incipiente.* Ruthardus putat prius integrum versiculum dicendum esse ab ingrediente, deinde ter repetendum a choro, quia cap. 35 ita ait S. Benedictus: Subsequatur ingrediens et dicat, *Deus, in adjutorium meum intende;* Domine, ad adjuvandum me festina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus.» Non contemnenda expositio. Ita ut hoc loco, *incipere* idem sit quod *prius dicere.* ipso tamen [Col. 1103A] incipiente: *Domine, labia mea aperies, et os meum*

@ [Col. 1103A] *Annuntiabit laudem tuam.* In parvo codice ms. Victorino haec sequuntur: «Hunc versum sequuntur a priore dicendi tres versiculi. *Mittat tibi Dominus auxilium de sancto.* R\. *Et de Sion tueatur te.* Convertere, Domine, aliquantulum. R\. *Et deprecabilis esto super servum tuum.* Dominus custodiat introitum tuum. R\. *Et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in saeculum.* Sequitur oratio. *Averte, quaesumus, omnipotens Deus, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, et cor ejus divinis instrue lectionibus, quatenus te opitulante mereatur perficere officium.»* Hanc benedictionem [Col. 1103B] seu collectam paulo aliter tradit Smaragdus, «Quae collecta, inquit, hoc modo, si placet lectori, a sacerdote ante altare detur missa peracta, dicaturque: *Averte, quaesumus, Domine, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, ut humiliter legens, sensum et intellectum capiat lectionis.» annuntiabit laudem tuam;* et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum. Summumque fiat silentium ad mensam,

@ [Col. 1103B] *Ut nullius mussitatio vel vox, etc.* Epitome

@ [Col. 1103D] Haec epitome est media pars Memorialis, quomodo in monasterio conversandum sit, in cod. ms. S. Victoris. Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti: «Et sicut dicit Regula, nullius vox ibi audiatur, nisi solius legentis.» Summum antiqui illi Patres in mensa silentium, summam in mensis modestiam requirebant, ita ut nec loqui, nec nugari, nec leve murmur edere liceret. Poenae breviores monachorum delinquentium linquentium inter scripta sancti Basilii. Art. 17; Εἴ τις ἐν τραπέζῃ ἐσθίων φλυαρεῖ, ἐγειρέσθω εἰς προσευχὴν. «Si quis in mensa comedens nugatur, surgat ad orationem.» Regula S. Pachomii ab angelo dictata apud Palladium, cap. *de Tabennesiotis:*Οὐκ ἔστι λαλῆσαι ἐσθίοντα, οὐδὲ ἐκτὸς τοῦ πίνακος, ἤ τραπέζης ἀλλαχοῦ [Col. 1103C] προσέχειν τῷ ὀφθαλμῳ· id est, «Non licet loqui vescentem, nec alio extra discum vel mensam oculum jactare.» Regula Tetradii, cap. 9: «Ad mensam, dum manducant, nullus loquatur.» Regula S. Caesarii, cap. 16: «Sedentes ad mensam taceant. S. Columbanus in Poenitentiali: «Si locutus fuerit comedens, non necessitate alicujus fratris, sex percussionibus.» Supple, *emendetur.* Et paulo post: «Qui pertunderit cultello mensam, decem percussionibus emendetur.» Et infra non procul a fine: «Qui comedens loquens, sex plagis. Et cujus vox obstrepit de mensa ad mensam, VI plagis.» Additio I Capitularis Ludovici imperatoris, tit. 41: «Ut si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox a priore veniam petat.» Unde praeclare monet Regula Pauli et Stephani, cap. 19: «Non cum contentione, et murmuratione et indignatione, et clamosis vocibus et strepitu pedum et sono vasorum donum Dei, sed cum charitate et quiete et dulcissimo disciplinae freno sumamus, metuentes [Col. 1103D] Israelitarum exempla carnalium, quibus manducantibus ad saturitatem angelorum panem et coturnicum carnibus, usque ad nauseam ore repleto, murmurantibus, ira Dei ad exterminandum dirigitur.» ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quae vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus

@ [Col. 1103D] *Sic sibi vicissim.* Ita cod. S. Faronis cum S. Dunstano, Smaragdo et editionibus Coloniensi et Colinaei: quae posterior non habet τό *sibi.* Codex S. Germ. ma. cum Victorinis legit, *vicibus.* Turrecremata cum aliquot recentioribus excusis habet, *invicem.* sic sibi [Col. 1104A] vicissim ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit

@ [Col. 1103D] *Sonitu cujuscunque signi.* Ita vulgo habetur. Editio Colinaei legit, *cujuspiam.* Major Codex S. Victoris habet, *sonitus alicujus signis.* Quae quidem lectio non est contemnenda. Praxis hujus sanctionis videtur apud Ekkeardum juniorem, cap. 2 lib. de casibus monasterii S. Galli: «Milo Elewangensis (abbas) [Col. 1104A] cochlearium sibi afferri signo fecit.» sonitu cujuscunque signi potius petatur quam voce. Nec praesumat ibi aliquis de ipsa lectione aut

@ [Col. 1104A] *Aliunde.* Id est, de alia re. Familiare est S. Benedicti adverbia loco nominum ponere. aliunde quidquam

@ [Col. 1104A] *Requirere.* S. Dunstanus legit, *referre.* requirere

@ [Col. 1104A] *Ne detur occasio.* Ita Smaragdus et editio Coloniensis. Cod. vero mss. S. Germ., Far. et Ebrul., habent, *nec detur occasio, ut sensus sit:* nec detur occasio inquirendi de ipsa lectione. S. Dunstanus, Turrecremata, et vetus editio Colinaei habent, *ne detur occasio maligno, id est, daemoni, ut excitet fratres ad confabulandum in mensa.* ne detur occasio;

@ [Col. 1104B] *Nisi forte prior.* Prior hoc loco abbatem significat, et omnibus Regulae locis, ubi haec vox singulariter et absolute, non respective ponitur. Qui etiam dicitur Pater monasterii, is videlicet, cui caeteri monachi subjiciuntur, ipse vero nulli. Cap. 6: «Et ideo, si quae requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiae requirantur.» Quod hic locus sit de abbate intelligendus patet ex cap. 33: «Omnia vero necessaria a Patre monasterii sperare, nec quidquam liceat habere quod abbas non dederit aut permiserit.» Cap. 7: «Et ut ostendat sub priore debere nos esse, subsequitur dicens.» Cap. 13: «Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur a priore propter scandalorum spinas.» Cap. 20: «Et facto signo a priore omnes pariter surgant.» Cap. 4: «Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor aestatis plus poposcerit, in arbitrio prioris consistat.» Quod hic locus intelligatur de abbate, liquido constat ex cap. 39: «Quod si labor forte factus [Col. 1104C] fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat aliquid augere.» Cap. 43: «Et si cui offertur aliquid a priore.» Cap. 53: «Jejunium frangatur a priore propter hospites.» Unde postea subjungit: «Aquam in manibus abbas hospitibus det. Pedes autem hospitibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet.» Et in eadem significatione sumit Lupus Ferrariensis, epist. 29: «Quod nusquam fieri aut tutius aut melius potest quam in monasterio, ubi sic libertas voluntatis propriae pro Dei amore, quod est laboriosissimum, resecatur, ut ex arbitrio prioris subjectorum actio cuncta formetur.» Joannes monachus, lib. II Vitae S. Odonis: «Cui e contra Odo Pater protulit praeceptum Regulae, in quo continetur quod absque licentia prioris nihil monacho liceret facere,» ubi prior appellatur, qui cap. 67 Regulae abbas dicitur. Sic in Regula S. Caesarii prior sumitur pro abbatissa. Cap. 3: «Ei ergo quae convertitur non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antea in multis experimentis fuerit voluntas [Col. 1104D] illius approbata: sed uni ex senioribus tradita annum integrum in eo, quo venit, habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo sit in potestate prioris, et quomodo personam vel

compunctionem viderit, ita vel celerius, vel tardius temperare.» Et sane luce meridiana clarius est hic priorem sumi pro ea monasterii antistita, quam ipse Caesarius passim in eadem Regula abbatissam appellat. His accedit quod prior sumitur pro duce, principe, sive eo qui praeest. Novella 117 Justiniani, cap. 11, Πρίορες ἀριθμοῦ, id est, priores numeri. Et priores loci appellantur alicujus terrae domini lib. IX legis Wisigothorum, tit. 1, l. 8: «Ad cujus domum venerit fugitivus, prioris loci illius villicus atque praepositus quibuscunque testatur.» Ubi praepositus subjicitur priori. Et in epistola episcoporum Galliae, quae exstat 44 apud Lupum Ferrariensem, *Nomenoio priori gentis Britannicae salutem.* Erat enim ille dux Britonum, et principatum invaserat. [Col. 1105B] Dicuntur etiam priores regni primates, magnates, summates illius. S. Gregorius Turon. Hist. Franc. cap. 9: «Post haec Rauchingus conjunctus cum prioribus regni Chlotharii filii Chilperici.» Hodie tamen prior sumitur pro monasterii praeposito, qui est post abbatem secundus. Et ita sumitur a Lanfranco, cap. 3 Decretorum: «Servata abbati in omnibus reverentia prior, qui Praepositus in Regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei.» nisi forte prior pro aedificatione voluerit aliquid breviter dicere. [Col. 1105A]

@ [Col. 1105B] *Frater autem hebdomadarius.* Mss. S. Germ., S. Far. et S. Ebrul. cum S. Dunstano et Smaragdo legunt, *Frater autem lector hebdomadarius.* Ita etiam editio Colinaei, quae tamen particulam *autem omittit.* In vulgatis τὸ *lector desideratur.* Frater autem hebdomadarius

@ [Col. 1105B] *Accipiat mixtum.* Smaragdus hunc locum ita exponit: «Quod dicit *accipiat mixtum panis intelligitur simul et vinum.* In multis enim provinciis panis tantum et vinum quod super altare offertur, mixtum [Col. 1105C] vocatur. Ita etiam explicat Ruthardus; Kero aliter: *mixtum merodsc.* poculum. Mixtum ad verbum est vinum aqua dilutum, quod mero opponitur. Jocus Martialis in Ravennam, ubi, ut cum Sidonio Apollinari loquar, ob aquas paludosas, sitiunt vivi, natant sepulti.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennae,
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum. Graecis κρᾶσις. Suidas: κρᾶσις μῆξις οἴνου καὶ ὕδατος, id est mixtio vini et aquae. De mixtione vini et aquae, qua primus usus est Amphictyon rex Athenarum a Baccho edoctus, vide Athenaeum, lib. II. accipiat mixtum, priusquam incipiat legere

@ [Col. 1105C] *Propter communionem sanctam.* Smaragdus hunc locum enarrans ait: «*Propter communionem sanctam dicit, ne aliquid inde sumptum excreans projiciat in sputo.*» Recte, meo quidem judicio. Quod confirmatur ex Regula Magistri, cap. 24: «Et ipse (lector) similiter suum merum propter sputum sacramenti accipiat. Sic S. Joannes Chrysostomus, ut [Col. 1105D] screatum cohiberet, divinis mysteriis celebratis, cum vestibus sacris exueretur, pastillum comedere solebat; et eo nomine accusatus est ab adversariis, ut scribit Nicephorus cap. 9, lib. XIII, et hoc fuit vigesimum octavum caput accusationis ipsius, ut videre est in Bibliotheca Photii, n. 59, in synodo ad Quercum contra eum celebrata, Εἰκοστὸν ὄγδοον, ὅτι ἐν θρόνῳ ἀποδύεται καὶ ἐνδύεται, καὶ πάστιλον τρώγει· id est, «Vigesimum octavum, quod in throno exuitur et induitur, et pastillum edit.» propter communionem sanctam,

@ [Col. 1105D] *Et ne forte grave sit ei jejunium sustinere.* Duas affert causas sumendi mixti a lectore. Prima est propter sputum, secunda propter jejunium. et ne forte grave sit ei jejunium sustinere: postea vero cum coquinae

@ [Col. 1105D] *Hebdomadariis et servitoribus.* Per hebdomadarios, eos qui coquunt

intelligit; per servitores, eos qui mensis ministrant. De quibus haec verba sunt intelligenda, *sic sibi invicem ministrent fratres.* De servitorum refectione haec statuuntur prima additione [Col. 1106B] Capitularis Ludovici imp., tit. 28: «Ut servitores non ad unam mensam sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur: quibus eadem lectio, quae fratribus, recitetur.» De lectore vero haec in eadem additione tit. 29 constituuntur: «Ut lectori nihil, nisi quod regula jubet, detur.» hebdomadariis et servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui aedificent audientes.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 30).
@ [Col. 1106B] *Ad mensam autem.* Haec reperiuntur in fine secundae Regulae codicis Floriacensis, cujus initium est: *Cum resideremus in unum, et tertia Regula ejusdem codicis circa medium, cujus initium est: Cum in nomine Domini;* iisdem plane verbis. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur,
@ [Col. 1106B] *Nisi qui praeest.* Ut dicat aliquid ad aedificationem. nisi qui praeest,
@ [Col. 1106B] *Vel qui interrogatus fuerit.* Ab eo qui praeest. vel qui interrogatus fuerit.

§ III.---ITEM SANCTI PACHOMII (cap. 29
@ [Col. 1106B] Art. 11.).

Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis, et operient capita.

§ IV.---*Item ejusdem* (cap. 30).
@ [Col. 1106B] *Statimque.* Hoc capitulum, sicut et sequens, in Regula S. Pachomii excusa conjungitur cum superiori, ita ut ex his tribus unum tantum fiat. Statimque cum tibi a majore fuerit imperatum, [Col. 1106A] ut de alia mensa ad aliam
@ [Col. 1106B] *Transire debeas.* Haec sunt corrupta, et ita ex [Col. 1106C] cod. Vind. et Regula S. Pachomii castiganda: *Ut de una mensa ad aliam transeas, ire debebis.* transire debeas, in nullo penitus contradicens:
@ [Col. 1106C] *Nec audeas ante praepositum.* In Regula edita S. Pachomii legitur: *Nec ante praepositum domus tuae manum in mensa extendas.* nec audeas ante praepositum domus tuae manum in mensam extendere,
@ [Col. 1106C] *Nec circumspicias vescentes alios.* In Regula S. Pachomii ab angelo dictata apud Palladium cap. *de Tabennesiotis:* Ἐσθίοντες τὰς κεφαλὰς καμπτέτωσαν τοῖς κουκουλλίοις, ἵνα μὴ ἀδελφὸς ἀδελφὸν μασσάμενον ἴδη. Id est, «Comedentes capita operiant cucullis, ne frater fratrem comedentem videat.» Sed quid sibi velit verbum, καμπτέτωσαν, id est, inclinent, non video. Certe legendum, καλυπτέτωσαν, id est operiant. Idem statuit B. Isaias abbas orat. 3: «*Inter vescendum oculos tuos in proximum ne converteris.*» Idem servabant monachi Aegyptii, apud Cassianum lib. IV de Instit., cap. 17. Et sano quidem consilio. Nam qui alium comedentem respicit, aut invidet abstinenti, aut comedentem despicit. nec circumspicias vescentes alios.

§ V.---ITEM EJUSDEM (cap. 31).

Unusquisque praepositorum docebit in domo sua quomodo debeant

@ [Col. 1106D] *Cum disciplina consuetudine.* In Regula excusa legitur, *cum disciplina et consuetudine.* In cod. Vind. legitur, *et mansuetudine.* Recta lectio. cum disciplina, consuetudine comedere. Quod si aliquis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendo, aget poenitentiam, et in eodum loco protinus increpabitur,

@ [Col. 1106D] *Stabitque donec alius surgat de vescentibus.* Locus corruptus, et ita ex Regula edita castigandus: *et stabit, donec alii surgant de vescendo.* Et sensus est, qui deliquit in mensa, stet, donec conventus surgat. Supra vidimus in Regula S. Pachomii hanc mulctam irrogari monachis delinquentibus, ut ipsi in refectorio, aliis sedentibus, stent. stabitque, donec alius surgat de vescentibus.

§ VI.---*Item ejusdem* (cap. 33).

@ [Col. 1106D] *Si aliquid.* Exstat in Regula S. Pachomii excusa art. 12. Si aliquid necessarium fuerit in mensa,

@ [Col. 1106D] *Nemo audebit loqui.* Idem statuitur in Regula S. Pachomii ab Angelo dictata apuo Palladium, capite de Tabennesiotis, οὐκ ἔστι λαλῆσαι ἐσθίοντα, id est, «vescenti loqui non licet.» nemo audebit loqui, sed ministrantibus

@ [Col. 1106D] *Signum sonitu dabit.* Recta lectio. In Regula excusa *signi sonum dabit.* Male. In Regula orientalium [Col. 1107C] cap. 131, *soni signum dabit.* Lege *sonitu;* nam haec sumpta sunt ex Regula S. Pachomii. signum sonitu dabit.

[Col. 1107A]

§ VII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 23).

@ [Col. 1107C] *Refectorium pariter.* Exstat in Regula S. Isidori excusa, cap. 9. Refectorium pariter cunctis fratribus unum erit. Ad singulas mensas deni convescentes resideant. Reliqua turba parvulorum astent. Tempore convescentium fratrum omnes disciplinae gerant silentium, obtemperantes Apostoli praeceptis, qui dicit: *Cum silentio operantes, suum panem manducent* **(II Thess. III)**. Unus tamen in medio residens,

@ [Col. 1107C] *Benedictione accepta.* Haec benedictio lectoris in refectorio, quam ex more lector petit antequam legat; de ea haec habet Magister cap. 29 Regulae: «Et post omnium sessionem ad mensam petita benedictione sedeat in sella.» Memoriale qualiter in monasterio conversandum sit: «Antequam incipiant cibum sumere, petat lector benedictionem, et incipiat legere.» benedictione accepta, de Scripturis aliquid legat, caeteri vescentes tacebunt lectionem intentissime audientes

@ [Col. 1107C] *Ut sicut corporalis cibus refectionem corpori* [Col. 1107D] praestat. In Regula S. Isidori: «Ut sicut illis corporalis cibus refectionem carnis praestat.» ut sicut corporalis cibus refectionem corpori praestat, ita mentem

@ [Col. 1107D] *Spiritalis sermo.* In Regula S. Isidori τὸ *sermo desideratur.* spiritalis sermo reficiat. Nullus ad mensas clamor excitetur. Soli tantum praeposito sollicitudo maneat in his, quae sunt vescentibus necessaria.

@ [Col. 1107D] *Abbas citra languoris necessitatem.* Egregia sane institutio, qua disciplina regularis custoditur, et intempestivis abbatum commessationibus hospitali tatis praetextu ac proinde monasterii dilapidationi occurritur; sed de hoc alias. Abbas citra languoris necessitatem cibos in [Col. 1107B] conspectu pariter cum fratribus sumat; neque aliud quam caeteri

@ [Col. 1107D] *Neque cultius.* Haud impar sane institutio, quae catillationibus abbatum

medetur. neque cultius, quam ea quae in commune consistunt, praeparari sibi quippiam expetat. Sicque fiat, ut dum praesens est, omnia diligenter administrentur: et dum communia sunt, salubriter et cum charitate sumantur. Aequalia quippe erunt

@ [Col. 1107D] *Mensarum omnium fercula.* Recte. Et ex hoc loco castiganda est S. Isidori Regula, in qua corrupte legitur, *mansura omnium fercula.* mensarum omnium fercula, simillimisque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres: Quidquid praesens refectio dederit omnes sine murmuratione percipiant: neque id desiderent, quod edenti voluptas appetit, sed quod naturae necessitas quaerit; scriptum est enim: *Carnis curam ne feceritis in desideriis* **(II Cor. VII)**.

§ VIII.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISOPI (cap. 5).[Col. 1107C]

@ [Col. 1107D] *Cum hora nona.* Habentur in Regula ms. S. Fructuosi Bracarensis episcopi cod. Crass. eodem capite 5. Cum hora nona ad vescendum convenitur, dicto psalmo residentibus aliis

@ [Col. 1107D] *Unus legat in medio.* Nota morem antiquum de loco, ubi legitur in refectorio; quem licet etiam observare ex Regula S. Isidori cap. 9: «Unus tamen in medio residens benedictione accepta de Scripturis aliquid legat;» ex Regula Magistri cap. 29. «Deinde in medio omnium mensarum sibi ordinet sellam, et post omnium sessionem ad mensas petita benedictione sedeat ipse in sella cum codice.» unus legat in medio, in cibo sit strepitus nullus. Nemo comedens loquatur. Si quid deest in mensa, is qui praeest, signo [Col. 1108A] dato vel nutibus silenter petat, et indicet ministranti, quid inferri, vel quid auferri sit a mensa necesse. Priusquam ad mensam conveniant, praecedat oratio. Postquam a mensa surrexerint, sequatur oratio. Nec ante quisquam alicubi praesumat progredi, quam coram

@ [Col. 1108C] *Altario Christo.* In Regula ms. legitur: *Altario Christi, ex hoc loco constat gratias agi olim solitas in Ecclesia a monachis post cibi refectionem, id etiam videtur in epitome Ludovici imperatoris super regulam S.* Benedicti: «Expleto cibo, finiatur et lectio. Surgentes a mensa dicto versu sinister chorus exeat prior, novissimus dominus abbas psallentes psalmum quinquagesimum distincte, et non festinate, [Col. 1108D] cum introierint oratorium psallentes, inclinent se,» etc. Videtur etiam in Vita S. Odonis abbatis Clun. lib. I: ubi agitur de micis in mensa non comestis: «Clauso vero pugillo dignum esse censuit, cum post versum ab Ecclesia essent regressi, reservandos forte Patri monasterii. Factumque est, ut ab oratorio sunt regressi, mox se pedibus prostravit Patris.» Et apud Ekehardum lib. de casibus monasterii S. Galli cap. 11: «Milo Elewangensis (abbas) cochlearium sibi afferri signo fecit;» et paulo post: «Surgitur a mensa, itur solitis benedictionum hymnis in ecclesiam.» altario Christo gratiarum resolverit actiones.

§ IX.---EX REGULA SANCTI AURELII EPISCOPI (cap. 48

@ [Col. 1108D] Cap. 12 Regulae S. Caesarii.).

Sedentes ad mensam quotidie omni tempore, dum cibus sumitur, legatur: ut uterque homo, exterior cibo, interior verbo Dei reficiatur: quia scriptum est: *Non in solo pane vivit homo:* sed in omni verbo Dei **(Luc. IV)**.

§ X.---EX REGULA BEATI CASSIANI (cap. 36

@ [Col. 1108D] Ex lib, IV de Institutis renuntiantium, cap. 17.).[Col. 1108B]

Reficientibus autem fratribus sanctae lectiones ad mensam legantur propter superfluas et otiosas fabulas, et maxime contentiones, quae frequenter solent ad mensam generari. Et nullus vel mutire sit ausus, praeter illum, qui decaniae praeest. Decanus autem si quid in mensam inferri, vel de mensa auferri necesse est, sonitu potius aut aliquo signo, quam voce significet. Quantum autem alius reficiat, nullus invicem vagantibus oculis curiosius notet: sed unusquisque ante se aspiciat.

§ XI.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 8).

Ad mensam loqui specialiter,
@ [Col. 1108D] *Nisi qui interrogatus fuerit.* Ita supra in Regula Patrum. Interrogatus, non a quovis, sed ab abbate vel a praeposito vel a decano. nisi qui interrogatus fuerit, non praesumat. Quod vero necessarium victui fuerit, praeposito decet agnoscere: et quod secundum consuetudinem deest, secretius jubeat ministrari. [Col. 1108C]
@ [Col. 1108D] *Sedentes ad mensam.* Videtur deesse verbum, *taceant,* aut certe legendum *Audiant* pro *audituri.* Sedentes ad mensam, lectionem quae legitur, cum silentio audituri. Si vero defuerit persona lectoris, ad instar cibi sacrarum Scripturarum meditatio ruminetur: ne escam tantum corpus accipiat; [Col. 1109A] sed verbo Dei anima pascatur esuriens.
@ [Col. 1109C] *Orationibus vacate.* Haec sumpta sunt ex Regula S. Augustini c. 7: «Orationibus instate horis et temporibus constitutis.» Orationibus vacate horis et temporibus institutis.
@ [Col. 1109C] *Psalmis et hymnis, etc.* In eadem S. Aug. Regula cap. 9: «Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod versatur in ore.» His quadrat illud S. Caesarii Arelatensis serm. 12: [Col. 1109D] «Orantes autem, fratres charissimi, quantum possumus adjuvante Domino laboremus: ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit: ne forte aliud habeamus in corde, et aliud proferamus ex ore. Ne forte dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus vanis occupata ab orationis sensu discedat; et inde acquirat peccatum, unde potuit habere remedium.» Psalmis et hymnis, cum Dominus exoratur, ea plantentur in corde, quae proferuntur in voce.

§ XII.---ITEM EX REGULA ORIENTALIUM (cap. 131).
@ [Col. 1109D] *Quod si aliquis.* Haec sanctio sumpta est ex Regula S. Pachomii, art. 11. Quod si aliquis locutus fuerit, vel riserit in vescendo, increpetur et agat poenitentiam.
@ [Col. 1109D] *Si quis ad manducandum.* Item ista sumpta est ex eadem Regula, cap. 12. Si quis ad manducandum tardius venerit absque majoris imperio, similiter agat poenitentiam, aut ad cellam suam jejunus revertatur.
@ [Col. 1109D] *Si aliquid necessarium fuerit.* Hoc habetur in eadem Regula S. Pachomii art. 5; necessarium, id est, deficiens. Si aliquid fuerit necessarium in mensa, nemo audebit loqui: sed ministrantibus
@ [Col. 1109D] *Soni.* Lege *sonitu, ut in Regula Pachomii juxta codicem ms.* Concordiae hujus, in cod. Vind. legitur *sonum signi.* soni signum dabit.
@ [Col. 1109D] *Ministri vero.* Haec reperiuntur in eadem Regula cap. 14, his simile est,

quod praecipit S. Isidorus cap. 9, ut fratres similibus utantur cibis, et huic institutioni Pauli et Stephani cap. 20: «Nulli fratrum liceat, vel pomum vel quodcunque olerum, vel aliud aliquid ad usus suos, quasi peculiari apparatu in mensa sibi ad manducandum deferre.» Ministri vero absque his, quae in commune fratribus parata sunt, nihil aliud comedant: nec mutatos cibos sibi audeant praeparare.
@ [Col. 1110D] *Nemo plus alteri dabit.* Haec habentur etiam in [Col. 1110D] Regula S. Pachomii cap. 18, ubi male legitur *nemini* pro *nemo.* Nemo plus alteri dabit, quam [Col. 1109B] alter accepit. Quod si obtenditur infirmitas, praepositus domus perget ad ministros aegrotantium,
@ [Col. 1110D] *Et his.* Lege *et ab eis, ut in Regula S.* Pachomii. et his, quae necessaria sunt, accipiet.

§ XIII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 29).
@ [Col. 1110D] *In aestatis vel hiemis, etc.* Exstat in Regula Mag. ms. cod. Corb. cap. 24. In aestatis vel hiemis utroque tempore, cum ad sextam vel nonam horam reficitur, singuli praepositi de singulis decadis vicibus hebdomadas singulas legendo ad mensas exerceant. Sed tunc de illa decada praepositus non legat, de qua alter praepositus in coquinae servitio occupatur: ne dum unus legit et alter coquit, vitia suorum fratrum ad mensas non sit, qui praesens emendet. Qui praepositi singulis vicibus in legendo ad missas, cum singulas expleverint hebdomadas, singulos fratres litteratos per singulas vicibus septimanas ad legendum constituant: ut [Col. 1109C] omnes possint vicibus de singulis decadis legere litterati. Et postquam omnes fratres in legendo suas expleverint septimanas, singuli recapitent ad invicem praepositi: ut nunquam desit carnali refectioni esca divina, sicut dicit Scriptura: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* **(Luc. IV)**. Ut dupliciter fratres reficiant, cum ore manducant, et auribus saginantur. Cujus ergo in hebdomada talis [Col. 1110A] debet esse introitus dominico die quo hebdomadarii coquinae ingrediuntur in septimanam. Tunc et iste frater ad sextae horae refectionem post versum et orationem mensae, cum abbas in sua cathedra sederit, antequam
@ [Col. 1110D] *Canister.* Ita in Concordia Vind. et in Regula ms. cod. Corb. canister cum consuetis panibus trocleae fune descendat, tunc insinuet voce sua, is qui lecturus est dicens: Jubete, domini mei, orare pro me, quia ingredior in hebdomada lectionis mensalis. Mox surgens abbas cum omni congregatione fixis in terra genibus oret cum eo. Et cum surrexerint, dicat novus hebdomadarius hunc versum: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam* **(Psal. L)**.
@ [Col. 1110D] *Respondentibus secum cunctis.* Eumdem versum. Respondentibus secum cunctis. Post versum vero dictum, mox primo abbati, deinde omnibus pacem tradat. Deinde in [Col. 1110B] medio omnium mensarum sibi ordinet sellam; et post omnium sessionum ad mensas petita benedictione sedeat ipse in sella cum codice. Et cum primum mensae abbas cum omnibus acceperit merum, et ipse similiter suum merum
@ [Col. 1110D] *Propter sputum sacramenti.* Vide superius annotata. propter sputum sacramenti accipiat, et sic incipiat legere. Legat namque quotidie Regulam hanc posito ad diem signo huc usque legerit; ut sequenter quotidie tamen omnia perlegantur; ut per vices hebdomadum et finiri possit, et recapitari legendo. Qui hebdomadarius, cum septimanam suam legendo expleverit, signum sequenti successori ostendat, unde

prosequatur, qui coeperit septimanam. Qui et ipse finiendo et recapitando hebdomada sua signum successori demonstret. Legat namque disposite, [Col. 1110C] non urgendo,

@ [Col. 1110D] *Ut apertius occupati.* Adverbium *apertius videtur* transpositum et referendum ad verbum *agnoscant.* ut apertius occupati ea auditores agnoscant, quae eos factis oporteat adimplere.

@ [Col. 1110D] *Et ut.* Particula *et redundat, nec habetur apud Smaragdum.* Et ut si qua sunt ambigua aut obscura, et apertius ea non intelligunt fratres, aut interrogatus a fratribus, aut ultro aliqua abbas exponat.

@ [Col. 1110D] *Nam si.* Id est: *Verum si,* et passim occurrit in his Patribus, ut particula *nam* pro *verum ponatur.* Nam si supervenerint forte mensae monasterii, laici propter detractionem futuram in saeculo, cum secreta Dei saecularis agnoverit, si placuerit abbati, aliam lectionem [Col. 1111A] cujuscunque codicis legat, ut secretum monasterii vel mensura vitae sanctae constituta in disciplinam ab irrisoribus non sciatur. Legat namque aliam lectionem, posito tamen in Regula signo. Nam si talis laicus ad mensam monasterii detineatur, de quo certus

@ [Col. 1111C] *Sit abbas.* τὸ *abbas redundat.* sit abbas, quod non solum admirari possit constituta divina, sed etiam hujus religiositatis sit [abbas] qui in conversatione possit esse pedissequus, et ad mores possit trahi divinos, in hujus lector adventum ad mensam Regulam subsequatur. Nam illi debent Regulam audire monasterii, qui illam possunt merito observare. Ideo ad mensam hora refectionis debetur Regula legi, quia tunc omnis congregatio ad manducandum in unum

@ [Col. 1111C] *Collecta.* In Regula ms. *redacta.* collecta sine excusatione tunc lectio observantiae [Col. 1111B] vel emendationis ab omnibus audientibus juste poterit observari; ut omnia Regulae omnes audiant, et nullum praetereat aliquid: ut quod omnes audierint, eos factis oporteat adimplere. Ipsi vero fratri in septimana sua, cum in hoc opere occupatur, septimanarii

@ [Col. 1111C] *De omnibus mensis.* Lege: *De omnibus missibus:* missus est ferculum, ut vulgo notum est. de omnibus mensis mensae suae illatis

@ [Col. 1111C] *Scutellas.* Scutella est lanx: *Patina, discus Corona pretiosa apud Joannem Meursium in lexico Graeco-Barbaro;* Σκουτέλα *Paropsis,* τρύβλιον. Mentio fit apud S. Gregorium lib. XII, ep. 30: «Scutellam quoque argenteam monasterio cuidam reliquit.» Gallice, *écuelle.* scutellas levent, servante Cellarario panis eis mensuram vel consuetum numerum potionum. Et post omnium levationem,

@ [Col. 1111C] *Petita benedictione.* Quia olim monachi cibum sumpturi benedicebantur: de qua re infra. petita benedictione, et ipse reficiat. Ideo enim diximus Regulam monasterii quotidie legi ad mensas, ut nullus frater excuset se ignorantiae facientis non emendare. Nam cum quotidie in usu ipsa Regula mittitur, ex notitia melius observatur: ne forte dicat se frater nescire, quod possit per obedientiam adimplere. Nam tempore [Col. 1111C] ipso refectionis cum legitur Regula, ut solliciti omnium fratrum excitentur, auditus, de singulis [Col. 1112A] mensis, quos voluerit fratres,

@ [Col. 1111C] *Quod lectum est abbas interroget.* Nota antiquum morem de repetenda lectione mensae. quod lectum est abbas interroget; ut cum unusquisque frater recitaverit, quod audivit, agnoscatur plus lectioni intendisse illa hora, quam ventri: ut cum surdus negligens non narraverit, quod audivit, plus carnem judicetur amasse, quam animam. Qui mox de negligentia ab abbate juste corripi debet: ut dum unusquisque

frater interrogatus timet erubescere, mentem suam alibi non faciat aberrare: sed in hoc intendat, quod legitur.

@ [Col. 1112C] *Qui hebdomadarius.* Multa hic desunt verba supplenda ex Regula ms. cod. Corb.: «Qui hebdomadarius tandem ad mensam legat, quandiu abbas sederit ad mensam cum fratribus, quibus se levantibus,» etc. Qui hebdomadarius tandiu ad mensam cum fratribus *(Locus corruptus):* quibus se levantibus, posito in Regula signo, levant se et ipse cum codice, versu vel oratione ab omnibus adimpleta, respondeat cum omnibus: *Deo gratias.* Et statim residens ad mensam suam ab hebdomadariis [Col. 1112B] servatam refectionem vel potionum mensuras

@ [Col. 1112C] *Signatas.* Id est, benedictas signo crucis. signatas aut ab abbate aut a praepositis omnia et ipse percipiat.

§ XIV. EX REGULA CUJUSDAM (cap. 9).

@ [Col. 1112C] *Ad mensam vero, etc.* Hoc capitulum cum sex sequentibus desideratur in codice Vindocinensi. Ad mensam vero nullus penitus praeter abbatem, vel cui ipse praeceperit pro communi necessitate fratrum loqui praesumat: sed omnes

@ [Col. 1112C] *Intento.* Ita reposui, cum legeretur *in tanto.* intento animo gratias reddentes Creatori in cordibus suis cibi ac potus solidae mensurae largitione fruantur. Portarius vero qui pro variis causis eloquium expetierit abbatis, loqui permittatur. Quia forsitan talis supervenit necessitas, quae moram habere non debeat.

@ [Col. 1112C] *Ante mensam.* Lege, *ad mensam.* Nam frustra subjungeret: *Ut cum cibus carnem reficit, lectio animam satiet.* Ante mensam vero semper capitulum Regulae unum, aut amplius, si abbati placuerit, legatur: ut cum cibus carnem reficit, lectio animam satiet. Haec omnia [Col. 1112C] cum gravitate animi et moderatione leni fiant, quatenus in his omnibus Dominus delectetur.

CAPUT XLVIII. DE MENSURA CIBORUM.

[Col. 1111D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam [Col. 1112D]

@ [Col. 1111D] *Tam sextae quam nonae.* Id est, sive non sit jejunium, et prandium fiat hora sexta, id est, meridie; sive jejunetur, et coena fiat hora nona, id est, tertia postmeridiana. tam Sextae, quam nonae

@ [Col. 1111D] *Omnibus mensibus.* Ita legunt mss. codices Victorini, San. Ebrulphi. S. Faronis, et S. Germ. ma. cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Coloniensi. Quod confirmatur ex Regula Magistri cap. 26, in utroque codice Concordiae tam Floriacensi, quam Vindocinensi. «Sufficere namque credimus ad refectionem quotidianam, tam sextae, quam nonae omnibus mensibus,» etsi in ms. Corb. *sit* τὸ *mensis.* Accedit Ruthardi auctoritas: Qui, *mensibus, legendum esse asserit, non: Mensis.* Turrecrematae, cum ait: «Omnibus mensis, sive, ut alia lectio habet: Omnibus mensibus; quod melius videtur, id est, omni tempore.» Eamdem lectionem agnoscit Guido Juvenalis, abbas sancti Sulpicii, in sua Regulae versione Gallica, cum haec verba

ita exponit: *En tout temps de l'an.* Id est, omni tempore, quod perinde est, ac: *omnibus mensibus.* Eamdem lectionem illustrat locus S. Isidori cap: 9 suae Regulae, cum ait: *Utrisque temporibus refectio mensae tribus erit pulmentis, et per utraque tempora intelligit hiemen et aestatem.* In p. ms. S. Germani legitur: *Omnibus diebus.* In vulgo editis legitur. *Omnibus mensis.* Sed male, et prior lectio potior est. Nam S. Benedictus et S. Isidorus occurrunt pravae quorumdam consuetudini, qui ob calores plura fercula in aestate, quam in hieme quotidie apponi volebant. omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, [Col. 1113A]

@ [Col. 1113A] *Ut forte, qui ex uno non poterit edere.* Quaeritur an duo pulmentaria monacho edere liceat, cum S. Benedictus ideo illa apponi jubeat, ut, qui de uno edere non possit, edat de altero. Sed puto haec moraliter intelligenda: et ex aequo et bono multorum infirmitati tum corporis, tum animi consuli ferculorum diversitate: ut cum quis de uno plusculum degustaverit, jam illud fastidiens ad alterum se convertat: praesertim cum Regula duo fercula comedere [Col. 1113B] explicite non prohibeat. Quod si ita esset, male consultum esset superfluis impensis cum duplicatis pulmentariis dapes, quae v. g. quinquaginta monachis sufficerent, pro centum essent apponendae, maxime cum singulae lances id continere deberent, quod ad unius monachi satietatem sufficeret; quia illi de una tantum edere liceret ut forte qui ex uno non poterit edere, ex alio reficiatur. Ergo cocta duo

@ [Col. 1113B] *Pulmentaria.* Pulmentarium, quod et pulmentum dicitur, est quodlibet obsonium. Cato, de Re rustica, cap. 58: «Pulmentarium familiae caducae quam plurimum condito» a pulte, qua olim prisci illi Romani pro pane vescebantur. Plinius libr. XVI, cap. 8: «Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum; quoniam inde pulmentariae dicuntur.» Varro lib. IV de lingua Latina: «Et placentae, quod edebant cum pulte: ab eo pulmentum, ut Plautus: hinc pulmentarium.» Valerius Maximus lib. II, cap. 1: «Erant autem adeo continentiae attenti, ut frequenter apud eos (Romanos) pultis usus, [Col. 1113C] quam panis esset,» etc. Sosipater Charisius lib. I: «Pulmentum et pulmentarium dicit. Nam Cato originum tertio, laserpitium pro pulmentario suo habet. In eodem: multo pulmento usi. Sed quidam putant pulmentum quasi pulumentum melius dici. Varro autem ad Ciceronem quinto: pulmentum, aut quod idem cum pulte essent, inde pulmentarium.» Ubi verbum, *essent, id est, ederent.* Ausonius in Technopaegnia:

Mox ador atque adoris de polline pultificum far Instruxit mensas, quo quondam Romulidum plebs Hinc cibus, hinc potus, cum dilueretur aqua puls. Hinc prisci illi Romani dicti pultiphagi. Plautus in Mostellaria:

Non enim haec pultiphagus opifex opera fecit Barbarus. Ubi, *Barbarus, est Romanus, ut vulgo docent Interpretes.* pulmentaria fratribus omnibus [Col. 1114A] sufficiant.

@ [Col. 1113C] *Et, si fuerit unde poma.* Sup. haberi possint. Ita [Col. 1113D] habetur in omnibus codicibus nostris mss. cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Colinaei. Optima lectio, quae confirmatur ex. Add. Capitul. Lud. Imp. tit. 78: «Ut volatilia in natali Domini et in Pascha tantum octo diebus, si est unde, comedant: si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum.» Vulgata lectio: *Et, si fuerint inde poma.* Male. Poma hoc loco sunt fructus quislibet, saltem vulgares. Et si fuerit unde poma

@ [Col. 1113D] *Aut nascentia leguminum.* Id est, nascentia legumina. Ut *ardua montium,*

lubrica vallium et roscida cespitum, et glebosa camporum. Ita hunc locum explicat Ruthardus: «Nascentia leguminum intelliguntur germinantia: quia mos est illius terrae et Romanae et aliarum provinciarum mittere legumina in aquam, et cum germinata fuerint, manducari.» Ex quo loco satis constat horum commentariorum auctorem non fuisse Paulum Diaconum monachum Casinatem; dixisset enim, *hujus* terrae, non, *illius terrae.* Bernardus Casinas, et alii nonnulli locum explicant [Col. 1114A] rectius quidem de viridibus leguminibus, quae aceto macerata in Italia comedi solent. An autem tertium illud pulmentarium seu fructuum seu leguminum debeat esse crudum, non id explicite declaravit S. Benedictus, itaque juxta Regulam debent primo apponi duo pulmentaria cocta, tertium vero an coctum vel crudum sit, non refert. Id liberum reliquit S. Benedictus ob multorum infirmitates, quorum stomacho fructus crudi et legumina cruda nocere possent. aut nascentia leguminum, addatur et tertium.
@ [Col. 1114A] *Panis libra propensa.* Controversia de hujus librae pondere. Casinensis libra est trium et triginta unciarum et semis, ut habetur in declarationibus Casinensium ad Regulam S. Benedicti. Burdegala in monasterio S. Crucis servatur adhuc libra panis ex aere cyprio cum hac inscriptione: [Col. 1114B]

MENSVRA PANIS S. CRVCIS BVRDEG. Cujus pondus est octo et viginti unciarum. Sed puto ego hanc S. Benedicti libram nullam aliam esse quam Romanam seu Latinam. Nam male panis pondus libram appellasset, quae tot unciis, ac Cassinensis, vulgarem libram excederet. Qui etiam, si per libram non intellexisset eam, quae sua aetate erat usitata per Italiam certum pondus panis non definisset, et hunc regulae locum valde ambiguum reliquisset, cum mensuram sine mensura, et pondus sine pondere statuisset. Nec obstat, quod libra panis olim servaretur in monasterio Casinensi, ut constat ex actis S. Mauri et Leone Ostiensi lib. I. Chr.; nam, cum sciret S. Benedictus non eamdem esse libram apud omnes nationes, ejusque pondus aliquando pro hominum arbitrio mutari, voluit ejusmodi libram in suo monasterio servari: quae tamen non amplius exstat ob varias monasterii Casinensis direptiones et incendia. Et sane monachorum temperantiae male [Col. 1114C] consuluisset, quam hic multa districtione praecipit, si tantumdem panis, quantum libra Casinensis pensitat, edendum concessisset: maxime cum hujusmodi libra, ut ex praefatis declarationibus constat, plus panis pensitet, quam monachus uno die comedere possit. Libra autem Romana seu Latina est duodecim unciarum, ut docent. Epiphanius lib. de Mensuris et Ponderibus, et S. Isidorus lib. XVI Orig. cap. 24: «Uncia dicta, inquit, quod universitatem minorum ponderum sua unitate vinciat, id est, complectatur. Constat autem drachmis octo, *id est, scrupulis viginti quatuor, quod proinde legitimum pondus habet;* quia numerus scrupulorum ejus horas diei noctisque metitur, vel quia libram efficit, duodecies computatus 12 unciis perficitur, et inde habetur perfecti ponderis genus: quia tot constat unciis, quot mensibus annus.» Post τὸ *computatus,* videntur, haec verba, *nam libra, addenda.* His subscribit Fannius Rhemnius poemate de mensuris: [Col. 1114D]

Uncia fit drachmis bis quatuor: unde putandum Grammata dicta, quod haec viginti quatuor in se Uncia habet: tot enim formis vox nostra notatur, Horis, quod mundus peragit noctemque diemque. Unciaque in libra pars est, quod mensis in anno. Gramma autem seu littera est scrupulus, qui continet duos obolos, ut docet idem Fannius:

Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo Gramma vocant, scrupulum nostri dixere priores. Scrupulus gramma dicitur, id est, littera, nam quemadmodum vox humana quatuor et viginti litteris formatur, sic uncia constat quatuor et viginti scrupulis. De libra vide Cassiodorum lib. I Variarum, epist. 10. Sed quia panis haec mensura angusta est, addit S. Benedictus *propensa, id est, quae inclinata praependeret;* nam, propensus est inclinatus. Etsi Smaragdus et Ruthardus, explicent τό *propensa,* prius pensa, a praepositione Graeca, πρὸ, id est, prius. Sed non puto ejusmodi vocabulum esse Latinum. Itaque juxta nostram explicationem mensura panis erit circiter sexdecim unciarum. Panis libra [Col. 1115A] una propensa sufficiet in die, sive una sit refectio, sive prandii, et coenae. Quod si coenaturi sunt,

@ [Col. 1115A] *De eadem libra tertia pars.* Ex his verbis satis colligitur coenam debere esse prandio breviorem, quod etiam patebit infra ex Regula Magistri. Ruthardus dicit unicum coctum pulmentum ad coenam dandum esse. Sed haec pensanda sunt arbitrio superiorum. de eadem libra tertia pars a Cellarario reservetur reddenda coenaturis. Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere, remota prae omnibus crapula: et ut nunquam subripiat monacho indigeries:

@ [Col. 1115B] *Quia nihil sic contrarium.* Hic textus profertur a Burchardo lib. XIV, cap. 1, et abluone part. 13 Decreti, cap. 69. quia nihil sit contrarium omni Christiano,

@ [Col. 1115B] *Quomodo crapula.* Id est, quam crapula. Ivo addit; *Et ebrietas.* Quid sit crapula docet Suidas: κραιπάλη ὁ ἐν πολλῆς οἰνώσεως παλμός, id est, «Crapula ex multa potatione palpitatio.» Sed sumpsit improprie S. Benedictus. quomodo crapula, [Col. 1116A] sicut ait Dominus noster: *Videte, ne graventur corda vestra*

@ [Col. 1115B] *In crapula.* Ita apud Smaragdum et in cod. Vict. p. Apud S. Dunstanum, Ivonem, Burchardum, et in Vulgatis additur: *et ebrietate.* Ut est in Evangelio, Luc. XXI: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate. in crapula* **(Luc. XII)**.

@ [Col. 1115B] *Pueris minore aetate.* Id est, qui sunt infra duodecimum annum juxta Magistri mentem hoc capite: «Minoribus vero duodecim annis minus a libra panis in die sufficiet.» Tamen juxta superiorem nostram explicationem intelliguntur ii qui sunt infra quintum decimum annum. Pueris vero minori aetate non eadem servetur quantitas, sed minor, quam majoribus, servata in omnibus parcitate.

@ [Col. 1115B] *Carnium vero quadupedum omnino ab omnibus* [Col. 1115C] abstineatur comestio. Editio Colinaei legit, *comestione.* Ex hoc S. Benedictus loco quidam censuerunt usum volatilium olim monachis fuisse permissum. Et ante D. Benedictus quidam catillones, qui tamen religiosi haberi cupiebant, ab esu quadrupedum abstinebant, et volatilia comedebant, in quo sita invehitur S. Prosper Aquitanicus lib. II de Vita contemplativa, cap. 2: «Caeterum si a quadrupedibus abstinentes phasianis altilibus vel aliis avibus pretiosis aut piscibus perfruantur, non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare, nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certe, quod verius est pro stomachi nauseantis teneritudine delictas illas communes et viles abjicere, quo possint aliis, non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere.» Qui ideo se a carnibus abstinere dicebant, quod esum quadrupedum ignorarent, ut planum est ex S. Hieronymo in epist. ad Silvinam [Col. 1115D] de servanda Viduitate: «Procul sint a conviviis

tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus, et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant. Nec ideo te carnibus vesci non putes: si suum, leporum atque cervorum et quadrupedum animantium esculentias reprobes: non enim haec pedum numero, sed gustus suavitate judicantur.» Eaque ratione id sibi in animum inducebant, quod una sit avium et piscium ex aquis origo. Itaque minime credendum est a S. Benedicto tales institui monachos qui pedum numero delicias escarum dijudicent: cum ipse cap. 36 Regulae carnis esu exceptis aegrotis monachos arceat. Nec vero inferri potest quadrupedum interdictione volatilium esum esse permissum. Nam cum unum prohibetur, non statim alterum permitti concludendum est, maxime si jam a legislatore prohibitum est. Ut Levit. 19, cum dicitur: *Non maledices furdo, nec coram coeco pones offendiculum:* Male quidem inferret aliquis ex ejusmodi legibus permitti [Col. 1116A] non surdis maledicere, et videntibus ponere, offendiculum. Quia potest accedere peculiaris ratio ut ejusmodi prohibitio fiat, etiam si alterum expresse non prohibeatur, ut videre est in citato loco Levitici, et in hac cautione S. Benedicti. Potest enim esse peculiaris ratio, ut quadrupedum esus prohibeatur monachis, quia cum quaedam ex eis viliores sint, quis existimaret earum esum non esse monachis interdictum. [Col. 1116B] Non tamen ignoro, quin aliquando concessum fuerit monachis comedere volatilia nempe in solemnitatibus Paschae; Natalis Domini et earum octavis, ut habetur additione. I Capitul. Lud. Imp. tit. 78: «Ut volatilia in Natali Domini et in pascha tantum octo diebus, si est unde, comedant; si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.» Idem patet ex epistola Theodemari abbatis Casinensis ad Carolum Magnum, si tamen illius sit: sunt enim in ea multa castigatione digna. Id confirmatur ex charta Ludovici et Lotharii ad monachos S. Germani a Pratis, quae exstat apud Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. 10. «Volatilia cum ovis de duobus festis, id est, Pascha et Natalis Domini.» Quod vero ultra has solemnitates non fuerit licitum monachis edere volatilia planum est ex eadem additione tit. 8 : Ut volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate nullo tempore comedant.» Et tit. seq.: «Ut nullus episcoporum monachis comedere [Col. 1116C] volatilia praecipiat.» Quare, cum Rabanus lib. II de Vita clericor. cap. 27 ait: «Avium quoque esum credo inde a patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento, de quo et pisces, creatae sunt. Nam in Regula monachorum non invenitur aliarum carnium esum eis interdictum esse, nisi quadrupedum. Haec non sunt ita capienda, ita ut liceat monachis ut plurimum edere volatilia, sed si eis interdum concedatur, id non facere contra hunc expressum Regulae textum juxta quidem Rabani explicationem, qua laxior videtur, ut ex supra dictis patet. Idem dicendum est de hoc textu, qui habetur apud eumdem Rabanum lib. III de Agone Christiano, cap. de gula: «Haec tamen non ita dicimus, quasi monachorum Regulam, quae a quadrupedum esu prohibet, vituperemus.» Sed vide Joannem monachum lib. II Vitae S. Odonis abbatis Cluniacensis, ubi scribit monachum quemdam in aedibus parentum diversantem ad primum volatilis morsum [Col. 1116D] repentina morte interiisse. Itaque S. Odo reformator ordinis praecipuus nunquam ejusmodi esum altilium suis monachis permisit, ut constat ex lib. citato. Quod spectat ad pinguedinem, adipem seu sagimen, etiam prisci illi monachi eo usi sunt: idque ipsis indultum fuit in synodo abbatum Aquisgranensi sub Ludovico Pio tit. 22: «Pinguedinem ad esum, excepto VI feria et XX, diebus ante nativitatem Domini, et septimana illa, quae ante quadragesimam vocatur quinquagesima.» Et tit. 77. Nec est quod quidam recentior per pinguedinem, adipem, et

sagimen oleum interpretetur, cum nulla assertionis suae testimonia proferat. Sed et contrarium constat ex actis S. Meinwerci episcopi Paderbonensis, ubi agitur de Monasterio Helinwardeshusen: cujus abbati jussit praedictus episcopus dare monachis sagimen: «Et data auctoritate (inquit auctor horum actorum) quomodo Dominus Ecclesiae claves beato Petro apostolo tradiderit: Et Ecclesia tantam habens potestatem [Col. 1117B] in generali synodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedum esum, sed carnibus agnatum adipem indulserit, advocatis villicis porcos dari mandavit, de quorum adipe et sagimine cibum fratrum parari jussit.» S. Dunstanus in Conc. Wintoniensi, seu Concordia cap. 2: «In Adventu Domini pinguedo interdicitur scilicet lardi, nisi festivis diebus. Sed haec mera relaxatio inducta ob multiplicitatem divinorum officiorum, ut [Col. 1117C] satis liquet ex capite citato miraculorum S. Hugonis, qui ne quidem ad preces Petri Damiani permittere voluit, ut saltem bis in hebdomade ab sagimine sui monachi abstinerent ob laborem chori. (Vide *Concordiam S.* Dunstani, cap. 3; *Decreta Lantfranci, § 3; librum Miraculorum S.* Hugonis abbatis Cluniacensis, cap. 19; statuta Petri venerabilis, cap. 10; *Visitatorium monasterii Culturae Cenoman.* ms.) Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, praeter omnino debiles et aegrotos.

[Col. 1117A]

§ II.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 3).

@ [Col. 1117C] *Cibus sit vilis, etc.* Habentur in Regula ms. S. Columbani cod. Flor. Vilis debet esse cibus monachorum; quia supervacaneum est lautitias in jejunio quaerere: idem docet S. Hieronymus epist. ad Paulinum: *sit utilis et vespertinus cibus* **(Ep. III)**. Ubi sane legendum est *vilis.* Cibus sit vilis et

@ [Col. 1117C] *Vespertinus.* Non ita stricte sumitur hoc vocabulum. Nam vespertinus cibus est, qui non solum vespere, sed etiam hora nona, id est, tertia post meridiem, cum sol ad vesperum vergere incipit, sumitur. Siquidem monachi S. Columbani feria quarta [Col. 1117D] et sexta reficiebant hora nona, ut planum est ex ejus Poenitentiali ms.: «Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducet, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua.» vespertinus monachorum, satietatem fugiens; et potus ebrietatem, ut et sustineat, et non noceat. Olera, legumina, farina aquis mixta cum parvo

@ [Col. 1117D] *Panis.* Lege *pane, ut in Regula cod.* Flor. et in editione Insulae, ut sit appositio. panis paximatio: ne venter oneretur, et mens suffocetur. Etenim

@ [Col. 1117D] *Utilitati.* Nempe spiritali. utilitati

@ [Col. 1117D] *Et usui.* Vitae corporalis. Quasi diceret: ita cibus temperandus est, ut animae simul et corpori prosit. et usui tantum consulendum est aeterna desiderantibus praemia. Et ideo temperandus est vitae usus, sicut temperandus est labor. Quia haec vera discretio, ut possibilitas spiritalis profectus cum abstinentia carnem macerante

@ [Col. 1117D] *Retentetur.* Ita in editione Parisiensi et Insulae. In cod. Flor. *sustentetur.* retentetur.

@ [Col. 1117D] *Si enim modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus erit.* Aurea mediocritas, beata discretio, quae virtutes fovet, et auget, virtutum mater, et lux animi: cui uni primas dedit magnus Antonius. Μέτρον ἄριστον. Id est, modus optimus, inquit Cleobulus. *Philosophorum quoque sententia est* μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι, id est, «mediocritates esse [Col. 1118B] virtutes, excessus vitia.» Inquit S. Hieronymus

in epist. ad Demetriadem. Unde praeclare docet idem Columbanus cap. 8 Regulae: Discretio monachis quam sit necessaria, multorum error ostendit, et aliquorum ruinae demonstrant, qui sine discretione incipientes et absque moderatrice scientia degentes vitam finire laudabilem non potuerunt. Quia sicut sine via tendentibus error evenit, ita sine discretione viventibus excessus in promptu est, qui semper virtutibus [Col. 1118C] in medio inter utramque nimietatem positis contrarius est.» Id a Deo edocta per S. Adalricum didicit B. virgo et martyr Wiborada, quae in monasterio S. Galli reclusa carnem jejuniis et vigiliis immoderatis opprimebat: sed ab Angelo monitus B. Adalricus ad eam venit, Deique voluntatem, ut aliquid de tam dura, et aspera vitae ratione remitteret, aperuit (Acta sanctae Viboradae). Ergo noscenda est mensura sui, quid valeant humeri, quid vires ferre recusent. Nam, ut sapienter monet Seneca lib. de Tranquillitate animae, «necesse est opprimant onera, quae ferente majora sunt.» Si enim modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus erit. Virtus enim multa sustinet bona et continet. Ergo quotidie jejunandum est, sicut quotidie reficiendum est. Et dum quotidie reficiendum est, vilius et parcius [Col. 1117B] corpori indulgendum. Quia ideo quotidie edendum est,

@ [Col. 1118C] *Quia quotidie reficiendum est.* Lege, *proficiendum est, ut Regula ms.* cod Flor. et editione Parisiensi, et Insulae. Sed τό *quia videtur redundare.* quia quotidie reficiendum est. Sicut quotidie orandum est, quotidie laborandum est, quotidie legendum est.

§ III.---ITEM EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 11).

@ [Col. 1118C] *Per omnem autem, etc.* Haec videre est in Regula S. Isidori excusa cap. 9. Per omnem autem hebdomadam fratres viles olerum cibos et pallentia

@ [Col. 1118C] *Utantur.* In Regula edita legitur, *habeant.* utantur legumina. In [Col. 1118A] diebus vero sanctis

@ [Col. 1118C] *Interdum.* In Regula excusa habetur, *inducant.* interdum cum oleribus

@ [Col. 1118D] *Levissimarum carnium.* Quantitatem tangit, non qualitatem, ut ex sequentibus clarum est. levissimarum carnium alimenta. Non enim erit ad saturitatem reficiendum corpus, ne forte intereat animus.

@ [Col. 1118D] *Nam ex plenitudine ventris cito excitatur luxuria carnis.* Recte. Huc spectat illud Tertulliani lib. adversus Psychicos: «Per edacitatem transit salacitas.» Et paulo ante: «Monstrum scilicet haberetur libido sine gula.» Nam ex plenitudine ventris cito excitatur luxuria carnis. Qui autem appetitum edacitatis reprimit, sine dubio lasciviae motus restringit. Tanta cum discretione reficiendum est corpus, ut nec nimia abstinentia debilitetur, nec superflua edacitate per lasciviam moveatur. In utroque enim temperantia adhibenda est, scilicet ut et vitia carnis non praevaleant, et

@ [Col. 1118D] *Virtus.* Id est, vires. virtus ad ministerium bonae operationis sufficiat. Quicunque ad mensam residens a carnibus et vino se abstinere voluerit, non est prohibendus. Abstinentia enim non prohibetur, sed potius collaudatur; tantum ne ex contemptu creatura Dei [Col. 1118B] humanis concessa usibus exsecretur.

§ IV.---*Item ex eadem* (capite ipso).

@ [Col. 1118D] *In utrisque temporibus.* Videlicet aestatis, hiemis, quibus continentur ver et autumnus. In utrisque temporibus refectio mensae tribus erit pulmentis, olerum scilicet

et leguminum; et si quid
@ [Col. 1118D] *Tertium.* Ab oleribus et leguminibus. tertium fuerit,
@ [Col. 1118D] *Pomorum.* In Regula excusa, *id est, pomorum.* pomorum.
@ [Col. 1118D] *Ternis quoque poculis.* Juxta Ausonium in gripho:

Ter bibe. . . . . Augustus imperator in castris ad Mutinam ter duntaxat bibebat, ut refert Suetonius cap. 77. Ternis quoque poculis fraterna reficienda est sitis. In observatione autem Quadragesimae, sicut fieri solet,
@ [Col. 1118D] *Post expletum jejunium.* Id est, cum hora refectionis advenerit. In Reg. excusa legitur, *exemptum.* post expletum [Col. 1119A] jejunium pane solo
@ [Col. 1119C] *Vel aqua.* Particula *vel hoc loco sumitur copulative.* vel aqua contenti omnes erunt. Vino autem et oleo omnes abstinebunt.

§ V.---*Item ex eadem* (capite ipso).

Laici
@ [Col. 1119C] *Ministri.* Ita in Regula excusa. Haec tamen vox redundare videtur, ut patet ex sequentibus. ministri mensis monachorum nullatenus intererunt. Neque enim potest illis mensae communis esse locus, quibus est diversum propositum. Monachi autem cum a mensis surrexerint, ad orationem omnes concurrant.
@ [Col. 1119C] *Quod mensae redundaverit, etc.* Optima institutio. Hinc monachi facile aliquid ventri subducunt, in pauperum usus seponendum. Quod mensae redundaverit, omni cura servatum egentibus dispensabitur. In refectione monachorum a diebus Pentecostes usque ad autumni principium tota aestas
@ [Col. 1119C] *Interdiana prandia.* Nempe cum alternis diebus fiunt prandia et jejunia; quod clarius ipse Isidorus explicat cap. 11: «Secundum jejunium interdianum post Pentecosten alia die inchoatum usque ad aequinoctium autumnale protenditur, ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas propter aestivos solis ardores jejunium celebratur.» interdiana prandia invitat.

§ VI.---EX REGULA SANCTI FERREOLI EPISCOPI (cap. 34).[Col. 1119B]

Illud itaque statuimus ut ad mensam fratribus congregatis, de his quae apponuntur
@ [Col. 1119C] *Nemo alterius aut praesumat aut rapiat portionem.* Frequentius quam alii manum mittendo in catinum. nemo alterius aut praesumat aut rapiat portionem, nec frequentius caeteris manum
@ [Col. 1119C] *Parapsidi.* Dicitur et *paropsis,, de quibus Hesychius:* Παραψίδες ἢ παροψίδες τὰ μεγάλα τρυβλία, id [Col. 1119D] est, «Parapsides et paropsides magni catini.» S. Isidorus lib. XX, cap. 4: «Parapsis quadrangulum et quadrilaterum vas, id est, paribus apsidis.» parapsidi importunus immergat, propter illud Apostoli: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est* **(I Cor. XI)**. Et iterum: *Esca ventri, et venter escis, Deus autem hunc et haec destruet* **(I Cor. VI)**. Et iterum: *Non est regnum Dei esca et potus;* sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto **(Rom. IV)**. Et iterum: *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt* **(Rom. XVI)**. Et iterum:
@ [Col. 1119D] *Quorum Deus venter.* Deest verbum substantivum *est, juxta textum*

Graecum: ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, καὶ δόξα, κ. τ. λ., id est, *quorum Deus venter, et gloria, etc.,* quod tamen habetur in Vulgata versione. *Quorum Deus venter, et gloria in confusione ipsorum* **(Phil. III)**.

§ VII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 50).

@ [Col. 1119D] *Carnes in cibo, etc.* S. Caesarius, cap. 17 Recapitulationis: «Carnes vero a nulla unquam penitus in cibo sumantur.» Carnes in cibo nunquam sumantur.

@ [Col. 1119D] *Pulli vero, etc.* Ex eodem capite ejusdem Recapitulationis: «Pulli vero infirmis tantummodo praebeantur; nam in congregatione nunquam ministrentur.» Pulli vero [Col. 1120A] et altilia cuncta in congregatione non ministrentur, infirmis tantum praebeantur, et accipere liceat. Pisces vero certis festivitatibus, aut quando sanctus abbas indulgentias facere voluerit, tunc procurentur.

§ VIII.---*Item ex eadem.*

@ [Col. 1119D] *Cibaria quotidie ad refectionem tria.* Quaedam sit illa refectio, distincta a prandio et coena, obscurum est dicere. Nam olim ter in die monacho edere piaculum erat. Itaque puto toto hoc capite refectionem [Col. 1120C] sumi pro unica illa comestione quae fit hora nona, id est, tertia postmeridiana, seu vesperi jejuniorum diebus: ac proinde S. Aurelianus auget in ea numerum ferculorum et potionum, ut S. Caesarius, quem Aurelianus sequitur, illis diebus instituit, ut habetur cap. 16 Recapitulationis: *Cibaria omnibus diebus in jejunio tria.* Cibaria quotidie ad refectionem tria,

@ [Col. 1120C] *Ad prandium duo, ad coenam duo.* Diebus in quibus non jejunatur. ad prandium duo, ad coenam duo.

@ [Col. 1120C] *Bibere.* Supple *concedatur, aut quid simile.* Bibere ad refectionem, id est, in aestate

@ [Col. 1120C] *Merum.* Vide superiori cap. ad S. Caesarium. merum et tres

@ [Col. 1120C] *Caldellos.* Caldellus est vasculum potorium cervisiae, aut zythi; nam distinguit caldellum a mero Magister cap. 27: «Post ergo primos meros aestivo tempore ad refectionem tam sextae quam nonae caldelli omnibus quaterni sufficiant extra illum merum.» Caldelli mentio fit in Recapitulatione Caesarii, cap. 16: «Quotidianis vero diebus ad prandium in [Col. 1120D] aestate binos, ad refectionem ternos caldellos accipient.» caldellos, ad prandium tres tantum: ad coenam in aestate mensibus Junio, Julio et Augusto ternos. Reliquis vero diebus ad coenam binos bibant. In festivitatibus vero et quando abbas indulgentias voluerit facere, et cibaria, quantum ipse voluerit,

@ [Col. 1120D] *Et recentes.* Videtur deesse vox *panes* aut *fructus.* et recentes addantur. Quotidiana vero olera caseo et oleo semper condiantur.

@ [Col. 1120D] *Juniores binos, etc.* Ex S. Caesario, capite citato: «Juniores vero ad prandium, ad coenam, ad refectionem binos.» Sed puto legendum: *Juniores vero ad prandium binos, ad coenam binos, ad refectionem ternos.* Nam S. Aurelianus, qui sumpsit ex S. Caesario, ait: *Si jejunaverint, ternos.* Et refectio hoc loco Caesarii sumitur pro unica comestione quae fit jejunii diebus. Juniores binos ad prandium, binos ad coenam [Col. 1120B] accipiant; si jejunaverint, ternos.

§ IX.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 26).

@ [Col. 1120D] *Sufficere credimus, etc.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb.

eod. cap. 26. Sufficere namque credimus ad refectionem quotidianam, tam sextae quam nonae, omnibus

@ [Col. 1120D] *Mensibus.* Ita habetur apud Smaragdum et in cod. Vind. Vide superius adnotata ad S. Benedictum In cod. Corb. legitur, *mensis, male.* mensibus cocta duo pulmentaria, et tertium quodcunque fuerit crudum cum pomis. Medius panis pensans libram singulis fratribus in die sufficiat secundum formam divinae dispensationis, cum medium panis

@ [Col. 1120D] *Coelestis.* Epitheton ad τὸ *panis, refertur;* qui coelestis dicitur, quia a Deo missus. coelestis corvus Paulo servo Dei quotidie vescendum paraverit. Quando ergo ad sextam horam tempore aestivo vel aliis temporibus reficiunt, tertia quadra ipsius Dominici panis a cellarario subtracta sera ante illud crudum pulmentarium inferendum mensis ponatur. Et ideo in cellario diximus eas quadras [Col. 1121A] de omnium annonis

@ [Col. 1121B] *Antecessus.* Ita in Regula ms.; lege tamen, *ante sessus, id est, ante sessiones, seu antequam sedeant fratres in mensa.* antecessus subtrahi, ne forte cum integrae annonae in mensis fuerint positae, et forte adveniens frater novitius nesciens adhuc mensuram Regulae putet sibi iterato ad coenam reponi, ad prandium explicet totum, et sera cum pomis habeat nihil: aut frater multum edere amans, quamvis mensuram noverit Regulae, cum petenti Regulae vult satisfacere, ad horam totum eligat manducare, et ad seram putet se esse contemptum. Quae omnes quadrae cum fuerint in cellario reservatae, sera

@ [Col. 1121B] *Ejectae.* Id est, eductae e cellario. ejectae, et in mensa abbatis, et ab eo signatae, sicut consuetudo ostendit, prius sibi

@ [Col. 1121C] *Vel mensae suae.* Particula *vel hoc loco est copulativa,* pro *et;* nam sibi et mensae suae, hoc est, iis qui una accumbunt, quadras sumit abbas. vel mensae suae tollat, et residuae a cellarario levatae per singulas mensas ponantur

@ [Col. 1121C] *Tollentibus.* Id est, sibi accipientibus. tollentibus: ut ipsae solae partes cum crudo quocunque pulmentario mixto cum pomis, vel [Col. 1121B] si quid de pulmentariis prandii remanserit, fratrum coenae sufficiant. Nam die Dominico, vel aliis diebus festis,

@ [Col. 1121C] *Sed et propter extraneas advenientes personas.* Monachi olim propter hospites plenius procurabantur, ut videre est add. I Cap. Lud. imp., tit. 29: «Si vero propter hospitem voluerit (abbas) ad solitam mensuram fratribus, sibique augere aliquid, in ejus maneat potestate.» sed et propter extraneas advenientes personas quovis die

@ [Col. 1121C] *Quidquid.* In Regula ms. sequitur, *addere;* recte. quidquid abbas in cibo voluerit, ut pote majori conceditur,

@ [Col. 1121C] *Vel dulciorum aliqua.* Quae vulgo dicuntur dulciamina, quae subinde recreationis causa dabantur monachis, maxime diebus festis, ut statuit Magister, sive solemnioribus, ut S. Caesarius in Recapitulatione, cap. 16: «In festivitatibus majoribus ad prandium et ad coenam fercula addantur, et recedentibus de ea dulciamina addenda sunt.» Huc spectat illud Pachomii art. 17: «Qui ante fores convivii [Col. 1121D] egredientibus fratribus erogat dulciamina, in tribuendo meditetur aliquid de Scripturis,» quae verba sunt de solemnitatibus intelligenda. vel dulciorum aliqua secundum testimonium quod legitur in Vitis Patrum. Ubi pro diebus festis delicatum petierunt a Domino cibum, et apparuit eis cum favo angelus. Tantum est ut consideret aequalitatem, et fugiat corruptibilem nimietatem. Minoribus vero duodecim annis minus

a libra panis in die sufficiat.

[Col. 1122A]

§ X.---EX REGULA CUJUSDAM.

Mensae administratio vel observatio quanta aequalitate vel sobrietate percurri debeat, abbatis scientia est trutinandum, ut in omnibus, sicut decet Dei ministros, religionis vigeat fomes. Ministrandus est namque omnibus aequa libratione tam potus quam cibus, prout tempus, sive solemnitates, sive abstinentiae, sive quotidiani usus poposcerint. Quotidianis enim diebus

@ [Col. 1121D] *Sufficere.* Lege, *Sufferre, ut in cod.* Vind. sufficere credimus duo fercula, exceptis pomorum donis, leguminibus, vel de oleribus

@ [Col. 1121D] *Conferta.* Ita in cod. Vind. pro *confertione.* Sed de ejusmodi vocabulis infra. conferta, seu farinae qualibet conspersione. Omnibus etenim aequa mensura ministrandum, praeter si aetas infirmior, quae sustinere non valeat, aut aegritudo corporis, et

@ [Col. 1121D] *Novellae conversionis novitas improbata.* Id est, novitii nondum sufficienter probati. novellae conversionis novitas improbata sufficere non queat; quod abbatis judicio [Col. 1122B] pensandum est.

@ [Col. 1121D] *Potus vero si sicerae.* Particula *si redundat.* Quid sit sicera docet Hesychius: Σίκερα οἶνος συμμιγὴς ἡδύσμασι, ἢ πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην, μὴ ἐξ ἀμπέλου δὲ σκευαστὸν συνθέτον id est, «Sicera vinum mixtum aromatibus, vel omnis potio gignens ebrietatem, quae non sit composita ex fructu vitis.» Suidas: Σίκερα σκευαστὸν πόμα, καὶ παρ᾽ Ἑβραίοις οὕτω λεγόμενον μέθυσμα, οἶνος συμμιγὴς ἡδύσμασι ἐκ τοῦ συγκεκρᾶσθαι, id est, «Sicera potio praeparata confecta, apud Hebraeos sic dicta potio inebrians: vinum aromatibus conditum, ab eo quod commiscetur dictum.» [Col. 1122B] Duas hic tangit etymologias, primam, quae est Haebraica, ab inebratione: nam שכר , *schecar,* id est sicera a radice שכר , *schacar, id est inebriare;* unde Tertullianus, lib. adversus Psychicos appellat [Col. 1122C] ebriamen; alteram Graecam a commixtione, sed impropriam. S. Methodius lib. de Castitate, apud Photium in Bibliotheca, n. 237: Σίκερα πᾶν τὸ μέθην φέρον μετὰ τὸν οἶνον τὸν ἐξ ἀμπέλων, id est, «Sicera id omne quod infert ebrietatem, post vinum ex vite factum.» Theodorus Balsamon in canonem 3 apostolorum: Σίκερα δ᾽ ἐστι πᾶν τὸ ἄνευ οἴνου μέθην ἐμποιοῦν, id est, «Sicera est omne id quod sine vino ebrietatem inducit.» S. Isidorus lib. XX. Orig., cap. 3: «Sicera est omnis potio quae extra vinum inebriare potest, cujus licet nomen Hebraeum sit, tamen latinum sonat, pro eo quod ex succo frumenti et pomorum conficiatur: aut palmarum fructus in liquorem exprimantur, coctisque frugibus aqua pinguior, quasi succus colatur.» Sed haec ex S. Hieronymo, ep. 2, ad Nepotianum, apud quem male legitur: *coloratur* pro *colatur.* Ex his sciendum est siceram dupliciter sumi, primo pro vino ex aromatibus condito, quod posteriores vocaverunt pigmentum, [Col. 1122D] secundo pro potione omni quae extra vinum inebriare potest ex variis frugibus confecta, idemque est quod cervisia, et ita hoc loco sumitur. Potus vero [si] sicerae liquoris,

@ [Col. 1122D] *Id est, cervisiae.* Quid sit cervisia satis liquet ex Plinio, lib. XXII, cap. ult.: «Ex iisdem (frugibus) fiunt et potus zythum, in Aegypto coelia, et ceria in Hispania,

cervisia et plura genera in Gallia.» S. Isidorus c. citato: «Cervisia a cerere, id est fruge, vocata: est enim potio ex seminibus frumenti vario modo confecta.» id est, cervisiae, mensura solita tribuatur.

@ [Col. 1122D] *Si voluntas.* Lege: *Si vel aestas.* Si voluntas fuerit, vel labor, vel festus dies, vel

@ [Col. 1122D] *Hospitis adventus.* Lege: *Hospitis advenientis.* hospitis adventus pia precatio exagitaverit,

@ [Col. 1122D] *Vino potio.* In cod. Vind., *vini potio,, sed prior lectio praestat.* Nam hic Pater non quotidie monachis vinum permittit. vino potio augenda est. Et si duabus vicibus reficiendum sit,

@ [Col. 1122D] *Praeter vini potionem.* Id est, excepta vini potione. praeter vini potionem

@ [Col. 1122D] *Similis regula servetur.* De solita mensura cervisiae. similis regula servetur. Festis vero diebus, pro reverentia sanctae solemnitatis, pluribus cibis, id est, ternis, vel quaternis sunt corpora reficienda: sic tamen ut, si plura sunt cibaria numero, sint minora: ut corpora necessario cibo reficiantur, non nimia satietate damnentur. Sedentes [Col. 1123A] vero ad mensam fratres nullus alterum comedentem sublimatione oculorum respiciat, nec alterius mensuram cibi vel potus iniqua consideratione oculorum respiciat. Quando in mensam cibus administratur, nullus prius cibum comedat, quam signum ad benedicendum insonet. Abbas vero vigilet ut confestim, cum cibus ministratus fuerit, signum tangere procuret, et omnes, cum signum audierint,

@ [Col. 1123C] *Una voce benedictionem rogent.* Dicentes: *Benedicite.* una voce benedictionem rogent: quorum vocem abbas subsequatur dicens: *Dominus dignetur benedicere.* Hoc ad omnia fercula vel pomorum ac potus administrationem observandum est. Illud praecipue decernimus ut nullus alteri dare ex mensura sua vel accipere ab altero praesumat praeter abbatem, vel praepositum, cui ab abbate commissum est. Si vero

@ [Col. 1123C] *Aut novitate.* Adventus in religionem, et ideo nondum plane Regulam monasterii novit. aut [Col. 1123B] novitate, aut temeritate aliquis haec quae supra diximus fuerit transgressus, disciplina Regulae corrigatur pro praesumptae temeritatis audacia.

§ XI.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI.

@ [Col. 1123C] *Carnem cuiquam nec gustandi, etc.* Habetur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracar. cap. 5. Hic locus de carnibus profertur de Consecratione, distinct. 5, p. 8, sed truncatus; caetera producuntur a glossa. Carnem cuiquam nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia. Non quod creaturam Dei judicemus indignam, sed quod carnis abstinentia utilis et apta monachis aestimetur. Servato tamen moderamine pietatis erga aegrotorum necessitudines, vel longe proficiscentium qualitates: ut et volatilium esibus

@ [Col. 1123C] *Infirmi.* Hoc vocabulum non habetur in glossa citatae distinctionis. infirmi sustententur,

@ [Col. 1123C] *Et longinquo itineri destinati.* Hoc juxta aequitatis rationem instituit S. Fructuosus ob longioris itineris fatigationem, debilitatem, et morbos qui in [Col. 1123D] ipso possunt occurrere. Notent multi hujus aetatis monachi, qui, ubi pedem e limine monasterii extulerint, sibi carnium esum licitum arbitrantur; et dedita opera saepius ad saecularium aedes convolant, ut ibi se carnibus et sagina ingurgitent: quasi vero de loco

et domesticis parietibus, aut non potius de gula a Deo judicandi sint. et longinquo itineri destinati:

@ [Col. 1123D] *Sicut a principe.* Lege, ut in Regula ms., *Si aut, etc.;* in glossa citatae distinctionis legitur: *Si autem.* sicut a principe

@ [Col. 1123D] *Vel episcopo.* Contra tamen additione I Capitul. Lud. imp., tit. 9, statuitur, *ut nullus episcoporum monachis volatilia comedere praecipiat.* S. Goswinus abbas Aquicinctensis, episcopis et archiepiscopis, cardinalibus, ut carnes ederet praecipientibus, contrarius exstitit, quemadmodum ejus Acta testantur. vel episcopo

@ [Col. 1123D] *Sperantur, Ita in Regula ms.;* in glossa citata legitur, *invitantur.* sperantur, pro benedictione, et obedientia degustare non metuant, servantes apud se de reliquo continentiam. [Col. 1123C] Quod si quis monachus voluerit, et contra sanctionem Regulae usumque,

@ [Col. 1123D] *Veternum.* Ita in Regula ms. et in cod. Vind. id est, veterem, sumiturque adjective. veternum vesci carnibus praesumpserit, sex mensium spatio retrusioni et poenitentiae subjacebit.

@ [Col. 1124C] *Vivant.* Id est, Vescantur. Vivant enim solis oleribus [Col. 1124A] et leguminibus, raroque pisciculis

@ [Col. 1124C] *Fluvialibus.* In Regula ms.; *flumineis.* fluvialibus, vel marinis, et hoc ipsum, quoties opportunitas fratrum,

@ [Col. 1124C] *Vel festivitas solemnitatis dederit alicujus.* Non modo laici Christiani et clerici, sed etiam monachi Dominicis et festis diebus lautius epulabantur, ut constat ex S. Hieronymo, epist. ad Eustochium: «Festus est dies, et natalis sancti Petri festivius est solito condiendus.» Ex Regula S. Isidori, cap. 9; S. Aureliani, cap. 50; S. Caesarii, in Recapitulatione, cap. 16; cujusdam Patris monachorum, et Magistri cap. 26. Id etiam constat ex Vita S. Leutfridi abbatis, cap. 2; ex vita Apollonii, apud Palladium et Rufinum, et Vita Candidae, apud eumdem [Col. 1124D] Palladium, et ex multis aliis Vitis Patrum. vel festivitas solemnitatis dederit alicujus, servata in his vel similibus discretione majoris.

§ XII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 92).

Interrog.

@ [Col. 1124D] *Qui non vult, etc.* Haec reperiuntur apud S. Basilium, interr. 131, et apud Rufinum, cap. 50. Qui non vult his cibis vesci, ex quibus fratres reficiunt, sed alios requirit, si recte facit?---*Resp.*

@ [Col. 1124D] *Specialiter hoc ipsum.* Lege, *specialiter quaerere cibum, hoc ipsum contra mandatum est Domini.* In textu Graeco καθόλον, id est, in universum. Specialiter hoc ipsum quaerere cibum, contra mandatum est Domini dicentis: *Nolite quaerere quid manducetis, vel bibatis* **(Luc. XII)**. Et ut magis nos

@ [Col. 1124D] *Attentos.* Ita apud Rufinum, sed videtur legendum, *attonitos, quia in textu Graeco legitur,* καταπληκτικώτερον ἐπενεγκόντος, id est, et ut magis obstupefaceret, hoc est, attonitos faceret. attentos faceret ad ea quae dicebat, addidit: *Haec enim gentes inquirunt* **(Matth. VI)**. Sane debet sollicitudo esse ei qui praeest, ut impleat illud quod scriptum est: *Dividebatur autem unicuique, secundum quod opus erat* **(Act. IV)**.

[Col. 1124B]

§ XIII.---*Ex eadem* (cap. 92).

Interrog.
@ [Col. 1124D] *Qui dicit, etc.* Habetur apud S. Basilium, interr. 132 Regul. brev., et apud Ruf., cap. 50. Qui dicit, quia laedit me hoc, et contristatur si ei alius cibus non fuerit datus?---*Resp.* Apparet quia hic non est fixus in spe illa quam
@ [Col. 1124D] *Eleazarus.* Ita in cod. Vind, In textu Graeco et apud Rufinum legitur, *Lazarus, sed male;* nam respicit ad senem illum Eleazarum qui mori maluit quam carnes suillas edere, ut habetur II Mach. cap. 6. Eleazarus habuit. Nec de charitate ejus qui praeest, et sollicitudinem tam sui quam omnium gerit, certus est. Verumtamen absolute neque de his quae laedunt, neque de his quae prosunt, permittitur unicuique suo judicio vel voluntate aliquid agere, sed ejus, qui praeest, judicio committendum est: ut unicuique, prout res vel necessitas expetit, consulat, tunc deinde secundo loco etiam ut in corporalibus usibus secundum Dei voluntatem moderetur.

§ XIV.---*Item in eadem Regula* (cap. 93
@ [Col. 1124D] Apud sanctum Basilium, interrog. 137; Rufinum, cap. 50.)[Col. 1124C]

Interrog. Si oportet eum qui plus laborat, requirere plus aliquid a consuetudine?---*Resp.* Si propter retributionem Dei laborem suscepit, non hic requirere debet laboris mercedem vel requiem, sed pro [Col. 1125A] his ad promissa festinare, sciens quia sicut pro laboribus mercedes paravit Dominus, etiam pro angustiis consolationes. Verumtamen hi qui praesunt, observabunt regulam illam quae dicit: *Dividebatur unicuique, prout opus erat* **(Act. IV)**. Debet enim unumquemque praevenire, ut secundum laborem etiam solatia refectionis inveniat.

§ XV.---*Item ejusdem Regulae* (cap. 8).

Interrog.
@ [Col. 1125D] *Si oportet eum.* Exstat apud S. Basilium, interr. 16 Regul. fusius disputatarum, et apud Rufinum, cap. 9. Si oportet eum qui se piae ac religiosae vitae dederit etiam continentiam observare?---*Resp.* Quia in omnibus necessaria sit continentia, manifestum est. Primo omnium et ex eo quod Apostolus Paulus inter fructus Spiritus sancti etiam continentiam nominat **(Gal. V)**. Tum deinde etiam immaculatum ministerium per hanc servari posse designat, [Col. 1125B] cum dicit: *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate* **(II Cor. II)**. Et iterum: *In labore et fatigatione, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis frequenter* **(II Cor. VI)**. Et iterum: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus continens est* **(I Cor. IX)**. Et iterum: *Macero corpus meum, et servituti subjicio* **(I Cor. IX)**. Quod utique non aliter quam per continentiam videtur impleri. Et juventutis tumor ac fervor aetatis velut fraeno restringi et reprimi per solam continentiam potest.
@ [Col. 1125D] *Non expediunt stulto deliciae.* In versione commmuni: *Non decent stultum deliciae.* Non enim expediunt stulto deliciae, secundum Salomonem **(Prov.. XIX)**. Et: *Carnis* curam, inquit Apostolus, *ne feceritis in concupiscentiis* **(Rom. XIII)**. Et iterum:

@ [Col. 1125D] *Vidua quae in deliciis vivit, mortua est.* Lege, ut apud Rufinum: *Vidua, quae in deliciis est, vivens mortua est, ut in Apostolo:* Nam quae in deliciis est, vivens mortua est: καὶ σπατολῶσα ζῶσα τέθνηκεν. Ubi σπαταλῶσα, a σπαταλῶ, *delicias ago, in glossi veteribus.* Apud Hesychium, σπαταλᾷ, τρυφᾷ, id est, deliciose vivit. Hinc σπατάλη, lascivia, deliciae. Male [Col. 1126D] apud Suidam σπατάλη, τροφή. Legendum enim, τρυφή, id est, deliciae. *Vidua, quae in deliciis vivit, mortua est* **(I Tim. V)**. Sed exemplum illud divitis in deliciis viventis necessariam [Col. 1125C] nobis ostendit esse continentiam, ne forte et nos audiamus quod audivit et dives: *Quia consecutus es bona in vita tua* **(Luc. XIV)**. Quomodo autem incontinentia periculosa sit, etiam Apostolus docet, cum eam proprie illis ascribit, quos recedere a Domino dicit; ait enim: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa:* erunt enim homines seipsos amantes **(I Tim. III)**. Et cum plura malitiae genera enumerasset, ad ultimum posuit:

@ [Col. 1126D] *Comessores.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco Apostoli, διάβολοι, id est, criminatores. *Comessores, incontinentes, immites.* Sed et Esau malorum suorum quasi fomitem habuit incontinentiam, qui pro uno cibo vendidit primitiva sua **(Gen. XXV)**. Sed et illa prima praevaricatio non aliunde homini nisi per incontinentiam accidit. Omnis sanctorum vita, atque ipsius Domini in carne positi, praesentia quae nobis alia nisi continentiae [Col. 1125D] proponit exempla? Moyses quoque dum continuato quadraginta dierum jejunio astitisse indefessus dicitur Deo, et meruisse legis auxilium humano generi deferre **(Exod. XXIV)**. Elias quoque visione Dei tunc dicitur [Col. 1126A] dignus effectus, cum et ipse simili spatio temporum a cibo se continuisse scribitur **(III Reg. IX)**. Sed et Daniel et trium puerorum meritum apud Deum, quo de omnibus inimicis suis, et de ipso tyranno triumphum coeperunt **(Dan. I)**, non aliunde nisi per continentiam venit. Joannis autem omnis vita continentia fuit. Ab hac etiam Dominus manifestationis suae initia prima patefecit. Continentiam autem dicimus, non quod a cibo penitus abstinendum sit, hoc est enim violenter vitam dissolvere, sed eam qua vitae usus non superfluus, sed necessarius constat: cum refugimus quod suave est, explemus ea quae sola corporis necessitas exposcit: et, ut breviter dicam, omnia quae per passibilem concupiscentiam requiruntur, ab his abstinere virtus est continentiae. [Col. 1126B] Et ideo ergo non solum in esu cibi et, in libidine continentiae virtus agnoscitur, sed cum ab omnibus, in quibus

@ [Col. 1126D] *Delectamur quidem hic.* Desiderari videtur τὸ *corpore.* delectamur quidem, sed in anima laedimur, abstinemus. Verus ergo continens nec gloriam humanam desiderat, sed a vitiis se continet, et ab ira, et a tristitia, et omnibus quae occupatas tenere consueverunt ineruditas animas et incautas. Pene autem in omnibus mandatis Dei hoc inveniemus, quod unum alteri cohaeret, et separatum aliud ab alio compleri impossibile est. Id tamen praecipue in hac ipsa continentia deprehenditur, quoniam quidem humilis ille deprehenditur, vel judicatur, qui se a superbia continet; et ille renuntiat omnibus facultatibus suis, et secundum Evangelium vendit omnia sua, et dividit, qui sine dubio continet se a pecunia [Col. 1126C] et desiderio. Sed et mansuetus ille erit qui iram continet et cohibet furorem. Quid vero jam vagos oculi visus, et auris auditus, et linguae intemperantiam, aliud quam continentia moderatur et cohibet? Sed et intemperatos risus continentia coercet. Et

@ [Col. 1126D] *Sicut in continentiae signum, etc.* Haec habentur apud S. Basilium circa initium capitis sequentis, quod integrum non profertur. sicut incontinentiae signum est,

inordinatis et incompositis moribus agere in risu, cum utique subridendo tantummodo laetitiam mentis oporteat indicari. Indecorum autem est sic crepitantem cum sonitu elevare risum, quod certum est per incontinentiam mentis accidere. Solet etiam evenire invitis, quae res gravitatem et constantiam animi emollire ac resolvere solet. Unde et apud Salomonem,

@ [Col. 1126D] *Risui, inquit, dixi amentiam.* Haec sententia non reperitur in textu Graeco S. Basilii, ut nec et illa: *Vae vobis, etc. Risui* inquit, *dixi amentiam* **(Eccli. II)**. Et: *Sicut vox spinarum* [Col. 1126D] *sub olla:* ita risus stultorum **(Eccli. VII)** Et [Col. 1126D] iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam:* vir autem sapiens vix tacite ridebit **(Eccli. XX)**. Ostendit autem Dominus in semetipso necessarias quidem carnis habuisse passiones, id est, quae virtutis, ferrent [Col. 1127A] testimonium, velut laborem, fletum et tristitiam. Nusquam autem invenitur risu usus, quantum ad historiam pertinet Evangelii, sed et flere magis invenitur eos qui rident, dicens: *Vae vobis qui nunc ridetis, quia flebitis* **(Luc. II)**. Nec enim seducere nos debet similitudo nominis risus. Mos namque est Scripturae interdum laetitiam animi affectumque laetiorem risum nominare, sicut ibi Sara inquit: *Risum fecit mihi Dominus* **(Gen. XXI)**. Et iterum:

@ [Col. 1127D] *Beati qui flent.* Ita apud Rufinum. Est tamen secunda persona Luc. VI. *Beati qui flent nunc, quia ridebunt* **(Luc. VI)**. Et in Job quod dictum est:

@ [Col. 1127D] *Os veracium implebitur risu.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco Basilii, ubi locus citatur ex Job, ita habetur: ἀληθικὸν στόμα ἐμπλήσει γέλωτος. Id est, *os verax implebit risu.* Lege tamen ἀληθινῶν, id est *veracium, juxta septuaginta, quos hic sequitur S.* Basilius. In versione communi: *Donec impleatur risu os tuum, juxta textum Hebraicum. Os autem veracium replebitur risu* **(Job VIII)**. Haec enim omnia nomina pro gaudio animae accipiuntur. Qui ergo liber est ab omni passione, et nihil per incitamenta libidinum gerit, sed continenter et sobrie adversus omne quod potest [Col. 1127B] laedere nititur, hic perfecte continens dicitur; qui et sine dubio per hoc alienus invenitur ab omni genere peccati. Libido namque est totius mali muscipula, et per hanc omnes decipimur ad peccatum: per quam qui non resolvitur, neque inclinatur ab ea, omne ex se peccati pessimum germen excidit.

§ XVI.---*Item ex eadem Regula* (cap. 9).

Interrog.

@ [Col. 1127D] *Quae est mensura continentiae, etc.* Haec habentur apud S. Basilium, interr. 19 Regul. fusius disput., et apud Rufinum, cap. 10. Quae est mensura continentiae? *Resp.*. Quantum spectat ad vitia et passionem, penitus abstinere, nec unquam superari; quantum spectat, ad cibos, prout usus deposcit, vel aetas, vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas ejus, ita etiam modus et aequalitas temperabitur cibi. Neque enim possibile est omnes fratres unum ordinem, vel modum ac Regulam custodire. Hi vero qui sani sunt [Col. 1127C] possunt eamdem omnes mensuram tenere in abstinentia. Immutari vero oportet per singulos, in quibus causa aliqua diversitatis existit providentia et provisione rerum, quibus dispensandi haec cura commissa est. Nec enim per singula sermonem complecti possumus; sed tantummodo comprehendimus quae ad communem et generalem pertinent institutionem. Solatio vero

@ [Col. 1127D] *Incommodorum.* Id est, morborum; in textu Graeco ἀῤῥώστων, id est

aegrotorum. incommodorum in cibis vel eorum qui jam fessi sunt ex opere continentiae, sive ex aliis quibus libet laboribus quos pro religione pertulerunt, hi qui praesunt, secundum quod res et ratio deposcit, adhibebunt. Neque ergo tempus reficiendi omnibus idem statui potest, neque modus cibi, neque qualitas; sed prospectus iste sit omnibus unus, ut non usque ad satietatem persistamus in [Col. 1127D] edendo. Repleri enim ventrem, et gravari ex cibis [Col. 1128A] valde inutile est, etiam corpori ad omne opus. Tunc deinde quia et gravatur in somno, et quia etiam laedi ex his facile potest. Sed nec suavia quaeque ad finem ciborum sectanda sunt, sed sufficit usum explere vivendi refutata luxuria. Si enim libidini serviamus, nihil aliud est quam Deum facere ventrem nostrum. Quoniam quidem corpus humanum semper exolescit et defluit, idcirco et repleri indiget ac reformari. Propter quod et naturale est desiderium. Id quod secundum rectam rationem, aut usus ipse ad reparationem deposcit, eorum quae exinanita fuerint et absumpta, tam aridi quam etiam humidi alimenti. Si quid ergo illud est quod potest vel brevius, vel facilius explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potius eligendum est. Sed et Dominus, [Col. 1128B] hoc opinor, ostendit, cum esurientes refecit in deserto: qui utique possit majore miraculo copiosiores eis cibos parare, nihil horum fecit, sed simplicem eis exhibuit victum; secundum Joannem (cap. VI) quinque panes hordeaceos et

@ [Col. 1127D] *Pisciculos duos.* Joan. XVI: *duos pisces, juxta versionem communem.* In textu Graeco, δύο ὀψάρια, [Col. 1128D] id est duos pisciculos. ὀψάριον, enim est pisciculus. Suidas: ὀψάριον, ἰχθύδιον, id est pisciculus. pisciculos duos apponit. De potu vero nec mentio quidem ulla fit. Ex quo illud sine dubio designatur quod omnibus sufficiens esse possit aquae usus et pernecessarius, nisi forte aliquis per infirmitatem corporis laedi ex hoc videatur: qui sine dubio secundum consilium apostoli Pauli **(II Tim. III)** cavendus est, quia noxius: sed et quaecunque manifestam inferunt noxam corpori, devitanda sunt. Absurdum enim videtur propter substantiam corporis cibos sumere, et rursus per ipsos cibos corpori inferre perniciem et [Col. 1128C] inutile illud reddere ad ministerium mandatorum. Oportet tamen omnimode illis uti cibis qui et facilius et vilius comparantur, ut ne occasione abstinentiae inveniamur pretiosiora quaeque et difficiliora sectari, dum suavitate condimentorum viles naturae cibos in summum ac delicatum saporem extollere conamur. Sed si quid est quod in unaquaque provincia facilius et vilius comparatur, et quod in usu hominum communiter habetur, hoc ad usus nostros oportet assumi, et ea tantummodo requiri quae ad vitam pernecessaria sunt, id est, oleum, vel alia hujuscemodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur.

§ XVII.---EX REGULA CUJUSDAM.

Caro et vinum sive potus, in quo sit ebrietas,

@ [Col. 1128D] *Refutanda sunt.* Id est, recusanda sunt. Refutare enim aliquando est recusare. S. Gregor. Turonensis de Vita Patrum, cap. 10: «Romanus vero adhuc adolescentior, et ad opus Dei animum extendere cupiens nuptias refutavit.» Glossae anonymae: *Renuctae, qui refutant abbatem habere.* re futanda sunt monachis, nec suscipienda, quibus pro [Col. 1128D] Christo crucifixus est mundus, et ipsi mundo:

@ [Col. 1128D] *Et ferias monacho non esse super terram.* Deest aliquod verbum, nempe *sciendum est, vel quid simile.* Hic autem Pater ab aliorum sententia discrepat, cum prohibet in solemnitatibus fratres paulo melius procurari, quemadmodum et Evagrius in

proverbiis: «Ne dicas, Hodie festivitas, et bibam vinum; et cras Pentecoste, et manducabo carnes: quia non est festivitas apud monachos super terram:» et [Col. 1129A] ferias monachorum non esse super terram:

@ [Col. 1129A] *Nisi in adventu fratrum.* Solebant veteres illi monachi fratribus advenientibus paulo lautius epulari, ut clarum est ex Cassiano, collat. XXIV, cap. [Col. 1130A] 20 et seq.; ex Vitis Patrum et ex nonnullis his Patribus hoc capite ab auctore nostro citatis. nisi modicum in adventu fratrum tanquam Christi lectior fuerit cibus gratia charitatis. Verumtamen [Col. 1130A] abstinentia tegenda est, ne jactantiae vitio decidamus in lapsum; quod prae omnibus vitiis gravissimum est.

CAPUT XLIX. DE MENSURA POTUS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbellicitatem, credimus

@ [Col. 1129B] *Heminam vini.* Quid sit hemina explicant glossae veteres: *Imina* ἡμίξεστον, id est, semisextarius; ubi legendum, *Hemina.* Id colligitur ex Gellio, lib. III, cap. 13: «Contra autem, si ex sextario hemina fusa est, dimidium, non dimidiatum sextarium, fusum dicendum est.» Idem docet Festus: «Hemina ex Graeco ἥμισυ, quod est dimidia pars sextarii.» Ita etiam censet S. Isidorus mox citandus et Rhemnius Fannius carmine de Ponderibus et mensuris.

At cotylas (quas, si placeat, dixisse licebit Heminas) recipit geminas sextarius unus. Ubi observandum eamdem esse cotylam Graecorum cum hemina Latinorum. Quod etiam notat Hesychius, cum ait, Ἡμίνα, κοτύλη. Accedit quod Cotyla Graecis sit semisextarius, ut docent S. Epiphanius, lib. de Ponderibus; Scholiastes Aristophanis in Plictum, act. II, sc. IV: Κοτύλη δέ ἐστι εἶδος μέτρου ὃ λεγόμενον ἡμῖν ἡμίξεστον, id est, «Cotyla est species mensurae dicta a nobis semisextarius.» Et Suidas, κοτύλη, ὅ καλοῦμεν ἡμίξεστον; id est, «Cotyla, quod vocamus semisextarium.» Ita vulgo usurpatum, nam olim, ut planum est ex Athenaeo, cotyla erat alterius generis vas, quod multis modis sumitur, etiam pro hemina, ut ipse notat. Haec autem cotyla seu hemina capit cyathos sex juxta Fannium:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat. et S. Isidorum lib. XVI Originum, cap. 25: «Cotyla hemina est habens cyathos sex.» Cyathi vero pondus est drachmarum decem, auctore Plinio, lib. XXI, cap. ultimo: «Cyathus pendet per se drachmas decem;» Fannio:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat, Sed de abaco nobis id pondus saepe notatur; Bis quinque id faciunt drachmae, si appendere velles; et S. Isidoro, cap. 16 citato: «Cyathi pondus decem drachmis appenditur.» Ex quo sequitur heminam sexaginta drachmis appendi. Quod etiam auctoritate [Col. 1129D] Plinii capite citato confirmatur: «Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminae quartam partem, id est, drachmas

quindecim.» Si enim acetabulum seu oxybaphus, ut alii vocant, quarta pars heminae quindecim drachmas capit, sequitur heminam sexaginta drachmarum esse. Quare necesse est S. Isidorum errasse, cum capite citato scribit: «Hemina autem appendit libram unam, quae geminata sextarium facit.» Qui in eodem capite sibi manifeste contradicit, cum ait cyathum decem drachmis appendi, et sex cyathos heminam componere. Quod, si ita est, sequitur cyathum appendi duabus unciis, cum in libra, ut est in confesso apud omnes, sint tantum duodecim unciae; ac proinde cyathi mensuram esse drachmas sexdecim, quod est contra ipsum Isidorum atque auctores supra citatos. Uncia enim pendet octo drachmas juxta eumdem Isidorum eodem libro, [Col. 1130B] cap. 24, Priscianum lib. de Ponderibus et Mensuris, cap. 3, et Fannium:

Uncia fit drachmis bis quattuor. Itaque cum sex cyathi debeant efficere duodecim uncias juxta Isidorum, necessario cyathus pendet sexdecim drachmas, quod est contra ipsum Isidorum et omnes auctores, qui scribunt cyathum appendi duntaxat decem drachmis. Nec obstat quod Hesychius et Suidas scribant cyathum esse duarum unciarum; nam Graeci grammatici in rebus Latinorum saepius errant. Sed, ut heminae mensura plenius cognoscatur, quanti valeat drachma videndum est. Drachma igitur juxta S. Isidorum libri citati capite 24; Priscianum, cap. 3 libri de Ponderibus et Mensuris, et Fannium, appenditur argenteis scrupulis tribus.

In scrupulis trinis drachma est, quo pondere doctis Argenti facilis signatur pondus Athenis. [Col. 1130C] Unde optime Isidorus, cap. citato. «Drachma octava pars unciae est; et denarii pondus argenti tribus constans scrupulis, id est, octodecim siliquis.» Recte sane, et juxta mentem Plinii capite citato: «Drachma Attica (fere enim Attica observatione medici utuntur), denarii argentei habet pondus: eadem sex obolos pondere efficit.» Sex autem oboli tres scrupulos pondere efficiunt; nam scrupulus constat duobus obolis, ut docet Fannius:

Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo Gramma vocant, scrupulum nostri dixere priores. Quanquam Priscianus scrupulum confundat cum obolo. Quod autem dicat S. Isidorus tres scrupulos esse octodecim siliquas, id fit quia scrupulus juxta Priscianum constat sex siliquis. Ex his omnibus efficies heminam non plus pendere quam septem uncias et semis. Nam si ex cyathis sex quos capit hemina, tollas duodecim drachmas, remanebunt sex unciae, et ex duodecim drachmis subductis unam unciam et [Col. 1130D] semis efficies. Et haec de hemina: etsi aliter sentiat Budaeus S. Isidorum, qui sibi contradicit, ut ostendimus, secutus. At quispiam dicet hanc minorem esse mensuram, quam sufficiat monacho per diem: sed respondeo primo monachis juxta Apostoli sententiam modico vino utendum, eoque multa aqua diluto. 2. S. Benedictum de sua patria loqui maxime, hoc est, Italia, vinorum generosorum feracissima, quae multam aquam, remanente sufficiente sapore, et viribus, ferre possunt. Unde postea subjunxit: si loci necessitas postulet, amplius addendum: si nempe illius regionis, in qua situm est monasterium, vina debilia sunt, aut certe si est illa siticulosa natio. Adde etiam cum officia divina, cantus, caeremoniae quadruplo fere aucta sint necessario augendam esse mensuram, ut S. P. Benedicti ejusque Regulae discretio servetur. heminam vini per singulos sufficere per diem. [Col. 1131A] Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor aestatis amplius poposcerit

@ [Col. 1131C] *In arbitrio prioris consistat.* Prior hoc loco abbas est, non praepositus, ut supra demonstratur. Unde praetermittenda illa quaestio cujusdam recentioris, cur mensura vini sit penes arbitrium praepositi, et mensura cibi ex judicio abbatis pendeat. Et sane S. Ferreolus vini mensuram permittit judicio abbatis: «Quantum eis secundum vires monasterii per singulos dies jussu vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant.» S. Fructuosus ponit in arbitrio abbatis vel praepositi. Nec ratio opposita valet nimirum, quod is qui vini mensuram assignat debeat vires et ingenia nosse singulorum, quae magis perspecta sunt praeposito, quam abbati, qui saepius abest a monasterio quam praepositus. Quasi vero non teneatur abbas, qui pastor est, vultum pecoris sui agnoscere perinde ac praepositus. in arbitrio prioris consistat. Considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas.
@ [Col. 1131C] *Licet legamus vinum non esse monachorum.* Locus habetur in Vitis Patrum, interprete Pelagio, lib. IV, n. 31: «Narraverunt quidam Pastori abbati de quodam monacho qui vinum non bibebat: et dixit [Col. 1131D] eis, quia vinum monachorum omnino non est.» Vinum non esse monachorum docet S. Augustinus lib. de Moribus Ecclesiae, cap. 31. Vino interdicit monachis S. Basilius orat. de exercitatione monastica. Monachi Aegyptii, exceptis senibus, vini usum ignorabant, docet S. Hieronymus lib. I, ep. 2. Monachorum S. Martini *vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset, inquit Severus Sulpitius libro de ejus Vita.* Vinum prohibetur monachis S. Pachomii, ut habetur in ejus Regula, art. 20. Illius usum non probat in monachis Evagrius in Proverbiis, loco supra citato. Nitrienses tamen in Aegypto monachi vino utebantur, teste Palladio in Lausiaca. S. Ferreolus, Magister et S. Fructuosus hic citati permittunt, quemadmodum sanctimonialibus, S. Caesarius cap. 28 Regulae. Sed tantum aegrotis concedit S. Leander, cap. 9 libri de Institutione Virg Licet legamus vinum monachorum omnino non esse. Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius. Quia vinum apostatare facit, etiam sapientes. Ubi autem necessitas loci exposcit ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed minus, vel ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, et non murmurent. Hoc autem ante omnia admonentes ut absque murmurationibus sint.

§ II.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 5).

Ne, quod absit, murmurando ea sententia pereant [Col. 1131B] qua perierunt hi qui in deserto murmuraverunt, etc.

§ III.---ITEM EX REGULA ALTERIUS FRUCTUOSI (cap. 5).
@ [Col. 1131D] *Per dies singulos, etc.* Haec videre est in Regula ms. S. Fructuosi archiep. Brac. cod. Crass. cap. 5. Per dies singulos vini potionibus sustententur. Juxta tamen providentiam abbatis vel praepositi haec ipsa potionis parcimonia temperetur, ita duntaxat ut
@ [Col. 1132C] *Inter quatuor fratres sextarius dividatur.* Ita ut unicuique dimidia duntaxat hemina detur. De Sextario vide quae supra diximus. inter quatuor fratres sextarius dividatur.
@ [Col. 1132C] *Sabbato vel dominicis.* Tó *vel hoc loco sumitur copulative.* Addit potionem ad vesperam sabbati, quemadmodum et Dominicae, quia olim in multis locis non

jejunabatur die sabbati, et hic dies pro feriato habebatur, atque etiam a monachis, ut videre est apud Cassianum lib. III de diurnis Orationibus, cap. 9 et 11; in Regula S. Columbani cap. 7; apud Palladium, cap. de *Nitriensibus, et in Regula ejusdem S.* Fructuosi, cap. 3. Et eodem die sicut et Dominico monachi sacris mysteriis communicaturi in ecclesiam conveniebant, ut passim videre est in vitis Patrum. Sabbato vero vel Dominicis diebus ad vesperam una potio adjiciatur.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 39).

De ebrietate vero superfluum puto monachum commoneri, cum, vel si parum vini accipiat, a proposita [Col. 1132A] corporis
@ [Col. 1132C] *Contritione.* Id est, maceratione, mortificatione. contritione declinet. Attamen quia latere monachos non poterit, quod Apostolus Timotheo scribit dicens: *Vino modico utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (II Tim. III), quantum eis secundum vires monasterii per singulos dies jussu, vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant, et amplius penitus non requirant. Hoc etiam de reliquis stipendiis statuimus observandum. Nam ebrietatem illis etiam qui saeculo vacant,
@ [Col. 1132C] *Prophetae.* Puto legendum: *Scripturae.* Nam primo citat Apostolum, deinde Prophetam. prophetae testimoniis
@ [Col. 1132C] *Approbamus, Reprobamus,* apparet correctum [Col. 1132D] in cod. Vind., sed puto deesse τὸ *fugiendam esse.* approbamus, scribente Apostolo Ephesiis: *Nolite,* inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria* **(Ephes. V, 18)**. Et Propheta:
@ [Col. 1132D] *Vae qui fortes sunt, etc.* Juxta textum Hebraicum. In versione communi ita habetur: *Vae qui potentes estis ad bibendum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Ubi pro τὸ *ebrietatem, S.* Fructuosus scripsit *siceram,* sed nomen Hebraicum שכר utrumque significat, et ebrietatem et siceram. *Vae qui fortes sunt ad bibendum vinum, et potentes ad miscendam siceram* **(Isai. V)**. Et iterum:
@ [Col. 1132D] *Vae qui consurgunt mane, etc.* Juxta textum Hebraicum. *Vae qui consurgunt mane, et sectantur siceram,* qui exspectant [Col. 1132B] *vesperam, ut vino aestuent.* Et ideo monachum si ebrium (quod dici nefas est) videri aliquando contigerit, zelans illi, plenus ira praecipio, ut triginta diebus a vini potatione suspendatur: quatenus anima infusione
@ [Col. 1132D] *Concessa.* Lege *confecta, ut sensus sit:* anima infusione vini confecta et aggravata. concessa digestionis hoc spatio vacuetur.

§ V.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 27).
@ [Col. 1132D] *Mox cum sederint ad mensas, etc.* Exstat in Regula ms. ejusdem Magistri eodem cap. 17. Mox cum sederint ad mensas fratres, antequam comedant, singulos
@ [Col. 1132D] *Meros.* Merus substantive significat calicem sive cyathum vini, ut supra notatum est. meros accipiant. Quos meros accipientes
@ [Col. 1132D] *Singuli porrigant abbati.* Qui sunt de ejus mensa. singuli porrigant abbati sibi signandos, et per alias mensas suis fratribus
@ [Col. 1132D] *Suis signent praepositi vicibus.* Quisque praepositus in sua mensa. Erant autem duo in singulis mensis per singulas decadas divisis. suis signent praepositi vicibus. In quibus omnibus mensis in suos meros, quisque frater de suo pane ternas non

amplius [Col. 1133A]

@ [Col. 1133B] *Buccellas.* In Regula ms., *buccillos, quod perinde est.* Glossae veteres: *Buccella,* ψωμίον, id est frustulum. buccellas intingant. Ideo non amplius, ne frater multum ibi panem expendens, cum in pulmentariis non habuerit voracitatis suae causa, in panis sui mensura aliorum fratrum aspectum in se provocet detrahentem. Post ergo primos meros aestivo tempore ad refectionem tam sextae, quam nonae

@ [Col. 1133B] *Caldelli.* Caldellus est quoddam cyathi genus. S. Caesarius in Recapitulatione cap. 16. «Quotidianis [Col. 1133C] vero diebus ad prandium in aestate binos caldellos accipient: ad coenam vero bini caldelli sufficiant.» caldelli omnibus terni sufficiant extra illum merum. In eodem vero tempore, cum ad sextam reficitur, ternae sera omnibus sufficiant potiones. Quibus completis tam in refectione sextae, quam nonae, vel coenae stans in medio mensarum clara voce cellararius dicat; qui sitit, fiducialiter indicet. Post hanc vocem qui fuerit sitiens, respondeat, benedic. Statim

@ [Col. 1133C] *Temperata.* Id est, fusa. temperata in uno vase

@ [Col. 1133C] *Pusca calida.* Ita in Regula ms.; sed lege: *posca.* Celsus, libr. III, cap. 6: *Si ille languet, vel haec profluit, ex posca.* Quidam explicant loram, id est vinum secundum, quod fit ex maceratis aqua vinaceis, sed non ita recte; nam posca est quod Graeci vocant ὀξύκρατον. Glossae veteres: *Posca,* ὀξύκρατον. Et quod Dioscorides lib. III, cap. 8, ὀξύκρατον dicit, Plinius, qui saepe loco Dioscoridis interpretatur, lib. XXVII, cap. 4, poscam appellat. Aliter ὀξύκραμα. Apud Palladium cap. 79 Lausiacae, τὸν δὲ ἄλλον πάντα χρόνον διατελοῦσα ὀξυκράματι καὶ τῷ ξηρῷ ἀρκουμένη. Id est, ut reddit vetus interpres Heraclidis: «Per reliquum aevi sui tempus posca et sicco pane contenta vivebat.» Est autem ὀξύκρατον, seu ὀξύκραμα, acetum aqua temperatum, ut ex medicis notum est. pusca calida, aut si voluerint fratres cum

@ [Col. 1133C] *Jutta.* In Regula ms. legitur: *Jetta.* In cod. [Col. 1133D] Vind. *Juta.* In Glossis Arabico-Latinis legitur: *Jota, causa;* sed quid haec sibi velint, nescio. In glossis Isidori legitur: *Jutia lactare.* Sed legendum puto: *Jutta, ita ut sit spissa potio ex lacte confecta:* ac proinde: *Lactare, hoc loco sit nomen neutrius generis.* jutta, quae semper [Col. 1133B] amplius propter sitientes, fieri debet

@ [Col. 1133D] *In pulmentariis fortioribus.* Ita correxi ex Regula ms. et cod. Vin., id est, majoribus, abundantioribus pulmentaria fortiora sunt prandia, quia hic Magister vult coenas esse leviusculas. in pulmentariis fortioribus,

@ [Col. 1133D] *Aut galleta.* Ita in Regula ms. cod. Corb. Est poculi genus infra: «Sed ad calicis, aut galletae, aut caucelli bibat mensuram;» et infra: «Calix autem aut galleta, per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis sit qui tertius impleat mixtam heminam.» aut galleta, aut calices sitientibus porrigantur. Nam et his aestatis diebus cum ad nonam reficitur, sera antequam compleant, binae sufficiant omnibus potiones: ita tamen ut antequam bibant, orent, et postquam rebiberint, reorent. Item in his aestatis diebus cum ad sextam reficitur

@ [Col. 1133D] *Post dictam nonam, etc.* Mos olim fuit in monasteriis, et videtur ab hujus Magistri instituto derivatus, [Col. 1134B] ut monachi extra tempus jejunii post nonam biberent, maxime aestatis tempore. Ekehardus, junior, libro de casibus monasterii S. Galli, cap. 11: «Abbas invitat tandem omnes ad nonales fratrum, quibus conscripti erant, biberes, ibi tanta hilaritate [Col. 1134C] usque ad vesperam jam pene sonatam commanent.» Petrus venerabilis statuto 27: «Statutum est ut non in vasis illis vinariis,

quae justitiae vocantur, sicut olim facere cogebantur, sed propriis scyphis unusquisque bibat eo tempore quo post nonam ad potus fratres pergere solent.» Agit autem ibi de aestivo tempore. S. Dunstanus, cap. 5 Concordiae: «Nona vero celebrata, poculisque haustis, dicatur versus *Deus in adjutorium.*» Ibi loquitur de aestate, men tione prius facta prandii. Sed et in hieme idem fier instituit, cap. 2 ejusdem Concordiae in diebus festis, exceptis his qui occurrunt inter festum S. Martini et Purificationis: «A festivitate S. Martini refectis fratribus ecclesiam intrantibus agatur signum nonae; quod sequatur ipsa Laus. Quam nonam non sequitur potus usque ad Purificationem sanctae Mariae.» post dictam nonam quotidie exiens abbas de oratorio in sua sedeat cathedra, et circum astantibus ante eum in ordine omnibus, ejecto a cellarario [Col. 1134A] vino, misceantur ab hebdomadariis in consueto vase per singulas mensarum decadas omnium singulae potiones secundum numerum congregationis et suum. Statim surgens abbas oret cum omnibus; et post orationem, antequam sedeat, oblatum sibi vas cum misto signet. Mox secum omnes ad mensas suas jubeat, sicut consueverunt, sedere, et bibens prius ipse, deinde singillatim mistum per mensas singulas omnibus faciat propinari. Quibus surgant, iterato et orent. Et post orationem redeant omnes ad opera, quae

@ [Col. 1134C] *Dimiserant facientes.* Facientes, pro *facere.* Phrasis Graeca, quia verba cessandi junguntur participio loco infinitivi. Act. XX: *Non cessavi monens cum lacrymis* [Col. 1134D] unumquemque vestrum; in textu Graeco: Οὐκ ἐπαυσάμην μετὰ δακρύων νουθετῶν ἕνα ἕκαστον, pro *non cessavi monere.* Dimiserant, hoc loco est, cessaverant. dimiserant facientes. Ergo quivis sitiens post nonam mox bibat. Jam si introierit decima nemo bibat usque ad vesperam. Si vero frater amplius sitierit in ipsa nona, antequam veniat, ut diximus, decima, et bibere si voluerit [Col. 1134B] aquam, non ab

@ [Col. 1134D] *Orceo.* Id est, urceo, *o* pro *u, ut saepius notatum est.* orceo, uno haustu, sed ad calicis aut galletae aut

@ [Col. 1134D] *Caucelli.* Caucellus genus poculi diminutivum a cauco, cujus meminit Spartianus in Peccennio Nigro: «Et cum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset.» Trebellius Pollio in Claudio: «Item in caucos et scyphos pondo undecim.» Titulus epigrammatis 25, apud Ennodium: *De cauco cujusdam habente Pasiphaen et taurum.* Idem habetur tit. 29. Vide notas doctissimi viri R. P. Jacobi Sirmondi societatis Jesu. caucelli bibat mensuram, quia quod extra mensuram est, hoc est nimium et injustum, et desiderii satisfactionem ad corruptelam videbitur adimplere. Nam secundum sententiam illam quae dicit: *Ne quid nimis, potest et nimia aqua*

@ [Col. 1134D] *Debriare.* Id est, offuscare, turbare. debriare sensum in phantasiis somniorum, et corpus

@ [Col. 1134D] *Necessitatibus.* Id est, morbis, incommodis. necessitatibus occupare,

@ [Col. 1134D] *Id est in venis flatus.* Deest verbum *fit.* vel quid simile. id est, in venis flatus, in medullis frigus, in superciliis gravitas, in capite girus, in naribus sternutus assiduus. In hiemis [Col. 1135A] vero tempore in sextae et nonae refectione omnibus

@ [Col. 1135B] *Caldis.* Caldus est genus poculi, cujus diminutivum est caldellus. caldi terni sufficiant, quia aestus non est, qui provocet sitim. Illis vero diebus in hieme, in quibus sexta reficiunt, sera penitus nihil coenetur: nisi singuli caldi omnibus sufficiant: ita tamen, ut antequam bibant, orent; et postquam biberint, reorent. Post nonam vero illa potio, quae quotidie de cellario in aestate proferebatur sitientibus in hieme non detur:

quia nec sitis

@ [Col. 1135B] *Suppeditat.* Neutraliter sumptum, id est, suppetit, ut Phil. V, *Si vita suppeditasset.* suppeditat: nec longe restat

@ [Col. 1135B] *A refectione.* Non intelligit coenam, sed potationem, quam paulo ante instituit ad seram in hieme, sublata coena, etiamsi reficiant fratres ad sextam. a refectione in vesperam. Illis vero diebus, in quibus in hieme ad nonam reficitur, post dictam vesperam non amplius, quam singuli caldi accipiantur: ita tamen, ut antequam bibant, orent; et postquam biberint, reorent. In illis vero diebus a Pascha usque ad Pentecosten, in quibus ad sextam reficitur [Col. 1135B] absque quinta feria et Dominica, aliis diebus nihil aliud ad seram nisi bini caldi propter dies accipiantur,

@ [Col. 1135B] *Absque Paschae octavarum octavis.* Τὸ *octavarum* [Col. 1135C] videtur redundare; id est, praeter Paschae octavas. Id instituit Magister, propter solemnitatem octavarum Paschae, quae olim feriatae erant: et tota illa hebdomade populus quotidie conveniebat in ecclesiam, ut patet ex codice canonum Ecclesiae Africanae, can. 61, ubi statuitur ut in die Dominica et reliquis sanctorum festis non fiant non fiant spectacula: Μάλιστα ὅτι ἐν ὀγδοάδι τοῦ ἁγίου Πάσχα οἱ ὄχλοι μᾶλλον εἰς τὸ Ἱπποδρόμιον, ἤπερ εἰς ἐκκλησίαν συνέρχονται. Id est, «Maxime quia in octo diebus sancti Paschae potius in Hippodromium quam in ecclesiam conveniant.» Conc. Trull., can. 66: Ἀπὸ τῆς ἁγίας ἀναστασίμου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμέρας μέχρι τῆς καινῆς Κυριακῆς τὴν ὅλην ἑβδομάδα ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις σχολάζειν δεῖ ἀπαραλείπτως τοὺς πιστοὺς ἐν ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς εὐφαινομένους ἐν Χριστῷ, καὶ ἑορτάζοντας, κ.τ.λ. Id est, «A sancto Domini nostri Jesu Christi resurrectionis die usque ad novam Dominicam, totam hebdomadem in sanctis ecclesiis vacare fideles jugiter oportet psalmis, hymnis et [Col. 1135D] canticis spiritualibus, laetantes in Christo et feriantes.» etc. Conc. Matisconensis II, can. 2, ubi de Paschatis solemnitate agitur, statuiturque: «Ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere.» Nominat tantum sex dies, quia de ipso die Paschae et sequenti Dominica nihil necesse erat statuere. Nicephoro Homologeta in Canonibus:Οὐ δεῖ ἐργάζεσθαι τὴν ἑβδομάδα διακαινισίμου· id est, «Non oportet operari in hebdomade diacaenisimi;» ita vocabant hebdomadem Paschae: de quo vocabulo infra. Lib. I, Cap. Caroli et Lud. impp., tit. 164, inter festivitates habentur *Paschae dies octo.* Leges imperiales statuerunt septem dies ante et post Pascha omni strepitu forensi vacandum. C. L. *Ut in die, de feriis, l. omnes, eodem titulo.* l. *Actus omnes, eodem titulo.* Constantinus imperator τρίτον νόμον ἔγραψεν, ἀπράκτους εἶναι τήν τε τοῦ πάθους ἑβδομάδα, καὶ τὴν, τοῦ διακαινισίμου, inquit Alexander monachus in libro de Inventione S. Crucis, id est: «Tertiam legem tulit, ut hebdomas passionis et diacaenisimi, hoc est, octavarum Paschae sine opere transmitteretur.» Emmanuel Comnenus voluit hanc ab omni opere cessationem incipere a Lazari resurrectione. Vide Photium in Nomocanone, tit. 7, cap. 1, et Theodorum Balsamonem ibidem, cujus aetate duo tantum dies post Pascha celebrabantur, ut ipse testatur in canonem citatum concilii Trullensis. absque Paschae octavarum octavis, in quibus jugiter coenent. Nam ideo supra dictis diebus absque quinta feria, et Dominica usque in Pentecosten coenas subduximus, ut una refectio in his diebus custodiatur:

@ [Col. 1136B] *Et quamvis non sua hora.* Id est nona; supple [Col. 1136C] *Reficiatur.* et quamvis non sua hora, consueti tamen jejunii videatur causa servari

@ [Col. 1136C] *Cum coenae eorum mutantur in prandia.* Juxta priscorum Patrum

institutum, de quo S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis: «A Pascha ad Pentecosten coenae mutantur in prandia.» Sed hic Magister eximit hebdomadem Paschae, in qua instituit prandium et coenam. cum coenae eorum [Col. 1136A] mutantur in prandia. Quinta vero feria, et Dominica hoc coenent ad seram, quod supra de cibis taxavimus: addito tamen uno pulmento quotidie in prandio, vel si Paschae restiterit merces,

@ [Col. 1136C] *Potio cujuslibet.* Speciei qua uti solent monachi. potio cujuslibet. Calix vero et galleta per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis erit, qui tertius impleat mistam heminam.

@ [Col. 1136C] *Sed ejus aequalitatem mensurae.* Lege, *Sed secundum hujus aequalitatem mensurae.* Sed ejus aequalitatem mensurae, aut duo aut tres oportet calices aut galletas mensarum ministerio deservire; ut per multa pocula universis citius erogetur. Infantuli vero intra duodecim annos agentes

@ [Col. 1136C] *In hieme binos caldos accipiant.* Ita in Regula ms. sed videntur deesse ista vocabula, *ad refectionem, id est ad prandium.* Nam postea cum agit de aestate, dicit: «Aestatis vero tempore ternas ad refectionem, et sero binas accipiant potiones.» Sensus est igitur ut infantes hiemis tempore binos caldos accipiant ad prandium, et sero singulos caldos; quemadmodum in aestate accipiunt tres ad prandium, et sero duos. in hieme binos caldos accipiant, ad seram singulos. Aestatis vero tempore ternas ad refectionem, et sero binas accipiant potiones propter aetatis qualitatem. Nam sicut superius de cibis constituimus, ita et de potionibus permittimus. Dominica [Col. 1136B] vero et diebus festis vel propter extraneas advenientes personas quidquid aptum duxerit addere abbas, ut pote majori; conceditur simul et propter charitatem et laetitiam sanctorum dierum, vel amicorum adventum

@ [Col. 1136D] *Addat mercis, cujus voluerit, potionem.* Ita in Regula ms., id est, vasis, seu cadi: merx enim est vas apud Juvenalem, sat. 4:

. . . . . Magna qui voce solebat. Vendere municipes fracta de merce siluros. Ubi vetus scholiastes: *Id est, fracto vase sardarum ejusdem municipii.* addat mercis, cujus voluerit, potionem. Tantum est, ut memor sit sobrietatis, et fugiat vinolentiae ebrietatem. Quia nisi sobrium fuerit corpus, ad opus Dei vigilare non potest,

@ [Col. 1136D] *Et anima cogitatione libidinis non carescit.* Recte, quia vinum est luxuriae incentivum: οἶνος ἔρωτος τροφός, id est vinum est nutritius amoris, inquit Achilles Tatius libro I. Leucippes, Οσβ_ῖνος Ἀφροδίτης γάλα, id est, «Vinum lac Veneris,» inquit Aristophanes apud Athenaeum, libro X. «Luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia,» inquit S. Prosper Aquitanicus libro II de Vita contemplativa, cap. 22. Vinum spiritalem abigit laetitiam, confusionem et incendium gignit in corde, inquit Marcus Eremita. et [Col. 1137A] anima cogitatione libidinis non

@ [Col. 1137A] *Carescit.* Pro, *caret.* carescit. Jam si aliquis discipulorum de constituta mensura potus, et panis sui remanente fragmento recusare aliquantulum ad mensam voluerit, spiritum plus agnoscitur amare, quam carnem, et frenum castitatis imponit luxuriae. Nam cum hoc ipsum recusat abstinens frater levanti cellarario dicat lente: Suscipe, et hoc quod negatum est carni, proficiat Deo. Mox semote [Col. 1138A] in uno vase a cellarario hoc ipsum mittatur Deo feliciter profuturum, et pro aliquo munere adjunctum eleemosynae monasterii mendicanti pauperi a cellarario porrigatur in

manum. Haec omnis mensura de

@ [Col. 1137A] *De indicis.* In Regula ms., *De* inthicis, pro, *enthecis, id est promptuariis, de quo vocabulo supra.* indicis monasterii. Nam si quid transmissum foris congregationi suae apparaverit Dominus, gratanter suscipiatur transmissum Domini donum: et, si placuerit abbati, mensis addatur.

CAPUT L.

QUIBUS HORIS OPORTET REFICERE.

[Col. 1137B]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1137B] *A Pascha usque ad Pentecosten, etc.* Servat S. Benedictus antiquum Ecclesiae morem, quo a Pascha usque ad diem Pentecostes ob reverentiam et laetitiam resurrectionis Christi et adventus Spiritus sancti jejunium relaxatur. De quo Tertullianus libr. de Corona militis: «Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus.» Hinc capiendus est ejusdem Tertulliani locus libr. contra Psychicos: «Cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus [Col. 1137C] omni exsultatione decurrimus?» Idem docet S. Epiphanius in Synopsi sub finem. S. Augustinus epistol. 119 ad Januarium. Cassianus lib. II de Nocturnis Orationibus, cap. 18 Collat. 21, cap. 11, 12, 19 et 20. S. Isidorus libr. I de Offic. Eccl. cap. 33 et 42. In regula monachorum, cap. 10. Beda lib. III Angl., cap. 5. Haymo Halberstattensis libr. I de Varietate, cap. 14: «Porro quinquagesimam ab ipso Dominico resurrectionis die inchoare, et gaudiis potius laudibusque divinis quam jejuniis voluerunt esse celebrem, quatenus annuis ejus festis admoneremur desiderium nostrum ad obtinenda festa, quae non sunt annua, sed continua; non terrena, sed coelestia, semper accendere, fixumque tenere.» Concilium Turonense II can. 18. «Ut de Pascha usque ad quinquagesimam, exceptis rogationibus, omni die fratribus prandium praeparetur.» A sancto Pascha usque ad Pentecosten

@ [Col. 1137C] *Ad sextam reficiant.* Id est, prandeant. Nam cum non jejunabant monachi, sexta hora, id est, [Col. 1137D] meridie prandebant. Quod videtur apud S. Gregorium libr. III Dial., c. 15: «Cumque vir Dei jejunare volebat ad nonam, praecipiebat urso eadem hora cum ovibus reverti; cum vero, noluisset, ad sextam.» Idque juxta morem laicorum, qui prandebant meridie. Festus: «Merendam dicebant pro prandio, quod scilicet medio die caperetur.» Athenaeus libr. I enarrans Aeschyli locum: Δεῖπνον δὲ μεσημβρινὸν, ὅ ἡμεῖς ἄριστον, id est,: «Δεῖπνον vero (dicit) refectionem meridianam, quod nos ἄριστον, id est, prandium.» ad sextam reficiant fratres et sera coenent.

@ [Col. 1137D] *A Pentecoste autem, etc.* Binam refectionem in aestate indulget S. Benedictus, nec excipit feriam quartam et sextam, si forte nimius sit calor aut labor ob regulam discretionis, quam ubique servat. Nec id recedit a medicorum regulis, cum S. P. semel in hieme, bis in aestate cibum sumere praecipit, ut notum est ex Cornelio Celso lib. I de Re Medica, cap. [Col. 1138B] 3: «Hieme plus esse convenit,» et paulo post: «Semel die cibum capere, etc.;» et infra: «Aestate vero, et potione et cibo corpus

saepius eget. Ideo prandere quoque commodum est;» et paulo post: «Ut saepius autem cibo utendum sic exiguo est.» Idque juxta doctrinam Hippocratis libr., I, aph. 18, qui ait aestate cibum difficillime ferri, hieme facilius, quia in aestate quasi effetus languescit nativus calor, et ideo saepius edendum, sed minus. In hieme vero calor nativus fortior est, et somnus longior; proinde plus edendum, sed semel tantum. A Pentecoste autem tota aestate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas aestatis non perturbat,

@ [Col. 1138C] *Quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam.* Juxta antiquum Christianorum morem, qui quarta et sexta feria singularum hebdomadum jejunabant, ut videre est in canonibus S. Petri patriarchae Alexandrini et martyris, can. 15: Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν ἐν αρβ_ῖς νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προσετέτακτο, id est, «Nemo reprehendet nos observantes quartam feriam et parasceven, in quibus jejunare juxta traditionem rationabiliter nobis praescriptum est.» Apud sanctum Epiphanium in synopsi: Τετράδι δὲ καὶ προσαββάτῳ ἐν νηστείαις ἕως ὥρας ἐννάτης, etc., id est, «Quarta et sexta feria in jejuniis usque ad nonam manere ab apostolis institutum est.» Hinc capiendus est Tertullianus libr. adversus Psychicos: «Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus?» nam stationes sunt jejunia: Glossae Arabico-Latinae dictae: *Statio, jejunium.* Id etiam notum est ex Beda libr. III Hist. Angl., cap. 5: «Religiosi quoque viri [Col. 1138D] et feminae consuetudinem fecerunt excepta remissione quinquagesimae Paschalis quarta et sexta sabbati jejunium ad nonam usque horam protelare.» Hinc decretum S. Columbani in Poenitentiali ms: «Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducat, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua vivat.» quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam. Reliquis [Col. 1138B] vero diebus ad sextam prandeant. Quae prandii sexta, si opera in agris habuerint, aut aestatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, et in abbatis sit providentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter animae salventur, et quod faciunt fratres,

@ [Col. 1138D] *Absque justa murmuratione.* Ita legit Ruthardus, lectionemque probat ex loco Cassiodori, in quo illud Psalmistae: *Et, si non fuerint saturati, murmurabunt, explicat de apostolis, qui juste in Judaeos Evangelium respuentes murmuraverunt:* rursus ex loco S. Gregorii illud Job enarrantis: *Si adversum me terra mea clamat, cum ait:* «Terra etenim contra possessorem suum clamat, quando contra pastorem suum juste Ecclesia murmurat.» Sed haec non est proprie murmuratio, sed justa querimonia subditorum [Col. 1139B] in malos pastores. Ipse tamen Ruthardus notat in quibusdam aliis exemplaribus legi: *Absque ulla murmuratione, quemadmodum in aliis cod.* nostris mss., atque etiam editis. absque justa murmuratione faciant. Ab idibus autem [Col. 1139A] Septembris

@ [Col. 1139B] *Usque ad caput quadragesimae.* Id est, usque ad secundam [Col. 1139C] feriam post Dominicam primam quadragesimae: ita ut quadragesima hoc loco sumatur pro jejunio quadragesimali. usque ad caput quadragesimae ad nonam semper reficiant. In quadragesima usque ad Pascha ad vesperam reficiant.

@ [Col. 1139C] *Ipsa tamen vespera sic agatur.* Tempore quadragesimae. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernae non indigeant reficientes,

@ [Col. 1139C] *Sed luce diei omnia consummentur.* Quae ad refectionem spectant. Ratio est, quia cum lucernae lux sit subobscurior, daretur occasio maligno, praecipue in

amplo refectorio, instigandi fratres ad confabulationem, et quaedam alia illicita. sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed et omni tempore

@ [Col. 1139C] *Sive coenae.* Cum non jejunatur: quia bis reficiunt monachi. sive coenae,

@ [Col. 1139C] *Sive refectionis.* Cum jejunatur. sive refectionis,

@ [Col. 1139C] *Sic hora temperetur.* Cibi sumendi in diebus brevioribus. Tamen notandum est S. P. Benedictum maxime huic constitutioni astringere eos qui in Italia similibusque religionibus habitant, ubi circa solstitium brumale dies non sunt ita breves ac in regionibus Borealibus, ut in Anglia, Scotia, Dania, extrema [Col. 1139D] Belgia, et similibus, in quibus ob brevitatem dierum haec observari non potest institutio. hora sic temperetur,

@ [Col. 1139D] *Ut cum luce fiant omnia.* Quae spectant ad refectionem; nam propter hospites, infirmos, et multa alia, necesse est lucernae lumen adbiberi. ut cum luce fiant omnia.

§ II.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 11).

@ [Col. 1139D] *In refectione monachorum, etc.* Exstant in Reg. exc. S. Isidori cap. 9, ubi haec omnia efferuntur imperandi modo. In refectione monachorum a diebus Pentecostes

@ [Col. 1139D] *Usque ad autumni principium.* Quod cadit octavo Kal. Octobris, quo incipit aequinoctium autumnale juxta eumdem Isidorum, ut supra notatum est, qui infra hoc jejunium producit usque ad aequinoctium autumnale. usque ad autumni principium, tota aestas

@ [Col. 1139D] *Interdiana prandia.* Id est, alterna, nempe Dominica, feria tertia, quinta et septima. Nam juxta hanc regulam illo tempore ter jejunandum est in hebdomada, feria secunda, quarta et sexta. interdiana prandia coenam tantum apponit.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 12).

@ [Col. 1139D] *Hae sunt feriae monachorum, etc.* Haec habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 10. Haec sunt feriae monachorum in quibus jejunia conquiescunt: inprimis

@ [Col. 1140B] *Venerabilis dies Dominicus.* Juxta antiquum Ecclesiae morem. Tertullianus lib. de Corona militis: «Die Dominico jejunare nefas ducimus.» venerabilis dies Dominicus [Col. 1139B] nomini Christi dicatus, qui sicut propter mysterium resurrectionis ejus solemnis est, ita et apud omnes servos ejus celebritatem convivii votivo gaudio retinebit. Item a primo die Paschae usque ad Pentecosten quinquaginta scilicet continuis diebus jejunium a sanctis Patribus dissolutum est propter resurrectionem videlicet Christi et adventum Spiritus sancti: ut hi dies non in figura laboris, quod quadragesimae tempus significat, sed in quiete laetitiae laxatis jejuniis celebrentur. Placuit etiam Patribus a die [Col. 1140A] Natalis Domini usque ad circumcisionem solemne tempus efficere, licentiamque vescendi habere. Non aliter et dies Epiphaniae ex veteri regula reficiendi licentiam consecutus est. Si quidem et dum quisque fratrum convertitur, aut ex aliis monasteriis fratres visitandi gratia concurrunt, pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia

@ [Col. 1140B] *Si tamen non fuerint generalia.* Id est, ecclesiastica et communia omnibus Christianis. Haec verba [Col. 1140C] non sunt in Regula excusa. si tamen non fuerint generalia. Praeter haec alia tempora libere licenterque cultui jejuniorum inserviunt.

@ [Col. 1140C] *Si qui autem monachorum praedictis temporibus, etc.* Idem docet idem Isidorus lib. I de Offic. Eccl., cap. 42: «Post Pascha autem usque ad Pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinentiae vigorem prandiis relaxaverit, tamen qui monachorum vel clericorum jejunare cupiunt non sunt prohibendi, quia Antonius et Paulus et caeteri Patres antiqui etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, nisi tantum die Dominico.» Si qui autem monachorum praedictis temporibus jejunare disponunt, nequaquam prohibendi sunt. Nam et multi sanctorum Patrum his diebus in eremo abstinuisse, nec aliquando jejunia solvisse leguntur,

@ [Col. 1140C] *Nisi diebus Dominicis.* Monachi licet valde austeri, nunquam tamen jejunabant diebus Dominicis. Id statuitur in Regula Macarii et aliorum Patrum: «Debet ergo ille ordo teneri, fratres, ut nullo die, nisi nona reficiantur fratres, excepto Dominico die.» Idque faciebant ex praescripto concilii Gangrensis, quod can. 18 prohibet monachis jejunare die Dominico: Εἴ τις διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἐν τῇ Κυριακῇ νηστεύσῃ, ἀνάθεμα ἔστω, id est, «si quis propter eam, [Col. 1140D] quae existimatur, exercitationem (hoc est, vitam monasticam) die Dominico jejunaverit, anathema sit.» Unde in Regula Tetradii seu Teridii cap. 22 dicitur: «Si quis die Dominico jejunaverit, peccat.» Et quamvis multi Aegyptiorum monachi die Dominico non coenarent, et tantum pranderent, ut notat Cassianus lib. III de Diurn. Orat., cap. 12, quia tamen prandebant hora sexta, non jejunare censebantur. nisi diebus Dominicis propter resurrectionis Christi laetitiam.

§ IV.---*Item ex ejusdem Regula* (cap. 13).[Col. 1140B]

@ [Col. 1140D] *Jejuniorum autem, etc.* Haec videre est in Regula excusa, cap. 11. Jejuniorum autem hos dies potissimum veteres elegerunt. Primum jejunium quadragesimae quotidianum, in qua major abstinentiae observantia manebit in monachis, quando non solum a prandiis, sed etiam a vino et ab oleo abstinetur. Secundum jejunium

@ [Col. 1140D] *Interdianum.* Id est, alternis diebus. interdianum post Pentecosten alia die inchoatum usque ad aequinoctium autumnale protenditur:

@ [Col. 1140D] *Ternis scilicet diebus.* Nempe feria secunda, quarta et sexta. ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas propter aestivum calorem. Tertium sequitur quotidianum jejunium

@ [Col. 1140D] *Ab octavo decimo Kal.* Octobris. Τὸ *Decimo, videtur redundare, nec habetur in Regula excusa, recte, quia jejunium Pentecostes producit usque ad aequinoctium autumnale, quod juxta eumdem lib.* V Orig., c. 34, et l. de Natura Rerum, c. 8, incipit ab VIII Kal. Octob. ab octavo [decimo] Kal. Octobris [Col. 1141A] usque ad Natale Domini, in quo quotidiana jejunia nequaquam solvuntur. Quartum item jejunium

@ [Col. 1141A] *Post circumcisionem.* Lege, *a Circumcisione, quia illis temporibus, et anterioribus tenebantur jejunare Christiani Kal.* Januarii, ut notum est ex concilio Toletano IV can. 10; S. Isidoro, lib. I de [Col. 1141B] Offic. Eccl., cap. 40: «Jejunium Kalendarum Januariarum propter errorem gentilitatis instituit Ecclesia.» S. Ambrosio serm. 17: «Unde qui Kalendas Januarii colit, peccat; quoniam homini mortuo defert divinitatis obsequium; ubi, *homini mortuo, id est, Jano.* Et paulo post: «Observavit eum diem et mensem, qui his diebus non jejunavit, aut ad Ecclesiam non processit;» ubi particula *aut sumitur copulative.* Ex quo loco plures dies quam unum alicubi jejunatum

fuisse constat. Conc. Turonense secundum tres dies jejunii statuit can. 17: «Et quia inter Natale Domini et Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Januariis fieri Litanias.» Error ille gentilis erat, ut homines etiam Christiani feminea veste induti paganis permixti se petulantius gererent, ut videre est in sermone S. Asterii Amaseae episcopi de Kalendis Januarii: Γυναικίζεται ἀριστεὺς ὁ τὸν θυμὸν λεοντώδης ὁ μετὰ τὴν ὅπλισιν θαυμαστὸς ὀφθῆναι τοῖς οἰκοίοις, καὶ τὸν χιτῶνα μεχρὶ τῶν σφυρῶν ἀφίησι, etc., id est, «miles mulieris formam assumit, animo leoninus, et cum armis aspectu admirabilis, et tunicam ad talos demittit, pectus zona circumcingit, indumento muliebri utitur, et crobylum capiti imponit.» Apud S. Isidorum c. citato: «Alii femineo gestu demutati virilem vultum effeminant.» Alii idolorum formas assumebant; quos redarguit S. Petrus Chrysologus serm. 155 de Kal. Januariis: «Similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulacrorum formis sacrilegis formaverunt.» Alii ferarum et belluarum formis assumptis veluti insani per campos et plateas saltabant. S. Maximus Taurinensis homil. de Kal. Janu. «Nunquid non universa ibi falsa sunt et insana; cum se a Deo formati homines aut in pecudes, aut in feras, aut in potenta transformant, etc.» Idem testantur S. Isidorus, cap. citato, et Alcuinus [Col. 1141D] de Offic. Eccl. cap. 4. Quod prohibetur in conc. Autisiodorensi, can. 1: «Non licet Kalendis Januarii vetula et cervolo facere.» Ubi lege, *vetulas, et cervolos.* Ut in sermone S. Eligii episcopi Noviomensis apud Surium in ejus Vita. Τὸ *vetulas* est τὸ *vitulas, ut notat vir doctissimus Jac.* Sirmondus in notis ad praefatum concilium. Haec superstitio manat a Persis. Nam apud eos Mithrae (quem solem esse credunt) initiati in ejus spelunca orgia sua celebrantes varias ferarum formas ut leonum, hiaenarum, corvorum, etc., assumebant, ut notat Porphyrius lib. de Abstinentia ab animalibus: «In Mithrae mysteriis significantes communionem quam in brutis animantibus habemus, nos per animantes significare solent, ita ut eorumdem orgiorum participes leones appellent, feminas vero hiaenas, et ministros corvos.» Περὶ πατέρων δέ, ἀετοὶ γὰρ καὶ ἵερακες οὗτοι προσαγορεύονται· ὅτε τὰ λεοντικὰ περιλαμβάνων περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφὰς, id est, [Col. 1142A] «de patribus vero, aquilae enim et accipitres ipsi appellantur, cum quis leontica assumens induit omnigenas animalium formas.» Hinc capiendus est [Col. 1142B] Tertulliani locus lib. I contra Marcionem: «Sicut aridae et ardentis naturae sacramenta Mithrae leones philosophantur.» post diem Circumcisionis exoritur, peragiturque usque ad solemnitatem Paschae.

§ V.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 18).

@ [Col. 1142B] *Jejunii enim ista oportet tempora, etc.* Haec habentur in Reg. ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracar. cod. Crass. Jejunii ista oportet tempora observare. A Pascha usque ad Pentecosten reficiendum ad sextam est,

@ [Col. 1142B] *Et monofogia id est conservanda per diem.* Ita in Reg. ms. sed lege, *et monofagia, id est, unica refectio conservanda, etc.* Nam monofagia Graecum est quod unicam refectionem significat. Haec autem institutio est juxta mentem priscorum Patrum, qui a Pascha usque ad Pentecosten coenas vertebant in prandia, unica refectione contenti, ut superiori capite ad Regulam Magistri notatum est. et monofogia, id est, conservanda per diem. A Pentecoste usque ad octavum decimum Kalendas Octobris

@ [Col. 1142B] *Interdiana jejunia.* Id est, alternis diebus, nempe secunda, quarta, et sexta feria, juxta mentem S. Isidori, a quo nonnulla S. Fructuosus emendicavit. interdiana jejunia retinenda,

@ [Col. 1142B] *Excepto quod una.* Reposui particulam *quod, quae hic desiderabatur, ut in Regula ms excepto quod una quadragesima,*

@ [Col. 1142C] *Quae festivitatem sanctorum Justi et Pastoris.* Incipiendo a 17 Junii. Nam horum dies festus sexto Augusti die notatur. Fuerunt Justus et Pastor fratres pueri, qui Compluti, in Tarraconensi regione, passi sunt, de quibus Usuardus in Martyrol. Chron. Dextri Flavii (si modo illius sit) 296: *Sancti Christi martyres Justus et Pastor.* Prudentius in Peristephano hymno 6:

Sanguinem Justi, cui Pastor haeret, Ferculum duplex, geminumque donum Ferre Complutum gremio juvabit

Membra duorum. Horum mentio fit in Vita S. Theodardi episcopi Narbonensis. Eorum reliquias divina revelatione admonitus S. Asturius pontifex Toletanus invenit; et eorum amore ductus, relicta sede, Compluti mansit, ubi primus fuit episcopus, ut refert S. Hildephonsus, cap. 2 lib. de Viris Illustribus. Hanc autem quadragesimam in horum martyrum honorem instituit [Col. 1142D] S. Fructuosus, quia suum monasterium sub illorum patrocinio dedicaverat: quod quidem situm est in dioecesi Asturicensi ad radices montis Iragi, ad ripam rivuli Molinae, in finibus Vergidi oppidi, in quo ipse natus est, ut constat ex privilegio Chindaswindi regis, quod refertur a doctissimo viro dom. Antonio d'Yepez in appendice centuriae 2 Chron. ord. S. Benedicti ex chartulari ecclesiae Asturicensis. quae festivitatem sanctorum Justi et Pastoris praecedit, sollicite conservanda [Col. 1142A] est: in qua usque ad nonam quotidie jejunandum est, et a vino penitus abstinendum. Servanda tamen abbati discretio est, ut cum hos gravi labore perspexerit onerari ad refectionem

@ [Col. 1142D] *Singulas potiones.* Nempe vini. singulas potiones tribuat. Ab octavo decimo Kalendas Octobris usque ad Pascha sollicite jejunandum est: et in quadragesima

@ [Col. 1142D] *Vino et oleo penitus abstinendum.* Sumpsit ex S. Isidoro supra. vino et oleo penitus abstinendum.

§ VI.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 6).

@ [Col. 1142D] *Jejunium.* Hoc vocabulum videtur redundare et legendum, *a Kal.* vero. Jejunium vero

@ [Col. 1142D] *A Kalendis septembris.* Sumpsit ex Caesario, qui idem statuit in Recapitulatione: «A Kalendis Septembris usque ad Kalendas Novembris secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est.» a Kal. Septembris usque ad Kalendas Novembris secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est.

@ [Col. 1142D] *A Kal.* Novembris. Ex eodem Caesario ibidem: «A Kalendis vero Novembris usque ad Natalem Domini, [Col. 1143A] exceptis festivitatibus et sabbato omnibus diebus jejunari oportet. A Kalendis Novembris usque ad [Col. 1143A] Natale quotidie jejunandum est

@ [Col. 1143A] *Absque sabbato et Dominico.* Eximit a jejunio diem Sabbati perinde ac Dominicum juxta morem Orientalium non solum monachorum, sed etiam reliquorum Christianorum, qui hos dies feriatos habebant; ac proinde sabbato, aeque ac Dominica

non [Col. 1143B] jejunabant. Id moris etiam fuit apud quosdam Occidentales et maxime Gothos, quippe qui fidem ab Orientalibus acceperunt. Id patet ex Recapitulatione S. Caesarii cap. 15. «A Kalendis vero Novembris usque ad Natalem Domini exceptis festivitatibus, vel sabbato, omnibus diebus jejunari oportet.» S. Fructuosi Regula cap. 5 ubi die sabbati jejunium relaxat: «Sabbatorum vero vel Dominicorum diebus ad vesperam una potio adjiciatur.» Ex conc. Agathensi, can. 12, ubi, cum praecipiat jejunium sabbati in quadragesima, signum est hunc diem non jejunari solitum aliis temporibus a quadragesima. Nam si extra quadragesimam illarum partium jejunassent Christiani die Sabbati, multo magis in quadragesima; ac proinde non opus fuisset ejusmodi constitutione. Imo sabbatum ne quidem jejunabatur ab omnibus qui erant sub ditione Caroli Magni, ut patet ex lib. VI Capitul., tit. 184: «Praeter haec omnia tempora jejuniorum omni sexta feria propter passionem Domini jejunetur: sed et sabbati dies a [Col. 1143C] plerisque propter quod in eo Christus jacuit in sepulcro, jejunio consecratus habetur.» Ubi vides statui jejunium feriae sextae, non vero sabbati, quod non ab omnibus, sed a plerisque jejunabatur. Et ratio haec est, cur S. Benedictus tempore aestivo nihil statuerit de sabbati jejunio: tempore vero hiemali generaliter loquens nihil de eo definierit, sicut nec de die Dominico et festis, ista, ut arbitror, permittens Ecclesiae consuetudini. Sed de his consule epistolas S. Augustini 86 ad Casulanum, et 119 ad Januarium, et acta S. Nili abbatis Cryptae ferratae. absque sabbato et Dominica. Ab Epiphania vero usque ad Pascha quotidie jejunandum est absque majoribus festivitatibus sabbato et Dominica. Post Pascha vero usque Pentecosten sexta feria tantum jejunandum est.

@ [Col. 1143C] *Post Pentecosten mense Junio, etc.* Ex S. Caesario in Recapitulatione: Jejunium a Pentecoste usque ad Kal. Septembris, quomodo virtutem et possibilitatem viderit mater monasterii, sic studeat temperare.» Post Pentecosten mense Junio, Julio, et Augusto in potestate abbatis sit de jejunio, et prandio,

@ [Col. 1143C] *Ut sicut.* Addidi particulam *ut, quae desiderabatur ad sensum.* ut sicut viderit possibilitatem fratrum, ita studeat temperare.

[Col. 1144A]

§ VII.---EX REGULA CASSIANI (cap. 9).

@ [Col. 1143D] *Similiter etiam, etc.* Haec sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de Orat. Noctur., cap. 18. Similiter a

@ [Col. 1143D] *Vespera sabbati, quae lucescit in die Dominico.* Apud Cassianum, *in diem Dominicum.* Prior lectio plausibilior est. Nam vespera Sabbati quae lucescit in die Dominico, est qua incipit dies Dominicus. Nam vespera Sabbati erat initium ipsius diei Dominici juxta morem Judaeorum et Atheniensium, qui initium diei ducebant a solis occubitu, ut notat Theodorus Gaza libello de Mensibus; quos postea imitata est Ecclesia, ut notum est ex cap. 91 sextae synodi, ubi circumscribitur dies Dominicus, et cessatio a genuflexione a synaxi vespertina sabbati ad sequentem synaxim vespertinam Dominicae. Locum vide supra, ubi egimus de *lucernario.* Idem de cessatione ab opere servili, et aliis operibus prohibitis statutum fuit: ita ut ejusmodi opera cessarent a vespera sabbati, et Dominicae vespera resumerentur: quod satis patet ex lib. VI Capitul. Car. et Lud., tit. 186: «Diem Dominicum secundum reverentiam colite. Opus servile, id est, agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, in eo non faciatis; nec causas, nec

calumnias inter vos dicatis, sed tantum divinis cultibus serviatis. Et a vespera usque ad vesperam dies Dominicus servetur.» Et ex synodo antiqua, quae tribuitur S. Udalrico Augustano epi scopo, can. 53: «Diem Dominicum et alias festivitates [Col. 1144B] absque opere servili a vespera usque ad vesperam celebrare docete.» Ubi idem nota de festis diebus. vespera sabbati, quae lucescit in die Dominico usque ad vesperam ipsius Dominici, et totis quinquagesimae diebus

@ [Col. 1144B] *Nec genua curvari.* Olim ex antiqua Ecclesiae institutione et ab ipsis apostolis manante, die Dominico, et quinquaginta illis diebus a sancto Pascha usque ad Spiritus sancti adventum Christiani in ecclesia non genu flectebant. Ita docet S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27 agens de apostolicis traditionibus, καὶ ὀρθοὶ μὲν πληροῦμεν τὰς εὐχὰς ἐν μιᾷ Σαββάτου, id est, «in prima sabbati erecti complemus preces.» Et infra agens de quinquagesima: Ἐν ᾗ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς προτιμᾷν οἱ θεσμοὶ τῆς Ἐκκλησίας ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν, id est, «in qua (quinquagesima) potius erecto corporis habitu precari nos Ecclesiae leges edocuerunt.» S. Petrus Alexandrinus patriarcha et martyr, can. 15: Χαρμοσμύνης ἡμέραν ἄγουμεν διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ ἐν ᾗ οὐδὲ γόνατα κλίνειν παρειλήφαμεν, id est, «laetitiae diem (Dominicum) [Col. 1144C] agimus, in quo propter Christi in eo resurrectionem neque genua flectere traditione accepimus.» S. Dorotheus doctr. 15: Πεντηκοστὴ γάρ ἔστιν ἀνάστασις ψυχῆς, ὡς λέγει τίς· τούτου γὰρ καὶ σύμβολόν ἐστι, τὸ μὴ κλίνειν ὑμᾶς γόνυ ἐν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ πᾶσαν τὴν Πεντηκοστὴν, id est, «Est enim Pentecoste, ut quidam ait, animae resurrectio: cujus quidem signum est, quod per totam Pentecosten (hoc est quinquagesimam) genua in ecclesia non flectimus.» Idem scribunt S. Epiphanius in Synopsi. Tertullianus lib. de Corona militis loco supra citato; S. Augustinus epist. 119 ad Januarium; Photius in Nomocanone, tit. 7, cap. 4; S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus in mystica Theoria: Τὸ μὴ κλίνειν γόνυ ἐν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας Κυριακῆς, etc., id est, «Non genu flectere in die resurrectionis sanctae Dominicae significat casus nostri erectionem factam per Christi resurrectionem die tertia. Usque ad Pentecosten vero, et septem dies post Pascha διακαινισίμου, id est, renovationis, septies multiplicatos [Col. 1144D] continere quadraginta novem dies, et Dominica Pentecostes addita, quinquaginta.» Ubi vides διακαινισίμον esse primam paschae septimanam, quam Theodorus Balsamon in can. 16 Apostolorum, in supplemento appellat ἑβδομάδα διακαινισίμου. Idem statuunt conc. Nicaenum can. 20, et sexta synodus loco supra citato, et S. Columbanus in Poenitentiali mss.: «Exceptis diebus Dominicis, et a die primo Paschae usque ad quinquagesimum diem, in quibus moderate se in tempore psalmodiae humiliantes, genua non flectentes sedule Dominum orent.» Vide statuta Petri Venerabilis. nec genua curvari, nec jejuniorum regulas custodiri Patrum constituta sanxerunt.

§ VIII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 28).

@ [Col. 1144D] *Omni tempore in septimana, etc.* Haec habentur in Reg. mss. Eodem cap. excipienda tamen est quadragesima. Nam infra excipit a jejunio quadragesimae solam Dominicam. Omni tempore in septimana duobus diebus ad sextam reficere debent, hoc est,

@ [Col. 1144D] *Quinta feria.* Jejunium relaxat quinta feria juxta constitutionem Melchiadis papae. De qua Anastasius Bibliothecarius in Melchiade. Alcuinus cap. 8 de Off. Eccl. Carolus Magnus epist. ad Alcuinum, et anonymus in epist. quae exstat 109, inter

Alcuini [Col. 1145A] epistolas. quinta feria et [Col. 1145A] Dominica; caeteris aliis in septimana diebus ad nonam horam reficere oportet. Nam erubescamus nos, qui sumus spiritales, fugere hora nona jejunium, cum vetusta consuetudo antiquitus agnoscitur

@ [Col. 1145B] *Prandia ignorasse.* Veteres Romani primis reip. temporibus non prandebant, sed coenabant tantum. S. Isidorus lib. XX Orig., cap. 2: «In usu enim non erant prandia.» S. Salvianus libr. I de Providentia: «Nunquid parcam illam tunc agrestemque vitam cum gemitu et dolore tolerabant, cum viles et rusticos cibos ante ipsos quibus exercebantur, focos sumerent, eosque ipsos capere nisi ad vesperam liceret?» prandia ignorasse;

@ [Col. 1145B] *Sed vesperam, hoc est, coenam.* Lege: *Vespernam.* Festus: «Vesperna, quam nunc coenam appellamus.» Idem. «Vesperna apud Plautum coena intelligitur.» Hinc castigandus locus S. Isidori cap. citato: «Est autem coena vespertinus cibus, quam vespertinam antiqui dicebant;» legendum enim, *vespernam.* sed semper vesperam, hoc est, coenam suis refectionibus ordinavit; intantum, ut annonam quae erogabatur aut laborantibus, aut militibus,

@ [Col. 1145B] *Ideo annona usque hodie dicitur.* Ita censet Isidorus cap. citato: «Annona tractum est a tempore [Col. 1145C] quo Romani veteres ad cibos advocabantur, sicut Martialis:»

Imperat excelsos frangere nona toros. Quod adusque hodie Persae faciunt. ideo annona usque hodie dicitur, quia ad horam nonam diei erogatur, et ideo usque hodie annona nomen remansit. Nam ipsius Domini testimonium proferam, quem coenasse cognovimus,

@ [Col. 1145C] *Non legimus prandisse.* Haec dicuntur juxta praecisa Evangelii verba, in quo nulla prandii mentio, cum de Christo agitur. Illum tamen aliquando prandisse satis colligitur ex Joan. cap. IV, ubi dicuntur discipuli intrasse in civitatem Sichar, et emisse cibos, [Col. 1146B] cum esset hora quasi sexta, quae est prandii; et invenisse Dominum cum muliere colloquentem, eumque rogasse ut manducaret, quod non fecissent, si nunquam prandere statuisset. non legimus prandisse, cum dicit sancti Evangelii scriptura:

@ [Col. 1146B] *Vespere autem facto, etc.* Matth. XXVI, ubi sic versio communis: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis:* et edentibus illis dixit. *Vespere autem facto recubuit Jesus cum duodecim* [Col. 1146A] apostolis et coenantibus illis dixit **(Matth. XXVI)**. Nam ideo ad nonam horam universis diebus constituta sunt solvi jejunia: ut sit aliquid prolixius, quod quadragesimae diebus addatur, id est, usque ad vesperam, id est, post lucernariam.

@ [Col. 1146B] *A sexagesima vero quarta, sexta, et sabbato.* Ita in Reg. ms. videtur tamen deesse τὸ *secunda.* Nam hic Magister in hebdomade sexagesimae instituit jejunium quatuor dierum ad instar jejunii quadragesimalis, ita ut monachi reficiant tantum ad vesperam, ad supplementum sex Dominicarum, in quibus ex more antiquo Ecclesiae non jejunatur. Cum igitur a prima Dominica quadragesimae usque ad Pascha sint duo et quadraginta dies, ut numerus quadraginta dierum servetur, addit Magister quatuor in sexagesima, ut cum illis duobus qui quadragenarium numerum excedunt, suppleantur sex Dominicae, in [Col. 1146C] quibus non jejunatur. Lege ergo *secunda, quarta, etc.* A sexagesima vero quarta, sexta, et sabbato post lucernariam semper reficiant;

@ [Col. 1146C] *Aliis vero diebus usque ad Quadragesimam ad nonam reficiant.* Juxta

morem solitum jejuniorum regularium, in quibus reficiunt fratres ad nonam secundum instituta Magistri, non vero quadragesimalium. aliis vero diebus usque ad quadragesimam ad nonam reficiant, ut quod Dominicae quadragesimae de quadraginta jejuniis subtrahunt,
@ [Col. 1146C] *Quarta sexta et sabbato.* Deest τὸ *secunda, juxta superiorem rationem.* quarta sexta, et sabbato a sexagesima jejunia usque ad vesperam continuata restituant, ut quadraginta jejunia in numero compleantur.

CAPUT LI. UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Omni tempore silentio debent studere monachi,
@ [Col. 1145D] *Maxime nocturnis horis.* Hac lege multis malis, quae tenebrarum subsidio perpetrantur, occurrit S. Benedictus. maxime tamen nocturnis horis.
@ [Col. 1145D] *Et ideo.* Haec verba sunt continuationis, non consequentiae. Et ideo omni tempore sive jejunii, sive prandii,
@ [Col. 1145D] *Si tempus fuerit prandii.* Id est, si non fuerit jejunii tempus; quia non jejunantes prandebant, jejunantes vero minime, unde prandia et jejunia opponuntur. Sidonius lib. VI, epist. 12: «Ut constet indesinenter regem praesentem prandia tua; reginam laudare jejunia.» si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint a coena, sedeant omnes in unum,
@ [Col. 1145D] *Et legat unus collationes.* Fuit olim haec consuetudo monachorum, ut post coenam aut vespertinam synaxim simul congregati, uno legente, audirent sacram Scripturam, vitas aut collationes Patrum. Ita statuit S. Isidorus cap. 6 Regulae: «Post vespertinum autem congregatis fratribus oportet vel aliquid [Col. 1146D] meditari, vel de aliquibus divinae lectionis quaestionibus disputare.» Ubi meditari est legere. Beda lib. III Hist. Angl., cap. 5: «Meditari deberent, id est, aut legendis Scripturis, aut psalmis discendis operam dare.» Idem statuit S. Fructuosus cap. 3 Regulae, sed tantum aestatis tempore: «Quod quidem aestate conservatur; ut priusquam compleant, liber legatur.» et legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certe aliquid quod aedificet audientes; non autem
@ [Col. 1146D] *Eptaticum.* Ita in aliis mss. nostris; et apud Ruthardum, pro *Heptateucho.* Vide superius annotata. Eptaticum seu Heptateuchum complectitur quinque libros Moysis, Josue et Judicum. Nonnulli Judicum libro annectunt librum Ruth. Eptaticum, aut
@ [Col. 1146D] *Regum.* Supp. *libros.* Regum
@ [Col. 1146D] *Quia infirmis intellectibus non erit utile, etc.* Haec non dicuntur propter obscuritatem librorum illorum, quia Prophetae, Epistolae Pauli, Evangelia, [Col. 1147B] etc., sunt aeque obscura: sed quia in Heptateucho, et Regum libris describuntur quaedam historiae, quae possent imperfectis monachis obscenas quasdam imaginationes secundum quietem offerre, maxime si sero legantur paulo antequam eant cubitum. quia [Col. 1147A] infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc scripturam audire: aliis vero horis legantur. Si autem jejunii dies fuerit, dicta vespera, parvo intervallo mox accedant

ad lectionem Collationum, ut diximus, et lectis quatuor aut quinque foliis,

@ [Col. 1147B] *Vel quantum hora permittit.* Subaudi vocabulum: *Tot,* hoc modo, *vel tot, quantum hora permittit.* Hora hoc loco est tempus. vel quantum hora permittit,

@ [Col. 1147B] *Omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis.* Si quis forte, etc. Locus obscurus: primo, quia quo tendant illa verba: *Et lectis quatuor aut* [Col. 1147C] *quinque foliis, non video;* secundo quid sibi velint haec verba: *Omnibus in unum occurrentibus per hanc morem lectionis, obscurum est.* Non enim per illa intelligi potest, quod fratres non debeant adesse initio lectionis, sed tantum dum legitur; quia antea dixit: *Mox accedant.* Et sane cur non debeant adesse initio, nulla ratio est? Sed esto, cur potius tempore jejunii quam altero? In cod. ma. ms. S. Germani deest verbum: *Occurrat, sed tantum additur in margine alia scriptura et recentiore;* et recte ad nostrum propositum; deinde in his verbis: *Omnes* ergo in unum positi, particulam, *ergo, expungendam puto, quae non exstat apud Ruthardum:* ut haec tota periodus sic a nobis interpuncta legatur, adjecta particula, *etiam, quae habetur in editione Colinaei: Et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit* (omnibus in unum occurrentibus, etiam per hanc moram lectionis, si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus) omnes in unum [Col. 1147D] *positi compleant.* Et sensus est: Ut lectis quatuor vel quinque foliis, etc., omnes in unum positi dicant Completorium, omnibus in unum occurrentibus ad hanc lectionem, etiam per moram illius, si quis forte in aliquo opere sibi commisso est occupatus: qui, cum breve sit spatium inter vespertinam synaxim et hanc lectionem, aegre adesse posset illius initio ob opus sibi injunctum. omnibus in unum occurrentibus per hanc moram flectionis. Si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum positi

@ [Col. 1147D] *Compleant.* Id est, Completorium dicant. S. Fructuosus cap. 3 Regulae: *Ut priusquam compleant, liber legatur.* compleant. Et exeuntes a completoriis

@ [Col. 1147D] *Nulla sit licentia denuo loqui aliquid.* Hunc locum tangit Amalarius Fortunatus lib. III de Offic. Eccl. cap. 8: «Unde et apud monachos tenetur usus ex Regula sancti Benedicti, ut ab eo officio (completorio) claustra oris muniant.» Nocturnum sane silentium omnibus expletis horis canonicis in usu semper fuit apud veteres monachos. Cassianus lib. II de Nocturnis Orationibus cap. 13: «Finitis itaque [Col. 1148B] psalmis et quotidiana congregatione, sicut supra diximus, absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere, aut sermocinari audet cum altero.» Poenae breviores quae tribuuntur S. Basilio, n. 15: Εἴ τις ἑσπέρας μετὰ Πάτερ ἡμῶν εὑρεθῇ ὁμιλῶν, ἀφοριζέσθω, id est, «si quis vespere post Pater noster inventus fuerit cum aliquo colloquens, excommunicetur.» Hoc silentium observabatur etiam extra claustra monasterii, et cum vitae discrimine. S. Stephanus Obazinae abbas, cum nocte se ad Dolonense monasterium conferret, interceptus a latronibus nullis minis [Col. 1148C] adduci potuit ut loqueretur, etiam librato in ejus cervice ferro, a quo divinitus liberatus est, latronibus terrore panico perculsis. Eadem fuit constantia duorum discipulorum S. Odonis abbatis Cluniacensis, qui a barbaris ligati, diuque lacessiti silentium nocturnum neutiquam violaverunt, etiam barbarorum duce, ut eorum constantiam tentaret, irruente in eos, et lancea mortis metum incutiente, ut refert Joannes monachus lib. II Vitae S. Odonis. nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam praevaricari hanc taciturnitatis Regulam, graviori vindictae subjaceat: excepto si necessitas hospitum supervenerit, aut forte abbas alicui aliquid jusserit; quod tamen et

ipsum cum summa gravitate et moderatione [Col. 1147B] honestissime fiat.

§ II.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 8).

@ [Col. 1148C] *Haec sunt praecepta, etc.* Haec habentur in Regula S. Pachomii excusa art. 1. Sed quorsum ista huc referantur, non video. Nam in hoc capite S. Benedicti agitur de lectione post coenam et vesperas, et de silentio post Completorium. At in hoc sancti Pachomii capitulo agitur de culpis in ecclesia commissis, de earum correptione et satisfactione. Itaque existimo non hunc esse locum hujus articuli, sed eum esse transferendum ad sequens caput, in quo tractatur de culpis in oratorio commissis. Haec enim praecepta vitalia nobis a majoribus tradita. Si acciderit, ut psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, illico solvat cingulum, et inclinata cervice, manibusque [Col. 1148A] ad inferiora depressis stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet, et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint.

§ III.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 15).

@ [Col. 1148D] *Nocte dum ad dormiendum itur, etc.* Haec videre est in Regula excusa S. Isidori, cap. 3. Nocte dum ad dormiendum itur, seu postquam quiescitur, alteri nemo loquatur. Duobus in lecto uno jacere non liceat. In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri, cui obviat. Lux autem nocte dormientium locum illustret: ut depulsis tenebris

@ [Col. 1148D] *Testimonium pateat singularis quietis.* Ut cognoscatur an fratres soli in lectis suis decumbant. testimonium pateat singularis quietis. In nulla turpi cogitatione versetur, sed

@ [Col. 1148D] *In sola contemplatione Dei accubans.* Praeclara admonitio. Nam multum confert adversus carnis et daemonis tentationes in lecto oratio, aut pia aliqua meditatio. Quod etiam monet S. Fructuosus episcop. cap. 17 Regulae: «Nocturnum tempus peculiaribus orationibus, et sacris vigiliis ducendum est propter lucifugas daemonas servorum Dei deceptores.» Et S. Pachomius art. 50 Regulae: «Postquam obdormierit, si post somnum vigilaverit, oret.» in sola contemplatione Dei accubans et requiem corporis, et quietem habeat cordis, cogitationesque pravas a se repellat, bonisque objectis turpes a se rejiciat. Nam animi [Col. 1148B] motus imaginibus suis agitur; et qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis et imago per soporem occurrit.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 16).

@ [Col. 1148D] *In tenebris nemo loquatur alteri, etc.* Haec habentur in Reg. ms. S. Fructuosi episc. Brac., cap. 17 cod. Crass. Haec constitutio sumpta est ex S. Isidoro supra. In tenebris nemo loquatur alteri: nec accedat ullo modo junior quilibet ad lectum alterius

@ [Col. 1148D] *Post completam.* Completa est completorium. post Completam.

[Col. 1149A]

§ V.---EX REGULA ORIENTALIUM.

@ [Col. 1149C] *Nemo alteri loquatur in tenebris, etc.* Haec habentur etiam in Regula S. Pachomii, cap. 53. Nemo alteri loquatur in tenebris;

@ [Col. 1149C] *In psiatho.* Psiathus, ψίαθος, et ψιαάθιον Graece, matta Latine est storea, in

qua quis sedet aut cubat. Cassianus lib. V, cap. 35: «Et incubantem psiatio reperisset.» Collat. 1, cap. 23: «Adhuc nos avidos, et de suo ore pendentes degustare somnum paucis perhortatus est iisdem ipsis, quibus insidebamus, psiathiis admonens incubare.» Hesychius Illustris in Menedemo: Τοῦ μὲν θέρους ψίαθος ἐπὶ τῶν κλινῶν, id est, «et in aestate psiathus in lectis. Julius Pollux lib. X, cap. 6, inter illa, quae lectis necessaria sunt, ψίαθον recenset. Hesychius lexicographus: [Col. 1149D] Ψίαθος ἡ χαμεύνη, καὶ τὸ φύτον ἐξ οὗ πλέκεται ψίαθος, id est, «Psiathus est humile stratum seu id quod substernitur in terra decumbenti, et virgultum ex quo psiathus contexitur.» Psiathia etiam sternabantur cathedris judicum teste eodem Hesychio, et Julio Polluce lib. VIII, cap. 10, substernebantur etiam orantibus. Ut liquet ex sancto Gregorio lib. II, Dial. cap. 10: «Praecepitque vir Dei in cella sua, in psiathio, in quo orare consueverat, projici.» Et ex S. Eulogio, lib. III Memorialis, cap. 10: «Adeo ut subtus matta, in qua illa prostrato corpore exorabat, humectum lacrymis pavimentum ostenderetur.» Substernabantur etiam psallentibus in choro, ut notum est ex Regula Magistri, cap. 18 et 68 Fiebant autem ex scirpo, aliquando ex ramis palmarum. in psiatho cum altero dormiat: manus alterius nemo teneat, sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit,

@ [Col. 1149D] *Uno cubito distet ab altero.* S. Fructuosus episc. Brac. cap. 2 Regulae: «Nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens ad alterum, etc.» uno cubito distet.

§ VI.---*Item ex eadem Regula*

@ [Col. 1150C] Art. 81 Regulae S. Pachomii, sed referendus est ad cap. 50 Regulae S. Benedicti..

Ad collectam et ad psallendum nullus sibi occasiones inveniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit. Etsi in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi et psallendi tempus non praetermittat.

§ VII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 30).

@ [Col. 1150C] *Ubi omnia, etc.* Hoc capitulum est pars capitis trigesimi, ut videre est in Reg. ms. Mag. Ubi omnia, cum adhuc loquendi et aliquid imperandi licentia tribuitur, fuerint adimpleta, factis Completoriis, in ultimo dicant hunc versum: *Pone,* [Col. 1149B] Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Mox ingrediantur silentium, et suis se collocent lectis; et tanto silentio redigantur, ut usque ad Nocturnos putetur, nullus ibi esse de fratribus. Ideo enim post Completorios tacere debemus, ut merito in Nocturnis

@ [Col. 1150C] *Primo dicamus:* Domine, labia, etc. Eamdem rationem incipiendi Nocturnos ab hoc versiculo profert Amalarius Fortunatus lib. III de Offic. Eccl., cap. 9: «In nocturnali officio dicimus primo: *Domine, labia mea aperies, etc.* Deinde sequitur *Gloria.* Quando pridem in nocte conventi fuimus, commendavimus nos Deo, et conclusimus ora; atque post singuli quasi quodammodo in singulis sepulcris quievimus, et soli Domino mente astitimus: cui non [Col. 1150D] sunt verba necessaria, quia cogitationes novit. At nunc, quia iterum convenimus ad confitendum Domino, precamur eum, ut sua directione labia nostra aperiat.» Hinc capiendus locus Regulae Magistri, cap. 44: «Oportet in Nocturnis ab abbate dici versum apertionis.» Ubi per *versum apertionis intelligit versum: Domine, labia, etc.* primo dicamus Domino: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Hoc est, petamus

Dominum debere in Nocturnis aperire labia nostra, quae sua custodia in Completoriis clauserat. Vides ergo, quia quidquid aperitur, agnoscitur prius fuisse clausum. Sed ne forte, cum silentium custoditur, aliqua necessitas utilitatis ad loquendum fratrem perurgeat, et frater fratri vult loqui, si lumen

@ [Col. 1150D] *Cicendeli.* Vide supra. cicendeli aut lucernae fuerit, vel manu, vel nutu capitis, vel nutu oculorum, [Col. 1149C] aut certe, si deest lumen, frater cum fratre

@ [Col. 1150D] *Ad necessarium.* Id est, ad secessum. ad necessarium vadat, et quod opus fuerit, tamen ad aurem lente loquatur, ut alter tertius eum non audiat. Simul et si frater aliqua necessitate post [Col. 1150A] somnum ante Nocturnos compellatur loqui aliquid, prius versum consuetum Nocturni dicat sibi lente, id est: *Domine, labia mea aperies, et os meum annun tiabit laudem tuam;* et loquatur quod opus est. Nam manducandi aliquid, aut bibendi,

@ [Col. 1150D] *Vel aliquam rem operandi.* Ita restitui hunc locum ex cod. Vind. vel aliquam rem operandi nullam fratri post Completorios permissionem concedimus. Si qui vero de extraneis post Completorios perfectos monasterium advenerint, a domesticis fratribus tacito ministerio recreentur, et lente eis responsum reddatur propter Regulae constitutum, et lotis eorum pedibus

@ [Col. 1150D] *Complentes.* Id est, orationem seu collectam lautionis pedum dicentes. complentes postmodum sibi lente et ipsi peregrinorum lectis delegentur dormire: mox clausis ab ostiariis

@ [Col. 1150D] *Regiis.* Id est, ostiis. regiis, in suis et ipsi jacentes stratis per horarum silentium et noctis appetant somnum. Si quis vero frater post [Col. 1150B] Completorios aut manducare, aut aliquid bibere deprehensus fuerit, hanc excommunicationis poenam suscipiat; alia die accusatus,

@ [Col. 1150D] *In jejunio* τὸ *in, redundat* [in] jejunio continuato, tertia die reficiat qui praesumpsit illicita. Quae excommunicationis poena tandiu in continuatione permaneat, quandiu per humilitatis satisfactionem de emendatione promissa ab eo, abbate praesente, aut a praepositis venia fuerit postulata.

§ VIII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 9).

@ [Col. 1150D] *Silentii regulam, etc.* Ita S. Columbanus cap. 2 Regulae: «Silentii regula diligenter custodienda decernatur; quia scriptum est: *Cultus justitiae silentium et pax.*» Regulam silentii omni tempore servandam Scripturarum series declaravit, dum per Prophetam dicitur: *Cultus justitiae silentium et pax* **(Isa. XXXII)**. Tacendum namque est ab otiosis et frivolis, et scurrilibus, et pravis et malitiosis fabulis: de quibus Propheta orabat dicens: *Pone, Domine,* custodiam ori [Col. 1150C] *meo, et ostium circumstantiae labiis meis.* Non declines cor meum in verba malitiae. Cessandum quippe est a fabulis superfluis, ne damnationis per ineffrenatae mentis ignaviam anima fructum capiat. Qui non solum [Col. 1151A] de scurrili et injurioso sermone, sed etiam de otioso juxta Domini praeceptum rationem sumus reddituri. Quid aliud debet monachus studere, quam soli Deo, in quo semel desiderium fixit, et oris sermone, et animae desiderio vacare? Omnibus ergo horis diurnis praeterquam ad mensam

@ [Col. 1151A] *Ab hora secunda.* Matutina videlicet post Primam recitatam juxta antiquum morem numerandi horas. ab hora secunda usque ad Completam quidquid utilitas sacrae Regulae poposcerit, per abbatis

@ [Col. 1151A] *Commeatum.* Id est, permissum, licentiam, ut supra notatum est. commeatum loquendum est. Ab hora vero
@ [Col. 1151B] *Completionis.* Id est, Completae, ut paulo ante dixit, vel, ut vulgo loquuntur, Completorii. Completionis, cum oratio ad somnum capiendum datur, nullus omnino loqui praesumat, nisi grandis necessitas monasterii poposcerit. [Col. 1152A] Cui ab abbate fuerit ordinatum, loqui studeat, vel etiam a praeposito, qui curam aliorum portat.

§ IX.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 35).

Hoc specialius coram Deo monemus custodiri,
@ [Col. 1151B] *Ut nulli liceat cum alio secretius loqui.* Optima sanctio, quae peculiares monachorum familiaritates praescindit, per quas erga caeteros fratres charitas alget, secretae murmurationes aluntur, ex quibus paulatim clandestina peccata, eaque tandem exitialia nascuntur, ac denique universa regularis observatio periclitatur. Ex iisque oriuntur divisiones et schismata in congregatione, suntque improbitatis eorum qui coeunt, argumentum, inquit S. Basilius in Constitutionibus Monasticis, cap. 29, ac proinde hanc secretioris locutionis familiaritatem omnino proscribit S. Leander cap. 2 de Institutione virginum: «Noli assumere unam ad loquendi familiaritatem, [Col. 1152B] et declinare alias; sed quod scire uni utile est, sciatur ab omnibus.» Et paulo post: «Si bonum est quod loqueris, cur una tantum et non potius omnes informentur? Si turpe est, nec cogitare, nec loqui debes, quod alias erubescis scire.» Quapropter *publicum sit apud religiosos* (inquit Ennodius, *Paraen.* 7), *omne quod geritur, clandestina repudietur obscuritas:* multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam; audiant aemuli, quia qui testes adhibet vult probari: male deprehensa judicetur conversatio, quae non optat agnosci ut nulli liceat cum alio secretius loqui aut sedere, praecipue vespertinis ac nocturnis horis. Si secrete inventi fuerint, tanquam si crimen admiserint, severissime distringantur, absque illis qui probati sunt aetate et sanctitate.

CAPUT LII. DE HIS QUI AD OPUS DEI, VEL AD MENSAM TARDE OCCURRUNT.

[Col. 1151C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Ad horam divini officii
@ [Col. 1151C] *Mox ut auditum, etc.* Hujus institutionis meminit Joannes monachus lib. III Vitae S. Odonis, et S. Fructuosus apud Henricum Canisium tom. V antiquae lectionis. mox, ut auditum fuerit
@ [Col. 1151D] *Signum.* Est campana seu nola, lib. VI Capitul. Caroli et Ludovici, tit. 168: *Sacerdotes signa tangant horis canonicis.* S. Eulogius martyr in Apologetico. *Et excelsa pinnaculorum prosterneret, quae signorum gestamina erant ad conventum canonicum quotidie Christicolis innuendum.* Gallice, *sein:* unde, *toc-sein.* signum, relictis omnibus, (quaelibet fuerint) in manibus,
@ [Col. 1151D] *Summa cum festinatione curratur.* Ita monet S. Isidorus cap. 6. Regulae:

Dato enim legitimis temporibus signo ad horas canonicas festina cum properatione omnes ad chorum occurrant. Hic autem S. Benedictus potius animi fervorem indicat, quam corporis impetum; nam sequentia illa verba: *Cum gravitate tamen, temperant quodammodo praecedentia.* summa cum festinatione curratur: cum gravitate tamen; ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei praeponatur. Quod si quis in nocturnis post gloriam

@ [Col. 1151D] *Psalmi nonagesimi quarti.* In Vict. p. additur, *venite exultemus.* psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino

@ [Col. 1151D] *Subtrahendo.* Ita vulgo in excusis legitur, ut apud Smaragdum. Eamdem lectionem agnoscit cod. Vict. p.; sed codices Vict. ma., S. Germ. ma: S. Ebrulphi et S. Faronis cum S. Dunstano legunt, *protrahendo.* [Col. 1152D] Quae est vera et germana lectio: et supra in hac Concordia ita legitur. subtrahendo, et morose volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet; aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit abbas; ut videantur ab ipso

@ [Col. 1152D] *Vel ab omnibus.* Particula, *vel, hoc loco est copulativa.* Nam paulo post subjungit; *Ut nisi ab omnibus.* vel ab omnibus; usque [Col. 1152C] dum completo opere Dei,

@ [Col. 1152D] *Publica satisfactione.* Se prosternendo coram omnibus. publica satisfactione poeniteat. Ideo autem eos in ultimo, aut seorsum judicavimus debere stare, ut visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris oratorio remaneant, erit forte talis, qui se aut

@ [Col. 1152D] *Se recollocet.* Id est, iterum se collocet in lecto. recollocet et dormiat, aut certe sedeat sibi foris, vel fabulis vacet:

@ [Col. 1152D] *Et datur.* Ita apud Smaragdum, in codicibus S. Germ. utroque, Vind. Vict. ma. et in editione Coloniensi. Recte satis, ut sensus sit, *et sic datur, etc.* Vulgo legitur, *et detur.* In editione Colinaei: *Et sic detur.* Optime. et datur occasio maligno. Sed ingrediatur intus: ut nec totum perdat, et de reliquo emendetur.

@ [Col. 1152D] *Diurnis autem horis.* Intelligit caeteras horas a nocturnis vigiliis. Diurnis autem horis qui ad opus Dei post versum et gloriam primi psalmi,

@ [Col. 1152D] *Qui post versum dicitur.* Mediate, vel immediate; haec tamen verba non exstant in cod. mss. S. Ebrul. et S. Faronis. qui post versum dicitur, occurrerit,

@ [Col. 1152D] *Lege qua.* Phrasis Graeca, *qua* pro *quam.* lege qua supra diximus in ultimo stet, nec praesumat sociari choro psallentium [Col. 1153A] usque ad satisfactionem: nisi forte abbas licentiam dederit permissione sua:

@ [Col. 1153B] *Ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.* Se nimirum in ipso choro prosternens in fine officii. S. Columbanus vult hujusmodi negligentes prosterni tempore officii, donec ab abbate jubeantur surgere, ut habetur in ejus Poenitentiali ms: «Si non contemptu, etc. Cunctis in synaxi fratribus congregatis tandiu prostratus in terra veniam postulabit, donec orationum consumetur solemnitas, impetraturus eam cum jussus fuerit abbatis judicio de solo surgere. Eodem modo satisfaciat, quisquis ad orationem vel opus aliquod accersitus tardius occurrerit.» Et supra in eodem Poenitentiali idem Columbanus pro eadem culpa multat suos monachos: «Si quis non audierit sonitus orationis, XII psalmos.» Et postea. *Si* tardius veniat orationi L, supple *psalmos, recitet ita tamen, ut satisfaciat reus ex hoc.* Ad mensam autem

@ [Col. 1153B] *Qui ante versum.* Fuit illa pia semper in Ecclesia consuetudo orare ante cibum et post cibum Deo [Col. 1153C] gratias agere; lib. VII constitutionum Apostolicarum,

cap. 50, exstat oratio ad sumendum cibum: apud Prudentium in Cathemerino duo sunt hymni, unus ante cibum, et alter post cibum. Luculentum est hujus rei testimonium apud S. Athanasium tractatu de virginitate. Id patet etiam ex S. Basilio in epist. ad S. Gregorium Theologum; S. Ambrosio lib. III de Virginibus; S. Hieronymo, epist. ad Eustochium de custodia virginitatis; ex S. Joanne Chrysostomo homil. de precatione; sancto Martino Bracarensi episcopo in Collectione canonum Orientalium, can. 65; Cassiano, lib. III de Orat. diurn., cap. 12; Palladio in Lausiaca cap. 28; S. Gregorio papa lib. I Dial., cap. 9; S. Columbano in Poenitentiali mss.; S. Isidoro cap. 9 Regulae; Beda lib. III Hist. Angl., cap. 6; S. Fructuoso episcopo, cap. 6 Regulae; Magistro, cap. 38 Regulae; Additione IV Capitul. Lud. imp., tit. 48; Epitome Ludovici imp. super Regulam S. Benedicti; S. Gregorio Turonensi mox citando, et Grimoldo abbate libro Sacramentorum, [Col. 1153D] ubi ponuntur orationes ante, et post cibum dicendae. Nec solum cibi benedicebantur, sed etiam comedentes. S. Gregorius Turon. lib. VIII Hist. cap. 2: «Ablutis rex manibus, accepta a sacerdotibus benedictione, ad mensam resedit;» et cap. 7: «Tunc conturbati sacerdotes de fratris (Palladii episcopi Sanctonum) humilitate dixerunt regi: vidimus enim eum convivio tuo adesse, et de ejus manu te benedictionem accipere.» Joan. Moschus cap. 57, ubi quidam monachus missus, cum panibus comedere noluit, quia non fuerat benedictus ab abbate. S. Basilius in poenis brevioribus: Εἴ τις μὴ λάβοι εὐλογίαν, καὶ ἐσθίει ἄνευ παιδείας ὢν, ἀφοριζέσθω, id est, «Si quis non accipit benedictionem, et comedit sine disciplina, excommunicetur.» S. Columbanus in Poenitentiali ms: «Si quis comederit sine benedictione, XII percussionibus.» Supp. mulctetur. Eratque poenae genus comedere sine benedictione accepta. S. Basilius interr. 122 Regul. brev. in titulo: Ἐάν τις ἐπιτιμηθεὶς εὐλογίαν μὴ λαβεῖν λέγει ὅτι ἐὰν μὴ λάβω εὐλογίαν, μὴ ἐσθίω, id est, «si quis animadversionis nomine benedictionem non accipiens dicit; non comedam, nisi prius benedictionem accepero.» Magister cap. 73. Regulae: «ad mensae vero antiphonam, vel versum priorem qui non adfuerint, semote, et non signatum, sine data et accepta benedictione manducent et bibant.» qui ante versum non accurrerit (ut simul omnes dicant versum et orent, et

@ [Col. 1154B] *Sub uno.* Sup. momento temporis. sub uno omnes accedant ad mensam

@ [Col. 1154B] *Qui per negligentiam suam et vitium non occurrerit.* Subaudi, *inquam.* qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, usque secundam vicem pro hoc vitio corripiatur: si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensae

@ [Col. 1154B] *Communionis.* Ita in Concordia Vindocinensi. Vulgo, *communis, rectius.* communionis

@ [Col. 1154B] *Participationem.* Sup. *accedere.* participationem: sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus, sublata ei portione sua

@ [Col. 1154C] *De vino.* Ita in codicibus mss. Victorinis, Vind. S. Germ. ma. et S. Far. cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Colinaei. In Vulgatis legitur, *vini.* de vino usque ad satisfactionem et emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit praesens, qui post cibum dicitur. Nec quisquam praesumat ante statutam horam, vel postea quidquam cibi, aut potus

@ [Col. 1154C] *Praesumere.* Ita in cod. mss. Victorinis et Vind. Codices S. Faronis et S. Ebrulphi legunt *percipere.* Sed legendum est *sumere, cum S.* Dunstano, Turrecremata, Smaragdo, editione, Coloniensi, vetusta Parisiensi, Colinaei, et Vulgatis. praesumere.

[Col. 1153B]

@ [Col. 1154C] *Sed et si cui offertur, etc.* Ita hunc locum exponit Smaragdus: Hyperbaton, hoc est, quod aliter ordinatum intelligitur ita: «Cui aliquid a priore offertur, et renuerit accipere, hora, qua desideraverit subauditur, accipere, aut hoc percipiat, quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil.» Tamen propter illa verba: *usque ad emendationem congruam, videtur esse sensus quod nihil omnino dandum sit hujusmodi recusanti hora qua desideraverit aliquid, sive illud sit, quod antea recusavit sive aliud, nisi prius satisfecerit:* et ita apud S. Basilium infra hoc capite, unde sumpsit S. Benedictus. Sed et si cui offertur aliquid a priore, et accipere renuerit, hora, qua desideravit hoc, quod prius recusavit, [Col. 1154A] aut aliud omnino nihil accipiat usque ad emendationem congruam.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 6).

@ [Col. 1154D] *Ad horam vero orationis, etc.* Haec habentur in secunda Regula codicis Floriacensis, cujus initium est: *Cum resideremus.* Et in veteri cod. ms. abbatis Corbeiensis. Ad horam vero orationis dato signo si quis non statim praetermisso opere quod agit (quia nihil orationi praeponendum est) paratus fuerit, foras excludatur confundendus. Operam vero dabunt singuli fratres, ut tempore quo

@ [Col. 1154D] *Missae.* Missae hoc loco sunt horae canonicae, seu cursus divini officii, quemadmodum in conc. Agathensi can. 30: «Et hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur: et in conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur.» Ibi enim intelliguntur matutini et vesperae. missae fiunt sive die, sive nocte, quando diutius ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluo foras recedant; quia scriptum est in Evangelio: *Oportet autem semper orare, et non deficere* **(Luc. XVIII)**. Et alio loco: *Non impediaris orare semper.* Si quis autem non necessitate, sed magis vitio

@ [Col. 1154D] *Procedendum.* Ita in cod. mss. Vind. et Flor. lege tamen *secedere, ut in cod.* Corbeiensi mss.; nempe a communi oratione, seu officio divino. procedendum putaverit, sciat se cum deprehensus fuerit, culpabilem judicandum: [Col. 1154B] quia per suam negligentiam, et alios in vitium mittit. In vigiliis observandum est, quando [Col. 1155A] omnes conveniunt, quicunque gravatur somno, et exiit foras, non se fabulis occupet, sed statim redeat ad opus ad quod convenitur.

@ [Col. 1155B] *In congregatione.* Id est, collatione, seu conventu, in quo sanctae Scripturae leguntur, de quo supra. In congregatione autem ipsa, ubi legitur, aurem semper ad Scripturas habeant, et silentium observent omnes.

§ III.---*Item ex Regula aliorum Patrum* (cap. 6).

@ [Col. 1155B] *Ad horam, etc.* Habetur in tertia Regula, cod. [Col. 1155C] Flor. cujus initium est: *Cum in nomine Domini una cum fratribus.* Ad horam orationis dato signo, qui non statim praetermisso omni opere, quod agit (quia nihil orationi

@ [Col. 1155C] *Praeponendum est.* Adde, *paratus fuerit, ut habetur in capite superiori ex alia Regula Patrum, ex qua initium hujus capituli sumptum est.* Quae quidem verba desunt etiam in cod. Flor. et Vind. praeponendum est) ab abbate vel praeposito corripiatur: et nisi prostratus veniam petierit, excommunicetur.

§ IV.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 5).

@ [Col. 1155C] *Sin autem, etc.* Hoc capitulum non exstat in Regula S. Pachomii excusa. Sin autem nocte signum insonuerit, ne steteris ad focum, qui propter calefacienda corpora, et repellendum frigus ex more succenditur: nec otiosus [Col. 1155B]

@ [Col. 1155C] *In collecta.* Per collectam intellige officium divinum. Nam hoc vocabulum ita usurpatur in Regula S. Pachomii, ut supra notatum. Et intelligendum est hos funiculos, esse nectendos dum recitantur lectiones in nocturnis, ne somnus obrepat, ut supra videre est. in collecta sedebis,

@ [Col. 1155C] *Sed funiculos, etc.* Haec desiderantur in cod. Vindocinensi: funiculi ex junco, vel palmarum ramis sunt quas Graeci vocant πλεκτὰς in Vitis Patrum. sed funiculos in mattarum stamina manu celeri praeparabis, absque infirmitate duntaxat corpusculi, cui cessandi tribuitur venia.

§ V.---*Item ex eadem Regula* (cap. 9).

@ [Col. 1155C] *Quando ad collectam.* Hoc capitulum reperitur in Regula S. Pachomii excusa art. 2. Collecta est [Col. 1155D] opus Dei, seu officium divinum passim in Regula S. Pachomii. Quando ad collectam

@ [Col. 1155D] *Clangor tubae.* More Judaeorum, qui tubis ad synaxim populum cogebant. Syri monachi utebantur cujusdam ligni crepitu. Joan. Moschus cap. 15. Λέγων ὅτι ἐν μιᾷ νυκτὶ ἠγέρθην ἐφ᾽ ᾧ κροῦσαι τὸ ξύλον, ἤμην γὰρ κανονάρχης, id est, «una nocte surrexi ad pulsandum signum: eram enim pulsator.» In Regula excusa legitur, *tuba insonuerit.* clangor tubae increpuerit per diem, qui

@ [Col. 1155D] *Ad unam orationem.* Lege: *una oratione, ut in Regula excusa: una, id est, prima, ut in Evangelio: Una sabbatorum, phrasis Hebraea.* Intelligit primam orationem, quae dicitur post primum psalmum. De hujusmodi orationibus vide superius adnotata. ad unam orationem tardius venerit,

@ [Col. 1155D] *Superioris increpationis ordine.* De quo agit S. Pachomius art. I, citato superiori capite hujus Concordiae sub titulo capitis octavi. superioris increpationis ordine increpabitur et stabit in loco vescendi.

§ VI.---*Item ex eadem Regula* (cap. 10).

@ [Col. 1155D] *Nocte vero, etc.* Hic articulus in Regula S. Pachomii excusa jungitur articulo secundo. Nocte vero, quia corporis infirmitati plus [Col. 1156A] aliquid conceditur, qui

@ [Col. 1156B] *Post tres orationes.* Quae olim dicebantur in interstitiis psalmorum. post tres orationes venerit, eodem, et in collecta, et

@ [Col. 1156B] *In vescendo.* Ita in cod. Vindocinensi; lege tamen, [Col. 1156C] ut in Regula excusa: *in vescendi loco, id est, in refectorio.* in vescendo, ordine corripietur.

§ VII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 11).

@ [Col. 1156C] *Quando in collecta, etc.* Habetur in Regula edita S. Pachomii, art. 4. Quando in collecta orant fratres, nemo egredietur absque jussione majorum, nisi

@ [Col. 1156C] *Interrogaverit.* Id est, commeatum seu licentiam petierit. Et interrogatio est licentia quae petitur a superiore. S. Columbanus in poenitentiali ms.: «Aut extra vallum, id est, extra septem monasterii sine interrogatione exierit.» interrogaverit concessumque ei fuerit exire pro naturae necessitate.

§ VIII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 21).

@ [Col. 1156C] *Qui una oratione, etc.* Haec habentur in Regula S. Pachomii excusa art. 68. *Una, id est, prima, ut paulo ante observatum est.* Qui una oratione

@ [Col. 1156C] *De sex orationibus vespertinis.* Haec verba non sunt in Regula excusa; non sunt tamen aliena a mente S. Pachomii, qui art. 107 sex orationes vespertinas faciendas instituit. de sex orationibus vespertinis tardius venerit; vel qui mussitaverit, et locutus fuerit ad alterum, vel subriserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget poenitentiam.

§ IX.---*Item ex eadem Regula* (cap. 27).[Col. 1156B]

@ [Col. 1156C] *Si quis ad comedendum, etc.* Reperitur in Regula S. Pachomii excusa, art. 12. Si quis ad comedendum tardius venerit, excepto majoris imperio,

@ [Col. 1156C] *Similiter aget poenitentiam.* Id est, increpabitur in refectorio, stabitque, donec fratres surgant a [Col. 1156D] mensa, ut statuitur art. 11 ejusdem Regulae. similiter aget poenitentiam, aut ad domum jejunus revertetur.

§ X.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 30).

@ [Col. 1156D] *Signo tacto.* Ad opus Dei, vel ad refectionem. Signo tacto omne opus praetermittitur: et

@ [Col. 1156D] *Sicut apes prudentissimae.* Elegans comparatio ab apibus sumpta, quarum una cum tempus est ad quietem proficisci, a rege jubetur somni significationem dare, qua audita statim omnes accipere somnum pergunt, scribit Aelianus lib. V de animalibus, cap. 11. sicut apes prudentissimae ad alvearium, ita veloci festinatione properare contendite. Si quis tardius venerit, districtioni subjaceat.

§ XI.---*Item ex eadem Regula* (cap. 51).

@ [Col. 1156D] *Extra mensam communem, etc.* Notanda institutio omnino necessaria ad servandas abstinentiae et jejunii leges. De qua Cassianus lib. IV de Instit. renunt., cap. 16, ubi inter gravia delicta recenset extraordinariam et furtivam cibi refectionem, cap. 18, et aliis locis hic a nostro auctore citatis. S. Fructuosus episc., cap. 8 Reg.: «Nec jejunium solvat quilibet ex monachis, nec priusquam in commune reficiant caeteri, vel postquam refecerint cum aliis, quidquam quod ad edendum pertinet, degustare praesumat.» S. Isidorus, cap. 9 Regulae: «Nullum esus furtivi contaminatio polluat; excommunicationis enim sententiae subjacebit, qui vel occulte, vel extra ordinariam mensam aliquid gustaverit,» etc.; et cap. 17 inter graviora peccata connumerat: «Si (monachus) extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit.» Quod olim summa districtione observabatur. Nam S. Amnichadus, eo quod fratribus advenientibus, et post coenam se calefacientibus ab eis rogatus potum non permissus a seniore dedisset, ejusdem senioris sententia jussus est Hibernia excedere: qui inde Fuldam veniens in magnum virum evasit, ut refert Florentius Wigorniensis ad annum 1043. Extra mensam communem nec quidquam cibi [Col. 1157A] potusque gustare liceat, absque infirmis et illis aetatibus quae adhuc perenutriri indigent.

§ XII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 54).

@ [Col. 1157C] *Cum advenisse, etc.* Habentur in Regula ms. [Col. 1157D] Magistri cod. Corbeiensis eodem cap. 54. Cum advenisse divinam horam percussus in oratorio

@ [Col. 1157D] *Index.* Id est, signum, ut infra hoc capite, quo vocabulo supra usus est. index monstraverit, mox laborantes opus projiciant, artifices ferramenta dimittant, scriptores litteram non integrent, omnis fratrum manus deserat quod agebat, festinet statim [mox] cum gravitate pes ad oratorium, sensus ad Deum: ut mox ad primam orationem occurrant, tanquam apes ad mel, intrantium ad oratorium

@ [Col. 1157D] *Fratrum examen ebulliat.* Ebullire hoc loco est cum abundantia et copia erumpere, proserpere, ut apud Tertullianum, lib. de Idololatria: «Priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa et vacuae aedes erant.» In Scorpiaco: «Tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani proserpunt, tunc omnes martyriorum refragatores ebulliunt.» Et apud eumdem libro ad Scapulam ebullire vermibus est scatere pediculis: Solusque in praetorio suo vastatus peste cum vermibus ebullisset.» fratrum examen ebulliat; ut qui tacitus erat sancti oratorii locus, statim psalmorum clamoribus impleatur, et silentium sancti loci ad relictas migret officinas et opera. Cum vero index in oratorio semper percussus fuerit, mox [Col. 1157B] omnes audientes antequam currant,

@ [Col. 1157D] *Faciant sibi crucem.* Corippus, libro XXI de laudibus Justini minoris:

Atque crucis signum faciens venerabile sedit. faciant sibi crucem in fronte

@ [Col. 1157D] *Respondentes.* Id est, dicentes. de quo vocabulo infra respondentes, Deo gratias.

§ XIII.---*Item ex ejusdem Regula* (cap. 73).

@ [Col. 1158C] *Frater qui in nocturnis, etc.* Haec reperire est in Regula ms. Magistri. Frater qui in nocturnis, Matutinis et lucernariis primam orationem aut psalmum perdiderit, ejectum eum

@ [Col. 1158C] *Ab oratorio cum terrore in capite.* Ita in cod. Vind. At in Regula ms. cod. Corb.: *Agitato ei in oratorio in terrore capite.* Lege, *agitato in terrore capite.* ab oratorio cum terrore in capite foris [eum] apud semetipsum de emendatione abbas moneat. Si secundam orationem vel psalmum perdiderit, ibi in oratorio praesente congregatione post psalmum expletum corripiatur acerbe. Si vero post tertiam orationem vel psalmum intraverit, mox una cum praepositis suis foris de oratorio excommunicatus jactetur: et non prius ad veniam revertatur, nisi humilitatis satisfactio ab eo aequaliter ante limen oratorii fuerit operata. Sed hoc, ut superiori [Col. 1157C] titulo diximus,

@ [Col. 1158C] *De intra quinquaginta passus latitudine.* Horum verborum explicatio emendicanda est ex cap. 55 ejusdem Regulae, ubi statuitur quod si frater audito signo operis Dei quinquaginta passus abest ab oratorio laborans, non debet se ad oratorium conferre, sed posito ferramento, flexa cervice, in loco operis pensum divinum solvere. de intra quinquaginta passus latitudine. In prima vero, tertia, sexta et nona, qui post signum indicis percussi ad primam orationem et [Col. 1158A] primum psalmum non accurrerit, in oratorio praesentibus omnibus acerbe corripiatur; post secundam vero orationem, vel secundum psalmum qui occurrerit, jam sic excommunicatus cum suis exeat praepositis foras. Ad mensae veroa antiphonam, vel versum priorem, qui non adfuerint, semote, et non signatum, et sine data et accepta benedictione manducent et bibant

@ [Col. 1158D] *Sine alicujus hominis eloquio.* Si nempe ei necessarium esset loqui, vel

aliquid petere. Nam aliis fratribus juxta hanc Regulam, si necessitas id postulat, loqui conceditur in mensa; huic autem negligenti, etiam necessitate postulante, minime. sine alicujus hominis eloquio, usque dum se elevent. Et merito sine alicujus eloquio hominis debet reficere, quia ante refectionem cum Deo non est locutus. Qui posteriori vero versu mensae non adfuerit Deo gratias redhibere, in sequenti refectione talem poenam in sequestrato suscipiat, quam ille qui ante refectionem non est locutus cum Deo. Hae vero correptiones [Col. 1158B] vel excommunicationes duntaxat his constitutae sunt qui sunt voluntatis negligentia tardi, et nullis necessitatibus occupantur.

@ [Col. 1158D] *Qui etiamsi, etc.* Haec transposita sunt, quae hac serie clariora apparebunt: *Qui etiamsi propria voce ad oratorium proclamant debere se, ut absentes, in orationibus memorari, praetermittantur.* Qui etiamsi propria voce ad oratorium debere se ut absentes proclamant in orationibus memorari, praetermittantur a fratribus: et socient excommunicatis, quos non utilitas monasterii, sed negligentia occupavit.

@ [Col. 1158D] *Nam pro utilitate monasterii.* Absentes ab oratorio pro utilitate monasterii aut alia causa legitima non minus meriti consequuntur quam praesentes, ut olim Patri Horatico monstravit angelus quidam, qui splendida veste indutus tempore officii divini coelesti quodam thymiamate perfundebat non solum praesentes, sed etiam locum legitime absentium, ut scribit S. Dorotheus doctr. 11. Nam pro utilitate monasterii occupati digne absentes a praesentibus in oratorio memorantur: sic tamen occupati in eodem loco dicentes sibi opus Dei et ipsi. Nam frater qui correptus in oratorio fuerit, etsi non oratorio jubeatur exire, tamen psalmum et responsorium aut lectionem aut versum tandiu non imponat, usque dum in ipso oratorio pro culpa satisfecerit ad genua incurvatus, et [Col. 1158C] in voce humili petierit pro se orari. Frater, qui pro utilitate monasterii occupatur, absens in oratorio habeatur in mente: qui per negligentiam aut tarditatem [Col. 1159A] occupantur, tacite praetermittantur,

@ [Col. 1159C] *Quia potius, etc.* Ita correxi ex Regula ms. quia potius peccatum acquiritur, nolentes Deum in orationibus memorare.

§ XIV.---*Item ex ejusdem Regula* (cap. 23).

@ [Col. 1159C] *Qui vero frater, etc.* Haec habentur in Regula ms. cod. Corb. sub finem ejusdem capitis 23. Qui vero frater ad versum primum mensae dicendum non adfuerit, non sedeat ad mensam cum fratribus; sed semote in scutella sine data benedictione manducet non signatum, et potio ei non signata tradatur semote mixta. Et usquedum se levent, nullus cum eo loquatur. Jam si spiritalis est, doleat ei sine Deo reficere. Qui vero ad versum posteriorem mensae finitae non adfuerit, in sequenti refectione, et ipse a mensa sequestratus non signatum manducet et bibat. Quae excommunicationes tandiu in eis permaneant,

@ [Col. 1159C] *Quandiu in satisfactione humiliati usque ad genua capitis.* Est quod ait cap. 73: «Usque dum in ipso oratorio pro culpa satisfecerit ad genua incurvatus.» quandiu in satisfactione [Col. 1159B] humiliati ad genua capitis emendatio fuerit majori repromissa.

§ XV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 18).

@ [Col. 1159C] *Ad mensam, etc.* Exstat in Regula S. Fructuosi episc. Bracar. cod. Crass. sub finem ejusdem capitis. Ad mensam qui tardius venerit

@ [Col. 1159C] *Prohibeatur a cibo.* Juxta Regulam S. Pachomii, art. 2: «Ad domum jejunus revertetur.» prohibeatur a cibo. Ad orationes diurnas, qui ad primum psalmum non occurrerit, introire in oratorium cum caeteris non audeat,
@ [Col. 1159C] *Sed poenitentiae delegabitur.* Juxta Cassianum, lib. III de diurn. Orat., cap. 7, et Magistrum, cap. 73: «Foris de oratorio excommunicatus jactetur.» sed poenitentiae delegabitur. Hoc idem sustinebit qui nocturnis orationibus usque ad tertium psalmum tardius venerit,
@ [Col. 1159C] *Aut post tres psalmos.* Juxta S. Pachomium, art. 2: «Qui post tres orationes venerit.» aut post tres psalmos dictos in choro, se miscere conatus fuerit.

§ XVI.---*Item ejusdem* (cap. 19).
@ [Col. 1159C] *Ministri sive praepositus, etc.* Haec habentur in [Col. 1159D] regula ms. S. Fructuosi eodem cap. 19. Ministri sive praepositus cum fratribus reficiant,
@ [Col. 1159D] *Et mutatos sibi cibos.* In Regula ms. legitur, *inusitatos, id est, diversos ab iis quos fratres edere solent.* Idem sancitur in Regula Pauli et Stephani, cap. 20: «Nulli fratrum liceat vel pomum vel quodcunque olerum, aut condimentorum, vel aliud aliquid ad usum suum quasi peculiari apparatu in mensa sibi ad manducandum deferre.» et mutatos sibi cibos praeparare non audeant, nec extra communem refectionem quidpiam edant. Hoc etiam studeat abbas agere,
@ [Col. 1159D] *Quoties advenientes vel filii Dei, etc.* Ita in cod. Vind. et in Regula ms. Locus corruptus atque ita castigandus videtur. *Hoc etiam abbas studeat agere, ut quoties advenient fratres vel filii Ecclesiae, occursione ipsa non despiciat obviare.* quoties advenientes [Col. 1160A] vel filii Ecclesiae occursione sibi non aspexerit obviare. Abbas vel praepositus fratres in furtiva passim, prout voluerint, comesione non inquinent: ni fortasse patula unumquemque aut aegritudo aut defectionis instantia defatigat. Cui quidem aperte cum consensu reliquorum congruam ordinabit annonam
@ [Col. 1159D] *Aetati suae valetudine competente.* Haec corrupta sunt. In Regula ms. legitur: *Aetatis suae valetudini competentem.* Sed lege, *aetati sive valetudini competentem, ut in cod.* Vind.; nam hic agitur de aetatis debilitate et de morbo. aetati suae valetudine competente.

§ XVII.---*Item ejusdem* (cap. 5).
@ [Col. 1159D] *Quilibet ex monachis, etc.* Exstat in Regula ms. [Col. 1160C] S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass. in fine ejusdem capitis 5. Quilibet ex monachis jejunium solvere non praesumat, nec priusquam in commune reficiant cum caeteris vel postquam refecerint, quidquam, quod ad potandum vel edendum pertinet gustare vel contingere audeat,
@ [Col. 1160C] *Vel occulte quodlibet recondere, etc.* Ad edendum vel bibendum videlicet. Idem statuit S. Pachomius art. 63: «Nihil in cella sua absque jussione praepositi quidpiam condet, nec poma quidem.» Tetradius seu Teridius cap. 22 Regulae. «Ad lectum suum nemo praesumat habere, quod manducetur, aut bibatur.» vel occulte quodlibet peculiariter recondere, vel habere praesumat. In praecipuis solemnitatibus tria pulmentaria, et totidem potiones [Col. 1160B] fratribus praebeantur.

§ XVIII.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 4).
@ [Col. 1160C] *Nulli liceat, etc.* Haec habentur in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor.;

haec autem statuuntur juxta Regulam S. Pachomii artic. 3. Nulli liceat absque prioris permissu de opere Dei discedere, sed quem causa manifesta compulerit, oratione a priore

@ [Col. 1160C] *Sperata.* Id est, petita; sperare aliquando idem est quod petere. Epistola Leonis episcopi Senonensis ad Childebertum regem: «Litteras celsitudinis vestrae honore, quo dignum est, me indico suscepisse: ubi sperare dignamini, ut ad ordinandum Mecledonensem episcopum aut praesentia nostra adesse debeat, [Col. 1160D] aut consensus.» Idem videtur cap. seq. sperata et concessa discedat.

§ XIX.---*Item ejusdem* (cap. 5).

@ [Col. 1160D] *Nec bini, etc.* Reperitur in eadem Regula ms. cod. Flor. eodem cap. 5. Nec bini, nec terni, sed singillatim

@ [Col. 1160D] *Exeuntes.* Oratorio videlicet, pro necessitate aliqua. exeuntes

@ [Col. 1160D] *Orationem sperent.* Id est, licentiam petant, ut supra: *Oratione a priore sperata, quia licentia dabatur oratione seu benedictione prioris.* orationem sperent ita ut qui sani sunt, protinus

@ [Col. 1160D] *Revertantur.* Ad oratorium. revertantur, qui vero infirmi,

@ [Col. 1160D] *Ex permissu redeant ad cubile.* Si nimirum licentiam petierint exeundi infirmitatis causa. ex permissu redeant ad cubile.

§ XX.---*Item ejusdem* (ex cap. 17).

@ [Col. 1160D] *Nulli liceat, etc.* Habetur in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. cap. 18. Nulli liceat supra statutam

@ [Col. 1160D] *Consuetudinem.* Id est, annonam solitam. Sed de hoc vocabulo infra. consuetudinem sive in potu, sive in cibo praesumere, nisi Prioris,

@ [Col. 1160D] *Cui ordinandi.* In Regula ms. sequitur: *Et considerandi.* cui ordinandi

@ [Col. 1160D] *Facultas est.* Ita in Regula ms.; videtur tamen deesse τὸ *permissu.* facultas est: ita ut in gravi operatione [Col. 1161A] fatigatis fratribus supra consuetudinem oportet quidquam adjungi, annuente et permittente Patre, et non quolibet praesumente, hoc ipsum fieri liceat.

§ XXI.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 11).

@ [Col. 1161C] *Tempore quo, etc.* Exstat in Regula S. Isidori [Col. 1161D] excusa cap. 9. Tempore, quo refectionis debitum solvitur, claustra monasterii obserentur, nec ullus extraneus interesse praesumat: ne quietem fraternam

@ [Col. 1161D] *Praesentia.* In Regula exc. additur *sua.* praesentia impediat. Refectionis tempore dato signo pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardius venerit,

@ [Col. 1161D] *Agat poenitentiam, etc.* Juxta instituta S. Pachomii, art. 12: «Similiter aget poenitentiam aut ad domum jejunus revertetur.» agat poenitentiam, aut jejunus ad suum opus

@ [Col. 1161D] *Vel cubile.* Ut ibi legat. vel cubile recurrat. Nemo autem ad vescendum ibit, antequam ad vocandum omnes vox signi solita sonuerit.

§ XXII.---*Item ex eodem capitulo.* [Col. 1161B]

Nullum esus furtivi contaminatio polluat, aut impudens vel privatus extra communem mensam appetitus. Excommunicationis enim sententiam subibit, qui vel occulte vel extra ordinariam mensam aliquid degustaverit. Ante refectionis tempus nullus comedere audeat praeter eum, qui aegrotat: qui enim edendi tempus antecesserit, subsequentibus poenis abstinentiae subjacebit. Sitienti cuipiam vel defectum patienti ante edendi tempus consulendum est ab abbate, vel praeposito ordinante: non tamen palam: ne forte sitire vel esurire videntes alios cogat. Hebdomadarius solus cibos degustet, neque id alius audeat: ne sub occasione degustandi suae gulae vel gutturi satisfaciat.

§ XXIII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 97).[Col. 1161C]

Interrog.
@ [Col. 1161D] *Si necesse est, etc.* Habetur apud S. Basilium interr. 136 Regulae brev., et apud Ruf. cap. 52. Si necesse est omnes convenire ad horam prandii, et eum, qui remanet, quomodo transigimus?---*Resp.* Si quidem necessitate vel loci vel operis remansit a communi ordine, qui praeest,
@ [Col. 1161D] *Probavit et ignoscit.* Apud Rufinum: *Probabit et ignoscet, recte.* probavit, et ignoscit. Si vero cum possit, non
@ [Col. 1161D] *Satis egit.* Apud Rufinum: *Satisfecit.* satis egit accurrere, fateatur culpam negligentiae suae, et
@ [Col. 1161D] *Sine cibo maneat.* Haec supplevi ex textu Graeco, et Rufino. sine cibo maneat usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem.

§ XXIV.---*Item ex ejusdem Regula* (cap. 95).

Interrog.
@ [Col. 1161D] *Quali affectu, etc.* Exstat apud Basilium inter. 168 Regulae brev., et apud Rufinum cap. 51. Haec autem interrogatio videtur hic citata ob illa verba S. Benedicti: «Sed et si cui offertur a priore,» etc., ut sequens. Quali affectu oportet accipere vestimentum vel calciamentum qualecunque fuerit?---*Resp.* Si quidem breve aut grande est ad mensuram staturae suae, hoc indicare debet, sed cum omni verecundia [Col. 1162A] et mansuetudine. Si vero pro abjectiori vel viliori movetur, aut quia est novum, meminerit mandati Domini dicentis: *Quia dignus est, non quicunque, sed operarius*
@ [Col. 1161D] *Mercede sua.* Ita apud Rufinum, quemadmodum habetur in Evangelio Luc. X, μισθοῦ αὐτοῦ. In Graeco S. Basilii legitur τῆς τροφῆς αὐτοῦ. Id est, cibo suo, quod miror: ita ut locus citatus sit ex memoria, non ex codice, aut certe corruptus. *mercede sua* **(Luc. X)**. Discutiat seipsum, si digne operatus est opera Dei, et implevit omnia quaecunque praecepta sunt: et tunc non aliud requiret, sed de eo ipso, quod ei datur, erit sollicitus. quia supra meritum suum excipit.
@ [Col. 1162D] *Hoc enim quod de esca dictum est.* Ita in textu Graeco, τὸ γὰρ ἐπὶ τῆς τροφῆς εἰρημένον, quod idem sonat. Apud Rufinum: «Hoc enim quod de vestimento dictum est.» Recte. Nam hic agitur de vestimento, non de cibo; et videtur hoc loco usus correctione exemplari Rufinus. Hoc enim quod de esca dictum, etiam de omni re, quae ad usus corporis pertinet, eadem forma servari potest.

§ XXV.---*Item* (cap. 116
@ [Col. 1162D] Inter. 134, et cap. cit. Ruf.).

Si quis iratus nolit suscipere aliquid eorum, quae praebentur?---*Resp.* Iste talis dignus est, ut, etiamsi quaerat, non accipiat, usquequo probet is qui praeest: et cum viderit vitium animi curatum, tunc [Col. 1162B] etiam quod corporis usibus necessarium fuerit, praebebit.

§ XXVI.---EX REGULA CASSIANI (cap. 16).
@ [Col. 1162D] *Ad has ergo, etc.* Haec sumpta sunt ex Cassiano libr. IV de Instit. cap. 12. Ad has ergo orationes cum fuerit signi sonitus auditus, tanta celeritate debet monachus exsilire, ut non dicam alia artificia, sed is qui opus scripturae exercet in eodem puncto, quo ad aures ejus sonus pulsantis advenerit,
@ [Col. 1162D] *Caeptam litteram non audeat consummare.* Idem statuit Magister cap. 54 Regulae suae. *Scriptores litteram non integrent.* Exempla vide in Vitis Patrum. coeptam litteram non audeat consummare.

§ XXVII.---*Item* (cap. 17
@ [Col. 1162D] Lib. III de diurn. Orat., cap. 7.).

Si quis autem antequam finitur psalmus incoeptus, non occurrerit, ulterius in oratorium inter psallentes fratres introire non audeat. Stans foris ad januam sustineat, donec finitis psalmis congregatio relaxetur: et tunc submissa in terra poenitentia [Col. 1162C] negligentiae suae, vel tarditatis coram omnibus ab abbate impetret veniam. Quod si contempserit satisfacere, nullo modo inter fratres societatem psallendi habebit. In nocturnis autem orationibus usque ad secundum psalmum datur tardandi dilatio. Attamen antequam finito eodem psalmo fratres in orationes procumbant, congregationi se inserere atque immiscere festinet. Quod si amplius vel modicum retardaverit, finitis vigiliis vero humilitate submissus veniam negligentiae, sicut superius diximus, expetere non omittat.

§ XXVIII.---*Item* (cap. 18
@ [Col. 1162D] Lib. III de diurn. Orat., cap. 12.).

Dominico autem, vel sabbato, seu feriatis diebus [Col. 1163A] pro vigiliarum lassitudine prandium et coena fratribus exhibeatur. Sed cum ad coenam acceditur, psalmas non dicitur, sicut ad prandium solet fieri, aut cum post jejunium sero reficitur: sed tantummodo sive cum ad ipsam acceditur, sive cum ab ea consurgitur, sine psalmis, sed simplex tantum completur oratio. Pro hac ratione, quia inter monachos extraordinaria est ista refectio, et non omnes ad eam venire coguntur, nisi aut peregrini fratres, qui supervenerint, aut hi quos infirmitas corporis, aut quos propria voluntas invitat.

§ XXIX.---*Item ex eadem Regula* (cap. 33
@ [Col. 1163C] Lib. IV de Instit. renunt., cap. 18.).

Omnimodis autem et hoc caveri debet, ne ante illam vel post illam horam, qua omnes fratres in commune reficiunt, extra mensam quodcunque vel [Col. 1163B] modicum aliquis

manducare praesumat: ut etiam poma, quae tempore suo sub arboribus jacent, non tantum degustare, sed etiam tangere absque his quae in commune comeduntur, sacrilegium sit.

§ XXX.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 5).

Qui signo dato ad opus Dei, vel ad quaecunque opera tardius venerit, exclusus pro reatu tanti facinoris confundatur.

§ XXXI.---EX REGULA CUJUSDAM PATRIS.

In abstinentia ciborum unam regulam servari oportet ab omnibus fratribus praeter senes et infirmos, sive infantes: et una mensura sit [ab] omnibus, id est, ab hora nona

@ [Col. 1163C] *Usque ad alteram.* Nonam postmeridianam sequentis diei. Hic enim Pater quotidianum instituit jejunium, ac proinde unicam refectionem in die, quae fiat hora nona post meridiem juxta priscorum Christianorum consuetudinem; quae satis nota est ex his Patribus in hac Concordia citatis, Tertuliano libr. de jejuniis contra Psychicos, Prudentio in Peristephano de SS. Fructuoso et Augurio:

Jejunamus, ait, recuso potum. Nondum nona diem resignat hora. usque ad alteram a cibis [Col. 1164A] temperandum est: nec ante, sive post mensam, quae

@ [Col. 1163C] *Communiter.* Id est, simul, ut supra notatum est. communiter fratribus apponitur, aliquid ori

@ [Col. 1163C] *Indulgendum est.* Ita reposui, ex cod. Vind. cum legeretur: Indigendum est. indulgendum est:

@ [Col. 1163C] *Nisi infirmitas, sive differentia aetatis sive corporis.* Lege: *Nisi infirmitas corporis, sive differentia aetatis.* nisi infirmitas, sive differentia aetatis sive corporis

@ [Col. 1163C] *Aliquid coegerit.* Suppl.: indulgere ante, vel post mensam. aliquid coegerit. Sed neque ad saturitatem edendum est.

§ XXXII.---EX REGULA SANCTI CAESARII (cap. 10).

@ [Col. 1163D] *Qui signo tacto, etc.* Habetur in Regula sanctimonialium ejusdem Caesarii, cap. 10. Qui signo tacto tardius ad opus Dei,

@ [Col. 1163D] *Vel ad opera.* Manuum videlicet. vel ad opera venerit,

@ [Col. 1163D] *Increpationi, ut dignum est, subjacebit.* Ita Magister supra. Teridius cap. 11 Regulae ejusmodi desides ferulae subjicit: «Qui in remoto loco est, si signo tacto ad omne opus Dei nullus tardius veniat: si tardius venerit, de ferula in manus accipiat.» Sed locus corruptus, et ita castigandus: «Praeter eum, qui in remoto loco est, signo tacto ad omne opus Dei nullus tardius veniat.» increpationi, ut dignum est, subjacebit. Quod si secundo ac tertio admonitus emendare noluerit,

@ [Col. 1163D] *A communione vel convivio.* Id est, a communione seu participatione mensae communis juxta S. Benedictum supra. a communione, vel convivio separetur.

§ XXXIII.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 35).

@ [Col. 1163D] *Extra mensam communem.* Supra hoc capite eadem ex ipso auctore proferuntur, paucis mutatis, ex cap. 51. Extra mensam communem nihil sibi potusve

gustare liceat absque infirmis,

@ [Col. 1163D] *Et illis qui minoris aetatis sunt.* Supra dixit: [Col. 1164C] «Et illis aetatibus, quae pernutriri indigent,» ubi senilem, et minorem complectitur aetatem. Hic vero senilem omittit. Itaque legendum puto: «Et illis, qui senilis et minoris aetatis sunt.» et illis qui minoris [Col. 1164B] aetatis sunt.

§ XXXIV.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 8).

@ [Col. 1164C] *Quandocunque vel diurnis, etc.* Haec fere nihil aliud continent quam superius caput S. Benedicti. Quandocunque vel diurnis vel nocturnis horis ad opus divinum signum insonuerit, mox cum summa festinatione surgendum est, ac si praeco regis insonet, omni opere quod in manibus habebatur postposito, ut nihil operi Dei praeponatur, sed mens ac sonitum praeconis intenta, et operi Dei innixa, cum omni gravitate et

@ [Col. 1164C] *Mansuetudine.* Id est, modestia. mansuetudine ad intonandam gloriam majestatis ejus et pietati ejus gratias referendas festina currat. Quod si morose et segniter veniat post primi psalmi,

@ [Col. 1164C] *Qui in cursu canitur.* Cursus est id quod vulgo dicitur divinum officium, horae canonicae, opus Dei, pensum divini officii, quod a monachis quotidie excurritur et persolvitur. Quod vocabulum saepe in Patribus hic citatis reperire est, S. Columbano, Regulae cap. 7; Macario, cap. 6, et aliis. Id etiam videre est in actis mss. S. Sigolenae abbatissae: «Jugiter cursum decantans discalciata peragebat vigilias,» et in Actis mss. S. Cerenici abbatis: «In orationis autem studio tantus illum fervor accenderat, ut absque peculiari supplicatione Romanum seu Gallicanum, et sanctorum Patrum Benedicti seu Columbani cursum horis singulis Domino decantaret.» In [Col. 1164D] chron. ms. bibliothecae regis: «Anno tertio Ludovici regis factum est concilium magnum in Aquisgrani, in mense Augusto: et praeceptum est ut monachi omnes cursum S. Benedicti cantarent ordine regulari.» In Poenitentiali ms. S. Columbani: «Et quis subridens in synaxi, id est in cursu, sex percussionibus.» Apud S. Gregorium Turonensem, lib. V Hist., cap. 20, cum agit de Sagittario et Salonio episcopis: «Nulla prorsus de Deo erat mentio, nulla omnino cursus memoria habebatur,» et ita hic locus legendus est; et lib. IX, cap. 6: «Sic ingressi sumus explere cursum, nunquam tamen psallentibus nobis potuit excitari.» Apud Fortunatum lib. II, epigr. 10:

Celsa Parisiaci cleri reverentia pollens
Ecclestae genius, gloria, munus, honor. Carmine Davidico divina poemata pangens
Cursibus assiduis dulce revolvit opus. qui in cursu canitur, finem, noverit se a suo ordine, dum cursus expletur, [Col. 1165A] revocari, et in loco ultimo positum, id est, in eo loco qui talibus negligentibus fuerit deputatu, astare, et ibi cum verecundiae metu exspectare, et post expletum cursum prolixa venia ante coetum fratrum egredientium satisfacere. Nam foris omnino non segregetur, ne a somno detentus dormiat, aut in aliquo maligno hosti

@ [Col. 1165A] *Adeundi.* Ejusmodi fratrem, ut eum tentet. adcundi detur occasio. Intus etenim positus nec totum perdit

@ [Col. 1165A] *Quod coeperat.* Haec verba redundant, aut certe legendum: *Quod non incoeperat.* quod coeperat; [Col. 1166A] et verecundia et metu frangitur, dum ab omnibus

videtur. Et quando caeteri expleto officio foras egrediuntur, ille in ecclesia pro ipsa tarditate positus duodecim psalmos supra cursus seriem cantet. Si vero ex toto cursum suum perdiderit, praecipue nocturnis horis, in quibus nullum aliud opus impedit,
@ [Col. 1166A] *Superpositione.* Supple, *jejunii, de quo vocabulo infra cap.* 54, § ult. superpositione damnetur.

CAPUT LIII. DE HIS QUI FALLUNTUR IN ORATORIO.

[Col. 1165B]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1165B] *Si quis dum pronuntiat psalmum, etc.* Hic nulla fit mentio versuum, litaniae et collectarum. Sed dicendum ista aliorum commemoratione brevitatis causa comprehendi. Si quis dum pronuntiat psalmum, responsorium, antiphonam vel lectionem, fallitur,
@ [Col. 1165B] *Nisi satisfactione ibi coram omnibus, etc.* Haec praescribuntur juxta antiquorum monachorum statuta, ut videre est apud Cassianum, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 16. S. Pachomius vult ejusmodi delinquentes ante altare increpari, art. 5. Eos S. Columbanus in Poenitentiali ms. plagis subjicit: «Qui ob tussim in exordio psalmi non bene cantaverit, sex percussionibus emendare statuatur.» nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, [Col. 1166B] majori emendationi subjaceat: quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit.
@ [Col. 1165B] *Infantes pro tali culpa vapulent.* Duplex hic [Col. 1165C] culpa: una pronuntiationis, altera superbiae. Smaragdus et Bernardus Cassinas de posteriori locum interpretantur. Videtur tamen de priori intelligendus, ita ut haec verba sint altera hujus capituli pars, in qua specialiter agatur de infantibus qui in ejusmodi pronuntiatione erraverint, maxime cum pueri plus ducantur sensu quam humiliatione, et ita explicat Ruth. ms. cum ait: «Notandum est enim quia infantes debent petere veniam, si fefellerint; et post si viderit major quia digni sunt flagellari, tunc flagellandi sunt.» Porro quia multis capitibus S. P. Benedictus agit de poenis delinquentium, ad eorum intelligentiam quaedam ex S. Fructuoso proferam quae habentur apud Henricum Canisium, virum de re litteraria bene meritum, tom. V Antiquae Lectionis.

«Plurimi (inquit Fructuosus), nequaquam pleniter intelligentes judiciorum sententias in Regula S. P. Benedicti, aliter quam praecipit judicare solent. [Col. 1165D] Sciendum itaque est quatuor ibi contineri modos quibus delinquentium error corrigitur.

«Primus namque est, quem idem Pater Benedictus proprio judicio determinavit: ut est, qui per negligentiam tempore constituto ad nocturnos non pulsaverit signum, unde in oratorio satisfieri jubet; et qui ad officium divinum tarde occurrerit; et qui per negligentiam hora refectionis ad mensam: et si quis dum pronuntiat psalmum aut lectionem fefellerit; et qui pro aliqua arte extollitur.

«Secundus est de spiritualibus rebus, unde ipse dicit: *Si quis fuerit contumax, aut inobediens, aut superbus, vel in aliquo* (id est spiritali) tantum contrarius existens

sanctae Regulae. Qui proficiendo ad septem gradus extenditur: occulta videlicet castigatio, publice corripiendo in levioribus culpis; excommunicando, in jejuniis nimis affligendo, verberibus coercendo; quo inemendato, ab omnibus orando, usque ad ultimum de monasterio expellendo.

«Tertius de rebus exterioribus, hoc est, si quis damnum per negligentiam aliquod intulerit monasterio.

«Quartus de rebus criminalibus.

«Denique per ordinem eosdem repetentes: de primo sciendum quod nullatenus aliter, nisi quod Regula jubet, fieri debet, hoc est, non aliud, sed proprium est judicium ponendum.

«De secundo considerandum quia non omnibus personis supra dicti gradus convenire poterunt, quia aliter sunt corrigendi honesti, aliter improbi. Nam Regula praecipit de contumaci, *ut secrete semel aut* [Col. 1166C] *bis admoneatur;* et alibi dicit: *Si contumax fuerit, de monasterio expellatur.* Necesse est ergo ut justo moderamine utrumque decernatur, qualiter secundum Regulam et contumax secrete moneri possit et de monasterio expelli. Ille namque secrete est admonendus, qui licet aliquid a priore imperatum refutans, mox tamen increpatus emendationem promittens, qui et honestus jure dici poterit; et ille de monasterio expellendus, qui et contumax existit, et nullo unquam pacto acquiescit suscipere disciplinam, quem omnimodo contumacem Regula vocat. Unde et merito improbus est dicendus: quanquam et improbum etiam vocet, qui, licet frequenter corripiatur, disciplinae tamen regulari non contradicit: qui honestatem quam prius, dum se emendare profitens, habere videbatur, relinquens, ad improbam duramque mentem transit; ut, unde unus medetur, inde alter perimitur. Quapropter quorumdam verberibus coercendae sunt personae, quorumdam vero [Col. 1166D] minime, de quorum qualitatibus Regula dicit: *Secundum* uniuscujusque, inquit, *qualitatem vel intelligentiam omnibus se conformet et aptet.* Itemque alibi: *Ut viderit cuique expedire, prudenter et cum charitate studeat amputare vitia.* Et notandum tria inspicienda esse semper, personam videlicet, intentionem atque modum delicti: personam, utrum intellectu et modestia vigeat, vel duritia et inquietudine mentis contradictor existat: intentionem, utrum studio, an infirmitate deliquerit; modum, utrum graviter, vel certe leviter, erraverit. Unde Regula dicit: *Secundum modum culpae, excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura.* Igitur omnis spiritaliter delinquens tandiu secrete moneri debet, donec seipsum et improbum reddendo ab occulto transeat ad publicum. In qua publica correptione, si non emendaverit, ad excommunicationem leviorum culparum transibit. Ubi cum diu nequiverit corrigi, nimirum jejuniorum maceratione affligatur; [Col. 1167B] per quam non correptus, si persona fuerit talis, flageliorum coerceatur arcedine; sin vero personae non admiserit consideratio, communiter ab omnibus imploretur misericordia Omnipotentis; quod si nec isto modo fuerit sanatus, projiciatur a corpore monasterii. Et si contigerit ut per negligentiam, dum aut in occulto, aut in publico admonetur, aliquid damni monasterio intulerit, excommunicetur in levioribus culpis secundum modum culpae: et peracta poenitentia, iterum revertatur ad id ubi prius tenebatur: et non solum dum verbis monetur, verum etiam si aliquo ex supra dictis gradu deprimatur.

«Capitula quoque istius modi noscenda sunt, quibus ordinate intelligi valeant. Primum capitulum est vigesimum tertium; ibi omnes gradus inveniri valent. Secundum capitulum est *de pueris minore aetate, qualiter corripiantur* (cap. 30); ubi patet facile quod in vigesimo tertio capite scriptum est: *Sin autem* [Col. 1167C] improbus est, vindictae corporali subdatur. In fine videlicet capituli trigesimi, ubi dicit: *Hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, ut sanentur.* Hinc sequitur caput vigesimum octavum, *De his qui saepius correpti emendare noluerint, ubi similiter septem praedicti gradus inserti sunt.*

«De tertio autem modo judiciorum, sicut supra dictum est, de damno cujuslibet rei exteriori est intelligendum; ubi solummodo animadvertendum, si negligentia interveniente damnum exstiterit fratrum, tunc secundum modum delicti et personam et intentionem levioris culpae judicio subjacebit. In quo modo continetur quidquid in Regula invenitur, sive [Col. 1168B] gravissime vindictae subjaceat. Praeter hoc quod in quibusdam locis invenitur, *districtiori disciplinae subjaceat, quod quidam ita intelligi volunt ut, si occulte aut publice verbis monebatur, in eodem gradu acrius corripiatur.*

«Quartus quoque modus, ut praedictum est, de capitalibus criminibus constat, fornicatione videlicet, adulterio atque ebrietate assidua, caeterisque quae nullo modo, nisi poenitentia corporali, secundum auctoritatem canonicam purgantur. In quibus et modus, nec non et persona atque intentio semper inspicienda sunt: ubi pariter quoque sanctorum Patrum institutio sollicite est perpendenda.»

Hinc autem textus in quibusdam corruptus est. Infantes pro tali culpa vapulent.

[Col. 1167A]

§ II.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 7).

@ [Col. 1168B] *Juniores et maxime, etc.* Haec habentur in capitibus 7 et 8 Regulae ms. Pauli et Stephani cod. Flor. Statuitur autem hic ut quotidie Psalterium a junioribus per ordinem semper recitetur et pronuntietur per choros. Quod quidem extra divinum officium intelligendum est. Juniores, et maxime qui adhuc psalmos discere meditantur, per choros ex ordine et sine negligentia

@ [Col. 1168C] *Dictent.* Ita in Regula ms. cod. Flor.; id est, pronuntient, quia postea subjungit, *ut omni tempore pronuntiendi usus non desit.* dictent: ita ut ab eo loco quo minores ignorant hi juniores, qui jam Psalterium finierint, per ordinem sibi in dictando succedant, ut omni tempore pronuntiandi usus non desit.

@ [Col. 1168C] *Psallendi quoque modus.* Hic incipit caput octavum ejusdem Regulae in citato cod. Floriacensi. Psallendi quoque modus, si possibile est, omni tempore cum temperamento nobis tenendus, ut nec nimium protracte, nec supra modum correcte, sed, ut dictum est, temperata semper modulatione dicatur.

@ [Col. 1168C] *Serva* e Lege, *servato, ut in cod.* Flor., quod sumptum adverbialiter idem est ac *excepto.* Servate tamen, ut secundum voluntatem et arbitrium prioris (cui semper considerandi et perpendendi tempus, horam,

@ [Col. 1168C] *Causam imminet.* Ita in cod. Flor. Lege tamen, *causa imminet, ubi causa est*

potestas, ut supra notatum est. causam [Col. 1168A] per omnia imminet, sive protrahi, sive accelerare justo considerationis judicio jusserit, ad ejus nutum sive etiam elevatius, sive humilius voluerit), consona tamen, quasi uno ore, voce dicatur. Nec quisquam praesumat absque prioris permissu, vel elata vocis extollentia, quae saepius inflationis jactantiam et arrogantiam elationis minus cautis generat. aut turbulenta festinatione temperamenti modum excedere vel mutare. Nec prior concessam considerationis licentiam

@ [Col. 1168C] *In usu.* Psallendi videlicet. in usu absque certa necessitate audeat usurpare, sciens se Domino redditurum rationem, qui dixit: *Psallite sapienter.*

CAPUT LIV. DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI.

[Col. 1167D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1167D] *Nuntianda hora operis Dei, etc.* Variae sunt hujus loci lectiones. Alii legunt *nuntiare;* alii, *aut ipse nuntiet;* alii, *ut ipse nuntiet.* Legendum puto, *aut ipse nuntiet, ut in mss.* S. Ebrulphi, et Vict. P., hoc modo: *Nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura abbatis.* Aut ipse nuntiet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam. Ita ut primo ponatur propositio generalis, ut nimirum nuntiandae horae operis Dei cura penes abbatem sit; deinde specialis, nempe, aut ut ipse abbas horam divini officii significet, aut ut hanc provinciam diligenti fratri committat. Nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura abbatis aut ipse nuntiare, aut tali sollicito fratri [Col. 1168D] injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem, vel antiphonas post abbatem ordine suo,

@ [Col. 1167D] *Quibus jussum fuit.* Sive permissum: nam multi sunt qui prohibentur hoc facere, ut desides qui tarde occurrunt ad opus Dei, excommunicati a mensa, cantus ignari, et qui recte legere nequeunt. quibus jussum fuerit,

@ [Col. 1168D] *Imponant.* Imponere hoc loco, et aliis est *cantare, dicere, pronuntiare, sive id fiat cantu, seu recitatione,* non vero *incipere, ut vulgo putatur, ut et usurpatum a quibusdam, qui post S.* P. Benedictum vixerunt, auctoribus, Sangellensi, et nonnullis aliis. Quod satis liquet ex Regula cujusdam Patris in hac Concordia citata, quae est veluti quaedam paraphrasis Regulae S. P. Benedicti, quae ubi dixit S. Pater *imponere, canere posuit, ut videre est cap.* 22 ejusdem Regulae: «In cursu vero positi, prout ab abbate fuerint ordinati, ad psalmum canendum, vel ad lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes suum ordinem servent» Ubi vides locum cap. 63 S. Benedicti exponi: «Ergo secundum ordines, quos constituerit (abbas) vel quos habuerint ipsi fratres, accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum.» Et cap. 19 ejusdem Regulae hic Pater sic loquitur: «Sicut a mensa suo loco privatur, ita et in ecclesia segregetur, ut in loco in quo antea fuit nec psalmum cantet, nec ullum ordinem teneat, usquedum satisfactione humili cum cordis contritione ab abbate, vel a senioribus veniam mereatur.» S. Benedictus cap. 24 sic loquitur: «Privati autem a mensae consortio ista erit ratio, ut in oratorio psalmum non imponat, neque lectionem recitet, usque ad satisfactionem.» Id etiam notum est ex auctoribus infra hoc cap. ad S. Aurelianum citandis, ubi agetur de ordine psallendi, [Col. 1169C] qui dicunt *canere,* aut

cantare, dicere psalmum, ubi S. Benedictus dixit *imponere.* Idem confirmatur ex Regula S. P. Benedicti, cap. 44: «Ita sane ut psalmum, aut lectionem, aut aliud quid non praesumat in oratorio imponere.» Ubi τὸ *imponere, non significat incipere.* Nam lectio non incipitur a lectore, ut eam chorus persequatur. *Imponere ergo* hoc loco est *dicere, pronuntiare, sive id fiat cantu, sive recitatione.* Id etiam manifestum est ex S. Gregorio Turonensi in Vitis Patrum, cap. 4, de S. Quintiano: «Suggesserunt ei, ut ipse antiphonam dignaretur imponere, dicentes: Si, beate Pater, devote antiphonam imposueris, confidimus de sanctitate tua quod protinus nobis Dominus pluviam dignabitur pietate divina elargiri.» Ubi non est quaestio de inceptione antiphonae, sed de modulatione. Unde subjungitur: «Cumque psallere devotissime coepisset, penetravit excelsae potentiae aures humilis oratio confessoris.» Et ex epistola Gogi ad Petrum [Col. 1169D] episcopum, ubi *impositio sumitur pro cantu:* «Saluto Sinderocum psalmorum carmina impositionis ordine modulantem.» Dixit *impositionis ordine, quia cantores singuli per ordinem singulos psalmos canebant, ut infra hoc capite videbitur.* imponant. [Col. 1169A]

@ [Col. 1169D] *Cantare autem, etc.* Idem statuitur cap. 38: «Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui aedificent audientes.» Ubi illa verba, *non per ordinem, minime adversantur his quae dixit hoc capite S.* Benedictus cum jubet ut post abbatem ordine suo fratres psalmos imponant et antiphonas, nam hoc praeceptum non praecise intelligitur de ordine continuo, sed de interrupto, si nimirum quidam reperiantur cantui minime idonei; tunc enim sequentes suo ordine cantare debent, minime aptis ad canendum praetermissis. Cantare autem et legere non praesumat, nisi qui potest officium implere, ut aedificentur audientes. Quod cum gravitate, humilitate et tremore fiat, et cui jusserit abbas.

§ II.---EX REGULA SANCTI ISIDORI EPISCOPI (cap. 20).

@ [Col. 1169D] *Ad custodem sacrarii, etc.* Haec reperire est in Regula S. Isidori excusa, cap. 20. Custos sacrarii est qui vulgo sacrista. Lanfranco, cap. 6 Constitutionum, *secretarius,* unde vox Gallica *secretain.* Graecis κειμηλιάρχης, thesaurarius vasorum sacrorum custos, et κειμηλιαρχεῖον, sacristia, locus in quo pretiosa quaeque templi reconduntur, ut vasa sacra, vestes sacrae, et similia, apud Joannem Moschum, cap. 195, S. Gregorium lib. II, epist. 49: «Res autem quae apud eum inventae sunt, in cimiliarchio servari modis omnibus studebis.» Ad custodem sacrarii pertinet cura et custodia templi, signum quoque dandi in vespertinis nocturnisque officiis; vela vestesque sacrae, codices quoque,

@ [Col. 1170B] *Instrumentaque cuncta.* Eadem custodienda a secretario instituit Lanfrancus cap. citato. Instrumenta sunt chartae fundationum, contractuum, etc., ut videre est lib. I Legum Neapolitanarum, tit. 73 et 78. Tertullianus pro libris usurpavit lib. de Spectaculis: «Nec aliunde investigandum est quam de instrumentis ethnicalium litterarum.» instrumenta cuncta, oleum in usus sanctuarii, cera et luminaria.

§ III.---EX REGULA FRUCTUOSI (cap. 10). *Quid debeant observare abbates.*

@ [Col. 1170C] *Primum horas canonicas, etc.* Non exstat in Regula ms. S. Fructuosi episc. Bracar. Sed videtur esse alterius Fructuosi, quamvis quindecim horas canonicas instituerit, ut supra diximus, hic vero tantum septem recenseantur. Si haberemus integrum hoc caput, de hac re aliquid certi statuere possemus. Dici tamen potest eum

hoc capite loqui de eo horarum numero qui communiter suo tempore ab Ecclesia receptus erat, non vero de aliis horis quas tum ipse, tum nonnulli alii addiderant. Primum horas canonicas, id est, primam, missis operariis in vineam; tertia sanctum Spiritum in apostolos descendisse; sexta Dominum in crucem [Col. 1169B] ascendisse; nona spiritum emisisse; vespera David cecinisse dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium* [Col. 1170A] *vespertinum* **(Psal. CXL)**. Medium noctis, quia ea hora *clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei* **(Matth. XXV)**; ut ea hora cum ad judicium venerit, non nos dormientes, sed vigilantes inveniat.

@ [Col. 1170C] *Gallicinium.* Gallicinium, juxta Censorinum, lib. de Natali Die, cap. 24, et Macrobium lib. I Saturn., cap. 3, est tempus illud noctis quod sequitur illud quod dicitar *de media nocte, hoc est, jam nocte inclinante ad diem, praecedit vero conticinium, id est, cum galli tacent:* ita ut gallicinium sit nona noctis hora circiter. Gallicinium, Christum a mortuis resurrexisse. Has horas canonicas ab Oriente usque ad Occidentem catholica, id est universalis, indesinenter celebrat Ecclesia.

§ IV.---EX REGULA CASSIANI (cap. 11).

@ [Col. 1170C] *Is autem cui nocturnarum orationum sollicitudo committitur.* Haec sumpta sunt ex lib. II Cassiani de nocturn. Orat., c. 17. Porro is cui cura significandi [Col. 1170D] operis Dei committitur, a Cassiano lib. III de diurn. Orat., cap. 2, appellatur *compulsor;* a S. Fructuoso episcopo, cap. 3 Regulae, *vigilucius;* a Magistro, cap. 50 Regulae et alibi, *vigigallus* et *vigiligallus;* a Graecis κανονάρχης, id est, qui praeest canoni seu operi Dei; apud Joannem Moschum, cap. 11: Καὶ κρούσαντος τοῦ κανονάρχου ἐφ᾽ ᾧ πάντας αδελφοὺς συναχθῆναι, id est, «pulsante compulsore ad omnes fratres congregandos,» et cap. 50. Apud S. Dorotheum, doctrina 11: Ἰδοὺ ὁ κανονάρχης ἐξύπνισέ με; id est, «Ecce excitavit me compulsor,» et supra, eadem doctrina, idem vocabulum repetit. Quare male exponitur ab interprete *caeremoniarum magister.* Is autem cui nocturnarum orationum sollicitudo committitur, non qua hora illi libitum fuerit, fratres ad vigilias suscitare praesumat, ut secundum opportunitatem somnii et insomnii aetatis suae horas noctis temperet. Nam quamvis eum consuetudo diurna hora solita vigilare compellit, tamen sollicite [Col. 1170B] et frequenter

@ [Col. 1170D] *Stellarum constituta signa, etc.* Id juxta morem veterum, qui cum non haberent horologia, nocte, certa quadam se entia, observato stellarum cursu, horas distinguebant. Quod faciebat quidam Drogo monachus Floriacensis et postea eremita, ut narrat Aimoinus lib. I de Miraculis S. Benedicti, cap. 4: «Quadam namque nocte quae unam festivitatem excellentissimi legislatoris antecedebat Benedicti, maturius pervigil surgens eremita explorabat sub dio progressu stellarum in ortu competentis horae adventum, in qua Domino protectori suo laudum praeconia sancto solveret.» Hanc veteribus artem fuisse satis indicat machina illa quam describit Varro, lib. III de Re rustica, cap. 5: «Intrinsecus sub tholo stella lucifer interdiu, noctu Hesperus ita circumeunt ad infimum hemisphaerium, ac moventur, ut [Col. 1171C] indicent quot sint horae.» stellarum constituta signa exploret, et sic totam congregationem ad officium orationis [Col. 1171A] invitet; praecavens ne in utroque inveniatur incautus, id est, ne velut oppressus somno statutam noctis transeat horam, vel eamdem festinus anticipet.

§ V.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 75).

Interrog.
@ [Col. 1171C] *Quomodo debet, etc.* Habetur apud S. Basilium, interrog. 43 Regul. brev. Non tamen exstat apud Rufinum. Quomodo debet quis habere eum qui ad orationem suscitat fratres?---*Resp.* Si quis cognoscit damnum quod de somno patitur:
@ [Col. 1171C] *Cum neque sui ipsius sensum habet.* Hinc fit quod somnus appelletur imago mortis, juxta illud Ovidii:

Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago? Et germanus mortis esse videatur juxta illud Virgilii VI Aen.,

Et consanguineus lethi sopor...... Quod satis indicavit Gorgias Leontinus, apud Aelianum lib. II de varia Hist., cap. 35; nam adversa valetudine correptus cum paulatim in somnum prolaberetur, et vitae exitum sibi impendere prospiceret, interroganti amico ut se haberet, respondit: Jam me somnus incipit fratri suo reddere. cum neque sui ipsius sensum habet, et intelligit quantum sit lucrum vigiliarum, et praecipue cum vigilatur ad glorificandum Deum in orationibus: ita debet habere eum qui ad hoc se invitat et suscitat dormientem, tanquam eum per quem divina lucra et coelestia dona consequitur, sive is ad orationem, sive ad aliud quodcunque mandatum Dei invitat.

§ VI.---*Item ex eadem Regula* (cap. 77
@ [Col. 1171D] Interr. 36; apud Ruf., c. 43.).[Col. 1171B]

Interrog. Quod si contristatur iile qui excitatur, aut etiam si irascitur, quid dignius est?---*Resp.* Interim excommunicari debet, et non manducare, si forte compunctus agnoscat quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet; et ita conversus recipiat gratiam ejus qui dixit: *Memor fui* [Col. 1172A] *Dei, et delectatus sum* **(Psal. LXXVI)**. Quod si permanserit in stultitia non intelligens gratiam, abscidatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim: *Quia expedit, ut pereat unum membrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* **(Matth. V)**.

§ VII.---EX REGULA MACARII (cap. 6).
@ [Col. 1171D] *Astantibus ergo, etc.* Haec habentur in Regula ms. Macarii et aliorum cod. Flor. Astantibus ergo ad orationem nullus praesumat
@ [Col. 1171D] *Sine praecepto, qui praeest, Patris.* In cod. Corb. ms. legitur, *sine praecepto praepositi.* Idem statuitur in Regula S. Pachomii, art. 73: «Nullus ante psallat, nisi ei jussum fuerit.» sine praecepto, qui praeest, Patris psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, ut nullus priorem in monasterio
@ [Col. 1171D] *Ad standum vel psallendi ordinem.* Ita in cod. Vind. In cod. Corbeiensi: *Ad standum, vel psallendum, tantum.* Lege tamen, *ad standi vel psallendi ordinem.* ad standum, vel psallendi ordinem praesumat praecedere,
@ [Col. 1171D] *Dicente Salomone.* Ita in Regula ms. cod. Flor. et Corb., sed puto legendum, *dicente Salvatore.* Locus exstat Luc. XIV, qui hic citatur ex memoria, non ex codice; neque usquam in libris Salomonis repereris. dicente Salomone: *Fili, primatum concupiscere noli:* neque accubueris prior in convivio, ne veniat melior te, et dicat tibi Surge, et confusionem patiaris in die illa. Et iterum dicit: [Col. 1172B] *Noli altum sapere, sed time* **(Rom. XI)**. Quod si tardat is qui praeest,

@ [Col. 1171D] *Oportet primum in notitiam ejus deferre.* Sensus est quod si rector monasterii abest a choro, non psallendum est, sed monendus est, ut quid facto opus sit, ipse dictet. oportet primum in notitiam ejus deferre, et secundum imperium ejus obedire convenit fratres.

§ VIII.---EX REGULA AURELIANI EPISCOPI (cap. 22).

In omni ministerio,
@ [Col. 1172B] *Sive in ordine psallendi.* Ita loquitur S. Aurelianus, quia olim monachi seu clerici non simul canebant psalmum, sed unus stans psallebat, aliis attentius auscultantibus, juxta ritum Aegyptiorum monachorum, quem videre est apud Cassianum lib. II de nocturnis Orationibus, cap. 5: «Quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medium psalmos cantaturus exsurgit: cumque sedentibus cunctis (ut est moris nunc usque in Aegypti partibus) et in psallentis verba omni cordis intentione defixis,» etc. Et cap. 10: «Tantum a cunctis [Col. 1172C] silentium praebetur, ut cum in unum tam numerosa fratrum multitudo conveniat, praeter illum qui consurgens psalmum decantat in medio, nullus hominum prorsus adesse credatur.» Et cap. 12: «Hunc sane canonicum, quem praediximus, duodenarium psalmorum numerum, tali corporum quiete revolvunt, ut has easdem congregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo qui dicturus in medium psalmos surrexerit, cuncti sedilibus humillimis insidentes ad vocem psallentis omni cordis intentione dependeant.» Et cap. 11: «Praedictum vero duodenarium psalmorum numerum ita dividunt, ut si duo fuerint fratres, senos psallant; si tres, quaternos; si quatuor, ternos. Quo numero nunquam minus in congregatione decantant. Ac proinde quantalibet multitudo conveniat, nunquam amplius psallunt in synaxi quam quatuor fratres.» Locus sane obscurus, et ita exponendus: Si fuerint duo fratres, nempe, qui stantes canunt in synaxi [Col. 1172D] caeteris attentis, senos psalmos expediunt; si tres, singuli quaternos; si quatuor, singuli ternos; donec compleatur duodenarius psalmorum numerus. Nec hic locus Cassiani ex lib. III de diurnis Orat., capite 8, nostrae assertioni adversatur, cum dicit: «Nam humi post haec vel sedilibus humillimis insidentes tres psalmos, uno modulante, respondent.» Nam τὸ *respondent* hoc loco est *expediunt, persolvunt,, non quidem ore, sed animi attentione.* Unde non dixit, *uni* incipienti, sed, *uno modulante, respondent.* Haec disciplina monachorum Aegyptiorum in persolvendo servitutis suae penso, quam alii secuti sunt; et si plures quam quatuor, juxta numerum psalmorum suo ordine singuli singulos psalmos canerent, exceptis his, ut diximus, qui ob aliquam causam cantare prohibebantur. Ita observabant Tabennesiotae, ut liquet ex praefatione S. Hieronymi ad Regulam S. Pachomii: «Quicunque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit.» Ex Regula Macarii et aliorum cap. 6: «Ordo iste teneatur, nullus priorem in monasterio adstandi vel psallendi ordinem praesumat praecedere.» Ex S. Hieronymo, epist. ad Rusticum: «Dicas psalmum in ordine tuo in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quaeritur.» Ex Regula S. Fructuosi episcopi Brac., cap. 23: Qui prius in monasterio conversus fuerit, etc., prior dicat psalmum in choro, prior constet.» Ex Regula cujusdam Patris, cap. 22: «In cursu vero positi prout ab abbate fuerint ordinati, vel ad psalmum canendum, vel ad lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes suum ordinem servent.» Et ita capiendi hi loci Regulae S. P. Benedicti cap. 54: «Psalmos autem, vel antiphonas post abbatem ordine

suo, quibus jussum fuerit, imponant.» [Col. 1173C] Et cap. 63: «Ergo secundum ordines, quos constituerit (abbas) vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum.» Idem patet ex loco epistolae Gogi supra citato. In quibusdam tamen Ecclesiis aliter res se habebat, nam, uno incipiente, caeteri canebant, maxime in Ecclesia Caesariensi, ut planum est ex epistola 64 S. Basilii: Ἔπειτα πάλιν ἐπιτρέψαντες ἑνὶ κατάρχειν τὸ μέλος, οἱ λοιποὶ ὑπηχοιῦσι. Id est, «Deinde uni provinciam incipiendi concedentes, caeteri succinunt.» Idem fiebat in monasterio Pauli et Stephani, ut clarum est ex eorum Regula ms.: «Initium versuum per psallentium choros, priores qui in eis stant incipiant, etc. Quibus incipientibus maxime omnes, si potest fieri, in prima aut secunda syllaba pariter, unanimiter uno ore subjungant.» sive in ordine psallendi aut [Col. 1173A] legendi, vel operandi vicibus sibi succedant, absque sancto abbate, et nimis senibus, et parvulis infantibus, aut certe ita infirmis,

@ [Col. 1173C] *Ut surgere quid non praevaleant.* In cod. Vind.: «Ut surgere omnino non possint, non compellantur [Col. 1173D] facere pro eo quod non praevalent.» Optime, si legas, *qui non compellantur, etc.* ut surgere quid non praevaleant.

§ IX.---EX REGULA PATRUM (cap. 4).

@ [Col. 1173D] *Illud quoque, etc.* Haec exstant in Regula secunda ms. cod. Flor., cujus initium est: *Cum resideremus in unum in nomine Domini.* Et in cod. ms. Corbeiensi. Illud quoque observandum est ut praesente seniore, quocunque

@ [Col. 1173D] *Vel praecedente in ordine psallenai.* Distinguit seniorem ab eo qui praecedit in ordine psallendi, quia vel propter dignitatem, vel propter vitae meritum, aut aliam rationabilem causam, potest abbas juniorem in altiori gradu vel loco constituere, qui tunc praecedet seniores suos in ordine psallendi, juxta illam psallendi rationem supra a nobis observatam. vel praecedente in ordine psallendi, sequens non habeat facultatem loquendi vel aliquid praesumendi, nisi tantum is qui in ordine, ut dictum est, praecedere videtur. Hoc usque ad imum ante omnia in oratione, seu in opere, sive in responso dando erit servandum. Si vero simplicior fuerit, vel

@ [Col. 1173D] *Impeditior.* Ita in cod. Flor. In Corb., *imperitior.* impeditior sermone, et dederit locum, ita demum sequens loquatur. Omnia tamen in [Col. 1173B] charitate fiant, non per contentionem et aliquam praesumptionem.

[Col. 1174A]

§ X.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 6).

@ [Col. 1173D] *Initium psallentium, etc.* Haec habentur in Regula ms. eorumdem Patrum cod. Floriacensis. Hic locus corruptus est. Lege, ut in cod. Flor., *initium versuum per psallentium choros.* Et notandum quod non dixit, *psalmorum,* sed *versuum:* quia loquitur generaliter tam de primis psalmorum versibus quam de intermediis, cum majores psalmi intersecabantur aliqua pausatione, aut oratione, ut supra notavimus, qua absoluta cantor sequentem versum incipiebat. Initium psallentjum in choro priores qui in eis stant, incipiant. Aut si eis adversatur infirmitas, incipiant, quibus jusserit Pater. Quibus incipientibus, mox omnes, si lieri potest, in prima aut secunda syllaba pariter unanimiter et uno ore subjungant: ut non sit dissonantia cantantium, quae maxime ab inordinato initio, et quodammodo contentiosa varietate solet accidere.

§ XI.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 9).

Horas vero
@ [Col. 1174B] *Ad cursum.* Cursus est opus Dei, officium divinum, ut supra notatum est. ad cursum procurare juxta dispositionem abbatis debet, cuicunque ordinatum fuerit, id est, qui mente sollicita et impigra fuerit ad hoc opus idoneus inventus, ut opus Dei non tardetur. Si vero qualibet occasione a justo ordine deviatum [Col. 1174B] fuerit, ut non secundum ordinem suum horae custodiantur,
@ [Col. 1174B] *Superpositione damnetur.* Non semel in hac Concordia, sed saepe saepius nomen *superpositio reperitur.* Poenitentiale ms. S. Columbani superpositionibus plenum est. Vocabulum habetur in conc. Eliberitano, can. 26: «Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die jejuniorum superpositionem celebremus.» Et can. 23 editionis novae: «Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari.» [Col. 1174C] Graecis ὑπέρθεσις. Dicitur etiam superponere, Graecis ὑπερτιθέναι. Quidam putant superpositionem esse jejunium, et superponere, jejunare. Quod quidem concedi posset si haec vocabula simpliciter et sine adjuncto ponerentur; sed quia in citatis canonibus et in hac Concordia non semel reperitur *superpositio* jejunii, et *superponere jejunium, ut in Regula Magistri, cap.* 15, *superponatur jejunium, et in Poenitentiali ms.* S. Columbani multae reperiuntur *superpositiones silentii, horum vocabulorum alia est investiganda significatio. Superpositio* igitur et *superponere duo significant:* 1. dilatio, procrastinatio, differre et procrastinare; ita ut si diceretur *superpositio cibi, superponere cibum,* non vero *superpositio* jejunii, aut *silentii, superponere jejunium, etc.,* superior explicatio plausibilis esset, 2. *superpositio est superadditio, adjectio, superadjectio.* Ita accipit Stephanus Parisiensis in commentariis mss. in Regulam S. Benedicti, ad cap. 19: «De divinis [Col. 1174D] officiis non est mei propositi tractare. Hoc solum dicam, utinam fiant, secundum quod discretissimus Benedictus divino spiritu dignatus est ordinare. Tamen monasteria quaedam quadam utuntur psalmorum et officiorum superpositione.» Ita et superponere est addere, superaddere, adjicere. Ita utitur Tertullianus lib. de Oratione: «Exinde aperte Dominus amplians legem iram in fratrem homicidio superponit.» Id est, addit, superaddit. Et sensus est: cum lex tantum prohiberet homicidium, Christus in Evangelio iram in proximum superadjecit. Itaque in hoc Concordiae libro *superpositio jejunii est* superadditio jejunii, et cum non additur τὸ *jejunii, subaudiendum est:* et *superponere jejunium est superaddere jejunium:* quia cum monachi certis diebus jejunare soleant ex instituto, si accedente culpa jejunii multa irrogaretur, dicebatur *superpositio jejunii, id est, multiplicatio et superadjectio jejunii ad solita jejunia.* Sic in citatis canonibus concilii Eliberitani novae [Col. 1175A] institutiones jejuniorum dicuntur *superpositiones, id est, superadjectiones.* Et ita accipienda sunt illa vocabula ὑπέρθεσις, id est, superpositio, et ὑπερτίθημι, id est, superpono, in epist. Dionysii Alexandrini, can. 1, quia ibi agitur de multiplicatione et superadjectione dierum quos transmittebant Christiani sine cibo in hebdomade sancta. Ἀλλ᾽ οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασι ἄσιτοι_ διατιλοῦντες, οἱ δε δὺο, οἱ δε τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας· id est, «Alii quidem omnes dies sine cibo superponunt, alii duo, alii tres, alii quatuor.» Et paulo post: Καὶ τοῖς μὲν πάνυ διαπον θεῖσιν ἐν ταῖς ὑπερθέσεσιν, id est, «Et nonnullis quidem multum laborantibus in superpositionibus.» superpositione damnetur.

CAPUT LV. DE OPERE MANUUM QUOTIDIANO.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1175A] *Otiositas inimica est animae.* Eamdem sententiam [Col. 1175B] producit Theodulphus episcopus Aurelianensis, cap. 3, Capitularis: «Sed et, si quando a lectione cessatur, debet manuum opera subsequi; quia otiositas inimica est animae.» Et Rabanus libr. III de Agone Christiano, cap. de Acedia: «Unde scriptum est. Otiositas inimica est animae.» Vera quidem sententia, nam otium omnibus bonis animam spoliat: *Qui sectatur otium implebitur paupertate, inquit Sapiens Prov.* cap. 28. Incultus ager vepres et tribulos parit, anima nullo exculta labore vitia, mentem otiosam malae cogitationes circumcingunt, dilacerant atque divexant, et, ut uno verbum dicam, mens otiosa tota diaboli est. «Exercitus labore proficit, otio consenescit,» inquit Vegetius, sic et monaserium. Otiositas inimica est animae. Et ideo certis temporibus

@ [Col. 1175B] *Occupari debent fratres in labore manuum.* Ecclesia exemplum apostolorum secuta (qui, et si quotidie concionando terras et maria obirent, tamen opere manuum victum sibi quaerebant) laborem manuum magno numero semper habuit, et eos, qui illum [Col. 1175C] tanquam homine Christiano indignum repudiarent, ut haereticos condemnavit, quales maxime fuerunt Massaliani, qui se Euchitas, id est, precatores appellabant, quod soli orationi, exploso labore manuum, vacandum esse crederent, quorum haeresim refutat S. Epiphanius libr. III contra haereses, tom. II, haer. 80; damnat synodus Sidetana apud Photium in Bibliotheca, num. 52. Quibus accedit auctoritas S. Augustini. Cum enim Carthagine coepissent esse monasteria, orta inter monachos contentione, an e re monastica magis esset, aut animum duntaxat ad orationem et contemplationem appellere, et piorum Christianorum oblationibus vitam sustentare, juxta illud Evangelii: *Nolite solliciti esse quid manducetis aut bibatis;* aut juxta Apostolum: *Qui non laborat, non manducet, labore manuum victum sibi comparare:* Aurelius Carthaginensis antistes totam litem S. Augustini arbitrio permisit, qui obtemperans librum illum praestantissimum de [Col. 1175D] opere monachorum composuit: atque ita, qui laborem manuum a monachorum disciplina removendum esse contendebant, lite ceciderunt, ut ipse testatur cap. I ejusdem libri et libr. II Retractationum, cap. 21. Sed non est, quod de hac re pluribus disputem; cum nihil notius sit apud S. Basilium, Cassianum, Theodoretum, Severum Sulpitium, Joannem Moschum, Palladium, Rufinum, et caeteros, qui de Re ascetica, Regulis monachorum et Vitis Patrum scripserunt. Verum non modo monachis, sed etiam clericis labor manuum olim injunctus est, ut planum est ex Concilio Carthagin. IV, can. 51: «Clericus quantumlibet Dei verno eruditus artificio victum quaerat.» Illum non refugiebat olim S. Nicetius episcopus Lugdunensis, de quo S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, cap. 8: «Jam clericus in domo paterna residens cum reliquis famulis manu propria laborabat: intelligens commotiones corporeas non aliter, nisi laboribus et aerumnis comprimi posse;» et paulo post: «Aetate quoque jam tricenaria [Col. 1176B] presbyterii honore praeditus nequaquam se a labore operis, quod prius gessit, abstinebat, sed semper manibus propriis operabatur cum famulis.» Neque S. Severus presbyter, qui accersitus ad aegroti visitationem in putanda vine occupatus repertus est, ut refert S. Gregorius in lib. I Dial., cap. 12. Neque etiam Theodosius Junior imperator (ut de clericis et monachis taceam) a labore manuum abhorrebat: nam scribendis libris sibi victum

quotidianum comparabat ut cuidam monacho, cui divinitus revelatum fuerat cum non aliam mercedem in coelis quam imperatoris habiturum, fateri coactus est, quemadmodum refert Glycas parte IV Hist. occupari debent fratres in labore manuum, @ [Col. 1176B] *Certis iterum horis in divina lectione.* Iterum, hoc loco est *vicissim.* Hic pulchro ordine distinguuntur monachorum exercitia, quo taedium fallatur. Quantum autem obstringantur monachi lectioni divinae, satis declarat S. Gregorius papa cum lib. II Regesti, cap. 42, his vehementer objurgat abbatem Joannem, eo quod ejus monachi huic pio exercitio minime vacarent. [Col. 1175C] «In ipsis autem fratribus monasterii tui, quos video, non invenio eos ad lectionem vacare, unde considerare necesse est, quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus alimoniam vobis transmiserit, et vos mandata Dei discere negligatis.» Jure quidem: nam sine lectione divina, inquit S. Athanasius in exhortatione ad monachos, nemo ad Deum esse valebit intentus. Illius beneficio mens a Spiritu sancto illustratur. Nam spiritus sanctus cum legente colloquitur, eumque scientiam sanctorum docet. In oratione quidem homo cum Deo, in lectione divina Deus cum homine loquitur: «Cum oramus, inquit Smaragdus cap. 5 Diadematis, cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur.» Oratione quidem petimus, lectione divina quid petendum sit, edocemur. Unde S. Leander lib. de Institutione Virginum, cap. 6: «Lectio te doceat quid orando petas, postquam vero oraveris, iterum legendo inquire quid postules.» Illa denique [Col. 1176D] ad meditationem confert plurimum. Mens enim per ejusmodi lectionem piis cogitationibus veluti saginata statim in ipsa oratione invenit quid cogitet, quid sapiat et gustet: nec variis cogitationibus circumagitur, quia cito reperit in quo consistat. Haec autem lectio divina, in qua monachos S. Benedictus versari cupit, est sacra utriusque Testamenti scriptura, nec non sanctorum Patrum orthodoxorum scripta, ut liquido constat ex capite ultimo Regulae: «Caeterum ad perfectionem qui tendit, sunt doctrinae sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quae enim pagina aut quis sermo divinae auctoritatis, Veteris ac Novi Testamenti non est rectissima norma vitae humanae? aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum?» Si igitur sacrae Scripturae et Catholicorum Patrum doctrinae beneficio recta ad perfectionem et ad Deum tenditur, monachus procul abest a perfectione, qui in his assidue non versatur. Quod spectat ad paganorum libros cum de his taceat S. Pater Benedictus, signum est hanc lectionem ab eo minime probari. Eam monachis prohibet S. Isidorus cap. VIII suae regulae, et episcopis concilium Carthaginense IV, can 10: «Ut episcopus libros gentilium non legat.»

Qui corda falsis atque vanis imbuunt,
Tantumque linguas instruunt. Nihil adferentes, ut salutem conferant,
Quod veritatem delegat. Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
Qui non tenent summum caput, Veri bonique fomitem et fontem ad Deum?
Quem nemo, nisi in Christo, videt. Inquit S. Paulinus epist. ad Ausonium. Sed, quod pejus est, hac lectione obductae vitiorum cicatrices [Col. 1177C] recrudescunt, et spiritus improbus vehementiori impetu revertitur, et priore ignorantia cladem efficit deteriorem, ut recte monet S. Isidorus Pelusiota lib. I epistol. 63. Mens enim his addicta quo am vanitatis et superbiae tumore inflatur, et daemonum patet illusioni. Itaque hujusmodi librorum lectio, quantum fieri potest, monachis est vitanda, et tantum capacioribus

ingeniis, idque raro, permittenda est. certis iterum horis in lectione divina. Ideoque [Col. 1177A] hac dispositione credimus utraque tempora ordinari: id est, ut a Pascha usque

@ [Col. 1177C] *Ad Kalendas Octobris.* Kalendae Octobris non sunt hic primus dies Octobris, sed postridianus Iduum Septembris: quia postridie Iduum dies a Kalendis sequentis mensis denominantur. Kalendae igitur Octobris hoc loco sunt dies decimus octavus ante Kalendas Octobris: et ita hoc caput cum capite 41 conciliatur, in quo haec habentur: «Ab Idibus Septembris usque ad caput Quadragesimae ad nonam semper reficiant.» ad Kal. Octobris a mane exeuntes a prima usque ad horam pene quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent.

@ [Col. 1177C] *Post certam surgentes a mensa, etc.* Permittitur [Col. 1177D] monachis in aestate somnus meridianus ob nimios calores. Id videtur apud S. Gregorium cap. VI, lib. I, Dial. «Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur advenit.» Ita statuit S. Fructuosus episc. cap. 6 Regulae: «Peracto officio sextae ab oratione pergant ad mensam refectique congrue quiescant, et fiat silentium usque ad horam nonam.» Et S. Isidorus cap. 5 Regulae: «A tertia autem usque ad sextam lectioni vacare: dehinc usque ad nonam requiescere,» iisque locis agitur de aestivo tempore, in quo fratres ad sextam reficiunt. De somno meridiano cum fratres ad nonam reficiunt, nihil a S. Benedicto decernitur, qui tamen indulgetur monachis add. 1 Cap. Lud. imp., tit. 71: «Ut quando fratres aestivo tempore jejunant, post sextam dormiant.» Eratque ante refectionem. Fuit etiam somnus meridianus post cibum saecularibus familiaris, ut videre est apud Suetonium in Augusto cap. 78; Sidonium lib. I, ep. 2; Joannem Moschum cap. 77, et alios. Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis cum silentio: aut forte qui voluerit legere

@ [Col. 1178B] *Sic legat ut alium non inquietet.* Quia olim haec lectio fiebat in lecto, ut clarum est, ex Epitome Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti: «Aestivo omni tempore post prandium unusquisque ad proprium eat lectum cum summa cautela, et sine alterius perturbatione aut legat, aut dormiat,» et ex add. 1 Capitul. Lud. imp, tit. 38: «Ut quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lecto suo legat.» sic legat, ut alium non inquietet: Agatur nona temperius mediante octava hora, et iterum quod faciendum est, operentur, usque ad vesperam, si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri et apostoli. Omnia tamen mensurate [Col. 1177B] fiant propter pusillanimes.

@ [Col. 1178B] *A Kalendis Octobris.* Id est a decimo octavo Kal. Octobr. inclusive. A Kalendis autem [Col. 1178A] Octobris usque ad caput quadragesimae

@ [Col. 1178B] *Usque ad horam secundam.* Subaudiendum est: *A mane.* usque ad horam secundam

@ [Col. 1178B] *Plenam.* Id est, consummatam, nam opponitur particulis, *pene, quasi.* plenam lectioni vacent: hora secunda agatur tertia, et usque ad nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primo signo horae nonae disjungant se ab opere suo singuli, et sint parati dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut psalmis. In quadragesimae vero diebus, mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis: et usque

@ [Col. 1178B] *Ad undecimam.* Apud S. Dunstanum, Smaragdum, [Col. 1178C] Turrecrematam, et in omnibus codicibus quos viderim, tam editis quam mss., legitur: *Ad decimam, quam lectionem libenter amplector, ut dictis vesperis circa undecimam coenare incipiant monachi, ut lumine lucernae non indigeant in refectione.* ad undecimam plenam operentur, quod eis injungitur. In quibus diebus quadragesimae

@ [Col. 1178C] *Accipiant omnes singulos codices de biblotheca.* Circa hos codices haec decernuntur in add. I Capitul. Lud. imp., tit. 19: «In quadragesima libris de Bibliotheca secundum prioris dispositionem acceptis, alios, nisi prior decreverit expedire, non accipiant.» accipiant omnes singulos codices de biblotheca, quos per ordinem et integros legant. Qui codices in capite quadragesimae dandi sunt. Ante omnia sane

@ [Col. 1178C] *Deputentur unus aut duo seniores, etc.* Circuitor monasterii, qui fratres desidiosos observat, appellatur: *Circa, ut videre est in Concordia S.* Dunstani, cap. 7: «Jam et secundum Regulae praeceptum constitui debet aliquis frater, qui ab officio circuitus sui Circa vocatur: est enim ejus officium circuire claustrum, ne forte inveniatur frater acediosus, aut alicui vanitati deditus.» Et apud Lantfrancum [Col. 1178D] c. 4 Decretorum, «Circumitores monasterii, quos alio nomine circas vocant juxta S. Benedicti praeceptum certis horis circumire debent monasterii officinas observantes incurias et negligentias fratrum, et statuti ordinis praevaricationes.» A verbo circare, id est, circumire. Glossae veteres. *Circitat et circat,* κυκλεύει, id est, circumit. Hinc castigandae Glossae Isidori: *Circat,* circumvenit, legendum enim, *circumit.* Unde paulo post sequitur in iisdem Glossis: *Circitorum, circantium.* At certiores in castris non erant circumventores, sed vigilias circumibant, ut renuntiarent, si qua en ersisset culpa, ut scribit Vegetius libr. III, cap. 8. Circitores etiam sunt quidam institores: «Quibus vestiarii, vel lintearii dant vestem circumferendam ac distrahendam,» inquit Ulpianus, ff., l. *Cuicunque igitur, de institoria actione.* deputentur unus aut duo seniores,

@ [Col. 1178D] *Qui circumeant monasterium.* Ex his liquido constat fratres non simul in certo quodam loco legere solitos, sed habuisse cellas per monasterium sparsas in quibus lectioni vacarent, operi, orationi peculiari. Quod satis liquet ex Beda libr. IV Hist. Angl., cap. 25, ubi agit de monasterii Coludiani incendio. «Nam et domunculae quae ad orandum, vel legendum factae erant, nunc in comessationum, potationum, fabulationum et caeterarum illecebrarum cubicula conversae.» Ex S. Isidoro, qui quamvis cap. 12 Regulae statuit, ut omnes fratres in uno conclavi dormiant, tamen cap. I cellulas fratribus assignat: «Cellulae, inquit, fratribus juxta ecclesiam constituantur, ut possint properare quantocius ad [Col. 1179B] officium.» Et S. Fructuoso episcopo Bracarensi, qui cap. VI Regulae suae statuit ut perfectae aetatis monachi habeant cellas junioribus cum suis decanis lectioni et recitationi vacantibus, etsi velit omnes in uno loco pausare: ipse etiam S. Benedictus cellam habebat in qua orabat, ut videtur lib. II Dial. S. Greg. cap. 11: «Praecepitque vir Dei statim eum in cella sua, in psiatho, quo orare solebat, projici.» Tamen postea usu receptum est, ut haec lectio fieret in uno loco, nempe in illo peristylio, quod vulgo claustrum appellatur. Epitome Ludovici imperatoris in Regulam S. Benedicti: «Certis iterum horis lectioni pleniter vacent; et, si fieri potest, in uno claustro sedeant.» Concordia S. Dunstani: cap. 5, «Tertia vero peracta, et missa subsequente celebrata, uti Regula praecipit, sedentes in claustro vacent lectioni. Petrus Blaesensis serm. 25: «Inde est, quod in claustro conventuum quatuor loca cum propriis deputantur officiis, in latere claustri occidentali est [Col. 1179C] scholaris subjectio: in eo quod contingit ecclesiam lectio moralis: ac orientalem in capitulo correctio materialis.»

Ubi nota hanc lectionem fieri in eo latere, quod ecclesiam contingit. Cujus rei signum adhuc super est in monasterio S. Dionysii prope Lutetiam. Nam in vitreis claustri ejusdem partis visuntur depictae artes liberales. Per scholarem subjectionem intelligit novitios, qui olim sedebant in parte occidentali, cujus observantiae quondam vestigium vidi in eodem S. Dionysii monasterio in diebus coenae Domini et parasceves. Clerici etiam regulares, quos canonicos vocant, in claustro legentes sedebant: ut videre est in Actis S. Wolphangi, c. 7: «Effecit autem apud illos (clericos) tum minis, tum suasionibus, ut, quod prius non fecerant, communi mensa et dormitorio uterentur, in claustro sederent, et lectioni incumberent.» Sed in hieme, propter nimios imbres et frigus, non fiebat in claustro ejusmodi lectio, sed in alio conclavi, ut ex eadem S. Dunstani Concordia, cap. 2, manifestum est. In eo certis horis [Col. 1179D] dabatur copia fratribus confabulandi, alias silentium observabatur. Lantfrancus in Constitutionibus, § 3: «Post sextam revertantur in claustrum locuturi: cum tempus fuerit, pulsetur unum de mediocribus signis, quo pulsato, statim silentium fiat in claustro.» Constitutiones comitiorum generalium provinciae Cantuariensis anni 1225, cap. 7: «Ut permissis colloquiis in claustro et alibi a turpiloquiis, et vaniloquiis et scurrilitatibus abstineatur. Nam tanta erat in servandi ordinis continua jugitate prolixitas, tanta praesertim in ecclesiasticis officiis protelabatur instantia, ut in ipso cancri sive leonis aestu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem unius saltem vacaret horae dimidium, quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium.» Petrus Venerabilis statuto 20: «Statutum est, ut in quadragesimali tempore, additis ad silentium tribus diebus, hoc est tertia feria, et quinta et sabbato, quibus in claustro juxta morem pristinum locutio esse solebat, continuum per totam quadragesimam silentium teneatur.» Itaque in monasteriis creatus est prior claustri, qui fratres aut legentes aut colloquentes observaret, ut habetur III Decretorum Lantfranci: «Prior claustri quocunque major prior eat, si fieri potest in claustro, vel circa claustrum debet semper esse, et ordinem claustri in omni sollicitudine servare.» Et ne fratres interturbarentur, non dabatur copia extraneis seu clericis seu laicis ingrediendi claustrum, nisi certis de causis, ut videre est statuto [Col. 1180B] 23 Petri Venerabilis: «Statutum est, ut in claustrum, vel in reliquas regulares demos nullus clericorum aut laicorum ingrediatur, nisi aut causa operis alicujus, aut videndi domos ut honesti hospites facere solent.» etc. Claustri usus antiquus est: nam illius mentio fit in Vita S. Guil. Gellonensis, qui claruit tempore Caroli Magni: «Quamprimum condecens metitur oratorium, metitur etiam totius claustris patium, domum etiam infirmorum, et domum refectionis atque dormitorium, cellam novitiorum, aulam hospitum.» qui circumeant [Col. 1178B] monasterium horis, quibus vacant fratres [Col. 1179A] lectioni: et videant ne forte inveniatur frater

@ [Col. 1180B] *Accidiosus.* Ita in cod. ma. S. Germ. pro: *Acediosus, ut vulgo habetur, id est, piger, atque etiam qui acediae morbo laborat.* Is enim vix potest animum lectioni applicare. accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis, et non est intentus lectioni: et non solum sibi inutilis est, sed et jam

@ [Col. 1180B] *Alios extollit.* Id est, aufert, amovet, subducit ab opere. Extollere videlicet hoc loco est auferre, amovere. Id clarum est ex Plauto in Mercatore. [Col. 1180C]

Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem. alios extollit. Hic talis si, quod absit, repertus fuerit corripiatur semel et secundo: si non emendaverit, correptioni regulari subjaceat taliter

@ [Col. 1180C] *Ut caeteri timeant.* Ita apud Smaragdum, et in cod. S. Ebrul. et S. Germ. ma. vulgo: *Ut caeteri metum habeant.* ut [Col. 1180A] caeteri timeant.

@ [Col. 1180C] *Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.* Jungitur frater alteri horis incompetentibus, qui tempore operis Dei laboris manuum, lectionis, refectionis, aut alicujus exercitii regularis cum altero confabulatur injussus. Quod satis patet ex textu Regulae. Nam cum S. Benedictus jussit acrius animadverti in eum qui dum fratres lectioni incumbunt, nugis et fabulis vacat, statim subjungit: «Ne frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.» Ubi recte Smaragdus ait: «Illae enim sunt horae incompetentes fabulis vanis, quae sunt competentes lectionibus sacris.» Idem videre est apud Ruthardum. Sed cum S. Benedictus ita distribuat quid singulis horis faciendum sit, ut vix extra regularia exercitia aliquid temporis restet, nullae erunt horae competentes; quibus aliquando fratres se possint invicem de necessariis [Col. 1180D] interrogare. Itaque non puto eam fuisse S. Benedicti mentem, ut monachi tot horas in opere manuum ad rigorem observent, sed instituisse tantum horas in quibus laborandum sit, et posse monachos absoluto opere quod ipsis injunctum fuit non exspectato horae praestitutae termino, se ab opere disjungere, ut aut lectioni, aut orationi, aut aliis suis necessitatibus vacare possint. Neque frater ad fratem jungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens aut desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere,

@ [Col. 1180D] *Injungatur ei opus.* Quod non sit servile, nec sit ejusmodi diebus prohibitum: aut si servile, quod sit licitum, ut ministerium aliquod in culina, vel in domo infirmorum. injungatur ei opus. Fratribus infirmis,

@ [Col. 1180D] *Aut delicatis talis opera, etc.* Delicatus est in deliciis pastus, inquit Smaragdus. Vide superius annotata. Circa delicatos et debiles idem statuit S. Leander lib. de institutione Virginum, cap. 13 «Et ista sint dicta de veste et cibo et potu vel opere pro invalidis: ut quae durius ferre non potest, tractetur levius.» Et haec est discretionis Regula. Hinc notandum noviter venientes, qui non sunt assueti labori manuum, non statim onerandos, sed paulatim assuefaciendos. [Col. 1181C] «Neque ex nimio otio subitus labor sine gravi noxa est,» inquit Celsus, lib. I, c. 3. De opere manuum plura vide apud Rupertum lib. III in Regulam sancti Benedicti, cap. 5 et seq. aut delicatis [Col. 1181A] talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effungentur: quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.

§ II.---EX REGULA SANCTI MACARII (cap. 10).

@ [Col. 1181C] *Debent ergo, etc.* Exstat in Regula ms. Macarii, et aliorum abbatum cod. Flor. et Corb.; sed codex Corbeiensis multum differt in verbis quidem ab hac Concordia, et a cod. Flor., sed non in sensu. Debent ergo fratres istum ordinem tenere. A prima usque ad horam tertiam Deo vacent fratres. A tertia vero usque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit a Patre,

@ [Col. 1181C] *Sine aliqua murmuratione faciant.* Monasteriorum est pernicies murmuratio. Estque illorum praecipue qui corpore, non animo in claustris habitant, quorum non est cor unum, nec anima una. Ut praeclare docet S. Augustinus enarratione in psalmum CXXXII: *Nam murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodam loco Scripturarum:* praecordia fatui sicut rota carri **(Eccli. XXXIII)**. *Fenum portat et*

murmurat. Non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres, non habitant in unum, nisi corpore. Similia sane sunt praecordia murmuratorum rotae carri, [Col. 1181D] qui semper cum murmuratione opus injunctum faciunt, quemadmodum rota carri quae fert cum murmuratione fenum. Multum laborant et nihil proficiunt. Unde praeclare S. Joannes Chrysostomus serm. 8 in cap. II, ad Philippenses: Βέλτιον μηδὲν ἐργάζεσθαι, ἢ μετὰ γογγυσμοῦ· ἀπόλλυται γὰρ καὶ αὐτὸ γινόμενον· id est, «melius est nihil facere quam cum murmuratione. Perit enim illud quod fit.» Idque juxta mentem S. Patris Benedicti cap. 5: «Etsi impleat jussionem; tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis.» sine aliqua murmuratione faciant. Meminere debent

@ [Col. 1181D] *In quibus injungitur.* Ita in cod Flo. Lege *ii, quibus injungitur.* in quibus injungitur, dictum Apostoli:

@ [Col. 1181D] *Omnia quod facitis, sine murmuratione facite.* In cod. Corb. additur, *et haesitatione.* In versione communi: «Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus.» *Omnia quae facitis, sine murmuratione facite* **(Phil. II)**. Timere debent illud dictum terribile: *Nolite murmurare;* sicut quidam eorum murmuraverunt, et ab exterminatore perierunt **(II Cor. X)**. Debet etiam, qui praeest, pater, opus, quod faciendum est, uni injungere, ut caeteri ejus praecepto, cui injunctum [Col. 1181B] fuerit, fratres obediant sine querela.

§ III.---*Item ejusdem* (cap. 11).

@ [Col. 1181D] *Si quis ex fratribus, etc.* Habetur capite sequenti saepius citati codicis Floriacensis. Exstat etiam in cod. Corb. Profertur supra cap. 43, sub nomine Regulae Patrum. Hic autem citatur ob illa verba S. Patris Benedicti *Fratribus infirmis aut delicatis.* Si quis ex fratribus pro jejunio, vel operibus manuum suarum, quae Apostolus praecipit: *Operantes*

@ [Col. 1182C] *Manibus nostris.* Ita in cod. Flor. et Corb. Haec tamen verba non habentur in locis citatis Apostoli. In versione tamen Syra I ad Thess. II habetur: *In opere manuum nostrarum. manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus* **(I Thess. II et II, III)**, is qui talis est monachus, dignus est in omnibus. In his si fuerit aliquis infirmitate

@ [Col. 1182C] *Obsessus.* In cod. Corb. *oppressus.* obsessus, providendum est ab eo, qui praeest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. Quod si in firmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari, considerans Apostolum, qualiter corpus suum servituti redigit **(I Cor. IX)**. Hoc autem [Col. 1182A] observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

§ IV.---EX REGULA PATRUM (cap. 5).

@ [Col. 1182C] *Cursus vero, etc.* Hoc capitulum reperitur in secunda R gula ms. cod. Flor. cujus initium est: *Cum resideremus in unum;* Habetur etiam in cod. ms. Corb. Cursus vero orationum vel psalmorum, sicut dudum statutum est, vel tempus istud

@ [Col. 1182C] *Meditandi.* Id est, legendi. Meditari enim aliquando legere est. Unde postea subjungitur: «Ut usque ad horam secundam legant.» meditandi, operandique servabitur. Ita meditem habeant fratres,

@ [Col. 1182C] *Ut usque ad horam secundam legant.* Idem statuit S. Caesarius cap. 7 Regulae suae: «Omni tempore duabus horis, hoc est a mane usque ad horam secundam lectioni vacent.» ut usque ad horam secundam legant; si tamen nulla causa exstiterit,

qua necesse sit etiam
@ [Col. 1182C] *Praetermisso meditem.* Ita in Regula ms. cod. Flor. In cod. Corb. *Praetermisso medite.* In Vind. *Praetermisso meditentur.* Legendum puto, *praetermissa* [Col. 1182D] *meditatione, id est, lectione.* praetermisso
@ [Col. 1182D] *Meditem.* Ita in Regula ms. cod. Flor. et Corb. et alibi in eadem Regula cod. Flor. «Sed unusquisbue opus suum et meditem custodiat.» in Cod. Vind. legitur *ita tamen meditationis causam.* Quid sibi velit τὸ *meditem, non satis video.* Itaque legendum puto *meditationem, id est lectionem.* meditem, aliquid fieri in commune. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit, et usque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit, sine murmuratione et haesitatione perficiant, sicut docet sanctus Apostolus **(Phil. II)**.

§ V.---*Item ex Regula Patrum* (cap. 5).[Col. 1182B]
@ [Col. 1182D] *Matutino dicto, etc.* Hoc capitulum habetur in tertia Regula toties citati cod. Flor. cujus initium est, *Cum in nomine Domini.* Nihilque aliud complectitur, quam praecedens capitulum. Matutino dicto fratres lectioni vacent usque ad horam secundam: si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit, etiam
@ [Col. 1182D] *Praetermissa lectione.* In superiori capitulo juxta nostram emendationem: *Praetermissa meditatione, ex quo confirmatur meditationem esse lectionem.* praetermissa lectione, aliquid fieri in commune. Post horam secundam unusquisque ad opus suum paratus sit. Usque ad horam nonam quod injunctum fuerit, sine murmuratione perficiat.

§ VI.---*Item ex Regula Patrum* (cap. 9).
@ [Col. 1182D] *Die autem Dominica.* Hoc capitulum habetur in Regula Serapionis, Macarii. et aliorum cod. Corb. et Flor. Die autem Dominico nihil aliud agant, nisi Deo vacent: nec pro aliqua occasione se velint, aut alios excusare. Tamen contestor, fratres,
@ [Col. 1182D] *Nulla operatio.* Ita in cod. Flor. Smaragdus legit *quod nulla operatio.* nulla operatio [Col. 1183A] in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis et canticis spiritualibus
@ [Col. 1183C] *Dies illa transeatur.* In cod. Corb. et apud Smaragdum, *dies memorata transigatur.* dies illa transeatur.

§ VII.---EX REGULA PACHOMII (cap. 58).
@ [Col. 1183C] *Si signum datum fuerit, etc.* Exstat in Regula excusa S. Pachomii, art. 35. Si signum datum fuerit ut egrediantur ad opus,
@ [Col. 1183C] *Praepositus domus.* In Regula excusa deest vocabulum *domus.* Sed recte positum, et legendum *Prioris domus, ut ex sequenti articulo patet.* Praepositus domus antecedet eos; et nullus in monasterio remanebit, nisi is cui
@ [Col. 1183D] *Pater.* Id est abbas. Pater praeceperit; et hi qui pergunt
@ [Col. 1183D] *Non interrogabunt quo vadant.* Recta institutio, ut discipuli suis praepositis dempta omni curiositate obtemperent. non interrogabunt quo vadant.

§ VIII.---*Item* (cap. 59).
@ [Col. 1183D] *Cumque universae domus.* Haec verba et sequentia usque ad illa, *non*

loquentur, non exstant in Regula excusa S. Pachomii, art. 35, licet quaedam sint immutata. Cumque universae domus in unum fuerint congregatae, prioris domus Praepositus antecedet; et pergent juxta ordinem domorum et hominum singulorum, nec loquentur mutuo; sed unusquisquis de Scripturis meditabitur. Si forte eis aliquis occurrerit, et voluerit cum aliquo eorum loqui,
@ [Col. 1183D] *Janitor.* In Regula S. Pachomii excusa legitur, *praepositus;* male. janitor [Col. 1183B] monasterii, qui huic operi fuerit delegatus, occurret, et respondebit ei, eoque utentur nuntio.
@ [Col. 1183D] *Si janitor coram non fuerit.* Haec usque ad finem articuli non exstant in Regula excusa. Si janitor coram non fuerit,
@ [Col. 1183D] *Praepositus domus.* De qua est ille quem extraneus alloqui cupit. Praepositus domus, vel alius, cui hoc fuerit injunctum, occurrentibus respondebit.

§ IX.---*Item* (cap. 60).
@ [Col. 1183D] *Operantes nihil loquantur, etc.* Haec videre est in Regula S. Pachomii excusa, eodem cap. 35. Operantes nihil loquantur saeculare; sed aut
@ [Col. 1183D] *Meditabuntur.* Id est, loquentur. Ita sensus postulat, quia sequitur: *Aut certe silebunt.* meditabuntur ea quae sancta sunt, aut certe silebunt.

§ X.---*Item* (cap. 62
@ [Col. 1184C] Eodem articulo.).

Operans non sedebit sine majoris imperio.

§ XI.---*Item* (cap. 62).
@ [Col. 1184C] *Nec plus operis fratres compellantur facere.* Supp. *quam vires eorum ferre possint.* Hoc capitulum exstat In regula excusa, partim art. 100, partim. 101. Nec plus operis fratres compellantur facere, sed moderatus labor omnes ad opus provocet. Sitque inter eos pax et concordia, et libenter majoribus subjiciantur sedentes, et ambulantes, ac stantes in [Col. 1183C] ordine suo, et invicem de humilitate certantes.
@ [Col. 1184C] *Si quid peccatum fuerit.* Hic incipit art. 101 in Regula S. Pachomii excusa: ubi legitur: *Si quis peccatum fecerit.* Si quid peccatum fuerit. Patres monasterii emendare poterunt, et constituere quid sequi
@ [Col. 1184D] *Debeant.* In eadem Regula excusa legitur, *debeat, juxta superiorem lectionem.* debeant.

§ XII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 34
@ [Col. 1184D] Vide supra cap. 25, § 4.).

Interrog. Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversae ascendunt in corda nostra, et quomodo hoc possumus emendare, etc.

§ XIII.---EX REGULA STEPHANI (cap. 11).
@ [Col. 1184D] *Aestatis tempore, etc.* Haec habentur in Regula ms. Pauli et Stephani, cap. 20. Aestatis tempore nulli liceat meridie, praeter in [Col. 1184A] suo lecto dormire: nisi forte jubente Priore

@ [Col. 1184D] *Ad nubila.* Id est, sub dio, sub axe. ad nubila pro custodia
@ [Col. 1184D] *Areae.* Area est locus agricolae arte factus ad proterendum triticum. Vide Virgilium lib. primo Georg.; Columellam lib. II, cap. 20, et S. Isidorum lib. XV, cap. 13, Orig. areae extra lectum suum dormiat. In campo vero quando messis colligitur, si meridie dormire licuerit, non divisi, sed in uno loco, aut duobus locis dormient: quia non est incognitum, quantum mali ex occasione diabolus fecerit. Tempora vero in quibus, si vacaverit, meridie dormiendum nobis est, a die Iduum Maiarum usque in diem Iduum Septembrium observemus.

§ XIV.---*Item* (cap. 33
@ [Col. 1184D] Cap. 33 ejusdem Regulae cod. Flor.).

Magnopere autem ab omnibus cavendum est, ne aut in pistrino, aut in quacunque manuum operatione aliquis fratrum pigre, et non inter primos occurrat.

§ XV.---*Item* (cap. 33).[Col. 1184B]
@ [Col. 1184D] *Nam adhortatio laborandi, etc.* Exstat in Reg. ms. Pauli et Stephani cod. Flor., cap. 34. Nam adhortatio laborandi quae hactenus cum tanto temperamento a nobis charitati vestrae insinuata est,
@ [Col. 1184D] *Ab illa apostolica beati Pauli instantia.* Id est, prae illa Pauli instantia, seu vehementi adhortatione qua nos hortatur et urget ad laborem manuum. ab illa apostolica beati Pauli instantia tantum tepida est et remissa, quantum est differentia personarum; cum ille nos jubeat hactenus manibus laborare, ut habeamus unde tribuere possimus necessitatem patientibus **(Eph. IV)**: nos diximus, ut, vel quod nobis sufficiat, laboremus. Ille dicit seipsum in fame et siti, in frigore et nuditate, nocte et die, suis manibus laborasse, ut sibi, et qui cum eo erant necessaria non deessent **(II Cor. XI; Act. XX)**. Nos e contra duplicia habentes in nostris usibus vestimenta, et calciamenta, et quotidiam victus de donis Dei ad saturitatem plenissimum apparatum, hortamur ut otium non ametis, sed per sincerum unanimitatis [Col. 1184C] consensum unusquisque, ut praevalet, sic laboret. Ille praecepit: *Qui non laborat, non manducet* **(II Thess. III)**. Et nos fragilitatem nostram in vobis pensantes nulli vestrum, qui hactenus subdola et lubrica voluntate laborare feliciter distulistis, de necessariis rebus a fidelium fratrum
@ [Col. 1184D] *Ab ordine.* Ordo hoc loco est quod ordinarie datur seu ad victum, seu ad vestitum. ordine quidquam subtraximus, patienter hactenus tolerantes, ut non vinceremur a malo, sed ut vinceremus malum in bono.

[Col. 1185A]

§ XVI.---*Item ejusdem* (cap. 38).
@ [Col. 1185C] *Hoc scientes fratres, etc.* Haec habentur in eadem Reg. ms. cod. Flor., cap. 35. Hoc scientes fratres,
@ [Col. 1185C] *Quia otiosus corpore monachus, etc.* D. Hieronymus in epist. ad Rusticum de vivendi forma: «Texantur et lina capiendis piscibos; scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. *In desideriis est omnis otiosus.* Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animae salutem: ne

vagetur perniciosis cogitationibus mens, et instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divaricet pedes suos.» quia otiosus corpore monachus mente a sordidis cogitationibus nunquam poterit esse otiosus,

@ [Col. 1185C] *Dicente Salomone:* In desideriis est omnis otiosus. Loco citato hanc sententiam profert S. Hieronymus auctoris nomine suppresso, quam neque in Salomone, neque in tota Scriptura repereris: est tamen Prov. [Col. 1185D] XXI, 25, quid simile: *Desideria occidunt pigrum, etc.* dicente Salomone: *In desideriis est omnis otiosus;* et iterum:

@ [Col. 1185D] *Multa mala excogitat otiositas.* Ecclesiasti. c. XXX, ubi in communi versione sic habetur: *Multam enim malitiam docuit otiositas.* Cui respondet textus Graecus. *Multa mala excogitat otiositas:* abjecto ergo a se qui hucusque talis fuit hoc vitio, promptus ad omne opus occurrat, quia scriptum est: *Non oderis opera laboriosa et rusticationem ab Altissimo creatam* **(Eccli. VII)**. Ut donante Domino de propriis laboribus et rebus quotidianis et necessariis abundemus; et his quos amor spiritalis ad visitandos nos invitat, possimus convenienti mediocritate occurrere, aut quos gravis urget necessitas debito ministerio valeamus de proprio labore servire: quia Dominum Redemptorem nostrum [Col. 1185B] *beatius esse dare quam accipere* **(Act. X)**. certum est

@ [Col. 1185D] *Praecepisse.* Id est, praemonuisse. praecepisse.

§ XVII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 7).

@ [Col. 1185D] *Monachus semper operetur, etc.* Exstat in Regula excusa S. Isidori, cap. 5. Monachus semper operetur manibus suis; ita ut quibuslibet variis opificum artibus laboribusque studium suum impendat, sequens loquentem Apostolum, qui dicit: *Neque panem gratis manducavimus:* sed in labore, et fatigatione nocte et die laborantes **(II Thess. III)**. Et iterum: *Qui non vult operari, non manducet* (*Ibid.*). Per otium enim libidinis et noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt; per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nequaquam debet dedignari monachus versari in opere aliquo monasterii usibus necessario.

@ [Col. 1185D] *Nam et patriarchae, etc.* Hanc totam periodum usque ad illa verba: *Qui viribus corporis, etc.* Profert Haymo Halberstatensis lib. II de Varietate, cap. 2. Nam et patriarchae greges paverunt;

@ [Col. 1185D] *Et gentiles philosophi.* Qualis fuit Hippias sophista, qui Pisam veniens certamen Olympicum spectaturus, omnia sua vestimenta quibus tum indutus erat sibi consuerat, ut scribit Apuleius lib. II Floridorum. Simon Atheniensis philosophus coriarius fuit; Menedemus Eretriensis tabernacula faciebat, ut docet Diogenes Laertius lib. II, et Hesychius Illustris in Menedemo. philosophi [Col. 1185C] gentiles sutores et sartores fuerunt; Joseph justus, cui Virgo Maria desponsata exstitit,

@ [Col. 1186C] *Faber ferrarius.* Controvertitur inter doctores de arte S. Josephi beatae Virginis sponsi, aliis eum fuis e fabrum ferrarium, aliis fabrum lignarium asserentibus. Haymo Halberstatensis cap. citato S. Isidori sententiam sequitur, ejusdem verba, ut supra notavimus, proferens. In Evangelio communi et generali vocabulo dicitur τέκτων, id est, faber. Hesychius: τέκτων πᾶς τεχνίτης, id est, omnis artifex; sive, ut loquitur Suidas, τέκτων κοινὸς τεχνίτης, id est, communis artifex. Tamen proprie tribuitur hoc nomen fabro lignario, ut docet Moschopulus cap. 1 de Schedis. Τέκτων πᾶς τεχνίτης. Ἰδ ως δὲ τέκτονες λέγονται οἱ ξυλουργοί. Id est, τέκτων, omnis artifex. Proprie vero

τέκτονες dicuntur fabri lignarii. Idem docent [Col. 1186D] Glossae veteres: τέκτων, *faber tignarius, faber lignarius.*. Ex quo non immerito communi sententia fertur S. Josephum fuisse fabrum lignarium, cui astipulalatur S. Leander cap. 14 de Institutione virginum hac in re fratri Isidoro adversatus: «Sed et Joseph, cui fuerat desponsata, cum esset justus, erat tamen et pauper, ita ut vitam et vestitum artificio quaereret, certe faber lignarius fuisse legitur. faber ferrarius [Col. 1186A] fuit. Siquidem et Petrus princeps apostolorum piscatoris gessit officium, et omnes apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant. Si igitur tantae auctoritatis homines laboribus et operibus, etiam rusticanis inservierunt, quanto magis monachi, quibus oportet non solum vitae suae necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigentiam aliorum laboribus suis reficere. Qui viribus corporis et integritate salutis consistunt, si in opere ostiosi sunt, dupliciter peccare noscuntur: quia non solum non laborant, sed etiam alios vitiant, et ad imitationem suam invitant. Propterea enim quisque

@ [Col. 1186D] *Ad Deum convertitur*. Haec verba, *ad Deum, redundant, nec sunt in Regula excusa.* Nam qui veniebant ad monachatum, dicebantur simpliciter converti. ad Deum convertitur, ut ei deserviens laboris habeat curam, non ut otio deditus inertia pigritiaque pascatur. Qui sic volunt vacare lectioni, [Col. 1186B] ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim scriptum est: *Operantes suum panem manducent.* Et iterum: *Ipsi enim scitis, quomodo oporteat imitari nos:* quia non inquieti fuimus apud vos, neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione die et nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus **(II Thess. III)**. Qui per infirmitatem corporis operari non possunt, humanius clementiusque tractandi sunt;

@ [Col. 1186D] *Nec contra murmurandum est.* Vide S. Basilium cap. 32 Monasticarum Institutionum. Sed in Regula excusa haec verba usque ad ista: *Qui vero sani sunt et fallunt, non exstant, sed ex hoc codice supplenda sunt.* nec contra eos murmurandum est ab eis qui vires laborandi habent, sed magis consulendum est eis quos sciunt corpore infirmos. Ipsi autem qui non possunt, eos qui laborant et possunt meliores sibi felicioresque fateantur. Qui vero languidus est, et laborem operum corporalium sustinere [Col. 1186C] non potest, consulendum est illi, et ejus infirmitas temperanda est. Qui vero sani sunt, et fallunt, procul [Col. 1187A] dubio dolendi atque lugendi sunt: quia non corpore, sed (quod pejus est) mente aegroti sunt, quique, etsi humanis oculis convinci non possunt, Deum tamen non fallunt. Tales igitur ferendi sunt, si aegritudo latet; aut distringendi, si sanitas patet. Monachi operantes,

@ [Col. 1187C] *Meditari et psallere debent.* Ut labor sit rerum divinarum meditatione levior, nec mens, dum corpus operatur, maneat otiosa. Quod sane contingit, cum tota operi immergitur, aut aliud agens, vanisque cogitationibus indulgens a Deo distracta longius avolat. Idem de antiquis monachis refert ipse Isidorus lib. II [Col. 1187D] de Off. Eccl., cap. 15: «Canunt autem psalmos manibus operantes, et ipsum laborem divino celeumate consolantur.» Locus sumptus est ex D. Augustini libro de Opere Monachorum, cap. 17: «Cantica vero divina cantare etiam manibus operantes facile possunt, et ipsum laborem divino celeumate consolari.» Celeuma est vox nautarum se ipsos ad opus nauticum adhortantium. Idem locus profertur ab Haymone Halberstatensi lib. II de Varietate, cap. 50. meditari aut psallere debent, ut carminis verbique Dei delectatione consolentur ipsum laborem.

@ [Col. 1187D] *Si enim saeculares opifices, etc.* Locus sumptus ex D. Augustino lib. de Opere Monachorum, cap. 17: «An ignoramus opifices quibus cantibus et plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda et linguas suas, cum manus ab opere non recedant.» Refertur etiam ab Haymone loco citato. Si enim saeculares opifices inter ipsos labores suorum operum amatoria turpiaque cantare non desinunt, atque ita horam suam in cantibus et fabulis implicant, ut ab opere manus non substrahant quanto magis servus Christi sic manibus operari debet, ut semper laudem Dei in ore habeat, et lingua ejus psalmis atque hymnis inserviat. Laborandum est ergo corpore, animi fixa in Deum intentione; sicque [Col. 1187B] manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur a Deo. Propriis autem temporibus oportet operari monachum, et propriis orationi lectionique incumbere. Horas enim debet habere monachus congruas, et ad singula officia deputatas. Partes autem temporum suis quibusque operibus taliter deputantur. Aestate enim a mane usque ad horam tertiam laborare oportet; a tertia vero usque ad sextam lectioni vacare; dehinc usque ad nonam requiescere; post nonam autem usque ad tempus vespertinum iterum operari. Alio autem tempore, id est, hieme, autumno, sive verno a mane usque ad tertiam legendum; post celebrationem Tertiae usque ad nonam laborandum est; post refectionem nonae aut operari oportet aut legere aut sono vocis aliquid meditari. [Col. 1187C]

@ [Col. 1187D] *Quaecunque autem operantur, etc.* Idem Isidorus lib. II de Offic. eccl. cap. 15. Quid simile habet S. Augustinus lib. II de Moribus Ecclesiae. Quaecunque autem operantur monachi manibus suis Praeposito deferant: Praepositus autem principi monachorum, nihilque operis apud fratres remaneat, ne sollicitudinis cura mentem ab intentione contemplationis avertat. Hortos olerum, vel apparatus ciborum propriis sibi manibus fratres exerceant. Aedificiorum autem constructio et cultus agrorum ad opus servorum pertinebunt. Nullus monachus amore privati operis illigetur; sed omnes in commune laborantes [Col. 1188A] Patri sine murmuratione obtemperabunt. Monachi praepositis suis sine ulla murmuratione obtemperare debent, ne forte ea sententia pereant, qua perierunt hi qui in deserto murmuraverunt. Si enim illis parvulis adhuc in lege et rudibus nequaquam indultum est, quanto magis his qui perfectionis legem perceperunt non parcet, si talia gesserint.

§ XVIII.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 6).

@ [Col. 1188C] *In operando, etc.* Haec reperire est in Reg. ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass., eod. c. 6. In operando haec ratio conservetur.

@ [Col. 1188C] *Verno vel aestate.* Particula *vel hic sum itur copulati sicut infra hoc capitulo.* Verno vel aestate, dicta Prima commoneantur decani a praeposito suo quale opus debeant exercere: atque illi reliquos fratres. Tum demum dato signo, sumplis ferramentis congregentur in unum, factaque oratione pergent

@ [Col. 1188C] *Recitantes.* Psalmos videlicet in ipso itinere, ut ex infra dictis clarum est: *Ad opera cum egressuri* [Col. 1188D] sunt, orationem facturi invicem conveniant; qua completa incipiat praepositus psalmum, et sic recitantes pergant ad operationem. recitantes ad opus usque ad horam diei [Col. 1188B] tertiam: revertentesque ad ecclesiam, Tertiaque celebrata, residentes suis locis studeant lectioni vel orationi. Verum si opus tale est, quod non intermittatur, in opere ipso Tertia dicatur, et sic

@ [Col. 1188D] *Recitando.* Psalmos. recitando revertantur

@ [Col. 1188D] *Ad cellam.* Id est, ad monasterium: quia egrediebantur foras ad opus. Vide superius annotata. ad cellam, et

@ [Col. 1188D] *Consummata oratione.* Id est, absoluto psalmo et collecta ad finem operis. consummata oratione,

@ [Col. 1188D] *Ablutisque manibus.* Quae sordidatae erant propter opus. ablutisque manibus

@ [Col. 1188D] *Confestim ad ecclesiam conveniant.* Sextam celebraturi, quia cum non intermittebatur opus, dicebant Tertiam in ipso operis loco; et consummato opere redibant Sextae cursum acturi. confestim ad ecclesiam conveniant. Et si reficiendum ad sextam est, peracto officio Sextae, ab oratione pergant ad mensas; refectique congrue, iterum facta oratione, quiescant. Deinde celebrata Nona, si necesse est revertantur ad opus, quousque

@ [Col. 1188D] *Ad duodecimae officium.* Id est, ad synaxim vespertinam, quae hora duodecima, cadente sole agebatur antiquitus, ut supra notatum est. ad duodecimae officium conveniant.

@ [Col. 1188D] *Sin autem.* Nempe nihil superest, quod necesse sit agere. Sin autem, residentes taciti per cellulas suas, hi quorum jam aetas perfecta est, et conscientia pura, meditentur eloquia Domini, vel opus quodlibet intra cellulam injunctum exercentes nusquam prorsus, excepta [Col. 1188C] causa necessitatis, audeant progredi, nisi fuerint a seniore praecepti. Juniores vero coram suis residentes decanis, lectioni, vel recitationi vacent; nec se inconsulto seniore junior a sua auferat sessione, aut ad alterius decani locum audeat pergere: sed tam in sessione quam etiam in operatione semper decani a decania segregata consistant. Juniores quippe suos jugiter decanus ille commoneat, ne in aliquam negligentiam decidant; sed viros spiritales [Col. 1189A] et sanctos illis semper in exemplo proferat; ut illorum contemplatione assidua ad meliora proficiant. Autumni vel hiemis tempore usque ad tertiam legant, usque ad nonam operentur, si tamen est quodlibet opus, quod fiat. Post nonam iterum usque ad duodecimam legant; a duodecima meditentur

@ [Col. 1189C] *Usque ad vesperam.* Hoc loco sumitur latius vespera pro ipso noctis initio: cum alias idem sit vespera ac duodecima, ut supra dictis patet. usque ad vesperam. Ad opera cum egressuri sunt orationem facturi invicem conveniant: qua completa, incipiat praepositus psalmum, et sic recitantes pergant ad operationem. Cum operantur, non inter se fabulas vel cachinnos conserunt, sive luxurientur; sed operantes intra se recitent taciti, aut psallant aliquid, aut recitent pariter, aut certe sileant.

§ XIX.---EX REGULA SANCTI FERREOLI (cap. 26).

@ [Col. 1189C] *Ut usque ad horam diei tertiam, etc.* Regula Tetradii, seu Teridii, cap. 4: «Omni tempore usque ad tertiam legant: post tertiam unusquisque sibi injuncta opera faciat.» Ut usque ad horam diei tertiam omni tempore [Col. 1189B] lectioni monachus tam senior quam extremus vacare procuret. Et sic demum in reliqua parte diei deputati operis cura succedat praeter aegrotos tantum, quibus imponi hoc supra propriam voluntatem vel potius virtutem communis infirmitas non permittit. Nam et hi quibus fructuum colligendorum tempore fuerit ab abbate imperatum, ut matutinis horis aliquid vel laboris exerceant, hac lege non tenebuntur; neque huic definitioni putabuntur exstitisse contrarii, cum imperata sibi utilitatis causa compleverint. Etenim moris est

agricolis, ut vix reddito adhuc mane arida frumenta non nisi deciduo madida facta rore succidant, ut laetam minus segetem facilius fervoribus insecutoribus eripiant, dum in exordio diei blandi aeris temperamenta custodiunt.
@ [Col. 1189C] *Saepe etenim ex industria, etc.* Locus corruptus et ita emendandus: *Saepe etenim ex industria factum scio, ut dubia adhuc luce, priusquam, ut dicere possumus, orbis solis ardorem biberit, redacta in manipulos segete igneas jubaris flammas cum fructibus ejus* messura evaserit, ubi τὸ *orbis, est terra, et* τὸ *jubaris, solis;* non enim jubar hoc loco sumitur pro aurora, sed pro sole. Saepe enim ex industria [Col. 1189C] factum scio, ut
@ [Col. 1189D] *Dubia adhuc luce.* Dubia lux est diluculum, ita [Col. 1189D] apud tragicum in Hippolyto, act. 1:

Dum dubia lux est...... Sic dubius dies in Oedipo:

Dum nocte pulsa dubius effulsit dies. Graece, λυκόφως. Homero Iliade VII: ἀμφιλύκη νύξ. Τό μετέχον σκότους καὶ φωτὸς ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τριχῶν τῶν λύκων, id est, particeps tenebrarum et lucis, translatione sumpta a pilis luporum, inquit auctor veteris Etymologici; quia, ut scribit Demetrius Triclinius in Electram Sophoclis, lux circa initium habet lupi colorem: vel quia intempesta nocte nunquam lupus oculorum usura caret. Idem scribit Aelianus lib. X de animalibus, cap. 20, dicitur et λύκη. Macrobius lib. I Saturnal., cap. 17: «Prisci Graecorum primam lucem quae praecedit primos exortus λύκην appellaverunt ἀπὸ τοῦ λύκου, id est tempore hodieque lycophos nominant: sed locus corruptus, et pro, *id* est tempore, lege, *id temporis hodieque, etc.* dubia adhuc luce priusquam, ut dicere possumus, orbe solis ardorem biberit [Col. 1190A] redactam in manipules segetem igne jubaris flammas cum fructibus messmam ejus evaserit. Hoc ergo si etiam a monachis, qui operi insistunt, ut superius diximus, fuerit observatum, non erunt pronuntiandi pro
@ [Col. 1190C] *Compendio, id est, utilitate.* S. Cyprianus lib. de Zelo et Livore: Ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia. Contrarium est dispendium. compendio operis Regulae transgressores.

§ XX.---*Item* (cap. 28).

Monachum absque certis solemnitatibus, vel manifesta aegritudine diem sine operatione transigentem a convivio decernimus excludendum jubente beato Apostolo:
@ [Col. 1190C] *Qui non laborat, non manducet.* Ita etiam citatur locus in Regula Pauli et Stephani cap. 34, sed potius ex memoria, quam ex codice: nam in versione communi, quae textui Graeco omnino respondet, ita habetur: *Si quis non vult operari, non manducet. Qui non laborat, non manducet* **(II Thess. III)**. Secuturas tamen excusationes inutilium praevidemus, et propterea modum ponimus otiosis. Dicturus est enim unus ex talibus: ego non possum operari, quia amisso robore juventutis sum ad omnia senex invalidus. Alius: Neque ego possum, quia sum [Col. 1190B] infirmitate jam fractus. Dicturus etiam tertius (si potuerit inveniri): Non possum etiam ego, quia laborum me assiduitas contrivit, itinerum longitudo quassavit, fortitudinem mihi abstulit sollicitudo commissa, virtutem meam actio exspoliavit imposita? Sed his quasi contrarius sermo rationis occurrat revincens eos et dicat: Ut quis non valet insistere

operi, det promptius operam lectioni: quicunque agrum non excolit, Deum dupliciter colat; et inter reliquas eliam hanc quaerat artem, ut paginam pingat digito, qui terram non praescribit aratro; quia qui, ut supra diximus, agriculturam exercere non valet, legere,

@ [Col. 1190C] *Scribere, quod est praecipuum opus.* Antiquum et usitatissimum monachorum opus fuit libros scribere. Monachi Sancti Martini Juniores librorum scriptioni operam dabant, grandioribus contemplationi rerum divinarum incumbentibus, ut refert Severus Sulpitius in ejus Vita. S. Ephraem Paraenesi 47 recensens [Col. 1190D] opera monachorum haec ait: «Pulchre et eleganter scribis.» S. Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum de vivendi forma ei suadet, ut libros scribat: «Scribantur libri, ut et manus operentur cibum, et animus lectione saturetur.» Evagrius libros scribebat, ut refert Palladius in Lausiaca cap. 86. S. Theodoricus abbas S. Martini Sagiensis eamdem operam navahat, ut a nobis notatum fuit in observationibus ad nostrum Martyrologium. Sed id testantur veteres bibliothecae monasteriorum multis codicibus mss. adbuc refertae in quibus scribendis monachi desudantes doctrinam posteritati conservaverunt. Sed de his vide Trithenium libr. de Laude Scriptorum Manualium. cap. 5. scribere, quod est praecipuum opus, piscium etiam providere capturam,

@ [Col. 1190D] *Retexere.* Lege: *Rete texere, ut in cod.* Vind. quod opus etiam injungit monacho Rustico S. Hieronymus epistola citata: «Texantur et lina capiendis piscibus.» retexere, calceamenta fratribus praeparare, vel reliqua, quae similia [Col. 1190C] sunt, facere atque implere potest. Quisquis ergo ex his omnibus non elegerit, quo occupetur [Col. 1191A] opere, famem cum improperio sustinere contentus sit.

§ XXI.---EX REGULA CASSIANI (cap. 8).

@ [Col. 1191B] *Illud quoque apud Patres, etc.* Hic textus sumptus est ex libr. II Cassiani de Nocturn. [Col. 1191C] Orat. cap. 11. Sed quorsum huc referatur, non video. Illud quoque apud Patres omni observantia custoditum est, ut

@ [Col. 1191C] *In responsione.* Responsio hoc loco cantus est, et respondere est cantare. Gregorius Turon. libr. VI Hist., cap. 4: «Quia, inquit, Gloriam non recte respondetis: nos dicimus: *Gloria Patri per Filium.*» in responsione Alleluiae nullus dicatur psalmus, nisi ille, qui in titulo sub

@ [Col. 1191C] *Sub Alleluiae inscriptione.* Psalmi quibus inscriptio est Alleluia, sunt viginti quos solos cum Alleluia monachi Aegyptii canere solebant. Alleluiae inscriptione praenotetur.

§ XXII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 9).

@ [Col. 1191C] *Cum autem, etc.* Hic textus habetur cap. sequenti ejusdem libri. Cum autem fuerint orationes canonicae ex more finitae, unusquisque ad suum recurrens locum, aut solus,

@ [Col. 1191C] *Aut cum alio pro societate operis.* Leg., *Aut cum alio cum quo pro societate operis:* nam duo in cella habitabant, ut supra notatum est. aut cum alio pro societate operis, vel disciplinatus sedere permittitur,

@ [Col. 1191C] *Idem iterum officium.* Id est, duodenarium psalmorum numerum, jam antea in vigiliis nocturnis persolutum, ut ex capite Cassiani citato manifestum est. idem iterum orationum officium velut peculiare sacrificium studiosius celebrare non cesset.

§ XXIII.---*Item ex eadem Regula* (cap.
@ [Col. 1191D] Ex eodem libro, cap. 1. 10).[Col. 1191B]

Nec ulterius quisquam post purificationem nocturnarum vigiliarum in requiem somni iterum resolvatur, donec superveniente die nocturnae meditationi operatio diurna succedat: ne forte puritatem nostram psalmis, orationibus acquisitam invidus diabolus quadam somni illusione contaminet. Quia post illam satisfactionem confessionis, quam Deo pro negligentiis, sive ignorationibus nostris, obtulimus, invidus inimicus, si tempus quietis invenerit, maculare festinat, et tunc fiduciam nostram praecipue dejicere, atque enervare contendit, cum frequentius et purius nos orare praeviderit. Nam [Col. 1192A] multoties quos per totum noctis spatium sauciare non potuit, post completas vigilias sub unius horae brevissimo tempore quiescentes dehonestare conatur.

§ XXIV.---*Item ex eadem Regula* (cap. 12).
@ [Col. 1191D] *Completis autem vigiliis, etc.* Haec sumpta sunt ex cap. 15 ejusdem libri. Completis autem vigiliis, et absolata congregatione, nullus, vel ad modicum, stare cum altero, aut sermocinari praesumat, nisi forte necessitas alicujus operis opportuni aliquid ante deliberare compellit. Cum vero in opere fuerint fratres, nulla inter eos sermocinatio penitus conferatur; sed sic unusquisque opus exsequatur injunctum,
@ [Col. 1191D] *Ut psalmum.* Olim fuit monachis usitatum semper ubique psalmos Davidicos meditari, aliisque viris sanctis; nec immerito: nam, ut ait S. Ephraem in Tractatu, quod ludicris est abstinendum: «Psalmus daemonas propellit, psalmus telum in nocturnis timoribus, psalmus diurnoram requies laborum, psalmus infantibus tutela, psalmus senibus consolatio, mulieribus ornamentum decentissimum. Hic festa collustrat, hic eum qui secundum Deum est, dolorem procreat. Psalmus siquidem ex lapideo licet corde lacrymas excitat. Psalmus angelorum opus, coelestis vitae ratio et institutum, spiritalis est quidam suffitus. Hic mentem illuminat, hic in coelum reducit, hic homines Deo familiares colloquio reddit, animam laetificat, otiosas collocutiones removet, risumque exterminat, de judicio nos admonet, dissidentes reconciliat. Ubi psalmus cum compunctione, ibi et cum angelis suis Deus adest.» Haec ille. [Col. 1192C] Sed praeclare etiam Cassiodorus lib. de Institutione Divinarum Scripturarum, cap. 4: «Psalterium est quaedam coelestis sphaera, stellis densa micantibus, et, ut ita dixerim, quidam pavo pulcherrimus, qui velut oculorum orbibus et colorum multiplici et decora varietate depingitur. Paradisus animarum poma continens innumera, quibus suaviter mens humana saginata pinguescit.» Quam formidabilis sit daemoni psalmus, praeclare docet Marcellus abbas in Scithi, apud Joannem Moschum, cap. 152: «Credite mihi, filioli, nihil ita perturbat, et concitat, et irritat, et vulnerat, et perdit, et contristat, et contra nos commovet daemones ipsumque perditionis auctorem, sicut perpetua psalmorum meditatio.» Et paulo post. «Nam cum psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim vero maledictis insequimur daemones, ut cum dicimus: *Miserere mei, Deus, etc.* Tunc vero persequimur daemones, cum dicimus: *Exsurgat Deus,* et dissipentur [Col. 1192D] inimici ejus, et rursus, Vidi impium superexaltatum, etc. S. Athanasius in epist. ad Marcellinum psalmorum volumen appellat paradisum, in quo sunt omnia genera lignorum plantata, demonstratque caeteros Scripturae libros hoc uno psalmorum volumine contineri. Quam praestans sit et excellens psalmorum materia fuse declarat S. Anastasius Sinalta in oratione de sacra synaxi: Ἡ ψαλμῶν βίβλος

θεοσέβειαν παιδεύει, περὶ πιστεως νομοθετεῖ, σωφροσύνην διδάσκει, etc., id est: «Liber Psalmorum pietatem docet, de fide instituit, temperantiam tradit, ad timorem Dei ducit, de punitione disserit, de compunctione, de cominentia, de poenitentia, de compassione, de charitate Dei, de patientia, de castitate, de longanimitate, de jejunio, de beneficentia.» ut psalmum aut Scripturam quamlibet memoriter recenseat, et non solum conspirationi noxiae, vel consiliis pravis, [Col. 1192B] sed nec otiosis quidem fabulis aliquam unius horae partem impertiat; sed in spiritali meditatione et linguae et cordis sit jugiter occupatus. Summa namque observantia custodiri debet, ne quis cum alio praecipue vel ad punctum temporis pariter stet, aut alicubi in partes cedat, vel manus suas invicem teneant.

§ XXV.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 10).

Omni tempore duabus horis die spiritali

@ [Col. 1192D] *Meditationi.* Id est lectioni, ut postea dixit. meditationi vacabunt. Aestatis vero tempore

@ [Col. 1192D] *Matutinis.* Intelligit laudes matutinas, quae dici debent sub auroram. matutinis ex more completis, et prima dicta, omnes opera quae jubentur assumant. Deinde tertia celebrata, ad [Col. 1193A] expedienda quae suscepta fuerant revertantur.

@ [Col. 1193C] *Nec collocutione quarumcunque fabularum saecularium occupentur.* Idem praecipit S. Pachomius, art. 35: «Operantes nihil loquantur saeculare.» Nec collocutione quarumcunque fabularum saecularium occupentur, nisi fortasse haec proferat sermo relatoris, quod animam aedificet audientis. A sexta quoque hora usque ad nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam vero nonam usque ad horam lucernarii

@ [Col. 1193C] *Omnes in unum solatium commodabunt.* Id est, simul laborabunt se mutuo adjuvando. Solatium hoc loco est auxilium. omnes in unum solatium commodabunt. Hiemis vero tempore, matutinis vel prima transactis, omnibus usque ad tertiam vacare conceditur lectioni. Qua consummata, gratanter quod eis injunctum fuerit implere festinent, ut jam dictum est, usque ad horam lucernarii.

@ [Col. 1193C] *Hi vero qui deputati esse videntur culturae.* Agrorum. Idem statuit S. Ferreolus, cap. 26 Regulae suae. Hi vero qui deputati esse videntur culturae, hac observatione constringi pro operis assiduitate non possunt; sed, ut tempus exegerit, aut labor eorum opera injuncta monstraverit, [Col. 1193B] sic consideratione praepositi gubernentur, binis et ipsi horis lectioni nihilominus vacaturi. Quando messes et vindemiae colliguntur, bis in die, id est, hora sexta et duodecima, refectionem accipiant. Quarta vero et sexta feria ita moderari opera debet, ut, si fieri potest, statuta jejunia non amittant, sed universa, prout utilitas aut labor exegerit, ita senioris judicio disponantur. Nemo tamen extra monasterium manducet aut bibat; hoc enim Regulae non recipit disciplina, ut vel poma vilia sumantur. Aquam ipsam ante refectionem legitimam bibere non praesumant.

§ XXVI.---EX REGULA CUJUSDAM PATRIS (cap. 12).

Operandum namque est omni tempore praeter dies festos, ut habeatur vel propriae necessitatis [Col. 1193C] usus, vel egenis unde detur

@ [Col. 1193C] *Suffragium.* Suffragium hoc loco est alimonia, sustentatio. Ita in concilio Toletano III, cap. 3: «Haec sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit res alienare ecclesiae, quoniam et antiquis canonibus hoc prohibetur. Si quid vero quod utilitatem non gravet ecclesiae pro suffragio monachorum vel ecclesiarum ad suam parochiam pertinentium dederint, firmum maneat.» suffragium. Sic tamen [Col. 1194A] operi manuum insistendum est, ut lectionis fructus non omittatur, sed statuto tempore operi detur intentio, ac deinceps lectioni divinae vacetur. Operatio manuum ab hora secunda sumat exordium, et in horam nonam finem accipiat: ab hora vero nona lectio usitetur. Et si aliquando proprium aliquod opus faciendum aut vestimenti consuendi vel lavandi, aut quodlibet aliud opus, per abbatis, vel praepositi commeatum faciant. Et si forte opus

@ [Col. 1193C] *Fortius.* Id est, majus, difficilius. fortius supervenerit, ut maturius arripiant operari, vel propter ferventem aestum, hoc abbatis arbitrio considerandum est, ut secundum quod tempus exigit, aut fortioris laboris pondus, vel ad sextam, ut juste judicaverit, ab opere sit quiescendum, et post quietem vel refectionem usque ad vesperam sit operandum. Illud [Col. 1194B] inter omnia vel abbas, si praesens fuerit, coerceat, aut praepositus, qui ejus vice relinquitur, ut nullus penitus monachus fabulis otiosis praeter necessariam interrogationem vacare permittatur, sed in ipso opere manuum operis Dei recordatio teneatur. Id est, ut dum exterius per temporalem opportunitatem manus operibus occupantur, interius mens cum linguae meditatione psalmorum ac scripturarum recordatione dulcescat. Nam si violator hujus regulae fabulatione delectetur, silentii poena castigetur. Focos vero

@ [Col. 1193D] *In schola.* Id est, in dormitorio, ut supra notatum est. in schola poenitentes (si fuerint) bini et bini per hebdomadas faciant. Similiter

@ [Col. 1193D] *Ad caput fratrum lavandum.* Olim monachi caput lavabant, quod apparet ex ms. S. Columbani Poenitentiali: «Poenitentes fratres, quamvis opera difficilia et sordida efficiant, non lavent capita, nisi in die Dominico, id est, octavo. Sin autem, nisi in quinto decimo die, aut certe propter fluentium capillorum incrementum.» ad caput fratrum lavandum per singula sabbata,

@ [Col. 1193D] *Vel balnearum usus per festas solemnitates.* In ms. Concordiae legitur *per* fectas, reposui *per festas,* aut sane legendum *per certas.* Olim monachi et moniales quibusdam solemnitatibus instantibus, maxime Paschae et natalis Domini, balneis utebantur. Concordia S. Dunstani, cap. 3: «Crucis vero veneratione peracta (loquitur de die Parasceves), quibus vacuum fuerit, ministri vel pueri se radant, et balneent, si tanta fuerit cohors societatis, ut sabbati crastini ad hoc non sufficiat dies.» Lantfrancus in Decretis, c. 1, § 2: «Vigilia tamen apostoli (Thomae) si dies Dominicus non fuerit, radantur fratres, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis sint omnes balneati. Si necesse sit, ipso apostolicae festivitatis die balneari possunt.» Postea describitur modus in ipsis balneis tenendus; et § 4, de tempore passionis Dominicae. «Feria tertia radendi sunt fratres in claustro simul ipsa die, et in crastina debent esse balnea praeparata.» Rituale ms. monasterii Culturae Cenomanensis, quod usitatorium vocant: «Balnetia quinta vel quarta die peragantur omnia lucente die.» Beda libr. IV Hist. Angl., c. 19, de sancta Edildrida abbatissa: «Raroque in calidis balneis, praeter imminentibus solemniis majoribus, verbi gratia, Paschae, Pentecostes, Epiphaniae, lavari voluerit.» S. Wiborada martyr inclusa in monasterio S. Galli [Col. 1194D] ter quotannis, de licentia

abbatis sui, balneis utebatur, ut in ejus Actis habetur: forsitan istis diebus Paschae, Pentecostes et Epiphaniae instantibus, ut probabile est. Neque haec Regulae S. Benedicti adversantur, qui non omnino a sanis balneum removit, sed tardius concedendum edixit. Nec immerito, quia ad pellendum ex animo moerorem conducit, ut notum est ex S. Augustino lib. IX Confes., cap. 12: «Visum est etiam mihi, ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum: quia Graeci βαλανεῖον dixerint, quod anxietatem pellat ex animo.» vel balnearum usus per festas solemnitates praeparent;

@ [Col. 1194D] *Aut si sunt alia extrema facienda, poenitentes faciant.* Idem praestabant poenitentes in monasterio S. Columbani, ut satis liquet ex ejus Poenitentiali: «Poenitentes fratres, quamvis opera difficilia et sordida efficiant,» etc.; *extrema hoc loco, id est, vilia.* aut si sunt alia extrema, poenitentes faciant, ut dum [Col. 1194C] mente humili et contrito corde haec propter timorem. [Col. 1195A] Domini faciunt, ab omnipotentis Dei misericordia celerius a suis delictis laventur.

@ [Col. 1195A] *Quando ad opera eundum est, etc.* Monachis usitata fuit oratio ante opus manuum, ad poscendum [Col. 1195B] Dei auxilium. S. Fructuosus, cap. 6: «Ad opera cum egressuri sunt, orationem facturi invicem conveniant.» S. Columbanus in Poenitentiali ms.: «Ingredi vel egredi domum, aut opus facere sine oratione et signo crucis, duodecim plagis.» Supple *emendetur.* Ibid. supra: «Similiter qui orationem ante opus aut post opus oblitus fuerit, duodecim percussionibus.» Hujusmodi orationis formula habetur in Memoriali, *quomodo in monasterio conversari debemus.* Quando ad opera eundum est, istud capitulum psallatur:

@ [Col. 1195B] *Sit splendor, etc.* Nota antiquum morem canendi hunc versum pro opere manuum, qui adhuc perseverat, dicta prima. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige.*

@ [Col. 1195B] *Quando vero finitur opus, etc.* Sic etiam fiebat oratio completo opere. Et patet ex loco citato S. Columbani, et ex Regula S. Fructuosi archiepiscopi, [Col. 1196B] cap. 6: «In ipso opere tertia dicatur, et sic recitando revertantur ad cellam, et consummata oratione ablutisque manibus confestim ad ecclesiam conveniant.» Hujus orationis formula habetur in citato Memoriali. Quando vero finitur opus, istud dicatur capitulum: *Benedicat nos Dominus Deus noster, et benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.*

§ XXVII.---EX REGULA FRUCTUOSI.

@ [Col. 1196B] *Cum vacant, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fruc. Brac., cap. 8 cod. Crass. Cum vacant

@ [Col. 1196B] *Ab operatione.* Communi videlicet. ab operatione fratres,

@ [Col. 1196B] *Nullus se proprio, etc.* Idem statuit cap. Regulae suae. nullus se proprio citra permissionem decani vel praepositi movere audeat loco, neque conferre fabulas, deambulationesque peragere inquietas et otiosas; sed residens [Col. 1196A]

@ [Col. 1196B] *Operi manuum.* Particulari videlicet, quia paulo ante locutus est de communi. operi manuum, sive lectioni intentus, aut in orationis contemplatione defixus, signo universali monitus surgat concitus, communi oratione vel operatione detinendus. Alias neque respicere, neque appellare alium citra permissionem sui senioris est quisquam e fratribus permittendus. In habitu quoque et gressu monachi ita definitum

est, ut nulla diversitas esset, sed omnes cultu vestimentorum, non vario, sed uno et sincero manerent.

§ XXVIII.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 13)
@ [Col. 1196B] Vide supra, cap. 45, § 12..

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine aliter tractantur in victu, etc.

CAPUT LVI. DE QUADRAGESIMAE OBSERVATIONE.

[Col. 1195C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1195C] *Licet omni tempore vita monachi, etc.* Quia monachi vita poenitentia perpetua est. Hanc Quadragesimae vitam duxerunt prisci illi monachi qui, excepta Dominica et aliquando sabbato, quotidie usque ad vesperam jejunabant, duobus parvis paximatiis et aqua contenti: ad quae leviuscula quaedam olera vel legumina nonnulli adhibebant, ut taceam de his [Col. 1195D] qui tres aut quatuor dies, aliquando hebdomadem integram, sine cibo et potu transmittebant, ut videre est apud Cassianum passim, maxime lib. IV de Institutis renuntiantium; Severum Sulpitium in Dialogis, Palladium, Joannem Moschum et in Vitis Patrum. Licet omni tempore vita monachi Quadragesimae debeat observationem habere, tamen, quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimae omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter et negligentias aliorum temporum his diebus diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis temperamus, orationi, fletibus, lectioni et compunctioni cordis, atque abstinentiae operam damus. [Col. 1196C]
@ [Col. 1195D] *Ergo his diebus augeamus, etc.* Idem monet S. Ambrosius, lib. III de Virginibus: «Debet esse aliquid, quod quadragesimae diebus addatur.» Id videre est etiam passim in Vitis Patrum. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostrae orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam: unusquisque super mensuram sibi
@ [Col. 1195D] *Indictam.* Est quod cap. 35 dixit, *statutam.* Indicere enim aliquando est statuere. Verrina V: «Legem enim sibi indicunt innocentiae.» indictam aliquid
@ [Col. 1195D] *Propria voluntate.* Id est spontanea; quae, ut postea praecipit, subjicienda est abbatis judicio. propria voluntate
@ [Col. 1195D] *Cum gaudio sancti Spiritus.* id est, cum gaudio vere spiritali, quod procedat a Spiritu sancto, non a spiritu superbiae et vanae gloriae, juxta S. Ambrosium loco supra citato, cum agens de hoc augmento subjungit: «Sed ita ut nihil ostentationis causa fiat, sed religionis.» cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo. Id est,
@ [Col. 1196C] *Subtrahat corpori suo de cibo, de potu.* Id statuit juxta morem priscorum monachorum, qui in Quadragesima austerius et districtius vivebant, ut notum est ex Palladio in Macario Alexandrino, et ex [Col. 1196D] Vitis Patrum. subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno,
@ [Col. 1196D] *De loquacitate, de scurrilitate.* Non hic ita praecipitur aliquid de loquacitate et scurrilitate subtrahere, quasi ejusmodi vitia monachis permittantur,

quemadmodum potus et cibus; sed haec addidit S. Benedictus propter infirmos, qui, si non possint loquacitatem et scurrilitatem ex toto amputare, saltem ex parte minuere conentur. de loquacitate, de scurrilitate: et

@ [Col. 1196D] *Cum spiritalis desiderii gaudio, etc.* Ille sanctum Pascha cum spiritalis desiderii gaudio exspectat, qui totam Quadragesimam in poenitentiae actibus traducens cum Christo in Paschate spiritaliter resurgere peroptat, in poenitentiae praemium hoc sacro die ejus gratia affatim cumulandus. cum spiritalis desiderii gaudio

@ [Col. 1196D] *Sanctum Pascha.* Vocat sanctum Pascha ob hujus diei reverentiam. Ita hunc sacrum diem sexta synodus, can. 66, ἁγίαν ἀναστάσιμον ἡμέραν appellat, id est, sanctum resurrectionis diem; et Joan. Moschus, cap. 165, Canon. 61 Ecclesiae Africanae, ἅγιον Πάσχα. Quemadmodum et Constitutio Emmanuelis Comneni imperatoris. Conc. Carthag. V, *venerabilem Paschae diem.* Sidonius, lib. IV, epist. 14, *sacrum Pascha.* Concilium Matisconense II, *sanctum Pascha.* Codicis lex, *ut* in die, de feriis, *sanctum diem Paschae.* Lex, *provinciarum* praesides, eodem titulo, *venerabilem Paschae diem.* sanctum Pascha exspectet. Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert, abbati suo [Col. 1197A] suggerat, et cum ejus fiat

@ [Col. 1197C] *Oratione.* Id est, permissione, ut supra notatum est, et sequentia indicant. oratione et voluntate.

@ [Col. 1197C] *Quia quod sine permissione Patris spiritalis fit, etc.* Aurea prorsus ac divina sententia, sanctoque Benedicto digna; quam si in animo alte defixam habet monachus, facili negotio poterit diaboli strophas et praestigias eludere, ac superbiae fastum calcare. Quia quod sine permissione Patris spiritalis fit, praesumptioni deputabitur, non mercedi. Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 88).

Interrog.

@ [Col. 1197C] *Si quis supra vires.* Exstat apud S. Basilium, interr. 128, et apud Rufinum, cap. 50. Si quis supra vires vult abstinere, ita etiam ut in opere mandatorum impediatur per nimiam abstinentiam, si oportet ei concedi? *Resp.* Interrogatio vestra non mihi videtur competenter adhibita.

@ [Col. 1197C] *Non enim continentiam in cibis.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco additur ἀλόγων, id est ratione carentibus. Sed hoc vocabulum non videtur esse ad mentem S. Basilii. Hic enim agitur tantum de abstinentia a cibis. Non enim continentiam in cibis solum esse diximus:

@ [Col. 1197C] *Nam haec etiam ab apostolo Paulo culpabilis invenitur.* Rectius in textu Graeco: Συμβαίνει ἡ ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλου κατηγορουμένη ἀφειδία, id est, ex qua contigit immoderata corporis afflicatio,» quae a divo Paulo damnatur. Respicit enim ad verba Apostoli [Col. 1197D] cap. II ad Coloss.: *Et non ad parcendum corpori.* In textu Graeco, καί ἀφειδὶα σώματος, id est in afflictatione corporis. Ἀφειδὶα, αρτέρια, id est, tolerantia, patientia, apud Hesychium, rigor ille quo quis non sibi parcens se nimio labore aut abstinentia et similibus macerat, qualis ille Menedemus apud Terentium, qui filii fugam iniquius ferens, manum a rastris non removebat, cui proinde dicebat amicus Chremes:

...... quaeso tandem aliquantulum Tibi parce...... nam haec ab apostolo Paulo etiam

culpabilis invenitur, si non cum fide et ratione fiat,
@ [Col. 1197D] *Cum dicit, abstinentes se a cibis, etc.* Ita apud Rufinum. Sed haec non exstant in textu Graeco, et recte quidem. cum dicit: *Abstinentes se a cibis quos Deus creavit* **(Col. II)**. Sed illam diximus esse perfectam continentiam, qua se quis a prioribus suis voluptatibus continet. Quantum [Col. 1197B] autem habeat periculi, qui voluntatem propriam facere vult, et non Domini, certum est ex his quae Apostolus dicit: *Facientes voluntatem carnis et cogitationum, eramus natura filii irae, sicut et caeteri* **(Eph. II)**.

§ III.---*Item* (cap. 89).

Interrog.
@ [Col. 1197D] *Qui satis jejunat, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. seq. et apud Rufinum capite eodem. In textu Graeco legitur, πολλὰ νηστεύων, id est, qui multum jejunat, rectius. Qui satis jejunat et in refectione non [Col. 1198A] potest communem cibum cum omnibus sumere, quid magis eligere debet, jejunare cum fratribus et cum ipsis reficere, aut propter majora jejunia alios cibos requirere? *Resp.* Jejunii mensura non debet ex uniuscujusque voluntate pendere, sed
@ [Col. 1197D] *Ex jussu.* Ita apud Rufinum. Sed lege, *ex usu.* Nam in textu Graeco est ἡ χρεία, id est, usus. ex jussu et institutione
@ [Col. 1198B] *Eorum qui communiter Deo serviunt.* Id est, monachorum qui communiter, id est, simul Deo serviunt. In textu Graeco, τῶν εἰς θεοσέβειαν ἡκόντων, id est, eorum qui ad Dei cultum accedunt,» quod perinde est in recentiori versione, «eorum quae pertinent ad cultum Dei,» non ita recte. eorum qui communiter Deo serviunt:
@ [Col. 1198B] *Sicut et illorum in omnibus unanimitas et consonantia refertur.* Haec desunt in textu Graeco, quae tamen ab hujus capitis intelligentiam non parum faciunt. sicut et illorum in omnibus unanimitas et consonantia refertur: quia in Actibus apostolorum **(Cap. IV)**
@ [Col. 1198C] *Cor et.* Ita apud Ruf. Lege, *cor unum et.* In textu Graeco generaliter Actus apostolorum citantur nullo certo loco designato. Sed hujus interrogationis sensus satis manifestat hunc locum citatum ex cap. IV eorumdem Actuum esse juxta mentem S. Basilii, non vero illum ex cap. XIII eorumdem Actuum: *Jejunantes et orantes et imponentes manus Saulo et Barnabae, etc.,* ut quidam putant. Non enim agitur hic de jejunio simpliciter, sed de conformitate jejunii inter monachos. cor et animam unam
@ [Col. 1198C] *Habuisse signantur.* In textu Graeco sequitur: καὶ παρὰ τοῦ ἐκλεκτοῦ Δαβὶδ μανθάνομεν, id est, «et ex electo David discimus.» Nullo tamen certo loco citato; sed puto S. Basilium respicere ad locum psalmi XLVII: *Qui inhabitare facit unius moris in domo.* Propter eamdem rationem; non vero ad illum psalmi XXIV: *Humiliabam in jejunio animam meam, ut quidam putant.* habuisse signantur.
@ [Col. 1198D] *Si quis ergo rationabiliter et fideliter jejunat.* In textu Graeco: Ἐὰν οὖν τις κατὰ λόγον τοιοῦτον νεστεύῃ, id est, si quis igitur juxta hanc rationem jejunet.» Rectius. Si quis ergo rationabiliter jejunat, etiam virtutem, ut sustinere possit, a Domino consequitur: Fidelis enim est qui repromisit **(Hebr. X)**.

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 43).
@ [Col. 1198D] *Unum coctum omnibus, etc.* Exstat in Reg. ms. Magistri cod. Corb., cap. 53.

Unum coctum omnibus pulmentum sufficiat; et [Col. 1198B]

@ [Col. 1198D] *In secundum.* Lege, *in secundis, ut in Reg.* ms., id est, secundo loco. in secundum, quodcunque fuerit crudum cum pomis: panis hordeacei quadrae duae. Ab ipso die Quadragesimae

@ [Col. 1198D] *Usque in tricesimam.* Tricesima est hebdomada secunda Quadragesimae: ea ratione qua ante Quadragesimam dicuntur Quinquagesima, Sexagesima et Septuagesima. Nam hae tres hebdomadae non a numero dierum nomen habent, sed quia a Quadragesima, quam praecedunt, gradatim numerantur, ut recte docet Carolus Magnus in epist. ad Alcuinum; sic hoc loco illa hebdomada, quae primam Quadragesimae hebdomadam sequitur, appellatur tricesima; et quae hanc hebdomadam subsequitur, vicesima, quae est tertia Quadragesimae; cujus etiam fit hic mentio. usque in tricesimam propter laborem binas ad diem fratres non amplius accipiant potiones, id est, unum merum, et unum caldum. A tricesima vero usque in vicesimam singulos meros accipiant. A vicesima vero usque ad Pascha vinum [Col. 1199A] omnibus subtrahatur, absque infirmis, et infantibus intra duodecim annos, et senio jam defessis. Sed hoc de infirmis consideret abbas, ne aliquis mentiatur et fingat infirmum. Firmis vero vel suo voto abstinentibus mista salibus

@ [Col. 1199C] *Cum cimino.* Lege, *cymino,* vel *cumino.* Cuminum herba est, de qua Plinius lib. XIX, cap. 5: «Condimentorum tamen omnium fastidiis cuminum amicissimum, etc.,» duplex sativum et agreste. Cuminum sativum ori gratum est, sed multo magis Aethiopicum, quod Hippocrates regium appellavit; secundum locum tenet Aegyptium. Excalfacit, exsiccat, astringit, etc.; colorem bibentium, aut perunctorum mutat in pallorem, ut docet Dioscorides lib. III, cap. 57. Unde Persius sat. 5 [Col. 1199D]

...... Pallentis grana cymini. Graece Κύμινον, a quo κυμινοπρίστης, id est, cumini sector, apud Aristotelem lib. IV Ethic. Sumitur pro avaro et sordido homine, ut notat Scholiastes Aristophanis in Vespas. Et Hesychius: Κυμινοπρίσται φειδωλοὶ· ὁμοίως Καρδαμογλύφοι, id est, avari; similiter nasturtii sectores. Cardamus herba est, quae Latine nasturtium dicitur. cum cimino vel apii semine calida aqua misceatur. Oleum non in cacabis, sed in ferculis propter abstinentes mittatur. Qui abstinentes in ipsis tamen mensis decadum suarum [

@ [Col. 1199D] *Quod in mensa quae in suo numero fuerunt.* Haec verba redundare videntur. quod in mensa quae in suo numero fuerunt] ordinatione Majoris juxta jubeantur sedere: ut abstinentes de una mensa in una comedant scutella. Ideo enim diximus inter alios fratres

@ [Col. 1199D] *Communiter abstinentes sedere.* Lege, *abstinentes communiter sedere.* Ubi, *communiter* est *simul.* communiter abstinentes sedere: ut erubescant voraces

@ [Col. 1199D] *In communi natura.* Id est, quae similis sit et earumdem virium. in communi natura non posse pariter gulae desideria refrenare, et in eligendis bonis divinam cum abstinentibus non posse gratiam [Col. 1199B] promereri. Nam ipso die Quadragesimae cum communicant, primo jejunio, antequam communicent, detur licentia ab abbate in oratorio talis. Dicat abbas omnibus fratribus: Qui vult pro anima sua spiritaliter laborare et aliquid abstinere, ad bonum hoc opus liberam ei voluntatem concedimus. Qui vero noluerit, regulae de hoc titulo constituta accipiet, et quadragesimae contentus erit mensura. Jam qui de fratribus voluerint aliquid abstinere, ibi in oratorio vadant, et

humilient se ad genua abbatis agentes gratias de boni actus voluntate concessa: et post impensam humilitatem simul et ore suo abbati indicent, quis quid voluerit abstinere. Nam ideo in oratorio abstinentes diximus designari, ut ad mensas cum hoc ipsum continent ad escam in Quadragesima [Col. 1199C] corpori perdendam, a tepidis vel gulosis fratribus non jam hoc ipsum repraesumere, vel secum comedere suadeantur, cum non vult quis videre a se alium meliorem. Sed sint ergo hi tales testimonio oratorii de omnibus apud Deum electi etiam abstinentes designati. Merito enim de resurrectione Domini [Col. 1200A] debent in Pascha laetari cum Christo, qui corpus suum per abstinentiam cum eo crucifixerunt in Quadragesima, dicente de tristitia Scriptura: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* **(Psal. CXXV)**. Et: *In paucis vexati, in multis bene disponentur* **(Sap. III)**. Nam Quadragesima hujus praesentis parvi saeculi obtinet typum, Pascha vero futurae vitae aeternam laetitiam bonis indicat: in tantum,

@ [Col. 1199D] *Ut quod in sexaginta diebus abstinetur.* Alibi in hoc cap. legitur, *sexaginta.* At in cod. ms. Corb. ubique legitur, *quadraginta.* Recte. Nam cum Magister hoc capite eximat tantum diem Dominicum a jejunio quadragesimali, signum est non observasse Septuagesimam, quae servabatur ab iis qui praeter Dominicam in Quadragesima non jejunabant feria quinta et sabbato: ita ut escis quadragesimalibus sexaginta dies vescerentur, ut clarum est ex epistola citata Caroli Magni ad Alcuinum, et ex ipso Alcuino cap. 8 de Offic. Eccl. ut quod in sexaginta diebus abstinetur,

@ [Col. 1200C] *Manducare liceat toto anno.* Haec dicuntur confuse et generaliter: nam excipienda sunt quaedam jejunia, praeter quadragesimale, per annum occurrentia. manducare liceat toto anno. Sic qui in praesenti vita saeculi hujus aliquid desideriis suis vel carni subduxerit, in loco sancto abundanter licet animae de melioribus divinis deliciis in perpetuo saginari; quia in hoc parvo tempore pro Domino voluit contristari, cum eo merebitur in futuro laetari.

@ [Col. 1200D] *Jejunia vero quadragesimae, etc.* Ita statuit Silverius papa apud Burchardum lib. XIII, cap. 12. Jejunia vero Quadragesimae [Col. 1200B] protrahentur in vesperam; id est, post lucernaria reficiatur omnibus ipsis sexaginta diebus.

@ [Col. 1200D] *Quia feria quinta jejunatur.* Olim feria quinta non jejunabatur ex institutione Melchiadis papae, quia pagani hac die jejunabant, ut habetur in Pontificali Damasi; et quia eodem die Christus corporis et sanguinis sui sacramentum instituit, ut docet Alcuinus capite citato: quod etiam a multis in Quadragesima observabatur; ita ut hi qui in Quadragesima non jejunabant Dominica, sabbato, et feria quinta, in supplementum Septuagesimam servarent, ut supra docuimus. Hic tamen Magister, qui supra jejunium feriae quintae prohibuit, illud in Quadragesima observari jubet. Quia quinta feria jejunatur, absque Dominica. In qua Dominica sero penitus nihil coenent, ut una sit in ipsis diebus a die refectio. Jejunium vero in Quadragesima propter supervenientes non frangatur a domesticis fratribus. Qui vero voluerint fratres

@ [Col. 1200D] *Jejunium superponere.* Id est, aliquot dies sine cibo ducere. jejunium superponere, in ipso superposito die, in labore cum fratribus non spectentur, solummodo laborantibus fratribus legant: ut otiosi non sint, et pro pane verbo Dei reficiantur. Ideo enim in spiritu legendo laborent, ut, sicut scriptum est, *qui non manducat, non laboret:* nisi in illa refectione, in qua sine pane reficitur, hoc est in eloquio Dei, dicente Scriptura: *Non in pane solo vivit homo,* sed in omni verbo Dei [Col. 1200C] **(Luc. IV)**. In ipsis vero sexaginta diebus, in monasterio fratribus ab

hebdomadariis pedes non lavantur, solummodo discalciantur. Supervenientibus quibusvis laventur, propter illius mulieris testimonium, quae lavit, et de

@ [Col. 1200D] *De alabastro.* Alabastrum est vas condendis unguentis aptum. Hesychius: Ἀλάβαστρον μυροθήκη. [Col. 1201B] id est, «theca unguentaria.» Moschopulus in schedis: Λήκυθος, καὶ ληκύθιον τὸ μιρινὸν ἀγγεῖον, ὃ ἀλάβαστρον λέγεται, καὶ ἀλάβαστον χωρὶς ῥ Ἀττικῶς, id est, «lecythus vas unguentarium, quod alabastrum dicitur. Attice alabastum sine *r*.» Suidas: Ἀλάβαστρον ἄγγος μύρου μὴ ἔχον λαβὰς λίθειον, ἢ λίθινος μυροθήκη, id est, «alabastrum vas unguenti lapideum non habens ansas vel reconditorium unguenti lapideum:» vel quod prae levitate teneri non possit, inquit Etymol. Vetus ex Methodio. Juxta alios, et rectius, dicitur alabastrum a lapide alabastrite, ex quo fiunt vascula unguentaria. Lapis candidus est, et interstinctus coloribus, et conservandis unguentis aptus, ut docet Plinius lib. XXXVI, cap. 8; et post eum S. Isidorus lib. XVI Orig., cap. 5. Sed et alabastrum est etiam vitreum vas, ut docet S. Epiphanius lib. de Mensuris et Ponderibus: quia cum multi non possent habere ex lapide alabastrite ejusmodi vascula, habebant vitrea, quae nihilominus ex usu loquendi alabastra appellabant. Idem docet auctor Etymologici Veteris [Col. 1201C] agens de alabastro: Σκεύος τι ἐξ ὑέλου, ἡ μοροθήκη, id est, «vas quoddam ex vitro, theca unguentaria.» Hinc fit quod mulier quae unxit pedes Christi, fregerit alabastrum **(Marc. XIV)**. alabastro unxit pedes Salvatori coenanti **(Joan. XII)**. In coena vero Domini mittant manus pro [Col. 1201A] benedictione ad lavandos pedes abbatis; et postea omnibus praepositis cum solatio fratrum.

@ [Col. 1201C] *Inchoando tamen abbas lavet.* Ut praebeat humilitatis exemplum. Idem statuitur 1 Add. Capitul. Lud., tit. 23: «In Coena vero Domini pedes fratrum, si valet abbas, lavet et osculetur.» Inchoando tamen abbas lavet simul et ostiariis. Ipse major lavet pedes, cum et ipse humilem se in hoc obsequio praebet, digne omnibus in honorem exaltatior judicetur. Deinde Praepositi omnibus in decada sua lavent pedes et tergant. Sexta vero feria lucescente, quae est ante sabbatum sanctum, nocturnos solummodo faciant:

@ [Col. 1201C] *Quia adhuc Nocturni ante pullorum cantus, etc.* Lege, *qui, ut in Reg.* ms. cod. Corb., et τὸ *adhuc, redundat, et sensus est:* Qui Nocturni ante pullorum cantum dicti, id est, ante mediam noctem, de feria quinta sunt, id est, feria quinta dicuntur post Completorium jam secundum morem Ecclesiae lucente, id est, exorta feria sexta, et juxta morem saeculi nondum finita feria quinta. Atque ita licet ejusmodi Nocturni incipiant post exortum feriae sextae, sunt tamen adhuc de feria quinta, quae juxta morem saeculi absolvitur tantum media nocte. Et hoc loco pullorum [Col. 1201D] cantus ille est, qui media nocte auditur, non vero ille de quo supra dictum est. quia adhuc Nocturni ante pullorum cantum dicti de quinta adhuc feria sunt;

@ [Col. 1201D] *Etiam matutinos, vel caeteras horas, vel constituta officia.* Ita in Reg. ms.; sed videtur deesse aliquid, nempe ista: *Non faciant, vel quid simile.* Nam ex sequentibus satis manifestum est finitis Nocturnis feriae sextae caeteras horas esse praetermittendas usque ad missas Sabbati magni. etiam Matutinos, vel caeteras horas vel constituta officia Dei usque ad missas Sabbati: ubi tam prolixum psalmorum silentium in ore psallentium resurrectionis Alleluia aperiat.

@ [Col. 1201D] *Ergo ad Nocturnos.* Lege *Ergo a Nocturnis, ut habetur in Reg.* ms. Ergo cum ad nocturnos quintae feriae dictos [Col. 1202A] ulterius

@ [Col. 1201D] *Usque ad missas sabbati.* Inclusive; quae dicebantur Sabbato sancto circa mediam noctem, ut docet Theodorus Balsamon in can. 90 sextae synodi, ubi ait religiosiores Christianos toto illo sabbato in ecclesia manere solitos et sexta noctis hora, id est, media nocte divinis sacramentis communicare, et hora septima ejusdem noctis psalmodias matutinas audire. Id videtur etiam in antiquo ordine, ubi etiam jubetur non dimittendum populum ante mediam [Col. 1202B] noctem, et in ipsa nocte matutina luce erumpente redeundum esse in ecclesiam ad nocturnas vigilias Paschae celebrandas. Eadem de missa hujus Sabbati sancti docet Alcuinus lib. de Offic. Eccl., cap. 18 et 19. Id etiam patet ex Collecta missae: *Deus, qui hanc sacratissimam noctem, etc.;* ex benedictione Cerei Paschalis, quae fit paulo ante missam sabbati, ubi dicitur: *Haec est nox, quae hodie per universum mun dum;* et infra: *O vere beata nox;* et in benedictione etiam Cerei Paschalis apud Ennodium: *Ut principe loco fores beatae noctis;* et infra: *In hujus ergo suscipiendae noctis officio.* usque ad missas sabbati non psallent.

@ [Col. 1202B] *Orationes tamen illas quadragesimae puras.* Intelliguntur orationes illae, quas ipse Magister instituit in Quadragesima dicendas, ut aliquid monachi adderent supra pensum servitutis suae, quas horis, Primae, Tertiae, etc., interserebant, quas et nocte faciebant ante lectos suos post primum accubitum abbate orationem complente, post Nocturnos in ipso gallicinio, atque inter Matutinos et Primam, ut est [Col. 1202C] in Regula ejusdem Magistri, cap. 51 et 52, in quibus haec oratio etiam pura appellatur, quia sine psalmodia fiebat. Orationes tamen illas Quadragesimae puras compleant, et ipso sextae feriae die lente sibi loquantur de tristitia Dominicae passionis; nec se supervenientes salutent. Nam extra infirmos, et infantes et senio pervinctos,

@ [Col. 1202C] *Quicunque de sanis reficere voluerit, etc.* Praecipit hoc loco Parasceven sanctam ob Christi passionem sine cibo et potu traduci. Quod quidem veteres non modo observabant, sed etiam sequentem diem, hoc est sabbatum magnum sine potu et cibo transmittebant: ita ut ante horam Christi resurrectionis ne tantillum quidem gustarent, aliis usque ad mediam noctem, aliis usque ad gallicinium seu tertiam noctis horam circiter jejunium protrahentibus juxta diversas opiniones de hora resurrectionis Christi, ut videre est in epistola Dionysii Alexandrini ad Basilidem, apud Cassianum Collat. 21, cap. 25, qui ejusmodi jejunium sabbati affirmat produci usque ad gallicinium, et S. Dorotheum Doctr. 15 qui protendit hoc sabbati jejunium usque ad mediam noctem. quicunque de sanis reficere voluerit, sine accepta benedictione et non signata refectione reficiat: ut a gula sua, vel a semetipsis

@ [Col. 1202C] *Communicati.* In Reg. ms., *Scommunicati.* Lege, [Col. 1202D] *excommunicati.* communicati erubescant cum aliis

@ [Col. 1202D] *Superponentibus.* Hoc loco superponere est diem integrum sine cibo et potu transmittere. Nam paulo ante praecipit, ut Parasceve sine cibo ducatur; unde recte subjungit, ut hi qui nolunt hanc diem sine cibo transmittere, manducent sine benedictione, et non signata refectione, ut erubescant non potuisse unum diem sine cibo ducere cum superponentibus; et supra hoc capite Magistri, superponere jejunium est aliquot dies transmittere sine cibo, ut satis ex antecedentibus et consequentibus manifestum est. Idem est ὑπέρθεσις, id est, superpositio, et ὑπερτιθέναι, id est, superponere in ep. Dion. Alexandrini ad Basilidem. Nam ibi agitur de diebus quos olim Christiani in hebdomade sancta sine cibo transmittebant. Itaque superponere, praeterquam quod significat *addere, et superadjicere jejunium, ut supra c.* 54

notavimus, est etiam aliquando diem integrum vel plures sine cibo ducere. superponentibus pro Dei speranda mercede unum diem non posse jejunum voluntarie pertransire, cum aliis ab invito interdum triduana transire jejunia indigentiae imponat necessitas. Et tum qua fronte futura octava Paschae in Dominicae resurrectionis victoria desideret [Col. 1203A] epulari, qui in

@ [Col. 1203B] *In tristitiae causam.* Id est, *ob tristitiam.* tristitiae causam ipsius passionis una die noluit cum Christo crucifigere carnem. Sacramenta vero altaris in

@ [Col. 1203B] *In patena.* In Reg. ms., *in patina.* Dixit, *finiantur;* quia vult illo die omnes hostias sumi a fratribus ob rationem allatam. Et notandus est antiquus ritus communicandi ipso die sanctae Parasceves. Qui etiam notatur ab Alcuino cap. 18 de Offic. Eccl., cum agens de hac sexta feria scribit: «Tunc communicant omnes cum silentio.» patena majore vitrea finiantur: ut cum sexta feria Judaei ad passionem Christum quaesierint, sit ipso die mentibus nostris reclusus, ut sabbato nobis per resurrectionem in novo sacramento appareat. Jam qui sexta feria refecturi sunt, sine communione reficiant: ut agnoscatur jamque sexta feria injuste refici sine Christo.

@ [Col. 1203B] *Lotio vero rerum, etc.* Res quae lavantur sunt altaria, templi parietes, et pavimenta. Ipsa etiam vasa sacra purificantur, juxta Magistrum quidem feria sexta; at juxta veterem Ord. Rom. et Isidorum, in Coena Domini, l. I de Officiis Eccl., cap. 28, cum [Col. 1203D] agit de feria quinta Majoris Hebdomadae: «Hinc est quod eodem die altaria, templique parietes et pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quae sunt Domino consecrata,» et juxta Alcuinum de Offic. Eccl. cap. 16. Lotio vero rerum, vel apparatus Paschalis ipso die procuretur. In qua sexta feria

@ [Col. 1204B] *Altaris velamen, etc.* Haec altaris nudatio fit hodie in Coena Domini, quemadmodum olim tempore Alcuini, ut ex capite citato constat: «His finitis, nudantur altaria jam circa noctem.» altaris velamen, vel universus oratorii subtrahatur ornatus; simul et lucernae et cicendeli totum intra monasterium negetur aspectus. In nobis tristitia habeatur ipso die, cum mundo verum Domini lumen [Col. 1203B] per passionem abscedit. Et in sequenti lumen lucescente sabbato per totum mundum pro laetitia reponatur, quando per resurrectionem Christi laetitiae ad nos lumen revertetur. Nam omni tempore sic [Col. 1204A] ornatum et mundum debet esse monasterium, ut per omnia introitorum loca munda ornata velis videatur ubique quasi una ecclesia: ut ubique ad se invicem occurrentes deceat, libeat, et delectentur orare.

§ V.---ITEM BEDAE.

@ [Col. 1204B] *Ecce jejunium, etc.* Exstat apud Bedam homilia quadragesimali in Dominicam Palmarum; proferturque a nostro auctore ob haec S. Benedicti verba: *Et cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet.* Ecce jejunium quadragesimale, Domino auxiliante, jam plurima ex parte complevimus. Testis est unicuique conscientia sua, quia quanto districtius se sanctis his diebus Domino mancipasse meminit, tanto amplius gaudens sanctum Dominicae resurrectionis tempus exspectet. At si quem forte adhuc conscientia minus perfecte castigata accusat, nulli dubium, quin pavidus et tremens tantae solemnitatis praestolatur adventum. Nec tamen hic talis de salute [Col. 1204B] diffidat, neque aliqua suorum numerositate vel enormitate scelerum confusus barathrum desperationis incidat, juxta illud Salomonis: *Impius cum venerit in profundum*

@ [Col. 1204B] *Malorum.* Ut in textu Graeco κακῶν. In versione [Col. 1204C] communi: *Peccatorum. malorum, contemnit* **(Prov. XVIII)**.

CAPUT LVII. DE FRATRIBUS QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT, AUT IN VIA SUNT.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1203C] *Fratres qui omnino, etc.* Non vult omitti opus Dei ab his, qui procul ab oratorio laborant, aut in via diriguntur. Idem sanxit Regula Orientalis: «Et si in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi aut psallendi tempus non praetermittat.» Fratres, qui omnino longe sunt in labore, et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, et abbas hoc perpendit quia ita est, agant ibidem opus Dei ubi operantur, cum tremore divino
@ [Col. 1203D] *Flectentes genua.* Nempe in orationibus quae fiunt in psalmorum intervallis, de quibus supra; in precatione Litaniae, oratione Dominica, et collectis: si tamen non sit dies Dominicus, aut praecipua aliqua solemnitas. Nec video rationem cur praeciperet totum opus Dei in agro genibus flexis persolvere, cum in oratorio velit illud stando duntaxat fieri: alioqui plus reverentiae in agro quam in oratorio requireret. Adde quod moris erat apud veteres psallere stando vel sedendo, orare vero genua flectendo, ut supra diximus. flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos praetereant horae constitutae;
@ [Col. 1203D] *Sed ut possunt.* Agens hoc loco S. P. Benedictus de fratribus in via directis nullam facit mentionem genuflexionis; sed dicit: *Sed ut possunt.* Quia aut Fratres sunt in navi aut in curru, aut si pedes iter agunt, aut si equitant, forte non licet eis per itineris [Col. 1204D] prolixitatem in aliquo loco consistere, de equo desilire, ut possint genua flectere: ac proinde non astringuntur ejusmodi genuflexionibus, nisi ubi est opportunum. sed ut possunt
@ [Col. 1204D] *Agant sibi.* Variant editiones et codices mss., aliis, *sibi,* aliis *ibi, legentibus.* Legendum tamen *ibi, id est, in itinere.* Nihil autem statuit S. Benedictus de his qui sunt in monasterio et non intersunt choro. Nam juxta praescriptum Regulae hi qui in aliquo opere occupantur, simul atque signum insonat, debent omnia relinquere, et ad officium convolare nisi forte aliquando cellerarius rationabili causa dispensetur, aut hi qui coquunt, qui vix possunt interesse Sextae, aut Nonae, aut Vesperis, quia tunc maxime detinentur escis parandis juxta rationem temporis sive prandii, sive jejunii; aut nosocomii ministri, et si qui sint rebus necessariis quae vix differri possint, intenti: qui sane omnes possunt servare normam eorum qui in agro laborant. agant sibi, et servitutis pensum non negligant reddere.

[Col. 1205A]

§ II.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 142).
@ [Col. 1205B] *Et si in navi fuerit, etc.* Hoc caput desideratur in Regula S. Pachomii excusa. Et si
@ [Col. 1205B] *In navi.* Hic mentio fit navis: quia S. Pachomii discipuli habitabant in insula Nili; ac proinde saepe navigabant, ut supra notatum est. in navi fuerit, et in monasterio,

et in agro, et in itinere, et in quolibet ministerio,
@ [Col. 1205B] *Orandi et psallendi.* Non solum dixit: *Psallendi,* sed etiam, *Orandi, ob orationes illas quae psalmorum intervallis interserebantur:* de quibus supra. orandi et psallendi tempora non praetermittet.

§ III.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 107).

Interrog.
@ [Col. 1205C] *Si quis circa cellarium, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. 147 Regul. Brev., et apud Rufinum cap. 56. Si quis circa cellarium, vel coquinam, vel alia hujuscemodi opera occupatus est, et non occurrat adesse
@ [Col. 1205C] *Ordini psallentium.* Ita apud Rufinum. Ordo psallentium, seu ordo psalmorum, atque etiam ordo sine adjuncto est officium divinum, opus Dei, horae canonicae; de quo vocabulo supra. In textu Graeco S. Basilii est, τῷ κανόνι τῆς ψαλμωδίασ· ubi versio recentior: *Statuto tempore modulandorum psalmorum;* non ita recte. Nam κανῶν apud Graecos est cursus, officium divinum, opus Dei, horae canonicae; Joan. Moschus cap. 27: Μετὰ γάρ κανόνα νυκτερινὸν τῆς ἁγίας Κυριακῆς, id est, post canonem, seu officium nocturnum sanctae Dominicae;» cap. 147: Ἕση εἴς κανόνα μόνον λαλῶν, ἔξωθεν δὲ τοῦ κανόνος σιωπῶν, id est, «loqueris tantum in officio divino, extra officium divinum mutus eris.» Theodorus Balsamon in can. 52 sextae synodi: Πρὸ τῆς Τυροφάγου ψάλλουσι καὶ ἀναγινώσκουσι τοὺς κανόνας καὶ τὰ μαρτύρια τῶν κατὰ τὴν ὅλην τεσσαρακοστὴν [Col. 1205D] προσβαινουσῶν ἑορτῶν· id est, «ante hebdomadem Tyrophagi psallunt et legunt officia et martyria festorum, quae tota quadragesima cadunt.» S. Antiochus in epist. ad Eustachium: Ἐκτελέσας ἐπ' αὐτοῖς τὸν συνήθη κανόνα. id est, «cum persolvisset pro ipsis solitum officium,» defunctorum videlicet. Rationem appellationis reddit idem Antiochus, homil. 105. Ὑαλμωδία ἡμῶν κανὼν λέγεται· ὥσπερ γεωργὸς, ἐὰν μὴ δοίη πλήρη καὶ καλὸν τὸν κανόνα αὐτοῦ εἰς φυλακήν ἐμβάλλεται, etc.; id est, «Psalmodia nostra canon appellatur: quemadmodum colonus, nisi dederit plenam et bonam mensuram suam, in vincula conjicitur, et cruciatur: sic monachus, qui negligit suum canonem, seu mensuram, cui astrictus est, Deo quotidie persolvere, a Dei gratia excidit, et traditur inimicis suis, hoc est, diabolis.» Κανὼν ergo proprie est mensura quam colonus domino suo solvere tenetur. Quod vocabulum Latini in eadem significatione usurpant. Cassiodorus lib. V Var., epist. 39, ubi agitur de his qui agros domus regiae conducunt: «Transmarinorum igitur canonem, ubi non parva fraus fieri utilitatibus publicis intimatur, vos attente jubemus inquirere, atque statutum numerum pro virium qualitate definire.» Et per similitudinem officium divinum dicitur canon et mensura: quia monachi et clerici in sacris constituti tanquam Dei coloni hanc ei quotidianam mensuram solvere tenentur. Ita etiam divinum officium appellarunt Latini Patres. Cassianus lib. II de Orat. noctur., cap. 6: «Ex hinc venerabilis Patrum senatus intelligens angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decrevit hunc numerum tam in vespertinis quam in nocturnis conventiculis custodiri.» S. Columbanus cap. 7 Regulae: «Sed per quaternas in nocte vices hunc canonem reddunt.» Conc. Turonense II, can. 23: «Licet hymnos Ambrosianos habeamus in canone, id est, in ordine seu cursu divini officii. Et hinc horae canonicae appellatae. ordini psallentium, vel ad orationem, nihil damni patitur in

anima?---*Resp.* Unusquisque in opere suo observare debet propriam regulam. Sicut membrum in corpore et damnum habebit, si neglexerit in eo quod injunctum est ei: et de communi fratrum utilitate negligens amplius periclitabitur. Et mente et devotione complere debet [Col. 1205B] id quod scriptum est: *Cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino* **(Eph. LI)**. Si enim corporaliter non occurrerit adesse cum caeteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est, expleat. Oportet tamen observare, ne forte quis possit complere in tempore suo, quod complendum est, et occurrere; sed dum loqui vult, occasiones nectit, tanquam in ministerii opere occupatus. [Col. 1206A] Quod qui tacit, et offendiculam caeteris praestat, et ipse negligentis crimen incurrit.

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 56).

@ [Col. 1206C] *Cum fratres spiritales, etc.* Haec videre est in Reg. ms. cod. Corb., eod. cap. 56. Cum fratres spiritales sine laico ambulant juncti ad se, et

@ [Col. 1206C] *Cantantes.* Locus corruptus. In Reg. ms. legitur, *camsantes,* pro *campsantes, id est flectentes;* nam campsare est flectere. Glossae Isidori: *campsat, flectit;* legendum ergo, *campsantes.* Et sensus est: Ut [Col. 1206D] fratres directi in via, si ambulent sine laicorum comitatu, de via modice flectentes, seu declinantes simul juncti genua flectant, et orent, et post orationes redeant in viam, et ambulando psalmos recitent. cantantes modice de via flectant genua, et post orationem redeant in viam; mox ab omni verbo alieno a Deo tacentes propter reverentiam operis Dei, et sic ambulando petita prius benedictione impositum prorumpant in psalmum; quem cum expleverint,

@ [Col. 1206D] *Stent.* Id est, consistant, subsistant. stent modicum, et inclinato capite modice

@ [Col. 1206D] *Orent.* Reg. ms. *reorent.* Recte, juxta rationem loquendi Magistri. orent; qua oratione expleta, mox inchoent viam ambulare cum psalmo; quo expleto, stantes orent; qua item expleta oratione, psalmum simul ambulando inchoent; quo expleto, iterato curvati in humilitate orent. Ergo cum omnem ipsius [Col. 1206B] horae consuetudinem expleverint, modicum

@ [Col. 1206D] *Secedentes in partem.* Est, quod Gallice dicimus, *se retirant Ó part, id est, secedentes seorsim ab aliis in locum aliquem;* nam pars locum significat. Marculphus formula 96: *Civis Romanus, portis apertis, eam pergat partem, quam voluerit ambulare.* Et formula seq. secedentes in partem flexis genibus orent, et

@ [Col. 1206D] *Complentes vicibus sibi.* Lege, *complentes vicibus ibi, id est, in eodem loco dicentes collectas alterni.* complentes vicibus sibi, tunc demum revertantur ad viam: et sic se

@ [Col. 1206D] *Communibus fabulis.* Id est, consuetis sermonibus, de sacra Scriptura et rebus piis videlicet. Nam cap. 5 Regulae Magister tantum de rebus sanctis colloqui fratribus permittit. communibus fabulis, si voluerint, misceant. Tamen illis horis quibus opus Dei ambulando perficiunt, caveant, ne divino occupati opere in aliud inter se verbum immisceant. Si vero misti cum laicis ambulant, sequestrantes se ab eis in partes stirpium, [Col. 1207A]

@ [Col. 1207B] *Aut si immundus.* Lege, *aut si mundus, nempe a stirpibus, ut in Reg.* ms. et cod. Vind. aut, si immundus fuerit locus et latebras non praebuerit

@ [Col. 1207B] *Eis, retro se aliquantulum faciant.* Id est, dent operam, ut aliquantulum ab ejusmodi laicis praecedantur. eis, retro se aliquantulum faciant, et flexis genibus trium psalmorum capita dicentes mox una gloria explicent; deinde dicentes versum, et post versum modicam orationem facientes, complentes exsurgant et sequantur viae collegas. Ideo enim plus ad singula capita trium psalmorum cum una gloria a fratribus non diximus dici, ne perambulante solatio laico, cui de causa Dei cura non fuit,
@ [Col. 1207B] *Derelicto forte fratribus spiritalibus trivio.* Lege, *derelictis forte fratribus spiritalibus in trivio.* derelicto forte fratribus spiritalibus trivio, nescientes forte fratres viam in multifariam separentur semitam per errorem, et postea amara in anima tristitia occupentur, et poeniteat forte eos in lucris animae remorasse. Sed hoc ut sic compleant, exeuntes de monasterio fratres ab abbate aut praepositis suis debent moneri. In nubilo [Col. 1207B] vero die, cum radios suos sol mundo absconderit, sive in monasterio, sive in via, sive in agro,
@ [Col. 1207B] *Horarum transacta perpensatione.* Id est, perpensatione horarum apud se tractata, aestiment, id est, judicent, quando videlicet officium divinum persolvi debeat. horarum transacta perpensatione fratres aestiment, et quaevis hora sit, consuetum tamen compleatur officium; et sive ante, sive retro, a certa hora dictum sit,
@ [Col. 1207C] *Consuetum horae opus tamen Dei non praetereat.* Lege: *Consuetum horae tempus tamen opus Dei non praetereat.* consuetum horae opus tamen Dei non [Col. 1208A] praetereat,
@ [Col. 1207C] *Sed agatur;* quia obscuritas nubium cito. Lege: *Sed agatur cito, quia est obscuritas nubium, absente sole.* sed agatur; quia obscuritas nubium cito absente sole hos religio excusat, quos culpa agentes non invenit.

§ V.---EX REGULA STEPHANI (cap. 12).
@ [Col. 1207C] *Opus Dei, etc.* Exstat in Reg. ms. Pauli et Stephani cod. Flor., cap. 17. Opus Dei quod per diem in quocunque loco operantes fratres per horas institutas dicent, cum disciplina et timore Dei consona voce dicatur: non prout unusquisque operis excusatione, aut occupatione voluerit
@ [Col. 1207C] *Obrute.* In Reg. mss. cod. Flor., *abrupte.* obrute; nec praesumendo junior ante seniorem prosiliat, et immatura festinatione praecedat; et divinum opus, quod cum timore agendum est, per inordinatam audaciam insipienter et non sapienter psallatur. Tali enim consuetudine jam infectae mentes et fauces aliquorum fratrum ad [Col. 1208B] consonantiam intra oratorium, nisi cum magno commotionis freno non queunt retineri. Ut ergo hoc usurpationis vitium abjiciatis a vobis, charitatis simplicitatem hortamur. Talium enim Deus omnium exauditor est.
@ [Col. 1207C] *Ipse enim misit angelum suum, etc.* Probat exemplum Davidis Deum esse simplicium exauditorem. Per angelum intelligit Samuelem. Haec autem verba sumpta sunt ex psalmo CLI qui vulgo inter Davidicos non collocatur. Reperitur tamen apud Septuaginta in quibusdam codicibus, complectens versus septem. Illius initium est. Μικρὸς ἤμην ἐν τοῖς ἀδελφοῖς μου, etc., id est, parvus eram inter fratres meos. Habetur etiam in Metaphrasi Apollinarii, in fine, sicque incipit:

Ἀμφὶ συγγενήτοισιν ἐμοῖς μάλα τυτθὸς ἐτύχθην, etc. [Col. 1207D] Id est, «inter fratres meos valde parvus eram.» De hoc Psalmo haec habet S. Athanasius in synopsi sacrae

Scripturae Veteris Instrumenti, lib. XIII: Πρὸς τὸν Γολιὰθ, ὁ ρ᾽ ν᾽ α᾽ ἰδιόγραφος οὗτος ὁ ψαλμὸς τοῦ Δαβὶδ, καὶ ἔξοθεν τοῦ ἀριθμοῦ, ὅτε ἐμονομάχησς τὸν Γολιὰθ. id est, «Contra Goliath CLI psalmus peculiariter David, et extra numerum aliorum inscriptus est, cum singulari certamine Goliath stravisset.» Et supra inter psalmos qui habent inscriptionem, *psalmus Davidis, recenset psalmum CLI.* Idem innuit in parva synopsi, cum ait: Ὑαλτήριον Δαβιδικὸν ἔχεν ψαλμοὺς ρ᾽ ν᾽ α᾽, [Col. 1208C] id est, «psalterium Davidicum habens psalmos CLI. Locus citatus a Stephano et Paulo ita habetur in dicto psalmo: Οὗτος ἐξαπέστειλε τὸν Ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἦρέ με ἐκ τῶν προβάτων τοῦ πατρός μου. Et in Metaphrasi Apollinarii, hoc modo:

Αὐτὸς ἐπουρανίου στρατιῆς ταχὺν Ἀγγέλον ἧκεν Ἐκ δέ με πατρῷης ἀγέλης ἐξείλετο μήλων.

Id est. «Ipse coelestis militiae celerem angelum misit, me vero ex paterno grege assumpsit ovium.» Hic videtur Apollinarius intelligere verum angelum; sed sequentia satis indicant per angelum intelligendum esse Samuelem, cum dicitur: Καὶ ἔχρισέ με τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτοῦ, id est, et unxit me oleo unctionis suae;» et apud eumdem Apollinarium ibidem:

Καί μου πιαλέῳ δέμας αὐτὸς ἔχρισεν ἐλαίῳ. Id est, «et meum corpus pingui unxit oleo.» Samuel autem unxit David in regem, non angelus, ut [Col. 1208D] videre est, lib. I Reg., cap. XVI. Ipse enim misit angelum suum, et tulit me de ovibus Patris mei.

CAPUT LVIII. DE FRATRIBUS QUI LONGE SATIS PROFICISCUNTUR.

[Col. 1209A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Fratres qui
@ [Col. 1209A] *Pro quovis responso.* Responsum est negotium, quod quis tractat foris. S. Gregorius II Dial. cap. 12: «Quoties ad responsum egrediebantur fratres.» Idem epist. 47, lib. XI: «Ad urbem regiam pro faciendis responsis transmittimus.» Inde Responsales dicti, qui mittuntur ad negotia tractanda. Idem Gregorius lib. IV Regesti, cap. 54. «Nisi quia multi apud civitatem fraternitatis vestrae Responsales saepius fuerunt.» Lib. XI, cap. 47: «Ante hoc enim temporis Bonifacii Chartularii Responsalis mei, qui in urbe regia demoratur, vehementer me scripta turbarunt. Graece. Ἀποκρισιάριος est Responsalis, a verbo ἀποκρίνομαι. Id est, respondeo, qui negotia sanctarum Ecclesiarum tractat, ut habetur Novella IV Justiniani. Glossae Isidori: *Apocrisiarius minister* [Col. 1209B] Ecclesiae Romanae. Nuntius, sive legatus apostolicus. Est etiam procurator monasterii apud Joan. Moschum in Prato, cap. 88. ὅτι Ἀποκρισιάριος κοινοβίου τῶν μέρων Ἀπαμίας, id est, «quod Apocrisiarius coenobii partium Apamiae;» et Cod. I. 29, de Episc. et Cler., etc.: «Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exeundi non habeant, vel in civitate Antiochensi, seu in aliis quibuslibet civitatibus conversandi, ὑπεξαιρουμένων μόνων τῶν καλουμένων

Ἀποκρισιαρίων, id est, «exceptis his solis, qui Apocrisiarii appellantur.» pro quovis responso diriguntur, et eodem die

@ [Col. 1209B] *Sperantur.* In Vulgatis cum mss. S. Ebr. et S. Far. *sperant.* Apud S. Dunstanum, *se sperant.* sperantur reverti ad monasterium, [Col. 1210A]

@ [Col. 1209B] *Non praesumant foris manducare.* Egregia sane institutio, quae fuit et quorumdam aliorum Patrum, ut Tarnatensium cap. 9: «Nemo tamen extra monasterium manducet, aut bibat. Hoc enim Regulae non recipit disciplina.» S. Augustini, sive alterius cap. 3: «Nemo extra monasterium sine praecepto manducet, [Col. 1209C] neque bibat. Non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii.» Haec est antiqua monachorum disciplina nobis sane imitanda, ut mensas la´corum, praesertim nobilium et divitum, quantum in nobis situm erit, declinemus. Sunt enim illae monachis perniciosae admodum, tum propter luxum profusiorem, tum propter apparatum curiosum nimis et exquisitum, tum propter archimagirorum et dulciariorum condimenta varia, gulae et Veneris languentis irritamenta. Noluit Daniel pollui dapibus regiis, nec Tobias gentilium escis. Catillationibus anima polluitur; et qui ejusmodi cupediis monachus delectatur, sine dubio contaminatur. Qui multa sagina suffertus, cibis et vino ingurgitatus, nocte importunis tentationibus undique impugnatur. Hinc carnis titillatio pungit miserum, lancinat infelicem. Hinc puellarum imagines, quibuscum inter hesterna pocula confabulatus est, ejus phantasiae importunius obversantur, acrius insultant, etiam nullo premente daemone, quia jam de praeda securus ad sobrios [Col. 1209D] oppugnandos alio se confert. Praeterea quis potest esse devotionis sensus in epulone? Quae cogitatio sana, quae pia meditatio in nidore crapulae? Quod coeli lumen in mente ganearum tenebris offuscata? Quod praeclare monet Evagrius in proverbiis: *Investiganti convivia exstinguitur lumen:* anima autem ejus videbit tenebras. Quamobrem prisci illi monachi extra monasterium peregre profecturi secum ferebant viaticum, panes et quae in monasterio fas ipsis erat comedere, ne cibos laicorum gustare cogerentur, ut manifestum est ex Joannis Moschi Prati spiritalis, cap. 57, et ex Regula S. Pachomii, art. 32: «Quod si eis cognati vel propinqui praeparaverint cibos, nec accipient omnino, nec vescentur, nisi iis quae in monasterio edere consueverunt. Non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi non habent consuetudinem.» Si tamen officium aut necessitas aliqua monachum cogit divitum interesse conviviis, sibi sobrietate consulere, vilioresque dapes appetere meminerit, imiteturque magnum illum monachum Dionysium Exiguum, qui, ut refert Cassiodorus lib. de divinis Lectionibus, cap. 23: «Jejunabat sine exprobratione prandentium; et ideo conviviis gratanter intererat, ut inter corporales epulas inquisitus spiritales copias semper exhiberet. Quod si tamen aliquando comederet, [Col. 1210B] parvo quidem cibo, sed tamen escis communibus utebatur. Unde summum genus aestimo patientiae inter humanas esse delicias, et abstinentiae custodire mensuram.» Et S. A´danum Scotorum episcopum, qui, ut ait Beda lib. III Hist. Angl., cap. 5: «Si forte evenisset (quod tamen raro evenit) ut ad regis convivium vocaretur, intrabat cum uno clerico aut duobus; et ubi paululum reficiebatur, accelerabat ocius ad legendum cum suis, sive ad orandum egrediens.» Si igitur aliquis est in monacho vitae regularis sensus, laicorum mensas et convivia, praesertimque magnatum cane pejus et angue, ut aiunt, oderit; citius enim ejusmodi conviviis monachi fervor remittitur, saepe violatur regulare jejunium, sensim obrepit lautitiarum cupiditas, et vilium ciborum nausea: durum est enim a rhombis et mullis ad caules redire.

Si pranderet olus patienter, regibus uti[Col. 1210C] Nollet Aristippus, inquit Horatius **(Lib. I epist. ad Scaevam)**. Hinc familiaritas cum mulierculis, solitudinis taedium, tandemque vitae religiosae fastidium. Sed quam graphice depingat erronem monachum saecularium epulas appetentem Petrus Blaesensis **(Serm. 50)**, videamus: «Quandoque enim sub obtentu sanitatis egreditur monachus ad propinquos, ad natale solum redit, ut ibi liberum et consuetum aera bibat aliquot dies, vel forte aliquam refectionem referat a fratribus, ab amicis. Quandoque sub obtentu utilitatis fratrum egreditur monachus ad principes terrae, rogatur importunus, quaestum quocunque modo factum pietatem appellat. Cum redierit, horam ingressus sui diligenter explorat; ne oporteat eum ingredi ad communem fratrum mensam, vel ad orationem communem. Et cum obtentu boni hoc se facere proponat, verior tamen causa, quoniam olera claustri semicocta fastidit et inuncta, et vinum aqua mistum, silentium, sessionem in claustro carcerem [Col. 1210D] reputans. Appetit enim edere lautius, bibere sapidius, loqui licentius, cubare mollius, vigilare parcius, orare tenuius.» Haec est vita ardelionum monachorum, qui non monasticam, sed parasiticam vitam ducunt, aliena vivere quadra appetunt, et veluti mures semper alienum rodunt panem: qui quovis hamaxobio instabiliores nil tam oderunt quam cellam; quibus solitudo carcer, oppidum paradisus. non praesumant foris manducare: nisi forte ab abbate suo eis praecipiatur. Quod si aliter fecerint,
@ [Col. 1210D] *Excommunicentur.* Haec excommunicatio est tantum comminatoria: nempe a mensa; nam si major, durum esset excommunicentur.

[Col. 1211A]

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 9
@ [Col. 1211C] Regula 3 ms. cod. Flor.).

Si quis vero extra conscientiam abbatis, vel praepositi qualemcunque locum egressus gulae, vel ebrietati se sociaverit; aut si in proximo transmissus pro sua levitate vel gulae, non statim expedita necessitate ad cellulam redierit, ut canones docent, aut triginta diebus a communione separetur, aut virgis caesus emendetur.

§ III.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 61).
@ [Col. 1211C] *Exiens frater, etc, Haec reperire est in Reg.* ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 61. Exiens frater de monasterio interroget: Quid tu jubes, domine Pater; si pro charitate ab eo ad quem mittor, aut ab alio aliquo retentus fuero ad mensam et cum juramento suasum mihi fuerit ad manducandum,
@ [Col. 1211C] *Quid frangendum erit, aut non, jejunium? Ita reposui ex Reg.* ms. cod. Corb. quid frangendum erit, aut non, jejunium? Respondeat abbas dicens: Si spiritalis [Col. 1211B] frater pro adventus tui laetitia secum tamen ad manducandum te per charitatem petat, primam quidem ejus petitionem, si quarta, aut sexta feria, aut sabbatum fuerit, nega; secundae vero iteratae ejus petitioni pro charitate jam consenti: aliis vero diebus extra istas ferias primae petitioni spiritalis ad manducandum effectum concede. Si vero saecularis erit apud se reficiendi petitio, quarta, sexta feria et sabbato non permittimus te jejunium frangere; quantisvis petitionibus nega usque tamen ad juramentum. Nam forte cum per aliqua divina et sancta fueris adjuratus, jam consenti in his tribus feriis: ut agnoscaris Dominum amare, cum per eum conjuratus consentis. Et

quod secundae petitioni spiritali fratri pro charitate volendo concedis, [Col. 1211C] juste laico divino te nomine conjuranti, licet [Col. 1212A] nolendo, consentis. Si vero in his tribus feriis sine adjuramento divini nominis

@ [Col. 1211C] *Apud te erit persuasio frangendi jejunii.* Id est, suadeat tibi, vel roget te frangere jejunium. apud te erit persuasio frangendi jejunium,

@ [Col. 1211C] *Excommunicare.* Lege, *communicare, ut in Reg.* ms. id est, non permittimus communicare, hoc est, participes esse mensae laicorum fratres. Nam communicare juxta hunc Magistrum est in communi mensa cum aliis reficere, ut cap. 72: *Fracto jejunio omnes fratres monasterii cum eis ad Sextam communicent.* excommunicare apud laicos non permittimus fratres; sed ad suam

@ [Col. 1211C] *Excommunicationem.* Lege, *communicationem, ut in Reg.* ms., hoc est, mensae communis participationem. excommunicationem

@ [Col. 1211D] *Oratorium exspectet revertentes.* Ita loquitur, quia monachi reversi ex itinere debent accipere benedictionem in ecclesia. exspectet oratorium revertentes.

@ [Col. 1212C] *Si vero prolixitate itineris.* Lege: *Si vero a prolixitate, etc.;* id est, si emensis aliquot diebus itineris. Si vero prolixitate itineris sero erit frater reversurus, si tamen ab aliquo, ut diximus, laico in his tribus feriis sine juramento suadeatur jejunium frangere, non tamen ei se promittat reficere. Si vero ad hunc saecularem frater mittitur,

@ [Col. 1212C] *Qui in omnibus jam conversum similantem, etc.* Haec sunt transposita. Lege: *Si vero ad hunc saecularem frater mittatur jam conversum, in omnibus actibus similantem religiosis, qui sola adhuc videatur tonsura dissimilis.* qui in omnibus jam conversum similantem religiosis actibus sola adhuc videatur tonsura dissimilis, hujus suasioni in tribus feriis pro jam conversi forma vel charitate post primam, ut diximus, petitionem refectionis concedatur effectus. Aliis vero feriis si apud suadentem [Col. 1212B] de refectione a transmisso fratre

@ [Col. 1212C] *Si adhuc tarda fuerit agendi mora.* Id est, si non est eodem die in monasterium reversurus. adhuc tarda fuerit agenda mora, aut sexta, aut nona aut vespera fratri manducare permittatur: ne extra horas refectionum constitutas consuetus modus sancti propositi excedatur. Jam si nulla est mora et via a fratre repedari sub die necesse est, quaqua hora festinantibus fratribus fuerit persuasum, mox consentiat, ne non sumptus monasterii habeat frater

@ [Col. 1212C] *Et consuetam refectionis horam.* Lege: *et ad consuetam refectionis horam.* et consuetam refectionis horam

@ [Col. 1212C] *Longinquae occurrere viae.* Lege: *longinquitate viae occurrere non possit.* longinquae occurrere viae, et tarde fratri per lassitudinem revertenti in praeparata diversorum refectione mensa monasterii jam explicita levetur,

@ [Col. 1212C] *Et utrumque.* Tò *utrumque videtur redundare.* et utrumque decipiatur adveniens. Et item ideo a festinante fratre extra horam consuetam refectioni consensus conceditur, ut non petentis pro charitate hospitis animus contristetur.

CAPUT LIX. DE ORATORIO MONASTERII.

[Col. 1213A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDTCTI.

@ [Col. 1213B] *Oratorium.* Graece εὐκτήριον apud Photium in nomocanone, tit. 11, cap. 14, et alios? Ab εὔχομαι, id est, oro; εὐκτήριος οἶκος, id est, domus oratoria in concilio Laodiceno, can. 6, et Trullensi can. 59. Dicitur et οἶκος θεοῦ in conc. Gangrensi, can. 5, id est domus Dei. Κυριακὸν, id est, Dominicum apud S. Athanasium in Vita S. Antonii. Ἐξελθὼν εὐθὺς ἐκ τοῦ κυριακοῦ, id est egressus statim e templo, in conc. Laodiceno, can. 28; Neocaesariensi, can. 14; Ancyrano, can. 15; et sexta synodo, can. 74, et in Regula S. Pachomii, art. 32. Μαρτύριον, id est, memoria martyris, in concilio Chalcedonensi can. 6 et 8, et apud Palladium in Lausiaca, cap. 103. Dicitur et templum, basilica, memoria, et ecclesia. Sunt qui statuunt discrimen inter ecclesiam et oratorium: dicunt enim ecclesiam esse clericorum, oratorium monachorum. Hujus autem capitis prior pars refertur distinct. 42, cap. 6, a Burchardo, lib. III, cap. 81, et ab Ivone Carnotensi III parte, cap. 71, quibus locis, post verbum, *condatur, haec sequuntur: quam quod* [Col. 1213C] *divinis ministeriis conveniat.* Quae quidem verba, etsi in nullo codice seu excuso seu ms. reperire unquam potui, certum est tamen hanc regulae sententiam esse mutilam, et haec citata verba ei restituenda; cum a tantis viris Gratiano, Burchardo, et Ivone ei attribuantur; et ratio manifesta: nam in oratorio aliud geri necessarium est, quam id quod dicitur, id est, orationem, ut parare quae ad sacrificium et laudes divinas spectant, ornare altaria, et parietes templi tapetibus, verrere pavimentum, etc. Oratorium hoc sit, quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur et

@ [Col. 1213C] *Contendatur.* Lege, *condatur, ut habetur in aliis omnibus mss.* nostris et editis, et etiam apud praefatos auctores. *Condatur autem hoc loco est:* recondatur, reponatur. Id patet ex his verbis concilii Turonensis cap. 3. «Si enim domus Dei domus orationis vocatur, hoc debet esse quod dicitur: nec ibi aliud debet geri, aut recondi.» Quae quidem ex Regula S. Benedicti sumpta sunt. Et recte sane statuitur nihil esse in oratorio reponendum, quod non [Col. 1213D] spectet ad divinum ministerium) ne detur occasio agendi in eo saecularia ob res saeculares illic reconditas. contendatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, et habeatur reverentia Deo: ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate.

@ [Col. 1213D] *Sed si alter vult sibi secretius orare.* Haec verba intelliguntur de iis qui post laborem manuum aut lectionem, aut si quoquo modo vacat, secretioris orationis gratia se ad oratorium conferunt; non de iis, qui, expleto Dei opere, in oratorio secretius oraturi remanent. Sed et si alter vult sibi forte secretius orare,

@ [Col. 1213D] *Simpliciter.* Id est, sine fastu et ostentatione. simpliciter intret et oret

@ [Col. 1213D] *Non in clamosa voce.* Ut fluat nostra oratio, sicut aquae Siloe, quae currunt cum silentio; quod [Col. 1214B] praeclare monet S. Basilius in Admonitionibus: «Non in clamore vocis oraveris Deum, sed clamor cordis tui pulset aures ejus.» Vide superius annotata. non in clamosa voce, sed in lacrymis

@ [Col. 1214B] *Et intentione cordis.* Id est, fervore animi: ita ut cor tanquam arcus intentus fortius ac velocius orationibus veluti jaculis Deum feriat. Vel intentione cordis, id est, directione affectus ad Deum. et intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur explicito opere Dei remorari in oratorio (sicut dictum est) ne alius impedimentum patiatur.

§ II.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 8).

@ [Col. 1214B] *In oratorio.* Haec reperire est in Regula S. Augustini, cap. 8, et in ejusdem epist. 109. In oratorio nemo

@ [Col. 1214B] *Aliquid.* Apud S. Isidorum, lib. V Orig., cap. 4: *aliud.* aliquid agat, nisi ad quod est [Col. 1214A] factum,

@ [Col. 1214B] *Fiat.* Hoc verbum videtur redundare. Nam neque est in ep. citata, neque in Regula excusa, neque apud S. Isidorum, qui hanc eamdem S. Augustini sententiam refert, cum ait: «Oratorium tantum est orationi consecratum, in quo nemo aliud agere debet, nisi ad quod est factum, unde nomen accepit.» fiat.

@ [Col. 1214B] *Aut si.* Lege, *ut si, ut in epist.* Reg. ms. et excusa, et in Regula Tarnatensi. Aut si forte etiam aliqui praeter horas constitutas, si eis vacat,

@ [Col. 1214C] *Et orare.* Ita in Reg. ms. cod. Corb.; sed particula *et, neque in Regula excusa, neque in epistola reperitur.* et orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid

@ [Col. 1214C] *Agendum.* Praeter opus Dei, vel id, quod ad aliud pertineat. agendum putaverint.

§ III.---*Item* (cap. 9).

@ [Col. 1214C] *Psalmis.* Haec sunt in citata S. Augustini epistola, et in ejusdem Regula eodem capite 9, et in Regula S. Caesarii Arelatensis cap. 20, hoc modo: *Cum vero psalmis et hymnis oratis Deum, etc.* Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod

@ [Col. 1214C] *Profertur.* In cod. Corb., *profitetur, prior lectio tamen potior videtur.* profertur in voce.

§ IV.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 15).

@ [Col. 1214C] *In oratorio.* Prima hujus capituli pars usque ad haec verba, *ut si aliquis, citatur distinct.* 42, c. 7, ex D. Augustini epist. 109; sed nec in hac epistola, neque in toto Augustino habentur. Etsi Smaragdus in hoc caput Regulae, Burchardus p. III, cap. 80, et Ivo, etiam parte III, cap. 72, eadem ex illo referant, nullo certo capite citato; sed ex hac Concordia discimus clare haec verba non esse S. Augustini, sed [Col. 1214D] Regulae Tarnatensis; et citationem in his auctoribus fuisse a quibusdam corruptam, qui nescientes quid sit Regula Tarnatensis, videntesque quid simile haberi in Regula sancti Augustini, haec verba S. Augustino attribuerunt. Sed cum viderent quidam juris canonici expositores non reperiri apud S. Augustinum, dixerunt prolatum fuisse a Gratiano sensum, non verba. In oratorio praeter orandi et psallendi cultum ponitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter impensa concordent: ut si aliquis praeter constitutas horas Domino supplicaturus ingreditur, votum suum occupatio aliena non tardet.

@ [Col. 1214D] *Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum.* Ex Regula S. Augustini, cap. 10. His autem verbis videtur arcere a cantu ecclesiastico psalmos et hymnos apocryphos, de quibus supra. Nolite [Col. 1215A] cantare, nisi quod

@ [Col. 1215A] *Legitis.* Ita in Reg. ms. S. Augustini cod. Corb. et in ejusdem epist. 109; at in Regula excusa habetur, *legistis.* legitis esse cantandum.

@ [Col. 1215A] *Carnem vestram mortificate, per abstinentiam, domate jejuniis.* In Regula

excusa S. Augustini cap. seq., *carnem vestram domate jejuniis et abstinentia escae, etc.* Carnem vestram mortificate per abstinentiam, domate jejuniis et vigiliis. Animam vero vestram nitore bonae conscientiae abluite.

§ V.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 68).
@ [Col. 1215A] *Exeuntes de oratorio fratres.* Haec habentur in Regula Magistri cod. Corb., eodem cap. 68, spectantque [Col. 1215B] ad illa verba S. Benedicti: *Expleto opere Dei omnes cum silentio exeant.* Exeuntes de oratorio fratres mox taceant; nec [Col. 1216A] etiam psalmos
@ [Col. 1216A] *Meditando.* Id est, canendo, meditari enim est canere, ut Ecloga 1 Virgilii:

Sylvestrem tenui musam meditaris avena. Et saepe in sacra Scriptura. meditando exeant: ne quod in tempore suo cum reverentia dictum est, extra tempus foris per extollentiam decantetur. Ergo exeuntes de oratorio taceant statim: quia psalmorum explicatum est tempus, et taciturnitatis incoeptum est, sicut dicit Scriptura:
@ [Col. 1216A] *Omni rei tempus.* Ecclesiastae I in Vulgata versione: *Omnia tempus habent.* In Septua. τοῖς πᾶσιν [Col. 1216B] ὅ χρόνος, id est, omnibus rebus tempus. *Omni rei tempus* **(Eccl. III)**.

CAPUT LX. DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1215C] *Omnes supervenientes hospites.* Quanti ducenda sit monachis hospitalitas, docet Petrus Blaesensis epist. 29. Omnes supervenientes hospites,
@ [Col. 1215C] *Tanquam Christus suscipiantur.* Praeclara haec est admonitio S Gregorii papae hom. 23 in Evangelia: «Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit: Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad convivia aeterna valeatis. Praebete modo peregrino hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat in regnum.» Ita se olim gerebant circa hospites monachi Legerenses, ut refert S. Eulogius in epist. ad Willesindum Pompelonensem episcopum: «Exercebant alii peregrinorum et hospitum diligentius curam, et quasi declinanti Christo ad hospitia eorum omnibus adventantibus obsecundabant.» tanquam Christus, suscipiantur. Quia ipse dicturus est: *Hospes fui,* et
@ [Col. 1215C] *Suscepistis me.* In versione communi: *Collegistis me, juxta textum Graecum. suscepistis me* **(Matth. XXV)**. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis. Ut nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore
@ [Col. 1215C] *Vel a fratribus.* Non addidit, *omnibus;* quod non [Col. 1215D] omisisset, si ab omnibus fratribus hospiti advenienti occurrendum voluisset; quemadmodum postea declaravit de lotione pedum: *Pedes autem hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet.* vel a fratribus cum omni officio charitatis;
@ [Col. 1215D] *Et primitus orent.* Tam susceptor quam hospes eodem vestigio loci et temporis orent ob diabolicas illusiones, ut postea dicit, quae in ipsa oratione reteguntur. Vide Joan. Moschum, cap. 119. et primitus orent, et sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione praemissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, sive

discedentibus hospitibus
@ [Col. 1215D] *Inclinato capite, vel prostrato omni corpore.* Juxta personae qualitatem. inclinato capite vel prostrato omni corpore Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Suscepti autem hospites
@ [Col. 1215D] *Ducantur ad orationem.* Nempe ad oratorium. Duplex ergo hic oratio: prima in ipsis foribus monasterii propter illusiones diabolicas; altera cum salutatus hospes et susceptus ducitur ad oratorium gratias acturus Deo de prospero adventu, et erratorum in via veniam deprecaturus. Hujus orationis mentio fit in Actis S. Galli: «Igitur illi recto itinere, cum ad viri Dei cellam pervenissent, nuntiati advenisse ducti sunt ad orationem.» Ita et in Actis S. [Col. 1216C] Deodati Nivernensis episcopi: «Eumque manu apprehensum ducebat ad orationem more antiquorum Patrum, et ut habet institutio beatissimi Benedicti abbatis.» ducantur ad orationem; et postea sedeat cum eis Prior,
@ [Col. 1216C] *Aut cui jusserit ipse.* Is frater qui cum hospitibus sedere jubetur, debet esse litteratus, ut sancitur additione 1 Capit. Lud. imp., tit. 63: «Ut docti fratres eligantur, qui cum supervenientibus loquantur.» aut cui jusserit ipse.
@ [Col. 1216C] *Legatur coram hospite lex divina.* Haec non sunt ita stricte sumenda pro solo Decalogo, aut Levitico, aut aliis Moysis legibus. Nam hoc vocabulum lex aliquando sumitur pro omnibus Veteris Instrumenti codicibus indifferenter. Unde Christus sumpsit pro Libro Psalmorum: *Ut adimpleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est:* Quia odio habuerunt me gratis **(Joan. XV)**; qui textus habetur Ps. XXXIV: *Qui oderunt me gratis.* Hic tamen lex divina sumitur praecipue pro utroque Testamento Novo et Vetere. Quod etiam [Col. 1216D] planum est ex cap. 64 Regulae, cum de abbate dicitur: *Oportet eum esse doctum lege divina.* Quae verba non possunt intelligi de solo Decalogo, aut legibus Moysis, vel Instrumento Vetere, sed sane de utroque. Legatur coram hospite lex divina, ut aedificetur;
@ [Col. 1216D] *Et post haec omnis ei exhibeatur humanitas.* Id est, perhumaniter accipiatur pro ejus conditione, merito et dignitate; atque illi necessaria affatim suppeditentur, omni luxu remoto praesertim circa obsonia. Hospites enim non causa helluationis, sed aedificationis in monasteriis diversari aequum est, et a sobriis monachis sobrietatem discere, ut praeclare monet S. Basilius in Regulis fusius disputatis, interr. 20: «Alius venit ex saeculari vita, discat operibus quod ei ratio non persuasit; formam et exemplar vitae frugalioris accipiat; recordetur mensae Christianorum, et non pudendae propter Christum paupertatis.» Turpe est monachis, si in eorum monasteriis Apicii et Paxami a laicis inveniantur, quorum cupediis illecti inde ebrii discedant, ubi sobrie tatem discere debebant. Timotheus dux Atheniensis, rei militaris gloria praestantissimus, aliquando [Col. 1217B] a Platone frugali coena acceptus postridie bene habens splendidos coenae apparatus vituperavit, quod die sequenti nihil voluptatis afferrent **(Aelian. Var. Hist. lib. II, cap. 18)**. Iniquum est et nullatenus ferendum, si in monasteriis hospites ita laute et profuse epulentur, ut vix tota nox ad crapulam exhalandam sufficiat. Quare olim pontificibus, regibus, et caeteris magnatibus pisces, olera, legumina, et similia monachorum edulia in monasteriis apponebantur, ut patet ex his versibus Caroli Magni ad Paulum Diaconum (Leo Ostiensis, l. I, cap. 17):

Alma Deo chari Benedicti terta require: Est nam certa quies fessis venientibus illuc. Hic olus hospitibus, panis, hic piscis abundat. S. Joannes Gualbertus auctor

congregationis Vallis Umbrosae Leonem papam cum universa curia Romana hospitio excepit, eisque tantum pisces apposuit, ut in ejus Actis habetur. Parcius S. Bernardus Claravallensis abbas, qui pontifici maximo Innocentio pisciculum apposuit, cum cardinales vix haberent legumina, ut in ejus Actis fertur. Anglorum rex interdum in monasterium Lindisfarnense sub S. Colmanno veniebat et communibus fratrum cibis cum eis in refectorio vescebatur, ut scribit Beda lib. III Hist. Angl., cap. 26. Rex Castellae Fernandus cum veniret ad monasterium S. Facundi cibis fratrum regularibus tantum utebatur, ut refert Rodericus libr. VI de Rebus Hispaniae, cap. 14. Conradus rex Romanorum in die Innocentum cum duobus episcopis comedit in refectorio monasterii S. Galli una cum monachis, vilibus eorum cibis contentus: sicut et postridic fecit, solo pane et fabis crudis satiatus, ut lautius quam pridie exciperetur, ut habetur in Vita S. Notkeri, cap. 16 (Apud Henr. Canis., t. VI, Ant. Lec.). et post haec [Col. 1217A] omnis ei exhibeatur humanitas.

@ [Col. 1217C] *Jejunium a Priore frangatur.* A Priore, id est, ab abbate (Prior est abbas, ut supra dictum est), non a Praeposito, ut quidam recentior putat. Nam: [Col. 1217D] *Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper, ut est in cap.* 56 Regulae, non Praepositi. *Coquina abbatis et hospitum per se sit, ut hic habetur, non vero Praepositi;* et infra: *Abbas aquam in manibus hospitibus det, non Praepositus.* Propter hospites jejunium frangitur, ut charitatis officium impleatur: quemadmodum praeclare monet S. Prosper libr. II de Vita contemplativa, cap. 24: «Si enim quoslibet advenientes, jejunio intermisso, reficio, non solvo jejunium, sed impleo charitatis officium.» Vide exempla in Vitis Patrum. Jejunium a Priore frangatur propter hospitem:

@ [Col. 1217D] *Nisi forte praecipuus dies sit jejunii.* Nempe ecclesiastici, quod ex Ecclesiae praecepto sit inviolabiliter servandum; ita S. Isidorus cap. X Regulae: «Pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia, si tamen non fuerint generalia.» Eadem ratione Magister cap. 53 Regulae non vult solvi jejunium Quadragesimae propter hospitem: «Jejunium vero, inquit, in Quadragesima propter supervenientem non frangatur a domesticis fratribus.» nisi forte praecipuus sit dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudinem jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus abbas hospitibus det. Pedes hospitibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet. Quibus lotis, hunc versum dicant: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam*

@ [Col. 1218A] *In medio templi tui.* In cod. Vict. p. haec sequuntur: [Col. 1218C] *Sequitur oratio:* Adesto, Domine, officiis nostrae servitutis, qui pedes tuorum dignatus es lavare discipulorum; ne despicias opera manuum nostrarum, quae nobis retinenda mandasti; et sicut hic exteriora abluuntur inquinamenta, sic a te omnium nostrum laventur peccata. Haec autem verba: *In medio* templi tui, id est, *in medio cordis nostri* (inquit Smaragdus), *quod tuum dicit Apostolus esse templum, suscipimus istius hospitis cum charitatis dulcedine adventum. in medio templi tui.* Pauperum et peregrinorum maxime

@ [Col. 1218B] *Susceptioni cura sollicite exhibeatur.* Ita in mss. S. Germ. Ebrul., et apud Smaragdum, recte. In vulgatis: *Susceptio omni cura sollicite exhibeatur.* susceptioni cura sollicite exhibeatur.

@ [Col. 1218B] *Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.* Hunc locum Regulae producit Radulphus addens serm. de Dominica 21 post Trinitatem: «Sed quia divites facilius scandalizantur quam pauperes; et ut ait S. Benedictus: *Ipse timor potentum sibi exigit*

honorem. Sed locum citat ex memoria, non ex codice. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem. Coquina abbatis et hospitum super se sit: ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres.

@ [Col. 1218C] *In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres.* Non per singulas hebdomadas, ut supra statuit de hebdomadariis, etc. Nam si singulis septimanis coqui hospitum mutarentur per ordinem, cum multi occurrerent artis culinariae non adeo periti, non satis honeste et humaniter cum hospitibus ageretur. In quam [Col. 1218A] coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bone impleant. Quibus,

@ [Col. 1218C] *Ut indigent.* Id est, quando indigent; *ut pro quando.* Apud Virgilium: *Ut ventum est.* Unde paulo post dicitur: *Ut quando indigent, solatia accommodentur.* ut indigent, solatia administrentur; ut absque murmuratione serviant; et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et non solum ipsis, sed et omnibus

@ [Col. 1218C] *Officiis.* Id est, officialibus. officiis monasterii, sit ista consideratio, ut, quando indigent, solatia accommodentur eis; et iterum, quando vacant, obediant imperanti. Item et cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat:

@ [Col. 1218C] *Ubi sint lecti strati.* Hic loquitur de lectis, non de mensa, scyphis et patinis: quod signum est ejusmodi cellam non ad edendum, sed ad cubandum assignari. ubi sint lecti strati sufficienter;

@ [Col. 1218C] *Ut domus Dei a sapientibus, etc.* Est hyperbaton: nam haec verba referenda sunt ad ista: *Cujus animam timor Dei possidet.* Sed ob sequelam textus, [Col. 1218D] sunt postposita his verbis: *Ubi sint lecti.* et domus Dei a sapientibus sapienter administretur.

@ [Col. 1218D] *Hospitibus cui non praecipitur, nullatenus societur.* Idem statuitur in Poenis Brevibus S. Basilii, art. 39: Εἴ τις συντυχῶν ὁμιλήσει τῶν ὑποστρεφόντων ξένων, πλὴν τοῦ δοῦναι τὴν εἰρήνην, ἐκτὸς ἐντετυπωμένων, γενέσθω ἀπ᾽ εὐλογιας·, id est, si quis advenientibus peregrinis colloquatur praeter pacis osculum, exceptis his ad hoc deputatis, careat benedictione. Idem instituit S. Eugendus, ut habetur in ejus Actis (Apud Surium Jan. I): «Omni cautela juxta Patrum Regulam servans, ne se conspectui adventantium laicorum, vel propinquorum saltem injussus monachus praesentaret.» Ita S. Fructuosus archiepiscopus cap. 8 Regulae suae: «Ne cum laico loquatur, nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur, nec alium proximum videat, vel extraneum, regulari sententia praefixum est.» Similiter S. Isidorus cap. 17 Regulae, et S. Columbanus in Poenitentiali ms. Idque ex monachorum Aegyptiorum [Col. 1219C] instituto, ut videre est apud Cassianum libr. IV de Institut. Renunt., cap. 16; nec sine justa ratione: quia forsan infirmus frater cum saeculari saecularia loqueretur non sine magno animae suae detrimento. Hospitibus autem, cui non praecipitur, nullatenus societur, [Col. 1219A] neque colloquatur. Sed si obviaverit, aut viderit, salutaris humiliter, ut diximus, et petita

@ [Col. 1219C] *Benedictione.* Id est, oratione. benedictione, pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.

§ II.---EX REGULA MACARII (cap. 8).

@ [Col. 1219C] *Venientibus eis.* Hospitibus, hoc capitulum habetur in Reg. ms. Macarii,

Serapionis et aliorum cod. Flor. et Corb., sed fusius et veluti periphrastice. Venientibus eis nullus, nisi unus, cui cura circa hospitale fuerit injuncta, responsum det.
@ [Col. 1219C] *Venientibus orare.* Praeposui punctum, qui deerat in nostris codicibus. Sed tamen legendum puto: *Cum venientibus orare, etc.* Et haec est oratio, quae fit ad introitum hospitis, de qua supra. Venientibus orare, vel pacem offerre nulli liceat, nisi prius jubeatur ab eo qui praeest Patre: et oratione simul peracta sequatur ordinem suum pacis osculum. Nec licebit alicui fratri cum superveniente sermocinari, nisi soli qui praeest, Patri, aut quibus ipse jusserit.

§ III.---EX REGULA PATRUM (cap. 4).
@ [Col. 1219C] *Advenienti peregrino, etc.* Hoc capitulum habetur in Regula 2 cod. Flor., et in vetusto cod. ms. Corb. Advenienti peregrino
@ [Col. 1219C] *Nihil plus exhibeat.* Privatus monachus videlicet. nihil plus exhibeat
@ [Col. 1219D] *Quam pacem.* Id est, osculum pacis. In Poenis Brevibus S. Basilii, art. 39: Πλὴν τοῦ δοῦναι τὴν ἐιρήνην, id est, praeter pacis exhibitionem. In codicibus Flor. et Corb. legitur: *Quam occursum humilem et pacem.* quam pacem: reliquum non sit illi cura unde venerit, pro [Col. 1219B] quo venerit, vel quando ambulaturus sit; nec se jungat ad fabulas cum illo.

§ IV.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 51).
@ [Col. 1219D] *Quando ad ostium monasterii, etc.* Exstat in Regula S. Pachomii excusa, art. 28. Apud Smaragdum legitur: *Quando ad hospitium monasterii;* non ita recte. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint, aut monachi, majori honore suscipiantur; lavabuntque pedes eorum
@ [Col. 1219D] *Juxta Evangelii praeceptum.* Ita apud Smaragdum. In Regula excusa legitur: *Servabunt Evangelii praeceptum.* juxta Evangelii praeceptum **(Joan. XIII)**; et deducent ad locum xenodochii, praebebuntque omnia, quae apta sunt usui monachorum. Quod si voluerint orationis tempore atque
@ [Col. 1219D] *Collectae.* Collecta hoc loco est synaxis officii divini, ut passim in hac Regula. collectae venire ad conventum fratrum et ejusdem fidei fuerint, janitor vel minister xenodochii nuntiabit Patri monasterii; et sic deducentur ad orandum.

§ V.---ITEM EX REGULA MACARII.

Hospitalitatem sectantes per omnia **(Rom. XII)**, et [Col. 1220A] ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem: ne forte Dominus in hospite aut paupere adveniat, et videat te haesitantem, et contemneris; sed omnibus te hilarem ostende et fideliter age.

§ VI.---EX REGULA FRUCTUOSI (cap. 10).
@ [Col. 1219D] *Hospitibus et peregrinis.* Haec habentur in Reg. ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass., eodem cap. 10. Hospitibus et peregrinis fratribus cum summa reverentia charitatis et ministrationis obsequia sunt praebenda; et ad vesperum lavandi pedes. Et si ex itinere sunt confecti,
@ [Col. 1219D] *Et oleo perungendi.* Ad tollendam lassitudinem. [Col. 1220C] Idem faciendum statuit B. Isaias abbas oratione 3: «Si ad te in cella tua commorantem frater peregrinus accesserit, idem illi officium exhibeto, oleoque pedes ejus inungito.» oleo perungendi

sunt.

@ [Col. 1220C] *Lectuaria.* Vel lectualia, quae lectis insternuntur, stragula. Caesarius cap. 42 Regulae: «Lectualia vero simplicia sint: nam satis indecorum est, si in lecto religioso stragula saecularia, aut etiam tapetia picta resplendeant.» Lectuaria, lucerna, et stramina mollia exhibenda: ac proficiscentibus juxta posse coenobii

@ [Col. 1220C] *Viaticum imponendum.* Mos fuit olim ut recedenti hospiti daretur viaticum, ut essent hospitium fortasse non invenienti in via suppetiae. Magister cap. 1 Regulae: «Mox et ipse reconsignare bisacias cogitur, quas diversorum hospitum jam panes tosti impleverant,» etc. Palladius cap. 64 Lausiacae, ubi Protocomes S. Paphnutio sic loquitur: Οὐκ ἐξῆλθε πένης ἤ ξένος κεναῖς χερσὶ τὴν ἐμὴν αὐλὴν μὴ πρότερον ἐφοδιασθεὶς κατὰ λόγον· id est, «non egressus est domo mea pauper vel hospes manibus vacuis, cui [Col. 1220D] non prius congruum viaticum imposuerim.» Ita verti clarius ad sensum. Nam ἐφόδια sunt πρὸς τὴν ὁδὸν ἐπιτήδεια ἀναλώματα, id est, «sumptus ad viam necessarii, ut docent scholiastes Aristophanis ad Plutum, et Suidas.» Unde verbum ἐφοδίαζειν, id est, viaticum alicui dare. **(Deut. XV)** καὶ ἐφοδιάσεις αὐτὸν, id est, et dabis ei viaticum. viaticum imponendum. Aegroti omni miseratione fovendi sunt, eorumque languores congruo relevandi sunt ministerio. Tales tamen sunt eis ministri deligendi qui et pulmentaria strenue praeparent, et devoto eis ministerio [Col. 1220B] obsecundent; et de his quae illis residua sunt neque fraudem faciant, neque occulte comestione se illicita polluant.

§ VII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 23).

@ [Col. 1220D] *Advenientibus hospitibus, etc.* Habetur in Regula S. Isidori excusa cap. 22. Advenientibus hospitibus prompta et alacris susceptio adhibenda est, scientes ob hoc novissimam consequi retributionem, sicut Dominus dicit: *Qui vos recipit, me recipit;* qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam **(Matth. X)**. Et licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri,

@ [Col. 1220D] *Uberior clericis et monachis deferenda honorificentia hospitalitatis.* Tanquam Dei servis et ministris praecipuis. Idem jubet S. Pachomius art. 28: «Si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipiantur.» Idem clericis faciendum instituit Regula Macarii et aliorum: «Idemque qualiter clerici hospites suscipiendi sunt in monasterio, ut ministri altaris, non licebit nisi ipsis complere: sive ostiarius, sive minister templi Dei.» Ita etiam Magister cap. 77 Regulae: «Sacerdotes vero cum monasterio ad refectionem tenti fuerint, ipsi omnes cibos et pocula [Col. 1221D] mista signent, vel primos in mensa sua meros, et benedictionem petentibus ipsi suo responso tradant.» Et paulo post: «Clerici vero si servorum Dei mensis interfuerint, et ipsis detur locus complendi.» Recte: nam benedicere et complere orationem honorificum est. uberior tamen clericis et monachis deferenda honorificentia hospitalitatis. [Col. 1221A] Praebeantur eis habitacula, laventur eorum pedes, ut praeceptum Dominicum impleatur. Congruis etiam sumptibus eisdem humanitatis gratia praebeatur.

§ VIII.---*Item ejusdem* (cap. 24).

Nullus propinquum vel extraneum hospitem vel monachum familiarem, seu parentem,

videre absque imperio audeat senioris

§ IX.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 7).

Advenientibus quoque nihil praeter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit; et curam habere de causa qua venerit, quandoque reversurus sit, non praesumat: quia hoc seniorum sollicitudo, non juniorum praesumptio, debet requirere.

[Col. 1221B]

§ X.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 72).
@ [Col. 1221D] *Cum fratres, etc.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 72. Cum fratres monasterio extranei supervenerint, si quarta, sexta feria, et sabbatum fuerit, voce praesentis abbatis aut cellerarii, si absens fuerit abbas, rogentur ad refectionem remorari ad nonam. Si autem usque ad tertiam admonitionem non usque ad nonam consenserint remorari, sed pro certo se urserint ambulare, propter charitatem adventus eorum, fracto jejunio, omnes fratres monasterii cum eis ad sextam
@ [Col. 1221D] *Communicent.* Id est, communi in mensa cum fratribus reficiant, ut loquitur idem Mag. c. 71, ut supra c. 58 observatum est. communicent. Si autem ante sextam se urserint ambulare, quaevis hora fuerit festinationis inventa, jam sine domesticis fratribus ipsi soli reficiant, et jejuni de monasterio non permittantur abscedere propter viam, quia
@ [Col. 1221D] *In panis fractione cognita est charitas Christi.* Cum pavit multitudinem, Joan. VI et Marc. VII, nolens dimittere jejunam, ne deficeret in via. in panis fractione cognita est charitas Christi: sicut
@ [Col. 1221D] *In Actibus apostolorum, etc.* Quae hic dicuntur de Andrea et Joanne ex Actibus apostolorum, non sunt in Actibus apostolorum a S. Luca conscriptis, sed videntur sumpta ex quodam libro apocrypho, aut ex illis Actibus quae duodecim apostolorum nomine vocantur, et Andreae maxime, quibus utebatur impostor quidam Agapius, ut scribit Photius in Bibliotheca, [Col. 1222D] n. 179, seu Andreae, Joannis et aliorum apostolorum, de quibus Eusebius l. III, c. 19, Hist.; aut certe ex Actibus Andreae et Joannis, quibus utebantur Encratitae, quorum meminit S. Epiphanius lib. II, tom. I, haeresi 47. in Actibus [Col. 1221C] apostolorum legitur fracta Eucharistia et sumpta, a se apostolos discessisse Andream et Joannem.

§ XI.---*Item ex eadem* (cap. 79).
@ [Col. 1222D] *Cella peregrinorum, etc.* Haec videre est in Regula ms. Magistri cod. Corb., cap. 79. Cella autem peregrinorum semote in monasterio constituatur, cum lectis stratis ubi supervenientes fratres maxime ignoti dormiant,
@ [Col. 1222D] *Et bisacias suas.* Vide supra, cap. *de generibus monachorum et bisacias suas ponant:* in qua res monasterii, aut ferramenta, aut utensilia non sint posita: ne forte cum putantur hospites spiritales, subito in damno fures inveniantur. Nam et propter cautelam custodiendi, duo fratres de quorum decada et alii coquinam exercent, tandiu ex ipsa decada deputati vicibus a suis [Col. 1222A] praepositis fratres peregrinos ex improviso custodiant, quandiu omnes de eadem decada suis vicibus explicent septimanas; et cum de alia decada inchoaverint coquere, et in diebus septimanarum

suarum si supervenerint peregrini, tandiu et de eadem decada deputati a suis praepositis supervenientes ex improviso custodiant, quandiu et ipsis alia decada succedat. Ergo sic omnes decadae explicando et

@ [Col. 1222D] *Recapitulando.* Alias, *Recapitando.* Id est, a capite iterum incipiendo quo vocabulo usus est supra. recapitulando omnes peregrinos advenientes semper custodiant. Ergo ipsi duo fratres quorum ad custodiam fuerint vices, cum peregrini advenerint, in eadem cella simul sibi faciant lectos, ut, si forte unus de hospitibus ad oratorium nocte voluerit ire, et alius noluerit propter lassitudinem se levare, aut forte voluerint vicibus foras exire, utrique [Col. 1222B] habeant singulos ex improviso custodes: ut et ille qui aut ad oratorium aut egreditur foras per incertos monasterii exitus nocte, et ingressus per occasionem custoditus a domestico fratre ducatur, et cum remanente alter remaneat custos: ut et charitatem solatii videantur hospitibus adimplere, et res monasterii ab incertis ex improviso custodiant. Nam et in die ipsi sibi sollicitudinem faciant eos intra monasterium de

@ [Col. 1222D] *Nihil facto.* Id est, male facto. nihil facto oculo custodire. Nam ideo duobus haec cura committitur, ut et in nocte vicibus sint circa peregrinos solliciti, et in die, si forte ex eis unus defuerit occupatus, alter peregrinum a longe custodiens respiciat. Cella ipsa habeat clusuram talem ab intus, qualem a foris: ut nocte ab eis, inclusis secum hospitibus, ab intus missis [Col. 1222C] clusuris clavis tollatur: quam, ubi norunt, abscondant: ut cum foras forte voluerit hospes exire, ipse sibi custodes excitet, cum clavem requirit, quo praesente incipiat ad ignotum

@ [Col. 1222D] *Refrigerium.* Id est, latrinas; ejusdem Regulae cap. 14: *Refrigeria lavent, et cap.* ultimo, *machina, refrigerium.* refrigerium foras exire. Ipsi enim fratres bisacias eorum et virgas suscipiant in cella eadem servaturi

@ [Col. 1222D] *Clave forensi.* Id est, quae foris ostium claudat. clave forensi fideliter conservandas. Jam si forte tales inventi fuerint hospites qui diu persistendo fideliter et animo laborando indicaverint

@ [Col. 1222D] *Se in monasterio firmare.* Id est, stabilitatem in monasterio promittere. Quod dicit S. Benedictus, cap. 61, *Stabilitatem suam firmare.* se monasterio perfirmare, suggerant eorum custodes abbati, et lecta eis Regula, videant quot dies jam habeant in monasterio, et residui dies de induciis eis ad tractandum [Col. 1223A] secum cedantur. Et cum expleti fuerint constitutarum induciarum dies, et tunc demum si placent eis probatae vitae vel Regulae disciplinae, sicut de firmandis monasterio fratribus posteriori titulo constitutum est, se monasterio usque ad mortem perseverando contradant. Quod si non se voluerint firmare, sed sic laborando quotidie cum fratribus monasterio voluerint remorari, si contenti sunt pannos [Col. 1224A] suos vel indumenta in alieno opere

@ [Col. 1223A] *Stricare.* Id est, consumere, de quo vocabulo supra. stricare, sola tamen communis mensa vel vitae mensura eis de monasterio praebeatur, de caeteris necessariis praeparatio denegetur. Quia

@ [Col. 1223A] *Firmis.* Id est, qui stabilitatem in monasterio promiserunt. firmis debent omnia praeparari, talibus vero de

@ [Col. 1224A] *Firmitate.* Id est, stabilitate in monasterio. firmitate dubiis sola monasterii mensa sufficiat: et hoc tantum quod vel laborare cum fratribus volunt remorando, a fratribus illis custoditi duntaxat die noctuque.

CAPUT LXI. SI DEBEAT MONACHUS LITTERAS, EULOGIAS, VEL ALIQUID SUSCIPERE.

[Col. 1223B]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1223B] *Nullatenus, etc.* Prima pars hujus capitis citatur in concilio Duziacensi II, cap. 2. Nullatenus liceat monacho neque a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi invicem,

@ [Col. 1223B] *Litteras.* Olim prohibitum fuit monachis litteras accipere, aut transmittere injussu abbatis. Ita cautum est in Poenis brevibus, quae vulgo S. Basilio tribuuntur. Art. 49: Εἴ τις εὑρεθῇ ἐκτὸς ἀρχιμανδρίτου γράφων τινὶ, ἢ δεχόμενος γράμματα, ἔστω ἀφωρισμένος· id est, «Si quis inventus fuerit scribere aut accipere litteras sine archimandritae scientia, sit excommunicatus.» In Regula Teridii, cap. 15: «Praecipue epistolas sine scientia abbatis nec accipiat, nec transmittat.» In Poenitentiali ms. S. Columbani: [Col. 1223C] «Si epistolam cujuscunque susceperit, si tribuere praesumpserit sine abbate, superpositione.» Supple, *emendetur.* In Regula S. Caesarii, cap. 23, et in ejus Recapitulatione, cap. 6, in Regula S. Isidori, cap. 17. Idem videre est apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, c. 16. Nec immerito. Nam ejusmodi litteris saepe utitur diabolus tanquam proxenetis ad animam perdendam. litteras,

@ [Col. 1223C] *Eulogias.* Recta lectio, quae habetur in caeteris codd. nostris mss., quemadmodum apud Smaragdum, Donatum c. 5, Turrecrematam, in editione Coloniensi et in concilio Duziacensi supra citato. At in vulgatis et in editione Colinaei legitur, *eulogia, in plurali, male.* Nam eulogium non dicitur in neutro, etsi reperiatur in Vita S. Ludgeri, et fortasse alibi, sed corrupte. Eulogia autem est munus ex charitate datum generaliter loquendo, Latine *benedictio, loquendi formula ab Hebraeis deducta, qui munus benedictionem appellant.* [Col. 1223D] I Regum, cap. XXV: *Quapropter accipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua.* In textu Hebraico est ברכה *beracah,* id est benedictio, apud Septuaginta εὐλογία. Sumitur etiam eulogia pro pane illo qui ad eucharistiam consecrandam destinatur, ut videre est apud Joannem Moschum, cap. 25. Sunt et munera quae ex reliquiis sanctorum mittuntur, apud S. Gregorium, lib. XI Regesti, cap. 47: «Eulogias vero S. Marci a beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea charitate qua transmissae sunt, secundum notitiam earum suscepimus.» Quas interdum, *benedictionem appellare solet, ut in eadem epist.:* «Praeterea transmisimus crucem parvulam, in qua de catenis amatorum vestrorum inserta est benedictio.» Sed communiter eulogiae panes sunt qui in ecclesia a sacerdote benedicuntur, olimque distribuebantur iis qui ob quoddam impedimentum diebus festis et Dominicis non sumebant Eucharistiam, ex decreto Pii papae, apud Burchardum lib. V. cap. 27. Et habetur in concilio Nannetensi, can. 9, et in Capitulis Hincmari archiepiscopi Rhemensis, cap. 7. Mittebantur etiam fidelibus in signum benevolentiae et communicationis in eadem fide. Unde in concilio Laodiceno, can. 32, statuitur, Ὅτι οὐ δεῖ τῶν αἱρετικῶν εὐλογίας λαμβάνειν, id est, «Quod non oportet haereticorum eulogias accipere.» Aliquando etiam tragemata, bellaria, ut fructus, nuces, aridae ficus, etc., a presbytero benedicta pro eulogiis dabantur, ut patet ex Palladio in Lausiaca, cap. *de* [Col. 1224C] Valente. Nec dabantur excommunicatis. Unde S. Arsenius cum non

accepisset aliquando eulogiam fratrum, gessit se pro excommunicato, ut habetur in Vitis Patrum interprete Pelagio, lib. XV, n. 8; et qui ab excommunicatione absolvebantur eulogias accipiebant, ut videre est apud Gregorium Turonensem, lib. V Hist., cap. 14; et excommunicati episcopi eulogias aliis dare prohibebantur, ut videtur apud eumdem Gregorium, lib. VIII Hist., cap. 20, de Ursicino Cadurcensi episcopo excommunicato. Et de his eulogiis panis intelligendus est hic S. Benedicti locus, quas antiqui Patres sine superioris licentia dare prohibuerunt. S. Caesarius cap. 23 Regulae: «Si aliqua voluerit transmittere eulogiam panis, Matri suggerat.» Et Donatus, cap. 53 Regulae: «Si aliquis voluerit transmittere litteras, aut eulogias panis, Patri suggerat.» Ita capiendus est locus in Poenis brevibus S. Basilii, art. 50: Εἴ τις πέμπει τινὶ εὐλογίαν, id est, «Si quis miserit eulogiam alicui.» eulogias,

@ [Col. 1224D] *Vel quaelibet munuscula.* Item statuit S. Pachomius art. 58: «Nemo ab altero accipiat quidquam.» S. Basilius in Poenis brevibus, art. 38: Εἴ τις δίδοι ἔξω τὶ, ἢ λαμβάνει, παρὰ γνώμην τοῦ ἀρχιμανδρίτου, ἀφοριζέσθω; id est «Si quis dederit foras aliquid aut acceperit praeter voluntatem abbatis, excommunicetur.» Et S. Isidorus, cap. 17 Regulae: «Qui occulte ab aliquo litteras vel aliquod munus acceperit,» etc. vel quaelibet munuscula accipere aut dare sine praecepto abbatis.

@ [Col. 1224D] *Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, etc.* Id olim servabatur in monasterio S. Eugendi abbatis, ut videre est in ejus Actis: «Si quid vero cuicunque fuit a proximis fortassis oblatum, confestim hoc abbati vel oeconomo deferens, nihil exinde absque paterno praesumpsit imperio.» Quod si [Col. 1224B] etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati: quod si jusserit suscipi, in abbatis sii potestate, cui illud jubeat, dari. Et non contristetur frater, cui forte directum fuerat, ut non [Col. 1225A] detur occasio diabolo. Qui autem aliter praesumpserit, disciplinae regulari subjaceat.

§ II.---EX DOCTRINA SANCTI ORSIESII.

@ [Col. 1225C] *Si quis, etc.* Haec habentur in libro excuso S. Orsiesii ultra medium. Si quis in domo monasterii sub praeposito manens, nulla re indigens quam in monasterio habere permissum est, et habet patrem fratremque et amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem. Si autem fuerit comprobatum

@ [Col. 1225C] *Quod minus habeat.* Reposui τὸ *habeat ex lib.* edito. quod minus habeat de his quae praecepta sunt,

@ [Col. 1225C] *Culpa omnis atque correptio ad praepositum convertetur.* Is est praepositus domus de qua est ille frater qui tanquam culpae reus ab abbate corripietur, si non suppeditaverit illi fratri quaecunque ei ex praescripto Regulae necessaria sunt. culpa omnis atque correptio ad praepositum convertetur.

§ III.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 31).

Interrog.

@ [Col. 1225C] *Si debet quis, etc.* Apud S. Basilium, interr. 187 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 26. Si quis debet a carnalibus propinquis accipere aliquid?---*Resp.* Propinquos quidem reddere quae sua sunt iis qui ad servitium Dei accedunt, [Col. 1225B] necessarium est, et nihil subtrahere, ut non crimen sacrilegii incurrant. Verumtamen

haec
@ [Col. 1225C] *Praerogari.* In textu Graeco, ἀναλίσκεσθαι, id est, consumi. praerogari in conspectu eorum, ad quod visa sunt pertinere, *et illis ipsis praestat occasionem elationis et superbiae, et aliis fratribus ejusdem propositi pauperioribus tristitiam generat, ita ut accidat illud in quo Corinthii increpantur ab Apostolo dicente: Quia confunditis non habentes* **(I Cor. XII)**. Et ideo et his qui per loca singula ecclesiis praesunt, si sunt fideles et prudentes dispensatores, offerre debent, secundum imitationem eorum qui in Actibus apostolorum **(Cap. IV)** id fecisse praescribuntur, de quibus dicitur: *Qui offerentes pretia praediorum suorum ponebant ante pedes apostolorum.* Caeterum, quoniam non est omnium hujusmodi dispensationes explere [Col. 1225C] fideliter, illis offerre convenit qui apud omnes in hoc officio probati habentur. Verumtamen de his probabit ille qui praeest,
@ [Col. 1225D] *Per quem debeat dispensari.* In textu Graeco additur, καὶ τὸ παρὰ τῶν τοιούτων δεδομένον, id est, «et illud etiam quod ab hujusmodi hominibus datum est.» per quem debeant dispensari.

[Col. 1226A]

§ IV.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 25).
@ [Col. 1225D] *Quicunque autem, etc.* Haec videre est in Regula excusa S. Augustini eod. cap. 25, et in epist. ejusdem 109. Exstant etiam in Regula S. Caesarii, cap. 23, et in Regula Donati, cap. 53. Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras,
@ [Col. 1225D] *Vel quaelibet munuscula.* Ita in cod. Corb. ms. et in epist. At in Regula excusa, *vel quodlibet munus.* In Regulis Caesarii et Donati, *Aut quaelibet mandata, aut munuscula.* Sed Donatus sumpsit ex Caesario, non ex Augustino, nam fere eadem Caesarii verba profert. vel quaelibet munuscula accipiat, si hoc ultra confitetur, illi parcatur et oretur pro illo; si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium praepositi vel presbyteri gravius emendetur.

§ V.---*Item* (cap. 26).
@ [Col. 1225D] *Consequens ergo est, etc.* Exstat in Regula S. Augustini edita, cap. 28, et in ejusdem epist. 109. Consequens ergo est ut etiam
@ [Col. 1225D] *Qui suis, etc.* Ita in Regula excusa. Male, quemadmodum et in Corb. ms., ubi τό *qui deest.* Lege ergo ut in epist.: «Illud quod suis, vel filiis, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquis vel aliqua contulerit, sive vestem, sive quodlibet aliud,» etc. In epistola legitur, *filiabus, quia scribitur ad sanctimoniales.* Locum contraxit S. Caesarius, cap. 41 hoc modo: «Ante omnia observandum est, ut si filiae suae aliquis vel aliqua necessitudine ad se pertinenti vestimenta, vel aliquid aliud dederit, vel transmiserit, non occulte accipiatur.» Sed lege, *ut si aliquis filiae suae, vel aliqua, etc.* qui suis filiis, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasteriis constitutis aliquis vel aliqua contulerit vestimenta, sive quodlibet aliud, inter necessaria monasterii
@ [Col. 1226C] *Deputandum est.* Recta lectio, si post τό *est scribatur punctum.* Nam parens, qui dat filiae suae vel alteri, non dat eo nomine ut inter res monasterii [Col. 1226D] deputetur, sed sanctus Augustinus jubet deputari. deputandum est. Non accipiatur, sed

sit in potestate praepositi, ut in rem communem redactum, *cui necessarium fuerit, praebeatur.*
@ [Col. 1226D] *Quod si aliquis, etc.* Haec habentur cap. sequenti ejusdem Regulae. Quod [Col. 1226B] si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.

§ VI.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 6).
@ [Col. 1226D] *Si quid a parentibus, etc.* Habentur in Regula excusa, cap. 9, ubi primum membrum hujus capitis ita legitur: «Si quod a parentibus vel extraneis munus cuilibet monacho fuerit directum, in conventum fratrum redactum sit, et cui necesse erit, praebeatur.» Si quid a parentibus vel extraneis cuilibet monacho collatum fuerit, non erit sub jure privatae rei habendum, sed in potestate abbatis in commune redactum,
@ [Col. 1226D] *Cum necesse est.* Lege *cui, etc.* cum necesse est, praebeatur. Monachus enim quidquid quoquo modo acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit. Nullus peculiariter separatam sibi ad habitandum cellulam expetat, in qua privatim a coetu remotus vivat, praeter eum qui fortasse morbo vel aetate defessus, hoc ex consulto Patris monasterii, promeruerit. Caeteri tamen quibus nec languor, nec senectus inest, in sancta societate communem vitam conversationemque retinebunt.

[Col. 1226C]

§ VII.---*Item.*
@ [Col. 1226D] *Non est praesumendum, etc.* Haec videre est in Regula S. Isidori excusa, cap. 19. Non est praesumendum sine conscientia abbatis
@ [Col. 1226D] *Egenis.* Non vult dari eleemosynam a monachis inconsulto abbate: si tamen urgeat necessitas, posse dari a monacho eleemosynam docent S. Thomas 2-2, qu. 32, art. 8, et alii. «Et dat nomine conventus non suo» docet gloss. 16, qu. 1, cap. 5. egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere: [Col. 1227A]
@ [Col. 1227B] *Cum alio quoque fratre quippiam commutare.* Quia hoc assidet peculiaritati. Quae dantur monacho, in suum usum, non in alienum ei dantur. Idem prohibuit S. Pachomius, art. 55: «Mutare de his quae a praeposito acceperit nemo audebit.» S. Basilius in Poenis brevibus, art. 14: Εἴ τις ἀλλάσσῃ τι μετά τινος παρὰ γνώμην τοῦ ἀρχιμανδρὶτου, γενέσθω ἀπ᾽ εὐλογίας, [Col. 1227C] id est, «Si quis permutaverit aliquid cum aliquo, et dederit praeter mentem abbatis, sit sine benedictione.» cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel praepositus jusserit, nulli licebit: nec habebit quidquam, praeter illa quae in communi lege monasterii concessa sunt.

§ VIII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 24
@ [Col. 1227C] In Regula excusa, cap. 13.).

Neque sine abbatis jussu quisque accipere epistolam, vel dare cuiquam praesumat.

§ IX.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 8).
@ [Col. 1227C] *Munus denique, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass., cap. eodem. Munus denique quodlibet sive epistolas nemo monachus

accipiat,

@ [Col. 1227C] *Neque uspiam sine benedictione sui senioris progrediatur.* Antiquus et laudabilis in monasteriis mos invaluit, ut nunquam monachus sine benedictione vel oratione sui rectoris foras progrediatur, ut hac veluti circumvallatus mundi pericula et daemonum tela declinare possit. Id apparet ex Poenis brevibus toties citatis: Εἴ τις ἐξέλθοι τοῦ μοναστηρίου μὴ λαβὼν εὐλογίαν, ἢ ἀπολυθεὶς ὑπὸ ἀρχιμανδρίτου μετὰ εὐχῆς ἔστω ἀκοινώνητος· id est, «Si quis egressus fuerit monasterio non accepta benedictione, vel non dimissus ab abbate cum oratione, excommunicetur.» Ex sexta synodo, can. 46: «Sed et viri qui persequuntur [Col. 1227D] vitam monasticam urgente necessitate καὶ αὐτοὶ μετὰ εὐλογίας τοῦ τὴν ἡγεμονίαν ἐμπεπιστευμένου προϊτώσαν, id est, et ipsi cum benedictione illius qui praeest, procedant.» Idem paulo ante eodem can. de sanctimonialibus praecipitur. Ex Actis sancti Columbae, lib. III, cap. 8: «Vir sanctus Columbanus, cui emigranti benediximus, nusquam in hoc saeculo faciem videbit meam.» Ex S. Gregorio, lib. I, Dial., cap. 2: «Erat pro utilitate monasterii causa constituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus Libertinus ad lectum abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit.» Ex Poenitentiali ms. S. Columbani: «Qui ministrat in die Dominico, aut in alio solemni ad lavacrum, aut quamcunque necessitatem una oratione ante exitum et introitum eget, interroget tamen. Si non procul exeat, signo crucis indiget,» etc. Cum autem plures essent domus in monasterio S. Columbani ad instar monasterii S. Pachomii, in quibus monachi veluti per classes divisi habitabant, nulli licebat domo sua egredi sine benedictione et oratione senioris sui seu praepositi, sive ille monasterio egrederetur, sive in eo remaneret, ut videre est in Vita S. Eustasii abbatis Luxoviensis, ubi hujusmodi benedictionem redarguit in synodo ejusdem monasterii monachus et desertor Agrestinus: «Ait superflua quaedam et canonicae institutioni contraria [Col. 1228C] in eorum studiis teneri, cochleam scilicet, quam lamberent, crucis signo crebro signari, et in ingressu cujuslibet domus intra coenobium tam introeuntem quam egredientem benedictionem postulare.» Qui locus mire illustratur ex citato Poenitentiali. «Qui egrediens domum ad orationem poscendam non se humiliaverit, et post captam benedictionem non se signaverit, crucem non audierit [*Lege, adierit*], XII percussionibus emendare statuitur.» Et paulo post: «Et qui egrediens domum, orationem petens non se curvaverit intra domum, XII percussionibus emendetur.» Quod spectat ad alterum crimen ab Agrestino objectum de cochleari signando, haec habentur in eodem Poenitentiali circa initium, «et qui non signaverit cochleare quod lambit, sex percussionibus.» Ex quibus doctorum virorum tollitur scrupulus, qui ab Agrestino objecta in Regula S. Columbani hactenus quaesiverunt; non sunt enim in Regula, sed in citato Poenitentiali ms. neque uspiam sine benedictione sui senioris progrediatur; nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur; vel alium proximum videat, vel extraneum, regulari sententia praefixum est.

[Col. 1227B]

§ X.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 5).

Nihil occulte accipiatis. Sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit abbatis. Et si cui transmiserit, necesse fuerit, tribuatur; sin vero ille nihil indiget, in commune redactum,

cui est necessarium, tribuatur.

[Col. 1228A]

§ XI.---*Item* (cap. 6).

Epistolas praecipimus nec dandas, nec accipiendas sine scientia et permissu abbatis

§ XII.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 18).

Qui vero litteras vel munuscula cujuscunque accipere praesumpserit, si non statim a quo accepit et quae accepit publicaverit, districtioni severissimae subjacebit. Illa vero quae transmissa sunt,

@ [Col. 1228D] *Peregrinis aut ignibus deputabuntur.* Nota priscorum observantiam, qui ipsas res peculiaritatis vitio possessas nolebant in monasterio remanere, sed eas statim extraneis donabant, aut ignibus tradebant. peregrinis et ignotis deputabuntur, aut certe incendio cremabuntur.

@ [Col. 1228D] *Sane si quis, etc.* Hoc membrum sumptum est ex Regula S. Augustini, cap. 8. Sane si quis suis filiis vel aliqua ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit, in re communi redactum cui necessarium fuerit, tribuatur. Si vero cui transmissum est abbas jusserit dare, tanquam reliqua fidelium munera cum gratiarum [Col. 1228B] actione percipiet.

§ XIII.---EX REGULA ORIENTALI.

@ [Col. 1228D] *Mutare de his, etc.* Prima pars hujus capituli sumpta est ex Regula S. Pachomii, art. 55. Mutare de his quae a praeposito acceperit cum altero non audebit. Nec

@ [Col. 1228D] *Accipiat.* Lege *accipiet.* accipiat melius, et dabit deterius: at contrario datis melioribus et deterius

@ [Col. 1228D] *Accipiens.* Lege *accipiat, ut in Regula S.* Pachomii. accipiens.

@ [Col. 1228D] *Nemo ab altero.* Haec secunda pars sumpta est ex art. 58 Regulae S. Pachomii. Nemo ab altero accipiat quippiam,

@ [Col. 1228D] *Nisi praepositus jusserit.* Intelligit praepositum domus, non monasterii. Nam in monasterio S. Pachomii praepositus cujusque domus administrabat necessaria monachis qui suae domus erant, ut clarum est ex multis ejusdem Regulae locis. nisi praepositus jusserit.

[Col. 1229A]

§ XIV.---EX REGULA A DONATO COLLECTA (cap. 53).

@ [Col. 1229A] *Nullatenus liceat.* Haec usque ad illa, *quicunque, etc.,* sumpta sunt ex cap. 54 Regulae S. Benedicti. Nullatenus liceat fratri a parentibus suis neque a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias, vel quaelibet munuscula accipere aut dare sine praecepto abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non praesumat illud suscipere, nisi prius indicatum fuerit Patri. Quod si jusserit suscipi, in ipsius sit potestate, aut ei (si necesse est) aut cui illud jubeat, dare.

@ [Col. 1229B] *Quicunque autem, etc.* Haec sumpta sunt ex Regula S. Caesarii, cap. 23,

exstantque in Regula S. Augustini, cap. 8. Quicunque autem (quod Deus non patiatur) in tantum progressus fuerit, ut occulte litteras ab aliquo aut quaelibet mandata aut munuscula accipiat, si hoc ultro confessus fuerit, indulgentiam mereatur, et [Col. 1230A] oretur pro eo. Si autem celans proditur, vel convincitur, secundum instituta monasterii Regulae gravius emendetur.

@ [Col. 1229B] *Simili etiam districtioni subjaceat, etc.* Haec etiam exprompta sunt ex Regula S. Caesarii, cap. eodem. Simili etiam districtioni subjaceat, si vel ipse cuicunque litteras aut munuscula transmittere sacrilego ausu praesumpserit. Pro affectu parentum aut cujuscunque notitia si aliquis transmittere voluerit litteras aut eulogias panis, Patri suggerat. Et si ipse permiserit,

@ [Col. 1229B] *Per posticiarios.* Posticiarius est qui curam habet recipiendi ea quae in monasterium deportantur, et transmittendi ea quae transmittuntur. Et posticiaria in coenobiis sanctimonialium, quae idem opus exercet, ut notum est ex Regula S. Caesarii, cap. 23. Gallice: *la tourière, a nomine posticium;* de quo Papias in vocabulario: «Posticium est latens ostium, dictum quod remotum sit a publico.» Reperitur in [Col. 1230B] Regula S. Caesarii, cap. 30: «Aut posticio aut lanipendio praeponuntur.» Alias *posticum, apud Horatium lib.* I, epist. 5.

Atria servantem postico falle clientem. Et in Regula S. Isidori, cap. 1: «Monasterii autem munitio tantum januam extrinsecus habeat, unumque posticum, per quod eatur ad hortum.» Dicitur et *pseudothyrum apud Severum Sulpitium Dial.* III, cap. 16: «Vidi praeterea ad pseudothyrum monasterii.» per posticiarios det, et ipsi de nomine ejus transmittant, cui voluerit ipse. Sine praeposito aut posticiario per se nullus praesumat nec dare, nec accipere a quoquam. Quod si praesumpserit, superpositionibus poeniteat.

CAPUT LXII.

@ [Col. 1229C] *De vestiariis et calceariis.* Ita legit S. Dunstanus, cum editione Colinaei. Vulgo legitur: *De vestimentis et calceamentis fratrum.* DE VESTIARIIS ET CALCEARIS FRATRUM.

[Col. 1229C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant,

@ [Col. 1229C]

Vel aerum temperiem. Ita omnes mss. nostri codices, cum Smaragdo et S. Dunstano. Vulgo legitur: *Vel aeris temperiem.* vel aerum temperiem dentur: [Col. 1230C] quia in frigidis regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus. Haec ergo consideratio

@ [Col. 1229C] *Penes abbatem est.* Ita legunt codices mss. Victorini, S. Ebrulphi, et Faronis cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Coloniensi. Vulgo legitur: *Penes abbatem sit.* penes abbatem est. Nos tamen

@ [Col. 1229C] *Mediocribus locis.* Id est, temperatis: quia paulo ante dixit: *In frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.* Alias mediocria loca dicuntur ea, quae sunt mediocris census, ut est in concilio [Col. 1229D] Aquisgranensi sub Ludovico Pio, cap. 122. mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos

@ [Col. 1229D] *Cucullam.* Cuculla est quoddam capitis operimentum. Graece κοκούλλιον. Sozomenus libr. III Hist. Eccl., cap. 14 Σκέπασμα κεφαλῆς, ὅ κουκόυλλιον καλοῦσιν, id est, «tegumentum capitis, quod cucullam vocant.» Dicitur et *cucullio.* Julius Capitolinus in Vero: «Objecto capiti cucullione veteri.» Lampridius in Heliogabalo: «Tectus cucullione mulionico.» Etiam *cucullus apud Sidonium infra citandum.* Hinc bardocucullus apud Martialem libr. IV, epigr. 128:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo, Cercopithecorum penula nuper erat. Quos versus quidam vir doctus enarrans dicit esse pallium viaticum; quia, ut ille arbitratur, βάρδος est *via Gallorum lingua.* Sed tota via aberrat loco Hesychii corrupto deceptus, ubi sic legitur: Βάρδοι αἱ ὁδοὶ παρὰ Γαλάταις, id est, «bardi viae apud Gallos.» Sed legendum: Βάρδοι ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις, id est, «bardi vates apud Gallos.» Nam bardi olim in Gallia vates erant, qui praeclara illustrium virorum facinora versu celebrabant, ut clarum est ex Lucano libr. I de Bello Civili:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas Laudibus in longum, vates, dimittitis aevum, Plurima securi ludistis carmina bardi. Et ex Festo, Strabone libr. IV. Geographiae, Diodoro Siculo libr. V. Bibliothecae, et aliis. Est ergo bardocucullus genus quoddam cuculli, quo utebantur bardi illi Gallorum, de quibus hic locus Martialis intelligendus est: quod etiam suadet mentio Galliae et Santonum; non de bardaeis Illyricis militibus. Monachi [Col. 1230D] utuntur cucullis, quod mundus ipsis crucifixus sit, et illi mundo, inquit S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Theoria mystica, et quod simplicitatem et vitae innocentiam puerorum habere debeant: quia olim pueri cucullis utebantur, ut docet Palladius in Lausiaca cap. de Tabennesiotis, Sozomenus supra citatus, Cassianus infra citandus, S. Dorotheus Doctr. 1: Τὸ κουκούλλιον δέ ἐστι σημεῖον τῆς ἀκακίας, καὶ τῆς ἐν Χριστῷ νηπιότητος, id est, «cuculla vero signum est innocentiae et puerilis simplicitatis in Christo;» et Euchologium Graecorum in sequentia magni schematis: Ἐνδύεται κουκούλλιον τῆς ἀκακίας, id est, «induitur cucullam innocentiae.» Sanctimoniales etiam cucullis utebantur, maxime in Orientali Ecclesia, ut notum est ex S. Athanasio tractatu de Virginitate, S. Hieronymo in epist. ad Eustochium de Custodia virginitatis, et Palladio in Lausiaca cap. citato. Forma autem cucullae antiquorum monachorum Aegypti ita describitur a Cassiano [Col. 1231A] libr. I de Habitu Monachi, cap. 4. «Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur et noctibus: scilicet ut innocentiam et simplicitatem parvulorum jugiter custodire etiam institutione ipsius velaminis commoneantur.» De longitudine cucullae nihil statuit S. Benedictus; ac proinde Benedictinis monachis varia fuit olim cucullae mensura, quibusdam etiam usque ad talos pendentibus, ut habetur in Vita S. Benedicti hujus Concordiae auctoris. Sed tandem statutum est: «Ut mensura cucullae duobus consistat cubitis,» ut habetur 1. Add. Capitul. Lud. imp., tit. 21. Hic Benedictus noster abbas Anianae, idem instituit vel saltem, ut usque ad genua pertingeret, ut in ejus Vita habetur: «Quamobrem vir Dei [Col. 1231B] monachis instituit modum, ut non amplius a

duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset.» cucullam et tunicam: [Col. 1231A] cucullam

@ [Col. 1231B] *In hieme villosam.* S. Sidonius libr. VII, epist. 16, agens de cuculla quam mittit Chariabaudi abbati: «Quanquam non opportune species villosa mittatur hieme finita.» Cuculla villosa hoc loco est grossioris panni, cujus adhuc villi, id est, filamenta, seu veluti flocci quemadmodum in rudiori panno, non adeo arte fullonis polito, seu coacto, et conciliato exstant, et prominent. Nam villus non solum dicitur de setis et pilis brutorum animalium, nec villosus de eorum pellibus, quae non sunt adhuc pilis suis spoliatae, sed etiam de pannorum filis, et de ipsis pannis, qui suis pilis et flocculis nondum nudati sunt, ut videre est apud Martialem libr. XIV, ep. 147:

Stragula purpureis lucent villosa tapetis. Et epigr. 136 ejusdem libri.

[Col. 1231C] Tempore brumali non multum levia prosunt,
Calfaciunt villi pallia vestra mei. Quae etiam vocabula de linteis dicuntur; apud Martialem ejusdem libri epigr. 138:

Nobilius villosa tegunt tibi lintea citrum. Ubi citrum est mensa citrea, apud Virgilium.

. . . tonsis mantilia villis. Et Sidonium libr. V. epist. 17, dicitur: «Linteum villis onustum.» Unde villosa dicitur mantile a S. Bonifacio Moguntino epist. 8: «Et villosam unam ad tergendos pedes. cum laveris, servorum Dei; et epist. II. in hieme villosam, in aestate

@ [Col. 1231C] *Puram.* Pura est tenuis, levis; opponitur enim villosae. Glossae veteres: *Purus,* καθαρὸς, ψιλός, id est, purus, tenuis. Eaedem Glossae, *Pura:* ἁγνὰ, καθαρὰ, ψιλὴ, id est, casta, pura, tenuis. puram et vetustam; et

@ [Col. 1231C] *Scapulare propter opera.* Scapulare est genus vestis monachalis. Graecis κατανώτιον. Ita apud sanctum [Col. 1231D] Ephraem de colenda Humilitate, cap. 88. «Arbitror conducere monacho, maxime juniori, non exire ἄτερ κατανωτίου.» Hinc castigandus locus Joannis Moschi, cap. 134, ubi male legitur κατανόχιον pro κατανώτιον. Dicitur et ἐπώμιον apud S. Athanasium tract. de Virginitate. Hesychio ἐπωμάδιον ἐπ᾽ ὤμῳ, id est, quod super humeros ponitur, ut in Vita S. Arsenii, et apud Macarium Chrysocephalum infra citandum. Dicitur etiam ἀνάλαβος. Michael Psellus libr. de Operatione daemonum: Ὑπέγραφέ μου καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸν ἀνάλαβον, id est, «subindicabat et meum habitum et analabum;» etsi quidam vir doctus legat ἀναβολὴν, sed perperam: nam ἀναβολὴ est rebrachiatorium, succinctorium quod duobus resticulis constat ad succingendas vestes, ut notum est ex Cassiano lib. I, cap. 6. At ἀνάλαβος est genus vestis, et verbum ἀναλαμβάνειν, unde ἀνάλαβος deducitur, ad rem vestiariam spectat: nam κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα apud Suidam est vestem ornate et decenter componere. Analabi mentio fit in auctoribus mox citandis. Epomadium autem, seu scapulare, sive analabus, erat in modum crucis, ut monachus instar Christi crucem humeris gestaret. S. Dorotheus doctrina 1: Ἀνάλαβος τίθεται σταυροειδῶς ἐπὶ τοῖς ὤμοις ἡμῶν, τοῦτ᾽ ἐστι, τοῦ σταυροῦ σύμβολον βαστάζομεν ἐν τοῖς ὤμοις ἡμῶν καθὼς λέγει· Ἆρον τὸν σταυρόν σου, id est, «analabus ponitur in formam crucis super humeros nostros, hoc est, crucis symbolum gestamus super humeros nostros, juxta id quod dicit: *Tolle crucem tuam.*» Vita S. Arsenii: Μονώτατος καὶ ἄσκευος ἐπωμάδιον

τὸν τοῦ Χριστοῦ σταυρὸν φέρων, id est, «solus sine vasis scapulare crucem Christi ferens.» S. Ephraem in Vita S. Juliani anachoretae: «Cum enim deduxisset eum miser et ignavus homo in quemdam subterraneum locum, [Col. 1232B] ubi multum auri putabatur reconditum ab eis qui sacra sepulcra reparabant, Daemon conspecto crucis signo, quo puer amictus et consignatus erat, non est ausus ei nocere: nam cum analabo adduxerat eum vir ille. Macarius Chrysocephalus de Exaltatione Crucis: Τὸν σταυρὸν ὡς ἐπωμάδιον ἔχων ἑκουσίως ὑπέστη δι᾽ ἡμᾶς θάνατον, id est, «crucem tanquam scapulare habens sponte propter nos mortem subiit.» Euchologium Graecorum in sequentia magni schematis Λαμβάνει τὸν ἀνάλαβον, etc., id est, «Assumit analabum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, assumens crucem suam super humeros, et sequens Dominum Christum.» Hinc capiendus est locus Vitae S. Guillelmi Gellonensis: «Veste apostolica instar crucis induitur.» Scapulare autem formam crucis refert, cum duobus pannis hinc independentibus, latius exspatiatur per humeros. scapulare

@ [Col. 1232B] *Propter opera.* Id videtur in citata Vita S. Guillelmi: «Sicque propriis manibus extra factis carbonibus, et scapulari illaeso expositis cineribus lares [Col. 1232C] aptat et temperat intromittendis panibus.» propter [Col. 1232A] opera. Indumenta pedum

@ [Col. 1232C] *Pedules.* Hoc vocabulum reperitur in Regulis S. Isidori, S. Fructuosi, et Magistri hic citatis. Pedules per ellipsin, subintelligitur τὸ *fasciae,* factumque est substantivum, ut τὸ *mortales.* Dicuntur et pedulia, de quibus Festus: «Pedulia quae dicimus, πέδιλα Graecos appellare manifestum est,» Παρὰ περιειλεῖσθαι τοῖς ποσὶν, id est, «quod circumvolvantur pedibus,» inquit Etymol. vetus; et Glossae Benedicti: Πεδούλια ποδῶν καλύμματα, τινὲς ἀρτάρια ἡρμένευσαν, id est, «pedulia pedum operimenta, quidam artaria pedules et

@ [Col. 1232C] *Caligas.* Caliga est calceamentum ex pellibus, quod ad mediam suram surgebat, de quo Horatius libr. I, sat. 6:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus. . . . . [Col. 1232D] Locus intelligitur de eo qui ex humili loco ad senatorium caligas.

@ [Col. 1232D] *De quarum rerum omnium colore.* Nempe vili: nam statim subjungit: *et grossitudine, quae non potest esse non vilis.* Quamvis nihil de colore vestium S. P. Benedictus expresse et explicite constituerit, tamen ejus Regulae addicti nigris vestibus usi sunt. Id docet Petrus Blasensis epist. 97: «Inter album et nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Judaei et Graeci. Attendit Dominus mentem, non vestem; merita, non colorem. In monte Cassino schema monasticum, quo beatus Benedictus est usus, usque hodie, sicut dicitur, perseverat. Quis audeat tanti Patris habitum blasphemare in filiis?» Ibi autem purgat se, quia videbatur monachos albos Cistercienses et Carthusienses praetulisse monachis nigris. Petrus Casinas in appendice ad Leonem Ostiensem, taria interpretati sunt.» Artaria juxta Suidam sunt τῶν ποδῶν πῖλοι. Πῖλοι vero pedum sunt quaedam textilia, quibus pedes involvuntur, inquit Joannes Tzetzes illud Operum et Dierum Hesiodi enarrans:

. . . . . .πίλοις ἔντοσθε πυκάσας, id est, «tegumentis intus condensans.» Auctor Etymologici veteris eumdem locum enarrans: Σημαίνει, inquit, καὶ τὰ ἀρτάρια καὶ πανιὰ. Πανία autem fascias et lacinias ex vestibus rescisas appellant Graeci recentiores (*Vide Joan.* Meursium in Lexico Graeco-barbaro). Dicitur et pedule. Glossae veteres: *Pedule,* πόδιον, ita legendum, non *pedale.* Quid sit πόδιον explicat Hesychius: Πόδια

ἐνειλήμματα ποδῶν, ἤγουν φασκίας, id est, «involucra pedum, hoc est, fascias.» Quae quidem correctio satis patet ex Cornelio Frontone: Pedale, inquit, mensura est pedis, pedule vero sub pedibus praestat utilitatem;» ubi τὸ *sub redundat:* [Col. 1233B] nam pedule est singulare τοῦ pedulia, supra. Hinc «fasciae crurales pedulesque» Ulpiano ff. l. *Argumento sunt, de auro et argento legato, et substantivum pedules, ut supra diximus.* Nostram explicationem confirmat mos antiquus involvendi pedes fasciis, qui satis patet ex Apollinari Sidonio libr. VIII, epist. 11.

Si vestigia fasceata nudi Per summum digiti regant citatis Firmi ingressibus. . . . Et carmine 2.

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos Sistitur ad digitos. . . . His utebatur S. Eugendus abbas, ut ex ejus Actis clarum est: «Habebat namque Eugendus beatissimus calciamenta fortia rusticaque in modum priscorum patrum, constrictus ocreis crura, fasciolisque plantas,» qui locus mirum in modum illustrat explicationem praesentem. [Col. 1233C] rium ordinem assurgit. Unde exprobrat Isiaco senatori Tertullianus in poemate sive quis alius, quod, abjecta caliga, gallica uteretur.

. . . caligaque remota Gallica fit pedibus molli redimita papyro. Caliga multis ligulis seu corrigiis constringebatur, ut ex Juvenali, sat. 5 planum:

. . . habet Trebius quod rumpere somnum Debeat, et ligulas dimittere, sollicitus ne Tota salutatrix jam turba peregerit urbem. Ad quem locum vetus Scholiastes: «Calciarii (*Lege, calcearii*) cum festinant, ansas caligarum praetereunt nonnullas.» Id patet etiam ex S. Gregorio, libr. III Dial., cap. 20, de quodam Stephano Valeriae provinciae presbytero. «Qui quodam die mancipio suo negligenter loquens praecepit dicens: Veni, diabole, discalcea me. Mox ea perunt se caligarum corrigiae in summa velocitate dissolvere.» Et paulo post: «Ita ut inventae sint magna ex parte dissolutae corrigiae.» [Col. 1233D] Imo jactantiae gratia multiplicabantur corrigiae. Unde S. Ferreolus cap. 22 Regulae dicit: «Sed et hoc curandum est, ut pes sit ligamentis temperatius cumulatus, ut non in jactantiae signum multos astrictus habeat.» Caligae pedem tegebant; illum enim muniebant a frigore et aestu, ut liquet ex Cassiani libr. I, cap. 10. «Calceamenta vero velut interdicta Dominico praecepto recusantes cum infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani aestus fervor exegerit, tantummodo caligis suos muniunt pedes.» Monachos olim usos caligis fuisse praeter citatum Cassiani locum notum est ex S. Gregorio lib. I. Dial., cap. 2: «Pro amore vero ejusdem venerabilis Honorati quocunque Libertinus ibat, ejus semper caligulam in sinu portare consueverat.» Et cap. 4 ejusdem libri, cum agit de S. Equitio abbate: «Tunc ecce vir Dei clavatis calceatus caligis.» Nec dicendum est caligas nihil aliud esse quam sandalia illa, quae vulgo soleae appellantur. Nam ex supra dictis satis constat caligas distingui ab ejusmodi soleis rudioribus et vilioribus, quibus modo quidam monachi calceantur. Et ipse Magister, ut infra videbitur, distinguit caligas ab ejusmodi sandaliis seu soleis. Nec nos moratur illud quod profertur ex cap. 12 Actuum apostolorum: *Calceate* caligas tuas, uhi in textu Graeco habetur, σανδάλια. Cum enim caligae non sint sandalia, non est dubium quin nomen caligae hoc loco improprie sumptum fuerit ab interprete, quemadmodum etiam a Papia et Glossis veteribus. Nec ullus potest cogi ita interpretari locum sancti Benedicti. Nam si proprio vocabulo non usus fuisset, reliquisset institutionem

obscuram. Imo nec sandalium in textu Graeco Actuum citato proprie sumitur. Nam proprie sandalium est concinnum mulierum calceamentum, ut videre est apud Julium Pollucem lib. VII Onomastic., cap. 22, habenis tenuiter sectis, insuperque aureis floribus [Col. 1234B] concinnatum, qualiter describit Cephisodorus ibidem, qui illud opponit περιβαρίσι ancillarum, quod erat vile calceamentum. Unde cap. X Judith dicitur: Καὶ ἔλαβε σανδάλια εἰς πόδας αὐτῆς, id est: *Induitque sandalia pedibus suis.* Quae quidem sandalia non erant apostolorum, qui abhorrebant ejusmodi ornatum. stiensem, c. 115, in disputatione adversus monachum Cistellensem coram imperatore: «Cur nigris vestimentis semper utimini? Quia talibus Benedictus Pater usus est, ut habitu quoque mundo renuntiasse videretur.» Rupertus abbas Tuitiensis exponens cap. VII Zachariae prophetae: «Quadriga secunda, in qua erant equi nigri, poenitentium est, qui ab apostolorum temporibus incipientes, in his, qui sanguinem Christi fuderant, vitam nobis coenobialem sanxerunt, usque hodie per orbem niger tam professione quam habitu perseverat ordo monachorum.» Hinc [Col. 1234C] monachi sub regula S. Benedicti militantes nigri appellati sunt, ut videre est in charta Ethelbaldi regis Merciorum pro fundatione monasterii Croilandensis, quam refert Ingulphus abbas in historia fundationis ejusdem monasterii:» Trado et concedo omnipotenti Deo, beatae Mariae et S. Bartholomeo de dominiis meis ad fundationem nigrorum monachorum sub norma S. Benedicti Deo famulantium totam insulam Croilandiae.» Vide epist. 17, libr. IV, Petri Venerabilis. Idque ex consuetudine priscorum monachorum, qui nigro colore usi sunt ut planum ex S. Athanasio, tractatu de Virginitate: Ὁ ἐπενδύτης μέλας, μὴ βεβαμμένος ἐν βαφῇ ἀλλ᾽ αὐτοφυὴς ἰδιόχρωος ἢ ὀνυχίζων, id est, «amictus tuus niger nulla tinctura infectus, sed nativi coloris, et fuscus.» Synesio epist. 146 ad Joannem, qui institutum monachum arripuerat: «καὶ φαιὸν τριβώνιον ἀμπέχεσθαί σε φησὶν,» id est, «et pallium pullum te induisse dicit.» Et paulo post: Εἰ δὲ καὶ τὸ μέλαν ἐπήνεσας, etc., [Col. 1234D] id est, «Quod si nigrum colorem probasti, quod id aliorum, qui ante te sumpserunt, imitatione feceris, laudo quidquid fit Dei causa.» Eodem colore usus est S. Martinus, ut constat ex Severo Sulpitio, Dial. 2: «Sed ubi Martinum in veste hispida, nigro penduloque pallio circumtectum contingua de latere jumenta viderunt.» Vide sextam synodum, can. 42 et 45. Causam reddit Gregorius Pachymeres in cap. 6. Eccl. Hierarchiae S. Dionysii Areopagitae: «Monasticus ordo maxime solitarie et unice, non dupliciter, vel tripliciter, vel multipliciter conversatur. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ ἀμφιεννύμενον μέλαν, etc., id est: «Hoc enim ostendit nigra vestis, quae amicitur; alii enim colores facile in alios transeunt, et omnes in nigrum, niger vero in alium colorem nunquam mutatur.» De quarum rerum omnium colore et grossitudine [Col. 1233A]

@ [Col. 1234D] *Non causentur.* Causari est murmurare hoc loco. non causentur monachi, sed quales inveniri possunt [Col. 1234A] in provincia qua habitant,

@ [Col. 1234D] *Aut quod vilius comparari potest.* Subaudi verbum, *accipiant.* aut quod vilius [Col. 1235A] comparari potest. Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta

@ [Col. 1235A] *Utentibus ea.* Ita in cod. mss. S. Germ. Ebrul. Far. et Vind. nam verbe, *utor, veteres accusativum dederunt.* Plautus in Sticho,

Posticam partem magis utuntur aedium. utentibus ea, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in praesenti reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit

enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere

@ [Col. 1235B] *Propter noctes.* Ex his verbis manifestum est quod, etsi vestiti dormirent monachi, tamen positis diurnis vestibus, nocturnas assumebant, cum quibus dormiebant, et nocturnas vigilias celebrabant; nam surgentes a lecto eas minime deponebant. Quia S. Benedictus ideo praecipit, ut monachi vestiti dormiant, ut sint parati atque expediti, cum ad nocturnum cursum excitantur; quod fieri non posset, si, exutis nocturnis vestibus, diurnas induere tenerentur, cum ad vigilias properant. Et ita capiendus locus Sidonii libr. VII, epist. 16, cum dat cucullam Chariabaudi abbati, qua utatur inter orandum et cubandum: «Per quos nocturnalem cucullum, quo membra confecta jejuniis inter orandum cubandumque dignanter tegare, transmisi.» propter noctes et propter lavare ipsas res. Id quod supra fuerit, superfluum est: amputari debet. Et pedules, et quodcunque est vetustum reddant, dum accipiunt novum.

@ [Col. 1235B] *Femoralia.* Quae et feminalia dicuntur et Βρακία, ut apud Hesychium et Suidam; vulgo braccae. Ita describit S. Hieronymus in epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali: «Lineis feminalibus, quae usque ad [Col. 1235C] genua et poplites veniunt, verenda celantur, et superior pars sub umbilico vehementer astringitur.» Subscribit S. Isidorus libr. XIX Orig., cap. 22. Graecis ἀναξυριδες, apud Suidam, Hesychium citatos et Julium Pollucem libr. VII Onomast., cap. 22; quae tamen aliquando a summis plantis ad nates pertingebant, quales gerebat Abaris Athenas veniens, ut describit Himerius sophista ad Urbicium comitem: Ἀναξυροδες ἐκ ταρσῶν ἀκρῶν ἄχρί τῶν γλουτῶν ἀνατείνουσαι, id est, «a summis plantis ad nates extensae.» Unde auctor veteris Etymologici eas appellat Βωθέα ὑποδήματα, id est, profunda calceamenta; et Julius Pollux cap. citato σκολέας, id est, tibialia, seu tibiarum operimenta. Porro S. P. Benedictus femoralia viatoribus solum concedit, S. vero Fruct. episcopus cap. 4 Regulae permittit etiam his qui implicantur ministerio altaris. «Femoralium usus cuiquam est permittendus, maxime his, qui ministerio implicantur altaris.» De femoralibus vide Rupertum libr. III [Col. 1235D] in Regul. S. Benedicti, cap. 17. Femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: quae revertentes lota ibi restituant. Et cucullae [Col. 1236A] et tunicae sint aliquanto a solito quas habent

@ [Col. 1235D] *Modice.* Ita omnes membranae nostrae cum S. Dunstano, Smaragdo, Turrecrementa, editione Coloniensi, et Colinaei, quod in vulgatis non habetur. modice meliores: quas exeuntes in via accipiant de vestiario,

@ [Col. 1235D] *Et revertentes restituant.* Ita in mss. cod. S. Ger. et S. Faronis cum S. Dunstano, Smaragdo, et editione Coloniensi. Turrecremata legit: *Et revertentes ibi restituant;* vulgo: *Et revertentes ibi lotas restituant.* et revertentes restituant. Stramenta autem lectorum sufficiant,

@ [Col. 1235D] *Matta.* Est stratum durum, mortificationi carnis aptum, et mattarii, qui ejusmodi strato utebantur, ut clarum est ex S. Augustino l. v contra Faustum Manichaeum. cap. 5. «Et quia in mattis dormiunt, matiarii appellantur, a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumae Fausti, et caprinae lodices, qua deliciarum affluentia non solum mattarios fastidiebat.» Mattae fit mentio apud S. Eulogium lib. III Memorialis Sanctorum, cap. 10. Consule Joannem Savaronem in epist. 24, libr. IV Sidonii, et Onomasticon Heriberti Rosweidi. matta,

@ [Col. 1236A] *Sagum.* Usitatiori significatione est pallium militare quadrum de quo Nonius Marcellus cap. 3. Hoc loco est stragulum. Papias: *Sagum, stragulum, vel coopertorium.*

Glossae veteres σάγιον, *lodix, lege,* [Col. 1236B] σάγον, et σάγη apud Hesychium est σκέπασμα, id est, operimentum. sagum,

@ [Col. 1236B] *Laena.* Varro libr. IV de Lingua Lat.: «Laena quod de multa lana.» Est pallium crassum, meminit Persius, sat. 1:

Cui circa humeros hyacinthina laena. Et Juvenalis, sat. 5:

. . . . plurima sunt quae Non audent homines pertusa dicere laena A Graeco χλαῖνα per aphaeresin litterae, χ, potius quam a lana; de quo vocabulo Hesychius: χλαῖνα_ χλαμὺς, ἢ ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, ὅ ἐστι θερμαίνειν, id est, «chlamys vel hiemale vestimentum a χλιαίνειν, id est, calefacere.» Idem docent Suidas et auctor veteris Etymologici. Laena hoc loco est stragulum seu tegmen crassum in quo quis dormit; quae quidem significatio satis patet ex S. Gregorio libr. XII, epist. 16, ubi laena inter stramenta [Col. 1236C] lectorum connumeratur: «Filio nostro Simplicio renuntiante cognovimus lectos vel lectisternia in gerontocomio, quod illic ab Isauro constructum est, deesse, propterea misimus laenas quindecim, racanas triginta, etc.» Et ex Ennodio libr. IX, epist. 17: «Laenam et racanas, cujus volueritis coloris, rubei, vel fusci, mihi sub celeritate dirigite.» Quid sit racana, infra dicetur. Ita etiam χλαῖνα a Graecis usurpatur. Julius Pollux de lectis agens libr. X, cap. 8, ait: Τὰ δὲ στρῶματα, ἐπιβλήματα, περιβόλαια, ἐφεστρίδες, χλαῖναι. laena et

@ [Col. 1236C] *Capitale.* Est pulvinum, cervical. Quod satis conjicitur ex Glossis veteribus. Τυλοπροσκεφάλαιον, *Capitale, pilentum;* et alibi, *pulvinum,* προσκεφάλαιον. Ita Pelagius in Vitis Patrum libr. V, n. 78: «Et modicum capitale de cartica sub caput ejus.» capitale.

@ [Col. 1236C] *Quae lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt.* Regula cujusdam Patris: «Omnibus sabbatis post [Col. 1236D] horam orationis nonam tam Senior quam juniores Praepositi lectos omnium fratrum visitent, et faciant propter eorum negligentias inquirendas, aut si aliquid inveniatur illicite, et sine commeatu retentum.» Quae tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt propter opus peculiare, ne inveniatur. Et, si cui inventum fuerit, quod ab abbate non acceperit, gravissimae disciplinae subjaceat. Et ut hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quae sunt necessaria, id est, tunica, cuculla, pedules, caligae,

@ [Col. 1236D] *Bracile.* Ita passim legitur tam in editis quam in aliis mss. S. Dunstanus, Papias infra citandus et lex Salica titul. 29, § 37, legunt, *Brachile.* Vict. p. *Bracille.* Quid sit bracile, docet S. Isidorus libr. XIX Orig., cap. 33: «Redimiculum est, quod succinctorium, sive bracile nuncupamus, quod dividens per cervicem, et a lateribus colli divisum (*Lege, demissum*) utrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem vestiat corpus. atque conjungendo componat. Hoc vulgo bracile, quasi brachiale vocant, quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum,» Haec fere ex Cassiano exscripta sunt libr I de Veste monachi, cap, 6. Subscribit S. Isidoro Papias: «Brachile, quod succinctorium, sive redimiculum dicimus, quod nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum.» Ubi bracile in secunda significatione est zona, seu renum cingulum. In qua etiam manifeste sumitur a Magistro cap. 11 Regulae: «Cum dormiunt, vestiti dormient, et cincti, aut cingulis, aut restibus, aut corrigia. Bracili fratrem in nocte uti ideo prohibemus; ne dum se regirat per somnum oppressus, exiens per thecam mucro cultelli carni ejus figatur. In die vero

cingantur bracilibus, dicente de sancto Joanne Scriptura: *Et circa lumbos erat cinctus zona pellicea.*» Ex quo Magistri loco satis patet quid S. Benedictus per bracile intelligat; maxime cum nullam zonae mentionem fecerit, quae tamen necessaria. bracile, cultellum, graphium, [Col. 1237A]

@ [Col. 1237B] *Acus.* Praxis videtur in Vita S. Eugendi abbatis: «Nam usque ad acum ipsam, lanasque netas etiam suendi consuendique cuncta praebebantur in medium. acus,

@ [Col. 1237B] *Mappula.* Mappula sudarium est, seu linteum tergendae pituitae aptum. Alcuinus de Offic. Eccl. cap. 39: «Mappula, quae in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum et narium detergimus. Meminit S. Gregorius lib. II Dial., cap. 19: «Qui fuerat missus monachus post admonitionem factam a sanctimonialibus rogatus mappulas accepit,» ubi in textu Graeco Zachariae mappulae exponuntur ἐγχείρια. Quid sit ἐγχείριον, explicat San. Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus in Mystica Theoria: Τὸ δὲ ἐγχείριον τὸ ἐπὶ τῆς ζώνης ἐστι τὸ ἀπομάξαι τὰς χεῖρας αὐτοῦ λεντίον, id est, «manuale vero est linteum de zona pendens ad ejus manus tergendas.» mappula, tabulae, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum apostolorum: *Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat* **(Cap. V)**. Ita ergo abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 3

@ [Col. 1237C] Exstat in Regula Patrum tertia cod. Flor.).

Vestimenta vero fratribus necessaria ita abbas omnibus ordinare debet, quae monachos deceant, non diversis coloribus tincta, exceptis cucullis, quae [Col. 1238A] comparantur, si fuerint nigrae, uti eas debere censemus.

§ III.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 81).

@ [Col. 1237C] *Nemo in domo, etc.* In Regula S. Pachomii excusa, art. 41, haec valde mutilata et contracta habentur. Nemo in domo et cella sua habeat praeter ea quae in commune lege monasterii praecepta sunt: non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonsis arietum lanis molliorem, non paucos nummos, non pulvillium quidem ad caput, aut aliud variae supellectilis: exceptis his quae a Patre monasterii per domorum praepositos dividentur,

@ [Col. 1237C] *Id est, armatura.* Armatura hoc loco est id omne quod vestitui alicujus necessarium est. id est, armatura sua,

@ [Col. 1237C] *Levitonariis duobus et uno attrito.* Eadem tribuit monachis Pachomianis S. Hieronymus in praefatione ad Regulam S. Pachomii: «Et duo lebitonaria (quod Aegyptiis monachis genus vestimenti est sine manicis), et unum jam attritum ad dormiendum vel operandum.» Levitonarium autem, seu lebitonarium, apud S. Ephraem de comparanda humilitate, cap. 88, et apud Palladium in Lausiaca, cap. *de Tabennesiotis,* λεβιτὼν, est vestis quaedam sine manicis, qua olim utebantur monachi, alias *colobium, vel ut ait D.* Hieronymus, *Aegyptiis monachis genus vestimenti sine manicis, et quia Aegyptii monachi lebitonario utebantur lineo, ita auctores lebitonarium definire solent.* Glossae Isidori: *Levitonarium, colobarium lineum sine manicis.* Glossae Arabico-Latinae, *Levitonarium est colobium lineum sine tunicis* [Lege, *manicis*]. Papias: *Levitorium* [Lege, *levitonarium*] *colobium lineum sine*

manicis, qualibus monachi Aegyptii utuntur. Quare castigandus est locus S. Isid., l. XIX Orig., c. 22: *Lebitonari est colobium sine manicis, qualibus monachi Aegyptii utuntur;* legendum est enim: *Lebitonarium est colobium lineum, etc.* Non dubium est enim quin Papias ex S. Isidoro sumpserit, ut multa alia, ususque fuerit exemplari correctiore. Colobia monachorum Aegyptiorum fuisse linea etiam testatur Cassianus loco mox citando. Quare nescio quid sibi velit Suidas cum ait: Λεβιτωνάριον χιτῶν μοναχικὸς ἐκ τριχῶν συντεθειμένος, id est, «Lebitonarium est tunica monachica ex pilis contexta:» et, quod magis miror, cum addidit κατὰ τὴν ἐγχώριον γλῶτταν Προυσαίων, id est, «juxta patriam linguam Prusaeensium, «cum hoc vocabulum sit potius Aegyptiacum. Porro colobia seu levitonaria monachorum Aegyptiorum ita describit Cassianus lib. I de habitu monachi, cap. 5: «Colobiis quoque lineis induti quae vix ad cubitorum ima pertingunt nudas de reliquo circumferunt manus.» Et recte colobium describitur. Erat enim tunica sine manicis, ut satis liquet ex Servio, cum enarrat illud IX Aeneidos:

Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae. «Tunicae vestrae habent manicas. Quod etiam Cicero vituperat dicens: *Manicatis et talaribus tunicis.* Nam colobiis utebantur antiqui.» Et olim probrosum erat apud Romanos habere tunicas χειριδωτοὺς, id est, manicatas: quippe quae solis feminis et effeminatis convenirent, ut docet Agellius lib. XVII, cap. 12. Quare monachi ab iis abstinebant. Colobiis autem monachorum Syrorum assutum erat signum ex purpura instar militum, ut innuerent se Christo militare, ut docet S. Dorotheus doctrina prima: Ἔχει δὲ τὸ κολόβιον ἡμῶν σημεῖον τίποτε πορφυροῦν, etc. Id est, «Habet vero colobium nostrum signum quoddam purpureum,» etc. levitonariis duobus, et uno attrito ex usu,
@ [Col. 1238C] *Sabano longiori.* Sabanum est linteum, ut supra notatum est. Hoc loco est quod dicit S. Hieronymus praefatione citata *amictum lineum.* Sed vox *longiori mihi suspecta est.* Nam Pachomiani monachi breviore pallio amiciebantur, sicut et alii Aegyptii. Quod satis manifestat S. Orsiesius, discipulus S. Pachomii, cum assignat monachis *lineum palliolum.* Quod satis confirmatur his S. Pachomii verbis: *Quo collum humerique circumdantur.* Itaque crediderim omissam esse particulam *non,* et legendum esse *sabano non longiori.* Hoc palliolum appellatur *mafortes, ut videre est apud Cassianum, lib.* I de Habitu monachi, cap. 7, et *mafortium.* Glossae Arabico Latinae *Mafortiam* fascialis, id est, *angustum pallium, quo utuntur monachi collum pariter et humeros tegens.* Graeci μαφόριον dicunt. S. Athanasius in tractatu de Virginitate, καὶ τὸ μαφόριον ἀκρώσσον, id est, «et mafortes sine fimbriis.» Mentio fit in Poenis brevibus S. Basilii, art. 7, et apud S. Dorotheum, doctrina 1, dicitur *mavortes* et *mavorte.* Eo etiam mulieres caput tegebant. Glossae Isidori: *Mafortes operimentum capitis mulierum.* Consule Isidorum, lib. XIX, cap. 25. Baronius ad annum Christi 193, ex Gregorio Turonensi, cap. 16, colligit mafortem fuisse etiam amplam mulierum vestem. Cui favent Glossae Arabico-Latinae: *Peplum, mavorte.* Nam peplum amplum erat, quippe vestimentum muliebre. sabano longiori, quo collum humerique [Col. 1239A] circumdantur, pellicula quae pendet ex latere, gallicis et cucullis duobus, zona
@ [Col. 1239D] *Et Bacillo.* S. Orsiesius dat monachis *caligas, pellem et virgam.* Hoc utebantur ad imitationem Patrum Veteris Testamenti, ut notat Cassianus lib. I de Habitu monachi, cap. 8: «Et baculus, quem gestat ad imitationem horum qui professionis ejus profiguravere lineas in Veteri Testamento.» et bacillo. Praeter haec quidquid inveneris,

absque contradictione auferes.

§ IV.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 11).

Interrog.
@ [Col. 1239D] *Quis est dignus, etc.* Exstat apud S. Basilium, interr. 22 et 2, Regul. fusius disputatarum, et apud Rufinum cap. 12, contractius tamen. Quis est dignus, vel decens habitus Christiani?---*Resp.* Quoniam sermo in superioribus humilitatem necessariam docuit; ita ut qui vult religiose et pie vivere, in omnibus et simplicitatem et humilitatem requirat, id est, ea quae parvo sumptu acquiruntur, id observandum puto in corporalibus usibus, per quod occasiones nobis majorum occupationum minime fiant. Hoc ergo etiam in observatione indumentorum custodiendum puto. Si enim studium nobis habendum est omnium esse minimos et omnium nos novissimos, certum est quia et indumentis [Col. 1239B] omnium nos novissimos deputare debemus. Nam si hi qui gloriam ex indumentorum splendore conquirunt,
@ [Col. 1239D] *Satis agunt.* Lege, *satagunt, ut apud Rufinum.* satis agunt quomodo pretiosis et magnificis vestibus videantur induti, ita consequens est eum qui de ultimis et novissimis, id est, per nimiam humilitatem, placere studet, eligere debere hoc in quo omnium et ultimus et novissimus appareat:
@ [Col. 1239D] *Sicut ille e contrario, etc.* Haec corrupta sunt, et non exstant in textu Graeco: quae tamen ita leguntur apud Rufinum: *Sicut ille qui e contrario est, de summis et pretiosis videri clarius et nobilius gestit.* sicut ille e contrario, id est, de summis et pretiosis, videri clarior et nobilior vult. Si enim in publica coena arguuntur Corinthii **(I Cor. XI)** quod per suam abundantiam confundant eos qui non habent, certum est quia et in hoc communi et simplici indumento, quod ad communem habitum vel usum pertinet, et
@ [Col. 1240D] *Si alter altero differat.* Apud Rufinum, *si alter alteri praeferatur;* rectius et clarius. si alter altero differat habitus, vel pretiosior inveniatur, confundimus non habentes. [Col. 1239C] Sufficienter quoque etiam Apostolus hujuscemodi usibus brevi sermone regulam posuit dicens: *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus* **(I Tim. VI)**. Ostendens indumento solo quo contegamur indigere nos, et non varietate aliqua vestis, et ornamento ejus et decore jactari. Quae utraque postmodum introducta sunt, humanae vitae artificiis et luxuriae ingenio conquisita. Sed et primus ille indumenti usus haec eadem indicat, cum dicitur Dominum fecisse primis hominibus pellicias tunicas **(Gen. III)**. Sufficiebat enim ad confusionem contegendam hujuscemodi indumenti usus. Verum quoniam nobis prospectum est indumentis etiam et calefieri et foveri, necessarium videtur ut ad utrumque usus ipse temperetur, quo et operiri nuditas videatur et vel vis [Col. 1239D] frigoris, vel omne quod extrinsecus laedit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidem sunt meliora, alia inferiora, consequens est ea eligere quae usum exhibeant longiorem: ita tamen ut in nullo laedatur regula voluntariae paupertatis, id est, ne eadem nobis [Col. 1240A] sint vestimenta ad procedendum praeparata et alia ad usum domesticum, et rursus alia ad aliud tempus, vel in nocte, et alia et in die: sed oportet illud ipsum tale esse indumentum, quod nobis sufficere possit ad omnia: ut et in die honestum videatur indumentum, et in nocte expleat necessitatem. Ex hoc enim fiet ut et habitus noster communis et similis atque unius formae sit omnium, et Christianum etiam visio ipsa designet. Ea enim quae uno prospectu ac

proposito geruntur, similia, imo eadem in omnibus esse debent. Utile autem est etiam ex ipsa proprietate vestis et habitus intelligere unumquemque et professionem suam agnoscere in ea vita, qua secundum Deum vivit, ut sciat sibi etiam actus consimiles esse debere; et ad eos qui nos vident secundum [Col. 1240B] habitum nostrum aequales etiam in actibus apparere debemus. Non enim similiter turpe est in quolibet alio, si inhoneste quid agat, sicut in his qui vitam sobriam etiam in ipso habitu profitentur. Si enim quis videat de trivio aliquem hominem caedentem alium aut vapulantem publice, vel turpiter proclamantem, aut in tabernis aliisque locis vitam cum dedecore ducentem, nec observabit quidem facile hujuscemodi hominem, vel notabit, sciens eum consequenter ad reliquam vitam suam gerere. Si vero eum qui religiosam vitam profitetur, viderit quis vel parum aliquid contra quam decet facere, observant omnes et increpant et ad religionis opprobrium ducunt. Itaque velut paedagogus est infirmioribus habitus iste religiosior, ut etiam invitos eos [Col. 1240C] ab opere inhonesto indecentique custodiat. Denique et Apostolus

@ [Col. 1240D] *Ordinatum.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco, κόσμιον, id est ornatum. Ita legendum, cum sic habeatur apud Apostolum I ad Tim. III. ordinatum episcopum designat, quae res ad habitum magis revocatur. Sed et de mulieribus dicit

@ [Col. 1240D] *In habitu ordinato.* Lege, *in habitu ornato,, ut est in Apostolo I ad Timoth.* II. in habitu ordinato esse debere.

@ [Col. 1240D] *Ordinatus.* Lege, *ornatus.* Ordinatus autem esse habitus Christiani dicitur is qui secundum propositum et professionem ejus aptus intelligitur. Sicut enim proprium est aliquid militi in habitu [vestimenti], et alius est habitus senatoris, ex quo praecipue intelligitur, vel iste quod senator est, vel ille quod miles est; ita etiam Christianus habere aliquid proprium etiam ex ordinatione indumenti ipsius debet. Sed et de calceamentis eadem ratio observabitur, ut quod simplicius est, et paratius, et aptum proposito, et usibus sufficiens, id assumatur. Zonae quoque usum ostendunt necessarium [Col. 1240D] esse etiam qui praecesserunt nos sancti. Nam Joannes zona pellicea constringere lumbos suos dicitur **(Matth. III)**; et Eliae antea tanquam proprius habitus ipsius designatur, cum dicitur: *Vir hirsutus, et zonam pelliceam habens circa lumbos suos* [Col. 1241A] **(III Reg. I)**. Sed zona usus Petrus ostenditur, sicut ex verbis angeli, quae ad eum dicta sunt, recognoscimus: *Accingere,* inquit, *et calceare caligas tuas* **(Act. XII)**. Sed et beatus Paulus zona usus ostenditur per Agabum prophetam dicentem: *Utrum enim, cujus est zona haec, ita illigabunt in Hierusalem* **(Act. XXI)**. Sed et Job audit a Deo: *Accinge sicut vir lumbos tuos* **(Job XXXVIII)**. Virtutis namque cujusdam et prompti ad opera animi signum videtur esse usus cinguli. Sed et discipulis Domini zonae usus fuisse videtur, ex more, quibus prohibeatur

@ [Col. 1241C] *Ne pecuniam haberent in zonis suis.* Zonae olim ita erant compositae, ut in illis pecunia recondi posset, ut clarum est ex illo dicto Alexandri Severi apud Lampridium: «Miles non timet nisi vestitus, armatus, calciatus, et satur, et habens aliquid in zonula.» Oratione Gracchi apud Gellium, lib. XV, cap. 12: «Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia vacuas retuli.» Et ex edicto Pescennii Nigri apud Spartianum: «Idem jussit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent.» Hinc proverbium, *zonam perdere, apud Horatium lib.* II, ep. 2.

Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit. Dicitur de homine omni censu et pecunia

exhausto. Unde et decoctores et similes qui non sunt solvendo zonam ponere coguntur. ne pecuniam haberent in zonis suis. Revera enim necessarium videtur eum ex more, qui manuum opere uti in aliquo deberet, succinctum esse, et in omnibus praeparatum: ac sine ullo impedimento inveniri [Col. 1241B] ad omne boni operis ministerium. Unde et cingulo indiget, ut vel colligata circa corpus tunica, ex qua et magis confoveri possit, si undique constrictus sit, vel non impediri ad omnem rem quam agere parat. De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, cum manifesta definitione perscriptum sit, in quo dicit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti unam* **(Luc. III)**. Ex quo sine dubio duas habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diversitate indumentorum praecipi potest?

§ V.---*Item* (cap. 142).

Interrog.
@ [Col. 1241D] *Quid est perperam agere, etc.* Habetur apud S. Basilium interr. 49 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 73. Quid est perperam agere?---*Resp.*
@ [Col. 1241D] *Quod non propter usus necessarios, etc.* Ad hunc locum S. Basilii respexit Suidas cum scripsit: Περπερεία ὅ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλοπισμὸν παραλαμβάνεται· ὃ καὶ ἡ βλακεία καὶ προπέτεια. Id est, «id quod non propter necessitatem, sed propter ornatum assumitur. Quod et mollities, et praecipitatio, et temeritas.» Et apud eumdem et Hesychium: Πέρπερος ὁ μετὰ βλακείας ἐπηρμενος, κ. τ. λ., id est, «perperam agens, qui cum mollitie inflatus est, ut loquax, praeceps, nihil cum ratione agens.» Apud auctorem veteris Etymologici: Πέρπερος, φλύαρος, id est, nugator; et ibidem: Ὅθεν καὶ περπερεύεται ἀντὶ τοῦ ματαιοῦται, ἀτακτεῖ, κατεπαίρεται μετὰ βλακείας. Id est, «Inde et perperam agit, pro eo, qui frustra aliquid et petulanter agit, qui cum mollitie extollitur.» Quod non propter usus necessarios, sed vel maxime [Col. 1241C] ornatus causa vel decoris alicujus fit, hoc est perperam agere.

§ VI.---*Item* (cap. 143
@ [Col. 1242C] Interr. 210, et cap. 73 Rufini.).

Interrog. Quis est qui ab Apostolo dicitur habitus ordinatus **(I Tim. II)**?---*Resp.* Is qui secundum propositum uniuscujusque honestus est, usus vel secundum locum, vel secundum tempus, vel secundum [Col. 1242A] personam. Non idem usus esse hominis potest in tempore hiemis et in tempore aestatis. Non idem habitus est operantis et quiescentis: nec militis idem est et privati, neque viri idem qui mulieris.

§ VII.---*Item* (cap. 144
@ [Col. 1242C] Interr. 50 Regulae brev. et Rufini cap. 73.).

Interrog. Si quis pretiosas vestes abjiciat, ipsa autem indumenta viliora quibus utitur, vel calceamenta ita composite utatur, ut studeat decorem inde aliquem capere, si peccat aut vitio aliquo id facere putandus est?---*Resp.* Qui vult per decorem habitus placere hominibus, manifestum est hujus ipsius vitii aegritudine laborare, id est, hominibus placendi: et certum est mentem ejus a Deo longius evagari; sed et hoc ipsum est vitium perperam agere, cum indumentis vel calceamentis non usus [Col. 1242B] causa

utitur.

§ VIII.---*Item* (cap. 45
@ [Col. 1242C] Vide supra cap. 72, %4F 22.).

Interrog. Quali affectu oportet accipere vel vestimentum vel calciamentum qualecunque fuerit?---*Resp.* Siquidem breve aut grande est ad mensuram staturae suae, etc.

§ IX.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 34).
@ [Col. 1242D] *Vestes vestras, etc.* Haec videre est in Regula S. Augustini excusa, cap. 26, et in ejusdem epist. 109. Vestes vestras
@ [Col. 1242D] *In uno habete.* Ita in cod. ms. Corb; in Regula excusa, *in unum habeatis.* In epistola, *in uno loco habete, recte, ut in fine capituli hujus.* in uno habete sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea laedantur. Et sicut pascimini ab uno cellario, sic induimini ex uno vestiario. Et si fieri potest,
@ [Col. 1242D] *Non ad vos pertineat.* Id est, ne solliciti sitis. non ad vos pertineat
@ [Col. 1242D] *Quid vobis induendum.* Ita in cod. Corb. et in epist. Recte. At in Regula excusa, *quod vobis indumentum.* quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur: utrum hoc recipiat unusquisque vestrum quod deposuerat, [Col. 1242C] an aliud quod alter habuerat, dum tamen unicuique quod cuique opus est non negetur.
@ [Col. 1242D] *Si autem hinc inter vos, etc.* Haec habentur in Regula S. Caesarii, cap. 26, sed quodammodo immutata. Si autem hinc inter vos contentiones et murmurationes oriuntur,
@ [Col. 1242D] *Cum queritur.* In epist., *et conqueritur.* cum queritur aliquis deterius se accepisse quam prius habuerat,
@ [Col. 1242D] *Indignum se esse.* Id est, vilem et abjectum haberi. et indignum se esse
@ [Col. 1242D] *Qui ita vestiatur.* Ita in cod. Corb. et Vind. Addenda tamen particula *non, ut in Regula excusa et in epistola.* qui ita vestiatur sicut alius frater ejus vestitur, hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiore [Col. 1243A] habitu
@ [Col. 1243B] *Cordis.* In Regula ms. cod Corb. additur, *ornatus.* Recte, ut sensus sit: Hinc probate quantum vobis desit ornatus in illo interiore habitu cordis, etsi hoc vocabulum desideretur in Regula excusa et in epistola. cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si sic vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod posueritis, in uno tamen loco sub
@ [Col. 1243B] *Communibus.* Adde, *custodibus, ut in Regula excusa, epist.* et cod. Corb. in Regula S. Caesarii legitur, *sub communi custode.* communibus habete quod ponitis.

§ X.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 14).
@ [Col. 1243B] *Cultus vestium, etc.* Exstat in Regula excusa S. Isidori, cap. 12. Cultus vestium et indumentorum insignes monacho deponendi. Munitus enim debet esse monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet in monacho esse notabilis habitus, ita nec satis abjectus. Nam pretiosa vestis animam ad lasciviam protrahit, nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanae gloriae contrahit. Vestimenta non erunt

aequaliter distribuenda omnibus, sed cum discretione, ut cujusque aetas gradusque expostulat. Ita enim et apostolos fecisse legimus, sicut scriptum est: *Erant illis* [Col. 1243B] omnia communia, et distribuebatur unicuique, prout opus erat **(Act. IV)**. Uniuscujusque autem fratris

@ [Col. 1243C] *Supplementum.* Id est, abundantia. supplementum vel indigentia inspiciatur, ut qui habent contenti sint, et qui non habent accipiant. Porro linteo non oportet monachum indui:

@ [Col. 1243C] *Orarium.* Orarium prohibet monachis S. Isidorus, juxta decretum concilii Aurelianensis primi, can. 22: «Monachum orarium in monasterio vel tzangas habere non liceat.» Orarium duo significat, primo est linteum seu textile oblongum ad mucorem excipiendum, aut sudorem ex facie tergendum. Glossae Basilicorum: Ὀδονάρια, καὶ ὀδονία ὑφάσματα ἐπιμήκη, καὶ ὠράρια παρά τισιν λέγεται, ταῦτα δὲ οἱ εἰς παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι, ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο καὶ ἀπέπτυον. Id est, «odonaria et odonia textilia oblonga, quae et oraria a quibusdam dicuntur. Haec in palatium intrantes senatores ferentes in his mungebantur et spuebant.» De quo et Suidas, atque auctor veteris Etymologici in voce φώσσων· ἤ προσώπου τι ἐκμαγεῖον· λέγεται δὲ οὕτω καὶ ὃ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται ὠράριον, id est, «vel faciei sudarium seu tersorium. Dicitur autem sic, et quod apud Romanos appellatur orarium. «Hinc capiendae Glossae Isidori: *Manuale, orarium.* Ad cujus similitudinem secundo orarium appellatur textile illud oblongum sericum pretiosum quo ex antiquo Ecclesiae usu utuntur pontifices, presbyteri et diaconi, quod postea stola dictum est, de quo Papias et Alcuinus de Offic. Eccl., cap. 39; concilium Toletanum IV, can. 27; concilium Laodicenum, can. 22: Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτην ὠράριον φορεῖν. Id est, «Quod non oportet subdiaconum orarium ferre,» et Liturgia S. Chrysostomi, καὶ τὸ ὠράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ. id est, «et orarium osculatus imponit illud humero sinistro.» Ibi autem agitur de diacono. Putat Theodorus Balsamon in citatum canonem concilii Laodiceni orarium dici a verbo ὠρῶ, id est, custodio, quod diaconus observare debeat quando fit prolatio petitionis catechumenorum. Sed vocabulum Latinum est, ut volunt Suidas et auctor veteris Etymologici, et ab ore tergendo dictum, quia ad hunc usum orarium primo inventum est. Locus autem Isidori de orario in secunda significatione intelligendus est. orarium,

@ [Col. 1244B] *Birros.* Birrus plura significat. Primo est color rufus seu flavus. Glossae veteres. Βυῤῥὸν, ζανθὸν, καὶ πυῤῥὸν, id est, byrrum, flavum, et rufum. Festus: «Burrum antiqui quod nunc dicimus rufum.» Scholiastes vetus Juvenalis in sat. 3: «Quod Graeci coccum, Latini teres [*Lege, veteres*] birrum appellant.» Glossae Isidori, *Birrus, rufus.* 2. vestimentum. Suidas, βιῤῥὸν ἱμάτιον Ῥωμαικὸν, id est, «Birrum vestimentum Romanum,» illudque erat crassum. Papias: «Birrus a Graeco fit, vestis, amphiballus villosus,» eoque utebantur Romani instar poenulae et lacernae. Aliquando servi usi sunt. Codicis Theodosiani lib. XIV, 1. *Sine exceptione, tit.* 10, *de habitu quo uti oportet intra urbem.* «Servos sane omnium (quorum tamen dominos sollicitudine constat militiae non teneri) aut birris uti permittimus, aut cucullis.» Hoc autem loco S. Isidori birrus est vestis pretiosa ac proinde monachis prohibitus. Cassianus de habitu monachi lib. I, cap. 7: «Atque ita planeticarum atque birrorum pretia simul ambitionemque declinant.» Eratque episcoporum. S. Augustinus, serm. 2, de Vita clericorum: «Offeratur mihi verbi gratia birrum pretiosum, forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum.»

Palladius, cap. 35, de S. Athanasio fugiente: λαβὼν ἑαυτοῦ τὸ στιχάριον, καὶ τὸ βίῤῥιον, κ. τ. λ. Id est, cum accepisset suam tunicellam et birrum. S. Gregorius Turonensis lib. II Hist. cap. 1, de S. Bricio episcopo: Ille autem ad satisfaciendum adhuc populo prunas ardentes in birrum suum posuit.» birros,

@ [Col. 1244D] *Planetas.* Cassianus loco citato appellat *planeticas.* Planetae sunt vestes pretiosae, de quibus S. Isidorus libr. XIX. Orig., 24: «Sic et Graece planetas dictas, quia oris errantibus evagantur.» Idem docet Papias, in Vocabulario. planetas non est fas indui, neque illa indumenta vel calceamenta quae caetera [Col. 1244A] monasteria abutuntur. Ternis autem tunicis et binis palliis, singulisque cucullis

@ [Col. 1244D] *Contenti erunt.* In Regula excusa additur: *Servi Christi, quibus adjicietur melotes pellicea, mappula, manicae quoque, pedules, et caligae.* contenti erunt, nihil praeter haec in habitu praesumentes. Pedules autem utentur, quandiu hiemis coegerit violentia, sive dum fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad urbem. Monachi autem in monasterio palliis semper operiantur, ut et pro honestate tecti semper incedant, et in ministerio operis expediti discurrant. Sane si forte quis pallium non habet, humeris mappulam superponat. Nullus monachorum vultus curam gerat, per quod lasciviae et petulantiae crimen incurrat. Non est enim mente castus, cujus aut corporis cultus, aut impudicus incessus. Nullus monachorum comam nutrire debet. Nam qui hoc imitantur, etsi ipsi hoc ad decipiendos homines per speciem simulationis [Col. 1244B] non faciant, alios tamen scandalizant ponentes offendiculum infirmis, et sanctum propositum usque ad blasphemiam producentes.

@ [Col. 1244D] *Tondere ergo debent isti et omnes.* Olim monachis totum caput tondebatur, ut videre est in Theoria S. Germani episcopi Constantinopolitani, ubi agit de monachis: Τὸ δὲ κείρεσθαι τὴν κάραν ὁλοτελῶς, κ. τ. λ. Id est, «tonderi vero caput ex toto.» Cum facti sunt clerici, in modum coronae attonsi fuere. Unde S. Fructuosus pontifex Bracarensis, cap. 16 Regulae: «Coronam capitis quam gestabat amittat.» Postea Graeci monachi attonsi sunt in modum crucis, ut liquet ex Graecorum Euchologio, ubi in sequentia Novitii, parvi et magni schematis haec verba ter habentur: ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτόν σταυροειδῶς, id est, «sacerdos tondet eum in formam crucis.» Qui vero inter nos choro deputati sunt, toto capite tondentur, excepto inferiori capillorum circulo, juxta antiquam formam clericorum, quae statuitur in concilio Toletano IV, can. 46, et in concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, cap. 1, ex S. Isidoro libr. II de Offic. Eccl., cap. 4, quae etiam videtur apud S. Gregorium Turonensem in Vitis Patrum, cap. 57: «Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, capillis nudum quidem servabatur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam clerici esse signatam.» Pontifices Graeci medium duntaxat caput attondebant, ut docet S. Germanus partiarcha Constantinopolitanus in mystica Theoria: Τὸ δὲ ξύρισμα τῆς κεφαλῆς τοῦ ἱέρεως, καὶ τὸ γυροειδὲς αὐτοῦ τμῆμα τὸ μέσον τῶν τριχῶν, id est, «tonsura capitis pontificis, et rotunda ipsius sectio media capillorum.» De tonsura vide Bedam, lib. V. Hist. Angl. cap. 22. Tondere ergo debent isti, et omnes, imo simul, ac pariter omnes. Nam reprehensibile est diversum habere cultum, ubi non est diversum propositum.

[Col. 1245A]

§ XI.---*Item* (cap. 15).

@ [Col. 1245C] *Speciosam vel variam supellectilem.* Haec videre est in Regula excusa S. Isidori, cap. 13. Speciosam vel variam supellectilem monacho habere non licet: cujus stratus erit historia et stragulum,
@ [Col. 1245D] *Pellesque lanatae duae.* In Regula S. Fructuosi archiepiscopi: *duabus lanatis pellibus arietum.* pellesque lanatae,
@ [Col. 1245D] *Galnabis.* Lege, ut in Concordia ms. Vindocinensi, *galbanis.* In Regula S. Fructuosi episcopi Concordiae Floriacensis legitur *calbanemque villatam,* c pro *g, ut alibi occurrit in eodem cod., castrimargia* pro *gastrimargia.* Galnabis ergo seu potius galbanis est laena, stragulum villosum. Ita Smaragdus, apud quem tamen male legitur, *galnapem, ut apud Isidorum libr.* XIX. Orig., cap. 26, *galnapes.* Hinc galbanatus galbane involutus apud Martialem lib. III, epigr. 40:

Jacet occupato galbanatus in lecto. Apud Papiam: «Galbana genera vestium a galbaneo colore, qui est sublucidus et subalbus cum pallore.» Hinc capiendus Juvenalis sat. 2:

Caerulea indutus scutulata et galbana rasa, a galbus. Glossae veteres: *Galvus* χλωρὸς, pro *galbus* (nam in ejusmodi glossis saepe scribitur *V* pro *b*), id est, pallidus, non viridis. Nam χλωρὸς est etiam pallidus, ut manifestum est ex Hesychio: χλωρὸς, ὠχρὸς, id est, pallidus, et paulo ante, χλωρὸν δέος τὸ χλωροποίον, κ. τ. λ. id est, pallidus timor pallidum efficiens: ita sane explicandus hic locus, cum timor viridem hominem non efficiat. Galbana ergo sunt vestimenta subalba cum pallore in citato Juvenalis loco; estque substantivum, non adjectivum. Nec legendum *galbina,* nec *galbanatus in loco Martialis, sed retinenda utrobique antiqua lectio.* Quamvis in vetere scholiaste Juvenalis legatur *galbina.* galnabis quoque geminusque ad caput pulvillus. Per singulas hebdomadas abbas sive praepositus lectulos cunctorum prospiciat, ne quid indigeat frater seu superfluum habeat.

§ XII.---*Item* (cap. 20).
@ [Col. 1246C] *Qui vestiaria monasterii.* Haec habentur in Regula excusa S. Isidori eodem cap., sed aliter leguntur: *Iste a vestiariis monasterii suscipiet acus, etiam et fila diversa pro consuendis vestibus fraternis habebit.* Intelligiturque custos sacrarii, ut clarum est ex eadem Regula excusa, quae tamen ibi videtur corrupta, et ex hoc codice emendanda. Qui vestiaria monasterii suscipit,
@ [Col. 1246C] *Quique etiam fila.* Lege, *acus etiam et fila.* quique etiam fila diversa pro consuendis vestibus fratrum habebit, et quibuscunque, ut necesse est, ministrabit. Ad hunc quoque pertinebit aurum et argentum, caeteraque
@ [Col. 1246C] *Facta infectaque aeris.* In Regula excusa, *fractaque aeris.* facta infectaque aeris ferrique metalla: ordinatio quoque linteariorum, fullonum,
@ [Col. 1246C] *Cerariorum.* In Regula excusa legitur: *calciariorum, rectius.* cerariorum, atque sartorum.

[Col. 1245B]

§ XIII.---EX DOCTRINA SANCTI ORSIESII.
@ [Col. 1246C] *Nolite, obsecro vos, etc.* Haec habentur in Regulis S. Orsiesii circa medium, tom. IV Bibliothecae Patrum editionis Coloniensis. Nolite, obsecro vos, oblivisci semel

arrepti propositi, et traditiones

@ [Col. 1246D] *Patris nostri.* Id est, Pachomii. Patris nostri scalas putemus ad coelorum regna tendentes. Ne desideretis quae ante calcastis. Sufficit nobis habere quod homini satis,

@ [Col. 1246D] *Duo levitonaria, et aliud attritum.* S. Pachomius supra hoc capite citatus: *Levitonariis duobus et uno attrito ex usu.* duo levitonaria, et aliud attritum, et

@ [Col. 1246D] *Palliolum lineum.* Quod supra in Regula S. Pachomii dicitur sabanum. palliolum lineum,

@ [Col. 1246D] *Duos cultellos.* Quorsum duo cultelli monachis conceduntur, cum unus sufficiat? sed lege, ut in libro edito Orsiesii: *duos cucullos, Quos etiam concedit suis monachis S.* Pachomius supra hoc capite. duos cultellos, zonam lineam,

@ [Col. 1246D] *Gallicas, pellem.* In libro edito S. Orsiesii male legitur: *Gallicam pellem;* quid sint Gallicae, supra explicatum est. Pellis est melotes, quae olim erat usui monachis Aegypti, ut notat Cassianus lib. I de habitu monachi, cap. 8: «Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quae melotes et pera appellatur.» gallicas, pellem, et virgam. Cui ministerium aliquod et [Col. 1246A] dispensatio monasterii creditur, etsi ex ea lucrum faciat, scelus putetur et sacrilegium quidquam ex ea contingere, et in propriam vertere

@ [Col. 1246D] *Requiem.* Id est, utilitatem, commoditatem, refocillationem. requiem quasi despiciens eos qui non habent et felici paupertate sunt divites, ut non solum ipse perierit, sed et caeteros provocet ad pereundum. Et illi quidem qui incurvaverunt cervicem suam, et cum omni humilitate et afflictione lugentes, atque plangentes inpraesentiarum placuerunt Deo, cum de corpusculo isto exierint *ducentur, et accumbent cum sanctis Patribus omnibus.*

§ XIV.---EX REGULA SANCTI FERREOLI EPISCOPI (cap. 31).

Ut monachus, quamlibet delicati corporis, linea [Col. 1246B] ad nuda corporis non utatur, quia incongruum est ut caro, quae semper vitio naturae superbit, mollibus foveatur indumentis, et ei quasi minus validae blandiatur, quae quotidie ad expugnationem animae novus quidam praeliator et fortissimas commovetur. Etenim toties reparat vires contra animam bellatura, quoties aliquid *velut rebelle mancipium remissionis acceperit.*

[Col. 1247A]

§ XV.---*Item ejusdem* (cap. 14).

@ [Col. 1247C] *Vestimenta, etc.* Hunc locum ita contractum profert Smaragdus: «Vestimenta superflua monachi non requirant.» Vestimenta supersufficientia monachus non requirat, quia non amplius quam ad quotidianum usum abbas necessarium viderit, consequatur, dicente Domino ad discipulos: *Neque duas tunicas habeatis* **(Luc. VII)**, quas duas tunicas intelligere debemus non numero, sed propter hiemes necessarias,

@ [Col. 1247C] *Et supra usum, si reservatae fuerint, computari.* Ita hunc locum emendavi ex Smaragdo. et supra usum, si reservatae fuerint, computari. Super ergo si quid fuerit, putabitur alienum: dum quid

@ [Col. 1247C] *Possessor avarus.* Apud Smaragdum, *possessor alienus, non ita recte.*

possessor avarus meludit, magis utitur arca quam dominus. Quod ut vitetur, maximus nobis beatus Apostolus testis assurgit qui dicit:

@ [Col. 1247C] *Habentes victum et vestitum.* In textu Graeco, σκεπάσματα, id est, operimenta; et ita legendum contendit Cassianus lib. I de Habitu monachi, cap. 3: «*Habentes autem alimenta et operimenta.* Operimenta, inquit, non *vestimenta, ut in quibusdam Latinis exemplaribus non proprie continetur:* quae corpus operiant tantum, non quae amictus gloria blandiantur.» *Habentes victum et vestitum his contenti sumus.* Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et [Col. 1247B] desideria multa, et inutilia, et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas, quam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, haec fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus et confessus bonam confessionem coram multis testibus, praecipio tibi coram Deo,

@ [Col. 1247C] *Qui vivificat omnia.* Ita in textu Graeco, τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα. In versione communi, *qui justificat omnia. qui vivificat omnia, et Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi* **(I Tim. VI)**. Studete ergo, fratres, ut quod ad unum hominem, id est ad Timotheum, [Col. 1248A] scribitur, ad unam congregationem servetur.

§ XVI.---*Item ejusdem* (cap. 32)

Vestimentorum fragrantiam vel nimium propter elationem nitorem monachus non studeat habere, sed sequens melius Apostolum dicentem: *Bonus odor sumus Christi Jesu* **(II Cor. II)**. Colorem etiam in his album, vel nimis rufum, per quem saepe species corporis ad perniciem suam videntibus commendatur, vitet ac habere non ambiat: ne et jactantiae suae secum testimonium ferat, et (quod absit) dum corpus vestimentis cito consumendis adornare temporaliter elaborat, de animae suae, quae aeterna esse poterant, ornamentis non curet. Etenim ista facientes taliter Scriptura castigat: *In amictu vestimentorum* [Col. 1248B] ne glorieris, et in die gloriae noli extolli **(Eccl. XI)**. De calceamentis vero reliquorum vos tenere statuimus consuetudinem monachorum. Sed et hoc curandum est, ne pes ita sit ligamentis

@ [Col. 1247C] *Temperatius.* Id est, elegantius, cultius. temperatius vinculatus,

@ [Col. 1247D] *Ut non in jactantiae signum multos astrictus habeat.* Diximus supra in caligis multas fuisse ligulas seu corrigias, quod etiam ex hoc loco S. Ferreoli confirmatur: qui tamen hanc corrigiarum multiplicitatem improbat tanquam jactantiae signum, quod proprium erat laicorum, qui cultum in calceamentis quaerebant, non vero monachorum, qui simplicitatem quaerentes paucas ligulas adhibebant, ita ut laxior caliga follicaret. Quem simplicem cultum suis monachis praecipit S. Ferreolus. At contra damnat S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis: «Apud quos affectata sunt omnia, laxae manicae, caligae follicantes, vestis crassior.» Sed ibi arguit quosdam pseudo monachos, qui follicationem, hoc est, laxitatem caligarum, plusquam par erat, affectabant, ut inde aliquam sanctimoniae famam sibi conciliarant, et mulierculas affectata cultus simplicitate deciperent. Et ita uterque sanctus conciliatur, cum alter follicationem calceamenti commendat, alter vero reprobat. ut non

jactantiae signum multos astrictus habeat, sed sanctius vinculo laxiori follescat, ut in omnibus simplicitas commendet Deo, quem ejus amore possessum, probatum saeculi viderit contemptorem.

§ XVII.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 4).

@ [Col. 1248C] *Vestimenta, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi Bracarensis archiepiscopi cod. Crass. eodem capite. Vestimenta non multa nec superflua sint. Duabus tantum cucullis,

@ [Col. 1248C] *Villata.* In hieme, id est, villosa. villata, et

@ [Col. 1248C] *Simplici.* In aestate, id est, pura et tenui. simplici, et uno palliolo,

@ [Col. 1248C] *Ternisque tunicis.* Sumpsit ex Regula S. Isidori supra. ternisque tunicis, et

@ [Col. 1248C] *Staminiis.* Ex his patet quam sit antiquus staminearum usus in monasteriis. Stamineae sunt camisiae seu interulae laneae, quibus utebantur monachi pro lineis sibi interdictis, de quibus Magister cap. 80 Regulae: «Habere debent fratres in hieme paraturam grossam, staminiam et tunicam aliam nocturnam.» S. Ardo in Vita S. Benedicti abbatis Indensis: «Concessit etiam necessitatis causa, praeter quam regula jubet, duas scilicet stamineas et femoralia.» Guillelmus Gemmeticensis lib. III Hist., cap. 8: «Verumtamen cucullam et staminiam ab eo extorquens secum asportavit;» et cap. 12 ejusdem libri. Sigebertus in Chron. agens de exordio ordinis Cisterciensis: «Rejicientes quidquid Regulae refragatur, foricas videlicet pelliceas, estamina (*Lege, et stamineas*), caputia quoque et femoralia.» Et de his intelligendus est Arnoldus lib. II de S. Emmerano: «Lineis camisiis utebantur seniores, qui habere poterant, caeteri laneis induebantur ob penuriam scilicet cilicinarum vestium.» Et add. 1 Capitul. Lud., tit. 22: «Alioquin haec omnino provideat et camisias duas, et tunicas duas;» nam locus intelligendus de laneis camisiis, seu staminiis. Camisia autem est interula, in qua dormire solent, a camis, id est, lectis appellata. S. Isidorus libr. XIX, cap. 22: «Camisias vocamus, quod in his dormimus in camis, id est, stratis.» Hinc castigandae Glossae Basilicorum, Καμίσιον ὁ ἐπὶ καμάτων χιτὼν, lege, ὁ ἐπὶ καμῶν, id est, «Camisia tunica est qua in lectis utimur.» Quod cama lectus sit, praeter S. Isidorum docent glossae Arabico-Latinae: *Camis, id est, lectis.* Papias ait esse lectum brevem: *Cama lectus brevis.* staminiis duabus [Col. 1249A] cujusque necessitatis querimonia sufficienda est. In ipsis quoque calciariis hoc videndum est, ut hieme pedules calcient, qui voluerint a die Kalendarum Novembrium ad Kalendas Maias. Reliquis aestivis mensibus caligarum tantum solatiis muniendi sunt. Femoralium usus cuiquam permittendus est,

@ [Col. 1249C] *Maxime his qui ministerio implicantur altaris.* Juxta id quod praecipitur Exodi XXVIII. maxime his qui ministerio implicantur altaris.

@ [Col. 1249D] *Sed hoc qui noluerit studere.* Id est: *Sed et hoc qui noluerit observare.* Sed hoc qui studere noluerit, reprehendendus non erit,

@ [Col. 1249D] *Cum nunc usque constet pleraque monasteria.* Quae tunc erant ordinis S. Benedicti in Hispania. cum nunc usque constet pleraque hunc usum monasteria etiam

@ [Col. 1249D] *In his regionibus.* Hispanicis. in his regionibus non habere. In stramentis competens adhibenda est disciplina, nec amplius quidquam ab aliquo requirendum est, quam unum stragulum

@ [Col. 1249D] *Calbanemque.* Lege, *galbanemque.* calbanemque, villatam

@ [Col. 1249D] *Mattulam.* Id est, parvam mattam. mattulam, et duas lanatas pelles arietum.

Quidquid in veste vel cultu est monachorum, non peculiariter [Col. 1249B] apud unumquemque habendum est, sed
@ [Col. 1249D] *Sub manu unius fratris spiritalis.* Juxta Regulas SS. Augustini et Caesarii supra. sub manu unius fratris spiritalis in una cella recondendum est: quique, cum necessitas poposcerit, petenti cuique congrua staturae mutatoria tribuet. Unde et studere idem custos debet, ut summam in his vestibus deligendis habeat solertiam, et cuique, ut dictum est, apta distribuat. Nec quisquam hoc murmurare praesumat, cum sibi distributa aliorum conspicit indumenta vestiri. Subulae sane, acus et fila diversa pro consuendis,
@ [Col. 1249D] *Emendandis.* Apud Smaragdum, tantum, *dandis, male.* emendandis, sarciendis vestibus ipsi tribuenda sunt ab abbate; et cum necessitas poposcerit, lavandi atque emendandi habeat potestatem. Quidquid in vestimentis, calciamentis vel
@ [Col. 1249D] *Lectariis.* Apud Smaragdum, electariis, male. Lege, *lectuariis.* lectariis monachorum vetustum fuit, dum nova percipiunt, totum ab abbate detur pauperibus.

[Col. 1249C]

§ XVIII.---*Item ejusdem* (cap. 18).

Lectula singulorum abbas et praepositus bis in hebdomada revolvant et perscrutentur, ut videant ne quis superfluum aliquid illic vel occultum habeat.

§ XIX.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 43).
@ [Col. 1249D] *Si quid vero superfuerit expensis aut usibus.* Apud Smaragdum: *Si quid superfuerit ex usibus.* Lege: *Si quid superfuerit ex impensis aut usibus.* Si quid vero superfuerit expensis aut usibus fratrum in auro aut vestibus, vel cellario, sanctus abbas per manus
@ [Col. 1249D] *Provisoris.* Saepius in Regula S. Caesarii, unde suam sumpsit S. Aurelianus, mentio fit provisoris. Ille erat qui necessaria emebat, inferebat, exportabat, lites et caetera negotia procurabat. provisoris, aut per quamlibet fidelem personam pauperibus, peregrinis aut captivis faciat dispensari.

§ XX.---*Item* (cap. 44).
@ [Col. 1250D] *Vestimenta etiam, etc.* Haec sumpta sunt ex Regula S. Caesarii, cap. 41: «Indumenta vero ipsa, cum nova accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, abbatissa refundat pauperibus, aut incipientibus vel junioribus dispensanda.» Sed lege: *abbatissae refundant.* Vestimenta etiam, cum nova accipiunt, vetera [Col. 1250A] abbati refundant,
@ [Col. 1250D] *Incipientibus.* Haec vox non exstat apud Smaragdum, sed restituenda ex his locis SS. Aureliani et Caesarii. Incipientes sunt novitii, quos Graeci ἀρχαρίους vocant, id est, incipientes, ab ἀρχὴ, id est, initium. De qua voce infra. incipientibus aut pauperibus eroganda.

§ XXI.---EX REGULA CASSIANI (cap. 50).
@ [Col. 1250D] *Primum de habitu, etc.* Haec sumpta sunt ex libr. I, cap. 3, de habitu monachi. Primum de habitu monachorum donante Deo sumimus exordium. Oportet

ergo primum ut talis sit vestis monachi, quae corpus contegens tantum verecundiam nuditatis repellat, et frigoris retundat injuriam, non quae occasionem vanitatis nutriat; quae ita vilis sit, ut nulla coloris vel compositionis novitate inter caeteros fratres spiritales habeatur insignis: et ita ab studiosis superfluisque accurationibus aliena, ut nullus iterum per incuriam collectis aut affectatis sordibus sit deformis. Postremo sic ista vestis ab hujus mundi separetur ornatu, ut in omnium servorum Dei cultum communis sit. Nam [Col. 1250B] quidquid inter famulos Dei non ab omnibus tenetur, sed ab uno vel paucis praesumitur, aut superfluum aut elatum est, et propter hoc noxium judicandum est, quod magis vero non virtutis speciem, sed vanitatis ostendit. Quamobrem
@ [Col. 1250D] *Cilicinam quoque vestem, etc.* Idem canset S. Epiphanius in Synopsi. cilicinam quoque vestem vel circumspectam omnibus atque notabilem Patres nostri omnimodis refutaverunt, quia non solum nulla spiritui emolumenta confert, sed etiam elationis concipit vanitatem, et quae ad necessarii operis exercitium quasi inhabilis pigrum semper impeditumque monachum reddat. Quod si aliquos hac veste aut quibusdam damnosis cultibus usos fuisse aut audivimus aut vidimus, non ideo antiqua Patrum decreta sunt relinquenda, quia generali omnium constitutioni paucorum non debet praeponi nec [Col. 1250C] praejudicare sententia. Illas enim regulas indubitanter et indiscusse per omnia servare debemus, quas non paucorum voluntas intulit, sed quas antiquitas, tantorum temporum et numerus sanctorum concordi institutione definivit. Oportet quoque monachum, quasi militem Christi in apparatione pugnae semper positum cingulum habentem accinctis lumbis die noctuque jugiter permanere, sicut Eliam, Eliseum, Joannem quoque et Paulum legimus zonis semper fuisse accinctos:
@ [Col. 1250D] *Quia lumborum accinctio castitatis indicat continentiam.* S. Augustinus, serm. 39, de verbis Domini: «Ad continentiam pertinet *sint lumbi vestri* [Col. 1251B] accincti.» Diana virgo dicitur a Pindaro βαθύζωνος, id est, alte cincta. Olim virgines zona cingebantur, quam solvebant in nuptiis virginitatem amissurae, docet scholiastes Callimachi in hymnum ad Dianam. Hinc lascivi discincti appellati Persius, sat. 2:

Non pudet in morem discincti vivere Nattae. Discinctus Maecenas a Seneca dicitur epist. 114: «Non oratio ejus aeque soluta est, quam ille discinctus.» Et Caesar, quod laxiori veste delicate uteretur, a Sylla per jocum *male cinctus appellatus est, apud Dionem, libr.* XLIII. quia lumborum accinctio castitatis indicat continentiam, quae nihil resolutum in se habere permittitur.

[Col. 1251A]

§ XXII.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 19).

Observandum est etiam ne interioris animae sordes contrahat vestis mundae nimius appetitus. Quapropter secundum praepositi sunt ordinationem lavandae. Quae tam simplici erunt et nativo colore procurandae, ne disparilitas vestium nutriat arrogantiae vitium; et ita sunt indigentibus tribuendae, ne
@ [Col. 1251C] *Per vitium.* Adjeci particulam *per, quae desideratur.* per vitium avaritiae reservatae, providendi singulis detur audacia. Si quis vero his negligenter
@ [Col. 1251C] *Expetenda.* Lege, *utendum.* expetenda putaverit, praepositi sit cura, ut

@ [Col. 1251C] *Interversor.* Id est, *dissipator.* interversor rerum monasterialium corrigatur. Ante omnia procurantes,

@ [Col. 1251C] *Ut nullas lites habeatis, etc.* Haec sumpta sunt ex Regula S. Augustini, cap. 37; habentur etiam in Regula S. Caesarii Arelatensis, cap. 31. ut lites nullas habeatis. Si autem diabolo instigante factae fuerint, celeri satisfactione sanentur: et inde proferantur remedia, unde facta sunt vulnera: *nec occidat sol super iracundiam vestram.* Consuetudinem [Col. 1251B] jurandi abjicite. *Sit sermo vester, est, est;* non, non; quia sicut Dominus ait: *Quod his abundantius est, a malo est* **(Matth. V)**.

§ XXIII.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 67).

@ [Col. 1251C] *Levitonarium, etc.* Hic articulus non exstat in Regula S. Pachomii excusa. Levitonarium, et quidquid in veste est, monachorum nemo lavet,

@ [Col. 1251C] *Nisi.* Haec particula videtur redundare. [nisi] die Dominica,

@ [Col. 1251D] *Praeter nautas.* Nautae erant in monasterio S. Pachomii, quia situm erat in Tabenna, insula Nili, de quibus vide articulum 65 ejusdem Regulae. praeter nautas et

@ [Col. 1251D] *Pristinarios.* Lege, *pistrinarios, a pistrino, de quibus vide art.* 65 ejusdem Regulae. Permittitur autem nautis et pistrinariis die Dominico lavare vestes, quod aliis diebus non vacaret. pristinarios

§ XXIV.---*Item ejusdem* (cap. 68).

@ [Col. 1251D] *Non vadant, etc.* Hic quoque articulus non exstat in Regula S. Pachomii excusa. In qua tamen sunt constitutiones de privata vestimentorum lautione, nempe art. 37 et 77. Hic autem de lautione communi intelligitur, cum fratres exeunt ad lautionem vestimentorum una cum suis praepositis. Non vadant ad lavandum, nisi omnibus signum unum insonuerit: sequenturque praepositum suum, et lavabunt taciti cum disciplina.

[Col. 1252A]

§ XXV.---*Item* (cap. 69).

@ [Col. 1251D] *Nemo lavet, etc.* Neque hic articulus exstat in Regula excusa S. Pachomii. Nemo lavet retractis in altum plusquam statutum est vestibus, cumque laverint, omnes pariter revertentur. Si quis remanserit eo tempore quo ibunt ad lavandum, vel in praesenti non fuerit,

@ [Col. 1251D] *Commonebit praepositum suum.* Hoc est, praepositum domus suae, cum videlicet postea seorsim ab aliis lavare vestimentum suum cupiet, sicut statuitur art. 37 de eo qui vult lavare vestimentum suum: «Si quis voluerit lavare vestimentum suum, commonebit praepositum suum, et ille mittet cum eo alium, et, lota veste, revertentur domum.» commonebit praepositum suum, et ille mittet cum eo alterum: et sic loto vestimento

@ [Col. 1252C] *Revertentur domum.* Ita loquitur, quia lavabant extra domos suas, non extra monasterium. revertentur domum.

§ XXVI.---*Item* (cap. 93).

Nemo lavare alterum poterit aut ungere, nisi ei fuerit imperatum.

§ XXVII.---EX REGULA STEPHANI (cap. 18).

@ [Col. 1252C] *Vestimenta, etc.* Exstat in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor., cap. 29. Vestimenta vel lectuaria nullus lavare audeat

@ [Col. 1252C] *Absque oratione praemissa.* Juxta antiquum morem, de quo supra. absque oratione praemissa

@ [Col. 1252C] *Prioris.* Id est, abbatis. Nam saepe in hac Regula prior usurpatur pro Patre seu principe monasterii; de quo vocabulo supra. prioris.

§ XXVIII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 81).[Col. 1252B]

@ [Col. 1252C] *Habere debent fratres, etc.* In Regula Magistri hoc caput est 81. Habere debent fratres in hieme

@ [Col. 1252C] *Paraturam.* Paratura et vestimentum, ornatus. Sangallensis in Vita Caroli Magni: «Erat antiquorum ornatus vel paratura,» etc. Tertullianus de Pallio, cap. 3: «Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificinae prosecuta primum tegendo homini, qua necessitas praecessit, dehinc et ornando, imo et inflando, qua ambitio successit, indumentorum formas promulgavere.» paraturam grossam quotidianam stamineam et tunicam aliam nocturnam, quam post nocturnos

@ [Col. 1252D] *Puduclent.* Ita in Regula ms. cod. Corb.; *puduclo* hoc loco videtur idem esse quod *exuo.* puduclent, quia in die diversis occupantur laboribus.

@ [Col. 1252D] *Habeant enim.* Particula *enim* hoc loco est *vero,* quemadmodum particula *nam, ut saepe occurrit in hac Magistri Regula.* Habeant enim in hieme et pallium stamineum, braccas lineas, et

@ [Col. 1252D] *Fasciolas aut pedules.* Particula *aut exposititie sumitur, nam hoc loco fasciolae et pedules idem sunt.* Nec nos moratur quod in add. I Capitul. Ludovici imp., tit. 22, fasciolae distinguantur a pedulibus, nam ibi fasciolae sunt crurales fasciae, non pedules. fasciolas aut pedules. In aestate vero habeant

@ [Col. 1252D] *Paraturam linostimam.* S. Isidorus lib. XIX Orig., cap. 22: «Linostima vestis est ex lana linoque contexta: et linostima, quia in stamine linum, in trama lanam habet.» paraturam linostimam non satis grossam propter laborem: et habeant pallios linostimos

@ [Col. 1252D] *Subtiles non satis.* Ita in Regula ms., sed videtur addendum τὸ *grossos,* nam paulo ante dixit, *non satis grossam.* subtiles non satis propter aestus sudoris, et braccas lineas, et

@ [Col. 1252D] *Et Fasciolas.* Tὸ *et expungendum, et leg. fasciolas vero lineas.* fasciolas lineas vero uti Dei homines prohibemur, ut aliquid distet a clerico monachus. Et habeant singulas paraturas linostimas subtiliores, quas [Col. 1253A] in diebus festis solum

@ [Col. 1253B] *In processionibus.* Id est, quando conveniunt et procedunt in ecclesiam officii divini celebrandi causa. Ita sumitur *processio a Sidonio lib.* V, epist. 17: «Conveneramus ad S. Justi sepulcrum, sed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adesses. Processio fuerat antelucana, solemnitas anniversaria.» et S. Gregorio lib. I Dial., c. 10: «Processionem vero imperaret verecundia. Nempe ad dedicationem oratorii S. Sebastiani, ut ibi habetur. Sic *procedere apud Tertullianum est infirmum visitare, et ecclesiam adire lib.* II de Cultu feminarum: «Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica; aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut sermo Dei administratur.» Et lib. II ad Uxorem: «Si procedendum erit, nunquam magis

familiae occupatio obveniat.» Id est, si conveniendum est in ecclesiam. Idem patet ex S. Gregorio lib. II Dial., cap. 10: «Ad dedicationem praedicti oratorii fuerat processura;» et paulo post: «Ad dedicationem oratorii processit.» in processionibus utantur. Et in aestate habeant singula

@ [Col. 1253C] *Mannariora.* In Reg. ms. cod. Corb., *Mannariola;* lege *Manuariola.* Manuariolum est sudarium, mappula, alias manuale. Graece, ἐγχείριον. mannariora linea propter sudores, et singula facitergia per decadam. Quas omnes res per singulas decadas singulae arcae contineant, tenentibus ex eis clavem praepositis suis,

@ [Col. 1253C] *Quae positae sunt.* Hic locus mutilus est, sed ex Regula ms. ita suae integritati restituendus: «Quae arcae in vestario [*Lege, vestiario*] ponantur, ubi ferramenta monasterii, et omnes positae sint,» nempe arcae. quae positae sunt: de cujus cellae custode jam

@ [Col. 1253C] *Supra diximus.* Cap. 17 ejusdem Regulae. supra diximus. Ideo enim diximus in una arca unius decadae sub clave praepositorum omnes

@ [Col. 1253C] *Mutandas.* Mutandae sunt mutatoria S. Fructuoso episcopo: vestimenta et similia, quae reponuntur ad mutandum. mutandas consistere,

@ [Col. 1253C] *Ut cum unusquisque frater, etc.* Locus mancus est, et ita ex Regula ms. legendus: *Ut cum unusquisque frater in potestate arcam non habuerit, non habeat ubi peculiare aliquid abscondat.* ut cum unusquisque frater in potestate peculiare aliquid abscondat, quem ordinem omnes decadae observant. Si quis vero frater

@ [Col. 1253C] *In specie sua.* Specics sunt vestimenta, ornamenta varia, supellex, ita hoc vocabulum saepe usurpat S. Gregorius Turonensis in Hist. Franc. in specie sua sibi visus fuerit

@ [Col. 1253D] *Scemari.* Ita in Regula ms. scemare est sibi placere, quasi schemate, seu gesticulatione laetitiam praeseferre, quod verbum explicare videtur Magister, cum addit, *vel gavisci, id est gaudere.* Scematio lib. II legis Longobardorum, tit. 15, l. 16, est corporis defiguratio: «Verumtamen non occidatur, sed ei scematio corporis fiat.» Et infra: «Non in occisione et scematione corporis.» scemari, vel satis gavisci, mox a praepositis suis ei tollatur et alio detur, et alterius illi. Hoc ideo ut non extollatur propria in fratre voluntas, quia quidquid ejus anima petit ei magis dari [Col. 1254A] non debet, quia contra desideria carnis spiritus sentit. Ideo spiritalis homo Dei est, non carnalis. Hebdomadariis coquinam intrantibus

@ [Col. 1253D] *Sacci sint tonicae.* Phrasis Graeca, pro, *tunicae sint ex sacco.* Sacci tunicae, id est, cilicinae. Saccus, Graece σάκκος, passim apud Septuaginta Interpretes est cilicium. In cod. Vind. legitur: *Sat sint tunicae.* Male. sacci sunt tonicae et

@ [Col. 1253D] *Cucullae segestrae.* In cod. Vind., *cucullae segestratae, satis recte.* In Regula ms. Magistri, *cucullae* segestri, lege, *ex segestri.* Segestre a segete est tegumentum. Varro lib. IV de Lingua Latina: «Nisi quod Graeci dicunt λεκτρὸν lectum potius quam lecticam, [Col. 1254B] quod involvebant, quod fere stramenta erant a segete segestria appellant, ut etiam nunc in castris: nisi a Graecis. Nam σέγαστρον, ubi lectus mortui fertur.» Idem lib. I de Vita populi Romani, apud Nonnium cap. 1: «Quod frontem lecticae struebant, ex ea herba torta torum appellatum, hoc quod injicitur, etiam *toral dicitur.* Lecticam quae involvebant, *segestria dicebant.*» Meminit Lucilius lib. XV, apud eumdem Nonnium, cap. 14.

Paenula, si quaeris, canterius, servus, segestre. Utilior mihi, quam sapiens . . . . In glossis Isidori, *Segestre,* teges, Dicitur et *Segestrum.* Glossae Benedicti: *Segestrum* στέγαστρον, id est pellis, seu operimentum pelliceum. Aliae Glossae, *Segestrum* τεράδερμον, στέγαστρον, id est, pellis. Nam στέγαστρον Graecis pellis est, et tunica pellicea. Vide Julium Pollucem, lib. X, cap. 46. Cucullae ergo segestratae vel ex segestri sunt fere stramineae vel pelliceae. cucullae segestrae. Quae tales res, maxime intra monasterium, sine verecundia

@ [Col. 1254C] *Omne sordicium injuriamque.* Lege ut in Regula ms., *omnem sordium injuriam.* omne sordicium injuriamque simul

@ [Col. 1254C] *Caccavorum.* Pro *cacaborum, de quo vocabulo supra.* caccavorum,

@ [Col. 1254C] *Cucumae.* Cucuma est vas coquinarium, olla. S. Isidorus, lib. XX Orig., cap. 8: «Cacabus et cucuma a sono fervoris cognominantur. Haec in Graecis et Latinis communia. Sed utrum Latini a Graecis, an Graeci a Latinis haec vocabula sumpserunt, incertum est.» Cucuma Graece κουκούμιον. cucumae et

@ [Col. 1254C] *Hiemarum.* In Regula ms., *gemarum.* Videtur legendum, *heminarum.* hiemarum, nec non et foci calorem vel coquinae sordes diversas sustineant. Quae ergo res expleta hebdomada ultimo die sero lotae hebdomadariis aliis intrantibus consignantur. De calceariis vero oportet fratres caligas habere

@ [Col. 1254C] *Ferratas.* Propter glaciem. ferratas

@ [Col. 1254C] *Viclinas.* Ita in Regula ms. In cod. Vind., *biclinas.* viclinas non ad lusum, sed ad usum, quas debent tempore hiemis uti, aestatis vero tempore unctas reponi. Et

@ [Col. 1254C] *Caligas.* In Regula ms legitur, *gallicas, rectius.* Nam subjungit, *ut diu* (nempe toto aestatis tempore) *caligae repositae* (id est reconditae) *conserventur.* Et Gallica aptior in aestate, quae fere totam superiorem pedis partem nudam relinquat, ut supra observatum est. caligas omnes oportet habere

@ [Col. 1254D] *Clavatas.* Clavis suffixas. Sic S. Equitius abbas utebatur caligis clavatis, ut notum est ex S. Gregorio papa, lib. I Dial., cap 4: «Tunc vir Dei clavatis calceatus caligis falcem fenariam in collo deferens veniebat.» Idque militum more, qui caligis calceabantur clavatis ad opera diversa, et ne pes in acie titubaret. Leo, constitutione VI, § 26, agens de calceis militaribus: Ἀναγκαῖον δὲ ὀλίγοις μικροῖς ἥλοις καθηλοῦσθαι αὐτὰ, id est, «Necessarium est ipsos paucis parvis clavis suffigi.» Hinc capiendus Juvenalis sat. 3:

...... planta mox undique magna Calcor et in digito clavus mihi militis haeret. Et sat. 16, si modo illius sit:

...... offendere tot caligatos Millia clavorum. erantque hi clavi praeacuti, ut clarum est ex Plinio, lib. IX, cap. 18: «Squamis conspicui crebris et praeacutis clavorum, caligarium effigie.» clavatas tam in monasterio quam in via, ut diu repositae caligae conserventur [Col. 1255A] et pes fratris

@ [Col. 1255A] *In caliga.* Lege, ut in Regula ms., *In gallicla, id est, gallicula, juxta praefatam rationem.* in caliga refrigeretur. Ad nocturnos vero in aestate

@ [Col. 1255A] *Ligneos cuspus putantur.* Lege, ut in Regula ms., *ligneos cuspos utantur.* Quid sit cuspus docent glossae veteres; *Cuspus,* ξύλινον σανδάλιον, id est, ligneum sandalium. ligneos cuspus putantur

@ [Col. 1255A] *Pelliciis.* Hoc vocabulum redundat, nec habetur in Regula ms. pelliciis, ne inquinatis pedibus ad suum revertentes stratum lectorum sagos coinquinent. In hieme vero ad nocturnos

@ [Col. 1255B] *Pedulibus utantur pelliciis.* Praeter caligas quae superponantur. pedulibus utantur pelliciis propter frigus pedum. In lectis habeant in hieme singulas mattas, [Col. 1256A] et

@ [Col. 1255B] *Sagos.* Ita in Regula ms. Recte: nam hoc vocabulum dicitur masculine et neutraliter. Nonnius, cap. 3: «Sagum generis neutri et plerumque masculini,» etc. Arrianus in Periplo maris Erythraei posuit masculine: σάγοι ἀρσενοειτικοὶ γεγραμμένοι, καὶ βεβάμμενοι, id est, sagi ad usum virorum arte fullonis praeparati et tincti. sagos tumentatitios singulos, et laenas; in aestate vero pro laenis

@ [Col. 1255B] *Rachinis.* In Regula ms., *rachaenis.* Rachina, racana, seu rachana cum aspiratione, et rachanella est stragulum, seu lectorum operimentum. Papias: *Rachina, strata lectorum.* Vita S. Joannis Eleemosynarii: «Justum est enim et bene acceptum Deo, ut tegantur centum potius quadraginta quatuor fratres et domini tui, quam tu infelix. Venundantur enim quatuor rachanellae numismate uno.» Et in eadem Vita: «Illic enim fieri fecerat, quasi tholos quosdam prolixos ligneis tabulis pavimento strato ad requiescendos eos, et simul cum storeis et racanis per totam hiemem.» Racana tamen seu racanella est simplex et tenuis propter hiemem, ut evidenter patet ex hoc loco Magistri, et satis colligitur ex Gregorio papa, lib. XII Regesti, epist. 16, ubi agens de lectis quos mittit ad monasterium montis Sinai, distinguit laenas a racanis: «Misimus laenas quindecim, rachanas triginta, lectos quindecim.» Et ex Ennodio, lib. IX, epist. 17: «Laenam et racanas, cum volueritis, coloris rubei aut fusci mihi cum celeritate mittite.» Et hic locus sanus est, nec ullo medicamine indiget. rachinis propter aestus utantur? et ante ipsos lectos singulas pelles, ubi tergant a sordibus pedes, et sic in suos lectos ascendant.

CAPUT LXIII. DE MENSA ABBATIS.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI. [Col. 1255C]

@ [Col. 1255C] *Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper.* Arnolphus lib. I de S. Emmerano hunc Regulae locum tangit, agens de S. Romualdo abbate monasterii S. Emmerani: «Mensa illius secundum Regulam sancti Benedicti erat cum hospitibus et peregrinis.» Hospites sunt ejusdem nationis, peregrini alterius; non sunt hi hospites, qui in eadem civitate et oppido in quo situm est monasterium residentes, ultro convivium emendicant, aut ab abbate invitantur: sunt enim potius convivae quam hospites. Hic autem sola mentio fit mensae, non cellae, aut camerae, aut palatii abbatis in quo seorsum a sua congregatione reficiat cum hospitibus et peregrinis. Ex quo efficitur ipsi abbati reficiendum esse cum peregrinis et hospitibus in ipso conventu fratrum, maxime in refectorio, vel certe alibi, si commodum. Non erit refectorium fratrum juxta rationem a nobis explicandam. Is fuit usus antiquorum Patrum quibus S. Benedictum in re tanti momenti contrarium fuisse minime credendum est. Id praecipit Regula Patrum ms.: «Illud quoque statuimus, ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant.» S. Isidori, cap. 9: «Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat.» S. Aureliani, cap. 49: «Abbas, nisi inaequalitate faciente, extra congregationem

non reficiat.» S. Caesarii, cap. 39: «Abbatissa nisi inaequalitate aut infirmitate aut occupatione impellente extra congregationem penitus non reficiat.» Ubi vides solum inaequalitatis, id est, morbi, vel occupationis casum excipi. Id etiam videtur ex S. Caesario, epist. ad Orariam: «Et in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his, cum quibus pari in mensa uteris consensu, ut qui ad unam sedetis mensam, unum vos parque reficiat alimentum.» Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper.

@ [Col. 1256C] *Quoties tamen minus sunt hospites.* Quam videlicet sufficiat ad explendam abbatis mensam. Quoties tamen minus sunt hospites,

@ [Col. 1256C] *Quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate.* Vocantur fratres ad mensam abbatis, ut ipse abbas humilitatis recordetur: ne vel tanquam princeps, aut monarcha solus in mensa sedeat; vel, si habeat aliquot hospites, extollatur, fratresque spernat, quod solus cum hospitibus separatus a grege accumbere possit. Unde S. Eugendus abbas (ut in ejus Actis habetur) nunquam mensam separatam a fratribus habuit. Nec dicendum est fratres vocari ad mensam abbatis, ut lautius epulentur. Nam si valent, non indigent lautioribus epulis; si infirmi sunt, aut omnino debiles, habent cellam infirmorum, in qua melius accipiantur, et procurentur, et opus est, carnes comedant, quas in refectorio comedere nefas. Nec dixit S. Benedictus debiles et infirmos, sed quos vo let. Nec, cum separavit coquinam abbatis et hospitum a coquina fratrum, hoc ideo instituit ut abbatis olla ferveret, fratrum vero cacabus algeret, sed, *ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres* (*Cap.* 53 *Regulae*). Et si aliquid addendum est in gratiam hospitum, illud etiam fratribus indulgendum, ut supra notatum est. quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate.

@ [Col. 1256D] *Seniores tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum.* Optima lectio, si verbum substantivum, *est, subintelligitur.* Nam gerundium aliquando accusativum regit. In Concorcia Vindocinensi legitur: *Seniores tamen unus, aut duo cum fratribus dimittendi.* Vulgo additur τὸ *procuret.* In cod. p. ms. Victorino additur, *mandamus.* Sed cum hucusque rite cuncta procedant, in his verbis totius difficultatis cardo versatur. Nam si unus aut duo seniores dimittendi sunt propter disciplinam, acta mentum.» Idem faciebat S. Eugendus abbas, ut habetur in ejus Actis apud Surium: «Ille, inquam, abbas sanctus nec mensulam suam (ut facere quosdam nuper audivi), nec victum unquam exceptavit a fratribus.» His accedat constitutio abbatum in synodo Aquisgranensi sub Ludovico Pio imperatore, tit. 27: «Ut abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiatur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi et bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt.» Neque huic titulo adversatur sexagesimus secundus, in quo statuitur, «ut laicus causa manducandi et bibendi in refectorium non ducatur.» Nam hic titulus ad hospites non spectat. Nostrae sententiae favet Magister, qui, etsi statuat mensam abbatis ut sanctus Benedictus, tamen cap. 24, ubi agit de lectore hebdomadario, statuit quid legendum sit in refectorio, cum superveniunt extranei. Ne autem quis putet hanc novam esse interpretationem, Ruthardus antiquus scriptor hoc caput Regulae exponens ait quosdam in ea esse opinione: Quaeritur, inquit, in hoc loco ubi debet abbas manducare, utrum in refectorio, an foris. Sunt alii, qui dicunt foris, alii vero intus. Quomodo ergo dimittere debet seniores duos, vel tres cum fratribus, si illic in refectorio debet manducare? Qui respondentes dicunt: Propterea

dixit S. Benedictus seniores dimitere, quia sunt talia refectoria, in quibus sedent fratres, ut propter multitudinem fratrum ab abbate non possint videri, veluti in sancto Gallo.» Haec sententia confirmatur ex regula S. Benedicti, cap. 38: «Nec praesumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliud quidquam requirere, ne detur occasio maligno: nisi forte Prior voluerit pro aedificatione aliquid breviter dicere.» Ubi Prior pro abbate usurpatur, ut supra declaratum est. Sed si abbas nunquam reficiat in conventu fratrum, quia cap. 53 dicitur nunquam hospites deesse monasterio, aut saltem raro, si locus sumatur hyperbolice, absurdum esset permittere ipsi abbati aliquid in refectorio de lectione dicere, qui nunquam, aut raro debeat interesse. Praeterea si contraria sententia valet, nescio quid deterius monasterio contingere possit, cum ipsi abbati fenestram ad omnem licentiam ejusmodi institutio patefaciat: datur enim ei occasio quotidie comessandi cum saecularibus, decoquendi, obliguriendi, et dilapidandi bona monasterii, ut quotidiana patet experientia: quod etiam praeclare notat Petrus Venerabilis lib. I, epist. 18. Hinc orta est omnis monasticae vitae corruptela, divisio illa bonorum monasterii inter abbatem et monachos, cum sibi abbates opimiorem et meliorem partem, quam occasione hujus capituli mensam abbatialem appellant, seposuerunt. Nec id me movet, quod in constitutionibus, *ne in agro Dominico, cum ad monasterium, et in Benedictina fiat mentio camerae abbatis, in qua possit, quos velit ex fratribus melius procurare.* Non enim interpretantur Regulam summi pontifices, sed id quod dudum introductum fuerat, et aegre avelli poterat, tolerant. Caeteris difficultatibus mox satisfiet. Et haec sententia vindicat S. Benedictum a multorum injuria, qui dicunt passim ex hoc Regulae capite ruinam monasteriorum natam esse, cum data sit libertas abbatibus quotidie epulandi. Sed cum haec libertas non clare pateat in hoc capite, sed tantum ex quibusdam verbis colligatur, satius est sequi nostram sententiam, quam tantam injuriam S. Benedicto facere. res est (ut aiunt adversarii); nam inde clarum est abbati non reficiendum esse in eodem cum fratribus loco; sed clarior esset haec consequentia, si additum fuisset, in refectorio, vel quid simile. Itaque primo respondemus juxta superiorem responsionem ex Ruthardo allatam. Quae clara est ex verbis Magistri, qui, cap. 82 ut saepe alibi, optime S. Benedicti mentem interpretatur, cum ait: «Ad mensam abbatis sedeant seniores, extranei supervenientes, vel vicibus fratres psalterati quos voluerit abbas, praeter Praepositos, quin in decadis suis ideo ad suas mensas jubentur esse praesentes, ut causam Dei, id est, taciturnitatis et gravitatis in susceptis suis custodiant.» Haec clara sunt, et nullis ambagibus involuta: maxime cum extranei supervenientes juxta Magistri Regulam debeant in refectorio cum fratribus reficere, ut supra notatum est. Respondeo secundo locum esse intelligendum de illis diebus in quibus abbas frangit jejunium propter hospites; cum nimirum fratres reficiunt hora nona, et abbas cum hospitibus hora sexta. Tunc enim dimittet unum aut duos ex senioribus, qui hora nona reficiant cum fratribus propter disciplinam: quia tunc abbas jam refectione sumpta cum hospitibus non intererit refectorio. Neque his obstat quod cap. 53 fratres jejuniorum consuetudinem prosequi debeant. Nam haec ita intelligenda sunt, si non vocentur ad mensam abbatis, cui potestas absoluta hoc capite conceditur quemlibet e fratribus vocandi ad mensam suam sine ullo dierum discrimine. Quidam objiciunt, quod S. Maurus Theodebertum regem convivio excepit in domo hospitum. Verum quidem est, sed non inde concluditur S. Maurum a sua congregatione separatum cum rege epulatum fuisse. Si vero non duxit regem in refectorium, id contingere potuit, quia locus minime aptus erat ad regem accipiendum cum suo comitatu. Opponunt etiam

quod S. Columbanus non intromittebat hospites saeculares in interiora monasterii. Concedo quidem, sed non inde efficies S. Columbanum seorsum a sua congregatione cum ejusmodi hospitibus semper, aut plerumque comedisse. Opponunt etiam id valde incommodum esse fratribus, si saepius hospites cum eis comedant. Sed contrarium quotidiana patet experientia. Et si quid incommodi inde emergit, illud minus est, quam si abbati nunquam aut rarius cum sua congregatione reficienti detur occasio dilapidandi bona monasterii cum laicis; fratribus vero murmurandi, et remissius in sancto proposito agendi? Quae facile inter vescendum obrepunt, maxime si illi praelatum nunquam aut raro in refectorio videant: cum etiam ejusmodi seniores ob disciplinam relicti nunquam satis auctoritatis ad eos compescendos habituri sint. Seniores [Col. 1256C] tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum propter disciplinam.

[Col. 1257A]

§ II.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 82).

@ [Col. 1258C] *Ad mensam abbatis, etc.* Haec habentur in Reg. ms. Magistri, cod Corb. eodem capite. Ad mensam abbatis sedeant seniores, extranei supervenientes,

@ [Col. 1258D] *Vel vicibus.* In cod. Vind. additur, *alienis.* vel vicibus

@ [Col. 1258D] *Fratres psalterati.* In cod. Vind. deest, τὸ *psalterati.* Psalterati sunt ii, qui psalterium memoria tenent, ut satis liquet ex eadem Regula Magistri, cap. 57: «Si vero in viam longiorem dirigatur, codiculum modicum cum aliquibus lectionibus de monasterio secum portet, ut quavis hora in via repausaverit, aliquantulum tamen legat: ita tamen, si fuerit psalteratus. Si vero non fuerit, tabulas a majore superpositas psalmis (*Lege, cum aliquibus psalmis*) secum portet, ut ad refectionem prandii aut ad mansionem quando applicuerit, aliquantulum, quantum occurrerit, tamen meditetur, ut quotidie Regulae reddat quod suum est.» Psalterati ergo sunt, qui psalterium callent; non psalterati vero, qui illud nondum plene didicerunt: qui non admittuntur ad mensam abbatis, quia ut plurimum juniores sunt. fratres psalterati, [Col. 1258A] quos voluerit abbas praeter Praepositos, qui in decadis suis ideo ad suas mensas jubentur esse praesentes, ut causam Dei, id est, taciturnitatis et gravitatis [Col. 1259A] in susceptis suis custodiant. Ideo enim ambos diximus in mensa decadae suae praeesse, ut decem fratres sibi commissos

@ [Col. 1259A] *Vicaria sollicitudine.* Si forte alter in coquina, aut in aliquo negotio occupatus est, vel morbo detinetur. vicaria sollicitudine ab universis vitiis certatim custodiant.

§ III.---EX REGULA PATRUM (cap. 8

@ [Col. 1259A] In Regula ms. Serapionis, et aliorum cod. Flor.).

Venientibus vero fratribus ad horam refectionis, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare: [Col. 1260A] nisi cum eo qui praeest Patre, ut possit aedificare. Nulli licebit cum eo loqui.

§ IV.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI (cap. 10).

@ [Col. 1259A] *Cum fratribus, etc.* Haec non habentur in Reg. ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi, capite 10, quod supra citatur capite, qualis debet esse abbas. Cum fratribus advenientibus hospitibus et peregrinis in una

mensa
@ [Col. 1260A] *Communiter.* Id est, simul, ut toties explicatum est. communiter
@ [Col. 1260A] *Vivant.* Id est, vescantur, nempe abbates, de quibus hoc capite agitur. vivant: quia de ipsis Dominus ait: *Hospes fui, et collegistis me* **(Matth. XXV)**.

CAPUT LXIV. DE ARTIFICIBUS MONASTERII.

[Col. 1259B]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Artifices si sunt in monasterio,
@ [Col. 1259C] *Cum omni humilitate.* Ita in cod. ma. S. Germ. Vulgo tamen additur, *et reverentia.* cum omni humilitate faciant ipsas artes,
@ [Col. 1259C] *Si permiserit abbas.* Ita Smaragdus, Turrecremata, et cod. ms. S. Fat., qui addunt particulam *tamen.* Vulgo legitur: *Si tamen jusserit abbas.* si permiserit abbas.
@ [Col. 1259C] *Quod si aliquis ex eis extollitur, etc.* Longe sane a Christi praecepto, quo jubetur ut in omnibus operibus nostris nos servos inutiles reputemus; longe etiam a perfectione monachorum Aegyptiorum, de quibus Cassianus lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14: «Et cum tantos unusquisque eorum quotidie de opere et sudore proprio redditus conferat monasterio, ut ex eis sustentare non solum suam valeat parcitatem, verum etiam usibus possit exuberare multorum: in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto operis sui quaestu ac sudore blanditur: sed praeter duo paxamatia, quae tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibi amplius unusquisque praesumit. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suae, eo quod videatur aliquid conferre monasterio,
@ [Col. 1259D] *Hic talis evellatur ab ipsa arte.* Hoc sapienter a S. Benedicto institutum est. Nihil enim iniquius ferre potest superbus, quam si videat se ab omnibus tanquam aliis inutilem despici, et monasterium sua industria et labore minime indigere. Quapropter S. Columbanus circa finem sui Poenitentialis dicit superbum puniendum esse despectu. hic talis evellatur ab ipsa arte, et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat. Si quid vero ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem praesumant inferre. Memorentur semper Ananiae et Saphirae:
@ [Col. 1259D] *Ne mortem quam illi in corpore pertulerunt, etc.* Ita S. Gregorius lib. I, epist. 36, agens de Venantio vitae monasticae desertore: «Si ergo mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat nummos, Deo abstulit: considera quanto periculo in divino judicio dignaberis, qui non nummos, sed teipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti.» Ex quibus colligitur Ananiam et Saphiram juxta mentem sanctorum Benedicti et Gregorii non esse damnatos, sed eorum mortem duntaxat fuisse temporalem, non aeternam. In qua opinione est etiam Cassianus Coll. VI, cap. 11, qui scribit eorum culpam levem fuisse, «qui parum quid clam de substantia sua infidelitatis errore servaverant;» inquit ille. ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non subripiat avaritiae malum, sed semper

[Col. 1259C] aliquantulum vilius detur quam
@ [Col. 1260C] *Ab aliis saecularibus.* Ita in cod. S. Germ., Ebr., Far., cum Smaragdo, S. Dunstano, Turrecremata et editione Coloniensi. In vulgatis τὸ *aliis desideratur.* ab aliis saecularibus
@ [Col. 1260C] *Dari potest.* Ita apud Smaragdum et Turrecrematam. In editione Coloniensi et quibusdam vulgatis, *datur.* In codicibus S. Germ. et Victorinis, *detur.* In cod. S. Ebr., S. Far., editione Colinaei, et apud S. Dunstanum nihil horum habetur, sed verbum subintelligitur. dari potest, ut in omnibus glorificetur Deus.

[Col. 1260B]

§ II.---EX REGULA MACARII
@ [Col. 1260D] In Regula ms. Serapionis, etc., cod. Flor..

Illud etiam tenendum fuit ut extra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cujus fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii poterit quid facere.

§ III.---EX REGULA CASSIANI (cap. 34).
@ [Col. 1260D] *Si quis autem, etc.* Haec sumpta sunt ex lib. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 14. Si quis autem de opere et sudore proprio plus ab aliis reditus confert monasterio, in nullo infletur nec sibi de tanto operis sui acquisito blandiatur nec amplius sibi aut delicatius aliquid solita quotidiani victus parcitate praesumat; sed tanquam peregrinum se hujusce mundi reputans arreptae
@ [Col. 1260D] *Nuditatis.* Id est, paupertatis, quam S. Basilius, et nonnulli Patres Graeci ἀκτημοσύνην appellant, id est, possessionis carentiam. Apud Hesychium ἀκτήμων πένης, ἐνδεής, id est pauper, indigens, ἀκτημοσύνη, ἔνδεια, id est, indigentia. nuditatis virtutem ad finem usque perducat.

[Col. 1260C]

§ IV.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 85).
@ [Col. 1260D] *Cum unaquaeque ars, etc.* Haec habentur in Reg. ms. cod. Corb. cap. eodem. Cum unaquaeque ars aliquid perfectum supervacaneum [Col. 1261A] usibus monasterii
@ [Col. 1261B] *Habuerit.* Adieci hoc verbum, quod deesse videtur. *habuerit, vel mittendarum*
@ [Col. 1261B] *Eulogiarum.* Hoc vocabulum hic improprie sumitur. Nam turpe esset vendere eulogias Eulogiarum abundaverit, interrogata qualitate pretii quantum a saecularibus
@ [Col. 1261B] *Distrahi.* Id est, vendi. Distrahere, vendere. Ulpianus. ff. I. *Praecipiant.* De aedilitio edicto, «ut ecce plerique solent mancipia, quae novitia non sunt, quasi novitia distrahere.» Cassianus lib. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 14: «Sed praeter duo paxamatia, quae tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibi amplius unusquisque praesumit.» S. Leander de Institutione Virginum, cap. I. «Viris se distrahunt, simulque cum pudicitia libertatem perdunt.» Nonius c. 4: «Distrahere est vendere.» distrahi

potest, tantum infra nummorum minori semper distrahatur pretio: ut agnoscantur in hac parte spiritales a saecularibus

@ [Col. 1261B] *Actorum distantia.* Ita reposui ex Reg., ms. cum in Concordia legeretur, *actibus distantiaque.* actorum distantia separari: cum non

@ [Col. 1261C] *Negotii.* Id est, negotiationis. negotii causa, quae est inimica animae, lucrum supra justitiam quaerant

@ [Col. 1261C] *Sed etiam ab ipsa justitia minus accipiendi pretii, etc.* Ita in Reg., ms.; sed haec corrupta sunt, et videtur deesse verbum, *discedere.* Itaque legendum puto: *Sed etiam ab ipsa justitia minus accipiendo pretium discedere humanitate consentiant.* Quasi hic Magister imperaret discipulis, ut a justitia commutativa discedant minus pretium accipiendo humanitatis gratia. sed etiam ab ipsa justitia minus accipiendi pretii humanitate consentiant: ut non propter cupiditatem et avaritiam artes operari credantur, sed ne otio possit pascenda dignis sumptibus manus vacare, et horas operosi diei gratis transire. Pretium vero acceptum abbati debet ab ipsis artificibus fideliter consignari. Quae diminutio pretii aestimatione abbatis artificibus debet constitui ut [Col. 1261B] sciant item quanta ementibus summa respondeat, et accepti pretii fraudem non possint facere de ipsa quantitate jam scienti abbati.

[Col. 1262A]

§ V.---EX REGULA SANCTI HIERONYMI (cap. 6).

@ [Col. 1262B] *Fratres ejusdem artis.* Haec videntur esse ex praefatione D. Hieronymi ad Regulam S. Pachomii; etsi in codicibus excusis non habeantur. Nam infra cap. 70, quaedam proferuntur ex D. Hieronymo, quae habentur in eadem praefatione. Et quae hic citantur, institutis S. Pachomii similia sunt, de quibus S. Hieronymus disserit in citata praefatione. Fratres ejusdem artis in unam domum sub uno Praeposito congregentur, verbi gratia, ut qui lina texunt, sint pariter; qui mattas, in unam reputentur familiam;

@ [Col. 1262B] *Sarcinatores.* Horum mentio fit in Vita S. Pachomii apud Palladium, cap. de Tabennesiotis. sarcinatores, carpentarii,

@ [Col. 1262B] *Fullones.* Horum etiam mentio fit in Vita S. Pachomii ibidem. fullones,

@ [Col. 1262B] *Galligarii.* Lege, *Gallicarii.* Sunt Gallicarum sutores. galligarii seorsum a suis Praepositis gubernentur. Et per singulas hebdomadas ratiocinia operum suorum ad Patrem monasterii referant.

§ VI.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 102).

Interrog.

@ [Col. 1262C] *Si oportet eos, etc.* Exstat apud S. Basilium, interr. 142 Regul. Brev.; et apud Rufinum, cap. 54. Si oportet eos qui noverunt artificia suscipere aliquod opus absque conscientia, vel jussione ejus qui praeest et operum sollicitudinem gerit?---*Resp.* Furti reus erit

@ [Col. 1262C] *Ejusmodi.* Pro hoc vocabulo in textu Graeco est ἑκάτερος, id est, uterque; et additur ὅ τε διδοὺς, καὶ ὁ δεχόμενος, id est, qui dat, et qui accipit; opus videlicet. ejusmodi, vel similis eis qui furibus concurrunt.

[Col. 1262B]

§ VII.---*Item* (cap. 104).
@ [Col. 1262C] Vide supra cap. 91, § 6.

Quod si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur? etc.

CAPUT LXV. DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1261D] *Noviter veniens quis, etc.* Id est, noviter venienti ad conversionem non facile tribuatur ingressus. Haec phrasis sapit Hebraismum. Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis [Col. 1261D] tribuatur ingressus, sed, sicut ait Apostolus, *Probate spiritus, si ex Deo sunt* **(I Joan. IV)**. Ergo si veniens perseveraverit pulsans, et illatas sibi injurias et difficultatem ingressus
@ [Col. 1261D] *Post quatuor aut quinque dies, etc.* Sic S. Antonius monasticae vitae princeps Paulum Simplicem quatuor dies ante fores suas perseverantem vix tandem intromisit, ut docet palladius, cap. de Paulo Simplice. post quatuor aut [Col. 1262D] quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus;
@ [Col. 1261D] *Et sit in cella hospitum paucis diebus.* Quid faciat in cella hospitum noviter veniens, non declarat S. Benedictus; sed hoc ex aliis Patribus discendum est, qui statuunt ut ejusmodi novitius serviat hospitibus. Ita statuit auctor Regulae Tarnatensis: «Uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste monstrata.» S. Isidorus cap. 4 Regulae: «Vitam enim uniuscujusque in hospitalitatis servitio tribus mensibus considerari oportet.» S. Fructuosus archiepiscopus cap. 21 Regulae agens de vitae monasticae candidato: «Hospitibus, sive peregrinis stramina comportabit aquam calefaciens pedibus.» Ita statuitur additione prima Capitularis Ludovici imperatoris tit. 34: «Ut novitio non facilis in monasterium tribuatur ingressus: et ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus.» Idque juxta institutum Aegyptiorum monachorum; ita tamen ut prius noviter venientes veste monachica induerent, et aliquandiu probarent, quam hospitii ministerium eis imponerent, ut planum est ex Cassiano, lib. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 7; sed S. Benedictus quaedam circa priscorum institutionem immutavit, hospitii etiam servitio ad paucos dies redacto; ne a spiritalibus exercitiis novitii retardarentur. et sit [Col. 1263A] in cella hospitum paucis diebus.
@ [Col. 1263A] *Postea autem sit in cella novitiorum.* Antiqua hujus rei praxis videtur in Vita S. Hermelandi abbatis: «Ubi ex more instituti monastici in cella, ut vocant, novitiorum probatus, etc.» Hujus cellae mentio fit in Vita S. Guillelmi Gellonensis: «Quamprimum condecens metitur oratorium, metitur etiam totius claustri ambitum.» Et paulo post: «Atque dormitorium, et cellam novitiorum.» Haec cella ab aliis monasterii domiciliis erat separata, et in extremis locis illius sita. Id patet ex Beda lib. IV Hist. Angl., cap. 33, ubi agit de monasterio sanctae Hildae: «Erat enim hac ipsa hora cum aliis nonnullis Christi ancillis in extremis monasterii locis seorsum posita, ubi nuper venientes ad conversionem feminae solebant probari; donec regulariter institutae ad societatem congregationis suscipiantur. Et ex S. Fructuoso archiepiscopo. cap. 21

Regulae: «Neque interna fratrum diversoria accedet, sed delegata in exteriore curte cella perfruetur.» Sed videtur S. Fructuosus singulis novitiis singulas cellulas assignare, quemadmodum et S. Ferreolus cap. 5 Regulae: «Vicinam tamen monasterio cellulam, dum praenotatum tempus observat, accipiat.» Novitii autem ab aliis fratribus separabantur; ne ea quae in monasterio geruntur in eorum notitiam venirent, et discedentes ea saecularibus revelarent. Id etiam eorum tranquillitati maxime congruum erat ut ab omni consortio sejuncti facilius contemplationi et vitiorum exstirpationi studerent. Postea autem sit in cella

@ [Col. 1263B] *Novitiorum.* Novitius proprie servus novus est, noviter emptus. Glossae veteres: *Novitius* νεώνητος, id est, noviter emptus. Meminit Cicero orat. in Pisonem: *De grege novitiorum.* Juvenalis sat. 3:

Tetrumque novitius horret Porthmea. Quo in loco agitur de novitio, qui in balneis serviebat. Novitius opponitur veteratori. Veterator, qui anno servivit; novitius, qui minus, communiter docent jurisconsulti. Vide titulum de edicto aedilitio. Recte igitur novitii appellantur a S. Benedicto ii qui noviter accedunt ad servitutem Dei. Sunt enim monachi servi Dei, et ita passim appellantur a sanctis Patribus; monasterium schola est divini servitii, ut loquitur S. Benedictus. Sic a Tertulliano libr. de Poenitentia cathecumeni appellantur novitioli: «Sic praecipue novitiolis istis, qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare.» Vitae monasticae novitios S. Isidorus Pelusiota libr. I, epist. 258, appellat νεοπαγεῖς, id est, neophytos. Graeci communiter appellant ἀρχαρίους, id est, incipientes. Palladius cap. 21 de B. Marco: Καὶ παρακαθίζομαι τῇ θύρᾳ τῆς κέλλης αὐτοῦ, ὡς ἅτε ἐγὼ ὁ ἀρχάριος ὢν νομιζων αὐτὸν ὑπὲρ ἄνθρωπον, id est, «et assideo foribus cellae illius, quem ego ut pote qui essem adhuc incipiens et novitius, supra hominem existimabam.» Quod vocabulum ita reddit interpres Heraclidis: *Tyro novusque monachus.* Anonymus quidam tractatu de Silentio: Καὶ σωτήριον καὶ ὠφέλιμον τοῖς ἀρχαρίοις, καὶ μέσοις, καὶ τελείοις, id est, «res salubris est et utilis incipientibus seu novitiis, mediis seu proficientibus et perfectis.» Et Euchologium Graecorum: Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα, id est, sequentia seu ordo instituendi novitii ferentis rasum.» Sic quidam Patres Latini appellant novitios incipientes S. Caesarius cap. 41, et S. Aurelianus cap. 44, supra cap. 62. S. Basilius interr. 13 Regularum fusius disputatarum appellat εἰσαγομένους, id est, qui introducuntur. S. Isidorus cap. 4 Regulae, et S. Fructuosus archiepiscopus cap. 21 Regulae et 22; *conversos.* novitiorum,

@ [Col. 1264A] *Ubi meditetur.* Meditetur, id est, legat. ubi meditetur et manducet, et dormiat.

@ [Col. 1264A] *Et senior ei talis deputetur.* Ita S. Fructuosus cap. 21 Regulae: «Sicque anno illo uni spiritali traditus seniori non statim commiscendus erit congregationi.» S. Caesarius Arelatensis cap. 3 Regulae: «Sed uni ex senioribus tradita annum integrum in habitu quo venit, perseveret.» An autem singulis novitiis singuli seniores dandi sint, non exprimitur; nec puto hanc esse mentem S. Benedicti et S. Fructuosi, qui fere sequuntur Aegyptiorum monachorum normam, juxta quam uni seniori decem juniores dantur instituendi, ut constat ex Cassiano, libr. IV de institutis cap. 7. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum curiose omnino intendat; et sollicitus,

@ [Col. 1264B] *Si revera.* Erat tantum scriptum, *si vera;* sed ex mss. nostris, Smaragdo, S.

Dunstano et Turrecremata reposui, *si revera.* In vulgatis *si vere.* si revera Deum quaerit,

@ [Col. 1264B] *Si sollicitus est ad opus Dei.* Sumitur opus Dei pro officio divino, missa, et horis canonicis, ut passim alibi. Nec est minima virtus monachi, si sollicitus est ad opus Dei, sine qua vix monachi nomen et personam sustinere potest; quae si a rectore monasterii abest, non video quomodo monasterii disciplina possit integra et salva consistere. Quatuor autem inspicienda seniori circa novitium praecipiuntur: primum, si revera Deum quaerit, id est, si vera et pura intentione Deo in monasterio servire cupit; secundum, si omni sollicitudine horis canonicis et sacris liturgicis interesse cupit; tertium, si nihil charius, nihil antiquius obedientia ducit; quartum, si opprobria et injurias sibi factas aequo animo et summa alacritate sustinet; quae si praestiterit, vere monachatu dignus est. si sollicitus est ad opus Dei, ad [Col. 1264A] obedientiam, ad opprobria.

@ [Col. 1264C] *Praedicentur ei omnia dura atque aspera, per quae itur ad Deum.* Hunc S. Benedicti locum citat sanctus Gregorius papa in I Reg., cap. 4, cum ait: «Qui arctissimam conversationis viam imperant, noviter venientibus facile habitum non impendunt. Quare ejusdem arctissimae vitae magister optimus, veritatis discipulus eruditus praecipit dicens: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Et iterum nuntientur eis dura et aspera, per quae itur ad Deum, ut sciat, ad quid intrat.» Praedicentur ei omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum. Et, si promiserit de stabilitatis suae perseverantia, post duorum mensium circulum

@ [Col. 1264C] *Legatur ei haec Regula.* Idem statuit S. Caesarius cap. 8 suae Regulae: «Quaecunque ad conversionem venerit, in salutatorio ei frequentius Regula relegatur;» et Regula Tarnatensis: «Deinceps omnis Regulae constitutio relegatur.» legatur ei haec Regula per ordinem. Et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis,

@ [Col. 1264C] *Si potes observare, ingredere.* Non est temere subeundum onus, quod viribus nostris impar sit. Tentandae vires, cum arduum aliquid aggredimur.

Versate diu quid ferre recusent, Quid valeant humeri, inquit Horatius, in Arte. Quod si in aliis rebus faciendum est, id maxime cum de vita monastica amplectenda agitur, praestandum est, quod praeclare docet S. Gregorius cap. citato: «Cum infirmi fortia promittunt, non est expertum robur, sed confusio discretionis quos omnes sub unius denotatione sapiens admonet, qui dicit: *Supra te onus ne levaveris.* Qui ergo in regularis vitae forti proposito aliis praesunt, tanto discretius debent ad eamdem vitam conversos recipere, quanto et utilius praenoscendum est, accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex praecipitatione voluntatis. Nam qui in suis actibus faciles sunt, solent tam instanter vitae spiritalis asperitatem appetere, ut videantur magna animi virtute quod expetunt desiderare.» Notanda doctrina his [Col. 1265A] quorum est spiritus appetentium vitam monasticam probare. si potes observare, ingredere; si vero [Col. 1265A] non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supra dictam cellam novitiorum, et iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei Regula, ut sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum ei legatur

@ [Col. 1265A] *Eadem Regula.* Ita apud Smaragdum et S. Dunstanum, vulgo τὸ *eadem desideratur.* eadem Regula; et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, et cuncta [Col. 1266A] sibi imperata servare;

@ [Col. 1265A] *Tunc recipiatur in congregatione.* Anno videlicet evoluto, qui unicus datur a S. Benedicto ad probationem, ut ex hoc capite notum est, cujus institutionis a S. Benedicto factae mentio fit in rescripto Alexandri II papae ad Udonem Trevirensem, et Theodoricum Verdunensem episcopos apud Ivonem p. VI, cap. 428, et causa 17, qu. 2, cap. 1. Idem praescripsere spatium S. Caesarius cap. 5 supra citato; S. Ferreolus cap. 5 suae Regulae, S. Fructuosus archiep. cap. 21, Fructuosus alter c. 18; Magister cap. 90; et Regula Tarnatensis: «Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur.» Idem statuitur in conc. Aurelian. V, cap. 19, de puellis vel quae propria voluntate monasterium expetunt, vel a parentibus offeruntur. S. Isidorus, cap. 4 Regulae, probationem contraxit ad trimestre spatium. Alias, maxime in Oriente, tres anni concedebantur antequam ascriberetur novitius in numerum monachorum, ut habetur C. L . *Servis, § verum.* De Episcopis et Clericis, etc. «Verum et si legitimo probatus experimento monachus efficiatur, evadet jugum servitutis. Debent enim per triennium antequam monachi efficiantur in monasterio permanere; postea vero si monachi facti fuerint, liberi erunt.» Idem statuitur Novella 5 Justiniani imperatoris, cap. 2: «Sancimus ergo sacras sequentes regulas eis qui singularem conversationem profitentur non prompte mox a reverendissimis praesulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere monachalem; sed per triennium totum, sive liberi sint, sive servi, tolerare nondum habitum monasticum promerentes.» Et paulo post: «Et dum triennio toto permanserint optimos semetipsos et tolerabiles aliis monachis demonstrantes hos monasticam promereri vestem atque tonsuram.» Idem statuit synodus Constantinopolitana prima, et secunda can. 5: Ὥρισεν οὖν διὰ τοῦτο ἡ ἁγία σύνοδος μηδένα τοῦ μοναχικοῦ καταξιοῦσθαι σχήματος, πρὶν ἂν τῆς τριετίας χρόνος εἰς πεῖραν αὐτοῖς ἀφεθεὶς δοκίμους αὐτοὺς καὶ ἀξίους τῆς τηλικαύτης βιοτῆς καταστήσῃ. Id est, «propterea igitur decrevit sancta synodus, ut nemo monachi habitu dignus putetur, priusquam triennii tempus eis ad experientiam relictum eos probatos et dignos esse tali vita ostenderit.» De eadem re agit Photius in Nomocanone, tit II, cap. 3. In conc. Aurelianensi V, can. 19, sanctimonialibus, quae non perpetuo tenentur inclusae, probationis triennium ante habitus sumptionem decernitur. Idem triennale spatium praescriptum fuit S. Pachomio ab angelo, ut videre est apud Palladium, cap. 38: Τὸν μέντοι εἰσελθόντα εἰς ἅπαξ συμμεῖναι αὐτοῖς, ἐπὶ τριετίαν εἰς ἀγῶνα ἀδύτων οὐ δέξῃ, ἀλλὰ ἐργοτικώτερα ἔργα ποιήσας οὕτως εἰς τὸ στάδιον ἐμβαινέτω μετὰ τὴν τριετίαν. Id est, «eum qui ingressus est ad semel manendum cum illis, usque ad triennium non suscipies ad certamen rerum secretiorum; sed cum difficiliora opera fecerit, sic post triennium accedat ad stadium.» Quod spectat ad alios Aegypti monachos ratio alia fuit circa probationis spatium. Non enim candidati prius apud eos admittebantur in monasterium quam decem dies vel amplius excubassent pro foribus monasterii omnium fratrum ludibrio expositi, qui eos dedita opera conviciis proscindebant; quae si aequo animo pertulissent, [Col. 1266A] ac suis rebus perfecte renuntiassent, propriis exuti vestibus habitu monachico ab abbate coram fratribus induebantur. Si vero processu temporis eos in sancto proposito non posse perstare animadvertissent ex quadam murmurationis vel parvae inobedientiae culpa, eos rebus monasticis exutos et suis indutos ejiciebant; si vero nihil ejusmodi in eis deprehendissent, admittebant, eorumque vestes saeculares pauperibus erogabant. Nec tamen illis fratrum congregationi commisceri permittebant, sed eos seniori, qui non procul a monasterii vestibulo cellam habebat, et curam hospitum gerebat, tradebant, ut

anno integro cum omni humilitate et patientia servirent hospitibus: quo revoluto, si quae suarum partium erant in hospitio strenue egissent, uni ex decanis disciplinis spiritalibus imbuendi committebantur, ut fuse narrat Cassianus libr. IV de Institutis Renuntiantium, capitibus 3, 4 et seq tunc recipiatur in congregatione,

@ [Col. 1266B] *Sciens se lege Regulae constitutum.* Varie hoc membrum legitur. In vulgatis non est τὸ *se,* in multis aliis habetur, ex quo faciendum est verbum, *esse, et legendum: Sciens esse lege Regulae constitutum.* sciens se lege Regulae constitutum, quod ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub jugo Regulae, quam sub tam morosa deliberatione licuit ei

@ [Col. 1266B] *Excusare.* Optima lectio. Ita omnes codices nostri mss. cum Kerone in expositione Alamanica vocabulorum Regulae S. Benedicti. Smaragdo, S. Dunstano et Turrecremata; et *excusare hoc loco idem* est, quod *recusare:* Glossae veteres: παραιτοῦμαι, *excuso, recuso.* Pontius Diaconus in Vita S. Cypriani: «Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur, excusat, id est, recusat.» S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, cap. 5: «Quod ille diversis modis excusans asserebat hoc non posse fieri.» Rufinus cap. 42 Institut. Monast: «Si autem ratio est aliqua, qua sibi recte excusare videatur opus illud quod excusat.» Ergo in vulgatis male legitur, *recusare.* excusare, aut suscipere.

@ [Col. 1266C] *Suscipiendus in oratorio.* Recte in oratorio emittuntur vota: quia locus sacer est; et qui solemnem emittit professionem Deo se consecrat. Idem statuit S. Fructuosus archiepiscopus cap. 21 Regulae suae: «Expleto anno probatus moribus et laboribus elimatus, percepta in ecclesia benedictione, fratrum societate donetur.» Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus

@ [Col. 1266C] *Promittat de stabilitate sua.* Stabilitas illa est in congregatione, ut alibi S. Benedictus loquitur, hoc est, in coenobio fratrum in communitate viventium; per quam excluditur status eremiticus, qui quidem monasticus est, non tamen coenobialis; ad quem tamen monachus in congregatione vivens traduci potest. Nec solvit prius votum: quia licet a statu minus perfecto ad perfectiorem migrare; et qui vovet, non ita se astringit, ut per ejusmodi votum impediatur, quominus ad statum perfectiorem Deo inspirante aliquando gradum faciat; alioqui votum ineptum esset. Praeterea status coenobialis ordinatur ad eremiticum, estque via ad illum, ut notum est ex capite primo Regulae: et sic in coenobio debent vivere monachi, ut aliquando vitae eremiticae digni evadant. Praeterea cum Regula ejusmodi statum coenobitis permittat et proponat, is non violat votum stabilitatis in congregatione, qui de licentia praelati a statu coenobitico ad eremiticum traducitur. Dixi, de licentia praelati. Nam praelati est judicare, an coenobita sit eremiticae vitae idoneus, et ad illam a Deo votus: ne specie pietatis et umbra a daemone decipiatur, ut de multis legitur. promittat de stabilitate sua

@ [Col. 1266D] *Et conversione morum suorum.* Quid sit conversio morum praeclare docet S. Anselmus eleganti illo carmine de contemptu mundi et vita monachorum:

Vovistis Domino vestros convertere mores:
Jam non peccetis, sit modus et vitiis. Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus:
Sit castus, quisquis luxuriosus erat. Quaerebat census aliquis, captabat honores:
Hinc jam vilescant census honorque sibi. Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensa:
Nunc tenuem victum sobria mensa dabit. Ipse suis laetus successibus esse solebat:
Nunc lacrymis culpas diluat ipse suas. Ostro conspicuus, gemmis insignis et auro:

Veste modo vili squalida membra tegat. Verbosus taceat, mitescat fervidus ira,
Invidus invidia dira venena vomat. Cuique prius caedes placuit, placuere rapinae,
Nunc pius et mitis pacis amator erit. Quisquis adulantum ventosa laudet tumebat,
Nunc hominum laudes aestimet esset nihil. Et qui sponte malus, gratisque nocere solebat
Nunc etiam laetus utilis esse velit. Ad lites fuit hic facilis, ad jurgia praeceps:
Fortiter alterius nunc maledicta ferat. Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat,
Omnia robusto corde molesta ferat. Pax animaeque quies inter convicia duret:
Nam fortem rerum nulla procella movet. Haec veniam fratres conversio vera meretur:
Haec valet offensum flectere vita Deum. Conversio morum est qualis decet monachum, non modo a gravioribus noxis se abstinere, sed etiam a levioribus culpis; oblectamenta mundi etiam licita et honesta fugere; vitam duram et austeram amplecti; se a saeculi actibus alienum facere; crucem ferre; et perfectioni evangelicae impensius studere. Quod autem haec tria vota stabilitatis, conversionis morum et obedientiae maxime conveniant statui monastico, sic declaratur. Quia mens humana inconstans est, et mutationi obnoxia, convenienter admodum institutum est votum stabilitatis, per quod promittit monachus se perseveraturum in statu coenobitico, ut supra exposuimus. Quia vero non sufficit permanere in coenobio, sed convenienter statui coenobitico vivendum est, accedit secundum votum, conversio videlicet morum, juxta rationem a S. Anselmo, et a nobis explicatam. Quia tandem in congregatione multae possunt oriri difficultates, diversae opinationes et studia, ex quibus non leves procellae et tempestates surgere et excitari possunt in coenobio, et quia etiam circa perfectam vivendi rationem multae possunt singulis monachis illusiones obvenire, votum obedientiae convenientissime adjunctum est; ut singuli et omnes monachi uni rectori subditi summa cum securitate et tranquillitate, et sine ulla daemonum infestatione in ejusmodi statu coenobitico vivere possint. et conversione [Col. 1267A] morum, et obedientia

@ [Col. 1267D] *Coram Domino.* Vulgo: *Coram Deo.* coram Domino et sanctis ejus;

@ [Col. 1267D] *Quod si aliquando, etc.* Circa hanc doctrinam haec verba S. Gregorii papae cap. citato notanda veniunt: «Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipse sponsionis verba suscipiat; qui dum verba audit, corda discutit, et ex textu professionis usuras exquirit robusti operis, haec namque novitiorum mentes audiant, et expavescant.» ut si aliquando aliter fecerit,

@ [Col. 1267D] *A Deo.* Ita S. Dunstanus, vulgo legitur: *Ab eo.* a Deo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat

@ [Col. 1267D] *Petitionem.* Id est, scripturam obligatoriam. Petitio enim est syngrapha, chirographum, charta donationis, ut clarum est ex Cassiodoro, libr. I Var., epist. 18: «Si Romani praedium, ex quo, Deo propitio, fontis fluenta transmisimus; ubi primum Italiae nos suscepit imperium, sine delegatoris cujusquam petitione praesumptor barbarus occupavit, id priori domino semota dilatione restituat.» Et recta lectio; nec legendum, *Pictatio, ut quibusdam placet.* petitionem

@ [Col. 1268A] *Ad nomen sanctorum, et praesentis abbatis.* Tanquam testium. ad nomen sanctorum quorum reliquiae ibi sunt, et abbatis praesentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe, si [Col. 1268A] nescit litteras, alter ab eo rogatus scribat;

@ [Col. 1268A] *Et novitius signum faciat.* Sive per se petitionem scribat, sive per alium. Antiqua olim fuit consuetudo in ejusmodi petitione imprimere signum crucis; quae

hodie perseverat, ut videre est ep. 13 Arnulphi Lexoviensis episcopi: «Nosse si quidem debes in eo, qui religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam praelato suo viva voce, et scripto juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita salutiferae crucis impressione signavit.» et ille novitius signum faciat, et manu sua

@ [Col. 1268B] *Eam super altare ponat.* Tanquam Deo offerens ad majorem confirmationem; qua de re hoc cap. ad Regul. Tarnatensem. eam super altare ponat. Quam dum posuerit,

@ [Col. 1268B] *Incipiat ipse novitius hunc versum, etc.* Idem praecipitur in veteri Ordine Romano, in ordine monachi: «Et indutus ipsum melotem corpore prostratus ante altare dicat hunc versum: Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam.» incipiat ipse novitius mox hunc versum: *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam:* et non confundas me ab exspectatione mea.

@ [Col. 1268B] *Quem versum omnis congregatio respondeat.* Ita in cod. Vind.; videtur tamen deesse τὸ *tertio, id est, ter, quod habetur tam in editis quam in caeteris codicibus nostris mss.* Quod ex veteri Ordine Romano confirmatur loco citato: «Per tres vices omnibus eumdem versum respondentibus.» Respondeat, id est, dicat: Novitius igitur semel versum dicit, chorus vero ter repetit, adjungens: *Gloria Patri:* cui Magister cap. 90 Regulae haec subjungenda praecipit: «Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Post quem versum dictum, mox data ab omnibus pace, compleat abbas.» Smaragdus vero ait post gloriam, dicendam esse orationem Dominicam sub silentio, et subsequentem collectam ab abbate: *Suscipe, quaesumus, Domine, hunc famulum tuum ad te de procella saeculi hujus, laqueisque diaboli fugientem:* ut a te susceptus, et instanti saeculo salvatum, et in futuro se gaudeat a te feliciter remuneratum. Per Christum. Vetus Ordo Romanus multas addit orationes. Quaedam etiam alia, quae olim observabatur, notanda veniunt. Ex Ruperto libr. VIII de Spiritu sancto, cap. 8: «Episcopus, ait B. Gregorius, debet missam celebrare in ordinatione presbyteri, et abbas in consecratione monachi, et quatuor orationes super caput ejus dicere; et sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor orationes consecretur; et ita usque ad diem tertium velatum habeat caput cum silentio summo et debita reverentia figuram gestans Dominicae Passionis. Die autem tertia tollat abbas capitium de capite ejus: ut deposita tristitia veteris peccati revelata facie gloriam Dei speculetur. Secundo ergo baptizatus est, et emundatus ab omnibus peccatis. Et subinde tribus diebus sunt sub silentio juxta apostolos, qui ob metum Judaeorum in conclavi residebant, usquedum die tertio resurgens Christus dicit: *Pax vobis:* sic abbas det pacem monacho, et capitium de capite ejus auferat.» Haec capitis velatio triduana constituitur longe ante Ruperti aetatem, addit. prima Capitul. Lud. imperatoris, tit. 35: «Ut monachus professione facta tribus diebus coopertum habeat caput.» Sed ut rem ab ipsa origine repetamus, breviter perstringendum est qualiter se prima illa temporibus apostolorum Ecclesia gerebat. Primo, [Col. 1269B] ut tradit S. Dionysius Areopagita cap. 6 Eccl. Hierarchiae, sacerdos stans ante altare orationem quae monachum attingit, recitat, pone astante consecrando, seu initiando; qua perfecta ad initiandum conversus sacerdos eum interrogat, num abjuret non modo dividuas distinctasque vitas, id est, ut exponit vetus ejus scholiastes, quae ad mundum pertinent, et in multas partes divisae sunt, ut sunt mercaturae et contractus, sed etiam an renuntiet visis, id est, ut explicat idem scholiastes, mentis cupiditatibus, perturbationibus, motuumque imaginibus, deinde

perfectissimam ei vitam exponit. Quae ubi omnia is qui initiatur, se facturum professus est, sacerdos eum signo crucis consignatum tundet appellans tres personas divinae beatitudinis, omnique veste detracta illum alia induit, et cum aliis sanctis viris, qui adsunt. Ubi eum salutavit, divinorum mysteriorum facit participem. In his notandum est unicum illius temporis votum monachorum, quod non est aliud quam morum conversionis promissio, cum initiandus seu consecrandus interroganti sacerdoti promittit se ea quae mundi sunt, atque etiam mentis cupiditates, perturbationes, motuumque imagines abjurare, seque posthac perfectissimam vitam ducturum. Quem versum omnis [Col. 1269A] congregatio respondeat, adjungentes, *Gloria Patri.* Tunc ipse frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo. Et jam ex illa die in congregatione reputetur. Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemni donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat.

@ [Col. 1269C] *Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, etc.* Ex his et sequentibus verbis: *Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda, etc.,* discendum est novitios olim toto tirocinii seu probationis tempore saecularibus vestibus fuisse indutos, nec nisi illo expleto monachi vestem induere solitos. Id clarum est ex synodo Constantinopolitana, et Codicis lege supra citatis. Ita statuit Caesarius Arelatensis cap. 3 Regulae: «Sed uni ex senioribus tradita anno integro in eo quo venit, habitu, perseveret.» Conc. Aurel. V, can. 19: Quaecunque puellae seu propria voluntate monasterium appetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intrant veste permaneant. In his vero monasteriis ubi non perpetuo tenentur inclusae, triennium in ipsa qua intraverint veste permaneant; et postmodum secundum statuta monasterii ipsius in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant.» Sanctus Fructuosus abbas cap. 18: «Et anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobetur et postquam probatus in cunctis obedientiis fuerit;» et paulo post: Postmodum exuatur saecularibus vestibus, et induatur monasteriis religiosis simplicibus.» Regula Tarnatensis: «Et nisi expleto anno nullus habitum mutare permittatur.» Ita etiam Magister cap. 90. Additio 1 Capitul. Lud. imp., tit. 34: «Expleto autem probationis suae anno, secundum quod Regula praecipit, inde faciet: ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam [Col. 1270B] promittat.» In Justiniani Novella 5, cap. 2, videmus eos usos aliquando tonsura et veste eorum, qui tunc laici in monasteriis appellabantur. Postea novitii apud Graecos induti sunt raso, seu rasa veste, et hinc appellati ῥασοφόροι, id est, rasum ferentes, ut videre est apud Theodorum Balsamonem in can. 5 synodi Constantinopolitanae supra citatae, et ῥασοφορεῖν, id est rasum ferre apud eumdem Balsamonem in can. 19 epist. S. Basilii ad Amphilochium: Κᾀν γὰρ μὴ ἀποκαρῇ τις, ἀλλὰ ῥασοφορήσῃ, id est, si quis non tonsus fuerit, sed rasum ferat, id etiam patet ex Euchologio Graecorum: Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα, id est, ordo instituendi novitii rasum ferentis.» Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadente diabolo

@ [Col. 1270B] *Consenserit ut egrediatur, etc.* Cap. 48 S. P. Benedicti incorrigibilem monachum ejiciendum esse decernit; hoc vero cap. statuit projiciendum esse eum qui vult exire: quod ita intelligendum est, si tentationi succumbens, saepius rogatus ut maneat, nolit omnino Regulae et abbati morem gerere: quia dum invitus retineretur, totum conventum turbaret, multosque ex fratribus subverteret. Quod quidem clarius

fiet ex verbis Magistri, c. 90 Regulae: «Ne forte (quod non in conversis contingat) cum ad suos vomitus redire voluerit, et saeculi elegerit iterato repedare itinera, et nullis scripturarum, vel monitionis potuerit vinculis retineri, reddat Christo quod suum est, id est, exutus sanctis vestibus, et suis, quibus venerat, vestitus, resimilans saeculo ad suasorem diabolum revertatur.» consenserit, ut egrediatur de monasterio (quod absit) tunc

@ [Col. 1270C] *Exutus rebus monasterii.* Projiciendus monasticis vestibus exuitur: quia non decet aliquem veste monachica indutum cum saecularibus habitare, aut forte vagari, ob scandalum. exutus rebus monasterii projiciatur. Illam tamen

@ [Col. 1270C] *Petitionem ejus, etc.* Non est petitio reddenda projecto: quia potest illum abbas cogere, ut ad monasterium redeat, ait Smaragdus: quia etiam forsitan in militiam ascribi, aut uxorem ducere vellet, et recepta illa petitione se esse monachum negaret. petitionem, quam desuper altari abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio [Col. 1269B] servetur.

[Col. 1270A]

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 1).

@ [Col. 1270D] *Quod si quis, etc.,* Habetur in Regula tertia cod. Flor., ubi pro his verbis scribitur: *Placuit fide.* Quod si quis de saeculo in monasterio converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefaciant. Quod si omnia apte sussceperit, sic digne a fratribus

@ [Col. 1270D] *In cellula.* Id est, in monasterio. in cellula suscipiatur.

@ [Col. 1270D] *Nam.* Id est, *verum.* Nam si aliquam

@ [Col. 1270D] *In cella.* Id est, in monasterio. in cella voluerit inferre subtantiam,

@ [Col. 1270D] *In mensa ponatur.* Mensa hoc loco est communis monasterii substantia, seu possessio. Ita apud S. Gregorium Turonensem, lib. XI, cap. 3, dicitur: *Mensa canonicorum.* Acta S. Caesarii Arel. Hist. l. I: «Donec omnes ab ipso essent redempti eo argento quod venerabilis Eonius antecessor ejus ecclesiae mensae reliquerat.» in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si susceptum fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed nec de se ipso ab illa judicabit hora.

§ III.---ITEM EX ALIORUM PATRUM REGULA (cap. 4).

@ [Col. 1270D] *Qualiter vero, etc.* Hoc caput invenire est in Regula ms. Macarii, Serapionis et aliorum cod. Flor. Qualiter vero examinatio erga eos qui de saeculo convertuntur teneri debeat, ostendamus. Amputandae [Col. 1270B] sunt primo ab hujusmodi divitiae saeculi, [Col. 1271A]

@ [Col. 1271C] *Quod si habet ipse.* Ita in cod. Flor.; tamen τὸ *quod videtur redundare.* [quod] si habet ipse divitias, quas amputare debeat, quas Spiritus sanctus ostendit

@ [Col. 1271C] *Per Salomonem.* Hic textus non est Salomonis, sed Jesu filii Sirach, Ecclesiastici cap. XXV. per Salomonem dicens: *Odit anima mea pauperem superbum, et divitem mendacem* **(Eccli. XXV)**; et alio loco dicit: *Sicut vulneratum, superbum* **(Psal. LXXXVIII)**. Debet ergo is qui praeest Pater magno studio hanc regulam tenere, ut si pauper convertitur, primo

@ [Col. 1271C] *Exponat.* Ita cod. Flor, id est, *deponat.* Nonnius Marcellus, cap. 4,

exponere, deponere, Virg. lib. XI:

...... socios de puppibus altis Pontibus exponunt...... E t *exponere veterem hominem apud Tertullianum lib.* de Resurrectione carnis, id est, deponere. Et *expositio, id est, depositio, apud eumdem lib.* de Praescript. Haeret., *Expositionem peccatorum de lavacro repromittit.* exponat sarcinam superbiae:
@ [Col. 1271C] *Et quia ille.* Ita in ms. Regula. Sed copula redundat. [et] quia ille debet ante omnia humiliter imbui quod magnum et Deo sacrificium acceptum est. Nam suam voluntatem non faciat unusquisque vestrum, fratres, sed ad omne opus bonum parati estote, vel quidquid acciderit, aut justum fuerit, memores esse debetis, *in tribulatione patientes* **(Rom. XII)**, in operibus honesti. Nolite vos invicem ad iracundiam provocare; [Col. 1271B] sed semper bona sectamini. Hi qui tales sunt, cum de saeculi latebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada pro foribus jungantur,
@ [Col. 1271D] *Et sermo durus et laboriosus eis proponatur.* Ita apparet correctum in nostra Concordia. Sed lege, ut in Concordia Vindocinensi, *Et semper dura et laboriosa eis proponantur, juxta illud S.* P. Benedicti: *Praedicentur ei dura et aspera, per quae itur ad Deum.* et durus sermo et laboriosus eis proponatur: si vero perseveraverint pulsantes, eis non negetur ingressus; sed is qui praeest Pater hujuscemodi homines introire permittat, et qualiter vitam fratrum vel Regulam tenere possint, ostendat. Quod si dives est, habens multas divitias, et converti voluerit, debet primo Dei voluntatem implere, et consequi praeceptum illius, praecipue quod adolescenti diviti dicitur:
@ [Col. 1271D] *Vende omnia tua, etc.* Matth. XIX, Marc. X, Luc. XIX; in quibus tamen locis non sunt haec verba, *et tolle crucem tuam, sed addita ab hujus Regulae auctoribus,* quod facerent ad propositum *Vende omnia tua, et da pauperibus;* et tolle crucem tuam, et sequere me **(Matth. XIX)**. Deinde instruendus est ab eo, qui praeest, Patre, ut nihil sibi relinquat nisi crucem Christi, quam teneat, et sequatur [Col. 1271C] Dominum. Crucis vero fastigia
@ [Col. 1271D] *Quae tenenda sunt.* Supple *ostendat.* quae tenenda sunt,
@ [Col. 1271D] *Primo omni obedientia non suam facere voluntatem, sed alterius.* Ita in Regula ms. cod. Flor., sed videntur quaedam deesse. primo omni obedientia non suam voluntatem [Col. 1272A] facere, sed alterius. Quod si voluerit in monasterio
@ [Col. 1271D] *Partem.* Bonorum suorum videlicet. partem conferre,
@ [Col. 1271D] *Noverit jam non eum servum habere, etc.* Ita B. Joannes de Monte Mirabili servum quem secum duxerat in monasterium, non solum habebat ut fratrem, sed etiam ei serviebat. noverit quo ordine sive ipse, sive ejus oblatio suscipiatur. Et, si voluerit de suis servis secum in monasterio conducere, noverit jam non eum servum habere, sed fratrem, ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille.

§ IV. EX REGULA SANCTI MACARII

@ [Col. 1272C] *Ergo si quis, etc.* Eorum quae hic citantur sub nomine S. Macarii, media pars supra hoc capite ex regula Patrum producta est. Quae dam vero habentur in R. Ms. tertia cod. Flor. cujus initium est: *Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris convenissemus.* Ergo si quis voluerit ad monasterium converti, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Quod si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio. Nam si aliquam in cellulam

voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si

@ [Col. 1272C] *Susceptus.* Lege, *suscepta.* susceptus fuerit, non solum [Col. 1272B] de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius intulit fratribus, ipsi tamen non est licentia ut aliquid habeat in sua potestate.

@ [Col. 1272C] *Et, si ex qualibet causa scandali.* Haec usque ad finem hujus capituli non exstant in citata Regula cod. Flor. Et, si ex qualibet causa scandali post tertium diem exire voluerit, nihil penitus accipiat nisi in veste qua venit. Quod si casu

@ [Col. 1272C] *Transierit.* Id est, mortuus fuerit. transierit, nullus haeredum ejus

@ [Col. 1272C] *Adire debeat.* Nempe haereditatem ejus de bonis quae monasterio intulerat. adire debeat. Quod

@ [Col. 1272D] *Impulsare.* Usurpatur pro *pulsare, quod est aliquem in jus vocare, agere in aliquem, citare aliquem.* Conc. Aurelian. V, can. 7: «Ejusmodi quoque libertas si a quoquam pulsata fuerit, cum justitia ab ecclesiis defendatur.» Cassiodorus, lib. Var., epist. 8: «Si nihil est quod rationabiliter a pulsato possit opponi, postulatas res tutori facias sine dilatione restitui.» Lib. II legis Longobardorum, tit. 13: Si intra quinque annos creditor pulsaverit, et debitor non habuerit unde solvat,» etc. Glossae veteres, *pulsat,* αἰτιᾶται, id est, accusat. si impulsare voluerit,

@ [Col. 1272D] *Regula ei legatur.* Ut cognoscat pulsator seu actor non esse repetenda ea quae a monacho collata sunt monasterio, et quod hanc legem monachus non ignoraverit. Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus, quia et illi, a quo repetit, fuerit recitata.

§ V.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 49).

@ [Col. 1272D] *Si quis accesserit, etc.* Haec habentur in Regula edita S. Pachomii, art. 26. Si quis accesserit ad ostium monasterii volens saeculo renuntiare, et fratrum

@ [Col. 1272D] *Aggregari.* In Regula excusa, *congregari.* Male. aggregari numero, non habebit intrandi libertatem, sed prius nuntiabitur [Col. 1272C] Patri monasterii, et paucis diebus manebit foris ante januam, ac docebitur orationem Dominicam [Col. 1273A] ac psalmos,

@ [Col. 1273C] *Quantos,* Id est, *quot;* ut, tantos, *tot, de quibus supra.* quantos poterit ediscere, et diligenter sui experimentum dabit,

@ [Col. 1273D] *Ne forte mali quippiam fecerit.* In Regula edita non est τὸ *mali, sed restituendum est.* ne forte mali quippiam fecerit

@ [Col. 1273D] *Et turbatus ad horam timore, etc.* Lege, *et turbatus timore ad horam, etc.* et turbatus ad horam timore discesserit, aut

@ [Col. 1273D] *Sub aliqua potestate.* Id est, servus. sub aliqua potestate sit. Et utrum possit renuntiare parentibus suis, et propriam contemnere facultatem. Si enim viderint aptum ad omnia, docebitur et reliquas monasterii disciplinas, quas facere debeat, quibusque servire sive in collecta omnium fratrum, sive

@ [Col. 1273D] *In domo cui tradendus est.* Id est, in domo in qua manere debeat: quia S. Pachomii monasterium suo continebat ambitu plures domos, in quibus habitabant fratres sub singulis domorum praepositis, ut toties dictum est. in domo cui tradendus est, sive

@ [Col. 1273D] *In vescendi ordine.* Id est, in refectorio, ut artic. 2 ejusdem Regulae: *Et in*

vescendi ordine corripietur. in vescendi ordine, ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis saecularibus, et induent habitu monachorum, tradentque ostiario, ut orationis tempore adducat eum in conspectu omnium; sedebitque in loco ubi ei praeceptum fuerit. Vestimenta autem [Col. 1273B] quae secum detulerat accipient qui huic ei rei praepositi sunt, et referent in
@ [Col. 1273D] *Repositorium.* Est vestiarium hoc loco. repositorium, eruntque in potestate principis
@ [Col. 1273D] *Monasteriorum.* Lege, *Monasterii monasteriorum.*

§ VI.---*Item* (cap. 1).
@ [Col. 1273D] *Qui rudis, etc.* Hoc capitulum non exstat in Regula S. Pachomii edita. Qui
@ [Col. 1273D] *Rudis.* Id est, novitius. rudis
@ [Col. 1274C] *In collectam sanctorum.* Id est, in ecclesiam. in collectam sanctorum ingreditur, et quem per ordinem janitor ab ostio monasterii introduxerit et sedere fecerit
@ [Col. 1274D] *In conventu fratrum.* Sive in ecclesia, sive in refectorio. in conventu fratrum, non licebit ei sedendi locum vel ordinem mutare,
@ [Col. 1274D] *Donec eum transferat.* Janitor, ad alium locum videlicet. donec eum transferat.

§ VII.---EX REGULA SANCTI BASILII. (cap. 5).

Interrog.
@ [Col. 1274D] *Si oportet eum, etc.* Haec habentur apud S. Basilium, interr. 9 Regul. fusius disputatarum, sed valde hic contracta. Si oportet eum qui servis Dei sociari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facultatum suarum,
@ [Col. 1274D] *Domino dicente, etc.* Haec testimonia sunt in responsione in textu Graeco. Domino dicente: *Vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni, et sequere me* **(Matth. XIX)**. Et iterum: [Col. 1273C] *Vendite omnia quae habetis, et date eleemosynam* **(Luc. XII)**? *Resp.* Arbitror quidem quod is qui accedit ad Dei servitium non debeat contemnere et ut libet relinquere ea quae sibi competunt,
@ [Col. 1274D] *Sed temnet.* Lege, *sed contendet.* Nam in textu Graeco est, ἀλλὰ πειρᾶσθαι, id est, sed contendere; alioqui nullus est sensus. sed temnet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta, tanquam ea quae jam a Domino consecrata sunt, quantum fieri potest, rationabiliter dispensare, sciens quia non est absque periculo in opere Dei agere negligenter. Si vero propinqui ejus vel parentes contra fidem veniant, debet rursus meminisse Domini dicentis: *Quia non est qui reliquerit domum aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium,* qui non [Col. 1274A] accipiet centuplum in praesenti tempore, et in futuro saeculo vitam aeternam **(Marc. X)**.
@ [Col. 1274D] *Verumtamen non oportet, etc.* Haec ita emendavi, quia valde corrupta erant in Concordiae codice. Verumtamen non oportet eum his qui sibi quae sua sunt denegant, resistere, sed fidem facere, protestari, et denuntiare, quia sacrilegii crimen incurrunt, secundum mandatum Domini dicentis: *Quia si peccat in te frater tuus, vade et argue eum* **(Matth. XVIII)**. Et reliqua. Judicio vero experiri de his apud judices saeculi abnuit religionis auctoritas per id quod dixit Apostolus: *Audet aliquis vestrum*

negotium habens adversus alium judicari apud injustos, et non apud sanctos **(I Cor. VI)**. Et rursum:
@ [Col. 1274D] *Quia jam quidem omnino, etc.* Hic locus non exstat in textu Graeco *Quia jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos* (*Ibid.*).

§ VIII.---*Ex eadem Regula* (cap. 6
@ [Col. 1274D] Interrog. 6 Reg. fusius disp.).[Col. 1274B]

Interrog. Si oportet omnes qui veniunt ad nos suscipere, aut cum probatione, aut qualis ista debet esse probatio, cum Dei clementia omnes vocet, et per illam praedicationem qua dicitur: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* **(Matth. XI)**?---*Resp.* Non est absque discrimine abjicere quempiam venientem ad nos. Verumtamen neque immundis (ut aiunt) pedibus indulgendum est introire quempiam in sanctam doctrinam; sed sicut Dominus noster Jesus Christus juvenem illum qui ad se venerat, interrogavit de priore vita sua: et cum audisset quia recta ei transacta esset, quod deerat ei praecepit adimplere: et ita domum jussit eum sequi se. Ita etiam nos oportet inquirere de praeterita vita et conversatione, ne [Col. 1274C] forte simulata quis mente et fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demum dignoscitur, si facile omnem laborem corporis, qui injungitur, ferat, et ad castitatem vitae pronus inclinatur: vel si etiam delictum aliquod suum, cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare confunditur, et medelam delicti, quae adhibita fuerit, graviter assumit: et, si ad omnem humilitatem absque ulla iracundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus artificiis (si ita ratio poposcerit) tradi se non aspernatur. Cum ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus, quia firma mente, et stabili consilio, ac prompto animo sit, tunc suscipi eum decet. Et priusquam corpori [Col. 1275A] fraternitatis inseratur, oportet ei injungi quaedam laboriosa opera, et quae videantur opprobria haberi a saecularibus; et observari oportet si libenter haec et libere et fiducialiter expleat, nec confusionem eorum graviter ferat; vel etiam, si in labore impiger inveniatur ac promptus.

§ IX.---*Item interrogatio*
@ [Col. 1275C] Interr. 89 Reg. brev. (cap. 18).

Quoniam scriptum est: *Redemptio animae viri propriae divitiae ejus* **(Prov. X)**, nobis, quibus non accidit dispergere pro animae redemptione divitias, quid faciemus? Si quidem voluimus, et non potuimus, memores simus responsionis Domini ad Petrum: cum de hac re sollicitus esset ac diceret: *Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* **(Matth. XIX)**. Respondit ei dicens: [Col. 1275B] *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, centuplum accipiet, et vitam aeternam consequetur* (*Ibid.*). Quod si per negligentiam accidit cuiquam amisisse divitias, vel nunc adhibeat propensius studium, ut ex opere manuum largiens neglectum resarciat censum. Quod si non nunc quidem vel tempus nobis superest vel virtus ad hujuscemodi ministerium, consolatur nos Apostolus dicens: *Non quaero quae vestra, sed vos* **(II Cor. XII)**.

§ X.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 5).
@ [Col. 1275C] *Qui vero, etc.* Haec habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 4. Qui vero

renuntians saeculo ad monasterium venerit, non statim in coetum delegandus est monachorum. Vitam enim uniuscujusque in hospitalis servitio tribus mensibus considerari oportet, quibus [Col. 1275C] peractis ad coetum sanctae congregationis accedere. Neque enim suscipi intus quemquam convenit, nisi [Col. 1276A] prius foris positus ejus humilitas sive patientia comprobetur. Qui relicto saeculo ad militiam Christi pia et salubri humilitate convertuntur, omnia sua primum aut indigentibus dividant, aut monasterio conferant. Tunc enim servi Christi liberum animum divinae militiae offerunt, quando a se spei saecularis vincula cuncta praescidunt. Qui non rigida intentione convertitur, cito aut superbiae morbo, aut vitio luxuriae subditur. Nequaquam ergo debet a tempore inchoare, qui mundo renuntiat, ne per ipsum teporem rursus in amorem saeculi cadat. Omnis conversus non est recipiendus in monasterio, nisi se prius

@ [Col. 1275C] *Ibi scriptis suae professionis, etc.* In Regula edita *Ipse scripto se spoponderit permansurum.* ibi scriptis suae professionis spoponderit permansurum.

@ [Col. 1275C] *Sicut enim hi qui ad saecularem promoventur militiam, etc.* Tirones olim Romae expleto tirocinii sui tempore, in quo multa probatione adhibita experimentum sui dabant an militiae essent idonei, eorum nomine in matriculis scripto, dato sacramento, in legiones conscribebantur, ut docet Isidorus lib. VII Orig., cap. 3, et Vegetius lib. II de Re militari, cap. 5: «Lectis junioribus, animis corporibusque praestantibus, additis etiam exercitiis quotidianis quatuor vel eo amplius mensium, jussu auspiciisque invictissimi principis legio formatur. Nam puncturis in cute punctis milites scripti, et matriculis inserti jurare solent per Deum, et per Christum, et per Spiritum, et per majestatem imperatoris, quae secundum Deum generi humano diligenda est et colenda;» et lib. I, cap. 8: «Sed non statim punctis signorum inscribendus est tiro, verum ante exercitio praetentandus, ut utrum vere tanto operi aptus sit possit dignosci.» Sicut enim hi qui saecularem promoventur ad militiam, in legionem non transeunt nisi antea in tabulas [Col. 1276B] conferantur, ita hi qui in spiritalibus castris

@ [Col. 1275D] *Coelesti militia sunt signandi.* Metaphora ducta, a militibus, qui expleto tirocinio quibusdam puncturis in cute signabantur, ut clarum est ex citatis Vegetii locis. coelesti militia sunt signandi, nisi prius professione verbi aut scripti teneantur, in numerum societatemque servorum Christi transire non possint.

§ XI.---EX REGULA FERREOLI (cap. 5).

Si quis veniat religionem expetens monasterium intraturus,

@ [Col. 1275D] *Nisi enim sobrius.* Locus corruptus, et legendum ut in altero exemplari: *Nisi elapso prius, etc.*, ut sensus sit, Nullum in fratrum contubernium esse admittendum, nisi post unius anni, aut saltem sex mensium curriculum. nisi enim sobrius anni circulo

@ [Col. 1275D] *Certe si abbati visum fuerit aliquantulum temperare, etc.* Diximus supra probationis tempus olim aut trium annorum, aut unius anni spatio, ut plurimum, terminari solitum. Si tamen persona monasterium appetens religiose in mundo vixisset, aut in ea tempore probationis singularis quidam devotionis fervor eluxisset; ante praefinitum tempus ad habitum, seu professionem admittebatur. Ita statuit synodus Constantinopolitana prima et secunda, can. 5: Ἢ εἰ μήπω τις εἴῃ ἀνὴρ εὐλαβὴς, καὶ τὸν μοναχικὸν βίον ἐν τῷ κοσμικῷ διανύων σχήματι· ἐπὶ γὰρ τοιούτου ἀνδρὸς εἰς

ἀπόπειραν παντελῆ καὶ ὁ ἑξαμηνιαῖος ἀρκέσει χρόνος. Id est, «vel si quis nondum sit religiosus et tamen vitam monachicam in habitu saeculari peragens. Tali enim viro ad experientiam omnimodam semestre spatium sufficiet.» S. Fructuosus archiepiscopus, cap. 20 Regulae: «Quod si quilibet conversus bonis ac puris moribus enitens, abbatis et aliorum fratrum spiritalium fuerit judicio comprobatus, pro merito et purificatione suae conscientiae celerius poterit fratrum consortiis misceri.» Regula Tarnatensis: «Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. Sed si poenitentis fuerit tanta compunctio ut hoc sibi supplicatione assidua exigat, non negetur.» Sanctus Caesarius Arelatensis, cap. 3 Regulae: «Sed uni ex senioribus tradita, annum integrum in eo quo venit habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo, sit in potestate prioris: et quomodo personam vel compunctionem viderit, ita vel celerius vel tardius studeat temperare.» Ubi nota posse differri professionem, etiam completo probationis anno. Sed sacrum Tridentinum concilium, sess. 25, cap. 15, decrevit ne quis ante expletum probationis annum ad vitae regularis professionem admittatur. aut certe si abbati visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex menses dierum numero compleantur, monachorum contubernio non jungatur: ut in tanto spatio ignorantibus, qualis sit futurus, ostendat, et diurna observatione carere possit, si quid secum crudelitatis attulerit. At vero quando prius ad monasterium venit, et recipi se in numero postulat monachorum, interrogetur ab eo utrum liber sit. [Col. 1276C] Haec abbati primum cum satisfecerit responsio, adjiciat si nulla praeter devotionis causam compulsus [Col. 1277A] monasterium duxerit expetendum. Post hoc monasterii Regula abbatis ei jussu legatur, ut in posterum nihil novum vel inusitatum, aut si discessurus, praetereat; aut si permansurus, agnoscat. Vicinam tamen monasterio cellulam, dum praenotatum tempus observat, accipiat. Victumque quotidianum a monasterio, si

@ [Col. 1277B] *Inter reliquos operetur.* Manibus suis; alioqui se suis sumptibus alat. inter reliquos operetur, exspectet, lectioni ante omnia et orationi dans operam, ut dignetur eum ille Omnipotens scrutator animi, cognitorque secreti, familiae suae meritis sanctae conversationis adnumerare: et fiat, sicut scriptum est, *unus grex, unus pastor.*

§ XII. EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 21).

@ [Col. 1277B] *Conversum de saeculo, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass. Conversum de saeculo Patrum decreta docent non suscipiendum in monasterio, nisi experimentum [Col. 1277B] sui in opere

@ [Col. 1277B] *Et penuriam opprobriis.* In Regula ms. et Cod. Vind., *Et penuriam, et opprobriis;* in alio codice, *Pe nuria et opprobriis.* Lege, *in opere et penuria, in opprobriis dederit et conviciis.* Et *penuria hoc loco est afflictio, maceratio, ut paulo post: Atque ita in omni penuria et vilitate subactus.* Et cap. 17 ejusdem Regulae: *Amplior et districtior animadversio, flagellorumque penuria irrogabitur.* et penuriam opprobriis dederit et conviciis:

@ [Col. 1277C] *Quique decem diebus.* Totidem dies ambientes monachatum in monasteriis Aegypti pro foribus excubabant, teste Cassiano lib. IV de Inst., cap. 3. quique decem diebus persistens ad januam coenobii orationibus et jejuniis, patientiae et humilitati operam dederit. Sicque anno illo uni spiritali traditus seniori non statim commiscendus erit congregationi, neque

@ [Col. 1277C] *Interna.* Ita correxi ex Regula ms., cum in nostra Concordia legeretur *integra.* interna fratrum diversoria accedet, sed delegata in exteriore corte cellula

perfruetur, ubi omnem sinceriter exerceat obedientiam: hospitibus sive peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, et omnia humiliter [Col. 1278A] ministeria exercebit, fascemque lignorum suo quotidie dorso ferens hebdomadariis tribuet. Atque ita in omni penuria et vilitate subactus, expleto anno, probatus moribus et laboribus elimatus,

@ [Col. 1277C] *Percepta in ecclesia benedictione.* Antiquus mos est benedicendi monachos professionem emittentes. Acta S. Guillelmi Gellonensis: «Die natalis apostolorum Petri et Pauli Guillelmus comes auro textis depositis vestibus per Dei gratiam solemniter benedicitur.» Causa 20, qu. 3, cap. *praesens, ubi agitur de quodam monacho excucullando auctoritate summi pontificis:* «Salomon episcopus cum quibusdam aliis absque Patris oblatione, vel abbatis percepta et benedictione eumdem Lambertum monasticum habitum induere fecit.» Aegidius Aureae Vallis monachus tom. II de Episcopis Leodiensibus, cap. 2, «Abbas Theodoricus quosdam ex Malmundariensibus Malmundarii benedixit, et profiteri fecit.» percepta in ecclesia benedictione, fratrum societate donetur: unique decano delegetur cunctis bonorum operum exercitiis edocendus. Quod si quilibet conversus, bonis ac puris moribus enitens, abbatis vel aliorum fratrum spiritalium fuerit judicio comprobatus, pro merito et puritate suae conscientiae celerius poterit fratrum consortiis misceri secundum quod abbatis vel fratrum

@ [Col. 1277D] *Ob timorem consuerit.* Lege, *optimorum censuerit.* ob timorem consuerit deliberatio faciendum.

§ XIII.---*Item ipse* (cap. 22).

@ [Col. 1277D] *Omnis conversus, etc.* Exstat in Regula ms. S. Fructuosi archiep. Bracar. eodem cap. 22, quod est *de susceptione conversi.* Omnis conversus ut ad coenobium venerit, seque [Col. 1278B] suscipi postulaverit, confestim in conspectu totius congregationis adductus sciscitabitur ab abbate utrum liber

@ [Col. 1277D] *An servus.* Quia nefas est admittere servum ad habitum monachicum invito domino. Unde S. Ferreolus supra: «Interrogetur ab eo, utrum liber sit.» Et Fructuosus abbas, cap 4 Regulae: «Quod si servi sunt, non recipiantur, nisi libertatem a proprio domino prae manibus attulerint praesentandam.» Ita sancitur can. 4 concilii Chalcedonensis, μηδένα προσδέχεσθαι δοῦλον ἐπὶ τὸ μονάσαι παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου δεσπότου, id est, nullum servum suscipere ad vitam monachicam praeter voluntatem domini sui.» Ita statuitur Cod. L. *Servis, de Episc.* et Clericis, etc.; novella 12 Valentiniani imperatoris, et novella 11 Leonis imperatoris, in qua statuitur, ut servi ad monasterium confugientes quacunque de causa sive intra triennium, sive post triennium repetiti, inde avellantur, ut dominis restituantur. S. Basil., inter 11 Regul. fus. disp., prohibet praeter dominorum suorum voluntatem recipi servos in monachos, si modo non cogantur a dominis suis Dei legem violare, alioqui recipiendos censet, etiam invitis dominis. Servorum conditioni indulgentior fuit Justinianus imperator, eorum saluti simul et vitae monasticae dignitati consulere cupiens novella 5, cap. 2, qua statuit, ut si servi ob mores flagitiosos, simulatione, non veritate sanctimoniae, ex dominorum suorum aedibus ad monasterium fugerint, et furto aliquid forsitan sustulerint, si ita res est, intra triennium a dominis repetiti reddantur; sin autem secus sit, et compertum sit eos honeste apud dominos vixisse, sintque in monasterio mites et disciplinati, etsi nondum forte completum sit triennii tempus, in monasterio remanere debeant trahentium

asperitate liberati. Si vero triennio expleto schema sumpserint monachale, ut pote digni judicati, ut non possint inde avelli a dominis suis decernit, etsi ob furtum aliquod et profligatos mores ad monasterium confugerint, furto tamen ablatis domino restitutis. Nam, ut ibidem ait imperator: «Si multis casibus etiam ex lege hoc sit et talis quaedam libertas datur, quomodo non praevalebit divina gratia talibus eos absolvere vinculis?» Idem constituit novella 123, cap. 35. At libro V. Capitularium Caroli et Ludovici imper., tit. 227, statuitur ut servi ad monasterium convolantes, si ante triennium repetantur, dominis restituantur, si post triennium, non inde trahantur. Vide Photium in Nomocanone, tit. 1, cap. 36, et tit. 2, cap. 3, et Theodorum Balsamonem ibidem, et in citatum canonem concilii Chalcedonensis. an servus sit; utrum bona et spontanea voluntate, an fortasse qualibet compulsus necessitate converti voluerit. Cumque ejus spontaneam ad conversionem praeviderit existere voluntatem, neque quolibet eum

@ [Col. 1278D] *Conditionis.* Id est, servitutis. conditionis nexu

@ [Col. 1278D] *Afflictum.* Lege, *astrictum.* afflictum esse perspexerit, accipiet pactum ejus omnem suae professionis continens originem,

@ [Col. 1278D] *In quo item se convertens alligabit.* Expleto videlicet probationis anno, juxta ea quae statuuntur capite superiori, alioqui secum pugnaret S. Fructuosus. in quo item ita se isdem convertens alligabit, ut omnia se instituta [Col. 1279A] coenobii mente devota profiteatur implere: nec ea ullo unquam tempore violare, neque a districtione coenobii, quam expetiit, polliceatur ullatenus evagari. Cumque hac se professione astrinxerit, subjiciatur regulis supra scriptis, per bonorum operum industriam quandoque Domino, placiturus.

§ XIV.---*Item Fructuosi* (cap. 4).

@ [Col. 1279C] *Monachi qui ob religionis obtentum, etc.* Haec non exstant in Regula ms. S. Fructuosi arch., sed videntur esse alterius Fructuosi. Monachi qui ob religionis obtentum monasterium ingredi petunt, primum ante fores tribus diebus et noctibus excubent, et ex industria jugiter ab hebdomadariis exprobrentur. Quibus diebus peractis, primum interrogentur utrum liberi sint an servi. Quod si servi sunt, non recipiantur, nisi libertatem

@ [Col. 1279C] *A proprio domino.* Supple *obtentam.* a proprio domino prae manibus attulerint praesentandam. Caeteri vero, sive liberi, sive servi, [Col. 1279B] sive divites an pauperes, conjugati an virgines, stulti an sapientes, inscii an artifices, infantes an senes, si quispiam horum fuerit, acrius percontentur utrum recte abrenuntiaverint an non; si omnia fecerint quae in Evangelio per vocem Veritatis audierunt: *Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* **(Luc. XIV)**;

@ [Col. 1279C] *Et illud quod dives quondam adolescens.* Supple *audivit.* et illud quod dives quondam adolescens, qui omnia quae in lege praecepta sunt se implesse jactabat, ad quem Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus:* et veni, sequere me, habebis thesaurum in coelo **(Matth. XIX)**.

@ [Col. 1279C] *Iterum ad eum Dominus loquitur.* Tò *ad eum redundat:* nam post hanc responsionem non ultra locutus est contristato adolescenti, sed apostolis. Haec autem verba: *Qui vult perfectus esse, etc.,* sunt prolata ex memoria, non ex codice. Iterum [ad eum] Dominus loquitur: *Qui vult esse perfectus*

@ [Col. 1279D] *Qui cum apostolis.* Tò *qui redundat. [qui] cum apostolis patrem et matrem,*

reteque et naviculam dimittit. Et qui omnia dixit, nihil de propria [Col. 1279C] facultate reservari mandavit: et non cuilibet, sed cuncta Christus pauperibus eroganda praecepit. Non enim dixit patri, non matri, non fratri, non propinquo, non consanguineo, non filio adoptivo, non uxori,

@ [Col. 1279D] *Non liberis.* Seclusa tamen legitima, quam eis tenetur dare. Id docet Photius in Nomocanone, tit. 21, cap. 1, et habetur Cod. L., *Si qua mulier.* Idem de filio adoptivo dicendum est. non liberis, non

@ [Col. 1279D] *Non ecclesiae.* Nisi forte sit ei curta supellex, et res familiaris angusta. Ecclesiae, non principi terrae, non servis, exceptis libertatibus confirmandis. Cum haec, quae diximus, fuerit sciscitatus, [Col. 1280A] postmodum

@ [Col. 1279D] *In ultimo gradu recipiatur.* Ad probationem videlicet. in ultimo gradu recipiatur.

@ [Col. 1279D] *Quod si horum quos supra diximus.* Adjeci pronomen, *quos, quod desiderabatur.* Quod si horum quos supra diximus more pietatis vel unum nummum alicui male abrenuntians reliquit, statim eum foras pelli mandamus, quia non eum in apostolorum numero, sed Ananiae et Saphirae

@ [Col. 1279D] *Sequacem.* Id est, sectatorem. Paulus diaconus, lib. I Hist. Longobard., cap. 26, hymn. de S. Benedicto:

Haec inter instar nectaris Mirando plectro claruit: Nam pinxit apte lineas Vitae sacrae sequacibus. Significat etiam obedientem. Sidonius lib. VII, epist. 17, «Cujus disciplinae si qui rebelles, ipse castiga; si qui sequaces, ipse collauda.» sequacem esse videmus. Sciatis enim eum non posse in monasterio ad mensuram venire monachi, neque ad paupertatem descendere Christi, neque humilitatem acquirere, neque obediens esse, neque ibidem perpetuo perdurare, sed cum aliqua occasio pro aliquo a sui abbate monasterii distringendi aut emendandi accesserit, continuo in superbiam surget, et acediae Spiritu inflatus monasterium fugiens derelinquet.

§ XV.---*Item ipse* (cap. 18).

@ [Col. 1280C] *Comperimus per minus cauta monasteria, etc.* Haec non sunt S. Fructuosi archiepiscopi, sed alterius Fructuosi. His autem simile est illud Cassiani lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 4: «Nam per alia minus cauta monasteria simpliciter quidam suscepti eorum quae intulerant, quaeque in Dei opere fuerant dispensata, cum ingenti post blasphemia redhibitionem poscere tentaverunt.» Comperimus per minus cauta monasteria, qui [Col. 1280B] cum facultatibus suis prius ingressi sunt, postea tepefactos, cum grandi exprobratione

@ [Col. 1280D] *Repetere et saeculum.* Copula *et transposita est.* Sed lege: *Repetere saeculum;* et quod reliquerant, seu canes ad vomitum, revocare. repetere et saeculum, quod reliquerant, ut canes ad vomitum revocare; et cum suis propinquis, quod monasterio contulerant, hoc extorquere, et judices saeculares requirere, et

@ [Col. 1280D] *Cum sajonibus.* Sajones sunt lictores, de quo vocabulo supra. cum sajonibus monasteria dissipare, et per unum negligentem multos simplices deturbatos videmus esse. Proinde solerter providendum est, et omni intentione discernendum, ut tales non recipiantur, quia non pro amore Christi isti veniunt,

@ [Col. 1280D] *Sed vicina morte perterriti, etc.* Eorum qui gravi infirmitate oppressi

cucullam induerunt, plenae sunt historiae. sed vicina morte perterriti, et infirmitatis angustia compulsi, non ob amorem coelestem incitati, sed solummodo poenam formidantes inferni, de quibus apostolus ait:

@ [Col. 1280D] *Qui timet non est perfectus in charitate.* Joan. epist. 1, cap. IV, ubi haec sententia est aliis hujus loci posterior *Qui timet non est perfectus in charitate, quoniam timor poenam habet,* sed perfecta charitas [Col. 1280C] *foras mittit timorem* **(I Joan. I)**. Non sunt isti discipuli Christi, et non in Ecclesia sunt requirendi, sed in membris Antichristi inveniendi sunt: non sunt accolae terrae repromissionis, nec veri Israelitae, sed de longinquo advenae et proselyti: sed neque fratribus fideles neque in pugna inventi sunt fortes. Tales enim

@ [Col. 1280D] *In Levitico.* Non citavit ex codice, nam locus habetur Deut., cap. XX. in Levitico Dominum cognoscimus detestasse, [Col. 1281A] et in bello ne pergerent, prohibuisse: *Si quis,* inquit, *in corde pavidus est, non egrediatur ab bellum, vadat, et revertatur in domum suam:* ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut et ipse timore perterritus est. De talibus in Evangelio Veritas ait: *Quam difficile est, qui pecunias habent, intrare in regnum coelorum!* **(Matth. XIX.)** Nihil enim de pristinis facultatibus suis

@ [Col. 1281C] *In eumdem locum, ubi ingredi se petit monasterium.* Lege, *In eodem, ubi ingredi se petit, monasterio.* in eumdem locum ubi ingredi se petit monasterium vel unus nummus recipiatur, sed ipse manu sua cuncta pauperibus eroget; et postmodum

@ [Col. 1281C] *Quod probatus.* Vocabulum *quod redundat.* quod probatus monasterio sub Regula introducatur: et anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobetur. Et postquam probatus in cunctis obediens fuerit, et non

@ [Col. 1281C] *In plumbi lamina, etc.* Ex Regula S. Benedicti, cap. 1. in plumbi lamina mollitus, sed acer perduraverit ut ferrum, [Col. 1281B] postmodum exuatur saecularibus vestibus, et induatur monasterii religiosis simplicibus, et adnotetur

@ [Col. 1281C] *In pacto.* Videtur legendum, *in pittacio.* Pittacium, seu pictacium, est brevis, tabella, matricula. Glossae veteres: πιττάκιον, *pittacium, brevis.* Glossae Isidori: *Pittacium, epistola brevis et modica.* in pacto, cum fratribus, et vivat inter monachos probatus et ipse monachus.

§ XVI.---*Item ipse* (cap. 19).

@ [Col. 1281C] *Qui gravioribus culpis, etc.* Non modo qualescunque peccatores, sed etiam ii qui graviorum scelerum conscientia stimulantur, in monasterium admittendi sunt, si non simulata erratorum poenitentia ducuntur. Christus clamat: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Laborantes sunt ii qui mediocribus vitiis affecti sunt; onerati, qui scelerum pondere premuntur, et incurvati sub fasce gemunt. Non obserandum est claustrum ei cui Deus aperit coelum. Christus ipse publicanos et conclamatos peccatores ad se vocavit. In Historiis ecclesiasticis et Vitis Patrum legimus profligatos et perditos homines, immanes parricidas et latrones, et proscriptae libidinis lupas, ad Christum tandem conversos poenitentiae beneficio in sanctissimos evasisse. Hi sunt thesauri bonitatis, patientiae et longanimitatis Dei, qui dives in omnes qui invocant illum, cujus manus non est abbreviata, cujus opus misericordia, cujus sane non est numerus: nam miserationes ejus super omnia opera ejus. Praestantissimi est medici deploratos curare morbos, humanissimi Salvatoris ex sentina et pollubro vitiorum

peccatores extrahere; magnificentissimi regis est suscitare de terra inopem, et de stercore erigere pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui. «Quare non est desperandum de malis. Sed pro ipsis, ut boni [Col. 1282C] fiant, studiosius supplicandum, quia numerus sanctorum de numero semper est auctus impiorum,» inquit S. Prosper sent. 184. Ne vero propudiosi peccatorum mores religiosam vitam vel leviter labefactare valeant, circa eorum studia qui religiosam vitam appetunt, haec statuit S. Basilius observanda interr. 10 Regul. fusius disputatarum: Hi qui in saeculo vitam sanctam egerunt, sunt religioni maxime idonei. Hi vero qui in vitiorum situ et paedore immersi erant, et ii qui mediam quasi vitam inter bonum et malum tenebant, sunt quidem suscipiendi; sed explorandi eorum morum et ingenia, an levitate quadam animi facile in contraria studia et consilia mutentur. Non sunt tamen ab ipso limine desperandi, quia nulla est tam inveterata peccandi consuetudo quae Dei gratia et timore atque laboris assiduitate non pervincatur. Periculum est faciendum eos exercendo durioribus laboribus. Si quid inesse in eis constantiae animadvertimus, admittendi sunt; sin minus, repudiandi: ne caeteri fratres eorum contagione et porrigine coinquinati contabescant. Qui gravioribus culpis se deliquisse cognoscunt, primum eos optamus Regulae colla submittere sub probatissimo abbate, in monasterio desudare, et cuncta retroacta peccata tanquam aegrotos medico spiritali seniori manifestare, et sicut publice peccaverunt, publice poenitere, et poenitenda ultro non committere: timorem de supplicio, amorem de regno, spem de misericordia habere, et nunquam desperare,

@ [Col. 1282D] *Quia in ultimo est.* Lege, *quia in altissimo est.* quia in ultimo est extrema vitae justificare aut condemnare. Scriptum est enim: *Ipse judicabit* [Col. 1281C] extrema terrae. Unumquemque Dominus in fine aut [Col. 1282A] justificat aut condemnat, et universorum finem ipse considerat; ut nec peccator, si fortiter ingemiscit, desperet veniam, nec justus de propria sanctitate confidat. Nihil prodest, si aliquis de regno hodie subtractus, a regni potentia exclusus, ferro constrictus hodie carceri est mancipatus: ita nihil obstat, si hodie a carcere quis rapitur, et in regali honore constituitur: nullus ei sordes carceris imputat; sed hoc solum laudat quod in eo miratur. Sic nihil prodest justo bene vivere, et male vitam finire: ita magnum bonum est peccatori ad poenitentiam redire; olim male vivere, et postmodum bene finire, a nullo retroacta peccata imputata habere. Credimus judicem, qualem in fine invenerit, talem coronare, aut certe damnare. Et quamvis sint gravia delicta, non [Col. 1282B] est tamen illico de Dei misericordia desperandum. Liquido ergo cognoscimus publicanos et peccatores nullo praecedente merito, qui futuri per justitiam erant damnandi, gratuita miseratione per brevem poenitentiam esse redemptos. Sed non est in eis tam consideranda mensura temporis quam doloris. Agat ergo unusquisque dignam poenitentiam secundum qualitates culparum, ut quis

@ [Col. 1282D] *Ut quis in quo delicto, etc.* Id est, in reorum emendatione secundum delicti qualitatem observandum est quid statuant canones. in quo delicto se esse cognoscit reum, de eo delicto necesse est observare primum secundum instituta canonum,

@ [Col. 1282D] *In lege habetur, etc.* Sensus est: Si quis ob caedem seu percussionem centum solidos componere et solvere debeat, clementia tamen judicis tertiam duntaxat partem solvere cogetur: sicut cum multa Deo debeamus, ipse tamen singulari sua humanitate parva satisfactione pro tot et tantis delictis contentus est. In lege habetur ut quis cui quantum intulerit damnum, aut fecerit caedem, aut commoverit ultionem, judicis dirimatur judicio, et de numerositate solidorum ad suum reducatur arbitrium: ne

fortasse persona damnet oppressum, et qui legali censura centenarium [Col. 1282C] habebat incurrere damnum, tertiam reddat:

@ [Col. 1282D] *Quod de liberis continetur.* Id est, quod in lege de liberis continetur. quod [Col. 1283A] de liberis continetur. Certe nos cum essemus servi peccati, Deo miserante et nullo nostro merito praecedente, liberi facti sumus justitiae, et de innumerositate peccaminum in misericordissimi judicis pendet arbitrio nostri peccati debitum: et pro centesimo pondere peccatorum iniquitatis

@ [Col. 1283C] *Cognoscimus.* Videtur deesse Tò *minus.* cognoscimus apponere villicum, qui de centum cadis olei octingenta, de centum coris tritici quinquaginta decurtatum quaesivit debitum, statim se cognovit a proprio Domino esse laudatum **(Luc. XVI)**. Ita plerique sunt in monasteria ingressi, qui ob immanitatem scelerum

@ [Col. 1283C] *Excesserunt numerum, etc.* Annorum videlicet. Nam olim poenitentes plurimis annis pro delictorum gravitate ante fores ecclesiae stabant, ut supra adnotatum est. excesserunt numerum quo sancti canones

@ [Col. 1283C] *Foras ecclesiae.* Lege, *ad fores ecclesiae.* Nam olim poenitentes ad fores ecclesiae stabant. Vide supra. foras ecclesiae agere poenitentiam censuerunt,

@ [Col. 1283C] *Ut nisi in fine vitae, etc.* Ea fuit antiquorum canonum districtio, ut atrocioris criminis rei in morte tantum reciperent communionem, ut habetur in conc. Ancyrano, can. 27; Arelatensi I, can. 14, et nonnullis aliis. et nisi in fine vitae communionem percipere negaverunt. Nos tamen misericordia Domini cooperta pusillanimes sumus [Col. 1283B] consolati, ne gravi tristitia coarctati pereant desperati, de multitudine annorum ad brevem recurrimus numerum, et cito reconciliamus, quam cito eum cognoverimus in patientia et humilitate fundatum. Quia et tunc medicus ab incisione suspendet aegrotum, cum eum per medicamina cognovit esse sanandum. Cibos vero tales eis praescribere mandamus, qui nec lasciviam nutriant, nec nimis corpus affligant. Carnes tamen, siceram vel vinum eis auferre mandamus. Quod si per infirmitatem, aut nimiam senectutem, aut certe aliquam necessitatem ex his imbecillitas patuerit, in arbitrio et potestate majorum ponimus. Vestimentum vero cilicinum praebere jubemus qualiter per id compuncti

@ [Col. 1283D] *Per haedos a sinistris.* Id est, qualiter hoc vestimento cilicino, ex pilis hircinis confecto, sibi in animum inducant se tanquam haedos ad sinistram Dei stare ob peccata judicandos. per haedos a sinistris suorum semper reminiscantur peccaminum. [Col. 1283C] Lectum tamen sternere mandamus,

@ [Col. 1283D] *Corio.* Juxta morem antiquum. Virgilius VII Aen.:

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit. corio aut

@ [Col. 1283D] *Psiatho.* Id est, matta. Vide supra. psiatho, quod Latine

@ [Col. 1283D] *Historia.* Pro *storea, est culcita:* «quod sit terra strata,» inquit S. Isidorus lib. XX Orig., cap. 11. historia nuncupatur, aut certe paleis tenuibus, si ibi horum nihil habetur: exceptis infirmis et nimia senectute depressis: et ipsi arbitrio foveantur abbatis.

@ [Col. 1283D] *Per hanc quam supra.* Ita emendavi, cum legeretur, *haec quam supra.* Per hanc quam supra notavimus, poenitentiam dignam, et non fictam humilitatem [Col. 1284A] unumquemque venire cognoscamus ad veram sanitatem.

§ XVII. EX REGULA TARNATENSI (cap. 5).

Si quis fidei ardore succensus renuntians saeculo monasterium
@ [Col. 1283D] *Magnae dispositionis.* Lege, *magna dispositione.* magnae dispositionis elegerit expetendum, non confestim licentia tribuatur intrandi, sed primum studiosius indagetur utrum voluntarie, an necessitate aliqua coactus advenerit, aut si nulla servitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cum ad abbatis notitiam praeposito nuntiante pervenerit, uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste monstrata. Atque ut informetur regularibus disciplinis, et quae facere debeat, quibusque eum conveniat servire, cognoscat; deinceps omnis [Col. 1284B] regulae constitutio relegatur, et ad comprobandam obedientiam ejus dura ei et aspera praecepta mandentur, nihil in potestate de his quae secum attulit habiturus. Sed si ejus votum tale est ut quae monasterii usibus conferre desideret, oblationem ejus ad integrum devotio sincera commendet: et
@ [Col. 1283D] *Super altare instituat.* Id est, super altare ponat. Olim eorum quae Deo offerebantur chartae super altare ponebantur, ut offerens magis astringeretur: *Unde,* ut hic additur, *reposci aliquid sacrilegium judicatur.* Id patet ex cap. 58 Regulae S. Benedicti: «*Et manu sua eam* (petitionem) *super altare ponat;*» ex charta Fulconis Junioris comitis Andegavensium (*in Breviculo fundationis S.* Nicolai Andegavensis): «Ipsisque videntibus et concedentibus super altare S. Nicolai ipsam chartam porto;» et chartam Berlaeii (*Ibidem*): «Et Berlaeius cum uxore sua, donum quod fecerat, iterum abbati cum ipso missali concessit, et super altare posuit;» ex Magistro cap. 89 Regulae: «Tunc ille brevis vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta ipsius donatoris manu super altare ponatur.» super altare instituat, unde reposci aliquid sacrilegium judicatur. Si pecora cujuslibet generis ad monasterium quo migraturus adduxerit, ab abbate pretium consequatur, cui de eodem pretio faciendo quod voluerit non negetur. Quae si abbas noluerit comparare, cui voluerit vendere permittatur, aut quod melius est,
@ [Col. 1284D] *Praeposita.* Lege, *praeposito.* praeposita venundanda committat. Pretium vero ipsum, ut jam dictum est,
@ [Col. 1284D] *Ab eo cui res fuerant.* Videtur deesse verbum *accipiatur.* ab eo cui res fuerant, dummodo in ejus nihil potestate resideat. Nefas est [Col. 1284C] enim ut qui decipulam hujus saeculi intendit evadere, reservet unde eum infestatio diabolica valeat inretire. Clientem vero et famulum aut
@ [Col. 1284D] *Parentem.* Id est, propinquum, cognatum, affinem. S. Hieronymus, lib. II contra Rufinum: «Forte parentes militari vulgarique nomine cognatos et affines nominat.» S. Caesarius Arelatensis, cap. 38 Regulae: «Si quis vero germanam suam, aut filiam, aut quamlibet parentem videre voluerit.» S. Greg. Turon., lib. III Hist., cap. 14: «Munderius igitur, qui se parentem regum asserebat, elatus superbia,» etc. Lex Burgundionum, tit. 35, § 3: «Quod si parentes puellae parentem suam punire noluerint, puella libenter careat.» parentem secum exhibens, si postulet in consortium religionis admitti, simili examinatione probatum fratribus venit aggregari. Et qui ei fuerat ante in
@ [Col. 1284D] *Servitute subjectus, etc.* Ita in Regula Macarii, Serapionis, et aliorum supra hoc capite: «Noverit jam non eum servum habere, sed fratrem, ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille.» servitute subjectus, [Col. 1285A] frater est in Domini positus servitio computandus, quia apud Deum, ut Apostolus docet, nulla est acceptio personarum. Ille tamen qui ex humili conditione est in germanitatis aequalitate susceptus, non aliquo

elationis tumore superbiat; sed per humilitatem in eo, quae bona sunt, convalescant: et non solum ei cui aequalis effectus est, sed omni fraternitati, ut verus famulus Christi, cum pietate et humilitate deserviat. Quia sicut is qui esse major videbatur in saeculo, per humilitatis affectum frater vocatur ex domino, ita ille sui memor conditionem suam non altiora petendo, despiciat; sed testimonio humilitatis exaltet, ut apud Deum inveniat gratiam. Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. Sed si poenitentis fuerit tanta compunctio, ut hoc [Col. 1285B] sibi supplicatione assidua exigat, non negetur. Quod uni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Vestimenta quoque secum delata, quae primi anni usus non valet expendere, redacta in pretium, cui abbas praeceperit, tribuuntur: quia cum alia meruerit indumenta, priores
@ [Col. 1285D] *Exubiae.* Pro, *exuviae, id est, vestimenta relicta:* Virgilius IV Aen.:

Dulces exuviae, dum fata Deusque sinebant. exubiae in sua non erunt potestate, ut exterioris hominis immutatio cum interioris perfecta plena ratione conveniat. Nihil de his quae perceperit ei sit licitum commutare, nec pro abjectione viliora, nec pro commodo meliora; sed qualiacunque fuerint attributa, cum gratiarum actione suo tantum usui vindicabit.

§ XVIII.---EX REGULA CASSIANI (cap. 19).
@ [Col. 1285D] *Si quis monachus, etc.* Ex lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 3. Si quis monachus disciplinam intrare desiderat, non ante monasterium permittatur ingredi quam [Col. 1285C] diebus decem seu amplius ante januas permanendo duraverit, ut indicium perseverantiae ac desiderii sui, humilitatis etiam vel patientiae se habere demonstret. Qui transeuntium fratrum genibus provolutus ab universis de industria
@ [Col. 1285D] *Refutetur.* Id est, respuatur, recusetur. S. Columbanus, ep. ad Sethum:

Spernit avaritiam vanosque refutat honores. S. Gregor. Tur. in Vitis Patrum: «Cumque ille refutaret, tandem abbatis precibus super oculos domini sui signum crucis imposuit.» refutetur atque despiciatur, tanquam cui non propter religionem, sed propter aliquam necessitatem oportet monasterium introire. Insuper etiam injuriis et exprobrationibus eum afficiant, ut experimentum constantiae, vel qualem tolerantiam in tentationibus injuriarum sit habiturus, ostendat.

§ XIX.---*Item ipse* (cap. 20).

Cumque fuerit in monasterio exploratae mentis ardore susceptus, summa diligentia perquiritur, ne de pristinis facultatibus suis vel unum nummum reservaverit [Col. 1285D] sibi. Nam si in conscientia ejus quantulacunque [Col. 1286A] facultas pecuniae latitaverit, nullo modo sub monasterii disciplina diuturnus poterit permanere; nec humilitatis aut obedientiae institutum apprehendere valebit, nec in monasterii paupertate aut districtione poterit esse contentus; sed mox ut orta fuerit quaelibet commotionis occasio, stipis illius quam sibi reservavit fiducia animatus, continuo de monasterio fugiturus egredietur.

§ XX.---*Item ipse* (cap. 21).

Si quid vero ab eodem pecuniae vel quarumcunque rerum offeratur, nullo modo, qui

praesunt, suscipere ea in monasterii usibus acquiescant, ne confidentia hujus oblationis dedignetur pauperibus se fratribus coaequare. Aut certe si susceperint, cautius per multum tempus prudenti debent servare consilio. [Col. 1286B] Nam multis experimentis frequenter perhibitum quosdam per monasteria minus cauta susceptos ea quae secum detulerant, et quae jam in Dei opere fuerant dispensata, tepefactos postea non sine injuria monasterii sacrilego spiritu ingenti post blasphemia repetisse.

§ XXI.---*Item ipse* (cap. 23).

@ [Col. 1285D] *Si quis ex divitibus, etc.* Hoc capitulum non exstat apud Cassianum; sed puto esse ex Regula cujusdam Patris, quam dixi aliam esse a Regula Servi Dei; quae etiam in hac Concordia suppresso auctoris nomine dicitur cujusdam Patris. Si quis autem ex divitibus huic mundo et facultatibus ejus renuntiat, ita necesse est eum congregationis disciplinam expetere, ut in nullo sibi ex his quae reliquit aut intulerit monasterio, blandiatur. Qui si forsitan fortiori fuerit aetate provectus, sic

@ [Col. 1286D] *Praeparet se.* Addidi τὸ se, quod desiderabatur. praeparet se omnibus obedire, ut secundum sententiam Domini

@ [Col. 1286D] *Ad simplicitatem pristinae infantiae.* Haec simplicitas, quam Christus commendat in Evangelio, summum est in religione bonum. Nam simplex neminem judicat, omnibus cedit, nulli injuriam facit nec reddit, curiositatem fugit, nihil innovat, curas superfluas a se amolitur. Sententiam suam aliis postponit: quia de se vilia, de aliis excelsa judicat. Semper verax nihil simulat, aut dissimulat, ac proinde cum Deo semper, qui est summa veritas et simplicitas, conversatur. ad simplicitatem pristinae infantiae humilitatis gratia revertatur; et nihil sibi de consideratione [Col. 1286C] aetatis, vel annorum numerositate praesumat, quam in saeculo noviter consumptam perdidisse se putet; sed novitate conversationis, quam in Christi militia gerere cupit, subdere se etiam junioribus non moretur.

§ XXII.---*Item ipse* (cap. 24).

@ [Col. 1286D] *Cum vero receptus, etc.* Hoc capitulum sumptum est ex Cassiano, cap. 5 libri citati. Cum vero receptus quis in monasterio fuerit, ita fideliter omni pristina facultate nudetur, ut ne ipsum vestimentum quo a saeculo venit indutus, habere amplius permittatur; sed in medio productus exuatur propriis, et per manus abbatis induatur monasterii vestimentis: ut per hoc non solum universis rebus suis antiquis se noverit exspoliatum, verum etiam omni superbia mundiali deposita, ad Christi paupertatem et inopiam descendisse; et [Col. 1286D] nihil jam de crastino cogitans pauperibus se

@ [Col. 1286D] *Aequare.* Id est, se similem et parem judicare, ut supra dixit, *coaequare.* aequare, [Col. 1287A] quibus

@ [Col. 1287C] *Cognominari.* Id est, idem nomen sortiri. Apud Cassianum legitur: *Connumerari.* cognominari Christus, et quorum se fratrem non erubuit nuncupare: sed potius domesticis ejus glorietur factum se esse consortem.

§ XXIII.---*Item ipse* (cap. 25).

@ [Col. 1287C] *Illa vero vestimenta, etc.* Hoc capitulum sumptum est ex cap. 6 ejusdem libr. IV. Illa vero quae deposuit vestimenta

@ [Col. 1287C] *Praeposito.* Apud Cassianum habetur: *Oeconomo.* Praeposito tradantur:

quae tandiu ab eo serventur, donec profectus conversationis ejus diversis tentationibus evidentius cognoscatur. Et si

@ [Col. 1287D] *Transactis multis temporibus.* Apud Cassianum: *Tempore procedente.* transactis multis temporibus, in ipso fervore quo ingressus est perstiterit, ipsa vestimenta quibus ingressus est pauperibus erogentur.

§ XXIV.---*Item ipse* (cap. 26).

@ [Col. 1287D] *Si aliqua murmuratio.* Ex cap. 6 ejusdem lib. IV de Institutis Renuntiantium. Si vero aliqua murmuratio, aut inobedientia in eo fuerit deprehensa, exuatur monasterii vestibus quibus indutus fuerat, et revestitus suis antiquis, [Col. 1287B] quae a Praeposito conservantur,

@ [Col. 1287D] *Et foris.* Copula *et redundat.* [et] foris expellatur: quia non est fas cum vestimentis monasterii quae accepit abscedere. Nulli autem qui de monasterio exire vult, in palam discedere conceditur nisi forte sicut servus captans densissimas tenebras nocte defugiat, aut certe, sicut superius diximus, cum confusione exuatur coram omnibus fratribus,

@ [Col. 1287D] *Et deposita monasterii veste pellatur.* Haec ejectio est eorum tantum qui probantur, cum eorum vestimenta saecularia nondum fuere pauperibus erogata; ac proinde male a nonnullis eadem esse existimatur cum illa, de qua S. P. Benedictus loquitur cap. 26, 29 et 54. Altera habetur expulsio apud Cassianum libr. IV de Instit., cap. 16; sed erat solum ad tempus: cum quis confusionis gratia cogebatur manere tres aut quatuor dies extra fores monasterii, ut supra observatum est. et deposita monasterii veste pellatur.

§ XXV. - EX REGULA ORIENTALI.

@ [Col. 1287D] *Si quis accesserit.* Major pars hujus capitis est ex Regula S. Pachomii, art. 26. Si quis accesserit ad ostium monasterii volens saeculo renuntiare, et fratrum aggregari numero, non habeat intrandi libertatem, sed prius nuntietur Patri monasterii; et manebit paucis diebus foris ante januam, ac docebitur orationem Dominicam, [Col. 1287C] et psalmos, quantos poterit discere. Et diligenter sui experimentum dabit: ne forte mali quidpiam fecerit, et turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit; et utrum possit renuntiare parentibus, et propriam contemnere facultatem. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas, quas facere debeat, quibusve servire,

@ [Col. 1287D] *Sive in vescendi ordine.* Quaedam desunt, quae ex excitato Pachomii articulo hic restituenda: *Sive in collecta omnium fratrum, sive in domo nutriendus est, sive in vescendi ordine.* sive in vescendi ordine, ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur.

@ [Col. 1288C] *Haec observabit, etc.* Hujus capitis clausula non exstat in Regula S. Pachomii. Haec observabit custos januae, [Col. 1288A] referens omnia, sicut superius scriptum est,

@ [Col. 1288C] *Annuntians.* Lege, *Et nuntians.* annuntians senioribus.

§ XXVI.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 87).

@ [Col. 1288C] *Ingrediendi in monasterium, etc.* Haec reperire est in Reg. ms. Mag. cod.

Corb., cap. 87. Ingredienti in monasterium novo fratri,
@ [Col. 1288D] *Sive jam converso.* Conversus est, qui jam monachus est. sive jam converso, sive adhuc laico, et hoc petenti debere in monasterium suscipi, respondeat ei hoc primo abbas non forte eum posse constituta Regulae conservare. Cum vero ille dixerit posse se ad omnia obedire, tunc haec monasterii Regula ei legatur. Qua Regula in lectione expleta,
@ [Col. 1288D] *Et omnia abbatis verbis praedicta.* Ita in Reg. ms. Lege: *Et omnibus abbatis verbis praedictis, id est, praedicatis.* et omnia abbatis verbis praedicta cum se responderit novus frater ad omnia factis se esse paratum, tunc abbas subsequatur et dicat:
@ [Col. 1288D] *Quid de rebus tuis.* Subaudi, *facies.* Quid de tuis rebus, quas proprio arbitrio uteris? Non enim tibi expedit te hic pro causa Dei posito res tuas alibi remanere, sed sicut [Col. 1288B] dicit Scriptura, *Ubi et thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* **(Matth. VI)**. Nam ideo non expedit, ne forte titillatione diaboli a rebus tuis foris positis per desiderium earum de monasterio
@ [Col. 1288D] *Provoceris.* Ita in Reg. ms. Supp. *exire de monasterio.* provoceris, et relicto servitio sanctae scholae proprio redeas militaturus arbitrio, et sicut canis delectatus redeas ad vomitum tuum et salivas a te projectas in terram denuo cum sordibus resorbeas.
@ [Col. 1288D] *Sed qui perseverantiam diligit, etc.* In Reg. ms.: «Quia perseverantia occasionem migrandi cupit nescire.» Sed qui perseverantiam diligit, occasionem migrandi cupit nescire. Ideoque constituimus salubre consilium, ut audias vocem Domini tibi dicentis:
@ [Col. 1288D] *Vade, vende.* Ita apud Fructuosum abbatem, juxta textum Graecum: Ὕπαγε, πώλησον, quod idem sonat. In versione communi additur copula: *Vade, et vende. Vade, vende omnia, et da pauperibus;* et veni, sequere me **(Matth. XIX)**. Quam ergo si sequi vis vocem, vende quae habes, et omne pretium huc ante me defer, ut te praesente a me pauperibus erogetur, ut nullum saeculo pignus tuum remaneat ad [Col. 1288C] illud iterum revertendi. Ideo enim cum nondum
@ [Col. 1288D] *Firmatam ingressionem.* Id est, stabilitatem. firmatam ingressionem tuam in monasterio habes, tibi de rebus tuis libera adhuc voluntas conceditur. Quia post firmatam ingressionem discipulo sive in mona sterio, sive foris peculiare aliquid habere a regula denegatur, ut non sit ubi propria ejus voluntas extollatur. Quod [enim] si totum
@ [Col. 1288D] *Distrahere.* Id est, vendere, de quo supra. distrahere tibi grave videtur, et sunt tales res quae una tecum possunt monasterio deservire, nec eae pro pignore revertendi
@ [Col. 1288D] *Saeculo.* Pro, ad saeculum. saeculo
@ [Col. 1288D] *Dimittuntur.* Supp. *monasterio.* dimittuntur, omnia fideliter tecum [Col. 1289A] in monasterium defer, nihil subcelando Deo, cujus te cum omnibus rebus tuis subdis servitio; qui ubique omnia respicit, et nihil est ei occultum qui revelat absconsa. Memor esto fraudis Ananiae et Sapphirae, qui de rebus suis Deo oblatis exinde subcelare volentes mortem perpetuam irruerunt
@ [Col. 1289B] *Pro fide.* Id est, ut majorem fidem Christiani adhiberent apostolis. pro fide. Mox ut haec audierit novus frater, si
@ [Col. 1289B] *Priori divina sententia.* Quae paulo ante prolata est ex Matth. XIX. priori

divina sententia omnibus distractis, et per manus abbatis erogatis,

@ [Col. 1289B] *Si hoc.* Particula *si redundat, nec habetur in Reg.* ms. [si] hoc pro certo habuerit votum omnia distrahere, et monasterio non aliquid reservare, non cogatur, nisi ex sua voluntate voluerit. Ergo cum omnibus per manus abbatis erogatis,

@ [Col. 1289C] *Se firmare monasterio.* Id est, stabilitatem in monasterio promittere. se firmare monasterio voluerit,

@ [Col. 1289C] *Charta perseverantiae.* Id est, petitio, seu professio scriptis mandata. charta ab eo perseverantiae non petatur, quia pignus fidei ejus apud Deum omnium rerum suarum per erogatam eleemosynam fuit. [Col. 1289B] Nam per omnium rerum suarum erogationem expensam cognoscitur apud Deum posse fideliter permanere, qui rebus suis pro eo cupit non parcere. Solummodo hanc det fidem sibi penitus foris nihil remansisse celatum. Hanc ideo

@ [Col. 1289C] *Voluntatem.* Dispensandi de bonis suis. voluntatem abbas ingredientibus tribuit, ut non ab introeuntibus

@ [Col. 1289C] *Judicetur potius res hominum desiderare quam animas.* Haec notanda Magistri sententia hoc miserando saeculo, in quo multi coguntur religionem Graeca mercari fide, hoc est, praesenti pecunia et praenumeratis nummis, quae est sane turpis licitatio et nundinatio, Simonis magi opus, si fiat ex pacto pretio, antiquis conciliis prohibita, synodi VII, can. 19, conc. Francofurd. sub Carolo Magno, 17; conc. Later. an. 1163, apud Guill. Neubrigensem lib. II de Gestis Angl. cap. 15; et altero concilio Lateranensi apud eumdem lib. III, cap. 20: «Monachi non pretio recipiantur in monasterio.» Si tamen non sunt sufficientes redditus, potest dari aliquid in alimoniam. judicetur potius res hominum desiderare quam animas. Qui vero frater hoc elegerit cum rebus suis

@ [Col. 1289D] *Monasterio tradere.* Lege, ut in Reg. ms.: *Se monasterio tradere.* monasterio tradere, et distrahendi voluntatem non habuerit, ne aliquando mutatus a diabolo vel armatus propter res suas exigendas aliquas molestias monasterio [Col. 1290A] generans exigere desideret,

@ [Col. 1289D] *Cavens manum suam, etc.* Locus mutilus, sic ex Reg. ms. restituendus: *Cavens manu sua prius de stabilitate simul rerum suarum brebe* (Leg., *brevi*) *adjuncto una cum anima sua Deo et oratorio monasterii offerat.* Cavens manu sua est cautionem seu chirographum manu sua faciens securitatis causa. Glossae veteres: *Cavisti,* ἠσφαλίσω ἐχειρογράφησας Id est, tutum fecisti, chirographum fecisti. Ulpianus ff. l. I, tit. *Usufructuarius quomodo caveat.* «Si cujus rei ususfructus legatus sit, aequissimum praeteri visum est legatarium cavere.» cavens manum suam Deo et oratorio monasterii per donationem offerat, totum subscribentibus religiosis testibus episcopo, presbytero et diacono, vel ipsius territorii clero; et

@ [Col. 1289D] *In ipsa cautione.* Cautio est chirographum, charta, litterae, quae dantur securitatis, seu recordationis causa. Papias: *Cautio a cavendo dicta breve, vel charta recordationis.* Glossae veteres: *Cautio,* ἀσφάλεια, id est, securitas. *Cautiones,* ἀσφάλειαι. Legis Longobardorum [Col. 1290B] tit. 21, l. 13: «Si quis mutuaverit cuiquam homini solidos per cautionem,» etc. Luc. XVI: *Accipe* cautionem tuam, in textu Graeco, γράμμα, id est, litteras. Dicitur et cautum. Corippus lib. II de Laudibus Justini minoris.

Debita persolvit genitoris, cauta recepit. Glossae veteres: *Cautum,* ἀφαλὲς, χειρόγραφον, id est, securum, chirographum. in ipsa cautione taxans hoc

@ [Col. 1290C] *Quod si aliquando.* Locus mutilus, sed ita ex Reg. ms. restituendus: *Quod si aliquando discedere voluerit, sine rebus suis de monasterio:* vel sine indulgentia peccatorum a Deo descendat; lege, *discedat.* quod si aliquando monasterio vel sine indulgentia peccatorum a Deo non discedat. Jam de ipsis rebus abbas in potestate sua

@ [Col. 1290C] *Mutatis.* Id est, derelictis. Nonius Marcellus, cap. 4: *Mutare, derelinquere.* Lucilius lib. XXVI: «Mihi quidem non persuadetur, publice ut mutem meos.» mutatis

@ [Col. 1290C] *Quidquid necessariae utilitati monasterii abundare viderit, etc.* Notanda hominis integritas, sinceritas, simul et charitas. Quam longe abest a quorumdam avaritia, aut curiositate, qui aut bona novitiorum in arca recondunt, aut ea insanis substructionum molibus erigendis, similibusque vanitatibus impendunt, Christo in suis membris algente et esuriente. quidquid necessariae utilitati monasterii abundare viderit, pro anima fratris ipsius propter praeceptum supra dictum sequendi Dominum per eleemosynam distracta illa re supervacua pretium ejus pauperibus tribuat: ut quod ille imperitus frater non meruit facere, pro illo iste quasi doctus magister valeat adimplere.

@ [Col. 1290C] *Qui vero frater.* Ita in Reg. ms. Legendum tamen videtur: *Si vero frater;* ita sensus postulat, et tota hujus capitis constructio. Qui vero frater ex toto indicaverit se nihil habere, prius exquiratur a vicinis [Col. 1290B] illius regionis ubi mansit; et si inventum fuerit quod certe sit ex toto ejus paupertas, tunc dato perseverantiae fidejussore

@ [Col. 1290D] *Sub cautione poenae interposita.* Ita in Reg. ms. Videtur tamen deesse verbum, *suscipiatur, vel quid simile.* Haec autem poena est pecuniae aut rerum aequivalentium, si forte monachus desertor furtum intulerit monasterio, ut ex sequentibus colligere est. sub cautione poenae interposita. Si tamen jam notus fuerit,

@ [Col. 1290D] *Sic debet in monasterio suscipi.* Dato nimirum fidei jussore. sic debet in monasterio suscipi, ne forte aliquibus rebus suis ad tempus foris

@ [Col. 1290D] *Commendatis.* Id est, in depositum datis, commendare enim est in depositum dare. Spartianus in Pescennio Nigro: «Idem jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos, vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post praelia quod dederant.» commendatis, mentita in monasterio paupertate, non solum nihil Deo per eleemosynam, vel monasterio per donationem conferat, sed etiam ab

@ [Col. 1290D] *Spectantibus.* Pro, exspectantibus. spectantibus eum foris rebus suis provocatus;

@ [Col. 1290D] *Et cum quid venerit, exeat causae.* Haec transposita sunt. Lege: *Et cum quid causae venerit, exeat.* et cum quid venerit, exeat causae. Nam cum dederit [Col. 1291A]

@ [Col. 1291C] *Cautos.* Id est, qui sunt solvendo, si forte ipse transfuga aliquid de rebus monasterii furto sustulerit. cautos fidejussores cum poena, jam tunc demum ei

@ [Col. 1291C] *Pro actibus.* Id est, pro negotiis. pro actibus monasterii sine suspicione secure res monasterii aut pretia emendorum vel

@ [Col. 1291C] *Vecturarum.* Vecturae hoc loco sunt jumenta, caballi, asini et similia. vecturarum alimonia contradantur. Si vero talis monasterio advenerit frater quem

@ [Col. 1291C] *Ipsa patria.* Id est, regio in qua situm est monasterium. ipsa patria ignoraverit, vel omnibus habuerit vultum ignotum, et se ad monasterii societatem

@ [Col. 1291D] *Firmare voluerit.* Post haec verba, quaedam desunt ex Regula ms. restituenda: *Sola sacramenti fides ab eo exposcatur, ut si aliquando de monasterio exire voluerit, cum notitia abbatis, etc firmare voluerit, cum notitia abbatis vel omnium exeat;* et cum jam exire voluerit, prius juret se de rebus monasterii nulla furti commissione, aut foris
@ [Col. 1291D] *Antecessus.* Glossae veteres: *Antecessus,* ἔμπροσθεν, βαδίζων, id est, ante vadens. Hic est ergo antecessus, qui prius aliquo iverit, ut nimirum res monasterii absconderet, aut in depositum daret ante fugam seu exitum a monasterio. antecessus commendasse, aut absconsa secum portasse, nisi forte ei pro misericordia voluerit aliquid donare abbas, ut si perjuraverit, ferat in anima quod in corpore non potuit adimplere. Res tamen quibus indutus fuerat monasterii, vel calceamenta reconsignet abbati; et remanenti in perseverantia [Col. 1291B] fratri proficiant quae migrantibus auferuntur; et res monasterii ille habeat qui in monasterio habitat; et juste illi retollatur, qui injuste animos suos a perseverantia monasterii separat; nec illi dare placeant, cui ipsarum rerum
@ [Col. 1291D] *Displicuit disciplina.* Est paronomasia. Eleganter Alcuinus epist. 79: «Disciplina Domini non debet esse cuiquam disciplina.» displicuit disciplina. Si vero ita juraverit, et non se firmet, sed ad tempus remoretur, hoc solum testetur, ut sine notitia vel vale abbatis, vel cum furto non exeat. Etiam ex improviso custodiatur et in potestate nihil habeat; et ad laborem cum fratribus communiter impellatur, ut laborando vivat. Si tamen nudus fuerit, et induere eum abbas voluerit, ad tempus utatur; ut sciat se quod habet omne reconsignaturum, cum exire voluerit; et velut ignotus nullam
@ [Col. 1291D] *Catenam fidei.* Lege: *Chartam, fidejussoris, ut cap.* seq. catenam fidei abbati de securitate intulerit: sive si nulla sacramenti fide [Col. 1291C] teneatur; cum forte incertus de firmitate frater missus fuerit cum vehiculis animalium, et emendarum pretio rerum, mox ducatu diaboli inventis per occasionem sumptibus vel vehiculis in alienas terras de rebus monasterii incipiat magis ordinatus migrare, securus de se per deceptionem quotidie exspectandus et prolongando aut tarde, aut nunquam sequendus.

[Col. 1292A]

§ XXVII.---*Item* (cap. 88).
@ [Col. 1291D] *Cum de omnibus supra dictis, etc.* Haec habentur in Reg. ms. Magistri Cod. Corb., eodem cap. 20. Cum de omnibus supra dictis
@ [Col. 1291D] *Conventus novus frater.* Ita correxi ex Reg. ms.; sed adde τὸ *fuerit.* conventus novus frater
@ [Col. 1291D] *Regulae.* In Reg. ms. legitur, *a regula, recte.* Regulae per abbatem de stabilitate firmanda, aut per
@ [Col. 1292C] *Rerum.* Adde, *suarum, ut habetur in Reg.* ms. rerum eleemosynam, aut per donationem monasterio, aut per chartam fidejussoris poenalem, aut si ignotus per juramenti fidem, duorum tamen mensium spatium in inducias ad tractandum accipiat. Laborando tamen cum fratribus
@ [Col. 1292C] *Contentus annonae communi mensura.* Ita emendavi ex Reg. ms. contentus annonae communi mensura,
@ [Col. 1292C] *Vel regulae disciplina et excommunicationum.* Clarius: *Vel regulae et*

excommunicationum disciplina, ut in Reg. ms. vel regulae disciplina et excommunicationum, ut et mores monasterii probet, et a monasterio ipse probetur; et secum tractet, si debeat se

@ [Col. 1292C] *Ad Deum firmare.* Id est, stabilitatem in monasterio Deo promittere. ad Deum firmare, aut ad diabolum expeditius remeare. In quibus duobus mensibus sub cura illorum fratrum, qui peregrinos custodiunt, et ipse similiter ex improviso custodiatur, [Col. 1292B] et in cella peregrinorum dormiat, et ingressus illius vel exitus in monasterio custodum praesentia videatur. Et omni hora si alicubi a conventu fratrum secesserit, sollicite a custodibus requiratur, ne forte anticipet ambulare sine vale cum furto. Quod si explicitis duobus mensibus non placabili disciplina, et idem monasterio placuerit ambulare, cum notitia abbatis, vel omnium post datam fidem nullius furti commissi, vel reconsignatis rebus monasterii, quas ad tempus forte acceperat, mox data universis pace, et accepta virga

@ [Col. 1292D] *Et annona viatica.* Quia olim egredientibus hospitibus annona ad viam peragendam dabatur. et annona viatica, post factam orationem, vel dictum versum, vel redditam ei pacem, si tamen vult, ut hospes abscedat; et resuscipiat

@ [Col. 1292D] *Vicem suam.* Lege: *Civem suum, ut in Reg.* ms. vicem suam diabolus, quem nolens hospitem susceperat Christus.

[Col. 1292C]

§ XXVIII.---*Item* (cap. 89).

@ [Col. 1292D] *Cum expletae duorum mensium, etc.* Haec videre est in Reg. ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 89, in quo, quemadmodum in duobus superioribus agit permixtim tam de jam conversis quam de laicis, sed de his qui ex saeculo ad monasterium accedunt. Sed ista a nobis distiguentur, ut initium hujus capitis in quo dantur tantum duorum mensium induciae ad probationem in ipso hospitio, intelligatur de jam conversis, qui olim non tenebantur migrando ad alterum monasterium anni integri tyrocinium iterare; sed perspectis in hospitio eorum moribus, admittebantur in societatem, juxta praescriptum S. Benedicti cap. 16 Regulae. Cum expletae duorum mensium ad tractandum induciae fuerint, et placabili disciplina ab eo magis stabilitas eligatur, et perseverantiam repromissam lectae Regulae firmitate ei placeat adimplere, interrogatus ab abbate novus frater, quid secum in concesso induciarum spatio definisset:

@ [Col. 1292D] *Si cum responso ejus, etc.* Ita hunc locum correximus. si cum responso ejus implenda in omnibus promittatur [Col. 1293A] obedientia, respondeat abbas: Deo gratias. Alia die

@ [Col. 1293C] *Post primam dictam missas explicitas.* Lege: *Et post primae dictae missas explicitas.* Quid sint missae, supra diximus. post Primam dictam missas explicitas exeunti limen oratorii cum congregatione abbati flectet ad genua ejus novus frater cervicem, rogans eum vel omnem congregationem eum debere modicum in oratorio remorari, et orare pro se. A quibus mox diutissime pro eo oretur. Et completis omnibus abbas volens egredi, humiliter apprehenso ejus vestimento, novi retineatur manu discipuli, qui haec rogando insinuet: Est quod suggeram primo Deo, et oratorio isti sancto, vel tibi et congregationi. Cum responderit abbas dicens: Et hoc placet tibi? subsequatur futurus discipulus: Hoc primo Deo, sic et mihi. Tunc dicat abbas: Vide,

frater, nihil mihi promittis, sed Deo, et huic oratorio vel altari sancto. [Col. 1293B] Si ad omnia obaudieris divinis praeceptis, vel meis monitis, in die judicii tu coronam accipies bonorum actuum, et ego de peccatis meis indulgentiae aliquid promerebor; qui ut diabolum cum saeculo vinceres, incitavi. Si autem nolueris mihi in aliquo obaudire, ecce ego Dominum contestor, [quia] et haec congregatio testimonium mihi est in die judicii praebitura, quia, ut supra dixi, cum non mihi, vel congregationi in aliquo obaudieris, in judicio Dei ego solutus, tu vero pro tua anima, vel tentatione rationem restitues. Post haec verba,

@ [Col. 1293C] *Si cum rebus suis, etc.* Haec sunt intelligenda de laicis, non de conversis. si cum rebus suis introierit, tunc ille brevis, vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta, ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre: Ecce, Domine, cum anima mea et paupertate [Col. 1293C] mea quidquid mihi donasti, tibi reconsigno et offero; et ibi volo, ut sint meae res, ubi fuerit cor meum et anima mea, sub potestate tamen monasterii et abbatis, quem mihi, Domine, in vice tua timendum proponis

@ [Col. 1293D] *Cum eis dicis.* Nempe Ecclesiae pastoribus. cum eis dicis: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Unde quia per eum nobis tu omnia necessaria cogitas, ideo nihil oportet peculiare habere: quia tu nobis de omnibus es idoneus, et in omnibus sufficis solus, ut jam nobis vivere et spes Christus sit, et mori lucrum. Post haec dicta dicat ipse novus frater responsorium [Col. 1294A] hoc:

@ [Col. 1293D] *Suscipe me, Domine, secundum verbum tuum.* Ita in Reg. ms in versione communi: *Secundum eloquium* tuum, et Magister adjecit τὸ *Domine. Suscipe me, Domine, secundum verbum tuum, et vivam;* et non confundas me ab exspectatione mea **(Psal. CXVIII)**. Post hoc responsorium dicat abbas hunc versum: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Post quem dictum,

@ [Col. 1293D] *Data omnibus pace.* Id est, dato osculo pacis, seu salutatione. Nam novitius admissus ad societatem fratrum debet eos osculari, aut salutare, sive ut statuit S. Benedictus, eorum pedibus provolvi. Cap. 6 Eccl. Hierar. S. Dionysii Areopagitae, in benedictione monachi hujus salutationis fit mentio, quemadmodum et in Euchologio Graecorum, in ordine parvi schematis, καὶ γίνεται ἀσπασμὸς, id est, et fit salutatio. data ei ab omnibus pace, compleat abbas; et tollens brevem de super altare mox ab eo novus discipulus sub

@ [Col. 1293D] *Praepositis.* Ita correxi, cum legeretur *Praeposito;* quia hic Magister in unaquaque decade, seu decania instituit duos praepositos instar decanorum, ut ex superioribus notum est. Et hanc lectionem suadet pronomen, *eorum.* praepositis ordinetur; et in manu eorum consignatus cum aliis fratribus

@ [Col. 1294C] *Exeat disciplinae.* Supp., *gratia, id est cum reliquis fratribus eat ad omnia exercitia disciplinae.* Est eclipsis, phrasis Graeca: ut oratione in Pisonem: *Quae sit hominum querela frontis tuae.* Supp. *causa.* exeat disciplinae. Eadem namque die pro humilitatis indicio aquam manibus fratrum ad communionem intrantibus, ipse minstret, et cum dat, osculetur omnium manus, et petat singulos pro se debere orare. Breves vero donationum factos a fratribus tempore mortis suae abbas

@ [Col. 1294D] *In quod usibus monasterii expensis restituerit.* In Reg. ms. legitur: *Restiterit,* recte, lege autem, *et quod usibus monasterii expensis restiterit.* Id est, et quod, omnibus expensis in usus monachorum factis erit residui ex pecuniis et aliis rebus cum chartis donationum illud in suo testamento scribendum curet abbas moriturus. in

quod usibus monasterii expensis restituerit,
@ [Col. 1294D] *Testamento suo inserat.* Non est hoc loco testamentum suprema testatoris voluntas; sed charta, instrumentum, breviculus seu inventarium, in quo abbas omnem coenobii substantiam et expensas scribebat, de quo vocabulo supra. testamento [Col. 1294B] suo inserat, etiam nomina eorum quorum noscuntur collata: ut nullus post mortem ejus forte de monasterio exiens repetendi rerum suarum fiduciam habeat; et stabilitatem monasterio, et fidem frangat defuncti, vel dicat sine donatione aliquid suum in monasterio contineri.

§ XXIX.---*Item* (cap. 90).
@ [Col. 1294D] *Cum aliquis novellus, etc.* Haec reperire est in Reg. ms. cod. Corb., eodem cap. 90; agitur autem hic specialiter de laicis, qui in monasterio converti cupiunt. Cum aliquis novellus ad servitium Dei in monasterium confugerit et indicaverit se velle converti, non ei credatur tam facile. Nam ficte ab abbate solo verbo, non facto, habitatio ei monasterii denegetur. Ad probationem gravia proponantur, ad obedientiam ejus inveniendam praedicentur contraria et voluntati ejus amara, quotidiana jejunia ei promittantur. Nam et hoc ex lectione Regulae, et dicto [Col. 1294C] abbatis agnoscat, quia in monasterio nulli licet dicere: Hoc volo, et hoc nolo; hoc amo, et hoc odio: ut nec propria eligatur voluntas; et sciat quia qui in monasterio conversus fuerit, quidquid ex voluntate sua voluerit, hoc magis non permittetur. Quare? Quia *sunt viae, quae videntur hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit.* Et quod noluerit, hoc cogitur; ut voluntas in eo propria amputetur, quae inimica est Deo. Qui ergo cupit perfecte converti,
@ [Col. 1294D] *Quidquid amaverit, etc.* Haec compendiosa ad perfectionem via, juxta traditionem priscorum illorum Aegypti monacharum; qui ea discipulis suis [Col. 1295D] imperabant, quae eorum voluntati adversari videbant, ut notat Cassianus lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 8. *Cujus haec erit sollicitudo et eruditio principalis, per quam junior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa praevaleat:* ut doceat eum penitus vincere voluntates, quem studiose in his diligenter exercens haec illi imperare de industria curabit, quae senserit animo ejus esse contraria. quidquid amaverit et desiderio habuerit, ei denegetur; et quidquid oderit, ei apponatur, [Col. 1295A] dicente Domino: *Qui vult meus esse discipulus, abneget semetipsum sibi, et sequatur me* **(Matth. XVI)**; hoc est non suam, sed Dei faciat voluntatem. Omnia enim debet pro Domino sustinere, qui in ejus cupit militare schola. Aut quid enim digne possumus pro Domino sustinere? dicente Apostolo: *Non sunt condignae passiones hujus saeculi*
@ [Col. 1295D] *Ad superventuram gloriam.* In versione communi, *ad futuram gloriam. ad superventuram gloriam* **(Rom. VIII)**. Ut si ignem persecutor servo Christi inferat, ut temporalis calor finito non sentiatur dolore, non tamen talis est, qualis est ignis inexstinguibilis; aut sic incendit, quomodo aeterna poena gehennae peccatrici animae immortaliter reservatur. Si ungulae vel equulei, vel verberum poenas ingerat, in ipsa parvi doloris tolerantia aeternae laetitiae
@ [Col. 1295D] *Coronatus.* Id est, coronatio; in Reg. ms.: *Corona.* coronatus succedit; si carcer nos pro Deo tenebrosus [Col. 1295B] reclaudat, aedificata ex margaritis et auro vel gemmis ornata nos Hierusalem exspectat. Si obscuritas clausurae nos pro Deo

obcaecet, in momento nos poterit obscurare; sed pro hac illa nos lux in aeterna vita suscipiet, quae non solis candore vel lunae, non stellarum coeli, sed ipsius Dei perpetua majestate lucebit. Si terra ista, quam in hac vita calcamus, moriendo pro Deo meruerimus abscedere, mox super illam terram ambulare perpetuo deputamur, quae septies argento lucidior. Si vero quae putantur hujus saeculi esse deliciae, quae inquinant potius

@ [Col. 1295D] *Interanea nostra.* Ita in Reg. ms. Magistri, id est, interna, quae ad animam spectant, metaphorice: nam proprie interanea sunt exta, intestina. Glossae veteres: *Interanea,* ἔγκατα, id est, exta. Item. *Intestina,* [Col. 1296D] interanea, exta, ἔγκατα. Lex Salica dicit: *Intrania, tit.* 19, § 5: «Si vero intra costas nullus intraverit, et usque ad intrania pervenerit.» Gallice, *entrailles.* interanea nostra quam reficiunt, pro Deo ea contempserimus, ad illa statim flumina in aeternum currentia perpetuo deputamur, quae sunt mellis, et lactis, vini et olei abundantia plena; simul et illarum fructus [Col. 1295C] arborum varios et diversos duodecies in annum nascentes non cultura hominis, sed abundantia Deitatis; qui non fame delectant ad vescendum, vel esurie appetuntur ad manducandum; sed postquam oculi sanctorum ipso visu fuerint saginati, insuper hoc unicuique sapit in ore quod fuerit delectatus. Ergo digne ad parvum tempus jejuniis et abstinentia pro Domino cruciamur, ut in eis quae praeparavit bonis in perpetuum satiemur: obscuramur pro Deo a persecutore in carcere, ut in illa perpetua luce fulgeamus, tanquam scintillae in arundineto discurrentes: mortem momentaneam pro Deo libenter appetimus, ut in aeternum a gehennae morte perpetua liberemur. Postremo et sine persecutione in ipsa [Col. 1295D] christianitatis pace in schola monasterii ideo probationibus [Col. 1296A] vel amaricationibus voluntatum sub abbatis imperio militemus, ut post peregrinationem vitae saeculi hujus, cum Dominus noster in judicio nos accersierit suo, digna ei nostra opera consignemus, offerentes ei patientiam nostram, per quam dura omnia et diversa nobis ab abbate imperata, quae pro nomine ejus gratanter portavimus, vel amaricationes voluntatum nostrarum diversas, quas pro nomine Dei vel salute animae libenter magis sustinuimus, dicentes Domino: *Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Et cum haec omnia venerint super nos, obliti non sumus te, et per observationem obedientiae inique non egimus in testamento tuo; et a perseverantia bonorum actuum vel desiderio spei futurae non recessit retro cor nostrum: [Col. 1296B] quia non declinaverunt semitae nostrae a viis tuis, in quibus viis *probasti nos, Deus, sicut examinatur argentum.* Induxisti nos probationis in laqueum, posuisti amaricationum tribulationes in dorso humilitatis nostrae: ut nostram non permitteremur, sed tuam cogeremur facere voluntatem. Unde *imposuisti homines super capita nostra:* quia ostendisti nos sub abbate doctore vel praeposito disciplinae debere esse probandos. Ergo hi tales

@ [Col. 1296D] *Subsequentes.* Id est, persequentes. subsequentes, Domino dicant: In illo jam saeculo *transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium;* hoc est, transivimus per amaricationes voluntatum nostrarum et servitium sanctae obedientiae: ecce pervenimus ad tuae refrigerium pietatis. Et item dicimus ei: *Delectati sumus pro diebus,* [Col. 1296C] *quibus non humiliasti, annis in quibus vidimus mala:* ut nihil habeat in nobis gehennae ignis sibi quod vindicet, quando nihil suum in nobis incendendum ibi diabolus egit. Ergo omnia debet pro Domino sustinere qui ejus cupit militare scholae; et tanquam aurum lima, et malleis, et igne fornacis probetur ad diadema Dei, et coronam

Dominicam profuturus. Quia cum propriam non fecerit voluntatem aliquis, cogitur facere, cui quotidie dicimus in oratione: *Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.*

@ [Col. 1296D] *Terra enim est corpus.* Ita idem Magister in expositione orationis Dominicae, quam posuit post regulae suae prologum: «Ita *et in terra, dixit, hoc est, corporis nostri machina de limo terrae formata, cui per sententiam Dei dictum est: Terra es, et in terram ibis.* Terra enim est corpus nostrum, cui dicit Dominus: *Terra es, et in terram ibis* **(Gen. III)**. Quia omnis propria voluntas carnalis est, et a corpore descendit, ideo nos cogit

@ [Col. 1296D] *Illecebra.* Ita in Reg. ms. Lege: *Illecebrosa.* illecebra et injusta committere

@ [Col. 1296D] *Quae ad parvum tempus vitae hujus carni, etc.* Locus corruptus. In Reg. ms. additur verbum *videntur, recte.* Sed ita lege: *Quae ad tempus parvum vitae hujus per carnis desideria videntur esse dulcia, amariora felle futura.* quae ad [Col. 1296D] tempus parvum vitae hujus carni per desideria esse [Col. 1297A] dulcis amarior felle futura in posterum et in aeternum. Ideoque enim cogitur lingua nostra juste quotidie clamare ad Dominum: Fiat voluntas tua in terra corporis nostri. Quae voluntas cum fuerit nobis in schola monasterii a majoribus tradita, et per obedientiam a nobis fuerit adimpleta quotidie, juste nobis credamus in futuro Dominum parcere, et confidamus insuper gratia ejus posse nos coronari, quia semper ejus fecimus voluntatem, non nostram, et nunquam nos desideria carnis praetulimus amori ejus; et propter eum etiam parati sumus perdere animas nostras in praesenti tempore, ut mereamur eas in futuro invenire cum ipso. Ergo accedens ad timorem Dei aliquis in monasterio cupiens converti, vel volens esse discipulus, hoc ei pro Domino futurus [Col. 1297B] magister proponat, ut supra diximus. Quia quidquid aliquando pro desiderio voluntatis suae appetierat, sciat sibi posse negari; quidquid noluerit, audiat sibi posse imponi.

@ [Col. 1297C] *Antecessus ei peculiaria denegentur.* Id est, non praecedat alios. Antecessus ei peculiaria denegentur; Regula ei tota legatur, et factis implenda promittatur. Domum parentum de caetero sciat sibi esse extraneam, inaccessibile limen ejus ulterius habere jam credat. *Quia, nisi quis reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut domum, non potest esse Christi discipulus.* Citra jussionem majoris a monasterio fortasse non exire sciat. Cum haec omnia ab abbate praedicta promiserit se ad omnia obaudire, et ejus, vel Regulae monitionibus ad omnia factis esse paratum, tunc suscipiatur in monasterium. Nec tamen tam facile

@ [Col. 1297C] *Sancti propositi habitus imponatur.* Ita correxi, cum deesset τὸ *sancti, et* τὸ *praepositi legeretur;* ex sequentibus: *Quandiu sancti propositi habitum habere mereatur.* sancti propositi habitus imponatur: [Col. 1297C] ne ad horam promittens fallat in posterum, et sub nomine ovis lupus ingrediatur.

@ [Col. 1297C] *Quia cum saecularis erat, etc.* Notanda doctrina, ne quis incipiens se acrius a daemone impugnari animadvertens, animo cadat. Nec solum diabolus, sed etiam ipsa caro initio conversionis vehementius insurgit, pungit, ac lancinat; et ipsa vitia, inveterata etiam peccandi consuetudo noviter conversos instantius urgent, et quae prius amica, fiunt inimica. Quod praeclare docet Isidorus libr, de Conversis, cap. 3: «Quisque conversus si mox carnales stimulos calcare cupiat, et summa virtutum subire contendat, si forte adhuc aliqua adversa de carnis molestiis tolerat, non frangatur: quia dispensator bonorum novit adversitatis reprimere vitium successione virtutum. Tunc magis gravari se quisque impulsu vitiorum agnoscit, dum ad cognitionem Dei accesserit. Sicut

populus Israel graviore onere ab Aegyptiis premitur, dum per Moysen divina illa cognitio aperitur. Vitia enim ante conversionem quasi pacem in homine habent: quando autem expelluntur, acriore virtute consurgunt. Fiunt autem inimica converso, quae peccatori prospere blandiebantur, atque item fiunt blanda converso, quae peccatori adversa exstiterunt. Multos habet conflictus Dei servus ex recordatione operum praeteritorum, multique post conversionem etiam nolentes motum libidinis sustinent: quod tamen ad damnationem non tolerant, sed ad probationem, scilicet ut semper habeant pro excutienda inertia hostem, cui resistant, dummodo non consentiant.» Quia cum saecularis [Col. 1298A] erat, eum diabolus non tentabat, cujus aperte semper voluntatem perfecit, cum ejus operarius fuit; sed ex quo se a diaboli suasionibus vel militia saeculari ad timorem Dei in servitium Christi tradidit, certissime ab ea die diabolum sibi inimicum sciat effectum, quem cum saeculo suo propter timorem Domini dereliquit. Ergo tam facile ingredienti non debet credi, nisi videatur si quod promittit verbis, factis adimplet, dicente Scriptura: *Nolite omni spiritui credere,*

@ [Col. 1298C] *Sed prius probate.* In versione communi: *Sed probate Spiritus, etc.* I Joan. IV. *sed prius probate* **(I Joan. IV)**. Et iterum: *Quia multi ad vos veniunt in vestitu ovium, intus autem lupi rapaces* **(Matth. VII)**. Vide ergo quia causam Dei caute nos jubet agere Scriptura, ut non mittatur sanctum canibus, nec margaritae pretiosae ante porcos; sed monens eum quotidie abbas dicat: [Col. 1298B] Fili, interim

@ [Col. 1298C] *Res istae.* Id est, vestes saeculares. istae res, quibus uteris in monasterio, nihil tibi praejudicant apud nos; sed prius in divinis interanea cordis tui de saecularibus factis cum mundaveris, jam tunc demum mutabis vestes, ut merito jam ab omnibus hoc videaris in corpore, quod a Deo possideris in mente; et juste post pectoris caesam malitiam tondebis et caput. Et cum haec omnia quae in regula monasterii continentur, in tuis adhuc vestibus perfecte impleveris, et nostrum cum susceperis habitum, sanctior permanebis. Cum ergo ex illa die omnia cum caeteris fratribus inculpabiliter in monasterio per integrum annum impleverit, tunc demum sine ulla dubitatione tondeatur, et ei [

@ [Col. 1298C] *Sancti propositi vestes mutentur.* Ita in Reg. ms., sed haec vocabula: *Sancti propositi, redundant.* sancti propositi] vestes mutentur. Tondeatur enim sic. Stet ipse frater in medio oratorio curvatis genibus: [Col. 1298C]

@ [Col. 1298C] *Tondente eum abbate.* Olim cum monachus habitu monachico induebatur, ante altare ipse ab abbate, seu a sacerdote tondebatur. Id patet ex Actis S. Mauri, ubi Florus ante altare habitum suscipiens a S. Mauro tondetur prius, deinde a Theodeberto rege et aliis ejus optimatibus, rogante S. Mauro; ex Actis S. Galli episcopi Arvernensis apud S. Gregorium Turonensem, cap. 6 de Vitis Patrum: «Ille assumpto secum uno puerulo monasterium Cremonense expetiit sexto situm ab Arverna urbe milliario suppliciter abbatem exorans, ut sibi comam capitis tondere dignaretur.» Joanne Moscho, cap. 143: Ταῦτα ἀκούσας ὁ ἀββᾶς ἐδέξατο αὐτὸν ἔνδον τοῦ μοναστηρίου καὶ ἀποκείρας αὐτὸν δέδωκε αὐτῷ τὸ ἅγιον σχῆμα, id est, «his auditis abbas suscepit eum in monasterium, et cum totondisset, dedit ei sanctum habitum.» Euchologio Graecorum, ubi describitur ratio vestiendi monachi: Ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς, id est, «sacerdos tondet eum in modum crucis.» Id videtur etiam apud Theodorum Balsamonem in can. 6 synodi Carthaginensis, ubi ait tonsuras monachorum posse fieri a sacerdote monasterii praefecto, ab alio vero sacerdote monacho minime nisi de licentia episcopi. Antiquus sane ritus, et ab apostolicis temporibus derivatus, ut

constat ex cap. 6 Hierarchiae Ecclesiasticae supra citato: Τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενον αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἀποκείρει [Col. 1299B] id est, «forma crucis signatum ipsum (monachum) sacerdos tondet.» Hanc orationem, quae dicebatur, antequam monachus tonderetur, refert Smaragdus: *Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut sicut hic famulus tuus comam amittit capitis, vitia similiter amittat corporis et cordis:* ut corpore pariter innovatus et mente, tecum feliciter valeat in aeternum regnare. Per Christum. Sed hic ritus abiit in desuetudinem. tondente eum abbate, psallentibus in circuitu cunctis. In quo probationis anno psalmum, antiphonam, [Col. 1299A] aut responsorium, vel versum non imponat, quandiu sancti propositi habitum habere mereatur, nec cum abbate ausus sit manducare. Vestes vero saeculares, quas, dum mutat, exutus fuerit, diligentia repositae conserventur: ne forte (quod non in conversis contingat) cum ad suos denuo vomitus redire voluerit, et saeculi elegerit iterato repedare itinera, et nullis scripturarum vel monitionis potuerit vinculis retineri, reddat Christo quod suum est: id est, exutus sanctis vestibus, vel habitu sacro, suis quibus venerat vestitus vestibus

@ [Col. 1299C] *Resimilans saeculo.* Ita in Reg. ms. Id est, iterum similis saeculo factus. resimilans saeculo ad suasorem diabolum revertatur, et non Christi praedatus habitus polluatur in saeculo a fugaci. Recipiat talem qualem miserat saeculum: quia retulit quod suum est, indigno quod dederat Christus cum invenire [Col. 1299B] in eo Dominus non potuit quod quaerebat.

@ [Col. 1299C] *Quidquid enim in monasterio acquisivit, vel laboravit.* Particula *enim,* hoc loco sumitur pro, *vero, autem, ut passim occurrit in hoc auctore.* Quidquid enim in monasterio acquisivit, vel laboravit, aut contulit,

@ [Col. 1299C] *Abscedenti penitus non reddatur.* Olim prohibitum fuit abscedentibus monachis bona quae monasterio contulerant reddere. Idem videtur in Regula Magistri, supra cap. 89, et statuitur in Regula Macarii seu Patrum supra hoc cap.: «Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in veste qua venit.» Quemadmodum Novella 5 Justiniani, cap. 5: «Si quis autem forte semel dedicatus, schemateque potitus, deinde a monasterio discedere voluerit, et postmodum fortasse eligere aliam vitam, ipse quidem sciat, quam pro hoc Deo dabit satisfactionem: res autem quascunque habuerat, dum in monasterium intrabat. eas esse monasterii.» Et C. L. 54, *de Episcopis et Clericis, etc.* «Quod si illi monasteria, aut ecclesias relinquant, et mundani fiant, omne ipsorum jus ad monasterium aut ecclesiam pertinet.» abscedenti ei penitus non reddatur: quia omni rei ingressae ad Dominum in monasterio perseverantia opus est; ideo exitus licentia denegatur; solum ab invito ea res quae liberum habet arbitrium non detinetur, id est, anima ipsa et corpus, quae in voluntatibus et desideriis suis, ut a diabolo captivetur, libero se dicit esse constitutam arbitrio, et putat sibi licere quod malum est. Res apostatarum vel collata ideo a Patribus non jubentur a monasterio reddi, quia licet erogatae vel consumptae in usus sanctorum, removeri et restitui non [Col. 1300A] possint; tamen plurima ideo certissime denegantur, ut vel occasione rerum suarum ad Dei disciplinam in monasterio permanentes retineantur discipuli. Ideo res Deo oblata

@ [Col. 1299D] *Revocari.* Id est, restitui, de quo supra. revocari saeculo ab homine non debet. Nam et ista hujus Regulae tripartita sententia: «Labor in monasterio fratres pascit; perseverantia calciat et vestit; discessus restituit debitas monasterio res:

@ [Col. 1299D] *Et si capit, abscedat.* In Reg. ms.: *Etsi capit, abscedit;* lege, *etsi capit, qui abscedit;* nam dixit: *Dicessus restituit monasterio res.* et si capit, abscedat.

§ XXX.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 1).

Hoc jubente Deo in primis statuimus tenendum, ut si quis
@ [Col. 1299D] *Ad conversationem.* Lege. *Ad conversionem, ut in cod.* Vind. ad conversationem venerit,
@ [Col. 1299D] *Regula ei in salutatorio legatur.* Ita statuit S. Caesarius in Recapitulatione, cap. 8: «Quaecunque ad conversationem venerit, in salutatorio ei frequentius [Col. 1300B] Regula legatur.» De salutatorio supra dictum est. Regula ei in salutatorio
@ [Col. 1300C] *Legatur.* Videtur legendum: *Frequentius legatur, quemadmodum S.* Caesarius, quem sequitur S. Aurelianus. legatur, et si professus fuerit se omnia impleturum,
@ [Col. 1300C] *Tunc excipiatur.* Anno scil. probationis evoluto. tunc excipiatur.
@ [Col. 1300C] *Exceptus vero usque ad mortem suam, etc.* Ita statuit S. Caesarius cap. 1 Regulae suae: «Si qua relictis parentibus suis saeculo renuntiare et sanctum ovile voluerit introire, ut spiritualium luporum fauces Deo juvante possit evadere, usque ad mortem suam de monasterio non egrediatur.» Teridius seu Tetradius, cap. 1 Regulae: «In primis si quis ad conversionem venerit, ea conditione excipiatur, ut usque ad mortem suam ibi permaneat.» Exceptus vero usque ad mortem suam nec praesumat, nec [Col. 1300B] permittatur de monasterio egredi propter illud propheticum: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae* **(Psal. XXVI)**.
@ [Col. 1300C] *Vestimenta vero religiosa non accipiat, etc.* Idem statuit S. Caesarius cap. 4 Regulae suae: «Quae autem viduae aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad monasterium veniunt, non recipiantur, nisi antea de omni facultatula sua, cui voluerint chartas aut donationes aut venditiones faciant,» etc. Lege, *aut donationis, aut venditionis.* Per viduas quae mutatis vestibus veniunt ad monasterium, intelligit eas quae mutatis vestibus in domibus convertuntur sive sanctimoniales fiunt, de quibus conc. Aurelian. V, can. 19. Idem etiam decernit Tetradius, cap. 1 Regulae: «Vestimenta vero laica non ei mutentur, nisi antea de facultate sua chartas venditionis esse sicut Dominus praecipit dicens,» etc. Sed hic locus etiam corruptus est atque etiam ita castigandus: *Chartas donationis et venditionis faciat, sicut Dominus praecipit, etc.* Vestimenta vero religiosa non accipiat, nisi de omni facultate sua, sive grandi, sive parva chartas donationis, aut venditionis, cui voluerit, faciat, propter Domini mandatum, ubi dicit: *Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes* **(Matth. XIX)**. Et: *si quis non relinquit omnia quae possidet, non potest meus esse discipulus* **(Luc. XIV)**.

§ XXXI.---*Item* (cap. 4).

Si quis laicus tonsurandus est,
@ [Col. 1300D] *De capillis illius in confessione mittatur.* In professionis monasticae testimonium. In Actis S. Guillelmi Gellonensis videmus barbam et comam depositam Deo consecrari: «Guillelmus comes auro textis depositis vestibus per Dei gratiam benedicitur, totus ille in eo sacer ordo perficitur; coma nobili, barba venerabili deposita,

et Deo consecrata.» de capillis illius

@ [Col. 1300D] *In confessione.* Confessio est capsa seu tabernaculum ex auro, vel argento, et seu alia quavis [Col. 1302A] pretiosa materia in honorem alicujus sancti fabricatum. Anastasius Bibliothecarius in Hilario papa: «Confessionem sancti Joannis Baptisae fecit ex argento, quae pensat libras centum.» Et paulo post: «In oratorio sanctae Crucis fecit confessionem, ubi lignum Dominicum posuit cum cruce aurea cum gemmis, quae pensabat pondus librarum viginti.» In Symmacho papa: «Fecit autem oratoria duo, S. Joannis Baptistae, et sancti Joannis Evangelistae, in quorum confessione arcus argenteos posuit pensantes libras triginta.» In Sixto tertio: «Item fecit Sixtus episcopus confessionem beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam et altare, et confessionem sancti Laurentii martyris de argento purissimo;» et innumeris prope ejusdem auctoris locis. in confessione mittatur, ut ei in testimonium sit. [Col. 1301A] Quod si tonsuratus,

@ [Col. 1302A] *Aut in habitu religioso.* Si nempe monachatum ageret in aedibus suis, aut certe habitum poenitentis suscepisset. Nam haec verba non intelliguntur de coenobitis, qui chartas donationum facere non poterant migrando de uno monasterio ad alterum. Quod autem nonnulli vitam monachicam in suis domibus agerent, patet ex epist. 24 Sidoaii, lib. IV: «Cum surgeremus percontor astantes quod genus vitae de tribus arripuisset ordinibus, monachum ageret, an clericum, poenitentemne? «Ibi agitur de Maximo palatino, qui conversus vitam sanctam in suis aedibus agebat; et frustra an monachum ageret, interrogasset, nisi etiam aliqui in suis aedibus vitam tunc ducerent monachicam. aut in habitu religioso venerit, non excipiatur, nisi, ut superius diximus, chartas de eo quod proprium in saeculo habuerat, faciat, [Col. 1302A] ut nihil sibi reservet quod non a se alienet. Et id quod secum exhibuerit, totum

@ [Col. 1302A] *In potestatem abbatis.* Deest verbum *consignet, vel quid simile.* in potestatem abbatis timens exemplum Ananiae et Saphirae.

CAPUT LXVI. DE FILIIS NOBILIUM ET PAUPERUM QUI OFFERUNTUR.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1301B] *Si quis forte de nobilibus offert filium suum.* Hujus oblationis mentio fit in Chron. Novalegiensi, in petitione Widilonis suum filium offerentis tempore Caroli Magni: «Dum legaliter sancitum antiquitus teneatur et cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo feliciter servituros, etc.» Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minore aetate est,

@ [Col. 1301C] *Parentes.* Id est, pater et mater, et non alii. Vide Petrum Blaesensem, ep. 54. parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus,

@ [Col. 1301C] *Et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri, etc.* Id videtur in eadem petitione Widilonis: «Idcirco ego Widilo hunc filium nostrum Amblulfum cum oblatione in manu altaris palla manu mea involutis ad nomen S. Petri et S. Andreae caeterorumque sanctorum, quorum reliquiae hic continentur, et tibi Warnari praesenti decano ad vicem domni Witgari episcopi, seu et Richarii praepositi trado coram testibus regulariter permansurum.»---*Cum oblatione.* Haec oblatio erat hostia cum vino

in calice, ut habetur in Constitutionibus Lantfranci, cap. 18: «Offerendus puer facta prius corona manibus portans hostiam et calicem cum vino, sicut mos est,» etc. Sed hic mos non ubique viguit; nam in monasterio Eremi S. Mariae in Helvetiis puer ferebat hostiam in mappula, et vinum in ampulla, ut scribit Ruthardus ejusdem coenobii monachus, in hoc caput: «Debet ponere in dextra manu filii sui oblatam cum mappula, in sinistra autem ampullam vini.» Et videtur Ruthardus haec dicere juxta consuetudinem monasteriorum Germaniae. Oblata est oblatio seu hostia, panis qui offertur in missa. Antiqua synodus, quae videtur celebrata sub S. Udalrico episcopo Augustano, constitutione 19, «Calicem et oblatam recta cruce signate.» Graecis προσφορά. Sed locus synodi intelligitur de hostia tam consecrata quam nondum consecrata, locus S. Benedicti, ut et Lantfranci et Ruthardi, de hostia non consecrata. et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant in

@ [Col. 1301D] *Palla altaris.* Soteris papae decreto (*Dist.* 25, *c.* 26) prohibetur sacratis Deo feminis et monachabus sacratas pallas tangere, ac proinde minus licitum laicis, seu viris, seu mulieribus, et synodi Antissiodorensis, can. 37: «Non licet mulieri manum suam ad pallas Dominicas mittere.» Itaque cum S. [Col. 1302B] P. Benedictus permittat puero et ejus parentibus tangere pallam altaris, videtur palla altaris esse quid distinctum a sacratis seu Dominicis pallis, quae, ut arbitror, sunt linteum illud sacratum quod corporale vulgo dictum supponitur corpori Dominico; sed palla altaris est illud velamen quo velatur altare, sive sit lineum, sive sericum; quae quidem pallae altaris distinguuntur a corporali, ut videre est in concilio Meldensi, apud Burchardum lib. IV, cap. 13: «Similiter ad corporale lavandum, et ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat;» et in synodo Arvernensi, can. 7, ubi opertorium Dominici corporis, quod est corporale, distinguitur a palla altaris: «De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur.» Et recte corporale dici potest opertorium Dominici corporis, quia olim sacrosanctum Domini corpus illo operiebatur in altari. Rupert., lib. II de divinis Officiis, cap. 23, «Sacrosanctum Domini corpus lineo corporati superpositum obtegitur.» Eadem differentia videtur in concilio Rhemensi apud Burchardum lib. III, cap. 97. «Observandum est ut mensa Christi, id est, altare, ubi corpus Dominicum consecratur... cum omni veneratione honoretur, et mundissimis linteis et pallis diligentissime cooperiatur.» Et apud eumdem, cap. seq., in eodem concilio: «Corporale super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo et purissimo linteo sit.» Huic nostrae explicationi favet Lantfrancus constitutione supra citata: «Involvant praedicti parentes manus (*lege manum*) pueri in palla, qua altare coopertum est, et cujus pars anterius pendet.» Sed discrepat Ruthardus, qui scribit pallam altaris dici mappulam cum qua puer offert oblationem. Sed id probandum esset. Hujus tamen ritus rationem affert, quia pannus altaris sacratus erat; sed hoc peculiare erat huic monasterio et nonnullis aliis. palla altaris, et sic eum offerant.

@ [Col. 1302D] *De rebus autem suis aut in praesenti petitione promittant, etc.* Ita in citata petitione Widilonis: «Et ut haec nostra traditio inconvulsa permaneat, promitto cum jurejurando coram Deo et angelis ejus, quia nunquam per me, nunquam per suspectam [Col. 1303A] personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de monasterio tribuam occasionem.» De rebus autem suis, aut in praesenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam [Col. 1303A]

@ [Col. 1303A] *Per suffectam personam.* Recta lectio et habetur in codicibus mss. SS.

Germani Far. et Vict., cum editione Coloniensi, S. Dunstano et Smaragdo, tam in textu quam in formula petitionis, quam profert, hancque vocem explicat: «Suffecta persona *dicitur supposita, vel subrogata;* suffectus *dicitur in loco alterius suppositus.* Favet Lantfrancus constitutione citata, cum ait: «Quo facto, praefati parentes coram Deo et sanctis ejus statim promittant, quod per se, aut a se suppositam personam susceptum ordinem puer nunquam relinquet: neque se ei scienter aliquid daturos, unde puer (quod absit) perire possit.» Ubi τὸ *suffectam explicavit per* τὸ *suppositam.* Turrecremata, Chron. Novalegiense, et vulgatae editiones legunt, *suspectam, sed haec mihi valde suspecta lectio:* quasi vero nihil possit dari puero, quam per suspectam personam? Suffecta ergo persona est vicaria supposita, subrogata. Novella 38 Theodosii: «Si propriae non compleverit onera civitatis universa, per suffectum reddere compellatur.» per suffectam personam, nec quolibet modo, ei aliquando dent aut tribuant occasionem habendi: vel certe si hoc facere noluerint, et aliquid offerre voluerint in eleemosyna monasterio pro mercede sua, faciant [Col. 1304A] ex rebus quas dare voluerint, monasterio donationem, reservato sibi (si ita voluerint)

@ [Col. 1303B] *Usufructuario.* Smaragdus legit, *usu fructuum, et ita explicat: Usu fructuum dicit quod non dicimus usum fructuarium.* Editio Colinaei legit, *usufructu.* Vulgo tamen legitur, *usufructuario, id est usufructu.* Ita loquitur S. Gregorius papa lib. II, epist. 9: «Retento sibi usufructuario diebus vitae suae.» Quidam legunt divisim, *usu fructuario, alii conjunctim uno vocabulo, ut nomen sit neutrius generis;* ita Ruthardus: «Ut dum ego vixero, ejus portionis usufructuarium habeam;» ab adjectivo, *usufructuarius, factum substantivum:* quo adjectivo utitur Marculphus, form. 25, «Pater facultatum filii integram usufructuario jure vindicet portionem.» usufructuario. Atque ita omnia observantur, ut nulla

@ [Col. 1303C] *Suspicio.* Facultatum, quas in saeculo esset habiturus. suspicio remaneat puero,

@ [Col. 1303C] *Per quam deceptus perire possit.* Ex his verbis satis constat pueros seu infantes oblatos a parentibus astringi perpetuo monachatui, nec posse hunc statum repudiare sive ante pubertatis annos, sive post. Et haec antiqua fuit praxis Ecclesiae et monasteriorum. Id patet ex formula petitionis apud Smaragdum: «Idcirco hunc filium nostrum N. cum oblatione in manu, atque petitione, altaris palla omnibus involutis, ad nomen sanctorum quorum hic reliquiae continentur, et abbatis, trado coram testibus regulariter permansurum, ita ut ab hac die jam non liceat illi collum de sub jugo regulae excutere,» etc. Idem habetur in petitione Widilonis supra citata. Quae quidem verba nugatoria essent, si pueri oblati tenerentur remanere in monasterio tantum usque ad annos pubertatis. Et clarius patet ex formula petitionis quam profert Ruthardus in hoc Regulae caput, «Promitto ego ille coram Deo et sanctis ejus pro filio meo de stabilitate sua, et conversione morum, atque obedientia.» Ibi vovetur sine restrictione et conditione, quae tamen in re tam necessaria et tanti ponderis exprimenda esset: praesertim cum in voto solemni conceptis verbis exprimendo nihil sit in animo retinendum quod ore non proferatur. Praeterea votum stabilitatis non est ad paucos annos, sed ad vitam, ut supra explicatum est. His dictis ex eodem Ruthardo postea dicebat pater: «Promitto per viventem in saecula quia nunquam do illi haereditatem suam, aut aliquid quidquam; sed exhaeredo illum ab omni mea haereditate, ut exhaeres sit in perpetuum: ita ut per nullum ingenium possit quaerere haereditatem meam.» Quae quidem verba omnem explodunt explicationem; [Col. 1304A] nisi dicamus patrem offerendo

filium, Deo et sanctis ejus in testimonium adhibitis, coram sacro altari nugari velle, imo pejerare. Id cautum est concilii Toletani IV can. 48: «Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit alligatum, tenebit; proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, et omnes ad saeculum interdicimus regressus.» Vulgo respondetur loqui concilium de pueris qui sunt adhuc impuberes, quod tunc non liceat eis excutere jugum sibi a parentibus impositum, non vero de puberibus, qui postea possunt hoc jugum deponere. Sed haec solutio nulla est. Nam qui proprio arbitratu profitetur religionem, nunquam debet in mundum regredi, ergo, nec is qui paterna devotione offertur. Probatur. Ideo qui proprio arbitrio profitetur, nunquam potest in mundum regredi, quia ex praefato concilio monachus est; sed qui paterna devotione offertur, ex eodem concilio monachus est: *Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit.* Ergo ei qui offertur a parentibus per hoc concilii decretum nunquam licebit a monasterio recedere, et jugum sibi a parentibus impositum excutere. Ita etiam statuit S. Isidorus hic citatus a nostro auctore et a Smaragdo, et relatus 20, qu. 1, c. *Quicunque:* «Quicunque a parentibus propriis monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum.» Eadem causa, qu. 3, cap. 4, agitur de quodam Lamberto, qui invitus inter octavum et decimum annum cuculla a patre indutus fuerat, nec multo post habitum monachicum acceperat ab episcopo, etiam invitus: qui cum vellet reclamantibus fratribus adire haereditatem, papam convenit, ab eoque dispensari petiit, quod facile obtinuit, patre, qui jam nuntium mundo remiserat, sub jurejurando obtestante quod eum invitum cuculla induisset, nec manum ejus palla altaris involvisset, nulla ab abbate benedictione percepta. Haec tota dispensationis causa, non minor aetas. Si igitur hic Lambertus, nullum ponens obicem, fuisset solemni ritu a patre oblatus, manu ejus pallae altaris involuta et abbatis benedictione percepta, non fuisset dispensatus; ac proinde post pubertatis annos non potuisset legitimam dispensationem postulare. Id etiam clare constat ex conc. Tolet. II, cap. 6: «Ideoque si in qualibet minori aetate, vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu filiis, aut unus, aut ambo parentes dederint: certe vel nolentibus, aut nescientibus esse susceptam, et non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad saecularem reverti habitum quandoque penitus non licebit,» etc.; ubi haec posteriora verba satis indicant non licere ejusmodi pueris post pubertatem ad saeculum redire, et satis explicant mentem concilii Toletani IV supra citati. Et cap. q. 1 ejusdem causae: «Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia coepit canere et legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit; sed si discesserit, reducatur; si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur.» Quae profecto de his qui pubertatis annos excesserunt intelligenda sunt, cum sit inusitatum pueros ante pubertatem relicto monasterio ducere uxores. Sed esto quod ejusmodi matrimonium sit ante pubertatis annos ab ejusmodi pueris contractum, tamen ex citato canone sequitur ejusmodi pueros esse religioni perpetuae astrictos, cum ejusmodi canon jubeat hoc matrimonium dirimi; quod non posset fieri, si pueri a parentibus oblati perpetuae religioni non essent [Col. 1305A] obnoxii. Probatur, quia ejusmodi oblatio minus obligaret pueros oblatos quam votum simplex religionis et castitatis; sed haec vota etsi impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum; igitur ejusmodi oblatio, quae juxta adversarios non astringit perpetuae religioni, non posset dirimere contractum matrimonium, licet impediret

contrahendum. Probatur major, quia praedicta vota perpetuo obligant, sed ejusmodi oblatio, juxta adversarios, non perpetuo obligat, ergo minus quam ejusmodi vota. Sed nostra assertio maxime probatur ex cap. 2, qu. 1, ejusdem causae, ubi Gregorius III papa S. Bonifacio sciscitanti an pueri ejusmodi possint post annos pubertatis egredi monasterio, et uxorem ducere, sic respondet: «Addidisti adhuc quod si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderit disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleverint annos egredi et matrimonio copulari: hoc omnino evitamus, quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.» Ubi vides hanc solam et unicam rationem cur non debeant ejusmodi pueri ad mundum redire post pubertatis annos, quia Deo oblati sunt a parentibus, non vero, quod manendo in monasterio usque ad annum decimum quartum sine ulla ejusmodi status reclamatione pueri oblati censeantur tacite ratam habere ejusmodi oblationem de se a parentibus factam, ut nonnulli respondent. Quod non multum favet ipsis pueris oblatis: nam aut forte, ut primum ad hunc annum pervenerunt, aetatem suam nesciunt, aut non cogitant de ratificanda ipsa oblatione. Et sane dandum esset eis aliquod deliberandi spatium unius anni, aut aliquot mensium. Et durius cum illis agitur, si pridie quam attigerint decimum quartum annum nullo modo obligati perpetuo manere, postera die obligentur. Quid, si uno aut altero mense, si quindecim vel octo diebus duntaxat oblati fuerint a parentibus ante annum aetatis decimum quartum, quomodo ratam habebunt ejusmodi oblationem, cui tam brevi spatio temporis ad deliberandum concesso obstringi necesse erit, cum adultis annus integer concedatur?

Huic nostrae opinioni vulgo opponitur decretum Marcelli papae, quod habetur 20, qu. 1, cap. 10, ubi permittitur pueris anno aetatis decimo quinto hujuscemodi parentum oblationem aut confirmare, aut rescindere. Sed hoc decretum non adeo certum est, cui palea praefigitur, ut etiam ipse glossae auctor testatur; et merito quidem: quia cum tunc rari essent monachi, atque illi in solitudinibus vitam durissimam agerent, non est credibile tempore hujus Marcelli papae puerorum oblationem in usu fuisse; maxime cum nihil de ea ante tempora S. Benedicti, aut saltem S. Leonis primi, qui agit de puellis oblatis a parentibus, legatur.

Objicitur etiam non esse probabile tale jus fuisse parentum in liberos, et hoc adversari sacrae Scripturae. Sed dico hoc jus esse a naturali potestate quam habent parentes in liberos, qui possunt etiam eos vendere necessitatis causa, ergo etiam devotionis causa Deo offerre in perpetuum ejus obsequium, tam pro salute sua quam liberorum, modo id fiat pura intentione et devotione. Et haec oblatio summae est virtutis, quae vincit amorem naturalem parentum in liberos, et etiam desiderium naturale propagandae familiae suae, maxime cum uno oblato caeteri superstites possint sine liberis mortem obire: et etiam solatii, quod parentes possent ex ejusmodi oblatis percipere, quo tamen privantur illos Deo sponte offerendo. Quapropter non est dubium quin haec oblatio sit Deo gratissima et acceptissima, cujus gratia tum parentes, tum liberos summis beneficiis cumulat Deus et ditat; maxime liberos, ut possint onera aequo animo ferre vitae monasticae, quae leviora sunt jugo servitutis, quod tamen possunt liberis suis parentes imponere, ut in confesso est apud omnes: Jugum enim Christi suave est et onus leve, maxime ipsis pueris, qui nullis vitiis conspurcati sunt, nulla prava consuetudine corrupti, ab ineunte pueritia bonis monachorum exemplis imbuti, piis

institutionibus et praeceptis informati, saeculi et vanitatum ejus, ac deliciarum penitus ignari; praesertim antiquis illis temporibus, cum rara essent in urbibus monasteria, raro saeculares ad monasteria accederent, et rarius monachi suis asceteriis egrederentur. Neque his adversatur sacra Scriptura, et, si quae testimonia proferri possunt, ea sunt de adultis, et juxta communem usum hominum intelligenda. Neque etiam obstat id quod objicitur de sponsalibus, quae facta a parentibus nomine filii, ab eo possunt rescindi. Nam aliud est filium alicui puellae despondere, aliud est eum Deo offerre: et status matrimonii, licet de bonis sit, non est tamen de optimis et perfectis, ut loquuntur: at status religionis est de optimis et perfectis. Deinde onus matrimonii gravius est jugo religionis: id experimento norunt qui cum mala muliere conjuncti sunt. Nec etiam cap. *Firma nostrae sententiae adversatur.* Nam ibi agitur de his qui proprio voluntatis arbitrio vovent, non vero de his qui a parentibus offeruntur, ut ubi recte explicat Gratianus. Sed postea ejusmodi oblationes abrogatae sunt cap. *Cum simus, de regularibus.* per quam deceptus perire possit [Col. 1305A] (quod absit), quod experientia didicimus. Similiter autem et pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, similiter petitionem faciant, et cum oblatione offerant filium suum
@ [Col. 1306C] *Coram testibus.* In petitione nobilium et pauperum nulla fit mentio testium, sed tantum in petitione eorum qui nihil habent omnino. Tamen in antiquis petitionum formulis, quae generaliter tam de nobilibus, quam de his qui nihil habent omnino sunt, testes adhiberi videmus, ut apud Smaragdum hoc loco: «Et ut haec petitio firma permaneat, manu nostra eam firmamus, et testibus roborandam tradidimus.» Id videtur etiam in petitione Widilonis nobilis viri: Trado coram testibus regulariter permansurum.» Et statuitur Add. I Capitul. Lud. imp., tit. 36: «Ut puerum pater et mater tempore oblationis offerant altari, et petitionem pro eo coram laicis testibus faciant,» et hoc decretum generale est. Id etiam constat ex Ruthardo, cum agit de ritu puerorum offerendorum indifferenter, sive illi sint nobiles, sive pauperes, aut nihil omnino habeant: «*Ille debet respondere dicens:* Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio.» Et paulo post: «*Deinde debet dicere abbas testibus:* Auditis, fratres, et videtis, quid iste dicat; *illi debent dicere:* Audimus et videmus.» Itaque haec verba, *coram testibus, referuntur etiam ad nobiles et ad pauperes.* Adhibentur autem testes, ne forte parentes liberos repetant aut pueri reclament. coram testibus.

[Col. 1306A]

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII.

Interrog.
@ [Col. 1306D] *Ex qua aetate, etc.* Habetur apud S. Basilium, interr. 15 Regul. fusius disput., et apud Rufinum, cap. 8, sed contractum. Ex qua aetate oportet nosmetipsos offerre Deo, vel
@ [Col. 1306D] *Virginitatis professionem.* Erat hoc unicum olim apud Graecos vitae monasticae votum παρθενίας, id est, virginitatis, ut vocat S. Basilius hac interrogatione, in junioribus quidem; ἀγαμίας, id est, coelibatus, in his qui thorum olim experti sunt, apud eumdem in epist. 2, ad Amphilochium, can 19: «Virorum autem professionem non novimus praeter eos qui seipsos monachorum ordini addixerunt,» οἱ κατὰ τὸ

σιωπώμενον δοκοῦσι παραδεδέχθαι τὴν ἀγαμίαν, κ. τ. λ., id est, *Qui tacite videntur coelibatum admisisse, etc.* Et in Admonitionibus idem Basilius mentionem facit voti virginitatis: «Si ad feminarum domus accesserit clericus aut monachus, et virgo patiatur hujuscemodi introire ad se, statim immutant pristinam dignitatem, et quod Deo polliciti sunt, sua voluntate amittunt. Nec enim poterunt hujusmodi mansionem in se Deo praeparare, sed dissolvuntur ut lignum aridum. Nunquid virginitatem Dominus ab aliquo extorquet invito?» virginitatis professionem quando oportet firmam vel stabilem judicari?---*Resp.* Dicente [Col. 1307A] Domino: *Sinite infantes venire ad me* **(Matth. XIX)**, et apostolo Paulo collaudante eum qui ab infantia sacras litteras didicisset **(II Tim. III)**; et rursum praecipiente educari filios in doctrina et correctione Domini **(Eph. VI)**.

@ [Col. 1307C] *Firma tamen erit professio virginitatis, etc.* Hic textus profertur a Gratiano, 20, qu. 1, cap. 2, ex nona synodo; sed ibi non reperitur. S. Basilius hoc loco professionem adulta aetate faciendam esse praecipit; epist. 2, ad Amphilochium, can. 7, aetatem professioni idoneam determinat, docetque votum virginitatis emittendum esse supra annum decimum sextum aut decimum septimum. Verum concilium Trullense, can. 40, permisit professionem fieri anno aetatis decimo, non antea: Ἔστω τοίνυν ὁ μέλλων μοναχικὸν ὑπέρχεσθαι ζυγὸν, οὐχ ἥττων ἢ δεκαετής id est, «Qui ergo monachicum subit jugum, non sit minor decem annis.» Agit concilium de monachica professione, aitque votum non esse differendum ad aetatem a S. Basilio praescriptam, imo accelerandum, quia Ecclesia Dei firmior est et robustior. Sed utramque aetatem amplectitur novella sexta Leonis imperatoris: «Itaque quae magnus iste et admirandus decrevit Basilius, ut videlicet qui monachicum habitum ambiunt decimo sexto primum ac decimo septimo aetatis anno digni illi habeantur, quaeque sancta sexta mandat synodus anno decimo, qui ejusmodi vitam capesserent, suscipiendos esse, noveris. Haec cum sanctissimo patriarcha Deique amantissimis metropolitanis diligenter expendentes, neutram sacrarum legum duximus esse contemnendam. Sed contra ad utrumcunque tempus religioso habitu, qui illam vitam sumere cupiunt, dignos haberi jubemus.» Videndus Theodorus Balsamon in canonem citatum. Haec ideo instituta sunt quia bonum est viro portare jugum ab adolescentia sua. [Col. 1308B] Flos aetatis Deo consecratus odorem spirat suaviorem. Postea statutum est ut nemo ante annum decimum quartum vitae religiosae professione solemni astringeretur, ut habetur cap. *Ad nostram, de Regularibus, etc.* Sed tandem propter abusum multorum, qui avaritia ducti liberos suos monasteriis obtrudunt invitos, qui a fratrum consortio, ut verbis Majoriani imperatoris utar (*Nov.* 8), parricidali quodammodo arte subtrahuntur, ne patris matrisque congrua largitione, aut eorum aequa cum reliquis filiis successione potiantur, sacrum concilium Tridentinum sanxit (*Sess.* 25, *cap.* 15) ne quis ante decimum sextum aetatis annum expletum ad professionem religiosam admittatur. Firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam aetas esse coeperit, et ea quae solet nuptiis apta deputari ac perfecta. Oportet tamen infantes voluntate et consensu parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos sub testimonio plurimorum suscipi, ut omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam, quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter institui, tam in verbo quam intellectu et opere. Quidquid in tenero et parvo quis inseruerit, firmius [Col. 1307B] et tenacius in posterum conservabit. Injungenda est ergo infantium cura his qui ante omnia in virtute patientiae documenta sui probabiliter praebuerint, qui possint pro merito delicti et aetatis singulis quibusque etiam correptionis adhibere mensuram, et qui

servent eos primo omnium a sermonibus otiosis, et ab iracundia, atque ab incitamentis gulae, et a cunctis indecentibus et inordinatis motibus. Si vero cum aetatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industrius, sed vaga mens et animus cassus, etiam post instituta probabilia, infructuosus permanserit, hujuscemodi abjici oportet, et maxime [Col. 1308A] cum juvenilis fervor rudem lacessit aetatem. Eorum vero qui aetate robusta accedunt ad servitium Dei, eportet inquirere, ut diximus, qualitatem vitae praeteritae, et sufficere etiam hoc ipsum, si satis instanter hoc expetunt, et si verum et ardens desiderium est eorum erga opus Dei. Hujusmodi vero fieri documenta ab his oportet qui valde prudenter de his discutere potuerint et probare. Cum autem fuerint suscepti, si forte propositum transgressi fuerint, nec videri eos oportet amplius, tanquam eos qui in Domino deliquerunt,

@ [Col. 1308C] *Quod est confessionis suae pactum cum professi sunt.* Locus corruptus. Lege, ut apud Rufinum: *Et professionis suae pactum transgressi sunt.* quod est confessionis suae pactum, cum professi sunt. Et, si peccaverit, quis orabit pro eo **(I Reg. II)**?

§ III.---EX REGULA SANCTI ISIDORI. [Col. 1308B]

@ [Col. 1308C] *Quicunque a parentibus, etc.* Haec non reperiuntur in Regula S. Isidori excusa. Referuntur 20, qu. 4, cap. *Quicunque, sine ulla libri aut capitis citatione.* Referuntur etiam a Smaragdo, sed ex nostro auctore sumpsit. Quicunque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum. Nam Anna Samuel puerum natum et ablactatum Deo

@ [Col. 1308D] *Pietate, qua voverat, obtulit.* In causa citata, et apud Smaragdum legitur tantum, *cum pietate obtulit.* pietate, qua voverat, obtulit; quique in ministerio templi, quo a matre fuerat

@ [Col. 1308D] *Functus.* Ita apud Smaragdum; sed in causa citata legitur, *deputatus, rectius.* functus, permansit, et ubi constitutus est, deservivit (I Reg. I).

§ IV.---EX REGULA SANCTI AURELIANI EPISCOPI (cap. 46).

@ [Col. 1308D] *Qui vero, etc.* Hoc capitulum desideratur in cod. Vind., quod quidem sumptum est ex Regula S. Caesarii, cap. 4: «Illae vero quae adhuc vivis parentibus substantiam suam in potestate habere non possunt, aut adhuc minoris aetatis sunt, chartas tunc facere non compellantur; quando res parentum in potestate habuerint, aut ad legitimam aetatem pervenerint.» Ubi lege, *sed quando, etc.* Idem praecipit Tetradius, seu Teridius cap. 1 Regulae: «Si vero pater aut mater ejus vivat, et non habet potestatem faciendi (chartas), si migraverint, cogantur facere.» Qui vero minoris aetatis sunt, aut vivis parentibus in monasterio ingrediuntur,

@ [Col. 1308D] *Chartas.* Donationum. chartas tunc facere compellantur,

@ [Col. 1308D] *Quando aetate probati fuerint.* Id est, quando aetate competenti fuerint. Haec constitutio non recedit a novella Leonis imperatoris sexta, qua prohibetur ne puer decimum aetatis annum agens monachus factus condat testamentum ante aetatem legitimam. Haec autem aetas erat annus decimus quartus completus. Ulpianus, ff. leg. *qua aetate, tit. Qui testamenta condere possunt.* Quod quidem de masculis intelligendum est, nam feminis olim concessum est condere testamentum anno duodecimo aetatis suae completo. Ulp. ibidem. Porro ex hoc S. Aureliani decreto planum est olim monachos defunctis parentibus non fuisse legitima sua exclusos. Id

clarum est ex locis Caesarii, Teridii, et novellae paulo ante citatis, et 20, qu. 1, cap. *Non liceat, ex novella.* «Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab haereditate sua repellere monachos factos, quamvis, dum laici fuerant, in causam ingratitudinis inciderunt.» Et Cod. l. 54, de Episcopis et Clericis, etc., statuitur ut parentes testamentum condentes necesse habeant liberis seu clericis seu monachis *quadrantem relinquere;* quod si non fecerint, locum esse *ab intestato.* Et Cod. Theod., lib. V, tit. 3, l. *Si quis episcopus, sancitur ut, si monachus aut monacha nullo condito testamento decesserit, bona quae ad eum pertinent, monasterio cui fuerat destinatus omnifariam socientur, si nec ei parentes, vel liberi, vel agnati, vel cognati aut uxor exstiterint.* Id etiam constat ex S. Salviano Massiliensi, qui lib. IV ad Ecclesiam catholicam, fuse probat eos qui in monasteriis convertuntur, non esse a parentibus legitima sua spoliandos. Nec tamen poterant monachi pro arbitrio uti ejusmodi bonis, sed tenebantur ea factis chartis dare monasterio, aut pauperibus, aut ecclesiis. Quae si monasterio dabant, vendebantur: et inde pecunia facta pauperibus erogabatur, paucis nummis in subsidium fratrum sepositis. Non enim [Col. 1310C] accumulandis possessionibus animum appellabant, alioqui ejusmodi testamentis seu chartis donationum fere universum orbem sibi comparassent. quando aetate probati fuerint, [Col. 1309A]

@ [Col. 1310C] *Aut res, etc.* Particula *aut sumitur copulative.* aut res parentum in potestate habuerint.

§ V.---*Item* (cap. 47).

@ [Col. 1310C] *Minori aetate non excipiantur nisi ab annis decem.* Juxta concilium et novellam praefata. Tamen S. Caesarius Arelatensis, cap. 5 Regulae infantulas parvulas ab annis sex aut septem recipi permittit. Minori aetate non excipiantur in monasterio, nisi ab annis decem, aut duodecim; qui et nutriri non egeant, et cavere noverint culpas.

§ VI.---EX REGULA MAGISTRI.

@ [Col. 1310C] *Cum alicujus nobilis filius, etc.* Haec habentur in Reg. ms. cod. Corb., cap. 91. Cum alicujus nobilis filius propter Dei servitium in monasterium voluerit convolare, non prius suscipiatur, nisi, ut diximus, omnem a se obedientiam promiserit implendam. Deinde

@ [Col. 1310C] *Conveniant.* In Reg. ms., *conveniantur, rectius.* conveniant ejus parentes, ut et eorum quale sit votum agnoscatur de eo. Quod si contrarii exstiterint interim usque ad vim pro eo Domino inferendam ad claustra monasterii, vindicetur, quem potest Dominus defendere [Col. 1309B] propter se: quia fortior est dextera ejus ad protegendum quam diaboli iniquitas ad laedendum. Quod si magis fuerint consentientes ejus voto parentes, convocatis eis ab abbate in monasterium, votum filii convertentis exquiratur ab eis, ut ab ipsis potius videatur devoveri vel offerri qui eum genuerunt. Cum ergo magis responderint parentes gratanter se velle adimplere quae cupit, tunc dicat eis abbas: Equidem omnibus nobis unus ad omnia sufficit Deus;

@ [Col. 1310C] *Sed quia accedentibus.* Ita in Reg. ms. Verum particula *sed videtur redundare, et* τὸ *quia referendum ad superiora, hoc modo: Equidem quia omnibus nobis unus ad omnia sufficit Deus, accedentibus, etc.* sed quia accedentibus ad divinum servitium, vel intrantibus in monasterium saeculi prius amputetur spes,

@ [Col. 1310C] *Excarricato.* Lege: *Et excarricato, ut in Regula ms. Excarricare est onus deponere; carricare onerare, ut supra notatum est.* excarricato de se suarum onere

facultatum, nullis ulterius saeculi laqueis irretitus, securus pergat, et solus ad Dominum: quia *nemo serviens Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit* **(II Tim. II, 4)**. Quia homo onustus auro [Col. 1310A] sequi Christum non potest, dum non potest duobus dominis servire. Ipse vero bene servit Deo, qui voluerit illum in coelis cum eo thesaurum possidere, quem non tinea comedit, neque fures effodiunt et furantur, dicente Domino in Evangelio: *Nisi qui renuntiaverit omnibus quae possidet,*
@ [Col. 1310D] *Non potest sequi me.* Ita in Reg. ms., quae tamen non reperiuntur in textu evangelico; sed addita sunt potius ex Christi sensu quam ex Evangelii textu. *non potest sequi me, et meus esse discipulus* **(Luc. XIV, 33)**. Quia, ut diximus,
@ [Col. 1310D] *Homo onustus auro Christum sequi non potest.* S. Hieronymus in epist. ad Heliodorum: «Vociferatur ille saepe: *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me;* et ego onustus auro arbitror me Christum sequi.» homo onustus auro sequi Christum non potest,
@ [Col. 1310D] *In tantum ut.* Id est, ita ut. in tantum ut admoneat Dominus in Evangelio quemdam sua sequentem vestigia dicens ei: *Si vis perfectus esse vade et vende omnia quae habes;* et veni, sequere me **(Matth. XIX)**. Unde contristatus ille propter multas divitias meruit hanc Dominicae vocis audire sententiam: *Facilius potest camelus per foramen acus transire,* quam intrare posse [Col. 1310B] *divitem in regnum coelorum* **(Marc. X; Luc. XVIII)**. Quos et sua sententia damnat Apostolus dicens: *Nam qui volunt divites fieri,* incidunt in tentationem
@ [Col. 1310D] *Et laqueos.* I ad Tim. VI. Ita in Reg. ms. In communi versione: *Et in laqueum diaboli.* In textu Graeco, καὶ παγίδα, tantum, id est, et laqueum. *et laqueos et desideria multa, quae mergunt homines in interitum et perditionem.* Radix omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes a fide exciderunt, et inseruerunt se doloribus multis **(I Tim. VI)**. Videtis ergo, quia nec sequi Deum potest qui in saeculo quae possidet bona sua non vult relinquere, nec amare poterit Deum qui divitias suas voluerit non odire.
@ [Col. 1310D] *Quia non tanta vel talia, etc.* Sensus est: Non talia reddit Christus, qualia pro eo contemnuntur, id est, non eadem vel aequalia reddit iis quae pro eo spernuntur; sed longe majora et praestantur; insuper et vitam aeternam. Quia non tanta, vel talia, qualia pro Deo contemnuntur, novit Deus retribuere his qui pauperes se faciunt propter eum, insuper ad fruendum in aeternum ipsam vitam eis tribuit sempiternam. Non ideo Deus quaerit rebus vestris vos exui, ut aliquid [Col. 1310C] quid exinde ipse juvetur, aut vestra paupertate gaudeat, [Col. 1311A] vestraque indigentia gratuletur;
@ [Col. 1311C] *Sed ut euntibus vobis.* Particula *ut, hoc est* τὸ *quod.* sed ut euntibus vobis ad eum ejus divitias sempiternas desiderantes momentanea saeculi [
@ [Col. 1311C] *Per impedimenta.* Particula *per redundat.* per] impedimenta, cum sibi vestros occupant cogitatus de anima vestra nunquam vos faciant cogitare, vel de morte,
@ [Col. 1311C] *Ut possitis esse solliciti.* De vestra salute videlicet. Addidi particulam *ut, quae deesse videtur.* ut possitis esse solliciti,
@ [Col. 1311C] *Et post dies vestros.* Adjeci praepositionem *post, quae desiderabatur.* et post dies vestros in extremo vitae termino per negligentiam definitos, relictis omnibus saeculi de quibus cogitabatis, ultima mortis ratio in judicio vobis cum solis peccatis occurrat, nihil aliud nisi poenas perpetuas habituri, et tunc vos in aeternum incipiat poenitere; cum ipsius poenitentiae non poteritis merito invenire remedium. Unde nobis

clamat merito Scriptura:
@ [Col. 1311C] *Currite dum licentiae ad providendum, etc.* Ita in Reg. ms.; sed legendum: *Currite dum licentiam, etc.* Locus habetur Joan. XII: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant.* Sed Magister potius hic paraphrasim posuit, quam textum. *Currite, dum licentiae ad providendum vobis lumen habetis, ne ad discutiendam negligentiam tenebrae vobis mortis occurrant* (Joan. [Col. 1311B] XII). Quid ergo si aliquis ita accedat ad Dominum, ut a divitiarum suarum avaritia non recedat, hoc tales superius dixit Apostolus non posse in hoc
@ [Col. 1311D] *Quod Deo cupiebant.* Lege: *Quod de Deo cupiebant.* quod Deo cupiebant permanere, et tota facultate a fide posse discedere, quibus de saeculo remanet quod amatur. Ita enim nos considerantes, o parentes, juste vobis secundum Deum pro vestro filio suademus,
@ [Col. 1311D] *Ut si.* Pro *quod si, ut supra.* ut si filium vestrum digne Deo cupitis offerre, a saeculo eum prius exuite. Quod si aliquid apud vos ei a saeculo remanserit conservandum, habebit aliquando titillationem diabolici desiderii, sicut canis
@ [Col. 1311D] *Delectatur.* Lege: *Qui delectatur.* delectatur ad suum redire vomitum;
@ [Col. 1311D] *Et posita.* Lege: *Ut posita.* et posita manu super aratrum respiciens retro non sit aptus regno coelorum,
@ [Col. 1311D] *Relicto.* Lege: *Et relicto.* relicto quandoque monasterio securus de portione sua ei servata a vobis, [Col. 1311C] cupiens in saecularem domum vestram reverti, fratribus suis volens esse cohaeres [
@ [Col. 1311D] *In suarum.* Particula *in redundat.* in] suarum redire incipiat sponsus et dominus facultatum, et pristinis restitutus deliciis et pompis non aliud desideraturus quam nuptias. Ergo, sicut superius diximus, si digne eum vultis Deo offerre, de auferendo prius [Col. 1312A] impedimento ejus quam de anima cogitate. Itaque audite vocem illius Domini, quam filius vester dicit se sequi, ipso dicente: *Vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in coelo* **(Matth. XIX)**. Sed quia portio ejus adhuc in vestra est potestate, et consensu vestro, vel
@ [Col. 1311D] *Promissione.* Lege: *Permissione, ut in Reg.* ms. promissione magis videtur Deo offerri,
@ [Col. 1311D] *Vos tangit de ea.* Id est, vestra res est de ea disponere. vos tangit de ea secundum Dominicam vocem, quam si vultis audire, pro filio vestro apud vos nihil remaneat in saeculo, nisi Deus. Quod si forte propter
@ [Col. 1311D] *Immanitatem.* Lege: *Inanitatem, id est, quia forte timetis, ne vestrae divitiae minuantur, si integram portionem filio vestro conceditis.* immanitatem divitiarum vel amorem nutritae domi familiae gravis vobis et minus dulcis haec divina prae ceptio convenit, audite Regulae nostrae a Patribus salubre statutum consilium. De portione ejus tres fiant aequaliter partes: una distributa abbatis manibus [Col. 1312B] pauperibus vel indigentibus erogetur; aliam vobis vel fratribus suis pergens ille ad comitatum sanctorum
@ [Col. 1311D] *Exagiliario munus titulo derelinquat.* Ita in Reg. ms. et cod. Vind. Apud Smaragdum, *exagilario.* Legendum tamen videtur *exagellario,* ab *exagella, quae est quoddam munus, seu legatum quod morituri amicis seu servis relinquunt.* Id apparet ex hoc [Col. 1312C] loco Ennodii in Vita S. Epiphanii Ticinensis: «Ravennam egressus est, et per omnes Aemiliae civitates celer venit, tanquam ad sepulcri receptaculum

properans: omnibus sacerdotibus in itinere potius munificus, communis, et affabilis, quasi exagellam relinquens, se ipso praestantior.» Munus ergo exagellario titulo est quod datur nomine exagellae, seu legati. Itaque hic puer monasterium ingressurus, mundo moriturus dividere debuisset fratribus suis partem suae haereditatis titulo exagellario, seu tanquam exagellam, quemadmodum S. Epiphanius sacerdotibus munificus morte impendente tanquam exagellam reliquit. Exagella videtur deduci a nomine exagium, Graece ἐξάγιον, ponderis quoddam genus, quod olim centesimam librae partem complectebatur, postea septuagesimam secundam, ut docet Theodorus Balsamon in Canonem 17 synodi Nicaenae. exagiliario munus titulo derelinquat; tertiam vero partem viatici sui utilitatem deferat secum monasterii sanctorum usibus profuturam. Quia quomodo filius vester omnibus in monasterio fratribus ad solatium vitae portionem suam

@ [Col. 1312D] *Conferat.* Lege: *Confert.* conferat, dicente Apostolo de erogatione: *Maxime ad domesticos fidei* **(Gal. VI)**. Ita et universi monasterii fratres suis singulis vicibus, prout quis habet,

@ [Col. 1312D] *Ad hanc.* Est hyberbaton, referendum ad τὸ *formam.* ad hanc, ingredientes monasterium, deferunt formam filio vestro communiter cum omnibus profuturum.

@ [Col. 1312D] *Quod si utraeque vobis graves sunt.* Supp., *conditiones propositae.* Quod si utraeque vobis graves sunt, ut nec Deum audiatis pauperibus erogando, et filii animam redimendo nec nostrum consilium

@ [Col. 1312D] *Partibus dividendo.* Ita in Reg. ms., id est, in partes dividendo. partibus dividendo, [Col. 1312C] et auferendo ab eo saecularem substantiam, vel nudum ac solum filium Deo

@ [Col. 1312D] *Largite.* Id est, largimini; a *largio,* pro *largior:* de quo supra. largite, ita ut jurejurando per sacrosancta Evangelia promittatis ei ulterius eum de vestra patrimonii substantia

@ [Col. 1312D] *Nihil habere.* Id est, nihil habiturum, praesens pro futuro; est enallage. Saepe occurrit in hac Regula, quemadmodum interdum in Regula S. Benedicti. nihil habere: ut firmiter jam perseverans in Domino, sciens se de saeculo nihil sperare cum se a vobis et ab eo viderit [Col. 1313A] alienum, solummodo superna desideret. Quia hoc expedit animae illius, ut

@ [Col. 1313A] *Ordinatus a vobis.* Nempe data ei sua legitima, aut certe aliqua ejus parte. aut ordinatus a vobis vadat ad Dominum, aut pro eo exhaeredatus a vobis solutus magis pergat ad Deum, clamans Deo, quem sequitur nudus: *Tu, Domine, restitues mihi haereditatem meam* **(Psat. XV)**.

@ [Col. 1313A] *Tantum est ut.* Id est, modo, dummodo. Tantum est ut nihil habeat de saeculo quod, vivis vobis, mortuus de vestris facultatibus jam speret. Quia

@ [Col. 1313B] *Cum semel.* Lege: *Cui semel, ut in Reg.* ms. et apud Smaragdum. cum semel crucifixus est mundus, denuo ad eo redelectari non debet. Nam si ex toto nihil de eo ordinare volueritis, causam ejus puto vobis divino reservari judicio: eum vero certissime sciatis plura a Domino

@ [Col. 1313B] *Recipere.* Pro recepturum. recipere quam [Col. 1314A] contempsit, cum Dominum sibi fecit, quem nudus secutus est, debitorem. Recipiet enim in coelis filius vester sine dubio, multa promittente ei Domino, dicens:

@ [Col. 1314A] *Qui reliquerit aurum.* Haec omnia vocabula non sunt in Evangelio, sed

proferuntur exposite et paraphrastice. *Qui reliquerit aurum, argentum, aut possessiones, aut domos propter me, centuplum accipiet, et regnum Dei, insuper et vitam aeternam* **(Matth. XIX)**. Haec audiens filius vester paratus est (si vultis) relinquere vobis totum ut apud Deum centuplum invenire valeat, quia de omnibus Dominus noster est nobis

@ [Col. 1314A] *Idoneus.* Id est, sufficiens. idoneus.

@ [Col. 1314B] *Nam illi sufficit, etc.* Lege, ut in Reg. ms.: *Nam quid illi sufficit.* Nam illi sufficit, cui ipse Dominus non sufficit.

CAPUT LXVII. DE SACERDOTIBUS QUI FORTE VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1313C] *Si quis de ordine sacerdotum, etc.* Quamvis sacerdotium longe praecellat monachatui, sacerdotibus tamen perfectioris vitae aut poenitentiae cupidis patuere semper claustra monachorum, ut praeclare disputat Lupus abbas Ferrariensis, qui hunc Regulae locum profert epist. 129: «Verum ne nos magni facere videamur, B. Gregorius, cujus tanta in Ecclesia resplendet auctoritas, Patrem nostrum Benedictum commendat: *Scripsit monachorum Regulam discretione praecipuam, sermone luculentam.* Sanctus autem Benedictus sacerdotes suscipi in monasterium et posse, debere, ostendit, cum (quanquam non facilem) tamen eis promittit ingressum, et retinendi officii ex jussione abbatis praebet auctoritatem. Quod nullo modo faceret, si soli admittendi essent criminosi. Nam et eos interdum, sed difficillime, et vehementer compunctos recipimus. Venit enim homines quaerere et salvare quod perierat. Cum autem B. Gregorius Regulam S. Benedicti approbat, eadem autem Regula sacerdotes cum officio suscipiendos docet, nisi qui contentioso spiritu laboret, et susceptos jam inde ab initio nostri ordinis et esse integrae vitae sacerdotes in monasterio minime dubitat.» Id eis etiam per sacras synodos mox citandas licitum fuit. Rupertus libr. III in Regulam S. Benedicti hunc locum de episcopis interpretatur; potest etiam intelligi de presbyteris, imo et praecipue de illis. Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem citius ei assentiatur.

@ [Col. 1313D] *Tamen si omnino perstiterit, etc.* Hic nulla mentio est annui tyrocinii seu novitiatus; quemadmodum etiam nec paulo post, cum agitur de clericis: quia olim eo non indigebant, quippe qui viri maturi et gravitate morum conspicui essent. Et eorum ingenia et mores hospitalitatis tempore, aut duorum, vel sex ad summum mensium spatio satis explorari poterant. Vide superius annotata. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulae disciplinam servaturum.

@ [Col. 1313D] *Nec aliquid ei relaxabitur.* Nempe de regulae districtione, non de novitiatu. Id satis indicant praecedentia: *Et sciat se omnem Regulae disciplinam servaturum.* Unde bene sequitur: *Nec aliquid ei relaxabitur;* [Col. 1314C] nempe de Regulae disciplina, quoad vixerit in monasterio, non vero in novitiatu. Quia insulsum esset aliquem astringere Regulae disciplinae tantum pro eo tempore. Nec aliquid ei relaxabitur, ut sit sicut scriptum est: *Amice, ad quid venisti* **(Matth. XXI)**? Concedatur tamen ei

@ [Col. 1314C] *Post abbatem stare.* Ac proinde ante Praepositum et decanos, si non sint sacerdotes. post abbatem stare, et benedicere, et

@ [Col. 1314C] *Missas tenere.* Ita in omnibus codicibus mss. et apud Rupertum loco supra citato, Ruthardum, et Smaragdum, qui hanc lectionem servat etiam in Commentario. *Huic rite conceditur et post abbatem stare, et benedicere, et missas tenere.* Missas tenere est facere, celebrare, vulgo canere. Concilium Agathense can. 21: «Clerici vero, si qui in festivitatibus quas supra diximus, in oratoriis, nisi jubente aut permittente episcopo, missas facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.» Dixit concilium τὸ *clerici, quia complectitur unico decreto tam sacerdotes quam ministros.* Unde in Arvernensi, can. 14, dicuntur presbyteri et diaconi divina celebrare mysteria: «Si quis ex presbyteris, aut diaconis, qui neque in civitate, neque in parochiis canonicus esse dignoscitur: sed in villulis habitans, in oratorio deserviens celebret divina mysteria.» Presbyter offerendo, diaconus ministrando. Missas tenere est etiam eis interesse, eas audire, ut clarum est ex eodem conc. Agathensi can. 47: «Missas die Dominico saecularibus totas tenere speciali ordine praecipimus.» Et conc. Braccarensi primo, can. 16: «Si quis feria quinta Paschali, quae vocatur Coena Domini, hora legitima post nonam jejunus in ecclesia missas non tenet, etc.» Sit ergo haec indubitata lectio; quamvis, apud S. Dunstanum Turrecrematam et in vulgatis editionibus legatur: *Missas canere:* quod vix usitatum ante et circa tempora S. Benedicti repereris. missas tenere, si tamen jusserit abbas: sin alias, nullatenus

@ [Col. 1314D] *Aliqua praesumat.* Supp., *facere, quae videlicet ad munus sacerdotale spectant.* aliqua praesumat, sciens se disciplinae regulari subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det.

@ [Col. 1314D] *Et, si forte ordinationis, aut alicujus rei causa fuerit in monasterio.* Subaudi, *exaltatus.* Et, si forte ordinationis, aut alicujus [Col. 1315A] rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat,

@ [Col. 1315B] *Quando ingressus est.* Apud Ruthardum legitur: *Quem habuerat, quando ingressus est, recte.* Quae priora verba, *quem habuerit, si non sunt ex S.* Benedicti textu, saltem subaudienda sunt. quando ingressus est monasterium; non illum qui pro reverentia sacerdotii concessus est.

@ [Col. 1315B] *Clericorum autem si quis, etc.* Posse clericos in monachos recipi clarum est ex concilio Toletano IV, can. 49: «Clericis qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos ab episcopo in monasterio largiri oportet ingressus, etc.» Ubi concilium intelligit tam presbyteros quam caeteros clericos; at S. Benedictus intelligit eos qui sunt inferioris gradus a presbyteris. Idem statuitur in concilio Augustano celebrato anno 952, can. 7, ubi mentio fit decreti concilii Toletani. Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio voluerit sociari, loco mediocri collocetur; et ipse tamen si promittat de observatione Regulae, vel propria stabilitate.

§ II.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 83).

@ [Col. 1315C] *Peregrinorum loco, etc.* Haec habentur in Reg. ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 83. Hic autem Magister statuit, ut sacerdotes, qui voluerint in monasterio habitare, habeantur peregrinorum loco, nec voveant stabilitatem. Peregrinorum loco habeantur sacerdotes, maxime quorum primatus et honor in Ecclesia continetur et militat. Qui si elegerint ut pro amore Dei vel propter disciplinam et mensuram sanctae vitae monasteriis habitent, in

@ [Col. 1315C] *Solo enim.* Tò *enim redundat.* solo [enim] nomine patres monasterii nuncupentur; et nihil aliud in monasteriis liceat, nisi orationes colligere et

@ [Col. 1315C] *Signare.* Id est, benedicere. Ita correxi ex Reg. ms. et cod. Vind., cum legeretur, *saginare.* signare. Aliud [Col. 1315B] vero nihil aut praesumant, aut eis liceat; vel aliquid ordinationis, aut dominationis, aut dispensationis vindicent; sed omnem formam licentiae, vel ordinandae dominationis monasterii abbas, qui super gregem universum est ordinatus, cum Regula vindicet, vel defendat. Nam solo honoris nomine ideo statuimus eos patres monasterii appellare propter sacrationem sacerdotii aut ordinationem. Et ne ipso [Col. 1316A] obtentu honoris de ratiociniis, vel dominatione, ut pote laici, abbates excludant. Nam si ipsi sacerdotes victum aut vestitum monasterii uti magis eligant, et operari communiter secundum praeceptum apostolicam fratribus debent, non imperative satis coacti ab abbate, sed cum reverentia admoniti. Nam si spiritales sunt, ipsi sibi imperent, [

@ [Col. 1315C] *Nam et propter cautelam.* Haec non exstant in Reg. ms. et certe redundant, quae si deleantur sensus clarus erit. nam et propter cautelam] quod poterant ab aliis cogi; memores semper Apostoli Pauli formam ostendentis de se et dicentis:

@ [Col. 1315C] *Non gratis panem vestrum manducavimus.* In versione communi: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo. Non gratis panem vestrum manducavimus* **(II Thess. III)**. Et item dicit:

@ [Col. 1315D] *Laboravimus manibus nostris.* Citat ex memoria, non ex cod., nam in Apostolo legitur: *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Laboravimus manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus.* Et item ipse dicit: *Qui non laborat, non manducet.* Ergo quod si diutissime otiosi labore manuum suarum quaerero victum noluerint, cum reverentia per multorum religiosorum [Col. 1316B] testimonia

@ [Col. 1315D] *Conventi.* Apud Smaragdum legitur, *convicti.* conventi ab abbate

@ [Col. 1316B] *Ecclesiis revertantur.* Lege, ut apud Smaragdum, *ecclesiis reddantur.* ecclesiis revertantur. Si vero, quod absit, non pacifice, sed magis per

@ [Col. 1316B] *Scandalum.* Id est, rixa, jurgium, contentio, et hic recte opponuntur τὸ *non pacifice, et* τὸ *per scandalum.* Vide superius annotata. scandalum exire voluerint, tenti et exuti rebus monasterii duntaxat sine gravi injuria, clausa

@ [Col. 1316B] *Regia.* Id est, janua. Idem Magister cap. 4 Regulae: «In sola regia oris nostri, id est, janua; cap. 30: «Mox clausis ab ostiariis regiis;» cap. 92: «Duobus fratribus aetate decrepitis cella intra regias monasterii construatur.» Et paulo post: «Omnia vero necessaria intus intra regias esse oportet;» et saepius in eodem capite. S. Ennodius in lemmate epigrammatis 17: «Super regiam triclinii in domo.» S. Gregorius Turonensis libr. IV Hist., cap. 13: «Ad regias aedis sacrae, quae tunc reseratae fuerant, appropinquant.» Acta S. Mariae Aegyptiacae: «Manu atrii regiam pulsavit;» infra: «Hisque peractis monasterii aperiebantur regiae.» Joann. Monachus libr. II Vitae S. Odonis abbatis Cluniacensis: «Ut ingrediendi aditus a quovis concederetur, praedictas regias diutius pulsavit.» Anastasius Bibliothecarius in Honorio est castigandus. «Investivit regias januas in ingressu ecclesiae majores, quae appellantur medianae, ex argento.» Nam τὸ *januas redundat, estque glossema quod irrepsit ex margine in textum.* Antiquus Ordo Romanus: «His ita compositis, invitante ad regiam secretarii praefato diacono scholam, etc.» Chronicon coenobii Novaliciensis in valle Segusiana. «Et veniret ad ecclesiam S. Michaelis, vel S. Syri seu caeteras alias, aperiebantur statim regiae divinitus ante suum conspectum.» regia excludantur. Quia magis ipsi amplius agere debent, quod aliis praedicant generaliter a Deo esse praeceptum otiosis debere

laborantium panes negari.

CAPUT LXVIII. DE MONACHIS PEREGRINIS, QUALITER SUSCIPIANTUR.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, et contentus fuerit
@ [Col. 1315D] *Consuetudine.* Id est, victus mensura et qualitate solitis. Id enim sonat nonnunquam hoc vocabulum. Tertullianus de Jejunio adversus Psychicos: «Plane vestrum est in carcere popinas exhibere martyribus incertis, ne consuetudinem quaerant, ne taedeat vitae; ne nova abstinentiae disciplina scandalizentur.» S. Fructuosus Bracarensis cap. 20 Regulae suae: «Exquisitas epulas mensae lautioris, [Col. 1317A] consuetudinemque contemnat.» Regula Pauli et Steph. c. 17: «Supra statutum consuetudinem sive in potu, etc.» consuetudine [Col. 1317A] loci quam invenerit, et non superfluitate sua perturbat monasterium; sed simpliciter
@ [Col. 1317A] *Contentus est quod invenerit.* Id est, contentus est eo quod invenerit: phrasis Graeca. Interdum enim Graeci pronomina antecedentia, ἐκεῖνο αὐτὸ, supprimunt per ellipsin. contentus est quod invenerit, suscipiatur, quanto tempere cupit. [Col. 1318A] Si quae sane rationabiliter et cum humilitate reprehendit, aut ostendit, tractet abbas prudenter,
@ [Col. 1317A] *Ne forte pro hoc ipsum.* Ita apud Ruthardum, et in ms. p. S. Germ. Aliae editiones variant. ne forte pro hoc ipsum Dominus direxerit.
@ [Col. 1317A] *Si forte voluerit stabilitatem suam firmare.* Quaestio est an expediat monacho in aliud monasterium migrare, ut ibi firmet stabilitatem de consensu pristini abbatis, si nulli congregationi, ordini, aut societati sit obnoxium; vel an ei conveniat de suo ordine in alium traduci. Sed illam monasterii, seu ordinis, mutationem tanquam levis animi notam suspectam habent sancti Patres, omminoque improbant; et si vitae durioris et cum Deo conjunctioris praetendat rationem. Quia ejusmodi voluntas saepe ex daemonis impulsu nascitur, qui vitae religiosae odium in monacho parere non valens, tamen vitae, in qua dudum militat, taedium generare conatur; et quamvis eum de vita monachica ejuranda minime sollicitet, imo quodammodo ut in ea perseveret assentiri videatur, nihilominus, quia in tali palaestra decertare coepit sub hoc abbate, cum his fratribus, tali exercitatione, non cessat diabolus inquietare et perturbare parum cauti minimeque prudentis monachi mentem; cum ejus motu et suasione ipsi non sapit bonum, quod in ipso Deus singulari sua misericordia incoepit. Hinc fit ut miser ille aut nullo modo, aut parum in virtute procedat; aut quod acquisierat, amittat, aut sine fructu in claustro maneat; et dum mentem alio migrandi cogitatione pascit, in virtutis studio proficere minus curat. Haec et similia docet vir diu multumque in claustrali palaestra exercitatus S. Anselmus, cum epist. 29, libr. I, Lansonem monachum ab ejusmodi voluntate deducere conatur. In eadem sententia est S. Bernardus, summum illud vitae monachicae lumen, libr. de Praecepto et Dispensatione, cap. 20, idque tribus potissimum causis. Prima, quia eos a quibus discedimus pudore suffundimus tanquam nostra conversatione indignos ob eorum vitia. Secunda, quia dum certa tenemus,

incerta venari minime tutum est: cum fortassis unam vitae rationem sectari facile erit, aliam non item; quam postmodum a nostris moribus et ingenio discrepare sentiemus. Tertia, quia deplorandae levitatis est, per quam olim inexsperta desideramus, quae vix apprehensa fastidiamus; uno momento eadem volumus et nolumus; probamus et reprobamus non minori inconstantia quam socordia. His accedit quod facilior ad progressum munitur via in ea qua incoepimus religione quam in aliena, quam hactenus ignoramus, cujus statutis summa cum difficult te vix unquam assuescere poterimus. Majora et perfectiora appetere facile est, assequi perdifficile. Austerior quidem vita plerumque desideratur; sed quam sit amara experimento discitur. Dulce bellum inexpertis. Dicet aliquis: In hoc ordine vel monasterio, vita spiritalis non ducitur, disciplina regularis remissior est, devotio tepet. «Atque, inquit S. Anselmus epist. citata, aliorum mores, aut loci consuetudines si contra praecepta divina non sunt, etiamsi inutiliter videantur, dijudicare refugiat. Quod si sibi videtur majora quaedam et utiliora spiritali fervore appetere quam illi prioris monasterii institutionibus liceat; aestimet aut falli se sive praeferendo paria paribus, vel minora majoribus, sive praesumendo se posse, quod non possit; aut credat se non meruisse quod desiderat: Sed quod attentius considerandum est, in nobis saepe, non in loco vitium est. Aeger animus omnia fastidit et frustra locum [Col. 1318A] mutat, alios fugit, qui nec se, nec morbum effugit.

In causa est animus, qui se non effugit unquam, inquit Horatius. Et praeclare Seneca lib. de Tranquillitate vitae: «Inde peregrinationes suscipiuntur vagae, et littora percurruntur; et modo mari se, modo terra experitur, semper praesentibus infesta levitas.» Et paulo post. «Et ut ait Lucretius:

Hoc se quisque modo semper fugit Sed quid prodest, si non effugit: sequitur seipse, et urget gravissimus comes. Itaque scire debemus non locorum esse vitium, quo laboramus, sed nostrum.» Aegrotus quocunque vadat, secum morbum vehit. Οὐ τόπος, ἀλλὰ τρόπος, inquit S Chrysostomus, id est, non locus, sed mores. Et praeclare S. Gregorius lib. I, hom. 9 in Ezechielem: «Saepe vero cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum vitae remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia, si desit spiritus, non adjuvat locus.» Job in terra Hus, in terra paganorum justus inventus est; Adam in ipso paradisi voluptatis meditullio peccavit; Loth Sodomae flammas effugit vini ac libidinis extra Sodomam arsurus incendio. Quis novit praeterea quas in loco, vel ordine, quem appetimus, insidias nobis moliturus est veterator ille ac versipellis cacodaemon? Scit enim ille peccandi occasiones sibi ad nos tentandum opportunas; quas in hoc, vel tali loco nacturi sumus, quae in quo residemus loco, non suppetunt: qui propterea nos importunius de migratione sollicitat specie majoris boni decepturus. His et similibus rationibus, quae proferri possent, inducti sancti Patres ejusmodi mutationem ordinis, seu monasterii minime probarunt; nisi gravi et urgente necessitate, ut monet S. Anselmus epist. citata, ut si quis in suo monasterio male agere cogeretur. «Quapropter, inquit, quicunque coenobitarum forte propositum aggreditur, expedit ei in quocunque monasterio professus fuerit, nisi tale fuerit, ut ibi malum invitus facere cogatur, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare.» Astipulatur S. Bernardus cap. citato: «Nam si haec (conversio morum et obedientia) pro improbitate nimirum atque irreligiositate cohabitantium obtineri nequiverint, duce spiritu libertatis indubitanter suade» transire ad alium locum, ubi non impediatur homo

reddere vota sua, quae distinxerunt labia sua.» Et epist. 7 ad Adam monachum: «Hac ratione illos suscipimus: quoniam non putamus esse malum, si vota labiorum suorum, quae in locis suis potuerunt quidem promittere, sed nequaquam persolvere Deo, qui ubique est, ubicunque reddant.» His accedit auctoritas Lanfranci, quam producit S. Anselmus in fine carminis de contemptu mundi. «Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, et viderem in hoc, quod animam meam salvare non possem, exirem, nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non ab ipso, nisi contra eum solvitur. Porro ab ipso contra ipsum non solvitur, qui propter amorem ejus, ut ei bene placeat, a filiis superbiae et diffidentiae, a filiis discordiae et, ut apertius dicam, a filiis diaboli migravit ad filios pacis, spei, et humilitatis, imo filios Dei. Qui enim sic transit, nonne fugit a sede diaboli ad sedem Dei?» Tria autem statuit S. Anselmus epist. citata, ob quae potest quis locum mutare: «Tria, inquit, capitula, quibus mutare liceat loca in quibus se stabiles esse promiserunt religiosi. Primum, nimia paupertas; secundum, persecutio nimia; tertium, irreligiositas. Nam stabilitas in loco non promittitur, nisi propter regulam servandam.» His addam doctorem Angelicum, [Col. 1319B] qui docet ejusmodi migrationem, nisi summae utilitatis, aut necessitatis causa non esse permittendam. Quod spectat ad necessitatem, clara est; quod vero ad utilitatem, quorumdam sanctorum habemus exempla, S. Hugonis episcopi Lincolniensis, qui a Canonicis Regularibus ad Carthusianos monachos transiit; S. Antonii Pataviensis, qui etiam a Canonicis Regularibus ad Franciscanos traductus est; S. Lutgardis, quae a Nigris sanctimonialibus ad Cistertienses migravit; quorum justam fuisse migrationem patefecit eventus. Haec autem utilitas serio pensitanda est, ne forte fucata in ruinam animarum cedat. Quamobrem etsi B. Benedictus peregrinos monachos suscipi permittat, si petierint, vel, si non petierint, rogari, ut maneant, tamen non prius quam probe notos et spectatos. Si vero [Col. 1319A] postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur ei talis voluntas; et maxime, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii, verum etiam dicatur ei honeste ut discedat, ne ejus

@ [Col. 1319B] *Miseria.* Id est, vitio, perversitate. miseria etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis qui mereatur projici, non solum, si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verum etiam suadeatur, ut

@ [Col. 1319B] *Stet.* Id est, stabilitatem suam firmet. stet: ut ejus exemplo alii erudiantur,

@ [Col. 1319B] *Et quia in omni loco uni Domino servitur.* Duas rationes proponit, unam pro monacho qui admittitur; qui fortassis opponeret se non perinde in illo ac in suo monasterio Deo serviturum. Ac proinde additur copula, ut posterior ratio jungatur priori. et quia in omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur.

@ [Col. 1319C] *Quem si etiam talem perspexerit abbas.* Nempe ut mereatur promoveri ad altiorem locum. Ex his patet monachum peregrinum in ultimo loco esse statuendum, non in eo quem habuerat in pristino suo monasterio. Id etiam patet ex sequentibus: *Non solum autem monachum, sed etiam ex supra dictis gradibus sacerdotum et clericorum stabilire potest abbas in majore quam ingreditur loco.* Atque inde hujus monachi probatur humilitas. Quem si etiam talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco: non solum autem monachum, sed etiam de [Col. 1320A] supra dictis gradibus sacerdotum

@ [Col. 1319C] *Et Clericorum.* Supp. *aliquem.* vel clericorum, stabilire potest abbas in

majore quam

@ [Col. 1319C] *Ingreditur.* Optima lectio. Quia supplenda est vox, *aliquem, post* τὸ *clericorum, ut diximus.* Quare in editione Coloniensi et vulgatis male legitur, *ingrediuntur.* ingreditur loco, si ejus talem perspexerit vitam esse.

@ [Col. 1319C] *Caveat autem abbas, etc.* Antiqua concilia vetant suscipi monachum alienum sine abbatis sui consensu; Agathense can. 27; Augustodunense sub S. Leodegario can. 10. Synodus VII can. 21: Προσλαμβάνεσθαι ἄνευ γνώμης τοῦ ἡγουμένου αὐτοῦ οὐ προσήκει, id est, «recipi sine abbatis sui voluntate non convenit. Id etiam prohibet S. Gregorius papa l. I Regesti, ep. 40 et Fructuosus alter c. 20 Regulae suae. Quae tamen videntur capienda juxta mentem S. Benedicti, si videlicet isti monachi non sint de ignotis monasteriis. Solebant enim monachi antiquitus devotionis causa ad loca sancta peregrinari, ita ut ad propria non remearent; sed in alieno monasterio, cujus districtionem tempore hospitalitatis perspectam habuerant, se suscipi rogabant. Hanc enim libertatem habebant sancti illi viri,

Magnanimi heroes nati melioribus annis, qui non levi quadam animi inductione, sed pura intentione monasteria mutabant; ut de S. Saba in ejus Vita legitur, et de multis aliis in Vitis Patrum; [Col. 1320B] maxime quia tunc stabilitem non vovebant. Praeterea loci citati intelliguntur de monachis vagis et fugitivis, de quibus non agit S. P. Benedictus cum ejusmodi hominum mores facile sit tempore hospitalitatis internoscere. Cur autem quis de ignoto seu remoto veniens monasterio possit recipi sine litteris commendatitiis, aut sine abbatis licentia, hanc dat rationem S. Bernardus, lib. de Praecepto et Dispensatione, cap. 20: «Porro de vicino prohibet, quod jubet de peregrino; ne vicinitas inter monasteria fomes scandali et rixae materia sit, si alterutrum recipere monachos acquieverint absque mutuo duntaxat assensu.» Si autem inter abbates duorum monasteriorum quaedam aut per litteras, aut quoquo modo consuetudo interesset, aut familiaritas, non esset aliquis ex his monasteriis sine abbatis licentia recipiendus: quia ejusmodi monasteria pro notis habenda sunt. Nec propterea violatur stabilitatis votum a monacho in alienum coenobium migrante: siquidem hoc fit secundum Regulam quae ejusmodi in aliena monasteria migrationem permittit, servatis tamen his quae supra dicta sunt. Caveat autem abbas, ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu abbatis ejus,

@ [Col. 1320C] *Aut litteris commendatitiis.* Litterae commendatitiae Graecis συστατικαί, a verbo συνίστημι, id est, commendo dicuntur et ἀπολυτικαὶ, id est, dimissoriae, quae ostendunt clericum a suo episcopo in aliam ecclesiam dimitti, ut docet Theodorus Balsamon in can. 13 concilii Chalcedonensis. aut litteris commendatitiis: quia scriptum est:

@ [Col. 1320C] *Quod tibi non vis, alii ne feceris.* Post verbum, *vis, omittitur* το *fieri, ut etiam S.* Ferreolo citato infra hoc capite: habetur tamen, cap. *De instrumentis bonorum operum:* «Et quod sibi quis fieri non vult.» Locus exstat Tobiae IV: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Sed citatur locus ex memoria, et profertur potius sensus quam verba. Hanc sententiam his versibus exprimit S. Columbanus in monasticis:

Quod tibi vis fieri, hoc alii praestare memento: Quod tibi non optes, alii non feceris ulli. Vide annotata in cap. 7. Haec autem a S. P. Benedicto sententia prolata confirmat

nostram superiorem opinionem de suscipiendis monachis ignoti et remoti monasterii sine litteris commendatitiis. Nam si hoc passim licitum non fuisset ex more, in hanc sententiam, quae est commune charitatis vinculum, peccaret, qui de ignoto monasterio sine abbatis consensu reciperet, et extra rem haec sententia a S. Benedicto citaretur. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 13).

@ [Col. 1320D] *Non licebit, etc.* Hoc caput reperitur in Regula ms. Macarii, Serapionis et aliorum cod. Flor. Non licebit de alio monasterio sine voluntate Patris fratres recipere: non solum recipere, sed nec videre oportet, dicente Apostolo: *Quia qui*

@ [Col. 1320D] *Primam fidem irritam fecit.* I ad Tim. V: *Fidem negavit, et est infideli deterior;* et paulo post: *Quia primam fidem irritam fecerunt;* sed citatur locus ex memoria, non ex codice; et ex duobus locis unus conflatur. *primam fidem irritam fecit, etc.* **(I Tim. V)**. Quod si precatus fuerit ab eo qui praeest Patre, ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo ei qui praeest, ubi esse desiderat; [Col. 1321A] et sic suscipiatur. Nam sine

@ [Col. 1321C] *Voluntate ejus, Addidi* τὸ *ejus, quod deerat.* voluntate *ejus qui praeesse videtur in monasterio, nullatenus recipiatur frater.* Quod si

@ [Col. 1321C] *Praesumpserit.* Abbas alterius monasterii. praesumpserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum, aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire.

@ [Col. 1321C] *Et tunc recedat tanquam junior suus.* Hic locus non exstat in duobus codicibus bibliothecae Corbeiensis, estque corruptissimus. Et tunc recedat tanquam junior suus, donec ab eo cui injuriam fecit veniam petat, ut non per ipsius vitium alii despiciantur

@ [Col. 1321C] *Patres.* Monasteriorum videlicet, id est, abbates. Patres.

@ [Col. 1321C] *Ille vero monachus.* Qui transit ad illud monasterium. Ille vero monachus

@ [Col. 1321C] *Quantos.* Id est, *quot, Luc.* XV: *Quanti mercenarii* in domo Patris mei, id est, *quot.* quantos fratres in alio invenerit,

@ [Col. 1321C] *Tantos.* Id est, *tot.* Joan. ult. *Et cum tanti essent, non est scissum rete;* in Graeco, τοσοῦτοι id est, tanti. Marculphus form. 31: «Ministretis veredos sive paraveredos tantos, etc.,» id est, *tot.* tantos

@ [Col. 1321D] *Se noverit habere priores.* Haec constitutio confirmat nostram sententiam, quod videlicet ii, qui in aliud migrant monasterium, stabilitatem suam ibi firmaturi, debeant ultimum tenere locum, nisi altius ab abbate promoveantur. se noverit habere priores. Sed nec attendendum est quod fuit antea; sed probandus est qualis esse coeperit. Susceptus vero si habere videtur aliquid sive in rebus, sive in codicibus, ultra ei possidere non licebit: ut possit esse perfectus,

@ [Col. 1321D] *Quia alibi.* Lege: *Qui, etc.* quia alibi non potuit esse senex. Residentibus vero fratribus, si fuerit aliqua [Col. 1321B] de Scripturis collatio, et fuerit

@ [Col. 1321D] *Ex his.* Scripturis: et τὸ *scitus, est doctus.* Quae omnia satis clara sunt ex alia lectione codicis Corbeiensis: *Et si forsitan is, qui susceptus est, habet scientiam Scripturarum.* ex his talis scitus, non licebit ei aliquid dicere, nisi praeceptum fueri a Patre.

§ III.---EX REGULA PATRUM (cap. 14).

@ [Col. 1321D] *Monachum nisi, etc.* Hoc capitulum reperire est in regula tertia ms. cod. Flor. quae incipit: *Cum in nomine Domini.* Ejus etiam prior pars usque ad illa verba *Quod si ad districtiorem, exstat in concilio Agathensi, can.* 27. Monachum nisi abbatis sui

@ [Col. 1321D] *Aut permissu.* Particula, *aut, non est in citato concilio.* aut permissu, aut voluntate,

@ [Col. 1322C] *Ad alterum.* Reposui praepositionem, *ad, ex dicto concilio, et R.* ms. ad alterum monasterium commigrantem nullus abbas

@ [Col. 1322C] *Aut suscipere.* Similiter particula, *aut, non habetur in praefato concilio.* aut suscipere, aut retinere praesumat. Quod si ad districtiorem Regulam non pro actus sui levitate tendentem abbas suus ipsum ad alterum monasterium transire permiserit, ut inde postea sub aliqua occasione egredi praesumat, nulla ratione permittimus.

§ IV.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 87).

Interrog.

@ [Col. 1322C] *Si dicat quis, etc.* Exstat apud S. Basilium interr. 97 Regulae Brevium, et apud Rufinum cap. 49. Si dicat quis: Volo apud vos parum aliquid temporis facere, ut proficiam ex vobis: si [Col. 1321C] oportet eum suscipi?---*Resp.* Domino pronuntiante: *Quia venientem ad me non ejiciam foras* **(Joan. IX)**; et Apostolo nihilominus dicente: *Propter subintroductos, aut falsos fratres,* qui subintroierunt explorare libertatem [Col. 1322A] nostram, quam habuimus in Christo Jesu: quibus nec ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos **(Gal. II)**. Concedere quidem ei convenit ingressum propter incertos exitus rerum. Interea enim potest fieri, ut per tempus proficiat, et delectetur sanctitate vitae, et permaneat coeptis sicut et frequenter factum scimus. Sed ut manifestetur veritas

@ [Col. 1322C] *Institutionum nostrarum.* In textu Graeco: Τῆς ἐν ἡμῖν ἀκριβείας, id est, «exactae observantiae nostrae.» institutionum nostrarum,

@ [Col. 1322C] *De quibus fortassis homines aliter opinantur.* In textu Graeco: Ἀλλοιοτέρας ἴσως περὶ ἡμῶν ὑποψίας ἔχοντι, id est, «qui fortasse aliter de nobis suspicatur.» de quibus fortassis homines aliter opinantur: oportet tamen circa eum cautius agi, et diligentius,

@ [Col. 1322C] *Ut sive in veritate permaneat, etc.* Aliter in textu Graeco: Ἵνα ἤτε ἀλήθεια φανερωθῇ, κκὶ ἡ ὑποψία πάσης ἀδιαφορίας ἀναιρεθῇ, id est, «ut et veritas illustretur, et suspicio negligentiae omnis tollatur.» ut sive in veritate permaneat, vel proficiat, sive institutionum nostrarum veritas explorabitur, probabilis inveniatur et pura. Ita namque et nos Deo placebimus, et ille aut proficiet, aut, si simulator est,

@ [Col. 1322D] *Erubescet.* In textu Graeco, ἐλεχθήσεται, id est, convincetur. erubescet.

[Col. 1322B]

§ V.---EX REGULA FERREOLI (cap. 11).

@ [Col. 1322D] *Monachum omnino.* Hoc capitulum in cod. Vind. falso ascribitur S. Basilio. Monachum omnino, sive

@ [Col. 1322D] *Clericum.* Qui sit monachus. clericum alterius [

@ [Col. 1322D] *Loci.* Redundat. loci] monasterii recipi sub qualibet causa nolumus, interdicimus, prohibemus, prospicientes talia studio charitatis, ne novum aliquod forte
@ [Col. 1322D] *Scandalum inducant.* Inter abbates, vel monasteria, vel episcopos. Scandalum est rixa, lis, jurgium, ut ex sequentibus patet, et supra toties notatum est. scandalum
@ [Col. 1322D] *Surgentes.* Lege: *Fugientes.* surgentes inducant. Dicit enim Scriptura: *Quidquid tibi non vis, alio ne feceris* **(Tob. IV)**. Hinc enim plerumque non tantum inter abbates, sed etiam inter monasteria lites insanabiles oriuntur: dum unus nititur defendere quem recipit, alter revocare quem perdidit. Et ad extremum nisi reddatur isti petitori petitus, et istius restauratio recepti placaverit injuriam acceptam; fit ut non secundum Apostolum vincant in bono malum **(Rom. XII)**, sed utrique mali vincantur uno malo. Attamen nec illud [Col. 1322C] praetereundum censuimus, ut si forte alterius loci, ut supra dixi, monachus, sive clericus scripta abbatis
@ [Col. 1322D] *Vel episcopi.* Quia clerici qui monachi erant olim peculiari quodam modo ad episcopum spectabant, ut capite sequenti tractabitur, et ideo non sine litteris sui episcopi hac constitutione eis permittitur migrare in aliud monasterium. Quod tamen ita intelligendum est, si monasterium illud ad quod [Col. 1323A] migrare vellent esset alterius dioecesis, ut canones statuunt de aliis clericis, adhibitis etiam abbatis sui litteris commendatitiis; si autem monasterium ad [Col. 1324A] quod migrandum est sit ejusdem dioecesis, sufficiunt solae abbatis commendatitiae, quia tunc nulla fit injuria episcopo. vel episcopi deferat, in quibus manifeste probetur non propter vitia curanda, sed propter charitatem [Col. 1323A] missus, ipse tantum socius fieri congregationis obtineat. Si tamen credi ullo modo potest bono [Col. 1324A] suo quemquam velle exspoliari, et alium sua nuditate vestiri.

CAPUT LXIX. DE SACERDOTIBUS MONASTERII.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1323B] *Si quis abbas sibi presbyterum, etc.* Additur particula, *sibi, id est pro suae ecclesiae, non alienae, ministerio.* Nam olim duplici nomine monachi ordinabantur sacerdotes, vel pro monasteriis suis, ut ex hoc capite constat, vel pro ecclesiis saecularibus, seu parochiis, ut habetur 16 qu. 1 cap. *Si quis;* cap. *In parochia tua.* cap. *Cum pro utilitate Ecclesiae;* cap. *Monachi, et cap. Ne pro cujuslibet.* Hinc explicatur locus S. Gregorii epist. 18, libr. VII Regesti: «Quisquis autem ex praedicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat manendi.» Non enim ibi agit S. Gregorius de monachis qui pro suis monasteriis ordinantur, sed de iis qui ab episcopo e monasterio tollebantur, permittente abbate ad officium ecclesiasticum administrandum. Sic enim supra in eadem epistola beatissimus papa scribit: «Pariter autem custodiendum est, ut invito ejusdem monasterii abbate, aut ad ordinis clericatus officium tolli exinde monachi non debeant; sed si abundantes fuerint, et ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de iis qui superfuerint, offerat quos dignos coram Deo putaverit.» Ex his autem clarum est monachos olim fuisse sacerdotes, qui et omnia sacerdotii munia obire poterant, ut manifestum est eadem causa et qu. cap.

Doctos; cap. *Si monachus;* cap. *Moderamine;* cap. *Ex auctoritate.* In quo dicuntur monachi sacerdotes apostolorum figuram tenere; et cap. *Nonnulli, in quo haec S.* Bonifacii verba notanda veniunt: «Neque enim B. Benedictus monachorum praeceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor.» S. Augustinus Eudoxium abbatem ejusque monachos Caprariae insulae hortatur ad Ecclesiae munia obeunda, epist. 81. Si quis abbas sibi presbyterum,

@ [Col. 1323D] *Vel diaconum.* Ita in omnibus codicibus quos viderim tam editis quam mss.; sed quo tendant haec verba, difficultas est non minima: nam statim subjungit S. Benedictus: *Qui dignus sit sacerdotio fungi, quae diacono minime conveniunt.* Sed notandum est sacerdotii nomen aliquando diaconis attribui; nam diaconatus est quidam ordo sacerdotii, qui tertius appellatur, et presbyteratus secundus, ut patet ex Optato Milevitano, lib. II contra Parmenianum: «Quid (commemorem) diacones in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos;» ac proinde recte dici potest, *diaconus dignus sacerdotio fungi, quia sacerdotium non modo de episcopatu et presbyteratu, sed etiam de diaconatu dicitur.* Postea vero loquitur S. Benedictus tantum de presbyteris, non de diaconis et aliis clericis: quia id quod de presbyteris dicit, facile de aliis concludi potest, ducto argumento a majori ad minus. vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem

@ [Col. 1324B] *Caveat elationem.* Id est, aliis non se praeferat, nec eos qui sunt inferioris gradus, despiciat. caveat elationem,

@ [Col. 1324B] *Aut superbiam.* Id est, neque aspiret ad superiorem gradum; nam superbiae est altiora quaeque appetere, dicitur enim a *super habendos.* Cornelius Fronto: «Superbia est a *super habendo.*» aut superbiam:

@ [Col. 1324B] *Nec quidquam praesumat.* Sup., *facere.* nec quidquam praesumat, nisi [Col. 1323B] quod ei ab abbate suo

@ [Col. 1324B] *Praecipiatur.* Ita in Victor. p. Vulgo: *Praecipitur.* praecipiatur; sciens se multo magis disciplinae regulari subditum. Nec occasione sacerdotii obliviscatur Regulae obedientiam et disciplinam; sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum vero illum semper attendat,

@ [Col. 1324B] *Quando ingressus.* Ita in Concord. Vind. et cod. ma. S. Germ. recta lectio et subaudienda haec verba: *Quem habuerit, hoc modo: Locum vero illum semper attendat, quem habuerit, quando ingressus est in monasterium.* Vulgo legitur: *quo ingressus est.* quando ingressus est in monasterium, praeter officium altaris: et, si forte electio congregationis, et voluntas abbatis pro vitae merito cum promovere voluerint. Qui tamen [Col. 1324B]

@ [Col. 1324C] *Regulam a decanis vel praepositis constitutam sibi servare sciat.* Varie legitur hic locus; lege tamen et distingue, ut apud Smaragdum: *Regulam a decanis vel praepositis constitutam sibi, servare sciat;* quae nihil aliud sonant, quam quod debeat sacerdos suis decanis et praepositis obtemperare. Regula hoc loco est lex, disciplina. Ita passim loquitur S. Gregorius lib. I, epist. 40: «Sub abbatis sui regula;» et II Dial., cap. 1: «Sub Theodati patris regula.» Regulam a decanis vel praepositis constitutam sibi servare sciat. Quod si aliter praesumpserit,

@ [Col. 1324C] *Non sacerdos, sed rebellio.* Recta lectio. Ita apud Keronem, Smaragdum et S. Dunstanum; ita in editione Colinaei; quemadmodum in utroque codice S. Germani, S. Victoris, Vindocinensi et S. Ebrul. Apud Turrecrematam legitur: *Sed rebellio, et*

rebellis; sed illa verba, *et rebellis, sunt glossema.* In vulgatis, et in cod. S. Faronis: *Non ut sacerdos, sed ut rebellis;* sed haec manant a cujusdam correctoris officina. Rebellio autem idem est ac rebellis. Epistola Faustinae ad Marcum philosophum *(Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio):* «Tamen jam hortor, ut si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrime persequaris.» Marcellinus comes, in Chron.: «Plinta comes idemque rebellio apud Palaestinam provinciam deletus est.» Jornandes de Rebus Geticis: «Gothi vero tam regis sui mortem, quam suam injuriam a rebellionibus exigentes, ita praeliati sunt, etc. Joannes VIII papa Neopolitanis apud Ivonem, p. XI, cap. 90: «Cum enim regis rebellionibus quocunque participio conjungantur, pari sententia condemnantur.» Ekerhardus junior de Casibus monasterii S. Galli cap. 7: «Victor autem rebellio factus inter convicia illum insilire parans alapam minatur.» Glossae veteres: ἀντάρτης, *rebellio, perduellio;* ubi etiam perduellio pro perduelle sumitur. Glossae veteres: *Perduelliones,* οἱ κατὰ δήμου τῶν Ῥωμαίων βουλευόμενοι, ἢ κατὰ βασιλέων, id est, «contra populum Romanum consilium dantes, vel contra reges.» Rebellio ergo est etiam rebellis; ut perduellio perduellis; et ἀντάρτης est rebellio, ab ἀντί et αἴρω· [Col. 1325A] ad verbum, qui in aliquem insurgit, ut est rebellio, seu rebellis, qui rebellat. non sacerdos, sed rebellio judicetur. Et saepe admonitus [Col. 1325A] si non correxerit, etiam

@ [Col. 1325A] *Episcopus adhibeatur in testimonium.* Nempe contumaciae, ut postea ejici possit. Hoc statuit S. Benedictus de solis sacerdotibus, non de aliis monachis, idque ob dignitatem et reverentiam sacerdotii; et quia presbyteri peculiari ratione ad curam episcopi pertinent, ob gradum quem obtinent in Ecclesia: sunt enim secundi ab episcopo. Eadem ratione neque illos flagellis, aut excommunicationi subjicit, sed statuit ut judicentur ut rebelles; deinde, si non emendaverint, saepius admoneantur; si nec sic correxerint, episcopus adhibeatur in testimonium; tandem clarescentibus culpis, id est patentibus et manifestis, ita ut propter dignitatem presbyteratus sint aliis scandalo, projiciantur. Itaque olim ejusmodi presbyteri monasteriorum non solum erant sub abbate, sed etiam sub episcopo, ut patet ex epistola Friderici archiepiscopi Coloniensis ad Adelberonem episcopum Leodiensem ex hoc S. Benedicti loco (Apud Ruperium, lib. IV, in Reg. S. Benedicti, cap. 2): «Neque a solo abbate, inquit, super monachum presbyterum judicium est diffiniendum, nisi episcopus adhibeatur in testimonium juxta ipsius B. Benedicti institutum sanum ac legitimum.» Qui supra in eadem epistola omnes sacris ordinibus initiatos ait sub cura esse tum episcopi, tum abbatis. Concilium Arelatense tertium omnes clericos monasterii Lirinensis subjicit episcopo, laicos vero abbati ***(Tom. I Concil. Galliae)****:* «Hoc enim et rationis et religionis plenum est, ut clerici ad ordinationem episcopi debita subjectione respiciant; laica vero omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii, quam sibi ipse elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat.» Sed modo propter exemptiones alio jure vivitur. Et sane olim hoc tolerabile erat, cum pauci essent in monasteriis [Col. 1326A] sacerdotes seu clerici. episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis, projiciatur de monasterio; si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire Regulae nolit.

§ II.---EX REGULA SANCTI

@ [Col. 1326A] *Aurelii.* Lege: *Aureliani, ut supra monuimus.* AURELII (cap. 44).

@ [Col. 1326A] *Nullus honorem presbyterii, etc.* Ex hoc capite satis constat S. Aurelianum

duas composuisse Regulas, ut supra monuimus: unam monachorum, ad quam pertinet hoc caput; alteram sanctimonialium: sed de hac re supra. Nullus honorem presbyterii aut diaconatus accipiat

@ [Col. 1326B] *Praeter abbatem.* Id est, praeter abbatis voluntatem. praeter abbatem: si voluerit ordinari presbyterum, et unum diaconum, vel

@ [Col. 1326B] *Subdiaconem.* Quo modo dicimus *diaconem,* saepius tamen *diaconum.* Non enim solum dicitur *diaconus;* sed etiam *diacon;* genit. *diaconis,* a Graeco Διάκων, διάκονος. Vide Lexicon Graeco-barbarum Joannis Meursii. subdiaconem; quos ipse voluerit,

@ [Col. 1326B] *Ordinandi habeat potestatem.* Non per se, sed per episcopum. ordinandi habeat potestatem. Si vero Deo propitio ita profeceritis, ut aliquis ex vobis ad episcopatum petatur,

@ [Col. 1326B] *Ipse solus egrediatur.* Nempe monasterio ad habitandum in sua dioecesi; nec ducat secum monachum habitationis socium. ipse solus egrediatur.

[Col. 1326A]

§ III.---EX DICTIS SANCTI HIERONYMI.

@ [Col. 1326B] *Si in monasterio vivens, etc.* Haec habentur in epistola S. Hieronymi ad Rusticum de forma vivendi. Si in monasterio vivens clericus esse desideras, ita te exhibe, ut vitae meritum consequaris. Id est, adolescentiam tuam nulla libidinis sorde commacules; ut ad altare Domini quasi de thalamo virgo procedas, et habeas deforis bonum testimonium.

@ [Col. 1326C] *Feminae quae nomen tuum noverint, vultum nesciant.* In epist. excusa S. Hieronymi hic locus ita legitur: «Feminaeque nomen tuum noverint, vultum nesciant.» Sed rectius in nostra Concordia. Hinc autem discat monachus vitare familiaritatem mulierum: quae quam periculosa sit, ita praeclare docet S. Caesarius Arelatensis in epistola ad quosdam germanos: «Attende omnia sancta; diligenter intellige quanta mala de inordinata familiaritate nascantur. Familiaritas enim cujuslibet feminae, si frequens esse coeperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit. ignominiam parat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas aedificat, etc.» Feminae, quae nomen tuum noverint, vultum nesciant. Multo tempore disce quod doceas. Ne credas laudatoribus tuis: imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes.

CAPUT LXX. DE ORDINE CONGREGATIONIS.

[Col. 1325D]

I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1325D] *Ordines suos in monasterio ita conservent, etc.* Idem in Vita S. Fulgentii episcopi Ruspensis statutum legitur, ut monachi videlicet *tempus inter se conversionis ordinemque servent.* Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversionis tempus et vitae meritum discernit atque abbas constituerit. Qui abbas

@ [Col. 1325D] *Non conturbet gregem sibi commissum.* Alios extollendo, alios deprimendo,

praeferendo, vel postponendo sine rationabili causa. non conturbet gregem sibi commissum,

@ [Col. 1325D] *Nec quasi utens libera potestate.* Quod ne quidem reges decet, qui bene regnant, si cum ratione imperant. Vide supra c. 5. nec quasi libera utens [Col. 1326D] potestate injuste disponat aliquid; sed semper cogitet quia de omnibus judiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres,

@ [Col. 1326D] *Sic accedant ad pacem.* Id est, ad osculum pacis. Idque dupliciter intelligitur: primo, cum advenientibus hospitibus occurritur, quibus cum salutantur, datur osculum pacis: secundo, cum fratres ante sumptionem eucharistiae se mutuo osculantur juxta antiquum Ecclesiae morem, quem videre est apud Dionysium Areopagitam in Hierarchia ecclesiastica, πρὸς αἷς ὁ θεῖος ἱεράρχης εὐχὴν ἱερὰν τελεῖ, [Col. 1327A] τὴν ἁγίαν εἰρήνην ἅπασι διαγγέλλει, καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους, κ.τ.λ. «Postea divinus pontifex orationem sacram perficit, et sanctam pacem omnibus annuntiat, et posteaquam omnes se invicem osculati sunt, mysterium sacrarum plicarum peragitur.» Apud Tertullianum, lib. de Oratione, ubi arguit eos qui cum jejunabant, osculum pacis omittebant: «Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes jam audeant de sua pace fratri transigere? quae oratio cum divortio sancti osculi integra, quam Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est a quo sine pace receditur?» In Actis S. Mariae Aegyptiacae: «Et expleto, *Pater noster, qui es in coelis, sicut mos est, pacis osculum obtulit seniori, et sic vivifica mysteriorum sanctorum suscipiens dona,» etc.* Apud S. Gregorium, lib. III Dial., cap. 37, ubi agit de Maximiano abbate et fratribus in mari Adriatico periclitantibus: «Tunc jam in navi residentes non jam de morte vicina, sed de ipsa ejus praesentia et visione turbati omnes sibimet pacem dederunt, corpus et sanguinem Redemptoris acceperunt.» Et apud S. Ferreolum, cap. 25, Regulae suae: «Statuimus hujus culpae reum communionem Dominicam et osculum fratrum sex anni mensibus non habere.» Hinc capiendus est canon 12 concilii Antissiodorensis: «Non decet mortuis nec eucharistiam, nec osculum tradi.» Quia qui dabant eucharistiam mortuis, id faciebant osculo praemisso. sic accedant ad pacem, ad psalmum imponendum in [Col. 1327A] choro standum. Et in omnibus omnino locis aetas

@ [Col. 1327C] *Non discernat ordines.* Ita apud Smaragdum et in Vict. p.; vulgo legitur, *Non discernatur in ordine.* Quamvis autem aetas non discernatur in ordine quem debeant tenere monachi, si tamen abbas praeponat senes pueris et adolescentibus, id fiet rationabili causa. non discernat ordines nec praejudicet, quia

@ [Col. 1327C] *Samuel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt.* De Daniele clarum est, de Samuele non ita; qui nihilominus dici potest judicasse Heli presbyterum lib. I Reg. cap. II, cum ei judicium patefecit quod de eo et domo ejus statuerat Deus. Samuel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt. Ergo exceptis his quos, ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit, vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes, ut convertuntur, ita sint: ut verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasterio, juniorem se noverit illius esse qui prima hora venit diei, cujuslibet aetatis aut dignitatis sit. Pueris vero [Col. 1328A] per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores igitur

priores suos honorent, priores juniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum

@ [Col. 1327C] *Nulli liceat alium puro nomine appellare.* Sic S. Fulgentius Ruspensis episcopus in Africa neminem fratrum puro nomine appellabat, ut habetur in ejus Actis apud Surium: «Alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret.» Ex quo loco nota neminem puro nomine esse appellandum mansuetudinis causa. nulli liceat alium puro nomine appellare: sed priores juniores suos

@ [Col. 1327D] *Fratrum nomine.* Subaudi, *appellent.* Vulgo legitur, *Fratres nominent, quod est plausibilius.* fratrum nomine; juniores priores suos

@ [Col. 1327D] *Nonnos vocent.* Nonnus, vox satis vulgaris est, nondum tamen bene nota. Nonnus vulgo monachum significat, et ita interpretantur glossae veteres; nonna monacham, ut videre est in visione Flotildis, quae exstat ad calcem Supplementi Flodoardi: «Audivit quod fieri nonna deberet.» Sed non est haec propria horum vocabulorum significatio, nata ex eo quod monachi se nonnos, et monachae nonnas appellarent. Nam si nonnus monachum significaret, omnes sine discrimine jussisset S. Benedictus nonnos appellari, cum juniores aeque sint monachi ac priores et seniores sui. Deinde non adeo magnus honor esset, si juniores seniores suos nominarent nonnos, id est monachos, cum hoc nomen esset omnibus monachis commune. Aliam sane significationem ei attribuit Joan. Xiphilinus in Domitiano: Πολλάκις καὶ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει καί ἐστι ὅτε νόννας συνέβαλε, καὶ γυναῖκας; id est, «saepe etiam certamina nocte edidit, et interdum nonnas et mulieres commisit.» Qui videtur in hunc locum Suetonii in Domitiano, cap. 4, respicere: «Nam venationes (commisit) gladiatoresque et noctibus ad Lychnuchos, nec virorum modo pugnas, sed et feminarum.» Non enim nonnae hoc loco sunt monachae, vel sanctimoniales: undenam has habuisset Domitianus? Quis credat tantam fuisse tunc Ecclesiae corruptionem, ut monachae gladiatorum more decertarent? Haec dico propter eos qui hoc Xiphilini loco putant nonnas significare monachas. Itaque dico nonnum proprie significare Patrem, majorem, seniorem: quod plane indicant haec S. P. Benedicti verba, *quod intelligitur paterna reverentia, id est, Pater.* Unde Add. I Capitul. Lud. imp., tit. 54: «Ut qui praeponuntur, nonni vocentur, id est paterna reverentia.» Ita enim Papias: «Nonnos vocamus majores ob reverentiam. Nam intelligitur paterna reverentia.» Et Glossae Arabico-Latinae dictae, *Nonnus, major.* Id plane colligitur ex epist. S. Hieronymi ad Eustochium de servanda virginitate: «Quia maritorum expertae dominatum viduitatis praeferunt libertatem, castae vocantur et nonnae.» Castae ergo, quia viduae et continentes sunt; nonnae, quia majores: quippe quae matresfamilias fuere, et viduitatis libertate gaudentes, junioribus praeferuntur. Et in hac significatione videtur sumpsisse hoc vocabulum supra citatus Xiphilinus, et interpretatum esse addendo καὶ γυναῖκας, id est, et mulieres, non quidem virgines, sed matresfamilias ac matronas. Et ita interpretandus supra citatus Suetonius, cum τὸ *feminas dixit, non* τὸ *virgines.* Quod sane notasset; quemadmodum infra eodem capite: *In stadio vero, cursu etiam virgines.* Et sane τὸ *nonnus est nomen honoris.* Arnobius in psal. CV: «Si ille qui sanctus vocatur et nonnus sic agit, ego quis aut quotus sum ut non agam?» Et psal. CXL: «Vae autem mihi et mei similibus, quia invicem nobis oleo capita impinguamus, et adulantes nobis invicem in praesenti positi sanctos nos vocamus et nonnos; absentes vero nos ita mordemus et percutimus, ut recte canibus comparemur.» Nonnus aliquando est nomen proprium. Moschopulus in schedis, Νόννος ὄνομα κύριον· id est, «Nonnus nomen

proprium,» ut S. Nonnus pontifex Edessenus, qui S. Pelagiam ad fidem adduxit, et Nonnus Panopolitanus poeta, qui Dionysiaca et Evangelium Joannis metrice scripsit. Ita et Nonna. Idem Moschopulus, Νόννα κύριον, id est, «Nonna nomen proprium:» quod nomen sortita est mater S. Gregorii Nazianzeni, ut clarum est ex ejus oratione de laudibus Gorgoniae, ac proinde male arguitur Moschopulus a quodam viro docto. nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas vero, quia vices Christi agere videtur,

@ [Col. 1328D] *Dominus.* Ita in Victorinis mss. Huic lectioni favet Vita S. Mechthildis Diezzensis, cap. 10: «Soror Mechthildis contendit appellari sine dominae adjectione; altum omne contempsit in nomine: sed usus exegit domus, et monasterii Regula, ut domina vocaretur [Col. 1329B] et abbatissa.» In aliis tamen cod. mss. nostris atque etiam editis omnibus, quos viderim, legitur, *domnus.* Et rectius. Nam τὸ *dominus est nomen regium et imperatorium, quod etiam Augustus imperator recusavit.* Sed postea a scriptoribus, ut vocabulo humiliori uterentur, ex vocabulo, *dominus,* factum est, *domnus, per syncopen.* Quo vocabulo olim sanctos viros, episcopos aliasque honorabiles personas appellarunt. Severus Sulpitius, epist. 2, «Domnum Martinum obiisse nuntiant.» Epist. 3, «Domnus Martinus.» Idem videtur in charta S. Germani episcopi Parisiensis; in subscriptionibus conc. Arelatensis IV; concilii Aurelianensis III; in epistola Pappoli episcopi Carnotensis ad episcopos in concilio Parisiensi congregatos; lib. IV Gregorii papae, epist. 45; in epistola Constantii et Dadonis episcoporum ad Desiderium episcopum Cadurcensem, et passim in epistolis ipsius Desiderii episcopi Cadurcensis; in epistola S. Radegundis ad episcopos, apud S. Gregorium Turonensem, lib. IX Hist., cap. 42; S. Ennodii, lib. III, epist. 4; et passim alibi. Eadem ratione dicitur, *domna,* pro *domina, ut patet ex epist.* 29 Ennodii, lib. IX: «*Bene fecisti, domna Agnella,*) et alibi passim: epist. citata S. Radegundis, epist. 27 S. Gregorii papae, lib. VI: «Gloriosissimas autem filias meas domnam Dominicam et domnam Eudochium mea vice salutate.»

A Graecis recentioribus pro τὸ κύριος, id est dominus, dicitur κυρὸς, etiam per syncopen. Ita apud Theodorum Balsamonem in can. 55 sextae synodi: Μέχρι τῆς ἐφημερίας τοῦ ἁγιωτάτου πατρίαρχου κυροῦ Μιχαὴλ, id est, «usque ad tempora sanctissimi patriarchae domni Michaelis; «et in 4 can. synodi primae et secundae Constantinopolitanae: Ἐπὶ τῆς ἐφημέριαρ τοῦ ἁγιωτάτου κυροῦ Λουκᾶ· idest,» tempore sanctissimi domni Lucae;» et infra in eumdem canonem: Διὰ τοῦτο καὶ ὁ αὐτὸς ἁγιώτατος κυρὸς Λουκᾶς ἐπέτρεψε τῷ μοναχῷ, καὶ ἱερεῖ ἐκείνῳ κυρῷ Μακαρίῳ τῷ Ἱεροσολυμίτων, id est, «Idcirco ipse sanctissimus domnus Lucas permisit monacho et sacerdoti illi domno Macario Hierosolymitano.» Hoc vocabulo utitur Theorianus in legatione Armenorum: Καὶ χαιρετίσαντες τὸν καθολικὸν τῆς Ἀρμενίας κυρὸν Ναρσέσιν, ita in editione Parisiensi, nam quidam legunt κῦριν, id est,» Salutato universali Armeniae domno Narsesio.» Dicitur et κῦρις. Joannes Moschus Prati spiritalis cap. 76: Κῦρι ἀδελφὲ, οὐκ οἶδας, id est, «Domne frater, nescis.» Ita et femininum κυρὰ vel κυρὴ pro κυρία. In Chron. Constantinopolitano: κυρὴ τῆς Ἀνατολῆς, id est, «domna Orientis.» Vetus sane vocabulum; nam Cnidii olim ita Cererem indigetarunt. Auctor veteris Etymologici: Κυρὴ παρὰ Κειδίοις Δημήτηρ· παρὰ τὸ κυρία εἶναι τοῦ ζῆν, Ὧρος, [Col. 1330B] id est, «*Kure apud Cnidios Ceres:* ab eo quod sit vitae domina. Horus.» dominus et abbas vocetur, non sua assumptione,

[Col. 1329A] sed honore et amore Christi.

@ [Col. 1330B] *Ipse autem cogitet.* Supple *quod dicitur, ut supra cap.* 2 Regulae, *Meminisse debet quod dicitur, id est, quale nomen sortitur, ut facta respondeant huic nomini.* Ipse autem cogitet, et sic se exhibeat ut dignus sit tali honore. Ubicunque autem sibi obviant fratres, junior a priore

@ [Col. 1330B] *Benedictionem petat.* Haec inter se mutuo conversantes, sibique occurrentes seque salutantes benedicendi ratio veterum Christianorum fuit, ut liquet ex Tertulliano, lib. de Testimonio animae, cap. 2: «Et quod penes Deum bonitatis et benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinae et conversationis sacramentum, Benedicat te Deus, tam facile pronuntias quam Christiano necesse est.» Se ergo mutuo salutantes Christiani dicebant, *Benedicat te Deus.* Cum monachi sibi occursabant, junior dicebat, *Benedicite, ut statuitur in epitome Ludovici imp.* super Regulam S. Benedicti: «Cum vero sibi obviant fratres, ubicunque junior dicat priori, inclinato capite, *Benedicite.*» Senior vero respondeat, *Deus, ut clarum est ex cap.* 13 Regulae Magistri, ubi agitur de excommunicato: «Petenti benedictionem nullus respondeat, *Deus.*» Et haec quidem salutatio maxime facit ad devotionem, charitatem, gravitatem mutuamque observantiam et reverentiam, ablegatque insulsam et scurrilem nescio quam familiaritatem. benedictionem petat: transeunte majore minor surgat,

@ [Col. 1330C] *Et det ei locum sedendi.* Si ibi consistat senior. et det ei locum sedendi; nec praesumat junior consedere, nisi ei praecipiat senior suus, ut fiat quod scriptum est: *honore invicem praevenientes.*

@ [Col. 1330C] *Pueri parvi.* Ita in utroque cod. ms. S. Germ. Apud Smaragdum vero, et S. Dunstanum, et in vulgatis legitur, *pueri parvuli.* Pueri parvi sunt infantes. Pueri parvi

@ [Col. 1330C] *Vel adolescentes.* Particula *vel hoc loco sumitur copulative, non disjunctive, ut saepe in hoc opere, quemadmodum toties monuimus.* vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina

@ [Col. 1330D] *Ordines suos consequantur.* Juxta tempus ingressionis suae in monasterium, non solum inter se, sed etiam inter alios monachos, quia aetas non debet discerni, nec praejudicare in ordine, ut supra dixit, nisi forte abbas rationabili causa velit aliquem eis praeferre. ordines suos consequantur. Foris autem, vel

@ [Col. 1330D] *Ubi et ubi.* Lege, *ubi ubi, expuncta copula, ut supra cap.* 36 dicitur: *Vel aliud quid excesserit, ubi ubi.* ubi et ubi custodiam habeant et disciplinam, usque dum ad intelligibilem aetatem perveniant.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 10).

Interrog.

@ [Col. 1330D] *Quomodo oporteat observare, etc.* Haec habentur apud S. Basilium interr. 21 Regularum fusius disputatarum, et apud Rufinum ms., cap. 11, qui hoc caput, ut multa alia, contraxit. Quomodo oporteat observare nos circa cathedras et accubitus, cum tempus poposcerit, [Col. 1329B] quoniam Domini habemus praeceptum quod nos in omnibus informat ad humilitatem; in quo etiam de hoc pronuntiat, ut cum ad convivium imus discumbendi [Col. 1330A] locum novissimum requiramus **(Luc XIV)**, et non occupemus locum priorem?---*Resp.* Illud nos scire oportet quia ubi omnes eodem prospectu et proposito convenimus, maxime si in multis et in majoribus humilitatis

documenta dedimus, cupere quidem

@ [Col. 1330D] *Praevenire.* Legendum videtur, *praeoccupare,* ut in textu Graeco, προκαταλαμβάνειν. praevenire unumquemque inferiorem locum secundum mandatum Domini condecens est. Sed rursum,

@ [Col. 1330D] *Si res ad contentionem.* Adjeci particulam *si, quae desiderabatur.* si res ad contentionem venit de hoc et unus alium detrudere velut de loco inferiori conatur, valde est improbabile. Causa enim ex hoc perturbationis et inquietudinis nascitur, si incipiet nemo alteri cedere; et si pro hoc certamina moveantur, similiter erit tanquam si de primatibus contendatur. Propter quod oportet etiam in hoc considerantius providere, vel quid unicuique nostrum [Col. 1330B] competat, vel certe indulgere ei cui cura commissa est, et in caeteris et in recumbendo custodire ordinem, et obtemperare ei, ut impleatur in [Col. 1331A] nobis illud quod dictum est: *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* **(I Cor. XIX)**.

§ III.---SANCTI HIERONYMI (cap. 3).

@ [Col. 1331B] *Quicunque autem, etc.* Haec sumpta sunt ex epist. S. Hieronymi, quae praefixa est Regulae S. Pachomii, quae in codice Vindocinensi, non ita recte, per imperativum enuntiantur. Quicunque autem monasterium primus ingreditur,

@ [Col. 1331B] *Primus sedet, etc.* Haec et similia non habentur in Regula S. Pachomii, quae exstat apud Palladium cap. de *Tabennesiotis, et apud Sozomenum libr.* III Hist. Eccl., cap. 13, neque in majori Regula S. Pachomii. Quare dicendum est, aut Regulas S. Pachomii non esse integras, aut S. Hieronymum hoc loco narrare tantum quasdam traditiones non scriptas, quas de more tantum servarent discipuli S. Pachomii. primus sedet, primus ambulat,

@ [Col. 1331C] *Primus psalmum dicit.* Non dicit, *incipiat, quod confirmat opinionem a nobis supra tractatam de ordine canendorum psalmorum a singulis fratribus.* primus psalmum dicit, primus in mensa extendit manum, prior in ecclesia communicat: nec aetas inter eos requiritur,

@ [Col. 1331C] *Sed professio.* Id est, tempus, quo quis vitae monachicae professionem inire coepit sed professio.

§ IV.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 5).

@ [Col. 1331C] *Qui in monasterium, etc.* Haec reperire est in Regula edita S. Isidori, cap. 4. Qui in monasterium prior ingreditur, primus erit in cunctis gradu vel ordine.

@ [Col. 1331C] *Non quaerendum est si dives sit aut pauper.* Praeclare S. Hieronymus in epist. ad Celantiam: «Nulli te unquam de generis nobilitate praeponas, neque obscuriores quasque et humiliore loco natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere; nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum: servum et nobilem de moribus pronuntiat.» Non quaerendum est si dives sit aut pauper, servus an liber, juvenis an senex, rusticus an eruditus. In monachis enim nec aetas, nec conditio quaeritur,

@ [Col. 1331C] *Quia inter servi et liberi animam nulla apud Deum est differentia.* Nam, ut ibidem ait D. Hieronymus, «Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus.» quia inter servi et liberi animam nulla apud Deum est differentia.

[Col. 1331B]

§ V.---EX REGULA SANCTI FRUCTUOSI (cap. 12).

@ [Col. 1331D] *Cautela et moderatio, etc.* Haec videre est in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis cod. Crass., eodem cap. 12. Cautela, et moderatio, et pudicitia, fides et sinceritas, ornant habitum monachi.

@ [Col. 1331D] *Duplex enim nullo modo esse debet famulus Christi.* Duplex ille est qui non sincere coram Deo et hominibus ambulat, qui non pure Deum quaerit, sed duabus viis graditur, ut explicat S. Gregorius lib. I Moral., cap. 11: «Sunt namque nonnulli qui in his bonis quae faciunt simplices non sunt, dum non in his retributionem interius, sed exterius favorem quaerunt. Unde bene per quemdam sapientem dicitur: *Vae peccatori terram ingredienti duabus viis.* Duabus viis peccator quippe terram ingreditur, quando et Dei est quod opere exhibet, et mundi quod per cogitationem quaerit.» Quapropter ejusmodi hominibus maledicit Scriptura: *Vae duplici corde et labiis scelestis* **(Eccl. II)**. Duplex enim nullo modo esse debet famulus Christi, sed veridicus et

@ [Col. 1332B] *Et simplex.* Verus ille monachus qui simplex est, qui nunquam ingredietur regnum coelorum nisi efficiatur sicut parvulus; et hoc est Christi oraculum. Sed quam sit eximia simplicitas declarat sanctus Ambrosius in Exhortatione ad virginem: «Bonae enim divitiae sunt innocentiae atque simplicitatis, quibus peccatum non imputatur, quia nulla in iis doli fraudisque versutia est. Omnis enim simplex obtrectare non novit, nescit invidere, suo contentus est, aliena non quaerit: et si egeat, sibi dives videtur, si suppetat quod alimento est satis. Denique pulchre apostolus: *Et* profunda, inquit, *paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum.*» Et libro de obitu Satyri fratris de eadem agens: «Ea est quaedam morum temperantia et sobrietas.» Et paulo post: «Anima benedicta omnis simplex.» simplex,

@ [Col. 1332C] *Superciliosi fastus carens effigie.* Ita correxi ex Regula ms., cum in codice nostro corrupte legeretur, *supercilio fastus carens effigiem.* superciliosi fastus carens effigie. Coram senioribus suis prior nullus ambulet, neque non jussus sedeat vel loquatur, sed honorem fratri [Col. 1332A] seniori et reverentiam, ut condecet, competenter exhibeat.

§ VI.---*Item* (cap. 13).

@ [Col. 1332C] *Qui prius in monasterio, etc.* Haec habentur in Regula ms. S. Fructuosi archiep. Brac. cod. Crass., eodem cap. 13, partim sumpta ex Institutis S. Pachomii, ut videre est in epist. citata S. Hieronymi, partim ex Regula sancti Patris Benedicti. Qui prius in monasterio conversus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in ecclesia, prior loquatur cum interrogantur fratres pro aliqua quaestione, prior psalmum dicat, in choro prior constet,

@ [Col. 1332C] *Hebdomadam faciat.* In culina. hebdomadam prior faciat, manum in mensam primus extendat: nec aetas sola inter fratres requirenda, sed conversio est et laboris studiique propositum. Unde et haec discretio senioris est praestolanda, ut quem quomodo erga Dei amorem cultumque ferventem viderit, sic honoret. Non enim generis dignitas, aut rerum opulentia, quam quisque habuit in saeculo, [Col. 1332B] vel aetatis grandaevitas exquirenda, sed vitae rectitudo, et ardentissimae fidei merita debent esse pensanda. Ille enim potior, qui Deo proximior, judicandus est. Monachi in monasterio sancte, et pudice atque honeste viventes persistant;

@ [Col. 1332C] *Laici.* Ejusmodi laici erant veluti quidam servi seu famuli monasteriorum ad negotia saecularia deputati, ut ex hoc S. Fructuosi loco patet, et ex Regula S. Isidori, cap. 20. «Ars autem pistoria ad laicos pertinebit.» Meminit Justinianus novella 5, ex qua apparet fuisse distinctos a monachis tonsura et veste, ubi agens de novitiis statuit eos κουρᾷ καὶ ἐσθῆτι τῶν καλουμένων χρῆσθαι λαικῶν, id est, «uti tonsura et veste eorum qui laici vocantur.» In conc. Arelatensi III, in quo controversia inter Theodorum episcopum et Faustum abbatem Lerinensem componitur, fit mentio laicae multitudinis et congregationis in monasterio, quae subjicitur abbati, et clericorum monasterii qui episcopo: sed ejusmodi laici seu laica congregatio erant vere monachi, atque ita appellantur, quod non essent clericali tonsura insigniti, quamvis improprie. Non sunt enim monachi laici, sed medii inter clericos et laicos, ut docet S. Dionysius Areopagita **(Cap. 6 Eccl. Hier.)**. Postea tamen illi monachi, qui ad chorum non sunt deputati, laici appellati sunt, atque etiam conversi, Robertus Antissiodorensis in Chron: «Cum quidam Cistertiensis ordinis abbas provectae aetatis, mirae simplicitatis cum suo monacho et converso pro quibusdam negotiis iter ageret.» Petrus de Vallibus Sarnay, cap. 3 Hist. Albigensium. «Abbati triginta sex, converso vero viginti quatuor plagas infligens,» etc. Omnes tamen monachi olim conversi appellabantur, ut supra observatum est. laici foris abbatis, vel praepositi mandata peragant

[Col. 1333A]

§ VII.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 46).

Quanto se affectu vel charitatis ministerio in monasterio animae positae debeant diligere, sanctorum Patrum instituta sanxerunt. Sed in quibus sit actibus vel officiis demonstrandum, a nobis
@ [Col. 1333C] *Pro parte.* Id est, aliqua ex parte. pro parte indicandum est. Habet denique latissimum virtutum copia ambitum, quo circumsepta facile hostem sibi superet adversantem. Sunt etenim nonnulla quae in actu videntur exigua, et tamen vel custodita, vel neglecta,
@ [Col. 1333C] *Aut tepescente, aut fervente animi motu demonstrantur.* Lege: *aut tepescentem, aut ferventem animi motum demonstrant.* aut tepescente, aut fervente animi motu demonstrantur: ut est humiliatio capitis, et sermonum affabilis salutatio, quae aut rigidae mentis vel in corde,
@ [Col. 1333C] *Aut si certe.* Particula *si redundat.* aut [si] certe piae purissimum patefacient affectum. Servandum est ergo famulis vel famulabus Christi, ut semper intra mentis statum ea nutriant [Col. 1333B] quae a vera humilitate ac charitate non discedant, quibus summa constat virtutum. Nam sicut nunquam sine vera humilitate vera manet charitas, ita nunquam absque vera charitate vera manet humilitas. Arripiamus ergo instruere fundamentum, ut ad culmen perveniamus virtutum. Sic prius humilitas monstranda tam in actu quam in affectu, ut post charitatis copia aedificetur. Et quando sibi
@ [Col. 1333D] *Mutuatim.* Id est, mutuo. mutuatim in via, vel in quocunque loco occurrerint, omni humilitate ab invicem
@ [Col. 1333D] *Flectentes.* Apud Smaragdum additur, *genua.* Et in margine adnotatur cum asterisco τὸ *capita.* flectentes benedictionem rogent. Et si unus ex eis senior fuerit,

prius junior benedictionem postulet. Tunc demum senior prosequatur.
@ [Col. 1333D] *In cursu.* Id est, in opere Dei, in officio divino, in horis canonicis, nam cursus id significat. S. Gregorius Turonensis de Gloria confessorum, cap. 37: «Nam post expletum in oratorio cursum elevabatur a praesentia fratrum.» Et lib. X Hist., cap. ult. «De cursibus etiam ecclesiasticis unum librum edidi.» S. Bonifacius archiepiscopus Moguntinus, epist. 17: «Wigbertus presbyter et Megingordus diaconus Regulam vestram vobis insinuant, et speciales horas, et cursum ecclesiae custodiant. «Sed de his supra fusius actum est. In cursu vero positi, prout ab abbate fuerint ordinati, vel
@ [Col. 1333D] *Ad psalmum canendum.* Ita loquitur idem Pater cap. 19 suae Regulae: «Ut in loco in quo antea fuit, nec psalmum cantet, nec ullum ordinem teneat.» Ubi vides, *psalmum canere, idem esse quod dicit S.* P. Benedictus *psalmum imponere.* Sed de his supra. ad psalmum canendum, vel ad lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes, suum [Col. 1333C] ordinem custodiant: nec constitutum sibi locum transilientes, in ambitionis vel arrogantiae vitio demergantur. Abbati vero studendum est ut per ordinem, sicut conversi in monasterio fuerint, ita in suo ordine [Col. 1334A] constituantur, praeter si uberis conversatio religionis meruerit ut
@ [Col. 1334C] *Inantea promoveatur.* Id est, in superiori ordine collocetur. inantea promoveatur: vel si gravis culpa exegerit ut retro
@ [Col. 1334C] *Regradetur.* Id est, *degradetur.* Nam particula *re* in compositione saepe destruit, ut, *refigo, retego, recludo, resero, quemadmodum vulgo docent grammatici.* Idem vocabulum videre est in Regula S. Pachomii, art. 92: «Et regradabunt in ultimum, donec corrigatur.» Et art. 94: «Regradabitur de solio suo, donec corrigatur.» Ita legitur in Regula ms. Floriacensi, et in conc. Vindocinensi, etsi in Regula S. Pachomii excusa legatur, *degradabunt et degradabitur.* Sed ejusmodi lectiones manant a quodam correctore. Hoc vocabulo utitur concilium Aurelianense IV, can. 10: «Illi vero qui illicite promoti sunt, regradentur.» Hinc *regradatio, id est, degradatio.* Concil. Aurel. III, can. 4, «in regradatione honorum, priorum statuta serventur.» regradetur: sive aliquis e fratribus agnoscatur seniorem affectare locum, cum verecunda castigatione refellatur: quia non debiti honoris locum praesumpsit; nec religionis commeritum, sed ambitionis honorem indebitum conatus est arripere. In consessu fratrum, si alius supervenerit, qui juniores sunt ordine assurgant, et seniori locum praebeant. Juniores vero senioribus nullatenus superbiendo contradicant, sed cum omni humilitate vel interrogati vel correpti respondeant. Si labentem in quodlibet delictum junior seniorem aspexerit,
@ [Col. 1334D] *Non exprobrando ad confitendum.* Lege, ut apud Smaragdum, *Non exprobrando, sed magis dolendo ad confitendum.* non exprobrando ad confitendum abbati vel praeposito dirigat. Similiter senior juniori faciat. Ad confessionem [Col. 1334B] veniens prius prostratus supra humum suam culpam esse dicat: sic priusquam surgere jubeatur, suam confessionem manifestet. Quando ad aliquod opus fieri
@ [Col. 1334D] *Commeatus.* Id est, licentia, ut supra notatum est. commeatus rogatur,
@ [Col. 1334D] *Venia.* Culparum videlicet. venia prius petatur, et sic de opere quod faciendum est, commeatus rogetur. Quando ad abbatem venitur, cum omni humilitate veniam petendo accedatur. Similiter quando egreditur, cum veniae petitione benedictio quaeratur. Nullus monachorum per semetipsum de propria necessitate abbati suggerat; sed omnes per praepositum, quidquid necessitatum fuerit, abbati studeant intimare. Si

sacerdos

@ [Col. 1334D] *Vel quilibet religiosus.* Sive clericus, sive monachus. vel quilibet religiosus venerit, ut eis per abbatis commeatum sit occurrendum, a longe adstantes cum omni humilitate flectentes genu sub silenti voce

@ [Col. 1334D] *Benedictionem rogent.* Illum religiosum videlicet. benedictionem rogent. Et si [Col. 1334C] ordinatum fuerit ab abbate ut cum his aliquis fratrum loquatur, cum omni humilitate, et modestia, ac sobrietate loquendum est, ut in omnibus his virtus humilitatis et sobrietatis inveniatur.

CAPUT LXXI.

@ [Col. 1335A] *De ostiariis.* Ita in utroque cod. S. Germ. et apud Smaragdum; recte, quia hic ponit duos ostiarios, nempe alterum senem, et alterum juvenem. At in vulgatis et in Regula a S. Dunstano emendata habetur, *de ostiario.* DE OSTIARIIS MONASTERII.

[Col. 1335A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1335A] *Ad portam monasterii, etc.* Hoc caput exstat etiam in Recapitulatione S. Caesarii Arelatensis, capite ultimo, masculino genere in femininum mutato, quia scribit sanctimonialibus. Ad portam monasterii ponatur

@ [Col. 1335B] *Senex sapiens.* Senis portarii sapientia ob duo potissimum requiritur; primo, ut advenientibus prudenter satisfaciat; secundo, ut animam suam custodiat, ne vagandi ei libertas subrepat. Qui non solum moribus, sed etiam aetate senex esse debet: nam statim subjungit dandum esse ei juniorem fratrem in solatium, qui licet junior sit aetate, tamen debet esse senex moribus. senex sapiens, qui sciat

@ [Col. 1335B] *Accipere responsum.* Id est, concipere advenientis voluntatem, quam ab eo sciscitatus fuerit. accipere

@ [Col. 1335B] *Vel reddere.* Particula *vel hoc loco sumitur copulative:* nam non modo horum unum praestare debet janitor, sed utrumque, nempe bene accipere, et reddere responsum. vel reddere responsum; cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant, a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit, aut pauper clamaverit,

@ [Col. 1335B] *Deo gratias respondeat.* Deo gratias est antiqua Deo gratias agendi formula, qua olim Christiani utebantur in occursibus et congressionibus. S. Augustinus in psal. CXXXII: «Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres, cum vident homines, *Deo gratias dicunt.* Quid est, inquiunt, *Deo gratias? Itane* surdus es, ut nescias quid sit *Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo.* Vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se invicem vident, qui habitant in Christo?» Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmenianum: «Tunc Secundus dixit, Sedete omnes. Tunc dictum est ab omnibus: *Deo gratias, et sederunt.» Deo gratias respondeat,*

@ [Col. 1335C] *Aut benedic.* Ita in Concordia ms. Vindocinensi et in cod. S. Germ. ma. Vulgo tamen legitur, *benedicat, ut apud Smaragdum.* Sed textus Regulae apud eum

vitiatus est, et legendum est: *Benedic,* non *benedicat.* Quod plane indicant ejus adnotata in hunc locum: «Eleganter hic duas venientium beatus posuit Benedictus personas, unam potentis: qui si januam monasterii invenerit clausam, manu vel fuste pulsat eam: aliam vero pauperis posuit, qui non pulsat, sed tantum humiliter ad januam clamat. Quibus et satis apta a portario respondenda composuit responsa: videlicet ut voce pauperis audita, Deo gratias agat: potenti vero occurrens obviam humiliter ab eo benedictionem petat.» Si ergo juxta Smaragdum janitor a divite benedictionem petere debet, necessarium est legisse Smaragdum τὸ *benedic, non* τὸ *benedicat.* Itaque legendum est, *benedic.* Ita ut janitor benedictionem ab hospite petere debeat: quia monachi humilitati magis consentaneum est petere benedictionem, quam benedicere, magisque ad S. P. Benedicti mentem accedit, qui cap. 53 vult ut monachi ab hospite obvio benedictionem petant, cum nullum hac in re discrimen inter ingressum et occursum intercedat. Quae quidem benedictio, ut plurimum, est precatoria. aut *Benedic:* et

@ [Col. 1336A] *Cum omni mansuetudine timoris Dei.* Id est, cum mansuetudine quae timorem Dei spectet, non vanam et aulicam adulationem, cum Christus sit in hospite suscipiendus, sive ille sit dives, sive pauper. cum [Col. 1336A] omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum

@ [Col. 1336A] *Festinanter cum fervore charitatis.* Duas S. Benedictus requirit in reddendo responso virtutes: mansuetudinem, quae ex timore Dei, et diligentiam, quae ex charitate procedat, quia spiritali viro omnia spiritaliter agere convenit. festinanter cum fervore charitatis. Qui portarius, si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat.

@ [Col. 1336B] *Monasterium autem, si fieri potest, etc.* Idem habet concilium Moguntinum sub Carolo Magno, cap. 20, idque ex auctoritate Regulae, et liber V Capitul. impp., tit. 78, ubi praecipitur ut missi regis simul cum episcopis uniuscujusque dioecesis perspiciant loca monasteriorum, «si in apto et congruo loco sint posita, ubi commodum ac necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet monasteriorum, sicut in sancta Regula dicitur. Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra monasterium exerceantur: ut non sit necessitas monachis vel clericis vagandi foras, quia non expedit animabus eorum.» Ubi addita sunt illa verba, *vel clericis, propter canonicos.* Monasterium autem (si fieri potest) ita debet constitui, ut omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversae infra monasterium exerceantur,

@ [Col. 1336B] *Ut non sit necessitas monachis vagandi foras, etc.* Optima constitutio, et monachorum mentibus altius defigenda, si eos vitae perfectae sensus aliquis tenet stimulatque desiderium. In mundo enim alget pietas, torpet devotio. Mundi pestilens aer est, qui citius monachos sua contagione funestat. Mundus retibus et plagis redundat, quae statim monachum involvunt et irretiunt. Οἱ βρόχοι, καὶ παγίδες τοῖς ἐθέλουσιν σωθῆναι αἰτῶν κοσμικῶν συντυχίαι, id est, «Mundanorum congressus et frequentationes his qui volunt salvari laquei sunt,» inquit S. Antiochus hom. 3. Ita sentiebat olim S. Nonnosus praepositus monasterii Soractis montis. Cum enim in eo monasterio olei penuria esset, jam parati erant monachi per vicos et oppida oleum quaerere: id non tulit S. Nonnosus; sed magna humilitate, ut abbas jussa revocaret, effecit: ne fratres monasterio exeuntes, dum olei lucra quaererent, animarum damna paterentur. Itaque paucas olivas, quae in arboribus remanserant, in prelum mitti jussit, et quantum olei exprimi posset, sibi deferri. His ita perfectis, vasculum oleo impletum

ante altare posuit, et dimissis arbitris oravit; et postea ex hoc oleo parumper in omnia vasa monasterii diffundi jussit, quae continuo claudi jussa, altera die aperta omnia plena reperta sunt, ut repert S. Gregorius lib. I Dial., cap. 7. Idque olim sacris humanisque legibus cautum fuit, ne monachi urbes aut pagos obambularent, sed ut in monasteriis manerent inclusi, ut habetur can. 4 synodi Chalcedonensis, et can. 46 synodi Trullensis, et Cod. 1. 29, de Episc. et Cler., etc.: Οἱ ἐν τοῖς μοναστηρίοις διατρίβοντες μὴ ἐχέτωσαν ἐξουσίαν ἐξίεναι τῶν μοναστηρίων, id est, «Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exeundi non habeant; vel in civitate Antiochensi, seu in aliis quibuslibet civitatibus conversandi, exceptis duntaxat iis qui vocantur apocrisiarii, quibus licentiam damus volentibus ad sola responsa necessaria exire.» Consule Photium in Nomocanone tit. II, cap. 4. Idem statuitur Cod. Theod. l. 1 et 2, *De monachis, nisi forte de judiciariis injuriis agatur.* Nec se ita inclusum doleat monachus. Nam si vel minimo religionis amore tenetur, se ipsa inclusione in libertatem assertum putabit. Vera utique libertas est hujus mundi carcere liberari. Veris monachis cellae amatoribus id dicam quod olim Tertullianus sanctis martyribus in carcere vinctis scribebat: «Nec vos hoc contristet quod segregati estis de mundo. Si enim recogitaverimus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos e carcere quam in carcerem introisse intelligemus.» Vere mundus carcer est, in quo homines vitiorum vinculis colligati detinentur inclusi. Felix monachus, qui tam tetro carcere solutus est, et potest dicere cum David: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Si igitur in monasterio sedet inclusus, mentem rerum humanarum cupiditate solutam per hanc universitatem mirabilia divinae bonitatis opera considerando evagari sinat: Deumque laudet et benedicat in omnibus. Mens omni sollicitudine libera per immensam illam coelorum regiam exspatietur, sedesque illas beatorum suspiciat, nunc choros angelorum perlustret, nunc se patriarcharum et prophetarum coetibus adjungat, nunc martyribus consocietur, nunc virginibus assideat. Hinc Deum adoret, admiretur et stupeat. Haec vera libertas, sed illius qui unius cellae inclusus angustiis latitudine fruitur paradisi, Haec optanda monachis evagatio, dum in cella sedent inclusi. Nam «etsi (inquit Tertullianus) caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu; et non stadia opaca et porticus longas proponens tibi, sed illam viam quae ad Deum ducit. Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris.» ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus [Col. 1337A] eorum. Hanc autem Regulam saepius volumus incongregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

§ II.---EX REGULA ORIENTALI.

@ [Col. 1337D] *Quando ad ostium monasterii, etc.* Haec habentur in Regula edita S. Pachomii, art. 28, non tamen articulus integer producitur. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipiantur: lavabuntque pedes eorum, juxta Evangelii praeceptum, et praebebunt eis omnia quae apta sunt usui monachorum.

@ [Col. 1337D] *Si quis ad ostium, etc.* Secunda hujus capituli pars exstat etiam in Regula excusa S. Pachomii, art. 30, etsi quaedam hic desiderantur quae apud S. Pachomium reperire est. Si quis ad ostium monasterii venerit dicens velle se videre fratrem suum vel propinquum, janitor nuntiabit abbati: et permittente,

@ [Col. 1337D] *Eum accipiet comitem, etc.* Nota disciplinam antiquam illorum Patrum, qui

non permittebant monacho soli cum extraneo colloqui, sed dabant ei comitem et sermonum testem, non quemvis de trivio, sed probatum morbius, ne forte daretur occasio maligno. eum accipiet comitem, cujus fides probata est; et sic mittetur ad fratrem videndum vel proximum.

@ [Col. 1338B] *Si propinquus, etc.* Haec tertia pars etiam reperitur in Regula S. Pachomii, art. 33, paucis verbis immutatis, servato tamen eodem sensu. Si propinquus alicujus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit licentiam, nisi Pater monasterii [Col. 1337B] praeceperit.

@ [Col. 1338B] *Nullus de horto, etc.* Haec quarta hujus capituli pars continetur etiam in Regula S. Pachomii, art. 38. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

§ III.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 95).

@ [Col. 1338C] *Duobus fratribus, etc.* Haec habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 93. Duobus fratribus

@ [Col. 1338C] *Aetate decrepitis.* Id est, senibus, hac voce latius sumpta; nam decrepiti huic officio minus essent idonei. Decrepitus est cujus vita prae senectute in dubio est. Nonnius Marcellus, cap. 1: «Crepera res proprie dicitur dubia, et crepusculum dicitur lux dubia, et senes decrepiti dicti in dubio vitae constituti.» aetate decrepitis cella intra

@ [Col. 1338C] *Regias.* Id est, januas. Vide supra. regias monasterii prope constituatur: qui deputati ibi et claudant monasterium omni hora post exeuntes, aperiant ingredientibus, et advenientes [Col. 1338A] nuntient abbati. Nam et hoc observare debent ipsi duo fratres quotidie, ut horis quibus oportet in monasterio legere seratis regiis se jungant,

@ [Col. 1338C] *Et legentes audiant.* Quia hic magister non vult ut seorsum fratres legant, sed ut congregati per decadas legentem audiant, ut habetur cap. 50 ejusdem Regulae: «A prima usque ad tertiam segregatae a se per loca diversa decade, ne in uno redacta omnis congregatio, suis sibi invicem vocibus obstrepent, id est, lectionibus vacent, unus de decem per loca legat, et residui suo numero audiant.» et legentes audiant: et cum ad opus divinum oratorii

@ [Col. 1338D] *Index.* Id est, signum, campana, ut supra notatum est. index sonaverit, seratis item regiis oratorio praesententur. Ad opus laboris hoc quaeratur quod possunt pro aetatis possibilitate implere, id est, aut si artes sciunt, aut certe, si nesciunt, in quo possunt quotidie adjuvent septimanarios. Tamen labori alio non quaerantur, si propter opus aperiendi et claudendi omni hora occupentur. Annonam canum a cellarario ipsi accipiant, et eis cum aqua vel culinae remanente juscello ministrent. Animalium intra monasterium curas adjuncto in septimana illorum hebdomadariorum solatio ipsi impleant, et regiae munditias ipsi [Col. 1338B] exerceant: vel intra eam

@ [Col. 1338D] *Cicindelum suspensum.* Vide supra. cicendelum suspensum et factum incendant quotidie, ut noctu foris cujusque cognoscatur ingressus. Qui senes, ut superius diximus, pro honore aetatis cum abbate manducent secundum formam praefatae humilitatis,

@ [Col. 1338D] *Ut sancta evangelica demonstrat.* In Regula ms. legitur: *In sancta Eugenia demonstratur.* Lege, ut in cod. Vind., *ut sancta Eugenia demonstrat.* Probat humilitatem quae in abbate requiritur ab exemplo S. Eugeniae martyris, quae dissimulato sexu tandem in abbatem electa caeteris fratribus humilitate praeluxit, ut in ejus Vita habetur, cujus textum, quia lumen affert huic loco, alioqui satis obscuro,

proferam: «Ipsa tamen ante omnes opus monasterii, quod infima solebat exercere persona, suscepit.» Et paulo post: «Aquam portare, ligna concidere, munditias adhibere: in eodemque loco habitare sibi elegit, ubi ostiarius monasterii manebat ne vel ipso se superiorem ostenderet.» ut sancta evangelica demonstrat, quae dixit nec ipsis se superiorem velle ostendere. Nam talibus dicit Scriptura perfectis:

@ [Col. 1338D] *Quanto magnus es, tanto humilia te.* Ut in textu Graeco: Ὅσῳ μέγας εἶ, τοσούτῳ ταπεινοῦ σεαυτόν. At in versione communi: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Quanto magnus es, tanto humilia te:* et [Col. 1339A] apud Deum

@ [Col. 1339C] *Et homines.* Haec non sunt in textu Graeco et in versione communi. et homines invenies gratiam **(Eccli. III)**.

Omnia vero necessaria intus intra regias esse oportet, id est, furnum,

@ [Col. 1339C] *Macinae.* Ita in Regula ms. et in cod. Vind. pro τὸ *machinae, quia in vetustis illis cod.* mss. saepe omittuntur aspirationes. Sunt molendina, prela et similia. macinae,

@ [Col. 1339C] *Refrigerium.* Id est, latrinae. refrigerium, hortus, vel omnia necessaria, ut non sit frequens occasio propter quam fratres multoties foras egressi, saecularibus mixti, forte a religiosorum oculis visi ad damnationem potius nostram ab eis pro angelis adoremur, et

@ [Col. 1339C] *Et Benedicite, nobis non meritis indigne dicatur.* Is olim honor monachis deferebatur a saecularibus, ut cum eis occurrerent, benedictionem peterent, ut videre est in Vita S. Hilarionis apud S. Hieronymum: «Igitur audito quod S. Hilarion praeteriret (multos enim Saracenorum arreptos a daemone frequenter curaverat), gregatim ei cum uxoribus et liberis obviam processere, submittentes colla, et voce Syra *barach,* id est, *benedic, clamantes.*» Idem clarum est ex Beda lib. III Hist. Angl., cap. 26: «Unde et in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus: ut ubicunque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur: et etiam si in itinere pergens inveniretur, occurrebant, et flexa cervice vel manu signari, vel ore illius benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum praebebant.» Id etiam scribit de Wallensibus Giraldus in descriptione Cambriae, cap. 8. *Benedicite nobis non meritis indigne dicatur:* cum forte sancti putemur esse, quod non sumus: aut magis per irrisionem quorumdam infidelium vilescat in publico vel plateis sanctus habitus in ambulando. Cum ergo haec omnia intus fuerint constituta, clausa sit semper monasterii regia, ut intus clausi cum Domino fratres veluti a saeculo sint jam

@ [Col. 1339D] *Clausa Dei.* Lege, *causa Dei, ut in Regula ms.* clausa Dei in coelestibus separati. Quae regia [Col. 1339B] monasterii

@ [Col. 1339D] *Circellum habeat ferreum.* Circellum est annulus fimellae januae insertus, quem movet is qui sibi vult januam aperiri. Glossae Benedicti *Circellum,* κρικίον: diminutivum a κρίκος, a quo et κρικέλλιον, id est, annulus, παρὰ τὸ κλείω. ὁπάντοθεν περικεκλεισμένος, id est, undique clausus, inquit auctor veteris Etymologici, seu potius a strepitu quem edit. circellum habeat ferreum in

@ [Col. 1339D] *In fimella.* Fimella, seu femella est ferrum januae affixum per quod circellum ei insertum ducitur, ut ad ejus strepitum janitor fores aperiat, quod in Gothia Gallica dicitur *femelle:* Glossae Benedicti, cap. *de Ferramentis:* femella, ἀμφίδρυς, quod utroque capite seu parte infigatur januae, ab ἀμφὶ et δρυμὶ. fimella, quo ab

adveniente concusso, cujuslibet supervenientis intus indicetur adventus.

§ IV.---EX REGULA CUJUSDAM (cap. 3).

@ [Col. 1340C] *Portarii seu ostiarii.* Ita correxi ex cod. Vind. cum legeretur: *Portarius seu ostiarius.* Apud Smaragdum legitur: *portarius, tantum.* Portarii seu ostiarii tales esse debent

@ [Col. 1340C] *Qui omnium mercedem simul aedificent.* Id est, qui ita sint exemplo supervenientibus, ut ex eorum moribus, quales sint reliqui fratres, judicetur. qui omnium mercedem simul aedificent: aetate senili,

@ [Col. 1340C] *Quibus mundus sequi jam, etc.* Apud Smaragdum, *quibus mundus si qui jam.* Legendum puto, *quibus mundus senuerit jam, et ex praesentibus pompis nihil desiderent.* In cod. Vind., *Aetate senili, qui jam ex praesentibus pompis nihil desiderent.* quibus mundus sequi jam ex praesentibus pompis nihil desiderent, sed toto cordis affectu Creatori inhaerentes singuli dicant: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* **(Psal. LXXII)**. Quid enim ex praesentibus phaleramentis desiderent, quia perfunctoriis contemptis Christum amare coeperunt, in quo summum bonum contemplatione mentis manere conspexerunt? Sint [Col. 1340A] mentis suae statu firmissimi, ut Domino cum Propheta orando dicant: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem:* in via tua

@ [Col. 1340C] *Vivifica nos.* Vulgo, *vivifica me.* Psal. CXVIII. *vivifica nos* **(Psal. CXVIII)**. Tale semper supervenientibus ostendant exemplum, ut et foris ab extraneis nomen Domini glorificetur, juxta quod Dominus ait: *Sic luceat lux vestra*

@ [Col. 1340C] *Coram omnibus hominibus.* Matth. V., in vulgata versione, *coram hominibus. coram omnibus hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* **(Matth. V)**.

@ [Col. 1340C] *Et intus a consodalibus suis.* Apud Smaragdum, *Et intus cum sodalibus suis.* Lege, *et intus consodalibus suis, id est, et pro fratribus qui intus sunt advenientes aedificent, ut ex eorum moribus alii cognoscantur.* Et intus a consodalibus suis mercedis praeparent lucra, dum omnium vice foris gerunt curam. Sic cautis moribus cum virtutum magistra humilitate existant, ut omnis patientiae blandimenta ex colloquio affabili ostendant.

@ [Col. 1340D] *Nunquam singuli vel bini attollentes.* Locus corruptus: Lege, ut in cod. Vindocinensi: *Nunquam singuli vel bini sine tertio teste loquantur, nunquam oculos in sublime attollentes.* Nunquam singuli vel bini attollentes laicos vel clericos intente aspiciant; sed demisso cum humilitate vultu inclinatis oculis [Col. 1340B] necessaria colloquantur. Pauperum, peregrinorum et hospitum curam inter omnia habentes, quia in his Christus suscipitur, quia ipse ait: *Quaecunque*

@ [Col. 1340D] *His minimis fecistis.* Matth. XXV; in editione vulgata: *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis. his minimis fecistis, mihi fecistis* **(Matth. XXV)**. Foris aliquid dare, vel cuilibet ministrare, vel a foris aliquid accipere nullatenus sine commeatu abbatis praesumant. Et quodcunque a foris accipiunt ex donis et eleemosynis aliorum nullatenus antea ad cellarium portent,

@ [Col. 1340D] *Quam ante oratorium deferentes.* Lege, *quam ante ad oratorium deferentes.* Optima institutio: neque enim tarde gratia beneficii est rependenda. quam ante oratorium deferentes congregatio pro eo orent qui hoc exhibuit.

@ [Col. 1340D] *Fabulis.* Egregia institutio. Nam si portarii quibuslibet rumusculis et sermonibus advenientium saecularium aurem commodarent, cito a virtute recederent, totumque conventum labefactarent, si ea quae audiunt, fratribus renuntiarent. Fabulis quas ad portam vel a saecularibus, vel a quibuslibet audierint, nullatenus aurem accommodent; et si nolentes audierint, vel intellexerint, nullatenus consodalibus suis referant. Si horum aliquid, quae [Col. 1341A] diximus, transgressi fuerint, regulari poenitentia castigentur. Si humili satisfactione patefaciant, prout humilitas confitentis cernitur, ita delinquentis culpa judicetur. Si vero contumaciae crimen incurrit, et modum poenitentiae augebit. Claves ostiorum vel portae nullo modo penes se retineant; sed ad abbatem nocte deferentes praesentent, et mane

@ [Col. 1341C] *Post secundam.* Horam matutinam, quae est octava nostra, nempe prima dicta. post secundam recipiant.

@ [Col. 1341C] *Idipsum et cellerarii et pistores et coqui implere studeant.* Id est, claves officinarum suarum nocte consignent, ne videlicet aliqui de nocte surgentes comessentur. Idipsum et cellararii, et pistores, et coqui implere studeant: et ab occasu solis, vel cum fuerit opus necessitate perfectum,

@ [Col. 1341C] *Usque ad secundam.* Vespertinam, quae est nostra octava. Itaque cum paulo ante dixit, *ab occasu solis, haec verba paulo latius sumenda sunt pro initio noctis.* usque ad secundam abbas claves retineat; nisi necessitas evenerit, ut per commeatum abbatis nocte retineantur, et post secundam denuo tribuantur. A signo vespertino usque ad secundam impletam nullatenus portarum fores aperiantur, neque ullus a foris introitus [Col. 1341B] patefiat; sed si necessitas talis advenerit, ut post vesperam sit

@ [Col. 1341D] *Deliberandum.* Id est, colloquendum. deliberandum, per fenestram, quae in eadem porta fuerit, totum deliberetur.

@ [Col. 1341D] *Si talis necessitas hospitum.* Hic locus intelligetur tantum de hospitibus vel peregrinis monachis. Nam paulo post prohibet ne quis virorum vel feminarum intra monasterii septa comedat, praeter eos qui sacram religionem Deo voverint. Si talis necessitas hospitum vel peregrinorum advenerit, ut hora refectionis cum fratribus esse non possint, post cum coquis vel ministris, vel cum reficiendi spatium habuerint, reficiant. Vasa vel reliqua utensilia, quae ad hospitium bajulant, ac si sacra Deo, gubernent atque custodiant: ne per ipsorum neglectum ab ipso mercedem non recipiant, cujus res diripiendo non servant. Intra septa monasterii vel ostia nullum virorum omnino vel feminarum edere, vel bibere permittant; sed

@ [Col. 1341D] *De omnibus.* Nempe ad victum necessariis, atque etiam ad capiendum somnum. de omnibus advenientibus foris in hospitale, prout honor exigit, per abbatis ordinationem ministrent; intus vero tantummodo, [Col. 1341C] qui sacram Deo voverint religionem, et immunitate obedientiae sub una Regula sunt ligati, edere vel bibere censemus. Sic semper ostiarii agant, ut in omnibus zelum Dei habentes Regulae tenorem conservent, ut pro studii sui vel culturae labore incorruptam recipiant mercedem.

§ V.---*Item ex eadem Regula* (cap. 12).

Pistores vero alternatim per vices opus commune faciant. Nec tamen [ut] minus tribus non sint propter [Col. 1342A] loquendi necessitatem. Et si necesse fuerit ut ibidem

maneatur, minus quatuor non sint, et unus ex eis senior sit praepositus, cujus religioni credatur: qui et loquendi licentiam habeat, et panem, quem faciunt per vices, senior qui ex eis est, cellarario repraesentet,

@ [Col. 1341D] *Ut omni custodia tuti.* Est hyperbaton: nam his verbis, *qui et loquendi licentiam habeat, subjungendum erat hoc membrum, ut referatur ad pistores.* ut omni custodia tuti in nullo reprehensibiles reperiantur. Similiter et qui in

@ [Col. 1341D] *In brachisitorium.* Ita in cod. Vind., lege tam *in* bratiatorio, vel *bratiario:* cujus mentio est in libello supplici monachorum Fuldensium ad Carolum imperatorem, supplicatione 16: «Ut ipsa monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est, pistrinum, hortus, bratiarium, coquina, agricultura.» Bratiarium, seu bratiatorium, aut braxiatorium, quod nos Franci occidentales vocamus, *brasserie, est officina, in qua cervisia seu zythum conficitur, a nomine, bratium,* seu, *brasium, quod veteri Germanorum lingua significat hordeum de madido torrefactum.* Vide Christophorum Browerum, lib. III Antiquitatum Fuldensium, c. 12. brachisitorium ad cervisiam faciendam inhabitaverint, unus ex eis senior [

@ [Col. 1342D] *Sit praepositus.* Tò *sit redu ndat.* sit] praepositus secundum regulam pistoris omnia custodiat.

§ VI.---EX REGULA ORIENTALI.

Ostiario cura sit ut omnes advenientes intra januas recipiat, dans eis responsum honestum cum humilitate et reverentia; ac statim nuntiet vel abbati vel senioribus quis venerit et quid petierit: nec [Col. 1342B] ullus extraneorum patiatur injuriam, neque habeat cum aliquo de fratribus necessitatem ac facultatem loquendi absque conscientia abbatis vel seniorum: mandatumque quod fuerit, nihil ad ipsum perveniat, priusquam abbati vel senioribus indicetur. Ante omnia ostiarius monasterii haec observabit, ne quem de fratribus foris januam exire permittat.

§ VII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 19).

@ [Col. 1342D] *Ad janitorem pertinebit.* Haec habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 20. Ad janitorem pertinebit cura hospitum, denuntiatio advenientium, custodia

@ [Col. 1342D] *Exterorum.* Lege, *exteriorum, ut in Regula excusa.* Claustra exteriora sunt officinae vel domus, quae sunt extra septa monasterii. exterorum claustrorum.

@ [Col. 1342D] *Item cura peregrinorum.* Haec usque ad illa verba, *ars autem pistoria, habentur in fine capitis in Regula excusa.* Item cura peregrinorum vel pauperum eleemosyna pertinebit ad eum cui dispensationis potestas commissa est. Iste quod habet distribuat, communicet

@ [Col. 1342D] *In quod.* Lege, *in quantum, ut in Regula excusa.* in quod potest, non ex tristitia aut necessitate: *Hilarem enim datorem diligit Deus* **(II Cor. IX)**. Item. [Col. 1342C] Ars autem pistoria

@ [Col. 1342D] *Ad laicos pertinebit.* De laicis vide quae supra adnotata sunt hoc capite ad sanctum Fructuosum. ad laicos pertinebit. Ipsi enim triticum purgent. Ipsi ex more molant. Massam tantumdem monachi conficiant, et panem sibi manibus propriis ipsi faciant. Porro pro hospitibus et infirmis laici faciant panes.

§ VIII.---*Item ejusdem* (cap. 12).

Hortulus sane intra monasterium sit inclusus, quatenus, dum intus monachi operantur, nulla occasione exterius evagentur.

[Col. 1343A]

§ IX.---*Item* (cap. 19
@ [Col. 1343C] Cap. 20 Regulae excusae.).

Ad hortulanum pertinebit munitio custodiaque hortorum, alvearia apum, cura seminum diversorum, ac denuntiatio quid, quando oporteat in hortis seri aut plantari.

§ X.---EX REGULA SANCTI AUGUSTINI (cap. 40).
@ [Col. 1343C] *Ut autem.* Habetur in Regula S. Augustini, cap. 43, quod est ultimum; et in fine epistola 109 ejusdem S. Augustini. Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur: et ubi vos inveneritis, quae scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum largitori. Ubi autem sibi quicunque vestrum videt aliquid deesse, doleat de praeterito, caveat de futuro,
@ [Col. 1343C] *Orans ut sibi.* Illud, *sibi, non exstat in Regula excusa, nec in cod.* ms. Corb., nec in epistola citata. orans ut sibi et debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.

§ XI.---EX REGULA AURELII EPISCOPI (cap. 54).[Col. 1343B]

Et vos, sancta congregatio, ut omnia quae in hac Regula pro remedio animae nostrae, et pro animarum vestrarum salute statuimus, integra et illibata custodiatis, et ne per oblivionem aliquid negligatis, semel ea in triginta diebus relegite, id est in Kalendis.

§ XII.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 68).

Levitonarium et quidquid in veste est monachorum, nemo lavet [nisi] die Dominica, praeter nautas et pistrinarios.

§ XIII.---*Item* (cap. 116).
@ [Col. 1343C] *Quando farinam.* Exstat in Regula S. Pachomii excusa, art. 65. Quando farinam conspergunt aqua, et massam subigunt, nemo loquatur alteri. Mane quando tabulas ad furnum vel ad clibanos deportant panes, simile [Col. 1344A] habebunt silentium, et tantum de psalmis et de Scripturis aliquid
@ [Col. 1343C] *Decantabunt.* In Regula S. Pachomii excusa legitur, *meditabuntur, quod perinde est.* decantabunt, donec opus impleant. Si quid necessarium habuerint, non loquentur,
@ [Col. 1343C] *Sed signum dabunt.* In eadem Regula excusa, *sed signum dent.* sed signum dabunt his qui possunt afferre quibus indigent.

§ XIV.---*Item* (cap. 17).
@ [Col. 1343C] *Quando ad miscendam farinam.* In Regula S. Pachomii excusa hic articulus non separatur a praecedente; et puto in titulo deesse notam, c, ut secundum nostrum

auctorem hic articulus sit CXVII, cum superior, cui in Regula excusa annexus est, sit juxta nostrum auctorem CXVI, et ambo ad eamdem materiam spectent. Quando ad miscendum farinam vocati fuerint, nullus resideat in loco panes coquentium; exceptis his qui coctioni sufficient et quibus jussum fuerit,
@ [Col. 1344C] *Nemo residebit.* Verba haec non exstant in Regul a S. Pachomii edita, quae sane videntur superflua. nemo residebit.

§ XV.---EX REGULA PAULI ET STEPHANI (cap. 32
@ [Col. 1344C] In Regula ms. cod. Flor., c. 33.).

Magnopere autem ab omnibus est cavendum ne aut in pistrino, aut in quacunque manuum operatione aliquis fratrum pigre et non inter primos occurrat.

[Col. 1344B]

§ XVI.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 10).

Quando panes faciunt,
@ [Col. 1344C] *Vel in omni monasterio.* Legendum puto, *vel in omni ministerio.* vel in omni monasterio
@ [Col. 1344C] *Corporalem laborem suum mutuo relevabunt.* Id est, in corporali labore suo sibi invicem succedent. corporalem laborem suum mutuo relevabunt: et quamlibet cuicunque operi esse videantur intenti, orandi et psallendi tempora non omittant: ut dum escas eligunt praeparare carnales, spiritaliter verbo Dei et bonae conscientiae meditatione pascantur. De quo tamen opere nullum deesse convenit, nisi quem retentat infirmitas, aut quem praepositus in alia
@ [Col. 1344C] *Causa.* Id est, opere. causa praeceperit occupari.

§ XVII.---EX REGULA PACHOMII.
@ [Col. 1344C] *Nullus de horto.* Exstat in Regula edita S. Pachomii, art. 38, et refertur supra hoc capite ex Regula Orientali. Citatur autem a nostro auctore, quia S. Benedictus hoc capite horti mentionem facit. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

CAPUT LXXII. DE FRATRIBUS IN VIA DIRECTIS.

[Col. 1343D]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Dirigendi fratres
@ [Col. 1343D] *In via.* S. Dunstanus, Smaragdus et mss. S. Ebr. et Vict. p., legunt: *in viam.* in via
@ [Col. 1343D] *Omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent.* Particula *vel sumitur hoc loco copulative.* Fratres autem in via dirigendi, se olim ante altare prosternebant, ut docet Smaragdus, qui et preces dicendas profert: «His vero fratribus in viam dirigendis

et ante altare prostratis, et ab omnibus orationem poscentibus dicat sacerdos hos versus, ipso incipiente et aliis respondentibus. *Salvos fac servos tuos:* Deus meus, sperantes in te. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Tunc sacerdos orationis dicat collectam: *Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, ut, peracto obedientiae cursu, ad nos iterum revertamini cum gaudio.* Per Christum.» S. Benedictus loquitur in plurali, *dirigendi fratres, quia nunquam solus monachus, sed duo vel tres in via dirigendi sunt ob mutuam custodiam animi praesertim, ut supra notatum est.* omnium fratrum vel [Col. 1344D] abbatis se orationi commendent, et semper ad orationem ultimam operis Dei

@ [Col. 1344D] *Commemoratio omnium absentium fiat.* In ms. p. Vict. haec sequuntur. «*Et sic oretur pro eis:* Salvos fac servos tuos. R\ Deus meus, sperantes in te. Mitte eis auxilium de sancto. R\ Et de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eis. R\ Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. Domine, exaudi orationem meam. R\ Et clamor meus ad te veniat. ORATIO. Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, et servientibus tibi in nulla es regione longinquus, dirige viam famulorum tuorum omniumque tibi adhaerentium in voluntate tua, ut te protectore et te praeduce per justitiae semitas sine offensione gradiantur. Per Dominum.» Ejusmodi orationis hanc tradit formulam Smaragdus: «*Hoc in loco priusquam quinquagesimus inchoetur psalmus, a sacerdote dicatur:* Oremus pro fratribus nostris absentibus, *fratribus respondentibus:* Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te. *Prosequatur sacerdos et dicat:* Mitte eis, Domine, auxilium de sancto; *fratresque respondeant:* Et de Sion tuere eos. *Item sacerdos dicat:* Domine, exaudi orationem meam; *respondeant fratres:* Et clamor meus ad te veniat. *Et tunc subsequatur quinquagesimus psalmus ab omnibus decantandus.*» Porro per ultimam orationem operis Dei intelligit collectam completorii, post quam orandum est pro omnibus absentibus; non vero ultimam orationem seu collectam cujusque horae canonicae, quod sane expressisset, si ita ejus mens fuisset, quemadmodum explicite de revertentibus significavit, cum praecipit ut ad finem cujusque horae canonicae pro eis oretur. Itaque ex antithesi et oppositione utriusque sententiae hujus loci manifesta est interpretatio. commemoratio omnium [Col. 1345A] absentium fiat. Revertentes autem de via fratres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii ab omnibus petant orationem propter excessus,

@ [Col. 1345C] *Ne qui forte subripuerint in via visus, etc.* Recta lectio. Vulgo tamen legitur: *Ne quid forte subripuerit, etc.* ne qui forte subripuerint in via visus aut auditus malae rei,

@ [Col. 1345C] *Aut otiosi sermonis.* In cod. Vict. p. haec sequuntur: «*Et his verbis pro reduntibus fratribus de via vel itinere placuit ab omnibus orari:* Oculi Domini super justos. R\ Et aures ejus ad preces eorum. Si iniquitates observaveris. R\ Domine, Domine, quis sustinebit? Apud Dominum misericordia. R\ Et copiosa apud eum redemptio. ORATIO. Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitaeque dispositor, famulis tuis continuae tranquillitatis largire subsidium; ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos. Per Dominum.» Sui temporis consuetudinem notat hoc loco Smaragdus: *Revertentibus autem de via et solo oratorii prostratis, orationemque petentibus, hanc eis collectam sacerdos dicat:*

Quaesumus, omnipotens Deus, ut his famulis tuis, quos ad nos incolumes de via redire fecisti, quidquid illic impediente fragilitate deliquerunt, tu propitiatus dimittas. Per Christum.» aut otiosi sermonis.

@ [Col. 1345D] *Nec quisquam praesumat referre.* Hoc intelligitur de vanis et futilibus, aliisque ejusmodi quae animae puritatem contaminare possunt: nam si quid viderit vel audierit quae ad animae aedificationem conferre possint, non prohibetur ea referre. Nec quisquam praesumat referre alio quaecunque foris monasterii viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis praesumpserit, vindictae regulari subjaceat. Similiter et qui praesumpserit claustra monasterii egredi;

@ [Col. 1346B] *Vel quocunque ire.* Hoc intelligitur de his qui in via diriguntur, ut tantum ad locum ad quem missi sunt, nec declinando ad dexteram vel ad sinistram, recta se conferant. vel quocunque ire,

@ [Col. 1346B] *Vel quippiam quamvis parvum.* Hoc sumptum est ex antiquorum monachorum disciplina, ut videre est apud Cassianum infra citatum. Cum tamen S. Benedictus loquatur generaliter, puto locum intelligendum de iis quae extraordinarie fiunt. Id nos exemplo docuit S. Odo postea abbas Cluniacensis, qui episcopo roganti exscribere librum noluit injussu abbatis, textum Regulae allegans, ut refert Joannes monachus lib. II Vitae S. Odonis. vel quippiam, quamvis parvum, sine jussione abbatis facere.

§ II.---EX REGULA PATRUM (cap. 58).

@ [Col. 1346B] *Ad necessaria quaerenda.* Hoc capitulum exstat in Regula tertia cod. Flor., cujus initium est: *Cum in nomine Domini, una cum fratribus, etc.* Sed notandum est in Concordiae codice ms. male scriptum fuisse LVIII. Itaque puto notam L esse delendam, ut remaneat numerus VIII, quia in Regula citata cod. Flor. hoc caput est tantum VIII, haecque Regula quatuordecim duntaxat capita complectitur. Ad necessaria quaerenda

@ [Col. 1346C] *In cellula.* Id est pro cella: et cellula hoc loco sumitur pro monasterio. in cellula bini egredientur vel terni fratres;

@ [Col. 1346C] *Et ita illi quibus creditur.* Id est, illi quibus obstrictam observantiam abbas confidit. et ita illi quibus creditur, [Col. 1345B] non qui verbositatem aut gulam sectantur.

[Col. 1346A]

§ III.---EX REGULA SANCTI PACHOMII (cap. 56

@ [Col. 1346C] Art. 34 Regulae.).

Nullus solus foras mittatur ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.

§ IV.---*Item* (cap. 57

@ [Col. 1346C] Eodem articulo.).

Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint quaerentem aliquem suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, et nuntiare, vel vocare: et omnino quidquid foris gesserint et audierint, in monasterio narrare non poterunt.

§ V.---*Item* (cap. 46).
@ [Col. 1346C] *Si quis eorum.* Habetur in Regula S. Pachomii excusa, art. 23. Si quis eorum qui peregre mittuntur, in itinere vel in navi aegrotaverit, et habuerit necessitatem sive desiderium comedendi
@ [Col. 1346C] *Liquamen de piscibus.* Liquamen, vel liquamen de piscibus, est liquor ex piscibus in salsamento solutis manans seu expressus. S. Isidorus lib. XX Orig., cap. 3: «Liquamen dictum ab eo quod soluti in salsamento pisces eumdem humorem liquant; cujus liquor appellatur salsugo vel muria.» Quod etiam garum dicitur. S. Isidorus ibidem: «Garum est liquor piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Graeci γάρον vocabant: et quamvis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet a quo initium sumpsit.» Glossarium vetus: γάρον, *liquamen.* Aeschylus, apud Athenaeum lib. V, dixit τὸν ijcquvwn gavron, id est, ex piscibus garum, ex quo loco probat Athenaeus hoc nomen esse etiam masculini generis; meminit Plato, apud eumdem loco citato: «Ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ἀποπνίξουσί με. id est, in putido garo mergentes suffocabunt me.» Marculphus formula 35, *gari libras tantas.* Meminit et Martialis lib. XIII. epigr. 3:

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe faecosum munera cara garum; et epigrammate sequenti, quod inscribitur *Muria:*

Antipolitani, fateor, sum filia thynni,
Essem si scombri, non tibi missa forem. Recte ergo muria seu garum filia thynni sive scombri ex horum piscium liquore. Antipolitani thynni ab Antipoli dicti, quae est urbs Deciatiorum apud Ptolemaeum in ora Massiliensi, non procul a Varo fluvio, qui Galliam separat ab Italia, ut patet ex Plinio, lib. III, cap. 4: «At in ora oppidum Latinum; Antipolis, regio Deciatium, amnis Varus.» Gallice dicitur *Antibes.* Muria etiam dicitur aqua sale mixta, teste Isidoro loco citato, Gallice, *saumure, quasi muria salsa.* Festo muries: «Muries est, quemadmodum Veranius docet, ea quae fit ex sale sordido in pila pinsato. Et Paulo Diacono, ex eodem Festo: «Muries dicebatur sal in pila tunsum, et in ollam fictilem conjectum, et in furno percoctum, quo dehinc in aquam misso Vestales virgines utebantur in sacrificio.» Liquamen autem Gallice dicitur: *Gelée de poisson.* liquamen de piscibus, vel aliarum rerum quae in monasterio comedere consueverunt, [Col. 1346B] non manducabit cum caeteris fratribus, [Col. 1347A] sed separatim ei dabitur a ministris ad omnem abundantiam, ne in nullo frater languidus contristetur.

§ VI.---*Item* (cap. 84).
@ [Col. 1347C] *Nullus exeundi.* Exstat in Regula S. Pachomii excusa, art. 47, in quo haec verba, *Exeundi in agrum, desiderantur.* Idem praecipitur articulo 72. Nullus neque exeundi in agrum, neque
@ [Col. 1347C] *Neque ambulandi in monasterio.* Extra domum suam. ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii procedendi foras habeat facultatem, nisi interrogaverit praepositum domus, et ille concesserit.
@ [Col. 1347D] Art. 48 Regulae editae. § VII.---*Item* (cap. 85).

Cavendum ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de monasterio in

monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

§ VIII.---*Item* (cap. 86).

@ [Col. 1347D] *Si quis ambulaverit.* Habetur in Regula S. Pachomii excusa, art. 49, qui eo sensu intelligendus est quo superior. Si quis ambulaverit

@ [Col. 1347D] *Via.* Lege, *in via, ut Regula excusa.* via, vel

@ [Col. 1347D] *Navigaverit.* Saepe enim navigabant monachi Tabennesiotae, quia monasterium S. Pachomii situm erat in insula Nili, ut supra notatum est. navigaverit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio [Col. 1347B] quae ibi geri viderit.

§ IX.---*Item* (cap. 104).

@ [Col. 1347D] *Galliculas.* Hic articulus non invenitur in Regula sancti Pachomii excusa. *Gallicula, inquit Papias, calceamenta pastorum, diminutivum a gallica.* Vide superius adnotata. Galliculas, et si quid aliud

@ [Col. 1347D] *Jungendum est.* Id est, suendum est. jungendum est, vel componendum,

@ [Col. 1347D] *Absque eo.* Id est, absque licentia ejus. absque eo cui hoc ministerium delegatur et praeposito domus facere nullus audebit.

§ X.---*Item* (cap. 89).

@ [Col. 1347D] *Cellulam alterius.* Hic etiam articulus non habetur in Regula S. Pachomii edita, quamvis articulo 61 haec reperire liceat, *Ad alterius cellam intrare nullus audebit, nam diversa praecepta sunt.* Cellulam alterius, nisi prius ad ostium percusserit, intrare illicitum est.

@ [Col. 1347D] *Ad cibum cum pergent.* Haec verba, licet superioribus sint annexa, nihilominus tamen sejungenda: nam videntur efficere articulum alium, cum sint rei diversae. Signi autem ad vescendum mentionem facit S. Pachomius art. 18, *Qui percutit ad vescendum, etc.* Ad cibum non pergent, nisi generali sonitu convocentur.

§ XI.---*Item* (cap. 123).

@ [Col. 1348C] *Nemo juncos.* Hic etiam articulus non exstat in Regula S. Pachomii excusa; nihilominus quid simile habetur art. 39: *Palmarum folia;* unde texuntur sportae, nemo jure suo tollet, absque eo cui palmae sunt creditae. Intelliguntur hic junci Nilotici, quos monachi aquis madefactos consuebant ad conficiendas mattas seu psiathos, quemadmodum etiam folia palmarum aqua infundebant ad conficiendas sportas: ut videre est apud Palladium cap. de Macario Alexandrino, Οὗτος βρέξας θάλλους τοῖς ἐκ φοινίκων εἰς πλῆθος· id est, «cum ipse madefecisset multitudinem foliorum ex palmis.» Erat autem tunc hic Macarius in monasterio sancti Pachomii. Nemo juncos infusos aqua sibi tollet ad operandum, nisi minister hebdomadis ei dederit.

[Col. 1348A]

§ XII.---*Item ex eadem Regula* (cap. 15

@ [Col. 1348C] Non exstat in Regula excusa.).

Nullus in domo quidquam faciet, nisi quod praepositus jusserit.

§ XIII.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 68
@ [Col. 1348C] Interrog. 118 Regulae; Rufin., cap. 42.).

Interrog. Si quis industrius sit et promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habet?---*Resp.* Merces ejus illa ipsa est, quod sibi placet. Cum Apostolus dicat: *Unusquisque ut in proximo suo placeat in bono ad aedificationem* **(Rom. XV)**. Et, ut amplius inclinaret et constringeret audientes addidit dicens: *Quia ipse non sibi placuit* (*Ibid.*). Scire debet unusquisque periculum esse in eo quod vult sibi placere; simul enim et inobediens invenitur.

§ XIV.---*Item* (cap. 80).[Col. 1348B]

Interrog.
@ [Col. 1348C] *Si oportet ire.* Exstat apud S. Basilium, interrog. 120 Reg. brev., et apud. Rufinum, cap. 46. Si oportet ire quocunque, non commonito qui praeest?---*Resp.* Cum Dominus dicat:
@ [Col. 1348D] *Non veni ut a me faciam quidquam.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco, Οὐδὲ γὰρ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, id est, *Non enim a meipso veni, ex Joannis cap.* VII, ubi sic habetur, Καὶ ἀπ᾽ ἐματοῦ οὐκ ἐλήλυθα, id est, *et a me ipso non veni. Non veni, ut a me faciam quidquam,*
@ [Col. 1348D] *Sed ab illo qui me misit.* Apud Rufinum: *Sed ille qui me misit, ipse facit.* Aliter in textu Graeco S. Basilii: ἀλλ᾽ ἐκεῖνος μ᾽ ἀπέστειλε, id est, *sed ille me misit.* Sed discedit a textu Graeco Joannis, ἀλλ᾽ ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, id est, *sed est verax, qui misit me, Itaque citatur locus ex memoria. sed ab illo qui me misit* **(Joan. VII)**, quanto magis unusquisque vestrum sibi permittere nihil debet. Qui enim sua auctoritate aliquid agit, manifestissimae superbiae morbo detinetur, et subjectus est illi sententiae quae dicit:
@ [Col. 1348D] *Quod in omnibus superbum est.* Lege: *Quod in hominibus superbum est.* Luc XVI, *Quod hominibus altum est.* In textu Graeco τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλόν. Apud Rufinum, *quoniam in hominibus superbientibus. Quod in omnibus superbum est, abominatio est in conspectu Dei* **(Luc. XVI)**; sed in omnibus sua sponte vel auctoritate aliqua agere culpabile est.

§ XV.---*Item* (cap. 101).

Interrog.
@ [Col. 1348D] *Si debent peregrini.* Habetur apud S. Basilium, interrog. 141 Regul. brev., et apud Rufinum cap. 54. Si debent peregrini intrare ad illa loca [Col. 1349A] ubi fratres operantur, vel etiam si alii de eodem monasterio debent, relictis suis locis, intrare ad alia, praeter illum cui creditum est requirere operantes, id est, ad quem opus pertinet et dispensatio?---*Resp.* Si quis inventus fuerit hoc faciens, tanquam interturbans disciplinam et ordinem fratrum,
@ [Col. 1349C] *A communi conventu excludatur.* Haec non sunt in textu Graeco. a communi conventu excludatur, et omnino
@ [Col. 1349C] *A licitis progressibus.* Id est, a concesso egressu. a licitis progressibus inhibeatur; et sedens in uno loco, in quo judicaverit is qui praeest, apto ad correctionem

et vindictam, nusquam prorsus permittatur abscedere, sed urgeatur in opere multo plus quam est consuetudo, et quotidie exigatur, usquequo discat implere hoc quod Apostolus dixit: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* **(I Cor. VII)**.

[Col. 1349B]

§ XVI.---*Item* (cap. 102).

Interrog.
@ [Col. 1349C] *Si oportet eos.* Habetur apud S. Basilium sequenti interrogatione, et apud Rufinum eodem capite. Si oportet eos qui noverunt artificia, suscipere ab aliquo opus absque conscientia vel jussione ejus qui praeest, et operum sollicitudinem gerit?---*Resp.*
@ [Col. 1349C] *Furti reus erit.* Ita apud Rufinum, sed aliter in textu Graeco: Τῷ κρίματι τοῦ κλέπτου, ἢ τοῦ συντρέχοντος τῷ κλέπτῃ ὑποκείσθω ἑκάτερος, ὁ τε διδοὺς καὶ ὁ δεχόμενος, id est, «judicio furis, et ejus qui cum fure concurrit, subjiciatur uterque et dans et suscipiens opus,» videlicet absque conscientia ejus qui praeest operibus. Furti reus erit ejusmodi, vel similis eis qui furibus concurrunt.

§ XVII.---EX REGULA SANCTI STEPHANI (cap. 26).
@ [Col. 1349C] *Nulli liceat.* Invenire est in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. cap. 27. Refertur autem hoc caput, quia S. Benedictus prohibet aliquid facere injussu rectoris: ac proinde non intrandum in cellarium et in artificum officinas sine ejus permissu. Quae quidem institutio optima est propter rationes allatas, tum quia confusionem ipsis artificiis affert, atque etiam artificibus ejusmodi promiscuus in eorum officinas ingressus: etiam non sine jactura instrumentorum, cum passim ab omnibus sine discrimine tractantur. Idem statuitur in Poenis brevibus, quae S. Basilio ascribuntur, art. 42: Εἴ τις ἀκαίρως ἔρχεται εἰς ἐψητήριον, ἢ εἰς κελλάριον ἐκτὸς τῶν ἐντετυπωμένων, ἢ τῶν φροντιζόντων τῆς εὐταξιας μενέσθω ἀπευλογίας; id est, «Si quis importune ingreditur in culinam et vel cellarium exceptis designatis, aut his qui curam gerunt ordinationis et disciplinae, careat benedictione.» Eadem est mens S. Pachomii, cum id solis praepositis permittit, art. 6: «Ad officinas diversarum artium soli, pergent praepositi ut accipiant quod necessarium est.» Idem videre est in Regula Tarnatensi hoc capite: «Et ubi artifices operantur absque supra scriptis personis (abbate et praeposito) nullus praesumat accedere.» Nulli liceat tam in cellario quam in singulis officinis artificum improba atque importuna absque senioris jussu audacia introire. Quia et communi utilitati valde impedit haec praesumptio, et ipsis artificibus rancorem animorum ex superflua hac importunitate impingit.

§ XVIII.---EX REGULA FERREOLI (cap. 20
@ [Col. 1350C] Vide supra c. 38, § 7.).

Vagari per loca monachum, sicut non decet, ita [Col. 1349C] non convenit, etc.

[Col. 1350A]

§ XIX.---EX REGULA CASSIANI (cap. 30).

@ [Col. 1350C] *Tanta autem.* Haec sumpta sunt ex cap. 10 lib. IV de Institutis renuntiantium. Tanta autem obedientia Regulae debet junior imbui ut absque senioris sui scientia vel permissu non solum de cella exire, sed ne communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate praesumat:

@ [Col. 1350C] *Nec etiam illa quae utilia sunt.* Haec non exstant apud Cassianum. nec illa etiam quae utilia sunt, id est, aut cellam mundare, aut aquam deferre, aut si quid aliud opportunum est, sine conscientia et ordinatione sui senioris usurpet.

§ XX.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 7).

@ [Col. 1350C] *Meditantibus.* Id est, legentibus, discentibus. Regula Pauli et Stephani, cap. 32: «Sed neque ad meditandas litteras vel psalmos aut lectiones quisquam ex sua quasi potestate praesumat.» Beda lib. III Hist. Angl., cap. 5: «Ut omnes qui cum eo incedebant, sive attonsi, sive laici, meditari deberent. Id est, aut legendis Scripturis aut psalmis discendis operam dare.» Meditantibus etiam fratribus nulli liceat rebus se aliis implicare, nec liberum judicet ab

@ [Col. 1350C] *Schola.* Schola est conclave ingens, in quo monachi legebant et dormiebant, ut supra notatum est. schola vel ubi meditantur fratres discedere. Qui vero in hac praesumptione proruperit, excommunicationi, ut dignus est, subjacebit.

@ [Col. 1350D] *Cellulam alterius.* Idem praecipit S. Pachomius hoc capite supra citatus: «Cellulam alterius, nisi prius ad ostium percusserit, intrare illicitum est.» Cellulam alterius praeter [Col. 1350B] abbatem et praepositum, nisi dato signo, est licitum introire, quia ipsis tantum conceditur fratrum secreta cognoscere, et

@ [Col. 1350D] *Qualiter se unusquisque agat.* Pronomen *se redundat.* qualiter [se] unusquisque agat, occulta inspectione perquirere:

@ [Col. 1350D] *Et ubi artifices operantur.* Idem praecipitur in Regula Pauli et Stephani supra hoc capite. et ubi artifices operantur

@ [Col. 1350D] *Absque.* Id est sine permissu. absque suprascriptis personis nullus praesumat accedere.

@ [Col. 1350D] *Advenientibus quoque.* Idem statuitur in Regula Patrum ms., quae est secunda cod. Flor., unde hic locus videtur esse emendicatus: «Advenienti peregrino nihil plus exhibeat quam occursum humilem et pacem. Reliquum non sit illi cura unde venerit, pro quo venerit, vel quando ambulaturus sit, nec se jungat ad fabulas cum illo.» Advenientibus quoque nihil praeter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit: et curam habere de causa qua venerit, quandoque reversurus sit, non praesumat: quia haec seniorum sollicitudo, non juniorum praesumptio, debet inquirere.

§ XXI.---EX REGULA ORIENTALI.

@ [Col. 1350D] *Nullus mittatur foras.* Ex Regula S. Pachomii, art. 34: «Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.» Nullus mittatur foras ob aliquod negotium. Missi vero non singuli, sed bini vel terni ambulent, ut dum se invicem custodiunt et consolantur, et seniores [Col. 1350C] eorum de honesta eorum conversatione securi [Col. 1351A] sint, et illi non periclitentur. Observantes tamen hoc

@ [Col. 1351B] *Ut non se invicem fabulis inanibus destruant.* Recte sane, quia maxima est monachorum destructio loqui inania, futilia et saecularia, quorum relatione monachi fervor cito remittitur et torpet, ut praeclare monet S. Antiochus, homil. 102: Καὶ

χανοῦται ὁ νοὺς καὶ καταργεῖται ἐκ τῆς πνευματικῆς ἐργασίας, καὶ ἐκλύεται πρὸς τὸν τῆς ἀσκήσεως τόνον· id est, «Mens monachi remittitur, ab operatione spiritali desidet, enervis resolvitur ad servandum exercitationis monasticae vigorem.» Nec mirum sane; quia ejusmodi confabulationes mentem a Deo avertunt, eamque obtenebrant et sterilem efficiunt, ut praeclare docet Hesychius presbyter centur. II, n. 25: «Τηνικαῦτα ὁ νοῦς σκοτίζεται, καὶ ἄκαρπος μένει, ἡνίκα ἂν ἢ λόγους κοσμικοὺς λαλήσῃ ἢ κατὰ διάνοιαν καταδεξάμενος προσομιλήσῃ αὐτοῖς. Id est, «Tunc mens obtenebratur et sine fructu manet, quando saeculares sermones loquitur, aut cum illis ab intellectu susceptis confabulatur.» Quamobram vitae religiosae institutores ejusmodi verba proscripserunt, sancta sola et divina monachis permittentes. S. Pachomius, art. 35: «Operantes nihil loquantur saeculare, sed aut meditentur quae sancta sunt, aut certe silebunt.» Serapion et alii abbates in sua Regula: «Nec alicujus audiatur sermo, nisi divinus, qui ex pagina (sacra) proferatur.» Si quis ergo loquitur, inquit Apostolus, quasi sermones Dei. ut non se invicem fabulis inanibus destruant, neque negligenti cedant locum destructionis, sed unusquisque in actu suo attentus sit, prout tempus fuerit.
@ [Col. 1351D] *Quando autem reversi fuerint.* Reliqua hujus capitis sumpta sunt ex Regula S. Pachomii, art. 34. Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint aliquem quaerentem suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non valebunt ire ad eum et nuntiare vel evocare. Et omnino quidquid foris gesserint, in monasterio narrare non praesumant.

§ XXII.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 24).
@ [Col. 1351D] *Nullus monachorum.* Exstat in Regula excusa S. Isidori, cap. 23. Nullus monachorum inconsulto abbate audeat uspiam progredi, nec aliquid
@ [Col. 1351D] *Praesumere.* Id est, ex suo arbitrio facere. praesumere sine imperio ejus seu praepositi. Si quando abbas
@ [Col. 1351D] *Vel praepositus.* Particula *vel hoc loco sumitur copulative.* vel praepositus alicubi proficiscuntur, ille ferat fratrum sollicitudinem, [Col. 1351B] qui est post praepositum secundus in ordine. Quando fratres foris proficiscuntur vel redeunt congregatis omnibus in unum in ecclesia, benedictionem accipiant. Eodemque modo hebdomadarii
@ [Col. 1351D] *Vel quarumlibet rerum dispensatores.* Optima institutio, ut non solum hebdomadarii, sed etiam praepositi, decani, cellerarii aliique officiarii, data in ecclesia benedictione, promoveantur. vel quarumlibet rerum dispensatores, sive dum promoventur, sive dum recedunt. Propter necessitatem aliquam monasterii duo fratres spirituales comprobatissimi eligantur, qui ad urbem
@ [Col. 1351D] *Vel ad possessionem.* Possessio est villa, curtis, vicus. Lex Salica, tit. 56, § 4: «Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in casam vel ubicunque miserit aliquid, quod furatum est, nesciente domino, cujus possessio est.» Et lib. V Capitul., tit. 169: «Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi mittuntur.» vel ad possessionem mittantur.
@ [Col. 1352C] *Adolescentuli autem et nuper conversi.* Optima institutio, et valde notanda propter rationes allatas: tum etiam, ut semper intersint communibus exercitiis, ne cito desuescant, et tandem torpescant. Adolescentuli autem, vel nuper conversi a tali ministerio removendi: ne aut infirma aetas carnis desiderio polluatur, aut rudis conversio ad saeculi desideria revertatur. Monachus dum ad [Col. 1352A] aliud monasterium

mittitur visitandum, quandiu cum eis fuerit ad quos destinatus est, ita eum ibi oportet vivere sicut reliquum coetum sanctorum videt,

@ [Col. 1352C] *Propter scandalum scilicet et perturbationem infirmorum.* Quae suboriri possent ex remissiori vita peregrinorum monachorum. propter scandalum scilicet et perturbationem infirmorum.

§ XXIII.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 28).

@ [Col. 1352C] *Nam et fratres.* Haec sumpta sunt ex eodem capite 28 Regulae Magistri, cui titulus est: *De diebus jejuniorum vel hora refectionis, paulo post medium, ut apparet ex eadem Regula cod.* Corb. Nam et fratres in via dirigendi hoc praeceptum abbatis vel praepositorum suorum accipiant. Quarta, sexta et sabbato in diebus majoribus, id est, a Pascha usque VIII Kalend. Octobr., quod est aequinoctium hiemale, ut non in via jejunent propter aestum et sitim; deinde ab aequinoctio hiemali usque ad Pascha, quia breviores sunt dies, ambulantium fratrum in quarta, sexta et sabbato, jejunia protrahantur [Col. 1352B] in vesperam,

@ [Col. 1352C] *Ne occupati fratres.* Est nominativus absolutus loco ablativi absoluti. ne occupati fratres nona hora per refectionem in via accelerata brevitas diei fratribus

@ [Col. 1352C] *Mansionem praetendat.* Id est, anticipet tempus mansionis, ut non possint ante lucis defectum ad illam pervenire. mansionem protendat, aut, ut est lucrum saeculi totum

@ [Col. 1352D] *Vernale.* In Regula ms. *binale,* pro *vinale,* id est, *venale,* ut supra *vidunt,* pro *vendunt.* Itaque legendum puto, *venale, ut in cod.* Vind. vernale, cum jam ad seram finiti cum jejunio diei inclinata jam secunda refectio,

@ [Col. 1352D] *Cum nihil sibi.* Ita in Regula ms.; sed particula *cum* redundat, et legendum, *cibi* pro *sibi.* [cum] nihil sibi emendum mansionem promiserit, propter nullum

@ [Col. 1352D] *Distractionis ad quaestum.* Id est, venditionis quaestum; adquaestus pro quaestu. Gallice, *acquét.* distractionis adquaestum,

@ [Col. 1352D] *Dejejunatum jam fratrem.* Id est: *Qui jam refecisset.* Gallice: *Qui aurait déjà déjeuné.* Sensus autem omnium horum verborum est: Si ad seram, finito cum jejunio die, nulla refectio superest monachis, ac propterea nihil lucri ab eis speraret caupo, nollet eos suscipere; ac proinde ut susciperentur, iterum reficere cogerentur, et sic jejunii legem violarent. dejejunatum jam fratrem non vellet taberna suscipere, et propter susceptionem

@ [Col. 1352D] *A nullis lucris.* Lege, *Nullius lucri, praepositione expuncta.* a nullis lucris fratribus denegatam, cogantur fratres propter hospitalitatem iterato de sumptibus suis expendere, et per secundam refectionem, quae non licet, jejunium violare. [Col. 1353A]

@ [Col. 1353B] *Aliis vero diebus extra quarta, sexta et sabbato.* Ita in Regula ms. et isti ablativi sumuntur veluti adverbialiter. Aliis vero diebus extra quarta, sexta et sabbato, in diebus minoribus, sexta hora ad refectionem, in via

@ [Col. 1353C] *Repausent.* Id est, reficiant. Sumitur active a Cassiano coll. XVIII, c. 14. repausent et sera coenent propter viae laborem. A Pascha vero usque Pentecosten, exceptis missis in longinqua via, in monasterio vel ubivis sexta semper hora reficiant, et coenas suas mutent in prandiis, dicente sancta Scriptura:

@ [Col. 1353C] *Non licet vobis jejunare, cum sponsus vobiscum est.* Matth. IX, Marc. II, Luc. V. Profert autem sensum Scripturae hic Magister, non verba. Dicit autem sponsum

esse nobiscum in his diebus quinquagesimae Paschalis, quia Christus post resurrectionem illis diebus conversatus est cum apostolis, licet non integris ob ascensionem, quae facta est die quadragesimo. Sed hic sumitur major pars pro toto. *Non licet vobis jejunare cum sponsus vobiscum est, et non coenent, nisi quinta feria et Dominica.* Nam ideo omni tempore

@ [Col. 1353C] *Feria quinta non licet jejunare.* Ex institutione Melchiadis papae, ut supra notatum est. Sic beata Genovefa tota hebdomade jejunabat, exceptis Dominica et feria quinta, ut in Actis ejus habetur. quinta feria non licet jejunare, quia

@ [Col. 1353C] *Ascensa Domini.* Ita in cod. Vind. Ascensa est ascensio, ut in Sacramentario S. Gregorii, *In* Ascensa Domini, et paulo post, *Dominica prima post Ascensam Domini.* Ita etiam in Aimonis sermone ms. bibl. S. Germ. a Pratis; *In Ascensa Domini, etc.* Sic *missa* pro *missio,* remissa pro *remissio.* Tertullianus, lib. IV contra Marcionem, cap. 18: «Diximus de remissa peccatorum.» S. Cyprianus, epist. 10: «Qui blasphemaverit Spiritum sanctum, non habet remissam.» Et epist. 59: Gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur.» Sic defensa est defensio, id est, vindicta. Tertullianus, lib. II contra Marcionem: «Ut quia durissimo et infideli in Deum populo longum vel etiam incredibile videretur a Deo exspectare defensam edicendam postea per prophetam: *Mihi defensam, et ego defendam, dicit Dominus.*» Sic resona est resonatio: Glossae veteres, *Resona,* ἠχὼ, id est, echo. Mina, minatio. Glossae Arabico-Latinae dictae: *Mima, mimatio bestiarum;* lege *mina, minatio.* Unde subjungitur, *minabamur,* id est, *minabamus.* Proba, probatio. Cod. Theod. lib. VI, tit. 31: «ut ab stratoribus unus tantum solidus probae nomine peteretur.» ascensa Domini ipso die omni tempore occurrit. Dominica vero die non licet jejunare, quia resurrectio Domini imputatur, quod in libris suis fieri prohibet S. Sylvester. Nam ideo a Pascha usque Pentecosten non licet jejunare, quia sabbatum Paschae claudit [Col. 1353B] tristitiae jejunia et aperit laetitiae alleluia, et sabbatum Pentecostes claudit alleluia et aperit jejunia. Sed

@ [Col. 1354B] *Sed ecclesiis, etc.* Clericorum et canonicorum videlicet. Nam ecclesiae sunt clericorum et canonicorum proprie, oratoria monachorum. ecclesiis clauditur alleluia. Nam monasterio, quasi in peculiari servitio Dei alleluia usque ad Epiphaniam per

@ [Col. 1354C] *Modum.* Id est, numerum. Ita in eadem Regula, cap. 35, in lemmate *de modo psalmorum, vel numero, et postea in eodem capite quot psalmi singulis horis decantandi sint, instituitur.* In Cod. Theod. l. supra citata: «Quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios facimus.» modum psalmorum constitutum

@ [Col. 1354C] *Aperta.* Ita in Regula ms. Magistri cod. Corb. Refertur ad *alleluia* (quod vocabulum Magister hoc loco femininum facit) et opponitur verbo *clauditur.* aperta a servis Dei psallitur Domino.

§ XXIV.---*Item* (cap. 57).

@ [Col. 1354C] *Frater qui.* Habetur in Regula ms. ejusdem Magistri cod. Corb., eodem cap. 57. Frater qui

@ [Col. 1354C] *Pro actibus.* Id est, pro negotiis. pro actibus monasterii mane missus fuerit, et qui propter occupationem viae

@ [Col. 1354C] *A prima usque ad tertiam in hieme.* Quia juxta hujus Magistri Regulam in hieme fratres legunt a prima ad tertiam, in aestate a nona ad vesperam, ut habetur cap.

50 ejusdem Regulae. a prima usque ad tertiam in hieme, sive a nona usque ad vesperam in aestate, legerit; si sub eodem die monasterium reversus fuerit, quavis hora redierit, [Col. 1354A] prandeat; aliquantulum tamen legat

@ [Col. 1354C] *Aut meditetur.* Meditari hoc loco est legere, idemque significat toto hoc capite. Nam hic agitur tantum de lectione sive in mensa sive extra mensam, non de oratione mentali. Vult enim hic Magister ut fratres in via directi legant, et ferant codicillos seu tabulas, ut videantur quotidie Regulam implere. aut meditetur, ut Regulam ipso die videatur implere. Si vero in viam longiorem dirigatur codiculum modicum cum aliquibus lectionibus de monasterio secum portet, ut quavis hora in via

@ [Col. 1354D] *Repausaverit.* Id est, refectionem sumpserit. repausaverit, aliquantulum tamen legat: ita tamen si fuerit

@ [Col. 1354D] *Psalteratus.* Qui Psalterium didicit, litteratus. Vide quae supra de hoc vocabulo notata sunt. psalteratus. Si vero non fuerit,

@ [Col. 1354D] *Tabulas psalmis superpositas.* Id est, codicillum in quo sint psalmi, ut illiteratus ille, et nondum psalteratus, aliquid meditetur de Psalterio. tabulas a majore superpositas psalmis secum portet, ut ad refectionem prandii, aut

@ [Col. 1354D] *Ad mansionem.* Id est, diversorium. Lex Burgundionum, tit, 38, § 3: «De legatis vero extranearum gentium ut dictum est, id volumus custodiri, ut ubicunque eos mansio contulerit.» Sic et mansiones militares Plin., lib. VI, cap. 23: «A Copto camelis itur aquationum ratione mansionibus dispositis.» ad mansionem cum applicaverit, aliquantulum,

@ [Col. 1354D] *Quantum occurrerit.* Id est, quantum licuerit. quantum occurrerit, tamen meditetur, ut quotidie Regulae reddat quod suum est. Ita et frater qui adhuc litteras discit, tabulas superpositas a majore de monasterio secum portet; ut si cum litterato vadit, ipse cum se ad refectionem aut mansionem applicaverit, cum eo tamen, aut solus [Col. 1354B] aliquantulum, quantum occurrerit, meditetur, ut supra diximus, aut ad prandium aut mansionem aliquantulum tamen meditetur, ut videatur quotidie consuetam regulam adimplere. Item frater qui pro actibus monasterii aut noluerit ire, aut certe ambulans murmuraverit, vel cum aliqua tarditate exire voluerit, si placuerit abbati, jam non mittatur, et statim excommunicationis poenam suscipiat, et sciat se adeptum superbiam praeceptioni repugnare divinae; ideo divinae, quia dicit Dominus doctoribus nostris:

@ [Col. 1354D] *Qui vos spernit, me spernit.* In resp. ms., *qui vos expernit, me expernit. Qui vos spernit, me spernit* **(Luc. X)**. Applicantes vero in via ad mansionem fratres tali loco [Col. 1355A] lectum sibi eligant facere, qui sit semotus et mundus; ubi digne super stratum leniter in nocte Deum memorentur. Nam et hoc praeceptum abbatis vel praepositorum exeuntes in viam fratres accipiant, ut quotiescunque fratres spiritales positos visitent; et cum eorum introierint cellas aut oratoria, orantes dicant hunc versum:

@ [Col. 1355C] *Introivimus.* Pro *introibimus,* v pro *b. Introivimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* **(Psal. CXXXI)**. Exeuntes exinde orantes similiter dicant hunc versum semper: *Vias tuas, Domine,*

@ [Col. 1355C] *Notas fac mihi, Domine.* Ita in Psalterio Romano. *notas fac mihi, et semitas tuas edoce me;* dirige me in veritate tua **(Psal. XXIV)**. Aut forte alium versum pro isto, si voluerint dicere: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* **(Psal. CXVIII)**. Ergo cum coeperint a monasteriis et cellulis [Col. 1355B] spiritalium fratres

nostri exire, prius oratorio valefaciant,

@ [Col. 1355C] *Et item peculiariter pro egressu.* Hic desunt nonnulla, sed hoc modo supplenda ex Regula ms.: «Et item peculiariter pro egressu suo foris orent, et exeuntes ab eis nostri peregrini petant omnes quos in monasteriis, etc.» Sensus est: Cum fratres foras exeunt, orent, et petant ab eis quos derelinquunt ut sui memoriam faciant in sequenti opere Dei, seu officio canonico. et item peculiariter pro egressu, quos in monasteriis suis vel cellulis derelinquant, se debere in sequenti Dei opere memorari, et sic ambulent.

@ [Col. 1355D] *Cum vero ecclesias.* Nempe canonicorum aut clericorum, quas distinguit ab oratoriis monachorum. Cum vero ecclesias nostri fratres intraverint, post orationem humilitatis Deo incurvati, erecti dicant hunc versum: *Exsultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis* **(Psal. CXLIX)**. Et modice incurvati [in] orationem complentes sibi, sic exeant foras.

§ XXV.---*Item* (cap. 54).

@ [Col. 1355D] *Ambulantes longo itinere.* Reposui titulum omissum, ex Regula ms. cod. Corb. Ambulantes longo itinere fratres quarta, sexta, sabbato in hieme, hoc est, ab aequinoctio autumnali, quod est octavo Kal. Octob. usque in Pascha, in via ambulantes fratres ad vesperam reficiant. Nulla ratione haec frangant jejunia. Ideo enim ad [Col. 1355C] vesperam diximus, quia si nona volunt in die reficere, occupati in refectione brevibus horis prolongata, mansio eis clauso parvo die subducitur.

@ [Col. 1355D] *Sed qui tamen.* Lege, *sed ita tamen, ut in Regula ms.* Sed qui tamen haec in hieme non frangant jejunia, si

@ [Col. 1355D] *Carricati.* Id est, onusti. carricati in dorsis suis gravibus oneribus non vadunt. Nam tunc abbas fratres faciat reficere, considerata propensatione aut temporis, aut necessitatis, sive in hieme, sive in aestate, si gravia

@ [Col. 1355D] *Gelicidia.* Id est, gelu. gelicidia camporum, aut ferventes aestus viarum, aut montes excelsos

@ [Col. 1355D] *Subire.* Pro *subituros;* enallage. subire, aut grave sarcinarum pondus existimaverit, vel imbecillitates quorumdam impossibilitatis [Col. 1356A] fratrum consideraverit: tunc refectos aliquid faciat de monasterio properare. In hiemis gravi algore calefactos, in ferventi aestate

@ [Col. 1355D] *Temperatos.* Id est, potos. temperatos in viam debet fratres dirigere.

§ XXVI.---*Item* (cap. 60).

@ [Col. 1355D] *Considerans abbas.* Habetur in Regula ms. eodem cap. 6. Considerans abbas fratrum debitum

@ [Col. 1356C] *Quotidianae mensurae.* Quae singulis fratribus quotidie datur. quotidianae mensurae, necnon et longinquitatem itineris, vel moras agendi

@ [Col. 1356C] *Actus.* Id est, negotii. actus, et perpensans substantiae monasterii quantitatem in nummis et in his quae cruda possunt portari, sufficientibus consuetae mensurae sumptibus aliquantulum

@ [Col. 1356D] *Probare.* Lege, *pro labore, ut in Regula ms.* et cod. Vind. probare itineris magis, propter adjuncti forte in via collegae vel socii charitatem quantum abbas voluerit, panis aut vini seu et aliarum rerum vel nummorum jungat mensurae.

[Col. 1356B]

§ XXVII.---*Item* (cap. 63).

@ [Col. 1356D] *Fratres spiritales.* Haec habentur in Regula ms. cod. Corb., eodem capite 63. Fratres spiritales

@ [Col. 1356D] *In via.* Ita in Regula ms.; sed subaudiendum videtur, *directi.* in via quando a se abscedunt, si vale sibi non faciant,

@ [Col. 1356D] *Vel orationem communem offerant.* Ita in Regula ms.; sed supplenda est particula *non.* vel orationem communem offerant Domino, vel pacem sibi tradant, sciant se a charitate

@ [Col. 1356D] *Excommunicatos.* Id est, separatos. excommunicatos discedere, usque dum se revideant, et charitatis inter se vinculum nectant; sicut

@ [Col. 1356D] *In Vitas Patrum, Ita in Regula ms.* quia hoc nomen, *vitas, hac forma indeclinabile est, ut supra notatum est.* in Vitas legitur Patrum: abscedens unus frater de partibus Orientis, veniens in partes Occidentis, rememoratus quod uni fratri vale non fecerat,

@ [Col. 1356D] *Praetermissae charitatis.* Supple *causa, gratia.* Hellenismus. praetermissae charitatis repedavit itinera, ut quod minus complevit in fratre perficeret. Unde debent ad hanc charitatem fratrum fratres esse solliciti.

§ XXVIII.---*Item* (cap. 66).[Col. 1356C]

@ [Col. 1356D] *Exeuntes in via fratres.* Exstat in Regula ms., eodem cap. 66. Exeuntes in via fratres petant pro se orari, dicentes versum: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me* **(Psal. XXIV)**. Aut si voluerint, alium: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* **(Psal. XVI)**. Semper enim versum quando exeunt, sive quando ingrediuntur, cum *gloria explicent.* Similiter et revertentes petant pro se orari dicentes hunc versum: *Introivimus in tabernaculum ejus, adoravimus in loco ubi steterunt pedes ejus* **(Psal. CXXXI)**. Cum gloria. Vel quotiescunque

@ [Col. 1356D] *Limen forum ultimarum.* In Regula ms., *limen forense ultimae regiae.* Ubi *forense est a foribus, non a foro.* limen forum ultimarum monasterii [Col. 1357A]

@ [Col. 1357A] *Egressus ingressusque frater fuerit.* In Regula ms. deest τὸ *egressus, non ita recte.* Qui locus ita intelligitur, ut frater petat orationem, nullum versum proferens sive egrediatur, sive ingrediatur limen januae ultimae monasterii. Quod non repugnat initio hujus capitis, in quo praecipitur, ut exeuntes et ingredientes fratres dicant versum, nam hoc intelligitur, cum petunt orationem in ipso oratorio, sive pro egressu vel ingressu. egressus ingressusque frater fuerit, sine versu tamen petat pro se orari semper.

§ XXIX.---*Item* (cap. 77).

@ [Col. 1357B] *Fratres quovis horae tempore.* Reperire est in Regula ms., eodem capite 67. Fratres quovis horae tempore de via reversi ad monasterium fuerint, et fratres psallentes in oratorio invenerint, orantes mox psallant cum ipsis; et

@ [Col. 1357B] *Post psalmum expletum.* Non dicit, post horam expletam, ex quo intelligitur ad finem cujusque psalmi, cum fratres in oratione prosternuntur, ejusmodi orationem a reversis fratribus esse petendam. post psalmum expletum a psallentibus pariter voce universos petant pro se orari debere, ut videantur [Col. 1358A] de ingresso limine forensi

exterioris regiae monasterii in petenda oratione Regulam adimplere. Et post
@ [Col. 1358A] *Missas.* Id est, collectas, seu expletum officium. missas operis sancti in oratorio primo abbatem, deinde praepositos suos
@ [Col. 1358A] *Vel omnes.* Particula *vel hoc loco sumitur copulative.* vel omnes post regressum viae ad pacem
@ [Col. 1358A] *Accipiant.* Id est, excipiant. accipiant.

§ XXX.---EX REGULA SANCTI CAESARII (cap. 6).
@ [Col. 1358B] *Nemo sibi aliquid operis.* Exstat in Regula S. Caesarii eod. cap. 6. Hoc autem capitulum hic citatur ob illa S. Benedicti verba: *Vel quippiam quamvis parvum, sine jussione abbatis facere.* Nemo sibi aliquid operis vel artificii pro suo libito eligat faciendum, sed in arbitrio senioris erit quod utile prospexerit, imperandum.

CAPUT LXXIII. SI FRATRI IMPOSSIBILIA INJUNGANTUR.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

Si cui fratri aliqua forte gravia aut
@ [Col. 1357C] *Impossibilia.* Id est, admodum difficilia. Haec enim non physice, sed moraliter capienda sunt. Quae quidem perfectam requirunt obedientiam, qualem suis discipulis optat S. Benedictus cujus beneficio onus quod ultra vires esse videbatur, Deo opitulante leve erit. In hoc maxime enituit obedientia monachorum Legerentium, quam ita describit sanctus Eulogius in epistola ad Willisindum Pampilonensem episcopum: «Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia, quae omnium virtutum magistra est, vindicans, suos non patiebatur exsecutores degenerare, sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscunque munere suo illustraverat.» Neque est quod ex hoc loco suae tyrannidi indulgendum censeant quidam rectores monasteriorum. Nam ejusmodi impossibilia rarius, probationis aut necessitatis causa tantum, imperanda sunt. impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit
@ [Col. 1357D] *Pondus oneris.* Ita omnes mss. nostri, uno excepto. Ita S. Dunstanus, Turrecremata, et editio Coloniensis. In vulgatis τὸ *oneris deest.* In ms. S. Germ. p. et apud Smaragdum legitur, *operis.* pondus oneris excedere, impossibilitatis suae causas ei qui sibi praeest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam, in sua sententia
@ [Col. 1358C] *Prioris imperium.* Per Priorem hoc loco intelligit seniorem, quem juniori opponit, cum ait: *Sciat junior sibi expedire.* prioris [Col. 1357C] imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire,
@ [Col. 1358C] *Et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.* In cod. Vict. p. praepositio *ex desideratur.* In ms. S. Germ. ma. legitur: *Et de charitate confidens et de adjutorio Dei.* Vulgata nihilominus lectio praevalet, ut quis obediat ex charitate, id est, Dei amore impulsus de Dei auxilio confidens, non de sua charitate: nam qui de sua charitate consideret, praesumptionis notam non evaderet. et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 69).

Interrog.

@ [Col. 1358D] *Si licet alicui excusare.* Exstat apud S. Basilium inter. 119 Reg. brev., et apud Ruf. cap. 42. *Excusare hoc loco est recusare, ut supra notatum est.* Si licet alicui excusare opus, quod ei injungitur et aliud quaerere.---*Resp.* Cum definitum sit mensuram obedientiae usque ad mortem esse, qui devitat hoc quod ei injungitur, et aliud quaerit, primum omnium obedientiae reus est, et manifeste ostenditur quia nondum negavit semetipsum. Deinde malorum multorum causa efficitur tam sibi quam etiam caeteris, quia auditum contradictionis pluribus aperit, et seipsum ad contradictionem insuescit; et cum non possint singuli discernere quod melius est et eligere, potest fieri, si talis est licentia ut aliquid deterius eligat. Tunc deinde etiam suspicionem dabit fratribus, quod passione aliqua,

@ [Col. 1358D] *Vel ad opus illud eligit.* Apud Rufinum, *vel ad opus quod eligit.* Lege, *vel ad opus illud, quod eligit.* vel ad opus illud eligit, adstringatur, vel certe erga eos cum [Col. 1358C] quibus id necesse est operari. Itaque omnimodo non obedire multorum malorum causa est et radix. Si autem ratio est aliqua, qua sibi recte excusare videatur opus illud quod excusat, exponat hanc ipsam causam huic qui praeest; et relinquat ejus judicio, ut ipse probet, si

@ [Col. 1358D] *Excusatione.* Id est, recusatione. excusatione dignum est quod allegat.

§ III.---*Item ipse* (cap. 82).

Interrog.

@ [Col. 1358D] *Si licet unicuique.* Habetur apud S. Basilium interr. Reg. brev. 122, et apud Rufinum cap. 46. Si licet unicuique vitare opus, quod [Col. 1359A] gravius videtur?---*Resp.* Qui fideliter et puriter Deum diligit, et certus est

@ [Col. 1359B] *De tribulatione.* Lege: *De retributione;* ita apud Rufinum, et textus Graecus postulat. Τῆς παρὰ τοῦ Κυρίου μισθαποδοσίας, id est, de remuneratione Domini. de tribulatione Domini, nec sufficere sibi putat ea quae sibi injunguntur, sed semper augmenta operis quaerit, et majora quam injunguntur desiderat et exoptat etiamsi supra vires videatur esse quod facit; nec aliquando securus est, tanquam opere non expleto, sed e contrario sollicitus est et anxius, tanquam qui nihil dignum praeceptis evangelicis egerit, memor illius Dominici sermonis dicentis: *Cum autem feceritis omnia quae praecepta sunt quaecunque praecipio vobis, tunc dicetis:* Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus **(Luc. XVII)**. Sed et imitabimur Apostolum, cui cum mundus esset crucifixus, et ipse mundo, non erubescit dicere: *Quia ego meipsum nondum aestimo*

@ [Col. 1359B] *Apprehendere.* Ad Philippenses III. Ita apud Rufinum, in Vulgata interpretatione, *comprehendisse;* textus Graecus idem sonat, κατειληφέναι. apprehendere. [Col. 1359B] Unum autem ea quidem quae retro sunt obliviscens, ad ea autem

@ [Col. 1359B] *Quae inante.* Inante, id est, antea, ut apud Rufinum legitur; in Vulgata editione: *Quae sunt* priora *quae inante sunt me extendens secundum propositum sequor ad palmam supernae vocationis Dei in Christo Jesu* **(Philipp. III)**. Et qui cum haberet potestatem, ut Evangelium annuntians, de Evangelio viveret. *Magis in labore et fatigatione,* [Col. 1360A] inquit, *nocte ac die*

@ [Col. 1359B] *Operans vixi.* Ita apud Rufinum. In Vulgata editione, *operantes, ut in textu Graeco Apostoli,* ἐργαζόμενοι, quemadmodum etiam in textu S. Basilii; at illud, *vixi, non reperitur. operans vixi* **(I Cor. VII)**. *Non quia non habemus potestatem, sed ut nos formam daremus vobis ad imitandum nos* **(II Thess. III)**. Quae cum ita sint, quis ita stultus est, vel infidelis, ut putet se majoribus quam debet, oneribus pergravari
@ [Col. 1359C] *Cum in hoc quod mensura poscit.* Praepositio *redundare videtur.* Apud Rufinum: *Cum hanc quoque mensuram, etc.* Sed hoc ultimum membrum in textu Graeco desideratur. cum in hoc, quod mensura poscit, nondum possit implere?

§ IV.---EX REGULA CASSIANI (cap. 31).
@ [Col. 1360B] *Illa enim vera obedientia est.* Haec sumpta sunt ex capite 10, libr. IV, de Institutis Renuntiantium. Illa enim vera obedientia est, quae quamvis aliquid difficile ei imperetur,
@ [Col. 1360B] *Nihil discutiens.* Quia obedientia simplex et caeca esse debet nihil dijudicando, sed mandatum simpliciter et humiliter amplectendo. Idem Cassianus collat. 18, cap. 3: «Caeterum nunquam rationem veritatis intrabit, quisquis a discutione coeperit erudiri: quia videns eum inimicus suo potius quam Patrum judicio confidentem, facile in id usque propellit ut etiam illa, quae maxime utilia atque saluberrima sunt, superflua ei videantur et noxia.» Unde B. Antiochus, homil. 39, ita obedientiam praeclare definit ὑπακοὴ οὖν ἐστὶν ἀδιάκριτος πειθὼ, id est, «obedientia est sine dijudicatione persuasio.» nihil tamen discutiens sine aliqua cordis haesitatione perficere nititur et consummare quod jussum est, et pro reverentia senioris nihil de impossibilitate aut stultitia praecepti dijudicat, sed plena fide ac devotione quidquid dictum [Col. 1360B] fuerit, non tanquam ab homine, sed tanquam a Deo sibi suscipit imperatum. Ita enim omnibus virtutibus praeferre debet obedientiam, ut huic omnia postponantur, et universa dispendia monachus subire contentus sit, dummodo hoc bonum in nullo violare videatur.

CAPUT LXXIV. UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALTER ALTERUM DEFENDERE.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1359D] *Praecavendum est.* Ita in nostris mss. et apud Smaragdum; in cod. Vict. p., *Cavendum est;* in vulgatis cum S. Dunstano: *Summopere praecavendum est.* Praecavendum est,
@ [Col. 1359D] *Ne quavis.* Vict. p., *ne qualicunque.* ne quavis occasione praesumat alter alterum defendere monachum in monasterio,
@ [Col. 1359D] *Aut quasi tueri.* Ita loquitur quia plus est tueri quam defendere; nam tueri est servare, custodire. Nonius, cap. 4, in tutelam accipere a curando et tutela. Varro libr. VI de Ling. Lat.: at defendere non item, etsi interdum haec duo verba confundantur. Particula *quasi abest a ms.* S. Germ., quemadmodum et haec verba, *in monasterio.* Haec autem defensio ita capienda est, si nempe injusta sit, et contra veritatem: alioqui potest quis innocentem defendere, humiliter tamen et non proterve. aut quasi tueri:
@ [Col. 1359D] *Etiamsi quavis.* Ita vulgo habetur. At in cod. S. Far. Ebr. Vict. ma. ut apud

Smaragdum et S. Dunstanum legitur, *qualibet.* etiamsi quavis consanguinitatis [Col. 1359D] propinquitate jungantur. Nec quolibet modo id a monachis praesumatur: quia exinde gravissima occasio

@ [Col. 1360D] *Scandalorum.* Id est, jurgiorum, rixarum, contentionum. Hoc autem malum defensionis mutuae in monasteriis praecipue manat a clandestina illa quorumdam monachorum familiaritate, quae, ut supra monuimus, universam pessumdat disciplinam et observantiam. scandalorum oriri potest. Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coerceatur.

§ II.---EX PRAECEPTIS SANCTI PACHOMII.

@ [Col. 1360D] *Qui consentit.* Hic minime notatur numerus articuli: nihilominus hic habetur textus in Regula S. Pachomii excusa, art. 909; hic autem locus, usque ad illa verba *quod si per ignorantiam, habetur in decreto Ivonis p.* 14, cap. 110, et apud Burchardum libr. II, cap. 4, sub nomine S. Basilii, et 11, qu. 3, cap. 6, sub nomine S. Isidori; sed male. Qui consentit peccantibus, et defendit alium [Col. 1361A] delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripietur increpatione severissima.

@ [Col. 1361C] *Quod si per ignorantiam deceptus.* Id est, si is qui aliquem defendit insontem existimans ignorantia facti deceptus est, ei ignoscatur. Quod si per ignorantiam deceptus est, et non ita putavit, ut verum est, ignoscatur ei. Et omnis qui peccat per ignorantiam, facile accipiet veniam. Qui autem sciens peccaverit, sustinebit increpationem juxta mensuram operis sui.

§ III.---EX DOCTRINA SANCTI ORSIESII.

@ [Col. 1361C] *Si quis praepositus domus.* Sequitur doctrinam Magistri sui Pachomii S. Orsiesius. Quid sit domus, et praepositus domus in monasterio S. Pachomii, cujus discipulus fuit S. Orsiesius, supra dictum est. In Cod. Vind. male haec ascribuntur S. Basilio. Si praepositus domus aliquem corripuerit ex fratribus, qui sibi subjecti sunt, erudiens cum in timore Dei, et cupiens ab errore corrigere, et alius voluerit pro eo loqui, et eum defendere subvertens cor illius; qui hoc facit peccat in suam animam:

@ [Col. 1361C] *Qui subvertit.* Ita in libro Orsiesii edito, legendum tamen puto, *quia, etc.;* et paulo post ait: *Quia subvertit, ut diximus.* qui subvertit eum qui corrigi poterat, consurgentem dejicit [Col. 1361B] in terram, atque ad meliora tendentem mala persuasione decepit, errans ipse et alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter:

@ [Col. 1361C] *Vae qui potum dat proximo suo.* Abacuc. II, juxta Septuaginta: Οὐαὶ ὁ ποτίζων τὸν πλησίον αὐτοῦ ἀνατροπὴν θολερὰν, καὶ μεθύσκων, id est, *vae qui potat proximum suum subversione turbida et inebriat.* Paulo aliter versio communis: *Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians. Vae qui potum dat proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum* **(Habac. II)**. *Vae qui errare facit caecum in via* **(Deut. XXVII)**;

@ [Col. 1361C] *Qui scandalizat quempiam.* Ita in Orsiesio edito, Matth. XVIII. In communi versione: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. qui scandalizat quempiam de his qui credunt Deo:* expedit ei, ut appendatur ei mola asinaria super collum ejus, et praecipitetur in mare **(Matth. XVIII)**: quia subvertit, ut diximus, sublevantem se, et obedientem transtulit ad superbiam, et eum

@ [Col. 1361D] *Qui in dulcedinem charitatis poterat ire.* In edito: *Qui in dulcedine charitatis poterat ambulare.* qui in dulcedinem charitatis poterat ire, convertit in amaritudinem, et subjectum legibus monasterii malis consiliis depravavit, fecitque odisse illum, et constristari contra illum; qui eum [Col. 1362A] docebat Domini disciplinam, lites serens inter fratres atque discordias, et non timens illud quod scriptum est: *Tu qui es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit;* stabit autem.
@ [Col. 1361D] *Potens est autem Dominus rursum statuere eum.* Ita in Orsiesio edito. In Vulgata editione: *Potens est enim Deus statuere illum;* ad Rom. XIV. *Potens est autem Dominus rursum statuere eum* **(Rom. XIV)**.
@ [Col. 1361D] *Non ille potens est.* Subaudi, *statuere eum.* Non ille potens est, qui verba Domini praeteriit. Unde, fratres, magno opere devitemus alicujus mentem subvertere contra doctorem et monitorem suum; et meminerimus Scripturae dicentis:
@ [Col. 1361D] *Libera cor tuum a malitia, ut salveris.* Hic locus exstat in cap. IV Jeremiae; aliter in Vulgata versione hoc modo juxta Septuaginta: *Lava a malitia cor tuum, Hierusalem, ut salva fias. Libera cor tuum a malitia ut salveris* **(Jer. IV)**. Nec pro obedientia superbiam et contumaciam in cordibus nostris invicem seminemus. Qui enim timet Dominum,
@ [Col. 1361D] *Si viderit.* In excuso Orsiesii libro: *Non viderit;* male. si viderit fratrem suum errare et labi, magis debet monstrare quae sancta sunt et rectum iter ostendere: ut cum omni castitate et timore Dei incedens [Col. 1362B] illam Salomonis exsequatur sententiam:
@ [Col. 1361D] *Libera eos qui dicuntur.* Prov. XXIV in versione communi: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem:* qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. *Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redimere de interfectione non cesses* **(Prov. XXIV)**.
@ [Col. 1361D] *Ne dicas, Nescio hunc.* Ita in textu Graeco ibidem; Ἐὰν δὲ εἴπῃς Οὐκ οἶδα τοῦτον γίνωσκε ὅτι Εύριος καρδιὰς πάντων γινώσκει, id est, *si dixerit Non novi eum, etc.,* his consonat textus Hebraicus. At discrepat versio communis. *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Ne dicas: Nescio hunc. Scito, quoniam Dominus corda omnium novit. Et Judas in Epistola sua loquitur:
@ [Col. 1362C] *Et hos quidem de igne rapientes.* In edito Orsiesio hic locus ita citatur: *Et hos quidem de igne rapientes, et odio habentes commaculatam tunicam;* sed mutile. In communi versione ita habetur: *Illos vero salvate de igne rapientes, aliis autem miseremini in tempore, odientes illam quae carnalis est maculatam tunicam.* In textu Graeco sic: Οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες μισοοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Id est, *et hos quidem in timore salvate ab igne rapientes, et odio habentes carnalem commaculatam tunicam:* et ita hic locus apud Orsiesium legendus est. Putoque ita redditum ab ejus interprete, qui non sequitur Vulgatam interpretationem, sed textum Graecum, in quo nihil est quod respondeat verbis Latinis: *Aliis autem miseremini.* Itaque in codice Concordiae pro *carnem,* legendum est *carnalem,* ut in textu Graeco et communi versione satis manifestum est, vel potius *carnis, ut in Cod.* Vind. interpres non sequitur versionem Vulgatam. *Et hos quidem de igne rapientes, et odio habentes carnem commaculatam tunicam, caveamus hujuscemodi vestimentum,*
@ [Col. 1362D] *Et induamus potius ut armaturam Dei.* Ad Eph. VI. Particula *ut redundat.* In textu Apostoli: *Induite vel armaturam Dei.* Sed locum connectit suo textui Orsiesius.

induamus potius [*ut*] *armaturam Dei, ut possimus resistere contra insidias diaboli.*
@ [Col. 1362D] *Non est enim nobis pugna.* In versione communi et in Orsiesio edito: *Non est enim nobis colluctatio.* Non est enim nobis pugna contra carnem et sanguinem, sed adversus
@ [Col. 1362D] *Principatus.* Ita apud Orsiesium; in communi versione, *principes;* in textu Graeco, ἀρχὰς id est, principatus. principatus, et potestates, et adversus rectores
@ [Col. 1362D] *Tenebrarum.* In versione communi et in Orsiesio edito additur, *harum.* tenebrarum, adversus spiritalia nequitiae in coelestibus **(Ephes. VI)**.

[Col. 1363A]

§ IV. EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 28).

Interrog.
@ [Col. 1363C] *Quale judicium esse debet.* Exstat apud S. Basilium interrog. 7 Reg. Brev., et apud Rufinum cap. 24. Quale judicium esse debet de his qui peccantes defendunt?---*Resp.* Ut mihi videtur, gravius ab illo, quod dixit Dominus: *Quia expedit illi, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, et,*
@ [Col. 1363C] *Praecipitetur in mare.* Ut supra apud S. Orsiesium. In Graeco textu ἐῤῥήηται εἰς τὴν θάλασσαν, quod idem sonat; quae quidem verba sumpta sunt ex cap. XVII Luc., caetera vero ex Matth. XVIII. *praecipitetur in mare, quam scandalizet unum de minimis istis* **(Matth. XVIII; Luc. XVII)**. Non enim jam correptionem ad emendationem, sed defensionem ad confirmandum peccatum suum suscipit qui delinquit. Sed et alios ad simile provocat malum:
@ [Col. 1363C] *Ita ut conveniat illi quod dictum est.* Ita apud Rufinum, sed aliter in textu Graeco, qui ita sonat apud S. Basilum: *Ex quo fit, ut nisi fructus dignos poenitentia ostenderit, qui alium defendit in eum conveniat illud, quod a Domino dictum est:* Quod si oculus tuus, etc. ita ut conveniat ei, qui peccantes defendit, illud quod dictum est: *Quia si non ostenderitis fructus dignos poenitentiae, excidemini, et in ignem mittemini* **(Luc. III)**. Vel rursum, quod a Domino dictum est: [Col. 1363B] *Quia si oculus tuus dexter scandalizat te, ejice eum, et projice abs te:* expedit enim, ut pereat unum menbrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur
@ [Col. 1363C] *In gehennam.* Apud Rufinum additur: *Ignis ardentis. in gehennam* **(Matth. XV)**.

§ V.---*Item ipse* (cap. 120).

Interrog.
@ [Col. 1363C] *Si quis facit voluntatem.* Reperire est apud S. Basilium interr. 283; et apud Rufinum, cap. 62. Si is qui facit voluntatem alicujus,
@ [Col. 1363D] *Etiam particeps est.* Lege per interrogationem, *Nunquid est etiam particeps? ut apud Rufinum.* etiam particeps est, vel socius?---*Resp.*
@ [Col. 1363D] *Scire debemus Domino dicente.* In textu Graeco aliter. Εἰ πιστέυομεν τῷ Κυρίῳ λέγοντι, id est, «si credimus Domino dicenti.» Scire debemus Domino dicente: *Quia qui facit peccatum, servus est peccati, et iterum: Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis* **(Joan. VIII)**. Scimus quia non solum socium et

participem, sed dominum sibi ac patrem ascribit eum, cujus opus facit. Testatur autem de his Apostolus dicens: *Aut nescitis, quia cui exhibuistis vos servos ad obediendum,* [Col. 1363C] servi estis ejus, cui obedistis, sive peccati in mortem, sive obedientiae ad justitiam **(Rom. VI)**.

[Col. 1364A]

§ VI.---*Item* (cap. 120
@ [Col. 1363D] Interrog. 46 Reg. brev., Rufinus, cap. cit.).

Interrog. Si is qui consensit alterius peccato, si etiam ipse peccati reus est?---*Resp.* Haec sententia manifesta est ex verbis in quibus ait ad Pilatum dicens: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* **(Joan. XV)**. Manifestum namque est ex hoc, quia et Pilatus acquiescens his qui tradiderunt Dominum peccatum habebat, licet minus quam illi. Ostenditur etiam hoc in eo, quod Adam acquiescit Evae vel consentit, quae acquieverat serpenti. Nullus enim ex ipsis aut innocens judicatus est, aut impunitus abscessit. Sed et ipsa Dei indignatio, quae adversus eos habita est, hoc ipsum indicat. Cum enim Adam pro excusatione sua objecisset: *Quia mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit, et manducavi.* Quia audisti, [Col. 1364B] inquit Deus, *vocem mulieris tuae, et manducasti de ligno, de quo praeceperam tibi, ne manducares, maledicta terra erit in operibus tuis* **(Gen. CXI)**.

§ VII.---EX REGULA ORIENTALIUM.
@ [Col. 1363D] *Si quis errori.* Hic textus producitur a Smaragdo, qui illum attribuit cuidam Patri anonymo. in eodice Vindocinensi jungitur superiori capiti S. Basilii, non ita recte, quia non exstat apud S. Basilium; habetur etiam apud Burchardum libr. XI, cap. 46, et Ivonem in Decreto parte IV, cap. 110, ex dictis S. Basilii, et quidem contractius, hoc modo: «Hinc et quidam sanctissimus Pater ait: *Si quis errori alterius consenserit, sciat se cum illo simili modo culpabilem judicandum et excommunicandum.*» Et qu. XI, cap. 3, *Qui consentit, ex S.* Isidoro, in fine. Sed non exstat apud S. Isidorum. Ex quibus patet restituendam esse hanc sententiam Regulae. Orientalium, ut in hac Concordia habetur. Si quis errori
@ [Col. 1364C] *Ejus.* Apud Smaragdum, Burchardum et Ivonem legitur, *alterius;* quae quidem lectio videtur plausibilior. ejus consenserit, et
@ [Col. 1364C] *Secundum duritiam illius.* Haec verba non sunt apud Smaragdum. secundum duritiam illius magis consilium dederit, ut se tardius humiliet, sciat se,
@ [Col. 1364C] *Cum in hoc errore fuerit deprehensus.* Haec verba non exstant in causa citata. cum in hoc errore fuerit deprehensus, simili modo culpabilem judicandum.

§ VIII.---*Item, ex eadem Regula.*
@ [Col. 1364C] *Qui consentit.* Hic textus habetur etiam in Regula S. Pachomii excusa, art. 99. Producitur etiam a Smaragdo hoc capite, et apud Burchardum et Ivonem citatis capitibus: ex Basilii dictis, sed non exstat apud sanctum Basilium. In causa citata producitur ex S. Isidoro: sed non exstat apud illum. Est igitur ex Regula Orientalium et S. Pachomii. Qui consentit
@ [Col. 1364C] *Peccatis.* Lege, *peccantibus, ut apud S.* Pachomium, tum in Regula excusa,

tum in citata supra hoc capite; et etiam apud Smaragdum, Burchardum, Ivonem et causam eamdem. Ubi haec sequuntur, quae huc referri possunt: *Hinc et alius Pater ait:* Si quis peccantem defendit, acrius quam ille qui peccavit coerceatur. peccatis et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripietur increpatione severissima.

§ IX.---EX REGULA PATRUM (cap. 5).

@ [Col. 1364D] *Si quis vero de fratribus.* Haec reperiuntur in secunda Regula ms. cod. Flor. cujus initium est: *Cum resideremus in unum.* Si quis vero de fratribus,

@ [Col. 1364D] *Vel qui in oratorio sunt, etc.* Per eos qui in oratorio sunt intelligit eos monachos qui simul habitant et conversantur. Ita loquitur, quia fuit olim quorumdam monachorum mos, ut dormirent in oratorio. In Poenis Brevibus S. Basilio ascriptis, art. 16: Εἴ τις τῶν ὑγιαινόντων ἔξω που κοιμᾶται τοῦ εὐκτηρίου, etc., id est, «si quis ex sanis dormiat extra oratorium, excommunicetur.» Per eos autem qui in cellis consistunt, intelligit reclusos. vel qui in oratorio sunt, vel qui in cellis consistunt,

@ [Col. 1364D] *Errori fratris consenserit.* In Reg. ms. legitur: *Ejus errori consenserit, refertur ad antecedentia: Correctus autem non audeat.* errori fratris [Col. 1364C] consenserit, culpabilis erit atque excommunicatione dignissimus.

[Col. 1365A]

§ X.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI (cap. 33).

@ [Col. 1365A] *Defendere proximum.* Hoc caput non exstat in Concordia ms. cod. S. Arnulphi Metensis; nec in Regula S. Columbani, quam habemus manuscriptam in codice Floriacensi; neque in edita quae exiit ex bibliotheca coenobii Bobiensis; neque in ea quae prodiit ex bibliotheca S. Galli opera Melchioris Haiminsfeldii Goldasti. Et quidem in Regula quae ex Bobiensi coenobio exiit, et ea quae exstat in dicto codice Floriacensi sunt tantum novem capita, non computato Poenitentiali, qui in codice Floriacensi habetur. In ea vero quae edita est ex coenobio S. Galli, sunt quidem quatuordecim capita; sed ea, nonnullis capitibus in alia divisis, non est aliis prolixior, imo contractior: quia in ea caput de oratione desideratur, ut taceam de Poenitentiali, qui neque in ea exstat. Quamobrem mirum est hic citari caput trigesimum tertium Regulae S. Columbani. Quod autem hujus capitis titulus quoad nomen S. Columbani, verus sit liquet ex Smaragdo, qui hoc totum fere caput citat sub nomine S. Columbani. Quoad numerum tamen capitis suspicor mendum esse, et hoc caput esse decimum ejusdem Regulae, etsi in cod. Vind. idem sit numerus trigesimus tertius. Defendere proximum vel consanguineum in monasterio nullo modo

@ [Col. 1366B] *Permitti censemus.* Apud Smaragdum: *Permittimus.* permitti censemus.

@ [Col. 1366B] *Quid enim.* Lege: *Ut quid enim, ita apud Smaragdum.* Quid enim alium defendat, qui jam sibi non vivit, sed Christo, quem imitatus, manet crucifixus; qui propriam animam, ut uberius saluti jungeret, perdidit? Qui vero proprias perdidit voluntates, ut Christi in se voluntatem impleret, cur aliorum dicta defendat, qui propria crucifixit? Et si in veritate crucifixit, et non modo etiam, sed Christo vivit, cur in mundi [Col. 1366A] facinoribus labentes pro qualibet familiaritate defendat? Sit ergo ei aequus amor tam in consanguineo quam in

@ [Col. 1366B] *Caetero.* Id est. alio. caetero fratre, qui ei sanguinis affinitate non jungitur.

Maneat ergo in omnibus amor corde clausus: nec quemquam sub disciplinae moderamine positum tueri studeat,

@ [Col. 1366B] *Ne vitium defendendi.* Apud Smaragdum: *Ne vitium defendendo.* Sed retineo *defendendi;* ut sensus sit: Ne hoc alterius defendendi vitium malo suo exemplo in alios fratres traducat. ne vitium defendendi in aliis dimittat. Sit ergo in arbitrio corrigentis, ut quos corrigit

@ [Col. 1366B] *Sub amoris studio.* In cod. Vind., *Sub amaro studio.* sub amoris studio,

@ [Col. 1366B] *Non propria implenda voluntate.* Lege: *Non propriam implendo voluntatem.* non propria implenda voluntate, sed vitia corrigendo inferat disciplinam.

CAPUT LXXV. UT NON PRAESUMAT PASSIM QUISQUAM ALIUM CAEDERE.

[Col. 1365C]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

@ [Col. 1365C] *Vetetur.* Ita in omnibus mss. nostris, et apud Smaragdum, Ruthardum, S. Dunstanum, Turrecrematam; ita in vetusta editione Parisiensi, Coloniensi, et Colinaei. Itaque illud membrum: *Vetetur in monasterio omnis praesumptionis occasio, est quoddam generale edictum ad sequenda stabilienda.* In vulgatis legitur: *Ut vitetur.* Vetetur in monasterio omnis praesumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut caedere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit.

@ [Col. 1365D] *Peccantes coram omnibus arguantur.* Cum prius bis aut ter ab ipso rectore secreto admoniti fuerint, ut habetur cap. 23 Regulae. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut caeteri metum habeant.

@ [Col. 1365D] *Infantum vero usque ad quindecim annorum aetates disciplinae diligentia adhibeatur.* Ita in cod. Vind. et apud Smaragdum; id est, *disciplinae infantum adhibeatur diligentia, etc.;* in aliis tamen nostris mss. atque etiam editis, item apud S. Dunstanum et Turrecrematam legitur: *Infantibus vero usque ad quintum decimum annum aetatis disciplinae diligentia;* etc. ms. S. Farodis et editio Colinaei legunt, *aetatis suae.* Infantum vero usque quindecim annorum aetates disciplinae

@ [Col. 1365D] *Diligentia adhibeatur ab omnibus et custodia sit.* In vetusta editione Parisiensi: *Diligentia sit, et custodia adhibeatur ab omnibus.* Cum dicitur, *ab omnibus, hoc de praepositis, decanis, sacerdotibus, diaconis, senioribus, aliisque intelligitur, qui ad eam aetatis maturitatem pervenerint, ut tempus rationem et modum discretae correctionis cognoscere valeant;* vel, ut loquitur S. Ferreolus: «Ad quos pertinet correctionis vel nosse modum, vel tenere judicium.» Nec puto fuisse unquam permissum iis, qui decimum septimum aut decimum sextum, imo et vigesimum aetatis annum vix attigerunt, passim pueros caedere. Hanc autem custodiam usque ad decimum quintum aetatis annum definiit S. Benedictus, quia tunc pueri incipiunt duci ac regi ratione. Per infantes autem intelligit pueros, et infantes proprie dictos. diligentia adhibeatur ab omnibus, et custodia sit. Sed et hoc cum omni mensura et ratione.

@ [Col. 1366D] *Nam in fortiori aetate, qui praesumpserit.* In editione Colinaei legitur: *Nam in fortiori aetate qui aliquatenus haec praesumpserit.* Sed haec editio multa addit

Regulae, quae non habentur in codicibus mss. et excusis. Sensus autem hujus loci est ejusmodi: nam in majori aetate constitutos. qui aliquo modo praesumpserit caedere, etc. Nam in fortiori aetate, qui [Col. 1366C] praesumpserit aliquatenus sine praecepto abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinae regulari subjaceat, quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri,*
@ [Col. 1366D] *Alio ne feceris.* Ita in ms. S. Germ. ma. *Alio,* pro *alii, ut supra observatum.* In veteri editione Parisiensi, *aliis ne feceris. alio ne feceris.*

§ II.---EX REGULA FERREOLI (cap. 21).

Ut monachus in monachum ira inflammatus, quod est turpissimum, manus injicere non praesumat; praeter illos ad quos pertinet correctionis vel nosse modum vel tenere judicium: ne uno peccante caeteris praesumendi crescat audacia, et ita disciplinae [Col. 1367A] ordine confuso irruptaque lege vivendi ipsius sacrae religionis per singulos jura perdantur. Quapropter quisquis taliter incontinens manibus invenitur, ita ut nesciat ab illicitis temperare, manus illae, quas erexit in proximum, per longum tempus non solum jejunio, sed etiam operis assiduitate lassentur: ut deinceps ad Deum leventur in oratione, non cum furore extendantur in fratrem. Dandam tamen veniam decernimus, juxta ut abbas moderari voluerit, postulanti, si poenitentia praemissa, etiam dum deprecatur, reatus sui, faciem lacrymarum effusione rigaverit.

§ III.---EX REGULA SANCTI AURELIANI (cap. 13).
@ [Col. 1367B] *Frater in fratrem.* Eadem verba citat Ivo Carnot. p. VI Decreti, cap. 292, ex concil. Herdensi, cap. 7. Idem statuit S. Caesarius cap. 24 Regulae: «Tamen si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquae de sororibus ausae fuerint, diabolo instigante, prorumpere aut ut furtum faciant, aut in se invicem manum mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant.» Disciplina autem in utroque loco S. Aureliani et S. Caesarii est flagellatio, ut supra notatum est. Frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinam accipiat

[Col. 1367B]

§ IV.---EX REGULA ORIENTALI.
@ [Col. 1367B] *Qui minister est.* Operum videlicet quae fiunt quotidie in monasterio, id est, qui praeest operibus monasterii. Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in monasterio. In qualicunque omnino arte quae exercetur a fratribus, si quid perierit, et per [Col. 1368A] negligentiam fuerit dissipatum, increpetur a Patre minister operum, et ipse iterum increpet alium, qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem et praescientiam
@ [Col. 1367C] *Principis.* Nempe monasterii, id est, abbatis; nam in Regula S. Pachomii, ex qua haec Orientalis fere sumpta est, abbas passim appellatur princeps monasterii. principis: absque quo nullus increpandi habebit potestatem.

§ V.---EX REGULA MAGISTRI (cap. 14)
@ [Col. 1367C] Vide supra, cap. 39, § 6.

Infantulos vero usque quindecim annorum non excommunicari, sed praecipimus vapulare pro culpis, etc.

§ VII.---EX REGULA SANCTI CAESARII (cap. 5)
@ [Col. 1368B] Vide supra, cap. 46, § 3..

Si potest fieri, aut difficile, aut nullus unquam in monasterio infantulus parvulus, etc.

§ VI.---EX REGULA SANCTI ISIDORI (cap. 20).
@ [Col. 1368B] *Cura nutriendorum parvulorum.* Haec habentur in Regula S. Isidori excusa, eodem cap. 20. Cura nutriendorum parvulorum pertinebit ad [Col. 1368B] virum quem elegerit Pater, sanctum sapientemque, atque aetate gravem, informantem parvulos non solum
@ [Col. 1368B] *Studiis litterarum.* Ergo pueri monachi sunt litteris imbuendi. Unde S. Caesarius paulo ante citatus non vult suscipi in monasterium pueros, nisi qui litteras ediscere valeant. Horum Patrum neglecta doctrina propter operosam olim in monasteriis cantus, caeremoniarum et officiorum divinorum multiplicitatem, puerorum ingenia excoli desierunt, quia tempus et otium ad id non suppetebant: atque inde ignorantia, vitiorum mater et nutrix, atque etiam animorum aerugo acedia, ex ejusmodi rerum fastidio nata, universam monasteriorum disciplinam radicitus exstirparunt. studiis litterarum, sed etiam documentis magisterioque virtutum.

CAPUT LXXVI. UT OBEDIENTES SIBI SINT INVICEM FRATRES.

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1367D] *Obedientiae bonum.* Hoc caput multum confert ad observantiam, quia continet summam obedientiam et honorem. Obedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus,
@ [Col. 1367D] *Sed etiam sibi invicem ita obediant fratres.* Quod etiam praeclare monet Haymo Halberstattensis lib. II de Varietate, cap. 47: «Invicem obedire debemus, sicut servi dominis, secundum quod praecepit Dominus, quia *Qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium novissimus et omnium servus;* quibus addit, ut magis nos inclinet ad humilitatem: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare:* sed et illud quod ab Apostolo dictum est, *Per charitatem spiritus servite invicem.*» Epitome Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti: «Oportet omnino ut obedientes sibi sint invicem, et ipsa obedientia, si recto corde ostendatur, Deo offertur. Ipsa est via quae ducit ad vitam. Citius enim exauditur una oratio obedientis, quam decem millia contemnentis.» sed etiam sibi invicem ita obediant fratres, scientes per hanc obedientiae viam se ituros ad Deum. Praemisso ergo abbatis,
@ [Col. 1367D] *Ut praepositorum.* In omnibus editis et mss. nostris legitur, *aut praepositorum;* optima tamen lectio nostrae Concordiae, nam rectum sensum efficit: per praepositos hoc loco intelliguntur tam praepositus quam decani. ut praepositorum, qui ab eo constituuntur, imperio,
@ [Col. 1368D] *Cui non permittimus.* In ms. S. Germ. ma., *quibus non permittimus, male.* cui non permittimus
@ [Col. 1368D] *Privata imperia.* Id est, privatorum monachorum imperia, qui nullam

praeposituram seu magisterium habent in monasterio; nam privatus proprie ille est qui nullum gerit magistratum. S. Isidorus lib. VIII Orig., cap. 4: «Privati sunt extranei ab officiis publicis.» Cornelius Fronto: «Privatum, non publicum, quia privatus non gerit personam publicam.» Apud Athenienses ἰδιώτης, qui nullum gerit magistratum, qui non est persona publica, ut videre est passim apud Demosthenem et Isocratem. privata imperia praeponi, de caetero omnes juniores

@ [Col. 1368D] *Prioribus.* Id est, senioribus, antiquioribus, praecedentibus dignitate vel officio, ut sunt presbyteri, diaconi, etc. Dicuntur etiam priores, qui ob vitae meritum in altiori gradu et loco ab ipso abbate constituuntur. Degradati tamen, hoc est, qui ob vitium suum in ultimum seu inferiorem locum deturbantur, non possunt dici priores eorum a quibus praeceduntur. prioribus [Col. 1369A] suis

@ [Col. 1369C] *Omni charitate.* In Vict. Ma., *Cum omni charitate.* omni charitate et sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus

@ [Col. 1369C] *Reperitur.* In Vict. p., *Fuerit reperta.* reperitur, corripiatur.

@ [Col. 1369C] *Si quis autem frater.* Circa hanc prostrationem haec statuuntur I Add. Capitul. Lud. imp., tit. 13: «Ut cum a quocunque priore suo increpatus quis eorum fuerit, *mea culpa primo dicat;* deinde prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat, et tunc jubente priore surgat, et unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat.» Nota quia se non debet excusare junior, nisi rationem errati petat prior seu senior. Item in Epitome Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti: «Si frater increpatur a majore priore qualicunque, aut ab alio quolibet, aut certe a juniore reprehenditur pro alia qualibet re, cum summa velocitate cadens veniam postulet: quia haec eadem humilitas Deo exhibetur, non homini, et si ex corde fuerit, cito indulgentiam merebitur.» Ubi observa hoc decreto statui ut etiam prior seu senior a juniore reprehensus in terram prosternatur, quod tamen a Regula non praescribitur. Porro non modo frater ab abbate suo aut praeposito, sed etiam a quibuscunque prioribus et senioribus suis objurgatus se ejus pedibus provolvere debet, ut ex verbis Regulae liquido constat: *Vel a quocunque priore suo corripitur quolibet modo, vel leviter senserit animos prioris cujuscunque contra se iratos.* Neque enim haec de praeposito, qui vulgo dicitur prior, possunt intelligi. Haec autem praeclara est institutio, quia juniorum petulantiam comprimit, qui ubi seniores spernere coeperunt, cito a vita religiosa deficiunt. Si quis autem frater pro quavis minima

@ [Col. 1369D] *Causa.* Id est, culpa. Vide superius notata. causa ab abbate vel a quocunque priore suo corripitur quolibet modo, vel si leviter senserit

@ [Col. 1369D] *Animos.* Ita in cod. S. Germ. ma., vulgo in singulari. animos prioris cujuscunque contra se iratos vel commotos, quamvis modice, mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens, usquedum

@ [Col. 1369D] *Benedictione.* Id est, bona precatione, ut si dicat senior: *Benedicat te Deus, vel quod simile.* benedictione sanetur

@ [Col. 1369D] *Illa commotio.* In cod. Vict. p. deest τὸ *illa.* illa commotio. Quod qui contempserit facere, aut corporali vindictae subjaceat, aut, si contumax fuerit, de monasterio

@ [Col. 1369D] *Expellatur.* Adhibitis omnibus iis quae supra statuta sunt. expellatur.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 64).

Interrog.

@ [Col. 1370B] *Quomodo invicem.* Habetur apud S. Basilium, interr. 115 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 42. Quomodo invicem obaudire debemus?---*Resp.* Sicut servi dominis, secundum quod praecipit [Col. 1369B] Dominus: *Quia qui vult in vobis esse*

@ [Col. 1370B] *Magnus.* Ut apud Haymonem Halberstatensem loco supra citato, et in textu Graeco Evangelii, μέγας, in vulgata interpretatione, *major, hic autem locus contracte citatur a S.* Basilio. *magnus, fiat omnium novissimus, et omnium servus* **(Marc. X)**. Quibus addit, ut magis nos inclinet ad humilitatem: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* **(Matth. XX)**. Sed et illud quod ab Apostolo dictum est: *Per charitatem spiritus servite invicem* **(Gal. V)**.

§ III.---*Item* (cap. 13.)

Interrog.

@ [Col. 1370C] *Si oportet.* Habetur apud S. Basilium, interr. 114 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 14. Hic autem titulus contractior est quam apud S. Basilium. Si oportet omnibus vel quibuscunque obedire?---*Resp.* Eorum quidem qui imperant differentia vel diversitas non debet

@ [Col. 1370C] *Impedite obedientium proposito.* Impedire, id est, nocere, unde in textu Graeco legitur ὀφείλει παραβλάπτειν, id est, debet nocere. impedire obedientium proposito;

@ [Col. 1370C] *Quia neque Moyses intemperans.* Ita apud Rufinum. Sed lege: *Inobtemperans;* id textus Graecus παρήκουσε, quod idem sonat, et historia postulant. Et notanda est summa Moysis humilitas, qui, etiamsi cum Deo facie ad faciem loqueretur, non tamen hominis peregrini consilium aspernatus est; ut discant rectores suorum consilia inferiorum non spernere. quia neque Moyses intemperans [Col. 1370A] exstitit cognato suo Jethro **(Exod. XVIII)**, cum utilia moneret et justa.

@ [Col. 1370C] *Commotionum.* Lege, *commonitionum, ut apud Rufinum.* Commotionum sane non parva est diversitas. Aliae namque contrariae videntur esse mandatis Dei, aliae vero interrumpere mandatum vel contaminare illud videntur, aliae vero ad expleudum id atque aedificandum veniunt. Necessarium ergo est meminisse apostolici praecepti dicentis: *Prophetias nolite spernere;* omnia probate, quod bonum est retinete: ab omni specie mala abstinete vos **(II Thess. V)**. Et iterum: *Cogitationes purgantes vel destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo* **(I Cor. X)**. Si quid ergo est quod conveniat cum mandato Dei et animae expediat, et hoc nobis [Col. 1370B] ab aliquo fuerit imperatum, velut voluntatem Dei prompte ac libenter debemus accipere et explere, quod dictum est:

@ [Col. 1370C] *Obtemperantes invicem in charitate.* Ad Eph. IV. Ita apud Rufinum. Nihilominus in versione communi, *Supportantes invicem in charitate,* juxta textum Graecum Apostoli ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ. *Obtemperantes invicem in charitate Christi* **(Ephes. IV)**. Sin autem contrarium aliquid mandatis Dei, vel quod ea corrumpere videatur aut contaminare, facere jubemur

@ [Col. 1370D] *Aliquo.* Lege, *ab aliquo.* aliquo, tempus est nos dicere: *Obtemperare oportet Deo magis quam hominibus* **(Act. V)**. Et rursum meminisse Domini dicentis:

@ [Col. 1370D] *Alieni autem vocem non sequuntur.* Ita apud Ruf.; nam in vulgata interpretatione Joan. X: *Alienum autem non sequuntur.* His autem locis docet S. Basilius non esse obtemperandum praecipientibus ea quae cum lege divina pugnant. Itaque si videat inferior mandatum superioris manifeste legi divinae adversari, nec tenetur, nec debet obtemperare: neque etiam talia imperari debent. Etsi Mutio imperatum legamus ut filium, et alteri ut se in ardentem clibanum projicerent, ipsos vero sine mora obtemperasse **(Cass. lib. IV de Instit., c. 27; Severus Sulp. l. I Dial., cap. 13)**, et quaedam alia similia; hae tamen potius admiranda quam imitanda, nec facienda nisi ex peculiari motu Spiritus sancti, qui ne sequeretur homicidium, miracula edidit: alioqui homicidium nec imperandum, nec faciendum. *Alieni autem vocem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quoniam nesciunt alienorum vocem* **(Joan. X)**. Sed et sancti apostoli memores esse debemus, qui ad nostram cautelam ausus [Col. 1371A] est ne angelis quidem parcere dicens: *Etiamsi angelus de coelo evangelizaverit vobis, praeterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit* **(Gal. I)**. Ex quo edocemur ut etiamsi valde vobis charus sit aliquis, etiamsi magnificus habeatur, et in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere quod a Domino praeceptum est: vel rursum imperat fieri quod Dominus prohibuit, exsecrabilis debet esse qui ejusmodi est omnibus qui diligunt Dominum.

§ IV.---*Item* (cap. 23)
@ [Col. 1371C] Vide supra c. 5, § 22..

Quali affectu vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat, etc.

§ V.---*Item* (cap. 24)
@ [Col. 1371C] Vide supra, c. 5, § 23..

Quali affectu quis debet suscipere correptionem, etc.

[Col. 1371B]

§ VI.---*Item* (cap. 25).

Interrog.
@ [Col. 1371C] *Qui tristatur.* Reperitur apud S. Basilium, interrog. 159 Regul. brev., et apud Rufinum eodem cap. 23. Qui tristatur adversus eum qui se increpat, qualis est?---*Resp.* Neque periculum peccati agnovit iste, maxime ad Deum, neque lucrum poenitentiae; nec credidit illi qui dixit: *Quia,*
@ [Col. 1371D] *Qui diligit, diligenter corripit.* Prov. XIII. *Qui parcit virgae, odit filium suum;* qui non diligit illum, diligenter erudit. In parvis Bibliis mss. S. Germ., *instanter erudit. qui diligit, diligenter corripit* **(Prov. XIII)**; sed se ipsum alienum facit ab illa utilitate, dicens: *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* **(Psal. X)**; sed et ad laesionem caeterorum iste talis permanet inter fratres, resolvit enim et impedit animos eorum qui possunt proficere.

§ VII.---*Item* (cap. 15).

Interrog.

@ [Col. 1371D] *Poenitentem ex corde.* Invenire est apud S. Basilium, inter. 8 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 24, apud quem est, *poenitentes.* Sed in ms. legitur, *poenitentem, ut in textu Graeco* μετανοῦντα. Poenitentem ex corde quomodo oportet suscipi?---*Resp.* Sicut Dominus ostendit, cum dicit: *Quia convocat amicos et vicinos dicens:* Congratulamini [Col. 1371C] mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram **(Luc. XV)**.

§ VIII.---*Item* (cap. 72).

Interrog.

@ [Col. 1371D] *Si frater fratrem contristaverit.* Habetur apud S. Basilium, interr. 40 Regul., et apud Rufinum, cap. 43. Si frater fratrem contristaverit, quomodo debet emendari?---*Resp.* Si quidem contristaverit, sicut Apostolus dicit,

@ [Col. 1371D] *Contristati enim es is.* Ita apud Rufinum: sequitur tamen in textu Graeco Apostoli: κατὰ Θεὸν, id est, *secundum Deum. Contristati enim estis, ut in nullo detrimentum*

@ [Col. 1371D] *Pateremini.* Lege, *patiamini, ita apud Rufinum, et interpretatione vulgata. pateremini ex nobis* **(II Cor. VII)**. Non ille qui contristavit emendari debet, sed ille qui contristatus est,

@ [Col. 1371D] *Et indicia.* Particula *et redundat.* [et] indicia ejus tristitiae quae secundum Dominum est, debet ostendere. Si [Col. 1372A] vero indifferenter contristavit, id est, non secundum Deum, memor sit is qui contristavit Apostoli dicentis: *Si autem propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas* **(Rom. XIV)**. Et cum cognoverit tale delictum esse suum, impleat illud quod a Domino dictum est: *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris ibi quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare,*

@ [Col. 1371D] *Et vade prius reconciliari.* Ita apud Rufinum, sed lege et distingue: *Et vade prius, reconciliare;* ita in versione communi, ut in textu Graeco: Καὶ ὕπαγε, διαλλάγηθι, quod idem significat. *et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens*

@ [Col. 1372C] *Offeres.* Ita apud Rufinum et in vulgata versione Matthaei; sed in textu Graeco, etiam apud S. Basilium, imperativo, πρόσφερε, id est, *offer. offeres munus tuum* **(Matth. V)**.

§ IX.---*Item* (cap. 69).

Interrog. Quod si non acquiescit, ut satisfaciat?---*Resp.* Implere debemus in eo quod a Domino dictum est de eo qui peccavit et non egit poenitentiam, cum dixit: *Si autem Ecclesiam non audierit,* sit tibi sicut [Col. 1372B] gentilis et publicanus **(Matth. XVIII)**.

§ X.---*Item* (cap. 74.)

Interrog. Quod si, satisfaciente eo qui contristavit, noluerit reconciliari is qui contristatus est?---*Resp.* Manifesta est de hoc Domini sententia, quae refertur in illa parabola de servo qui rogatus est a conservo suo, et noluit patienter agere: *Et videntes,* inquit, *conservi renuntiaverunt domino suo* **(Matth. XVIII)**. Iratus autem dominus revocavit omnem gratiam quam concesserat debiti, et tradidit eum tortoribus usquequo

redderet omne debitum.

§ XI.---*Item* (cap. 84.)

Interrog.
@ [Col. 1372D] *Cum quali affectu.* Habetur apud S. Basilium, interr. 166 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 46. Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur?---*Resp.* Eo [Col. 1372C] affectu quo esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti; vel quo affectu
@ [Col. 1372D] *Omnis homo.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco sequitur, ἀντιποιούμενος τοῦ ζῆν, id est, «cui vita chara est.» omnis homo suscipit ab aliquo ea quae ad vitam pertinent: imo
@ [Col. 1372D] *Et si quid amplius.* Ita apud Rufinum. In textu Graeco: μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ πλέον, id est, «imo et multo amplius.» et si quid amplius, pro eo quod multo est pretiosior futura vita quam praesens, sicut Dominus dicit:
@ [Col. 1372D] *Quia mandata mea vita aeterna sunt.* In textu Graeco S. Basilii: Ἡ γὰρ ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ, φησὶν ὁ Κύριος, ζωὴ αἰώνιός ἐστιν, id est, «Mandatum enim Dei, inquit Dominus, vita aeterna est.» Sed paulo aliter in textu Evangelii: Ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν, id est, ut in versione communi: *Quia mandatum ejus vita aeterna est;* mandatum ejus est Patris sui, de quo ibi loquitur Christus. Itaque locum citavit S. Basilius ex memoria. *Quia mandata mea vita aeterna sunt* **(Joan. XII)**. Sicut ergo praesens constat in cibo panis, ita aeterna vita constat in opere mandati, sicut ipse Dominus iterum dicit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, Patris* **(Joan. IV)**.

[Col. 1373A]

§ XII.---EX REGULA PATRUM (cap. 7).
@ [Col. 1373B] *Hoc etiam addendum fuit.* Hic textus habetur in Regula secunda ms. cod. Flor., cujus initium est: *Cum resideremus in unum in nomine Domini.* In cod. Vind. male scribitur in titulo: *Item capitulo quarto.* Hoc etiam addendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur
@ [Col. 1373B] *Patientiam habeat.* In libello de rectoribus, Coloniae edito, legitur: *Poenitentiam habet;* male in codice Corbeiensi: *Patienter habeat.* patientiam habeat
@ [Col. 1373B] *Et non respondeat arguenti.* Se excusando nimirum, quod etiam vetat S. Columbanus in Poenitentiali ms., «Excusans ad veniam, L percussionibus.» Et infra: «Caeterum, qui se excusaverit, non filius Dei spiritalis, sed filius Adam carnalis judicetur.» Et infra: «Si quis veniam non petit, aut dicit excusationem, duos dies unum paximatium et aqua.» Aut etiam contradicendo, quod etiam prohibet idem Columbanus ibidem: «Qui non cito ad portum requiei humilitatis Dominicae confugerit, nimirum contradictionis aditum aliis aperiens in superbiae verbo persistens, de libertate sanctae Ecclesiae in cellula ob poenitentiam agendam separetur: usque dum bona ejus voluntas cognoscatur, atque per humilitatem denuo sanctae congregationi inseratur.» Id etiam prohibetur in Poenis brevibus, quae vulgo S. Basilio tribuuntur. Art. 18: Εἴ τις γένηται ἀπευλογίας, λυπηθεὶς ἀντιπαιδεύσει, τὸν παιδεύσαντα, ἢ ἀντιλέγων μὴ καταδέξηται, ἀφοριζέσθω. Id est: Si quis caruerit benedictione, et contristatus castigantem se rursus

castigaverit, aut contradicens non susceperit, excommunicetur.» et non respondeat arguenti, sed humiliet se in omnibus secundum praeceptum

@ [Col. 1373D] *Domini dicentis:* Quia Deus humilibus dat gratiam. Ita in Regula ms. tam Floriacensis, tam Corbeiensis codicis. Sed puto hos locos esse transpositos, et legendum: *Domini dicentis:* Qui se humiliat, exaltabitur; et, *quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit;* ita ut hic ultimus locus, qui est I Petri cap. V, non referendus sit ad illa verba, *Domini dicentis, qui etiam est transposito membrorum ordine citatus: Quia Dominus superbis resistit;* humilibus autem dat gratiam. Ita in vulgata editione; in textu Graeco est, Θεὸς, id est Deus, ut in codice Concordiae et citatis Regulis mss. Domini dicentis: *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* **(I Petr. V)**; et, *Qui se humiliat exaltabitur* **(Luc. XIV)**.

§ XIII.---EX REGULA CUJUSDAM.

Ad primum verbum

@ [Col. 1373D] *Discussionis.* Id est, redargutionis, reprehensionis, correptionis. discussionis senioris sive

@ [Col. 1373D] *Oeconomi.* Oeconomus est qui bonorum et reddituum familiae alicujus curam gerit, eaque pro necessitate et dignitate singulis distribuit et administrat. S. Isidorus Pelusiota lib. V, epist. 301: Εἰ οἰκονόμος εἴρηται παρὰ τὸ ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον νέμειν, ἢ παρὰ τὸ ἑκάστῳ τῶν ἐν τῷ τὸ πρὸς ἀξίαν νέμειν, κ. τ. λ. Id est, «Si oeconomus dictus est ab eo quod singulis id quod proprium est dividat, vel quod singulis qui in domo sunt pro dignitate distribuat,» etc. Oeconomus monasterii est cellerarius. Ecclesiae etiam suum habebant oeconomum, cujus officium sic describit S. Isidorus in epist. ad Leudefredum episcopum Cordubensem: «Ad oeconomum pertinet separatio [*Lege, reparatio*] basilicarum atque constructio, actiones ecclesiae in judiciis vel in proferendo vel in respondendo; tribuit quoque accepta et rationes eorum quae inferuntur: cura et agrorum et culturae vinearum, causa possessionum et servitiorum, stipendia clericorum, viduarum et devotarum pauperum, dispensatio vestimenti et victus domesticorum clericorum, servitiorum quoque et artificum; quae omnia cum jussu et arbitrio episcopi ab eo implentur.» Erant autem plures oeconomi, et qui eis praesidebat, magnus oeconomus dicebatur. De quo vide Joannem Meursium in Lexico Graeco-Barbaro. In monasteriis etiam major fuit oeconomus. S. Columbanus in Poenitentiali: «Si quid praeceperit abbas vel oeconomus major.» Oeconomus dicitur etiam vicedominus, de quo supra. oeconomi, sive alicujus fratris,

@ [Col. 1374C] *Venia petenda est.* Circa hoc notanda est doctrina beati Isaiae abbatis orat. 3: «Si quis te durius compellarit, ne extollas adversus illum cor tuum: sed operam da, ut illi satisfacias antequam animus tuus indignetur: ira enim ex studio provenit. Si aliqua in re, vel jure vel injuria ab aliquo reprehensus fueris, ne perturberis, sed poenitentiam age: Ignosce, inquiens, mihi, non faciam amplius.» venia petenda est, et tandiu in terra prostratus, donec senior discussionem consummaverit. Si autem senior discussionem iteraverit, et ipse

@ [Col. 1374D] *Veniam iterare.* Id est, iterum petere. veniam iterare debet. Si quis

@ [Col. 1374D] *Tardior ad veniam.* Supple *petendam.* tardior ad veniam inventus fuerit, sive aliqua [Col. 1373B] verba religioni contraria sive pro excusatione dilecti sui protulerit, mittendus est in carcerem; et poeniteat secundum quod judicaverit senior, usquequo

corrigatur. Si autem obstinatus invenitur, separandus est a fratribus.

[Col. 1374A]

§ XIV.---*Item ex eadem.*

Virtus obedientiae expetenda est, et secundum uniuscujusque vires exercenda est: et ad primum verbum senioris omnes qui audierint ex fratribus, assurgere oportet; et qui non surrexerit, veniam petat et poeniteat quantum judicaverit senior, et impleat quod jussum est, licet durum videatur. Obedientia usque ad mortem facienda, secundum exemplum Domini, qui factus est obediens Patri usque ad mortem. Et unumquemque oportet fratri suo servire sicut abbati proprio vel patri. Sicut Apostolus dicit:
@ [Col. 1374D] *Servite invicem in timore Christi.* Ad Eph. V, ubi in vulgata editione legitur: *Subjecti invicem, etc.,* ut in textu Graeco, ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις, quod idem significat. *Servite invicem in timore Christi* **(Eph. V)**. Et iterum: *Omnia vestra*
@ [Col. 1374D] *Cum charitate fiant.* I Cor. XVI, ubi in vulgata lectione juxta textum Graecum legitur: *In charitate fiant. cum charitate fiant* **(I Cor. XVI)**.

[Col. 1374B]

§ XV.---EX REGULA FRUCTUOSI (cap. 17).
@ [Col. 1374D] *Quisquis frater.* Habetur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis cod. grass. eodem cap. 17. In cod. Vind. male in lemmate ponitur, *Ex eadem Regula.* Quisquis frater pro qualibet negligentia vel reatu arguitur, vel excommunicatur, et tamen
@ [Col. 1374D] *Humiliter veniam petit.* S. Isidorus, cap. 16 Regulae: «Qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet quam expetit.» humiliter veniam petit, vel confitetur lacrymabiliter, congrua ei remissionis et indulgentiae medela tribuetur. Procaci autem et persistenti, atque per superbiam vel [Col. 1375A] controversiam deneganti, amplior et districtior animadversio
@ [Col. 1375B] *Flagellorumque penuria.* Ita in Regula ms. et eodem capite supra citato: ita ut *penuria hoc loco severitatem atque acerbitatem significet.* flagellorumque penuria irrogabitur.

§ XVI.---
@ [Col. 1375B] *Ex Regula S.* Ferreoli. In cod. Vind. legitur, *Ex Regula S.* Fructuosi, cap. 17, male. EX REGULA FERREOLI (cap. 39).

Ad illos vero qui post correctionem impugnantes judicia seniorum nituntur excusare peccatum, et non ad poenitentiam recordatione delicti, sed ad duritiam indignationis nimium migraverint, respicit ista
@ [Col. 1375C] *Sententia.* Id est, judicium, condemnatio. sententia:
@ [Col. 1375C] *Ut quandiu.* Id est, *ut donec, ut supra notatum est.* ut quandiu a proposita intentione revocentur et
@ [Col. 1375C] *Cum ore mentis.* Locus corruptus, lege, *tumorem mentis;* sensus clarus est, *et tumorem mentis manifesta emendatione deponant, ut in cod.* Vindocinensi. cum ore

mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduae omnino subjaceant

@ [Col. 1375C] *Disciplinae.* Id est, flagellationis, ut supra notatum est. disciplinae, quia non dixerunt, Peccatum meum ego cognosco; sed dixerunt quod

@ [Col. 1375C] *In Isaia.* Aut lapsus memoriae, aut error exscriptoris qui scripserit: *In* Isaia pro *in Jeremia;* nam locus habetur Jeremiae octavo capite. in Isaia propheta de rebellibus dicitur: *Nullus est qui agat poenitentiam*

@ [Col. 1375C] *Super peccatum suum.* In versione communi, *super peccato suo. super peccatum suum dicens:* Quid feci **(Jer. VIII)**?

[Col. 1375B]

§ XVII.---EX REGULA AURELIANI (cap. 38).

@ [Col. 1375C] *Si quis pro qualibet culpa.* Idem statuit S. Caesarius Arelatensis cap. 11: «Quae pro qualibet culpa admonetur, castigatur, corripitur, respondere penitus non praesumat.» Hoc capitulum in cod. Vind. nullum habet titulum. Si quis pro qualibet culpa aut transgressione Regulae increpatur, aut

@ [Col. 1375D] *Disciplinam accipit.* Id est, flagellatur. disciplinam accipit, arguenti respondere non praesumat, quia peccatum quod hic

@ [Col. 1375D] *Distringitur.* Id est, punitur, coercetur; hinc districtio, animadversio, coercitio, districtus, severus, rigidus, districtum examen. Et districtus, territorium in quo quis districtionis jus habet. II de Feudis, tit. 54: «Ad hoc quod allodium vendiderit, districtum et jurisdictionem imperatoris vendere non praesumat.» distringitur

@ [Col. 1375D] *In aeterna examinatione.* Examinatio hoc loco est supplicium, poena, damnatio. in aeterna examinatione non punitur. Et sic debetis animae

@ [Col. 1375D] *Curam.* Id est, *curationem.* curam excipere, quomodo aeger curam medici, tenentes illud sacrae Scripturae: *Qui abjicit disciplinam, infelix est* **(Sap. III)**; et illud: *Ego in flagella paratus sum* **(Psal. XXXVII)**.

[Col. 1376A]

§ XVIII.---EX REGULA TARNATENSI (cap. 5).

@ [Col. 1375D] *Pro qualibet etiam culpa.* Lege: *Pro qualibet etiam culpa qui qualibet aspera fuerit increpatione correptus.* Quanta autem disciplina et correptio facienda sit, lege tractatum S. Cypriani de Disciplina, et sermonem S. Valeriani episcopi Cemeliensis de Bono disciplinae. In cod. Vind. hoc capitulum attribuitur Aureliano. Male. Pro qualibet etiam culpa qualibet aspera fuerit increpatione correptus, respondere nefas judicet arguenti. Sed humiliando se emendationem delicti doceat secuturam; quia Deus humilibus daturum se gratiam repromisit **(I Petr. III)**.

§ XIX.---*Item* (cap. 8).

@ [Col. 1376C] *Increpare junior non audeat seniorem.* Optima institutio, ut non detur licentia junioribus spernendi seniores. Increpare junior non audeat seniorem: sed si extra Regulam

@ [Col. 1376C] *Aliquid fieri aut factum esse.* A seniore videlicet. aliquid fieri aut factum esse cognoscit, abbati est aut praeposito reservandum, ut correptione regulari quod

reprehenditur, corrigatur. Quaecunque ab aliquo
@ [Col. 1376C] *Absque testibus.* Id est, secreto, nullis videntibus. Rutilius in itinerario:

Quod soli nullo vivere teste volunt. absque testibus
@ [Col. 1376C] *Ammittuntur.* Recta lectio, pro *admittuntur,* ut *ammirari* pro *admirari,* ammonere pro *admonere, ut supra notatum est.* ammittuntur, si ad abbatis notitiam
@ [Col. 1376C] *Pervenerit.* Nempe ille qui in Regulam peccavit. pervenerit, secretius emendetur. Si omnibus innotuerit, coram omnibus est reus
@ [Col. 1376C] *Amissi.* Lege, *ammissi,* id est, *admissi.* amissi criminis arguendus.

[Col. 1376B]

§ XX.---EX REGULA SANCTI COLUMBANI.
@ [Col. 1376C] *Si cui injunxerit abbas.* Haec videre est in Poenitentiali ms. S. Columbani cod. Flor. Si cui injunxerit abbas aut praepositus de fratribus iter agere, ita observandum est, ut seniori junior obediat; si tamen rectum fuerit quod ei indicaverit, observare studeat.
@ [Col. 1376C] *Si quid praeceperit abbas vel oeconomus major.* Sensus est: Si abbas vel oeconomus major praeceperit aliquid, et alter oeconomus infirmior iteraverit, id est, rursus aliud imperaverit fratri, ipse frater debet majori obedire, indicans illi submissa voce sibi aliquid imperatum fuisse ab abbate vel majore oeconomo. Si quid praeceperit abbas vel
@ [Col. 1376D] *Oeconomus major.* Per oeconomum majorem hic videtur intelligi praepositus monasterii, qui secundus est ab abbate. Olim enim praepositi, ut supra notatum est, in multis monasteriis negotia exteriora tractabant tanquam oeconomi, et necessaria monachis distribuebant. oeconomus major, et alius humilior iteraverit oeconomus, ipse obedire debet, indicans tamen in silentio quod praeceperit alius major. Infra monasterium vero
@ [Col. 1376D] *Nullus tamen alio imperio praecellente imperet.* Id est, nullus ita imperet, ut velit mandatum suum abbatis imperio anteponi. nullus tamen alio imperio praecellente imperet, nisi qui praeest.

CAPUT LXXVII. DE ZELO BONO QUEM DEBENT MONACHI HABERE.

[Col. 1377A]

§ I.---EX REGULA SANCTI BENEDICTI.
@ [Col. 1377A] *Sicut est zelus amaritudinis.* Quia inter eos qui simul vivunt invidia facile obrepere potest, ideo hoc ultimo eam capite fugiendam monet S. Benedictus; proponit ergo duplicem zelum, unum malum, alterum bonum. Hic vero notandum zelum proprie apud veteres invidiam significare. Etymologici veteris auctor: Ζῆλος ὁ φθόνος, id est, «zelus invidia.» Dicitur παρὰ τὸ ζέω καὶ λίαν. θερμὸς γάρ ἐστιν λίαν. Id est, «a verbo ζέω, id est ferveo, et λίαν, id est nimis, est enim invidia calida nimis, vel quod faciat animam ardere intus.» ἢ ἀπὸ τοῦ ζάλη ζάλος καὶ ζῆλος. ὁ γὰρ ζῆλος ζάλην ἐμβάλλει

εἰς τὸν· ἄνθρωπον «vel a ζάλη, id est tempestas: nam invidia homini tempestatem immittit,» docet idem Etymologici auctor. Et recte sane quia invidus, semper furiarum facibus inflammatus, nunquam quiescit. Unde praeclare S. Cyprianus eleganti illa oratione de zelo et livore: *Zelo excaecante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur:* instat superbia, exacerbat saevitia, perfidia praevaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit. Nihilominus *zelus in sacra Scriptura et sanctis Patribus est nomen indifferens, modo bonae, modo adversae significationis:* bonae, ut psal. LXVIII: *Zelus domus tuae comedit me;* adversae, I Cor. III: *Cum sit inter vos zelus et contentio.* Bonus zelus a S. Ambrosio lib. II de Officiis cap. 3, zelus Dei dicitur, malus vero humanus: «Sit ergo inter vos, inquit, Dei zelus, non iste humanus, quem invidia generat.» Ubi distinguit zelum humanum ab invidia, ita ut iste zelus addat aliquid invidiae sitque vehemens quidam animi motus, quo quis inardescit adversus proximi bonum: quem S. Benedictus vocat zelum amaritudinis S. Jacobum secutus, qui in sua Epist., cap. 3, appellat, *zelum amarum.* Vulgo tamen ista vocabula confunduntur. Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo et ducit ad infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitio et ducit ad Deum et ad vitam aeternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi.

@ [Col. 1377C] *Id est, ut invicem se honore praeveniant.* Octo enumerat effectus boni zeli, quibus docte explicatur in quo consistat ejusmodi zelus. Primus ergo est, ut fratres se invicem honore praeveniant, quia invidus proximi sui honore maxime cruciatur. Id est, ut honore se invicem praeveniant,

@ [Col. 1377C] *Infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent.* Quia invidus, etsi semper malo laetetur alieno, tamen ex illo occasiones contentionum et rixarum quaerit, nec unquam pacem habet cum proximo. «Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convicia, manus ad caedis violentiam prompta, etiam si a gladio interim vacua, odio tamen furiatae mentis armata,» inquit S. Cyprianus oratione citata. Sed qualis sit ejusmodi zelus satis declarat S. Jacobus capite citato: *Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.* At contra, juxta Apostolum: *Charitas omnia suffert, omnia sustinet, et ex aliorum infirmitate proficit;* quod praeclare docet S. Leander, cap. 16 libri de Institutione virginum: «Etsi interdum pro varietate voluntatum oriatur quaedam congregationi simultas, et nonnunquam murmuriis carnalium tristentur spiritales, non tamen deerunt, quas in actibus bonis imiteris. Et certe tolerare carnales probatae virtutis est, imitari vero spiritales spei est maximae. Erudiunt carnales spiritalium patientiam: et dant, quae sanctae sunt, bonarum documenta virtutum: ac sic animae proficienti utraeque sunt utiles, et quas patienter tolerat, et quas imitatur suaviter. *Libenter,* inquit Apostolus, *sustinetis insipientes, dum sitis sapientes* **(I Cor. XI)**. Et ipse idem dicit: *Debetis enim vos, qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum sustinere, et non vobis placere.* Unusquisque autem proximo suo placeat in bonum ad aedificationem **(Rom. XIII)**.» At contra invidus nihil ex aliorum virtute proficit, qui etiam ut ei virtus aliena multum officiat, efficit; alterius meritum in sui tormentum. medicamentum in venenum convertens, ut praeclare docet S. Cyprianus oratione citata: «Qualis vero est animae tinea, quae cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere; illustrium prosperitate

torqueri, aliorum gloriam facere suam poenam; velut quosdam pectori admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiae ungulis pulsent.» Et Prosper Aquitanicus lib. III de Vita contemplativa, cap. 5: «Quis facile potest quale sit hoc malum verbis exprimere, quo invidus odio hominis persequitur divinum munus in homine; cum potius amari homo debeat pro sui meriti sanctitate? Tantos invidus habet poena justa tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores.» infirmitates suas, sive corporum, sive morum, patientissime tolerent:

@ [Col. 1378C] *Obedientiam sibi certatim.* Ut cap. 17. obedientiam sibi [Col. 1378A] certatim impendant.

@ [Col. 1378C] *Nullus quod sibi utile judicaverit sequatur.* Quia charitas non quaerit quae sua sunt, inquit Apostolus, ac proinde non appetit aliena; nec alienae invidet prosperitati, quae non suam sed alterius quaerit utilitatem. Nullus quod sib utile judicaverit, sequatur, sed quod

@ [Col. 1378C] *Magis alio.* Ita in cod. S. German. ma. magis alio; charitatem fraternitatis casto impendant amore: Deum timeant:

@ [Col. 1378C] *Abbatem suum sincera et humili charitate diligant.* Quod non facit invidus, qui eo difficilius alteri subjicitur, quo magis alterius invidet honori: «Hinc vinculum pacis rumpitur, inquit S. Cyprianus oratione citata, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad haereses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre praepositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de aemulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris inimicus.» Sincera autem charitas est verba non facta [verbo ac facto?] humilis, quae cum timore conjuncta est, ut non degeneret in insulsam familiaritatem. abbatem suum sincera et humili charitate diligant:

@ [Col. 1378D] *Christo omnino nihil praeponant.* Quia malo zelo «magisterium Christi negligitur,» inquit S. Cyprianus supra. Christo omnino nihil praeponant, qui ad vitam aeternam perducat.

@ [Col. 1378D] *Amen.* Deest in cod. S. German. ma. Amen.

§ II.---EX REGULA SANCTI BASILII (cap. 38)

@ [Col. 1378D] Interrog. 162 Regulae; Rufin., cap. 31..

Interrog. Qualem debemus habere charitatem ad [Col. 1379A] invicem?---*Resp.* Qualem Dominus ostendit et docuit dicens: *Diligite invicem, sicut et ego dilexi vos, majorem autem charitatem nemo habet quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis* **(Joan. XV)**. Si autem et animam poni oportet, quanto magis in aliis votum et studium debet ostendi, sine dubio non secundum humanas voluntates, sed secundum illum prospectum, in quo est commune omnium propositum placendi Deo.

§ III.---*Item* (cap. 39).

Interrog.

@ [Col. 1379B] *Quomodo poterit quis.* Habetur apud S. Basilium, interr. 163 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 31. Quomodo poterit quis implere charitatem erga proximum?--

-*Resp.* Primum quidem metuens judicium praevaricantis mandatum Domini, quia ipse dixit: *Qui non crediderit Filio,*
@ [Col. 1379B] *Non habebit vitam.* Apud S. Cyprianum, lib. II contra Judaeos, legitur, *Non habet vitam;* in textu Graeco tamen, Οὐκ ὄψεται τὴν ζοὴν, id est, ut in Vulgata editione: *Non videbit vitam. non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum* **(Joan. III)**. [Col. 1379B] Tunc deinde velut cupiens ad aeternam vitam pervenire, *Quia mandatum ejus vita aeterna est.* Primum autem et magnum mandatum est: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua,
@ [Col. 1379C] *Et ex tota anima tua.* Luc. X. Haec non sunt in textu Graeco Basilii, sed *ex toto corde tuo,* ex tota mente tua, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, id est, *ex tota fortitudine tua.* Sed ex locis Lucae, Matthaei et Deuteronomii VI, unam confecit sententiam, citans ex memoria, non ex codice. *et ex tota anima tua* **(Luc. X)**; *secundum vero simile illi:* Diliges proximum tuum sicut teipsum **(Matth. XXII)**. Et si quis desiderat similis effici Domino dicenti: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et dilexi vos* **(Joan. XIII)**. Sed ex communi consensu sentire hoc debemus, quasi beneficium consequamur a fratre; in eo quod diligimus fratrem, [Col. 1380A] debitores ei efficimur, ut eo merito diligamus quod etiam inter gentiles observari solet, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? quia et peccatores et gentiles diligentes se diligunt* **(Luc. VI)**. Si autem in aliquo vel laedit nos vel adversetur quis, hunc non solum propter mandatum, sed et propter hoc ipsum quod plus nobis praestat in quo laedit, diligere debemus. Si quidem credimus Domino dicenti: *Beati estis, cum exprobrabunt vos, et persequentur, et dicent omne malum adversum vos mentientes propter me:* gaudete et exsultate, quia merces vestra magna est in coelis **(Matth. V)**.

§ IV.---*Item* (cap. 40).[Col. 1380B]

Interrog.
@ [Col. 1380B] *Quomodo intelligitur.* Habetur apud S. Basilium, interrog. 165 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 45. Nullus autem titulus erat in codice, sed reposui, juxta rationem quam auctor Concordiae persequitur, in serie capitulorum S. Basilii. Quomodo intelligitur quis si zelo Dei moveatur adversus fratrem, aut a propria iracundia?---*Resp.* Si ad omne peccatum fratris, patitur illud quod scriptum est:
@ [Col. 1380C] *Consumpsit me zelus domus tuae.* Aliter in textu Graeco, ἐξέτηξέ με ὁ ζηλός σου, id est, *tabescere me fecit zelus meus.* Psal. CXVIII. Sed Rufinus initium hujus versiculi sumpsit ex psalmo LXVIII. *Quoniam zelus domus tuae comedit me. Consumpsit me zelus domus tuae, quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici.* Manifestus est enim in hoc Dei zelus. Verumtamen etiam in his oportet
@ [Col. 1380C] *Prudenter dispensari.* Ita etiam apud Rufinum; sed in textu Graeco additur, πρὸς οἰκοδομὴν πίστεως, id est, «ad aedificationem fidei.» prudenter omnia dispensari. Si ergo hunc affectum etiam antea non habuit in animo suo, motus suos sciat magis ex passione quam ex Deo descendere, et in nullo posse officium pietatis implere.

S. BENEDICTI ANIANENSIS EPISTOLAE.

EPISTOLA PRIMA. AD MONACHOS ANIANENSES. *Scripta in extremis.* [Mabill., *Act.* ord. S. Bened., saec. IV, pag. 216.]

Summae in Domino beatitudinis ac felicitatis Georgio monasterii Aniani abbati, et cunctis filiis ac fratribus nostris bene et vigilanter sub norma Patris degentibus Benedicti, ultimus omnium abbatum Benedictus optat jam in extremis positus salutem.

Super omnibus igitur quae meum ardent animum, et prae cunctis curam inquirunt rebus, hoc est quod de vestro maxime sollicitor vitae regularis ordine. Nempe nequaquam ullo modo ignoro vos nobiliter desudare, et nostri fidelissime fore memores, neque ullo indigere adhortationis verbo. Verumtamen in ultimis constitutus, ignorans utrum jam vos videre queam, urgenti erga vos charitate animum, nonnulla tam per fideles verba amicos quamque per epistolas curavi dirigere. Denique ipsi nostis qualiter totis quantum valui nisibus, quandiu potui, et [Col. 1380D] vitae et exhortationis exempla monstravi sollicitus vobis. Nunc, fili mi [*Al.,* Filium Dei], precor, et per ipsum testor Deum, ut unanimes in charitatis nexu idem sitis sapientes, neque ullos, quos vel mecum adduxi, vel alicubi propter aliquod exemplum aut pro aliqua re misi, quasi habeatis extraneos: sed quicunque ad vos iterum ex illis reverti voluerit, et regulariter vobiscum versari, pie benigniterque velut fratres recipite, ut decet. Deo enim gratias, non deerit vobis corporale subsidium. Omnibus autem generaliter, maxime vero illis quos nobis in amicitia junctos nostis, diligentissimum semper attendite affectum, et ut potestis, aliis pauperioribus quae supersunt vobis necessaria monasteriis ministrate. Abbati quoque Modario de monasterio [Col. 1381A] sancti Tiberii auxilium, in quibus indiguerit, ferte; et de his et de aliis, veluti in vita nostra, magis autem post mortem agite meam. Sicut ergo multa monasteria dudum vitiata jam aliquid emendationis a nobis accepisse videntur largiente Deo, ita omnimodis nunc cavete, ne (quod absit te posco, misericors Domine) sinistram viam. . . . . scilicet queant ullo tempore tenere. Monasterio vero Indae velut fratribus estote juncti unicis. Helisacar quoque, qui prae omnibus super terram omni tempore vobis exstitit amicus fidelissimus canonicorum, et fratres ipsos in eo habetote semper loco, et ad eum semper sit refugium vestrum. Sed vobis ita nunc suggero, quia ignoro utrum in praesenti vos videam saeculo. Jam septimo Idus Februarii acerbissimo, dante misericordia Christi. . . tactus [Col. 1381B] verbere, nihil aliud quam ultimum celeri (*sic*) exspecto diem vocationis.

[Col. 1381B]

EPISTOLA II. AD NIBRIDIUM ARCHIEPISCOPUM. [Hug. Menard., *Conc.* Regul.]

Venerabili in Christo Patri

@ [Col. 1381B] *Nibridio archiepiscopo.* Narbonensi. Fuit enim illis temporibus Nibridius archiepiscopus Narbonensis. Forte idem est cum Nibridio eremita, de quo supra agitur in Vita S. Benedicti Anianensis. Illius mentio fit in concil. Arelatensi sexto sub Carolo Magno. «Igitur cum haec attentius agerentur, venerabiles missi gloriosissimi ac piissimi domini nostri Joannes Arelatensis ecclesiae archiepiscopus, necnon et Nibridius Narbonensis sedis archiepiscopus steterunt in medio concilii. In Hispaniam profectus est ad convellendam haeresim Felicianam, ut videre est in epistola Alcuini ad illum, et alios, ubi male legitur, *Nefridio.* Nibridio archiepiscopo Benedictus ultimus omnium

abbatum abbas sempiternae felicitatis salutem opto.

@ [Col. 1382B] *Eia, vir Dei, etc.* Hac epistola S. Benedictus obitum sibi imminentem commendat, suosque amicos et monachos Anianenses. Eia, vir Dei, parcat modo charitas, ac dilectio, [Col. 1382A] seu benevolentia, qua semper modo, in quantum potes, sive per temetipsum, seu familiares et amicos, [

@ [Col. 1382C] *Necnon.* Redundat. necnon] per omnia monasteria, quocunque potueris transmittere, ut orationes tam in psalmis quam in missis pro me ad Dominum fundere non cessent, quia modo valde mihi necessarium est. Scito, Pater dilecte, quia jam in extremis pugno, ad finem curro, jam anima a corpore separatur, et in hac luce oculis corporeis te minime videre spero. Ille qui potest facere de immundo mundum, de peccatore justum, de impio justum, faciat nos pariter regno perfrui sempiterno, ibique cum omnibus sanctis cantare canticum novum. Supplico, *charissime Pater,* ut sicut

@ [Col. 1382C] *Mercedem.* Id est, curam. mercedem habuisti semper de fratribus, qui degunt in monasterio Aniano, ita semper, dum anima a corpore egredietur, melius ac [Col. 1382B] melius habeatis in vestra sancta dilectione. Omnes illis in partibus amicos, familiares, et propinquos commendo.

@ [Col. 1382C] *In monasterio quoque nostro.* Aniano. In monasterio quoque nostro totis nisibus, sic credo, facietis arguendo, obsecrando, increpando, ut libera voce cum Psalmista aliquando dicere valeatis: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo:* veritatem tuam et salutare tuum dixi. Jam omnia in charitate et discretione agite; vosque Trinitas sancta custodiat, et praemia largiatur aeterna. Amen.

S. BENEDICTI ANIANENSIS OPUSCULA.

I. *Testimoniorum nubecula de incarnatione Domini, sancta et individua Trinitate et iteratione baptismatis devitanda pernicie.* [Col. 1381D] **(Baluz. Miscellanea sacra, tom. II, pag. 85.)**

Benedictus filio Guarnario salutem.

Nubem hanc testimoniorum catholicae fidei direxi tibi, quoadusque Domino favente redeam, tuae memoriae commendandam ne otio torpeas, sed magis magisque provectu orthodoxi dogmatis fulciaris, quo tibi et aliis mente ac spiritu sufficiens esse possis; quatenus de indicis sagaciter strenuus, juxta testimonium Joannis evangelistae testis existens idoneus, refellendo scilicet detestandam Felicianam haeresem nuperrime redivivam, inquiens ita: *Haec autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quid ad haec dicitis, insani, quia garritis Jesum Christum Filium non esse Dei, dum iste evangelista dilectus et a Deo electus dixerit hanc sibi esse occasionem scribendi hoc Evangelium ut crederent quia Jesus est Christus, Filius Dei; ille, inquam, qui ab angelo nuntiatus est, et nomen illi impositum est Jesus, dum venit ad virginem [Col. 1382D] dicens: *Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Hic utique Jesus, qui natus est ex virgine Maria, Filius est Dei, sicut testatur iste evangelista, ut et omnes in hac fide vitam possint habere sempiternam in nomine ejus. Quid de vobis aestimandum est qui eum non creditis Filium esse Dei verum, sed adoptivum, nisi forte ut nunquam habeatis vitam aeternam? Dicunt itaque

assumptionem et adoptionem unum esse, et Jesum Christum, secundum quod homo est, propter assumptionem humanitatis necessario adoptivum esse, non intelligentes quanta est haec absurditas quae sequitur eos. Nam si adoptivus est propter assumptionem, igitur Filii persona adoptiva est, quia Filius assumpsit hominem; et est tunc nepos Deo Patri: quod quam impium sit [Col. 1383A] nullus aestimo fidelium ignorat; quod etiam abdicandi naevo in potiori nube testimoniorum, quam penes me habeo, plenius, cum venero, imo abundantissime lectitabis. Interdum et semper doceto Jesum esse Christum Filium Dei verum in utraque natura. Quia sicut Filius Dei vere est filius hominis, ita filius hominis vere est Filius Dei. Errare autem haereticos haec maxime causa facit, dum aut ignorant aut nolunt advertere in Domino Jesu Christo, sicut unam personam, ita esse duas substantias, Deum ex Deo Patre, et hominem ex homine matre, et quae de se ipse Dominus secundum dispensationem carnis assumptae loquitur deputant divinitati; ut est illud: *Pater major me est;* et illud: *Jesus fatigatus ex itinere;* vel illud: *Flevit Lazarum;* vel [Col. 1383B] alia hujusmodi quae leguntur. Quod si vellent, pulchre ostendit quod Deus ex duabus naturis est, advertere illud Apostoli, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi;* vel illud Evangelii, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, non dubitarent, ut superius dictum est,* confiteri in una persona duas esse substantias, et ubi audiunt, *Pater major me est, secundum humanitatem acciperent;* ubi vero audiunt, *Ego et Pater unum sumus, secundum divinitatem dictum non dubitarent, sicut ex ejus operationibus datur intelligi.*

Secundum hominem enim esurivit, ut veram carnem ostenderet. Secundum autem Deum de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, ut se Deum virtutibus approbaret. Secundum hominem [Col. 1383C] sitivit, sed secundum Deum Samaritanam viva aqua refecit. Secundum hominem navem ascendit, sed secundum Deum siccis pedibus super mare ambulavit. Secundum hominem in navi dormivit, sed secundum Deum ventis et fluctibus imperavit. Secundum hominem in cruce pependit, sed secundum Deum paradisum latroni donavit. Secundum hominem passus mortem gustavit, secundum vero Deum semetipsum a mortuis suscitavit. Si haec et similia vellent sapienter discernere, et unicuique substantiae quod suum est deputarent, facile poterant rectae fidei cursum tenere, et non pro ejus beneficiis, quae pro nobis redimendis in forma servi suscepit vel passus est, divinitati ejus contumelias irrogarent, et ubicunque legunt in Scripturis secundum humanitatem [Col. 1383D] aliquid quod minus loquatur divinitas, sed pro dispensatione carnis assumptae hoc protestetur humanitas, naturae unicuique propria recognoscerent, et divinitatis aequitatem derogare desisterent. Nam nos, sicut eum Deum legimus, ita nec majorem nec minorem Deum usquam legimus, nec credere religiosa mente debemus. Sed ad haec Arianus persistit et dicit: Fieri non potest ut non Filius minor Patre credatur. Apud homines ideo minorem filium generat pater quia et ipse minor est generatus a patre. Idcirco crescente filio pater senescit, et moriendo patre filius succedere comprobatur, et melior ac potentior patre nonnunquam efficitur. Apud Deum vero non ita est: quia ubi crescere vel senescere [Col. 1384A] divinitas non habet, hoc est dignum ut filium dilectio habeat aequalem, quia non potest (pati) plenitudo minorem. Ideoque perfectus perfectum generat, omnipotens omnipotentem, plenus plenum. Et quia aetatis incrementum non habuit, minorem generare non potuit. Sed omnino qualis est Pater, talem et Filium esse cognosce, sicut ipse dicit: *Qui me videt, videt et Patrem;* et alibi: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem,*

qui misit illum. Sed forte, quia audis missum, ideo putas minorem? Rogo te, Deum credis esse Filium, an non? Sine dubio responsurus es, Deum. Quia etsi tu negare volueris, sanctis Scripturis convinceris, dicente Apostolo: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula;* et Joannes in Epistola sua: [Col. 1384B] *Ut* simus, inquit, *in vero Filio ejus, qui est verus Deus et vita aeterna;* et Thomas: *Deus meus, inquit, et Dominus meus;* et Melchisedech summus sacerdos: *Benedictus,* inquit, *Abraham Deo excelso, qui creavit coelum et terram.* Vides quia non solum Deus, sed Deus excelsus, Melchisedech vocibus comprobatur. Testis est et Osee propheta dicens: *Firmans coelum et creans terram, ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam coeli.* Si ergo Deus est Filius, imo quia Deus est, quia per ipsum facta sunt omnia, et non solum non minor sed excelsus Deus, interrogo te utrum Deus ubique sit, an forte localiter, cum impium sit negare quod ubique sit Deus. Et si ubique est, quaeso te, ubi missus est? Sed missionem Filii incarnationem ejus [Col. 1384C] intellige, ipso Apostolo exponente: *Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Denique de ipso legimus in Propheta: *Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus;* et evangelista: *De* plenitudine, inquit, *ejus nos omnes accepimus.* Et si omnia ipse implet, ubi missus est eujus majestate plena sunt omnia? Sed adhuc forte dicis, sicut habet carnalis intellectus, inter gignentem patrem et genitum filium non potuisse fieri nisi ut aliquod fuisset spatium: spatium horae faciunt, horae tempus designant, ac sic si tempus anteponis filio, non omnia per ipsum facta fateris. Et ubi est illud: *Omnia per ipsum facta sunt.* Certe secundum tuam propositionem respondeo, qui dicis fuisse Patrem aliquando sine Filio. Utique legimus pariter [Col. 1384D] in Apostolo, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Et ipse de se Dominus loquitur: *Ego sum via, veritas et vita.* Si ergo fuit Pater sine Filio, sicut tu dicis, fuit sine virtute, fuit sine sapientia, fuit sine vita, fuit sine veritate. Sed quia sine his nunquam fuisse Pater credendus est, hoc convenit saluti tuae ut juxta fidem catholicam consempiternum Patri et aequalem Filium fatearis, quia et virtus ejus legitur sempiterna, dicente Apostolo: *Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.* Similiter et de veritate ejus, dicente Psalmista: *Et veritas Domini manet in aeternum.* Solent etiam istam velut quaestionis calumniam generare. In tantum, inquiunt, major est Pater ut priori semper nominetur loco. Etiamsi priori semper [Col. 1385A] loco nominaretur, valde videbatur esse conveniens; quia ex ipso est Filius, non ille ex Filio. Tamen ut aequalitatem agnoscas, audi in Scripturis, ubi etiam prior Filius nominatur. Joannes evangelista ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In Verbo itaque Filium indicavit. Et Apostolus ad Ephesios: *An nescitis quia omnis fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et Dei? Ecce et hic priori loco Filius nominatur.* Et ad Galatas Paulus apostolus: *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem.* Et ad Thessalonicenses: *Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus Pater, quia dilexit nos.* Ad Corinthios: *Secundum gratiam Domini* [Col. 1385B] nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis. Et ipse Dominus dicit: *Ego et Pater unum sumus.* Non dixit, *Pater et ego.* Et alibi: *Qui me videt, videt et Patrem.* Et iterum: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Ecce quoties priori loco Filius nominatur. Sed quia in Patre et Filio aequalitas est, nullum praejudicium nec ante nec postea nominatus alteri poterit exhibere; quia nulla est diversitas ubi est aequalis in utroque divinitas. Sed ideo sic legimus quia humana

locutio aliter se non valet expedire nisi ut cum unum dixerit, sic alterum dicat. Ecce ut agnoscant quia ibi nihil majus minusve est, cesset quaestio de Patre anterius nominato: quia ubi una est substantia, una deitas, et incorporalis immensitas, [Col. 1385C] nulla est disparilitas vel diversitas aestimanda. Ubi enim unus Deus creditur, ibi minor et major excluditur. Nescit enim numerum unitas, gradum non admittit aequalitas, sicut scriptum est: *Non ascendes per gradus ad altare meum.* Et ideo auferat contentionem et teneat cum catholica inseparabilem Trinitatem sine permixtione conjunctam, sine separatione distinctam; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus Deus verus, plenus, et unus est. Ipsa enim per se ratio docet quia unus nec posteriorem recipit nec priorem, comparationem vel separationem nescit habere qui solus est, minor non potest esse qui plenus est; quia perfectioni nec addi quidquam nec minui post. Credantur ergo tres personae, sed [Col. 1385D] non tres substantiae, tres proprietates, sed non tres potestates. Ita una sine principio sempiternitas, sicut una sine fine majestas. Sine auctore Pater, sine tempore Filius, sine majore Spiritus sanctus. Nos enim catholici Dominum Deum nostrum Jesum Christum et minorem dicimus Patri et aequalem; minorem propter humanitatem assumtam, quia, cum in forma Dei esset, formam servi induere dignatus est. Aequalem vero dicimus propter deitatis sempiternitatem, qua ex Patre parte existens Filius consempiternus est Patri. Quare ergo nobiscum non confitentur aequalem, cum nos illis non negemus minorem? praesertim cum utrumque utrique in Scripturis sanctis legimus, dicente evangelista: *Propterea,* inquit, *quaerebant eum interficere* [Col. 1386A] Judaei, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Ecce impietas Judaeorum dicit aequalem, et non veretur dicere Christianus minorem? Et alibi idem Evangelista ait: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Aequalis enim honor nonnisi aequalibus exhibetur. Et alio loco idem dicit: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat.* Audi dicentem *quos vult, et aequalem eum Patri ac suae potestatis esse cognosce.* Et non dicas eum minorem, quia nusquam in Scripturis sanctis id reperies, sed sicut ipse Philippo dicit: *Qui me videt, videt et Patrem, et omnia quae Pater facit.* Vel illud: *Deus erat Verbum.* Et Apostolus, ut memoravimus: *Qui* est, inquit, *super* [Col. 1386B] omnia Deus benedictus in saecula. Non potest minor credi qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Et alibi Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Quare hoc? Quia nemo rapit nisi quod non habet. Ille ergo qui habebat aequalitatem, non est arbitratus rapinam; sed quam rebellis angelus assumere voluit per rapinam, Christus possidet per naturam. Quia vero est verus Deus audi beatum Joannem dicentem in Epistola sua: *Et* simus, inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo.* Hic est verus Deus et vita aeterna. Audis verum Deum, et praesumis dicere minorem, et non confiteris aequalem. Dicit etiam beatus apostolus ad Titum: *Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.* Nescio qua fronte [Col. 1386C] minor esse dicatur quem magnum Deum Apostolus profitetur. Hoc etiam perfidus error dicere solet, quod ubi in Scripturis legimus aut solum Deum aut solum altissimum aut solum sapientem, hoc non de Trinitate dici, sed de solo Patre accipi debeat: quod quam absurdum sit ita sentire de hoc uno testimonio convincatur. Dicit enim Apostolus: *Cognito soli sapienti Deo.* Non intelligunt quia non dixit *soli sapienti* Patri, sed *soli sapienti Deo, quae est Trinitas.* Nam dum soli Patri hoc deputant, Filium insipientem blasphemant. Et quomodo eum Apostolus sapientiam Dei esse dicit si solus Pater est sapiens, cum nullus sapiens possit esse nisi per sapientiam suam? Et ubi est

illud quod ad Colossenses idem Apostolus protestatur de Christo Jesu, *in quo* [Col. 1386D] sunt omnes, inquit, *thesauri sapientiae et scientiae absconditi? Unde agnoscant quam stultum sit quod proponunt.* Et ubicunque aliquid similiter legunt, non uni personae deputant, sed beatae Trinitati, quae sola summus Deus et verus est. Nam et de Spiritu sancto sic dicit Apostolus: *Alii quidem datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae, secundum eumdem Spiritum.* Si ergo per Spiritum sanctum, sicut verum est, et sapientiae et scientiae sermo donatur, quomodo solius Patris personae hoc potest ascribi quod solus sit sapiens, nisi, ut dictum est, aeque vere Trinitati ista conveniant? Solent etiam dicere: Ideo minor est Filius quia visibilis, Pater autem invisibilis. Non intelligunt quia nec Filius in substantia [Col. 1387A] deitatis suae sit visibilis, nisi in assumpto homine, qui et Christus dicitur. Nam Filius Dei, id est, Verbum quod erat in principio Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia, videri in sua substantia non potest, sicut nec Pater in substantia sua. Interrogo autem sine sui injuria illum ipsum qui dicit quod visus sit Filius Dei, utrum animam suam visibilem an invisibilem fateatur, et cum dixerit invisibilem, sicut et verum est, dicatur ei: Si creatura, id est anima tua, invisibilis est, creator utique Deus, creator universitatis, quomodo potuit esse visibilis? Sed ideo induit carnem, quae videri potuit, quia deitas ab homine videri non potest. Hac carne major est Pater et aequalis Verbo, major carne, aequalis ei per quem fecit nos, major eo qui factus [Col. 1387B] est propter nos. Nam quod Deus sit Filius, licet multa testimonia superius posita evidenter perdoceant, tamen adhuc pauca credidi subjungenda. In Genesi scriptum est: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Ecce hic Deum agnosce, quia et hominem ipse creavit. Et Isaias dicit de Joanne praecursore Domini: *Rectas facite semitas Dei nostri.* Cujus Dei nisi utique Filii, quem in carne venisse non dubitamus? Et paulo post: *Confortate manus dissolutas, et genua debilium roborate.* Dicite, pusillanimes: Ecce Deus vester in fortitudine veniet, et salvabit vos, et tunc aperientur oculi caecorum: quod utique in adventu Christi completum esse cognoscimus. Psalmista etiam dicit: *Omnes gentes quascunque fecisti venient et adorabunt coram te, Domine,* [Col. 1387C] quoniam magnus es et faciens mirabilia, tu es Deus solus. Non puto aliquem esse tam impium qui neget Filium Dei et mirabilia fecisse et universas gentes creasse, nisi forte Judaeos. Et alibi Isaias, cum adventum Christi per virginem nuntiat, dicit inter caetera: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis.* Sed et beatus apostolus: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Et ut agnoscas Deum esse Christum, sic alibi dicit: *Omnes stabimus ante tribunal Dei.* Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu. Utique de Christo dicit, quem ad judicandum vivos et mortuos venturum esse credimus. Psalmista voces angelicarum faciens cum Christus ascendisset: *Tollite, inquit, portas principes vestras, et elevamini portae aeternales,* [Col. 1387D] et introibit rex gloriae. Illis quasi interrogantibus quis esset iste rex gloriae respondit: *Dominus fortis et potens, Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.* Et ne forte de Patre dictum putent, quomodo multa absurde intelligunt, audiant Apostolum huic versiculo consentientem: *Si* enim, inquit, *cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*

Cum tam praesentibus quam praeteritis testimoniis, quae de Scripturis sacris posita sunt, Deus esse Filius demonstretur, miror qua fronte eum aliqui minorem dicendo blasphemare non metuunt, cum nusquam omnino Deus minor esse legatur, nisi, ut dictum est, propter dispensationem carnis assumptae, in qua non solum ab angelis

minoratus est, [Col. 1388A] sicut dicit Apostolus, *Eum autem qui modicum quam angeli minoratus est vidimus Jesum propter passionem mortis, sed et matre sua junior invenitur, sicut jam diximus.* Secundum hanc ergo regulam duas in Christo crede substantias, Deum verum et hominem verum. Secundum hominem morti subditur, sed secundum Deum auctor vitae esse cognoscitur, dicente beato Petro: *Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis.* Secundum hominem: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* sed secundum Deum: *Potestatem habeo ponendi eam et iterum sumendi eam, et nemo eam tollit a me, sed ego eam pono a memetipso.*.

Hinc etiam occasionem calumniandi solent (accipere) quod Dominus in Evangelio dixerit: *Non* [Col. 1388B] potest Filius a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem. Quod carnalis sensus non intelligens ideo dictum ut se ex Patre esse ostenderet, putat Deum Patrem et Filium, quomodo inter homines fieri solet, velut ipse Pater artifex Filium suum artificium suum vult edocere, ut quod viderit Patrem operantem Filius specialiter imitetur. Quod quam absurdum sit de Deo Patre omnipotente ita credere, qui est incorporeus, invisibilis, inaestimabilis, et immensus, qui cordis oculos sanos habet evidenter potest agnoscere. Nam qui sic sentiunt, interrogandi sunt mundus iste quem cernimus a quo sit factus. Utique a Filio minime denegabunt, attestante evangelista et dicente: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Dicant ergo ubi vidit Filius Patrem [Col. 1388C] ante facientem alium mundum, ut sic postmodum ille istum crearet, praesertim cum apud potentiam Dei voluisse creasse sit, sicut legimus: *Ipse dixit, et facta sunt.* Sed sublato cordis velamine bene facerent credere Filium in Patre et Patrem esse in Filio, quia divinitas ubique tota et praesens tam Patris quam Filii, quam Spiritus sancti, sine se esse nusquam potest, sicut ipse dicit: *Ego in Patre, et Pater in me;* et cognoscerent quid sit videre Filii ut una est substantia, ita una voluntas, una potentia, una gloria, nihil ibi majus nihilque minus esse credentes. Si enim nos homines terreni quod facere volumus corpore animae nostro ante meditationis insinuatione praemissa, sapientia exsequente, perficimus, et quodammodo consilium innatum in mente nostra, [Col. 1388D] prius intus in corde agimus quod facere disponimus, quae tamen absque ulla participatione sensuum indissociabiliter una mens efficit, quomodo non Deus Pater sapientiae suae cum Deo Filio, quae est sapientia sua in se manente, quia ipse est, ut saepe diximus, sapientia et virtus Patris, et in una voluntate cuncta et una operatione perficit, et ea haec alia Pater facit, alia Filius? Sed eadem quae Pater facit, ipse et Filius facit, sicut ipse testatur: *Quaecunque,* inquit, *Pater facit, haec eadem et Filius similiter facit.* Sed ideo dixit: *Non potest Filius a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem, ut nos cognoscamus et credamus quia ex Patre est Filius, et non ex semetipso vel aliunde,* sed consempiternus [Col. 1389A] Patri, quia Pater in se est, semper perfectus exstitit. Nec enim aliquando, quomodo Ariani blasphemantur, fuit sine Filio Pater. Ergo imperfectus fuit. Ergo fuit sine Verbo, et sicut jam memoravimus, fuit sine sapientia, sine veritate, sine vita, sine justitia, sine virtute; quia istae omnes species divinitatis secundum Scripturas Filius esse noscuntur. Sed quia sine his virtutibus Patrem unquam dici fuisse blasphemum est, hoc justum est, convenit ut consempiternum et coaequalem Patri Filium fatearis. Si enim Deus in cordibus nostris, cum loquitur miro modo, loquitur sine sono, putas quomodo potest loqui Filio suo, qui est Verbum ejus? Sic ergo cogita, quod

incorporaliter locutus est Filio sicut et incorporaliter Pater genuit Filium. Nec enim sic [Col. 1389B] docuit quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum docuisse quod est doctum et scientem genuisse, et hoc est *Docuit* me Pater, quod est *Scientem genuit me Pater.* Quomodo autem a se nihil potest facere Filius, de quo Propheta testatur et dicit: *Deus autem in coelo sursum, et in terra deorsum, omnia quaecunque voluit fecit?*

Sed forte dicturus es hoc de Patre dictum. Redi ad evangelistam dicentem de Filio quia omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Qui etiam loquitur ad Moysen: *Vade,* inquit, *dic filiis Israel, Deus patrum vestrorum misit me ad vos.* Illo respondente et dicente: *Dic mihi nomen tuum, nam non credent mihi;* post haec adjiciens Deus dixit ei: *Vade, dic filiis Israel:* Ego sum qui sum, et qui [Col. 1389C] est misit me ad vos. Et ne de Patre dictum accipias, audi beatum apostolum huic loco consentientem et quodammodo ipsum testimonium exponentem ad Corinthios: *Dei,* inquit, *Filius, qui praedicatus est vobis per me et Silvanum et Timotheum, non fuit in illo Est et Non, sed Est in illo fuit.* Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est. Audi populum cum Moyse concordantem, et tu noli a fide catholica discordare. Nam si Ecclesiam catholicam interrogas de Patre quid sit, dicit: Deus. Si de Filio, dicit: Deus. Si de Spiritu sancto, dicit: Deus. Et tamen non dicit tres deos, ne gentibus comparetur, qui plures deos errore suo decepti confingunt, sed credit Scripturae dicenti tam Novi quam Veteris Testamenti, quia Deus unus est, et unus major, alter [Col. 1389D] minor non est, ut Ariani dicunt. Unus dici non potest major: aequalitas unitatem includit. Quomodo autem tres et unum credamus adverte. Unitatem facit aequalitas virtutum, trinitatem proprietas personarum. Audite quomodo ipse intelligendam aequalitatem suam et Patris docuerit. *Ego,* inquit, *et Pater unum sumus.* Aliud est *unum,* aliud *sumus.* Nam cum dicit *sumus, personas significat;* cum dicit *unum, substantiam divinitatis designat. Unum sumus, id est, justitia sumus eademque sapientia, virtus indivisa, par gloria.* Quae cum ita sint, contentio auferatur et fides integra teneatur.

Dicunt etiam: Ideo major est Pater quia et immortalis. Interrogandi sunt utrum Filium in substantia [Col. 1390A] deitatis suae mortalem esse fateantur. Quod si dixerint, quam contra rationem dicant omnis homo agnoscere potest qui etiam humanam animam immortalem esse non ambigit. Sed hoc eis dicendum, quod secundum carnem passus dicatur et mortuus; nam secundum divinitatem, qua semper exstitit et universa creavit, immortalis permaneat.

Dicunt etiam esse visibilem. Quod quam absurdum sit agnoscant qui hoc dicunt. Cum nec anima humana possit esse visibilis, quanto magis Deus in sua substantia? Sed ideo carnem assumpsit, quae poterat videri, quia deitas corporeis oculis non poterat intueri. Haec interim de aequalitate Patris ac Filii ad praesens dicta sufficiunt. Nam de aequalitate operum Trinitatis, id est, Patris et Filii et Spiritus sancti, [Col. 1390B] paulo post, donante Domino, de Scripturis sanctis monstrabimus.

Nunc vero de sancti Spiritus deitate pauca de multis testimoniis sunt ponenda; quem non solum minorem asserere, sed etiam Deum omnino dicuntur haeretici denegare. Audiant pauca de deitate Spiritus sancti. In Genesi dicit sermo divinus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas, hoc est, eminentia potestatis, non inopia necessitatis.* Et in

Evangelio: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Et ne forte de Patre dictum intelligas, et non de Spiritu sancto, audi quod sequitur: *Spiritus ubi vult spirat.* Audi *ubi vult, et suae potestatis eum esse non dubites.* Et Apostolus ad Corinthios dicit: *Divisiones gratiarum sunt,* idem [Col. 1390C] autem spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Et ut cognoscas ipsum Spiritum nominatum Dominum et Deum, audi inferius quomodo conclusit: *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum.* Alteri fides in eodem Spiritu, et reliqua. Et sic conclusit: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Qui divina munera *prout vult dispensat, legem superioris ignorat.* Agnosce tandem quia qui *prout vult dividit, nullis subditus esse probatur, sed suae potestatis esse dignoscitur.* De summa enim potestate descendit voluntas cui nulla contradicit auctoritas. Et ad [Col. 1390D] Hebraeos similiter dicit (de) Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem; et quis iste sit distributor ac divisor ad Romanos evidenter ostendit dicens: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei;* et ad Corinthios: *Nescitis,* inquit, *quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis, et reliqua.* Et quis iste Deus sit cujus templum prohibet violari ait in sequentibus: *Nescitis quia membra vestra templum est Spiritus sancti.* Et quis esset iste Spiritus sanctus, cujus templum essemus, sic concludens demonstrat: *Glorificate,* inquit, *et portate Deum in corpore vestro.* Agnosce Spiritum sanctum evidenter Deum, et desine blasphemare. Et in Actibus Apostolorum beatus Petrus ad Ananiam, qui Deo [Col. 1391A] voverat oblationem, et postmodum exstitit indevotus, sic dicit: *Quis compulit te mentiri Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ecce et hic eum evidentissime Deum esse beati Petri attestatio manifestat. Item ibi dixit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulum et Barnabam ad opus ad quod elegi eos.* Et beatus Paulus inibi dixit: *Attendite,* inquit, *vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit apostolos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.* Et quis esset iste qui apostolos segregat et mittit idem Paulus ad Corinthios declarat dicens: *Et* quosdam, inquit, *posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundum prophetas, tertio doctores, et reliqua.* Ecce ubi Spiritum sanctum Deum luce clarius demonstravit. Et quem in Actibus [Col. 1391B] Spiritum sanctum dixit, ad Corinthios Deum esse manifeste confessus est. Dicit enim idem vas electionis ad Judaeos: *Bene Spiritus sanctus de vobis prophetavit per os Isaiae prophetae.* Et quis esset iste Spiritus sanctus qui in prophetis locutus sit, beatus David exprimit dicens: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et beatus Petrus in Actibus apostolorum: *Ut* impleretur, inquit, *Scriptura quam praemisit Deus per os prophetarum suorum.* Et hic agnosce quod eum Deum evidenter declarat qui per os prophetarum locutus est, sicut Zacharias in Evangelio ait: *Benedictus,* inquit, *Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi suae.* Et post pauca ait: *Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum.* Agnoscis Dominum Deum esse Spiritum [Col. 1391C] sanctum, qui per os prophetarum locutus est. Quod nec impii Judaei denegant. Qui si Deus non esset, non in baptismo in uno nomine deitatis Patri et Filio sociaretur, sicut scriptum est ubi regulam baptismi posuit ipse Dominus. *Ite,* inquit, *baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quod solum testimonium deberet haereticis sufficere ad credulitatem inseparabilis Trinitatis, quia nec ipsi audent aliter baptizare, ne regulam Domini corrumpere videantur. Et ubi unum

nomen dicitur, ibi major et minor excluditur. Et in secunda Epistola ad Corinthios: *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Ut agnoscas Patris et Filii et Spiritus sancti unam esse substantiam [Col. 1391D] ac divinitatem, audi Isaiam prophetam dicentem: *Quis appendit tribus digitis molem terrae? Nam* et singulariter invenimus in Scripturis *digitum sanctum Spiritum nominatum.* Ut est illud in Evangelio ubi ait: *Si ego in digito Dei daemonia ejicio;* quod alius evangelista declarat dicens: *Si ego in Spiritu Dei ejicio daemonia.* Et magi Pharaonis victi signis dicunt: *Digitus Dei est.* In Pentecosten, quod etiam ante adventum Christi Judaei colebant, digito Dei, id est Spiritu sancto, inscriptas tabulas Moyses accepit; et quae tunc in lapideis tabulis praefigurata sunt corda durissima Judaeorum post ascensionem Domini in carneis tabulis, id est in cordibus discipulorum, visibiliter dignatus est apparere in ipsa specie ignis, in [Col. 1392A] qua Moysi in deserto apparuit: de quo credimus Isaiam dicere: *Dominus noster ignis consumens est.* Et sicut legimus quod nemo noverit cogitationes hominum nisi Deus, quomodo Spiritus sanctus non est Deus, quia etiam non solum in homine est, sed et quae inter sunt scire dignoscitur, dicente Apostolo: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et paulo post ita: *Quae Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.*

Sed forte dicit aliquis ideo minorem quia missus legitur? Et quid dicturus est cum legit in Isaia propheta ex persona Christi dicentis: *Dominus misit me et Spiritus ejus;* et alibi: *Spiritus Domini super me.* Propter quod unxerit me ad evangelizandum pauperibus remissionem et caecis visum, ut annuntiarem annum [Col. 1392B] placabilem Domini, et reliqua. Et ut scias evidenter de Domino dictum, evangelista dicit: *Cum venisset Dominus Jesus in synagoga, datus est ei liber Isaiae prophetae;* quem aperiens, invenit scriptum: Spiritus Domini super me, et reliqua quae supra diximus. *Et* post haec liquit, inquit, *librum et dedit ministro, et dixit:* Hodie in vobis impleta est scriptura ista. Credendum est mitti qui ubique esse dignoscitur, sicut dicit psalmista: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Sed sicut Filii missio incarnatio intelligitur, ita Spiritus sancti missio manifestatio declaratur, cum se dignatus est aut in columbae specie vel in igne aut diversis hujusmodi assumptis indiciis declarare.* Quomodo ergo minor credendus est qui etiam Deum, qui sicut ipse aequalis [Col. 1392C] est Patri, approbatur ad nostram remissionem misisse, et non solum misisse, sicut per Isaiam dictum memoravimus, sed etiam secundum carnem creasse, sicut habes in Evangelio angelum ad Mariam dixisse: *Spiritus,* inquit, *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et reliqua.* Non enim generatione, sed jussione et benedictione sancti Spiritus conceptus est Christus, sicut et alius evangelista ait: *Inventa* est, inquit, *habens in utero de Spiritu sancto.* Prophetae autem dicunt, ut cum frequenter jam memoravimus: *Haec dicit Dominus.* Et qui sit iste Dominus, Michaeas propheta evidenter ostendit cum loquitur ad Achab dicens: *Et si tu de praelio sanus redieris, in me non est locutus Deus.* Et quis iste Deus sit qui in prophetis locutus sit, [Col. 1392D] Paulus apostolus demonstrat cum dicit ad Judaeos: *Bene,* inquit, *de vobis Spiritus sanctus prophetavit per os Isaiae prophetae:* Vade, inquit, excaeca cor populi hujus, et reliqua.

Interrogandi sunt tamen haeretici cujus major offensa sit, qui in Patrem peccaverit, an qui in Spiritu sancto, quem dicunt Deum non esse. Et cum dixerint majorem offensam

esse qui in Patrem peccat, interrogandi sunt iterum filii Israel utrum peccaverunt Patri, an alteri. Cum responderint quia Patri peccaverunt, iterum interrogandi sunt si eis fuerint dimissa peccata. Utique non negabunt, quia et legimus quod conversi sunt ad Deum, et dimissa fuerint eis peccata. Deinde interrogandi sunt ut exponant [Col. 1393A] quomodo intelligant dictum a Domino: *Quicunque in Spiritu sancto peccaverit, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Si Deus non est, quare tam gravis ejus offensa a Domino esse dicatur?

Iterum interrogandi sunt si fuerint filii Israel contumaces Deo, an non. Cum non negaverint, quia nec possunt, dicendum est eis quomodo accipiant illud quod beatus Stephanus Judaeis exprobraverit dicens: *Vos semper resistitis Spiritui sancto, et semper ei contumaces fuistis, sicut et patres vestri.* Audi etiam ad Thessalonicenses, ubi Spiritum sanctum et priori loco ponit et Dominum nuncupat dicens: *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.* Diligenter adverte quia hic Spiritus sanctus oratur ut corda credentium dirigat in [Col. 1393B] charitate Dei et in patientia Christi.

Interrogandi sunt etiam quid majus sit, utrum coeli, an virtutes coelorum. Et cum sine dubio dixerint virtutes coelorum, dicendum est eis: In tantum Spiritus sanctus minor non est, sed summus est, ut Verbo Domini dicantur coeli creati, Spiritu sancto virtutes coelorum. Accipe adhuc ubi creator evidenter Spiritus sanctus describitur. Job dicit: *Spiritus divinus qui fecit me.* Et divinum utique et creatorem uno versiculo demonstravit, cum divinum appellat et Deum creatorem ostendit; sicut et David dicit: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

Interrogandi etiam sunt si creatura ubique esse potest an non. Et cum responderint quia non ubique, sicut et verum est, dicendum: Absque dubio [Col. 1393C] Spiritus sanctus Deus est, et non creatura, quia ubique esse describitur: de quo, sicut jam dictum est, Propheta omnipotentiam ejus metuens dicit: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Agnosce ergo nullum esse locum ubi non omnipotentia Spiritus sancti praesens esse probetur.*

Item interrogandi utrum possit alius praeter Deum peccata dimittere. Et cum responderint quia nullus nisi Deus, quia scriptum est, *Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus, dicendum est eis:* Sine dubio Spiritus sanctus Deus est, qui remissionem peccatorum conferre dignoscitur, sicut Dominus dicit: *Accipite Spiritum sanctum:* quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Qui etiam in baptismo cum Patre et Filio baptizatis remissionem tribuit peccatorum. [Col. 1393D] Audi etiam quod ad Corinthios jam dictum est: *Gratia,* inquit, *Domini nostri Jesu Christi, et charitas et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis.* Qui si non esset Deus et creatura esset, sicut blasphemant haeretici, nunquam in baptismo, ubi salus humani generis agitur, Patri et Filio copularetur.

Nam quod unius substantiae sit Pater et Filius et Spiritus sanctus Isaias propheta dicit, sicut jam memoravimus: *Quis appendit tribus digitis molem terrae? Quo loco per tres digitos in tribus personis unam substantiam esse perdocuit.* Quod Apostolus de Trinitate dictum intelligens ait: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Idem ex

Patre et Filio et Spiritu [Col. 1394A] sancto omnia continentur. Item ad Corinthios dicit idem apostolus: *Deus qui praedixit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in faciem Jesu Christi.* Quo loco manifestissime Trinitas intelligitur. In eo vero ubi dicit *in faciem Christi Jesu, Filius designatur.*

Audi adhuc quia Trinitas in unitate manet, et unitas in Trinitate, angelorum et archangelorum voces declarant in Isaia, ubi seraphim hymnum scribitur dicere, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, id est, ut tres personas et unum Deum intelligas.* Non semel dicunt, ne singularitatem credas; non singillatim, ne sanctum excludas; non *sancti domini dii Sabaothes, ne tres deos more gentilium fatearis;* sed dicunt *Sanctus, sanctus,* sanctus [Col. 1394B] Dominus Deus Sabaoth, ut Trinitas Deus laudetur, qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quem etiam Deum esse ex operationum aequalitate, qui oculos cordis sanos habet, facile poterit approbare, sicut in sequentibus demonstrabimus. Sicut salvat Pater, ita et Filius et Spiritus sanctus. De Patre *Salva* nos dicitur *et congrega nos de nationibus.* De Filio: *Venit filius hominis salvum facere quod perierat.* Et alibi: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* De Spiritu sancto ad Titum: *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis Spiritus sancti.* Sicut confortat Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Confortat me Deus deorum.* De Filio Apostolus: *Gratias ago Domino Jesu Christo, qui me confortavit, et fidelem me existimavit.* De Spiritu [Col. 1394C] sancto in Evangelio: *Puer autem crescebat et confortabatur plenus Spiritu sancto.* Vivificat Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. In Evangelio: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita Filius quos vult vivificat.* De Spiritu sancto in Epistola Petri apostoli: *Mortificatos carne, vivificatos autem Spiritu.* Et Paulus apostolus: *Littera,* inquit, *occidit, Spiritus autem vivificat.* Et in Evangelio: *Spiritus est qui vivificat.* Nam caro non prodest quidquam. Sicut liberat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Deus excelsus liberator eorum est.* De Filio in Evangelio: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos.* De Spiritu sancto: *Spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Elegit Pater, ita et Filius, ita [Col. 1394D] et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus: *Benedictus Deus et Pater Domini Jesu Christi, qui elegit nos ante mundi constitutionem.* De Filio: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum: *Cum ergo jejunassent et orassent, dixit eis Spiritus sanctus:* Segregate mihi Barnabam et Paulum ad opus ad quod elegi eos. Creator dicitur Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus. De Patre Apostolus: *Quae sit sacramenti dispensatio a Deo, qui omnia creavit.* De Filio ad Colossenses: *Quia ab ipso creata sunt universa, et omnia in ipso constant.* Et in Evangelio: *Omnia per ipsum facta sunt.* De Spiritu in Salomone: *Et vidit et dinumeravit et mensus est omnia, ipse creavit ea per Spiritum sanctum;* et in [Col. 1395A] Psalmo: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur;* et alibi: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sicut praedixit Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Deus autem, sicut praedixit pati Christum suum, implevit sic.* De Filio in Evangelio angelus dixit mulieribus: *Ite, annuntiate fratribus quia praecedet vos in Galilaeam.* Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. De Spiritu sancto in Actibus apostolorum Petrus loquitur: *Oportet impleri Scripturam quam praedixit Spiritus sanctus per os David.* Magnus Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Magnus Deus noster et laudabilis.* De Filio ad Titum: *Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu*

Christi. De Spiritu sancto in Regum ait Dominus ad Eliam: [Col. 1395B] *Ecce Dominus transiet, et Spiritus sanctus et fortis.* Sicut charitas Patris, ita Filii, ita et Spiritus sancti. De Patre: *Superabundavit autem gratia Domini Jesu Christi et charitas Dei nostri.* De Filio: *Charitas enim Christi urget nos.* De Spiritu sancto: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate Spiritus? Et alibi: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vitam aeternam dat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum.* De Filio in Evangelio: *Pacem do vobis, pacem meam dimitto vobis.* De Spiritu sancto: *Prudentia autem Spiritus vita et pax.* Revelat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre ad Galatas: *Ut revelaret Filium suum in me.* [Col. 1395C] De Filio inibi: *Neque ego enim ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.* De Spiritu sancto ad Ephesios: *Quod aliis generationibus non est agnitum, sicut et nunc revelatum est sanctis ejus per Spiritum suum sanctum.* Et alibi: *Nobis enim revelavit Deus per Spiritum.* Sicut illuminat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine.* De Filio in Apostolo: *Exsurge, qui dormis, et illuminabit tibi Christus.* De Spiritu sancto idem Apostolus: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in faciem Christi Jesu.* Sicut dicitur Evangelium Patris, ita Filii, ita et Spiritus sancti. De Patre ad Titum: *Quae est sanctum evangelium* [Col. 1395D] *gloriae beati Dei.* De Filio ad Romanos: *Cui servio in Spiritu meo in evangelio Filii ejus.* De Spiritu sancto in Epistola beati Petri: *Vobis autem ministraverunt haec qui vobis evangelizaverunt in Spiritu sancto.* Sicut illuxit Pater, ita Filius, ita et Spiritus. De Patre: *Deus meus, illumina tenebras meas.* De Filio in psalmo: *Deus Dominus, et illuxit nobis.* De Spiritu sancto per Prophetam: *Non abscondam ultra faciem meam ab eis, pro eo quod illuxit Spiritus meus super universam domum Israel.* Et Apostolus: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui illuxit in cordibus nostris ad illuminationem claritatis Dei in faciem Christi Jesu.* Praescientiam habet Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus. De Patre: [Col. 1396A] *Deus, qui occultorum cognitor est.* De Filio: *Ab* initio, inquit, *sciebat Jesus quis eum esset traditurus.* De Spiritu sancto: *Cum venerit Paraclitus spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quae ventura sunt annuntiabit vobis.* Sicut ubique esse dicitur Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus.* De Filio: *Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et Apostolus: *Qui ascendit super coelos, ut impleret omnia.* De Spiritu sancto in Salomone: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et quod super orbem est.* Implevit ipsum Dominum orbis totius conditorem, sicut legimus: *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane.* Et David: *Quo ibo a Spiritu tuo? Arguit* [Col. 1396B] Pater, ita Filius, et Spiritus sanctus. De Patre: *Domine, ne in ira tua arguas me.* De Filio: *Arguam te, et statuam illam contra faciem tuam.* De Spiritu: *Cum venerit Spiritus paraclitus, ipse arguet mundum de peccato, et reliqua.* Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus. De Patre: *Pater bone.* De Filio: *Ego sum pastor bonus.* De Spiritu sancto: *Spiritus tuus bonus deducet me in via recta.* Sanctificat et justificat sicut Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. Apostolus: *Sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* Sanctus dicitur Pater, sanctus dicitur Filius, sanctus et Spiritus sanctus. De Patre in Levitico: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* De Filio in Evangelio: *Quod nascetur ex te sanctum*

vocabitur [Col. 1396C] *Filius Dei.* Item ibi: *Scimus quia sis sanctus Dei:* De Spiritu sancto in Salomone: *Sanctus enim Spiritus disciplinae effugiet fictum.* Fortis Pater, fortis Filius, fortis et Spiritus sanctus. De Patre: *Deus fortis et patiens.* De Filio in Isaia: *Et vocabitur nomen ejus Deus fortis.* De Spiritu in Salomone: *Spiritus fortitudinis munus ejus.* Operatur Pater, operatur Filius, hoc et Spiritus sanctus. De Patre ad Philippenses: *Deus enim, qui operatur in vobis et velle.* De Filio in Evangelio: *Me oportet operari opera ejus qui misit me.* De Spiritu sancto ad Corinthios: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Virtus Pater, virtus Filius, virtus et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus: *Virtus enim Dei est in salute omni* [Col. 1396D] *credenti.* De Filio Apostolus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* De Spiritu sancto ad Thessalonicenses: *Evangelium nostrum non fuit apud vos in verbo tantum, sed in virtute Spiritus sancti.* Fons Pater, fons Filius, fons et Spiritus sanctus. De Patre Jeremias: *Dereliquerunt me fontem, aquae vivae.* De Filio in Salomone: *Fons sapientiae verbum Dei.* De Spiritu sancto Isaias: *Ecce nomen Domini post multum tempus veniens ardens, in ira indignationis vorabit gens, et Spiritus ejus ut fons aquae vallem trahens.* Charitas Pater, charitas Filius, charitas et Spiritus sanctus. De Patre in epistola Joannis: *Deus charitas est.* De Filio Apostolus ad Corinthios: *Charitas enim Christi urget* [Col. 1397A] *nos.* De Spiritu sancto Apostolus: *Obsecro vos, fra tres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritus.* Regenerat Pater, sic et Filius, et Spiritus sanctus. De Patre Petrus: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vitae aeternae.* De Filio inibi: *Diligentes invicem ex corde, quasi renati per verbum Dei vivi.* De Spiritu sancto in Evangelio: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum coelorum.* Resuscitat Pater, resuscitat Filius, resuscitat et Spiritus sanctus. De Patre in Actibus apostolorum: *Deus Patrum nostrorum, qui suscitavit Jesum, et nos suscitavit per potentiam suam.* De Filio in Evangelio: *Venerunt Judaei, non solum propter Jesum,* [Col. 1397B] *sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit Jesus a mortuis.* (De Spiritu sancto in Epistola ad Romanos.) *Habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Gratia Dei Patris, gratia Filii, gratia Spiritus sancti. De Patre: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum.* De Filio ad Corinthios: *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter vos factus est pauper, cum esset dives.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum: *Et obstupuerunt qui cum Petro venerant, quoniam in gentibus gratia Spiritus sancti diffusa est.* Signat Pater, signat Filius, signat et Spiritus sanctus. De Patre ad Corinthios: *Et qui signavit vos nobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus.* De Filio ad Ephesios: [Col. 1397C] *Audientes verbum veritatis evangelium salutis vestrae, in quo signati estis.* De Spiritu sancto ubi supra: *Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis, in die redemptionis.* Habitat Pater in credentibus, habitat Filius, habitat et Spiritus sanctus. De Patre in Isaia: *Servate diem sabbati, sanctificate eum, ut habitem in medio vestri.* De Filio ad Ephesios: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* De Spiritu sancto: *Nescitis quoniam templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis.* Scrutatur Pater, scrutatur Filius, scrutatur et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo: *Scrutans corda et renes Deus.* De Filio in Apocalypsi: *Et scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutator cordis et renum.* De Spiritu sancto in Apostolo: *Spiritus omnia scrutatur,* etiam profunda [Col. 1397D] *Dei.* Testificat Pater, testificat Filius, testificat et Spiritus

sanctus. De Patre in Psalmo: *Testimonium Dei fidele, sapientiam praestans parvulis.* De Filio ad Timotheum: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et in Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato.* De Spiritu sancto Apostolus: *Testimonium perhibet Spiritui nostro.* Ostendit Pater, ostendit Filius, ostendit Spiritus sanctus. De Patre ad Timotheum: *Quem suis temporibus ostendens beatus et solus potens.* De Filio in Evangelio. Ipse Filius dicit: *Ostendam autem vobis quem timeatis, et multa bona opera ostendi vobis a Patre meo.* De Spiritu sancto ad Corinthios: *Praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis,* sed in [Col. 1398A] *ostensione Spiritus.* Implet Pater, implet Filius, implet Spiritus sanctus. De Patre Jeremias: *Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus.* De Filio in Apostolo: *Dominus autem impleat corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.* Et in Evangelio: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum: *Implevit omnem locum ubi erant discipuli congregati;* et: *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane.* Loquitur Pater, loquitur Filius, loquitur et Spiritus sanctus. De Patre: *Deus locutus est in sancto suo.* De Filio: *Loquente Jesu ad turbas.* De Spiritu sancto: *Est qui loquitur in vobis.* Apparuit Pater, apparuit Filius, apparuit et Spiritus sanctus. De Patre in Actibus apostolorum: *Deus gloriae apparuit patribus nostris.* [Col. 1398B] De Filio in epistola Joannis: *Ad hoc apparuit Filius ut solvantur opera diaboli.* De Spiritu sancto in Job: *Et spiritus apparuit in oculis meis, et horror irruit in me.* Veritas Pater, veritas Filius, veritas et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo: *Redemisti, Domine, Deus veritatis.* De Filio: *Veritas de terra orta est.* (De Spiritu sancto) in Evangelio: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ecce unitatem operis. Non dubites unitatem credere Trinitatis.

Dicere etiam solent de baptismo quod in eo melior sit illorum baptismum quam nostrum quia qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, sed per manus impositionem reconciliamus; illi vero, si quos de nostris seducere possunt, inconsideranter rebaptizant. Qui interrogandi sunt, baptismum [Col. 1398C] istud quod dant, suum dicunt esse, an nostrum? Si nostrum est, quare illud praesumunt similiter ut nos baptizando? Si illorum est, quare illud violant iterando? Sed nos reverentiam habemus Dominicis verbis, et quomodo ipse jussit, ita et baptizamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Sed et illos sic certum est baptizare. Nam si sic baptizarent illi quomodo credunt in nomine Patris majoris et in nomine Filii minoris, et in nomine Spiritus sancti multo minoris, tunc demum non iteraremus baptismum, sed daremus, quia non secundum regulam quam Dominus tradidit baptizassent. Sed quid facimus? Bene baptizant, sed male credunt. Bene baptizant, sed malum est quod rebaptizant. Regulariter quidem baptizant, sed fidem male insinuant. Et dum carnaliter [Col. 1398D] gradus in divinitate faciunt, offensam divinitatis incurrunt, non metuentes illud quod ait Dominus: *Qui semel lotus est, non indiget iterum ut lavetur.* Dixit enim Dominus in Evangelio: *Vos estis sal terrae.* Et quicunque sapiens est, non hoc sine causa dictum intelligit. Sal enim ex aqua fit. Sed iterum baptizare se permittat ad nihilum, sicut sal in aqua missum redigitur, et anima ejus perpetua morte punitur. Dicit enim Apostolus de Ecclesia quoniam unus panis, unum corpus multi sumus: quia sicut ex multis granis unus panis efficitur, ita ex multis populis una Ecclesia congregatur, e panis, ut omnes norunt, per aquam conficitur et per ignem excoquitur; et omnis populus Christianus per baptismi [Col. 1399A] aquam et ignem sancti Spiritus oblatio Dei est effectus, dicente

Domino: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum.* Sed sicut panem jam semel decoctum si aliquis remittat in aquam, et vellet recommisceri et coquere, et perderet pristinam dignitatem et in nigredinem terrae converteretur, sic talis efficitur quicunque in se permittit baptismum iterari. Et ideo debet unusquisque usque ad mortem baptismum suum Deo adjutore servare, si vult ad regna coelorum feliciter pervenire. Nam quicunque se rebaptizare permittit, ipse blasphemat in Spiritu sancto, dum se denegat Christianum et per aquam ac Spiritum sanctum fuisse renatum, et necesse est ut illam quam memoravimus Domini sententiam comminantis excipiat: [Col. 1399B] Quia qui blasphemaverit in Spiritu sancto, non ei remittetur, neque in hoc saeculo, neque in futuro.

II *Disputatio Benedicti levitae adversus Felicianam impietatem.* (Apud Baluz., ibid.)

In exordio nubeculae testimoniorum catholicae fidei, cum adversus infelices Felicianos exhortarem divulsum alumnum viriliter contraire, recolo me ab Evangelio Joannis exordisse, istiusmodi attestante: *Haec autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Ille inquam qui ab angelo nuntiatus est, et nomen illi impositum est Jesus, nuntiante archangelo [Col. 1399C] virgini: *Paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Hic itaque Jesus natus ex virgine Maria Filius est Dei, sicut testatur iste evangelista, ut omnes in hac fide fidentes vitam possint habere aeternam in nomine ipsius. Sed quid ad haec pervicacia Felicianorum infaustuum poterit mutilare, dum iste evangelista dilectus et a Deo electus hanc sibi esse occasionem scribendi Evangelium dixerit quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam aeternam habeant in nomine ipsius? Nisi forte ut fateantur se nunquam habituros vitam aeternam, quia non credunt Filium esse Dei Dominum nostrum Jesum Christum verum et proprium, sed nescio qua demutatione fictum et adoptivum. Siccine dicunt assumptionem et adoptionem unum esse; et Jesum [Col. 1399D] Christum, secundum quod homo est, propter assumptionem humanitatis necesse fieri adoptivum esse, non proprium. Et quid faciet insana ista procacio adversus totius salutis dispensationem ita garriens ut virtutem Dei dicat non esse propriam et sapientiam ejus asserat adoptivam? Nam Christum Deum, virtutem et Dei sapientiam esse Apostolus testis est: *Cui* (proprio Filio) *non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Inficiatores tamen tantae veritati pellaces ac contra e contra aiunt: Virtutem Dei et sapientiam Apostolus Christum secundum assumentem, et non secundum assumptum, pronuntiat. Nam secundum assumentem Christus Dei est virtus et Dei sapientia; secundum autem assumptum: [Col. 1400A] *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus eum.* O exsecranda dualitas, operosa praesumptio unam Domini nostri Jesu Christi personam dirimentis in duas, cum sicut unusquisque nostrum ex anima rationali et carne una fit persona, quia unus est homo, ita Deus et homo una sit persona, quia unus est Christus, non duo! Unde beatus Petrus, cum sciscitaretur Dominus a discipulis suis quem esse dicerent homines filium hominis, et alii atque alii aliter atque aliter dicerent, respondit unus pro omnibus ex Dei et hominis substantia unitatis personam confitendo dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Dominus de Filio hominis id est homine interrogat, et Petrus eumdem Filium Dei vivi vera fidei puritate fatetur. Et e contra Feliciani infandi [Col. 1400B] adoptivum eum veternare contendunt, cum Dominus hanc fidei confessionem sanciens, ob hanc Petrum beatificaverit, super hanc Ecclesiam

suam stabiliendam praedixerit dicens: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.* Et ego tibi dico quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Ut ergo secundum Danielem prophetam adducatur justitia sempiterna et ungatur sanctus sanctorum impleta hac prophetia, ista est vera fidei praerogata confessio uncti, id est Christi Filii Dei, non adoptivi, sed proprii; cui proprio Filio non pepercit Deus.

Quanta ergo temeritas horum antiphrasinorum haereticorum, [Col. 1400C] videlicet Felicianorum, quia infelicium, contra tantam soliditatem a Domino commendatam suorumque apostolorum dogmatibus propalatam portas mortis sese ingerere Ecclesiae Dei nitentium nec praevalentium! O caeca temeritas inferorum portarum harum perstrepentium confuso stridore adversus Dominum et adversus Christum ejus! O canina furies rabido ore Christum Filium Dei vivi oblatrantis secundum assumptionem non esse eum Dei virtutem et Dei sapientiam mentientis, cum ipsum nomen Christi secundum assumptum, si fas est dicere! et non secundum assumentem, est dictum! Verum quoniam Christus ab unctione est dictus, et unctus in assumptione nostro participio in assumente [Col. 1400D] verbo, sicut scriptum est: *Unxit te Deus tuus oleo laetitiae prae participibus tuis.* Prae participibus igitur Christicolis, scilicet cunctis, unctus est Christus, in quo est eorum particeps homo Verbum caro factum: quia quod illi adoptione acceperunt Filii esse Dei Christianitatis obtentu chrismatis unctione, id Christus possidet proprietate virtutis; nihilominus ut sit proprius Dei unigenitus Filius, de Spiritu sancto ex Maria virgine theotocon, id est Dei genitrice virgine conceptus et natus, non duo, sed unus: quia non duo sunt Filii, unus proprius, et alter adoptivus, sed unus idem proprius unigenitus Dei Filius. Et ideo ait Apostolus proprio Filio non pepercisse, quoniam *ubi venit plenitudo temporis,* sicut idem ipse ait, *misit Deus Filium suum factum ex muliere,* [Col. 1401A] *factum sub lege.* Quod autem sit unigenitus, sacra Scriptura non tacet, sed creberrime inculcat. Unde est illud: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.*

Quid ad haec favet nunc vesana temeritas dicentium assumptionem et adoptionem unum esse, et ideo Christum secundum hominem assumptum esse etiam adoptivum, cum nihil horum convincantur in Christum reperiri posse? Prorsus nec adoptionem, quia proprium eum docet Apostolus esse Filium Dei; neque assumptionem, quia dicit misisse Deum Filium suum factum ex muliere: quoniam Verbum caro factum est, non assumpsit carnem; sed Verbum caro factum, Deus homo factus est, Filius Dei factus ex muliere: quoniam non prius factus caro, denuo [Col. 1401B] est assumptus a Verbo; sed praeveniendo Verbum carne, Verbum caro factum est. Idem non cum esset pauper, dives factus est, sed *cum esset dives, pauper factus est;* quia *cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, habitu est inventus ut homo.* Idem ipse, ipse Verbum, cum dives esset in forma Dei, aequalis Deo, pauper factus est, exinaniendo se, Verbum caro fiendo, Filius Dei factus ex muliere, non assumptus, ut blasphemi aiunt, adoptione. Unus idem ipse qui descendit, non ut hominem assumeret, qui necdum erat formatus, sed ut homo fieret incarnatus. Idem ipse est qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia. Secundum [Col. 1401C] quod magnum hoc esse

pietatis sacramentum Apostolus docet: *Quod manifestatum est, inquit, in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria.* Hoc idem quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, quia dicente archangelo de ejusdem Dei et Domini genitrice: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ac sic ut instaurarentur quae in coelis et quae in terris sunt in ipso, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, assumptum est in gloria, ut sit mediator Dei et hominum Jesus Christus: quia qui Deus, idem est homo; et qui homo, idem ipse est Deus.[Col. 1401D]

Ex natura ergo utraque una Christus persona. De ipso ostendens idem ipsum dicit idem ipse: *Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, filius hominis qui est in coelo.* In terra erat tunc temporis localitate inter homines homo; et in coelo se esse dicebat Filium hominis; quia qui filius hominis erat localitate, idem Filius erat Dei immensitate. Propter quod dicit: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Quem pro tanta unitatis proprietate vere Filium Dei Joannes apostolus et evangelista, confessus est hominem, ut eumdem qui ab initio vita aeterna est apud Patrem, verbum se corporaliter et vidisse et contrectasse praedicaverit dicens: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus,* [Col. 1402A] *et manus nostrae tractaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem et apparuit nobis.* Denique hanc vitam aeternam apud Patrem ab initio, quam sibi apparuisse testatur, nisi Verbum caro fieret, neque vidisset, neque manibus contrectasset. Sed ut Verbum caro fieret, testante eodem evangelista: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret;* ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et propterea quia Verbum caro factum est, et unigenitus Dei et vita aeterna est, ideo non est adoptivus, sed secundum Apostolum proprius, et secundum evangelistam unigenitus Dei Filius. Et ideo Apostolo non solum ut sufficeret dicere, *Proprio Filio suo* [Col. 1402B] *non pepercit Deus, sed etiam ait: Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judaeis et Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

Cum igitur Christum crucifixum ex infirmitate nostra, virtutem autem ex virtute sua, eumdem crucifixum dicat Apostolus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, quis infami elogio Christum Dei virtutem et Dei sapientiam secundum hominem crucifixum adoptivum audeat dicere, nisi mente insana negando Christum, et suo mendacio Antichristum se comprobante? Et quis est mendax, teste Joanne apostolo, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus? Et hic est Antichristus qui negat Patrem [Col. 1402C] et Filium. Omnis enim qui negat Filium, nec Patrem habet. Sed, sicut isdem ait Filius, *qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum.*

Quocirca quanta sit caecitatis obreptio quis non videat blasphemantium Christum adoptivum, quem tanta unitate cognoscit unicum proprium et verum Dei unigenitum Filium, in utraque natura perfectum, tantis idoneis testimoniis propalatum? Qui si adoptivus fuisset, fictus et non veritas esset. Et quomodo veritas de terra orta est, et ipse de se dicit. *Ego sum via, veritas, et vita, si adoptivus et non in veritate Dei Filius est? Nam teste Joanne scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum ut*

[Col. 1402D] cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita aeterna. Quod si adoptivus esset, nec verus Dei Filius Patri Deo vero, neque Deus verus et vita aeterna existeret, qui vere est veritas de terra orta veniendo ut homo fieret, et proinde hominibus via, veritas, et vita. Verus est igitur, non adoptivus, proprius Filius Dei Dominus Jesus Christus, qui de se ipso caeco nato sic exorsus est loqui: *Tu credis in Filium Dei? Et ille: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et Dominus ei: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est:* id est, quem vidisti carne, qui alloquor, ego ipse Filius Dei sum. Alioquin quia divinitate invisibilis est, videbatur homo et loquebatur. Quem etiam procidens adoravit Filium Dei, in quo se dixit visibilem [Col. 1403A] et loquentem Filium esse Dei. Hinc est etiam quod apostolus Paulus secundum hominem ex semine David docet eum esse Filium Dei. Unde et praedestinatum commemorat secundum hominem eum quem praedicat Filium Dei, scribens ita: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelio Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute.* Nam quod praedestinatur, antequam sit in re praeordinatur. Divinitas vero praedestinari nequit, quia sempiterna esse dignoscitur. Praedestinatus est autem Filius Dei in virtute, non divinitate, sed secundum quod factus est ex semine David secundum carnem, [Col. 1403B] secundum quod antea Deus Pater promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, secundum quod antea Deus Pater promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Quapropter in virtute praedestinatus est Filius Dei, nimirum in qua virtute Christus Dei est virtus et Dei sapientia, Deus homo factus, et homo in Deum clarificatus, secundum quod ipse protulit dicens: *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui prius quam mundus esset apud te.* De qua deifica claritate secundum carnem Filii Dei responsum est illi a Deo Patre: *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* De qua [Col. 1403C] etiam isdem qui supra, de quo dictum est. *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel, ita luculentius luce deprompsit dicens: Optabam ego anathema esse pro fratribus* meis, qui sunt Israelitae, *ex quibus patres et adoptio et legislatio, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Ecce qui secundum carnem super omnia Deus benedictus in saecula praedicatur, nunquid non a prophetis in Scripturis sanctis simili fastu praeconizatur, juxta quod prophetatus praedestinatus est Filius Dei in virtute? Utique qui de Christo prophetando praedixit, *Speciosus forma prae filiis hominum, et caetera, de eo prosecutus adjecit: Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi.* Et qui ait: *Benedictus qui* [Col. 1403D] *venturus in nomine Domini, subter etiam intulit: Deus Dominus et illuxit nobis.* Et Isaias cum diceret: *Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant justum;* aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul, ego Dominus creavi eum, prosecutus caetera de ejus magnificentia, in conclusione sic ait: *Tantum in te est, Deus, et non est absque te, Deus;* vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. Jeremias quoque: *Qui perfecit terram in sempiterno tempore, hic Deus noster est, et non aestimabitur alius ad illum.* Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et dedit illam Jacob puero suo et Israel dilecto suo. Post haec super terram visus est, et cum hominibus conversatus est. De quo (propheta Habacuc) [Col. 1404A] cum diceret, *Existi in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo* . . . . essionis illius deitatis

ejus confessionem eleganti professione subintulit dicens: *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* Deus Dominus fortitudo mea. Ac per hoc quia, prout est, essentialiter promulgatur Deus a prophetis et sanctis apostolis, et proinde nusquam est solummodo vocativus, quia dicit Isaias: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, ita nec etiam adoptione filius vocativus,* licet dixerit archangelo evangelicus, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei, sed proprius, unicus, unigenitus Dei Filius, sicut supra ex eloquio sacro invicta auctoritate protulimus.*

Attamen praenotati filii perditionis ad haec et reliqua [Col. 1404B] dehinc cuncta absurdi, quia nec Christo nec illius sunt evangelistis et apostolis prophetarumque oraculis creduli, pro eo quod non habendo testimonium Dei in se, non credunt in Filio Dei, mendacem faciunt eum, quoniam non credunt in testimonio quo testificatus est Deus de Filio suo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* ipsum audite; nec etiam Filio veraci veracem veritatem de se ipso dicenti: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Neque enim aliud nomen de sub coelo, teste beato Petro apostolo, in quo oporteat hominem salvum fieri nisi in nomine Domini nostri Jesu Christi. Propter quod et psalmigraphus: *Fiat manus tua super virum dexterae tuae et super filium hominis quem confirmasti quod et psalmigraphus: Fiat manus tua super virum dexterae tuae et super filium hominis quem confirmasti* [Col. 1404C] *tibi, et non discedimus a te.* Enimvero extorres ab hac tutissima veritate, quia nec Deo Patri credunt neque Filio ejus, nec etiam ulli theologorum Christum Dei Filium in carne venisse, manifestum est eos Antichristos esse, dicente Joanne: *Qui non confitetur Jesum Christum venientem in carne, hic est seductor et Antichristus.* Et item: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus, quod audistis quoniam venit et nunc in mundo est. Quis est autem qui solvit Jesum nisi qui dicit proprium eum esse Filium Dei ex divinitate, adoptivum autem esse ex carne, dissolvens unam personam unius Jesu Christi Dei in duas filiorum personas Dei hominis cum Nestorio, cum duarum [Col. 1404D] naturarum substantia sit una in Christo persona; quoniam Dei Filius in proprietate personae et Filii dignitate adunavit sibi hominem ut esset unus Christus et unus Deus et unus Dei Filius totus in suis et totus in nostris, perfectus in divinitate, et perfectus in humanitate, unicus unigenitus Dei Filius. Quod cum multis idoneis testimoniis supra retulimus, et omnium praedecessorum Patrum traditio pridem catholico dogmate comprobavit, et synodalium sanctionum rata inconvulsaque sententia definivit, quorum illibata fides ista singulari, recipiendo unigenitum Filium Dei in carne venisse, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ut fierent Filii Dei adoptione, secundum quod Domini Dei assumptio nostra, et sancti Israel [Col. 1405A] regis nostri Ipse autem dixit assumptio nostra......... refugium istud factus est nobis, quia Verbum caro factum est, fiendo quod non erat, non amittendo quod erat, fiendo Deus homo ex proprietatis essentia unigenitus Filius Dei nostra assumptio et refugium, ut ex hac plenitudine gratiae fierent homines Filii Dei adoptione. Ille, quia prius quam montes fierent et formaretur terra et orbis, a saeculo et in saeculum Deus est, et ex tempore homo factus, assumptio et refugium nostrum est; illi, quia *Ego* dixi, ait, *dii estis et filii Excelsi omnes, quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Proinde universos admonet Apostolus dicens: *Videte ne quis vos*

decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum et non secundum Christum: [Col. 1405B] *quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti.* Non dixit *spiritaliter,* sed *corporaliter, ut veram intelligamus substantiam carnis, ubi est plenitudo divinitatis, habitatio corporalis:* qua utique etiam tota repletur Ecclesia, quae inhaerens capiti corpus est Christi; propter quod Domini assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri, ut qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione hac Domini commoretur: videlicet ut vera fidei confessione dicat Domino: *Susceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus.* Non nuncupativus Deus, non adoptivus et falsus, sed secundum odnie assumptio nostra et sancti Israel regis nostri, susceptor et refugium Deus est noster, secundum id quod Deus est, essentialis secundum [Col. 1405C] quod nomen est ejus, ita et laus ejus, dicente Propheta: *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae.* Nam et ipse Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius, quia ipse Deus meus et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo. In Deo ergo salutari meo gloria mea Deus auxilii mei et spes mea in Deo est, qui vere Deus est ex duabus substantiis unigenitus Dei Jesus Christus Filius Dei, a quo non movebor dubietate, non emigrabo alterius ad culturam, quoniam Deum nescio alium praeter eum. Ipse qui est Deus, et non aestimabitur alius ad illum.

Sane quia idem Deus salutaris susceptor meus, quem virgo concepit et peperit, Emanuhel, quod [Col. 1405D] interpretatum dicitur *Nobiscum Deus, ut sit Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Jacob, hortatur dicens: Vacate et videte quoniam ego sum Deus, Deus inquam cui etiam cadenti morte carnis prophetice canitur: Surge, Deus, judica terram, quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus, quicq.* ascendit Deus in jubilatione et Dominus in voce tubae; secundum quod et dicit: *Psallite Deo qui ascendit super coelum coeli ad orientem.* Propter quod inquit Psalmista: *Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, quoniam rex omnis terrae, Deus, psallite sapienter.*

Non ergo insipide, sed . . . . rex omnis terrae Deus, qui descendit et ascendit mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, regnavit Deus [Col. 1406A] super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam, quoniam quippe essentialiter et verus est Deus Dominus Jesus Christus, qui ascendit in coelum et sedet a dextris Dei, sicut doctissimorum Patrum sanctae Chalcedonensis synodi testatur auctoritas. Ait enim: «Unum eumdemque Filium Dominum nostrum Jesum Christum confiteri consonanter omnes instruimur et docemur, perfectum eumdem in divinitate, et perfectum eumdem in carne, Deum veraciter hominemque eumdem ipsum veraciter ex anima rationali et corpore, omousion, id est unius essentiae Patris secundum divinitatem, et homousion nobis eumdem ipsum secundum humanitatem, per omnia nobis absque solummodo peccati colluvione similem, ante saecula quidem de Patre natum secundum divinitatem, [Col. 1406B] in novissimis autem diebus eumdem ipsum propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine theotocon id est Dei genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum Filium Dei Deum unigenitum in duabus naturis, sine confusione, sine conversione, sine divisione, sine separatione noscendum, nusquam naturarum differentia per unitatem penitus commutata, magis autem salva proprietate utriusque naturae et in unam coeunte personam, nec in duas divisum partitumque personas, unum

eumdemque Filium unigenitum Deum verum Jesum Christum Dominum confitemur.» Haec est sancta fides, inviolata veritas, amplectenda praedicatio, quam merito per Spiritum sanctum convenienter effusam per totum mundum catholica confitetur [Col. 1406C] Ecclesia.

Caeterum quia scriptum est: *Nolite multiplicari loqui sublimia gloriantes, quoniam Deus scientiarum Dominus, et ipsi praeparantur cogitationes, quamvis multa suppeditentur fateri de hac individua Dei et hominis ex duabus substantiis una deitatis persona unigeniti Filii Dei, credenda sunt ista non ultra quam sapere quisquam et intelligere potest cociendo* (*sic*) astipulanda: sicut nec omnino quomodo Deus Pater Deum genuerit Filium: quod et angeli nesciunt, et prophetis est inscium. Unde illud est dictum: *Generationem ejus quis enarrabit? Quam secretam originem cum proprio Filio novit ipse solus qui genuit, juxta quod ejusdem unigenitus dicit: Nemo novit Filium* [Col. 1406D] *nisi Pater, et Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Sed, ut breviter dicam, sufficit nos scire quia lux genuit splendorem, propheta testante: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Lucem autem istam absit ut quisquam arbitretur corpoream, sed lucem sapientiae veram, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum: in quo lumine obtentu fidei credo idipsum visuri erimus lumen, secundum quod e psaltidicus vates sacro cano.......*quoniam apud te est* fons vitae, adjecit *et in lumine tuo videbimus lumen.* Interdum quoadusque iste illucescat dies et lucifer oriatur in cordibus nostris, spreta infanda haereticorum commenta, firmissime teneatur spei nostrae solida veritas, verbi incarnati unitas ex duabus [Col. 1407A] substantiis unius personae Filii Dei vivi Jesu Christi Domini nostri; ut cognitis naturae utriusque documentis, et verbum in Christo homine et Christum hominem adoremus in verbo: quoniam promulgante beato Leone papa, si, prout Apostolus ait, qui adhaeret Deo, unus spiritus est, multo magis Verbum caro factum unus est Christus, ubi nihil est alterius naturae quod non sit utriusque subjiciens.

Non ergo infirmemur in consilio misericordiae Dei, quae nos et innocentiae reformet et vitae. Nec quia in Salvatore nostro manifesta agnoscimus gemina signa naturae, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de deitate majestatis ullatenus dubitemus: quia idem homo est in forma Dei qui formam recepit servi, idem et incorporeus [Col. 1407B] manens et corpus assumens, idem in sua virtute inviolabilis, et in nostra infirmitate passibilis, idem a paterno indivisus throno, et ab impiis crucifixus in ligno. Idem est super coelorum altitudines victor mortis ascendens, et usque ad consummationem saeculi universam Ecclesiam non relinquens. Idem postremo est qui in eadem qua ascendit carne venturus, sicut judicium sustinuit impiorum, ita judicaturus est de omnium actione mortalium. Unde, ne pluribus testimoniis immoremur, unum sufficit ex Evangelio beati Joannis adhibere, quod ipse Dominus noster hoc dicit: *Amen amen dico vobis, quia venit hora et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio [Col. 1407C] *vitam habere in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Ergo sub una sententia, quia Filius Dei est, atque quia filius hominis est, apparet quemadmodum Christum Dominum in unitate personae credere debeamus; qui cum sit Filius Dei per quem facti sumus, etiam filius hominis per assumptionem factus est carnis, ut moreretur, sicut ait Apostolus, propter delicta nostra, et resurgeret propter

justificationem nostram, unus idemque Deus homo et homo Deus, Filius Dei, filius hominis; et filius hominis, Filius Dei. Verum quoniam nonnisi ex utroque salvamur. Talis enim erat hominum a primis ducta genitoribus causa mortalium ut originali peccato transeunte per posteros nullus poenam damnationis evaderet nisi Verbum [Col. 1407D] caro fieret et habitaret in nobis. Nec enim Verbum aut in carnem aut in animam aliqua sui parte conversum est, cum simplex et incommutabilis natura deitatis tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum. Et sic assumptam.... ...... glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens aut impossibile videatur ut Verbum caro atque anima unus Jesus Christus et unus Dei hominisque sit Filius, si caro et anima, quae dissimilium naturarum sunt, unam faciant etiam sine Verbi incarnatione personam, cum multo facilius sit ut hanc unitatem sui atque hominis deitatis praestet potestas quam ut eam in substantiis obtineat solius humanitatis infirmitas.[Col. 1408A]

Nec Verbum igitur in carnem, nec caro in Verbum mutata est; sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus. Non alius ex Patre, alius ex matre; sed idem alter ex Patre ante omne principium, alter de matre in fine saeculorum; ut esset mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, in quo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter. Totum igitur corpus implet tota divinitas; et sicut nihil deest illius majestati cujus habitatione impletur habitaculum, sic nihil est corporis quod non suo habitatore sit plenum, in quo et nos sumus repleti. Quod autem dictum est, *Et estis in illo repleti, nostra utique est significata natura;* ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei Verbum nostri sibi generis et animam [Col. 1408B] et corpus invenisset, quae ita in unitate convenerunt ut nec separationem possint habere nec finem, verus homo vero unitus Deo, nec secundum existentem prius animam deductus e coelis, nec secundum carnem creatus ex nihilo, eamdem gerens in Verbi deitate personam ut veritas affectionum sub moderamine deitatis esset et mentis, et tenens communem nobiscum in corpore animaque naturam. Non enim esset Dei hominumque mediator nisi idem Deus idemque homo in utroque et unus esset et verus. De quo uno veroque docet beatus apostolus Petrus magnum esse pietatis sacramentum: *Quod manifestatum* est, inquit, *in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria.* Item unde [Col. 1408C] supra sanctus Hilarius in divinis dogmatibus insigniter orthodoxus ita est orsus: Cum Verbum Deus in sacramento naturae suae manens homo natus sit, natus autem est non ut esset alius, sed ut ante hominem Deus suscipiens hominem homo Deus possit intelligi. Nam quomodo Jesus Christus Dei Filius natus ex Maria est, nisi quod verbum caro factum est, scilicet quod Filius Dei, cum in forma Dei esset, formam servi accepit? Cum ergo Dominus et salvator noster Jesus Christus et natus et passus et mortuus et sepultus sit et resurrexerit, non potest in his sacramentorum diversitatibus ab se dividuus esse ne Christus sit, cum non alius Christus quam qui in forma Dei erat formam servi accepit, neque alius quam qui natus est mortuus est, neque alius [Col. 1408D] quam qui mortuus est resurrexit, neque alius quam qui resurrexit sit in coelis, in coelis autem non alius sit quam qui descendit de coelis. Homo itaque Dominus Jesus Christus unigenitus Deus, per carnem et verbum ut hominis filius ita et Dei Filius. Audi in hoc apostolicae doctrinae eruditam, non carnis sensu, sed dono Spiritus, fidem, cum Graecis sapientiam et Judaeis signa petentibus loquitur: *Nos autem praedicamus Jesum*

Christum et hunc crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judaeis et Graecis Jesum Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Nunquid divisus est Christus, ut alius sit crucifixus et alius Christus virtus et sapientia Dei? Et cum idem unus atque unus sit, descendens [Col. 1409A] et ascendens, unus quoque nobis Jesus Christus sit Dei Filius et hominis filius, et Verbum Deus et homo caro, et passus et mortuus et sepultus, et resurgens in coelum receptus, sedens a dextris Dei, habens in se uno eodemque per dispensationem atque naturam in Dei forma et in forma servi sine aliqua separatione quod homo est, et divisione quod Deus est, non ambiguum in quo sacramento et passus est et viveret. Et cum in eodem esset infirmitas ad passionem et ad vitam Dei virtus, non alius ita divisus a se esset qui et pateretur et viveret. Passus est enim unigenitus Deus quae homines pati possunt, sicut dicit Apostolus: *Quia si confessus fueris in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit a mortuis, salvus eris,* salvus utique [Col. 1409B] credendo et confitendo Dominum Jesum ex se ipso et mori et resurgere potuisse. Nec enim, si non homo esset, mori potuisset, neque, si non Deus, resurgeret. Unus idemque, etsi crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Quod salutaris dogma salutarisque confessio misericordia Dei melior super vitas, quidni salutare vultus mei et Deus meus, licet proprium syntagma exposcat testificationem authenticorum multiplicem, Stephanus tamen episcopus in encycliis ad Leonem principem exinde scribens mirabiliter dicit: «Indutus est Filius tunicam corporis, hoc est, integrum hominem, de sancta virgine, quam sanctus Spiritus texuit. Ineffabiliter in ingressu, inenarrabiliter in egressu, incomprehensibiliter ingressus est invisibilis, egressus est visibilis. Ingressus [Col. 1409C] est Dei Verbum, egressus idem est homo. Paradigmate siquidem isto idem est exutus qui et indutus, scilicet qui absque homine Dei Filius, etiam et cum homine unus idemque Filius. Non alius adoptivus, et alius proprius Dei Filius; sed idem qui ex Deo est Deus, idem in homine Dei est unigenitus Filius; quoniam si et habitu est inventus ut homo, non est habitu immutatus; licet habitus sit illi aptificatus, non ullo modo adoptatus. Verum qui habitus non est habentis personae persona, sed participatio naturae persistendo natura. Ac per hoc consulte Dei Filius habendo habitum, habitu inventus ut homo, idem ipse manet naturali proprietate habendo habito, ipsa sui deitatis persistendo singularitatis persona, quoniam persona ingenunata propria sua in [Col. 1409D] homine venit, deitatis persona. Propter quod dicit: *Ego veni in nomine Patris mei.* Nomen enim Patris personam perstruit Filii: quia nonnisi habendo Filium paternam gerit personam. Qui ergo in nomine Patris venit, nihilominus Filius ejus fuit. Et ideo non duo venerunt filii verus et falsus, aut unus partim proprius, partim etiam adoptivus, sed unus Jesus Christus ex toto benedictus qui venit in nomine Domini. Quia qui in principio erat Verbum, idem Verbum caro factum est, individuus; unus proprius et verus unigenitus Dei Filius. Et si aliud atque aliud ex convenientia naturarum, non tamen est alius, sed unus idemque ex toto unigenitus Dei Filius.» Quod congruis exemplis sanctus Augustinus [Col. 1410A] Feliciano exponens Ariano, inter caetera ait: «Non alius homo corpus, alius animus. Quamvis aliud animus, aliud corpus, unus tamen atque idem homo et corpus docetur et animus. Rursus non unum atque idipsum corpus docetur et animus, quia ex utroque homo factus est unus. Non enim haec aut substantias confundunt in unitatem personae, aut personam geminant diversitate substantiae, quandoquidem unus ex his homo noscitur exstitisse. Non perdunt propria; sed quia in unum atque inseparabiliter conveniunt, ex propriis videntur facta communia. Afficitur

in corpore mens doloribus corporis, fatigatur corpus cogitationibus mentis; et unum tamen horum proprium est corporis, alterum mentis. Quae dum uni homini acciderint, corporis [Col. 1410B] commune videntur et mentis. Sic post partum virginis non alius Dei et alius hominis, sed idem Christus et Dei et hominis Filius fuit. Et sicut in uno homine aliud animus, aliud corpus, sic in mediatore Dei et hominum aliud Dei Filius, aliud hominis fuit. Unus tamen ex utroque Christus Dominus exstitit. Aliud inquam pro discretione substantiae, non alius pro divinae proprietate personae.» Et velut superius diximus quod ex anima rationali et carne unus fit homo, unius Patris unicus proprius et verus unigenitus Dei Filius, ita Deus et homo unus est Christus, ex toto proprius et verus unigenitus Dei Filius. Proprius siquidem, quod proprio Filio suo non pepercit Deus. Unigenitus et verus, juxta quod est sanctus evangelista confessus: *Et vidimus* [Col. 1410C] *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Quique nimirum de terrigena virgine natus, veritas de terra orta est, idcirco veritas unigeniti et mendacium adoptivi......... veritatis careat mendacium adoptionis, et veritas unigeniti excludat alterius adoptionem mendacii. Ipsum vero et unigenitum declaratum et veritatem scimus Joanne apostolo attestante: *Quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo.* Hic est verus Deus et vita aeterna. Eademque praeterea veritate de semet in Joannis Evangelio proloquente quod sit veritas unigenitus ipse: *Ego sum,* inquiens, *via et veritas et vita.* Unigenitum se etiam fatendo, cum dicit: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium* [Col. 1410D] suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ac ideo, teste eodem unigenito, qui credit in eum non judicatur; qui vero non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Quocirca non immerito haeretici judicantur Feliciani, qui a tanta unigeniti veritate dissentire probantur. Nobis sane istiusmodi credulitatis in confessione unius Dei et hominis unigeniti filii Dei solummodo una in veritate persona sanctorum patrum et Dei oraculis promulgata, qua capacitate nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto, quo corde creditur ad justitiam, ore confessio fit in salute, sufficere credimus, dicente Apostolo: *Siquidem* [Col. 1411A] *sunt dii multi et domini multi.* Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Igitur quia unus est Dominus Jesus Christus, dualitatem non recipit. Unum enim dividi non potest. Deleantur ergo a suo errore qui dualitatem in Christo nisi sunt introducere, proprium eum dicentes esse Filium Dei divinitate, et adoptivum ex carne, cum, sicut jam dixi, et competenter iterum iterumque inculcare non piget, ceu ex anima rationali et carne unus est homo unius genitoris proprius filius, ita et Deus homo unus sit Christus, unius Patris proprius unigenitus, verus Dei Filius. Ille ex mare et femina tantum originaliter solus. Dominus de Spiritu sancto ex Maria virgine singulariter Deus et [Col. 1411B] homo Christus est, individuus, unus. Unus itaque Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Ipsi gloria ex hoc nunc in Ecclesia et in Christo Jesu per omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

III. (Apud Baluz., ibid.)

Benedictus Guarnario filio salutem.

Fili mi, exaudi, oro, vocem parentis post tergum pignoris exorantis. Imo ut acceptes, obsecro, quae etiam depromo. Fascinatio, procacitas, aeque ut nugacitas, vana impudentia, quia sunt fatua, ne facessitus [Col. 1411C] fascinatione eucharis linguae parasitorum, tua abroges ipsa jura, cave ne quando aviditate praepropera abdices ea ipse: quoniam qui in principio haereditare festinat, in novissimo benedictione carebit. Omnia enim tempus habent; licet is qui instituit tempora maneat extra tempora, et quaecunque in ejus aeternitate aeterna, a quo quia moderantur universa tempora omnibus mobilibus, ejus mobilior est sapientia, dicitur illi: *Omnia in sapientia fecisti.* Quique sapientia fecit cuncta, putasne in sapientia disponit ea? Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum.* Quocirca observa ne insipienti favore a sapientia [Col. 1411D] desipiscas: quoniam divitiae salutis sapientia et scientia, ac timor Domini ipsa thesaurus ejus. Sapientia autem est hominum pietas, recedere a malo intelligentia. Pietas ex religione divina, intelligentia ex rationali prudentia, secundum quod illud est Evangelium ex religione simplicitas columbina, et ex intelligentia prudentia serpentina. Siquidem simplicitas a singulari sapientia dicta. Alioquin simplicitas, quia stultitia est deputanda, prudentia a porro videntia, id est, a longe ante conspicientia quaecunque venientia. Utique simplicitas singularitatis, quia Deus excedens omnia est, qui operatur in nobis et velle et perficere per bona voluntate: cedendum istiusmodi intellectus sapientiae: prudentissima [Col. 1412A] prudentia assequenti divini muneris est, cujus moderatu singulari, ex quo resisti nititur, ex tunc omni modo exordiri ira illius comprobatur, non divinitatis perturbatio, sed justa renitenti redhibitio, juxta quod dicitur: *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas.* Ac per hoc te quaeso bene indolis ne ipse ira efficiaris Dei renitendo ei, sed ut ante omnia animadvertas propheticum illud memento, qui cum diceret Deo, *Tu terribilis es, et quis resistit tibi? illico subjecit: Ex tunc ira tua.* Nempe quia ex eo est ira Dei ex quo...... resistere illi. Exspecta igitur Dominum......... a latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. Non enim est hominis via ejus neque viri ut ambulet et dirigat gressus suos; sed a Domino gressus hominis diriguntur, [Col. 1412B] et viam ejus volet. Cede ergo voluntati Dei, volenti tuam, sequendo suam, ut non tua, sed secundum quod tempus dictaverit, exspectes ut fiat voluntas immutabilis sua. Caeterum voluntati ejus, cum sit immutabilis, quis resistit? Quam immutabilitatem ut verbis disertissimi eloquar Augustini, in tantum licet mutabilis videre poteris in quantum in ea nihil mutabile contemplabis, nec locis et temporibus, sicut corpora, nec solum temporibus et quasi locis, sicut spirituum nostrorum cogitationes, nec solis temporibus ex nulla vel imagine locorum, sicut quaedam nostrarum mentium ratiocinationes. Omnino enim Dei essentia, quae nihil habet mutabile, nec in aeternitatem, nec in veritatem, nec in voluntatem. Quia ibi est veritas, aeterna charitas. [Col. 1412C] Et vera ibi est charitas, vera aeternitas. Et chara ibi est aeternitas, chara veritas. Ubi si cordis oculo te defixeris, terrigeno spreto angore, rato inconvulsoque divino numine compertus, et his temporaneis et perennibus beaberis ineffabilibus muniis. Uti sane exinde foedere fidei foedereris, formam fidei te exposcente decepsi, qua te indeptum omnique erroris dempta deformitate, una nobiscum novando novale spiritu mentis tuae, licet noster homo exterior corrumpatur,

sed interior renovatur. Quodque beatus Paulus apostolus sanciendo cum promulgaret: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est;* alias inculcans liquidius: *Exuentes* vos, ait, *veterem hominem cum actibus ejus,* induite novum qui renovatur [Col. 1412D] *in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Repulso ergo veterrimo cupiditatis homunculo, dehinc compos instrumento perstructo, exoptando te, fili, efflagito, in novitate vitae ambulare satagito. Et quia dicente Apostolo credere oportet accedentem ad Deum, et accedere est audire, quoniam fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, conventione hujus novitatis habendo fidem qui operatur per dilectionem, age jam nunc de compendio, ut ad ejus commercii transeas visionem. Non enim in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed asserente etiam beato papa Leone, in tramite fidei angusta et ardua est via quae ducit ad vitam, et magni laboris est magnique discriminis [Col. 1413A] inter dubias imperitorum opiniones et verisimiles falsitates per unam sanam doctrinam semitae inoffensis gressibus ambulare, et cum undique se laquei errorum opponant, omne periculum deceptionis evadere. Quis autem....... nisi qui Spiritu Dei docetur regitur, dicente Apostolo: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.* Canente etiam David: *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Enimvero vere beatus, eatenus bene auctus, quia eruditione irreprehensibilis legis Dei docti fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Hac igitur doctus doctrina, plurimorum ad justitiam eruditor, [Col. 1413B] fulgoratus hoc fulgore sacro in perpetuas aeternitates valeto.

Neve aliquo fatigeris a superstitioso argumento inscio de fide apocrypho, scito professu Graeco fidem esse hoc modo, una usia, ac si dicat, una natura vel essentia, tres hypostases, quod resonat in Latinum vel tres personas vel tres substantias. Nam Latinitas proprie non dicit de Deo nisi essentiam. Substantiam vero non proprie, sed pronuntiat abusive: quoniam vera substantia apud Graecos persona intelligitur, non natura. Unde apud modernos scholasticos, maxime apud Scotos, iste syllogismus delusionis, ut dicant trinitatem, sicut personarum, ita esse substantiarum, quatenus si assenserit illectus auditor trinitatem trium esse substantiarum [Col. 1413C] Deum, trium derogetur cultor deorum; si autem abnuerit, personarum denegator culpetur; culpetur propter idioma Graecum, derogetur propter sermonem Latinum. Sed haec de fide et omnis calliditatis versutia simplicitate fidei catholicae est puritate vitanda, non captiosa interjectione linguarum, scaeva impactione interpolanda. Porro autem fides catholica haec est, ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Quoniam quippe alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. Non coaeternae majestates, non aequales gloriae, non [Col. 1413D] trina deitas, aut triplex divinitas, id est, unum; sed una est divinitas, una deitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. Identidem nec etiam trinus Deus, sed Trinitas Deus est unus. Unus sane isto modo, et Deus et Dominus unus et spiritus. Et haec una est catholica fides, qua te foederatum fidei unitate et nunc et in aeternum opto valere. Valeas, vigeas per saecula cuncta beandus, uti fidei pensum cujus est cernes ipsum, munus inexhaustum contuendo per saecula divinum, saturitate xasa sat conspicando Deum.

[Col. 1414A]

IV. *Confessio fidei Benedicti levitae, etsi peccatoris nonnunquam erronei, tamen foedere isto fidei inexhausto fidenti.* (Apud Baluz., ibid.)

Confiteor tibi, Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, per unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum, in virtute et dono et gratia Spiritus tui, cum timore et tremore et gaudio gratiarum, opus depromens ex cordis devotione, in oris resultando professione. Gratias ago, sed ex toto corde, tota anima, totaque virtute, justitiam fidei dono muneris tui credendo, ore in salutis confessionem pronuntio. Gratias ago; sed obsecro sit tibi, [Col. 1414B] o Domine, sacrificium acceptabile confessio nominis tui, secundum quod tibi debetur gratiarum actio et vox laudis in Trinitatis unitate et unitatis Trinitate, uni Deo vero et vivo, visibilium omnium et invisibilium creatori, et recreatarum rerum recreatori, non ex necessitate sed ex tua omnipotentissima benignitate quaecunque agenti, quia nullius eguisti quaecunque fecisti, quodque tibi confiteor bonorum meorum non indigenti, immoto in te manenti, et quae moventur moventi, quia in te vivimus et movemur et sumus. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Sed quia filii servorum tuorum habitabunt ibi, et semen eorum in saeculum dirigetur, hos, inquam, aeternitatis annos in idipsum [Col. 1414C] lucem tuam inaccessibilem, o Domine, habiti directi in saeculum fide tenus nunc, tunc autem specie tenus aeternitate fruendo, ut sint ipsi aeterni, idcirco posuisti saeculum nostrum in illuminatione vultus tui. Meo ergo nunc saeculo illuminatus fide isto tuo lumine, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, confiteor et ego eamdem incommutabilitatem, Patrem te Deum omnipotentem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiae aut, quod certius dici potest, essentiae, ejusdemque potestatis et sempiternitatis, unum verum Deum invisibilem, incorruptibilem, immortalem, immutabilem, natura simplicitatis incorporeum, immensitate incomprehensa incircumscriptum, ubique praesentem, et omnia excedentem, incontiguum et omnia [Col. 1414D] continentem, majestate individua in aeternum et ultra regnantem, viventem vitam, vitam a vivente, vivificatorem viventium, unum in duobus, et utrosque in idipsum, Patrem in Filio, Filiumque in Patre, in sancto Spiritu. Igitur cum professione orthodoxa theologorum confiteor ita te, Domine, Trinitatem, in Patre unitatem, in Filio aequalitatem, in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordiam, et tria haec unum, omnia propter Patrem, aequalia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Sis ista Trinitas tu isdem ineffabilis, Domine Deus existens divina natura, lux lucis, et fons luminis, spiritus lucis, spirituum omnium summus, a te per naturam, per substantiam majestatis, potestatis, atque virtutis, ab aeterno in aeternum sine [Col. 1415A] termino infinitus. Infinitas aeternitatis in Patre, species in imagine, usus in munere. Sempiterni genitoris genitus sempiternus, et consempiternus utrorumque procedens ab utrisque Spiritus sanctus. Et id totum est simplum, totum trinitas, totum unitas, totum omousion. Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis, et virtutis tuae et figurae. Perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus solus ex solo Deo, figura et imago deitatis, verbum penetrans, sapientia comprehendens omnia, et virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus veri, et invisibilis ex invisibili, et incorruptibilis ex incorruptibili, et sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit, perfecta imago Filii perfecti,

[Col. 1415B] perfecta viventium causa, sanctitas sanctificationem praestatrix: per quem Deus solus super omnia et in omnibus cognoscitur, et Filius per omnia. Est enim intellectus sapientiae Spiritus sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, qui nihil vetat bene fieri, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Siquidem hujus communicationis largitate confiteor singillatim personarum proprietatem servatam, nec substantialiter Trinitatem dividi, nec personaliter omnino confundi, sed omousion Trinitatem magis magisque confitendo Deum, non autem omousion, quod, proh nefas! haeretici exsecrate dixerunt. Sacratiori [Col. 1415C] sane differentia fidei confiteor te cum catholica omni Ecclesia Patrem unigenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed ex Patre Filioque procedentem, Filium a te Deo Patre nascendo procedere, Spiritum sanctum procedendo non nasci. Et hanc inaestimabilem nativitatem; sed et processionem, nec coepisse et perfectam esse, nec destitisse et sempiternam esse confiteor. Sed istam generationem tuam, o Domine, ineffabilem vere, quin potius incomprehensibilem, quis enarrabit? Quis enim ut est non solum edicere sed etiam comprehendere valeat genitum non esse genitori posteriorem, ac non id quod genuit praecedere generantem? Haec autem generatio nec anterius nec habet quidquam posterius: quia ut nunc [Col. 1415D] genitor es, ita Pater ab aeterno es, quoniam immutabilis es. Semper ergo exstitisti Pater, qui semper habuisti Filium cui existeres Pater. Quia itaque immutabilis es, semper fuisti ut es. Et ideo Filium non praeisti, qui semper, Pater ut esses, Filium habuisti, qui sicut nec coepisti id esse, ita nec etiam destitisti: quia tu idem ipse es Pater, sicut ab aeterno fuisti. Quocirca sicut a principio ante luciferum, ita te hodie genuisse dixisti, ut nec coepisse et perfectam esse ostenderes istiusmodi generationem generis tui: *Tecum,* inquiens, *principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum, ante luciferum genui te;* et: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sui ergo principium designatur ante luciferum [Col. 1416A] genitus, eique dicitur: *Hodie genui te.* Hinc sempiterna nativitas declaratur. Propter quod ab Apostolo dicitur: *Non est in illo Est et Non, sed Est in illo fuit.* Sed esto, maneat sicut est, generationem ejus quis enarrabit? Quis nativitatem illius cum processione distinguere valeat a Spiritus sancti processione sine nativitate? Quis hanc differentiam processionis nec genitam nec ingenitam a processione distinguere appetat Filii genita? Quis qualem Patrem, talem Filium, talemque Spiritum sanctum audiens, ad talem personarum differentiam uniformem ex simplici essentia deitatis hujusce etiam singularitate majestatis non obstupescat attonitus? Quin praeterea quomodo capiat ubique totum, ubique praesentem, non per partes divisum viritim [Col. 1416B] personarum proprietate, sed totum in omnibus virtute omni tenente localiter, sed potentialiter per excellentem praesentiam majestatis? qua licet sis ubique, dees tamen plerumque: quia si praesentia, non tamen es gratia. Sed si non possumus capiendo distinguere, possumus te docente fideliter confiteri, donec illucescat dies et lucifer oriatur in cordibus nostris idem unigenitus Jesus Christus Filius tuus; qui sicut nascendo de te vero Deo Deus est verus, ita lumen de lumine: in quo lumine tuo credo videbimus lumen, lumen, inquam, verum quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, et dicit: *Ego sum lux mundi.* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Siquidem ut hoc lumen verbum sapientiam ac tuam virtutem [Col. 1416C] prosequi valeremus, per quem fecisti omnia, hunc Filium tuum voluisti fieri inter omnia, ut per quem fuerant creata, per

ipsum essent et recreata, propter quem omnia, et per quem omnia. Ac ideo hunc Verbum caro factum confiteor, suae carnis conceptione conceptum, et suae carnis nativitate natum, non adoptivum, sed proprium unigenitum tuum, perfectum Deum perfectumque hominem ex sancta et immaculata semperque virgine theotocon beata Maria, animatum anima rationali, vera carne absque peccato de Spiritu sancto conceptus, ut hominem quem sola bonitate creaverat, quemque ad imaginem et suam similitudinem perfecte formaverat, sponte de hoc schemate lapsum misericorditer repararet, reparatumque catholico baptismatis lavacro, [Col. 1416D] sui etiam confirmaret corporis sanguinisque celebre sacramento. Quem veraciter crucifixum secundum assumptionem, non autem secundum assumentis virtutem, confiteor, et ad inferos descendisse, suorumque liberationem inibi egisse, ac die tertia veracissime resurrexisse, et cum eadem ipsa carne glorificata in coelum ascendisse, in qua ad judicium vivorum et mortuorum exspectatur venturus. Hujuscemodi sacramento resurrecturos cunctos confiteor homines in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi, non naturam aut sexum mutando, sed tantum fragilitatem et vitia deponendo, secundumque studiorum et operum differentias et gratiam propositumque justitiae bonitatis Dei euntibus, [Col. 1417A] sic aliis in opprobrium et ignem aeternum. Confiteor etiam quod divinam humanamque substantiam in utraque perfectus unam Christus personam gestaverit: quia nec geminavit utriusque substantiae integritatis personam, nec confudit geminam unitatis personae substantiam. Alterum quippe neuter exclusit, quia utrumque unus intemerato jure servavit, secundum quod dicit: *Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* Et qui descendit, ipse est et qui ascendit. Magnum ergo hoc est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Sic sic quae sursum sunt sapiendo vita nostra [Col. 1417B] abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita nostra, credo, Domine, et nos apparebimus cum ipso in gloria, cum quo tibi Deo Patri in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria, virtus, majestas, et imperium, ac nostri miseratio per indebitam misericordiam tuam, gratuita praeveniente ac subsequente gratia ex nunc et per immortalia saecula saeculorum. Amen.

V. *Excerptus diversarum modus poenitentiarum a Benedicto abbate* [*Anianensi*] *distinctus de Regula sancti Benedicti abbatis.* (Apud Baluz., Capitul. tom. II, p. 1385.)[Col. 1417C]

Plurimi nequaquam pleniter intelligentes judiciorum sententias in Regula sancti Patris nostri Benedicti, aliter quam praecepit judicare solent. Sciendum itaque est quatuor ibi contineri modos quibus delinquentium error corrigitur.

Primus namque est quem idem Pater Benedictus proprio judicio determinavit. Ut est: Qui per negligentiam tempore constituto ad Nocturnos non pulsaverit signum. Unde in oratorio satisfieri jubet. Et qui ad officium divinum tarde occurrerit. Et qui per negligentiam hora refectionis ad mensam. Et si cui offertur aliquid a Priore, et accipere renuerit. Et si quis, dum pronuntiat psalmum aut lectionem, fefellerit. Et qui pro aliqua arte extollitur.

Secundus est de spiritalibus rebus. Unde ipse dicit: [Col. 1417D] Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo, id est, spiritali tantum, contrarius existens sanctae Regulae. Qui proficiendo usque ad septem gradus extenditur. Occulte videlicet castigatio [*Al.,* castigando], publice corripiendo, in levioribus culpis excommunicando, in jejuniis nimis affligendo, verberibus coercendo, pro eodem inemendato ab omnibus orando, atque ad ultimum de monasterio expellendo.

Tertius de rebus exterioribus. Hoc est: Si quis damnum per negligentiam aliquod intulerit monasterio.

Quartus de criminalibus delictis.[Col. 1418A]

Denique per ordinem eosdem repetentes.

De primo sciendum est quod nullatenus aliter nisi juxta quod Regula jubet, fieri debet; hoc est, non alienum sed proprium est judicium ponendum.

De secundo sollicite considerandum quia non omnibus personis suprascripti gradus conveniri pote runt. Quia aliter corrigendi sunt honesti, aliter improbi. Nam Regula praecipit de contumacia ut secrete semel aut bis admoneatur. Et alibi dicit: Si contumax fuerit, de monasterio expellatur. Necesse est ergo ut justo moderamine utrumque decernatur. Qualiter secundum Regulam et contumax secrete moneri possit et de monasterio expelli. Ille namque secrete est admonendus: quia licet aliquid a Priore imperatum refutans, mox tamen emendatus emendationem [Col. 1418B] promittens. Qui et honestus jure dici poterit. Et ille de monasterio expellendus qui et contumax existit et nullo unquam pacto acquiescit suscipere disciplinam. Quem omnimodo contumacem Regula vocat. Unde et merito improbus est dicendus. Quanquam et improbum illum etiam vocet qui, licet frequenter corripiatur, disciplinae tamen regulari non contradicit: qui honestatem quam prius, dum se emendare profitens, habere videbatur relinquens, ad improbam duramque mentem transit. Neque, ut supra dictum est, omnibus personis omnes gradus conveniri poterunt; quia videlicet diversae sunt qualitates mentium; un unde [*Forte, ut unde*] unus medetur, inde alter perimitur. Quapropter quorumdam verberibus sunt coercendae personae, minime [Col. 1418C] vero quorumdam. De quorum qualitatibus Regula dicit: Secundum uniuscujusque, inquit, qualitatem vel intelligentiam omnibus se conformet et aptet. Itemque alibi: Ut viderit cuique expedire, prudenter et cum charitate studeat amputare vitia. Et notandum tria inspicienda semper in judicio esse, personam videlicet, intentionem, atque modum delicti. Personam, utrum intellectu et modestia vigeat, vel duritia et inquietudine mentis contradictor existit. Intentionem, utrum studio an infirmitate deliquerit. Modum, utrum graviter vel certe leviter erraverit. Unde et Regula dicit: Secundum modum culpae excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura. Igitur omnis spiritaliter delinquens tandiu secrete moneri debet donec se ipsum ipse [Col. 1418D] improbum reddendo ab occulto transeat ad publicum. In qua publica correptione si non emendaverit, ad excommunicationem leviarum culparum transibit. Ubi cum diutius nequiverit corrigi, nimium jejuniorum maceratione affligatur. Per quam non correptus si persona exstiterit talis, flagellorum coerceatur

acredine. Sin vero personae non admiserit consideratio, communiter ab omnibus misericordia imploretur Omnipotentis. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, praecidatur a corpore monasterii. Et si contigerit ut per negligentiam, dum aut in occulto aut in publico admonetur, aliquid damni monasterio intulerit, excommunicetur in levioribus culpis secundum modum culpae. Et peracta poenitentia, iterum [Col. 1419A] revertatur ad id ubi prius tenebatur. Et non solum dum verbis monetur, verum etiam si aliquo ex supradictis gradu deprimatur.

Primus capitulus est XXII. Ibi omnes gradus inveniri valent.

Secundus vero capitulus est de pueris minore qualiter aetate corripiantur, XXX.

Ubi facile patet quod in vicesimo tertio scriptum est. Sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur. In fine videlicet capitis XXX ubi dicit: Hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acris verberibus coerceantur, ut sanarentur.

Hunc sequitur XXVIII. De his qui saepius correpti emendare noluerint. Ubi similiter septem praedicti gradus inserti sunt. De tertio autem modo judiciorum [Col. 1419B] sicut supra dispositum est. De damno cujuslibet rei exteriori est intelligendum, ubi solummodo animadvertendum, si negligentia interveniente damnum [Col. 1420A] exstiterit factum. Tunc secundum modum delicti et personam et intentionem levioribus culpae judicium subjacebit. In quo modo continetur quidquid in Regula invenitur. Sive gravissimae vindictae subjaceat, seu graviori, seu regulari, seu excommunicetur, seu excommunicationi subjaceat.

Praeter hoc quod in quibusdam locis invenitur districtiori disciplinae subjaceat. Quod quidam ita intelligi volunt, ut si occulte aut publice verbis monebatur, in eodem gradu acrius corripiatur.

Quartus quoque modus, ut praedictum est, de capitalibus criminibus constat, fornicatione videlicet, adulterio, atque ebrietate assidua, caeterisque quae nullo modo nisi poenitentia corporali secundum auctoritatem canonicam purgantur. In quibus et modus [Col. 1420B] nec non et persona atque intentio semper inspicienda sunt. Ubi pariter quoque sanctorum Patrum institutio sollicite est perpendenda.

CHARTAE ANIANENSES.

I. *Praeceptum Caroli Magni pro monasterio Anianensi.*

(Anno 787.) [Apud. D. Bouquet., *Recueil des hist.,* tom. V, pag. 455.]
@ [Col. 1419D] Delenda haec invocatio, quae addita fuit. In nomine sanctae et individuae Trinitatis.

Carolus, gratia Dei rex Francorum et Longobardorum, ac patricius Romanorum. Magnum regni [Col. 1419C] nostri inaugere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benevola devotione concedimus, ac Domino protegente stabiliter

perdurare conscribimus [*Al.,* confidimus]. Igitur notum sit omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, vicariis, centenariis, judicibus, seu omnibus fidelibus, praesentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio, quod ipse novo opere jure proprietatis a fundamentis in honore Dei genitricis Mariae, seu aliorum sanctorum aedificavit in loco nuncupante Aniano, in pago Magdalonense, subtus castro Monte-Calmense, ad nostram accessit clementiam, et praedictum monasterium cum omnibus rebus et ornamentis ecclesiae, seu appendiciis vel adjacentiis suis in manibus [Col. 1419D] nostris plenissima deliberatione visus est delegasse, et ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione ad regendum visus est nobis tradidisse. Idcirco ad ejus petitionem tale pro aeterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in ecclesiis et locis, vel agris seu reliquis possessionibus ipsius monasterii, quas moderno tempore per nostram donationem ac confirmationem ceu caeterorum fidelium juste possidere videtur, in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quaeque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, praecipientes jubemus atque anathematizamus, ut nullus comes, neque episcopus, aut ulla judiciaria potestas ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servos, qui supra terram memorati [Col. 1420C] monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones perquirendas, aut ullum omnino censum inquirendum ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare praesumat. Sed hoc ipse abbas vel successores sui, aut monachi memorati loci, praesentes scilicet et futuri, propter nomen Domini sub integrae immunitatis nomine, absque cujuslibet iniquitate aut contrarietate valeant dominare: et nulli unquam homini pro qualicunque re nullum omnino censum audeant impendere; sed ipsum sanctum locum sub nostra defensione et dominatione volumus constare; statuentes atque jubentes, ut neque vos, neque juniores seu successores vestri vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesiis et locis, vel agris seu reliquis [Col. 1420D] possessionibus suprascripti monasterii, vel de omnibus quae suprascripta sunt, ullo unquam tempore inquietare et exactare praesumatis. Sed quod nos propter nomen Domini et aeternam remunerationem ad jam fatum monasterium indulsimus perennis temporibus proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione suprascriptus venerabilis abbas Benedictus vel successores ejus de hac luce ad Dominum migraverint, qualem meliorem et nobis per omnia fidelem ipsa sancta congregatio de suprascripto monasterio aut de qualicunque loco voluerint [Col. 1421A] eligere abbatem, qui ipsam sanctam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, per hanc nostram auctoritatem ex praemissa indulgentia licentiam habeant; et ubicunque voluerint ordinari et ipsi aut monachi ipsorum, vel a quolibet pontifice, ex praecepto et consensu nostro potestatem habeant: quatenus ipsi servi Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, et stabilitate totius regni a Deo nobis commissi vel conservandi, attentius Domini misericordiam exorare delectentur. Et ut haec auctoritas confirmationis nostrisque futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inviolata manere, manu propria signaculis subscripsimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.[Col. 1421B]

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Data VI Kal. Augustas, anno XIX regni nostri.

Actum in Raganesburg palatio nostro publico, in Dei nomine.

II. *Praeceptum Ludovici Pii imperatoris pro eodem monasterio.*

(Anno 814.) [Apud. D. Bouquet., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit cunctis fidelibus nostris partibus Septimaniae, Provinciae, Burgundiae consistentibus, vel [Col. 1421C] omnibus rem publicam procurantibus, praesentibus scilicet atque futuris, quia in eleemosyna nostra Benedicto abbati ex monasterio Aniana, quod est constructum in honore Domini nostri Jesu Christi, pago Magdalonense, seu successoribus, rectoribus videlicet memorati monasterii, pro opportunitate servorum Dei in eodem coenobio consistentium, concessimus ut, quandocunque eis libuerit missos suos in aliquam partem imperii nostri negotiandi causa dirigere, cum carris videlicet et saumis sive navigio, cum qualicunque scilicet negotio, licentiam habeant pergendi ubi voluerint, absque alicujus infestatione vel contrarietate. Ideo has litteras auctoritatis nostrae eis fieri jussimus, per quas jubemus [Col. 1421D] cunctis fidelibus nostris et junioribus vestris, ut nemo teloneum, vel pontaticum, nec portaticum, aut cespitaticum, seu rotaticum, aut navaticum, atque salutaticum, vel ullum censum, aut ullam redhibitionem ab eis exigere praesumatis. Sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem pacifice et libere huc illucque discurrere, tam terra quam navigio, et absque alicujus contrarietate, sicut superius intulimus, vel infestatione aut detentione, negotia sua peragere, vel ubicunque advenerint, per vos defensionem et salvationem habeant. Et si aliquis temere hanc nostram praeceptionem irrumpere tentaverit, magistri locorum illorum qui rem publicam procurare noscuntur, illud emendari jubeant, si Dei nostramque velint habere gratiam. Et ut haec auctoritas [Col. 1422A] firmior habeatur, et per futura tempora plenius conservetur, de annulo nostro sigillari jussimus.

Faramundus ad vicem Helisachar scripsit.

Data IX Kal. Maias, anno 1, Christo propitio, imperii nostri, indictione VII.

Actum Aquis palatio nostro, in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Ejusdem pro eodem monasterio. (Anno 814.) [Apud D. Bouquet., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, [Col. 1422B] vicedominis, vicariis, centenariis, seu reliquis fidelibus, vel missis nostris discurrentibus notum sit, quia quidquid propter divinum amorem vel opportunitatem servorum Dei agimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur comperiat omnium fidelium nostrorum solertia, praesentium scilicet et futurorum, quia vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio Aniano, sito in pago Magdalonense, constructo in honorem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et sanctae Mariae semper virginis, seu et caeterorum sanctorum, detulit nobis praeceptum domini et genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, in quo continebatur qualiter ipse memoratum monasterium in quo proprio construxerat et eum eidem genitori nostro per [Col. 1422C] chartam donationis delegaverat; et quomodo idem serenissimus imperator ipsum et monachos ibidem degentes sub immunitatis defensione susceperat. Sed pro firmitatis studio petiit praedictus abbas celsitudinem nostram, ut denuo nos ipsum monasterium sub nostra defensione reciperemus et pro mercedis nostrae augmento similia ei concedere et confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare noluimus; sed ita in omnibus et praesentes et futuri fideles sanctae Dei Ecclesiae et nostri concessum et perpetuo a nobis confirmatum esse cognoscant. Praecipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec ullus de fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones praedicti monasterii, quas moderno tempore [Col. 1422D] per donationes et domni imperatoris Caroli et nostras et caeterorum fidelium juste possidere videtur in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quaeque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos, aut per alios, voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius ecclesiae, tam ingenuos quamque servos, qui supra terram memoratae ecclesiae residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare praesumat. Et quidquid de rebus praefati monasterii fiscus sperare poterat, [Col. 1423A] totum nos pro aeterna remuneratione praedicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores sui de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se talem invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates: quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, ac stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi vel conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut haec auctoritas [Col. 1423B] nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data IX Kal. Maii, anno I, Christo propitio, imperii nostri, indictione VII.

Actum Aquis palatio nostro, in Dei nomine feliciter. Amen

IV. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 814.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi [Col. 1423C] Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, praemium nobis apud Dominum aeternae remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, praesentibus et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostrae augmento ad monasterium, quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et sanctae Mariae semper virginis, seu aliorum sanctorum, ubi Benedictus abbas praeesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est, quamdam cellulam nuncupante. Gellonis in pago Lutevense, cum [Col. 1423D] omnibus appendiciis suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam comes, qui ipsam cellulam in causa domini et genitoris nostri construxit, seu et alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt: nec non et in praedicto pago villam quae dicitur Magarantiate; ei in eodem pago in loco qui dicitur Castra, pastura ad pecora eorum alenda, cum terminis et adjacentiis suis; in pago Bederense fiscum nostrum Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii, et Militiane villam; et in pago Magdalonense castrum quod dicitur Montecalmense, situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, a terminis ejusdem [Col. 1424A] monasterii Anianensis usque ad terminos eorum, sicut domnus et genitor noster Carolus bonae memoriae piissimus Augustus trans ripam praefati fluminis per suum praeceptum ad proprium antedictum tradidit monasterium, excepto proprium ingenuorum hominum, quod infra conjacet. Item in eodem pago illos segos cum piscatoria, quantumcunque in eodem loco idem genitor noster quondam ad suum habebat opus, qui est inter mare et stagnum, cum ecclesia et villaribus et omnibus aspicientiis vel adjacentiis suis. De silva vero quae eidem fisco adjacet, concedimus eisdem monachis et eorum hominibus, ut ad usus et ad piscatorias reemendendas, quantumcunque necesse fuerit ad eorum utilitates, accipiant. Pascua etiam ad animalia alenda absque ullius hominis [Col. 1424B] impedimento, ubi voluerint, et illi et homines eorum habeant. Caetera vero quae restant, et silva, et pascua, utantur et comes et habitatores civitatis Agathensis, sicut antiquitus usus fuit. In pago namque Agathensi fiscum nostrum qui nuncupatur Sita, et in pago Narbonensi salinas quae sunt in loco nuncupante Ad-Signa, quantumcunque eis noster missus Leibulfus comes designavit, cum terminis et laterationibus suis. Haec omnia praescripta cum ecclesiis, villaribus, domibus, mancipiis, virgis, silvis, terris, pratis, pascuis, garricis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, cultum et incultum, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis, totum et ad integrum memorato concessimus monasterio. Et hanc praeceptionem nostrae auctoritatis pro firmitatis studio [Col. 1424C] fieri jussimus, per quam omnino praecipimus atque jubemus ut nullus ex fidelibus sanctae Dei Ecclesiae ac nostris de praescriptis rebus a nobis praefato monasterio vel congregationi ibidem degenti

concessis aliquid abstrahere aut minuere tentet, nec homines ibidem commanentes distringere, nec fidejussores tollere, nec paratas requirere, nec ullas redhibitiones exigere praesumat. Sed, sicut nobis ob amorem Dei praescripta loca cum omnibus eorum appendiciis eidem congregationi delegare, atque perpetualiter ad habendum tradere libuit, ita Domino protegente, absque alicujus contrarietate vel deminoratione aut resultatione, jure firmissimo ipsas res habere et possidere valeant. Placuit etiam nobis hujus congregationi monasterii, quando Dominus [Col. 1424D] abundanter largiri dignatus fuerit, decem modia de oleo dare, id est de telomena et solaria; quando vero minus, sex modia. Et jubemus per hoc praeceptum procuratoribus earumdem villarum praesentibus et futuris, ut mensuram olei praescriptam missis ejusdem congregationis vel successoribus ejus

@ [Col. 1423D] In alio diplomate ejusdem imperatoris, quod emissum est anno 822, pro *jure* uno, habetur *in Arelato.* jure uno annis singulis dare studeant. Haec quippe auctoritas ut nostris et futuris temporibus valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.[Col. 1425A]

Data VIIII Kal. Maii, anno I, Christo propitio, imperii nostri, indictione VII.

Actum Aquis palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen.

V. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 815.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea, quae fideles imperii nostri pro opportunitatibus utriusque partis inter se commutaverunt, nostra confirmamus auctoritate, morem in hoc facto exercemus imperialem, et in postmodum jure firmissimo mansurum permanere volumus. Quapropter noverit [Col. 1425B] utilitas seu industria omnium fidelium nostrorum, tam praesentium quam et futurorum, quia adiens serenitatem culminis nostri vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio quod vocatur Anianense, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini nostri Jesu Christi et sanctae Mariae semper virginis, quod ipse a fundamentis in suo construxerat proprio, et domno et genitori nostro Carolo bonae memoriae piissimo Augusto, cum omnibus ibidem aspicientibus, per chartam delegavit donationis; innotuit eo quod cum pluribus hominibus per diversos pagos [*Al.* add., commanentibus] commutationem fecisset, datis scilicet de rebus praedicti monasterii per chartulas commutationis illis, et acceptis [Col. 1425C] ab eis de rebus eorum propriis ad partem monasterii sui similiter per chartulas commutationis, et manibus bonorum hominum roboratis: ea videlicet ratione ut quidquid pars alteri contulit parti, absque ullius inquietudine aut injusta interpellatione, jure firmissimo retinerent. Et

idcirco postulavit idem Benedictus ut super easdem commutationes nostrae auctoritatis praeceptum fieri censeremus, per quod jure firmissimo et ipse et rectores monasterii hoc, quod acceperant, et quod illis alii tradiderant, perenniter haberent et possiderent. Cujus precibus ob reverentiam ipsius sancti loci et utilitatem utrarumque partium, hanc nostrae auctoritatis praeceptionem super easdem commutationes fieri decrevimus, per quam decernimus atque jubemus ut non solum [Col. 1425D] res, quae ab aliis hominibus eidem traditae sunt monasterio, et eidem monasterio alii homines similiter per chartulam commutationis tradiderunt jure firmissimo teneant et possideant: verum etiam et sicubi deinceps per chartulam commutationis cum quibuslibet liberis hominibus rectores ipsius monasterii commutationem facere voluerint, licentiam habeant, ea scilicet ratione ut commutationes pari tenore conscribantur, manibusque bonorum hominum roborentur: et quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant et possideant: et quidquid exinde facere voluerint libero in omnibus [Col. 1426A] perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hoc praeceptum auctoritatis nostrae pleniorem obtineat vigorem, et per futura tempora inviolabiliter conservetur, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.

Data VIII Kalen. Martias, anno, Christo propitio, II imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VI. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 815.) [Inter *Acta SS.* ordinis S. Benedicti, parte I, saec. IV, pag. 221.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu [Col. 1426B] Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostrae munere de beneficiis a Deo nobis collatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad aeternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Unde noverit experientia atque utilitas omnium fidelium nostrorum, tam praesentium quam et futurorum, quia placuit nobis pro mercedis nostrae augmento et animae emolumento quamdam cellulam ex re proprietatis nostrae, quae nuncupatur Casa-Nova, quae sita est juxta castrum, quod nuncupatur Planitium, in pago Ucetico super fluvium Cicer, quam dudum Willelmus quondam [Col. 1426C] comes a fundamento in honore sanctae Mariae semper virginis construxerat, et rebus quamplurimis ditaverat, et domno et genitori nostro Carolo bonae memoriae piissimo Augusto cum rebus et omnibus, quae eidem cellulae aspicere fecerat per chartulam delegavit donationis; sed postea propter compendium et loci utilitatem non procul ab eodem loco eadem cellula constructa est, quae nuncupatur

@ [Col. 1425D] Gordanicus, vernacule *Guourague, nunc usque prioratus Anianae subjectus.* Gordanicus, in eodem pago et super eumdem fluvium, ad monasterium quod nuncupatur Aniana concedere, et per hanc nostrae auctoritatis largitionem tradere,

quod est situm in pago Magdalonense, non longe a castro quod dicitur Monscalmus, constructum in honore Domini et Salvatoris Jesu Christi et sanctae Mariae semper virginis, ubi etiam Senegildus abbas [Col. 1426D] praeesse videtur: quod olim vir venerabilis Benedictus abbas in suo construxerat proprio, et similiter domno et genitori nostro Carolo per instrumenta delegaverat chartarum. Hanc itaque cellulam, quae sicut diximus, nuncupatur Gordanicus, et illam quae vocatur Casa-Nova, cum omnibus ibidem pertinentibus vel aspicientibus, cum mancipiis, domibus, aedificiis, terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus quae praedictus Willelmus per venditiones, cessiones, donationes acquisierat, et praefato domno et genitori nostro tradiderat; et cum his quae postea praedictis locis a bonis hominibus [Col. 1427A] tradita sunt, memorato monasterio Aniano praesenti tempore tradidimus, et per hanc nostrae auctoritatis donationem perpetualiter ad habendum concessimus, ita videlicet ut quidquid in ipsis locis, aut de ipsis ad utilitatem et profectum rectores aut congregatio ipsius monasterii facere vel judicare voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Haec vero auctoritas largitionis nostrae ut per curricula annorum inviolabiliter inconvulsam obtineat firmitatem, et a fidelibus nostris, praesentibus scilicet et futuris verius certiusque credatur, eam manu propria subterfirmamus, et annuli nostri impressione signare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.[Col. 1427B]

Data XII Kal. Junias, anno, Christo propitio, secundo imperii domni Augusti Ludovici piissimi, indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VII. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 816.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris in partibus Septimaniae provinciae, Aquitaniae, vel in caeteris provinciis consistentibus, quia vir venerabilis Benedictus [Col. 1427C] abbas ad nostram accedens clementiam, suggessit nobis ut per nostram jussionem advocati monasterii Anianensis perdita quaererent, et juste possessa ubique secundum legem defenderent. Quem nos libenter recipimus, et has litteras scribere et ei dare jussimus, per quas omnibus notum facimus ut sciatis advocatos praedicti monasterii Anianensis omnia quae secundum legem quaesierint, et quicunque de praedicti monasterii rebus eis alia quaesierit; et secundum legem definitum fuerit, ratum et stabile permaneat. Et ideo praecipimus ut ubicunque in loca vel potestates seu ministeria cujuslibet et comitum advenerint et undecunque de rebus praedicti monasterii judiciare quaesierint, absque ulla dilatione secundum legem justitiam recipiant et faciant. Si vero [Col. 1427D] quilibet

aliquam dilationem in justitiis faciendis opposuerit aut aliquam injustam occasionem adhibere conatus fuerit, advocatis ipsius monasterii injungimus ut nobis renuntient, ut nos illi qui nostram jussionem neglexerit, secundum facti sui meritum retribuamus. Dixit etiam nobis praedictus Benedictus abbas eo quod mancipia de monasterio S. Martini, vel alia, quod [quae] nos largitionis nostrae munere ad praedictum Anianense monasterium concessimus, per loca diversa fugitiva sint: de quibus volumus ut ejusdem monasterii advocati ea perquirant, et ubicunque reperta fuerint, et secundum legem Romanam tricennio se defendere voluerint; et hoc advocati praedicti monasterii ea propinquis eorum [Col. 1428A] circumcinxerint, aut testimonia idonea dederint; fiat de eis secundum Romanae legis sanctionem, ut tricennium ea excludere non possint. Et ut has litteras nostras esse verius credatis, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data Idibus Octobris, anno, Christo propitio, imperii nostri 3, indictione 10. Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VIII. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 818.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator [Col. 1428B] Augustus.

Si liberalitatis nostrae munere de beneficiis a Deo nobis collatis ad loca divinis cultibus mancipata propter amorem coelestis patriae, et sustentationem ibidem Deo famulantium aliquid largimur, id nobis procul dubio ad mortalem vitam felicius transigendam, et ad aeternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum, sagacitas, quia nos divina aspiratione tacti, et coelestis patriae amore succensi, ob animae nostrae salutem, vel stabilitatem Christiani imperii, libuit nobis ad monasterium quod dicitur Aniana, quod est constructum in honore Domini Dei et Salvatoris nostri et sanctae Mariae semper virginis, quod est [Col. 1428C] situm in pago Magdalonense, cui Georgius abba praeesse videtur quamdam cellulam juris nostri, quae est constructa in honore sancti Martini infra muros Arelatensis civitatis, cum his quae ad eam infra eumdem pagum praesenti tempore pertinent et locum qui est in pago Arausiensi, vocabulo Morenatus, vel quae ad ipsum locum pertinent, similiter et in pago Avenionensi, per hanc nostrae auctoritatis donationem conferre. Hanc vero cellam superius praescriptam cum ecclesiis, domibus, aedificiis, mancipiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus et immobilibus, cultum et incultum, totum et ad integrum, quantumcunque ad ipsam dictam cellam, sicut diximus, praesenti tempore legitime aspicit, et nostri juris ac [Col. 1428D] possessionis in praedictis pagis nostrae proprietatis est per hanc nostrae auctoritatis donationem memorato monasterio ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium, et ad subsidia pauperum vel ad cunctas ejusdem monasterii Aniani necessitates consulendas ob emolumentum animae nostrae perpetualiter concessimus, atque perpetuo ad habendum

delegavimus: ita videlicet ut quidquid de ipsa cella; vel de rebus ad eam pertinentibus rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare, vel etiam facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Haec vero auctoritas largitionis nostrae ut per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatam, manu [Col. 1429A] propria subterfirmamus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici imperatoris serenissimi.

Faramundus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data II Nonas Decembris, anno Christi propitio imperii domini nostri
@ [Col. 1429D] Initium regni repetendum ab anno 813. VI, indictione XII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

IX. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 819.) [Inter *Acta SS.* ordinis S. Bened., part. I, saec. IV, pag. 220.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator [Col. 1429B] Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris, quia vir venerabilis Benedictus abba una cum consensu
@ [Col. 1429D] Benedictus a Ludovico Pio in Franciam vocatus anno 814. Georgium in monasterio Anianensi suum successorem elegerat. Georgii abbatis Anianensis monasterii, quem ipse ibidem successorem elegerat, et monachis ibidem consistentibus, seu etiam et Nibridii reverentissimi archiepiscopi et aliorum servorum Dei, cuidam cellulae in pago Albiensi super fluvium qui dicitur Aquotis sitae, nuncupante Bella-Cella, constructae in honore sancti Benedicti et aliorum sanctorum, quae nuperrimis temporibus novo opere in rebus quas
@ [Col. 1430D] Vulfarius Albigensis comes, Aimoni, cui hunc comitatum anno 778 dederat Carolus Magnus, successisse creditur. Vulfarius comes memorato monasterio Anianensi delegaverat, constructa est, privilegium ob firmitatem loci concessit, ut semper de ipsa congregatione ibidem eligerent abbates, quandiu ibi tales inveniri potuissent. [Col. 1429C] Si vero contigisset ibidem illum inveniri minime posse, ut de praedicta congregatione Anianensis monasterii ibidem constitueretur; et si aliter quam oportebat fecisset, et a suo proposito in aliquo exorbitasset, ut rector saepe nominati monasterii sua auctoritate illud emendaret.

Caeterum quandiu suam professionem bene observabunt, nullatenus qualibet occasione eos infestassent, aut eorum quietem perturbassent, aut aliquid contrarii eis fecissent. Sed ut melius conservaretur, petiit ut nostrae jussione manus ratum maneret. Proinde has litteras fieri jussimus, per quas jubemus ut memorati fratres in eodem loco consistentes juxta superius taxatum modum Deo quiete militent, et [Col. 1429D] abbatem

quandiu ex se bonum eligere potuerint, juxta praemissam constitutionem eligant: et si a proposito suo aliorsum digressi fuerint, per abbatem Anianensis monasterii corrigantur; et, sicut intulimus, nullam infestationem aut inquietudinem qualibet occasione, dum bene suum propositum conservaverint, a rectoribus et congregatione praescripti monasterii Anianensis patiantur: sed juxta praemissam conditionem in omnibus quiete vivere valeant. Haec vero cellula sub eadem immunitate, quam nos praedicto monasterio Anianensi fecimus, indivisibiliter, [Col. 1430A] sicut res caeterae ad ipsum monasterium pertinentes, ita ea sub nostra defensione consistat. Et ut haec nostra jussio in omnibus firmior habeatur et melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.

Data VII Id. Mart., anno Christi propitio imperii domni Ludovici piissimi Augusti sexto, indictione XII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

X. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 820.) [Apud D. Bouquet., ibid.)[Col. 1430B]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina providentia imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinae servitutis amorem quiddam deferimus, et imperialem morem decenter implemus, et id nobis profuturum ad aeternae remunerationis praemia capessenda veraciter credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum solertia, quia nos divino amore succensi, olim per nostrum praeceptum tradidimus quamdam cellam proprietatis nostrae, sitam infra muros Arelatensis civitatis, constructam in honore sancti Martini confessoris Christi, cum rebus et mancipiis ad se [Col. 1430C] aspicientibus vel pertinentibus, monasterio Anianensi, quod est dicatum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctae Mariae semper virginis, situm in pago Magdalonense. Et tunc placuit nobis pro remedio animae nostrae, ut pius Dominus peccatorum nostrorum maculas tergere et supernis civibus adscisci dignetur, quamdam villam juris nostri, quae dicitur Massacia, cum appendiciis suis, habentem plus minus quadraginta mansos, quae est ex ratione praedictae cellae sancti Martini, non solum eidem cellae reddere, sed etiam liberalitatis nostrae munere per hos imperiales apices nostros ibidem confirmare: quatenus eadem cella cum praedicta villa perpetim in jus et dominationem praefati monasterii Anianensis eorumque rectoris persistat. [Col. 1430D] Hanc vero villam cum omnibus ad se praesenti tempore juste et legaliter aspicientibus, domibus, aedificiis, ecclesiis, mancipiis utriusque sexus, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, perviis, exitibus et regressibus, vel quantumcunque ad eam moderno tempore aspicere videtur et nostri juris et possessionis est jure proprietatis, totum et ad integrum vel inexquisitum praedictae ecclesiae sancti Martini

et monasterio Anianensi per hanc nostrae auctoritatis donationem donamus atque transfundimus: ita videlicet ut quidquid [Col. 1431A] rectores et ministri praefati monasterii Anianensis ob utilitatem et profectum praedicti monasterii facere voluerint, libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi. Et ut haec auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, eam manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data IIII Idus Martii, anno, Christo propitio, VII imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XI. *Ejusdem pro eodem monasterio*

[Col. 1431B] (Anno 822.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus comitibus, vicariis, centenariis, sive caeteris judicibus nostris partibus Provinciae,
@ [Col. 1431D] Septimania anno 817 ab Aquitania distracta fuerat. Septimaniae et Aquitaniae consistentibus

Notum vobis sit quod vir venerabilis Tructesindus abbas monasterii Anianensis suggessit nobis atque indicavit, quod homines vel famuli memorati monasterii per diversa loca consistentes, in ministeriis vestris multa praejudicia et infestationes patiantur tam a junioribus vestris quam ab aliis hominibus, [Col. 1431C] et non possunt habere defensionem per praeceptum immunitatis, quod nos eidem monasterio propter Dei amorem et nostram eleemosynam concessimus, eo quod vos sive juniores vestri dicatis non plus immunitatis nomen complecti quam claustrum monasterii; caetera omnia quamvis ad ipsum monasterium pertinentia extra immunitatem esse. Propter hoc volumus ut intelligatis non solum ad claustrum monasterii, vel ecclesias atque atria ecclesiarum immunitatis nomen pertinere, verum etiam ad domos et villas et septa villarum, et piscatorias, manufacta, vel quidquid fossis vel sepibus aut alio clausarum genere praecingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Ita quidquid intra hujusmodi munimenta ad jus cujuslibet monasterii pertinentia a [Col. 1431D] quolibet homine, nocendi, vel damnum inferendi causa, spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta esse judicatur. Quod vero in agro vel campo aut silva, quae nulla munitione cingitur, casu sicut fieri solet, a quibuslibet hominibus commissum fuerit, quamvis idem ager vel campus aut silva ad ecclesiam praeceptum immunitatis habentem pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta judicanda est. Et ideo non sexcentorum solidorum compositione, sed secundum legem quae in eodem loco tenetur, mulctandus est is qui fraudem vel damnum in tali loco convictus fuerit fecisse. Praecipimus tamen vobis ut

[tam] vos ipsi caveatis et observetis, [Col. 1432A] quam juniores et ministeriales vestri, ut homines et famuli memorati monasterii in omnibus locis ad vestra ministeria pertinentibus pacem habeant, et eis liceat cum securitate memorato monasterio deservire tam in privatis quam in publicis et communibus locis; nec ullus vestrum vel juniorum vestrorum ulterius eos audeat despoliare, et vel in fluminibus, vel in plagis maris piscantes, vel in aliis locis ad praedictum monasterium pertinentibus diversas utilitates et servitia facientes infestare, vel inquietare, aut a debito injuncto sibi servitio prohibere, vel aliquid contra legem et justitiam facere: quia si ulterius ad nostras aures fuerit perlatum, et verum inventum, temeratorem nostri mandati condigna suis factis vindicta coercere decrevimus. Propterea [Col. 1432B] praecipimus atque jubemus ut taliter exinde agatis, qualiter gratiam nostram vultis habere propitiam. Et ut certius hanc nostram jussionem esse credatis, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Data XIV Kal. Aprilis, anno Christo propitio, IX imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

XII.*Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 822.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina propitiante providentia [Col. 1432C] imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes, beneficia opportuna largimur, praemium nobis aeternae remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, praesentibus scilicet et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostrae augmento ad monasterium quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructam in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctae Mariae semper virginis, seu et aliorum, ubi nunc Tructesindus abbas praeesse videtur cum turba monachorum, aliquid ex nostris rebus tradere; id est quamdam cellulam nuncupantem Gellonis, sitam in pago Ludovense, cum omnibus appendiciis [Col. 1432D] suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam comes, qui ipsam cellulam in causa domni et genitoris nostri construxit, seu et alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt: nec non in praedicto pago, villam quae dicitur Magarantiate; et in eodem pago in loco qui dicitur Castra-Pastura, ad pecora eorum alenda, cum terminis et adjacentiis suis; in pago Beterense fiscum nostrum, qui dicitur Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii, et Miliciano villa; et in pago Magdalonense castrum, quod dicitur Monte Calmense, situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, a termino ejusdem monasterii Anianensis usque ad terminos eorum, sicut genitor noster [Col. 1433A] Carolus bonae memoriae piissimus Augustus trans ripam praefati fluminis per suum praeceptum ad propitium
@ [Col. 1433D] Legendum, *antedicto tradidit monasterio.* antedictum tradidit monasterium, excepto proprium ingenuorum hominum, quod infra conjacet. Item in eodem pago illos

segos cum ipsa piscatoria, quantumcunque in eodem loco idem genitor noster quodam ad suum habebat opus, qui est inter mare et stagnum, cum ecclesia et villaribus, et piscatoriis, et omnibus aspicientiis et adjacentiis suis. De silva vero, quae eidem fisco adjacet, concedimus eisdem monachis et eorum hominibus, ut ad usus et ad piscatorias reemendandas, quantumcunque necesse fuerit ad eorum utilitates, accipiant, pascua etiam ad animalia eorum alenda, absque ullius hominis impedimento, ubi voluerint, et illi et homines [Col. 1433B] eorum habeant. Caetera vero quae restant et silva et pascua utantur, et comes et habitatores civitatis Agatensis, sicut antiquitus usus fuit. In pago namque Agatense fiscum nostrum qui vocatur Sita, et in pago Narbonense salinas, quae sunt in pago nuncupante

@ [Col. 1433D] Ad-Signa est locus vulgo *Sigean dictus, in dioecesi Narbonensi ad mare.* Ad-Signa, quantascunque eis noster missus

@ [Col. 1434D] Leibulfus comes erat Narbonensis. Leybulfus comes designavit, cum terminis et laterationibus. Insuper et cellam juris nostri quae est constructa in honore sancti Martini intra muros civitatis Arelatensis, cum omnibus quae ad eam in eodem pago Arelatensi vel Avenionensi praesenti tempore legaliter pertinent. Et locum qui est in pago Arausione, vocabulo Morenatus, vel quae ad ipsum locum pertinent. Similiter et villam quae dicitur Massacia, cum omnibus appendiciis, habentem [Col. 1433C] plus minus XL mansos, quae est ex ratione praedictae ecclesiae sancti Martini. Haec omnia praescripta cum ecclesiis, villis, villaribus, domibus, aedificiis, mancipiis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, piscatoriis, perviis exitibus et reditionibus, cultum et incultum, cum omnibus adjacentiis et appendiciis suis, totum et ad integrum, quantumcunque juris nostri et possessionis ac proprietatis, praedicto monasterio concessimus per hanc nostrae auctoritatis donationem, ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantum, et ad subsidia pauperum ad cunctas ejusdem monasterii utilitates, perpetualiter concedimus ad habendum. Ita videlicet ut quidquid ab hodierno die de praedictis rebus facere vel ordinare, vel etiam disponere [Col. 1433D] rectores et ministri praedicti monasterii voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et nullus ex fidelibus sanctae Dei Ecclesiae et nostris de praescriptis rebus a nobis praefato monasterio vel congregationi ibidem degenti concessis aliquid minuere tentet; nec homines ibidem commanentes distringere, nec fidejussores [tollere], nec paratas requirere, nec ullas redhibitiones exigere praesumat. Sed sicut nobis ob amorem Dei praescripta loca cum omnibus eorum appendiciis eidem congregationi delegari, atque perpetualiter ad habendum tradere libuit; ita, Domino protegente, absque alicujus contrarietate [Col. 1434A] vel diminutione, jure firmissimo ipsas res habere et possidere valeant. Placuit etiam nobis huic congregationi, quando Dominus abundanter largiri dignatus fuerit, decem modia de oleo dare, id est de tolomena et solaria; quando vero minus, sex modia. Et jubemus per hoc praeceptum procuratoribus earumdem villarum praesentibus et futuris, ut mensuram olei praescriptam missis supradictae congregationis vel ejus successoribus in Arelato annis singulis dare studeant. Haec quippe auctoritas ut nostris et futuris temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.[Col. 1434B]

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data XIII Kal. Aprilis, anno, Christo propitio, IX imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XIII. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 826.) [Mabill., *Annal.* Bened., II, 124.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, praesentibus scilicet et futuris, notum sit quia Tructesindus venerabilis abbas, ex monasterio quod dicitur Aniana, [Col. 1434C] in honore Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi necnon et sanctae Mariae constructum, nostrae mansuetudini suggessit qualiter Arnaldus comes in pago Biterrense villam de Cinciano, et casale proprium ex comparatione et acquisitione acquisivit, et ipse Arnaldus per suum wadium domno Benedicto tradidit praedictas res praefati monasterii Anianensis, quo mortuo missi nostri partibus nostris praedictas res revocaverunt. Petiit itaque praedictus abbas Benedictus clementiam nostram, ut ipsas res de jure nostro in ejusdem monasterii ditione perpetualiter ad obtinendum tradidissemus, quod ita et fecimus. Petiit itaque nos Tructesindus abbas, ut nostrum praeceptum super hoc negotio fieri juberemus, per quod nostris futurisque temporibus ipse et successores [Col. 1434D] sui per eum securius et firmius eas possiderent, cujus petitioni assensum praebuimus, et hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri decrevimus, per quod decernimus atque jubemus, ut quidquid rerum suarum praedictus Arnaldus ad praefatum monasterium Anianum praedonavit, firmum et inviolabile permaneat; ita videlicet ut quidquid de ipsis vel in ipsis rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare vel etiam facere pro utilitate ejusdem monasterii voluerint, absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, et faciant quidquid utilitati praedicti monasterii congruere et [Col. 1435A] convenire prospexerint. Et ut haec auctoritatis nostrae praeceptio firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, annuli nostri impressione subter eam signari jussimus.

Hirminmaris diaconus ad vicem Fridugisi abbatis recognovi.

Data XIX Kalend. Septemb., anno, Christo propitio, IX imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indict.... Actum Carbonaco villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XIV. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 835.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu [Col. 1435B] Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, id nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem promerendam profuturum credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Ecclesiae Dei et nostris, praesentibus scilicet et futuris, quod Ermenaldus abbas monasterii nostri, quod dicitur Aniana, ad nostram accedens mansuetudinem, ostendit nostrae majestatis obtutibus quamdam praeceptionem quam nos olim ad petitionem praedecessoris sui Benedicti abbatis, ob amorem Dei et monasterii utilitatem, fieri jusseramus; de advocatione videlicet..... ad hoc in nostram praeceperamus commendationem, ut liberius praedicti [Col. 1435C] monasterii utilitates et necessitates procurare valeret. Sed eodem advocato divina vocatione rebus humanis exempto, nostram expetivit clementiam ut eamdem advocationis curam Maurino vassallo nostro committeremus, Cujus petitionem nostris indigere auxiliis perpendentes, divino tacti munere postulata concessimus, committentes eidem vassallo nostro, Maurino nomine, rerum monasterii sui curam, in acquirendis videlicet justitiis, et aliis faciendis. Propter hoc hos nostrae auctoritatis apices ei successoribusque per tempora labentia sibi succedentibus fieri ac dari praecepimus; per quos praecepimus atque jubemus [ut] omnia quaecunque praedictus advocatus saepe dicti monasterii Anianensis, nomine Maurinus, secundum legem quaesierit, aut quaerentibus [Col. 1435D] obstiterit, aut juste satisfecerit, atque legaliter diffinita fuerint, rata et stabilita permaneant, ubicunque ad loca et potestates seu ministeria cujuscunque comitum advenerit, undecunque de rebus ejusdem monasterii justitiam quaesierit, absque ulla dilatione secundum legem plenissimam reperiat, atque quaerentibus faciat. Et quia constat idem monasterium nostrum proprium esse, volumus et praecepimus ut saepe nominatus advocatus nulla ullatenus testimonia super nostra ejusdem immunitate monasterii testes recipiat: sed quidquid juste et legaliter quaesierit sive defenderit cum nostrae partis testibus, effectum rei evindicare et perficere studeat. Si quilibet vero aliquam dilationem in justitiis faciendis [Col. 1436A] opposuerit, aut aliquam injustam occasionem conatus fuerit adhibere, praedicto advocato injunximus ut nobis renuntiet, ut nos illi, qui nostram jussionem neglexerit, secundum facti sui meritum retribuamus. Dixit etiam nobis praedictus Ermenaldus abbas eo quod mancipia de monasterio sancti Martini, quod nos largitionis nostrae munere ad praedictum Ananiense monasterium concessimus, per loca diversa fugitiva sint. Volumus ut praedictus advocatus ea quaerat; et ubicunque inventa fuerint, et secundum legem Romanam tricennio se defendere voluerint; et hoc praedictus advocatus ex propinquis eorum circumcinxerit, aut testimonia idonea dederit; fiat de eis secundum Romanae legis sanctionem, ut tricennium ea excludere non possit. Et liceat ei [Col. 1436B] suas res proprias absque cujuslibet interpellatione injusta aut inquietudine quiete possidere; et quia memorata ad peragendum ei injunximus, ab omni hoste vel wasta, sive ab omni publico servitio immunem existere: quatinus advocationem a nobis sibi injunctam liberius atque utilius peragere valeat. Licentiam etiam dedimus eidem abbati de minoribus atque levioribus causis alium advocatum mittere, qui praefati monasterii causas atque necessitates utiliter fideliterque administrare possit. Et ut has litteras esse verius credatis, de annulo nostro subter eas jussimus sigillare.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XII Kal. Augusti, anno, Christo propitio, XXII [Col. 1436C] imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XIII.

Actum Stremiaco villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XV. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 837.) [Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus

Omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae et nostris, praesentibus scilicet et futuris, notum sit quia olim adhuc in Aquitania constituti, et necdum imperiali honore et nomine coelitus insigniti, beneficiavimus [Col. 1436D] quamdam villam in pago Lutevense Aniani monasterii, quae est in honore sancti Salvatoris, seu beatae Mariae virginis, et Petri et Pauli apostolorum, atque archangeli Michaelis dicata, petente nimirum Benedicto ejusdem monasterii tunc temporis abbate, et per auctoritatem nostram delegare curavimus. Sed quia deinceps divinitus nobis imperiali solio sublimatis, easdem res potiori auctoritate roboratas fuisse necdum esse consisterat, venerabilis Ermenaldus ejusdem monasterii abbas nostrae supplicavit clementiae ut denuo nostram auctoritatem super rebus villae, quae dicitur Caussenas, accipere mereretur, per quam eas firmius possidere valeret. Cui divino amore et honore assensum praebentes, hos nostros [Col. 1437A] apices fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus ut jam dicta villa Caussenas cum omni integritate sua diebus vitae nostrae beneficiario munere in dominatione et gubernatione Aniani monasterii rectorumque illius atque sustentatione fratrum in Deo Domino militantium persistat; et quidquid de ea jure ecclesiastico et modo beneficiario facere disposuerint, liberam habeant potestatem. Et ut haec auctoritas nostra firmior habeatur, de annulo nostro subter jussimus sigillare.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XIV Kal. Novembris, anno, Christo propitio, XXIV imperii domni Ludovici piissimi Augusti,
@ [Col. 1437D] Cointius hoc praeceptum refert ad annum 836, indictionem ineundo a Kalendis Septembris, annos [Col. 1438D] vero imperii Ludoviciani ab anno 813, quo a patre consors imperii declaratus est. indictione [Col. 1437B] XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XVI. *Ejusdem pro eodem monasterio.*

(Anno 837.) [Apud Mabill., *Acta SS.* ord. S. Bened.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eosque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, praemium nobis apud Dominum aeternae retributionis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, [Col. 1437C] praesentibus et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostrae augmento ad monasterium quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctae ac semper virginis Mariae, seu aliorum sanctorum, ubi venerabilis Hermenaldus abbas praeesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est quamdam cellulam nuncupantem Gellonis, sitam in pago Lutovense, cum omnibus appendiciis suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam comes, qui ipsam cellulam in causa domni et genitoris nostri construxit, seu et alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt. Et in praedicto pago villam quae dicitur Magaranciate, et locum qui dicitur Castra-Pastura ad pecora eorum alenda, [Col. 1437D] seu diversis usibus, cum terminis et adjacentiis suis. Et in eodem pago fiscum nostrum Curcenate cum omnibus adjacentiis suis. In pago quoque Biterrense fiscum nostrum, qui dicitur Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii et Miliciano villa, cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis. Et in eodem pago Villam-Cincianum cum appendiciis et adjacentiis suis. Et inter confinia de pago Rutenico seu Nemausense alpes ad pecora alenda seu alios usus quas dicunt Jaullo, cum terminis et adjacentiis suis, quas olim praefato monasterio per missos nostros Ragambaldo seu Fulcoaldo comite tradidimus cum [Col. 1438A] omni integritate, sicut a temporibus domni et genitoris nostri ab eisdem monachis possessum fuit. Et locum qui dicitur Auraria cum omni integritate, sicut olim a bonae memoriae Ermengarde regina praedicto monasterio traditum est. Et in pago Magdalonense castrum quod dicitur Monte-Calmense, situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, a termino ejusdem monasterii Anianensis usque ad terminum rerum, sicut genitor noster trans ripam praefati fluminis per suum praeceptum ad proprium jam dicto tradidit monasterio, excepto proprium ingenuorum hominum quod infra conjacet. Et super praefatum fluvium, Caucinum ad pascua armentorum et alenda pecora seu alias utilitates, cum villulis et omnibus aspicientiis suis. Et [Col. 1438B] alio loco Comajagas cum finibus et adjacentiis suis, seu et Paliares cum appendiciis suis. Et in loco qui dicitur Sogrado, cellulam quam ipsi monachi aedificaverunt cum adjacentiis suis. Omnia haec cum omni integritate, sicuti a misso genitoris nostri Caroli Leydrath archiepiscopo traditum et marmoribus per cruces et terminationes assignatum fuit, et ab ipsis monachis a temporibus genitoris nostri possessum. Et in ipso pago, in fisco nostro nuncupante Juviniaco, locum quod antiquo vocabulo Fons-Agricolae dicebatur, nunc autem Nova-Cella appellatur, quam proprio opere ipsi monachi manibus suis aedificaverunt; etiam et molina duo infra ipsius fisci terminum super fluvium Lero ab eisdem constructa cum omni integritate, sicut hactenus a [Col. 1438C] temporibus praelibati genitoris nostri quieto ordine tenuerunt; et inter mare et stagnum locum qui vocatur porcarias, quem sibi ad porcos alendum vel ad piscationis opportunitatem, seu alias adjacentias de locis eremis praefati monachi susceperunt, et a genitore nostro eis per praeceptum collata sunt. Item in eodem pago illos segos cum ipsa piscatoria et plagis

maris et fiscum nostrum adhaerentem illis qui nuncupatur Sita, qui est inter mare et stagnum, et subjungit pago Agatensi, cum ecclesiis, villaribus, mancipiis plagis maris et piscatoriis, cum omnibus aspicientiis et adjacentiis suis, cum silvis et arboribus supra positis, usque ad locum qui dicitur Caraiacum, quantumcunque vel quomodocunque in eisdem locis idem genitor noster quondam ad suum [Col. 1438D] habuit opus. Et in pago Narbonense salinas quae sunt nuncupante Ad-Signa, quantascunque noster missus Leibulfus comes eis designavit, cum terminis et laterationibus suis. Insuper et cellam juris nostri, quae est constructa in honore sancti Martini infra muros civitatis Arelatensis, cum omnibus quae ad eam in eodem pago Arelatensi vel Avinionensi praesenti tempore pertinent. Et locum qui est in pago Arausione, vocabulo Murenatis, quidquid ad ipsum locum pertinet; et villam quae dicitur Massacia cum omnibus appendiciis suis, habentem plus minus mansos XL, quae est ex ratione praedictae cellae [Col. 1439A] sancti Martini; seu et insulam Suburbanam nuncupatam, quae cingitur ab omni parte a Rhodano flumine, cum ecclesiis ac rebus seu appendiciis suis, sicut quondam Leibulfus comes per auctoritatem nostram cum Notone archiepiscopo ex suo alode

@ [Col. 1439C] Exstat in tabulario Anianensi. excambiavit et jure possedit, atque per chartam donationis praefato contulit monasterio. Necnon et in pago Ucetico donamus cellulam proprietatis nostrae, quae nuncupatur Casa-Nova, quae sita est juxta locum qui vocatur Gordanicus, super fluvium Cicer, sicut eam et genitor noster quondam possedit, et nos olim praefato monasterio per auctoritatem nostram concessimus. Haec omnia praescripta cum omni integritate praedicto monasterio per hanc nostrae auctoritatis donationem perpetualiter concedimus [Col. 1439B] ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium, ita ut quidquid ab hodierno die et tempore de praedictis rebus facere vel ordinare voluerint ministri loci ipsius, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Quam ob rem hanc praeceptionem nostrae auctoritatis pro firmitatis studio fieri jussimus: per quam omnino praecipimus atque jubemus, ut nullus ex fidelibus sanctae Dei Ecclesiae ac nostris de praescriptis rebus a nobis praefato monasterio vel congregationi ibidem degenti concessis aliquid abstrahere aut minuere tentet, nec in ecclesiis aut loca vel agros seu reliquas possessiones praedicti monasterii, quas moderno tempore per donationes genitoris nostri ac nostras seu caeterorum fidelium juste possidere videtur in quibuslibet locis, quidquid ibidem [Col. 1439C] propter divinum amorem collatum fuit, quaeque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones [Col. 1440A] vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quamque servos, qui super terram memorati monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones perquirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel exactare praesumat. Et quidquid de rebus praefati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praedicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas et successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum [Col. 1440B] Regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum, sicuti in aliis eorum continetur praeceptis a nobis vel genitore nostro sibi collatis, licentiam habeant semper eligendi abbates, quatenus ipsis servis Dei qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra et

stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi vel conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut haec auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XII Kal. Novembris, anno, Christo propitio, XXIV imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione [Col. 1440C] XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[Col. 1439D]

INDEX RERUM ET VERBORUM AD SANCTI BENEDICTI ANIANENSIS CONCORDIAM REGULARUM.

In hoc Indice revocatur Lector ad numeros columnarum nostrarum.

[Col. 1457A]

ORDO RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI CENTESIMI TERTII.